PERFECTVS CVRSVS
PHILOSOPHICVS
SCOTISTARVM.


Dignare me
Laudare te Virgo
Sacrata Da mihi virtutem
contra hostes tuos

NOVVS CVRSVS PHILOSOPHICVS SCOTISTARVM,

COMPLECTENS VNIVERSAM
Philoſophiam, Rationalem, Naturalem,
Moralem, & Tranſnaturalem:

INDVSTRIE PERACTVS, INGENIOSE ELABORATVS,
atque à Subtilium Schola apprimè exoptatus.

AVCTORE
R. P. BONAVENTVRA COLVMBO, NICIENSI,
Ordinis Minorum Conuentualium Sacræ Theologiæ Doctore, eiuſdemque
Profeſſore in celeberrima vrbe Aquenſi.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,
Sumpt. LAVR. ARNAVD, ET PETRI BORDE.

M. DC. LXIX.
CVM APPROBAT. ET PERMISSV.

REVERENDISSIMO, SAPIENTISSIMOQVE

P. PATRI ANDREÆ

BINO AB HISPELLO,

Artium, & Sacræ Theologiæ Doctori, vniuersique Ordinis Minorum Conuentualium Ministro Generali vigilantissimo, atque Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ IX. authoritate Apostolica Commissario dignissimo.

F. BONAVENTVRA COLVMBVS NICIENSIS, eiusdem Ordinis alumnus S. P. D.

*INTEGRVM, absolutumque Philosophicum Cursum luci publicæ daturo, præloque commissuro (*REVERENDISSIME PATER*) vnus electus ex millibus, sanè non foris petitus, sed domi obuius, mihi statim occurristi Patronus præstantissimus, Mecœnasque clarissimus. Istum enim sub tuo præsidio firmissimo, auxilioque potentissimo prodeuntem, indubiè spero per totum terrarum orbem rectè esse diffundendum, tutéque dispertiendum. Tu enim es supremum caput Seraphicæ Religionis, solertissimusque Generalis, inter tot integerrimos, & præclarissimos viros, quibus perbellè ipsa Religio abundat, & mirificè irradiat, nominatus, & electus, ac in Comitiis generalibus proximè Romæ celebratis acclamatus, atque à nobis omnibus libenter, & alacriter susceptus, necnon summoperè dilectus, ad præfatum Sodalitium gubernandum, regendum, moderandum, & illustrandum, vtpotè, qui optimis moribus præditus, excelsa bonitate, ac mirifica scientia ornatus, vitaque integritate præclarus, augmentum, & incrementum maximum sis ei allaturus. Vnde non immeritò nostra Philosophia nomen tuum veluti tesseram præfert, quæ extat amor sapientiæ, & sapida scientia perhibetur, in speculatione, & actione; in virtute, & operatione consistens; quorum omnium es studiosissimus, & amantissimus, vt protinùs in primordio tui regiminis præsignasti, & præmonstrasti, diùque egregiè es prosequutus, summáque cum laude, & applausu es consequutus.*

sequutus. Si autem vera Philosophia, nedum dicit, verum etiam facit, iuxta illud Magistri morum : Verba rebus proba, ne sermoni vita dissentiat*: planè tu, velut alter Generalis Bonauentura Sanctissimus, & Doctissimus, priùs factis, quàm verbis; exemplo, quàm præcepto, quæ construenda, & corrigenda sunt aptè peragis, & opportunè corrigis, reparas, & restauras; collapsa, & dispersa erigis, & in primæuum religiosum statum redigis, & ad meliorem frugem reducis: sciens validiorem, & efficaciorem esse operis, quàm oris vocem. Potissimùm nunc excolis, & erigis strenuè in Galliarum Regnis, libenter annuens Christianissimi Regis piis, iustisque votis; ac etiam exactè Summi Pontificis iussa, & mandata exequens: quibus speramus, optamus, & precamur, maiora Tibi, & digniora à potentissimis viris prænominatis deuotissimis conferenda, vt magis, ac magis Seraphicam nostram Familiam illustres, & vniuersum orbem illumines. Accipe igitur hilari animo, alacrique vultu hoc vigiliarum, laborumque meorum opus, & pignus, in perpetuæ venerationis, & perennis meæ affectionis certum argumentum, verumque monumentum. Vale, & iterum vale, publico bono natus.*

AD

AD LECTOREM.

CVNCTAS assertiones locis, ac testimoniis Scoti explicitis, tactis, aut saltem deductis, aut præsuppositis ex eius principiis communiendas, confirmandas &, fundamentis, rationibusque eiusdem corroborandas curaui, quæ ab omnibus ipsiusmet studiosis iamdudum maximè exoptantur, cùm nemo antè, quem viderim, in Philosophia præstiterit. Cœpit quidem laboriosè, ac ingeniosè Vulpes in suis tomis Theologicis, sed morte præuentus non absoluit. Deinde duo nostri Neoterici multa eruditè, ac copiosè accumulant ex Scoto, aliisque tam veteribus, quàm recentibus, ac refutant; tametsi nonnunquam Scotistas insigniores, nuncupatim Formalistas spernant, nimisque Nuperis, extra Scoti scolam faueant. Accedit nuper Poncius cursum integrum Philosophicum aggressus, & complexus; qui pleraque Scoticæ doctrinæ non consentanea congerit, ac defendit, paruique pendet authoritates, citationes eius, ac notabilia, putatque se esse omnium primum in eius complemento; cùm tamen anteà Tatar. Ioannes de Magistris, Parisienses, aliique complures vbique terrarum, præsertim in celebrioribus Vniuersitatibus, verbo, & scripto, ingenti cum applausu eum tradiderint, atque in lucem ediderint. Quapropter pro viribus citationes, allegationes Doctoris, & notabilia necessaria, & proficua in medium proferam, & contendam obscura patefacere, difficilia explanare, confusa distinguere, ac illustrare, necnon omnia pro ingenioli mei tenuitate in rectum ordinem & methodum congruam redigere, ac disponere. Si autem quid non benè dictum occurrat, mihi attribuatur, & ignoscatur. Si verò quid bonum extiterit, Deo omnium bonorum authori, & largitori adscribatur. Vale.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs subscripti Sacræ Theologiæ Doctores, attentè perlegimus, & accuratè perlustrauimus *Nouum Cursum Philosophicum Scotistarum, à Reuerendo Patre Magistro Bonauentura Columbo, olim Aquis Philosophiæ Professore publico, & Sacræ Theologiæ Prælectore affabrè compositum, & concinnè collaboratum, integrum, & omnibus numeris absolutum*: qui nedum fidei Orthodoxæ, bonisque moribus consonat; verùm etiam magna facilitate, & eruditione doctrinam Aristotelis, & Scoti Doctoris Subtilis exponit, & contra vtriusque aduersarios, tam veteres, quàm recentes acerrimè defendit. Ideò, vt quamprimùm excudatur, & in lucem emittatur, ad omnium publicam vtilitatem, eum dignum censemus. Saloni 12. Septembris 1667.

Fr. IACOBVS IVLIANVS, Doctor Theologus.

Fr. ELZEARIVS BORELY, Sacræ Theologiæ Doctor.

Facultas

Facultas admodum Reuerendi Patris Prouincialis prouinciæ S. Ludouici.

EGo Fr. Gabriel Taulany Sacræ Theologiæ Doctor, Minor Conuentualis, & in Prouincia S. Ludouici Prouincialis, facultatem concedo, vt *Nouus cursus Philosophicus Scotistarum, Authore Patre Magistro Bonauentura Columbo, eiusdem nostri Ordinis*, grauium Doctorum iudicio approbatus, & à nobis diu exoptatus, typis mandetur. Aquis die 15. Septembris 1667.

Fr. GABRIEL TAVLANY, Prouincialis.

Approbatio Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

LVce dignum reperimus *Cursum nouum Philosophicum ad mentem Doctoris Subtilis, Authore R. P. Bonauentura Colombo, Niciensi, Ordinis Minorum Conuentualium*; quandoquidem nihil sit in eo quod sanam doctrinam, imò Doctoris Subtilis non sapiat acumen. Ita testamur nos infrà scripti Almæ Facultatis Parisiensis Doctores Theologi, die Decembris secunda, anni 1669.

Fr. PAVLVS LOMBARD, Prior Carmelitarum.

Fr. ELIAS VIAL, Carmelita.

Consensus Procuratoris Regij.

VIsa Approbatione Doctorum Facultatis Parisiensis, Ego pro Rege assentior, vt liber inscriptus *Cursus nouus Philosophicus, ad mentem Doctoris Subtilis, Authore R. P. Bonauentura Columbo, Niciensi, Ordinis Minorum Conuentualium*, prælo mandetur à LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE, Sociis Bibliopolis Lugdunensibus, cum inhibitionibus consuetis. Datum Lugduni, die secunda Decembris anni 1669.

GALLIAT.

PERMISSIO.

FIat iuxta conclusiones Procuratoris Regij. Lugduni die, & anno supradictis.

DVLIEV.

SERIES

SERIES
LIBRORVM, QVÆSTIONVM, Articulorum, & Dubitationum huius totius Philosophici Cursus.

LIBER III.

PHILOSOPHIA RATIONALIS.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER IV.

LIBER V.

PHILOSOPHIA NATVRALIS,

LIBER I.

QVÆST.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

 ij. *Quot*

LIBER V.

LIBER VI.

LIBER

De generatione, & corruptione. Præfatio. p.551

LIBER

De intensione, & remissione. pag.568

LIBER

De actione, & reactione. pag.578

LIBER

De mixtione, & mixto. pag.586

LIBER

De meteoris. pag.693

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

iij. De

LIBER V.

PHILOSOPHIA MORALIS.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

LIBER V.

Dub.

PHILOSOPHIA TRANSNATVRALIS, Seu Metaphysica. 829

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

LIBER V.

EPITOME

EPITOME
DIALECTICES,
IN TRES LIBROS DIVISA,
Ad mentem Doctoris ſubtilis.

Authore F. BONAVENTVRA COLVMBO *Nicienſi, Ordinis Minorum Conuentualium, Sacræ Theologiæ Doctore, ejuſdemque Profeſſore.*

PROOEMIVM.

ARISTOTELES Peripateticorum caput & Princeps inclytus in initio primi Phyſ. affirmat in qualibet doctrina, & facultate, cognitionem, ſcientiamque ex principiorum notitia prouenire, inquiens, *vnumquodque tunc nouiſſe cenſemus, cum primas cauſas, & prima principia vſque ad elementa nouerimus.* Cuius præcepti haud immemor Auctor Grammaticæ ſpeculatiuæ in procemio allegat, & appoſitè ipſum adhibet ad rem ſuam proponendam, & declarandam: quodque obſeruant reliqui poſteriores Philoſophi. Etſi ex eodem Stagirita Tex.21.primi Poſt.& Scoto ibid.q.2.& in Prologo q.1.§. *in iſta q.* ante A.& in 4.d.47.q.1.§.*Reſpondeo* A. & aliis in locis principia cognoſcimus, quatenus terminos cognoſcimus, ſanè vterque textus nobis fauere, eiſque noſtræ perpulchrè accommodari videtur, qui principia, & elementa Dialecticæ, totámque diſſerendi diſciplinam inſtruere peroptamus, à terminis ducentes exordium, vt his notis & perſpectis, facilius & commodius eius penetralia pateſcant. Nec enim Logicæ intimam naturam (quæ ex ſe valde eſt obſcura) quiſpiam compertam habere valet, niſi ratiocinatio, ſeu ſyllogiſmus ſibi innoteſcat, quem ex inſtituto Ariſtotelem pertractaſſe, ad eumque omnia Dialecticæ opera direxiſſe, teſtantur Scotus q.3.vniuerſalium, Zabarella l.1.de natura Logicæ c.18.Fonſeca l.1.inſtitutionum dialecticarum c.5.& 1 Met.c.3.q.1.ſect.3. & indicat ipſemet Ariſt. In calce Elenchorum. Vt enim Grammatica ſine literis, Mathematica abſque punctis, & Phyſica non præconceptis materia, & forma comparari nequeant; ſic Logica addiſci non poteſt, ignotis terminis, atque neglectis. Fieri quippe nullo modo poteſt abſque errore, vt vllus enunciationes componat, earum oppoſitiones efformet, æquipollentias conſtruat, conuerſiones earumdem efficiat, ſyllogiſmi naturam, eiuſque paſſiones, Elenchos, & huius formæ alia, intuiſis. & imperceptis terminis videat, & percipiat. Quod non obſcurè tradit Doctor ſubtilis, q.1.Prologi §. *contra iſtam rationem.* G. his verbis. *Non poteſt intellectus intelligere propoſitionem mediatam, niſi immediatam, & hanc, niſi terminos eius* Et in 1 d.3.q.2.§. *ad iſtud.* ſub C. *illa eſt perfectiſſima notitia, quæ habetur ex terminis perfectè cognitis.* Et q.4.ante V. *Sincera, & pura veritates percipi nequeunt abſque perceptione propriorum terminorum.* Item in 4 d. 10.q. 8. § reſpondeo ſub B. *Impoſſibile eſt aliquam complexionem concipere, cuius extrema non concipiuntur.* Id expertus erat Chryſaorius, qui categorias Ariſt. offendens, nec tunc capiens, eas concipere quiuiſſet nunquam, niſi eius Magiſter Porphyrius Iſagogem vniuerſalium, quæ præcipuos terminos continet, præmiſiſſet, & præexplicaſſet. His fauet Bonetus Scotiſta non ignobilis, qui 1.Met.c.1.in initio ait. *Notitia concluſionis diſtincta dependet ex notitia Principiorum, & ex diſtincta notitia terminorum.* Accedit Franciſcus

Lychetus fideliſſimus Scoti interpres in 1.d.3 q.2.§. cōtra iſtud obijcitur. *In argumentando prius componimus ſyllogiſmum ex propoſitionibus, & propoſitiones ex terminis, & deinde reſoluimus ſyllogiſmum in propoſitiones, & propoſitiones in terminos.* Itaque in his omnibus exigitur terminorum cognitio: & quemadmodum docente Stagirita 1.Elench. c 1. in ſupputando falluntur, qui calculos, eorumque valorem neſciunt, ita in rebus differendis non rarò allucinantur, & circumueniuntur, qui vocabulorum, terminorumque notitiam perſpectam non habent. Summopere igitur laudanda, & celebranda eſt illa conſuetudo Philoſophicarum Academiarum, quæ ante Logices tractationem, Laconicam de eius terminis introductionem, quam vulgò ſummulas appellant, Iunioribus tradunt, vt ad diſcurſus veritatem indagandam, & falſitatem detegendam citiores, & promptiores reddantur: præſertim in Lycæo, & doctrina Scotica, quæ vt cæteris ſubtilitate celſior, ita profunditate difficilior exiſtit. Haud ego iſtis inuitus adſtipulatus de terminis, deque terminato, ſiue ſyllogiſmo Epitomem inſtituo, ſi tamen primùm Doctoris noſtri verba vſurpauero, viamque eius ſeruauero, qui teſtibus Guillelmo Vorrilonio ſuo tempore Theologorum principe, propè finem perorationis Primi ſententiarum, & Iacobo Bagnacaballenſi viro Doctiſſimo & pijſſimo, pagina 19. ſuæ Epiſtolæ Paſtoralis, fuſis ad Deum precibus, ſuam Dialecticam exordiens inquit. *ô Deus, qui es terminus ſine termino, da mihi, vt rectè de termino loquar.*

DIVISIO HVIVS TOTIVS EPITOMES.

TRibus libris iſtud opuſculum abſoluitur. In primo agitur de terminis incomplexis, in 2. de terminis complexis & in 3. de terminato, ſiue ſyllogiſmo, qui ex præcedentibus terminis conflatur. Præſentis partitionis cauſa non incongrua redditur: ſiquidem ſyllogiſmus, qui Logicæ Ariſtotelicæ primum ſubiectum ſtatuitur, duas complectitur partes, nempe integrales, & ſubjectiuas, quarum meminit Scot.q.3. vniuerſalium §. *Dicendo ergo*, & §. *Ad aliud*, & ibi Cardinalis Sarnanus pagina 79. ſui commentarij. Idemq; 3. Prologi principali, & 2. Laterali §. *Ad 1. arg prima q.* R. & §. *Aliter* paulò ante Q. & 2.d.3. q.4. §. *Contra, iſtu poſitio* G Partes integrales ſyllogiſmi ſunt termini incomplexi & complexi, recenſiti ab eodem Doctore. 2.d 11. q. vn. §. *de ſecundo*, paulo poſt. C. quiue ab ipſomet Scoto q. 2. primi priorum in fine, & q.6.§. *Reſpondetur*, & ab alijs Dialecticis materia remota, & proxima eiuſdemmet ſyllogiſmi nuncupantur. Partes verò ſubiectiuæ ſunt ſyllogiſmi Analyticus, Topicus, Sophiſticus, & Pſeudographus, quos commemorat Doctor ad finem q.2. primi Priorum. Hanc autem vniuerſam materiam peruestigantes, primùm differimus de terminis incomplexis, à quibus tanquam proprietates fluunt ſignificatio, prædicatio, ſubiectio, ſuppoſitio, ſtatus, diſtractio, ampliatio, reſtrictio, alienatio, diminutio, & appellatio. Deinde de complexis, à quibus veluti proprietates emanant veritas, falſitas, oppoſitio, æquipollentia, & conuerſio fusè à Scoto in libris Perih. & Priorum diſcuſſæ. Poſtmodum de ſyllogiſmo, cuius paſſiones ſunt conſtare ex tribus terminis, eſſe in modo, & figura, atque neceſſariò ex præmiſſis inferre concluſionem, vt poſt Scotum in libris Priorum mox allegatis, ſcribit Sarnanus in commentario q. 3. vniuerſalium pag 58. Hæc diſtributio apertè inſinuatur à Doctore 1. Perih. q.1. & 1. Priorum q.2. cui mirificè ſuffragatur ordo librorum Philoſophi in ſuo Organo habitus. Ille namque terminos incomplexos perſcrutatur in lib. prædicamentorum, ad cujus explicationem præmittitur Iſagoges Porphyriana: terminos complexos perluſtrat in libris Perih. Denique ſyllogiſmum, eiuſque ſpecies, & affectiones in lib. Priorum, Poſt. Top & Elenchorum latè, & vberè proſequitur.

LIBER PRIMVS.

De Terminis incomplexis.

1. SIcvt in perdiſcenda Grammatica præcognoſcuntur litteræ ante ſyllabas, & ſyllabæ ante dictiones, ſiue nomina, & verba ſic in comparanda Dialectica præmittuntur prius termini incomplexi, quam complexi, hique ante ſyllogiſmum, vt indicare videntur Doctor ſubtilis q. 19. *Elench.* & Lychetus *in 1. d. 3. q. 2. §. contra iſtud.* Ratio horum eſt, quia ſimpliciora, & communiora minus communibus, & compoſitis ſunt præponenda, & præferenda. Quod præcipit, & efficit Ariſtoteles 1. *Phyſ. c. 1. Tex. 4. & 7. & 3. eiuſdem operis Tex. 2. atque in fine Meteororum*, inquiens ab vniuerſalibus ad ſingularia, itemque à magis communibus ad minus communia eſſe progrediendum. Hic autem liber quatuor complectitur quæſtiones, primam de diuiſionibus, & definitionibus terminorum incomplexorum, ſecundam de eorumdem proprietatibus, tertiam de vniuerſalibus, & quartam de categorijs.

QVÆSTIO PRIMA,

De diuiſionibus, & definitionibus Terminorum incomplexorum.

ARTICVLVS I.

De nominibus huius Doctrinæ.

2. ANtequam ad rem ipſam à nobis propoſitam deueniamus, nomina huius diſciplinæ ſunt aperienda. Monet enim Stagirita *l.1. Elench. cit. in noſtra præfatione*, in rebus differendis eos facile decipi, qui rerum vocabula ignorant. Ne igitur vlli errori, deceptionique ſuccumbamus, operæ pretium duximus ipſius

ipsius doctrinæ vocabula perueſtigare, & perdiſcere: quod clarius ediſſerit idem Philoſophus 1.*poſt.c.* 1.t.1. per illas præcognitiones *an ſit*, & *quid ſit*, ſiue quid nominis, ſiue quid rei. Nec diſſentit Plato in Cratylo indicans vocum notionem deſcipiendam non eſſe: quibus adhæret Doctor Seraphicus 2.d.38. art.1. dicens *frequenter ad cognitionem rei perducimur per conſiderationem vocabulorum*, & fauet Doct. 2.d.34. §.*iſtu qq. ante A.* Multis autem ſcientia iſta inſignitur nominibus, nonnullis metaphoricis, quo pacto apud Platonem 7. *de Republica* vocatur doctrinarum omnium apex & finis. Apud Cic. *de claris Oratorib.* appellatur ſcientiarum lux, ab alijs nominatur mentis Sol, rationis oculus, libra veritatis, ſcientiarum ianua, & organū ab Ariſt. vt liquet ex eius operis inſcriptione: quibuſdam verò proprijs, ſic ab eodem Philoſopho 1. *Met.c.* 3. nuncupatus modus ſciendi, & vulgò perhibetur Dialectica, & Logica. Cum autem duo poſtrema vocabula ſint Philoſophis familiariora, & frequētiora, ob id accuratè horum notiones ſunt à nobis explicandæ. Dialectica perinde eſt ac doctrina diſſerendi. Quod enim Græcis eſt διαλέγεσθαι, Latinis eſt diſſerere. Ideoque penes nominis ethymologiam, Dialectica eſt ſciētia diſſerendi. Vel ſi mauis, ſcientia diſputandi, vt ex Aug. *l.* 1. *contra Creſconium Grammaticum* c. 14. obſeruant nonnulli Recentiores. Logica verò deriuatur à Græco nomine λόγος, quod ſignificat ſermonem, verbum, & rationem, vt notat Scotus *in* 1. *d.* 27.*q.* 3.§. *ad* 3. *q.* circa R. & *quol.* 7. *art.* 3. *ſub Q. poſt.* SS. Aug. 7. *de Trin.*c.2. & Hieronymum *ad Paulinum cap.* 4. quem citat Gadius *in commento illius quol. à nobis nunc allegati.* Quapropter ſecundum vocis deriuationem, Logica eſt ſcientia ſermocinalis, ſiue rationalis, ut vtrumque præmemoratum vocabulum in idem recidit, vt ex Cicerone quidā Nupen aduertunt: atque adeo Logica poteſt deſcribi ſciētia diſcurſiua diſcernēs verum à falſo, vt innuit ſanct. Aug. *vbi ſupra contra Creſconium Grammaticum*: vel vt alijs placet, Logica eſt ſcientia bene diuidendi, definiendi, & argumentandi.

3. Oppones 1. contra priorē Dialecticæ definitionē, Scotus *q.* 1. *prædicamentali* §. *ad quæſtionem*, ſcribit Logicam non eſſe ſcientiam realem, nec ſermocinalem quia nec ſermonem, nec ſermonis paſſiones conſiderat. Igitur in Schola Scoti, præallata Logicæ deſcriptio non eſt idonea. Reſp. Cum Tataret o *q.* 1. *ſun Logica, ſcibili* 4. Logicam vocari ſermocinalem, non quia ſermone vtitur, alioquin cum omnes ſcientiæ vtātur ſermone, forent omnes ſermocina'es: ſed quia dijudicat, quiſnā ſermo ſit verus, quiſue falſus. Vel dic cum Scoto *loco citato*. Logicam appellari ſermocinalem, tum quia conceptus de quo eſt ipſa logica eſt immediatum ſignificatum per vocem: tum etiam quia paſſiones cōceptus inſunt voci ſignificatiuæ. Vel denique dicito, Logicam eſſe ſermocinalem, hoc eſt rationalem & diſcurſiuam, quod omnes concedunt, præſertim quia non loquimur de ſermone externo, ſed interno, quem Angelis conuenire oſtendimus *in Tractatu de Angelis diſp.* 7. quiue coincidit cum diſcurſu & ratiocinatione. & tangit Auguſt. *lib.* 2. *de conſenſu Euangeliſt. in fine c.* 66.

4. Opp. 2. quælibet ſcientia potiſſimum ſpeculatiua diſcernit verum à falſo, veluti Metaphyſica, quæ *ex* 2.*Met.c.*1. eſt præcipua veritatis ſpeculatrix, quod fieri non poteſt, niſi per eam veritas à falſitate diſiungatur. Ergo diſcernere verum à falſo Logicæ non eſt adſcribendum, tanquam eius proprium munus, peculiaris finis, ac diſcrimen inter cæteras diſciplinas interceptum.

Reſp. Metaphyſicam, & Logicam non eodem modo veritatem contemplari, vt notat ſubtilis Doctor *in commentario* 4. *Met. Text.* 5. & 6. *eiuſdem q.* 3. §. *Ad propoſitum.* Siquidem Metaphyſica meditatur veritatem tranſcendentalem, & incomplexam. Logica verò veritatem complexam ſpeculatur, eamque per ſyllogiſmum colligit. Is autem habitus, qui veritatem reſpicit, quoque falſitatem iudicat, propterea quod affirmante Scoto *in* 4. *d.* 15. *q.* 3. §. *de tertio* X. rectum eſt index ſui, & obliqui. Meritò igitur Logica deſcribitur ſcientia diſcurſiua diſcernens verum à falſo.

ARTICVLVS II.

Quid ſit Terminus.

5. Variæ terminorū acceptiones petēdæ ſunt *ex* 5. *Met.c.* 17.*Tex.* 22. quas adducunt, & exponunt Fonſeca *ibid.* Pelbartus *tomo* 1.*Roſarij Theologici verb. Elementum*, & Major *l.* 1. & 2. *terminorum* ſolùm animaduerto terminum (id eſt terræ metam) qui à terminādo dicitur, vniuerſē ſumptum deſcribi vniuſcujuſque vltimum, ſeu finem, ſic mors perhibetur vitæ terminus. Hinc Eccleſia in Hymno Completorij cantat. *Te lucis ante terminum*, & in proprio Officio S.Claræ *Poſt vitæ Claræ terminum*. & Aug. 4. *de conſenſu Euang.* 24. *Lux terminus totius noctis eſt.* Iterum 1. *Phyſ. c.* 4. t. 36. omnia viuentia certis terminis coërceti demonſtratur, & defenditur à Doctore noſtro *in* 2. *d.* 2. *q.* 9. §. *Ad argumenta ſub N.* Sæpe autem terminus nedum pro fine, verumetiam pro principio cujuslibet vſurpatur, quo pacto primum & vltimum punctum lineæ perhibentur termini ipſius lineæ. Itidemque partes extremæ baculi, agri, & maris vocantur eorum termini, ſic Dan & Berſabee ſunt termini Iudææ: & Exod. 23. legitur, *Ponam autem terminos tuos à mari rubro, vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium.* Ab hac ſignificatione quæ eſt propria, vt notat Campanella poſt Scotum *q.* 1. *prædicamentali*, transfertur terminus ad ſignificandum primum, & vltimum propoſitionis, & penes hanc ſumptionem, terminus deſcribi poteſt extremum propoſitionis. Duobus autem terminis propoſitio terminatur, putà ſubiecto, & prædicato, ſubiecto quidem à parte ante, & prædicato à parte poſt, vt patet in hac propoſitione, *homo eſt animal*, vbi *homo*, & *animal* ſunt eius termini, *homo* ſubiectum, & *animal* prædicatum nuncupantur. *Eſt* verò dicitur copula, ſeu vinculum vtriuſque: veluti vnio materiæ, & formæ nexus vtriuſq; nominatur. Præfata verò termini deſcriptio haud pugnat definitioni Ariſt. 1. *Priorum c.* t. dicentis. *Terminus eſt in quem reſoluitur propoſitio.* Etenim ex quibus aliquid conſtituitur, in ea reſoluitur, vt conſtat de corpore naturali, quod cum componatur ex materia, & forma, vtique in materiam, & formam reſoluitur. Quoniam verò propoſitio conſtituitur ex terminis, quoque in terminos reſoluitur. Nec fortaſſe abs re 1. *Top.c.* 4. & *in Met. loco præmemorato* definitio appellatur terminus, propterea quod limites rei eſſentiæ, quæ definitur, non ſuperat, ſed continetur, clauditur, eiſque adæquatur. Aut fortè Philoſophus talem termini definitionem præbet, quia ſicut comprobante experientia, acquiſito termino ceſſat motus, pariter mens noſtra quieſcit in propoſitione, habito perfecto ſenſu terminorum eius. Aut quod nobis magis placet, Ariſtoteles ibi modo reſolutorio agebat, ſcribebat namque libros Priorum, qui analyticí, ſiue reſolutorij nuncupantur. Quod accuratè expendens Author Grāmaticæ ſpeculatiuæ ſubdit: *Terminus dicit rationem terminandi reſolutiones ſyllogiſmi, quia dialecticus reſoluit ſyllogiſmos in propoſitiones, & propoſitiones in ſubiectum & prædicatum, quæ dicuntur termini ſecundum Logicam.*

6 Opp. 1. contra datam termini definitionem, propoſitio nedum reſoluitur in ſubjectum & prædicatum verumetiam in verbum, quia ex ſubjecto, prædicato, & verbo conſtruitur. Ergo aut definitio termini præallata eſt mala, aut verbum eſt terminus: Sed hoc poſterius falſum eſt tergo & illud prius. Satisfit argumento, ſi

dicatur terminum esse in quem resoluitur propositio, tanquam in partem eius extremam componentem, ipsamque claudentem: ob id supra monui, terminum esse propositionis extremum, & Aristoteles *loco citato*, Firmino Durio interprete, inquit, extremum id appello, in quod resoluitur propositio. Cui fauet Scot. *in 1.d. 2.q. 4.§. si tenendo*, vocans terminos extrema, his verbis, *Necessaria connexio extremorum arguit necessariam connexionem mediorum.* Verbum autem non est extremum, sed medium, mediat enim inter vtrumque extremum, éstque vtriusque vinculum, propterea in definitionem termini non ingreditur. Idque etiam ostendi potest in composito physico, quod quidem resoluitur in materiam, & formam vt in eius partes, non verò in earum vnionem, quæ est vtriusque nexus: præsertim in sententia Scoti asserentis vnionem esse formaliter relationem extrinsecus aduenientem, vt patet *in 3. d. 2. q. 2. art. 3. sub E.* Adde quod supra obseruaui hoc in loco accipi terminum pro principio, & fine cuiuslibet, quo in sensu subjectum, & prædicatum nomen termini duntaxat sortiri queunt.

7. Opp. 2. definitio non conuenit alteri à definito, vt in subsequente libro, art. de Definitione planum fiet, sed definitio termini conuenit alteri ab ipsomet termino, putà propositioni hypotheticæ, quæ in propositionea resoluitur: vt *si Sol lucet, dies est.* Non ergo prædicta termini definitio est probè tradita. Concessa maiore, neganda est minor, cuius probatio diluitur, propterea quod vltima resolutio propositionis hypotheticæ fit in terminos. Idque similiter accidit in resolutione compositi naturalis viuentis, cujus postrema resolutio sistit in materia prima, docente Scoto *in 4 d. 11. q. 3.*

8. Opp. 3. nonnunquam propositio resoluitur in aduerbia, & præpositiones, quia ex eis constat, vt liquet in ista, *Bene ab Arist. 1. Phys. est argutum contra Priscos Philosophos.* Igitur definitio termini non est rectè assignata ab Aristotele. Distinguendum est ant. propositio resoluitur in aduerbia, & præpositiones, vt in eius prædicatum & subjectum; nego: vt in additamenta, & affectiones vtriusque, quæ vulgò syncategoremata nuncupantur, concedo.

ARTICVLVS III.

De terminis Mentali, Vocali, & Scripto.

9. INter multas terminorũ distributiones, prima nobis occurrit discutienda diuisio in terminũ mentalem, vocalem, & scriptum, quam insinuat Scot. *q. 1. prædicamentali.* Terminus mentalis est extremũ propositionis mentalis, vel secundum Aristotelem est, in quem resoluitur propositio mentalis, vt *homo mente conceptus.* Terminus vocalis est extremum propositionis vocalis, vel secundum Aristotelem, in quem resoluitur propositio vocalis, vt *Leo voce prolatus.* Terminus scriptus est extremum propositionis scriptæ: aut secundum mentem Philosophi, in quem resoluitur propositio scripta, vt *Deus* siue in papyro, siue in marmore, aliisve in rebus effingatur. Hæc autem tria, conceptus, vox, & scriptura mirè à natura disponuntur, vt notat Doctor subtilis *in 1. d. 17. q. 3. §. Ad argumentum in solutione secundi ante I.* Cum enim homo ex Arist. 1. *Polit. c. 2.* 9. *Eth.* 9. & Doctore *q. 4. primi Perih. & q. 13. §. Alij aliter*, sit animal ciuile, & sociabile, nec vnus alterius animum, cogitatúmue inspicere valeat: ob id à natura concessæ sunt voces, *ex 1. Perih. c. 1.* sunt signa eorum, quæ latent in anima, hoc est conceptuum, qui ab intellectu depromuntur. Hinc aiunt Plato in Thimeo, teste Vorrilonio *in 1. q. 12. art. 1.* & S. Aug. *in Ezech. c. 13.* datum esse nobis sermonem, vt mutuos nostros conceptus exprimere queamus. Idem habet Scot. *in 1. d. 27. q. 3. §. Ad qq. istas sub F. Formatur verbum vocale ad significandum & declarandum illud quod intelligitur.* Rursus *in 2. d. 42. q. 2. & q. 4. §. Ad q. Q.* in solutione primi subdit, *Secundum illud opus sermonis maximè se habet homo ciuiliter & politicè.* Id ipsum aperte ostendit ibi §. *Ad q. 4. S. Locutio maximè conuenit homini, & vt est rationalis, & vt est homo, quia sic est communicatiuus.* Idipsum scribit Aug. 2. *de doctrina Christiana, & 15. Trin. c. 10.* Deinceps vt res memoria recolantur, citius, faciliusque nobis communicentur, atque vt absentes, & Posteri nostri, cum quibus vti vocibus nequimus, participes fiant, adinuentæ sunt litteræ, siue scripturæ, quæ quantum homini prosint, præsertim Typographia quotidianum demonstrat experimentum. Potius autem vocalem, quam mentalem terminum pertractat Dialectica, vt tangit Scot. *in fine primi Perih.* (tametsi ille ab hoc vim suam hauriat) tum quia voces sunt nobis magis conspicuæ, quam conceptus, tum quia nemo hominum interna oratione instruitur: Dialectica verò docet quomodo instrui debeat, dijudicans verum à falso, ad quod præstandum vocibus opus est: tum etiam quia Dialectica deriuatur à δια idest duo, & λόγος, idest sermo, *duorum sermo*, putà argumentantis, & respondentis. Cũ enim ex dictis *in 1. art.* Dialectica sit scientia disputatrix, vt disputatio fiat inter duos, non nisi medijs vocibus effici valet. Eadem fermè causa assignatur, quando quæritur: cur potius de vocibus, quam de scriptis Logica disserat? Respondetur, voces magis patere, quam scripta, energiam, & efficaciam à proferente sortiri, atque in audientis memoria tenacius imprimi. Hinc ab alijs edíscentes scientias non Scriptores, sed Auditores eorum appellantur. Cum autem audimus voces, aut legimus scripta, duo in nobis formari queunt conceptus, vnus de nomine, & scriptura dũtaxat absque rei sub tali nomine, vel scriptura significatæ cognitione, & iste vocatur terminus non vltimatus, ita dictus, quia intellectus in eo non terminatur, sed vlterius ad rei significationem tendit: alter est de re significata, quando nimirum quispiam nomen, & rem per nomen significatam cognoscit, & hic appellatur conceptus vltimatus, ita dictus, quia habita nominis, & rei notitia, sistit animus concipientis. Hanc interpretationem & diuisionem videtur olfacere Ioannes Major *l. 1. terminorum fol. 7. columna 4.* à quo non longè distat Subtilium Princeps *in 1. d. 3. q. 3. §. Loquendo igitur L.* inquiens, *Confuse concipitur aliquid cum concipitur, sicut exprimitur per nomen, distinctè vero cum concipitur, sicut exprimitur per definitionem.* Non vltimatis indocti; vltimatis vero periti pollere perhibentur.

10. Opp. 1. membra diuidentia bonæ diuisionis ex æquo participant communem rationem diuisi, vt patebit in sequẽte libro art. de Diuisione, sed termini scriptus, vocalis, & mentalis non participant communem rationem termini: nam sicut propositio formaliter, & intrinsece dicitur de propositione mentali: pariter ratio formalis, & intrinseca termini dicitur de termino mentali. De vocali verò, & scripto, extrinsece dumtaxat, similiter, sicut veritas formaliter extat in intellectu, in voce verò, vel scripto vt in signo, sic essentialis ratio termini in mentali tantum posita est. Ergo præallata diuisio haud est apta.

Resp. Eam termini diuisionem quidem non esse prorsus exactam, hoc est vniuoci in vniuocata, seu generis in species: esse tamen non absimilem illi, quam affert Philosophus *4. Met. c. 2. Tex. 2.* diuidens sanitatem in sanitatem animalis, vrinæ, & medicinæ. Sanitas quippe formaliter est in animali, in vrina vt in signo, & in medicina vt in causa effectrice. Si quis autem loquens de terminis, velit trãsilire Philosophiæ terminos, poterit ipsam comparare cum illa diuisione, qua peccatum diuiditur, in peccatũ cordis, oris, & operis. Formaliter namque peccatum est in voluntate; materialiter verò in sermone, & opere, vt egregiè Doctor edisserit *in 2. d. 42. q. 4. §. Ad q. 2. N.* Vel dicito cum Maiore *l. 1. Terminorum fol. 3. columna 4.* admittendo majorem, & negando minorem; terminus enim, cujus genus est extremum, & reliqua particula tenet locum differen-

tiæ,

tiæ, vniuocè scinditur in mentalem, vocalem, & scriptum.

11. Opp. 2. ea non est idonea diuisio, quã membra diuidentia excedunt diuisum, vt loco præallegato pijlam fiet: sed præfata diuisio est hujusmodi; potest enim esse vox, tametsi non sit terminus, vt Marci 1. Ioannes Baptista erat quidem vox, vt ipsemet ibi fatetur non tamen erat terminus, qui est Verbum: ergo est mala diuisio. Resp. concessâ majore, negando min. ad eius probationẽ distinguo. Ioannes erat vox absolute, nulla habitâ ratione ad sensum Scripturæ præcedẽtem, & subsequentem, negari potest: respectiuè conceditur, quatenus Ioãnes erat nuncius siue Præcursor Verbi incarnati. Ideò Ioannes ait, *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini.*

ARTICVLVS IV.

De terminis significatiuo, & non significatiuo alijsque consequentibus.

12. TErminorũ alius est non significatiuus, qui describitur extremum propositionis ex hominũ arbitrio potentiæ cognoscenti nihil repræsentans: aut juxta Philosophi mentem, terminus non significatiuus est, in quem resoluitur propositio ex hominũ voluntate potentiæ cognoscenti nihil significans, vt *Blictri.* Alius est terminus significatiuus, qui definitur extremum propositionis ex hominũ instituto potentiæ cognoscẽti aliquid repræsentans: aut secundum Aristotelem terminus significatiuus est, in quem resoluitur propositio ex hominum placito aliquid significans vt *leo.* Subdiuiditur autem terminus significatiuus in categorematicum, syncategorematicum, & mixtum, quos tangit Scot. *q.* 8. *Primi priorum §. quantum ad 2. & q.* 31. *Elench. paulò ante §. ad 1. argumentum.* Categorematicus est, qui per se aliquid significat, vt Leo significat, animal rugibile. Syncategorematicus, seu consignificatiuus est, qui per se nihil significat; si verò alteri adjungatur, aliquid designat, cujusmodi sunt signa vniuersalia, præpositiones, & aduerbia: vt doctè per se nihil denotat; at si alteri addatur, aliquid significat, vt doctè differit. Amplius hoc explicari potest similitudine arithmetica: sicut enim inter notas arithmeticas per se nihil designat, & si ei præponatur 1. facit 10. Item si ei præponatur 2. facit 20. pariter inquit Major *loco cit. fol.* 5. *Syncategorema se habet vt cifra.* Hoc est, per se nihil designat, attamen junctum alteri aliquid significat, vt mox explicabam. Mixtus est, qui conflatur ex categoremate, & syncategoremate, vt *nemo*, idest nullus homo, vt aduertit Doctor *in 1. d. 21. q. vnica, ante § ad 4. potest fieri circa A.*

13. Hurtadus *disp. 1. Summularum sect.* 10. & ex parte Arriaga *ibid. sect.* 4. secuti Tataretum *Tract.* 1. *fol.* 3. *in solutione primi argumenti*, à quibus non dissentit, Fuentes *parte 1. Summularum art. 7. difficultate* 1. putant nomina substãtiua esse terminos categorematicos: adiectiua verò esse terminos syncategorematicos. Contrà, nam etsi præfati Authores concedant nomina substantiua esse terminos categorematicos: non benè tamen mihi videntur negare nomina adjectiua esse terminos categorematicos, censentes ipsa esse terminos syncategorematicos. Siquidẽ terminus categorematicus penes suam nomenclaturã est prædicabilis, vt ibi etiam fatetur Hurt. sed nomina adjectiua sunt prædicabilia, vt homo est sapiens. Ergo nomina adjectiua sunt termini categorematici. Item terminus categorematicus est significatiuus, vt liquet ex eius descriptione præallata: sed nomina adiectiua sunt significatiua, vt doctus significat habens doctrinam (est enim nomen concretum, quod ex dicendis art. 6. significat formam, & habens formam). Igitur nomina adjectiua sunt termini categorematici. Rursùs nomina adiectiua sunt propriè extrema propositionum, vt persistendo in eodem exemplo præallato, *homo est doctus*, vbi doctus est vnum extremũ dictæ propositionis, at syncategoremata non sunt propriè termini, quia per se nihil significant, nisi alijs adjungantur, vt superius planum feci: potiùs quippè conterminant, quàm terminent propositionem. Igitur nomina adjectiua inter syncategoremata non sunt adscribenda.

14. Dices, adjectiua significare cũ alio, hoc est aliquid per modum adjacentis, vt ostendam loco mox citato: ergo sunt termini syncategorematici. Contra, etiam nomina substantiua significãt cum alio: necesse enim est, in qualibet propositione explicitè aut implicitè ponantur duo extrema, quorũ vnũ cum alio nectitur per copulam verbalem ad ostendendam veritatem complexam. Ergo nulla est responsio. Nec iuuat dicere, substantiuum significare per modum per se stantis, & determinati: adjectiuum verò per modum adjacentis, & indeterminati. Id enim indicat proprium discrimen, quod extat inter substantiuum, & adjectiuum, at non excludit ipsummet adjectiuum à catalogo terminorum categorematicorum. Quod suaderi potest à simili: nam sicut penes suas proprias & peculiares rationes, substantia est ens per se: accidens verò est ens in alio, & tamen vtrumque in communi ratione, & conceptu entis vniuocatiui, vt tradit Scotus *in 1. d. 3. q. 1.* quem sequitur Arriaga *disp. 13. sect. 4. num.* 40. ita licet substantiuum, & adjectiuum differant suis proprijs differentijs à nobis iam assignatis, & explicitis; nihilominùs participant cõmunem rationem termini categorematici, quæ est esse prædicatiuũ & significatiuum, vt prope initium huius art. præmonui: atque adeò adiectiua inter terminos categorematicos sunt recensenda.

15. Scinditur autem terminus categorematicus in incomplexum, & complexum ex Aristotele *in Antepraedicamentis*, & Scoto *q. 32. Elench. §. pro solutione.*

Incomplexus secundum Tataretum *tract. 1. Summularum fol.* 3. est qui subordinatur conceptui incomplexo: communiter verò describitur, *vox per se significans, cuius partes si separentur non retinent eamdem significationem, quam habent cum sunt adinuicem conjunctæ*, vt *Homo, Dominus*, & hujusmodi, quorum partes diuisim acceptas non habere eamdem significationem, qua potiuntur cum sumuntur conjunctim omnibus conspicuum est: & indicatum ab Aristotele 1. *Perih. c.* 2. nec non à Scoto *in 4. d.* 8. *q. 1. §. Aliter ergo*, sub G. Quare hic terminus appellatur incomplexus, & indiuisibilis, propter vnitatem, & indiuisibilitatem significationis; quam partes eius diuisæ non sortiuntur. Potest autem diuidi in simplicem, vt *Leo*, & compositum, vt *Prolegatus*: eo ferè pacto, quo *in 2. lib.* secabitur nomen, & verbum in simplex, & compositum: vtrobique enim eadem videtur esse ratio, & difficultas, potiùs eo in loco quàm in præsenti enucleanda. Complexus ex eodem Tatar. vbi supra est, qui subordinatur cõceptui complexo: & vulgò dicitur, qui constat pluribus dictionibus per se significãtibus, congruéque dispositis. Duplex est autem terminus cõplexus, vt tangit Doctor 1. *Post. ad finem q.* 34. vnus indistans, & alter distans: indistans est, cuius partes verbo non copulantur, vt equus albus: distans est cuius partes verbo copulantur, vt coruus est niger. An verò terminus complexus coincidat cum oratione, & propositione, necnec in locũ nunc allegatum examinandũ reijcio. Cur autem potiùs hic primus liber inscribatur de terminis incomplexis, quàm de terminis categorematicis, cùm priùs à nobis terminus distribuatur in categorematicum, & syncategorematicum, quàm in incomplexum, & complexũ; ratio hæc adduci potest, quia termini incomplexi ordinantur ad complexos, sicut partes ad totum, & litteræ ad syllabas, syllabæque ad dictiones, de quibus apte instituitur 2. liber. Verùm categorematici minimè respiciũt syncategorematicos. cùm ex dictis haud sint propriè termini, sed cõtermini vocari queunt, qui sunt consignificatiui, & compræ-

dicatiui, vti est *solus* apud Scotum *in* 1. *d.* 1. 2. *q. vn.*

16. Op. 1. contra diuisionem termini categorematici in substantiuum, & adjectiuum, si adjectiuum est terminus categorematicus, quia est significatiuus, & prædicatiuus: ergo *omnis* qui significat totalitatem, & *aliquis* aliquitatem erunt termini categorematici: consequens repugnat omnibus Dialecticis eos numerantibus inter syncategorematicos: ergo & antecedens. Resp. negando consequentiam, ratio disparitatis est, quia adjectiuum significat formam & habens formam, cum sit nomen concretum: *omnis* verò, & alia syncategoremata nequaquam, nisi concreto, aut alteri iungantur: idcirco in categorematicis nullam sedem habent.

Oppones 2. Terminus sincategorematicus non est propriè terminus, vt supra indicaui. Ergo inepta est diuisio termini in categorematicũ, & syncategorematicum: consequentia tenet, quia diuisum non competit membris diuid ntibus, quod aduertatur præceptis bonæ diuisionis assignandis, *l.* 2. *art.* 1. *q.* 7. Resp. eam non esse diuisionem exactam, & adæquatam, sed impropriam, & inadæquatam, vt bene deducitur in argumento. Dici autem potest quædam terminorum enumeratio.

Oppones 3. Propositio non resoluitur in terminum complexum, quia in nostra sententia coincidit cum ipsamet propositione, idem autem non in se ipsum, sed in aliud resoluitur: ergo posterior diuisio termini in incomplexum, & complexum non est legitima. Distinguo ant. de termino complexo distante concedo: de termino compleao indistante nego, vt *Petrus est bonus Philosophus*, vbi *bonus Philosophus* est terminus complexus indistans in quem resoluitur præaddacta propositio. Vel dicito præfatam diuisionem esse impropriam, & inadæquatam; veluti illam de termino in categorematicum, & syncategorematicum.

ARTICVLVS V

De terminis Aequiuoco, & Vniuoco.

17. Terminus æquiuocus est, qui conuenit pluribus habentibus idem nomen, rationem verò substantiæ secundũ illud nomen diuersam: exemplum huius affert Scotus *in* 1. *d.* 25. *q. vn.* §. *Respondeo* A. de cane, qui est terminus æquiuocus respectu canis cælestis, aquatilis, & terrestris. Aristoteles verò *in initio libri prædicamentorum*, & 6. *Top. c.* 2. & post ipsum Scot. *q.* 13. *Elench* §. *ad* 1. *et* 2 *o q.* 15. *eiusdem operis* §. *ad primam rationem* describunt Aequiuoca, *quorum nomẽ est commune, ratio verò substantia penes illud nomen est diuersa.* Diuiduntur autem à Doctore *q.* 1. *prædicamentalis*, & *q.* 5. §. *ad* 4. æquiuoca in æquiuoca æquiuocantia, quæ dicuntur illa, quæ multis communi nomine tantum conueniunt, hæcque sunt nomina æquiuoca, quæ multa penes ipsasmet voces attribuuntur: & in æquiuoca æquiuocata, quæ vocãtur illa, quæ solo communi nomine fruuntur, & hæc sunt res diuersæ, quæ nomen commune participant dumtaxat. Rursus quædam sunt æquiuoca à casu, quædam verò à consilio. Aequiuoca à casu perhibentur, quæ præter hominis intentionem accidunt, hoc est nulla habita consideratione rerum significatarum, vt Gallus dicitur de homine natione Franco, & de Gallo aue: atque ista nuncupantur purè æquiuoca. Æquiuoca à consilio dicuntur illa, quæ sortiuntur aliquam conuenientiam, siue similitudinem in nomine ex intentione imponentis, vt cum quispiam v. g. sancti Francisci nomen imponit Filio suo, propterea quod speraт eum fore similem S. Francisco. Idque de nomine Abraham, Dauid & alijs factum esse narrat Tossinianensis *l.* 1. *Historiæ Seraphicæ fere in initio*: & hæc nuncupantur analoga. Terminus vniuocus est, qui competit multis habẽtibus idem nomen, eamdemque secundum illud nomen rationem. Et Aristoteles præallegatus definit Vniuoca, *quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem.* Vt animal respectu hominis & bruti est vniuocum, quia vtrisque competit nomen, & ratio seu essentia animalis.

Secantur autem à Doctore *q.* 6. *prædicamentali* §. *Dicendum* vniuoca in vniuoca vniuocantia, quæ denotant commune nomen multis participantibus eandem rationem. & vniuoca vniuocata, quæ sunt multa in communi nomine & ratione conuenientia. Rursus ex Sirecto *Tract. Formalitatum fol.* 7. & Pelbarto *tomo* 1. *sui Rosarij verbo eus fol.* § 1. Vniuoca subdiuiduntur in vniuoca transcendentalia, & prædicamentalia: vniuoca transcendentalia sunt, quæ penès idem nomen sortiuntur eamdem rationem transcendentalem, hoc est in nullo prædicamento inclusam, vti sunt substantia & accidens in ratione entis secundum mentem Doctoris subtilis. Vniuoca prædicamentalia sunt, quæ eodem nomine, eademque ratione alicuius generis potiuntur, vt *lapis & planta* vniuocantur in genere substantiæ, quia eis nomen, & ratio substantiæ prædicamentalis competit. Deinceps vniuoca prædicamentalia subsecantur in vniuoca Logica, Physica, & Metaphysica. vt tangit Scotus *q.* 7. *prædicamentali, versu ad* 1. §. *ad* 4. & *q.* 15. *Elench.* §. *ad primam rationem*, & *in* 1. *d.* 3. *q.* 3. §. *contra istam vniuocationem*, sub Q. Vniuoca Logica sunt, quæ gaudent communi cõceptu alicuius realitatis conceptæ sub intentione secunda, cuiusmodi est conceptus animalis cõsiderati vt genus. Vniuoca Physica sunt, quæ sub eodem nomine participant eamdem naturam specificam, vt Petrus & Paulus vniuocantur Physicè in humana natura. Vniuoca Metaphysica sunt, quæ sub eodem nomine conueniunt in natura abstracta per intellectum à suis inferioribus exuta differentijs indiuidualibus, tamẽtsi à parte rei sit contracta, vel contrahibilis per illas. Demum alia sunt vniuoca completa; alia verò diminuta ex eodem Doctore *q.* 4. *prologi in fine* GG. vniuoca completa sunt, quæ fruuntur eadem forma, eodemque modo essendi formæ. Vniuoca diminuta sunt, quæ habent quidem similitudinem in forma, non autem similem modum essendi formę, vt domus intra, & extra mentem vniuocantur in ratione domus vniuocatione diminuta: domus quippe extra est realis, domus verò intra est idealis, & exemplaris: cuius distinctionis meminit Philosophus 7. *Met. Tex.* 30. & 12. *Met. Tex.* 13.

Oppones 1. In præmissis Aristotelis definitionibus æquiuocorum, & vniuocorum ponitur ratio substantiæ. Igitur si illę definitiones sunt legitimæ, æquiuocatio, & vniuocatio non accidenti, sed substantiæ tantum congruunt, quod falsitatem sapit, cum in Scoti Schola tam bene vniuocetur accidens, quam substantia in communi entis ratione. Resp. per rationem substantiæ capiendam esse rationem essentiæ, quæ aptè substantiæ, & accidenti competit, vt eum locum Aristotelis interpretes exponunt. Quare negatur consequentia, substantia quippe latè sumpta pro essentia cuilibet rei vsurpatur, vt patebit cum de ipsa substantia ex professo disceptabo. Hanc interpretationem luculenter tradit Doctor noster *q.* 5. *prædicamentali* inquiens, rationem substantiæ idem esse ac essentialem intellectum, siue conceptum cuiuscumque objecti.

18. Opp. 1. Vnius naturæ vna est tantum definitio, quia definitio ex cogitata est ad exprimendam rei naturam his, aut illis terminis coërcitam, veluti ager certis clauditur terminis, vltrà quos non protenditur: vnde translatio sumpta est, quod apertius fiet *in* 1. *libro q.* 7. *art. vlt.* sed in definitione æquiuocorum ponitur ratio substantiæ diuersa, id est natura, siue essentia. Non ergo vna est eorum definitio. Resp. Majorem valere de definitione rei essentiali & quidditatiua, non autem de definitione nominis & descriptiua, qualis est definitio æquiuocorum. Oh id rectè subiungit Doctor noster *q.* 5. *prædicamentali*, *in solutione tertij*, illam non esse veram definitionem.

19. Oppones 3. Scotus *in* 1. *d.* 3. *q.* 2. §. *Secundò non asserendo*. B. inquit, *Conceptus vniuocus est, qui sufficit ad contradictionem, affirmando, aut negando ipsum de eodem*, Ergo iuxta Scoti doctrinam, malè supra definitum est vniuocum. Resp. eo in loco Scotum describere vniuocum transcendentale, agit enim ibi de vniuocatione entis, quod est transcendens. Nos autem complexi sumus omnes ferè diuisiones, & definitiones æquiuocorum, & vniuocorum; atque eorum descriptiones quas potuimus clariores adduximus.

ARTICVLVS VI.

De terminis concreto, abstracto, & alijs.

20. Celebris est termini distributio in concretum, & abstractum, quam indicat Aug. *l.* 83 *qq. q.* 1. & 11. inquiens. Omne verum à veritate verum est; verum quippe est concretum, & veritas est abstractum. Terminus concretus est, qui designat formam, & habens formam: ex cuius descriptione refelluntur Fons. *lib.* 1. *Institutionum Dialecticarum. c.* 3. existimans concretum esse, qui habet compositum significandi modum. Siquidem Deus est nomen concretum, à quo & compositionis significandæ modus est alienus: & Oniedus *Controu.* 1. *puncto* 3. *num.* 7 inquiens terminum concretum esse, qui re, vel voce dicitur compositus. Deus quippe & Persona diuina est nomen concretum nullam compositionem rei aut nominis inuoluens. Terminus autem concretus subdiuiditur in concretum substantialem, qui significat subsistens in forma vel natura, vt *homo* significat subsistens in humanitate: & in concretum accidentalem, qui formam designat, & subjectum eius connotat, vt *album* significat albedinem, & connotat subjectum, in quo ipsa albedo inhæret. Tota hæc doctrina traditur à Doctore *in* 1. *d.* 16. *q. vnin fine*, §. *Ad argumenta, in solutione* 2. & *q.* 16. *Vniuersalium* §. *Ad primum*. & *q.* 8. *prædicamentali* §. *Ad. q.* & *q.* 17. *primi Priorum* §. *quantum ad q.* Sarnano *q.* 4. *Vniuersalium pag.* 93. & Pelbarto *Tam* 1. *Rosary Theologici verbo Abstractum* §. 1. & 2. Huic non valde absimilis videtur esse altera partitio termini in substantiuum, & adjectiuum, vt insinuat Scot. *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. *in fine* (qua licet quoquo modo pateat ex superioribus dictis *art.* 4. nihilominus arbitror non esse inutile hoc loco ipsam vberius enarrare. Imprimis Dialectici aliter sumunt, & describunt substantiuum, & adjectiuum, quam Grammatici: siquidem apud Grammaticos, substantiuum est quod flectitur per vnum, aut duos articulos: adjectiuum verò est, quod per tres articulos declinatur. Dialectici autem definiunt substantiuum, quod significat aliquid per modum per se stantis, vel vt vtar verbis Scoti *d.* 16. primi præmemorati, *Substantiuum est quod significat subsistens in forma*: *vel natura*, quæ importatur per eius abstractum, vt *Leo*, Adjectiuum verò, quod significat aliquid per modum adjacentis, siue, vt ait Doctor *in* 1. *d.* 5. *q.* 1. §. *quantum autem* C. quod significat formam per modum informantis: sic *iustus* designat iustitiam adjacere homini iusto, siue iustitiam informare hominem, ratione cuius perhibetur iustus. Vocatur autem adiectiuum (teste Calepino) quasi adiunctiuum, quia substantiuo adiungitur, aut quia dependet à substantiuo, vt rectè aduertit Scot. *in* 1. *d.* 12. *q.* 2. §. *Ad argumenta*, CC. inquiens, adiectiuum est in adiacentia essentiali ad suppositum, quod terminat eius dependentiam. Ideo non potest plurificari, nisi substantiuum, quod sistit eius dependentiam plurificetur. Sic habens plures artes, non multiplex, sed vnus Artifex nominatur: hac forsitan de causa nonnulli vocant substantiuum fixum, & adiectiuum mobile; tametsi vt notat Doctor *in* 1. *d.* 12. *q.* 1. §. *Iuxta q. versu, sed ista ratio*, significatum vtriusque idem sit, discrimenque extet in modo significandi dumtaxat, eo ferè pacto, quo inter se differunt abstractum, & concretum. Sortitur autem adiectiuum duplicem significatum, primarium scilicet & secundarium, siue principalem, & minus principalem: primarius significatus eius est forma, & secundarius est subjectum, in quo forma inexistit; ita iustus denotat primariò iustitiam, & secundariò hominem, in quo inhæret iustitia: hoc ipsum de concreto accidentali affirmat Scot. *q.* 4. *Vniuersalium*, & *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. §. *Ad argumenta principalia ad* 4. T. Nec est prætermittendum, quædam nomina à Grammaticis censeri substantiua, quæ à Dialecticis decernũtur adiectiua, vt nomen *Dominus*, quod principaliter Dominum, & minus principaliter significat hominem, cui Dominium adiacet. Nec ab ista multum videtur distare distributio termini in connotatiuum, & absolutum, quam affert Doctor *q.* 2. & 8. *primi priorum* §. *Quantum ad secundum*. In primis ab adiectiuo connotatiuum non differe compertum esse videtur, tum quia vtrumque significat aliquid per modum adiacentis, gaudetque illo duplici significato præexplicato, vt *candidus* secundum omnes est terminus connotatiuus, qui designat candorem papyro, vel parieti adiacentem: tum etiam quia album est adiectiuum, & connotatiuum, vt scribit Scotus *loco nunc citato q.* 8. & innuit *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. *ad finem* T. Nec nobis officit, quod subjungit Fonseca *l.* 1. *Inst. c.* 24. quædam nomina esse connotatiua, vt *pater*, & *præceptor*, quæ non sunt adiectiua; nam eum id non probet; gratisque dicat, eadem facilitate, qua id asserit, refellitur: hoc enim in Grammatica, non verò in Logica locum habet, vt supra obseruaui. Pater quippe, etsi ille velit esse nomen substantiuum dumtaxat, nihilominus adiectiuum quoque est, ac adiectiuè sumitur, vt intueri licet, In 1. *d.* 5 *q.* 1. *A.*

Præterea, quædam non sunt adiectiua Grammaticè, putà creatio, & conseruatio, sunt tamen connotatiua, vt patet *Quol.* 12. *art.* 2. F. & concreta Logicè: vt namegregiè notat Gadius *ibidem in commentario*, si creatio actiua sumatur pro formali, significat relationem rationis fundatam in volontate diuina, & connotat actum diuinæ voluntatis: si verò creatio passiua pro formali accipiatur, significat realem dependentiam creaturæ ad Deum, & connotat relationem ad non esse eius præcedens. Quare cum illa significent aliquid per modum adjacentis, habeantque duplex significatum à nobis præexplicatum, primarium scilicet, & secundarium, vt de adiectiuis, & concretis accidentalibus suprà asseruimus, non videntur à serie adiectiuorum, & concretorum esse amouenda, vt præstant Mastrius, & Bellutus *parte* 1. *Inst. Tract.* 1. *c.* 3. Quod autem subdunt de operatione vitali, quam aiunt ex Doctore *Quol.* 13. §. *Ad argumentum principale* LL. non esse nomen concretum, sed connotatiuum, dico Scotum ibi non inficiari esse concretum Logicè, quia expressè tenet operationem vitalem, vt visionem esse qualitatem, quæ est entitas absoluta, & connotare relationem tendentem ad obiectum visum. Itaque formale eius significatum est forma absoluta, significatum eius minus principale est relatio respiciens obiectum visum; sieque cum retineat modum significandi concretorum, à nominibus concretis non videtur expungi, vt de specie intelligibili, quam constat esse terminum concretum ibidem exemplificat Doctor noster.

Terminus absolutus non longè distat à substantiuo, ipsi namque accommodari valet prælallata substantiui definitio: dicitur autem absolutus, quasi ab alio solutus, siue ab alio non dependens, vt *homo*, & quoduis concretum substantiale. Non me latet, quædam dici absoluta, vt intellectio, quæ reuerà non sunt præcisè absoluta, cum alia præter suam entitatem connotent, vt supra de visione explicabam. Ideò potius in syllabo concretorum connotatiuorum, quam absolutorum

sunt collocanda, vt cum Scoto tangit Gadius præallegatus *f. l.* 142, *columna* 2. potest quoque dici terminus absolutus, prout opponitur relatiuo. Ob id celebratur diuisio in absolutum, & relatiuum: quidquid enim est, aut est ad se, aut ad aliud, id est absolutum, aut relatiuum, vt *bos* est terminus absolutus, & *Discipulus* est terminus relatiuus.

Terminus abstractus de quo bene. & fusè disserunt Satnanus *q.* 1. *Vniuersalium pag.* 8. §. *primum*, Sirectus *Tract. Formalitatum fol.* 18. *pag.* 2. Bmlifer, Trombeta, & alij Scoristæ ibid. perhibetur illud, quod significat aliquid seorsim sumptum: vel secundum Scot. *d.* 26. *primi*, abstractum significat præcisè formam. Cum autem duplex sit forma, substantialis, & accidentalis, quoque duplex referetur abstractum substantiæ scilicet, & accidentis. Abstractum substantię designat præcisè formam substantialem, vt humanitatem: Abstractum verò accidentis denotat præcisè formam accidentalem, vt albedinem. Præterea non est spernenda diuisio abstracti in abstractū vultimata abstractione, & abstractum non vltimata abstractione, quidquid contrà Scotum reclamet Fonseca 1. *Met. c.* 28. *q.* 13. *sect.* 5. Abstractum vltima abstractione est, in quo non amplius remanet vlterior abstractio, quę à Doctore *in* 1. *d.* 5. *q.* 1. *infra A.* describitur illa, per quam ratio formalis alicuius consideratur secundum se preter quodlibet, quod non includitur per se in ea. Hac vnica abstractione abstrahitur substantia à suo supposito, vt exemplo humanitatis suprà declarabatur: sic enim est absolutissimè sumpta, & præcisa ab omni eo, quod est extra eius quidditatem, quod expendens diligenter Auic. 5. *Met c.* 1. *&* 2. inquit: *Equinitas est tantum equinitas & nihil aliud.* Abstractum verò non vltima abstractione est, in quo non remanet adhuc abstrahendi locus, vti est abstractum accidentis siue absoluti, siue respectiui. Etenim plura concernit accidens quam substantia, & plura accidens relatiuum, quàm absolutum. In accidente absoluto effici queunt duę abstractiones, vna à subiectis, vt ab hoc & illo albo abstrahitur albedo; altera vero ab inferioribus, vt ab hac & illa albedine abstrahitur albedineitas. At in accidente relatiuo formari valét tres abstractiones, nempè à subiectis, à fundamento, & ab inferioribus, de quibus acutissimè Scotus *vbi supra B.* & Ioãnes Vallo *Tract. Formalitatum fol.* 183. Itaque cùm multiplex sit concretio accidentis, multiplex vtique est in eo abstractio, ideò fallitur Fonseca putans vnicam esse abstractionem accidentis ac substantiæ, cum plura concernit accidens, quàm substantia, vt conspicuè suprà ostendebam tam de accidente absoluto, quam relatiuo.

21. Oppones 1. Concretum, & abstractum idem significant, vt scribit Scot. *in* 1. *d.* 27. *q.* 3. §. *Ad* 5. *q.* I. Ergo nulla est diuisio termini in concretum, & abstractum. Resp. quidem concretum, & abstractum idem per se significare, differre tamen in modo significãdi ex eodem Doctore loco nunc citato, & *q. vltima Vniuersalium ad finem*, in solutione prima, quod sufficit, vt hi termini inter se discriminentur. Itaque ad argumentum in forma, concedo ant. nego consequentiam, ob rationem allatam. A quo non videtur declinare Aug. 1. *soliloq.* inquiens, veritas, & verum duæ res videntur, sicut castus, & castitas.

22. Oppones 2. Si concretum describitur, *Quod significat formam, & habens formam.* Abstractum verò, *Quod significat præcisè formam*, in rebus spiritualibus, quæ forma, & materia carent, nullum foret concretum, nullumque abstractum: at communiter in eis cõceduntur concreta, vt Deus, & abstracta, vt Deitas. Igitur concretum, & abstractum non bene fuere descripta. Resp. Formam tripliciter accipi, vno modo pro actu puro & simplici, sic Deus, & Angeli vocantur formæ, vt liquet apud Aristotelem 12. *Met. Tex.* 51. Scot. *Quol.* 9. & Boëtium 3. *de Consolatione, metra* 9, altero modo pro vniuscuiusque essentia, & quidditate, iuxtà illud ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Huius etiam meminere Aristoteles 3. *Phys. Tex.* 17. & Scotus *in* 1. *d.* 5. *q.* 2. & alibi frequenter. 3. pro altera parte compositi, de qua disserunt Philosophus 1. *Phys.* 7. *&* 8. *Met.* & Doctor subtilis *ibi & in* 2. *d.* 5. *q.* 2. In præallatis autē definitionibus concreti, & abstracti forma non accipitur 1. nec 3. sed 2. modo dumtaxat. Ideo negatur sequela maioris.

23. Oppones 3. Quæ sunt vltimata abstractione abstracta, nihil prædicatur de eis, nisi in 1. modo dicendi per se, ex Scoto *in* 1. *d.* . *q.* 1. §. *Quantum autem* A. Sed quæ referuntur inter vultimata abstracta adhuc prædicantur, tamensi non in primo modo dicendi per se, vt *Humanitas est entitas*, itemque *Albedineitas est Albedineitas*. Ergo præassignata regula de vltimatè abstractis veritati, & rationi est dissentanea.

Resp. De vltimatis abstractis fieri posse prædicationem non formalem sed identicam, vt probat instantia. Ad argumentum itaque concessa maiore, ad minorem dici potest, cum Tromb. *Tract. Formalitatum parte* 3. *fol.* 48. *pag.* 2. ab illo Canone excipi transcendentia, quæ vel actualiter sunt infinita, vt *Deus est bonitas*, aut permissiuè, vt præadducta propositione ostenditur, *Humanitas est entitas*: ratio est, quia infinitas actualis, aut permissiua vnius aut vtriusque extremi sibi ident. ficat ea extrema. Ob id hujusmodi propositiones veræ sunt.

ARTICVLVS VII.

De terminis Denominatiuo, & Denominante

24. Termini denominatiuus, & denominans à concreto, & abstracto differre non videntur, vt indicat Scot. *in* 4. *d.* 12. *q.* 3. §. *Ad principales rationes. AA.* allegans, *d.* 5. *q.* 1. primi, vbi abundè de concretis, & abstractis disserit. Ideò, quæ de illis *in antecedente art.* ostendimus, hic non sunt repetenda, solum attingo, quæ nonnullam exigunt explicationem, vt plenè termini Philosophici nobis illucescant. Hæc autem tria quodammodo ab inuicem distinguuntur, denominans, denominatum, & denominatiuum. Siquidē denominans est forma, quæ subiectū, in quo est, denominat, vt albedo inhærēs parieti denominat ipsum parietem album. Denominatū est, quod in se habet formam denominātem, vt paries habens albedinē denominatur album. Denominatiuum est, quod perhibetur de suo subiecto, vt dulce enunciatur de Sacchato, bene enim dicitur *Saccharū est dulce.* Subjungunt verò Bonetus, & Orbellus 3. *Met. q.* . denominans, denominatum, & denominatiuum eodem quidem nomine denominari, differre verò in eo, quod denominatiuum habet nomē effectus formalis, & denominans retinet sibi nomen formæ. Potest autem diuidi denominatiuum in substantiale, quod denominatur à forma substantiali, vt *homo* ab humanitate, & denominatiuum accidentale, quod denominatur à forma accidentali, vt *album* ab albedine. Hanc denominatiuorum partitionem innuit Scot. *q.* 15. *prædicabilium* §. *Per idem ad* 2. *argumentum dicat* 3. *d.* 12. *q.* 1. §. *Ad argument.* 1. & *Quol.* 18. §. *De prima sub C.* præterea triplicia vulgò distinguuntur denominatiua, optimè à Maior in præsenti explicata, nimirùm, denominatiua voce tãtum, significatione tantùm, voce, & significatione simul. Denominatiua voce sola sunt, quorum vnum ab alio deriuatur penes nomen dumtaxat, vti sunt *studium & studiosus*, vt notat Doctor *q.* 36. *prædicamentali* . §. *Circa* *significationem.* Studium namque diligentiam, & laboren itu liosus autem virtutis amatorem designat. Denominatiua sola significatione sunt, quorum vnum ab alio dicitur penes solam significationē, vt *virtus, & studiosus.* Denominatiua voce, &

ce,& significatione simul describũtur ab Aristotele *in libro prædicamentorum c. 1.* & Scoto præcitato, necnon q. 8. *prædicamentali*, *quæcunque ab aliquo, solo differentia casu secundum nomen habẽt appellationem*, vt *Logica Logicus, Philosophia Philosophus.* Explicantur particulæ huiusce descriptionis. *Quæcũque ab aliquo*, id est nomine abstracto, vt à *iustitia iustus*: *Solo differentia casu*, idest finali terminatione discrepãtia: per easdem quippe syllabas incipiunt, & per diuersas desinunt, vt *dulcedo, dulce*, aut vt ait Scot. *vbi suprà*, casus denominatiuorum esse potest, vel sicut accidẽtis ad subiectum, vel sicut formæ ad suppositum eiusdem naturæ: vnde oritur duplex prædicatio denominatiua essentialis, & accidentalis, explicanda in sequenti *q. a. 1.* *Secundum nomen habent appellationem*, idest deriuantur, vt liquidò constat in præadductis exemplis.

25 Opp. 1. quod non est extrà essentiã rei, quæ denominatur, non est forma denominans, quia denominatiua sunt, quæ ab aliqua forma accidentali denominãtur, vt putat Arriaga *disp. 1c. sect. 2.* sed forma substantialis est intrà rei essentiam, quæ denominatur, vt humanitas est intrà hominem: ergo nullum est denominatiuum substantiale. Resp. negando maiorem, allatamque denominatiuorum descriptionem: sicut enim duplex habetur forma, substantialis, & accidentalis, duplexque denominatio, intrinseca, & extrinseca: ita duplex extat denominatiuum, substantiale scilicet, & accidentale, vt patet ex Doctore *in 1. d. 32. q. 2. §. Contrà sicut*, atque vtrique adaptatur descriptio denominatiuorum adducta ab Aristotele, cum ab vtroque præscindat communis eorum ratio.

26. Opp. 2. Denominatiua sunt, quæ solo casu differũt, vt patet ex dicta eorum definitione: sed *v. c. album, & albedo*, sunt denominatiua, & tamen nedum casu, verumetiam realiter differunt: ergo non bene describuntur denominatiua quæ solo casu discrepant. Resp. concessa maiore, negandam esse minorem: album quippe, & albedo idem quidem significant, differunt autem in modo significandi, vt de quouis concreto & abstracto scribit Doctor Subtilis, *in 1. d. 27 q. 3. §. ad 2. q. L.*

ARTICVLVS. VIII.

De Terminis Communi, Vniuersali & Singulari.

27. TErminus communis vniuersè captus est, qui multis adaptatur, vt natura humana competit multis indiuiduis: & Natura diuina tribus personis. Vnũ autẽ cõmune, multis conuenire tradit post Aristotelẽ *7. Met c. 11.* Scot. *in 1. d. 1. q. 3. §. De secundo principali. B.* quibus concordant S. Bonauentura *in 1. d. 5. in dubiis litteralibus*, & Gabriel *ibid. d. 25. q. vn art. 1.* & patet ex vi ipsiusmet nominis. Terminus vniuersalis est vnũ aptum prædicari de multis, vt genus, & alia, de quibus infra *q. 3. art. 1. huius libri.* Commune autem latiùs patet quàm vniuersale: omne quippe vniuersale est cõmune, non econtra. Nam secundum Scot. *in 2. d. 3. q. 1. §. Sed contra istud I.* & *7. Met. q. 16.* dantur naturæ communes reales à parte rei, quæ non sunt formaliter vniuersales, nisi per opus intellectus. Item quæ essentia diuina est quidem tribus Personis communis, non tamen est vniuersalis, sed de se hæc, & singularis, vt perhibet Scot. *in 1. d. 1 q. 1. §. Per hoc ad argumenta E.* Porrò, inter terminos cõmunes, quidam magis, alique minus communes habentur, vt superiores, & inferiores, quorum vnus de alio potest prædicari, nempè magis communis de minus communi: ita substantia, quæ est terminus communior corpore, de ipsomet corpore prædicatur, vt *corpus est substantia*: non è contrario *omnis substantia est corpus*; Deus namque, & Angeli sunt quidem substantiæ, sed non corpora. Ab his non enumeratis non multùm abesse videntur termini excedẽtes, & excessi, quorum vnus de alio vniuersè haud affirmari, aut negari potest, vt *animal & album*; non enim, *omne album est animal*: nec *omne animal est album*: sed solum verum est *aliquod animal est album*, & *aliquod album est animal*. Nec à termino communi amouendus esse videtur terminus collectiuus, qui & copulatiuus à quibusdam nominatur. Is enim multa simul aggregata designat, vt *Roma, Auenio, Aquæ-Sextiæ*. E diuerso terminus non copulatiuus est, qui multa simul aggregata non significat, vt *Rex, Dux, Miles.*

Terminis singularis, qui indiuiduum apud Philosophos, & apud Grammaticos proprium nuncupatur, vt obseruat Auctor Grammaticæ speculatiuæ c. 7. est, qui de vno solo prædicatur. Quadruplex autem recensetur terminus singularis, determinatus, vagus, demonstratiuus, & ex suppositione. Determinatus est qui aliquod vnum certò, & determinatè significat, vt *Petrus*. Vagus est, qui aliquod vnũ indeterminatè denotat; vt *quidam homo*, & declarat Doctor *q. 12. prædicamentali*, & *in 3. d. 24. q. vn. §. Alia est opinio, sub A.* Demonstratiuus est cui præponitur pronomẽ demonstratiuum, vt Matt. 21. *Hic est Iesus Propheta à Nazareth*, Singularis ex suppositione est, qui vnum tantùm ex hypothesi significat, vt Abrahæ filius, intelligitur Isaac, & Beatæ Mariæ filius intelligitur Christus. Denuò, si nomen commune accipiatur cum singulari redditur singulare, siue in recto, vt *vrbs Nicia*, siue in obliquo, vt *equus Alexandri*. Plura de his concinnè, & eruditè Titelmanus *l. 1. Considerationis Dialecticæ per sex integra capita.*

28. Opp. 1. Aristoteles *8. Eth. c. 10. & 3. Polit. c. 1.* scribit Rempublicam esse genus multarum specierum; & *1. Cæli*, Mundum esse speciem infinitam: at constat omnibus genus, & speciem esse terminos vniuersales: Rempublicam verò, & Mundum esse terminos collectiuos, qui rationem termini communis sortiuntur. Perperam ergo terminus scinditur in terminum communem, & vniuersalem. Resp. vniuersale bifariàm vsurpari: vno modo amplè, quo in sensu vniuersale, & commune non differunt, quod insinuat Stagirita *4. Met c. 5.* inquiens tot esse species vnius, quot sunt species entis, cum nec ens, nec eius passiones sint propriè Vniuersalia ea omnium doctrina explicanda magis *infrà q. art. 1.* Altero verò modo angustè, & sic per eorum descriptiones præallatas patet eorum discrimen loco nunc citato exactiùs enucleandum.

29. Opp. 2. Nomen *Franciscus* multis, qui hoc nomine insigniuntur, cõpetit: sed *Frãciscus* est terminus singularis determinatus vt suprà dixi, & indicatur à Doctore *q. 1 primi Priorum §. Notandum*; Ergo terminus communis coïncidit cum singulari; aut eius descriptio præadducta est inepta. Resp. distinguendo maiorem: penes nomen concedo: penes rem significatam, nego: Franciscus námque denotat determinatè *hunc hominem*, cui repugnat pluralitas. Ideò non abs re posset distingui terminus communis in æquiuocum, & vniuocum, vt insinuat præallata distinctio, ad instantiam dissoluendam.

30. Opp. 3. Si terminus cõmunis est, qui à multis participatur, Deus foret cõmunis, quia tribus Personis cõmunicatur: sed Deus est singularis, iuxta illud Deuteronomij 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus, præter me*, & demonstraui *in Met. l. 4. & in Tract. de Deo vno q. 1.* Ergo, supra, terminus communis non videtur esse bene descriptus. Resp. concessa maiore, distinguendo min. Deus est singularis, quatenus diuidi nequit in partes subiectiuas, concedo. Deus est singularis: quatenus multis suppositis communicari non potest, nego. Ipse enim licet singularis: ob suam infinitatem, communis est tribus Personis, vt præ alijs docet Scholasticorum Aquila *in 1. d. 1. q. 4.* & inde adducens rationes ex principiis Metaph. & Theologiæ, ad id suadendum depromptas, quas abundè declaraui *in Tract. de Deo Trino, disp. 1.*

ARTICVLVS IX.

De conuertibilibus aliisque terminis.

31. SCotus 1. *Priorum q.14. §. Alio modo. versu. secundus casus*, & Major *l.1. Terminorum, columna 3.* recitant terminos conuertibiles qui de se inuicem vniuersè affirmari, aut negari possunt, vt *homo & risibile*, omnis enim homo est risibilis: & omne risibile est homo. Itemque Doctor noster *in 4. d. 8. q. 1. §. Ex his H.* & Sarnanus *in expositione Vniuersalium pag. 95.* commemorat terminos Synonimos, qui sub diuersis nominibus idem significant, vt *Petrus, Cephas, ensis, & mucro* Et tãgit Aug. *l. 20. cõtra Faustum, c. 12.* Hi autẽ termini magnam affinitatem habẽt cum illis, quę sita est in eo, quod sicut illi de se mutuò enuntiari valent, pariter & isti; quãuis differãt in hoc, quod synonimi eamdem sortiuntur significationem; non sic conuertibiles. Nec ab istis lõgè videntur recedere, qui pertinẽtes dicuntur, quorum vnus infert alium, vt *homo* infert *animal. & animal viuens*: aut vnus realiter identificatur cum alio, vt *risibile. & flebile.* Alij sunt termini impertinentes, seu disparati, qui nec se inferunt, nec vllam inter se habent affinitatem, vt *album & musicum*, ex Aristotele *4. Met. c. 14.* & Scoto *q. 10. & in 1. d. 7. q. vn. §. Ad argumenta Q. & d. 12. q. 2. §. Contrà istam opinionem sub D. & in 4. d. 12. q. 2. §. Ad argumenta L.* Nonnulli verò sunt termini repugnantes, qui de eodẽ simul, & eodem tempore effari nequeunt, vt *sapiens, insipiens*, suntque in quadruplici genere videlicet contradicentes, contrarij, priuatiui, & relatiui. Contradictorij sunt, quorũ vnus negat alium, vt *homo, non homo.* Contrarij sunt, qui vicissim ab eodem subiecto se expellunt, vt *calor, frigus.* Priuatiui sunt, quorum vnus designat carentiam alterius in subiecto apto, vt *vidẽs, cæcus.* Relatiui sunt, qui dicuntur ad conuertentiam, vt *Præceptor, Discipulus.* Cum autẽ terminorum repugnãtium quidã sint positiui, quidam verò negatiui, & alij priuatiui, explicandi sunt huiusmodi termini, necnon discrimen, quod intercedit inter negationem, & priuationem. Terminus positiuus, quẽ attingit Doctor *in 1. d. 17. q. 5.* est, qui significat aliquid reale, quod dicitur esse à parte rei, vt *lapis.* Negatiuus est, qui designat negationem in subiecto non apto, vt *non videns*, respectu lapidis: huius meminit Scotus *q. 8. primi Priorum §. 2. cõclusio.* Priuatiuus (tametsi suprà in vniuersali sit expositus) est qui denotat carẽtiam formæ in subiecto idoneo, vt *cæcus* respectu hominis visu carentis: hũc quoque commemorat Doctor loco proximè allegato. Hinc exhauritur discrimen, quod adest inter negationem, & priuationem, siue inter terminum negatiuum, & priuatiuum. Etenim negatiuus nullã capacitatem formæ in subiecto, de quo enuntiatur, significat: priuatiuus verò capacitatem formæ in subiecto, de quo perhibetur, significat, vt tradit subtilium Princeps *d. 53. primi q. vn. §. Item arguo. H.* Idque exemplis præaddu ctis manet explanatum. Nec silẽtio prætereundi sunt termini finitus, & infinitus, quorum meminit Scot. *1. Priorum q. 37. §. Quantum ad 1.* Transcendens, & non transcendens, quos recenset *in 1. d. 3. q. 3.* Finitus est, cui nulla præponitur negatio, seu qui aliquid determinatè affirmat, vt *canis.* Infinitus, cui præponitur negatio, est, qui aliquid determinatè negat, nihil autẽ determinatè affirmat, vt *non canis*, indifferẽter dici potest de omni eo, quod non est canis; determinatè verò de nullo eorum perhibetur, quo vtitur sacra Scriptura 1. Petri 2. *nõ populus Dei*: & Rom. 9. *vocabo non plebẽ meam*, & meminit Aug. *l. 1. Ad Simplicianũ in solutione 2. q. ad finẽ.* Trãscendens est, qui nulli prædicamento addicitur, seu, vt inquit Trombeta *Tract. Formalitatum art. 1. principali fol. 9. pag. 2.* qui competit alicui extrà genus: & deducitur ex Doctore *d. 8. primi q. 3.* Additque Tataretus *q. de substantia, dub. 3.* ad terminum transcendentem sufficere, vt non sit genus, nec habeat genus suprà se. Sex autẽ communiter numerãtur termini transcẽdentes, putà *ens, vnũ, verum, bonũ, aliquid, res*: quique indicãtur per litteras initiales huius dictionis *Reubau.* vt aduertit Pelbartus *Tomo 1. Rosarij, verbo vnitas §. 3.* Adde Deum, & quæ de ipso enunciantur: necnon quæ conueniũt enti, priusquam diuidatur in decem prima genera, vt post Scot. *in 1. d. 8. q. 3. § Teneo. & in 2. d. 1. q. 4. §. Ad 1. alterius F. & §. ad argumenta principalia, sub P.* scribit Trombeta præallegatus. Non transcendens est, qui in aliqua ex decem categoriis collocatur, vt *bos, color*: affirmantibus iisdem Authoribus nunc prænominatis.

32. Opp. 1. Mẽbra diuidẽtia non euacuãt totum ambitum termini diuisi in negatiuum, & priuatiuum: carẽtia quippe nec est terminus negatiuus, nec priuatiuus, quia de vtroque enunciatur, veluti etiã negatio de negatione in genere, & extrà genus, astruentibus Scoto *in 1. d. 23. q. vn.* & Orbello *4. Met. c. 4. q.* An à priuatione ad habitum detur regressus. Igitur diuisio termini in positiuum, priuatiuum, & negatiuũ est insufficiens. Resp. negando antecedens, quandoquidem carentia, siue negatio vniuersè sumpta est veluti genus præscindens à negatione, & priuatione pressè captis, vt à suis inferioribus. Commune autẽ & superius non numerari ad numerationem inferiorum patet, & ostenditur in Physica, cum de toto monebitur concertatio.

33. Opp. 2. Terminus transcendens est, qui vagatur per omnia rerum genera, & explicatiùs, qui imbibitur in omni conceptu reali: ergo transcendens ineptè describitur, qui in nullo clauditur prædicamento. Resp. per negationem antecedentis. Etenim in Subtilium Schola ens formaliter non includitur in suis passionibus, quæ planè sunt transcendentes: neque in vltimis rerum differentiis, vt suo loco palàm fiet.

ARTICVLVS. X.

De terminis primæ, & secundæ intentionis.

34. PRima intentio secundum Scotũ *in 1. d. 23. q. vn.* est obiectum cognitum, vt cognitũ, vt *homo cognitus*, quatenùs *cognitus* est prima intentio. Intẽdere quippe vt notat idem Doctor *in 1. d. 38. q. vn. §. Respondeo A.* est in aliud tendere, obiectum enim tẽdit in animam, mouendo ipsam ad sui cognitionem. Ideò vocatur prima intentio, quia obiectum priùs mouet intellectum, quàm ab ipsomet intellectu cognoscatur: quod rectè aduertit Vorrilong *in 1. d. 23.* inquiẽs: *Appellatur prima intentio, quia primò tendit in animam, seu intellectum, mouendo ipsum, vt intelligatur.* Necesse enim est v. g. albedinem priùs offerri intellectui, ipsumq; ad sui notitiam mouere, quàm ab eo einsdemmet obiecti intellectio depromatur, vt indicat Scot. *q. 3. Vniuersalium, & in 1. d. 3. q. 7. §. Contrà istam opinionem, Versu, Itẽ quomodo.* Quocircà omnis conceptus est primæ intentionis, qui natus est fieri immediatè à re, absque actu intellectus negotiantis, qualis est conceptus obiectiuus positiuus, ac etiam negatiuus: vt scribunt Scotus *loco præcitato Primi §. Item arguo sic sub G.* Gadius *Quol. 5. fol. 63, columna 4.* & Aureolus *in 1. d. 23. ad finem secundi articuli.*

35. Secũda intẽtio ex eodẽ Doct. *ibid. Orb. 7. Met. c. 7.* seq; Aureolo *vbi suprà*, est relatio rationis causata per actũ comparatiuũ intellectus cõparantis vnũ obiectũ cognitũ ad aliud obiectum cognitum, vt si intellectus comparet animal ad suas species, emergit secunda intentio, quæ vocatur genus: quod si comparet hominem ad sua indiuidua, exoritur secunda intentio, quæ species nuncupatur. Dicitur secunda intentio,

quia

quia fundatur in obiecto cognito, quod ex dictis prima intentio nominatur, vt supra animal cognitum fundatur genus, & supra hominem cognitum fundatur species. Non enim intellectus obiecta inter se comparat, nisi ea cognoscat. Aut fortasse, quia secunda intentio est posterior prima: sicut actus comparatiuus, per quem gignitur secunda intentio, subsequitur actum rectum, quo gignitur prima intentio Hæc ratio deduci potest ex Scoto *in 1. d. 35. q. vn. prope initium.* & §. *Contra secundam propositionem.* G. & *in* . *d.* 6 *q.* 1. §. *Ad argumenta sub* F. & aperte traditur ab Eminentissimo Cardinali Sarnano *Tract. de primis , & 2. intentionib. art.* 1. c. 5. Ob eamdem fortè causam prima & secunda intentio sortiuntur nomina primæ, & secundæ impositionis: sine etiam vocabula primæ, & secundæ considerationis ex Scoto *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. § *Hic primò*. B. quoniam quæ primò à nobis percipiuntur, & præstantur, prius quoque eis nomina imponimus, quæ verò posteriùs, vtique eis posteris vocabula affingimus: quod elegãter prosecutus Franciscus Titelmanus *l.* 1. *Considerationis Dialecticæ.* c. 27. & apertius edisserit Ioannes Maior *l.* 1. *Terminorum fol.* 14. §. *Terminus prima intentionis*, his verbis *Mihi videtur dicendum esse, quod termini dicuntur primæ, impositionis, quia prius tëpore impositi sunt: Adam primus impositor circa necessariora impositionem inchoauit. Postea necessariis vita cumulatis docti viri in terminos scientiarum trinalium processerunt.* Hoc patet ex principiis Genesis, vbi artium mechanicarum primi Inuentores recitantur, & huic Aristotelis sententia *primo Met.* quadrat.

36. Opp. 1. Obiectum cognitum est prima intentio, vt patet ex huius art. principio: sed esse cognitum est ens rationis quia habetur tantum per operationem intellectus. Ergo prima intentio est ens rationis, quod falsitatem redolere videtur. Resp. ad maiorem, obiectũ cognitum fundamentaliter esse quidem primam intentionem: formaliter verò esse, vt cognitum, vt liquet ex eius descriptione statim in initio art. allata. An verò prima intentione sit ens rationis, in alium locum remitto discutiendum. Interim videndus est Sarnanus nuper à nobis allegatus.

37. Opp. 2. Scotus *d.* 13 *primi* scribit conceptum tam positiuum, quàm negatiuum esse primam intentionem. sed obiectum est prima intentio, quatenùs mouet intellectum ad sui notitiam: negatio autem tum nihil prorsus sit, nequit mouere intellectum ad sui cognitionẽ. Igitur conceptus negatiuus nequit esse prima intentio.

Resp. Concessa maiore, distinguendo minorem: formaliter concedo, connotatiuè, siue subiectiuè nego: sic enim cæcus cognoscitur, amatur, & deambulat, non quia cæcitas sit ratio eatum operationum: sed illud, in quo est huiusmodi priuatio est subiectum capax earum operationum.

38. Opp. 3. Doctor subtilis *Quo*'. 1. §. *De altero termino* circa K. & L. inquit. *Secunda intentio est comparatio passiua, quã ab intellectu duo obiecta cognita adinuicem comparamur.* Idem expressius *in* 4. *d.* 1. *q.* 2. Hoc ipsum asserunt Auctor Formalitatum, Tromb. & alij *in earum Tract.* Cuius oppositum videtur tenere idem Doctor *in* 4. *d.* 12. vbi vocat eam comparationem actiuã, *quã intellectus duo obiecta cognita inter se comparat.* idque pariter affirmat Antonius Andreas 7. *Met. q.* 16. Resp. diuerso respectu comparationem dici actiuam, & passiuam; veluti idem motus vocatur actio, & passio *ex* 3. *Physi. tex.* 11. Perhibetur námque comparatio actiua, quatenus prodit ab intellectu comparante vnum obiectum cognitum ad aliud obiectũ cognitum: & passiua, quatenus fertur ad obiecta cognita, & comparata. In priori autem loco citato Scotus loquitur de comparatione passiua: in posteriori verò de comparatione actiua verba facit; ideóque nulla extat contradictio in Scoti assertis, qui in eis diuersa respexit, ratione quorum tollitur repugnantia apparens.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

QVÆSTIO SECVNDA.

De proprietatibus Terminorum incomplexorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Signo & Significatione

NE vlla nominis ambiguitas ab addiscenda Logica nos retardet, & ne passiones terminorum quodammodo nos lateant, placet signi generalem descriptionem adducere, ex cuius cognitione quorumcumque signorum diuisiones, & definitiones facili negotio percipi valent. Est autem signum vniuersè sumptum, *quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat,* vt vox est signum conceptus mentis ex Aristotele 1. *Perih.* c. 1. & Scoto *in* 1. *d.* 22. *q. vn.* §. *Potest dici ante* A. *versu, Ad propositum.* Quò respiciens Auctor Grammaticæ speculatiuæ c. 1. subiungit, *signum est ratio signandi, siue repræsentandi.* Significare vero per Scotum *q.* 15 *Elench.* est aliquid intellectui repræsentare, & significatio est potentiæ cognoscenti alicuius rei repræsentatio: sic vtitur significatione Cicero de Amicitia. *Si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet, & adiungat.* Et Cæsar 6. *de Bello Gallico*, monet, *ignes fieri prohibeat, ne qua eius aduentus procul significatio fiat.* Sic mortem significauit Deus 2. Petri 1. *Velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus noster Iesus Christus significauit*: & quæ obeunda erant Apoc. 1. *Significauit Deus mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni, quæ oportet fieri citò* Signatum autem, seu significatũ est, quod per signum significatur; est namque signi correlatiuum: seque vt correlatiua mutuò respiciunt, vt indicat Doctor *in* 4. *d.* 1. *q.* 2. §. *Ad* 1. *argumentum.* O.

2. Potest autem fortè diuidi signum in spirituale, & sensibile. Signum spirituale est quod potentiæ cognoscenti aliquid spirituale repræsentat, idque bifariam potest contingere; aut enim signum est sensibile, & signatum eius est spirituale, vt Matt. 3. *Columba.* Et Act. 2. *Lingua ignea* Spiritum sanctũ designabat. Pariter Sacramentum ab Aug. 10. *de Trin.* c. 5. citato à Scoto in 4. *d.* 1. *q.* 1. *ante* §. *His* 1. Alens. 4 *p. q.* 1. *m.* 1. aliisque Scolasticis, describitur *sacræ rei signum*, idest gratiæ, quæ est spiritualis: quodque apertè exprimitur per definitionem Magistri *d.* 1. 4. *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, idest sensibile signum. Aut tam signum, quam signatum est spirituale, hocque etiam dupliciter effici valet: vel enim est signum cognitum, quo aliud cognoscatur: vel est ratio cognoscẽdi aliud, licet ipsum haud cognoscatur. Primo modo præmissæ dici queunt signum conclusionis, quia illa cognitis tanquam eius principiis, cognoscitur ipsamet conclusio. Similiter anima rationalis dici potest signũ Dei (quia ad imaginẽ Dei factus est homo) quã cognitã ad Dei cognitionem prouehimur. Secũdo modo species intelligibilis est signum repræsentatiuum rei spiritualis intellectæ, vel intelligendæ. Hanc signi distinctionem affert Scot *Quol.* 14. §. *Ad ista* AA. quam optimè explicant Lychetus, & Gadius ibid.

3. Signum sensibile ex S. Aug. 2. *de doctrina Christiana c.* 1. allegato à Doctore in 4. *d.* 1. *q.* 2. *ad* 10. § *Hic dicitur*, *sub* D. est, *quod præter notitiam, quam ingerit sensibus, facit in alterius cognitionem venire.* Signũ sic descriptum propriè dicitur signũ. Cùm enim nostra cognitio originẽ suam à sensu trahat, ob id signũ præsẽ captum tantùm eis adaptatur, quæ sensui subijciuntur, vt clarè ostendit Aug. *l. de principiis Dialecticæ* c. 5. inquiens *signum est, quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo repræsentat.* Post modum verò ad alia, quæ à sensibus sunt

remota

remotè translatum fuit. Quemadmodum nomẽ instrumentum ab artificialibus ad naturalia,& supernaturalia fuisse applicitum,& accommodatum perhibet Doctor noster *in 4.d.1.q.5.§.Ad primam ergo.* F. ita signum à sensibilibus & materialibus ad spiritualia,& immaterialia repræsentanda sumptum est.

4. Iterùm signum subsecatur in naturale,& voluntarium. Signum naturale est,quod suapte natura aliquid significat,idemque apud omnes denotat,*vt fletus dolorem,& risus lætitiam.* Signum voluntarium siue ad placitũ est quod ex hominũ arbitrio, & instituto aliquid designat, *vt sonitus campanæ* est signum audiendæ Missæ, nomen est signum rei,& tuba,quã receptui canitur,est signum voluntarium. Huius signi distinctionis meminit Scotus. *1.Perih. q.4.§.Ad q.dicendum,& in 1.d.12. q.vn.§.De ratione bulæ,sub C. & in 4.d.11.q.3.§. Hic duo.* A.post. Aristotelem *1.Perih. c.1. & Aug.l.2.de doctrina Christiana c.1.*

5. Rursus signum subdiuiditur in rememoratiuum, quod præteritũ in memoriã reuocat, vt *Crux est signũ Christi passi fructus florũ,lac partus editi, & vox significatiua est signum rememoratiuum ad placitũ* ex Scoto *in 2. d.41.q.4.§.Ad argumentum,* sub O. Demonstratiuum, quod rem præsentem,& existentem ostendit, vt acus horologij est signum demonstratiuum præsẽtis horæ, quam actu indicat;& circulus coopertus foliis hederæ in cruce positus ante ianuam domus est signum demonstratiuum vini vendibilis,vt aduertit Scotus *in 4.d.1.q 2.§.Ad 1.argumentum.* O. Et prognosticum, quod futurum præmonstrat, vt rubedo Lunæ ventum, & coaxatio ranarum mattutina pluuiam futuram prænunciat. Istam quoque signi partitionem afferunt Scot. *loco nunc allegato §. De secundo principali:* D.Richar.ibid.q.3. art. 1.& Alensis paulò ante citatus.

6. Denuò,in signum speculatiuum, & practicum ex eodem Doctore *vbi suprà q.3.§. Hic quæner. A.& §. De secundo.*C. Speculatiuũ est,per quod haberi potest cóceptus de signato,vt vox homo,significat humanitatem,& fumus ignẽ. Practicũ est,quod signat signatum esse,vel fieri,sic tactus manus est signum practicum pacis , & Sacramenta gratiæ. Potest autem signum practicum distribui in certum,& in incertum, seu æquiuocum, vt tangit Doctor prænominatus q.2. Denique in signum doctrinale,aut non doctrinale,hoc scientia non vtitur, vti sunt fumus, & imago: illo verò maximè, quod triplex est, nimirùm conceptus,vox,& scriptura, de quibus nonnihil in superioribus.

7. Opp.1. Definitio signi conuenit aliis à definito:ergo non est bona. Ant. probatur: causa priùs cognita ducit in notitiam sui effectus : sed causa haud est signum sui & effectus:ergo,&c. Resp.per negationem antecedentis , ad eius probationem concessa maiore, distinguenda est min. propriè concedo : impropriè nego. Non enim propriè aqua dicitur signum humiditatis , nec ignis caloris , nec febris mortis, nec demonstrationes à causa dicuntur à signo , veluti demonstrationes ab affectu : nec Deus vocatur signum creaturæ:cuius ratio esse potest , quia signum repræsentat signatum , vt patet ex dictis : at causa non repræsentat effectum , sicut effectus causam , cuius est similitudo. Idcircò causa non propriè est signum sui effectus, quidquid dicant nonnulli Recentiores.

Instabis,Sacramenta sunt signa & causæ gratiæ,vt tradunt Scholastici *in 4. d. 1.* cum Magistro ibi. & venti sunt signa , & causæ procellarum maris. Ergo causa dici valet signum sui effectus. Satisfit , si dicatur cum Scoto , Sacramenta esse causas morales gratiæ. non verò Physicas , vt probat instantia. Ad aliud de ventis , dico propriè ventos non esse signa tempestatum maris, sed alia enarranda in Meteoris.

8. Opp.2. Omnia signa sunt ad placitum:ergo malè bipartitur signum in naturale,& voluntarium. Antecedens probatur,volũtate Dei omnia creata sunt,iuxta illud Psal.134. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Quoduis autem signum est creatum:ergo & voluntarium.Resp. negando ant.ad eius probationem dico, id verum esse in esse existentiæ ; non verò in esse essentiæ , & obiectiuo. Placuit enim Deo , hoc, aut illud , hoc, vel illo tempore producere , non tamen pro suo libito essentiæ rerum mutantur , quarum ideæ sunt in ipsius diuina mente , vt scribit Doctor subtilis *in 1. d. 35. q. 1.* Eò magis , quia si instantia præfata foret alicuius roboris , nullum esset ens creatum naturale & necessarium , quod falsum , & absurdum est.

9. Opp. 3. Definitio signi tradita ab Aug.competit omni signo,secundum Scot.*in 4.d.6.q.10.* Vult enim ibi Scot. sensum positum in definitione signi, nedum pro sensu corporeo, verumetiam pro sensu incorporeo accipiendum esse,hoc est pro quauis potentia cognoscitiua. Ergo definitio signi non est angustanda ad signum sensibile duntaxat. Resp.ant. verum esse,si sumatur signum in fusa,& ampla significatione:falsum verò,si in propria,& primæua institutione vsurpetur, vt suprà monui.

ARTICVLVS II.

De Prædicatione.

10. Quoniam vniuersalia, & prædicamenta capi nequeunt absque vllaprædicationis notitia. In eis quippe plerumq; fit mentio de prædicatione,& subiectione,præsertim in vniuersalibus;quæ considerãtur à Dialecticis vt prædicabilia in quid,aut in quale. Ideò hic non abs re de prædicatione agam, priusquam vniuersalia,& prædicamenta attingã:quod præstãt diligenter,& subtiliter Ioãnes Major Scoti Discipulus *fol.108.*& nonnulli Recentiores ingenio,& doctrinã cõspicui.Prædicatio est dictio vnius de alio:potest autem prædicatio ex Doctore *1.Post.q.1.6.§.Ad q. dr.* diuidi in ordinatam,seu directam, & inordinatam, seu indirectam.Ordinata est cum prædicatur,quod debet prædicari, & subiicitur,quod debet subiici ; idque fit cum superius prædicatur de inferiore , vt *homo est animal*: aut æquale de æquali vt *homo est risibilis*.Inordinata est,cum prædicatur quod debet subiici,& subiicitur, quod debet prædicari : quod euenit cum superius subiicitur, & inferius prædicatur , vt *animal est homo.* Addi potest prædicatio præter ordinem, quæ efficitur, quando vnum extremũ de altero non est natum prædicari, nec subiici, vt *album est dulce, & dulce est album.* Deinde prædicatio secatur in formalem & identicã, secundum Scotum *in 1.d.5.q.1.§. Ad argumentum principale.* Z.& *in 4.d.12.q.2.§. Ad argumenta principalia.* Oe prædicatio idẽtica duplex statuitur,vna cum idẽ prædicatur de seipso,vt *homo est homo,& Deus est Deus*,de qua fusè Scot. q.8 *primi Perih.* & *in 1.d.26.q.vn.§. Ad 1.tertia via,ante A A.versu Respondeo.* Bonetus,& Orbellus *5. Met.q.1.* Altera,cum vnum extremum realiter identificatur cum altero extremo,& vtrumq; est finitum,vt *rationale est risibile*:aut vnum est infinitum,reliquum verò formaliter non est infinitum , vt *essentia diuina est paternitas*:aut vtrumque est infinitum,vt *essentia diuina est bonitas.* Huius autem prædicationis in abstracto non fuisse traditam Logicam in creatis monet Doctor *d. 8. primi , q. præciata.* Formalis est, quã prædicatum designat formam subiecti:quoniam verò forma subiecti duplex esse potest,nempe essentialis,& accidentalis ; propterea duplex recensetur prædicatio formalis,putà essentialis,& accidentalis,vt inter alios Formalistas obseruat Ioannes Vallo,*in sua Lectura fol. 194.* Essentialis , quæ & quidditatiua nuncupatur, habetur

habetur cum prædicatum est de essentia subiecti, vt *homo est rationalis*, cujus meminit Scot. *in primo proximè allegato*. Accidentalis verò est, cum prædicatum est accidens respectu subiecti, vt *homo est albus*, & hæc propriè vocatur denominatiua, vt patet ex 1.*d.* 3.*q.* 3.*§. Contrà istam vniuocationem*, P. In ipsa namque prædicatum dicitur inesse subiecto in quadam adiacentia, & formali inhærentia, ratione cujus nomen prædicationis denominatiuæ strictè sumptæ sortitur, vt cum suo Præceptore *in* 1.*d.* 1.*q.* 1.*§. Ad argumentum circa* I. *& Quol.* 3.*§. Respondeo*, O.*& Quol.* 8.*§. De* 1. notat Bonetus 3. *Met* Potest autem prædicatio denominatiua ad multò plura extendi, & ampliari; siquidem denominatio effici valet à quasi forma in subiecto, sic anima dicitur humana *ex Quol.* 18.*§. De* 1.D. Aut à parte alicujus totius, vt speciei à genere, vt *homo est animal*; aut generis à differentia, vt *corpus est animatum*, ex eodem præcitato, & *in* 2.*d.* 3 *q.* 6.*§. Ad q.* E. Aut ab actione, sic vltima denominatio competit supposito, ex 1. *d.* 12.*q.* 1.*§. Ad argumenta respondetur*. AA. & 4.*d.* 12.*q.* 3.*§. Ad principales rationes*. A A. Vbi Doctor tradit modi efficiendi alias denominationes præter allatas Non censeo autem omittendam esse partitionem denominationis in intrinsecam, & extrinsecam ex 1.*d.* 22 *q.* 1.*§. Aliter dicitur*, & *d.* 32.*q.* 2.*§. Contrà*, & *Quol.* 18 *§. De tertio principali*. R. Intrinseca est, per quam designatur subiectū realiter affici formâ per prædicatū significata, vt *homo est prudens*. Extrinseca est, per quam denotatur subiectum non potiri forma per prædicatum significata, nisi ratione terminationis eius, vt *lapis dicitur cognitus* non cognitione in ipso existente, sed cognitione in intellectu inhærente, ad ipsum net lapidem terminata, vt explicat Sarnanus *q.* 9. *Vniversalium pag.* 162.

11. Denuò ex eodem *Quol.* 3.*§. Respondeo*. O & 4.*d.* 11.*q.* 3.*§. Ad rationes*. FF. Alia est prædicatio per se, quādo subiectum includit prædicatum, siue quando subiectum est per se vnum, quoad conceptum ex *Quol.* 3.*§. Respondeo* O. & *in* 2.*d.* 3 *q.* 6.*§. Ad q.* ergo E. & *in* 3.*d.* 21.*q. vn.* §. *Sed quid Logice sub* M. Alia est prædicatio per accidens, quæ euenit, cum prædicatum non est de essentia subiecti, aut eius essentiam non consequitur, de quibus abundè actūrus sum *l.* 5 *art.* 6.*q.* 3. Nec aliquid eis superaddendum censeo, cùm ista diuisio coincidat, cum illa, quā prædicatio distribuitur in essentialem, & accidentalem, quam accuratè suprà explanaui. De modis verò prædicationis per se hoc in loco non dissero, remittens quod de eis dicendum est, in locum nunc allegatum.

12. Opponės 1. Omnis forma potest denominare subiectum, in quo est, ex *Quol.* 3.*§. Respondeo sub* P. Et 1. *d.* 12.*q.* 1.*§. Ad argumēta*. AA. Sed forma essentialis est in eo, quod essētialiter cōstituit in esse: ergo potest illud essētialiter denominare, ac proindè nulla videtur intercedere differentia inter prædicationem essentialē, & denominatiuam. Resp. cum Scoto *Quol. cit.* prædicationem denominatiuam latè sumptam comprehendere prædicationem tam essentialem, quàm denominatiuā propriè dictam, quamnis denominatiua propriè dicatur, cùm prædicatum est extra rationem formalem, & essentialem subiecti, vt *homo est risibilis, vel lignum est album, vel homo intelligit* Cur autem relatio sit in diuina essentia, eamque non denominet, vide Scot. præallegatum, & Gadium ibi.

13. Opp. 2. Forma essentialis essentialiter prædicatur de eo, cuius est forma, siue in recto, vt *homo est animatus*, siue in obliquo, vt *homo habet animā* sed anima est forma corporis; describitur namque 2. *de anima Tex.* 70. *actus primus corporis organici potētiā vitam habentis*: ergo anima essentialiter prædicatur de corpore: atqui Scot. locis præadductis in prima oppositione inquit, hanc esse accidētalem & denominatiuā, *corpus est animatum*: illam verò esse formalem essentialem, & in 1. modo dicendi per se, *homo est animatus*, vt quoque liquet *in* 1.*d.* 8 *q.* 4.*§. Contra istam solutionē*. X. Igitur aut Doctor non sibi cohæret, aut aliqua præmissarum est falsa. Resp. concessa maiore, negando minorem, corpus quippe constituitur in esse corporis per formam corporeitatis ex 4.*d.* 11 *q.* 3. Anima verò constituit corpus in esse animati. Cùm autē corpus vniuersè sumptum diuidatur in animatum, & inanimatum vt in suas differentias proximas, fit vt prædicatio illa sit denominatiua, & accidentalis, quia est prædicatio differentiæ de genere actu, & formaliter suas differētias non includente, vt optimè probat Scotus 1.*post.q.* 20. Obid, hæc non est essentialis *corpus est animatum*: illa verò maximè, & in 1. modo dicēdi per se *homo est animatus*, quia anima est pars essētialis cōstitutiua ipsiusmet hominis.

14. Opp. 3. Doctrina communis Scotistarum est, quatuor duntaxat numerari prædicationes, nempè formalem, identicam, denominatiuam, & essentialem, vt videre licet apud Sirectum, Vallonē, Bruliferum, Mauritium, aliosque Formalistas *Tract. Formalitatum*. Igitur diuisio in prædicationem per se, & per accidēs, non est idonea, & conformis Scholæ Scoticæ. Resp. concesso ant. negando consequentiam. Siquidem prædicatio formalis comprehendit prædicationem per se: & prædicatio denominatiua continet prædicationem per accidēs: tametsi, vt non segniter obseruat Bruliser, vtraque à Philosophis nonnūquàm promiscuè vsurpetur.

15. Dices, prædicatio essētialis à prædicatione primi modi per se non differt. Ergo non sūt quatuor prædicationum genera. Ant. patet, quia prædicatio essentialis est, per quā exprimitur idētitas essentialis prædicati cū subiecto: sed per prædicationem primi modi per se exprimitur huiusmodi identitas: ergo, &c. Dico prædicationem essentialem quarto loco positā Diuinis tantùm cōpetere, vt rectè aduertit Magister Formalitatū *art.* 3. *partiali Tractatus prænominati*, in qua significātur consubstantialitas, & origo vnius personæ ab alia persona, vt *Filius est de essentia Patris*, hoc est Filius originatur à Patre, estque ei consubstantialis. Essentialis verò, quæ & quidditatiua, & formalis primi modi dicēdi per se nominatur, tam creatis, quàm increatis aptatur. Restat nunc agendum de subiectione, quæ est submissio vnius sub alio extremo: verùm cum subiectio, & prædicatio sint correlatiua, quorum vno cognito, & cognoscitur & aliud, secundum Aristotelem *l. prædicamentorum c. De ad Aliquid*. obid habita iam notitia de prædicatione, facili negotio cognoscitur subiectio, nihilque aliud dignum scitu de ipsa subiectione addendum esse indico, quod ex dictis commodè colligi non possit.

ARTICVLVS III.

De Suppositione.

16. SVppositio vt deduci videtur ex Arist. 1. *Elench.* c. 1. & Sco. *s.d.* 11. *primi q. vn.* §. *Ad* 3. est positio, seu acceptio termini, quæ diuiditur in materialē, quæ est acceptio termini pro seipso, vt *homo est nomē*: & formalē, quæ est vsus termini pro re significata: hinc vocatur præcipuè suppositio, propterea quod substituitur loco rei per terminum significatæ, vt *homo* supponitur, siue subrogatur pro habente humanitatem. Sicut enim vulgo vtimur calculis æneis ad supputandum pro nūmis aureis; sic adhibemus terminos ad res significādas, vt indicat Aristoteles vbi suprà. & subiungit Scotus *q.* 51. *Elenchorum*. §. *Pro solutione*, inquiens, *terminum pro alio ponere*. A suppositione materiali ad formalem non valet argumentum, vt *homo est vox dissyllaba: sed Ludouicus est homo: ergo Ludouicus est vox dissyllaba*. Suppositio formalis subdiuiditur in impropriam, & propriam.

Impropria est vsus termini pro re impropriè sumpta, sic Christus Dominus Apoc. 5. vocatur *Leo de tribu Iuda*. Propria est vsus termini pro suo proprio significato, ita capitur Leo Prouerb. 30. cùm dicitur, *Leo*

est bestiarum fortissimus. Rursus propria scinditur in communem, quæ est vsus termini communis, vt *Ens*, & discretam, seu singularem, quæ est vsus termini singularis, vt *Franciscus*. Iterùm suppositio communis in simplicem, & personalem, cuius meminit Doctor *in* 1.*d*.21 *q.vn.§. Ad* 1.& *q*.13.*prædicamentali*. Simplex est vsus termini pro suo immediato significato, vt *homo est species*, vbi *homo* sumitur præcisè pro habente humanitatem, quatenus præscindit ab omnibus suis indiuidui. Suppositio personalis est vsus termini pro suo mediato significato, vt *homo deambulat*, vbi *homo* sumitur prò aliquo indiuiduo naturæ humanæ. A suppositione autem simplici ad personalem non valet argumentum, vt exemplificat Scotus *q*. 16. *Vniuersalium* scilicet, *animal est genus, sed homo est animal, ergo homo est genus*. Denique suppositio subsecatur in distributiuam, collectiuam, determinatam, & confusam. Distributiua, quæ & copulatiua nuncupatur describitur à Doctore *q*.14.*Elench*. acceptio termini communis pro quolibet eius supposito, cuius quodlibet est ipsum, hoc est vt tangit idē Doctor *q*.1.*Prol.§. In ista q. videtur*, ante A. suppositio distributiua est vsus termini communis pro suis mediatis significatis seorsum sumptis, vt *homo est risibilis* sic distribuitur. *Petrus est risibilis*, *Paulus est risibilis*, & sic de reliquis naturæ humanæ indiuiduis. Hæc autem suppositio tribus modis potest contingere. 1. Si terminus genericus supponatur pro omnibus speciebus, & indiuiduis ipsarum specierum, & appellatur suppositio pro singulis generum, vt *animal est sensitiuum*, quod accipitur nedum pro omnibus speciebus animalis, verum etiam pro singulis animalibus, vt *homo est sensitiuus, & Leo est sensitiuus*: itemque *hic homo est sensitiuus, & hic Leo est sensitiuus*: pariter cætera indiuidua, & species animalis. 2. si terminus genericus supponatur tātum pro speciebus, & vocatur suppositio pro generibus singulorum, vt *omne animal fuit in arca Noë*, idest omnis species animalis fuit in arca Noë, non autem quodlibet eius indiuiduum, alioquin indiuidua, quæ modò existunt, fuissent in arca Noë, quod apertissimè est falsum, & ridiculum. 3. si terminus vniuersalis supponatur pro multis singularibus, sed non pro omnibus, & ista nominatur suppositio accommoda: sic distribuitur propositio Sancti Pauli 1. ad Timot. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*: id est, omnes, qui salui fient, vt innuit Scot. *in* 1.*d*.46. *§. Ad* 1. *argumentum* B. Similiter illud Psalmi 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum*, id est in præcipuas mundi oras. A non distributo verò ad distributum, nullum est argumentum, vt non sequitur, *Omnis homo est animal, ergo omne animal est homo*, quia animal in antecedente non distribuitur, veluti distribuitur in consequente. Suppositio collectiua est vsus termini communi pro multis aggregatim acceptis, vt *omnes Apostoli Domini sunt duodecim*, id est Petrus, Andreas, & omnes alij simul sunt duodecim. Hanc memorat Doctor subtilis *primo Priorum q*.4.*§. Oppositum*. & 2.*d*.2.*q*.9.*§. Ad argumenta*. I.

17. Suppositio determinata, quæ & disiunctiua vocatur, est vsus termini cōmunis pro suis inferioribus disiunctiuè numerandis, coniungendo integras propositiones: vt *omnis homo est iustus, Ioannes est iustus, vel Ludouicus est iustus*. Hanc tangere videtur Scot. *q*. 10. *Elench.§ Ad primam q*. Suppositio confusa, quæ & disiuncta perhibetur, est vsus termini communis pro suis inferioribus disiunctè recensendis, coniungendo terminos duntaxat, vt *ad videndum necessarius est oculus*: vbi *oculus* supponitur pro aliquo oculo, siue dexter siue finister sit. & In hoc hæc posterior præcipuè differt ab illa priori, quia illa determinatè, hæc verò indifferenter vnum, aut alterum supponit. Vtramque suppositionem refert Doctor *in* 1.*d*.3.*q*.3.*§. Contra istam vniuocationem*. S.

18. Aduersus hanc communem doctrinam, noui, recentesque veniunt, nominatim Hurtadus *disp*. 1. *Summularum sect*. 6. & Arriaga *ibid*. Nominales imitantes, (vt obseruant Mastrius, & Belluttus 1.*p. Inst. Tract*. 1 *in fine c*. 10.) qui affirmant suppositionem esse positionem vocis loco conceptus ad ipsummet conceptū manifestandum. Verùm horum opinio nec probanda, nec recipienda est; primùm aduersatur Aristoteli præcitato in principio huius art. qui nos vti nominibus pro rebus apertè tradit, & suppositioné esse rei subrogationé planè edisserit. Deinde nomina inuenta sunt ad significandum, quod loquens intendit audienti significare, vt deducitur ex 1 *d*.22.*q.vn.§. Potest dici*, ante A. sed loquens enititur significare audienti res ipsas, & non conceptus, vt alibi monstrabo: ergo suppositio non conceptus, sed rei est substitutio. Hinc Arriaga non videtur loqui consequenter; ait enim ibi cum Hurtado, suppositionem esse conceptus subrogationem: *disp. verò* 13. *sect*. 2. subiungit voces potissimùm esse rerum, non verò conceptuum significatiuas, siquidem vox *homo*, v.g. non supponitur pro conceptu hominis, sed pro habente humanitatem, solúmque vox manifestat conceptum; secùs si nomen *homo* subrogaretur loco conceptus hominis, & vox *albus* loco conceptus albi, hæc propositio foret falsa, *homo est albus*, quia conceptus hominis non est conceptus albi, & econtrà. Adde, quod pro eis substituuntur vocabula, de quibus disputamus, & differimus; atqui non disputamus de conceptibus, sed de rebus. Iterùm, docente Aristotele 1. *Perih.c*.1. voces sunt signa cōceptuum: ergo haud sunt eorum suppositiones: significatio quippe & suppositio inter se differunt, vt pariter notat Hurtadus præallegatus. Vnde ruunt, quæ accumulat idem Author, ea quippe tantùm probant voces esse quidem signa manifestatiua conceptuum, non verò suppositiua vt ipse contédit. Deinceps partitio suppositionis in propriam, & in impropriam clarè patefacit intentum nostrum, vtraque enim supponitur pro re, vt exemplis præadductis propè initium huius articuli fuit ostensum. Insuper, idem Hurtadus *sect*. 3. *in fine* §. 16. inquit suppositionem personalem sumi à persona, penes ea, quæ in illa sunt: ergo per Hurtadum suppositio absolutè non est subrogatio conceptus mentalis. Atque Arriaga *num*. 46. subdit Petrum significare entitatem à parte rei: ergò secundùm ipsum Arriag. suppositio non est substitutio conceptus mentalis.

19. Opp. 1. cum Hurtado *cit. sect*. 3.§.14. & 15. in ista propositione, *Petrus est indiuiduum subijcibile*, vox *Petrus* supponitur simpliciter: & in alia *Petrus currit*, nomen *Petrus* supponitur personaliter: sed vtraque habet idem immediatum significatum: ergo discrimen suppositionis simplicis à personali non petitur penes immediatum, & mediatum significatum. Min. probatur esse indiuiduum subiicibile non competit Petro secundum suam personam, seu vt alij inquiunt, à parte rei, sed per intellectus operam. Negatur maior, quæ ab illo non probatur, semper enim Petrus supponitur personaliter, sortiturque semper mediatum significatum duntaxat, vt ingenuè fatetur Arriaga *disp*. 1. *Summularum sect*. 6. *num*. 46.

20. Opp. 2. Nullum est significatum commune, immediatum, & proximum, cum omnia sint singularia, & vniuersalia tantùm fiant opere intellectus: ergo aliunde depromenda est distinctio suppositionis in simplicem & personalem, quàm ex significato immediato, & mediato. Negatur ant. in nostris enim Logicis qq. l. 2. q. 1. clarè, & abundè ostendimus dari naturas reales, nullo intellectu cogitante.

ARTICVLVS IV.

De ascensu, & descensu terminorum

21. VT suppositio, eiusque species magis conspicuæ fiant, præsertim quatuor postremæ enarratæ antecedente art. placet nobis inuestigare quid, & quæ

quotuplex sit ascensus, & descensus terminorum. Ascensus autem vniuersè sumptus describitur ab inferioribus ad superiora gradatio, vt cum ab imis ad fastigia ædificiorum conscenditur: descensus verò est à superioribus ad inferiora progressio, vt cum à culmine domus ad eius imum fundamentum descenditur. Vterque metaphoricè applicatur terminis, potestque ascensus terminorum definiri à terminis particularibus sufficienter enumeratis ad terminum vniuersalem progressio, siue etiam à minus vniuersalibus ad magis vniuersalem, vt *Petrus & Andreas, & reliqui simul sunt duodecim Apostoli Domini*, rectèque deducitur; omnes Apostoli Domini sunt duodecim. Quod tangit Scot. *in 2. d. 3. q. 9. §. Ad argumenta.* I. Descensus verò, quem memorat Doctor q. 13. *Prædicamentalis*, §. *Sed tunc videtur, versu contrà* describitur à termino communi, siue vniuersali ad particulares processio, vt *omnis homo est risibilis*: ergo *Paulus est risibilis, & Ioannes est risibilis*, & sic de reliquis. Iuxtà autem quadruplicem suppositionem, quadruplex quoque statuitur descensus, videlicet copulatiuus, copulatus, disiunctiuus, & disiunctus. Descensus copulatiuus est, quo à communi ad particulares propositiones simul numerandas mediâ particulâ copulatiuâ progredimur, vt omnis homo est sensitiuus, sic efficitur descensus distributiuus, Petrus est sensitiuus, & Andreas est sensitiuus, & ita de aliis. Descensus copulatus est, quo à termino communi ad singulos terminos simul recensendos procedimus per particulam copulatiuam, vt omnia prædicamenta sunt decem, sic copulatè descenditur, substantia, & quantitas, & qualitas, & reliqua simul capta sunt decem. Descensus disiunctiuus est, quo fit transitus à communi ad particulares propositiones numerandas per particulam disiunctiuam determinando earum subiecta, vt omnis homo est iustus, sic descenditur disiunctiuè, Ioannes est iustus, vel Franciscus est iustus, vel Antonius est iustus, & sic de cæteris. Descensus disiunctus est, cum à termino communi ad particulares confusè referendos fit gradus per particulam disiunctiuam, vt ad equitandum necessarius est equus; sic disiunctè descenditur, hic, vel ille equus est necessarius ad equitandum, & ita deinceps. Quòd autem de numero quadripartito descensus dixi, suo modo de ascensu est affirmandum, cum à terminis inter se oppositis incipiant, & desinant, oppositorum verò eadem sit ratio, & disciplina, vt cum communi Philosophorum placito scribit Aristoteles 4. *Met. c. 2.*

22. Opp. 1. A communi termino descendimus ad terminos particulares, vt constat ex descriptione descensus præallata, & termini communes distribuuntur pro omnibus suis inferioribus: ergo cum Deus, & quidquid de Deo enunciatur, contineatur sub ente, infertur omnia Dei propria prædicata posse à nobis naturaliter cognosci: quod negat Scot. q. 1. *Prologi*. Respondetur ex Doctore nunc allegato §. *Ad* 1. antè V. id esse verum de terminis subiecti communibus, non verò de terminis propriis desumptis ex propriis, vt acutè ibi ostendit Scotus, & nos fusè *in Summa Theologica tract. 1. disp. 1.* prosecuti sumus.

23. Opp. 2. De quolibet vera est affirmatio, vel negatio ex 4. *Met. c.* 4. Ergo licet descendere sub prædicato, & subiecto vniuersalis affirmatiuæ propositionis, quod inficiatur Doctor præallegatus. Resp. concesso ant. distinguendo consequens, sub prædicato supponente suppositione determinatâ, concedo: sub prædicato supponente suppositione confusâ, nego: non enim sequitur de quouis contradictorio, altera pars est vera, ergo hæc pars est vera; sed tantùm sequitur, hæc, aut illa pars est vera, vt liquet ex suppositione confusa explicata in præcedente art.

ARTICVLVS V.

De Statu, & Distractione.

24. STatus est vsus termini pro tempore significato per verbum, vt tangit Scot. 1. *Perih. q. 9. versu Ad oppositum*, idque accidit, cum verbum pro vna differentia temporis vsurpatur duntaxat. Triplex autem numeratur status, penes tres differentias temporis, nempe præteriti præsentis, & futuri. Primus status habetur de præsenti tempore, vt liquet in hac propositione, *homo discit*, vbi *discit* solùm pro hominibus nunc existentibus accipitur. 2. Status est de tempore præterito, vt *homo didicit*, vbi verbum *didicit*, pro eis tantùm qui elapso tempore disciplinæ operam dabant, vsurpatur. 3. Est de tempore futuro, vt *homo discet*, vbi *discet* capitur pro eis tantùm, qui imposterùm ad disciplinam incumbent. Hos tres status, & differentias temporis recitat Scot. 1. *Perih. q. 11. §. Ad quartum, versu Ad 2. propositionem*. Et in initio eiusdem §. inquiens, *terminum communem in quauis propositione siue de præsenti, siue de præterito siue de futuro, supponere pro quibuscumque suppositis, siue existentibus, siue non existentibus.* Ad seruandum autem statum necesse est, verbum teneat suæ suppositionis statum, secùs verò si aliquid addatur, tunc enim aut distractio, aut aliæ terminorum affectiones infrà explicandæ proficiscuntur. Prætereà, locum quoque habet status in appositis, dummodò ea solùm intelligantur, quæ prodeunt ex actione per verbum significata, vt *lignum comburitur*, vbi verbum *comburitur* de solo ligno combustionem patiente capitur. Quòd si aliter contingat, non valet status, vt Philosophus disserit de rebus naturalibus, vbi accipiendæ non sunt res naturales pro eis tantùm quæ nunc existunt, sed pro omnibus absolutè, nullâ temporis differentiâ interueniente, vt indicat Doctor vbi suprà. Denuò aduerte, omne subiectum propositionis affirmatiuæ, & præsentis temporis, cuius prædicatum nequit subiecto competere, nisi suppositâ ipsiusmet subiecti existentiâ habere statum præsentis temporis, cuius meminit Doctor *q. vlt. primi Perih.* vt *omnis homo est sanus*, vbi verbum dictæ propositionis accipitur tantùm pro hominibus existentibus, qui soli possunt sanitate frui: at si prædicatum existentiam subiecti non supponat; non status sed distractio, quæ statui opponitur, efficitur. Est autem distractio vsus termini pro alio tempore significato per verbum, vt Matt. 11. *Cæci vident, surdi audiunt*, &c. In his namque fit distractio, quia sensus est harum propositionum. qui erant cæci vident, & qui erant surdi audiunt, & sic de reliquis. Vt patet Rom. 4. *qui iustificat impium*. Vbi Aug. ait, *qui de impio pium facit*. Nonnihil de distrahente determinatione scribunt Doctor *in 1. d. 36. q. vn. §. Contra istud* E. & *in 3. d. 22. q. vn. §. Ad 1. principale*. R *in fine*. & Antonius Trombeta *Tract. formalitatum parte 3. folio 47.*

25. Oppones, status est acceptatio termini pro tempore significato per verbum: sed distractio pariter est acceptio termini pro tempore significato per verbum: ergo status, & distractio ab inuicem non discriminantur. Maior patet ex definitione status. Minor suadetur persistendo in exemplis præallatis ad explicandam distractionem, putà *cæci vident, surdi audiunt*. In his quippe significatur differentia temporis præsentis, vt verba *vident, & audiunt* denotant. Resp. concessa maiore, negando min. ad eius probationem dico, hos terminos *cæci, & surdi* non sumi pro eo tempore, quo per verba eorum consignificantur, quandoquidem illi accipiuntur pro tempore præterito, verba autem præfata tempus præsens designant.

ARTICVLVS VI.

De ampliatione, & reſtrictione.

26. AMpliatio, vt inſinuat Scot. *in 2. d. 1. q. 9.* ſub I. eſt extenſio termini ad plures temporis differentias. Quadruplex autem refertur ampliatio, prima habetur de tempore præſenti, & præterito, vt *diſſerens deambulat*, ampliatur participium *diſſerens*, & ſenſus eſt, qui diſſerit, vel diſſerebat, deambulat. 2. De præterito, & futuro, vt *viuens morietur*, ſic ampliatur viuens, nimirum, qui viuit, vel viuet, morietur. 3. De præterito, præſente, & futuro, vt *natus morietur*, hoc eſt qui natus eſt, aut naſcitur, aut naſcetur, morietur. 4. De præterito, præſente, futuro, & poſſibili, vt *homo eſt animal*, hoc eſt, homo qui fuit, eſt, erit, vel poſſibilis eſt, eſt animal. Plura de his ſubtiliter diſputat Doctor 1. *Priorum q. 17. §. Quantum ad 3. & §. Quantum ad 4. & in eodem opere q. 16.* Hurtadus *ſect. 8. diſp. 2. Summularum*, ſcribit moc eſſe ampliatione vtendum, quando termini propoſitionis ſignificant res incompoſſibiles pro tẽpore ſignifi ato per verbũ, vt *iuſtus peccauit*, in qua propoſitione non habetur hic ſenſus, purà iuſtus vt iuſtus peccauit, quia ſimul tempore in eodem homine nequit iuſtitia manere cum peccato: ſed ſenſus eſt, ille qui eſt iuſtus, peccauit. Verùm iſtud præterquamquod opponitur torrenti Summuliſtarum, veritati mihi non videtur conſentaneum. Siquidem vera ampliatio ad plura tempora funditur, vt patet *ex 1. d. 2. q. 9. in initio articuli iſtius citato*, quàm copulæ veritas poſtulet: at ſecundum Hurtadum copula ad vnum, & prædicatum ad aliud laxatur: ergo Hurtadi diſcurſus veritate non pollet. Rurſus, eo admiſſo, non ampliatio, ſed potiùs mutatio, & variatio euenit, fit enim tranſitus ab vno ad alium ſenſum, poteſtque committi ſophiſma à ſenſu diuiſo, ad ſenſum compoſitum, vt pariter aduertit ipſemet Hurtadus §. 48. *loci cit.* Iterum reſtrictio opponitur ampliationi, vt communiter docent Summuliſtæ: at per ipſummet Hurt. reſtrictio eſt à maiori ad minorem ſignificationem coanguſtatio. Ergo ab oppoſito, ampliatio eſt à minore ad maiorem ſignificationem penes plures temporis differentias dilatatio; ſicque reſtrictio cohibet, & ampliatio dilatat termini ſignificatum.

27. Reſtrictio, quam memorat Scotus *in fine q. 16. primi Priorum* deſcribitur termini coarctatio, & multis modis effici valet. 1. per additionem adiectiui, vt *vir Doctus à multis honoratur*. 2. per appoſitionem aduerbij, vt *Scotus ſubtiliter diſputat*. 3. per dictionem latiorem ad minùs latam, minúſve communem, vt *Apoſtolus Paulus & vrbs Roma*. 4. per caſus obliquos, vt *hic eſt Adoleſcens bonæ indolis*. De reſtrictione duo recenſentur canones, quorum primus eſt, terminus reſtrictus ſupponit pro modulo reſtringentis, vt *vir prudens multa mala vitat*, vbi dictio *prudens*, quæ eſt reſtringens illis tantum adaptatur, qui prudentia fulgent, pro eiſque ſupponit duntaxat. 2. ſi verbum contingentem nexum deſignat, tantum pro eis erit ſuppoſitio, quibus ſignificatio poteſt competere, vt *homo albus deambulat*, vbi deambulatio eis tantùm, qui albedine afficiuntur, accommodatur: Quod ſi verbum neceſſariam connexionem ſubiecti cum prædicato præſeferat, nedum pro præſentibus, verumetiam pro præteritis, futuris, & poſſibilibus erit ſuppoſitio, & ampliatio, vt ſuprà dicebam. A termino autem non reſtricto ad reſtrictum affirmatiuè tenet argumentum, vt *homo eſt mortalis: ergo. homo iuſtus eſt mortalis*, à termino etiam reſtricto ad non reſtrictum negatiuè valet argumentum, vt *homo prudens non temerè loquitur: ergo non omnis homo loquitur temerè*.

A reſtrictione vehementer non videntur diſcrepare alienatio, & diminutio. Definitur namque alienatio vſus termini à propria ad impropriam ſignificationem, vt *homo pictus venditur*, vbi homo per additionem vocis pictus transfertur à ſignificatione hominis viui ad ſignificationem hominis picti, qui ex Ariſtotele *l. Categoriarum c. 1* Scoto *ibid.* eſt æquiuocè homo. In terminis autem alienatis ab vno ad alium terminum non tenet conſequentia, vt *homo eſt pictus: ergo eſt homo*, quia homo abſolutè prolatus ſupponit pro vero homine. Diminutio eſt vſus termini, appoſitâ voce ſecundum quid, hoc eſt diminutio eſt acceptio termini, qui ex ſe quidem abſolutè ſupponitur; at per additionem alterius vocis ſupponitur ſecundum quid, vt *Æthyops eſt albus ſecundum dentes*. Huius meminit Scot. *q. 51. Elench. & in 2. d. 36. q. vn. §. Contrà illud obijcitur.* In terminis autem diminutis, ab vno ad alium terminum non valet conſequentia, vt *Æthyops eſt albus ſecundum dentes: ergo Æthyops eſt albus.* Itemque non valet conſequentia, *eſt hic homo mortuus ergo eſt homo*: pariter ſubiungit Scotus *citatus in 1. ſub 1.* non tenet conſequentia, *Homerus eſt in opinione: ergo Homerus eſt*. Idque etiam docuerat Boëtius *in lib. Perih.* inquiens, *non ſequitur Homerus Poeta eſt; ergo Homerus eſt*: vt quoque aduertit Doctor *ad finem q. 23. Perih.*

28. Oppones, propoſitio neceſſaria præſcindit ab omni differentia temporis, vt *omnis homo eſt rationalis*: ergo in ea nulla extat ampliatio, atque adeo tollitur 4. ampliatio recenſita in principio huius artis. Antecedens patet, quia propoſitio neceſſaria dicitur ſempiternæ veritatis, propterea quod inter ſubiectum & prædicatum eius interuenit nexus indiſſolubilis, vt dicemus *in noſtris qq l. 4. q. art. 5.* Reſp. quidem propoſitionem neceſſariam non præſupponi pro aliqua determinata temporis differentia, nihilominus dici poteſt ampliari ad omne tempus etiam poſſibile, quatenus vera eſt tam de eis, qui extiterunt, exiſtunt, & exiſtent, quam de eis, qui poſſibiles ſunt, vt exiſtant: quod tradit Scotus 1. *Priorum q. 16. §. Notandum igitur.*

ARTICVLVS VII.

De appellatione.

29. APpellatio eſt, per quam vna vox aliam vocem denominat, ſiue appellatio eſt applicatio vocis ſignificati ad alterius ſignificatum: cuius exemplum affert Doctor ſubtilis 1. *Perih. q. 11. ante §. Ad quartum* purà, *Petrus eſt bonus Citharedus*, vbi vox *bonus* non cadit ſuprà Petrum, ſed ſuprà citharedum ſignificatque Petrum rectè callere artem citharizandi, veluti illi, qui referuntur Apoc. 14. *Citharizantes in citharis ſuis.* Nomina autem adiectiua, & participia appellant, hoc eſt, ſunt termini appellatiui: ſubſtantiua verò, & his affinia appellantur, hoc eſt, ſunt termini appellati. Terminus verò appellatiuus decerpitur penes ſignificatum formale, & terminus appellatus nonnunquam capitur penes materiale ſignificatum: propterea duplex ſtatuitur appellatio, vna penes ſignificatum formale, quæ accidit, quando vnus terminus denominat formale ſignificatum alterius, vt *homo eſt ſapiens*: altera verò penes ſignificatum materiale, quando nimirum vnus terminus denominat materiale ſignificatum alterius, vt *Muſicus eſt ædificator*, in hac propoſitione deſignatur ſubiectum materiale Muſicæ eſſe quoque artis ædificatoriæ. In dignoſcenda autem appellatione iudiciũ, & vſus magnopere iuuant. Quod ſi nomina numeralia ſubſtantiuis adiungantur, materiale ſignificatum appellant; hinc in diuinis Pater, & Filius non dicuntur duo ſpiratores, ſed vnus ſpirator, propterea quod vnum tantum eſt formale ſignificatũ eorum, nẽpe vna virtus ſpirandi tantum in ambobus:

Verum

Verum si eadem vocabula numeralia adiectiuis apponantur, materiale significatum appellant, qua de causa Pater, & Filius nuncupantur duo spirantes, & tres diuinæ Personæ perhibentur tres creantes. Hoc totum acutiùs, & explicatiùs cæteris Scholasticis docet Scotus *in 1.d.12.q.1.§.Iuxta q.istam.X & in Reportatis primi eadem dist.q.1.§.Ad quæstionem dico.* Quandocumq; in aliqua locutione extant adiectiua, cum sint dependétia, vnumq; dependens nequeat terminare dependentiam alterius dependentis, terminantur ad aliquod independens, puta substantiuum, quod penes ea denominatur. Sicut enim à parte rei vltimatè accidens postulat aliquod subiectum, cui inhæreat, & quod denominet, vt quantitas quantum, & qualitas quale: ita & in locutione adiectiuum quod est dependens terminatur ad substantiuum, quod est independens: quod si fuerint duo adiectiua, cum sint dependentia, neutrum terminat dependentiam alterius. Ideò, quando dicimus esse duos spirantes, tam duo, quàm spirantes adiectiua sunt, quæ petunt substantiuum, quod terminet eorum dependentiam, & significationem per se, aut in supposito: sicque nominantur duo supposita spirantia, & duæ personæ spirantes. At non vocantur duo spiratores, quia duo est adiectiuum, & spirator substantiuum, poniturque dualitas circa significatum spiratoris principale quod est principium spirandi, & significatur in Patre, Filioque multiplicari virtutem spirandi, quod est falsum, & erroneum.

30. Opponés, Pater, & Filius sunt duo spirantes: ergo sunt duo spiratores. Antecedens patet ex mox concessis, consequentia probatur, singulare infert singulare: valet enim, *est spirans, ergo est spirator*: pariter plurale infert plurale, atqueadeò cum concedantur duo spirantes, concedendi vtique sunt duo spiratores. Resp. concesso antecedente, negando consequentiam, id enim sequitur quando significatum formale in vtroque plurificatur, vt *sunt duo homines: ergo sunt duo animalia*, secùs verò non valet, vt *sunt tres Personæ diuinæ: ergo sunt tres Dij*, vt optimè animaduertit Doctor *in Reportatis præallegatis §. Ad rationem di ein fine*. Pluraque de his scripsi *in Tract. de Deo Trino, disp. vltima, de Spiritu sancto.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Vniuersalibus.

1. AD simplicium terminorum tractationem spectát vniuersalia, siue prædicabilia, quæ accuratè expenduntur à Porphyrio in sua Isagoge, recensens secundas intentiones prædicamentales, propterea quod ad librum prædicamentorum Aristotelis eam parauit, & direxit, vt rectè aduertit Antonius Trombeta *in aureo suo Tract. Formalitatum, art. 1. principali folio 9. pagina 1.* Cùm autem tractatus incomplexorum terminorum in duobus libris exprimatur, quorum vnus de quinque vniuersalibus: alter verò de decem prædicamentis disserit, vt impigrè obseruat Franciscus Titelmanus *in præfatione libri primi Dialectica Considerationis*: ideò libet eos sigillatim in hisce duabus postremis quæstionibus examinare.

ARTICVLVS I.

Quid sit Commune, & Vniuersale.

2. QVid sit commune, quidue vniuersale, & vtriusque discrimen liquidò constat ex dictis *art. 8. q. 2.* Assero autem impræsentiarum duas vniuersalis definitiones, quarum prior legitur *1. Per. c. 5.* vniuersale est vnum aptum prædicari de multis, vt *homo respectu Petri, & Pauli aliorumque indiuiduorum natura humanæ* posterior verò habetur *7. Met. c. 15. t. 45.* vniuersale est vnum aptum inesse multis. Primum vocatur vniuersale Logicum: secundum verò vniuersale Metaphysicum nuncupatur: & vtrumque sub vna definitione videtur indicare Arist. 1 *Post. c. 8. Tex. 63.* vniuersale est vnum in multis, & de multis non æquiuocum. Tres autem conditiones exposcit vniuersale, quarum prima est, vt vniuersale sit vnum hoc est vniuocum, vt à ratione ipsius vniuersalis excludatur æquiuocum, vt tradit Philosophus *loco proxime citato.* 2. vt sit aptum prædicari de multis, non enim necesse est, ea de quibus prædicatur ipsum vniuersale actu existant, sed sufficit vt possint existere, nec eis existentia repugnet. 3. vt ea, de quibus vniuersale prædicatur, sint plura in ratione significata per nomen vniuersale, deque iis simul captis ipsummet vniuersale efferri valeat in numero plurali, vt *Petrus & Paulus sunt homines*: ob id Deus non est vniuersale, quia etsi idem Deus prædicetur de tribus Personis, Pater enim est Deus, Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus, nihilominus de iisdem Personis in plurali prædicari nequit; falsum quippe est dicere, tres Personæ sunt Dij, & verum est, tres Personæ sunt Deus, vt non minus eruditè, quàm eleganter ostendit Pet. Galatinus *ex sacris paginis l. 1. de Arcanis fidei Catholicæ c. 2.* post Scotum *in Reportatis præallegatis in fine art. 7. quæstionis antecedentis.* Et Aug. *in Psal. 68 in enarr. 1. partis, & tract. 39 in Ioan.*

3. Opponés, Definitio est vniuersalium ex Aristotele *7. Met. c. 6.* & Scoto *ibid. & in 4. d. 1. q. 2. §. Hic primò B.* sed æquiuocorum habetur definitio, vt patet *in libro prædicamentorum c. 5.* Ergo æquiuoca sunt vniuersalia, atqueadeò nulla est conditio prima vniuersalis. Resp. concessa majore distinguendo min. penes nomen, concedo; penes nomen, & rationem, nego. Solum namque propriè definiuntur, quæ sortiuntur idem nomen, eamdemque rationem, siue quæ sunt per se vnum, vt ait Doctor citatus *A. ex Aristotele etiam allegato c. 3. Tex. 16.* & planius fiet *l. 2. art. de definitione*; iamque patuit *q. 2. art. 5. oppositione 2.* Hic autem de indiuiduo, quod vniuersali opponi videtur, non dissero, ea enim, quæ loco mox recensito scripsi, satis esse videntur ad nostram Epitomen & institutum.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit vniuersale.

4. VNiuersale amplissimè captum vulgò à Dialecticis secatur in complexum quod est propositio signo vniuersali affecta, de qua disputat Scot. *1. Priorum q. 4.* vt *omne animal est sensitiuũ*, & in incóplexum, quod est vnum quid ad multa pertinens: hocque quintuplex ab eisdem Dialecticis nuncupatum à Mauritio Hyberno in expositione vniuersalium Scoti *q. 4.* & Sarbano *ibid q. 2. pag. 49.* constituitur, videlicet vniuersale in causando, repræsentando, significando, essendo, & prædicando. Vniuersale in causando describitur, quod multorum effectuum est causa, vt *Deus, & Sol.* Vniuersale in repræsentando, quod multa repræsentat, vt idea domus in mente artificis multas domos construendas ipsimet artifici repræsentat. Vniuersale in significando, quod multa significat, vt Cometa plerumque nobis multa aduersa præmonstrat. Vniuersalia verò in essendo, & prædicando sunt ea ipsa, quæ descripsi in præcedente art. Illud ad Metaphysicum, istud verò ad Logicum spectat: quinarioque numero comprehenduntur, puta genus, species, differentia, propriũ, & accidens, desumpto ex quintuplici modo prædicandi, vt scribit Doctor *q. 12. Vniuersalium, §. Propter istas tres rationes.* Quidquid enim prædicatur, aut prædicatur in quid, aut in quale: si in quid, aut per modũ Partis, & est genus, aut per modũ totius, & est species:

ſi in quale, aut in quale quid, ſeu eſſentiale, & eſt differentia, aut in quale accidentale, idque dupliciter, aut in quale reciprocum, & eſt proprium, aut in quale non reciprocum, & eſt accidens.

5. Oppones, Deus qui dicitur vniuerſale in cauſando eſt ſingularis, vt liquet ex dictis, ante oppoſitionem ſuperioris art. pariter Sol, qui etiam vniuerſale in cauſando nuncupatur, eſt vnus numero: ergo inepta eſt diuiſio vniuerſalis in prænarrata mēbra, cum eis vniuerſalis definitio minimè congruat. Reſp. vniuerſale distributum in vniuerſale in cauſando, aliaque præcenſita eſſe æquiuoca: ideoque mirum non eſt ſi vniuerſale in cauſando ſolum nomen vniuerſalis participet, atque à propria vniuerſalis ratione expungatur, vt rectè probat argumentum: quodque de vniuerſali in repræſentando, & ſignificando etiam aſtruendum eſſe videtur.

ARTICVLVS III.

De Genere.

6. INter vniuerſalia primùm ſeſe offert genus, vtpote cæteris communius, latiuſque patens, & à quo reliqua vniuerſalia pendere videntur, tanquā à capite membra corporis. Generis autem acceptiones tres numerātur à Porph. *in Iſagoge c. de Genere*, & quatuor ab Ariſtotele 5. *Met. c.* 28. *Tex.* 33. ſed in illis tribus iſte quatuor comprehenduntur propter affinitatem vnius cum altero, quod alibi fortaſſe examinabo. Nunc verò affero generis ſumptiones à Porph. traditas. Prima eſt pro collectione, ſiue multitudine aliquorum quodammodo ſe habentium ad vnum, & ad ſe inuicem per quemdam modum cognationis, aut côterraneïtatis, vt genus Hebræorum, quod Abrahamum reſpicit, iuxtà illud Act. 13. *filij genus Abraham*, & ibid. c. 17. *Fecitque ex vno omne genus hominum*: & communiter affertur genus Romanorum, quod ad Romulum refertur. 2. Pro principio cuiuſcumque generationis, ſiue illud principium ſit productiuum, ſiue conſeruatiuum, ſic Adam perhibetur genus hominū, & Gallia genus Gallorum. 3. Pro eo, cui ſubduntur ſpecies, vt ſubſtātia eſt genus, cuius ſpecies ſunt corpus, & ſpiritus. Duæ priores generis vſurpationes pertinent ad Poëtas, ſic canit Virgilius, *inferretque Deus latio genus vnde Latinum*: & Hiſtoricos, vt Leuit. 23 *Qui de genere eſt Iſrael*. Num. 13. *Vidimus mōſtra quadā filiorū Enoch de genere giganteo.* Similiter Plinius inquit de viris illuſtribus. *Pyrrus Rex Epirotarū materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus.* Et Oratores, vt Cicer. 2. De natura Deorum. *Licet enim contrahere vniuerſitatem generis humani.* Poſtrema verò ad Philoſophos ſpectat, ab eiſq; diuiditur genus in Logicum, Phyſicum, & Metaphyſicū, vt inſinuat Doctor q. 7. *prædicamentali*, §. *Ad quæſtionem dicendum*, & clarè docet Tatar. *c. de ſubſtantia*, *Scibili* 2. quem ſequitur Sarnanus q. 1. *vniuerſalium pag.* 11. Genus Phyſicum eſt materia trāſmutabilis, vt ibi notat idem Sarnanus *in fine pagina* 11. Ideò, quæ ſunt ad inuicem tranſmutabilia, dicuntur eſſe eiuſdem generis Phyſici; quæ verò materiæ ſūt expertia, genere diſtinguuntur, ſecundū illud Philoſophi 10. *Met. c.* 13. *Tex.* 26. corruptibile, & incorruptibile differunt pluſquam genere, id eſt Phyſico, vt rectè eum locum interpretatur Scot. *in* 4. *d.* 6. *q.* 10. *M.* Genus Metaphyſicum eſt vnum aptum ineſſe multis differentibus ſpecie, vt patet ex Doctore 7. *Met.* q. 18. & Orbello *ibid. c.* 7. Noſque enucleabimus, cum de vniuerſali generatim ſumpto agemus in noſtris quæſtionibus *l.* 1. *q.* 1. *art.* 6. Genus autem Logicum eſt, quod prædicatur de multis ſpecie differentibus in quid, vt corpus prædicatur in quid de corpore animato & inanimato. Quæ verò differunt genere Phyſico, ſubeſſe queunt eidem generi Logico, & Metaphyſico, vt nuper ex Scoto monebam. Iterùm ex eodem Doctore *q.* 24. *primi Poſt.* genus ſcinditur in ſupremum, ſubalternum, & infimum. Genus ſupremum eſt, quod ſupra ſe non habet aliud genus, ſiue quod ita eſt genus, vt nequeat eſſe ſpecies, cuiuſmodi ſunt ſubſtantia, quantitas, & alia ſumma genera. Subalternum eſt, quod reſpectu ſuperioris, vel ſuperiorum eſt ſpecies: reſpectu verò inferiorum eſt genus, vt corpus, quatenus reſpicit ſubſtantiam, eſt ſpecies: quatenus verò reſpicit animatum, & inanimatum eſt genus. Infimum eſt, cui ſubeſſe nequit aliud genus, vt animal. Deinde ex ipſomet Scoto proximè citato, & *in* 4. *d.* 11. *q.* 3. §. *Ad rationes ergo.* CC. genus diſtribuitur in remotum, ſeu mediatum, & proximum, ſeu immediatum. Remotum eſt quod ab eis, de quibus enunciatur, diſtat, vt ſubſtantia reſpectu hominis, inter quæ interponuntur multa. Proximum verò, quod immediatè de aliquibus prædicatur, vt ſubſtantia de corpore, & ſpiritu: quæ omnia palàm intueri licet in Arbore Porphyrij.

7. Oppones, vt diſtincta habeantur genera, neceſſe eſt vna multitudo hominum diſtinguatur ab alia multitudine, per ordinem ad vnum principium, vt genus Gallorum à genere Hiſpanorum: atqui nonnulla denominantur genera, quæ talem diſtinctionem non ſortiuntur, vt patet Geneſis 9. *Ab his diſſeminatum eſt genus hominum.* Et Act. 17. *Nos Dei genus ſumus*, & paſſim tota ſpecies hominis appellatur genus humanum. Non ergo genus aptè ſuprà videtur eſſe deſcriptum. Reſp. alias eſſe generis acceptiones, quas ſuperiùs referre ad rem noſtram non iudicaui eſſe neceſſarium, quandoq; enim genus ſumitur pro qualitate aliqua, ſic Danielis 3. legitur. *Vniuerſi generis Muſicorum.* Et primæ Corint. 12. *Alij genera linguarum*: quandoque verò pro diuerſis ſpeciebus, vt conſtat ex illo Eccleſiaſtici 43. *Varia beſtiarum genera.* Et Matth. 13. *Ex omni genere piſcium congreganti.* Quare licet maior ſit vera in aliquibus, non tamen in omnibus, vt probatur in minore; ac proinde ad genus latè ſumptum diſtinguendum, ſufficit nonnulla ſimul capta in vno quodam principio eſſentiali, aut accidentali conuenire, & à quouis alio differre eſſentialiter, vel accidentaliter, vt authoritates, & exempla prænominata euidenter demonſtrant.

ARTICVLVS IV.

De Specie.

8. SPeciem multis vſurpari modis Vorrilonius *in* 1. *d.* 31. Pelbartus *Tomo.* 1. *Roſarij verbo ſpecies*, & Mauritius q. 18. *Vniuerſalium* ſcriptis reliquerunt poſt Scot. 7. *Met. in cap.* 10. *&* *T.* 33. Primò autem capitur ſpecies Grammaticè, quæ eſt quidam modus ſignificandi accidentalis nominis, quo pacto ſpecies diuiditur in primitiuam, & deriuatiuam, docente Authore Grammaticæ ſpeculatiuæ *c.* 7. Secundò Phyſicè, & eſt ſimilitudo rei cognitæ in cognoſcente, quæ diſtribuitur in ſenſibilem, & intelligibilem, cuius meminere Ariſtoteles 3. *de anima* *Tex.* 18. inquiens, *non lapis, ſed ſpecies lapidis eſt in anima.* Et Scotus *in* 1. *d.* 3. *q.* 6. *A.* *&* *in* 4. *d.* 45. *q.* 3. & alibi frequenter. Aut ſumitur pro decore, & pulchritudine, notante eodem Doctore q. 36. *prædicamentali* §. *Quod forma habeat.* Et 2. *d.* 40. *q. vn.* §. *De* 1. *dico.* & inſinuatur in ſacris Paginis, Sapientiæ 5. *A magnitudine ſpeciei poterat Creator horum videri.* Aut pro forma quæ eſt pars compoſiti, vt patet 5. *Met.* & obſeruaui *in Phyſica q. de forma.* Aut pro rei apparentia, iuxtà illud 2. Timoth. 3. *Erunt homines habētes quidem ſpeciem pietatis.* 3. Theologicè pro diuina eſſentia, vt notaui *in ſuperiori q. art.* 6. *in reſponſione*

sione primæ oppositionis, quo in sensu loquitur Ecclesia in Oratione Epiphaniæ Domini *Vsque ad contẽplandam speciẽ tuæ celsitudinis perducamur*; idque palam docent Magister *in* 1.*d*.29.& antè ipsum S. Damascenus *l.Sententiarum*, affirmantes diuinam essentiam esse speciem trium Personarum. Aut pro accidẽte sensibili Sacramẽtum aliquod repræsentante, sic accidẽtia Eucharistiæ dicuntur species Sacramentales, sub quibus designatur vera, & realis præsentia corporis Christi, vt liquet apud Scot. *in* 4. *d.* 10.*q*.1.4. Logicè pro eo, quod ponitur sub certo, & determinato genere, & de specie sic sumpta loquũtur Porph. & cæteri Dialectici in præsenti. Diuiditur species in speciem subalternam, quæ & intericcta vocatur, & infimam, quæ & athoma nuncupatur, vt videre est apud Doctorem.*q*.21. *Vniuersalium*, §.*Dicendum*.& 2.*d*.3.q.3.§.*Contrà istud, antè B*. Illa est, quæ quatenus respicit superius dicitur species, vt corpus respectu substantiæ: quatenus verò respicit inferiora perhibetur genus, veluti corpus respectu animati, & inanimati. Hæc verò ita est species, vt genus haud esse valeat, quæue definitur id quod prædicatur de multis differentibus numero in quid, vt homo prædicatur de Petro, Paulo, & reliquis naturæ humanæ indiuiduis, quæ solo numero inter se dissident.

9 Vt verò pateat series generum, specierum, & indiuiduorum, siue principium, medium, & finis totius ædificij categoriæ substantiæ, & pari modo cuiuscumque alterius generis supremi, libet in medium adducere Arborem Porphyrij, quæ est huiusmodi.

Substantia

Corporea. *Incorporea.*

Corpus.

Animatum. *Inanimatum.*

Animatum.

Sensibile. *Insensibile.*

Animal.

Rationale. *Irrationale.*

Homo.

Petrus. *Andreas.* *Paulus.*

ARTICVLVS V.

De Differentia.

10. Differentia vniuersè sumpta describi potest id, per quod vnum ab alio distinguitur, siue vt loquitur Mauritius insignis Scotista in exiguo Tractatu Formalitatum, differentia est alietas extremorum, siue ratio differendi, quâ scilicet vnum ab alio differt, quo pacto differẽtia, & distinctio indiscriminatim accipiũtur, & quæ vberè, & acutè scribunt Scotus, & Scotistæ de distinctione, idipsum de differentia astruendum esse videtur, potissimùm in creatis. Porphyrius autẽ in præsenti, quem sequitur Doctor subtilis *q*.13.*Vniuersalium*, partitur differentiam in communem, propriam, & maximè propriam. Cõmunis est, qua vnum differt ab alio per accidens separabile, vt Petrus sedens differt à Paulo stante per sessionem, quæ dicitur accidens commune, ab eoque separabile. Propria est, quâ vnũ ab alio dissidet per accidẽs inseparabile, vt coruus differt à Cygno per nigredinem, quæ est accidens ab eo inseparabile. Maximè propria est, quâ nonnulla abinuicem differũt essentialiter, vt Homo essentialiter dissidet à Bruto per rationalitatem, quæ est eius differentia essentialis. Duæ priores sunt differentiæ accidentales, dicunturque facere alium, essentiam, & substantiam rei nec constituẽtes, nec distinguentes: postrema verò est substantialis, & essẽtialis, diciturque facere aliud. Ob id cum tres diuinæ Personæ eadem numero essentia potiãtur, personaliter quidem, non tamen essentialiter distinguuntur, rectè enim dicimus in diuinis Patrẽ esse alium à Filio in masculino, non tamẽ esse aliud à Filio in neutro genere, notante Aug. *tract.* 37. *in Ioan & ibid. tract.* 45. ob causam præassignatam, nimirùm quia differentia quæ facit aliud est essentialis, qualis non exat inter diuina supposita. Duplici autem munere fungitur differẽtia essentialis, hoc est diuidit genus, & cõstituit speciẽ. Hinc oritur distributio differentiæ in diuisiuam, & constitutiuã, quæ licet vna prorsus sit, nihilominus propter duplicem respectum, quem ad genus, & speciẽ sortitur, duplex perhibetur: quippè quæ vt diuidit genus vocatur diuisiua, vt verò constituit speciẽ nuncupatur cõstitutiua, vt rationale est differẽtia animalis diuisiua, estque hominis differentia constitutiua. Genus autem supremum habet quidem differentiam diuisiuam, non tamen constitutiuam: species verò infima constitutiua, sed non differentia diuisiua fruitur: genus autem intermedium, seu species subalterna vtraque tam diuisiua, quàm constitutiua potitur, vt animal habet differentiã constitutiuam, quæ est sensitiuum, & differentiã diuisiuam, quæ est rationale, aut irrationale. Ex hoc habetur diuisio differentiæ in genericam, vti est sensitiuum, & specificam, vt rationale: atque omnes huiusmodi differentiæ sunt essẽtiales quidditatiuæ, & formales, vt non obscurè significat Scotus *in* 4.*d*.12.*q*. 3.§. *Alij concedentes, sub duplici CC*. Reliquæ autẽ differentiæ indiuiduales, per quas indiuidua in esse indiuiduali constituuntur, quæ à Scotistis heccæitates appellãtur, dicuntur differentiæ materiales, quia sicut materia est ignobilior forma; sic differentiæ indiuiduales nobilitate vincuntur à prænominatis formis quidditatiuis, & formalibus. Porrò differentia trifariàm à Porphyrio describitur. Primò, differentia est, qua species abundat à genere, quod est dictu, differentia est id, quo species superat suum genus, vt homo per rationalitatem, quæ est ipsius differentia excedit animal, quod est eius genus; homo quippe constat rationalitate, qua non constat animal. 2. Differentia est, quæ distinguit species, quæ sub eodem genere comprehenduntur, vt abundè in superioribus fuit explanatum. 3. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid. Hæc autem vltima definitio est Logica, solique differentiæ genericæ accõmodatur. Possumus autem cum Scoto *q*. 27. *Vniuersalium* tradere differẽtiæ descriptionem, genericæ, & specificæ differentiæ congruentem, vtpotè, differentia est id quod prædicatur de pluribus in quale quid. Cur autem Porphyrius tantum assignauerit definitionem differentiæ genericæ, causa reddi potest, quia ex definitione differentiæ genericæ commodè elici poterat definitio differentiæ specificæ, ac etiam vtrique communem, vt præstitit Doctor subtilis præcitatus: quemadmodum ex eis, quæ prius dixerat de Vniuersalibus, colligi queunt definitiones proprij, & accidentis, vt sunt quartum, & quintum vniuersale Logicum, quas tamen non adduxit. Aut fortè vt inquit Zabarella *in Cõmmentariis* 1. *Post. Tex.* 70. Præcipua differentiæ consideratio non ad Logicum, sed ad Metaphysicum spectat, vt videre licet *libro* 7. *Metaphysicæ*.

11. Oppones 1. Bona diuisio est bimembris, propterea quod fit per opposita, quorum vnum alteri, & non duobus opponi debet potissimùm, vt claret de elemen-

tis, eorumque qualitatibus: sed præfata diuisio differentiæ in communem, propriam, & maximè propriam est tripartita; ergo non est idonea. Resp. cum Scoto q. 23. *Vniuersalium*, maiorem valere formaliter, aut reductiuè, ea autem diuisio ad bimembrem reducitur sic, differētia alia est maximè propria, alia verò non, & hæc postmodum subsecatur in propriaam, & communem.

12. Oppones 2. Lex bonæ diuisionis est, vt vnum eius membrum aliud haud comprehendat, quia inter se opponuntur: sed prænarratæ diuisionis vna differentia comprehēdit aliam, putà maximè propria continet propriam & communem, quæ enim differunt essētialiter, vtique differunt accidentaliter: siquidem à quidditate proprietates, & accidentia profluunt, penes quæ habentur differentiæ propriæ, & communes. Resp. ex eodem vbi suprà, concessā maiore, distinguendo minorem: si enim vna earum differentiarum sumatur absque præcisione, concedo: in quo námque extat differentia essentialis, pariter adsunt reliquæ differentiæ, vt benè infertur per argumentum. Quod si accipiatur cum præcisione, nego: sic enim vna non includit aliam differentiam: quoniam quod distinguitur ab alio differentia maximè propria, per ipsammet differentiam maximè propriam non distinguitur differentia propria, & communi: sed penes accidens, quod habet proprium distinguitur differentia propria, & penes accidens commune distinguitur differentia communi: atqueadeò vnum & idem ab alio dissidere valet præfatis tribus differentiis, secundum distinctas entitates.

ARTICVLVS VI.

De Proprio.

13. PRoprium quandoque sumitur prout opponitur improprio, quo pacto homo propriè significat hominem viuum, impropriè verò, & æquiuocè hominem pictum, vt patet apud Aristotelem *in initio libri Prædicamentorum c. 1.* & Scoto *ibidem q. 5.* Quandoque autem accipitur proprium, quatenus opponitur communi, vt liquet ex illo primi Top. *c. 4. Nemo proprium alicuius rei dicit, quod alteri conuenire potest.* Sic vsurpatur quoque 2. Paralip. 6. *De propria substātia offeram holocausta.* Matth. 25. *Vnicuique secūdum propriā virtutē* Et apud Cic. in Cato maior. *Ad id quidem proprium senectutis est vitium, sed communo valetudinis.* Et recensetur à Doctore *q. 30. Vniuersalium* § *Ad quæstionem* Nonnunquam verò pro Dominio alicuius rei, quo in sensu capitur à Iurisperitis differentibus de proprietate, & vsufructu inter se oppositis. Atque luculenter indicatur à Doctore *in 1. d. 15. q. 2. §. Per idem patet. B.* Proprietarius tantùm dicitur ille, qui in habendo rem nullo modo dependet ab alio: vsuarius autem, qui in vtendo re dependet ab alio, non est propriè proprietarius. Notat autem ex nostris Aluarus Pelagius *l. 2. de planctu Ecclesiæ art. 36.* propter iniquitatem ius Imperatorium fuisse introductum, quo homines dicunt hoc meum, & illud tuum, ne in iudicio contendunt, vt habetur C. Iure. Et ante pariter aduerterat S. Ioannes Chrysostomus Tomo 1. suorum operum, oratione de S. Philogonio. *In cælo non erit frigidum illud verbum meum, & tuum.* Philosophi autem loquuntur de proprio, quatenus est passio, siue aptitudo naturalis promanans ab essentia rei, nominatim Scotus *in 1. d. 16. q. vn. & q. 30. Vniuersalium*, & indè post Aristotelem 4. *Top.* & Porphyrium *in Isagoge c. 4.* aientes esse quatuor modos proprij. Primò namque proprium sumitur pro eo, quod conuenit soli, sed non omni, vt esse Grammaticum competit soli homini, sed non omni, quia non omnis homo est Grammaticus. 2. Quod conuenit omni, sed non soli, vt esse bipedem conuenit quidem omni homini, sed non soli, quia aues quoque sunt bipedes. 3. Quod conuenit omni, & soli, sed non semper, vt canescere competit omni, & soli homini, non tamen semper, sed in senectute duntaxat ei accidit: quamuis enim aliqua animalia videantur canescere, nihilominus propriè non canescunt, sed grisescunt, vt astruunt Maior *c. de proprio. Notabili 1.* & Tataretus *ibid. Scibili 1.* Quartò, quod conuenit omni homini, & semper, vt risibilitas, quæ omni homini, soli homini, & semper ipsi homini competit. Et hoc appellatur verè proprium quarto modo, quod cum eo, cuius est proprium reciprocatur, vt *omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo.* Logicè autem proprium vt est quartum prædicabile describi potest, vnum aptum prædicari de multis in quale conuertibiliter, vt risibile prædicatur de hoc, & illo homine cæterisque indiuiduis naturæ humanæ, vt scribit Doctor *q. 30. Vniuersalium. §. Ad q.*

14. Oppones 2. Aristoteles 1. *Top. c. 1.* tres tantum modos proprij recenset, videlicet proprium per se, proprium per accidens, & proprium aliquando. Ergo quartus modus proprij additus à Porph. in doctrina Philosophi est superuacaneus. Resp. etsi Aristoteles loco allegato tantum tres modos proprij memorauerit, non tamen negasse quartum modum, quem 5. *Top.* expressit, vbi enumerat omnes quatuor modos sub aliis verbis, à Porphyrio traditos, putà proprium per se, per accidens, ad aliud, & aliquando.

15. Oppones 2. Secundus modus proprij non participat naturam ipsiusmet proprij; quod enim multis est cōmune, neqoaquam est proprium, vt suprà manifestatū. Non ergo rectè diuiditur proprium in quatuor modos prænominatos. Necesse enim est mēbra diuidentia sortiri naturam diuisi, vt petit lex bonæ diuisionis. Rep. ad antecedens, secundum modum participare naturam proprij non simpliciter, & per se, quatenus abstrahit à proprio simpliciter, & secundum quid, siue à proprio per se, & per accidens. Ideò negatur consequentia.

16. Oppones 3. Non omnis homo semper ridet, fertur enim Christum Dominum nunquam risisse: Heraclitum omnia fleuisse, & Democritum omnia risisse: atque Zoroastem natum esse ridentem, vt narrat Author Theatri mundi: pariter non omnis homo est disciplinæ capax, vt patet de pueris, & morionibus. Ergo inepta est descriptio proprij præallata. Resp. concesso ant. negando consequentiam: etiam proprij descriptio non penes actum, sed penes aptitudinem decerpitur, vt optimè docet Scotus *q. 33. Vniuersalium §. Ad q. & Quol. 11. §. De primò*, antè C. inquiens hanc propositionem esse necessariam, & in 2. modo dicendi per se *homo est risibilis*: illam verò esse contingentem *homo ridet.* Hoc ipsum quoque dicendum est ad id, quod subijcitur de disciplinabilitate, cuius actus impeditur ob carentiam vsus rationis, aut organorum indispositionem, vt probat adducta instantia.

ARTICVLVS VII.

De Accidente.

17. ACcidens *ex Doctore q. 34. Vniuersalium* multas patitur acceptiones, tres potiores ego seligo, & rei nostræ congruentiores. Primò namque accidens sumitur pro eo, quod rarò, seu casu euenit, quo pacto dicitur accidens fodienti vineam inuenire thesaurum. Huc pertinet illud Quintiliani, *Non moueri prosperis facile, non accidentibus frangi.* 2. Pro omni eo, quod non est de essentia alicuius, cuius meminere Aristoteles in Elenchis, & Scotus *ibid.* sicque vestis dicitur accidere homini vestito, indiuiduum speciei, & species generi: atque secundum hanc acceptionem accidens diuidi potest in accidens proprium, cuiusmodi est risibilitas

ſibilitas reſpectu hominis: & in accidens commune, vti eſt albedo reſpectu parietis. 3. Pro eo, quod accidentaliter, & contingenter alicui ſubiecto competit, de quo eſt ſermo impræſentiarum, deque ipſo traditur triplex d finitio à Porphyrio c. 6. *ſuæ introductionis.* Prima, accidens eſt, quod adeſt, & abeſt ſine ſubiecti corruptione. Accidens ſic deſcriptum diuiditur à Porph. *hoc in loco*, & Scoto q. 35. *Vniuerſalium*, & 2. *Poſt. q.* 4. 1. in ſeparabile vti eſt deambulatio hominis: & in inſeparabile, vt nigredo Æthyopis. 2. Accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe. 3. Accidens eſt, quod nec eſt genus, neque eſt ſpecies, neque differentia, neque proprium, ſemper autem eſt in ſubiecto. Addi poteſt quarta, quæ eſt propria huic loco, putà accidens eſt vnum aptum prædicari de multis in quale non conuertibiliter, vt albedo de lacte, ſaccharo, & pariete. Prior deſcriptio eſt celebrior, & explicatu difficilior, ideò à nobis accuratè eſt examinanda cum Scoto q. 31. *Vniuerſalium*, hâc potiſſimùm diſtinctione, abſentia, vel abſentia accidentis abſque initia, & corruptione ſubiecti bifariam intelligi poteſt, aut ſecundum rem, aut ſecundum rationem, experientia quippè comprobatur, quædam accidentia à ſubiecto ſegregari, abſque vlla eiuſdemmet ſubiecti læſione, vt de albedine reſpectu parietis dealbati manifeſtum eſt: quædam verò etſi cum ſubiecto ita ſunt connexa, vt ſeparari ab eo nequeant, tamen per intellectum ſeparari, & abſtrahi valent abſque ipſiuſmet ſubiecti interitu. Siquidem cum accidens non ingrediatur ſubiecti eſſentiam, abſque illo intelligi poteſt, integra eius eſſentia remanente, ſiue enim nigredinem cum coruo iunctam, ſiue nigredinem à coruo abiunctam conſideres, nihil ponis, aut demis ab eius eſſentia, nec aliquid ei repugnans admittis. Quod proprio adaptari nequit: nam licet ipſum proprium intelligi queat, abſtractione præciſiua ſine ſubiecto, à quo emanat: non tamen abſtractione diuiſiua, neque cum eius oppoſito, proptereà quod ab ipſius eſſentia neceſſariò, & naturaliter effluit. Verùm accidens abſque ſubiecto vtraque prærecenſita abſtractione intelligi poteſt, immò cum eius oppoſito, illæſo ipſomet ſubiecto perſiſtente.

18. Oppones 1. Porphyrius præcitatus affirmat quædam accidentia eſſe inſeparabilia à ſubiectis, quibus inhærent, vt patet de nigredine Æthyopis, quæ ab eo ſine eius corruptione, & deſtructione ſeiungi nequit. Ergo definitio accidentis præaddicta non eſt accommodata. Reſp. per diſtinctionem antecedentis, quædam accidentia ſunt inſeparabilia realiter concedo: ratione, nego: hæc diſtinctio ſatis ſuperque manet explanata ex animaduerſis paulò ante iſtam oppoſitionem.

19. Oppones 2. Definitio adæquari debet definito: ſed illa accidentis definitio non adæquatur definito, hoc eſt ipſi accidenti: ergo non eſt probè tradita. Maior eſt nota: minor probatur, mors animalis, & combuſtio domus ſunt accidentia, quæ eſſe nequeunt abſque ſuorum ſubiectorum pernicie. Conceſſa maiore, neganda eſt minor, ad eius probationem dico ea eſſe accidentia priuatiua: definitionem verò prærecenſitam intelligendam eſſe de accidentibus poſitiuis, quorum propriè datur definitio, vt præclarè aduertit Doctor *in* 4. d. 12. q. 2. §. *Hic primò* C.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

QVÆSTIO QVARTA.

De Prædicamentis.

1. DE prædicamentis profundè, & doctè agunt Ariſtoteles tum in Logica *l. Categoriarum*, tum in Met. *l.* 5. *c.* 7. *Tex.* 14. & Scot. *ibid.* Noſque eadem pertractabimus, diuina ſuffragante gratia, principiò monentes præfatum librum Categoriarum diuidi in antepædicamenta, prædicamenta, & poſtprædicamenta, ſecundum quorum partitionem hæc noſtra inſtitutitur concertatio.

ARTICVLVS I.

De Antepredicamentis.

2. TRia numerantur Antepredicamenta, videlicet æquiuoca, vniuoca, quorum definitiones attuli *l.* 1. *q.* 1. *art.* 5. *huius epitomes*, & denominatiua, quorum memini *ibid. art.* 7. Rurſus duæ extant diuiſiones, & totidem regulæ antepædicamentales. Prima diuiſio eſt in incomplexa, ſeu ſimplicia, quæ nec veritate, nec falſitate pollent, vt homo, leo: & complexa, quæ veritatem, aut falſitatem ſubeunt, vt homo eſt animal, vocatur complexum verum: & homo eſt lapis, appellatur complexum falſum. Iſtam diuiſionem commemoraui *loco nunc citato art.* 4. & abundè ibidem explicaui. Diuiſio eſt in accidens, & ſubſtantiam. Subſtantia eſt ens per ſe, ſiue, vt ait Ariſtoteles 5. *Met. c.* 8. Subſtantia eſt ens non exiſtens in alio: accidens verò eſt ens in alio, vt infra explanabitur. Subſtantia ſcinditur in vniuerſalem, & ſingularem: itémque accidens in vniuerſale, & ſingulare. Subſtantiæ vniuerſales deſcribuntur ab Ariſtotele in præſenti, quæ dicuntur de ſubiecto (intellige de ſubiecto prædicationis) & in ſubiecto non ſunt (ſupple de ſubiecto inhæſionis) vt *homo dicitur de Petro*, qui eſt eius pars ſubiectiua, & quid eo inferius, & in ſubiecto non eſt, quia cum ſit ſubſtantia, in nullo ſubiecto inhæret. Subſtantiæ ſingulares nec dicuntur de ſubiecto, nec ſunt in ſubiecto, vt *Paulus non dicitur de ſubiecto*, cum non habeat aliquid ſub ſe inferius: ob id etiam vocatur indiuiduum, proptereà quod diuidi nequit in alia inferiora ſub ſe, nec eſt in ſubiecto, cum ſit ſubſtantia, quæ ex dictis eſt ens per ſe ſubſiſtens. Accidentia vniuerſalia definiuntur, quæ dicuntur de ſubiecto, & in ſubiecto ſunt, vt color prædicatur de hoc, & illo colorato: eſtque in ſubiecto, vtpote in pariete, aliiſue ſubiectis coloratis. Accidentia verò ſingularia deſcribuntur, quæ non dicuntur de ſubiecto, in ſubiecto tamen ſunt, vt hic color non perhibetur de ſubiecto, propter eamdem rationem, quam de ſubſtantiis ſingularibus tradidimus: nihilominùs eſt in ſubiecto, quia eſt ens in alio, puta in pomo, aut papyro. Dici autem de ſubiecto idem eſt, ac prædicari de ſubiecto, ſiue eſſentialiter, vt *homo eſt rationalis*: ſiue accidentaliter, vt *homo eſt flauus*.

3. Prior regula antepædicamentalis eſt, quidquid dicitur eſſentialiter de prædicato, dicitur quoq; de ſubiecto, vt bene interpretatur Scotus q. 9. *prædicamentali* §. *Ad quod dicendum*. Siue vt alij inquiunt, quidquid eſſentialiter prædicatur de ſuperiori, prædicatur etiam de inferiori, vt ſi de animali prædicatur ſenſitiuum, viuens, corpus, & ſubſtantia, ea ipſa omnia prædicata de homine, qui eſt quid ipſomet animali inferius aptè enunciantur: ſuperiora quippè prædicata eſſentialia in inferioribus includuntur, ac proinde de ipſis rectè prædicantur. Poſterior regula, quæ recitatur à Doctore *Quol.* 1. 7. 5. *De tertio ſub* F. & q. 10. *prædicamentali* eſt huiuſmodi, generum non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt differentiæ, ſpecies, & indiuidua, vt intueri licet in omni ſerie cuiuſlibet prædicamenti infrà ſuo loco adducenda.

4. Opp. 1. Quædam ſunt, quæ non ſunt ſubſtantiæ, nec accidentia: ergo inſufficiens, & inepta eſt diuiſio in accidens, & ſubſtantiam. Ant. maximè elucet in doctrina Scoti admittentis modos ſubſtantiales, & accidentales, necnon aliquitates, & proprietates, vt patet *Quol.* 1. *art.* 3. & *alibi*. Reſp. diſtinguendo ant. realiter nego: formaliter concedo. In Metaphyſica namque mõſtrę

monstrabitur aliquitates, & proprietates rerum identificari realiter cum naturis, quarum sunt passiones, & affectiones.

5. Opp. 2. Definitio propriè est entis positiui, vt docet Scotus *in 4. d. 1. q. 1. §. Hic primò. C.* sed Aristoteles hoc loco definit substantiā per negationem inquiens, *substantia est, quæ non est in subiecto*, & 5. Met. nuper citato, *substantia est ens non existens in alio*: ergo definitio substantiæ prææallata non est idonea. Concessâ maiore, ad minorem dico; per illam negationem in substantiæ definitione positam denotari ipsius substātiæ prædicatum positiuum, quod est ens per se subsistens. Vel dici potest, cum aliquid planè nobis non innotescit, vti est substantia, describi per negationem, sic apud Philosophos 7. *Met.* describitur materia prima, & apud Theologos, Deus, *in 1. Sententiarum*, quod à nobis non segniter fuit animaduersum *in Physica, q. de materia.*

ARTICVLVS II.

Quid, & quotuplex sit Prædicamentum

6. QVod Græci vocant κατηγορίαν, Latini prædicamentū appellant, à prædicatione enim ex primæua eius institutione deriuatur: ideò prædicamentum penès ethymologiam, idem est ac illud, *quod de aliquo prædicatur, cuius licet non vna sit acceptio*, vt notant Fonseca 5. *Met. c. 7. q. 1. sect. 1.* & Conimbr. *q. 2. in prædicamenta art. 1.* nihilominus crebrior vsurpatio extat apud Porph *c. de specie*, & Scot. *in 2. d. 3. q. 3. §. Contrà illud, ante B. & q. 4 §. Contrà istam conclusionem, post. D. versu. ex tertia via*, pro naturali coordinatione prædicatorum, & subiectorum alicuius summi generis, & ita prædicamentum describi potest: *naturalis series summi generis, specierum subalternarum, infimarum, & indiuiduorum, quæ sub ipso sunt.* Idque aperte conspicitur in prædicamento substantiæ, aliorumque, quorum proprias classes suis in locis infrà construxi, & distinxi Quemadmodum enim in suprema Gallo-Prouinciæ rationū curia Illustrissimus dominus de Seguiran Protopræses meritissimus, bonarum artium lumine, præstantium scientiarū luce, atque insignium virtutum splendore nitet, & eminet, quem mirifico ordine subsequuntur cæteri amplissimi Præsides, & Senatores morum integritate, doctrinâ, & sapientiâ clarissimi: ita in vnoquoque prædicamento datur summum genus, sub quo ordinantur, & disponuntur reliqua genera subalterna, species, & indiuidua ad illud pertinentia.

7. Tres autem esse ordines in prædicamento præ aliis notat Tataretus *q. 1. prædicamentali, dubitatione 2.* puk. rectum, lateralē, & reductiuum: primum & tertium recenset Scot. *3. d. 22. q. vn. B.* & secundum ponit *1. Post. q. 24. §. Item si rationale.* In recto ordine, siue recta linea prædicamentali, & per se, resident genera, species, & indiuidua: in ordine indirecto, siue linea laterali suam sedem habent differentiæ diuisiuæ: in reductiuo verò collocātur partes essentiales Physicæ, nempè materia, & forma, partes integrantes, vt caput, pedes: modi rerum, vt existentia, acquisitio rei, & cætera huiusmodi, quæ nec in directa, nec in indirecta locum tenent. Decem autem ab Aristotele, Scoto, & cæteris Philosophis in præsenti numerantur prædicamēta, nempè, substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, vbi, quando, situs, & habitus, quæ subsequentibus verbis indicantur, *Aristoteles magnus, Princeps Philosophorum docet fatigatus sedēs hodie in schola coronatus.* Prima vox *Aristoteles* designat substantiam, 2. vox *magnus* quantitatem, & sic de cęteris consequenter, de quibus sigillatim est differendum.

8. Oppones, Aristoteles modò decem categorias, modò tres, modò sex, modò verò octo cōmemorat, vt ipsi obijcit Petrus Gassendus *l. 1 aduersus Aristoteleos exercitatione* 8. Quodque in aliorum obiectis insinuat Doctor. 1. *Post. q. 14. §. Item si rationale*, & *§. Contrà.* Ergo vel non sunt decem categoriæ, vel Aristoteles pugnantia inuoluit: Resp. concesso ant. negatur consequentia, siquidē Philosophus in propriis locis allegatis *in initio huius q.* nec plura, nec pauciora, quam decē affert prædicamenta, quod si alibi præfatum numerum non retinet, id fortassè accidit, quia res de qua disserebat, non efflagitabat, solúmque eorum meminit, quæ ad rem de qua disputabat, faciebant: veluti in Topicis nunc tria, nunc verò duo vniuersalia pertractat tametsi secundum opinionem eius, & reliquorum communem, quinque vniuersalia concedantur.

ARTICVLVS III.

De Substantia

9. SVbstantia multifariam accipitur *ex 5. Met. c. 8. Tex. 14.* primò, pro fundamento cuiuslibet rei, sic superficies dicitur esse substantia albedinis, quia in ea fundatur, & subiectatur, & Fides ab Apostolo Hebræorum 11. citato à Doctore *in 3. d. 31. q. vn. §. Respondeo A.* vocatur *substantia sperandarum rerum*, quia in ea fundatur Christiana Religio atque diuitiæ appellantur substantia hominis, vt Canticorum octauo, *Si dederit homo omnem substantiā domus suæ*, & Lucæ 15. *Dissipauit substantiam suam*: & meminit Aug. *in psal. 68. in enarr. 1. partis*: propterea quod ipsi subijciuntur pro necessitatibus sui corporis subleuandis. 2. pro essentia cuiuscumque rei, siue sit substantia, siue accidens, cui acceptioni fauet Aristoteles tum *loco allegato*, tum etiam *l. prædicamentorum c. 1.* vbi definiens vniuoca, inquit, *Vniuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum nomen est eadem: Et æquiuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum nomen est diuersa*: & innuit Aug. *l. de immortalitate animæ, c. 12.* Itaque cum eo in loco Philosophus loquatur de vniuocis, & æquiuocis, prout abstrahunt ab vniuocatione substantiæ & accidentis, perspicuum est ibi nomē substātiæ pro essentia cuiusque rei vsurpari. Eò magis, quia *in Met.* passu præadducto hāc expressè substantiæ sumptionē ponit, quam etiam innuit Scotus tum *ibi.* tum etiam *q. 5. & 6. prædicamentali, & in 2. d. 8. q. 5. §. Alij probant, ante 5.* Tertio, pro eo, quod est à se, ad se, & per se, veluti est solus Deus qui est suū esse, iuxta illud Exodi 3. *Qui est, misit me ad vos.* Solus quippè Deus habet esse per essentiam, cætera verò per participationē: ita sumpsemnt substantiam Aristoteles 21. *Met. Tex. 29.* & Doctor subtilis *Quol. 1.* Quartò, pro eo quod quidem est ad se, & per se, sed non à se, vt est omnis substantia creata, à summo genere categoriæ substantiæ, vsque ad indiuidua eiusdem met inclusiuè: de substantia sic capta disserunt Aristoteles *l. prædicamentorum c. 5.* & Scot. *ibid. q. 12. & inde, & in 2. ante citato.* Quintò pro eo, quod non est accidens, siue vt loquuntur nostri Formalistæ pro eo quod est in alio per informationem, cuiusmodi sunt partes substantiæ perfectæ, & compositæ essentiales, vt materia & forma, ac integrales, vt caput, & pedes: substantiam sic acceptam pertractant Aristoteles 1. *Phys. Tex. 52. & 8. Met. c. 1. Text. 3.* & Scotus *2. d. 12 q. 1. & 2.* Duplex autem substantiæ ethymologia tradi potest, vt aduertunt Isidorus *l. 2. Ethymologiarum.* Vortilong. *in 1. d. 5.* & Pelbartus *Tomo 1. Verbo substantia §. 1.* Vna a substando, quam adducunt Aristoteles *5. Met. c. 8.* & Scotus *2. d. 8. q. 5. §. Teneo opinionem meam. F.* Propterea quod substat accidentibus tanquam eorum fundamentum, & sine ipsa existere nequeunt. Hinc cum prima substantia substet omnibus accidentibus, iure à Philosopho vocatur maximè substantia: quoniam verò Deus ab

omni

omni accidentis receptione eſt alienus, vt poſt S. Aug. 7. *de Trin. c.* 5. ſcribit Scotus præallegatus, ideo non eſt propriè ſubſtantia, notio enim ſubſtantiæ ſic dictæ competit ſoli ſubſtantiæ creatæ, quæ accidentium eſt capax: altera à ſubſiſtendo, quia per ſe ſubſiſtit, vt perhibent S. Bonauentura *in* 1. *d.* 23. *q.* 2. & Scotiſtæ. *Tractatu Formalitatum*, & inſinuatur à Doctore *in Reportatis prim. d.* 26. *q.* 1. Et penes hanc nomenclaturam ſubſtantia tribuitur tam ſubſtantiæ creatæ, quam increatæ, quia vtraque per ſe ſubſiſtit.

10. Diuiditur autem ſubſtantia in primam, & ſecundam, ſeu in vniuerſalem, & ſingularem ex Ariſtotele *c. de ſubſtantia*, & Scoto *ibid. q.* 12. *& Quol.* 3. §. *Reſpondeo*, ante Q. Itemm in cæleſtem, & ſublunarem, & huiuſmodi, de quibus *infrà art.* 5.

11. Oppones, Si ſubſtantia per Ariſtotelem diſtribuitur in primam, & ſecundam: ergo à pari quantitas diuidenda eſt in primam, & ſecundam, itemque qualitas, & cætera prædicamenta: ſed ridicula eſt diuiſio quantitatis in primam, & ſecundam: ergo & diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam eſt inepta. Reſp. negádo ſubſumptum, datur enim quantitas vniuerſalis, & ſingularis, & hoc modo dici poteſt diuidi quantitatem in primam, & ſecundam: cur autem Ariſtoteles ita quantitatem non diſtribuerit, forte id præſtitit, quia prænominata ſubſtantiæ diuiſio petitur penes modos ſubſiſtendi per ſe, & ſubſtandi accidentibus, vt innuit Doctor *in fine q.* 12. *prædicamentalis*. Prima namque ſubſtantia primariò ſubſtat accidentibus, ſecunda verò ſecundariò duntaxat, ideo ſubiicit Ariſtoteles, *Corruptis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid remanere.*

ARTICVLVS IV.

De Proprietatibus Subſtantiæ

12. SEx ſubſtantiæ proprietates numerantur ab Ariſtotele capite de ſubſtantia, & præſupponuntur à noſtro Doctore ibid. quarum prima eſt non eſſe in ſubiecto: & hæc videtur eſſe proprietas ſubſtantiæ quarto modo, vt indicat Scotus *in* 3. *d.* 1. *art.* 3. *ſub D.* Conuenit quippe omni ſubſtantiæ tam primæ, quàm ſecundæ, tam completæ, quàm incompletæ, ſoli ſubſtantiæ, & ſemper, ſiue directe, ſiue indirecte reſideat in categoria, vt conſtat ex dictis in ſuperioribus, quidquid dicant Conimbr. *in commentario huiuſce capitis.*

Secunda proprietas eſt prædicari vniuocè, ſeu eodem nomine, & eadem ratione: iſta autem proprietas non primis, ſed ſecundis ſubſtantijs tantùm competit, vt homo vniuocè de ſuis indiuiduis prædicatur. Eadem paſſio adaptari videtur accidentibus vniuerſalibus, quæ licet denominatiuè enuncientur de ſubſtantia, in qua inhærent, nihilominus de ſuis inferioribus vniuocè, & eſſentialiter prædicantur, putà color de albedine, & nigredine, vtriuſque enim idem extat genus.

Tertia eſt ſignificare hoc aliquid, quæ tantùm primæ ſubſtantiæ congruit: ipſa namque propriè eſt hoc aliquid, ſeu indiuiduum, ſingulare, & vnum numero ſubſtantiale: at ſignificare quale quid competit ſecundæ ſubſtantiæ duntaxat. Siquidem ſecundæ ſubſtantiæ ſunt primarum quidditates. Quemadmodum autem forma accidentalis qualificat accidentaliter ſubiectum, in quo inhæret, ita forma eſſentialis, ſeu quidditas ſubſtantialis qualificat eſſentialiter primam ſubſtantiam, in qua reſidet. Quo autem ſenſu differentia ſubſtantialis habeat modum qualitatis explicat Doctor *in* 3. *nuper citato* adducens locum Philoſophi 5. *Met. Tex.* 19. *c.* 14.

Quarta, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, notante etiam Aug. *l. de immortalitate animæ*, *c.* 11. quod eſt dictu, vna ſubſtantia alteri ſubſtantiæ non aduerſatur, quæ enim propria oppoſitione contraria opponuntur, ſunt in ſubiecto, & viciſſim ab eodem ſubiecto ſe expellunt, vt calor, & frigus ab eadem aqua, in qua inhærent ſe mutuò propellunt, propter eorum repugnantiam, vt explicat Doctor 4. *Met. commentario Tex.* 9. *&* 27. *&* 37. *d* 1. *q.* 1. *infrà L.* At proprium eſſe ſubſtantiæ, non eſſe in ſubiecto, ſtatim in principio huius art. admonui.

Quinta, ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus, hoc eſt, ſubſtantia non intenditur, nec remittitur, non enim Paulus eſt magis homo nunc, quàm antè, itemque nec Paulus eſt magis homo, quàm Andreas. At vnus paries eſt magis albus quàm alter, propterea quod albedo, quæ eſt qualitas ſuſcipit magis, & minus. Num verò ſubſtantia ſuſcipiat gradus indiuiduales, vide Scotum 8. *Met. &* 1. *d.* 17. *q.* 3, & nos *in propria q. de hac re.*

Sexta, ſubſtantia ſuſcipit contraria, quæ poteſt intelligi de vna, eademque numero ſubſtantia, quæ ſucceſſu temporis mutatur per receptionem cõtrariorum. Idem quippe homo nonnunquam eſt ſanus, nonnunquam verò eſt æger: ſimiliter vnus, & idem paries modò eſt albus, modò verò eſt niger, vt patet ex Doctore *in* 4. *d.* 49. *q.* 13. §. *Reſpondeo* B. Et ſi autem quantitas recipiat contraria, vt ſuperficies, quæ dealbatur, aut denigratur, tamen diſcrimen extat inter ſuperficiem, & ſubſtantiam penès contrariorum ſuſceptionem, quia ſuperficies eſt eorum ſubiectum quo, ſubſtantia verò eſt eorumdem ſubiectum quod, & vltimatum, vt optimè docet Scotus *in* 4. *d.* 12. *q.* 2. §. *Ad quæſtionem.* H.

13. Oppones 1. Non eſſe in ſubiecto eſt eſſentia ſubſtantiæ: ergo non eſt eius proprietas. Ant. patet ex Ariſtotele c. 2. & 5. *libri Prædicamentorum*: conſequentia tenet, quia proprietas conſequitur rem, cuius eſt proprietas, vt ſcribit Doctor *in* 1. *d.* 8. *q.* 4. §. *Iſta tamen.* M. ab eaque promanat, idem autem reſpectu eiuſdem nequit eſſe cauſa, & effectus, ſiue per emanationem, ſiue per tranſmutationem. Reſp. diſtinguendo ant. non eſſe in ſubiecto bifariàm capi poteſt: vno modo pro ipſamet ſubſtantia, quæ nullam habet capacitatem inhærendi in ſubiecto, & concedo per non eſſe in ſubiecto denotari eſſentiam ſubſtantiæ: altero modo pro aptitudine per ſe exiſtendi, ſicque non eſſe in ſubiecto eſt ſubſtantiæ proprietas. Hæc diſtinctio patet à ſimili de ſenſitiuo, quod vt animaduerti *l.* 2. *de Anima*, dupliciter accipi poteſt, aut pro differentia eſſentiali conſtitutiua animalis, aut pro potentia ſentiendi eiuſdemmet animalis, quæ eſt eius facultas, & proprietas.

14. Oppones 2. Ariſtoteles *vbi ſuprà c.* 5. ſcribit ſubſtantiam primam eſſe magis ſubſtantiam, quam ſecundam, & paucis interiectis ſubiungit, ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus: ergo aut alterum eſt falſum: aut Ariſtoteles ſibi ipſi pugnat. Reſpondeo per diſtinctionem antecedentis: ſubſtantia prima eſt magis ſubſtantia, quàm ſecunda, quoad modum concedo; quia prima ſubſtantia cum plura includat, pluribus ſubſtat, quàm ſecunda ſubſtantia: quoad eſſentiam nego: ita ſoluitur apparens contradictio in dictis Philoſophi. Vel ſi manis in Schola Scoti, dicito ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus ſecundum eſſe ſpecificum: bene tamen ſecundum eſſe indiuiduale, vt patet apud Doctorem 8. *Met. quæſt.* 3. *& primo d.* 17. *quæſt.* 3.

15. Oppones 3. Eadem propoſitio de vera efficitur falſa, vt ſedente Petro, vera eſt iſta propoſitio, Petrus ſedet; eo verò ſtante, aut deambulante, eſt falſa: ſed veritas, & falſitas ſunt contraria: ergo ſuſcipere contraria non eſt proprietas ſolius ſubſtantiæ. Reſpondet Stagirita propoſitionem eſſe veram aut falſam non mutatione ſui, ſed mutatione obiecti duntaxat: verùm ſubſtantia ſuſcipit contraria mutatione exiſtente in ipſamet ſubſtantia; non autem in alio à ſe diſtincto. Vel dici poteſt ſecundum Scotum, veritatem, & falſitatem non eſſe propriè contraria, ſed relationes

lationes conformitatis, & difformitatis respectu obiecti, de quo efferuntur, vt patebit *l. 4 q. 4. art. 2.*

ARTICVLVS V.

In quo expenditur series Substantiae praedicamentalis.

16. Substantia praedicamentalis diuiditur in incorpoream, & corpoream, vt insinuat Aug. *l. 83. qq. q. 6.* Incorporea subdiuiditur in tres Hierarchias, & nouem Ordines, qui appellantur Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, & Angeli. Corporea secatur in inanimatam & animatam. Inanimata in simplicem, & mixtam. Simplex, aut est caelestis, & continet vndecim Caelos, putà caelum Empyreum, primum mobile, caelum aqueum, seu chrystallinum, caelum stellatum, caelum Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercorij, & Lunae. Aut est sublunaris, & comprehendit quatuor elementa, videlicet ignem, aërem, aquam, & terram. Mixta scinditur in imperfectè mixtam, & perfectè mixtam. Imperfectè mixta capit omnia meteorologica, quae sunt in duplici differentia, quaedam enim fiunt ex materia humida, seu ex vapore, vt nubes, pluuiae, nix, grando, pruina, ros, & glacies: quaedam verò constantur ex materia sicca, seu ex exhalatione, vt tonitrua, fulgura, fulmina, ventus, cometae, & id genus alia. Perfectè mixta comprehendit tria genera, vnum est lapidum, cuius sunt variae species, nempè marmor, cos, silex, saxum: alterum est metallorum, cuius species extant aurum, argentum, stannum, plumbum, aes, ferrum. Tertium verò est liquidorum, cuius species numerantur sulphur, bitumen, &c.

Animata vel est sentiens, aut non sentiens. Non sentiens multa genera sortitur, videlicet genus arborum, fructicum, plantarum, herbarum, & radicum. Sentiens aut est rationis expers, aut rationis compos: Rationis expers, aut est aërea, vt auis, aut aquatilis, vt piscis, aut terrestris, vt quadrupes. Rationis compos est homo, vt Petrus. Quod si cupias breuiorem lineam categoriae substantiae: *vide articulum 4. quaestionis tertiae.*

17. Oppones, Porphyrius *in ambitu praedicamenti substantiae C.* de specie collocat animal rationale tanquam genus hominis. Ergo substantia rationis particeps iterùm est diuidenda. Rep. concesso antecedente, negandam esse consequentiam: ratio est, quia Porphyrius cum Platone, cuius erat studiosus, existimauit Angelos esse animalia rationalia; ideò in eius sententia animal rationale ponitur genus, quod Fides orthodoxa non admittit, & nos fusè reiecimus *in Tractatu de Angelis disputatione prima.*

ARTICVLVS VI.

De Quantitate.

18. Quantitas bifariàm vsurpatur. Primò pro quantitate virtutis, seu perfectionis, quo pacto ex D. Aug. *6. Trin. c. 7.* scribunt Scot. *in 1. d. 17. q. 5. §. Supposito charitatem, sub TT. & d. 19 q. 1. §. De 1. B. & Quol. 6. §. Ad primum principale sub MM.* Bonetus *libello de quantitate in principio*, & Orbellus *4. Met. q. 2. In his, quae non mole magna sunt, hoc est maius esse quod melius esse:* Sic Deus in Sacris Litteris, praesertim Psal. 16. appellatur *Magnus*: & Lucae 1. de Christo legitur. *Hic erit magnus coram Domino.* Secundò pro quantitate molis: quae rebus corporeis duntaxat adaptatur, & de quantitate hoc modo sumpta loquuntur Philosophi impraesentiarum. Placet vulgata quantitatis descriptio, putà quantitas est ens per se extensum, seu positio partium extra partes, (affirmante doctore *in 4. d. 10. q. 1. art. 2.*) veluti superficies parietis. Quantitas autem ex Aristotele *c. 6. libri Praedicamentorum*, & Scoto *ibid. q. 16.* diuiditur in continuam, cuius partes communi termino copulantur: & discretam, cuius partes communi termino non copulantur, vt si fuerint duo binarij, nihil eis reperitur commune, quo ipsi adinuicem copulentur. Continua subdiuiditur in permanentem, & successiuā, permanens est, quae habet suas partes simul existentes, vt tabula. Successiua est, cuius partes continuè fluunt, vt hora. Permanentis tres extant species, nempè linea, superficies, & corpus. Linea est magnitudo longa dontaxat, cuius partes puncto copulantur. Superficies est magnitudo longa, & lata sine profunditate, cuius partes lineae copulantur. Corpus (vt hic accipitur) est trina dimensio, seu magnitudo longa, lata, & profunda, cuius partes superficiei copulantur. Successiua duabus potitur speciebus, quae sunt motus, & tēpus. Motus est actus entis in potentia, vt in potentia. Tempus verò est mensura motus secundum prius, & posterius, de quibus abundè in Physica. Discreta duas itidem continet species, putà numerū, & orationem. Numerus est vnitatum multitudo: & oratio est quantitas discreta in breui, aut longa prolatione syllabarum consistens, vt Franciscus disputat,

19. Tres autem ab Aristotele *eodem capite*, & Scoto *ibid. q. 24.* referuntur quantitatis proprietates. Prima, quantitati nihil est contrarium (intellige de contrarietate propriè dicta) vna quippè linea propriè alteri lineae non aduersatur. Secunda quantitas non suscipit magis, & minus; non enim magis est vnum bicubitum, quàm aliud bicubitū, quamuis vnū maius, seu extensius alio esse valeat. Tertia, penes quantitatē res dicuntur aequales aut inaequales: ea quippè vocantur aequalia, quorum vna est quantitas: & inequalia, quorum quantitas est diuersa, & haec perhibetur eius proprietas quarto modo. His addi possunt aliae quantitatis proprietates, nempè diuisibilitas, finitas, infinitas, & mensurabilitas, de quibus alibi proprius instituetur sermo.

20 Oppones 1. magnum & paruum, multum, & paucum, sursum, & deorsum inter se contrariantur, & sunt quantitates: ergo vna quantitas alteri quantitati aduersatur, atqueadeò quantitati aliquid est contrariū. Respondent Aristoteles citatus, & Scotus *q. 24. Praedicamentali §. Ad quaestionem dicendum, in solutione quinti*, ea non esse propriè contraria, de quibus nos loqui supra monuimus in relatione primae proprietatis, sed esse relatiua: dicitur enim mons magnus per comparationē montis parui, & sic de caeteris, vt satis declarāt praenominati Authores, & eleganter Titelmanus *l. 2. c. 30.*

21. Oppones 2. Qualitas suscipit magis & minus, vt tradit Aristoteles *c. de qualitate.* Ergo idem astruendum est de quantitate: consequētia probatur, vt enim qualitas, putà calor perhibetur maior, aut minor, vtique à fortiori quantitas v.g. tabula dicetur maior, aut minor: ac proinde haud inficiandum est quantitatem suscipere magis, & minus. Respondeo, concesso ant. negandam esse consequentiam, ad eius probationem dico quidem vnam quātitaté esse maiorem, aut minorē altera quātitate, non tamē esse magis, aut minus quantitatē; causa est, quia vt scribit Aristoteles *8. Met. & 1. de generatione.* magis, & minus praeferunt Intensionem, aut remissionem eiusdem formae in eodem subiecto, quod latè, & efficaciter probat Scotus *in 1. d. 17. q. 3.* Maius autem, & minus designant extensionem, aut restrictionem eiusdem formae in eodem subiecto, valet enim dicere, hic homo est maior altero homine, non verò hic homo est magis homo, quàm alter homo, quod in nostris quaestionibus de vniuersalibus liquidò constabit. Nunc verò solùm testatur, vt syllabum huiusce praedicamenti adduceamus, & distinctè subijciamus: quod praestant Maior in praesenti, & clarus Gadius Bononiensis *Quol. 7. folio 70. columna 3.*

ARTI

Series prædicamenti quantitatis.

Quantitas.

Continua. *Discreta.*

Continua.

Permanens. *Successiua.*

Permanens.

Linea. *Superficies, corpus.*

Linea.

Hæc linea. *Illa linea.*

ARTICVLVS VII.

De Qualitate.

22. ARistoteles 5. *Met.c.*4. agit de qualitate, *& l. Categoriarum* c. 8. describit qualitatem hoc modo: *Qualitas est, secundum quam quales quidam dicuntur.* Clarius secundum Scotistas præcipuos: *Qualitas est accidens absolutum determinans, seu qualificans subiectum in quo est, penes quam denominatur quale,* vt albedo est qualitas, penes quam paries denominatur albus: si quis enim flagitet, qualisnam sit paries? rectè respondetur, est albus. Vnde Matth. 8. sciscitantibus nautis de Christo Domino, *qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Respondetur: *Hic est Propheta à Nazareth.*

23. Diuiditur autem qualitas in quatuor modos, siue species, quarum quælibet duplici nomine nuncupatur. Prima, habitus, & dispositio. Habitus est qualitas aduentitia de difficili mobilis, vt qui callet logicam, diuque in ea versatus est, habet habitum Logices. Dispositio est qualitas aduentitia de facili mobilis, vt si quis habeat cognitionē alicuius partis Logicæ citò acquisitam, dicitur habere dispositionem ad adipiscendam Logicam: potest enim eam cognitionem deperdere facili negotio. Huius meminit Doctor 4. *d.* 6. *q.* 1o. *O.* Secunda, potentia, & impotentia naturalis secundum Scotum *est facilitas naturalis agendi,* vt Philosophus exemplificat de cursoribus, & pugillatoribus. Impotentia naturalis, *est difficultas, siue imbecillitas agendi*, vt difficultas naturalis videndi, aut audiendi quispiam à natura insitam habet. Hanc tangit Scot. 2. *d.* 16. *q vn.* §. *Ad primū. P.* Tertia, passio, & passibilis qualitas, passio hoc loco est qualitas parum durans, sensum mouens, siue ex motu sensus proueniens, vt rubor vultus ex verecundia ortus. Passibilis qualitas est diuturna qualitas sensum mouens, aut ex motu sensus proueniens, vt diuturnus vultus pallor ex interiori, diuturnoque morbo proficiscens. Memoratur à Scot. *q.* 36. *Prædicamentali* §. *Ad quæstionem.* Quarta, forma, & figura, forma, vt notat Doctor *q.* 36. *Prædicamentali* §. *Ad dicendum*, est qualitas ex naturali corporis delineatione promanans, consequens quantitatem terminatam, quo pacto parui homines formosi, & non pulchri perhibentur. Figura est qualitas consequens quantitatem præcisè sumptam, vt figura trianguli, aut quadranguli. Vnde non desunt, qui affirment formam in naturalibus, & figuram in Mathematicis esse spectandam. Sed figuram aliter describit Scotus *in* 4. *d.* 10. *q.* 1. vt perscrutabimur in nostris quæstionibus, in quibus quid sit figura, exactius, & subtilius examinabimus. Tres autem qualitatis referuntur proprietates, quarum prima est habere contrarium, vna quippe qualitas alteri aduersatur, putà calor frigori, siccitas humiditati. 2. Suscipere magis, & minus, qualitas enim intenditur, & remittitur, ratione cuius vnum album dicitur magis, aut minus album altero albo. 3. Penes qualitatem res perhibentur similes, aut dissimiles: eæ namque sunt similes, quarum eadem est qualitas: & dissimiles quarum diuersa est qualitas, vt duo parietes albi vocantur similes, propter albedinem, quam participant, & dissimiles parieti nigro propter nigredinem, quam ambo non sortiuntur, & hæc postrema affectio conuenit qualitati quarto modo.

24. Oppones 1. Aristoteles præcitatus habitum, & dispositionem facit eamdem qualitatis speciem, & postmodum vult dispositionem esse genus habitus. Ergo vel prænarrata sunt falsa; vel Aristoteles non sibi constat. Respondeo dispositionem sumi dupliciter: vno modo genericè, quatenus est qualitas de facili, aut difficili mobilis à subiecto; in quo inhæret. & ita capit Aristoteles, cum ait dispositionem esse genus Altero modo, specificè, quatenùs est qualitas de facili mobilis, sic dispositio, & habitus sunt vna species qualitatis.

25. Oppones 2. Idem Philosophus subdit proprium esse qualitati, vt ab ea res dicantur similes, aut dissimiles: & tamen 2. *&* 4. *Met.* constituit similitudinem, & dissimilitudinem primas entis differentias. Ergo præfata proprietas non competit soli qualitati. Respondeo me diligenter legisse, & perlegisse libros Philosophi citatos à Petro Gassendo *l.* 1. *exercitatione octaua*, & minimè reperisse, quod affert ipse Gassendus, ideò falso ei affingit illud, & multa alia, vt communis deseratur Magister, nouaque, aut obsoleta introducatur doctrina: quod assequi adhuc non potuit: immo coactus est dignis de causis ab incepto desistere. Vel dicito Philosophum eis in locis accepisse similitudinem & dissimilitudinem latissimè, vt quandoque sumpsit qualitatem pro differentia substantiali, & essentiali, vt cum Scoto alibi obseruaui.

Series prædicamenti qualitatis.

Qualitas.

Animæ. *Corporis.*

Animæ.

Intellectus. *Voluntatis.*

Intellectus.

Acquisita. *Naturalis.*

Acquisita.

Scientia. *Opinio.*

Scientia.

Speculatiua. *Practica.*

Speculatiua.

Metaphysica. *Physica.*

Metaphysica.

Hæc Met. *Illa Met.*

Hanc seriē qualitatis indicat Scot. 3. *d.* 24. *q.* 1. §. *Nec.D.*

ARTICVLVS VIII.

De Relatione.

26. Relatio ex Doctore q.15.*Predicamentali*.§.*Dicendum*.Et ibid. §. *Ad 3*. est habitudo vnius ad aliud:seu ratio referendi,& respectus, quo relatiuum refertur ad aliud. Relatiuum est quod ad aliud refertur, correlatiua sunt,quæ se mutuò respiciunt.Relatiua verò definiuntur ab Aristotele in præsenti capite,& Scoto *in 2.d 1.q 4.§.Contrà* sub B. *Quorum totum suum esse est ad aliud referri.* Ad relationem verò ex eodem *in 1. d. 31.q.1.§ Ad quæstionem. A & Quol 6.*tria requiruntur: primum fundamentum , & terminus debent esse realia. Inter fundamentum, & terminum oportet esse distinctionem realem. 3. Ex natura extremorum , nullo intellectu cogitante,necesse est exurgat relatio. Complures autem afferuntur passim à Philosophis,& Theologis relationum,& relatiuorum diuisiones, præcipuæ sunt subsequentes.Prima est in relationem,realem quę habet esse à parte rei,vt paternitas : & relationem rationis,quæ pendet in esse, & in fieri ab opere intellectus , vt relatio generis. Hæc diuisio insinuatur à Doctore in *1.d.30.q.2.& in Reportatis 2.d.1.q.7.* Secunda *ex 2.d.1.q.5.§. Ad primum alterius opinionis.* F. in relationem transcendentalem, quæ in nullo prædicamento sedem habet, vt relatio substantiæ , & accidentis conueniens eis,priusquam in suos modos diuidantur : & prædicamentalem , quæ in aliqua categoriarum collocatur,vt filiatio.Tertia ex Aristotele *c.de ad aliquid*,& aliis,inter quos est Orbellus 5. *Met.* in relatiua secundum esse quæ essentialiter includunt respectum ad aliud,vt duplum,& dimidium:& relatiua secundum dici, quæ cum relatione sibi adiuncta important absolutum,vt scientia,& scibile,Hæc diuisio non videtur recipi à Scoto *q.26. Prædicamentali* §. *Dicitur ad q.* Ipse autem aliam addit *q.36.Vniuersalium*, necnon *q. 27. & 28.prædicamentali*, in relatiua per se , & per accidens. Et priorem videtur olfacere *Quol.13.* vt alibi. Quarta, ex eodem *q.27.allegata §. Dicendum*:in relatiua mutua, quæ vicissim reali relatione referuntur, vt Pater,& Filius:& non mutua, quorum vnum respicit aliud relatione reali,non econtra,vt Deus,& creatura,scientia,& scibile. Quinta,*ex 1 d.30.q 2.§. Contrà* r. *in fine E.* in relationes æquiparantiæ,quæ sunt eiusdem nominis,& rationis, vt omnes relationes similitudinis : & relationes disquiparantiæ,quæ sunt alterius nominis,& rationis,vt omnes relationes dissimilitudinis. Sexta , *ex 2. d.1 q.5.*in relationes superpositionis, quæ sunt relationes maioris dignitatis, vt relatio Præceptoris : & relationes suppositionis,quæ sunt minoris dignitatis, vt relatio Discipuli. Septima, *ex 1.d. 19. q. 2. §.Ad argumenta.* Et *4.d.13.q.1 §. Ad huius autem.* D. in relationes intrinsecus aduenientes,quæ positis extremis necessario emergunt , vt positis Patre, & Filio necessariò exoriuntur relationes paternitatis , & filiationis : & extrinsecùs aduenientes ,quę positis extremis non consurgunt, nisi adhibitâ aliquâ conditione,vt positis Petro,& plateâ, non exurgit relatio pręsentialis Petri ad plateam , nisi Petrus ponatur in platea.

27. Tres autem potissimum ab Aristotele vbi suprà,& Scoto *q.17.Prædicamentali* recensentur relatiuorum proprietates. Prima est,dici ad conuertentiam, vt Pater est Filij Pater, & Filius est Patris Filius. 2. esse simul natura , posito namque vno relatiuorum , simul ponitur aliud, vnoque remoto, remouetur & aliud, vt posito Patre,ponitur Filius,& sublato Patre,tollitur Filius : se enim mutuò perimunt. 3. Simul intelligi,cognito quippè definitè vno relatiuo , cognoscitur & aliud , vt si quispiam cognoscat pręceptorem Aristotelis esse Platonem, quoque Aristotelem esse Platonis discipulum.

28. Oppones 1. Aristoteles hoc capite relationem facit summum genus , & in postprædicamentis relationem locat inter species oppositionis;at nihil potest esse summum genus , & species alterius generis. Ergo, &c. Resp. oppositionem propriè non esse genus ; nam quædam oppositio est realis,quædam verò est rationis; enti autem reali,& rationis nihil est commune vniuocum,quod valeat esse genus ex Scot 1.d.29.q.vn. Ob id Aristoteles rectè oppositionem statuit inter postprędicamenta.

29. Oppones 2. Inter relatiua malè coniunguntur scibile,& scientia, cum illud potentiam . hæc verò actum significet:potiùs enim foret dicendum scitum, & scientiam,quàm scibile,& scientiam,Ergo.&c.Negandum est antecedens , quia scibile , & scientia sunt relatiua non mutua , propterea necesse non est ponere scientiam , & scitum : sed bene dicitur scientia , & scibile.

Series prædicamenti relationis.

Relatio.

Disquiparantia. *Æquiparantia.*

Disquiparantia.

Superpositionis. *Suppositionis.*

Superpositionis.

Causæ. *Dominij.*

Causæ.

Efficientis, formalis, materialis & finalis.

Efficientis.

Huius. *Illius.*

ARTICVLVS IX.

De Actione & Passione.

30. Non refero multiplices actionis , & passionis sumptiones,tum quia sunt captu difficiles,tum quia de his multus est Philosophorum sensus,tum etiã quia alibi commodius explanabuntur. Itaque hic solũ de actione,& passione disero, quatenus hęc duo prædicamenta constituunt. Describitur autem à Gilberto Porretano *l sex principiorum c.2.*actio,secundùm quam in id, quod subiicitur agere dicimur. Et iuxtà hanc actionis definitionem potest definiri passio. secundùm quam in id.quod subiicitur, pati dicimur , vt secans lignum dicitur agere in lignum,& ipsum lignum quatenus secatur,pati dicitur: vnde sectio prout est à secante dicitur actio,penes quam agens denominatur secans; quatenùs verò est in ligno secto dicitur passio , penes quam lignum denominatur sectum. Vno itaq; nomine sectionis significantur prædicta actio,& passio,tametsi distinctionis gratia vti possimus his vocibus sectionis actiuę,& passiuę,sicut vtimur nominibus calefactionis actiuæ,& passiuę.His non absimiles sunt definitiones actionis,& passionis allatæ ab Aristot. *3.Phys c.3.* Actio est agentis,quatenùs est agens, actus : & passio est patientis,quatenùs est patiens,actus. Et clariùs à Scoto *in 4.d.13.q.1.§. Ad huius autem difficultatis intellectum sub H.* Actio est respectus extrinsecus adueniens transmutantia

Actio est respectus extrinsecus adueniens transmutantis ad transmutatum. Passio verò est respectus extrinsecus adueniens transmutati ad transmutans. Fateor hæc longum examen, & diligentem indaginem exposcere aliàs habendam. Nunc verò tantùm enarro duas proprietates vtriusque ab Aristotele adductas. Vna est habere contraria, vt calefactio aduersatur frigefactioni. Altera est suscipere magis, & minus, quod non de abstractis, sed de concretis actionis, & passionis videtur esse intelligendum: vnum quippe agens dicitur magis agere, quàm aliud, sicut & vnum patiens dicitur magis pati, quàm aliud, vt maior ignis plusquam minor ignis calefacit; atque lignum igni ardentiori approximatum magis comburitur, & consumitur, quàm lignum igni minùs ardenti appositum. Cum autem actio, & passio se mutuò inferant, videanturque esse idem realiter *ex 3. Phys. Tex.* 21. propterea seriem actionis edo, quæ mutatis verbis duntaxat adaptari potest passioni.

Series prædicamenti actionis.

Actio.

Vitalis. — *Non vitalis.*

Vitalis.

Sensitiua. — *Intellectiua.*

Sensitiua.

Externa. — *Interna.*

Externa.

Hæc. — *Illa.*

ARTICVLVS X.

De Vbi.

31. VBi describitur à Gilberto libello præallegato, *circumscriptio corporis locati, à circumscriptione loci proueniens.* Hanc descriptionem vbi insinuat Doctor 4 *d.* 10. *q.* 1. §. *Dico ergo sub O.* inquiens, *vbi est totius circumscripti ad totum circumscribens.* Distribuitur autem in vbi actiuum, & vbi passiuum: siquidem ex applicatione loci ad corpus locatum consurgit relatio extrinsecùs adueniens, quæ vocatur vbi actiuum: & ex applicatione corporis locati ad locum exoritur relatio extrinsecùs adueniens, quæ appellatur vbi passiuum. A Gilberto autem *citato c.* 5. solum vbi passiuum definitur, cum tamen assignandum sit quid commune vtrique, & tradenda eius descriptio, vt innuit Scotus 4. *d.* 10. *q.* 1. *K. & Quol* 11. *sub C.* Potest autem vbi describi, *præsentia seu continentia rei in loco*, vt esse in cælo: potestque diuidi in vbi definitiuum, quo aliquid ita est hîc, vt non sit alibi, vt Angelus ita est in cælo, vt simul, & eodem tempore nequeat esse in terra: & in vbi circumscriptiuum, quo aliquid, potà corpus adæquatè loco commensuratur. Præterea, vbi circumscriptiuum subsecatur in vbi actiuum, & passiuum, quæ in initio huius articuli descripta fuêre, & fusè pertractanda sunt in Physica. Proprietates vbi duæ numerantur, quarum prior est, non habere contraria, nihil quippè vbi opponitur. Posterior est, non suscipere magis, & minus, siue non intendi, nec remitti: quamuis enim vnum vbi magis extendatur altero vbi, non tamen magis intenditur, aut remittitur.

Oppones, Definitio vbi præassignata competit tantùm vbi sumpto pro locali præsentia: sed corpus potest habere verum vbi absque locali præsentia: ergo, &c. Concessâ maiore, negatur minor, quæ non probatur à Ruuio, cuius est hęc obiectio, nihil quippe est alicubi, nisi habeat localem præsentiam, vt apertè euincitur ex definitione vbi præaddicta.

Series prædicamenti vbi.

Vbi.

Circumscriptiuum. — *Definitiuum.*

Circumscriptiuum.

Actiuum. — *Passiuum.*

Actiuum.

Hoc vbi. — *Illud vbi.*

ARTICVLVS XI.

De Situ.

32. AVctor *sex principiorum c.6.* affirmat situm esse positionem partium in ordine ad locum. In idem recidit definitio situs allata à Scoto *in 4. d. 10. q. 1. §. Dico ergò sub M.* nempe *coextensio partium ad partes loci.* Necnon Aristotelis 5. Met. c. 19. *Situs est dispositio partium in loco*, vt stare, sedere. Hæcque explicatur eo modo, quo definitio præcedentis prædicamenti. Siquidem ex applicatione loci ad partes corporis in eo existentes prouenit relatio extrinsecùs adueniens, quæ dicitur situs passiuus. Porrò proprietates situs totidem sunt, quot categoriæ vbi, scilicet non habere contraria, non suscipere magis, & minus: additur, proximè assistere substantiæ.

Series prædicamenti situs.

Situs.

Naturalis. — *Accidentalis.*

Accidentalis.

Sessio. — *Statio.*

Statio.

Hæc. — *Illa.*

ARTICVLVS XII.

De Quando.

33. QVando est *adiacentia temporis in re temporanea derelicta*, *siue continentia rei in* tempo-

tempore vt fuisse olim, esse nunc, aut fore: sic legitur Tobiæ 12. *Quando orabas cum lachrimis.* Et Matt. 24. *Dic nobis quando hæc erunt?* Explicatur præfata descriptio eo ferè pacto, quo explanatæ fuere descriptiones duorum præcedentium prædicamentorum. Etenim ex applicatione temporis ad rem temporaneam mensuratam exurgit relatio extrinsecus adueniens, quæ nuncupatur quando actiuum: & ex applicatione rei temporaneæ mensuratæ ad tempus mensurans resultat relatio extrinsecus adueniens, quæ vocatur quando passiuum. Affectiones autem huius prædicamenti sunt tres: prima, non habere contrarium. 2. Non suscipere magis, & minus. 3. Conuenire iis, quæ tempore durant.

Oppones, Quando non vidètur habere sub se plura genera & species subalternas, quod etiam affirmatur de vbi. Ergo, quando non videtur esse vnum ex generibus supremis. Respondet Scot. *in* 1. *d.* 8. *q.* 3. §. *Teneo opinionem meam*, O. de ratione generis summi non esse habere sub se plures species subalternas, sed non habere aliud superueniens genus. Tametsi etiam huic quædam genera subalterna assignari valeant, vt patet in sequenti syllabo.

Series prædicamenti quando.

Quando.

Simplex. — *Compositum.*

Compositum.

Actiuum. — *Passiuum.*

Passiuum.

Præteritum, — *Præsens, & futurum.*

Præteritum.

Hoc. — *Illud.*

ARTICVLVS XIII.

De Habitu.

34. HAbitus ex Authore præcitato c. 7. *est corporum, & eorum, quæ circà corpus sunt adiacentia.* Cui fauet Scotus *q.* 36. *prædicamentali.* §. *Ad* 2. *q.* vel, vt aliis placet, habitus est indumenti, aut ornamenti ad corpus applicatio. Sic legitur Iacobi. 3: *Pauper in habitu sordido.* Et 1. Timothei 2. *Mulieres in habitu ornato.* Ex applicatione namq; indumenti ad corpus consurgit relatio extrinsecus adueniens, quæ dicitur habitus actiuus: & ex applicatione corporis ad indumentũ, procedit relatio extrinsecùs adueniens, quæ appellatur habitus passiuus. Potest autem, immò debet assignari ratio communis, & suprema huius categoriæ, quæ est habitio præscindens ab actiua, & passiua (quod etiam de tribus proximè antecedentibus præstandum est, vt monet Doctor 4. *d.* 10. *q.* 1. K. sic vnio subiecti ad quamcumque formam pertinet ad hanc categoriam, vt præ aliis docet Ioannes de Bassolis 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 1. & non discordat Gilbertus citatus, collocãs in hoc prædicamento quantum esse, & album esse, hoc est relationem subiecti ad quantitatem, & albedinem,

vt notant nostri Iuniores in præsenti. Ratio reddi potest, quia huiusmodi respectus est quoquo modo derelictus ex adiacentia, & adhærentia formæ ad subiectum. Proprietates verò istius prædicamenti sunt tres, vna est, non habere contrarium. Altera, suscipere magis, & minus. 3. Semper esse in pluribus, id est in habente, & habito.

Oppones, Aristoteles 5. *Met. c.* 20. tradit habitum esse medium inter habentem, & rem habitam, veluti actio mediat inter agens, & passum: sed actio est quid absolutum, vtpotè residens in prædicamento qualitatis. Ergo, & habitus. Concessa maiore, negatur minor, vt patet ex dictis suprà Art. 9.

Series prædicamenti habitus.

Habitus.

Actiuus. — *Passiuus.*

Passiuus.

Ornamenti. — *Indumenti*

Indumenti.

Militaris. — *Domestici.*

Domestici.

Tunica. — *Calcei.*

Tunica.

Huius. — *Illius.*

ARTICVLVS. XIV.

De Postprædicamentis.

35. POstprædicamenta sunt quinque, vt post Aristotelem scribit Doctor *q.* 37. & 38. *prædicamentali.* videlicet opposita, modi prioris, modi simul, sex species motus, & modi habendi. Opposita dicuntur, quæ adinuicem repugnantiam inuoluunt: suntque in quadruplici differentia, contradictoria, contraria, priuatiua, & relatiua. Contradictoria sunt, quorum vnum negat aliud, vnumque est positiuum, alterum verò negatiuum, vt *ens, non ens, homo, non homo.* Suntque immediata, vt inquit Doctor 2. *d.* 2. *q.* 2. §. *Ostenso proposito, sub T.* & *q.* 7. § *Ad* 1. *q. dico.* CC. Ob id idem Doctor *q.* 55. *prædicamentali ex Aristotele* 1. *Post. Tex.* 5. Definiebat contradictionem esse oppositionem cuius non est medium secundum se. Diuiduntur autem *ex eodem* 1. *d.* 4. *q.* 1. *Ad* 5. *sub D.* in incomplexa de quibus nunc loquimur: & complexa, de quibus in sequenti libro. Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, seque mutuò ab eodem subiecto expellunt, vt *calor, & frigus.* Subdiuiduntur in immediata, inter quæ non cadit medium, vt *par, & impar*: & mediata, inter quæ interponitur medium, vt *inter albedinem, & nigredinem mediat rubedo.* Priuatiua sunt quorum vnum est positiuum, aliud verò designat carentiam alterius in subiecto apto, qualia dicuntur habitus, seu forma, & priuatio eius, vt *lumen, & tenebra, visus, & cæcitas*: & huiusmodi, quæ sunt immediata opposita ex Scoto *in*

1. *d.*

1.*d.*17.*q.*1.§. *Contra istam conclusionem. infrà DD.* Relatiua sunt, quæ vicissim se respiciunt de quibus Scot. *q.*39.*prædicamentali*, & nos *suprà Art.*8.

36. Quinque modos prioris affert Aristoteles & sextum addunt Scotus, Sirectus *fol.*21. *Art.*4. *principali*, & reliqui eiusdem Classis. Primò namque aliquid dicitur prius alio, tempore, siue duratione, cuiusmodi sunt, quæ prius generantur, vt *Adamus extitit prior tempore Noemo.* 2. Prius natura, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, veluti est quod præexigitur, & præsupponitur ad esse alterius, vt *vnum est prius natura duobus*: valet enim sunt duo: ergo est vnum, non tamen è contrà. Ideò Scot. 2.*d.*3.*q.*4.§. *Contra istam conclusionem.* D. post Aristotelem 5. *Met.c. de Priori Tex.* 16. subdit, prius natura absque contradictione posse esse sine posteriori. Quot autem modis dicatur prius natura vide Doctorem *in* 2.*d.*1.*q.*1.§. *Respondeo. A.* & *q.* 3.§. *Tenentes autem ante H.* Mastrium, & Bellutum *disp.* 9 *q.*2. *Art.* 1. Tertio, Prius dignitate, siue perfectione, vt *aurum est prius cæteris metallis*, quia est eis nobilius. Hinc subiungit Philosophus. 10. *Met. Tex.* 21. in vnoquoque genere datur vnum, quod est metrum, & mensura aliorum. Quartò prius ordine, quod competit illis, quæ secundum rerum dispositionem cætera præcedunt, *sic litteræ præeunt syllabas, & syllabæ dictiones.* Quintò, Prius causalitate, quo pacto, quod est alterius causa, illud dicitur esse prius hac prioritate, vt *Sol illuminatione, & ignis calefactione.* Hi autem quinque modi prioris hoc disticho comprehenduntur.

Tempore, natura, prius ordine, dic & honore.
Causam causato dicimus esse prius.

Sextus modus prioris, quem in suam Scholam inuexit Doctor Subtilis vt patet 1.*d.*5. *q.*2. & *d.*12. *q.*2. & 2.*d.*1.*q.*1. & alibi passim, est prius origine, quod describitur, à quo quis originatur, siue producitur, vt in Diuinis, *Pater est prior origine Filio, & Filius est prior origine Spiritu sancto.*

37. Et si totidem sint modi simul, quot modi prioris prænominati, vt huc loco aduertunt Philosophi expositores: nihilominus tres solum modos simul adducit Aristoteles, hac fortasse de causa, quia cæteri facilè cognosci possunt, vt obseruat Scot. *q.*43. *prædicamentali.* Sunt autem isti simul tempore, natura, & diuisione. Ea sunt simul tempore, quæ nascuntur eodem tempore, vt *Esau & Iacob.* Et Christus & Ioannes erant coæui vt aduertit Aug. 62. *de consensu Euangelist. c.*6. Simul natura sunt, quæ dicuntur ad conuertentiam, vt correlatiua. Et simul diuisione sunt, quæ idem genus immediatè diuidunt, æquéque participant, vt *homo & brutum*, quæ immediatè diuidunt animal, & ex æquo rationem eius sortiuntur: Prænominati modi simul quatuor subsequentibus carminibus continentur.

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est.
Quæ conuertuntur dicimus esse simul.
Suntque simul species, genus vnum distribuentes.
At generis causa, non ratione sui.

38. Motus species, quæ senario numero capiuntur, sunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & loci mutatio. Generatio est *mutatio substantialis a non esse substantiali, ad esse substantiale*, vt quando generatur homo fit transitus à non esse hominis ad esse hominis. Corruptio est *mutatio substantialis ab esse substantiali ad non esse substantiale* vt cum homo moritur, transit ab esse hominis, ad non esse hominis. Augmentatio est *præexistentis quantitatis maioratio*, vt cum aqua additur aquæ, ipsa aqua dicitur augmentari. Diminutio est *præexistentis quantitatis minoratio*, vt si ab aqua dematur aqua, ipsa aqua diminui perhibetur. Alteratio est *mutatio contrariæ qualitatis in contrariam qualitatem*, vt ex frigore in calorem, aut mediæ qualitatis in extremam, vt à rubedine in nigredinem, aut mediæ in mediam, vt à colore viridi in rubeum. Mutatio localis est *transitus ab vno loco, ad alium locum*, vt cum Petrus discedens Aquis petit Romam, dicitur mutari localiter.

39. Habere octo modis continetur, quorum meminit Scotus *q.*36 *prædicamentali* §. *Ad* 2.*q.* Primus est habere quantitatem, vt habere corpus bicubitum. 2. Est, habere qualitatem, vt habere doctrinam. 3 Habere aliquid circa corpus, vt habere tunicã 4. Habere aliquid in parte corporis, vt habere coronam in capite. 5. Habere partem corporis, vt habere manum. 6. Habere contentum in continente, vt habere pecuniam in crumena. 7. Habere aliquid ad possidendum, vt habere agrum. 8. Habere aliquid ad cohabitandum, vt habere vxorem.

40. Oppones 1. Homo, & non homo sunt contradictoria: sed inter hominem, & non hominem extat aliquod medium. Ergo inter contradictoria datur mediũ. Maior patet. Minor probatur: homo quatenus homo non est albus: nec homo, quatenus homo non est albus. Concessa maiore, neganda est minor, ad eius probationem præterquamquod fit transitus à contradictoriis incomplexis ad complexa, dico inter contradictoria reperiri medium cum particula reduplicatiua *quatenus*, vt notat Scotus *in* 1.*d.*3. *q.*1.§. *Ad argumenta Logica sub L.*

41. Oppones 2. Tot sunt modi posterioris, quot sunt modi prioris, quia se mutuò interueniunt, & tot modis dicitur vnum oppositorum, quot & reliquum: sed Aristoteles non recitat modos posterioris. Itemque referendi sunt tot modi simul, quot sunt modi prioris, & posterioris propter eamdem causam, quod non præstat Aristoteles. Ergo, &c. Resp. ex modis prioris facilè colligi modos posterioris, ideò Aristoteles expressè eos non commemorat, tametsi tot sint modi posterioris, quot sunt modi prioris, vt benè infertur in argumento. Nec afferre voluit omnes modos simul, tum ob rationem ex Scoto depromptam superiùs, tum quia eos tantùm voluit recensere, qui aliqua explicatione indigebant, tum etiam quia cæteri ad illos tres reuocari queunt.

LIBER SECVNDVS.

DE TERMINIS COMPLEXIS.

ORdinata methodus postulat, vt expensis terminis incomplexis in primo libro huius operis: in secundo terminos complexos, qui sunt propositiones examinemus. Huius rei causa redditur, quia habitâ cognitione simplicium, ordine naturæ, perquirenda est notitia compositorum, vti est propositio, quæ ex terminis incomplexis conflatur. Hic autem liber septem quæstiones comprehendit. Prima est de partibus termini complexi. 2. De eius essentia, & diuisione. 3. De materia, forma, quantitate, & qualitate propositionis. 4. De oppositione, æquipollentia, & conuersione propositionum simplicium. 5. De propositione modali. 6. De exponibili, & 7. De diuisione, & definitione.

QVÆSTIO PRIMA.

De partibus Termini Complexi.

1. EX nomine, & verbo omnem terminum complexum, siue propositionem coalescere vnus est omnium sensus, vt innuit Scotus *q. 1. primi Perih. Ad* 3. Ideò de propositione acturus à nomine, & verbo exordior, præcepti prænarrati in initio prioris libri haud oblitus penes ordinem naturæ, vtpotè partes prius esse pertractandas, quàm totum ex eis constructum.

ARTICVLVS I.

De Nomine.

2. ALiter Grammaticus, aliter verò Dialecticus definit nomen. Etenim Grammaticus ait, nomen est pars orationis per modum entis, & determinatæ apprehensionis, vt intueri licet *in Grammatica speculatiua c.* -. Dialecticus verò inquit, nomen est *vox significatiua ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta*, vt patet apud Aristotelem 1. *Perih c.* 2. & Scotum *ibid. q.* 4. *in fine*. Explicantur huius descriptionis particulæ. Dicitur *vox*, id est articulata, etsi enim omnis vox sit sonus, non tamen omnis sonus est vox, vt fragor duorum corporum, & strepitus pedũ. *Significatiua* ad excludendas voces, quæ nihil significãt, vt *Buf.* Ad placitum, vt reijciantur voces naturales, putà fletus. Nomina quippe sunt imposita ad placitum vt aduertit Doctor *in* 3. *d.* 26. *q. vn.* §. *Ad proprium principale.* M. & de linguis hominum Aug. *l.* 39 *in Matt. q.* 17. Sine tempore, propter verbũ, quod consignificat tempus, hoc est designat aliquam differentiam temporis præteriti, præsentis, aut futuri, vt indicat Scot. *p. d.* 12. *q.* 1. §. *Iuxtà quæstionem istam: & p. Priorum q.* 19. §. *Tertio.* Cuius nulla pars separata significat, ad differentiam orationis, cuius partes separatę significant. vt *arbor est viridis.* Finita, idest, cui non præponitur negatio, vt *Leo.* Recta, propter casus obliquos, vt hominis: ratio est, quia casus obliqui perfectam non generant enunciationem: non enim perfecta est hæc enunciatio, *hominis est, nec homini est*, benè verò, *homo est*. A præallata nominis descriptione, & consequenter ab Aristotele recedere peroptant nonnulli Recentiores, nominatim Hurtadus *in Summulis disputat.* 3. *sect.* 1. & Arriaga *ibid. Disputat.* 2. *sect.* 1.

3. Opponunt autem 1. Non rectè dicitur, *cuius nulla pars separata significat*, nam quamuis id simplici nomini competat, at non nomini composito, cuius partes separatæ sunt significatrices, vt constat in hisce nominibus: *Senatusconsultum, Respublica, & Proleganus.* Resp. partes nominis compositi etsi retineant significationem, non tamen eam significationem, qua in composito potiuntur.

Instant prænominati Neoterici, inquientes, partes nominis compositi gaudere propriis significationibus quasi etherogeneis, ex quibus coalescit tota nominis significatio, quæ non dissidet à significatione vtriusque partis. Occurrendum est, instantiam falsam esse, aperte conspici in quibusdam nominibus compositis: siquidem hæc vox *Dominus* composita est ex *Do*, & *minus*: *Do* autem seorsim est verbum, & *minus* aduerbium, aut nomen comparatiuum, quæ vt sic separata sortiri diuersas significationes ab ea, quam habent, cum simul iunguntur, nemo est, qui non videat. Præterea partes vocis compositæ videntur se habere instar litterarum, & syllabarum, quæ à dictione seiunctæ nihil significant, vt si separes partes huius vocis *homo*, videlicet *ho-mo*, huiusmodi syllabæ ità segregatæ aut nihil designant, aut si quid significent, alienum est ab illa significatione, quam retinent, cum sunt simul iunctæ. Rursus formale nominis, quatenùs est dictio, siue vox significatiua, est significatio, vt scribitur *in Grammatica speculatiua. c.* 5. sed significatio nominis compositi est vna, quia res per illud significata est vna. Ergo partes ab eo abiunctæ non seruant suas proprias significationes. Vt enim demptâ vnione totius, demitur totum, habitudoque partium ad ipsummet totum, vt apud omnes est in confesso; pariter ablatâ vnione partium nominis ab ipsomet nomine composito, desinunt earum significationes in ordine ad totum. Impossibile namque est, sublatis fundamento, & termino, relationem eorum persistere. Ergo semotis abinuicem partibus, pereat necesse est relatio vnionis, ordoque partium ad illud, ac proinde earum significatio, quam sortiebantur, cùm dicto nomini iungebantur. Iterùm, si diuidatur nomen compositum, aut euadent duo nomina simplicia, vt Res-Publica; aut vnum nomen, vnaque præpositio, Pro-Consul. cuilibet autem nomini sic diuiso correspondent in nobis duo conceptus, vt patet ex dictis: atqui per nomen compositum, vnum in nobis

bis tantum gigni conceptum penès vnam significationem iam manet probatum.

4. Opponunt 2. contra aliam particulam definitionis nominis, nempe *finita*. Nomen infinitum significat aliquid, & flectitur per casus: Ergo non est à ratione nominis excludendum. Ant. probatur, non homo est nomen infinitum significans definitè omne id, quod non est homo. Confirmatur primò, ens de pluribus enunciatur, quam non homo, & tamen ens à nominis serie non exploditur. Confirmatur secundò, sicut vox finita significat quidpiam finitum, ita vox infinita denotat aliquid infinitum. Ergo ratio nominis præscindit à finito, & infinito, atque adeò non est restringēda ad esse finitum duntaxat. Resp. non homo, & consimilia, quæ Aristoteles non absolutè vocat nomina, sed nomina cum addito, hoc est infinita, determinatam vllius rei significationem nobis non subministrare: dicuntur enim tam de ijs, quæ sunt, quam de ijs, quæ non sunt. Dialectica verò vtitur nomine, vt vnà cum verbo certam, & absolutam formet propositionem. Igitur cum nomē infinitum nullam certam entis veri, aut ficti significationē nobis obijciat; infertur à ratione nominis logici esse ablegandum, licet declinetur per casus, & quidpiam indeterminatè designet. Huic mirificè suffragatur definitio nominis secundum Grammaticos adducta in principio iustius Art. in qua habetur nomen significare aliquid per modum entis, & determinatæ apprehensionis: vox verò infinita significat per modum non entis, & indeterminatæ apprehensionis, ac proinde a classe nominis logici iure amouetur. Ad 1. confirmationem dico ens esse determinatæ apprehensionis; ideóque meritò inter nomina collocatur. Ad 2. confirmationem dico in Logica nomen infinitum sumi negatiuè, & in argumento accipi positiuè, quatenus denotat ens infinitè perfectum: Ob id instantia præallata nullius est roboris.

5. Oppones 3. Casus obliqui sunt propriè nomina, ergo in definitione nominis non est apponenda particula *recta*. Ant. probatur, quæ cum vno verbo in nominatiuo significant, cum alio in genitiuo, aut alio casu significant, si vt quis dicat: *pœnitet me peccati*, idem est ac pœnitentiam ago peccati mei. Igitur cum tantum diuersa extet phrasis, non verò significatio, haud casus obliqui ex nominum numero tollendi sunt. Resp. Philosophum non adscribere casus obliquos inter nomina: propterea quod cum verbo perfectam enunciationem præstare nequeunt, vt declaraui suprà paulò ante primam oppositionem. Præterea nominatiuus est modus significandi, vt quod est alterum, vt patet in Grammatica speculatiua loco citato: casus verò obliqui aut sunt modi significādi rem vt cuius, veluti genitiuus, aut vt cui, veluti datiuus. Logica verò inuestigat quod est alterum, hoc est veritatem enunciationis, quæ maximè in recto splendere videtur, puta *homo est rationalis, animal est sensitiuum*. Quamuis autem mutatis verbis, retenta eadem significatione rei, casus obliquus fieri queat rectus, vt in argumento monstratur; nihilominùs hoc non est Dialecticæ, sed Grammaticæ; finis quippè huius est sermonis integritas, illius verò syllogismi veritas, quæ in recto perfectè designatur.

6. Oppones 4. ex Nebrissensi aliisque Grammaticis, nomen est vox declinata per casus, quia omne ferè nomen per casus flectitur. Ergo hæc definitio nominis, & non illa Aristotelis, est approbanda. Resp. etsi prædicta nominis definitio à Grammaticis recipiatur: non ob id probe infertur à Dialecticis esse admittendam: etenim diuersimodè Grammatica, & Dialectica vtuntur vocibus, vt rectè notat Zabarella *l. 1. de natura Logicæ c. 10.* illa quippe voces adhibet, quatenus sunt partes locutionis: hæc verò quatenus sunt signa eorum, quæ latent in anima, hoc est ad manifestandos nostros conceptus: atque ex his enunciationes, & syllogismi constantur, quibus veritas innotescit, falsitasque depellitur, vt Scot. 1. *Priorum q. 19* significat. Denuò alius est conceptus grammaticus, vt *homo, hominis*: alius verò est conceptus logicus, vt *homo, humanitas*: ex Scoto 1. *d. 2. q. 7. §. Sed hic restat, sub FF.* & Brulifero *in Epitome Formalitatum fol. 57. pag. 2.* & Sirecto *fol. 26. pag. 1.* Iterum pronomina, & participia sunt voces declinatæ per casus, & tamen in sententia Grammaticorum, non sunt nomina: referunt enim isti octo partes orationis, inter quas prædicta collocantur tanquam à nominibus distincta. Adde, quod vox *non significatiua*, potest declinari per casus, quam propriè non esse nomen fatentur omnes etiam Authores præallegati. Nec improbabile videtur quædam nomina esse indeclinabilia, vt *cachectes*, videturque esse addendum, rem aliquam significans, vt habetur in Rudimentis Grammaticæ. Denique declinatio non est quidditas nominis, sed ei videtur accidere, vt concedunt Grammatici, inquientes, septem nomini accidere, inter quæ recensentur declinatio, & casus.

ARTICVLVS II.

De Verbo.

7. VErbum est *vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta*; estque nota eorum, quę de alio prædicantur. Hæc definitio verbi, duobus exceptis coïncidit cum definitione nominis in superiori Art. præexplicata: Vnum est consignificare tempus: alterū verò esse notam eorum, quæ de alio prædicantur. Quoad primum, modus significandi verbi est consignificare tempus, vt tradit Doctor 1. *d. 12. q. 1. §. Iuxtà quæstionem, & 3. d. 25. q. 1. §. Vltimò sub. H.* Aut instans temporis, vt notat idem Doctor 4. *d. 8. q. 2. § Aliter ergo sub M. & S.* Consignificare autē tempus nihil aliud sibi vult, quàm significare aliquam differentiā temporis aut præteriti, aut præsentis, aut futuri. Etsi enim aliquod nomē significet tēpus, vt dies, aliquod verò significet rem in fieri in certa temporis differentia, vt prandium circà meridiem. Attamen *vox prandium* significat quidem actum prādendi, siue refectionē corporis fieri ferè meridiano tempore: verùm nullam differētiam temporis præteriti vel præsentis, vel futuri designat, veluti verbum *prandeo*, quod tempus præsens prādendi denotat: Ob id iure nomen absque tempore, & verbū cum tempore significare dicitur. Quoad 2. quod est, verbum esse notam eorum, quæ de alio prædicantur, aptè sic explicatur, videlicet, verbum est copula, seu vnio subiecti cum prædicato, vnum quippe extremū propositionis cum alio extremo copulat, siue verbum supponat pro seipso, vt *disputat est verbum*, siue pro suo significato, vt *homo est rationalis*. Vel dicito cum Ioan de Magis. *q. 3. scibili 3.* verbum est notā, idest, signum vnionis prædicati cum subiecto. Idque innuit Scot. 6. *Met. q. 3. §. sed quid.* Dialectica autem vno tantùm verbo *sum*, vtitur potissimùm, quod substantiuum appellatur, ita fortassè dictum, quia omni prædicato substat, adeò vt in verbis adiectiuis quoque subaudiatur, v. g. *Petrus disputat*, idem est, ac si dicatur, *Petrus est disputans*. Interdum verò adiectiuè sumitur, vt *qui deambulat est*, videlicet existit. Qui autem supra penes nominis definitionē Aristoteli restitunt, pariter hic verbi descriptioni sese

8. Opponunt 1. Partes verbi compositi seorsim sumptæ aliquid significant, vt patet in verbo *circumeo*, quod componitur ex aduerbio *circum*, & verbo *eo*: Ergo præmissa verbi descriptio non est legitima. Resp. hanc instāriam facili negotio dilui ex dictis in simili de nomine composito. Si enim partes verbi compositi inter se disiungantur, non seruant eandemmet significationē, quā pollebant, dum erant simul iunctæ, vt conspicuum est in quibusdam verbis compositis, putà in verbo *circumdo*, cuius partes sunt *circum*, & *do*, quas illammet significationem haud retinere, quam prius habebant,

cum erant simul iunctæ, videtur manifestum. Idque fuit de nomine loco nominato sum prosequutus, quod verbo pariter est accommodandum.

9. Opponunt 1. Ex verbis infinitis, itemque ex verbis præteriti, & futuri temporis propositiones constituuntur: hæc enim est vera, *Alexander audiuit Aristotelem*, & ista *Antichristus nascetur*. Rursus quædam nomina carent præsenti vt *memini*. Ergo non oportet verbum esse præsentis temporis, indicatiui modi. Resp. verba infinita, obliqua, & quæ præsenti tempore spoliantur, spectare ad Grammaticam solumque verbum præsentis temporis, indicatiui modi esse proprium Dialecticæ, docente Petro Hispano *Tractatu de Enunciatione c.4.* cum aliis Summulistis. Authores autem selati adaucunt grammaticalem verbi descriptionem, nimirùm, verbum est vox coniugata per tempora, quam conantur in Dialecticam inuehere: sed immeritò, cùm sint facultates distinctæ essentialiter, finesque ambarum distincti. Dialectica namque de verbo, & nomine agit, vt ex eis veritas, aut falsitas enunciationis pateícat, & istæ enunciationis proprietates pendent à tempore præsenti verbi, & nominatiuo nominis. Ideò hæc est vera *Christus natus est*, quia interdum fuit verum dicere *Christus nascitur*, & illa falsa, Antichristus non nascetur, quia interdum falsum erit dicere, Antichristus non nascitur. Adde quod etiam grammaticè, illa non videtur esse genuina definitio verbi, quia coniugatio accidit verbo, sicut declinatio nomini, nihilque propriè definitur per suum actum, sed potiùs per suam essentiam, vt in confesso est apud omnes Philosophos. Vnde aptior est verbi definitio grammaticalis allata ab Authore Grammaticæ speculatiuæ c. 10. *Verbum est pars orationis significans per modum esse distantis a substantia.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De essentia Termini Complexi.

1. EXplicitis termini complexi partibus, eius tota essentia nunc in examen est vocanda, seruato eo ordine, quem suprà proposuimus, quemue indicat Doctor Subtilis q. 2. *primi Post. §. Ad primum.*

ARTICVLVS I.

An Terminus Complexus distinguatur ab oratione, propositione, & enunciatione.

2. TErminus complexus iuxta vim vocabuli est vnius termini simplicis cum alio nexus, siue is, qui complectitur plures simplices terminos, aut vt aliis placet, terminus complexus sunt plures dictiones congruè se habentes, vt *homo albus, homo est risibilis.* Dubitatur autem primò, num oratio, & terminus complexus coïncidant. 2. Vtrum oratio, & propositio reipsa idem sint. 3. An propositio, & enunciatio inter se differant.

3. Quoad 1. vt pateat eius decisio, in medium adducendæ sunt nonnullæ orationis acceptiones, & postmodum ipsius definitio. Siquidem oratio, vt notat Vottillong. 4. *d.* 21. & 3. *d.* 17. dicitur quasi *oris ratio*, apud Theologum idem est ac pius mètis affectus in Deum directus, siue docente Damasceno, oratio est ascensus mentis in Deum. Sic legitur Psal. 84. *Intret in conspectu tuo oratio mea.* Et Psal. 34. *Oratio mea in sinu meo.* Apud Rhetoré oratio est propositio persuasiua, hinc Rhetor dicitur Orator. Apud Dialecticum verò oratio describitur vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars separata aliquid significat, vt habetur 1. *Perih. c.4.* Huius priores particulæ coïncidunt cum eis, quas nomini, & verbo supra adaptauimus, & explicauimus. Posteriores verò ad eorum differentiam collocatur. Præfatam autem orationis definitionem cōpetere sermino complexo non negat Arriaga *disp.* 1. *sect.* 5. licet *disp.* 2. *sect.* 1. *n.* 7. aliter cum Hurtado videatur sentire. Nec pugnat Aristoteli. 1. *Priorum c.* 1. qui definiens syllogismum ait, syllogismus est oratio & c. atque 8. *Met. Tex.* 9. *cit. à Scoto* 1. *d.* 8. *q.* 5. *ante* S. subiungit, definitio est terminus, seu complexus, & dicitur oratio longa. Idque etiam recipit Doctor. *Quod.* 13. *in fine sub NN. & 3. d.* 21. *q. vn. §. Rationes, sub* C. & non discordant Conimbr. 1. *de interpretatione c.4. q.* 3. *art.* 1. aliique non pauci. Hoc conspici potest ex eo, quod in termino complexo, aut sunt duo termini simplices absq; vllo vinculo, vt *homo albus*, & est oratio imperfecta, vt aduertit Fōtanus *c.* 1. *prodig.* & indicaui *l.* 1. *q.* 1. *art.* 4. Aut extant duo termini simplices per copulā iuncti, vt *homo est animal.* Est oratio perfecta, vt nemo inficiatur. His non consentiunt Hurtadus allegatus *in* 1. *art. huius q. sect.* 3. & Arriaga *prope finem sect. primæ*: à quibus oratio definitur vox significatiua composita ex nomine, & verbo inter se congruentibus. Ista descriptio quidem grammaticè est bona: at non logicè; congruitas quippe, aut incongruitas orationis ad Grammaticum pertinet: At conuenientiam, aut repugnansiam, seu veritatem, aut falsitatem ad Logicum spectare docet Auctor Grammaticæ speculatiuæ c. 18. Licet enim Dialectica supponat Grammaticam, ab eaque mutuetur congruum sermonem: nihilominus non est censendum vtramque gaudere eisdem definitionibus, nominis, verbi, & orationis. Et si cæteræ scientiæ reales Dialecticam præexigant, non ob id ad res suas declarandas, easdem prorsus adhibent definitiones, vt liquet de vniuersali, quod aliter definitur à Logica, aliter verò à Metaphysica, vt videre licet loco proximè citato *q.* 3. *art.* 1. Itemque de corpore, quod diuersimodè consideratur à Physica, & à Medicina. Quare non vna est definitio orationis apud Logicum, & Grammaticum.

4. Quoad 2. Zabarella *c.* 1. *Post. circa textum* 13. scribit propositionem respicere syllogismum, esseq; vnam præmissarum, nunquam verò conclusionem. Nonnulli cum Marco Tullio putant propositionem eam esse quę principem locum tenet in syllogismo. Cōmuniter autem Philosophi propositionem vsurpant pro qualibet enunciatione, siue intra, siue extra syllogismū: crebriùs verò pro maiore, minore, aut conclusione, vt innuit Doctor 4. *d.* 3. *q.* 2. *§. Ad* 2. *arg. in fine.* Et *d.* 8. *q.* 2. *§. Aliter.* H. I. K. Ob id asserimus syllogismum constare tribus propositionibus. Oratio autem videtur latiùs patere, quàm propositio; enim verò teste Philosopho 1. *Priorum c.* 1. syllogismus est oratio, attamen dici nequit propositio, cum ex propositionibus constituatur, idem quippe non est constituens, & cōstitutum, idemque non est pars, & totum. Pluribus quoque adaptatur oratio, quàm propositio: Omnis enim propositio est oratio, non verò econtrà, omnis oratio est propositio, vt liquet ex dictis suprà: atque adeò propositio ab oratione videtur dissidere, vt minus commune à magis communi, siue vt species differt à genere, vt innuit Aristoteles 1. *Perih. c.*4. & *l. Prædicamentorum c. de substantia.*

5. Quoad 3. Nonnulli Stagiritæ Expositores discrimen statuunt inter propositionem, & enunciationem (referente Zabarella vbi suprà) aientes enunciationem esse latiorē propositione, vtpotè quæ absolute sumpta est oratio non respiciens syllogismum; propositio verò dicitur, quatenus in syllogismo locatur. Verùm quàuis olim praddocta differentia à quibusdam Dialecticis fuerit agitata, nihilominus vsus obtinuit, vt promiscuè vna pro altera vsurpetur, vt potest deduci ex Scoto

1. *d.*

t.d.2.q.2.F. & d.40.q.vn b. & 4 d 8.q.2. N. Et Maiore *in Logica Tract. de propoſitione fol. 37. pag. 2.* Hinc fortaſſis duo libri Ariſtotelis de Interpretatione, ſiue de propoſitione, ſiue de enunciatione inſcribuntur propterea quod propoſitio, & enunciatio coïncidunt, quòd colligi poteſt ex eodem Ariſtotele: cùm in libris allegatis, tùm etiam *l. t. Priorum c. t.* eiuſque Commentatoribus *ibid.*

6. Oppones 1. Si admittatur definitio orationis ab Ariſtotele præallata, nomen compoſitum planè erit oratio, quia eius partes ſeorſim ſumptæ ſunt ſignificatiuæ, vt ſi ob hoc nomine *circumſeſſio*, ſeiungas eius partes *circùm*, & *ſeſſio*, huiuſmodi voces ſeparatæ abinuicem adhuc ſeruant ſuum ſignificatum, quem antè habebant, cùm ſimul erant iunctæ. Ergo definitio orationis ab Ariſtotele non eſt probè aſſignata. Reſp. conſimilem inſtantiam iam fuiſſe dilutam *ſuprà q. 1. Art. t huius libri, & Art. 2. de nomine, & verbo compoſitis.* Ideò ne actum agam, hic ſuperſedeo.

7. Oppones 2. Terminus complexus eſt, qui conſtat duabus dictionibus congruè ſe habentibus abſque verbo: ſed oratio includit verbum: ergo terminus complexus, & oratio haud ſunt idem. Reſp. diſtinguendo maiorem, de termino complexo abſolutè ſumpto, nego: de termino complexo indiſtante, concedo, vt conſtat *ex 1. l. q. 1. Art. 4.* Ad minorem dico eam eſſe concedendam de oratione perfecta, non verò de imperfecta.

8. Oppones 3. Terminus *ex libro præallegato, art. 2,* eſt in quem reſoluitur propoſitio: Ergo terminus complexus, & propoſitio idem non ſunt, cum propoſitio componatur, & reſoluatur in terminos, tanquam in ſuas partes, & totum ex Scoto *3. d. 2. q. 2. art. 1. C.* diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis. Reſp. antecedens verum eſſe de termino incomplexo, cuius eſt illa definitio, non autem de complexo, de quo loquimur in præſenti.

ARTICVLVS II.

Quid ſit Terminus Complexus.

9. DE termino complexo, ſiue potiùs propoſitione duæ traduntur ab Ariſtotele definitiones. Prior legitur *1. Perih c. 4.* propoſitio eſt oratio verum, vel falſum ſignificans. Poſterior verò habetur *1. Priorum c. 1. ferè in initio*, & deducitur *ex 1. Poſt. c. 2. Tex. t 3.* Propoſitio eſt oratio aliquid de aliquo affirmans, vel aliquid ab alio negans. Prima definitio cenſetur deſcriptiua, quia datur per proprietatem, putà veritatem, aut falſitatem, quæ eſt paſſio propoſitionis, veluti par, aut impar eſt paſſio numeri, docente Scoto *q. 1. prædicamentali ad finem, & 1. Poſt. q. 6. in calce.* 2. verò dicitur eſſentialis, quia eſſentia propoſitionis ſita eſſe videtur in affirmatione, aut negatione. Verùm quoniam nec iſta definitio à pleriſque exacta iudicatur, vt ex infra obijciendis, & ſubijciendis patebit; ideò ad tollendam omnem difficultatem, & totam rem explicandam, propoſitio vniuerſaè ſumpta deſcribi poteſt, oratio alicuius de aliquo: ſic præſcindit ab affirmatione, & negatione, veluti genus abſtrahit à ſuis ſpeciebus: & à veritate, & falſitate, ſicut eſſentia præſcindit à ſuis proprietatibus: atque rectè diuiditur in affirmatiuam, vel negatiuam vt genus in ſuas ſpecies. Hanc doctrinam tangunt Ariſtoteles *t. Poſt. c 2. Tex. 13. & 3. de anima Tex. 26.* inquiens propoſitio eſt dictio alicuius de aliquo. Scot. *q. 52. Elench. §. pro ſolutione, & 4. d. 8. q. 1. §. Aliter ergo, ſub V.* ſubdit, propoſitionem abſtrahere à veritate, & falſitate, idque probat, quia omne fundamentum prius eſt naturaliter relatione ſua accidentali: propoſitio autem eſt fundamentum veritatis, quæ eſt relatio accidentalis, quia poteſt ineſſe, vel non ineſſe, ſicut poteſt eſſe conformis, vel difformis rei. Et Conimbr. *c. 4 primi de Interpretatione q. t. art 3.* licet oppoſitæ ſententiæ magis fauere videantur. Hoc ipſum innuunt Maſtrius, & Bellutus *1. parte Inſt. Tract. 2. c. 3.* partes Conimbricenſium ſuſtinentes ſequuti Tatar. *t. Perih. q. 3. Scibili 3.*

10. Oppones 1. ex Hurtado *diſp 4. ſect. 1.* definitio non proprietatem, ſed rei eſſentiam explicat, vt patet: ſed prima propoſitionis definitio explicat eius proprietatem, vt dixi in principio huius Art. Ergo &c. Diſtinguo Ant de definitione eſſentiali, concedo: de defitione deſcriptiua, nego. Quod loco nunc citato manet explicatum. Idque fortè præſtitit Ariſtoteles, eò quod veritas, & falſitas notiora ſunt affirmatione, & negatione, præſertim tyronibus Dialecticis, quibus faciliora ſcitu ſunt proponenda.

11. Oppones 2. Vna ex legibus bonæ definitionis eſt, vt definitio conuertatur cum definito, vt dicemus in fine huius libri: ſed veritas: vel falſitas non reciprocatur cum definito: veritas quippe competit ſimplici apprehenſioni, quæ haud eſt propoſitio: ergo, &c. Conceſſa maiore, diſtinguenda eſt minor: de veritate complexa nego: de incomplexa, concedo. Veritas namque complexa reciprocatur cum propoſitione, veluti riſibile cum homine.

12. Oppones 3. Non traditur definitio per diſiunctionem; nec definitio generis datur per ſuas ſpecies, ſecundum canones bonæ definitionis: ſed præfatæ definitiones aſſignantur per diſiunctionem, vt conſtat inſpicienti, & vltima definitio traditur per ſpecies, quas aſſerimus eſſe affirmationem, & negationem: ergo, &c. Reſp. maiorem valere, quando differentia propria definiti eſt nota, & nominata: non autem quando eſt innominata, & ferè ignota, vt in præſenti.

13. Oppones 4. Propoſitio mentalis eſt iudicium, quo aliquid de aliquo affirmamus, vel negamus: & iudicare eſt aliquid de aliquo affirmare, vel negare. Ergo propoſitio vocalis ei correſpondens eſt oratio affirmans, aut negans aliquid de aliquo, non autem aliquid ab vtroque præſcindens: quod non audet inficiari Hurtadus in fine ſectionis allegatæ. Diſtinguo ant. præciſè, & genericè nego: ſpecificè verò, concedo, vt ſupra animaduerti, & explicaui non longe ante primam oppoſitionem.

ARTICVLVS III.

Quotuplex ſit Terminus Complexus.

14. TErminus complexus, qui ex dictis oratio, propoſitio, & enunciatio nuncupari valet, multas ſubit diuiſiones, quas refert Doctor *q. 8. primi Priorum, §. Quantum ad 1.* Imprimis ſcindi poteſt terminus complexus iuxta orationis partitionem. Oratio autem ſecatur in perfectam, & in imperfectã. Perfecta eſt, quæ perfectum ſenſum in auditoris animo gignit, vt *homo eſt animal*; imperfecta verò quæ in animo audientis imperfectum ſenſum generat, vt *homo doctus*, Idque totùm de conſtructione perfecta, & imperfecta perhibet Author Grãmaticæ Speculatiuæ *c. 59.* Rurſus alia eſt oratio interrogatiua, vt Matt. 22. *Si licet cenſum dare Cæſari.* alia imperatiua, vt eiuſdem Matt. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Alia optatiua, vt Iſaiæ 64. *Vtinam diſrumperes Cælos, & deſcenderes.* Alia deprecatiua, vt eiuſdem Iſaiæ 45. *Rorate Cæli deſuper.* Alia vocatiua, vt Ioannis 7. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* His orationibus potius vtuntur Rhetores, & Poëtæ, quàm Dialectici, qui potiſſimùm orationem

conſtan

constantem verbo indicatiui modi vsurpant.

15. Prima autem propositionis diuisio penes species est in affirmatiuam, & negatiuam, quam memorat Doctor 1. *d.4.q.2* §.1. *Ad* 1. *arg*. Affirmatiua est, in qua prædicatum affirmatur de subiecto, vt *lapis est corpus*. Negatiua est, in qua prædicatum negatur de subiecto, vt *lapis non est animatus*.

Secunda penès partes in categoricam seu simplicem, & hypotheticam, seu compositam, quam recenset Scot. *q. 3. primi Priorum*, & 1. *d. 39. §. Sed contrà, infrà* 1. Simplex est, quæ vno subiecto, vnoque prædicato, & copula verbali constat duntaxat, vt *corpus est substantia*. Composita est, quæ ex duabus enunciationibus simplicibus conficitur, vt *homo est risibilis, est disciplinabilis*. Sed de hac plura in sequenti capite.

Tertia penes qualitatem in veram, & falsam, cuius meminit Doctor *q. 9. secundi Perib.* & 1. *d* 4. *q*. 1. §. *Respondeo*, & *Ad* 1 *arg*. A. & D. Vera est, quæ conformatur rei per eam significatæ, vt *arbor est animata*. Falsa est, quæ est difformis rei per eam significatæ, vt *lapis est animatus*.

Quarta penes essentiam, & modum eius in absolutam, & modalem, quam affert Scotus *q. 3 primi Priorum. vers. vnde*. Estque potiùs subdiuisio propositionis simplicis, vt colligitur ex Aristotele 1. *Perib. c.* 4. quem sequitur Fon. *l. 3. Inst. Dialecticarum c. 3*. Absoluta, quæ & propositio de inesse ab aliquibus vocatur, describitur ea, quæ designat aliquid alicui inesse, aut non inesse, vt, *animal est sensitiuum*. Propositio modalis est, quæ quo modo aliquid alicui conueniat, aut disconueniat, enunciat, & hæc potest fieri aduerbialiter, vt *necessario homo est animal*: aut nominaliter, vt *necessarium est hominem esse animal*.

Quinta penes quantitatem in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem: quam recitant Aristoteles 1. *Perib. c. 5.* & 1. *Priorum c.* 1. & Scotus *in fine q. 4 primi Priorum*. Vniuersalis est cuius subiectum afficitur signo vniuersali, putà omne, vel nullum, vt *omne animal est sensitiuum, nullum animal est lapis*. Particularis est, cuius subiectũ afficitur signo particulari, vt *aliquod animal est irrationale*. Indefinita est, cuius subiectum licet sit terminus cõmunis, tamen nullo signo præficitur, vt *homo est rationalis*. Singularis est, cuius subiectum est singulare, vt *Petrus est Philosophus*.

Sexta penes materiam, in necessariam, contingentem, & impossibilẽ, vt deducitur ex Scoto 1. *d*. 39. post Aristotelem 1. *Perib. c. primo*. Necessaria est, quando inter subiectum, & prædicatũ extat nexus indissolubilis, vt *animal est sensitiuum*. Contingens est, cùm inter subiectum, & prædicatum adest nexus dissolubilis, vt *homo est albus*. Impossibilis est, cum subiectum, & prædicatum inter se sunt incompossibilia, vt *homo est lapis*.

Septima, In infinitam, & finitam, vt scribit Stagirita 1. *Perib. c.* 1. & tangit Doctor 1. *d* 28. *q*. 2. §. *Ad arg*. G. Finita est cuius subiectum, aut prædicatum nullam sortitur negationem, vt *Leo est rugibilis*. Infinita est, cuius aliquod eius extremum negatione potitur, vt *homo est non iustus*.

Octaua, Ex Doctore 1. *d*. 1. *q*. 2. §. *Ex his, sub* D. & *d*. 30. *q*. 2. §. *Ad argumenta* 1. *q*. & 3. *d*. 7. *q*. 2. §. *Sed tantum*. A. & C. in propositionem de 2. adiacente, in qua solum extat subiectum, & verbum, vt *homo est*: & in propositionem de 3. adiacente, in qua explicitè reperiuntur subiectum, prædicatum, & verbum, vt *homo est prudens*. Ista diuisio efficitur ratione prædicati impliciti, aut expliciti: in ea enim, quæ est de 2. adiacẽte subticetur prædicatum; idem quippè valet *homo est*, ac homo est existens: & quæ est de 3. adiacente expresse habet prædicatum, vt constat in exemplo præallato.

16. Oppones, 1. Species generis positiui debent esse positiuæ, ex genere enim & differẽtia constituitur species: sed propositio est genus positiuũ affirmationis, & negationis, quia est de genere qualitatis. Ergo eius species, quæ sunt affirmatio, & negatio debent esse entia positiua: at negatio vt vox ipsa indicat, non est ens positiuum: ergo, &c. Concessa maiore: distingui potest minor, formaliter negatur, sic enim est ens rationis: materialiter verò conceditur. Hæc distinctio alibi explicanda est. Ad subsumptum dici potest, sub nomine negationis intelligi entitatẽ positiuam, si materialiter accipiatur, veluti sub nomine irrationalis intelligitur entitas realis positiua, quæ differentia essentialis constitutiua bruti perhibetur.

17. Oppones 2. Multò plures commemorantur diuisiones propositionis, quàm sint à nobis recitatæ. Ergo est insufficiens eius diuisionis numerus præadductus Ant. probatur, Scot 1. *d*. 26. *q. vn* §. *Ad* 1 *tertia via. Z. versu, Ad illud de supposito*, affert distributionem in propositionem per se, & per accidens. Et 1. *d*. 1 *q*. 3. *circa D.* in apprehensiuam, & iudicatiuam. Et communiter omnes Dialectici partiuntur propositionem in naturalem, innaturalem, in exceptiuam, exclusiuam, & reduplicatiuam, & huiusmodi, quæ commodiùs infrà explanabuntur. Resp. eas esse præcipuas propositionis diuisiones, quas adduximus. Non inficiamur autem posse alias afferri, vt infertur in argumento.

ARTICVLVS IV.

De Propositione hypothetica.

18. PRopositio hypothetica, vt dixi in antecedente art. & docet Petrus Hispanus *l. 1. c. 15.* duabus propositionibus categoricis, tãquã eius partibus præcipuis constat. Vox quippe hypothetica deriuatur ab ὑπὸ, idest sub, & θέσις, idest positio, quasi suppositio, notante Scoto *q. 1. secundi Priorum*. §. *De* 2. eo quod vna pars eius alteri supponitur, seu quod in idem redit, vna propositio categorica supponitur alteri propositioni categoricæ, vt tangit Fon. *l. 3. c. 14.* & expresè tradit Petrus Hispanus *vbi suprà*, nec discordat Doctor 1. *Priorum q. 3. §. Quantum ad* 1. Iuxta hanc ethymologiam rectè propositio hypothetica distribuitur in conditionalem, copulatiuam, & disiunctiuam: quandoquidem in hisce tribus enumeratis, vna earum præsupponitur alteri, vt apertiùs patebit per exempla subiicienda in declaratione cuiuslibet hypotheticæ. Quòd non aduertentes Hurtadus *disp. 4. sect. 3.* & Ouiedus *Controuersia 3. puncto. 3.* censent hypotheticam esse conditionalem, quæ dependenter ab aliqua hypothesi, aut suppositione indicat de obiecto. Nam licet omnis conditionalis sit hypothetica, non tamen omnis hypothetica est conditionalis; nam hypothesis quidem conditionem designat, nihilominus, vt ipse Hurtadus non negat, quoque suppositionem denotat, ac proinde secundum hanc interpretationem nominis hypothesis præallatam, probè omnes Dialectici affirmant hypotheticam generatim sumptam esse propositionem compositam ex duabus simplicibus. Prætereà, propositio categorica, & simplex idem sunt, reluctante eodem Hurtado *loco cit*. Siquidem ex Aristotele, aliisque Dialecticis propositio aptè dispertitur in categoricam, & hypotheticam, & secundum leges bonæ diuisionis membra diuidentia inter se distinguuntur. Igitur propositio hypothetica nequit esse categorica, sicut animal rationale nequit esse irrationale, propter eorum differentias oppositas animal ex æquo diuidentes. Accedit in sententia Hurtadi, nulla alia foret hypothetica, præter conditionalem, quod est falsum. Rursus categoricè, & simpliciter apud Dialecticos idem sonant: κατηγορεῖν quippe idem est, ac planè demonstrare, siue apertè significare. Igitur non est statuendum discrimen inter categoricam, & simplicem propositionẽ Eò magis, quia Dialectici in vsurpãdis istis vocibus categorica,

tegorica,& categorematica non adeò videntur esse religiosi, vt ad alium significatum non applicent, quā ad prædicatiuum,& enunciatiuum,ex se,& absolutè, licet notio eorum vocabulorum id designet, vt bene obseruat Fontanus *l. de terminis Philosoph. ss.* Iam verò exponendus est ternarius numerus specierum propositionis hypotheticæ quarum sufficientia oritur ex trina comparatione coniunctionis cum simplicibus enunciationibus. Si enim hypothetica constet duabus propositionibus simplicibus, & prima notetur particula conditionali, Si, vnaque ex alia ordine illatiuo deducatur, appellatur propositio hypothetica conditionalis, quam memorat Scot. 1. *Perih q.8.* vt *si Sol lucet, dies est*: & Math. 4. *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiāt.* Quod si fuerint duę categoricæ vnitę per particulam copulatiuam. *Et*, habetur hypothetica copulatiua, vt Gen. 17. *ambula coram me & esto perfectus.* Et Exodi 3. *Ego ero tecum, & habebis signum.* At si vna simplex enūciatio disiungatur ab alia per particulam disiunctiuam, *vel*, emergit hypothetica disiunctiua, vt Matt. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, sum in medio eorum.* Obseruat autem Doctor 4. *d. 1. q. 2. §. De secunda, sub M. & d. 8. q. 2. ante §. Aliter* B. & *q. 10. Elench.* & 1. *Priorum q. 10 in fine.* Disiunctiuam non ponere determinatè & indifferenter vnam. aut alteram, vt *animal aut est rationale, aut irrationale* Ad conditionalem reduguntur causalis, vt quia mixtum conflatur ex 4. elementis, est corruptibile. Temporalis, vt quando anima informat corpus, ipsū corpus animatur: & localis, vt vbi est sensatio, ibi est sensus. Bifariàm autem effici potest conditionalis, vno modo ex materia necessaria, ex qua consequens necessariò sequitur ex antecedente, vt *si homo currit, necessariò mouetur*: quo in sensu, aiunt Dialectici, omnes conditionales veras, esse necessarias, & omnes falsas esse impossibiles. Altero modo ex materia contingente, ex qua consequens contingenter sequitur ex antecedēte, ita vt possit non sequi, immò oppositum euenire, vt *si cras ad me veneris, legam*, vbi crastina lectio non est necessariò futura, sed solùm de decreto meæ voluntatis, quæ liberè sic statuit, si cras ad me veneris, cum tamen cras possim non legere, si velim. An verò consequens inferatur ex antecedente ob conditiones ponendas, talemque rerum ordinem prętandum: & verum Deus de conditionatis scientiam conditionatam à naturali, & libera distinctam habeat: non est præsentis speculationis. Latè enim à me disputatū est *in Tract. de scienti Dei*, vbi partes Thomisticas, aut Iesuiticas non tueor, sed prosequor viam Doctoris subtilis vtrisque partim fauentem, partim verò repugnantem, prout mihi videtur concordiæ liberi arbitrij cum efficacia diuinæ gratiæ esse conformior sententia.

19. Opp. 1. Categoria idem est ac prædicatio, & terminus categoricus est absolutè, & se sole significatiuus: ergo propositio categorica non conuertitur cum propositione simplici, consequentia probatur, propositio composita potest esse categorica, vt *Petrus legit, & Ioannes scribit*, quæ est enunciatio absoluta, & perfectè significatiua. Negatur consequentia, ad eius probationem dico eam propositionem esse hypotheticam copulatiuam, vt suprà ostendi.

20. Opp. 2. Copulatiua propositio non est conditionalis: nec ex ex fieri valet vlla conditionalis. Igitur copulatiua nequit esse hypothetica: hypothesis enim sonat. quod conditio, & hypothetica coïncidit cum conditionali. Concesso ant. negatur consequentia, causa huius negationis adducta est in principio præsentis articuli.

QVÆSTIO TERTIA.

De Materia, Forma, Qualitate, & Quantitate Propositionis.

1. PRIMVM à nobis agendum est de materia, & forma, necnon de qualitate, & quātitate propositionis categoricæ: postmodum verò de eisdem hypotheticæ conuenientibus.

ARTICVLVS I.

De Materia, Forma, Quantitate, & Qualitate Propositionis categoricæ.

2. DE forma propositionis categoricæ plerique Dialectici nullam mentionem fecêre, fortasse, quia cum propositio non sit aliquod totum Physicum, ex forma tanquam eius parte minimè conflatur. Ideò cum nullam esse eius formam, & materiam suspicati fuerint, consequenter de eis non egerunt. Quamuis autem superiùs eius materiæ meminerimus, quæ absque forma non videtur posse consistere: nihilominus ea materia, quam ibi retulimus, non est materia ex qua, sed materia circà quā, conueniens cuilibet rei, quæ obiicitur, siue subiicitur iudicio intellectus. Ob id à nonnullis materia subiecta nuncupatur. Admittētes autē materiam, & formam metaphoricè sumpta, quidam inter quos sunt Mastrius, & Bellutus. 1. *p. Inst. Tract.* 5. *c.* 4. asserunt materiam propositionis esse obiecta, de quibus formatur propositio; formam verò eius copulam connectentem prædicatum cum subiecto, penes affirmationem, aut negationem. Sed non placent, imprimis quia non assignant materiam ex qua, quam tradere tenentur, sed materiam circa quam, cuius memini *in superiore q. art.* 3. nec de ea hoc loco vllum est dubium, vt mox præmonui. Deinde verbum, cum sit copula, seu vnio subiecti cum prædicato, non videtur esse forma, sed potiùs vtriusque vinculum. Item vnionem materiæ, & formæ propriè dictæ haud esse ipsammet formam fatentur Philosophi interpretes 2. *Phys.* quibus adhæret Scot. 3 *d. 2. q. 5. art. 3. sub E.* Dici autem potest prædicatum esse formam simplicis propositionis, & subiectum eius materiam, verbum verò esse nexum vtriusque: ratio quippe subiicibilis appellatur materialis, propterea quod proprium materiæ est subiici, seu substare formæ: ideò 1. *Phys. Tex.* 82. materia definitur subiectum primum vniuscuiusque ex quo fit aliquid. Ratio autem prædicabilis vocatur formalis, quod enim alteri inest, illudque informat, siue constituit, de eo ipso, quod constituit, prædicatur. Hinc oritur distinctio logica in esse materiale, & esse formale; quia entitas, quæ dicitur materialis, est subiicibilis, & entitas, quæ dicitur formalis est prędicabilis. Hanc doctrinam tradunt Scot. 2. *d. 3. q. 6. §. Ad 4. respondeo sub H.* quam indicarat *q. 11. Vniuersalium §. Ad* 1. *q* & ibi explicat Sarnanus *q. 9. pag.* 165. quos sequuntur Tromb. *in Met. q. 19. fol.* 39. & Raconius *q. 3. de Enunciatione parte* 2.

3. Quantitas, quæ à Philosopho in prædicamentis definitur, secundum quam aliquid dicitur quantum, & à nobis *q. 4. libri primi art. 6.* describitur ens per se extensum, consequenter loquentes de quantitate propositionis affirmamus quantitatē ipsiusmet propositionis esse extensionem subiecti, non verò prædicati: quandoquidem prædicato existente singulari, dummodo subiectū extiterit vniuersale, propositio erit vniuersalis, vt *omnis creans est Deus*, in qua *Deus*, qui est prædicatum, est singularis: & *omnis creans*, qui est subiectum, est vniuersalis. Itaq; propositio suam haurit vniuersalitatem,

sue

aut particularitatem, & singularitatem penes subiectum, quod in ea reperitur. Quoniam verò subiectum quatuor modis extendi potest, propterea quadruplex enumeratur eius quantitas. Aut enim subiectum extenditur ad ea omnia, quæ ipsi competere queunt respectu prædicati, quo insignitur., & si notetur signo vniuersali, propositio est vniuersalis, vt *omnis homo est rationalis.* Aut extenditur tantùm ad vnum particulare, & si præfigatur signo particulari, propositio efficitur particularis, vt *quidam homo est doctus.* Aut subiectum, etsi multis commune, nullo tamen afficitur signo, & est propositio indefinita, vt *homo est animal.* Aut subiectum est singulare determinatum, & fit propositio singularis, vt *Paulus est Tarsensis.*

4. Qualitas propositionis duplex assignari potest, vna essentialis, quo pacto affirmatio, vel negatio dici valet qualitas eius essentialis, iuxta definitionē eius allatam & explicatam *art. 2. q. 2. huius libri.* Siquidem differētia essentialis rei vocatur qualitas eius ab Aristotele *5. Met. Tex. 19.* Adde Porphyrium *in Isagoge c. de differentia*, & reliquos Dialecticos affirmantes, differentiam essentialem prædicari de suis inferioribus in quale quid, hoc est, in quale essentiale. Altera est accidentalis, cuiusmodi est veritas, aut falsitas, vt iudicant Aristoteles *c. de substantia*, & Scotus *4. d. 8. q. 2. sub V.* qui hanc distinctionē exprimit *3. q. 1. d. 1. art. 3. sub D.* inquiens quale generatim sumptum diuidi in quale substantiale, & quale accidentale. Primum non competit alicui speciei qualitatis, quatenus qualitas est genus supremum: non enim absolutè nuncupatur qualitas, sed cum addito, hoc est, qualitas essentialis. Secundum verò maximè: quandoquidem datur vnum prædicamentū, in quo omnes qualitates accidētariæ collocātur, vt licet intueri *in 1. libro q. 4. art. 7.* Quare non est reprehendenda prællata qualitatis diuisio, vt præstat Hurtadus *disp. 4. sect. 2.* cum sit valdè familiaris Philosophis, & plane congrua, vt aperui *lib. 1. q. 3. art. 5. & q. 4. art. 4.* Idemque Hurtadus videtur eam olfacere *sect. 6. & 7. disp. citata*: atque *sect. 5.* præmonstrarat conuersionem quandoque fieri in quantitate, quandoque verò in qualitate, sed qualitas illa est quod vna sit vera, aut falsa, affirmatiua, vel negatiua, vt ipsemet Hurtadus opponit. Igitur nolens incidit in eam distinctionem, quam reijcere conatur.

5. Oppones 1. Ea est propositio de materia necessaria inter cuius subiectum, & prædicatum est habitudo necessaria, eaque est de materia contingenti, inter cuius subiectum, & prædicatum extat habitudo contingens: itemque illa perhibetur propositio de materia impossibili, inter cuius subiectum & prædicatum est nexus repugnans, & impossibilis. Ergo habitudo subiecti & prædicati dici debet eius materia, non verò ipsummet subiectū. Admisso ant. negatur consequentia; cum enim habitudo formaliter sit relatio, nequit esse vllo modo materia. Ideò subiectū censetur materia propositionis, & si ex eo prædicatū necessariò promanat vocatur materia necessaria: si verò contingenter, dicitur materia contingens, & materia impossibilis, si ab eo prodire repugnat.

6. Oppones 2. Proprium materiæ est determinari, proprium verò formæ est determinare, vt omnes concedunt: sed subiectum non determinatur à prædicato, nec prædicatum determinat subiectum, quia subiectum est causa prædicati, causa autem ab effectu non determinatur, quia est eo prior. Ergo subiectum nequit esse materia propositionis, nec prædicatum eius forma. Concessa maiore, negatur min. quamuis enim causa sit prior suo effectu, potest tamen ab effectu ferè determinari, vt patet de materia priore forma, quæ tamen eam determinat, quia est eius actus formalis.

ARTICVLVS II.

De materia, forma, quantitate, & qualitate propositionis hypotheticæ.

7. Sicut materia propositionis categoricæ est vnum subiectum, eiusque forma est vnum prædicatum: ita materia propositionis hypotheticæ est duplex subiectum duplicis propositionis simplicis: atque eius forma est duplex prædicatum duplicis propositionis categoricæ. Hypothetica namque conflatur ex duabus categoricis, vt dixi *q. præcedente art. 3. & 4.* Idcircò ex earum subiectis, & prædicatis, tanquam forma, & materia ipsam constare necesse est. Extant autem inter propositiones hypotheticas quædam necessariæ, nonnullæ contingentes, & aliæ impossibiles, & reliquæ possibiles, sicut de categoricis suprà dictum est. Hypothetica autem aliam quantitatē à quantitate categoricæ non sortitur: est namque hypothetica vniuersalis, si vtraque categorica fuerit vniuersalis, vt *omnis Leo est sensitiuus*, & *omnis Leo est rugibilis.* Hypothetica verò est particularis, si categoricæ sint particulares, vt *quidam homo est doctus; & quidam homo est prudens.* Quod si vna ex categoricis fuerit particularis, & altera vniuersalis, propositio mixta nuncupari potest, vt *quidam homo est modestus, omnis homo est disciplinabilis.* De affirmatione verò, & negatione non est par ratio de categorica, ac hypothetica; siquidem categorica est affirmatiua, quando prædicatum affirmatur de subiecto; & negatiua, quando prædicatum remouetur à subiecto. Verùm, cum hypothetica coniunctione, siue conditione potiatur; ob id ea est affirmatiua cuius coniunctio, siue principalis copula est affirmatiua, vt *Petrus est visibilis, & Bucephalus est hinnibilis*: negatiua verò, cuius coniunctio est negatiua, vt *Petrus non est lapis & Leo non est arbor.* Qualitas hypotheticæ non est absimilis qualitati categoricæ, vtriusque enim eadem est qualitas, hoc est veritas, aut falsitas. Copulatiua enim est vera, quando ambæ categoricæ sunt veræ: falsa verò, quando ambæ categoricæ sunt falsæ, vel alterutra. Cur autē ad veritatē hypotheticæ requirātur ambæ categoricæ veræ, & ad eius falsitatē, vna categorica falsa sufficiat duntaxat, ratio reddi potest ex D. Dionysio *l. de Diuinis nominib. parte 4.* Quia bonum ex vna & tota causa, hoc est ex integra causa est, pollente omnibus circumstantiis, vt exponit Doctor *Quol. 18. §. De 1. sub H.* Malum verò ex particularibus defectibus, siue ex quocumque defectu. Quod fortassis magis dilucidabit illud vulgatum, *ad construendum plura requiruntur; ad destruendum verò sufficit vnum.* Vt disiunctiua sit vera, vna tantum eius pars debet esse vera, vt *est Astrologus, vel non est Astrologus*: ratio est, quia teste Boëtio allegato ab Authore Grammaticæ speculatiuæ *c. 15.* Coniunctio disiunctiua simul esse non permittit, & ibi subditur, coniunctio disiunctiua coniungit duo extrema, inter se distinguens ea à tertio. Quòd si interdùm disiunctio non videatur vnam partem ab alia segregare, id fortè accidit propterea quod vtimur eo loquendi modo, vt declaremus vnum ad minus non esse necessarium, alterumve sufficere. Hàc differēdi formulà vtitur Christus Dominus Matt. 18. inquiens, *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum.* Et Lucæ 2. legitur, *Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.* Nec plus probant, quæ contra præfatam doctrinam congerit Arriaga *disputatione secunda, sectione tertia, numero 15.*

8. Oppones, Coniunctio nihil confert ad affirmationem, aut negationem. Ergo affirmatio, aut negatio

propositi

propositionis hypotheticæ non petitur penes coniunctionem affirmatiuam, vel negatiuam, Ant. probatur: affirmatio, vel negatio desumitur penes conuenientiam, aut disconuenientiam subiecti cum prædicato. Nego antecedens, ad eius probationem dico id valere de categorica, non verò de hypothetica propositione.

QVÆSTIO QVARTA.

De Oppositione, æquipollentia, & conuersione simplicium propositionum.

1. TRIA proponuntur examinanda in præsenti quæstione, quæ per quatuor subsequentes articulos breuiter, & euidenter pertingentur, & decidentur.

ARTICVLVS I.


Quid, & quotuplex sit oppositio simplicium propositionum.

2. OPpositio ex Aristotele 1. *Perih. c. 4.* describitur *affirmatio, vel negatio eiusdem de eodem non æquiuoce.* Quod est dictu, oppositio est repugnantia duarum propositionum idem subiectum, idemque prædicatum habentium, sumpta in vniuoca significatione, penes affirmationem, & negationem. Addunt plerique, & rectè penes quantitatem, & qualitatem, propterea quod subalternæ ex infrà dicendis conueniunt in qualitate, & differunt in sola quantitate. Vna quippe est vniuersalis, & altera particularis, tametsi ambæ sint affirmatiuæ, aut negatiuæ. Ex prælata oppositionis descriptione nonnullæ colliguntur conditiones ad eam requisitæ. Prima, ambæ propositiones oppositæ debent constare eodem subiecto, & prædicato, defectu cuius istæ non opponuntur, *omnis Leo est rugibilis: nullus homo est hinnibilis*, diuersa quippe subiecta, & prædicata sortiuntur. 2. In vtraque retinendum est idem verbum: ob id istæ mutuò non pugnant. *Petrus legit: Petrus non deambulat.* Quælibet enim suo potitur verbo. 3. Exigitur vniuoca significatio, idcircò hæ non sunt oppositæ, *Leo est rugibilis, Leo non est rugibilis*, si prima intelligatur de Leone viuo, & 2. de Leone picto. 4. requiruntur idem tempus, & locus, propterea istæ non opponuntur, *Petrus diligit Deum, Petrus dilexit Deum.* Aër est salubris aquis, aër non est salubris areis. Hæc autem conditio valet tantùm in contingentibus, non verò in necessariis, quæ ab omni tempore, loco, & existentia abstrahunt, deque his habentur propositiones sempiternæ veritatis, de quibus fusè in nostris amplioribus quæstionibus præsentis operis *l. 4.*

3. Quadruplex autem ab Aristotele *hoc loco c. 11.* Scoto *q. 38. prædicamentali §. Ad 2. q. dicendum*, & Summulistis communiter recensetur oppositio, contraria, subcontraria, contradictoria, & subalterna. Cuius sufficientia sic colligi potest. Aut enim de vniuersali vniuersaliter enunciamus affirmatiuè, & negatiuè, & exoriuntur propositiones contrariæ, vt *omnis homo est iustus: nullus homo est iustus.* Aut de vniuersali non vniuersaliter enunciamus affirmatiuè, & negatiuè, & fiunt subcontrariæ, vt *quidam homo est iustus: quidam homo non est iustus.* Aut de vniuersali altero enunciamus vniuersaliter, de altero verò vniuersali non vniuersaliter, & habentur contradictoriæ, vt *omnis homo est iustus: quidam homo non est iustus.* Aut de aliquo vniuersaliter affirmamus, vel negamus, & particulariter affirmamus vel negamus de eodem; & emergunt subalternæ, vt *omnis homo est iustus: quidam homo est iustus.*

4. Quantitas autem propositionis lato modo, cum sit eius extensio, vt dixi *q. 3. art. 1. huius libri*; potest esse ratio oppositionis: sicut enim magnum, & paruum dicuntur opposita, vt videtur concedere Aristoteles *c. de quantitate*: ita propositio, cum penes ipsius quantitatem dici valeat magna, vel parua, siue magis, vel minus extensa, quia est magis, vel minus vniuersalis; idcircò quæ in sola quantitate differunt, vt subalternæ, non sunt prorsus ab oppositis explodendæ. Præsertim quia subcontrariæ non nisi in qualitate ab inuicem distinguntur: vtraque namque est particularis, vnaque affirmatiua, altera verò negatiua. Idque consonat Aristoteli, qui definiens prærecensitas propositiones, quantitatis earum perspicuè meminit: ait enim de contrariis vniuersaliter enunciamus: de contradictoriis, vniuersaliter de altero, & particulariter de altero: sed quantitas propositionis sita est in vniuersalitate, aut particularitate, etiam in sententia eorum, qui oppositionem subcontrariarum, & subalternarum euellere nituntur. Quocirca propositiones vel opponuntur in quantitate, & qualitate, vel in qualitate tantùm: vel in quantitate tantùm, vt licet inspicere in præsenti tabella ab Scoto insinuata *l. 2. Perih q. 6. Vers. Item hæc est vna.*

Omnis homo est iustus. Contraria. Nullus homo est iustus.



Aliquis homo est iustus. Subcontraria. Aliquis homo non est iustus

5. Oppones 1. ex Fons. *l. 1. Inst. c. 6.* & Arriaga *disp. 2. sect. 2. subsectione 1.* Aristoteles non recenset subcontrarias: ergo non sunt referendæ inter oppositas. Confirmatur 1. penes veritatem non opponuntur: ergo in oppositis locum non habent. Confirmatur 2. idem subiectum non sortiuntur: igitur eis deficit vna ex conditionibus ad oppositionem necessaria. Confirmatur 3. subcontrariæ possunt esse simul veræ: & veritas veritati non opponitur: ergo, &c. Resp. Aristotelem duobus in locis subcontrarias commemorasse, videlicet 1. *Perih. c. 5.* vbi teste Tol. per non contrarias intelligit subcontrarias. Et 2. *Priorum c. 13.* vbi expressè tradit subcontrarias. Et esto Aristoteles eas non docuerit: non ob id probè infertur eas non esse concedendas, argumentum enim desumptum ab authoritate negatiua non concludit. Adde quod subcontrariæ opponuntur penes qualitatem; & si in eis veritas non extiterit, saltem falsitas in eisdem reperitur, vt omnes fatentur: ideò huiusmodi propositiones ab oppositione non sunt immunes. Ad 1. conf. dico satis esse si secundum aliquam qualitatis speciem, vti est falsitas, opponantur. Ad 2. conf. negatur ant. homo enim v. g. sub signo particulari est ambarum subcontrariarum idem subiectum, veluti in contrariis, homo sub signo vniuersali est earumdem idem subiectum: Ad 3. quamuis vtraque possit esse simul vera, nequit tamen vtraque esse simul falsa, sicut contrariæ simul veræ esse non possunt, & ob hanc causam ab oppositis non

eximuntur, vt asserunt Tatar. 1. *Perib.* q. 4. *Scibili*. Mastrius, & Bellutus *Tract.* 2. *Inst. c.* 7.

6. Oppones 2. in subcontrariis, de vno subiecto v.g. Petro affirmatur cursus sic, *Petrus currit*: de alio verò, id est Antonio negatur cursus sic, *Antonius non currit*. Ergò cum non sit repugnantia de eodem respectu eiusdem, in subcontrariis nulla interuenit oppositio. Resp. propositiones oppositas exposcere idem subiectum, quod si mutetur subiectum, nulla extabit oppositio, vt probat argumentum; idque prope initium huius art. fuit animaduersum.

7. Oppones 3. Hurtadus *disp.* 4. *sect.* 7. vnam tantùm oppositionem, putà contradictoriam defendere conatur, sic oppositio secundum qualitatem formaliter habetur propter duas singulares mutuò contradicentes. Ergò solùm admittenda est oppositio contradictoria. Negatur a[...] vt enim ipsemet Hurt. ibi ingenuè fatetur oppositiones petuntur penes opposita obiecta, sicque erunt tot oppositiones distinctæ, quot erunt distincta opposita obiecta: atqui præter obiecta singularia determinata contradicentia, dantur obiecta vniuersalia contradicentia, & contraria, itemque particularia. Ergo plusquam vna statuenda est oppositio. Maior est in promptu. Minor suadetur ex descriptionibus contrariarum, contradicentium, & subcontrariarum præallatis: atque ex diuisione rerum in vniuersales, & singulares, quam affert Philosophus in principio capitis allegati: necnon ex definitione oppositionis ibidem adducta, quæ aliis, à contradictoriis formaliter competit, vt suprà induxi, & deduxi. Consistit enim in affirmatione, & negatione, non in veritate, & falsitate, vt vult Hurtadus prænominatus. Sed affirmatio, & negatio, veritas, & falsitas adaptantur nedum contradictoriis; verumetiam contrariis, & subcontrariis. Ruit itaque Hurtadi fundamentum, præsertim, quia vniuersales oppositæ gaudent propria oppositione distincta à singularibus, sicut & propria entitate ab eis distincta: moneo tamen hic secundum multos veritatem propositionis vniuersalis pendere ferè ex veritate particularis; data quippe quauis particulari fa[...] p[...]p[...]sitio est falsa. Si enim ista singularis est f[...] P[...]rus est l[...]pis, vtique vniuersalis est falsa, *Omnis homo est lapis*.

ARTICVLVS II.

De oppositarum Canonibus.

8. IN contrariis oppositis hic seruatur canon. Si vna contrariarum est vera, altera est falsa, non econtrà. Vtraque autem nequit esse simul vera: ratio est, quia si duæ contrariæ forent simul veræ, vtique contradictoriæ essent simul veræ, quod est impossibile; si enim duæ contrariæ sint veræ, cum ambæ sint vniuersales, putà *omnis canis est latrabilis*, *nullus canis est latrabilis*, rectè deducitur veritas duarum particularium, quarum negatiua contradicit vniuersali affirmatiuæ, v.g. *quidam canis non est latrabilis*: *omnis canis est latrabilis*: & affirmatiua contradicit vniuersali negatiuæ, vt *nullus canis est latrabilis*: *quidam canis est latrabilis*. Ex falsitate verò contrariarum, non sequitur falsitas particularium, quemadmodum ex falsitate subalternantis non sequitur falsitas subalternatæ: etsi enim hæc sit falsa *omnis homo est doctus*: nihilominus non sequitur quoque istam esse falsam. *Aliquis homo est doctus*. Qu[...] in[...] b[...] de contrariis nec[...] [...]latis hæc regula [...] [...]anda [...]st semper ex duabus vna est vera, & altera falsa. D[e] contingentibus autem an[...] [...]æ queunt esse simul falsæ, vt *omnis homo est iustus*: *nullus homo est iustus*.

9. Subcontrariarum canon est huiusmodi, in nec [...]riis si vna est vera, altera est falsa vt *quidam homo est animal*: *quidam homo non est animal*. In contingentibus verò ambæ possunt esse simul veræ, vt *quidam homo est doctus*: *quidam homo non est doctus*.

10. De contradictoriis traditur iste canon. Duæ contradictoriæ nec simul veræ, nec simul falsæ esse queunt. Causa est, quia idem simul esse, & non esse repugnat; quodlibet enim est, vel non est, & de quolibet verum est affirmare, vel negare: quod est principium notissimum, & vniuersalissimum Methaphysicæ.

11. Subalternarum canon est, quod si subalternans est vera, pariter subalternata est vera, vt *omnis homo est animal*: *quidam homo est animal*. At si subalternans est falsa, non probè sequitur subalternatam esse falsam in contingentibus, vt si hæc est falsa, *omnis homo est iustus*, non tamen illa est falsa, *quidam homo est iustus*. Ratio est, quia subalternans magis extenditur, quàm subalternata: ob id ad eius veritatem, plura requiruntur. Ex falsitate autem subalternatæ, sequitur falsitas subalternantis, vt si hæc est falsa, *quidam homo est iustus*: vtique illa erit falsa. *omnis homo est iustus*. Ratio est, quia ad falsitatem minora requiruntur, quàm ad veritatem, patet à simili de propositione copulatiua q. 3. *art.* 2. *huius libri*.

12. Oppones, Hæ sunt contradictoriæ *solus homo currit*, *non solus homo currit*, & tamen possunt esse simul falsæ. Ergo canon contradictoriarum non est semper verus. Ant. probatur, particula *non* cadens supra totam propositionem reddit eam contradictoriam affirmatiuæ. Consequentia deducitur, si nullus curat, falsa est ista. *solus homo currit*. Itidemque falsa est illa. *non solus homo currit*, posito, quod nec homo, nec aliud ab homine currat. Resp. quidquid alij dicant, negando ant. ad eius probationem dico, propositionum contradictoriarum alteram esse vniuersalem, alteram verò particularem, cuiusmodi non sunt propositiones præallatæ: sunt enim exponibiles, & sic exponuntur *solus homo currit*, *homo currit*, *& aliud prater hominem non currit*. Non solus homo currit. id est homo currit, & aliud prætes hominem currit. Idque in simili latè explicaui *Tract. de Deo vno disp.* 6. *q.* 3. cum Scoto 1. *d.* 21. *q.* 1. S. Bon. & aliis Scholasticis *ibid.*

ARTICVLVS III.

De Æquipollentia simplicium propositionum.

13. ÆQuipollentia, cuius meminit Doctor Sub[ti]lis *q.* 5. *primi Priorum*, *&* *q.* 13. *ad finem*. necnon q. 14. 9. *Notandum*, est eadem vis, idemque valor duarum propositionum simplicium eodem subiecto, & prædicato constantium, præposita, vel postposita negatione signis vniuersalibus, aut particularibus earum. Vt *omnis homo est mendax*; eius contradictoria est, *quidam homo non est mendax*, eius verò æquipollens est, *non quidam homo non est mendax*. Duæ quippè negationes affirmant, & vna tantùm negat, cum sit malignantis naturæ, destruit quod post se reperit; si enim apponatur vniuersali, facit particularem, & si præfigatur affirmatiuæ reddit negatiuam, iuxta hanc regulam istæ sunt æquipollentes, *quidam homo non est mendax*, *non omnis homo est mendax*. Ad rectè conficiendas æquipollentes, subsequentes canones sunt obseruandi, quorum primus est. In contradictoriis, vt fiant æquipollentes negatio est præponenda signo, vt liquidò constat in exemplis mox allatis. Secundus in contrariis vt æquipolleant, est postponenda negatio signis, & subiectis earum, vt *omnis homo est mendax*: *nullus homo non est mendax*. Itemque nullus homo est mendax: & omnis homo non est mendax, æquipollent. Tertius in subalternis, vt æquipolleant, præponitur, & postponitur negatio, vt *omnis homo est mendax*: *non aliquis homo non est mendax*. Similiter, *quidam homo est mendax*. *non omnis homo non est mendax*. Deninue

nullus

nullus homo est mendax : non aliquis homo est mendax. Prænominati canones hoc versu indicantur.

Præ contradic, post contrà, præpostque subalter.

14. Harum vocum explicatio, vt omnis oppositarum propositionum æquipollentia fiat, est huiusmodi. *Præcontradic*, idest, vt duę contradictoriæ efficiantur æquipollentes, præponenda est negatio. *Post contrà* idest in contrariis postponenda est negatio, vt euadant æquipollentes. *Præpostque subalter*, hoc est, oppositis subalternis præponenda, & postponenda est negatio, vt efficiantur æquiualentes. Quòd vt melius percipias, & facilius præstes, dignoscenda sunt signa, quibus præposita, vel postposita negatione ex vniuersalibus particulares, & ex particularibus reddantur propositiones vniuersales. Ob id subsequentia carmina conscripsere Dialectici.

Non omnis, quidam: non omnis non, quasi nullus.
Non nullus, quidam: sed nullus non valet omnis.
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.
Non alter, neuter: neuter non præstat vterque.

15. Oppones 1. Si plures propositiones æquipollerent, plures propositiones vni, & eidem contradicerent: sed hoc videtur esse falsum, quia vni vnum est contrarium duntaxat, secundum illud sacræ paginæ: fecit Deus omnia contraria, vnũ contra vnum, & duo cõtra duo. Ergo propositionũ æquiualẽtia non videtur esse admitteẽda. Dici potest plures propositiones non æquipollentes quidem vni propositioni non contradicere; plures tamen æquiualentes vni posse contradicere: nec effatum Scripturæ officit, quia ibi fit sermo de oppositis physicis simplicibus, & incomplexis: non autem de complexis, vt sunt propositiones.

16. Oppones 2. Nec lex, nec norma, nec mentio vlla facta est de subcontrariarum æquipollentia. Ergo diminutæ, & insufficientes sunt regulæ præadductæ de propositionum æquipollentia. Ant. liquet in versu præmisso. Consequentia tenet, passio propositionum est æquipollentia, ergo oppositis subcontrariis canon est assignandus, quo fiant æquipollentes. Respondent nonnulli eumdem prorsus esse canonem in subcontrariis, ac in contrariis; ideò peculiaris de eis mentio haud supra facta est. Contrà, lex æquipollentiæ contrarium est, vt negatio postponatur, vt suprà obseruaui & postposita negatio subcontrariis non efficit eas æquipollentes, vt patet in istis *quidam homo scribit, quidam homo non scribit*, si primæ adiicias negationem, sic, *quidam homo non scribit*, non distinguitur à 2. Si verò negationem iungas 2. *quidam homo non, non scribit*, inutiliter repetitur negatio: quod si alterutri præponas negationem, *Non quidam homo non scribit* non erit subcontraria. Idem quippe valet *non quidam, ac omnis*, vt patet ex dictis. Quare vanus est modus ille efficiendi subcontrarias æquipollentes. Respondent alij quibus adstipulantur Mastrius, & Bellutus c. 8. *Tract.* 2. postponendam esse negationem non aduerbialiter, sed nominaliter, veluti est nullum, quod licet intueri in istis, *quidam homo est albus quidam homo non est albus*, huius æquipollens est, *quidam homo nullum est album*. Contrà, nullum propriè non est negatio, sed signum vniuersale negatiuum. Itemque nec est nomen, nec aduerbium, vt constat ex dictis: igitur nec nominaliter, nec aduerbialiter accipi potest: nec est apta, sed inusitata locutio: non valet ergo prædictus modus reddendi propositiones subcontrarias æquipollentes, ac proinde sequendum est commune placitum Summulistarum, nullam in subcontrariis admittendum æquipollentiam. Quod mirum non est, vt enim non omnes modi figurarum reduci valent via ostensiua ad quatuor modos primæ figuræ ex dicendis in sequenti libro; sic inter propositiones oppositas subcontrariæ fieri nequeunt æquipollentes. Hoc quoque monstrari, & declarari potest de nominibus, quorum quædam sunt indeclinabilia, & de verbis, quorum nonnulla præteritis, & supinis spoliantur. Itaque non est vllum incommodum subcontrarias æquipollentiam non posse participare.

ARTICVLVS IV.

De Conuersione simplicium propositionum.

17. Conuersio est extremorum transmutatio, quæ accidit, cum quod erat subiectum in vna propositione fit prędicatum in altera, & prędicatum efficitur subiectum, quantitate, & qualitate manentibus, aut mutatis, vt *locus non est corpus. Ergo corpus non est locus.* Prima propositio vocatur conuersa, quia eius termini conuertuntur: 2. verò appellatur conuertens, quia ex conuersis terminis efficitur. Atque ex vna infertur altera, nempe ex conuersa deducitur conuertens, vt patet in exemplo pręallato. Et indicat Scot. 1. *Priorum* q 5. & q. 9. & q. 10. *necnon* q. 12. 13. & 14.

18. Triplex autem numeratur conuersio, simplex, per accidens, & per contrapositionem. Conuersio simplex, quę & conuersio in terminis nominatur, fit transferendo tantùm terminos, videlicet subiectum in prędicatum, & prędicatum in subiectum, retentis eisdem quantitate, & qualitate. Bifariàm autem hęc conuersio conficitur: vno modo per enunciationes vniuersales negantes, vt *nullus piscis est arbor. Ergo nulla arbor est piscis.* Altero modo per particulares affirmatiuas, vt *quidam piscis est viuens: ergo quoddam viuens est piscis.* Conuersio per accidens habetur, cum transmutantur termini, & quantitas, persistente eadem qualitate. Contingit verò dupliciter: aut quando ambę propositiones sunt negatiuæ vna vniuersalis, & altera particularis, vt, *nullus lapis est animatus. Ergo quoddam animatum non est lapis*: aut quia altera est vniuersalis, & altera particularis; vtraque verò est affirmatiua, vt *omne corpus est substantia: ergo quædam substantia est corpus.*

19. Conuersio per contrapositionem accidit, quando perdurante eadem quantitate, & qualitate, termini de finitis, fiunt infiniti. Potest autem fieri duobus modis. 1. Cùm vniuersalis affirmatiua de terminis finitis, transmutatur in vniuersalem affirmatiuam de terminis infinitis, vt *omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo.* 2. Cum particularis negatiua de extremis finitis vertitur in particularem negatiuam de extremis infinitis, vt *quædam substantia non est corpus: ergo quoddam non corpus non est non substantia.* Huius meminit Scot. 1. *Priorum* q. 15. § *Quantum ad* 2.

20. Recentes, quibus adhæret Arriaga, dubitant, nùm subiectum tantum debeat infinitari: an verò subiectum, & prædicatum simul? Verùm hæc difficultas tollitur ex descriptione cõuersionis præallata: Dictũ namque est huiusmodi tertiam conuersionem euenire, cum termini eius de finitis fiunt infiniti per additionem negationum: & si solum subiectum foret infinitãdum, apponendum tantum esset in dicta definitione, quando subiectum duntaxat de finito euadit infinitum. Præterea nisi vterque terminus infinitandus esset in hac conuersione, non seruaretur eadem qualitas in conuersa, & conuertente: sed vna foret affirmatiua, altera verò negatiua, vt conspicitur in istis. *Omnis homo est animal: ergo omne non animal non est homo.* Quod si prædicatũ infinitetur vnà cũ subiecto, vtraq; existit affirmatiua quia omnis infinitãs est affirmatiua, vt cõcedit Arriaga d. 2. *subs.* 5. Rursus cùm negatio cadit suprà nomen infinitat illud, vt non negat idẽ Arriga *disp.* 1. & repetit *disp.* 2. *subsect.* 4. At si negatio addatur verbo, vt *Petrus non currit*, opponitur huic, *Petrus currit.* Igitur, nisi prædicatum infinitetur, propositio minimè est affirmatiua. Idque magis elucet in propositionibus secundi modi spectantibus ad hanc postremam conuersionẽ: ambæ quippè sunt particulares negatiuę, & cõuertens esse nequit, nisi tam prædicatum, quàm subie-

ctum infinitetur, vt constat in exemplo allato. Nec etiam huic apponi debet vlla constantia, seu existentia rei, vt censet Hurtadus *disp.1. sect.5. num.17.* Siquidem omnes necessariæ propositiones, quarum exempla adduximus suprà, ab omni rei existentia præscindunt. Igitur necessaria non est vlla constantia, sine rei existentia. Cæterùm vt modus construendi hasce tres conuersiones memoriæ mandetur, Dialectici hæc carmina composuere.

Feci simpliciter conuertitur, Eua per acci.
Asto per contra, sic fit conuersio tota.
Asserit A. negat E. sunt vniuersaliter ambo.
Asserit I. negat O. sunt particulariter ambo.

In his carminibus quatuor notantur litteræ A.E.I.O. designat autem A. vniuersalem affirmatiuam, E. vniuersalem negatiuam, I. particularem affirmatiuam, & O. particularem negatiuam. Atque in primis duobus versibus extant tres dictiones, *Feci, Eua, & Asto*, quæ præseferunt tres prærecensitas conuersiones. *Feci*, respicit primam conuersionem, in qua habentur E. quæ denotat vniuersalem negatiuam, & I. particularem affirmatiuam, ambas per eam conuertendas, eo modo, quo suprà explicaui. *Eua* spectat ad 2. conuersionem, quæ afficitur E. & A. designantibus vniuersalem negatiuam, & vniuersalem affirmatiuam per eam conuertendas, vt exemplis præostendi. *Asto*, componitur ex A. & O. quæ significant vniuersalem affirmatiuam, & particularem negatiuam per hanc transmutandas, sicut anteà palàm feci.

21. Oppones 1. *Nullum animal est falsò corpus: ergo nullum corpus est falsò animal.* Ista conuersio non valet, cùm antecedens sit verum, & consequens falsum: ac proinde vniuersalis negatiua non conuertitur per conuersionem simplicem. Resp. non sic vt habetur in oppositione, præstandam esse conuersionem, sed hoc modo, nimirùm, nihil quod est falsò corpus, est animal.

22. Oppones 2. Si conuersione per accidens conuertitur vniuersalis negatiua, hæc *nullus homo est mulier*, conuertenda esset in istam, *quædam mulier non est homo*, quæ est falsa. Ergo non rectè assignatur canon conuersionis 2. Resp. præallatam vniuersalem negatiuam ita esse conuertendam, *quædam mulier non est aliquis homo*, quæ est vera, & legitima.

QVÆSTIO QVINTA.

De propositione modali.

1. EAdem fermè peruestigantur in propositione modali, quæ in absoluta, vt innuit Doctor Subtilis 1. *Priorum q.3. §. Quantum ad 2. & q.48. ad finem.* Propterea ex dictis de illa facile percipientur, quæ de hac sumus dicturi.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit modalis propositio.

2. PRopositio modalis, quam memorat Scotus *q.25. primi Priorum §. Quantum ad 1. & 2. d.3. q.9.* describitur, quæ modo aliquo afficitur, vt *necessarium est hominem esse animal.* Vbi vox necessarium est modus, ratione cuius propositio appellatur modalis. Potest autem modus definiri is, qui propositionem modificat, siue restringit significationem eius ad rem certam, & determinatam, notante Scoto *cit. q.26. §. Quantum ad 1.* vel docente Petro Hispano *Tract.2.* Modus est adiacens rei determinatio, vt necessarium determinat solùm ea, quæ inter se vinculum sortiuntur indissolubile, veluti patet in exemplo præallato. Contingens est modus, qui limitat ea, quæ vinculo dissolubili iunguntur, adeò vt valeant esse simul coniuncta, vel disiuncta, vt *contingens est hominem esse album.* Possibile est modus, qui determinat ea, quæ nullam inter se præseferunt repugnantiam, vt *possibile est hominem esse beatum.* Possibile autem latiùs patet, quàm contingens; necessarium quippè est quidem possibile, non tamen est contingens: ideóque à necessario, & contingente videtur abstrahere. Impossibile dicitur de iis, quæ inter se repugnant, vt *impossibile est hominem esse lapidem.* Homo namque, & lapis adinuicem sunt termini incompossibiles. Præfatæ modi definitioni non videtur absona descriptio modi tradita à Scotistis *Tract. Formalitatum art.1 partiali* ex Scoto 1.d.8.q.3. Modus est, qui additus rei non variat rem: cùm enim aliquis ex prædictis modis additur propositioni categoricæ, ipsa propositio non mutatur, sed modificatur duntaxat.

3. Penes quatuor modos prænarratos, quadruplex numeratur propositio modalis ex Aristotele 2. *Perih. c.1.* & Scoto *q.26. primi Priorum §. Quantum ad 1.* Prima vocatur modalis de necessario, quæ enunciat aliquid alicui necessariò conuenire. 2. Modalis de contingente, quæ enunciat aliquid alicui contingenter euenire. 3. Modalis de possibili, quæ enunciat aliquid alicui posse conuenire. 4. Modalis de impossibili, quæ enunciat aliquid alicui repugnare. Hæ omnes autem exemplis suprà sunt illustratæ, & confirmatæ: possuntque fieri aut nominaliter, quando modus est nomen, vt *necessarium est arborem esse corpus*: aut aduerbialiter, quando modus est aduerbium, quod apud Logicos perhibetur syncategorema, vt *homo necessariò est rationalis.* Porrò, vt aduertit idem Doctor *ibid. q.27 §. Quantum ad 1. & §. Quantum ad 2.* In modali duo reperiuntur, modus scilicet & dictum. Modus iam à nobis est præexplicitus: dictum verò est id omne, quod in ea ponitur, præter modum, ita fortasse nuncupatum, quia de eo modus dicitur.

4. Oppones 1. Definitio modi à Petro Hispano adducta conuenit accidenti, quod adiacet, & inhæret subiecto: sed accidens non est modus, vt ex se constat. Ergo definitio modi non est idonea, & recta. Resp. maiorem capiendam esse de adiacentia non 1. sed 2. intentionaliter sumpta: modus quippe, de quo loquimur adiacet propositioni, quatenus secundò intentionaliter accipitur.

5. Oppones 2. Nullum subiectum, nullumve prædicatum est determinatio copulæ: sed modus respicit subiectum, aut prædicatum: ergo modus non est adiacens rei determinatæ. Resp. hanc instantiam eadem distinctione esse diluendam, quâ diluta fuit præcedens. Itaque maior est vera primò intentionaliter, non autem secundò intentionaliter capta.

ARTICVLVS II.

De materia, forma, quantitate, & qualitate propositionis modalis.

6. QVemadmodum in propositione hypothetica duplex subiectum duarum propositionum simplicium est eius materia, & duplex prædicatum earumdem est eius forma, vt patet suprà *q.3. art.3. huius libri*: ita cum in modali cernamus duplex subiectum, vnum modi, & alterum dicti: necnon duplex prædicatum, modi scilicet, & dicti: primum, vtrumque subiectum modi, & dicti nomen materiæ: secundum verò vtrumque prædicatum dicti, & modi nomen formæ sortiuntur, vt loco cit. in re simili planum feci.

7. Qualitas modalis est dupla, altera ex modo: altera verò ex dicto petitur. Potest autem contingere, vt ex parte vtrinsque sit affirmatiua, & vera, vt *hominem esse animal*,

animal, est necessarium. Aut ex parte vtriusque sit negatiua, & falsa, vt *hominem non esse lapidem, non est possibile.* Aut ex parte modi negatiua, ex parte verò dicti affirmatiua, vt *hominem esse rationalem, non est contingens.* Simpliciter autem affirmatiua dicitur illa, quæ habet modum affirmatiuum, licet dictum sit negatiuum: & absolutè dicitur ea negatiua, quæ modum habet negatiuum, licet dictum sit affirmatiuum. Denuò in modali duplex quantitas reperitur, in dicto, & in modo: in dicto extat quantitas propositionis absolutæ: in modo verò quantitas ipsius propositionis modalis. Necessarium autem, quoniam est modus vniuersalis semper ponit rem in effectu: impossibile semper tollit: contingens modò ponit, modò tollit. Possibile denotat rem posse esse. Absolutè verò quantitas enunciationis modalis penes modum decerpitur. Si enim modus fuerit vniuersalis, modalis erit vniuersalis; quod si modus fuerit particularis, pariter modalis erit particularis. Duo autem extant modi vniuersales, putà necessarium, & impossibile: duo verò particulares, nempè possibile, & contingens. Si negatio præponatur modis vniuersalibus, fiunt particulares, vt *non necessarium, non impossibile.* At si negatio præfigatur modis particularibus, efficiuntur vniuersales, vt *non possibile, non contingens.*

8. Oppones, *omnem hominem sedere, est possibile*, in hac propositione subiicitur terminus communis signo vniuersali. Ergo propositio præfata est vniuersalis, quod pugnat eis, quæ suprà asseruimus. Resp. tale signum vniuersale haud determinare totum subiectum, sed partem subiecti duntaxat; ideò illa non censetur propositio vniuersalis: non sic autem est modus prænominatæ propositionis.

ARTICVLVS III.

De oppositione, & æquipollentia Modalium.

9. Oppositio modalium quoquo modo ex oppositione absolutarum percipi valet, sicut enim illa efficitur, additis, vel demptis negationibus: sic & ista constituitur per additionem, aut demptionem negationum. Verùm quoniam nonnulla peculiaria extant in oppositione modalium, quæ minimè adaptantur absolutarum oppositioni. Idcircò ea breuiter, & dilucidè sunt à nobis adducenda, & enucleanda, ne Tyronum ingenia, & multitudine legum, & obscuritate rerum obruantur.

10. Principiò sciendum est, possibile, & impossibile: Itemque contingens, & necessarium esse modos oppositos. Præterea propositiones oppositas, & æquipollentes fieri posse dupliciter, aut penes modum eiusdem appellationis, vt *possibile est Petrum currere: possibile est Petrum non currere*: aut penes modum diuersæ appellationis, vt *possibile est Petrum currere: contingens est Petrum currere.* Deinde propositiones eodem modo vniuersali affirmatiuo constantes, si dicto vnius addatur negatio, sunt contrariæ, vt *necessarium est hominem mori: necessarium est hominem non mori:* At si negatio addatur modo duntaxat, sunt contradictoriæ, vt *necessarium est Petrum currere: non necessarium est Petrum currere.* Quod si ambæ propositiones habeant modum particularem, & dicto alterius iungatur negatio, fiût subcontrariæ vt *necessarium est Petrum moueri, cùm currit: non necessarium est Petrum non moueri, cùm currit.* In quouis autem modo confici queunt quatuor propositiones modales. Prima fit quando dictum, & modus negatione carent, vt *Possibile est Petrum sedere.* 2. quando negatio iungitur verbo, vt *possibile est Petrum non sedere.* 3. quando negatio modo adiungitur, vt *non possibile est Petrum sedere* 4. quando negatio vtrique nectitur, vt *non possibile est Petrum non sedere.*

11. Vt verò omnis oppositio, & æquipollentia modalium coiteat, quatuor notantur litteræ A. E. I. V. quæ quatuor diuersas propositiones modales designant, A. affirmatiuam de modo, & dicto, vt *hominem esse animal est necessarium.* E. affirmatiuam de modo, & negatiuam de dicto, vt *hominem non esse lapidem est necessarium.* I. negatiuam de modo, & affirmatiuam de dicto, vt non est possibile hominem esse lapidem. V. negatiuam de vtroque, vt *non necessarium est hominem non sedere.* Idque totum hoc versu Dialectici innuunt, & comprehendunt.

E dictum negat. Ique modum, nihil A, sed V, totum.

12. Ampliùs adinuenti sunt quatuor ordines, in quibus conspiciuntur omnes modales oppositæ, & æquipollentes, per has quatuor dictiones significatæ, in quibus præcedentes litteræ includuntur. Amabimus, Edentuli, Illiace, Purpurea, quæ in his carminibus leguntur.

Extat primus Amabimus, Edentulique secundus.
Tertius Illiace, purpurea reliquus.

13. Istæ dictiones distinctionis, & claritatis gratia, cum omnibus propositionibus oppositis, & æquipollentibus sic disponuntur. Quatuor syllabæ cuiuslibet dictionis quatuor æquipollentes, & quatuor litteræ, affirmatiuas propositiones, vel negatiuas, vniuersales, vel particulares præseferunt, vt paulò antè monebam, & conspiciuntur in subsequenti tabella.

4. Ordo *Purpurea.*		3. Ordo *Illiace.*	
Pur-	Petrum non sedere non est possibile.	Il-	Petrum sedere non est possibile.
pu-	Petrum non sedere non est contingens.	li-	Petrum sedere non est contingens.
re-	Petrum non sedere est impossibile.	a-	Petrum sedere est impossibile.
a.	Petrum sedere est necessarium.	ce.	Petrum non sedere est necessarium.

Contraria.

Subalterna. *Contra* *dictoria.* *Subalterna.*

Contra *dictoria.*

Subcontraria.

1. Ordo *Amabimus.*		2. Ordo *Edentuli.*	
A-	Petrum sedere est possibile.	E-	Petrum non sedere est possibile.
ma-	Petrum sedere est contingens.	den-	Petrum non sedere est contingens.
bi-	Petrum sedere non est impossibile.	tu-	Petrum non sedere non est impossibile.
mus.	Petrum non sedere non est necessarium.	li.	Petrum sedere non est necessarium.

Explicatio quatuor prædictorum ordinum, propositiones, quæ resident in 3. & 4. ordine sunt contrariæ: quæ in 1. & 2. sunt subcontrariæ: quæ in 1. & 3. Itemque in 2. & 4. sunt contradictoriæ. Quæ verò in 1. & 4. necnon in 2. & 3. sunt subalternæ. Hæque omnes his versibus continentur.

Tertius in 4. semper contrarius ordo.
Sit tibi linea subcontraria prima secunda.
Tertius est primo contradictorius.
Pugnat cum quarto contradicendo secundus.
Prima subest quarto, vice particularis habens se.
Hanc habet ad tertium se lege secunda sequentem.

14. Insuper obserua omnes enuntiationes cuiuscumque

 præfati

præfati ordinis inter se quidem esse æquipollentes, vt patet inspicienti: esse verò oppositas, quatenùs quæ sunt in vno ordine respiciunt cæteras, quæ in reliquis lineis cullocantur, sicut apertè monstratur in præaddu-cta tabella. Denique restat explananda conuersio modalium, quæ deprometur penès dictum, & non penès modum, docente Scot. 1. *Priorum q. 25.* vt *Paulum sedere est possibile.* Sic efficitur huius conuersio, *aliquod sedens esse Paulum, est possibile.* Itaque in modalis conuersione seruantur documenta enuntiationis absolutæ, ac proinde nihil ampliùs his videtur adiiciendum, quod loco citato non fuerit animaduersum. Vnum tantum Arriagam ex Neotericis inueni, qui *disp.* 2. *sect.* 5. spernit præterecensitas litteras, & dictiones, immò sectione nunc allegata reiicit litteras, quæ cum dictionibus, inseruiunt conuersioni simplicium enuntiationum. Sed immeritò, valde enim iuuant memoriam, ex earum quippe inspectione faciliùs quispiam in memoriam reuocat, quod sibi in hisce præstandum est, vt præter Arriagam vno ore confitentur omnes Dialectici. Alioquin ipse despiciat necesse est, eas quæ modos vtiles syllogismorum cuiuscumque figuræ designant, quas non est ausus inficiari: immò easdemmet adducit, explicat, & vtitur. Cùm ergo eadem sit causa, idemque vsus tam istarum, quam illarum, proculdubio has gratis contemnit, & illas recipit. Quare si aliquo fundamento, & ratione fulciantur, aut omnes repellat, aut omnes admittat, necesse est.

15. Oppones 1. Hæ duæ propositiones sunt in eodem ordine *hominem non possibile est currere: omnem hominem impossibile est currere.* & tamen non sunt æquipollentes. Ergo non oportet equipollentes esse eiusdem ordinis. Resp. causam esse, cur illæ non æquipolleant, quia subiecta earum non se habent vniformiter.

16. Oppones 2. *omnis homo possibiliter currit: quidam homo impossibiliter currit*, sunt propositiones eiusdem lineæ, quæ tamen non æquipollent. Ergo, &c. Resp. eas esse æquipollentes ex parte subiecti, non verò ex parte modi, penes quem depromitur æquipollentia modalis.

QVÆSTIO SEXTA.

De Propositione exponibili.

1. PROPOSITIO exponibilis ex Scot. 1. *Priorum q. 5.* est, quę expositione, seu declaratione indiget, propter aliquam particulam, quę reddit eam obscuram. Propositio autem obscura vocatur exponibilis: quæ verò eam exponunt, seu declarant, appellantur exponentes. Tres autem potissimùm referuntur exponibilium species, videlicet exclusiua, exceptiua, & reduplicatiua. De quibus impræsentiarum est agendum in duobus subsequentibus articulis.

ARTICVLVS I.

De Exclusiuis.

2. PRopositio exclusiua est, quæ aliquo syncategoremate exclusiuo efficitur, perhibente Scoto 1. *Priorum q. 4. §. oppositum, & q. 14. in fine*: vt *tantum homo est rationalis.* Sunt autem syncathegoremata exclusiua tantum solùm, solummodò, duntaxat, & huiusmodi. Potest verò dici propositio exclusiua dupliciter, aut exclusi prædicati: aut exclusi subiecti. Primo modo efficitur, quando exclusio excludit alia prædicata ab eodem subiecto, vt tantùm homo est rationalis. 2. modo euenit, quando exclusio excludit alia subiecta ab eodem prædicato, quòd est dictu, alia subiecta non participant idem prædicatũ, vt *tantùm animal est sensitiuũ.*

3. In propositionibus exclusiuis notatur hic canon, particula excludens non excludit ea, quę necessariò, aut contingenter subiecto congruunt. Cùm enim dicitur, *tantum homo est rationalis*, non excluduntur animal, & reliqua, quæ de ipso homine necessariò enuntiantur, aut contingenter, veluti albedo, quæ contingenter competit homini, ratione cuius denominatur albus, sed id, quod homini repugnat, vt *esse leonem, vel lapidem.*

4. Quatuor autem afferuntur enuntiationes exclusiuæ penes affirmationem, aut negationem syncathegorematis exclusiui, & verbi. Si enim nulla negatio præmittatur particulæ exclusiuæ, & verbo, exurgit prima exclusiua, vt *tantum homo est risibilis.* At si negatio ponatur supra signum exclusiuum fit secunda, vt *non tantùm homo est albus.* Si negatio addatur verbo, efficitur tertia, vt *tantùm anima rationalis non est immortalis.* Quòd si vna negatio nectatur voci exclusiuæ, & altera verbo, habetur quarta, vt *non tantùm homo non est immortalis.* Prænominatæ exponibiles declarantur per suas exponentes, sublato syncathegoremate, excludente, remanente tamen eodem subiecto. Prima exclusiua exponitur per hypotheticam copulatiuam, quæ ex alias dictis continet duas categoricas, quarum prior debet esse particularis affirmatiua, & posterior vniuersalis negatiua, vt *tantùm homo currit*, sic exponitur. *Quidam homo currit: & nullum quod non sit homo currit.* 2. Explanatur per hypotheticam disiunctiuam, quæ habet duas simplices disiunctiuas, quarum prima debet esse vniuersalis negatiua, & 2. particularis affirmatiua, vt *non tantum homo currit*, sic exponitur, *nullus homo currit: aut aliquod non homo currit.* 3. Exponitur per hypotheticam copulatiuam, habentem primam categoricam particularem negatiuam, & secundam vniuersalem affirmatiuam, vt *tantum homo non currit*, sic exponitur. *Quidam homo non currit. & omne aliud ab homine currit.* 4. Per hypotheticam disiunctiuam comprehendẽtem duas simplices, priorem vniuersalem affirmatiuam: & posteriorem particularem negatiuam, vt *non tantùm homo non currit*, sic exponitur. *Omnis homo currit, aut aliquis homo non currit.* Vt autem modus resoluendi has exclusiuas tenaciùs menti nostræ hæreat, accipiendæ sunt quatuor dictiones, putà *Diues, Oras. Ame, Hely.* In his notantur quatuor litteræ A. E. I. O. inatã significationem, quam attulimus suprà de modo connexionis absolutarum propositionum, eoque ordine resoluendæ sunt exclusiuæ, quo præostendimus per memoratas dictiones, cùm suis litteris, vt licet intueri in præsenti syllabo.

Diues.	*Contrariæ.*	*Oras.*
Tantum homo est animal. idest homo est animal, & nulla res, quæ non est homo est animal.		Tantum homo non est animal. idest, homo est animal, & omnes res, quæ non est homo, est animal.
Subalternæ.	*Contra-dictoriæ.* *Contra-dictoriæ.*	*Subalternæ.*
Non tantùm homo est animal. Seu omnis homo est animal, vel: aliquid, quod non est homo est animal.		Non tantùm homo est animal. id est. Non homo est animal, vel aliquod, quod non est homo est animal.

Ame

Ante. *Subcontraria.* *Hely.*

5. Opponunt sese huic communi Summulistarum doctrinæ nonnulli Recentes, præsertim Hurtadus *disp.* 4. *sect.* 14. aientes, propositionem primi modi, veluti, *tantum homo currit*, haudquaquam resolui posse per primā vniuersalem affirmatiuam, & secundam vniuersalē negatiuam, vt *omnis homo currit*, & *nihil præter hominem currit*. Pariter in materia necessaria, malè quispiam resolueret propositionem indefinitam, puta, *tantum homo est rationalis* in istas duas, *aliquis homo est rationalis*, & *nihil præter hominem est rationale*, quia præter aliquem hominem, aliquid est rationale, scilicet duo, & omnes homines sunt rationales.

6. Contrà, imprimis subiectum exclusiuæ non notatur signo vniuersali, sed esse debet indefinitum, & si propositio indefinita æquialeat vniuersali, non tamen in materia contingente; de qua ipsemet Hurtadus affert exemplum. Rursùs mens Summulistarum non est resoluere, siue conuertere propositiones exponibiles. Siquidem indubitatum est, exclusiuam de verbo, & signo affirmatis conuerti in vniuersalem affirmatiuam, vtpotè *tantum homo est rationalis*. *Ergo omne rationale est homo*, sed eas explicare, & obscuria reddere claras, non verò obscuram per obscuram resoluere; at conuertere prædictas propositionēs, vt præstat Hurtadus, potiùs est obnubilare, quàm eas declarare. Difficilius namque est, aut æque difficile capere istam, *nihil præter hominem currit*, quàm illam, *tantùm homo currit*, quia vna est exclusiua, & altera exceptiua, ambæ verò exponibiles. At exponibilia non exponitur per exponibilem, sed per duas exponentes, vt non abnuit Hurtadus, & indicat Scot. 1. *d.* 21. *q.* vn *sub A*. Quare Summulistæ bene hanc exponunt, *tantum homo est rationalis*, sic, *homo est rationalis*, & *nihil quod non sit homo, est rationale*.

7. Instant prænominati Nuperi. Hæ per Summulistas sunt contradictoriæ *solus homo currit*: *non solus homo currit*: quia particula negatiua totam efficiens propositionem efficit eam contradictoriam affirmatiuæ, & nequeunt esse simul falsæ, quod pugnat legi contradictoriarum. Si enim nemo currat, hæc est falsa, *solus homo currit*, quia nec solus homo, nec ei associatus currit. Item alia est falsa, *non solus homo currit*, quia nec solus homo, nec alius ab homine currunt: sicque duæ contradictoriæ forent simul falsæ. Verùm hæc, & consimilia, quæ aduersùm nos adducunt citati Authores nullius sunt momenti. Etenim si in contradictoriis absolutis id nullam ingerit difficultatem, nec etiam in hisce exclusiuis. Siquidem absolutè, & non ea hypothesi pronuntiantur istæ exclusiuæ *solus homo currit*: & *non solus homo currit*. Vera quippè stat utur regula, negatio toti propositioni præfixa, reddit eam contradictoriam propositioni præcedenti. Nec ex hoc concedentur propositiones pias aures offendentes, vt deducit Arriaga, *subsectione* 3. vt *non solus Deus est blasphemus*, quia eius contradictoria, *Deus est blasphemus*, est falsa. Ergo debet esse vera. Quòd vt dissoluatur, aduerto cum Scoto 1. *d.* 21. *q.* vn. §. *Ad q.* A. post Aristotelem 1. *Elench. c.* 4. vocem *solus* 2. posse accipi categorematicè, & syncategorematicè. Solus categorematicè idem est ac solitarius, sic legitur Matt. 14. *Ascendit in montem solus*, & Marci 6. *Erat nauis in medio mari*, & *ipse solus in terra*. Solus verò syncategorematicè sumitur respectu alterius, cuius negatur consortium, quo pacto dicitur Psal. 71. *Qui facit mirabilia solus*, & Psal. 85. *Tu es Deus solus*. Ex his liquet prædictam propositionem, si solus accipiatur sincategorematicè esse falsam, hic enim sensus esset, Deum, & alios esse blasphemos, nisi statim adhibeatur explicatio, vel Deus non est blasphemus, vel alius est blasphemus, quæ tamen non videtur quadrare proprio eius sensui. Sensus enim eius est, Deum esse blasphemum, aliosque sibi associatos; sicut cùm Christus dicebat, *Non sum ego solus*. Quocircà censeo sic esse respondendum, tunc præallatam regulam non valere, quando subiectum propositionis non est capax eius prædicati, hoc enim pacto iungi nequeunt extrema; ac proinde associari, aut dissociari non possunt. Idque deduci potest ex alijs consimilibus, vtpotè. *Non solus Deus est infinitus*, *non solus Deus est immensus*, & huiusmodi. Cur autem explicetur per disiunctionem, quando negatio præponitur dictioni exclusiuæ, ratio affertur, quia proprium est signis distributiuis, vt si ab alija prohibeantur, non distribuant; atqueadeò sicut non est distributiua suppositio, ita nec copulatiuè explicandæ sunt propositiones, quæ his signis afficiuntur.

ARTICVLVS II.

De Exceptiuis, & Reduplicatiuis.

8. Propositio exceptiua est, (affirmante Pelbarto, *Tomo* 2. *Rosarij verbo, de dictione reduplicatiua,* *arte* §. 11.) quæ aliquo signo exceptiuo notatur, ratione cuius redditur obscura, estque exponibilis, vt *omne animal præter hominem, est irrationale*. Signa verò exceptiua sūt, præter, prætetquàm, nisi & huiusmodi, quæ efficiunt propositiones obscuras exponibiles per alias eis æquiualentes, vt *nullum animal præter hominem est rationale*, sic exponitur, inter animalia homo est rationalis, & non aliud. Tot autem fieri queunt exceptiuæ, quot exclusiuæ, quarum numerum, oppositionem, & cætera, quæ de his fusè à veteribus Dialecticis pertractantur, non censeo opportuna, nec necessaria adducere, & examinare.

9. Propositio reduplicatiua ex Scot. 1. *Priorum q.* 35. §. *Quantum ad* 1. est, quæ aliquo signo reduplicatiuo afficitur, ratione cuius est obscura, ac proinde exponibilis. Signa verò reduplicatiua sunt, quatenùs, inquantùm, prout, & huius formæ alia, quæ faciunt propositiones obscuras, exponibiles per alias ipsis æquiualentes, vt homo quatenùs homo est rationis capax: sic exponitur homo, quia rationalis est, capax est rationis, vt patet Quol. 3. *H.* & *d.* 11. *q.* 2. Signum quippe reduplicans denotat causam alicuius rei esse rationem formalem, supra quam reduplicat, vt innuit Doctor q. 7. *Vniuersalium* §. *Ad.* 1. Totidem autem referuntur reduplicatiuæ, quot exceptiuæ, & exclusiuæ, de quibus & consimilibus non amplius dissero, sed videri possunt apud Maiorem, & Tatar. abundè de eis disserentes.

10. Oppones, hæc non est reduplicatiua, Petrus bibit inquantum potest, tametsi in ea exter signum reduplicatiuum *inquantum*: ergo non aptè fuit descripta enuntiatio reduplicatiua. Resp. signum reduplicatiuum non constituere propositionem reduplicatiuam, si sumatur aduerbialiter, vt capitur in argumento: benè tamen si accipiatur coniunctionaliter, vt capitur in præsenti, siue sit de subiecto, siue de prædicato reduplicato.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Diuisione, & Definitione.

1. TRIA recensentur instrumenta, siue modi sciendi Logices, vt cum alijs Dialecticis aduertit Petrus Tatar. propè initium expositionis Summulatum) diuisio, definitio, & argumentatio. De duobus primis in præsenti q. 8. verò in sequenti libro agemus. Nec abs re hic huic libro iungimus quæstionem de diuisione, & definitione, quia vel sunt perfectæ, vel saltem imperfectæ orationes, & propositiones.

ARTICVLVS I.

De diuisione.

2. SCotus [in] 1. *d. 3. q. 2. §. Loquendo igitur.* N. monet per definitionem haberi cognitionem distinctam rei quæ inquiritur per diuisionem; ideóque prius esse diuidendum, quàm definiendum, nisi aliter res expostulet, vt indicat Antonius Andreas in expositione libelli de diuisione Boëtij. Diuisio autem describitur oratio, quà totum in suas partes distribuitur, vt *Leo diuiditur in corpus, & animam.* Totum quod diuiditur appellatur diuisum, & partes, in quas secernitur totum, vocantur membra diuidentia. Duplex autem ex Doctore *q. 23. Vniuersalium & 1. d. 3. q. 1. ante F. & infrà N.* extat diuisio, vna nominis, altera verò rei. Nam totum quod diuiditur, aut est nomen habens plures significationes; aut res habens plures partes. Si 1. habetur prior diuisio, quâ v. g. canis diuiditur in terrestrem, marinum, & cælestem. Si 2. habetur posterior diuisio, quâ v. g. viuens diuiditur in vegetans, sentiens, & intelligens. Præterea, cum totum aliud sit reale: aliud verò rationis, fit, vt diuisionum altera sit realis, quà totum reale in suas partes reales scinditur: altera verò rationis, quâ totum rationis in suas partes distribuitur, vt propositio in subiectum, & prædicatum. Diuisio realis est quadruplex, iuxtà quadruplicitatem totius, integralis, vniuersalis, essentialis, & accidentalis. Integralis est qua totum integrale in suas partes diuiditur, quod vel est homogeneum, idest eiusdem rationis habens partes, vt caro diuiditur in partes, quæ idem nomen, eamdémque rationem carnis participant: aut etherogeneum, idest partes diuersæ rationis habens, vt hominis alia pars caput, alia cor, alia pedes. Huic opponitur diuisio entitatiua, qua totum entitatiuum in partes entitatiuas dispertitur, vt tota materia in suas partes materiales, de qua in Phys. Diuisio totius vniuersalis est in partes subiectiuas, quæ accidit, cùm magis vniuersale diuiditur in minus vniuersalia, putà animal in hominem, & brutum. Hæcque dicitur diuisio logica, quæ aut est generis in suas species, vt color in albedinem, & nigredinem: aut speciei in sua indiuidua, aut generis in suas differentias, aut differentiæ in differentias, vt rationale in hoc, vel illud rationale. Diuisio totius essentialis est, in partes essentiales, estque duplex secundum duplicitatem totius essentialis, aut enim est totius essentialis Physici in partes Physicas, sic diuiditur corpus in materiam, & formam: aut totius essentialis Metaphysici in partes Metaphysicas, quæ sunt genus, & differentia. Prior à Scoto 1. *d.* 3. *&* 8. nuncupatur diuisio in rem, & rem: posterior verò in realitatem, & realitatem. Addi potest diuisio rei, in suos modos, quo pacto ens distribuitur in infinitum, & finitum. Itemque diuisio totius potestate in suas vires, & potentias, vt animæ alia pars intellectiua, alia appetitiua, vt patet ex Doctore 2. *d.* 16. *q. vn.* post Aristotelem *l. Prædicamentorum c.* 5. Diuisio totius accidentalis in suas partes statuitur triplex, quam insinuat Scot. 1. *Post. q.* 18. *prope initium.* Prima est accidentis in sua subiecta, quæ efficitur, quando diuisum est accidens membrorum diuidentium, vt coloratorum aliud est homo, aliud leo, aliud lapis. 2. Subiecti in accidentia, quæ fit, quando membra diuidentia sunt accidentia diuisi, vt lapidum alij albi, alij nigri. 3. Accidentis in accidentia, quæ accidit, cùm tam diuisum, quàm membra diuidentia sunt accidentia eiusdem subiecti, vt dulcium, aliud album, aliud flauum.

3. Traduntur autem quatuor præcepta bene diuidendi, quorum 1. elicitur *ex 2. Post. c. 5.* videlicet diuisum, & membra diuidentia simul sumpta debent esse adæquata, vt cum secatur animal in rationale, & irrationale, animal est diuisum, rationale, & irrationale sunt membra diuidentia, quæ vicissim adæquantur, tam enim latè patet animal, quàm rationale, & irrationale. 2. Diuisio fieri debet in membra proximiora, & immediatiora, vt substantia rectè distribuitur in incorpoream, & corpoream, non verò in inanimatam, & animatam. Tertium, membra diuidentia non debent coincidere, sed inter se opponi, vt animalium aliud homo, aliud brutum: Defectu cuius hæc est inepta diuisio, animalium aliud viuens, aliud sentiens, quia sentiens comprehendit viuens, idemque potest esse viuens, & sentiens simul.

4. Quartum, facienda est diuisio per pauciora membra, quantùm fieri potest, vt *sentientium aliud rationis capax: aliud rationis expers*: ideò ne nimiùm multiplicentur membra diuidentia, nonnunquam additur negatio alteri extremo, vt *corpus aliud viuens, aliud non viuens.* Quod insinuat Philosophus 6. *Top. c.* 3. *&* 1. *de partibus c.* 3. hoc vtens exemplo, *magnitudinum alia linea, alia non linea.*

5. Oppones, tres tantum conditiones diuisionis enumerantur communiter à Scotistis, vt videre licet apud Tatar. *in expositione Petri Hispani fol.* 2. *not.* 3. Ergo male quatuor à nobis recensentur. Resp. eas quatuor in tribus contineri: quarta namque addita est, vt clariùs nobis natura diuisionis innotescat, cum diuisio adinuenta sit ad totam rem in suas partes dilucidandam. Patet à simili de definitione, cuius tres conditiones recitantur à Scoto 1. *Priorum q.* 5. *&* 4. *d.* 1. *q.* 2. ab eodem quinque referuntur, quæ in illis tribus capiuntur. Idipsum de subiecto scientiæ ab ipsomet præstitum fuisse animaduertimus *l.* 1. *q.* 3. *art.* 1. *Logica Scotica.*

ARTICVLVS II.

De definitione.

6. MVlta de definitione congerunt Ioannes Maior *c. de genere*, Briansonius 4. *q.* 3. *conclusione* 2. *corollario* 3. gemini Scotistæ *disp.* 1. *q.* 2. *art.* 1. 2. *&* 3. & alij non pauci, nos breuiter, quæ sunt magis necessaria & opportuna expediemus. Definitio est oratio naturam rei explicans, vt scribit Scot. 1. *d.* . . *q.* 5. *§. Contrà ista.* I. & 3 *d.* 22. *q. vn. §. Rationes sub C.* post Aristotelem 1. *Top. c.* 4. *&* 6. *eiusdem operis c* 1. *necnon* 7. *Met. Tex.* 41. *&* 42. Id autem, cuius natura explicatur, vocatur definitum, & quod explicat naturam ipsius definiti appellatur definitio. Quod enim implicitè, & confusè definitum designat, hoc ipsum explicitè, & perspicuè definitio declarat, vt *homo est animal rationale.* Homo est definitum, & animal rationale est definitio: licet non rarò pro tota oratione vsurpetur. Duplex autem definitio assignatur à Philosophis, præsertim Scoto 2. *Post. q.* 6. *&* 1. *Priorum q.* 5. *&* 4. *d.* 1. *q.* 2. *A.* Vna nominis, altera verò rei: definitio nominis ex eodem Doctore *in* 4. *citato. & p. d.* 22. *q.* 1. *§. Potest dici*, est oratio, quæ originem, seu interpretationem, & ethymologiam nominis explicat, vt *Dialectica est scientia disputatrix*: Logica est scientia sermocinalis. *& petra est, quæ terit pedes.* Definitio rei est oratio naturam rei declarans, vt homo est animal rationale. Hæcque est bipartita, essentialis, & descriptiua. Essentialis est, quæ rei essentiam, seu quidditatem distinctè exprimit, quæ subdiuiditur in Physicam, & Metaphysicam, siue Logicam. Physica exprimit naturam rei per materiam, & formam, vt *homo est totum compositum ex corpore, & anima rationali*: Metaphysica declarat naturam rei per genus, & differentiam, vt *animal est animatum sensitiuum.* Definitio descriptiua, quæ & definitio per additamentum nominatur, est oratio aliquid extrà naturam rei explanans. Et hæc potest effici tripliciter 1. per genus, & propriam rei passionem, vt *Leo est animal rugibile.* 2. per causam extrinsecam, vt

homo

homo conditus est ad beatitudinem eo sequendam. 3. Per accidentia communia, vt homo est animal implume bipes. Moneo autem propriè non dari definitionem non entis, impossibilis, negatiui, & priuatiui, quia sicut ista non potiuntur propriâ essentiâ, & quidditate; ita nec definitione. Hinc subdit Scot. 4. *prællegato* §. *Hic primò*. A. propriè definiri ens positiuum, vnum per se, reale, compositum, & vniuersale.

7. Quatuor autem præcipuè obseruantur documenta bonæ definitionis. Primum definitio debet distinctè explicare, quod definitum confusè denotat: ratio est, quia definitio debet esse clarior definito, cum sit adinuenta, vt res nobis conspicuè innotescat, vt notant Stagirita 6. *Top. c.* 1. & Scot. 1. *Priorum q.* 5. 2. Definitio debet reciprocari cum definito. Ob id à Philosophis sortè vocatur terminus, quia ad essentiam, quam definit, terminatur, nec vltrà eam progreditur, vt præ aliis obseruat Briansonius nuper allegatus. 3. Definitio nihil superflui, nihilque diminuti debet continere. Ob id hæc non est recta definitio, *homo est animal rationale, mortale, & disciplinabile*, quia vltimæ duæ dictiones sunt superfluæ. An verò vni nomini correspondeat vna definitio? vide Scot. *Quol.* 13. Lychetum, & Gadium *ibidem*. 4. Secundum Scotum 1. *Post. q.* 24. §. *Ad q. dicitur*, & 4. *d.* 11. *q.* 3. *inf* à CC. non est tradenda definitio per genus remotum, & differentiam remotam. Quandoquidem ex genere, & differentia remotis non constituitur species, quæ propriè definiri perhibetur: propterea hæc non est bona definitio, *homo est substantia viuens*; eo quod in ea non reperiuntur genus, & differentia proxima.

8. Oppones 1. Si definitio tantùm habetur de ente reali positiuo: ergo de ente rationis non erit definitio: cùm autem definitio sit medium demonstrationis, & scientia effectus eiusdem, deducitur Logicam, quæ considerat secundas intentiones, quæ sunt entia rationis, non esse scientiam, quod pugnat Scoto q. . *sua Dialectica*. Resp. distinguendo consequens: de ente rationis non datur definitio strictè sumpta, concedo: non datur definitio latè accepta, nego. Sicut enim ens rationis suam sortitur essentiam, pariter & definitionem, quæ ipsius essentiam explicat. Huiusmodi autem definitio sufficit ad acquirendam demonstrationem, & causandam scientiam, vt notat Doctor. 4. *d.* 1. *q.* 2. §. *De secundo principali*, 1. & insinuat Aristoteles 2. *Post. c.* 7.

9. Oppones 2. Facilius est singulare definire, quàm vniuersale. Ergo singularium est definitio, atque adeò, non oportet, quod definitur esse vniuersale. Ant. est Aristotelis 2. *Post. c.* 15. Respondet Tol. *ibi in commentario*. per singulare eo loco intelligi minus vniuersale, quia magis vniuersalia sunt magis abstracta, & cognitu difficilia. An verò singularium sit definitio, & demonstratio expenditur in nostris quæstionibus Logicæ Scoticæ *libro* 5. contrà Bonetum *in Met.* & Arriagam *disp.* 3. *Summularum, n.* 7. *sect.* 1.

LIBER TERTIVS.

DE TERMINATO.

TERMINATVM, seue compositum ex terminis, tam incomplexis, quàm complexis proculdubio est syllogismus, hoc vltimo libro à nobis pertractandus. semper enim terminatum definitur, & explicatur per terminans, vt rectè aduertit Doctor Subtilis 1. *d.* 3. *q.* 9 §. *Ad argumenta, sub L.* Huius structuræ cognitionem Dialectica potissimùm respicit, in huiusque inuentione se diu insudasse testatur Aristoteles. Ob id in calce Elench. sibi gratias esse referendas iure expostulat. Est enim syllogismus totius Dialecticæ Aristotelicæ obiectum, & finis, vt tetigi in præfatione huius opellæ. Itaque meritò gratiæ habendæ sunt ipsi Stagiritæ, qui eum & adinuenit, & ex professo pertractauit. In hoc autem libro quatuor excitantur quæstiones, prima de syllogismo generatim sumpto, 2. De eodem speciatim accepto, 3. De locis Dialecticis, & 4. De syllogismo sophistico.

QVÆSTIO PRIMA.

De syllogismo in communi

1. CVm in qualibet disciplina cõmuniora præcedant minus cõmunia, veluti genus præit suas species: quòd obseruasse Aristotelem aduertimus statim in initio primi libri: propterea non abs re præmittimus quæstionem de syllogismo in genere, vt postmodum de eo ipso in specie disseramus.

ARTICVLVS I.

Quot requirantur ad constituendum syllogismum.

2. SYllogismus cõstruitur ex tribus terminis, vt cum cæteris Dialect. monet Scot. 1. *Elench q.* 4. §. *Ad* 1. *arg.* Et 1. *Priorum q.* 1. Tribusque propositionibus, & particula illatiua ergo, vel igitur. Terminorum vnus appellatur maius extremum, alter minus extremum. & tertius medius terminus, siue medium, vt innuit Scot. q. 12. *Prædicamentalis*. Propositionum verò vna vocatur maior. altera minor, & 3. conclusio. Ea quippè, in qua est maius extremum, siue in qua extat maius robur syllogismi nuncupatur maior: in qua est minus extremum siue in qua reperitur minus robur syllogismi appellatur minor: & quæ ex illis duabus colligitur, nominatur conclusio: tametsi, quæ primo loco ponitur, maior: quæ 2. loco minor: & quæ tertio loco conclusio perhibetur. Cuncta hæc libet ostendere in isto syllogismo, *omne animal est viuens: omnis Leo est animal: ergo omnis Leo est viuens.* Duæ priores propositiones dicuntur præmissæ, propterea quod antè conclusionem mittuntur, & postrema; quæ ex illis duabus deducitur, vt mox dicebam, nomen conclusionis sortitur. Maius extremum in directè concludentibus vocatur prædicatum: minus extremum, subiectum: & tertius terminus, medium, eo quod mediat inter illa duo prædicta extrema, & nunquam in conclusione locatur: vocula illatiua ergo, aut igitur, est signum, quo conclusio infertur ex præmissis.

3. Oppones, Si omnis homo curreret. & Paulus esset homo,

homo, Paulus curreret. In hoc discursu, Paulus curreret, est conclusio: omnis homo curreret, est maior: Paulus esset homo, est minor: cùm tamen sit quoddam complexum, in quo nec maior, nec minor, nec vox illatiua elucent. Non igitur, omnis syllogismus constat tribus propositionibus & particula illatiua præexplicitis. Resp. quamuis in præfato argumento formaliter non inueniantur tres propositiones, cum signo illatiuo; esse tamen virtualiter, & æquiualenter, quod satis est, vt pro syllogismo habeatur.

ARTICVLVS II.

Ex quibus componatur syllogismus.

4. CVm syllogismus sit quoddam totum, necesse est, componatur ex partibus, quarum quædam apud Dialecticos nuncupantur materiales, quædam verò formales. Materiales autem partes, aut sunt remotæ, putà termini incomplexi, aut proximæ, nempe termini complexi, seu propositiones. Et partes formales sunt figura, & modus, quorum meminit, Scot. q. 45. *Elench & q.* 34. *primi Priorum.* Figura est medij termini cùm extremis recta ordinatio, penes debitam prædicationem, & subiectionem. Modus verò est recta ordinatio trium prædictarum propositionum, penes debitam quantitatem, & qualitatem. Tunc autem seruatur debita quantitas, cùm vna ex præmissis saltem est vniuersalis: & debita qualitas, cùm altera præmissarum saltem est affirmatiua. Itaque materia syllogismi sunt termini incomplexi, & complexi: forma verò eiusdem est recta ordinatio terminorum, & præmissarum ad inferendam bonam conclusionem. Scio aliam a Dialecticis distingui syllogismi materiam extrinsecã de re necessaria, possibili, contingenti, & impossibili, cuius memini *l.* 2. *q.* 2. *art.* 3. *diuisione* 6. Hinc quandoque dicimus syllogismum concludere ratione materiæ, quandoque ratione formæ, & quandoque ratione vtriusque.

5. Oppones, in spiritualibus materia, & forma non reperiuntur, in hoc namque differt spirituale à materiali, quia hoc materiæ est capax: illud verò eius est expers: sed syllogismus est quid spirituale, cum sit operatio intellectus omni materia denudati. Ergo perperàm assignantur partes materiales, & formales syllogismi. Resp. distinguendo maiorem, de materia, & forma propria, quæ est physica, concedo: de materia, & forma impropria, & similitudinaria, quæ est logica, siue metaphysica, nego. Ad distinctionem maioris, distinguenda est probatio minoris.

ARTICVLVS III.

Quid, & quotuplex sit syllogismus.

6. SYllogismus, qui ratiocinatio, discursus, & argumentatio nuncupatur ab Aristotele 1. *Priorum c.* 3. *&* 1. *Top. c.* 1. atque 1. *Elench. c.* 1. definitur oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid ab eis, quæ posita sunt, necessariò sequitur, eo quod hæc sunt. Explicatur, dicitur *oratio*, idest argumentatio, interprete Scoto *q.* 3. *Vniuersalium* §. *Ad rationem positionis.* Vel vt inquit Tatar. *in Summulis Tract.* 4. post Scotum *q.* 5. *primi Priorum* §. *Quantum ad* 2. ponitur *oratio* loco generis, & intelligitur de oratione composita, non autem de oratione simplici: propositio namque est quidem oratio, sed non est syllogismus. Atque etiam locatur *oratio*, vt differat à terminis incomplexis. *Quibusdam positis*, hoc est duabus premissis dispositis in debitis modo, & figura. *Aliud quid*, idest conclusio, quæ ab ambabus premissis prodit, & dissidet. *Necessariè sequitur, eo quod hæc sunt,* supple, virtute formæ syllogisticæ necessariò deducitur conclusio. Etenim vi medij debitè vniti cum extremis, in præmissis, concluditur vnum extremum enunciari de alio, vt patet in hoc syllogismo. *Omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.*

7. Primùm autẽ, & potissimùm syllogismus à Ioanne Maiore diuiditur in eum qui est primæ, secundæ, & tertiæ figuræ, vt infrà ostendetur, exemplisque illustrabitur art. 5. Secundò, in simplicem, hypotheticum, & modalem, quorum explicatio est ferè ea ipsa, quæ habetur de propositionibus, simplici, hypothetica, & modali, in superiori libro. Syllogismus enim simplex, siue cathegoricus est, qui constat tribus categoricis propositionibus, vt *omne corpus est substantia: cælum est corpus: ergo cælum est substantia.* Hypotheticus est, qui præter tres propositiones, constat aliqua particula aut conditionali, aut copulatiua, aut disiunctiua, vt liquet ex dictis libro præallegato *art.* 4. *q.* 1. Modalis est, qui aliquem ex modis recensitis *vbi suprà q.* 5. *art* 1. participat, vt *animal necessariò est corpus: homo est animal: ergo homo necessariò est corpus.* 3. In demonstratiuum, dialecticum, sophisticum, & speudographum, quos memorat Doctor. 1. *Post. ad finem q.* 1. *& q.* 44. *versu, Ad oppositum.* & 1. *Priorum q.* 2. Demonstratiuus est, qui ex primis, veris, necessariis, causisque conclusionis procedit, vt *omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.* Dialecticus est, qui efficitur ex probabilibus, probabilia verò sunt, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, vel maximè probatis, vt omnis mater diligit filium suum: Olympia est mater: ergo Olympia diligit filium suum. Sophisticus est qui procedit ex apparentibus, seu ex iis, quæ videntur necessaria, aut probabilia, & vera, & non sunt, vt *quidquid non amisisti habes: thesaurum non amisisti: ergo habes thesaurum.* Speudographus est, qui fit ex propriis principiis malè intellectis, vt omnes semicirculi sunt æquales; sed semicirculi maiores, & minores sunt semicirculi: ergo maiores, & minores circuli sunt æquales. Maior intelligitur à Mathematicis de semicirculis eiusdem circuli, non autem diuersi circuli, vt deducitur in argumento. Primus autem syllogismus generat scientiam, 2. opinionem, 3. deceptionem, & 4. errorem, An verò hi quatuor sint species syllogismi? vide Scot. 1. *Priorum q.* 6. Maiorem *Tract. de syllogismo in expositione primi capitis* & quæ scripsi *l.* 5. *q.* 1. *art.* 3. Quartò in syllogismum constantem medio communi, vti sunt ferè omnes syllogismi prænumerati: & constantem medio singulari, vti est syllogismus expositorius, qui rem clarè ostendit, fitque in tertia figura, in qua medius terminus, qui est singularis aptè semper subiicitur, vt *hic homo est sapiens: hic homo est Socrates: ergo Socrates est sapiens:* atque in syllogismum ex obliquis recensitum à Doctore 1. *Priorum q.* 34. qui aliquo termino obliquo, seu casu grammaticali constat, vt *oppositorum eadem est disciplina: calor, & frigus sunt opposita: igitur caloris, & frigoris eadem est disciplina.* 5. In formalem, & obiectiuum. Formalis est actus intellectus, quo circà obiecta ratiocinabilia discurrimus. Obiectiuus est ipsum obiectum ratiocinabile, de quo intellectus discurrit & syllogizat, vt significat Scot. 1. *Post. q.* 21. §. *Contrà.* 6. In affirmatiuum, qui ex vi præmissarum affirmantium in conclusione aliquid de aliquo affirmat: & negatiuum, qui ex præmissis, vel præmissa negante aliquid de aliquo in conclusione negat. 7. *ex* 1. *Priorum c.* 2. citato à Scoto *q.* 3 *Vniuersalium* §. *Ad* 2. in perfectum, & imperfectum. Perfectus est, qui nullo alio indiget ad necessitatem, & euidentiam eius colligendam, præter ea, quæ ipsi adhibita sunt. Innititur namque principiis de omni, vel de nullo naturaliter notis. Imperfectus est, qui vno, aut pluribus eget, vt eius necessitas, & euidentia conspicua fiat. Verum hęc, & præcedentes diuisiones magis innotescent ex proximis articulis, in quibus modi omnes syllogizandi

perfecti,

perfecti, & imperfecti tradentur, & discutientur. Adde partitionem syllogismi in ostensiuum, & ducentem ad impossibile, quam affert Doctor 1. *Priorum q.* 1. Necnon in conuersiuum, cuius meminit *ibid. q* 5. & circularem *eodem loco q.* 4. & ex oppositis, vt scribit 1. *Priorum q.* 34. & huiusmodi, quæ suo loco explanabuntur. Non sunt autem prætermittendi quatuor argumentandi modi, quos adducit Doctor 1. *Priorum q.* 2. & vocantur syllogismus, enthymema, inductio, & exemplum. Cùm autem iam explicauerim suprà syllogismum, restant solùm explicandæ reliquæ tres argumentandi formæ. Enthymema est syllogismus truncatus, siue imperfectus constans duabus tantùm propositionibus, quarum prima vocatur antecedens: secunda verò consequens, vt *homo est animal: ergo homo est sensitiuus.* Inductio est argumentatio à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersalia, vt ignis, aër, aqua, & terra sunt corpora simplicia. Ergo omne elementum est corpus simplex. huius meminit Scot. 2. *Priorum q. vlt. & 2. id. 1 q.* 9. K. Exemplum est ab vno singulari ad aliud singulare ratiocinatio. vt *Deus pepercit Petro pœnitentiā agenti: Ergo & parcet mihi si pœnitentiam egero.* Isti tres vltimi syllogizandi modi ad syllogismum rediguntur vt imperfectum ad perfectum; ab eo quippè suum robur, & perfectionem depromunt. Præterea inductio quandoque est syllogismus coniunctus, qui ad simplicem, & cathegoricum reuocatur: quandoque verò est enthymema, vt patet exemplo inductionis præallato. Exemplum verò est inductio imperfecta, vt mox per argumentum dicti exempli fuit declaratum.

8. Oppones 1. Scotus 1. *Post. q.* 5. negat syllogismum posse definiri. Igitur in eius Schola vana est eiusdem syllogismi definitio præaddncta, & præexplicata. Resp. Scotum interpretandum esse de definitione strictè sumpta, quæ habetur duntaxat de ente reali positiuo, & incomplexo, vt monet Doctor 4. *d.* 1. *q.* 2. non autem de definitione latè accepta, quæ enti rationis competit, vti est syllogismus: idque loco nunc citato edisserit, & apertè declarat.

9. Oppones 2. Nonnulli extant syllogismi, in quibus præmissæ non conceduntur, Non ergo bene definitur syllogismus, oratio in qua quibusdam positis, id est concessis. Antecedens probatur, *omnis homo est canis: Brunellus est homo: ergo Brunellus est canis.* Iste syllogismus est falsus, in quo præmissæ non conceduntur, quia sunt falsæ & impossibiles. Dici potest non bene exponi, positis, idest concessis, sed dispositis, & rectè ordinatis in modo & figura, vt cum Tatar. obseruāt nostri Recentes inseparati *Tract.* 3. *c.* 5. Aut si admittatur particula *Concessis*, intelligenda est non absolutè, sed conditionatè, videlicet, si præmissæ concedantur, quoque concedenda est conclusio.

Instabis, præmissis concessis, necesse non est, concedatur conclusio: ergo nulla est responsio. Dico, præmissis concessis, vtique conclusionem esse concedendam necessariò necessitate non consequentis, sed consequentiæ.

10. Oppones 3. Conclusio non est pars syllogismi. Ergo falsò syllogismus describitur oratio, in qua quibusdam positis, &c. Ant. probatur: syllogismus dicitur efficere scientiam, aut opinionem: at scientia, & opinio sunt ipsamet conclusio, siue potiùs de ipsamet conclusione. Negatur ant. ad eius probationem distinguitur, si enim syllogismus accipiatur pro præmissis duntaxat, vt sumpsit Philosophus 2. *Priorum*, conceditur: quod si capiatur pro conflato ex tribus propositionibus debitè ordinatis, vt sumpsit idem Aristoteles ipsum syllogismum definiens, negatur. Sed de hoc alibi abundè.

ARTICVLVS IV.

De Principiis regulatiuis syllogismi.

11. PRincipia syllogismum dirigentia duo sunt. dictum, *de omni*, & dictum *de nullo*, vt astruunt Aristoteles 1. *Priorum, in fine primi capitis*, & Scotus *ibid.* 1. *Priorum q.* 7. & 1. *Elench. q.* 4. 36. & *vltima.* Dictū *De omni* sic describitur, & exponitur, quidquid generatim affirmatur de aliquo subiecto, quoque affirmatur de omnibus contentis sub ipsomet subjecto. vt si corpus vniuersè affirmatur de animali, pariter affirmabitur de Leone, qui sub animali comprehenditur. vt patet in hoc syllogismo, *omne animal est corpus: Leo est animal: ergo Leo est corpus*: præfatum autem principium fulcitur eo firmissimo fundamento. *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quod habet Philosophus *loco citato*, & 1. *Phys.* & 7. *Top.* adducitque Gadius *Quol.* 11. *fol.* 123. *columna* 1. & explicat Scot. 1. *d.* 2. *q.* 7. § *d.* 1. *argumentum principale* II. & 4. *d* 10. *q.* 1. §. *Ad* 1. *in contrarium* D. quæcumque aliqua identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate inter se sic sunt eadem, quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundum illam identitatem, qua sunt eadem medio, & medium in se sic sit idem, & per hanc propositionem sic intellectam tenet omis forma syllogistica. Dictum *de nullo* sic explicatur. Quidquid vniuersaliter negatur de aliquo subiecto, negatur etiam de omnibus, quæ cōtinentur sub eodem subiecto, vt si de animali negatur spiritus, vtique negabitur de cane, qui sub animali continetur. Idque planè liquet in hoc syllogismo, *Nullum animal est spiritus: omnis canis est animal: ergo nullus canis est spiritus.* Huiusmodi principium innititur illi stabilissimo fundamento. *Quæ non sunt eadem vni tertio, non sunt eadem inter se*: oppositum enim prædicati destruit subiectum, & si præmissæ in medio non coniunguntur, nec in conclusione inter se coniungentur vt indicat Scot. *in* 1. *citato q.* 4. & 1. *Priorum q.* 10. §. *secundò notandum.* Præterea sciendum est consequentiam esse deductionem siue habitudinem consequutionis antecedentis ad consequens, estque duplex, vna materialis, & altera formalis. Materialis est habitudo necessariæ coniunctionis antecedentis cum consequente, vt est homo: ergo est risibilis. Formalis est habitudo præmissarum ordinatarum in debitis modo, & figurâ, ad inferendam conclusionem, vt *omne bonum est amplectendum: omnis iustitia est bona: ergo omnis iustitia est amplectenda.* Insuper aduerte, discrimen esse inter consequentiam, & consequens. Consequentia namque ea est, quæ mox est descripta: consequens verò est propositio posita post notam illatiuam. Hinc Dialectici negant consequentiam propositi enthymematis, non autem consequens: itemque distinguunt consequens, numquam verò consequentiam.

12. Oppones, si præallatum elogium esset semper verum, & stabile fundamentum, hic syllogismus foret legitimus. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Sed diuinæ personæ sunt prorsus idem diuina Essentia: ergo Personæ Diuinæ sunt idē inter se*, quod est falsum, & hæreticum, vt arguit Scot. 1. *Priorum q.* 9. Dici potest ex Scoto *in* 1. *præallegato*, illud habere locum in limitatis, & finitis: non autem in illimitatis, & infinitis. Non enim benè sequitur, *Petrus est simul cum Deo Auenione. & summus Pontifex quoque est simul cum ipsomet Deo Romæ: ergo Petrus, & summus Pontifex sunt simul*, per id soluuntur alia sophismata, inquit Scot præsertim istud. *Hic Deus est Pater. sed Filius est hic Deus: ergo Filius est Pater*, vel si absolute concedatur, vt præstat Scotus *in* 1. *citatus*, exponendum est eo modo, quo suprà est expositum: nec ex hoc vllus infertur error & hæresis, rectè enim dicitur tres personas esse idem inter se identitate essentiali, non autem personali: quid-

quid dicant nonnulli Recentiores *l.4. nostrarum quæstionum* refutandi.

13. Oppones a maiore existente de præsenti, & minore de præterito, vel futuro, non sequitur conclusio, vt *omnis homo est animal: Adam fuit homo; ergo Adam est animal*. Atqueadeò illud dictum de omni, non semper veritate pollet. Resp. Præmissum discursum non regulari per illud principium: ideò mirum non est, si argumentum haud verum sit. Maior quidem fundatur in principio *De omni*: non autem minor, alium quippè sensum sortitur, quia respicit existentiam Adami præteritam, cum tamen dictum de omni in maiore positum ab omni existentia præscindat, vt ex eius declaratione præhabita liquidò constat.

ARTICVLVS V.

De Figuris, & modis syllogismi.

14 CVm figura syllogistica describatur apta collocatio medij termini cum extremis, penes debitam prædicationem, & subiectionem, vt dixi *art. 2. huius q.* tot constituentur diuersæ figuræ, quot erunt medij cum extremis diuersæ idoneæ dispositiones eorumdem. Tres autem cum Aristotele *in præsenti*, & Scoto *in eodem opere q. 18. 23. 24.* & alibi reperio rectas, & naturales huiusmodi ordinationes, ac proinde tres figuras syllogisticas duntaxat. Si enim medium subijciatur in maiore, & prædicetur in minore, emergit 1. figura, vt *omnis substantia est ens: omnis lapis est substantia. ergo omnis lapis est ens.* Et si in vtraque præmissa medium prædicetur, nascitur 2. figura, vt *nullus lapis est rationalis: omnis homo est rationalis: ergo nullus homo est lapis.* Quod si in ambabus præmissis mediū subijciatur, efficitur 3. Figura, vt *omnis lapis est substantia. omnis lapis est corpus: ergo quoddam corpus est substantia.* Modus autem syllogisticus, qui ex dictis est apta ordinatio præmissarum penes debitam quantitatem, & qualitatem, duplex est, directus, & indirectus. Directus est, cùm maius extremum in conclusione prædicatur de minori extremo, vt *omne corpus est substantia omnis arbor est corpus: ergo omnis arbor est substantia.* Indirectus est, cùm minus extremum in conclusione prædicatur de maiori extremo, vt si præfati syllogismi hæc inferatur conclusio. Ergo quædam substantia est arbor.

15. Omnes autem modi prædictarum figurarum vtiles, & ad concludendum idonei sunt nouemdecim, nouem primæ figuræ, quatuor primi directè concludentes, & perfecti; reliqui verò quinque indirectè concludentes, & imperfecti, reducibiles ad quatuor priores perfectos. Quatuor subsequentes spectant ad 2. figuram: & sex vltimi ad 3. figuram. Hi autem omnes, vt faciliùs memoriâ recolantur, his versibus subsequentibus apertè demonstrantur.

Barbara, Celarent, Dary, Ferio, Baralipton.
Calantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In istis carminibus tot sunt modi figurarum, quot sunt dictiones affabrè appositæ, in qualibet verò dictione, tres notantur syllabæ, tres propositiones, ex quibus conficitur syllogismus significantes: prima quidem syllaba designat maiorem, 2. minorem, & 3. conclusionem. Quatuor literæ A. E. I. O. indicant quales, & quantæ esse debeant propositiones, exponunturque eo ferè pacto, quo expositæ fuere *lib. 2. q. 4. art. 4.* Quod si in prædictis vocabulis aliud quidpiam supersit, vt in Baralipton, metri causa ponitur. Cæteræ autem literæ consonantes C. M. S. & P. quæ in aliquibus ex dictis extant nominibus, pro reductione syllogismorum imperfectorum ad perfectos statuuntur, vt infrà patebit.

16. Oppones, quidam syllogismi censentur boni tametsi in aliqua ex prænominatis figuris non locentur. Ergo figuræ syllogisticæ plures, quàm tres sunt admittendæ. Ant. probatur. Hic syllogismus est bonus, licet in vlla trium figurarum non resideat, *omnis homo est animal: nullum animal est lapis: Ergo, nullus lapis est homo.* Resp. Hoc argumentum petere, vtrum detur 4. figura syllogistica, quod in proprium locum reijcimus, nempe in librum, quæstionum q. 1. *art. 6. Logicæ Scoticæ.*

ARTICVLVS VI.

De modis primæ figuræ.

17. ADducuntur omnes modi 1. figuræ, eorumque exempla à nobis suppeditantur, vt commodius & rectius vnusquisque valeat bonas ratiocinationes texere, de quibus Scot. 1. *Priorum q. 22.* Primus modus primæ figuræ vocatur *Barbara*, constans tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, cuius exemplum mox subijcio.

Bar- *Omne corpus est substantia*
ba- *Omnis arbor est corpus*
ra. *Ergo, omnis arbor est substantia.*

Secundus modus appellatur *Calarent*, constans maiore vniuersali negatiua, minore vniuersali affirmatiua, & conclusione vniuersali negatiua. Exemplum.

Cæ- *Nullus lapis est animatus*
la- *Omnis adamas est lapis*
rent. *Ergo nullus adamas est animatus.*

Tertius modus est *Dary*, qui conficitur ex maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari affirmatiua, & conclusione particulari affirmatiua. Exemplum.

Da- *Omne animal est viuens*
ri- *Quidam equus est animal*
j. *Ergo, quidam equus est viuens.*

Quartus modus est *Ferio*, habens maiorem vniuersalem negatiuam, minorem particularem affirmatiuam, & conclusionem particularem negatiuam. Exemplum.

Fe- *Nullum animal est vita expers*
ri- *Quidam canis est animal*
o. *Ergo, quidam canis non est vita expers.*

Quintus modus *Baralipton*, conflatur ex duabus præmissis vniuersalibus affirmatiuis, & tertia particulari affirmatiua indirectè concludente. Exemplum.

Ba- *Omne animatum est corpus*
ra- *Omnis cerasus est animata*
lipton. *Ergo, quoddam corpus est cerasus.*

Sextus *Calantes* componitur ex maiore vniuersali negatiua, minore vniuersali affirmatiua, & conclusione vniuersali negatiua indirecta. Exemplum.

Ca- *Nullum animal est insensibile*
lan- *Omnis homo est animal*
tes. *Ergo, nullum insensibile est homo.*

Septimus modus *Dabitis*, construitur ex maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari affirmatiua, & conclusione particulari affirmatiua indirecta. Exemplum.

Da- *Omnis substantia est ens*
bi- *Aliquis homo est substantia*
tis. *Ergo, quoddam ens est homo.*

Octauus *Fapesmo* efficitur ex maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali negatiua, & conclusione particulari negatiua indirecta. Exemplum.

Fa- *Omne corpus est substantia*
pes- *Nulla albedo est corpus*
mo. *Ergo quædam substantia non est albedo.*

Nonus *Frisesomorum* fit ex maiore particulari affirmatiua, minore vniuersali negatiua, & conclusione particulari negatiua indirecta. Exemplum.

Fri

Fri- { *Quoddam animal est substantia.*
se- { *Nullus color est animal.*
somorum. { *Ergo quædam substantia non est color.*

18. Oppones 1. *Omne currens est equus: omnis homo est currens: ergo omnis homo est equus.* Hic syllogismus est in Barbara, cuius consequentia est falsa. Ergo, non omnis syllogismus in Barbara est legitimus. Resp. partes dicti syllogismi esse impossibiles, non enim fieri potest, vt omne currens sit equus, & omnis homo sit currens. Ideò ex earum impossibilitate colligi nequit consequentia vera, & formalis.

19. Oppones 2. *Nulla rana est fortior cane: omnis homo est fortior rana: ergo nullus homo est fortior rana.* Hic syllogismus est in Cælarent, eius tamen consequentia est mala igitur, non omnis consequentia in Cælarent est bona, & formalis. Resp. negando illud argumentum esse in Cælarent: nam præterquam quòd ter ponitur in eo prædicatum maioris, plus prædicatur in minore, quàm sit subiectum distributum in maiore. Rana quippè si deberet esse subiectum distributionis in maiore, in minore dicendum est, *omnis homo est rana*, quæ propositio cum sit falsa, vtique sequitur conclusio falsa. Plura vide apud Maiorem, Tatar. & alios Dialecticos.

ARTICVLVS VII.

De modis secundæ figuræ.

20. QVatuor modi secundæ figuræ negatiuè, & directè concludentes sunt Cæsare, Camestres, Festino, & Baroco, quorum singulorum exempla maioris claritatis gratia affero.

Primus modus *Cæsare* texitur ex maiore vniuersali negatiua, minore vniuersali affirmatiua, ex quibus deducitur conclusio vniuersalis negatiua. Exemplum.

Cæ- { *Nullus lapis est viuens,*
sa- { *Omnis arbor est viuens,*
re. { *Ergo nulla arbor est lapis.*

Secundus modus *Camestres* efficitur ex maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali negatiua, & conclusione vniuersali negatiua. Exemplum,

Ca- { *Omnis substantia est subsistens*
mes- { *Nullum accidens est subsistens,*
tres. { *Ergo nullum accidens est substantia.*

Tertius modus *Festino* ponitur maiore vniuersali negatiua, minore particulari affirmatiua ex quibus infertur conclusio particularis negatiua. Exemplum.

Fe- { *Nulla arbor est sentiens,*
sti- { *Aliquod animal est sentiens,*
no. { *Ergo aliquod animal non est arbor.*

Quartus modus *Baroco* struitur ex maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari negatiua, & conclusione particulari negatiua. Exemplum.

Ba- { *Omne corpus est substantia,*
ro- { *Quædam albedo non est substantia,*
co. { *Ergo, quædam albedo non est corpus.*

21. Oppones, In Cæsare, hoc argumentum non valet, *Omnis homo animal non est: omne risibile est animal: ergo omne risibile non est homo.* Confirmatur, *Nullum falsum est verum, sed cuiuslibet contradictoria altera pars est vera. Ergo nullius contradictoria altera pars est falsa.* Hic syllogismus est in Cæsare, & tamen falsa est consequentia. Resp. Negando præfatum syllogismum esse in Cæsare. Arguitur enim a non distributo ad distributum, cum in premissis animal teneat confusè, non enim explicatur, vtrum omne animal sit homo, quod est falsum affirmare: an verò omnis homo sit animal, quod verum est asserere. Per idem patet ad confirmationem, argumentum namque procedit à non distributo ad distributum. Confusè enim in minore habetur altera pars, & in conclusione distribuitur: idque insonat Doctor 1. *Priorum q. 15. §. Notandum.*

ARTICVLVS VIII.

De Modis tertiæ figuræ.

22. SEx vltimi modi spectantes ad tertiam figuram sunt Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Horum singulatim exempla propono.

Primus modus *Darapti* struitur maiore vniuersali affirmatiua, minore quoque vniuersali affirmatiua, ex quibus sequitur conclusio particularis affirmatiua, vt

Da- { *Omnis Leo est rugibilis,*
rap- { *Omnis Leo est animal,*
ti. { *Ergo aliquod animal est rugibile.*

Secundus modus *Felapton* construitur ex maiore vniuersali negatiua, minore vniuersali affirmatiua, ex quibus colligitur conclusio particularis affirmatiua, vt

Fe- { *Nullus homo est immortalis,*
lap- { *Omnis homo est rationalis,*
ton. { *Ergo aliquod immortale non est rationale.*

Tertius modus *Disamis* gaudet maiore particulari affirmatiua, minore vniuersali affirmatiua concludentibus particularem affirmatiuam, vt

Di- { *Aliquod animal est corpus,*
sa- { *Omne animal est substantia,*
mis. { *Ergo quædam substantia est corpus.*

Quartus modus *Datisi* componitur ex maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari affirmatiua inferentibus particularem affirmatiuam, vt

Da- { *Omnis lapis est corpus,*
ti- { *Quidam lapis est adamas,*
si. { *Ergo quoddam corpus est adamas.*

Quintus modus *Bocardo* contexitur ex maiori particulari negatiua, minori vniuersali affirmatiua, & conclusione particulari negatiua, vt

Bo- { *Quidam homo non est incorruptibilis*
car- { *Omnis homo est rationalis*
do. { *Ergo quoddam incorruptibile non est rationale.*

Sextus modus *Ferison* coalescit ex maiore vniuersali negatiua, minore particulari affirmatiua, ex quibus deducitur conclusio particularis negatiua, vt

Fe- { *Nulla substantia est inhærens,*
ri- { *Quædam substantia est ens,*
son. { *Ergo quoddam ens non est inhærens.*

23. Oppones, iste syllogismos in Darapti non concludit. *Quilibet homo est suspensus: sed quilibet homo est decollandus: ergo homo decollandus est suspensus.* Confirmatur, non valet hoc argumentum in Darapti, *omnis homo, & duo homines sunt tres homines: sed omnis homo, & duo homines sunt duo homines: ergo duo homines sunt tres homines.* Resp. nequaquam dictum syllogismum esse in Darapti, cum ambæ præmissę sint particulares. Eò magis, quia præmissæ non sunt idoneæ ad concludendum: pro diuersis enim supponunt, putà maior pro furibus præteritis, & minor pro furibus futuris. Ad confirmationem dico, commune, & vniuersale non numerari ad numerationem suorum singularium, quia cum eis identificatur, alioquin numerus binarius foret ternarius: duoque homines essent tres homines, vt suprà arguitur, quod quàm falsum sit ex se patet. & traditur à Mauritio q. 24. *Uniuersalium* § *de tertio, folio 41.* post Scotum 1. *d. 24. q. vn.* § *Circà illud, sub D.*

ARTICVLVS IX.

De Regulis communibus figuris syllogisticis.

24. QVatuor obseruantur communes regulę tribus prænominatis figuris, vt cum reliquis Dialecticis docet Scot. 1. *Priorum q. 20. Prope initium.*

Prima, ex puris particularibus, vitiatæ formæ syllo-

sticæ nihil rectè cōcluditur vt *aliquod corpus est viuens: aliquis lapis est corpus: ergo aliquis lapis est viuens:* Ratio est, quia & si duo extrema in termino communi conueniant, non oportet ea conuenire inter se, penes ipsorum rationes peculiares. Secunda regula, à Scot. 1. *Priorum q.* 21. tacta, ex puris negatiuis, vi formæ syllogisticæ, nihil bene colligitur, vt *nulla arbor est sentiens: nullus homo est arbor: ergo nullus homo est sentiens.* Causa est, quia syllogismus ex puris negatiuis compactus opponitur dictis, *de omni, & de nullo* quorum vnum est principium omnium syllogismorum affirmantium, & alterum est fundamentum omnium syllogismorum negantium, in quibus admittitur medium saltem cum alterutro extremo esse coniungendum. Tertia, à Scot. 4. *d.* 17. *q. vn.* §. *Ad argumenta* sub Y. insinuata, si altera præmissarum fuerit particularis, pariter conclusio infertur particularis. Itemque si alterutra præmissa fuerit negatiua, vtique conclusio erit negatiua. Ratio affertur, quia conclusio semper sequitur debiliorem partem, & quia præmissæ sunt causa conclusionis, & effectus deteriorem partem suæ causæ prosequitur, vt patet de agentibus naturalibus ad eumdem numero effectum producendum concurrentibus, effectus redditur similis agenti particulari, & inferiori, non autem agenti vniuersaliori, & perfectiori, vt homo genitus assimilatur homini generanti, non autem Soli, vel Deo ad eius generationem coagenti, vt obseruat Doctor 1. *d.* 3. *q.* 7 *infrà AA.*

Quarta, medium non est ponendum in conclusione. Ratio est, quia officium medij est coniungere extrema in præmissis: idcircò bis in eis locatur, vt postmodum in conclusione ipsa extrema adinuicem connectantur. Eò magis, quia si in conclusione extiterit medium, ipsa conclusio ab alterutra præmissa non differret, sicque causa ab effectu non distingueretur, quod est absurdum.

25. Oppones 1. Contrà primam regulam, ex Scot. 1. Priorum q. 10. *Animal est Petrus: homo est Petrus: ergo homo est animal.* Ista consequentia est bona, quamuis deducatur ex puris particularibus, ac proinde prima regula non valet. Confirmatur, *Animal est currens: homo est idem animal: ergo homo est animal.* Consequentia est valida, licet ex puris particularibus colligatur. Resp. eam regulam sic esse intelligendam, videlicet ex puris particularibus nihil sequitur, particularitate medij, siue vt ait Philosophus, quando medium in præmissis non distribuitur, quod non fit in præadductis syllogismis.

26. Oppones 2. Contrà 2. regulam, ex puris negatiuis habetur conclusio vera, vt patet in hoc syllogismo. *Omne quod non est animal, non est homo: lapis non est animal: ergo lapis non est homo* Resp. re vera maiorem non esse negatiuam: in ipsa quippe, non remouetur prædicatum à subiecto, vt fit in propositione negatiua; præsertim quia videtur constare subiecto, & prædicato infinito, & in hoc non tenet regula prædicta, vt monent nostri Recentes, & exemplificant exemplo Philosophi 2. Cæli c. 4. *Omnes stellæ, quæ non scintillant sunt propè: planetæ non scintillant, ergo sunt propè.* Vbi conclusio est affirmatiua, tametsi minor sit negatiua, & valet conclusio propter verbum in præmissis infinitatum, quod non pugnare Scot. 2. *Periher q.* 1. tuentur præcitati Auctores 1. *p. Inst. Tract.* 2. *c* 1.

27. Oppones 3. Nonnulli syllogismi valent, tametsi medium in conclusione locum habeat: ergo 3. regula non est vniuersaliter vera. Ant. ostenditur, *omnis Leo est animal: omnis Leo est Leo: ergo omnis Leo est animal.* Vbi medium cernitur in conclusione, & totus dictus syllogismus est bonus. Resp. in hoc syllogismo medium poni in conclusione, non quidem sub ratione medij, sed sub ratione vnius extremitatis; quod fortasse accidat propter minorem propositionem, quæ est identica.

ARTICVLVS X.

De regulis particularibus trium figurarum.

28. DVæ peculiares regulæ notantur in prima, & totidem in 2. in 3. verò figura, vna duntaxat. Prior regula primæ figuræ ex maiore particulari in modis directè concludentibus, nulla infertur conclusio, vt *aliquod viuens est sensus expers: omnis homo est viuens, ergo omnis homo est sensus expers.* Posterior regula, ex minore negatiua, nulla fit conclusio, in modis directè concludentibus: in modis verò indirectè concludentibus, bene sequitur, puta in Fapesmo, & Frisesomorum, vt *omne animal est sentiens: nulla planta est animal: ergo aliquod sentiens non est planta.* Ratio vtriusque regulæ est, quia medium in præmissis non distribuitur, hoc est proceditur à non distributo ad distributum. Prima regula secundæ figuræ, quam attingit Scot. 4. *d.* 1 *q* 1 *ante* §. Ratio 2. *circà* F. si maior fuerit particularis, nihil concluditur, vt *aliquod viuens non est sensitiuum: omne animal est sensitiuum: ergo aliquod animal non est viuens.* 2. Regula, ex puris affirmatiuis nihil infertur, vt *omne sensitiuum est animal: omne viuens est animal: ergo omne viuens est sensitiuum.* Causa vtriusque eadem est, quæ fuit tradita in regulis primæ figuræ. Huius meminit Scot. 1. Priorum q. 23. §. *Tunc ponitur.* Regula 3. figuræ, ex minore negatiua, inualida extat conclusio, propter eamdem causam, quæ in aliis præcedentibus regulis fuit assignata, vt *omne animal est corpus: nullum animal est insensibile: ergo aliquod insensibile non est corpus:* Huius meminit Scot. 1. *Priorum q.* 24. §. *Quantum ad* 1.

29. Oppones, Contrà primam regulam primæ figuræ. *Aliquod animal est rationale: omnis homo est rationalis: ergo, aliquis homo est rationalis.* Hæc conclusio est recta ex præmissis deducta, quarum maior est particularis. Ergo prima regula primæ figuræ non est certa. Resp. præallatam regulam esse intelligendam, nihil sequi ex maiore particulari, supple. ratione formæ, non autem ratione materiæ, vt deducitur in argumento.

ARTICVLVS XI.

De reductione syllogismorum imperfectorum ad perfectos.

30. CVm syllogismus ex antedictis distribuatur in perfectum, & in imperfectum, omneque imperfectum ad perfectũ redigi valeat, vt præ alijs aduertit Sarnanus Cardinalis *q.* 3. *Vniversalium. p.* 74. *&* 81. Atq; omnes modi figurarum (præter quatuor primos primæ figuræ, qui planè extant exemplaria perfectissimi discursus) sint imperfecti, propterea inueniendus est modus reducendi imperfectos syllogismos ad perfectos, vt conuincantur illi, qui nisi apertè cernant bonitatem consequentiæ, ei nequaquam assensum præbere volunt. Quòd vt commodiùs fiat, obseruamus vocabula carm num *art.* 1. *huius quæstionis* recensita, ingeniose fuisse excogitata. Siquidem omnes modi figurarum tam perfecti, quàm imperfecti, quatuor duntaxat sortiuntur litteras initiales, vtpotè B. C. D. F. quibus designatur: omnes modos imperfectos Incipientes per B. reducendos esse ad Barbara, per C. ad Cælarent, per D. ad Darij, & per F ad Ferio. Reductio autem syllogismi est reuocatio syllogismi imperfecti ad perfectum, vt syllogismus imperfectus extitisse rectus videatur, & apertè monstretur. Duplex autem extat syllogismi reductio secundum Aristotelem, & Scotum *Quol.* 2. §. *De* 2. H. & *q.* 12. *Prædicamentali* §. *Quia ista.* Vna *ostensiua*, & altera *ad impossibile* nominatur. Reductio ostensiua est

reuocatio

reuocatio alicuius syllogismi imperfecti ad aliquem ex perfectis primæ figuræ ob conclusioné negatam dicti syllogismi imperfecti, quæ fit, aut per conuersionem dictæ conclusionis negatæ, aut per transpositionem præmissarum, vt si negetur conclusio indirectá in Baralipton, *omnis arbor est animata: omnis Cerasus est arbor: ergo quoddam animatum est Cerasus.* Reducendus est hic syllogismus ad Barbara, quia Baraliptô incipit per B. & per conuersionem simplicem conclusionis negatæ habetur syllogismus perfectus, sic: *Omnis arbor est animata: omnis Cerasus est arbor: ergo omnis Cerasus est animata:* quod si omnis Cerasus est animata, sequitur quoddam animatum esse Cerasum, quod negatum erat; sicut si omnis homo est rationalis, rectè sequitur quoddam rationale esse hominem per dictum, *de omni*, & per regulam antepraedicamentalem, quod competit essentialiter superiori, competit & inferiori. Reductio ad impossibile est reuocatio syllogismi imperfecti ad perfectum, propter conclusionem negatam huiusmodi syllogismi imperfecti, quando respondens redigitur ad concedendum aliquod impossibile, putà duas contrarias simul, aut duas contradictorias, & talis reductio habetur per sumptionem contrariæ, aut contradictoriæ conclusionis negatæ. Vt autem hi duo reducendi modi faciliùs percipiantur, libet obseruare quatuor consonantes S. P. M. C. quæ extant in aliquibus ex præfatis modis imperfectis. S. quippe denotat reductionem faciendam esse per conuersionem simplicem, quòd est dictu, propositionem præcedentem conuertendam esse conuersione simplici. P. conuersione per accidens. M. maiorem efficiendam esse minorem. C. talem modum, putà Baroco redigi tantum per viam ad impossibile. Præterea, vt quispiam commodiùs memoriæ mandet modum, quo facienda sit huiusmodi reductio in quouis modo imperfecto. Dialectici hoc carmen scriptis consignarunt.

Phabifer axis obit terras, sphæramque quotannis.

Vbi notatur duæ dictiones, primæ constantes quinque syllabis correspondentibus quinque modis imperfectis primæ figuræ. Aliæ duæ subsequentes dictiones constant quatuor syllabis, quibus correspondent quatuor modi secundæ figuræ: postremæ verò duæ dictiones constantes sex syllabis correspondent sex modis imperfectis 3. figuræ. Insuper in his omnibus ponuntur 4. vocales A. E. I. O. quæ ostendunt quatuor modos primæ figuræ: A. enim designat Barbara, E. Cælarent, I. Darij, & O. Ferio. Per hoc namque probationis genus confirmantur præfati modi imperfecti, vt patet præsenti exemplo, in

Ba- { *Omne animal est sensitiuum*
ra- { *Omnis homo est animal*
lipton. { *Ergo quoddam sensitiuum est homo.*

Respondens si neget præpositam conclusionem: Arguens sumit contradictoriam ipsius conclusionis negatæ, putà, nullum sensitiuum est homo; & quia Baralipton reducitur ad Cælerent, iuxtà regulam præscriptam primæ figuræ, prædicta contradictoria conclusionis ponitur pro maiore, & maior fit minor, ex quibus infertur contraria minoris concessæ syllogismi reducti conuertendo eam per accidens, sic in

Cæ- { *Nullum sensitiuum est homo*
la- { *Omne animal est sensitiuum*
rent. { *Ergo nullum animal est homo.*

Nullum animal est homo: ergo nullus homo est animal: sed omnis homo est animal, vt concessit Respondens, ergo nullus homo est animal, & omnis homo est animal: sicque admittit Respondens duas contrarias propositiones simul veras.

31. Oppones ex Aristotele 1. *Priorum c. 6.* præter duas præassignatas reductiones, datur alia reductio per expositionem, cum subrogato medio singulari in loco medij communis, deducitur eadem conclusio, quæ inferebatur in syllogismo potiente medio communi, vt si Respondens neget hanc conclusionem in

Da- { *Omnis arbor est animata*
ra- { *Omnis arbor est corpus*
pti. { *Ergo aliquod corpus est animatum.*

Arguens sumit medium singulare sub arbore collocatum, & apponit illud in loco medij communis, sic

Hac Cerasus est animata:
Hac Cerasus est arbor:

Ergo quadam arbor est animata, & hac arbor est corpus; ergo aliquod corpus est animatum; quia quidquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente. Igitur tres sunt reductiones syllogismi imperfecti ad perfectum. Resp. duas esse tantum reductiones communes omnibus figuris. Reductio quippè per expositionem peculiaris & propria est tertiæ figuræ. Vel dici potest per istam reductionem solùm fieri ratione medij communis mutati in singulare; at in duabus præfatis reductionibus relinquitur idem medium, sitque conuersio, & transmutatio propositionum eodemmet medio persistente.

ARTICVLVS XII.

De Potestatibus syllogismi.

31. SEnario numero comprehenduntur syllogismi potestates ab Aristotele 2. *Priorum* expensæ. Prima est facultas plura concludendi. Siquidem ex subalternante concludi valet subalternata, vt si Arithmetica est scientia: ergo & Musica est scientia, quæ illi subalternatur. Item si homo est rationalis: ergo Petrus est rationalis. Rursus ex conuersa concludi potest conuertens, vt *nullus piscis est arbor: ergo nulla arbor est piscis.* Idque potest accidere per assumptionem plurium minorum extremitatum. 2. Est facultas colligendi vera ex falsis, vt omne animal est album: Cygnus est animal: ergo Cygnus est albus. Quod euenit, cum ex ambabus falsis, aut ex alterutra præmissa falsa in toto, vel in parte, verum concludimus. Falsum autem ex vero nequaquam inferri valet; secus antecedens foret verum, & consequens falsum, quod effici nequit. Tertia est facultas circulariter syllogizandi, & efficitur, cum per conclusionem, & conuertentem vnius præmissarum deducimus alterâ præmissarum primi syllogismi, vt *omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis*, infertur minor ex eadem conclusione, cum conuertente minoris, & habetur rarùm in terminis cõuertibilibus, sic, *omnis homo est rationalis: omne rationale est risibile; ergo omnis homo est risibilis.* Item ex eadem conclusione cum conuertente maioris infertur maior sic: *Omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis: ergo omne rationale est risibile.* 4. Est facultas conuersiuè syllogizandi. Quod contingit, quando ex contradictoria conclusionis, cùm vna ea præmissis infertur contradictoria, aut contraria alterius præmissæ: quo pacto omnes syllogismos imperfectos ad perfectos reduci in superiore capite ostendimus. Quinta est facultas syllogizandi ad impossibile, quam satis loco nunc citato declarauimus. Sexta est facultas syllogizandi ex oppositis. Quod accidit, cùm ex præmissis contradictoriis, aut contrariis colligitur conclusio, in qua idem de seipso negatur. Idque fit ad proteruos conuincendos, qui contradictoria, vel contraria simul concederent, vel negarent, vt *omnis arbor est animata; nulla arbor est animata: ergo nulla arbor est arbor.*

33. Oppones, Aristoteles 1. *Post. c. 3.* & cùm eo cæteri Philosophi admittunt in argumentatione regressum, & respuunt circulum. Ergo circulariter syllogizare non est syllogismi potestas. Concesso ant. negatur consequentia, aliud enim est habere facultatem aliquid faciendi, aliud verò efficiendi aliquid velliter, aut inutiliter: primum namque esse valet absque. 2. Itaque admittimus facultatem circulariter

syllogizandi: an verò sit proficuum circulariter syllogizare aliàs examinabitur.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Syllogismo specificè sumpto.

1. MVltas syllogismorum diuisiones attulimus & explicauimus *in antecedente q. art. 3.* ibique eorum definitiones dedimus: ideò cum de eis alia digna scitu nobis pro Tyronibus non occurrant, pauca quædam tantum hîc adijcienda curauimus.

ARTICVLVS I.

De Syllogismo expositorio.

2. SYllogismus expositorius ex Scoto 1. *d. 1. q. 7. Ad 1. principale II.* & *q. 10. Prædicamentali*, & 1. *Priorum q. 11.* describitur, *cuius medium est terminus singularis singulariter, & vniuocè tentus*: vocaturque expositorius, aut quia rem apertè oculis exponit, aut quia medium commune per medium singulare exponit, vt *Paulus est Apostolus: Paulus est Tarsensis ergo aliquis Tarsensis est Apostolus.* Hic autem syllogismus innititur potissimùm illi principio, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quod iam fuit à nobis declaratum *art. 4. superioris q.* Vt verò dictus syllogismus appareat rectus, tres petit conditiones. Prima est, medium debet teneri singulariter, defectu cuius non valet iste syllogismus. *Plato est terminus singularis.; Plato est ens; ergo ens est terminus singularis.* 2. Medium debet esse totale extremum in vna præmissarum. Ob id non sequitur, *in hoc templo est Plato: in hoc templo est Socrates: Ergo Plato est Socrates.* 3. In affirmatiois talis identitas debet concludi, qualis habetur in præmissis: talisque econt à diuersitas debet concludi in negatiuis, qualis extat in præmissis, propterea non valet hic syllogismus, *Hæc essentia Diuina est Pater: hæc essentia Diuina est Filius: Ergo Filius est Pater.* Siquidem Pater, & Filius sunt idem in Diuina essentia, non autem in Persona. Alia quippè est Persona Patris, alia Filij, & alia Spiritus sancti, perhibente S. Athanasio in Symbolo.

3. Oppones 1. Hic syllogismus expositorius non valet, scilicet, *Hic Deus est vbique: hic Deus est aliquis homo: ergo aliquis homo est vbique.* Dici potest eum non esse validum de termino infinito, & singulari communiter tento, vt ex Scoto supra citato patet; latéque de eo egimus *Tract. de Triv. disp. 3. q. 4.* vel dicito solùm concludere penes Diuinitatem, non verò penes humanitatem.

4. Oppones 2. Nec hic expositorius syllogismus est bonus. *Hoc ens præcessit suam matrem, sed hoc ens est aliquis homo*, iuxtà illud Ioannis 8. *antequam Abraham fieret, ego sum: Ergo aliquis homo præcessit suam matrem.* Resp. argumentum concludere ratione Diuinitatis, non verò ratione humanitatis. Deus namque est homo per assumptionem humanitatis. Ideò non rectè infertur aliquem hominem præcedere suam matrem, quia Deus Filius non assumpsit humanitatem ante matrem suam.

ARTICVLVS II.

De Syllogismo ex obliquis.

5. SYllogismus ex obliquis est, qui ex aliquo termino obliquo componitur, vt *omne bonum est à Deo: salus est aliquod bonum: ergo salus est à Deo.* De hoc disserunt Aristoteles 1. *Priorum c. 37.* & Scotus 1. *Priorum q. 18. ante §. Tunc sunt*, & *q. 39. §. Quantum ad 1.* & 2. *d. 2. q. 2. §. Ad argumenta principalia, sub E. O. & indè.* Ad cuius rectitudinem, & bonitatem consequentiæ nonnulla sunt obseruanda: imprimis in affirmatiuo, si vna ex præmissis extiterit ex obliquis, conclusio construi debet ex obliquis, vel obliquo, vt patet in exemplo præallato. Deinde in negatiuo, si vna præmissarum ex obliquis fuerit affirmatiua, nihil concluditur. Insuper Aristoteles *citato loco* aduertit, hosce syllogismos ex obliquis, vt rectè fiant, reuocandos esse ad rectos, vt *vnum oppositorum pugnat alteri opposito: sed virtus, & vitium sunt opposita: ergo virtus vitio pugnat.* Sic reducitur, *Opposita sunt pugnantia: virtus & vitium sunt opposita: ergo virtus, & vitium sunt pugnantia.*

6. Opponet, hic syllogismus ex obliquis est bonus, tametsi ex vna affirmatiua componatur, videlicet, *nullum peccatum est in Deo sed omnis acceptio personarum est peccatum: ergo nulla acceptio personarum est in Deo*, vt patet per locum Scripturæ, Actuum 10. *In veritate comperi, quod acceptor personarum non est Deus.* Dici potest præfatum syllogismum componi quidem ex minore affirmatiua, & maiore negatiua: quandoquidem ex puris negatiuis in qualibet figura nihil concluditur, vt suprà diximus; non tamen componi ex affirmatiua constante pluribus obliquis, ideò bonus esse videtur: ita respondent nonnulli Recentes, quibus aduersatur huius syllogismi descriptio in principio huius art. allata. Nec vlla potior ratio videtur de eo, qui ex obliquis constat, quàm altero, qui ex obliquo componitur. Potest dici fortasse cùm alijs, prænominatam regulam non esse vniuersaliter veram, sed in aliquibus tenere: in aliquibus verò deficere, vt à reductione syllogismorum ostensiua quosdam modos excipi, putà Baroco, & Bocardo suprà notauimus. Itemque de modo *Calantes*, eius reductionem non fieri, eo pacto, quo alij modi, concors est Dialecticorum sententia. Reliqua, quæ de syllogismis demonstratiuo, & dialectico dici possunt, vel patent ex dictis, vel alibi sunt examinanda.

QVÆSTIO TERTIA.

De locis Dialecticis.

1. IN iudicio, & inuentione, tanquam in duabus præcipuis partibus totam Logicam suam esse, nemo inficiatur. Cum autem suprà de iudicio eius actum sit: nunc verò de inuentione eiusdem disserendum restat, quæ potissimùm in cognoscendis locis Dialecticis posita esse videtur.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit locus Dialecticus.

2. LOcus est sedes argumenti, siue id, à quo ad propositam quæstionem conueniēs depromitur argumētum. Quemadmodum enim locus naturalis dicitur conseruatiuus rei in suo esse, eamque ambit, continet,

tinet,& fouet:pariter locus Dialecticus vim,roburque præbet argumento, quod ex eo eruitur. Argumentum autem etsi non tarò pro syllogismo vsurpetur, vt ait Scot.q.1. *Vniversalium* §. *Dicendum*:propriè tamen est medium probatiuum conclusionis,vulgóque describitur his verbis,*argumentum est rei dubiæ faciens fidem*,vt patet 1.*Elench* q.4. Locus auté communissimè sumptus duplex statuitur.vnus appellatur locus maxima,qui est propositio per se nota, qua non datur alia prior, nec notior in eodem genere, vt de quocunque prædicatur definitio,& de eo quoque prædicatur definitum: alter verò nuncupatur locus differentia maximæ, qui sunt termini, ex quibus componuntur maximæ, quibusue differunt abinuicem, vti sunt definitio, & definitum, Subdiuiditur autem locus differentia maximę in intrinsecum, extrinsecum, & medium : intrinsecus est, cùm sumitur argumentum ab eis, quæ substantiam, seu naturam rei ingrediuntur:extrinsecus est,cum decerpitur argumentum ab illis,quæ à rei substantia,seu essentia seiuncta sunt:medius est, cum depromitur argumentum ab eis,quæ partim conueniunt cum terminis in quęstione positis : partim verò ab eis differunt. Vniuersè autem numerari possunt vigintiocto loci, intrinseci 18. extrinseci septem, & medij tres,de quibus singulatim est agendum in tribus proximis articulis.

3. Oppones 1. Si definitio loci foret bona, hi duo termini homo,& alimal essent loci,quia ab his eruitur argumentum,valet enim,*est homo : ergo est animal* : sed nequeunt esse loci, cum nec maxima, nec differentia maximæ esse valeant:ergo definitio loci non est rectè tradita.Negatur sequela maioris.& si enim ab ipsis accipiatur argumentum, non tamen tanquam maxima, aut differentia maximæ.

4. Oppones 2. Differentia maximæ est habitudo terminorum,ex quibus conficitur maxima : sed habitudo non est terminus, sed relatio. Igitur non probè describitur locus differentia maximæ. Resp. quidem differentiam maximæ formaliter esse habitudinem, siue relationem ; fundamentaliter verò esse terminos præfatos, vt o[illegible]mè nonnulli Scotistæ animaduertunt.

ARTICVLVS II.

De locis intrinsecis penes rei substantiam.

5. LOcus intrinsecus aut desumitur à substantia, reique essentia, & est quando eruitur argumentum ab eis, quæ sunt de substantia terminorum in quæstione positorum : aut ab eis, quæ ipsammet substantiam reique naturam concomitantur, & est,quando deducitur argumentum ab iis, quæ consequuntur terminos in quæstione positos. Locus 1.modo captus est senarius,nempe à definitione, à definito,à descriptione, à descripto, ab interpretatione, & interpretato. Locus 2. modo sumptus duodenario numero comprehenditur, nempe locus à toto vniuersali, à toto integrali, à toto in quantitate, à toto in modo, à toto in loco, à toto in tempore, à causa, ab effectu, à generatione,à corruptione,ab vsu,& à communiter accidentibus. Iuxta autem hunc à nobis præassignatum ordinem locorum, singuli loci sunt diligenter declarandi, & exemplis illustrandi:priores quidem in præsenti,posteriores verò in sequenti articulo.

Locus à definitione est habitudo definitionis ad definitum,à quo eruuntur 4.arguments, duo affirmatiua, & totidem negatiua. Primum,quidquid affirmatur de definitione,affirmatur pariter de definito,vt *animal rationale est risibile : ergo homo est risibilis*. Secundum, de quocumque affirmatur definitio,de eodem quoque affirmatur definitum, vt *substantia est ens per se subsistens : ergo corpus est ens per se subsistens*. Tertium, quidquid negatur de definitione, negatur etiam de definito, vt *nullum animal rationale est inanimatum : ergo nullus homo est inanimatus*. Quartum, de quocumque negatur definitio,itidem negatur definitum,vt *planta non est animal rationale:ergo planta non est homo*. Eodem ferè modo argumentamur a definito, quo a definitione, mutato nomine definitionis duntaxat,in nomen definiti,est enim locus à definito habitudo definiti ad definitionem.

Locus à descriptione est habitudo descriptionis ad descriptum, vt *Logica est veri, ac falsi indagatrix : ergo est necessaria ad scientias capessendas*. Totque depromuntur argumenta à descriptione ad descriptum,quot à definitione ad definitum, & econtrà. Ad hunc locum reuocantur locus à specie ad suam propriã passionem, vt *homo est sensitiuus:ergo risibile est sensitiuum* : Itemque locus ab indiuiduis ad suam passionem, vt *Petrus currit : ergo risibile currit*.

Locus ab interpretatione est habitudo interpretationis ad interpretatum,vt *amator sapientia deambulat:ergo Philosophus deambulat*. Eademque ferè conficiuntur argumenta in his ac in illis præfatis locis.

6. Oppones,non sequitur, *iustus est amator sapientiæ: ergo iustus est Philosophus*, ac proinde locus ab interpretatione ad interpretatum non est idoneus. Resp. si iustus amet sapientiam iam habitam, aut saltem sit in actu eam habendi, neganda est consequentia: at si eà careat, nec sit in actu eam habendi, concedenda est consequentia; amor enim est respectu habiti,desiderium verò respectu habendi, vt in Ethica patebit.

ARTICVLVS III.

De locis intrinsecis penes concomitantia substantiam.

7. LOci penes concomitantia substantiam,seu quidditatem rei,qui in superiori art.duodecim fuere recensiti,nunc breuiter sunt enucleandi,exemplisque confirmandi.

Locus à toto vniuersali.siue à genere ad speciem,est habitudo ipsius vniuersalis ad suam partem subiectiuam,tenetque negatiuè,vt *lapis non est animal:ergo non est homo* : à quocumque enim remouetur totum vniuersale,remouetur & pars eius. E regione locus à parte subiectiua, est habitudo ipsius partis subiectiuæ ad suum totum vniuersale,tenetque affirmatiuè, vt *homo currit;ergo animal currit*. Locus à toto integrali, quem tangit Scot.q.41.*Prædicamentali*.§. *Ad q.* est habitudo totius integralis ad suam partem integralem,tenetque affirmatiuè,vt *domus est : ergo paries est*. Locus verò à parte integrali est habitudo ipsius partis ad suum totum, & valet negatiuè, vt *paries non est : ergo domus non est*.

Locus à toto in quantitate,quem innuit Scot.1.*Priorum q.2. & Quol.7.§. Ad primum argumentum.sub BB.* est habitudo ipsius totius ad suam partem:& valet affirmatiuè, vt *omnis equus currit:ergo Bucephalus currit*: Et negatiuè,vt *nullus equus currit:ergo Bucephalus non currit*.Locus autem à partibus, in quantitate est habitudo omnium partium simul sumptarum ad suum totum;tenetque affirmatiue,vt *Petrus currit, Paulus currit,& reliqui:ergo omnis homo currit*. Et negatiuè,vt *Petrus non currit,Paulus non currit,nec reliqui : ergo nullus homo currit*.

Locus à toto in modo, quem refert Scot.1.*Priorum q.6.*& Sirectus *art.3. partiali Form.* est habitudo termini communis absque vlla determinatione ad idem totum sumptum cum determinatione, vt *Petrus non est*

Geometra: ergo non est Geometra insignis. Locus à parte in modo est habitudo ipsius ad suum totum, vt *Euclides est Mathematicus eximius: ergo Euclides est Mathematicus.*

Locus à toto in loco, est habitudo ipsius totius ad suam partem, & valet affirmatiuè, vt *Deus est vbique: ergo Deus est hic.* Et negatiuè, vt *Antichristus nullibi est: ergo Antichristus non est hic.* Locus verò à parte in loco est habitudo ipsius partis ad suum totum, tenetq; negatiuè, vt *Adam non est hic, nec alibi: ergo nullibi est.*

Locus à toto in tempore est habitudo ipsius totius ad suam partem, de quo syllogizandum est eo fermè pacto, quo de toto in loco. Valet enim affirmatiuè, vt *Deus est omni tempore: ergo Deus est tempore præsenti.* Et negatiuè, vt *Antichristus nullo tempore extitit: ergo non extat tempore præsenti.*

Locus à parte temporis ad suum totum est habitudo ipsius partis ad suum totum, vt *Deus existit tempore præsenti, præterito, & futuro: ergo existit omni tempore.*

Locus à causa, quem insinuat Scot *Quol.* 17. §. *Contra conclusionem, ante L,* est habitudo causæ ad effectum, estque quadruplex, iuxtà quatuor causarum genera, à quibus singulis deducimus argumenta, cùm affirmatiua, tùm negatiua, vt palàm fiet in exemplis mox subiiciendis, declarando quodlibet genus causæ.

Locus à causa efficiente, cuius meminit Scot. *Quol.* 13. §. *Ad ista,* est habitudo ipsius causæ efficientis ad suum effectum, teneteque affirmatiuè, vt *arbor est bona: ergo bonos fructus facit.* Et negatiuè, vt *arbor est mala: ergo malos fructus facit,* docente Christo Domino, Matt. 7.

Locus à causa materiali est habitudo ipsius ad suum effectum; valetque affirmatiuè, vt *ferrum est: ergo possunt ex eo fieri arma ferrea.* Et negatiuè, vt *ferrum non est: ergo ex eo effici nequeunt arma ferrea.*

Locus à causa formali est habitudo ipsius ad suum effectum, valetque affirmatiuè, vt *albedo est: ergo album est.* Et negatiuè, vt *albedo non est: ergo album non est.*

Locus à causa finali est habitudo ipsius ad suum effectum, valetque affirmatiuè, vt *felicitas est bona, ergo virtus est bona.* Et negatiuè, vt *pœna nō est bona: ergo peccatum non est bonum.* Eodem planè modo argumentamur ab effectu ad causam, mutato nomine causæ in nomen effectus dumtaxat: si enim effectus est bonus, vtique causa est bona. & econtrà. Hinc arguebat, & monebat Christus Dominus, *à fructibus eorum cognoscetis eos,* Matth. 7.

Locus à generatione est habitudo generationis ad genitum, de quo habetur huiusmodi axioma ad conficienda subsequentia argumenta: cuius generatio est bona, genitum quoque est bonum, vt *generatio ouis est bona: ergo ouis est bona:* & cuius generatio est mala, genitum pariter est malum, vt *generatio morbi est mala: ergo morbus est malus.* Ratio huius est: quia generatio, siue productio cuiuslibet siue substantialis, siue accidentalis fertur ad esse rei: ergo si res producta est bona, eius productio dicetur bona: quod si res producta est mala; etiam eius productio mala est.

Locus à corruptione est habitudo corruptionis ad corruptum: de quo datur quoque tale axioma. Cuius corruptio est bona, corruptum est malum, vt *corruptio siue destructio latronis est bona: ergo latro est malus.* & cuius corruptio est mala, corruptum est bonum, vt *corruptio domus est mala: ergo domus est bona.*

Locus ab vsu est habitudo ipsius ad id, cuius est vsus, vt *equitare est bonum: ergo equus est bonus.* Item *necare proximum est malum: igitur necator proximi est malus.*

Locus à communiter accidentibus est habitudo vnius communiter accidentium ad alterum, valetque affirmatiuè, vt *fæmina lac habet: ergo peperit.* Et negatiuè, vt *fæmina lac non habet: ergo non peperit.*

Oppones 1. Non bene infertur, imago est homo pictus: Ergo imago est homo. & tamen arguitur à toto in modo: atque ita ab eo loco non semper rectum deprom itur argumentum. Resp. consequentiam non valere, propterea quod arguitur à determinatione distrahente; sicut non valet illatio à secundum quid, ad simpliciter, sicut non valet, Æthyops est albus secundum dentes; ergo Æthyops est albus.

8. Oppones 2. Non rectè deducitur, albedo est: ergo paries est, licet arguatur à causa formali, ad suum effectum formalem: ac proinde ille locus à causa formali, ad suum effectum, non est certus, & infallibilis. Resp. illationem esse indebitam, quia paries non est concretum albedinis: sed concretum ipsius albedinis est album; sicque bona extat argumentatio: albedo est; ergò album est.

9. Oppones 3. Non est legitima consequentia. *Mors Christi fuit bona, quia per eam salui facti sumus. Ergo Christus fuit malus:* tametsi arguatur per locum à corruptione ad corruptum. Igitur hic locus à rectitudine deflectit. Resp. mortem Christi quidem pro nobis fuisse bonam, ob causam assignatam, non tamen ipsi Christo, ratione sui compositi naturalis. cùm enim sic verè mortuus, per eius mortem destructa fuit eius humanitas, vt videre est apud Scotum. 3. *d.* 21. Orbellum, & alios Scholasticos. *ibid.*

10. Oppones 4. Non sequitur, Deum pœnituit, iuxtà illud Geneseos 5. *Pœnitet me fecisse eos,* id est homines. Ergo Deus peccauit, & tamen arguitur per locum à communiter accidentibus. Resp. illud pœnitere respectu Dei, intelligi metaphoricè, veluti irasci, misereri, & huiusmodi, de quibus suo loco: ideò consequentia nulla est.

ARTICVLVS IV.

De locis extrinsecis.

11. Loci extrinseci, qui ex dictis *art.* 1. *huius* 9. septenario numero continentur, & à Doctore commemorantur 1. *d.* 14. 9. 5. *Ad primum argumentum* 3. 9. & *d.* 11. 9. 2. §. *Contra istam positionem. A.* & *d.* 10. 9. *vn.* §. *Ad argumenta principalia. F.* sunt. Ab oppositis, A maiori ad minus, A minori ad maius, A simili, A proportione, A transumptione, & Ab authoritate. Hos omnes breui discursu nunc præstringo, ne hoc opusculum ingens efficiatur.

Locus ab oppositis est quadruplex, iuxtà quadruplex oppositorum genus aliàs recensitum, extant quippe opposita relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria. Locus à relatiuis est habitudo vnius relatiui ad aliud relatiuū; tenetq; affirmatiuè, vt *est Pater: ergo est Filius.* Et negatiuè, vt *non est Pater: ergo non est Filius.* Posito enim vno relatiuorū, ponitur & aliud: eòq; remoto removetur, & aliud. Locus à cōtrariis est habitudo vnius contrarij, ad aliud contrarium: valetque affirmatiuè in cōtrariis immediatis, vt *est par: ergo non est impar.* Et negatiuè, vt *non est par: ergo est impar.* Dixi in contrariis immediatis, nam in mediatis non sequitur, v. g. non est album; ergo est nigrum; quia potest esse rubeum, aut alterius medij coloris. Locus à priuatiuè oppositis est habitudo priuationis ad habitum, aut habitus ad priuationem; tenetque affirmatiuè, vt *hic homo est videns: ergo non est cæcus.* Et negatiuè cum constantia subiecti, & tempore determinato à natura dumtaxat; catulus enim ante nonum diem non dicitur videns, nec cæcus: nec puer dicitur edentulus, ante tempus à natura præfixum.

Locus à contradictoriis est habitudo vnius contradictorij, ad aliud contradictorium, & si vnum contradictorium est verum, aliud est falsum, vt *verum est Petrum sedere: ergo falsum est Petrum non sedere.*

Locus à maiori ad minus est habitudo ipsius maioris ad minus: valetque negatiuè, vt *Dux non potest capere castrum. Ergo nec miles* Huic consonat illud axioma, si id, quod magis videtur inesse, & non inest, nec id, quod minus

minus videtur inesse, inerit, vt scribit Scot. q. 25. *Prædicam. §. Dicendum.*

Locus à minori est habitudo ipsius minoris ad maius: tenetq; affirmatiuè, vt *miles potest capere castrum: ergo & Dux.* Huic congruit illud axioma, si id quod minus videtur inesse, inest: & id quod magis videtur inesse, inerit, vt indicat Doctor *vbi supra,* & 1 *Post.* q. 23. & Aug. *expos. 2. in Psal.* 21. *& Psal.* 32. *in fine.*

Locus à simili est habitudo vnius similis ad aliud simile: valetque affirmatiuè, vt *risibile est proprium homini: ergo hinnibile est proprium equo.* Et negatiuè, vt *risibile non est genus hominis: ergo nec hinnibile est genus equi.*

Locus à proportione est habitudo vnius proportionabilis ad aliud proportionabile, vt *sicut se habet nauta ad nauim, ita se habet auriga ad currum: sed nauta dirigit nauim: ergo auriga dirigit currum.* Huius, & alterius proximi superioris meminit Scot. 2. *d.* 3. *q.* 1. & 4. *d.* 49. *q.* 11. *B.*

Locus à transsumptione est habitudo transsumptionis ad transsumptum, vt *homo cum est lætus ridet: ergo prata cum florent rident.*

Locus ab authoritate est habitudo authoritatis ad illud, quod per eam probatur. Authoritas autem est indicium sapientis in aliqua scientia experti, de pertinentibus ad ipsius scientiam; vnicuique enim in sua arte experto credendum est, vt *Aristoteles affirmat terram quiescere: ergo terra quiescit.* Tenet autem solum affirmatiuè, non verò negatiuè. Ob id, vulgò receptum est illud argumentum desumptum ab authoritate negatiua non concludit, vt *hoc non dicit Aristoteles: ergo non est admittendum.* Quod notat Scot. 1. *d.* 3. *q.* 7. *§. Ad authoritatem Philosophi sub T.*

12. Oppones 1. Non sequitur, anima rationalis mouetur: ergo anima rationalis non quiescit, quia manus Petri potest moueri, & pes eius quiescere, eodem temporis momento: atque adeo locus à priuatiuè oppositis non valet. Resp. id verum esse respectu diuersorum, non autem respectu eiusdem, vt infertur in præmissa instantia.

13. Oppones 2. Non est bona consequentia. *Rex nequit ferre pondus centum librarum: ergo neque miles:* tametsi arguatur à maiori ad minus: ac proindè locus à maiori ad minus non est semper certus. Resp. non fieri argumentum à maiori ad minus penes proprias vires, tam Regis, quam militis, vt infertur in præfata instantia, sic enim potiùs est à minori, quàm à maiori: non enim de solo Rege, sed de spectantibus, & concomitantibus Regem, intelligendum est exemplum adductum.

14. Oppones 3. Non valet à simili, sicut se habet negatiua ad negatiuam; ita affirmatiua ad affirmatiuam: sed vniuersalis negatiua infert vniuersalem negatiuam in conuersione simplici: ergo vniuersalis affirmatiua pariter infert vniuersalem affirmatiuam in conuersione simplici. Resp. non bene argui, & inferri, videlicet ex ea parte, quâ sunt similia. Ideóque hæc instantia nullius est vigoris.

ARTICVLVS V.

De Locis mediis.

15. Loci medij ternario numero ex dictis comprehenduntur, & nominantur, A coniugatis, A casibus. & A diuisione, qui supersunt postremò à nobis describendi, & exemplis manifestandi, vt de superioribus præstitum est.

Locus à coniugatis est habitudo vnius coniugati ad aliud coniugatū. Cōiugata verò apud Dialecticos sunt concreta, & abstracta, vt album, & albedo: tenetque affirmatiuè, vt *Logicus est sciēs: ergo Logica est sciētia.* vt argumentatur Doctor Subtilis q. 1. *Vniuersalium.* & videtur quoque exemplificare Antonius Andreas q. 9. *in lib. sex principiorum,* inquiens, *principia actiuum, & passiuum sunt eiusdem generis: ergo actio, & passio.* Valet etiam negatiuè, vt *auaritia non est laudanda: ergo auarus non est laudandus.* Limitatur autem hic locus multipliciter. 1. à Doctore 1. *d.* 5. *q.* 1. in vltimatè abstractis, in quibus non sequitur, *equus est animal: ergo equinitas est animalitas.* 2. in prædicatis per se: ob id non valet, *album est dulce: ergo albedo est dulcedo.* 3. in distinctis prædicatis, & vocabulis: ideò non sequitur *album est coloratum: ergo albedo est colorata.*

Locus à casibus est habitudo vnius casus ad alium casum. Dicuntur autem casus apud Dialecticos adiectiuum, eiusque aduerbium, vt iustum, & iustè. Tenetque affirmatiuè, vt *iustum est bonum: ergo quod iustè fit, benè fit:* & negatiuè, vt *iniustum non est bonum: ergo quòd iniustè fit, benè non fit.*

Locus à diuisione est habitudo vnius diuidentis, ad aliud diuidens. Bifariàm autem argumentamur à diuisione. 1. negatis cæteris membris diuidentibus, præter vnum, concluditur illud vnum, quod accipitur, vt *homo est animal, & non est irrationale: ergo est rationale.* 2. si ab aliquo tollantur omnia membra diuidentia, ab eodem remouetur diuisum, vt *arbor non est brutum nec homo: ergo arbor non est animal.* Recognosce, quæ dixi *l.* 1. *q.* 7. *art.* 1. de præceptis bonæ diuisionis.

16. Oppones non valet per locum à diuisione, v. g. *Plato est coloratus, & non est niger: ergo est albus.* Fateor consequentiam esse ineptam, propterea quod non seruatur illud documentum supra traditum, putà præter vnum neganda esse reliqua omnia membra diuidentia.

QVÆSTIO QVARTA.

De Syllogismo sophistico.

1. VLTIMO loco agendum est de syllogismo sophistico, finibus Sophistarum, eorumque locis, quorum notitiam afferimus non sanè ad alios circumueniendos, falsitatem tuendam, & veritatem oppugnandam: sed vt ipsammet veritatem ex tenebris eruamus, & amplectamur, falsitatemque pro veritate apparente propositam repellamus. Syllogismus autem sophisticus ab Aristotele 8. *Top. c.* 4. dicitur is, qui ex iis, quæ videntur probabilia, & non sunt, colligit conclusionem: & à Scoto q. 3. *Vniuersalium* perhibetur priuatio veri syllogismi: veluti tenebræ sunt priuationes lucis: atque ab eodem Doctore 1. *d.* 42. *q. vn. §. Ad authoritatem, sub D.* appellatur syllogismus defectuosus, apparens, & deformis. Idque euidenter declarari potest ex Physica, quæ docet veris coloribus aues, belluasque esse depictas: itidem verò, columbæ collum, radiosque solares coloribus duntaxat apparentibus esse ornatos.

ARTICVLVS I.

De Sophistarum finibus.

2. SOphistarum finis duplex statui potest, vnus præcipuus, qui est inanis, siue apparens sapientia, coram auditoribus, quam Sophistæ aucupari conantur, vt tangunt Aristoteles 4. *Met. c.* 2. *Tex.* 5. & Scot. 1. *Elenc. in fine q.* 7. Alter verò est minus præcipuus, qui est metha alicuius incommodi, ad quod Sophistæ respondentem inducere nituntur: estque quintuplex, Redargutio Falsum, Inopinabile: Solœcismus, & Nugatio. Redargutio, cuius meminit Doctor q. 1. 1. *Elench.* & 4. *d.* 12. *q.* 1. *§. Ad q. sub E. versu. Ex ista ratione:* est præconcessi negatio, & prænegati concessio, videlicet, cùm responden

respondens cogitur concedere oppositum eius, quod negabat. vt si quis neget hanc conclusionem, *Quidam homo volat:* Sophista sic syllogizabit, vt compellat respondentem ad eam admittendam: *omnis gallus volat: quidam homo est gallus: ergo quidam homo volat.* Diluitur hoc sophisma per distinctionem maioris, quæ vera est de Gallo gallinaceo: non verò de homine natione Gallo.

Falsum est concessio euidenter falsi, aut negatio euidenter veri, cum scilicet respondens impellitur à Sophista ad concedendum, quod apertè falsum est, vt *quidquid non amisisti, habes, non amisisti thesaurum: ergo habes thesaurum.* Diluitur hoc sophisma, absolutè negando maiorem, vel eam distinguendo. De iis enim, quæ reuera habuisti, & non amisisti, conceditur: de iis verò, quæ nunquam habuisti, negatur. Simile quid habet Chrysippus *in Teatro vitæ humanæ. pag. 197. columna 1.*

Inopinabile est concessio alicuius quod communi omnium placito contradicit, hoc est, cum respondens admittit, quod improbabile censetur ab Auditoribus, vt *non omnis causa diligit opus suum: mater est causa filij: ergo mater non diligit filium suum.*

Nugatio est itita, inutilisque vnius, eiusdemque repetitio, vt *omnis Leo est animal: hic Leo est Leo: ergo hic Leo est animal.*

Solæcismus est error incongruæ locutionis, contrà præcepta Grammaticæ, ad quem impellere nititur Sophista, vt *omnis homo est cognoscitiuus: omnis mulier est homo: ergo omnis mulier est cognoscitiuus.*

3. Oppones. Scot. 1. d. 41. q. 4. §. *sequitur sub L.* scribit, nos. cre, & definite Solæcismum spectat ad artem loquendi: facere verò eum, vitium est, quod in ea arte reprehenditur. Ergo secundum Scotum Solæcismus non pertinet ad artem Sophisticam, & deceptoriam. Resp. quidem sermonem de Solæcismo esse Grammaticæ. impellere verò ad Solæcismum committendum, esse munus Sophisticæ: ità interpretandus est Scot. mox allegatus.

ARTICVLVS II.

Quid, & quotuplex sit fallacia.

4. FAllacia secundum Scotum q. 5. *Prædicamentali §. Ad quæstionem dicendum*: est locus idoneus ad decipiendum respondentem per argumenta Sophistica. Locus autem sophisticus est sedes argumenti, à quo Sophista sua depromit argumenta Sophistica. Notatur autem duplex causa in fallacia, vna est apparens veritas, quæ mouet respondentem ad ei assentiendum, ratione cuius vocatur syllogismus apparens. Altera est defectus veritatis, quæ mouet respondentem ad eam reiiciendam, ratione cuius perhibetur syllogismus defectuosus. Omnes autem syllogismi deceptorij vel peccant in materia, vel in forma, vt scribit Doctor. 1. d. 41. q. vn. §. *Ad authoritatem, infrà D.* peccare in materia est, cum vna ex præmissis, aut ambæ præmissæ videntur esse veræ ad inferendam bonam conclusionem, quæ tamen sunt falsæ, vt *quidquid non amisisti habes: thesaurum non amisisti: ergo habes thesaurum.* Dissoluitur sophisma eo modo, quo in antecedente art. dilutum est. Negatur enim maior, quæ videtur esse vera, & tamen vera non est. Peccare in forma est cum conclusio videtur sequi ex præmissis, & reuera ex eis non sequitur, vt *animal currit: ergo homo currit.* Potest enim esse aliud animal præter hominem, quod currat, nempè leo, aut equus. Ideò soluitur sophisma consequentiæ negatione. Fallaciæ autem sunt duplicis generis aduertente Doctore q. 5. *prædicamentali.* & 1. *Elench. q. 7.* quædam in dictione, seu in voce: quædam vero extra dictionem, seu in re: omnesq; simul tredecim numerantur, sex in dictione, & septem extrà dictionem, significatæ à Scot. 1. *Elench. q. 7.* de quibus in duobus proximis articulis.

5. Oppones, omnis fallacia fit per dictionem, vt patet: ergo nulla est fallacia extra dictionem; ac proinde non rectè diuiditur in fallaciam in dictione, & extra dictionem. Resp. vocari fallaciam extra dictionem, non quia absque dictione fiat: sed quia suam apparentiam non penes dictionem; sed penes rem decerpit, vt innuit Doctor q. 5. *Elench. §. Ad q.*

ARTICVLVS III.

De fallaciis in dictione.

6. FAllaciæ in dictione sunt æquiuocatio, amphibologia, fallacia compositionis, diuisionis, accentus & figuræ dictionis, quas indicat Scot. 1. *Elench. q. 7. §. Verumtamen.* Iste senarius fallaciarum numerus suadetur hac ratione à Doctore q. 19. *Elench. §. Ad aliud.* Omne sophisma efficitur, aut propter multiplicem sensum vnius vocis, & est æquiuocatio, aut propter sensum dubium orationis, & est amphibologia, aut propter sensum compositum falsum, & est fallacia compositionis, aut propter sensum diuisum falsum, & est fallacia diuisionis, aut propter similitudinem vnius vocis cum alia, & est fallacia figuræ dictionis, aut propter quantitatem, aspirationem & modum pronuntiandi vocem, & habetur fallacia accentus.

7. Fallacia æquiuocationis est deceptio proueniens ex vnitate nominis plura significata habentis, vt scribit Doctor 1. *Perih. q. 5.* & indicat 1. d. 9. q. vn. §. *Ad quæstionem dico:* & d. 26. q. vn. §. *Ad rationes sub N.* Fit autem tripliciter, 1. quando nomen plura significat æquè principaliter, & hæc vocatur æquiuocatio à casu, siue vt alijs placet, pura æquiuocatio, vt omnis Gallus habet alas: sed hic homo est Gallus: ergo hic homo habet alas. Soluitur hoc sophisma per distinctionem maioris; conceditur namque de Gallo aue: negatur verò de Gallo homine, vt iam dixi *in præcedente art.* 2. quando nomen habet vnum significatum proprium, & alium metaphoricum, & hæc nuncupatur æquiuocatio à consilio, quam alij vocant analogiam, vt *quidquid habet pedes potest currere, mons habet pedes: ergo mons potest currere,* hanc memorat Scot. q. 14. *Elench.* Diluitur sophisma distinguendo maiorem: de eo, quod propriè habet pedes, conceditur: at de eo, quod impropriè habet pedes, vti est mons, negatur. 3. ex Scot. q. 11. *Elench.* quando nomen coniunctim sumptum plura significat, diuisim verò vnum duntaxat, vt *omne incorruptibile est perpetuum: omne potens non corrumpi est incorruptibile: ergo potens non corrumpi est perpetuum.* Ad satisfaciendum huic sophismati vtendum est distinctione maioris: si enim sumatur incorruptibile prout idem est, ac potens non corrumpi negatur: Adam quippè in statu innocentiæ potuit non corrumpi, & tamen non fuit perpetuus. Quod si accipiatur incorruptibile, prout idem est ac non potens corrumpi, conceditur.

8. Fallacia amphibologiæ est locus idoneus ad decipiendum, proueniens ex oratione habente plures sensus. Hanc recenset Doctor q. 18. *Elench.* & 2. d. 16. q. vn. §. *Rationes istæ. C. & Quol. 2. §. Ad 1. sub R.* quæ differt ab æquiuocatione, quia æquiuocatio efficitur in terminis simplicibus, amphibologia verò in terminis complexis. Sicut autem tres extant modi æquiuocationis ad fallendum idonei, pariter sunt tres modi amphibologiæ ad allucinandum apti. Primus modus accidit, cum oratio æquè primò habet plures sensus, ita vt in vna præmissarum sumatur pro vno, & in conclusione pro altero, vt *quidquid est Aristotelis possidetur ab Aristotele: hic liber est Aristotelis: ergo hic liber possidetur ab Aristotele.* Detegitur sophisma, ex Scot. *in Reportatis 4. d. 13. q. 1. §. Item formaliter,* dubium namq; est, vtrùm intelligatur de libro

bro ab Aristotele composito, an verò de libro ab Aristotele possesso; si maior in 1. sensu intelligatur, conclusio est falsa. Quod si maior intelligatur in 2. sensu, conclusio vera est Secundus modus euenit, cum oratio sortitur plures sensus, vnum principalem, & alterum minus principalem; in vna ex præmissis habet vnum sensum, & in conclusione alium sensum, vt *qui littus arat, terram scindit : sed qui operam perdit, littus arat: ergo qui operam perdit, terram scindit*. Ea quippè oratio littus arat, si sumatur in proprio sensu, maior est vera, & minor est falsa: quòd si accipiatur in sensu metaphorico, maior est falsa, & conclusio est vera. 3. Modus habetur, cum oratio per se capta, vna tantùm gaudet significatione, at si alteri iungatur, diuersa potitur significatione, vt *quidquid videt aliquis, hoc videt : sed columnam videt aliquis: ergo columna videt*. Dissoluitur paralogismus per distinctionem huius orationis, hoc videt, Ly enim hoc, aut capitur in recto, seu nominatiuo, & sensus est, quamcumque rem aliquis videt, illa res videt, idest habet potentiam, & actum videndi, sic maior est falsa, & conclusio est inepta. Aut capitur in obliquo, seu in accusatiuo, & sensus est, quamcumque rem aliquis videt, illam rem videt : & hoc pacto, maior est falsa.

9. Fallacia compositionis committitur, cum à sensu diuiso vero, ad sensum compositum falsum proceditur. Siue, fallacia compositionis est locus idoneus ad decipiendum, prouenieus ex identitate orationis compositæ falsæ, & diuisæ veræ, vt *album potest esse nigrum : hic paries est albus: ergo hic paries potest esse niger*. Maior in sensu composito est falsa; siquidem album, quatenus album, hoc est, quatenus per formam albedinis est determinatum, & contractum, sub eáque manet, nequit esse nigrum, secus duæ formæ oppositæ simul in eodem subiecto existerent. In sensu autem diuiso est vera, quod enim affectum est albedine, absolutè potest nigredine affici.

10. Fallacia diuisionis est locus idoneus ad decipiendum proueniens ex identitate orationis diuisæ falsæ, & compositæ veræ; tunç enim committitur hoc sophisma, quando arguitur à sensu composito vero, ad sensum diuisum falsum, vt *album non potest esse nigrum : hic paries est albus : ergo hic paries non potest esse niger*. Maior in sensu composito, conceditur, vt mox explicabam: in sensu autem diuiso, negatur Nulla quippè extat contradictio, quin quod est album, valeat denigrari; simpliciter enim quod per albedinem determinatur, potest determinari per nigredinem, & econtrà, cum nulla adsit necessitas, nisi secundum quid, & ea suppositione. Has duas fallacias memorat, & pertractat Scotus 1. *d.* 21. *q. vn.* §. *Ad 1. arg. sub A. & d.* 39. §. *Quantum ad 1. sub G. & d.* 40. §. *Ad istam quæstionem.* A. & 2. *d.* 2. *q.* 1. §. *Ad argumenta pro prima opinione. sub E. d.* 7. *q. vn.* §. *De 2. sub G. Quol.* 18. §. *De 2. M & 4. d.* 49. *q.* 6. §. *Dico G.* & *ante q.* 25. *&* 26. *Elench.*

11. Fallacia accentus est locus idoneus ad decipiendum proueniens ex identitate materiali dictionis diuersæ, penes modum proferendi diuersa significantis. Tres istius fallaciæ traduntur modi decipiendi. Primus extat, cum aliqua dictio diuersos potest sortiri accentus, siue sint graues, siue acuti, siue circumflexi, vt *omnis populus est arbor : gens est populus: ergo gens est arbor*. Maior conceditur, si prima syllaba huius vocabuli populus sit longa, negatur verò si sit breuis, & ita conclusio non sequitur. 2. Modus accidit, cùm vox potest esse dictio, & oratio, vt *tu es qui es, sed quies est requies: ergo, tu es requies*. Soluitur cauillus, eo quod quies potest esse nomen, vel oratio composita ex relatiuo. *Qui*, & verbo *Est*. 3. Modus oritur ex diuersa pronuntiatione seriæ, & ironicæ, interrogatiuæ, & assertiuæ, vt *bonus famulus est à suo Domino præmiandus : sed Dominus, cum arguit famulum suum*, inquit, *bonus est famulus : ergo famulus cum arguitur à Domino suo est præmiandus*. Soluitur hoc sophisma ex eo, quod nunc seriò, nunc ironicè pronuntiatur oratio. Vt patet apud Virg. *Argue tu Drance*.

12. Fallacia figuræ dictionis est deceptio proueniens ex similitudine dictionum, hoc est, vt obseruat Gadius *Quol.* 2. *fol.* 32. *columna* 1. ex simili terminatione finali in parte, non idem significante. Tribus autem modis hæc fallacia committitur. 1. Ex eadem terminatione duarum dictionum; vt Musa est fæminini generis: ergo & Papa est generis fæminini. 2. Quando fit gradus ab vno prædicamento ad aliud prædicamentum, vt *quoties fuisti Romæ, fuisti homo: sed bis fuisti Romæ : ergo bis fuisti homo*. Diluitur hic paralogismus, quia à Prædicamento Quando, fit transitus ad Prædicamentum quantitatis. 3. Ex mutatione suppositionis, vt *homo est species : Petrus est homo : ergo Petrus est species* : Soluitur cauillatio, quia arguitur à suppositione simplici, ad suppositionem personalem. Huius captionis meminit Scotus 1. *d* 2. *q* 7. §. *Ad argumenta principalia sub A A. d.* 18. *q. vn.* §. *Respondeo, sub K. in solutione quinti* 3. *d.* 1. *q.* 5. *ante* §. *In ista* & 4. *d.* 12. *q.* 2. §. *Ad argumenta.* O. & *d* 13. *q.* 1. *infrà P.* Et ex instituto *q.* 35. *Elench.*

13. Oppones 1. Nulla est dictio plura significans: ergo nulla est fallacia æquiuocationis. Ant. probatur, vnius signi est tantum vnum signatum : ergo & vnius dictionis vnum est significatum duntaxat. Negatur antecedens, ad eius probationem distinguo, vnius signi formaliter capti est tantùm vnum signatum, concedo: materialiter, nego. Idem enim signum campanæ potest esse signum Missæ. & quoque Lectionis audiendæ.

14. Oppones 2. Omnis oratio vnum solum significat, nempè compositionem prædicati cum subiecto. Ergo nulla est fallacia amphibologiæ. Negatur, orationem significare compositionem prædicati cum subiecto, sed ipsa compositio designatur per verbum substantiuum *est*.

15. Oppones 3. Si daretur aliqua accentus captio, maximè ista, *Omne malum est pomum : sed peccatum est malum. ergo peccatum est pomum*. Atqui hæc est fallacia æquiuocationis. Ergo nulla est fallacia accentus. Negatur subsumptum, malum quippè cum non significe, diuersa penes materiam, formam, & modum proferendi, sophisma æquiuocationis esse nequit.

ARTICVLVS IV.

De fallaciis extrà dictionem.

16. FRequentiora & periculosiora extant sophismata extrà dictionem, quàm ea, quæ sunt in dictione, vt indicat Aristoteles 1. *Elench. c.* 5. Huiusmodi autem vocantur captiones accidentis, dicti secundum quid, ad dictum simpliciter, consequentis, ignorationis Elenchi, petitionis principij, non causæ vt causæ, & plurium interrogationum vt vnius.

17. Fallacia accidentis est deceptio proueniens ex eo, quod propter coniunctionem extremorum cum medio in præmissis, existimatur, ea extrema coniungi inter se in conclusione, quæ re vera non coniunguntur. Aduerte autem accidens hoc in loco accipi pro extraneo, siue pro eo, quod est extra essentiam, siue rationem formalem alterius, vt sumit Philosophus 1. *Top.* & 1. *Elench.* & indicat 1. *Met c.* 1. vt ibi in eius expositione obseruat Fonseca: hoc etiam modo vsurpat accidens Doctor *q.* 43. & 44. *Elench.* necnon 3. *d.* 8. *q. vn.* §. *Ad argumenta. sub H. & alibi.* Istius fallaciæ causa apparentiæ est partialis identitas duorum extremorum cum medio; causa verò eius defectus est diuersitas eorumdem cùm tertio, vt exemplificat Scotus 1. *Post. q.* 34. *ante* § *Ad rationes*. Tres autem modi ipsius communiter assignantur, quorum primus est, quando aliquid prædicatur de aliquo toto, quoque censetur prædicari de partibus eius subiectiuis: exemplum huius affert Doctor *q.* 26 *Vniuersalium*, ante §. *Dicitur hic.* Homo est animal : animal est genus : ergo homo est genus. 2. Quando ex identi-

titate duorum extremorum in 3. consentiút illa duo esse prorsus idem, vt *Petrus est homo : Paulus est homo : ergo Paulus est Petrus.* 5. Quando ex duobus diuisim sumptis, infertur aliquid coniunctim eis conuenire secundum accidens, vt Andreas est albus,& est monachus. Ergo Andreas est albus monachus.

18. Fallacia dicti secundum quid, ad dictum simpliciter, est deceptio proueniens ex eo, quod aliquid profertur cum aliqua determinatione, concluditur simpliciter,& absque vlla determinatione, vt *imago est homo pictus : ergo imago est homo.* Itemque, *Christianis non licet vesci carnibus die veneris : Ergo Christianis non licet vesci carnibus.* Econtrà accidit hic paralogismus, cum à dicto simpliciter arguitur, ad dictum secundum quid, vt *hic est homo:ergo est homo mortuus.* Item, *hic est bonus, ergo est bonus lusor.* Huius captionis exemplum præbet Doctor 1.*d.*36. *q.vn.* § *Contrà istud, sub E.* & mentionem de ipsa facit *d.* 39. §. *Sed contrà istam distinctionem. I.* & 2.*d.*1.*q.*2.§. *Ad* 1. *argumentum, infrà G.* pluresque eiusdem modos adducunt Mastrius,& Bellutus *parte* 2.*Tract.*3.*c.*3 eosque vberè pertractant & exemplis declarant.

19. Fallacia consequentis, quam notat Scot. *q.*5. *Vniuersalium* §. *Dicitur.* & *ibid.q.*8.§. *Ad* 1.*q.* & 1.*d.* 35. *q.vn.* § *Et quod arguitur. O.* & 3.*d.*8. *q.vn.* §. *Ad argumenta, sub F.* est locus idoneus ad decipiendum prosiliscens ex apparenti bonitate posterioris consequentiæ, cum vera bonitate prioris consequentiæ, cùm scilicet propositio consequens, infert quidem propositionem antecedentem, non tamen propositio antecedens infert consequentem : valet námque argumentum ab inferiori ad superius, vt *est homo, ergo est animal* : non tamen à superiori ad inferius affirmatiuè, vt *est animal: ergo est homo.* Dixi affirmatiuè, quia negatiue, bene sequitur, *non est animal : ergo non est homo.*

20. Fallacia ignorationis Elenchi, de qua expressè disserit Doctor *q.*55. *Elench.* & tangit 2. *d.*2. *q.*7.§. *Et ideo ad* 4. *infrà C.*& 4.*d.*11.*q.*3.§. *Hic duo, sub D.* est deceptio proueniens ex apparenti obseruatione conditionum requisitarum ad veram contradictionem, ob quam apparentiam discursus censetur bonus, & probatiuus, re vera tamen nec bonus, nec probatiuus est. Vel fallacia ignorationis Elenchi est, in qua concluditur id, quod apparet contradictorium eius, quod concessum est, tametsi verè contradictorium non sit, defectu conditionum in contradictione obseruandarum, quæ sunt *ad idem, secundum idem, similiter, & eodem tempore,* & adde, & *eodem loco.* Vnde ob primam conditionem ad idem efficitur hic paralogismus. *Duo sunt duplum vnius,& non sunt duplum trium:ergo sunt duplum & non duplum.* Propter 2. conditionem, quæ est secundum idem fit sophisma sic, *hoc est duplum illi penes latitudinem, & non est duplum penes longitudinem : ergo est duplum, & non duplum.* Ratione tertiæ conditionis, seu similiter committitur hoc sophisma. *Homo est species : nullus homo est species : ergo idem est species, & non species.* Soluitur, quia arguitur à suppositione simplici ad suppositionem personalem. Defectu quartæ conditionis accidit sophisma. *Petrus hâc horâ est sanus, & illâ horâ est æger : ergo est sanus, & æger.* Soluitur quia Petrus non est sanus,& æger eâdem horâ. Ad hanc redigi videtur conditio de loco, vt *Paulus Parisiis legit,& Romæ dormit : ergo Paulus legit & dormit.* Soluitur, quia est respectu diuersorum locorum. Ob id nulla sequitur contradictio. Nec prætereunda est descriptio Elenchi, vt hæc fallacia planior fiat, quæ est huiusmodi. *Elenchus est syllogismus contradictorius, quo concluditur contradictoria propositionis concessæ à Respondente,* vt in exemplis præfallacis liquidò constat.

21. Fallacia petitionis principij, quam refert Doctor 1.*Elench.* *q.*4. est deceptio proueniens ex eo, quod assumitur, quod probandum est, acciditque cum idem per idem, mutatis solis verbis, aut per aliud minus notum, aut æque ignotum probatur, vt si quis probet hominem pollere magno cerebro, quia animal rationale pollet magno cerebro. Item, contrariorum eamdem esse disciplinam, quia oppositorum eadem est disciplina.

22. Fallacia non causæ vt causæ, quam adducunt Scot. & Lych. *r.d.*3.*q.*7. *Ad argumenta pro* 2. *opinione. sub R.* est deceptio, quæ accidit, cum falsitas illatæ conclusionis attribuitur alteri præmissarum, quæ sanè non est causa talis falsitatis, vt si quis probet Philosophiam esse damnandam, quia nonnulli Philosophi hæreses adinuenerunt,& sustinuerunt, non enim Philosophia est causa hæresum, sed eorum malitia, praua sacræ paginæ interpretatio,& eorum in erroribus pertinacia. Iterum, si quis reprobet fidem Catholicam, quia quidam Catholici mali sunt, siquidem non fides orthodoxa, sed praua eorum vita est coarguenda.

23. Fallacia plurium interrogationum, vt vnius est deceptio proueniens ex similitudine plurium interrogationum, ac si foret vna interrogatio. Accidit enim huiusmodi cauillatio, cùm ad plurium interrogationem datur vna responsio, vt si demonstretur vnus cæcus, & alter videns, & petatur vnus ab alio, suntne illi cæci, aut videntes? si respondeatur, sunt videntes, infert Sophista, ergo cæcus est videns: quòd si respondeatur, sunt cæci, infert Sophista, ergo cæcus est videns. At si respondeatur negatiuè, infert Sophista. Ergo videntes non sunt videntes. Soluitur hoc Sophisma, si illi duplici interrogationi satisfiat videlicet, vnus est quidem cæcus, alter verò est videns. Huius fallaciæ meminere Scot. *q.*9. *Prædicamentali,* & *ibid q.*38.§. *Ad* 1.*q.* & Samanus *in expositione q.*1. *pag.*76. Itemque Doctor 1.*d.*2. *q.*1. *ante* §. *Ad* 1.*q* *paulò post F.*

24. Oppones 1. Nulla est fallacia substantiæ. Ergo non est fallacia accidentis. Ant. ab omnibus conceditur. Consequentia videtur euidens, quia de vtroque est par ratio. Concesso ant. negatur consequentia, causa est, quia in præsenti accidens non sumitur propriè pro quinto prædicabili, sed pro extraneo, vt supra fuit animaduersum.

25. Oppones 2. Qui nescit Elenchum non allucinatur penes Elenchum. Ergo nulla est fallacia ignorationis Elenchi. Resp. duplicem esse ignorantiam puræ negationis,& prauæ dispositionis, ratione primæ nulla est fallacia, bene tamen ratione secundæ, quæ est assensus propositionis falsæ, aliqua eius notitia præsupposita. Quare fallacia non recipitur, sed reiicitur tanquam irrita,& inanis: atque Sophista non amplectendus, sed fugiendus est. Ob id iure à Cicerone, & Seneca Sophistæ pluribus in locis irridentur. Extat autem illud Diogenis propositum, quem dum contumeliosis Dialecticus verbis esset aggressus hoc modo. *Quod ego sum, tu non es:* annuissetque ille, subiunxit, *homo autem ego sum : ergo tu non es homo.* Hoc vltimum inquit Diogenes, falsum est, si verum fieri vis, à me incipe. Hæc de fallaciis ad laudem eius, qui (teste Doctore, 4.*d.*14. *q.*1. §. *Hic dicitur, ante F.*& Aug. *serm.* 30. *de verbis Apostoli.*) nec fallit, nec fallere, nec falli potest.

PHILOSOPHIA RATIONALIS
F. BONAVENTVRÆ COLVMBI

Niciensis Minoris Conuentualis, Sacræ Theologiæ Doctoris, eiusdémque Professoris.

AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS, IN QVINQVE Libros aptè distributa, & apprimè absoluta.

PRÆFATIO ET COMMENDATIO DOCTORIS SVBTILIS.

PRÆHABITA Terminorum notitiâ in tribus libris nostræ Epitomes Dialecticæ, quæ nobis patentem, & lucentem aditum ad vniuersam Logicam præbet: nunc celebriores quæstiones, difficiliores articulos, & subtiliores dubitationes, quæ, cum à priscis, tùm à Neotericis Philosophis agitantur, Deo auspice, in examen vocare statuimus, facilia citò expedientes, inutilia prorsùs resecantes, quâ breuitate, & facilitate fieri potest, potissimùm grauiora, & digniora scitu perscrutabimur, & pro viribus decidemus. Quod obire, & subire libenter, & diligenter curamus, ob diuturnam in hisce exercitationem, & emolumentum, quod Scoticæ ac Thomisticæ doctrinæ studiosis, atque omnibus aliis, extrà vtramque Scholam litteris operam nauantibus, styli nostri humilitate, ac claritate, non exiguum speramus nos esse allaturos: prælertim, cum non vanitate, sed veritate ducti, non contendendi, nec pungendi, sed sciendi, & iuuandi causâ hanc prouinciam susceperimus. Cum autem affirmante Stagirita 1. *Met.* 1. genus hominum arte, & ratione viuat: profectò lætè iucundéque nobis viuendum est, in pertractanda Logica, quæ est ars artium, scientia scientiarnm, scribente Petro Hispano *in initio suarum Summularum:* quæue à ratione promanat, in ratione residet, deque consequentibus operationes rationis, seu intellectus disceptat. Ideò, scientia rationalis iure optimo nuncupatur. Non est autem vllus ab huius studio, propter eius obscuritatem, & difficultatem prægrandem reuocandus, & retardandus. Quò enim obscurior, & difficilior, eò est præstantior, & eminentior: atque in ardnis posuit sedem suam, vt hâc adeptâ, commodior, ac promptior ad reliquas scientias capessendas nobis paretur via. Addo illud Platonis, *difficilia, quæ pulchra.* Et Arist. 1. Met. passu allegato. *Eum putamus sapientem, qui difficilia, & ab homine haud leui opera cognoscuntur, pertingere valet.* Nec pariter, ab istius indagine, ac examine deterrere, ac dimouere quempiam debet ingenium, ac nomen Scoti, quod græcè dicitur tenebra, vt aduertit Tossinianus *l.* 3. *Historia Seraphica.* Quamuis enim, ob excellentis genij, & ingenij subtilitatem, & obscuram differendi profunditatem, nomen illud ipsi potiùs inhæserit, quàm à sua regione deriuetur: tamen nihil est, vel difficultate interceptnm, vel densâ caligine inuolutum, quod prænominatus Doctor non valeat luculenter explicare, & euidenter illustrare. Quis namque nostrûm, D. Panlum arguet? qui, vt legitur 2. *Petri*, 1. & fertur ab Aug. *l. de fide, & operibus, c.* 16. habet quædam difficilia intellectu, quæ homines indocti, & instabiles deprauant. Et qnis incusabit Arist. qui multis inuolucris, & ambagibus, suam tradit doctrinam? Veritas quippè se extollit vsque ad nubes. Psal. 3. Aut vsque ad putei Democratici profunditatem se deprimit. Esdræ 4. *Veritatu via absconditur, eiusque parens est Deus absconditus.* Quod SS. Apostolis significatum esse videtur, eum in ascensu Christi Domini, *nubes suscepit eum ab oculu eorum.* Et antea, eorum tribus ab ipso Christo assumptis, in eius transfiguratione fuerat monstratum cum, *nubes lucida obumbrauit eos.* De nostro autem Doctore refert S. Bernardinus Senensis *tom.* 4. *serm.* Non rarò ipsum Scot. in extasim euectum, & plerumque sublimatnm fuisse super sensibilia, & materialia, vt feriatis sensibus, cælestia sit contemplatus, veluti S. Pater Franciscus visus fuit interdum per extasim transcendere purâ mente dinina arcana meditando. Quare non est reprehendendus Scot. nec refellendus, qui, vt veritatis magister teste Mauritio *q.* 24.

vniuerſ. fol. 47. veritatis lima, Authore Scalig. *exercit.* 324. Et inter Philoſophos, & Theologos veluti ſol inter aſtra, Sarn. iudice, *in Epiſt. antè Ant. Andream*, ſubtiliter veritatem perquirens, arduus, obſcurus, & nebuloſus eſſe videtur: immò mirandus, & admirandus, qui cum ſubtiliſſimus, & ingenioſiſſimus extiterit, & natura maximè audax, ab vllo erroris argui nec potuerit, nec vllum eius ſcriptum minima ex parte conuelli, vt notant Toſſinianus præcit. & Vorrilong. *in perorat. ſui curſus Theologici.* Quinetiam, à Sacra congregatione Cardinalium, anno 1610. ſancitum eſt, vt quidquid Scoti eſſe conſtaret, intactum, inuiolatúmque à Doctrinarum, & librorum cenſoribus admittatur, & excudatur. Narrantibus Cauello *in vita eius c.* 5. & Vuading. *Tom.* 3. *Annalium Minorum.* Id planè diuinum, & de Ariſt. tanquam miraculum, & prodigium proclamat Auer. *in proœm.* 1. *phyſ. &* 3. *anima, com.* 14. Certè, hoc eſt miraculum, & prodigium de Scoto, qui ab alma parente, eiuſque ſanctiſſimo Filio, planè, & plenè fuit edoctus, breuique tempore, omne ſcibile perfectè callens, vno omnium ore Philoſophorum, & Theologorum princeps conclamatur, ingeniorum phœnix, & totius ferè orbis prodigium concelebratur, referente Vernulæo *in panegyr.* Hic enim eſt Scot. cuius mentem precibus Deiparæ, Deus aperuit, intellectum illuſtrauit, omniumque ſcientiarum lumine ornauit. Cauel. *in vita eius, c.* 1. Hic eſt Scot. qui 3. *d.* 20. *q. vn.* §. *Tunc D.* hortatur homines ad iugiter certandum pro iuſtitia, & alacriter moriendum pro veritate: ſicut Chriſtus pro iuſtitia, & veritate mortuus eſt. Bagnacaballenſis *in paſt. pag.* 21. Hic eſt Scot. quem Deus elegit, & prælegit, in primarium Virginis immaculatæ conceptionis authorem, acerrimumque propugnatorem. Salazar *l. de immaculata conceptione, c.* 13. Hic eſt Scot. cuius fama, & memoria in benedictione eſt. Ant. Andr. *ad finem* 12. *Met.* Nam, vt ait D. Bernardus, *beatus eſt, quem alma mater reſpicit.* Sanè, inter cælites adſcribi videtur Scot. quem B. Virgo benigno vultu aſpexit, cum Pariſiis ad imaginem eius marmoream, flexis genibus oranti, & dicenti, verſum illum, quem ſæpè ſancta mater Eccleſia cantat, maximè poſt Purif. *Dignare me, laudare te virgo ſacrata: da mihi virtutem contrà hoſtes tuos.* Annuit ipſa virgo, caputque inclinauit, ſpondens ei futuram glorioſam victoriam, quam Doct. in aduerſam partem precabatur. Pineda *in ſuis aduertentiis.* Vndè, præclaram palmam reportauit de celeberrima concertatione habita in præfata vrbe, pro immaculata Conceptione Virginis: vbi oppoſitæ ſententiæ ducenta argumenta, mirè, & diuinè repetiit, eiſdemque acutè, & plenè ſatisfecit. Pelbart. 4. *ſtellarij, art.* 3. Bernardinus de Buſtis *in officio à Six. IV. approbato, lect.* 4. *diei.* Genebr. *ad annum Chriſti* 1484. Quibus commotus, & admiratus aduerſariorum nonnullus exclamauit, & dixit ei. *Tu es vnus trium, Angelus de Cælo, Diabolus ab inferno, aut Scot. de Duno.* Ità Hyberni adducti à Cauel. *vbi ſuprà.* Quare, non immeritò Cardanus 16. *ſubtil.* dubitat, quis ſubtilior extiterit, Ariſtoteles, Euclideſne, an Scot.? Non prætereo, nocte natalis Domini, dum ſacratiſſimam diuini Verbi Incarnationem piè meditaretur, præcipuo amore, & ſingulari fauore, ſaluatorem fuiſſe ipſummet Scot. proſequutum, vtpotè, qui inſtar paruuli ei apparuit, ſeque eidem, oculis, oſculis, atque complexibus attrectandum præbuit. Affirmante Paulino Betto, in 1. operum eius. *Erat Scot. omnibus virtutibus præditus, & cumulatus, potiſſimum obedientia, quam Deus potius vult, quàm Sacrificium.* In eius namque obedientię teſtimonium, refero eius inſigne monumentum. Cum quadam die, extrà vrbem Pariſienſem ad relaxandum animum deambularet: obuiàm ipſi facto nuntio, à noſtro miniſtro Generali miſſo, eique conſignato litteris mandato, quo peteret Coloniam Agrippinam, vt illud vidit, & legit, protinùs illuc proficiſcitur: non redit in Cœnobium Pariſienſe, in quo degebat, nec in Sorbonicam Vniuerſitatem, in qua legebat: nec ſalutauit amicos ſibi coniunctiſſimos, nec ſcripta ſua: nec alia ſibi neceſſaria quæſiuit, nec detulit, ſed confeſtim abiit, nullâ interpoſitâ morâ, vt ſupremo Seraphicæ religionis præfecto obtemperaret, iuſſáque eius adimpleret. ô virum mirabilem, omni laude, & prædicatione celebrandum: adeò vt Ioannes Maior teſtis locupletiſſimus, ipſum ſummo Pontificatu dignum iudicauerit. Atque integra regna, & non paucæ regiones, tanquàm ex ſuo ſolio natum prædicent, & proclament. Veluti enim ſeptem Vrbes Græciæ, de patria Homeri certant, & vnaquæque earum ſuum ciuem enunciat, & prædicat: ſic Anglia, Scotia, & Hybernia, Scotum, vt ſuum ſibi vendicant: ipſumque Philoſophorum, & Theologorum omnium antiſtitem, ac Ducem ſequuntur, & amplectuntur: ſcilicet, ſi is ſequendus, & amplectendus eſt, ac omnia ei credenda ſunt, in quo omnia ferè ſumma ſunt. Quiue floruit in vniuerſo, vt alter Apollo: & beatus quiſque cenſebatur, qui eum coleret magiſtrum, ac vt Mercurio præeunte, Philoſophiæ, ac Theologiæ penetralia pertingere quiret, vt legitur *in Martyrologio Franciſcano, die* 8. *Nouembris.* Siquidem, cum inueſtigandæ veritatis ſtudio, mentis aciem, paulò altius cæteris intenderet, & eueheret, nouas rationes adinuenit, reconditas difficultates excogitauit, ſingulares opiniones præter communes, diſertiſſimè, & acerrimè tuetur: atque maximi ingenij ſui ſubtilitate, ſibi oppoſitas mirum in modum refellit, vt veritatis amatores, & diſſerendi periti haberent, in quo fæliciſſimè exercerentur. Nam, ſi à Scholis demas proprias Scoti ſententias, eiuſque peculiares controuerſias, diſſerendi, ac diſceptandi vſus langueat, neceſſe eſt. Nec vos terreat quorumdam opinio, qui potiùs cum aliis errare, quàm cum Scot. ſapere cupiunt, & volunt. Nam, vniuerſum Pariſiorum Lycæum, vrbis, & orbis celeberrimum doctrinam eius firmiter ſequitur; & conſtanter amplectitur. Inſigniores mundi Academiæ, præ-

ſcitim

ſertim Romana, & Patauina, Bononienſis, & Salmaticenſis, virique doctiſſimi in omni ſcientiarum genere eam publicè docent, & enixè defendunt. Tot purpurati Patres, quibus voiuerſus terrarum orbis decoratur. Tot ſummi Pontifices, qui clauum, & gubernaculum Eccleſiæ rectiſſimè, ac ſanctiſſimè tenuerunt, ei adhæſerunt. Denique euncta Minoritana Familia, quæ tot fortaſſe, ac tantis Doctoribus abundat, quot in reliquis omnibus prælucent, eum tanquam commuoem Magiſtrum libenter agnoſcit, & alacriter defendit. Et, quæ in cæteris omnibus ſcholaſticis grauia, & ſublimia, poſt hominum memoriam perleguntur, ea tam multa non ſunt ferè, quàm in hoc vno Scoto reconduntur. Hoc quoque breuiter dicam, neminem vnquam fortè fuiſſe, tam impudentem, qui à Deo immortali tantam rerum cognitionem, & virtutum præſtantiam tacitus auderet optare, quantam præpotens Deus ad Scotum detulit. Quapropter, luce diuinæ gratiæ, ſplendore veritatis, & fulgore doctrinæ Doctoris Subtilis, Philoſophicarum difficultatum caligines, quæſtionum, & articulorum tenebras diſcutiemus, peruoluentes eius libros, & opera, ſine vlla erroris ſuſpicione, & per totum Scoticum curriculum inoffenſo currentes pede, vt de doctrina S. Hilarij, aſtruit S. Hieronym. ad Lætam, & confirmat Bagnacaballenſis præalleg. *pag.* 19.

LIBER PRIMVS.

De Prolegomenis Philoſophiæ rationalis, quæ Logica nominatur.

SOLENT omnes ferè Philoſophi, & Theologi, ac SS. Patres, nuncupatim Aug. in multis ſuis operibus, præmittere in principio cuiuſque tractatus, facultatis, ac ſcientiæ ab ipſis conſiderandæ, procemialia, quæ à Græcis *προλεγόμενα*, & à Latinis præludia nominantur: vt cognitâ vtilitate, neceſſitate, & præſtantiâ rei, & ſcientiæ perdiſcendæ, ac eius adeptione, ſtudioſi eius faciliùs, promptiùs, vehementiuſque alliciantur, & moueantur. Idque diligenter præ aliis præſtat Doctor ſubtilis, in primis tribus quæſtionibus vniuerſalium, vt rectè notat Eminentiſſimus Cardinalis Sarnanus, *in proœmio expoſitionis eius*.

QVÆSTIO PRIMA.

De exiſtentia, & inuentione Logicæ.

ARTICVLVS I.

An ſit Logica.

1. NVLLAM eſſe differendi diſciplinam, nullamque ratiocinandi artem ſuſpicantur nonnulli apud Cic. *l.* 1. *qq. Academicarum*, & Zuingerum *volum.* 2. *Teatri vitæ humanæ*, *l.* 4. *in fine*: quibus ſeſe opponunt omnes Philoſophi, vno ore, & voce clamantes, & admittentes Logicam naturalem, & artificialem, vt per ea quæ mox ſubiiciemus, & ſtabiliemus apertè monſtrabitur.

2. Not. ex Sarn. nunc alleg. *fere in principio* 1. *quæſt.* Tatar. *ibid. ſcibili* 1. Fuente *art.* 1. & Conimb. *q.* 6. *art.* 2. *poſt Ariſt.* 1. *Rhet. cap.* 1. Logicam ſcindi in naturalem, & artificialem. Reclamante Rua. *q.* 1. *Log.* Logica naturalis eſt naturalis inclinatio, aut naturalis habilitas intellectus, qua ipſemet intellectus naturaliter inclinat, ſine habilis redditur ad aſſentiendum magis vero, quàm falſo, ex quo aſſenſu, à notitia noti, ad notitiam ignoti progreditur. Hac Log. pollet omnis homo ſuapte natura, abſque vllo labore, & ſtudio, vtpotè qui naturâ ſuâ eſt intellectiuus, & diſcurſiuus. Logica verò artificialis eſt, quæ ope Magiſtri, aut propriâ induſtriâ parta tradit modum bene ratiocinandi: hæcque ſecatur, in docentem, & vtentem. Docens eſt, quæ præbet normam bene diuidendi, definiendi, & argumentandi; vtens verò eſt, quæ probabilia pertractat, aut quæ alus diſciplinis famulatur, aut quæ ex vſu, & exercitio pariter de qua fusè *infrà*, *q.* 2.

3. Aſſertio 1. datur Logica naturalis. Hanc præſupponit Scot. *q.* 1. *vniuerſalium*, quærens, vtrùm Logica ſit ſcientia? cum autem huiuſmodi quæſtio ab ipſo Doctore exeitetur de Logica artificiali, præintelligitur Logica naturalis, quia artificiale præexigit naturale, ſicut ars præſupponit naturam, à qua ipſammet artem diſſidere ſcribit Ariſt. 2. *Phyſ. cap.* 1. Probatur prælata aſſ. ex eodem Ariſt. 1. *Rhet. cit.* dicente, Homines à natura eſſe Rhetores, & Dialecticos. Et antè eum hanc docuerunt Socr. & Plato, vt habetur *in Philebo Platonis* 2. intellectus gaudet naturali inclinatione, ac habilitate procedendi à noto ad ignotum, vt patet 1. *Met. cap* 2. Eſt enim naturaliter diſcurſiuus; & ratiocinatiuus: hæc autem naturalis propenſio, & habilitas differendi, nuncupatur Logica naturalis; vt manet explicitum in præmiſſo not. Haud ergo Logica naturalis eſt abnuenda. 3. vnaquæque res pollet inclinatione, & habilitate ad ſuas operationes, & perfectiones acquirendas: ſic homines ad ſciendum, & bruta ad ſentiendum naturaliter propendere, narrat. Ariſt. 1. *Met.* 1. Homo autem, nullo præuio magiſtro, laboreque ſuſcepto, de multis diſcurrit, & ratiocinatur, ex eodem Philoſopho 1. *Elench.* 11. Idque bene notat Hugo Victorinus 1. *Didaſcalicâ eruditionis*; Et confirmat Aug *q.* 80. *noui teſt.* & 2. *parte einſdem q.* 41. Ergo, aſtruenda eſt Logica naturalis, potiuſque ſupponenda, quàm probanda, vt de natura præſtat Stagirita 2. *Phyſ.* 1.

4. Aſſertio 2. admittenda quoque eſt Logica artificialis. Præſupponitur à Doct. infrà citando, & pro-

batur 1. ex Arist. 1. *Rhet.* 1. vbi originis dialecticæ meminit inquiens *cum homines quandoque bene, quandoque verò malè, se ratiocinari animaduerterent, certas regulas, & præcepta obseruauerunt, quibus obseruatis, bonus, ac legitimus conficitur semper syllogismus, & discursus.* Præterea ipse Arist. conscripsit Logicam artificialem perfectam, & omnibus numeris absolutam, penes modum syllogizandi, quam nomine organi insigniuit, quamve subtilissimis qq. locupletauit, & adauxit Doctor Subtilis in nobili suo opere Logices. Atque complures hac disserendi doctrinâ valdè præluxerunt, inter quos sunt Plato, Aug. & alij, quos citat Titelmanus *in prologo apologetico dialectica.* 2. extant apud nos ars bene loquendi, quæ est Grammatica, ars bene dicendi, quæ est Rhetorica, aliæque artes ad humanæ vitæ opera administranda proficuæ, & necessariæ, fuere ad inuentæ. Logicam autem, nedum vtilem, verum etiam necessariam esse, ad aliarum scientiarum acquisitionem, *q. 4. huius libri* planè ostendetur. Demùm, ad regulandam, perficiendamque voluntatem conceditur Ethica, nemine negante, ergo ad ornandum, perficiendumque intellectum, ne in suis ratiocinationibus allucinetur, communi calculo est recipienda, literis commendanda, laudibusque celebranda ipsa Logica artificialis.

5. Oppones 1. contra 1. assert. si datur Logica naturalis, aut est inclinatio naturalis intellectus, differendi à noto, ad ignotum, aut est ipsemet intellectus, qui absque regulis, & præceptis potest ratiocinari, aut est lumen naturale, quo intellectus, absque vlla arte, & ordine discurrit: nullum autem horum dici potest, ergo nulla est Logica naturalis. Maior est conspicua, ex sufficienti enumeratione eorum, quæ adduci queunt ad inuehendam Logicam naturalem. Min. probatur, non est prædicta inclinatio naturalis, quæ est passio naturæ, quæ cum sit relatio ex Scot. 1. *d. 3. q. 4. in fine §. de 2. cognoscibilibus.* Et *d. 30. q. 1. antè Q.* Et 3. *d. 17. quæst. vn. C.* non est de genere absolutorum. Nec intellectus, qui realiter est substantia. s. 2. *d. 16. q. vn.* Logica verò naturalis, cum sit habilitas naturalis discurrendi, est accidens, putà qualitas, vt de omni potentia naturali sic accepta censet Scot. *q. 32. prædicamentali*, cum Arist. *c. de qualitate.* Nec præfatum lumen; id enim est commune cunctis doctrinis, quibus intellectus noster illuminatur, & illustratur. Respondet Fuentes nuper cit. Logicam naturalem esse rationem, seu discursum à natura inditum, nullâ arte, sudoréque comparatum, qualis visitur in Rusticis dignoscentibus, totum esse maius suâ parte: cœlum esse terrâ maius. Hæc responsio non mihi arridet: siquidem Logica naturalis est principium discursus, vt constat ex eius descriptione præallata in not. ergo nequit esse ipsemet discursus, & intellectus. Idem quippe respectu eiusdem nequit esse principium, & principiatum, causa, & causatum. Idque videtur olfacere paulò post ipsemet Fuentes, inquiens: *potest Logica naturalis accipi pro virtute intellectiua, quatenus est principium sufficiens, ad tales actus eliciendos.* Præterea idem Author affert exempla ad doctrinam suam confirmandam, de toto, quod est maius suâ parte: & de Cælo, quod est maius terrâ. Quæ non ad Dialecticam, sed ad habitum primorum principiorum spectant, quem non in discursu, sed in sola terminorum explicatione consistere commune est assertum.

Respondeo ego, concessa ma. negando min. ad eius probationem dici potest, Logicam naturalem formaliter esse inclinationem prænarratam, quæ est passio naturæ intellectualis, & radicaliter intellectum eius naturæ. Aut dicendum est, esse formaliter habilitatem discurrendi: fundamentaliter verò esse intellectum, vt insinuat Tatar. *q. 1. sua Logica.*

6. Instabis, Logica naturalis, per nullam virtutem, etiam diuinam, seiungi valet ab intellectu à quo emanat, cum sit eius passio, quæ secundum Scot. 2. *d. 16. q. vn.* realiter identificatur cum re, cuius est passio. Habilitas autem differendi cum sit qualitas, quæ est de genere absolutorum, saltem diuinitùs segregari potest a subiecto, in quo inhæret: igitur Logica naturalis neutiquam est habilitas, nec potentia naturalis differendi. Occurrendum est iuxta duas opiniones de Logica naturali supra insinuatas, maiorem esse veram de Logica naturali, sumpta pro inclinatione naturali differendi: falsam autem de Logica naturali capta pro habilitate, & potentia naturali differendi. Arguere verò ab vna ad aliam, non valet argumentum. Sicut non sequitur, inclinatio naturalis est relatio: ergo pariter habilitas, & potentia naturalis erit relatio. Hæc enim est de 2. specie qualitatis, non autem illa.

Vrgebis, si potentia, & habilitas naturalis differendi seiungi potest ab eo, cuius est habilitas, ergo saltem, per Dei potentiam, intellectus esse quit, absque huiusmodi habilitate, quod est impossibile, veluti, impossibile est intellectum esse, & non esse discursiuum, & ratiocinatiuum. Atque ita Logica naturalis non videtur esse præfata habilitas naturalis. *Satisfit instantia*, si dicatur, data hypothesi, intellectum semper esse radicaliter discursiuum, tametsi ab ipso tollatur ea habilitas, quoniam radix, & principium differendi est ipsemet intellectus, quem subsequitur prænominata habilitas, & potentia naturalis ratiocinandi.

7. Oppones 2. contra 2. ass. omnis scientia est de re, quia 3. *Anima c. 8. T. 38.* scientiæ secantur, sicut res. Quod innuit Doct. *q. 3. vniuers. ante §. Ad rationem positionis tertiæ.* Logica autem de nulla extat re, secus foret scientia realis, quod pugnat Doctori ibid. *q. 1. in solutione 2.* Ergo, nulla videtur esse Log. artificialis. Distingo maiorem: omnis scientia realis est de re, concedo: rationalis, cuiusmodi est Log. nego. Ita exponitur effatum Arist. præadductum. Vel dicito, omnem scientiam versari circà rem latè sumptam, non verò presè captam, quatenùs significat ens realè existens, aut potens existere extra operationem intellectus, vt præclare deducit Scot. *Quol. 3. §. de primo.* Et latè prosequuntur Sirectus, & alij Scotistæ *Tract. formalitatum, fol. 51. pag. 1.* Eò magis, quia argumentum non suadet, non dari Logicam, sed non esse scientiam, quod *in q. 1.* examinabo.

ARTICVLVS II.

Quomodo nominetur, & quid sit Logica.

8. HIc articulus manet iam enucleatus, & ferè solutus, ex dictis *in summulis l. 1. q. 1. a. 1.* in quo nomina tam propria, quàm impropria istius doctrinæ, & etimologiæ, nec non descriptiones eius adductæ fuere. Quæ omnia, ne actum agam, sunt ibi recognoscenda: tantumque ea, quæ eo in loco desiderari videntur, huc afferam.

9. Not. nomen Logices non inueniri substantiuè, apud Arist. vt obseruant Conimb. *q. 4. proœmiali. a. 1.* & Fons. 2. *Met. q. 1. sect. 2. contra Fuentem in fine 1. a cit.* asserentem, frequentius eo vocabulo vti Arist. ad significandam totam artem ratiocinatricem: reperio verò apud eumdem hoc nomen Logices adiectiuè, aut aduerbialiter vt 1. *post. c. 41. & c. 18. T. 39. & c. 16. Top. 36.* & *in fine eius c.* & 2. *post. c. 5. & 5. Top. c. 1.* & 7. *Met. c. 17. & 12. eiusdem operis c. 6. T. 4.* Atque 1. *de generatione animalium.* Philosophus vocat rationes Logicas, quæ constant ex terminis logicis. Subditque Orbel. *c. 2. lib. 7. Met.* ipsum Philosophum agere de quidditatibus rerum sensibilium per rationes Logicas. Nec latet Scotum 3. *Met. in expositione tex pag 61.* & 4. *eiusdem operis, pag 100.* secundum nuperam Canelli editionem: substantiuè autem vsurpant omnes ferè posteriores Dialectici, statuen-

tes, inter Logicam, & Dialecticam hoc discrimen, quod Logica solùm accipitur pro Analytica, siue pro ea parte, quæ docet modum demonstrandi, vt aduertit Alex. 1. *Top. c.* 1. *&* 1. *Post. c.* 1. Et elicitur ea Arist. *ibid. c.* 1. *&* 2. Insinuatque Scot. *q.* 1. *&* 2. Elench. Dialectica verò pro sola Topica, quæ de probabilibus tantum disserit, vt videre licet apud Ammonium 1. *Perih. c.* 1. aliosque antiquiores Peripateticos, indicatque Arist. 3. *Met. c.* 1. his verbis. *Dialectici ex solis probabilibus disserunt.* Et annuit Doct. *q.* 1. *&* 2. *loci nunc alleg.*

10. Ass. 1. commodè tota hæc doctrina nuncupatur Dialectica. Indicat Doct. *q.* 2. Elench. § *Ad* 1. *q.* Probatur 1. ex Arist. 1. *Reth.* 1. dicente. *Omnem syllogismum, vel ad vniuersam Dialecticam, vel ad quamdam eius partem pertinere.* vt optimè notat Aureolus 1. *d.* 33. *a.* 2. *defectu* 94. Atque hauritur *ex* 1. *Top.* 2. cuius verba affert Fuentes *pracit.* Fauet Aug. 1. *contrà Cresconium*, *&* 3. *contra Iulianum c.* 7. consentit Cic. *l. de Fato*, cum omni modernorum Schola. 2. Dialectica, iuxta nominis interpretationem, idem est ac disserendi doctrina, vt indicat S. Basil. *in c.* 5. *Esaia.* Tota autem hæc disciplina respicit discursum præcisè sumptum, abstrahentem à topico, & analytico: obid à Cic. 3. *de finibus*, & Quint. *l.* 12. *oratoriarum inst.* ac Aug. 1. *contra Cresconium c.* 13. *& l. Dialect. c.* 1. appellatur disputatrix: disputatio verò efficitur, tam per syllogismum topicum, quàm demonstratiuum. Itemque, quælibet scientia à fine, vel obiecto, circa quod occupatur, suam sortitur denominationem, 3. *de anima*, *c.* 4. Hæc autem disciplina posita est in discursu cumsuis rei, siue probabilis, siue necessariæ: Igitur non immeritò nomen Dialectica toti huic doctrinæ adaptatur.

11. Ass. 2. tota hæc disciplina rectè nominatur Logica. Tenet Doct. infrà allegandus. Probatur 1. vocabula sunt vsurpanda ea vsu Authorum, notante Scot. 1. *d.* 14. *&* 15. *q. vn. sub E. Et* 4. *d.* 1. *q.* 2. §. *De secundo infra F.* Sed apud Philosophos, vsus iam conualuit, vt nomen Logices vsurpetur pro tota hac scientia, vt in quotidianis disputationibus audimus, & in libris passim scriptum reperimus. Præsertim in Cic. *l. de Fato*, Diogene *in vita Arist.* Boëtio, Scot. & aliis qui quæstiones vtiles, & subtiles in vniuersam disserendi disciplinam ediderunt. Vt patet expressè in inscriptione huius nostri Doctoris, secundum impressionem Cardinalis Sarn. Eoque vocabulo vtitur idem Scot. 4. *pracit. sub H & q.* 4. *prol.* §. *dico igitur A.* Iure ergo vniuersa hæc doctrina nuncupatur Logica. 2. Logica penes suam nomenclaturam perinde est ac rationalis, vt tangit Scot. *alleg. in Epitome.* Atqui hæc disciplina est rationalis, siue ratiocinatrix. Docet enim modum ratiocinandi: ergo prædicto nomine rectè insignitur.

12. Ass. 3. Logica probe definitur scientia rationalis. Traditur expressè à Doct. *q.* 1. *vniuers. in fine.* Et 6. *Met. q.* 1. §. *Inter dictas.* consentiunt Faber *Theorem.* 16. *c.* 1. *Et Zabarel l.* 3. *de Methodis c.* 13. Probatur 1. ea est bona definitio, quæ constat ex genere, & differentia, vt patet in Epitome *l.* 2. *q.* 7. *a.* 2. sed præallata definitio conficitur ex genere, & differentia. Genus quippe eius est scientia, in cuius ratione Logica conuenit cum cæteris scientiis: & differentia eius est rationalis, penes quam à reliquis scientiis differt: ergo ea est idonea definitio. 2. ipsi rectè accommodantur omnes leges bonæ definitionis, loco præallato enumeratæ. Distinctè namque explicat naturam Logices, ei adæquatur, nihilque diminuti, ac superflui continet, vt percurrenti singulas eius particulas, est exploratum. Rursùs, Physica definitur scientia naturalis, quia agit de rebus naturalibus. Et Ethica est scientia moralis, quia circà mores occupatur: ergo Logica aptè definitur scientia rationalis, vtpotè, quæ circa syllogismum qui est opus rationis versatur.

13. Opp. 1. contrà 1. ass. Arist. 1. *Post. c.* 2. *T.* 5. Et 2. *Elench. c.* 8. Necnon 1. *Top. c.* 2. accipit Dialecticam pro ea tantum parte, quæ probabilia pertractat, & Logicam pro ea, quæ solum demonstrat. Quod etiam sentit Cic. 3. de natura Deorum. Et fauet Scot. 2. *Priorum q. vlt.* §. *Ad q.* Et 1. *Elench. q.* 1. annuitque Tromb. *tract. Form. fol.* 13. *pag.* 1. Ergo per Dialecticam non intelligitur tota disserendi disciplina.

Respondeo quidem crebrius Arist. vsurpasse Dialecticam pro Topica duntaxat, huncque sensum amplexatos fuisse antiquiores Peripateticos. Verumtamen iudicio posteriorum Philosophorum, Dialectica ad solam Topicam, & Logica ad solam Analyticam non est restringenda, vt præ aliis notat Orbel. *in initio expositionis Petri Hispani.* Eò magis, quia teste Philosopho, 6. *Top.* 1. & Aug. 3. *Mus.* 1. Quando res constat, non est vis facienda in nomine, quod ea hominis arbitrio est adinuentum. Hocque recipit Scot. 1. *d.* 1. *q.* 3. §. *quod autem frui.* Et 3. *d.* 6. *q.* 1. §. *Concedo sub.* D. subiungit Nazianzenus *orat. in sancta lumina.* Nec de nominibus odiosa concertatione certandum est, quamdiù syllabæ ad eamdem sententiam feruntur. Olim quippè lis extitit inter Græcos, & Latinos, discriminantes nomina hypostasis, & persona, atque *ousia*, & substantia, quæ fuit decisa, & ad concordiam redacta, in quibusdam Conciliis à nobis adductis *Tract. de Deo trino, disp.* 4. *q.* 1. vt nimirum pro eodem accipiantur hypostasis, & persona. Itidemque *ousia*, & substantia. Idipsum accidit in re nostra de præfatis vocibus Dia. & Log.

14. Opp. 2. contra 3. ass. Logica dicitur rationalis, penes suum obiectum, quod est syllogismus, qui est ens rationis, vt fatetur Tatar *præalleg. scib.* 4. Denominatio autem, & distinctio obiecti, est scientiæ extrinseca, & à posteriori, veluti quoque potentiæ, & actui, vt probat subtilium Dux *quol.* 13. §. *sed ista, post HH.* Et a *d.* 16. *q vn.* At absolutū non distingui per relatiuum, aut aliquid extrinsecum, præmonuit idem Doct. *ibid.* §. *Tertio sub CC.* Definitio verò assignatur, per intrinseca, & intima rei principia: & scientia est quid absolutum, residens in categoria qualitatis: ergo dicta Logicæ definitio non est congrua. Resp. quandoque tradi definitionem per extrinseca nobis notiora, & patentiora, propterea quod differentia essentialis rei nos latet, quo pacto Arist. 2. *anima T.* 22. *&* 23. videtur definire potentias per actus, & actus per obiecta. Et 5 *Met. c. de quanto. T.* 18. definit quantitatem, per diuisibilitatem, quæ est eius proprietas. Idque expressè astruit 7. *Met. c* 6. inquiens quando assignari nequeunt differentiæ per se, & essentiales, quia sunt nobis occultæ dantur differentiæ accidentales. Et præstat 2. *de generatione T.* 7. affirmans, qualitates esse prima principia, & primas differentias elementorum, quas constat esse eorum passiones, & proprietates duntaxat.

ARTICVLVS III.

Quomodo inuenta sit Logica.

15. DE Logicæ inuentione, tria à nobis disquirenda sunt, videlicet, quonam actu intellectus ipsa Logica sit adinuenta? Quisnam sit eius inuentor? Et vtrum sit inuenta post alias scientias? Primum in hoc art. examinatur. Secundum verò, & 3. in proximis duobus art. discutientur.

16. Not. 1. licet homo suapte natura sit discursiuus rerumque omnium cognoscitiuus, ipsius tamen intellectus nulla pollet vllius rei cognitione sibi congenita. Est enim velut tabula rasa in qua nihil est depictum, perhibente Arist. 3. *anima cap.* 4. *T.* 14. Atque extat illud vulgatum, *omnis nostra cognitio ortum habet,*

à sensibus. Notante Orbel. 5. *Met. c.* 1. solùm autem habet aptitudinem, & virtutem cognoscendi omnia, temporis internallo, labore, & studio. Id etiam de potentiis sensitiuis nominatim de visu ostendit idem Philos. 1. Eth. 5. sicut pupillæ inest visus, ita animæ intellectus. Quod est dictu, quemadmodum visus à natura nullam habet visionem, sed tantùm capacitatem videndi quodlibet visibile: pariter intellectus nullam sibi naturaliter insitam notitiam sortitur, sed solùm gaudet aptitudine, & virtute, per quam progressus temporis, quamcumque rerum cognitionem, sibi comparare valet. Itaque homo naturæ ductu potest quidem quodlibet ens cognoscere, & à cognitione noti, ad ignoti notitiam deuenire; nihilominus non habet viam, ac regulam certam, semper bene cognoscendi, rectèque ratiocinandi: sed quandoque bene, quandoque verò malè, de quo luculenter agunt Hugo Vict. 1. *Didascalicæ eruditionis*, & Rodolp. Agricola 2. *de inuent. cap.* 5. Quod animaduertentes homines, ne in malum discursum deinceps prolaberentur, & ne à recto veritatis tramite, ampliùs declinarent, certas regulas, & canones indubios sibi præscripserunt, & in vnum congesserunt, quibus præbetur verus, & certus modus, ac methodus bene disserendi, quæ est Logica. Totum hoc apertè monstratur, & explicatur à Maximo Tyrio, & Stagir. 1. *Ret.* 1. Multi hæc temerè, & casu, nonnulli verò exercitatione, & habitu factitant. Hacque similitudine explanari potest. Quemadmodum intellectus excogitauit quædam media, ad vitandas deceptiones, quæ contingunt in rebus sensu perceptis, nempe externas mensuras, vt stateram, vlnam, & alia huiusmodi, quibus definitè à sensu cognoscitur rei corporeæ quantitas, cum sæpè sensus de hac malè iudicet: sic congruum est, vt qui cæterarum potentiarum errores corrigit, sibi quoque consulat, certasque leges tribuat, quarum opera, veritatis notitiam indubiam attingat, ad quod munus præstandum Logica reperta est.

17. Not. 2. ex Arist. 1. *Met.* 1. & Scot. *ibid.* Et *quol.* 7. §. *Hic præmittenda, ante B.* Hominem per experientiam, sibi acquirere artem, & scientiam. Cum enim nostra cognitio originem suam trahat à sensibus, vt post Arist. 2. *Post.* scribit Scot. 1. *Post. quæst.* 46. §. *Ad q.* Et 1. *d.* 3. *q.* 4. §. *vlt. de 2. cognoscibilibus.* qui tantùm singularia percipiunt: & experientia sit collectio multorum singularium memoratorum, ex *quol. cit.* colliguntur ab intellectu, vniuersalia præcepta, certa, & determinata, ex quibus ars, & scientia gignuntur, vt quia ministerio sensus experti sumus, hunc ignem calefacere, illumque ignem calefacere, & sic de reliquis inferimus propositionem vniuersalem, *omnis ignis calefacit*. Qui autem hanc negant, sensu, & pœna indigent, suntque exponendi igni, donec fateantur ignem calefacere, vt ex Auic. 1. *Met. vlt.* monet Doctor 1. *d.* 39. & aduertit Faber *Theor.* 93. *c.* 1. Præterea non est spernenda admonitio Zab. 1. *de natura Logicæ c.* 10. aientis. Tanta est hominis infirmitas, vt ipse per se, sine alieno auxilio, tum in contemplatione, tum in actione, parùm proficere queat, vt nemo hactenùs inuentus fuerit, qui solus ipse cogitando, & ratiocinando, plenam, & sciendarum, & agendarum rerum cognitionem fuerit consequutus: sed omnes artes, & scientiæ, per additamentum inuentæ, & perfectæ sunt. Vnus quippe in aliqua scientia instructus, aliquid quidem inuenit, sed rude, & imperfectum, alter deinde eo principio adiutus, aliquid aliud reperit, postmodum alius aliud adiecit, donec per multorum operam, ducta sit. Nec vnus, idemque modus seruatur in scientiis nanciscendis; aliam namque viam, & normam in realibus, aliam verò in rationalibus disciplinis comparandis tenent primi scientiarum, & artium Authores. Quod vt commodius percipiatur.

18. Not. 3. ex Scot *Quod.* 13. §. *Nunc* 3. P. Tromb. *Tract. form. part.* 2. *fol.* 19. & Sarn. *quæst.* 6. *vniuers.* triplicem esse actum in ellectus, rectum, collatiuum, & reflexuos Actus rectus est, quo intellectus directè fertur in obiectum, extra ipsummet intellectum, tenditque in illud, tanquam eius terminum, vt actus, quo concipio rosam. Actus collatiuus est, quo intellectus comparat vnum obiectum cognitum, ad aliud obiectum cognitum, vt cum comparat superios, ad sua inferiora, puta genus ad suas species, & speciem, ad sui indiuidua. Actus reflexus est, quo intellectus reflectit se suprà se, & hic actus ex Doct. 1. *perih. quæst.* 2. § *Ad q.* multis modis potest fieri. Aut enim intellectus reflectit se suprà se ipsum intelligentem, qua intelligit se intelligere, & cognoscit se cognoscere: aut reflectit se suprà suum actum, qui est intellectio. Intelligit quippe suam intellectionem, qua formaliter dicitur intelligens, ad eamque, vt terminum fertur. Aut reflectit se suprà obiectum cognitum, vt intelligo, me intelligere rosam, ipsa intellectio tendit ad rosam, quatenus à me iam est cognita, & intellecta. Aut reflectit se suprà modum, quo intelligit, obseruans ea omnia, quæ ad verum discursum requirunt, vt cum intellectus ita syllogizat, *omne totum est maius sua parte: omne autem corpus humanum est totum: ergo, omne corpus humanum est maius sua parte.* Intellectus reflecteos supra se aduertit modum, quem seruauit in illa vera, & legitima ratiocinatione, & respicit, se disposuisse terminos in modo, & figura, ita vt medium subiiciatur in maiore, & prædicetur in minore, sumptis duab. præmissis vniuersalibus affirmatiois colligitur conclusio vniuersalis affirmatiua in *Barbara*. Sic habetur regula Logicæ scientifica, de quacumque re, per actum reflexum. Idipsum ferè animaduertitur, in cæteris Dialecticæ præceptis, vt innuit Sarn. *quæst.* 1. *vniuers. pag.* 11. post Scot. *ibid. quæst.* 4. *in solutione* 1. Ex his conicitur, scientiam rationalem, per actum reflexum; scientiam verò realem, per actum rectum repertam fuisse.

19. Ass. Logica inuenta est per actum reflexum intellectus. Deducitur ex Arist. 1. *Rhet.* 1. Scoto *loco pracit.* Et 1. *post. quæst.* 46. Boneto 1. *Met. cap* 4. §. *Est autem.* Et *Tol. quæst.* 1. *fund.* 3. Necnon Racon. *sect.* 1. *prælud. cap.* 3. *propos.* 2. Probatur 1. Logica agit de 2. intentionibus applicatis primis, vt scribit Doct. *quæst.* 1. *Elench. in fine.* Secundæ autem intentiones, ex quarum numero est syllogismus, inuentæ sunt per actum reflexum, vt astruit idem Doct. *quæst.* 3. *vniuers.* Et confirmat discursus habitus in 3. not. Ergo Log. inuenta est, per actum reflexum intellectus. 2. qui intelligit se intelligere, & scit se scire, elicit actum reflexum, vt liquet ex descriptione actus reflexi præallata: qui autem nactus est Logicam, intelligit se intelligere, & cognoscit se cognoscere regulas ratas, & canones certos sancit, argumentationes veras, & rectas ratiocinationes, à malis dispertit, & segregat. Ergo inuentio Logicæ extitit, per actum reflexum.

20. Opp. 1. quod per experientiam accipit esse, inuenitur per actum rectum, quia experientia est multorum singularium, quorũ cognitio actu recto paritur. Dialectica autem sumpsit esse per experientiam, sicut & quælibet ars, & scientia, vt constat ex 2. not. Ergo reperta fuit per actũ rectum. Nego ma. Quamuis enim ille actus sit rectus, quo intellectus actionem huius, & illius singularis experitur: nihilominus eo actu præhabito, intellectus reflectit se supra suam intellectionem, antequam scientiam sibi comparet ita disserens. *Quidquid euenit vt in pluribus, ab aliqua causa non libera, est effectus illius causa naturalis: sed verbi gratia euenit vt in pluribus Eclypsis Lunæ, ob terræ interpositionem inter ipsam Lunam & Solem, ergo habetur Eclypsis toties,*

ties, quoties fit huiusmodi interpositio. Intellectus autem aduertit discursum esse bonum, ordinatum in modo, & figura, seruatis regulis boni discursus, traditia à Logica, deque hoc habet veram scientiam, per actum reflexum. Hæc doctrina ferè tota decerpitur ex Doct. 1. *d. 3. q. 4. § de secundo. E.*

21. Opp. 2. Philosophia inuenta est per admirationem, quæ oritur ex ignorantia earum causarum, quarum effectua sunt noti hominibus, *ex 1. Met. 2.* vbi extat illud vulgatum, *ex admirari cœperunt homines Philosophari.* Admiratio autem est actus rectus, quo intellectus cognoscit effectum, eius causa adhuc ignota: ergo, cum ex infrà dicendis, Logica sit pars Philosophiæ, eius inuentio habita est per actum rectum. Resp. per distinctionem ma. & explicationem testimonij Arist. de principio remoto concedo: de principio proximo Philosophiæ, nego. Siquidem admiratio alicuius noui effectus cogniti non generat scientiam, sed excitat intellectum videntis huiusmodi effectum, ad veoandam, cognoscendamque eius causam. Rustici namque habent quidem admirationem talis effectus, non tamen scientia potiuntur. Ideoque fatendum est admirationem talis effectus, non esse proximam scientiæ causam. Experientia verò multoties adhibita, de tali effectu prodeunte à tali causa naturali, est proxima scientiæ origo, sicut indicaui in solutione præcedentis oppositionis, & insinuat Doct. ibi alleg. Vel dicito, illud effatum capi de Philosophia reali, nominatim Astrologia, cuius exemplum ibi affert Arist. de Lunæ, Solis, syderumque affectionibus, & effectionibus: non autem de Philosophia rationali, cuiusmodi est Logica.

Articvlvs IV.

Quisnam sit inuentor Logicæ.

22. Sicut nemini dubium est, quosdam homines, anterioribus sæculis extitisse multarum artium, scientiarumque inuentores (id enim testantur Sacræ litteræ, Gen. 47. *Arist. 1. Met. 1. & 2.* Scot. *ibid.* aliique complures) ità posteriori ætate, repertas esse à nonnullis, Calcographicam, Bombardarum, & pulueris tormentarij artes, compertum habemus. Priores autem Philosophos expertes fuisse Dialecticæ, refert idem Arist. *loco cit. c. 6. T. 8.* Atque ob eius ignorantiam, in multos fuisse lapsos errores, scribit 1. *de partibus c. 1.* De ipsius autem Logicæ inuentione, non vna est omnium opinio. Aliqui enim eius inuentorem putant fuisse Parmenidem qui eam in montis Caucasi vertice, excogitauit, teste Geneb. 2. *Chronol. pag. 133.* Quidam Zenonem Eleatem, referentibus Laertio *l. 1.* Zab. 2. *de natura Log. c. 17.* & Cic. 2. *de finibus*, qui discrimen, inter Rhetoricam, & Dialecticam manu indicare solebat. Manum quippè contrahens, & pugnum faciens, significabat Dialecticam: manum verò dilatans, innuebat Rhetoricam. Quod etiam non obscurè edisserit Philosophus, *in initio artis Rhetoricæ*, qui de vtraque hæc verba profert. Illa ratio dicendi est latior, hæc ratio loquendi contractior. Alij eius Authorem faciunt Trimegistum, qui narrante Strabone, depinxit duos dracones se mutuò intuentes, quod est Symbolum Dialecticæ, quæ disputat in vtramque partem, exerceturque inter duos, opponentem scilicet, & respondentem. Plerique Platonem, & reliqui Aristotelem Logicæ inuentorem liberè prædicant, & enixè tutantur.

23. Not. duplicem esse posse alicuius artis, & scientiæ inuentorem, primarium videlicet, & secundarium. Primarius est, qui à se & per se artem, vel scientiam inuenit, vti est Deus omnium artium, & scientiarum origo, & fons. Secundarius verò est, qui proprio ingenio, & labore, artem aut scientiam, adhuc imperfectam perficit, & absoluit, aut temporum iniuria, eam fermè extinctam restaurat, & ab interitu vendicat. Denuò non sunt obliuioni danda tria genera Philosophantium: siquidem, aliqui de rebus ad inquirendum propositis, demonstrationes afferebant, & vocabantur *Philosophi.* Alij de rebus in vtramque partem disputabant, & appellabantur *Dialectici.* Cæteri verò de apparenter veris disserebant, & nominabantur *Sophistæ*, contrà quos, se scripsisse libros Elench. testatur Aristoteles *in eo opere nunc recensito.*

24. Ass. 1. primarius Logicæ, & cuiuius scientiæ inuentor, est Deus, optimus, maximus. Ità Scot. *in prol Met. ad finem pag. 2.* Et Sarn. *q. 7. vniuers. pag. 133.* Probatur 1. ex Sacra pagina 1. Reg. 2. *Deus scientiarum Dominus est.* Psal. 92. *Qui docet hominem scientiam.* Et Ecclesiast. 38. *Dedit hominibus scientiam.* Logica autem, ex dicendis in proxima q. est scientia. Ergo primarius eius inuentor est Deus. Accedit Plato, qui primos Logicæ Magistros, Deos facit, eorumque internuncium & interpretem Prometheum. Fauet Aug. *l. 83. qq. q. 1.* Et 7. Ciuit. 29. *Deus, qui humanis ingeniis, quæ creauit, etiam scientias artium variarum, ad iuuandam vitam, naturamque concessit.* 2. Omne bonum à Deo promanat, iuxtà illud Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Logica autem est aliquod perfectum bonum nostri intellectus. Veritatem namque à falsitate discernit; viamque parat, ad omnem aliam scientiam ediscendam: ergo primarius eius parens est Deus 3. Adam fuit scientiis præditus. Imposuit enim nomina rebus, vt constat Gen. 2. *Omne n. quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius.* Quod effici nequit absque rerum scientia, vt rectè ibi deducit Lyr. Et decebat primum hominem à Deo conditum, rerum cognitione esse ornatum, cum in opificio reluceat opificis potentia. Quæuis autem alia scientia, sine Log. est imperfecta, vt monstrabitur *q. 4. huius lib.* Ergo Adæ indita fuit à Deo Logica, cum cæteris scientiis, proindeque Author eius primarius est Deus.

25. Ass. 2. siue hominum incuria, siue temporum iniuria, Logica fermè perierit, eam propria industria, & arte, ab interitu reuocarunt quidam præstantes viri prænominati, inter quos præcipuus reparator, seu secundarius inuentor censendus est Arist. Hæc ass. duas comprehendit partes, quæ colliguntur ex Scot. *præcit.* 1. pars patet ex dictis in principio huius art. vbi retuli, vetustiores Philosophos planè inermes, ac nudos fuisse peritia differendi: atque ibid. recensui, Logicæ primos Duces, & parentes, de quibus pulchrè subdit Rodolphus Agricola 2. *de inuentione c. 5.* prodiere præclara ingenia, quæ dispersa colligerent, confusa disponerent, explerent imperfecta, & rudia perpolirent, & omnia amplecterentur, non modo quæ facta essent, sed quæ fieri etiã possent: sic quod casus antè fuerat, cœpit deinde esse ratio. 2. pars probatur 1. ex Cic. *in Top* qui vocat Aristotelem Dialecticæ principem, cui adstipulantur S. Isid. 2 *Orig.* 22. Zab. 2. *de natura Log. c. 1. & l. de 4. figura c. 5.* Et Tol. *in præfatione Logicæ*, asserentes, Logicam ab Arist. scriptam, nedum esse perfectam, & omnibus numeris absolutam: verum etiam admirabili ordine dispositam. 2. qui aliquid inordinatum, & indigestum ordinat, & disponit, dici valet eius Author, & opifex secundarius, vt liquet de Domificatore, aliisque artificibus, qui indigestas materias in ordinem redigunt: sic autem se gessit Arist. in construenda Log. quæ antè ipsum erat imperfecta, & inordinata, vt præter nominatos Authores affirmat Plotinus 3. *l. Enn. c. 4. 5. & 6.* de Platone, qui eam à Metaphysica non distinxit, vt primus præstitit Arist. Ergo rectè vocari potest eius restaurator. 3. qui adinuenit materiam, circà quam scientia laborat, iure vocari potest eius Author, cum ex obiecto, & potentia, gigni scientiam, sit celebre Philosophorum proloquium. Arist. autem nactus est

materiam,

materiam, circa quam Logica occupatur, putà syllogismum, de cuius inuentione ipsemet gloriatur in *fine Elench. l.2.* Meritò ergo Arist. potest nuncupari Logicæ inuentor eiusque reparator.

26. Opp. 1. contra 1. ass. Logica est inuenta per actum reflexum, ex dictis supra, art. 3. Deus autem, cum sit expers discursus, actus reflexi non est capax. Omnia quippè vnico actu simplicissimo intuetur, Hebr. 4. *Omnia sunt nuda, & aperta oculis eius.* Ergo haud Deus extat Logicæ inuentor. Respondeo maiorem valere, de Logica ab homine inuenta, & reparata: non autem de Logica infusa, & Adæ elargita.

Instabis. Logica Adamica, & nostra sunt eiusdem rationis, & naturæ: ergo, si nostra habetur, per actum reflexum, idipsum astruendum est de Log. Adamica. Concesso ant. negatur consequentia Eadem quippe est natura vtriusque, diuerso tamen modo parta. Vna enim est infusa, altera verò acquisita. Exemplum est in promptu de igne, qui est eiusdem speciei, siue producatur ab igne, siue à sole, siue à duobus corporibus se inuicem collidentibus.

27. Opp. 2. contra 2. ass. Ante Arist. Logica erat perfecta, ergo eius opifex non est existimandus Arist. Ant. probatur. Cleantes Aristotele antiquior, egit de Dialectica, & de categoriis, vt refert Laert. *l. 7.* deque his quoque disseruit Architas Tarentinus, quem pariter calluisse artem definiendi, patet 8. *Met. 6.* Et Socratem à Zenone fuisse Dialectica instructum, significat priscus nonnullus. Deinde Plato tractauit de diuisione, vt legitur 1. *Priorum c. 31.* Et 2. *post. T. 4.* Atque ipsum Platonem imbutum fuisse dialectica, habetor 1. *Met. c. 6.* Rursus demonstrationem docuerunt Zeno, & Euclides. Denique Protagoram, sophisticam exercuisse, testatur Zuingerus *in teatro vitæ humanæ.* Ergo, cum omnes partes Log. ante Arist. repertæ sint, eius non videtur esse inuentor. Nego ant. Ad eius probationem dico, etsi partes Log. præcesserint Arist. erant tamen disiunctæ, & inordinatæ: ille autem primus extitit, qui eas in vnum coëgit, totamque hanc disciplinam, ab aliis distinctam docuit, modumque & regulas bene disserendi tradidit, eamq; nomine organi insigniunt, vt liquet ex eius inscriptione. Idque innuens ipsemet Philosophus, subdit *in calce 2. Elench.* Idem accedisse priscis Philosophis, quod euenit alicui, qui profitetur, se daturum quandam facultatem, ne doleant pedes deambulando, sutoriam tamen artem, qua conficiuntur calcei, non præbet. Adde, quod priores Philosophi in philosophando, adhuc balbutire videbantur, vt scribitur. 1. *Met. 6. Perfunctorieque definire, ibid. T. 4.*

ARTICVLVS V.

An Logica sit inuenta post alias scientias.

28. AD ignorantiam fugiendam, propter admirationem, homines in Philosophando, à facilioribus, ad difficiliora, à minoribus, ad maiora, à magis necessariis, & vtilibus, ad minus necessaria, minusque proficua, quæ gratia sui sunt, perrexisse narrat Arist. 1. *Met. c. 1. & 2.* Hinc artes, & scientiæ practicæ, quæ ad vitam transigendam, eiusque cultum faciunt prius inuentæ fuere, quàm speculatiuæ, quæ ab otiosis perquisitæ, & repertæ sunt, vt patet de sacerdotibus Ægyptiis, qui Mathematicas disciplinas, potissimùm Astrologiam nacti sunt, testante eodem philosopho, passu præalleg.

29. Ass. Logica inuenta est post alias scientias. Ita Scot. 1. *post. q. 46. ver. Item 2. intentiones.* Et deducitur ex Arist. *loco præmemorato.* Atque luculenter asseueratur ab Hugone Vict. 1. *Didascalica eruditionis.* Cæteræ artes prius repertæ fuerant, sed necesse fuit, Logicam quoque inueniri, quoniam nemo de rebus conuenienter disserere potest, nisi prius loquendi rationem agnouerit: suffragatur Zab. 1. *De natura Log. 12.* Ex his manifestum est, Log. artificiosam, de qua in præsentia loquimur, opus quoddā, & partum quemdam esse Philosophiæ. Ab alio enim nullo, nisi a solis Philosophis, & per Philosophiæ habitū produci, & generari poterat: sed præsertim à Philosophia contemplatiua ortum duxit, cuius scopus cognitio est Iam verò probatur ass. 1. quod acquiritur per actum reflexum, & 2. intentionem, posterius inuenitur eo, quod gignitur per actum rectum, veluti quoque 2. intentio præexigit primam, vt constat in naturalibus de lumine solis, quod prius directè fertur in parietem, quam reflectatur, & de pila proiecta, quæ prius directè tendit in petram, quam ab ea retrocedat: Logica autem inuenta est per actum reflexum, ex ostensis supra, art. 3. reliquæ verò scientiæ comparatæ sunt per actum rectum, ex ibi assertis: igitur eius inuentio est aliis posterior. 2. quod difficilius est, difficilius peruestigatur, posteriusque reperitur, quia natura a facilioribus auspicatur. 1. *phys. 4. & 1. Eth. 4.* Logica autem difficilior est cæteris scientiis, cum sit de 2. intentionibus, quæ sicut habent minimam entitatem, ita minimam intelligibilitatem: ergo eius inuentio præsupponit aliarum scientiarum inuentionem. 3. quæ a nostris sensibus sunt remotiora, & abstractiora, posterius à nobis cognoscentur, quam ea, quæ sensibus sunt propinquiora, cum sensus sint primi duces cognitionis nostræ. Obiectum autem Logicæ à sensibus est remotius, & distantius, quam obiectum cuiusque alterius scientiæ, Immo ipsum Dialecticæ obiectum non cadit sub sensum, vt patebit q. 3. huius lib. Addo, Logicam esse speculatiuam, ex probandis in proxima q. quæ est inuentione posterior scientia practica, vt indicant eum Arist. in initio huius art.

30. Opp. 1. S. Aug. 2. *de ordine* 12. inquit primò, inuentam esse Grammaticam, proximè Historicam, deinde Dialecticam, & postmodum homines ad cæteras scientias gradū fecisse: ergo per Aug. Logica prius est inuenta, quam reliquæ scientiæ. Respond. nonnulli Aug. verba facere de Logica rudi, & imperfecta, non verò de Logica perfecta, ad regulas, & artem redacta, vt eleganter scribit Rodolphus Agricola, 1. *de inuentione.* Contra, reliquæ scientiæ absque Logica sunt imperfectæ, ex infra dicendis. q. 4. Ergo sicut Logica imperfecta præcedit cæteras scientias imperfectas, pariter Logica perfecta præit reliquas disciplinas perfectas, inuentione. Dici potest, quod licet, ante Logicam fuerint aliæ scientiæ imperfectæ, & homines naturali instinctu ducti, in rebus contemplandis, quandam methodum seruarent, vt ex aliquibus notis principiis sibi propositis, ad ignota procederent, tamen tunc temporis, nondum erant collecta præcepta, & regulæ, ex quibus postmodum posteriores Philosophi Logicam artificialem composuerunt. Ob id hæc illis inuentione postponitur. Sic exponi potest Aug. præcit. Quod si hanc interpretationem non patiatur, in hoc & in quibusdam aliis, non est audiendus, vtpotè, qui loquitur, vt Philosophus, non verò vt Sanctus res fidei pertractans, vt bene aduertit Tromb. *Tract. form fol. 11. pag. 1.* Quodque in simili etiam monet Dur. *propè finem suæ præfationis.* Alioqui tenendum esset, visionem effici per extramissionem, quod pugnat Arist. 2. *de anima Tex. 74.* Angelos esse corporeos, cælos esse igneos, & consimilia, quæ docuit, tanquam sectæ Platonicæ studiosus, vt ipse se declarat, 8. *Ciuit. in fine c. 12.* Addo, non omnia, quæ aliquando asseruit, semper tuetur Doctor sanctus. Nam *in prol. Retract.* ita scribit. *Quapropter, quicumque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem.* Ergo si ipse Aug. interdum se non bene sensisse ingenue fatetur, nos ipsummet rectè semper sensisse, & dixisse, arbitrari haud debemus. Quod idem Doct. subiicit, 12. *de gen. ad lit. c. 8.* De paulo rapto ad 3. cælum. *Quis audeat dicere se scire, quod se nescire Apostolus ait* Et l. 2. de

bono

bono perſeuerantiæ c. 21. *Quamuis neminem velim, ſic amplecti omnia mea, vt me ſequatur, niſi in iis, quibus, me non errare, perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, vt nec meipſum, in omnibus, me ſecurum fuiſſe, demonſtrem.* Rurſus. l. 2. Ad Vincentium Victorem. *Negare non poſſum, nec debeo (ſicut in ipſis Maioribus) ita multa eſſe in opuſculis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio, & nulla temeritate culpari.* Ex his patet, Aug. & quemlibet alium virum ingenio, & doctrina magnum, eſſe labilem, & culpabilem, humanæque authoritati, non ſemper & indubie eſſe innitendum: ſolum autem Deum eſſe impeccabilem, & indefectibilem, ipſique & veritati eſſe firmiter & conſtanter adhærendum.

31. Opp. 2. inſtrumentum præcedit id quod per ipſum eſt conficiendum, vt conſtat de rudite, ſerra, ſecuri, aliiſque inſtrumentis quæ præcedunt, v. g. nauim aut domum conſtruendam: Logica autem eſt reliquarum ſcientiarum inſtrumentum, ad earumque conſecutionem neceſſaria, vt monſtrabitur, *q. 4. art. 1.* Ergo Log. inuentione, cæteras antecedit diſciplinas. Diſtinguo ma. de inſtrumento abſolutè neceſſario, ad aliquid fabricandum, concedo: ſic abſque manu, & calamo, efformari nequeunt characteres in papyro, aut marmore, atque ſine organo viſus fieri non poteſt viſio: de inſtrumento neceſſario tantum ſecundum quid, hoc eſt, ad perfectè aliquid elaborandum, nego. Poteſt namque effici abſq; illo, quamuis non ita bene. Quo pacto, frangi, & comedi poteſt panis ſine gladio, poteſtque bibi vinum, ſine cyatho. Logica autem non eſt primi, ſed 2. generis inſtrumentum, proindeque, reliquæ ſcientiæ, eam in ſtatu imperfecto præceſſerunt, qua deinde media, ad ſtatum perfectum peruenerunt.

Articvlvs VI.

An Logica ſit addiſcenda ante alias ſcientias.

32. PLato 7 *de Reſp.* à Mathematica putat eſſe inchoandum, nec ante annum 30. vult dialecticam à iunioribus addiſci. Hinc in foribus eius Academiæ, fertur inſcripſiſſe. *Nullus expers Mathemat. huc ingrediatur.* Quidã vt Panæt. à Phyſ. Alij vt Diogenes, ab Eth. Cæteri vero, à dialectica exordiendum eſſe opinantur.

33. Not. duplicem eſſe ordinem naturæ, & doctrinæ. Ordo naturæ eſt ſeries, quam res inter ſe ſeruant, vt ordine naturæ animal præcedit hominem, & homo Petrũ. Ordo autem doctrinæ eſt ſeries, quam homines in docendo, & addiſcendo retinent, quæ videtur eſſe facilior noſtra cognitio. Ob id Ariſt. 1. *Phyſ. T. 4.* iubet à magis ſenſibilibus, & compoſitis eſſe incipiendum; eo quod ſunt nobis faciliora cognitu.

34. Aſſ. ordine doctrinæ reliquis ſcientiis præponẽda eſt Logica. Ita Scot *q. 46. primi poſt. verſ. Tertia.* Et 2. *Met. c. 3. in expoſitione Textus.* Quem ſequuntur Tatar. *tract. 1. ſummularum, ſcibili 3. fol. 1.* Sarn. *q. 1. vniuerſ. pag 29.* & Hurt. *diſp. 5. ſummular. ſect. 1.* Fau. Hug. Vict. *in ſuperioribus alleg.* Probatur 1. ex Ariſt. 1. Rhet. 1. & 2. Met. T. 15. *Abſurdum eſt quærere ſcientiam, & modum ſciendi.* Quod eſt dictu, Logica ante omnem aliam ſciẽtiam eſt perdiſcenda, quia eſt modus ſciendi; ſecus id eueniret, quod accidit ei, qui vult docere viam peregrinantes, eamque ſimul addiſcere. Aut qui vult ægrotum mederi, ſimulque addiſcere medicinam, vt de quodã refert Auer. adductus à Sarn. præcit. qui accerſitus ab ægroto, medicinam propinauit. domum rediens, librum inſpexit Auic. Interim ægrotus mortuus eſt. Subſcribunt Cic. 1. *de orat. & lib. de claris oratoribus.* Et Aug. 3. *contra Acad.* Et 2. *de ordine*, qui Logicam vocat diſciplinarum diſciplinam, eo quod cæteris Doctrinis præfertur. Idque confirmat Fonſ. 2. *Met. q. 1. ſect. 7.* Secundo, ordo doctrinæ poſtulat, vt 1. loco tractentur ea, ſine quibus ſequentia perfectè haberi nequeunt: aliæ autẽ ſcientiæ abſque Logica perfectè comparari non poſſunt, cum ſit inſtrumentum ſciendi, ſine quo perfectè non gignitur ſcientia, quæ eſt effectus ſyllogiſmi demonſtratiui, vt perhibet Philoſophus 1. *poſt. c. 2.* Igitur Log. ordine doctrinæ, reliquis ſcientiis eſt anteponẽda.

35. Opp. 1. doctrinæ methodo, Rhetorica præcedit dialecticam, vt omnis ſcholæ vſus nos docet: ergo dialectica non eſt tradenda ante alias ſcientis. Concedo ant. nego conſequentiam, quia Rhetorica eſt ars, Log. verò, cum ſit ſcientia, & modus ſciendi, idcircò ante alias ſcientias eſt tradenda, non verò ante artes, alioqui præcederet Grammaticam, quod nemo inſpicatur. Addo, quod Scot. *q. 2. primi prio.* Rhetoricam videtur numerare inter partes Logicæ; ſicque nulla erit difficultas, quia Rhetorica tanquam vna pars ipſius Logicæ doctrinæ ordine præcederet aliam partem, veluti parsprioriſtica prẹit poſterioriſticã. Hocque indicat Stagirita 1. *Rhet.* appellans Rhetoricam dialecticæ propaginẽ.

36. Opp. 2. doctrinæ ordine à facilioribus eſt incipiendum 1. Phyſ. 1. *& 9.* Met. 1. Et Scot. *ibi in not. pag.* 170. Logica vero aliis diſciplinis eſt difficilior, & obſcurior. Differit namque de 2. intentionibus, quæ à ſenſu ſunt valde abiunctæ: ergo Logica ordine doctrinæ, aliis non præcellit diſciplinis. Reſp. maiorem valere, niſi aliunde neceſſitas docendi difficilia præexigat, vt euenit in re noſtra. Præmittimus quippe Logicam ante alias ſcientias, propterea quod licet ſit durior & ſpinoſior, tamen ſine ipſa, cæteræ diſciplinæ perfectè acquiri non poſſunt. Idque præſtat Philoſophus 1. *phyſ.* agens prius de partibus corporis naturalis, quam de ipſo corpore naturali, quamuis compoſitum naturale ſit magis ſenſibile, atqueadeò faciliùs cognitu, quam eius partes.

QVÆSTIO II.

De natura, & qualitate Logicæ.

Articvlvs I.

An Logica ſit ars.

1. QVIDAM ex veteribus, & recentibus Philoſophis inter quos citantur Caiet. *in proœmio Categoriarum*, Scaliger *exercit. 3.* & Flamminius, Logicam in choro artium collocant. Oppoſitum autem tuentur Latini ferè omnes, præſertim, Scot. *q. 1. vniuerſ.* Angelicus Mauritius, & cæteri Scotiſ. *ibid.* à quibus non diſcrepant Thomiſ. Dialecticam ab artium catalogo remouentes.

2. Not. ex Gerardo de Odoniſ 6. *Eth. q. 8.* & Tatar. *Tract. 1. ſum. ſcibili 2. fol. 1.* artem bifariam vſurpari. 1. latè & impropriè, pro quolibet habitu vero, ſiue practico, ſiue ſpeculatiuo, quo pacto ſumit artem Ariſt. 1. *Rhet. 1. & 1. poſt. 1. vbi non 1. Met. 1.* vbi Mathematicas diſciplinas vocat artes, quas 12. *Meth. T 44.* nominat ſcientias, & rectè cum apud omnes conſtet, eas eſſe propriè & verè ſcientias. Huius artis acceptionis meminere Aug. 9. *Trin. c. 10.* inquiens, Moralem eſſe artem, quã omnes admittunt eſſe ſcientiam practicam. Et Scot. 1. *d 1. q. 4. ante §. Quod ſi adhuc ſub* C. Et *d 42. q. 4. §. ſequitur, infrà L.* 20. ſtricte, & propriè pro habitu factiuo, cuius opus tranſit in externam materiam, exerceturque aliquo organo corporeo. Sic capitur ab Ariſt. 6. *Eth. c. 3. & Scot. 1. d. 3. q. 7. §. contra iſtam ante F.* omnis autem habitus, qui artis nomine inſigniri valet, ſubſequenti diſtico indicatur.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra.
Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

3. Nota 2. habitum eſſe qualitatem, in potentia radicatam

dicatā, inclinantem ipsam potentiā, ad faciliter, promptè & delectabiliter operandum. Dissecatur autem habitus in intellectualem, & moralem. Moralis est, qui residet in voluntate, aut in altera potentia, ipsi voluntati subiecta, ad actus eius regulandos, vti sunt virtutes, quæ morales nuncupantur. Habitus intellectualis, ex eodē Arist. proximè cit. est, qui subiectatur in intellectu, & facilitat ipsum ad suos actus promendos. Est autem quintuplex, intellectus, sapientia prudentia, ars, & scientia. Intellectus est habitus primorum principiorum, quæ ex sola terminorum explicatione cognoscuntur, vt omne totum est maius sua parte, statim ac explicatur, quid sit totum, quænamve sint eius partes, intellectus illi præbet assensum. Scientia vero est habitus per demonstrationem acquisitus, propterea subiungit Doct. 1. *post. q.* 2. §. *Ad* 1. *Intellectus est principiorum & scientia conclusionis.* Prudentia *est habitus, cum recta ratione actiuus,* siue *habitus consiliatiuus*, vt inquit Scot. 3. *d.* 34. *q. vn* §. *His suppositis.* O. Et innuerat in *Prol. q* 4. §. *Ad argumenta principalia. A A.* Sapientia *est habitus rerum altissimarum, & vniuersalium.* Ars *est habitus cum recta ratione factiuus*, vt explicat Doct. 3. *d.* 38. *q. vn.* §. *Ad authoritatem F.* Ratio recta in definitione artis posita. idē est, ac directiua, siue rectificans potentiam aliam, cuius est operari, secundum artem: diminutè autem ars est habitus, cum vera ratione, quando est tantùm habitus apprehensiuus rectitudinis agendorū, & non habitus directiuus, siue rectificatiuus in agendis, quo pacto ars tribui potest Deo, affirmante eodem Scot. *vbi supra.* Et 3. *d.* 8. *q. vn.* §. *Ad argumenta. A.* quatenus eius intellectus cognoscit rectitudinem, & ordinem operandorum, non verò quatenùs dirigit potentiam ad operandum, cum voluntas eius, quæ est rectissima, immo 1. regula quæ à rectitudine deflectere nequit, sit potentia & principium omnium quæ fiunt ad extra.

Ass. Logica non est propriè ars. Deducitur ex Scot. *q.* 1. *vniuers.* vbi ex professo ostendit Logicam esse scientiam, quæ est habitus ab arte distinctus, vt patet *ex* 2. *not.* & probabitur in proximo art. suadetur autē præposita ass. sic. Ars *est habitus cum recta ratione factiuus*, vt constat ex loco mox cit. Logica verò non est huiusmodi; versatur namq; circa syllogismum, qui non est opus externum, nec vllo organo corporeo administratur: ergo Log. propriè non est ars. Propterea, & in idem videtur recidere. 2 *phys. T.* 3. Et 12. *Met T.* 13. Ars est principium operandi in alio: actusq; artis extenditur, ad factionē, vt astruit Doct. 1. *d.* 3 *q.* 7. §. *Tertia opinio.* Et in hoc differt, à natura. cuius principiū est in eo, quod naturam participat: Log autē in alio non operatur, hoc est eius opus non recipitur in alio subiecto, puta materiali, & corporeo, cum *ex* 3. *Anima. c.* 38. omnis intellectio in intellectu tantum resideat. Igitur Log. verè non est ars.

5. Opp 1 *ex* 1. *Top.* 1. Log. definitur methodus, siue ars ratiocinandi, de qualibet quæstione proposita ex probabilibus. Et à Cic. *l de claris oratoribus*, dicitur artium maxima Et 1. *qq. Acad.* vocatur ars differendi Subscribunt Hieron. Aug. 3. *contra Cresconium c.* 20. Et 2. *de ordine c.* 12. Nec non Petrus Hisp. *in initio sum.* Atque vulgus Philosophorum reponit eam inter artes liberales, quæ septenario numero capiuntur, inter quas extat ipsa Log. Conf. Logicus est artifex; habet enim Logicam artificialem: ergo Log. est ars consequentia tenet, per locū à coniugatis, similique argumentandi formula vtitur Scot. *q.* 1. *vniuers. vers. Item hac est* Resp præfatas, & consimiles authoritates, quæ adduci queunt, exponendas esse de art. 1. modo accepta non autem de arte 2. modo sumpta, de qua loquimur in præposita ass. Idque apertè insinuat Arist. 4. *Met. c.* 3. *T.* 8 vbi vocat Analisticam artem quam constat, esse scientiam. Per eandem distinctionem satisfit confirmationi. Vel dicito, interpretandas esse de Logica vtente, quæ est Topica, vt liquet ex verbis Arist. præallatis: non autem de Logica docente, quam esse scientiam monstrabo in sequenti art.

6. Opp. 2. Ars est habitus, cum recta ratione factiuus: Logica autem est huiusmodi: ergo Logica est ars. Ma. est nota, ex artis definitione *in* 1. *not.* allata. Min ostenditur, 1 *priorum c* 1. *sect.* 2. & *sect.* 3. *c.* 1. Arist. scribit, se generationem syllogismorum tradere. Idest, quomodo syllogismi sint efficiendi, & quomodo homines apti reddantur ad eos rectè construendos. Docere autem, quomodo aliquid sit conficiendum, spectat ad artem, vt claret de arte Domificatoria, quæ dat modum fabricandi domum. Denuò, 2 *post. c. vult* legitur, *scientia est de ente, & ars de generatione.* Quod est dicto, scientia habetur de iis, quæ iam sunt; ars verò de iis, quæ fiunt. Hinc subiicit Stagirita 6. *Eth.* 4. artem in generatione versari Hoc est, in effectione rei artificialis. Igitur cum Log. diuisiones, definitiones, & argumentationes contexat, clarè euincitur, ipsam in artium numerum, esse referendam. Concedo ma nego min. quandoquidem, effectio artis transit in externam materiam, organoque corporeo exercetur, vt constat ex fundamentis, & probationibus præallatis, quibus patefiunt, & diluuntur testimonia Philosophi præadducta, syllogismi autem & vniuscuiusque alterius 2. intentionis logicæ effectiones à solo intellectu exercentur, & in eo met insident duntaxat, ideoque nullam artis propriæ rationem sortiuntur.

ARTICVLVS II.

An Logica sit scientia.

7. NOnnulli, quos suppresso nomine refert Zab. 1. *de natura Log. c.* 9. ea stimant Logicam esse facultatem haud cum arte, & scientia coincidentem. Alij, vt Themestius, & fere omnes Græci interpretes, quibus adhæret Zabo *precit. c.* 10 censent Logicam esse instrumentum, siue disciplinam instrumentariam, ab arte & scientia distinctam. Nec desunt qui licet fateantur Logicam esse scientiam; nihilominus ipsam ab aliis scientiis non distinguunt teste Abb. *tract.* 1. *prædicam. c.* 1. Et hæc opinio fortassè originem ducit à Platone, qui 7. *de Resp.* Dialecticam cum Met. confundit, vt non negant eius Assecłæ, nominatim Platin. *l.* 1. *Enn.* . *c.* 4. *& inde.* Communis autem sententia est Scot. *q.* 1. *vniuers* Et 4. *d.* 1 *q.* 1. §. *de* 2. *principali: paulo ante I.* Sam Maur. *ibid.* Odo 6. *Eth q.* 8. Et multorum aliorum, à quibus non dissentiunt Thomist. cum D. Th. 4. *Met. lect.* 4. docentium Logicam esse scientiam.

8. Not. 1. celebrem esse partitionem Logicæ in docentem, & vtentem, ex Scot. *nuper cit* §. *Dicendum.* Et 1. *Elen. ch. q.* 1. *&* 2. § *Ad* 1. *q.* quam tangit Arist. 7. *Met. T.* 13. his verbis. *Cuiusque artis vna pars docet, altera verò vtitur.* Ei approbant Græci, vocantes Logicam docentem, a rebus auulsam & vtentem, cum rebus concretam. Describitur autem Logica docens, quæ tri[illegible] modum bene diuidendi, definiendi & argumentandi. Logica vero vtens trifariam sumitur, aut pro eadem Logica docente, quæ aliis scientiis applicatur eisque inseruit. Aut pro ea quæ differit de rebus communibus & probabilibus, quæ Topica perhibetur Aut pro ea, quæ vsu & exercitio differendi acquiritur, quam quispiam callens appellatur bonus Logicus, quaue defatigantur ingenia doctorum virorum: sed de Logica vtente abunde & explicate acturi sumus in subsequenti art per quatuor dubitationes. Nunc autem solùm de Log docente sermonem instituimus.

9. Not. 1. ex Doct. 1. *post. q.* 1. Et 3. *d.* 24. *q. vn.* §. *Ad q. igitur. D.* Et Parisiensibus, tum in præsenti, tum etiam 1. *phys. q.* 1 scientiā multas pati acceptiones. 1. namque capitur pro notitia, cum firma adhæsione; sic dicimus nos scire ea quæ ab aliis enarrari audiuimus. Huius scientiæ acceptionis meminit Augost. 11. *Ciuit. cap.* 2. inquiens. *Profectò ea, quæ remota sunt à sensibus nostris*

quoniam,

quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus. Huc fortassis pertinet illud S. Pauli, 1. Cor 8. *Omnes scientiam habemus.* Id est, omnes scimus ea, quæ ab aliis, nobis referentibus, didicimus. 2. pro cognitione certa non tamen euidente, quæ à nostris vocatur scientia, *de 6. Eth.* siquidem in eo *lib. cap. 4. & 7.* Philosophus loquitur, de scientia quatenus est habitus solùm certus, quo verum dicimus, subdit Doct. *quæst. 3. Prol. §. Ad aliud. D.* Et distinguitur ab opinione & suspicione. Quo pacto *l. prædicam. cap 5.* Et 6. *Top. cap. 1.* Grammatica dicitur scientia. Memoratur Luc. 1. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Eamque profitebatur Iob. 19. *Scio, quia redemptor meus viuit.* 3. pro scientia, *de 1. post T. 5. cap. 2.* quæ describitur, *cognitio certa & euidens rei necessaria, per propriam causam parta per discursum syllogisticum.* Quatuor autem conditiones requisitæ ad scientiam sic acceptam obseruantur à Doct. *cit. Et quæst. 4. prol. in initio*, & explanantur à Pelbario, *Tom 1. Rosarij, verbo scientia* §. 1. Et Vulpe *Tom. 1. summ. disput. 5. 4. & 7.* prima, vt sit certa ad tollendam dubitationem, & suspicionem: secunda, vt sit de obiecto necessario ad differentiam artis quæ est, de contingentibus. 3. vt sit, per causam euidentem intellectui, propter fidem, quæ est obscura, & ænigmatica, ac etiam propter habitum primorum principiorum, qui solis terminis explicitis acquiritur. 4. vt gignatur per discursum syllogisticum, ob scientiam Dei, quæ discursus est expers, vt liquet ex Scot. alleg. Et abunde ostendi, *Tract. de scientia Dei disp. 1.*

10. Not. 3. ex Arist. 1. *Met. cap. 2.* Et Scot. *ibid. in expositione Tex. pag. 11.* scientiam aliam esse sui gratia siue quæ nulli famulatur, vt physica & Metaphysica. Aliam verò instrumentariam, quæ cæteris scientiis adminiculatur, vt dialectica, quæ subministrat instrumenta diuidendi, definiendi, & syllogizandi reliquis disciplinis. Ob id, Arist. 1. *Top. 9.* recenset tria genera problematum, actiuum, contemplatiuum, & logicum. Ibique subiungit, actiuum esse illud quod per se respicit fugam, & electionem. Contemplatiuum cognitionem duntaxat Logicum verò, vtrisque adminiculans. Quod est dictu, Logicum non est sui gratia, sed gratia aliarum scientiarum speculatiuarum, & practicarum. Hinc non bene colligitur, Logicam non esse scientiam, vt putat Zab. *precis. c. 6.* sed tantùm sibi deducitur, Logicam esse scientiam instrumentariam, aliarumque scientiarum administratricem: ac proinde non esse ita nobilem, & præstantem, sicut reliquas, quæ sunt sui gratia. Quamobrem vana est illa conditio, quam nonnulli attribuunt scientiæ, vt sit sui gratia. Alioqui præter speculatiuam nulla foret scientia practica. Quod pugnat Scot. *q. 5. prol. §. Ad 1. arg. sub 5.* vbi meminit moralis & medicinæ, quæ sunt practicæ. Et Arist. 6. *Met. c. 1. & 11. eiusdem operis, cap. 1.* distribuenti scientiam, in practicam, & speculatiuam. Ratio est, quia vtrumque obiectum, tam speculatiuum, quam practicum, sortitur proprietates scibiles, & demonstrabiles. Igitur sicut de obiecto speculatiuo, datur scientia speculatiua, pariter de obiecto practico, conceditur scientia practica.

11. Not. 4. *ex 1. post. c. 6.* scientiam esse de necessariis, & æternis, quod non est interpretandum penes suam entitatem: quia scientia deperdi potest, aut per obliuionem, aut per alias causas alibi afferendas. Nec penes existentiam obiecti scibilis. *Scientia enim abstrahit ab existentia obiecti* vt scribit Doct. 1. *d. 13. q. vn. §. Aliter ponitur vers. si dicatur.* Vbi ait, de rosa non existente habetur cognitio. Et *d. 36. q. vn. §. Ad 2. sub H. Et 2. d. 3. q. 6. §. Ad q. igitur. B.* cui adhæret Odonus 6. *Eth. q. 7. lect. 5.* sed penes esse quidditatiuum, & obiectiuum, quatenus est de iis, quæ inter se necessariò connectuntur, & perpetuo coniunguntur vinculo, siue existant, siue non existant, siue sint præsentia, siue absentia. Quare vt defendatur, Logicam esse de obiecto necessario, non sunt excogitandi tres gradus necessitatis, *substantiæ & accidentis, & 2. intentionis*, traditi à Fabro *Theor. 1. c. 1.* & tacti à Sain *quæst. 1. vniuers. pag. 47.* Quoniam entitatiue præter Deum, nihil est necessarium, sed solùm obiectiue: seu obiectum scientiæ, sed non est necessarium, necessitate incomplexa, sed complexa, quatenus inter subiectum, eiusque passiones scibiles intercedit nexus perpetuus, & indissolubilis vt liquet *ex 1. d. 3. q. 4.* Cum autem ens rationis potiatur suis proprietatibus rationis, velut ens reale gaudet proprietatibus realibus, vt de vniuersalibus expressè probat Scot. *q. 6. vniuers.* planè deducitur habitum, qui circà ipsum occupatur, esse scientificum. Itaque solum ad scientiam exigitur, vt ex præmissis veris, & necessariis, tanquam eius principiis, & causis procedat, vt patet 1. *post. c. 2. T. 8.* Logica autem procedit ex veris, & necessariis principiis, vt licet intueri in modis trium figurarum vtilium in Epitome recensitis. Ita namque est necessaria hæc propositio logica, syllogismus constat ex tribus terminis, tribusque propositionibus, sicut illa propositio physica, corpus naturale constat ex materia & forma. Non ergo necessitas obiecti Log. decerpitur à rebus necessariis, tum quia ipsa Log. proprie non est de rebus, tum etiam quia nulla est scientia penes connexionem 1. & 2. intentionis, sed penes connexionem, quæ formaliter extat, inter ipsam 2. intentionem, eiusque passiones scibiles. Præterea 2. intentio habet tantùm esse obiectiuum in intellectu, & cessante eius operatione, vtique cessat eius esse: scientia autem est de perpetuis, & ab inuicem inseparabilibus: sed inter 1. & 2. intentionem nulla habetur perpetuitas, & inseparabilitas, quia inter ens reale, & rationis nulla reperitur necessitas. Igitur necessitas obiecti Log. non deprimitur ab esse reali, & fundamentali secundarũ intentionũ.

12. Ass. 1. Logica naturalis non est scientia. Hanc præsupponit Scot. *q. 1. vniuers.* mouens solum quæstionem, de Logica artificiali, quam expresse tenet Cardinalis Sarn. *eo in loco pag. 5.* probatur. 1. Nemo nisi propria industria, aut ope Magistri, est propriè sciens, alioqui Rustici forent scientifici, quia pollent Logica naturali. Igitur Logica naturalis non est scientia. 2. nullum naturale est artificiale. 2. *Phys. T. 2.* vbi Philosophus secernit naturalia ab artificialibus, sed præter infusam, omnis scientia est artificialis, studio namque, & labore acquiritur. Igitur Logica naturalis non est scientia. 3. ex duplici opinione, de Logica naturali recensita, *in 1. q. huius lib. art. 1.* si Log. naturalis sumatur pro habilitate naturali differendi, locatur in 2. specie qualitatis: quod si accipiatur, pro passione naturali differendi, realiter identificatur cum intellectu, & residet in prædicamento substantiæ, ex alibi dicendis; scientia verò est in 1. specie qualitatis. Igitur quocunque modo vsurpetur Logica naturalis, à scientiarum serie est expungenda.

13. Ass. 5. Log. artificialis non est proprie facultas, nec instrumentum, ab arte & scientia distinctum. Hæc quoque præsupponitur à Doct. *vbi suprà* & scinditur, in duas partes. Prior pars probatur 1. facultas propriè, secundum Alex. *in præfatione 1. Top.* Et tangit Arist. 2. *Elench. c. 8.* est habitus, quo quis imbutus, potest de qualibet re in vtramque partem disputare: Log. autem agit de necessariis, vt patet *in lib. post.* Ergo Log. propriè nõ est facultas. 2. Topica tantum est facultas, *ex 1 Rhet. c. 1. & 4.* Et 2. *Met. c. 6.* Nec non 4. *eiusdem operis c. 2.* quæuè vocatur Logica vtens vt supra indicaui, & apertius infra monstrabo. Non ergo Logica artificialis inter facultates est adscribenda. Posterior pars suadetur 1. omnis verus habitus intellectus comprehenditur sub aliquo ex illis quinque ab Arist. recensitis, 6. *Eth 4.* alioqui, mancus, & diminutus foret dictus Philosophus, in eis enumerandis: Logica autem est verus habitus intellectus, vt cuilibet peruium est: ergo cum esse nequeat sapientia, prudentia, &

intellectus, ſequitur ab arte, vel ſcientia non diſtingui. 2. Grammatica, ſecundum Zab. contra quem nunc argumentamur, eſt propriè ars, licet ſit habitus inſtrumentarius: ergo quamuis Logica ſit inſtrumentaria, non probè infertur ab arte, & ſcientia diſcriminari. Inſuper, Logica non eſt inſtrumentum in recto, ſed in obliquo, quod eſt dictu: Logica agit de inſtrumento ſciendi, quod eſt modus ſciendi, ſiue ſyllogiſmus. Ob id ſubiicit Doct. Logicam non eſſe modum ſciendi formaliter, ſed materialiter duntaxat.

14. Aſſ. 3. Logica docens eſt propriè ſcientia. Ita Scot. *vbi ſuprà*, §. *Dicendum*. Et deducitur ex Ariſt. 1. *Prio.* c. 1. qui pollicetur, ſe acturum de demonſtratione, & ſcientia demonſtratiua, quæ eſt ipſa Logica. Accedunt Aug. 8. *Ciuit.* c. 4. & Cic. *l. de orat.* qui expreſsè vocat eam ſcientiam. Probatur 1. ſcientis eſt habitus demonſtratiuus: Logica autem eſt habitus demonſtratiuus: ergo Log. eſt ſcientia. Ma. eſt Ariſt. 1. *poſt. cap.* 2. *&* 2. *poſt.* c. 3. Et 6. *Eth* c. 3. Necnon 1. *Met.* c. 7. T. 48. Min. oſtenditur, Logica conficit demonſtrationes, vt omnis oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quid ab eis, quæ poſita ſunt, neceſſariò ſequitur, eſt ſyllogiſmus: ſed demonſtratio eſt huiuſmodi: ergo demonſtratio eſt ſyllogiſmus. Ma. eſt definitio ſyllogiſmi. Min. liquet ex definitione demonſtrationis, quæ eſt ſyllogiſmus faciens ſcire. Iterum principia ſunt notiora concluſione. Rurſus, vniuerſalis affirmatiua colligitur ex duabus præmiſſis vniuerſalibus affirmatiuis, diſpoſitis in modo, & figura: Inſuper concluſio neceſſaria ſequitur ex præmiſſis neceſſariis. Definitio eſt clarior definito. Denique omnes ſyllogiſmi, qui fiunt in 1. figura, præſertim penes quatuor eius primos modos, & fulciuntur principiis dicti de omni, & dicti de nullo euidenter concludunt, pariuntque ſcientiam, veluti aliæ demonſtrationes phyſicæ, & mathematicæ.

Reſpondet Zab. loco præcit. cap. 6. negando Min. ſcientiæ enim obiectum eſt neceſſarium, & æternum: Logicæ verò ſubiectum, quod eſt ſyllogiſmus, aut aliquid aliud in 3. q. aſſignandum, eſt contingens, opus & figmentum noſtrum, ideò non eſt idoneum ſcientiæ obiectum. Eò magis, ſi valet Scot. ratio, omnes artes effectiuæ forent ſcientiæ, vt ſi conſtituatur aliqua ars docens, putà ædificatoria, quæ normam præbeat quomodo ſit conſtruenda domus, proficua ad habitandum, & tuendum nos ab iniuriis temporum, neceſſe eſt, hoc vel illo modo fiat, ex hac vel illa materia componatur. Nemo autem hucvſque, huiuſmodi artes, in ſcientiarum numero locauit. Igitur nec inter ſcientias, locanda eſt Logica. Contra *in 4. not.* patefeci, quam neceſſitatem petat ſubiectum ſcientificum: ſyllogiſmus verò, licet ſit opus noſtrum, nihilominùs non eſt figmentum, ſed habet fundamentum in re, vt ſcribit Doct. *q. 4. vniuerſ. in fine.* Nec rectè infertur, omnes artes effectiuas, eſſe ſcientias, per Scot. argumentum: ſiquidem ſcientia demonſtratiuè procedit, non ſic artes: & ſi quandoque per eas, aliqua ratio afferatur, id eſt per accidens. Illæ namque tantùm tribuunt modum, quo arte facta conficiuntur.

2. Logicus eſt ſciens, ergo Logica eſt ſcientia. Hac argumentandi formulâ vtitur Ariſt. 4. *Top.* c. *vlt.* inquiens, *Muſicus eſt ſciens, ergo Muſica eſt ſcientia.* Sic etiam arguit Scot. *q.* 2. *Elench* Et defendit Gadius *Quol.* 13. *fol.* 131. *pag.* 2. *colum* 3. *&* 4. Ant. probatur, quicumque eſt demonſtratiuè cognoſcens, ipſe eſt verè ſciens: ſed Logicus eſt demonſtratiuè cognoſcens, vt probatur per 1. rationem, ergo Logicus eſt ſciens. Prima conſequentia tenet, per locum à coniugatis. *Album eſt coloratum, ergo albedo eſt color.* 3. omnis verus habitus intellectus, ex Ariſt. 6. *Eth.* 3. *&* Scot. 1. *Met. in exp. Tex. pag.* 8. eſt ſapientia, vel ſcientia, vel prudentia, vel intellectus, vel ars: Logica autem eſt vnus verus ex habitibus intellectus, vt omnes concedunt. Et non eſt ſapientia, nec prudentia, nec ars, nec intellectus, vt patet ex eorum definitionibus, allatis in præcedente art. not. 2. Ergo a ſufficienti eorum enumeratione, eſt ſcientia. Demùm, omnes conditiones ſcientiæ præallatæ, & præexplicatæ, in 2. not. ipſi congruunt, vt percurrenti eas, & adaptanti, compertum eſt, collocanda ergò eſt in ſcientiarum numero.

15. Aſſ. 4. Logica eſt ſcientia à cæteris diſtincta. Probatur 1. authoritate Ariſt. Scot. & aliorum, qui in ſuis operibus, hanc à reliquis diſciplinis diſtinguunt, & docent. 2. de obiecto diſtincto habetur ſcientia diſtincta, quia penes obiectorum diſtinctionem, diſtinguuntur ſcientiæ. 3. *anima*, c 8. T. 38. Logicæ autem obiectum differt ab obiectis aliarum ſcientiarum, affirmante Scot. *q.* 2. *vniuerſ.* Ergo Logica ab eis diſcriminatur. Accedit diuiſio ſcientiæ in realem, & rationalem, quæ nulla foret, ſi dialectica, quæ eſt ſcientia rationalis, ab aliis non ſecerneretur, quæ ſunt ſcientiæ reales. Deinceps, Logica eſt ſcientia inſtrumentaria, reliquæ verò ſunt ſcientiæ principales: ergo Log. ab illis diſtinguitur.

16. Opp. 1. Ariſt 1. *Rhet.* 4. ait, *ſiquis hanc*, ideſt Rhetoricam, *ac Dialecticam, non vt facultates, ſed vt ſcientias inſtruere, ac docere conatur, is naturam earum, in hoc tranſitu, interimere videtur.* Cuius cauſam ibi ſubiungit. *Neutra earum, de re determinata, quomodo ſe habeat, ſcientia eſt.* Nec valet dicere, Philoſophum eo in loco, verba facere de Logica vtente, quandoquidem ibi expreſsè ait, *inſtruere, ac docere conatur.* Conf. 1. *ex* 1. *Top.* 1. Munus dialecticæ eſt, de probabilibus diſſerere: quæ autem probabilia pertractat, non eſt verè ſcientia, quæ habetur, de neceſſariis. Conf. 2. etiam 1. *Top.* 9. recenſentur tria problematum genera contemplatiuum, vt an Mundus ſit æternus. Actiuum, vt an voluptas ſit bonum. Et Logicum, vt an detur quarta figura, Problema autem logicum dicitur vtriſque adminiculans: ſi ergo ſolùm aliis ſcientiis opitulatur, & famulatur, ſequitur ipſam non eſſe ſcientiam. Reſpondeo, apte eum locum exponi de Logica vtente, quæ vocatur Top. vt declarat ratio ibi adducta: Nec obſtant verba, *Inſtruere & docere.* Siquidem, ipſa Top. etiam inſtruitur, & docetur in ſcholis. Cur autem potius vtens, quàm docens appelletur, videtur eſſe lis de nomine, in proximo art. dirimenda. Ad 1. conf. idem eſt dicendum. Ad 2. ſatisfeci, in 2. not. Non enim per illa verba Ariſt. vult Logicam à ſcientiarum ſerie excludere, ſed tantùm denotare, ipſam cæterarum ſcientiarum eſſe miniſtram, & famulam.

17. Opp. 2. nullus modus ſciendi eſt ſcientia: Logica autem eſt modus ſciendi, ergò non eſt ſcientia. ma. ſuadetur à ſimili, nullus modus videndi eſt viſus, vel viſio: min. fulcitur teſtimonio Ariſt. 2 *Met.* c. 3. T. 15. quod allegat Scot. 1. *d.* 2 *q.* 1. §. *Quoniam.* Ante A. *Abſurdum eſt, quærere ſimul ſcientiam, & modum ſciendi*, vbi per *modum ſciendi*, Auer. & reliqui interpretes intelligunt Logicam. Conf. 1. *ex* 1. *poſt.* c. 13. ſcientia verſatur circa proprium, & determinatum obiectum: Logica verò nullum ſortitur determinatum obiectum, ex eodem 1. *poſt.* c. 8. *&* 4. *Met* c. 3. T. 7. Conf. 2. *ex* 1. *Met* c. 1. *&* 6. *eiuſdem operis* c. 1. omnis ſcientia, vel eſt ſpeculatiua, vel practica, ibique recitantur ſcientiæ ſpeculatiuæ, inter quas non ſtatuitur Logica, quæ tamen locanda foret; ſi eſſet ſcientia. cum ſit ſpeculatiua, ex dicendis, *art.* 5. Concedo cum Scot. ma. diſtinguo min. Logica eſt modus ſciendi formaliter nego: materialiter, concedo: quod eſt dictu Logica eſt de modo ſciendi, qui eſt ſyllogiſmus, vel dico cum Ioanne de Magiſtris *q.* 1. *Log.* ipſam Logicam eſſe modum ſciendi directiuum, non vero obiectiuum, vel cum Tatar. *ibid. dub.* 1. Logicã eſſe modum ſciendi, per demonſtrationem acquiſitum, non autem per vſum, & frequentationem partum. Ariſt. verò cit. redarguit eos, qui volũt ſimul addiſcere Logicã & alias ſciẽtias, ſicut reprehẽduntur illi qui volũt ſimul mederi

mederi ægrum,& diſcere medicinam, vt monebam ſuprà, *q.1. art.6.*

Inſtabis contra 1. reſponſionem, nec materia, nec materialia prædicantur in recto: benè verò forma,& formalia, vt conſtat 7. *Met. T.34.* Modus autem ſciendi prædicatur in recto, de Log. imò ponitur in eius definitione, vt patet 1. *Top.1.& 11.* Ergo nedum dialectica eſt modus ſciendi materialiter, verumetiam formaliter. Dico, locum Philoſophi adductum exponendum eſſe, non eſſentialiter, ſed denominatiue, veluti arca perhibetur lignea, & homo carneus. Per hanc diſtinctionem diluitur argumētum. Enim verò Logica appellatur modus ſciendi, extrinſecè,& obiectiue, veluti phyſica dicitur naturalis, quia eſt de corpore naturali, vt benè aduertit Fonſ. 2. *Met. q.1. ſect.8.* Ad 1. conf. concedo ma. nego min. ad Philoſophum, dico ipſum eſſe interpretandum de obiecto remoto, non verò proximo. Aut de Logica vtente,& non docente. Ad 2. conf. dico cum Scot. *in calce q.1. vniuerſ.* Et *q.3. Prol. §. contra iſtas. I.* intelligi de ſcientiis realibus, & non rationalibus, cuiuſmodi eſt Logica.

Vrget Zab. *cit. c. 3.* Ridiculum eſt affirmare, Logicam eſſe rationalem, perinde enim eſt, ac dicere, Logicam non eſſe ſciētiam: ergo inanis eſt illa diſtinctio ſcientiæ in realem & rationalem. Ant. oſtenditur, vanum eſt demonſtrare hominem mortuum eſſe hominem: ergo, pariter nihil eſt dicere, Logicam eſſe ſcientiā rationalem. Conſequentia deducitur: ens rationis, de quo eſt Log. haud eſt ſcibile; eſt enim opus noſtrū, quod ad noſtrum arbitrium poteſt fieri, & non fieri. Dico eam diuiſionem eſſe legitimam, ſicut bona eſt diuiſio entis in reale & rationis, ſcribente Doct. 1. *d. 36. q. vn §. contra iſtud. F.* cui adhæret Sirect. *Tract. form. art. 2. principali.* Itaque ad arg. in forma, nego antecedens. Ad eius probationem, concedo ant. nego conſeq. vt patet ex 4. not. Nec obſtat, ens rationis eſſe opus noſtrum: ſiquidem operatio moralis eſt opus noſtrum,& tamen de ipſa eſt Ethica, quæ eſt vera ſcientia. Similiter, omnis ſcientia practica reſpicit aliquod operabile,& tamē eſt propriè ſcientia, niſi quiſpiā velit reſpuere diſtributionem ſcientiæ, in ſpeculatiuam,& practicam, quā omnes vno ore confitentur.

Opp. 3. ſi Logica foret ſcientia, acquireretur per demonſtrationem, quia ſcientia paritur per demonſtrationem. ſed acquiri non poteſt per demonſtrationem, alioquin præſupponeretur demonſtratio ante demonſtrationem, atque præexigeretur Logica antè Logicam, ſicque abiretur in infinitum. Ne ergo in hoc inconueniens prolabamur, melius eſt Logicam à ſcientiarum ſyllabo excludere. Conf. ſi eſſet aliqua ars, quæ efficeret omnes malleos, nequiret vti malleo ad faciēdos omnes malleos, ſecùs vteretur eodem ad faciendum idem, & ſeipſum, quod eſt impoſſibile. Ergo, cum Logica componat omnes demonſtrationes, nequit vti demonſtratione, ad faciendam demonſtrationem, atqueadeò non eſt ſcientia. Conceſſa ma. ad min. dico, Logicam naturalem præſupponi ad Logicam artificialem, & artificialem imperfectam præexigi, ad perfectam, hancque per vſualem gigni: omne quippè naturale præſupponitur ad artificiale, quia ars perficit naturam, 2. *phyſ. T.9.* Et pedetentim proceditur ab imperfecto, ad perfectum. Ad conf. neganda eſt paritas, quia ars malleatoria, non eſt reflexiua ſui, ſuprà ſe, veluti eſt Logica. Ideò ſi illa fabricet omnes malleos ad aliquem malleum cudendum. putà primum, debet vti alio inſtrumento, quod non eſt malleus.

19. Opp 4. Dialectica ſita eſt in variis hominum opinionibus, ſicque quiſpiam vti poteſt prædicto modo argumentandi Doctoris Subtilis. Logicus eſt opinans, ergo Logica eſt opinio. Ant. eſt apertum. Olim enim Academici Platonem, Peripatetici, Ariſtotelem, Stoici Zenocratem, & Ariſtippū imitabantur: nunc verò Thomiſtæ, Thomam, Scotiſtæ Scotum, & Nominales Ocham um ſequuntur, eorum placita acerrimè propugnantes. Reſpondeo, tametſi in qualibet ſcientia multa ſint, quæ à voluntate, hominumque arbitrio pendent, nihilominus ſcientia de iſtis non habetur, ſed tantum de illis, quæ adinuicem neceſſariam ſortiuntur connexionem. Quare, etſi aliqua pars Logicæ ſit poſita in hominum opinione, ſitque contingens; eſt tamen potior pars neceſſaria, de qua fiunt demonſtrationes, quarum effectus eſt ſciēti; & cum denominatio à nobiliori parte petatur, cōſequenter Logica vocatur ſcientia.

ARTICVLVS III.

De Logica vtente.

20. QVinque in hoc art. peruestigari poſſunt 1. an Logica vtens dicatur, de tota diſſerendi diſciplina? 2. an Logica vtens ſit ſcientia? 3. an ſit habitus diſtinctus à docente? 4. vtrum diſtinguatur ab aliis ſcientiis quibus applicatur; Et 5. an Topica, & Sophiſtica ſint ſcientiæ? quæ omnia diſtinctionis, & claritatis gratia, in quinque ſubſequentes dubitationes diſſecantur.

DVBITATIO I.

An Logica vtens dici valeat de tota differendi diſciplina.

21. FOnſ. 2. *Met. c. 3. q. 1. ſect. 6.* & Coninb. *q. 4. proœmiali, art. 2.* ſecuti D. Th. 4. *Met. lect. 4.* quibus videtur conſentire Mauritius, *q. 1. vniuerſ.* exiſtimant, Logicam vtentem, eſſe tantum vnam partem, quæ appellatur Topica; reliquas verò partes, nequaquam. Alij autem inter quos ſunt Scot. *infrà citandus*, Anglicus *q.1. vniuerſ.* Maſtrius, & Bellutus *q. proœmiali*, & Fuentes *ibid. q.1. art. 3. & 4.* aſſerunt totam diſſerendi doctrinam ſcindi in docentem, & vtentem.

22. Not. & memorandum eſt ex dictis, Logicam vtentem trifariam poſſe conderari, vno modo quatenus applicatur aliis ſcientiis, ſiue quatenus aliæ ſcientiæ ea vtuntur; quo pacto potius vſa, quam vtens vocari poteſt, vt aduertunt Anglicus, Mauritius prænominati, & eminentiſſimus Sarn. *ibid pag.* 25. cuius etiam meminit Orbellus 1. *Met. in calce q. 2.* poſt Scot. *q. 2. vniuerſ.* vbi reddens rationem cur Logica vocetur ſcientia communis, inquit, *ſubiectum eius cadit ſub vſum cæterarum ſcientiarum.* Itaque per Scot. Logica inſeruit aliis ſcientiis, ratione ſui ſubiecti, quo illæ vtuntur. Altero modo, pro habitu acquiſito, ex frequenti vſu, & exercitio argumentandi,& qui hâc præditi ſunt, nuncupantur boni Logici, vt ſuperius monebam. Hanc memorat Scot. *q.1. vniuerſ. & q.3. Elench. §. Ad 1. q.* Tatar. *q. 1. ſcibili 2.* & Faber *Theor. 1. c. 1.* Tertio, pro habitu, qui diſſerit de probabilibus duntaxat, quæ abſolutè vocatur Topica apud omnes.

23. Aſſ. Logica vtens diffunditur ad totam diſſerendi doctrinam. Colligitur ex Doct. *q.1. & 2. Elench.* Et probatur 1. Logica miniſtrat cunctis ſcientiis topicum, & analyticum ſyllogiſmum, vt rectè notat Scot. *vbi ſupra q.1.* Ergo Logica vtens per totam doctrinam ratiocinatiuam extenditur. 2. quæ traduntur à docente, ab vtente exercentur, aut ſaltem exerceri queunt: ſiquidem præcepta,& leges docentis ad vſum, & exercitium feruntur: ergo par extat ambitus docentis, & vtentis. Eo magis, Logica eſt ſcientia communis communitate vſus, & applicationis, vt poſt Scot. *q. 1. vniuerſ.* & 2. *Met. com. 15. infrà art. 6.* ſumus oſtenſuri.

Oppones, 1. *Top. 1.* & alibi Ariſt. eiuſque interpretes præcipui, apertè aſtruunt, Logicam vtentem vſurpari pro Topica duntaxat: ergo qui vtentem pro alia Logicæ parte ſumit, ea non vtitur, ſed abutitur. Vocabula namque accipienda ſunt ex vſu Authorum, vt monet Doct. 1. *d. 14. & 15. q. vn. ſub C.* Conf. nulla alia ſcientia diuiditur in docentem,& vtentem, ergo nec Logica ſic eſt diuidenda. Et ſi quandoque nominetur vtens, de ſola Top. intelligi debet, vt ediſſerit Doct. *q. 1. vniuerſ. R.*

verum esse ant. secundum vetustiores Peripateticos, anguste nimis loquentes de Log. vtente, cuius causa adduci potest, quia officium dialecticæ, est disputare in vtramque partem de probabilibus, quæ cum sint incerta, & contingentia, nullam gignunt scientiam. Idcircò quamuis circa res alias à se applicetur, retinet tamen nomen dialecticæ, quæ aliam, & aliam conclusionem, in alia, & alia scientia, per idem medium, potest ostendere, vt obseruat Scot. *q.* 1. *Elench.* quia persæpe vtimur probabilibus, quorum dispositio spectat, ad Dialecticā. Absolutè vero, & in ampla significatione, nulla ratio videtur suadere, quin reliquæ partes huius doctrinæ, prout aliis disciplinis opitulatur, nomen vtētis Logicæ non mereantur. Nec incongruit toti peritiæ disserendi adaptari, sicut non inconuenit, Dialecticam, pro tota disciplina disserendi vsurpari, vt maner probatum suprà, *q* 1 *art.* 5. Ad conf. concedo ant. nego consequentiam. Ratio est, quia cæteræ scientiæ non sunt instrumentariæ, veluti Log cuius instrumentū & sibi ipsi, & reliquis disciplinis inseruiunt. Ad Scot. dico eum ibi loqui in sensu veterum Dialecticorum, vt suprà tetigi.

DVBITATIO II.

An Logica vtens sit scientia.

24. PErmulti Recentes, nominatim Run. *q.* 3. *proœmiali.* Hurtad. *disp.* 1. *sect.* 1. *&* Arr. *disp.* 3. *sect.* 5. negant Log vtentem esse scientiam. E regione alij vtētem à docente non distinguentes, eam à scientiarum numero non adimunt. Nobis autem ad hanc dubitationem diluendam, distinctione vtendum est, iuxta triplicem sumptionem Logicæ vtentis, præexplicitam in not. antecedentis dubitationis.

25. Ass. 1. Logica vtens sumpta pro Topica: ac etiā capta, pro habitu acquisito, ex frequenti vsu, & exercitio arguendi non est scientia. Ita Scot. *q.* 1. *vniuers.* 1. para probatur 1. ex Arist. 1. *Rhet.* 4. aliisque in locis, qui dialecticam, quam sæpius pro Topica capit, à scientiis secernit, & inter artes, facultatesque eam reponit, præsertim a *Elench* 1. 8. inquiens, *præmittimus igitur inueniendi facultatem.* Per dialecticam autem, intelligendam esse Logicam vtentem, absolutè omnes Peripatetici vna voce proclamant. 2. scientia non est ex communibus, & contingentibus, sed ex propriis, & necessariis, 1. *post.* *c.* 1. Atqui Topica procedit ex communibus, & probabilibus. Ob id Arist. 1. Top. 1. subiicit, munus dialecticæ esse, de qualibet re probabili disputare. Quod pariter confirmat Scot. *in calce, q.* 1. *Elench.* 3. scientia gaudet determinato obiecto, 1. *post.* *c.* 8. Topica autem nulli determinato obiecto astringitur, *ibid. &* 4. *Met.* *c.* 1. cuius causam affert Scot. cum Arist. cit. nempè, si dialectica foret alicuius generis determinati, non interrogaret. Igitur Logica vtens sumpta pro Topica non est scientia. 2. pars probatur, 1. vsus & exercitium non reddit hominē scientem, sed facilem & promptum ad agendum duntaxat. Igitur Logica vtens capta pro habitu parto per vsum, & exercitium, non est scientia. 2. ad omnes artes, etiam seruiles, exigitur vsus, & exercitium, vt experientia comprobatur, quas à scientia maxime recedere palam omnibus est, vt benè, & fusè ostendunt gemini Scotis. *q.* *proœm.* *art.* 1. Sic ergo accepta Logica vtens haud est scientia.

26. Ass. 2. Logica vtens sumpta. pro notitia acquisita per demonstrationem, qua vtimur, in aliis scientiis, est scientia. Hæc assertio aduersatur Fabro præcit. cui patrocinatur Tatar. *vbi suprà.* Probatur 1. ex Scot. *q.* 2. *vniuers.* qui Logicam appellat scientiam communem, innuens, ipsius vsum & communitatem non tollere ab ipsa rationem scientiæ. Igitur Logica quatenus inseruit aliis scientiis, est scientia. 2. Logica prout curam suam impendit in aliis scientiis, essentialiter non mutatur, sed persistit idemmet habitus, eique solùm aduenit relatio vsus & applicationis, quæ consequitur ipsam Logicam. Relatio autem adueniens enti absoluto, ipsum essentialiter non mutat, vt ex se patet. Logica autem est ens absolutum, cum sit de genere qualitatis: ergo vt applicatur reliquis doctrinis, a scientiarum syllabo non est amouenda. 3. per Fabrum in initio primi capitis, Logica vtens, quatenus versatur circa alias disciplinas est tota Logica docens: Logica autem docens est scientia, affirmante ipsomet Fabro, *ibid. conclus.* 1. Ergo & Logica vtens sic accepta rationem scientiæ participat Respondet Faber, Logicam vtentem vt sic nihil aliud esse, quam vsum & applicationem, quam applicationem non esse scientiam, patet, quia est relatio, vt docui *Tract. de Ang. disp.* 4. *quæst.* 2. Et non inficiatur ipsemet Faber cit. scientia verò, vt mox dicebam, est ens absolutum: ergo Logica vsu, & applicatione limitata, non est scientia. Conseq. ostenditur, conditio specificans aliquid restringit illud, sub tali consideratione, vt homo, quatenus piscator non est rationis compos Igitur Logica sub ratione vsus, & applicationis non est scientia.

Contra, Logica per vsum, & exercitium non amittit suum esse essentiale, & quidditatiuum, sed maximè hoc retinet, vt nunc suadebam: ergo non est formaliter vsus, & applicatio. Nec quæuis conditio aliquid determinans, illud specificat, in tali esse essentiali, nisi fuerit principium constitutiuum, & ratio essentialis, non verò conditio aduentitia, & accidentalis, cuiusmodi est applicatio. Prius enim res est talis, in suo esse, antequam alteri applicetur: ergo relatio applicationis adueniens Logicæ, quatenus iuuat alias scientias non demit esse eius essentiale, sicut relatio paternitatis Petro adueniens non aufert eius esse substantiale, & suppositale.

27. Opp. 1. contra 1. ass. obiectum non est scientia, cum obiectum sit id circa quod scientia laborat: Logica autem vtens habet rationem obiecti, vt suspicatur nonnullus Neotericus: ergo Logica vtens nullo modo est scientia. Concedo ma. nego min. Aliud quippè est habitus, aliud verò obiectum circa quod habitus laborat, vt cuilibet exploratum est. Ideò quamuis vtens exerceatur penès obiectum, ipsa tamen haudquaquam sortitur rationem obiecti.

28. Opp. 2. vtens formaliter non est cognoscens, sed agens & operans: ergo Logica vtens formaliter non est scientia. Ant. probatur, vtens per opus & non per demonstrationem acquiritur. Conf. scientia est de vniuersalibus, vtens vero de singularibus: ergo non participat rationem scientiæ. Negari potest ant. Intellectus quippè, eiusque actus est cognoscitiuus, & effectiuus. Itemque practicæ scientiæ sunt cognoscitiuæ, simulque operatiuæ. Maximè, quia demonstratio, per quam gignitur scientia est opus, non quidem externum sed internum, manens scilicet intra limites intellectus. Ad Conf. concedo primam partem antecedentis, nego verò eius secundam, Vtens namque applicatur vniuersalibus, eo fermè pacto, quo docens vniuersalia tradit præcepta, vtens ea exercet, tametsi quoque singularia attingat, penes quæ à ratione scientiæ recedit.

DVBITATIO III.

An Logica vtens distinguatur à docente.

29. FAber *Theor.* 1. *c.* 1. Fuentes *q* 4. *diff.* 1. *art.* 1. Coninb. Fons. Prærecensiti *in* 1. *dub.* & Thomis. cit. à nostris Recentioribus, *quæst. proœm. art.* 1. affirmat, docentem, & vtentem esse vnum, & eundem habitum. Card. verò Sarn. *q.* 1. *vniuers. pag.* 44. Mauritius *ibid. alleg.* & alij Scoticæ doctrinæ alumni, astruunt Logicam docentem, & vtentem esse distinctos habitus.

30. Ass. 1. Log. vtens sumpta pro Top. non est idem habitus cum docente, sed ab ea distingui videtur realiter. Hæc ass. est bipartita, & colligitur, ex Doctorib.

tum

tum locis cit tum etiam q. 2. Prol. in sol. 2. & 3. BB 1. pars suadetur. 1. scientia, & ars sunt duo habitus distincti, 6. *Eth.* 4. Logica autem docens est scientia, vt constat *ex 2. art. huius q.* vtens verò capta pro Top. non est scientia, vt ostendi, in 1. assert. dub. 2. Ergo docens & vtens sic accepta non sunt idem habitus. 2. quæ habent distincta obiecta, non sunt idem habitus, quia ex obiectorum distinctione infertur habituum distinctio, vt aiunt Scot. & Gadius *quol. 13. fol. 141. colum. 3.* Docens autem & vtens sortiuntur distincta obiecta. Etenim obiectum docentis est proprium determinatum, & necessarium: vtentis verò est commune indeterminatum, & contingens. Quapropter non est audienda Ruu. affirmans docentem, & vtentem esse eundem habitum, etiamsi docens sit scientia, & vtens, ars: siquidem scientia, & ars tanquam habitus distincti narrātur, ab Arist. nuper alleg. Nec iuuat ipsum dicere, rationem scientiæ, in ipso habitu Log. esse primariam, rationem verò artis esse secundariam. Nam ratiò primaria differt, à secundaria, sicut 1. dissidet à 2. siue sicut substantia ab accidente, siue subiectum, à passione. Cum igitur per Ruu. rationes primaria, & secundaria in docente, & vtente differant, perspicue euincitur, docentem, cum vtente non coincidere. 2. pars probatur 1. quorum vnū esse potest, absque alio, inter illa cadit distinctio realis, vt monstrab... *l sequenti q. 1. art. vlt.* Topica autem potest esse si..e An..ytica, quispiam enim potest addiscere Topicam, sine Analytica: ergo hae ab illa realiter secernitur. 2. aliquis potest callere docentem, tametsi eam non applicet cæteris scientiis, nec eam exerceat, vt patet de illo, qui exerci ationis Logicæ est expers. Hoc autem est apertum indicium distinctionis realis. Verisimile ergo est, hos habitus realiter ab inuicem dissidere. Reclamante Ponc. *disp. 4. q. 6. n. 59.*

31. Ass. 2. Logica vtens quatenus applicatur aliis disciplinis, est idem habitus cum docente: differt verò ab ea penes aliquem respectum. Colligitur quoque ex Sot. vbi supra. 1. pars sequitur ex dictis, in 2. ass. superioris dub. vtens namque sic accepta, est scientia sicut docens, vt ibi manet probatum; ergo est idem habitus. Amplius, Logica est vna scientia, vnitate sui subiecti, ex dicendis, art. 4. Ergo est vnus habitus docentis, & vtentis. 2. pars probatur. Logicæ vtenti additur vsus, & applicatio quæ est respectus, vt eo in loco notaui: ergo docens & vtens sic capta, aliquo respectu inter se differunt. Iterum idem habitus docetur, & exercetur per applicationem ad obiectum: docens autem traditur per præcepta differendi, vtens verò applicat eadem præcepta circa alias scientias: ergo diuerso respectu differunt.

Opp. 1. entiom multiplicatio, absque necessitate est fugienda, 1. *phys.* 41. & 50. At si vtens, & docens forent habitus distincti, foret multiplicatio entium sine necessitate: ergo non sunt habitus distincti. Ma. patet min. probatur. Idem habitus potest docere regulas, ac ipsis vti. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, præter habitum docentis, qui est ex necessariis, dari habitum vtentis, qui procedit ex prob abilibus, qui nos facilitat, & promptos reddit ad syllogizandum, quos ab inuicem distingui, latè prosequuntur nostri Recentes alleg. in sup. dub.

32. Opp. 2. vtens deprōmit suam formam, à docente: vnitas enim formæ est causa identitatis rei, eiusque diuersitas est causa distinctionis eius: ergo cum vna sit forma scientifica vtriusque, nulla est habitus distinctio. Negatur ant. vtens enim Topica, cum sit quædam facultas, gaudet distincta forma à docente, vt patebit infra *dub. 5.*

33. Opp. 3. Scot. *2. d. 27. quæst. vn. §. Ideo alia sub B.* distinguit charitatem, à gratia, penes diuersa connotata, & denominata: Idque de intellectu, & memoria intellectiua astruit: ergo idem iudicium ferendum est de Logica docente, & vtente, vt insinuat Doct. *q. 2. vniuers.* R. argumentum concludere de vtente, secundum assert. secundam: non autem de vtente iuxta 1. assert. Ita exponendus est Doct. in *vtroque loco prænominato.*

Dvbitatio IV.

An Logica vtens distinguatur ab aliis scientiis, quibus inseruit.

34. Zab. 1. *de natura Log. c. 1.* Vasquez *1. p. disp. 8. n. 29.* & Recentes non pauci, vtentem Log. à cæteris disciplinis, quibus ministrat, non distinguentes, putant ipsam euadere eam scientiam, cui famulatur, vt si physicæ opituletur, efficitur phys. si verò Metaphysicæ applicetur, fit Met. Faber autem *Theor.* 1. Ruu. *in fine quæst. 3.* & alij Neoterici, apertè inficiantur, Logicam vtentem fieri scientiam, cui applicatur.

35. Not. instrumentum haud euadere rem illam, cuius est instrumentum, vt serra est quidem instrumentum idoneum, ad secandum lignum, at in secandu ligno, non fit lignum. Et si quandoque ipsum instrumentum valeat esse idem materialiter cum re, cui inseruit, veluti sunt tudites ferrei, quibus vtuntur Fabri ferrarij ad sua ferrea opera elaboranda: nihilominùs, idem, numero formaliter fieri nequit. Instrumentum quippè est quid extrinsecum, adminiculans artifici, ad conficiendum opus, quod molui intendit. Ideò, si adhibet vnum malleum, ad videndum alium malleum, malleus; qui est instrumentum non fit malleus, per ipsum elaboratus, sed manet distinctus à tali malleo.

36. Ass. Logica vtens non fit scientia, cui applicatur. Exhauritur ex Scot. *qui 2. q. vniuers.* & alibi scribit, Logicam esse scientiam communem, per applicationem sui subiecti, hoc est, quia eius subiectum applicatur reliquis scientiis: id autem quod alteri applicatur, non mutatur in naturam eius, cui applicatur, vt patet de manu, quæ capiti admouetur ad ipsum sustentandum, & de medicamentis, quæ ægris corporibus apponuntur, absque eo, quod in eorum substantiam transferantur. Suadetur autem ass. ex præposito not. instrumentum non vertitur in rem, cuius est instrumentum, vt ibi explanatum est. Vtens autem Log. est instrumentum scientiæ, cui opitulatur, ergo non efficitur scientia, cui inseruit. Rursus, aliæ scientiæ vtuntur Logica siue ipsius Logicæ instrumentis, ergo Logica in se manet secundum suum esse essentiale, solumque eius instrumenta adhibentur ab aliis scientiis ad suas conclusiones eliciendas, proindeque in earum essentiam non transit. Ampliùs, in demonstratione physica, v. g. duo considerantur, materia, de qua habetur scientia physica, & forma eius syllogistica, vt scilicet demonstratio conficiatur in debito modo, & figura, & hæc distinguitur, à phys. quæ illam, à Log. mutuatur. Igitur, concludendum est, Log. vtentem, non permeare, in naturam scientiæ, cui famulatur.

37. Oppones, scientia, cui auxiliatur Logica vtens, nihil est aliud, quàm congeries syllogismorum eius scientiæ, cui administrat ipsa Logica: ergo Logica vtens coincidit cum scientia, cui inseruit. Admisso ant. distinguo consequens, materialiter, & obiectiuè, concedo: formaliter, & essentialiter, nego. Forma namque syllogistica decerpitur à Log. obiectum verò, siue materia, cui illa applicatur, spectat ad scientiam, cui famulatur.

Dvbitatio V.

An Topica, & sophistica sint scientia.

DOctor Subtilis *q.* 3. *Elench.* hanc difficultatem ex instituto inquirit, & dirimit, animaduertens ibi §. *Ad* 1. *q.* Dialecticam posse bifariam considerari. Vno modo, quatenus præbet normam procedendi à certis principiis, ad certas conclusiones, & hæc vocatur Topica docens. Altero modo, quatenus eadem norma vtitur, in se ipsa, & in reliquis scientiis, & hæc à prioribus Philosophis nuncupatur absolutè Dialectica, & à posterioribus, Log. vtens. Idipsum pariter notat, de sophistica, quæ potest inspectari, quatenus procedit à certis principiis sophisticis, ad certas conclusiones sophisticas, quo pacto dici potest sophistica docens: aut quatenus ea principia adhibet, ad falsum concludendum per syllogismum sophisticum, sicque dici potest sophistica vtens.

39. Ass. 1. Topica docens est scientia. Tenet Scot. cit. inquiens, *scientia Dialectica traditur per demonstrationem; vsus tamen eius ex probabilibus consistit.* Sarn. *quæst.* 1. *Vniuers. pag.* 26. Tol. *quæst.* 2. *proæm.* & moderni alleg. in superioribus dub. Probatur 1. *ex* 1. *post. T.* 5. habitus causatus à determinatis principiis, ad determinatas conclusiones per proprium medium, est scientia. Topica autem docens est huiusmodi. Habet enim propria principia, ex quibus per proprium medium, descendit ad proprias conclusiones, ergo est scientia. 2. sicut per syllogismum analyticum demonstratur necessitas; ita per syllogismum topicum ostenditur probabilitas, & per syllogismum generatim sumptum, necessitas illatiua, vt patet 1. *Elench. cap.* 1. Sed per analyticum gignitur scientia, ergo & per topicum pariter scientia, proindeque Topica docens est scientia.

40. Ass. 2. Sophistica docens pariter est scientia. Ita Scot. vbi supra. Probatur 1. ex Arist. qui in fine 2. *Elench.* expressè ait, se adinuenisse sophisticam scientiam. 2. subiectum sophisticæ est scibile, habet enim proprietates scibiles, & demonstrabiles, affirmante Philosopho 1. *Elench.* 1. Ergo de eo habetur scientia sophistica. Addo, quod sicut per syllogismum Dialecticum demonstratur probabilitas, sic per syllogismum captiosum ostenditur apparentia, potissimum per vnitatem, tanquam per proprium eius medium, veluti de triangulo, demonstratur habere tres angulos, per eius definitionem.

41. Opp. 1. contra 1. ass. scientia est de necessariis, & æternis, vt suprà inculcaui. Topica autem est de probabilibus, & contingentibus, vt liquet ex eius definitione: ergo Topica non est scientia. Concedo ma. distinguo min. cum Scot. *q.* 3. *Prol.* & 1. *d.* 3. *q.* 4. §: *quantum ad* 1. *I.* penès existentiam, nego: penès connexionem necessariam prædicati cum subiecto, concedo. Quo in sensu, contingentia, & probabilia sic inspecta, dici valent necessaria, & æterna, vt obseruant Vulpes *Tom* 1. *primæ partis disp.* 1. *à* 8. & indiuisi Scotistæ. *q. proœmi. Phys.*

41. Opp. 2. contra 2. ass. sophistica non est vera, sed apparens tantum sapientia, 1. *Elench.* 1. & 4. *Met. T.* 5. Ideo 1. *Ench.* 14. vocatur ars. Non bene ergo inter scientias statuitur. Conf. nulla scientia fertur ad deceptionem, cum sit verus habitus intellectus. 6. *Eth.* 4. sophistica autem ad deceptionem tendit. Respicit enim syllogismum fallacem, & captiosum: ergo non meretur nomen scientiæ. Concedo ant. nego conseq. sophistica quippè docens, ex certis, necessariisque principiis, more suo progreditur ad certas, & necessarias conclusiones, vt declaraui in præmisso not. Testimonium autem Arist. exponitur de sophistica vtente, non verò docente. Idque innuit Scot. per verba subsequentia: si accipiatur sophistica pro credulitate falsa aggenerata per syllogismum sophisticum, valet argumentatio, non autem si sumatur pro sophistica, per demonstrationem tradita. Ad conf. distinguo ma. per se, nego: per accidens, concedo. Non enim vt decipiamus, aut decipiamur, sed vt deceptionem euitemus, inuenta est sophistica.

43. Opp. 3 obliquitas alicuius recti, non cognoscitur nisi per cognitionem sui recti, quia rectum est index sui, & obliqui. Notante Scot. 4. *d.* 15. *q.* 5. §. *De tertio X.* syllogismus autem sophisticus est per se obliquitas syllogismi Dialectici, ergo de syllogismo sophistico, per se non est scientia. Conf. de non ente non est scientia, quia scientia est habitus realis, & verus: ens autem, & verum conuertuntur. 4 *Met. T.* 58. At syllogismus sophisticus est non ens 6. *Met. T.* 14. vbi ait Arist. Platonem non malè fecisse, qui sub non ente sophisticam locauit. Respondet Doct. præcit. §. *Ad aliam q.* concessa ma. negando min. Ratio est, quia obliquitas alicuius naturæ constituitur in esse per negationem duntaxat sui recti: at syllogismus sophisticus non constituitur in esse per negationem syllogismi Dialectici, sed per apparentiam veritatis, quæ pertinet ad suum esse rectum, & essentiale.

Instabis, Doct. *q.* 2. *vniuers. arte* §: *Ad* 1. *arg.* affirmat, syllogismum sophisticum esse priuationem veri, perfectique syllogismi, ac proinde, esse eiusdem scientiæ, cognoscere habitum, & priuationem eius. Oppositorum enim eadem est disciplina, ex postprædicam. c. de oppositis. Ergo responsio præaddcta nullius est ponderis. Dico quidem, priuationem veræ scientiæ, consequi syllogismum sophisticum, ipsum tamen essentialiter constitui per dictam apparentiam, sic conciliantur duo illa loca Scot. quæ inter se pugnare videntur. Ad conf. Scot. etiam distinguunt min. si syllogismus sophisticus consideretur, prout cadit in vsum arguendi sophisticè, procedit ex falsis, nec de ipso sic inspecto procedit scientia. Quod si inspiciatur, quatenus traditur per determinata principia, & media, ad determinatas conclusiones, maximè de ipso est scientia.

Articvlvs IV.

An Logica sit vna scientia.

44. DVplicem potissimùm in hoc art. nanciscor opinionem Prior est S. Th 1. *post. c.* 22. & 2. 2. *q* 54. *art.* 2 Caiet. *ibid.* Capreoli *q* 2 *prol.* & Ruuij *q* 4. *proœm.* Affirmantium, Logicam esse vnam specie, siue vnam simplicem qualitatem, quæ diffunditur ad omnes eius partes, atque ad omnes eius conclusiones, veluti calor ignis, vnus simplex est, qui extenditur ad distincta ligna sibi apposita calefacienda. Posterior verò defenditur a Scotis. Tatar *in Log. q* 1. *dub.* 3. Ioanne de Magis. *ibid.* aliisque permultis, ex Scot. *q.* 3. *prol.* & 2. *lat.* § *contrà istud arguitur, sub D.* & 3. *d.* 33. *q.* 2. §. *Ad* 2. *quæsitum*, & *d.* 16. *q. vn* §. *Quantum ergo* & 6. *Met. q.* 1. quibus adstipulantur Nom *in prol. cit.* qui negant, quamcumque scientiam totalem, & habitualem esse vnam simplicem qualitatem: affirmant verò, esse vnam vnitate sui subiecti, circa quod Logica versatur, aut altera scientia laborat.

45. Not. ex Scot. mox cit. in Met. duplicem esse vnitatem scientiæ, intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca est, quæ consequitur ipsam entitatem scientiæ, quæ est de prima specie qualitatis, realiter ab obiecto distincta, de quo est scientia. Cum autem præcipuè triplex sit obiectum, numericum, specificum, & genericum, triplex quoque statuitur vnitas scientiæ, iuxtà triplicem habitum formalem, virtualem, & potentialem, vt aduertit. Doct. 3. *d* 25. *q.* 2. §. *Ad* 2. *quæsitum.* Formalis est habitus particolaris, conclusionis demonstratæ, inclinans præcisè ad euidentem cognitionem

eius

eius conclusiuus, vt notitia, quæ habetur de Eclypsi lunari, terra interposita, inter solem, & lunam, vt anni 1643. hora 7. pomeridiana. Virtualis est habitus primi, & adæquati obiecti specifici, continenns in se virtualiter omnes conclusiones scibiles de tali obiecto, inclinans formaliter ad eius notitiam, & virtualiter ad cognitionem eorum omnium, quæ virtualiter in ipso clauduntur, vt scientia, quæ gignitur de homine, deque iis omnibus, quæ ad ipsum spectant. Potentialis est habitus obiecti generici, & omnium, quæ in ipso potentialiter capiuntur, vt scientia de animali, & cæteris, quæ ad ipsum, quoquo modo reuocantur.

46. Ass. 1. Logica non est vna simplex qualitas. Deducitur ex principiis Scot. cit. *in initio huius art.* Probatur 1. obiecta specie distincta causant distinctus specie habitus, authore Scot. 1. *d.3. q.7. §. Ad 1. arg. DD. & 3. d.31. q. vn. §. Respondeo. D.* Logicæ autem sunt obiecta specie distincta, tria nimirum instrumenta sciendi, definitio, diuisio, & argumentatio, siue potius syllogismi 1. 2. & 3. figuræ. Quis enim potest callere argumenta, quæ fiunt in 1. figura, licet nesciat syllogismos, qui texuntur in 2. figura, aut tertia. Itemque, quispiam potest tenere modum definiendi, quamuis ignoret modum argumentandi: non ergo Log. est simplex qualitas. 2. ponitur habitus ad hoc, vt potentia promptè, faciliter, & delectabiliter operetur, docente Scot. 1. *sententiarum alleg.* Potest autem quis habere habitum de terminis incomplexis, non verò de terminis complexis. Iterum, potest scire ea, quæ in lib. Priorum referantur, & nescire, quæ spectant ad lib. Post. cum ergò ea omnia memorata comprehendat, clarè colligitur, ipsam haud esse simplicem qualitatem; quæ simul tota acquiritur. Ampliùs, quæ cum aliquibus se compatiuntur, cum reliquis verò nequaquam, haud sunt eiusdem speciei, vnaque simplex qualitas, vt patet de igne, aqua, & cæteris contrariis, & incompossibilibus: quædam autem pertractantur in Log. quæ aliquibus cohærent, aliquibus verò non cohærent, vt constat de analyticis, topicis, & sophisticis. Igitur Log. non est vna simplex qualitas.

47. Ass. 2. Logica est vna scientia, vnitate sui subiecti potentialiter continentis omnia, quæ in ipsa comprehenduntur. Ita Scot. *q.4. vniuers. in fine §. Ad rationem positionis*, & deducitur ex 1. iam recensito, *& 3. d.36. q. vn. & coll. 2. contrà Ponc. disp. 2 quæst. 9. concl. 2.*

Probatur 1. ex Arist. 1. *Post c. 21. T. 43.* qui vniuersè de scientia differens scribit. *Scientia est vna vnius generis subiecti.* Logicæ autem subiectum est vnum genere, putà syllogismus, aut modus sciendi, qui secatur, in diuisionem, definitionem, & argumentationem, tanquam eius species: ergo Logica est vna vnitate sui subiecti 2. actus, & habitus distinguuntur penes distinctionem obiectorum. 2. *anime, T. 13 & 36. & quol. 13 §. Ad ista HH.* eamque vnitatē sortiuntur actus, & habitus, quam habent eorum obiecta: at Logicæ obiectum est vnum genere, nempè syllogismus, aut modus sciendi: ergo & Log. est vna genere. 3. *ex 1. d. 3. q. 9 §. Ad 1. in fine eius q.* actus est generatiuus habitus, sicut causa producit effectum: actus autem desumit suam vnitatem, & distinctionem ab obiecto, quod est proprius terminus eius dependentiæ: ergo & habitus, qui ab actu proficiscitur, atque ita Log. est vna vnitate generica sui subiecti. Plura *in phys. l. 1. quæst. 2. articulo 3.*

48. Opp. 1. potentia respiciens obiecta specie distincta, est vna simplex qualitas, vt potentia visiua; quæ fertur, ad colores specie distinctos, putà colorem album, & nigrum: ergò Log. quoque est vna simplex qualitas, quamuis spectet obiecta specie differentia. Concessu ant. negatur conseq. Etenim potentia ab anima, vel à toto coniuncto emanat: habitus verò, ab obiecto partialiter causatur: ideò determinatur ab illo obiecto, à quo efficitur: non sic potentia, quæ suapte natura est indifferens, & indeterminata, ad quodlibet obiectum sub illa contentum.

49. Opp. 2. habitus infusus est simplex qualitas, vt fides, spes, charitas, quæ circa multa obiecta specie distincta versatur. Charitas namque respicit Deum, & proximum: ergò habitus acquisitus, cuiusmodi est Log. vtique est simplex qualitas. Dato ant. negatur consequentia, causa disparitatis est, quia habitus infusus in se, & ex seipso formaliter, effectiuè verò à Deo, habet vnitatem. Verum, habitus acquisitus suam depromit vnitatem ab obiectu, à quo partialiter producitur, vt rectè obseruat Doct. 3 *d. 25. in calce 2. q.* vel dici potest, disparitatem in eo sitam esse, quòd habitus infusus sola fide Dei reuelantis fulcitur, affirmante eodem Doct. 3. *d. 23. q. vn. & 4. d. 14. q. 2. §. Hic dicitur. F.* Habitus autem acquisitus, motiuis, & rationibus formalibus & specificis, & genericis innititur. Ob id ille, non verò iste, est simplex qualitas.

ARTICVLVS V.

An Logica sit scientia speculatiua.

50. HÆc difficultas videtur esse posita in acceptione, & explicatione nominis praxis, per quam scientia perhibetur practica. Quidā enim latius alij verò pressiùs illud vocabulum vsurpant, ratione cuius inter eos oritur contentio, non facilis explicatu, maximè, ob multa alia, non leuis ponderis, quæ in ea insequuntur. Quare hunc art. vt commodiùs dissoluatur, in duas subsequentes dubitationes partior Quod consentaneum est stylo, & methodo Doct. Subtilis, qui vt diligenter notat Vigerius *in expos. §. Ad istas qq. soluendas q. 4. prol.* quando ipsi Doct. occurrit quæstio aliqua perardua, & perdifficilis, in qq. collaterales, & in articulos distribuit eam.

DVBITATIO I.

Quid sit praxis.

51. QVoniam illa scientia, ex communi Philosophorum placito, nuncupatur practica, quæ dirigit praxim: & è regione, ea est speculatiua, quæ non dirigit praxim, sed sistit in sola rei contemplatione. Ob id iure merito primùm, ipsam praxim definiendam, & explicandam suscepimus, vt indè dignoscamus, quænam scientia sit practica, quænam verò speculatiua?

Scot. *q. 4. Prol. §. Dico igitur. A.* definiens praxim propriè sumptam, inquit, *Praxis est actus alterius potentiæ, quàm intellectus, naturaliter posterior intellectione, natus conformiter fieri rationi rectæ, vt sit actus rectus.* Hanc autem praxis definitionem multis impetunt Ocham. *q. 5. prol.* Aur. Greg. *ibid.* Vasquez 1. *p disp. 8.* Suarez *disp. 44. Met. n. 10.* aliique permulti, affirmantes, praxim esse operationem intellectus, aut voluntatis, aut alterius potentiæ dirigibilem. Vt autem veritas, & probabilitas sententiæ Scoticæ eniteat, & ab Aduersariorum argumentorum telis vindicetur.

52. Not. 1. praxis, vt ex Mayr. 1. *d. 48.* aduertit Pelbartus *Tom. 1. Rosarij verb. praxis*, §. 1. est nomen Græcum, *quod latinè* idem est ac operatio, vt indicat Scot. 1. *d. 28. q. vn. §. Quamuis. A.* & expresſè tenent Bonetus 2. *Met. c. 4. &* Orbellus 1. *Met. c. 4. q. 2.* Deriuatur enim à verbo Græco πράττω, quod perinde est, ac operor, facio, ago, vt legitur in Lexc. Quocirca, ex vi vocabuli πρᾶξις, significat operationem, factionem, actionem cuiuscumque potentiæ naturalis, aut liberæ, Scotistæ autem, nominatim Vigerius præmemoratus, & Tatar. *q. 2. scibili 1.* ex commentatore Eustratio 5. *Eth. com. 1.* obseruant, praxim quatuor modis vsurpari. 1. pro energia, siue operatione cuiuscumque potentiæ, & hæc

acceptio deducitur ex ethymologia ipsius vocis praxis, vt supra monstravim. 2. pro operatione solius potentiæ cognoscentis, aut appetentis, quo pacto operatio intellectus, ac etiam affectiones animæ dici valent praxes, de quibus disserit Philosophus 1. *anima cap.*1.*T.*1 2. 3. pro sola operatione voluntatis, siue bona, siue mala, ita sumunt Eustratius, & Odonus vbi supra. 4. pro recta operatione voluntatis, & sic describitur a prædicto Eustr. opus virtutis, quo in sensu recipitur a Scot. eiusque discipulis *q.*4 *prol.* §. *secunda via*, affirmantibus, praxim esse operationem, secundum electionem. Quapropter Scot. ità sumens praxim loquitur, ad mentem Eustratij, & Græcorum, vt contra Molinam 1 *p. disp.*1. *art* 4. *q.*1. accurrit Vulpes 1.*Tom.* 1.*p. disp.*4 *a.*1. *n.*9. & patet in Lexic. præalleg. Nec cuipiam mira esse debet illa multiplex praxis acceptio. Frequens enim est, apud Authores, vocabula multas pati acceptiones, vt liquet de Dialectica *q* 1. *huius lib. a.*5. Item de scientia, *q.*5.*a.*5. *not.*2. Et quod proxime ad rem nostram facit, de actione, & factione in scriptis Arist. Interdum namque actio vsurpatur pro operatione, tam immanente quam transeunte, vt 6 *Met. c.*1. Aliquando per actionem, capitur operatio immanens, & per factionem, operatio transiens, vt 9.*Met. c* 9. Nonnunquam, per actionem intelligitur ea, quæ nullum opus post se relinquit, & per factionem, quæ relinquit opus post se, vt 1. *magnorum mor. c.vlt.* Propriissima verò vsurpatio actionis est, pro actione morali, & factionis, pro operatione manuali. Ideò perhibetur actio agibilium, & factio factibilium. Quod est dictu, actio versatur circa moralia, & factio circa manualia siue mechanica. Hinc ab Arist. 6 *Eth.*4. ars definitur, *habitus cum recta ratione factiuus*, & prudentia, *habitus cum recta ratione actiuus.* Ideoque agibile, & factibile sunt obiecta scientiarum practicarum, ratione quorum, habitus practicus generatim captus diuiditur in actiuum, & factiuum docente Scot. 3. *d.*34. *q. vn.* §. *Notandum vlterius. D* Et ostenditur, à Philosopho, loco nunc alleg. Vt autem, quod perscrutamur apertè nobis innotescat, enucleandum est, num praxis presse sumpta versetur circa agibilia, vel factibilia? Quod si inueniemus, eam tantum occupari circa agibilia, verum erit, quod de praxi perhibent Doct. eiusque alumni, quibus consentiunt Thomistæ, in quorum numero sunt Complut. *disp.*1. *q.*6. §. 1.

53. Vsurpandum esse nomen praxis propriè dictæ, prout eam sumpsit Arist. communis omnium Magister; habetur autem, aut potius hauritur, *ex* 3. *anima c.*10. *T.*49. Generale axioma, *intellectus extensione fit practicus:* cuius ratio redditur, quia intellectus speculatiuus est, qui in sola rei contemplatione sistit: ergo practicus, quatenus à speculatiuo distinguitur, se extendit ad regulandam praxim, ex qua habitudine, denominatur formaliter practicus. Id ipsum dicendum est de scientia, quæ regulat opus, quod formaliter est practicum. Hinc subdit Philosophus 2. Eth. 3. *Finis speculatiuæ est veritas, practicæ vero opus.* Quare, in sententia Arist. illa doctrina est formaliter speculatiua, quæ solùm posita est in speculatione veritatis, & practica, quæ regulat praxim siue opus. Propterea, præmiserat idem Arist. 1. Eth. 3. *Finis practicæ non est cognitio, sed actio.* Quamuis autem præallatum elogium, expressè non reperiatur, in tex. cit. colligitur tamen ex eo; ibi enim leguntur hæc verba. Intellectus practicus is est, qui alicuius gratia ratiocinatur: Quippè principium est agendi, atque hic, fine, ab intellectu contemplatiuo differt. Si quidem speculatiuus sui gratia contemplatur veritatem, practicus verò, gratia operis; omnis quippè appetitus tendit ad aliquod acquirendum, & intellectus practicus est, qui mouet voluntatem, quæ est quidam appetitus. Et subditur *T.* 51. Et appetibile est eius finis, à quo intellectus practici consideratio exoritur. Hæc adduxi, propter Baccon. *q.*4.*prol.* Fons. 3.*Met. q.*2. *sect.*4.*a.*2. & Mol. *passim alleg.*

aientes, illud proloquium non esse Arist. possequè negari; atque nullo fulciri fundamento, subnectit Arr. *disp.*1. *sect* 4. *num.*5. Demum Hurt. *disp.*2. *sect.*2. §. 14. putat illud non esse alicuius probati Authoris, cum tamen ipse Hurt. *disp.*1 *de anima, sect.*3 §. 15. in idemmet prolabatur. Hocque recipiunt, & defendunt Abb. *Tract.*4. *lib.*3. *de anima.* Aur. & Tol. *q.*4. *proœm. in fine* 2. *not.* secuti Ang. 15. *Trin. c.*1. Quib. consentiunt Thomist. com D.Th 1.2. *q.* 17. *art.*1. *ad* 2. Eustr. Odonus, aliique complures probatissimi Auctores, nomine praxis, sicut nos, vtentes. Vnde patet, Vasquez, Suarez, & alij adducendi infra in 3. ass. non rectè sentire censentes, hanc esse litem, de nomine, descriptionemque praxis à Doct. traditam esse voluntariam, & gratis datam. Quod autem praxis propriè dicta, non sit actus intellectus sed voluntatis expressius habetur, 1. *Met. cap.*5. *&* 1. *Eth. cap.*2. Speculatiua scientia inuenta est ob ignorantiæ fugam, practica veró, non vt sciamus, sed vt boni efficiamur. Idem indicatur, 1. *Top.*9. Igitur, secundum Philosophum, ea scientia est propriè practica, quæ præcisè regulat praxim, penes quam boni nominamur, & sumus: operatio autem, secundum quam boni dicimur, non est operatio intellectus, quæ quidem vera, non autem bona perhibetur. Quare probè inquit Doct. praxim propriè, esse operationem alterius potentiæ, hoc est voluntatis. Ipsa verò praxis exigit tres conditiones, quarum 1. est, vt sit actus alterius potentiæ ab intellectu. Ea namque operatio tantum vocatur praxis, ad quam intellectus se extendens, fit practicus. Ad nullam autem sui se extendit intellectus operationem, quia extendere est extra se tendere, vt sonat verbum extendo; sicque praxis non est operatio intellectus, quæ eius limites non egreditur. 2. vt sit naturaliter posterior intellectione. Ideò operationes potentiarum, vegetatiuæ, & sensitiuæ animarum propriè non sunt praxes, propterea quod non subsequuntur intellectionem suapte natura, nec eius directioni subiiciuntur; sunt enim nobis, & brutis communes. Etsi quoquo modo à nobis dirigantur, & concomitentur intellectionem, velut actus intellectus, qui à voluntate imperantur, & dominantur, ita dici possunt praxes, cum actus voluntatis eliciti, & imperati sint praxes, vt liquet *q.*4 *prol.* Tertia quam admittit Vulpes præcit. est, vt sit conformis rationi rectæ quæ ponitur ab Arist. 6. *Eth.*2. his verbis *Electio recta necessario requirit rationem rectam, cui debet conformari.* Vbi Philosophus per electionem intelligit actum elicitum voluntatis, & per rationem rectam, rectum dictamen intellectus.

54. Not. 3. Speculationem, vt à notitia practica distinguitur, esse operationem intellectus, quæ intrà eius terminos manens, ad operationem alterius potentiæ distinctæ ab intellectu non ordinatur, vt insinuat Doct. 1. *d.*38. *q vn.* §. *Quamuis A.* Deriuatur autem speculatio, a verbo Græco σκοπέω, quod idem est ac considero, siue contemplor; proinde ea est scientia speculatiua, quæ in contemplatione rei posita est, eaque est practica, quæ dirigit praxim. Huic congruunt duæ conditiones: prima vt sit operatio intellectus, defectu cuius, visio, auditio, aut operatio alterius potentiæ ab intellectu distinctæ non est speculatio, nec per eam scientia nominatur speculatiua. Secunda vt maneat intra terminos intellectus, videlicet, vt sit sui gratia, seu aliam operationem alterius potentiæ ab intellectu non dirigat. Quò fit, vt licet omnis speculatio sit actus intellectus, non tamen omnis actus intellectus est speculatio, vt non bene nobis affingunt Hurt, & Arr. prænominati. Enimverò, præter notitiam speculatiuam, datur notitia practica, vt tradit Stagir. 1. *Met. c.*2. vbi speculatiuam præponit practicæ, quia illa sciendi gratia, hæc verò operis causa, expetitur, præmonente eodem Philosopho, 3. *anima T.*50. cui consentit Doct. *in* 1. *alleg.*

Ass. 1. praxis late sumpta est operatio dirigibilis. Hæc

ass.

aſſ. militat contrà Arr. *diſp.1.ſect.4. ſubſect.2.n.19.* qui putat Scotum eam negare, ſed vt ſæpe accidit, ipſe Arr. & quidam alij, Scotum, quem nec legunt, nec intelligunt, arguunt, vt in ſimili aduertit Ouiedus *contr.1. Met. puncto* 2. Fallitur ergo Arr. vt patet *in prol. alleg. §. Dico igitur ſub A. ver. Reſpondeo licet.* Et deducitur ex dictis in not.1. Nam praxis, vt nomen eius indicat, eſt operatio, ſed operatio cuiuſcumque potentiæ, eſt quoquo modo dirigibilis, maximè operatio intellectus, vt quoque fatentur Aduerſarij: ergo praxis ſic accepta eſt operatio dirigibilis. Accedit cognitio intellectus, quæ habetur de principiis, ordinatur ad notitiam concluſionis, veluti cauſa ad effectum: huiuſmodi autem cognitio eſt operatio dirigibilis, ergo & praxis latè ſumpta. Deinde ſpeculatio eſt operatio intellectus haud dirigibilis, vt inquit *Odon. 6. Eth. q.1.* Ergo è regione, praxis eſt operatio dirigibilis, conſeq. tenet, quia ſpeculatiua eſt, quæ non dirigit praxim: ergo practica eſt, quæ dirigit praxim: atque ita ſicut omnis operatio non dirigibilis eſt ſpeculatio, ſic operatio dirigibilis eſt praxis amplè capta.

56. Aſſ. 2. praxis propriè eſt operatio voluntatis. Ita Scot. præcit. quem ſequuntur Odon. vbi ſupra, Orbel. 2. *Met. q.2.* & Fuentes *in proœmio phyſ. diſſ. 2. a.1.* Probatur 1. praxis præſefert extenſionem ad opus, vt obſeruaui, in 2. not. At intellectus ſiſtens in ſuis actibus ſe extendit ad opus, quia extra non tendit, ergo extendit ſe ad actum alterius potentiæ, naturaliter poſteriorem intellectione, quæ eſt actus voluntatis. 2. ex 1 *Met* 1. finis practicæ eſt vt boni fiamus; bonitas autem ſpectat ad voluntatem, & veritas ad intellectum; igitur praxis eſt actus voluntatis. 3. actus practicus eſt principium agendi, 3 *animæ T.*10. & 1. *Met. nunc memorato*: nihil autem magis eſt in poteſtate agentis, quam actus voluntatis, authore Scot.1.*d.*1. *q.*4. §. *Ad argumenta.* Artifex enim, 6. *Eth.*5. indiget virtute, ſiue arte, ad rectè operandum: non indiget autem virtute, reſpectu eius quod non eſt in ſua poteſtate. Præterea, omnia operatio ad quam extenditur prudentia, eſt praxis, quia prudentia eſt habitus actiuus, reſpiciens nimirum agibilia, *6. Eth 6.* prudentia autem ſe extendit ad ea, quæ ſunt in manu noſtra, vt habetur ibi, & egregiè proſequitur Odon. prænominatus. Inſuper, opus practicum aut eſt actiuum, aut factiuum, omniſque ſcientia practica, vel eſt actiua, vel factiua; tam autem actiuum, quàm factiuum extat in poteſtate, & voluntate practicantis; igitur praxis ſtrictè capta eſt operatio voluntatis.

57. Aſſ. 3. praxis probe definitur, *actus alterius potentiæ, quam intellectus, naturaliter poſterior intellectione.* Hæc aſſ. à Scot. & Odon. ſtat, & aduerſatur Nom. & pleriſque recentibus, nominatim Vaſquez, Suarez, Arr. Hurt. & cæteris exiſtimantibus, hanc litem, inter Scotiſt. & Nom. eſſe de nomine duntaxat, quibus ſubſcribunt gemini Scotiſ. *diſp. 22. q.5. art.1.* & Ouied. *contr.1. p.2.* Probatur autem præmiſſa aſſ. ea definitio eſt recta, quæ conſtat ex genere, & differentia: præfata autem definitio eſt huiuſmodi, ergo eſt legitima. Ma. eſt nota. Min. quoque eſt conſpicua. Actus quippè ponitur loco generis, & reliquæ particulæ adiiciuntur loco differentiæ, vt diſcurrenti per eas patet.

Dices Scot. addere ipſi definitioni praxis alias particulas, nempe, *natus conformiter elici rationi rectæ, ad hoc vt ſit actus rectus.* Igitur præallata definitio eſt inſufficiens, aut Scot. deficit non afferens definitionem comprehendentem omnem praxim, bonam, & malam, aut potius præſcindentem à bona, & mala praxi. Dico Scot. definiuiſſe bonam praxim tantum; ſiquidem malum non cognoſcitur, niſi per bonum: ſicut obliquum non cognoſcitur, niſi per rectum iuxtà illud, *rectum eſt index ſui, & obliqui.* Quod recitat Doct. *q.3. Elench. in initio.* Et 3.*d.*28 *q.v.§. In iſta q. ante A.* Et *d.*4.15.*q.*3.*§ de tertio. X.* poſt Ariſt.1.*anima. T.*85.*c.*5. Et 7.*Met. T.*23.*cit.* à Scot. 6. *Met q.*1. Rurſus, ex illa definitione Doct. facile eſt præſcindere definitionem communem praxis, relictis vltimis voculis, vt feci in præpoſita aſſ. Idque interdum videtur præſtare Philoſophus, vt 1. *perih. c.*4. & 1. *prio. c.*1. definiens enunciationem per affirmationem, & negationem, quæ ſunt eius ſpecies. Et 1. *poſt. c.*2. afferens definitionem ſcientiæ anguſtiſſime ſumptæ. Necnon 5. *Met. c. de quanto*, deſcribens quantitatem per diuiſibilitatem, quæ eſt eius paſſio. Adiungit Vulpes *diſp.*4.*a.*1. *in fine*; ideò Scotum tantum definire praxim bonā, quia hæc propriè praxis græcè nominatur, tametſi reuera praxis comprehendat omnem operationem liberam, à bona, & mala, abſtrahentem, vt benè & latè oſtendit Doct. moralis Odon. cui cōſentire videtur Veglia Veſt. 2. *c.*13. *n.*58. Iterum definiens praxim bonam, definit malum, vt 6. *Top.* 1. qui definit ſcientiam, definit ignorantiam quodammodo.

58. Opp. 1. contra 2. aſſ. cum Hurt. *cit.* §. 15. actus intellectus poteſt eſſe obiectum dirigibile per alium actū eiuſdem intellectus, vt rectè fiat, ergo actus intellectus poteſt eſſe praxis. Ant. eſt in promptu. Quemadmodum enim intellectus poteſt errare, ità dirigi, & rectificari poteſt. Conſeq. liquet. Nam praxis eſt obiectum dirigibile, per actum intellectus, vt recte fiat. Conf. ille actus, qui dirigit alium actum, non ſiſtit in ſola eius contemplatione, ſed vlterius progreditur ad eum rectificā dum; ergo huiuſmodi actus eſt practicos. Ant. videtur eſſe conſpicuum; talis quippè actus docet factibilitatem obiecti, veluti architectura factibilitatē domus. Conſeq. deducitur, quia actus ſpeculatiuus manet tantum in ſpeculatione ſui obiecti. Concedo ant. nego conſeq. eiuſque probationem, niſi de praxi latè capta intelligatur, iuxtà 2. aſſ. Ad conf. pariter concedo ant. nego conſeq. Id enim non ſufficit ad praxim propriè dictam, ſed requiritur, vt talis actus ſit actus voluntatis. Ad probationem dico eſſe diſparitatem, ſiquidem intellectus in ſuis actibus manens, non extendit ſe, ſed intrà ſuos limites degit, vt poſt Scot. notat Odon. *cit. ratione 6 in oppoſitum* Sicut fit in conſtruenda domo. Tunc enim extra ſe exit, fertūrque ad regulandum actum potentiæ exterioris.

59. Opp. 2 cum Arr. *diſp.1. ſect.49. ſubſect.2. num.* 49. Actus reflexus non ſiſtit in ſola rei meditatione, ſed ad rem producendam tendit: ergo eſt practicus. Conf. 1. ſicut intellectus præbens regulam, modumquè faciendi actum voluntatis, eſt practicus: ita actus intellectus docens modum, quo fiendus eſt alius actus ipſiuſmet intellectus, debet eſſe practicus. Conf. 2. omnis actus virtutis moralis eſt praxis: quidam autem actus virtutis moralis ſunt intellectuales, vt actus fidei & prudentiæ: ergo actus intellectus dici poteſt praxis. Admiſſo ant. negatur conſeq. Etenim, ex 4.*q. prol.* §. *Ad argumenta. AA.* Omnis actus intellectus eſt productiuus, aut operatiuus: & tamen nemo concedit, omnem eius actum eſſe praxim, ſed tantum illum actum qui regulatiuus eſt actus alterius potentiæ ab intellectu. Ad 1. conf. neganda eſt paritas, ob eamdem rationem, quia iſte regulat actum voluntatis, idcò eſt practicus, non verò ille, qui metas intellectus non tranſilit. Ad ma. 2. conf. dico, omnis quidem actus virtutis moralis eſt praxis, aut practicus: nihilominus, ille actus, qui denominatur practicus non eſt praxis. Ratio adducitur à Doct. quia actus intellectus natus eſt denominari quaſi accidentaliter à praxi, ad quam extenditur, licet non ſit terminus huiuſmodi extenſionis.

Inſtant Suarez & Hurt. præreccnſiti, contendentes has reſponſiones eſſe petitiones principij. Cur enim (inquiunt) opus intellectuale non eſt praxis, ſicut opus voluntatis? Quibus & conſimilibus adducendis, abundè ſuperius ſatisfeci authoritatibus, & rationibus, quæ hic haud ſunt repetendæ.

Dvæ.

Dubitatio II.

In qua expenditur præcipua difficultas vtrum Logica ſit ſpeculatiua.

80. Qvatuor extant in hac dub. opiniones diuerſæ, quarum vna eſt Goffredi, *in Prol.* Nigri, *in Clypeo, q.* 14. & aliorum exiſtimantium Logicam, nec eſſe practicam, nec ſpeculatiuam, quibus conſentire videntur Græci, negantes Logicam eſſe ſcientiam, & partem Philoſophiæ, ſolumque aſtruentes eſſe eius inſtrumentum. Altera eſt quorumdam Recentiorum, Suarez *diſp.* 44. *Met.ſect.* 15. *n.* 54. Vaſquez 1.*p.diſp.* 9. *n.* 8. & Ruuij *q.* 5. *n.* 14. arbitrantium, Logicam eſſe partim practicam, & partim ſpeculatiuam, quam videntur deſumpſiſſe ex Goff. *cit.quol.* 12.*q.* 1. & alijs opinantibus, Theologiam eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam. Tertia eſt Ocb. 9. *penult. Prol. Aur. ibid. art.* 2. § *Quamuis autem pag.* 37. & Conimb. *q.* 4. *art vniuerſ.* aſſerentium Logicam eſſe practicam. Quarta traditur à Scot. *q.* 4. *Prol* § *Dico igitur. A.* Antonio Andrea *ibid.* Fabro *diſp.* 9. *c.* 1. Odon. 6. *Eth.lect.* 3. Merineto *diſp. vn. proœm. q.* 6. *ſect.* 2. & alijs Scotiſ. annuentib. Thomiſ. & Baccon. *q.* 4. *Prol.* qui omnes affirmant, Logicam eſſe ſpeculatiuam.

81. Not. 1. ex 3. *de anima c.* 8. *T.* 38. cum ſcientiæ diuidantur ad diuiſionem rerum, ſeu obiectorum: obiecta verò quædam ſint ſpeculabilia, quædam verò operabilia, fit vt ſcientia generatim ſumpta (reclamante Fercb. *veſtig.* 9.) ſcindatur in practicam, & ſpeculatiuam, ex Scot. *cit.* §. *Ad argumenta principalia. BB.* & 1.*d.* 38. *q vn.* & *d.* 34. *Tertij. q. vn* §. *Ad iſtam q.B.* & 4. *d.* 14. *q.* 3. § *Hic dicitur. D.* poſt Ariſt. *l.* 2. & 6. *Met. T.* 1. ſpeculatiua autem ſubdiuiditur, in ſpeculatiuam realem, & rationalem, ſcribente Doct. § *cit. D.* ſpeculatiua realis eſt trimembris, phyſ. Mat & Met. Rationalis verò diſtribuitur in dialecticam, Rhetoricam, & Grammaticam. At practica diſpertitur in actiuam, quæ circa agibile occupatur, vt Eth. & factiuam, quæ circà factibile laborat, vt Medicina, ideò operantes manibus ſuis dicuntur practici 1. Met. 1.

82. Not. 2. ex Doct *in Prol. alleg.* §. *contra de neceſſitate, ſub D* & 1. *etiam mem. A.* ſcientiam practicam includere duplicem reſpectum prioritatis, & conformitatis ad praxim, non quidem actualis, ſed aptitudinalis, cuius eſt expers ſcientia ſpeculatiua: ſcientia enim practica regulat praxim, tribuens potentiæ practicanti, normam benè operandi. Ideò, prior eſt ea, ſicut regula naturaliter præcedit ſuum regulatum, eique conformatur, 6. *Eth.* 3. Prioritas ei conuenit ex ordine potentiarum ſic diſpoſitarum in eſſe, & operari: conformitas verò ipſimet competit ex parte obiecti. Denuò, aduertit Doct. *diſtinctione prærecenſita*, §. *Ad authoritatem, F.* Ratio recta, quæ locatur in definitione artis, nihil eſt aliud, quàm ratio directiua, ſeu rectificans aliam potentiam, cuius eſt operari ſecundum artem: ita vt ars propriè ſit habitus directiuus, & rectificatiuus factibilium; ſicut Eth. eſt habitus directiuus agibilium. Cum autem notitia ad praxim extendi valeat, extenſione formali & virtuali, itemque extenſione formali actuali, & actualiſſima: hinc naſcitur duplex practica, formalis & virtualis. Formalis iterum actualis & actualiſſima, de quibus Doct. *in Prol. relato*, §. *Ex hoc patet. A* Ea verò eſt practica formalis, quæ formaliter dictat de praxi eligenda, vel fugienda, ſecundum principia, & concluſiones formaliter practicas. Verùm practica virtualis eſt notitia ſimplex obiecti virtualiter continentis notitiam principiorum, & concluſionis practicæ, vt notitia quæ habetur de Deo, de quo formari poteſt hic ſyllogiſmus practicus. *Omne ſummè bonum eſt diligendum: Deus autem eſt ſummè bonus, ergo Deus eſt diligendus.* Reliqua quæ hîc dici poſſunt in proprium locum examinanda reijciuntur.

83. Not. 3. ex eodem Doct. *ibid.* §. *Ad rationes, pro opinione oppoſita ſub E E.* Quando ſunt aliqua duo extrema oppoſita, quo magis aliquid ab vno recedit oppoſitorum, eo magis ad aliud accedit. Ea autem eſt actualiſſima cognitio practica, quæ immediatè conformatur praxi formaliter eliciendæ, & quanto magis diſtat ab iſta, tantò magis appropinquat habitui ſpeculatiuo. Ob id habitus vniuerſalis qui immediatè non conformatur praxi eliciendæ, dici valet ſpeculatiuus, reſpectu eius habitus, qui immediatè conformatur praxi eliciendæ. Vnde ars poteſt dici ſpeculatiua, reſpectu habitus experti, quandoquidem ars eſt habitus vniuerſalior, non ſic immediatè directiuus. Idque innuit Philoſ. *in proœm. Met.* Artifex frequenter errabit, expertus verò, non ita errabit. Hoc modo Medicina diſtingui poteſt in ſpeculatiuam, & practicam. Illa enim eſt de vniuerſalioribus cauſis, & curis, quæ eſt cognitio remotior à praxi elicienda: illa verò reſpicit particularia, eaque immediatoria praxi, tametſi illa vniuerſalis, quæ reſpectiue perhibetur ſpeculatiua, abſolutè ſit practica; quoniam procedit ex principijs practicis, & virtualiter includit illam particularem, praxi formaliter conformem. Ex his infertur contra Ariſt. *diſp.* 1. *ſect* 4. *ſubſect.* 2. *in fine*, & Hurt. *ibid.* eundem actum, de eodem obiecto, non poſſe eſſe ſpeculationem, & praxim; ſed ſimpliciter eſſe praxim, aut ſpeculationem; niſi dicatur ſpeculatio, aut praxis reſpectiue eo ferè modo, quo de Medicina mox dicebam. Omnis quippe actus aut ex principijs ſpeculatiuis, aut practicis deducitur. Itemque, omnis concluſio ſpeculatiua, vel practica in principia ſpeculatiua, vel practica reſoluitur, ex Doct. *cit.* §. *Contra hæc ſub R.* Similiter omnis cognitio, aut eſt de obiecto ſpeculabili, aut operabili; ſicque aut eſt ſpeculatiua formaliter, aut virtualiter, aut practica formaliter aut virtualiter, vt indicat Doct. *vbi ſupra*, §. *ſecundus art.* his verbis. *Et iſtud homini quandoque eſt ſeminandum, non eſt tantum practicum homini cognoſcenti, ſed etiam Angelo & Deo. Itemque cælum eſt mouendum ab Angelo, eſt practicum homini, & Deo* Nec valet ratio ab Hurt. allata, de domo conſtruenda, de qua ipſe Hurt. ait: *Architectus habet cognitionem practicam, & Angelus ſpeculatiuam: Siquidem ea cognitio domus ædificanda, ſiue ſit in domificante, ſiue in Angelo, eſt practica, quia eſt de re operabili, & obiecto practico*: quamuis de hac re Doct. videatur problematicus, tum hic tum etiam 1. *d.* 38. *q. vn. Vide me, Tract. de ſcientia Dei diſp.* 1.

84. Aſſ. 1. Logica vel eſt ſpeculatiua, vel practica Hæc aſſ. opponitur Authoribus 1. ſententiæ cui fauet Scot. cit. approbans diuiſionem ſcientiæ in ſpeculatiuam, & practicam: ſi enim omnis ſcientia eſt ſpeculatiua, vel practica, vt conſtat ex 1. not. Cum Logica ſit ſcientia ex dictis, clarè infertur eſſe ſpeculatiuam, aut practicam. Deinceps, omnis habitus habens obiectum ſpeculabile, aut operabile, eſt ſpeculatiuus, aut practicus: Logica autem eſt habitus habens obiectum ſpeculabile, aut operabile. Iterum quod eſt ſub aliquo genere, participat aliquam differentiam eius generis, eſſeque aliquam ſpeciem eiuſdemmet generis. Inferiora namque participant communem rationem ſui ſuperioris: Logica verò eſt ſub genere ſcientiæ, vt probaui, *art.* 2. *iſtius q.* Ergo vel eſt ſpeculatiua, vel practica.

85. Aſſ. 2. Logica nec eſt partim ſpeculatiua, nec partim practica Colligitur, ex Scot. *ibid.* § *contra de neceſſitate*, & §. *Alia opinio ante O.* & §. *Ad rationes pro opinione. EE.* Probatur ex Ariſt. 6. *Met. cap.* 1. ſecante ſcientiam in ſpeculatiuam, & practicam: membra autem bonæ diuiſionis debent eſſe oppoſita, ex dictis *in Epit. q.* 7. *art.* 1. *l.* 2. Secundò vna & eadem ſpecies nequit participare duas oppoſitas differentias ſui generis proximi. Etenim quælibet differentia generis conſtituit vnam ſpeciem eſſentialiter, ab altera ſpecie diſſitam, vt patet de rationalitate, & irrationalitate, quarum vna conſtituit hominem, & altera brutum:

tum; speculatiuum autem, & practicum sunt duæ differentiæ oppositæ scientiæ in communi, ex alibi probandis, ergo Logica quæ est vna species scientiæ generatim sumptæ nequit esse simul speculatiua & practica. 3. de eodem affirmari non possunt simul duo contradictoria: at si Logica simul foret speculatiua, & practica, de ipsa simul affirmarentur duo contradictoria. Extenderetur enim ad praxim, & non extenderetur ad praxim: extenderetur quidem quia esset practica, & non extenderetur, quia foret speculatiua. Quidquid in oppositum afferant Hurt. *disp.* 15. *de anima, sec.* 3. *&* 4. & Arr. *disp.* 1. *Log. subsect.* 4 *in fine*, astruentes, eumdem actum posse simul esse practicum & speculatiuum.

86. Ass. 3. Log. non est practica. Ita Scot. in prol. prælato. Probatur 1. omnis scientia practica, vel est actiua, vel factiua, 8 *Top.* 2. *&* 6. *Met.* 1. Logica autem non est factiua, quæ versatur circà operationes transeuntes in externam materiam: nec actiue quæ circà operationes morales occupatur. Siquidem 2. *Eth.* 2. Idem est agibile & eligibile & principium actionis est electio. Ob id. Hurt. *disp.* 2. *sect.* 2. *in fine* §. 22. Fons. 2. *Met. q.* 2. *sect.* 4. Et alij Recentes, asseuerantes, Logicam esse practicam, procul dubio à doctrina Arist. deflectunt. 2. finis practicæ est opus siue aliquid extra intellectum, scopus verò speculatiuæ est veritas, 2. *Met.* 2. vbi Auer. *com.* 3. subiungit, per speculatiuam scimus, per practicam verò sumus scientes, vt operemur, quia practicæ finis opus, & tales operationes Logicæ scimus vt sciamus. Finis quippè eius est veritatis indagatio in operibus intellectus, insinuante Scot. 1. *prio. q.* 2. §. *quartum ad* 3. Atque extat doctrina discernendi verum à falso ex alibi assertis. Nec non instrumentum & modus sciendi, quem non esse operabilem, fatetur etiam Arr. *disp.* 2. *num.* 56. Ergo Logica in scientiarum practicarum numero non inuenitur.

87. Ass. 4. Log. est speculatiua. Hanc expressè tradunt Scot *cit & 6. Met. q.* 1. *eiusque discipuli ibid.* quam tenuisse Philosophum, testatur Laër. in eius vita, & indicat Aug. 8. *Ciuit.* 4. & annuit Zab. 2. *de natura Log.* 17. sequiturque ex tribus præpositis assert. Probatur. 1. ea est speculatiua, quæ non dirigit praxim, vt non semel in superioribus monui: Logica autem non dirigit praxim, quæ propriè, & primariò est actus voluntatis elicitus, & secundariò est actus eius imperatus: ergò Logica est speculatiua. 2. quæ procedit more speculatiuo, est speculatiua, vt patet: Logica autem procedit more speculatiuo. Contemplatur namque, diuisionem, definitionem & argumentationem, perquirendo eius principia, *de omni & de nullo*. Partes, & proprietates omnes syllogismi, ergo Logica inter scientias speculatiuas est ascribenda. Huc pertinent omnes authoritates, & rationes trium præmissarum assertionum. Subnecto, 5. *Met. c.* 4. Dialectici est speculari definitiones, & vniuersalia.

Opp. 1. ex parte 1. sententiæ, tria loca Arist. 1. ex 1. Rhet. 1. Dialectica inuenta est ad dirigendas operationes intellectus, quæ præcisè sumptæ, non sunt speculatiuæ, nec practicæ, sicut nec intellectus in se est speculatiuus, nec practicus. 2. *ex* 1. *Top.* 9. recensentur tria problemata, speculatiua, practica, & vtrisque adminiculantia, & hæc postrema sunt Logica. 3. *ex* 6. *Met.* 1. inter scientias speculatiuas, aut practicas non collocatur Logica Ergo certum indicium est, in schola Peripatetica, Dialecticam, nec speculatiuam nec practicam esse, sed vtriusque organum duntaxat. Ad 1. locum nego operationes intellectus, quæ non dirigunt praxim, non esse speculatiuas propriè, vt ex 1. ass. liquidò constat, tametsi impropriè dici valeant practicæ, vt patet ibid. & significat Doct. 6. *Met. q.* 1. §. *Ad* 1. *principale*. Intellectus autem per receptionem notitiæ practicæ, & speculatiuæ denominatur practicus, & speculatiuus, veluti paries dicitur albus, vel niger per receptionem albedinis vel nigredinis, licet paries in se nec sit albus, nec niger. Ad 2. dico Arist. tantùm ibi velle, Logicam esse scientiam instrumentariam, ratione cuius sicut non excluditur à ratione scientiæ, ita nec à ratione habitus speculatiui, aut practici. Ad 3. dico, Aristotelem ibi solùm referre scientias reales speculatiuas, à quarum syllabo eximitur Logica quæ est rationalis, vt ostendam in proximo art.

Opp. 2. ex parte 2. sententiæ, scientia practica procedit modo practico, seu compositorio, & speculatiua, modo speculatiuo, seu resolutorio: Logica autem vtroque modo incedit, ergo est simul practica, & speculatiua. ma. patet, min. ostenditur, quoad 1. partem Dialectica egit de operationibus intellectus, quæ sunt operabiles, & dirigibiles. Quoad 2. partem suadetur, modus sciendi, qui est obiectum Dialecticæ est speculabilis, traditurque resolutio syllogismi maximè demonstratiui, vsque ad principia, & terminos. Concedo ma. nego min. Ad eius probationem, concedo 1. partem, nego vero 2. partem; tales quippe operationes non dirigunt propriè praxim, ideò propriè non sunt practicæ, vt insinuat Arist. 1. *Met. c.* 4. & Scot. 6. *Met. q.* 1. *ad* 1.

Opp. 3. Cuius finis est opus, est habitus practicus, 2. *Met.* 2. Finis autem Dialecticę est opus, putà syllogismus, qui à Logica struitur, ergo Logica est practica. Conf. 1. scientia practica præbet præcepta bene diuidendi, definiendi, & argumentandi, ergo est practica. Conf. 2. Logica est gratia aliarum scientiarum. Est enim organica, & ministra disciplinarum: instrumentum autem ad operandum, & non ad speculandum dirigitur. Conf. 3. Logica diuiditur in docentem & vtentem, facitque suum obiectum: at nulla scientia speculatiua facit suum obiectum, vt liquet de Phys. quæ non facit corpus naturale, & de Astrologia, quæ cælum sydeaque eius non condit, sed speculatur duntaxat Resp. per explicationem & distinctionem ma. de fine proximo, concedo: de fine vero remoto, nego. Ad distinctionem ma. distinguenda est min. Finis quippe proximus Logicæ, non est effectio syllogismi, sed eius cognitio, & veritas: ex cuius deinde notitia consequitur eius constructio, veluti ad cognitionem trianguli, sequitur eius effectio, tametsi triangulus spectet ad Geometriam, & astrolabium ad Astrologiam, quæ sunt scientiæ speculatiuæ. Vel dici potest, maiorem valere de operatione alterius potentiæ ab intellectu, vt præter Scot. docet D.Th. 1.2. *q.* 17. *a.* 1. *ad* 1. Ad 1. conf. iuxta distinctionem præallatam dico, scientiam practicam tribuere normam bene operandi operatione potentiæ ab intellectu distinctæ, quod non præstat Logica. Ad 2. conf. concedo ant. nego conseq. Quamuis enim Dialectica alijs scientijs inseruiat, non tamen est practica, quia non regulat operationes voluntatis aut alterius potentiæ, imperio ipsius voluntatis subiectæ. Ad 3. conf. nego pariter conseq. ea quippè non est ratio sufficiens ad statuendam scientiam practicam, vt satis constat ex superioribus.

88. Opp. 4. Scientia quæ dirigit praxim, apud omnes censetur practica, ergo vtique scientie, quæ dirigit operationes intellectus, est practica cuiusmodi est Logica: siquidem absolute illa existimanda est practica, quæ dirigit operationem, quæ postmodum scindi valet in eam, quæ dirigit operationes voluntatis, & in eam, quæ dirigit operationes intellectus. Concedo ant. nego conseq. solam namque illa propriè, & strictè est practica, quæ dirigit operationes morales, aut manuales: ob id practica bene dispertitur in actiuam & factiuam duntaxat. Addo quod sicut Met. teste Bacc. *q.* 4. *prol.* & Suarez *disp.* 5. *Met. sect.* 4. dirigit alias scientias, directione speculatiua: ita Logica dirigit operationes intellectus, directione speculatiua. Denique Geometria mensurat, & Arith. numerat, eas tamen nemo à sede scientiarum speculatiuarum vnquam ausus est auferre.

ARTICVLVS VI.

An Logica sit scientia realis.

89. PRæsentem difficultatem clare & fusè pertractant Tatar. *q.* 1. *scib.* 4. Ioannes de Magistris *ibid.* & Fuentes *q.* 5. *diff. vn. a.* 4. pro cuius explicatione & decisione.

90. Nōt. ex Doct. 6. *Met. q.* 1. *& quol.* 3. §. *de* 1. *necnon* 3. *d.* 3. 1. *q. vn.* scientiam diuidi in realem, & rationalem. Dicitur autem scientia rationalis quadrifariam. 1. subiectiuè, quia est in ratione, seu intellectu, tanquam in subiecto, quo pacto, cum omnis scientia resideat in intellectu, consequenter, omnis scientia vocari potest rationalis. 2. comparatiuè, quia comparatur per actum rationis, seu intellectus perquirentis, ex notis, ignota, quo etiam modo, cum omnis scientia acquiratur per actum rationis, pariter nuncupari potest rationalis. 3. directiuè, quia dirigit operationes rationis, quo sensu similiter, Log. appellatur rationalis, qui sensus in præsentia non inquiritur. 4. obiectiuè, quia est de obiecto, quod est ens rationis, & de hoc potissimùm hic extat sermo. E regione autem, illa scientia est realis, cuius obiectum est ens reale. Nuncupari quoque potest scientia realis formaliter, & entitatiuè, quoniam entitate reali potitur. Itaque dupliciter scientia nominari potest realis, entitatiuè scilicet, & obiectiuè: pariter scientia dici potest rationalis, penes suam entitatem, & obiectum. Et vterque sensus hoc loco inuestigatur & tangitur, à Doct. *q.* 3. *prol. I.* §. *contrà istas.*

91. Ass. Logica intrinsecè & entitatiuè est scientia realis: extrinsecè verò & obiectiuè est rationalis. Hæc ass. est bipartita quam defendunt Lych. 2 *d.* 16. *q vn. ante* §. *Ad arg. principalia.* Bonet. 1. *Met c.* 3. *in fine*, §. *Quarta prop.* Parisienses 1. *Phys. q.* 3. *&* Zab. 1. *de naturà Log. c.* 13. Prima pars colligitur, & suadetur ex Scot. qui locis præcit. Logicam inter scientias locat: scientia autem formaliter est ens reale residens in categoria qualitatis. Præterea, omnis habitus immediatè causatus per actus reales intellectus est realis, quia causa realis per se habet effectum realem: Logica autem est habitus generatus per actus reales intellectus, vt patet, ergo formaliter, & entitatiuè est realis. 2. pars passim reperitur apud Scot. præsertim hic, *q.* 1. *in fine*, *& q.* 7. § *Ad* 1. *q. &* 1. *d.* 36. *q. vn.* §. *Ad* 1. *princ.* & 4. *d.* 1. *q.* 2. §. *Hic sub R.* Probatur, scientia denominatur ab obiecto quòd considerat, vt constat de Physica quæ dicitur naturalis, à corpore naturali, circa quod versatur: obiectum autem Log. quod est syllogismus, est ens rationis, ergo Logica est rationalis. Rursus, quæ occupatur in ente reali, est scientia realis vt patet de Met. Ergo, ab opposito, quæ laborat circa ens rationis, cuiusmodi est Log. est rationalis, ex Scot. *q.* 3. *prol. I.*

Nec valet dicere cum Mastrio & Belluto *q. præm. a.* 5. Logicam esse realem in se, & natura sua: esse verò rationalem, quatenus est ab Arist. tradita & elaborata. Etenim obiectum eius cum statuatur syllogismus, est ens rationis, & quæ tractantur in Log. sunt entia rationis, vt quoque præfati Recentes fatentur, *art.* 3. *eiusdem q.* Deinceps membra bonæ diuisionis non coincidunt, sed opponuntur: Log. autem, ex Scot. cit. capitur sub membro rationalis scientiæ. Iterùm, Log. non de actiuis, sed de passiuis actib. intellectus differit ea alibi dicendis. Deinceps, cum Log. sit scientia, quæ est de æternis, & immutabilibus, vt patebit *l.* 5 ad libitum Arist. aut alterius Auth. mutari nequit de reali, in rationalem. Demùm, quæ extant in Log. sunt entia rationis vt prædicatum, subiectum, maior, min. & huius formæ alia. Igitur, ad placitum Arist. Logica non appellatur rationalis, sed per rationem præallatam.

92. Opp. 1. contra 1. partem assert. ex obiecto, & potentia paritur notitia, vt communis fert Philosophorum opinio, & tradit Aug. 9. *Trin.* 12. obiectum autem Logicæ quod est syllogismus cum sit ens rationis, nequit esse causa entis realis, scribente Doct. 1. *d.* 13. *q. vn.* §. *Aliter. sub d. &* 3. *d.* 8. *q vn.* §. *Ad argumenta. H.* Ergo Logica formaliter & entitatiuè non est realis. Itidemque ex 3. *d.* 23. *q. vn. sub E.* habitus realis habet obiectum formale reale. Cum ergo Logicæ obiectum non sit reale, deducitur ipsam entitatiuè non esse realem. Respondeo maiorem habere locum in scientia reali, non verò in scientia rationali, vt est Logica, idque colligitur, ex Doct. 4. *d.* 1 *q.* 1. *sub* 5. Vel maior capienda est de obiecto motiuo non autem terminatiuo, vt ex Scot. explicat Fuentes *q.* 5. *diff.* 3. *a.* 1. *in fine*, licet ipsemet Fuentes *q.* 5. *in calce art.* 3. dicat, ens rationis cognitum, cognitione reflexa, posse causare realem cognitionem, quod an rectè dictum sit, alibi est ponderandum.

93. Opp. 2. ad gignendam scientiam, sumenda est definitio, tanquàm medium, ad demonstrandam passionem de subiecto, vt *l.* 5. patebit: de ente autem rationis non habetur vera definitio, affirmante Scot. 1. *Prio. q.* 5. *&* 4. *d.* 1. *q.* 2. §. *Hic primo videndum. B.* Ergo Logica non est vera, & realis scientia. Conf. scientia demonstrat passiones de suo subiecto: sed ens rationis non sortitur proprias passiones, quia non est propriè ens, vt post Arist. 5. *Met. T.* 14. *&* 6. *eiusdem operis*, *T.* 8. subiicit Doct. 4. *præalleg.* ma. est nota, min. est Scot. *q.* 15. *vniuers.* §. *Ad* 1. *arg.* dicentis, Passiones entis rationis, ab intellecto effici, passiones verò entis realis ab ipsius natura prodire. Concedo ma. ad min. dico, secundum esse diminutum entis rationis, dari eius definitionem, suoque modo esse veram definitionem, veluti definitio accidentis, & si non sit simpliciter quidditatiua, nihilominus est vera definitio: quod de syllogismi definitione notat Scot. 1. *Prio. cit* §. *Quantum ad* 2. *& q.* 1. *Elench propè finem.* Ad conf. concedenda est ma. & neganda min. vt patet ex eodem Doct. *q.* 2. 3. *&* 7. *vniuers.* assignante passiones syllogismi.

94. Opp. 3. nulla relatio est causa, cum non sit de genere actiuorum: demonstratio autem logica est relatio, quia formaliter est ens rationis, ergo Logica formaliter non est realis. Conf. 1. nullum nobilius efficitur ab ignobiliori, quia effectus non excedit suam causam: scientia autem cum sit realis est nobilior 2. intentione, quæ est ens rationis, ergo, &c. Conf. 2. inter subiectum & prædicatum & medium demonstrationis intercipitur distinctio formalis, at inter respectus intentionales, nulla extat distinctio formalis, quia non sunt sine opere intellectus, veluti est distinctio formalis. *Distinguo ma.* de causa per motum, & mutationem agente, concedo: de causa verò per emanationem operante, nego. Hæc distinctio *in l. de causis. & l. de anima est declaranda.* Melius, ma. est vera de causa materialiter capta, falsa verò de causa formaliter accepta, vt loco nunc alleg. patebit. Ad 1. conf. concedo ma. distinguo min. scientia absolutè considerata præstat nobilitate 2. intentionibus concedo: scientia inspecta, sub ratione producibilis, & effectus, nego. Sic enim ratio producentis est nobilior, ratione producti. Vel id verum est, de causa totali, non autem de causa partiali. Ad 2. conf. maior intelligitur de demonstratione materiali, seu primo intentionaliter sumpta: at non de demonstratione formali, seu secundò intentionaliter capta, qualis est demonstratio Logica.

95. Opp. 4. Ablatis 2. intentionibus, cæterisque entibus rationis, adhuc foret Logica, quia adhuc homo posset discurrere, & operari mente sua; cum in operando non pendeat ab ente rationis, atque quiret eius operatio dirigi, & regulari secundum Logices præcepta. Ergo Logica non est scientia realis. Nego ant. Id enim casu, & non absque errore contingeret, ideò exigitur Log. certis regulis, & præcepta innixa, quæ absque 2. intentionibus esse nequeunt, vt constat ex dictis *a.* 3. *q.* 1. *huius lib* & olfaciunt prænominati Nuperi, *in initio disp.* 4. aientes, Log. per se considerare 2. intentiones.

ART.

ARTICVLVS VII.

An Logica sit scientia communis.

96. TRibus in locis Doctor noster videtur hanc difficultatē attingere & decidere, videlicet, *q.* 2. *vniuers.q.* 1. *Elench.* & 1. *post.q.* 4 1. tametsi in eis locis diuersimodè incedat. Nam, *q.* 2. *vniuers.* disserit de Logica absolutè sumpta. q. vero 1. *Elench.* de Logica collata, cum Met. Atque 1. *post.q.cit.* de Dialectica, quatenus ab Analytica distinguitur. Omissis autem aliis acceptionibus nominis communis quas afferunt Tatar. *q.* 1. *scibili* 4. & Sarn. *q.* 1. *vniuers.* Obserno cum Scot. *ibid.* Scientiam vocari communem, bifariàm, vno modo communitate prædicationis, quia eius subiectum est prædicabile de subiectis aliarum scientiarum, & hac communitate gaudet Metaphysica, cuius subiectum est ens, quod de subiectis cæterarum disciplinarum enunciatur. Altero modo communitate applicationis, quia eius subiectum applicatur reliquis scientiis, caditque in earum vsum; & de hac communitate sermo est in præsentia, cuius meminit etiam Tatar. 1. *Phys.q.* 2. *scib.* 1.

97. Ass. Logica est scientia communis, communitate applicationis sui subiecti. Ita Scot. *locis prænominatis*, quem ibi sequuntur eius Discipuli. Probatur 1. *ex Arist.* 1. *Elench.c* 11. & Scot. *ibid.q.* 1. §. *Ad q. dicendum.* Si Logica esset alicuius generis determinati, non interrogaret 1 Accedunt Boet. & Auic. cum communi Dialecticorum adagio. Logica est de 2. intentionibus applicatis primis. Ergo Logica est communis communitate sui subiecti, per eiusdemmet applicationem. 2. Logica versatur circa syllogismum, vt eius subiectum: syllogismus autem est communis, communitate applicationis Potest enim applicari cuilibet scientiæ, cum omnis scientia syllogismo citatur. Hinc subdit. Arist. 1. *Top.* 2. Dialectica cum sit inquisitiua, ad omnium methodorum principia viam parat. Concluditur ergo Logicam esse scientiam communem.

98. Opp. 1. ea scientia est communis, cuius subiectum est commune, quia communitas, aut particularitas scientiæ, à subiecto communi, aut particulari decerpitur, à quo pariter specificatur, 2. *de anima T.* 33. subiectum autem Logicæ non est commune. Cum enim sit scientia ab aliis distincta, vtique sortitur subiectum ab earumdem subiectis distinctum: ergo Logica non est scientia communis. Concedo ma. distinguo min. communitate prædicationis, concedo: communitate applicationis, nego, vt explicui in præmisso not.

99. Opp. 2. Met. est scientia communis, quæ pro suo subiecto habet ens, quod est commune omnibus habentibus esse. ergo Logica non est scientia communis, secùs darentur duæ scientiæ communes, quod non videtur rationi consonum. Resp per eamdem distinctionem. Met. est scientia communis, communitate prædicationis sui subiecti concedo: communitate applicationis eiusdem subiecti, nego. Ideò, incongruum non est, ambas scientias, diuerso respectu & consideratione, vocari communes.

ARTICVLVS VIII.

An Logica distinguatur, à Metaphysica.

100. IStud dubium originem trahit ex præcedente art. Cum enim ibi diximus, Logicam & Metaphysicam esse scientias communes communitate subiecti, restat nunc inquirendum in quo ab inuicem secernantur. Præsertim quia Arist. 4. *Met. T.* 5. c. 2. subiungit, vtramque versari circa ens omnibus commune. Et quàmuis suprà ostenderimus Metaphysicam esse communem communitate prædicationis sui subiecti, nihilominus adhuc superest indagandum, quomodo ambæ idem subiectum (quod esse ens, fatetur idem Arist. cit.) contemplentur. Idque perquirunt Scot. *q.* 1. *Elench.* & Fuentes *q.* 4. *proœm. diff.* 1. *a.* 1.

101. Not. ex Doct. mox alleg. duplex esse ens, naturæ, & rationis. Ens naturæ est ens reale, cuius esse ab anima, seu ab intellectu non dependet. Ens verò rationis est, cuius esse ab opere intellectus tantum pendet, vt genus, species, & aliæ 2. intentiones. Æqua autem latitudine & communitate vtrumque ens gaudet. Nullum quippè est ens reale, suprà quod fundari non valeat aliqua 2. intentio generis, aut speciei, aut alterius rationis.

102. Ass. Logica differt à Met. in eo, quod Met. considerat ens reale, Logica verò aliquod ens rationis. Siue explicatius: Met. speculatur rerum quidditates communes, Log. verò 2. intentiones. Ità Scot *vbi suprà*, § *Ad q.* & *q.* 8. *vniuers.* §. *cum autem obiicitur, propè finem.* Et videtur esse contra Plat. & alios, qui teste Plotino alias à nobis cit. Logicam, cum Met. confundunt. Probatur autem prædicta ass. Met. est scientia realis, & 1 Philosophia, ad quam spectat contemplari ens, eiusque passiones, atque communes rerum essentias, & naturas vniuersè sumptas: Log. verò est scientia, cuius munus est speculari 2. intentiones, primis applicabiles, vt tangit Arist. 1. *Met c.* 4. Ergo, huiusmodi discrimen præassignatum, inter vtramque doctrinam, intercipitur.

103. Opp. vnius potentiæ ac scientiæ, vnum est obiectum per se, vt deducitur, ex 2 *anima T.* 33. Ens autem generatim captum est subiectum Met Ergo non est subiectum Log. Concedo ma. distinguo min ens reale, & primo intentionaliter sumptum, est subiectum Met. concedo: ens rationis & secundò intentionaliter captum, nego.

Instabis, cuius est considerare ens reale, eius quoque est speculari ens rationis, quod est veluti similitudo, siue vmbra entis realis: Met. autem ex concessis, meditatur ens reale, ergo & ens rationis, cuiusmodi est ens secundò intentionaliter acceptum. Dico diuersimodè Met. ac Dia contemplari ens rationis. Siquidem Met. speculatur ens rationis, vt communem, & generalem quidditatem reducibilem ad ens reale: Logica verò respicit ens rationis, quatenus est 2. intentio rebus applicabilis, vt rectè aduertit Doct. *in fine q. preall.* & *q.* 8. *vniuers. in respons.* 1. & 2. *arg.*

ARTICVLVS IX.

Quomodo Log. differat à Rhetorica.

104. DE conuenientiis & differentiis Rhetoricæ, & Dialecticæ disertè & eruditè Zab. 2. *de natura Log.c.* 17. & Tol. *q.* 5. *proœm. fund.* 1. *post* Arist. 1. *Rhet.* 5. ratiocinantur, afferentes similitudinem, & dissimilitudinem, penès materiam, & dicentes, vtramque de omni re proposita disserere, ac in vtramque partem disputare. Deinde subdunt, Rhetoricam in agendis, Dialecticam verò in disserendis de quauis materia proposita occupari. Vnde colligi potest, discrimen inter eas potissimum constitutum esse in eo, quod Dialectica cognitionem, Rhetorica verò actionem spectat. Quandoquidem, Dialecticus argumentatur, non vt audiens agat, sed vt cognoscat, verum à falso diiudicare. Rhetorica autem orationem habet, vt Auditores agant, animosque eorum flectat, ad concedendum & operandum id, quod ipsa oratione intendit ab eis faciendum esse, vt egregiè prosequitur Zab. *passu pracit.* & indicaui suprà *quæst.* 1. *art.* 4. Præterea ambæ quidem appellantur sermocinales, quia sermone vtuntur, diuerso tamen modo. Nam Rhet. vtitur sermone ornato, veluti Grammatica sermone congruo, & Dialect. sermone syllogistico, quo conceptus animi veri, aut falsi audientibus manifestantur, Dubitari autem potest, vtrum Rhetorica sit

pars Dia. de quo latè Zab. cit. & nos breuiter statuimus subsequentem Ass.

105. Ass. Rhetorica propriè non est pars Dialecticæ. Colligitur ex Scot. *q. 3. vniuers. §. dicendum ergo*. vbi recensens omnes partes Log. non meminit Rhet. quod vitio non careret, si Rhet. foret eius pars. Idipsum deducitur ex Aristotele qui in suo organo, in quo pollicetur omnes eius partes adducere, haud affert Rhet. sed eam in peculiari volumine tradit, & communiter à Magistris, distincta in classe docetur. Denuò, idem Philosophus 1. *Rhet.* 1. Rhetoricam vocat propaginem Dial. siue eius virgultum, vt ait Zab. *vbi suprà*. Propago autem, siue virgultum arbori adnatum, non est pars eius arboris, à qua est propagatum, sed quid ab ea distinctum. Deinceps, ars non est pars sciẽtiæ, quia sunt habitus distincti, 6. *Eth.* 4. Rhet. verò est ars, & Log. scientia. Iterum, finis Rhetoricæ est actio seu persuasio, at Dia. finis est cognitio veritatis, eo modo, quo alibi explanatum est. Non ergo inter partes Log. connumeranda est Rhet. De Poetica autem & Historica, eadem planè videtur esse ratio, ac de Rhetorica, vt ex Cic. 1. *&* 2. *de orat.* affirmat Fons. 2. *Met. q.* 5. *sect.* 4. & tenet Tol. *in praefat. Log. c.* 5. Causa est, quia Historica, & Poëtica ornatum quemdam adhibent, ad mulcendos Auditorum animos, idcircò ad oratoriam redigi debent, quidquid dicat Zab. *praenom. c.* 19. *& inde.*

106. Opp. 1. Arist. 1. *Rhet. c.* 2. definit Rhet. his verbis, *Rhetorica est quadam facultas inspiciendi in vnaquaque re, quæ ad persuadendum conferunt*: Hæc autem definitio videtur cõpetere Dia. vt ibi innuit idem Philos. Ergo Rhet. non est pars distincta, à partibus Dia. Conf. 1. ex eodem, qui ibid. Rhet. vocat particulam dialecticæ Conf. 2. Scot. 1. *prior. quæst.* 2. inter partes Dia. commemorat Rhet. & poëticam. Concedo ma. nego min. Ad Arist. dico, ipsum tantùm indicare similitudinem, quæ adest inter vtramque. Semper enim de his, tanquàm distinctis habitibus verba facit, notante Zab. *l. cit. cap.* 18. Ad 1. Conf. dico, eum locum secum ferre solutionem, subiicitur namque ibi, Rhet. esse germen Dia. sicut autem germen non est pars arboris, cuius est germen, ita nec Rhet. est pars Dia. nisi dicamus, ipsam Rhet. esse partem Dia. similitudinariam duntaxat. Vel potest vocari particula Dia. propterea quod vtitur syllogismo, & præcipue enthymemate, vt aduertit Tol. *quæst.* 5. *proœm. in fine* 1 *fundamenti.* Ad 2. conf dico exponendum esse Scot. de parte remota, quatenus Rhetorica persuadendo curam impendit circà humana agibilia, ad quæ præstanda adhibet instrumenta Dia.

Opp. 2. Rhet. differit de constructione syllogismi, enthymematis, aliorumque instrumentorum logicorum, ergò Rhetorica est pars Dialecticæ. Resp. Rhet. obiter de his agere, Logicam vero ex instituto, præsertim quia finis, & obiectum Rhet. non est syllogismus, cum tota posita sit in persuadendis humanis agibilibus, vt edisserit Doct. loco præallato.

ARTICVLVS X.

An logica sit pars Philosophiæ.

107. NOn leuis extat cõtẽtio inter antiquos Peripateticos, num Logica inter partes Philosophiæ sit conscribenda. Etenim Philoponus *in initio Prio.* & Amm. *in principio categoriarum* dialecticam à partibus Philosophiæ amouent, eiusque solum instrumẽtum esse putant, inter quos est Zab. 5. *de natura Log. cap.* 10. E regione Simplicius *in initio prædicam* & Boët. *in Porph.* enixè sustinent, Logicã esse Philosophiæ partem, quibus adstipulatur maior Recentiorum pars. Auic. autem *in principio sua Logica* censet hanc litem esse tantùm positam in varia acceptione nominis Philosophiæ. Quidam enim latiùs, alij verò pressius nomen Philosophiæ vsurpant, vt non segniter obseruat Tatar. *q. 3. scib.* 1.

108. Not. 1. φιλοσοφία Græce idem est, ac Latinè, amor sapientiæ, & φιλόσοφος, perinde est, ac amator sapientiæ, vt præ aliis aduertit Aug. 8. *Ciu. c.* 1. *&* 13. *Trin. c.* 1. Quod vocabulum, arrogantiæ vitandæ causa, à Pythagora fuit inuentum, cum anteà σοφοί, seu sapientes nuncuparentur: & quæ nunc Philosophia, prius σοφία, seu sapientia diceretur, notante Scot. 1. *Met. in exp. Tex. c.* 2. Sapientia autem est causarum rerum cognitio; & sapiens est, qui rerum causas cognoscit, vt clarè docet Arist nunc cit. *c.* 2. his verbis. *Architectoe in vnaquaque re, maiori dignos honore, doctiores, sapientioresque opificibus existimamus, quod teneant causas rerum., quæ fiunt: illi verò perinde se habeant, ac res quædam inanima, quæ faciunt illa quidẽ, sed nulla cognitione faciunt, quo pacto ignis comburit. ac res quidem inanimes natura quadam singula facere. opifices autem consuetudine, vt non ex eo sapientiores sint homines, quod idonei sint ad agendum, sed quia rationem teneant, causasque cognoscant.* Et paucis interiectis subiicit. *Nullum sensum esse sapientiam, quia ab eo nulla causa assignatur, vt propter quid ignis sit calidus, sed tantum, quod sit calidus* & c. 2. eiusdem lib. *Eum putamus sapientem, qui difficilia, & quæ ab homine, haud leui opera cognoscuntur, tenere potest.* Et subnectit. *Qui est accuratior, quique rerũ causas, melius tradere docendo potest, sapientiorem, in quauis scientia iudicamus. Scientiam quoque eam, quæ sui gratia, sciendique causa expetenda est, magis esse sapientiam, quam quæ ab illa proueniunt, & eam, quæ præest, quam quæ ministrat* Ex his apertè colligitur, sapientiam vniuersè captam, esse cognitionem causarum, & quoniam huiusmodi cognitio alia est speculatiua, alia verò practica: ob id, duplex statuitur sapientia, 2. *Met. c.* 1. *T.* 3. speculatiua, & practica, eaque est magis sapientia, quæ est speculatiua quàm practica, & inter eas principem locum tenet, quæ primas causas inuestigat. Et cum causæ rerum à veteribus non cognoscerentur, eorum Philosophia balbutiens, ab Arist. 1. *Met. c.* 1. *T.* 51. appellatur. Philosophiam autem ex inquisitione causarum ignotarum, ortum suum duxisse testatum habemus *ibid. c.* 2. Itaque cum sapientia & Philosophia prorsus coincidant, ea erit pars Philosophiæ, quæ causarum rerum est cognoscitiua, & è contra, quæ causarum rerum est nescia, à Philosophiæ partibus est euellenda.

109 Not. 2. Philosophiam bifariam posse accipi. 1. latè pro cognitione veritatis cuiusque entis, siue realis, siue rationis, sic sumpta Philosophia comprehendit omnem scientiam tam realem, quam rationalem: atque sub hac diuisione scientiæ continetur Logica; quæ ex dictis, est scientia rationalis. 2. strictè pro notitia veritatis, cuiusque entis realis duntaxat, & hæc capit tantum omnem scientiam realem. Ex ampla, & angusta acceptione Philosophiæ, diuersæ ortæ sunt ipsius Philosophiæ descriptiones: quarum duæ hauriuntur ex Arist. Et quidem vna ex 1. Met. passu memorato. *Philosophia est cognitio rerum per causas*: Quæ coincidit cum illa, quam affert Amm. in initio prædicabilium. *Philosophia est cognitio rerum vt sunt.* Altera, ex 2. Met. c. 1. T. 3. *Philosophia est scientia contemplatiua veritatis.* Addi potest 3. ex Plat teste Plut. 1. de placitis c. 1. & Aug. 13. Trinit. c. 1. *Philosophia est rerum diuinarum, humanarumque cognitio.* Potest autem Philosophia distribui in speculatiuam & practicam. Itemque, in principalem & instrumentalem, vt suprà tetigi.

110. Ass. Logica est pars Philosophiæ. Colligitur ex Doct. qui *q.* 1. vniuersam Logicam inter scientias collocat. Et *quol.* 3. §. *de* 1. *d.* & alibi recipit diuisionem scientiæ in realem & rationalem, sub qua est Logica. Probatur 1. *ex Arist.* 1. *Top.* 12. qui recensitis tribus problematibus, naturali, morali & rationali, subiicit de his omnibus agere Philosophum: problema autem rationale est Logicum, de quo disserit Arist. vt vno calamo omnes conscribunt. Et 3. *Met. c.* 2. *T.* 6. ait antiquos Philosophos Dialecticæ expertes, in multos errores incidisse: ergo cum Logica sit norma, &

magistra

magiſtra veritatis, à Philoſophiæ partibus non eſt ablegãda. Accedit Cic. 1 *Academ qq.* qui celebrem, & antiquam Philoſophiæ partitionem, in naturalem moralem, & rationalem commemorat traditam ab Ariſt. præcit. Aug. 8. *Ciuit.* 4. Plat. aliiſque viris præſtantiſſimis. 2. Philoſophia ex prænotatis, eſt cognitio rerum per cauſas. Admiratio quippè ex ignoratione cauſarum, & cognitione effectuum, impulit homines ad Philoſophandum, teſte eodem Ariſt. *vbi ſuprà*, & Damaſc. *in Dialogo c.* 49. Logica autem eſt huiuſmodi; Aſſentimur namque concluſioni per aſſenſum præmiſſarum, multaque ſcimus per cauſam, vt dicebam *in* 2. *art. q.* 2. Ergo Logica eſt pars Philoſophiæ. 3. Philoſophia ex Ariſt. *in* 2. *not. alleg.* eſt ſcientia veritatis contemplatiua: Logica autem veritatem ſpeculatur, eamque à falſitate diſcernit, vt conſtat ex eius definitione. Inſuper, Ethica quæ circa bonitatem, vel malitiam voluntatis occupatur, eſt pars Philoſophiæ, nemine penitus diſcrepante, ergo & Logica quæ veritatem, à falſitate actuum intellectus diiudicat, inter partes Philoſophiæ eſt adſcribenda, annuente Scot. 4. *Met. in expoſitione Tex.* 5.

111. Opp. 1. quatuor loca Ariſt. quorum 1. habetur 1. *Top.* 2. Dialectica eſt vtilis ad diſciplinas Philoſophicas. 2. *ibid. c.* 12. Ea, quæ in quæſtionem vocantur, aliter à Philoſopho, aliter à Logico pertractantur 3. *Top.* 8. *c.* 1. Quod ad loci inuentionem attinet, communis eſt Philoſopho, cum Dialecticeq. 4. *c.* 2. *T.* 4. *quarti Met.* Tot ſunt Philoſophiæ partes, quot ſunt ſubſtantiæ. Et *ibid.* oportet accedentem ad Philoſophiam, Analytica eſſe inſtructum. Ergo per Ariſt. Logica inter Philoſophiæ partes, nullam habet ſedem. Reſp. Ariſt. eis in locis loqui de Philoſophia preſsè ſumpta, quæ comprehendit ſolas ſcientias reales, aut ſolas ſcientias principales, digniores, & præſtantiores, quæ ſunt ſui gratia. Aut per Philoſophiam intelligere Metaphyſicam, quæ antonomaſticè vocatur Philoſophia, & à Doct. *q.* 1. *Elench.* poſt Ariſt. 6. *Met. T.* 2. perhibetur 1. Philoſophia. Non autem, de Philoſ. latè ſumpta, ſub qua continetur Log. Aut per Dia. capiendam eſſe Log. vtentem, quæ ſicut ex dict. 5, a ſcientiarum numero demitur, ſic à Philoſophiæ partibus expungitur.

112. Opp. 2. Logica eſt ſcientia rationalis, ex dictis, *art.* 6. *huius q.* Philoſophia autem eſt cognitio rerum, per cauſas, vt patet ex 1. not Res verò, cum ſit tranſcendens, eſt abſque opere intellectus, ergo Log. non eſt pars Philoſophiæ. Reſp. ex Scot. *Quol. cit.* ens & res dupliciter accipiuntur, vno modo pro re, & ente reali, quod dicitur, ab Ariſt. ens extra animam, ſicque ens, & res ſunt tranſcendentia, realia, poſitiua: altero modo pro re, & ente fabricato ab intellectu, quod ab eo habet tantum eſſe obiectiuè, & hoc pacto res, & ens ſunt entia rationis, & perhibentur ab Ariſt. entia in anima. Logica autem dicitur eſſe de re, & ente hoc 2. modo accepto.

113. Opp. 3. nihil valet eſſe pars, & inſtrumentum vnius, eiuſdemque rei. Logica autem eſt inſtrumentum Philoſophiæ; ideò organum ab Ariſtotele nominatur, ergo non eſt ipſiuſmet pars. Nego ma. vt conſtat de manu, quæ eſt pars Fabri eiuſdemque inſtrumentum, 3. *animæ c.* 8 *T.* 38. & Galen. 1. *de vſu partium.*

114. Opp. 4. definitio ſapientiæ, quæ eſt cognitio de rebus altiſſimis non competit Logicæ quæ verſatur circa ens diminutum & minimum: ergo cum ſapientia identificetur cum Philoſophia, infertur eam haud eſſe Philoſophiæ partem. Reſp. eam definitionem dari de ſapientia ſtrictè ſumpta, non verò de ſapientia, ſiue Philoſophia fusè capta, quam ipſi Logicæ rectè adaptari affirmamus.

QVÆSTIO III.

De obiecto Logicæ.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex ſit obiectum, quidue ad ipſum requiratur.

1. AB obiecto, quamlibet ſcientiam decerpere ſuam vnitatem, & diſtinctionem, *ex* 1 *poſt. c.* 23. *&* 2. *animæ c.* 2. aperte conſtat. Nunc autem placet adducere definitionem, diuiſionem, eiuſque conditiones, ex quibus perfacilè erit capere ea omnia, quæ ad cuiuſuis diſciplinæ obiectum neceſſariò exiguntur. Primum autem, cum Sarn *q.* 3. *vniuerſ pag.* 56. obſeruo, nomen obiectum deriuari à verbo *obiicio*, quod idem eſt, ac oppono, offero, & præſento. Id enim, quod à ſciẽtia conſideratur, ipſi obiicitur, offertur & præſentatur, tanquam ab ea perſcrutandum, & perluſtrandum, veluti terminus per eiuſdem operationem attingibilis. Et quemadmodum, quod à potentia cognoſcente attingitur, vocatur eius obiectum, vt color viſus, & ſonus auditus: pariter, quod à ſcientia expenditur, meritò eius obiectum nuncupatur. Atque adeò ex vi vocabuli, obiectum eſt, quod obiicitur, ſeu præſentatur potentiæ operanti, vt notat Vorrilon. 2. *d.* 35. Deinde, quamuis nonnullum interſit diſcrimen inter obiectum & ſubiectum, vt contendunt Dur. Och. *in prol q.* 9. & Racon. *præludio poſtr. Log. ſect.* 1. tamen promiſcue apud Philoſ. tam veteres, quàm recentes accipiuntur. Quare ſecundum Scot. *q.* 3. *prol.* § *Ad* 1 *arg.* 1. *q. R. & q.* 4. § *Ad arg. principalia* 1. *q.* & alios Authores, id, circà quod ſcientia laborat, appellatur obiectum, ſubiectum, & materia circa quam, diuerſis tamen reſpectibus. Notat autem idem Doct *q.* 2. *primi Prio.* § *Quantum ad* 1. nomen ſubiectũ eſſe æquiuocum, ibique ſex eius acceptiones affert, & multo pluſes adducit Maior eius diſcipulus *l prædicabilium q.* 3. *Not.* 2. Nos verò, cum Bonet. 1. *Met c.* 3. quatuor præcipuas referemus. Vnum quippè vocatur ſubiectum inhæſionis, ſiue ſubiectum accidentis, *ex q.* 3. *prol.* § *Ad idem arg. prima q. R.* in quo accidentia inhærent, vt paries appellatur ſubiectum albedinis, in quo ipſa albedo inhæret. Alterum nominatur ſubiectum tranſmutationis, in quo fiunt tranſmutationes ſubſtantiales, vel accidentales, ſic materia eſt ſubiectum formæ. 1. *Phyſ. T.* 82. Tertium eſt ſubiectum prædicationis, de quo aliud prædicatur, & hoc nuncupatur ſubiectum Logicum, de quo in Epit. Quartum eſt ſubiectum conſiderationis, ſiue attributionis, *ex prol. cit* cuius paſſiones ſcibiles conſiderantur, deque eo demonſtrantur, eique attribuuntur, quæ in ea tractantur; & iſtud perhibetur ſubiectum ſcientiæ ab Ariſt. 1. *poſt. c.* 23. *&* 4. *Met.* 1. Et de hoc in præſenti ratiocinamur.

2. Primò autem ſubiectum diuiditur in materiale, & formale, *q.* 3. *prol.* § *Ad* 1. *&* 1. *d.* 8 *q.* 4. § *Contra ſub E. &* 2. *d.* 24. *q. vn.* Subiectum materiale eſt id, quod à ſcientia conſideratur, quod cum ſit valdè fuſum & amplum, conſequenter plures ſcientiæ ipſum reſpiciunt, & à nullo earum determinatur. Ob id vocatur materiale, quia ſicut materia eſt indifferens, & indeterminata ad hanc, vel illam formam recipiendam: pariter huiuſmodi obiectum eſt indeterminatum, vt eius conſideratio ad hanc, aut illam ſcientiam pertineat, quo pacto Deus eſt obiectum materiale Theologiæ, & Met. Ab vtraque enim inſpicitur, & conſideratur. Obiectum vero formale appellatur illud, quod vnius eſt tantùm ſcientiæ, à quo nimirum ſcientia ſuam vnitatem, & diſtinctionem deſumit. Et denominatur formale, quia ſicut forma

determinat,& specificat materiam:ita ratio formalis obiecti determinat,& specificat scientiam,cuius est obiectum,vt Deus,vt Deus est obiectum formale Theologiæ,& ens,vt ens est obiectum formale Met.

3. Secundò in proximum, & remotum:& ista diuisio videtur coïncidere cum priori. Ideò non exprimitur à Doct.Proximum enim est,quod immediatè,& per se à scientia inspectatur, vt oratio congrua, in Grãmatica. Remotũ verò est,quod mediatè tantũ,& ratione alterius à scientia expenditur,vt literæ in ipsamet Grammatica.

4. Tertiò in adæquatum,& inadæquatum,ex Scot. 1. *d.3 q.3 §.Ad q.igitur & quol.5.§ circa 3.*obiectum adæquatum,seu totale est, quod nec excedit scientiam nec exceditur à scientia Siue, vt inquit Scot.*q.2.prol. & 2. later.§ de 2.sub A.*obiectum adæquatum est, quod primò in se continet omnes veritates eius habitus, cuius est obiectum.Et huic conueniunt communitas, & virtualitas,de quibus idem Doct.1.*d.3.q.3.§.Ad q.igitur.* Exemplum adduci potest,ad hoc declarandum, de corpore naturali,quod est obiectum adæquatum Physicæ. obiectum autem inadæquatum,seu partiale est, quod à scientia exceditur,& tanquam pars ab ipsa spectatur,vt corpus animatum est obiectũ inadæquatũ eiusdẽ Phys.

5. Quartò in principale,quod est scientiæ præcipua pars, vt demonstratio in Logica;& minus principale, quòd est eius pars minus præcipua,vt Topica, in eadem Log.Huius meminit Scot.1 *Met q.1.*

6 Quintò *ex 2.d.9.§ Ad arg pro 1.opinione T.* in obiectum motiuum, quod mouet potentiam ad sui notitiam,vt color est obiectum motiuum visus:& terminatiuum,quod terminat eius actum,vt paries albus terminat actum potentiæ visiuæ. Itemque creatura est obiectũ terminatiuũ scientiæ Dei,1.*d.35.q.vn.M.* Et de hac obiecti ratione fuse tract.*de sciẽtia Dei.disp.1.& inde.*

7 Sextò *ex eodem. ibid.d.3. E.* in obiectum naturalis attingẽtiæ,quod virtute nostra naturali,à nobis cognoscitur, vt quidditas rei sensibilis: & obiectum naturalis inclinationis,ad quod suapte natura intellectus fertur, vt ens in tota sua altitudine.Quod significat Arist.*in initio 1. Met.1.*inquiens,*omnis homo natura scire desiderat.* Quod secundum Scot.ibi capitur de appetitu naturali, quo homo naturaliter propendet ad omne ens cognoscendum:ratio est,quia intellectus cuiuscumq; entis cognitione perficitur.Prola *tract.alleg.& tract.de cognoscibilitate Dei, disp.1.*

8.Tres autem potissimum conditiones recensentur à Doct.*q.3.vniuers.*requisitæ ad cuiussuis habitus scientifici obiectum adæquatum.1.de obiecto præsupponitur, an sit,& quid sit,1.*post T.1.*Cum enim de eo conficiendæ sint demonstrationes,præcognosci debet,an existat, vel ei repugnet existentia:Quidue sit,idest eius essentia, definitio, vel conceptus eius quidditatiuus, vt late *l. 5.* fumus ostensuri. 2.vt per subiecti definitionem,demonstrentur passiones eius:causa est,quia per medium,quod est definitio subiecti, demonstrantur eius passiones. 3. vt ad ipsum subiectum omnia,quæ tractantur in scientia reuocentur,vel tanquam principium, vel tanquam pars eius,vel passiones eiusdem,vel quolibet alio modo, quo vnum ad aliud reducitur.

9.Opp.Scot.1.*prio.q.2.§.quantum ad 1.* Sex obiecti scientifici conditiones necessarias statuit:ergo aut Scot. sibi pugnat,aut plures, quam tres conditiones obiecti sunt numerandæ.Respondeo Scot.se explicare, ait enim *q.3.vniuers.*esse tres conditiones obiecti præcipuas,quas etiam repetit *ibid.q.8.§. Ad q.* Ad quas reliquæ minus præcipuæ rediguntur.

10.Opp.2.Duæ tantùm videntur conditiones obiecti à Doct.*q.3.prol.& 1.d.3.q.3.§ Ad q igitur.E* communitas & virtualitas, quas obseruat Vulpes *Tom. 1. primæ partis,disp.3.a.2.*Debet namque obiectum esse commune,& virtualiter continere ea omnia,quæ in scientiis traduntur:ergo Doct.non videtur consequẽter esse loquutus,assignans modò duas,modò tres, nec non sex obiecti scientifici conditiones,Resp.eas propriè non esse conditiones obiecti,sed potiùs ad eius essentiam & definitionem pertinere, vt liquet ex eiusdem definitione præadducta.

11.Nec quidquam valet quod opponunt Conimb. *q.5.a.1.*aientes, necessarium non esse vt subiectum sit vniuocum,sed sufficere si fuerit analogum, vt patet de Met.cuius subiectum,quod est ens,est analogum, & de perspectiua,cuius subiectum est linea visualis, quæ est ens per accidens.Nihil quippe concludunt contrà nos, qui secundum Scot.affirmamus,ens esse vniuocum, & perspectiuam esse scientiam subalternam, cuius subiecto,semper additur differentia accidentalis;supra subiectum subalternãtis,quæ est Geometria.Quod verò subiiciunt,non pertinere ad scientiam practicam, explicare essentiam sui subiecti,gratis id dicunt, quandoquidem artifex scientificus debet cognoscere materiam,in quam agit,secùs non operaretur.Quis enim posset rectè operari,si nesciret quid,& in quid sibi esset agendum? Eo magis,quia Log.per Scot est scientia speculatiua,de qua in antecedente *q a.5.dub.2.* Nec etiam,Scot.contendit, omnia, quæ in scientia cognoscuntur, necessariò esse coniuncta cum ipsius obiecto. Satis namque seipsum declarat multis in locis, præsertim 6.Met *c.1.*siquidemque vult omnia,quæ in scientia tractantur, quodammodo ad eius subiectum reuocari,vt intueri licet, 1.*prio.q.2.* his verbis. *Et ita de aliis modis, quibus fit reductio vnius ad alterum.*

Articvlvs II.

An res omnes sint obiectum Logicæ.

12. ADeò difficile est subiectum Logicæ nancisci propter opinionum varietatem & diuersitatem de eo,& acrem Dialecticorum, in ipso decernendo, contentionem,vt Zab.1.*de natura Log c.14.* eorum altercationem vanam,& similem cæcorum pugnæ iudicauerit. Ego verò in eius indagine sic incedam, vt primum aliorum sententias referam, & refellam: postmodum Scoticum placitum proponam, & defendam. Extat opinio Rodolphi Agricolæ 2.*de inuentione c.3.*& quorumdam aliorum arbitrantium, idem prorsus esse subiectum Rhetoricæ,ac Dialecticæ, puta res omnes, à quibus declinat Scot. *q.3.vniuers.& 1.d 2 q.1.§. Ad illa.C.*& alibi,distinguens scientiam,in realem,& rationalem:& reliqui Philosophi,negantes,Logicam, circà res omnes,suam curam impendere.

13.Aff.res omnes non sunt obiectum proximum, & immediatum Log deducitur ex Scot. mox cit & clarius, *q.1 prædicam §.Ad q.dici potest* Probatur 1. Logica est vna scientia ab aliis distincta vnitate sui subiecti,ex dictis,*q.2.a 4* At si res omnes forent obiectum proximum Log.non esset vna sciẽtia,à cæteris distincta,quoniam scientiæ differunt penès rerum differentias, 2.*animæ c.4.*Ergo obiectum eius immediatum,non sunt res omnes.2.Log.est de 2.intentionibus applicatis primis, Authore Auic. 1.*Met.* Boët. & reliquis Philosophis. Secundæ autem intentiones propriè non sunt res, sed fabra, & opera intellectus.3. Log. est scientia rationalis. *ex superiori q a.6.* At si ipsa Log.curaret res omnes, foret scientia realis, quod tanquam absurdum infert Scot.*q.3.vniuers.*ergo Log.non considerat res omnes.

Nec satisfacit responsio Fons.2.*Met.q.1.in fine sect.3.c.3.* & Conimb. *hoc loco q 5.a.2. in solut.1.* aientium, scientias illas appellari reales, quia de rebus disserunt, prout à verbis dissident, & quæ de verbis, & sermone tantùm agunt vocari sermocinales, & rationales, quatenùs dirigunt actus intellectus. Contrà, si istorum ratio valeret, Animastica, quæ de operationibus intellectus disceptat, foret rationalis, ac etiam aliæ scientiæ, quæ per rationem traduntur, vt obicit Scot. *quæst.1. prædicament.* quod conspicitur esse falsum. Etenim, denominantur reales

penes

penès obiecta realia in quæ incumbunt, ergo & scientiæ perhibentur rationales penes upera rationis, quæ sunt 2. intentiones, seu vt loquitur Doct. circa penes conceptus formatos ab actu rationis. Deinceps, in eorum sententia, Log est directiua, non quidem rerum; non enim dirigit res animatas aut inanimatas, nec corporeas, aut incorporeas, vt fosè ostendit Art. *disp.2. subsect.2.* Demùm in sequenti art. probandum est, Dialect. haud esse de actibus actiuis intellectus, sed de passiois, qui ad entia rationis spectant. Igitur obiectum Logicæ non sunt res omnes.

14. Opp. 1. Arist. 1. Rhet. scribit Rhet. & Dia. curare idem obiectū, obiectum autem Rhetoricæ sunt res omnes teste eodem Philosopho ibid. Ergo, & Dialecticæ. Confir. ex 4. *Met.2.* Dialectici & Sophistæ de omnibus disputant. Addo Scot. 6. *Met. q.3.§. Ad propositum.* Logicus considerat omnia sicut Met. Resp. Philosophum, in vtroque loco esse interpretandum de obiecto remoto, non verò proximo & immediato de quo loquimur in præsentia. Hæc responsio trahitur ex Scot. *q.3. prol.* vbi ait, *Logica est de rebus, quatenus eis attribuuntur intentiones.* Idem dic. ad conf. & Scoti locum.

15. Opp. 2. Dialectica præbet leges benè diuidendi, & definiendi, vt omnes vno calculo recipiunt, definitio autem conuenit rei, cum sit oratio distinctè explicans naturam rei: pariter diuisio adaptatur rei, cum sit oratio totum in suas partes distribuens, ergo Logica est de rebus. Concedo ma. ad min. dico, Logicam agere de illis instrumentis, quæ non sunt formaliter res, sed rerum declaratiua. Siquidem, Log. non differit de animali rationali, sed de eius definitione, quæ est declaratiua animalis rationalis. Vnde Lych. *2. d.3 q.1. ex Scot. q.8. vniuers.* in fine subiungit, Logicam non respicere res per se, nisi quatenus sunt fundamenta 2. intentionum, quas Logicus per se considerat. Itaque ante innuit Arist. *in fine 6. Met.* complexio, & diuisio sunt in mente & non in rebus.

ARTICVLVS III.

An Logica sit de actibus intellectus actiuis, vel passiuis.

16. Dialecticā agere de actibus actiuis intellectus, tanquam de obiecto eius materiali defendit Hurt. *disp.1. sect.5.* & Art. *disp.2. sect.2.* Sequuti Suarez 1. *Met. disp.1. sect.4.* & Fons. 2. *Met. c.3. q.1. sect.5.* & fauet Pōc. *disp.2. q.5. concl.1.* Contrà quos, stant cæteri Philosophi, præsertim Scot. *q.1 prædicam. §. alleg. in superiori art.* Aur. *3.d.23.a.2.* citans in hanc sententiam, Auerr. *3. animæ com.18. & 43.* Sarn. *tract. de 1. & 2. intentionibus*, & Fontes *q.2.a.2* propugnantes, Logicam esse de actibus intellectus passiuis, quos Scot. vbi suprà vocat conceptus formatos ab actu rationis, & Aor. conceptus obiectiuos.

17. Not. 1. Sicut in rebus corporeis nunquam agens agit, nisi partiens patiatur; consequenter nunquam est actio, quin sit passio: ita in spiritualibus, nunquam intellectus est intelligens, nisi aliquod sit intellectum, adeò vt sint actus intellectus, actiuus & passiuus. Actus actiuus est, quo intellectus intelligit, & actus passiuus, quo obiectum intelligitur. Eo ferè pacto, quo visus visione actiuà videt, & paries visione passiuà videtur. Ille vocatur actus formalis, iste verò actus obiectiuus. Prior est ens reale residens in prædicamento qualitatis, & pertinens ad Animasticam: posterior verò est ens rationis, & spectans ad Dia. Est enim respectus rationis derelictus in obiecto, ex applicatione intellectus ad ipsum obiectum, & describitur à Doct. *4. d.1. q.2. §. Hic primo. sub. B* comparatio passiua vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum. Et vocatur 2. intentio, quæ ab actu intellectus dependet, absque quo, nullum esse sortitur.

18. Not. 2. in omni obiecto reali, putà, lapide duo posse considerari, naturam lapidis, quæ intelligitur, & ipsum esse intellectum, quod lapis ab intellectu recipit. Natura autem lapidis, quæ intelligitur, est ens reale; at esse eius intellectum, est ens rationis. Vnumquodque autem ens habet suas proprietates, à natura lapidis profluunt proprietates reales, & ab esse eius intellecto, consequuntur proprietates rationis, vt annuit Sarn. *quæst.5. vniuers. pag.61.* sequutus Tromb. *tract. form. parte 2. fol.20. pag.2. in fine.* Prima consideratio lapidis spectat ad Phyl. secunda verò ad Log. illa est realis, illa verò rationis.

19. Ass. Logica versatur circa actus intellectus, non actiuos, sed passiuos. Tenet Doct. *cit. in initio huius art. & q.3. vniuers.* Lych. *1.d.8.q.5.§. In ista ratione.* & communiter cæteri Philosophi docentes, Logicam agere de 2. intentionibus: nec id renuit Hurt. §.93. Sed 2. intentiones sunt actus passiui intellectus, vt patet ex definitione entis rationis præallata *in fine 1. not* quæ 2. intentionibus planè accommodatur. Quodque constanter inueniuntur, qui ens rationis constituunt obiectum Logicæ & colligitur *ex 4. Met.2.* Ergo Logica suam curam impendit circa actus intellectus passiuos, & obiectiuos. Præterea de obiecto quod scrutatur scientia demonstrantur passiones scibiles, vt aduerti *in 1. art. huius q. ante 1. oppositionem*: sed de actibus intellectus passiuis, solum demonstrantur passiones scibiles, vt de syllogismo, quod constet tribus terminis, itaque in modo, & figura, atque necessariò inferat conclusionem. Iterum, Logica differt de prædicato, subiecto & huiusmodi, atqui hæc non sunt actus intellectus actiui, & formales; vnos quippe actus intellectus actiuos non prædicatur de alio. Non enim conceptus animalis affirmatur de conceptu hominis, sed rectè animal prædicatur de homine, vt superior de suo inferiori. Nec Logica vllo in loco tractat de actibus intellectus formalibus, sed solùm de formatis per intellectum. Ideo concludit Aur. præcit. *Mirum est, quod in imaginatione ascendit alicuius Philosophicè sapientis, quod 2 intentiones sint actus intellectus formales, & non potius conceptus formati* Denique actus intellectus actiui sont reales, ad Animasticam pertinentes, quæ de anima, eiusque viribus, & facultatibus ex instituto differens, consequenter de earum actibus formalibus agere debet. Respondet Hurt. *cit.§. 85.* considerare actus intellectus, secundum se, & præcise, vt an actus intellectus sint de genere qualitatis, aut actionis, & id genus alia, pertinere ad Animasticam: at considerare actus eiusdem intellectus, quatenus afficiuntur aliquā ratione per accidens, videlicet quo modo sunt disponendi in modo & figura, ad inferendam conclusionem, esse Logicæ munus. Contra, illa collocatio & dispositio, quæ per Hurt. est solius Dia. habetur penes extrema propositionis, & syllogismi, quia termini & propositiones sont, quæ collocantur, & disponuntur ad syllogismi constructionem: ergò consideratio Log. respicit actus intellectus passiuos. Conseq. tenet, quia non quo artifex operatur, est eius obiectum, sed quod seu in quod operatur. Non enim obiectū domificatus, est actus eius intellectus, vel voluntatis, quo intendit domū construere, sed domus ipsa ædificanda: ergo obiectum Log. non est actus intellectus, quo syllogizat, sed ipsemet syllogismus, circa quem est totus eius labor. Denuò, Hurt. § 96. subdit actum actiuum ordinari ad passiuum, vltimū autem quod à scientia attingitur, est eius obiectū, cùm sit terminus eius, vltrà quem amplius non fertur, igitur non actus actiuus, sed passiuus à Log. expenditur. Nec iuuat dicere, vtrumque esse Log. obiectum adæquatum, quandoquidem, vtriusque proprietates ab ea non considerantur, nec vtrique conditiones obiecti congruere videntur.

20. Opp. 1. S. Aug. 1. *contra Cresconium c.13. & 14* vocat Dia disputatricem, quia docet disputare, diuidere, definire, & argumentari. Disputatio autem est actus intellectus, ac etiam diuisio, definitio & argumentatio; ergo Logica versatur circa actum formalem &

 actiuum,

actiuum, non verò passiuum intellectus. Concedo ma. distinguo min. disputatio, & reliqua prænarrata pertinent ad Log. vt quo, concedo: vt quod nego, sicque non actus actiuus, sed passiuus intellectus respicitur à Logica. Ità exponitur Aug cit.

21. Opp. 2. actus passiui, & obiectiui suum esse depromunt ab actib. actiuis, & formalibus: ergo Logica potius in formalibus, quam in obiectiuis occupatur. Concedo. ant. nego conseq. Etsi enim, Log. suum esse desumat ab intellectu, nemo tamen vnquam ausus est dicere, intellectum esse eius obiectum.

22. Opp. 3. veritas est adæquatio, siue conformitas intellectus cum re intellecta: Logica autem tractat de veritate, & falsitate propositionum, & argumentationum: ergo Log. labor est penes actus actiuos, & formales intellectus. Concedo ma. distinguo min. Log. agit de veritate actiue capta, nego: passiue, concedo, vt l. 4. *huius operis* palam fiet.

ARTICVLVS IV.

An voces sint obiectum Logicæ.

23. Recitatur quorumdam antiquorum opinio à Neotericis Philosophiæ, existimantium materiam circà quam Dia. occupatur, esse voces, quam tenuisse Rossellinum reiectum à D. Ansel. *in Epistola de incarnatione Verbi*, referunt Zuingerus *vol. 2. l. 4. Teatri*, & Fuentes, *q. 3 diff. 3. art. 2.* Et vulgò appingi Och. eiusque Asseclis, obseruant Hurt. *disp. 1. sect. 3. subsect. 1.* & Arr. *disp. 8. sect. 3.* sed hos Authores aliter sentire, patet legenti ipsorum opera, præsertim Och. *in sua Log* & *r. d. 2. q. 8.* vbi asseuerat, conceptum mentalem, & non voces esse Dia. subiectum, quod dixerat, à Doct. *q. 1. prædicam. §. Ad q.* dici potest. Quo in loco apertè perhibet nullam partem Log. esse de vocibus. Quidquid autem sit de Nominalium sententia, quæ videtur problematica, vt intueri licet apud Och. cit. & Gabrielem *ibid. in sequenti lib. q. 1.* planior, & apertior fiet.

24. Ass. voces non sunt obiectum Log. Ità Scot. mox alleg. & *1. perih. q. 1.* quod est obiectum formale vnius, non est obiectum formale alterius disciplinæ, vt patet *2. anima c. 4.* penès distincta obiecta, habentur distinctæ scientiæ; voces autem sunt obiectum formale Grammaticæ, annuente Arist. *4. Met. c. 1.* cuius est inspicere earum significationes, declinationes, syntaxim, & congruitatem sermonis, ergo &c. 2. vocibus desunt conditiones ad proprium subiectum Log. requisitæ. Non enim in ea præcognoscuntur, an sint, & quid sint, nec earum passiones demonstrantur, nec in earumdem gratiam habentur, quæ tractantur in Logica, vt patet legenti libros Log. 3. obiectum scientiæ, idem semper perseuerat, cum ipsa sit de necessariis, & æternis, *1. post. 6.* voces verò, & nomina variantur ad Nationum varietatem & diuersitatem, mutanturque secundum temporis vicissitudinem, ac præstantium virorum arbitrium & beneplacitum. 4. quispiam vocum expers potest esse logicus, cum voces sint tantum signa, & instrumenta ad explicandos mentis conceptus, qui in anima latent. *1. Perih. 1. A.* solo quippe intellectu effici valent diuisio, definitio & argumentatio: ergo voces non statuuntur obiectum Log.

25. Opp. 1. Arist. *in suo Organo*, persæpè vtitur vocibus non significatiuis, & litteris ad ratiocinationes conficiendas; vt patet *in l. prio post. Top. & Elench.* Ergo per Arist. voces censentur obiectum Dia. Conf. 1. Idem Philos. *l. prædicam.* tradit diuisiones, & definitiones antepradicamentales, per verba *dicuntur & significantur*. Dici autem, & significari spectant ad voces, & nomina. Conf. 2. Isagoges Porph. inscribitur, de quinque vocibus. Et secundum Boet. *l. prædicam.* de decem vocibus, ergo obiectum Log. extant voces. Resp. Arist. id præstitisse, non quia existimauerit voces esse Dia. subiectum, sed vt ostenderet, formam syllogisticam, æquè valere in vocibus non significatiuis, ac significatiuis, atque litteris, ac syllabis, vt notant ibi eius expositores. Ad 1. & 2. Conf. dico, ex Scot. *præcit. in prædicam.* Arist. & Porph. vsos fuisse passiuo per actiuum, de quinque vocibus, idest, de quinque vniuersalibus per quinque voces significatis, & de decem vocibus, hoc est, de decem prædicamentis per decem voces expressis. Breuius dici potest, præfatos Auth. vsos fuisse metonymia, sumentes voces pro conceptibus, & 2. intentionibus, pro quibus subrogantur.

26. Opp. 2. Log. ex nominis interpretatione, est scientia sermocinalis, vt palàm feci *in Epist. l. 1. q. 1 art. 1.* Ergo obiectum eius sunt voces: differit enim Log. de voce simplici, significante conceptum simplicem, *l. prædicam.* de voce complexa significante conceptum complexum, *l. Perih.* Respondet Scot. *vbi suprà*, Logicam appellari sermocinalem propter duo, 1. quia conceptus est immediatum significatum per vocem, de quo conceptu, siue 2. intent. est Logica. 2. quia passiones conceptus insunt voci significatiuæ, sicut incomplexum, & complexum significant verum, aut falsum, vt signo, per naturam significati.

27. Opp. 3. Log. ex noto manifestat ignotum, cum sit scientia discursiua, progrediens ex noto, ad ignotum: voces autem manifestant conceptus, cum sint eorum signa, *1. Perih. 1.* Non est ergo inficiandum, circà voces Log. laborare. Concedo ma. distinguo min. de manifestatione, externa, concedo: de manifestatione interna, nego. Voces siquidem, sunt signa externa manifestatiua conceptus interni, qui latet in mente, vt nunc cum Arist. dicebam. Ad confutata hypothesi, dico vocalem definitionem pertinere ad Logicam non per se, sed per accidens, vt aduertit Maurit. *in expos. q. vniuers.* quatenus ipsa Logica vtitur vocibus, tanquam instrumentis significatiuis Hocque etiam præstant reliquæ scientiæ. Nam cum res in disputationem adduci nequeant, voces adhibemus ad res ipsas repræsentandas, & afferendas animis audientium, vt ex Arist. obseruatui *in Epis. l. 2. q. 8. art. 3.*

ARTICVLVS V.

An ens rationis sit obiectum Logicæ.

28. Complures veteres, & recentes Dialectici sustinent, obiectum Log. esse ens rationis, qui sunt bipartiti. Nonnulli enim, vt Iannuus *5. Met. q. 12.* & Auer. *4. Met. com. 2.* videntur velle ens rationis, in tota sua latitudine captum, esse Dialecticæ subiectum. Alij verò, vt D. Th. *4. Met. lect. 4. Tol. in Log q. 5. proœm. concl. 4.* & Run. *ibid. q. 6.* Inter quos citatur Scot. à Fuent. *q. 3. diff. 3. art. 2.* affirmant ens rationis indirectè ab intellectu fabricatum esse obiectum formale, & adæquatum Log. quibus sese opponunt Fons. 2. *Met. q. 1. sect. 3.* Hurt. hic *disp. 1. sect. 4. subsect 2.* & Arr. *disp 2. sect. 8.* negantes, ens rationis quoquo modo captum, esse obiectum formale Log. & astruentes, ens reale, esse eius subiectum.

29. Not. 1. ens derivari, à verbo *sum, es, est*, quod latissimè captum significat habens esse, quod commune est enti reali, & rationis. Primò enim ens secernitur, in ens reale, & rationis, 4. *Met. T. 4.* vt ibi notant Scot. & *q. 1. Elench.* & *1. post. q. 12.* & *1. d. 36. q. vn.* F. Antonius Sirect. *Tract form art. 1.* Tromb. & alij eo in loco. Ens reale est, quod habet esse, absque intellectus opere, siue ei esse non repugnat, 3 *d. 8. q. 4. §. contrà istam opinionem.* F. & *q 1 prædicam.* & *q 1. Elench. ac quol. 1.* Ens verò rationis, ex locis nunc alleg. est, quod habet esse ab intellectu duntaxat. Ratio quippe, & intellectus pro eodem hic sumuntur, vt benè aduertunt Sarn. *q. 3. vniuers. pag. 63.* & Pelbartus *tom. 1 Rosarij, ver. volunta 4.*

Tripheiter

Tripliciter autem vſurpari poteſt ens rationis, ſecundum Scot. 4. *d.* 1. *q.* 2. §. *Hic primò videndum B.* obiectiuè, ſubiectiuè, & comparatiuè. Ens rationis obiectiuè eſt, quod obiicitur, & præſentatur intellectui conſiderandum, vt natura communis, quæ offertur intellectui, ad hoc, vt fiat vniuerſale formaliter, vt palam fiet, *l.* 2. *q.* 1. Et quodlibet aliud ens, mouens intellectum ad ſui cognitionem, dici poteſt hoc modo ens rationis. Ens verò rationis ſubiectiuè eſt, quod ſubiicitur, & inhæret in intellectu, tanquam in ſubiecto. Quo pacto quælibet ſcientia dici valet ens rationis, quia in intellectu reſidet, notante Scot. *q.* 25. *prædicam.* licet ſit ens reale, in genere qualitatis repoſitum. Hanc entis rationis acceptionem indicat Ariſt. 7. *pol.* *c.* 14. appellans artes intellectuales, entia rationis. Ens denique rationis comparatiuè, eſt comparatio paſſiua vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum. Quod 2. intentio, ens diminutum, ens ſecundum quid, & res in anima, nuncupatur à Brianſonio 4. *q.* 3. *coroll.* 3. poſt Scot. præalleg. vt obſeruat Vulpes 1. *to* 1. *p.* *diſp.* 28. *art. vlt.* Quodque alij vocant ens rationis Logicum, quod habet tantum eſſe obiectiuè in intellectu. Explicatur eius effectio, intellectus v. g. cognoſcit animal, quod ſic cognitum, vocatur 1. intentio. Itemque, cognoſcit hominem, & leonem, qui ſic cogniti dicuntur duæ 1. intentiones, vt patefeci *in Epit. l.* 1. *q.* 1. *art.* 10. poſtmodum comparat animal cognitum, ad hominem, & leonem, quatenùs animal eſt quid commune vtrique, cum homo, & leo participent communem rationem animalis. Huiuſmodi autem comparatio animalis, ad hominem, & leonem, cæteraſque eius ſpecies, eſt 2. intentio, quæ genus perhibetur. Ea verò comparatio, quâ homo comparatur ad ſua indiuidua, putà Franciſcum & Ludouicum, appellatur ſpecies. Idipſum cenſendum eſt de reliquis entibus rationis Logicis, prædicato, ſubiectu antecedente, conſequente, & aliis quorum explicatio habetur apud Sarn. *Tract. de* 2. *intentionibus cap.* 2. & *q.* 3. *vniuerſ. pag.* 67.

30. Not. 2. ens rationis haud promanare ab ente reali, veluti proprietas realis ex natura ſubiecti conſequitur ipſummet ſubiectum, annuente Scot. 1. *d.* 8. *q.* 4. §. *Iſta tamen ſub M.* quia nullo modo ens rationis ab obiecto cauſatur: cum præter dictam comparationem paſſiuam, nihil præciſè habeatur in obiecto conſiderato: illa verò comparatio pendet prorſus ab intellectu, quam efferit, vel potius derelinquit in obiecto conſiderato; & comparato, vt præter alios Scotiſt. ſcribunt Sarn. cit. & Lych. 1. *d.* 3. *q.* 7. *ante* §. *Alia eſt opinio.* & 2. *d.* 1. *q.* 1. §. *ſecundò principaliter*: affirmantes 2. intentiones, ſiue entia rationis Logica non propriè cauſari, ſed derelinqui, eo ferè modo, quo colores ex penicillo pictoria, & manus eius protractione derelinquuntur in pariete, aut alio ſubiecto, vt explicabam in fine 1. notab. per exempla ibi adducta. Nec eſt omittenda diſtinctio entis rationis oſtenſa à Doct. 1. *d.* 36. *q. vn.* §. *per idem. circa M.* in chymericum ſeu fictitium, quod prorſus eſt inutile, vt mons aureus, hircoceruus, quod vulgò appellatur ens rationis, quod nullum habet fundamentum in re, & ens rationis Logicum, quod fundatur in obiecto reali. Non enim 2. intentio eſt abſque 1. Quoniam relatio præexigit ſuum fundamentum. Cum autem 2. intentio ſit relatio rationis, conſpicuè deducitur, ipſam 2. intentionem præſupponere primam, quæ eſt obiectum primò cognitum, & conſideratum, ex Doct. 4. *præcit.* & *quæſt.* 1. *Elench.* §. *Ad* 9.

31. Not. 3. per ens rationis, quod à D. Th. eiuſque Aſſeclis ſtatuitur obiectum Dia. Hurt. *ſubſect.* 1. §. 46. aliique recentes prænominati nituntur interpretari denominationem extrinſecam, hoc eſt ens rationis denominatiuè, ſiue actum intellectus, vt obiectum denominantem. Verùm, cùm denominatio extrinſeca formam alteri adiacentem deſignet, ipſa extrà denominatum exiſtit, vt huiuſmodi nomen indicat, proindéque nemine cogitante, poſſe eſſe videtur, vt aſſerunt Vulpes *diſp.* 17. *art.* 9. *n.* 6 *tom.* 1. *primæ partis*, & indiuidui Scotiſt. *diſp.* 3. *art.* 1. *q.* 2. Tametſi, Orbel. 4. *Met. q.* 1. & Smiſing *Tract.* 3. *de Deo vno*, *n.* 184. oppoſitum ſentiant. Eadem quippe forma denominat ſubiectum in quo non eſt, vt ſcamnum dicitur humanum, non per humanitatem in ſe, ſed in homine exiſtentem, eius arte, & opera elaboratum. Et paries denominatur viſus, per viſionem in oculo exiſtentem ad ipſum parietem terminatam, ſcribente Scot. *Quol.* 12. & 3. *d.* 8. *q. vn.* §. *Ad* 4. In oculo namque viſio eſt, ipſumque denominatione intrinſeca denominat. Ens autem rationis, de quo loquuntur Thomiſ. & Scotiſ. pendet in eſſe, & in fieri ab intellectus opere, ergo ens rationis ſic acceptum non eſt denominatio extrinſeca, quæ ſecundum Iuniores alleg. eſt realis, cum ab actu intellectus, qui eſt realis, ipſam non diſtinguant. Ant. liquet, ex D. Th. *opuſc.* 4 5. *c.* 4. dicente. Intentiones generis, & ſpeciei non inueniuntur in rerum natura, ſed ſequuntur actiones intellectus, & huiuſmodi ens, eſt ſubiectum Log. Item per Thomiſ. ens rationis, quod ab eis exiſtimatur, obiectum Log. eſt, quod tãtùm habet eſſe obiectiuè in intellectu, vt non abnuit Hurt. *diſp.* 1. *ſect.* 5. §. 85. & 86. ſiue quod reſultat ex opere intellectus exponente, Ruu *quæſt.* 6. Denominationes verò extrinſecæ ſunt independenter ab opere intellectus, vt eſſe viſum, eſſe auditum, & cognitum. Præterea, quod conſequitur operationem intellectus, non eſt operatio ipſiuſmet intellectus: Igitur non eſt actus intellectus, contrà Arr. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *n.* 20. & Hurt. ſuprà *art.* 3. reiectos.

32. Aſſ. 1. ens rationis vniuerſè ſumptum, nequit eſſe obiectum Log. formale & adæquatum. Deducitur ex Scot. *q.* 3. *vniuerſ.* §. *dicitur verſ. duæ* 1. *conditiones*, vbi negat conceptum formatum amplè captum ſtatui Dia. obiectum. Probatur autem 1. obiectum adæquatum ſcientiæ non ampliùs quàm ſcientia diffunditur, vt liquet ex eius definitione tradita *art.* 1. *huius q.* Ens autem rationis in tota ſua latitudine magis extenditur, quam Log. comprehendit namque entia rationis Grammaticæ, & Rhetoricæ, videlicet nominum ſignificationes, declinationes, verborum coniugationes, figuras, tropos & huius formæ alia, quorum conſideratio aliena eſt, à Log. 2. entis rationis latè ſumpti principia, naturam & paſſiones non explicat Log. vt conſtat legenti lib. Log. Ariſt. Ergo ens rationis amplè ſumptum non eſt obiectum adæquatum Log. conſequentia tenet: Ant. patet, per conditiones loco alleg. relatas.

33. Aſſ. 2. ens rationis, quod conſequitur ad operationes intellectus, ſeu quod indirectè fit ab intellectu; non eſt obiectum Log. formale. Colligitur ex Scot. *vbi ſuprà*, & opponitur Thomiſt. ferè omnibus, qui germanam Thomæ doctrinam, profitentur. Probatur 1. enti rationis ſic capto, deficit 1. conditio obiecti ſcientifici, quæ eſt, vt de ipſomet obiecto, præcognoſcatur, an ſit, & quid ſit; ergo ens rationis cum tali moderatione propoſitum, non conſtituitur obiectum formale Log. Ant. eſt in promptu; in nulla quippe parte Log. Ariſt. tradit definitionem entis rationis, vt monet Scot. alleg. nec eius principia, & paſſiones, alicubi explicat. 2. ſubiectum prædicationis non eſt obiectum attributionis, vt claret *ex* 1. *art.* iſtius *q.* & oſtendi poteſt de ſingulis ſubiectis, cuiuſcumque ſcientiæ, de quibus ens prædicatur: ens autem rationis in Log. eſt ſubiectum prædicationis. Prædicatur namque de propoſitione, argumentatione, & reliquis entibus Logicis, authore Mauric. *q.* 3. *vniuerſ.* 3. obiectum ſcientiæ directiuæ, non eſt id, quo aliquid dirigitur, ſed quod dirigitur: Log. autem eſt ſcientia directiua, etiam per Aduerſarios, ergo &c. Ma. oſtenditur inductione, de Grammatica, cuius obiectum proximum non ſunt nomen, & verbum, ex quibus conficitur congrua oratio, ſed ipſamet congrua oratio de Rhetorica, cuius obiectum non ſunt verba concinna, ſed oratio ornata, quæ ex illis efficitur. Quod etiam de Eth. aliiſque diſciplinis

directiuis induci poteſt. Atqui ens rationis eſt quo ſine ex quo dirriguntur intellectus operationes, nempe ex ſubiecto, prædicato propoſitionibus & reliquis, non autem quod dirigitur: ergo ens rationis quoquo modo captum, non eſt Log. obiectum attributionis.

34. Opp. 2. Ariſt. 4. *Met. c. 5. Tom. 5.* ſcribit Met. & Log. laborare, circa idem obiectum, cum hoc tamen diſcrimine ſubiungit, Scot. *q. 1. Elench. §. Ad q. dicendum.* quod Met. agit de ente reali, & Log. de ente rationis. Idipſum tradit *q. 15. §. Ad 1. rationem*, & *q. 5. prædicam.* ergo ens rationis eſt ſubiectum Log. Conf. ens rationis ſuo modo eſt ſcibile; habet enim paſſiones de ipſo demonſtrabiles, quarum nonnullas affert Scot. *q. 5. prædicam.* Ab alia autem ſcientia non videtur conſiderari, quàm à Log. quæ ob id rationalis appellatur, quia diſſerit de ente rationis: ergo ens rationis eſt Log. obiectum. Reſp. & ſi concedatur præfatum diſcrimen, dico ens rationis eſſe Log. ſubiectum prædicationis, non autem attributionis, de quo extat tota lis, vt bene vidit Sarn. *q. 3. vniuerſ. pag. 56.* & ante eum Scot. *1. poſt. q. 57. ante §. Ad q.* Idem eſt dicendum ad conf. vel dicito, Ariſt. & Scot. loqui de Log. vtente non verò docente, vel etiam reſponderi poteſt. Dia. diſſerere de omni ente, ratione ſui ſubiecti, quod omnibus rebus applicatur. Idcircò Log. vocari ſcientiam communem aſſerui, *q. 2. art 7.*

35. Opp. 2. omnia quæ tractantur in Log. ſunt entia rationis, aut reuocantur ad ens rationis: ergo eius obiectum formale eſt ens rationis. Ant. eſt in confeſſo; ſiquidem quæ habentur in Log. ſunt ſubiectum, prædicatum, genus, ſpecies, enunciatio, ſyllogiſmus, & id genus alia, quæ omnia etiam per Scotiſ. nominatim Mayr. *1. d. 3. q. 53. §.* ideo propter ſunt entia rationis. Conf. 1. ab obiecto ſcientia decerpit ſuam denominationem: Log. autem denominatur rationalis: ergo ab ente rationis, quod eſt eius obiectum. Conf. 2. obiectum diſtinguit ſcientiam, ens autem rationis diſtinguit Log. ab aliis ſcientiis, ergo eſt eius obiectum. Reſp. argui ab inſufficienti, nempe ab vna conditione ſubiecti, ad omnes. Ideo conceſſo ant. negatur conſeq. Committitur enim fallacia accidentis, quia non bene arguitur, materia eſt ens, forma eſt ens, & omnia, quæ habentur in Phyſ. ſunt entia: ergo ens eſt obiectum formale Phyſ. Idem accidit in re noſtra; quamuis enim omnia, quæ continentur in Log. ſint entia rationis; nihilominus, quia ea omnia in gratiam ſyllogiſmi tractantur, ob id non ens rationis, ſed ſyllogiſmus decernitur obiectum Log. Ad 1. conf. dico multiplicem effici poſſe denominationem ſcientiæ à ſuo obiecto, quandoque enim à præcipua ſubiecti parte, ſic Met. perhibetur diuina, quia agit de Deo, vt principali eius obiecto, & ſcientia de cælo vocatur Aſtrologia, quia pars eius principalis ſunt aſtra. Hinc ortum habet illud vulgatum, denominatio fit à nobiliori parte. Nonnunquam, à ſubiecto totali, & adæquato, ſic phyſ. denominatur naturalis, quia contemplatur corpus naturale, quod eſt eius ſubiectum adæquatum. Interdum verò à ſubiecto prædicationis, ita Met. nominatur realis, quia ſpeculatur ens reale, quod commune eſt reliquis doctrinis realibus. Quo in ſenſu Log. denominatur rationalis, quia conſiderat ens rationis, quod eſt eius ſubiectum prædicationis. *Ad 2. conf.* maior valet de ſubiecto attributionis, non autem de ſubiecto prædicationis, cuiuſmodi eſt ens rationis.

36. Opp. 3. ſubiectum Dia. adæquatum, aut eſt reale aut rationis, quia inter ens reale & rationis non interuenit medium, vt patet apud Formaliſtas; ſubiectum autem Log. non eſt reale vt probaui ſupra *art. 2. & 3. huius q.* Ergò eſt ens rationis. Reſp. argumentum non concludere. Vt enim adnotaui *in Epit. l. 3. q. 1. art. 10.* Minore exiſtente negatiua, in 1. figura, non valet ſyllogiſmus. Cauſa eſt, quia medium non diſtribuitur in præmiſſis, hoc eſt proceditur à non diſtributo ad diſtributum. Quod ſi ſubiectum ſupponat tantùm pro ſubiecto prædicationis, totus diſcurſus eſt bonus: verùm ſi capiatur pro ſubiecto attributionis ratiocinatio mala eſt. Non enim Log quodcunque ens rationis perquirit, ſed ſolùm ens rationis quod eſt ſyllogiſmus, ſiue modus ſciendi vt palam fiet art 7.

Articvlvs VI.

An tres operationes intellectus ſint obiectum Logicæ.

37. Scot. *q. 3. vniuerſ.* & Antonius Andreas in quadam q. poſt expoſitionem veteris Log. referunt opinionem quorumdam exiſtimantium, conceptum formatum ab actu rationis eſſe ſubiectum Dia. Hinc fortaſſe nonnulli anſam ſumpſerunt ſuſpicandi operationem intellectus eſſe obiectum Log. in quorum numero recenſetur Racon. *præludio poſtr. art. 4. ſect. vlt.* Plerique autem Nuperi putant eſſe tres mentis operationes, qui inter ſe digladiantur. Quidam namque, vt Suarez *diſp. 1. Met. ſect. 4.* eas ſtatuunt, vt dirigibiles; aliqui vt directiuas, & alij vt directas. Aduerſam verò ſententiam tuentur Scot. *præalleg. §. Ad oppoſitum.* Ioannes de Magiſtris *q. 1. dub. 1.* Zab *2. de natura Log. c. 3.* Fuentes *q. 3. art. 3.* & cæteri Scotiſ. negantes operationes intellectus quoquo modo captas, eſſe Dia. formale ſubiectum.

38. Not. ex Ariſt. *1. anima T. 13.* & Scot. *q. 8. prædicam. §. Ad 5. q. & 1. periherm. q. 1. & 1. poſt. q. 46* necnon *1. Met. q. 4. §. vbi ſciendum*: & Maiore *tract. de ſyllogiſmis, c. 1. fol. 140.* eſſe tres operationes intellectus, quarum 1. vocatur ſimplicium terminorum apprehenſio, vt homo apprehenſus 2. appellatur enunciatio, ſiue compoſitio, aut diuiſio eorumdem terminorum incomplexorum, hoc eſt affirmatio vnius de alio, vt homo eſt animal, vel negatio vnius ab alio, vt homo non eſt lapis. 3. nuncupatur diſcurſus qui eſt progreſſio ex noto ad ignotum, id eſt à præmiſſis ad concluſionem, vt *homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal.* Hæ autem operationes bifariam poſſunt conſiderari, vt aduertit Zab. *1. de natura Log. c. 3. & 5. eiuſdem lib. c. 3.* quod ſignificat Scot. *q. 2. vniuerſ. ver. ſi 1 modo.* primò penes propriam naturam, & quemadmodum anima, & intellectus quæ ſunt earum principia ſpectant ad Animaſticam: ita ipſæmet operationes, quæ ab eis promanant. 2. penes tres gradus 2. intentionum, qui ex eis reſultant, ſiue penes eſſe intentionale cauſatum tantùm ab intellectu, ſiue ex eis derelictum ratione cuius ordinantur & diriguntur ad bonum ſyllogiſmum; ſicque ſunt logicæ conſiderationis. Exemplo id illuſtrari poteſt de ferro, quod abſolutè conſideratum pertinet ad Phyſ. Eſt enim corpus naturale, & in genere metalli; verùm ſi inſpiciatur, vt eſt ſic vel ſic figurabile, pertinet ad artem fabrilem.

39. Aſſ. 1 operatio intellectus vt dirigibilis non eſt obiectum formale & adæquatum Log. Ita videtur ſentire Scot. nuper alleg *ver. duæ ſimilitudines.* Probatur 1. in nulla parte Log. definitur operatio intellectus. nec eius principia, & paſſiones oſtenduntur ſecundum ſuam rationem generalem, quod exigitur ad obiectum formale ſcientiæ, vt ſupra monui: ergo operatio intellectus dirigibilis nequit eſſe obiectum formale Log. conſeq eſt conſpicua, ant. peruium eſt, legenti omnia opera Dia. 2. vel operatio intellectus decernitur obiectum Log. ſecundum ſuum eſſe quidditatiuum, & hoc non, quia vt ſic ſpectat ad Animaſticam, vt patet in fine præmiſſi not. vel vt induta eſt 2. intentione dirigibilitatis, & iſtud nequaquam. Sic enim nihil aliud eſt, quàm ens rationis, quod Racon. refutauit, *art. 4. ſect. 5.* contra quem ponitur iſta aſſ. Denuo actio non intenditur per ſe à Log. ſed gratia ſyllogiſmi. ſanciatur ergo, operationem intellectus haud eſſe Log. obiectum proximum & formale.

40. Aſſ. 1. operationes intellectus ſtatui nequeunt obiectum Logicæ proximum & formale, nec vt dirigibiles, nec vt directiuæ nec vt directæ. Hanc aſſ. quæ eſt tripartita innuit Scot. *vbi ſupra*. 1. pars probatur 1. vnius ſcientiæ, vnum eſt tantum obiectum formale, & adæquatum, 1. *poſt. T.* 43. Logica autem eſt vna ſcientia ex dictis *art.* 2. *q.* 2. tres verò ſunt operationes intellectus. Iterum vnius ſcientiæ debet eſſe vnum medium ad demonſtrandum, quod eſt definitio ſubiecti; oſtenduntur enim de ipſo ſubiecto, omnes eius paſſiones ſcibiles & demonſtrabiles: cum autem tres ſint operationes intellectus, planè euincitur eas non eſſe obiectum formale Log. Dices eas eſſe obiectum formale Log. ſub ratione dirigibilitatis, vt ſignificat Antonius Andreas. 1. *Met. q.* 1. *art.* 2. *verſ. contra* 3. *dictum*. Contra, vnaquæque operatio gaudet ſua propria dirigibilitate, ſicut & entitate: ſicut ergo ſunt tres operationes dirigibiles, ita & tres dirigibilitates, proindeque illæ non ſunt obiectum Log. ſub ratione dirigibilitatis. 2. dirigibilitas cuiuſvis operationis aut eſt aptitudo, ſiue potentia naturalis, aut potentia obedientialis. Non 1. quia talis potentia naturalis pertinet ad eam ſcientiam, quæ eius naturam, à qua emanat, ſpeculatur, cuiuſmodi eſt Animaſtica. Nec 2. quia potentia obedientialis eſt paſſiua, reſpectu ordinationis, & directiuitatis, quæ eſt ens rationis, ab intellectu fabricatum, quod Aduerſarij ab obiecto Log. remouent. Deinceps, operationes intellectus ſunt reales, Log. verò eſt rationalis. Inſuper, foret ſubalternata Animaſticæ; nam adderet differentiam accidentalem ſupra eius obiectum, quæ eſt dirigibilitas; potiùs ergo concludendum eſt, huiuſmodi operationes haud eſſe proximum Log. obiectum.

2. Pars manet probata *art.* 3. *præſentis q.* vbi oſtendimus, actus intellectus actiuos non cadere in obiectum formale Log.

3. Pars ſuadetur, ſcientia directiua non præeſigit obiectum directum, ſecus non foret directiua, cum ipſum non dirigeret, nec poſſet dirigere, veluti habitus factiuus non præſupponit obiectum iam factum, ſed factibile, vt liquet inductione per omnes artes mechanicas. Log. autem ex communi Dialecticorum conſenſu, eſt directiua: ergo eius obiectum formale non valent eſſe operationes mentis vt directæ.

41. Opp. 1. contra 1. aſſ. Scot. *q* 1. *prædicam.* §. *Ad q.* ait Log. eſſe de conceptu: conceptus autem eſt operatio intellectus. Immò, *in Epiſ. l.* 3. *q.* 1. *art.* 2. conceditur, ſyllogiſmum eſſe operationem intellectus: ergo operatio intellectus eſt obiectum Log. Reſp. Doctorem ibi ſeipſum explicare. Inquit enim Logicam eſſe de conceptu formato ab actu rationis, qui conceptus coincidit, cum ente rationis, & 2. intentione, quam eſſe ſubiectum Log. prædicationis, non verò attributionis ſupra inſinuaui. Per hanc diſtinctionem ſoluitur contradictio, quæ videtur eſſe in ſcriptis Doct. Nam *q.* 3. *vniuerſ.* inficiatur ſubiectum Log. eſſe conceptum formatum, quem poſtmodum *in prædicam. q. cit.* Statuit obiectum ipſius Log. vt patet *verſ. Ad aliud dico.* vbi probat Log. non eſſe ſcientiam realem, nec ſermocinalem, quia non eſt de re, nec de voce, ſed de conceptu: ſoluitur inquam apparens contradictio, quoniam in illa q. vniuerſ. loquitur Scot. de ſubiecto attributionis: at in dicta q. prædicam. diſſerit de ſubiectu prædicationis, quod probe aſſerit eſſe ſubiectum Dia. veluti ens rationis, & 2. intentionem, quæ tria q. alleg. vniuerſ. putat coïncidere.

42. Opp. 2. omnia quæ tractantur in Log. ad tres operationes mentis, vt dirigibiles reuocantur, ergo tres operationes mentis vt dirigibiles ſunt obiectum Log. Ant. eſt compertum ex diſtributione librorum logicorum Ariſt. recepta à Scot. locis prænominatis, & 1. *perih. q.* 1. Etenim de 1. operatione intellectus extat *l. prædicam.* in quo habentur termini incompleti. De 2. operatione ſunt lib. Perih. in quibus traduntur termini complexi. Et de 3. agitur *in lib. prio. poſt. Top. Elench.* in quibus ſyllogiſmus, eiuſque partes ſubiectiuæ, & paſſiones accurate docentur. Concedo ant. nego conſeq. arguitur enim ab inſufficienti enumeratione conditionum ſubiecti, & committitur fallacia conſequentis. Deſunt enim eis duæ priores conditiones ad obiectum formale præexactæ. Vel dici poteſt, argumentum concludere de obiecto remoto & materiali, non vero de obiecto proximo & formali, de quo extat præſens controuerſia.

43. Opp. 3. operationes intellectus quatenus dirigibiles, ſunt ſcibiles, & demonſtrabiles: ergo cadunt ſub obiectum alicuius ſcientiæ: nequeunt autem conſiderari ab alia ſcientia, quam à Logica, quæ ſola præbet leges, & præcepta eas rectè dirigendi, vt conſtat ex eius natura & inſtituto: ergo tales operationes ſunt obiectum formale Log. diſtinguo ſubſumptum, ſi fiat ſermo de dirigibilitate naturali & reali, nego. Quod ſi inſtituatur ſermo de dirigibilitate artificiali, & rationali ab intellectu cauſata, ſeu potius derelicta, concedo quidem eam reſpici à Log. Verùm, cum huiuſmodi ordinatio ſiue directio non in ea ſiſtat, ſed tendat ad ſyllogiſmum, ſiue modum ſciendi, conſequenter non operationes intellectus, ſed ſyllogiſmus conſtituitur proximum, & formale ſubiectum Dialecticæ.

ARTICVLVS VII.

An ſyllogiſmus ſit obiectum Logicæ.

44. ALgazel in ſua Log. c. 3. & Auic. ibid. argumentationem faciunt Log. ſubiectum ſimplicius in prol. prædicabilium, aliique veteres Peripatetici, quos ſequuntur Hurt disp. 1. ſect. 8. ſubſect. 4. & Arriag. diſp. 2. ſect. 5. ſubſect. 3. autumant, eſſe demonſtrationem. Scotiſtarum verò duplex eſt placitum, vnum quod defendunt Faber Theor 6 Orbel. q. 1. Maurit. & Sarn. q. 3. vniuerſ. ex Scot. ibid. aſtruentes ſyllogiſmum eſſe obiectum adæquatum totius Log. Alterum, quod tuentur Tatar. q. 3. art. 2. Ioannes de Magiſtris, Fonſ. 2. Met. q. 1. ſect. 5. & Complut. in Log. diſp. 1. q. 3. ex Scot. 1. Prio. q. 2. affirmantes ſubiectum Log. totale eſſe modum ſciendi.

45. Not. 1. ex Sarn. *pag.* 77. aliiſque Scotiſ. præcit. hic capi ſyllogiſmum in communi, prove abſtrahit à quolibet ſyllogiſmo, Dialectico, demonſtratiuo, & ſophiſtico: ſiue, vt alij inquiunt, prove ſyllogiſmus ſupponit ſimpliciter, non verò perſonaliter, complectens partes integrales ſubiectiuas, principia & paſſiones eius, de quibus abunde *in Epiſt l.* 3. Poteſt autem ſyllogiſmus accipi, primo intentionaliter, qui eſt oratio mentalis ſiue vocalis, ſiue ſcripta, compoſita ex tribus propoſitionibus: & ſecundò intentionaliter, qui eſt reſpectus rationis præmiſſarum, ad concluſionem. Rurſus obſerua modum ſciendi eſſe duplicem, formalem & obiectiuum. Formalis eſt actus intellectus, quo diuidimus, definimus & argumentamur: obiectiuus verò eſt ipſum obiectum, vel obiecta, de quibus fiunt diuiſiones, & argumentationes. Poteſt enim modus ſciendi ſic deſcribi, inſtrumentum quo à noticia noti deuenitur ad notitiam ignoti, breuius progreſſio noti ad ignotum.

46. Nota 2. ex eiſdem Authoribus Logicam bifariam poſſe inſpectari, vno modo ſecundum ſe, & in tota ſua amplitudine, quatenus comprehendit l. Porph. *l. ſex principiorum, l. de diuiſione*, & ſi quæ alia ab aliis Dialecticis addita ſunt & locupletata. Altero modo prove tradita eſt ab Ariſt. in libris ſaltem qui ad nos peruenerunt. Logicæ autem 1. modo ſumptæ, modus ſciendi decernitur obiectum. 2. vero modo inſpectæ, ſtatuitur ſyllogiſmus, vt benè aduertunt Sarn. *pag.* 78. Tol. *q.* 5. *fund.* 2. Conimb. *ibid. art.* 3. & Fonſ. *præcit.* Eo fere pacto, quo quidam Scotiſ. Philoſophantur de

ſubiecto

ſubiecto Phyſ. quam conſiderant in totu ſuo ambitu, aiuntque ſic eius obiectum eſſe ens finitum: vel vt fuit conſcripta ab Ariſt. & ita arbitrantur, eius obiectum eſſe corpus naturale, vt videre eſt apud geminos Scotiſ *q. proœm. in phyſ. paulo ante* 1. *art.*

47. Aſſ. 1. argumentatio non eſt totale ſubiectum Log. Ita Scot. *q. vniuerſ.* §. *Ad rationem poſitionis* 3. Et probatur ab ipſo ibi. 1. argumentationi deeſt 1. conditio ad ſubiectum requiſita: Nunquã enim ab Ariſt. definitur argumentatio in communi, nec ponitur eius definitio vt principium ſcientiæ, ergo non eſt Dia ſubiectum adæquatum. 2. argumentatio non habet paſſiones de ipſa demonſtrabiles, vt petit 2. conditio ſubiecti, cum non habeat definitionem. 3. eidem deficit 3. conditio, vel enim argumentatio eſt quid æquiuocum, vel analogum: ſi eſt quid æquiuocum; ab ea cum careat vnitate non depromitur vnitas Log. quandoquidem æquiuocum non eſt ſcibile, nec demonſtrabile: vel analogum, ad contenta ſub ea quo pacto Log. non erit vna ab ipſomet analogo, ſed ab vnitate eius principalis analogati, cui cætera omnia attribuuntur, cuiuſmodi eſt ſyllogiſmus, vt patet de vnitate Met. cuius vnitas eſt ab vnitate ſubſtantiæ, ad quam reliqua entia referuntur. Quare argumentatio non eſt ſubiectum Log. totale: niſi dicamus ipſam confundi cum ſyllogiſmo, vt ex Ariſt. 1. *prio.* 5. & 1. *Top.* 1. & 1. *Elench.* 2. aduerti *in Epit. l.* 3. *q.* 1. *art.* 3.

48. Aſſ. 2. Demonſtratio eſt tantùm partiale ſubiectum Log. tametſi principale. Tangitur, *a Doct.* 5. *Prio. q.* 2. *propè finem*, vbi adducit diuiſionem omnium partium Log. inter quas potiſſimum locat demonſtrationem. Suffragatur Ariſt. 1. *poſt. T.* 21. differens de Demonſtratione, tanquam partiali Dia. ſubiecto, & adducens eius principia, ſpecies & paſſiones. Probatur autem 1. obiectum ſcientiæ adæquatum comprehendit omnia, quæ in ſcientia cuius eſt obiectum pertractantur, vt ex notione ipſius nominis adæquatum elucet: & inadæquatum obiectum continet tantùm ſcientiæ partem, vt ipſa vox inadæquatum denotat: demonſtratio autem non comprehendit ſyllogiſmum topicum, ſophiſticum, & falſigraphum. Hi namque ab ipſa demonſtratione diſſident, vt conſtat ex eorum definitionibus: ergo demonſtratio eſt tantùm partiale, & inadæquatum Dia. ſubiectum, præcipuum tamen cum ſit eius pars præcipua, ac inſtrumentum ſcientiæ generatiuum. 2. vnius ſcientiæ genere, vnum eſt ſubiectum genere 1. *poſt. T.* 43. Log. autem eſt vna ſcientia genere, ex antecedente *q. art.* 4. ergo eius ſubiectum eſt vnum genere, quale non eſt demonſtratio, quæ ſub modo ſciendi, & ſyllogiſmo generatim ſumpto, continetur, proindeque demonſtratio eſt obiectum Log. partiale duntaxat.

49. Aſſ. 3. ſyllogiſmus eſt obiectum Logicæ adæquatum ab Ariſt. conſcriptæ. Hanc procul dubio tenet Scot. nuper cit. *q.* 3 *vniuerſ.* §. *dicendum ergo*, quam probat ex partitione librorum organi Ariſtotelis. Et fauet Zab. 5. *de natura Log. c.* 18. inquiens, *qui aiunt, ſyllogiſmum eſſe obiectum Log. ſunt aliis præferendi.* Probatur 1. ex Ariſt. 5. *Prio.* 5. *in initio*, & *in calce* 2. *Elench.* qui poſtulat, habendas ſibi eſſe gratias, propterea quod ſyllogiſmum adinuenerit, multumque in eo inſudauit, ad eumque omnia opera Dia. direxit, teſte Doct. vbi ſupra & confirmat Fonſ. 1. *Met. cap.* 3. *q.* 1. *ſect.* 3. 2. ſyllogiſmus potitur omnibus conditionibus requiſitis ad ſubiectum Log. adæquatum: ergo eſt eius obiectum adæquatum. Ant. probatur, de ſyllogiſmo præſupponitur, an ſit, & quid ſit, vt liquet in initio 1. prio. vbi habetur eius definitio. Itemque principia & paſſiones demonſtrabiles, tum in lib. prio. tum etiam in reliquis lib. Atque omnia quæ tractantur in Log. ad ipſum quoquomodo reuocantur, vel tanquam adminiculantia, vt definitio, 6. & 7. *Top. ac* 2. *poſt.* 2. Et diuiſio, 8. *Top.* 1. & 2. *prio. ſect.* 2. *c.* 3. vel tanquam imperfectum ad perfectum, vt enthymema, exemplum, & inductio 2. *prio.* vel tanquam partes integrales, ſiue materia remota, *l. prædicam.* ſiue materia proxima, *lib. perih.* vel tanquam partes ſubiectiuæ, *l. poſt.* & *Top.* denuo ſyllogiſmus continet omnes veritates, quæ haberi poſſunt in Log. præbetque ipſi vnitatem, & diſtinctionem, ſicut præſtat quoduis obiectum cuiuſcumque ſcientiæ: igitur ſyllogiſmus eſt Logicæ Ariſtotelicæ ſubiectum totale, & adæquatum.

50. Aſſ. 4. modus ſciendi eſt totale obiectum Log. ſecundum ſe conſideratæ. Ita Scot. 5. *Prio. quæſt.* 2. §. *Quantum ad* 3. *concluſ.* 2. probatur 1. ex Ariſt. 2. *Met. c.* 3. *T.* 15. vbi ab ipſo Philoſ. Logica vocatur modus ſciendi, eo quod tota incumbit in modum ſciendi obiectiuum, tanquam eius proprium obiectum, exponentibus eum locum non ignobilibus Scotiſ. Ergo menti Ariſt. conſonat, modum ſciendi eſſe obiectum adæquatum Log. in tota ſua [illegible]tudine. 2. ex refutatione aliarum opinionum, cuilibet namque ſcientiæ datum eſt ſubiectum adæquatum, à quo ſuam vnitatem diſtinctionemque ab aliis diſciplinis deſumat, 1. *poſt T* 41. Log. autem eſt vna ſcientia à cæteris diſtincta, ex dictis *q.* 2. *art.* 5. Ergo ipſi concedendum eſt vnum ſubiectum adæquatum, quod non ſunt voces, nec res omnes, nec ens rationis, nec operationes intellectus, nec demonſtratio, nec ſyllogiſmus, cum diuiſio, & definitio ſint modi ſciendi a ſyllogiſmo diſtincti; ergo euidenter & ſufficienter concluditur eſſe modum ſciendi. 3 modo ſciendi rectè adaptantur omnes conditiones ſubiecto totali Log. neceſſariæ: ergo modus ſciendi ſtatuitur totale obiectum Log. abſolutè ſumptæ. Ant. patet percurrenti eas ſingillatim. Præſupponitur quippe in ea an ſit & quid ſit modus ſciendi, de ipſo demonſtrantur paſſiones ſcibiles, nec eius metas tranſilit omnis quippe modus ſciendi, aut eſt diuiſio, aut definitio, aut ſyllogiſmus. Itemque aut eſt pars remota, vt terminus, aut pars propinqua, vt propoſitio, & ſi quid aliud in ea expenditur, apte ad modum ſciendi reducitur, vt fusè oſtendit Scot *in fine q. alleg.*

51. Opp. 5. Ariſt. 1. *prio. in principio* proponit ſe acturum de demonſtratione, & a *eiuſdem operis c.* 17. ſubdit, ſe differuiſſe de ipſa demonſtratione. Id autem circa quod artifex ſcientificus curam impendit, eſt eius obiectum: ergo cum Log. demonſtrationem excolat, infertur eam eſſe eius obiectum adæquatum. Conf. 1. Log. præbet modum ſciendi, modus autem ſciendi eſt demonſtratio, quæ definitur 1 *poſt T* . ſyllogiſmus faciens ſcire. Conf. 2. per ſolam demonſtrationem intellectus adæquatè perficitur, quia per eam notum habet obiectum, eiuſque paſſiones demonſtrabiles: igitur demonſtratio eſt totale obiectum Log. Reſp. illa, & conſimilia loca exponẽda eſſe de obiecto partiali principali, non verò de obiecto totali. Nam 1. loco cit. Ariſt. expreſsè ſubdit ſe velle inquirere quid ſit ratiocinatio, quænam ſit perfecta, quæue imperfecta. Et paulò poſt affert definitionem ſyllogiſmi in communi, quatenus comprehendit ſyllogiſmum topicum, & analyticum. In 2. autem loco alleg. apertè fatetur ſe egiſſe de ratiocinatione & demonſtratione: at ratiocinatio latior eſt demonſtratione. Eo magis 1. *poſt.* ſolùm ex inſtituto, demonſtrationem, principia, ſpecies, paſſiones, & effectus pertractat, quò fit, vt Ariſt. nequaquam obiectum adæquatum Logicæ locauerit, ſicut nec corpus animatum Phyſ. nec Deum Met. Ad 1 conf. concedo ma ad min dico, demonſtrationem eſſe quidem modum ſciendi, at non omnem modum ſciendi, & totalem, ſed partialem præcipuum duntaxat. Ad 2. conf. nego ant. rei quippè, nedum ſunt media neceſſaria, verum etiam probabilia ad ipſam oſtendendam.

52. Opp. 1. ſyllogiſmo competunt cunctæ conditiones ad obiectum Log. totale præexactæ: ergo ſyllogiſmus eſt eius obiectum totale. Ant. probatur, ſi aliqua conditio ipſi deeſſet, maxime quia ad ipſum omnia, quæ tractantur in Logica non reuocantur, puta diuiſio & definitio,

definitio, huiusmodi autem instrumenta ad ipsum syllogismum rediguntur, tanquam eius adminiculantia, & non raro ex eis fiunt præmissæ propositiones. Cætera verò ad eundemnet syllogismum reducuntur, tanquam imperfecta, ad perfectum. Atque reliquæ argumentandi species, vim inferendi ab ipso depromunt, vt de exemplo, & inductione ingenuè fatetur. Arist. 2. *prio.* & Scot. *ibid. q.8. & 1. prio. q.2.* Igitur impertinens est illa distinctio de subiecto Log. in se, & de subiecto, Log. ab Arist. derelictæ, cum idem sit decernendum obiectum Log. siue in so consideratæ, siue ab Arist. traditæ. Nego ant. ad eius probationem, dico diuisionem & definitionem esse distinctos modos sciendi à syllogismo, esseque partialia obiecta Log. de quibus effici queunt pleræque demonstrationes. Itaque si præcisè sumantur, syllogismo non competunt per se, sed per accidens, quatenus quoquomodo inseruiunt syllogismo. Nec obstat Arist. qui 1. *Met. c.7.* commemorat definitionem, & demonstrationem, omittens diuisionem: siquidem, illos duos modos sciendi ibi enumerat, tanquam præcipuos, tertium, idest diuisionem non excludens, quæ est instrumentum sciendi minus præcipuum, teste Arist. 2. *Prio. sect. 5. cap. 3.* & annuente Scot. *vbi suprà, ver. vnde quia.*

Instabis, definitio reducitur ad demonstrationem, veluti termini ad propositionem: termini autem per se pertinent ad propositionem, cum sint eius partes per se, ergo & definitio ad demonstrationem. Nego paritatem ma. Potest namque haberi demonstratio, saltem non potissima absque definitione, at sine terminis, effici non valet propositio.

Vrgebis, essentia prius cognita per definitionem suapte natura ducit in cognitionem suæ passionis: ergo per se est illatiua, proindeque pertinet ad demonstrationem, tanquam eius per se pars. Dico, licet habita cognitione essentiæ, valeat quis venire in cognitionem eius passionis, inferreque conclusionem, id tamen non est necessarium, nec exigitur ad naturam definitionis. Siquidem Deus habita essentiæ definitione, nullam ex ea elicit illationem, quodque etiam commune est Angelo secundum Thomisticam doctrinam. Quare definitio suapte natura, & intrinsecè, nullam prorsus sibi vindicat illationem & rationem discursiuam.

53. Opp. 3. Scot. *q. 3. vniuers.* affirmat & probat, syllogismum esse obiectum totale Log. At vero 1. *Prio. q.2. concl.1.* expressè inficiatur, syllogismum constitui obiectum Dia. adæquatum, vultque eo in loco, *concl.5.* esse instrumentum, seu modum sciendi: ergo Scot. apertè sibi contradicit. Respondet Faber *cap. 3. Theor. 6.* eos libros non esse Scot. quoniam in eis multa proferuntur, quæ doctrinæ eius non sunt conformia. Verum hæc responsio non satisfacit, quandoquidem *in qq. vniuers.* quædam pariter affert, quæ eis aduersantur, quæ scripsit, in lib sententiarum, vt ens est æquiuocum, subiectum accidentium est materia, & id genus alia. Veruntamen, omnes Scotis. concedunt illas qq. esse Doctoris subtilis, vt reuera eius sunt. Ideò non negandi, sed exponendi sunt præfati lib. si quid in eis reperiatur, quod ipsi Scot. pugnare videatur. Vnde Veglia *vestig. 1. c.6. n.16.* apposite subiicit, esse effugium miserorum, qui cum non valeant aliter euitare vim argumenti, negant vel Authorem libri, vel librum Authoris.

Occurrit Fuentes *q.3. art.5.* explanans Scot. 1. *prio. cit.* de subiecto prædicationis; *& 3. q. vniuers.* de subiecto attributionis. Sicque inquit, nulla extat in dictis Doct. contradictio, cum modus sciendi extet subiectum prædicationis, & syllogismus subiectum attributionis. Sed nec ista responsio diluit difficultatem. Non enim modus sciendi est subiectum totale prædicationis Log. cum ipse modus sciendi de multis, quæ in Log. aguntur, enunciari nequeat. Siquidem terminus non est modus sciendi, nec propositio est modus sciendi. Præterea, vt plurimum subiectum prædicationis transcendit limites scientiæ cuius est subiectum, vt liquet, de ente rationis, quod esse subiectum prædicationis Log. suprà asserui *art.5.* Iterum, *in vlt. ass.* probaui ad syllogismum non reduci diuisionem, & definitionem: Igitur prædicta distinctio de subiecto prædicationis, & attributionis non soluit præpositam apparentem repugnantiam.

Cardinalis Sarn. *in fine 9.* conatur eam contradictionem tollere, hac distinctione videlicet, Scot. in 1. loco disserere de obiecto principali, in 2. vero loco de obiecto totali. At huiusmodi responsio conspicue textui Scotico pugnat; vtrobique enim Doct. ratiocinatur de obiecto totali, & adæquato, vt patet inspicienti *q.3. vniuers. §. Dicendum ergo*, quod subiectum primum, idest, adæquatum, vt dictus Sarn. declarat, *pag 78.* Hocque constat 1. *Prio. quæst. 2.* Tunc sit 1. conclusio, quod iste terminus syllogismus non est subiectum in tota Log. Et paulo post. 2. conclusio est, quod iste terminus, instrumentum sciendi est subiectum in tota Log. Mihi autem videtur omninò dissolui apparens illa contradictio, si dicatur *in 3. q. cit.* Scot. loqui de subiecto Log. traditæ ab Arist. saltem secundum libros eius, qui ad nos peruenerunt: *& q. 5. alleg.* verba facere, de subiecto Log. in se spectatæ. Hanc responsionem non respueret Sarn. si meminisset eius, quod dixerat *pag. 78.* quæstionem præallatam, motam esse de Log. ab Arist. elargita: nec ab ea foret alienus Faber *cit. in sol. 3. & 4. rationis*, si diuisionem, & definitionem ad syllogismum non reuocasset in soluenda 1. ratione, & non repetiisset *infra cap. 4.* vel dici potest, Scot. in illo volumine Log. multa dixisse secundum communem sententiam, vt notat Bargius *q. 3 prol.* relatus à Sarn. *in margine q. 34. vniuers.* quæ alibi in suis scriptis apertè refellit. Idque etiam præstat Arist. *c. de quantitate*, enumerans quasdam species quantitatis, quas 5. *Met. c. de quanto*, prorsùs omittit.

54. Opp. 4. nil potest esse subiectum adæquatum totius, & partis, vt patet ex terminis: syllogismus autem est subiectum adæquatum *lib. Prio.* quia vna sunt tantum pars Log. Ergo syllogismus non est subiectum totale Log. etiam ab Arist. elaboratæ. Concedo ma. distinguo mio. Penes formam illatiuam concedo: penes omnes passiones in se, aut in suis partibus subiectiuis & integralibus ac reducibilibus ad ipsum nego.

55. Opp. 5. nulla scientia format suum obiectum: ad eam quippe præsupponitur sicut causa ad suum effectum. Fit enim scientia partialiter ex obiecto, iuxta illud elogium August 11. Trin. c.12. *ex cognoscente, & cognito paritur notitia.* Cum ergo syllogismus fiat à Log. infertur ipsum non esse subiectum Log. Aristotelicæ. Distinguo ma. de scientia reali speculatiua, concedo: de scientia rationali, & directiua, cuiusmodi est Log. nego. Ita Maur. & alij Scoti enarratores in præsenti q.

Petes, vtrum syllogismus sit obiectum formale Log. Arist. Respondet Faber præcit, ante argumentorum solutionem affirmatiue. Soli namque illi obiecto adiungitur ratio formalis, quando latiùs patet, quàm scientia cuius est obiectum. Ob id per rationem formalem sibi additam angustatur, & limitatur, vt sub huius potiùs, quàm illius considerationem cadat, vt corpus naturale per sanabilitatem, quæ est vna eius ratio formalis, soli Medicinæ congruit, eique adæquatur. Veruntamen cum obiectum ex se est æquale scientiæ, inquit dictus Faber, nulla ipsi apponenda est ratio formalis. Sic syllogismus simpliciter, omnibus modis quibus est considerandus, à Log. Peripatetica expenditur. Præterea nulla indiget ratione formali ipsum restringente. Melius dici potest syllogismum, vt instrumentum sciendi esse obiectum formale Log. Stagiritæ, non verò absolutè. Nam si inspectetur, vt ens rationis, pertinet ad Met. vt præ aliis notat Aur. 1. *dist. 23. art. 2.* & indicat Sarn. *quæst. 8. vniuers. pag. 154.* annuuntque Scot. & Anglicus *ibid. quæst 7. fol. 74. colum. 2. in fine.* Et si expendatur vt est operatio

ratiu intellectus spectat ad Animasticam. Quod si inspectetur vt est oratio congrua discutitur à Grammatica.

QVÆSTIO IV.

De vtilitate, & necessitate Logicæ.

ARTICVLVS I.

An Logica sit vtilis.

1. EPICVRVM, eiusque sfecias, Logicam tanquàm vanam, & inutilem contempsisse, referũt Cic. 1. *de finibus*, Laërtius *l.* 10 & Lact. 3. *Instit.* Quorum errores, ipsemet Lact. ibi recitat, & egregie refutat: & insinuat Aug. 1. *contrà Crescomium cap.* 13. Illis adstipulantur Cirenaici Aristippi sectatores, testibus Clitomacho, & Maleagro, apud Laert. *l.* 1. Et sectarij artes liberales criminantes, magnoque odio prosequentes: propterea quod, boni Dialectici, eorum techinas detegunt, nodos disrumpunt, laqueos frangunt, sophismata illudunt, & in nihilum redigunt. Quos omnes meritò orthodoxi Doctores damnant, decernentes, & proclamantes, Logicam esse nobis maximè vtilem, & proficuam, eamque veluti differendi magistram colunt, & excolunt.

2. Ass. Logica laudibus est euehenda, & tanquam vtilis est à nobis perdiscenda. Hanc præsupponit Doct. in volumine, quod de Log. edidit, & perfecit. Probatur 1. ex Arist. 1. *Top.* 2. Dialectica ad omnium methodorum principia viam parat. 1. *Met. cap.* 1. *&* 2. ob imperitiam dialecticæ, Philosophi antiqui in multos errores inciderunt. *Et* 2. *Met. cap.* 3. *T.* 15. Dialectica vocatur modus sciendi: norma autem sciendi, regula fugiendi errores, & instrumentum acquirendi alias scientias, est vtile, & proficuum. Accedunt Plato *in Phedro*, & 7. *de Rep.* Aug. 3. *contra Academicos c.* 17. Boetius *in Top.* Cic. Hugo Vict. 1. *Disdascalica eruditionis*, & alij, qui Dialecticam plurimùm commendant, magnisque encomiis afficiunt, vt eius dignitatem, vtilitatemque nobis significent. Vndè, Aug. 3. *contrà Crescomium*, ostendit Christum Dominum, & D. Paulum, in differendo, & prædicando, vsos fuisse Dialectica. Et 2. *de doctrina Christiana cap.* 31. subiicit, eam ad omnia quæstionum genera, quæ in sacris litteris sunt penetranda, & dissoluenda multùm conducere, monetque ibi, tantùm esse cauendam libidinem rizandi, & puerilem quandam ostentationem decipiendi Aduersarium. 2. vtile est, quod in gratiam alterius consequendi expetitur. Log. autem confert, ad aliarum scientiarum adeptionem, cum sit modus, & instrumentum sciendi; ergo Log. est vtilis 3. quod mentem nostram ornat, & perficit, & in gratiam alterius incumbit, est vtile: Log. autem intellectum nostrum adornat, & illustrat, atque in gratiam cæterarum disciplinarum laborem suum impendit: ergo tanquam vtilis, & proficua à nobis est excolenda. Huius autem quatuor vtilitates commemorat Tatar. *q.* 3. *dub.* 3. prima est facilitas diuidendi, definiendi, & argumentandi. 2. facilitas discernendi verum à falso. 3. facilitas arguendi, & respondendi in omni rerum genere. 4. facilitas soluendi paralogismos in forma peccantes.

3. Opp. quod est obnoxium Christianæ religioni, est vanum, & inutile: Log. autem est obnoxia Christianæ familiæ. Nam 1. Cor. 8. *scientia inflat, charitas ædificat.* Et Log. ex dictis est scientia, quæ videtur opponi saluti nostræ, vt deducitur ex illo psal. 70. *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentiam tuam.* Vbi habet Gloss *in religionem Christianam*; ergo Dia. nobis non prodest. Conf. de Ario, cuius hæreses dialectica fulciri, scribit Hieron. contrà Luciferianos. Itidemque, de Matthæo, Lut. Caluin aliisque permultis, qui nodosos contexunt syllogismos, vt homines in errorem inducant. Concedo ma. nego min. ad eius probationem, explano illud testimonium, cum Aug. 9. *Ciuit.* 20. de scientia absque charitate, non verò de scientia iuncta cum charitate. Idem scribit S. Doct. *In Psal* 118. *Con.* 17. *& tract.* 27. *in Ioan.* Quid est scientia inflat? sola sine charitate. Ideò Angeli mali dicuntur Dæmones, quia scientia inflati superbiunt, peruersè præsumentes, tanquam phrænetici, qui reprobantur, ne intrent in potentiam Domini. Ita exponitur locus Psal. alleg. ab eodem Aug. ibi dicente, per litteraturam intelligi homines de terra gloriantes, & de suis viribus præsumentes Hæc responsio apertè colligitur ex Apost. ibid. Subiiciente. *Si nouerim mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ad Conf. dico, id esse per accidens. Non enim mala Dia. sed mali homines qui male eâ vtuntur, nec vsus, sed abusus reprobatur. Idque innuit Scot. 5. *d.* 42. *q.* 4. *§. sequitur ante M* post Aug. 9. *Trin.* 10. definire intemperantiam, pertinet ad artem moralem: esse autem intemperantem, pertinet ad illud quod in ea arte culpatur. Sicut noscere, & definire [illegible] pertinet ad artem loquendi; facere verò, [illegible] vitium, quod in ea comprehenditur. Hoc etiam perbelle ostendit Rodolphus Agricola: *Non artis est culpa, fugienda amplecti, sed improbitatis, sectari fugienda.* Nec omittendus est Aug. *qui* 1 *contrà Crescanium, cap.* 1 Optimis exemplis rem nostram declarat. Non enim pro patria non est armandus miles, quia contra Patriam nonnulli arma sumpserunt, aut ideo vti non debent boni, Doctique Medici medicinalibus ferramentis ad salutem, quia his ad perniciem etiam indocti, pessimique abutuntur.

4. Opp. 2. S. Hieronym. ad Damasum Papam scriptis relinquit. *Nonne nobis videtur in vanitatem sensus, & obscuritatem mentis, ingredi illum, qui diebus & noctibus in dialectica arte torquetur?* Idque exstat in Canon. d. 37. c. Nonne & ibid. c. *Omne vim inuentorum suorum in Dia. disputatione ponunt Heretici. quæ philosophorum sententia definitur non astruendi, sed destruendi, sed non in Dia. placuit Deo saluare populum suum.* Huc pertinet illud eiusdem Hieron. qui cum libros Ciceronis legeret, ab Angelo correctus est ex eo, quod vir Christianus Paganorum figmentis operã daret. Subscribit Orig. explicans, per Cynifes, & ranas quibus Ægyptij fuere percussi, vanam Dialecticorum garrulitatem, & sophismata eorum Resp. in præfatis authoritatibus solùm eos reprehendi, qui omnem curam, & sollicitudinem ad Dialecticam comparandam collocant, relictis Christi præceptis, ac si salus æterna in adeptione Dia. consistat. Hæc verò solutio, & explicatio conspicuè colligitur, ex verbis præpositis, nempè non placuit Deo, in Dia. saluare populum suum. Ad S. Hieron. dico, ipsum ab Angelo non fuisse reprehensum, quia codices Ciceronianos peruolueret, sed quia nimium eos curaret, & amplius euolueret, quàm sacra Biblia, vt ornatior, & cultior eius sermo niteret. Orig. autem interpretandus de arte sophistica, & fucata Log. vt eius verba prællegata apertè demonstrant, & confirmat Aug *q.* 100. *noui, & veteris testamenti.*

5. Opp. 3. Log aut sibi, aut aliis scientiis proficit: sed neutro modo prodest, ergo vt inutilis spernenda est. Ma. patet. Min. suadetur, non est sibi proficua, quoniam multa superuacanea in ipsa continentur, vt insolubilia, obligatoria, modus inueniendi medium, cauilli opponendi, & respondendi: nec prodest cæteris disciplinis, quia periti Logici, verum tanquã falsum, & econtrà, docere conantur. Concedo ma. nego min. ad 1. probationem, nego ea esse superflua; iuuant enim valdè scientias, & qui ea non callent, sæpè allucinantur. Ad 2. probationem dico, id non per se, sed per accidens contingere. Sicut interdum gubernator nauem euertit, & medicus infirmum perimit, hominum sunt ista, non artium. Hinc Aug. 2. *de*

doctrina

doctrina Christiana, c.36. inquit. *Non est facultas culpabilis, sed ea male vtentium peruersitas.*

ARTICVLVS II.

An Logica sit necessaria ad alias scientias consequendas.

6. TRes in hoc art. recensentur opiniones, duæ extremæ, & tertia media. Prima est Auic. *c.2. sue Log.* Algaz. *ibid c 2.* & Burlæi *q.3. prædicabilium*, existimantium, Logicam simpliciter esse necessariam ad alias scientias capessendas. 2. est Iand. 2. *Met. q.12.* & Iauelli *in Log. Tract.1. c.4.* arbitrantium, Dia. ad aliarum doctrinarum adeptionem esse tantùm vtilem, & proficuam. 3. traditur à Gadio *quol.16.fol 165. colum. 3.* Fuente *q.1. dif.2.art.2.* & Fons. 2. *Met. q.4.sect.1.* in quam inclinat Tatar. *q.3.dub.3.* Et citatur Scot 2. *Met. q. 12.* à *Conimb. q.6.art.2.* (sed Scot. ibi nihil de Log. necessitate disserit) qui docent, reliquas disciplinas imperfectè posse à nobis sine Log.comparari: ipsam verò Log.necessariam esse ad cæteras scientias perfectè acquirendas.

7. Not.1. & recol. ex dictis, *q.2. art.2. not.1.* Logicam esse duplicem, naturalem, & artificialem. Artificialis à Doct. *q 3. vniuers.* & Sarn.*ibid. pag.65. & q 3. Prol. §. Dicendum ergo:* secatur in veterem, & nouam. Log. vetus comprehendit partes integrales syllogismi, quæ habentur *in lib. prædicam & perih.* perhibetur autem vetus, quatenus tempore præcedit reliquas eius partes subiectiuas. Logica noua continet partes subiectiuas syllogismi, quæ traduntur *in lib. Prio. post. Top. & Elench.* Appellatur verò noua, quatenùs posterior est præfatis partibus integralibus, penes quas dicitur Logica vetus. Deinde Log. distribuitur in totalem & partialem. Totalis est, quæ comprehendit totam disserendi doctrinam: partialis verò, quæ vnam illius partem capit duntaxat.

8. Not.2.ex Arist. 5.*Met.c.5 T.6.*& Orb *ibid.q.2.*& Scot. 1. *d.39. §.Ad arg. 1.q.v. & 4. d.10. q.4. §. Hic duo sunt. ante C.* duplex esse necessarium, absolutè & ex suppositione. Necessarium absolutè est, quod secundum se aliter se habere non potest, vt Deus,qui est primum-ens existens, & prorsùs independens, & præter ipsum Deum nihil est aliud absolutè necessarium, authore Scot. 1. *d.8. q. 5. §. Ad q. T.* Necessarium ex suppositione seu ex hypothesi, quod ex aliqua causa est necessarium, & quadruplex constituitur, iuxta quadruplex causarum genus. Necessarium ex causa efficiente est, quod positâ causâ efficiente, non potest non produci, vt posito igne ponitur calor. Necessarium ex causa materiali est, quod eâ positâ, effectus eius non potest non euenire, vt corpus ex materia, & forma conflatum est corruptibile. Necessarium ex causa formali est, quod eâ positâ, sequitur eius effectus formalis, vt positâ animâ in corpore debite organizato, sequitur eius animatio. Necessarium ex causa finali est duplex, vnum sine quo finis nullo modo haberi potest, vt sine respiratione & cibo animal viuere nequit, & istud appellatur necessarium simpliciter. Alterum sine quo quidem finis acquiri potest, sed non ita commodè, & hoc nuncupatur necessarium secundum quid: sic homini ad iter agendum necessarius est equus. Vtriusque huius necessitatis meminit Philosophus 1. *de partibus c.1.* quæritur autem in præsenti, num Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas, necessitate tantùm causæ finalis simpliciterne, an verò secundum quid.

9. Ass. 1. Logica naturalis est necessaria simpliciter ad cuiuslibet scientiæ acquisitionem. Hæc ass. præsupponitur à Doct. & à nemine, quem viderim negatur. Probatur 1. illud est simpliciter necessarium alicui, sine quo acquiri non potest: absque autè Log naturali, nulla scientia haberi potest, ergo Log. est simpliciter necessaria, ad quamlibet scientiam adipiscendam. Ma. patet. Min. suadetur, sine capacitate, & aptitudine naturali nihil efficitur ab agente naturali, vt lapis non videt, quia capax non est visionis; ergo cum Log. naturalis sit inclinatio, seu habilitas naturalis disserendi, vt constat *ex 1.q. art.1.* planè infertur, absque ipsa comparari non posse vllum habitum scientificum. 2. ars non operatur natura non operante, ars quippe præsupponit naturam, vt experimur in cunctis artis operibus: omnis autem scientia humanitus acquisita, est opus artificiale: ergo necessario præsupponit Log. naturalem tanquam inclinationem, naturalemque aptitudinem, & habilitatem cognoscendi, & inferendi vnum ex alio, ac proinde ei simpliciter est necessaria.

10. Ass. 2. vna pars Log. artificialis est necessaria simpliciter alteri parti, eiusdem met Log. artificialis. Hanc quoque præsupponit Doct. in volumine suæ Log. quæ probatur. 1. cognitio, quæ habetur de terminis incomplexis, est simpliciter necessaria illi parti, quæ tractat de terminis complexis. 1. enim *post. T.21.* principia cognoscimus, quatenus terminos cognoscimus. Atque principiata cognosci non valent, sine principiorum notitia. Secunda namque operatio intellectus præexigit primam, veluti tertia secundam. Ergo vna pars Logicæ artificialis simpliciter est necessaria alteri parti. 2. ad cognoscendum totum distinctè, opus est cognoscere eius partes: siquidem ignoratis partibus, totum pariter ignorari necesse est, vt si quis nesciat literas, syllabas quoque & dictiones ignorabit: syllogismus autem est quoddam totum ex partibus conflatum, idest terminis & propositionibus. Itemque syllogismus suo modo participat materiam, & formam: de eius forma disseritur *in lib. Prio.* deque eius materia *in lib. post. & reliquis*; ergo ad eius cognitionem oportet cognoscere eius materiam & formam. Atqueadeò vna pars Log. artificialis extat necessaria simpliciter alteri parti.

11. Ass. 3. Logica artificialis totalis, ad alias scientias imperfectè quidem non est necessaria, sed ad eas perfectè acquirendas, scilicet hæc illis necessaria est secundum quid: Ista ass. scinditur in duas partes. 1 pars colligitur ex Scot. 1. *Prio. q 46. §. Ad 1. arg.* Et ab ipso sic probatur. 1. quod prius est, non dependet in esse à suo posteriori, vt patet, cæteræ autem scientiæ sunt priores Log. prioritatè temporis, vt visum est *1.q. art. 5.* Ergo Log. ad earum acquisitionem imperfectam non est necessaria. 2. aliæ scientiæ sortiuntur propria principia, diuisiones, & definitiones ab ipsa independentes, vt videre licet in qualibet scientia. Rursus plerique scientiis & doctrinis excelluerunt, nominatim Thales Milesius in Phys. Hypocrates in Medicina, & non pauci in Mathema. & Iurisprudentia, qui à limine nunquam Dialecticam salutaront. Ad eas ergo imperfecte acquirendas Dia. non est necessaria. Secunda pars, quæ deducitur ex Doct. *q.1. vniuers.* & *Met. c.3. in expos. T.15.* suadetur 1. ex Platone 7. *de Rep.* Impossibile est, intellectum sine Dia. exacte rem aliquam attingere. Et Arist. 2. *Met. T. 15. Absurdum est, quærere scientiam, & modum sciendi.* Vbi Auer. *ibi in com.* & Scot. *eo in loco, & q. alleg. vniuers.* per modum sciendi capiunt Log. Ergo ne in absurdum & errorem quispiam cadat, hoc est, vt perfecte alias disciplinas calleat, ei necessaria est Log. Eo magis, 1. *Top.1.* Log. viam parat ad omnium methodorum principia, tradit enim modum diuidendi, definiendi & ratiocinandi, ad alias igitur scientias adipiscendas opus est Log. 2. D. Aug. *l.2. de ordine c.13.* scribit. Quando ratio ad alia fabricanda transierit, nisi ipsa sua potius machinamenta quædam, & instrumenta distingueret, notaret, digereret, proderetque ipsam disciplinam, quam Dia. vocant. Cic. 2. *de finibus.* Dialecticam contemnit Epicurus, quæ vna continet omnem & perspiciendi quid in quaque re scientiam, & indicandi, quale quidque sit Idipsum tradit Aug 8. *Ciuit c 14.*

Fauent. Lact. 3. *Inst.* affirmans, ob ignorantiam Log. Epicurum incidisse in fœdos errores Hugo Vict. 1. Didascalicæ erud. *Cæteræ artes prius repertæ fuerunt, sed necesse fuit, Logicam quoque inueniri, quoniam nemo de rebus conuenienter disserere potest, nisi prius rectè loquendi rationem agnouerit.* Idem refert Viues, *in com.* 8. *Ciuit. c.* 7. Tertio, res perfectè non scitur, nisi cognoscatur aliter se habere non posse 1. *post. c.* 2. Id autem sola Log. præstat, quæ præbet normam syllogizandi, in debitis modo & figura. Iterùm nequimus rem cognoscere, nisi inueniendo & iudicando: Logica verò sola docet modum inueniendi, & indicandi, necnon colligendi ex veris præmissis veras conclusiones. Deinceps absque instrumento sciendi non acquiritur scientia, cum scientia gignatur per demonstrationem, ex dictis autem Log. est instrumentum sciendi, siue scientia instrumentaria: ergo ad alias scientias perfectè comparandas est necessaria.

12. Opp. 1. opera naturæ sunt certiora, & perfectiora operibus artis 2. *Phys. c.* 2. Ergo cum habeamus Log. naturalem, ipsa nobis sufficit ad aliarum scientiarum comparationem, absque eo quod Log. artificialem addiscamus. Resp. effectus naturæ esse in duplici genere. Quidam enim sunt ita certi & determinati, vt semper eodem modo fiant, vt graue tendit deorsum, leue sursum: ignis calefacit, & aqua frigefacit, ad hos aptè promendos nulla ars est necessaria. Alij verò certum & determinatum modum non sortiuntur, sed bene, vel malè fieri queunt, & ad istos rectè dirigendos necessaria est aliqua doctrina. Quod insinuat Plato in Philebo, vbi Socrates docet, omnes homines natura esse Logicos, sed naturalem hunc humanæ rationis ardorem, temerarium esse, nisi consilio regatur. Per prællatam distinctionem facilis redditur responsio ad oppositionem præpositam: siquidem ant. est verum de operibus naturæ 1. generis, non autem de effectibus naturalibus 2. generis, respectu quorum perhibetur ars perfectior natura. Et apud cit. 4. *de finibus*, Ars est dux certior, quam natura. Hoc modo explicatur Arist. adductus à Racon. quamuis id in cit. text. non reperierim.

13. Opp. 2. si Log. foret necessaria aliis scientiis, esset necessaria sibi ipsi, cum ipsa sit scientia, vt ostendi, *q.* 2. *art.* 1. Idem autem sibimet non videtur esse necessarium, alioqui idem foret prius & posterius, præsupponens & præsuppositum respectu eiusdem, ergo nec aliis Dia. extat necessaria: Concedo sequelam Ma. nego min. Log. quippè naturalis necessaria est Logicæ artificiali, vnaque artificialis partialis iuuat aliam partialem, veluti partialis quæ habetur *in l. prædicabilium, & prædicam.* opitulatur ei, quæ præbetur *in l. perih.* & hæc alteri consequenter, totaque imperfecta inseruit toti perfectæ, & ista reliquis disciplinis, vt patet de manu, quæ sibi & reliquis membris corporis est auxilio.

14. Opp. 3. non ob aliud censetur Log. necessaria cæteris Doctrinis, nisi ob instrumenta sciendi, quæ ipsa largitur, aliæ autem scientiæ gaudent propriis instrumentis, hoc est, diuisionibus, definitionibus, & argumentationibus, vt constat percurrenti singulas scientias, ergo necessario Log. non est adeunda, vt aliæ acquirantur disciplinæ. Concedo ma. distinguo min. quoad formam nego: quoad materiam concedo. Quamuis enim vnaquæque scientia potiatur propria materia, vt elaborentur præfata sciendi instrumenta, nihilominus forma, modusque eorum à Log. depromitur, vt rectè aduertit Bass. *q.* 8. *prol. art.* 2. & post ipsum Tol. *q.* 1. *in solutione* 2. & iam explicui *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 4.

15. Quæres 1. quodnam sit officium Logicæ? Resp. esse discernere verum à falso per modum sciendi, vt indicat Aug. 1. *contra Cresconium c.* 15.

16. Quæres 2. Quisnam sit finis Logicæ? Resp. iuxta duplicem finem formalem, & obiectiuum alibi explicandum, finem formalem Log. esse perfectam cognitionem modi sciendi, siue syllogismi, vt insinuat Tatar. *q.* 2. *dub.* 1. Finem autem obiectiuum esse modum sciendi, siue syllogismum, circa quem tota occupatur. Cum verò finis scientiæ intrinsecè coincidat cum eius obiecto, vt ex Scot. *quæst.* 3. *prol. ante T.* obseruat Faber *in calce Theor.* 1. Ideo non sunt alia inuestiganda, præter ea quæ de obiecto superiùs tradidi.

LIBER SECVNDVS.

De Vniuersalibus.

1. DISCEPTATIONEM de vniuersalibus præferendam esse disputationi de particularibus, præmonet Arist. 1. *de partibus c.* 1. cuius vestigiis inhærens, monitumque exequens, primum de vniuersalibus vniuersè sumptis; postmodum verò de singulis particulatim disseram, vt habitâ cognitione vniuers. in communi, commodius vnumquodque in particulari notum habeatur. Quamuis autem horum ampla, & prolixa tractatio potiùs ad Met. quàm ad Log. pertineat, vt obiicit Hurt. *disp.* 3. § 1. Et tanquam abusum in scholis reprehendat, nitaturque de medio tollere: nihilominus quia multa tam in Dia. quàm etiam in reliquis scientiis percipi nequeunt à Tyronibus absque illorum cognitione, cogimur hoc loco eorum tractatum edere cum Scot. cæterisque Philosophis; præsertim quia Log. secundum esse intentionale, & Met. secundum esse reale vniuersalia pertractant. Et vt notat Ioannes Anglicus *q.* 24. *vniuers.* nihil est logicum, quod metaphysicè peruestigari non valeat: nihilque metaphysicum, quod suo modo logicè perlustrari non possit propter vtriusque conuenientiam & affinitatem, de qua supra *q.* 2. *art.* 7. *præcedentis lib.* Eo magis, quia præfatus Hurt. nolens incidit in qq. metaphysicas, à quibus se abstinere decreuerat, vt commune erratum se emendasse videretur. Nam iste Author *in ipsomet initio sect.* 1. perquirit, num gradus superiores distinguantur formaliter ab inferioribus. Et *disp.* 6. *sect.* 3. inuestigat, verum conceptus differentiæ subalternæ sit de conceptu formali differentiæ vltimæ. Quæ & consimilia sunt metaphysicæ considerationis, sicque Hurt. proprio rete irretitur, quod in alios contexit. Itaque ea, quæ in decursu tradendorum, vsque ad Met. scitu sunt necessaria, in præsentia discutere, & decidere statui.

QVÆSTIO I.

De vniuerſalibus in communi.

ARTICVLVS I.

An ſint vniuerſalia.

1. DOCTOR ſubtilis 1. *d.* 3. *q.* 4. §. *quantum ad 3. art. paulo ante I.* Lych. Vigerius *ibid.* & Aur. *d.* 36. *art.* 1. commemorant opinionem Heraclæorum, quorum primi Duces exiſtunt Heraclitus, & Cratylus, qui teſte Ariſt. 3. *Cœli*, *T.* 3. 1. *Met.* *T.* 5. & 4. *eiuſdem operis* *T.* 22. perſpicientes omnia eſſe in perenni fluxu, corruptionique obnoxia nulla in rebus vniuerſalia concedunt, ac omnem ſcientiam quæ habetur de vniuerſalibus prorsùs auferunt. Hos autem acriter impugnant, & vehementer expugnant Stagirita, & Scot. præcit. cum Socrate, cæteriſque Philoſophis, qui omnes vno calamo conſcribunt dari vniuerſalia. Præſuppoſitis autem variis vniuerſalis acceptionibus, quas habet Maior *l. prædicabilium* *q.* 3. *not.* 1. & recognitis iis, quæ de vniuerſalis diuiſione & definitione, eiuſque conditionibus attuli, & explicui *in Epit. lo.* 1. *q.* 3. *art.* 1. & 2.

3. Aſſ. dantur vniuerſalia. Ita Scot. *cit.* & *q.* 4 *vniuerſ.* vbi probat vniuerſale eſſe ens. Et 2. *d.* 3. *q* 1. ſuadetur 1. ex Ariſt. 1. *perih.* *c.* 5. diuidente res in vniuerſales, & ſingulares. Et 1. *phyſ.* *T.* 49. *Et 2. de anima c.* 5. *T.* 60. Et 3. *eiuſdem operis* *T.* 18. *intellectus eſt vniuerſalium, & ſenſus ſingularium.* 2. ea ſunt admittenda, quorum eſt definitio, 7. *Met.* *T.* 14. & 29. Etenim de non ente non datur definitio, vt notat Doct. 4. *d.* 1. *q.* 2. At vniuerſalia definiuntur. 1. *perih.* 5. & 1 *poſt.* 25. ſunt ergo concedenda vniuerſalia. 3. negari non poſſunt obiecta ſcientiarum circa quæ ſcientiæ occupantur, vt tangit Scot. *q.* 3. *prol.* §. *Ad* 1. *arg.* 1. *q* *Reſp.* obiecta autem ſcientiarum ſunt vniuerſalia 7. *Met* *cit.* à *Doct.* *coll.* 76. §. *Ad* 1. *iſtorum.* Et de ſingularibus non habetur ſcientia, 1. *poſt.* *T.* 62. & 7. *Met.* *T.* 53. Ratio affertur à Scot. 2. *d.* 9. *q* 2. §. *Ad arg pro* 1. *opinione in ſolut.* 4. *X.* Quia ſingularia non habent proprias paſſiones ſcibiles, & demonſtrabiles. Idque confirmatur ab eodem 3. *d.* 21. *ſub F.* 4. *ex Ariſt. c. de ad aliquid*; poſito vno relatiuo ponitur & aliud, quoniam correlatiua ſunt ſimul natura, ſed dantur ſingularia, vt omnibus patet, ergo ſtatuenda ſunt vniuerſalia quæ ſunt eorum correlatiua.

4. Opp. 1. quidquid eſt in mundo, eſt ſingulare: ergo nullum datur vniuerſale. Ant. probatur, quidquid eſt, aut eſt creatum aut increatum: ſed tam creatum quam increatum eſt ſingulare. Solus quippe Deus eſt increatus, qui eſt ſingularis: omne vero creatum quoque eſt ſingulare. Creatio namque & quælibet productio eſt ſingularium, 1. *Met. cap.* 1. Conf. ex Boët. omne quod eſt, ideo eſt, quia vnum numero eſt. At vniuerſale non eſt vnum numero, quod eſt ſingulare: ergo nullum datur vniuerſale. Diſtinguo ant. cum Tatar. *q.* 8. *Prædicabilium dub.* 1. Et Orbel. 8. *Met.* *q.* 1. *in fine* 2. a. per ſe concedo: per accidens denominatiue & realiter, nego. Hæc diſtinctio deducitur *ex* 1. *Met.* *c* 1. vbi Ariſt. aſſeuerans, experientiam eſſe ſingularium, & artem vniuerſalium, ſubdit. Non enim Medicus curat hominem niſi per accidens, ſed Calliam aut Socratem, cui accidit vt homo ſit: vel, quod in idē fere recidere videtur, poteſt diſtingui ant. Primario & immediate conceditur, ſecundario vero & mediatē negatur. Iſta reſponſio exhauritur ex Ariſt. *in prædicam.* *c.* *de ſubſtantia*: corruptis primis ſubſtantiis, corrumpuntur & ſecundæ ſubſtantiæ. Primæ autem ſubſtantiæ ſunt ſingularia, & 2. ſubſtantiæ ſunt vniuerſalia. Quare productio & corruptio immediatè attingunt ſingularia, mediatè vero vniuerſalia. Sicque cum naſcitur, aut moritur Petrus, immediatè naſcitur, vel moritur hic homo, qui dicitur Petrus: mediatè vero naſcitur, vel moritur homo. Ad conf. idem reſpondet Scot. 2. *d.* 3. *q.* 6. §. *Ad q.* *D.* *Et* 3. *d.* 22. *q.* *vn.* §. *Ad* 1. *G.*

Inſtabis, Scot. *q.* 4. *vniuerſ.* occurrit, Boëtium eſſe interpretandum de eo, quod eſt præter operationem intellectus, cuiuſmodi non eſt vniuerſale, quod habet eſſe per opus intellectus: ergo præallata diſtinctio nulla eſt. Rurſus, à negatione inferioris, ad negationem ſuperioris non tenet argumentum. Non enim ſequitur, *Homo non eſt: ergo animal non eſt.* Itemque: *non eſt animal, ergo non eſt corpus.* Non ergo bene arguitur, ſublatis ſingularibus, auferri quoque vniuerſalia. Idque expreſsè docet Porph. *c. vult. Iſag.* inquiens, omnibus indiuiduis ſublatis, non tolli ſpeciem; cunctiſque ſpeciebus amotis, non amoueri genus. Quandoquidem prius poteſt eſſe abſque poſteriore: igitur genus eſſe valet ſine ſpeciebus, & ſpecies ſine indiuiduis. Dico Scot. ibi loqui de vniuerſali logico, non autem de vniuerſali metaphyſico, de quo extat præfata reſponſio. Ad aliud quod infertur dico, non eſſe argumentum à negatione inferioris, ad negationem ſuperioris: ſed à ſufficienti partium enumeratione: ſublatis quippe omnibus partibus alicuius totius, totum auferri neceſſe eſt. Ad Porph. dico ipſum eſſe exponendum de eſſe obiectiuo & cognito, non vero de eſſe realis exiſtentiæ, vt loquitur Ariſt. præcit.

5. Opp. 2. omne quod eſt aliud à prima ſubſtantia, aut dicitur de 1. ſubſtantia, aut eſt in 1. ſubſtantia: ſed vniuerſale eſt aliud à 1. ſubſtantia, nec eſt in 1. ſubſtantia, nec prædicatur de 1. ſubſtantia, quia ſolum 2. ſubſtantiæ prædicantur de primis, & ſi foret in 1. ſubſtantia eſſet accidens, veluti albedo, quæ eſt in pariete. Concedo ma. diſtinguo min. vniuerſale præciſè ſumptū concedo; ſic enim abſtrahit à ſubſtantia & accidente, veluti ens præciſè captum abſtrahit à finito, & infinito. Quod ſi vniuerſale ſpecificè accipiatur, pro ente per ſe ſubſiſtente, ita 2. ſubſtantiæ ſunt vniuerſalia, ſuntque in 1. ſubſtantiis per inexiſtentiam, & non per inhærentiam, vt accidentia, deque illis prædicantur, vt Petrus eſt homo.

6. Opp. 3. Quidquid eſt, aut eſt à natura, aut ab intellectu: ſed vniuerſale non eſt à natura, quia natura reſpicit tantùm ſingulare, ergo vniuerſale eſt ab intellectu, proindeque figmentum. Concedo ma. diſtinguo min. vniuerſale metaphyſicum eſſe a parte rei, concedo: vniuerſale logicum, nego: fit enim ab intellectu, nec eſt figmentum, quia habet fundamentum in re, vt inſinuat Doct. *q.* 4. *vniuerſ.* & *Theor.* 4. Quod infra declarabitur.

7. Inſtabis, ſi vniuerſale logicum fit per intellectum, vt conceditur: ergo malè inueſtigatur an ſint vniuerſalia. Conſequentia ſuadetur: propoſitio de 2. adiacente ſignificat exiſtentiam realem, vt homo eſt, quam participare nequit, quod tantum capit eſſe ab intellectu, cuiuſmodi eſt vniuerſale logicum. Concedo ant. nego conſeq. ad probationem dico, non eſſe abſolutè propoſitionem de 2. adiacente, ſed eſſe propoſitionem dubitabilem, ſiue problema Dialecticum, vt videre licet 1. *Top.* 1. vel dici poteſt duplicem eſſe exiſtentiam, realem, qua potitur ens reale: & intentionalem, quam ſortitur ens rationis, vti eſt vniuerſale logicum.

ARTICVLVS II.

An vniuerſalia ſint voces, vel conceptus.

8. NOminales, quorum princeps, ſeu potiùs reſtaurator extat Ocham. *in Log.* *c.* 14. & 1. *d.* 2. *q.* 4. & *Quol.* 4. & 5. Eius fidus Achates Gabriel *ibid.* &

Greg. eodem t. d. 3. q. 1. art. 1. quibus consentire videtur Aur. 1. dist. 3. art. 2. arbitrantur, vniuersalia nihil aliud esse, quam voces, vel conceptus. Putant enim vniuersale in prædicando coincidere cum vniuersali in significando, non quod vniuersale in significando significet naturam communem, cum omnis natura sit singularis, sed quia plura immediate singularia significet, veluti hæc vox *homo*, primario, & immediato suo significato designat omnes, & singulos homines. Hi autem appellantur Nominales, propterea quod multa nominibus attribuunt, vt intueri licet locis præcit. Viri quidem perdocti, & ingeniosi, paucis tamen accepti, & recepti, ex Scotica Academia egressi, quos laudat, & defendit Hurt. disp. 1. sect. 3 & disp. 5. Met. sect. 10. subsect. 2. Quamuis autem dictus Hurt. eos in sententiam Thomisticam conetur inducere, & reducere, nihilominus illi fortasse eam amplecti haud volunt, vt pote qui tertiam classem à Thomistica, & Scotica discrepantem totis viribus constituunt, & tuentur. Sed quidquid sit de hac re, oppositam opinionem tutantur omnes philosophi reales, abnegantes prorsus vniuersalia esse voces aut conceptus.

9. Ass. vniuersalia, nec sunt nomina nec conceptus. Assertio est bipartita, & deducitur, & Scot. q. 4. vniuers. vbi probat vniuersalia esse entia. q. 1. prædicam. §. Ad q. & 7. Met. q 18. post Scholium I. Cauelli: vnde idem Doct. 1 d. 36. q. vn. §. Quantum ad 3. viam. G. subiungit vana esse problemata, quæ fiunt de voce duntaxat.

10. Pars suadetur 1 ex Arist. 1. perih c. 5. qui vocat res vniuersales, non autem voces, & nomina. 1. post. c. 2. vniuersalia sunt notiora singularibus. 7. Met. T. 4. & 45. vniuersale est vnum in multis. Et ibid. T. 24. & 51. disputans contra Platonem, non contendit, vniuersalia esse nomina, nec de hoc reprehendit Platonem, sed præsupponens, vniuersalia esse entia, in eo, quod extra singularia, ab hisque separata realiter, & abstracta, posuerit, ipsum vehementer redarguit, & acriter obiurgat. 2. ex D. Anselmo l. de Incarnatione Verbi c. 2. *Sunt monendi illi vtique nostri temporis Dialectici, qui quidem, non nisi flatum vocis putant esse vniuersales substantias.* Et paulò post: *qui enim nondum intelligit, quomodo plures homines in specie, sint vnus homo: qualiter in illa secretissima, & altissima natura comprehendet, quomodo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint vnus Deus?* 3. nulla scientia est de vocibus, & nominibus, vt patet discurrenti per singula obiecta cuiuscumque scientiæ. Leuis quippe existimatur apud omnes contentio de nomine. Ideo Aug. 1. Retract. c. 15. inquit, *cum res constat, non est vis facienda in nomine.* Et Scot. 3. d. 8. q. 1. *E.* instantiam de nomine, vocat puerilem. Scientia autem est de vniuersalibus ex Arist. 2. Met. T. 10. & Scot. *ibid. Et 3. eiusdem operis, in fine*, ergo vniuersalia non sunt voces. Denuo, definitio est vniuersalium, ex eisdem Authoribus 7. Met. T. 35. quæ non nominis, sed rei naturam propriè explicat. Iterum, cum animal diuiditur in rationale, & irrationale, non diuiditur vox animal, sed quid ab ipsa voce distinctum, & per ipsammet significatum. Insuper, vniuersalia dicuntur æterna, abstrahere à singularibus, deque illis prædicari, vt superiora de inferioribus, vt contra Ocham acutè arguit Lych. 2. d. 3. q. 1. Quæ, & consimilia, non vocibus, sed rebus rite adaptantur: inficiandum ergo est, vniuersalia esse voces.

11. 2. Pars probatur 1. omnis conceptus vel est formalis, vel obiectiuus. Vniuersalia autem non sunt conceptus obiectiui, vt fatentur aduersarij. Sunt enim res vniuersales cognitæ, & intellectæ, quas illi non admittunt. Nec conceptus formales, quandoquidem, cum sint prorsus intellectiones residentes in categoria qualitatis, & quædam vniuersalia sint substantiæ, quædam verò accidentia, vt patet *in Isagoge Porphy. & l. prædicam.* Arist. clare infertur vniuersalia non esse conceptus formales. 2. vniuersalia ingrediuntur essentiam singularium, vt rationale de essentia Petri, & irrationale de essentia Bucephali: conceptus autem formales sunt extra essentiam singularium; resident enim in intellectu, ipsumque perficiunt, 9. Met. 16. Ergo vniuersalia non sunt conceptus formales 3. hæ propositiones sunt veræ, *Petrus est homo, Bucephalus est equus*: istæ verò sunt falsæ, *Petrus est conceptus, Bucephalus est conceptus*: cum ergò vniuersalia prædicentur essentialiter de singularibus, non autem conceptus, vt patet ex præfatis propositionibus, concluditur euidenter, vniuersalia haud esse conceptus.

12. Dices, vniuersalia esse conceptus, non supponentes simpliciter, seu pro se, sed personaliter, hoc est pro rebus quas significant, sicut voces subrogantur pro rebus. Contrà, si conceptus supponant pro rebus, cum omnes res, secundum Antigonistas, sint singulares, præfatæ propositiones quoque forent falsæ, *Petrus est homo, Bucephalus est equus*: sensus esset, *Petrus est omnis homo*, cum homo sit terminus communis, supponatque pro singulis hominibus naturæ humanæ. Itemque, *Bucephalus est equus*, terminus *equus* supponeret pro omnibus, & singulis equis, quæ, & huiusmodi alia absurditatem, & falsitatem redolent.

13. Opp. 1. vniuersalia certo loco, & tempore non definiuntur, quia æterna, & vbique esse perhibentur. Deo autem excepto, omnes res certo loco, & tempore coërcentur, ergo nulla sunt vniuersalia præter voces, & conceptus. Concedo ma. distinguo min. Res singulares, concedo; res vniuersales, nego Rerum quippe diuisio est, in singulares, & vniuersales, 1. perih. 5. Vniuersalia autem dicuntur abstrahere à loco, & tempore, esseque vbique, non positiuè, sed negatiuè, vt ex dicendis, & explicandis infrà, liquidò constabit.

14. Opp. 2. significare spectat ad nomina: vniuersalia verò significant, ergò vniuersalia sunt nomina. Ma. est nota ex Epit. vbi attulit, & explicui definitionem nominis, quod est vox significatiua ad placitum. Min. fulcitur authoritate Arist. c. de substantia. Secundæ substantiæ, quæ inter vniuersalia numerantur, significant quale quid. & 4. pol. 5. De optimo statu Reip. disputare non est aliud, quam differere de his nominibus. Ibi autem memorauerat Regnum, Aristocratiam, & Democratiam. Igitur, Nomin. opinio vera, & Peripatetica est. Resp. Philosophum vsum esse metonimia, sumendo nomina pro rebus, quod explicat 1. Elench. 1. similitudine calculorum, qui pro pecuniis supponuntur. Idque apertè demonstrat loco in oppositum cit. inquiens, primas substantias significare hoc aliquid. Certum autem est apud omnes, primas substantias non esse nomina, sed veras res singulares, per se subsistentes. Hæc autem loquendi formula habetur interdum in sacra pag. vt 3. Reg. 1. *Quod est verbum? indica mihi*, Id est, ostende id, quod patratum est. Et clarius Luc. 2. *Videamus verbum, quod factum est*, hoc est, res quæ facta est. Id ipsum innuit Doct. q. 1. *prædicam.* §. *Ad q. dici potest vers. ad authoritatem Boëtij.* Et ante Aug. q 19. *in Indic.*

15. Opp. 3. ex Scot. nunc alleg. vers. *Ad aliud dico.* Logica est de conceptu: sic Nom. videntur velle vniuersalia esse conceptus per voces significatos, quo in sensu, eos interpretatur Hurt. præcit. eamque expositionem indicat Tol. q. 2. *in Porph.* Ergo Nom. à Scot. doctrina non declinant. Huius oppositionis responsio habetur *l. 1 quæst. 3 art. 6.* vbi dictum est, Scot. asserere Logicam esse de conceptu formato ab actu rationis, qui coincidit cum ente rationis, & 2. intentione, quam statui subiectum ipsius Log. prædicationis, non verò attributionis, à quo longe Nom. distare videntur.

ARTICVLVS III.

An vniuerſalia ſint ideæ Platonis.

16. RScitatur & reſutatur ab Ariſt. 1. *Met c.7.T.15. & 7. eiuſdem operis, cap 6.T.28. & 44.* & alibi paſſim opinio Platonis ſuſpicantis, vniuerſalia eſſe ideas rerum, hoc eſt, naturas communes ſpecificas, per ſe exiſtentes a ſingularibus realiter ſeparatas, neceſſarias, æternas, incorruptibiles, principia, & cauſas ſingulariū effectrices. Sic velle videtur Plato *in Timæo, Theæteto, 5. & 10. de Rep.* Huius placitis meminere Scot. 1. *poſt. q 31. §. Ad probationes contra hoc.* Et 1. *d.35. quæſt. vn. §. Ad iſta ſub J.* Et 2. *d.3. q. 6. §. Iſta poſitio. ſub A.* Et *eadem diſt. q.1. §. ſed contra iſtud.* appellat fictionem Maior *l. prædicabilium q.3. Not.1.* Orbel. 7. *Met. c.7.* Pelbat. *Tom.1. Roſar. ver. Idea. §.5.* & alij Bonet. verò 7. *Met. c.1. & 3.* planè & plenè decem dictis, illud tanquam problema exprimit, & defendit. Cæteri autem conſpicientes falſitatem, eiuſque abſurditatem, vt calumniam Platoni ab Ariſt. impoſitam conantur ab ipſomet Plat. propellere, inter quos ſunt Aug. 22. *Ciuit. c.26.* Et 3. *contra Academ.* Et 7. *conf.* Iambl. *in ſymb. Plat.* Beſſar. *l. 2.* Mayr. 1. *d.47.* Rich. *d. 36.* Et Vulpes *diſp.29. art. 1.* Quibus videtur conſentire Scot. 4. *d.50. q.3. § Reſpondeo. D.* Et 1. *d.35. q. vn. §. Ad iſta ſub I.* Et Antonius Andreas 7. *Met. quæſt. 16.* benigne eum interpretantes, de ideis rerum in mente diuina exiſtentibus, eo ferè modo, quo eas admittunt Theologi, & ita diuinus Plato diuine locutus eſt. Verum Ariſt. recte impugnaſſe Platonē oſtendunt Aur. 1. *d.36. art.1. fol.843.* Et Cyril. 1. *contra Julianum.* Nec videtur veriſimile in eadem Ciuit. viuentibus ferè omnibus Plat. diſcipulis præfatam ſententiam falſam, & abſurdam dictu Platoni affingere. Non enim Ariſt. latet, Platonem ſtatuere exemplar æternum mundi, vt patet 1. *Cœli*, ſed non ponit Plato ideas rerum ſicut eas locant Theologi in mente diuina, ſed in ſe ſubſiſtentes, & vt aliquid realiter diſtinctum & abiunctum à ſingularibus exiſtens & ſubſiſtens. Quidquid ſit de mente Plat. hoc à nobis impugnandum eſt, ſiue id docuerit dictus Plato, ſiue Xenocrates, ſiue alij eiuſdem tempeſtatis Philoſophi, tanquam dogma Platonicum aſſeruerint, vt indicat Aug. 7. *Ciuit. c 28.* moti triplici de cauſa relata ab Ariſt. cit. Scot. 7. *Met pag. 216. in tot. Tex.* Et Gadio *quol. 7. fol. 85.* Prima propter entitatem formalem rerum, quia ſingularia ſunt entia per participationem. 2. propter ſcientiam, quæ eſt de neceſſariis vniuerſalibus: ſingularia quippè ſunt contingentia & corruptibilia. 3. propter perennem rerum generationem ad quam agentia ſingularia idonea, & ſufficientia eſſe non videntur.

17. Aſſ. vniuerſalia non ſunt ideæ Platonis. Hanc contra prænominatum Plat. proſequuntur acriter Ariſt. & Scot. locis præcit. ac reliqui Philoſophi tam Reales, quam Nomin. Probatur 1. *ex 1. Met. c.7. T.34.* Quod eſt de eſſentia, & quidditate alicuius, non eſt realiter ab eo ſeparatum, quia nihil eſt intimius rei, quam eius eſſentia, & quidditas: ſiue vt ait Scot. 2. *d.3. q.1. § ſed contra L.* omnis ſubſtantia per ſe exiſtens eſt propria ei, cuius eſt ſubſtantia, ſeu eſſentia: vniuerſalia autem ſunt eſſentiæ ſingularium, vt eſſentia Petri eſt eſſe rationale, animal, corpus, &c. quæ ſunt vniuerſalia. Nequeunt ergo vniuerſalia eſſe ideæ Platonis. 2. illæ ideæ Platonicæ, ſiue naturæ ſpecificæ per ſe exiſtentes, ſunt eiuſdē rationis cum ſuis ſingularibus, ſuntque ipſæ incorruptibiles, immateriales & æternæ: ſingularia verò earum ſunt corruptibilia, materialia, & temporanea ſecundum Plat. At verò vt arguit Ariſt. 3. *Met. cap.1. T.6.* repugnantiam inuoluit ex rebus eiuſdem rationis, & naturæ, quaſdam ſtatuere incorruptibiles, quaſdam verò corruptibiles cum 13. *Met. c.9. T.25.* corruptibile, & incorruptibile genere differant. 3. natura ſpecifica realiter ſeparata à ſuis ſingularibus foret communis multis & non communis, & quidem eſſet communis, vt concedit Plato. Ratio eſt, quia quod à multis participatur, eſt commune. Non eſſet communis, quia quod per ſe, & immediatè exiſtit à parte rei eſt ſingulare & incommunicabile, quod opponitur communicabili, & communi; ſolùm enim ſingulare per ſe, & primario exiſtit, vt dicebam *in 1. art. huius q. 4.* vniuerſale vniuocè prædicatur de ſuis inferioribus, vt Petrus eſt homo, Bucephalus eſt equus. Idea autem Platonica non enunciatur vniuocè de ſuis inferioribus & ſingularibus. Non enim bene dicitur, Petrus eſt idea, Bucephalus eſt idea. Deinceps ſi ponendæ forent ideæ Platonicæ, maximè propter tria illa motiua præadducta ante præpoſitam aſſ. ea autem non cogunt nos ita admittere. Et quidem non ob 1. Nam hic homo verbi gratia eſt verè homo, non per participationem hominis ſeparati, ſed per participationem naturæ humanæ, quæ eſt communis ſingulis hominibus. Nec ob 2. quia de rebus mutabilibus, & corruptibilibus penes ſubiecti, & prædicati earum connexionem neceſſariam habetur ſcientia. Nec ob 3. quia generatio eſt ſingularium, ſicut & quælibet alia actio. Iuxta illud 1. *Met. cap.1. actiones ſunt ſingularium.* Igitur vniuerſalia non ſunt prænominatæ ideæ, ſed à nobis cum Ariſt. mox cit. *T.32.* inter vaniloquia & metaphoras poëticas collocandæ ſunt.

18. Opp. 1. immutabile & incorruptibile nequit exiſtere in mutabili & corruptibili, alioqui mutaretur & corrumperetur ad eius mutationem & corruptionem: vniuerſalia autem ſunt immutabilia, & incorruptibilia; ſingularia vero eorum ſunt mutabilia, & corruptibilia, vt quotidie experimur, ergo vniuerſalia in ſingularibus non exiſtunt, ſed ab eis manent ſeparata, hæcque à Platone vocantur ideæ rerum. Reſpondeo poſſe negari ma. ſiquidem anima rationalis immortalis, & incorruptibilis exiſtit in corpore mortali, & corruptibili. Itemque Deus æternus & immortalis exiſtit in rebus tempori, & mutationi ſubiectis. Ad rem noſtram vniuerſalia ſunt in ſingularibus, vt patet ex definitione vniuerſalis metaphyſici, quod eſt vnum in multis, veluti ſuperiora ſunt in inferioribus, & quidditates in eis, quorum ſunt quidditates; dicique valent mutabilia, & generabilia, & corruptibilia non per ſe, ſed per accidens, vt explicui *in 1. art. in reſponſione 1. oppoſitionis.* Per hanc diſtinctionem ſatisfit minori: vniuerſalia quippe ſunt immutabilia & incorruptibilia non ſimpliciter & incomplexè, quoniam generantur ad ſingularium generationem, & corrumpuntur ad eorumdem corruptionem: ſed ſecundum quid & complexè, notante Scoto *3. d. 22. q. vn. G.*

19. Opp. 2. omne vnum quod à multis participatur, neceſſariò ab eis ſeparatum exiſtit, ſecùs non eſſet vnum, ſed multa. Homo autem v. g. eſt vnum quid & à multis participatur, deque his vniuoce prædicatur: ergo dandus eſt homo ſpecificus à ſuis ſingularibus realiter ſeiunctus, qui dicitur idea Platonis. Quodque etiam de cæteris naturis ſpecificis eſt affirmandum. Nego ma. ſi illud vnum ſit commune quidditatiuum, & eſſentiale multis, vt palam fiet in duobus proximis art. in quibus oſtendetur, dari naturas communes, quæ ſortiuntur vnitates minores vnitatibus numericis.

20. Inſtabis, ſi à nobis conceduntur naturæ communes reales, admittuntur pariter ideæ Platonis, quæ nihil aliud ſibi volunt, quàm naturas communes ſpecificas, quæ à multis indiuiduis participantur, vt licet intueri apud Maiorem *l. prædicabilium q 3. not. 1.* Atqueadeo nolentes incidimus in ideas Platonicas, vt quidam nobis obiiciunt. Nego ſequelam. Etenim ex Doct. 1. *poſt. quæſt. 21. propè finem.* Diſcrimen non paruum extat inter nos & Platonem.

Quia Plato locabat naturas communes specificas realiter a singularibus seiunctas, veluti quasdam intelligentias, & paruos Deos, vt post ipsum Scot. notat Bonet. eius auditor 8 *Met. c.1. dicto octauo.* Nos verò arbitramur naturas communes existere in singularibus, nec aliam habere existentiam ab existentia singularium distinctam, vt innuit Arist. 6. Eth. 11. *Ex singularibus, vniuersalia existunt.*

21. Opp. 3. nullo singulari homine intellecto per speciem hominis, intelligimus hominem. Homo autem per huiusmodi speciem intellectus, non est cum singulis hominibus coniunctus, secus absque illis non intelligeretur: ergo est ab eis realiter separatus. Resp. hominem præcisè absque suis singularibus intelligi per abstractionem intellectus, non vero per realem separationem ab hominibus singularibus. *Abstrahentium namque non est mendacium.* 2. Phys. 12. Atque adeò non sequitur, dari hominem specificum à suis singularibus realiter separatum, sed solum intelligi hominem in se, seclusis singularibus, hoc est, ipsis non intellectis: superius quippe intelligi valet absque inferioribus, à quibus non dependet.

ARTICVLVS IV.

An sint naturæ communes reales.

22. DVæ percelebres effulgent Philosophorum sententiæ in hoc art. ex diametro oppositæ, quarum prior est S. Thom. *in opusc. de ente & essentia c.4.* Caiet. *ibid.* Ocham. 1. *d.2. q.6.* Gabr. *ibid.* & aliorum multorum negantium dari naturas communes reales, quibus fauet Ponc. *disp. 3. q.5.* Posterior vero est Scot. 7. *Met. q.16. & 2. d.3. q.1. §. Ad q. E. & F.* Antonij Andreæ, Gratiani Brixiensis *ibid.* Raconij *Tract. 1. de vniuers. q.1.* Fons. 5. *Met. c.28. q.4.* & omnium Scotistarum affirmantium, esse naturas communes reales à parte rei.

23. Not. 1. ex Scot. *q.11. vniuers. §. Ad 1. q.* Et Vallon *Tract. formal. fol.139. & 140* naturam communem trifariam posse considerari. 1. vt habet esse in suis singularibus, quo pacto est determinata, contracta &, singularis, per differentias indiuiduales, quæ à Scotis. vocantur Hæcceitates. Hoc autem dicitur esse eius materiale, & fundamentale, cui insunt accidentia communia, vt albedo, nigredo, & id genus alia. 2. in se seu penes suum esse quidditatiuum, & essentiale, cui solùm competunt prædicata essentialia, vt naturæ humanæ sensitiuum, rationale & huiusmodi, eique conueniunt accidentia propria, vt dictæ humanitati, risibilitas, & disciplinabilitas. 3. in esse cognito, quatenus per speciem intelligibilem ab intellectu apprehenditur, vt cum intellectus inspexerit naturam humanam communicabilem & prædicabilem de multis, ab hac passione motus causat, siue derelinquit in ea sic cognita secundam intentionem, quæ vocatur species. Istam vero tanquam auream distinctionem commendat Ioannes Anglicus & Sarn. *quest.9. vniuers. pag.163.* Et indicat etiam Doct. *in 2. cit. & 1. perih. & 1. d.25. q. vn. §. Et relatio sub G.*

24. Not. 2. etsi natura communis existere non valeat absque suis singularibus, vt contra Plat. monstrat Philosophus in antecedente art. citatus, non tamen ex se est singularis, cum singulare sit incommunicabile, & indiuisibile in partes subiectiuas; natura vero communis à multis sit participabilis, & in partes subiectiuas diuisibilis; sed est prior prioritate naturæ omnibus singularibus. Communia quippe naturaliter præcedunt singularia & communiora minùs communibus, ita ens præit substantiam, substantia corpus, & sic deinceps de cæteris prædicatis quidditatiuis, & essentialibus. In illo autem priori subiungit Scot. *loc. cit. ante F.* natura est quod quid est, seu essentia, quidditas, & per se obiectum intellectus ad Met. pertinens, cuius consideratio est de omni natura, & quidditate penes sua prædicata essentialia, quæ in eius definitione clauduntur: atque propositiones, quæ de ipsa sic accepta efformantur, perhibentur propositiones 1. modi; per se. Naturam autem subsequuntur eius modi, & passiones, potissimum vnitas, intelligibilitas & huiusmodi. Cum autem iuxta rei entitatem habeatur vnitas eius proportionabilis; ob id à natura communi prodit vnitas minor vnitate numerica. Ipsa verò natura habens præfatas passiones, adhuc est indifferens ad esse singulare & vniuersale. Recipit namque diuersimode rationem vtriusque, & determinatur per hæcceitatem ad esse singulare, & per operationem intellectus, ad esse vniuersale, quod infra planum fiet. Reliqua vero, quæ hic adiici possunt in Met. reiicio.

25. Ass. dantur naturæ communes reales. Ita Scot. *locis alleg.* & 10. *Met. in exp. T. pag. 301.* Gadius *quol. 1.* Vallo *fol.55.* & Tatar. *q.1. vniuers. dub.1.* Probatur 1. ex Arist. 1. *perih. c.5.* diuidente res in vniuersales, & singulares 1. *Eth. 6.* eadem est ratio albedinis in niue, cerusa. Et 7. *Met. T.45. vniuersale vero commune.* Hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus natum aptum est in esse. Et *ibid. T. 46.* essentia animalis communis est homini & equo. Ex his aliisque sexcentis locis, apertè colligitur per Arist. esse naturas communes reales, nemine cogitante. Insuper ipse Arist. plerumque insequitur Heraclitanos; solas naturas singulares admittentes: ergo nisi concedantur naturæ communes, immeritò eos impugnaret. Idque etiam oppono Nomin. & Thomist. docentibus omnes naturas reales esse prorsus singulares. 2. contra Masium *sect. de vniuers. q.3. concl.8.* nobis occurrit, & succurrit authoritas Aug. 19. *Ciuit. c.12.* dicentis; *Quisque mecum res humanas, naturamque communem, vtcumque intuetur, agnoscit* Et in psal. 118. *conc.8.* *Nec vlla cogitanda est longinquitas generis, vbi est natura communis.* Idipsum insinuant Damasc. 1. *fidei c.11. Et 2. eiusdem operis c.25.* Et *l.3. c.5.* Et Chrysost. *Hom.5. in 1. Cor. 3.* si omnis natura realis est singularis, nulla erit natura communis, quia singulare & commune opponuntur, singulare enim est incommunicabile, commune verò est communicabile multis. Constat autem naturam humanam esse multis indiuiduis eius communem, puta Petro & Paulo, aliisque eius singularibus. Ergo admittendæ sunt naturæ communes reales.

26. Respondent aduersarij, illam naturæ communitatem esse per intellectum, abstrahentem naturam à suis singularibus, non autem à parte rei, dicuntque indiuidua eiusdem speciei, non formaliter, sed fundamentaliter duntaxat, vt patet apud Hurt. *disp. 5. Met. sect. 2. §.11.* Contra, quæ habent eandem essentiam formaliter à parte rei, participant eandem naturam communem formaliter à parte rei. Indiuidua autem naturæ humanæ habent eandem essentiam à parte rei, puta eandem humanitatem formaliter, sunt enim vniuoca, quorum essentia est vna & eadem communis multis, nemine cogitante: secus tam forent distinctæ eorum naturæ, quam eorum hæcceitates, vt contendit Hurt. cit. at in communi sententia differunt numero penes hæcceitates; suntque idem specie penes eandem naturam specificam formaliter, quia formaliter & realiter potiuntur naturâ humanâ, quia realiter & formaliter sunt homines, participatione humanitatis non singularis, quæ est pluribus incommunicabilis: ergo communis, quæ pluribus extat communicabilis. 4. natura intelligitur vt communis: ergo vere est communis realis. Ant. conceditur ab Antagonistis. Conseq. probatur: si natura non esset communis, & intelligeretur vt communis, foret falsa intellectio. Ea quippe est falsa intellectio, quâ res aliter intelligitur quam sit, & intellectus intelligens rem aliter quam sit fallitur, vt notat D. Aug. *l.83. qq. q.32.* eaque est vera intellectio, qua res intelligitur

intelligitur sicuti est. Hinc subdit Arist. 1. *perih. c.* 3. quia res est, aut non est, oratio est vera, vel falsa. 4. absque vllo intellectus opere magis conueniunt Franciscus, & Antonius, quàm Franciscus, & Bucephalus, quia illi sunt eiusdem speciei, isti verò sunt diuersæ speciei: sed illud in quo conueniunt, non est singulare, quia hoc est incommunicabile pluribus: ergo est commune multis, quod vocamus naturam communem specificam. Rursus definitio explicat naturam rei, vt tenet omnis schola: illa autem natura quam exprimit definitio non est singularis, quia 7. *Met. T.* 35. definitio, est vniuersalium: ergo est natura communis. Accedit distinctio formalis inter gradus superiores & inferiores, quæ innchitur in Met. multaque alia hoc in loco supponuntur, quæ naturas communes fortiter, & efficaciter persuadent.

27. Opp. 1. non sunt multiplicanda entia sine necessitate, vt post Arist. 1. *phys. T.* 41. tradit Scot. 2. *d.* 2. *q.* 2. §. *Ad* 2. *partem q.* 7. Sed admissis naturis communibus realibus, multiplicantur entia sine necessitate, sufficiunt enim naturæ singulares, quarum sunt omnes actiones 1. *Met.* 1. Ergo cum esse sit propter operari, & actiones sint singularium, claré infertur nullas esse naturas communes reales. Concedo ma. nego min. Rationes quippe allatæ, & afferendæ in sequenti art. bene & aperte ostendunt huiusmodi naturas communes esse concedendas. Quomodo autem actiones dicantur esse singularium, palam feci *in resp. primo opp. art.* 1. *huius q.*

28. Opp. 2. data natura communi reali eadem in multis singularibus, ipsa singularia ab inuicem non differrent, sed forent prorsùs idem iuxta illud axioma 1. *prio.* 1. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Absurdum autem est, singularia inter se non distingui, ergo absurdum est, inuehere naturam communem eis realem. Nego sequelam ma. illudque eloginm explanatur à Doct. 1. *prio. q.* 9. *&* 1. *d.* 2. *q.* 7. § *Ad* 1. *arg II.* Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, ea tali identitate in qua conueniunt. Quo pacto singularia identificantur in natura communi, quam participant, non vero in singularitatibus, penes quas inter se dissident.

29. Instabis cum Suarez *l.* 4. *de Trin. Tract.* 3. *c.* 3. & Vasquez *disp.* 123. *c.* 2. Admissa explicatione Scot. committitur sophisma petitionis principij. Sensus enim est, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem in illo, seu in illo vniuntur, quod est petere principium. At illud effatum habet vim illatiuam. Ex eo enim quod aliqua sunt eadem in tertio, infertur, illa esse eadem inter se eadem identitate, vti sunt eadem in tertio formaliter, quoque sunt eadem inter se formaliter. Dici potest cum Fabro 1. *disp* 19 & si illud proloquium patiatur præfatum sensum, nihilominus non petitur principium, quoniam quispiam potest cognoscere duo extrema, & ignorare, vtrum in tertio conueniant. Ex cognitione verò tertij in quo conueniunt, rectè colligere pariter, potest inter se conuenire eo modo, quo in tertio conueniunt, quod priùs nesciebat. Per istam autem propositionem sic intellectam tenet omnis forma syllogistica, subdit Scot. *ibid.* omissa autem altera conditione, vel vnitatis medij inter se, vel extremorum ad medium, non est syllogismus, sed paralogismus accidentis. Vel dici potest, cum eodem Doct. *ibid. ver. Alia responsio.* Illud habere locum in finitis, & limitatis, non vero in infinitis & illimitatis, vt declaraui *in Epit. l.* 3. *q.* 1 *art.* 4. Natura autem communis est quoquo modo illimitata, quia ex se est indifferens, vt per hanc aut illam singularitatem contrahatur, & quando est contracta per vnam hæcceitatem, non repugnat ipsam contrahi per aliam hæcceitatem, aduertente Scot. 2. *d.* 3. *q.* 1. §. *sed contra istud L.*

30. Opp. 3. cum Och. 1. *d.* 2. *q.* 6. vna & eadem res diuidi nequit in plures res, quæ adæquate identificentur cum ea re: natura autem in singularibus existens, non est vna, sed multiplex penes multiplicitatem hæcceitatum: ergo nulla natura est communis realis. Ma. patet: vnum est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Min. est in promptu, Franciscus enim v. g. Antonius & Ioannes sunt tres homines, & non vnus homo. Respondeo argumentum concludere de re, quæ est vna numero, non autem de re, quæ est vna vnitate minore vnitate numerica, cuiusmodi est natura communis. Hinc vera apparet illa Porphy. propositio examinata à Doct. *q.* 21. *vniuers.* §. *Ad q.* & Tatar. *c. de specie.* plures homines participatione speciei sunt vnus homo.

31. Opp. 4. si eadem natura creata communicatur, multis singularibus, sequitur in creatis esse mysterium Trin. sicut in diuinis, quia eadem natura creata realiter identificatur cum suis singularibus, veluti natura diuina est eadem realiter cum tribus diuinis personis. Nec iuuat dicere naturam communem creatam distingui formaliter à singularitatibus, quoniam etiam per Scot. natura diuina formaliter dissidet à tribus personalitatibus diuinis. Nego sequelam, quandoquidem natura creata ex se non est singularis, sed indifferens ad singularitatem & vniuersalitatem. At diuina natura ex se est singularis, sibique repugnat determinari per plures hæcceitates. Ideo perperam infertur mysterium Trin. in creatis, ex eo, quod datur natura communis multis singularibus. Quod verò additur de distinctione formali naturæ à singularitatibus, est quidem verum, sed nihil infertur contra nos, qui assignauimus discrimen & disparitatem inter naturam diuinam & creatam, quam quoque innuit Scotus *in* 2. *cit.* §. *sed contra circa H.*

32. Opp 5. Scot. *quol.* 3. §. *Respondeo Q.* ait, in natura creata est communitas rationis: ergo secundum Doct. non est admittenda communitas realis naturæ communis: aut ipse Doct. aperte sibi contradicit. Respondent ibi Lych. & Gadius, Scotum verba facere in præfato quol. de communitate & vniuersalitate in actu & Logica, quæ fit per intellectum: non verò de communitate & vniuersalitate metaphysica, quæ est à parte rei independenter ab intellectu, quamve euidenter locis præcit. idem Author docuit, & acriter propugnauit.

ARTICVLVS V.

An natura communis sit in multis per inexistentiam, aut per indifferentiam.

33. ETsi omnes Scotistæ vno calamo subscribant esse naturam communem realem multis, nullo intellectus opere: discordant tamen inter se in eo, quod nonnulli, vt Lych. 2. *d.* 3. *q.* 1. & Tatar. *q.* 1. *prædicab. dub.* 3. Quibus adstipulantur Fuentes *q.* 6. *dif.* 2. *art.* 2. & duo Iuniores *disp.* 4. *q.* 1. *art.* 1. arbitrantur, naturam realem esse communem multis per indifferentiam. Alij verò vt Bonet. 1. *Met. c.* 2. & 8. *eiusdem operis c.* 1. Et Canonicus 1. *phys. q.* 6. statuunt naturam communem multis per inexistentiam. Eamdem incudem tundit Faber *Theor.* 93. Pro cuius commodiori captu.

34. Not. naturam esse communem per inexistentiam, nihil aliud sibi velle, quàm ipsam in multis inferioribus, & singularibus existere, ab eisque realiter participari, puta humanitatem verè & realiter reperiri in Petro, Paulo, aliisque eiusdem naturæ indiuiduis, contractam per eorum differentias indiuiduales, ita vt huiusmodi indiuidua, solis differentiis numericis ab inuicem distinguantur. Naturam autem esse communem per indifferentiam nihil aliud est, quam vnumquodque indiuiduum pollere propria naturá, adeò vt alia sit humanitas Petri, alia verò humanitas Pauli, priusquam concipiatur contracta per suas hæcceitates. Dicitur autem natura communis, quia licet sit contracta & determinata per suas differentias indiuiduales, nihilominus est

indeterminata, & indifferens, quia ex ſe non magis ad vnam, quàm ad aliam differentiam indiuidualem determinatur, & contrahitur, ſed ſemper eſt indifferens & indeterminata ad quamlibet earum, ad quam generans illam determinat. Quid autem & quotuplex ſit indeterminatio, & indifferentia infrà *art. 7. not. 4. monſtrabitur.*

35. Aſſ. probabile eſt, naturam communem eſſe in ſuis inferioribus per inexiſtentiam. Probatur 1. ex Scot. 2. *d. 3. q. 1. §. ſed contra: & ibid. q. 6. ſub D.* aſſerente & dicente, vnitatem minorem vnitate numerica competere naturæ communi, quatenus ab indiuiduis præſcindit, & præbet exemplum de natura ſpecifica, quæ reperitur in ſuis ſingularibus. Habet enim hæc expreſſa verba loco prænominato *ſub I. Eſt ergo in re commune, quod non eſt de ſe hoc.* Itaque cum ex eodem Doct. naturæ communi quatenùs abſtrahit ab vniuerſali, & ſingulari, cōpetat vnitas realis à numerica diſtincta, ſitque obiectum intellectus & ratio agendi, ſingularitas verò ratio agentis, planè infertur ſecundum Scot. naturam communem eſſe in multis per inexiſtentiam. 2. totum exiſtit in ſuis partibus, & ſuperius in ſuis inferioribus; natura autem communis eſt quoddam totum, & quid ſuperius reſpectu ſingularium eſt eſſentia, eorumque quidditas: ergo natura communis eſt in eis per inexiſtentiam, vt contra Platonem arguit Ariſt. *locis cit. art. 3. huius q.* Iis autem quæ aduerſæ partis Fautores, præſertim duo noſtri Nuperi opponunt, facili negotio ſatisfieri poteſt. Inprimis Scot. eis non multum fauet, vt patet legenti loca eius ab ipſis adducta. Siquidem Doct. non aſtruit quod prænominati Recentiores ipſi imponunt. 2. *d. 3. q. 7. d. & 3. d. 8. q. vn. in fine*, vt conſtat eius litteram inſpicienti. Licet autem *d. 3. q. 6. ſecundi alleg. § Ad q. ſub D.* expreſsè hæc verba proferat. Concedo ergo quod vnitas realis non eſt alicuius exiſtentis in duobus indiuiduis, ſed in vno. Tamen paulo poſt id optimè explicat, & illuſtrat diſtinctione inquiens. Concedo quod quidquid eſt in iſto lapide, eſt vnum numero, vel primo, vel per ſe, vel denominatiue. Primo fortè, vt illud per quod vnitas talis conuenit huic compoſito per ſe, vt hic lapis, cuius illud, *quod eſt primo vnum hac vnitate, eſt per ſe pars.* Denominatiuè autem tantùm, vt illud potentiale, quod perficitur ipſo actuali, quod quaſi denominatiuè reſpicit actualitatem eius & vnitatem. Deinde ſubiicit, vlterius declarando ſolutionem iſtam, qua ſit. Iſta entitas, à qua ſit vnitas iſta perfecta, per ſimile ad entitatem à qua ſumitur differentia ſpecifica poteſt declarari. Nam differentia quidem ſpecifica poteſt comparari ad illud, quod eſt infrà ſe, vel ad illud quod eſt ſuprà ſe, vel ad illud quod eſt iuxta ſe. Vide ibi plura, & apud Ocham. 2. *d. 3. q. 6.* Ex his aperte deducitur, Scot. velle naturam communem inexiſtere in ſuis ſingularibus, non quidem primariò, ſed ſecundariò, vt declaraui *art. 1. huius q. in reſponſione 1. oppoſitionis.* Addit idem Doct. eo in loco, entitatem ſingularem eſſe indiuiſibilem in partes ſubiectiuas: naturæ verò communi habenti vnitatem minorem vnitate numerica, diuiſibilitatem in partes ſubiectiuas non repugnare. Idque clarius tradit ibid. *ſub K.* Quodlibet commune, & tamen determinabile adhuc poteſt diſtingui, quantumcunque ſit vna res, in plures realitates formaliter diſtinctas, quarum hæc formaliter non eſt illa, ſed hæc eſt formaliter ſingularis entitas, & illa eſt entitas naturæ formaliter. Nec poſſunt iſtæ duæ realitates eſſe res & res, ſicut poſſunt eſſe realitas; vnde accipitur genus, & realitas, vnde accipitur differentia, ex quibus realitas ſpecifica accipitur, ſed ſemper in eodem, ſiue parte, ſiue toto ſunt realitates eiuſdem rei formalites diſtinctæ. Denuo rationes quas adducit Doct. ad præfatam naturam communem ſuadendam efficaciter corroborant, & euidenter confirmant eius inexiſtentiam in ſingularibus. Atque diſtinctio formalis, quam in gradus metaphyſicos, ſiue prædicata eſſentialia inuehit idem Doct. non obſcurè huiuſmodi inexiſtentiam inſinuat. Itemque prædicta illuſtrat exemplo de natura ſpecifica & generica, quod ad rem non faceret, ſi natura communis eſſet in ſuis inferioribus per indifferentiam. Sic enim omnis natura planè foret ſingularis, vt cenſent illi Priſci Philoſophi alleg. *in 1. art. huius q.* nullumque intercederet diſcrimen, & diſſidium inter eos, & Ariſt. nec inter Th. Scot. Och. ac ipſorum aſſeclas, quos tamen ab inuicem diſcrepare in nullamque concordiam venire, eorumdemmet mentes & ſcripta clarè demonſtrant, pariterque ſolutiones oppoſitionum mox adducendarum idipſum palam manifeſtabunt.

36. Opp. 1. vna eademque natura ſimul eſſe nequit miſera & damnata, beata & glorioſa. Id enim repugnantiam inuoluit: ſi verò concedatur natura communis in multis per inexiſtentiam, ea ipſa natura foret reproba & electa, ſimulque miſera & beata, & quidem miſera & damnata in Iuda: beata verò & glorioſa in Chriſto Domino. Non ergo videtur eſſe concedenda natura communis per inexiſtentiam in multis. Reſp. conceſſa ma. negando min. Nullum quippe prædictorum inconuenientium infertur, quandoquidem actiones & paſſiones ſunt ſingularium 1. *Met.* c. vt aduertunt Scot. 4. *d. 8. q. 2. §. Iſtas omnes.* Et *d. 12. q. 3.* Et Bonet 1. *Met. c. 2 & 8. eiuſdem operis c. 1.* Non enim natura communis dicitur vegetare, ſentire & intelligere, aut alia opera exercere, cum hæc omnia à ſingularibus tantùm efficiantur. Nec inconuenit quædam indiuidua eiuſdem ſpeciei ob demerita perpetuas luere pœnas, vt Iudam: quædam verò ob merita, gloria æterna perfrui, vt Chriſtum Dominum. Habent enim indiuidua eiuſdem ſpeciei naturas ſingulares, per contractionem differentiarum indiuidualium, à quibus diſtinctæ prodeunt actiones, quæ ſi fuerint bonæ & meritoriæ, dignæ ſunt præmio; ſi verò malæ, & demeritoriæ, dignæ ſunt ſupplicio. Quare nulla eſt inſtantia Och. & Recentiorum dictorum, aientium, abſurdum eſſe vnam, eandemque naturam præreceuſitis affici prædicatis. Id enim valet de vna eademque natura numero, non verò de vna natura numero diſtincta ab alia, vt de natura Chriſti, & Iudæ declaratur. Hoc etiam aſſerit Doct. ab illis Recentibus cit. Nec diſſentit Ariſt. 12. *Met. T. 12.* inquiens, *ſingularium alia eſt tua materia, & mouens, & ſpecies, & mea; ratione autem vniuerſali, eadem.*

37. Dices, vel humanitas Chriſti eſt eadem cum humanitate Iudæ, vel diuerſa, quia inter idem, & diuerſum non adeſt medium, 10. *Met.* 12. At non eſt eadem, alioqui eadem natura participaret præfata oppoſita prædicata: nec eſt diuerſa, quia ſolùm ipſi naturæ adueniunt diuerſæ hæcceitates: potiùs verò hæcceitates ſunt diuerſæ, quam natura per tales hæcceitates determinata & contracta. Dico eſſe eandem naturam ſpecie, non autem eandem numero. Diuiditur namque natura ſpecifica in partes ſubiectiuas, & multiplicatur numero penes hæcceitates. Veluti natura generica per differentias ſpecificas contrahitur & determinatur ad ſpecies: ſic natura ſpecifica determinatur, & contrahitur ad indiuidua per differentias indiuiduales, vt ſubtiliter notat Scot. 2. *d. 3. q. 6 §. Iſta poſitio.* Huiuſmodi autem differentiæ indiuiduales nec ſunt naturæ ſingulares, nec ſingularia, ſed ſingularitates, ſiue rationes & principia conſtitutiua ſingularium. Hæc & conſimilia non rectè expendens Hurt. *diſp. 5. Met. ſect. 1.* putat ſe demonſtrare contra Scotiſtarum ſcholam. Verùm quæ ille affert ſunt protſus nullius momenti apud nos, qui naturam ſpecificam, ſingularitates, & ſingularia diſtinguimus. Natura quippe ſpecifica multis eſt communicabilis indiuiduis, ſingularitates ſunt differentiæ conſtitutiuæ ſingularium primò diuerſæ, & ſingularia ſunt conſtituta, incommunicabilia & indiuiſibilia per prædictas hæcceitates & ſingularitates, vt doctè & diſertè tradit Doct. loco præcit.

38. Opp. 2. ſi natura communis, in multis ſingularibus

laribus inexisteret, nullum eius indiuiduum Deus quiret creare, aut annihilare, vt arguunt primi placiti Authores: hoc autem pugnat fidei orthodoxæ, vt patet *Gen.* 1. & apud Scot. probatur 2. *d.* 1. *q.* 2. & 4. *d.* 1. *q.* 1. Ergo dicta natura communis per inexistentiam in multis non est admittenda. seq. ma. suadetur, creatio est productio rei ex nihilo, idest, nullo eius præsupposito, ex Doct. *ibid.* & 2. *Report. d.* 1. *q.* 3. Et annihilatio est destructio rei in nihilum, hoc est, nullo eius remanente. At si Deus conderet Franciscum, natura humana communis iam præexistit in Petro, & Paulo; ergo Deus non posset creare dictum Franciscum, nec ipsum annihilare, quoniam eadem natura communis permaneret in prænominatis Petro, & Paulo. Conf. in Euch. non fieret totalis transmutatio panis, & vini in corpus Christi, quia ratio communis substantiæ, & corporis persisteret adhuc in corpore ipsius Christi. Quod hæresim redolet, & repugnat Scot. 4. *d.* 10. *q.* 1. Neganda est sequela ma. ad eius probationem dico, creationem & annihilationem non naturam communem, sed singularia attingere, vt de qualibet actione, & passione moxdicebam in responsione præcedentis oppositionis. Ad conf. idem est dicendum.

39. Dices Scot. *in* 2. *passu memorato*, §. *quantum ad istum art. C.* explicans, quomodo Deus possit creare aliquid ex nihilo, inquit, *De nihilo idest, non de aliquo secundum esse existentia, nec de al quo essentia, quia nunquam esse essentia realiter separatur ab esse existentiæ.* At si natura communis præsupponeretur iam existere in aliquibus indiuiduis, indiuiduum nouiter productum esset productum de illo esse quidditatiuo, & esse essentiæ, & naturæ præexistētis in aliis indiuiduis, proindeque, nullomodo Deus posset aliud indiuiduum eiusdem naturæ creare.

40. Dico Scot. *ibi*, & *in Report.* 2. *distinctione* 1. 2. *quæstion.* S. tantum docere, esse essentiæ haud realiter distingui, & segregari ab esse existentiæ, contra Hen. & alios existimantes, rerum essentias esse ab æterno, vt patet 1. *dist.* 36. *quæst. vn.* Naturam antem communem, eiusque esse quidditatiuum non cadere sub creationem satis supra ostendi, & patefeci. Eo vel maximè, quod sicut esse possibile, & esse cognitum rerum, in mente diuina ab æterno non impedit earum creationem in tempore: sic natura communis præexistens in quibusdam indiuiduis non obstat, quin cætera indiuidua creentur, cum creatio sit singularium duntaxat. Denique non conceditur vniuersale formaliter à parte rei, admissa naturæ communis inexistentia in singularibus, vt infra monstrabitur, *art.* 7.

ARTICVLVS VI.

An natura communis habeat propriam vnitatem ab vnitate numerica distinctam.

41. EÆdem prorsus sententiæ oppositæ eorumdemmet Authorum discrepantium, in 4. art. præcedente recensitæ, extant quoque in præsenti. Huiusque dilutio ex illius solutione procuLdubio pendere videtur. Ideo, pro eius captu, & explicatu.

42. Not. vnum reciprocari, cum ente, tanquam passionem eius, quæ ipsum consequitur 4. *Met.* 4. 2. *T.* 3. Totque modis dicitur vnum, quot ens 1. *Top.* 5. Et recipit Doct. *q.* 10. *prædicam.* §. *Ad q. dicitur.* Iuxta autem cuiuscumque entitatem, concomitatur vnitas sibi congrua; si enim ens est singulare, vnitas eius est numerica: si verò ens sit commune, vtique eius vnitas est communis. Cum ergo natura ex se non sit hæc, seu singularis, vt ostendi in art. præcit. sequitur esse vnam vnitate communi, quæ à Scot. eiusque discipulis nuncupatur vnitas minor vnitate numerica, ita dicta ob vnitatem numericam, quæ est maxima vnitas, annuente Sire&. *Tract. form. fol.* 9. *in fine* 1. *pag art.* 1. *principali.* Quo enim vnitas est superior, eo est minor secundum Scot. quia inferiora sunt magis indiuisa, maiorque vnitas infert minorem, non verò econtra minor infert maiorem; ideò celebratur ille canon: ab inferiori, ad superius valet consequentia, non è contra. Cæteta quæ de vnitate dici valent, proprium locum in Met. sibi vendicant.

43. Ass. natura communis est vna vnitate minori vnitate numerica. Ita Scot. *vbi supra* & 10. *Met in exp. tex. pag.* 116. *in not.* Et indicatur ab Arist. 5. *Met.* 11. Probatur 1. vnitas est passio entis, & passio conuertitur cum eo cuius est passio, ex dictis in præmisso not. Nā vnaquæque res habet suam propriam vnitatem penes suam propriam entitatem: natura autem communis est ens; habet enim verum & reale esse à parte rei, vt patet ex 4. art. Ergo natura communis gaudet præfata vnitate. 2. aut solùm datur vnitas numerica, aut conceditur alia vnitas à numerica distincta. Si 2. habetur intentum. Si 1. admissā tantum vnitate numerica, admittitur natura singularis duntaxat, sicque verā est opinio Heracliti, & Cratyli, quam destruere totis viribus conantur Arist. Thomis. Scotis. & Nom. *alleg. in* 1. *art huius q.* Hinc consequenter, & ad mentem Doctoris non videtur loqui Fuentes *quæst.* 6. *art.* 2. *dif.* a *obiect.* 1. inquiens, tot esse naturas communes, quot sunt naturæ singulares. Multa quippe efferuntur de natura communi, quæ haud dici valent de naturis singularibus, vt natura communis est multis communicabilis, & in partes subiectiuas diuisibilis, gaudetque vnitate communi, non est de se hæc, est prior naturaliter singularibus, & id genus alia, quæ infert Doct. *in* 2. *passu memorato.* 3. in quolibet genere datur vnum quod est metrum & mensura aliorum, 10. *Met T.* 22. Illud autem vnum non est vnum vnitate numerica, quæ soli naturæ singulari competit: ergo est vnum alia vnitate, puta communitatis.

Rursus 7. *Met. T.* 29. in specie athoma, seu infima fit comparatio, quia vna est natura, ea autem natura cuius ibi meminit Philosophus, non est numerica, vt liquet apertè ex eius tex. Ergo nec eius vnitas est numerica. Accedit *l. prædicam c. de Ad aliquid* & 5. *Met. c. de relatione*, relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis fundantur supra vnum reale, quia sunt relationes reales, docente August. *l de vera religione c.* 31. & 36. Illud autem vnum, in quo fundantur prænominatæ relationes, non est vnum vnitate numerica, quia multis communicatur, & adaptatur: ergo est vnum vnitate communitatis.

44. Opp. 1. vel tota natura communis, cum sua vnitate reperitur in vno singulari, aut non. Si 2. ergo illud singulare non est perfectum, propterea quod non participat totam naturam. Si 1. ergo natura communis non est in alio singulari, quia totum est cuius nihil est extra. 3. *Phys.* 68. Atqueadeo non habetur nisi natura singularis cum sua vnitate numerica. Resp. totam naturam communem cum sua vnitate inexistere in vno indiuiduo inadæquatè: in omnibus verò suis indiuiduis adæquatè. Exemplum esto de anima rationali, quæ adæquatè existit in toto corpore humano quod informat; inadæquatè verò in singulis eius partibus.

45. Opp. 2. quod est in alio, denominat illud in quo est, vt constat de albedine existente in Petro, denominante ipsum Petrum album, & de humanitate existente in Paulo, denominante ipsum Paulum hominem: ergo si natura communis vnà cum sua vnitate extat in singulari, singulare erit commune, eritque singulare vnum alia vnitate à numerica distincta. At perabsurdum est, singulare esse commune, quia in creatis, videntur esse inter se opposita, atque inconueniens est, singulare esse vnum vnitate alia à numerica

numerica distincta; vtique ergo inconueniens est admittere naturam communem cum vnitate communi. Resp. ant. pati multas instantias; nam materia est in homine, non tamen homo est materia. Itemque aqua in vase, at vas non est aqua. Præfatum autem ant. valet in iis, in quibus est prædicatum vniuocum, vt homo est albus, vt post Scot. 3 d.7. quæst. 3. obseruat Vallo Tract. form. fol. 64. Non verò in eis, in quibus fit determinatio & contractio communis ad particulare, vt non sequitur forma est in materia: ergo forma est materia, & passiones quæ competunt naturæ in se, & præcisè consideratæ, non prædicantur de natura, vt contracta per differentias indiuiduales, vt & si quis argueret, materia est indifferens & communicabilis omnibus formis: materia ligni est per se materia: ergo materia ligni est indifferens, & communicabilis cunctis formis. Syllogismus valet de materia ea se, & præcisè sumpta, non verò de materia, vt contracta ad formam ligni, aut alterius rei. Sic enim est determinata ad vnam formam, tametsi ei non repugnet determinari per alias formas. Idque etiam declarari potest de pariete, qui est in potentia neutra ad albedinem, & nigredinem recipiendam, nihilominus cum habet albedinem, determinatus est ad eam, licet polleat potentiâ recipiendi nigredinem, vt dicitur in sensu diuiso, non autem in sensu composito. Itaque negatur conseq. oppositionis adductæ, quia natura in indiuiduo est contracta; propterea, vt est contracta per singularitatem, non denominatur communis, vt præclare ostendit Bonet. 1. Met c.5.

Instabis, vbi est natura, ibi est eius passio. Hæc enim duo per Scotum sunt ab inuicem inseparabilia, natura autem communis est in singulari: ergo & eius passio, quæ est vnitas communis; at per naturam sibi inexistentem humanam, Petrus denominatur homo; ergo per vnitatem eiusdemmet naturæ denominatur communis. Hæc conclusio est falsa: ergo aliqua ex præmissis quoque falsa est, non maior, ergo minor, quæ est propositio Scot. Dico, quamuis natura communis, cum ipsius vnitate existat in singulari, non tamen singulare denominat, quia de ipso non prædicatur vniuocè, nec est eius prædicatum vniuocum, vt constat ex responsione illius opp. Vnde Marginista Bonet. præcit. scribit singulare esse sobiectum vnitatis communis inhæsionis, non autem denominationis.

Vrgebis, vel natura per contractionem indiuidualem, amittit suam vnitatem, vel eam retinet. Si 2. ergo natura est communis, etiam vt est contracta. Si 1. ergo passio realiter dissidet à re, cuius est passio, quod pugnat Scot. affirmanti passionem tantum formaliter à re cuius est passio, differre: occurrit Fons. 5. Met. c. 28. q. 5. sect. 4. inquiens, eam vnitatem naturæ tantum in se competere, & in statu præcisionis: eâ verò esse exutam in singularibus existentem. Contra, passio concomitatur naturam cuius est passio, vbicumque & in quacumque re sit; reciprocatur enim cum illa per se & necessariò eidem competit, & realiter identificatur: ergo cum præfata vnitas sit passio naturæ communis, vt est in singularibus, & vt est contracta ipsa natura, tali vnitate non caret. Ego vero respondeo naturam communem, quidem non dimittere propriam vnitatem, quatenus est contracta per differentiam indiuidualem: tamen indiuiduum non perhibetur commune, ob rationem præassignatam, exemplisque præmonstratam: sed solùm deduci, & inferri potest. indiuiduum habere naturam communem, cum dicta sua vnitate, veluti in indiuiduo existunt prædicata transcendentalia, & prædicamentalia, cum eorum passionibus, vt rectè aduertit Bonet. loco prænominato.

ARTICVLVS VII.

An vniuersalia sint ante intellectus operationem.

46. Etsi Arr. nouissimè *disp. 4. sect. 4.* putet hanc difficultatem, & controuersiam esse de nomine duntaxat: video tamen Philosophos reales de re acerrimè disputantes in hoc art. esse bipartitos. Ex vna enim parte nonnulli, quibus adhærent Fons. 5. *Met. c. 28. quæst. 5. sect. 3.* & Racon. *Tract. vniuers. quæst 2.* fixis pedibus sustinent, vniuersalia esse ante intellectus operationem. in hanc sententiam citantur Scot. & pene vniuersa eius schola: sed immeritò, vt infra patebit. Ex altera verò parte, complures totis animi viribus tuentur vniuersalia esse post operationem intellectus, quorum præcipui propugnatores sunt. Scot. *quæst. 4. vniuers. §. Dicendum in solutione 1. & 3. & 7. Met. quæst. 18.* Et *a.d. 3. quæst. 5. §. sed contra 1. & 11.* Thomas *l. de ente & essentia cap. 4.* Antonius Andreas *l. sex princ. q 5.* Tromb. *7. Met. quæst. 9.* Ferch. *vestig. 1. num. 61.* Et vtriusque classis alumni ferè omnes.

47. Not. 1. & recol. ex dictis *in Epit. l. 1. quæst. 1. art. 10.* intentionem esse duplicem, 1. & 2. Prima intentio est obiectum cognitum, vt homo cognitus. 2. verò intentio est comparatio passiua vnius obiecti cogniti ad aliud obiectum cognitum. Quod est dictu. 2. intentio est relatio rationis causata, siue derelicta per actum comparatiuum intellectus comparantis vnum obiectum cognitum, ad aliud obiectum cognitum, veluti comparatio speciei ad sua indiuidua, & comparatio generis, ad suas species, vt ibi exemplis fuit explanatum. Deinceps recognoscenda est diuisio vniuersalis in Log. & Met. & vtriusque definitio allata in prænominata Epit. *q. 3. art. 1.* vniuersale Met. est vnum aptum inesse multis; vniuersale verò logicum est vnum aptum prædicari de multis.

48. Not. 2. ea Scot. *ante 4. q. vniuers.* Et 7. *Met. quæst. 18.* Et Orbel. *ibid cap. 2.* vniuersale esse nomen concretum, cuius abstractum est vniuersitas. Concretum autem accidentale, ex dictis loco nunc cit. *art. 6.* duo præsefert, formam scilicet & subiectum eius. Primum quod dicitur esse formale, est primarium eius significatum. Secundum autem quod perhibetur esse materiale, est secondarium eius significatum. Itaque cum vniuersale sit concretum, bifariam capi potest, nempe pro formali & pro materiali. Vniuersale pro formali idem est, ac 2. intentio, siue relatio rationis prædicabilis ad illud de quo est prædicabilis, cuius inuestigatio per se pertinet ad Logicam, & de hoc se deinceps acturum esse proponit Scot. loco prælleg. vniuersale pro materiali, quod idem sonat, ac vniuersale pro denominato, & pro substracto, est ens reale, per se spectans ad Met. Huiusmodi autem vniuersale materiale dupliciter sumitur, vel pro denominato remoto, quod dicitur vniuersale in potentia remota, & est natura communis existens in singularibus, vt scribit Auer. 1. *Cæl. comment. 92.* vel pro denominato propinquo, quod dicitur vniuersale in potentia propinqua, siue quod habet potentiam proximam, vt de pluribus prædicetur. & est eadem natura communis abstracta à suis singularibus per intellectum, & exuta differentiis indiuidualibus, relucens in specie intelligibili. Vniuersale verò in actu est, quod actu prædicatur de pluribus, actuque cognoscitur ab intellectu, vt vnum prædicabile de multis, prædicatione dicente, hoc est hoc, siue prædicatione in recto, vt Petrus est homo, Bucephalus est equus. Hoc totum exprimit Doct. 2. *cit. H. vers. Ad 2. dico.*

49. Not. 1. naturam ea se, hoc est penes suam propriam & intrinsecam entitatem, ac prædicata quiddi-

tatiua

tatiua, non esse vnam, nec plures, nec singularem, nec vniuersalem, vt obseruat Doct. mox alleg. §. *Ad q. sub F.* ex Auic. 5. *Met. cap.* 1. dicente, *equinitas est tantum equinitas.* Sed ipsam naturam consequuntur vnitas, & pluralitas, singularitas, & vniuersalitas. Et quidem vnitas communis prodit ab ipsamet natura tanquam eius passio, quatenùs naturaliter præcedit quamlibet singularitatem, & vniuersalitatem. Natura verò sic indifferens per contractionem determinatur ad singularitatem, multiplexque efficitur numero secundum multiplicitatem differentiarum indiuidualium. Per operationem verò intellectus determinatur ad vniuersalitatem, vt præter locum recensitum perhibet Scot. 7. *Met. q.* 18. *Et* 1. *d.* 3. *q. vn. in fine.* Vt autem talis natura habeat actualem & completam vniuersalitatem, necesse est, vt potiatur vnitate indifferente, siue indeterminatione contraria, ratione cuius sit in potentia proxima, vt enuncietur de quolibet suo inferiori, quod vt meliùs, & clariùs percipiatur.

50. Not. 4. ex Scot. 1. *d.* 3. *q* 1. §. *Quod autem dicit. circa T.* indeterminatum esse duplex, indeterminatum priuatiuè siue negatiuè, quod est singulare, & indeterminatum positiuè contrariè, quod est vniuersale: duplicemque esse indeterminationem priuatiuam, siue negatiuam, & positiuam contrariam. Indeterminatio priuatiua, ex Doct. 1. *Met. q.* 6. *&* 7. *eiusdem operis*, *q.* 18. est non repugnantia ad determinari, conueniens naturæ existenti in vno indiuiduo, ratione cuius sibi non repugnat, vt in aliis existat, actu verò est determinata ad hoc, aut illud indiuiduum per differentiam indiuidualem, per quam determinatur, & contrahitur. Hinc alij describunt indeterminationem negatiuam, non repugnantiam limitationi ad vnum. Indeterminatio verò positiua contraria est repugnantia omni limitationi ad inferiora conueniens naturæ, quatenùs ab indiuiduis per intellectum est abstracta, & considerata, vt est vna prædicabilis de multis. Dicitur autem indeterminatio contraria, quia est coniuncta determinationi actuali, quasi habitui contrario, & huiusmodi natura sub tali indifferentia, & indeterminatione actuali, perhibetur vniuersale completum, vt cum Scot. affirmat Lych. 2. *dist.* 3 *q.* 1. *in expositione* §. *Sed contra.* In hanc duplicem indeterminationem, & indifferentiam à Scotis. assertam ingeniose, & egregiè defensam, inuchitur acriter Fons. 5. *Met cap.* 28. *q.* 5. *sect.* 2. inquiens, eam distinctionem esse quidem speciosam, sed speciei nihil subesse solidę doctrinæ. Verùm Fons. ipsius distinctionis veram soliditatem, eiusque venustatem non attigisse, nec agnouisse, in Met. forte monstrabo, facili negotio refellens ea omnia, quæ in oppositum ipse adducit.

51. Ass. 1. vniuersale materialiter sumptum, siue pro denominato, quod vniuersale Metaphysicum appellatur, est ens reale præcedens intellectus operationem. Ita Scot. *vbi suprà.* Probatur 1. ex Arist. *locis art.* 4. *huius q. adductis*, quibus adiicio testimonium *ex* 4. *Top.* 2. desumptum, in quo leguntur hæc verba. *Interempto genere, interimuntur species, & indiuidua*: Sed ad interemptionem entis rationis, non sequitur interemptio entis realis, cum inter ea, nulla sit connexio necessaria: Indiuidua sunt entia realia; ergo genus, & species sumpta pro denominato quoque sunt entia realia, quandoquidem ad eorum corruptionem infertur singularium corruptio. Eo magis, interemptio, siue corruptio propriè est entis realis, veluti productio, & generatio propriè, enti reali competit. Rursus 5. *Met.* 14. ens reale scinditur in decem prædicamenta, quorum genera, & species sunt vniuersalia. Itemque vniuersale met. est vnum aptum inesse multis 7. *Met. cap.* 15. *T.* 45. Et absque opere intellectus, natura humana est vna in eius indiuiduis, quia est vna species, ab omnibus eius singularibus vniuocè participata. Igitur vniuersale sumptum pro denominato est ens reale. 2. Quod in veras res diuiditur, est ens reale; vniuersale autem distribuitur in veras res, vt substãtia in incorpoream, & corpoream, animal in rationale, & irrationale, quantitas in continuam, & discretam; qualitas in intellectualem, & moralem. Iterum, si membra diuidentia sunt realia, vtique diuisum est reale. Partes quippe reales non sunt nisi in toto reali: membra autem diuidentia vniuersalis sunt realia, vt Petrus, Paulus, & alia indiuidua naturæ humanæ; ergò & ipsa natura humana, quæ in ea distribuitur, eisque communicatur, debet esse realis. 3. prædicata quidditatiua, & essentialia entis realis debēt esse realia, vniuersalia autem sunt prædicata quidditatiua, & essentialia, vt animal, & rationale sunt prędicata essẽtialia hominis. Deinceps, secluso omni opere intellectus natura humana ex se non est hæc, siue singularis, sed indifferens, & indeterminata negatiue, definitur propriè, cum sit essentia hominis, notante Doct. 2. *d.* 3. *quæst.* 1. §. *Ad q. E.* Denique obiectum præcedit actum potentię, cuius est obiectum, vt color visionem oculi, & sonus auditionem auditus. Vniuersale autem est obiectum intellectus. 1. *phys c.* 49. Et probat Doct. *in* 1. *alleg. q.* 6. §. *Contra istam opinionem. A.* Ergo vniuersale captum pro denominato est ens reale.

52. Ass. 2. Vniuersale pro formali, quod vniuersale logicum nuncupatur, est post operationem intellectus, & ens rationis. Hanc explicite tradit Doct. 1. *dist.* 23. *q. vn.* §. *Item arguo.* K. Et *d.* 25. *q. vn. sub fine* Et 2. *d.* 3. *q.* 1. §. *Sed contra. H. & I.* probatur 1. ex Auer. 1. *anima. com.* 8. Intellectus facit vniuersalitatem in rebus, per hoc, quod denudat ipsum quod quid est in phantasmate existens. Idque apertè indicat Arist. 1 *anima cap.* 1. *T.* 8. vniuersale nihil est, aut posterius est. Id est, post operationem intellectus fabricantis huiusmodi vniuersale formaliter. Propterea subdit idem philosophus ibi. Et quidquid itidem aliud communiter prædicatur Vbi aduerte, verbum prædicatur, quod est intentionale. 2. omnis 2. intentio, & relatio rationis fit per operationem intellectus, vt nemo ambigit. vniuersale autem formaliter est 2. intentio, & relatio rationis, qua intellectus comparat superius cognitum, ad sua inferiora cognita, vt patet ex 1. & 2. not. ergo vniuersale formaliter habetur per operationem intellectus, estque ens rationis. 3. vniuersale formaliter est vnum aptum prædicari de multis, 1. *perih. cap.* 5. nihil autem prædicatur de multis, nisi opere intellectus. Nam affirmati, negati, prædicari, & alia huiusmodi, cum sint intentionalia, ab actu mentis reflexo pendent. Iterum, vniuersale Logicum duas exigit conditiones ad suum esse completum. Prima est, vt natura communis abstrahatur ab intellectu à suis singularibus. 2. vt actualis prædicatio attribuatur multis, quæ sunt ipsius naturæ inferiora. Sed tam abstractio, quam prædicatio, opera intellectus efficitur, ergo & vniuersale formaliter. Insuper, vniuersale formaliter est vnum intelligibile, & prædicabile de omnibus suis inferioribus prædicatione exercita, & in recto, scribente Doct. *in* 2. *alleg. H.* Fieri autem nequit, vt vnum intelligibile de multis prædicetur in recto, nisi intellectus opere. Quamuis enim naturæ communi existenti in vno indiuiduo, non repugnet esse in alio indiuiduo, nihilominus haud potest prædicari de quolibet singulari, nisi per intellectum abstrahentem, & prædicantem eam ipsam naturam de suis inferioribus.

53. Opp. 1. Contra 1. Ass. vniuersale formaliter est vnum aptum inesse multis, nemine cogitante: ergo vniuersale formaliter est ens reale. Ant. est Arist. 7. *Met. T.* 45. Et suadetur, duo requiruntur ad vniuersale, vnitas, & aptitudo essendi in multis: sed absque vlla intellectus negotiatione, est vnum aptum inesse multis, vt natura humana est vna apta inesse multis, & actu reperitur, & existit in multis indiuiduis. Distinguo ant. vniuersale Metaphysicum, concedo, Logicum verò, nego. vt deducitur ex Doct 1. *d.* 3 *q.* 6. §. *Contra istam opinionem A.* Et 2. *cit.* §. *Ad q. antè F.* Et 1. *Met. q.* 6. Quidquid reclamet Fons. *in vlt. not. alleg.*

Instabis, vniuersale Logicum ex dictis, est vnum aptum prædicari de multis, absque autem intellectus

opere

opere natura humana est vna apta prædicari de multis, quia nemine cogitante, Petrus est homo, & Ioannes est homo, ergo præfatum arg. nedum concludit de vniuersali Metaphys. verumetiam, de vniuersali Log. Dici potest ex Scot. *in 2. mox allato l.* tale non esse vniuersale Logicum in actu, sed solum in potentia. Causa est, quia ei deficit indifferentia, per quam completiuè vniuersale est vniuersale. Vniuersale quippè actuale, & formale petit vnitatem, & indifferentiam contrariam positiuam, quam ab intellectu accipit, cum à parte rei habeat tantùm vnitatem, & indifferentiam negatiuam.

Vrgebis, vniuersale formale non postulat esse actuale ad suum esse essentiale, sed tantum esse potentiale, & aptitudinale, vt liquet ex eius definitione, ergo allata distinctio de vniuersali in actu, & in potentia non soluit præallatam instantiam. Dico, etsi illud verum sit, in esse obiectiuo, & esse essentiæ, non tamen in esse existentiæ, quia ad vltimum complementum cuiusque rei requiritur existentia, tanquam eius modus actualis, ratione cuius habet esse actuale, & completum.

54. Opp. 2 vniuersale est ens reale, ex 1. Ass. Ergo vtique vniuersale formale est ens reale Conseq. ostenditur, cuius vna pars est realis, altera quoque eius pars est realis, vt patet in composito Physico, cuius partes sunt materia, & forma, quæ sunt entia realia. Concedo ant. nego conseq. ad eius probationem distinguo, de toto Physico, concedo: de toto Logico, nego. Quia totum Logicum est in mente, vt notat Fereh. *vestig. 5. num. 61.*

Instabis, ens reale non accipit suum complementum ab ente rationis, sed vniuersale materiale est ens reale, & vniuersale formale est ens rationis, ex dictis, ergo &c. Maior est aperta. Nam ens reale est ens simpliciter, ens verò rationis est ens secundum quid, & diminutum. Iterum, esse formale est nobilius esse materiali, vt patet de forma, quæ nobilitate vincit materiam. Cum ergo vniuersale materiale sit reale, non videtur posse compleri in suo esse ab vniuersali formali, quod est rationis. Distinguo ma. de complemento reali, & essentiali, concedo: de complemento intentionali, nego. Nam, rosa hyberno tempore habet existentiam rationis, & substantia completur, & ornatur accidentibus tanquam eius monilibus. Ad aliud quod subiicitur, quoque distinguendum est, de esse formali reali, conceditur; de esse verò formali intentionali, negatur. Sic domus cognita habet esse formale in mente, quod ab esse reali extra animam simpliciter nobilitate superatur.

55. Opp. 3. Cui realiter competit vnum oppositum, aliud oppositum ei repugnat, vt argumentatur Scot. 2. *præcit. §. Primo verum.* Singulare autem, & vniuersale sunt opposita, *1. dist. 3 quæst. 6. paulò antè B.* Ergo, naturæ aut conuenit singularitas, aut vniuersalitas: atqui ei competit singularitas: Est enim singularis à parte rei per contractionem; ergo eidem repugnat vniuersalitas. Conf. 1. natura solùm formaliter dissidet ab hæcceitate; ergo est idem realiter cum hoc & illo indiuiduo, proindeque est singularis. Conf. 2. hæcceitas est idem realiter cum natura; ergo sicut hæcceitas nequit multiplicari numero, pariter & natura; atqueadeò, tantum ipsi congruit singularitas. Resp. à diuersis agentibus, diuersimode naturæ competere singularitatem, & vniuersalitatem. A producente naturali ei tribuitur singularitas, & ab intellectu, per abstractionem, & comparationem ad sua inferiora, eidem datur vniuersalitas. Quare vt est contracta, est singularis, vt verò est abstracta, & comparata ad sua inferiora, est vniuersalis. Per idem patet, ad 1. Conf. Ad 2. concedo ant. nego conseq. Quoniam naturæ non repugnat communicabilitas, valoti repugnat differentiæ indiuiduali. Ideò illa potest multiplicari, non autem ista.

ARTICVLVS VIII.

Quonam modo fiat vniuersale formaliter.

56. VNiuersale formaliter effici ab intellectu in confesso est apud omnes, præsertim Scot. *quæst. 4. vniuers.* Modus autem, quo huiusmodi vniuersale fit, quoue actu intellectus, abstractiuóne, an verò comparatiuo? est à nobis aperiendus, & explicandus. Doctor enim Angelicus *opusc. 55.* Et *1. p. quæst. 55 art. 3.* Iotus *quæst. 3. prædicabilium*, & Tol. *ibid. q. 2.* tenent vniuersala formaliter effici per actum intellectus abstractiuum. Doctor verò subtilis *1. dist. 3. quæst. 7 in corpore, §. Contra istam opinionem.* Et *2. dist. 3. quæst. 1. §. Sed contra istud. vers. Ex hoc apparet probatio 2.* Lieb. *ibid.* Bass. Paulus Scriptor, Gadius *Quod. 15.* Tromb. 7. *Met. q 8.* Fuent. *q. 6. dis 3. art. 2.* & Conimb. affirmant, vniuersale formaliter compleri per actum comparatiuum intellectus.

57. Not. 1. & præsupponendum est, *ex lib. de anima*, cognitionem nostram intellectualem præexigere cognitionem sensuum tam externorum quam internorum, iuxta illud Arist. *l. de sensu & sensato, cap. 1.* adductum, & explanatum à Doct. q. 3. & 4. vniuers. *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Obiecta namque à parte rei existentia per sui speciem, & similitudinem, ad sui notitiam prius mouent sensus externos, & internos, quam ab intellectu attingantur, ostendente Scot. 2. *dist. 42. §. Ad 1. sub O.* Itaque cognitionis nostræ primi duces sunt sensus externi, quos subsequuntur sensus interni, nominatim sensus communis, & phantasia. Postmodùm verò intellectus agens, & patiens. illius est omnia facere, istius verò est omnia pati, scribente Scot. *Quod 15. §. De tertio. M & §. De isto. N. post Arist. 3. anima T. 18.*

58. Not. 2. animam, teste Arist. 3. *animæ 37.* esse in potentia omnia, id est, posse omnia cognoscere. est quidem est in potentia, omnia sensibilia per sensum, estque in potentia omnia intelligibilia per intellectum. Quod est dictu, anima sensu potest percipere omnia sensibilia, & intellectu omnia intelligibilia, cum hoc tamen discrimine, quia sensus singularia, & intellectus vniuersalia percipit. 1. *post. T. 33.* Vnde celebratur illud 2. animæ, 60. *Sensus est singularium, & intellectus vniuersalium.* Cum ergo sensus singularia materialia percipiat, & intellectus ipsi sensui in cognoscendo sit alligatus, necesse est, ex exui, & exolui conditionibus materialibus, & indiuidualibus, vt vniuersalia percipiat, abstrahendo naturas communes à suis inferioribus, & singularibus, quod vt meliùs & commodiùs intelligatur.

59. Not. 3. abstractionem esse abiunctionem, seu secretionem vnius ab alio, quæ diuiditur in realem, & intentionalem. Realis est separatio vnius ab alio, vt separatio auri ab argento. Intentionalis verò est, qua vnum absque alio percipitur. Est autem duplex, vt aduertit. Mauritius cit. a Vallone *Tract. form. fol. 533.* diuisiua vna, præcisiua altera. Præcisiua est apprehensio vnius, cum alio coniuncti, sine apprehensione alterius, vt abstractio animalitatis à rationalitate, & de hac intelligitur illud 2. Phys. T. 18. *Abstrahentium non est mendacium.* Diuisiua est, qua vnum de alio negatur, vt, homo non est lapis. Hæc autem subdiuiditur à Doct 7. *Met. q. 16. §. De illo igitur.* In actualem, quæ per actualem notitiam intellectus efficitur, & habitualem, quæ per habitualem speciem, in qua obiectum repræsentatur, efficitur. Quare, secundum Scot 1. *post. q. 3. § Ad arg.* Præhabitâ cognitione obiecti intelligendi à sensibus interno & externo per speciem acquisitam, præsentatur à phantasia ipsummet obiectum, adhuc amictum conditionibus singularibus, & materialibus, intellectui agenti, cuius præcipuum munus est, de materiali reddere

dere ipſum ſpirituale, cum nihil materiale in ſpirituali recipi valeat, ab eoque ſpoliatur conditionibus ſingularibus, ſicque dicitur à ſingularibus abſtractum abſtractione præciſiua, eſtque vniuerſale in potentia proxima, poſtmodùm intellectus patiens in ſe recipiens ſpeciem eiuſdem obiecti, ab intellectu agente depuratam, & idemmet obiectum conſiderans omni ſingularitate, & materialitate exutum, comparat ad ſua inferiora, deque eis prædicat prædicatione formali & eſſentiali, tunc habetur vniuerſale formale actu, *vt homo eſt ſpecies*; vndè vt benè obſeruat Gadius *Quol.*15.*fol.*160. *colum.*4. natura communis exiſtens in ſuis ſingularibus, eſt vniuerſale in potentia remota, quod appellatur vniuerſale phyſicum. Natura deinde, vt eſt abſtracta à ſuis inferioribus, eſt vniuerſale in potentia proxima, quod vocatur vniuerſale metaphyſicum. Quatenùs verò ſic abſtracta comparatur ad ſua indiuidua, deque illis prædicatur, eſt vniuerſale actu, quod nominatur vniuerſale logicum, & abſolutè vniuerſale. Hinc colligitur, intellectum circa vniuerſale habere duplicem actum, abſtractiuum ſcilicet, & comparatiuum. Abſtractiuus, qui & abſolutus perhibetur, eſt, quo intellectus à ſuis ſingularibus naturam communem præſcindit, eamque ſic ab eis præciſam conſiderat. Comparatiuus verò eſt, quo intellectus eamdem naturam ad ſua inferiora comparat, deque illis prædicat, eo modo, quo ſuprà planum feci.

60. Aſſ. vniuerſale formale actu, non per abſtractiuum, ſed per comparatiuum actum intellectus efficitur. Hæc aſſ. eſt bipartita, quã tradit Doct. allegatus *in init. o* *bium art.* & in eamdem Complut *diſp* 3.*q* 6 § 2. trahunt D. Th. 1. pars probatur 1 per actum abſtractiuum, natura cõmunis eſt vniuerſale in potentia propinqua; ergo non eſt vniuerſale formale actu Ant. præterquamquod liquidum eſt in ſuperioribus, ſuadetur quoque, naturæ ſic abſtractę nihil de nouo aduenit, niſi pręciſio à ſuis inferioribus: talis autem præciſio non eſt vniuerſalitas, ergo per eam natura abſtracta non eſt vniuerſale formaliter actu. Argumentũ tenet ab abſtracto ad concretum. Min. oſtẽditur, in ſtatu abſtractionis natura ſolùm conſideratur vt abiuncta à ſuis ſingularibus, & repræſentatur in ſpecie intelligibili, cognoſciturque, abſque illo reſpectu ſingularitatis, aut vniuerſalitatis, vt liquet ex definitione abſtractionis *not.* 3. allata. 2. definitio vniuerſalis formaliter actu non adaptatur naturæ abſtractæ: ergo vt ſic abſtracta, non eſt vniuerſale formaliter actu. Ant. probatùr, vniuerſale formaliter actu, eſt vnum in multis, & de multis, 1.*poſt cap.*8.*T.*63. Natura autem ſic ſeiuncta, nec eſt in multis, quia ab eis eſt abiuncta, nec dicitur de multis, quia non comparatur ad illa 3. vniuerſale formaliter actu ſortitur indifferentiam contrariam poſitiuam, de qua fuit ſermo loco memorato, & inſinuat Doct. *quæſt.* 37. *vniuerſ* §. *contra*. Natura autem per intellectum ſegregata ſolùm habet indifferentiam priuatiuam, vt ibi planum feci. Eo magis, natura ſic abſtracta non prædicatur formaliter & in recto de ſuis ſingularibus, quæ vt ſic non reſpicit; ergo quatenùs eſt abſtracta per actum intellectus abſolutum, non eſt vniuerſale formaliter actu.

61. 2. Pars deducitur ex 1. & probatur 1. qualis eſt forma, talis eſt res, quæ per formam informatur; à forma quippè res determinatur, & ſpecificatur, vt ſi forma eſt abſoluta, informatum per eam quoque eſt abſolutum: at vniuerſalitas formalis eſt 2. intentio, quæ reſpicit ſuperius, & inferius, ex Scot. 2. *diſt.* 23. *q. vn.* §. *contrà iſtud*. Ergo vniuerſale formaliter actu, fit per actum intellectus comparatiuum 2. vniuerſale refertur ad ſua inferiora, de quibus prædicatur, ſuntque correlatiua, quæ adinuicem referuntur; ergo vniuerſale formale actu fit per notitiam comparatiuam. Conſequentia tenet, ſuperius eiuſque inferiora formaliter conferri nequeunt inter ſe, niſi per actum intellectus comparatiuum. Cum enim vniuerſale ſit 2. intentio, quæ eſt relatio rationis, ſiue comparatio paſſiua ſuperioris ad inferiora, ſequitur ipſum effici per actum comparatiuum. Quod innuit Porph. *in ſua Iſag.* qui definiens ſingula vniuerſalia, per inferiora definit illa. Addo, relatio non cognoſcitur, niſi cognito eius termino à quo ſpecificatur; ergo non cognoſcitur vniuerſale, niſi nota ſint eius inferiora, quæ ſunt eius terminus, proindeque non exurgit vniuerſale formaliter actu, niſi per actum intellectus comparatiuum. Hinc, refelluntur Suarez *diſp* 6. *Met. n.* 7. Et Conimb. *q.* 5. *&* 6. *art.* 3. admittentes vniuerſale formaliter abſolutum. Liquidò enim conſtat, & euidenter euincitur, vniuerſale formaliter eſſe relatiuũ, formamque eius eſſe relatiuam. Inſuper, abſtractum ex dicendis in proximo lib. non poteſt de concreto prędicari, ſed natura per illam abſolutam vniuerſalitatem à prælatis Authoribus excogitatam, eſt abſtracta, vt concedit Suarez *vbi ſuprà*; ergo proximè nequit prædicari de ſuis inferioribus, quod requiritur ad vniuerſale formaliter actu.

62. Opp. 1. Ariſt. 3. *anima T.* 18. ſcribit, quemadmodum lumen materiale ſuo ſplendore reddit colores actu viſibiles, qui in tenebris erant: pariter intellectus agens producens ſpeciem intelligibilem in intellectu patiente, reddit naturam actu intelligibilem. Ex his arguo, obiectum intellectus poſſibilis eſt vniuerſale, huiuſmodi autem vniuerſale præcedit ipſum intellectum poſſibilem, eiuſque operationem, quia obiectum præcedit actum potentiæ, cuius eſt obiectum; ergo per ſolam abſtractionem intellectus agentis, natura relucens in ſpecie intelligibili, efficitur actu formaliter vniuerſale. Reſp. ex hoc teſtimonio nihil prorſus colligi, quod noſtræ aſſ. aduerſetur. Nam admitto quidem paritatem, vt ſcilicet natura per actionem intellectus agentis, fiat actu intelligibilis, ſicut color redditur actu viſibilis per medij illuminationem, quod ſuam haurit probabilitatem ex Scot. *Quol.* 15. §. *Si vero. ſub Q.* nego tamen, naturam ſic intelligibilem, eſſe vniuerſale formaliter actu, niſi ipſi accedat comparatio ad ſua inferiora. Itaque in forma ad argumentum, diſtinguo ma. obiectum intellectus patientis eſt vniuerſale, in potentia proxima, concedo; in actu, nego. Vel, quod in idem recidit. Obiectum intellectus poſſibilis eſt vniuerſale Metaphyſicum, concedo, Logicum nego.

63. Opp. 2. natura à ſuis ſingularibus abſtracta, non eſt ſingularis, vt omnes fatentur, ergo eſt vniuerſalis. Conſeq. tenet, quia inter ſingulare, & vniuerſale, nullum interuenit medium. Reſp. naturam ſic abſtractam eſſe vniuerſale Metaphyſicum, non autem Logicum; vel dicito, eſſe vniuerſale Logicum in potentia proxima, non verò in actu.

64. Opp. 3. vniuerſale Logicum definitur 1. *perih. cap.* 5. vnum aptum prædicari de multis. Natura autem præciſa à ſuis inferioribus eſt quid vnum aptum prædicari de multis. Siquidem, ad vniuerſale non requiritur, vt actu natura prædicetur, ſed ſufficit vt habeat aptitudinem prædicandi de multis; ergo natura abſtracta eſt vniuerſale actu, & non potentia duntaxat. Concedo ma, nego min. Ratio eſt, quia natura vt abſtracta non habet actu formam vniuerſalitatis, veluti paries non dicitur albus, niſi habeat albedinem inhærentem in ipſo; ſic natura non eſt formaliter actu vniuerſalis, niſi actu habeat formam vniuerſalitatis, quæ efficitur per comparationem ad ſua inferiora.

65. Quæres, vtrùm vniuerſale formaliter fiat per actum intellectus agentis, vel patientis? Reſpondeo, probabile eſſe fieri per operationem intellectus patientis, ſeu poſſibilis, docente Scot. 2. *d.* 3. *quæſt.* 1. §. *Sed contra. antè* I, quem ſequuntur ibi Lycb. Barg. & alij Scotiſ. Ratio eſt quia antè actum intellectus poſſibilis, natura abſtracta per intellectum agentem, eſt tantùm in potẽtia proxima, vt fiat vniuerſale formaliter actu. Itemque, munus intellectus agentis præcipuum eſt, transferre obiecta ex ordine materialium, ad ordinẽ ſpiritualium, officium verò intellectus patientis, eſt intelligere quæ ſibi ab intellectu agente repræſentatur, per ſpecies intelligibiles, naturamque præciſam, à ſuis ſingularibus, ad eamet inferiora comparare. Itaque veriſimile eſt vniuerſale

actu effici ab intellectu possibili. Dices, Scot. 1. *d.* 3. *q.* 6. §. *contra istā opinionem.* *D.* perspicuis verbis asserit, ad intellectum agentem pertinere efficientiā vniuersalis formalis. Idemque astruit 7. *Met. q.* 16. Ergo Scot. non videtur sibi cohærere. Ad 1. locum respondent Mastrius, & Bellutus *disp.* 4. *q.* 3 illum tex. à Fabro 4. *Met. q.* 9. *c.* 4. signari pro extra. Et si admittatur, vt Scot. littera, non deducitur obid ab intellectu agente, fieri vniuersale in actu, sed tantùm in habitu, quatenus ipse intellectus agens format speciem intelligibilem, per quam intellectus patiens, intelligens naturam ab indiuiduis sciunctam, producit vniuersale actu. Contra Scot. *quol.* 15. id ipsum expressè tenet, & probabiliter defendit, §. *de isto art.* inquiens. Si prima via tenetur, posset dici, quod intellectus agens habet duas actiones ordinatas. Prima est facere de potentia intelligibili, actu intelligibile, vel de potentia vniuersali, actu vniuersale. Secunda est facere de potentia intellecto, actu intellectum. Non ergo allata responsio tollit instantiam. Secundò verò iidem Authores præcensiti occurrunt ex Bargio 1. *d.* 3. *q.* 6. §. *Ex alio membro.* Scot. eo in loco, communem amplexum fuisse sententiam, at in alio passu proprium opinionem tradidisse. Itemque in Met cit. lo. sermonem esse de vniuersali habituali, & in 1. sententiarū memorato de vniuersali actuali. Verùm hæc expositio non videtur esse prorsus ad mentē Doct. qui in vtroque loco suam euidenter aperit sententiā, & vtrobique de vniuersali actuali verba facit. Mihi autem videtur dicendum, Scot in hac re, sicut in alijs multis esse problematicum, vt non obscurè insinuatur ab eo, *quol. nuper cit.* vbi probabiliter defēdit, intellectum agentem esse causam effectricem intellectionis, dissoluens omnia argumēta, quæ in oppositum adducuntur. Ideo, Scotis. perspicientes vtramque sententiam, in re, & in Scot. esse probabilem, modò hanc, modò illam tuentur opinionem, vt videre est apud nostros recentes præalleg. tametsi in vnam magis, quàm in aliam Doct. inclinet, nimirùm in eam, quæ sustinet intellectum possibilem, esse opificem vniuersalis formalis actualis.

Articvlvs IX.

Quanam sit essentia vniuersalis Logici.

66. IN præsenti art. reuocatur in dubium, verùm essentia vniuersalis Logici sit esse in multis, seu in eo, quod est vnum aptum esse in multis: an verò in prædicari de multis, seu in eo, quod est vnum aptum prædicari de multis. Plerique enim inter quos sunt Rnn. *q.* 2. Alb. Sot. & Tol. citati ab Hurt. *disp.* 3. *sect.* 2. arbitrantur, essentiam vniuersalis Logici, esse vnū aptum in multis; prædicabilitatē verò, de multis, esse eius passionē. Hanc sententiā ex nostris amplectuntur duo Recentes *disp.* 4. *q.* 2 *art* 2. citantes pro se Scot. & quosdam præcipuos eius asseclas. Commune autem Scotist. placitum, statuit essentiam vniuersalis Logici, esse vnum prædicabile de multis. His subscribunt Hurt. *vbi supra,* & Arr. *disp.* 6. *sect.* 9.

67. Not. 1. Scot. varijs in locis, de hac difficultate diuersimodè esse loquutum. Nam, *q.* 6. *vniuers.* §. *Dicendum,* dubitatiuè, & problematicè incedit, inquiens, Si definitio vniuersalia vera sit, quæ est prædicabilis de multis, quæ ponitur 1 *perih.* 5. tunc conuertibilis, præter essentiam vniuersalis, erit illud, quod ponitur 1 *post. c.* 8. vnū in multis, & de multis: & si illud sit definitio bona, & vera, illud erit proprium; & ita alterutrum per definitionem vniuersalis, de vniuersali demonstrat ué potest concludi, & ita sciri. Idem repetit *q* 8 § *Ad* 1. *q.* postmodum verò *quæst* 15 § *Dicendum ergo,* expressè astruit, prædicari de pluribus, esse essentiam vniuersalis Logici, his verbis. Dicendum ergo ad q quod est vera definitio, quod sic ostenditur, ratio vniuersalis est prædicari de pluribus, per Arist 1. *perih* cum ergo in definitione generis ponatur prædicari de pluribus, ponitur eius genus. Hoc ipsum quoque insinuat *q.* 19. *ver. Ad oppositum.* Et exponit Mauritius, Anglicus, Sarn. & alij *ibid.*

68. Not. 2. & recol. ex dictis, vniuersale metaphysicum esse vniuersale in essendo, vt indicat eius definitio, quæ est, *vnum aptum inesse multis, cuius passio est prædicabilitas de multis.* Vniuersale verò Logicum est vniuersale in prædicando, vt constat ex eius definitione, quæ est, *vnū aptum prædicari de multis.* Ad 1. constituendū, sola intellectus abstractio exigitur naturæ cōmunis à suis inferioribus. Ad 2. autē, necessaria est cōparatio naturæ sic abstractæ ad sua inferiora, annuente Scot. 4. *d.* 41. *q.* 2. §. *Respondeo* F Quamuis autem idem sit fundamentum vtriusque vniuersalis, nempe natura cōmunis inexistens multis: tamen opere intellectus, vtrumque distinctis afficitur respectibus, ratione quorum recipiunt diuisio vniuersalis in Logicum & metaphysicum, reclamante Hurt. *disp* 3. *sect.* 2. §. 15 diuersisque definitionibus insigniri valet, vt de genere, specie, alijsque vniuersalib. infrà patebit. Idque declarari potest de homine, qui vt est totum physicum, definitur *corpus naturale ex corpore & anima rationali compactum,* vt verò est totum metaphysicum, definitur *animal rationale.*

69. Not. 3. præter duas præallatas vniuersalis definitiones, extare tertiam, 1. *post c.* 8. & 2. eiusdem operis ad finem adductam, & receptam a Doct. 7. *Met. q.* 13. & 2. *d.* 3. *q.* 2. §. *sed contra.* H quæ est huiusmodi Vniuersale est *vnum in multis, & de multis.* Hæc vtramque præfatam vniuersalis definitionē complecti videtur, vt aduerti *in Epit. l.* 1. *q.* 3. *art.* 1. Et indicat Fuent, *q* 6. *dis* 3 *art.* 1. & 2. *Met.* esse vnum in multis, est vniuersale metaphysicum, & esse vnum de multis, est vniuersale Logicum. Immò ex illis vna perfectior, & exactior vniuersalis Logici definitio, quę tradi queat, coalescit, & agnoscitur à Doct. cit. alijsque grauissimis Philosophis, qui postpositis ambabus præmissis, hanc tertiā approbant, declarāt, & celebrant, in posterioribus eorū scriptis, quæ maioris ponderis, authoritatisq; esse censentur Ad huius autē faciliorem captū suppono ex dictis. *art* 7 *huius q not.* 2. vniuersale esse nomen concretū, quod duplici gaudet significato, materiali & formali. Natura existēs in multis, quę dicitur vniuersale in potentia remota, ac natura à multis abstracta, quæ perhibetur vniuersale in potentia proxima, est materiale vniuersalis Logici. Et de multis, seu vnū prædicabile de multis, prædicatione formali, & in recto est formale ipsius vniuersalis Logici, quod est 2. intentio, siue respectus rationis causatus, aut derelictus per actū intellectus comparātis superius ad sua inferiora Quare quod definitur per dictam definitionem vniuersalis, est 2. intentio, quæ est esse vnum prædicabile de multis. Quod verò materialiter describitur, est natura communis, in qua fundatur dicta 2. intentio, tanquam in vero subiecto denominationis, vt optimè aduertit Fuentes *vbi supra, art.* 1. Vnde apertè colligitur, esse vnū in multis, nō esse formaliter essentiā vniuersalis Logici, sed esse vnum prædicabile de multis: sicque censeo interpretandum Scot. locis cit. à nostris prænominatis Nuperis, vt ipse Doct. consequenter loquitur, & benè cohæreant, quæ vbique suæ Doctrinæ scripserat: communiorque Scotist. opinio vera, & suo Doctori consentanea, omnibus eluceat. His plurimum fauet Arist. qui 1 *post. T.* 36. concedens Platoni scientiam esse vniuersalium, negansque ipsi, vniuersalia esse rerum ideas, à singularibus separatas realiter, astruit, vniuersalia de quibus habentur scientiæ, esse vniuersalia in multis, quæ sunt naturæ communes, quæ indiuiduis insunt, ab eis æque participatæ, quæ vniuocè de eisdem prædicantur, vt aptè interpretantur Zab. & Tol eum locum. Itaque esse in multis, quod Arist. locat in definitione vniuersalis, non est esse ens rationis, sed esse ens reale, quod competit naturæ communi in suis singularibus existens ante omne opus intellectus,

vt

vt præ aliis obseruat idem Zab. *vbi supra.* Obid Arist. statuens vniuersalia in multis, vehementer obiurgat Plat. ponentem vniuersalia ante multa, vt ex instituro ostendi *art. 3. huius q.* Atque adeo ruunt, quæ accumulant præfati Recentes, aduersus communem Scotist. Doctrinam, arbitrantes, esse in multis constituere formalem rationem, & essentiam, vniuersalis Logici. Hoc enim tantum eius esse materiale, & fundamentale designat, non verò eius esse formale, vt planiùs & euidentius fiet, ex eorum argumentorum solutionibus infrà subiiciendis.

70. Ass. formalis prædicabilitas est de essentia vniuersalis Logici. Ita Scot. *q. 15. vniuers. § propter istas tres.* Et *q. 15. §. dicendum ergo.* Et alibi, vbi approbat definitionem vniuersalis *1. Perih. c. 5.* traditam: aut aliam *1. post. cap. 8.* adductam, & à nobis *in 3. not.* præexplicitam, suffragatur mirifice Tromb. *7. Met. q. 8. art. 1.* Ad rationem vniuersalis in actu requiritur, quæ est actu participata in multis, & ipsa intentio vniuersalitatis attributa naturæ, per actum comparantis intellectus talem naturam, vt prædicabilem, ad indiuidua. Nec dissentiunt Barg. *1. d. 4. q. 6.* & alij Scotist. præstantissimi. Probatur 1. ex Porph. *cap. vlt. sua Isag.* dicente: *prædicari de pluribus, commune est omnibus vniuersalibus.* Et anteà definiente fere omnia, eaque præcipua vniuersalia, per prædicari de pluribus. Quod sane didicerat ab Arist. quo loco proximè cit. vniuersale per prædicabilitatem definit. 2. vniuersale logicum fit per comparationem intellectus, vt probaui *in ant. art.* Huiusmodi autem comparatio passiua essentialiter includit formalem prædicabilitatem, cum sit relatio rationis superioris prædicabilis de suis inferioribus: igitur prædicabilitas est de essentia vniuersalis Logici. Hanc rationem innuit Doct. *q. 14. vniuers. § propter argumenta.* Sciendum est, quod prędicari, cum sit intentio, est intentionum per se, rei verò per accidens. Ergo cum vniuersale Logicum formaliter sit 2. intentio, planè euincitur, ipsum essentialiter constitui per prædicabilitatem. 3. distinctæ scientiæ participant distinctas rationes formales suorum obiectorum, circa quas impermixtè occupantur. Scientiæ enim secantur, sicut res, *3 anima Tex. 38.* Atqui Met. agit de vniuersali in essendo, ergo Log. contemplatur vniuersale in prædicando. Idque, quoquomodo exponi valet de qualitate, quæ vt est cum materia sensibili coniuncta, consideratur à Phys. vt verò est materia sensibili seiuncta, spectatur à Mathem. Eò magis non essentia, nec quidditates rerum, sed subiectiones, & prædicationes extremorum meditatur Log. quæ sunt 2. intentiones, rebus applicatæ, vt clare edisserit Doct. loco nuper cit.

71. Opp. 1. cum geminis Scotis. quod de aliquo cognoscimus primò, dicimus esse eius essentiam: primum autem, quod cognoscimus de vniuersali Logico, & in actu, est esse in multis, vt patet ex eius definitione, *1. post. c. 8.* recepta à Doct. *2. d. 3. q. 1.* Ergo esse in multis, est essentia vniuersalis Logici. Resp. maiorem, eo modo, quo proponitur, non esse notam, nec veram, vt Dicti Authores censent. Nam prius cognoscimus effectum, quā eius causam. Itemque accidentia, quam eius subiectum, & tamen nec effectus est essentia causæ, nec accidentia subiecti essentiam ingrediuntur. Quod si aliter eam intelligunt, vt videntur velle, & præstat Hurt. supra cit. eisque libenter concedamt; ad minorem dico, esse in multis, esse materiale vniuersalis Logici, non verò eius esse formale, & actuale, vt satis manet firmatum & explicatum, in postremo not.

72. Opp. 2. prius est res, quàm eius passio, quoniā passio egreditur ab essentia rei, cuius est passio, veluti effectus à causa: prædicabilitas autem est passio vniuersalis Logici, quia prius est res, quam sit prædicabilis, sicut prius est res, quam sit intelligibilis & visibilis; ergo prædicabilitas non est de essentia vniuersalis. Cōf. Scot. *q. 6. vniuers. §. Dicendum.* Et *q. 11. prædicam. §. Item contingit. vel. contra.* Prædicari propriè est proprium vniuersalis, ergo per Scot. prædicabilitas non est essentia vniuersalis. Cōcedo ma. nego min. Licet enim natura prius sit, quam afficiatur prædicabilitate, non tamen prius est vniuersalis, quàm sit prædicabilis, vt paries est quidem prior albedine, quæ in ipso inhæret, at non est prius albus, quam recipiat albedinem per quam in esse albo constituitur. Vel dicito, argumentum includere de vniuersali metaphys. non autem Logico. Ad conf. dico, Scot. in primo loco loqui dubitatiuè, in 2. verò loco problematicè, & disputatiue, & fortè non in propria sententia, cum *q. 15. & 12.* palam mentem suam aperuerit, putà vniuersalis Logici, esse prædicari de multis.

73. Opp. 2. rectè arguitur, natura est vniuersalis, ergo est prędicabilis de multis, ergo est vniuersalis, atque adeò prædicabilitas nō est de essentia vniuersalis. Resp. argumentū valere de vniuersali metaphysico, non autem Logico, quod per prædicabilitatem constituitur.

Instabis, quod est proprietas vnius, non est de essentia alterius, vt risibilitas, quæ est passio hominis, non est vllius rei de essentia. Prædicabilitas autem est passio vniuersalis metaphysici, ergo nō est de essentia vniuersalis Logici. Concedo ma. distinguo min. de prædicabilitate fundamentali, concedo: de prædicabilitate formali, nego. Hæc enim fit per intellectum, illa verò ex natura ipsius rei emanat. Solutionem istam tangunt Scot. *q. 15. vniuers.* & Mayr. *ibid. pass. 1.*

74. Opp. 4. Porph. *c. 1. Isag.* definitionem generis, quæ datur per prædicabilitatem, vocat descriptiuam definitio autem descriptiua traditur per proprietatem, ergo prædicabilitas est passio vniuersalis logici. Resp. cum Scot. nunc cit. *§. dicitur ad q. in tex.* Porph. habere *assignauerunt*, id est, *definierunt*, quod suadetur ex eodem Porph. *c. de Specie.* Necesse est in vtrumque rationibus, vtrisque vti. Ratio autem quam significat nomen, est definitio, vt videre licet, *4. Met c. 5. T. 28. summa secunda.*

ARTICVLVS X.
Quotuplex sit vniuersale.

75. QVinarium vniuersalium numerum à Porph. traditum, non ratione, sed voluntate Maiorum nostrorum vallatum esse, putat Ioannes Maior *l. prædicabilium, q. 11.* allegans illud Horatij, *sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas.* Veluti, de nominibus rebus impositis, omnes censent, & denario numero prædicamentorum tenet Scot. *4 d. 13. q. 1. §. Ad huius autem C.* Qui verò de eorum numero aliquam rationem adducere conantur, inter se digladiantur, vt intueri licet apud Rācon *tract. de vniuersalibus, q. 3.* Nonnulli enim decem, quidam sex, alij duo tantum vniuersalia faciunt. Communis autem sententia veterum, & recentium Dialecticorum, quinq; vniuersalia statuit duntaxat.

76. Not. præfatam opinionum varietatē, & diuersitatē ortā esse ex eo, quod esse prædicabile de multis bifariam potest contingere, vno modo in quid, aut in quale: altero modo, immediatè, aut mediatè. Quoniam vero prædicatio in quid, & immediata de multis videtur præstantior, prædicatione in quale, & mediata: hinc cum genus, & species tantum prædicentur in quid, & immediatè de multis, à quibusdam illa duo sola constituuntur vniuersalia, non autē alia tria, quæ mediatè, & in quale prædicantur. Ampliùs, cum differentia habeat maiorem affinitatem cum genere & specie, quàm proprium & accidens, quia prædicatur in quale quid, estque de essentia suorum inferiorum, propterea à nonnullis tertium vniuersale decernitur. Alij vero latiùs vnitatem, & prædicabilitatem de multis vsurpantes, plura numerant vniuersalia, quàm tria.

77. Ass. sunt tantū quinque vniuersalia, genus, species, differentia, proprium, & accidens. Ita Scot. *q. 12. vniuer. §. Dicendum* Et *1. d. 8. q. 3. § Alij probant.* 1. Tatar. *q. 1. prædicab. scibili s.* Ioannes de Magistris *q. 1. In fine conclusionis responsalis*, & alij communiter *ibid.* Probatur 1,

ex Arist. qui *c. de substantia* meminit generis, & speciei, quæ vocat 2. substantias in recta linea prædicamenti substantiæ repositas: & differentiæ, quam locat in linea laterali: vbique recenset proprium & accidens, afferens proprietates substantiæ, quarum aliquæ ab essentia ipsius substantiæ promanant, & referuntur ad 4. vniuersale, quædam verò possunt adesse, & abesse à substantia sine eius interemptione, & reuocantur ad 5. vniuersale. Idemque deducitur, *ex* 1. *Top. c.* 4. & 4. Atque plurimum consonat Doctrinæ Peripateticæ, maximè prædicamentali, in cuius gratiam Porph. suam Isagogem construxit. 2. numerus vniuersalium depromitur penes numerum prædicabilium, quinarius est autem numerus prædicabilium, ergo & quinarius numerus vniuersalium. Ma. patet, quia prædicabilitas est de essentia vniuersalis Logici, ex assertis in ant. art. Min. suadetur, quidquid est prædicabile, aut est prædicabile in quid, aut in quale. Ratio quippè vniuersalis, & prædicabilis diuiditur in prædicabile in quid & in quale, tanquam in suas differentias essentiales, astruente Scot. *vbi supra* §. *Dicendum* Si est prædicabile in quid, aut secundum partem essentiæ, & totius potentialis, sic est genus, aut secundum totam essentiam, & est species Nihil quippè essentiæ reperitur in vno indiuiduo, quod in alio non sit, secus, indiuidua eiusdem speciei essentialiter differrent, quod falsum esse optimè probant contra Auersam *q.* 10. *sect.* 1. nostri Neoterici prænominati. Si in quale, aut in quale quid, seu essentiale, & est differentia, aut in quale accidentale. & hoc vel est accidés conuertibile. egrediens à principiis subiecti, & est proprium, vel est accidens commune & est vltimum vniuersale.

78. Opp. 1. tot sunt vniuersalia, quot prædicantur essentialiter de suis inferioribus: sed tantùm tria priora prædicãtur essentialiter de suis inferioribus, ergo tantùm illa tria sunt vniuersalia. Min. liquet, quia solum genus, species, & differentia prædicantur essentialiter: propriũ verò & accidens prædicantur accidentaliter Ma ostenditur, vniuersalia sunt vniuoca, vt constat ex definitione vniuersalis, vniuoca autem vniuocè enunciantur de suis inferioribus, vt apertè deducitur ex vniuocorum definitione, habita *l. prædicam. cap.* 1. Nego ma. siquidem quædam vniuersalia prædicantur essentialiter, quædam verò accidentaliter. Ad eius probationem, dico quidem vniuersalia esse vniuoca, non tamen omnia vniuocè prædicari. Aliud quippè est esse vniuocum, aliud vero vniuocè prædicari, vt aduertit Doct. 3. *dist.* 7. *quæst* 1.

Dices, vniuoca sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundum illud nomen est eadem, vt bene, & acute explicat Bonet. 1. *Met. c.* 2. Ergo si vniuersalia sunt vniuoca, vtique de suis inferioribus essentialiter prædicantur. Alioqui mala foret vniuocorum definitio præmonstrata. Potest dici, latè sumendo vniuoca, eorum communem rationem esse essentialem, aut accidentalem, innuente Scot. tum loco præcit. tum etiam 1. *d.* 4. *q* 1. & 2. *d.* 6. *q.* 2. Et defendunt præfati nostri Recentes *disp.* 1. *q* 4 *art.* 5. strictè vero, ea tantum sunt vniuoca, quæ essentialiter de suis inferioribus prædicantur, vt clarè conspicitur in eorum definitione præallata Idque suaderi potest à simili de scientia, quæ angustè sumpta definitur, 1 *post. c.* 2. 7 cognitio rei per propriam causam, quæ non comprehendit scientiam, quæ per effectum habetur. Item ue secundum Scot *q.* 4. *prol.* praxis; reffsè capta est operatio voluntatis bona, amplè verò accepta diffunditur ad bonam, & malam.

79. Opp. 2. tot sunt vniuersalia, quot sunt prædicata, quia prædicari est ratio vniuersalis, ex dictis *suprà art.* 9. sed sunt tantum quatuor prædicata, 1. *Top.* 5. genus, definitio, proprium, & accidens, ergo & quatuor sunt tantum vniuersalia Resp. cum Scot. *q.* 12. *vniuers* §. *Ad* 1. *arg.* negando paritatem: non enim eodem modo venatur Arist. numerum prædicatorum, quo Porph vniuersalium catalogum Siquidem Philosophus decerpit quaternariam prædicatorum seriem, penes prædicationem essentialem, non vero accidentalem. Itemque penes prædicationem conuertibilem, & non conuertibilẽ. Si enim prædicatur essentia, est genus, & definitio. Quod si non prædicatur essentia, est proprium, & accidens. Rursus, si prædicatur conuertibiliter, est proprium, at si non conuertibiliter, est accidens. Verum Porph. vniuersalium syllabum inuestigat penes prædicationem in quid, & in quale, vt suprà satis fuit explicatum. Cur autem eo in loco Arist. non meminerit differentiæ, causa est, quia differentia si fuerit subalterna, reducitur ad genus, & si infima extiterit, ad speciem reuocatur propter cõ similem prædicandi modum. Vel dicito, Philosophũ ibi referre prædicata topica, quæ sortiuntur commune subiectũ, quorum quædam sunt complexa, vt definitio, quædam verò incomplexa, vt reliqua tria prænumerata. Porph. autem solummodo vniuersalia incomplexa recẽset. Atque ad genus reduci differentiam ait idem Arist.

80. Opp. 3. prædicari in quale quid, de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero, constituit vnum tantum vniuersale, puta differentiã genericam, & specificam; ergo prædicari in quid de pluribus differentibus specie, & numero, vnum facit vniuersale duntaxat, cum vtrobique eadẽ ratio eluceat. proindeque quatuor sunt tantùm vniuersalia. Concedo ant. nego conseq. causa disparitatis est, quia differentiæ generica & specifica prorsùs potiuntur eodem prædicandi modo, in quale quid Verùm non ita genus, & species. Nam genus prædicatur in quid incompletè, species verò complete, nimirum, hæc totam essentiam, illud verò partem essentiæ solum perhibet, vt præclare ostendit Doct. *q.* 17 *vniuers.* §. *dicendum ad q* supple per modum partis actualis, & totius potentialis, aut ex instituto monstrabitur *art* 1. *q.* 5.

81. Opp. 4. indiuiduum est vniuersale, & non est vnum ex quinque prærecensitis ergo admittendum est sextum vniuersale. Ant. probatur, vniuersale est, quod de multis prædicatur, & indiuiduum prædicatur de multis, nempè de Petro, & Paulo: ergo est vniuersale, Dici potest vniuersale prædicari de multis, non æquiuocè, indiuiduum verò prædicatur de multis æquiuocè, vt videre licet apud Scot. 2 *d.* 25. *q vn* §. *Respondeo. A.* dicentem. Hic homo dicitur de Sorte, & Platone æquiuocè. Vel dicito cum eodem Doct. *hoc loco in solutione* 3. §. *Ad* 1. indiuiduum esse speciem 2. intentionis, non autem speciem vniuersalis, quod est genus ad illa quinque prænarrata.

82. Opp 5. ens est vniuersale, cum de multis prædicetur, vt petit ratio vniuersalis, & non est genus, 3. *Met. T.* 10. Nec aliud ex reliquis vniuersalibus, vt patet; ergo præter illa quinque relata, datur aliud vniuersale, quod est ens. Respondet Scot. negando ant. quia ens est æquiuocum, & vniuersale debet esse vniuocum, vt præmonui *in Epist. l.* 1. *q* 3. *art* 1

Contra Scot. 1. *d.* 3. *q.* 1. *& alibi*, expressè tenet, ens esse vniuocum Deo, & creaturæ, substantiæ. & accidẽti, ergo responsio præaddncta inuoluit contradictionem in dictis Doct. Potest dici Scot. *in opere vniuers. cit.* loqui in aliorum sententia, nominatim Porph. *c. de spec.* e, dicẽtis, *si quis entia vocet æquiuoce nuncupabit*. Quod non tarò præstat idem Doct. *in dicto opere*, sequutus Arist. tum *c. de quantitate*, tum etiam alibi, vt suo loco palam fiet. Vel dici potest, ens esse æquiuocum enti reali, & rationis, non autem enti reali, vt patet apud eundem Scot *q* 21 *prædicam. & q.* 25. § *Ad* 1. *principale*, eiusque expositores *ibid.* & Sirectum *Trad. form. fol.* 10. § *Quartum ad* 2. *art & fol.* 17. *pag.* 2.

83. Opp. 6 sunt decem modi essendi, & decẽ prædicamenta, ergo sunt decẽ modi prædicandi, decẽque vniuersalia. Neganda est conseq. ratio est, quia numerus prædicamentorum decerpitur penes ea, quæ prædicantur de 1. substantia, & quoniam decem sunt quæ diuersimodè enunciantur de 1. substantia, decem statuuntur prædicamenta. At numerus vniuersalium depromitur penes modum prædicandi essentialiter, aut

accidẽn

accidentaliter de inferioribus. Quoniam verò est tantum quintuplex prædicandi modus, vtique quintuplex extat vniuersalium numerus.

84. Opp. 7. quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum, 1. *Top.* 12. vniuersale autem, & singulare sunt opposita, 1. *post. T.* 5. siquidem vniuersale est communicabile, singulare vero incommunicabile; ergo cum singularia ferè sint infinita, idem asserendum est de vniuersalibus. Resp. cum Scot. *q.* 12. *vniuers.* §. *Ad* 2. per distinctionem ma. de oppositis formaliter sumptis, concedo: de oppositis materialiter acceptis, nego. Ita exponendus est Arist. *cit.* & Sot. 5. *Met. in expos. T. fol.* 150. *in notabili.* Nam rationale, & irrationale opponuntur quidem, verum necesse non est, tot sint supposita rationalia, quot sunt supposita irrationalia. Multo enim plura sunt irrationalia, quam rationis capacia Ea autem propositio, quam famosam esse ait Sat. ibi expresse non inuenitur.

ARTICVLVS XI.

An vniuersale sit vniuocum.

85. PLerique, tam ex Antiquis, quàm Recentibus, cit. à Conimb. *q.* 7. *art.* 2. inter quos sunt Amm. *in Porph. c. de genere*, Alb. *ibid. Tract.* 1. *c* 9. Et Suarez, *disp.* 6. *Met. sect.* 8. *n.* 1. arbitrantur vniuersale illis quinque præmemoratis esse analogum. Communior autem sententia hoc tēpore est Doct. subtilis *q* 8. *vniuers* Mayr. *ibid. passu* 30. Fuent. *q.* 6. *dif.* 6. *art.* 1. *&* 1 Racon. *q.* 2. *sect. postr. prop.* 2. & aliorum docentium, vniuersale eis quinque præcecensis esse vniuocum.

86. Pro pleniore autē notitia huius difficultatis, eiusque accuratiore decisione, recognoscenda sunt, quæ attuli *in Epit.* 1 *q.* 1. *art.* 5. & præsupponenda, quæ adnotaui *l.* 3. *q. de Antepredicam.* Et *in Met. de vniuocatione entis*, necnon *tract. de cognoscibilitate Dei*, solum hîc in memoriam reuoco distinctionem vniuersalis, pro materiali, & pro formali: siquidem Conimb. *in principio art. cit.* Et Fons. 5. *Met. q.* 2. *sect.* 2. vtramque opinionem conciliare nitentes, scribunt vniuersale pro materiali, siue vt est absolutum, esse analogum, propterea quod substantiæ & accidenti quibus nihil est commune vniuocum, conuenit; atque eidem congruit, prædicari essentialiter, & accidentaliter, simpliciter, & secundum quid, quod planè analogum esse videtur. Vniuersale verò pro formali, siue vt est relatiuum, esse vniuocum. Hanc distinctionem olfacere videntur inseparati Scotis. *disp.* 4. *q.* 6. allegantes pro se Scot. *q* 8. *vniuers.* §. *Ad istam q.* verum Scot. potius eis obest, quam prosit. Etenim, explicite impugnat eius sententiæ Authores, inquiens. Illorum rationem non concludere, quia numerus est multitudo ex vnitatibus aggregata; tamen non dicitur analogicè de binario & trinario, licet trinarius sit ex pluribus vnitatibus, sed simpliciter vniuocè. Et § *propter hoc.* euidenter tenet, vniuersale esse vniuocum; & vniuocè de omnibus illis quinque prædicari. Quare Doct. eis non fauet, nec præfata distinctio iuuat ad vtriusque placiti patronos conciliandos. Siquidem nos speculamur vniuersale penes suam entitatem & quidditatem ab omni peculiari ratione cuiusvis vniuersalis præcisam, veluti cum abstrahimus animal à rationali, & irrationali, illudque, vt sic contemplantes, astruimus esse vniuocum. Et licet animal rationale sit perfectius, & præstantius irrationali, id tamen, non ratione animalis, sed ratione eius differentiæ, ipsi competit. Itidemque meditamur ens in Met. vt præcisum à Deo, & creatura, substantia, & accidente, eisque vniuocum affirmamus, quod tamen negant oppositæ sententiæ fautores.

87. Ass. vniuersale est vniuocum omnibus quinque vniuersalibus prænarratis. Ita Scot. nuper cit. probatur 1. quod conuenit multis, penes idem nomen eandemque rationem, est eis vniuocum, vt patet ex definitione vniuocorū tradita à Philosopho *c. predicam.* vniuersale autē conuenit illis quinque secundum idem nomen & eandē rationem. Quodlibet enim eorū est vnum aptum prædicari de multis, quod est definitio vniuersalis generatim sumpti, 1. *Perih.* 5. Ergo vniuersale est eis vniuocū. 2. Si vniuersale non foret eis vniuocum, maxime quia perfectius participatur ab vno quam ab alio. Ob id subiicit Arist. 7. *phys. T.* 31. In genere latent æquiuocationes. Hæc autem ratio nulla est. Quæ enim Physicè æquiuocantur, logicè vniuocantur, vt tangit Doct. *vbi suprà* §. *Ad istam q.* vnitas namque conceptus communis sufficit ad Logicam vniuocationem; ergo cum vniuersale habeat vnum conceptum ab eis participatum, palam infertur, esse illis vniuocum.

88. Opp. Arist. *c.* 1. *predicam.* segregat denominatiua ab vniuocis, & æquiuocis: vniuersale autem est denominatiuum, vt patet; ergo non est vniuocum. Conf. 4. *Met. T.* 4. Si omnia accidentaliter enunciantur, nullū est vniuersale: Ergo per Arist. vniuersale non est vniuocū, saltem illis quæ in quale, siue accidentaliter prædicatis de suis subiicibilibus. Respōderi potest, ex Doct. *q.* 6. *pred* Arist. absolutè non separasse denominatiua ab vniuocis, sed respectiuè, hoc est, sub prædicato denominatiuo, vt homo, & equus sub albo non vniuocantur. Quandoquidem vniuoca participant idem nomen, eandemque rationem, penes illud nomen. Hominis autē, & equi substantia, siue ratio essentialis, nō est albedo. Quod si ratio denominatiuorum extiterit ipsis intrinseca, & essentialis, procul dubio, denominatiua erunt vniuoca, vt indicatur ab Arist. *c. de substantia* Et Scot. 2. *d.* 12. *q* 1. §. *Ad argumentum* 1. *l.* Ad conf. dico, Philosophum conditionatè esse loquutum, videlicet, si omnia forent accidentia nullum foret prædicabile, supple, substantiale, quod de inferioribus in quid enunciaretur, quod quidē ex hypothesi verum est, non tamen absolutè, cum tam substantia, quam accidentia de suis inferioribus prædicentur, vt constat ex Arist. prænominato.

89. Opp. 2. omne vniuocum multis conueniens, cōpetit eis sub ratione alicuius vniuersalis: vniuersale autem in communi illis quinque non adaptatur sub ratione alicuius vniuersalis; ergo non est illis vniuocum. Ma. patet ex definitione vniuocorum. Min. suadetur; si vniuersale conueniret eis sub ratione alicuius vniuersalis, aut sub ratione istorum quinque, aut sub ratione alterius. Non 1. quia vnumquodque horum ab alio essentialiter non distinguitur. Nec 2. alioqui daretur 6. vniuersale, quod pugnat Porph. & Arist. Resp. vniuersale esse genus, & illa quinque esse eius species, de quibus vniuoce prædicatur.

Instabis, si vniuersale est genus, ergo genus est species, quia genus generi subiicitur: quod autem subest generi, immediatè est species: falsum autē est, genus esse speciem: ergo falsum quoque est, vniuersale esse genus, respectu illorum quinque. Subsumptum suadetur, nullū oppositum prædicatur de opposito affirmatiuè. Idē quippe respectu eiusdem, nequit simul esse superius, & inferius. Hæc autem quinque vniuersalia sunt opposita, sunt enim species generis constitutæ per oppositas differētias. Ergo vnum de alio prædicari nequit, proindeque vniuersale non est illis genus. Concedo conseq. distinguo subsumptum, essentialiter, concedo: denominatiuè nego. Vt enim ait Scot. *in q* §. *Ad* 5. *arg.* quælibet istarū intentionū potest accipi vt quid, vel vt modus. Nam quando est illud quod intelligitur, tunc est quid, at quādo est ratio, sub qua aliquid intelligitur, est modus, vt significat Doct. 1. *d.* 2. *q.* 3. *c. &* 4. *d.* 1. *q.* 1 *infra T.* Ad probationē subsumpti dico ea eodē, secundas intentiones nō opponi, nisi vtraque accipiatur vt quid, vel vt modus. Itaque, hæc propositio, *genus est species*, vera est, quatenus genus sumitur vt quid, species vero, vt modus, quia sub tali modo intelligitur genus, respectu vniuersalis. Idque illustrari potest hoc exēplo, puta, plurale est singulare, vbi plurale capitur vt quid, singul. verò vt modus Et

sensus est plurale, quod est in recto, est singulare, hoc est in obliquo, seu numeri singularis, notante Gadio *quol.6.*

90. Opp.3. vniuersale ex æquo non participatur ab illis quinque, ergo non est eis vniuocum. Ant. probatur, essentia vniuersalis est prædicari de pluribus, vt supra sancitum est. Genus autem de pluribus prædicatur quam species: ergo magis participat naturam vniuersalis, atque ita vniuersale est illis analogum. Nego ant. ad eius probationem dico, solum ex argumento deduci, genus esse maius vniuersale, hoc est latiùs patere quàm speciem, non autem esse magis vniuersale, veluti ternarius est maior numerus binario, non verò est magis numerus. Quia vterque ex æquo participat naturam numeri, vt optimè aduertit Doct. præalleg. post Arist. 4. *Top.*1.

91. Opp.4. quod per prius vni, & per posterius alteri adaptatur, est analogum: vniuersale autem per prius competit generi & speciei, potissimum quando sunt substantiæ, & per posterius aliis, maxime duobus vltimis, quæ sunt accidentia; substantiæ autem & accidenti, nihil est commune vniuocum; ergo vniuersale est analogum. Concedo ma. nego min. In Met. namque monstratur, ens esse vniuocum substantiæ, & accid. Prioritas autem, & posterioritas petuntur penes proprias & peculiares rationes, contrahentes, & constituentes huiusmodi vniuersalia: non vero penes rationem communem his omnibus congruentem. Vel dici potest id valere, de vniuersali physico, non verò de vniuersali logico, quod formaliter est ens intentionale.

92. Opp. 5. quod includitur in differentiis, non est genus, vt patet de ente, quod ideò non est genus, quia cluditur in differentiis, vniuersale autem includitur in differentia, quæ est tertium vniuersale, ergo non est genus. Concedo ma. distinguo min. vniuersale cluditur in differentia, tanquam in ratione contrahente, nego: vt genus in sua specie, concedo, veluti animal non continetur in rationalitate, sed in homine, vt eius genus. Differentia autem est vniuersale, non secundum rationem formalem differentiæ, sed quatenus est species vniuersalis.

ARTICVLVS XII.

An vniuersale sit subiectum libri Porphyrij?

93. ALb. relatus *in ant. art.* Amm *præfatione in Porph.* Auersa *q 7. sett.* 3. & 2 1j. subiectum libelli Porph. constituunt prænominata quinque vniuersalia. Doctor autem subtilis *q.7. vniuers.* Sarn. *ibid* & Maior. *q.3. prædicabilium not.4. conc.1. præfati opusc.* subiectum statuunt vniuersale.

94. Not. quamlibet cognitionem, & scientiam, siue totalem, siue partialem sortiri proprium obiectum totale aut partiale, à quo specificatur, & circa quod occupatur. Cum ergo in hac Isag. Porph. habeatur cognitio vniuersalium, iure inuestigatur, num eius subiectum sit vniuersale, aut aliquid aliud. Ad cuius notitiam magnoperè faciunt, quæ dixi quæst. 2. superioris lib. de obiecto in communi, eiusque diuisionibus, & conditionibus ad ipsum spectantibus, in quibus narrandis & explicandis, multis est Maior præalleg.

95. Aff. vniuersale est subiectum Isag. Porph. non vero quinque eius species prænominatæ. Ita Scot. *vbi suprà* § *Ad 1. q. dicendum.* Probatur 1. vnius scientiæ vnum est obiectum. 1. *post. T.*43. doctrina autem vniuersalium est vna vnitate sui partialis obiecti, veluti tota Logica est vna vnitate totalis sui obiecti: hoc verò partiale obiectum est vniuersale, in quo singulæ partes subiectiuæ vniuersalis vniuocè conueniunt, ex suprà assertis. 2. vniuersali accommodantur tres conditiones ad proprium subiectum huius opellæ præexactæ; ergo vniuersale est ipsius subiectum. Ant. suadetur de vniuersali, præsupponitur an sit, & quid sit, traduntur definitiones eius specierum, de ipsu demonstrantur passiones, vt declarat Sarn. *hoc loco.* Atque ad vniuersale rediguntur quoquo modo omnia, quæ in hac introductione tractantur, aut immediatè, vt species ad genus; aut mediatè, vt indiuidua, aut vt eius passiones, aut vt opposita, quorum eadem est disciplina, aduertente Maiore *passu cit. q.7. not.* 1. His igitur tribus conditionibus subiecti, rectè vniuersali adaptatis, conspicuè concluditur, ipsum vniuersale esse huius libelli adæquatum subiectum.

96. Opp.1. si vniuersale foret subiectum huius Isag. Porph. eius meminisset: id autem ipse non præstat, vt patet legenti; ergo apertum indicium est, vniuersale haud esse eius subiectum. Ma. liquet, quia subiectum est id, circa quod opifex suam curam impendit, & sine quo speculari & agere nequit. Cæteræ scientiæ differunt de vniuersali, cum singularium non sit scientia.7. *Met.*53. Ergo, vniuersale non est huius proprium subiectum. Concedo ma nego min. Nam *de genere* Porph. diuidit vniuersale in 5. membra. Et *c. vlt.* subdit, prædicari de pluribus est commune iunctis vniuers. Ad conf. distinguo ant. aliæ scientiæ agunt de vniuersali primò intentionaliter sumpto, concedo: secundò intentionaliter capto, nego. Hoc enim solum pertinet ad Log.

Instabis, etiam in libris Top. disceptatur de vniuersali formaliter accepto, ergo solutio nulla est. Dico in præsenti ex instituto tractari de vniuersali, eiusque speciebus, & passionibus: loco autem cit. de ipso tantùm vniuersali, quatenùs pertinet ad problemata dialecticæ.

97. Opp. 2. illud est subiectum doctrinæ Porph. quod Porphyrius discutiendum suscipit: Porph autem proponit se actuꝛum de quinque vocibus, seu quinque vniuersalibus: ergo quinque vniuersalia sunt eius subiectum. Conf. 1. si vniuersale est eius subiectum, cum omne vniuersale sit generis lex, deducitur illa 5. vniuersalia esse eius subiectum. Conf. 2. quiquid prædicatur de superiori, vtique prædicatur de inferiori, ex regula antepræd. Ergo si vniuers. est subiectum, huius genus est quoque, & reliqua vniuers. sunt eiusdemmet subiectum. Concedo ma. ad min. dico, ipsum quoque differere de vniuersali in communi, vt constat ex dilutione superioris oppositionis: expressit verò eius species, tanquam conotiores Ad 1 conf. nego conseq. quia obiectum scientiæ debet esse vnum commune, in quo eius inferiora vniuocè conueniunt. 1. *post* 41. Ad 2. conf. dico, eam regulam capi de prædicatione essentiali, & exercita: non autem de prædicatione accidentali, & signata, vt euenit in re nostra.

ARTICVLVS XIII.

An vniuersale sit in re, aut in intellectu?

98. NVllum esse subiectum inhæsionis vniuersalis formaliter, & cæterarum 2. intentionum arbitrantur nonnulli apud Sarn. *q.9. vniuers.* quorum nomina ipse Sarn. reticet, & indicat Tatar. *q.1. prædicabilium, Not.4.* post Scot. *quæst.3.* Alij inter quos est Mayr. subiectum vniuers. & reliquorum entium rationis faciunt intellectum. Scot. autem *q 9. vniuers* Et 1. *d* 23. *q vn.* Et 4. *d.t. q.2.* Anglius, Maur. & cæteri astruunt vniuersale formaliter, aliasque 2. intentiones subiectari in re cognita & intellecta.

99. Not. ex Doct. *q.3 vniuers. in fine,* vniuersale formaliter esse accidens intentionale, id est, relationem rationis per actum intellectus comparatiuum causatam, sine derelictam. Cum autem accidentis esse sit inesse, 7. *Met.*2. & 14. obid iure inuestigatur, quodnam sit eius subiectum,

ſubiectum, intellectuſne, an verò res, cui intentio 2. applicatur? Non eſt autem exiſtimandum, rem abſolutè, & penes ſuum eſſe eſſentiale eſſe ſubiectum dictarum 2. intentionum: ſed penes eſſe cognitum, & intellectum. Itaque earum ſubiectum immediatum eſt res cognita: & earumdem ſubiectum mediatum dici poteſt intellectus, quatenus res cognita penes eſſe cognitum dicitur eſſe in intellectu, vt cognitum in cognoſcente.

100. Aſſ. 1. vniuerſale, & cæteræ 2. intentiones aliquo potiuntur ſubiecto. Præſupponitur à Doct. *vbi ſuprà*, & probatur primo ex Ariſt. nunc alleg. Accidentis eſſe, eſt ineſſe, vniuerſale autem eſt accidens intentionale: ergo aliquo pollet ſubiecto. Nec valet dicere, illud Ariſt. interpretandum eſſe de accidente reali, non verò de accidente intentionali. Etenim, ſi accidens reale ſubiecto indiget, potiori iure accidens intentionale, quod eſt minoris & inferioris entitatis. 2. quidquid eſt, vel eſt per ſe, vel in alio, *ex antepradicam.* vniuerſale autem non eſt ens per ſe, quia non eſt ſubſtantia, cui ſoli competit eſſe per ſe: ergo eſt ens in alio, proindeque ſubiecto fulcitur.

101. Aſſ. 2. vniuerſale non ſubiectatur in intellectu. Ita Scot. cit. *verſ. Ad oppoſitum.* Probatur 1. à quibuſdam, materia, & efficiens non coincidunt, 2. *phyſ.* 70. intellectus autem ex dictis eſt cauſa efficiens vniuerſalis, ergo intellectus non eſt eius ſubiectum, quod dicitur materia in qua, propterea quod accidentia aliam materiam non ſortiuntur, præter ipſam materiam in qua. Contra inſtari poteſt, intellectus eſt cauſa effectrix intellectionis eiuſdemque receptrix; ergo præallata ratio nullius eſt ponderis. Dici fortè poteſt ad tuendam allatam rationem, antecedens valere de accidente reali, quod immediatè inhæret in intellectu, vt intellectio, non autem de accidente intentionali, quod immediatè in re cognita reſidet. Secundo ſuadetur ab Auer. 3. *anima com.* 8. Intellectus facit vniuerſalitatem in rebus, ergo vniuerſalitas non eſt in intellectu: in eo quippè eſt vniuerſalitas, in quo efficitur, ſed non efficitur in intellectu, ergo non eſt in intellectu. Accedit, accidens in eo inſidet, quod denominat, vt patet de nigredine, quæ denominat coruum, in quo ineſt: vniuerſale autem non denominat intellectum, vt patet, ergo non ſubiectatur in intellectu.

102. Aſſ. 3. probabile eſt, vniuerſale eſſe in re, vt in ſubiecto. Inſinuatur à Doct. *cit.* §. *Ad* 1. *q. &* 5. *Met. q.* 2. Probatur 1. omnis forma intrinſecè aliquid determinans, eſt in denominato tanquam in ſubiecto, quia omnis forma, quæ eſt in aliquo per inhærentiam, informat illud, & ſicut informat, ita denominat, vt albedo ſubiectatur in pariete, per quam ipſe paries denominatur albus: vniuerſale autem denominat rem, vt animal denominatur genus, & homo species, & id genus alia, quæ nuncupantur vniuerſalia: ergo vniuerſale ſubiectatur in re. Secundo intentiones ſecundæ denominatiuè prædicantur de primis, vt genus de animali & species de homine, & indiuiduum de Petro: ergo ſunt in eis, de quibus prædicantur.

103. Opp 1. contra 1. aſſ. in doctrina Scot. Deus cauſat 2. intentiones ab æterno, & facit entia rationis, vt oſtendi *in Met. l.* 5. *q.* 2. *art.* 4. Huiuſmodi autem entia rationis non ſunt in rebus, quia ab æterno nullæ ſunt res, vt de fide ſancitum eſſe, monſtraui *Tract. de creatione, diſp.* 3. nec in intellectu diuino, qui ob ſuam infinitam perfectionem nullius accidẽtis eſt receptiuus: ergo nullum eſt quærendum ſubiectum vniuerſalis, aliorumque entium rationis. Reſp. argumentum valere de receptione reali, non verò intentionali, vt patet in Met. cuius ſubiectum partiale principale eſt Deus, & in Theologia, cuius totale ſubiectum eſt idem Deus.

104. Inſtabis ſi non poteſt in diuino intellectu eſſe receptio realis, ergo nec intentionalis, quæ eſt minor, & inferior. Huius inſtantiæ plena ſolutio & abſoluta ſatiſfactio petenda eſt præcit. Tract. *diſp.* 1. *q.* 13.

105. Opp. 2. ens prima ſui diuiſione diſtribuitur in ens reale, & rationis: ens autem reale eſt à parte rei, ergo ens rationis eſt in intellectu, vt in ſubiecto, vt perſpicuè tradit Doct. 7. *Met. q.* 18. Reſp. vniuerſale eſſe in re, poſſe bifariàm capi, in re abſolutè, nulla habita operatione intellectus, & nego: in re, vt cognita ab ipſomet intellectu, & concedo. Ita exponit Doct. cit. vt ipſemet declarat 5. *Met. q.* 1.

106. Opp. 3. intellectus poſſibilis eſt potentia paſſiua, 3. *anima* 5. Ergò non agit extrà mittendo, vt opinatur Plato, ſed intus ſuſcipiendo, vt putat Ariſt. Cum ergo vniuerſale fiat ab intellectu, deducitur ipſum vniuerſale non exire eius limites, ſed in ipſo ſubiectari. Reſp. illud interpretandum eſſe de tranſmutatione, & receptione reali, non autem intentionali. Idque declarari poteſt de voce *homo*, cui intellectus attribuit numerum, figuram, caſum, & cætera huiuſmodi, quæ non in intellectu, ſed in ipſa voce inſunt tanquam in ſubiecto. Cæterùm aduerſa opinio eſt quoque probabilis in ſe, & in ſchola Scot. Dici enim poteſt, vniuerſale formaliter, & reliqua entia rationis eſſe in re cauſaliter, & occaſionaliter, in intellectu verò formaliter.

ARTICVLVS XIV.

Quomodo vniuerſalia diſtinguantur.

107. CVm multa ex dictis ſuprà, & dicendis infrà, à nobis bene & plenè capi nequeant abſque vlla notitia diſtinctionis: Obid ipſius diſtinctionis naturam, eiuſque numerum in præſenti perquirimus, & quoquo modo declaramus. Thomiſtæ autem duas tantum diſtinctiones conſtituunt, realem ſcilicet, & rationis: hancque ſubdiuidunt in diſtinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. Scotiſtæ verò *Tract. formalitatum* inter diſtinctionem realem, & rationis, collocant diſtinctionem ex natura rei, quæ pariter ab eiſdem Authoribus diſtinctio formalis nuncupatur.

108. Not. diſtinctionem latiſſimè ſumptam eſſe alietatem extremorum, vt ait Mauritius *in Epitome formalitatum*, quæ ſecernitur in diſtinctionem realem, & rationis. Vt enim ex Ariſt. 4. *Met.* 4. & Scot. 1. *d.* 36. *q. vn* §. *contra iſtud. F* ens prima ſui diuiſione ſecatur in ens reale, & rationis: pariter diſtinctio, quæ inter illa cadit, alia eſt realis, alia verò rationis. Vnde duo noſtri nuperi *diſp.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 2. non videntur rectè loqui, aientes eſſe duo prima genera diſtinctionum, videlicet ex natura rei, & rationis. Nam licet fortaſſe in re conueniant cum cæteris Scholaſticis, tamen in vſurpando vocabulo diſtinctionis ex natura rei, valde diſtant à communi Scotiſtarum ſenſu, agnoſcentium diſtinctionem ex natura rei, tanquam mediam inter diſtinctionem realem, & rationis, vt videre licet apud Formaliſtas in ipſorum Tract. pugnant quoque Scoto, vt patet legenti 1. *d.* 2. *q.* 7. § *ſed hic reſtat*, *&* 2. *d.* 1. *q.* 5. § *Ad q. iſtam*, *& collatione* 23. & alibi non rarò. Declinant pariter ab eiuſdem mandato 1. *d.* 14. *&* 15. *q. vn. ſub E.* præcipientis, vocabula ex vſu Authorum vſurpanda eſſe. Inſuper, aduerſari videntur ipſimet diſtinctioni, quæ cum ex altero membro diuiſionis entis immediatè in ens reale, eiuſque pluralitatem depromatur, proculdubio diſtinctio realis nuncupari debet: veluti quæ ex altero membro entis, in ens rationis deſumitur, cum à ratione ratiocinante effingatur, ſiue quæ inter entia rationis habetur, ſiue quæ inuenitur inter ea, quæ tantùm per rationem plurificantur, iure diſtinctio rationis nominari meretur. Hocque etiam perſpicuè indicant reliquæ diſtinctiones infrà adducendæ, quæ ex rebus, de quibus fiunt, ſuas ſortiuntur denominationes. Sicut autem ens reale bifariàm capitur, puta pro omni eo, quod eſt à parte rei, nullo intellectu cogitante, vti ſunt ſubſtantia eiuſque proprietates, accidentia, eorumque

passiones, modi, & id genus alia. Aut pro eo, quod actu separatum est ab alio, vt Petrus à Paulo: aut potest saltem diuinitùs separari, vt accidens à subiecto: aut nonnullam habet proportionem cum eis, quæ possunt separari, vt motus, à Cælo, secundum Arist. vt notat Scot. 5. *dist.* 1. *quæst.* 4. §. *Ad q. antè N.* Aut licet, vnum ab alio sit inseparabile, vnum tamen est producens, & aliud productum, vt personæ diuinæ ex eodem Doct. 3. *dist.* 35. *q. vn.* §. *Ad primam rationem L.* Aut tandem, quia vnum essentialiter dependet ab alio, vt totum à suis partibus, affirmante Scot. 3. *dist.* 2. *quæst* 2. §. *Quantum ad* 1. *C.* Inter entia realia huius secundi modi adest distinctio realis, quæ à Doct. 1. *Report. dist.* 33. *quæst.* 3 §. Dico ergo, dicitur distinctio realis simpliciter, quæuè reperitur inter rem, & rem. Hæcque à Doct. 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. §. *Sed hic restat sub GG.* duplex statuitur, vna realis naturarum: altera verò realis suppositorum. Similiter ex eodem *Quol* 18. §. Ex *isto sequuntur, sub Y.* addi potest distinctio realis positiua, quæ extat inter duos habitus, & realis priuatiua, quę adest inter duas eorũ priuationes. Verùm inter entia realia 1. modi intercipitur distinctio formalis, quę ex Scot. 1. *&* 2. *locis pracit.* est inter realitatem, & realitatem. Est autem realitas, siuè formalitas ratio obiectiua, & conceptibilis, antè omnem operationem intellectus: adest enim distinctio formalis inter distinctas rationes obiectiuas, cuiusmodi sunt quæ suprà in dicto 1. modo entis realis recensui, quæue gaudent distinctis definitionibus, vt patet apud Sirect Tromb. aliosque Formalistas *Tract. Formal.* Duo autem recentes Scotis. cit. duplicem faciunt distinctionem formalem, actualem, & virtualem: & quidem pro virtuali, de qua solùm est difficultas, citant Scot. 1. *dist.* 2. *quæst.* 7 *antè HH. & Quol.* 1. §. *De secundo art. P. &* 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. §. *Ad q respondeo. O.* Hanc conantur inuehere in Scot. scholam, arbitrantes ipsam coïncidere cum distinctione rationis ratiocinatæ, quam astruunt Thomis. & confirmant hac ratione. Quædam in aliquo continentur virtualiter, & eminenter, vt vires calefaciendi, & desiccandi in sole, ergo inter illas virtutes inuenitur aliqua distinctio formalis, (quia de eis formantur plures conceptus obiectiui inadæquati.) non actualis, quia actu illæ non sunt in sole, sed tantùm virtute, ergo admittenda est distinctio formalis virtualis. Verum, talis distinctio formalis virtualis, nec Scoto, nec veritati videtur esse consona Nam 1. locus ab eis allatus, non eis prodest, sed obest: Siquidem paulò post subiungit Doctor. Breuiter ergo dico, omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, non quod sint malè dicta, sed quia non oportet eis vti. Præsertim quia antè dixerat, distinctionem illam, quam inter diuina attributa statuere volebat, præcedere omnem actum intellectus: quod de distinctione formali virtuali, quam coïncidere cum distinctione rationis ratiocinatæ, illi putant, dici non potest: quia distinctio rationis ratiocinatæ ab intellectu suum accipit complementum, vt videre licet apud Thomis. Nec 3. locus fauet eisdem. Solùm enim eo in loco Doct. ait, rationem sumi, vel pro ratione ex parte rei, siue pro ratione obiectiua, & quidditate, vel pro ratione causata per actum intellectus, hoc est pro ratione fabricata per opus intellectus, vt rectè ibi aduertit Gadius. 3. verò locus eisdemmet potiùs aduersari, quam patrocinari videtur, cum Doct. expresè ibi velit, distinctionem formalem esse tertiam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus omni modo. Ergo Scot. non arbitratur dari distinctionem formalem virtualem, quæ identificetur cum distinctione rationis ratiocinatæ, quia hæc non est tertia distinctio, à reali, & rationis differens, sed vt ipsi nostri Recentes aiunt, sub distinctione rationis comprehenditur, quæ etiam ab ipsismet secernitur in distinctionem ratiocinantis, & ratiocinatæ. Denique, ratio ab eis adducta nullius est ponderis. Virtus quippe calefaciendi, & desiccandi est in sole actu, & formaliter, sicut vires, & potentiæ animæ actu, & formaliter sunt in anima, ab ipsa anima, & abinuicem formaliter & actualiter distinctæ, vt scribit Scot. 2. *d.* 16. *q. vn.* §. *Ideò dico antè M.* Tametsi, sol non sit formaliter calidus, & siccus, sed solùm virtualiter, vt conspicuè tradit Doct. *q.* 4. *Prol.* § *contra istud antè GG.* Ad alterutram præpositam, & præexplicitam distinctionem, & formalem rediguntur duæ aliæ distinctiones Scotis. putà se totis obiectiuè, & se totis subiectiuè. Distinctio se totis obiectiuè extat inter illa, quæ in nullo conceptu quidditatiuo conueniunt, vt duæ vltimæ differentiæ, quæ inter se distinguuntur realiter, & duæ passiones diuersorum subiectorum, quæ quoque realiter differunt: atque duæ passiones eiusdem subiecti, vt risibilitas, & flebilitas, quæ formaliter inter se dissident. Distinctio se totis subiectiuè interuenit inter illa, quæ in nulla realitate ad eamet contrahibili conueniunt, vt Deus & creatura, quæ realiter inter se distinguuntur. Ita sentit Tatar. *q. vlt. prædicabil. dub.* 2. Distinctio rationis describitur, quæ per actum intellectus efficitur, vt quæ habetur inter genus & speciem, aliasque 5. intentiones. Itemque inter prædicatum & subiectum prædicationis identicæ, vt homo est homo, vbi intellectus distinguit hominem, vt est subiectum, & vt est prædicatum. Præallegati autem Neoterici patiuntur distinctionem rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ, eamque in subtilium Gymnasium totis viribus inuehere contendunt: sed frustra labotant, sese Scotistarum torrenti opponentes, qui merito distinctionem rationis ratiocinatæ, tanquam Thomisticam à Scotico licæo repellunt. Si enim semel admittatur huiusmodi distinctio, eo modo quo docent Thomis. indubiè perit acris, & celebris controuersia; inter ipsos Thomis. & Scotis. de numero distinctionum: Atque de solo nomine inter eos foret contentio, vt præ aliis notant Suarez *l.* 4. *de Trin cap.* 4. *num.* 5. & Hurt. *disp.* 6. *Met sect.* 3. §. 63. secuti quosdam Scoti interpretes, quos memorat Greg. 1. *dist* 8. *quæst.* 8. *art.* 5. eorumque nomina reticet Faber 1. *disp.* 19. *cap.* 3. *& tract. Formalitatum cap.* 5. Verùm, cum illa grauissima lis adhuc sub iudice sit, & præfati Authores acerrimè pugnent de distinctione formali, & rationis ratiocinatæ, eorumque mentes, rationes, & fundamenta, authoritatesque vtrobique plusquàm nominis differentiam intendant, & protendant, non est ferenda distinctio rationis ratiocinatæ inter Scotis. quam nec eorum Princeps, nec eius alumni præstantissimi vnquàm voce, & scripto insistere & persistere patiuntur. Dixi Scot. nullibi distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ cum distinctione formali virtuali coïncidat, concedere Nam, 1. *dist.* 2. *quæst.* 7 § *Sed hic restat antè H H.* ex quo prænominati nostri Recentiores hanrite putant distinctionem rationis ratiocinatæ, nihil ibi habetur quod eis faueat; vt enim eo in loco obseruat Faber *pracit. cap.* 1. Scotus solùm ait esse duplicem distinctionem, vnam rationis, quæ est penes modum diuersum considerandi obiectum idem formale siue grammaticè, vt *homo, hominis*, siue Logicè, vt *homo, humanitas.* Alteram realem, quæ est penes distincta obiecta, ad quæ distinctis actibus fertur intellectus, & si talia obiecta sint res, & res, inter illa est distinctio realis simpliciter, vt inter hominem, & asinum: quod si huiusmodi obiecta sint vna res, & plures realitates, extat inter illa distinctio formalis præcedens omnem actum intellectus, vt habetur in albedine inter rationem coloris, & rationem disgregatiui Quodque etiam astruit Doctor *in Reportatis primi dist.* 33. *quæst.* 1. Idipsum scribit in 1. *Oxoniensi dist.* 8 *q.* 4. §. *Ad q. Respondeo* & dico, quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis, hoc est diuersorum modorum concipiendi idem obiectum formale; talis enim distinctio est inter sapiens, & sapientiam, & vtrique maior inter sapientiam, & veritatem, nec est ibi tantùm distinctio obiectorum formalium in intellectu, quia vt argutum est prius, illa nunquàm est in cognitione intuitiua, nisi sit in obiecto intuitiuè cognito. Hæc postrema verba

omittunt

omittunt illi Recentes, consulto fortasse, ne eorum distinctio rationis ratiocinatæ, quam in Scotico ædificio construere nituntur, destruatur, & in nihilum redigatur. Apertè namque ea verba indicant distinctionem formalem, quæ reperitur priùs inter obiecta formaliter distincta, quam intellectus eam inter dicta obiecta concipiat: vbi concludit Doctor. *Est ergo ibi distinctio 3. præcedens intellectum omni modo.* Et anteà monstrauerat §. *Ista tamen positio infrà M.* Distinctio talis obiectorum formalium præcedit actum intellectus. Tandem *Quol.* 1. § *De 2 art.* meminit distinctionis rationis, quæ fit per operationem intellectus, & distinctionis formalis, quæ præit actum intellectus, vt exponunt Gadius, & alij interpretes, & declaratur per verba Doctoris. *Si distinguantur ratione. & hoc siue ratione sumpta ex parte rei, id est pro ratione quidditatiua,* (& paucis interiectis subiungit idem Doctor,) *siue mere causata per actum intellectus.* Addo 4. *dist.* 49. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta.* P. nec dico illas rationes alias esse causatas tum per actum intellectus, sed ex natura rei, sicut dictum est *in q. de potentiis animæ in* 2. & *ibid. q.* 4. §. *Iuxta I.* Itaque ibi, & alibi nec memorat, nec somniat Doctor distinctionem rationis ratiocinatæ: solùm apud Scotistas reperio distinctionem rationis ratiocinabilis, quæ omninò eadem est ac distinctio formalis, vt obseruant Sirectus, & Tromb *art.* 1. *partiali loci cit.* Ea autẽ distinctione rationis ratiocinatæ non indigent Scotistæ, ad prædicata Dei quidditatiua distinguenda: nec ad gradus transcendentales Metaphysicos discriminandos. Siquidem illa ex natura rei distinguuntur, vt præ aliis tradit subtilissimus Lych. *Quol.* 1. *in comm.* §. *De altero termino*: Eo fere modo, quo definientia, & definitum distinguuntur, vt indicat Scotus *ibid. sub.* 15. Sunt enim prædicata primi modi inclusa in ratione diuinæ essentiæ; attributa verò sunt prædicata secundi modi, ipsi essentiæ, quasi actus secundi conueniunt, vt eo in loco obseruat idem Doctor. Isti verò formaliter dissident, vt insinuat apertè 1. *dist.* 3 *quæst.* 3. §. *Ad quæstionem igitur respondeo.* Et expresse tenent Tatar. & alij Scotistæ præallegati, præsertim Faber *Theor.* 94. citans Scotum 1. *dist.* 8. *quæst.* 3. § *Ad* 1. *argumentum. T.* statuentem distinctionem inter ens, eiusque modos, antè actum intellectus, quæ distinctio à Nostris vocatur formalis negatiua. Ratio est, quia gradus Metaphysici transcendentales non sunt conceptus formales tantùm ab intellectu efformati, sed conceptus obiectiui præcedẽtes intellectus operam. Ergo, licet à nobis inadæquatè concipiantur, nostra imperfecta, & inadæquata de eis cognitio, ab eisdem non tollit, nec ponit distinctionem formalem, quam inter se sortiuntur: intellectus namque reuerà concipiens distinctionem in obiecto, nisi planè vt est in obiecto, & in re eam concipit. Quia sicut non cognoscit verè obiectum, nisi vt in se est cognoscibile, (secus falleretur) ita non cognoscit aliqua formaliter distincta in obiecto, nisi in ipso obiecto formaliter distinguantur, vt arguit Doctor *quæst.* 4. *loci cit.* §. *Ista positio circa N.* & prosequitur Tromb. *vbi suprà parte* 2. *fol.* 22. Ablegarda ergo protsus est distinctio rationis ratiocinatæ à subtilium schola, tanquàm futilis, eique inutilis, & euellenda vt soboles aliena, Thomisticam redolens doctrinam; vt mirum sit, quosdam ex nostris nouis scriptoribus eam ambabus manibus amplecti, & acriter pro eadem pugnare, contrà vniuersum veterum & recentium Scotistarum cœtum. Quinetiam non verentur (vt eis non fauentes) despicere Formalistas viros doctissimos, & acutissimos, eorumque laborem, & opus omni laude, & prædicatione celebrandum reprobare, à quibus religiosam modestiam requiro: Sciantque parentibus nostris, viris in omni scientiarum genere eminentissimis, decus, non dedecus, honorem, non liuorem esse exhibendum.

1 9. Assertio 1. vniuersalia formaliter sumpta ratione distinguuntur. Hanc expresse tradit Lychetus 2. d. 1. *quæst* 4 §. *Ad quæstionem istam*, & deducitur ex principiis Scoti locis præallegatis, & *Quol.* 13. quem sequuntur Vallo, Faber, & alij Formalistæ nuper allegati. Probatur, talis est distinctio, qualia sunt eius extrema, vt suprà insinuaui; nam inter extrema, quæ sunt res, & res, extat distinctio realis: inter extrema, quæ sunt realitates, & realitates, adest distinctio formalis: ergo inter extrema, quæ sunt entia rationis, vti sunt vniuersalia formaliter, cadit distinctio rationis. Prætereà, relatio specificatur à termino secundum Scotum 3. *dist.* 8. *q. vn.* §. *Contra istam rationem secundam.* Etsi terminus sit realis, relatio est realis, quod si terminus sit ens rationis, relatio est ens rationis, scribente Doctore *Quol.* 13. §. *Circa* 5. *P.* causa est, quia relatio non potest verius habere esse, quàm terminus ad quem est. Ergo illa quorum fundamenta, & termini sunt entia rationis, veluti sunt vniuersalia formaliter, ratione distinguuntur.

110. Assertio 2. vniuersalium materialiter acceptorum quædam realiter, quædam verò formaliter differunt. Hæc assertio in duas scinditur partes, & vtraque pars est ad Scoti mentem *vbi suprà.* Prima pars probatur 1. quæ non implicant ab inuicem separari, realiter dissident, vt patet ex definitione distinctionis realis adducta in præmisso notabili: sed non repugnat substantiã, & accidẽs inter se separari, vt patet de accidẽtibus sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ diuinitùs ab eorum substantia sunt segregata: Quædam autem vniuersalia sunt substantiæ, vt *animal*: & quædam sunt accidentia, vt *color.* Ergo quædam vniuersalia realiter distinguuntur. 2. inter rem & rem adest distinctio realis, vt suprà cum Scoto dicebam: sed quædam vniuersalia sunt res, & res, vt de animali, & colore, nunc significabam. Ergo nonnulla vniuersalia realiter abinuicem secernuntur. 2. pars suadetur 1. quæ sunt inseparabilia, gaudentque distinctis definitionibus, formaliter differunt, vt liquet ex definitione distinctionis formalis præallata: sed aliqua vniuersalia sunt inseparabilia, habentque distinctas definitiones, vt *animal, rationale, homo, & risibile.* Ergo quædam vniuersalia formaliter dissident. 2. inter realitatem, & realitatem intercedit distinctio formalis, vt constat ex dictis: sed nonnulla vniuersalia sunt realitates, vt quæ nunc enumeraui. Addo, quod passio, eiusque subiectum formaliter differunt secundum Scotum, & monstrabitur in Met. sed passio est quartum vniuersale, & eius subiectum persæpe est primum vel secundum vniuersale. Aliqua ergo vniuersalia fundamentaliter capta, distinctionem formalem sortiuntur.

111. Oppones 1. omne ens, aut est reale, aut rationis. Siue vt ait Arist. aliàs à nobis rel. vt omne ens aut est extra animam, aut in anima: atqui vniuersalia sunt entia: ergo, inter ea interuenit distinctio realis, si sint entia realia, vel rationis, si sint entia rationis; ac proindè nulla eorum formaliter differunt. Resp. solutionem huiusce argumenti patere ex dictis in principio notabilis præpositi, vbi attulimus duplicem acceptionem entis realis; si enim ens reale sumatur pro omni eo, quod ab opere intellectus non pendet, sic verum est, omne ens esse reale, aut rationis: quod si capiatur pro eo, quod repugnat esse absque alio, habetque distinctam rationem obiectiuam, siue distinctam realitatem, & formalitatem; sic præter ens reale, deprehenditur ens formale: atque inter duo obiecta formalia statuitur distinctio formalis, vt suprà exemplis fuit declaratum.

112. Oppones 2. proprium est accidens, quod realiter differt à subiecto, in quo inhæret. Ergo non bene supradictum est, proprium distingui formaliter ab eo, cuius est proprium. Negatur ant. non enim proprium est, quod vulgo dicitur accidens commune: sed perhibetur accidens sumptum pro extraneo, vt alibi planum feci.

113. Oppones 3. vnum, & idem non distinguitur à seipso, secus vnum esset idem, & non idem, quod implicat: sed primum, & vltimum vniuersale sunt vnum, & idem. Ergo inter se nullo modo differunt. Maior est nota, minor suadetur: accidens, quod est quintum vniuersale,

vniuersale, est pariter genus, quod est primum vniuersale, vt *color* qui est accidens, est genus respectu albedinis, & nigredinis. Distinguo ma. respectu eiusdem, concedo: respectu diuersorum, nego. Sic accidens per tiea subiectum in quo inest, est quintum vniuersale; penes inferiora de quibus essentialiter prædicatur est 1. vniuersale. Hæc est expressa responsio Doctoris *q.19. vniuersalium in fine* dicentis: nihil prędicatur in quid de illo, respectu cuius est accidens: sed respectu cuius est genus, vt color non prædicatur de substantia in quid, sed de albedine, respectu cuius est genus.

QVÆSTIO II.

De Genere.

1. DISSERENDVM priùs erat de vniuersali in communi, quam de partibus eius subiectiuis, vt iam proposueram in initio quæstionis præcedentis. Huius ratio reddi potest, quia vniuersale generatim sumptum est prædicatum quidditatiuum, ingrediturque definitionem cuiuslibet vniuersalis: obid vniuersale in communi præexplicandum erat: antequàm ad singulum vniuersale in particulari accederetur Inter autem partes vniuersalis subiectiuas primum locum occupat genus, vt innuit Arist. 2. *de generatione cap.3.* inquiens vitam plantæ præcedere vitam animalis, quam subsequitur vita rationalis. Ideò primùm de genere, quam de reliquis vniuersalibus agendum est.

ARTICVLVS I.

Quidnam definiatur in definitione generis.

2. ACceptiones, diuisiones, & definitiones generis cognoscendæ sunt in Epitome *quæst. 1. l.1. art.3.* de præsenti autem art. tres circumferuntur à Dialecticis opiniones, relatæ à Scoto *quæst.14. vniuersalium.* Vna est Veneti *c. de genere*, Tol. *quæst.1.* & aliorum ibid. eaistimantium in definitione generis definiri rem seu naturam, quatenùs substat secundæ intentioni. Altera est nonnullorum recentiorum, nominatim Rubij *q.2.* & Hurtadi *disp.4. sect.5.* qui in dicta definitione generis putant definiri aggregatum ex natura, & secunda intentione. Tertia est, quam tuentur Scotus *loco præcit. §. Dicendum igitur.* Eius interpretes ibi, Antonius Andreas c. *de genere*, Tatar. *dub.1. art.1.* Ioannes de Magistris, & alij ferè communiter, eo in loco, docentes in præfata generis definitione definiri secundam intentionem duntaxat.

3. Not. ex Doctore vbi suprà, genus esse nomen concretum, cuius abstractum est genereitas. Concretum autem ex dictis duo denotat, vnum materiale, & aliud formale: genus materialiter sumptum significat naturam genericam, vt *animal*: genus verò formaliter captum significat secundam intentionem, quæ ipsi naturæ generis applicatur. Modò quæritur, num in definitione generis definiatur natura generica, an secunda intentio, aut vtrumque simul, hoc est aggregatum ex natura, & secunda intentione. Rursus obseruat genus primo modo spectare ad Met. secundo verò modo, ad Log. vt insinuat Doctor. *in q. cit. antè § Propter argumenta.* Et de vniuersali in communi fusè ostendimus in præcunte q. art.9.

4. Assertio prima, natura non definitur in definitione generis. Ita Scot. præcit. & deducitur *ex Quol. 6. §. de tertio infrà* 10. Prob. 1. Logica non agit de rebus per se, sed per accidens, cum non realis, sed rationalis scientia esistat, ex probatis *lib.1. quæst.5. art 6.* Ergo definitio generis haud rei, siue naturæ adaptatur. Hinc optimè Doctor. *in fine quæst.14. allegata* subiicit, Porphyrium exemplificasse de rebus tanquam manifestioribus, non quia de eis definitionem dederit Quod non aduertentes Mastrius, & Bellutus *disp. 5. quæst.1. art.1.* aiunt definitionem generis & de re, & de secunda intentione, à prænominato Porphyrio fuisse traditam, quam Doctorem non respuisse affirmant ipsi recentes: verùm cum habetur eius mens expressa, non est extorquenda; tantum Legatur Doctor tum loco nunc cit. tum etiam §. *Dicendum igitur* inquiens, solam 2. intentionem definiri. Et palam fiet, Scotum, quod asserunt dicti Neoterici, haud approbare. 2. quæ ponuntur in definitione generis non sunt realia, sed intentionalia, vt liquet consideranti eius particulas, & potissimùm verbum *prædicatur*, quod esse verbum intentionale in superioribus præmonui. Igitur, præallata generis definitio rei non competit.

5. Assertio secunda, nec res, quatenùs substat 2. intentioni definitur in definitione generis Hanc expressè tenet Scotus §. *Allegato Ad quæstionem dicitur* Prob. primò, id quod hic definitur conuenit vniuocè rebus omnium generum, vt animali, colori, figuræ, & aliis huiusmodi, conuenit eis secundum idem nomen, & eandem rationem. Sed impossibile est aliquid sub intentione secunda conuenire rebus omnium generum Ergo in dicta definitione generis non definitur res sub intentione secunda. Maior patet. Min. suadetur, res nequit communiori modo significari, quam ens. Si ergo aliquid sub intentione foret vniuocum, ens sub intentione generis posset eis esse vniuocum, ac proinde genus, quod est falsum 2. si res sub intentione definitur, rea per accidens definitur, quia ipsi rei accidit intentio: sed omne per accidens reducitur ad aliquid per se, à quo illud per accidens dicitur Ergo cùm res non habeat nisi quod ab intentione definiatur, sequitur ipsam rem sic minimè definiri.

6. Assertio tertia, nec aggregatum ex re, & intentione secunda definitur Hanc quoque tenet Doctor. citatus, *eodem §. Allegato.* Prob. 1 ex 7 *Met. T.12.* ens per accidens non definitur: sed aggregatum ex re, & intentione secunda est ens per accidens, vt ex se patet. Ergo in definitione generis non definitur aggregatum ex vtroque. 2. aggregati non est demonstratio, nec scientia, vt constabit *l.5 huius operis* Ergo, nec definitio, quæ est demonstrationis medium.

7. Assertio quarta, in definitione generis sola secunda intentio definitur. Ita Scot. nuper recensitus. Prob. 1. illud definitur in definitione generis, quod per se consideratur à Logica: sed secunda intentio per se consideratur à Log. Ergo secunda intentio definitur in definitione generis. Ma. est in promptu, quidquid enim cognoscitur ab aliquo, cognoscitur ab eo, penes suum esse quidditatiuum. Minor fulcitur illo elogio Anic. Boetij & Scot. *in Report. 1. dist.1. quæst.7 §. Teneo igitur.* ab omnibus recepto, *Logica agit de 2. intentionibus applicatis primis.* Secundo id definitur in definitione generis, cui competit ipsamet generis definitio per se primò: sed illud cui generis definitio adaptatur, est sola 2. intentio; nam quæ in ea definitione locantur sunt intentionalia, vt claret ea verbo *prædicatur*, aliisque vocalis. Igitur sola 2. intentio in definitione generis definitur: sic omnes 2. intentiones definiri palam docet Scot. 4. *dist.1. quæst.5 paulo antè §. Ex his prædict. 1 7.*

8. Opponnes 1. genus prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: sed hoc 2. intentioni non congruit, quia 2. intentio est accidens intentionale, quod non prædicatur in quid. Ergo prædicta definitio conuenit rei; atque adeò in definitione generis definitur. Resp. aliud esse *quid*, aliud verò prædicari *in quid*, nam *quid* competit quidem rei, prædicari verò *in quid* 2. intentioni accommodatur: estque determinatio inhærentis, non verò inhærentiæ, quod suprà planum feci. Itaque ad argumentum in forma, concedo ma. nego mi. ob rationem mox assignatam.

9. Opp.

9. Oppones ſecundò, intentio generis non prædicatur in quid, niſi de hac, & illa intentione, quæ non differunt pluſquam numero, vt ſcribit Doctor *Quol.6. §. De tertio ſub X.* Sed genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid. Ergo in præfata generis definitione non definitur 2. intentio. Conf. ſi in dicta definitione generis definitur 2. intentio, idem accidet in definitione ſpeciei, cum vtrobique ſit par ratio. Ergo genus prædicari nequiret de ſpecie, quod eſt falſum. Conſequentia prob. oppoſitum non poteſt prædicari de oppoſito, nec diſparatum de diſparato: at genus, & ſpecies ſunt diſparata: ergo, &c. Reſp. cum Scoto tum hic, tum etiam *3. diſt.7.quæſt.1.§. Quarto videndum. C.* aliud eſſe prædicatum eſſe *quid*, aliud verò prædicari *in quid*. In omni namque genere eſt inuenire *quid* ex *primo Top. cap.7.* non tamen quodlibet cuiuſque generis prædicatur *in quid* de quocumque, ſed tantùm de ſuo inferiori, in cuius ratione eſſentiali includitur. Quare cum ſecunda intentio ſit *quid*, reſpectu huius, & illius intentionis ſecunda, prædicatur de eiſdem differentibus numero: at pro ſubſtractis, & primis intentionibus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie Ad Conf. dico, nihil obſtare, quin relatiuè oppoſita, & diſparata de ſe inuicem prædicentur, dummodò ſubiectum capiatur vt *quid*, & prædicatum vt *modus*.

10. Oppones tertiò, Porphyrius in *præſenti c.* afferens definitionem generis, eam exemplificat de rebus, putà *animali*, *& homine*. Ergo apertè euincitur in dicta definitione definiri rem, non autem 2. intentionem. Reſp. quidem Porphyrium adducere exempla de rebus, propterea quod res ſunt nobis notiores, & manifeſtiores ſecundis intentionibus; non autem quia exiſtimauerit rem definiri in præmemorata generis definitione, vt egregiè docet Scot. *in fine quæſt.14.* vniuerſalium; præſertim quia, quod per definitionem ſignatur in 2. intentionibus, exercetur in primis, & in rebus, vt notat idem doctor *vbi ſuprà. §. propter argumenta.* Idque præſtitiſſe Ariſt. rectè indicat ipſemet Scot *quæſt.9. prædicamentali §. Ad q. verſu, Si autem dicatur.*

ARTICVLVS II.

An definitio generis ſit quidditatiua.

11. FVsè, & eruditè hanc difficultatem peragit Cardinalis Sarn. cum Scoto. *quæſt.15. vniuerſalium*, referens duas opiniones, quarum prior, vt recitant, Tol. *quæſt.5.* & Conimbr. *quæſt.1. art.2.* defenditur ab Ammonio, & Boëtio exiſtimantibus definitionem generis eſſe deſcriptiuam, quam amplectuntur Maior, Arriaga, & alij. Poſterior eſt Scoti præallegati, S.Th. *l. de ente, & eſſentia cap.4.* Hurtadi *diſp.4. ſect.1.* & aliorũ docentium hanc eſſe quidditatiuam, & eſſentialem. Genus eſt *quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid* quæ deſumitur ex Ariſt 1. *Top. cap 4. & 5. Met. cap.28.* & Porph. *in Iſagoge. c. de genere.* Recolenda ſunt, quæ dixi in Epitome *lib.2. quæſt.7. art.2.* de definitione, deque conditionibus ad ipſam requiſitis: quibus recognitis hæc lis facilè dirimitur, & commodè iſta difficultas diſſoluitur.

12. Aſſertio, præfata generis definitio eſt quidditatiua, & eſſentialis. Ita Scot. *vbi ſuprà.* Prob.1. ex Ariſt. & Porph. citatis: ait enim Porph. expreſsè loquens de generis definitione à Philoſophis tradita. Quod etiam deſcribentes aſſignauerunt, ideſt (vt exponunt Scotus, & Scotiſtæ) definierunt. Et *c. de ſpecie* ſubdit, *neceſſe eſt rationibus vtriuſque vti.* Sed ratio eſt: definitio *ex 4. Met. T.28.* Ergo Porph. videtur velle præfatam eſſe definitionem, non verò deſcriptionem generis. Secundo *ex 6. Top 1. & 7. Met. T. 37.* quæ conſtat ex genere, & differentia eſt definitio quidditatiua: ſed præallata generis definitio conſtat ex genere, & differentia: nam genus eſt, quod prædicatur de multis, & differentia habetur in reliquis particulis, per quas genus à reliquis vniuerſalibus diſtinguitur. Tertio ea eſt definitio quidditatiua, quæ pollet prædicatis per ſe, & non includit per ſe ſubiectum, conuertiturque cum definito: ſed definitio generis eſt huiuſmodi: ergo eſt quidditatiua. Maior eſt *7. Met. T. 11. & 13.* Min. patet percurrenti cunctas eius particulas Ex his liquet Maſtrium, & Bellutum *diſp.5 quæſt.1. ad finem art.* 25 à veritate deflectere, & à Scoto, eiuſque ſchola valdè declinare, indicantes hanc contentionem inter prænominatos Authores eſſe de nomine, cum aiunt: *Si prædicari ſumatur formaliter eſſe deſcriptionem, quia prædicaria eſt proprietas vniuerſalis: ſi verò capiatur radicaliter, eſſe definitionem, quia radix prædicationis eſt vniuerſalis eſſentia, quæ exprimitur per eſſe in multis.* Verùm hoc eorum aſſertum, & diſtinctionem, vehementer obiurgaui, & efficaciter reieci *art.9. præcedentis q.* Ideò hoc loco non ampliùs refutandos, nec inſectandos eſſe arbitror.

13. Oppones primò, accidens definitur per ſubiectum, quod eſt ſubſtantia, quæ ex *Met. T.4.* præcedit accidens definitione, cognitione, natura & tempore: ſed genus eſt accidens, quia eſt ſecunda intentio; vt patet ex dictis. Ergo definiendum eſt per ſubiectum: at in prædicta generis definitione nullum ponitur ſubiectum, vt patet: ergo ea definitio non eſt exacta & eſſentialis. Reſp. maiorem valere de accidente reali, quod de ſubiecto à producente educitur, aut ipſum ſubiectum ſuaptè natura conſequitur: non autem de accidente intentionali, quod fit per opus intellectus. Meliùs fortaſsè dici poteſt, negando ſubſumptum; vt enim dixi *art.13. ſuperioris q* ſubiectum 2. intentionum ſunt res cognitæ, in quibus prædicationes ſignatæ exercentur.

14. Oppones ſecundò, concretum non definitur: ſed genus eſt cõcretũ: ergo genus non definitur ſiue exactè, ſiue nõ exactè. Maior prob. *ex 7. Met. T.20. & 23.* Et ratio eſt, quia concretum cum ex duabus naturis, putà ſubiecto, & accidente conſtituatur, eſt ens per accidens: quod ex eodem *ibid. T.20. & 21.* non definitur. Reſp. diſtinguendo ma. de concreto ex duabus naturis aggregato, concedo: de concreto vna natura conſtante, nego, exemplum primi *homo muſicus*: exemplum ſecundi *homo*. Ita exponendus eſt Ariſt. vt innuit Doctor *quæſt.5. prædicamentali, §. Ad q.* & approbat Mauritius *in expoſitione quæſt.15. Ad primum principale, fol.26.*

15. Oppones tertiò, quod definitur, eſt in genere: ſed genus non eſt in genere: ergo genus non definitur: ma. patet, min. eſt Philoſophi *3. Top. cap.1.* dicentis: *magis eſt in genere, quam quod non eſt in genere. vt iuſtitia potiùs quàm iuſtum* Reſp. conceſſa ma. negando min. probatio eius explicatur de genere virtutis, non verò de genere prædicabili. Eo magis, quia ex alibi dicendis, abſtracta accidentium videntur potiùs poni in genere, quam eorum concreta.

16. Oppones quartò, ſola ſpecies definitur ex Ariſt. *6. Top. & 7. Met. cap.4.* & Scoto *quæſt.12. vniuerſalium, §. Ad primum arg.* Ratio eſt, quia ſola ſpecies conſtat ex genere, & differentia, quod exigitur ad exactam definitionem: ſed genus non eſt ſpecies, cum genus, & ſpecies ſint duo vniuerſalia diſtincta: ergo, &c. Reſp. conceſſa ma. diſtinguendo min. reſpectu vniuerſalis in communi, nego: reſpectu aliorum vniuerſalium in particulari, concedo, vt oſtendi *art 10. præcedentis q.*

17. Oppones quintò, ſcopus exactæ definitionis eſt, vt definitum innoteſcat, & declaretur per ipſammet definitionem *ex 6. Top. cap 6.* ideò datur per priora, & notiora, veluti ſunt principia eſſentialia, & quidditatiua definiti: ſed talis non eſt definitio generis, quia aſſignatur per id, quod eſt ſimul aut poſterius natura ipſomet genere, vt eſt ſpecies Reſp. argumentum valere de definitione abſoluti, non verò relatiui; neceſſe enim eſt in definitione relatiui ponatur eius correlatiuum, vt notat

tat Scotus tum hic, tum etiam 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. §. *De secundo principali. H.* Ratio est, quia vnum relatiuum cognosci nequit absque alio, vt patet *ex c. de Ad aliquid.* Id etiam innuit Arist. 6. *Top.* 1.

18. 6. Oppones sextò, ea non est quidditatiua definitio, in qua habetur negatio *ex* 6. *Top. cap.* 3. Sed in definitione generis, ponitur negatio; negatorium quippè est, dicere de pluribus differentibus eo, quod differentia in plurali includit multitudinem, veluti species genos, vt constat *ex* 5. *T.* 16. & 10. *Met. T.* 12. Ergo &c. Concessa ma. neganda est minor, ad eius probationem, dico, differentiam poni non negatoriè, sed expositoriè; vt enim genus ab aliis vniuersalibus differat, rectè adiicitur, *de pluribus differentibus specie*, explicationis, & distinctionis gratiâ.

ARTICVLVS III.

An genus prædicetur de specie vt totum, vel vt pars eius.

19. MVltus est Scotus *quæst.* 16. *vniuersalium*, in enodanda, & declaranda proposita difficultate, quam velim, vt difficilem indicat Cardinalis Sarn. ibi *in initio eius expositionis*, tum ob dubia, quæ in ea adducuntur, & dissoluuntur: tum etiam ob instantias, quæ ex ipsis proficiscuntur, & proponuntur. Non sunt autem concordes Philosophi, in eius decisione, etenim nonnulli vt Paulus Venetus *c. de specie* putant genus prædicari de specie, vt parte eius actuali. Alij vt Canterus *in præsenti c.* censent prædicari, vt parte potentiali. Addunt Recentes citati à Mastrio, & Belluto *art.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 1 partem Metaphysicam prædicari de toto, non autem partem Physicam, & hac distinctione putant se dirimere totam hanc difficultatem. Scotus autem, eiusque alumni dicernunt genus prædicari de specie non per modum partis, sed per modum totius.

20. Not. primò, præsupposita diuisione prædicationis in signatam, & exercitam, de qua *not.* 2. *art.* 15. *præcedentis q.* partes pro nunc esse in duplici differentia, essentiales nimirùm, & subiectiuas; essentiales sunt, quæ constituunt totum essentiale, vt anima, & corpus sunt partes essentiales constituentes totius animati. Partes verò subiectiuæ sunt inferiora, de quibus superius prædicatur, vt Petrus & Paulus respectu hominis: homo, & brutum respectu animalis. Partes priores sunt actuales, quatenus totum actu constituunt: posteriores verò sunt potentiales, quatenus totum potentiale constituunt, quod est superius, quod potentia continet sua inferiora; de illis non fit prædicatio, de istis verò maximè fit prædicatio, vt *Petrus est homo, & brutum est animal.*

21. Not. secundò, ex Arist. 8. *Met. T.* 9. & Porph *in Isagoge c. de differentia.* Scot. *quæst.* 7. *prædicamentali*, in specie duo reperiri, quæ vt partes ipsam speciem tanquam totum componunt, nempè materiale & formale, siue potentiale, & actuale. Primum est genus, quod vocatur materiale, & potentiale, quatenus est determinabile, & contrahibile per suas differentias, & ea se est indifferens, & indeterminatum ad hanc vel illam differentiam, veluti materia ea se est indeterminata ad hanc vel illam formam recipiendam. Secundum est differentia, quæ appellatur ens actuans, & determinatiuum; propterea quod actuat, & determinat ad esse tale specificum, vt rationale determinat animal ad esse hominem, & irrationale ad esse brutum. Ideoque sicut forma actuat materiam, sic differentia actuat genus. Licet autem genus sit pars speciei, prædicatur tamen de ea per modum totius, inquit Doctor *cit.* §. *Dicendum*, & cum eo Orbellus 3. *Met. quæst.* 1. Scot. 1. *post. q.* 23. §. *Ad primum*: modus quippè eius significandi in concreto dat intelligere totum, quatenus prædicatum in concreto ea consequenti significat totum illud, quod importatur per subiectum per modum habentis.

22. Not. tertiò, & recolendum ea dictis *in Epitome lib.* 1. *quæst.* 1. *art.* 6. duplex esse abstractum, à subiecto, & à supposito: duplexque concretum, substantiale, seu suppositale, & accidentale. Primò concernit suppositum, vt homo respectu humanitatis: secundum verò concernit formam in subiecto, vt album respectu albedinis. Concretum autem significatur per modum totius, abstractum verò per modum partis: pars autem non prædicatur de toto, præsertim in abstracto; falsæ enim sunt istæ, *humanitas est animalitas, & humanitas est rationalitas.* Idque non obscurè insinuat Bonetus 1. *Met.* inquiens, *Concretum, & abstractum in hoc differre, quia abstractum impositum est ad significandam quidditatem præcisè ab omni prædicato posteriori præscindentem: at Concretum est impositum ad significandam quidditatem absque vlla præcisione.*

23. Assertio prima, genus aptè prædicatur de specie, omnisque prædicatio superioris de inferiori est vniuersaliter vera. Ita Scotus nuper allegatus. Et *quæst.* 10. *in fine.* Prob. 1. ex Porph. *c. de specie*, vbi ait, omnia superiora prædicari de inferioribus; iamque ipse Porph. exemplum præmiserat *c. de genere*, de animali, quod prædicatur de homine. Adde Arist. *c. de substantia* dicentem, secundæ substantiæ prædicantur de primis, vt animal de homine, & de aliquo homine Et 1. *post. T.* 9. Primus modus dicendi per se est, quando definitio, vel pars definitionis prædicatur de definito, vt *homo est animal: vel homo est animal rationale.* Secundo rectè deducitur, *homo currit: ergo animal currit*, quia oppositum consequentis non stat cum antecedente, sed omnis consequentia enthymematica tenet virtute alicuius medij necessarij, per quod reduci valeat in syllogismum, illud medium est, *homo est animal: ergo est necessarium*, vt patet 1. *priorum cap.* 28. Et ea vno nihil sequitur, nempè sufficienter, nisi aliud subintelligatur.

24. Assertio secunda, genus non prædicatur de specie per modum partis, sed per modum totius potentialis. Hanc quoque tradit Doctor vbi suprà allegans Boetium *l. diuisionum propè initium* His verbis. *Genus in prædicatione est totum, in definitione vero est pars.* Et *in fine quæst.* 10. *eiusdem operis.* Et 1. *post. quæst.* 23. §. *Ad primum contra hoc.* Prob. 1. par ratio est de partibus physicis, ac metaphysicis, siue de partibus realibus & rationis: sed pars physica, siue realis non prædicatur de toto: istæ enim sunt falsæ, *homo est materia homo est anima rationalis.* Ergo nec pars logica, siue rationis prædicatur de toto logico, vti est species. Secundò, genus respicit plures, vt partes subiectiuas, de quibus potest prædicari; sed genus vt est pars, solùm connotat speciem quam constituit. Ergo prædicatur per modum totius. Insuper, genus prædicatur de speciebus, vt vniuersale abstractum à suis inferioribus: sed vniuersale à suis inferioribus abstractum continet totam essentiam, sub communi ratione consideratum, non consideratis ipsis inferioribus, vt liquet de specie abstracta à suis singularibus. Ergo prædicatur de illis per modum totius: pars quippè non potest abstrahi à toto, abstractione vniuersalis à suis inferioribus: sed ab eo præscindi duntaxat, vt brachium ab homine, quod in confesso est apud omnes, non prædicari de toto, non enim valet dicere, *homo est brachium.*

25. Oppones primò, ea propositio est vera, in qua prædicatur superius de inferiori, vt patet ea dictis: Ergo ista est vera propositio, superius est inferius. At consequens est falsum: ergo & antecedens; oppositum namque prædicatur de opposito. Resp. cum Scoto *in fine q.* esse sophisma accidentis, non enim sequitur, *animal est genus: ergo homo est genus.*

26. Oppones secundò, nulla pars prædicatur de toto, *ex* 4. *Top. cap.* 1. vt *animal non est manus*: sed genus est pars speciei *ex* 5. *Met. cap.* 3. & constat ex eius definitione, in qua genus tanquam pars eius collocatur:

Ergo,

Ergo, &c. Resp. per distinctionem maioris, nulla pars prædicatur de toto, sumpta per modum partis, concedo: per modum totius, nego; sic exponitur Arist. præcitatus. Idque exemplo declaratur ab Auic. 5. *Met.* de manuato, & capitato. Hæc enim duo vocabula significant determinatè partem, *manuatum* significat manum, & *capitatum* caput, vtrumq; autem significat per modum totius, *manuatum* enim idem significat ac habens manum, & *capitatum* idem ac habens caput, vt declarat Scot. *ubi suprà antè* §. *Quia verò.*

27. Oppones tertiò, omne concretum est denominatiuum: sed genus est concretum: Ergo est denominatiuum, & denominatiuè prædicatur. Sed prædicari denominatiuè, & vniuocè sunt modi oppositi. Ergo, &c. Resp. maiorem veram esse de concreto accidentali, non autem de concreto substantiali, vt patet ex tertio notabili.

28. Opponens quartò, si homo est animal, aut tota natura animalis est in ipso homine vel non: si non, ergo est homo secundum quid: si sic, cum ex 3. *phys. T.* 63. totum sit, extra quod nihil est, sequitur, præter hominem nullum esse animal, ac proinde leo non esset animal, & sic de cæteris. Resp. totam naturam animalis esse in homine inadæquatè; non verò adæquatè, vt planum fecì *q. præcedente art.* 6. descriptio autem totius sic est intelligenda, *totum est, cuius nihil est extra*, idest ad ipsum totum requisitum, & hoc modo nihil naturæ animalis deest homini.

29. Oppones quintò, totum est, quod partibus constat, vt ex ipsomet vocabolo liquet: sed vniuersale est totum vt scribit Arist. 1. *phys. T.* 4. *&* 7. *eiusdem operis T.* 31. Ergo habet actu partes. Resp. iuxta partitionem totius præallatam in actuale, & potentiale: quoque partes distribui in actuales, & potentiales. Nos autem dicimus cum Scoto *q.* 25. *vniuersalium*, genus esse totum potentiale, quia habet conceptum, seu gradum præcisum à suis differentiis, & speciebus, vt innuit idem Doctor 1. *dist.* 8. *quæst.* 2. secutus Arist. tum 2. *post. cap.* 8. tum etiam 7. *Met. T.* 42. Itaque ad argumentum in forma, distinguo ma. de toto actuali, concedo: de toto potentiali, nego: ita exponendus est Philosophus duobus in locis præallegatis.

30. Instabis, definitio actu continet suas partes definiti: sed partes definiti sunt genus, & differentia. Ergo eas actu continet. Maior innititur loco Arist. 1. *post. cap* 4. dicentis, integram definitionem, eiusque partes per se prædicari de definito. Nego maiorem: ad eius probationem ex Arist. dico, partes definitionis prædicari de definito non quidem per modum partis actualis, sed per modum totius potentialis.

31. Oppones sextò, genus realiter identificatur cum differentiis, in quas diuiditur, ab eo quippè nullo modo seiungi valent. Ergo genus continet actu suas differentias; ac proindè de eis vt partibus eius actualibus prædicatur. Respondet Brasauola *q.* 14. *vniuersaliū*, differentias realiter identificari, ratione speciei, quę est quid tertium à genere, eiusque differentiis distinctū, non verò ratione ipsiusmet generis, quod eas potētialiter cōtinet.

ARTICVLVS IV.

An Genus deposcat plures actu species.

32. HVnc articulum ex instituto examinat Scot. *q.* 18. *vniuersalium*, vbi refert quosdam, inter quos sunt Albertus *Tract.* 4. *cap.* 6. & S. Th. 1. *post. lect.* 12. affirmantes genus requirere plures species actu. Oppositam verò sententiam tuentur plerique alij præsertim Scotistæ, *in expositione q. præcit.* quibus adhærent Rituius *q.* 4. *de specie* & Hurtadus *disp.* 5. *sect.* 4. existimantes genus in vnica specie conseruari posse.

33. Not. præsens dubium posse agitari, tam de genere logico, quàm metaphysico, atque de eius esse obiectiuo, & esse existentiæ. Quod alij forsitan, nominatim Tatar. *c. de genere, scibili* 4. sub aliis verbis inquiunt posse intelligi, secundum existentiam, potentiam, & aptitudinem; & apertè indicat Doctor *vbi suprà* §. *Ad quæstionem dicitur.* Prætereà dubitari potest, num æqua sit ratio de genere respectu specierum, ac de specie respectu indiuiduorum, vt astruit Ægidius, reclamantibus authoribus præcitatis in prima opinione huius art. teste Fons. 5. *Met. c.* 28. *quæst.* 15. *sect.* 1. *&* 2. quibus fauent Complut. *disp* 6. *quæst.* 1.

34. Assertio prima, genus metaphysicum, & in esse obiectiuo, non petit plures actu species, sed potentia, & aptitudine duntaxat. Hanc indicat Scot. *cit.* §. *Contrà hic modus dicendi.* Et Prob. 1. ex definitione vniuersalis metaphysici, quod est *vnum aptum inesse multis*: Ergo cùm definitio non postulet rei existentiam, vt monui *quæst.* 1. *lib.* 1. *art.* 2. *not.* 4. sufficit, genus metaphysicum esse aptum inesse multis specie differentibus, quamuis nec ipsum, nec eius species actu existant. Secundò natura generica obiectiuè sumpta abstrahit ab omni existentia, vt patet loco mox citato, sicut & quælibet alia quidditas in esse obiectiuo. Ergo, licet genus non habeat actu species, existimandum tamen est, ipsum esse genus metaphysicum.

35. Assertio secunda, genus in esse existentiæ, quod nonnulli appellant genus physicum, conseruari potest in vna sola specie existente. Deducitur ex Scoto *vbi suprà, versu Potest igitur dici ad q.* Prob. 1. ex Porph. hic, & Arist. 4. *Top. c.* 2. genere sublato, tollitur species; vna autem specie sublata, non tollitur genus, quia remanebit actu in alia specie, a. destructis omnibus animalibus, præter hominem, vt eueniet post diem iudicij, hæc propositio, *homo est animal* est vera, & essentialis, cùm sit generis de specie, & superioris de inferiori, nō solùm in esse essentiæ, sed etiā in esse existentiæ. Ergo, vna solā existēte de specie, est verè genus. Tertiò, quod habet essentiā generis, est vere genus, sicut illud est verè album quod habet in se albedinem: sed genus existens in vna specie, habet essentiam generis, existente enim homine existit animal, quod est eius genus: si namque *est homo, est animal*, iuxta illum canonem, *ab inferiori, ad superius affirmatiuè tenet consequentia*: ac proinde, genus in vna tantum specie saluari potest. Prætereà, genus est *vnum aptum prædicari de multis specie differentibus in quid*: at vna tantùm existente specie, adhuc genus sua pollet definitione, quæ nec actum, nec existentiam; sed potentiam, aptitudinem, & essentiam potissimùm respicit. Denique correlatiuè se mutuò ponunt, & se mutuò destruunt, *ex c. de aliquid*: sed genus, & species sunt correlatiua: ergo posita vna specie, ponitur eius genus. Non enim necesse est omnes terminos relationis existere, vt liquet de patre non habente omnes filios genitos simul, ratione quorum successiuè sibi aduenniunt plures relationes paternitatis, iuxta pluralitatem filiorum genitorum, vt scribit Doctor 3. *dist.* 8. *q. vn.*

36. Assertio tertia: genus logicum non requirit plures species actu existentes, sed ab intellectu apprehēsas duntaxat. Hanc ducēt Scot. præcitatus eiusque interpretes, nuncupatim Bargius 1. *d.* 3. *q.* 6. Prob. 1. vniuersale logicum non exigit inferiora existentia, sed solùm possibilia, & obiectiuè ab intellectu cognita, vt liquidò constat ex superioribus. Ergo ad genus logicum sufficit, vt species eius ab intellectu apprehendantur. Ant. ostenditur, comparatio rationis præexigit solùm extrema cognita, cùm veritas à rebus in esse obiectiuo desumatur. Prætereà, species locatur in definitione generis, vt liquet inspicienti eius particulas: ergo ad genus logicum necesse est vt apprehēdantur eius species, non enim potest plenè intelligi definitio, nisi ea, quæ in ipsa collocantur, concipiantur. Rursus, correlatiua simul cōintelligūtur ex Arist. citato in antecedente assertioné. Ergo cùm genus, & species sint correlatiua, ad genus logicum oportet eius species ab intellectu apprehendi.

37. Assertio 4. perinde species in vno indiuiduo, ac genus in vna specie conseruatur. Colligitur ex Scoto allegato, *ante §. Ad q. dicitur*, *& infrà §. Contra.* Prob. 1. tam genus, quàm species sunt vniuersalia, quæ sunt apta inesse multis. Ergo idem ferendum est iudicium de specie, ac de genere: sed genus potest esse in vna specie, vt præmonstratum est. Ergo & species in vno indiuiduo.

38. Dices, esse disparitatem, quia genus diuiditur per duas oppositas differentias, quod non cögruit speciei respectu indiuiduorum: ob id genus exigit saltem duas species ad sui conseruationem per duas oppositas differentias constitutas. Contra, arguit Doctor *vbi suprà*, æquè ponitur in definitione speciei *differentibus numero, ac differentibus specie* in definitione generis: ergo, nulla est dispar ratio. Secundò, superius essentialiter est in suis inferioribus: sed ita species est quid superius respectu indiuiduorum, sicut genus, respectu specierum: Ergo species saluatur in vno indiuiduo, veluti genus in vna specie.

39. Opp. 1. Arist. 4 *Top. c.* 1. *&* 6. omnis generis plures sunt species. *Et ibid.* oportet speciem de paucioribus, quam genus prædicari. Et 6. *eiusdem operis cap.* 2. subiungit, vbi est genus, debet esse quoque id quod ex opposito ipsum diuidit. Sed differentiæ, quæ ex opposito ipsum genus diuidunt, sunt specierum constitutiuæ: Ergo genus consistere nequit absque pluribus speciebus. Eò magis, quia pluralitas specierum ponitur in definitione generis, vt denotat vox illa *differentibus.* Ergo &c Resp. loca adducta, & consimilia adducenda, esse exponenda de potentia, & aptitudine, non verò de existentia, & actu, nisi plures species apprehendantur per intellectum, vt patet ex 3. assertione.

40. Opp. 2. *ex* 2. *cæli T.* 19. si datur vnum oppositum, debet dari & aliud: Ergo si datur vna species, quę constituitur per vnam oppositam differentiam, debet dari & alia species, quæ ponitur in esse per alteram oppositam differentiam: atque adeò genus duas saltem actu postulat species. Resp. cum Scot. *q.* 40. *prædicamẽtali §. Ad q. dicendum: & q.* 42. *§. Secunda.* Illud Philosophi adductum in antecedente intelligendum esse non de actu, sed de potentia: si enim est nigredo, non est necesse sit albedo, sed satis est, si possit esse albedo. Itẽ, si est sanitas, non oportet esse morbum, sed sufficit, si possit esse morbus, vt expressè tenet Philosophus *c. de oppositis ad finem.* Vel illud exponitur de contrariis se mutuò expellentibus ab eodem subiecto: non verò de contrariis absolutè sumptis, quæ potiùs generatim dicuntur opposita, vti sunt duæ differentiæ duarum specierum constitutiuæ, de quibus Arist. 5 *Met. c.* 9. *T.* 16. Et Scot. *q.* 14 *prædicamentali, §. Ad quæstionem.* Et *q.* 24. *versu Contra* 2. *responsionem.*

41. Opp. 3. correlatiua sunt simul natura ex Arist. *c. Ad aliquid.* Sed genus, & species sunt correlatiua, vt patet: ergo nequit esse genus actu, nisi eius species actu existant, & ita genus in vna specie haud conseruari potest. Resp. quidem correlatiua esse simul natura, relatiuum autem non petit omnia eius correlatiua existentia, cùm vnum correlatiuum solùm sufficiat, vt si est pater, debet esse filius: non exigitur autem ad esse patris, vt omnes eius filij existant. Idem astruendum est de genere, ad cuius esse non est necesse omnes eius species existant.

Articvlvs V.

De quibus prædicetur genus.

42. DE tribus potissimùm moueri potest præsens difficultas, videlicet de differentiis, speciebus, & indiuiduis. Iuxta autẽ hæc tria prærecensita, tres breuiter statuo assertiones, præsuppositis, & præcognitis iis, quæ de prædicatione, eiusque diuisionibus scripsi in Epitome *l.* 1. *q.* 2. *articulo secundo.*

43. Assertio 1. genus non formaliter, & essentialiter: sed solùm materialiter, & identice de differentia prædicatur. Hanc latè disentit, & defendit. Doctor 1. *post. q.* 23. Prima pars prob. 1. ex Arist. 4. *Top. c.* 2. dicẽte, *vitium est, si genus prædicetur de differentia*, supple formaliter, & essentialiter. Secundò, quod non ingreditur essentiam generis, de eo genus nequit prædicari formaliter, & essentialiter, vt liquet ex definitione prædicationis essentialis allata loco nuper citato: at differentia non ingreditur essentiam generis, cùm ipsum genus diuidat, & constituat speciem. Ergo de ea genus formaliter, & essentialiter non prædicatur. Secunda pars prob. ea prædicantur identice, & materialiter, quæ realiter idẽtificantur, vt notaui loco citato. Scot. 3. *Met. q.* 1. sed genus, & differentiæ eius realiter identificantur, saltẽ ratione specierum, quas constituunt, vt cùm Brasauola aliàs obseruaui: ergo prædicatio generis, de suis differentiis est identica & materialis. Præterea genus non actu, sed potentia duntaxat continet suas differentias *ex* 3. *art. huius quæstionis.* Ergo de eis non nisi identicè prædicatur.

44. Assertio 2. genus immediatè prædicatur de suis speciebus. Hanc tenet Doctor *q.* 17. *vniuersalium §. Ad oppositum*, cum Porphyrio *hoc in loco* Prob. 1. genus proximè, & immediatè respicit suas partes subiectiuas, vt præstat quodlibet vniuersale: deque iis immediatè prædicatur, vt fatentur omnes Dialectici: sed species sunt partes immediatè subiectiuæ generis: ergo de eis immediatè prędicatur. Secundò, inter genus, eiusque species nihil interponitur in recta linea prædicamẽtali, vt patet ex serie cuiuscumque prædicamentali allata *in Epitome l.* 1. *q.* 4. Igitur genus de ipsis enunciatur immediatè. Accedit, quia genus priùs determinatur ad esse speciei, quàm ad esse indiuidui, rectè ergo concluditur, genus de suis speciebus immediatè perhiberi.

45. Assertio 3. genus tantùm mediatè prædicatur de indiuiduis. Defenditur à Scoto *q.* 17 *vniuersalium. §. Ad quæstionem.* Et 2. *d.* 12. *q.* 2. *§. Respondeo ante C.* quem sequuntur Suarez *disp* 6. *Met. sect.* 9. *num* 15. Arriaga *disp.* 7. *Logica, sect.* 2. & alij complures; aduersus Nominales, quibus adhæret Hurtad. *disp.* 4. *sect.* 5. Prob. 1. inter genus, & indiuidua mediat species, quia nullum est indiuiduum, quin alicuius speciei indiuiduum non sit: ergo cùm genus prædicetur de indiuiduo mediante specie, cuius est indiuiduum, sequitur genus mediatè prædicari de indiuiduis. Secundò inter suprema, & infima extant media; non enim est series, nec transitus à supremis ad infima, nisi per media: sed genus est superius, species sunt mediæ, & indiuidua sunt inferiora, vt clarè conspicitur in arbore Porphyriana: ergo genus de indiuiduis mediatè tantùm prædicatur. Præterea proximum correlatiuum generis est species; remotum verò est indiuiduum. Itemque dantur naturæ genericæ, & specificæ, quæ per differentias indiuiduales contrahuntur, ex quibus indiuidua constituuntur: ergò, non nisi mediatè genus prædicatur de indiuiduis.

46. Opp. 1. si genus immediatè, & essentialiter prędicatur de specie, foret nugatio, quæ à Philosophis est vitanda: Ergo, non sic genus prædicatur de specie. Ant. prob. cùm dicitur, *homo est animal*, vel est idem animal, quod homo, vel est diuersũ animal ab homine, si est idem animal, committitur nugatio, sic enim idem est dicere, *homo est animal*, ac *homo animal est animal.* Si verò est diuersum animal: ergo non est genus, quia non prædicatur in quid. Resp. cum Scoto *quæst.* 16. *vniuersalium §. Ad* 1. *principale*, animal prædicari de homine, vt præscindit ab homine, & bruto, vt enim est indifferens ad hominem & brutum, est genus, vt verò contrahitur ad esse specificum per rationalitatem, aut irrationalitatem est pars speciei, quod vna cùm differentia constituit speciem. Itaque ad argumentum

in

in forma, nego ant. ad eius probationem, patet quid sit dicendum per distinctionem allatam.

47. Opp. 2. hæc est vera propositio generis, de indiuiduo, *hoc animal est anima*. Sed inter hoc animal & animal, nullum interponitur medium. Ergo generis de indiuiduo est propositio immediata: atqueadeò genus immediatè prædicatur de indiuiduis: concessa maiore, nego minorem: nam cùm hoc animal esse nequeat, nisi sit rationale, aut irrationale; ideò præsupponitur esse alicuius speciei; ac proinde inter genus, & indiuiduum extat semper aliqua species.

48. Opp 3. potest ab indiuiduis præscindi immediatè ratio generica, quæ de ipsis immediatè perhibeatur. Ergo genus potest immediatè de indiuiduis prædicari. Ant. prob. ab hoc homine, & ab hoc equo potest abstrahi ratio communis sensitiua, quæ est ratio generica animalis, & ad illa comparari, deque illis prædicari. Cōsequentia ostenditur: de iis potest ratio generica immediatè prædicari, à quibus immediatè potest abstrahi: sed immediatè potest abstrahi ab indiuiduis. Ergo & de illis immediatè prædicari Resp. huiusmodi rationem genericam abstrahi ab indiuiduis, non absolutè, & immediatè, sed præsuppositis speciebus, sub quibus ea indiuidua comprehenduntur; ob id genus non nisi remotè, & mediatè de indiuiduis affertur.

49. Instabis cum Hurtad. *disp.* 4. *sect.* 5. §. 45. dato casu non percipitur vlla ratio specifica, nec exigitur aliquod fundamentum, ad eam percipiendam: ergo in tali abstractione non inuoluitur ratio specifica. Dico, licet explicite ratio specifica non cognoscatur in tali abstractione, eam tamen necessariò supponi, & implicitè contineri, cum non possit esse species, quin per differentiam, & rationem genericam constituatur, priusquam species ad indiuidua per differentias indiuiduales determinetur.

50. Opp. 4. Scot. 1. *d.* 3. *q.* 6. *sub E.* & expressè 4. *d.* 8. *q.* 2. §. *Aliter, conclusione* 9. O. Et 1. *post. q.* 23. §. *Contra in definitionibus*, scribit, in singularibus est ordo, secūdùm ordinem vniuersalium, priùs enim quodcumque vniuersale potest intelligi descendere in propriū singulare, quam contrahatur per differentiam aliquā, ad aliquid inferius tanquam ad speciē, vt sic habeamus ordinem istorum singulariū, *hoc ens, hæc substantia, hoc corpus*, & sic deinceps vsque ad Sortem. Hoc patet per Auic. 1. *suæ physicæ*, quod priùs videmus à remotis corpus, quam animal, & animal, quam hominem, &c. Quod non est intelligendū de vniuersali, quia visus non videt vniuersale: sed de singulari vniuersalioris: ergo secundùm Scotū genus immediatè prædicatur de indiuiduis. Conf. pronomen demonstratiuum hoc significat singulare entis, non verò singulare alterius minus communis, & vniuersalis: nam cùm quæritur, quid est hoc? (ve quærebatur ab Hebræis Exod. 16.) non inuestigatur, an hoc sit ens, quia iam supponitur esse ens; idem autē non potest esse suppositum, & quæsitum, vt patet *ex lib.* 5. *q. de præcognitis.* Itaque inquiritur, per dictum pronomen, an sit lignum, aut aliud singulare, infrà ens. Habita autem responsione, quod sit lignum, aut lapis, aut aliud speciale sub ente, quærentis animus quiescit. Dantur ergo singularia transcendentium, & generum, de quibus illa immediatè prædicantur, secundùm Scoti Doctrinam.

Resp. etsi præcisiuè intelligi valeat indiuiduum communioris, & vniuersalioris, vt indicat Doctor *loco nuper citato*, inquiens, *quodcumque vniuersale posse intelligi descendere in proprium singulare, quàm contrahatur per differentiam ad aliquid inferius, tanquam ad speciem*: non tamen diuisiuè, quia nullum indiuiduum esse potest, quin sit alicuius speciei, vt clarè edisserit idem Doctor 2. *d.* 12. *q.* 2. 2. *Respondeo ante C.* Quapropter libenter admittimus, nos posse præscindere, & intelligere singulare vniuersalioris, priusquam ipsum vniuersalius intelligatur contrahi per suas differētias, ad suas species: inficiamur autem huiusmodi singulare esse à parte rei, absque eo, quod sit alicuius speciei: ac proinde astruimus prædicationem generis de indiuiduis esse mediatam duntaxat. Ad confirmationem idem est dicendum, quod negare nequiuerunt Mastrius, & Belluc us *disp.* 5. *art.* 3. *q.* 1. contrariæ sententiæ patrocinātes, vt patet ex eorū respōsionibus ad rationes in oppositū.

ARTICVLVS VI.

An prædicari in quid distinguat genus à differentia.

51. HOc dubium excitat, & enodat Scot. *q.* 19. *vniuersalium*, quod ibi optimè declarant Sarnanus, Mauritius, Ioannes Anglicus, & ex recentioribus Fuentes *q.* 7. *difficultate* 3. *art.* 3.

52. Not. ex Doctore allegato, prædicari, quod *ex* 9. *art. præcedentis q.* constituit vniuersale logicum, distribui in prædicari in quid, & prædicari in quale tanquàm in duos primos prædicandi modos. Prædicari autem in quid, nihil est aliud, quam prædicari essentiam per modum essentiæ inclusæ in aliquo subiecto, siue in aliquo inferiori, quod generi congruit; prędicari verò in quale quid, est prædicari formā per modum qualificantis, siue alteri adiacentis, quod differentiæ quadrat. Cum autē genus sumatur à parte materiali, ideò prædicat essentiam per modum subsistentis: at differentia, cum accipiatur à parte formali speciei, ob id prædicat essentiam per modum informantis, & qualificantis ipsam speciem. Quoniam verò differentia est pars intrinseca speciei; ideircò prædicatur non in quale absolutè, sed in quale cùm limitatione, hoc est in quale quid.

53. Assertio, rectè distinguitur genus à differentia in eo, quod genus in quid, & differentia in quale quid enunciatur. Ita Scot. *vbi supra*, quam mentur Arist. 4. *Top. cap.* 6. & Porph. hoc in loco. Prob. prædicari in quid est prædicari essentiam per modum subsistentis, vt in præmisso notabili monebam; sed genus prædicat essentiam per modum subsistentis, quia genus sumitur à parte materiali, quæ per se substat, vt suprà obseruabam; idque indicat nomen eius substantiuum: differentia verò prædicat essentiam per modum qualificantis, & alteri adiacentis: ergo probè assignatur præfatum discrimen inter genus, & differentiam. Præterea duo sunt tantum prædicandi modi congruentes speciebus vniuersalis: sed modus prædicandi in quid competit generi. Ergo modus prædicandi in quale quid competit differentiæ, vt distinguitur à genere, cæterisque vniuersalibus.

54. Opp. 1. Arist. 7. *Top. cap.* 2. scribit, genus & differentiam prædicari in quid: ergo secundum Arist. nullum interuenit discrimen inter prædicationem generis, & differentiæ. Resp. Arist. solùm ibi asserere differentiam esse de quidditate speciei, ingredique eius essentiam sicuti genus: differre verò, quia differentia est veluti forma: Ob id consultò in definitione eius à Dialecticis ponitur, ipsam prædicari in quale quid: ac genus est veluti materia; ideoque solùm prædicatur in quid, vt suprà manet explicatum.

55. Opp. 2. illud prædicatur in quid, per quod ad interrogationem factam per quid? aptè respondetur, vt habet Porph. *cap. de genere*: sed ad interrogationem factam per quid de specie, non rectè respondetur per genus: ergo prædicatio in quid non est propria generi, vt à differentia contra distinguitur. Minor ostenditur, cum enim in generis definitione definiatur secunda intentio, si quæratur quid est homo? non bene respondetur, est genus, quia genus non est quid, siue essentia rei primæ intentionis. Et si quæras, quid est species, non congruenter respondetur, est genus. Ergo &c.

Resp. duplicem esse interrogationem de specie sumpta, pro intentione, nempe quid est, & quid prædicatur de specie: si quæratur, quid prædicetur de specie, rectè respondetur, genus. Si autem quæratur, quid est sumpta pro fundamento? sic rectè respondetur, est animal. Fundamentum quippè generis prædicatur in quid prædicatione exercita de fundamento speciei.

56. Opp. 3. prædicatio in quid non distinguit genus à differentia: ergo nullum est discrimen inter vtrumque Ant. prob. superior differentia prædicatur in quid de differentia inferiori, vt sentit Arist. 7. *Met. T.* 43. inquiens, differentiam superiorem prædicari de inferi ri per se. Primo modo, qui esse nequit absque prædi atione in quid. Nego ant. ad eius probationem inquit Scot. totam coordinationem differentiarum reuocari ad coordinationem specierum, veluti series partium, ad seriem totius reducitur, quod alibi à nobis est expendendum.

57. Opp. 4. accidens quoque prædicatur in quid: ergo prædicari in quid non secernit genus à differentia, cæterisque vniuersalibus Ant. prob. ex illo primi *Top. cap.* 7. in omni genere repetitur quid: color enim v. g prædicatur in quid de albedine, & nigredine Resp. accidens bifariàm posse considerari, velut respicit subiectum, in quo inhæret, sicque non prædicatur de eo in quid, non enim accidens prædicatur in quid de substantia, quæ est eius subiectum: velut respicit sua inferiora, quo pacto si est genus, prædicatur in quid de suis speciebus; vt exemplum coloris adductum de albedine, & nigredine aptè ostendit.

QVÆSTIO III.
De Specie.

1. MVLTAS rationes congerit Cardinalis Sarnanus *q.* 11. *vniuersalium*, vt ostendat, post genus immediatè pertractandam esse speciem, licet differentia ipsammet speciem præcedat: nos vnam tantùm adducimus, nimirùm, quia species respicit genus, tanquam suum correlatiuum, affirmantibus Porphyrio in præsenti, & Scoto, tùm *q.* 21. *vniuers.* §. *Dicendum in solutione primi argumenti*, tum etiam *l. d* 23. *q. vn.* § *Contra illud B.* Ea autem ferè omnia, quæ peruestigantur de genere, pari modo de specie inquiri valent, vt notat Doctor, *vbi supra ante* §. *citatum* Ideò multis ex superioribus præsuppositis, quædam solùm peculiaria ipsi speciei adiicienda esse curamus.

ARTICVLVS I.
An species rectè definiatur à Porphyrio.

2. SCotus *q. prædlegata vniu.* duas in specie aduertit habitudines vnam ad genus secundum quam definitur à Porph. in præsenti, species est, *quæ ponitur sub assignato genere:* alteram ad indiuidua, penes quam ab ipsomet authore definitur, species est, *quæ prædicatur de multis differentibus numero in quid.* Ea autem definitio speciei, quę adducitur ibid. à Porph. nẽpe, species est, *de qua genus prædicatur in quid*, coïncidit cùm prima eiusdem definitione, vt indicant Conimb. *q.* 1. *de specie art* 1. & Arriaga *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 35. Estque tantùm eius notificatio, & expositio, vt notat Doctor *vbi suprà ante responsionem quarti arg.* Vnum autem, & idem posse pluribus definitionibus gaudere penes diuersos respectus constat ex Arist. 1. *post. c.* 2. & 5. qui demonstrationi duplicem attribuit definitionem, vnam penes causam finalem, puta, *Demonstratio est syllogismus faciens scire*: alteram penes causam materialem, nempe, *Demonstratio est, quæ procedit ex veris, immediatis, prioribus, notioribus causisque conclusionis.* Iterum 2. *de anima cap.* 2. duas animæ definitiones tradit. 1. *Anima est actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis.* Secunda, *anima est principium, quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Inter autem multiplicem rei definitionem, illa est exactior, & formalior, quæ naturam rei magis explicat. Cæteræ verò dici valent definitiones materiales, & descriptiuæ. Quod aduertens Doctor subiungit priorem definitionem esse propriam speciei, quia datur per primum eius correlatiuum: posteriorem verò dari per posterius correlatiuum, ideò non esse ita exactam, & propriam

3. Assertio prima, rectè definitur species, *quæ ponitur sub assignato genere, siue de qua genus prædicatur.* Hanc cum Porph. defendit Scot. *cit* §. *Dicendum* renuente Arriaga *disp.* 7. *sect.* 2. Prob. quæ distinctè explicat definitum, est recta definitio: sed præallata speciei definitio clarè explicat naturam speciei, vtpotè quæ immediatè sub genere continetur, & de qua ipsum genus prædicatur, vt superius de suo inferiori. Ergo &c. Prætereà in definitione relatiui necessariò ponitur eius correlatiuum, quia relatiuum est ad aliud: sed genus, & species sunt correlatiua, vt suprà ex Porph. monui, & in præhabita speciei definitione locatur genus. Ergò illa speciei definitio est bona, & idonea.

4. Assertio 2. Vna est tantũ definitio speciei subiicibilis, diuersis verbis assignata maioris explicationis gratia. Hanc quoque tuetur Scotus *vbi supra*, cui adhæret Dominicus Sotus, & opponitur Caiet. & Cantero. Prob. 1. subesse generi, & esse id, de quo immediatè prædicatur genus prorsùs identificantur, quandoquidẽ subiectum est, *de quo aliud dicitur*; & prædicatum, *quod de alio dicitur*, vt scripsi *in Epitome:* sed Porph. definiens speciem subiicibilem ait, *species est, quæ subiicitur generi*: & deinde subdit, *species est de qua genus prædicatur.* Ergo vna est tantum definitio speciei subiicibilis diuersis verbis explanata. 2. vna est solum habitudo speciei ad genus. Ergo respectu eius vna est definitio duntaxat. Ant. prob relatio secundùm Scot. specificatur à termino, sed terminus speciei suprà se, vnus est tantùm, nempè genus, sub quo comprehenditur. Ergo &c.

5. Assertio 3. species prædicibilis probè definitur, *quæ prædicatur de multis num. differentibus in quid.* Tenet Scot citatus, inquiens *esse probandam eo modo, quo probata est definitio generis.* Hæc namque definitio constat ex genere, & differentia: ergo est legitima. Ant. patet, siquidem eius genus est *prædicari de multis* in quo conuenit cum reliquis vniuers. lib. *De differentib. numero* supple immediatè, & completè est differentia, per quam à genere distinguitur. *In quid*, per quod distinguitur à tribus vltimis vniuersalibus.

6. Opp. 1. contra 2. Assert. species, quatenùs subest generi, duas sortitur rationes formales diuersas. Ergo non vna, sed duplex est definitio speciei subiicibilis. Consequentia liquet, vnius quippè rationis formalis, vna est definitio, duplicisque rationis formalis duplex extat definitio. Ant prob. ratio vniuersalis est, *esse vnũ in multis* & ratio prædicabilis est *esse vnum de multis:* Esse autem subiectum *in quo* est distincta ratio ab eo, quod est subiectum *de quo.* Nego ant. eiusque probationem; constat enim ex dictis secundùm Scotum rationem vniuersalis Logici esse vnum de multis: rationem vero vniuersalis metaphysici *esse vnum in multis*, vt fuse declaraui, & probaui *art.* 4. *q.* 1 *huius libri.*

7. Oppones secundò, species est per se subiicibilis: ergo per se non est prædicabilis. Ant. est compertum ex prima definitione speciei: consequentia tenet: opposita nequeunt inesse eidem per se. sed subiicibile, & prædicabile sunt opposita, vt præ

alias

alijs notat Mayronius *paſſu* . *&* 4 *vniuerſalium*: ergo ſpeciei per ſe nequeunt competere. Concesso antecedente, nego consequentiam, ad probationem diſtinguo maiorem reſpectu eiuſdem, concedo: reſpectu diuerſorum, nego. Eſt namque ſpecies ſubiicibilis, vt reſpicit genus: eſtque prædicabilis, quatenùs reſpicit indiuidua, de quibus prædicatur.

8. Opp. 3. definitio datur per notiora, quia inuenta eſt ad explicandam rei eſſentiam: ſed genus non eſt notius ſpecie; minus enim nobis innoteſcunt vniuerſaliora, quæ ſunt difficilioris abſtractionis, quam minùs vniuerſalia, quæ ſunt proximiora noſtris ſenſibus. Ergo ſpecies non benè definitur per genus. Conf. genus definitur per ſpeciem: ergo ſpecies non debet definiri per genus: ſecus idem foret notius, & ignotius, foretque circulus in definitionibus, qui maximè à Philoſophis fugiendus eſt. Concedo maiorem: diſtinguo minorem. Genus ſumptum formaliter, concedo: genus captum fundamentaliter nego. Per id patet ad confirmationem; illæ quippe definitiones ſupponunt pro ſuis fundamentis, de quibus videndus eſt Tatar. *c. de ſpecie, ſcibili* 2. præſertim quia correlatiuum ponitur in definitione relatiui tanquam additum, cum ſit ipſi extrinſecum, vt ait Scot. *q.* 18. *prædicamentali* §. *Hoc poteſt concedi*.

9. Opp. 4. bona definitio reciprocatur cùm definito, iuxta leges bonæ definitionis: ſed prælata ſpeciei definitio non reciprocatur cùm definito, ſiue cum ipſamet ſpecie. Siquidem multæ ſunt ſpecies, quæ de vno tantùm indiuiduo prædicantur, vt ſol de vno tantùm ſole numero, & luna de vna tantum numero luna: ergo, definitio ſpeciei prædicabilis non eſt legitima. Conceſſâ maiore neganda eſt minor: ad eius probationē dico, etſi actu illæ ſpecies non habeant plura indiuidua; eis tamen indiuiduorum pluralitas non repugnat, vt de genere reſpectu ſpecierum ſuperiùs dictum eſt, & expreſſe tradit Doctor 1. *poſt. q.* 35 §. *Ad quæſtionem dicitur*. Et § *Ad primam rationem*.

10. Opp 5. definitio adæquatur definito: ſed definitio ſpeciei prædicabilis excedit definitum, hoc eſt ipsā ſpeciem prædicabilem. Nam quædam prædicantur de pluribus numero differentibus, quæ non ſunt ſpecies, vt inſtans de multis inſtantib. punctum de multis punctis, & anima de multis animabus. Ergo, definitio ſpeciei prædicabilis non eſt probe aſſignata. Conceſſâ maiore, nego minorem, ad eius probationem dico, per ſpeciem intelligi naturam perfectam: non autem naturam imperfectam, vti eſt anima, quæ eſt pars ſpeciei, & punctum, quod eſt quantitatis terminus.

11. Opp. 6. Deus prædicatur in quid de tribus diuinis perſonis, valet enim dicere: Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus, & tamen Deus non eſt ſpecies. Ergo, præfata ſpeciei definitio, alijs ab ipſâ ſpecie accōmodatur. Reſp. Deum prædicari de perſonis diuinis, non vt eius indiuiduis numero inter ſe differentibus; cùm enim tantùm ſit vnus Deus, vnaque numero eſſentia diuina, abſque vlla ſui diuiſione, & multiplicatione: Obid Deus non poteſt eſſe ſpecies, vt cum Aug. 7 *de Trin. c* 4. docet Scot. 1 *d.* 8 *quæſt.* 3. §. *Contra, conceptus ille DD.*

12. Opp. . ratio perſonæ prædicatur in quid de diuinis perſonis: iſtæ enim ſunt veræ propoſitiones, *Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus ſanctus eſt perſona*; & tamen non eſt earum ſpecies: ergo definitio ſpeciei non eſt congrua. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ens quippe ſecundum Scotum, vniuocè prędicatur de Deo, & creatura, ſubſtantia, & accidente; quamuis, nec genus, nec ſpecies, nec aliud ſit vniuerſale. ſed ens eſt tranſcendens. Idipſum dicendum eſt de perſona, quæ vniuocè enunciatur de tribus perſonis recenſitis, vt ſcribit Doctor 1. *d.* 21 *q vn* §. *Item arguo*. Et *d.* 16. *q. vn.* §. *Ad* 1. *tertia via ſub V. & ante Y* quem ſequitur Pelbartus *Tom* 1. *Roſarij, verbo perſona* §. 2.

ARTICVLVS II.

An ſpecies ſit vniuerſale per relationem ad indiuidua.

13. DVo Cardinales Thom. de Vio *in cap. de ſpecie*, & Tol. *ibid q.* 1. affirmant ſpeciem, vt ſubiicibilem eſſe prædicabilem, quod eſt dictu, ſpeciem per relationem ad genus, eſſe ſecundum vniuerſale: quamuis hi præfati authores diuerſo innitantur fundamento, vt notat Fuentes *q.* 8. *difficultate* 1. *art.* 2. Caietan. namque putat vniuerſalitatem, & prædicabilitatem promanare à ſubiicibilitate, veluti duæ proprietates profluunt, ab vna eſſentia; adeò vt, ſicut iſta propoſitio eſt vera, *homo eſt riſibilis*, pariter & illa, *ſpecies ſubiicibilis eſt vniuerſalis*. Toletus verò cenſet vniuerſalitatem eſſe eſſentiam, à qua tanquam duæ paſſiones, ſubiicibilitas, & prædicabilitas proficiſcuntur: ita vt ſpecies, quatenùs ſubiicibilis, ſit vniuerſale ſubiicibile: & quatenùs eſt ſpecies prædicabilis, ſit vniuerſale prædicabile. Aduerſam ſententiam tutantur Scotus *q.* 11. *vniuerſ. in ſolutione* 4. *arg* Sarnanus, & alij *ibid.* communiter aſtruētes, ſpeciem eſſe ſecundum vniuerſale, per relationem ad indiuidua, de quibus prædicatur.

14. Notandum eſt, & recognoſcendum ex dictis art. ſuperiore, ſpeciem duo reſpicere, genus, cui immediatè ſubeſt, & indiuidua, de quibus completè enunciatur. Secundum autem illum duplicem reſpectum, hîc inueſtigatur, vtrùm per relationem ad genus, an verò per relationem ad indiuidua, ipſa ſpecies conſtituatur ſecundum vniuerſale.

15. Aſſertio 1. ſpecies vt ſubiicitur generi, non eſt vniuerſale ex eo, quod vniuerſalitas, & prædicabilitas à ſubiicibilitate prodeunt, tanquàm duæ eius paſſiones: nec ex eo, quod prædicabilitas oritur ab vniuerſalitate, veluti paſſio ab eius eſſentia. Hæc aſſertio duas claudit partes: & colligitur ea Scoto *q.* 21. *vniu. in ſolutione argumentorum* Prima pars, quæ militat contra Cai. prob. oppoſitum, ab oppoſito non emanat tanquam eius proprietas, vt longo catalogo oſtendi poteſt de rerum proprietatibus, ſed prædicabilitas opponitur ſubiicibilitati: nam prædicabilitas eſt reſpectus ſuperioris ad inferiora: & ſubiicibilitas eſt reſpectus inferioris ad ſuperius: ergo &c. Secunda pars quæ aduerſatur Toleto, prob. prædicabilitas non eſt paſſio, ſed eſſentia vniuerſalis, vt monſtratum eſt *q* 1. *huius libri art.* 9. Ergo &c.

16. Aſſertio 2. ſpecies non eſt ſecundum vniuerſale per relationē ad genus: ſed per relationem ad indiuidua de quibus perhibetur. Iſta aſſertio quoq; eſt bipartita, & traditur à Scoto *loco nuper allegato*. Prima pars probatur. Cui non competit eſſentia vniuerſalis, non eſt vniuerſale: ſed ſpeciei vt ſubiicitur generi non competit eſſentia vniuerſalis: ergo vt ſic non eſt vniuerſale. Maior patet. Min. prob. Eſſentia vniuerſalis eſt prædicari de multis ex dictis loco præcit. at ſpecies vt ad genus refertur, non prædicatur de multis; prædicari enim, & ſubiici opponuntur, vt ſuperiùs declaraui. Ergo &c. prætereà, & in idem videtur recidere, duo oppoſita formaliter eidem, reſpectu eiuſdem nequeunt conuenire; alioquin de eodem duo contradictoria forent vera, aut falſa: ſed ſi ſpecies, quatenùs generi ſubeſt, foret vniuerſale, duo oppoſita ſimul ipſi formaliter conuenirent, nempe prædicabilitas, & ſubiicibilitas, quas eſſe oppoſitas, in antecedente aſſert. præoſtendi. Ruſsùs ſecundum Scotum, ex terminorum diſtinctione petitur diſtinctio relationum: ſed genus. & indiuidua ſunt diſtincti termini, ad quos ſpecies terminatur: ergo erunt diſtinctæ relationes, per quas genus, & indiuidua: ſed prædicabilitas reſpicit indiuidua, tanquam eius terminum: ergo diſtinguitur à ſubiicibilitate, quæ reſpicit genus tanquam eius terminum, ac proinde ſpecies per eam relationem ad genus, nequaquam eſt vniuerſale. Secunda pars prob. per quod

aliquid definitur, per illud constituitur, quia definitio explicat definitum, eiusque partes, siue principia essentialia: sed per relationem ad indiuidua species definitur: ergo per eam constituitur. Maior est nota: minor quoque elucet ex definitione speciei, quæ est prædicari de multis differentibus numero in quid. Addo, quod genus est vniuersale per habitudinem ad species de quibus prædicatur: ergo pariter species est vniuersale per habitudinem ad indiuidua de quibus effertur.

17. Opp. 1. species vt subftat generi, aut est vniuersale, aut singulare: sed non est singulare, quia inter genus, & singulare mediat ipsa species, nec vt sic contrahitur per differentiam indiuidualem: ergo est vniuersale per relationem ad genus. Maior est nota, quia inter vniuersale, & singulare non datur medium. Conf. species vt generi substernitur, prædicatur de hac, & illa specie subiicibili: ergo species vt respicit genus est vniuersale. Distinguenda est maior sub illa ratione subiicibilitatis, nego: sub ratione prædicabilitatis, concedo: quod alij inquiunt, vt sic esse vniuersale materialiter, & specificatiue, non verò formaliter, & reduplicatiuè. Ad confirmationem dico talē prædicationem non esse essentialem, sed denominatiuam, veluti prædicatio indiuidui, de hoc & illo indiuiduo, quæ à vera ratione vniuersalis excluditur. Velut alij inquiunt talem speciem esse subiicibilem vt quid, & prædicabilem, vt modum.

18. Opp. 2. inferiora subiiciuntur superioribus, eorumque naturam participant: sed quinque vniuersalia sunt inferiora, respectu vniuersalis in communi, eiusque naturam participant, quis est genus respectu illorum quinque, vt probaui q. 1. *huius libri art.* 1 s. ergo sicut illa quinque sunt vniuersalia, quatenus respiciunt suum genus: idipsum affirmandum est de qualibet specie. Concessa maiore, ad minorem dico, etsi illa quinque participent naturam vniuersalis, non tamen per respectum subiicibilitatis, sed per habitudinem prædicabilitatis de suis inferioribus, constitui formaliter in esse vniuersalis.

19. Opp. 3. genus supremum in tali esse constituitur per id, quod supra se non habet aliud genus, non autem per relationem ad inferiora de quibus prædicatur: ergo species immediatè, vt substat generi, est vniuersale. Ant. prob. ex Doctore 1. d. 8 q. 3. *antè* §. *Alij probant*, dicente, non esse de ratione generis summi habere sub se multas species, sed non habere aliud superueniens genus, vt constat de quando. quod licet sit genus generalissimum, nihilominus nullas, aut paucas sub se species sortitur. Resp. genus supremum bifariam considerari, vno modo vt est supremum, & sic perhibetur ex eo, quod suprà se non habet aliud genus non haber. Altero modo, vt est genus, & ita formaliter genus est per relationem & habitudinem ad species, de quibus prædicatur.

ARTICVLVS III.

An species sit adæquatum correlatiuum generis.

20. TRes leguntur opiniones diuersæ Dialecticorum in præsenti art. quarum vna est Louaniensium hîc affirmantium speciem esse immediatum, & adæquatum correlatiuum generis. Altera est aliorum, quos præfati Authores referunt, suspicantium primum, & totale generis correlatiuum esse quid commune præscindens à specie & indiuiduo, quod ab eis appellatur subiicibile in quid incompletè. Tertia est ferè communis Dialecticis antiquis, & modernis, docentibus quidem speciem esse immediatum generis correlatiuum: totale verò, & adæquatum eius correlatiuum esse speciem vna cum indiuiduis.

21. Notandum est, & recolendum ex dictis in Epitome *l.* 3 *quæst.* 4 *art.* 8. relationem esse respectum ad aliud: quod respicit aliud, dicitur relatiuum: & illud ad quod fertur relatio, vocatur eius terminus. Quod si ex parte ipsius termini quoque oriatur relatio, quæ illud aliud respectet, appellatur correlatiuum; quod potest esse duplex, immediatum, quod euenit, cum inter relatiuum, eiusque correlatiuum nihil interponitur, exemplum affertur de actu, qui est immediatum correlatiuum potentiæ: potentia quippe, eiusque actus immediate, & proximè se inuicem respiciunt; adæquatum, & totale, quod ita terminat relationem, vt ad aliud nequaquam feratur, vt filius est correlatiuum adæquatum patris.

22. Assertio prima, species est immediatum generis correlatiuum. Elicitur ex Doctore *quæst.* 17. *vniuersalium*. §. *Ad quæstionem*, vbi ait, genus immediatè de specie: de indiuiduis verò mediatè, prædicari. Et *quæst.* 21. §. *Dicendum* subiungit, speciem esse correlatiuum generis, ipsumque genus necessario collocari in eius definitione, quæ habetur his verbis, *species est, qua ponitur sub assignato genere.* Prob. 1. in recta linea prædicamentali, inter genus, & speciem nihil mediat, quod relationem generis valeat terminare, vt patet in arbore Porphyriana: ergo immediatum generis correlatiuum est species, vt liquido constat ex præposito notabili. Secundo, quod includitur in definitione alicuius, est ei immediatum, quis vel est de eius essentia, vel est ei additum: sed species includitur in generis definitione tanquam eius additum, vt liquet ex eius particulis: ergo est eius correlatiuum immediatum. Accedit Arist. qui *6. Top. cap.* 2. scribit relatiuum necessario definiri per suum terminum immediatum: sed genus est relatiuum, eius autem terminus est species, quam immediatè respicit: ergo &c.

23. Assertio secunda, non subiicibile est commune speciei, & indiuiduo, sed species, & indiuidua sunt totale, & adæquatum generis correlatiuum. Deducitur ex Doct. *vbi suprà*. Prima pars prob. non datur vllum prædicabile commune speciei, & indiuiduo, secus forent sex vniuersalia, cuius oppositum statuimus *q.* 1. *huius libri, art.* 10. ergo nec subiicibile commune: consequentia tenet quia sublato vno relatiuo, tollitur & aliud. Præterea, relatiuum generis est species infima, vt colligitur ex 1. *Top. cap.* 1 5. & claret ex definitione speciei: ergo si admitteretur huiusmodi subiicibile commune, species, & indiuidua conuenirent in illo subiicibili, sicque forent vnum per se e dens conflatum ex subiicibili, & prædicabili, quod est absurdum. Secunda pars prob 1. genus nedum terminatur ad speciem, verumetiam ad indiuidua, & præter hæc ad nihil aliud se extendit. ergo eius adæquatum correlatiuum sunt species, & indiuidua, consequentia liquet ex præmisso notabili. Ant. est in promptu, quia generi subiiciuntur species, & indiuidua, de quibus ipsum genus prædicatur. Secundò species, & indiuidua participant naturam generis, homo enim est animal, & Petrus vtrumque est animal. Ergo genus formaliter sumptum terminatur adæquatè ad speciem & indiuidua: ac proinde terminus generis totalis, & adæquatus non est sola species: sed species, & indiuidua simul.

24. Opponens, Porphyrius attulit generis definitionem includentem speciem duntaxat. Ergo indiuiduum non spectat ad terminum generis adæquatum, & totalem, alioquin perperam prætermisisset indiuiduum, quod in eius totali termino includeretur. Resp. satis fuisse Porphyrio meminisse speciei, quæ proximè & immediatè generi subiicitur, ex quo subintelligi poterat indiuiduum, quod sub genere remotè, & sub specie proximè continetur.

ARTICVLVS IV.

An species deposcat multa singularia possibilia.

25. FAcili negotio ab hac difficultate nos expedimus, qui cum Scoto *2. dist. 3 quæst. 6.* negantes principium indiuiduationis esse materiam, astruimus omnem naturam specificam tam corpoream, quàm incorpoream creatam esse numero multiplicabilem, vt latè prosequimur *Tractatu de Angelis, disp. 1. quæst 6.* contra Thomistas à Recentioribus citatos, opinantes species spirituales esse immultiplicabiles, nominatim vnam speciem Angelicam vno contentam indiuiduo duntaxat; ita vt plura indiuidua haud vllo modo habere valeat. Dato autem, quod hæc Thomistarum opinio sit vera, in dubium vocatur, vtrùm illa sit vera species, quæ vnum tantùm habet, aut habere potest indiuiduum. Quā in re partem affirmantem tuentur Caiet. *1. p. quæst. 3. art. 9.* Et alij pauci. Pro negante verò stant omnes Scoticæ doctrinæ alumni, *vbi suprà, & 2. dist. 3. quæst. 7.* Estque iam communis sententia inter Recentiores, adeò vt nonnulli eorum arbitrentur oppositam esse à scholis ablegandam.

26. Not. Caietanum præcitatum ad suam opinionem defendendam, hoc præmittere fundamentum, nempe dupliciter aliquid posse habere rationem speciei ex parte rei, & intellectus: & ex parte intellectus duntaxat. Ex parte rei, & intellectus euenit, cùm natura communis ab indiuiduis, intellectus opera abstrahitur, ad ea comparatur, deque iis prædicatur. Ex parte verò intellectus accidit, cùm intellectus concipit naturam ab indiuiduis præscindentem, tametsi ea natura ità in vno sit indiuiduo, vt nullo modo alia indiuidua sortiri queat: omnes autem admittunt quidem rationem speciei primo modo acceptam, cui propria definitio speciei competit: renuunt verò rationem speciei secundo modo sumptam, quam nonnulli cùm Caietano excogitant, quamue, vt commentitiam, & chymericam cæteri Dialectici iure optimo refellunt.

27. Assertio, supposito quod vnum foret tantùm possibile indiuiduum alicuius speciei, ita vt ei repugnet indiuiduorum multitudo, non foret vera species. Deducitur ex Scoto *locis præcitatis*: & Prob. 1. definitio speciei à Porphyrio tradita non competit speciei Caietanicæ: ergo illa non est propriè species. Ant. Prob. 1. species est *vnum aptum prædicari de multis numero differentibus in quid:* Ergo repugnante indiuiduorum multitudine, non est vera species: ac proinde ei definitio propria speciei non adaptatur. Quod si respondeas, speciei angelicæ à parte rei repugnare indiuiduorum pluralitatem, non tamen ex parte intellectus, modique eius concipiendi: intellectus quippe potest concipere naturam Angelicam vt indifferentem, & indeterminatam ad plures differentias indiuiduales; sicque aptè ipsi præfata speciei definitio accômodatur. Contra, arguitur ex Scoto *in secundo nuper cit. A.* Si natura Angelica à parte rei, & ex se est singularis, & implurificabilis, intelligi nequit sub ratione speciei, & vniuersalis, quia species, & quodcumque vniuersale est plurificabile, vt liquet ex eius definitione, secùs intellectus falleretur, intelligens eam naturam aliter, quàm sit à parte rei. Præterea, natura diuina, quæ ex se plurificari non potest, cùm sit de se singularis, non potest intelligi sub ratione speciei, aut alterius vniuersalis. Repugnat namque ratio intelligendi ipsam sub ratione speciei, quia repugnat ipsi indiuidualis multitudo. Denique aut natura Angelica habet aptitudinem prædicandi de multis differentibus numero in quid, aut non. Si primum, est vera species. Si secundum, nullo modo est species. Fingere autem aliam speciem ab ea, quam Porph. & alij Dialectici tradiderunt, est prorsùs vanum, & chymericum. Secundo, vniuersale, est vnum aptum prædicari de multis, *ex 1. perih. 5. & 1. post. 8.* Ergo species, cui repugnat prædicari de multis numero differentibus, non est vniuersale. Sed species Caietanica est huiusmodi, vt patet ex præmisso notabili. Ergo non est vniuersale. Præterea, natura cui repugnat communicabilitas, non est communis, nec vniuersalis, vt constat ex prima *q. huius libri.* Sed speciei à Caietano confictæ repugnat communicabilitas, vt ex eius dictis apertè constat: ergo immeritò eam in scholas inuehere conatur dictus Caiet.

28. Opponès primò, Angeli collocantur in prædicamento substantiæ, & immediatè sub genere subalterno substantiæ incorporeæ: ergo Angelorum sunt species prædicabiles, quarum vnaquæque vnicum duntaxat sortitur indiuiduum propter carentiam materiæ. Concesso ant. negatur côsequentia, quoad illam partem, in qua asseritur vnius speciei vnicum esse, & posse esse indiuiduum propter carentiam materiæ, illud enim principium tanquam falsum, & in Met. & in Tract. de Angelis ostendimus.

29. Opponès secundò, concipi potest V. G. natura Michaëlis singularitate spoliata, vt indifferens ad multa indiuidua: sed natura sic concepta, & abstracta non est singularis: ergo est vniuersalis: atque adeò vniuersalitas secundùm rationem adaptari potest speciei, quæ plura indiuidua habere nequit. Resp. data hypothesi, quod natura Michaëlis sic concipiatur, falso conciperetur, quoniam sic ei indifferentia, & indeterminatio repugnat, cum sit singularis, cui repugnat vniuersalitas. Quare proprietates conuenientes, & non repugnantes ipsi naturæ, sunt attribuendæ.

30. Opponès tertiò, vniuersalitas formalis est relatio rationis, vt patet ex superioribus, cuius terminus satis est, si fuerit aliquid rationis: ergo ad speciem formaliter sumptam sufficiunt plura indiuidua ab intellectu excogitata, quamvis sint impossibilia. Conf. per Arist. in opere de Cælo, corpora cælestia esse quædam vniuersalia, licet sint impurificabilia, propterea quod idem Philosophus censet quodlibet eorum coalescere ex tota materia nedum actuali, verum etiam potentiali, & possibili in sua specie, vt patet 1. *Cæli cap. 8.* Resp. vniuersalitatem formaliter esse relationem quidem rationis, non tamen fictam, & chymericam, sed habentem fundamentum in re, est enim secunda intentio, quæ in primis fundatur, secundùm commune Dialecticorum placitum. Ideò species exigit plura indiuidua, si non actualia, saltem possibilia. Ad confirmationem dico, ea secundùm Arist. esse impurificabilia non quidem ab intrinseco, sed ab extrinseco, hoc est, quia non datur alia materia, quę talem formā recipere valeat per ipsum Philosophum præcitatum. Nos autem astruimus multitudinem indiuiduorum ab intrinseco speciei non repugnare.

QVÆSTIO IV.

De Indiuiduo.

1. SVb specie immediatè substernitur indiuiduum, de quo ipsa species immediatè, & complętè prædicatur in quid, tanquàm de parte eius subiectiua: ideò post sermonem de specie, verba facimus de indiuiduo; præsertim quia indiuiduum extat speciei correlatiuum, & correlatiua simul cognosci, tradit Aristoteles *lib. prædicamentorum cap. de ad aliquid.*

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit indiuiduum.

2. DVplex refertur indiuiduum à Porphyrio *c. de specie*: siue potiùs dupliciter capitur indiuiduum, primò intentionaliter, quod habet esse à parte rei, & describitur ab eodem Authore, *cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem reperitur*, vt patet in his duobus subsequentibus versibus.

Forma, figura, locus, cum nomine sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.

Indiuiduum secundò intentionaliter, quod habet esse ab intellectu definitur id, *quod de vno solo prædicatur.* describitur pariter ab eodem Porph. *id, quod sub specie continetur*: & explicatur eo fere pacto, quo definitio illa speciei, quæ est *id, quod sub genere immediatè continetur.* Prætereà, aliud est indiuiduum substantiæ quod vt liquet ex Arist. in anteprædicamentis *cap. 2. nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto*: & hoc quoque appellatur *suppositum, hypostasis, & persona*, si fuerit naturæ intellectualis, vt notat Pelbartus, *Tom. 1. sui Rosarij, verbo persona* §. 3. post Vermlunium 1. d. 23. & Mavronium ibid. Vnde Scotus 1. d. 13. q. vn. § *Ad q* ex Rich. 4. *de Trin. c. 22.* definit personam, *naturæ intellectualis incommunicabilem existentiam.* Aliud verò est indiuiduum accidentis, quod secundùm eumdem Philosophum, est in subiecto, de nullo verò subiecto, dicitur, vt hic color, hæc albedo. Rursùs secatur indiuiduum, in vagum, determinatum, & ex suppositione, de quibus *in Epitome art. 8. l. 1. q. 1.*

3. Assertio 1. prior indiuidui definitio non est incongrua. Ita cùm Porphyrio præcitato sentiunt omnes Dialectici. Prob. 1. accidentia nos manuducunt ad cognoscendam substantiam, iuxta illud Philosophi 1. *de anima c. 1.* Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendam substantiam: sed proprietates indiuidui prærecensitæ sunt accidentia, ergo per illas proprietates benè assignatur indiuidui definitio. Min. ostenditur, formam quippè temperiem qualitatum, figuram membrorum, dispositionem, & reliqua, quæ in allatis carminibus leguntur, constat esse accidentia. Secundò pro hoc statu, substantia non est à nobis per se cognoscibilis: sed tantùm per eius accidentia sensibilia, & materialia, vt tradit Doctor 2. *d. 3. q. 6.* ergò rectè per proprietates, & extrinsecas entitates describitur indiuiduum substantiale.

4. Assertio secunda, posterior indiuidui definitio vtique non est illegitima. Hanc quoque recipiunt cuncti Philosophi, & prob. Per eam definitionem innotescit, & declaratur natura indiuidui quæ est impartibilis in plures partes subiectiuas, vt aduertit Doctor *quol. 19.* §. *De tertio anic l.* Itemque in ea quoquodo assignatur ratio generis, quæ est, *prædicari*, & ratio differentiæ, quæ est *enunciari de vno duntaxat.* Ergo &c.

5. Opp. 1. singulatium non est definitio, nec demonstratio *ex 7. Met. c. 15* Sed indiuiduum est singulare. Idem enim prorsus significant apud Philosophos, indiuiduum & singulare. Ergo perperàm definiunt indiuiduum. Resp maiorem capiendam esse de propria, & quidditatiua definitione; non autem de descriptiua, vti est definitio indiuidui, annuente Scoto 2. *d. 3 q. 6* § *Ad arg. sub O.*

6. Opp. 2. indiuiduum de nullo prædicatur, vt habetur *in antepradicamentis c. 2.* ergo malè asseritur, indiuiduum esse illud, quod de vno solo perhibetur. Resp. per distinctionē antecedentis prædicatione essentiali & quidditatiua, concedo: prædicatione identica, & accidētali, negō: vt intelligendos est locus Arist. prællegatus.

7. Opp. 3. quædam indiuidua distribuuntur in partes, ex quibus componuntur, vt hæc arbor in multos ramos: ergò indiuiduum non est indiuisibile, & impartibile. Resp. indiuiduum dici indiuisibile in partes subiectiuas, quæ sunt idem adæquate cum ipsomet indiuiduo; non autem in partes integrales, & entitatiuas vt probat argumentum.

8. Opp 4. quædam indiuidua sunt simillima, vt duo oua, duo radij solares, & consimilia: ergo prima indiuidui definitio non est idonea, vtpote quæ omni indiuiduo non competit. Resp. dictam definitionem potissimùm indiuiduo speciei humanæ congruere, & postmodùm indiuiduo cuiusvis speciei animatæ, & quoquomodo indiuiduo cuiuscumque alterius speciei, vt indicat Scot. 2. *d. 3. q. 1.* §. *Contra istud arguitur.* C. inquiens illa indiuidua posse discerni, saltem penes diuersitatem loci, vel situs.

ARTICVLVS II.

An sit aliqua ratio communis indiuiduis.

9. NVllam esse rationem communem indiuiduis tenent Albertus, Sotus, Caiet. & Louanienses *c. de specie* quibus sese opponunt Scot. 1. *d. 3. q. vn. in fine, & d. 26. q. vn.* §. *Ad primum tertia via T.* Lychet ibid. Fuentes *q. 8. difficultate 3.* & alij plerique Recentiores, docentes indiuiduis esse rationem communem.

10. Not. ex Scoto loco præcit. & clarius 2. *d. 3. q. 6* duo contineri in indiuiduo, ex quibus ipsum indiuiduum componitur nempè naturam specificam, & hæcceitatem, seu differentiam indiuidualem, per quam constituitur in esse indiuidui, vt in hoc homine est humanitas, per quam est homo, & est hæcceitas, per quam est hic homo. Dubitatur autem in præsenti, an sicut ab hoc, & illo homine v. g. abstrahitur humanitas, quæ est eis communis, pariter ab eisdem præscindatur hæcceitas, siue ratio indiuidualis, quæ sit eis communis? Aliquid autem potest esse commune multis vel vt quid, vel vt modus, siue vt aliquid proprium, vt aduertit Doctor *d. [illegible] primi q. vn. in fine,* & explicant Mastrius, & Belluttus *[illegible] quæst secunda artic. 4.*

11. Assertio, datur vna ratio indiuidualis communis indiuiduis. Ita Scot. tùm locis citatis, tum etiam *q. 15. vniuersalium.* Prob. 1. quæ eadem gaudent definitione, participant eamdem rationem communem sed indiuidua eadem potiuntur definitione: Ergo sortiuntur eamdem rationem communem, Ma patet, quia in definitione est ratio communis, in qua conueniunt aliqua, & ratio differentialis, per quam ab aliis differunt Minor est nota ex notabili, in quo in eamdem rationem [illegible] Secundò, quandò cumque [illegible] constituuntur aliqua, tunc potest abstrahi aliquod commune reale, vtique potest abstrahi commune aliquid à constitutis per illa: sed indiuidua constituuntur per differentias indiuiduales, vt ostēdeint in Met. & ab eorum constitutiuis principiis, seu hæcceitatibus abstrahitur hæcceitas in communi quæ prædicatur de hac & illa hæcceitate; Petreitas enim est hæcceitas, Pauleitas est hæcceitas, & sic de cæteris ergo, conceditur ratio indiuidualis communis [illegible] bus indiuiduis. Tertiò quod formaliter prædicatur [illegible] multis, est commune multis, non enim valet esse [illegible] dicatio de multis, nisi aliquod commune participetur à multis, sed indiuiduum prædicatur de multis formaliter: nam Petrus est indiuiduum, Ioannes est indiuiduum, & Andreas est indiuiduum: ergò eis admittenda est ratio communis indiuidualis.

12. Opp. 1. Arist. & Porphyrius præallegati definientes indiuiduum, inquiunt, *Indiuiduum est, quod de multis*

multis non prædicatur: at si multis indiuiduis foret ratio communis indiuidualis, indiuiduum de multis prædicaretur, vt enim per naturam communem multis, fit prædicatio de multis, puta *Petrus est homo*: *Paulus est homo*: pariter per rationem indiuidualem multis indiuiduis communem, fieret prædicatio de multis indiuiduis, vt *Franciscus est indiuiduum*, *Antonius est indiuiduum*. Resp. Authores præcitatos intelligendos esse sic, videlicet indiuiduum de multis non prædicatur quidditatiue, non autem denominatiuè, & vt aliquid quasi proprium, vt deducitur ex Scoto *in primo nuper allegato*.

13. Opp. 2. ab vltimis distinctiuis, & constitutiuis aliquorum, non potest abstrahi aliquid eis commune: sed differentiæ indiuiduales sunt principia primò distinctiua, & constitutiua: ergo ab eis præscindi nequit conceptus communis. Maior est Scoti 1. *d* 26. *q. vn.* § *Quantum ad tert am viam*. G. Et ratio est, quia si esset aliquid eis commune, illo communi non distinguerentur primò, sed aliquo contrahente: sicque non forent primò diuersa, & primò distinctiua. Minor patet, quia sunt vltimæ differentiæ constituentes indiuidua in esse indiuidui. Resp. concedendo quidem ab vltimis distinctiuis, & constitutiuis nihil posse abstrahi commune dictum de eis in quid, quia illa sunt primò diuersa; potest tamen abstrahi alius conceptus à quidditatiuo, vt suprà diximus, & edisserit Scotus præmemoratus, *paulò ante G. in solutione primi*: & probat Fab. *Theor.* 95. *c.* 3.

14. Opp 3. quod est principium differendi, non est principium conueniendi (per idem namque aliquid non potest conuenire, & pariter differre: sed ratio indiuidualis est principium differendi, per eam quippè distinguitur indiuiduum ab omni eo, quod non est indiuiduum. Ergo &c. Conf. Si daretur ratio communis indiuidualis, contraheretur ad hanc, & illam indiuiduationem, quod implicat; ratio enim contrahendi non contrahitur, sicut locus non locatur, nec actio agitur: Ergo &c. Resp. distinguendo maiorem, eodem respectu, concedo: diuerso respectu, nego; vt patet de rationalitate, quæ est ratio differendi hominem à bruto; est tamen ratio conueniendi, quia omnis homo in ea conuenit, quam participat. Pariter ratio indiuidualis est principium, quo indiuiduum ab omni alio, quod non est indiuiduum, differt: est tamen eorum ratio conueniendi, quia omnia indiuidua rationem indiuidualem participant. Ad conf. negatur sequela, non enim indiuidualis ratio contrahitur; sed est principium contrahendi: siquidem non differentia indiuidualis; sed natura communis per differentiam indiuidualem contrahitur, & determinatur.

ARTICVLVS III.

De prædicatione Indiuidui.

15. Recognoscenda sunt, quæ dixi in Epitome *l.* 1. *q.* 2. *art.* 2. de prædicatione in communi, eiusque partitionibus. Nec prætermittenda sunt, quæ ibid. *art.* 8. attuli de indiuiduo, ac eiusdem diuisione. Solum hic cum Lych. 1. *d.* 2. *q.* 3. §. *Ad illa*, obseruo, singulare, seu indiuiduum tripliciter posse accipi, vno modo pro secunda intentione, quæ est prædicabilitas de vno solo. Altero modo, pro fundamento huiusce secundæ intentionis, v.g. pro Petro. Tertiò pro differentia indiuiduali determinante, & contrahente naturam ad esse singulare. Primo modo indiuiduum potest in se concipi, & per conceptionem est obiectum conceptum: pariter concipi potest sub modo vniuersali, vt cùm dicitur, singulare est vniuersale: siquidem prædicari de vno solo est commune ad hoc, & ad illud, vt patet ex art. antecedente. Itaque obiectum conceptum, est singulare, modus verò concipiendi est vniuersale, quia sub modo vniuersali concipitur.

16. Assertio 1. indiuiduum determinatum prædicatur formaliter de hoc, & illo indiuiduo. Colligitur ex Doctore 1. *d.* 2. *q.* 3. §. *Ad illa* C. prob quod est commune multis, prædicatur formaliter de illis multis, vt patet de homine, qui de singulis naturæ humanæ indiuiduis formaliter prædicatur: sed indiuiduum ab intellectu conceptum, vt indifferens ad hoc, & illud indiuiduum est commune multis: ergo indiuiduum formaliter prædicatur de illis multis. Accedit Scotus *q.* 1 2. *Vniuersalium, in solutione* 3. *argumenti* inquiens, indiuiduum esse speciem intentionis: sed species prædicatur formaliter de his, quorum est species: ergo &c. Eò magis, sicut illa est formalis propositio, *animal est genus*: sic ista est formalis propositio, *Petrus est indiuiduum*.

17. Assertio 2. indiuiduum vagum formaliter prædicatur de indiuiduis determinatis. Deducitur ex Scoto *q.* 12. *prædicamentali*, Prob. 1 ex Arist. qui *c. de substantia*, afferens diuisionem substantiæ in primam, & secundam, exemplum præbet de prima substantia, vt *aliquis homo*, *& aliquis equus*: ergo sicut indiuiduum determinatum prædicatur formaliter, pariter indiuiduum vagum, quia vtrumque est indiuiduum, tametsi indiuiduum vagum rem singularem indeterminatè, & obscurè significet, vt notat Doctor *vbi suprà*. Secundò ratio formalis indiuidui est communis, tam vago, quam determinato; quodlibet namque rem singularem, & indiuiduam præfert, quamuis vnum determinatè, alterum verò indeterminatè talem rem singularem designet: ergo eadem est prædicatio vtriusque. Quapropter hæc est prædicatio formalis, *Petrus est aliquis homo*: *& Bucephalus est aliquis equus*. Vide Scotum prærecensitum, & Fuentem *q.* 8. *difficultate* 4. *art.* 4.

18. Opp. 1. quod formaliter de multis prædicatur, est vniuersale: ergo si indiuiduum de multis prædicetur, sequitur ipsum esse vniuersale, ac proinde plura, quam quinque statuentur vniuersalia, contra Porphyrium, & nostram assertionem positam *art.* 10. *q.* 1. *huius libri*. Resp. obiectum conceptum esse singulare, modum verò concipiendi esse vniuersalem, vt planum feci in præposito notabili. Siquidem singulare sub modo vniuersali concipitur: ideoque indiuiduum non constituit aliud vniuersale ab eis quinque à Porphyrio traditis. Itaque ad formam argumenti distinguo maiorem, si sit obiectum commune, concedo: si sit obiectum singulare, nego.

19. Opp. 2. Scotus *quæst.* 12. *vniuersalium in solutione tertij*, scribit indiuiduum esse speciem secundæ intentionis: Et *in* 1. *præcitato*, admittit hanc propositionem, *singulare est vniuersale*: Ergo per Scotum indiuiduum facit aliam speciem vniuersalis ab illis quinque communiter acceptis distinctum. Resp. quidem Scotum concedere indiuiduum esse speciem secundæ intentionis, non autem speciem vniuersalis, quod in quinque vulgatas species distribuitur: ob id illa propositio, *indiuiduum est vniuersale* non est quidditatiua, & essentialis; sed modalis, & denominatiua, vt benè aduertit Cardinalis Sarnanus *eo in loco*. Ad aliud *ex* 1. *sententiarum*, patet responsio ex dictis, indiuiduum quippe est vniuersale non ex se, sed ex modo concipiendi, quatenus concipitur, vt indifferens ad hoc, & illud indiuiduum, vt satis fuit superiùs declaratum.

Instabis, vniuersale est secunda intentio: ergo si singulare est species 2. intentionis, vt tradit Doctor: vtique est species vniuersalis. Concesso antecedente, neganda est consequentia. Ratio est, quia licet indiuiduum habeat modum vniuersalis, non tamen habet quidditatem vniuersalis, vt non semel supra dictum est,

QVÆSTIO.

QVÆSTIO V.

De Differentia.

1. Sicvt substantiuum præcedit adiectiuum, & materia formam, ita prædicari in quid præit prædicari in quale. Ob id post vniuersalia, quæ prædicantur in quid, aggredimur vniuersalia, quæ prædicantur in quale, & in primis differentiam, quæ prædicatur in quale quid, seu in quale essentiale, quod præcedit prædicari in quale accidentale, quod reliquis competit vniuersalibus.

ARTICVLV I.

Quid sit differentia.

2. Differentiam, & distinctionem indiscriminatim accipi, passim habetur apud Philosophos: extare autem inter illa aliquod discrimen, peruium esse videtur: licet in eo assignando discrimine vna non sit omnium mens. Siquidem Hurtadus *disp.6. sect.1.* putat positum esse discrimen in eo, quod distinctio pluralitatem, & differentia inæqualitatem designat. Arriaga verò *disp.8. sect.1. subsectione etiam 1.* opinatur discrimen consistere in dissimilitudine, siue sit æqualitas, siue non. Alij vt Mauritius Hybernus, *in Epitome formalitatum*, in alietate extremorum. Pro huius dilucidatione.

3. Not. ex Gadio *Quol.* 4. hæc adinuicem sic se habere, vt vnum alio magis pateat, siue vt minus commune, & magis commune, videlicet, *diuisum, distinctum, diuersum, & non idem*: omne namque diuisum est distinctum, sed non econtra, diuisio quippè cum insequatur materiam, & quantitatem, reperitur tantùm in materialibus; diuisibilitas enim est proprietas quantitatis, vt patebit *in sequenti lib. q. de quantitate.* Distinctio verò inuenitur tam in materialibus, quàm in spiritualibus. Diuersa verò sunt, quæ in nullo quidditatiue, & essentialiter conueniunt, vt videtur velle Scot. *1. d. 3. q. 3. §. Ad q.* quem sequuntur Formalistæ *Tract. formalitatum.* Rursus, omne distinctum, & omne diuersum est non idem, non tamen econtra. Etenim distinctio, & diuersitas, cum sint relationes positiuæ, præsupponunt extrema positiua, quæ sunt fundamentum, & terminus. Hinc ait Arist. 7. *phys. T. 31.* non idemtitatem communiorem esse distinctione, ac proinde inter habitum, & priuationem: affirmationem, & negationem propriè non est distinctio, sed non idemtitas, vel si qua est distinctio, nuncupatur distinctio negatiua. His addi potest differens, quod fusiùs videtur, quàm diuisum, & diuersum: Angustius verò, quàm distinctum, & non idem. Omne enim differens est distinctum; non tamen videtur omne distinctum esse differens: personæ quippè diuinæ dicuntur potiùs distinctæ adinuicem, quàm differentes. Quamobrem hæc sic à nobis ordinantur, *non idemtitas, distinctio, differentia, diuisio, diuersitas.* Priora sunt latiora, & communiora: posterióra verò angustiora, & minus communia.

4. Assertio 1. discrimen inter distinctionem, & differentiam non est situm in eo, quod distinctio pluralitatem præseferat, & differentia inæqualitatem superaddat. Hæc assertio aduersatur Hurtado præcitato, quam præsupponunt Scotus eiusque alumni. Prob. 1. inter diuinas personas interuenit distinctio, & differentia, non tamen inæqualitas, vt ostendimus *Tract. de Trin. disp. 5. q. 6.* Ergo præfatum discrimen non est probè traditum. Secundò si duæ animæ rationales forent æquales, inter eas esset distinctio, & differentia, qua differrent per suas hæcceitates: non autem inæqualitas, ex supposito, quod essent æquales. Ergo gratis Hurtad. affert prædictum discrimen inter distinctionem & differentiam.

5. Assertio 2. discrimen distinctionis, & differentiæ non consistit in dissimilitudine. Hæc opponitur Arriagæ prænominato, quam etiam supponunt Scotistæ omnes. Prob. per Arriagam. Personæ diuinæ verè inter se differunt, & distinguuntur, & tamen nullam sortiuntur dissimilitudinem, cùm habeant eandem essentiam, perfectiones, & attributa. Ergo ratio discriminis inter differentiam, & distinctionem à dissimilitudine non petitur. Ant. patet Hebr. 1. *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Et Coloss. 1. *Imago Dei inuisibilis.* Et latè ostendimus *in dicto Tract. de Trin. disp. 7. q. 2.* Deinde duo indiuidua alicuius speciei differunt, & distinguuntur ab inuicem penes differentias indiuiduales, & sunt similia penes naturam specificam. Præterea, similitudo, & dissimilitudo fundantur in qualitate, distinctio verò, & differentia in substantia, quantitate, & cæteris entibus: ergo non in dissimilitudine collocatur discrimen distinctionis, & differentiæ.

6. Assertio 3. distinctio, & differentia dissident in eo, quod latiùs patet distinctio, quàm differentia. Sequitur ex dictis in notabili, & ex aliorum refutatione, nec ad eius declarationem, & probationem aliquid addendum esse videtur præter ea, quæ iam dicta fuere.

7. Assertio 4. distinctio est ratio, & principium distinguendi: differentia verò est ratio, & principium differendi extrema. Hanc indicant Porph. in præsenti, inquiens, *differentia est, qua differunt à se singula.* Et Scotus præcitatus. Ad 1. & 4. Prob. 1. relatio vniuersè sumpta est respectus, siue principium referendi: sed distinctio, & differentia sunt relationes, vt scribit Gadius allegatus in notabili: ergo distinctio est principium distinguendi. 2. idemtitas est vnitas extremorum: ergo ab opposito, distinctio est alietas extremorum, siue ratio per quam extrema inter se distinguuntur. Hinc S. Athanasius in Symbolo, distinctionem diuinarum personarum significans, nomine *alius* vtitur, sic, *Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti:* & idemtitatem naturæ diuinæ denotans, nomine *vnius* vtitur. *Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas.*

8. Assertio 5. differentia vt est tertium vniuersale aptè describitur, *Quod prædicatur de pluribus in quale quid.* Ita Scotus *q. 17. vniuersalium. §. Dicendum ad q.* Prob. 1. præfata definitio constat ex genere, & differentia: Ergo est apta definitio. Ant. patet, prædicari gerit vicem generis, in quo cum cæteris vniuersalibus conuenit. *In quale quid* tenet locum differentiæ, ratione vnius à reliquis vniuersalibus dissidet. Secundò ea definitio complectitur differentiam genericam, & specificam, siue subalternam, & infimam, beneque explicat naturam differentiæ logicæ, nihilque superflui, & diminuti continet: ergo est recta definitio.

9. Opp. 1. Porphyrius in præsenti definit differentiam, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.* Ergo mala est definitio differentiæ à Scoto tradita, & à nobis recepta. Concesso ant. nego consequentiam. In hoc enim Porphyrium mancum, & diminutum fuisse notant Hurtadus & Arriaga *cit. subsect. 5.* tenebatur quippè is assignare definitionem differentiæ genericæ, & specificæ differentiis communem; aut sub ea ab ipso allata complecti differentiam specificam. Nec vlli id mirum esse debet, si enim ipse Porph. volens à veritate fidei declinauit, pariter nolens nonnunquam à veritate Philosophiæ defecit. Vel dicato sicut dixi *in Epitome, art. de differentia.*

10. Opp. 2. definitio congrua conflatur ex genere, &

& differentia, vt non ſemel iu ſuperioribus inculcaui: ſed differentia non conſtat ex genere, & differentia. Id enim ſoli ſpeciei competit. Etſi differentia conſtaret ex genere, & differentia, cum non ſit potior ratio de vna, quàm de alia, non euitaretur proceſſus in infinitum. Conceſſa maiore, diſtinguo Min. vt eſt ſpecies vniuerſalis, nego: diximus enim ſuprà *q. 1. huius libri art. 11.* vniuerſale eſſe genus, cuius vna ex illis ſpeciebus eſt differentia. Vt verò eſt tertium vniuerſale, concedo. Differentia namque, perhibente Scoto *in q. Ad 4.* vno modo ſumitur, quatenus eſt nomen 2. intentionis applicabilis ei quod eſt principium differentiæ, vt eſt relatio realis, ſic loquimur hic, & eſt tertium vniuerſale. Altero modo ſignificat relationem rationis, cuius ſpecies ſunt differentia ſpecie, & differentia numero, à quibus dicitur denominatiuè differens ſpecie, & differens numero.

11. Opp. 2. idem nequit definiri ſub modis oppoſitis: ſed allata differentiæ definitio datur per modos oppoſitos, nempe in quid, & in quale, quid enim ſubſiſtens, & quale inhærens ſignificant, notante Doctore *q. 19. vniuerſalium verſ. Nota.* Diſtinguo Maiorem, eodem reſpectu, concedo: diuerſo reſpectu, nego. Quoad rem differentia prædicatur in quid, quia eſt de eſſentia eorum, de quibus prædicatur: Quoad modum prædicatur in quale, quia ſignificatur per modum alteri adiacentis, & informantis.

12. Opp. 4. quædam ſunt differentiæ, quæ non prædicantur in quale quid: ergo inepta eſt differentiæ definitio. Ant. oſtenditur, irrationale non prædicatur de equo, leone, & aliis ſpeciebus in quale quid, quia eſt genus reſpectu eorum; genus autem non in quale quid, ſed abſolutè in quid enunciatur de ſuis ſpeciebus. Neganda eſt maior, ad eius probationem dico irrationale eſſe differentiam genericam, quæ conſtituit brutum, cuius extant multæ ſpecies. Ideo nego irrationale eſſe genus reſpectu eorum: ſed affirmo eſſe differentiam intermediam, veluti eſt ſenſitiuum reſpectu hominis.

ARTICVLVS II.

Per quamnam relationem differentia conſtituatur tertium vniuerſale.

13. ISta difficultas videtur eſſe ſoluta ex iis, quæ diximus, *in q. de ſpecie art. 2.* Illi enim Authores, qui ibi aſtruunt ſpeciem eſſe vniuerſale, quatenùs reſpicit genus, idem planè hîc de differentia affirmare tenentur. Nos autem, qui eo in loco cenſuimus ſpeciem eſſe vniuerſale per relationem ad ſua inferiora, de quibus prædicatur: idipſum quoque de differentia in hoc art. ſentire debemus.

14. Not. 1. quaſdam res eſſe perfectas, quaſdam verò imperfectas: dixi aliquas res eſſe perfectas, ſupple tu, ſecundum exigentiam ſuæ naturæ: nam abſolutè, ſolus Deus eſt perfectus, ſunt autem naturæ perfectæ in ſuo genere, quæ ad vlteriorem perfectionem non tendunt, vt naturæ ſpecificæ, athomæ, ſeu ſpecialiſſimæ. Naturæ vero imperfectæ ſunt, quæ ad vlteriorem perfectionem feruntur, veluti naturæ genericæ, comprehendentes differentias, quæ ſunt partes conſtitutiuæ & perfectiuæ naturarum ſpecificarum. Hanc doctrinam clarè docet Scot. *4. d. 49. q. 14. § Ad 1. rationem principalem. M.*

15. Not. 2. differentiam tria reſpicere, genus, ſpeciem, & ſua inferiora. Penes genus differentia vocatur diuidens, continens & perficiens, quo pacto Ariſt. *5. Met. T. 16.* inquit, differentiā eſſe quamdam diuerſitatem generis: & Porph. hîc ſcribit, differentiam eſſe id, quod aptum eſt diuidere ea, quæ ſunt ſub genere. Idque naſcitur ex eo, quod differentia refertur ad genus, vt totum potentiale, & determinabile per ſuas differentias, veluti materia determinatur, & contrahitur per ſuas formas, vt fusè explicui *q. de Genere art. 3.* Penes verò ſpeciem differentia dicitur id, quo ſpecies abundat à genere, ſiue quo ſpecies ſuperat genus. Itemque differentia eſt id, quo ſpecies diſſidet ab alio. Reſpectu autem ſuorum inferiorum, definita eſt in ſuperiori art. ſcilicet, *quod prædicatur de pluribus in quale quid.*

16. Aſſertio, per relationem ad inferiora, de quibus prædicatur, differentia conſtituitur tertium vniuerſale. Hanc defendit Doctor *q. 19. vniuerſalium*, quem maior pars Recentiorum ſequitur. Prob. 1. ratio vniuerſalis, quæ eſt prædicari de multis competit differentiæ, quatenùs præſefert habitudinem ad inferiora, de quibus prædicatur: ergo ſecundùm relationem ad inferiora differentia ſtatuitur tertium vniuerſale. Ant. eſt apertum per definitionem vniuerſalis 1. *perih. c. 5.* conſequentia eſt euidens *ex antecedente art. 3.* vniuerſale actu, & formaliter gignitur per actum intellectus cōparatiuum *ex p. q. huius l. art. 8.* ſed actus comparatiuus inuoluit relationem ad inferiora, de quibus ipſum vniuerſale formaliter perhibetur: ergo differentia, cui adaptatur ratio vniuerſalis, formaliter decernitur tertium vniuerſale per relationem ad ea, de quibus enunciatur. Inſuper vniuerſale plura reſpicit, vt indicat eius definitio: ſed differentia per relationem ad genus, vel ad ſpeciem, vnum tantùm proſpicit: ergo per huiuſmodi relationem nequaquam eſt tertium vniuerſale. Quæ autem huic aſſertioni aduerſantur, diluuntur ex dictis loco citato in principio huius art. ſolùm quippè mutatis verbis ſpeciei in differentiam, eædem prorſus ſunt oppoſitiones hîc, & ibi, & eædem reſponſiones.

ARTICVLVS III.

An differentia ſuperior includatur in inferiori, deque illa prædicetur.

17. STatus huius articuli eſt, vtrum v. g. *rationale*, quod eſt differentia hominis vltima, includat *ſenſibile*, quod eſt differentia ſuperior, & ſic de reliquis: ſitque vera prædicatio differentiæ ſuperioris de inferiori, vt perſiſtendo in eodem exemplo, an hæc ſit vera, *rationale eſt ſenſibile.* De qua re extant duæ præcipuæ ſententiæ, quarum prior eſt Canteri in expoſitione capitis *de differentia*, Iauduni 2. *Met. q. 12.* Soncinatis 7. *Met. q. 37.* & aliorum affirmantium ſuperiorem differētiam includi in inferiori; illamque de hac formaliter prædicari. Poſterior eſt communis, quam tuentur Scot. *1. poſt. q. 24. §. Ad q. dicitur.* Et 4. *d. 11. q. 3. §. Ad rationes ergo &c.* Et 7. *Met. q. 8.* Antonius Andreas *ibid. q. 15.* Orbellus *c. 6.* Ioannes Anglicus *q. 13. vniuerſalium*, & alij, negantes ſuperiorem differentiam formaliter in inferiori contineri, nec illam de hac eſſentialiter prædicari.

18. Not. 1. ex Doctore *cit. q. 24. primi poſt.* & Maiore *c. De differentia notabili 4.* differentiam deſumi à forma, non quidem à forma, quæ eſt altera pars compoſiti phyſici, ſed à forma, quæ eſt formale ſignificatum, ſiue formalis gradus perfectionis rei. Superior autem, & inferior differentia, nempè ſenſibile, & rationale poſſunt bifariàm inſpectari. Primo quatenus rationale accipitur ab vltimo gradu perfectionis hominis, & ſenſibile ab altero gradu, quo pacto ſenſibile non includitur in rationali, quia ſunt gradus formaliter ab inuicem diſtincti. Secundò quatenùs rationale deſumitur à tota perfectione hominis, quæ perficit ſubſtantiam, quæ eſt genus generaliſſimum, ſicque rationale includit ſenſibile omneſque eius ſuperiores differentias, quia in tota illa perfectione includitur pars. Ad maiorem autem huius euidentiam.

19. Not. 2. differentiam inferiorem, aut superiorem formaliter comprehendi in specie, quam constituit, siue ea species sit subalterna, siue infima, vt viuens in animato, sensibile in animali, & rationale in homine. Ratio est, quia totum includit partes, ex quibus conflatur: ergo species, quæ est quoddam totum ea genere. & differentia, continet eam differentiam, quæ est eius pars constitutiua. Rursùs, aduerte species intermedias esse genera, respectu suorum inferiorum, vt viuens respectu arboris & animalis. Cum autem in specie genus,& differentia continentur, vt partes, ea quibus componitur, infertur apertè, in quouis includitur formaliter genus subalternum, pariter comprehendi differentiam subalternam, & econtra. Dennò obserua, differentiam inferiorem formaliter non includere genus, ac proinde nec continere differentiam ipsius generis, per quam efficitur species subalterna, vt rationale formaliter non includit animal, nec etiam sensibile, quod est differentia ipsius animalis constitutiua. Ratio est,quia genus, & differentia sunt distinctæ realitates, ex quibus totum metaphysicum componitur, vt scribit Doctor 7. *Met. q.* 19. & 1. *d.* 8. *q.* 3. & 2. *d.* 3. *q* 6.

20. Assertio 1. differentia posterior non continet formaliter priores differentias. Hanc communiter tenent Scot. prærecensitus & ferè cæteri Philosophi, quam suadent 1. ea Arist. 4. *Top. c.* 2. *loco* 18. & *loco* 23. & *l.* 6. *eiusdem operis cap.* 3. & 3. *Met. cap.* 10. Secundò si differentia inferior includeret formaliter superiorem, in definitione eius foret nugatio, quæ ab omnibus, & in omnibus est fugienda: ergo inferior differentia formaliter non comprehendit superiorem. Ant. ostenditur, omnis definitio *ex* 1. *post. c.* 8. Et 7. *Met. c.* 14. efficitur ex genere, 1. & differentiis intermediis, vsque ad infimam: aut ex genere proximo, & differentia vltima. Si primo modo fiat definitio, cernitur aperta nugatio: siquidem differentiæ superiores locantur in definitione, atque differentia inferior continet omnes illas differentias intermedias. Ergo fit bina repetitio huiusmodi differentiarum, semel in se, & semel in vltima differentia. Si secundo modo fiat definitio, vtique apparet nugatio; etenim genus proximum includit suam differentiam constitutiuam, & vltima differentia pariter eam continet: ergo bis inutiliter repetitur, vt animal includit sensibile. Itemque rationale includit sensibile: sicque bis ponitur sensibile in definitione animalis, euidensque contigit nugatio.

21 Dices, non committi nugationem, quia bis explicitè non ponitur sensibile, sed semel implicitè, & semel explicitè Contra arguitur ex Aristotele 6 *Top.* 1. qui docet perquirere nugationem, ponens definitionem nominis pro nomine. Ponatur ergo definitio illorum nominum pro istis nominibus, & habebitur certa, & indubitata nugatio. Præterea, si rationale includit sensibile, cùm non includat adæquatè, & conuertibiliter, consequenter includit ipsum & aliquid vltra: ergo rationale erit compositum ex sensibili, & illo alio, sicque erit species, & non differentia, quod est falsum. Ampliùs, distincti gradus formaliter, non se formaliter includunt, vt ea se patet: sed differentia inferior, & superior sunt distincti gradus formaliter, vt indicaui *in* 1. *not.* & clarè ostendam *in Met.* ergo differentia superior non includitur formaliter in inferiori. Denique abiretur in infinitum in differentiis: nam qua ratione v. g. rationale includit formaliter sensibile, pari ratione irrationale includit formaliter sensibile: ergo conueniunt in communi rationale sensibilis: different autem ab inuicem, vt patet ea Arist. 5. *Met. T.* 16. differentiæ sunt quæcumque sunt alicui entia: propriis ergo differentiis different, & inquirendum est, an illæ differentiæ includant superiorem differentiam, & sic deinceps in infinitum: vel standum est ad differentiam vltimam, quæ alias differentias præcedentes nequaquam includit, & habetur intentum.

22. Assertio 2. differentia superior non prædicatur de differentia inferiori formaliter, & essentialiter: sed solum identicè, & materialiter Hæc posterior assertio sequitur ex priori, quam indicat Doctor 5. *Ad probationem dicitur, q.* 14. *primi post.* 1. pars prob. superior differentia nec est tota essentia, nec pars essentiæ differentiæ inferioris, quia hæc illam formaliter non includit, vt manet probatum in 1. assertione: ergo prior differentia formaliter, & essentialiter de posteriori non enunciatur. Secunda pars ostenditur, differentia vltima est idem realiter cum præcedentibus, vt vniuersè de gradibus, siue prædicatis inferioribus cùm superioribus in Met. monstrabitur: ergo identicè, & materialiter tantùm superior de inferiori perhibetur. Idque de genere respectu suarum differentiarum asserimus *q.* 2. *art.* 5. *assertione* 1.

23. Opp. 1. Arist. 7. *Met. T.* 43. videtur velle differentiam superiorem prædicari in abstracto de differentia inferiori, & in primo modo dicendi per se, ait enim: fixio pedis est quædam pedalitas: sed prædicatio in abstracto, & in 1. modo dicendi per se est quidditatiua, & essentialis: ergo &c Conf. Arist. *ibid.* subdit differentiam vltimam esse totam substantiam rei, nequit autem esse tota rei substantia, nisi intermedias differentias comprehendat, quæ quoque ad rei substantiam pertinent. Conf. 2. eodem loco Philosophus scribit in substantia non esse ordinem; foret autem ordo, si superior differentia secundum ipsum in vltima differentia non caperetur. Respondet Scot. *4 præcit ante DD.* locum Philosophi non esse interpretandum de prædicatione, sed de diuisione; putat en m *ib.* Arist. differentiam superiorem diuidi in inferiores dicens, in definitionibus comprehendentibus differentias intermedias vsque ad vltimam, accipiendæ sunt differentiæ per se, & non per accidens, vt si fiat diuisio habentis pedes, non est dicendum, habentis pedes aliud est alatum, aliud non alatum: sed aliud habens fixos pedes, & aliud non habens fixos pedes, quæ sunt differentiæ pedum per se. Ideò subnicit, fixio pedis est quædam pedalitas, id est, fixio pedis per se particulat pedalitatem, ob id per se diuidit habens pedes. Ad 1. conf. dico cum eodem Doctore, illud intelligi non totaliter, sed complectiuè. Præsuppositis namque generibus, & differentiis intermediis, vltima differentia est eorum omnium finalis terminus, & complementum. Quemadmodum enim in Physica, à forma vltima cōpletiuè est tota essentia habentis, vt ab anima rationali esse hominis, pariter ab vltima differentia completiuè habetur totum metaphysicum, vel logicum. Ad 2. conf. dico etiam cum Scoto, id non esse ad rem, prius quippè Arist. tradiderat, quod si eueniat nugatio per additionem differentiæ præcedentis ad subsequentem, ita è contra fiet nugatio: non enim est ordo talis in substantiis, idest in his quæ spectant ad rationem alicuius substantialem, siue definitiuam, quòd alius, & alius ordo faciat, vt auferat nugationem.

24. Opp. 2. rationale est vltima differentia, quæ includit rationem corpoream, quæ est differentia superior constitutiua substantiæ corporeæ: ergo non est inficiandum, superiorem differentiam formaliter in inferiori includi. Ant. prob. rationale aut est substantia corporea, aut incorporea, non secundum vt patet: ergo primum: sed nequit esse substantia corporea absque ratione corporea, quæ est differentia constitutiua substantiæ corporeæ, & diuisiua substantiæ genericæ prædicamentalis. Ergo rationale formaliter includit differentiam corporeitatis, quæ est differentia superior ipsa rationalitate. Conf. rationale formaliter includit sensibile: ergo vltima differentia formaliter includit superiores differentias. Ant. prob. rationale pro hoc statu est quædam sensatio, & operatio vitalis, egreditur enim à principio vitæ interno. Resp. negando ant. ad eius probationem dico rationale non esse formaliter substan-

tiam corpoream, ſed identicè duntaxat, quatenùs identificatur cum animali, quod includit omnes differentias ſuperiores, eo modo, quo indicaui in primo notabili. Ad conf. nego ant. ad eius probationem, dico eam eſſe veram præſuppoſitiuè: præcontinetur namque ſenſibile ad rationale, non tamen rationale eſt formaliter ſenſibile.

25. Inſtabis, viſio exempli gratiâ, eſt formaliter ſenſatio: ergo, & ratiocinatio eſt formaliter ſenſatio proueniens ab animali rationali habente principium intrinſecum ſentiendi: eſtque actio vitalis emanans à principio vitæ interno: Atqueadeò ſicut viſio concipi nequit, quin ſit actio vitalis, & animalis, ita nec ratiocinatio, rugitio, & quæuis alia operatio animalis, cuiuſcumque ſit. Poteſt dici, iuxtà præadductam diſtinctionem, viſionem eſſe ſenſationem non formaliter, ſed præſuppoſitiuè, quia particulare præſupponit commune, & principium ſentiendi eſt commune ſenſibus externis, & internis: ideò viſus non eſt principium formaliter ſentiendi, ſed videndi, eo quod principium ſentiendi determinatur ad principium videndi, veluti principium viuendi, & ſentiendi, ad principium ratiocinandi.

26. Oppones tertiò, definitio illa cenſetur bona ab Ariſt. 2. *poſt. T.* 18. *& 7. Met. T.* 43. quæ fit ex genere ſupremo, & differentia infima: idque approbat Boëtius *l. diuiſionum*: at non foret recta definitio, niſi inferior ſuperiores differentias contineat, quia ſecundum ipſum Ariſt. 2 *poſt. cit.* definitio explanare debet omnia prædicata quidditatiua, eaque includere. Ergo &c. Conceſſa Maiore, nego Min. quia non vltima differentia, ſed genus proximum comprehendit præcedentes differentias, vt animal continet ſenſitiuum, viuens corporeum, & reliqua ſuperiora prædicata eſſentialia.

27. Oppones quartò, propoſitio per ſe primi modi exigit, vt formale ſubiecti includat formale prædicati, & pari ratione materiale vnius contineat materiale alterius: ſed iſta eſt propoſitio per ſe primi modi, *homo eſt animal*: ergo rationale, quod eſt formale hominis, per ſe includit ſenſibile, quod eſt formale animalis, ac proindè rationale, quod eſt vltima differentia comprehendit ſenſibile, quod eſt ſuperior differentia. Reſp. maiorem non eſſe abſolutè veram. Id enim accidit, cum totus conceptus prædicati in conceptu ſubiecti capitur, vt *homo eſt rationalis*. Cæterùm fieri poteſt, vt propoſitio ſit per ſe primi modi, quamuis formale ſubiecti includat materiale prædicati, vt *homo eſt animal*: vbi *animal* eſt materiale, & continetur in conceptu hominis, & idem includit formale in hoc prædicato *animal*, vt tradit Doctor *in fine quæſtionis allegata primi poſt.*

QVÆSTIO VI.

De Proprio.

1. PERSOLVTIS vniuerſalibus, quæ rei eſſentiam præſeferunt, libet nunc inueſtigare illa, quæ ſunt extra rei eſſentiam, ab eaque proficiſcuntur, veluti eſt proprium, quod quartum ſcit vniuerſale, de quo in præſenti: de accidente verò, quod eſt poſtremum vniuerſale, in ſubſequenti quæſt. diſſeremus.

ARTICVLVS I.

An Proprium ſit vniuerſale.

2. SCotus *quæſt.* 50. *vniuerſalium* Ioannes Anglicus; Mauritius Braſauola *ibid.* & Conimb. *c. de ſpecie art.* 3. hoc quæſitum examinant, & ſanciunt proprium eſſe vniuerſale.

3. Not. primò, proprium quandoque vſurpari pro eo, cuius dominium alicui competit, vt aduertit Maior, *c. de proprio*: & nos in Epitome *art. 6. quæſt. 3. l. primi* Quandoque verò pro eo, quod aliquis præſtare ſolet benè, aut malè: ſic proprium eſt Ciceroni benè dicere, & proprium eſt Alexandro glorioſè bellum gerere, vt notat Tatar. *hoc loco, ſcibili* 2. Præterea obſerua proprium, veluti quodlibet aliud vniuerſale bifariam accipi, vno modo primò intentionaliter, hoc eſt pro proprietate ab eſſentia rei profluente, quæ apud Philoſophos paſſim dicitur paſſio, ſic *riſibilitas* eſt proprium, ſeu proprietas hominis: Et de proprio ſic ſumpto, *in Met.* ſermo inſtituetur. Altero modo ſecundò intentionaliter, ideſt pro ſecunda intentione applicabili ipſi proprietati, quæ immediatè ab eſſentia egreditur, quæue eſt prædicabilis in quale conuertibiliter: Et de proprio ſic capto agimus in præſenti, quod definitur ab Ariſt. 1. Top. c. 4. *Prædicatum conuertibile non prædicans eſſentiam.* Et recipitur à Doctore *quæſt.* 31. *in corpore*, in quo Porphyrium à Philoſopho non diſſentire aduertit idem Doctor ibi, quidquid dicant Maſtrius, & Bellutus *diſputatione* 5. *quæſt.* 4. *art.* 1.

4. Not. ſecundò, ex Maiore præcit. quædam eſſe propria, quæ à ſpecie promanant ratione materiæ: quædam verò, quæ à ſpecie prodeunt ratione ſpecificæ formæ. Exempla priorum ſunt eſſe ſimum, aquilinum, habentes carnes nitidas, rectamque figuram. Hæc autem non ſunt verè propria, cum ſaltem diuina virtute tolli queant ab eis, quibus competunt; referuntur quippè inter accidentia communia: ideoque non repugnat ipſorum principiis intrinſecis eſſe abſque illis, vt quoque aduertit Sarn. *in expoſitione quæſt. allegata* propè initium. Poſteriorum exempla ſunt eſſe riſibile, eſſe vribile, & alia huiuſmodi, quæ ſunt verè propria inſeparabilia ab eis, quibus adaptantur, vt obſeruat Doctor *quæſt.* 33. *&* 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 5. & alibi. Modus autem ridendi, & flendi ſic explicatur. Rationalitas eſt cauſa riſibilitatis, & flebilitatis hominis. Ex eo autem quod homo eſt rationalis, & eſt admiratiuus de viſis, & auditis, atque per admirationem ſuſpenditur animus eius, nititurque cauſam habere perſpectam, indagine verò præſtita, ſi commodum ſibi apprehendat, ſequitur delectatio: cum autem delectatione afficitur, eriguntur ſpecies, & calor ad faciem; vnde proueniunt cordis dilatatio, oris apertio, & riſus. Quod ſi apprehendat ſibi incommodum, exoritur triſtitia, per quam trahuntur calor, & ſpecies ad cor, comprimiturque cerebrum, vnde effluit humidum lachrymabile, & habetur fletus. Præterea notat Tatar. iuxtà duplicem differentiam genericam, & ſpecificam, duplex aſſignari proprium; genericum, quod reciprocatur cum genere, & ſpecificum, quod conuertitur cum ſpecie: idque approbat Mauritius *quæſt.* 29. *vniuerſalium*, §. *De tertio, columna ſecunda in initio*, quem ſequuntur noſtri Neoterici nuper allegati. Ariſt. autem, & Porphyrius de proprio tantùm ſpecifico loqui videntur, à quibus non declinans Scotus *quæſt.* 17. §. *Ad quæſtionem dicendum in ſolutione ſecundi* ſubdit; *Proprium nullius eſt, inquantum eſt genus, ſed inquantum eſt ſpecies, & ita conuertitur cum eo, inquantum prædicatur de pluribus numero differentibus.* Ratio aſſumpti eſt, quia proprium ſolùm eſt alicuius; in-

quantùm est aptum natum esse subiectum demonstrationis, & hoc solùm est, inquantum est species, quia solùm inquantùm est species, definitur, cum de subiecto oporteat præsupponere quid est, & quia est ex Arist. 1. *post.* 1. Inquantum autem definitur, habet genus, & differentiam, & ita est species. Licet *ex* 5. *Top.* 5. penitus non sit negandum proprium genericum, vt præstant Authores prænominati.

5. Assertio prima, proprium est vniuersale. Ita Scot. *quæst.* 20. prob. primò ex Arist. 1. *Top. cap.* 3. affirmante proprium esse prædicatum, quod est vniuersale; cui consentiunt Porph. & omnes eius interpretes. Secundò, cui competit ratio vniuersalis est vniuersale, per locum à definitione: sed proprio competit ratio vniuersalis, quæ est prædicari de pluribus, ex dictis alibi: proprium quippè prædicatur de pluribus in quale accidentale conuertibiliter, vt risibile de homine: omnis enim homo est risibilis, & omne risibile est homo. Igitur proprium est vniuersale. Præterea *ex* 1. *post. cap.* 4. demonstratio est vniuersalium: sed fieri potest demonstratio de eo, cuius est proprium, vt *omne rationale est sensibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis*: ac proinde proprium est vniuersale.

6. Assertio secunda, proprium quarto modo duntaxat efficit quartum vniuersale. Deducitur ex Scoto *quæst.* 32. §. *Ad q. in solutione quarti. Et quæst.* 33. §. *Ad quæstionem dicendum*, affirmante, proprium prædicabile egredi à principiis essentialibus subiecti: sed tantùm proprium quarto modo à principiis subiecti essentialibus egreditur. Ergo huiusmodi proprium tantum constituit quartum vniuersale. Prob. assertio ex Arist. 1. *Top. cap.* 4. proprium est, quod non indicat quid est, esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur. Idemque tenet Porph. *c. vlt. sua Isagogis*. Rursùs, solùm proprium quarto modo captum non absque repugnantia, & destructione subiecti potest à subiecto separari, reliqua verò propria tribus modis sumpta esse valent, absque subiecti corruptione. Potest enim esse homo absque bipedalitate, medicinæ peritia, & canitie: ergo &c.

Iterùm proprium quarto modo demonstratur de subiecto, cuius est proprium, vt patet per demonstrationem allatam in prima assertione. Denique proprium emanat ab essentia subiecti, quod non habent reliqua propria, vt ex se constat.

7. Assertio tertia, non penes speciem, à qua emanat, sed penes inferiora, de quibus prædicatur, proprium est vniuersale. Hanc insinuat Doctor *quæst.* 10. §. *Ad q. in solutione primi*. Prob. iisdem rationibus, quibus *quæst.* 3. *art* 2. & *quæst.* 5. *art.* 1. ostendimus, speciem, & differentiam esse vniuersalia per relationem ad inferiora, de quibus perhibentur. Hinc rectè subinferunt nonnulli, proprium esse quidem prædicatum conuertibile, vt respicit speciem, cum qua reciprocatur, non tamen sub illa ratione conuertibilitatis esse vniuersale, quandoquidem vniuersale est prædicabile de suis inferioribus: proprium verò vt vniuersale cum inferioribus haud conuertitur. Est enim vniuersale prius inferiori prioritate à qua non conuertitur subsistendi consequentia, vt patet *ex postprad. c. de priori.* Licet autem Doctor, & alij passim vocent proprium accidens conuertibile, distinguunt tamen ipsum ab accidente communi per hoc, quod necessariò, & intransmutabiliter prædicatur, non autem quod reciprocè enuncietur, vt perspicuè indicat Doctor *vbi suprà*.

8. Oppones primò, contra 1. assert. oppositum non prædicatur de opposito: sed proprium, & commune sunt opposita, & commune est vniuersale: ergò proprium non est vniuersale. Concessa ma. neganda est minor: oppositio quippè debet esse de eodem respectu eiusdem: dicitur autem proprium respectu speciei, commune verò, & vniuersale, quatenùs respicit indiuidua sub specie comprehensa, vt luculenter edisserit Scotus 1. *post quæst.* 33. *in fine*.

9. Oppones secundò, vniuersale refertur ad aliud, cùm sit formaliter relatiuum, & omne vniuersale, cum sit prædicabile respicit subiicibile, de quo prædicatur: sed proprium non refertur ad aliud: ergo proprium non est vniuersale. Minor suadetur, tùm quia proprium non refertur ad illud cuius est proprium; nullum quippè accidens refertur ad suum subiectum, secus omne accidens foret relatiuum, quod est falsum: tum etiam quia subiectum, cuius est proprium naturaliter, præcedit ipsum proprium; sicque non erunt simul natura, quod pugnat Arist. *c. de Ad aliquid*, affirmanti, relatiua esse simul natura. Concessa ma. negatur minor. Ad primam partem probationis dico, id valere de proprio primò intentionaliter, non autem de proprio secundò intentionaliter capto. Ad 2. partem probationis distinguo, si proprij subiectum absolutè consideretur, concedo: quod si inspectetur, quatenùs habet proprium, nego, sic enim semper inest proprium subiecto, ex cuius principiis intrinsecis egreditur, vt egregiè docet Doctor *quæst.* 33. §. *Ad q. dicendum*.

10. Oppones tertiò, vniuersale formaliter est ens rationis, *ex* 1. *q. huius libri, art.* 7. sed proprium est, nemine cogitante; nullo quippè existente intellectu, hinnibilitas competit equo, & rugibilitas leoni: ergo proprium non est vniuersale. Concessa ma. distinguenda est min. de proprio primò intentionaliter, concedo: de proprio secundò intentionaliter accepto, nego, vt patet ex 1. notabili.

11. Oppones quartò, contra 2. assert. Porphyrius hic, & non alibi meminit trium modorum proprij: ergo tres modi proprij spectant ad quartum, quod est vniuersale. Conf. primò, tres illi modi proprij referuntur ad subiectum peculiari relatione, quod non competit accidenti communi, quod respicit subiectum sine relatione communi: ergo &c. Conf. secundò, potentia philosophandi, & capacitas, siue aptitudo medendi est passio hominis: omnis quippè homo est intellectiuus, & rationalis, & per consequens capax disciplinæ: ergo cum esse medicum v. g. sit vnus ex illis tribus modis proprij infertur ad quartum prædicabile pertinere. Resp. Porphyrium eorum meminisse, non quia sint vera propria, verùm quoniam affinitatem habent cum vero proprio: Quod ne prætermittat *capitibus de genere, & differentia*, in quibus acceptiones generis, & differentiæ adduxit, & explicauit, præsertim quia ex eorum explicatione apertiùs nobis proprium innotescit. Et idem patet ad 1. conf. Ad 2. conf. distinguo ant. si fiat sermo de potentia, & aptitudine habita ex principiis essentialibus speciei, quâ pollet homo, concedo potentiam philosophandi, & capacitatem medendi esse proprium homini quarto modo: Quod si loquamur de aptitudine & inclinatione particulari orta ex principiis indiuidualibus & ex diuersa temperie, quâ vnus homo, & non alter homo potitur, siue ad arma, siue ad scientiam acquirendam, nego. Quare huiusmodi inclinationes, & peculiares indiuiduorum propensiones non sunt propria, sed accidentia communia de secunda specie qualitatis, vt videtur sentire Doctor. 2. *dist.* 16. *q. vn.* §. *Ad primum argumentum sub q. Ad finem.* Tatar. *c. de accid. dub.* 3.

ARTICVLVS II.

An Proprium sit distinctum vniuersale ab Accidente.

12. Communis fert Philosophorum opinio, proprium esse vniuersale distinctum ab accidente. Vt autem discrimē, quod extat inter vtrumque prænominatum

nominatum vniuerſale nobis innoteſcat, hanc quam monet Scot *q.32. vniuerſalium* difficultatem, placet examinare; pro cuius captu.

13. Not. 1. cum eodē Doct. *in q. cit. §. Ad q. dicendum*, accidētia eſſe in duplici differentia: ſiquidem nonnulla promanant ab intrinſeco: quædā verò prodeunt ab extrinſeco. Quæ ab intrinſeco naſcuntur ſunt bipartita: aut enim dimanant ratione formæ ſpecificæ, & ſunt vera propria, quæ ex principiis rei eſſentialibus veluti quidam partus naturales profluunt: aut non ratione formæ ſpecificæ: idque bifariàm potest contingere: aut ratione materiæ, vt quantitas: aut ratione primarū qualitatum actiuarū, & ſunt qualitates ſecundæ, & poſteriores reſpectu primarū, & qualitates ſenſibiles, quia ſenſu percipiuntur, nominantur, puta colores, qui aut proficiſcūtur à calore, vt nigredo, aut à frigore, vt albedo. Quæ verò ab intrinſeco oriuntur, ſunt quoque duplicia, alia permanent ſublato extrinſeco, à quo fiunt, vt nigredo in vultu, vel manu ab æſtu ſolis cauſata. Aut amoto extrinſeco, pariter ipſa amouentur, vt imago vultus in ſpeculo, aut aqua, quæ remoto vultu, euaneſcit.

14. Not. 2. non vnum eſſe diſcrimen inter propriū, & accidens, obſeruat enim Sarnanus *in q. pap. 436.* decem eorum differentias, quarum aliquas ſelegit Fonſ. *5. Met c. 28. q. 19. ſect. 4.* præcipuè autem differunt proprium, & accidens, penes principia à quibus proficiſcuntur. Nam proprium à principiis eſſentialibus ſpecificis; accidens verò à principiis indiuidualibus prodit, vt his verbis tradit Porph *c. de communitatibus*, propria quidem ſpeciebus innaſci, accidentia verò primò ineſſe indiuiduis. Fauent Ariſt. *c. de ſubſtantia*, & Scot. *q. vlt. vniuerſalium.* Accidentia omnia, quæ ad nouem poſteriora prædicamenta pertinent, primò ineſſe primis ſubſtantiis, & de eis primò dici. Præterea, propriū neceſſariò competit ſubiecto, ita vt abſque ipſo proprio exiſtere repugnet: nec cum oppoſito eius intelligi valeat, perhibente Scoto *q. 32. & 1. d. 5. q. 7. ſub l.* Ac verò ſine vlla repugnantia ſubiectum intelligi poteſt abſque accidēte, vt in quæſt. ſequente magis eluceſcet. Rursùs: proprium eſt conuertibile cum ſubiecto, cuius eſt proprium, vt *omnis equus eſt hinnibilis: & omne hinnibile eſt equus*: accidens verò nequaquam: non enim ſequitur, *omnis homo eſt coloratus: ergo omne coloratum eſt homo.* Inſuper, proprium ad demonſtrationem cōducit: ex ſubiecto quippè, eiúſque proprio fit propoſitio per ſe ſecundi modi, vt *homo eſt riſibilis.* Accidens autem ab omni ferè demonſtratione repellitur: quia nullam neceſſariam connexionem ſortitur cum ſubiecto, in quo inhæret.

15. Aſſertio, proprium eſt diſtinctum vniuerſale ab accidente. Hanc defendit Scot. præcitatus cum Porph. *in præſenti capite*, & Ariſt. *1. Top. cap. 5.* Prob. diſtinctus prædicandi modus de multis arguit diſtinctum vniuerſale, quia ex dictis, ratio vniuerſalis eſt prædicari de multis: ſed proprium habet diſtinctum modum prædicandi de multis ab accidente; prædicatur namque de multis neceſſariò in quale, & accidens contingenter. Ergo proprium eſt diſtinctum vniuerſale ab accidente. Prætereà, illa ab inuicem diſtinguuntur, quæ habent diſtinctas definitiones, vt declarant, & probant noſtri Formaliſtæ: ſed proprium, & accidens, habent diſtinctas definitiones, vt videre eſt apud Porph. & Ariſt. prænominatos: & claret ex differentiis adductis, in 2. not. Ergo &c.

16. Opp. 1. quidquid eſt, vel eſt ſubſtantia, vel accidens, quia inter ſubſtantiam, & accidens, non videtur vllum interponi medium: & ex *5. Met. T. 14.* ens diuiditur in ſubſtantiam, & accidens. Sed proprium non eſt ſubſtantia: ergo eſt accidens; ac proinde non conſtituitur vniuerſale ab accidente diſtinctum. Min. oſtenditur, aut proprium eſt eadem ſubſtantia cum ſpecie à qua profluit, aut diuerſa, quia idem, & diuerſum ſunt immediata *ex 10. Met. T. 12.* Non primum, alioquin proprium ingrederetur definitionem ſpeciei, cum definitio exprimat totam eſſentiam definiti. Eò magis, quia proprium ab ipſa ſpecie egreditur. Idem autem nequit eſſe ſimul cauſa & effectus reſpectu eiuſdem. Nec ſecundum, alioquin prædicari nequiret de ſpecie, prædicatur autem de ſpecie, vt *homo eſt riſibilis*: Ergo &c. Conf. 1. exceptis materia, & forma in compoſito non reperitur alia ſubſtantia; ergo proprium, quod eſt in compoſito cùm non ſit materia, nec forma, ſequitur eſſe accidens. Conf. 2. quod prodit à ſubſtantia compoſita eſt accidens: ſed propriū promanat à ſubſtantia compoſita, compoſitione phyſica: ergo eſt accidens. Reſp. poſſe gloſſari maiorem de identitate reali, non verò formali: ſicque reſpondetur ad minorem, videlicet proprium eſſe realiter ſubſtantiam, non verò formaliter: ſiquidem formaliter eſt aliquitas ſubſtantiæ, aut accidentis, vt oſtenditur *in Met.* Vel dicito cum Doctore hic per diſtinctionem, ſi ſumatur accidens pro extraneo, prout idem eſt ac prædicatum non prædicans eſſentiam, conceditur propriū eſſe accidens: at ſi capiatur accidens pro eo, quod ab extrinſeco aduenit ſubiecto, negatur proprium eſſe accidens, per huiuſmodi diſtinctionem reſpondetur ad 1. & 2. conf. quam innuit idem Doctor, *2. d. 37. q. vn. §. propter igitur Q.* Et *Quol. 1. §. De altero D.* & amplectuntur Sitectus *fol. 6. Tract. formalitatum*, Troiub. Bruliſer, & alij *ibid.*

17. Opp. 2. Quod ponitur in definitione alicuius, non diſtinguitur ab eo, in cuius definitione ponitur, quia definitio denotat ea, quæ ſunt rei intrinſeca, & eſſentialia: ſed accidens locatur in definitione proprij; proprium namque cum ſit extra rei ſubſtantiam, eſt accidens: Ergo proprium haud eſt vniuerſale ab accidente diſtinctum. Conf. diuiſum includitur in membris diuidentibus, vt animal, quod diuiditur in rationale, & irrationale, in ipſis includitur: ſed accidens diuiditur in accidens ſeparabile, & inſeparabile. Igitur, proprium non facit diſtinctum vniuerſale ab accidente. Reſp. admiſſa maiore, diſtinguendam eſſe minorem. Accidens ſumptum pro extraneo, concedo: accidens ſumptum pro eo, quod ab extrinſeco aduenieus ſubiectum ipſum accidentaliter perficit, nego.

Vel dic cum Scoto *in quæſt.* accidens intentionale poni quidem in definitione proprij, non verò accidens reale, de quo hîc contenditur. Ad conf. idem eſt dicendum, ea quippè diuiſio accidentis locum habet in accidente reali, non autem in accidente intentionali: ſiue etiam in accidente ſumpto pro prædicato non prædicante eſſentiam, vt exploratum eſt ex ſuperioribus. Hæc à paupere vſuario dicta ſint de proprio, qui verò proprietarius eſt, plura addat, ſi velit.

QVÆSTIO VII.

De Accidente.

1. POSTREMVS locus datur accidenti in Porphyriano vniuerſalium ſyllabo. proptereà quod accidens origine, & dignitate cæteris vniuerſalibus poſtponitur. Idque liquidò conſtat in compoſito phyſico, priùs quippè conflatur compoſitum ex materia & forma, vt homo ex corpore, & anima rationali, ſtatimque ab ipſo profluunt eius paſſiones, quæ dicuntur propria, & poſtmodum ipſi accidentia communia adueniunt. Eò magis, quia propria potiſſimùm à ſpeciebus, & communia accidentia ab indiuiduis egredi ſuprà notaui. Hæc autem illis ordine præferenda eſſe, nemo in dubium vocare debet.

ARTICVLVS I.

An Accidens sit vniuersale.

1. HOc quæsitum ex instituto expendit Scot. *q.* 34. *vniuersalium*, & respondet affirmatiuè cum Porphyrio, & cæteris Philosophis in præsenti cap. Renuentibus plerisque à nostris Recentiorib. citatis *disp.*4.*q.*5.*&* *disp.*5.*q.*5.*art.*1, quibus videtur consentire Suarez *disp.*6.*Met.sect.*4.*n.*4. ab eisdem authoribus allegat.

Not. 1. ex eodem Doctore *præcit.* §. *Ad quæst. dicendum*, accidens multis accipi modis. Aut enim est accidens primò intentionaliter, aut secundò intentionaliter. Accidens primò intentionaliter idem est ac inhærens, vt obseruat Tatar *hoc c.* *scibili* 4. Quodque vel sumitur pro eo, quod contingit in paucioribus, & hoc triplex est, casuale, fortuitum, & ad vtrumlibet, de quibus Philosophus 1.*phys.* *T.*48 Vel pro eo, quod aduenit enti completo; vnde oritur eius denominatio; deriuatur namque accidens ab accido, propterea quod rem completam in suo esse supponit, cui accidit, & distinguitur à substantia, quæ rei non accidit, sed per se subsistit. Sic accidens est commune nouem prædicamentis accidentium, estque alterum membrum diuisionis entis, in substantiam, & accidens, vt patet 5. *Met.* *T.*14. Accidens secundò intentionaliter captum designat secundam intentionem, quæ attribuitur alicui, quod absque repugnantia potest affirmari, aut negari de subiecto. Potest autem vsurpari pro extraneo, de quo sermo instituitur in fallacia accidentis: aut pro eo, quod a solo intellectu efficitur, sic omnia quinque vniuersalia sunt accidentia, aut pro prædicato non essentiali, quod participatur à duobus postremis vniuersalibus. Tam enim proprium, quàm accidens dicuntur prædicata non essentialia: aut pro prædicato nec essentiali, nec necessario, sicque habetur quintum vniuersale Quod non spectatur, quatenus prædicatur de inferioribus, vt color de albedine, & nigredine, sic enim à genere non differt: sed quatenùs respicit subiecta, in quibus inhæret, eaque denominat, vt albedo respectu Cygni, & lactis de quibus accidentaliter prædicatur.

3. Not. 2. ex Ioanne Maiore *c.de accidente*, accidentiũ nonnulla vni tantũ parti subiecti sunt addicta, vt simitas naso, crispitudo capillis: quædam verò partes subiecti indifferenter respiciunt, vt albedo potest inhærere in dente, manu, aliisque partibus corporis. Iterùm, quædam accidentia in parte exteriori resident, vt visio in oculo: quædam verò in parte interiori efficiuntur, & subiectantur, vt recordatio. Rursùs aliqua vniformiter, siue æqualiter in subiecto intenduntur, vt lumen æqualis intensionis in domo: & quædam difformiter, quæ in vna parte magis, quàm in alia intenduntur, vt si lumen maius sit in vna, quàm in altera parte domus.

4. Assertio, accidens est vniuersale. Hanc probat Scot. citatus 1. ex Arist. 1. *Top. c* 4. & Porphyrio *in hoc c.* qui accidens inter vniuersalia collocant. 2. cui conuenit definitio vniuersalis est vniuersale: sed accidenti conuenit definitio vniuersalis: ergo accidens est vniuersale. Maior est conspicua, per locum à definitione ad definitum. Minor est in promptu, definitio vniuersalis est prædicari de multis, vt sæpè aduerti in superioribus, sed accidens prædicatur de multis, vt *coruus est niger*, *Cygnus est album*: ergo ipsi competit definitio vniuersalis. Rursùs, accidens prædicatur de multis in quale contingenter: ergo est vniuersale ab aliis distinctum. Ant. ostenditur ex peculiari ratione vniuscuiusque vniuersalis: proprium quippè prædicatur in quale necessariò, differentia in quale quid; genus & species in quid.

5. Opp. 1. quod est in singulari est singulare, receptũ quippe est in recipiente per modum recipientis: sed accidens est in singulari ex 5. *Met. c de eodem*: ergo accidens, de quo hîc agitur, cum sit illud idem accidens, nõ est vniuersale, sed singulare. Responderi potest ad maiorem, naturam communem, & prædicata quidditatiua esse in singulari, quæ tamen singularia haud sunt, & confirmari potest *ex Arist. c. de substantia* dicente, secundas substantias esse in primis: palam autem est secũdas substantias non esse singularia. Tamen data maiori, respondet Scot. ad min. quod hæc intentio *accidens est in subiecto communi*, vt in albo, vel in aliquo consimili, cui applicatur, sicut species in hoc communi subiecto, *homo*: assertum autem Arist. 5. *Met.* capitur quoque de illo, cui applicatur hæc intentio *accidens*, quia illud primò inest singulari, cum non consequatur principi speciei secundum se.

6. Opp. 2. nullum ens reale est formaliter vniuersale, vt monstrauimus *q.*4. *art* 6. sed accidens est ens reale; comprehenditur enim sub ente, quod ex 5. *Met.* *T.*14. distribuitur in substantiam, & accidens: ergo accidens non est vniuersale. Conf. nulla secunda intentio per se prædicatur de prima intentione, quia non vera natura non prædicatur de vera natura: sed accidens prædicatur per se de prima intẽtione, vt *color est accidẽs* ergo cum accidens sit reale, nequit esse formaliter vniuersale, quod est ens rationis. Concessa. ma. ad min. dico, argumentum valere de accidente reali, non autem de accidente intentionali, de quo extat hic sermo. Ita etiam respondetur ad confirmationem.

7. Opp. 3. nulla species vniuersalis inest propriè in singulari: ideò hæc est falsa, *hoc animal est genus* & illa, *hic homo est species*: sed ista est vera, *hæc albedo est accidens*, cum ipsi definitio accidentis, in proximo art. adducenda accommodetur: ergo accidens non est vniuersale Respond. per concessionem maioris, & distinctionem minoris, si sumatur accidens primò intentionaliter, concedo: si verò accipiatur secundò intentionaliter, nego, vt constat apertè ex primo notabili.

ARTICVLVS II.

Quid sit accidens.

8. TRes adducuntur definitiones accidentis in hoc cap à Porphy. prima est huiusmodi. *Accidens est, quod adest, & abest sine subiecti corruptione.* Secunda, *accidens est, quod contingit eidem inesse & non inesse.* Tertia *accidens est, quod nec est genus, nec species, nec differentia, nec proprium, inest autem subiecto.* Duæ præcedentes definitiones ab inuicem non differunt, nisi verbis, vt rectè aduertunt Sarn. *in expositione quæst.* & Arriaga *disp.*8. *sect.*2. & antè ipsus Maior *Notabili* 3. coinciduntque cum illa definitione accidentis, quam tradit Arist. 1. *Top. c.*4. quem in hac sua Isagoge imitatur Porphyrius. Magnoperè autem Philosophi laborant in examine prioris definitionis, quidam eam tanquam malam increpant, vt Hurtadus *disp.*6. *sect.*6. §. 38. & Arriaga *disp.*8. *sect.*3. *num.*27. Alij vt bonam approbant quidem, discordant verò in eius explicatione. Ex vna parte namque Rubius *q.*3. & Ioannes *de S. Thom* *q.*12. *art.*1. volunt eam esse intelligendam de inhærentia reali in subiecto, & separatione pariter reali. Ex altera verò parte Scotus *quæst.* 35. *vniuers.* eiusque interpretes *ibid.* à quibus non videntur dissentire Thomistæ, docent eam esse intelligendam de intentionali; & intellectuali separatione.

9. Not. 1. ex Doctore citato, has voces *adest, & abest*, quæ locãtur in definitione Porph. & *inesse, & nõ inesse*,

quæ

quæ habentur in definitione Ariſtotelis, bifariàm poſſe accipi, nimirum pro terminis primæ, & ſecundæ intentionis. De eis primo modo ſumptis ſcribit Philoſophus 7. *Met.T.1.* & inde accidentis eſſe, eſt ineſſe: cui conſonat, quod præmiſerat idem Philoſophus 8.*Phyſ. T.62.* inquiens, *impoſſibile eſt, idem ſimul eidem ſubiecto ineſſe, & abeſſe ab eodemmet ſubiecto.* Itaque in hiſce locis Ariſt. loquitur de accidente primo intentionaliter, ſiue de accidente reali. Quod ſi ſecundo modo capiantur, denotant prædicationem accidentalem, & denominatiuam accidentis de ſubiecto, veluti *dici de*, deſignat prædicationem eſſentialem ſuperioris de inferiori in eodem genere. Huius meminit Ariſt. *in Antepredicamētis* adducens illā quadrimembrem diuiſionem *de eſſe in ſubiecto, & dici de ſubiecto*, de qua in ſequenti libro. Capto ergo adeſſe, vel ineſſe pro ſecunda intentione, ſiue logicaliter, idem eſt dicere, *accidens eſt, quod adeſt, & abeſt ſine ſubiecti corruptione, ac accidens eſt prædicatū non eſſentiale neceſſariò ſubiecto non conueniens*, vt exponit Scot. *loco cit. & q.32 verſu, ſi igitur.* Vel clariùs, *Accidens eſt, quod affirmatur, & negatur de ſubiecto abſque vlla ſubiecti repugnantia*, vt idem Doctor ſubiungit.

10. Not. 2. duplicem eſſe abſtractionē intellectus, vnā præciſiuam, & alteram diuiſiuam. Abſtractio præciſiua eſt, quā intellectus vnum intelligit, abſque alio: quamuis vtrumque ſit coniunctū, & inſeparabile. Extat quippe priuilegiū intellectus concipiendi vnū ſine alio, tametſi diuidi, & ab inuicē diuelli nequeant. Hinc Ariſt. 2.*Phyſ. T. 18.* ait, *Abſtrahentium non eſt mendacium.* Abſtractio diuiſiua eſt, qua intellectus vnum ab alio ſeparat, hoc eſt, vnum de altero negat. Vtramque abſtractionem innuit Doctor *in quæſt.* reſpondens ad vltimum argumentum. Et *1. d 14. q. 2.* Prima intellectui ſimplici, & ſecunda intellectui componenti, ſiue diuidenti attribuitur. Licet autem quædam accidentia à ſuis ſubiectis dimoueri nequeant, abſque ipſorum pernicie, & interitu, vt de nigredine corui, & de albedine Cygni communi exemplo oſtendi ſolet; nihilominùs coruus, & Cygnus, qui ſunt eorum ſubiecta, abſq; illis intelligi valent: & ſub eorum oppoſito, illæſa perſiſtit eorum eſſentia, nullaque inuoluitur repugnantia. Verùm quidem eſt, ſubiectum concipi ſine proprio, quod ab ipſo deſluit; quia non ingreditur eius eſſentiā: attamen ſub oppoſito eius nequaquam concipi valet, propterea quod exit, à principiis eius eſſentialibus, vt in ſuperiori quæſt. pateſeci. Idipſum aſtruit Ouied. *Contr.6 p.7. n.4.* ex Bellar. ab ipſo cit.

11. Aſſertio 1. congruè definitur à Porphyrio accidens, *quod adeſt, & abeſt, ſine ſubiecti corruptione* ſi intelligatur eo modo, quo eam exponit Scot. præcitatus, & probat hac vnica ratione. Ea definitio eſt idonea, quæ componitur ex genere, & differentia, vt ſanciunt omnes Philoſophi: ſed definitio accidentis præallata conflatur ex genere, & differentia, per enim eius verba ſignificatur prædicatum non eſſentiale, quod eſt eius genus: & non neceſſariò conueniens ſubiecto, quod eſt eius differentia, vt explicui in præpoſitis notabilibus. Ergo illa definitio eſt legitima. Commodiùs autem, & faciliùs definiunt accidens, *quod prædicatur de multis in quale non neceſſariò*, vbi apertè cernuntur genus, in quo accidens conuenit cum cæteris vniuerſalibus: & differentia, per quam ab eis diſtinguitur.

12. Aſſertio ſecunda ſeparatio, quæ inuoluitur in definitione accidentis, non eſt realis, ſed intentionalis, & intellectualis. Hanc communiter defendunt Scot. prærecenſitus, aliique Porphyrij interpretes, quibus conſentiunt Thomiſtæ. Prob. 1. ex Porphyrio hoc in loco, qui expreſsè inquit. Poteſt intelligi & coruus albus, & Aethiops nitens candore præter ſubiecti corruptionem. Idque diligenter notat Maior Notabili 2. de ea ſeparatione intelligenda eſt definitio accidentis à Porph. tradita, circa quam Logicus verſatur, non verò vt ad alium artificem ſpectat: ſed Logicus ſeparationem accidentis à ſubiecto intentionalem ſpeculatur. Non enim eſt artifex realis, vt alibi oſtendimus. Igitur ea ſeparatio accidentis eſt intentionalis, quæ in eius definitione ponitur. Secundò, eo modo iudicandum eſt de definitione accidentis, quo de definitionibus aliorum vniuerſalium, cum æqua ſit ratio in omnibus vniuerſalibus: ſed definitiones cæterorum vniuerſalium ſecundas intentiones includunt, quia per prædicationem, quæ eſt nomen ſecundę intentionis exprimuntur: ergo ea ſeparatio accidentis eſt intentionalis, quæ locatur in definitione accidentis. Ideò non ſunt audiendi Fuentes *q.11. diff.1. art.1. aſſerto 1.* & Recentiores noſtri nuper allegati *in fine*, aientes, quod ſi definitio accidentis tantùm capiatur de accidente ſeparabili, poſſe exponi de reali ſeparatione, quandoquidē apertè conuincitur Dialecticum, ſeparationem realem accidētis nullo modo attingere: ſed eſſe artificis realis ipſam ſeparationem realem peruestigare. Non ergo abſolutè, nec conditionatè ea ſeparatio realis accidentis eſt in hunc locum inuehenda. Rurſùs aſſerenda eſſet duplex definitio accidentis, vna ſeparabilis: altera verò accidētis inſeparabilis: cùm adhuc deſideranda foret definitio accidentis vtrique communis, & ab vtroque præſcindens. Eò magis quia aduerſatur Scoto *vbi ſupra. verſ. Quod accidens.* propè initium allegantì, Porph. diuidentem accidens in ſeparabile, & inſeparabile. Et palam quoque habetur apud eumdem, tùm in corpore quæſt. tum etiam in ſolutione argumentorum.

13. Opp 1. Porphy. *hic c.5.* explanans primam definitionem accidentis non oppoſi eius diuiſioni, præbet duplicem modum ſeparandi accidens a ſubiecto, realē ſcilicet, & intentionalē, quòd non opporteret, ſi accidētis definitio foret interpretanda de ſeparatione intētionali dūtaxat. Conf. pari modo philoſophandū eſt de definitione accidentis, ac eius diuiſione, quam admittunt Scot. *collatione 35. §. Ad 1* & Aug *ab eo citatus*: ſed diuiſio accidentis in ſeparabile, & inſeparabile intelligitur de accidente reali: ergo & eiuſdem definitio. Reſpond. Porphyrium eo in loco ſeipſum explicare. Poſt enim traditam definitionem, & diuiſionem accidentis, vt occurreret inſtantię præadductæ, ſubdit hæc verba. *Poteſt enim intelligi & coruus albus, & Æthiops nitens cādore, præter ſubiecti corruptionē.* Et innuit Doct. *1. d.1. q.5. §. Contra iſtud L.* vbi nota verbum *intelligi* quod non ad realē, ſed ad intentionalem ſeparationē tantùm pertinet.

14. Inſtabis, ſi vera eſſet reſponſio, nullū accidens foret inſeparabile, cum quodlibet accidens poſſit ſeparari, ſiue negari de ſubiectu, & intelligi abſque illo. Reſpondent Maior *vbi ſupra not.1.* & Tatar. *ſcibili 4.* negando ſequelam. Non enim accidens dicitur ſimpliciter inſeparabile, quia ſimpliciter non valeat à ſubiecto ſeparari; ſed quia naturaliter, & ſecundum communem curſū naturæ non poteſt ſeparari, ſiue negari de ſubiecto. Vnde ſupernaturali virtute omne accidens abſolutum à ſubiecto poteſt ſegregari, & abſque eo exiſtere, vt fides Orthodoxa ediſſerit de accidētibus Eucharisticis. Adde quod narrat Albert. quod ſi coruorū oua vngantur pinguedine anſeris, vel felis, & argēto viuo, in loco frigido naſcentur corui albi. Et experimur Æthiopes, & Indos degētes in 7. & 8. clim. dealbeſcere, vt obſeruat S. Aug. *5. de Trin.* Ad conf. conceſſa maiore, neganda eſt minor. Nā vt ait. Scot. *q.32. in ſolutione vltimi*, accidens inſeparabile habet rationē generalem accidentis, cur verò dicatur inſeparabile, mox ex Maiore, & Tatar. explicabā.

15. Opp. 2, nonnulla ſunt accidentia, quæ adeſſe non valent abſque ſubiecti præiudicio & corruptione, vt per diuiſionem Porphyrij, & per experientiam liquet Febris namque, combuſtio, mors, & huius formæ alia ſubuerſionem ſuorum ſubiectorum ſecum ferunt. Ergo definitio accidentis præallata eſt increpanda. Reſpondet Scot. eam accidentis definitionē interpretandam eſſe de ſubiecto informationis, ſiue inhæſionis, vti eſt materia, quæ incorrupta perſeuerat, accedēte ad ipsā, vel ab ipſa recedente accidēte: non autē de ſubiecto denominationis, quale eſt cōpoſitū, quod generatur,

& corrumpitur *ex* 7. *Met. T.*27. Si hæc responsio, recipiatur, tollitur omnis difficultas argumenti, præsertim secundum illos, qui materiam statuunt subiectum accidentium. Verùm quoniam secundum Doctorem 2. *d*.3.*q*.4. subiectum accidentium non est materia, sed compositum, ideò idem Doctor affert aliam responsionem, iuxta ea quæ adnotauimus suprà, videlicet illud, *abest sine subiecti corruptione*, locatum in definitione accidentis exponendum esse de absentia, siue separatione intentionali. Quòd est dictu, subiectum accidentis posse intelligi sub eius opposito, integra manente eius natura, nullaque in conceptu eius formali, & essentiali existente repugnantia. Non læditur enim essentia subiecti præcisè, & obiectiuè concepta, siue sub vita, siue sub morte, siue sub sanitate, siue sub morbo, siue sub quouis alio accidente amicta, aut spoliata in spectetur.

16. In ;abis, per combustionem, & mortem euertitur subiectum accidentis, vt patet: ergo subiectum concipi nequit absque ipsius destructione, secus falleretur intellectus, qui aliter subiectum, quam sit, intelligeret. Eò magis, quia viuens in suo essentiali conceptu includit vitam, ac proinde absque vita haud concipi potest. Concesso ant. distinguo consequens, ab intellectu simplici, nego: ab intellectu componente, aut diuidente, concedo. Hæc distinctio plana est ex secundo not. ampliusque declaratur à Sarnano *in fine q.* Ad aliud, quod subiungitur dico, vitam non actu, sed aptitudine in viuente tantummodò necessariò designari.

Opp. 5. definitio non assignatur per opposita copulatiuè ex Arist. 6. *T.c.* 2. sed definitio accidentis datur per opposita copulatiuè, vt cõstat ex illis verbis, *adest & abest*: ergo illa definitio accidentis non est recta. Conf. si talis accidentis definitio foret apta, anima bouis, aut alterius viuentis esset accidens, quia adest, & abest, incorrupto subiecto, nempe materia. Sed hoc esse falsum, & absurdum, *in lib. de anima* ostenditur. Ergo genuina non est illa accidentis definitio. Respondet Fuentes definitionem accidentis non copulatiuè, sed distinctiuè esse capiendam. Successiuè quippè, & non simul potest accidens adesse, vel abesse à subiecto. Tu verò dic cum Scoto in solutione primi, non copulatiuè, sed circumlocutiue esse intelligendam, vt patet ex dictis; per illa namque verba circumloquimur prædicatum accidentale non conuertibile, & non necessarium, vt indicat Tatar. *vbi supra.* Ad conf. neganda est sequela maioris, quia, quandoquidem anima non est in materia tanquam accidens in subiecto, sed vt pars in sua comparte, ex dicendis loco nunc citato.

17. Opp. 4. si allata accidentis definitio est idonea: ergo ineft per se definito: atqueadeò accidens per se adest, & abest. Quod si per se adest: ergò per se non abest. Respondet Scot. negando vltimam consequentiam; inquit enim esse sophisma à secundum quid, ad simpliciter. Sicut non valet, contingens necessariò est contingens. Ergo contingens necessariò est.

LIBER TERTIVS.

De Prædicamentis.

TANTI æstimabatur hic liber prædicamentorum apud Herminium Peripateticum, vt in ore semper haberet decem categorias, quem alloquens Demonax Philosophus ita lusit. *Equidem arbitror Hermine te non indignum decem categoriis.* Locus est ex ambiguo vocis *categoria*, quæ prædicamentum aut accusationem significat, testibus Erasmo *l.*8. *Apoph.* Fonseca 5. *Met. cap.*7. *quæst.*1. *sect.* 2. & Conimbr. *in proœmio Categoriarum.*

QVÆSTIO I.

De præludiis prædicamentorum.

ARTICVLVS I.

Quisnam sit author huius libri prædicamentorum.

1. PRIMA assertio, Arist. huius operis fabricator censendus est. Ita præsupponit Scot. *in qq. prædicamentalibus*, estque communis Peripateticorum sensus, contra Iamblicum, & alios nonnullos, qui eum sequuntur. Prob. ex Arist. qui nonnunquam huius libri meminit in suis scriptis, vt aduertit Fuentes *q.*13. *diff.*1. *art.* 1. exaraturque in syllabo libr. Arist. vt patet apud Laertium, *in vita ipsius* Arist. Iulium Pacium, Franciscum Patricium, & alios. 2. Aristoteles Logicam perfecit, vt patet ex *l.*1. *q.* 1. *art.*4. at nisi edidisset librum categoriarum, non absoluisset Logicam: omisisset namque terminos incomplexos, in hoc opere contentos, qui sunt materia remota, siue partes integrales syllogismi. Præterea stylus concisus, & subtilis, nec non phrasis, & ordo in præsenti opere seruatus planè Aristotelicam sapiunt Doctrinam. Iure ergo eius operator est Arist.

2. 2. Assertio, decem prædicamentorum primus author extat Archytas Tarentinus Pythagoræ auditor, quem secuti sunt Arist. & cæteri Philosophi. Hanc assertionem, tenent expressè Theodorus Zuingerus *volum.* 1. *l.*2. vbi refert Archytam existimari categoriarum authorem, quem interdum Arist. in suis scriptis valde commendat. Et Mirandulanus *l.*4. *de examine veritatis*, qui testatur opus Architæ in decem categorias diuisum, adhuc extare lingua Dorica exaratum, quod Arist. postmodum mirificè excoluit & locupletauit: nec dissentit Scot.

3. Opp. Arist. vocat antiquos Philosophos Dialecticæ ignaros 1. *Met. cap.*8. Pugilibus inexercitatis, & artis expertibus comparat *ibid. c.*4. Atque infantibus balbutientibus assimilat *c.* 7. *eiusdem libri. T.*51. Ergo cum liber prædicamentorum sit vna pars Logicæ, vt patet ex superiorib. Arist. eius author censendus est. Resp. id omne, quod de veteribus Philosophis profert Arist. interpretandum esse, penes rationem Dialecticæ perfectam, maximè formam syllogismi, quem adinuenisse ipsemet gloriatur *in fine Elench.* non autem penes omnes partes, potissimùm remotas, & integrales, cuiusmodi est liber prædicamentorum: hasque præfatas partes eos calluisse, satis constat *ex l.*1. *q.*1. *art.*4. *oppositione* 2.

ARTICVLVS II.

Quodnam sit huius operis subiectum.

4. NOminales huius libri subiectum faciunt voces, quibus videtur consentire Fons. 5. *Met. c. 7. q. 1. sect. 6.* Auicenna *in principio suæ Logicæ* statuit res istius opellæ subiectum. Scotus verò *q. 1. & 2. prædicamentali.* Tatar. *ibid. q. 1. dub. 2.* & alij eiusdem doctrinæ alumni asseuerant intentionale vniuocum decem prædicamentis esse huius operis subiectum.

5. Not. ex Titelmano *l. 2. considerationis Dialecticæ c. 1.* nomen prædicamentum tribus modis vsurpari. Primò, pro eo quod de aliquo prædicatur, sic sumpsit Aug. *l. de decem categoriis c. 2.* appellans animal categoriam substantiæ. Quò respiciens Cicero *l. 4. Tusculanarum qq.* describit prædicamentum id, *quod de aliquo, vel de aliquibus enunciatur.* Et hæc est acceptio ex nominis ethymologia. 2. pro tota coordinatione ex supremo genere, & ex eis quæ sub ipso continentur, ita vsurpauit Porph. *in sua Isagoge c. de specie.* Et recipiunt Doctor *2. d. 3. q. 4. §. Contra istam conclusionem.* Et passim cæteri Philosophi. 3. pro summo genere duntaxat, quo in sensu dicimus, homo v. g. est sub prædicamento substantiæ, & substantia est primum prædicamentum. Frequentior autem vsurpatio prædicamenti petitur penes secundam & tertiam significationem, adeo vt prædicamenta in præsenti, & vtplurimùm, accipiantur pro primis decem generibus, & pro decem coordinationibus, quarum illa extant capita, vt optimè obseruant Maior, & Tatar. *c. de substantia.* Nec prætermittenda est prædicamenti communis acceptio pro prima intentione, hoc est pro rebus tam substantialibus, quam accidentalibus, quæ in prædicamentis colloeantur: vel pro secunda intentione, quæ attribuitur rebus debitè dispositis, & ordinatis, sub vno capite supremo, vt aduertit Doctor *quæst. 2. prædicamentali §. Ad 4. dicitur.*

6. Assertio 1. voces non sunt obiectum huius libri. Ita Scotus, *q. 1. prædicamentali ante §. Ad q. dici potest.* Prob. 1. Logica est de 2. intentionibus tanquam de subiecto prædicationis, & de syllogismo, siue modo sciendi tanquam de subiecto attributionis, vt ostendi *l. 1. q. 3. art. 7.* Ergo voces non sunt subiectum huius operis. Consequentia tenet, quod non est subiectum totius, nec partis, quia pars sub toto continetur: sed voces non sunt subiectum totius Dialecticæ, vt probaui loco mox citato, *art. 4.* Ergo, nec huius partis. Secundò de subiecto scientiæ ostenduntur passiones eius *ex 1. post.* nulla autem proprietas vocis significatiuæ, tum in hoc, tum etiam in aliis libris demonstratur, vt patet legenti; præsertim quia nulla voce existente, aut possibili, extat scientia de decem prædicamentis. Immò omnes passiones syllogismi, omnesque eius partes possunt sibi inesse, secundum esse quod habent in mente, etiamsi non proferantur, quia illud esse præcedit voces. Non ergo voces statuuntur obiectum huius operis.

7. Assertio 2. nec res valent esse obiectum istius libri. Hanc quoque defendunt Scot. *vbi suprà, post. §. Ad q. vers. Ad aliud dico.* Et Antonius Andreas *q. 1. in lib. sex principiorum.* Quam probant rationes adductæ *l. 1. q. 3. art. 2.* quibus ostenditur res omnes haud esse subiectum totius Dialecticæ.

8. Assertio 3. prædicamentum, siue intentionale vniuocum decem summis generibus extat subiectum huiusce libri. Tenet Doctor *q. 2. prædicamentali, §. Ad q.* & expressiùs *§ Contra vers. Ideò dici potest.* Et sequitur ex aliorum refutatione. Adhuc autem suaderi potest, quia Logicus illud intentionale commune decem prædicamentis considerat, velut in Isagoge Porph. speculatur vniuersale. Igitur, quemadmodum ibi vniuersale fancitor eius subiectum, vt patet *l. 2. q. 1. art. 12.* pariter hic prædicamentum præfato modo sumptum decernitur huius libri obiectum. Vnde accommodari queunt in præsenti illæ rationes, quæ ad probandum vniuersale esse subiectum introductionis Porphyrianæ loco citato allatæ fuêre, mutato solo nomine vniuersalis in prædicamentum.

9. Opp. 1. contra 1. assert. in præsenti lib. agitur de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis, quæ sunt differentiæ vocis significantis duntaxat; æquiuocatio namque nec rebus, nec conceptibus; sed vocibus adaptatur. Ergo voces sunt huius libri subiectum. Conf. illa tria præallata definiuntur per *dicuntur*, ted dici pertinet ad voces: ergo &c. Conf. 2. per Arist. hoc loco singulum incomplexorum significat substantiam, aut accidens; at significare spectat ad voces significatiuas. Ergo voces sunt huius libri obiectum. Resp. imprimis vniuoca, & denominatiua esse differentias prædicatorum, quæ secundùm se insunt conceptibus; non autem vocibus significantibus. De æquiuocis verò tractat Arist. propter oppositionem eorum ad vniuoca; vel per æquiuoca intelligit æquiuoca æquiuocata, non autem æquiuoca æquiuocantia: Huius diuisionis explicatio habetur *in Epitome l. 1. q. 1. art. 5.* Ad 1. conf. dico ab Arist. locari *dicuntur*, quod idem est ac concipiuntur, vt quoque aduerti *l. 1. q. 3. art. 4.* de subiecto totius Logices. Ad 2. conf. dico, illud primariò competere conceptui simplici: secundariò verò voci significatiuæ. Vnde concludit Scot. quod si subiectum huius sit incomplexum, potiùs conceptus, quàm vox est ipsius operis subiectum, supplè prædicationis, non attributionis.

10. Opp. 2. contra 3. assertionem, de subiecto scientiæ demonstrantur passiones, vt tradit Aristoteles *1. post.* sed de prædicamento vniuersè sumpto nulla ostenditur passio. Ergo prædicamentum non est huius subiectum. Conf. 1. prædicamentum non competit omnibus, quæ in hoc opere considerantur; non enim omnia, quæ hic habentur, sunt prædicamentum. Ergo non est ipsius subiectum. Conf. 2. prædicamentum sub vniuersali continetur, quod est subiectum libelli Porphyrij. Ergo hæc scientia subalternatur scientiæ Porphyrianæ, quia sicut subiectum se habet ad subiectum, ita scientia ad scientiam: sed hoc videtur absurdum: ergo & id, ex quo sequitur. Concessa ma. neganda est minor. Istæ namque passiones de prædicamento demonstrantur, nempè, diuidi in species, non habere genus supra se, & vniuersè prædicari: Ad 1. conf. Dico non oportere omnia, quæ hic expenduntur, esse prædicamentum, sed sufficere, si aliquo modo ad ipsum reducantur, sicut de subiectis aliarum scientiarum diximus *l. 1. q. 3.* Ad 2. conf. dico præter illam conditionem, ad veram subalternationem requisitam, aliam esse necessariam, puta vt subalternata decerpat sua principia à subalternante, quæ isti scientiæ deficit, proptereà non sequitur, hanc subalternari scientiæ, de vniuersalibus, quæ in Isagoge Porph. traditur.

ARTICVLVS III.

An de prædicamentis sit scientia.

11. ASsertio, de prædicamentis est scientia. Ita Scot. *q. 2. prædicamentali,* & constat ex superiore art. de subiecto enim scibili datur scientia, vt ex se notum est: sed subiectum prædicamentorum est scibile: ostenduntur namque de eo proprietates scibiles, vt diuidi in species, non habere genus supra se, & huiusmodi. Ergo &c.

12. Opp. 1. omne scibile per definitionem, & demonstrationem est scibile *ex 1. & 2. post.* sed de prædicamen-

dicamentis non habetur definitio : ergo nec de his scientia. Min. definitio conficitur ex genere, & differentia, vt nemo diffitetur : sed prædicamenta, cum sint summa genera, non habent genus, & differentiam. Ergo &c. Concessa ma. nego minorem, etsi enim propriè de his non sit definitio, est tamen quædam descriptio, quæ ad rationem scientificam videtur sufficere.

13. Oppones secundò, subiectum scientiæ est prius passionibus, quæ de ipso demonstrantur, veluti causa est prior suis effectibus : sed decem prædicamentis nihil est prius, quia sunt prima, & suprema genera. Ergo de ipsis non habetur scientia. Concessa maiore : distinguo minorem. In se concedo : ratione inhærentiæ passionis intentionalis, nego. Licet enim respectu sui non habeatur aliqua causa, per quam demonstrentur; nihilominùs respectu suarum passionum intentionalium, quæ insunt eis, quatenùs à ratione considerantur, sunt veræ causæ, saltem per emanationem, vt aliàs planum fiet.

ARTICVLVS IV.

An scientia de prædicamentis spectet ad Logicum.

14. NVllius peculiaris, & determinati artificis esse tractationem de prædicamentis, putant nonnulli, quos suppresso nomine allegant Conimbr. *in proœmio prædicamentorum.* Ruuius *ibid.* & Fons. 5. *Met. cap. 7. quæst. 1.* Nec desunt, qui horum sermonem ad solum Metaphysicum referant. Scotus autem *quæst. 2. prædicamentali.* Fuentes *quæst. 13. diff. 1. art. 3.* & cæteri Philosophi communiter prædicamentorum opus diuersa ratione ad Logicum, & ad Metaphysicum spectare affirmant.

15. Notandum est ex Scoto nunc cit. § *Ad q dicitur.* Et recolendum ex dictis *in secundo art. a: finem notabilis*, prædicamenta posse bifariàm considerari. Vno modo quatenùs sunt entia realia, siquidem *ex 5. Met. T. 54.* ens reale finitum diuiditur in decem genera, siue prædicamenta. Altero modo, quatenùs sunt entia intentionalia, ab intellectu causata, rebus realibus attributa. Hàc prælactà distinctione, diluitur præsens difficultas. Aliquid enim sub diuersa formalitate posse à diuersis scientiis considerari, patet de quantitate, quæ à Physica, & à Mathematica expenditur : necnon de corpore, quod Physica, & Medicina examinant.

16. Assertio, prædicamentorum tractatus primò intentionaliter est muneris metaphysici : & secundò intentionaliter est officij logici. Hæc assertio in duas scinditur partes: estque de mente Scoti *præcitati*. Prima pars prob. Metaphysicæ obiectum est ens reale, quod ex Arist. allegato *cap. 7. T. 14.* diuiditur in decem prædicamenta, tanquam in decem modos, subiungit Doctor *ibi* : ergo cùm Met. speculetur ens, vt ens, quoque & eius modos, in quos ipsum ens diuiditur. Item Metaphysicus est communis artifex; contemplatur enim naturas communes, & quidditates rerum vniuersalium: Ergo ad ipsum spectat labor speculandi prędicamenta. Adde quod primus Philosophus agit de modis essendi, & Logicus de modis prædicandi, vt alias probabitur. Ergo &c. Secunda pars prob. Logica agit de 2. intentionibus applicatis primis iuxta commune proloquium Dialecticorum, quod memorat Scot. *quæst. 1. antè §. Ad q vers. Ad oppositum.* Ergo, prædicamenta secundò intentionaliter sumpta spectant ad Logicum. Præterea, Logicus disserit de prædicabilibus, & subiicibilibus; respicit enim ordinem superiorum, & inferiorũ in propositionibus ab ipso elaboratis. Ergo prædicamenta penes huiusmodi ordinationem, & dispositionem, à ratione causatam pertinent ad Logicum.

17. Oppones primò, de prædicamentis habetur scientia realis. Ergo de his non est Logica, quæ est scientia rationalis. Ant. prob. de istis agit Metaphysica, vt patet 5. *& 7. Met. T. 14.* quæ est scientia realis. Resp. iuxta distinctionem in notabili præallatam, si prædicamenta primò intentionaliter considerentur, concedo: si verò secundò intentionaliter spectentur, nego. De his namque hic acceptis extat Logica, vt indicat Doctor *quæst. 11. prædicamentali. §. Ad quæstionem dicendum.*

18. Opponés secundò, prædicamenta sunt res primæ intentionis : ideò ait Scotus prærecensitus, eorum distinctionem peti penes rerum essentiã, eorumque prędicationes esse de rebus primæ intentionis, vt *homo est substantia.* Ergo, prædicamenta ad Logicam quæ non est scientia realis, non spectant. Distinguo ant. vt considerantur à Met. concedo : vt considerantur à Log. nego, ita exponitur Scotus *loco cit.* substractum quippè secundæ intentionis per se Metaphysica speculatur: secundam verò intentionem ipsi substracto attributam, & applicatam Logica meditatur.

QVÆSTIO II.

De Antepradicamentis.

1. SICVT istud Opus prima sui diuisione trifariam secatur, in Antepædicamenta, Prædicamenta, & Postprædicamenta : sic Antepræd.camenta ternario numero cõprehẽduntur, Æquiuoca, Vniuoca, & Denominatiua. Vtitur autem Arist. hoc numero fortasse non nescius eius apud veteres celebris Elogij. *Numero Deus impare gaudet.*

ARTICVLVS I.

De Æquiuocis.

2. PRæter ea, quæ de æquiuocis perhibui in Epitome *lib. 1. quæst. 1. art. 5.* hæc libet apponere perdiscenda. Ignoratione quippè æquiuocorum multi in multos labuntur errores : ob id inquit Scot. 3. *dist. 22. q. vn. §. Ad 1. arg sub E. Æquiuocatio nominum multoties decepit.* In primis obseruandum est, Arist. documentum 6. *Top. cap. 1. 10. 5.* & Scoti *Quol. 1 §. De primò A.* Et *quæst. 9. & 10. Elench. Æquiuoca prius sunt diuidenda, quàm definienda.* Ratio huius reddi potest, quia distinctio est manifestatio sensus veri, & sensus falsi, vt aduertit Doctor *loco proximè cit. in fine quæst. 12.* Distinguitur autem ab eodem Doctore *quæst. 5. prædicamentali §. Ad q. dicendum* duplex æquiuocatio, actiua, & passiua. Actiua est relatio suppositionis vnius vocis ad plura significata. Passiua verò est relatio plurium significatorum, ad vocem æquiuocantem. Hinc oritur diuisio æquiuocorum, in æquiuocum æquiuocans, quod est vox, siue nomen æquiuocum multis significatis applicatum : & æquiuocum æquiuocatum, cuiusmodi sunt res, siue conceptus obiectiui per nomen æquiuocum expressi. Præterea, æquiuocum æquiuocatum bifariàm potest vsurpari, primò intentionaliter, quod est significatum, siue significata nominis æquiuoci, veluti significata nominis canis. Æquiuocum secundò intentionaliter est relatio rationis nominis significati, siue significatorum ad vocem æquiuocam significantem, quo in sensu describuntur æquiuoca, *quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundum illud nomen est diuersa.* Iterùm duplex est æquiuocum æquiuocans, videlicet æquiuocum æquiuocans à casu, quod æquè primò diuersis conceptibus plura significat sub eodem nomine, vt de cane alibi fuit declaratum, & æquiuo-

cum

cum æquiuocans à consilio, quod quidem plura diuersis conceptibus sub vno nomine designat, vnum tamen per comparationem ad aliud, vt exemplificat Arist. *in Antepradicamentis cap.*1. de homine respectu viui, & picti. Insuper aduerte ex Doctore 1. *dist.*25. *q.vn.* §. *Respondeo A.* æquiuocum non numerari in æquiuocatis, non enim rectè dicitur, piscis, & sydus sunt duo canes; Fereh. *vest.*2.*cap.*4.*num.*11. quandoquidem numeratio alicuius in aliquibus communem eorum rationem exigit, in æquiuocis autem ratio est diuersa, solumque nomen est eis commune.

3. Oppones primò, Arist. 6. *Top. cap* 2.*loco* 73. Scotus *Theor.*19. *num.*10. & Mauritius *in eius annotatione* negant æquiuoca posse definiri. Causa est, quia æquiuoca plura significant per modum plurium, nullamque communem rationem sortiuntur: definitio verò significat vnam rationem communem, quam omne definitum participat. Resp. æquiuoca considerari posse dupliciter, vno modo, vt sunt multa absolutè, & ita sunt indefinibilia, vt bene probatur per argumentum. Altero modo vt habent communem secundam intentionem æquiuocationis eis ab intellectu impositam, & applicatam, & sic sunt definibilia, docente Scoto *quæst.*5 *prædicamentali ad* 6.

4. Oppones secundò. æquiuoca dicuntur: ergo æquiuoca sunt voces, ac proinde æquiuoca non sunt, quorum nomina, sed sunt ipsa nomina. Concesso ant. nego consequentiam: ratio est, quia licet æquiuoca formaliter definiantur per illam communem æquiuocam intentionē, tamen dicta definitio non æquiuocis æquiuocantibus, sed æquiuocis æquiuocatis accommodatur, vt cum Scoto notat Antonius Andreas, *in expositione Antepræd.* & cæteri eius Illustratores *ibid.*

Articvlvs II.

De Vniuocis.

5. VNiuoca opponi videntur æquiuocis, etsi enim tam æquiuoca, quàm vniuoca eodem nomine gaudeant, penes verò rationem, siue conceptum obiectiuum distinguuntur. Siquidem æquiuoca diuersam rationem, & conceptum obiectiuum sub eodem nomine sortiuntur: verùm vniuoca idem nomen, eundemque conceptum obiectiuum participant, vt scribit Doctor 1. *dist.*3. *quæst.*2. *B.* Et *dist.*8. *quæst.*3. §. *Ad argumenta. P.* vnde notant Conimb. *quæst.*2. *antepræd.* ex Alb. *Tract.*1. *cap.* 3. opposito modo disserendum esse de his, ac de illis. Rectè autem Pelbartus *Tomo* 1. *sui Rosarij verb. Ens* §.2. ex Vorrilonio 1. *dist.*4. *art.*1. aduertit quod vniuocum dicitur quasi vna vocatio, hoc est, cùm in aliqua voce, & quidditate voci correspondente multa vocantur. Huic fauet Arist. hoc in loco scribens vniuoca esse, *quorum nomen est commune, & secundum illud nomen ratio substantiæ est eadem.* Præsuppositis autem partitionibus vniuocorum *in Epitome* traditis, obseruo cum communi Dialecticorum sententia, vniuocum vniuocans, & vniuocum vniuocatum duobus capi modis, videlicet primò intentionaliter, & secundò intentionaliter. Vniuocum vniuocans primò intentionaliter captum, est *vox significans aliquid multis commune*, vt vox *homo* respectu Petri, & Pauli. Petrus verò, & Paulus dicuntur vniuoca vniuocata primò intentionaliter. Vniuocum vniuocans secundò intentionaliter est *relatio rationis vocis significantis, ad aliquid commune multis*, vt relatio rationis huius nominis *homo*, ad Petrum, & Paulum. Vniuocum vniuocatum primò intentionaliter est *aliquid commune multis per vnam vocem significatum*, vt *homo*, qui penes idem nomen, eamdemque rationem à multis eius indiuiduis participatur. Vniuocum vniuocatum secundò intentionaliter est *relatio rationis multorum significatorum per vnam vocem*, vt respectus rationis indiuiduorum Petri, & Pauli per vocem *homo*, vt est species, significatus. Quare definitio vniuocorum allata ab Arist. capitur de vniuocis vniuocatis secundò intētionaliter sumptis, vt post Scotum *quæst.*6. *præd.* obseruat Tatar. *ibid quæst.*1. *scibili* 2. Et deducitur ex Arist. qui id declarat exemplo animalis, hominis, & bouis; tam enim homo, quàm bos nomine animalis nuncupantur, fruunturque eadem ratione animalis, quod planè vniuocatis accommodatur: & subiungit idem Philosophus: si quis assignet vtriusque rationem, quid vtrumque sit in eo, quod sunt animalia, eamdem assignabit vtriusque rationem, quod pariter vniuocis competit.

6. Tria autem potissimùm exiguntur ad proprium vniuocum: primum, vt nomen sit commune multis, vt indicat eius notio suprà declarata, vt *animal* est nomen commune homini, & leoni. Secundum, vt eadem sit ratio substantiæ, hoc est, vt eadem sit quidditas, siue idem conceptus obiectiuus; non verò conceptus formalis, vt scribit Doctor 1. *dist.*2. *quæst.*3. *& dist.*8. *quæst.*3. & probat Bonetus 1. *Met.cap.*2. Tertium, vt idem conceptus obiectiuus per idem nomen significetur. Quod si per aliud nomen eadem substantiæ ratio designetur, non vniuocum, sed æquiuocum erit, vt nomen canis est commune, & substantia animata sensibilis, est quoque communis pisci aquatili, & cani latrabili; tamen quia non est eadem illis ratio, secundum nomen canis, sed secundum nomen animal, ob id canis non est illis nomen vniuocum. Porro, de vniuocis hæc traduntur documenta. Vniuoca propriè definiuntur: vniuoca per se locantur in prædicamentis: & vniuoca sunt obiecta scientiarum: quæ omnia suis locis abundè declarantur.

7. Oppones primò, omnia æquiuoca sortiuntur idem nomen, & eandem rationem æquiuocorum. Ergo si vera est vniuocorum definitio, æquiuoca forent vniuoca, quod falsum est, quia oppositum perhiberetur, de opposito. Resp. nihil obstare, quin diuerso respectu æquiuoca sint vniuoca, vt patet de cane marino, & latrabili, qui in ratione animalis vniuocantur, in ratione verò canis æquiuocantur. Vel neganda est consequentia, committitur quippè sophisma à secundum quid, ad simpliciter. Habere autem eamdem rationem æquiuocorum, est habere rationem simpliciter, & essentialiter diuersam: & secundum quid, & accidentaliter eamdem: veluti conuenire in differentia est conuenire secundum quid, & differre simpliciter.

8. Oppones secundò, quorum eadem est ratio essentialis, sunt idem essentialiter: sed vniuocis est eadem ratio essentialis, vt liquet ex eorum definitione. Ergo sunt idem essentialiter. Sed hoc falsum est. Ergo & id, ex quo deducitur. Subsumptum patet; nam homo, & leo v.g. sunt quidem vniuoca, non tamen essentialiter identificantur, immò differunt essentialiter per suas differentias specificas. Resp. concessa maiore: minori addendum est, penes eamdem rationem essentialem esse idem commune nomen, quod si fuerit aliud nomen, nequaquam erunt vniuoca, vt suprà obseruaui. Vnde ad subsumptum dico, hominē & leonem, vt participant idem nomen, & rationem communem animalis, concedo esse vniuoca: quatenùs verò alia nomina, & diuersas rationes participant, quæ sunt eorum rationes, & differentiæ specificæ, nego esse vniuoca, vt satis constat, ex dictis.

Articvlvs III.

De Denominatiuis.

9. DIuisio, & definitio denominatiuorum petendæ sunt ex *Epitome art.*7. *loci citati, in præcedenti art.* Conditiones verò ad propria denominatiua requisitæ numerantur tres. Prima, vt conueniant in formali

figni

significato, tantumque differant in modo significandi, veluti de omni concreto,& abstracto dixi *loco prælegato, art. 6.* Album quippè, & albedo v. g. quæ sunt denominatiua idem formaliter significant, nempè ipsam formam albedinis, modum autem significandi diuersum præseferunt; albedo namque præcisè ipsam formam albedinis designat, album verò præter eam concernit subiectum, in quo residet, putà papyrum, aut aliud quidpiam in quo inhæret, vt apertè tradit Doctor *in fine quæst. 8. prædicamentalis*. Secunda vt conueniant in principio vocis, siue vt incipiant per easdem syllabas, sicut præfata denominatiua, *album*, & *albedo* satis illustrant. Tertia vt differant in fine eiusdem vocis, vt istæ particulæ eorum definitionis, *differentia casu* indicant, hoc est, Scoto interprete, *in cadentia*: propterà quod distinctam sortiuntur terminationem, vt in præallato exemplo licet intueri. Aut si mauis aliam interpretationem sublimiorem, & subtiliorem Scoti 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. §. *Ad argumentum primum. I Et quol.* 18. § *De* 1. *sub C.* dicito *casum*, siue *cadentiam* denominatiuorum esse ad formam, siue naturam. Cùm autem forma, & natura duplex sit, duplex exoritur denominatiuorum genus; aut enim est cadentia naturæ substantiali ad suppositum,& habetur denominatiuum substantiale, vt *homo*: vel est naturæ accidentalis ab subiectum,& extat denominatiuum accidentale, vt *album*: prior autem denominatiuorum expositio est communior, & facilior, posterior verò latior, quæ in eorum definitione ab Arist. elaborata comprehendi non videtur, concretum quippe substantiale nonnisi in ampla significatione videtur esse denominatiuum, vt cùm Mayronio *in prædicamenta, passu* 3. insinuant plerique Scotistæ Estque expressa mens Scoti *q.* 16 *prædicamentali* § *Per idem ad* 2. *argumentum*. His verbis. *Dicendum, quod concretum substantiale non habet illam definitionem, quia non differt solo casu, idest sola inclinatione formæ ad subiectum, respectu abstracti, sicut summuntur casus, sed differt sola inclinatione formæ ad suppositum.* Suffragatur Arist. qui ad dictam definitionem illustrandam exempla concretorum accidentalium solùm affert. Ratio reddi potest, qu a denominatiuum designat formam per modum alteri adiacentis, vt notant Mastr.us,& Bellutus *disp* 2. *Quæst* 6. quod proprium est concretorum accidentalium, non verò substantialium, vt claret *in Epitome lib.* 1. *quæst.* 1. *art.* 6 Itemque prædicatio denominatiua propriè est accidentalis, vt patet *ibid quæst.* 1. *art.* 2. Hinc bene sub icit Doctor 3. *dist.* 7. *quæst.* 1 §. *Quarto videndum C.* Quod licet denominatiuum sit prædicatum vniuocum, non tamen vniuocè prædicari, vt *in sequenti art* planum fiet. Huic libenter subscribit Tatar. in summulis *Tract.* . *de prædicamentis in expositione denominatiuorum, sibili* 2. Itaque nostri Recentes præallegati non videntur sibi cohærere, *in initio quæstionis citatæ*, perhibentes denominatiuum significare formam per modum alteri adiacentis, quod concreto solùm accidentali competit, & postmodum fere *ad finem eiusdem q.* conantur prænominatam denominatiuorum definitionem, hoc est accidentali, & substantiali adaptare, hac leni pressi causa, quia vtraque cadunt ad aliud: & aliud concernit subiectum, aut suppositum, vt pariter innuit Raconius *Tract.* 2. *de Categoria quæst.* 3. Hoc inquam motiuum planè leue, & vanum est, vt clarè ostendunt, quæ hucusque pro nostra sententia munienda,& roboranda adduximus.

10. Oppones denominatiua spectant ad Grammaticam Ergo in Logica potiùs sunt supponenda, quàm definienda, & tractanda. Ant. est in promptu, ex conditionibus, quas denominatiua efflagitant; præsertim ex duabus postremis; conueniunt quippe in principio dictionis, & discrepant in fine dictionis sunt Grammaticæ facultatis. Resp denominatiua diuersimode à Grammatica, & Dialectica considerari, sicut de nomine, & verbo adnotaui *in Epitome lib* 1. *quæst.* 1. Grammatica namque respicit ea, penes congruentiam sermonis: Dialectica verò penes conceptum obiectiuum, eiusque veritatem. Quod autem denominatiua iisdem litteris incipiant diuersisque desinant, exprimitur eorum similitudo, & dissimilitudo. Vel dicito iuxta secundam eorum interpretationem, casum siue cadentiam eorumdem non ad nomen, sed ad subiectum referri, vt manet suprà explicatum.

Articvlvs IV.

An Denominatiuis conueniat definitio vniuocorum.

11. NOnnulli, inter quos est Ruuius *q vnbuius c.* negant vniuocorum definitionem competere denominatiuis: Oppositum autem sustinent Sc. t. r. *dist.* 8 *quæst.* 3 § *Ad argumenta opinionis oppositæ.* Vallo *Tract. Form. fol.* 76. & Fuentes *quæst* 1 a. *difficultate prima, art.* 2. astruentes sub vniuocorum definitione comprehendi denominatiua.

12. Not. ex Scoto 3. *dist.* 7. *quæst.* 1. §. *Quarto videndum C.* aliud esse prædicatum vniuocum: aliud verò prædicari vniuocè. Etenim prædicatum vniuocum est vnus conceptus obiectiuus multis communis, non ingrediens essentiam, siue quidditatem eorum, de quibus effertur, vt album, quod denominatiuè prædicatur de ligno, & lacte, sic lignum est album, & lac est album. Prædicari autem vniuocè est, cum prædicatum est de essentia subiecti: sic animal vniuocè prædicatur de homine, & bruto, quia est de eorum essentia. Hæc distinctio apertè colligitur ex Arist. *c. de substantia*, cùm ait secundas substantias prædicari vniuocè de primis, accidentia verò de subiectis, in quibus inhærent, prædicari denominatiuè. Eamdem repetit & exprimis Doctor *in* 1. *loco cit in initio huiu. art. P* inquiens. *duplex esse prædicatum vniuocum. Alterum, quod essentialiter, & in quid de subiecto enunciatur, vt animal de homine. Alterum verò, quod effertur penes idem nomen, & eamdem rationem non tamen essentialiter, & quidditatiuè vt album prædicatur de lacte, & niue.* Hinc si primo modo accipiatur vniuocum, inter vniuocum, & æquiuocum mediat denominatiuum, quia inter prædicatum, quod habet eamdem rationem essentialem, & inter prædicatum, quod habet diuersam rationem essentialem, mediat illud, quod habet eamdem rationem non essentialem, siue accidentalem, & extrinsecam, vt suprà exemplis manet confirmatum. Quod si secundo modo sumatur vniuocum, sanè inter æquiuocum, & vniuocum, nihil interponitur, quia inter habere camdem rationem communem, & habere aliam rationem diuersam nullum extat medium, sicque *in ult art huius q.* asseremus æquiuoca, & vniuoca esse immediata; ac proinde analoga, & denominatiua, inter illa, non mediare. Quamuis autem inter ista prærecensita, non interueniat medium, tamen Mastrius,& Bellutus *disp.* 2. *quæst* 6. *art* 1. secuti Ioannem de Magistris *c. de Denom.* Et Delphinum *c. de vniuoc* putant inter modum prædicandi æquiuocorum, & vniuocorum cadere modum prædicandi denominatiuorum, hac ratione ducti, omne quippe prædicatum aut habet eamdem rationem communem illis, de qui bus prædicatur, aut non. Si non, extat modus prædicandi æquiuocorum: si sic aut illa ratio communis est quidditatiua, & essentialis eis, de quibus perhibetur, & est modus prædicandi vniuocorum: aut est extrinseca, & accidentalis, & habetur modus prædicandi denominatiuorum. Enimverò bimembris prædicandi modus æquiuocorum, & vniuocorum videtur sufficere apud Dialecticos, præsertim Scotistas, qui inter vniuocum, & æquiuocum, nullum agnoscunt medium, vt explicitè asserit Doct: t *vbi suprà* inquiens, *alio modo vniuocum, & æquiuocum sunt immediata apud Logicum*. Et causam adducit, quia vniuocum

uocum amplè sumptum est, *cuius ratio est in se una*, siue illa ratio sit ratio subiecti, siue denominet subiectum, siue per accidens dicatur de subiecto: æquiuocum verò, cuius ratio est alia, siue diuersa. Cùm ergo inter habere eamdem rationem communem multis, & habere diuersam rationem nihil mediet; fit, vt tantùm sint duo generales modi prædicandi æquiuocorum, & vniuocorum. Rursus in inuestigando numero vniuersalium, modus prædicandi duplex assignatur tantùm in quid, & in quale, postmodum modus prædicandi in quale subdiuiditur in quale essentiale, & in quale accidentale: à pari duplex statuitur modus prædicandi vniuocorum, & æquiuocorum: deinde modus prædicandi vniuocorum aut est essentialis, aut accidentalis: sic subdiuiditur modus prædicandi vniuocorum, sub quo continentur denominatiua, eorumque prædicandi modus. Insuper, differentiam, quam Porph. statuit quadrimembrem, Scotistæ ad bimembrem redigunt, iuxtà legem bonæ diuisionis à Boëtio *l. de diuisione* traditam. Non ergo in scholam Scoti videtur esse inuehendus tertius prædicandi modus denominatiuorum, à duobus vniuocorum, & æquiuocorum distinctus. Arist. autem egit de denominatiuis, non quia existimauerit, ea distingui ab vniuocis, & æquiuocis, vt concedere debent Scotistæ, nec quia ab his diuersum sortiantur prædicandi modum de subiecto, vt sentit Mauritius à nostris Recentioribus citatus, & receptus, sed quia sub vniuocis continentur. Qui enim agit de toto diuiso, vtique tenetur disserere de eius membris diuidentibus.

13. Assertio prima. Denominatiua sunt prædicata vniuoca. Hanc tenet Scot. locis præallegatis, quam sic probo, vniuoca sunt *quorum nomen est commune, & penes idem nomen ratio est eadem*, scribente Philosopho *cap.1 prædicamentorum*: sed denominatiua sunt huiusmodi, album namque v. g. quod est denominatiuum prædicatur de subiectis, in quibus albedo inest, secundùm idem nomen, & eamdem rationem albedinis, verùm enim est dicere *lac est album, saccharum est album*, & sic de cæteris, quæ albedinem participant. Igitur, denominatiua sunt prædicata vniuoca. Secundò omne vniuersale est vniuocum, vt probaui *lib. 2. quæst. 1.* sed quartum, & quintum potissimùm vniuersale sunt denominatiua, putà *rigibile. & coloratum*. Igitur, denominatiua ab vniuocis prædicatis non sunt eximenda.

14. Assertio secunda. Denominatiua sub vniuocorum definitione comprehendi valent. Stabilitur à Doctore *vbi suprà* indicatur à Fuēte cit. & sequitur ex priori assertione. Siquidem vniuocis est idem nomen, eademque ratio communis, vt optimè notat Scot. in 1. loco citato: sed ratio vniuersè sumpta præscindit à ratione essentiali, & accidentali, intrinseca, & extrinseca, veluti animal abstrahit ab homine, & bruto. Igitur propriè denominatiua, quæ accidentalem rationem subiectorum sortiuntur, ab vniuocorum definitione haud sunt expungenda.

15. Oppones primò, Scot. *quæst. 6. prædicamentali. §. Dicendum vers. potest dici* negat expressè denominatiua esse vniuoca, quod probat ex Arist. qui assignans vniuocorum definitionem *cap. 1. libri prædicam.* inquit, vniuoca sunt, *quorum ratio substantiæ vniuocatis est eadem*: Sed ratio albi, aut alterius demonstratiui, non est ratio substantiæ, cùm albedo, aut aliud accidens sit extrà subiecti substantiam, siue essentiam. Igitur denominatiuis non quadrat vniuocorum definitio.

Respond. per ea verba solùm deduci Scot. existimare, contrariam sententiam non esse improbabilem, quod significat, cùm ait, *potest dici*. Verùm in locis Theologicis citatis maturiùs rem considerans, absolutè, & clarè præfatam assertionem defendit. Ad probationem ex Arist. dico ipsum posse exponi, non de ratione substantiæ quidditatiua, & essentiali, sed de ratione præscindente à ratione essentiali, & accidentali, intrinseca, & extrinseca, vt suprà dicebam. Vel dicito ad mentem Philosophi ipsum definiuisse vniuoca strictè sumpta, vt indicat Doctor *in 1. sententiarum loco allegato*, & explicat Boneius vbi suprà inquiens? *Per rationem substantiæ capiendam esse quidditatem definitiuam, quæ reperitur in omni prædicamento tam substantiæ, quàm accidentis.*

16. Oppones secundò, Arist. *c. de substantia* scribit, denominatiua non prædicari de subiectis, nomine, & ratione: ergo denominatiua non sunt vniuoca. Consequentia tenet per locum à negatione definitionis ad negationem definiti. Respondet Fuentes prænominatus *in principio huius art. num. 3.* Philosophum tantùm excludere denominatiua à prædicatione essentiali, & quidditatiua, veluti 2. substantiæ prædicantur de primis: non autem à prædicatione accidentali, quæ denominatiuis rectè accommodatur, cuius verba ab eo adducta clarè demonstrāt. Vel breuius, & in idem recidit, denominatiua quidem esse prædicata vniuoca, non tamen prædicari vniuocè, vt in notabili præmisso explicui.

ARTICVLVS V.

An Denominatiuum significet formam, aut eius subiectum.

17. FRanciscus Lychetus *1. dist 4. quæst. 1. in fine* notat hāc difficultatem potissimùm non moueri à Doctore de denominatiuo, siue concreto substantiali, quod dicitur concretum ad suppositum: cuius nimirùm forma in supposito, non autem in subiecto esse perhibetur: sed de denominatiuo, siue concreto accidentali, quod concretum ad subiectum nominatur, quodue duo præsefert, scilicet formam accidentalem, & subiectum, in quo huiusmodi forma inhæret, vt album designat albedinem, & lac, aut parietem, in quo inest ipsa albedo. Dubitatur autem in præsenti, num concretum accidentale potissimùm significet formam accidentalem, aut eius subiectum, aut vtrumque simul æque primò. Vnde iuxtà triplicem sensum, qui haberi potest de tali concreto, triplex exoritur Dialecticorum opinio. Prima est quorumdam, quorum assertum indicatur à Doctore *in 4. dist. 12. quæst. 1. §. Ad argumenta principalia T. in solutione quarti*: quibus nostri Recentes *loco precit. art. 2.* adiungunt Fons. *5. Met. cap. 7. quæst. 5. sect. 1.* Sed immeritò, vt patet ibi eum legenti, existimantium denominatiuum, seu concretum accidentale per se, & directè tam formam, quàm subiectum eius significare. Secunda est Auic. *1. p. suæ Logicæ c. de proprio*, opinantis concreta denominatiua formaliter significare subiectum, & materialiter formam accidentariam: in hanc sententiam citantur Nominales à Gadio *Quol. 1. fol. 9.* à quibus non videntur dissentire Maior *c. de Accidente Not. 5.* & quidam moderni, ex Societate Iesuitica. Tertia est Scoti *quæst. 8. prædicamentali §. Ad q. Et 1. dist. 4. quæst. 1. in calce, & dist. 26. & 77. necnon 4. dist. 12. quæst. 1. §. Ad argumenta principalia. T.* Aureoli *1. dist 4. propositione tertia*, Lych. *ibid.* Tatar. tùm eis locis, tùm etiam *in Log. quæst. 2. prædicam. dub. 2.* Ioannis de Magistris, & aliorum docentium concreta accidentalia primò, & per se significare formam accidentalem, connotare verò subiectum.

18. Not. ex Scoto in Logica loco præallegato, quòd licet accidens non existat absque subiecto, cùm sit ens in alio, hoc est à subiecto dependens; nihilominus pollet propria entitate, & natura, ab essentia subiecti distincta. Ens quippè scinditur in substantiam, & accidens, *ex 5. Met. cap 7. & 1. Top.* in omni genere reperitur quid: cùm autem sint nouem genera accidentium, liquidò constat accidens participare propriam essentiam ab essentia subiecti distinctam. Quare accidens bifariàm, intelligi valet, vel præcisè, & sub propria

sua

sua ratione, & hoc modò intelligitur in abstracto: vel quatenùs inhæret subiecto, & sic intelligitur in cõcreto & ratione concretionis dicitur significare subiectũ, non tãquam sibi intrinsecum, sed tanquàm aliquid, quo fulcitur, & sine quo perfectè, & cõpletè intelligi nequit.

19. Assertio prima, concretum accidentale formam significat, simulque connotat subiectum eius. Ita Scot. *quæst.* 16. *vniuersalium* §. *Dicendum ad q. & in quartò, sententiarum loco allegato.* Prob. 1. ex Arist. 7. *Met. T.* 34. & Auerroë 1 *phys. com* 25 & 12. *Met.* affirmantibus, concretum accidentale, vt *musicum, & album*, duo simul præseferre, formam scilicet, & eius subiectum. Secundò concretum, & abstractum ab inuicem discriminantur, in eo, quod abstractum significat formam præcisè, siue seorsim sumptam: concretum verò formam, & id in quo inhæret ipsa forma, vt dixi *in Epitome l. quæst.* 1. *art* 6. Ergo, concretum vtrumque simul significat, quod est commune, & indubitatum assertum omnium Dialecticorum.

20. Assertio secunda, concretum denominatiuum formaliter, & principaliter significat formam: materialiter verò, & minus principaliter subiectum. Hanc expressè tenet Scot. locis præallegatis, cuius prima pars prob 1. ex Arist. *hoc loco* dicente, denominatiua differre solo casu à principalibus, hoc est ab abstractis: sed abstracta formaliter non significant, nisi formam, vt patet ex definitione termini abstracti: ergo, nec denominatiua concreta, quæ ab eis in modo significandi tantùm distinguit, astruit Doctor 1 *dist.* 8. *quæst.* 3. §. *Contra istam positionem Et dist.* 27. *quæst* 3. 6. *Ad* 2. *q. l.* Idque expressiùs habetur *c. de substantia*, album solam qualitatem significat, (intellige principaliter) album autem est concretum accidentale, & qualitas est forma accidentaria: ergo per Arist. concretum denominatiuum præcipuè significat formam. Secundò, quodlibet magis præcipuè est in actu, quàm in potentia, vt ex se constat. Ergo concretum primariò significat formam. Consequentia suadetur ex Auerr. 8. *Met com* 7. nomen principaliter dicitur de forma, quam non significat, nisi in actu, actus autem in composito, est forma, vt nemo diffitetur. Eò magis quia voces inuentæ sunt potissimùm ad significandas, notificandas, & distinguendas res, notificatio autem, & distinctio à forma maximè petitur. Tertiò, si concreta denominatiua formaliter designarent subiectum, cum vnum sit commune omnium accidentium subiectum, vnum foret eorum prædicamentum in quo omnia illa reponerentur, aut saltem reducerentur, quod pugnat Philosopho 5. *Met. T.* 14. diuidenti ens finitum, in decem prædicamenta, quorum nouem sunt accidentium genera. Denuò, hæc propositio foret per se, *album est lignum*, quia subiectum quoad suum significatum, natum est per se supponere, & prædicatum esset de essentia subiecti, quod contradicit Arist. 1. *post. T.* 35.

Secunda pars prob. 1. in definitione concreti ponitur subiectum tanquàm additum *ex* 7. *Met. T* 14. & talis definitio appellatur definitio per additamentum, quia in illa, præter essentialia definiti aliquid additur: ergo concretum accidentale connotat subiectum. Secundò, concretum significat formam per modum adiacentis, vt patet in Epitome nuper alleg. ergo, connotat, siue concernit subiectum, in quo forma inhæret. Tertiò, quod duo æquè primò sub propria ratione designat est æquiuocum, vt liquet ex 1. *art. huius q.* sed non omne concretum est æquiuocum, secùs periret finis sermonis, qui est distinctè declarare conceptum mentis, nullaque foret propositio vera, nullaque contradictio, consequentia, & demonstratio; cùm in demonstratione æquiuocum minimè ponatur ex 1. *post T.* 26. Insuper, hæc esset propositio per se, *album est lignum*, prædicatum namque foret de essentia subiecti, quam reprobat Arist. *loco nunc citato T.* 15. Igitur concretum accidentarium materialiter, & secundariò duntaxat significat subiectum.

21. Oppones primò, in definitione concreti ponitur primò subiectum: ergo subiectum præcipuè significatur per nomen concretum. Ant. est in promptu; siquidem concretum definitur habens formam, vt album habens albedinem: sed habens formam est subiectum formæ: ergo &c Conf. concretum perhibetur de subiecto, non verò de forma: ergo primò significat subiectum. Ant. suadetur, dicitur enim *corpus est album*, non verò *qualitas est alba.* Concesso ant. nego consequentiam: ea quippè est tantùm explicatio nominis, non autem significati. Quare concretum ex modo significandi, & non ex significato designat subiectum. Ideóque rectè dicitur, concretum per se significare formam concernere verò subiectum eius, vt conspicuè tradit Scotus 1. *dist.* 4. *quæst.* 1. *in fine.* Ad conf. dato ant. inficior consequentiam, aliud quippè est dici de alio, vsurpari pro alio, atque aliquid significare: etenim concretum dicitur de subiecto, vt deducitur in argumento, non tamen subiectum primariò significat, sed secundariò duntaxat, hoc est, vt ait Scot. *quæst.* 16. *vniuersalium*, subiectum concernit, & connotat.

22. Oppones secundò, quod per se constituit intellectum, illud per se primò significat, quia significare est intellectum constituere ex 1. *perih c. de verbo*, sed nomen concretum prolatum constituit intellectum subiecti: ergo illud per se primò significat. Min prob. concretum constituit intellectum accidentis, quod intelligi nequit absque subiecto, quia non potest esse sine subiecto: & *ex secundò Met. T.* 4. vnumquodque sicut se habet ad esse, ita ad cognosci. Concessa ma. distinguo minorem, primariò nego: secundariò concedo, vt planum feci in fine præpositi notabilis.

23. Oppones tertiò, terminus idem supponit, quod significat: sed concretum supponit subiectum: ergo concretum significat subiectum Maior ostenditur: terminus supponens ex hoc, quod supponit, non habet nouum significatum. Minor prob. *ex* 1. *post. T.* 5. Hæc est per accidens, *album est lignum*, designat namque illud, cui accidit album: sed illud cui accidit album est subiectum. Ergo &c. Resp. cum Scoto *quæst.* 8. *prædicamentali. Ad* 1. *principale* supponere, & significare non coïncidere; licet enim terminus supponat, quod significat; attamen nonnunquam supponit pro eo, quod connotat, vt in suppositione personali intueri licet, in qua terminus communis supponit quidem pro supposito, nihilominus non significat suppositum Quare etsi concretum supponat pro subiecto: non tamen significat subiectum, sed illud connotat duntaxat.

24. Oppones quartò, Scotus *Quol.* 1. *art.* 3. concedit inhærentiam inhærere, & 2. *dist.* 1. *quæst.* 5 & 4. *dist* 52. *quæst.* 3. & 1. *dist* 3 & 7. scribit hanc esse falsam, *albedo est alba:* cuius rationem affert *quæst.* 16 quia subiectum, & prædicatum sumuntur sub diuersis modis significandi, subiectum enim est abstractum, & prædicatum est concretum. Resp. inhærentiam inhærere vt quo, non verò vt quæ: sic albedo non est alba, sed est qua subiectum est album Abstractum autem & concretum, licet idem significent, modum tamen significandi diuersum sortiuntur, vt suprà ex Scoto monebam.

ARTICVLVS VI.

De vnitate, & pluralitate Concretorum.

25. HÆc difficultas, quæ videtur esse grammaticalis, vt in simili aduertit Doctor. 1. *dist.* 12. *quæst* 1. §. *Iuxtà quæstionem istam.* potest agitari tam de concretis accidentalibus, quam substantialibus: imatque ad multa ardua, & difficilia decidenda, quæ in sacra Theologia tractantur, vt præ aliis notat Arriaga *disp prima summularum sect.* 9. Dubitatur autem vtrum vnitas, aut pluralitas concreti petenda sit ab vnitate,

tate, aut pluralitate formæ, aut subiecti, aut ab vtrisque simul.

26. De concretis accidentalibus, siue adiectiuis secundum Scoti Scholam 1. *dist.* 12. *quæst.* 1. *sub T. & in fine CC.* §. *Ad argumenta respondetur. Et Quol.* 11. §. *De tertio. Sub H. Et tertio dist.* 6 *quæst.* 1. §. *Ad argumenta. F. Et dist.* 8. *quæst. vn.* §. *Ad argumenta F.* Firmiter statuitur, intrepideque asseritur, eorum vnitatem, pluralitatemve, penes vnitatem, vel pluralitatem eorumdem subiectorum depromendam esse: adeò vt, quamuis foret vnum numero accidens in multis subiectis, putà vna numero albedo in multis parietibus multiplicarentur concreta, ad eorum subiectorum multiplicationem, totque essent concreta, quot parietes albi per albedinem in ipsis receptam. Quod si in vno numero subiecto, plura inhærerent accidentia, foret vnum numero concretum duntaxat, vt artifex pollens multis artibus, dicitur vnus artifex, & Doctor habens plures doctrinas, & scientias perhibetur vnus Doctor, & vnus sciens. Itaque multiplicato accidente, subiecto implurificato, non plurificatur concretum: subiecto autem multiplicato, accidente implurificato, plurificatur concretum. Ratio huius adduci potest ex Doctore *in primo loco prællegato*, quia accidens afficit subiectum à quo dependet, & absque quo existere non valet; cùm ergo determinet id, quod eius dependentiam terminat, propterea secundum vnitatem, aut pluralitatem subiecti, quod terminat dependentiam accidentis, planè vnitas, aut pluralitas concreti accidentalis colligitur. Quod si extiterint duo concreta accidentalia, seu vt inquit Scotus *vbi suprà*, duo adiectiua, cum vnum nequeat terminare dependentiam alterius, quia vtrumque est dependens, necesse est amborum dependentiæ terminentur subsistentia, & independentia tertij, quod est substantiuum, quod sufficienter eorum dependentias terminat. Hinc Scotus prænominatus concedit Patrem, & Filium esse duos spirantes, non tamen duos spiratores, propter rationem mox allatam. Terminus enim numeralis additus substantiuo designat eius formalem significatum numerari: sic per duos spiratores denotatur, virtutem, & principium spirandi multiplicari in diuinis Personis, quod est falsum: verùm per duos spirantes significantur duo supposita, siue personæ, quæ spirant Spiritum sanctum, quod est verum, quia ambo sunt adiectiua, & æque dependentia, per independentiam tertij terminata, quod est persona, vt abundè ostendimus *in Tract. de Deo trino disp.* 8. *q.* 3.

27. De concretis autem substantialibus, siue substantiuis affirmatur ab omnibus, vnitatem eorum penes vnitatem formæ, siue naturæ esse depromendam; tametsi multa supposita eam participent. sic est vnus Deus, licet sint tres personæ eamdem deitatem participantes. Itemque vnus creator, quamuis sint tria supposita eamdem virtutem creandi habentia. Ratio esse potest, quia ex dictis *in Epitome libro primo, quæstione* 1. *artic.* 6. substantiuum est subsistens in natura, & independens; ideò vnitas ipsius ab vnitate formæ aptè desumitur. A quo autem concretorum pluralitas accipienda sit, decertant prisci, & noui Scotistæ: siquidem Bassolius, Bargius, Lychetus, & alij insignes Theologi, quos sequitur Vasquez 1. *part. distinct.* 115. *capite quarto*, arbitrantur, ad concretorum multiplicationem substantialium sufficere pluralitatem naturarum, absque vlla suppositorum multiplicitate, vt si diuinum Verbum assumeret plures naturas humanas, esset plures homines pluralitate earum, stante vnitate suppositi ipsius diuini Verbi. Hoc assertum sanè deducitur ex Doctore, qui 3. *distinct.* 1. *quæstione* 3. §. *Ad* 1. *argumentum* peruestigans, data hypothesi, quod vna persona assumeret plures naturas humanas, vtrùm esset vnus homo, aut plures homines: repulsis aliorum dictis, decisionem, & responsionem huiusce difficultatis bis reicit *in* 1. *distinctione* 12. *quæstione* 1. vbi ait, terminum numeralem appositum alicui determinabili ponere suum significatum supra aliud: & quoniam si vnum diuinum suppositum assumeret plures naturas, foret multiplex determinabile, multipleaque significatum formale, iuxta multiplicitatem naturæ: ob id secundùm Scotum assumens plures naturas humanas dici posset plures homines. Et si assumeret naturam humanam, & Angelicam, esset homo, & etiam Angelus. Vnde Sanctus Anselm. *lib. de Incarnatione Diuini Verbi cap.* 5. subiungit, *cùm profertur homo, natura, quæ communis est, significatur*? Et ratio est, quia ad vnitatem substantiui satis est vnitas formæ. Quare, cum substantiuum significet formam per modum per se stantis, concluditur euidenter dependentiam adiectiui numeralis per eiusdemmet substantiui formam terminari. Corroborari potest ex eodem Scoto 1. *distinctione* 4. *quæstione* 1. *B. vnicuique quo correspondet suum quod*, id est omni abstracto correspondet suum concretum, vt deitati Deus, & humanitati homo: ergo assumptis à diuina persona pluribus humanitatibus, iuxta pluralitatem earum ipsa esset plures homines; præsertim secundum Scotum, *ibidem quæstione* 1. *in fine*: Concretum de per se significato non importat hoc quod est habens, siue habere, sed naturam. Multiplicatis igitur naturis, eius concreta multiplicantur, vt inter alios aduertit Gadius. *Quol.* 11. post Scotum *distinctione* 12. *primi, quæstione* 1. *ad finem*, §. *Iuxta quæstionem istam.* Præterea, etsi certum sit ex fide, Verbum assumpsisse naturam humanam singularem, dicitur tamen assumpsisse hominem, vt non rarò scribit Sanctus Augustinus, citatus à Doctore *in Reportatis* 3. *distinctione sexta, quæstione tertia.* Et nonnulla Concilia à nobis citata *in Tract. de Incarnatione* confitentur. Vnde cantat Ecclesia. *Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis vterum.* Et non incongruè Arriaga, *propè initium huius articuli* allegatus obseruat de Christo vt homine quasdas veras loquendi formulas, quæ non sunt veræ de Diuino supposito, vt *homo mortuus est, non tamen Verbum diuinum mortuum est*: Et *homo comedit, homo constat ex anima, & corpore*, & cætera.

28. Dices, cum Mastrio, & Belluto *disputatione secunda, quæstione sexta, articulo secundo, ante solutiones obiectionum*, concretum naturæ substantialis non numerari, nec multiplicari, naturis numeratis, & multiplicatis; eo quod non est vltimatè independens, cùm concernat suppositum, à quo vltimatè eius dependentia terminatur. Contra, si ab vltimata terminatione concreti substantialis desumatur vnitas, aut pluralitas ipsius concreti, vt volunt isti Recentes, sequitur ad plurificationem talis vltimatæ terminationis, & independentiæ suppositalis debere plurificari tale concretum, & natura; sicque plures Personæ diuinæ forent plures dij, vt arguit Scotus 3. *distinctione prima, quæstione tertia*, §. *Ad* 1. aduersus Diuum Thomam *tertia parte, quæstione tertia, articulo septimo, ad* 2. Denuò in sententia illorum non esset concretum substantiale, absque vltimata terminatione suppositi: at paulò ante ostendimus apertè dari tale concretum, absque suppositali independentia, vt ratione, & authoritate ibi firmatum, & roboratum est. Et communiri etiam potest ex iis, quæ habet Scotus *dist.* 12. *citatus circa AA.*

29. Oppositum autem libenter, & firmiter sustinent Scotistæ Neoterici, inter quos sunt Philippus Faber, *disput.* 42. *ad finem cap.* 4. Franciscus de Perigianis 3. *distinct.* 1. *quæst.* 3. *artic.* 2. & duo Iuniores prærecensiti

N affirmantes

affirmantes ad concretorum substantialium pluralitatem exigi naturarum, & suppositorum quoque pluralitatem. Pro huius verò placiti confirmatione, & alterius euersione nobis.

30. Opponunt 1. omnia loca Scoti adducta *ad principium huius art.* in quibus palam legitur ad substantialium concretorum multiplicationem requiri suppositorum multiplicationem: satisfacit optime Bargius 1. *d.* 12. *q.* 1. *ad* 3. interpretando ea loca non de concretis substantialibus, sed de concretis accidentalibus, quorum exempla *ibidem* ipse Doctor subiicit, de habente plures scientias, de patre habente plures filios, de artifice callente plures artes, de principio, & cætera huiusmodi, quæ sunt concreta accidentalia.

Instabis, si de concretis accidentalibus solùm in illis locis loqueretur Doctor, interprete Bargio, posset dici pater duo principia, duo productores, quia habet duo principia producendi, intellectum scilicet, & voluntatem: & Christus duo volentes, quia duabus voluntatibus humana, & diuina pollet: duo entia, quia sortitur esse humanum, & diuinum, & consimilia, quæ respuit Scotus *locis memoratis*. Igitur, talis interpretatio nec veritati, nec menti Scoti congruit. Negari potest sequela antecedentis; licet enim in Patre sint duo prænominata principia, non tamen Pater dici potest duo principia, sed benè habens duo principia, quæ suprà inferuntur. Hæc veritas indueri potest in similibus, vt in Christo sunt quidem duæ naturæ numero, non tamen Christus est duo numero: Et licet Christus sit homo, non tamen est natura humana in recto, sed in obliquo, hoc est habens naturam humanam. Pariter, materia, & forma sunt in composito, attamen non dicuntur compositum. Itemque anima, & corpus sunt in homine, homo tamen non est anima, nec corpus, sed habens animam, & corpus, vt sedulò aduertit Scotus in Reportatis *tertij, q.* 1. *d.* 6. Eò vel maximè, quia cùm dicta principia promanent à natura, tanquam vires, eiusque virtutes, dici nequeunt in recto de tali natura; quòd enim oritur ab alio, non est id, à quo oritur, veluti effectus nequit esse causa, à qua prodit: plura de his suo loco.

31. Opponunt 2. si ab vnitate significati formalis capitur vnitas concreti substantialis, vt ab vna deitate vnus Deus, ab vna humanitate vnus homo, & ab vna vi spiratiua vnus spirator, suppositis multiplicans, vt constat ex dictis suprà: ergo cùm in Patre sint duo significata formalia, videlicet generandi, & spirandi principia, procul dubio Pater diceretur duo principia, contrà Doctorem præcitatum, & alios scholasticos. Respond. negando consequentiam; vt enim scribit Doctor mox allegatus *in solutione* 2. vnica res potest includere in se plures rationes, siue principia agendi, vt patet de anima rationali habente plures potentias & principia operandi: sic Pater licèt sit vnum suppositum, habet tamen duo principia producendi, non tamen ipse dicitur duo principia, vt paulò antè ostendebam. Vel meliùs, & ad rem nostram, & Scoticam doctrinam accommodatiùs, principium refertur inter concreta accidentalia, siue extranea; est enim extra naturam substantialem, cum ab ipsa egrediatur: ob id, cùm multiplicatio concretorum accidentalium flagitet multiplicationem subiectorum, siue suppositorum, non probè sequitur Patrem, qui est vnum tantùm suppositum, esse duo principia. Hanc autem esse Scoti mentem patet ex eius scriptis; exemplificat namque ibi de habente plures scientias, qui dicitur vnus, & non plures scientes, quem constat esse concretum accidentale.

32. Opponet tertiò, contra regulam Scoti traditam de termino numerali, si terminus numeralis cadens supra substantiuum, illud afficit, & multiplicat eius significatum formale: Ergo persona, quæ est nomen concretum substantiuum, per terminum numeralem, eius significatum formale multiplicatur; sicque, quemadmodum dicuntur tres diuinæ personæ, dici possunt tres dij: propterea quod diuinitas est significatum earum formale, quod obiicit Doctor 3. *distinct.* 1. *quæst.* 3. §. *Ad* 1. *Respond.* significatum formale personæ non esse diuinitatem sed personalitatem, quæ multiplicatur iuxta personarum multiplicationem. Quare adiectiuum *diuina*, non cadit suprà diuinitatem; ideò tres personæ dici nequeunt tres dij: Sed afficit personalitatem, propterea secundùm trinum personarum numerum, numerantur tres Diuinæ personæ.

ARTICVLVS VII.

An dentur analoga distincta ab æquiuocis & vniuocis.

33. PRæsupponimus esse analoga ex communi Philosophorum placito, nominatim Arist. 4. *Met. T.* 2. *&* 7. *einsdem operis, T.* 14. *&* 15. & alibi. Scot. *quæstio.* 16. Elench. Et 2. *distinct.* 12. *quæst.* 2. §. *Ad* 1. *rationem sub G. Et Quol.* 3. §. *de* 1. *B.* Rich. 1. *distinct.* 25. *quæst.* 2. *art.* 2. S. Th. 1. *p. quæst.* 3. *art.* 5. Et S. Aug. *c.* 2. *Categ.* Ratio est, quia nonnulla inter se ordinem, proportionem & attributionem habent; ideò ratione analogiæ fruuntur, per quam nominantur analoga. Vox quippè *analogia*, idem est ac proportio, secundum Aug. 1. *Mus.* 12. siue conuenientia, vel comparatio; vt ex Cic. & Quintiliano obseruant Fuentes *difficultate secunda, art.* 1. & Rumus *Tract. de analogia.*

Triplex autem statuitur analogia, proportionis, attributionis, & inæqualitatis. Analogia proportionis, cuius meminit Philosophus 1. *Eth. cap.* 6. *&* 5. *Met. cap.* 4. Et tangit Doctor 4. *distinct.* 1. *quæst.* 10. §. *Hic dicitur. D.* cadit in ea, quæ inter se aliquam sortiuntur similitudinem, & conuenientiam. Hæc analogia risus perhibetur de homine, & prato; quemadmodum enim cùm homo ridet, bene se habere, gaudioque affici videtur: ita cùm pratum bene virescit, & floret, ridere dicitur. Analogia attributionis est, quâ ratio communis, & superioris competit essentialiter, & intrinsecè suis inferioribus, vni tamen dependenter ab alio. Hanc Arist. 4. *Met. c.* 2. vocat ab vno, & ad vnum, vt ibi notat Fons. *q.* 1. *sect.* 6. refertur à Doctore 1. *d.* 3. *q.* 3. §. *Contra istam vniuocationem.* Et *d.* 8. *q.* 3. §. *contra istam positionem.* Appellatur autem ab vno, vel ad vnum, propterea quod in vno formaliter extat ratio, in aliis verò dependenter ab illo vno: ita ens dicitur analogicè de substantia, & accidente, quia accidens habet esse dependenter à substantia, à qua oritur, & in qua inhæret. Aut alia de causa, veluti sanitas analogicè perhibetur de animali, vrina, medicina, & aliis. Nam in animali formaliter, & intrinsecè inest sanitas, non sic in cæteris præenumeratis. Penes istam analogiam habetur illud tritum proloquium. *Analogum per se positum stat pro suo famosiori significato*, quod examinat Scotus, & exemplificat *quæst.* 16. *Elench.* Analogia inæqualitatis est, quæ competit multis idem nomen, eandemque rationem communem inæqualiter participantibus. Et hæc congruit speciebus idem genus habentibus, sic animal dicitur analogum respectu hominis, & bruti. Huius mentionem facit Arist. 7. *Phys. cap.* 4. *&* 10. *Met. T.* 13. Et tangitur à Doctore 1. *distinct.* 8. *quæst.* 3. §. *Ad argumenta. E.* Et ab aliis nuncupatur

æquiuo

æquiuocatio physica, iuxtà illud Philosophi præcitari, *in genere latent æquiuocationes* : quæ planè sunt vniuocationes logicæ, vt ibi aduertunt eius interpretes. Datis ergo analogis, meritò inuestigatur vtrùm analoga medient inter æquiuoca, & vniuoca : vt putant D.Th. 5. *Met. lect.* 12. *&* 1. *p. quæst.* 13. *art.* 5. Cajet. Capreolus, & tota Thomistarum familia. An verò redigantur ad æquiuoca, vel vniuoca, vt arbitrantur Doctor Subtilis *quæst.* 15. *&* 16. *Elench. &* 1. *dist.* 3. *&* 8. vt citatur ab Orbello 4. *Met. quæst.* 1. Mauric. *quæstion.* 7. *vniuers.* Sarn. *ibidem*, *pag.* 238. Sirectus, Vallo *Tractat. formalitatum*, & omnis subtilium Schola.

34. Not. primò, ex Scoto *Theoremate* 9. duplicem esse conceptum, alterum formalem, qui est cognitio : quâ intellectus aliquid intelligit, sic dicitur, iste est conceptus meus, siue notitia mea, vt aduertit Vorrilong 1. *d.* 3. Alterum verò obiectiuum, qui est res cognita : siue quidditas intellecta, quatenus mouet, vel saltem terminat intellectus cognitionem, quo in sensu inquit Algazel *in sua Met.* quando intellectus est certus de vno, & dubius de altero, habet alium conceptum distinctum ab eo, de quo est certus, & ab eo, de quo est dubius, vt ostendit Doctor 1. *dist.* 3. *quæstion.* 3. *de vniuocatione entis* : vbi probat ens designare conceptum vniuocum præcisum à Deo, & creatura, substantia, & accidente. Quare si vna est quidditas concepta conueniens multis re, & nomine, est vnus conceptus vniuocus : quod si fuerint multæ quidditates diuersæ, idem nomen tantùm participantes, erit conceptus multiplex, & æquiuocus.

35. Not. secundò, secundùm Scotistas, nominatim Canonicum 1. *phys. quæst.* 2. Vallonem *Tract. Formalitatum, fol.* 71. *&* 72. & Sarnanum supracitatum, quatuor esse gradus vniuocationis, quorum primus est, cùm aliquid commune conuenit multis penes idem nomen, eamdem rationem, eumdem essendi modum, ordinem, & perfectionem essentialem Hic autem gradus vniuocationis est perfectissimus, solique speciei specialissimæ proprius : Ob id ait Philosophus 7. *phys.* in specie specialissima est perfectissima comparatio. Secundos est, cùm aliquid commune conuenit multis penes idem nomen, eamdem rationem, eumdem essendi modum, ordinémque essentialem : non tamen penes eamdem perfectionem essentialem, veluti est animal respectu hominis, & bruti : perfectiori quippè gradu animalis gaudet homo, quàm brutum. Ideò per horum graduum diuersitatem 7. *phys.* in genere dicuntur latere æquiuocationes. Quandoquidem à perfecta vniuocatione receditur, ob inæqualitatem perfectionis : & acceditur ad æquiuocationem. Tertius est, cùm aliqoid commune accommodatur multis, eodem nomine, eadémque ratione, & modo essendi gaudentibus, absque ordine & æqualitate perfectionis essentialis : ita numerus est vniuocus suis speciebus ; perfectior namque est ternarius, quam binarius : conuenitque priùs binario, quàm ternario, propterea subdit Arist. 8. *Met.* Species rerum sunt sicut numeri : id est vna est perfectior alia. Quartus est, cùm aliquid commune adaptatur multis eodem nomine, eadémque ratione potientibus, expertibus verò eiusdem essendi modi, ordinis, & perfectionis essentialis, & hæc est vniuocatio minima, penes quam ens dicitur vniuocum substantiæ, & accidenti, vt patebit *in Met* Non est autem silentio prætereundum documentum Scoti *quæst.* 4. *prologi*, §. *Ad rationes pro opinione opposita. Sub E.E.* Quando sunt aliqua duo extrema opposita, quò magis aliquid recedit ab vno oppositorum, eò magis accedit ad aliud. Quia verò æquiuocum, & vniuocum opposita esse videntur, & vniuocum vltimi gradus plùs distat ab vniuoco primi gradus, quàm vniuoca aliorum graduum, proptereà dicitur magis approximari æquiuoco. Hac fortassè de causa Porphyrius *in Isagoge c. de specie*, & Scot. *quæstione* 15. *Elench* §. *Ad* 1. *rationem dicendum*, inquiunt, si quis omnia entis vocet, æquiuocè & non vniuocè nuncupabit : quatenus substantia, & accidens in communi ratione, & conceptu, nominéque entis conueniunt dontaxat ; reliquis verò, quæ ad perfectam vniuocationem faciunt, carent.

36. Not. tertiò, analoga siue proportionis, siue attributionis bifariàm posse considerari. Vno modo, quatenùs omnibus analogatis competit intrinsecè, & formaliter communis ratio, & nomen, tametsi nonnullum eorum dicat attributionem, & dependentiam ab alio, vt substantia, & accidens dicuntur analoga, quibus intrinseca, & formalis ratio entis conuenit, tametsi accidens à substantia dependeat : & hæc sunt analoga vniuoca, quia dependentia, & attributio vnius ad aliud non tollit eorum vniuocationem, quæ consistit in eodem nomine, & communi ratione entis quam sanè participant, vt apertò demonstrat Doctor 4. *dist.* 12. *quæstione* 1. §. *Ad* 9. *respondeo. H.* Altero modo, quatenus vnum analogorum formalem aliquam, & intrinsecam rationem, per vnum, & idem nomen significatam habet, reliquis verò non nisi extrinsecè, & metaphoricè competit, vt risus propriè homini, & impropriè prato florenti attribuitur, vt notat Scotus *quæst* 15. *Elench. propè finem.* Et sanitas animali formaliter, & intrinsecè ; vrinæ verò, diætæ, & medicinæ extrinsecè coaptatur, vt clarè edisserit idem Doctor 2. *distinctione* 12. *quæstione* 2. §. *Ad* 1. *rationem infrà G. Et* 4. *dist.* 12. *quæst* 1. *antè I.* Hæc autem sont analoga æquiuoca, quia sub eodem nomine diuersam rationem participant, vt constat in præadductis exemplis. Ex his refelluntur, qui analogiam mediam inter vniuocationem, & æquiuocationem collocant, vt duo Nuperi *disput.* 2. *quæstion.* 5. *articulo tertio.* Et tenuerat Faber *Theor.* 95. *ad finem* 1. *capitis.* Verùm consultiùs, & maturiùs re considerata 4. *Met. quæstione* 1. abnegat analogiam inter illa duo mediare, vt probabo *infrà in secunda assertione.*

37. Assertio prima, non dantur analoga distincta ab æquiuocis, & vniuocis. Ita Scotus, & Scotistæ omnes suprà relati. Prob. primò, ex Aristotele, qui *capitulo primo prædicamentorum* definiens æquiuoca, & vniuoca, non meminit analogorum, quod tamen præstare tenebatur, si analoga mediarent inter illa ; secùs mancus, & diminutus foret : disponebat namque ibi omnia, quæ in prædicamentis, vt in distinctis rerum classibus locantur, & quæ ab eisdem expunguntur. Quapropter cùm nec hîc, nec alibi analogorum definitionem peculiarem attulerit, apertum indicium est, inquit Scotus *quæst.* 15. *Elench. versic. Alia est proprietas*, ea ab vniuocis, & æquiuocis non dissidere. Suffragatur nobis Boëtius à Doctore citatus inquiens, analoga sub æquiuocorum definitione comprehendi, idque indicat Arist. qui æquiuocorum declarans definitionem, adducit exemplum de homine, qui æquiuocè perhibetur de homine viuo, & picto, cùm tamen nomen homo etiam per aduersarios respectu eorum sit analogum. Fauent Complutenses *ad finem cap.* 1. *l. Categoriarum.* ex S. Thom. & Caiet. *ab eis cit.*

38. Dices cum Arriaga *disp.* 10. *sect* 3. & aliis Dialecticis, analoga definiri ab Arist. 1. *Eth. c.* 6. *&* 7. *&* 4. *Met. cap.* 2. necnon 5. *eiusdem operis cap.* 6. Analoga sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ significata per nomen nec omninò eadem, nec omninò diuersa. Verùm huiusmodi definitio nec explicitè, nec implicitè in eis locis continetur, vt constat legenti Philosophi textum : solùm 5. *Met. T.* 12. hæc reperio verba : *Analoga verum sunt, quæcumque ita se habent, vt aliud, ad aliud.* Quòd est dictu, ea sunt analoga, quæ attributionem aut

proportionem, & comparationem adinuicem seruant. Hoc autem non est habere rationem substantiæ partim eamdem, & partim diuersam, vt Arriga vult habere analoga; sed solum similitudinem, proportionem, aut attributionem, quæ haud est ratio substantiæ quoquo modo eadem, & quoquo modo diuersa: sed est relatio duntaxat, quæ gaudet vnâ ratione accidentali à quouis alio distincta, vt ostendam *quæst. de relatione*. Secundò, idem, & diuersum sunt immediata *ex* 10. *Met. T.* 12. Sed vniuoca sunt eadem penes nomen, & rationem, æquiuoca verò sub eodem nomine sunt diuersa penes rationem diuersam, vt ex eorum definitione constat: Ergo omnia sunt æquiuoca, vel vniuoca, ac proinde inter illa non intercipiuntur analoga. Tertiò, inter intrinsecum, & extrinsecum, proprium, & improprium, non cadit medium, vt ex se patet: sed vniuoca habent vnam propriam, & intrinsecam rationem, vt liquet de risu, qui æquiuocè dicitur de risu hominis, & prati. Propriè namque competit homini, impropriè verò prato florenti, poniturque in secundo modo æquiuocationis, vt aduertit Doctor *vbi suprà, vers. sicut ridere*. Iterùm essentiæ rerum consistunt in indiuisibili: Ergo omnis essentia vel est eadem multis, vel diuersa: ac proinde non scinditur essentia analogi, vt nimirùm sit partim eadem, & partim diuersa. Denique proportio, quæ analogis proportionalitatis adaptatur, est relatio, quæ fundatur in vnitate qualitatis: veluti relatio æqualitatis, in vnitate quantitatis ex Arist. 5. *Met. c. de relatione*. Attributio, quæ est habitudo vnius ad aliud, accommodatur analogis attributionis, quæ pariter fundatur in vnitate sui fundamenti. Si ergo analoga participent eamdem rationem intrinsecam, & formalem, sunt vniuoca: quod si tantùm extrinsecam, & impropriam, sunt æquiuoca, atqueadeò omnia analoga, vel ad vniuoca: vel ad æquiuoca sunt reuocanda.

39. Assertio secunda, analoga, siue materialiter, siue formaliter sumantur, non mediant inter æquiuoca, & vniuoca. Ita Scotus, & Scotistæ omnes, exceptis duobus Neotericis præerecensitis affirmantibus, analoga formaliter capta esse media inter æquiuoca & vniuoca. Prob. primò, si admittantur analoga formaliter capta distincta ab æquiuocis, & vniuocis, de eis foret definitio propria ab eisdem distincta, quia definitio distincta est de natura distincta, ab aliis per eam distinctè expressa: sed nulla est analogorum distincta natura à naturis æquiuocorum, & vniuocorum: quia cuncta analoga aut eamdem, aut diuersam: aut intrinsecam, aut extrinsecam rationem sortiuntur, vt clarè induxi in superioribus: Ergo, omnia analoga inter æquiuoca, aut vniuoca sunt adscribenda.

40. Dices hanc rationem valere de analogis materialiter, non verò formaliter captis, quia vnitas analogiæ formaliter differt ab vnitate æquiuocationis, & vniuocationis. Contrà, vniuocum, & æquiuocum sunt immediata, vt fatentur præfati Recentes: ergo & eorum rationes formales sunt immediatæ, secùs data ratione media, per talem mediam rationem constitueretur medium prædicatum inter æquiuoca, & vniuoca, veluti inter album, & nigrum habetur medium per qualitatem mediam, putâ per rubedinem, rubeum, quod illi apertè renuunt: ergo inter illa nullo modo cadit medium. Secundò, omne medium ex omnium consensu aut est per abnegationem extremorum, aut per eorumdem participationem: sed neutro modo analoga possunt esse media inter æquiuoca, & vniuoca, & quidem non per abnegationem extremorum, sed potius per eorum participationem, vt liquet ex definitione analogorum ab aduersariis præadducta, & repulsa; palámque oppositum suadent, quæ attuli ad probandam priorem assertionem: Ergo analoga etiam formaliter capta non mediant inter illa.

Iuniorum autem fundamentum, & motiuum, nullum prorsùs est; fundantur enim isti in Doctrina Scoti 1. *dist.* 8. *quæst.* 3. §. *Ad argumenta opinionis oppositæ sub E.* scribentis, vnitatem attributionis minorem esse vnitate vniuocationis, eámque ab ista formaliter differre. Ex his verbis dicti authores deducunt suam sententiam, astruentes analoga formaliter mediare inter æquiuoca, & vniuoca: propterea quod ratio formalis analogiæ est formaliter alia à ratione formali vniuocationis, vt perspicuè tradit Doctor *eo in loco nunc allegato*. Verum Scotus minimè eis fauet, si attentè eius verba legantur, & diligenter expendantur. Imprimis ibi vult vnitatem attributionis, quæ dicitur vnitas analogiæ, stare cum vnitate vniuocationis, quia maior vnitas, includit minorem, vt vnitas speciei vnitatem generis; quæ enim sunt vnum specie, sunt vnum genere. Igitur per Scotum vnitas attributionis, siue analogiæ includitur in vnitate vniuocationis, & illa stat cum ista, quia minor vnitas potest stare simul cum maiore vnitate. Quod autem stat cum alio, non est eius medium, quia medium recedit ab extremis, quorum est medium. Iterum inclusum non est medium includentis, vt ratio animalis, quæ includitur in homine, non est medium eius: alioquin omnia superiora forent media inferiorum: Ergo cùm Scot. asserat vnitatem analogiæ includi in vnitate vniuocationis, planè sentit illam haud esse huius medium. Præterea vnitas attributionis est transcendens per Scotum, quæ includitur in vnitate vniuocationis prædicamentalis; transcendentale autem non dicitur medium respectu prædicamentalis. Adde quod attributio est relatio, vt suprà notaui, & indicat Doctor *ibidem*, relatio autem, eiusque vnitas nequaquam censetur medium penès naturam, siue conceptum, à quo petitur vniuocatio. Quare omnis vnitas attributionis siue nominis, siue rei, siue vtriusque, optimè ad vniuocationem, vel æquiuocationem redigitur; atqueadeò nullum extat analogum formaliter inter æquiuoca, & vniuoca.

41. Oppones primò, Aristot. 1. *Eth. cap* 6. scribit oculum esse analogum, vt enim se habet oculus corporis ad corpus, ita oculus mentis ad mentem. Et 2. *post. T.* 12. sicut se habet os in animalibus terrestribus, ita se habet spina in marinis, in quibus cernitur os esse analogum. Igitur, admittenda sunt analoga ab vniuocis, & æquiuocis distincta. Resp. concesso ant. negando consequentiam, damus quippè analoga ab æquiuocis, vel vniuocis minimè dissita; ea autem analoga ab Aristot. recensita sunt vniuoca, oculus namque corporis, & oculus mentis vniuocantur in vna ratione principij videndi, quamuis penès proprias differentias discrepent, vnus quippè est corporeus, alter verò spiritualis, eo ferè modo, quo corpus, & spiritus vniuocantur in communi ratione substantiæ; propriis autem differentiis inter se discriminantur. Item os, & spina conueniunt in communi ratione fulcimenti, licet suis differentiis ab inuicem distinguantur, istúdque Bestiis terræ, illud verò Piscibus maris competat.

42. Oppones secundò, Philosophus 4. *Met. cap.* 2. *T.* 2. affirmat, ens esse analogum analogia attributionis, quæ dicitur ad vnum, vnámque naturam quamdam non æquiuocè, veluti sanum perhibetur de animali, vrina, & dieta: ergo si ens per Arist. non est æquiuocum, nec vniuocum: sequitur esse analogum ab eis distinctum, quia sanum, quod exempli causà affert idem Philosophus, de illis prærecensitis vniuocè non dicitur, vt affirmat Doctor 2. *dist.* 12. *quæst.* 2. §. *Ad* 1. *rationem sub G. & quarto, dist.* 12. *quæst.* 1. *antè I.* Ratio est, quia sanitas formaliter est in animali, in vrina verò vt in signo, in dieta vt in causa. Non est autem idem formalis conceptus sanitatis, vt est æqualitas humorum, vt est significatiuum sanitatis, & vt eiusdem causatiuum. Ideóque sanitas æquiuocè de illis enunciatur.

Resp.

Resp. Arist. quidem existimare ens non esse æquiuocum, non tamen negare esse vniuocum. Ad exemplum de sano fateor esse æquiuocum analogum, quod nobis non officit, nisi obsit quoque aduersariis inficiantibus ens esse æquiuocum. Quare illud solùm affertur ad declarandam habitudinem entis ad substantiam, & accidens, veluti extat habitudo sanitatis ad animal, vrinam, & dietam, licet illud de his vniuocè, hoc verò æquiuocè de illis prædicetur. Similitudo autem non valet in omnibus, secùs non similitudo, sed identitas foret, vt aduertit Scotus *in 4. præcitato.*

43. Dices Scotum *q. 16. Elench. § propter hoc dicendum.* asserere analogicè dictum de prænominatis reducendum esse ad vniuocum, quia solùm de eis primò significatur: cuius oppositum tenet in 2. & 4. præallegatis: ergo vel Scotus sibi contradicit, vel concedendum est analoga mediare inter æquiuoca, & vniuoca. Dico in illa quæst. Elench. Doctorem exponere illud proloquium. *Analogum per se sumptum stat pro famosiori suo significato.* Sanitas autem quatenus est principale analogum est æqualitas, siue proportio humorum, quæ formaliter competit animali, in quo est formaliter duntaxat, vt innuit Doctor ibi, his verbis. *Et talia analoga reducenda sunt ad vniuocationem, cùm solùm vnum, primò significent: sic sanum analogum redigitur ad vniuocum.* Verum si sanitas sumatur, prout competit omnibus analogatis, comprehenditque diuersos conceptus sanitatis significatiuos, & causatiuos, sanè ad æquiuocum reuocatur, vt obseruat Doctor *in 4. loco citato.* Ita diluitur apparens contradictio Doctoris, hoc etiam fortassè modo excusari potest Faber reprehensus à dictis Recentioribus, propterea quod astruit sanum esse prædicatum vniuocum.

44. Opponis 3. ratio analogi distinguitur à rationibus vniuoci & æquiuoci: ergo pariter analogum ab vtrisque dissidet. Ante prob. Ratio analogi est significare vnum per prius, & reliquum per posterius, siue ratio analogi est significare plura attributionem, vel proportionem adinuicem habentia, vniuocum autem vno nomine vnam rationem præcisè significat: & æquiuocum per vnum nomen plura simpliciter significat.

Resp. negando ant. ad eius probationem dico, rationem analogi reuocari ad æquiuocationem, vel vniuocationem, quia licet in analogis sit aliqua habitudo, proportio, aut attributio vnius ad aliud, vt patet de ente respectu substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturę; tamen illa proportio, aut attributio non tollit vniuocationem, vt rectè aduertit Doctor *in 2. loco allegato*: sed tantùm significatur eam recedere à perfecta vniuocatione, vt liquet ex Dictis *in 2. notabili.*

45. Opponis 4. S. Aug. *L. Categoriarum cap. 4.* & S. Damascenus *in sua Logica*, affirmant denominatiua esse media inter æquiuoca, & vniuoca, quibus videtur fauere Scotus *q. 13. Elench §. Ad 1. ergo quæstionem.* Vbi analoga tanquam à præfatis vtrisque distincta recenset. Nec ab eis alienus est Arist. qui post æquiuoca, & vniuoca definit denominatiua. Resp. denominatiua esse concreta potissimùm accidentalia, esseque prædicata vniuoca, vt ostendi *art. 4 huius q* possunt autem quoquo modo vocari media, quatenus recedunt à 1. & vltimo vniuocationis gradu, & accedunt ad aliquem modum æquiuocationis, vt patet *ex 2. not.* Ita fortè possunt exponi PP. & Scotus præcitati, ac etiam Arist. Addi potest Scotum eo in loco quidem asserere esse nomina, quæ primò significant aliquod commune, quod in diuersis diuersimodè reperitur, vt patet de sanitate animalis, vrinę, & medicinæ: tamen ea, quæ sunt analoga prorsus ab vniuocis, vel æquiuocis non aufert; exemplificat námque ibi de quantitate continua & discreta, quibus constat quantitatem genericè sumptam esse vniuocam. Aut fortè eò loci loquitur in aliorum sententia, vt aliquando ipsum præstare in eo opere, alibi adnotaui.

QVÆSTIO III.

De Prædicamentis.

ARTICVLVS I.

An Prædicamentis sit aliquid vniuocum.

1. SCOTVS *q. 3. Prædicamentali* asseuerat Prædicamentis esse aliquid vniuocum, quem sequuntur Tatar. *Ibid q. 1. Scibili 2.* Ioannes de Magistris, & alij doctrinæ Scoticæ alumni.

2. Not. Hìc non esse dubium, vtrùm Prædicamentis conueniat aliquod vniuocum reale; quandoquidem rerum quidditates in communi speculari, & transcendentia contemplari ad Met. spectat, vt animaduerti *q. 1. huius lib. art. 4.* Sed solùm esse difficultatem, num detur aliquod intentionale, in quo prædicamenta vniuocentur, quod ad Log. pertinet.

3. Assertio, aliquod intentionale vniuocum est prædicamentis quod est prædicamentum in communi sumptum. Ita Scot. *præcit. §. Ad q. dicendum.* Prob. primò, aliquid intentionale enunciatur de prædicamentis secundum idem nomen, eandémque rationem: ergo aliquid intentionale est eis vniuocum. Consequentia tenet, ant. prob. per definitionem vniuocorum; singula quippè prædicamenta conueniunt in communi nomine, & ratione prædicamenti, substantia enim est prædicamentum, quantitas est prædicamentum, & sic de cæteris summis generibus. 2. diuersitas in rebus primæ intentionis non impedit eas ab intellectu posse concipi conceptu vniuoco eis communi: vt, licet homo, & leo inter se differant, possunt tamen concipi sub conceptu vniuoco animalis: sed intentiones secundæ attribuuntur rebus, quatenùs ab intellectu concipiuntur: ergo cùm prædicamenta sub conceptu communi intentionali, quod est prædicamentum, conueniant, sequitur prædicamentum vniuersè sumptum vt est intentionale, esse vniuocum decem primis generibus.

4. Opponis 1. Prædicamenta sunt prima genera, vt omnes fatentur: at si daretur aliquid eis commune vniuocum, non forent prima genera, quia esset illud vniuocum istis prius, & communius: ergo nihil est commune ipsis vniuocum. Conf. dato communi vniuoco prædicamentis, ipsa forent species, conuenirent namque in illo communi, tanquam in genere, & differrent inter se per proprias differentias; cùm tamen certum sit, ea esse primò diuersa, vt tenet Doctor. *2. d. 3. q. 4. sub D.* Atqui falsum est prædicamenta esse species, cùm sint genera suprema: Ergo quoque falsum est ea conuenire in communi conceptu vniuoco. Concessa ma. nego minorem; nam vt inquit Scotus, illud commune intentionale perhibetur de illis non essentialiter, sed denominatiuè: eo ferè pacto, quo vniuersale præcisè sumptum dicitur de genere, vt patet *ex lib. 2. q. 1. art. 15.* Ad Conf. idem est dicendum, videlicet prædicamenta esse species denominatiuè, non verò essentialiter, vt loco nunc citato manet explicitum.

5. Opponis secundò, intentio secunda à re promanat: ergo vnitas intentionis ab vnitate rei efficitur: sed nulla res prædicamentis vniuocè conuenit: ergo nec eis competit 2. intentio Conf nullum vniuocum est denominatiuum: sed præfatum intentionale, effertur denominatiuè de prædicamentis, vt ait Doctor *q allegata in solutione primi, & 2.* Ergo, &c. Maior suadetur, quia vniuocum à denominatiuo dissidet, vt patet in præsenti libro. Resp. maiorem veram esse occasionaliter, non verò effectiuè; omnis quippè 2. intentio fit ab intellectu, & fundatur in re, à qua intellectus sumit occasionem fabricandi illam, vt ait Scotus *quæst. 3.*

vniuersalium. Ad conf. dico denominatiuum esse prædicatum vniuocum, non tamen vniuocè prædicari, vt fusè ostendi *art.4. præcedentis q.*

Articvlvs II.

Quot sint prædicamenta.

6. Acris olim viguit lis inter Philosophos de numero prædicamentorum, vt referunt Conimbr. *q.1. art.3.* & Fuentes *q.13. diff.1. art.5.* quæ adhuc non videtur esse sedata, vt nuperrimè ostendere nititur Ferch. *vestig.7. locis ab eo ex Arist. cit.* Celebratur quidem apud omnes fermè antiquos denarius categoriarum numerus, adeò vt ea relatis in principio huius libri, Herminus Peripateticus decem categorias Arist. in ore semper haberet. Verumtamen huiusmodi numerus à quibusdam etiam nunc despicitur, & reprehenditur, præsertim ab Arriaga *disp.2. Met. sect.1.* & Raconio *Tract.1. de categoria quæst.2. art.2.* nec ab eis longè distat Hurtadus *disp. 9. Met sect.5.* Nos autem cùm Scoto *Quol 11. §. de 4. ante K.* & alijs in locis infra citandis, à communi Philosophorum placito haud discedentes, pro firmitate, & stabilitate præfati numeri obseruamus, & recolimus ea dictis *q.1. huius lib. art.2.* Prædicamenta primò intentionaliter capta spectare ad Met. Secundò intentionaliter sumpta pertinere ad Log. Quorum distinctio, vt aduertit Doctor *q.11. prædicamentali § Ad q dicendum,* decerpitur penes rerum essentias, quæ in hisce decem classibus collocantur, ad rerum confusionem tollendam, earúmque distinctionem inuehendam, vt notat quoque Ferch. *vbi suprà.* Præterea, præsuppono ex dicendis in Met. ens reale, quod habet esse, vel potest habere esse, seclusa operatione intellectus, præcisè sumptum ex Scoto *1. d.8 q.3. N.* prima sui diuisione tanquam in suos modos diuidi in ens quantum, & non quantum, finitum, & infinitum. Ens verò finitum immediata sui partitione descendit ad decem prædicamenta, vt ad decem suos distinctos modos, quorum quilibet sortitur rationem constitutiuam vnius generis supremi: hisque correspondent diuersi prædicandi modi; & ideò vocantur prædicamenta, vt infert Scot. *q.15. Elench antè §. Ad q.* Quare docente Scoto *1. d.3. q.3. §. Contrà istam vniuocationem. O. & d.8. q.3. N* cui adhærent Sirectus *Tract. formalitatum fol.12. pag.1.* Tromb. & alij *ibid.* ens non est genus, cuius causam adducit Arist. *4. Top. c.6. loco 72. & 3. Met. T. 10.* Quia genus debet esse natura ita limitata, vt præscindi valeat a differentiis, per quas contrahitur. Infinitum autem, & finitum non sunt entis differentiæ, sed sunt modi, ad quos ens determinatur, vt *loco nuper cit.* abundè ostendemus.

7. Assertio. decem sunt prædicaments, siue decem summa genera. Hanc defendunt Arist. tùm hic *c.4.* tùm etiam *5. Met. T. 14.* Scotus *q.15. prædicamentali, §. Ad q. Quol.11. art.4. ante K. & 4. d.13. q.1. §. Ad huius autem difficultatis intellectum sub C. & 5. Met. q.5. & 6. & alibi.* & communiter cæteri Philosophi, quibus magis videtur esse adhærendum, quàm contradicendum, ne contemnatur authoritas antiquorum Philosophorum, propter quam inquit Auic. *3. Met.* citatus à Doctore *loco præcitato in 4.* cogimur illam celebrem diuisionem admittere prædicamentorum, & obseruare. Loquendum enim est cum multis, & torrenti Doctorum se opponere tutum esse non videtur. Idque innuit Ezech. *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Vndè rectè subdit Maior *q. de proprio §. Sed illum modum,* imitandus est communis vsus, vbi in oppositum non vrget ratio, vel authoritas. Et in re nostra idem author in calce prædicamentorum addit. Authoritas Philosophorum est potissima causa de numero denario prædicamentorum. Suaderi autem potest præposita assertio primò ratione S. Aug. *l. Categoriarum c.8.* qui supponens primum prædicamentum substantiæ tanquam nobis notum, reliqua prædicamenta accidentium ita colligit, accidentium quædam sunt intra substantiam, vt quantitas, qualitas, & situs: quædam verò sunt extra substantiam, vt vbi, quando, & habitus: & alia partim sunt intra, & partim extra substantiam, vt relatio, actio, & passio. Verùm ista ratio non demonstrat præfatum categoriarum numerum, quandoquidem omnia accidentia sunt extra substantiam, cùm ab ipsamet substantia egrediantur. Secundò adducitur ratio Scotistarum præcipuè Francisci de Mayronis *in præsenti, passim* 8. Quidquid est, aut est substantia aut accidens. Si primum, habetur prædicamentum substantiæ: Si secundum, aut est accidens absolutum, aut relatiuum. Si absolutum, vel sequitur materiam, & est quantitas, vel sequitur formam, & est qualitas. Si relatiuum, aut est intrinsecùs adueniens, & est categoria relationis: aut extrinsecùs adueniens, & hoc rursùs vel pertinet ad causalitatem, vel ad mensuram, vel ad ordinem. Si ad causalitatem, vel actiuè, vel passiuè, & ita habentur duo prædicamenta actionis, & passionis. Si ad mensuram, vel quantitatis permanentis, & est categoria vbi, vel successiuæ, & est quando. Si ad ordinem, aut partium, & est situs, aut totius, & est habitus. Nec ista ratio conuincit, non enim recipitur ab omnibus, præsertim illis, qui relationes extrinsecùs aduenientes respuunt, vt infrà patebit. Tertiò affertur ratio Nominalium, inter quos est Aure. *1. d.30. propos.6.* deprompta maximè ex Ocb. *1. p. sua logica c.41. & Quol.5. q.22.* penès numerum interrogationum, quæ fieri queunt de 1. substantia. Aut enim petimus de prima substantia, quid sit, & est primum prædicamentum: aut quanta sit, & est secundum prædicamentum quantitatis: aut qualis sit, & est prædicamentum qualitatis: aut quò refertur, & est prædicamentum relationis: aut quid agat, & est prædicamentum actionis: aut quid patiatur, & est prædicamentum passionis: aut vbi sit, & habetur categoria vbi: aut quomodo sit, & est categoria situs: aut qua duratione duret, & est quando: aut quomodo induta sit, & est habitus. At non decem petitiones de prima substantia inquirimus, vt præstant Nominales: sed venamur rationem, cur decē tantū sint categoriæ, quæ ab ipsis nequaquàm redditur. Accedit ratio Philosophi *c.4. huius operis,* desumpta ex decem rerum significationibus. Tot namque sunt categoriæ, quot sunt entia categorica incomplexa significatiua: sed huiusmodi entia significatiua decem numerantur: Ergò & decem sunt categoriæ. Maior videtur lucida. Minor ostenditur; aut enim significant substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, aut relationem, aut actionem, aut passionem, aut locum, aut tempus, aut situm, aut denique habitum, quæ omnia, denario numero comprehenduntur. Nec hæc ratio concludit; si enim ex multiplici significatione incomplexorum entium colliguntur decem categoriæ; cum plures, quam decem sint termini rerum significatiui incomplexi, vt liquet *in Epitome l.1. q.1.* plures quoque, quàm decem forent enumerandæ categoriæ. Præterea significare est aliquid intellectui repræsentare per nomen ad placitum imponentis, vt dixi *loco nunc citato q.2. art.1.* Ergo sicut ad placitum significantur decem categoriæ, ita & ad placitum decem referuntur, non propter aliquam rationem, necessariò præfatum numerum obfirmantem. Quare decas prædicamentorum non demonstratur, sed probabiliter suadetur, & defenditur, vt insinuat Doctor præcit.

8. Dices Scotum *q.11. prædicamentali, §. Ad q.* affirmare de hac diuisione Metaphysicam posse scire propter quid: sed scire propter quid est demonstrare: Ergo talis prædicamentorum diuisio demonstratione firmatur. Dico Doctorem ibi loqui dubitatiuè, ideò apposuit particulam dubitatiuam *fortè*: assertiuè verò loquitur in libris sententiarum, locis præcitatis, in

quibus

quibus apertè astruit propter antiquorum Philosophorum authoritatem distributionem denariam prædicamentorum esse retinendam, nec facilè huic esse contradicendum.

9. Oppones primò, ens est vnum omnium supremum, sub quo reliqua omnia continentur: ergo, tantùm est vnum prædicamentum, siue summum genus non habens supra se aliud genus, præsertim in opinione Scoti affirmantis ens esse vniuocum Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti. Conf. primò, quod per superabundantiam dicitur, vni soli competit secundum Priscianum: sed ens dicitur per superabundantiam, est enim generalissimum, & omnia transcendens: ergo admittendum est vnum tantùm prædicamentum entis. Conf. secundò, omnis pluralitas ad vnum est redigenda *ex 5. Top. loco* 5. quod illa multitudine est prius: ergo si sunt multa genera, ad vnum genus generalissimum, quod est illis prius est reuocanda, cuiusmodi est solum ens. Respond. ens esse quidem transcendens, sed non esse genus, quia non in differentias, sed in modos diuiditur, vt superiùs animaduerti. Itaque concedo ant. nego consequentiam. Potest namque ens esse vniuocum, tametsi non sit genus; ob id nihil concluditur contrà Scotum. Ad 1. conf. dico, maiorem veram esse non positiuè, sed negatiuè; possunt enim esse multa prima negatiuè, vti sunt dena prædicamenta. Ad 2. conf. dico prædicamenta redigi ad vnum prius eis entitate, causalitate, & perfectione, veluti est Deus omnium rerum principium, & finis, vt legitur *Apoc. 1.*

10. Oppones secundò, omne ens vel est substantia, vel accidens, quia vel est ens per se, & est substantia: vel est ens in alio, & est accidens: sed substantia vnum tantùm constituit prædicamentum: ergo & accidens aliud tantùm facit prædicamentum, ac proinde duæ series prædicamentales sunt duntaxat, altera substantiæ, altera verò accidentis. Neganda est paritas. Siquidem substantia gaudet vno solo modo per se essendi, & per se subsistendi, propterea extat vnum tantùm prædicamentum substantiæ. At accidens participat nouem modos inhærendi; ideò nouem habentur prædicamenta accidentis, quod non expendens Arriaga perperam carpit prænarratam categoriarum partitionem.

11. Oppones tertiò, ens diuiditur in absolutum, & relatiuum: ergo sicut datur vnum prædicamentum relatiuorum; ita concedendum est alterum prædicamentum absolutorum duntaxat: sicque cùm quantitas, & qualitas sint entia absoluta, non faciunt duo distincta prædicamenta, maximè quia accidentia pro suo subiecto materiam, vel formam non respiciunt, vt non supponit ratio Scotistarum adducta pro denis prædicamentis: sed compositum, vt ostendam in physica. Item extat diuisio in abstractum, & concretum: ergo, quemadmodum quantitas, quæ est abstractum constituit vnum prædicamentum, pariter quantum, quod est eius concretum constituet aliud prædicamentum, & quod de quantitate, & quanto dicitur; idem censendum est de qualitate, & quali, cæterisque abstractis, & concretis. Rursùs, si vnum oppositum dicitur multipliciter, quoque & reliquum *ex 1. Top. cap.* 12. ergo si accidens, quod substantiæ opponitur, in nouem summa genera multiplicatur, etiam substantia secatur in nouem suprema genera, atqueadeo 18. sunt numeranda prædicamenta. Hæc autem & consimilia videntur esse absurda. Ergo potiùs reducenda sunt ad duo prædicamenta, quàm tot prædicamenta multiplicare, nulla vrgente necessitate, & ratione probante. Concesso antecedente, nego absolutè dari vnum prædicamentum omnium relationum, suprà quippè partiti sumus relationem in intrinsecùs aduenientem, quæ facit prædicamentum relationis: & in extrinsecùs aduenientem, quæ per sex distinctos modos, quos habet, constituit sex vltima prædicamenta. Quare mirum non est, si accidens absolutum secernatur in duo genera, cùm habeat duplicem modum, per quem duplex constituitur prædicamentum. Cùm verò additur quantitatem insequi materiam, & qualitatem formam, non est capiendum de materia, & forma partis, vt deducitur in argumento, sed de materia, & forma totius, quæ à composito essentialiter non differunt. Aut fortè quia quantitas soli composito materiali, & qualitas rebus spiritualibus, quæ formæ plerumque nuncupantur, adaptantur: proptereà in prædicamentorum numeratione dictum est, quantitatem sequi materiam, & qualitatem formam; cum reuerà tam quantitas, quàm qualitas in composito inhæreant. Ad aliud dico, diuisionem in concretum, & abstractum esse diuisionem terminorum, non verò prædicamentorum, complectitur enim ens, & reliqua, quæ sub ipso comprehenduntur. Ideò abstractum, & concretum peculiares non faciunt categorias. Eò magis, quia abstractum, & concretum non differunt essentialiter, sed tantum in modo significandi, vt adnotaui *in Epitome lib. 1. quæst. 1. art. 6.* Ob id ad distinctas series categoricas non pertinent, vt insinuat Arist. qui *in hoc libro cap.* 14. inscribit de quantitate, & qualitate. *Et 5. Met. cap.* 13. de quanto, & quali. Idque perspicuè tradunt Doctor *vbi suprà, in solutione argumentorum*, & Maior *in responsione primi.* Ad illud postremum, nego accidens opponi substantiæ, potiùs quippè est disparatum quàm oppositum, nisi oppositio latè sumatur, est enim accidens effectus eius substantiæ, à qua prodit.

12. Oppones quartò, illa diuisio prædicamentorum non est immediata, priùs enim scinditur ens in substantiam, & accidens; itemque in increatum, & creatum, quàm in denas categorias. Rursùs assignanda est aliqua categoria, in qua prædicata Dei resideant. Denuò omnis bona diuisio est bimembris: ergo denaria prædicamentorum partitio peccat contrà leges bonæ diuisionis, immò fermè septem peccatis mortalibus obnoxiam esse prædicat Arriaga prænominatus. Resp. eam esse immediatam, respectu entis finiti, & creati, non verò entis præcisè sumpti, ideò nec Deus, nec eius prædicata in vllo clauduntur prædicamento, vt probabitur *in sequenti q.* Quamuis autem vtplurimum diuisio sit bimembris, præsertim si fuerit generis, in suas differentias: nihilominùs, quandoque necessariò multis membris constat, vt patet de trina figurarum & principiorum distributione: de quadripartita elementorum diuisione, deque anima, quæ in tres animarum species distribuitur: & in sacris Litteris, lex Dei in decem præcepta Decalogi secernitur. Quapropter non est abhorrenda, nec contemnenda, nec ægrè ferenda categoriarum decas, sed ab omnibus amplectenda, & celebranda.

13. Oppones quintò, non entia, figmenta, entia rationis, priuationes, & negationes sortiuntur propriam rationem superioris, & inferioris: intellectus quippè apprehendit ea, sub ratione concipiendi non singularis, sed vniuersalis, non alicuius generis, ex prærecensitis: ergò alicuius generis peculiaris generalissimi, quod est vnum prædicamentum, à cæteris distinctum, ac proindè saltem sunt 11. prædicamenta. Resp. ea omnia reduci ad prædicamenta, in quibus fundantur, & quorum sunt priuationes, & negationes, teste Philosopho 2. *de anima, T.* 96. vbi non visibile ad visibile, & non odorabile ad odorabile redigit. Ad idem quippè pertinent habitus, eiusque priuatio, corpus, eiusque vmbra. Quod non aduertens Arriaga *vbi suprà* pro inconuenienti habet in eodem prædicamento locari opposita, vt peccatum, & gratiam, sub categoria qualitatis, cum vnanimiter Philosophi calorem, & frigus, aliasque contrarias qualitates in dicto prædicamento qualitatis collocent. Adde quod Scotistæ docent gratiam, & peccatum opponi tantum demeritoriè. Eò magis, quia metaphysicè loquendo, ens finitum, quod ad decem categorias determinatur èst ens reale, vt patet ex Arist. 5. *Met. T.* 14. Scoto *citato §. Ad q. dicendum & quæst.* 25. *§. Dicendum*: vbi videtur reuocare

omnia intentionalia, siue entia rationis ad genus reale, in quo fundantur, & significat Lych. *Quol.13. in fine.* Et nos supra notauimus, tametsi non desint Scotistæ, qui vndecimum prædicamentum entium rationis excogitent, vt videre est apud Vallonem *Tract. formalitatum fol.*48. Zerbium 5. *Met. quæst.*8. aliosque Recentes; quibus fauet Scotus *quæst.*11. *prædicamentali*, qui suo dubio hanc relinquit difficultatem, non diluens rationem, quam attulerat pro parte affirmatiua. Cui satisfieri potest dicendo, in Logica Scotum quidem videri ancipitem de hoc: attamen in Met. & Theol. *locis præadductis* apertè suam aperire mentem, & libere suam proferre sententiam, quæ à communi non dissidet.

Articvlvs III.

An Prædicamenta inter se realiter differant.

14. IN hoc artic. tripartitos esse Philosophos refert Brulifer *in Epitome formalitatum*; Quidam enim, inter quos sunt Paulus Venetus 3. *Met. cap.*3. & Augustinus Sueslanus 4. *Met.quæst.*4. quibus consentiunt Tatar. *quæst.*1. *prædicam. dub.*2. & Mastrius, & Bellutus *disp* 6. *quæst.*2. ac Faber *Theor.* 41. *in fine cap.*2. existimant prædicamenta realiter inter se distingui. Alij vt Dominus Scotus *cap. de quantitate quæst.*1. Tol. *quæst.*5. Suarez *disp.*39. *Met. sect.*2. *numer.*21. & omnes Thomistæ ad distinguenda prædicamenta putant sufficere distinctionem rationis ratiocinatæ. Sirectus autem *Tract. formalitatum fol.*10. Tromb. Orbellus 5. *Met. cap.*7. & omnes Formalistæ *ibid.* quibus adstipulantur Ioannes Gandauensis 3. *phys. quæst.*5. *ad* 6. & Fonseca 5. *Met. cap.*7. *quæst.*3. *sect.*3. arbitrantur necessariò prædicamenta, saltem formaliter ab inuicem differre.

Præsupponenda, & in memoriam reuocanda sunt, quæ scripsi *præeunte libro quæst.*1. *art.*16. de distinctione, & ternario eius numero à Scotistis tradito; necnon de acceptione prædicamentorum primò intentionaliter, & secundò intentionaliter captorum. Etenim hæc dubitatio non excitatur de prædicamentis secundò intentionaliter sumptis: sic enim, docente Scoto *quæst.*11. *prædicam.* §. *Ad q. dicendum* ratione differunt, quia sunt formaliter entia rationis: sed de prædicamentis primò intentionaliter captis, quæ sunt entia realia, quorum speculatio propriè ad Met. spectat.

15. Assertio, quædam prædicamenta realiter, alia formaliter: nulla verò sola ratione inter se dissident. Hæc assertio est tripartita, & conformis doctrinæ Scoti, vt patet ex locis eius subiiciendis. Prima pars est eiusdem Doct. 2. *dist.*12. *quæst.*1. *& dist.*16 *q.vn.* & 4. *dist.*12. *quæst.*2. distinguentis quantitatem, & qualitatem à substantia realiter, quæ est eorum subiectum: substantia autem finita, in qua accidentia subiectantur, quantitas, & qualitas sunt tria prædicamenta. Iterum ex eodem 2. *distinct.*2. *quæst.*6. §. *Ad q. igitur. G. & Quol.*11. Diuinitùs corpus potest esse absque omni loco, quod de tempore, situ, & habitu dici potest. Adde relationem prædicamentalem, quæ re ipsa dissidet à suo fundamento secundum eumdem Doctorem 2. *d.*1. *quæst.*4 §. *Contra istam opinionem. I. &* 3. *dist.*1. *quæst.*1. *art.*3. R. Ergo per Scotum ferè omnia prædicamenta realiter differunt. Suadetur autem primò, inter substantiam, & accidens adest distinctio realis, veluti inter causam, & effectum cadit distinctio realis, *ex* 2. *distinct.*12. *quæst* 1. *antè* §. *Est igitur videndum sub A.* sed primum prædicamentum est substantia, reliqua verò sunt accidentia, quæ ab ipsa substantia proficiscuntur, veluti effectus à sua causa: ergo ferè cuncta prædicamenta realiter secernuntur ab inuicem. Secundò quæ possunt inter se separari, realiter differunt; separatio namque aliquorum realis est apertum indicium eorum distinctionis realis: sed aliqua prædicamenta, ab inuicem separari valent, vt substantia, quæ secùdum Arist. 7. Met. *T.*4. est prior accidente, natura, definitione, cognitione, & tempore, potéstque in diuina per se subsistere absque vllo accidente: ergo &c. Secunda pars deducitur ex Scoto 2. *d.*1. *q.*5. §. *Ad argumenta principalia P.* quem etiam citat Orbellus 5. *Met. c.*7 Et clarius *in reportatis* 2. *d.*1. *q.*6. *in solutione argumentorum*, vbi habentur hæc verba. *Ad aliud cùm dicitur, prædicamenta sunt primò diuersa; potest dici, quod hoc est verum, quantum ad rationes formales, & quidditatiuas, & tunc posset sustineri, quod diuersa prædicamenta possunt idem esse realiter, sed non formaliter.* Hoc ipsum confirmant Formalistæ præcitati. Hæc adduxi propter nostros Iuniores allegatos occurrentes, & dicentes; Scotum eam responsionem non recipere, sed alia tradere. Verùm etsi Doctor ibi aliter soluat argumentum propositum de relatione creaturæ ad Deum, quæ est transcendentalis, ac proinde in nulla categoriarum reposita, tamen reuera approbat distinctionem formalem inter prædicamenta, vt patet ex verbis eius allatis. Hinc Formalistæ *vbi suprà* exponentes illud Themistij dogma, *prædicamenta sunt impermixta*, intelligendum esse aiunt, formaliter, id est essentiæ prædicamentorum sunt formaliter distinctæ. Suadetur primò ex Arist. *c. de qualitate, in fine.* affirmante absurdum non esse, idem penes distinctas rationes formales posse locari in diuersis categoriis. Si respondeas cum relatis Nuperis, Arist. loqui non in propria, sed in aliorum sententia. Contra, quia Arist. satisfacit aliorum obiectioni duplici responsione, & secunda eius responsio est, quod idem secundum diuersas rationes formales spectare potest, ad diuersa prædicamenta, quod planum fecerat de scientia, quæ ponitur in prædicamento qualitatis, vt est habitus, & in prædicamento relationis, quatenùs respicit scibile. Quod si velis aliud explicatiùs, cape figuram: quæ secundùm rationem formalem quantitatis in categoria quantitatis residet: & secundum rationem formalem qualitatis in categoria qualitatis reponitur, vt alibi magis patebit. Prætereà, *ex* 3. *phys. T.*19. actio, & passio non realiter, sed formaliter differunt Huic respondent cum Scoto 4. *D.*13. *q.*1. § *Ad huius autem difficultatis K.* præfati Neoterici, Philosophum eo in loco verba facere de actione acta, hoc est de termino per actionem producto, non autem de actione, quæ pertinet ad prædicamentum actionis. At licet vno modo ita Doctor respondeat, tamen altero modo ibidem satisfacit interpretando Arist. sub L. his verbis. Alio modo ab hoc accipitur, non vt determinat aliquid præcedens, & tunc idem est cum isto respectu à quo, & hoc modo concedi potest pertinere ad genus actionis: sed isto modo non est motus, qui est in passo, nisi tantummodò terminatiuè, & hoc sufficit ad saluandum verba Arist. *ibid.* vult enim quod actio, & passio sint idem, sicut via ab Athenis ad Thebas, & è conuerso, non intelligo, quod intelligatur ibi vna via pro ipsa magnitudine, super quam fit motus: sed pro ipso motu, hinc, illuc: & è conuerso; vt patet per aliud exemplum, quod posuit de distantia hinc, illuc: & illinc, huc super idem spatium; vbi vult, quod illa sint eadem materialiter, propter identitatem spatij: sed alia formaliter, ita hic motus est illud, per quod dicitur agens per respectum ab hoc, intelligendo per ab hoc, respectum à quo. In mobili etiam fundatur è conuerso respectus ad agens. Et isti duo respectus habent aliquid idem materialiter, vt motum: sed formaliter sunt alij, & in aliis subiectis. Hinc subdit Bonetus, difficile esse demonstrare realem distinctionem inter actionem, & passionem, quoniam videtur pluribus, quod vna realitas sufficiat. Idem habent Sirectus. *Tract. form. fol.*4. & Vallo *ibid. fol.*11. quod fulcitur eo, quod scribit Doctor *Quol.* 13. citatus à Vallone *vbi supra*, motus,

qui

qui eſt forma fluens, idem numero poteſt eſſe actio, & paſſio, actio vt eſt ab agente, & paſſio vt eſt in paſſo. Secundò probatur, quæ ſunt inſeparabilia, habentque diſtinctas definitiones formaliter diſtinguuntur, vt liquet ex definitione diſtinctionis formalis allata *art. vlt. quæſt. 1. libri 1.* ſed actio, & paſſio ſunt inſeparabilia, cùm ex Ariſt. præcit. realiter identificentur, gaudeantque diſtinctis definitionibus, vt conſtat ex Gilberto Porr. *l. ſex principiorum.* Igitur aliqua prædicamenta formaliter diſſident. Tertia pars deducitur, & prob. ex Scoto *quæſt. 11. prædicamentali* §. *Ad q.* dicente, diſtinctionem decem categoriarum depromi penes rerum eſſentias: ſed rerum eſſentiæ, ratione abinuicem non differunt, cum ſint ſecluſo quouis opere intellectus: ergo prædicamenta haud ſolâ ratione inter ſe diſſident. Tertiò, inter rem, & rem, aut inter realitatem, & realitatem, ſiue quidditatem, & quidditatem non cadit diſtinctio rationis, vt docent Noſtrates *Tract. formalitatum* ex Scoto 2. *diſt. 1. quæſt. 5.* aliqua autem prædicamenta ſunt res, & res, vt ſubſtantia, quantitas, qualitas: aliqua verò ſunt realitates, & realitates, ſiue quidditates, & formalitates, vt actio & paſſio. Ergo inter ea nequaquam intercedit diſtinctio rationis. Idipſum corroborant omnes authoritates, & rationes adductæ ad probandas duas præcedentes partes.

16. Oppones primò, cum Neotericis prænominatis, Scot. 2. *diſt. 3. quæſt 4.* §. *Contrà iſtam concluſionem. D. & 5. Met. q. 6.* inter prædicamenta ſtatuit diſtinctionem realem: probarique poteſt ex eodem *ibid.* Nihil eſſe valet ſub diuerſis ſpeciebus diſparatis, quia nihil poteſt gaudere duplici eſſentia. Ergo aliquid eſſe nequit in duplici categoria. Prætereà, quæ numero differunt, realiter differunt. Sed res diuerſorum prædicamentorum numero differunt, quia iuxtà canonem antepredicamentalem, diuerſorum generum diuerſæ ſunt differentiæ, ſpecies, & indiuidua. Ergo, inter prædicamenta extat diſtinctio realis. Reſpond. Scotum eis, *in locis*, haud meminiſſe diſtinctionis realis cunctorum prædicamentorum, vt patet legenti eius text. Ad rationem ex eodem deductam dico, idem penes diſtinctas rationes formales poſſe ſpectare ad diuerſa prædicamenta, vt patet ex ſuperioribus, quibus addi poteſt alter locus Doctoris *in 4. citato*, §. *Ad huius autem C.* Neceſſe eſt dicere, reſpectus habeant ſufficientes rationes formales, ſufficientes inquam ad diſtinctionem generum. Nec rectè infertur vnum habere plures eſſentias, ſed tantùm plures formalitates. Ideò in Diuinis eſt vna eſſentia duntaxat, ſunt verò in Subtilium ſchola plura formaliter diſtincta, puta attributa, relationes originis, & id genus alia, vt latè docui *Tract. de Deo vno, diſp. 3. art. 2.* Ad aliam rationem diſtinguo, quæ numero differunt, & ab inuicem ſeparari valent, realiter diſtinguuntur, concedo: quæ verò numero differunt, & inter ſe ſeparari nequeunt, realiter ſecernuntur, nego.

17. Oppones ſecundò, ens, & res identificantur; ſunt enim ex tranſcēdentibus, quę ſunt idem realiter, & reciprocantur: ſed ens diuiditur in decem prædicamenta, vt in entia realia, & diſtincta ergo, & decem res: at inter res, & res adeſt diſtinctio realis ſecundū Scotum: ergo inter decem prædicamenta realis diſtinctio intercedit. Omiſſa triplici acceptione rei, quam affert Scot. *Quol. 3.* §. *De 1. A.* concedo ma. diſtinguo min. ſi intelligatur de diſtinctione reali, quoad omnia prædicamenta, nego: quoad aliqua, concedo, vt ſuprà patefeci. Ad ſubſumptum dico, ſi res ſumatur pro ſubſtantia, vel pro ente abſoluto, vniuerſaliter concedo: Quod ſi accipiatur pro modo, & circumſtantia rei, non eſt ſemper verum, præſertim de actione, & paſſione, aliiſque multis ſuo loco nominandis, & explicandis.

18. Oppones tertiò, prædicamenta ſunt ſumma genera, & primò diuerſa ex Ariſt. 8. *Met. c. vlt. T. 16.* & Scoto 2. *diſt. 3. quæſt. 4. ſub D. verſ. Ex tertia via:* ſed quæ ſunt primò diuerſa in nullo conueniunt, & quæ in nullo conueniunt, realiter differunt. Igitur, omnia prædicamenta realiter diſtinguuntur. Reſpond. cum Scoto *in Reportatis 2. diſtinct. 1. quæſt. 6.* diſtinguendo maiorem, prædicamenta ſunt primò diuerſa, in ratione tranſcendentali, nego: in ratione prædicamentali, concedo: commune quippè eis vniuocum eſt ens, quod eſt tranſcendens: nullum autem commune genus participant, vt ſcribit Doctor 1. *diſt. 3. q. 3.*

Articvlvs IV.

Quænam ponantur, aut excludantur à prædicamentis.

19. De multis poteſt eſſe dubitatio, potiſſimùm de entibus per ſe, & per accidens, de æquiuocis, & vniuocis, finitis, & infinitis, complexis, & incomplexis, completis, & incompletis, compoſitis, & partibus, atque indiuiduis.

20. Recolendi ſunt tres ordines prædicamentales, rectus, indirectus, & reductiuus adducti, & explicitì *in Epitome lib. 1. quæſt. 4. art. 2.*

21. Aſſertio prima, entia per ſe ponuntur in prædicamentis, non verò entia per accidens. Hanc docet Scot. *quæſt. 2. primi perih* § *Ad partem oppoſitam, & 3. diſt. 22. q. vn.* §. *Contrà iſta B.* Prob. 1. ex Ariſt. 5. *Met. cap. 7. T. 14.* qui ſolùm ens per ſe in categoria includit; & *lib. 6. eiuſdem operis T. 4.* à Met. entia per accidens excludit. Secundò, prædicamenta ſunt coordinationes naturales diſtinctarum rerum, penes eſſentiales prædicationes ſuperiorum de inferioribus, vt ſunt entia per ſe: ſed entia per accidens, cùm ex æquo plura ſignificent, vt *Coriſcum muſicum, ſortem album,* non poſſunt prædicari eſſentialiter, & ſubiici. Ergo entia per ſe ponuntur in categoriis, & entia per accidens ab eis explodunter, vt quoque inſinuat Scot. 2. *diſtinct. 3. quæſt. 4. antè F.*

22. Aſſertio ſecunda, ſola vniuoca locum habent in prædicamentis. Prob. 1. ex Ariſt. & Scoto, qui in Antepredicamentis vniuoca ab æquiuocis ſegregant, vt nobis innuant, vniuoca in prædicamentis includi, & æquiuoca ab eis excludi, vt ibi eorum interpretes aduertunt. Et 5. *Met. T. 14.* diuidunt ens reale finitum in decem categorias, quod ſecundum Scotum eſt vniuocum. Secundò, prædicamentum eſt coordinatio generis ſupremi, mediorum, & infimorum eſſentialiter ſubordinatorum: ſed hoc tantùm vniuocis accommodatur, quæ communi eſſentia gaudent: æquiuoca verò penes eſſentiam diſcriminantur. Ergo ſola vniuoca reponuntur in categoriis.

23. Aſſertio tertia, tantùm entia finita ſedem habent in prædicamentis. Tenet Scot. 1. *diſt. 3. quæſt. 3.* §. *Ad q. H & diſt. 8 quæſt. 3.* §. *Teneo opinionem meam. N.* qui aſſerit ens finitum diſtribui in decem genera, ibique ab eis excludit Deum, qui eſt ens infinitum. Prob. prædicamenta ex communi conſenſu, & ore, ſunt genera: ſed genera ſunt potentialia, quæ contrahuntur, & actuantur per ſuas differentias, ex dictis *q. de genere libri præcedentis:* ens autem infinitum eſt actualiſſimum, & ſummè neceſſarium. Ergo ſolùm entia finita in categoriis reſident. Plura *in ſeqq.*

24. Aſſertio quarta, non complexa, ſed incomplexa tenent locum in prædicamentis. Deducitur ex Scoto *quæſt. 12. vniuerſalium, & quæſt. 21. ad finem.* Prob. 1. ex Ariſt. *hoc loco*, qui adducens diuiſionem entis in incomplexum, & complexum; relicto complexo, ſumit incomplexum, ipſumque in decem diſtribuit prædicamenta. Secundò quæ ponuntur in categoriis, ſunt prædicabilia, & ſubiicibilia, vt conſtat ex prædicamenti deſcriptione: ſed ſolùm incomplexa ſunt huiuſmodi, quæ potiuntur ratione vniuerſalis, quæ eſt vnum prædicabile de multis: complexa verò multas rationes, mul-

tasque essentias sortiuntur; vnumque de altero essentialiter non prædicatur, vt patet. Præterea complexa effinguntur ab intellectu, cuius est componere, vel diuidere; at prædicamenta metaphysicè sumpta sunt senes rerum ab intellectu minime dependentium. Igitur incomplexa in categoriis collocantur duntaxat.

25. Dices, animal rationale, est complexum, quod ponitur in prædicamento substantiæ: & Porphyrius c. *de specie* pro genere viuentis ponit corpus animatum, & pro alio genere ponit animal rationale, sub quo censuit hominem, & Angelum comprehendi. Ergo à prædicamentis complexa non sunt reiicienda. Ant. suadetur ex Philosopho 1. *de anima cap.*1. *T.* 6. affirmante definitiones rerum esse desumendas ex prædicamentis. Dico sola complexa secundum rem excludi à categoriis, animal autem rationale, corpus animatum, & aliæ definitiones sunt complexa secundum vocem tantùm, coïnciduntque cum suis definitis, seu speciebus, vt notat Doctor nuper citatus. Ideò à categoriis non eximuntur.

26 Assertio quinta, completa, & composita, siue simpliciter, quæ ad alterius entis per se compositionem spectare nequeunt, vt indiuidua specierum athomarum: siue secundum quid, quæ compositionem alterius entis per se ingrediuntur, quamuis secundum se sint completa, vt genera, & species, in serie prædicamentali reponuntur. Prob. 1 ex Porphyrio, qui c. *de specie* texit arborem prædicamentalem, in eius recta linea locat genera, & species, à cuius coordinatione non declinat Arist. tum *in hoc libro*, tum etiam 5. *Met. cap* 7. & alibi frequenter: nec alienus est Scotus 2. *distinct.*1. *quæst.* 3. §. *Contrà illud sub A.* Et *quæst* 4 §. *Contrà istam conclusionem D.* & *E.* & 3. *distinct.* 22. *q vn.* §. *Contrà ista. B.* Secundò, in ordine recto categorico, à supremo genere tanquàm capite, & apice, per genera subalterna, species intermedias, & infimas itur vsque ad indiuidua eiusdemmet coordinationis, tanquàm eius calcem, & basim: sed genera, & species sunt naturæ completæ secundum quid, & indiuidua sunt naturæ perfectæ, & completæ simpliciter, vt suprà monui. Ergo &c. Tertiò, primum genus prædicatur per se, & essentialiter de quolibet prædicato suæ coordinationis naturalis, & indiuiduum est subiectum receptiuum cuiuslibet prædicabilis eiusdem coordinationis: sed ea de quibus sic prædicatur summum genus, sunt genera intermedia, & species, & indiuidua, quæ sunt naturæ compositæ, & perfectæ: ergo &c. Hinc à recta linea prædicamentali remouentur partes metaphysicæ, quæ sont differentiæ, ad latus prædicamenti admissæ, vt insinuat Arist. 6. *Top. cap.* 3. & 5. *Met. T.* 10. Siquidem genus de ipsis non prædicatur formaliter, nec ipsæ formaliter, & per modum totius perhibentur, cùm sint primò diuersæ, ac proindè in nullo essentiali prædicato conuenientes, vt patet ex *lib.* 1. *quæst.* 5. *art.* 3. Idque perspicuè ostendit Porphy. *loco cit.* exemplo de differentiis prædicamenti substãtiæ, quas in latere apposuit.

27. Dices cum Ammonio *c. de substantia*, quem sequitur Hurtadus *disp.* 9. *Met. sect.* 3. §. 30. & 31. æque simplicia, & incompleta sunt genera, ac differentiæ: sed illa directè sunt in categoria: ergo & istæ. Maior prob. quia genera sunt entia incompleta, & partes specierum, veluti differentiæ. Par igitur est ratio de vtrisque. Item, species per se, & directè ponitur in prædicamentis: ergo & differentia, cùm ex hac componatur illa. Rursùs hæc est directa prædicatio, *Petrus est rationalis*, sicut illa *Petrus est animal*, non ergo differentiæ à recto ordine categoriæ secluduntur.

28. Dico, non ob hanc, sed ob aliam causam præostensam à nobis, differentias ad latus prædicamenti admitti, videlicet quia differentiæ prædicata superiora formaliter non continent, nec prædicantur de inferioribus per modum totius: idcirco meritò à recta linea prædicamentali explodontur. Per hanc quoque rationem diluuntur, quæ addit Hurtadus: species namque formaliter superiora includit, atque de inferioribus per modum totius essentialiter enunciatur. Ad aliud dico, ambas esse prædicationes directas, quia sunt in primo modo dicendi per se, suntque animal, & rationale partes essentiales hominis, eiusque indiuiduorum: sed ex hoc non bene infertur, differentias esse directè in categoria: secùs passiones forent quoque directè, in prædicamento, quia hæc est per se, & directa prædicatio, *homo est risibilis*. Idipsum cum Scoto *quæst.* 15. *prædicam.* & 3. *distinct.* 52. *q. vn.* §. *Contrà ista sub A.* affirmo de partibus physicis essentialibus, putà materia, & forma, quod expresse de anima tenet Arist. 2. *de anima cap.* 1. & de partibus integralibus, vti sunt caput, manus, & aliæ, quæ appellantur partes dissimilares, & hætherogeneæ, quæ in recto non efferuntur de compositis ex eis, vt non valet, *Petrus est materia, vel forma*: nec, *Petrus est caput, aut manus*. Præterea istæ sunt partes substantiæ completæ, partes autem reduci ad totum, cuius sunt partes, constans est Philosophorum doctrina. Ergo prænominatæ partes reductiuè tantùm dicuntur esse in prædicamento, vt præ aliis tradit Lych. 1. *dist.* 8. *quæst.* 2 *propè finem.* §. *Ad argumenta pro* 1. *opinione* post Arist. 7. *Met. T.* 56. De partibus autem homogeneis, seu similaribus non videtur esse par ratio, vt ait Fuentes *quæst.* 13. *diff.* x. *art.* 5. *numer.* 23. aduersùs Ruuium *cap* 4 *de complexis quæst.* 1. *num.* 12. & Suarez *disp.* 34. *Met sect* 8. siquidem perhibente Doctore *in* 3. *passu allegato B.* omnia illa sunt per se in genere, quæ includunt quidditatem, aut quæ sunt ipsa quidditas: sed partes homogeneæ includunt quidditatem, siue prædicata quidditatiua, & essentialia superiorum, vt patet de parte aquæ, quæ seiuncta à tota aliqua aqua, plane est completa aqua, & omnia, quæ aquæ in communi essentialiter competunt, ipsi quoque accommodantur. Igitur partes homogeneæ non sunt à recto prædicamentali ordine excludendæ.

29. Dices, partes quæcumque illæ sint, ratione totius sortiuntur esse incompletum, quia ordinantur ad totum constituendum, quod ex incompletis conflatur. Ergo partes homogeneæ per se non locantur in prædicamento, sed respectu totius duntaxat, veluti partes physicæ, & metaphysicæ. Dico huiusmodi vocari partes non quidem per se, & subiectiuas, ratione scilicet alicuius superioris, cui subiiciuntur, cùm vt sic sint quid completum, & de his tota essentia prædicetur, vt mox dicebam: sed per accidens, & penes diuisionem.

30. Assertio sexta, indiuidua per se, & directè sunt in prædicamento. Ita Scot. *vbi suprà*. & 2. *citato D.* & *E.* Et ex eodem *ibi* potest sic ostendi: quod non includit aliquam quidditatem in genere, nec aliqua quidditas in genere includit ipsum, non est in genere per se, neque per accidens: sed indiuiduum includit omnes quidditates, siue omnia prædicata superiora, deque ipso omnia ea essentialiter prædicantur, vt *planta est viuens, corpus, & substantia* Igitur indiuiduum per se extat in genere, immò est basis, & fundamentum totius fabricæ prædicamentalis. Rursùs, sicut primum prædicatum, siue primum genus non demitur à catalogo directo categoriæ: ita infimum subiectum cuiuslibet prædicabilis, quod est indiuiduum à serie prædicamentali expellendum haud est.

31. Dices, in categoria resident prædicabilia, vt ipsum nomen *categoria* insinuat: indiuiduum autem non est prædicabile, sed subiicibile. Ergo indiuiduum per se non ponitur in genere. Eò magis, quia Porphy. agens de prædicabilibus *in sua Isagoge* adducit prædicamentum substantiæ, indiuidui autem *ibi* non meminit: ergo &c. in genere nedum prædicabilia, verùm etiam subiicibilia per se poni. Ad Porph. dico, ipsum pertractare vniuersalia, & essentialia prædicata, non autem particularia, & materialia: ob id reticet indiuidua.

ARTICVLVS V.

An Concreta, vel abstracta ponantur in prædicamentis.

32. CVM duplex sit concretum ex Scoto *quæst.16. vniuers.* §. *Ad* 1. Et *ex quæst.2. art.5. huius libri*, vnum sit concretum concretione ad suppositum, quod est concretum substantiale: & alterum concretum concretione ad subiectum, quod est concretum accidentale: huic duplici concreto correspondeat duplex abstractum, substantiale, & accidentale: dubitatur in præsenti, vtrum substantiæ, & accidentia per se locum habeant in prædicamentis, sub nominibus concretis, an verò sub nominibus abstractis.

33. Assertio prima, concreta substantiæ, non verò eius abstracta locantur in prædicamento. Deducitur ex Scoto *quæst.16. vniuersalium, & quæst.11. prædicam.* necnon 1. *distinct.5. quæst.*1. Lych. aliique Scotistis *ibid.* Prob. 1. ex Porph. qui *c. de specie*, digessit prædicamentum substantiæ nominibus concretis, vt patet intuenti textum. Secundò ex Arist. *c. de substantia*, qui affirmans 2. substãtias prædicari de primia affert exempla de concretis, vt *homo, animal, quidam homo*. Tertiò in categoria substantiæ per se ponuntur genera, & species: sed abstracta substantialia nequeunt esse genera, & species, quia de nullo formaliter prædicantur, cùm præscindant ab inferioribus: ob id vera non est prædicatio abstracti de abstracto substantiali, vt *humanitas est animalitas*. Ergo tantùm concreta substantiæ prædicamento adscribuntur.

34. Assertio secunda, abstracta accidentium, non verò concreta eorum resident in prædicamentis. Tenet Scotus *quæst.15. vniuers.* §. *Vel aliter*, eùmque est Sarnanus *ibid.* quam probat *ex 3. Top. cap.*1. vbi scribit Arist. iustitiam esse in genere, & non iustum: at iustitia est abstractum accidentis, & iustum est eius concretum. Igitur abstracta accidentium locantur per se in prædicamentis. Idem etiam tradit Doctor *quæst.11. prædicamentali* §. *Ad q.* Præterea, quæ statuuntur per se in categoria sic disponuntur, vt superiora formaliter, & essentialiter prædicentur de inferioribus: vt denotat prædicamenti descriptio: atqui veræ, & formales sunt prædicationes abstractorum, accidentium, de abstractis non vltimatis, vt *albedo est qualitas*. Igitur abstracta accidentium reponuntur in prædicamentis.

35. Oppones primò, Scot. *in 3. loco non semel à nobis precit. B.* scribit hominem, aut humanitatem esse per se in genere: sed homo est nomen concretum, & humanitas est eius abstractum substantiale. Ergo, tam concretum, quàm abstractum substantiale sunt per se in prædicamento substantiæ. Conf. eadem videtur esse ratio de accidente, ac de substantia, sed accidens in abstracto secundum Scotum ponitur in prædicamento: ergo & substantia in abstracto locari debet in ipsomet prædicamento. Maior prob. sicut modus inhærendi competit accidenti, ita modus per se subsistendi conuenit substantiæ. Ergo, æqua de vtrisque extat ratio. Resp. concretum, & abstractum differre tantùm in modo significandi, quod discrimen quamuis prohibeat prædicationem vnius de alio, nihilominùs non valet ad distinguenda genera, nec ad locandum aliquid in diuersis prædicamentia. Quare concretum, & abstractum substantiale sunt in eadem categoria; cùm hoc tamen discrimine, videlicet, concretum directè est in genere, eius verò abstractum reductiuè. Ista responsio hauritur ex Doctore *quæst.11. prædicam. in solutione tertij. vers. Ad aliud de concretis*. Ad conf. nego ma. ad eius probationem dico esse disparitatem; siquidem substantia vnum tantùm significat, quod per se subsistit: accidens verò duo præsefert, vnum formale, quod est forma accidentalis: & aliud materiale, quod est ipsius formæ accidentalis subiectum Quo fit vt substantia nomine concreto, accidens verò nomine abstracto in prædicamento ordinetur.

36. Oppones secundò, Arist. in prædicamentis nominat accidens in concreto, atque in eis collocat, vt quantum, quale, & huiusmodi, secundùm Boetij translationem, quodque expresse astruit 1. *Top. cap.7. & 4. eiusdem operis cap.1. & 5. Met. cap.13. & 14. & alibi.* Igitur in lieæo Arist. accidentia sub nominibus concretis subscribuntur prædicamentis. Conf. ex Doctore *quæst.15. vniuersalium.* §. *Vel aliter.* Et *quæst.11. prædicam. vers. prærecensito*, qui fatetur concreta accidentium esse in genere, quia non constituunt distincta genera ab eorum abstractis: seque habent veluti superiora, & inferiora, sicut eorum abstracta Non ergo sola abstracta accidentium in prædicamentis locum occupant. Resp. prætermissis aliorum responsis, si quandoque Arist. accidentia nominibus concretis admittit in categoriis, id præstitisse, vt nobis innueret accidentalia abstracta non constituere diuersa prædicamenta ab eorum concretis: sed vtraque residere in eisdem prædicamentis, hac cum differentia, vt abstracta per se, & concreta reductiue duntaxat locentur in ipsia categoriis. Ita occurrit Scot. *quæst.15. vniuers.* his verbis. *Sed simpliciter loquendo non sunt in genere, nisi per reductionem, quia non sunt in prædicamento, nisi quia coordinatio concretorum reducitur ad coordinationem abstractorum.* Idem ferè habet *quæst.11 prædicamentali versu allegato.* Pet hoc etiam satisfit confirmatio, nam ex ipso deprompta. Hæc consultò attuli propter Mastrium, & Bellutum, qui non Scotum, sed Rubium *quæst.2. de complexio*, secuti, asseuerant tam abstracta accidentalia, quàm eorum concreta directè poni in prædicamentis, vt constat ex eorum, *disp.6. quæst.3. artic.2.*

37. Oppones tertiò, partes à recta linea prædicamentali reiiciuntur, vt patuit *in præcunte art.* sed abstracta accidentalia sunt partes concretorum accidentalium, componuntur namque concreta eorum ex formia accidentium, & ex propriis modis naturalis inhærentiæ in subiectis Igitur abstracta accidentium per se non ponuntur in categoriis. Concessa maiore, neganda est minor, siquidem abstracta accidentalia sunt naturæ perfectæ, & completæ in suo esse essentiali, suntque naturæ genericæ, aut specificæ, aut indiuiduæ, de quibus (dummodo non sint vltimatè abstracta) efformantur propositiones formales, & essentiales, vt *albedo est qualitas, superficies est qualitas*, & huiusmodi: tametsi ob suam imbecillitatem subiectis tanquam eorum adminiculis indigeant.

ARTICVLVS VI.

An aliquid poni valeat in diuersis prædicamentis.

38. COmplures, inter quos sunt Mastrius, & Bellutus *disp.6 quæst.2. & q.4* ac Ponc. *disp 11. quæst.2.* negant idem posse ad diuersa prædicamenta etiam secundum diuersas rationes pertinere. Quibus aduersantur Auersa ab eis citatus, Attiaga *disp.1 a sect.9. numer.47.* & alij secuti nostros Formalistas allegatos *art.3. huius q.* & Bacconem 1. *dist.18. quæst.2. art.2. & 4.* arbitrantes idem penes distinctas rationes formales posse residere in distinctis categoriis. Adde Boëtium *in c. de ad aliquid*, cuius propria verba affert Bacco *loco nunc citato*: fauent Simplicius Alb. & Orbell. 5. *Met. cap.7.*

39. Not. ex Scoto *quæst.10. prædicam.* post Arist. 5. *Met. T.7.* vnum distribui in vnum per se, & vnum per accidens, Vnum per se est, quod habet vnum per se conceptum;

conceptum; estque quadruplex ex eodem Philosopho *ibi*, videlicet vnum genere, specie numero, & proportione. Vnum per accidens dicitur illud, quod plures habet conceptus, vel vno nomine expressos, vt scientia, quæ vt designat absolutum, est in prædicamento qualitatis, vt verò denotat relationem mensurabilis ad mensuram, est in prædicamento relationis: aut pluribus nominibus æque immediatè significatos, vt *album musicum*: aut vnum per se significat, & aliud connotat, vt *album*, quod formaliter significat albedinem, & materialiter subiectum, in quo albedo inhæret. Plura Orbellus *in Met. loco prællegato* Perbaltus *verbo modus intrinsecus* § 7. & Tatar. *ibid.*

39. Assertio prima, aliquid vnum per accidens in distinctis ponitur categoriis, iuxtà distincta eius significata. Ita Scot. *q. prædicam. allegata, vers. Ad* 1. *istorum potest dici*: & insinuat 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. §. *Ad q. respondeo. D.* Prob. prædicamenta ex dictis sunt classes rerum distinctarum: sed vnum per accidens significat plures conceptus, siue plures res, aut formalitates, vt constat ex prænotato notabili. Ergo iuxtà distinctionem rerum, siue conceptuum obiectiuorum assignanda sunt eis distincta prædicamenta, in quibus tales res disponuntur, & ordinantur. Idipsum astruendum est de vno & eodem proportione, vt tenet Doctor *vbi suprà* § *Ad q.* & prob. quia talis vnitas, & identitas proportionis consistit in similiter se habere, velut animal, & color; vt enim se habet color ad albedinem, ita animal se habet ad hominem: hoc est, sicut color est genus respectu albedinis: sic animal est genus respectu hominis. Constat autem colorem, & animal esse distinctarum categoriarum; nam animal in categoria substantiæ, color verò in categoria qualitatis residet: Ergo, quæ sunt vnum, & idem proportione, in diuersis prædicamentis reponuntur.

40. Assertio secunda, vnum, & idem per se non admittitur in diuersis prædicamentis: nihil autem obstat penes diuersas rationes formales idem locari in distinctis categoriis. Hæc assertio est bipartita. Prima pars defenditur à Doctore *eo ipso loco citato. vers. Idem specie vel genere.* Et *quæst.* 15. *vniuers.* §. *Ad* 1. *arg. vers. Aliter licet.* Prob. 1. ex Philosopho à Scoto in q. allegato. Quæ differunt in priore, differunt in posteriore: ergo, quæ differunt genere, differunt specie, & numero: ac proinde vnum & idem per se nequit esse in diuersis generibus generalissimis. Secundò, diuersorum generum non subalternatim positorum diuersæ sunt differentiæ, species, & indiuidua, docente Arist. *hoc loco*: ergo vnum per se, quod est vnum genere vel specie, vel numero nequit sedem tenere in distinctis prædicamentis. Siquidem ad essentiam speciei pertinet genus: Ergo si idem specie, vel genere inferiori esset in diuersis generibus superioribus, illa ambo genera forent de eius essentia; sicque non esset idem essentialiter: quia duo genera non subalterna diuersam essentiam prædicant. Denuò, differentia, & genus constituunt vnum essentialiter: Ergo diuersum genus, & diuersa differentia constituunt aliud vnum essentialiter; atque adeò vnum & idem nequit ordinari in distinctis prædicamentis. Secunda pars abundè manet probata *art.* 3. *huius q.* authoritatibus, & rationibus ibi recognoscendis.

41. Oppones primò, contra primam partem 2. assertionis, Porph *in Isagoge c. de specie* ponit corpus in prædicamento substantiæ, & Arist. *c. de quantitate* locat corpus in prædicamento quantitatis: Ergo vnum per se, vti est corpus, collocari potest in diuersis prædicamentis. Conf. figura residet in genere quantitatis, consideratur namque à Geometra, qui quantitatem per se respicit: & Arist. *c. de qualitate*, ipsam numerat in quarta specie qualitatis. Nihil ergo obest, quin vnum per se inter diuersa suprema genera referatur. Respond. corpus bifariàm posse vsurpari, vno modo pro natura capaci trium dimensionum, nempe longitudinis, latitudinis, & profunditatis, quæ coincidit cum substantias corporea, & ita sumpsit corpus Porph. citatus, rectèque ipsum in categoria substantiæ locat. Altero modo pro trina recensita dimensione; quo in sensu Arist. corpus admittit in categoria quantitatis. Ad conf. pariter dico figuram secundò accipi, aut pro superficie lineis terminata, & est in genere quantitatis: aut prò ipsamet linearum terminatione, & est in genere qualitatis.

41. Oppones secundò, duplum, & dimidium sunt quanta per se, & inter relatiua numerantur: itemque æquale, & inæquale in genere quantitatis ponuntur, & inter relatiua adscribuntur. Ergo vnum per se locari potest in distinctis categoriis. Conf. de motu, qui in prædicamento quantitatis refertur, necnon in genere actionis, vel passionis. Respond. duplum, & dimidium considerari queunt, aut quatenùs sunt quanta, & ita sunt in genere quantitatis: aut quatenùs se mutuò respiciunt, & penes tales respectus sunt in categoria relationis. Idipsum quoque de æquali, & inæquali existimandum est. Ad conf. dico, motum esse æquiuocum, de quo fit mentio in postprædicamentis: penesque diuersum terminum in diuersis poni potest prædicamentis, siue ad ea reduci.

QVÆSTIO IV.

De Substantia.

ARTICVLVS I.

Quodnam sit supremum genus Prædicamenti Substantiæ?

1. ACCEPTIONES, & diuisiones substantiæ petendæ sunt *ex Epitome lib.* 1 *q.* 4. *art.* 3. magnoperè autem insudant Philosophi in perquirenda propria ratione, siue conceptu quidditatiuo substantiæ, prout ab accidente dissidet, omnique substantiæ accommodatur: De quo videndi sunt Bonetus *in prædicamentis, libello de substantia*, Suarez *disp.* 33. *Met sect.* 1. Hurtadus *in Met. disp.* 10. *sect.* 2. & Arriaga *disp.* 4 *subsect.* 2. *& inde.* Ego autem existimo rationem communem omni substantiæ, tam creatæ, quàm increatæ, totali, & partiali, completæ, & incompletæ congruentem ab hisce præscindentem, & abstrahentem designari per *non esse in subiecto*, vt patet ex Arist. *in Antepradicamentis*, qui tradens rationem substantiæ, tam singulari, quam vniuersali communem, in eis semper ponit *non esse in subiecto*: & assignans definitionem omni accidenti communem, scribit hanc esse, videlicet *esse in subiecto.* Quod recipit, & exprimit Auic. 2. *Met. c.* 1. inquiens, ens in subiecto esse accidens, & ens non in subiecto esse substantiam. Subscribit Scot. *Quol.* 3. §. *Respondeo* 5. *& quol.* 9. §. *De* 2. *A.* Nec mirum vlli esse debet, si substantia negatiuè describitur, quandoquidem Deus, & materia prima ex alibi dicendis pariter negatiuè describuntur, cùm tamen sint vera, & realia entia positiua. Itaque sub illa negatione posita in descriptione substantiæ intelligitur aliquid positiuum, nempe ens per se subsistens, quod omni vtique substantiæ adaptatur, adeò vt non esse in subiecto, & ens per se subsistens coincidant: substantia autem sic vniuersè sumpta est transcendens, complectens quamcumque substantiam siue completam, siue incompletam, siue partialem siue totam, vt egregiè prosequitur Doctor *Quol prællegato.*

2. Assertio prima, probè describitur substantia transcendentaliter sumpta, ens quod non est in subiecto, siue

siue ens subsistens Deducitur ex Arist ex Scoto *vbi suprà* præsertim *Quol. 3. P. ad 2.* quibus adhærent Gadius *ibid.* Lych. *1. dist. 8. q. 2. in responsione ad argumenta pro 2 opinione:* & alij permulti. Suaderi autem potest 1. ex ipsius substantiæ ratione, substantia denatur a subsistendo, vt dixi *in Epitome loco cit.* & fuse ostendit Suarez præallegatus *sect. 1. num. 2.* Ergo substantia est ens subsistens, veluti homo, qui ab humo trahit originem, dicitur terrenus, iuxtà illud D Pauli 1. Corint. 15. *Primus homo de terra terrenus*, &c. Secundò, ens diuiditur in substantiam, & accidens, tanquàm in membra diuidentia inter se opposita, ex communi Philosophorum placito: sed accidens definitur, quod est in subiecto, siue ens inhærens: ergo ex opposito, substantia est ens, quod non est in subiecto, siue ens subsistens. Rursùs in præallata substantiæ descriptionē ponitur ens, quod est etiam commune accidenti: & apponitur subsistens, per quod ab eo discrepat. Igitur congrua est præfata substantiæ descriptio.

3. Assertio 2. summum genus substantiæ categoricæ est *ens per se subsistens, finitum, & completum.* Hanc non obscurè indicant Arist. & Scotus nuper allegati, quibus adstipulantur Bonetus *loco cit. & lib. 8. Met. & lib. 1. Theologiæ naturalis cap. 1.* Suarez. Prænominatus, *n. 20.* & cæteri Philosophi præter Nominales, aliosque nonnullos *art. 3. & 4. huius q.* adducendos. Probari autem potest assertio ex alia substantiæ etymologia, quam significat Philosophus *5. Met. cap. 8.* nempè substantia à substãdo perhibetur, quia substat accidentibus: sed huiusmodi substantia est ens finitum, & completum, cum substantia infinita longè sit ab omni accidẽtis receptione; substantia verò finita, & composita sit conueniens subiectum accidentium receptiuum, vt monstrabitur in Physica. Ergo &c Prætereà *ex 7. Met. T. 4.* substantia est prior omni accidẽte origine, natura, perfectione, & tempore: sed hæc est substãtia finita, & completa, cuiusmodi sunt genera, & species. Ergo genus supremum substãtiæ prædicamentalis est ens finitum, & completum. Denuò pèr supra positam assertionẽ tradi possunt rationes communes, & peculiares, in quibus omnes substantię conueniunt, & inter se differunt. Nam ens subsistens est substantia transcendentalis, cuius rationem participant reliquæ substantiæ. Per *finitum* distinguitur à Deo, qui est substantia infinita Et per *completum* differt à substantiis incompletis, & partialibus. Adde conditiones præassignatas *in superiori q art. 4.* ex quibus, & aliis omnibus præmissis infertur, probè descibi substantiæ categoricę summum genus esse *ens subsistẽs, finitum, & completum.*

4. Oppones 1. contra 1. assertionem; si ratio, & quidditas substãtiæ præcisè sumptæ est, non esse in subiecto forma equi, & quælibet alia forma, quæ educitur de potentia materiæ non esset substantia, quia est in materia, quæ est formarum omnium commune subiectum: sed negare præfatas formas esse substantiales Arist. & rationi pugnat, vt suo loco ostendetur. Igitur ratio substantiæ nequaquam est, non esse in subiecto. Conf. non esse in subiecto est prima proprietas substantię, vt patet *in præsenti c.* Ergo, non est eius essentia. Resp. negando sequelam maioris, quia forma est in materiâ, vt pars in sua comparte, non verò vt accidẽs inhæret in subiecto. Quare materia vocatur subiectum formarum non inhæsionis, sed informationis, scribente Doctore *Quol. 9 §. De 2. A.* Vnde ex materia, & forma fit vnum per se: non sic ex subiecto, & accidente: eò magis, quia subiectum accidẽtis est compositum, non ita subiectum formarum quod est materia, vt insinuat Doctor *q. 15. prædicamentali, §. Ad q. potest dici.* Vel dicito cùm eodem Doctore, partes sunt in toto, non verò in subiecto; alius quippè est modus essendi partium in toto: alius verò est modus essẽdi in subiecto. Ad conf. dico, nos circumloqui essentiam substantiæ per eius primam proprietatem, veluti Arist. definit quantitatem, per eius primam proprietatem, quæ est diuisibilitas, vt patet *5. Met. c. de quanto.* Et elementa pariter per eorum proprietates, vt habetur 2. *de generatione T. 7.* Quod tunc fit, cum essentia rei nos latet, proprietas verò eius nobis patet. Ob id aptè subiungit Bonetus *in prærecensito libello*, quid sit substantia proptie ignoramus, & quoquo modo nobis innotescit per eius attributa, & passiones.

5. Oppones secundò, præallata substantiæ descriptio non competit omni substãtiæ. Ergo non est idonea. Ant. prob. non conuenit 2. substantiis, quæ sunt in primis. Propterea subiicit Philosophus *hoc c. de substantia* corruptis primis substãtiis, corrũpuntur & secundæ. Resp. negatione antecedẽtis, ad eius probationem dico secundas substãtias esse in primis, veluti genera, & species in suis indiuiduis, siue vt superiora insunt in inferiorib. non autẽ veluti accidentia in suis subiectis inhærent. Assertum verò Arist exponitur secũdariò, & mediatè; non autem primario, & immediatè. Hæc autem distinctio iam fuit explanata *l. 2 q. 1. ar. 1. in responsione prima oppositionis.* Aut si mauis, dic cũ Scoto *q. 13 pædicam. §. Dicendum:* illud esse intelligẽdũ penes esse existẽtię, nõ verò penes esse essentiæ, siue esse quidditatiuũ, & esse intelligibile.

6. Dices, 2. substantia opponitur primæ substantiæ, quia diuisio fit per membra opposita: sed nullum oppositum habet esse in alio opposito. Ergo nullum esse habet 2. substantia in prima.

Dici potest, subiungit Scot. *vbi suprà.* secundam, & primam substantiam esse supposita relatiua, cùm autem relatiua sint simul natura, *ex c. de relatione.* Ideò corrupta prima substantia, corrumpitur vtique secunda, cùm relatiua se mutuò ponant, seque mutuò destruant. Qualis autem sit diuisio substantiæ in primam, & secundam, proximo art. palam fiet.

7. Oppones tertio. Scot. *q 15. prædicam § Ad q. potest dici* scribit substãtiam esse nomen ęquiuocum respectu generis generalissimi substantiæ, & partium substantialium Igitur non est admittenda ratio cõmunis substantię transcendentalis, quæ competat cunctis substantiis, tam completis, quàm incompletis, & partialibus Resp Scotũ id protulisse, vt ostenderet partes substantiales non poni directè in prædicamento substantię: sed tantũ reductiuè, vt dixi de reliquis partib *q antecedente ar. 3.* ac proindè partes substantiales non participant rationem substãtiæ genericam, sed communem transcendentalem.

8. Oppones 4. contra 2 assertionem ea est substantia cõpleta, quę constat ex genere, & differentia, quia completa, & cõposita substantia idem ferè sonant: sed genus supremum substantię categoricæ non est substãtia composita, quia supra ipsum non datur aliud genus, secus nõ esset 1 genus, nec differẽtia, quę supponit genus sub quo potentialiter continetur; sed sola transcendentalia. Ergo summum genus substantię categoricæ non est substãtia completa. Conf. 1. ideò differentia dicitur substantia incompleta, quia est pars substantiæ compositæ, & ad eius compositionẽ ordinatur Ergo idipsum dicendũ est de 1. genere substãtiæ categoricæ, vtpote quod est pars substantię cõpositę, ferturque ad eius cõplementũ. Conf. 2. nulla substantia penes esse primi generis substantiæ est completa, ipsi enim necesse est, addatur differentia, per quam contrahitur. Igitur primum genus substãtiæ prædicamentalis non est substãtia cõmpleta. Resp. licet omnis substantia ex genere, & differentia conflata sit completa, tamen necesse non est omnem substantiam completam compositam esse ex genere, & differentia. Deus quippè est substantia completa; tametsi ex genere, & differentia non componatur, vt probabo *ar. 3 huiusce q.* Quapropter substantia completa, & perfecta non coïncidunt. Ad 1. conf. dico, discrimen cadere inter genus, & differentiam, quia differentia est pars, semperque se habet per modum partis, & prædicatur vt pars de speciеb & indiuiduis: At genus est totum potentiale, & se habet per modum totius, semperque de suis inferioribus prædicatur per modum totius, vt ostendi *lib. 1. quæst. 1. art. 3.* Ad 2. conf. distinguo ant. penes esse totius actualis, concedo: penes esse totius potentialis, nego, vt loco nunc citato vberè est declaratum.

ARTICVLVS II.

Quænam sit diuisio substantiæ in primam, & secundam.

9. NOn modicus labor est Dialecticis, in decernẽdo quodnam sit diuisum, quęque membra diuidentia diuisionis substantię prænominatæ? Etenim nonnulli, inter quos à nostris Iunioribus *disp.*7 *q.*1.*ar.*2. referuntur Suarez *disp.* 33. *Met. sect.* 2. & Faber 7. *Met. sect.* 2. affirmant diuisum, membraque diuidentia esse realia. Cæteri verò in quorum numero inueniuntur Scotus, & Scotistæ nunc allegandi, tuentur ea esse intentionalia. Quænam autem sit ista diuisio, vniuoca ne an analoga, an verò altera ex prænarratis *in Epitome lib.* 2. *quæst.* 7. *art.* 1. altercantur quoque Philosophi, siquidem Ammonius *in c. de substantia* censet illam non esse propriè diuisionem, sed tantùm quamdam enumerationem, veluti si quis dixerit, *discumbentium alius est Christus Dominus, alius Pharisæus.* Lucę 7. Et *Apostolorum alius est Petrus, alius Andreas* &c. *ibidem cap* 6. Tatar. *hoc loco quæst.* 1. *sensibili* 3. putat esse vniuocam, siue generis in species. Plerique vt Alb. *Tract.* 1. *prædicam. cap.* 3. & Caiet. faciunt analogam. Scotus verò *quæst.* 4. *vniuers. in solutione* 2. *& quæst.* 12. *prædicam. in fine*, Sarnanus, Burlæus hîc, Gadius *Quol.* 3. *fol.* 42. *columna* 2. & alij, quibus videntur consentire Conimb. *q.* 2. *art.* 1. *in fine* 3. *conclusionis*, asserunt eam esse diuisionem subiecti in accidentia, non quidem realia, sed intentionalia.

10. Not. 1. primam substantiam varia sortiri nomina. Vocatur namque primò singulare, quatenùs communi, & vniuersali opponitur, oppositione saltem relatiua. Secundò, indiuiduum, quia vlteriùs in inferiora diuidi nequit cùm sub se nulla habeat. Tertiò, primum subiectũ, quia ei per se primò competit recipere accidentia communia Quartò, hypostasis, & suppositũ, quatenùs per se subsistit incommunicabiliter, & independenter. Quintò, persona, & hoc nomẽ iis solùm, quę natura intellectuali gaudent, adaptatur: quo pacto lapis non est persona, sed suppositum: Petrus verò nominatur persona, suppositũ, hypostasis, indiuiduũ, & singulare. Latiora quippè sunt posteriora nomina, quàm priora. Itaque singulare, & indiuiduum communia sunt substantiæ, & accidenti singulari: hypostasis, & suppositum denominantur naturæ substãtiales, singulares, incommunicabiles, siue rationis compotes, siue rationis expertes: persona verò tantùm de natura intellectuali, perhibetur. Plura *in Met. & in Tract. de Incarnatione diuini Verbi.* Insuper 2. substantia subsequẽtibus insignitur vocabulis Etenim nuncupatur 2. substãtia vniuersalis, & communis, quatenùs plurib. potest communicari. Itemque dicitur genus, & species primarum. Hinc in plurali ab Arist. definitur, vt significet inter secundas substantias, quasdã esse genera, quasdam verò esse species. Prima autẽ substantia ab eodem Philosopho describitur in singulari, vt ostẽdat omnem primam substantiã esse singularem, & indiuiduam.

11. Not. secundò, primam substantiam bifariàm capi posse, vno modo pro termino primæ intentionis; sicque nihil aliud est, quàm natura singularis, & indiuidua, substantialis, plurib. partib. subiectiuis incõmunicabilis, quę ab Arist. describitur id, *quod nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto.* Altero modo pro termino 2. intentionis, quæ est *relatio rationis attributa naturæ singulari substantiali*: ita vocatur indiuiduum substãtiale, cui competit definitio indiuidui, nempè *quod de vno solo prædicatur*: similiter 2. substantia dupliciter considerari potest, primò pro termino primę intentionis, & est natura communis substantialis plurib partib. subiectiuis communicabilis, vt *homo*. Secundò pro termino 2. intentionis; quæ est relatio rationis attributa naturæ communi substantiali pluribus partibus subiectiuis communicabili. Et describitur ab Arist. *id quod dicitur de subiecto, & in subiecto non est.* Itemque 2. substantia perhibetur genus, & species primarum substantiarum. Notat autem Gadius præmemoratus, primam substantiam duo habere, alterum, quod 1. substantia est hæc: alterum verò, quod prima substantia est incommunicabilis. Pariter 2. substantia duo designat, primum quod 2. substantia est communicabilis: secundum verò, quod ipsa accipit formalem vniuersalitatem ab opere collatiuo intellectus, vt probaui *lib* 2. *quæst.* 1. *art.* 8.

12. Assertio 1. subiectum præfatæ diuisionis est substantia cõmunis præscindens à rationibus singularitatis, & vniuersalitatis, deducunt ex Scoto *locis praecit.* quam cum Tatareto innuunt duo nostri prænominati Recentiores, palamque defendunt Fuentes *q.* 14. *diff.* 1. *art.* 5. & alij Scotistæ. Prob. 1. Logicà agit de 2. intẽtionibus, quæ fundantur in primis: Ergo subiectũ prædictæ diuisionis est substantia communis abstrahens à rationibus singularitatis, & vniuersalitatis. Ant. est cõmune Dialecticorũ dogma; secundæ enim intentiones fundantur in primis, quæ sunt naturę reales à parte rei. Consequẽtia tenet, siquidem natura communis substantialis affici potest & determinari ad esse singulare, & indiuiduale formaliter, & ad esse vniuersale formaliter, vt ostendi *l.* 1. *q.* 1. *ar.* 4. § 6. *&* 7. Secundò, idem planè philosophandũ est de hac diuisione, ac de illa diuisione, quâ ens scinditur in vniuersale, & singulare, vt patet à simili de substantia, quæ dicitur prima & secunda penes secundas intentiones à nobis in 2. notabili præpositas, & pręexplicatas: sed talis partitionis entis in vniuersale, & singulare, subiectũ est natura cõmunis realis præcisè sumpta, quatenùs abstrahit ab vniuersalitate, & singularitate, de qua fusè disserui *loco memorato.* Ergo &c. 3. diuisum huius diuisionis nequit esse substantia, quæ est summum genus primæ categoriæ, quia diuisum non coïncidit cum alterutro membro diuidente, sed ab vtroque abstrahit: at supremũ genus prædicamẽti substantiæ coïncidit cum 2. substantia, quæ est alterum membrum allatæ diuisionis, comprehenditque omnia genera, & species primarum substantiarum, vt liquidò constat *ex* 1. *&* 2. *not.* Ergo &c.

13. Assertio 2. membra diuidẽtia dictæ diuisionis formaliter non sunt realia, sed intẽtionalia. Hæc assertio opponitur Fabro, & ex parte nouis duobus Scotistis prærecensitis, affirmantibus de mente Arist. & Scoti posse sustineri huiusmodi membra, eorũque diuisum esse realia. Prob. 1. ex Doctore *q.* 4 *vniuers. Ad* 2. vbi habet hęc verba. *Si ergo illa diuisio valeat, sequetur, quod membra, vt ibi intelligit, opponuntur*, sed quod est 2 substãtia, præter operationẽ intellectus, non opponitur primæ substãtiæ, sed est idem; ergo non intelligit de 2. substantia, quoad illud, quod est ens præter operationem intellectus. Et paucis interiectis subdit, 2 substantiæ, vt *ibi* loquitur, sunt accidentia, non quidem realia, sed intentionalia, de quibus per se competit dici de &c. Et *quæst.* 12. *prædicamentali* subiungit, diuisionem substantiæ in primam & secundam esse partitionẽ in intentiones sibi accidentes quæ sunt accidentia intentionalia. Secundò Logica per se agit de 2. intentionib. vt crebrò fuit inculcatum: ergo cum illa sit diuisio logica, vtique infertur eius membra diuidentia esse intentionaliter. Tertiò secundæ substantiæ, quæ ponuntur sub altero membro præadductæ diuisionis, sunt formaliter genera, & species, vt declarat Arist. *hoc in loco*: atqui genera, & species formaliter sunt intentionalia: ergo & membra eiusdem diuisionis sunt intentionalia.

14. Assertio 3. diuisio præallata est subiecti, in accidẽtia intentionalia. Ita Scotus *vbi suprà*, præterim *q.* 12. *prædicamentali*, vbi in calce eius extant hæc verba. *Diuisio substantiæ in primam & secundam non est diuisio generalissimi in species: sed subiecti in accidentia, quia substãtia, secundum quod intelligitur (secundũ quam considerationem pertinet ad Logicam) diuiditur in intẽtiones sibi accidentes.* Subscribunt Antonius Andreas *c. de substãtia* Fuentes *vbi suprà*, & in hâc partẽ magis inclinãt pręmemorati

moraui nostri Nuperi. Prob. 1. substantię prout à Dialectico consideratur, accidunt intētiones secūdæ, vt docet Scot. *vbi suprà*, velnti homini accidunt albedo & nigredo, per quas diuiditur in album, & nigrum: Ergo illa diuisio est subiecti in accidentia. Ant. est in confesso, quia Logica non di[...] de substantia, nisi penes esse intentionale. Secundò, diuisio subiecti in accidentia est, per quam subiectum diuiditur in ea, quæ sibi accidunt, vt dixi *in Epitome lib. 2. quæst. 7. art. 1.* Sed substantiæ communi reali accidunt intentiones secundæ primæ, & secundæ substantiæ, vt suprà ostendimus. Ergo prædicta diuisio est subiecti in accidentia. Ex his facilè colligitur, & concluditur talem partitionem substantiæ in primam, & secundam non esse vniuocam, quia eius diuisum est reale, quod est substantia communis realis, vt probaui *in prima assert.* membra verò diuidentia sunt intentionalia, vt ostendi *in 2. assert.* Enti autem reali, & rationis nihil esse commune vniuocum demonstrant nostrates *Tract. Formalitatum*, & nos *in Met.* Præterea, vniuocum est quod secundum idem nomen, eamdemque substantiæ rationem ab vniuocatis participatur: sed substantia communis realis, quæ est diuisum dictæ diuisionis non participatur penes eamdem rationem à prima & secunda substantia, quia vt pertinent ad Logicam sunt entia rationis. Adde quod diuisio vniuoca vtplurimum est generis in species, qualis esse nequit præadducta diuisio, nullum quippè genus substantiæ per eam distribuitur, vt euidenter suprà monstratum est. Igitur illa diuisio non est vniuoca. Itaque prænominata diuisio, nomine diuisionis subiecti in accidentia nuncupanda est duntaxat, vt in hac tertia assertione efficaciter probatum est.

Oppones primò, contra 1. assertionem, substantia communis est secunda substantia, cum sit natura vniuersalis: Ergo inepta est allata diuisio, si diuisum est substantia communis realis, quia coincidit cum altero ex membris diuidentibus. Respond. per distinctionem antecedentis, formaliter nego: fundamentaliter concedo. Hæc distinctio satis explanata est *lib. 1. quæst. 1. art. 6.* vbi tetigimus vniuersale formaliter à parte rei.

15. Opponesecundò, contra 2. assertionem, ita sumenda sunt membra diuisionis substantiæ, sicut definiuntur: sed membra antedictæ diuisionis definiuntur penes esse reale: ergo & diuiduntur secundum esse reale. Maior est perspicua. Minor ostenditur, substantia prima est, quæ propriè, & principaliter substare dicitur. Itemque prima substantia est magis substantia, quam secunda. Atque secunda substātia describitur, quæ non est in subiecto, tamen dicitur de subiecto. Denuò proprietates substantiæ sunt reales. Ergo membra diuidentia prærecensitæ diuisionis sunt realia. Resp. concessa maiore, negādam esse minorem, ad eius probationem dico illa commemorata conuenire substantiæ primò intentionaliter, & metaphysicè sumptæ: non autem substantiæ secundò intentionaliter, & logicè captæ. Idque præstitit Arist. propterea quod substantia primò intentionaliter accepta, eiusque proprietates magis nobis patescunt, quam cùm secundis intentionibus ipsa substantia afficitur. Vnde Porphyrius quoque *in sua Isagoge* affert exempla de rebus tanquam nobis notioribus, vt obseruaui *quæst. 2. lib. 2. art. 1. in responsione 3. oppositionis.*

16. Opponestertiò, contra 3. assertionem, ratio substantiæ communis est tam primæ, quam 2. substantiæ. Ergo illa diuisio est vniuoca. Ant. suadetur, ratio substantiæ est esse per se. Sed 1. & 2 substantia sunt entia per se, vt indicat Philosophus *hic T.* [...] inquiens, vtrique substantiæ conuenire, non esse in subiecto, quod idem est, ac per se esse. Ergo &c. Respond. per eam ipsam distinctionem adductam in responsione primæ oppositionis. Concedo namque de ratione substantiæ fundamentali: nego verò de ratione formali, quam Logicus considerat: quia ambæ substantiæ logicè sumptæ sunt entia rationis, vt patet ex dictis.

ARTICVLVS III.

An Deus sit in genere substantiæ.

17. Tria sunt Scholasticorū placita à nobis examināda, quorum primū sequuntur Och. *1. d. 8. q. 1 conclusione 4.* Gabriel *ibid.* Bacco *dist. 9.* Greg. *d. 8 quæst. 3.* & nonnulli Recentiores statuentes Deū in genere substantiæ, atque etiam in categoriis relationis, & actionis: quibus fauent Hurtadus *disp. 9. Met. sect. 4. §. 54.* Arriagà *disp. 3. sect. 2.* & Vasquez *1. p. disp. 22. cap. 3.* Secundum placitum amplectuntur Raconius *Tract. 2. de categoria art. 3. membro 2. propositione 2.* & alij pauci, inter quod refertur S. Th. *qq. de potentia q. 7. art. 3.* tametsi, oppositum teneat *1. p. q. 3 art. 5.* tanguique Boncius *l. 2. Theologiæ naturalis c. 1.* ponentes Deum reductiue in categoria substantiæ. Tertium est commune Scoto *1. dist. 8. quæst. 3. §. Teneo opinionem meam mediam F. Et in Reportatis eadem d. q 5. & Tract. de 1. principio cap. 4.* Tatar. *ibid. & in Log. q. de substantia dub. 3.* Aurco. *eo in loco quarta parte, art 2.* Pelb. *verbo simplex 9.* Bonet. *9. Met. §. 2. & 1 sua Theologiæ naturalis c. 1.* Fabr *Theor. 96.* Vulp. *Tomo 1. disp. 14. art. 3.* & alijs, Deum à prædicamento substantiæ, cæterisque generibus expungentibus.

18. Not. 1. & recolendū ex dictis *q. 3. huius libri ar. 1.* ens finitum immediatè diuidi in decem prædicamenta, per decem modos essendi, vt cum Scoto tenet Antonius Andreas *5 Met. q. 7.* Modus autē intrinsecus siue gradus intrinsecus est, qui additus rei non variat rem, vt cum Magistro formalitatum docent communiter Scotistæ. Et deducitur ex Doctore *1. dist. 8 quæst.* [...] *paulo antè L.* declarante ipsum, exemplo albedinis, quæ potitur suis gradibus, sex, aut octo, quorum accessu vel recessu haud essentialiter mutatur. Et in hoc elucet discrimen inter gradum, & differentiam; quandoquidem differentia addita, aut detracta ab aliqua re, ipsā rem essentialiter mutat, vt patet de rationalitate, & irrationalitate, quæ diuersas species essentialiter constituunt. gradus verò, siue modi rei intrinseci rem essentialiter non mutant, vt de gradibus albedinis suprà explicabatur. Aliquid autem diuidi potest in suos modos, vt ens in infinitum, & finitum: aut in suas differentias, vt animal in rationale & irrationale: ratione prioris diuisionis non extat compositio; non enim est magis composita albedo vt sex, quam vt quinque, licet sit perfectior: ratione verò posterioris habetur compositio logica, siue metaphysica, quæ ex genere, & differentia constat.

19. Not. 2. ex Scoto *in 1. allegato, & 2. d. 3. q. 6 § Ad q. ergo sub K* genus, & differentiam in aliquibus accipi à re, & re: in quibusdam verò à realitate, & realitate. Siquidē genus est contrahibile, contrahiturque per differentiam: & est potentiale, quod per differentiā actuatur, veluti materia per formam contrahitur, determinatur, & actuatur, vt diximus *l. 2. q. 5. ar. 2* Genus quoque est perfectibile, & differentia perfectiua, & ex vtrisque tanquam ex duabus partibus conflatur totū, quod est perfectū. Si genus, & differentia depromantur à re, & re, cōficitur ex eis totum physicum, quod est compositum ex materia, & forma, vt homo ex corpore, & anima rationali. Quod si genus, & differētia decerpantur à realitate, & realitate, constituitur ex illis totum logicum, & metaphysicum, vt Angelus. Quodcunque autem sit totū, siue compactum ex re, & re: siue ex realitate & realitate, per se ponitur in genere, vt clarè ostendit Lych. *in 1. cit. § Teneo opinionem.* Quodnam verò discrimen interponatur inter rem, & rem: realitatem, & realitatem, & huiusmodi composita *in Met. & 1. Tract. de Angelis disp. 1. quæst. 3.* vberè, & dilucidè exposita sunt.

20 Not. 3. ex Doctore *2. dist. 3. quæst 1. § Sed contrà 1.* naturam Diuinam dici communem tribus Personis per inexistentiam, & realem communicationem, quæ ex se est singularis, & indiuidua: ideòque per nullā differentiam indiuidualē est cōtrahibilis, & determinabilis. At natura

creata etsi sit communis per inexistentiam, tamen est contrahibilis per hãc, aut illam hæcceitatem: nec magis per vnam, quam per aliam singularitatem determinatur, & cum est determinata per vnam differentiã indiuidualem, realiter illam sibi identificat, & potest prædicari essentialiter de omnibus suis inferioribus, & indiuiduis. Quapropter natura creata, & finita cùm communitate reali sortitur potentialitatem, & diuisibilitatem, ratione cuius per suas differentias potest actuari, & multiplicari. Verùm natura diuina, & increata cum reali communitate gaudet maxima actualitate, & indiuisibilitate; idcircò per nullam differẽtiam contrahi, & actuari valet, vt non obscurè tradit Doctor 1. *dist. 5. quæst. 2. §. Tertio principaliter ante K*

21. Assertio 1. Deus per se non locatur in prædicamento substãtiæ. Ita Scot. *vbi suprà*. Prob. 1. ex S. Aug. 5. *de Trin* c. 2. *&* 4. *Conf. c vlt.* qui veniam postulat à Deo, propterea quod nõnunquam existimauerit Deum coarceri in prædicamentis. Idipsum innuunt S. Dionysius *c. 4. de diuinis nominibus*. Cyrillus 1. *Thesauri c. 4.* Lactãtius, & alij complures. Accedit Arist. qui *in isto c. de substantia*, affirmat omnem substãtiam, quæ ponitur in genere substantiæ substare accidentibus. Et 5. *Met. T.* 14. ens finitum tãtùm diuidit in decem categorias, vt notat Lych. *vbi suprà §. In quo ad illud.* Deum autem esse infinitum, nulloque accidẽte substare tradit idem Philosophus 12. *Met T.* 15 1ique etiã ex D. Aug. deducit Scot *in Reportatis loco citato*. His adde articulũ 15. Vniuersitatis Oxoniensis, quę sancit tanquam erroneum, quod causa prima sit in genere, & non extrà genus, referente Bacone *d. 8. primi*. Secundò, si Deus foret in genere, daretur aliquod commune ipsi Deo, & creaturæ indifferens ad finitum, & infinitum; quia genus participatur ab eis, quorum est genus, deque illis essentialiter prædicatur: sed nequit esse genus, respectu Dei, & creaturæ, finiti, & infiniti; quandoquidem ens quod est commune Deo, & creaturæ, finito, & infinito, non est genus, cùm descendat ad illa, non vt ad differentias, sed vt ad modos suos intrinsecos, vt superius adnotaui Ergo Deus non clauditur in genere Tertiò, quod est in prędicamẽto, vel est componibile vt genus supremũ cum differentia sibi proxima ad constituendam speciem, vt in re nostra, substantia, quæ est summum genus, est componibilis cum corporea, quæ est vna ex differẽtiis, in quas diuiditur ad componendũ corpus, quod est eius species: vel est compositum ex re, & re, quarum vna sit perfectibilis, & alia perficiens: vel ex realitate, & realitate, quarum vna sit contrahibilis, & altera contrahens, vel est species, quæ conflatur ex genere, & differentia, vt nemo ambigit: sed Deus nec est componibilis, nec compositus vllo modo, cùm sit summè simplex, vt cõmuniter tenẽt Scholastici *d allegata*: ergo Deus à prædicamẽto ablegatur. Quartò, *ex* 8. *Met c. 5. T. 9 &* 16 genus est potentiale, & velnti materia: differentia verò est veluti forma, ex quibus tanquam ex duab. partibus essentialibus constituitur species, sed in Deo nihil est potentiale, cùm sit infinitus, cui nihil entitatis deest. & summè perfectus, cui nihil perfectionis deficit; at si Deus foret in genere, vna pars eius esset in potentia ad aliam, sicut perfectibile est in potentia ad suum perfectiuum, nempè genus ad differentiam, vt animal ad rationale. Deus igitur ad genus haud est redigendus.

22. Dices, genus non præsefert distinctam entitatem ab entitate differẽtiæ, sed ambo vnammet entitatem importare; ideò ratio allata non concludit, vt ait Aureolus prænominatus Contrà in primis hoc expressè contradicit Arist. mox citato, dicẽti definitionem esse orationem longam, vnumque per eam exprimi vt materiam; aliud verò vt formam Palam est autem materiam, & formam esse duas entitates distinctas: etsi non forent duæ entitates, genus esset tota entitas, & quidditas rei specificæ: sicque ad definiendam speciem solùm genus sufficeret, & inutiliter apponeretur ei differentia, quæ per Aureolum à genere non dissidet, aut bis eadem entitas in-

eassùm poneretur. Quintò, quod est summè necessariũ, non est in prædicamento: sed Deus est ens summe necessarium, vt nullus negat. Ergo Deus non residet in prædicamento. Ma. prob. in prædicamento per se collocantur genera, species, & indiuidua, vt suprà monui: sed genera sunt potentialia in ordine ad differentias, in quas dissecantur, & per quas complentur, & actuantur: Deus autem est ens actualissimum, minimè expectans vltimum actum ad sui complementum. Igitur, Deus poni non valet in prædicamento vt genus. Nec vt species, quæ ex ipso genere, & differentia conflatur præsertim quia species prædicatur de multis differentibus numero. Vnicus autem, & solus est Deus, cui in eadem natura repugnat multitudo, vt ostendam *in Met. q. de Deo*. Nec vt indiuiduum, quod præsupponit speciem, genus, & reliqua, quæ in serie prædicamentali adscribuntur. Ergo Deus in genere per se non locatur.

23. Dices, Deum non esse arcendum à genere, semotis eius imperfectionibus, scilicet potentialitate, limitatione, & finitate, vt opinantur Nominales superius relati. Contrà, nequit esse genus, quin sit finitum, & limitatum, quoniam genus suapte natura est potentiale, & determinabile per suas differentias, ac proinde finitum, & limitatum: ideò appellatur totum potestatiuum, quia potentia continet differentias, per quas contrahitur, & actuatur, vt constat ex loco citato secundi notabilis.

24. Assertio secunda. Nec Deus nec vllum prædicatum de Deo reductiuè statuitur in vllo prædicamento. Deducitur ex Doctore *vbi suprà N.* Prob. quæ reductiuè locãtur in prædicamento, sunt partes, & entia imperfecta, vt liquet *ex 3. q. ar. 3. huius libri*: sed Deus non habet partem, nec vllam entitatem imperfectam, cum [illegible] simplicissimus, & perfectissimus: ergo Deus, nec aliquid eius ponitur in genere reductiuè. Præterea, quæ sunt communia Deo, & creaturæ sunt transcendentia, competunt enim enti, priusquam diuidatur in infinitum, & finitum, vt enim Deo conueniunt, sunt infinita: vt verò creaturæ accommodantur, sunt finita: ergo priùs congruunt enti, quàm distribuatur in decem genera: sicque huiusmodi prædicata sunt transcendentia.

25. Dices, transcendẽtia sunt omnibus communia; sed quædam prædicata Deo, & creaturæ congruentia, non sunt omnibus communia, vt sapientia omnibus non adaptatur: ergo &c Occurrendum est per negationem maioris; non enim oportet transcendentia omnibus conuenire, nisi sint cùm ente cõuertibilia, vt patet de passionibus entis distinctis, quæ sunt necessariũ, vel possibile: finitum vel infinitũ: actus, vel potẽtia. Necessariũ quippe, & infinitum soli Deo conueniunt: finitum verò, & possibile creaturę duntaxat adaptantur. Quare ad rationẽ transcendentis sufficit ipsũ non esse genus, nec suprà se habere genus, non verò omnibus, aut vni soli cõuenire.

26. Oppones 1. cõtra 1. assertionem, D Damascenus *in Elementario* c. 8. scribit, *substantia intellectualis continet Deum, & ipsa est in genere*. Ergo Deus, qui sub substãtia capitur est in genere substantiæ C onf. 1. ex Boetio *l. 1. de Trin* qui videtur astruere duo genera in diuinis nempe genus substãtiæ, & genus relationis. Conf. 2 ex Auerroë 10. *Met. cõmento* 7. exponẽte illud Philosophi eo in loco *In quouis genere datur vnum primum, quod est metrum, & mensura aliorum* In genere autem substantiæ, per primã substãtiam quæ est aliarum substantiarum mensura: intelligit primum motorem, qui est Deus. Vt ergo in cæteris generibus primum eorum est aliquid eorũ generũ: pariter in genere substãtię, Deus, qui est prima substãtia & aliquid ipsius generis substãtię, ac proinde ab eo haud est amouendus. Resp. exponẽdum esse S. Damascenũ de substantia transcendẽtali, non autem prædicamentali, vt indicãt ipsius verba, quæ à Doctore adducũtur. Et apertiùs *l. 1. de fide c. 8.* vbi legimus *Diuinam essentiam omnibus substantiis esse super eminẽtẽ, & ab omni substãtia exceptam*. Quare, quod perfectionis est in substãtia, nẽpe esse per se, Deo tribuitur. Quod verò imperfectionis est [illegible]

substare

ſubſtare accidentibus, eſſeque finitum, & limitatum ab ipſomet Deo remouetur. Etſi hunc ſenſum non patiatur Damaſcenus, dimittendus eſt in hoc, cū à nobis ſtent alij SS. Patres præcenſiti *in prima aſſertione* non minoris authoritatis. Ad 1. conſ. nego Boetiū aſſerere in Diuinis duo genera, ſed ſolùm ibi meminiſſe duorum modorum prædicandi, ſubſtantialis, & relatiui, quos D. Aug. vocat ad ſe, & ad aliud. Huiuſmodi autem prędicata ſunt tranſcendentalia, vt idem Boëtius perſpicuè monſtrat *l. 1. de Trin. c. 5. & 6.* his verbis. *Subſtātia in illo (hoc eſt Deo) non eſt verè ſubſtantia, ſed vltra ſubſtantiam.* Quò forte reſpiciens S. Aug *7. de Trin. c. 5.* ait, ſubſtātiam abuſiuè dici de Deo. Et D. Dionyſius *de Diuinis nominibus c. 2.* affirmat, Deum eſſe ſuprà ſubſtantiam, quod anagogicè ſiue per excellum prolatum eſſe putat Mayronius *1. diſt. 22. quæſt 2.* Lych. *verò quol. 1* interpretatur eum locum de ſubſtantia prædicamentali, non verò de ſubſtantia tranſcendentali, quæ propriè Deo competit. Ad 2. conſ. dico illud Peripateticum exponendum eſſe de menſura intrinſeca, quæ continetur in genere, ſicut eius menſurata, & non de menſura extrinſeca, quæ eſt extrà genus, veluti eſt Deus.

27. Oppones ſecundò, quæ participant eamdem rationem ſubſtantiæ communem, collocantur in prædicamento ſubſtātiæ, cùm prędicamenta ſint ſeries naturales rerum impermixtæ, *vt præmonui q. 3. huius lib. art. 1.* ſed Deus, & creaturę participāt communem rationem ſubſtantiæ, quæ deſcribitur *ens per ſe ſubſiſtens*, vt oſtendi *q. 4. art. 1.* Deus autē eſt ens per ſe exiſtens, & ſubſiſtens. Igitur cùm ſubſtantia creata locum habeat in categoria ſubſtātię, vtique ſubſtātia increata, quę eſt Deus. Conf. 1. *ex 3. Top. c. 1. loco 11.* Deus, & homo conueniunt in prædicatis cōmunibus; differunt verò penes propria prædicata: ſed inter prædicata cōmunia ipſis numeratur ſubſtātia, à cuius genere non excluditur homo: ergo nec ab eo explodendus eſt Deus. Itemque *ex 4. Top. c. 2. loco 17.* ſi differentiā vt genus aſſignauit, vt ſi immortale genus Dei, nam differētia eſt animalis immortalis. Conf. 2. ſubſtantia incorporea reſidet in prædicamento ſubſtantiæ, vt habetur in arbore Porph. at Deus eſt ſubſtantia incorporea, iuxtà illud Ioannis 4. *Spiritus eſt Deus.* Ergo &c. Reſp. ſi maior intelligatur de communi ratione ſubſtantiæ prædicamentalis, conceditur: quod ſi capiatur de communi ratione ſubſtantiæ tranſcendētalis, negatur. Ad minorem dico, Deum, & creaturā participare quidem eamdem rationem ſubſtantiæ tranſcendentalis, non tamen prædicamentalis: ſicque non Deus, ſed creatura locatur in prædicamento ſubſtantiæ. Ad 1. conf. dico per diſtinctionem, Deum, & hominem ſortiri eadem prædicata tranſcendentalia, & non prædicamentalia: ob id Deus non eſt in genere, velut homo. Vel dici poteſt Ariſt. per Deum intelligere Angelum, quem eſſe in categoria monſtrabo *in proximo art.* vt enim bene obſeruat Porphyrius, familiare eſt Philoſopho accipere Deum pro Angelo. Ad 2. conf. diſtinguo maiorem, ſubſtantia limitata, & finita, concedo: illimitata, & infinita, nego. Ad diſtinctionem maioris, diſtinguenda eſt minor; Ob id nego ſub illo membro ſubſtantiæ incorporeæ prædicamentalis comprehendi Deum.

28. Oppones tertiò, ſi Deus à genere foret amouendus, maximè ob ſuam infinitatem: ſed infinitas eius non obſtat, quin ponatur in genere: nam ſi daretur linea infinita, foret adhuc in genere quantitatis, quia *ex 6. Top. cap. 3. loco 78.* lineæ infinitæ competeret definitio, quæ nequit eſſe abſque genere, & differentia. Conf. finitas, aut infinitas quantitati competit *ex 3. Phyſ. T. 24.* ergo infinitas Dei non eſt ratio, cur ipſemet Deus à prædicamento ſecludatur. Reſp. conceſſa maiore, negando minorem: ad eius probationem, data linea infinita, eſſet infinita ſecundum quid, & penes extenſionem: finita verò penes ſuam eſſentiam: Deus autem eſt infinitus ſimpliciter, & penes eſſentiam: ob id in genere non clauditur. Per id etiam patet ad confirmationem, ſecundum Scotum *2. Met. quæſt. 6.* finitas enim, & infinitas ſecundum quid eſt proprietas quantitatis, vt magis patebit *in phyſ. l. de quantitate.*

29. Oppones quartò, Chriſtus Dominus ponitur in prædicamento ſubſtantiæ: ſed Chriſtus eſt Deus, ſecundum fidem Orthodoxam. Ergo Deus ponitur in categoria ſubſtantiæ. Maior oſtenditur, Verbum diuinum per vnionem hypoſtaticam factum eſt homo, iuxta illud Ioannis 1. *Et Verbum caro factum eſt*: ſed homo procul dubio locatur in prædicamento ſubſtantiæ: Ergo pariter Chriſtus continetur ſub genere ſubſtantiæ. Diſtinguo maiorem, ratione naturæ humanæ, concedo: ratione naturæ diuinæ, nego. Chriſtus quippè eſt Deus, & homo ſimul, vt homo ponitur in genere, vt Deus verò, ab eo excluditur.

30. Oppones quintò, Scotus ſibi pugnat, nam hìc aſſerit genus eſſe accipiendum ab vna realitate potentiali, & differentiam ab altera realitate actuante; & ex vtraque tanquam perfectibili, & perficiente emergere ſpeciem, quæ eſt compoſitum metaphyſicum. At *in Reportatis Pariſienſibus primi diſt. 33. quæſt. 2.* negat rationem generis eſſe aliam realitatem, à realitate differentiæ: ſecùs inquit, albedo foret compoſita realiter, quod tanquam incommodum infert. Si ergo per Scotum genus, & differentia non præſeferunt diſtinctas realitates, non eſt, cur Deus à prædicamento tollatur. Reſpond. nullam in dictis Doctoris inuolui repugnantiam. Etenim *in Reportatis allegatis*, Scotus renuit albedinem eſſe compoſitam ex re, & re, cuiuſmodi eſt omne compoſitum, compoſitione phyſica, quæ fit ex materia, & forma. Admittit autem eam eſſe compoſitam ex realitate, & realitate, qualis eſt compoſitio metaphyſica, quæ fit ex genere, & differentia. Prædictæ albedinis genus proximum eſt color; eius verò differentia eſt diſgregatiuum. Cùm autem ait Scot. in formis accidentalibus eſſe eamdem entitatem, à qua ſumuntur genus, & differentia, intellige eſſe eamdem entitatem realiter, non verò formaliter. Itaque albedo eſt vna res habens plures realitates formaliter diſtinctas, vti ſunt realitates eius generis, & differentiæ.

ARTICVLVS IV.

An Angeli, & Cæli ponantur in prædicamento Subſtantiæ.

31. QVi ſummum genus categoriæ ſubſtantiæ ſtatuunt ſubſtātiā generabilem, & corruptibilem, à prædicamento ſubſtātiæ eximunt Angelos, & corpora cæleſtia, ſic opinantur Auer. *10. Met. T 26.* Iandunus *ibid. q. vlt.* Niphus *q. 9.* Zimara *Theor. 62.* & Zaberella *lib. 2. de materia c. 15.* Qui autem arbitrantur ſupremum genus ſubſtantiæ prædicamentalis eſſe ſubſtantiam finitam, à corruptibili, & incorruptibili, à corporea, & incorporea præſcindentem, Angelos, & Cælos nequaquam à genere ſubſtantiæ amouent: ita ſentiunt omnes illi Authores, qui ſolum Deum à prædicamento excludunt, allegati *in antecedente art. placitato 3.*

32. Aſſertio prima, Angeli, quos Philoſóphi vocant intelligentias, & ſubſtantias abſtractas, collocantur in genere ſubſtantiæ. Tenent Scot. *1. diſt. 8. quæſt 2. §. Alia eſt opinio.* Et *in Reportatis eadem d. quæſt. 5. §. Contrà illam viam* Alenſis *5. Met. T. 33.* Antonius Andreas *ibid.* Et Faber *Theor 64.* Prob. 1. ex Ariſt. *5. Met. cap. 8. T. 15.* vbi differens de iis, quæ in ſubſtantiæ categoria reponuntur, recenſet inter illa dæmones, qui ſunt Angeli. Idipſum colligitur *ex 1. Eth cap. 9.* Hocque cenſuiſſe Philoſophum tuentur Themiſtius *in initio 3. phyſ.* Porph. Ammonius, aliíque veteres, & recentes Peripatetici. Secundò, quod continetur ſub ſpecie alicuius categorię, cōtinetur ſub genere: quia ſpecies eſſe nequit abſque genere, cum genus ſit pars eius eſſentialis: ſed Angeli ſub ſpecie ſubſtantiæ incorporeæ comprehen

comprehenduntur;nam ex Porph. *c. de specie*,& Scoto *4. dist.6. q.10. §. Ad q. M.* substantia diuiditur in incorpoream,& corpoream. Angeli autem sunt incorporei, vt ostendi *in Tract. de Angelis disp.1. q.2.* ergo sunt in prædicamento substantiæ. Tertiò, quæ constant ex genere, & differentia locantur in categoria, quæ est series generum, specierum,& indiuiduorum: sed Angeli componuntur ex genere, & differentia, sunt enim substantiæ creatæ,& limitatæ, vt abundè probaui *loco nunc allegato q.3.* Insuper, proprietates substantiæ categoricæ competunt Angelis; sunt enim contrariorum susceptiui, videlicet odij, & amoris, & huiusmodi, quæ copiosè prosequutus sum *Tract. præmemorato*. Ergo Angeli resident in prædicamento substantiæ.

33. Assertio secunda. Cœli vtique locum habent in categoria substãtiæ. Deducitur ex Scoto *vbi suprà*, præsertim *4. citato*, qui sub eodem genere Logico comprehendit substantiam corpoream,& incorpoream. Prob. 1. ex Arist. *5. Met. T.15.* qui enumerans entia prædicamẽtalia, corporum cælestium meminit. Et *12. Met. c.2.* subsecans substantiam in corruptibilem, seu elementarem, & in incorruptibilem, seu cælestem, in eodem genere substantiæ elementa & cœlos recenset. Idem colligitur *ex 7. Met. T.5. & 8. eiusdem operis T.1.* Secundò, corpus non seiungitur à categoria substantiæ, vt patet inspicienti huiusmodi coordinationem: sed orbes cælestes sunt corpora ex materia, & forma conflata, vt dicemus *in lib. de cœlo, & mundo*: ergo cœli à categoria substantiæ non segregantur. Rursùs cœli suscipiunt accidentia corporea, quantitatem, qualitatem, lumen, raritatem, densitatem, & huius formæ alia. Igitur cùm potiantur proprietate substantiæ categoricæ, sedem quoque eius possidere debent.

34 Oppones primò, contra 1. assertionem, Deus ob suam simplicitatem non obtinet locum in prædicamento. vt fatetur Scot. *in Reportatis d. & q. nuper relatis*: sed Angeli sunt actus simplices, & puri *ex 8. Met. T.16. & alibi*: ergo à genere ablegantur. Admissa ma. distinguo minorem: Angeli sunt simplices simplicitate opposita compositioni physicæ, concedo: simplicitate opposita compositioni metaphysicæ, nego. Ob id Angeli relegantur in genere substantiæ; non autem Deus, qui vtraque simplicitate pollet, opposita compositioni physicæ, & metaphysicæ, ita exponuntur Arist. & Scot. *locis allegatis*.

35. Dices, Arist. tum *loco cit.* tum etiam *12. Met. T.42. & alibi*, videtur velle Angelos non idonea subiecta recipiendi accidentia esse. Quod sanè denotat Angelos carere compositione nedum physica, verumetiam metaphysica; atque adeò esse omnimoda simplicitate simplices. Suffragat Scotus *Quol.7. § Secundum. GG. & Quol.15. §. De primo. C.* inquiens, secundum Arist. intelligere idem esse in intelligentiis cum ipsarum substantia. Eò magis idem Doctor *2. distinct.3. quæst.7. §. Ad 1. argumentum. C.* affirmat in schola Philosophi, vnamquamque intelligentiam esse de se hanc, propter necessitatem essendi, quam illi ab æterno conuenire est opinatus: ergo Angeli sunt vtriusque compositionis expertes.

Dico, Arist. eis in locis solùm velle primam intelligentiam, quę est Deus, accidentibus non subesse, ipsamque solam esse incausatam,& infinitam: cęteras verò intelligentias esse causatas,& finitas; ac proindè accidentium capaces, vt in præsente,& antecedente art. ostendi: & demonstrauit Scot. *in vtroque adducto quol.* Ad id, quod subditur ex eodem Doctore, intelligere est idem cum substantia intelligentiæ, non loquitur ipse Doctor in propria sententia; sed in sententia Henrici. *Quol.8. q.9.* & aliorum suspicantium Arist. ita sensisse, vt patet ex verbis eius aientis *Quol.7. cit. sub HH.* sed illud intelligere, vt isti dicunt, secundum Arist. est idem quod substantia intelligentiæ. Item innuit *Quol 15. ante C.* his verbis. Contra hoc licet fortè Philosophus, qui posuit intellectionem Angeli idem cum substantia Angeli. Hoc enim profert Scotus in opinione Gotfredi *Quol.6. q.7.* vt inargo eius citat, paulò ante. Quem idem Doctor ibi refellit. Huc quoque pertinent loca Arist. à nobis præadducta ad probandam nostram priorem assertionem. Ad locum Scoti ex secundo sententiarum depromptum dico, etsi Arist suspicetur intelligentias esse entia necessaria, æterna, & implurificabilia numero, tamen non bene infertur eas esse incausatas, infinitas, & à compositione metaphysica immunes, atque accidentium incapaces. Nam S. Th. eiusque discipuli relati à nobis *Tract. de Angelis, disp.1. quæst.6. & 7.* quamuis opinentur ob carentiam materiæ Angelos numero multiplicari non posse attamen non inficiantur eos esse causatos, finitos, compositos ex genere, & differentia, necnon accidentium receptiuos. Pariter licet Philosophus perperam existimet Angelos esse æternos, & numero implurificabiles, propter eorum formalem necessitatem: nihilominùs ex hoc non est deducendum eos esse à metaphysica compositione alienos, esseque incausatos, & infinitos, ac ab omni accidente segregatos, vt egregiè euincit Doctor *locis proximè memoratis*.

36. Oppones secundò, *ex 10. Met. T.25.* corruptibile, & incorruptibile differunt plusquam genere: sed Angeli sunt incorruptibiles,& immortales: sunt nãque materiæ expertes: reliquæ verò substantiæ, pręter animam rationalem, sunt corruptibiles,& mortales. Ergo Angeli in eodem genere substantiæ haud collocantur. Resp. cum Scoto *in 4. d.6 q.10. § Ad q. potest dici. M.* proloquium Aristotelicum exponendum esse de genere physico; non autem de genere logico, & met. vt liquet de substãtia, sub qua continẽtur substantiæ corporeæ,& incorporeæ, quæ licet in genere physico discriminẽtur, cum illæ materiæ sint compotes: istæ verò eius sint expertes, tamen in genere logico, & metaphysico conueniunt. Itemque de qualitate corporali, & spirituali, quæ pariter genus metaphysicum participant, non autem genus physicum, quod transmutabilibus ad inuicem congruit.

37. Oppones tertiò, contra 2. assertionem ex *1. Cæli c. vlt. In æternis non est potentia.* In eis quippè idem est esse, ac posse: sed cœli secundum Arist. sunt æterni. Ergo cœli non habent potentiam: sed quæ carent potentià, quoque genere spoliantur, quia genus ex dictis est totum potentiale. Igitur Cœli genere carentes, à sede prædicamentali expelluntur. Respond. exponendo assertum Philosophi, in æternis non est potentia proxima physica ad transmutationem, concedo; non est potentia physica remota, in spiritualibus admitto, in corporeis, nego. Hæc distinctio clarius elucebit *in lib. de Cælo*.

QVÆSTIO V.

De Quantitate.

ARTICVLVS I.

An quantitas sit supremum genus ab aliis distinctum.

1. DOCTOR subtilis *2. distinct.3. quæst.4.* propè initium affirmat primum accidens, quod ex substantia materiali egreditur, esse quantitatem: huius ratio afferri potest ex eodem Scoto *4. distinct.12. quæst.2. §. Hic sunt sub. F.* quia sicut substantia substat omnibus accidentibus, diciturque eorum subiectum quod: ita quantitas recipit cætera alia accidentia materialia, & vocatur eorum subiectum quo. Ob id iste Philosophi communiter post substantiam aggrediuntur quantitatem. Idemque Doctor ex instituto *q.16. prædicamentalis* primò inuestigat, vtrum quantitas sit vnum ex decem summis generibus; quem

imitantur

imitantur Antonius Andreas, Tatar. Ioannes de Magiſtris *ibid.* Bonetus *libello de quantitate*, & alij eo in loco.

Præſuppono autem ex Ariſt. 1. *de generatione*, *T.* 37. & Scoto *Quol.* 6. § *Ad primum*, Richardo 1. *diſt* 19. & Boneto *vbi ſuprà*, duplicem acceptionem quantitatis, virtutis, & molis. Quantitas virtutis eſt perfectio cuiuſuis rei, eſtque tranſcendens, omnibus rebus conueniens: exceptis diuinis relationibus, vt docui *in Tract. de Deo Trino diſp.* 5. *quæſt.* 5. Hoc in ſenſu legitur Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: id eſt perfecta in ſuo genere, vt exponit Gadius. *Quol. præcit.* Quantitas molis eſt ratio extenſionis, quæ res corporeas, & materiales conſequitur. Huius diuiſiones, & proprietates allatæ fuēre *in Epitome lib.* 1. *quæſt.* 4. *art.* 6. Deque hac ſolùm deinceps fiet ſermo.

2. Aſſertio prima, quantitas eſt vnum genus ab aliis diſtinctum. Hanc docent. Ariſt. Scot. & cæteri Philoſophi, tum in Logica *cap. de quantitate*: tum etiam 5. *Met. T.* 18. Prob. primò, quod habet vnam rationem communem ab aliis diſtinctam prædicabilem de pluribus differentibus ſpecie in quid, eſt vnum genus à cæteris diſtinctum, vt claret ex definitione generis: ſed quantitas eſt huiuſmodi; prædicatur namque de continua, & diſcreta, tanquam eius ſpeciebus: ſiquidem ad interrogationem factam, quid eſt continua? rectè reſpondetur, eſt quantitas: parique modo de diſcreta, aliiſque ſpeciebus interiectis, & infimis ipſius quantitatis: ergo quantitas eſt genus ab aliis diſtinctum. Secundò diuerſæ differentiæ, diuerſæque ſpecies arguunt genus ab aliis diuerſum, vt patet ex regula anteprædicamentali: ſed quantitatis diuerſæ ſunt differentiæ, & ſpecies traditæ à nobis *in Epitome, loco præmemorato.* Igitur quantitas eſt genus ab aliis diſtinctum.

3. Aſſertio ſecunda, quantitas eſt genus ſupremum. Ita Ariſt. & Scot. *vbi ſuprà*. Prob. quod habet ſpecies ſub ſe, nec agnoſcit aliud genus ſuprà ſe, eſt genus ſupremum, vt patet ex dictis *l.* 2. *quæſt. de genere*: ſed quantitas habet ſpecies, vt patet ex prima aſſertione: nec ſuprà ſe habet aliud genus, cùm ſuprà ipſam ſint tranſcendentia duntaxat. Præterea quantitas refertur inter decem prædicamenta, vt dixi *q.* 1. *art.* 1. ſed omnia prædicamenta ſunt ſumma genera: ergo quantitas eſt ſummum genus.

4. Oppones primò, contra 1. Aſſertionem, nullum genus prædicatur denominatiuè de ſuis ſpeciebus, *ex* 4 *Top. cap.* 1. *loco* 2. Sed quantitas prædicatur denominatiuè de continua, & diſcreta; dicitur enim linea eſt quanta, ſuperficies eſt quanta: itémque numerus eſt quantus Ergo quantitas non eſt vnum genus à reliquis diſtinctum. Reſp. à maiori proportione excipi quantitatem; cuius ratio affertur: quia principium diuiſionis, ſiue menſuræ primò competit quantitati, & poſtmodum cæteris ab ipſa quantitate diſtinctis. Itemque dici poteſt prædicari denominatiuè eſſentialiter, vt oſtendi *in Epit. l.* 1. *q.* 2. *art.* 1.

5. Oppones ſecundò, genus prædicatur æqualiter de ſuis ſpeciebus; nec vna ſpecies eſt prior alia: ſed continua eſt prior diſcreta: nam *ex* 3. *phyſ. Tract.* 68. quantitas diſcreta efficitur ex continua. Non igitur quantitas eſt genus. Reſp. per diſtinctionem, vna ſpecies quantitatis eſt prior alia in eſſendo, concedo: in prædicando, nego. Etſi enim continua prius quàm diſcreta participet rationem quantitatis: nihilominùs ipſa ratio quantitatis ex æquo de vtraque prædicatur. Idque patet de affirmatione, quæ licet 1. *Perih.* 4. ſit prior negatione, tamen enunciatio æquè de his prædicatur.

Oppones tertiò, vnum genus vna diuiſione diuiditur, ex *Ariſt.* 6. *Top. cap* 3. & 5. Et 7. *Met. Tract.* 43. Boetio *lib. de diuiſione*: ſed quantitas duplici diuiſione diuiditur, nimirum in continuam, & diſcretam: & in eam, cuius partes habent poſitionem inter ſe: & cuius partes tali poſitione inter ſe carent. Ergo quantitas non eſt vnum genus. Reſp. maiorem eſſe veram de diuiſione formali: ſolùm quippè quantitas formaliter diſtribuitur in continuam, & diſcretam: materialiter verò in quantitatem, cuius partes poſitionem adinuicem habent: & in eam, cuius partes tali poſitione priuantur. Veluti corpus formaliter ſecatur in animatum, & in inanimatum: materialiter verò in corruptibile, & in incorruptibile.

6. Oppones quartò, vnius generis vnica eſt menſura, *ex* 10. *Met T.* 3. & 7. ſed quantitati dantur duæ menſuræ, vtpotè vnum, & punctum: ergo quantitas non eſt genus. Conceſſa maiore, nego minorem: non enim punctum, ſed vnum duntaxat perhibetur eſſe menſura quantitatis, vt inſinuat Doctor 1. *diſt.* 24. *q. vn.* § *circa illud. Sub E.* Et *in præſenti quæſt. ex Ariſt. prænominato.*

Articvlvs II.

Quænam ſit eſſentia quantitatis.

7 PRimam ſententiam ſequuntur Diuus Thomas, *opuſcul.* 52 *in fine*, & 1. *part. quæſt.* 29. *art.* 1. Alb. *Tract. de quantitate*, & Caiet. *in iſto c.* affirmantes eſſentiam quantitatis eſſe menſuram. Quibus fauere videtur Bonetus *propè initium libelli de quantitate.* Secundam ſententiam tenent Capreolus 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 3. Soncinas 5. *Met. quæſt.* 21. & Iſuellus *quæſt.* 50. arbitrantes rationem formalem quantitatis eſſe diuiſibilitatem in partes eiuſdem rationis. In hanc ſententiam citantur Scot. *quæſt.* 17 *prædicamentali*, & 5. *Met. quæſt* 9. & vniuerſa pene eius familia. Tertiam amplectuntur Doctor noſter 4. *diſt.* 10 *quæſt* 1. *art.* 2. § *Dico ergo. Met.* & 5. *Met. quæſt* … Antonius Andreas *ibid. quæſt* 10. Fuentes *in Log quæſt.* 15. *difficultate* 1. *art.* 2. Tatar. Gadius, & alij complures, docentes naturam quantitatis eſſe poſitionem, ſeu extenſionem partium extra partes.

8. Not. ex Scoto 2. *diſt.* 1 *quæſt.* 4. *ante* §. *Hoc ergo in ſolutione quinti. Sub G.* & Orbello 5. *Met. c.* 6. nonnunquam diuiſionem generis effici in differentias proprias, & eſſentiales, veluti animal diuiditur in rationale, & irrationale: nonnunquam verò in paſſiones generis circumloquentes differentias eius quidditatiuas & eſſentiales, quæ nos latent: ſic ens diſtribuitur in potentiam, & actum tanquam eius paſſiones disiunctas: & numerus in parem, & diſparem, vt indicat Scot. 4. *diſtinctione* 10. *quæſtione* 1. §. *Dico ergo. Sub N.* Et apertè tradit Philoſophus 2. *poſth. capitul.* 8. *T.* 18. *Cùm non poſſunt aſſignari differentiæ per ſe, quia ſunt nobis ignotæ, præbentur differentiæ accidentales.* Hinc idem Philoſophus 5. *eiuſdem operis cap. de quanto, Tractat.* 18 ait, *quantum eſſe per ſe diuiſibile, circumloquens eſſentiam quantitatis per ipſam proprietatem, quæ eſt diuiſibilitas.* Hocque præſtiterat ſecundò, de generatione *T* 7. inquiens, primas qualitates eſſe differentias elementorum conſtitutiuas, cum conſtet eas eſſe tantum ipſorum elementorum proprietates, & differentias accidentarias. Idemque ſignificat Doctor 2. *diſtinctione ſecunda, quæſtione* 9. §. *Ad argumenta quæſt. D.* & *E.* & ab eo non diſtat longe Bonetus *vbi ſuprà.*

9. Aſſertio prima, quidditas quantitatis non conſiſtit in ratione menſuræ. Ita Scot. *quæſtione* 17. *prædicamentali.* §. *Ad quæſt. dicendum* Et prob. primò. Ratio generis æqualiter participatur à ſuis ſpeciebus, quia eſt eis vniuoca, déque illis genus vniuocè perhibetur: ſed ratio menſuræ ex æquo non conuenit quantitati diſcretæ, & continuæ: imò priùs diſcretæ, quàm continuæ, vt patet ex illo 10. *Met. capit.* 1. *T.* 3. & *inde.* Vni maximè proprium eſt, eſſe menſuram,

& cùm illud per se sit principium numeri, ab illo primò deriuatur ratio mensuræ ad numerum, & de numero ad continuum. *Et ibid.* legitur *mensura est id, quo quantum cognoscimus*: cognoscimus autem quantum, vt quantum, aut vno, aut numero; omnis autem numerus vno: Non ergo essentia quantitatis posita est in ratione mensuræ. Secundò, quantitas est accidens absolutum, vt nemo diffitetur: sed ratio mensuræ est relatiua, vt liquet *ex 1. Met cap. 2. & ex 10. eiusdem operis T. 2.* Et tangitur à Doctore. *Quol. 13. §. circa 2. N.* Ergo, &c. Tertiò, cui repugnat proprietas, non est essentia eius, à qua promanat proprietas, vt ex se notum est: sed proprietas quantitatis repugnat mensuræ: ergo mensura non est ratio essentialis quantitatis. Minor suadetur *ex 3. physic capit. 4. T. 24.* proprium quantitatis est esse finitum, aut infinitum: quod autem infinitum est, non est mensurabile. Igitur ratio mensuræ non competit quantitati infinitæ, si datur: aut sit dabilis infinita quantitas, putà linea infinita: ac proinde mensura nequit esse ratio quidditatiua generis quantitatis. Amplius, omnis mensura vel est actiua, vel passiua; vel est actualis, aut aptitudinalis: nulla autem harum valet esse ratio quantitatis, non actiua, quia res debet esse quanta, priusquam aliud mensuret; nec passiua, quia etiam præsupponitur, rem esse quantam, vt ab alio mensuretur: nec actualis, quia res est quanta, tametsi actu sub mensuram non cadat: nec aptitudinalis, quæ aliud non sibi vult quàm capacitatem, siue proprietatem mensurandi, quæ pariter præexigit ipsam quantitatem constitutam in suo esse quidditatiuo. Ergo nullo modo essentia quantitatis consistit in ratione mensuræ.

10. Assertio secunda, diuisibilitas haud est formalis ratio quantitatis. Hanc tradit Scot. potissimum *in 4. allegato, ante P. & 2. dist. 2. quæst. 9. § Ad argumenta quæst. Sub D.* Prob. primò, nulla relatio est propria essentia absoluti, vt ex Aristot. notat Orbellus præcitatus. Et ratio est, quia quod est ad aliud, formaliter non est ad se: sed quantitas est genus absolutum, vt nullus ex aduersariis hæsitat, & diuisibilitas formaliter est relatio: est enim capacitas, siue aptitudo ad diuidendum, quam esse formaliter relationem secundum Scotum alibi ostendam. Igitur diuisibilitas non est natura quantitatis. Suarez *disp. 40. Met. sect. 4. num 3.* parui pendet hanc rationem inquiens, diuisibilitatem posse concipi instar capacitatis, & potentiæ passiuæ, & ad summum intelligi valet, vt includens respectum transcendentalem, qui enti absoluto, præcipuè quantitati non aduersatur. Verùm prællata ratio haud est contemnenda; quandoquidem capacitas formaliter est relatio: etsi diuisibilitas accipiatur vnà cum respectu transcendentali, vel non est quantitas, vel est quid aggregatum ex duobus generibus, & quid per accidens: quod à naturá quantitatis, de qua nunc disserimus, est alienum. Secundò, quod consequitur essentiam alicuius, non est eius essentia, quia præsupponitur essentia in suo esse constituta, priusquàm ex ipsa quidquam consequatur: sed diuisibilitas egreditur ab essentia quantitatis: prius enim totum integrale præexigitur esse, quàm sit diuisibile in suas partes: nam vt sit diuisibile, necesse est, vt constet partibus, in quas est diuisibile. Non ergò essentia quantitatis sita est in diuisibilitate.

11. Idipsum astruendum est de impenetrabilitate, quam Hurtadus *disp. 13. sect. 4.* Arriaga *disp 5. Met* & alij, quibus fauent duo indiuidui comites Scholæ Scoticæ *disp. 9. phys. quæst. 1. art. 1.* videntur existimare rationem primariam, & essentialem quantitatis esse. Etsi enim quantitas reddat corpus impenetrabile: attamen priùs ipsum corpus est quantum, quam sit impenetrabile, quia ratione partium quantitatiuarum est impenetrabile. Præterea, effectus formalis non recidit cum causa eius formali, præsertim secundum Scotistas, arbitrantes causam materialem, & formalem sortiri effectus ab ipsis distinctos, vt patet *3. dist. 1. quæst. 2. art. 1.* Et ad rem nostram *4 dist. 49. quæst. 16.* vbi Doctor probat, duo corpora non posse esse simul in eodem loco, quoad repletionem localem. Rursus potest esse corpus quantum absque impenetratione, iuxta illud Apostoli Hebr. 4. *habemus pontificem, qui penetrauit cælos.* Et patet ex aliis nostræ fidei arcanis, quorum meminit Arriaga, *vbi suprà.*

Nec dicere præstat, id valere de impenetratione actuali: non autem aptitudinali. Quandoquidem impenetratio aptitudinalis seu impenetrabilitas non est effectus formalis quantitatis, vt illi volunt, sed potiùs eius passio, sicut diuisibilitas; ex eo enim quod corpus est quantum, sequitur esse impenetrabile, & incompassibile cum alio, in eodem loco simul, vt disertè, & clarè docet Scot. 4 *dist. 1. quæst. 5. sub F.* Et vberiùs *dist. 49. quæst. ibid.*

Insuper effectus dotis subtilitatis est reddere corpora penetrabilia: & causa impediens eorum penetrationem est quantitas eorumdem repletiua loci, vt scribit Doctor *vbi suprà* Ideò Scotus eis non suffragatur. Adde, quod illi negant extensionem partium aptitudinalem esse essentiam quantitatis: cur pariter non respuunt impenetrationem aptitudinalem, cùm vtrobique eadem sit ratio? Denique expulsio siue actualis, siue aptitudinalis contrariarum qualitatum, ab eodem subiecto, non est earumdem qualitatum essentia, & ratio formalis. Ergo etiam neutra expulsio, siue impenetratio actualis, & aptitudinalis duorum corporum ab eodem loco, simul se expellentium, non valet esse quantitatis essentia.

12. Assertio tertia, essentia quantitatis est positio partium in toto, siue extensio partium ad totum, & ad se inuicem. Defenditur expresse à Doctore *in 4. præallegato*, vt mirum sit, cur duo illa clara lumina Seraphici nostri Ordinis nouissimè eum trahant in sententiam præfatorum Recentiorum; quæ sanè ipsi Doctori est dissentanea. Cùm enim apertè pateat eius sensus, vt in præsenti non est in contrarium, & nouam opinionem adducendus? Idemque *in reportatis d. eadem*: nostra assertio insinuatur quoque ab Aureolo *2. dist. 19. parte 2. art. 1.* estque ferè communis hoc tempore, & euidenter colligitur ex aliarum opinionum refutatione: cùm enim ratio quantitatis non sit mensura, nec diuisibilitas, nec impenetrabilitas, vt probaui *in duabus præcedentibus assertionibus*: deducitur esse prædictam extensionem. Prob. autem primò sic, per quod res constituitur in suo esse essentiali, est eius essentia, vel de eius essentia, vt notum est ex se: sed per extensionem partium quantitas constituitur in suo esse essentiali: Ergo extensio partium est eius essentia. Minor Prob. quo formaliter aliquid est quantum, eo constituitur in esse essentiali quantitatiuo, vt liquet ex Arist. *cap. de quantitate*: sed extensione partium res materiales sunt formaliter quantæ, vt substantia materialis, quantitas, & id genus alia. Vnde *vbi suprà* explanat naturam quantitatis permanentis per extensionem partium, siue positionem partium in toto, & in ordine ad se inuicem. Secundò, à quo oriuntur proprietates quantitatis, est ipsius quantitatis essentia, vt quia ab humanitate proficiscuntur proprietates hominis, humanitas est ipsius hominis essentia: sed à prædicta partium extensione prodeunt proprietates quantitatis: ex eo enim, quod aliquid est extensum, sequitur ipsum esse diuisibile in suas partes, mensurabile, impenetrabile, æquale, vel inæquale, finitum, vel infinitum, & loci occupatiuum: Ergo, &c. Huiusmodi autem extensio, in qua locamus naturam quantitatis non est actualis, vt probat Scotus loco nuper citato, nec externa, & localis: vt constat in Eucharistia, vbi corpus Christi habet quantitatem propriam absque extensione actuali, & externa penes locum: sed est interna, siue positio partium in toto, & ita se inuicem.

13 Oppones primò, contra 1. assertionem. Ratio essentialibus

eſſentialis alicuius generis communis ſuis ſpeciebus, eſt eſſentia eiuſdem generis: ſed menſura eſt ratio communis ſpeciebus quantitatis: ergo menſura eſt eſſentia generis quantitatis Maior patet, quia genus eſſentialiter prædicatur de ſuis ſpeciebus, vt animal de homine, & bruto. Minor oſtenditur, ex Ariſt. *c. præſente*, definiente orationem per menſuram his verbis. *Oratio eſt, quæ menſuratur ſyllabis longis, & breuibus* Et 4. *phyſ. T.* 117. *tempus eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius*. Conf. penes diuerſitatem menſuræ variantur ſpecies quantitatis, vel enim aliquid menſuratur per vnam dimenſionem, hoc eſt penes longitudinem, & eſt linea: vel penes duas dimenſiones, ideſt longitudinem, & latitudinem, & eſt ſuperficies: vel penes tres dimenſiones, ſco longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & eſt corpus. Item locus ab eodem Philoſopho in Log. *loco citato* ſtatuitur ſpecies quantitatis, qui differt à ſuperficie in eo, quod locus eſt menſura extrinſeca corporis locati: ſuperficies verò eſt menſura extrinſeca eiuſdem corporis locati. Inſuper, omnis quantitas eſt menſurabilis per acceſſum, aut receſſum, aut per replicationem. Igitur in menſura poſita eſt ratio formalis quantitatis. Conceſſa maiore, nego minorem, ad eius probationem dico, Ariſt. ibi ſolùm indicare menſuram eſſe proprietatem quantitatis, non autem eius quidditatem. Ideóque definitiones præallatas non eſſe quidditatiuas, ſed deſcriptiuas. Per id quoque patet ad conf. Ad id, quod ſubiicitur de loco, dico cum Scoto *quæſt.* 23. locum non eſſe ſpeciem quantitatis diſtinctam a ſuperficie, vt in phyſ. monſtrabo, & indicat Ariſt. 5. *Met. cap.* 13. qui recenſens ſpecies quantitatis, loci non meminit. Itaque eius interpretes aiunt in Logica Ariſt. loquutum eſſe in aliorum ſententia vulgata, & populari.

14. Oppones ſecundò, contra 2. aſſertionem, quod manifeſtatur per definitionem alicuius, eſt eius eſſentia, quia definitio eſſentiam rei definitæ conſpicuè notificat: ſed diuiſibilitas ponitur in definitione quantitatis, vt liquet ex Ariſt. proximè adducto, vbi ab eo definitur quantitas in concreto, ſic quantum eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt: hoc eſt, quantum eſt diuiſibile in partes integrantes, & eiuſdem rationis, ex quibus totum quantitatiuum conflatur. Conf. ſpecies quantitatis diſtinguuntur penes diuiſibilitatem, vt linea eſt diuiſibilis ſecundum longitudinem, ſuperficies ſecundum latitudinem, & corpus ſecundùm trinam dimenſionem, nempè longitudinem, latitudinem, & profunditatem. At diſtinctio ſpecierum eſt eſſentialis, & quidditatiua. Igitur diuiſibilitas eſt quantitatis eſſentia. Reſpond. maiorem eſſe veram de definitione quidditatiua; non verò de deſcriptiua, vti eſt illa definitio data per proprietatem, quæ indicat eius eſſentiam, cùm ſit ipſa notior, vt obſeruaui in præmiſſo notabili.

Per idem patet, quid ſit dicendum ad conf. Siquidem per multiplicem diuiſibilitatem multiplicantur, & diſtinguuntur quantitatis ſpecies; propterea quod diuiſibilitas, quæ eſt paſſio, magis nobis innoteſcit, quàm eius eſſentia, quæ eſt poſitio partium in toto.

15. Oppones tertiò, contrà 3. aſſertionem, habere partes extrà partes competit ſubſtantiæ materiali, & corporeæ, ſcribente Doctore 2. *diſtinct* 52. *quæſt.* 2. §. *Reſpondeo*. Et nos id in Phyſica oſtendemus. Ergo poſitio partium in toto non eſt ratio formalis quantitatis. Reſpond. antecedens verum eſſe de partibus entitatiuis, non autem de partibus integralibus, & quantitatiuis. Ita exponendus eſt Doctor *loco memorato*.

16. Inſtabis, Scot. 5. *Met. quæſt.* 9. à ſubſtantia tollit partes: ergo ipſe Doctor non eſt interpretandus de partibus entitatiuis. Reſpondet Fuentes allegatus *in principio iſtius articuli*, Scotum ibi ſolùm loqui argumentatiuè, & non aſſertiuè, cum clara eius mens habeatur *quæſt.* 17. *prædicam.* 2. *diſtinct.* 12. *quæſt* 2. *&* 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 1. & alibi. Vel dicito Scotum à ſubſtantia materiali auferre partes integrales, quæ beneficio quantitatis ipſi adaptantur: non verò partes entitatiuas, quas ipſi conuenire, apertè Mayr defendit locis prænominatis.

17. Oppones quartò, ſi ratio eſſentialis ſita eſt in partium extenſione, nunquam erit quantitas abſque tali extenſione partium: atqui poteſt inueniri quantitas abſque tali partium extenſione, vt patet in Euch. vbi corpus Chriſti eſt quãtum ſine poſitione partium, cùm locum non occupet, ibique ſolùm extet ſacramentaliter. Igitur eſſentia quãtitatis haud in extẽſione partium poſita eſt. Conceſſa maiore, diſtinguenda eſt minor, ſine extenſione partium in toto, & inter ſe, quæ dicitur extenſio interna, nego: ſine extenſione partium in ordine ad locum, quæ vocatur extenſio externa circumſcriptiua, ſiue poſitio ſitus, perhibente Scoto *diſtinct.* 10. *quarti, quæſt.* 7. *ante N.* concedo. Hæc, & conſimilia abundè, & exactè diſcutienda, & illuſtranda ſunt in Phyſica, libro de quantitate.

QVÆSTIO VI.

De Relatione.

ARTICVLVS I.

An ſit vnum genus relationis ab alijs diſtinctum.

5. RELATIONEM ferè in cunctis prædicamentis ingeri, & immiſceri, ita vt nullum ſit proprium relationis genus, ſuſpicatos eſſe Zenonem aliosque priſcos Philoſophos referunt Auerroes 5. *Met. commento* 20. Albertus *Tract. de relatione cap.* 1. & Rumus *c. de ad aliquid quæſt* 1. Quibus aduerſantur Plato, Ariſt. hic, Scot. *quæſt.* 25. *prædicam. Et* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 4. §. *Et ſi dicas. E. Et* §. *Ad* 1. *ſub G. in ſolutione* 5. omneſque poſteriores Philoſophi adſtruentes, & admittẽtes vnam categoriam relationis, à reliquis diſtinctam: quibuſdam paucis Neotericis exceptis, quos ſequitur Arriaga: iſte enim *diſp.* 52. *ſect.* 7. non habet pro inconuenienti negare peculiare relationis genus, inquiens. *Non tollitur ab Eccleſia aliquod ſacramentum, aut præceptum Decalogi; ſolum enim retinetur prædicamentum vt alimus quoad modum loquendi*. Cui dici poteſt, quod licet à Philoſophia non demătur arcanum fidei Orthodoxæ ademptione generis relationis: ab ipſa tamen auſertur commune dogma, & vulgatum aſſertum Philoſophorum, & Theologorum, quibus temerarium eſt ſeſe exponere: præſertim quia rationi, & veritati pugnat, multaque inferuntur abſurda infra adducenda.

2. Not. primò, quamuis Vorrilonius *c. diſtinct.* 30. nonnullum ſtatuat diſcrimen inter reſpectum, relationem, & habitudinem, teſte Pelbarto *Tomo* 1. *verbo Relatio.* § *ſecundo*, nihilominus Scot. *in* 2. *prætitatis E.* cenſet illa tria eſſe ſynonima, & promiſcuè reſpectum, & relationem accipi à Philoſophis, notat Hurtadus *diſp* 15. *ſect.* 1. §. *ſecundo* Quouis autem nomine appelletur, ſiue ad aliquid, vt nominauit Plato, ſiue relatio, vt vocauit Ariſt. ſiue habitudo, vt Noſtri aliquando nuncuparunt, nihil aliud ibi vult, quàm principium referendi, & habitudinem vnius ad aliud, vt tradit Doctor *in prædicamentis q. allegata*, §. *Dicendum*. Et concordat Anglicus. *quæſt* 24. *vniuerſalium fol.* 94. Relatio autem ex eodem Doctore *in* 2. *cit antè* §. *Hoc ergo*. Propter ſuam modicam entitatem, quam habet in ſuis fundamentis, non innoteſcit nobis, niſi per ipſa-

ruet

met fundamenta: eis enim habet esse debilius, perhibente Doctore 12. *Met. pag.*360. *in Not.* ideò ex eorum cognitione, in istius notitiam aliqualiter deuenimus. Quod etiam aduertit Orbellus 5. *Met. c. de relatione.* Hinc Arist. consultò *in præsenti c.* describit relatiua, *quorum totum suum esse, est ad aliud se habere,* vt significaret definitionem relationis. Si enim relatiuum est ad aliud, consequenter relatio est respectus, quo relatiuum est ad aliud, siue quo respicit aliud, vt rectè monet Scot. *in prænominata quæst. prædic. in. vers. Ad* 1. *istorum.*

3. Not. secundò, ex communi Philosophorum placito, sicut ens per se est substantia; ita ens in alio est accidens. Quoniam verò accidens multiplicem modum essendi, siue inhærendi in alio sortitur; Hinc est, vt multiplex sit accidens, & multiplex eius genus. In primis quoad rem nostram attinet, vnum est accidens absolutum, quod est ad se: aliud verò relatiuum, quod est ad aliud. Quamuis autem ratio accidentis, quæ per esse in alio significatur, sit vtrique communis, & essentialiter de vtroque prædicetur, tamen inter ista discrimen extat: quandoquidem absolutum est ad se, relatiuum verò est ad aliud, sine quo esse non valet; cum esse ad aliud sit propria quidditas, siue differentia relationis, per quam differt ab absoluto, vt cum Aug. 7. *de Trin. cap.* 1. *vel* 6. diligenter aduertit Doctor. 1. *d.* 11 *q.* 2. §. *Ad rationes D. Et Quol.* 3. §. *De tertio.* & §. *Respondeo. Et q.* 39. *prædicamentali,* § *Notandum pro quæstione,* Faber 1. *disput* 22. *cap.* 1. Itaque duo in relatione includuntur, vnum est esse *in*, quod ab omni accidente participatur, & in quo à substantia dissidet: alterum verò est esse *ad aliud*, quod est propria, & formalis ratio relationis per quam ipsa relatio, ab omni alio, quod non est relatio discriminatur, quod post Scotum 1. *dist.* 26. *quæst. vn* Et Vorrilongum *vbi suprà* notat Pelbartus *loco nuper citato.* An verò esse *in*, & esse *ad* sint de essentia relationis, necne, controuertitur apud Scholasticos, & alibi à nobis est perscrutandum.

4. Assertio prima, relatio est genus: & vnum ex decem supremis generibus. Ita Scot. *vbi suprà.* & Lieb. 2. *dist* 1. *quæst.* 4. Prob. prima pars, quod prædicatur de multis differentibus specie in quid est genus: sed relatio prædicatur de multis differentibus specie in quid: ergo relatio est genus. Maior est nota per locum à definitione ad definitum. Minor prob. relatio prædicatur de relationibus æquiparantiæ, & disquiparantiæ, & aliis, quæ sunt eius species, vt apertè monstraui *in Epitome,* vbi attuli seriem prædicamenti relationis. Idque expressit Scot. *in* 2. *tr. Ad* 2. his verbis. *Dico, quod relatio habet suam distinctionem in suas species, sicut aliud genus habet suam distinctionem in species suas* Præterea, quod potitur ratione generica, est genus: sed relatio gaudet ratione generica; ergo est genus. Maior patet: Minor suadetur, ratio generica est, quæ essentialiter competit multis specie differentibus: relatio autem, quæ est habitudo vnius ad aliud conuenit essentialiter pluribus differentibus specie, videlicet relationibus suæ perpositionis, & suppositionis. Itidemque omnes relationes eodem modo denominant substantiam in comparatione ad aliud: ergo relationes participant eamdem rationem genericam, atqueadeò dant genus relationis. Secunda pars prob. genera suprema sunt, quæ aliud genus suprà se non agnoscunt: sed relatio non habet aliud genus suprà se: ergo est genus supremum. Maior palam est omnibus Philosophis. Minor est in promptu, quia supra relationem est accidens, & ens, & si quæ sunt alia, non sunt genera, sed transcendentia. Rursùs, decem summa genera petuntur penes decem modos, in quos ens finitum descendit, vt innui *quæst.* 3 *huius lib* sed relatio est genus per vnum ex nouem modis accidendi, quibus substantia afficitur. Vt enim substantia extenditur per quantitatem, & qualificatur per qualitatem; pariter per relationem ad aliud comparatur, Igitur, relatio est genus supremum.

5. Assertio secunda, relatio est genus à cæteris generibus distinctum. Tenet Doctor *vbi suprà* Et *Quol* 3. §. *Respondeo sub P.* cum communi Schola, & sequitur ex dictis in superioribus, suaderique potest sic: quod sortitur rationem genericam a cæteris seiunctam, est genus ab aliis distinctum, vt patet ex Arist. 12. *Met. T.* 21. dicente. *Ratio vnius prædicamenti non est principium intrinsecum alterius prædicamenti* Quod approbat, & explanat Lich. *præcit* §. *Respondeo ad omnes istas solutiones.* Relatio autem sortitur rationem genericam à reliquis generibus differentem, quæ est principium referendi ad aliud. Itemque relationis sunt distinctæ differentiæ, species, & indiuidua, vt intueri licet in syllabo relationis. Ergo relatio est genus à cæteris generibus distinctum.

6. Oppones primò, contra 1. asser Si relatio est genus, aut est genus substantiæ, aut accidentis; cùm non reperiatur vllum genus, quod mediet inter vtrumque: sed relatio neutrum est. Non enim est genus substantiæ, vt omnibus est in confesso: nec genus accidentis, cùm accidens sit in alio: relatio verò sit ad aliud. Ergo, relatio non est genus? Concessa maiore, & prima parte minoris, neganda est eius secunda pars, & ad eius probationem dico, relationem habere esse *in*, quod est commune omnibus accidentibus, & habere esse *ad*, quod est ratio distinctiua ipsius relationis à quolibet alio, quod non est relatio.

7. Dices, relatio habet totum suum esse ad aliud, scribentibus Arist. & Scoto *hoc loco*: ergo relatio non habet esse *in*, quia esse *in*, & esse *ad* inter se differunt; ac proinde relatio non est genus accidentis. Dico in definitione relatiui, & relationis prææddicta poni duntaxat eius rationem formalem, subaudiendo rationem communem accidentis, vt non rarò accidit in aliorum descriptionibus, vt præ aliis notant Bacon 1. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 4. & Suarez *disput.* 47. *sect* 5. *num* 3. Planum quippè est relationem esse in aliquo fundamento, siue subiecto, vt clarè edisserit Doctor 4. *distinct.* 12. *quæstione* 1. §. *Ad quæst. respondeo, conclusione secunda ante. E.*

8. Oppones secundò, genus est commune vniuocum suis inferioribus: sed relatio nihil habet commune vniuocum: ergo relatio non est genus. Maior patet, quia genus essentialiter includitur in suis inferioribus. Min ostenditur, enti, & nó enti nihil est commune vniuocum: sed quædam relationes sunt entia, quædam verò non entia: Ergo relationi non est aliquid commune vniuocum Maior est nota, nam inter contradictoria nullum intercedit medium *ex* 1. *post T.* 5. Minor quoad 1. partem liquet, siquidem paternitas: v. g. & aliæ relationes tum in diuinis, tum etiam in creatis sunt relationes reales: quoad 2. partē suadetur. inter ens, & non ens extat contradictio, quæ est relatio, & cum inter contradictoria non interponatur medium, infertur talem relationem esse non ens, aut relationem rationis. Concessa maiore, nego minorem. ad eius probationem etiam concesso maiore, nego minorem, quia contradictio non est species relationis, vt etiam notat Scot *vbi ver. sed quia ex* 6. *Met. cap.* . ens secundum se, siue ens reale finitum diuiditur in decem summa genera, quæ ex dictis sunt distinctæ rerum coordinationes. Relatio autem, quæ intelligitur inter contradictoria secundò intentionaliter sumpta, est relatio tantum rationis, vt quoque aduertit Doctor *ibid. ante vers. Ad.* 2. *principale.*

9. Oppones tertiò, contra 2. asser. quod permollitur, & permiscetur in aliis generibus, non est distinctum genus ab eis: sed relatio est huiusmodi: siquidem in genere substantiæ habentur relationes identitatis, & diuersitatis: in categoria quantitatis relationes æqualitatis, & inæqualitatis; & in prædicamento qualitatis relationes similitudinis. & dissimilitudinis Ergo relatio non facit genus ab aliis distinctum Respond. per distinctionem maioris: quod permiscetur in aliis generibus

neribus non constituit distinctum genus à reliquis, si fiat sermo de permixtione, & inclusione essentiali, ita vt amittens propriam essentiam transeat in essentiam eorum, in quibus clauditur, concedo: at si loquamur de permixtione, & inclusione accidentali, retinendo propriam essentiam, nego. Ad distinctionem maioris, distinguenda est minor, relatio quippe accidentaliter, & non essentialiter in cætera prædicamentis inuoluitur. Ita in simili occurrit Scotus *in 1. suprà allegato*, cum ait, relationem diuinam includi in essentia realiter, non verò formaliter identificari, quandoquidem relatio non transit in diuinam essentiam, secundum suam quidditatem, sed semper in ea manet, in suo esse quidditatiuo, tametsi sint idem realiter.

ARTICVLVS II.

Quodnam sit summum genus relationis.

10. CVm omni relatiuo correspondeat suum correlatiuum, vt indicat Scot. *1. dist. 21. q. vn. §. Ad 1. argumentum, D.* Relatiuum quippe vniuersè sumptum est ad aliud, diciturque ad conuertentiam, vt constat ex eius definitione: relatiuum enim in singulari est cuius totum suum esse est ad aliud: & relatiua in plurali sunt quorum totum suum esse est ad aliud se habere ex Arist. *c. præsenti.* Vnde Purph. *cap. de genere* subiungit, in definitione relatiuorum poni correlatiua, propter mutuam dependentiam, quam adinuicem sortiuntur. Huius dependentiæ relatorum meminit Bonetus *in prædicamento libello 4.* déque hac disertè ratiocinatur *ibid.* Propterea non abs re perquiritur, vtrùm solum relatiuum sit genus huius prædicamenti, an verò correlatiuum eius, aut vtrumque simul? Rursùs, cum in vnoquoque genere supremo extent concreta, & abstracta; Ob id non immeritò inuestigari potest, num summum genus huius categoriæ sit relatio, aut relatum, aut relatio, & relatum simul. Prætermissis autem aliis placitis adductis, & repulsis à duobus nostris Nuperis *disp. 8. quæst. 9.* tria tantùm refero, quorum 1. est Alb. *in hoc Tract. cap. 2.* & aliorum quorumdam arbitrantium, supremum genus relationis esse relatiuum: secundum est eorum, quos sequitur Rubius *quæst. 3. huius c.* affirmantium summum genus huius categoriæ in abstracto esse relationem in communi, & in concreto esse relatiuum pariter in communi: tertium est Scoti *quæst. 25. prædicam. §. Dicendum in solutione 3. & vers. Ad tertiam igitur.* Fuentes *q. 16. diff. 5. art. 2.* Orbelli *5. Met. c. de relatione* & Fons. *5. Met. c. 15. q. 6. sect. 2 & 3.* & aliorum permultorum docentium summum genus istius categoriæ non esse propriè relatiuum, sed relationem, quæ est principium referendi.

11. Recognoscendæ sunt diuisiones relationis, definitiones, differentiæ, & conditiones, quas adduxi, & declaraui *in Epitome lib. 1. quæst. 2. art. 8.* Relatio autem huius prædicamenti non est rationis, sed realis: quia ens reale finitum commune est decem categoriis, vt aduertit Doctor *1. dist. 8. quæst. 3. §. Teneo opinionem. N.* Et prædicamenta sunt rerum coordinationes ex eodem Doctore *2. dist. 3. quæst 4. §. Contra istam conclusionem.* Nec est relatio secundùm dici, quæ competit eis, quæ denominatiuè tantùm sunt relatiua, & essentialiter sunt absoluta; sed est relatio secundum esse, quæ adaptatur illis, quæ formaliter, & essentialiter sunt relatiua. Nec est relatio extrinsecùs aduenìens, quæ ex extremis positis necessariò non exurgit, nisi conditione adhibita, quæve ad sex vltima prædicamenta pertinet, vt contra Aduersarios ostendam *quæst. 8. art. 1. huius libri*; sed est relatio intrinsecùs aduenìens, quæ ex natura extremorum necessariò emergit. Quapropter relatio prædicamentalis est relatio realis secundum esse, intrinsecùs aduenìens, realiter à suo fundamento distincta. Non est præterea omittendum discrimen, quod adest inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem, de quo Philosophi digladiantur, & relictà exterorum lite, nostrorum tantùm contentionem affero. Tatar. namque, Lych. *2. disp. 1. quæst. 5. §. nunc soluenda*, & Faber *5. Met. disp. 20 cap. 2.* asserunt relationem transcendentalem esse, quæ per plura genera vagatur, nec vllius est determinati generis, conuenitque enti, priusquam in decem categorias distribuatur. Relatio verò prædicamentalis est, quæ constituit peculiare prædicamentum, quod vulgò dicitur prædicamentum relationis, siue quæ habet proprium locum in prædicamento relationis. Veruntamen hoc non esse certum, & adæquatum discrimen, causámque præcisam talium relationum conantur suadere duo noui Scotistæ *disp. 8. quæst. 1.* dicentes, complures relationes, putà aptitudinales, quæ realiter identificantur cum rebus, quæ in determinato genere collocantur; forent prædicamentales, quia ipsæ sunt in certo genere, nempè in eo, in quo sunt res, quarum sunt aptitudines, & inclinationes: pro certo autem habetur apud omnes, solas relationes quarti generis, aut illas, quæ ad sex vltimas categorias spectant, esse prædicamentales. Ideò subdunt aliundè esse perscrutandum earum discrimen adæquatum, quod existimant positum esse in eo, quod relationes prædicamentales accidunt suis fundamentis, ab eisque sunt separabiles: è regione relationes transcendentales sunt, quæ realiter identificantur cum suis fundamentis, & ab eisdem sunt inseparabiles. Ita sentire Mayr. *1. dist. 19. quæst. 1. art. 3.* Ioannem de Magistris *in hoc cap quæst. 1. dub. 3.* & alios referunt præfati Authores. Ego autem, vt candidè loquar; priores Scotistæ magis mihi ad veritatem, & Scoti mentem videntur accedere quàm posteriores. Siquidem Doctor *1. dist. 8 quæst. 3. ante §. Alij probant. N. & dist. 19. quæst. 1. § de secundo C. & 2. dist. 1. quæst. 5. §. Ad argumenta principalia. P.* Apertè suam profert sententiam, quæ est ea ipsa, quam suprà recitauimus. Nec ratio in oppositum à Recentioribus adducta vim vllam habet, quia relationes aptitudinales (quas memorat Scot *in Report. 2. dist. 1. quæst. 7 ad finem & Quol. 13. §. circa secundum. O.*) reductiuè tantum resident in prædicamento eorum, quorum sunt aptitudines, & inclinationes, vt notant Tatar & alij Scotistæ *vbi suprà*: sermo autem in præsenti instituitur de relatione, quæ per se ponitur in prædicamento, quæ est actualis, gaudétque omnibus conditionibus prænarratis.

12. Assertio, non relatiuum in concreto, sed relatio in abstracto est summum genus prædicamenti relationis. Ita deducitur ex Scoto *locis præcensitis*, præsertim *quæst. 25. prædicamentali*, vbi apertè tradit genus generalissimum relationis esse relationem, siue habitudinem ad aliud: & militat contra duos nostros Neotericos *disp. 8. quæst. 9* arguentes Ioannem de Magistris, & Fonsec. præpositam assertionem tuentes. Prob. 1. in categoriis accidentium, abstracta eorum per se collocantur, vt manet probatum supra *quæst. 3. art.* . sed prædicamentum relationis est vnum ex categoriis accidentis, vt patet: Ergo relatio in abstracto est eius genus supremum. Secundò, omnes species relationis tam subalternæ, quàm infimæ, earumque indiuidua conueniunt vniuocè in communi ratione relationis, quam esse principium referendi, suprà perhibui, & æquè essentialiter de illis omnibus prædicatur: omnes quippè relationes æquiparantiæ, disquiparantiæ, superpositionis, & suppositionis sunt principia referendi, & habitudines ad aliud. Ergò relatio in abstracto est supremum genus istius prædicamenti. Huc pertinent authoritates & rationes, quas adduxi *loco præcit.* verbis eorum communibus in particularia huius solummodò mutatis. Ratio autem dubitandi in initio huius articuli proposita nobis non facessit negotium, quia relatio non refertur ad aliud, vt refertur relatiuum; sed tantùm est forma, & principium referendi, quo nimirum relatiuum refertur

ad

ad aliud, vt refertur relatiuum; sed tantùm est forma, & principium referendi, quo nimirum relatiuum refertur ad aliud. Ideò cessat instantia perquirendi, quodnam sit genus summum huius prædicamenti: notum enim est in nostra sententia esse relationem in communi supra descripta. Itemque non relinquitur ambigendi locus, num vnum, aut duo genera relationis sint admittenda? certum quippè est, persistendo in eadem sententia esse tantùm vnum genus relationis, veluti est vnum genus quantitatis, vnumque genus qualitatis. Cætera verò, quæ dicti Recentiores obiiciunt, facilè ex infrà subiiciendis diluuntur.

Quod si velis disputationis gratiâ, relatiuum in concreto constituere genus summum categoriæ relationis, veluti generis quantitatis, quantum, & generis qualitatis, quale, vt videtur sentire Arist. 5. *Met. c. de quanto, & c. de quali*, Et non caret probabilitate in doctrina Scoti *q. allegata ad finem §. Etsi forte: & ibid. pau o ante, vers. Contrà hoc si relatio. Et vers. Item concesso.* Sic suadere vales, quia omni abstracto correspondet suum concretum: si ergo datur relatio in communi, quæ est nomen abstractum, vtique concedendum est relatiuum in communi, quod est eius concretum: tamen non tam facili negotio difficultas solui videtur. Cùm enim relatiuum referatur ad aliud, seu ad terminum, inuestigandum est, an terminus, quem respicit relatiuum, ad idem, vel ad diuersum genus pertineat; sitne terminus in communi, sicut relatiuum est in communi, an verò in particulari. Huic dubio ad mentē Scoti occurrendum esse ego arbitrarer, quod sicut relatiuum est in communi: ita terminus eius est in communi: & cum ex eodem Doctore 1. *distinct. 30. quæst. 1.* relatio terminetur ab absolutum, non sequitur ipsum terminum esse eiusdem generis relationis, aut aliud genus relationis constituere, quod de relatiuis non mutuis peruium est, & de motuis infrà est ostendendum. Atque in hac sententia sic explicata, nullus videtur superesse scrupulus ampliùs dissoluendus.

13. Si autem contra hanc doctrinam opponas Scotum *quæst. prædicam. citata, propè finem, vers. Ad secundam prius positam.* Et 1. *dist. 21. q. vn. §. Ad 1. argumentum C* docentem, relatiuum in communi non referri ad terminum in communi, sed ad aliquem terminum ex suis inferioribus. Cuius sensus, vt apertior fiat, verba eius expressa hîc subiicio. Respondeo, quod in omnibus relatiuis æquiparantiæ, commune secundùm se acceptum, vt commune est, non refertur, quia ex quo est commune, abstrahitur ab omnibus relatiuis, siue terminis relationum: quia relatio realis non est nisi distincti ad distinctum, sed si vt sic referretur, oporteret ibi dare terminum relatum sibi distinctum: & ideò non referretur ad aliquid eiusdem rationis cum relato, sed referretur ad aliquid alterius rationis. Refertur igitur tale relatiuum tantùm pro suo inferiori: sicut simile non refertur pro simili in communi ad simile: sed pro aliquo inferiori, quod potest distingui à simili, ad quod refertur: ita etiam est de differenti. Non enim refertur ad differens in communi, quasi ad 1. correlatiuum, quasi essent duo extrema prima relationis, & vtrumque communissimum, ad omne differens: sed differens est differens ab hoc differenti. Et si obiicias, quod relatiuum dat primò intelligere suum correlatiuum commune. Respondeo non est tale correlatiuum eius, vt commune, nisi ipsum vt sumptum pro aliquo inferiori, pro quo distingui potest à correlatiuo. Exemplum huius est in rebus, quia si tota natura ignis esset in vno indiuiduo: illud indiuiduum non posset generare, quia si sic, tunc generaret alium ignem, in quo esset tota natura ignis: & essent quasi duę species ignis, quod est impossibile. Et tamen nunc in vno indiuiduo natura ignis est ratio generandi: quia habet vnitatem sufficientem pro principio actiuo, & distinctionem sufficientem. Ita hæc similitudo est ratio referendi, vel terminandi relationem: sed nec refertur, nec terminat, nisi accipiatur pro distincto, in quo sit: ita quod nec vnitas, nec distinctio est per accidens: sed vtrumque per se respectu talis relationis, sicut dictum est *in q. de circumincessione*. Hæc nequaquam nobis officiunt, quia Scotus præcitatus verba solùm facit de relatiuis æquiparantię, vt constat ex verbis ipsius præpositis: non autem disserit de relatiuo in communi, quod præscindit à relatiuis æquiparantiæ, & disquiparantiæ, vt rectè obseruant Conimbr. *quæst. 2. artic. 1. huius capitis*, & nostri Recentiores superiùs allegati, & Suarez *disp. 47. Met. sect. 17.*

Instabis ex eodem Doctore *q. prædicamentali adducta*, & Gadio *in principio Quol. 6.* relatio est principium referendi ad aliquod relatiuum penès eandem formam. Igitur omnis relatio, omniaque relatiua sunt relatiua æquiparantiæ, ac proinde nulla est distinctio præallata ad soluendam dubitationem de relatiuis æquiparantiæ, & de relatiuo in communi abstrahente à relatiuis æquiparãtiæ, & disquiparantiæ. Respondet Scotus proximè citatus, relatiuū ęquiparantiæ esse æquiuocum; propriè enim sumptum est relatiuum secundum eandem formam specie, à qua importatur vnum nomen, quod de vtroque extremo talis relationis dicitur, vt sunt simile, æquale, & huiusmodi, quorum exemplum affert Doctor *in 1. loco memorato*: transumptiuè verò dicitur relatiuum æquiparantię omne illud, quod eodem nomine denominat vtrumque extremum, licet illud nomen non importetur ab vna forma specie, & hoc secundo modo, concedo relationem, quæ est genus generalissimum esse relationem æquiparantiæ, ac relatiuum ab ea dictum, esse similiter relatiuum æquiparantiæ. Diuiditur enim relatiuum relatiui relatiuum: sed relatio primo modo accepta est species huius quarti generis.

14 Vrgebis, quocumque modo relatio æquiparantiæ sit genus generalissimum sequitur, omnes relationes inferiores esse illo modo tales, quod videtur inconueniens, cum paternitas, filiatio, relationésque omnes superpositionis, & suppositionis nullo modo sint relationes æquiparantiæ, quia vno, eodemque nomine vtrumque extremum haud denominant. Satisfacit idem Doctor *ibid.* inquiens, omnem relationem inferiorem esse æquiparantiæ, seu principium referendi ad aliquod dictum secundum eandem formam genere, vbi quoque ambo extrema eodem nomine generis, nominantur, licet non quælibet relatio sit principium referendi ad aliud secundum eandem formam specie: nec vbi vtrumque extremum nominatur nomine speciei: Dicitur enim pater secundum formam sui generis relatiuum relatiui, etsi non dicatur secundum propriã formam patris, quia secundum propriam formam patris perhibetur pater.

15. Contra insurgit Rubius præcit. *q. 3. c. 7.* assumens hoc medium, quod est Scoti ad finem *q. allegata, vers. Contrà illud.* In inferioribus includitur ratio essentialis superioris, vt in homine, & bruto ratio essentialis animalis, quæ est ratio sensitiui: sed ratio communis essentialis cuiuscumque relatiui est referri ad aliud, hoc est referri ad terminum: Ergo huiusmodi ratio communis competit omni relatiuo, ac proindè relatiuum in communi respicit terminum in communi: quemadmodum relatiuum in particulari respicit terminum in particulari. Conf. sicut hic pater est huius filij pater, & hic pater respicit hunc filium: pariter pater est filij pater, & pater respicit filium. Igitur relatiuum in communi habet terminum in communi. Dici potest, concessa maiore, ad minorem, ratio relatiui generalissimi propriè non est referri ad aliud; hoc enim competit relatiuo; sed est habitudo, seu principium referendi, quo relatio non refertur, sed relatione relatiuum refertur, scribente Doctore *in quæst.* sicut actio non agitur, sed est id, quo res agitur: itemque locus non locatur, sed est id, quo corpus locatur. Ad conf. dico id valere de relatiuis, non autem de relatione, quæ est genus generalissimum.

16. Instatur

16. Instatur ex Scoto *sub fine q 4. Top.c.4. loco* 48. si species sit ad aliquid, & genus est ad aliquid : ergo si species sit principium referendi ad aliud, vtique genus est principium referendi ad aliud. Denuò repugnat genus summum esse habitudinem ad aliud,& non reddere eius subiectum ad aliud se habens , sine respiciens terminum Dici potest generalissimum relationis esse ad aliud non per diuersam , sed per eandem formam, quia ex dictis terminatur non ad relatiuum , sed ad absolutum Per id quoque satisfit alteri rationi adductæ.

17. Contra inueniri non potest terminus absolutus, ad quem relatiuum in communi feratur : Ergo effugitur,& non diluitur præfata instantia per allatam distinctionem. Ant. prob ille terminus nequit esse sola substantia,nec sola quantitas,vel qualitas (quæ tria esse fundamenta distinctarum relationum infrà ostendetur.) Alioqnin omnis terminus relationis erit vnum ex illis tribus,quod veritati non est consentaneum. Præterea si relatiuum in communi refertur,ad terminum absolutum, infertur omne relatiuum inferius ad terminum absolutum referri, quod est falsum ; Pater enim ad filium , & præceptor ad discipulum, vt ad suum correlatiuum refertur. Ant. suadetur, relatiuum inferius includit essentialiter relatiuum superius : ergo si superius spectat terminum absolutum , quoque inferius terminatur ad absolutum. Negandum est ant. ad eius probationem dici potest terminum relationis abstrahere à substantia , quantitate,& qualitate. Prius enim eis diuiditur in absolutum,& relatiuum,quàm absolutum subdiuidatur in substantiam,quantitatem,& qualitatem. Ad aliam rationem conceditur sequela antecedentis,nec vllum incommodum sequitur,vt inferius patebit in proprio articulo. Eò magis, quia, vt aduertit Doctor *1.dist.2 1 q.vn.antè §.Ad 1 argumentum.* correlatiuum non est de intellectu correlatiui ; sicut aliquid eius, putà pars essentialis, aut integralis : sed sicut aliquid,ad quod terminatur intellectus eius. Ideoque secundum eundem Doct *d.40.primi p 1.§. Ad 1.q. M* relatio necessariò coëxigit ad suum esse, terminum, quem ipsa respicit.

ARTICVLVS III.

An sint relationes reales?

18. VOrrilonius suo tempore Theologorum caput, & princeps, (teste Tossinianensi suæ historiæ seraphicæ) 1. *dist* 30. & Pelbartus *s. Rosary, verbo Relatio*, § 1. referunt Zenonem, Socratem, aliosque vetustiores Philosophos abnegasse omnē relationē realem.quos postmodum secuti sunt nonnulli Theologi,interquos connumeratur Aureolus *1.dist.* 31.vbi pertres art.vberè,& acutè de diffinis, & creatis relationib. disceptat, quem allegat Ioannes Bacco *1.d.28 q.1.art.1.* Oppositam autem sententiam sustinent Plato, Arist. *in Log.c.de Ad aliquid.*Et *5. Met.c.5*.t 5. S.Th *ibid. & 1.p. q.13 art.7.& alibi* Scotus tum ibi,tum etiam *2 d. 1.q.4. §.Et quia posset, ante* C.Bonetus *libello* 4. & ferè omnes posteriores Philosophi,& Theologi,à quibus noluit deflectere Bacco, *vbi suprà* admittentes relationes reales.

19. Not. primò , tria esse rerum genera , quorum duo commemorat Tatar. *in præsenti dub.*1. primum est earum rerum,quarum esse in se perfectum est,& ad aliud non ordinatur,velut sunt entia absoluta,ita dicta quasi ab omni respectu , & ordine soluta , quæ nominantur substantiæ potissimum completæ, & perfectæ,vt homo, leo,& huius formæ alia. Secundum est earum,quæ eùm essentialiter sint imperfectæ ,ordinantur ad aliud extrà se, adeò vt plenè intelligi nequeant absque tali ordine, tametsi non sint ille ordo,sed aliquid aliud , præter dictum ordinem, cuiusmodi sunt substantiæ incompletæ, putà materia,& forma:materia quippe est quoddam ens imperfectum , quod vnà cum forma ordinatur ad constitudum compositum phy sicum,Tertium est earum,quæ multò sunt imperfectiores , quarum esse nedum est in ordine ad aliud;verùm nihil est aliud, quàm ordo,& respectus ad aliud,vt paternitas,filiatio,& huiusmodi Hæc doctrina disertè traditur à Doctore *1 2.Met pag.336 in notabili.*Et planè insinuatur *1.d.1.q.4.§ secundum membrum ante O.* Quæritur autem in præsenti , vtrùm ille ordo,& habitudo ad aliud, quæ est ipsamet relatio sit a parte rei, an verò fiat intellectus opere ? de quo recitatæ sunt duæ oppositæ sententiæ *in principio huius art.*de quibus latè Suarez citatus *sect* 1.

20. Not. 2. ex eodem Doctore *1.d.31.q.vn.§.Ad q. videtur dicendum. A.& Quodl.6.§.De tert o L I.* Pelb. *precit §.7.* & Orbello *5.Met. pag* 699. relationem realem tria exposcere. 1. extrema realia, inter ratione fundandi,& terminandi non dependeat ab intellectu. 2. extrema realiter distincta ; eiusdem enim ad se non est relatio realis. 3. ex natura extremorū consurgere debet relatio,seclusa quauis operatione intellectus,& comparatione potentiæ extrinsecæ Propterea monuerat Scot. *q.25.prædic.vers. Ad 2.prius & Quol.*13.§. *Circa secundum, ante* O.relationem esse rationis quando ambo extrema,aut alterutrū est ens rationis,aut quia duo nō sunt eius extrema , nisi per intellectus considerationem, vt accidit in relatione identitatis. eiusdē scilicet,ad seipsū.

21. Assertio Concedendæ sunt relationes reales.Hanc aperto Marte defendit Scot. *vbi suprà, & in Report.* 1. *d.*1.*q.7 §.Teneo.* Prob. 1. prædicamenta sunt coordinationes entium realium ex dictis *q 3 art 1.huius libri*:sed relatio est vnum ex decem categoriis, vt probant *art* 1. *huius q* Ergò inficiandæ non sunt relationes reales, 2. omne ens reale vel est absolutum,vel relatiuum, vt post Scotum *q.25.prædic. & in Report loc.cit.* notat Sirectus *Tract Formalit art.1 principali, & declaratur in 1.not.* & non dissentit Arist. *in hoc lib.* qui facit peculiare genus relationis distinctum à substantia,quantitate,& qualitate,quæ sunt absoluta:sed hæc sunt realia,ergo relatio est realis,cuius syllabus refertur ab Arist. *5.Met c.15.T.*20. 3. quod sensu percipitur est reale , eùm sensus nec sit potentia reflexiua nec comparatiua, vt patet *ex 2 de anima T.152.& 156.* sed relatio sensu percipitur,vt æqualitas vel inæqualitas duorum parietum , similitudo, aut dissimilitudo eorundem. Item cacophonia,& symphonia sunt relationes,quæ ab auditu percipiuntur,illa quippè lædit auditum;hæc verò demulcet.Rursùs à visu cernitur distantia,& approximatio corporum,& eorum simultas localis : Ergo concedendæ sunt relationes reales prædicamentales. 4. vnitas vniuersi consistit in ordine partium inter se, & ad vnum primum *ex 12. Met T 52.* veluti vnitas exercitus posita est in ordine militum ad inuicem,& ad vnum Ducem:sed ille ordo est relatio nemine cogitante,vt scribit Doctor *1 d.30 q.1.§.Respond. ergo. E* Ob id,qui relationem realem prædicamentalem respuunt,inconnexam faciunt vniuersi substantiam, vt illis ex Arist eit obiicit idem Doctor. 5. compositum effici nequit absque vnione partium componentium;partibus enim seiunctis haud extat totum compositum:sed vnio partium est relatio,seclusā quauis intellectus operā,vt apertiùs fiet, *in phys.q.de toto* Rursùs fieri non valet vllus effectus sine proportione , & approximatione causarum, vt liquet experientia : sed proportio, & approximatio sunt relationes ab intellectu minimè pendentes:ergo sunt relationes reales. Amplius sicathematica demonstrat multas relationes de suis subiectis , vt æqualitatē de duobus rectis,& inæqualitatem de trihus angulis trianguli, æqualitas autem,& inæqualitas sunt relationes fundatæ supra vnitatem quantitatis.Denique mysterium adorandæ Trin.ex realibus relationibus originis constituitur,vt *in Tract.de Deo trino* patefeci : & mysteriū ineffabile Incarnationis Diuini Verbi non est absq; relatione,siue vnione naturæ humanæ assumptæ, ad ipsummet Verbum assumens, vt pariter, *in Tract.de Deo Incarnato* ostendi.Ergo admittendæ sunt relationes reales:hæque rationes plurimi sunt faciendæ,quidquid in contrarium excogitet Suarez *loco precit. n.13.& 14.*

P 21.Oppo

22. Oppones primò, quòd præfefert negationem, aut priuationem, non est aliquid reale positiuum, vt constat ex ipsis terminis, sed æqualitas, quæ inter relationes numeratur significat priuationem, vt indicat Philosophus 10 *Met. T.* 17. & inde, inquiens, æquale opponitur magno, sicut duæ priuationes; siquidem æquale est, quod nec maius nec minus est: Ergo, non est inuebendum in Scholas, genus relationis, tanquam quid reale positiuum Conf æqualitas est vnitas in quantitate: vnitas autem formaliter negationem significat: idem quippe est ac indiuisio *ex* 5. *Met. T.* 3. Igitur æqualitas, & quæuis alia relatio non est quid reale. Resp. concessa ma. distinguendo min. penès nomen, concedo: penès rem, nego, vt fusè ostendi *in Tract. de Deo trino disp.* 5. *quæst.* 6. Ad Conf. pariter concedo maiorem, nego minorem. Est enim vnitas proprietas entis realis positiua, vt demonstraui *in Met. quæst. de vnte.* Ità exponendus est Arist. *locũ præcitatis.*

Oppones secundò, quod tantùm accipit esse ab intellectu, non est reale: relatio autem accipit esse tantùm ab Intellectu, ergo non est realis. Maior patet, minor prob. relatio est comparatio intellectus, comparantis vnum ad aliud, vt simile ad simile, aut ad dissimile, æquale, ad æquale, aut inæquale Conf. 1. Arist. 6. *Met. T.* 8. *cap. vlt.* distinguens ens reale in decem prædicamenta scribit, entia realia aut sunt quale, aut quantum, aut si quid aliud copulat, aut diuidit mens. Ex his elucet ipsum Philosophum velle quædam prædicamenta esse entia rationis, vtpotè quæ dependent ab opere animæ, & in illis reponenda est relatio, quæ est minimæ entitatis, aduertente Scoto *q.* 25 *prædicam* post Auerr. 12. *Met. comm.* 19. Conf. 2. relationes numeri sunt ab anima, secùs foret actu infinitum reale positiuum. Igitur relatio non est realis, sed rationis. Ant. prob. dato aliquo duplo, in eo est relatio dupli ad dimidium, & relatio tripli ad tertiam partem, & quadrupli ad quartam partem, & si in infinitum. Adde relationes Dominij, & seruitutis, & quæ sequuntur obligationem voluntariam: tales quippè videntur esse relationes rationis. Concessa ma. neganda est minor, ad eius probationem dico duplicem esse comparationem, vnam, quæ ex natura rerum decerpitur, quæ est habitudo duarum rerum se inuicem respicientium, & hæc est realis, semota intellectus opera: alteram, quæ fit solùm per intellectum fabricantem, ordinem, & habitudinem inter ea, quæ à parte rei huiusmodi habitudinem non sortiuntur, vti sunt relationes generis ad suas species, & specierum ad sua indiuidua. Huius duplicis comparationis meminit Doctor *Quol* 3. §. *Respondeo sub P.* Ad 1. Conf. dico Arist. statim illud improbare, contrà oppositum sentientes, vt rectè obseruat Bacco citatus *art.* 2. Ad 2. Conf. distinguo ant. relationes numeri numerantis, concedo: relationes numeri numerati, nego, vt palam fiet *in phys.* Ad aliud, quod subditur, dico relationes Dominij fundari in potentia coërcitiua, quæ est realis positiua: ideò relationes in ipsa fundatæ sunt reales, vt indicat Scot. 2. *d.* 1. *q.* 4. §. *Contrà istam opinionem arguo antè A. &* 4. *d* 6. *q.* 10. §. *Hic dicitur infrà.*

24. Oppones 3. cuiuscumque entis realis (præter Deum) habet causam realem effectricem, vt vno calamo subscribunt Arist. & cæteri ferè Philosophi, nosque demonstrauimus *Tract de creat. disp* 1. *q.* 17. relationis autem nulla est causa realis; nam albo existenti Auenione aduenit relatio similitudinis, tametsi in ipso nihil efficiatur, sed tantum quia Aquis productum est aliud album: ergo nulla recipienda est relatio realis. Concessa ma. distinguo minorem, relationis nulla est causa per motum, & mutationem, concedo: per simplicem emanationem, & resultantiam, nego. Sic duobus positis quantis æqualibus, inter ea resultat relatio æqualitatis: & datis duobus albis, consurgit inter illa relatio similitudinis. Præallata autem causæ distinctio *in physic.* est declaranda.

Articvlvs IV.

An relatio distinguatur à suo fundamento.

25. Dvæ in hoc artic. vigent Philosophorum, & Theologorum opiniones, quarum Priorem enixè defendunt Nominales negantes relationem a fundamento, quo fulcitur, distingui realiter: aut formaliter, sed ratione duntaxat. Ita Och. 1. *distinct.* 30. *quæst.* 1. Gabriel, Greg. & alij, & quibus non discordant Suarez *Tomo* 2. *Met. disput.* 47. *sect.* 2. & Hurtadus *disputat.* 15. *sect.* 2. §. 7. Posteriorem verò fixis pedibus sustinent Reales, affirmantes relationem à fundamento distingui, & quidem aliam realiter, aliam verò formaliter. Huius sententiæ præcipuus Patronus est Doctor subtilis 2. *distinct.* 1. *quæst.* 4. §. *Iuxta istam opinionem. l. &* 3. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *articul.* 3. §. *Ad illud in oppositum. R. & Quol.* 3. §. *Respondeo.* quem sequuntur Lych. Gadius *ibid.* Pelbartus *præcit.* §. 3. Bonetus *libello* 4. §. *Amplius autem Dicamus.* Tatar. hic *dub.* 2. & omnes Scotistæ, quibus non videntur contradicere multi Thomistæ à Suarez, & Rubio *quæst.* 14. citati.

26. Not. primò, relationem duo præexigere extrema, quorum vnum vocatur fundamentum, & aliud terminus. Fundamentum est radix, siue principium, à quo prodit, & in quo fundatur relatio: terminus verò est id, ad quod fertur, siue terminatur ipsa relatio. Fundamentum autem ex Scoto, 1. *distinctione* 19. *quæstione vn. A.* Lych. *ibid.* § *Respondeo. Et Quol.* 12. §. *Respondeo C. Et in Reportat.* 2. *distinctione* 1. *quæst.* 7. scinditur in remotum, seu materiale, & proximum, seu formale. Remotum iam à nobis supra est descriptum, est enim idipsum, quod fundat relationem, substantia nimirum, aut quantitas, aut qualitas. Proximum verò est ratio fundandi, cuius meminit Doctor *Quol. proximè citat.* sine qua ex fundamento remoto non exurgeret relatio, vt vnitas substantiæ, quantitatis, & qualitatis generica, vel specificà. Cum autem tria potissimùm numerentur fundamenta remota relationis à nobis iam insinuata superiùs, putà substantia, quantitas & qualitas: tres quoque in vniuersum recenseri possunt distinctæ relationes in præfatis fundamentis fundatæ. In substantia fundantur relationes identitatis, & diuersitatis: in quantitate relationes æqualitatis, & inæqualitatis: & in qualitate relationes similitudinis, & dissimilitudinis. Vnitas verò substantiæ, quantitatis, & qualitatis est proximum fundamentum relationum identitatis, æqualitatis, & similitudinis: at diuersitas substantiæ quantitatis, & qualitatis est proximum fundamentum relationum diuersitatis, inæqualitatis, & dissimilitudinis. Rursus aduertit Doctor 4. *dist.* 6. *quæst.* 10. §. *Hic dicitur D.* quod licet dicta fundamenta, propriè præsrecensitis relationibus accommodentur, tamen cuicumque generi eorum metaphoricè omnes tales relationes posse adaptari. Siquidem in omni genere præcisè sumpto inueniuntur suo modo quidditas, quantitas, & qualitas, earumque vnitates, in quibus fundari possunt prænumeratæ relationes. Secundum enim suam substantiam, seu quidditatem aliquid dici potest idem, vel diuersum, respectu alterius: secundum eius quantitatem virtualiter sumptam, æquale, vel inæquale, & secundùm qualitatem simile, vel dissimile.

27. Not. secundò, ex Scoto 2. *distinct.* 1. *quæst.* 4 §. *Contra istam opinionem arguo*: post Aristotelem 7. *Top. c.* 1. *&* 2. aliquod problema, siue propositionem posse reiici, aut recipi per inuentam, & datam contradictionem,

dictione, vt si quis hoc proferat assertum, materia, & forma idem sunt. Huius oppositum euincitur per contradictionem mox adducendam. Quod existit, alio non existente, non est idem cum illo, alioquin esset idem cum illo, & non esset idem cum illo: esset idem ex suppositione: non esset idem, quia non manet, alio manente, quæ sunt contradictoria. At materia existit, aut saltem potest existere, forma non existente, vt somus ostensuri *in physic. quæst. de materia.* Ergo materia, & forma non sunt idem. Hac arguendi formula vtitur Philosophus 1. *physic. T.60. & secundò eiusdem operis summa 2. cap.3.* necnon 4. *eiusdemmet operis cap.2.* vbi probat locum distingui à locato, propterea quod successiuè idem locus diuersis locatis corporibus competere potest. Vndè subiicit Doctor *vbi suprà, & Quol.3. sub P* regulam cognoscendi identitatem, aut diuersitatem aliquorum esse huiusmodi, quod conuenit alicui sic, quod omnimoda contradictio sit, illud esse absque isto, hoc est idem realiter illi: & per oppositum, vbi non est omnimoda contradictio, non oportet idem esse omninò.

28. Not. tertiò, & præsupponendum *ex Met. quæst. de accidente*, & obseruat Gadius *Quol.3. fol. 41. columna prima*, ex Scoto *ibidem & 4. distinct. 12. quæst. 1.* duplicem esse inhærentiam accidentis, actualem, & aptitudinalem, & vtramque haud ingredi essentiam accidentis, vt indicat Scot. *Quol. allegato §. Ad argumentum principale 5.* Potest autem accidens absolutum diuinitus existere absque inhærentia actuali, vt constat per fidem de accidentibus Eucharisticis ab omni subiecto seiunctis; non tamen sine inhærentia aptitudinali, quæ est eius proprietas realiter cum eo identificata, atque ab eodem inseparabilis. Accidens verò relatiuum nequaquam esse valet absque inhærentia actuali, quia est idem realiter cum illo, vt obseruat Gadius *vbi suprà*, & probat per regulam Scoti adductam à nobis *in 2. not* Itaque relatio habet esse actuale ad aliud, quod respicit, quo durante durat, & quo dempto demitur relatio, vt persistente filio, quem pater respicit, manet relatio paternitatis, filio verò ablato, & defuncto, perit relatio paternitatis: ob id celebratur illud elogium: *Relatiua se mutuò ponunt, seque mutuò destruunt.* Vndè actualis inhærentia relationis est idem ipsi realiter, affirmantibus Scoto, & Gadio *Quol. citat.* Atque relatio pendet essentialiter à fundamento, & termino, vt præclarè docet Bonetus *in initio libelli de relationibus*, nec discrepat eius præceptor *4. distinctione 12. quæstione secunda, §. Ad argumenta principalia, M.* & patet ex definitione relatiuorum. An verò à fundamento magis, quàm à termino dependeat relatio, necne, liquidò constabit inferiùs.

29. Assertio prima, relatio non est idem cum suo fundamento. Ita Scot. *locis præmemoratis.* Prob. primò, ex Aristot. qui in suo organo *cap. de ad Aliquid, & quinto. Met. T.20.* statuit peculiare prædicamentum relationis, à cæteris distinctum, quod præstare nequiret, si relatio prorsùs coincideret cum suo fundamento: Etenim cùm fundamentum relationis sit substantia, aut quantitas, aut qualitas, vt liquet ex primo not. relatio in aliqua earum categoriarum collocaretur. Ait autem *ibidem*, Philosophus, similitudinem fundari suprà vnum, præbetque exemplum de qualitate, in qua ex dictis relatio similitudinis fundatur: idem autem in seipso fundari non potest: ideoque nulla est relatio realis eiusdem ad seipsum. Hoc etiam apertè innuit Philosophus *12. Met. capit. 2. T. 19.* aliisque in locis. Vnde Racco *in fine quæstionis citata* subiungit oppositam sententiam Aristoteli pugnare. Solideque, & acutè *ibid. quæst. 2.* ostendit esse expressam ipsius Aristot. eiusque commentatoris, quam idem Racco ibi amplectitur.

30. Dices cum Suarez *loco citato, numer. 22.* relationem esse quidem formam absolutam, non tamen absolutè sumptam, sed formam absolutam respicientem, siue connotantem aliam formam, quam relatiua denominatio includit, & connotat. Huiusmodi autem denominatio relatiua haud est purè extrinseca, propterea saluatur prædicamentum relationis ab aliis distinctum, quod statuit communis sententia: hacque datà explicatione, & interpretatione, dictus author nec à veritate, nec ab Aristotele putat se discedere. Idque exemplo declarat de similitudine, quæ est forma realis existens in re, quæ dicitur similis, ab albedine tamen non differt, vt est in re, quæ dicitur similis, sed solùm quantum ad terminum, quem connotat. Itaque similitudo aliud non sibi vult, quàm ipsammet albedinem respicientem alteram albedinem eiusdem, seu similis rationis. Contra si relatio est forma absoluta, quatenùs respicit terminum, mala foret definitio relatiuorum, quorum esse totum est ad aliud se habere: & ipsius relationis quæ pariter habet totum suum esse ad aliud, vt fatetur idem Suarez *ibidem, sectione quinta, numero secundo*: siquidem, benè in sententia Suarez diceretur, relationem præter esse ad aliud, habere esse ad se, quia per ipsum est entitas absoluta, quæ habet esse ad se, vt patet ex vi nominis absoluti. Igitur ipsa relatio non habet totum suum esse ad aliud; cum ex eodem *numero tertio*: esse ad se, & esse ad aliud distinguantur: per hoc enim excludit à definitione relationis substantias creatas, quia istæ habent esse ad se, cum sint absolutæ: illa verò habet esse ad aliud, quia est forma relatiua, cuius esse totum est ad aliud. Et *numero quarto*, subdit cum Aristotele distingui alia accidentia cæterorum generum à relatione, quia illa habent esse in alio, cum sint absoluta: hæc verò habet esse ad aliud, quod est proprium ipsius relationis. Vnde videtur esse manifesta implicatio in eius assertis. Non enim absque contradictione, vnum & idem est prorsùs absolutum, & distinguitur ab absoluto: concedit autem Suarez relationem esse idem cum absoluto eius fundamento, & distingui ab ipso absoluto, quod est euidens contradictorium. Nec præstat dicere cum illo *sectione secunda, numer. 23. & 24.* relationem ab absoluto ratione distingui: ideoque nulla sequitur contradictio. Contra, seclusà operatione intellectus statuentis distinctionem inter relationem, eiusque fundamentum, quæ reuerà per eum nulla est à parte rei, vel relatio est aliquid à fundamento distinctum, aut nihil: non secundum, vt is admittit: ergo primum, quod non est ens rationis, quia ex eodem *sectione tertia*, relatio prædicamentalis est realis, solaque relatio realis constituit prædicamentum relationis. Item *numero sexto, sectione quinta*: cum dicitur relationem solùm habere esse ad aliud, particula exclusiua excludit absolutum, & indicat esse relationis. Et *in initio sectionis 1.* relatio est minimæ entitatis inter omnia genera. Rursus idem author vult totam essentiam relationis esse in fundamento, quòd infrà est refellendum: loquitur autem ibi de esse reali, non verò de esse rationis. Denuò, asstruit similitudinem, quæ est relatio, esse in re, quæ dicitur similis. Deindè relatio resultat positis extremis; vt idem affirmat *sectione septima, numero primo*, eius causa est fundamentum. Et *numero quinto*, duæ albedines referuntur relatione similitudinis. Et alia *ibidem* subdit, quæ sanè demonstrant relationem plusquam ratione differre à suo fundamento. Ampliùs, vel relatio v. g. est albedo, vel est quid distinctum ab albedine, quia inter idem, & diuersum non cadit medium *ex 10. Met. T. 12.* Sed non est albedo, quæ est qualitas, vt patet: ergo est quid distinctum ab albedine, quod est intentum. Si dicas cum Suarez esse albedinem, vt respicit alteram albedinem. Contrà, albedo vt respicit alteram albedinem, addit aliquid suprà eam, vel non: si non, eluditur,

& non soluitur argumentum: si sic, illud additum, vel est respectus, qui ex dictis coincidit cum relatione, & ab eo recipi videtur, qui *sectione 5. numer. 5.* subiicit esse relationis consistere in puro respectu ad aliud: vel est terminus, ad quem illa fertur, & hoc nequaquam, quia terminus est vnum ex eius extremis: aut aliquid in termino, quod est tertium ab vtroque extremo distinctum, vt ille concedit *sectione 2. numer. 2.* ob id iure fundamentum, & terminus appellantur extrema, propterea quod inter illa mediat relatio, quæ est quid tertium ab eis distinctum, vt ibi argumento conuictus fatetur idem Author. Demùm ex 8. *Met. T. 16.* prædicamenta sunt primò diuersa, hoc est in nullo conuenientia: ergo cum ratio formalis constitutiua prædicamenti relationis sit primò diuersa, per quam proprium, & peculiare prædicamentum relationis constituitur distinctum à reliquis categoriis, quarum nonnullæ sunt eius fundamenta, vt suprà declaraui: clarè deducitur relationem haud cum suo fundamento identificari.

31. Secundò ex Diuo Augustino 7. *de Trinit. capite 5.* omne relatiuum est aliquid exceptâ relatione, quod sic explicatur, v. g. æquale duo includit, quantitatem, & relationem æqualitatis. Item pater duo importat, suppositum, quod denominatur pater, & relationem paternitatis, quâ dicitur pater: sicque omne relatiuum duo præsefert, puta fundamentum, & relationem, quæ in ipso fundatur: ergo relatio à fundamento dissidet.

32. Tertiò, quod est absolutum non est relatiuum, quia ens sufficienter diuiditur in absolutum, & relatiuum, vt patet *ex Tractat. formalitatum, & 2. distinctione prima quæstione quarta.* Sed fundamentum relationis quodcumque illud sit ex præcensitis in primo dist. est absolutum: relatio verò non est de genere absolutorum *ex 1. distinctione secunda, quæstione septima, §. Tenendo. K.* Non igitur relatio coïncidit cum suo fundamento. Insuper si relatio, eiusque fundamentum identificarentur, vna esset vtriusque definitio, quæ manifestat vnitatem essentiæ: atqui diuersa est definitio fundamenti à definitione relationis, quia diuersum est eius genus, eiusque differentia, iuxta illud Philosophi. *In Antepredicam. diuersorum generum diuersa sunt differentia, species, & indiuidua.* Ergo idem non sunt relatio, eiusque fundamentum. Denique si relatio nihil aliud sibi vult, quam extrema absoluta coexistentia, indubiè tollitur vnio hypostatica naturæ humanæ cum diuino Verbo, quæ ex Doctore *Quol. 19. & 3. distinctione prima, quæstione 2.* est relatio extrinsecùs aduenïens humanitatis à persona independente æterni Verbi, quæue ab eisdem realiter distinguitur, vt ostendi *in Tract. augustissima Incarnationis disputat. 6. quæstione 1.* Hæc, & aliæ instantiæ ibi relatæ tanti sunt apud Ocham, qui (teste Gadio *in commento Quol. allegati*) licet 1. *distinctione* 30. abnuat relationem distingui ab extremis, tamen *in tertio*, cogitur ingenue admittere prænominatam vnionem, quæ etiam secundum ipsum distinguitur realiter à suis extremis, quæ sunt Verbum, & humanitas assumpta.

33. Assertio secunda, relatio prædicamentalis realiter dissidet à fundamento. Hanc tenet Scot. *vbi suprà, & 5. Met. quæst. 11.* quæ prob. primò, sine quo aliquid esse potest, realiter ab eo differt: hoc enim est apertum indicium distinctionis realis, vt perlibui *lib. 2. quæst. 1. articul. 16.* sed fundamentum esse potest absque relatione prædicamentali, vt extincto filio, perit paternitas suppositi, quod vocabatur pater, remanet tamen fundamentum paternitatis in ipso supposito, quod est potentia generatiua, perhibente Scoto *4. distinctione 6. quæstione 10. §. Hic dicitur.* Et *distinct. 12. quæstione secunda, §. Ad argumenta. M.* Item Petrus v. g. per aduentum serui efficitur Dominus, per recessum verò serui, ipse Petrus desinit esse Dominus, & tamen in eodemmet Petro persistit fundamentum relationis Dominij, quod est potentia coercitiua: ergo inter fundamentum, & huiusmodi relationem, adest distinctio realis. Respondet Maior præcitatus argumentum non concludere: si enim maior, & minor forent veræ, probaretur pariter Deum, & gubernatorem mundi realiter differre: Siquidem si Deus mundum annihilaret, foret quidem Deus, non tamen amplius foret gubernator mundi, qui esset annihilatus. Verùm prælata ratio, quæ est Scoti citati manet firma, & inconcussa. Imprimis eodem modo argumentatur Aristot. *1. physic. Tract. 79.* ad demonstrandum materiam realiter distingui à forma: quia hac abscedente, illa persistit. Et *quarto, cap. 1. T. 5. & 17. eiusdem operis*, ostendit locum differre realiter à locato: quia pereunte locato, non perit locus. Præterea esse gubernatorem vniuersi nihil reale ponit in Deo, ex alibi dicendis, nisi fortè relationem rationis: at relatio prædicamentalis est entitas realis, vt probaui *artic. 3.* Et apertè docet Lych. *1. distinctione prima, quæst. 4. §. Ad argumenta principalia* inquiens, relationem esse aliam rem à fundamento. Ideò nulla est responsio Maioris. Secundò, compositio est relatio, quæ in multorum sententia fundatur in partibus inter se vnitis: sed dissolui potest compositio, seu vnio partium per destructionem compositi, vt patet in obito hominis, in quo separantur ab inuicem anima, & corpus, quæ sunt eius partes adhuc persistentes. Igitur manet fundamentum relatione non manente: ac proinde relatio à fundamento dissidet realiter. Idque corroborari potest ex sacra Theologia, vnio personalis Diuini Verbi cum natura humana, est relatio, quæ fundatur in humanitate, & terminatur ad Verbum, in nostra sententia, & in aliorum opinione non distinguentium totum à suis partibus simul vnitis, fundatur in ipsis partibus vnitis. In triduo autem mortis Christi Domini, talis vnio mansit in anima, & corpore inter se separatis: atque sicut liberè Verbum assumpsit humanitatem: ita liberè potest eam dimittere: quo dato adhuc existeret fundamentum relatione non existente, ac proinde inter illa elucet distinctio realis. Tertiò, quidquid est in creatis, aut est substantia, aut accidens: vt diffitetur nemo, & fulciri potest testimonio Sancti Augustini *5. de Trinit. caput. 5.* quod non secundum substantiam dicitur, secundum accidens dicitur: sed relatio est accidens ex dictis, & tenet Suarez *sectione 6. numer. 2.* Accidens autem realiter à substantia distingui demonstrat Philosophus *7. Met. T. 4.* inquiens, substantiam esse priorem tempore omni accidente: & recipit Scot. *4. distinct. 1. quæst. 1. §. Ideò dici potest circa KK.* Ergo saltem relationes, quæ in substantia fundantur, ab ea realiter secernuntur. Insuper, augeri potest relatio, fundamento non aucto, immò diminuto: v. g. si paries albus vt sex remittatur, qui est similis imperfectè albo vt quatuor. Igitur interponitur realis distinctio inter relationem, eiusque fundamentum, alioqui eadem entitas simul augeretur, simulque diminueretur, quod est impossibile.

34. Assertio tertia, relatio transcendentalis, cuiusmodi est relatio creaturæ ad Deum creatorem, non realiter, sed formaliter à creatura distinguitur. Hanc defendit Doctor *3. distinctione allegata, quæst. 5. §. Ad quæst. istam, & in Reportatis 2. distinctione 1. quæstione sexta*, quem sequuntur Pelbartus *Tomo secundo. verb. creatio §. 7.* Vallo *Tractat. formalitatum*, & cæteri Scotistæ. Prima pars prob. illa sunt idem realiter, quorum vnum nequit separari ab alio: & relatio illa identificatur realiter cum suo fundamento, sine cuius termino fundamentum esse non potest, vt scribunt Scot. præcitat. & Sirectus *prælato Tractat. fol. 9. pagina prima*: sed creatura nequit esse absque Deo, à quo dependet in esse, & conseruari: solus quippe Deus est à se, & independens: & omnis creatura est dependens: Ergo relatio creaturæ dependentis ad Deum independentem

independentem realiter identificatur cum ipsamet creatura. Præterea suaderi potest ex discrimine allato *art. 2. huius q.* inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem, quod scilicet relatio prædicamentalis realiter, & transcendentalis formaliter à suo fundamento differt. Secunda pars probatur: quæ sunt ab inuicem inseparabilia, petuntur que distinctis definitionibus, siue descriptionibus, formaliter differunt, vt alias dixi: at relatio creaturæ ad Deum creatorem, & ipsa creatura gaudent distinctis descriptionibus ex distinctis rationibus formalibus ortis; creatura quippè est entitas absoluta: relatio vero est entitas relatiua; illa est ad se: hæc verò ad aliud, quæ sunt rationes formales formaliter distinctæ. Plura *in Tract. de creatione disp. 2. quæst. 3.* vbi ex professo hæc difficultas disquiritur, & deciditur.

5. Oppones primò, contrà 1. assertionem, Arist. *5. physic. Tract. 10.* inquit. Ad relationem non est per se motus, nec mutatio. Quod approbat Doctor *2. dist. 1. quæst. 5. §. Ad primum. G.* Et *Quol. 11. §. De quarto K. Et 3. distinct. 1. quæst. 1. §. Ad illud ante L.* At si relatio realiter à fundamento distingueretur, ad relationem foret per se motus, & mutatio, quia fundamentum mutaretur per accessum, aut recessum relationis, vt v. g. Petrus ex non patre fieret pater, per filij generationem, & de patre euaderet non pater per eiusdem filij obitum. Meliùs est ergo astruere relationem cum suo fundamento prorsùs coincidere. Respond. cum Scoto citato, præsertim. *Quol. 11.* explicando assertum Philosophi, quidem ad relationem per se non esse motum, benè tamen per accidens: siquidem relatio nequit esse terminus, siue effectus immediatè ab agente productus per motum, veluti albedo immediatè producitur in subiecto successiuè, vt ait Doctor *2. distinct. 2 quæst 9.* Nec per mutationem, vt agens præuiis dispositionibus inducit, vel educit formam substantialem ex potentia materiæ: sed per resultantiam, siue positionem fundamenti, & termini. Hoc quoque modo explicari possunt authoritates PP. adductæ à Suarez *sect. 2. numer. 13.*

36. Instabis, Scot. *2. distinct. 1. quæst. 4. §. Ad primum alterius opinionis*, ait, quidem ad relationem non esse per se motum; concedit tamen ad relationem esse per se mutationem: Hocque confirmari potest ex eodem Doctore *3. distinct. 1. quæst. 1. K.* affirmante, ad relationem hypostaticam posse esse per se mutationem. Igitur, Scot. pugnat Arist. neganti ad relationem esse per se motum, & mutationem: & malè nos suprà adinsimus. Dico nullam inuolui contradictionem in scriptis nostri Doctoris. Etenim Scot. *in 3. alleg.* seipsum explicat dicens, ad relationem intrinsecùs aduenientem nec per se esse motum, nec mutationem: verùm ad relationem extrinsecùs aduenientem esse per se motum, vt concedit de vnione hypostatica: & tradit Philosophus de vbi *in eodem 5. lib. T. 9.* vt aduertit Doctor *vbi suprà.*

37 Vrgebis, Scot. *in 3. memorato* Interpretatur Aristot. de relatione intrinsecùs adueniente: & præmisetar *in 2. loco citato*, ad ipsam relationem, de qua loquitur ipse Aristot. posse esse mutationem. Ergo, non est soluta instantia prœallata. Dici potest immediatè ad relationem intrinsecùs aduenientem non esse per se mutationem, quia talis relatio nequit esse terminus immediatus alicuius agentis: mediatè tamen nihil obstat, quin ad eam fit mutatio, quatenus ex acquisitione fundamenti, & termini ea necessariò consurgit. Idque innuunt idem Philosophus *11. Met. c. 4.* Simplicius, & alij concedentes subiectum mutari per aduentum huiusce relationis.

38. Oppones secundò, non sunt multiplicanda entia sine necessitate *ex primo, physic. T. 5 t.* at si relatio à fundamento distingueretur, multiplicarentur entia sine necessitate; sufficiunt namque entia absoluta diuersimode inspecta absque entitate sibi de nouo addita, vt relatiua perhibeantur. v. g. vna albedo in vno pariete recepta facit parietem album: alia verò albedo in alio pariete inhærens reddit ambos parietes similes, nulla ipsis de nouo entitate accedente. Non igitur relatio à fundamento differt. Confirmatur, Deus appellatur creator, omniumque Dominus, nulla; tamen relatione reali sibi adiuncta, vt testatur Scot. *1. dist. 30. quæst. 1. §. Ad 2. quæst. respondeo M.* Ergo nulla interueniente distinctione relationis à fundamento, entia absoluta dici valent relatiua, scilicet æqualia, vel inæqualia, similia, vel dissimilia. Concessa maiore negatur minor, ad eius probationem de duabus albedinibus constituentibus duos parietes albos, dico quidem per eas effici istos formaliter albos: vocari verò similes per similitudinem resultantem ex horum positione: Itaque esse parietes albos, esseque similes non coincidunt. Præsupponuntur namque prius esse albi, quàm similes, cum ipsorum similitudo in vnitate albedinis in eisdem receptæ fundetur, atque ex natura extremorum resultet. Ad confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia, propter perfectam, summam necessitatem, & infinitatem ipsius Dei, quæ reddit ipsummet expertem nonæ relationis realis, & cuiuscumque alterius entitatis, vt fusè ostendi *in Tract. de creatione disp. 2. quæst. 2.*

39. Oppones tertiò, contra 2. assertionem: si relatio distingueretur realiter à fundamento, posset ab eo separari, & absque illo realiter existere: sed impossibile est, manentibus fundamento, & termino, separari ab eisdem relationem. Ergo relatio haud realiter à fundamento desfidet. Maior est Scoti *4. dist. 1. quæstione quarta*, §. *contra istam opinionem*, quam declarat, & patrocinatur Sirectus *Tractat. formalitatum artic. 4. partiali fol. 1 1. patina secunda*, separatio quippe realis aliquorum ab inuicem est manifestum indicium distinctionis reali inter illa, quæ vel actu separantur, aut non impleat separari. Minor ostenditur, tum, quia relatio esse nequit absque inhærentia actuali in subiecto, sine fundamento, vt liquet ex tertio notabili: tum etiam quia foret æqualitas absque quantitate, & similitudo sine qualitate, si ab his æqualitas, & similitudo seiungantur. Itidemque daretur paternitas absque suppositio, si ab ipso secernatur relatio paternitatis, quod verè est patet propter filium genitum: etsi huiusmodi paternitas seiuncta à patre poneretur in alio, ille foret pater per paternitatem in eomet inhærentem; tametsi nullum filium genuerit. Hæc, & consimilia manifestam implicant contradictionem vt obseruant Parisienses *1. Physic. quæstione tertia, ante §. Ad rationes istius opinionis.* Resp. præterea retorqueri potest argumentum, vt præstat Suarez *sectione secunda, numer 15.* seiungi nequit relatio à fundamento, stantibus ipsomet fundamento, & termino: Ergo relatio realiter non differt à fundamento. Consequentia tenet Antecedens patet per rationem Scoti præallatam; si enim secundum ipsum separabilitas aliquorum est signum eorum distinctionis realis; è regione inseparabilitas relationis à fundamento, euidenter designat ipsam ab eo nequaquam realiter secerni. Neganda est sequela maioris. Id enim valet de accidente absoluto; non autem de accidente respectiuo, propter dependentiam essentialem, quam habet relatio potissimum à fundamento, vt ait Scotus *4. distinctione 12. quæstione 1. §. Ad argumenta principalia. M.* aut propter realem identitatem cum actuali inhærentia, vt ex eodem Doctore *Quol. §. Respondeo* affirmant Gadius, & Tatar. *ibid. & in Log. cap. de accidente, dub 1.* Hocque declarari potest de toto physico, quod quidem realiter à suis partibus simul vnitis distinguitur: quamuis ob dependentiam essentialem, quam ab illis sortitur, absque eisdem esse nequeat. Pariter creatura realiter à Deo distinguitur, tametsi absque illo esse non valeat, propter essentialem dependentiam, quam ab ipsomet Deo habet.

Per id quoque patet ad aliud, quod subiicitur: à canone quippe Scoti præposito excipiuntur, quæ essentialem dependentiam sortiuntur ab alijs, ratione cuius licet realiter differant, nihilominus segregari nequeunt ab eis, à quibus essentialiter dependent, vt suprà planum feci de toto, respectu partium, & de creatura, respectu Dei.

40. Oppones quartò, quod de nouo alicui aduenit, per nouam actionem ei accidit; nihil quippè noui producitur, quin per aliquam nouam productionem producatur: at si relatio est quid realiter a fundamento distinctum, producto nouo albo, producerentur relationes innumeræ, & penè infinitæ, ad omnia alba iam producta, siue proxima, siue remota. Immò ad motum digiti acquirerentur infinitæ relationes, ad infinitas mundi partes, penes accessum, & recessum digiti, ad tales mundi partes: atqueadeò, ad motum vnius digiti totus orbis impleretur infinitis rebus, & immutaretur; quod est absurdum, & ridiculum, necnon contrà Scotum negantem infinitum in magnitudine, & in multitudine, vt constat *lib. de quantitate quæstione de Infinito.* Vnde subdit Aureolus supra citatus *articulo secundo, in initio primæ propositionis*, talem rerum infinitatem esse irrationalem, nec in cuiusvis mentem venire debet. Respond. concessa maiore, distinguendo minorem: per motum, & mutationem, nego: per naturalem resultantiam, & concomitantiam, concedo. Nec ob id datur infinitum actu, sed tantùm in potentia, vt in physica ostendetur de continuo: quod non est actu infinitum, licet semper sit diuisibile in innumeras partes proportionales. Nec vllum infertur absurdum admittendo tantam relationum multitudinem, cum ipsæ sint tenues, & modicæ entitatis; nec frustrà multiplicantur, nisi multiplicatis terminis, vt infrà monstrabitur. Quare iocosè, & argutè subiungit Maytonius *1. distinctione 39. quæstione secunda*, tot, tantasque relationes in vno, eodemque ente etiam minimo ponere, nullum est ei onus, nisi tardo ingenio, rudique intellectui. Addunt alij non minùs acutè præfatum argumentum esse tribunitium, conuincens tantùm ignaram plebem, & imperitam multitudinem: cum audit, ad motum digiti vniuersum immutari.

41. Dices, Scotum *in 3. distinct. 14. quæstione 2. §. Tertio modo. L.* concedere infinitum actu in multitudine: si autem datur infinitus rerum numerus, vtique relationes actu sunt infinitæ, cum in numeris sit mutuus respectus. Dico cum Lych *in commento eius loci*, Scotum non loqui assertiuè, sed dubitatiuè, & problematice. Apud illum quippè non videtur improbabile admitti infinitum acto in numeris, aliisque modicis entibus, cuiusmodi sunt relationes. Constanter autem ipse *2. distinctione 1. quæstione 4. sub N & 4. dist 6. quæstione 10. sub D.* negat infinitas actu relationes reales.

42. Oppones quintò, contra 3. assertionem, relatio creaturæ ad Deum creatorem est dependentia eius, ab ipsomet creatore: ergo si realiter cum creatura identificatur, deducitur omnia creata esse relatiua: quod tanquam absurdum intulit Philosophus *4. Met. T. 16.* Distinguo consequens cum Magistro *formalitatum articulo primo principali, fol. 8. pag. 2.* & Vallone *ibid. fol 38. pag. 2.* denominatiuè concedo: quidditatiuè, & essentialiter, nego. Vel concedo realiter: nego verò formaliter, vt satis constat ex dictis in superioribus.

ARTICVLVS V.

An ab existentibus fundamento, & termino separari possit relatio.

43. FRanciscus de Maytonis *1. distinct. 14* Bonetus *libello de relationibus* Canonicus citat. à Gadio *Quol. 4. fol. 41.* & alij quorum nomina recenset Lych. *2. distinct. 1. quæst. 4.* quibus adhæret Riuius *quæst. 14. dubio de separatione relationis a fundamento*, arbitrantur ab extremis existentibus, & permanentibus segregari posse relationem. Oppositum autem communiter docent Scot. *Quol. 5. §. Respondeo sub P.* Gadius, Lich. *ibid.* Parisienses *1. phys. quæst. 3.* a quibus non vult discedere Suarez *disput. 47. Met sect. 8. num. 13.* affirmantes implicare contradictionem, relationem à suis extremis realiter seiungi.

44. Not. ex Scot. proximè cit. duplicem esse accidentis inhærentiam, actualem, & aptitudinalem. Neutra autem est de eius essentia. Inhærentia quippè aptitudinalis est eius proprietas eidem realiter identificata, vt quoque obseruaui *art. 4. huius q. not. 3.* Actualis verò inhærentia realiter quidem distinguitur ab accidente absoluto, quia supernaturaliter absque illa potest existere, vt de accidentibus Sacrosanctæ Eucharistiæ ibi exemplificaui: non tamen ab accidente relatiuo, cuius disparitatis causa non redditur alia secundum Scotum, vt aduertit Gadius *vbi suprà*, nisi quia accidens relatiuum est ens ad aliud, & accidens absolutum est ens ad se: propterea accidenti absoluto repugnantiam non inuoluit existere actu absque subiecto: accidenti verò respectiuo maximè repugnat sine subiecto actuali existere. Duplex autem notatur habitudo accidentis respectiui, vna fundamenti, altera verò termini. Prior perhibetur inhærentia actualis, quæ coincidit realiter cum relatione, vt insinuat Scot. *Quol. cit.* posterior verò dicitur habitudo ad aliud: & vtraque ab vtroque extremo essentialiter dependet; tametsi magis a termino, quàm à fundamento: causa est, quia illa competit ipsi tanquam ratio communis, siue quatenus est accidens: ista verò, quatenus est propria, & quidditatina ratio, per quam ipsa relatio constituitur in esse accidentis respectiui, & distinguitur à quouis alio, quod non est accidens respectiuum.

45. Assertio, relatio haudquaquam separari potest à suis extremis acto existentibus. Hanc tradit Scot. *vbi suprà, & 2. distinct. 1. quæst. 4. §. Ad q. infra N. & 3. dist. 1. quæst. 1. § Ad illud in oppositum. K.* & indicat *in Log. quæst. 25. prædicam.* Prob. primò, ex definitione relatiuorum assignata *c. Ad aliquid*, in qua includitur habitudo ad aliud: relatio autem vniuersè sumpta describitur habitudo vnius ad aliud, vt ait Doctor *in Log. quæst. allegata. Vers. Ad tertium dicitur, & inde:* Ergo cum extrema relationis ingrediantur eius definitionem, apertè deducitur istam, absque illis existere non posse. Hinc rectè scribit Boëtius *in expositione prædicamentorum*, de essentia relatiuorum est esse ad aliud. Secundò, ex eodem Philosopho *ibid.* posito vno relatiuo, necessariò ponitur aliud, vnoque ablato, aufertur aliud: sed in opinione Maytonij, & aliorum, hoc non habet locum; sublato enim termino, adhuc foret relatiuum constitutum in esse relatiuo per relationem à termino semotam: sicque relatiuum non esset ad aliud, nempè ad terminum, quem ipsa respicit: quod essentiæ relationis pugnat. Tertiò, idem respectu eiusdem foret pater, & filius, vt si relatio filij poneretur in patre, pater esset filius: & si relatio patris poneretur in filio, filius esset pater: atque adeò idem simul, & respectu eiusdem generaret, & generaretur: quod apertam inuoluit contradictionem & impossibilitatem, vt etiam fatetur Suarez *sect. 5. n. 13.* Iterum esset vnio absque partibus vnitis,

vnitis, productio absque producto, motus localis absque termino: & pleraque alia inferentur absurda, & inconuenientia, dato quod, relatio ab extremis separaretur. Vnio namque, productio, & motus formaliter ex dicendis sunt relationes, quæ ita contingerent, vt *suprà* dicebam, si relata opinio admitteretur. Ampliùs, nihil videtur esse asserendum, nisi ratio suadeat, aut sit per se notum, aut per experientiam scitum, aut per authoritatem sacræ Scripturæ, vel SS. Patrum approbatum. At relationem ab extremis realiter posse subiungi, nulla affertur rationabilis causa, vt patebit ex oppositionum solutionibus, nec ex terminis constat, nec experientia monstrat, nec vlla authoritas cogit: immò Scholasticorum torrenti opponitur, vt aduertit Suarez præallegatus. Ergò relatio secerni nequit à suis extremis.

46. Oppones primò, quæ essentialiter differunt, possunt ab inuicem saltem diuinitùs separari: sed relatio, eiusque extrema essentialiter differunt. Ergo ab inuicem seiungi valent. Minor patet ex antecedente art. Maior ostenditur, quæ identificantur essentialiter sunt inseparabilia: econtrà ergo, quæ essentialiter distinguuntur, sunt inter se separabilia. Conf. quod sic dependet ab vno, vt ab alio dependere queat, absque illo existere valet: atqui relatio ita dependet ab extremis, vt ab alio pedendere possit: ergo relatio ab extremis seiungi valet. Maior est conspicua. Tota namque difficultas separationis relationis penitus penes dependentiam ab extremis: etsi ab alio, quam ab extremis relatio quit pendere, procul dubio ab eis potest abiungi. Minor prob. Deus est primum independens, qui omnium terminat dependentiam, potestque supplere vicem cuiuscumque terminantis dependentiam: ergo si relatio ab extremis separaretur, à Deo eius dependentia terminaretur. Distinguenda est maior, de absolutis concedo: de relatiuis, nego. Idque prouenit ex essentiali dependentia, quam ab extremis habet relatio, ex quorum positione necessariò consurgit. Itaque optimè scribit Doctor 4. *distinct.* 12. *quæst.* 5. §. *Ad argumenta M.* dependentiam relationis ad fundamentum esse essentialissimam. Eamque de vtrisque extremis planè edisserit *locis prænarratis.* Ad confirmationem patet per eamdem distinctionem; maior quippè est vera de absolutis: non autem de relatiuis, propter rationem mox allatam, quam solide, & acute pertractat Bonetus *suprà relatus.*

47. Oppones secundò, si relatio abiungi nequit ab extremis, maximè ob dependentiam, quam ab eis habet: sed hæc ratio non cogit: igitur non est difficendum relationem ab extremis per quamcumque potentiam posse separari. maior liquet, minor suadetur, dependentia relationis ab extremis aut est in genere causæ efficientis, aut finalis, & vtramque Deum posse supplere nullus negat, quia est dependentia causæ extrinsecæ nullam inuoluentis imperfectionem: aut in genere causæ materialis, in qua, & hæc non obstat, quia accidens absolutum habet materiam in qua; nihilominus potest à subiecto in quo est, separari, & sine illo existere: aut in genere causæ materialis ex qua, & nec ista officit, cum relatio sit eius expers: aut in genere causæ formalis, quia hæc præter imperfectionem, quam includit, inexistit in re, cuius est causa, fundamentum autem, in quo est relatio, nequaquàm in ipsa relatione existit. Conf. quidquid potest facere causa prima cum secunda causa, potest efficere absque ipsa causa secunda: sed causa prima vna cum fundamento, & termino potest conseruare relationem: ergo hoc ipsum potest præstare causa prima absque ipsis extremis: ac proinde relatio absque extremis existere potest. Concessa maiore, nego minorem, ad eius probationem distinguo, Deus supplere potest vicem dependentiæ cuiuslibet causæ terminantis ad absolutum, concedo: ad relatiuum, nego. Siquidem efficientia relationis non est per transmutationem, sed per resultantiam, docente Scoto *locis præcit.* Ideò dependentia relationis ab extremis est essentialis, ab eisque protsùs inseparabilis, vt egregiè tradit Doctor *in Repor.* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *propè finem.* Per hanc distinctionem patet quid sit dicendum ad confirmationem. Maior quippè tenet locum in absolutis, non verò in relatiuis, propter causam superius assignatam. Et adhuc potest corroborari de risibilitate, absque passionibus naturalibus, quæ ab humanitate posita in esse necessariò fluunt, adeò vt Deus earum resultantiam impedire non valent, propterea quod non ab extrinseco, sed ab intrinseco proueniunt: & hac fortasse de causa Scotus relationem prædicamentalem intrinsecùs aduenientem (quæ scilicet spectat ad quartum prædicamentum) cæteras verò ad alia genera pertinentes appellat relationes extrinsecùs aduenientes, vt ex exteris innuit Suarez *sect.* 2. *num.* 17. *& sect.* 16. *num.* 17. Quare ruunt, quæ ipse Suarez *ibid.* & alij contrà nos accumulant.

ARTICVLVS VI.

An esse In, *sit de essent.a relationis?*

48. Etsi omnes Philosophi vno ore, & calamo conscribant relationem essentialiter constitui per esse *ad*; altercantur tamen, num esse *in* spectet ad ipsius relationis quidditatem. Thomistæ quidem ex S. Th. 5. *p. quæst.* 18. quos sequitur Suarez *disp.* 47. *Met. sect.* 5. *num.* 7 admittunt tam esse *in*, quam esse *ad* ingredi relationis naturam; aiunt tamen esse *in*, esse eius rationem genericam, & esse *ad* esse eiusdem rationem specificam. Alij, inter quos sunt Mastrius, & Bellutus *disp.* 8. *quæst.* 4. opinantur vtrumque pertinere ad eius rationem specificam. Communis autem sententia Scotistarum nuncupatim Tromb. 7. *Met quæst.* 1. Antonij Andreæ *ibid.* & Mayr. 1. *distinct.* 39. *quæst.* 5. *&* 4. *dist.* 15. *in fine quæst.* 7. fert essentiam relationis positam esse in esse *ad*, esse verò *in*, eam consequi tanquàm eius proprietatem.

49. Not. primò, ex Scot. *in Report.* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. §. *Ad quæst. dico.* Etsi vtplurimum vnum extremorum relationis sit subiectum eo quòd relatio est accidens, & omne accidens exposcit subiectum, in quo inhæret; atque ex eodem in scriptis Oxoniensibus *ibid.* §. *Ad quæst respondeo conclusione* 2. *sub R.* fundamentum dici valeat subiectum proximum respectus: tamen relatio præcisè potest esse absque subiecto, vt constat de Diuinis relationibus, quæ cum sint substantiales, habent quidem fundamentum, non verò subiectum. Quare relatio vt relatio, petit fundamentum, quia requirit cuius sit, & ad quid sit, ex eodem *ibidem. D. in probatione* 2. *conclusionis*: non verò necessariò exigit subiectum, nisi sit relatio accidentalis: & quia relatio est habitudo vnius ad aliud, *ex Quol.* 3. §. *Respondeo ante Q.* siue ex eodem *in Repor. cit.* relatio est dualitas extremorum, quia non potest intelligi absque duobus extremis, quorum alterum contingit esse eius subiectum. Cæterum si neutrum extremum sit subiectum, relatio est absque subiecto, non tamen sine fundamento, & termino, ex quibus necessariò emergit. Quod ergo in relationibus accidentalibus dicitur subiectum, & fundamentum, in relationibus substantialibus, siue in relationibus vt relationes sunt, vocatur fundamentum duntaxat: ac proinde in relationibus prædicamentalibus haud multiplicatur duplex habitudo, vna ab subiectum, & altera ad fundamentum, vt opinantur nostri individui comites cursus Philosophici præcit. Id enim protsùs quod est earum subiectum, vtique est earumdem fundamentum, vt clarè insinuat Doctor *quæst.* 5. *loci cit. in solutione* 4. *sub M. & N.* Nam si relatio ei non accideret, non denominaretur subiectum, sed tantùm fundamentum, ideò

quæ illa denominatio subiecti prouenit ex illa accidentia (vt ita loquar) & inhærentia relationis: non autem ex duplici habitudine vna respiciente subiectum, & altera fundamentum, vt aperte indicat Scotus *vbi suprà*. & *infrà* magis ostendetur. Præterea, ne existimes extrema esse de ratione intrinseca relationis; nam *in proximo art.* ea esse tantum de ratione extrinseca palam fiet.

50. Assertio prima, esse *in*, non pertinet ad rationem specificam relationis, sed solùm est eius veluti passio. Hæc assertio est bipartita, & militat aduersùs nostros Neotericos præcit. Prima pars probatur primò ex Scoto *in Report. 2. distinct. 1. quæst. 7. § Ad aliud cum dicitur, sicut est res*, cuius sunt hæc verba. *Dico igitur quod inesse non est de quidditate relationis.* Et quoque deducitur ex. 4. *dist.* 11 *quæst.* 1. aliisque locis, in quibus plane monstrat esse *in*, non constituere essentialiter, & specificè relationem. Secundò esse *in*, absolutè non magis competit relationi prædicamentali, quàm aliis accidentibus, quod nemine negante, est cunctis accidentibus commune. Vnde apud Philosophos celebratur illud Elogium *ex 7. Met. T 2. Accidentis esse est inesse*: sed cæteris accidentibus non est ratio specifica, & quidditatiua, vt probat Doctor *in 4. cit.* & nos *in Met. quæst. de accidente.* Ergo &c. Secundò, esse *in*, aut designat inhærentiam actualem, aut aptitudinalem in subiecto: sed neutra inhærentia est de essentia accidentis: ergo esse *in* ad naturam relationis specificam non attinet. Maior est nota in Schola Scoti. Minor ostenditur à Doctore *vbi suprà*, & late à nobis est prosequenda *in Met. loco cit.* Secunda pars sequitur ex priori, cum enim esse *in* non sit de essentia relationis, & realiter identificetur cum illa, quia impossibile est reperiri relationem quin in aliquo subiecto, siue fundamento sit, sicut fieri nequit esse accidens, quod saltem inhærentia aptitudinali non polleat, sanè infertur esse *in* conuenire relationi instar passionis.

51. Assertio secunda, non sunt in relatione distinguendæ duæ habitudines essendi ipsi essentiales, & specificæ, quarum vna feratur ad fundamentum, quatenus est eius subiectum, & altera ad fundamentum, quatenùs est fundamentum. Ista assertio pariter opponitur Nuperis prænominatis. Prob. 1. ex Scoto, qui potissimùm *in Report. 4 cit.* asserit relationem esse posse absque subiecto, non autem absque fundamento. Ergo data, & non concessa habitudo ad subiectum non est ipsi relationi ratio essentialis, & specifica, sine qua esse nequiret. Præsertim quia ex præposito notabili, in relatione accidentali fundamentum, & subiectum pro eodem accipiuntur, vt ex Scot *ibi* indicaui & confirmat Suarez *disp. 4. sect. 10. & 11.* Secundò, dicti Authores *ibid.* in solutione tertij aiunt, relatio est vna simplex habitudo fundata in fundamento, & terminata ad terminum: ergo relatio non habet duplicem habitudinem essendi *in*, quia cum habitudo, & relatio sint idem, ex dictis *in 1. art. huius quæst.* si est vna relatio, vna quoque est habitudo; & si est duplex habitudo, vtique est duplex relatio: est enim habitudo respectus vnius ad aliud: ergo iuxta duplicem habitudinem ab eis admissam, duplex pariter concedenda ab eisdem relatio, ad fundamentum, & ad terminum, vt videtur innuere Bassolius 1. *distinct. 30. quæst. 1. art. 3.* ab eis, & Bargius 1. *dist 3. quæst. 5* reiectus. Atque iidem Authores sub nomine duplicis habitudinis in conclusione, & infrà loquuntur, quam postmodum argumento pressi vnam tantùm faciunt, ne concedant relationem esse vnum per accidens, si duplex habitudo præexplicata foret de eius essentia, vt illi autumant. Tertiò, essentia prior est proprietate ab ipsa fluente, veluti causa est prior suo effectu: sed esse *ad* est prius esse *in*, quia ens prius est ad se, quam in alio insit: sicque ens prius diuiditur in absolutum, & relatiuum, quàm in ens ad se, & ens in alio, vt rectè aduertunt Trumb. Mayr, & alij *Tract. formalitatum.* Igitur esse *in* non pertinet ad relationis essentiam; nisi circumloquutiuus fiat sermo, sumendo intimam proprietatem pro ratione essentiali, vt præstat Arist. 5. *Met. c. de quanto, & aliis locis à me notatis.*

52. Assertio tertia, ratio specifica relationis est esse *ad*. Prob. 1. ex Arist. qui *c. de Ad aliquid* definit relatiua per esse *ad*, inquiens, *Relatiuorum totum suum esse est ad aliud se habere*; ibique reprehendit antiquos Philosophos veram relatiuorum naturam non agnoscentes cum totum eorum esse *ad*, ipsis non innotuerit, vt liquet per definitionem ab eisdem traditam, & ab Arist. repulsam. Accedit Scotus, qui multis in locis hanc veritatem tuetur, præcipuè *in Log. quæst. 25. prædicamentali, & 1. distinct. 26. q. vn. § Quantum ad primam viam L* relationi, vnde relatio conuenit, quod sit ad aliud, etsi non sit ad aliud, relatio non est, *& § Quantum ad 3. viam I* relatio essentialiter est habitudo ad aliud. Secundò, per quod vnum ab alio essentialiter differt, est eius ratio essentialis constitutiua, & specifica, quia idem est principium constitutiuum, ac distinctiuũ, ex 1 *distinct. 11. quæst. 1. B.* sed per te esse *ad*, relatio essentialiter distinguitur ab absoluto, cuius esse est *ad se*: ens enim adæquatè diuiditur in absolutum, & relatiuum, vt cum Scoto docent nostri Formalistæ. Ergo &c. Nec iuuat respondere cum illis Recentibus esse *in*, quod est ratio specifica relationis, non esse *in* in subiecto, sed *in* in fundamento. Nam hoc præterquam quod suprà est reiectum, nunquam vnius rei simplicis itue duæ rationes specificæ, & quidditatiuæ, alioquin ex eis fieret vnum per accidens; sed per illos Recentes relatio est simplex habitudo fundamenti ad terminum, vt patet *in solutione tertij pag.* 668. Deducitur ergo palam, eam constitui essentialiter per esse *ad*, cuius passio videtur esse *in*, vt suprà dixi. Eò vel maximè, quia dandum est commune aliquod, in quo accidens absolutum, & relatiuum conueniant, & aliquod, quo inter se discrepent, quod in eorum sententia non potest assignari, cum velint esse *in*, & esse *ad* esse ipsius relationis rationem genericam, & specificam. Addo, quod in doctrina Scot præcit. relatio, vt relatio esse quit absque esse in subiecto, in quo cum accidente absoluto conuenit, non tamen sine *in* in fundamento, quod est proprium relationi. Cum ergo hi tradere non valeant rationem communem, & propriam relationi, veritati, & Scoto contradicere videntur.

53. Opponet primò, relatio vt relatio, est essentialis habitudo inter duo extrema: ergo huiusmodi habitudo ex æquo essentialiter pendet ab vtrisque extremis: atque adeo sicut esse *ad* est de essentia relationis: ita esse *in* est de eius essentia. Conf. non minus repugnat relationem esse absque fundamento, ac sine termino: atqui non valet esse absque termino, ex communi Philosophorum sensu: ergo nec absque fundamento: sicque tam esse in fundamento, quam esse ad terminum est eius ratio specifica, & essentialis. Respond. relationem quidem flagitare duo extrema, a quibus essentialiter dependet: eius tamen ratio specifica non penes esse in fundamento, sed penes esse ad terminum depromitur: veluti motus exigit tam terminum a quo, quam terminum ad quem, nihilominus ipsum motum à termino ad quem specificari, tenet communis Schola, & ego *in Phys. l. de motu* ostendam. Per id quoque patet ad confirmationem; fateor namque vtrumque extremum exigi ad relationem, cum ex eis resultet; nihilominus eius rationem specificam peti penes esse in fundamento, inficior.

54. Opponet secundò, idem est principium constitutiuum, & rei distinctiuum, ex Scot. *cit. 1. distinct. 11. quæst. 2. § Contrà istam opinionem B.* sed secundum Arist. 5. *Met. c. de relatione*, à fundamentis desumitur relatiuorum distinctio. Ergo esse in fundamento est relationis ratio specifica, & distinctiua. Conf. ex eodem Doctore, qui *4. cit. conclusione secunda D.* scribit, relatio, vt relatio necessariò est in fundamento. *Et ibid.*

quæst.2.

quæſt. 1. §. *Ad argumenta principalia in ſolutione tertij M.* hoc ipſum aperte aſtruit: ergo per eſſe in fundamento relatio eſſentialiter conſtituitur, & diſtinguitur, à quouis alio, quod non eſt relatio. Conceſſa maiore, diſtinguo minorem, genericè circumloquutiuè, & extrinſecè, concedo: ſpecificè, & intrinſecè, nego, ita interpretandus eſt Philoſophus prærcit. Et id conſpicuè tradunt Scotus 4. *diſt.* 12 *quæſt.* 1. §. *Ad argumenta principalia S.* Mayr. Baſſolius, Bargius, & alij Scotiſtæ *ibid.* Quod poteſt declarari per diſtinctionem extrinſecam potentiarum, earumque actuum, & habituum, ab obiectis, circà quæ verſantur, deprom-ptam, de qua ex inſtituto agimus *lib.* 1. *de Anima quæſt.* 3. *artic.* 3.

55. Inſtabis, quod ponitur in definitione alicujus, & ſine quo nec eſſe nec intelligi poteſt, eſt de eius ratione intrinſeca: ſed in definitione relationis inuoluuntur extrema, nec abſque illis eſſe nec percipi valet, affirmante Scot. *q.* 3. *prologi & 1. diſt.* 3. & 8. relatio quippè ex dictis definitur habitudo vnius ad aliud, hoc eſt fundamenti, ad terminum: ergo vtrumque extremum pertinet ad rationem intrinſecam relationis. Diſtinguo maiorem, quod in definitione ponitur in recto, & vt genus aut differentia, concedo: quod ſi ponatur in obliquo, & vt additum, nego. Ad diſtinctionem maioris diſtinguo minorem: extrema namque in obliquo, & non in recto locantur in definitione relationis, vt inſpicienti patet, quæue eſt definitio per additamentum, vt inſinuat Doctor *loco proximè cit.* & expreſsè tenent Mayr. *vbi ſuprà*, & Bargius 1. *diſt.* 28 *quæſt.* 3.

ARTICVLVS VII.

An relatio multiplicetur penes terminorum multiplicationem?

56. D. Th. 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 5. Caiet. *ibid.* & alij, quos accumulant Maſtrius, & Bellutus *diſp.* 8. *quæſt.* 6. *art.* 2. negant ad multiplicationem terminorum, multiplicari relationem, in vno eodemque numero fundamento, arbitrantes vnitatem, aut pluralitatem relationis ab vnitate, aut pluralitate fundamentorum, à quibus extrinſecè ſpecificantur, eſſe decerpendam. Quibus ſeſe opponunt Scot 3. *diſt.* 8. *q. vn.* §. *Contrà iſtam rationem ſecundam.* Lych. *ibid.* Fuentes *quæſt.* 16. *difficultate* 5. *art.* 6. *dub.* 3. Raconius *Tract.* 2. *membro* 3. Suarez *diſp.* 47. *ſect.* 17. *num* 17. Hurt. *diſp.* 15. *ſect.* 10. §. 140. & alij complures etiam ex Lycæo Thomiſtico, affirmantes in vno, eodemque numero fundamento relationem plurificari penes plurificationem terminorum, à quibus extrinſecè ſpecificantur, vt in vno, eodemque numero patre tot eſſe paternitates numero diſtinctas, quot ſunt filij ab eo geniti.

57. Not. primo, hanc difficultatem moueri de relatione prædicamentali, quæ vt notat Tatar. *in præſenti cap.* quatuor expoſcit conditiones, quas ferè omnes tetigi *in Epitome quæſt.* 4. *art.* 8. *lib.* 1. Prima, vt ſit realis, propter relationem rationis, quæ in categoria propriam ſedem non habet, vt de omni ente rationis ſuperiùs affirmaui. Secunda vt ſit finita, & limitata, propter relationes tranſcendentes, inter quas connumerantur relationes diuinæ perſo[narum], quas nec finitatem, nec infinitatem, nec pe[rfec]tionem, nec imperfectionem formaliter præſeferre fuse oſtendi *in Tract. de Deo trino diſp.* 5. *quæſt.* 5. Tertia, vt ſit actualis, realiter a fundamento diſtincta ad differentiam relationis aptitudinalis, quæ reducitur ad prædicamentum, in quo eius fundamentum collocatur, & relationis creaturæ ad Deum creatorem, quæ realiter cum creatura identificatur, vt ſcribit Doctor 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. §. *Ad quæſt. M.* Quarta, vt ſit relatio intrinſecus adueniens, ad excludendas relationes extrinſecùs aduenientes, quarum meminit Scotus 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. §. *Ad illud in oppoſitum K &* 4. *diſtinct.* 13. *quæſt.* 1. §. *Ad huius autem C. & D* Hæ autem quatuor conditiones includuntur in illis tribus à Scoto receptitis 1. *diſt.* 32. *& Quol.* 8. quarum memini *ſuprà art.* 5. *huius q.*

58. Not. ſecundò, duas eſſe regulas à Tatar. *loco præcit. dub.* 3. & traditas à noſtro Doctore *locis mox ſubiiciendis*, necnon à nobis tactas *in Epitome lib.* 1. *q.* 1. *art.* 6. prior habetur *in* 3. *diſtinct.* 8. *q. vn.* §. *Ad argumenta F.* Ad multiplicationem concretorum requiritur multiplicatio formarum, ac etiam ſuppoſitorum, propterea v. g. cum Petrus vnus ſit, quamuis habeat plures paternitates, penes plures filios ab ipſo genitos: ob id non plures patres, ſed vnus tantùm pater perhibetur: veluti quoque habens plures ſcientias, non plures ſcientes, ſed vnus ſciens nominatur, propter ſuppoſiti vnitatem: hac etiam de cauſa, Chriſtus habens plures voluntates, diuinam ſcilicet & humanam, non plures volentes, ſed vnus volens tantùm nuncupatur, vt ex D. Damaſceno infert Scot. *vbi ſuprà.* Poſterior exhauritur *ex* 1. *diſtinct.* 12. *quæſt.* 1. Ad multiplicationem concretorum non exigitur multiplicatio formarum, ſed ſufficit multiplicatio ſuppoſitorum, vt ſi vna numero albedo foret in duobus ſubiectis realiter diſtinctis, ea ſubiecta vocarentur duo alba, vt explicat Lych. 1. *diſtinct.* 19. *quæſt.* 1. §. *Reſpondeo.* Sic in diuinis Pater, & Filius vocantur duo ſpirantes, licet in eis ſit tantùm vna virtus ſpirandi: ſimiliter Pater, Filius, & Spiritus ſanctus appellantur tres creantes, tametſi in eis vna potentia creandi exiſtat duntaxat. Cur autem nominari haud valeant tres creatores, & duo ſpiratores, vide *ibi*, & quæ ſcripſi *Tract. de Deo trino diſp.* 8. *quæſt.* 4.

59. Not. tertiò, duplicem eſſe rationem eſſentialem, ſiue differentiam relationis, vnam intrinſecam, & alteram extrinſecam. Intrinſeca, & quidditatiua eſt, quæ conſtituit ipſam relationem in ſuo eſſe eſſentiali, & quidditatiuo, & eam ipſam diſtinguit eſſentialiter à quolibet alio, quod non eſt relatio, cuiuſmodi eſt ratio, ſeu principium referendi ad aliud. Extrinſeca petitur penes ea, quæ relationi ſunt extrinſeca, vti ſunt fundamentum, & terminus, ex quibus illa neceſſariò egreditur: quæue coëxigit extrema, tanquam ea, ex quibus ſuaptè natura conſurgit, veluti effectus præſupponit, & præexigit cauſas, à quibus producitur. An verò ſolum fundamentum, aut vtrumque extremum ſit cauſa relationis, vide Bonetum *libello de Relationibus*, & Lych. *Quol.* 11. §. *Reſpondeo ad inſtantias*, poſt Scot. 3. *diſt* 1. *quæſt.* 1. §. *Ad illud in oppoſitum ſub K.* Hanc bipartitam relationis differentiam indicat Ariſt. qui in præſentia non relationem, ſed relatiua deſcribit, vt ibi aduertit Doctor *quæſt* 15. *prædicamentali*, & clarius 2. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 4. *antè* §. *Hoc ergo viſo.* Et 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *K.* Prætereà accidens non indiuiduatur per ſubiectum, in quo inhæret, ſed per propriam ſuam hæcceitatem, perhibente Doctore 2. *diſt.* 3. & 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. §. *Hic ſunt duæ opiniones.* Vide quæ litteris mandaui *in Tract. de Angelis diſp.* 1. *quæſt.* 6. §. 9. contra Thomiſtas ibi nominatos, exiſtimantes accidentia indiuiduari per ſubiecta, in quibus ſubiectantur.

60. Aſſertio, ad multiplicationem terminorum, multiplicantur relationes numero diſtinctæ in eodem fundamento. Ita Scot. *vbi ſuprà.* Prob. 1 ex Ariſt. *hoc cap.* dicente: *Relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione.* Quem locum aduertit Scot. *in Report. d. allegata*, ad præfatam aſſertionem perſuadendam, & poſt ipſum Rumius *quæſt.* 8. *cap.* 7. *de Ad aliquid*: ſed data opinione Thomiſtica de vnitate relationis numerica in fundamento, ad plures terminos, haud relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione. Ergo, vt vera elucecat prædicta relatiuorum proprietas à Philoſopho tradita, & ab omnibus conceſſa, fundamentum vnâ numero relatione

tione non respicit plures terminos, sed tot in ipso fundamento numerandæ sunt relationes numero, quot sunt termini Minor ostenditur: termini non sunt omnes simul natura, nec cognitione cum fundamento, primo excepto: ergo respectu aliorum terminorum a primo, relatiua non sunt simul natura, & cognitione. Ant. est notum de multis filiis ab vno parente progenitis diuerso temporis interuallo. Consequentia est in promptu, quorum enim generatio non est simultanea, non sunt simul natura, nec tempore, vt liquet in Postprædicamentis.

6. Thomistæ, vt huic aliisque Scoticis occurrant argumentis, se mirè torquent, & in diuersas abeunt responsiones, quas non semper colligunt ambo Nuperi *cit. in initio huius art.* Ego verò vnam, aut duas præcipuas tantum affero, quibus reliquæ facili negotio diluuntur. Respondent itaque Thomistæ, nominatim Ruuius *vbi supra*, per distinctionem, & explicationem testimonij Philosophi, inquientes, prælatam relatiuorum proprietatem veram esse penes substantiam relationis, aut penes extensionem accidentalem ad multos terminos, adeò vt v. g. pater habens plures filios sit simul natura, & cognitione cum primo filio duntaxat quoad substantiam relationis: sit verò simul naturâ, & cognitione cum cæteris omnibus eius filijs, quoad extensionem. In idem videtur recidere responsio, & distinctio aliorum, præsertim Arriagæ *sect. 9. disp. 12. num. 49.* affirmantem, patrem habentem plures filios, babere plures paternitates inadæquatè, non verò adæquatè, eo ferè modo, quo genus dicitur esse inadæquatè in vna specie, & adæquatè in omnibus speciebus. Contra priorem responsionem argumentor, relationi non congruit extensio, quæ est propria quantitati, nec intensio, vel rem illio, quæ qualitati competit; non enim relatio suscipit magis & minus nisi penes eius fundamenta, vt tenent omnes Arist. interpretes *in cap. de Ad aliquid*: siquidem non perficitur simpliciter, nec extenditur sub ectum per relationem sibi aduenientem; ergo impertinens videtur esse ea distinctio de substantia relationis, deque eius extensione ad plures terminos. Præterea noua extensio ad aliud non fit absque noua relatione ad aliud: ergo si detur per Ruuium noua extensio ad aliud, vt ipse concedit *loco allegato*, vtique admittenda est noua relatio. Ant. prob. noua extensio habetur per nouam actionem agentis ad passum sed noua actio inducit nouam relationem, vt patet ex Arist. 5. *Met. cap.* 13. *T.* 20. affirmante secundum genus relationum fundari suprà actionem, & passionem Eò magis, quia noua extensio ad aliud, est noua ordinatio ad aliud, quæ est relatio, vt fatetur Ruuius *cit. in solutione* 1. *arg.* Et ratio est, quia ordo ex dictis, supra, nihil aliud sibi vult, quam respectum aliquorum ordinatorum ad vnum primum, vt constat de ordine rerum Mundi ad vnum Deum *ex* 12. *Met. T.* 55. Rursùs, nouæ extant rationes fundandi in patre ad filios de nouo ab ipso genitos: ergo & nouæ sunt in eomet ad filios nouiter ab ipso procreatos. Ant. prob rationes fundandi in patre sunt actiuæ generationes, earumque fundamentum est potentia generandi: sunt autem multæ generationes actiuæ, respectu multorum filiorum genitorum: ergo & multæ relationes paternitatis in vno parente respicientes multos filios. Amplius, motus specificatur à termino ad quem, vt suprà significaui, ex probandis *in phys.* motus autem formaliter est relatio, vt ibi ostendetur *lib. de motu.* Denuò Arist præcit ait relatiua esse simul naturâ: at per allatam distinctionem relationum, & non relatiua forent simul natura, quia solùm per primi termini adeptionem haberetur tota relatio, quoad substantiam, quod non qualiter Arist. subiicienti, vno relatiuo posito, poni aliud, vnoque ablato auferri aliud; atqui sublato primo filio, non tollitur relatio paternitatis, à patre habente alios filios: perire autem deberet tota substantia relationis, si tota per primum acquireretur: at perempto primo filio, pater formaliter adhuc est pater per relationem ad 2. filium viuentem. Ergo per aliam paternitatem pater respicit 2. filium à priori distinctam.

62. Quod si dicas, patrem habentem plures filios, respicere eos omnes vnica paternitate, tanquam eius terminos adæquatos, vnum verò, aut alterum eorum respicere, vt terminum inadæquatum: quæ est secunda responsio, & distinctio Thomistarum, quos suprà retuli. Contra, quod nec excedere, nec excedi potest ab alio, est ei adæquatum: sed hæc generatio actiua, quâ hic pater est hic pater non potest excedere, nec excedi ab hac generatione passiua, quâ hic filius est hic filius. Ergo vana, & irrita est præfata distinctio ad soluendum Scoti argumentum. Maior patet ex terminis. Minor claret, quia per hanc generationem actiuam pater non potest respicere alios filios, nec hic filius potest respici à patre per aliam generationem, quia hic actus est totalis, & adæquatus. Præterea causa actu producit effectum actu, ita vt actu non extendatur ad alterius effectus productionem: sed hæc extrema actu sunt causa relationis huius actu, veluti hæc albedo actu est causa totalis huius parietis actu albi. Ergo singulus filius est terminus adæquatus singulæ paternitatis, & sicut paternitas fundatur supra genuisse, ita hæc paternitas supra hoc genuisse, ac proinde multiplicantur genuisse, iuxtà multiplicationem genitorum, quod est Scoti assertum.

Secundò, probatur præposita assertio, relatio essentialiter respicit aliud, quod essentialiter est respectus ad aliud, vt supra inculcaui. Ergo si multiplicatur ly aliud, quod respicit relatio, pariter multiplicatur relatio; sed plurificato termino, plurificatur ly ad aliud: ergo plurificato termino, quoque plurificatur relatio. Prima consequentia est conspicua, quia multiplicata ratione formali alicuius, vtique multiplicatur eius forma & essentia per quam formaliter constituitur in tali esse. Tertiò posito quo, ponitur quod, quia cuicumque quo correspondet suum quod, vt vulgatum est apud Scotum, sic posita forma, & materia per agens vnita adinuicem, ponitur compositum: forma verò ablata tollitur compositum: pariter posito hoc quo, ponitur hoc quod, & hoc quo destructo, etiam destruitur hoc quod: ergo sicut perempta hac filiatione, perimitur hic filius, per quam formaliter denominatur filius. Similiter ergo pereunte hac paternitate per peremptionem huius filij, vtique perire debet hic pater in ratione huius relationis paternitatis, non verò in ratione suppositi: sed permanente 2. filio, adhuc hic dicitur pater, non per relationem ad primum filium, quia supponitur obiisse: ergo per relationem ad 2. filium, qui viuit, ratione cuius hic denominatur pater. Addo, quod fundamentum Thomisticum est ruinosum, vtpote relationem, & quoduis aliud accidens a subiecto, in quo inhæret, indiuiduari, vt significaui in tert ò not Multa quippè accidentia solo numero distincta esse in eodem numero subiecto, vt plures sensibiles in eodem organo sensus, pluraque lumina in eodem medio *in Met. q. de Accidente ostendemus.*

63. Oppones primò, si multiplicatis terminis, multiplicatur pariter relatio in eodem numero fundamento sequitur v. g. quod sicut sunt plures filij, ita sunt plures patres: sed vnus numero pater propter pluralitatem filiorum, non est plures patres, vt omnes pro certo habent: ergo in eo non sunt plures numero paternitates, penes plur[illegible] filiorum. Sequela maioris prob, quemadmodum [illegible] constituitur in esse filij, per filiationem, sic pater [illegible] esse patris per paternitatem. Ergo sicut hac filiatione est hic filius, & alia filiatione est alius filius: sic per hanc paternitatem est hic pater, & per aliam paternitatem est alius pater: atque itatà pluralitatem paternitatis deducitur esse plures patres, veluti secundum pluralitatem filiationis sunt plures filij. negandâ est sequela maioris, ad eius probationem patet *ex* 2. *not.* sunt enim plures filij secundum filiationis multiplica

multiplicationem, proptereaquòd nedum multiplicatur relatio, verumetiam ſuppoſitum. At non ſunt plures patres, licet ſint plures paternitates, eo quod non multiplicatur ſuppoſitum:ideóque ab vnitate ſuppoſiti denominatur vnus pater habens plures filios, veluti perhibetur vnus artifex, & vnus ſciens, licet habeat plures artes, & plures ſcientias, vt declarani *in ſecundo not.* & luculenter ediſſerit Doctor *Quol.* 1 1. §. *De tertio ſub H.*

64. Oppones ſecundò, genus per vnicam relationem in ipſo exiſtentem reſpicit omnes ſpecies ſibi ſubiectas, de quibus immediatè prædicatur, vt animal vnam tantùm habitudinem præſefert ad hominem, & Brutum. Ergo vtique pater per vnicam paternitatem reſpicit omnes filios ab ipſo genitos. Conf. vna potentia viſiua tendit ad omnes colores, vna potentia auditiua ad cunctos ſonos, vnaque materiæ potentia ad omnes formas, atque vna intelligendi facultas fertur ad omne intelligibile. Ergo vnus pater vnica paternitate refertur ad omnes filios ab eomet Procreatos. Reſpondet Racouius ſupra cit. *obiectione prima* negando paritatem, inquiens vnam ſpeciem non eſſe totalem, & adæquatum terminum vnius generis;vnus autem filius eſt terminus adæquatus vnius generationis actiuæ: ideò vnica relatione genus reſpicit ſuas ſpecies: non hic pater vnica paternitate refertur ad filios omnes. Hæc reſponſio eſt conſentanea doctrinæ Scoticæ quoad adæquationem ſufficientiæ, quæ nimirum ſufficit, vt res tota exiſtat: non autem quoad adæquationem perfectionis, quà res exiſtit penes omnem perfectionem ipſi debitam, vt alibi fuit ſatis explanatum. Poſſumus autem nos negare ant. cuius nulla efficax probatio ab Aduerſariis affertur. Ad confirmationem dico, potentiam reſpicere obiectum ſuum commune adæquatè; obiecta verò particularia inadæquatè. Ideò quilibet color eſt terminus eius partialis, & inadæquatus:quod etiam de obiectis aliarum potentiarum eſt affirmandum. Verumtamen non ſic philoſophandum eſt de earumdem potentiarum actibus, quia quilibet actus fertur ad terminum ipſi adæquatum:ſic hæc vel illa generatio actiua patris habet hunc, vel illum filium tanquam eius terminum totalem, & adæquatum.

65. Oppones tertiò, à quo res accipit eſſe, ab eo ſpecificatur, vt conſtat de ſcientia, quæ ab obiecto cauſatur, & ab eomet ſpecificatur, docente Philoſopho 3. *de Anima Tex.* 53. ſed relatio accipit eſſe à fundamento, quia ab eo emanat, & pullulat, & poſtmodum tendit ad terminum. Igitur relatio à fundamento ſpecificatur, & ad eius multiplicationem multiplicatur. Reſpond etſi vt adnuetit nonnullus Neotericus, maior patiatur multas inſtantias: nam creatura à Deo accipit eſſe, non tamen ab eo ſpecificatur intrinſecè *ex* 4. *diſtinct.* 12. *quæſt.* 1. §. *Ad quæſt.* F. Item accidens à ſubiecto ſumit eſſe. quamuis ab eo non indiuiduetur. Rurſùs intellectio ab intellectu cauſatur, ab eo verò diſtinctionem ſpecificam non ſortitur. Verumtamen admiſſa maiore, diſtinguenda eſt minor, à ſolo fundamento, nego, à fundamento, & termino, concedo, vt apertè docet Scot. 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. §. *Ad illud in oppoſitum K.* Siquidem ad poſitionem vtriuſque extremi comproducitur, ſiue conſurgit relatio. Immò eſſentialior videtur eſſe dependentia relationis ad terminum, quàm ad fundamentum. vt notat Bonetus *libello quarto de relationibus* §. *Amplius autem de dependentia.* Et indicat Gadius Bonomienſis *Quol.* 3. *poſt Scotum ibidem.* Cauſa eſt, quia relatio eſſentialiter reſpicit aliud, quod eſt terminus, in vnoque fundamento plures inexiſtere relationes ſuprà demonſtraui, quod euidenter denotat eſſentialiùs à termino, quam à fundamentu relationem dependere.

66. Inſtabis, Scot. 4. *diſtinct.* 12. *quæſt.* 1. §. *Ad argumenta M.* expreſsè inquit, dependentiam relationis à fundamento eſſe eſſentialiſſimam: Non ergo dependentia eiuſdem à termino cenſenda eſt eſſentialior. Dici poteſt vtramque dependentiam abſolutè eſſe eſſentialiſſimam, ſine qua vllo modo relatio eſſe nequit: attamen reſpectiuè eſſentialior eſt dependentia à termino, quàm à fundamento propter rationem præadductam.

Oppones quartò, ſi quiſpiam ſimul procreet geminos, vnica ei adueniet relatio paternitatis, quia vnica eſt amborum generatio: ergo etiam cum plures ſucceſſiuè generat filios, vnam tantùm acquirit relationem paternitatis, quà illos omnes reſpicit: ſicque multiplicatis terminis, haud relatio in eodem fundamento multiplicatur. Conf. primò, vnus numero filius à duobus parentibus (ſcilicet patre, & matre) genitus, vna numero relatione filiationis refertur ad vtrumque genitorem tanquam ad duos terminos. Igitur, vna numero relatio in vno fundamento exiſtens ad plures tendit terminos. Conf. ſecundò, formalis effectus paternitatis eſt conſtituere patrem in eſſe patris, veluti formalis effectus albedinis eſt conſtituere ſubiectum album: ſed per primam relationem paternitatis ad primum filium conſtituitur pater in eſſe patris, vt nemo negat. Ergo per ſecundi filij generationem nulla noua relatio paternitatis ipſi patri accedit, vtpote quæ ſuperflua foret nullumque formalem effectum ſortiretur. Reſpond. negando ant. vt enim geminatur filius, & duplicatur relatio filiationis: ſic duplex conſurgit relatio paternitatis in eodem parente, duos liberos procreante ſimul. Eius quippe eſt duplex generatio actiua, duplexque generatio paſſiua, per quam duo filij denominantur. Ad 1. confirmationem nego ant. Siquidem vt tenet Scot. cum Galeno, mater actiuè ſe habet ad generationem prolis, & pater, & mater ſunt duæ cauſæ partiales vnam totalem conſtituentes. Ideò filius ab eis genitus duplici relatione filiationis eos proſpicit, vna ad patrem, & altera ad matrem, vnaque ab alia realiter diſtinguitur: atque vna perire, & altera remanere poteſt, docentibus Scoto 3. *diſtinct.* 8. *quæſt. vn.* §. *Ad q.* Fabro, aliiſque Scotiſtis *ibid.* Ad 2. confirmationem dico, maiorem poſſe exponi biſariam: ſi enim intelligatur, quod paternitas eſt ratio, ſiue forma accidentalis reſpectiua, per quam pater appellatur pater, & refertur ad filium; veluti albedo eſt accidens abſolutum, ratione cuius paries denominatur albus, concedo; Quod ſi intelligatur, quod pater habens vnam numero paternitatem, per vnum numero filium ab ipſo genitum, nequeat habere aliam paternitatem per alium filium ab eodem genitum, & tot, quot genuit filios, nego, vt manet efficaciter ſuprà probatum. Stat autem vnitas prioris, cum multiplicitate poſterioris, vt vnus Deus habet plures creaturas, vnus ſol plures effectus, & vnus homo plures paſſiones. Præſertim quia quemadmodum pater per paternitatem eſt pater: ita hic pater per hanc paternitatem eſt hic pater: non tamen ſequitur per plures paternitates eſſe plures patres; quia licet multiplicetur paternitas, non multiplicatur ſuppoſitum, ratione cuius dicitur vnus pater ex dictis 2. *not.* Nec denique infertur per aliam paternitatem eſſe alium patrem, propter eamdem cauſam, quandoquidem ad alietatem patris requiritur non tantùm alietas formæ, verumetiam alietas ſuppoſiti habentis formam, vt conſtanter, & ſubtiliter docet Scot *Quol.* 1 1. *antè* §. *De quarto.*

ARTICVLVS VIII.

An vna relatio poſſit fundare aliam relationem?

67. IN hoc art. extant prorſus eædem ſententiæ Authorum oppoſitæ relatorum *in antecedente art.* Thomiſtæ namque eum ſuo duce Thoma 1. *p. quæſt.* 42. *art.* 1. *ad* 4. aliiſque in locis à Recentibus allegatis negant

gant vnam relationem esse posse fundamentum alterius relationis. Ex regione Scotistæ cum suo Principe Scoto 1. *dist.* 19. *quæst.* 1. §. *Hic primo A.* & 2. *dist.* 1. *quæst.* 4. §. *Ad quæst. istam sub N.* Et *Quol.* 3. *P.* Et *Quol* 6. §. *De tertio X.* Et 4. *dist.* 6. *quæst.* 10. §. *Hic dicitur D.* affirmant in vna relatione posse fundari aliam relationem. Quibus adstipulantur Suarez *disp.* 47. *Met. sect.* 11. *num.* 11. aliique Neoterici complures.

68. Not. Hic non esse dubium de fundamento vltimato, quod est substantia omnium accidentium absolutorum, & relatiuorum fulcimentum, & sustentaculum. Cùm autem relatio sit accidens, haud esse potest fundamentum vltimatum relationis. Itaque de non vltimato fundamento, in quo immediatè insit relatio, mouetur ista difficultas: Ita vt sensus sit, num sicut in quantitate, vel qualitate fundatur relatio, sic in vna relatione fundetur alia relatio? Et quamquàm relatio sit modica entitas ex dictis, tamen id non obstat quin vna ab alia sustentari valeat; velut accidens absolutum, quod est imbecille, potissimum respectu substantiæ, potest accidente absoluto fulciri, puta quantitate albedo, dulcedo, & alia huiusmodi: hócque in artificialibus liquidò constat, in quibus nonnulla accidentia in aliis in esse ad oculum cernimus. Addit Suarez cit. motum, & tempus licet sint diminutæ entitatis posse fundare relationem. Vtrùm autem relationes, quatum vna fundat aliam distinguantur, excitari potest altercatio, quam dirimit Lych. cum Doctore §. *Nunc soluenda sunt argumenta principalia*, inquiens, similitudo quidem distinguitur realiter à fundamento, alietas verò in ipsa similitudine fundata realiter identificatur cum ipsamet similitudine. Repugnat quippe similitudinem absque termino eius alietatis. Idipsum indicat Scot. *Quodl.* 3. §. *Respondeo P* & *Quodl.* 6. §. *De tertio X.* cui adhærent Gadius, Tatar. & alij eius expositores *ibidem*.

69. Assertio, vna relatio esse valet fundamentum alterius relationis. Hanc expressè tradit Scot. *locis prænominatis*, quam probat 1. ex Euclide 5 *Geometriæ in initio*, proportionalitas est similitudo duarum proportionum; proportio autem est relatio, in qua fundatur proportionalitas, quæ vtique est relatio. Ergo vna relatio supra aliam relationem fundatur. Secundò, in accidente absoluto fundatur accidens absolutum, vt in quantitate qualitas, puta albedo in superficie. Ergo pari iure in accidente relatiuo fundatur accidens relatiuum. Ant. patet ex præmisso not. Consequentia probatur, vnitas essentiæ secundum Arist 5. *Met. cap* 15. & Scot. 4. *dist.* 6. *quæst.* 10. *ante* §. *Sed restat infrà D.* est sufficiens ratio fundandi relationem identitatis, siue genericæ, siue specificæ inter res eiusdem generis, vel speciei; atqui relatio secum vehit vnitatem formalem essentiæ, vt suprà ostendimus. Igitur relatio altera fulciri valet relatione altera. Tertio ita se habent duæ paternitates inter se, sicut se habent duæ albedines, aut duæ quantitates, aut duæ substantiæ: sed inter duas albedines extat relatio similitudinis, & inter duas quantitates relatio æqualitatis, vel inæqualitatis, atque inter duas substantias relatio identitatis, vel diuersitatis, quia sunt eiusdem, aut diuersi generis, aut speciei: ergo pariter inter duas paternitates adest relatio similitudinis. Hæc ratio videtur esse demonstratio, ad quam dissoluendam nullæ sunt responsiones, quas adhibent sedulò Thomistæ, vt videre est apud Nostros Iuniores *disp* 8. *quæst.* 5. *art.* 2. præsertim illi, qui negant paritatem perhibentes inter duas paternitates reperiri duntaxat relationem similitudinis fundamentaliter: at inter duas albedines adesse relationem similitudinis formaliter per identitatem relatiuam eis adiunctam. Contra duæ enim paternitates sunt entia formaliter positiua, eiusdemque speciei, formaliter positiuæ, cum sint sub specie relationis, quæ est ens formaliter positiuum, vt suprà nobiscum sentiunt iidem Thomistæ. Ergo conformitas, earumque similitudo est realis formaliter positiua, veluti est similitudo duarum albedinum. Nec præstat dicere cum aliis, relationem esse ens debile, & infirmum, ineptum ad alterius sustentationem: siquidem hoc suprà in notabili iam fuit reiectum: Præterea, materia ab omnibus Philosophis censetur ens minimum, & propè nihil; attamen ab eisdem constituitur fundamentum naturæ, subiectum omnium formarum substantialium, & accidentalium: ergo non obstat, quin relatio (licet sit ens imbecille) subesse alteri relationi queat. Quartò quæ distinguuntur, fundant distinctionem: vt enim alba albedine sunt alba, & similia similitudine sunt similia: sic distincta distinctione distinguuntur: sed relationes distinguuntur; quamuis enim sint eiusdem generis, nihilominus propter distinctas differentias, in quas genus ipsum relationis scinditur, speciè differunt. Ergo fundant distinctionem, distinctio autem est relatio. Denique, vt arguit Orbellus 5. *Met. cap.* 7. identitas, & æqualitas sunt relationes, inter quas habetur ordo, qui est relatio: Ergo suprà relationem fundatur relatio. Adde quod relationi competit inhærere, quia ex dictis relatio est accidens: inhærentia autem ex Scoto præcit. est relatio. Rectè itaque concluditur in vna aliam inexistere, & fundari relationem.

70. Opponens primò, Philosophus 5. *Met. cap.* 15. tria fundamenta relationis memorat duntaxat, nempè substantiam, quantitatem, & qualitatem. Ergo secundum doctrinam peripateticam relatio non fundat relationem. Confirmatur ex eodem 4. *Met. T.* 4. accidens accidenti non accidit. Ergo relatio, quæ est accidens, relationi non accidit, hoc est relatione fulcitur. Resp. Arist. explicitè recitare tria illa fundamenta, quæ tunc absoluta: implicitè verò addere quartum, quod est relatio, vt ex Scoto insinuaui *suprà, probatione secunda.* Ad confirmationem dico, exponendo illud Arist. sic, accidens non accidit accidenti tanquam subiecto, & fundamento vltimato, concedo: tanquam subiecto, & fundamento non vltimato, nego, vt satis patet ex præposito notabili.

71. Opponens secundò, Sanctus August. 7. *de Trin. cap.* 5. scribit, omne quod relatiuè dicitur, est aliquid, excepto relatiuo: sed illud aliquid, quod à relatiuo distinguitur, est absolutum, quandoquidem inter absolutum, & relatiuum non interponitur medium. Igitur in absoluto tantum fundatur relatio. Conf. Scotus *Quol.* 6. *X* subdit, fortè vna relatio fundat aliam relationem. Ergo præallata doctrina non est conformis sententiæ Scoti, qui ibi dubitatiuè loquitur, nec testimonium Aug. explicat in oppositum præadductum. Respond. Sanctus August. loqui de fundamento vltimato, quod semper est aliquid absolutum, nempe substantia: aut de fundamento priorum relationum, non verò posteriorum relationum, quæ immediatè tantùm habent aliquid fixum, & stabile, vt optimè exponit Lych. *vbi suprà sub fine* §. *Ibi ergo dico.* Ad confirmationem dico, licet ibi dubitatiuè loquatur, nihilominus *in* 4. *cit.* & *in Reportatis* 4. *distinct.* 6. *quæst* 9. constanter, & assertiuè Doctorem loqui: atque ibi oppositam sententiam falsam esse indicare.

72. Opponens tertiò, si vna relatio fundaret aliam relationem, vtique alia relatio fundaret aliam relationem, & cum non sit potior ratio de vna quam de alia, foret processus in infinitum, quem omnes Philosophi deuitant, præsertim in per se ordinatis, cum Arist. 2. *Met. cap.* 2. *T.* 5. Igitur vna relatio non videtur esse fundamentum alterius relationis. Conf. primò relatio ita est ratio referendi, vt ipsa non referatur; est enim ita quo, vt non sit quod, veluti albedo non est alba, locus non locatur, nec actio agitur. Ergo in relatione non fundatur relatio. Conf. secundò Scotus 4. *d.* 6. *quæst.* 10. *sub E.* in relationibus rationis admittit processum in infinitum, qui etiam videtur esse concedendus in relationibus realibus, proptereaquod ipse Doctor 2. *distinct.* 1. *quæst.* 4. §. *Contra istam opinionem B.* Probat relationem

realem

realem distingui à suo fundamento, quia relatio rationis à fundamento diffides. Hinc subdit idem Doctor *Quol.* 1. §. *De secundo art. infra P.* qualis ordo pei se realis foret inter aliqua si distinguerentur realiter, talis ordo per se est inter illa correspondens si ratione distinguantur. Negatur sequela antecedentis eum Scoto *in* 2. *& 4. cit.* Status quippe est in secundis relationibus. Etsi enim in duabus paternitatibus fundetur relatio similitudinis, non sequitur deinde vt in eadem relatione similitudinis etiam fundetur alia relatio. Nam quemadmodum in accidentibus absolutis datur certus terminus, vt in quantitate fundatur qualitas, nec vltra proceditur: ita in accidentibus relatiuis habetur meta, quæ ab eis non exceditur. *Ad* 1. conf. concedo antecedo consequentiam, relatio enim non refertur, sed est principium quo relatiuum refertur. Etsi autem in duabus paternitatibus, fundetur relatio similitudinis, non sequitur postmodum in hac, & consimilibus fundari aliam relationem, quia in quouis ordine rerum deueniendum est ad vltimum, vt in differentiis, inter quas dantur vltimæ, quæ seipsis differunt, docente Scoto 1. *d.* 3. *q.* §. *Ad 4. igitur F.* Quare negantur ea omnia, quę tanquam absurda ad Aduersatiis adducuntur, & videri possunt apud Lych. *præallegatum* §. *Dicitur ab Henrico.* Ad 2. conf. neganda est paritas cum Scoto *in* 4. *cit.* ratio est, quia quælibet relatio rationis vlterius potest fundare aliam relationem rationis, cum ab intellectu pendeat, qui talem processum potest præstare.

ARTICVLVS IX.

An relatio terminetur ad absolutum.

73. PHilosophi *in hoc art.* sunt tripartiti, nonnulli namque, vt Caiet. 1. *part. quæst.* 13. *art* 7. Bannez *ibid.* & Augustinus Niphus citatus à Lych. *in Commentariis* 1. *dist.* 30. *quæst.* 1. sustinent omnem relationem tam mutuam, quam non mutuam terminari ad relatiuum. Quibus iunguntur Fonseca 5. *Met. sect.* 4. *cap.* 15. *quæst.* 4. & Complutenses *in Log. quæst.* 6. Alij, vt Ferrariensis 2. *contra Gentes cap.* 11. Rumus *in præsenti quæst.* 7. & Ioannes de S. Thoma *quæst.* 17. *art.* 5. ad hoc quæsitum diluendum distinctione vtuntur aientes, relationem mutuam respicere terminum relatiuum, & relationem non mutuam terminum absolutum. Scotus autem 1. *distinct.* 30. *quæst.* 1. §. *Respondeo igitur ad quæst. circa E & G. & in Reportatis eadem distinctione & quæstione*, Vigerius *ibid.* Bonetus *libello de Relationibus*, Fuentes *quæst.* 16. *difficultate* 5. *artic.* 4. *dub.* 2. Raconius *Tract.* 2. *de Categoria membro* 2. *art.* 4. Suarez *Tomo* 2. *Met. d. sp.* 47. *sect.* 16. Hurt. *disp.* 15. *Met. sect.* 7. & alij complures etiam ex Thomistis, at Capreol. 1. *distinct.* 30. *quæst.* 1. *artic.* 2. *ad* 3. & Socin. 5. *Met. quæstione* 30 *ad* 1. & 3. affirmant vtramque relationem tam mutuam, quàm non mutuam tendere ad terminum absolutum. Vnde Fons. *præcit.* improuide protulit nostram sententiam ab omnibus reiici, cùm sit communior, & probabilior, quàm opposita.

74. Not. primò, in relatiuo, putà in patre, tria considerari, substantiam eius, potentiam generandi, & paternitatem. Primum dicitur subiectum relationis, secundum eius fundamentum, & tertium relatio. Similiter in filio tria interueniunt, nempè substantiam eius; potentiam passiuam generandi, & filiationem. Nunc verò inuestigatur quodnam ex tribus postremis recensitis sit terminus formalis in filio terminandi paternitatem? num substantia filij, an verò potentia generandi passiua, aut ipsamet relatio filiationis? Nemo autem videtur constituere terminum formalem, & immediatum, substantiam filij, quia hæc solum dici potest terminus remotus, & mediatus, atque subiectum vltimatum dictæ relationis: de aliis duobus est tota lis præfatorum Authorum, videlicet vtrùm paternitas immediatè tendat ad potentiam passiuam generandi, vel ad filiationem. Ex his aperte conspicitur nos hîc non loqui de termino materiali, & radicali relationis, vt suspicantur Rubius, & nonnulli alij Thomistæ: sed de termino formali, & immediato, ad quem formaliter, & immediatè fertur relatio. Siquidem non omnis relationis terminus non est relatiuus, cùm nulla relatio ex eo emergat: sed absolutus, vt nobiscum fatentur Rubius, & alij *præcit.* Præterea à termino absoluto formali specificantur relationes: ex eoque, & fundamento positis, ipsæmet relationes resultant. Atque si per impossibile in mutuis ex parte termini non oriretur relatio, ea ipsa relatio à fundamento emanans, respiceret terminum immediatè, & formaliter absolutum. Deniuò extremum, & finis quem respicit relatio, est quid absolutum; infrà quippe monstrabimus prius relationem à fundamento ferri ad terminum quàm ex ipso termino prodeat relatio reciproca respiciens alterum extremum. Igitur nulla est distinctio præallata ad Aduersariis, nisi ad eludenda, non verò ad diluenda Scoti argumenta.

75. Not. secundò, ex Aristotele 5. *Met. cap.* 15. *T.* 20. Scoto *ibidem in tex. & quæst* 12. *eiusdem operis, & primo dist.* 3. *quæst.* 5. §. *Quantum ad hoc C. & D. Et Quol.* 13. §. *Circà secundum Aliisque in locis* tres esse relationum modos adductos, & accuratè discussos Boneto *in præsenti* & Pelbarto *antè cit.* §. 10. Quorum primus fundatur super vnum, & multa, cuiusmodi sunt relationes; identitatis, & diuersitatis, æqualitatis, & inæqualitatis, similitudinis, & dissimilitudinis. Secundus fundatur super potentiam actiuam, & passiuam, veluti sunt relationes producentis, & producti, causæ, & effectus mouentis, & mobilis. Tertius verò suprà mensuram, & mensurabile, vti sunt relationes intellectus, ad intelligibile, scientiæ, ad scibile. Relationes autem primi, & secundi modi dicuntur mutuæ, quia ex vtroque extremo consurgit relatio: relationes verò tertij modi vocantur non mutuæ, propterea quod ex vno extremo quidem emergit relatio realis, non tamen ex alio extremo, vt ex parte scientiæ emanat planè relatio ad scibile: verumtamen ex parte scibilis non respondet vlla relatio realis ad scientiam, vt cum Vorrjonio 1. *distinctione* 30. aduertit Pelbartus *vbi suprà aduersus Ockamum dist. allegata.*

76. Not. tertiò, doctrinam Scoti de termino relatiuis absoluto accipiendam esse duntaxat penes relationes priores: non autem penes relationes posteriores, quarum *supra notabili* meminus. Nam v. g. Similitudo, quę stat inter duo alba fundatur in absoluto, & terminatur ad absolutum: at distinctio inter duas similitudines, aut similitudo inter duas paternitates, quæ vtique est relatio, fundatur in relatione, & pariter ad relationem terminatur. Quamquam id per accidens contingat, quatenùs fundamentum eius proximum est relatio, vt benè notat Raconius præallegatus, post Suarez *citat. numer.* 14. Præterea quando relatio perhibetur esse inter duo extrema, intelligi debet eam esse in vno fundamentaliter, siue subiectiuè, & in alio terminatiuè. Non quod vna eadémque relatio numero sit in vtrisque extremis (vt putat Henr. *Quol.* 9. *quæstione tertia*) eo ferè modo quo Aristoteles 3. *phys. T.* 21. scribit eamdem esse viam à Thebis, ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas. Siquidem id defendi non potest, cum vnum, & idem accidens existere nequeat in duobus subiectis realiter distinctis, & ab inuicem disiunctis, cuiusmodi sunt relationis extrema. Testimonium autem Philosophi præadductum non suffragatur Henrico. Optimè enim explicatur

Q

plicatur à Doctore 4. *distinct.* 14. *quæstione prima* §. *Ad huius autem infrà L.* non de formali, sed de materiali vnitate, & identitate, quæ stat simul cum pluralitate formali. Itaque in motu sunt formaliter distincti respectus mouentis ad mobile, & econtrà mobilis ad mouens: pariter alia est relatio fundamenti ad terminum: alia verò termini ad fundamentum.

77. Assertio prima, relatio non mutua terminatur ad absolutum. Ita Scotus *vbi suprà post E. & G.* Prob. 1. ex Arist. 5. *Met. c. & T. cit.* qui statuit discrimen relatiuorum primi, & secundi modi, à relatiuis tertij modi in eo, quod relatiuorum tertij generis vnum refertur ad alterum; sed alterum ad reliquum non refertur. Quod autem ad aliud non refertur, est absolutum: ergo cum relatio tertij generis ad terminum feratur; ex quo non consurgit deinceps vlla relatio ad illud, quod fertur ad ipsum: clarum est per Aristotelem relationem tertij modi terminari ad absolutum. Secundò, relatio creaturæ ad Deum est non mutua, quia Dei ad creaturam nulla extat relatio realis ex Scoto *nuper citat.* Deus autem, quem huiusmodi relatio creaturæ respicit tanquam terminum, est ens absolutum. Nam, vt ait Doctor *in Reportatis*, si Deus esset sol, vt quidam suspicati sunt, adhuc ad ipsum foret dependentia realis rerum creatarum, quæ est relatio respiciens ipsum sub ratione absoluta, cùm omnes confiteantur solem esse ens absolutum. Ergo, relationis non mutuæ terminus est absolutus. Tertiò, relatio scientiæ ad scibile est tertij modi *ex 5. Met. loco allegato.* Sed scibile, quod est eius terminus, est ens absolutum, vt constat de corpore naturali, quod est obiectum, & terminus physicæ: de quantitate, quæ est terminus Mathematicæ: déque aliis disciplinarum obiectis, quæ sunt entia absoluta. Accedit Diuus Thomas *quæst. 7. de potentia, artic.* 10. *ad* 4. qui loquens de relatione seruitutis creaturæ ad ipsum Deum, qui dicitur Dominus, ait in Deo non extat ordo dominij, quamuis terminet relationem dictæ seruitutis. Igitur Deus est eius terminos penes esse absolutum reale, quod habet: non autem penes esse respectiuum dominij, quod non habet. Atque ita per D. Th. relatio non mutua respicit terminum absolutum.

78. His occurrit Bannez 1. *part. quæst* 13. *artic* 8. dupliciter. Primò ex Caier. *ibidem* dicente relationem scibilis ad scientiam (quod etiam dè relatione Dei, ad creaturam est intelligendum) esse realem ex eo duntaxat, quod relatio scientiæ, ad scibile fertur. Verùm hoc effugium, & non responsum, ad præadducta argumenta meritò à Suarez, Hurtado, aliisque Recentioribus esse indicatur. Siquidem aut relatio est in scibili, aut non. Si primum, ergo scibile per propriam relationem in ipso existentem respicit scientiam, quod cum cæteris Philosophis negat Caiet. Si secundū, ergo scientia non tendit ad terminum relatiuum, cùm in eo nulla sit relatio, vt concedit idem Caiet. Rursus, vel scibile refertur ad scientiam per eamdem relationem, quà scientia refertur ad ipsum, & hoc pro falso habet Bannez, existimàtque hoc modo se labi in Scoticam sententiam, quam improbabilem ipse iudicat: aut per diuersam, & id minùs videtur esse dandum, cùm scibile nullam in se habeat relationem realem ad scientiam, sitque huiusmodi relatio scientiæ non mutua. Deinceps relatiuum relatione sibi inexistente est relatiuum, veluti album albedine sibi inhærente est album: nulla autem in scibili existit relatio realis, per quam terminet relationem, vt terminus relatiuus: ergo vt absolutus. Præterea relatio præsupponit extrema, ex quorum positione consurgit, priusque concipitur scibile terminare relationem scientiæ, quàm ab ea denominationem sumat. Atque ita terminat eam non vt relatiuum, sed vt absolutum. Eò magis quia secundum etiam Thomistas, relatio habet esse *in*, & esse *ad*: sed in scibili relatio non habet esse *in*, quia totum suum esse reale est in scientia, vt isti concedunt: ergo non habet esse *ad*, ac proindè scibile non est relatiuum, & si relatiuum non est, vt reuera non est relatiuum, vtique esse nequit scientiæ terminus relatiuus.

79. Respondet secundo Bannez *eodem loco*, relationem scibilis ad scientiam fundari in eodem fundamento, in quo fundatur relatio scientiæ ad scibile, ita vt scientia sit proximum fundamentum duarum relationum, quarum vna est realis, & altera rationis. Idque putat intendisse Aristotelem præcitatum, insinuantem totam rationem fundandi, vtramque relationem realiter in scientia, non verò in scibili existere. Contrà, sufficit in scientia relatio eius realis, qua tendit ad scibile, vt apertè docet Philosophus præallegatus, & declarat Scot. *Quol.* 13. *ad finem articuli secundo sub V.* Et suadetur, quia in vno relatiuo vna tantum reperitur relatio, qua respicit suum correlatiuum, vt pater de patre, & filio, & consimilibus. Ergo alterutra relatio in scientia à Bannez excogitata, vt fugiat vim argumenti, est superflua, non illa quæ est scientiæ ad scibile, quam omnes admittunt: ergo altera quæ est scibilis ad scientiam. Prætereà forma intrinsecè afficiens subiectum, denominat subiectum denominatione intrinseca, vt papyrus denominatur alba per albedinem in ipsa inhærentem. Ergo si relatio scibilis verè est in scientia, scientia esset scibile per relationem ipsius scibilis in scientia existentem, quod est falsum. Rursùs scientia bis referretur ad scibile, semel per relationem realem, & semel per relationem rationis, quia cùm relatio habeat esse *in*, & *ad*, vtique si gemina relatio est in scientia, in qua habet esse *in*, habet esse *ad*, quod est proprium relationis. Iterum scibile non esset scientiæ correlatiuum, vt vult idem Doctor cum Caiet. quia correlatiuum est per relationem sibi hærentem, qua correspondet alteri correlatiuo, vt nomen ipsum indicat: sed per Bannez scibile nullam in se habet relationem, qua scientiam respiciat, cùm vtraque relatio sit in scientia. Adde quod idem Author respondens ad authoritatem Sancti Thomæ præadductam, fatetur relationem dominij esse in Deo, quæ est relatio rationis ei conueniens per operationem intellectus: pariter concedendum ipsi est, relationem rationis esse in scibili, sicut paulò ante concesserat, eam esse formam relatiuam, per quam scibile refertur ad scientiam. Quod si hanc relationem rationis admittat vt verè admittit cum aliis eiusdem Scholæ, impugnatur ex Scot. 1. *distinctione* 30. *quæstione* 2. *sub G.* Relatio rationis scibilis ad scientiam non est ratio terminandi relationem scientiæ ad ipsum scibile; non enim relatio est in scibili, nisi dum actu consideratur ab intellectu: scientia autem realiter refertur ad scibile, tametsi ab intellectu non consideretur. Igitur illa relatio rationis in scibili non est ratio terminandi relationem scientiæ. Hoc etiam elucet in relatione dominij, quæ est relatio rationis Deo tributa penes relationem seruitutis creaturæ ad Deum, quæ præcisa quavis operatione intellectus Deo competit; relatio verò rationis præexigit operationem intellectus. Relatio ergo rationis non est ratio terminandi relationem realem tertij modi. Nec Bannez dicere iuuat, quædam entia rationis habere esse ante, & extra operationem intellectus. Id enim est impossibile, cùm ens rationis, cuiusmodi est relatio rationis ex alibi dicendis in esse, & in fieri ab intellectus opere pendeat.

80. Assertio secunda, Relatio mutua pariter terminatur ad absolutum. Tenet Scot. *locis commemoratis.* Prob. 1. ex Aristotele 9. *Met. cap.* 7 *T.* 13. potentia, quæ actui opponitur, definitur per actum: & omne relatiuum definitur per suum terminum ex 6. *Top. cap* 2. *loco* 45. Vel ergo potentia terminatur ad actum, sub ratione absoluta, & habetur intentum:

intentum: vel sub ratione relatiua:sicque actus, & potentia simul definiuntur, potentia per actum, & actus per potentiam definitur; idémque esset prius, & posterius seipso, committereturque circulus in vtriusque definitione, vt cum Auctore infert Doctor *Quol. nuper. cit.* Igitur omnis relatio fertur ad terminum vt absolutum. Suarez *vbi suprà numer.* 34. parui pendet hanc rationem inquiens, facilè vitari posse ea incommoda, in relatiuis transcendentalibus: atque concomitanter sicut relatiua sunt simul cognitione, ita sunt simul definitione. Verumtamen Scotus tali argumento vtitur, vt ostendat suam sententiam esse conformem doctrinæ Arist. vt in cæteris præstat. Idémque Doctor id asserit, nedum ob dictorum inconuenientium fugam: sed propter rem ipsam, hoc est, quia relatiuum fertur ad terminum præcisè sub ratione absoluta, vt suo more subtiliter probat ipsemet Scot. *in primo allegato F.* à quo multa dictus Suarez mutuatur. Secundò, extrema præsupponuntur ad habitudinem, & relationem, quæ ex eis consurgit, veluti causæ præsupponuntur ad earum effectum, qui ab eis producitur: sed relatio mutua est habitudo extremorum, hoc est fundamenti, & termini, ex quibus resultat; his quippe positis ponitur, hisque demptis, perit ipsorum relatio. Igitur relatio fundamenti præsupponit, & præexigit terminum, non minus quàm fundamentum, cùm ex vtriusque positione oriatur, ergo relatio mutua non terminatur ad relatiuum, sed ad absolutum, maximè quia relationes mutuæ sunt simul naturâ, ideóque vna nequit esse terminus alterius, cùm terminus ei necessariò præsupponatur, vt ex eius positione consurgat, accidatque termino, vt terminus est, vt econtrà referatur, docente Scoto *vbi suprà §. Respondeo sub G.* Tertiò, paternitas, & filiatio sunt relationes mutuæ secundi modi, quæ fundantur suprà potentiam actiuam, & passiuam; sed effectus potentiæ, siue causæ gignentis est substantia filij geniti; ideò vocatur generatio substantialis, proptereaquod eius terminus est substantia per eam producta. Ergo relatio prospicit terminum absolutum. Etsi per impossibile in hisce relatiuis impeditetur à Deo, ne terminus referretur ad alterum extremum, termino manente, relatio haberet indubiè terminum ipsum absolutum. Confirmari potest præfata hypothesis ex Diuo Thoma 3. *part. quæstione* 35. *articulo quinto* Caiet. & alijs *ibidem.* Affirmantibus Beatam Virginem quidem reali relatione maternitatis ad Christum Dominum referri: at ipsum Christum ad eius Matrem relatione reali haud referri. Eò magis, quia ratio terminandi non est ratio referendi, vt præ alijs notant Bassolius, & Bargius *distinctione* 30. *primi*, & patet in non mutuis, in quibus extat ratio terminandi, non autem ratio referendi, ex parte alterius extremi. Non ergo terminus relationis est relatiuus.

81. Oppones primò, Aristoteles *in isto c* expressè videtur astruere relationis terminum esse relatiuum; ait enim ibi, relatiua dici ad conuertentiam, vt seruus est Domini seruus, & Dominus est serui Dominus: & addit ea non dici ad conuertentiam, si pro eo, ad quod sunt, assignetur aliquid eorum, quæ sunt accidentia, vt si pro termino serui assignetur homo, vel bipes. Igitur per Aristotelem relatio terminatur ad relatiuum. Conf. Relatiua sunt simul naturâ, docente eodem Philosopho vbi suprà: at si vnum relatiuum non terminaretur, ad aliud relatiuum, non forent simul natura: prius quippe esset relatio paternitatis in patre, quàm relatio filiationis in filio, quia prius est esse patrem, quam habeat filium: cum omnis causa prior sit suo effectu. Ergo ad absolutum non tendit relatio. Respond. Aristotelem ibi tantùm velle relatiua reciprocari propter mutuas relationes, quæ ex earum extremis consurgunt: quibus relationibus ablatis, quocumque alio permanente, nulla inter dicta relatiua amplius extat reciprocatio. Vt enim ablata albedine à pariete, paries non est amplius albus, nec similis alteri parieti albo: sic ablata relatione serui ad Dominum, non est amplius seruus ille, qui per dictam relationem seruus erat, & econtrà, quouis alio in eo perdurante. Itaque Philosophus nequaquam tenet relationem terminari ad relationem, aliud quippe est relatiua se mutuò respicere, aliud verò terminari, vt bene obseruant Lych. *cit.* §. *Respondeo*, & Tatar. *hoc loco, scibili quarto.* Et ego suprà ostendi rationem referendi distingui, à ratione terminandi. Ad conf. concessa ma. nego min. ad eius probationem distinguo cum Scoto *quæstione* 27. *prædicam. prope finem, & primo precit. F. & G.* Si relatiua sumantur fundamentaliter, hoc est penes suas entitates absolutas, in quibus fundatur relatio, concedo, sic enim suppositum patris prius est supposito filij: Quod si accipiantur formaliter, hoc est penes suas formas relatiuas, nego. Sicut genus materialiter sumptum est prius specie; formaliter verò est simul naturâ cum specie, vt inter alios obseruat Anglicus *q.* 21. *vniuersalium. fol.* 91. *colum.* 1.

82. Opponès secundò, si relatio mutua terminaretur ad absolutum, nullum foret discrimen inter relationem mutuam, & non mutuam; quandoquidem ambæ tenderent ad terminum absolutum, sed extat discrimen inter prænominatas relationes, vt constat ex superioribus assertis. Ergo relatio non respicit terminum absolutum. Neganda est sequela maioris; differunt enim huiusmodi relationes in eo, quod in non mutuis, ex parte vnius extremi non emergit relatio realis: in mutuis autem ex parte vtriusque extremi resultat relatio realis.

83. Instabis, in cunctis relatiuis habetur relatio mutua, si conuenienter assignentur Ergo responsio præallata nullius est ponderis. Ant. prob. omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam, vt scientia est scibilis scientia, & scibile est scientiæ scibile. Itémque sensus est sensati sensus, & sensatum est sensus sensatum, vt indicat Philosophus *vbi supra.* Nego ant. Ad probationem admitto, omnia relatiua dici ad conuertentiam; diffiteor verò in relatiuis tertij modi esse relationes mutuas. Quamuis enim scientia reali relatione feratur ad scibile: attamen scibile reali relatione ad scientiam non refertur. Ideò denominatur scientiæ correlatiuum denominatione non intrinseca, sed extrinseca, quia in scibili non inest relatio realis, qua scientiam respiciat, vt ex Arist. 5. *Met. precit.* tradit Lych. *nuper allegatus* §. *Respondeo ad rationes Ocham.*

84. Opponès tertiò, correlatiua sunt simul cognitione ex communi Philosophorum consensu, qui enim definitè scit vnum relatiuum; scit definitè, & alterum, perhibente Philosopho nunc recensito; vt qui nouit patrem, nouit quoque filium: ergo relatiuum terminatur ad relatiuum. Consequentia prob. 1. Si terminaretur ad absolutum, necesse foret cognoscere absolutum, ad quod terminaretur, quod pugnat Aristoteli *loco memorato.* Conf. vnum relatiuum definitur per aliud relatiuum, vt post Aristotelem sobiungit Porph. *cap. de specie*, vbi definit genus per speciem, & speciem per genus, quod aduertit Doctor *in primo allegato sub E.* Igitur vnum relatiuum est terminus alterius relatiui. Dato, & explicato ant. hoc est cognito vno relatiuo, facilè deuenitur in cognitionem alterius, Tatar. interprete: nego consequentiam, admitto verò eius probationem. Cùm enim cognitio relationis dependeat ab extremis, ob id necesse est præcognoscantur eius extrema, vt ait Scot. *Quol.* 14. Nec hoc contradicit Aristoteli, vt mox palam fiet. Ad conf. dico id effici non ratione correlationis, sed ratione fundamenti; præsertim quia definitio relatiuorum non datur per essentialia, sed per additamentum, sicut enim in accidentium definitionibus ponitur eorum subiectum:ita in relatiuorum definitionibus locan-

tur eorum correlatiua vt rectè adnotat Doctor *quæst.18. prædicam §. Hoc potest concedi.*

85. Instatur, Doctor nunc allegatus inquit, essentia relatiui est ad aliud se habere: sed illud, ad quod se habet relatiuum, est eius correlatiuum; ergo relatiuum terminatur ad correlatiuum. Dico, quidem hanc instantiam concludere relatiuum referri ad correlatiuum; non tamen terminari ad correlatiuum, cùm ex dictis aliud sit referri, aliud verò terminari.

Vrgetur, relatiua sunt opposita, vnumque illorum respicit aliud, vt patet ex *cap de oppositis*: hic autem mutuus respectus petitur penes rationes referendi, & terminandi, quas relatiua adinuicem sortiuntur: ergo terminus relationis est relatiuus. Admissa ma. negatur minor, mutuus namque oppositusque respectus prouenit ab eo, quod ex vtroque extremo consurgit relatio realis, etsi ex parte vnius extremi non resultaret relatio realis, ad ipsum sanè relatio alterius extremi terminaretur, non tamen referretur. Itaque respectus mutuitas, & oppositio non à ratione terminandi, sed à ratione referendi opposita duntaxat depromitur.

86. Iterùm arguitur, diuinæ relationes originis feruntur ad terminos relatiuos, ergo idem dicendum est de creatis relationibus. Consequentia tenet, quia de vtrisque par currit ratio. Ant. patet, paternitas terminatur ad Filium, qui est suppositum formaliter relatiuum: quodque etiam astruendum est de reliquis relationibus personalibus. Dico huiusmodi instantiam nullam esse in sententia eorum, qui affirmant diuinas personas constitui per absoluta, quam non improbabilem, & hæreticam non esse ostendit Scot. 1. *dist. 26. q. vn.* pro Ioanne de Ripa eam tutante. In communi autem opinione affirmante diuinas personas constitui formaliter per tales relationes, conceditur ant. & negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia persona creata est absoluta: persona verò increata est formaliter relatiua, ideò mirum non est, si terminus eius sit relatiuus. Idque etiam contingere in creatis, quando fundamentum relationis est relatio, suprà monui.

87. Oppones quartò, si relatio tendit ad absolutum, substantia, quæ est ens absolutum, foret ens relatiuum, quia illud censetur relatiuum, ad quod relatio terminatur, vt constat de scibili, sensibili, & cæteris huiusmodi: at impossibile est substantiam esse relatiuam, vt astruit Arist. in præsentia: etsi concedatur substantiam esse relatiuam, omnia quoque esse relatiua inficiandum non est, quod absurdum ab Arist. posterisque Philosophis iudicatur Respond. per distinctionem maioris, formaliter, & quidditatiuè, nego: accidentaliter, & denominatiuè, concedo. Ad distinctionem maioris distinguenda est minor: & ita explicantur Arist. & reliqui Philosophi, negantes substantiam esse relatiuam.

ARTICVLVS X.

An idem ad plura referri queat?

90. HAnc difficultatem fusè agitant Scot. *quæst. 29. prædicam.* Bonetus *lib. 4. de Relationibus §. Habet autem dubitationem.* Orbellus, Antonius Andreas, & alij 5. *Met.* quam Philosophus tangit *ibid. n. 20. c. 15.* pro cuius explicatione, & solutione.

91. Not. ex Scoto *cit. §. Ad istud dici potest*: aliquid competere alicui posse bifariam: vno modo per se primò: altero modo per se non primò. Quod autem alicui adaptatur penes suam rationem formalem, & specificam, dicitur ei conuenire per se primò, idest adæquatè, sic habere tres angulos per se primò competit triangulo. Quod verò alteri congruit penes aliquam rationem formalem, non tamen specificam, illi per se non primò conuenire perhibetur; velut habere tres angulos per se non primò Isocheli accommodatur. Præterea obserua cum Boneto præallegato, hoc dubium posse intelligi de relatione eiusdem, vel diuersi modi. Insuper in memoriam reuoca ex *dictis artic. 6. huius quæst.* aliquid posse referri ad plura, pluribus relationibus in eo contentis, vt pater tot paternitatibus refertur, quot sunt filij geniti ab ipso patre.

92. Assertio, idem ad plura inter se distincta referri valet pluribus relationibus in eo ipso contentis: vnica verò relatione ad vnum tantùm refertur adæquatè penes propriam rationem. Traditur a Scoto *præmemorato quoad vtramque partem.* Prima pars prob. 1. ex Arist 4. *Top cap. 1. & 2.* Porphy. *c. de specie*, affirmantibus speciem referri ad genus, sub quo comprehenditur, & ad indiuidua, de quibus prædicatur. Ergo idem ad plura referri potest pluribus relationibus in ipso existentibus. Secundò vna albedo refertur, ad aliam albedinem, similitudine: & ad nigredinem, dissimilitudine: eadem scientia refertur ad idem scibile, quatenùs ab eo distinguitur, & causatur relatione primi, & secundi modi: atque, vt ab eodem scibili mensuratur, relatione tertij modi: idemque pater ad plures filios, quos genuit, comparatur. Igitur idem potest plura respicere secundum plures relationes, quas in se habet. Secunda pars prob ex Arist. 5. *Met. Tex. cit.* qui putat absurdum, vnum bis dici, hoc est, exponente Scot. vnum per se primò ad duo prorsus diuersa referri secundò producens vnica productione refertur ad productum, vt vnus pater vna paternitate respicit vnum filium Ergo idem penes eumdem modum per se primò non refertur ad plura. Præterea vnius rei vnica est definitio essentialis, & quidditatiua, vt aduertimus *lib. 2. q. de genere*; & ratio est, quia definitio rei notificat naturam: vna autem tantum est natura, & quidditas vnius rei. Denique relatio specificatur à termino. Igitur vna relatio vnum prospicit terminum duntaxat. Ant. ostensum est *art 6. huiusce q.* Addo relatiuum definiri per suum correlatiuum Ergo idem ad plura vnica relatione in se existente referri non valet.

93. Oppones primò, Arist. nuper allegatus scribit, intellectio non refertur ad intelligentem, refertur verò ad obiectum intellectum. Ergo per Arist idem nequit ad plura referri: alioquin intellectio referretur ad intellectum tanquam eius causam efficientem, nec non ad obiectum tanquam eius mensuram. Cum ergo Arist. neget intellectionem referri, ad intellectum, vtique inficiatur vnum ad plura posse comparari. Respond. Si sumatur intellectus pro potentia intellectiua, verum est intellectionem non referri ad ipsum intellectum relatione tertij modi, quæ est mensurabilis, ad mensuram; refertur autem relatione 2. modi ad intellectum, tanquam ad eius causam effectiuam. Quòd si accipiatur pro obiecto intellecto, sic intellectio refertur ad obiectum intellectum, vt mensurabile, ad mensuram. Itaque intellectio vtrumque respicit, non vna, & eadem sed distincta, diuersaque relatione. Hoc in sensu videtur interpretari Scotus Arist. *Quol. 13. ante §. De tertio art X*

94. Oppones secundò, si idem ad duo posset referri, idem duplici definitione definiretur, iuxta illa duo, quæ respicit: idem autem nequit duplici definitione definiri, alioqui idem posset esse notum, & ignotum, notũ per vnam definitionem, & ignotum, si altera definitio non haberetur. Concessa maiore, nego minorem, ad eius probationem dico respectu eiusdem non posse dari duas descriptiones: respectu verò diuersorum nihil obstare, vt patet ex *lib. 2. quæst. 2. art. 1.* Adde quod vna est tantùm definitio penes propriam rei essentiam: aliæ verò penes proprietatem rei, aut aliquid eius accidens, dicitur descriptio.

ARTICVLVS XI.

An relatio requirat terminum exiſtentem?

95. QVidam vt Greg. Ariminenſis 1. *diſt.* 28. *q.* 3. & Paulus Soncinas 5. *Met. q.* 7. Quibus videntur fauere Arriaga *diſp.* 12. *ſect.* 10. & gemini Scotiſtæ *diſp.* 8. *q.* 6. *art.* 1. arbitrantur relationem neceſſariò non expoſcere terminum actu exiſtentem. Aduerſam verò ſententiam defendunt Scot. 1. *d.* 31. *q. vn.* §. *Ad q videtur dicendum.* Et *Quol.* 6 §. *de* 3. *art.* Et 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. §. *Ad illud in oppoſitum* Lych. *ibid.* & reliqui ferè omnes Scotiſtæ, & Thomiſtæ aſtruentes relationem neceſſariò poſtulare terminum exiſtentem.

96. Not. hanc difficultatem potiſſimùm moueri de relationibus tam tranſcendentalibus, quàm prædicamentalibus: de aptitudinalibus, & actualibus, quarum meminit Doctor *Quol.* 13. §. *Circà ſecundum ſub* O. Relatio aptitudinalis coïncidit cum paſſione, ſiue propenſione rei, quæ realiter identificatur cum re, cuius eſt paſſio. Actualis eſt tendentia, ſiue reſpectus actu exiſtens, qui actu fertur ad terminum actualem, vt paternitas, qua quiſpiam eſt actu pater, reſpicit filium ab eo genitum actu exiſtentem. Idque innuit Doctor 1. *diſtinct.* 10. *quæſt.* 2. §. *Contrà iſtam opinionem ante* A. & 1. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 4. *in fine* §. *Et quia ante* D. *Et in Reportat.* 2. *diſtinctione* 1. *quæſt.* 6. & 1. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 2. *ſub* O.

97. Aſſertio 1. Relationes aptitudinales non exigunt terminum realem actu exiſtentem. Ita Scot. *vbi ſuprà*, & Orbellus 5 *Met. in fine c.* Prob 1 Aptitudines, & rerum proprietates ex Scoto *cit.* ſunt relationes reales aptitudinales, & fundamentales, quæ reipſa identificantur cum rebus quarum ſunt proprietates ex eodem *ibid. diſt.* 16. *q. vn.* §. *Ideò dico*: ſed huiuſmodi reſpectus aptitudinales poſſunt eſſe abſque ſuis actibus, & terminis, vt riſibilitas, ſiue potentia ridendi abſque riſu, ſiue actu ridendi. Igitur relationes aptitudinales non expoſcunt terminos reales actu exiſtentes. Secundò, poſito quod nullus eſſet color, ad quem viſu, ferri poſſet, adhuc in homine foret potentia, & aptitudo ad videndum, non autem foret actualis viſio, nec eius actualis terminus, ex data hypotheſi: atqui aptitudo videndi eſt relatio aptitudinalis, vt ſuprà indicaui. Inſuper, accidentia Euchariſtica habent aptitudinalem inhærentiam ad ſua ſubiecta, nempe ſubſtantias panis, & vini, in quibus ſic diuinitùs ſeparata actu non inhærent, habent tamen aptitudinem in eis inhærendi, vt ſcribit Doctor 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. § *Ad q* & § *Ad argumenta principalia.* Igitur relationes aptitudinales eſſe valent, abſque ſuis terminis actualibus. Non me latet geminos Scotiſtas cit. arbitrari has relationes eſſe reales formales, & actuales, quia omnes paſſiones quæ conſiſtunt in hiſce reſpectib. aptitudinalibus ad actus, eis conformes ſunt reales. Atque potentia materiæ, prout reſpicit formas poſſibiles inducendas, & educendas eſt realis formalis, & actualis. Verùm iſtorum opinio non eſt ſequenda, nec probanda, vtpote quæ Scoto, Scotiſtis præcipuis, & rationi pugnat. Etenim Scotus *Quol.* 13 *ſub* O. vocat dictas relationes reales potentiales, & aptitudinales, & *ſub* P. addit, non poteſt relatio verius habere, eſſe, quam terminus, ad quem. Termini autem earum relationum ſunt potentiales, aptitudinales, & poſſibiles pariter eædem relationes ſunt potentiales, aptitudinales, & poſſibiles. Et paucis interiectis innuit eas eſſe reales ex parte fundamenti, & ex parte termini eſſe rationis. Idem ferè habet 4. *diſtinct.* 12. *quæſt.* 1. §. *Ad q reſpondeo* B. & §. *Ad argumenta principalia* A inquiẽs, inhærentiam accidentis tam actualem, quam aptitudinalem eſſe relationes, cum hoc tamen diſcrimine, quod illa eſt actu, hæc verò aptitudine. Vnde benè ſubiungit Vallo *Tract. formalitatum fol.* 106. relationem aptitudinalem habere terminum aptitudinalem ſibi proportionaliter correſpondentem. Atque conſtans eſt doctrina Scoti *Quol.* 6. §. *De tertio ſub* L.L. & alibi, relationem realem actualem cõſurgere ex extremis realibus actualibus. Cùm autem termini relationum aptitudinalium non ſint reales actuales, ſanè deducitur eas relationes non eſſe reales actuales, vt quoque earum nomen indicat, earumq; diſcrimẽ à reſpectibus actualibus. Rursùs 4. *d.* 6. *q.* 10. § *Sed reſtant* H Non ens non poteſt eſſe fundamentum, vel ratio fundandi aliquam relationem realem quia nec terminus: propter hoc enim ponitur contradictio, relatio rationis, quia habet fundamentum, vel terminum negationem. Eſtque aperta eiuſdem mens *Quol.* 6. §. *De tertio ſub* L.L. & alibi, relationem realem actualẽ reſultare ex extremis actu poſitis, actuque exiſtentibus. Hanc apertè defendunt Baſſolius 3. *d.* 8. *q.* 1. *art.* 1. Bonet. *cit.* Faber 5. *Met. diſp.* 22. & alij inſigniores Scotiſtæ, quorum ratio potiſſima eſt, quia relatio eſt eſſentialiter ad aliud tanquam ad terminum: quod autem non *eſt ens, aut ens in potentia propriè non eſt aliud*, vt clarè oſtendit Doctor *diſt* 6. *quarti quæſt.* 10. §. *cit.* H. ac etiam *Quol.* 13. Denuò *diſtinct.* 12. *quæſt.* 1. *eiuſdem operis ſententiarum*, ſubiungit idemmet Doctor, relationem eſſentialiter eſſe habitudinem inter duo extrema, ideò ſi tollatur terminus, ad quem eſt relatio, tollitur vtique ipſa relatio, quæ emanat à dictis extremis. Conſpicuum autem eſt *ibi*, & 1. *diſt.* 5. *quæſt.* 1. Scotum loqui de habitudine ad terminum actualem, quo exiſtente exiſtit, & non exiſtente, relatio non exiſtit. Fundamentum verò præfatorum Recentiorum nullum eſt, quia paſſiones rerum, potentia materiæ, & id genus alia perhibentur relationes potentiales, & fundamentales, hoc eſt, docente Doctore *Quol. proximè cit.* ex parte vnius extremi, ſeu fundamenti, quod eſt reale, vocantur reales: non autem ex parte termini non exiſtentis, ratione cuius dicuntur rationis, vt ibi affirmant Lych. Gadius, & cæteri eius interpretes. Quod etiam annuunt illi *in initio quæſt.* 1.

88. Aſſertio 2. Relationes mutuæ prædicamentales poſtulant terminum realem actualem. Tenet Doctor *vbi ſuprà*. Prob. 1. Relatio prædicamentalis habet totum ſuum eſſe ad aliud, vt patet ex eius definitione tradita, ab Ariſt. *cap. de Ad aliquid* reſpuente definitionem relatiuorum a veteribus Philoſophis aſſignatam Ergo relatio mutua prædicamentalis exigit illud aliud actu, ad quod actu fertur: atqui illud aliud, quod actu reſpicit, eſt eius terminus, vt patet. Non ergo diffitendum eſt relationem prædicamentalem flagitare terminum actualem. Secundò relatio prædicamentalis præexigit, & ſupponit extrema coëxiſtentia, à quibus ſimul poſitis exoritur, vt effectus à ſua cauſa, relatiua enim ſe mutuò ponunt, & reſpiciunt, ſeque mutuò tollunt, & deſtruunt: ſunt ſimul natura, & cognitione, dicunturque ad conuertentiam. Hæc autem eſſe nequeunt abſque actuali termini exiſtentia Tertiò ſi relatio prædicamentalis tenderet ad terminum poſſibilem, vt aſtruunt Authores primæ ſententiæ, homo, qui nunquam filios procreauit, foret pater per relationes ad tot filios, quos poſſet generare, cùm pater conſtituatur in eſſe patris per relationem ad filium: hoc autem apertam falſitatem, & abſurditatem redolet, vt v. g. Chriſtus Dominus ſit pater per reſpectus ad filios, quos potuit generare. Itemque B. Virgo ſit mater per relationes ad alios filios, quos potuit gignere, præter Chriſtum, quem verè peperit vnigenitum. Similiter Virgo innupta, foret nupta per relationem ad hominem poſſibilem, quem ſibi in virum aſſumere valeret: quæ, & conſimilia, quàm ſint abſurda, & ridicula, nemo ſanæ mentis eſt, qui non videat.

89. Arriaga prænominatus *n.* 90. conatur vtramque prætecenſitam ſententiam conciliare hac diſtinctione inquiens, Gregorium quoad rem malè ſentire. benè verò quoad modum loquendi. Dici enim ſolet, hic eſt fi-

lius Francisci, tametsi Franciscus mortuus fuerit. Itemque hic malus est imago Antichristi, quamuis Antichristus nondum sit. Verùm, nedum modus loquendi spectatur a Philosophis, sed res ipsa potiùs, eiusque veritas ab eisdem indagatur: hoc enim pacto facilè eluderentur graues difficultates, quæ in Philosophia dissoluendæ proponuntur, si in loquendi modum reiiciantur; maxime cùm modus loquendi sit magis Grammatici, quàm Philosophi munus. Etsi id admittit Arriaga, fatetur quoque veram esse sententiam Suarez ab ipso Arriaga reiectam, qui statuit relationem totam in fundamento, *in proximo art.* latè refellendus.

100. Oppones primò, Arist. *in hoc c.* scribit calefactiuum referri ad calefactibile, agensque in actu, ad passum in potentia. Huiusmodi autem relationes sunt prædicamentales mutuæ, & 2. modi relatiuorum. Censet igitur Arist. relationem prædicamentalem terminari ad terminum actu non existentem. Confirmatur, nonnullæ extant relationes reales prædicamentales carentes terminis realibus actúque existentibus, vt cum Scoto *Quodl. lib.* 13. notat Tatar. *in præsenti c.* Et suaderi potest de relatione distinctionis, qua forma à priuatione eius differt, atque de relatione creationis, quam ipsa creatio præsefert ad non esse rei immediatè præcedens, vt tradit Doctor *Quol. cit. N.* Itemque de relatione informationis, ad non informationem immediatè præcedentem ex 2. *distinct.* 1. *quæst.* 5. *antè T.* 4. *distinct.* 11. *quæst* 1. *F. aliisque in locis*, in quibus idem Doctor videtur concedere quasdam relationes reales, & prædicamentales, ad terminos actu existentes non tendere. Respond. si illa extrema sunt actu existentia, eorum quidem relationem esse realem: verùm si alterutrum, aut vtrumque sit in potentia, & non ens, eorum relationem haud esse realem, sic interpretandum esse Philosophum *loco cit.* nec eum *ibi* ampliùs voluisse asserit nonnullus Neotericus. Estque expressa sententia Scoti *Quol.* 12. §. *De* 2. *art sub E.* his verbis. *Primus respectus. qui scilicet est ipsius esse. ad non esse præcedens, non est realis, quia non est ad terminum positiuum.* Et *in Reportat. primi distinct.* 30. *quæst.* 2. Per id quoque patet ad confirmationem, in locis quippe recensitis ex Scoto patet, ea esse ad oppositum præsertim *Quol. præællegato sub P.* Quando terminus non habet esse reale, sed tantùm esse in intellectu, tunc ad ipsum non potest esse, nisi relatio rationis; quia non potest relatio verius habere esse, quàm terminus ad quem est. Et deducitur ex 1. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *sub V.*

101. Oppones secundò, à quo res sumit suam entitatem, ab eo capit suam realitatem, vt patet: sed à fundamento relatio suam sumit entitatem, quia ab eo causatur: ergo. & suam realitatem, ac proindè nullo existente reali termino, relatio est realis, realitate à suo fundamento decerpta. Conf. Logica est scientia realis, tametsi eius terminus, siue obiectum, quod est syllogismus, sit ens rationis. Prætereà de rosa non existente habetur scientia realis: scientia autem habet relationem realem tertij modi ad obiectum scibile. Non est ergo necesse terminum esse realem actualem, ad hoc vt relatio sit realis. Concessa ma. distinguo min. relatio habet esse à fundamento, excluso termino, nego: à fundamento, posito termino, concedo. Hæc responsio est Scoti *in Reportat.* 4. *distinct.* 6. *quæst.* 9. §. *Dico igitur.* Non potest esse respectus intrinsecùs adueniens, qui possit oriri à solo fundamento, nisi posito termino, quia nihil refertur ad se. Et *distinct.* 11. *quæst.* 1. §. *Ad quæst. dico, &* §. *Ad aliud dicitur.* Et *Quol.* 12. *art.* 1. Atque apertè constat ex conditionibus ad relationem realem necessariis adductis à Doctore 1. *distinct.* 31. *quæst.* 1. *in Reportat. & Quol* 6. §. *De tertio.* Et 1. *dist.* 31. *q. vn.* §. *Ad q.* Idque fortassis obliti eius, quod priùs dixerant recipiunt prænominati Nuperi, paucis interpositis, præbentes discrimen relationis prædicamentalis à transcendentali, quod situm est in eo, quod *hæc* terminum possibilem, illa verò terminum realem actu existentem efflagitat: Ad conf. responsum est *lib.* 1. *quæst.* 2. *artic* 2.

Oppones tertiò, relatio aptitudinalis, & transcendentalis non exigit, necessariò terminum realem realiter existentem, vt manet probatum *in* 1. *conclusione.* Ergo nec relatio prædicamentalis, cùm vtrobique par ratio esse videatur, vt multis ostendere nititur Suarez *cit. num.* 5. *&* 6. Conf. Vnum potest aliud terminare, tametsi non existat, vt liquet de causa finali, quæ terminatur ad effectum, quamuis ipse effectus non existat. Concesso ant. nego consequentiam: ratio disparitatis est, quia relatio transcendentalis, & potentialis sunt realiter identificatæ cum fundamentis, in quibus fundantur: verùm relatio prædicamentalis realiter à fundamento, quo fulcitur, dissidet, ideò nisi adsit terminus realiter existens non aduenit relatio fundamento. Prætereà relatio transcendentalis respicit terminum etiam possibilem: relatio autem prædicamentalis cùm ex positione fundamenti, & termini necessariò emergat, supponit necessariò terminum positiuum actúque existentem, scribente Scoto *in Report. primi distinct.* 30. *ad finem quæst.* 2. Ad conf. nego relationem esse propriè realem, nisi eius terminus realiter existat: huius rationem affert Doctor *in Reportat.* 4. *distinct.* 6. *quæst.* 9. §. *Dico igitur*, quia nihil refertur ad se, sed ad aliud, quod est terminus positiuus. Idémque expresserat in eodem opere *primi distinct.* 31. *quæst.* 2. §. *Supponendo*, & defendit Suarez *vbi suprà num.* 18. post Bassolium 1. *dist.* 30. *quæst* 1. *art.* 1. Mayr. Tatar. & alios Scoticæ doctrinæ alumnos, quibus videntur consentire nostri Nuperi *quæst.* 3. *art.* 1.

Instabis, relationes imaginum, quæ terminos actuales non habent, vt relatio imaginis, ad Cæsarem iam demortuum, est relatio similitudinis, ad terminum non existentem: huiusmodi autem relationes recensentur ab Arist. 5. *Met. cap. de relatione.* Non petit ergo relatio prædicamentalis terminum actu existentem. Resp. Arist. ibi non docuisse præfatas relationes esse prædicamentales, vt aduertit Fuentes *quæst.* 16. *diff.* 5. *art.* 2. addit Lycb. 1. *dist.* 30. eas non esse reales: & deducitur ex Doctore *ibid.* §. *Ad quæst.* 2. *N.* his verbis, ad secundum simili modo, quod esse exemplatum non est esse, nisi secundùm quid, & ideò habitudo ad talem terminum non esse realis, sicut & terminus non est realis.

102. Quæres, vtrum relatio sit res, aut modus? Respondet Doctor *in* 2. *cit.* §. *Quod si adhuc proteruiatur D.* huiusmodi quæsitum ferè esse de nomine: nam relatio absolutè est ens, & res; continetur quippè sub illa diuisione entis in absolutum, & relatiuum, vt patet 5. *Met. T.* 14 Itemque sub altera entis distributione in substantiam & accidens: itidémque accidentis in absolutum, & respectiuum loquendo de relatione creata, quæ sub ente finito comprehenditur. Comparatiuè autem relatio potest vocari modus, quatenùs ipsa relatio est accidens imperfectius accidente absoluto. Sic qualitas dicitur modus respectu substantiæ, qua est ignobilior, tametsi absolutè qualitas sit res. Idem autem diuersimodè posse nominari rem, & modum patet ex D. Aug *lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 2. scribente signum vt signum esse rem aliquam, esse verò modum signati. Ex his licet colligere distinctionem, quæ interuenit inter relationem, eiusque extrema; quæve inter duas relationes reales prædicamentales esse distinctionem realem, quia extat inter rem, & rem: posseque dici modalem, si concedatur relationem esse modum, vt suprà fuit explicatum. Obseruo autem hanc loquẽdi formulam in Doctoris subtilis Schola haud esse in vsu. In alio quippe sensu distinctio modalis vsurpatur à nostris partibus, quam à Doctoribus Recentibus extra Scoti Lyceum accipiatur, vt quoque notant indiuisi Scotistæ *disp.* 8. *quæst* 3. *art.* 1.

ARTICVLVS XII.

An eſſentia relationis ſit tota in fundamento.

103. Hurtadus *diſp.* 15. *Met. ſect.* 3. Arriaga *diſp.* 12. *Logicæ ſect.* 8. & Fuentes *q.* 6. *diff.* 3. *art.* 1. referunt Suarez *diſp.* 47. *Met. ſect.* 2. *num.* 25. nonnulloſque alios Recentiores vulgò Connotatores vocatos arbitrari totam relationis eſſentiam eſſe in fundamento, ad eam verò terminum requiri non vt quid eius eſſe formale & eſſentiale, ſed vt quid connotatum & obliquum duntaxat. Quibus præiuiſſe videntur Alenſis 5. *Met. ad Tex.* 10. Henr. *Quol.* 9. *queſt.* 3. & Bacco 1. *diſtinct.* 18. *quaeſt.* 1. *dub.* 3. Hanc opinionem fusè, & bene refellunt prænominati Authores ſecuti Scotum *locis in ant. art. preaddVctis*, alioſque Doctores tam veteres, quàm recentes communiter affirmantes relationem eſſentialiter à termino dependere, ad eiuſque poſitionem, vnà cum poſitione fundamenti conſurgere.

104. Recognoſcenda ſunt, quæ dixi in Epitome *lib.* 1. *quaſt.* 1. *art.* 6. de nomine concreto, & connotatiuo, quod duplex ſignificatum ſortitur, vnum primarium, & aliud ſecundarium, de quo fusè *lib.* 3. *noſtra Logicæ quaſt.* 2. *art* 5. Cum autem ſignificata terminorum probari nequeant vt ex Scoto 1. *diſt.* 1. *quaſt.* 3. §. *Quod autem*, monet Gadius *Quol.* 12. *fol.* 125. *pag.* 3. ſed ex probatorum Authorum vſu ſint accipienda, omittendum non eſt ex dictis *loco precit.* nomen concretum accidentale non differre ab adiectiuo ac etiam parum, vel nihil à connotatiuo, vt tangit Tatar. *Tract.* 7. *ſummularum comm.* 1. *ſcibili* 2. Nec ab hoc diſtat Doctor 4. *diſtinct.* 12. *quaſt.* 1. §. *Ad argumenta principalia.* Cùm enim connotare nihil aliud ſibi velit, quàm vnum cum alio notare: conſequenter ex vi vocabuli connotatiuum eſt, quod vnum cum altero notat, vnum materiale, quod eſt ſubiectum, & aliud formale, quod eſt forma in ſubiecto inhærens vt *loco cit.* fuit explicatum. Bifariam autem poteſt fieri connotatio, vno modo ratione obiecti, cùm ſcilicet ſignificatur forma attingens obiectum, circa quod fertur, ſic viſio, intellectio, & huiuſmodi dicuntur connotatiua, quia ſignificant qualitates, ſiue cognitiones, & connotant obiecta cognita, de quibus mentionem facit Scot. *Quol.* 12. & 13. Altero modo, ratione termini, quando nimirum vnum ſignificatur dependenter ab alio, quia vnum abſque alio perfectè non poteſt eſſe, nec intelligi, ſic principaliter ſignificatur forma, & minus principaliter ſubiectum formæ, quod connotat; aut aliquid aliud, vt prandium per ſe ſignificat comeſtionem, & connotat tempus meridianum. Quare cùm relatiuum per ſe reſpiciat terminum, apertè deducitur non eſſe nomen connotatiuum, vt cum quibuſdam malè cenſet Suarez præmemoratus. Idque aduertunt quidem noſtri Iuniores *ad finem art. cit.* tamen 1. *p. ſuarum Inſt. Tract.* 1. *cap.* 3. exemplificant de patre, qui dicitur connotare filium in ratione termini, quod non videtur eſſe dictum conſequenter. Hoc etiam inſinuat Gadius cum Scoto *Quol* 8 & 12. *art.* 2. & *antè quaſt.* 8. *prædicam.* Præterea obſerua commune Scotiſtarum aſſertum, relationes ſpecificari à ſuis terminis, quod depromitur ex definitione relatiuorum à Philoſopho elargita, *c. de Ad aliquid.* Totum enim eſſe relatiuorum eſt ad aliud, hoc eſt ad terminum, & relatio eſt habitudo, ſiue reſpectus ad aliud. Igitur relationes à ſuis terminis ſpecificantur, eo ferè pacto, quo motus ſpecificatur à termino ad quem, & potentiæ ab actibus, & actus ab obiectis, vt patet 2. *de anima T.* 33. Eò magis, quia in vno fundamento poſſunt exiſtere plures relationes ſpecie diſtinctæ, vt in eadē albedine relationes ſimilitudinis cum altera albedine, & diſſimilitudinis cum nigredine. Quamuis autem fundamentum ſit cauſa relationis, nihilominus ab eo non deſumitur diſtinctio relationis, vt putant indiuidui Comites curius Philoſophici Scotici *diſtinct.* 8. *quaſt.* 10. *art.* 1. quandoquidem à cauſa effectiua, vt effectiua, vt à Deo, & ſole haud rerum productarum differentiæ petuntur eſſentiales. Huiuſmodi autem diſtinctio relationis à termino non eſt eſſentialis intrinſeca, ſed extrinſeca, vt notaui *art.* 7. *huius q. not.* 3. cum Scoto *ibi cit.* & 5. *Met. q.* 12.

105. Aſſertio. Relatio non habet totum ſuum eſſe in fundamento, ità vt termino pereunte in ipſo fundamento tota adhuc perſiſtat. Hanc procul dubio docent Scot. eiuſque diſcipuli locis præallegatis, & expreſſius *in vtroque opere quarti diſt* 12. *quaſt.* 1. *concluſione prima circa D.* Reſpectus eſt eſſentialiter habitudo inter duo extrema, & ideò ſicot tollere terminum ad quem eſt reſpectus, eſt tollere, vel deſtruere reſpectum; ita tollere illud, cuius eſt reſpectus, eſt tollere reſpectum, & deſtruere rationem reſpectus. Et *ibid.* ſub N. ſubiicit, hi enim ſolum fundamētum poſitum ſine termino conſequeretur, non eſſet reſpectus. Prob. primò. Relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione, vnoque perempto, perimitur & aliud, ex Ariſt. *in præſenti c.* at ſi tota relatio penes ſuum eſſe eſſentiale, & quidditatiuum perſeueret in fundamento, deſtructo eius termino, vnum relatiuum exiſtit, alio non exiſtente. Igitur falſum eſſet præfatum aſſertum Peripateticorum. Minor facilis eſt probatu; vt enim habens albedinem eſt album: ita habens relationem eſt relatiuum: atqui non exiſtente termino, fundamentum habet totam relationem, concedente Suarez cit. Ergo fundamentum eſt relatiuum: ſicque correlatiua non ſunt ſimul naturâ, & cognitione, quod commun Dialecticorum ſenſui cōtradicit. Accedit, relatio conſurgit ad extremorum poſitionem, admittente eodem Suarez *vbi ſupra*: & tamen per ipſum, termino non poſito, extat tota relatio in fundamento, quod apertè implicat.

106. Dices enim Suarez cit. ad poſitionem termini non poni nouam relationem, ſed tantum nouam connotationem. Contra in primis extorquetur commune Philoſophorum proloquium omnium plauſu affirmantium ex poſitione extremorum reſultare nouam relationem, non autem nouam connotationem: illa quippe noua connotatio aut eſt noua relatio, aut quid abſolutum. Si primum, habetur intentum: ſolùm quippè Suarez mutat nomen relationis, in connotationem, noleníque recedit à communi opinione, non re, ſed voce, quod non eſt eius mens; plus enim palàm intendit, vt patet ex eius ſcriptis. Si ſecundum, aut illud eſt ſubſtantia, aut quantitas, aut qualitas: patet autem etiam per Suarez nullam prorſus horum abſolutorum eſſe. Vana igitur eſt einſmodi connotatio. Rurſus, talis connotatio vel eſt aliquid, vel nihil, non hoc, quia competit fundamento connotanti terminum, quod liquet eſſe extrà nihil: nec illud, reſpectus enim eſt aliquid aut intrinſecum, aut extrinſecum. Si intrinſecum, ergo per aliquid de nouo adueniens fundamento connotat terminum, non verò per aliquid iam præexiſtens, hoc eſt per relationem in ipſo fundamento præſuppoſitam. Si extrinſecum, præexigit mutationem in aliquo factam per relationem in eo receptam, non quidem in fundamento, quia præexigebatur iam ratio connotans: nec in termino, quia terminus eſt quid extrinſecum, & connotatum. Ergò irrita, & inanis eſt illa connotatio, ad hanc difficultatem diluendam. Secundò quod formaliter conſtituitur in eſſe per formam, denominatur per eam ipſam formam, per quam conſtituitur, quouis alio ſecluſo: ſed relatiuum conſtituitur in eſſe relatiuo per relationem, ergo per eam denominatur relatiuum. Maior etſi ſatis videatur eſſe probata ex præcedente ratione, tamen adhuc corroboratur: animatum quod per animam conſtituitur in eſſe animato, per animam denominatur: & nigrum, quod in eſſe nigro per nigredinem conſtituitur, per nigredinem denominatur nigrum. Maior eſt in

promptu à simili de reliquis concretis accidentalibus, quæ constituuntur in esse per formas, quas in se habent, ex quorum numero est relatiuum, vt palam docet Scot. 5. *Met. q.* 11. Cùm autem fundamentum per relationem sibi inexistentem sit relatiuum, perspicuè deducitur, sublato termino, ipsummet fundamentum denominari relatiuum, quod a Connotantibus negatur.

107. Dices relationem non extante termino, manere in fundamento, in ratione entitatis, non verò in ratione denominationis. Contrà, vt aliquid denominetur tale intrinsecè, debet in se habere talem entitatem, v.g. vt quispiam denominetur sciens, necesse est in se habeat scientiam, per quam denominatur sciens: denominatio quippè intrinseca sopponit entitatem existentem in eo, quod formaliter denominat: sed per dictos Connotatores relatio est in fundamento in ratione entitatis, ergo & in ratione denominationis. Euidens namque implicatio cernitur in Petro: v.g. esse actu, & formaliter paternitatem secundùm totam suam entitatem, Petrúmque per eam non denominari patrem: atque in Paulo esse actu & formaliter filiationem, penès totam suam entitatem, & per eam ipsum Paulum non denominari filium: fieri namque non potest, vt in aliquo sit causa formalis, absque eius effectu formali. Quare, cùm relatio absque termino formaliter afficiat fundamentum, necesse est, reddat ipsum formaliter relatiuum, formalitérque ipsum relatiuum denominet.

108. Dices id habere locum in forma absoluta, non verò in forma relatiua, quæ connotat terminum. Contra, tota forma relatiua est in fundamento, veluti tota forma absoluta accidentalis est in subiecto: & si quæ sit disparitas, est connotatiu termini, quam non absoluta, sed relatiua forma præsefert: huiusmodi autem connotatio, præterquam quod suprà tanquam vana ad rem nostram reiecta est, nihil iuuat Aduersarios, ad argumenti solutionem. Siquidem quoque forma absoluta accidentalis connotat subiectum, in quo inhæret, vel habet aptitudinem inhærendi: atque concretum relatiuum propriè denominatur, etiam obiecto, siue termino eius non existente, vt intelligens est concretum relatiuum, & verè homo vocatur intelligens, tametsi obiectum, siue terminus ad quem tendit intellectio, non coexistat. Itaque gratis, & absque fundamento citati Authores recorrunt ad distinctionem de forma absoluta, & relatiua. An verò relatio intelligentis ad obiectum intellectum sit transcendentalis, & realis necne, patet ex superioribus dictis: hócque argumentum ferè totum videtur esse ad hominem. 3. Noua denominatio realis, & intrinseca non aduenit rei absque noua entitate, secundum Connotatores, vt aduertunt Arriaga cit. & Ouiedus *Controuersiâ 9. Met. n.* 18. Ergo si per aduentum, & existentiam termini accedit noua denominatio realis, & intrinseca, pariter ipsi adiongitur noua entitas. Peto autem num illa entitas noua sit absoluta, vel relatiua? Non primum, vt patet: ergo dandum est secundum, sicque duplex relatio erit in fundamento, vna antiqua, priusquam terminus existat: altera verò recens post termini existentiam. Alterutra autem superuacanea extat, non posterior, quia ex termini positione vnà cum fundamento prodit: ergo prior, quæ fingitur adesse in fundamento ante terminum. Denuò, cùm relatio comproducatur ad extremorum productionem ex communi Philosophorum placito, inquito, quodnam agens producit, siue comproducit relationem præexistentem in fundamento ante termini accessum? Si dicas resultare ex natura fundamenti, veluti passio promanat à subiecto cuius est passio, deducitur in puero esse omnes paternitates ipsi futuras & possibiles! in vno albo iam extare omnes similitudines alborum futurorum & possibilium: Itémque relationes secundi modi non fundari in actione, & passione; quandoquidem iam erant in fundamento, quamuis nulla ei adueniret actio, & passio. Hinc absque generatione actiua esset paternitas, & absque generatione passiua filiatio: quæ, & consimilia quàm sint falsa & ridicula, per se liquidò constat, absurditatémque & vanitatem sententiæ prærecensitæ clare demonstrant.

109. Oppones primò, Aristoteles, 5. *Met. cap.* 15. distribuit relationem in mutuam, & non mutuam, & hæc posterior perhibetur relatio mensuræ, & mensurabilis in tertio modo relatiuorum locata: at si relatio includeret terminum, inanis foret prællata diuisio, quia relatio non mutua terminum ad suum esse non postulat, propterea quod relatio haud à termino, sed fundamento dumtaxat prodit: ac proinde ratio tota est in fundamento independenter à termino. Concessâ ma. nego min. supra namque *art. 9 huius quæst.* allatum, & explicatum est discrimen, quod nunc iterum non adduco, ne idem sæpiùs inutiliter repetam. Relationem autem essentialiter a termino dependere scribit Doctor 3. *d.* 1. *quæst.* 1. *K.* & *distinct.* 15. *quæst. vn.* §. *Ad* 1. *ante X.* & egregie explicant Gadius, & Lych. *Quol.* 11. Ratio est, quia relatio essentialiter est habitudo ad aliud, hoc est ad terminum.

110. Oppones secundò quod est extra essentiam alicuius non est pars eius essentiæ, quia nihil est magis intrinsecum rei, quàm eius essentia: sed terminus est extra essentiam relationis; cùm relatio ad ipsum feratur, ipsúmque præexigat, vt liquet ex dictis. Igitur relationis essentia tota consistit in fundamento. Conf. si relatio terminum includit, quando dicitur, Franciscus est similis Carolo, perinde esset ac dicere, Franciscus est sibi similis, quod falsum est, quia similitudo extat inter distincta habentia eandem speciè qualitatem. Concessâ ma. ad min. dico tam terminum, quàm fundamentum non ingredi formalem, & intrinsecam rationem relationis, ab eis tamen vt extrinsecis dependere essentialiter, vt conspicue astruit Doctor rum *locis mox cit.* tum etiam 2. *distinct.* 1. *quæst.* 5. *ante* §. *Hoc ergo G* & 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta principalia* 5. *in solutione tertij*: Idque patet de relatione creaturæ ad Deum creatorem, à quo tanquam à termino essentialiter dependet: ac etiam de quauis alia relatione, quæ à fundamento essentiali dependet, tametsi fundamentum sit ei extrinsecum. Adde quod, perhibente Lych nuper cit. terminus ad relationem requiritur, propter eius esse formale, & essentiale, quia est purus ordo, & habitudo ad terminum, vt frequenter fatetur Suarez *cit. sect.* 5 & *alibi*.

111. Opponet tertiò, Relatio diuina tota saluatur in fundamento: ergo idipsum affirmandum est de relatione creata, cum æqua de vtraque videatur esse ratio. Ant. probatur, relatio paternitatis constituit patrem in esse patris, respicitque filium solum, vt eius terminum, non verò vt partem eius. Transeat antecedens negatur consequentia. Causa disparitatis est, quia illa est transcendentalis, & constitutiua: hæc verò prædicamentalis, & aduentitia, vt videre licet apud Scotum 1. *dist.* 26. *q. vn.* & 2. *d.* 1. *q.* 5. §. *secundum membrum*, & §. *Ad authoritatem sub F.*

Articvlvs XIII.

De tripartita relationis diuisione.

112. ARistoteles 5. *Met. cap.* 15. & Scot. *ibid.* & 1. *distinct.* 30. *quæst.* 2 §. *Respondeo. Sub E.* & *Quol.* 13. §. *Nunc V.* trimembrem faciunt relationis partitionem, à nobis nunc examinandam; cuius memini *artic. 9. huius q. not. secundo*: principio hæc vulgata relationis distributio penes proxima eius fundamenta petitur, à quibus suas distinctiones tantum materiales

materiales extrinsecas, & à terminis formales eatrinsecas tortiri satis ea superioribus manet probatum, & inculcatum. Primum autem membrum relationis fundatur in vnitate, & multitudine. Secundum in potentia actiua, & passiua. Et tertium in mensura, & mensurabili.

113. De primò perquirendum est quid sit vnum, quidve multa, in quibus fundantur relationes huius primi modi: quæ, vt commodiùs intelligantur, tecolendum est ex dictis *suprà art.4. not.primo*: tria præcipuè esse fundamenta huiusmodi relationum, substantiam, quantitatem, & qualitatem: trésque eorum vnitates esse fundamenta proxima, siue rationes fundandi earumdem relationum. Dixi esse tria potissimum istarum relationum fundamenta, quia quinque numerati possunt, iuxta quinque vnitates relatas ab Aristotele 5. *Met. T.*12. quæ sunt vnitas numerica, specifica, generica, proportionalis, & transcendentalis. In hisce itaque fundantur relationes identitatis, æqualitatis, similitudinis, proportionis, & huiusmodi. Docente enim Aristotele cit. quorum substantia est vna, sunt eadem formaliter per relationem identitatis: quorum quantitas est vna, sunt æqualia formaliter per relationem æqualitatis: itidémque quorum qualitas est vna, sunt similia formaliter per relationem similitudinis. Obseruat autem Doctor 1. *distinct.*19.*quæst.*1. §. *De secundo. B. &* 2. *distinct.*3. *quæst.*1. §. *Contra istud ante C. &* 4. *distinct.*6. *quæst.*10. §. *Hic D.* Nedum in tribus primis prædicamentis, verùm etiam in cæteris omnibus, immò in transcendentibus præfatas relationes suo modo reperiri. Ratio est, quia quodlibet ens habet suam essentiam & quidditatem, in cuius vnitate fundatur relatio identitatis: similiter habet suam quantitatem perfectionis, in cuius vnitate fundatur relatio æqualitatis: atque participat qualitatem, siue differentiam, in cuius vnitate fundatur relatio similitudinis, vt ea Aristotele probat idem Doctor *vbi suprà*. Et si omnes ferè concedant in quatuor posterioribus vnitatibus fundari dictas relationes: verùm in priori vnitate, quæ est numerica nullam realem relationem fundari opinantur D. Th. 3. *part. quæst.*32 *articulo primo*, eiusque discipuli *ibid.* At Scot. 1 *distinct.*31. *quæst. vn. &* 2. *dist.*3. *quæst.*1 *& Quol.*6. eiusque interpretes, & asseclæ defendunt vnitatem numericam posse, esse proximum fundamentum, & rationem fundandi, & terminandi dictas relationes, vt si in duobus subiectis foret vna numero albedo, inter illa esset realis similitudo, vti est inter diuinas personas vnam numero naturam diuinam participantes. Ratio in promptu est, datâ hypothesi, omnes conditiones alias adductæ, & explicitæ ad relationem realem requisitæ interuenirent: essent enim extrema realia, realiter distincta, putà duo alba, & seclusa intellectus opera, ea eorum natura relatio consurgeret.

114. Dices, relationem realem postulare extrema non solùm realiter distincta: verùm etiam rationem fundandi distinctam à ratione terminandi: at admissâ hypothesi, extat tantùm ratio fundandi nempè vnitas vnius numero albedinis, in qua proximè fundatur relatio: in termino autem non habetur ratio terminandi cum in eo altera albedo non reperiatur: vndè Scot. 2. *distinct.*3. *quæst.*1 §. *Contra sub B.* infert vnitatem, quæ requiritur in fundamento similitudinis realis non esse numericam, quia nihil vnum, & idem est simile, & æquale sibi ipsi. Neganda est ma. Nam etsi hoc de facto in creatis verum sit, non tamen de possibili. Tantùm enim realis postulat vnitatem rationis fundandi ea 5.*Met. cap.*15. T.20. non verò eiusdem distinctionem in extremis. Satis quippè est extrema inter se realiter distingui, haberéque vnam rationem fundandi etiam numericam, vt patet in diuinis relationibus originis, quæ fundantur in vna numero essentia, vt benè aduertit Doctor 3.*dist.*8. *q. vn. in fine I. & Quol.*6.§.*Istarum DD.* Nec sequitur idem esse simile, & æquale sibi ipsi, quia ea ipsa existente, eatrema realiter dissident, quod sufficit ad realem relationem.

115. Relationes autem huius primi modi, quæ in multitudine, seu distinctione, & diuisione eiusdem naturæ, vel formæ fundantur, prioribus relationibus opponuntur, & totidem sunt, videlicet relationes diuersitatis, inæqualitatis, & dissimilitudinis. Ea quippe diuersa sunt, quorum natura est diuersa, vt homo, & brutum. Ea verò inæqualia sunt, quorum quantitas non est vna, vt palmus, & semipalmus. Et ea sunt dissimilia, quorum qualitas non est vna, vt album, & nigrum. Quare sic de his posterioribus ex opposito dicendum est, quòd de prioribus relationibus affirmaui.

116. De secundò, relationum membro, quæ fundantur in potentia actiua & passiua disserit Doctor 5. *Met. quæst.*13. *& Quol.*12. §. *Hic sunt C. &* 4.*dist.*6. *quæst.*10. §. *Sed restat I. & dist.*13. *quæst.*1. §. *Ad argumenta. V. &* 1. *Reportat distinct.* 27. *quæst.*1. *Ad* 1. *principale.* Ad hunc autem modum pertinent relationes producentis, & producti, causæ, & causati, mouentis, & mobilis, & aliæ, quas memorat Scot. *dist.*13. *quarti quæst. cit. infrà V.* perscrutantur autem Scholastici, vtrùm huiusmodi relationes fundentur in actione, & passione vt putant D. Thom. 1.*part. quæst.*28 *art.*4. Cajet. & alij eiusdem classis: an verò in potentia actiua, & passiua, vt docent Scot. locis præcit. Lych Bargius, & alij eiusdem familiæ, quibus adstipulantur Suarez *disput.*47. *Met. sect.*12. Hurtad. *disput.*15 *section* 10. *subsection.* 2. & Ruuius *in Log. capit.*7. *prædicament. quæst.* 12.

117. Notant autem præuominati Authores se loqui de potentia non formaliter, hoc est de respectu potentialitatis, quem potentia formaliter includit, sed de absoluto, siue substracto talis respectus, vt paternitas fundatur in potentia generatiua, hoc est in forma, quæ est absoluta, exponente Scoto *in Report. alleg.* Ita videtur expressè sentire Aristoteles cit. vt præ aliis Recentibus aduertit Ruuius *vbi suprà*. Licet autem ibi Philosophus asserat potentiam esse fundamentum istarum relationum, quatenus ad actum redacta est; non ob id censet eas proximè, & immediatè fundari in actione, & passione, quia non manente actione, & passione, manet relatio, quæ absque fundamento esse nequit, vt quispiam potest generare, & mori, ante formationem fœtus, & nunquam esse pater, præit tamen actio eius, siue generatio: & quandò adest paternitas, non est generatio actualis, quia iam præteriit. Itaque actio se habet ad relationem dictam, tanquam prænia dispositio, ad ipsam relationem. Ita explicatur asseitum Aristotelis cit. relationes de secundo modo dicuntur secundum potentiam actiuam & passiuam secundum fundamenta, & dicuntur secundum actiones potentiarum, vt secundum dispositiones præuias ad illas relationes, interprete Scoto *vbi suprà*. Hoc argumentum planè efficax, quod pro sua stabilienda sententia format Scot. contrà Thomistas, Suarez, & Hurtad. cit. retorquent contra ipsum Scot. sic, Potest manere relatio secundi modi, potentia non manente, vt si quis post filium genitum virum castretur, aut dimitus ab eo potentia generandi tollatur, tunc quidem erit pater, quia genuit filium, carebit tamen potentia actiua generandi, cuius ablatione tollitur seminalis officina. Relatio autem paternitatis non erit quia sublato fundamento, tollitur relatio vt assent Scot 4.*distinct.*15. *quæst.*1. §. *Ad quæst. conclusione prima D. & ibid. quæst.*2. §. *Ad argumenta. M.* Non ergo relatio secundi modi in potentia proximè fundatur. In diluendo hoc argumento valde laborant, eique adhibent diuersas responsiones diuersi Authores planè futiles, & reiectaneas. Primum autem occurrit Ruuius cit. cum quibusdam Modernis, inquiens, relationem secundi modi pendere à fundamento, & relatione fundandi in esse quidem & fieri, non tamen in conseruari. Ideóque si potentia generandi à patre

patre aufertur, viuente eius filio, relatio paternitatis absque fundamento manebit, & immediatè inhærebit in subiecto, quod est eius substantia.

118. Contrà, amoto fundamento proximo alicuius, aufertur illud, quod proximè residet in tali proximo fundamento, vt sublata superficie, in qua proximè subiectatur albedo, tollitur ipsa albedo, quæ in ea superficie hæret: sed potentia est fundamentum proximum relationis secundi modi, vt cum Aristotele, & Scoto tenet Ruuius cit. Ergo, si auferatur potentia generandi, quoque aufertur relatio, quæ in eo fundatur.

119. Dices, potentiam esse fundamentum huiusmodi relationis in fieri, non verò conseruari: & in hoc dissidet hæc relatio à relatione primi modi, cuius fundamentum est in fieri, & conseruari: istius verò fundamentum in fieri duntaxat. Verùm, hoc Ruuium non iuuat; nam præterquam quod ipse refellit eos, qui astruunt relationem secundi modi fundari in potentia radicali, quæ est substantia generantis, quæve cum subiecto eiusdem coincidit, ipse nolens incidit in sententiam, quam expressè impugnat: & quæ in eam molitur, totum ipsius ædificium euertunt. Fundamentum relationis ex vi nominis ab omnibus censetur illud, quo entitas relationis, siue exigua eius moles fulcitur, alioqui fundamenti nomen non meretur, eòque nomine vti, est abuti, vt patet de fundamento rei visibilis, putà domus, à quo transumptum est, ad designandum fundamentum cuiusque rei. Deinde, hæc relatio vel manet semper in potentia, aut non, sed priùs in potentia, & postmodum in substantia generantis: Si primum, ergo nunquam potentia est eius fundamentum, vtpote in qua nunquam fundatur, cùm in ea nunquam sit ista relatio. Si secundum, ergo potentia non est eius fundamentum proprium, & permanens, sed tantum eius conditio, & medium, veluti actio, siue generatio actiua, quam negat esse eiusdem fundamentum, quia non permanet in patre, sed transit ad filium, vt idem Author arguit contra Thomistas. Rursus, relatio secundi modi non est relatio identitatis, vel diuersitatis, cuius fundamentum est eadem, vel diuersa substantia spectans ad relationem primi modi. Adde quod relatio essentialiter dependet à fundamento præclarè docet Scotus 4. *distinct.* 12 *quæst.* 2. *M.* Nec est relatio realis, nisi habeat fundamentum reale, & rationem proximam fundandi realem, vt præmonuerat idem Doctor 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. §. *Contra sub B* Itaque ablato relationis fundamento, ipsam tolli necesse est; atque adeò nedum in fieri, sed etiam in conseruari relatio à fundamento pendet, affirmante Scoto 4. *distinctione* 6. *quæst.* 10. *ante I.*

120. Secundò accedunt Suarez *disput* 47. *Met. sect.* 12. & Hurt. *ibid. disput.* 15. *sect.* 10. qui præallato argumento pressi aiunt, relationem secundi modi non in formali, sed in radicali potentia fundari, hoc est immediatè, & proximè in substantia generantis, quod vulgò eiusdem subiectum, & fundamentum remotum perhibetur: ideòque licet, pater formali potentia careat, radicali tamen potitur: estque verè pater per relationem paternitatis in ipsa radicali potentia existentem. Contra, Authores isti apertè Aristoteli contradicunt, qui *T.* 10. *loci pracit.* expresse loquitur de formali potentia actiua, aut passiua, earúmque actionibus, aut passionibus, quibus tales potentiæ in actum reducuntur. Præterea potentiæ, rerúmque virtutes secundum Suarez Thomistas imitantem *disput.* 18. *Met. sect.* 3. Sunt accidentia, à substantia, cuius sunt potentiæ realiter differunt. Non ergo relationum huius secundi generis fundamentum est potentia radicalis, quæ est substantia: maximè quia vna substantia multas, & diuersas sortitur potentias, in quibus multæ, & diuersæ fundantur relationes huiusce secundi modi. Ampliùs, hæ sunt relationes producentis, & producti, quæ præexigunt, & præsupponunt earum principia effectiua, & formales potentias, à quibus immediatè; & proximè prodeunt actiones, vt intellectio ab intellectu, & volitio a voluntate. Quare cùm potentia radicalis nequeat esse istarum actionum immediatum principium, palam deducitur non esse dictarum relationum fundamentum.

121. Nouissime veniunt Scotistæ non separati *dist.* 8. *quæst.* 10. *art* 2. qui præfato argumento conuicti distinguentes potentiam generandi realiter à patre, cuius est potentia, ingenuè fatentur huiusmodi relationes esse reales, quandiu actiones durant duntaxat, eis verò præteritis, non esse reales, sed solùm reales denominationes; adeò vt paternitas, & filiatio haud sint relationes reales, sed tantùm denominationes patris, & filij, illius nimirum, qui genuit, & istius, qui genitus est. Verùm, isti minimè sunt ferendi, qui euidenter pugnant Scot. 4 *dist.* 6. *quæst.* 10. §. *Sed restat & dist.* 13. *quæst.* 1. *sub V. & ibid. in Report. ante S. Dicuntur Et* 3 *dist.* 8. *quæst. vn.* & 1. *dist.* 27. §. *Ad* 1. *quæst. I. Et Clarius in Report. tertij dist.* 8. *quæst. vn. his verbis.* Filiatio est habitudo inhærens naturæ productæ, & manet, quamdiu manet natura producta. Hocque apertè ostendunt rationes, quas Doctor affert, ad probandum relationem in fundamento multiplicari, terminis multiplicatis, præsertim illa, quæ habetur in scripto Oxoniensi § *Contra sub B.* his verbis. *Quando aliquid est in aliquo vltimatè tale, non potest illud manere in ipso, nisi ipsum habens illud sit ipso tale Sicut non potest albedo manere in superficie, nisi ipsa superficies sit alba, & maximè si superficies sit vltimatè alba albedine: sed relatio est, qua habens est vltimatè ad aliud. Igitur non potest manere eadem in ea, nisi illud, in quo manet sit per illam ad aliud. Igitur non manet eadem paternitas, destructo illo termino, ad quem habens dicitur formaliter tale, relatiue illa.* Id etiam videntur olfacere dicti Recentes *d. disput. allegata quæst.* 5. *artic.* 2. admittentes duas paternitates esse similes, quarum similitudo persistere nequit, nisi eædem paternitates permaneant. Iidem pariter *art* 1. *quæst* e:t denominatio necessariò debet fieri vel per realem susceptionem relationis, vel per realem terminationem *ex* 5. *Met. cap.* 15. *Et quæst.* 3. *artic.* 1. *eiusdem disp.* illa denominatio est intrinseca, certè cum sit realis, & non rationis, aliquid reale habetur in fundamento. Rursùs, relatio de genere relationis, positis extremis necessariò emergit, eisque ablatis, tollitur, vt passim cum communi Philosophorum cœtu tradit Scot. Illis ergo persistentibus, hæc quoque persenciat, vt de relatione primi modi nemo inficiatur. Dicere verò huiusmodi extrema non esse commensurata tali relationi, eluditur argumentum, & extorquetur Philosophorum proloquium: gratisque subditur aliquid aliud requiri ad permanentiam relationis, præter ea quæ Philosophi communiter assignarunt: alioquin foret relatio extrinsecùs adueniens. Nec inde sequitur, quod si relatio maneat, quoque cum ea persistat actio, siue generatio, quandoquidem, vt explicat Scot. *vbi suprà*, dictum Aristotelis, actio prærequiritur, tanquam præuia dispositio ad relationem, quæ postmodum resultat. Ideo Doctor negat actionem esse fundamentum relationis, quia illa raptim transit, hæc verò in fundamento perseuerat: vt præclarè astruit Orbellus 5 *Met. c.* 7. post Scotum *in Report* 4. *dist.* 13. *quæst* 1. §. *Dicuntur.* Et indicat Philosophus cit. cùm ait, dicitur pater, quia genuit, & filius, quia genitus est. Denique relationes paternitatis, & filiationis sunt reales, & constitutiuæ personarum patris, & filij, sempérque permanent. Vndè Scot 1. *distinct.* 9 *quæst. vn. in fine*: approbat assertum D. Greg. exprimentis diuinam generationem in præterito, quia hoc modo significatur natiuitas perfecta. Nec ratio istorum est vllius momenti, dicentium, ampliùs filius genitus à patre non dependet, ideò nulla relatione reali respicit patrem. Licet enim filius post transactam generationem in suo esse suppositali & absoluto, à patre non dependeat: tamen in esse filij, quod est esse relatiuum, ab esse patris planè dependet, iuxta relatiuorum

relatiuorum affectionem relatiua se mutuò ponunt, seque mutuò destruunt, inter quæ adest mutua dependentia, & coexigentia, vt cum Scoto, & Boneto tenent præfati Iuniores *dist.8.quæst.3.art.2. & quæst.10.art.2. in explanatione 3.*

122. Ego autem arbitror allatæ instantiæ plenè satisfieri, negando potentiam generandi posse realiter à patre segregari: quia quamuis ab anima huiusmodi potentia realiter separetur, vt Doctor scribit *4.dist.44. quæst.2. §. Ad quæst. dico. A.* nihilominus à toto coniuncto tantum formaliter differt, vt innuit idem Doctor *2.dist.16. quæst.vn.§. Ideo. Sub H.* affirmans potentias vniuersè distingui formaliter ab essentia, cuius sunt potentiæ, sicut passiones entis formaliter ab ente dissident. Et ante §. *dico igitur*, monuerat substantiam generari, à substantia, tam in generatione vniuoca, quàm æquiuoca. Vult ergo ibi Doctor, principium, seu potentiam generandi esse substantiam, non ab essentia, cuius est potentia, realiter distitam, ergo formaliter. Vnde subiungit §. *Ad primum P.* potentia absolutè non est de genere qualitatis, vt potentia tollendi baculum, potentia pugillandi, currendi, & huiusmodi, quæ non sunt animæ, sed totius coniuncti, vt explicitè asserit *in quarto cit.* vbi exemplificat de potentia visiua, quam realiter non differre ab essentia, cuius est potentia docet *in Reportat.2. dist.16. quæst.vn.§. Ad Authoritates.* his verbis. *Ex 2. de anima T.9. Si oculus esset animal, visus esset eius forma.* Igitur innuit, quod potentia non sit differens realiter ab essentia, cùm sit eius forma. Plura *in Tract. de anima disp.3.quæst.2.* vbi, ex professo hanc difficultatem examinaui de distinctione potentiæ generatiuæ, nutritiuæ, & augmentatiuæ. Quapropter quamuis potentia generandi multis modis possit impediri, vt scribit Doctor *4 dist.14 quæst.vn.* Attamen ab homine prorsus amoueri non potest, vt abundè probaui *loco mox cit.*

123. De tertio relationum genere, quæ fundantur in mensura, & mensurabili agendum restat, in quo ponuntur relationes scientiæ, ad scibile, intellectus ad intelligibile, visus ad visibile, & huiusmodi, quæ relationes non mutuæ nuncupantur. Nomine autem mensuræ, & mensurati intelligit Aristoteles regulam, & regulatum, exemplar, & exemplatum, vt post Scotum *1.dist.3. quæst.5. §. Quantum ad hoc. C.* & Bonetum *hoc loco*, interpretantur Conimbr. *cap.7. prædicament. quæst.2.art.2.* An verò istæ relationes sint in mensura, & mensurabili tanquam in fundamento dubitant nonnulli, inter quos reperio Suarez cit *sect.13.* & indiuisos Scotistas præallegatos, contra communem affirmantem, negantem partem tuentes, qui pro se citant Aristotelem *5 Met. T. memorato*, & Scot. tum *vbi suprà*, tum etiam alibi. Enim verò Aristoteles fere ita expressè videtur statuere fundamenta harum, ac illarum primi, & secundi modi, si attentè legatur. Siquidem, cùm relationes esse nequeant absque suis fundamentis, vt patet ex dictis, & Philosophus distinguat hos tres modos relatiuorum penes tria fundamenta prærecensita, vt non inficiantur dicti Authores: aliáque fundamenta relationum tertij modi non iaciat, esse ea ipsa communi consensu eius interpretum recepta sanè euincitur. Et quamuis istud tertium fundamentum non sic exprimat ibi, veluti primum, & secundum, nihilominus nec eum latet, nec ab eo negatur: Sed ex eius ibi dictis commodè deduci, & explicari valet, vt præstant vnanimiter, & constanter omnes eius Commentatores. Amplius *in Log. C. de Ad aliquid*: affert exempla relationum dictorum omnium modorum: reticet verò mensuram, & mensurabile, & reliqua fundamenta Itemque eodem loco definit relatiua, non verò relationem. Atque in post prædicamentis recenset modos prioris, non autem modos posterioris qui ex eis facilè colligi possunt, & notat Scotus adductus *in Epitome lib.1. quæst.4.art.14.* Nec vis facienda est in verbis, & positione eorum in contextu, cùm constat de re, & quid veniat nomine rei: ita cùm Aristotelis enarratores palam faciant quid per nomina mensuræ, & mensurabilis intelligant, eis est adhibenda fides, & acquiescendus animus: præsertim cum nulla ratio in oppositum vrgeat. Quæ enim illi obiiciunt leuia sunt, & ex dictis facilè diluuntur. Cur autem *in Met* præponit scibile scientiæ? *in Log. cap. cit.* causam videtur reddere, quia scibile absolutè prius est scientia: potest namque esse scibile, absque scientia; non verò scientia, sine scibili. Rursus illæ ab eis non differrent, si vera esset Suarez interpretatio; reducerentur enim ad primum, aut secundum modum, vt concedit idem Suarez *ibid.num.4.* de relatione scientiæ ad scibile; quod apertè pugnat textui allegato, in quo Stagirita narrat tres relatiuorum modos, & in vltimo expressè locat relationem scientiæ, ad scibile: Addo quod semel admissa tali relatione in primo, aut secundo modo, sequitur ipsam esse mutuam, veluti sunt omnes relationes primi, & secundi modi: sicque nullum foret discrimen, quod sancit Aristoteles per mutuò referri, & non referri, quod idem Author, & reliqui omnes agnoscunt. Insuper, quanquam scientia, vt causatur à scibili, ad ipsum referatur, tanquam effectus ad suam causam, eáque sit relatio secundi modi: attamen adhuc remanet relatio scientiæ vt mensuratæ, à scibili, quod est eius mensura, quam esse relationem tertij modi, cum Aristotele Philosophi, & Theologi, nuncupatim Alensis *5. Metaphys.* Scot. *ibid.* S. Thom. & alij vnanimi consensu affirmant. Quapropter mirabiles sunt Recentes inseparati contrariam sententiam Scoto affingentes, qui euidenter *loco mox cit. quæst 13* communem amplectitur doctrinam, quam non obscurè indicat *1. distinct.3.quæst.5.§. Quantum ad hoc, & dist.36 quæst.2. Report. §. Secundò arguo: & Quol.1 .art 2. infra V* Et alia loca Doctoris adduci possunt pro nobis, quæ falsò in oppositum à dictis Nuperis adducuntur. Licet autem Doctor ibi astruat relationes tertij modi differre ab aliis præfatorum modorum, quia hæ mutuæ; illæ verò non mutuæ perhibentur. Tamen hoc discrimen non tollit differentiam, quam relationes sortiuntur, à suis fundamentis: quámuis agnoscunt, illi Doctores *art.1.q. allegata.* Vnde egregiè Bargius *1.d.30.* subdit prænominatas relationes obiectiuè, & extrinsecè, penes fundamenta, suas depromere distinctiones; intrinsecè verò, & formaliter penes mutuo, & non mutuo referri. Nec præstat dicere cum præcit. mutuam & non mutuam dependentiam competere relationibus tertij modi non ratione fundamenti, sed ex difformi assignatione extremorum, quorum vnum assignatur in actu, & aliud in potentia, secùs verò contingeret, si vtrumque in actu, vel in potentia assignaretur: sicque non mutua, aut mutua dependentia non essentialem, sed accidentalem arguit differentiam. Contra, Arist. & Scot. non semel adducunt inter dictas relationes discrimen prænominatum: nec ibi, aut alibi aliud discrimen ab isto proprium, & essentiale commemorant. Ergo hoc eis intrinsecum, & essentiale est existimandum; eis quippe semper conuenit, licèt extrema earum vniformiter, aut difformiter tradantur: suntque relationes tertij generis non mutuæ semper, quia ex parte vnius extremi relatio realis non consurgit: ob id Scot. *4.dist.1.quæst.1. §. Ista Sub R.* ex *5.Met. T 20.* scribit, mensuratum dependet à mensura, non èontra: & Orbellus *suprà* allegatus subiungit, relationem scibilis actualis, ad scientiam, esse rationis: & non diffitentur dicti Recentes: atque relationem Dei ad creaturam, semper esse rationis, tenent Scholastici *1.dist.30.* Quare, licet omnia relatiua dicantur conuertentiam: eorúmque extrema vniformiter assignari valeant, vt enixè suadere conatur Aristoteles in Log. cit. attamen hoc non tollit, quin relationes tertij modi sint semper non mutuæ, propter causam nunc allatam.

QVÆSTIO VII.

De Qualitate.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Qualitas.

1. QVALITATIS definitionem ab Ariſt. aliiſque Philoſophis traditam non eſſe exactam, ſed vitioſam inter Recentiores opinantur Hurtadus *diſp.* 14. *Met. ſect.* 1. Arriaga *diſp.* 5. *ſect.* 2. *ſubſect.* 1. & Ouiedus *Contr.* 8. *puncto* 1. qui in ipſius qualitatis definitione indaganda laborantes, in ea tamen aſſignanda non conuenientes, magnoperè inter ſe digladiantur, vt videre licet, apud cit. Authores, & nuperrimè apud induiſos Scotiſtas *quaſt.* 7. *art.* 1.

2. Not. primò, qualitatem multas pati acceptiones, quæ *ex* 5. *Met. cap.* 14. ad tres reduci valent. Primò namque ſumitur qualitas pro differentia eſſentialis, & quidditatiua, cuius meminère Scot. 3. *diſtinct.* 1. *quaſt.* 1. *art.* 3. *ſub D.* & Porphyrius *in Iſag. cap.* 3. inquiens differentiam eſſe, quæ prædicatur de multis differentibus ſpecie in quale quid. Secundò pro omni accidente cuius mentionem faciunt Ariſt. 1. *poſt T.* 9. notantibus Zabarella *ibid.* Scot Porph. & cæteris Philoſophis dicentibus, accidens prædicari in quale de ſuis ſubiectis. Tertiò pro eo accidente tantùm, penes quod propriè denominantur quales, & de qualitate ſic accepta diſſerimus in præſenti. Vnde Aureolus 1. *diſtinct.* 30. *art.* 3. *propoſitione ſexta*, inquit, prædicamenta denominari, ab interrogatis, vtpotè qualitas à quali, & quantitas à quanto, cùm potiùs à reſponſinis nominari deberent, qualitas enim magis eſt talitas, quàm qualitas, & quantitas magis eſt tantitas, quàm quantitas; propterea Philoſophus citat. enumerans ſignificata terminorum incomplexorum, ſcribit quaſdam ſignificare, quid, quoſdam quantum, & alios quale, & ſic de reliquis.

3. Not. Cùm differentiæ rerum eſſentiales nos lateant, (vt aduertit Doctor *quaſt.* 36. *pradicam.* §. *Ad omnes iſtas*) plerumque nos ad eas res definiendas, ſeu deſcribendas, adhibere earumdem proprietates, aut effectus formales, aut aliquid extrinſecum, quod quoquo modo nos manuducat in earum notitiam, vt hoc loco præſtitiſſe Philoſophum obſeruat idem Doctor, *vbi ſuprà*, ad qualitatis ſpecies manifeſtandas: ſic etiam ſubſtantia à ſubſtando accidentibus, materia à recipiendo formam, & forma, ab actuando, & informando ipſam materiam ſuas trahunt deſcriptiones. Hinc Ariſt. *citatus* qualitatem penes ipſius effectum formalem, qui eſt qualificare ſubiectum, nobis declarat: atque *ibid.* § *Circa notificationem*, rectè ſubiicit, eam non eſſe propriè qualitatis definitionem, ſed potiùs eius notificationem: maximè, quia, vt ait Titelmanus *lib.* 2. *de pradicamentis p.* 41. ſumma genera non definiuntur, cùm ſuprà ſe non ſortiantur aliud genus, & differentiam, ſed per modos conſtituantur, vt aduerti *quaſt.* 3. *art.* 2. *huius libri*. Non ergo tantus labor impendendus eſt, in perueſtiganda exacta definitione qualitatis quæ haud dari poteſt, quantus aſſumitur à præfatis Recentibus, vt videre eſt apud Ouiedum citat. qui aliorum qualitatis definitiones impugnans, præcipuè eam, quæ traditur S. Th. tandem in eam ipſam prolabitur, vt patet *in fine puncti allegati*.

4. Not. tertiò, ex Aureolo nuper cit. annuente Scoto 4. *diſt.* 12. *q.* 2. §. *Hic ſunt ſub C. & D. & in Report. eadem d. & q. antè* §. *Aliter dicitur*. Sicut partes ſubſtantiæ compoſitæ phyſicæ ſunt duæ, materia, & forma: ita ſunt eiuſdem ſubſtantiæ duo accidentia abſoluta, vnum potentiale, quod eſt quantitas, quæ accidens potentiale nominatur; quia quemadmodum materia eſt in potentia ad recipiendas formas: ſic quantitas eſt in potentia ad ſuſcipiendas terminationes, nempe rectitudinem, obliquitatem, & id genus alia: alterum verò eſt actuale, quod eſt qualitas, quæ vocatur accidens actuale, quia ſicut forma actuat materiam, eamque determinat, & perficit: ita qualitas actuat, determinat, & perficit accidentaliter ſubſtantiam, cuius eſt qualitas. Ob id Doctor *vbi ſupra* ſcribit, quantitatem conſequi compoſitum, ratione materiæ; & qualitatem ratione formæ, eſſeque illa nobiliorem, perfectiorem, ac principium agendi.

5. Aſſertio prima, qualitas, non rectè deſcribitur accidens abſolutum: nec etiam accidens abſolutũ non quantum. Vtraque pars præſupponitur à Scoto *vbi ſuprà*, & *q* 36 *pradicam.* faciente quantitatem, & qualitatem accidentia abſoluta inter ſe diſtincta. Prima pars, quæ aduerſatur Nominalibus, & Arriagæ *diſp.* 5. *Met. ſect.* 2. *n.* 18. probatur, definitio alteri à definito competere non debet, ſecundum leges bonæ definitionis: atqui præallata qualitatis definitio conuenit quantitati, quæ pariter eſt accidens abſolutum, ex communi Philoſophorum, & Theologorum placito. Igitur qualitas complete non definitur, per accidens abſolutum. Rurſùs cùm diuerſa genera habeant diuerſas differentias, ſpecies, & indiuidua, vt patet ex regula antepredicamentali: ea diuerſas deſcriptiones ſortiri oportet, quas non participaret, ſi qualitas tantùm foret accidens abſolutum, quod commune eſt quantitati. Secunda pars, quæ opponitur Hurtado *diſp.* 14. *Met. ſect.* 1. § 4. ſuadetur, definitio explicat quid rei, hoc eſt, declarat naturam rei: ſed definitio qualitatis ab Hurtado allata non explicat, ſed potius obnubilat naturam qualitatis: percontamur enim, quid ſit qualitas, non verò quid non ſit qualitas, vt euenit, cùm dicitur, qualitas eſt accidens non quãtum. Ampliùs, hoc modo facilè omnia definirentur. Nam ſi quiſpiam poſtularet, quid eſt ſubſtantia? facili negotio reſponderetur, ſubſtantia eſt non accidens: etſi quis peteret, quid eſt accidens? in promptu eſſet reſponſio, accidens eſt non ſubſtantia. Accedit Ariſt. 1. *Top. cap.* 4. damnans hunc definiendi modum.

6. Aſſertio ſecunda, nec congruè qualitas deſcribitur accidens abſolutum, ratione cuius ſubiectum qualificatũ poteſt intẽdi, & remitti. Hæc ſtatuitur contra ambos Iuniores Scotiſtas *diſp.* 7 *q.* 3. *in fine primi ar.* quã indubiè ſignificat Scot. *q.* 36. *pradicam* Et probo ſic: definitio diſtinguit definitũ, ab omni eo, quod non eſt ipſum, vt patet ex vi nominis definitionis aliàs explanati: ſed præmiſſa qualitatis definitio non diſtinguit ipſam qualitatẽ ab aliis, quæ non ſunt qualitates. Nam quãtitas eſt accidens abſolutũ: actio, & paſſio, & nonnulla alia, quæ inter qualitates non conſcribuntur ſuſcipiunt magis, & minus, ſecundum Ariſt *in hoc libro*. Præterea, definitio omni contento ſub definito adaptantur, quia mutuò conuertuntur, vt dixi *in Epitome l.* 1. *q* 7 *art.* 2. At de definitione, rationis enunciãt dicti Recentiores *Tract.* 2. *P.P. Introd. c.* 2. Sed præallata qualitatis definitio omni qualitati non conuenit: qualitates namque quarti modi non ſuſcipiunt magis & minus, vt de circulo triangulo, aliiſque figuris exemplificat Ariſt. in tex. cui conſentit Scotus *cit. in fine* §. *Ad aliam q. poteſt dici*. Et §. *Iuxta ſecundam proprietatem* Et ſubſcribunt præſati Authores *art.* 4. *q. allegata*. His ergo non eſt adhærendum.

7. Aſſertio tertia. Nec pariter qualitas aptè deſcribitur accidens abſolutum ſubſtantiæ creatæ adiunctum ad complementum ſuæ perfectionis, tam in agendo, quàm in exiſtendo. Conſentanea eſt Scot. 4. *diſt.* 12. *quaſt.* 3 3. aliiſque locis, & diſſentanea Suarez *diſp.* 42. *Met. ſect.* 1. & Raconio *Tract.* 2. *de categoriis*, *art.* 3. quibus conſenſit Fuentes *quaſt.* 16. *diff.* 1. *art. vn.* Probatur, qualitas aut eſt complementum in eſſe eſſentiali, aut in eſſe accidentali; ſed non in eſſe eſſentiali, quia

ſubſtantia

ſubſtantia priùs eſt completa in ſuo eſſe eſſentiali, & ſubſtantiali, quam recipiat accidentia, vt non obſcurè monſtrat Doctor 2.*diſt.* 3. *quæſt.*4. §. *Contra iſtam concluſionem,& inde*: nec in eſſe accidentali: nam præterquamquod id eſt commune cæteris accidentibus, quæ monilia ipſius ſubſtantiæ perhibentur: non datur qualitas à natura, quæ vi ſubſtantia ſimpliciter operetur, quandoquidem in .ubtiliumi Schola, ſubſtantia eſt immediatum principium actionum, à quibus prorſus noluit diſcedere Suarez *diſput.* 18. *Met.ſect.*2. Et dato, quod ſubſtantia corporea abſque qualitate agere nequeat, pariter ſine quantitate operari non poteſt, neceſſe enim eſt,extendatur,quod per quantitatem efficitur. Eò magis,quia non omnis qualitas eſt actiua,vt patet de qualitatibus quarti modi. Non videtur ergo exacta præadducta qualitatis deſcriptio.

8. Aſſertio quarta, qualitas eſt accidens abſolutum determinans, ſeu qualificans ſubiectum, in quo eſt. Hæc eſt confirmis Scot. *quæſt.*16.*prædicament.& 4.cit.* quam tenet Antonius Andreas *in expoſitione huius c.* & alij Scotiſtæ *ibid.* Prob. Exactior qualitatis deſcriptio, quam iſta non videtur eſſe: ergo hæc retinenda eſt. Ant. liquet ex aliorum qualitatis definitionibus refutatis in præmiſſis aſſertionibus. Conſequentia elucet, ex eius vocum declaratione. Dicitur enim accidens, ad differentiã ſubſtantiæ. Ponitur abſolutum,propter accidens relatiuom. Additur,determinans ſubiectum,vt differat à quantitate,quæ eſt accidens indeterminatum, vt patet ex 3.not. Rursùs illa definitio eſt apta, quæ declarat definitum ab aliis quibuſcumque diſtinctum,ſiue quæ habet aliquid commune, in quo cum aliis conuenit,quod eſt genus, aut quid ei affine: & aliquid peculiare,per quod ab aliis differt, quod eſt differentia, aut qoid ei ſimile: ſed præallata qualitatis definitio ita ſe habet,vt conſtat ex omnium eius particularum præpoſita explanatione Accidens quippe abſolutum ſe habet veluti genus,licèt reuera genus haud ſit,ſed potiùs aliquod tranſcendens. Determinans,ſeu qualificans ſubiectum tenet locum differentiæ, tametſi propriè differentia non ſit, ſed potiùs quidam modus tranſcendentalis, vt claret ex ſuperioribus,ſiue autem ſit ſubiectum *quod*, veluti ſubſtantia creata,ſiue ſit ſubiectum *quo*,vt quantitas,ſemper qualitas ſubiectum,in quo eſt,determinat, & qualificat. Huic benè conſonat definitio Ariſtot. inquientis, qualitas eſt, ſecundùm quam quales quidam dicuntur:in qua exprimitur eius effectus formalis,quem indicaui per illa verba, qualificans ſubiectum in quo eſt. Bonitas huiuſce definitionis induci quoque poteſt ex peculiaribus quarumdam ſpecierum qualitatis definitionibus, nuncupatim albedinis, quæ ex communi Philoſophorum placito, definitur accidens diſgregatiuum viſûs,& nigredinis, quæ è diuerſo definitur accidens congregatiuum viſûs. Si ergo ſpecies qualitatis ſuorum ſubiectorum ſunt determinatiuæ, & qualificatiuæ: & hoc ipſis ratione ſui generis competit, planè deducitur,qualitatẽ generatim ſumptam, rectè deſcribi accidens abſolutum ſubiecti indeterminati determinatiuum. Ità Ariſt. enunciationem deſcribit,& illuſtrat per ſuas ſpecies 1.*poſt. c.*2. *T.*13. vt obſeruaui *in Epitome l.*x.*q.*2.*art.*2. Idem ſentit S.Th. ſi rectè percipiatur 1 *p. q.*49.*art.* 1.inquiens,qualitas eſt accidens modificatiuũ, ſiue determinatiuum ſubſtantiæ. Nec diſcordant, qui qualitatem deſcribunt accidens conſequens formam,vt innuit Doctor 4.*d.*12.*q.*2. §.*Hic ſunt.Sub D.* & *in Report eiuſdẽ 4.d.& q eiuſdem.* Etenim à compoſitia ratione formarum, qualitates ſuam trahunt originem,vt patet de primis qualitatibus, quæ ab elementis ratione ſuarum formarum proficiſcuntur,vt affirmaui *l.de Elementis q.*4.*art.*1. Atque de qualitatibus mixtorum,quæ etiam ab ipſis mixtis formarum earundem oriuntur, vt ex eorum operationibus vnuſquiſque experiri valet.

9. Dices. Subſtantia ſpiritualis eſt formæ expers,vt Angelus, & tamen qualitate pollet, putà intellectione, volitione, gratia, & huiuſmodi. Non ergo qualitas eſt accidens conſequens formam. Dici poteſt, quod licèt Angelus à forma phyſica tam ſubſtantiali, quàm accidentali materiali ſit immunis, non tamen à forma metaphyſica quæ eſt eius differentia eſſentialis,& conſtitutiua, nec a forma accidentali ſpirituali eſt alienus, vt docui *Tract. de Angelis, diſp.*1.*q.*1.

10. Inſtabis, forma,& figura quæ sũt qualitates quartæ claſſis formam phyſicã,aut metaphyſicam non conſequuntur,ſed quantitatem,vt patet ex dictis. Igitur allata reſponſio non ſatisfacit obiectioni præmiſſæ.

Occurrendum eſt, quod licèt non omnes qualitates immediatè exeant a compoſito,ratione formæ; ſatis tamen eſt, vt mediatè ab ipſo ratione formæ ipſius prodeant,vt liquet de ſecundis elementorum qualitatibus, quæ ab eis immediatè haud promanant. Sic forma, & figura immediatè à quantitate,mediatè verò à compoſitis earum,ratione formarum dimanant,in quibus recto ordine ſubiectantur,& radicantur.

11. Oppones primò, pro Hurtado, Materia definitur per negationem, vt patet 7 *Met. T* 8. materia non eſt, quid nec quale, nec aliquid eorum,quibus ens determinatur: ergò qualitas vtique definiri valet negatiuè,hoc eſt, accidens non quantum. Conf. Brutum ſecundum omnes Philoſophos rectè definitur negatiuè, nempe animal irrationale. Ergo pariter qualitas aptè deſcribitur accidens non quantum. Negari poteſt ant. cum Scot. in expoſitione huius Tex. Siquidem Ariſt. *eo in loco* non in propria, ſed in ſententia Antiquorum loquitur; cùm 1 *phyſ.c.*5.*T.*81. affirmatiuè eam deſcripſerit, vbi erat proprius locus eam deſcribendi. Ad conf dico differentias oppoſitas diuidentes aliquod genus,vnam poſitione: alteram verò negatione nominari, vt patet de differentiis corporea, & incorporea, in quas diuiditur ſubſtantia. Itémque de animato, & inanimato, in quæ corpus diſtribuitur: & de rationali, & irrationali, in quæ animal diſpertitur. Nomine autem negationis, intelligitur entitas realis poſitiua conſtitutiua,vt irrationalitas,quæ conſtituit brutum in eſſe, & diſtinguit ipsũ ab omni eo, quod non eſt brutum. Verùm quid capiatur per non quantum, non exprimitur ab Hurtado,ſed vt obſcurum,& confuſum ab eodem relinquitur. Addo, quod differentiæ generis diuiſiuæ ſunt oppoſitæ:non ſic quantitas,& qualitas:ideò nulla eſt eius definitio.

12. Oppones ſecundò, Ariſt. definit qualitatem per quale: & deindè quale per qualitatem,vbi manifeſtus apparet circulus,vt notat Scotus cit.§.*Circa notificationem*. Igitur non definitio, ſed inanis nugatio extat illa deſcriptio qualitatis ab Ariſt. tradita. Reſp. Ariſt. nequaquam circulum commiſiſſe in allata deſcriptione; nam affirmante Scoto cit. prima notificatio per notius nobis: ſecunda verò per notius natura habetur,hoc eſt manifeſtatur abſtractum per concretum. Nobis enim notiora ſunt concreta,quam abſtracta, magiſque nobis innoteſcunt compoſita, quàm ſimplicia, vt poſt Ariſtotelem,& Auer. 1.*phyſ.comm.*3. obſeruant Tatar. hîc *q. de qualitate,ſcibili* 1. & Tol. *ibid. in expoſitione Tex.* Idque egregiè explicat Titelmannus *l.*2. *c* 41.

13. Oppones tertiò, noſtra præallata qualitatis deſcriptio diſtinctè non declarat naturam qualitatis, ab aliis diſtinctam accidentibus:ergò non eſt idonea. Ant. probatur, determinare ſubiectum nedum qualitati; ſed quoque cæteris accidentibus accommodatur, quæ ſanè ſubiecta,in quibus hærent, determinant, actuant,atque denominant Reſp. negando ant. Ad eius probationem dico, fuiſſe ſuprà vberè explicatum diſcrimen qualitatis, à quantitate, reliquiſque accidentibus tùm in fundamentis, tùm etiam in vltima aſſertione: ac proindè manet firma, & ſtabilis definitio qualitatis à me præoſtenſa.

ARTICVLVS II.

Quid sint modi qualitatis ab Aristotele recensiti.

14. EX descriptione qualitatis habita, & examinata in præcedente articulo, non est nobis incommodum, & arduum perscrutari, quid sint quatuor qualitatis geminati, & vulgati modi ab Arist. enumerati, eorúmque differentias capere, & ab aliis discernere: quorum primus perhibetur habitus, & dispositio. Secundus, potentia & impotentia naturalis. Tertius, passio, & passibilis qualitas. Quartus verò forma, & figura.

15. Notat autem Scot. *q.36.prædicam.* §.*ad* 2. *q.*pro captu prioris modi qualitatis, habitum quatuor pati acceptiones. Vno quippe modo sumitur pro modo habendi, qui est octuplex ex Arist, *c.15. huius libri*, à nobis explicitus *in Epitome* l.1.*q.4.art.*13. Habitus sic acceptus, cum sit transcendens, in nullo clauditur prædicamento. Altero modo vsurpatur pro relatione extrinsecus adueniente inter habens, & habitum, veluti est relatio vestis, ad vestitum, & ita sumptus habitus, est decimum predicamentum, de quo Philosophus *c.de habitu.* 3.pro forma positiua, quæ opponitur priuationi, cuiusmodi est visio, respectu cæcitatis, & de habitu sic capto differit Stagirita *c* 11.*de oppositis* 4 pro qualitate aduētitia in subiecto radicata, & difficulter mobili, & hoc pacto de habitu nunc loquimur. Præterea obseruat idem doctor *loco allegato*, dispositionem pariter quadrupliciter accipi. 1.pro rerum ordine, sic res bene ordinatæ dicuntur frui bona dispositione. 2. pro præparatione subiecti ad formam recipiendam, quam memorat Scot. 4.*d.*14.*q* 2 § *de secundo principali M.*loquens de dispositione præuia, & concomitante ad delendum peccatum: ita calor est dispositio ad producēdum ignē. 3. pro qualitate afficiente subiectum, siue ea sit de facili, siue de difficili mobilis: quo pacto dispositio est quid superius ad habitum & dispositionem, quæ est de facili mobilis, de qua verba facit Arist. 5.*Met.c.*20. & hîc, inquiens, *omnis habitus est dispositio, & non è contra.* 4.pro qualitate à subiecto, in quo est, faciliter mobili, & hæc est propria huius loci, & distinguitur ab habitu in eo, quod habitus difficulter, & dispositio faciliter à subiecto dimoueri valet. Itaq; habitus vniuersè captus rectè describitur secundum Scot. *q.prædicam. alleg. &* 2.*d.*3. *q* 10 § *Ad* 9 *F. & d.*6.*q.*10 §. *Ad q. potest dici O. & P.* qualitas aduentitia difficulter à subiecto mobilis: ponitur qualitas tanquam genus. Additur aduentitia, vt differat à qualitate innata, quæ est secundæ classis qualitatis: Subditur à subiecto difficulter mobilis, vt distinguatur à dispositione, quæ est qualitas aduentitia à subiecto faciliter mobilis, docente eodem Doctore, locis prænominatis. Sub habitu autem, & dispositione sic generatim descriptis, cōprehenduntur habitus infusi, vt fides, spes, charitas; & acquisiti, vt scientiæ, siue ad agēdum, vt qui pollet habitu scientifico facilè potest elicere actus scientificos: siue ad patiendum subiectum inclinent, vt febris, & alij habitus, quos tangit Philosophus propè initium huius capitis: siue benè subiectum afficiant: vt temperantia, castitas: siue malè, vt vitium, error. Siquidem præfatæ conditiones non adaptantur habitui præcisè sumpto: sed solùm habitui specificè capto, & morali, contrà Fuentem *q.*17. *diff.*1. *art. vn.* Suarez *cit. sect.*4 *n.*16.& 17.& alios nonnullos, oppositum defendentes. Dari námque potest habitus indifferens, & præscindens à bono, & malo, veluti conceditur actus indifferens, vt subtiliter prosequitur Scot. 2.*d.*41. *q.vn.* Quòd si cupis seriem omnium habituum, qui sub habitu continentur, vide Scot. 3.*d.*34. *q.vn.*§. *Notandum vlterius*, & *in Report. ibid.* Titelmanum *c.*43. *l.*2. considerationes Dialecticæ, & nos *in Epitome l.*1.*q.*4. *a.*7. Nec prætermittēdum est in hoc 1. qualitatis modo residere actus, ex quib. habitus acquisiti aggenerantur, vt indicat Doctor *proximè cit.* & speciatim de intellectione, & volitione tenet *Quol.*13.§. *De tertio. CC. &* 4. *d.*10. Itémq; species sensibiles, & intelligibiles: ob id fortè Scot. 2 *d.*3. *q.*10. scribit speciem intelligibilem posse appellari habitum Idq; etiam docent Tatar. *in fine scibilis* 2. & alij Scotistæ Huius rationem affert Titel. *in loci cit.* quia dictæ species habitibus non videntur absimiles, eo quod per eas homo præparatur ad operandum, sensus ad sentiendum, & intellectus ad intelligendum, veluti per habitū homo ad promēdos actus promptè, & facilè disponitur; quod etiam astruit Suar. *cit. sect.*5.*n.*15.

16. Secundus qualitatis modus appellatur potentia, & impotentia naturalis. Per potentiam autem hîc non capitur potentia obiectiua, cui opponitur actus, vt videre est apud Arist. 9.*Met T.*1. & aduertit Doctor *q.*36. *prædicam antè* §. *Ad q.*4. *& in Report.* 2.*d.*16.§. *Ad primam dico.* Vnde habetur illud proloquium, *potentia, & actus diuidunt ens.* Nec sumitur potentia formaliter pro respectu potentiæ, hoc enim modo spectat ad prædicamentum relationis, vt notat Bonetus *libello* 3. *de qualitate.* Nec minus pro fundamento talis respectus, quod verè est principium, siue potentia operandi. Siquidem, perhibēte Scot. 2 *d.*16.*q.vn.*§. *Ad* 1.*P. & in Report. ibid.* potentia naturalis absolutè non est in 2. specie qualitatis, sed facilitas ad vtendū illa potentia. Et clariùs infrà. *vers. Ad illud de magis, & minus dico,* quod potentia de 2. specie qualitatis recipit magis, & minus. Vnus enim dicitur magis ingeniosus altero, non tamen illud, quod verè est potentia, sed habilitas illa. Idipsum diligenter adnotat Tatar. *scibili* 5. Quare hîc accipitur potentia prout idem est ac habilitas, dispositio & promptitudo, qua subiectum, in quo inexistit, habile est ad agendum suapte natura. Per impotentiam verò naturalem non intelligitur carentia potentiæ; cùm enim huiusmodi impotentia sit qualitas, debet esse forma positiua, vt animaduertit Doctor *q prædicam. alleg.* sed inhabilitas, & indispositio naturalis agendi. Quapropter potentia naturalis describitur, qualitas habilitans & facilitans suaptè natura subiectum ad operandum, vel patiendum, vt habilitas naturalis currendi, saltandi, & cantandi. Impotentia verò naturalis est qualitas suaptè natura inhabilitans subiectum ad operandum, aut patiendum, vt inhabilitas loquendi, videndi, & audiendi. Ponitur qualitas loco generis: adduntur reliquæ voculæ tanquam differentiæ constituentes, & distinguentes hunc qualitatis modum à cæteris, vt in examine singulorum perspici potest. Ex his patet animarum potentias, lapidum vires, cælorum virtutes, rerúmq; facultates, & proprietates in catalogo huiusce 2. modi qualitatis haud reponi: sed duntaxat earumdem naturales habilitates, & inhabilitates, vt apertè declarat Scotus *locis præallegatis.* Hæc consultò intuli propter geminatos Scotistas *art.*5.*q.*3.*disp.*7. qui negant quidem potentias animæ, propriasq; rerum passiones collocari in isto prædicamento: affirmant autem vires actiuas, quæ à subiectis realiter diffident ab ista categoria non expungi. Et paulò antè monuerant ad secundam qualitatis spectare, nedum qualitates congenitas ad faciliter operandum: verumetiam qualitates ad operandum simpliciter. Id autem videtur pugnare Scoto, qui *loco cit. P.* his verbis seipsum explicat. Ad primam dico, quod potentia naturalis absolutè non est in 2. specie qualitatis, sed facilitas ad vtendum illa potentia. Vnde posse leuare festucam, vel baculum non est in secunda specie qualitatis, sed facilitas leuandi.

17. Dices, Scot. *q cit. prædicam* inquit, potentia est principium faciliter operandi: *& in Report cit.* subiungit, *ista potentia, quæ est in secunda specie qualitatis est principium agendi.* Igitur præfati Authores à Scoto non videntur declinare. Dici potest Scotum, eis in locis non vocare potentiam naturalem principium agendi, absolutè, sed faciliter agendi. Quid autem intelligat per principium agendi? constat *ex Reportat. nuper cit.* Insuper isti Doctores volunt po-

tentias

tentias totius coniuncti animati realiter differre ab ipsomet animato, vt adnotaui *in vlt. art. superioris q.* cum tamen ibi ex nostro Doctore perspicuè ostenderim solùm formaliter ab eomet coniuncto, & abinuicem distidere; ac proindè tales potentias haud in genere qualitatis residere.

Instabis, in dicta *q. prædicam. vers. Ad primam probationem*, idem Scotus subiicit non tantùm potentia, quæ locatur in secunda specie est tantùm ad faciliter agendum, sed & illā, quæ est ad agendum absolute, dummodo sit innata. Nihil ergo prorsùs iuuant, quæ supra adduxi. Dico ibi loqui in vulgari aliorum sententia, quod nonnunquam ipsum in illo opere præstare cum Bargio animaduerti *lib. 1. q. 3 art. 7.* supra retuli *in responsione tertia oppositionis.* Cæterum mens eius expressa est, quam suprà retuli.

18. Tertius qualitatis modus est passio, & passibilis qualitas, pro cuius faciliori captu, monet Scot. *cit. §. Ad quartum q.* ex Arist. 5. *Met. c. 21. T. 26* passionem multis modis accipi. Primò pro alicuius rei proprietate, & hæc passionis acceptio est frequētissima apud Philosophos, cuius meminit Arist. 4. *Top. cap. 5.* & affert Doctor 1. *d. 8. q. 4. §. Ista tamen, & alibi passim.* Secūdò pro relatione extrinsecus adueniente patientis ad agens, & hæc constituit vnum ex decem primis generibus quod appellatur passio. Tertiò pro qualitate lædēnte subiectum eius receptiuum, sic calamitas, tristitia, dolor & huiusmodi nuncupantur passiones, innuente Arist. tum hic, tum etiam 7. *phys. T. 19. & 1. Magnorum Mor. c. 8.* Quartò pro qualitate afficiēte sensum, siue commodum, siue incommodum ipsi afferat, quæ vno verbo dicitur qualitas sensibilis, & hæc est propria huius loci, quæ absolutè sumpta præscindit à passione, & passibili qualitate. Passió autem quatenùs distinguitur à passibili qualitate secundum Arist. & Scot. cit. describitur qualitas citò transiēs à sensu, quem afficit, vt rubor ex verecundia, & pallor ex timore causatus: passibilis verò qualitas vt à passione secernitur, est qualitas diu permanens in sensu quem afficit, vt pallor vnius continuus, ex infausto rerum euentu diuturnóque morbo, & perenni carceris detentione proueniens. Quoniam verò parum pro nihilo reputatur vt habet vulgus ex 2. *phys. 56.* idcircò fortasse cum passio parum hæreat in subiecto, ipsum subiectum per eam absolutè non videtur denominari, vt hoc loco ait Arist. rubescens ex verecundia, erubescere quidem, sed rubens haud appellatur: causam affert Scot. quia illud denominatiuum denotat permanentiam formæ in subiecto, licet pro tempore, quo inest ei rubor, dici queat rubens, vel rubescēs. Cur autem huiuscemodi qualitates nuncupentur passibiles qualitates, duplex affertur ratio ab Arist. in tex. & Scot. cit. Prima est, quia sensui præcipuam aliquam passionem inferūt, vt calor visui, dulcedo gustui, & calor tactui. Hac fortassis de causa sensus perhibentur potentiæ passiuæ, vt patet *l. 2. de anima T. 121.* Secunda, quia inferuntur à passionibus, vt rubor à verecundia, pallor à timore, color flammeus ab ira, & liuidus ex inuidia, vt disertè prosequitur Titel. præcit. *cap. 45.* In hoc autem qualitatis modo collocari videntur omnes qualitates sensibiles, tam interiorum, quàm exteriorum sensuum. Itémque species sensibiles, vt lumen. Rursùs qualitates appetitus sensitiui, vt audacia, dolor, delectatio, & id genus alia.

19. Huc fortassè etiam pertinent qualitates appetitus intellectiui, vt amor, odium, & huius formæ alia (quidquid dicant coniuncti Scotistæ) quod non videtur improbare Doctor *Quol. 13. § De tertio CC.* assertiuè tamen ibi non loquitur, sed dubitatiuè, & conditionatè, vt patet per vocnlas *fortè, etsi* quas *ibid.* ponit. Et paucis interiectis subdit. *Quidquid autem dicatur circa hoc, de prima specie, vel tertia: hoc saltem videtur probabile: quod operatio sit in generē qualitatis.* Supra namque Doctor aduerterat, Philosophum significare qualitatem sensibilem in hac tertia specie reponi. Et iam indicarat *in q. prædicam. alleg.* Quapropter Doctor *ibid.* recenset duos modos probabiles locandi operationes spirituales in prima scilicet, aut in tertia classe qualitatis, vt rectè obseruat Gadius, nec magis ad vnum, quàm ad alterum propendere videtur. Addidenm tamen, actus, ex quibus habitus aggenerantur, ipsum absolutè ponere in prima specie, vt liquet ex locis citatis suprà in relatione primi modi. Arist autem non has omnes qualitates memorat, sed satis ei fuit apertiores, & manifestiores adducere, ex quibus cæteræ commodè colligi queunt, vt annuit Doctor *Quol. 13. CC.* licet renuat Suarez *supra sect. 5.* Scotus verò *2. d. 13. q. vn. §. De secundo* distinguit qualitatem tertiæ speciei in qualitatem sensibilem, & in qualitatem, quę est species, seu intentio qualitatis, siue ratio tendendi in subiectum, cuius est propria similitudo: sic lumen ait Doctor, est species lucis sensibilis, ac etiam qualitas sensibilis. Idem repetit *in Report. eadem distinctione §. Secundo dico.* Ex quo inferunt nostri Recentiores allegati, Scotum per passibilem qualitatē, intelligere qualitatem realem, quæ vulgò nuncupatur qualitas sensibilis, & per passionem, qualitatem intentionalem, quæ dicitur species, siue intentio ipsius qualitatis sensibilis. Verùm hæc expositio non videtur esse ad mentem Doctoris, qui *in dicta q. prædicam.* admittit commune discrimen adductum ab Arist. inter qualitatem sensibilem, & passionem, vt constat *ex vers. Ad 2. dico.* Item calor est passio, quamuis non sit species, siue intētio qualitatis sensibilis. Dicerem ego Scotum *loco cit. secundi dist 13.* afferre aliam quandam differētiam, & distinctionē tertię classis, quæ est in qualitatem realem, & intētionalem, vt patet de lumine quod est qualitas intentionalis, vt ex eodem Doctore ostendi *in lib. de anima, in proprio quæsito.*

20. Dices eadem qualitas realis esse potest intentionalis, vt probat Scotus cit. ex D. Aug. & suadet de lumine *ibid.* quod est qualitas realis, & intentionalis. Ergo prænarratā Scoti diuisio nulla foret, si nostra interpretatio valeret. Dici potest, non esse exactam diuisionem, sed potiùs quamdam qualitatis enumerationem, in per se sensibilem tantùm, in realem, & intentionalem, ac etiam realem, & intentionalem simul, vt tangit Scot. *in q. vers. cùm arguitur:* cuiusmodi est diuisio substantiæ, in primam, & secundam, in sententia Ammonij.

21. Quarta qualitatis combinatio est forma, & figura, ad quam enucleandam obseruo cum Scoto *in q. §. Ad quintam q.* formam bifariā accipi, vno modo, pro omni eo, quod subiectum informat, quatenùs ab informando dicitur, siue sit substātialis, vt forma lapidis, siue sit accidētalis, vt albedo, quæ inhæret parieti. Formam sic acceptā pertractat Porretanus *libello sex princ. piorum*, estque transcendens vt ait Scot. *vbi suprà*, quem sequitur Antonius Andreas *q. 5. prænominati opusculi.* Altero modo pro exteriori rei animatæ delineatione, siue pulchritudine, cuius meminit Porph. *in Isag. c. de specie*, eiusque exēplum affert inquiēs, *species Priami digna est imperio.* Ob id subdit Philosophus *4 Eth. c. 3. paruos posse esse formosos, & commensuratos*, hoc est decenter delineatos. Itidem figura dupliciter capitur, 1. pro superficie inclusa, siue terminata lineis, quæ spectat ad prædicamentum quantitatis, perhibēte Scoto *q. proximè cit.* Secundò pro ipsamet clausione siue terminatione superficiei: sic pertinet ad hunc quartum modum, vt exprimit Doctor *q. 10. prædicam. §. Ad q. in solutione* 2. Ista verò vltima qualitatis combinatio, ex eodem ibi *antè §. Ad omnes istas*, potest vno nomine appellari exterior rei dispositio, quæ diuidi potest in exteriorem rei animatę dispositionē, quæ dicitur forma: & exteriorem rei animatæ dispositionem, quę nuncupatur figura. Hæc quoque secari valet in naturalem, & artificialem, in mathematicam, & physicam, vt videre licet apud Titel. *l. 1. c. 45.* Notant autem Conimb. *sect. 2. art. 3. q. 1. huius c.* & antè ipsos Tatar. *2. phys. q. 1. dub. 3.* & deducitur ex Scoto *4. d. 10. q. 1. §. Dico ergo M.* figuram subdiuidi in internam, & externam. Interna est positio partium adinuicem, & ad totum, quæ accidit, cum vna pars alteri parti immediatè cōnectitur, vt caput collo, collum humeris, & sic consequenter de reliquis.

Externa est positio partium, ad partes loci Prioc non mutatur, nisi ad rei mutationem: posterior verò ad mutationem loci, mutationem, & variationē subiecti, fitque per contractionem, dilatationem manus, & huiusmodi. Quò respiciens Scot. *1. dist. 1. quæst. 4. § Negatiua*, & expressiùs, *4. dist. 12. quæst. 4. §. Ad quæst. F.* videtur velle figuram non esse entitatem, sed relatiuam, his verbis. Figura ergo non dicit vltrà quantitatem, nisi relationem partium ad se inuicem, vel terminorum includentium partes: hæc autem relatio mutari potest, partibus manentibus eisdem in se, & in toto.

22. Quod si quis obiiciat, figuram recenseri in quarta classe qualitatis: si ergo figura est qualitas, quæ est entitas absoluta, nequaquam esse valet relatio. Occurrendum est, figuram formaliter esse relationem in categoria situs repositam: penes verò modum denominandi, & prædicandi dici qualitatem: eo ferè pacto, quo sanitas, & pulchritudo nominantur qualitates, affirmantibus Gadio *Quol. 18. fol 185.* Lych. *ibidem*, & Bonet. *aliàs citat. digres. vlt.* à quibus non videntur discedere Arriaga *disp. 5. Met. sect. 2. subsect. 2. n. 30.* & Hurtadus *disp. 14. sect. 2. §. 13.* aientes figuram non esse propriè qualitatem: & deducitur ex Scoto *Quol. alleg. §. De 1. I.* Nec ab his longè est Suarez præalleg. *sect. 3. num 15.* Veruntamen, si quis vult defendere figuram propriè esse qualitatem, alioquin non esset quaternarius qualitatis modus, cui expressè videtur patrocinari Aristoteles probans figuram esse qualitatem; proptereà quòd secundum eam aliquid dicitur quale vt triangulare, quadrangulare. Dicat cum Boneto nunc citat. figuram esse quandam qualitatem absolutam, quæ est sequela talis ordinis partium ad inuicem. Suffragantur Conimbricenses præcitat. aientes figuram internam esse veram qualitatem, ex terminatione quantitatis ortam.

23. Oppones primò, contra 1. qualitatis modum, corruptibile, & incorruptibile differunt plusquam genere *ex 10. Metaphys vlt.* Sed naturale, & supernaturale differunt plusquam corruptibile, & incorruptibile, quia sub naturali continentur corruptibile, & incorruptibile: Ergo, cùm quidam habitus sint naturales, & alij supernaturales, sub eodem qualitatis modo non comprehenduntur: atque ità alia series habituum supernaturalium est texenda. Respond. maiorem esse exponendam, & distinguendam de genere physico, non autem de genere logico, vt fuit explicatum *quæst. 4. huius lib. 14 art. 3. in responsione oppositionis 8.*

24. Oppones secundò, habitus est qualitas, secundum quam benè, vel malè disponitur subiectum, *ex 2. Eth c. 5. & 5. Met. c. 20. T. 25.* Ergo, inepta est definitio habitus præassignata, quæ præscindit ab omni habitu bono, & malo. Respond. Aristotelem ibi verba facere solùm de habitu morali, qui est bonus, aut malus: non autem de habitu generatim capto abstrahente à bono, & malo. Præsertim quia non de habitu infuso, & supernaturali: sed de habitu acquisito, & naturali disserit Philosophus *ibid.* vt admonet Scotus *4. dist. 6. q. 10. §. Ad quæst. potest dici P.*

ARTICVLVS III.

Quot sint modi qualitatis.

25. IOannes Maior in præsenti *cap. de qualitate* recitat quorundam Dialecticorum opinionem, qui sex qualitatis modos stabiliunt, quatuor prænarratia, duos alios addentes: in quinto namque collocant terminos qualitati, & motui proprios, videlicet intensum, remissum, vniforme, difforme, regulare, & irregulare; in sexto verò differentias substantiales, putà rationale, animatum, corporeum, & huius formæ alia.

26. Communis autem sententia, & assertio cæterorum Philosophorum est esse tantùm quatuor qualitatis modos à nobis prærecensitos, *in superiori art.* quæ (omissis aliorum motiuis à Suarez *sect. 5. loci cit.* adductis) suadetur hac sola ratione Scoti, quæ reliquis mihi videtur longè probabilior, quæve extat *in quæst. alleg. §. Dicendum hoc secundo modo* Omni qualitas aut est interior, aut exterior. Si exterior, hoc est in sola superficie corporis, & non est primò sensibilis, & est quartus qualitatis modus, nempè forma, & figura: vel est primò sensibilis, & habetur tertius qualitatis modus, putà passio, & patibilis qualitas Si interior, vel est insita à natura, & est secundus qualitatis modus, scilicet potentia, & impotentia naturalis: vel est acquisita siue ab extrinseco proueniens, & constituitur primus qualitatis modus, nimirùm habitus, & dispositio.

27. Dices, hanc rationem Scoti peccare in eo, quod colligit qualitatis species ex circumstantiis extrinsecis, & accidentariis, veluti sunt esse in superficie, aut extra superficiem corporis, esse à natura, aut ab arte, & ab extrinseco. Dico hanc instantiam apud nos nullius esse momenti, qui arbitramur prænominata qualitatis membra non esse vere species qualitatis, sed eius modos, vt infrà monstrandum est. Vel dici potest in gratiam eorum, qui defendunt esse veras species qualitatis, quibus fauet Scot. *vbi suprà, § Ad omnes istas quinque.* Aristotelem adducere eas differentias accidentales, pro differentiis essentialibus, quæ sunt nobis ignotæ: quod ab eo mer alibi effici obseruaui *quæstion. 5. articul. 2. huius libri. Et articul. 1. notab. 2. præsentis quæstionis. Et libr. 1. quæstionis primæ, artic. 2. in fine.*

28. Oppones primò, Aristoteles postquam assignauit, & enucleauit quartum qualitatis membrum subdit hæc verba: fortassis erit alius qualitatis modus, sed ferè, qui maximè dicuntur, sunt isti. Accedit Scot. *hic §. Ad aliam q. potest dici. & 4. dist. 6 quæst. 10. §. Ad quæst N.* inquiens. Et fortè eidem qualitati in se secundum essentiam possunt competere plures modi, qui ponuntur in diuersis qualitatibus Idipsum sensisse Aristotelem de modis relatiuorum ex Scoto affirmat Zerbius *5. Met. quæst. 18. §. Propter secundum.* Igitur præfata qualitatis diuisio, in quatuor modos præexplicitos non est idonea, nec exacta. Concedi potest consequentia cum Doctore nunc alleg. videlicet qualitatis modos prænarratos esse potiores, & celebriores, vt de modis simul notaui *in Epitome lib. 1. quæst. 4. art. 14. num. 37. & 1. post. de scientia,* de qua definitió quidem à priori, non autem à posteriori traditur ab Aristotele. Præsertim quia ipse Philosophus, licet dubitatiuè loquatur, tamen expressè se declarat in præsenti, verbis præadductis, esse alios, modos à prænominatis. Insinuauit itaque Aristoteles alios modos, qui ex aliis expressis colligi poterant, ad eósque reuocari. Ideò nullius sunt ponderis, quæ in oppositum affert Suarez *cit. sect 5. vel dici quoque potest probabiliter*, talem quadripartitam qualitatis diuisionem esse sufficientem, & exactam, vt *ibid.* innuit Doctor, si alij modi ad istos quoquo modo redigantur.

29. Oppones secundò, Pulchritudo, & deformitas, sanitas, & ægritudo, quas memorat Arist in 1. membro sunt qualitates, vt nemo inficiatur: sed istæ qualitates non resident in vllo, ex prædictis modis. Igitur insufficiens est ille quaternarius qualitatis modus. Min. probatur qualitates sunt simplices quidditates, vt innuit Doctor *4. d 6 q. 10. sub M.* Atqui pulchritudo, & deformitas coalescunt, ex colore, & debita, vel indebita membrorum proportione. Itémque sanitas, & ægritudo ex debito, aut indebito humorum temperamento, resultant, vt significat Scot. *1. d. 1. q. 4. §. Negatiua.* Resp. concessa ma. negādo min. Rediguntur enim ad quartam speciem qualitatis, vt insinuat Scot. *Quol. 18. §. De 1. I.* Atque de decore, & pulchritudine præconcesserat *in q. prædicamentali cit. §. Ad aliam quæst. potest dici. versic.*

Ad

Ad 3. Quamuis autem ex illis prærecensitis conficiantur: attamen sortiuntur propriam essentiam ab eis resultantem; veluti mixti qualitates, ac etiam ipsum mixtum gaudent propriis essentiis, licet ex elementis componi perhibeantur. Vel dicito cum Scot. & Gadio. *Qual. cit. fol.* 185. *colum.* 4. eas non esse qualitates secundum rem, sed tantum secundum denominationem. Nec refert Aristotelem in hoc prædicamento eas locasse quandoquidem idem Philosophus memorat etiam relatiua secundum dici, & secundum esse *in cap. de Ad aliquid*: quod forsitan præstat, vt de eis in vniuersum se agere ostendat. Idem ferè sentit Suarez *allegat. sectione* 4. *numer.* 11. quem plures Recentiores sequuntur, inter quos sunt Conimbr. 1. *quæst.* 1. *articul.* 2. *huius cap.*

30. Dices, Aristoteles 7. *physic capit.* 17. ait pulchritudinem esse quendam habitum, Igitur, si pulchritudo per Aristotelem est habitus, consequenter non in quarta, sed in prima specie qualitatis locatur: & si in dicta specie ponitur, est simplex qualitas, cuiusmodi sunt reliqui habitus suprà memorati. Responderi potest, pulchritudinem non propriè, sed transumptiuè esse habitum, vt enim per bonum, & excellentem habitum quispiam ornatur, & commendatur: sic per pulchritudinem honoratur, & colitur. Vnde fertur Aristotelem dixisse, pulchrum non indigere litteris commendatitiis, quia eius pulchritudo commendatum satis reddit ipsum cuilibet; ad quem diuerti voluerit, aliquid ab eo obtenturus. Eò magis, quia pulchritudo non ab arte, sed à natura proficiscitur: habitum autem esse qualitatem arte, & labore partam, superiùs admonui.

31. Oppones tertiò, quædam qualitates esse valent in duabus, ex dictis qualitatis complicationibus: ergo in idem recidunt. Ant. patet de calore & frigore, quæ vt sunt principia operandi collocantur in secunda serie qualitatis: vt verò sunt passibiles qualitates, aut passiones, ponuntur in tertia qualitatis classe. Conf. primò, quispiam à natura dicitur pugil, vel cursor, ac etiam ab arte: sed potentia naturalis pugillandi, vel currendi est in secunda specie: potentia verò pugillandi, vel currendi per artem conquisita residet in prima specie: Ergo qualitates primi, & secundi ordinis non differunt. Conf. secundò, figura *ex* 2. *de anima cap.* 64. est per se sensibilis, ratione cuius locari debet in tertio membro, & communiter legitur in quarto. Adde quod Scotus ponit sanitatem in quarta, quam Aristoteles statuit in prima specie. Igitur non benè distinguitur qualitas in quatuor prænominata membra. Respond. cum Doct. *in quæst. versic. Cum videtur. Et quarto cit. vers. Sed hoc non valet.* Quidem qualitatem vnius speciei non participare naturam alterius speciei, quia quidquam esse nequit sub duabus speciebus per duas oppositas differentias constitutis. Verùm quoniam, quæ sunt in tertio ordine participant differentias accidentales, quibus afficiuntur quoque, quæ sunt in primo ordine, videlicet parum, vel multum, faciliter, vel difficulter esse mobile à subiecto: propterea Philosophus, quæ verè sunt in tertia serie, vt calor, recensuit in prima: per id enim ostendit dictas quatuor classes qualitatis non esse veras eius species sed modos, vt exponunt Simplicius & Albertus *hoc loco capit.* 3. Ad 1. conf. cõcessa ma. ad min dico esse duas qualitates distinctorum ordinum, vnam innatam, alteram acquisitam. vnam naturalem, alteram verò artificialem. Ideò mirum non est, si in distinctis classibus locum habeant. Sic enim alibi asserui, penes diuersas rationes formales aliquid poni in diuersis generibus. Ad 2. conf. dico figuram numerari inter sensibilia communia: quæ autem extant in tertia qualitatis combinatione sunt sensibilia propria quæ sensum aliquem afficiunt.

32. Oppones quartò, Scot. 4 *loco nuper alleg.* probabiliter defendit Caracterem Sacramenti Baptismi esse qualitatem: sed non videtur ad quem ex prænominatis modis sit reducendus. Igitur, ille quaternarius qualitatis modus est insufficiens. Minor ostenditur, non enim redigitur ad primum, quia in eo relegantur solùm qualitates ad benè, vel malè operandum intentæ, cuiusmodi non est caracter, qui à Deo immediatè in anima imprimitur in susceptione quorundam Sacramentorum: nec in secunda, cùm non sit à natura insitus: nec in tertia, quia non est per se sensibilis: nec in quarta quia non consequitur quantitatem. Resp. cum Scot. *citat. paulò ante §. Ad Argumenta sub P.* caracterem reuocari ad primum qualitatis membrum, tãquã habitum supernaturalem remote disponentem subiectum, in quo est ad actus bonos eliciendos. Quod etiam de gratia affirmat idem Doctor *in Report.* 4 *dist* 6 *quæst* 9. §. *Dico igitur.* Quidquid dicat Suarez *citat. sect.* 4. *num.* 13. statuens ipsam gratiam in tertia specie: verùm cum sensum vllo modo non afficiat, & sit habitus infusus, nemine negante, à prima specie non est amouenda.

33. Quæres vtrùm densum, & rarum, asperum, & lene in categoria qualitatis sint reponenda? Respondet Scot. *in q. alleg. §. Notandum*, præfata vocabula duplici sensu, & significato gaudere. Primò, significant extensionem partium quantitatiuarum: quo pacto idem corpus compressum, & nõ compressum potest esse rarũ, & densum, vt constat de lana, & spongia: sic Aristoteles post recitationem qualitatis quarti modi, talia prænominata à genere qualitatis excludit citatus, liquet ex eorum definitionibus quas ibi adducit: ait enim densum esse, cuius partes ab inuicem non distant; rarum, cuius partes inter se distant: asperum, cuius vna pars extollitur, altera verò deprimitur: & lene, cuius partes recto situ pollent. Itaque, ex his satis clarè deducitur ipsa designare ordinem partium in toto, & loco, eiusque positiones ad quantitatem spectantes. Secundò denotant extensionem partium materiæ, quatenus rarum est, quod multum habet de forma, & parum de materia: & densum, quod parum habet de forma, & multum de materia. Cùm ergo ex dictorum positionibus, & partium dispositionibus resultent quidam modi; veluti ex partium ordinatione consurgit figura, benè inter qualitates adscribuntur ab Aristotele 7 *phys. c. p. T.* 11. *sum.* 3. consequenter ad ea, quæ idem Philosophus subiungit 2. *de generatione c.* 2. videlicet, illa sentiri sensu tactûs. Ità per hanc distinctionem conciliari possunt Aristoteles, & Porretanus *libello de sex principiis, c. de situ*, qui inter se pugnare videntur, vt aduertunt Scot. præalleg. & Suarez *vbi suprà num.* 17. *sect.* 5.

ARTICVLVS IV.

An dicti qualitatis modi rectè sint ordinati?

34. NOn improuidè, & inconsultò prænumeratus ordo quaternarius qualitatis ab Aristotele traditus esse videtur; cum ita sit receptus, vulgatus, & celebris, vt vix ab vllo quem viderim, alicuius notæ Philosopho respuatur. Quidam autem satis probabiliter conantur ostendere, in his recensendis seruari ordinem nobilitatis subiectorum, in quibus qualitates recipiuntur. Aiunt enim in intellectu, & voluntate, quæ sunt facultates animæ intellectiuæ præstantiores subiectari habitus intellectuales, & morales acquisitos, & infusos spectantes, ad primum qualitatis membrum. Reliquæ autem qualitates aliorum modorum ferè sortiuntur subiecta corporea, & materialia. Quare non incongruè inter qualitates primum locum obtinent habitus, & dispositio. Secundus verò locus tribuitur potentiæ, & impotentiæ naturali, quæ animatis cognoscentibus competunt, quæ viuentia intellectiua ordine dignitatis, & perfectionis subsequuntur. Tertium locum occupant passio,

& patibilis qualitas, quæ ſenſitiuis potiſſimum conueniunt. Et quartus locus datur formæ, & figuræ, quæ ſolis quantitate affectis accommodari videntur. Sic Philoſophus hunc ordinem ſequitur, vt patet 2. *de anima T.66.* vbi à viſu, qui inter ſenſus exteriores, eſt nobilior, exordium ſumit: & ordinatim reliquos ſenſus accuratè proſequitur.

Scot. *in quæſt.* §. *Dicendum hoc ſecundo modo*: ad hunc ordinem ſaluandum ſpeculatur aliam rationem quoque probabilem, deſumptam ex maiore, aut minore communitate, & vniuerſalitate qualitatis. Habitus námque, & diſpoſitio primas tenent, quia ſunt qualitates latiſſimæ, & ampliſſimæ, vt conſtat *ex 1. art.* in earum relatione. Quæuis enim qualitas non habens aliquam differentiam ex illis, quæ cæteris qualitatibus conueniunt, ad hunc primum modum redigi valet. In ſecundo verò loco reſident potentia, & impotentia naturalis, quæ minùs patent, quam habitus, & diſpoſitio. Prima enim combinatio comprehendit habitus infuſos, & ſupernaturales. Atque latior eſt, quàm tertia ſpecies, quæ qualitates ſenſibiles continet. Amplior denique eſt quarta, quæ tantùm ea, quæ quantitatem conſequuntur, capere videtur. Hanc normam tenet Ariſtot. in pertractandis animarum generibus. Exorditur quippe ab anima vegetatiua, quæ reliquis eſt communior: poſtmodum ſenſitiuam examinat, quæ rationali fuſiùs patet. Itidem *in Met.* ens priùs, quàm cætera tranſcendentia aggreditur.

35. Oppones primò, illud eſt prius reliquis, quòd eſt propinquius primo *ex 3. Top. c.* ſed potentia naturalis eſt proximior formæ ſubſtantiali, quàm habitus, quia potentia naturalis ex hac immediatè promanat: habitus verò ex eius frequentatis actibus generatur. Igitur in recenſendis qualitatibus non ab habitu, ſed à potentia naturali eſt inchoandum. Eò magis, quia in potentia tanquam in ſubiecto reſident habitus, puta ſcientia in Intellectu, & charitas in voluntate. Poteſt reſponderi per diſtinctionem maioris, penes ordinem naturalem, concedo: penes ordinem maioris, aut minoris communitatis, & extenſionis, nego; ita interpretandus eſt Ariſtoteles cit. Per dictam quoque diſtinctionem poteſt ſatisfieri ei, quod ſubiungitur, videlicet id eſſe capiendum de ordine naturalis præſuppoſitionis.

36. Oppones ſecundò, prius eſt, quod eſt à natura eo, quod eſt ab arte: ars quippe præexigit naturam *ex 2. phyſ. 79.* ſed qualitates ſecundi modi oriuntur à natura: qualitates verò primi modi ab arte, & labore comparantur potiſſimum, vt conſtat ex dictis. Ergo præfati modi qualitatis non rectè ordinantur. Min. ſuadetur, quia qualitates elementorum dicuntur primæ, eo quod ex illis reliquæ qualitates proficiſcuntur, vt ſuo loco planum fiet. Dici poteſt iuxtà diſtinctionem præallatam, argumentum concludere de prioritate naturali: non verò de maiori amplitudine, & communitate, quam nos cum Scoto, in illos qualitatis modos inuehere conamur.

37. Oppones 3. Accidens quod immediatè conſequitur ſubſtantiam materialem, & corpoream eſt quantitas, ex qua immediatè promanat qualitas quarti modi, vt conſtat ex ſuperioribus aſſertis. Ergò qualitas, quæ ponitur in poſtrema ſede, collocanda eſt in prima. Satiſfieri poteſt, ſi dicatur, qualitates prærecenſitas non diſponi ex immediatiori conſequutione ſubſtantiæ corporeæ, aut quantitatis: ſed ex maiori, aut minori communitate generis qualitatis, ratione cuius debetur poſtremus locus formæ, & figuræ, vt ſuprà abundè declaraui.

ARTICVLVS V.

An illæ geminatæ qualitates inter ſe eſſentialiter differant?

38. ASſertio prima, habitus, & diſpoſitio ab inuicem accidentaliter diſtinguuntur. Ità Scot. *in quæſt. prædicam prædicam prædeg. §. Ad aliam q poteſt dici.* Antonius Andreas, Ioannes de Magiſtris *in præſenti c.* & Titel. *2. l. cap. 42.* Contra S.Th. 1. 2. *quæſt 49. art. 2. ad 3.* Suarez *diſp. 42 Met. ſect 6. num. 15.* & Ruuium *cap. de qualitate quæſt. 2.* affirmantes habitum, & diſpoſitionem inter ſe eſſentialiter differre. Probatur primò, ex Ariſtotele, qui ſtatim in initio huius cap. vocat habitum, & diſpoſitionem vnam ſpeciem qualitatis: at ſi habitus, & diſpoſitio eſſentialiter differrent, forent duæ ſpecies qualitatis, quod pugnat ipſi Philoſopho expreſsè vnam tantùm admittenti ſpeciem ipſius habitus, & diſpoſitionis, cuius diſcrimen accidentarium ibi adducit, videlicet, habitus diù permanet in ſubiecto, ab eóque difficulter amouetur: diſpoſitio verò citò tranſit, faciléque à ſubiecto diuellitur: eſſe autem diuturnum, vel non diuturnum in ſubiecto, haud eſſentiale diſcrimen deſignat, vt patet de albedine vnius diei, & vnius anni, quam memorant Ariſtoteles *1. Eth. c. 6.* & Scot. *4. diſt. 49. quæſt. 6. antè §. Hic duo ante A.* Poſtmodum ſubiungit idem Philoſophus omnem habitum eſſe quidem diſpoſitionem; non tamen omnem diſpoſitionem eſſe habitum. Itémque diſpoſitionem effici habitum, ſi vehementer in ſubiecto, in quo inhæret firmetur, vt patet de febri, quæ temporis longitudine fit hectica. Idque illuſtrat Boëtius *in com.* inquiens ex puero, homo in virum euadit, non mutata ſpecie: ſic ex diſpoſitione fit habitus.

39. Nec his ſatisfacit reſponſio Ruuij, & aliorum perhibentium eſſe vnam ſpeciem qualitatis ſubalternam, hoc eſt participare vnam communem rationem diſpoſitionis. Siquidem datâ hypotheſi non differunt vllo modo inter ſe; ſicut homo, & brutum in communi ratione animalis non differunt: at Ariſtoteles tradit ibi diſcrimen inter habitum & diſpoſitionem. Non ergo loquitur idem Philoſophus de ſpecie ſubalterna diſpoſitionis, in qua conueniunt. Præterea fatuum eſſe videtur aſſerere, habitum eſſe diſpoſitionem, & non è contra, ex conceſſis ab iſtis, quandoquidem ita eſſet diſpoſitio habitus, ſicut habitus diſpoſitio, ſi participarent eandem communem rationem, veluti Petrus, & Paulus participatione ſpeciei ſunt vnus homo: & Paulus, & Petrus participatione eiuſdem ſpeciei ſunt vnus homo, vt cum *Porphy. in Iſag.* reſpondent Conimbr. *hoc loco quæſt. 2. art. 3. ſect. 1. Ad 1.* & Fonſ. *5. Met. cap. 14. quæſt. 2. ſect. 1.* Rursùs ipſemet Ariſtoteles immeritò affirmaret diſpoſitionem conſuetudine fieri habitum, quia ſemper in dictam rationem generalem recideret: etſi diſtinctæ forent ſpecies, vna eſſentialiter tranſiret in aliam, quod eſt abſurdum. Inſuper eodem modo Ariſtoteles Philoſophatur de diſtinctione habitus, & diſpoſitionis, quo de differentiis cæterarum complicationum, vt præſertim de paſſione, & patibili qualitate aduertit Doctor *cit. verſ. Cum videtur.* Concedunt autem Suarez alleg. & alij, reliquas combinationes accidentaliter diſſidere. Ergo idipſum de habitu, & diſpoſitione aſtruere debent.

40. Dices cum prænominatis Authoribus qualitatem eſſe facilè, aut difficilè mobilem à ſubiecto, bifariam poſſe euenire, aut ex natura ſuæ cauſæ intrinſecæ, à qua efficitur, & ſpecificatur: aut ex aliis cauſis extrinſecis ſubiecti, temporis, actuúmque frequentationibus. Primo modo habitus, & diſpoſitio differunt eſſentialiter, quia diſpoſitio ſuaptè natura eſt facilè mobilis à ſubiecto: habitus verò pariter ſuaptè natura, à ſubiecto

à ſubiecto eſt difficile mobilis. Secundò autem modo inter illa extat tantum differentia accidentalis. Hanc diſtinctionem olfaciunt duo Iuniores Scotiſtæ *diſp.* 7. *q.* 3. qui tamen *art.* 3. cum communi Scotiſtarum placito tenent allatam diuiſionem qualitatis in quatuor membra non eſſe generis, in ſpecies,ſed in modos : ſic conſequenter loqui non videntur & impugnandi ſunt, ſicut iſti. Siquidem ab eiſdem cauſis prodeunt actus,& habitus, putà ab intellectu,& obiecto : actus autem facilè abiicitur, & habitus difficilè deperditur. Iterum; à cauſis contingentibus proficiſcuntur actus, & habitus operandi, & per vnum actum cauſatur diſpoſitio : ex multis verò actibus ſæpè iteratis paritur habitus. Denuò,cauſa efficiens non variat eſſentialem, & formalem rationem aliquorum diſtinctiuam,vt patet de rana ex putri materia, & ex ratione ſeminali genita : atque de igne ab alio igne, aut à ſilice, aut ſole producto. Non igitur per cauſas facilis, vel difficilis expulſionis diiudicatur eorumdem diſtinctio eſſentialis. Denique,per primum actum de obiecto opinabili gignitur in intellectu qualitas, ab eo facilè mobilis, quæ eſt diſpoſitio, & per iterationem actuum, circa idem obiectum opinabile paritur habitus, quæ eſt qualitas à ſubiecto difficile mobilis:ſed qualitas acquiſita per primum actum eſt einſdem ſpeciei, cum qualitate per frequentationem comparata, cum ambæ ſint de eodem obiecto, à quo petitur vnitas, & identitas ſpecifica opinionis,& ſcientiæ. Ergo diſpoſitio,& habitus ſolâ differentiâ accidentali gaudent.

41. Aſſertio ſecunda, potentia,& impotentia naturalis ab inuicem diſcrepant accidentaliter. Deducitur ex Scoto *in q.* 5. *Ad aliam q. dico*, eſtque communis ferè omnibus Ariſtotelis interpretibus, paucis quibuſdam exceptis inter quos refertur Titel *l.* 2. *c.* 44. & fauent Noſtrates Recentiores ante relationem tertiæ combinationis qualitates. Probatur primò,ex Ariſtotele, qui explicans ſecundum qualitatis membrum, per potentiam naturalem intelligit habilitatem, & facilitatem à natura inditam aliquid faciendi, aut patiendi:per impotentiam verò naturalem capit imbecillitatem à natura inſitam, ſiue infirmitatem, & difficultatem aliquid agendi, vel patiendi,vt retuli *art.* 2. *huius q.* Ex his ſic formo argumentũ,virtus fortis & debilis valida,& infirma,ſiue potius vt exponit Scotus, facilitas naturalis agendi, & difficultas naturalis agendi,ingenioſitas, & tarditas accidentaliter differunt, vt liquet de potentia viſiua iuuenis, & ſenis, & cæcutientis. Itémque de potentia viſiua hominis, & aquilæ reſpectu ſolis; atque de perſpicacitate intellectus Hominis, & Angeli poteſt declarari ſecũdum Scotum 2. *d.* 1. *q.* 6. § *potentiam*, D. Ariſtoteles autem exemplificat de ſanatiuo, qui habet naturalem potentiam,vt nihil ab aliquibus accidentibus ægritudinem inſerentibus patiatur : & de ægrotatiuo, qui habet naturalem potentiam ægritudinem patiendi:ſic durum habet potentiam reſiſtendi ſectioni : & molle impotentiam ſectioni reſiſtendi. Durum autem,& molle,facile,& difficile diuidi,ſpecie differre non videntur, vt patet de cera liquefacta, & indurata : necnon de lapide duro, & molli. Secundò ex communi Philoſophorum conſenſu, potentiæ diſtinguuntur per actus,& actus per obiecta:ſed potentia,& impotentia naturales reſpiciunt idem obiectum, vt ſalubritas,& inſalubritas,valetudo, aut ægritudo naturalis reſpectu vnius, & eiuſdem animalis. Igitur inter iſta ſola differentia accidentalis intercipitur.

42. Aſſertio tertia, Paſſio, & patibilis qualitas accidentaliter diſtinguuntur. Ità Scot. *in q.* 5. *Ad aliam q.* & indicat Ariſtoteles in Tex. probatur primò,ſtatim à ſubiecto diffluere, & diu in eodem ſubiecto conſiſtere non faciunt diſtinctionem eſſentialem aliquorum, vt homo vnius anni eſſentialiter non differt ab homine centum annorum : ſed paſſio breui tranſit,& patibilis qualitas diù durat in ſubiecto,vt explanaui *a.* 2. *huius q.* Ergo huiuſmodi qualitates accidentaliter differunt. Secundò,eadem qualitas,quæ vni ſubiecto eſt paſſio, vt rubor ex verecundia ortus; alteri eſt patibilis qualitas, vt rubor ex naturali complexione proueniens. Palàm eſt autem rubedinem ab illis diuerſis cauſis productam eſſe eiuſdem ſpeciei, cum habeat eumdem effectum formalem,qui eſt reddere eius ſubiectum rubeum. Solo igitur accidentario diſcrimine paſſio & patibilis qualitas ſecernuntur.

43 Aſſertio quarta,forma,& figura inter ſe accidentaliter deſcriminantur. Hanc indicant Ariſtoteles, & Scotus *vbi ſupra*. Probatur:diſtinctus eſſendi,& conſiderandi modus in ſubiecto non arguit diſtinctionem eſſentialem inter aliqua,vt patet de albedine exiſtente in pariete vel in Cygno:vel ab illis abſtracta,quæ ſemper retinet eamdem eſſentiam albedinis, tametſi modus eius mutetur, & diuerſimodè conſideretur:ſed qualitas quarti modi ſortitur diuerſam conſiderationem. Nam ſi ſpectetur, vt eſt in materia ſenſibili coniuncta, hoc eſt more Phyſico,dicitur forma: quod ſi inſpiciatur,vt ab ea abſtracta,hoc eſt more mathematico, appellatur figura. Igitur,forma, & figura accidentali diſcrimine diſſident. Verumtamen ſi figura ſit entitas relatiua, & forma coincidat cum pulchritudine, quæ non videtur eſſe verè qualitas,niſi penes denominandi,& prædicandi modum, vt tetigi *ſuprà a.* 2. innuitque Doct. *ibi cit.* nulla reſtat inquirendi ratio de diſtinctione formæ, & figuræ ad hunc locum ſpectant.

44. Oppones, primò, Ariſtoteles in iſto cap. ſcribit, qui mediocriter ſcientiâ eſt inſtructus habere habitum ſcientiæ;at medioĉriter ſcientia eruditus,imperfectam callet ſcientiam,quæ planè eſt diſpoſitio in eo,qui leniter eſt edoctus,ſi ipſa diſpoſitio ab habitu eſſentialiter non diſcrepat. Ergò, cum Ariſtoteles velit eſſe habitum,non autem diſpoſitionem : clarè deducitur in ſententia eius, inter habitum, & diſpoſitionem differentiam eſſentialem intercedere. Confirmatur primò,idem Philoſophus ſubiungit diſpoſitionem diuturnitate temporis non eſſe abſolutè habitum ſed veluti habitum, hoc eſt aſſimilari habitui. Igitur Ariſtoteles putat habitum, & diſpoſitionem eſſentialiter differre. Conf. ſecundò, quæ differentias eſſentiales ſortiuntur, eſſentialiter differunt : Sed habitus & diſpoſitio eſſentiales differentias ſortiuntur. Ergo eſſentialiter differunt. Maior eſt nota. Min. oſtenditur, eſſe difficile mobile competit habitui ſuaptè natura,hoc eſt,ex ſua cauſa intrinſeca, vt habitus ſcientiæ ſpecificatur, ab obiecto, circa quod verſatur : atque eſſe mobile conuenit diſpoſitioni ex cauſa quoque intrinſeca:ergo inter habitum, & diſpoſitionem extat diſcrimen eſſentiale. Reſpond. Philoſophum ea verba protuliſſe, vt nobis indicaret habitum, & diſpoſitionem ſanè eſſe vnam ſpeciem, quæ modò habitus,modo diſpoſitio nuncupatur; qui enim eſt ſcientia mediocriter inſtructus habet diſpoſitionem, ſiue habitum imperfectum, qui ab habitu perfecto,accidentario diſcrimine ſecernitur, cùm perfectum, & imperfectum accidentaliter tantùm differant. Vnde prima confirmatio non nobis obeſt,ſed prodeſt : cùm ibi Philoſophus aſſerat diſpoſitionem ſimpliciter non eſſe habitum, hoc eſt, non eſſe habitum perfectum,ſed imperfectum. Ad ſecundã conf. conceſſâ ma. nego minorem,ad eius probationem patet ex dictis,in prima aſſertione huius articuli.

45. Oppones ſecundò, contra 2. Aſſertionem ad ſignificandam identitatem ſpecificam habitus, & diſpoſitionis Stagirita vtitur coniunctione copulatiua:ergò,cum idem Philoſophus adhibeat particulam diſiunctiuam ad declarandam potentiam naturalem,aut impotentiam,perſpicuè colligitur,ipſum exiſtimare,inter illa duo eſſe diſcrimen eſſentiale. Confirmatur,potentia, & impotentia naturalis denotant differentias oppoſitas: ergo abinuicem ſeparantur eſſentialiter. Ant. probatur, poſſe,& non poſſe opponuntur, vt poſſe videre opponitur non poſſe videre:quod enim vnum affirmat,aliud negat quod eſt opponi priuatiuè, aut contradictoriè.

Reſpond.

suis speciebus, vt liquet ex eius definitione: sed qualitas est genus cum sit vnum ex decem categoriis, vt patet ex dictis *quæst. 3. art. 1. huius lib.* Ergo habet sub se species. Atqui non videntur esse aliæ excogitandæ, præter quatuor prænumeratas: ea igitur diuisio non est in modos. Negatur subsumptum vt constat ex serie qualitatis, quam addixi *in Epitome*, quæ non videtur esse absimilis illi, quam habet Mayr. *passu 42.* scindens qualitatem in materialem, & spiritualem: deinde materialem in sensibilem, & in insensibilem, & c. Nec vlli mirum esset, si Arist *in contex.* non recensuerit proprias qualitatis species, cum in hoc lib. mens eius non fuerit enumerandi omnes series generum subalternorum, & specierum categoriarum, vt constat de prædicamentis actionis, passionis, quando., & aliorum, quorum nullam speciem subalternam aut infimam recitat.

53. Oppones tertiò, qualitas essentialiter prædicatur de habitu, & dispositione, aliisque consimilibus qualitatibus: ergo huiusmodi qualitates sunt eius species. Ant. est apertum. Nam habitus est propriè qualitas, & potentia naturalis est propriè qualitas, & sic de cæteris: ergo illæ sunt veræ species qualitatis. Confirmatur, modus rei non est res, sed aliquid ipsi rei additum. Ergo modus qualitatis non est qualitas, quod veritati, & Arist. pugnat.

54. Respondent duo Scotistæ inseparati negando consequentiam, cuius negationis causam afferunt tenentes, animal, quod est genus prædicari essentialiter, de Petro, & Paulo: tametsi, haud sint eius species. Contrà, quæ subsunt immediatè alicui generi, qualia non sunt indiuidua, debent esse species: sed habitus, & potentia naturalis subiiciuntur immediatè qualitati, tanquam generi, vt relati Nuperi concedunt. Sunt ergo eius propriæ species, quod negant suprà in assert. & affirmant modo in 2. responsione ad hanc oppositionem, fatentes Philosophum veras qualitatis species tradidisse, quamuis non adduxerit eius proprias differentias diuisiuas, & constitutiuas specierum: sicque admittunt esse species qualitatis, & non esse species, quod apertam inuoluit contradictioem. Potest dici, eas esse identicè qualitates, veluti finitas, & infinitas, cum sint modi entis, identicè sunt entia: sic pariter proprietates entis non formaliter, & essentialiter, sed identicè entia pethibentur, vt ostendam in *Met. lib. de ente, eiusque proprietatibus.* Potest quoque dici cum Scoto *in quæst. ante §. Ad 2. quæst. vers. Est autem,* habitum, prout describitur ab Arist. non esse essentialiter qualitatem quia esse permanens, vel non esse permanes in subiecto: esse à natura, vel non esse à natura, esse sensibile, vel non esse sensibile, propriè non sunt qualitates, sed modi earum, vt *suprà* probaui. Vnde notat Doctor *ante §. Ad 5. quæst.* inferre passionem sensui, non esse de essentia qualitatis, sicut esse visibile non est de essentia coloris, vt habetur 2. *De anima cap. de visibili, in principio T.66.* Quare concludit *ibi* Scotus passionem, vel patibilem qualitatem, quatenus infert passionem sensui non nominare essentiam, vel speciem; sed modum. Ad argumentum autem in forma, negari potest ant. eiusque probatio, illæ quippe denominantur qualitates non essentialiter, sed accidentaliter, & absolutè dicuntur qualitates, penes communem loquendi modum, vt suprà notabam. Sic confirmatio non nobis aduersatur, vt ipsi responsum demus, sed potius suffragatur, Iuxta enim ea, quæ superius dixi modus rei identicè denominatur res, cuius est modus, vt finitas, vel infinitas dicitur [illegible]: atque gradus caloris perhibetur calor.

Articulus VII.

De proprietatibus qualitatis.

55. Priores, & posteriores Philosophi, cum Arist. *in 5. parte cap. de qualitate,* tres qualitatis proprietates, & affectiones commemorant, quarum Prima est habere contrarium, quod tam in concreto, quàm in abstracto ei competit: sic calor frigori, albedo nigredini: calidum frigido, & album nigro contrariantur. Hæc autem proprietas nec omni, nec soli qualitati accommodatur: non omni quidem, vt de singulis modis exempla affert Titel. *cap. 48. lib. 2.* Dari autem possunt nonnullæ qualitates residentes in quarta classe, vt triangulus, quadrangulus, & huiusmodi, quæ nullam sanè contrarietatem subeunt: & quædam quæ degunt in tertia complicatione, vt colores medij, rubeus, & flauus, teste Arist. *in Tex.* Et de potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ, quæ in secunda, nec non virtutes, quæ in prima combinatione reponuntur, vt præ aliis tenent Titel. citatus, Conimb. *in comment.* Nec soli qualitati adaptatur contrarietas cum sit communis actioni, & passioni, scribente Philosopho *cap. 9 huius libri*

56. Dices, Aristotelem pugnantia inuoluere in suis scriptis, hic namque ait colores medios contrarietatis esse expertes: alibi verò, *nempe 5. phys. cap. 1. T.6.* subdit, nedum extremas, verùm etiam media extremis aduersari. Et *2. magnorum moralium cap. 9.* tradit, extrema vitiosa sibi inuicem, & virtuti, quæ est in medio, contraria esse, vt constat de liberalitate, quæ in medio posita auaritiæ, & prodigalitati opponitur. Respondetur ex Doctore *in quæst. § Iuxtà primam proprietatem*, per distinctionem, de contrarietate completa & perfecta, qua extrema inter se opponuntur, & sic mediis coloribus nihil est contrarium: atque conceditur de contrarietate incompleta, & imperfecta, quam medij colores sortiuntur. Cùm enim medium participet aliquid eiusque extremi, propterea ipsum medium vtrique extremo incompletè contrariatur. Sic soluitur contradictio apparens, quæ videtur esse in assertis Aristotelis. Ad aliud verò de vitiis, & virtutibus alibi est respondendum. Non enim virtus est quid medium per participationem, sed per abnegationem extremorum, vt docui *in Morali lib. 5. quæst. 4. art. 1. dub. 3.*

57. Secunda, est suscipere magis & minus, hoc est intendi, & remitti. De cuius intensione, & remissione, fusè suo loco. Quæri autem autem potest, num hæc proprietas competat qualitati abstractè, & concretè sumptæ? & quidem indubitatum est apud Philosophum, qualitatem in concreto esse capacem intensionis, & remissionis, quod ipse in Tex. exemplis ostendit. Vnus quippe altero est iustior, doctior, & sapientior. An verò etiam in abstracto, idem Philosophus hoc non videtur sentire, sed referens aliorum sententiam negantem, qualitatem in abstracto esse intensibilem, & remissibilem ei non contradicit, quod fortè est signum ei potius fauere, quam ab ea discrepare. Scotus autem *in quæst. §. Iuxtà 2.* obseruat qualitatis essentiam, quæ in abstracto significatur, non suscipere magis & minus. Non enim iustitia, dicitur magis iustitia nec Grammarica magis Grãmatica: Ratio est, quia essentia qualitatis, sicut & qualibet alia essentia ex *Porph. lib. de sex principiis* est indiuisibilis: indiuisibile autem videtur esse expers intensionis, & remissionis. Itaque concludit Doct. qualitatem penes essentiam non suscipere magis, & minus, benè tamen penes subiectum, quod informat. Vnum quippe subiectum magis participat qualitatem, quàm aliud, & per eam magis perficitur, vt suprà dicebam vnum hominem esse altero doctiorem, iustiorem, & sapientiorem. Idipsum scribit *infrà vers. Quando igitur*, & in hanc sententiam adducit

ducit Aristotelem, sic ipsum interpretando. Insuper, monet Philosophos non omnem qualitatem participare hoc attributum, vt constat de figuris mathematicis: vnus quippe triangulus non est magis triangulus altero triangulo, nec vnus quadrangulus est magis quadrangulus altero quadrangulo. Nec soli qualitati competit suscipere magis, & minus. Id enim quoque Aristoteles tribuit actioni, & passioni. Idcircò infert vtramque prænominatam affectionem haud videri qualitatis proprietatem.

58. Contra hanc doctrinam Scotus *loco allegato* multas affert instantias, quas *ibid.* dissoluit, duas ex eis seligo, reliquas apud eumdem videri queunt, harumque exactiùs examen in proprium locum reiicio.

Instat itaque 1. Doctor sic, à magis, & minus effici potest mutatio *ex 5. phys. T.* 19. Sed nulla fit mutatio ab eodem specie, ad idem specie, quia non habetur comparatio, nisi penes eamdem formam specie *ex 7. phys. T.* 24. ac proindè qualitas non suscipit magis, & minus. Concessa ma. ad minorem dico fieri mutationem penes gradus accedentes, aut recedentes, qui sunt de genere qualitatis, & quoquo modo oppositi. Vnus quippe magis habet rationem extremi aut medij quàm alter, vt alibi planius fiet.

59. Instat secundò, si suscipere magis, & minus est proprium qualitati: ergo etiam quantitati. Consequentia deducitur. Si enim qualitas perficitur penes subiectum, & non penes essentiam, vt suprà dictum est: vtique quantitas in suo perficitur subiecto: sed Arist. eam proprietatem à quantitate aufert: ergo eamdem à qualitate tollere debet. Neganda est consequentia, & paritas eius probationis; quia qualitas recipit gradus in subiecto, ratione quorum intenditur: non sic quantitas, cui non intensio, sed extensio accommodatur.

60. Tertia qualitatis proprietas est, secundum quam res similes, aut dissimiles perhibentur. Et hæc est eius proprietas quarto modo, quæ videlicet omni, soli, & semper qualitati competit, eò ferè modo, quo æqualitas, vel inæqualitas quantitati adaptatur: sic duo parietes albi sunt similes propter albedinem, quæ in eis inest: duo autem parietes, quorum vnus est niger, & alter albus, sunt dissimiles propter nigredinem, quæ in vno inhæret, & albedinem quæ in altero subiectatur. Similitudo námque in qualitate eiusdem rationis: & dissimilitudo in qualitate diuersæ rationis fundantur. Notat autem Doctor *vbi suprà* §. *De tertia proprietate*: licet similitudo, & dissimilitudo propriè qualitati congruant: esse tamen species prædicamenti relationis. Est enim similitudo formaliter relatio, & simile formaliter est relatiuum. Ob id subiicit Titel. citat. *cap.* 50. definitiones similitudinis, quæ est rerum differentium eadem qualitas, & dissimilitudinis, quæ est rerum differentium diuersa qualitas, esse capiendas causaliter, hoc est similitudo causatur, siue potius resultat ex eadem qualitate specifica vel generica in distinctis subiectis recepta: & dissimilitudo exurgit ex diuersa qualitate specie, vel genere, in diuersis subiectis inhærente: formaliter verò sunt respectus in categoria relationis repositi.

61. Dices, Scotum velle substantiæ proprietatem, putà risibilitatem, quæ est hominis proprietas, redigi ad prædicamentum substantiæ, in quo homo directè collocatur. Ergo non videtur similitudo, vel dissimilitudo ad aliam categoriam spectare, quàm ad qualitatis prædicamentum cuius est maximè propria. Concesso ant. neganda est consequentia: Ratio est, quia vnum tantùm est prædicamentum substantiæ in quo est ratio per se substantiæ prædicamentalis, hoc est directè: & in eodem prædicamento, eius proprietas reductiuè locatur. Verùm accidentis plura extant prædicamenta: ob id iuxta rerum accidentalium diuersitatem, diuersa loca in distinctis prædicamentis statui debent. Hinc nullum infertur incommodum, qualitatem sortiri aliam seriem prædicamentalem distinctam ab ea in qua residet eius proprietas.

QVÆSTIO VIII.

De reliquis sex prædicamentis.

ARTICVLVS I.

Per quid constituantur sex vltima prædicamenta.

1. TRes potissimùm adducuntur dicendi modi in hoc art. ab Aureolo 1. *distinct.* 30. *art.* 3. & postmodum à Fons. 5. *Met. quæst.* 7. *cap.* 15. *sect.* 1, 2. *&* 3. Ruuio *quæst. generali, & vlt. prædicam.* aliisque Recentioribus. Vnus est eorum, quos refert, & sequitur Ruuius cit. arbitrantium sex postrema prædicamenta constitui per quosdam modos absolutos cum respectibus ad aliqua extrinseca, vt *vbi* significat locum, cum respectu ad locatum. Alter est Heruæi *Quol.* 1. *quæst.* 14. & aliorum Thomistarum existimantium prænarrata prædicamenta esse res absolutas extrinsecas, vt denominantes: quibus videtur fauere Scotus 3. *distinct.* 8. *quæst. vn.* §. *Ad quæst. sub D.* Tertius defenditur reuerà à Doctore 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *Ad illud in oppositum sub K. Quol.* 11. *artic.* 4. §. *De quarto circa K. &* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. §. *Ad huius autem* D. Gadio *Quol. citat. fol.* 121. *pag.* 2. *columna* 1. Lych. *ibid.* Antonio Andrea *quæst.* 1. *in sex principalia.* Fuente *quæst.* 13. *diff.* 2. Titel. *cap.* 51. & omnibus Formalistis, cum Sirecto *artic.* 1. *principali*, docentibus præfata prædicamenta constitui per relationes extrinsecùs aduenientes.

2. Not. primò, tria esse tantùm prædicamenta absoluta, nempe substantiam, quantitatem, & qualitatem: cætera verò septem esse relatiua. Vt enim ens absolutum finitum scinditur in substantiam, quantitatem, & qualitatem: sic ens relatiuum finitum secatur in relatiuum intrinsecus adueniens, quod cum vno tantum modo referendi potiatur, vnum facit duntaxat prædicamentum relationis, quod *Ad aliquid* nuncupatur: & in relatiuum extrinsecus adueniens, quod cùm per sex modos referendi distinctos determinetur, vt patet *ex* 3. *quæst. art.* 1. *huius lib.* consequenter sex per eos sanciuntur prædicamenta ab aliis dissita, quæ à Gilberto vocantur sex principia; tametsi cætera quoque prædicamenta sint principia, vt aduertit Antonius Andreas *dub.* 3. *loci allegati.* Hinc cessat communis instantia Thomistarum relata à Suarez *disp.* 48. *Met. sect.* 1. *num.* 4. & antè eum ab Aureolo *citat. art.* 3. videlicet omnes hos respectus conuenire in communi ratione respectus, ac proinde esse eiusdem generis: cessat inquam illa instantia, quandoquidem, etsi illa sex sortiantur communem rationem respectus vniuocam transcendentalem, non tamen prædicamentalem; vt patet de Deo, & creatura, substantia, & accidente, quæ in Scoti Schola sunt vniuoca transcendentalia in nullo genere clausa. Ideò non sequitur eas relationes participare idem genus. Itémque, quia respectus ille communis accidentalis non determinatur ad sex genera, per differentias, sed per modos, propterea non censetur eorum genus, sicut alibi dicam de ente, respectu finiti, & infiniti, substantiæ, & accidentis. Vt autem hæc doctrina apertior fiat, libet explicare diuisionem relationis in intrinsecus aduenientem, & extrinsecus aduenientem allatam à Doctore, eiusque asseclis locis prænominatis, & à me *lib.* 1. *Epit. quæst.* 4. *art.* 7.

3. Not. secundò, relationem intrinsecus aduenientem esse, quæ præcisè, & necessariò ex extremis po-

sitis

sitis consurgit, adeò vt implicet contradictionem huiusmodi relationem ea eorum positione non oriri quouis alio secluso (reclamante Boneto *libello* 4. §. *Habet autem dubitationem*) vt datis duobus albis, statim, & necessariò exurgit relatio similitudinis: & datis vno albo, & altero nigro, necessariò promanat relatio dissimilitudinis inter illa duo. Relatio verò extrinsecùs adueniens est, quæ licet extrema ponantur in actu, non resultat, nisi inter illa interueniat aliqua conditio, vt existentibus igne, & stupâ, non emergit relatio combustionis, nisi stupa, ignisque approximentur. Immò esse valent combustiuum, & combustibile approximata, quamuis ex eis non consequatur relatio combustionis, vt *Danielis* 3. ignis ardens fornacis Babylonicæ tres pueros hebræos non combussit, vbi erant extrema actionis, & passionis debitè approximata: tamen diuinitùs nec actio nec passio subsecuta est in dictis pueris, vt præ aliis notaut Gadius *Quol.* 11. §. *Ista* ante H. Lych. *ibid.* & Vallo *fol.* 40. *lectura Formalitatum*. Aliud discrimen inter has relationes affert Doctor *Quol.* 11. *paulò antè L.* nempe, ad relationem intrinsecus aduenientem, quæ est quarti prædicamenti non esse per se motum, sic exponitur Philosophus 5. *phys.* T. 10. & indè. Ad relationem verò extrinsecus aduenientem benè esse per se motum: ita Philosophus alleg. *cap.* 3. T. 9. concedit esse per se motum ad vbi, quod est relatio extrinsecus adueniens corporis contenti, ad locum continentem. Huius differentiæ causa reddi potest, quia relatio 4. generis non causatur per se, sed concausatur, & comproducitur ad causationem, & productionem alicuius absoluti de nouo producti, vt Petro aduenit relatio paternitatis, propter generationem alicuius suppositi, in quo est relatio filiationis ad Petrum generantem. Ob id Petrus vocatur pater, & suppositum ab ipso genitum vocatur. At relatio extrinsecùs adueniens, nullo absoluto de nouo producto pullulat, vt liquet de corpore posito in loco, ex quibus relatio extrinsecus adueniens corporis locati, ad locum locantem, absque vlla nouitate alicuius absoluti.

4 Dices, Scotum sibi pugnare, nam 2. *distinct.* 1. *quæst.* 1. ait, ad relationem intrinsecus aduenientem esse motũ, qui est ad formam relatiuam: non autem motum, qui est ad formam absolutam. Quol. verò cit. apertè inficiatur ad relationem intrinsecùs aduenientem esse per se motum, quòd est contradictorium. Dico nullam esse contradictionem in scriptis Doctoris, nam *Quol. alleg.* negat ad relationem intrinsecùs aduenientem esse per se motum primò, & per se. Verùm *distinct.* 1. 2. *quæst.* 5. §. *Ad* 1. *sub F.* concedit ad hanc ipsam relationem motum impropriè, qui esse valet ad formam relatiuam. Vide aliam responsionem *quæst.* 6. *art.* 4. *huius lib. oppositione prima.*

5. Not. tertiò, partitionem relationis præallatam impugnari quidem, sed non expugnari ab Aureolo, Herueo cit. Fons. *sect.* 2. Hurt. *disp.* 15. *Met. sect.* 10. *subsect.* 3. Suarez *ibidem disp.* 48. *sect.* 1. *aliisque permultis*. In primis autem eam nobis indicant Auctor sex principiorum *in fine* 1. *cap.* & Boëtius 1. *de Trin.* quam ex Aristotele colligi scribit Vallo *fol.* 47. *sua lectura*. Hanc ipsam approbant Dur. 3. *dist.* 5. *quæst.* 1. Gabriël passim, & egregiè mentur innumeræ Minorum phalanges. Huiusce autem distinctionis causa reddi potest ex Antonio Andrea *quæst.* 1. *loci citati*, quam insinuat Doct. 4. *dist.* 6. *quæst.* 10. §. *Hic dicitur B.* nullus respectus potest esse magis intimus alicui fundamento, quam illud, quod necessariò ipsum consequitur posito termino: cum formaliter, & quidditatiuè relatio nequeat identificari cum fundamento, quia fundamentum est absolutum: absolutum verò, & relatiuum sunt opposita, in quæ ens distribuitur. Itémque nullus respectus potest esse magis extrinsecus fundamento, quam illud, quod ipsum necessariò non consequitur, etiam posito termino, vt tradit Doct. 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *N.* Vnde clarè ex hoc discursu euincitur fundamentalis bonitas dictæ diuisionis. Atque facilè refelluntur Aureolus, Suarez *cit. num.* 7. & Fons. *sect.* 2. carpentes denominationem relationis extrinsecus aduenientis. Cùm enim illa relatio ex fundamento, & termino positis in actu, non necessariò exurgat, sed aliquid aliud extrinsecum ad eius resultantiam requiratur ex dictis: immò dato illo extrinseco, adhuc saltem diuinitùs impediri valeat, ne relatio emergat, vt exemplo de fornace babylonica præostensum fuit: meritò huiusmodi relatio extrinsecùs adueniens nuncupatur, ad eius differentiam, quæ necessariò pullulat ex sola extremorum positione. Rursùs, quæ necessariò rebus competunt, intrinsecùs eis aduenire, & quæ contingenter extrinsecùs accidere, haud incongruè denominantur, vt constat de accidente proprio, & communi. Nam licet vtrumque sit extrinsecum rei, hoc est, extrà rei essentiam: nihilominùs accidens proprium dicitur intrinsecum, quia à principiis rei intrinsecis, & necessariis prodit, ab eísque nequaquam seiungi valet: accidens autem commune perhibetur extrinsecum, quia contingenter, & à principiis indiuidualibus proficiscitur, vt dixi *lib.* 2. *quæst.* 6. *art.* 2. *not.* 2. Atque à subiecto, in quo inhæret, præscindi posse, illæso persistente ipsomet subiecto, ostendi *loco cit. quæst.* 7. *artic.* 2. Quapropter, etsi omnes relationes sint extrinsecæ, cum resultent ex extremis, quæ sunt ipsis extrinseca: tamen quia quædam ex eis necessariò, quædam verò contingenter ex iisdem extremis oriuntur: ideircò non inconsultò nonnullæ intrinsecùs aduenientes; quædam verò extrinsecus aduenientes appellantur.

6. Non me latet Suarez cit. contra Scotum sic ratiocinari. Discrimen inter vtramque relationem à Scoto traditum nullum est. Siquidem relatio propinquitatis v. g. inter Petrum, & Paulum est de prædicamento relationis, & tamen ipsis positis à parte rei non statim resultat relatio præfata inter illos duos: proptereaquòd præter extrema eius nudè accepta, exigitur fundamentum proximum, quod est propinquitas, seu approximatio eorum. Atqui idem contingit in relatione agentis, & patientis, quæ nequaquam emergit, nisi interponatur aliqua mutatio, in aliquo illorum: relatio autem non est mutatio, sed modus quidam, ad quem consequitur relatio. Igitur irrita est, & inanis distinctio Scoti in relationem intrinsecùs, & extrinsecùs aduenientem. Iterùm, non solùm actio, verumetiam potentia referri nequit ad suum obiectum, nec scientia ad scibile, nisi existant à parte rei, eísque existentibus consequuntur relationes transcendentales. Præterea subdit idem Suarez, Scoti assertio intelligitur de relatione agentis ad passum, siue effectum: aut de relatione ipsius actionis ad principium agendi. Non primum, quia relatio non est in actione, sed ex actione consurgit: nec diceretur extrinsecùs adueniens: quandoquidem extremis positis in rerum natura, addito eorum proximo fundamento, protinùs resultat ipsa relatio: non ideò dicenda est extrinsecus adueniens. Nec secundum, quia illa relatio extrinsecùs ipsi actioni aduenire nequit, cùm sit ipsi intrinseca, & essentialis. Nec subiecto, in quo est actio: hoc enim pacto omnes relationes forent extrinsecùs aduenientes. Cùm enim sint accidentia, consequenter in subiecto inhærent. Insuper, sicut scientia non est relatio, sed qualitas: ita qualitas non est præcisè relatio, sed modus quidam relationem præseferens; ac proindè nulla est relatio, quæ peculiariter dici valeat extrinsecùs adueniens. Hæc Suarez statuit contra Scotum, quæ facili negotio diluuntur: in primis negando relationem propinquitatis esse prædicamentalem, hoc est de genere relationis, cùm sit relatio extrinsecùs adueniens. Nisi enim Petrus, & Paulus approximentur, non consurgit talis relatio: quod est proprium relationis extrinsecus aduenientis. Nec approximatio extat eius fundamentum, sed quid ad eam prærequisitum; & præsuppositum, absque quo non resultaret ipsa relatio, vt obseruat Lych. *precit.* §. *Ad instantias.*

instantias: Et patet de vnione materiæ, & formæ, quæ præexigitur ad causandum compositum, tametsi ipsa vnio non sit causa compositi. Idque etiam perhibetur de relatione inter agens, & passum, ad quam sequitur mutatio ratione formæ de nouo productæ: propterea Doctor 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *F. & G.* distinguit triplicem respectum, vnum producentis ad productum: alterum inducentis, vel educentis, ad inductum, vel eductum: & tertium transmutantis ad transmutatum. Duo priores respectus sunt intrinsecus aduenientes, quia eorum extremis positis, necessariò emergunt. Tertius verò est extrinsecùs adueniens; propterea quòd eius extremis positis, & vtique approximatis, fieri potest, vt dictus respectus non oriatur, propter obicem ab aliquo agente interiectum ne prodeat actio, vt suprà euidenti exemplo est demonstratum. Hos autem respectus non cernentes Suarez, Rubius, & alij præcitati, mirum non est, si cæco marte contra Scotum decertent, quod non rarò eius impugnatoribus contingit. Denuò, cùm Suarez addit extremorum existentiam esse communem relationibus potentiæ ad suum obiectum, & scientiæ ad suum scibile, tametsi inter relationes intrinsecus aduenientes numerentur, id nobis non officit, qui non penes extremorum existentiam, sed penes alia præadducta secernimus relationes extrinsecus aduenientes ab intrinsecus aduenientibus. Minoris verò momenti sunt, quæ postmodum affert idem Author quærens, quænam sit illa relatio agentis ad passum? cui obuiam fit Doctor *cit. sub G.* affirmans esse habitudinem agentis transmutantis, ad passum transmutatum. Quod confirmat ex Arist. 5. *Met. T.* 17. definiente potentiam actiuam principium transmutandi aliud, inquantum aliud. Sicut autem potentia actiua est principium transmutandi, ita actio, quæ est actus potentiæ actiuæ, est transmutatio alterius, idest passi, inquantum aliud est. Denique gratis ait Suarez actionem esse veluti scientiam, quæ præter absolutam entitatem, relatiuam includit: pariter actionem, relatione excepta, modum quemdam absolutum præseferre. Actio quippè cum sit nomen æquiuocum ex Doct. *alleg. H.* nunc tantùm sumitur pro respectu transmutantis ad transmutatum, vt ex Auctore sex principiorum corroborat idem Doctor *ibidem*.

7. Assertio prima, sex vltima prædicamenta non constantur ex absolutis, vnà cum respectibus. Ita Scotus *Quol. citat. art.* 4 *sub I* qui licèt ibi solùm expressè loquatur de prædicamento vbi: idem tamen diceret de cæteris generibus prænominatis. Suadetur primò, prædicamenta sunt entia per se, & vnumquodque eorum est incomplexum, & vniuocum respectu suorum inferiorum, de quibus essentialiter prædicatur vt constat ex eorum conditionibus assignatis in hoc lib. *quæst.* 3. *art.* 3. *& ex* 5. *Met. circà medium, & eiusdem operis cap.* 2. sed absolutum, & respectus non faciunt vnum per se, nec sunt quid vniuocum, cùm sortiantur distinctas essentias, vt abundè ex superioribus manet exploratum. Igitur, prænominata prædicamenta ex absoluto, & respectu non coalescunt. Secundò, quæ per se pertinent ad prædicamenta, vnum se habet per modum contrahentis, & aliud per modum contrahibilis, eo fere modo, quo animal, & rationale: animal quippè est contrahibile, & rationale contrahens: ex quibus duobus efficitur vnum per se, putà homo: sed absolutum, & respectus non sic se habent; secùs conflarent vnum tertium, quod essentialiter componeretur ex absoluto, & respectu, quod est impossibile. Non ergo prædicta prædicamenta consistunt in absoluto, & respectu. Tertiò, quod in aliquo genere supremo essentialiter includitur, prædicatur essentialiter de iis omnibus, quæ in eius serie reconduntur, vt patet ex definitione prædicamenti allata, & exposita *in Isag. lib.* 3 *quæst.* 4. *art.* 2. Si ergo sex vltima prædicamenta ex absoluto, & respectu conficiuntur, absolutum, & respectus essentialiter prædicarentur de omnibus suis inferioribus; sicque absolutum formaliter esset respectus, & econtrà, quod est manifesta in ipsis terminis implicatio.

8. Assertio secunda, Postrema sex prædicamenta non sunt posita in denominationibus purè extrinsecis: adeò vt v. g. Vbi aliud non sibi velit, quam denominationem extrinsecam corporis locati à superficie ipsum continente, prouenientem, siue extrinsecè circumscribi à loco. Deducitur ex Scoto *vbi suprà*. Probatur primò, prædicamenta sunt coordinationes generum, specierum, & indiuiduorum: sed denominationes extrinsecæ nequeunt esse huiusmodi series. Ergo ista prædicamenta haud sita sunt in denominationibus extrinsecis. Ma. patet ex superioribus Min. ostenditur: genera, species, & indiuidua primò intentionaliter capta sunt entia substantialia, aut accidentalia, quorum priora per se subsistunt: posteriora verò in subiecto inhærent, ex quorum numero sunt sex ista prædicamenta, cùm sint accidentia, quæ nequeunt esse puræ denominationes extrinsecæ, cùm propriam, accidentalem naturam sortiantur. Secundò si per denominationes extrinsecas efficiuntur sex vltima prædicamenta, deducitur, Deum poni in hisce categoriis, quia ipsi attribuuntur denominationes extrinsecæ: Deus enim denominatur extrinsecè Dominus, Creator, &c. vt cum D. Aug. 5. *Trin. cap* 16 & Magistro 1. *dist.* 30. *quæst.* 2. docet Scot. *antè* §. *Ad argumenta* 1. *quæst. sub I.* At nec Deum, nec aliquid de Deo in vllo residere prædicamento probaui *quæst.* 4. *art.* 3 *huius libri*. Ergo rationes horum prædicamentorum non saluantur in extrinsecis denominationibus. Tertiò tales denominationes extrinsecæ aut sunt subiecta per eas denominata, aut quid ab eis distinctum, aut nihil. Non tertium, quia prædicamenta sunt entium realium coordinationes ex 5. *Met propè medium* Nec secundum, quia illud sic ab eis dissitum, vel est accidens absolutum, vel relatiuum, & recurrunt ea, quæ suprà inferebam, quæve Authores secundæ sententiæ non admittunt. Nec primum, quia cum subiecta denominata sint substantiæ, vt paries, qui dicitur visus à visione in oculo existente: aut accidentia absoluta, vt superficies, quæ denominatur cognita à cognitione in intellectu inhærente: huiusmodi prædicamenta à primis duobus haud dissiderent, quod falsum esse, nemo est, qui non videat. Plura Aureolus præcitatus & Fons. nominatus *sect.* 4.

9. Assertio tertia, sex prædicta prædicamenta non constituuntur per modos absolutos, sed per relationes extrinsecùs aduenientes. Hanc defendit Scotus *locis allegatis*. Prima pars probatur, nihil est in his prædicamentis, quod sit formaliter absolutum: ergo ista prædicamenta non consistunt in modis absolutis. Ant. probatur, tria v. g. possunt tantum à nobis considerari in *vbi*, nempè corpus à loco circumscriptum, ipse locus circumscribens locatum, & circumscriptio corporis locati: sed corpus nec est vbi, nec in prædicamento vbi, cùm sit in categoria substantiæ: neque locus est vbi, cùm sit superficies corporis continentis *ex* 4 *phys. T.* 41. superficies autem est in genere quantitatis. Restat ergo circumscriptio corporis locati, quæ non est quid absolutum, sed relatio extrinsecùs adueniens. Præterea, illud est essentia alicuius, quo primo posito, ponitur, & quo primo ablato, remouetur: sed posito quouis absoluto, non ponuntur dicta prædicamenta, vt quamuis sint corpus, & locus nisi approximentur, & corpus ponatur in loco, non habetur vbi Igitur non in modis absolutis sita est natura harum categoriarum. Secunda pars euidenter sequitur ex dictis. Nam cùm sufficienter ens diuidatur in absolutum, & relatiuum; & hæc non sint absoluta, vt probatum est; rectè infertur esse relatiua, non quidem intrinsecùs aduenientia, vt visum est: ergo sunt extrinsecùs aduenientia. Idque ampliùs patebit ex solutione oppositionum, & ex descriptione cuiusuis istorum prædicamentorum, infrà adducenda.

10. Oppo

10. Oppones 1. *Aristot. 5. Met. c. 15. T. 20.* relationes actionis, & passionis apertè locat in categoria relationis. Igitur præter quartum genus, non sunt inuehenda in scholas alia genera relatiua. Præterea idem Philosophus *3. phys. c. 4. t. 21. & 22.* scribit actionem, & passionem, in idem recidere: verùm relationes agentis ad patiens, & patientis ad agens inter se distinguuntur, velut agens, & patiens ab inuicem discrepant. Non ergo admittendæ sunt rationes extrinsecus aduenientes. Respondet Scot. 4 *præalleg. sub H & ibid. in Report. §. dico quod*, actionem triplicem præseferre relationem, vnam ad productum, sic vocatur productio actiua: alteram ad terminum formaliter inductum, aut eductum, & vocatur inductiua, vel eductiua actiua: tertiam ad transmutabile præsuppositum, & nuncupatur actio transmutatiua; & hæc appellatur tantùm actio de genere actionis: reliquæ verò duæ de genere relationis, de quibus solùm loquitur Philosophus *in Met. loco alleg.* & nos *in not. vlt.* mentionem fecimus contra Suarez. Ad alium locum Philosophi respondet idem Doctor *ibid. ante §. Ad propositum sub L.* actionem, & passionem esse idem materialiter: differre verò formaliter, quod alibi abundè planum feci.

11. Oppones 2. prodire ex aliquo intrinsecus, & necessariò, aut extrinsecus, & contingenter, ab eodem genere non separantur, vt liquet de figuris naturali, & artificiali, quæ vulgo in genere qualitatis reponuntur, & de qualitatibus a natura, vel ab arte partis: ergo licet aliquæ relationes intrinsecùs, aliæ verò extrinsecùs oriantur: non obid faciunt diuersa prædicamenta, aut in diuersis disponuntur categoriis: Confirmatur, differentiæ genus diuidentes non sunt extrinsecæ, & accidentales ipsi generi, vt constat ex dictis *q. de differentia*, sed aduenire extremis intrinsecus, aut extrinsecus sunt differentiæ accidentales, respectui in communi: quia respectus intrinsecus, & extrinsecus aduenientes potiuntur eadem communi ratione respectus. Non ergo existunt in diuersis prædicamentis *R. ad ant.* quamuis illa differentias accidentales designent, vt probat argumentum: nihilominus cùm differentiæ essentiales nos lateant, eis vti possumus pro differentiis essentialibus, vt de speciebus qualitatis præstitisse Arist. probabiliter tenet Scot. *q. 36. prædicam §. Ad omnes istas.* Ad conf. idem est dicendum, ea quippe subrogantur pro differentiis essentialibus. *Vel dicito*, illam diuisionem respectus non esse generis, in species, cum respectus sic acceptus sit transcendens, vt superiùs notaui.

12. Oppones 3. propria ratio relationis est referri ad aliud, vt constat *ex q. de relatione*: sed hæc sex principia ad aliud non referuntur: ergo non sunt relationes. Minor probatur inductione, actio est ab agente, non verò ad agens; & passio est in passo, non autem ad passum, vbi est esse in loco; quando est esse in tempore; situs est dispositio partium in loco; & habitus est adiacentia vestis, in corpore. Concessa ma. nego minorem. ad eius probationem dico, quascumque relationes duo præse ferre, nempe esse *In*, & esse *Ad*. 1. ipsis competit, quatenus sunt accidentia: 2. verò quatenus sunt relationes. Propria namque ratio constitutiua relationis est esse *Ad*, vt patebit in examine faciendo de definitionibus horum singulorum prædicamentorũ: illę autem definitiones, quę suprà adductę sunt, etsi communiter admittantur; non tamen omnes sunt veræ, & propriæ, nisi per formalem rationem relationis exprimãtur.

13. Oppones 4. quædam sunt relationes extrinsecùs aduenientes, quæ in nullo horum prædicamentorum collocantur: ergo, per relationes extrinsecus aduenientes non constituuntur sed vltima prædicamenta. Ant. probatur, vnio est relatio extrinsecus adueniens, ex Doctore *3. d. 2. q. 2. & 4. d. 12. q. 1. ante §. Ad argumenta principalia N.* & in aliquo eorum non clauditur, vt patet discurrenti per singulas categorias prærecensitas. Negatur ant. Ad eius probationem dici potest probabiliter cum Scoto nunc alleg. vnionem esse in categoria actionis vel passionis, vnio quippe alia est actiua, alia verò passiua, ex dicendis *in Phys.* vel in prædicamẽto, in quo residet forma quam vnit, vt constabit *art. 7. huius q.*

14. Oppones 5. Scot. *locis prænominatis* scribit relationem extrinsecus aduenientem non consequi necessariò ex extremis, nisi approximentur, & diuinitus huiusmodi relationes posse impediri, vt de facto impedita fuit in fornace Chaldaica: sed idem Doctor oppositum videtur tenere *Quol. 11.* inquiens esse impossibile, corpus esse in loco, & non sequi vbi. Ergo Scot. non sibi cohęret, aut allatum discrimen relationis intrinsecus, aut extrinsecus aduenientis est inane. Resp. Doctorem *Quol. cit.* esse intelligendum penes modum quantitatiuum, hoc est, quod totum corpus sit in toto loco & pars corporis in parte loci, & non habeat vbi, siue esse in loco. Fieri autem potest, vt corpus sit locabile, sitque locus locatiuus & non habeat vbi, siue esse in loco, vt ibi rectè obseruat Gadius *fol. 121. pag. 1.*

ARTICVLVS II.
De Actione.

15. PErscrutanti singula sex principia, primùm mihi ordine Peripatetico sequuto, disquirendum occurrit prædicamentum actionis, cuius propriam differentiam se ignorare ingenuè fatetur Bonetus *libello 5. de actione*: nec ipsam satis perspectam cæteri Philosophi nobis reliquerunt. Itaq; vt actio, eiusque decisiones, & proprietates, (quantum ad Logicam spectant) quoquo modo nobis innotescant, libet in medium adducere eius acceptiones, quæ habentur apud Scot 4. *d. 13. q. 1. §. Ad huius autem, H.* Anton. Andream *q. 7. super sex principia*, Gadium, *in exposit Quol. 13 fol. 139.* & Aureol 1 *d. 27.* Est namq; actio nomen æquiuocũ, & quinq; accipitur modis, primò, pro operatione immanente, vt est intellectio, quæ propriè est qualitas, non verò actio nisi æquiuocè: denominatur autem actio propter duas conuenientias traditas à Doctore *Quol. 13. §. Ad ista DD.* & explanatas à Vallono *fol. 45 sua lectura.* Prior est, quia est in cõtinua dependentia à causa, à qua producitur. Posterior quia operatio transit in obiectũ, sicut in terminũ: tametsi obiectũ non accipiat esse per ipsam, sed ipsi præsupponatur; quia est eius causa effectiua partialis. Huius meminit Philosophus *1. & 6. Eth. c. 4 & 9. Met. c. 16.* Secundò, pro respectu producentis ad productũ, quo pacto pater dicitur causa actiua filij. 3. pro respectu inducentis ad inductũ, vel educentis ad eductum, sic calor est causa caloris in ligno. Huiusmodi autẽ respectus esse distinctos patet, quia respiciunt terminos distinctos, & cùm sint intrinsecus aduenientes, locum tenent in categoria relationis, vt aduerti *in art. praced. 4.* pro re acta includente habitudinem ad agens, à quo agitur, siue producitur, quam recitat Arist. *3. phys. c. 3. T. 14.* inquiens, actio est agentis, quatenus est agens actus, sicut perfectio, vt quoque obseruant Conimb. *q. 1. de actione, & passione, art. 1.* Actio autem sic accepta, quatenus designat absolutum pertinet ad aliquod ex prędicamentis absolutis: vt verò respectum includit, si fuerit respectus intrinsecus adueniens, collocatur in prædicamẽto, *Ad aliquid*: quod si extiterit extrinsecùs aduenies, in hoc prædicamento sedẽ habet. 5 pro respectu trãsmutantis, ad transmutatũ & actio sic sumpta describitur à Porretano secundũ quã in id, quod subijcitur agere dicimur. Et hæc coincidit in definitione Scot. *Quol. 13. §. de 3. circa AA. & A. cit. sub G.* actio est habitudo agentis ad passum transmutatũ. Quam abundè declaraui, & exemplis illustraui *in Epit. l. 1. q. 4. a. 9.* secatur autẽ actio in immanentẽ, & transeuntem. Actio transiens est vera actio, de genere actionis, quæ non descripta est. Actio autem immanens non est vera actio, sed qualitas, in genere qualitatis reposita, vt suprà monui. Idcóque prææallata diuisio non est generis in species, sed vocis in suas significationes, vt benè aduertit Doct. *Quol. alleg. §. Ad ista DD.* Rursùs actio

distribuitur in instantaneam, quæ fit in instanti, vt generatio, & illuminatio: & successiuam, quæ fit aliquo temporis interuallo, vt alteratio, & loci mutatio. Iterùm in actionem substãtialem, cuius terminus est substantia, vt generatio compositi physici: & accidentalem, cuius terminus est accidens, vt dealbatio parietis: quas omnes ad hoc prędicamentum pertinere opinantur cursus Scotici Philosophici indiuidui comites, *disp.* 8. *q.* 12. *art.* 2. Duæ autem proprietates recẽsentur ab Arist. *in hoc c. &* Scot. *q.* 16. *prædicam.* § *Notandum*, quarum prior est recipere contraria: posterior verò recipere magis, & minus. Istæ autem (notante Scoto *ibid.*) conueniunt ipsi actioni penes terminos ad quos, à quibus *ex* 5. *phys. T.* 4. & inde specificantur: maneantque explanatę *in Epitome loco cit.*

16. Assertio 1. actio non est aliquid absolutum. Ita Scot. *locis præalleg.* quibus. addo *quol.* 11. §. *De* 4. *sub K.* Probatur 1. si actio foret quid absolutum, daretur actio actionis; nam absolutum productum, cum non sit à se, nec à nullo, per actionem, productum est: ergo si actio foret quid absolutum, per actionẽ produceretur, sicque abiretur in infinitum, vt contẽdit Stagirita 5. *phys. T.* 10. probans ad actionem non posse esse per se motum 2. Si actio foret quid absolutum, aut esset in agente, aut in patiente. Non primum, quia agens mutaretur, essetque non agens, sed patiens, recipiendo nimirum huiusmodi formam absolutam, quod implicat in adiecto, idem respectu eiusdem simul esse agens, & patiens, vt quoque subtiliter ostendit Aureolus nuper cit. *ar.* 2 §. *Restat ergo.* Nec 2. quia patiens nequiret recipere formam aliam absolutam, potà quantitatem, aut qualitatem, nisi prius, vel simul reciperet actionem, quæ ponitur forma absoluta ab aliis distincta. Hoc autem inconueniens est, vt scilicet subiectum non valeat suscipere formam priorum, nisi recipiat formam posteriorem, quæ à priori non depẽdet, cum absque illa persistere queat, vt liquet de albedine manente in pariete post dealbationem, quæ est actio transiens. Hanc pariter assertionem suadent rationes adductæ *in antecedente art.* probantes sex vltima prædicamẽta (in quorũ numero refertur actio) non esse absoluta.

17. Assertio 2. Actio de genere actionis est relatio extrinsecùs adueniens transmutantis, ad transmutatum. Hanc tenet Scotus *vbi suprà.* Probatur ex Arist. 5. *Met. T.* 17. definiente, potentiam actiuam, principium transmutandi alterum, inquantum alterum: ergo, sicut potentia actiua per Arist. est principium transmutandi; ita actio, quæ est actus potentiæ actiuæ est transmutatio, siue relatio transmutantis, ad transmutatum Hoc ipsum vult Author sex principiorum, qui describens actionem inquit, *actio est, secundum quam in id, quod subiicitur, agere dicimur.*

18. Omne ens vel est absolutum, vel relatiuum, vt non semel suprà perhibui: sed actio non est aliquid absolutum, vt ostendi *in præcedente assertione.* Ergo actio est quid relatiuum, non extrinsecùs adueniens, quia positis actiuo, & passiuo, non sequitur necessariò actio: potest namque impediri, aut per intercapedinẽ aut per agẽs obsistens: quamuis sint approximata, vt plene fuit declaratum *in superiori art.* Ergo apertè deducitur actionem esse relationem extrinsecùs aduenientem. Idipsum quoque suadetur in præeunte artic. probante sex postremas categorias, in quibus continentur actio, esse relatiuas.

18. Oppones 1. Nullus respectus est principiũ agendi, veluti nec quantitas, ex Auer. 4. *phys. comm.* 84. Sed actio est formaliter respectus, vt constat ex 2. *assert.* Ergo actio non est principium agendi, quod aduersatur eius definitioni præadductæ Resp maiorem esse distinguendam, nullus respectus est principium agendi vt quod, veluti ignis est principium producendi calorem in ligno, concedo: nullus respectus est principium agẽdi vt quo, hoc est vt principium formale productiuum, vt calor est principium formale producendi calorem, etiam concedo: nullus respectus est principium quo, tanquã actus productiuus, nego. Sic enim calefactione, quæ est respectus de genere actionis, vt actu productiuo calefacit lignum, & sectione, tanquam actu productiuo, qui pariter est de genere actionis, secatur lignum. Itaque actio dicitur productiua, quia per eam tanquam actum productiuum attingitur productum. Hæc solutio exhauritur ex Doct. 4. *cit.* §. *Ad argumenta sub P. & in Reportatis ibid. & Quol.* 13. *sub BB.*

19. Oppones 2. Relatio 2. modi fundatur suprà actionem, & passionem *ex* 5. *Met. T.* 20. sed relatio non fundatur nisi suprà absolutum: ergo actio, in qua fundatur relatio, est quid absolutum. Resp. cum Scoto *in* 4. *alleg. sub V.* assertum Philosophi sic esse exponendum, relationem 2. modi fundari super actionem, & passionem tanquã præuias dispositiones ad illam necessariò prærequisitas: fundari verò in potentia actiua, & passiua, vt proprio fundamento, de quo *q.* 6. *huius lib. art.* 8. *&* 13.

20. Oppones 3. Creare est propriè agere: ergo creatio est propriè actio: sed creare non est referri, quia per creationem Deus non refertur ad creaturas: ergo creatio non est relatio: atque ita actio generatim sumpta non est relatio, cùm ab inferiori, ad superius affirmatiuè valeat consequentia. Conf. cuius est potentia, eius est actus, ex Arist. *libello de somno, & vigilia in initio*: sed Deo propriè competit potentia actiua: ergo vtique ipsi conuenit actio. Resp negando ant. & pariter consequentiam, cuius rationem adducit Scot. *nuper alleg. N.* vbi est totalis productio absque vllo præsupposito subiecto, ibi non est propriè actio de genere actionis, quia actio huiusmodi semper supponit subiectum *ex* 5. *Met. commen.* 17. *& ex lib. sex principiorum c. de actione.* Quapropter cùm Deus ex nihilo creet, consequenter creare non est propriè agere, nec creatio est propriè actio, vt capitur à Philosophis, & cõstat ex eius definitione præallata. Ad conf. dico cum eodẽ *ibid X.* sicut actio est nomen æquiuocũ, sumitur enim latè pro quacumque productione, & angustè pro productione tantum transmutatiua, quæ sola est de genere actionis: sic potentia actiua accipitur pro potentia absolutè productiua: & pro potentia transmutatiua, à qua exurgit actio transmutatiua, veluti à potentia simpliciter productiua egreditur actio simpliciter productiua. Ideò præfata instantia nullius est ponderis.

21. Dices Scot. nunc allegatum tribuere Deo potentiam productiuam, & transmutatiuam, pariterque actionem absolutè productiuam, & transmutatiuam. Cùm autem actio transmutatiua sit de genere actionis: deducitur eam ipsam actionem Dei collocari in prædicamento: quod non videtur concedere idem Doct. 1. *d.* 8 *q.* 3. Dico actionem Dei ad extra, quęcumque illa sit, cùm sit rationis, perhibente Scoto *in Report. cit.* §. *Dico igitur*, non residere per se in ista categoria cùm ex dictis omne prædicamentum sit series entium realium. Idque liquet à simili, de relatione dominij per quam Deus dicitur Dominus in tempore. quæ non est formaliter realis, sed rationis duntaxat, vt declarat idem Doct. *hoc in loco antè* §. *De* 2. *art. allegans dist.* 30. *primi, in fine solutionis principalis quæst* 5.

ARTICVLVS III.

De Passione.

22. MVltæ passionis acceptiones ex diuersis Authorib. collectę leguntur *in lexico Theologico*, quatuor habentur 5. *Met c.* 21. *T.* 26 nos verò cum Vorril. 1. *d.* 14. & Pelbar. *Tomo* 1. *Rosarij verbo passio*, tres potissimùm ad rem nostrãm facientes adducimus, cæteras relinquentes suis locis expendendas. Primò autem vsurpatur passio pro rei proprietate, cum ipsamet re conuertibili, ex cuius principiis essentialibus emanat sic risibilitas est passio hominis, hinnibilitas equi, & de passione sic sumpta egi *l.* 2 *q.* 6. Secundò, pro qualitate sensibili, quæ est tertij modi qualitatis, sic sumpsit passionem Arist. 2. *Rhet.* inquiens gaudium tristitiam, spem, timorem,

timorem, & id genus alia esse passiones. Tertio pro receptione cuiuscumque formæ in præiacente materia: & describitur à Porr. his verbis, *passio est illatio, effectusque actionis*, siue, vt ait Titel cit. *cap.53. passio est secundum quam in id, quod subiicitur, pati dicitur.* Et Scot.4. *dist.13. quæst 1. & dist.43. quæst.5. §. De tertio infrà H. passio est respectus extrinsecus adueniens transmutati, ad transmutans* Cùm enim actio, & passio sint respectus oppositi ex Doct. cit. & Antonio Andrea *vbi suprà quæst.8.* ob id se mutuo respiciunt, vnusque alterum vicissim manifestat, atque alter in alterius descriptione implicitè, aut explicitè collocatur, vt patet inspicienti vtriusque descriptionem. Quocircà cùm ex cognitione vnius relatiui, definitè noscatur alterum, vt scribit Aristoteles *c. de Ad aliquid*: actio verò, & passio sint correlatiua, infertur ex cognitione actionis præhabita *in art.* scitè cognosci passionem, quæ est eius correlatiuum. Quodque de diuisionibus, speciebus, & proprietatibus pariter dicendum est solo nomine actionis mutato, in nomen passionis, vt aduerti *in Epitome lib.1. quæst.4. art.9.*

23. Assertio, passio est respectus extrinsecùs adueniens transmutati, ad transmutans. Ita Scotus *vbi suprà.* Probatur iisdem mediis, quibus probata est secunda assertio superioris articuli, seruata porportione, quam mox indicaui. Oppositorum quippè eadem est ratio, & disciplina 8. *Top.1.* Sed actio, & passio sunt respectus oppositi, vt suprà notaui: ergò sicut actio est respectus extrinsecùs adueniens transmutantis, ad transmutatum: ita passio est respectus extrinsecùs adueniens transmutati ad transmutans.

24. Oppones primò, non sunt plura admittenda sine necessitate, vt commune fert Philosophorum adagium 1. *phys. T.41* sed nulla necessitas cogit admittendi passionem ab actione distingui: actio quippè, & passio sunt vnum quid per diuersa nomina significatum. Vocatur enim actio, quatenùs est in agente, & dicitur respectus ab hoc; estque passio, quatenùs est in passo, & dicitur respectus in hoc, vt videtur sentire Aristoteles 3. *phys. T.218.* dicens, *sicut est eadem via ab Athenis ad Thebas: sic à Thebis ad Athenas, non tamen idem est ascensus.* Ergo actio, & passio sunt protsùs idem, ac proinde distincta non faciunt prædicamenta. Concessa ma. nego min. ad eius probationem dico ex Scot.4 *distinct.13. quæst.1. ante §. Ad propositum sub L.* esse idem materialiter propter identitatem spatij: esse verò distincta formaliter, quia sortiuntur distinctas definitiones, vt patet ex dictis: habentque diuersas rationes prædicandi de suis inferioribus, suntque in distinctis subiectis: nam actio est in agente, & passio in patiente. In idem videtur recidere responsio Boneti *libello de passione*, inquientis esse idem spatium: esse verò ascensum, & descensum distinctos, actionem, & passionem significantes, quia sunt termini distincti.

25. Oppones 2. definitio passionis assignata à Porretano non est conuertibilis cum ipsamet passione. Igitur non est rectè tradita Ant. probatur, omnis forma terminans motum est effectus, illatioque actionis: agens quippè producit formã, ad quam est motus per ipsam actionem, tanquam per actum productiuum: non est autem asserendum omnem formam terminatã per motum esse actionem de genere actionis. Resp. cum Antonio Andrea *q 8. loci pronominati*, passionem vocari effectum actionis, non quia actio passionem efficiat, vt principiũ quod, aut vt principium formale quo: sed vt actus productiuus, quo agens per transmutationem, transmutat passum: ista verò transmutatio passiua perhibetur passio, & illatio, siue effectus actionis, propterea quod est respectus consequẽs formam, ad quam passum transmutatur.

26. Oppones 3. Principij non est principium, sicut loci non est locus, nec actionis est actio, nec productionis est productio: sed passionis principium est actio, vt constat ex descriptione ipsius passionis prææallata: ergo &c. Resp. maiorem verã non esse absolutè: quandoquidẽ substantia est principium accidentium, quorum sunt nouem principia, siue prædicamenta. Quare distingui potest maior, in eodem genere, concedo: in diuerso genere, nego: idque suaderi potest de forma, & materia, quæ sunt principia rerum naturalium in diuerso genere; non autem in eodem genere, cum forma à materia originem suam trahat; hæc enim ex illa educitur, vt palam fiet *in physica.* Atque confirmari potest ex illo 2. *phys. T.30.* causæ sunt sibi inuicem causæ, supple, in diuerso genere causæ, ex *ibi* dicendis.

27. Instabis. Actiuum, & passiuum sunt eiusdem generis ex 1 *de generatione T.50.* ergo vtique actio, & passio sunt eiusdem generis, siue prædicamenti; consequentia tenet per locum à coniugatis. Iterum, contraria participant idem genus ex 10. *Met. T 42.* sed actio, & passio sunt contraria: ergo &c. Respond. ant. desumptum ex Arist. interpretandum esse de genere physico: non autem de genere logico, de quo hic verba facimus. Ad id, quod subdjtur pro eiusdem confirmatione, dico maiorem valere de oppositis contrariis: non verò de oppositis relatiuis, cuiusmodi sunt actio, & passio.

ARTICVLVS IV.

De Vbi.

28. BOnetus *libello 9, de vbi* post Scot 4.*d.10.q.1.§. Quantum ergo K. & Quol.41. sub O.* notat descriptionem *vbi*, allatam ab Authore sex principiorum haud esse communem omni vbi, vtpote actiuo, & passiuo, definitiuo, & circumscriptiuo. Solùm quippè ea descriptio vbi passiuo circumscriptiuo adaptatur, quod solis rebus corporeis accõmodari, apud omnes est in confesso. Est enim huiusmodi vbi circumscriptio corporis, à circumscriptione loci proueniens. Siue, vt ait Doct. *Quol cit. art.4. ante L. Vbi est respectus extrinsecùs adueniens corporis contenti, ad locum continentem.* Potest autẽ tradi ratio vbi generalissima, quæ est præsentia rei in loco, vt indicat Doctor *nunc alleg antè, & post O & in 4. quoque prærecensito K Q. & R.* Hocque apertè affirmat Gadius *fol.117.* & non dissentit Lych. *ibid §. In ista q.* Secatur autem *vbi* sic absolutè, & præcisè sumptum in vbi definitiuum, quod est præsentialitas rei, in loco, hoc est, ita ibi, vt non alibi: quo pacto Angelus ita est in Cœlo, vt non sit in terra; & circumscriptiuum, quod est formalis circumscriptio corporis in loco: estque duplex actiuum, & passiuum. Vbi actiuum est circumscriptio actiua, siue respectus extrinsecus adueniens loci circumscribentis, ad corpus circumscriptum: & vbi passiuum est circumscriptio passiua, seu respectus extrinsecus adueniens corporis circumscripti, ad locum circumscribentem, qui est formaliter locus, vt patebit *in phys.* in qua natura vbi, eius vnitas, pluralitas, immobilitas, & alia eiusmodi ad ipsum spectantia, fusè, & accuratè sunt pertractanda.

29. Oppones 1. vbi, & locus formaliter sumptum coïncidunt, vt notat Gadius *fol.119.* licet Porret. inter ea nonnullum discrimen asserere videatur: sed locus est superficies corporis continentis ex . *phys. T.39.* & inde: & *in opere de Cælo* legitur, substantias abstractas, siue Intelligentias, quas nos Angelos vocamus, à tempore, & loco non circumscribi. Igitur inepta est diuisio vbi in definitiuum, & circumscriptiuum, cùm vbi circumscriptiuum ab Arist aliisque Philosophis tãtùm agnoscatur, & recipiatur vt præ aliis fatetur Scot. *in Report. 4. d.10. q.1. vers. Ad quod genus.* Concessa ma ad minorem dico nimis angustam esse definitionem Arist. cæterorumque Philosophorũ de vbi, & loco vniuersè sumptu (licèt, vt notat Lych. *in fine 1. art. Quol. 51.* expressè Arist. non asserat tantùm vbi passiuum poni in categoria vbi) cùm non comprehendat, nisi vbi, & locũ circumscriptiuum. Verùm esse latiorem, & ampliorem definitionem, vbi statum in principio huius *art. admoni-*

30 Oppones 2. Actio,& passio faciunt duo genera suprema, quia sunt duo respectus oppositi habētes duas rationes generales distinctas, prædicabiles de suis inferioribus. Ergo pariter vbi actiuum,& passiuum constituunt duo prædicamenta, cùm vtrobique sit eadem ratio: secus diuisio in vbi actiuum,& passiuum, vana prorsùs,& inutilis censenda est, vt *in hoc c.* obiicit Tol. Id etiam de quibusdam aliis categoriis deduci potest, vt patet de serie categoriæ quando, & habitus *in Epitome quæst.4 lib.1. art.12. & 13.*

Antonius Andreas *quæst.15.in sex principia,*& Gadius *fol.119.* proponunt hanc difficultatem,& insolutam relinquunt. Orbellus *in præsenti* citatus à duobus nostris Iunioribus *disp.6. q.1. in solutione* 2. negat paritatem: siquidem actio, & passio reales, & generales rationes agendi,& patiendi inter se distinctas sortiuntur: verùm vbi actiuum, & passiuum Grammaticales tantum actionem,& passionem denotant, propterea quod exprimūtur per verbum actiuum, & passiuum: veram autem,& realē actionem,& passionem haud significant: eo ferè pacto, quo Verbū diuinū dicitur incarnari vocaliter, & grammaticaliter, vt notant Scot.3.d.1.q.1. *tor.3 §. Ad argumēta sub L.* & idem Orbellus *ibid.q.1. ad tertium.* Huius ratio non spernenda reddi potest; nam vbi aut sumitur materialiter,& sic est superficies corporis continentis, quæ est quantitas actionis incapax: aut formaliter, & est relatio, quæ pariter non est de genere actiuorum.

31. Dices, actio est formaliter relatio, ex dictis supra,& tamen est principium quo agendi: ergo ratio adducta nullius est momenti. Dico actionem esse actum productiuum, per quem effectus producitur: at non sic relatio, quæ est locus formaliter, quia per hanc nihil producitur: ideò illa ratio non est incongrua.

32. Oppones 3. vbi definitiuum locatur tantum reductiuè in categoria vbi, vt fatentur Antonius Andreas *quæst 11.loci cit.* & alij Doctores, à quibus non videtur longè distare Scot.4. *cit. sub K.* Ergo vbi definitiuum non est species vbi generatim sumpti, quia species ponitur per se in prædicamento, cuius est species, vt patet *q.3. ar.3. istius libri.* Respond. prænominatos Authores loqui in sententia communi Arist. Porret. & aliorum assentientium in hac categoria vbi circumscriptiuum duntaxat. Cæterum absolutè loquentes, & texentes catalogum generalem omnia vbi comprehendentem, in eo rectè collocamus vbi definitiuum,& circumscriptiuum, actiuum,& passiuum, vt ostenditur *in Additione Quol.11.ante D.& 4 proxime alleg.*& recipitur à Lych. in expositione *Quol. cit. artic.1.* Gadio *ibid.* aliisque Scotistis, à quibus non recedunt plerique Recentiores extra Scotum Licæum.

33. Oppones 4. si duo corpora diuinitùs existerent in eodem loco; vel forent in eodem vbi, vel in duobus vbi, vel in nullo vbi. Non tertium, quia supponuntur esse in aliquo vbi: nec 2. quia est extra suppositionem; supponimus enim ea esse in eodem loco,& vbi: nec 3. quia cū sint duæ circūscriptiones passiuæ, quibus ambo illa duo corpora circumscribuntur, consequenter erunt duo vbi, & duo loca formalia: ac proinde non extabunt in eodem loco,& vbi, vt supponitur in argumento.

Resp. data hypothesi, duo corpora forent in eodem loco materiali, non verò in eodē loco formali, vt scribit Scot. *Quol.cit ar.3.* quod *in phys.* late est examinandum: interim vide Lych.& Gadium *ibidem.*

Articvlvs V.

De Situ.

34. Hoc prædicamētum ab Arist.5.*Met.c.19.T.14. dispositio*: ab Auctore sex principiorum *positio*: & vulgò à cæteris Philosophis *Situs* nuncupatur. Omissā verò illā populari acceptione situs pro loco, siue spatio, in quo aliquid situatum esse dicitur: quo pacto v.g. arbor in hoc, aut illo loco viridarij esse perhibetur, vt natura ipsius situs plenè nobis innotescat, adnectimus cum Doct. *præcit.* §. *Dico ergo M.* positionem esse duplicem, alteram, quæ est differentia quantitatis, & describitur ordo partium in toto, ad quam tria exigi, scribunt Interpretes *in c. de quantitate*, videlicet subiectum, in quo sint huiusmodi partes, hocque sit continuum,& partes eius sint permanentes, vt quædam sint extremæ, quædam intermediæ, vnaque post aliam existat, vt patet de verme,& aliis, quæ luculenter tractantur à Titel.*l.2.c.16.* Alterā verò, per quam constituitur prædicamētum situs, quæ est ordo partium totius ad partes loci. Hæc præexigit,& præsupponit illam: necesse quippe est, partes prius inter se disponantur,& ordinentur, quam partibus loci commensurentur,& coextendantur. Vnde diuinitus prima seiungi valet à secunda: idq; dupliciter, vno modo per negationē termini, vt si Deus conderet aliquod corpus extra Cœlum, in eo foret positio quantitatis, quia partes eius adinuicē forent dispositę; non tamē esset positio situs, quia non existente loco, nec partibus eius, nulla foret coextensio, & commensuratio partiū eius ad partes loci. Altero modo per positionem, & existentiā termini Potest enim Deus corpus conseruare cum suis partibus, tametsi loco non contineantur, & circumscribantur huiusmodi partes. Prius namque quit existere, siue posteriori, intrinsecum absque extrinseco,& quod contingenter cum alio coniunctum est, ab eo diuina virtute segregari valet, cuiusmodi est positio quantitatis, respectu positionis situs, vt diuinè probat Scotus *loco memorato N. & O.* Maius autem extat dubium, quodnam discrimen intercedat inter vbi,& situm. Siquidem nonnulli, vt Fons.5. *Met. q.2. sect.4.ad 5.* quibus fauet Suarez *disp.12. Met sect.1. ..7.* Arriaga *disp.5.sect.3.n.42.* & duo noui Scotistæ *disp.8. Log.q.12.ar.2.* censent philosophicè vbi,& situm coincidere: populariter verò abinuicem dissidere Atque cum Arist. & cæteris Philosophis *in præ... cap.* statuunt situm, peculiare prædicamentum ab aliis distinctum, conantur assignare discrimen, per quod situs ab vbi verè distinguitur. Inprimis Bonetus ingeniosus Scotista *lib. de situ* totus est in hoc accuratè explicando,& euidenter suadendo. Et certè (vt patet ex Doct. *in 4 alleg. M*) communiter Philosophi secernunt vbi à situ, in eo quod vbi est circumscriptio totius locati ad totum locum, situs verò est habitudo partium locati ad partes loci locantis. Has autem duas habitudines inter se distingui, planè ostenditur, quia stante eodem vbi alicuius corporis, mutari valet situs eius partium, vt si vas plenum aqua persistat in eodem loco; partes verò huc, illucque cieantur, tunc manet idem vbi, partes verò aquæ per motum diuersimodè dispositæ diuerso potiuntur situ. Quod si hæc ratio non tibi arridet, quia siue totum in toto loco, siue partes totius ponantur in parti... loci, id prorsus ad prædicamentum vbi pertinet, quandoquidem totum vbi ex partialibus vbi conflatur Vt enim respectu totius locati ad totum locum est prædicamentum vbi: ita respectus partium locati ad partes loci ad eamdem categoriam pertinet: ob id hæc duo abinuicem discriminari non videntur. Dicito cum Bonet.& pleris que Recentioribus differentiam vbi,& situs in eo esse positam, quod vbi est præsentia rei in loco præscindens à quouis modo se habendi in ipso loco: situs autē est modus determinatus præsentiæ vbicalis, siue modificatio coëxistentiæ, nedum partis ad partem: verumetiā coëxistentiæ totius locati ad totum locum, vt sessio, statio,& cubatio. Hoc insinuat Doctor *in 4.cit.paulò antè N.* inquiens: *positio prædicamentū præsupponit positionē quantitatis,& specificat vbi.* Idem innuit Pet. his verbis, *pos... io est quædam partiū situs,& generationis ord natio, secūdum quā dicitur stans,vel sedens.* Rursus vbi sei... ...st ab omni situ, vt patet de vbi corporis Christ. D... in Eucharistia, quod omni situ spoliatur. Præterea, vbi est fundamētū situs, quia modificat ipsū vbi,& determinat: palā autē, quod fundamētū dissidet ab eo, cuius est fundamentum,

tum,& subiectum,vt constat de relatione,eiusque fundamento:nec non de accidēte,eiusque subiecto. Iterùm, non est inficiandus denarius prædicamentorum numerus , vt tradit Doct. *vbi supra in fine* 1. *art.* & apertius *d.* 13.*q.* 1 §.*Ad huius C* & nos *q.* 5 *art.* 1.*huius lib.* Si autem vbi,& situs non discrepent,non denarius,sed nouenarius extabit categoriarum numerus,repugnante vniuerso Peripateticorum lycæo, nam hic tum 5. *Met.* vt notat Ruuius *cap.* 10.de prædicamento situs,contrà Mastrium, & Bellutum, qui ne Boneto contendentes , leui fulti fundamento,Arist.& Scoto contradicentes præfatum prædicamentorum numerum abnegant,vt in oppositionibus mox adducendis perspicuū erit. Nec satisfacit Suarez præcit.qui *n.*9. vt prætactas difficultates dissoluat, ponit distinctionē rationis inter vbi,& situm. Non satisfacit, inquam , quia ex alibi assertis prædicamenta sunt rerum, vel realitatum series, in quas non cadit distinctio rationis,sed realis,aut formalis. Præterea, plusquam distinctio rationis habetur inter modum, & rem modificatam,inter determinans, & determinatum, vt sæpis suprà fuit ostensum. Non igitur ad horum solutionem adhibenda est distinctio rationis, quæ à solo intellectu excogitatur.

35. Oppones primò, Scot. prænominatus §. *Dico aliter M.* aliam non agnoscit differentiam inter vbi,& situm,quam eam,quam superius adduxi, & constat ex eorum descriptionibus: vbi namque est respectus extrinsecùs adueniens totius circumscripti ad totum circumscribens. Situs verò est respectus extrinsecùs adueniens partium circumscripti ad partes circumscribentes Et *in Report.* 4 *d.* 10.*q.* 1.§. *De* 2.*difficultate* positio nihil aliud dicit,quam quoddam vbi. Hanc ipsam differentiam insinuat Stagirita 5. *Met.c.*19.*T.*24. dispositio dicitur *ordo habentis partes,aut loco,aut potentia,aut forma* Non ergo est inuestigandum aliud discrimen inter hæc duo prædicamenta,præter assignatum. Fateor esse communem,& vulgatam differentiā vbi,& situs ab eis Authoribus allatam,& expressam,propriam verò,& quidditatiuam esse,quam mox ostēdimus,quamue nec ignotam, nec inuisam iisdem Authoribus significaui suprà. Eò magis,quia *in Report. nunc alleg.* Scot. affirmat positionem esse prædicamentum,quod nisi afferamr præfatum essentiale discrimen,ab vbi non videtur dissidere; quod multis in locis præsupponit , defendens diuisionem in decem genera esse retinendam , consequenter distinguendum esse prædicamentum vbi , à prædicamento situs per prænominatum discrimen.

36. Oppones 2. Entia, & modi non multiplicantur absque necessitate , vt sæpè inculcant Philosophi , & Theologi : at si situs est modus vbi superadditus,& à nobis præexplicitus,multiplicantur modi,nulla vrgente necessitate. Rectè enim à nobis capitur,quomodo res sit disposita,penes ordinem suarum partium,ad partes loci, nempe sedendo,stando,vel cubando;quamuis non alius modus existendi in loco effingatur.Ergo melius est negare situm esse distinctum ab vbi,quàm inuehere illum nouum modum præsentialitatis Concedo ma.nego min. eiúsque probationem,vt euidenter conuincere videntur rationes præallatæ,quas esse magni ponderis non diffitentur duo Iuniores Scotistæ prænominati.

37. Oppones 3.*in* 1.*art.huius q.* reiecta fuit opinio eorum,qui arbitrantur sex vltima prædicamenta constitui per modos:nunc verò affirmatur,situm, qui est vnū ex sex illis generibus,esse modum:ergo in superioribus dictis extat contradictio. Resp. nullam esse repugnantiā in nostris assertis:quandoquidem loco recensito repulimus ea prædicaméta effici per modos absolutos,vel per modos absolutos,& relatiuos simul:non inficiamur autem eadem prædicamenta statui per modos relatiuos. Relatio quippè vocari potest modus , scribente Doctore 2. *dist.* 1. *quæst.*4. § *Quod si adhuc D.* cui stipulantur Lych. *ibidem* & Fuentes *in Log. quæst.* 16. *diff.* 5. *art.* 1. *petitione* 2.

Articvlvs VI.

De Quando.

38. Difficile planè est prædicamentorum quidditatiuas rationes concipere , difficiliúsque easdem explanare:testibus Aureolo 1.*d.* 30.*art.*3. *propositione* 5. *in fine*,& Antonio Andrea *q.* 15.*in sex principalia*,§.*Respondeo*. Præsertim nobis valde arduum esse videtur,qui hæc vltima prædicamenta,distincta,& clara cognitione pertingere conamur. Nam,cùm inter relationes referantur, quæ ex dictis sunt exiguæ , & modicæ entitatis: vtique tenuis , & exilis cognoscibilitatis esse debent. Inter ista autem recensetur quando , quod nonnulli, vt Aureol cit.*propositione* 6.putant esse ens rationis,siue vt vtar verbis eius,*aliquid quod intellectus concipit derelinqui ex tēpore,circa ea quæ sunt in tempore* Alij,quos suppresso nomine citat.Ruuius *hoc loco*.& Conimbr. attribuunt S.Th.*opusculo* 48.& Scot.2.*d.* 2 *q.* 2 quos sequūtur nouissimè duo ex nostris *disp.*8.*q.*12.*ar.* 2. opinantur quando esse denominationem extrinsecam de sumptam à tempore,cui res coëxistunt,& in quo esse perhibentur. Scot. autem præcit. Antonius Andreas,Tatar. Ioannes de Magistris, & alij Scotistæ in præsenti affirmant quando esse respectum extrinsecus aduenientem rei contentæ,in tempore. Pro cuius captu.

39. Not. 1. ex Brulifero 1. *d.*8.*q.*2. hæc tria differre, esse cum tempore, esse ex tempore,& esse in tempore, quæ nunc à me sunt explicanda. Etenim esse cum tempore idem est,ac coëxistere tempori,quod Deo, & Angelis competit. Cum enim coexistere perinde sit ac simul existere;Deus verò,& tempus modò existunt,consequenter , Deus , & quæuis alia res creata sua pollens existentia,rectè dicuntur tempori coëxistere. Verum cū ab æterno tempus non extiterit,vt Fides docet,nec post vniuersale iudicium,extiturum sit,iuxta illud *Apoc.*10. *tempus non erit amplius* Ob id nec Deus ab æterno tempori coëxtitit , transactóque die iudicij , nec ipsemet Deus,nec vlla creatura tempori coëxistet. Esse ex tempore idem videtur sibi velle, ac incipere esse , siue de nouo habere esse:idcóque nullum æternum est ex tempore,quia nullum æternum incepit esse, cùm æternum inceptionis,& desitionis sit expers,vt cōstat *Quol.*6.vbi Gadius,& Lych.& ego *Tract.de Deo vno.disp.*1.*q.*8. & *Tract.de Angelis disp* 3.*q.*1. Esse in tempore est mensurari tempore, veluti incipiunt generabilia,& corruptibilia,vt ostendi *in physl de tempore* Ex eo autem,quod aliquid est in tempore,siue mensuratur tempore, resultat quædam relatio extrinsecùs aduemens rei temporaneæ ad tempus,quę vocatur quando,eo ferè modo,quo ex corpore locato ad locum exurgit relatio extrinsecùs adueniens locati,ad locum,quæ apellatur vbi, vt probè obseruat Titel.*l.*2.*c.*55.Hinc à Porret.*c.*4 *sui libel.*describitur quando,quod *ex adiacētia tēporis in re temporanea derelinquitur*,vt autē hęc descriptio melius intelligatur.

40. Not. secundò , cùm Boneto *libello* 8. quando distingui à tempore, quia est aliquid ab ipso tempore derelictum,vt exprimitur in descriptione eius præadducta. Quod enim ab alio derelinquitur,est eo posterius:prius autem, & posterius abinuicem dissidere apertum est. Præterea respectus ab extremis ortus ab ipsis extremis discrepat , veluti effectus distinguitur à sua causa. Cum ergo quando sit respectus proueniens ex re temporanea ad tempus, quando ab ipso tempore secerni in dubium vocari non debet,quidquid in oppositū adducat Fons.5. *Met. cap* 15. *q.*10.*sect.*2. Decerpitur verò ratio huiusce prædicamenti ex coëxistentia rerum generabilium, & corruptibilium, ad motum primi mobilis, quī cùm sit ordinatissimus,& regulatissimus,dicitur mensurare omnia, quæ ipsi subduntur;sic lectio dicitur durare per horam,rosa per diem Ex ipsa autem coëxistentia rerum sublunarium ad motū primi mobilis duo emergunt,

S 3 respectus

respectus, quorum prior est temporis ad rem temporaneam, veluti mensurantis, ad mensuratum, & vocatur quando actiuum: posterior verò est rei temporaneæ, ad tempus, vt mensurati ad mensuram, & appellatur quando passiuum, quod tantum definitur à Gilberto citato, ea fortassè de causa, inquiunt nonnulli, quia passiones sunt faciliores cognitu, nobisque notiores: aut meliùs quia dictus Author in hoc defecit, non assignans rationem generalem ipsius prædicamenti quando, comprehendentem ea omnia, quæ sub ipso continentur, vt de categoria vbi quoque animaduerti *art. 4. huius quæst.* cum Doct. 4 *dist. 10. quæst. 1. art. 1. sub K.* Potest autem quando in vniuersum describi. *Quando est ens limitatum, quo aliquid dicitur esse, vel fuisse, vel fore in tempore, aut æuo.* Item potest quando describi, *duratio rei creatæ,* quæ diuiditur in æuum, & tempus.

41. Assertio, quando non est sola denominatio extrinseca à tempore deprompta, cui res coexistunt: sed relatio extrinsecùs adueniens præexplicita Prima pars aduersantur duobus Scotistis Nuperis, qui 1. *part. Inst. Tract. 1. cap* 7. approbant communem huius categoriæ explicationem: & tamen *disp* 8. *quæst. 2. art. 2.* videntur eam ipsam refellere. Item *ad finem cit. art.* subiiciunt habitum esse denominationem extrinsecam. Rursùs iidem Authores *art. 1.* non sibi cohærentes, inficiantur vltima prædicamenta, inter quæ numeratur quando, in sola denominatione extrinseca non consistere. Tandem cum communi Scotistarum sententia tenent prænominata prædicamenta esse relationes extrinsecùs aduenientes, sed relationes extrinsecus aduenientes non sunt denominationes extrinsecę, vt patet de actione, & passione: ergo quando non est denominatio extrinseca ab ipsis Recentibus exposita, & defensa. Addo, quod si illa denominatio significata per quando constituit vnum prædicamētū, plura alia pręedicamenta quàm præallata, sunt astruenda iuxta denominationum extrinsecarum pluralitatem: sunt denominationes ab actibus ab obiectis, ab effectibus, & huius formæ aliæ. Ampliùs prædicamenta sunt series generum, specierum, & indiuiduorum; non autem extrinsecarum denominationum. Eò vel maximè, quia tempus non est denominatio extrinseca, vt ostendam *in phys.* Ergo nec quando, quod est esse in tempore. Si enim res non est denominatio extrinseca: nec quoque id, quod ipsam rem consequitur: atqui quando est quid à tempore derelictum, vt aperui *in primo not.* Non ergo quando est denominatio extrinseca. Secunda pars est Scoti 4. *dist. 13. quæst. 1. C. & alibi*, quæ satis manet probata *ex primo art. loci prææallegati.*

42. Oppones, si quando formaliter denotat formam aliquam realem, vel illa forma est absoluta, vel relatiua: sed non est absoluta, vt probaui *art. 1. asser. 3.* nec relatiua, quia si quæ sit relatio, est relatio mensurati ad mensuram, quæ est relatio rationis, vt aduertit Doctor *Quol. 13. N.* Ratio est, quia eius extrema non habent esse reale, sed esse cognitum, quod est ens rationis. Confirm. tempus in ratione mensuræ nō est quid reale: ergo nec relatio significata per *quando*, est realis. Concessa maiore, & 1. parte minoris, nego 2. partem eiusdem minoris, ad eius probationem dico, id verum esse de relatione mensurati actu, ad mensuram actu: non verò de relatione mensurabilis ad mensuram, vt rectè exponit Lych. *ibi*, per cuius interpretationem quoque explicatur id, quod habet Doctor 2. *dist. 1. quæst. 3. §. Ad 1. sub C.* Hujusmodi autem relatio est de tertio modo relatiuorum, vt pat 5. *Met. T.* 10.

43. Dices, id illi non competere ex ratione temporis, sed ab extrinseco: etsi nullum foret tempus, adhuc quādo esset mensurabile per suam extrinsecam rationem.

Dico hoc quidem resultare ex tempore, quia ab ipso tempore derelinquitur: tamen ea ipsa relatio est ratio formalis, & quidditatiua quando, vt patet ex eius definitione: nec potest esse absque tempore, quia relatio nequit esse absque suo termino. Ideò Bonet. cit. subiicit, *quando* habere pro fundamento rem, quę est in tempore vel in instanti, & pro termino tempus, vel nunc. Sicut autem tempus præteritum non est, nec futurum est: sed tantum præsens: ita *quando* respectu præteriti, præteritum ęst, respectu futuri, futurum est, & respectu præsentis, præsens est. Ad conf. negatur ant. Ratio negationis patet ex modo dictis, & *in Phys.* magis clarescet, vbi monstrabitur tempus esse ens reale, & independens ab opere intellectus. Dato autem, quod *quando* esset relatio rationis; non ob id nostri Recentes citati suum habent intentum; quandoquidem hi putant *quando* constitui per denominationem extrinsecam, quam non esse ens rationis iidem Authores astruunt *disp. 3. q. 6. art. 1.*

ARTICVLVS VII.

De Habitu.

44. AQuensium Archipræsul 1. *dist. 30. art. 3. propositione* 3. idem sentit de habitu, quod senserat de situ, & quando, existimans habitum esse formaliter ens rationis. Inquit enim, quamuis arma, vestes, & corpus cui applicantur, sint aliquid reale, & figuræ vestium, & armorum, quæ ex vestito, & armato corpore consurgunt, reales sint: nihilominùs intellectus fabricat ex his quoddam esse derelictum, nempe esse ornatum, vel esse tutum in prælio, vel aliud quidpiam, quod esse non habet, præter opus intellectus.

Hæc sententia reiicitur ab omnibus ferè Philosophis tum hic, tum etiam 5. *Met.* nuncupatim Antonio Andrea *quæst. 15. in sex principia*, docentibus habitum, & reliqua prædicamenta esse entia realia, vt ex dictis abunde manet probatum, nec aliud ad hoc suadendum adiiciendum esse arbitror. Licet autem Philosophi communiter tradant habitum esse quid reale: tamen in assignando, quodnam sit illud reale non modicum inter se decertant. Totque referuntur opiniones diuersæ de habitu, quot de quando, & quibusdam aliis categoriis recitatæ fuêre, quas indicat Suarez *disp. 53. Met. sect. 1.* His autem omissis, & in superioribus refutatis, animaduerto nonnullos, inter quos sunt duo nostri iuniores cit. *art. 2.* secuti Bonetum *in prædicamentis libello vlt.* & Bassolium 4. *dist. 12. quæst. 1. art. 1.* nimis amplum facere hoc pręedicamentum, comprehendentes in hoc vnionem, siue connexionem duorum extremorum vniuersè sumptam, siue sit vnio materiæ cum forma, siue accidentis cum subiecto, siue relatio cum fundamento, siue partium cum toto, vt ex definitione habitus inferiùs adducenda liquidò constabit: alios verò nimis angustam, arbitrantes, sub habitu capi solùm arma defensiua, non autem offensiua, quibus fauet Suarez *vbi suprà sect. 2. n. 4.* Et isti ex mox subiiciendis refellentur. Placet mihi opinio Scoti, & Scotistarum communia arbitrantium, habitum esse respectum extrinsecus aduenientem indumenti, aut ornamenti ad indutum, aut ornatum, qui non inanimatis, sed animatis proprie competit, vt obseruat Doctor 1. *dist. 32. quæst. 2. §. Contrà* post Arist. 6. *Eth. cap. 13. & aliis in locis*: quamuis vt idem Doct. subiungit, inanimata valeant denominari ab aliquo adiacente, quod quatenus est quoquo modo ornamentum, aut tegumentum eorum, potest reduci ad genus habitus. Idque dici etiam potest de animalibus arte hominum indutis, aut ornatis; atque similitudine quadam de arboribus, floribus, foliisque, tectis, domibus, peristromatibus, templisque, & cæteris huiusmodi, quæ arte, vel naturâ vestita, vel ornata esse dicuntur. Solùm autem inter ea, hoc discrimen fortassè intercedere videtur, quod illa homo propriâ industriâ sibi, aut aliis comparat: cætera verò suapte naturâ sortiuntur, vt scribit, & exprimit Arist. 3. *de partibus animalium cap. 1.* Vno autem verbo assignari potest ratio communis, & generalis huius prædicamenti, quæ est habitus in concreto, & hab[illegible] abstracto, vt notant Bonet. & post ipsum Suarez [illegible]

[illegible]

aliquri. Describitur à Gilberto *capite 7. sui libel.* sic. *Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia, secundum quam, hoc quidem habere, illa verò dicuntur haberi.* Explicatur à Titel. *libro 2. capite 57.* in hunc modum. Per habitum intelligitur relatio, suple, extrinsecus adueniens exurgens in corpore ea adiacentia, siue applicatione vestimenti, aut ornamenti ad ip'ummet corpus. Huiusmodi autem relationem sic emergere ea ex constat, quod in corpore, quod vestimento induitur, aut cingulo circumdatur, aut alio modo ornatur esse nequit absque vlla habitudine ad vestimentum, cingulum, vel ornamentum, vt infert Titel. *loco cit.* suffragatur Arist. *l. prædicam. c. 10.* inquiens, *habere significat calceatum esse, armatum esse*, id est vt exponit Bonet cit. quatenus arma applicantur corpori, & calceamenta pedibus, consurgit quidam respectus extremorum ad inuicem, quo homo dicitur formaliter armatus, siue habere arma. Itidémque homo dicitur formaliter calceatus, seu habere calceamenta: & tales relationes propriis nominibus nuncupantur armatio, calceatio. Hoc ipsum expressiùs insinuat Philosophus 5. *Met. c 10.* inquiens, habitum esse actum medium, inter habens, & rem habitam, veluti actio mediat inter agens, & effectum: sic inter hominem habentem vestem, & vestem, quæ habetur, medius est habitus. Idem igitur est habitus, ac habitio, siue relatio à nobis præexplicita Ampliùs, in quouis concreto accidentali, cuiusmodi est habitus, tria potissimum sunt consideranda, subiectum, forma, & relatio, quæ ea illis exurgit adinuicem vnitis: pariter in habitu tria expenduntur, corpus, in quo circumponitur vestis, ipsa vestis, & circompositio. Habitus autem formaliter non est corpus, nec vestis, quia vtrumque est substantia, & habitus cùm sit vnum ea nonem generibus accidentis, est accidens. Ergò est circumpositio, quæ est præfata relatio extrinsecùs adueniens vestis ad vestitum, & vocatur habitus actiuus: aut vestiti ad vestem, & appellatur habitus passiuus, vt palàm fit in vltimis verbis definitionis Gilberti. Diuisiones autem huius prædicamenti, eiusque proprietates, rectè & disertè exprimit Titel. præcit. & ego in *Epitome l. 1. q. 4. art. 13.*

45. Oppones. Vnio in aliquo prædicamentorum est collocanda: sed non videtur reponi in alio prædicamento, præterquam in prædicamento habitûs. Igitur habitus comprehendit vnionem generatim sumptam. siue sit rerum corporearum, siue rerum spiritualium; ac proinde prædicamentum habitûs non est limitandum, nec coangustandum ad præfatas vniones indumenti, aut ornamenti, quæ solis corporibus adaptantur. Maior cuilibet debet esse perspicua, quia prædicamenta sunt series rerum omnium creatarum. Minor suadetur inductione singulorum prædicamentorum. Siquidem vnio non residet in prædicamentis substantiæ, aut quantitatis, aut qualitatis, quia hæc sunt entia absoluta: vnio verò ex dictis suprà est ens relatiuum. Nec in categoria relationis, quia ex extremis necessariò non consequitur, veluti relatio de genere relationis. Nec in categoria actionis; patet enim vnionem non esse actionem: transactâ quippe actione, adhuc remanet vnio, vt præteritâ generatione compositi, remanet vnio materiæ, & formæ in ipsomet composito. Nec in prædicamento passionis, propter eamdem rationem moa addnctam, solo nomine actionis mutato in nomen passionis. Nec in genere vbi, quandoquidem vnio præter præsentiam rei in loco, quā præsefert vbi, aliquid aliud denorat, vt liquet de Angelo, qui est quidem præsens lapidi v.g. attamen ei non dicitur vnitus, propterea quod vnio videtur nonnullam designare informationem formæ in subiecto, inter quæ adest ipsa vnio. Nec in syllabo sitûs, propter eamdem causam, quæ data est de genere vbi. Superest igitur vt locetur in catalogo habitûs, quia vnio formæ cum subiecto videtur esse adiacentia derelicta ex accidente, & subiecto simul vnitis. Resp. Concessa ma. negando minorem, ad eius probationem dici potest cum Scoto 4. *dist. 12. quæst. 1. §. Ad quæst. respondeo C.* reuocari ad genus passionis, vt sic passio dicat non tantum respectum ad agens, sed etiam ad formam. Vel ad genus actionis, vt sic actio dicat nedum respectum agentis ad patiens, verumetiam formæ informantis ad illud, quod informatur. Vel dicito vnionem reduci ad categoriam formæ, quam vnit; veluti passio, quæ est proprietas rei redigitur ad prædicamentum, in quo res, cuius est proprietas residet, vt cum Scoto alias dixi Nec improbabile est vnionem attinere ad hoc prædicamentum, vt ex Bassolio tetigi *in Epitome l. 1. quæst. 4. art. 13.*

QVÆSTIO IX.

De Postprædicamentis.

ARTICVLVS I.

Quid sit Oppositio.

1. DEVM opposita condidisse testantur sacræ litteræ, Eccles. 42. *fecit Deus omnia duplicia, vnum contra vnum.* Eáque existere in rerum natura, experientia comprobatur. Calor enim aduersatur frigori, humidum reluctatur sicco, cæteráque vicissim opponuntur, de quibus particulatim *in physic.* disseremus. Admissis verò oppositis, oppositionem concedere, necesse est, per eā quippe opposita opponuntur, veluti parietes per albedinem dealbantur. Quid autem sit oppositio vniuersè accepta, non est ità euidens, quæ vt nobis pateat, principio animaduerto cum Aristot. 10. *Met. T. 12.* idem, & diuersum esse immediata, vnumque ens alteri comparatum, esse idem ei aut diuersum, siue vt abstractiùs loquar, *omne ens vel est idem, vel distinctum ab alio*: sicque hoc pronunciatum creatis, & increatis perbellè accommodatur. Dicimus námque personas Diuinas esse distinctas, non tamen esse diuersas, quia nomen diuersitatis vnitatem Diuinæ naturæ tollit, vt notaui *Tract. de Deo trino quæst. 6. disp. 3.* Verùm absque vllo periculo vtimur nomine distinctionis, tùm propter relationes, tùm etiam propter diuina attributa, vt latè probaui *Tract. de Deo vno disp. 3. quæst. 2. & Tract. præcit. quæst. 8. disput. 4.* scribit autem Doctor 1. *dist. 11. quæst. 2. §. Contra istam B. & C.* vnumquodque distingui ab omni alio, quod non est ipsum, per illud, per quod formaliter constituitur in esse: ita homo rationalitate constituitur, & distinguitur à bruto, & quouis alio, quod non est homo. Præter autem opposita extant disparata, quæ ex dictis *in Epitome l. 1. quæst. 1. art. 9.* nullam habent adinuicem affinitatem, aut conuenientiam, inter quæ recensentur à Scoto citato nonnullæ relationes Diuinæ, vt filiatio, & spiratio actiua: spiratio verò passiua, & spiratio actiua sunt relationes oppositæ. Itaque à Diuinis opposita, & disparata non eximuntur. Nec existimandum est oppositionem latissimè sumptam coincidere cum distinctione, & diuersitate, vt volunt duo noui Scotistæ *disp. 9 quæst. 1. in initio.* imitati Suarez *disp 45. Met sect. 1.* & fortassis id significat Doctor *quæst. 37. prædicam. in initio.* Siquidem inter disparata reperitur distinctio, non autem oppositio, & diuersitas: ampliúsque funditur distinctio, quàm oppositio, & diuersitas. Duplex autem est oppositio, vna complexa, & altera incomplexa. Priorem expediui *loco cit. in Epitome lib. 2. quæst. 4. artic. 1. & 2.* posteriorem verò nunc aggredior, quæ communiter penes nomenclaturam describitur aliquorum inter se pugnantia, quod est dictu, oppositio est repugnantia eorum, quæ simul, & respectu eiusdem in eodem non se compatiuntur, sic opponuntur relationes producentis & producti,

producti,causæ, & causati,& id genus alia.Hæc de'cri-ptio illustrari potest exemplis, & probari inductione, per singula opposita, quorum notitia perspecta fiet in subsequentibus articulis, in quibus de vnoquoque eorum sigillatim disseram. Solùm hic aduerto,in dicta definitione (vt solet in omni definitione) poni quoddam commune,in quo conueniunt disparata,& opposita, & est repugnantia : quoddam verò peculiare, ratione cuius oppositio distinguitur ab omni eo, quod non est oppositio, vt patet in examine singularum vocum præallatarum.

2. Oppones primò. Vbi est summa vnitas, nulla est repugnantia, & oppositio, quia oppositio extat inter duo extrema, quorum vnum non est idem cum alio : sed in Deo est summa vnitas, & simplicitas, vt docent omnes Theologi : ergò in Deo nulla est oppositio, nec vlla sunt opposita. Resp.distinguendo ma. vbi est summa vnitas, absque vlla distinctione formali, vel reali, concedo maiorem : vbi est summa vnitas cum distinctione formali attributorum, & diuinarum perfectionum, atque distinctione reali suppositorum, & identitate essentiæ,nego.Vel dicito,id valere de oppositione contraria : non verò de oppositione relatiua,quam in Deo reperiri,*superius* adnotaui.

3. Oppones secundò. Oppositio est species differentiæ, & differentia diuersitatis, & diuersitas est passio entis, vt arguit Scot. *quæst.37. prædicam.* & deducitur ex Aristotele 10.*Met. T.24. & 25.* Sed in Deo nulla est diuersitas,vt*suprà* dicebam : ergò nec vlla oppositio. Resp. maiorem locum habere in ente finito, & limitato, cuius extant diuersa genera naturarum, & ità exponendi sunt Aristoteles , & Scotus, non autem in ente infinito, & illimitato, quod vnam tantùm naturam participat : ideòque nulla est in eo diuersitas, quæ naturæ multiplicitatem , & contrarietatem designat.

ARTICVLVS II.

An Oppositio sit ens reale.

4. HAnc dubitationem proponit Scotus proximè cit. ibique videtur velle oppositionem esse ens rationis , adducens argumenta pro vtraque parte, quæ probabilem eam reddunt. *Quæstione verò 38.9. Ad 1 quæst.* idem Doctor præsentem difficultatem videtur dirimere, hac distinctione, inquiens,oppositionem esse nomen æquiuocum ; vno námque nomine sumitur pro ea oppositione, quæ contrariæ , & relatiuæ oppositionibus tantùm congruit,& ità fatetur oppositionem esse ens reale, eisque vniuocè conuenire. Altero autem modo capitur pro oppositione conueniente solùm priuatiuæ, & contradictoriæ oppositionibus, & sic videtur concludere oppositionem esse ens rationis , quia etsi vnum extremum sit reale, non tamen alterum quod est priuatio,vel negatio, vt notat Scot. *ibid & Quol.1.* & Tatar. *dub.2.* Verùm *hoc in loco* Doct. non videtur loqui assertiuè, vt constat ex verbis, quibus vtitur,nempè *potest dici* , & non semel repetit *fortè* , quod est signum dubitantis. Vel non in propria , sed in aliorum sententia verba facit , vt plerùmque contingit in eo opere , aduertentibus Bargio , aliisque eius interpretibus. Nam 1. *dist.23. quæst. vn. §. Item arguo. G. & 2. dist.12. quæst.2. § Ad 1. rationem ante E.* aliisque eius scriptis , quæ sunt maioris ponderis , & authoritatis, apertè asserit negationem , & priuationem esse à parte rei , nemine cogitante. Idem expresse docent Tromb. 12. *Metaphys. quæst.6.* Ioannes Canonicus 1. *physic. quæst.10. articul. 2.* & patebit , *in physic. quæstione de priuatione.* Alij conantur difficultati huic satisfacere per hanc distinctionem inquientes, oppositionem logicè sumptam esse ens rationis ; at oppositionem physicè captam esse ens reale. Addi potest ad rem nostram accommodatus , oppositionem metaphysicè acceptam vtique esse ens reale , cuius consideratio habetur 5. *Met. c.10.* Metaphysica enim meditatur ens reale,cùm sit scientia realis formaliter,& obiectiuè, vt ostendam *l.1.Met.* Hoc persuadent efficaciter rationes allatæ à Scoto *in principio q. cit.* vnam tantum adduco, quæ cæteris est euidentior, vtpotè,quæ est inductio in singulis oppositorum membris : & quidem oppositio contraria clarè elucet à parte rei : adest enim in ea mutua actio inter calidum,& frigidum,humidum , & siccum , nullo cogitante intellectu. Item oppositio relatiua cernitur in rerum natura,vt constat de patre,& filio, qui per mutuam relationem se respiciunt.Pariter oppositio priuatiua,extant enim videns , & cæcus , secluso quouis intellectu, *vt ex 4.Met.T 4. & 10. eiusdem operis T.1 a.*& indè confirmat Doct. *in x.cit.* De oppositione contradictoria facile est probatu, quandoquidem hæc sequitur,ad quamlibet aliam oppositionem : ergò cum cætero sint extra intellectum existentes , pariter oppositio contradictoria suam existentiam ab intellectu non mutuatur.

5. Oppones primò. Accidens non gaudet veriori, & meliori esse, quam subiectum , in quo subiectatur: sed subiectum oppositionis est intentionale, siue ens rationis : ergò & oppositio est ens rationis. Maior est liquida , minor probatur inductione : species quippe, & genus sunt opposita relatiua,ex dictis *l.2.q.3.a.3.* & illa sunt entia rationis. Item genus , & non genus, species, & non species sunt opposita cõtradictoria,quæ pariter inter intentionalia numerantur ;quodq; astruendum est de aliis duobus oppositis. Concessa ma.distinguo min. de oppositione logica concedo:de oppositione metaphysica vel physica nego,vt supra manet declaratum.

6. Oppones secundò, prædicari , & subiici spectant ad esse intentionale, ex Scoto *quæst.17.Vniuersalium , ante §. Ad quæst.* Sed oppositio prædicatur de quatuor præfatis oppositionibus,quæ illi subdantur tanquàm membra diuidentia suo diuiso, siue tanquam inferiora suo superiori : ergò oppositio est ens rationis. Concessa ma.ad minorem dico, iuxtà præallatam distinctionem , eam veram esse de oppositione logicè sumpta ; non verò de oppositione physicè , aut metaphysicè accepta.

ARTICVLVS III.

Quotuplex sit Oppositio.

7. QVadrimembrem facit Aristoteles oppositionem,tum hic,tum etiam 1. *Met.c.10.T.16.*cuius rationem non incongruam reddit Scot. *quæst.38. prædicament. §. Ad 2. quæst.* & aptè declarat Orbellus 4. *Met. cap.4.* videlicet, omnis oppositio vel est entis realis ad ens reale : vel entis realis , ad non ens reale. Si primum , aut vnum respicit aliud, vt patet & filius & est oppositio relatiua : aut vnum expellit aliud ab eodem subiecto, vt calor & frigus,& habetur oppositio contraria. Si secundum , aut vnum designat priuationem alterius in eodem subiecto, vt videns,& cæcus, & est oppositio priuatiua : aut vnum denotat negationem alterius,vt videns, & non videns,& extat oppositio contradictoria. Aliam causam huiusce quadripartitæ diuisionis, quæ à priori non videtur valdè distare affert idem Doct. 5.*Metaphys. in comm. T.15.* Opposita vel se mutuò ponunt, seque mutuò perimunt , & sunt relatiua : aut ab eodem subiecto vicissim se expellunt, & sunt contraria : aut vnum designat carentiam formæ existentis in eodem subiecto, & sunt priuatiua : aut vnum dicit negationem alterius, & sunt contradictoria. An verò oppositio sit æquiuoca , vel vniuoca illis quatuor

quamur oppositionibus prænarratis non vna est omniū mens Nam Racon. *Tract.* 1. *disp.* 1. *sect.* 1. *q.* 1. tenet esse vniuocam. Scotus autem & alij complures æquiuocam faciunt. Huius ratio potissima est, quia ens reale positiuum nihil commune vniuocum habet cum priuatiuo, & negatiuo: sed quædam oppositiones sunt reales positiuæ, nempe relatiua, & contraria: reliquæ verò duæ sunt oppositione, negatiuæ, vt liquet ex dictis: ergo oppositio non est eis vniuoca. Præterea enti, & non enti nihil est commune vniuocum, vt ex se patet: sed duæ priores oppositiones sunt propriè entia: reliquæ verò duæ non sunt propriè entia, vt constat ex dictis suprà. Denuò oppositio est relatio, vt Scot. citatus insinuat, & probat Bonet. 4 *Met.* c. 2. duæ autem oppositiones præcedentes sunt reales, quia earum extrema sunt realia positiua: duæ verò subsequentes, etsi vnum extremum positiuum sortiantur, non tamen reliquum, vt declaraui exemplis superius adductis. Quarè quatuor illæ oppositiones non vniuocantur in communi ratione oppositionis.

8. Oppones primò, omnis bona diuisio debet esse bimembris, vt monet Boëtius *l. Diuisionum*: Sed prætallata oppositionis diuisio est quadrimembris, ergo non est bona. Concessa ma. ad min. dico, ipsam effici bimembrem per primam rationem a me traditam; dixi enim omnem oppositionem aut esse entis ad ens: aut entis, ad non ens. Vbi apparet oppositionis diuisio bipartita. Vel dico esse bimembrem, si diuidatur in positiuam, & negatiuam, deinde positiua in contrariam, & relatiuam: & postmodum negatiua in priuatiuam, & contradictoriam. Adde quod alibi ostendam diuisionem non semper esse bimembrem.

9. Oppones secundò, omnis diuisio fit per opposita, secundum Boëtium vbi supra. Sed dicta diuisio non fit per opposita, quia huiusmodi partitio habetur inter oppositiones: oppositio autem non opponitur, velutì actio non agitur, nec locus locatur, secùs abiretur in infinitum, cùm non foret potior ratio, cur vna potiùs opponeretur quàm alia. Negari potest maior cum Scot. *nuper alleg. in solutione primi*, nam diuisio generis substantiæ, in suas species, propriè loquendo non est inter opposita, sed inter disparata. Vel si detur maior, vt verè concedi videtur, ad minorem dico quidem oppositionem non opponi, esse tamen id, quo oppositum opponitur formaliter, sine opponatur oppositione relatiua, aut altera ex prædictis, veluti albedo non dealbatur, sed est id, quo subiectum dealbatur.

Articvlvs IV.

De Oppositis relatiuis.

10. Aristoteles in enumeratione oppositorum *c. vlt. de postpredicamentis*, ab oppositis relatiuis ducit initium, quodque etiam præstat in eorum tractatione: ea fortasse de causa, quia relatiua cæteris sunt minus opposita, vt obseruant Conimb. *in præsenti Comm.* Idque videtur habere fundamentum in doctrina eiusdem Philosophi, qui 10. *Met.* T 15. scribit oppositionem contradictoriam, quæ vltimo loco refertur esse omnium maximam; adeò vt oppositio gradum faciat à relatiua contraria, & priuatiua, ad contradictoriam. Obid subdit Stagirita *ibid.* priuationem esse quamdam contradictionem, quia recedens à relatiua, & contraria, accedit ad contradictoriam oppositionem. Describuntur autem ab eodem Aristotele *c. de oppositis* opposita relatiua ea ipsa, quæ sunt, oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ipsa. Quod est dictu, relatiua opposita sunt, quæ mutuò se intueantur, medio aliquo casu, siue genitiuo, vt pater est filij pater; siue ablatiuo, vt disciplinatum est disciplina disciplinatum, & pater paternitate est pater, vt rectè notat Titel. *l.* 2. *c.* 60. Et tangit Doct. *q.* 39. *prædicam.* §. *Notandum pro differentia* 2. An verò præallata relatiuorum oppositorum sit legitima, vide quæ scripsi *q.* 6. *huius lib.* præter enim casum oppositorum, videtur ea ipsa, quæ ab Antiquis tradita fuit, ibi non recepta, hic verò accepta, forsasse quia est aptior ad exprimendam huiusmodi relatiuam oppositionem, vt innonit Conimb. *cit.* & significat quoque Philosophus, cùm ait: *oppositorum dicuntur.* Aut forte idem philosophus non in propria, sed in sententia Platonis, & aliorum loquitur, quæ tunc erat communis, & celebris: quod etiam præstat. *c. de quantitate*, referens ibi quasdam species quantitatis, quæ secundum vulgatam opinionem concedebantur, quas alibi non admittit, vt patet 5 *Met. c. de quanto.* Sita autem videtur talis oppositio relatiua inter extrema, penes formas relatiuas quibus se inuicem respiciunt, vt perspicuè edisserit Doct. *proximè cit.* inquiens, opposita relatiua reciprocari; cætera verò, quæ quidem relatiua sunt non tamen opposita minime reciprocari. Vtrum autem talis forma relatiua feratur ad terminum vt absolutum, vel relatiuum. Itémque num fundari queat in relatione, vel deposcat fundamentum absolutum, necne? huiusmodi difficultates iam sunt dilutæ *loco praalleg.*

11. Oppones primò, quæ simul existunt, non sunt opposita, cum oppositio sit repugnantia duorum extremorum, quorum vnum secum non compatitur aliud: sed correlatiua simul existunt: immo vnum non potest existere absque alio, & si vnum perit, necesse est pereat quoque aliud, vt patet ex dictis: ergo relatiua non sunt opposita. Neganda & maior, oppositio quippe non petitur penes coëxistentiam, sed penes incompossibilitatem formarum oppositarum, quæ simul in eodem subiecto, sine fundamento, respectu eiusdem, vt pater, & filius sunt relatiuè oppositi, quia illa filiatio, quæ est in filio, nequaquàm esse potest in patre: veluti paternitas, quæ est in patre haud in filio, quem pater respicit, esse valet.

12. Oppones secundò, relatiua opposita simul de eodem prædicari queunt, vt idem nominari potest pater, & filius, vt constat experientia. Igitur relatiua opposita non opponuntur, secundum repugnant am & incompossibilitatem formarum relatiuarum in eodem subiecto. Distinguo ant respectu eiusdem nego: respectu diuersorum concedo. Idem namque homo vocatur pater respectu filij quem genuit: & appellatur filius, respectu patris, à quo genitus est.

Articvlvs V.

De Oppositis contrariis.

13. Vt propria oppositorum contrariorum natura piana nobis fiat, opportunum censemus duplicem eorum acceptionem adducere, quam notant Doct. *q.* 14. *prædicam* § *Ad* 1. *in solutione* 3 Orbellus 4. *Met. c. de oppositionibus*, & Tatar *in* 9 *postprædicam. sensibili.* 2. Et non omisit Aristoteles, vt in explicatione vtriusque claresceret. Prima autem & ampla contrariorum vsurpatio est pro quouis opposito, & incompossibili cum alio, cuius meminit idem Philosophus 1. *Ph ys. T.* 142. appellans principia naturalia, seu materiam, & formam contraria: quo in sensu duæ formæ in eadem materia simul incompossibiles dicuntur contrariæ, & in omni genere extat huiusmodi contrarietas. vt indicat idem Philosophus 10. *Met. T.* 13. *&* 14. quem allegat Doctor *loco cit.* Ac etiam inter transcendentia talis contrarietas reperitur, vt notat Scot. *q.* 42. *prædicam. §. Quarta propriet a.* Secunda, & angusta contrariorum sumptio est pro iis, quæ ab eodem subiecto vicissim se expellunt: & hæc sunt propriè contraria à reliquis oppositis distincta, quæ hic, & alibi ab Aristotele commemorantur, quorumue descriptio legitur 10. *Met. T.* 14.

T. 24. his verbis. *Contraria sunt quæ sub eodem genere posita, maximè à se inuicem distant, seque mutuo ab eodem subiecto expellunt.* Addit ipse Scaguita cap. de oppositis, *nisi alterum eorum insit à natura*, vt significaret, quædam esse contraria innata aliquibus subiectis, vt calorem in igne, & frigus in aqua. Hæc autem definitio explicatur, quoad eius particulas. Imprimis, subticetur vox opposita, sine repugnantia, quæ est veluti genus. Deinde ponitur sub eodem genere proximo, vt albedo, & nigredo participant idem genus proximum, quòd est calor: aut remoto, vt virtus, & vinum, quæ resident in genere habitûs. Vnde, contraria sunt eiusdem prædicamenti, & specie inter se differunt, vt constat exemplis præadductis.

Præterea infinua ur discrimen contrariorum ab oppositis priuatiuis, & contradictoriis, quæ per se in nullo genere collocantur, quia alterum eorum extremorum est priuatio, vel negatio, quæ nullo genere per se potiuntur. Atque etiam fortè innuitur discrimen ipsorum à disparatis, quæ non est necesse, gaudeant eodem genere, vt liquet de quantitate, qualitate, aliisque disparatis. Inngitur maximè distant, intellige, non de distantia locali, nec temporali, sed de distantia entitatiua, interprete Bonet. 4. *Met. cap.* 2. siue de formali repugnantia naturæ, vt significat Doct. 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *Ad argument. Sub L. in solutione* 3. Per reliquas voculas denotatur, contraria idem subiectum possidere, in quo quidem simul esse nequeunt, successiuè verò in eo ipso esse queunt. In quo enim modò subiectatur frigus, post aliquos dies recipietur calor: & in quo nunc est humiditas, post modicum tempus, erit siccitas, vt quotidiana nos docet experientia. Illa verò contrariorum expulsio non videtur semper effici per violentam actionem, vt contingit in qualitatibus quæ absolute vocantur qualitates actiuæ: sed nonnunquam fortassis fit, absque violenta actione, per simplicem cessionem, vt de colotibus, odoribus, saporibus & sonis exemplificat Titel. *loco cit.* & tangit Scot. *supra cit.* & non dissentit Suarez *disp.* 45. *Met. sect.* 2. *num.* 14. & 15. An verò huiusmodi propulsatio, siue cessio contrariorum capienda sit penes numerum, aut speciem, videndus est Scot. 4. *dist.* 49. *quæst.* 13. §. *Respondeo B.* vbi statuit esse intelligendam de contrariis secundum speciem acceptis, & de eodem secundum speciem, & si de eodem, secundum numerum non omni, sed aliquo, secus accidens migraret de subiecto in subiectum, vt ibi rectè infert Doctor.

14. Differentur autem contraria in immediata, & mediata ab Aristotele *hoc loco*, & Scot. *quæst.* 38. *prædicament* §. *Ad aliud dico.* Immediata sunt, quorum alterutrum nec esse est inesse subiecto eorum capaci, adeò vt subiectum istorum, nunquam horum alicuius expers existere valeat, vt sanitas, & ægritudo sunt contraria immediata, quorum subiectum est animal, quod semper est sanum, aut ægrum Hoc exemplum de sanitate, & ægritudine, quod affert Aristoteles patitur calumniam, quia inter illa duo mediat conualescentia, docente Galeno, *l de spermate*: cui vt experto magis esse credendum præmonet Scotus 3. *dist.* 4. *quæst. vn.* potest adduci aliud exemplum de numero, qui est par, vel impar, nec vnquam reperiri potest numerus, qui non par, aut impar non sit, ideòque paritas, & imparitas sunt contraria immediata respectu numeri. Contraria verò mediata sunt, quorum alterum in eodem subiecto, necesse non est reperiatur, immò eorum subiectum, quocumque eorum potest esse exutum, vt calor, & frigus sunt contraria mediata: quorum subiectum v. g. est aqua, quæ interdum nec calore, nec frigore potitur, sed tepore duntaxat, ratione cuius dicitur tepida. Itémque albedo, & nigredo sunt contraria mediata, quorum subiectum v g. est superficies, quæ quandoque nec est alba, nec nigra, sed rubea, aut altero colore medio prædita. Contraria mediata subdiuiduntur in mediata per participationem extremorum, & mediata per abnegationem extremorum. Priora sunt, quæ participant aliquid vtriusque extremi, quod fieri potest bifariam, aut per formalem participationem vtriusque extremi, vt inter aquam frigidam, & calidam habetur aqua tepida: aut per naturalem conuenientiam medij cum extremis, non quod medium reuera componatur ex extremis, tanquam ex suis partibus, quia medium est ita simplex, sicut extrema: verùm quoniam medium magis conuenit cum extremis, quam extrema inter se, vt rubedo, quæ est qualitas media inter albedinem, & nigredinem magis conuenit cum albedine, & nigredine, quàm ipsa albedo, & nigredo conueniunt inter se. Sic deducitur ex Scoto 1. *dist.* 7 *quæst. vn* §. *Ad argument. infrà X.* & 2. *dist.* 15. *quæst. vn.* §. *Dico ergo. B.* Tatar. *cit. in fine sensibilis* 2. & aliis Scotistis. Rursùs subiungit Doct. *quæst. prædicamenta nuper allegata*, mediatorum contrariorum quædam habent plura media, vt liquet de albo, & nigro, inter quæ mediant rubeum, flauum, pallidum, &c. quædam verò vno tantùm pollent medio, vt inter calidum, & frigidum interponitur tepidum, tanquam eorum vnicum medium. Insuper nonnulla sunt media, quibus sunt nomina imposita, veluti ea, quæ mox retuli: alia verò sunt innominata, quæ circumloquimur, vt inter amicum, & inimicum, habetur non amicus: inter iustum, & iniustum medius est non iustus, atque inter bonum, & malum intercedit non bonus, & quæ à Boëtio, Scot. aliisque Authoribus nuncupantur neutra, & indifferentia, quæve tanguntur ab Aristotele *c de oppositis*. Nec prætereundum est, quod ibi notat Scotus, videlicet medium per participationem extremorum esse propriè medium: siquidem medium per abnegationem extremorum, in omnibus oppositis reperitur, exceptis contrariis immediatis, tametsi inter contradictoria non inueniatur medium, intellige, per participationem, vt cùm agam de contradictionis palam fiet.

15. Oppones primò, contra definitionem contrariorum. Quædam extant contraria, quæ non sub vno eodem generi: ergò ineptè dicuntur contraria sub vno eidem generi. Ant. probatur ex Aristotele *in fine cap. cit.* oportet contraria esse in eodem genere, vt albedo, & nigredo sunt in genere coloris: aut in diuersis generibus, vt iustitia, & iniustitia: aut esse ipsamet genera, vt bonum, & malum. Respond. negando ant. ad eius probationem dico sufficere vt sint eiusdem generis supremi: sic iustitia, & iniustitia, bonum, & malum positiuè sumptum resident sub genere, siue prædicamento qualitatis. Itaque contraria sunt eiusdem generis proximi, vel remoti, vt suprà monebam in horum definitionis explicatione, & hoc modo benè exponitur Arist. *loco cit.*

16. Oppones secundò, pleraque sunt contraria, quæ abinuicem non valde distant. Non ergò rectè asseritur, contraria inter se maxime distare. Ant. probatur, contraria mediata non tantùm distant, quantùm immediata, vt de colotibus mediis suprà inducebam. & de quibusdam virtutibus vitiisque monstrant Suarez *disp.* 45. *Met. sect.* 2. *num.* 9. & Conimbr. *hic cap.* 10. *quæst. vn art.* 4. affluentes auaritiam contrariari liberalitati, auaritia verò non maximè distat à liberalitate, magis quippe aduersatur prodigalitati, quam liberalitati, quia extrema magis pugnant, quàm media. atqui auaritia, & prodigalitas sunt extrema: liberalitas verò mediat inter illa duo. Iterum error contrariatur veræ opinioni, plus autem differt à scientia, quam ab opinione. Siquidem ab opinione penes veritatem differt, à scientia verò penes certitudinem, & euidentiam segregatur. Accedit, contraria singularia magis adinuicem pugnant, quàm contraria communia. Nam præter communem contrarietatem, fortiuntur peculiares contrarietates, penes differentias indiuiduales. Non est ergo certum, & firmum, contraria maximè distare. Nego ant. ad probationem, concedo illud de contrariis mediatis, non autem de immediatis, & extremis, vt deducitur ex Arist. 10. *Met.* 6.6. & *inde*, qui explanans illud, vnù vnum est tantum contrarium

contrarium inquit, esse interpretandum do contrariis extremis, non verò de contrariis mediis. Quare, cum dicitur, inter contraria est maxima distantia, capi debet non absolutè, sed respectiuè, hoc est respectu mediorum. vt obseruat Bonet. *suprà cit*. Sic cessant instantiæ Recentiorum Admitto namque auaritiam non maximè discrepare à liberalitate, quia liberalitas, cum sit virtus, consistit in medio: contrarium verò extremum, quod auaritiæ maximè aduersatur, est prodigalitas, vt in præallata instantia quoque declaraui. Similiter, error, & opinio non sunt extrema contraria, vt probat instantia; ideò mirum non est, si maximè inter se non decertent.

17. Instabis, diuisum commune est cunctis eius membris diuidentibus, & definitio adæquatè conuenit omni definito, ex alibi assertis: ergò, cum contraria adæquatè distribuantur in immediata, & mediata: atque definitio eorum præallata pariter adæquatè eis conueniat, in dictâque definitione statuatur, contraria maximè distant, quod immediatis tantùm adaptandum esse *suprà* ex Aristotele est expositum, euidenter euincitur, præadductum responsionem esse nullius momenti. Potest dici aliquando Aristotelem, quædam tribuere generi, quæ non competunt omnibus eius speciebus: sic *cap. de qualitate*, ait, qualitatem suscipere magis, & minus, quod aliquibus qualitatibus quartæ speciei non congruere, suprà ostendi. Item, *primo physic. T.*41. & inde asserit principia rerum naturalium esse contraria, cùm tamen materiam nulli contrariari planè constet. Vel etiam dici potest eundem Philosophum interdum tradere definitionem generis, quæ præcipuæ eius speciei magis quàm generi eiusdem adaptatur: quo pacto 1. *post. cap.* 2. definit scientiam, quæ est cognitio rei per propriam causam: hæc autem definitio competit scientiæ propter quid: & 2. *de anima*, *cap.* 2. definit animam. quæ est principium vegetandi, sentiendi, loco mouendi, & intelligendi: ista verò definitio, Simplicio interprete, soli animæ rationali accommodatur. Aristotelem videtur imitari Gilbertus, qui definit solùm vbi passiuum, quod pariter præstitit de nonnullis aliis sex principiis, vt cum Scoto *suprà* obseruaui. Ratio reddi potest, quia species est notior genere; ideò nonnunquam Philosophi potiùs definitionem speciei, quàm generis assignarunt. Ad vltimam instantiam dico, cum Bonet. cit. contrarietatem præcipuè fundari in natura specifica, non verò in natura indiuiduali: causa est, quia contrarietas est formaliter relatio, cuius fundamentum proximum est vnitas, aut multitudo (si fuerit primi modi) vt superiùs animaduerti.

18. Oppones tertiò. Contraria in gradibus remissis retinent propriam naturam specificam contrariorum, in qua fundantur; vt nunc dicebam: in gradibus autem remissis ab eodem subiecto se inuicem non expellunt, vt scribit Aristoteles 5. *phys. cap. vlt.* & fatetur Scot. 1. *dist.* 17. Non igitur rectè est tradita contrariorum descriptio. Id ipsum suaderi potest de actibus volendi, & nolendi, diligendi, & odio prosequendi, qui de obiectis eiusdem rationis in eodem subiecto, seu in eadem voluntate esse queunt. Concesso ant. neganda est consequentia. Ratio est, quia etsi inter se etiam in gradibus remissis depugnent, tamen propter infirmas, & debiles eorum vires, vnum prorsus nequit vincere aliud, ac proinde ab eodem subiecto depellere. Sed de his exactè, & accuratè *l. de elementis quæst.* 4 *Interim videantur* Scot. 1. *distinct.* 17. *quæst.* 3. §. *Contra istam opinionem.* Et *in Reportat. ibidem*, Lycb. *in fine Comment.* §. *allegat.* & Bonetus citat. in examine definitionis contrariorum.

ARTICVLVS VI.

De Oppositis priuatiuis.

19. NOn possunt plenè cognosci priuatiuè opposita, nisi priuatio, & negatio perspecta, & conspicua efficiatur: ob id inuestigandum est quid sit priuatio, quidve negatio, priusquam priuatiua opposita examinentur. Omissis autem variis acceptionibus negationis, & priuationis, quas recensent Scot. 1 *d.* 13. *q. vn* §. *Item arguo H. & d.* 28 *q.* 2. §. *Quantū ad* 1. *B.* Mayr. *ibid.* Pelbar. *Tomo* 1. *Rosarij Verbo priuatio*, & Orbel. 4. *Met c.* 4. obseruo negationem latiùs patere, quàm priuationem. Nam, omnis priuatio, est quidem negatio, nō tamen omnis negatio est priuatio propriè sumpta: eo ferè pacto, quo dicitur, omnis homo est animal, non autem dicitur, omne animal est homo, quia animal ampliùs diffunditur, quàm homo. Idque significat Aristoteles 5. *Met. cap.* 22. *T.* 27. & expressit Doct. *cit. dist.* 28. distinguens negationem in negationem extra genus, & negationem in genere. Negatio extrà genus est, quæ omnem negat entitatem, nihilque positiui prorsùs ponit, potéstque prædicari tam de ente, quàm de non ente; ideò meritò perhibetur negatio extra genus: & hæc exprimitur in primo principio. *De quolibet est affirmatio, vel negatio, & de nullo ambo simul.* Negatio in genere est, quæ aliquid ponit in eo, in quo fundatur, & vocatur negatio in genere, propterea quod negat aliquid infrà metas alicuius generis, vt cæcitas negat visum infrà metas animalis: & tenebræ negant lucem infrà genus lucis. Itaque discrimen negationis extrà genus, & negationis in genere consistit in eo, quod negatio extra genus nullum ponit subiectum, de quo enuncietur, vt non ens, non homo: verum negatio in genere flagitat subiectum, de quo perhibetur, vt negatio visùs in talpa. Priuatio autem, quæ ab vtraque negatione secernitur, postulat subiectum aptum, ideóque strictè sumpta describitur ab Aristotele cit. *Negatio formæ in subiecto apto*, siue vt ait Scot. 1. *dist.* . *quæst.* 2. § *Teneo. Sub P.* & antea *quæst.* 41. *prædicament.* § *Ad istud dici potest*: *& quæst.* 39 §. *Notandum quod specialis.* Priuatio est carentia formæ in subiecto apto nato, vt cæcitas est carentia visus hominis idonei ad videndum. Idipsum olfaciunt Suarez *disput.* 54. *Met. sect.* 5. *num.* 7. & vulgus Recentiorum Philosophorum. His explicitis, quæ quodam modo conferunt ad plenam cognitionem priuatiuorum oppositorum, libet istorum definitionem in medium addocere, quæ vt notat Titel. *l.* 2. *cap.* 63. colligitur ex Aristotele *cap. de oppositis*, & expressè statuitur à Titel. cit. & Orbell. *vbi supra ad finem cap. alleg.* est huiusmodi. *Priuatiua opposita sunt, quæ habent fieri circa idem subiectum, ordine irregressibili, & tempore à natura determinato.* Explicatur, in primis in ista definitione supprimitur vox opposita, per quam denotatur eius quasi genus commune cæteris oppositis, vt pariter suprà animaduerti in definitione contrariorum. Deinde ponitur, quæ habent fieri circa idem subiectum, notante Scot. *citat. quæst. prædicament.* vt ostendatur conuenientia istorum cum oppositis contrariis, quæ idem subiectum successiuè participant, vt visus, & cæcitas, oculum tanquam proprium subiectum respiciunt. Additur ordine irregressibili, vt significetur distinctio priuatiuorum à contrariis. Vno quippe contrariorum accedente ad idem subiectum, alterum recedit, & èconuerso, vt abeunte calore, ab eodem corpore, aduenit frigus, & è regione, frigore migrante, ad idemmet corpus calor regreditur. In priuatiuis autem oppositis, quamuis ab habitu ad priuationem effici valeat accessus, vt à visu ad cæcitatem, & ab auditu ad surditatem: nihilominùs à priuatione ad habitum non habetur reaccessus, vt à cæcitate ad visum & à surditate

ad

ad auditum, iuxta illud commune Aristot. & aliorum effatum. *A priuatione ad habitum non datur regressus.* Subditur, tempore a natura determinato, vt dignoscatur aliud discrimen, inter priuatiua, & contraria. Etenim, omni tempore contrariorum subiectum & est eorum capax, & semper alterutrum eorum in ipso recipitur: at priuatiuorum subiectum postulat præfixum tempus à natura, vt alterum eorum in eo subiectetur, dicatúrq; habens, aut carens alterutro: sic catulus ante nonū diem, si non videat, haud perhibetur cæcus: pariter infans si ante annū, dentibus non potiatur, non vocatur edētulus. Quòd si post nonum diem, catulus non videat cęcus dicitur: & si post annum infans, dentibus non sit munitus, edentulus perhibetur quoniam tempus à natura statutum præterijt, quo illo habitu ornari debuit, & non ornatur; ob id eo priuatus, rectè dicitur, vt tradit Doct. *in Report. 2. d. 41. q. vn.* Denique ratione subiecti apti priuatiua opposita, à contradictoriis segregantur.

20. Opponeset. à tenebris, ad lucem, & à somno, ad vigiliam quotidianus datur regressus: sed ista sunt opposita priuatiua, vt patet. Non probè ergo describuntur opposita priuatiua, quæ habent fieri circa idem subiectum, ordine irremeabili. Resp. veram esse ma. quando priuationes sunt priuationes priuantes solo actu, & non potentia; nos autem cū Arist. loquimur de priuationibus priuantibus potentia, quo pacto, à morte, ad vitam, & à cæcitate ad visum, naturæ viribus nullus inuenitur reditus, & ita interpretandum esse illud Philosophorum vulgatum. *A priuatione ad habitum non datur regressus,* fusè monstramus *in phys. q. de priuatione.* Quodque sentit Doct. *q. 41. prædicam. §. Ad istud præst*, & tenet Tatar. *scibili 3.*

21. Oppones 2. inter priuationem, & habitum non datur medium, sicut nec inter opposita contradictoria *ex 10. Met. T. 15.* Ergo catulus ante nonum diem vel est cæcus, vel est videns: sed non est videns, ergo est cæcus: ac proindè frustra ponitur tempore à natura determinata in definitione oppositorum priuatiuorum.

Resp. cum Scoto *in Report alleg. §. Ad 1. principale,* distinguendo ant. inter habitum, & priuationem absolute non interuenit medium, concedo: respectiuè, nego, hoc est, habito respectu temporis, aliarumque circumstantiarum; cùm enim nondum est tempus à natura stabilitum, quo habitus esse debeat in subiecto, nec est eius carentia, sed solùm negatio. Quare catulus ante 9. diem nec est cæcus, nec videns, sed est non videns: pariter subiungit Scotus *ibid* dari actum voluntatis nec bonum, nec malum, sed indifferentem, & neutrum: sicut autem esse queunt actus indifferentes, sic habitum indifferentem generare valent ipsi actus indifferentes, vt latè ostendi *in Morali.*

ARTICVLVS VII.

De Oppositis contradictoriis.

22. EX notitia priuationis, & negationis habita *in superiori art.* perarduum non videtur inuestigare, quid sit contradictio, quidve sint contradictoria opposita. Enimverò priuatio strictè sumpta oppositis priuatiuis & negatio contradictoriis accommodatur, vt tangit Philosophus *1. Post. c. 26. & inde, & 4. Met. cap. 7. T. 17.* vbi significans opposita contradictoria, negationis meminit: nec abnuit Doct. *ibid.* & id apertè docet Tatar. *quæst. vlt. prædicam. scibili 3.* secernens negationem, in negationem infinitantem quæ contradictoriis competit, & negationem priuantem, quæ priuatiuis adaptatur. Hinc Cardinalis Cameracensis describit contradictionem in hunc modum, Contradictio est affirmatio vnius, & negatio eiusdem. Et Bonet. *4. Met cap. 2.* Contradictio est oppositio, qua formaliter aliquid, & nihil opponuntur, hoc est, cuius duo sunt termini, vnus positiuus, alter verò negatiuus. Vt autem hoc omne faciliùs percipiatur, distinguenda est duplex contradictio ex Scot. *q. 41. prædicam. §. Hic assignat, & 1 d. 4. q. 1. §. Ad 1. E. & 2. d. 1 q. 9. R.* vna est incomplexa, quæ respicit terminos, vt *homo, non homo,* altera complexa, quæ respicit propositiones, vt *Petrus est Doctus, Petrus non est Doctus*, & hæc petit idem subiectum, idem tempus, aliasque affectiones & conditiones veri elenchi. Prior hic examinatur: posterior verò locum habet *in lib. periher.* Ex his clarè colligitur, quænam sint opposita contradictoria; describuntur enim ab Arist. *1. post. c. 2. T. 5. & 4. Met. T. 27.* & à Doct. *ibid. & q. 39. prædicam. & 4. d. 1. q. 1. §. Ratio 2. sub F* contradictoria sunt, *inter quæ non cadit medium secundum se*, vt patet exemplo prælato, homo, non homo, ens non ens. Explicantur eius particulæ, subauditur vox opposita, quæ denotat eius genus, quod à cæteris oppositis participatur, vt superiùs admonui. Additur, inter quæ non cadit medium, ratione cuius contradictoria à reliquis oppositis seiunguntur. Subditur secundum se, propter contraria immediata, quibus non per se, sed per accidens competit non habere medium, vt benè explicant Orbel. *4. Met. q. 4.* & Zabarell. *in comment. 1. Post. contex. 13.* Itaque contradictoria absolutè sumpta medio carent, vt adstruit Doct. *1. d 2. q 7. §. Ad 1. infrà KK.* Ratio afferri potest, quia quod alicui per se, & essentialiter competit, eius oppositum nec per se, nec per accidens ipsi congruere potest, vt patet de rationali, quod sic per se homini conuenit, vt eius oppositum, quod est irrationale sibi repugnet, quodque de cæteris induci potest: sed esse medij expers per se adaptatur contradictoriis: ponitur quippe in definitione contradictionis tradita à Philosopho *loco cit.* Præterea, in reliquis oppositis, facilè est medium inuenire, nam in contrariis, inter album, & nigrum mediat rubeum: in priuatiuis inter cæcum, & videns interponitur non videns, sola ergo contradictoria per se medio spoliantur, siue intelligatur de medio veritatis, & falsitatis, quod contradictoriis complexis accommodatur, siue de medio prædictionis, quod contradictoriis incomplexis adaptatur, vt aduertit Titel. *l. 2. cap. 64.* Rursus, contradictoria nequeunt habere medium per participationem extremorum, quòd alij appellant medium secundum formam: nec medium per abnegationem extremorum, quod alij notant medium secundum subiectum vt intueri licet, in Orbell. & Zabarel. prænominatis. Ergo contradictoria medio non potiuntur. Ant. suadetur, & primum de medio per participationem, quia nullum positiuum propriè conflatur ex ente, & non ente: quidquid autem est, vel ens, vel non ens, & impossibile est idem simul esse, & non esse, teste Arist. *4. Met cap. 9. & 1. Post c. 8. T. 16. & inde.* Sed alterum extremum oppositorum contradictoriorum est positiuum, & ens: alterum verò negatiuum, & non ens, vt satis constat ex superioribus iterum vnum contradictorium destruit aliud contradictorium, notante Suarez *disp. 3. Met. sect. 3. n. 1.* Ergo si alterum eorum ab aliquo subiecto negatur, nequaquam in comet subiecto esse habet, ac proinde contradictoria haud medium per participationem sortiuntur. Deindè, de medio per abnegationem extremorum ostenditur, oppositio contradictoria complectitur omnia, siquidem omne est ens, vel non ens: ergo vnumquodque sub alterutro contradictorio comprehenditur, atque inter contradictoria nullum interuenit medium per abnegationem. Nobis autem scriptis reliquit Scot. *nuper cit. & d. 5. quæst. 1. §. Ad argumenta logica infra L. in solutione, vlt.* cui adhærent Lych. *ibid.* & Orbel. *in fine quæst. 4. prealleg.* contradictoria complexa cùm syncathegoremate capta medium sibi vendicare, quod

exemplo

exemplo confirmat, putà homo in quantum homo nec est albus: nec homo quatenus homo est non albus. Si enim homo quatenus homo foret albus, significaretur, hominem esse causam præcisam, & formalem, quà albedo ipsi competeret: & si homo quatenus homo foret non albus, sensus esset, hominem esse causam adæquatam, quâ albedo ei repugnaret: ideóque vtraque præmissa propositio est falsa: hæc autem est vera, homo vt homo, nec est albus nec non albus, mediátque inter vtramque prællatam enuntiationem. Itidémque, contradictoria non prædicantur per se; non enim homo per se est albus, aut homo est per se non albus. Etenim si homo foret per se albus in primo aut secundo modo dicendi per se, haud quiret esse non albus, quia quod in primo aut secundo modo alicui competit, oppositum eidem nec per se, nec per accidens potest conuenire, vt patet de rationalitate, & risibilitate, quæ homini per se ita competunt, vt oppositum ipsi haud quaquam conuenire valeat. Amplius in contradictoriis complexis terminus non est accipiendus distributiuè, & pro aliquo communi in materia contingente, alioquin vtrumque poterit esse verum, vt homo est albus; homo non est albus, quod non segniter obseruant Tatar. *cit. scibili* 3. & Orbell. *vbi suprà in solutione vlt.* Denique Scot. 1. *dist.* 4. *quæst.* 1. *Ad* 3. aduertit, non sequi contradictionem in prædictis compositis, v.g. lapis non est lignum album: ergo lapis est lignum non album quia affirmatur lignum in secunda, quod non affirmatur in prima.

23. Cæterùm perscrutandum est, num oppositio contradictoria sit omnium maxima, & quænam sit distantia inter extrema contradictoria? Scot. 4. *Met. quæst.* 4. *&* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. § *Ostensis, Z. &* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *ratio secunda, F. has duas expedit difficultates.* Secundam quidem apertè dissoluit, primam verò tantum indicat in duobus locis postremis nunc allegatis.

24. De priori extat communis opinio affirmans contradictoriam esse omnium oppositionum maximam, quam referunt, & recipiunt Conimbr. *cap. de opposit. quæst. vn. art.* 6. & probatur primò. Maxima repugnantia, & incompossibilitas extremorum est inter oppositiones maxima, quia oppositio est repugnantia eorum, quæ simul esse nequeunt, vt liquet *ex* 1. *art. huius quæst.* sicut enim ea dicuntur minimè opponi, quæ minimam habent repugnantiam: ita quæ maximam subeunt repugnantiam, maximè opponuntur: atqui contradictoria maximam sortiuntur repugnantiam, vtpote, quæ nec eodem tempore, & subiecto, nec vlla potentia etiam diuina absoluta, effici queunt, vt communiter docent Theologi, præsertim Scot. 4. *d.* 10. *quæst.* 2. §. *Dico ergo. F.* Cùm igitur contradictoria sint maximè opposita, consequenter maxima oppositio est contradictio, secundum regulam Scoti, à concretis ad abstracta. Hocque habetur 10. *Met. T.* 15.

Secundò, quæ nullum prorsùs medium compatiuntur, maxima oppositione opponuntur, quò enim aliqua magis sunt immediata, eò sunt magis opposita; quia in nullo medio conueniunt, siue sit medium formæ, siue sit medium subiecti. Ideóque, quò magis vnum extremum recedit ab alio extremo, eò magis ei opponitur, eique repugnat: sed contradictoria nullum inter se patiuntur medium, quodcumque illud sit, vt constat ex eorum definitione prælata, singulorum inductione: ergo inter opposita maxima oppositione opponuntur: atque adeo inter oppositiones, contradictio primum tenet locum

Tertiò. Ea est maxima oppositio, quæ in omnibus tam supremis, quàm infimis, atque mediis reperitur; quò enim est latior, & amplior, eò est maior, & excelsior: sed contradictio in omnibus effici potest, siue superioribus vt, Deus, non Deus: siue inferioribus, vt terra, non terra: siue mediis, vt, aër, non aër, & sic de cæteris. Oppositiones autem priuatiua, & contraria non cadunt in Deum, nec in alia complura. Igitur contradictio reliquis oppositionibus est præponenda. Contradictoria subsequuntur priuatiua, quia priuatio includit negationem in subiecto apto, vt aduertit Doct. *in* 4. *præcir. paulò ante G.* magis quippe repugnant affirmatio, & negatio, quas priuatiua præseferunt, quàm duæ affirmationes, & positiones, quas contraria, & relatiua designant. Post priuatiua accedunt contraria, reluctantibus duobus Nuperis nostratibus *artic.* 2. *quæst.* 1. *disputat* 9. opinantibus, priuatiuis, relatiua succedere immediatè vt magis opposita, quam contraria. Imprimis nobiscum videtur sentire Aristoteles, qui singula membra opposita recensens, à relatiuis tanquam minimis oppositis inchoat. Causa adduci potest, quia relatiua opposita possunt esse simul in eodem supposito, respectu diuersorum; vt idem homo dicitur filius vt ab alio est genitus: & nominatur pater, propter filium, quem genuit. Contraria verò nec respectu eiusdem, nec respectu diuersorum possunt esse simul in eodem subiecto; immò ab eodem subiecto vicissim se expellunt, expulsione formali, & non tardò expulsione effectiua. Addo, quod inter entia relationes habent minimam entitatem, vt aliàs visum est: igitur & minimam repugnantiam: ac proinde inter opposita minimum tenent locum.

25. De posteriori verò difficultate, celebratur apud Philosophos, illud commune assertum: inter contradictoria adest distantia infinita, cuius meminit, & exponit Scot. *locis prænarratis*, aduertens duplicem distantiam *in* 4. *citat. &* 1. *Reportat. distinct.* 2. *quæst.* 3. §. *secundo arguitur.* dimensiuam, & perfectiuam. Illa dicitur propriè distantia, estque de genere quantitatis habens medium inter extrema interpositum, siue spatium interiacens: è regione vbi non interuenit medium, siue spatium interiacens, haud est distantia quantitatiua: hæc verò est metaphorica, tribuiturque quantitatis expertibus quæve secundùm Scotum nihil aliud est, quam excessus vnius, supra alterum. Cùm autem contradictoriorum vnum extremum sit positiuum, & aliud negatiuum, inter quæ nulla extat intercapedo, ideò ipsa extrema præcisè inter se distare dicuntur: inter quæ tanta censetur distantia, quantum alterum extremum est maius. Idque à simili suadetur; siquidem tanta est distantia Dei, a creatura etiam suprema possibili quantus est Deus. Propterea, si daretur suprema creatura possibilis, adhuc Deus ab illa in infinitum distaret, quia Deus est infinitus. Hanc Doctrinam luculenter exprimit Bonetus Doctor perspicacissimus 4. *Metaphysic. capite secundo*, inquiens, inter omnia contradictoria non est æqualis distantia: siquidem inter nonnulla statuitur distantia infinita: & inter alia est distantia finita. Quandoquidem distantia contradictoriorum decerpitur penes infinitatem, aut finitatem positiuorum extremorum. Idcircò si termini eorum sunt infiniti, vt Deus, infinita erit distantia: quòd si fuerint finiti, vt quodlibet creatum: finita pariter erit distantia eorum.

Ex his patet responsio ad propositam difficultatem, inter contradictoria est infinita distantia, idest, Scoto interprete, vtrobique indeterminata distantia. Quemadmodum enim nulla est ita modica distantia, quæ non sufficiat ad contradictoria: pariter nulla est sic magna, quamuis foret maior maxima possibili, quin ad eam, eiusque extrema, contradicens oppositio se non extendat. Est ergo eorum distantia infinita, idest indeterminata, ad quamcumquè magnam, aut modicam intercapedinem: & licet omnia contradictoria sint æquè incompossibilia inter se, non tamen omnia sunt æquè distantia; magis quippe distat Deus, à non Deo, quàm album, à non albo; quia extremum positiuum est maius extremo negatiuo, vt subtiliter infert

Doct. 4. *allegat.* H. *& in Reportat. ibid.* §. *Ad rationem sequentis.*

26. Oppones primò. Ens, & non ens sunt contradictoria: sed inter ens, & non ens mediat generatio ex Aristotele 2. *Met.T.*7. Ergo inter contradictoria adest medium. Concessa ma distinguo min. Inter ens, & non ens simpliciter cadit medium, nego: inter ens, & non ens secundum quid, idest ens imperfectum, quod vocatur non ens respectu entis perfecti, veluti est generatio, concedo: ita interpretandus est Aristoteles citatus.

27. Oppones secundò. Quò magis extrema inter se distant, eò plura interponuntur media, inter illa extrema sic distantia, vt patet experientiâ: sed inter extrema contradictoria, est maxima, immò infinita distantia, vt liquet ex dictis: ergo inter contradictoria cadit medium. Respond. maiorem esse glossandam; si enim intelligatur de distantia dimensiua, conceditur: quòd si intelligatur de distantia perfectiua, eo modo, quo suprà exposui, negatur.

28. Oppones tertiò. Album, & non album sunt contradictoria: sed scutum v. g. cuius vna semipars est alba, & altera semipars est nigra, est album, & non album: ergo inter contradictoria interuenit medium. Admissa maiori, distinguo minorem; scutum prænominatum est album, & non album simpliciter, nego; secundum quid, concedo, quod est dictu, scutum est album, & non album respectu diuersarum partium; contradictio autem est repugnantia cuius respectu eiusdem, vt suprà insinuaui, & præ aliis notat Maior, *in Postprædicam.*

29. Oppones quartò. Includens est maius incluso, vt inductio, & quotidiana experien ia nos docet: sed reliquæ oppositiones, præsertim contraria includunt oppositionem contradictoriam. Si enim duo extant, vnum album, & alterum nigrum, sunt contraria, & in his clauditur contradictio, videlicet album, & non album, nigrum, & non nigrum. Ergo contradictio non est omnium oppositionum maxima. Distinguo ma. Includens est maius incluso, si inclusum in includente adæquatè contineatur, concedo: hocque tantùm ostendunt experientiæ, præsignificatæ: quod si inclusum in includente indæquatè tantum claudatur, nego, vt constat de superioribus quæ includuntur in inferioribus, cùm tamen superiora ampliora, & latiora sint, ipsis inferioribus sic: contradictio continetur in oppositis, & præterea, in reliquis omnibus, vt satis compertum est ex dictis. Reliqua postprædicamenta perstringuntur à me *in Epitome articul.* 14. *quæstione* 4. *libr.*1. & fusè pertractantur à Titel. *capit.*65. *& indè lib.*2. Quoad prioritatem, & posterioritatem à Scoto *quæstione* 41. *præd canent.* Olbel. 5. *Met. cap.*1. Bonet 6. *Metaph. cap* 2. & nuperrimè à Mastrio, & Belluto *disputat.*9. *quæst.*1. & 3.

LIBER QVARTVS.

De Enuntiatione.

TRipartitam facimus Logicam, vt patet *in initio Epitomes*, & partitione eiusdem Opusculi. Vna enim pars Logicæ est, quæ circa simplicia occupatur, de quibus hactenus egimus: altera verò, quæ composita contemplatur, quam præmanibus habemus: & tertia discursum perlustrat, quæ complectitur reliqua omnia, de quibus in subsequenti Libr. sumus acturi. Itaque in præsenti disserimus de compositis, siue complexis, quæ vno nomine enuntiationes nuncupantur, quibus verum, falsúmve designatur. Licèt autem hoc Opus à Stagirita inscribatur περὶ ἑρμηνείας, idest, de interpretatione, vt notat Titel. *l.*3. *in præfatione*, & innuit Doct. 1. *perih. quæst.*1. nihilominus communis vsus Philosophorum inoleuit, vt interpretatio, & enunciatio indiscriminatim hoc in loco accipiantur, vt benè obseruant Titel. cit. Tatar. *quæst.* 1 *dub.*1. Conimbr. *in proœmio huius operis*, & ante istos Alex. & Amm. nobiles Peripatetici *in Comment.*

QVÆSTIO I.

De Obiecto Librorum Perihermenias.

ARTICVLVS I.

An Enuntiatio sit obiectum adæquatum.

1. ETsi omnes Aristotelis Enarratores fateantur enunciationem esse obiectum totale libr. Perihermenias, in ea tamen decernenda, non sunt concordes, nec vnanimes. Quidam enim, vt Ammonius, & Boetius, putant enunciationem simplicem esse obiectum adæquatum huius, Operis. Alij verò, inter quos videntur esse Scot. *hic quæstione prima*, eiusque discipuli, quibus subscribunt Tol. & Rubius *in proœmio*, statuunt subiectum totale istorum librorum enunciationem abstrahentem, à simplici, & composita enunciationibus.

2. Not. primò, interpretationem, cuius inscriptione insigniuntur hi libri Aristotelis, multas psti acceptiones quarum nonnullas adducit Tatar. *Tractat.*5. *summularum fol.*37. *scibili* 1. & 1. *Perihermen. quæst.*1. *dub.*1. quasdam verò Iacobus de Val. *Tractat.*2. *articulo quarto, prologi in Spalt.* quibus omissis vt grammaticalibus & scripturalibus, parúmque ad rem nostram conducentibus (cùm in præsenti sermo sit de interpretatione Philosophica) tantùm obseruo ex Doctor. *citat. in principio articul.* interpretationem bifariam describi. Vno quippe modo describitur vox articulata prolata cum imaginatione significandi, & hæc perhibetur, tam de incomplexis, quàm complexis, nec spectat ad hunc locum, in quo de complexis tantum agitur. Altero autem modo describitur, vox articulata prolata cum imaginatione significandi aliquid esse, vel non esse. Hæc interpretatio sic accepta non differt ab enuntiatione vocali. Sicut autem voces ab obiecto Logicæ excluŭi *libro primo, quæstione tertia, articulo quarto*, ita huiusmodi interpretatio,

interpretatio, quæ cum enunciatione vocali coincidit, ab obiecto huius partis Logicæ eſt explodenda quod nõ obſcurè tradit Doct. *vbi ſuprà*.

3. Not. 2. Enuntiationem vulgò diſtribui in mentalem, vocalem, & ſcriptam. Hæc autem diuiſio quoad aliqua eo fere pacto videtur eſſe explananda quo fuit explicita partitio termini, in mentalem, vocalem, & ſcriptam *in Epitome l.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 5. Enunciatio mentalis eſt, qua intellectus apprehendit, indicatque aliquid alteri conuenire, vel non conuenire, vt homo eſt animal: lapis non eſt animal. Enunciatio vocalis eſt dictio vnius de alio ore prolata, & enunciatio ſcripta eſt dictio vnius de alio litteris exarata. Quid autem, & quotuplex ſit iudicium, vide Scot. 4. *d.* 47. *quæſt.* 1. §. *Reſpondeo, ſub A.* & Gadium *Quol.* 15. *fol.* 185. qui definiunt iudicium in hunc modum. *Iudicium eſt certa apprehenſio, de aliquo per aliud*: omne quippe verum complexum apprehenditur eſſe verum, per aliud; etſi fuerit immediatum, adhuc iudicatur verum, per rationes terminorum, quia ex Ariſt. 1. *Poſt. T.* 6. *principia cognoſcimus, quatenus terminos cognoſcimus*, vt liquidò conſtat *ex præfatione Epitomes*.

4. Aſſertio, non enunciatio ſimplex, ſed enunciatio præſcindens à ſimplici, & compoſita eſt totale obiectum librorum Periber. Deducitur ex Scoto ſtatim ferè in principio huius *art. cit.* & probatur primo, ex Ariſtotele qui *cap.* 4. *primi periher.* definiens enunciationem partitur ipſam in ſimplicem, & coniunctam: ergo per Ariſtotelem enunciatio abſolutè ſumpta decernitur obiectum adæquatum, horum librorum. 2. Enunciatio coniuncta eſt vera enunciatio, cùm ſub enunciatione tanquam ſpecies ſub genere videatur continere: ergo in aliqua parte Logicæ tractanda eſt, non videtur autem in alia, quam in iſta parte conſideranda, vt liquet diſcurrenti, per ſingulas Dialecticæ partes. Tertiò, omnia, quæ hîc aguntur, in gratiam enunciationis tractantur: diſſeritur quippe de partibus eius integralibus: deinde de eius genere, quod eſt oratio. Itémque de eiuſdem partibus ſubiectiuis atque de ipſiuſmet proprietatibus. Ergo enunciatio generatim ſumpta ſtatuitur primum, & adæquatum obiectum iſtorum librorum.

5. Oppones 1. Subiectum ſcientiæ debet eſſe commune omnibus conſideratis in ſcientia, vt patet ex conditionibus ſubiecti *alibi* à me traditis: ſed enunciatio non eſt huiuſmodi: non enim prædicatur de nomine, & verbo, quia iſtæ non ſunt veræ propoſitiones, nomen eſt enunciatio, verbum eſt enunciatio. Non ergò enunciatio eſt obiectum huius operis. Diſtinguo malum Scoto *præcit.* de ſubiecto attributionis, nego: de ſubiecto prædicationis, concedo, vt explicui *l.* 1. *q.* 3. hócque tantum infertur, per aliam inſtantiam.

6. Opp. 2. ſi enuntiatio foret huius operis ſubiectum, vel eſſet enuntiatio mentalis, aut vocalis, aut ſcripta: nulla autem iſtarum eſſe videtur: non igitur enuntiatio eſt horum lib. ſubiectum. Ma patet, à ſufficienti artium enumeratione. Minor oſtenditur; non enim eſſe poteſt enuntiatio vocalis, vel ſcripta, inquit Doctor, quandoquidem nulla voce, aut ſcripto exiſtente, adhuc foret Logica, nec non eius partes, inter quas iſta recenſetur: nec enuntiatio mentalis, quia nomen, & verbum ſunt partes enuntiationis vocalis, cum ſint voces, vt claret ex eorum deſcriptionibus adductis, & explanatis *in Epitome l.* 2. Reſpondeo cum Scoto, ſicut nomen, & verbum vocalia ſunt partes enuntiationis vocalis: ita eadem mentalia ſunt partes enuntiationis mentalis: quæ enim apprehenduntur in prima intellectûs operatione, componuntur in ſecunda, licet per voces non exprimantur. Itaque ad formam argumenti concedo ma. nego min. ad eius probationem admiſſis eius duabus primis partibus ad tertiam dico, nomen, & verbum vocalia eſſe quidem partes enuntiationis vocalis; mentalis verò nequaquam; & hæc per illam manifeſtatur.

QVÆSTIO II.

De partibus Enuntiationis.

1. PARTES enuntiationis ſunt in duplici differentia, quarum meminit Doct. 1. *Periber. quæſt.* 1. quædam ſunt partes integrales, ex quibus ipſa enuntiatio conflatur, quæ ſunt nomen, & verbum: quædam verò ſunt partes ſubiectiuæ, in quas enuntiatio diſtribuitur, quæ ſunt affirmatio, & negatio. De prioribus pauca quædam ſcitu digniora hîc attingam reliqua videnda ſunt *in Epitome l.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. & 2. De poſterioribus verò *in ſequenti quæſtione* habebitur ſermo.

ARTICVLVS I.

An voces ſignificent ad placitum.

2. SVnt ex antiquis Philoſophis nonnulli, nominatim Pythagorici, (teſte Dexippo a Ruuio *l.* 1. *periber. cap.* 2. *quæſt.* 3. *citato*,) atque Heraclitus, & Cratylus, (referentibus Conimb. *in præſenti quæſt.* 4. *art.* 2. & Arri. *diſp.* 13. *ſect.* 1. *ſubſect.* 3.) qui opinantur voces naturaliter res ſignificare ſiue nomina eſſe ſigna rerum naturalia. Communis autem ſententia eſt cæterorum Philoſophorum, præſertim Ariſtotelis 1. *Periher. cap.* 1. & 2. Scot. *ibid. q.* 4. & 1. *d.* 21. *quæſt. vn. ſub C.* & *in Report. eodem l.* & *D.* & 2. *d.* 11. *q. vn.* §. *De ſecundo*, Titel. *l.* 3. *cap.* 1. Tatar. *q.* 1. Ioannis de Magiſtris *ibid.* & aliorum docentium voces eſſe ſigna rerum ſignificatiua voluntaria, & ex hominum arbitratu.

3. Not. 1. ex Pelb *Tomo* 1. *verbo nomen*, poſt Vorril. 1. *d.* 22. nomen deriuari à notamine, eo quod per ipſum notamus ſubſtantiam, & qualitatem alicuius. Idcirco apud antiquos Grammaticos, vt teſtatur Auctor Grammaticæ ſpeculatiuæ, nomen deſignat ſubſtantiam, & propriam, aut communem alicuius qualitatem. Hinc Ariſtoteles *in initio* 1. *periher.* ſubiungit nomina eſſe notas, ſiue ſigna conceptuum, qui in mente reſident. Cùm ergo nomen ſit nota, ſiue ſignum conceptus in anima latentis, & ſignum ſit multiplex: ob id perſcrutandum eſt, quodnam qualéve ſit ſignum. Et vt meliùs, & diſtinctiùs totum hoc percipiatur, recognoſcendæ ſunt deſcriptiones & diuiſiones ſignorum, quas attuli, & expoſui *in Epitome l.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1.

4. Not. 2. ex Titel. *nuper alleg.* inter voces, nonnullas nihil determinatè ſignificare, veluti ſunt voces puerorum, aut morionum, aut ebrioſorum inarticulatæ ab ipſis prolatæ, ex quibus nihil intelligitur ab audientibus, quaſdam verò aliquid determinate ſignificare, & iſtæ ſunt duplicis generis: aliquæ namque ſuaptè natura, aliquid ſignificant, quamuis nulla eis ab vllo hominum facta eſſet impoſitio, vt riſus lætitiam, & gemitus triſtitiam. Aliæ verò ex inſtituto, & voluntate imponentium aliquid ſignificant, vt homo apud Latinos, & ἄνθρωπος apud Græcos ſignificat animal rationale. Quamuis autem vox ad placitum ſignificatiua non valeat aliud ſignificare, quàm id, quod imponens intendit repræſentare quomodolibet, quia nomen vocale eſt quaſi fætus mentalis, & inane eſt imponere nomen, ad ſignificandum,

quod nulla ratione cognoscitur, aut saltem concipitur esse, cum vox sit inuenta ad conceptum nostrum pandendum: potest tamen amplius significare, quàm clara cognitione queat ille concipere, qui tali nomine vtitur, aut illud nomen instituit aut audit. Si quis enim v.g. nunquam vidisset Romam, & vteretur hoc nomine, respectu alterius, qui eam Vrbem vidit, clariùs planè ipsam repræsentaret illi, quàm conciperet, qui tali nomine vteretur. Prætereà, inquit Scotus, si aliquis viator Beatum alloqueretur, eique Deum nominaret, licèt ipse viator non nouerit Deum distinctè, & quidditatiuè, tamen eo nomine, distinctè, & clarè Deum repræsentaret Beato, qui ipsum Deum euidenter intuetur. Rursùs, contingere potest, vt qui audit meliùs, & perfectiùs intelligat rem nomine designatam, quàm ille, qui imponit, aut vtitur tali nomine, vt si extiterit perspicacioris ingenij, maioris eruditionis, & exercitationis.

5. Not. tertiò, ex Gabriele 3. *distinct.* 22. & 35. *quæst. vn. artic.* 2. Et si de rebus constet, nonnunquam tamen extat altercatio non spernenda, inter Authores, penes diuersas impositiones, diuersúmque voluntarium vsum ipsorum nominum, qui vsus sortitur vim impositionis. Ita enim interdum euenit, vt verè, falséque nomen de eodem simul enuncietur, secundum diuersas acceptiones: eadémque propositio vocalis, & scripta sit simul vera, & falsa, ob nominum æquiuocationem, vt declaraui *in Epitome libro tertio, quæst. 4. artic.* 3. Quocirca rectè subdit Glossa §. *De suppellectili legata, leg. Labeo.* & Gadius post Scotum. *Quol.* 10. *artic.* 2. *Sub R.* Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi vsu nomina esse capienda. Itémque *Extra. de sponsali, ex litteris*: legitur quòd si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verborum intelligentiam recurratur, & cogatur vterque verba prolata in sensu illo retinere, quem solent rectè intelligentibus generare. Idem sentit Aug. 3. *Mus.* 1.

6. Assertio prima. Conceptus rerum sunt idem apud omnes. Ita cum Aristotele 1. *perich. c.* 1. sentiunt Scotus *ibid. quæst.* 4 §. *Ad quæst. Quol.* 3. *Sub B* Maior *lib.* 2. *Terminorum, fol.* 24. Bonet. 2. *Met. cap.* 2. & reliqui Philosophi.

Probatur 1. Eædem sunt res vbique locorum, siue gentium, vt eadem est natura Leonis, siue Leo Romæ, siue Parisiis existat, siue coram Summo Pontifice, siue coram Rege præsentetur. Ergo, iidem sunt rerum conceptus. Consequentia est in promptu, quia conceptus sunt naturales rerum imagines, ipsásque res naturaliter exprimentes, quarum sunt imagines, & similitudines naturales, & vbique seruant suam naturalem repræsentationem, vt ad oculum cernitur, in imaginibus obiectorum per specula oblatis. Secundò, quod est à natura, idem est apud omnes, vt constat de plantis, arboribus, & cæteris, quæ vbique terrarum procreat natura: sed rerum conceptus sunt à natura: patiuntur quippe ab obiectis, quorum sunt naturales similitudines, vt ostendam *in lib. de Anima*; vt enim similitudo sensibilis obiecti in sensu semper est eiusdem obiecti repræsentatiua: pariter similitudo spiritualis in mente est eiusdem obiecti semper repræsentatiua. Igitur, iidem sunt conceptus, eædemque res apud omnes gentes, licèt ad res exprimendas, & conceptus manifestandos non omnes easdem voces adhibeant.

7. Assertio secunda. Voces sunt rerum signa significatiua ad libitum imponentium: Hanc sustinent Aristoteles, & Scotus *vbi suprà, &* 2. *dist.* 42. §. *Ad* 2 *quæst. N & Quol.* 3. *art.* 1 §. *De* 1. *sub B.* Probatur 1. quod pendet à voluntate hominis, est ad placitum: sed significatio vocum pendet à voluntate hominis imponentis: ergo voces sunt significatiuæ ad placitum. Maior est nota: minor elucet de quolibet idiomate, quo homines vtuntur adinuicem colloquentes: aliis quippe vocibus vtuntur Hebræi, aliis Græci, aliis verò Latini ad suos conceptus exprimendos, résque suas declarandas. Secundò, quod non est à natura, sed ab arte, & hominis arbitratu, est ad placitum: voces autem à natura non sunt significatiuæ, secus forent eædem apud omnes, quatenus significant: causa enim naturalis non impedita, debitéque approximata, vbicumque sit, promit suum effectum. Itemque, nullum intercederet discrimen inter voces hominum, & brutorum, quod est apertè falsum, & absurdum. Concedendæ igitur sunt voces ad placitum, & ad imponentium arbitrium.

8. Opponens primò, contra 1. assertionem, quilibet homo potitur proprio conceptu de re, quam nouit, vt Paulus habet conceptum de Leone distinctum à conceptu quem habet Franciscus de eodem Leone. Non ergo iidem sunt conceptus apud omnes. Confirmatur primò. Si iidem forent conceptus apud omnes, cùm conceptus ducant in cognitionem rerum quarum sunt conceptus, vnusquisque cognosceret res eodem modo per conceptus repræsentatas: ac proinde omnes ex æquo forent scientes, quod est absurdum. Confirmatur secundò. Aliæ res extant apud vnam Nationem: aliæ verò res sunt apud alteram Nationem, vt liquet de vestibus moribus, sermonibus, litteris, characteribus, & huiusmodi. Ergo nec eidem conceptus, nec eædem res sunt apud omnes.

Respondeo, proloquium Aristotelis intelligendum esse de identitate conceptus specifica, non verò numerica, vt probat argumentum. Vel dicito cum Scot. eosdem esse conceptus apud omnes gentes, quoad repræsentationem, quia eamdem rem vbique locorum repræsentant, non autem in se, & quoad suam entitatem. Sic enim distincti sunt conceptus iuxta concipientium distinctionem. Ad 1. conf. negatur sequela: quamuis enim vnus sit conceptus de eadem re specificus, & repræsentatiuus: nihilominus idem non est conceptus numericus. & entitatiuus. Si quidem alter habet conceptum confusum, & obscurum: alter verò distinctum & clarum de eadem re: atque adeo non sequitur omnes æquali cognitione, & scientia pollere. Ad 2. conf. dico, id valere non de rebus naturalibus, sed artificialibus, quæ variantur, iuxta varietatem artificum. Hinc subiungit Scot *propè finem quæst. citat.* litteras, & voces mutari apud diuersos imponentes, quia sunt signa ex impositione, quæ diuersa est apud diuersos.

9. Opponens 2. contra 2. assert. *Gen.* 2. cit. à Scot. 1. *dist.* 22. *quæst. vn.* §. *de secundo. sub C.* narratur Adamum imposuisse nomina cunctis animantibus, iuxta eorum naturas. Ibi namque loquuntur hæc verba. *Omne, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ.* Igitur voces sunt signa naturalia, & non voluntaria. Respondeo. Adamum voluntate, & suo arbitratu, quidem omnibus animantibus nomina imposuisse, dirigente Deo, quæ quoquo modo dici valent signa naturalia non simpliciter, sed quatenus singulorum eorum naturis, congruentia nomina fuêre imposita & desumpta ex eorum differentiis specificis, aut aliquibus eorumdem naturalibus proprietatibus. Sic lapis à lædendo pedem, notante Scoto, *loco citato*, §. *Potest dici.* Et petra à terendo pedem, *ibidem* §. *His præmissis*: a Latinis nominata sunt: aut ex motu, aut figura, aut operatione, aut alio accidente singulari, & proprio.

Cæterum, alia nomina rebus aliis, à viuentibus, arte, & ingenio pollentibus imposita fuêre, vsuque communi recepta sunt, nulla habitâ ratione earum naturis, vel proprietatibus, vel aliis ex præenumeratis, vt frequens nos docet experientia.

Instabis. Impositio nominum stellis ascribitur Deo, vt patet ex illo *Psalm.* 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

Deus

Deus autem optimè nouit rerum naturas, eisque propria nomina attribuit, & propria nomina sunt, quæ significant, sub propria ratione res (vt tradit Doct. *vbi suprà §. Ad quæst. præmitto.* Eo magis, quia voces sunt signa conceptuum, qui sunt signa naturalia rerum, affirmante Doct. 4. *d.10. quæst.4. §. Hic duo ante B.* Insuper, nomina, quibus vtebantur, & colloquebantur primi nostri progenitores, non fuerunt instituta ad eorum placitum; aut enim solus Adam, aut ambo rebus nomina imposuerunt: neutrum autem dici potest, quoniam non videtur, quo tempore tot vocum impositionem indicauerint, & quibus vocibus mutuum consensum in vocum adinuentione aperuerint. Ergo voces naturaliter significant.

Resp. Licet Deus nomina rebus affinxerit, quæ naturis earum congruunt, non tamen esse naturalia, vt *suprà* planum feci, Deus námque non naturaliter, & necessariò: sed liberè agit ad extra, vt legitur *Psal.* 134. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Et insinuatur à D. Hilario *l. de synodis. Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit.* Ad aliud, quod subiicitur, dico conceptus quidem esse signa naturalia, voces verò esse signa voluntaria, suprà ostensum est. Ad vlt. dico, in sacris paginis tantum referri Adamum animalib. nomina dedisse: reos autem cætera, Authore Deo, præstita fuisse, qui rerum species in vtriusque parentis mentes infudit.

11. Opp. 3. Rei essentia vbique est eadem, vt patet ex 1. *assert.* sed vox significatiua, essentialiter est significatiua: ergo vox vbique est eadem, ac proindè naturaliter est significatiua. Min. probatur, Vox per impositionem accipit suam significationem, & significatio est eius forma: sed omnis forma in subiecto existens, necessariò causat suum effectum formalem: igitur accepta significatione ab imponente ipsa vox necessariò, & naturaliter præsefert suum significatum. Concessa ma. distinguo min. essentialiter naturaliter, nego: essentialiter ex instituto, & voluntate imponentis, concedo; vbi enim constat de vocis impositione, eiusdemque significatione, ibi apud omnes idem significat, non sic aliter, cum voces sint diuersæ apud diuersas nationes, & iuxta vocum diuersitatem, extat pariter diuersitas significationum. Idque potest confirmari ex Scot. 4. *d.1. quæst.* 2. affirmante sacramenta esse signa significatiua, & causatiua gratiæ non naturalia, & physica, sed voluntaria, & moralia, ex Dei instituto, & pacto ipsius Dei, vt videre licet *loco cit.*

12. Oppones 4. homo suaptè natura est discursiuus pollétque naturali virtute sermocinandi: vt enim fatetur Aristoteles 1. *Polit. cap* 2. homo est animal sociabile, vnusque alteri communicat, & exprimit suos conceptus, sed virtutis naturalis sermocinalis instrumentum, debet esse naturale, ergo cùm vox significatiua sit instrumentum præfatæ virtutis discursiuæ vtique vox significatiua est instrumentum siue signum naturale. Confirmatur, homo non est vilioris, & deterioris conditionis, quàm brutum, cùm inter animalia sit nobilissimum animal: voces autem naturales conceduntur bruto, vt patet, ergo voces naturales homini non sunt denegandæ

Resp. concessa ma. ad min. dico quidem, instrumentum virtutis sermocinalis esse naturale: hocque multiplex, nempe linguam, dentes, palatum, guttur, pulmones, & huiusmodi, quæ concurrunt ad vocem articulatam efformandam, dequib. *in lib. de anima* nego tamen ipsam vocē articulatā esse naturaliter significatiuā; homo quippe sua arte, & ingenio potest nomina ad inuenire, eisq; pro suo libito significationem imponere, ad declarandos suos conceptus, resque significandas. Vt enim, ad vitanda nobis noxia adhibemus instrumenta, quorum quædam sunt naturalia, vt manus: quædam verò sunt artificialia, & voluntaria, vt arma: sic in re nostra homo præhabitis instrumentis naturalibus formandi vocem, deinde sua industria & institutione, aliqua signa habet ad placitum ad suas affectiones internas pandendas, resque significandas. Ad confirmat. dico hominem præter voces naturales, & inarticulatas, quæ ipsi, & bruto sunt communes, ad naturales affectiones designandas, vt insinuat Aristot. 7 *pol. cap* 2. habere voces articulatas, & ad placitum, quibus, aliisque permultis homo superat brutum.

Articvlvs II.

An voces primò significent res, aut conceptus.

13. Voces esse signa conceptuum, & scripta vocum, tanquam commune elogium depromunt posteriores Philosophi ex Aristotele 1. *periher. cap.* 10. Num verò voces primò significent res, aut conceptus, non leuis inter eos extat disceptatio. Boëtius quippè *in com.* relatus à Scoto *quæst. 2. primi periher.* tradit voces significare solos conceptus, pro se allegans Aristotelem, & Porphyrium *hoc loco.* In idem placitum videtur abire Priscianus, quem memorat Doctor citatus inquiens, omnem partem orationis significare mentis conceptum: & fauet S. Th. 1. *p. quæst. 13. art.* 1. E regione Scot. *præalleg. & 1. d. 22. quæst. vn. §. de ratione huius, & d. 27 q. vn. §. Ad argumenta infrà H.* quem sequuntur Gabriel *ibid.* Recentiores non pauci arbitrantur, voces præcipuè res significare, tametsi Doctor noster *in Log. in fine loc. cit.* doceat modum defendendi vtramque sententiam, tanquam probabilem; ait enim *ibi* primam esse probabiliorem secundum authoritates: secundam verò esse verisimiliorem, penes rationes: cui videntur consentire Conimbr. *q. 3. art.* 1. qui mediâ viâ incedentes putant voces tum conceptus, tum etiam res significare.

14. Not. ex Doct. *proximè cit.* quem sequitur Artiaga *disp. 13. sect.* 1. hic litem non esse de nominibus impositis ad significandas similitudines, siue species existentes in intellectu, (quod non ponderant duo nostri noui Scoti interpretes *disp. 2. q 1. in solutione 2. obiectionis*) siue etiam de vocibus adhibitis ad denotandos conceptus mentis, cuiusmodi sunt intellectiones in ipsa mente residentes. Sic enim pro comperto habetur potissimum significare conceptus: sed tota difficultas viget de aliis vocibus rebus impositis, extra intellectum, v. g. vtrùm nomen homo, significet naturam humanam, vel speciem, siue conceptum habitum de ipsa natura humana? Hùc pertinet distinctio conceptûs in formalem, & obiectiuum, quæ fuit a me adducta, & explicita *l. 3. q. 2. art.* 7. quæ ibi est recognoscenda, ne idem crebrò inutiliter repetam.

15. Assertio 1. voces significant res Probatur 1. multis locis allatis à Doct. præcit. *non longè ab initio q. Inprimus ex 3. c. huius lib.* Verbum significat aliquid vt lego lectionem, & scribo scriptionem: atque constituit, & determinat intellectum audientis, vt rem percipiat, quam loquēs ipsi per vocē repræsentat. Igitur, vox per Arist. est rei significatiua. Deinde 1. *Elench. c.* 1. idem Philosophus subiungit, *loco rerum vtimur nominibus quia res in disputationem adducere nequimus. Et ibi.* paucis interiectis, *quia res sunt infinita, nomina autem finita:* ideò necesse est vnum nomen, vnamq; orationem plures res significare. Rursus 4. *Met. T.* 28. addit, orationem quam significat nomen, esse definitionem, sed definitio designat veram rei essentiam: ergo voces sunt signa rerum significatiua. Corroboratur ex sacris paginis, præsertim *Gen.* 2. vbi legitur Adamum imposuisse nomina animantibus quem locum in ant. art. ponderaui, *oppositione* 2. Iterum *Lucæ* 1. Angelus ait, Zach *Vocabis nomē eius Ioānes. Marci* 3. Christus Dominus imposuit

Simoni nomen *Petrus*, & duobus filiis Zebedei *Boanerges*, idest filij tonitrui. Ex his, & consimilibus authoritatibus aperte euincitur, nomina significare res. Accedit Sanctus August 7. *Trinit. cap.* 3. inquiens, vocem præter se manifestare id, de quo loquimur. Loquimur autem de rebus, putà plantis, floribus, & similibus, quæ sunt veræ res. Igitur voces significant res.

Secundò, id significant voces, ad quod significandum impositæ sunt, vt nimirum loquens manifestet audienti rem, de qua ratiocinatur: voces autem repertæ sunt ad res manifestandas, vt nomen, homo, significat habens humanitatem, non verò habens conceptum humanitatis: ergo voces significant res.

Tertiò, nomina vel significant conceptus mentis, aut res, aut vtrumque: sed per se non videntur significare conceptus, ergo significant res. Ma. est nota quia nihil aliud superest, quod voces significare valeant. Min. ostenditur, aut nomina significant conceptum formalem, aut obiectiuum: non primum, quia conceptus formalis nihil aliud sibi vult, quàm cognitionem, siue intellectionem, de qua non esse dubium præmonui *in not.* Ergo secundum, & habeo intentum; quandoquidem conceptus obiectiuus nihil est aliud, quàm res cognita, siue intellecta: quod si dicatur, voces vtrumque significare, hoc infrà est perscrutandum, quomodo scilicet voces res, & conceptus simul palam faciant. Nobis autem nunc sufficit probare, voces res denotare, an verò priùs res, quam conceptus indicent *in* 3. *assertione* suadendum est.

16. Assertio secunda, voces aliquo modo significant conceptus. Hanc quoque probat Scotus *vbi suprà* 1. ex Aristotele *cit. cap.* 1. *Voces sunt signa passionum animæ*, idest conceptuum, Scoto interprete 1. *distinct.* 22. *quæst. vn* Et paulò post, *passiones animæ sunt eadem apud omnes, quarum voces sunt notæ, ac etiam apud omnes res sunt eadem, quarum, & hæ passiones sunt similitudines*. Suffragatur August. 15. *Trinit cap.* 11. *verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet.* Et *lib.* 2. *de ordine cap.* 12. Subdit, rationem inuexisse sermonem, quia homines animos suos, siue conceptus sentire non poterant.

Secundò. Id denotant voces, ad quod significandum ab hominibus sunt adinuentæ: voces autem repertæ sunt, ad aperiendos conceptus internos, per ipsas voces, vt nimirum homines vicissim colloquantur, sensa animi adinuicem palam faciant, ergo voces significant conceptus. Ma. liquet, quia voces ex hominum arbitrio sunt signa significatiua, vt dixi *in præeunte artic.* Min. est in confesso, quia hominum voluntas fertur ad declarandos internos conceptus, per voces, & nomina, vt scilicet quæ ad humanam societatem, amicitiam, & vitam transigendam conferunt, percipiant, obeant, & exequantur, vt ante Aristotelem *in* 1. *Pol. c.* 2. scribit Plato *in Timæo* cit. à Doct. 3. *dist* 28. *quæst. vn.* §. *In ista quæst.* his verbis. *Propterea sermonis est ordinata communio, vt præsto fiant mutua voluntatis indicia.*

Tertiò, Veritas, aut falsitas enuntiationis vocalis significat veritatem, aut falsitatem enuntiationis mentalis, vt astruit Arist. *hoc loco*: ergo enunciatio vocalis designat enunciationem mentalem, & partes huius designant partes illius: atqui partes enunciationis vocalis sunt voces: ergo, voces significant conceptus intellectus. Præterea, intellectus coniunctus in rerum notitia sensibus alligatur, qui non nisi rebus corporeis sunt affixi, vt patebit *in lib. de anima*; nec vnus absque vocibus consilia, sensáque alterius potest attingere. Igitur ad pandendos mutuos conceptus, inuentæ sunt voces, quæ eorum sunt signa ex hominum instituto. Denuò, experimur Magistros docere suos discipulos artes, & scientias, manifestando suos conceptus per voces: Angelos vero, quia prorsùs sunt à materia seiuncti, aliter adinuicem loqui, & notificare suos conceptus, fusè ostendi *Tract. de Angelis disp.* 7.

17. Assertio tertia, voces significant res, mediis conceptibus. Hanc vt probabiliorem videtur tenere Scot. prænominatus, & 1. *distinct.* 8. *quæst.* 5. § *Contra*: & expressè defendunt Tatar. *quæst.* 1. *scibili* 4. Tol. 4. *concl.* aliique permulti.

Probatur primò, illud primò significat vox, ad quod significandum primò est imposita: sed vox primò est imposita ad rem significandam: ergo primò significat rem, & postmodum conceptum mentis. Maior est nota, quia tota nominis significatio pendet ex imponentis voluntate. Min. probatur v.g. nomen Ioannes quod impositum est filio Zachariæ proculdubio immediatè significat ipsum Zachariæ filium, non verò conceptum de ipsomet habitum. Itemque nomina animantibus ab Adamo adscripta, non animalium conceptus, à primò parente formatos, sed naturas eorundem animalium designant, vt euidenter constat ex verbis sacri textûs. Igitur voces significant res, mediantibus conceptibus.

Secundò, illud vox primò significat, quod primò ab audiente percipitur: sed primò ab audiente percipitur res, quàm conceptus loquentis: ergo primò res significatur per vocem loquentis, quam eius conceptus. Ma. elucet, quia voces præcipue institutæ sunt, vt audiens concipiat, quod loquens ei intendit significare. Min. suadetur, actus rectus prior est actu reflexo: res autem actu recto intelligitur, & conceptus eius actu reflexo, vt diligenter aduertit Doct. in præsenti: ergo, in illo priori, in quo res intelligitur, absque eius conceptus intellectione, potest ei nomen imponi, sicque nomen rem primò significat.

Tertio Si voces primò conceptus, & non res significarent, propositiones, quæ aliàs quin sunt veræ, forent falsæ, vt hæc propositio, *Deus est iustus*, quæ vera est, foret falsa: siquidem conceptus iusti, qui in nobis est, non est attributum diuinæ iustitiæ, vt ex se patet. Rursùs, vox non significat primò conceptum formalem, vt aduerti *suprà*: significat autem conceptum obiectiuum, qui est ipsamet res cognita. Denique illud potissimum vox significat, pro quo primò subrogatur, & substituitur: at vox subrogatur, & supponitur pro re, vt homo pro habente humanitatem, vt abunde monstraui *lib.* 1. *Epit. quæst.* 2. *art.* 3. concluditur ergo, voces mediis conceptibus res significare.

18. Oppones primò, Aristoteles 1. *perih. in principio primi c.* ait, voces esse signa passionum, quæ latent in anima: quæ autem resident in anima sunt conceptus siue species, rerumque similitudines: ergo voces potissimùm significant conceptus. Conf. quædam nomina designant operationes nostri intellectus, vt nomen intellectio: at operationes nostri intellectus sunt conceptus, vt patet. Igitur nomina significant conceptus immediatè, & primariò. Respond. ex Scoto 1. *dist.* 27. *q.* 3. §. *Ad argumenta huius quæst. sub H.* Philosophum ibi tantùm velle voces esse signa conceptuum non propriè, & directè, & vltimatè, sed mediatè, & præexigitiuè: necessariò enim prærequiritur, vt res prius concipiatur, quam ore per nomen exprimatur, sic v.g. nomen lapis, præuio conceptu de ipso habito significat talem rem propriè, quæ lapis nominatur, adeò vt vox subordinetur conceptui, prius quippe est conceptus de re, quàm per vocem res ipsa nominetur, & significetur: atque ita voces significant res, mediis conceptibus. Ad conf. dico excipienda esse ea nomina, quæ fuere adinuenta, ad significandas similitudines, & species, quæ in mente sedem habent, vt suprà ex Scot. animaduerti.

19. Oppones secundò, Nomina imposita ad significanda figmenta, vt chymera, hircoceruus, & id genus alia tantùm animi conceptus designant: ergo voces primò significant conceptus. Conf. Voces designant consensum, aut dissensum animi duntaxat: consensus autem, & dissensus sunt conceptus animi: voces igitur potissimùm significant animi conceptus.

Respond.

Respond. prædicta nomina fictitia significare præcipue impossibilia, siue entia rationis, quæ nullum habent fundamentum à parte rei. Quare nego ant. siquidem vt notat Scot. *in q.§. Ad partem oppositam* figmenta & singularia licet forment species in virtute imaginatiua, non tamen in intellectu, qui solùm capax est recipiendi speciem sui obiecti, quod pro hoc statu est quidditas rei sensibilis, vt fusè ostendi *in Tract. de cognoscibilitate Dei disput.*1. Ad conf. negatur ant. experimur namque rem præcipuè indiesti nutu cum res sit præcipuus, & immediatus eius significatus, perhibente Scoto *loco cit.§ Ad q. dicitur.*

20. Oppones tertiò. Voces substituuntur loco conceptuum, vt *suprà* ex Aristotele monstr. ui: ergò voces primò significant conceptus. Conf. Si voces res primò significant, nullum foret mendacium, vt enim ait Scot. *2 dist.*42. §. *Ad 2. quæst. N.* sermo debet notificare id, quod est in mente, secùs est mendacium: ergò voces propriè præseferunt conceptus. Sequela ant. probatur, *vulgo mentiri est contra mentem ire, ex 3. Report. dist.*38. *quæst.*1. mentiri est abuti voce, quia voces adinuentæ sunt ad denotanda indicia voluntatis: mentientes autem non vtuntur vocibus tanquam indiciis voluntatis, sed oppositi. Præterea, ex S. Aug. *l. de mendacio*, mendacium describitur, *falsa vocis significatio, cum intentione fallendi*: ergo si voces potissimum non designant conceptum, rectè deducitur, non fore mendacium, quis nemo loqueretur contra mentem, siue conceptum, quem in mente haberet, cùm tamen scriptum sit *Psal.* 6.. *mendaces filij hominum*, & *Psal.* 115. *omnis homo mendax*. Resp. distinguendo ant. voces supponuntur loco conceptuum formalium, nego: loco conceptuum obiectiuorum, concedo, vt *suprà* manet explicatum. Vel dicito nomina significare res, mediis conceptibus, vt patet ex responsione primæ oppositionis. Ad conf. neganda est sequela ant. Ad eius probationẽ dico mendacium situ esse in exteriori affirmatione eius, cuius negatio in mente habetur: aut è cõtra, in externa negatione eius cuius affirmatio tenetur in mẽte. Affirmatio autẽ, & negatio: veritas & falsitas sũt de rebus, mediantib. conceptibus, vt tangit Doctor. *in quæst. præsenti §. Ad quæst. dicitur*: declararique potest, exemplis ab eodem Doct. adductis *in 1. Report. præcit.* præsertim *Gens.* 27. vbi ait Iacob, se esse primogenitum, cuius oppositum optimè nouerat. Et *ibid cap* 42. inquit Ioseph fratribus suis, *per salutem Pharaonis, exploratores estis*, cuius contrarium non erat ei ignotum. Afferri quoque potest illud *Act.* 5. de Anania, & vxore eius, qui fraudantes de pretio agri, mentiti sunt Deo, vt ipsos increpat S. Petrus, *ibid.*

ARTICVLVS III.

Quid præseferat significatio vocum.

21. DVobus potissimum in locis discutitur, & deciditur iste art. à Doct. *in 2. dist. 42. quæst.* 4. §. *Ad 1. argum. O. & in 4. dist. 1. quæst 5. §. Contra opinionem B.* In quo duas præcipuas nanciscor opiniones. Prior est eorum, qui astruunt vocum significationem esse quid reale, & hi videntur inter se altercati, nonnulli namque vt S. Th. à Lych. citatus, & à Doct. *in 2. præcensito* refutatus, scribunt significationem vocis esse quid reale, & intrinsecum voci, hoc est virtutem quandam causandi conceptum, in mente audientis, Alij verò, quorum nomina reticet Arriaga *disp.* 13. *sect.*4. censent esse relationem realem in ipsis nominibus, ex libera hominum impositione promanantem. Posterior autem est quorundam aliorum existimantium nominum significationem nihil reale denotare: hique bipartiti sunt: aliqui enim opinantur nomina esse significatiua per relationem rationis, inter quos videtur esse Scotus *in 4. cit.* & expressiùs *in Report. 2. dist. 42. q. 4. § Ad aliud dico.* Alij verò, quibus fauet Doctor *in scripto Oxoniensi 2. dict. alleg.* sentiunt significationem vocum constitui, per denominationem extrinsecam.

22. Reuocanda sunt in memoriam, quæ dixi *in Epit. l. 1. quæst 2. art. 1* de signo, & significatione: nunc autem tantùm moneo, hanc difficultatem non excitari de vocibus inarticulatis, & naturaliter significantibus, quarum significationem certum est præseferre aliquid reale, vt fletus dolorem, & risus lætitiam: sed de vocibus articulatis, & ad placitum significantibus, quarum significationes depromuntur ex arbitrio, & voluntate hominum imponentium, qui huiusmodi nominibus pro suo libito tales significationes afficiunt. Præterea, vt colligitur ex Scot. *in 2. cit. infrà. O.* vocem bifariam posse considerari, vno modo in se, hoc est, vt qualitas, siue sonus ab aliqua causa emissus, & ita vox est signum naturale suæ causæ, veluti cæteri effectus signant suas causas. Altero modo vt est significatiua, sicque est signum rememoratiuum, cuius notitia habetur apud illos, quib. impositio ipsius vocis significatiuæ innotescit. Vox autẽ à naturalibus instrumẽtis recẽsitis *alibi*, efformata imprimit speciem sui in auditu atque ab ipsamet species ab auditu ad sensum communem, phantasiam, & memoriam permeans defertur ad intellectum (eo ferè modo, quo dictum est de vniuersali formaliter *l. 2. q. 1. a. 8.*) qui eius naturam percipit, eiusque impositionem ad significandum, habétque conceptum eius formalem & obiectiuum, conferens vocem, ad rem per ipsam significatam, sicut signum ad signatum. Vnde consurgit relatio rationis. Insuper obserno nos non duci in cognitionem rei, cui vox imponitur, nisi priùs per speciem nouerimus eam rem, quæ voce afficitur: quando autem eius cognitionem habitualem habemus, audientes vocem, nobis comparamus actualem notitiam per eamdemmet vocem tanquam per signum rememoratiuum, vt bene prosequitur Scot. *vbi suprà.*

23. Assertio prima, significatio nihil reale, siue absolutum, siue relatiuum voci præbet. Ita Scotus vtroque loco præalleg. probatur. Vox non significatiua nullam entitatem ipsi superadditam subit, præter suam propriam entitatem, quæ est qualitas, vt suprà notaui: ergo idem est affirmandum de voce significatiua. Ant. peruium est omnibus. Consequentia probatur, impositio voluntaria voci tributa ad significandum nequit esse quid reale absolutum, aut respectiuum. Siquidem homines pro suo libito vtuntur eadem voce, eodémque signo pro diuersis rebus significandis, & modò memorant, & modo obliterant: modóque innouant, modóque abrogant: adeò vt haud sit incongrua illa comparatio vocum foliis ex arboribus nunc enascentibus, nunc verò ab eis, decidentibus. Idem autem reale nequit subire tot oppositas entitates reales absolutas, aut relatiuas ab hominum voluntate pendentes. Eò magis, quia non est verisimile, voluntatem causare aliquid reale physicum in vocibus, per liberam impositionem significantibus: tale quippè ens causatum aut esset effectus liber, aut naturalis. Non secundum, quia quilibet absque notitia impositionis liberi posset venire naturaliter in cognitionem quarumcumque vocum significantium; sicque haud voces forent ad placitum. Nec primum, quia à principio libero non prodire effectum naturalem, veluti quoque à naturali potentia effectum liberum non emanare, *alibi* cum Scoto monstraui.

24. Assertio secunda. Nulla virtus intrinseca continetur in voce significatiua, effectrix conceptus, in mente audientis. Est Scoti *ibid.* & sequitur ex dictis in præcedente, quam suadet idem Doctor hunc in modum. Causæ principalis & instrumentalis manentes eædem, naturales, sufficientes, & non impeditæ semper eumdem producũt effectum iuxta illud vulgatum: *idem manens idem, semper facit idem*: at si Latinus proferat verba Latina, Græco audiente ignaro idiomatis Latini,

est eadem causa principalis, & instrumentalis, ac si loqueretur Latino, aut Græco callenti linguam Latinam: ergo eumdem produceret effectum, qui est perceptio Latini sermonis, ac proinde Græcus expers linguæ Latinæ perciperet Latinum sermonem, veluti Latinus, eiusque idiomatis capax: atque vnusquisque omnibus linguis polleret, quod est falsum, & absurdum. Præterea, illa virtus inexistens voci, effectiua conceptus audientis est naturalis quoniam à causa naturali emanat, in eáque residet: naturalia autem eadem esse apud omnes asserui 1. *art. huius quæst.* Si ergo admittatur illa virtus in voce contenta, ipsa vox non foret significatiua ad placitum, quod pugnat loco nunc alleg. Idque exemplificat Doct. de circulo lauri, aut alterius rei ante domum aliquam appenso, ad significandum vinum vendibile, in quo propter talem significationem haud ponitur vlla qualitas de nouo producta: sic pariter, in voce collocanda non est aliqua entitas realis propter significationem in actu primo ipsi impositam. Quod etiam de pretio numismatis, aliisque signis ex hominum instituto significantibus, existimandum esse perhibet Scot. *in fine quæstione* 5. §. *Ad* 1. *L.*

25 Assertio tertia, significatio vocis est ens rationis, ex institutione imponentis causatum, siue in ea derelictum. Hinc expressè docet Scot. 2. *Reportat. distinct.* 42. *quæst.* 4. §. *Ad aliud dico. Et* 4. *distinct.* 1. *quæst.* 2. §. *De* 2. *paulò post H.* Probatur 1. voces considerantur à Log. vt sunt secundæ intentiones, ex Tatar. *Tract.* 1. *summularum*, & 1. *perih. quæst.* 2. *scibili* 1. affirmanté, nomen formaliter captum esse secundam intentionem attributam voci significatiuæ, ad placitum: sed secundæ intentiones sunt entia rationis, ex communi omnium sensu: ergo significatio vocis est ens rationis. Maior potest corroborari, quia nihil reale per se Logica perscrutatur, cùm sit scientia rationalis, vt dixi *lib.* 1. *quæst.* 3. *art* 6. Secundò, quod habet tantum esse per intellectum, est ens rationis: sed significatio vocis habet tantùm esse per intellectum: ergo est ens rationis. Ma. patet ex definitione entis rationis insinuata *lib* 1. *quæst.* 3. *art.* 1. Min. patet, quia actualis significatio ipsi voci non competit, nisi per actum instituentis, vt tradit Doct. 4. *præalleg.* his verbis, *significatio est signum ex institutione* huiusmodi autem relatio naturaliter non exurgit ex fundamento: etsi enim in re sit aptitudo ad signandum effectum signatum, tamē actualis significatio non sibi conuenit, nisi per actum imponentis. Tertiò, comparatio vnius, ad aliud per intellectus operam, est ens rationis, ex eodem Scot. *cit.* atqui significatio vocis est collatio vnius, ad aliud. putà comparatio signi ad signatum, vt subiungit Doct. *quæst.* 5. *loci proximè cit. ante* §. *Ad* 1. *ergo B & C.* Adde, quod significantur per voces res non existentes; siue præteritæ, vt Adam, siue futuræ, vt Antichristus: relationem autem non esse realem, termino actu non existente, constat ex dictis *quæst. de relatione.* Infertur ergo nihil reale esse per vocis significationem. Vnde nostri duo Iuniores proculdubio a Scot. declinant, qui *disp.* 2. *quæst* 2. astruunt, significationem vocis esse solùm denominationem extrinsecam realem deriuatam in ipsamet voce à voluntate primi instituentis; deinde subdunt, absolutè huiusmodi denominationem extrinsecam explicandam non esse per ens rationis: nam vt constat ex *locis præcit.* apertè Scot. tradit significationem vocis esse: ens rationis. quod illi postmodum videntur ulfacere *disp.* 3. *quæst.* 6. *artic.* 1. cùm tamen ibi negent denominationem extrinsecam esse ens rationis. Prætereà, quando mens alicuius Authoris per verba eiusdem Authoris nota est, non debet trahi ad alienam sententiam, vt de Aristotelis placitis mouet Scot. 1. *distinct.* 8. *quæst. vlt. & quol.* 7. Atqui Scot. apertè docet significationem nominis esse ens rationis, vt passus prænominati ostendunt; ergo ipsi attribuenda non est altera sententia, vt præstant Nuperi alleg.

26. Dices, Scot. *in* 4. *cit. quæst.* 5. loquitur dubitatiue, apponens voculam illam *fortè*, quæ non est assertentia, sed subdubitantis: sicque præcit. Doctores, Scot. expresse non contradicunt. Dico, etsi eo in loco Scot. adducat illam particulam dubitatiuam, nihilominus paucis interpositis, subiungit talem significationem vocis esse collationem signi, ad signatum, quam apud Scot. liquet esse ens rationis, vt *in fine eius quæst.* & *quæst.* 2. *eiusdem operis.* Atque *in Report. nuper alleg.* id palam affirmat, his verbis. *Ideò nihil nouum est ex impositione, nisi ordo quidam, qui est relatio rationis.*

27. Oppones primò, vox est rei significatiua, sine intellectus opere: ergo significatio vocis non est ens rationis. Ant. probatur, vox Leo v. g. à quouis prolata significat Leonem, tametsi intellectus circà eam nihil operetur. Non ergo significatio vocis est ens rationis. Nego ant. ad eius probationem dico cum Scot. 4. *distinct.* 1. *quæst.* 2 *sub H* in voce includi aliquid, quod designat ens rationis, putà signum ex institutione. Hæc enim relatio non consequitur fundamentum, ex natura rei: quamuis autem aptitudo ad significandum effectum signatum sit à parte rei: attamen actualis significatio ei conuenit, per actum instituentis. Ex his deducitur, quod licet non omnes vocem significatiuam proferentes fabricent ens rationis, vt ex 1. *distinct.* 22. *quæst. vn.* §. *Ad quæst. premitto*, de psitaco voces humanas edente: nihilominus institutor, eiusque author, in significatione ipsi voci appingenda ens rationis efformat.

28. Oppones secundò, si vocis significatio, quæ petitur ab imponente est ens rationis, cum imponens, eiusque impositio præterierint, nulla ampliùs remanebit significatio nominis: hoc autem planè falsum est: igitur significatio nominis est quid reale perdurans, post imponentis obiectum. Respond. negando sequelam maioris, ratio negationis est, quia vox est signum rememoratiuum, quod est rei præteritæ. Ob id, quamuis institutor è vita decesserit; veruntamen non abolentur nomen, nec eius significatio; dummodò vsus eius permaneat, vt quoque constat de pretio nummi, & aliorum multorum, quæ eumdem valorem, eamdemque vim retinent, tametsi eorum Authores obierint.

29. Oppones tertiò, ad aliquid cognoscendum, necesse est, cognoscatur eius ratio formalis, per quam in esse formaliter constituitur: sed significatio est ratio formalis vocis significantis: ergo ad ipsam cognoscendam oportet eius significationem cognoscere: at per nos significatio vocis est ens rationis: igitur, vt cognoscatur vox significatiua, necessarium est cognoscere ens rationis, quod paucis est notum: significatio verò vocis omnibus, apud quos est in vsu. Confirmatur, pueri addiscentes Grammaticam, nomina, eorúmque significationes norunt, nullum verò ens rationis percipiunt, cum sit cognitum difficillimum. Non ergo significatio nominis est ens rationis. Respond. ma. veram esse de cognitione quidditatiua, perfecta, & euidente: non autem de cognitione parta per vsum, & consuetudinem signi communis, ab aliquo Authore adinuēti, & à Republica recepti, vt est cognitio habita de voce significatiua, quam sibi comparant tam periti, quam imperiti. Quare ad eam acquirendam non est necessaria notitia entis rationis: veluti ad cognoscendum aliqualiter hominem non requiritur eius clara, & euidens notitia; sed satis est animal rationale secundum communem consuetudinem nomine homo significari. Per idem respondetur ad confirmationem, quod aliquo modo declarari potest de animantibus disciplinabilibus, præsertim de cane, qui si assuescat, audito nomine panis, & repetito, si aliquoties ei panis offeratur, accedit ad tale nomen proferentem, & nonnunquam, solo nomine panis audito, eique non oblato, etiam venit ad huiusmodi nomen exprimentem: audita verò baculi voce, recedit: ipse autem canis nec agnoscit, nec facit vllum ens rationis, vt monstrabitur *in lib. de anima.*

30. Oppo

30. Oppones quartò, Sunt nonnulli, qui interdum, ex aliorum doctrina discunt, quæ nunquam in eorum mentem venerant, experientia testante: ergo in audiente non præexigitur cognitio habitualis rerum, de quibus loquens verba facit, vt vult Doct. *in vtroque loco cit.* Respond. concesso ant. ad conseq. dico, Scot. exponendum esse de iis, quæ per actum rectum intelliguntur: non verò quæ per actum reflexum, vt Doct. luculenter edisserit *quæst. 3. vniuers.* Vel dicito esse interpretandum, de incomplexis, quorum necessariæ sunt species in audiente, vt ipse audiens percipiat ea, de quibus loquens sermonem habet. Argumentum autem procedit de complexis, quorum non prærequiritur cognitio in audiente, vt quæ à loquente perhibentur, accipiat. Ea quippe vis est intellectus, vt ex incomplexis perceptis complexiones efformet: & ex his bonos, aut malos discursus deducat. Quamuis autem quoduis obiectum intelligibile non moueat intellectum, ad sui notitiam per se, aut per propriam speciem, satis tamen est, si ipse occasionaliter excitetur à re extrà, ad sibi comparandam cuiuscumque obiecti notitiam, scribente eodem Doct. *in fine quæst. 4. vniuers.*

QVÆSTIO III.

De Enuntiationis essentia, eiusque speciebus.

ARTICVLVS I.

An Enuntiatio sit ens rationis.

1. QVid, & quotuplex sit enunciatio, constat, *ex Epitome lib. 2. quæst. 2. art. 1. & 3.* ac etiam *ex 1. quæst. huius lib. art. vn.* Restant autem *in præsenti quæst.* Hæc præcipuè peruestiganda, videlicet, num enuntiatio inter entia rationis locum teneat, quod discutiendum proponitur, *in isto art.* Deinde, an enuntiatio sit simplex qualitas. Rursùs, vtrum enuntiatio apprehensiua differat à iudicatiua. Postmodum, quænam sit diuisio enuntiationis in affirmatiuam, & negatiuam; & hæc in subsequentibus articulis examinanda, & stabilienda curamus.

2. Quoad hunc art. iuxtà ternatium numerum enuntiationum, mentalis, vocalis, & scriptæ, tres recitantur peculiares opiniones à Recentibus Philosophis, quarum vna est quorumdam existimantium, omnem enunciationem, siue mentalem, siue vocalem, siue scriptam esse ens reale, quam expressè tuetur Blanc. *disp. 1. de enunt. sect. 1.* Et fortè ab his non discordant illi, qui astruunt obiectum Log. esse ens reale, quod respui *lib. 1. quæst. 3.* Altera est aliorum, inter quos est Masius *disp. de oratione quæst. 2.* qui suspicantur enuntiationem mentalem esse quidem ens reale: non autem vocalem, & scriptam. Tertia est communis cæterorum docentium quamlibet orationem siue enuntiationem prænominatam esse ens rationis. Hanc insinuat Scot. *quæst. 3. vniuers. paulò antè §. Ad rationem & §. Vel potest dici. Et quæst. 1. prædicam. §. Ad quæst. dici potest.* Estque prorsùs consentanea principiis eiusdem Doct. Pro captu autem huiusce difficultatis faciunt quæ scripsi *lib. 1. quæst. 3. art. 1.* de actibus actiuis, & passiuis intellectus, quorum priores esse Animasticæ, posteriores verò esse Dialecticæ considerationis adnotaui eo in *loco mox alleg.*

3. Assertio, enuntiatio tam mentalis, quàm vocalis, & scripta est ens rationis. Deducitur euidenter ex Scoto *vbi suprà.* Probatur primò, quale est totum ex partibus conflatum, tales sunt eius partes, hoc est, si totum est reale, partes eius sunt reales, & si totum est substantiale, vtique eius partes sunt substantiales: sed totum logicale est ens rationis nempe syllogismus, hic modus sciendi, vt patet ex assertis *lib. 1. quæst. 3.* vna autem ex partibus syllogismi est enuntiatio, vtpote qui conficitur ex tribus propositionibus, inter quas extat enuntiatio, vt declaraui *lib. 3. Epitomes quæst. 1. art. 5.* Ergo, enuntiatio est ens rationis. Secundò omnis collatio passiua vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum est ens rationis, *ex 4. dist. 1. quæst. 2.* Sed enuntiatio est comparatio passiua prædicati ad subiectum, & èconträ, vt constat *ex 1. dist. 25. quæst. vn antè B.* Comparantur quippe extrema enuntiationis adinuicem, conueniántne, an verò disconueniant? Vnde fiunt enuntiationes affirmatiuæ, aut negatiuæ: veræ, aut falsæ, vt ostendi *lib. 2. Epit. quæst. 1. art. 3.* Tertiò, cuius species, & proprietates sunt reales, est ens reale: & cuius species, & proprietates sunt entia rationis, est ens rationis: sed species, & proprietates enuntiationis sunt entia rationis: ergo enuntiatio est ens rationis. Ma. est nota. Min est in promptu; species námque enuntiationis sunt affirmatio, & negatio, eius verò proprietates sunt veritas, & falsitas, atque oppositio, æquipollentia, & conuersio, quæ cùm sint secundæ intentiones, constat esse entia rationis. Porrò de enuntiatione vocali, & scripta speciatim suaderi potest; quia voces, & scripta sunt signa ad placitũ ex dictis *in superiori quæst.* Et signum ex institutione esse ens rationis asseuerat Doctor *in 4. proximè cit.* Ergo, cum enuntiatio vocalis, & scripta componantur ex nominibus quæ sunt entia rationis: clarè infertur enuntiationes vocalem, & scriptam esse entia rationis.

4. Oppones primò, actus intellectus est ens reale; egreditur enim à potentia, & causa reali: atqui enuntiatio est actus intellectus, cum sit secunda intellectus operatio: ergo, enuntiatio est ens reale. Distinguo ma. intellectus est ens reale, actiuus, concedo: passiuus, nego, eo modo quo palam feci *lib. 1. quæstion. & art. prææalleg.*

5. Oppones secundò, quod componitur ex partibus realibus, est ens reale: sed enuntiatio componitur ex partibus realibus, igitur est ens reale. Ma. liquet. Probatur inductione: enuntiatio mentalis conflatur ex conceptibus realibus: enuntiatio vocalis ex vocibus; quæ sunt à parte rei, & realiter proferuntur, & scripta ex terminis scriptis, qui quoque sunt entia realia. Iterum, significatio, & veritas, quæ enuntiationi competunt sunt realia: non ergo enunciatio, à syllabo entium realium est amouenda. Concessa ma. nego min. ad eius probationem, dico enuntiationem mentalem constitui ex conceptibus non quidem actiuis, sed passiuis, qui ex dictis sunt entia rationis. Enuntiationem autem vocalem conflari ex vocibus realibus, ac etiam scriptam ex scripturis realibus materialiter sumptis, concedo: formaliter verò captis, nego, vt ex *antecedente quæst.* liquidò constat. Ad aliud, quod subijcitur, de significatione naturali, admittitur: de significatione libera, respuitur. Pariter de veritate rei conceditur: de veritate autem intellectûs, & signi negatur, vt planum fiet in sequenti *quæst.* Vide Orbel. 6. *Met cap 2.*

ARTICVLVS II.

An Enuntiatio sit simplex qualitas.

6. VOcalem, & scriptam enunciationes esse compositas, pro certo habetur apud omnes: vocalis quippe ex vocibus, siue nominibus ore prolatis, & scripta ex litteris, & characteribus conflatur. Tota verò difficultas mouetur de enuntiatione mentali, videlicet, num sicut illæ prærecensitæ sunt compositæ ex vocibus, & scriptis: ita hæc ex partialibus notitiis subiecti prædicati, & copulæ coalescat.

Qua

Qua in re, duas lego Philosophorum sententias extremas: prior est Soti *lib.1 summularum* Hurt. *disp.7. sect.21* & Arriagæ *ibid. disp 6. sect.4. concl.* ... affirmantium enuntiationem mentalem, siue categoriam, siue hypotheticam esse simplicem qualitatem; subscribit Ponc. *disp.19. quæst.4.* Posterior defenditur à Ioanne de Mag. *1. perih. quæst.3. dub.1.* Maiore *1. Post. cap.1. fol.65.* Rubio *quæst.4.* & plerisque aliis *ibid.* asserentibus, mentalem enuntiationem esse simplicem qualitatem. Et hanc esse magis conformem, communi sensui Antiquorum fatentur Conimb. *q.4. art.3.* quam planè indicant Scot. *quæst.1. primi Perih. in solutione 3.* & Tatar. *ibid quæst 1. dub.1.*

7. Not. 1. primam operationem intellectus vocari simplicem, nedum penes suam entitatem, & principium; verumetiam penes obiecta apprehensa, hoc est, quia termini per eam apprehensi sunt simplices, & incomplexi, eo modo, quo alibi fuit explicitum. Singulis autem terminis simplicibus ab intellectu apprehensis correspondent conceptus ipsiusmet intellectus simplices: qui dicuntur conceptus obiectiui; hi verò conceptus formales: secunda autem operatio intellectus nuncupatur compositio, & diuisio: compositio quidem, propterea quòd termini apprehensi vniuntur adinuicem & componuntur; ponitur enim vnum obiectum cognitum cum alio obiecto cognito: diuisio verò, quia termini huiusmodi inter se diuiduntur, & dimouentur; de quei is simul vnitis, aut diuersis, intellectus fert iudicium, atque instar iudicis pronunciat sententiam, in alterutram partem, perspiciens hos conuenire, illos verò discrepare. Si autem termini adinuicem conueniant, iudicium quod de eis fert intellectus, vocatur iudicium affirmatiuum: quod si inter se repugnent, iudicium de eis, perhibetur negatiuum: & communiter illud affirmatio, & assensus: hoc verò negatio, & dissensus nominatur. Hoe totum conspicuè tradit Scotus 1. *distinct. 3. quæst.4.5. Quantum ad 2. C. & D.*

8. Not. 2. Nostrum intellectum simul plura intelligere nequire, ratio est, quia per vnam speciem non potest intelligere, nisi vnum obiectum, atque pro sua finitate, & imbecillitate non potest simul attendere pluribus obiectis, per plures, & distinctas species repræsentatis: hinc prodit necessitas compositionis, & diuisionis: etenim cum apprehendere non valeamus essentiam rei, simulque eius omnes proprietates, & virtutes, necesse est, habeamus distinctas apprehensiones, penes distinctionem rerum, quæ à nobis sunt apprehendendæ Quare coniungenda sunt, quæ rei conueniunt, & segregands, quæ rei repugnant, & in hoc munere sita est secunda operatio intellectus, quæ fundatur in vnitate, aut distinctione rerum; propterea supià compositionem, & diuisionem esse nuncupatam obseruaui.

9. Assertio, Enuntiatio mentalis non est simplex sed composita qualitas. Colligitur ex Scot. *prealleg.* Probatur primò ex Arist. *1 Perih. cap.1.* qui secundam operationem intellectus appellat compositionem. Et c. *de verbo* subiungit, verbum componere subiectum, cum prædicatu: atque enuntiationem effici per compositionem, & diuisionem intellectus. Amplius *3. de anima cap.6 T 21.* Perhibet secundam operationem intellectus esse compositionem conceptuum. Vnde iam inoleuit apud Posteriores Philosophos, vt secunda operatio intellectus, compositio absolutè nominetur. Compositioni autem simplicitati opponi, præ aliis notat Vortilon *1. distinct.8.* Igitur cùm per Aristotelem compositio conceptuum competat enuntiationi mentali, indubiè sequitur in sententia eiusdem Aristotelis ipsam enuntiationem esse compositam qualitatem.

10. Dices, cum Tol. *quæst.19. tertij de anima,* & Conimbr. præcit. post S. Th. aliosque ab eis alleg. Aristotelem exponendum esse de compositione, & conceptis obiectiuis, ideóque loca eius præaddncta nec oppugnant, nec expugnant primam sententiam, quæ ab enuntiatione mentali remouet compositionem, conceptusque formales Contrà, compositioni obiectiuæ, conceptibusque obiectiuis correspondent compositio formalis, conceptusque formales, quia isti, ex illis oriuntur, veluti cognitio partialiter ex obiecto prodit, secundum commune Philosophorum placitum. Ergo, si enuntiationi mentali conceditur compositio obiectiua, pariter ab eadem non est auferenda compositio formalis. Idque maxime videtur habere locum, in doctrina Thomistarum, distinguentium cognitionem Angelorum à cognitione hominum, in eo, quod illa est simplex: ista verò composita. Hoc autem discrimen non esse capiendum de compositione obiectiua en nciatur, quia vtraque fertur ad obiecta composita. Nèc quoque de conceptibus apprehensiuis formalibus, vt interpretantur Conimbr. *artic.3. in fine so utionis primi.* Siquidem per eosdem *quæst.4. art 1.* enuntiatio apprehensiua, à iudicatiua non dissidet. Igitur nostra assertio vera est, tam de conceptibus apprehensiuis, quam de iudicatiuis. Secundò, quod constat partibus, est compositum: sed enuntiatio mentalis constat partibus: ergo est composita. Ma. est liquida. Min. ostenditur, sicut nomen, & verbum vocalia sunt partes enuntiationis vocalis, ita nomen, & verbum mentalia sunt partes enuntiationis mentalis. Vocalis namque enuntiatio est signum enuntiationis mentalis, & voces sunt signa conceptuum, *ex initio primi Perih.* Tertiò, ex eis aliquid componitur, in quæ resoluitur, vt patet de corpore mixto, quod componitur ex quatuor elementis, in quæ resoluitur secundum vulgatam opinionem: sed enuntiatio mentalis resoluitur in prædicatum, & subiectum, tanquam eius partes, & verbum, tanquam vinculum, & copulam vtriusque, vt cum Aristotele *1. Priorum, 1.* fusè declarati *in Epitome lib.1. quæst.1. art.2.* Ergo, enuntiatio est qualitas composita. Quartò, intellectus nequit iudicare vnum alteri conuenire, nisi illa duo apprehendat; præcedit enim apprehensio iudicium, quod non fertur de rebus ignotis: ergo iudicium comprehendit duas apprehensiones duarum rerum: atque enuntiatio, quæ cum iudicio coincidit, coalescit ex illis duabus apprehensionibus, tanquam ex partibus. Consequentia probatur, quia intellectus iudicio, quod apprehensiones supponit, aut percipit ea, de quibus iudicat, vel non: non secundum, quia de illis iudicare non posset, ergo primum, ac proinde iudicium ex duabus apprehensionibus constatur, quod cum identificetur cum enuntiatione mentali, conspicuè deducitur enuntiationem mentalem haud esse simplicem qualitatem.

11. Oppones primò, Enuntiatio est iudicium, quo intellectus fertur ad totum enuntiabile iudicandum, absque eo, quod tendat in eius partes. Vis quippè iudicij talis est, vt valeat attingere totum, licet eius partes non attingat; præsertim in Schola Scoti affirmantis, totum realiter secerni à suis partibus simul vnitis. Ergo, enuntiatio est simplex qualitas. Nego ant. Siquidem fieri nequit, vt intellectus totum percipiat, eius partibus imperceptis, alioquin esset falsa eius intellectio, intelligendo nimirum aliquod simplex, quod tamen reuera est compositum, maximè cùm totum essentialiter à suis partibus dependeat, ex dicendis in Phys. Quapropter, cùm enuntiatio ex probatis sit composita, consequenter intellectus ad eam, vt compositam fertur.

12. Oppones secundò, si ex obiectiua enuntiatione composita, arguitur enuntiatio composita formalis, vt supra intuli, omnis enuntiatio obiectiua foret composita, quia ex duobus obiectis realiter, aut formaliter, aut ratione distinctis efficitur, quorum vnum subiectum, alterum verò prædicatum nomen sortitur; sicque *Deus est immortalis, Deus est infinitus,* & aliæ propositiones de Deo efformatæ, essent compositæ: atque ipsemet Deus cōpositionis noc esset expers, cuius oppositum asserui *Tract. de Deo vno disp.1.* Non ergo infi-

ciandum est enuntiationem esse qualitatem simplicem. Resp. sequelam valere de iis duntaxat, quæ subeunt compositionem, hoc est de obiectis, quæ quoquo modo inter se sunt composita, aut componibilia: non autem de Deo, aut de iis, quæ de ipso efferuntur, cùm Deus ab omni compositione, & componibilitate sit immunis. Quamuis autem in propositionibus de Deo, eiusque attributis, adsint extrema, subiectum nimirum,& prædicatum vnà cum copula verbali: nihilominus, quia vnum eorum nón se habet per modum actus, & alterum per modum potentiæ, quod exigitur ad veram compositionem: idcircò nulla in præfatis propositionibus infertur compositio obiectiua: sed tantum deducitur eorum extrema, aliqua ex tribus distinctionibus prænarratis distingui. Vtrum verò, Deus de se ipso efformet veras propositiones, altercantur nonnulli, Hurt. enim adductus *in initio art.* sequutus Nominales affirmat: negant autem alij & bene, quandoquidem Deus ob summam suam simplicitatem, & infinitatem, compositionis est expers, quæ ad propositiones efficiendas requiritur, quæve in creato intellectu imperfectionem inuoluit.

13. Oppones tertiò, Aristoteles 3. *de anima T.*23. hæc profert verba. *Cum intellectus totum habens partes, & quatenus totum, & quatenus vnum quoddam speculatur, tunc vno eodemque tempore, illud totum intelligit: pariter intellectus actu simplici, eodemque temporis momento totam enuntiationem attingit.* Conf. 1. voluntas actu simplici volitiuo tendit, in plura vnita simul, & composita ab ipsamet voluntate volita: ergo idipsum affirmandum est de actu intellectus, penes enuntiationem. Conf. 2. quod potest potentia inferior, potest quoque potentia superior, vt patebit *in lib. de anima*: sed phantasia habet simplicem actum phantasiandi, circa res diuersas, & compositas, vt in somnis comprobatur: ergo hoc ipsum non est denegandum intellectui, qui est potentia superior, & eminentior. Resp. Arist. ibi loqui de toto diuisibili, nempe continuo, quod dupliciter vocari potest diuisibile, actu scilicet, & potentia. Si concipiatur ab intellectu, quatenùs est diuisibile potentiâ in has, & illas partes, sic successiuè intelligitur: quòd si concipiatur, quatenus est actu diuisum in partes, sic intelligitur ab intellectu, & apprehenditur simul apprehensione spectante ad primam operationem ipsius intellectus, quam idem Philosophus vocat distinctionem alicuius de aliquo, cùm prius egerit de prima mentis operatione. Ad 1. conf. concesso ant. negatur consequentia, ratio disparitatis est, quia præterquamquod, intellectus potitur tribus operationibus inter se distinctis, quæ voluntati non adaptantur, cognitio partialiter causatur ab obiecto, non autem volitio, quæ solùm à voluntate elicitur. Ideò ab obiecto complexo, complexa, seu composita cognitio efficitur; veluti ab obiecto incomplexo, incomplexa notitia exoritur. Vel dicito, admittendo paritatem; cùm voluntas per Scot. sit potentia collatiua, potest de complexis volitis habere actum volendi complexum. Ad 2. conf. concedi potest ma. & negari minor, cum quibusdam Scotistis asserentibus, phantasiam pollere quadam virtute coniungendi vnum obiectum, cum alio, quod alibi est excutiendum.

14. Oppones quartò, si enuntiatio foret composita ex pluribus notitiis partialibus, duo accidentia numero distincta simul inhærerent in eodem subiecto, quod negat Aristoteles 4. *Met. T.*14. Non videtur ergo enuntiatio esse composita qualitas. Admisso ant. negatur consequentia. Ad Aristotelem dico ipsum loqui de accidentibus augmentabilibus, & remissibilibus, quorum termini sunt simul incompossibiles: non autem de accidentibus intentionalibus, aliisque huiusmodi, quæ ex probandis *in Met. quæst. de accidente*, in eodem subiecto simul subiectari queunt.

Instabis, Scot. 4. *distinct.* 1. *quæst.* 2. *O. ad finem*, ait, secundæ intentiones formaliter sunt vnus actus simplicissimus: ergo cùm enuntiatio, syllogismus, & huiusmodi sint secundæ intentiones, non sunt qualitates compositæ. Satisfit, si dicatur Doct. loqui de secundis intentionibus pertinentibus ad 1. operationem intellectus, non autem de cæteris, de quibus nunc est sermo. Quamuis Tatar. pressus hâc instantiâ anceps remaneat.

ARTICVLVS III.

An enuntiatio apprehensiua distinguatur ab enuntiatione iudicatiua.

15. GReg. *quæst.* 1. *prologi*, & Conimbr. *quæst* 4 *art.* 1. *huius operis*, nullum discrimen agnoscentes inter enuntiationem apprehensiuam, & iudicatiuam, putant omnem enuntiationem mentalem esse iudicatiuam. Oppositum verò communiter Scotistæ ex Scot. 2. *distinct.* 1. *quæst.* 3. §. *Tenentes, circà D.* & Nominales cum Ocb. *quæst.* 1. *prol. docentes enuntiatiuam propositionem realiter, à iudicatiua dissidere.*

16. Not. apprehensionem intellectus esse duplicem, vnam simplicium terminorum, quæ ad primam operationem intellectus pertinet, & vulgò dicitur simplex apprehensio, de qua nullum est dubium in præsenti. Siquidem in ista nec est veritas, nec falsitas, nec affirmatio, nec negatio, nec vllum iudicium elucet: alteram complexorum terminorum, qui ab intellectu quidem percipiuntur, sed non iudicantur tametsi in his sit veritas, aut falsitas, vt cùm apprehendimus astra esse paria, & circulum esse quadratum, absque eo, quod de istis nostram proferamus sententiam, & hæc nuncupatur apprehensio enuntiatiua.

17. Assertio, enuntiatio apprehensiua, à iudicatiua planè distinguitur. Hanc tanquam Scot. præcit tradit Doctissimus Bargius 1. *distinct.* 1. *quæst.* 3 & sequitur Maior 1. *Post. fol.* 61. Probatur primò. Omne prius distinguitur à suo posteriori: enuntiatio autem apprehensiua præit enuntiationem iudicatiuam: ergo hæc, ab illa secernitur: ma. est commune Philosophorum, & Theologorum pronunciatum, min. suadetur: priùs mente componimus extrema adinuicem, quàm de eis iudicium feramus, quia iudicium est de vnitis, & complexis, quo iudicamus eorum extrema inter se conuenire, vel non conuenire: ergo cùm compositio, quæ est secunda mentis actio, præcedat iudicium, & compositio, & enuntiatio coïncidant, clarè deducitur, apprehensionem enuntiatiuam, à iudicatiua distingui. Secundò contradictoriæ propositiones à nobis simul apprehenduntur, nec non propositiones indifferentes, & ambiguæ, vt an Cœlum sit incorruptibile? an mixtum componatur, ex quatuor elementis, nec ne? sed duo iudicia contradictoria, de eodem subiecto simul, & in eodem intellectu esse repugnãt: ergo apprehensio complexa à iudicio reuera segregatur. Ma. firmatur authoritate Philosophi 2. *de anima T.*145. *& inde Et* 3. *eiusdem T.*28. perhibentis, nullum sensum, nullùmque intellectum comparare extrema, nisi ipsa apprehendat: huiusmodi verò apprehensio enuntiatiua est iudicij expers; quia extremis sic apprehensis non assentimur, eo ferè modo subiungit Doct. quo nos dicimus intelligere, quod credimus esse verum, & non intelligere, quod credimus non esse verum, quamuis illud apprehendamus.

18. Respondet Conimbr. cum quibusdam quos citat, & imitatur Suarez *disp.* 8. *Met. sect.* 4. præfatas non esse veras enuntiationes, sed simplices apprehensiones vocis, quarum vna cum altera non coniungitur, sed vna post alteram concipitur. Contra, quæ gaudent veritate rei, aut falsitate, sunt veræ enuntiationes, vel falsæ, vt patet ex definitione enuntiationis, cuius veritas,

ritas, aut falsitas, si non est essentia, saltem est eius proprietas, quod palam feci *in Epitome lib. 1. quaest. 2. art. 2.* & defenditur a Tatar. 1. *Perih. quaest. 3. scibili 3.* Enuntiationes autem apprehensiuæ possent veritate, aut falsitate rei de qua enuntiantur, vt sunt duæ contradictoriæ apprehensæ, puta stellæ sunt pares; stellæ non sunt pares. Itemque, circulus est quadratus: circulus non est quadratus, & consimiles, quæ quidem à nobis apprehenduntur, non tamen indicantur. Igitur non sunt simplices vocis apprehensiones, sed veræ, & germanæ enuntiationes verum. Deinde, propositiones dubiæ, & ancipites sunt propriæ enuntiationes, quia licet vt dubiæ cognoscantur à nobis, in se tamen sunt veræ, aut falsæ, tales autem enuntiationes sunt tantùm apprehensiuæ, cùm de his nullum demus iudicium, vt non rarò præstant ipsi Conimbr. relinquentes sub dubio vtramque partem quæstionis ab eisdem propositæ. Adde, quod nonnunquam contingit propositionem in se esse veram, de qua iudicium est falsum. Igitur distinguenda est apprehensiua, à iudicatiua enuntiatione. Denique, plerumque accidit, vt de rebus agendis conceptus effingamus apprehensiuos, de eis tamen nolimus iudicare, aut ob earum difficultatem, aut ob timorem aliquos offendendi Nec prætermittendum est, vocalem esse signum mentalis enuntiationis, nosque interdum exprimi iudicium vocale oppositum mentali propositioni; quod est expressum mendacium: vel nullo habito iudicio mentali, de quibusdam voce promittur iudicium. Si ergo, ore fertur iudicium, mente verò habetur sola apprehensio enuntiatiua, de eisdem rebus, planè conceditur enuntiatio apprehensiua distincta, à indicatiua.

19. Oppones primò, vocabula, quibus vtitur Aristoteles, ad nominandam secundam mentis operationem, significant omnem enuntiationem esse indicatiuam: ergò nulla est enuntiatio apprehensiua ab illa distincta. Ant. probatur, *in lib. prædicamentorum cap. de substantia*, appellat idem Philosophus enuntiationem, opinionem, opinio autem cùm sit de rebus probabilibus, iudicium includit. *Et 6. Eth. cap. 3.* eam vocat actum scientiæ, qui pariter à iudicio non dissidet. *Et 3. de anima Tex. tit. & hoc loco* compositionem, & diuisionem nuncupat, eamque diuidit in affirmatiuam, & negatiuam: veram, & falsam. Igitur, secundum Aristotelem, in Scholas, non est inuehenda distinctio enuntiationis in apprehensiuam, & indicatiuam. Respond. *ex locis praalleg.* deduci, Philosophum docere enuntiationem indicatiuam tanquam notiorem, & frequentiorem, pluribusque nominibus insignitam: non inficiari verò, enuntiationem apprehensiuam, etsi eam non sic expresserit, veluti indicatiuam. Idque de aliis multis præstat idem Aristoteles, notante Vallone *Tract. Formal.* & indicat *3. de anima T. 26.* definiens enuntiationem præscindentem ab apprehensiua, & indicatiua.

20. Oppones secundò iudicium nihil est aliud, quàm affirmatio vnius de alio, vel negatio vnius ab alio, secundum S. Th. *quaest. 1. de veritate art. 1.* vel secundum Scot. *4. dist. 47. quaest. 1. §. Respondeo infrà A.* iudicium est certa apprehensio de aliquo per aliud. Sed qui prædicatum vnit, & connectit cum subiecto, affirmat vnum de alio: & qui remouet, siue disiungit prædicatum à subiecto, aliquid de alio negat. Siquidem affirmare aut negare, est indicare: atque affirmatio aut negatio est iudicium: ergo sola enuntiatio indicatiua est genuina enuntiatio. Concessâ ma. distinguo min. Si enuntiatio percipiatur ab intellectu tâquam quid complexum, de eo nihil determinando, nego: quod si percipiatur ab intellectu, vt quid complexú de ipsomet aliquid determinando, concedo, quod satis suprà manet probatum, & firmatum.

21. Oppones tertiò, vbi est passio, ibi est essentia, à qua talis passio promanat, quia realiter identificantur: sed veritas, vel falsitas est passio enuntiationis indicatiuæ duntaxat: ergo præter indicatiuam: nulla alia censenda est propria enuntiatio. Ma. patet. Min. probatur, qui iudicat, dicit verum, vel falsum: non ita, qui apprehendit, alioquin Deus, qui omnia enuntiabilia apprehendit, posset dicere falsum, quod ingentem falsitatem sapit. Concedo ma. nego min. ad eius probationem, fateor quidem eum, qui iudicat dicere verum, aut falsum: nego tamen, absque iudicio, eum non posse apprehendere verum vel falsum. Qui enim tantum apprehendit, non dicitur scire, aut errare. propereaquod ad alterutram partem tenendam, aut respondendam minimè se determinat Ita si Deus apprehendat falsum, nihilominus, eius apprehensio non est falsa. Extat namque non exiguum discrimen inter apprehendere falsum, quod in se falsum est, & falsa iuxti apprehensionem. Primum Deo competit: secundum verò ipsi Deo aduersatur.

ARTICVLVS IV.

An diuisio enuntiationis in affirmatiuam, & negatiuam sit generis in species.

22. IOannes Maior Philosophus, & Theologus acutissimus, Doctoris Subtilis auditor *Tract. 1. summularum ad finem, de propositio: e affirmat. ua, & negatiua*, ex Boëtio 1. *Perih.* recenset duas oppositas sententias, in hoc *art.* quorum prima est Alex 1. *priorum cap. 1.* Philosop. 1. *Post. c 21.* & aliorum existimantium, prænominatam diuisionem esse analogi in sua analogata. Secunda verò, quam idem Maior testatur suo tempore fuisse communem, defenditur à Porph. 1. *priorum cap. 1.* Simplicio *cap. de quantitate* S Th. *cap. 4. primi Perih.* Ioanne de Magis *quaest. 3. dub. 1.* & insinuatur à Scot. 1. *post. antec. & post. §. Ad quaest. dicitur*, & aliis, ex Antiquis, & Modernis, qui vno ore affirmant talem diuisionem esse vniuoci in sua vniuocata, siue generis in species.

23. Not. primò, Scot. mox alleg. referre ex Auerr. tres rationes Alex. ad suadendum affirmantem enuntiationem priorem esse negante Prima decerpitur est parte vocis, & dicitur prioritas simplicitatis dictionis. Affirmatiua enim vox simplicior est negatiua: negatio quippe ex affirmatione, aliquo sibi adiuncto efficitur. Secunda ex parte rei, quamuis enim in rebus particularibus non esse præcedat esse, vt patet in substantiarum generatione: attamen absolutè, esse præcedit non esse, vt esse primæ causæ præcedit non esse causæ secundæ, quò fortè respiciens Aristoteles, inquit, actus est prior potentia 9. *Met* 13. Cùm autem affirmatio significet esse, & negatio non esse, illam anteire hanc, oportet. Tertia ex parte intellectus, quia intellectus prius componit; quam diuidat, quod est dictu, intellectus priùs affirmat, quàm neget. Addunt alij quartam, quæ est prioritas rationis, per affirmationem namque cognoscimus negationem, & per habitum priuationem vt patet *primo Post. cap 21. & 1. distinct. 41. quaest. vn. & distinct. 17. & Tract. de scientia Dei disp. 1. quaest. S.*

24. Not. secundò, ex Tatar. *in prædicam. cap. de quantitate quaest. vn. scibili 1.* Bifariam species alicuius generis posse comparari. Vno modo inter se; sicque vna est prior, & perfectior altera, vt homo, leone. Altero modo ad genus, quod de suis speciebus prædicatur, & ita ratio generis est eisdem vniuoca, deque ipsis immediatè, & ex æquo prædicatur. Hanc doctrinam affert Scot. *quaest. ... prædicam. §. Propter hoc.* His verbis, in omni genere est vnum primum, quod est mensura posteriorum *ex 10. Met. T. 21.* fortè tamen non est omnino simile de vocibus sic analogicis, & de genere respectu specierum, quia licet generis species inter se habeat ordinê, secundò perfectius, & imperfectius in essendo, tamen in participando rationem generis, non habent ordinem, quia æque primò participant

ticipant naturam generis. Nam æque immediatè prædicatur genus de primis speciebus condiuidentibus ipsum, & tunc nulla est differentia in primitate inter istas prædicationes, albedo est color, nigredo est color, quamuis comparando albedinem, & nigredinem inter se albedo sit perfectior nigredine.

25. Assertio, diuisio enuntiationis in affirmatiuam, & negatiuam est vniuoca. Tangitur à Doct. *loco cit.* Et 1. *Priorum quæst.* 3. Probatur, illud est vniuocum, quod æqualiter à suis inferioribus participatur: sed nomen, & ratio enuntiationis æqualiter participatur ab affirmatiua, & negatiua: ergo prænominata diuisio est vniuoca. Ma. constat ex definitione vniuocorum. Min. ostenditur. Ratio enuntiationis præcisè sumpta est dictio vnius de alio, vt enucleaui *in Epitome lib.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. atqui hæc vniuocè competit affirmatiuæ: vtraque enim est dictio vnius de alio, tametsi penes proprias differentias distinguantur: vna quippè est affirmatiua, altera verò negatiua. Rursùs, enuntiatio abstrahit à veritate, & falsitate, vt egregiè docet Scot. 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. §. *Aliter sub V.* pariter & ab affirmatione, & negatione, diuisum namque præscindit à membris diuidentibus in quæ scinditur: commune autem abstractum à suis inferioribus, eisdem conueniens secundum idem nomen eamdemque rationem, est vniuocum: at enuntiatio est huiusmodi respectu affirmatiuæ, & negatiuæ: vtraque enim enuntiatio eodem nomine, & ratione communi enuntiationis gaudent. Igitur partitio illa enuntiationis in affirmatiuam, & negatiuam est vniuoca.

26. Oppones primò, Arist. *lib.* 1. *huius operis cap.* 4. affirmatiuam facit priorem negatiua: Et ratio est, quià affirmatio præsefert compositionem, & negatio diuisionem: compositio autem præit diuisionem: sed quod est prius alio, non vniuocatur cum illo, quandoquidem vniuoca æque primò participant communem rationem, per quam perhibentur vniuoca: ergo præallata diuisio non est censenda vniuoca. Respond. explicando Arist. affirmatio est prior penes rationem communem enuntiationis, nego: penes rationem peculiarem, & specificam negationis, vt patefeci *in* 2. *not.* concedo.

27. Oppones secundò, diuisio alicuius totius essentialis in accidentalia, non est vniuoca, vt liquet de diuisione subiecti in accidentia: sed præcensita diuisio est totius essentialis in sua accidentia, videlicet enuntiationis in suas qualitates: quia affirmatio, & negatio sunt eius qualitates, vt innuit Philosophus *hoc lib.* videnturque differre, veluti homo albus, & homo niger, qui essentialiter non differunt, *ex* 10. *Met. cap.* 25. Concessa ma. ad min. Dico affirmationem, & negationem esse qualitates enuntiationis essentiales, veluti differentiæ generis diuisiuæ, & specierum constitutiuæ sunt differentiæ essentiales, quæ nonnunquam dicuntur qualitates, vt tetigi *in Epit. lib.* 1. *quæst.* 4 *art.* 7. *& lib.* 2. *Log. quæst.* 5. *art.* 1. ex Scot. 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 3. *D.* Ita Philosophum exponunt eius Interpretes.

28. Oppones tertiò, vna ex legibus bonæ diuisionis est vt diuisum non excedat membra diuidentia, vt explicui *in Epit. lib.* 2. *quæst.* 7. *art.* 1 sed enuntiatio, quæ est diuisum huius partitionis superat membra diuidentia. Inuenitur namque aliqua enuntiatio, quæ nec est affirmatiua nec negatiua, vt nullus Leo non est animal; quæ non est negatiua, propter duplicem negationem ipsi additam: nec affirmatiua: si enim vna negatio potest efficere propositionem negatiuam, potiori iure duæ negationes id præstare valent. Siquidem si vnus homo potest ferre pondus decem librarum: faciliùs duo homines illud idem pondus vehere queunt. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico eam esse affirmatiuam, quia duæ negationes affirmant. Ad huius improbationem, distinctio est adhibenda, si se mutuò iuuent, concedo: quod si vnus alterum impediat, nego Idque accidit in duabus negationibus: prima enim negatio impedit secundam; quia cùm negatio sit malignantis naturæ, quidquid post se inuenit, destruit eiusque oppositum ponit. Hinc fit, vt paritas negationum, ante verbalem copulam pariat affirmatiuam, imparitas verò negatiuam, vt diligenter aduertunt Maior cit. & Titel. *lib.* 3. *de enuntiatione cap.* 10.

29. Oppones quartò, affirmatio, & negatio competunt primo principio, quod habetur 4. *Met. T.* 15. nempe de quolibet vera est affirmatio vel negatio: at hoc primum principium est commune transcendens, cui nec ratio generis, nec speciei congruere potest Ergo præfata diuisio non est generis in species. Respond. affirmationem, & negationem dupliciter accipi, vno modo, primò intentionaliter, hoc est pro esse, & non esse, & ita conueniunt primo principio, spectantque, ad Met. Altero modo, secundò intentionaliter id est pro formali ratione enuntiationis affirmatiuæ, & negatiuæ, sicque enuntiatio, respectu earum habet rationem generis, & ad Log. pertinent; vt bene aduertit Tatar. 1. *Perih. quæst.* 1. *dub.* 1.

QVÆSTIO IV.

De proprietatibus Enuntiationis.

ARTICVLVS I.

Quid sit veritas.

1. VERITATEM esse, luce clarius est; passim enim legitur in sacris Paginis, nuncupatim Deut. 13. *rei veritate perspecta* Iudic. 16. *aperiens veritatem rei.* Esdræ 3. *super omnia autem vincit veritas.* Cuius magnum testimoniū exhibet Christus Dominus Ioannis 18. his verbis. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundū. vt testimonium perhibeam veritati.* Et 16. *cum venerit spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ad hanc acquirendam tanquam omni honore, & amore dignam, toto vitæ suæ cursu Philosophi labori, & sudori non parcunt, in eiusque indagine omne studium, & curam collocant: immò cæteris posthabitis hanc vnam amplectuntur, & præ reliquis diligunt. Ideò celebratur adagium illud, amicus Socrates, amicus Plato, magis amica: Veritas quod insinuatur 1. *Eth.* 6. Quamuis, vt omni commodo exutæ, & vt claris oculis omnia intuenti, plerique non acquiescant, teste Apostolo *Roman.* 1. odioque habeatur, iuxtà illud vulgatum, *veritas odium parit.* Cum autem veritas, ex Bonet. 5. *Met. c.* 2. sit nomen æquiuocum, & æquiuocorum sit distinguendum, ex Scot. *Quol.* 1. §. *De primo A* in huius examine, distinctione est vtendum. In primis, affirmantibus Scot. 6. *Met q.* 3. *&* 1. *d.* 2. *q.* 1. §. *Ad arg. F* Lych. *ibid.* & Bonet. cit. distribuitur veritas in veritatem rei, & veritatem intellectus. Veritas rei, quæ & veritas in essendo, & transcendentalis nuncupatur, est passio entis, spectans, ad Met. cuius meminit Doctor 1. *d.* 3. *quæst.* 4. §. *Circa* 4. *sub N.* Veritas intellectus siue in cognoscendo, quæ *ex* 1 *dist.* 48. *q. vn.* §. *Quamuis*, est conformitas actus intelligendi, ab obiectum intellectum, secernitur in veritatem incomplexam, & complexam, *ex* 1. *q. prologi*, §. *Antequam sub M.* Veritas incomplexa est conformitas actus simplicis intellectus, ad obiectum simplex & incomplexum, quando scilicet obiectum incomplexum ita intelligitur, sicut est à parte rei. Veritas complexa est conformitas intellectus componentis vnum, cum alio, vel diuidentis vnum ab alio, sicut est à parte rei. Prior spectat ad 1. operationem, posterior verò ad 2. operationem intellectus: primæ opponitur ignorantia, secundæ verò falsitas aduersatur: hancque potissimum in præsentia excutere conamur: illam verò in Met examinandam

minandam remittimus. Iuxta autem multiplicem veritatis acceptionem multiplex affertur quoque eius descriptio, vt videre licet apud Archipræsulem Aquensem 1. *distinct.* 19. *propositione* 2. & Altenstaig *in Lexico Theologico, verbo veritas.* Vna autem est Philosophorum promulgata veritatis definitio, à Boëtio tradita, nempe veritas est adæquatio rei ad intellectum. Altera est Auic 1. *Met. cap.* 1. Veritas vniuscuiusque rei est proprietas esse sui, quod ei stabilitum est. Tertia, veritas est quidditas depurata, & omni extraneo seiuncta. Quarta elicitur ex Doct. *quol.* 18. *art.* 3. §. *Contrà ante T.* Veritas est conformitas eius, quod affirmatur ad existentiam rei. Secunda & tertia descriptiones adaptantur veritati incõplexæ, & trãscẽdentali. Prima verò, & quarta competunt veritati complexæ, & Logicæ. E regione falsitas quatenus contrariatur veritati Logicæ describitur, difformitas eius, quod enuntiatur, ad illud, quod est in re. Hinc subdit Scot. 4. *d.* 8. *quæst.* 2. §. *Aliter ante V.* & *dist.* 50. *quæst.* 6. §. *Ad argumenta K.* post Arist. *in prædicam. cap. de substantia,* & *cap. de modis prioris,* ex eo, quod res est, vel non est, oratio est vera vel falsa. Rursùs ex eodem Doct. *Quol. alleg.* exhauritur duplex veritas, altera immediata, & indemonstrabilis, quæ principio competit: altera verò mediata, & demonstrabilis, quæ conclusioni coaptatur: & indicatur ab eodem Scot. 1. *distinct.* 1. *quæst.* 3. §. *Quantum A.* his verbis: sunt duo actus intellectus assentiendi alicui vero complexo, actus, quo assentimr alicui vero complexo propter se, sicut principio: alius verò, quo assentitur alicui vero complexo, propter aliud, sicut conclusioni propter principium.

2. Dices, Scot. alibi docere veritatem conclusionis, non dissidere à veritate principij, vt notat Gadius. *fol.* 188. & exponit Lych. 1. *d.* 8. *q.* 4. §. Istis rationibus. Ergo, nulla est præfata distinctio veritatis, vel Scot. non sibi cohæret. Dico, Doct solum innuere *in* 1. *sentent.* veritatem conclusionis non esse absolutam, & independentem, veluti veritatem principij, vt exemplo illustrat Lych. nunc alleg de toto, quod licet per Scot. sit quid distinctum realiter à partibus, ex quibus coalescit; nihilominus ab eis essentialiter dependet, vti effectus à sua causa intrinseca, sic veritas conclusionis quidem distinguitur à veritate principij, à qua dependet, vt magis constabit, *in postremo lib. huius operis.*

3. Oppones primò, veritas nedum rei, & intellectui, verumetiam sensui accommodatur: ergo insufficiens est diuisio in veritatem rei, & intellectus. Ant. fulcitur authoritate Arist. 2. *de anima T.* 63. dicentis, sensum propriorum sensibilium semper esse verum. Concesso ant. nego consequentiam, ad eius probationem dico, veritatem sensus non distingui à veritate rei, & transcendentali, quandoquidem sensus dicitur verus, propterea quod habet veram speciem obiecti sensibilis repræsentatiuam. Hac fortassè de causa Bonetus nuper alleg. distribuit veritatem, in veritatem in anima, & veritatem extra animam, qualis est veritas sensus: & ad hanc reuocari potest veritas in significando, quæ nomini, & propositioni vocali accommodatur. Idipsum indicat D. Ansel. *opusc de veritate,* qui veritatem scrutatur in oratione, actione, voluntate, intellectu, sensu, rerumque essentiis.

4. Oppones secundò, Deus dicitur veritas, Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Fides quoque orthodoxa vocatur veritas. Item omittenda non est veritas moralis, cuius meminit Bonet. 4. *de Consolatione, prosa* 3. & annuit Doct. *Quol.* 18. Demùm assignantur aliæ descriptiones veritatis, quas habent Aureolus, & Bonet. prærecensiti, vt cum dicitur, veritas est conformitas producti ad producens, vel ideati ad ideam, ac exemplati ad exemplar. Resp. Deum appellari *veritatem,* in abstracto, quia est actus purissimus ab omni extraneo seiunctus, quod nulli rei creatæ potest competere, quia semper aliquam compositionem subit. Nostro autem perhibetur veritas, tum quia etiam à Deo, qui summa veritas est, proficiscitur; tum etiam quia viam veritatis ostendit, verumque finem præmonstrat. Cætera, quæ insuper subiiciuntur, denotant præallatas veritatis diuisiones non esse prorsùs exactas, omnemque veritatem non comprehendere, quod non diffiteor: eas quippè adduxi tanquam celebriores, & tritiores, & velut quasdam enumerationes.

ARTICVLVS II.

An veritas sit ens reale, vel rationis.

5. NOn ambigitur apud Scotistas, num veritas rei, seu transcendentalis sit quid reale positiuum? nam cum sit passio entis, quæ per eosdem Doctores formaliter ab ipso ente dissidet, vt effusè ostendi *in Met. lib.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. ex Scot. 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. & 2. *d.* 16. *q. vn.* & 3. *d.* 8. *q. vn. ante* §. *Ad argumenta sub E.* consequenter, sequitur inter entia realia positiua, siue potiùs inter entis aliquitates connumerari. Verùm tota difficultas hoc loco mouetur de veritate intellectus: circa quam variæ Philosophorum sententiæ, eorumque discrimina recitantur, & refutantur à Nuperis, & nouissimè à geminatis Scotis. *disp.* 50 *art* 3. *quæst.* 2. ex quibus duas præcipuas seligo enarrandas, & excutiendas. Prima est, quam Maior *Tract.* 2. *de propositione dub.* 6. sequitur, & testatur esse Nominalium communem existimantium, veritatem à propositione, cuius est veritas, non differre, & vniuersaliter quamcumque veritatem cognitionis ab acto intellectus non distingui. Hanc approbat, & patrocinatur Hurtad. *disp.* 9. *de anima, sect.* 3. *subsect.* 4. Secundam est aliorum, qui licet vnanimi consensu doceant veritatem complexam esse quid distinctum ab enuntiatione, & ab entitate actus intellectus: illudque, quod formaliter præsefert veritas, non sit aliquid absolutum, sed relatiuum, dissentiunt tamen in eo, quod nonnulli, inter quos sunt duo Nostrates Neoterici alleg. putant veritatem cognitionis formaliter esse ens reale relatiuum: cæteri verò sentiunt esse relationem rationis; ita Bonet 5. *Met. cap.* 2. Orbellus 6. *Met. cap.* 3. & Dur. 1. *distinct.* 19. *quæst* 5. quibus adhærent Vasquez 1. *p. Tom.* 1. *disp.* 75. *cap.* 2. & Blanc. *disp.* 1. *de enuntiatione sect.* 4.

6. Recolendum est ex dictis suprà, veritatem esse duplicem, incomplexam vnam, & complexam alteram: illa est de terminis simplicibus ab intellectu apprehensis: hæc verò de complexis ab intellectum adinuicem compositis, aut diuisis. De vtraque autem agitari potest præsens dubium, quod per assertiones mox subiiciendas decidetur.

7. Assertio prima, veritas siue incomplexa, siue complexa formaliter nec est actus intellectus, nec propositio. Colligitur ex Doct. 4. *dist.* 8 *q.* 2. *post V.* Prima pars probatur 1. actus intellectus non consideratur à Log. sed ab Animastica, cuius munus est facultates animæ, earumque actus expẽdere. Ant. diffusè manet probatum *l.* 1. *q.* 2. *ar.* 3. & 6. Secundò, actus intellectus est qualitas absoluta, vt copiosè ostendit Scot. *Quol.* 13. Sed in proxima assert. probabitur veritatem formaliter esse relatiuam entitatem. Non est ergo veritas essentialiter actus intellectus. Præterea, id quod alicui est essentiale, ipso manente nón potest auferri, secùs tolleretur eius essentia, & non tolleretur, quia adhuc persisteret, quod apertam pugnantiam inuoluit: idem autem actus de vero mutari potest in falsum, scribente Scoto *nunc allegato.* Igitur veritas formaliter non est actus intellectus. Eò magis, quia hæc est vera, *actus est verus*: non tamen illa est vera, *actus est veritas*: veluti ista conceditur, *homo est risibilis*: non tamen illa, *homo est risibilitas.* Secunda pars de veritate incomplexa, nemini est dubia, quia termini simplices, de quibus est veritas incomplexa non sunt, nec faciunt propositionem, nisi per intellectum

vniantur, & componantur. De veritate autem complexa lis extat contra Nominales, & pars negatiua sic ostenditur, nulla passio est id formaliter, cuius est passio, veluti nullus effectus est causa, à qua producitur: sed veritas est passio propositionis, vt affirmat Doct. *quæst. 1. prædicam.* & non dissentit Hurt. *disp. 4. summularum, sect. 1. & disp. 9. de anima sect. 3. subsect. 4.* Similiter id, quod est in fundamento, non est ipsum fundamentum, vt arguit Scot. *vbi suprà:* veritas autem est in propositione, vt in fundamento, asserente eodem Doct. *ibid.* Ergo veritas complexa non est ipsa propositio. Rursùs, prius non est posterius eodem ordine, & serie, vt patet: atqui propositio est prior veritate, quia hæc, ab illa enascitur; quod non inficiatur Hurtad. *in eadem subsect. allegata.* Tandem, ista non valet, *propositio est veritas*: illa tamen est valida, *propositio est vera:* quod pariter de veritate incomplexa superiùs arguebam. Addit Scot. præcit. posse Deum instituere aliquã orationem non significatiuam, ad cuius prolationem Ministro assisteret ipse Deus, ad causandum effectum in fine prolationis: quo pacto foret propositio veritate, vel falsitate spoliata. Igitur, veritas non est de conceptu quidditatiuo propositionis.

8. Assertio secunda, neutra veritas prænarrata est entitas absoluta: bene tamen relatiua. Ita Scot. 1. *dist. 3. quæst. 4. §. Quantum ad 2. C. & 4. cit. infrà V. & dist. 49. quæst. 4. §. Iuxta I. & 6. Met. quæst. 3* quem imitatur Tatar. 1. *Perih. quæst. 1. dub. 3. &* Fons. 4. *Met cap. 2. quæst. 6. sect. 2.* Probatur primò, omne absolutum est ad se, & relatiuum est ad aliud: at veritas non est ad se, sed ad aliud: ergo veritas non est entitas absoluta, sed respectiua. Ma. patet ex terminorum explicatione *l. 1. Epit quæst. 1. art. 6. & lib. 3. Log. quæst. de relatione.* Min. probatur ex definitione veritatis ab omnibus recepta, veritas vniuersè sumpta est conformitas vnius ad aliud. Si enim sit veritas rei, est conformitas rei ad sua principia: quod si fuerit veritas intellectus, est conformitas ipsius intellectus ad rem intellectam. Huiusmodi autem conformitas ad aliud, est formaliter relatio, vt constat ex relationis descriptione: ergo, veritas non absolutam, sed relatiuam præsefert entitatem. Secundò, omne absolutum, aut est substantia, aut quantitas, aut qualitas: sed veritas nullum horum est: ergo est relatio. Ma. claret ex dictis *lib. 3. quæst. 3. de prædicamentis.* Min. inductione liquet, non enim est substantia, quæ diuiditur in incorpoream, & corpoream: nec quantitas, quæ est continua, vel discreta: nec qualitas, quæ est spiritualis, aut materialis ex *quæst. de qualitate art. 6.*

9. Assertio tertia, veritas incomplexa si respiciat obiectum actu existens est relatio realis: quod si obiectum eius actu non existat, est relatio rationis. Hanc expresè tenent Bonet. & Orbel. *vbi suprà*, & deducitur ex Doct. *Quol. 13. art. 1.* Prima pars probatur, relatio realis exigit extrema realia, realiter distincta, ex quibus ipsa relatio suaptè natura consurgit, vt notat Scot. *citat. sub L.* Veritas autem incomplexa respiciens obiectum actu existens, habet extrema actu existentia, & realiter distincta: notitia quippè, & obiectum eius, ex quibus oritur relatio conformitatis huius ad illam, sunt realiter distincta: ergo talis veritas, quæ est huiusmodi conformitas est relatio realis. Secunda pars probatur, ad terminum non habentem esse reale, sed tantum in intellectu, est relatio rationis, vt arguit Scot. *ibid.* prob. quia relatio nequit habere verius esse, quam terminus, quem ipsa spectat: terminus autem non existens habet tantum esse in intellectu, quod est ens rationis. Igitur relatio ad ipsum terminata est relatio rationis.

10. Assertio quarta, veritas complexa formaliter est relatio rationis. Istam quoque docent Auth. prænominati, quibus iungitur Fons. *vbi suprà*, & hauritur ex Doct. 1. *distinct. 3. quæst. 4. §. Quantum ad 1. C.* aliisque locis contra duos Iuniores Nostrates *disp. 10. quæst. 2. art. 3.* Probatur primò, cuius fundamentum est ens rationis, ipsum est ens rationis, quia ens reale haud fundari potest in ente rationis, quod est minimæ entitatis: fundamentum autem complexæ veritatis est ens rationis, puta propositio, seu enuntiatio, innuente Scot. 4. *distinctione 8. quæst. 2. §. Aliter ante X.* & clare monstraui *quæst. 3. artic. 1. huius lib.* Ergo veritas complexa formaliter est ens rationis. Vnde miror præallegatos Recentiores, qui *quæstione 1. disp. 10.* asseruerint enuntiationem esse ens rationis: nunc verò *quæst. 2. art. 3. eiusdem disp.* affirmant veritatem propositionis, quæ in ipsa fundatur esse relationem realem independentem à quauis operatione intellectus. Quorsum enim veritas statuitur relatio realis, & propositio, quæ cum enuntiatione coïncidit, & à qua procedit veritas, erit ens rationis? ens quippè rationis efficere ens reale perabsurdum est existimare. Nec iuuat eos dicere, propositionem esse veram ante opus intellectus; quandoquidem propositio est opus intellectus: ergo veritas complexa, & formalis, quæ eam consequitur, non habetur absque intellectus opera. Secundò, habitudo inter extrema rationis, est relatio rationis: & econtrà, habitudo inter extrema realia, est relatio realis: atqui extrema veritatis complexæ sunt entia rationis, nempè subiectum, & prædicatum: igitur veritas complexa, quæ ex eis consequitur, est relatio rationis. Tertiò, Log. speculatur veritatem complexam, vt apud omnes est in confesso: constat autem ex dictis *lib 1. quæst 3.* ipsam Log. contemplari secundas intentiones, quæ sunt relationes rationis, cùm fiant per actum intellectus comparantis vnum ad aliud obiectum. Igitur præfata veritas est relatio rationis.

11. Oppones primò, contra 1. assert. actus intellectus est formalis repræsentatio obiecti, sicuti est, v. g. formo hanc propositionem: *Leo est animal*, per istum actum repræsentatur Leo eo modo, quo est: ergo talis actus est conformis obiecto: ac proindè cum veritas consistat, in conformitate intellectus, cum obiecto, deducitur veritatem formaliter esse actum intellectus. Conf. vel actus obiecto similis est essentialiter aut non: si illud, ergo essentialiter est verus: si hoc, ergo essentialiter est falsus, quia est obiecto disformis, & dissimilis. Quare videtur concludendum, veritatem ab actu intellectus haud discrepare. Resp. quidē actum intellectus esse repræsentatiuũ, & expressiuum obiecti cogniti; nego autem autem esse repræsentationē essentialem ejusdemmet obiecti: homo namque habens albedinem, est quidem albus: attamen non est albedo. Pariter concedo, actum esse verum, dummodo sit obiecto conformis: nego verò actum esse veritatem, quia non est talis conformitas. Ad conf. dico, actum esse verum, aut falsum accidentaliter, propter veritatem, aut falsitatem eius, quæ est relatio accidentalis, vt astruit Doct. *in 4. cit. paulò ante X.*

12. Oppones secundò, contra 2. assert perfectio simpliciter est ens absolutum, est enim melior ipsa, quam non ipsa ex S. Ansel. *in Monologion cap. 15.* & declarat Scot. 1. *dist. 8 q. 1. §. Ad 1.* Sed veritas est perfectio simpliciter; competit enim Deo, qui non semel à SS. PP. nominatim Hilario *6 Trin.* appellatur. *Veritas subsistens, prima, & summa veritas*, vt aduertit Fons. 4. *Met. q. 6. sect. 2.* Maximè, quia Ansel. cit. separat habitudines relatiuas, à perfectionibus simpliciter: atque in quolibet melius est esse verum, quam falsum: melior quippè est verus lapis, quam falsus lapis. Igitur veritas est quid absolutum. Conf. primò, veritas non pendet ab aliquo termino reali existente, vt petit relatio realis: dantur enim propositiones sempiternæ veritatis, quæ ab omni existentia actuali præscindunt ex infrà dicendis. Conf. secundò, hæc est vera propositio, *chymera est ens fictum*, quæ haud vllam entitatem relatiuam denotat: quia nullam sortitur conformitatem: in ea quippè fieri nequit comparatio mensurati, ad mensuram, *ex 4. dist. 2. q. 1. G & quol. 13 M.* & ratio est, quia mensura est prior mensurato; ens autem rationis est posterius cognitione.

Igitur veritas non est ens respectiuum. Concedo ma. distingno min. de veritate diuina, concedo: de veritate creata nego. Quid autem sit diuina veritas. Vide Vulpem *To. 1. summæ disp. 10. a. vlt.* & quæ scripsi *Tract. de Deo vno disp. 2.* Ad 1. conf. distinguo ant. de veritate formali, & actuali, nego: de veritate fundamentali, & obiectiua, concedo, vt patebit *a. 5. huius q.* ad 2. conf. dico, illam propositionem esse veram veritate sibi congruente, vt enim chymera est ens fictum, pariter eius veritas est ficta, & relatiua chymerica.

13. Opp. 3. contra 4. assert. quod præcedit operationem intellectus, non est ens rationis: sed veritas præit operationem intellectus, ergo veritas non est relatio rationis. Ma. est euidens, quia ens rationis, aut fit, aut consequitur operationem intellectus, vt obseruaui *l. 1. q. 3 a. 5.* Min. suadetur, sciētia Dei, quæ fertur ad seipsū, aut ad res creatas, veritate pollet, nullo interueniente opere intellectus; præsertim quia actū esse verum, nihil aliud sibi vult, quam affirmare rem ita esse, sicuti est à parte rei, vt cum dicitur, *homo est animal*, ita enuntiatur animal de homine, veluti reuerà reperitur in rerum natura, & essentia hominis exigit: sed omni opere intellectus secluso, homo est animal à parte rei, ergo & veritas eius est à parte rei independenter à quauis mentis fictione. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, totum id, quod assertur, habere locum in veritate rei obiectiua, & fundamentali: non autem in veritate cognitionis, & veritate formali, quæ à solo creato intellectu efficitur: Diuinus verò intellectus, cū non diuidat, nec componat, huiusmodi veritatis complexæ expers est, cùm imperfectionem præseferat.

14 Opp. 4. si veritas complexa est relatio rationis, cum fundetur in enuntiatione, quæ pariter ex dictis, est relatio rationis, quia est 2. intentio, veritas non desumeretur à re extra; quod contradicit Arist. *c. de substantia*, dicenti *ab eo quod res est, vel nō est, perhibetur oratio vera, aut falsa.* Non est ergo existimandum, veritatē complexam esse relationem rationis. Resp. prænominatam veritatem proximè fundari in enūtiatione: remotè verò in re extra Nec inconuenit vnam relationem fundari, in alia, vt probaui *l. 3. q de relatione a. 7.* Vel dicito cum Bonet. aliisque Authoribus, veritatem formaliter esse in propositione, causaliter autem, vel terminatiuè esse in re, quod vt benè percipiatur, sit.

Articvlvs III.

In quo subiectetur veritas.

15. Qvinque opiniones de hoc art. recitat Aureol. *1. d. 19 p. 3.* duabos omissis, tres adducūt Aquila *1. d. 8. q. 1.* & Pelbartus *Tomo 1. Rosarij, verbo veritas:* duas extremas, & tertiam mediā. Prima est Dur. *1. d. 19. q. 5* Heruæi *Quol. 3 q. 1. a. 2. & 3.* Vasquez *1. pag. 67. c. 1.* & aliorum arbitrantium, veritatem formaliter esse in conceptu obiectiuo intellectus, quatenus conformatur rei, sicut est in rerū natura. Secunda est Caiet. *1. p. q. 16. a. 2.* Ferr. *1. contra Gētes c. 59. & 60.* Fons. *4. Met. c. 2. q. 6.* & Suarez *disp. 8. Met. sect. 1.* affirmantium veritatē formaliter esse in conceptu formali intellectus, quatenus conformatur rei, sicut est in se. Tertia est, quam sequuntur Aquila, & Pelbartus præcit. qui ambas præadductas sententias discrepantes conciliant, docentes veritatem complexam formaliter esse in intellectu, siue in conceptu formali: fundamentaliter autem esse in re, siue in conceptu obiectiuo.

16. Recolendum est ex dictis, veritatem bifariam accipi, vt præ aliis notat Bonet. cit. vno modo fundamentaliter, & secundū aliquos est res, siue quidditas, quatenus est conformabilis cognitioni intellectus. Melius dici potest, veritatem fundamentaliter sumptam esse cōformabilitatē rei cū intellectu, quatenus scilicet res idonea est, vt cognitioni intellectus conformetur, quod fortè respiciens Arist. *2. Met. c. 1. T. 4.* protert illud pronuntiatum, *sicut res se habet ad esse, ita ad veritatem.* Altero modo formaliter, quo in sensu Pelbar. alleg. astruit Isaac *l. definitionum*, veritatem descripsisse, *adæquationem rei ad intellectum.*

Notatur autem non incongruè à Philosophis duplex adæquatio, siue conformitas, vna actiua, altera verò passiua. Prior se tenet ex parte intellectus, & posterior ex parte rei. Quando autem æqua est conformitas intellectus ad rem, & rei ad intellectum, habetur omnimoda veritas, quæ esse valet tam de incomplexis, quàm de complexis. Ideò iuxta ea, quæ in antecedente art. sanciui de veritate incomplexa, & complexa, in præsenti ferè eodem modo hæc sunt decernenda. Præthereà, cum ex ibi assertis, veritas formaliter sit relatio, quæ fundamentum, & terminum exigit, ex quibus consurgit; non abs re inuestigari potest, nùm veritas in alterutro subiectetur: Denuò, cum obiectum partialiter concurrat ad eius notitiam efficiendam, atque ad illud ipsum cognitio terminetur, merito perquiritur, vtrum veritas cognitionis sit in obiecto causaliter, vt putat Gofredus *Quol. 2. quæst. 6.* aut terminatiuè, vt volunt nonnulli, aut vtroque modo, vt non pauci existimant? Duos quippè illos modos, tanquam probabiles defendit Bonet. *vbi suprà*; primus tamen frequentior, & verisimilior censetur à Philosophis. Quare rectè aduertit Eminentissimus Sarnanus *quæst. 15. vniuers. pag. 45.* veritatem esse in tribus: in re, vt in efficiente, in propositione, vt in signo repræsentante, in intellectu, vt in recipiente. Idque exemplo illustrat, de luce solis, quæ extat in sole, vt in efficiente corpore diaphano, in aëre, vt in deferente, & in terra, vt in recipiente,

17. Assertio, veritas transcendentalis, quæ, & veritas rei nuncupatur, in ipsamet re, cuius est veritas, residet: veritas autem cognitionis in intellectu locum suum tenet. Hæc assertio duas comprehendit partes. 1. pars proculdubio est Scot. *qui 1. d. 8. quæst. 4. §. Ista tamen, M.* tradit passionem consequi subiectum, cuius est passio *& 2. d. 16. quæst. vn.* & alibi sustinet veritatem esse passionem entis realis. Ex hac doctrinâ formatur duplex ratio ad suadendam nostram assertionem: Prima passio est in re, cuius est passio, vt risibilitas in homine, hinnibilitas in equo: sed veritas transcendentalis est passio entis realis, vt liquet ex Aristotele *2. Met. cap. 1. & 4. eiusdem operis, T. 10.* Et à Philosophorum vulgo tenetur, vt adnotat Bonet. *ibid. in initio cap. 2.* Ergo veritas transcendentalis sedem suam habet in ente reali. Secunda, quod consequitur ex aliquo subiecto, residet in eodemmet subiecto, ex quo emergit, vt constat de accidentibus, quæ prodeunt ex substantia, & in ipsamet, tanquam in subiecto recipiuntur, at veritas rei promanat ab ente reali, sicut reliquæ eius passiones, vt ostendi *in Met. lib. 2. quæst. 2. art. 2.* Ergo in ente reali inest veritas transcendentalis. 2. pars hauritur ex Doct. *6. Met. quæst. 3. & 1. d. 1. q. 3. §. Quantum ad 1. sub A. & d. 3. quæst. 3. C.* probatur 1. ex Arist. *1. periher. cap. 1. & 3. de anima c. 26. & 6. Met. cap. 2 T. 8. sum. 2.* affirmante verum, & falsum, in compositione, & diuisione consistere. Adde Platonem *in Symposio*, Nicænum *lib. de vita Moysis*, & Anselm. *lib. de veritate cap. 2.* qui expresse asserere videntur veritatem esse in enuntiatione. 2. in quo est fundamentum proximum, siue subiectum alicuius, in eo passio eius insidet. cum subiectum, eiusque passio formaliter inter se differant duntaxat, vt scripsi *in Met. loco proximè cit.* Atqui fundamentum veritatis complexæ est propositio, quæ est in intellectu subiectiuè: ergo pariter veritas, quæ est eius proprietas, subiectatur in intellectu. 3. ens rationis habet tantùm esse in intellectu, vt liquido constat *ex Met. quæst. vlt.* sed veritas complexa est ens rationis, vt

probanâ

probani *in superiori a. conclusione* 4. Accedit propositio vocalis, quæ subordinatur propositioni mentali veræ, vel falsæ, vt post Tatar. *hoc loco q.* 1. *dub.* 2. obseruant Conimbr. *q.* 5. *art.* 1. ex Philosopho *c.* 1. *huius operis.* Ergo, cum veritas dicatur esse in enunciatione vocali, vt in signo, quia scilicet denotat formalem veritatem, mentalis enunciationis, apertè deducitur, veritatem complexam esse in intellectu, tanquam in subiecto eius.

18. Opponess. quod competit duobus, vni vt causæ, alteri verò vt causato, per prius conuenit causæ, quàm causato. hinc, quoniam ignis est causa caloris in omnibus calidis, præcipuè perhibetur calidos *ex* 2. *Met. T.* 4. sed veritas rei est causa veritatis in intellectu, & in enuntiatione, scribente Philosopho *c. de substantia.* Ergo veritas principaliter, & formaliter est in re. Conf. propositio est vera, veritate in re existente, vt declarat Aristot. præalleg. Ergo si propositio est vera, propter veritatem rei: infertur prius, & formalius veritatem esse in re, quàm in enunciatione, iuxta illud Arist. 1. *Post. propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Resp. per distinctionem maioris, si conueniat ambobus formaliter, concedo: quod si vni competat formaliter, alteri verò causaliter nego, vt patet de sole, & terra, quæ ambo quidem dicuntur calida, diuersimodè tamen: sol quippè est calidus causaliter, & eminenter: terra verò est calida formaliter per calorem ab ipso sole causatum, in ea formaliter existentem. Idem ferè videtur accidere in re nostra: siquidè veritas est in enuntiatione formaliter: in re verò solum causaliter, vt in fine præmissi notabilis expressi. Ad conf. valet eadem distinctio, per quam exponitur locus Arist.

19. Opp. 2. sicut bonum est obiectum voluntatis, ita verum est obiectum intellectus, qui quidem verum est *ex* 1 *Post T.* 44 sed res extra sunt prima obiecta intellectus: non autem species, vel actus, vel 2. intentiones; secùs omnis cognitio foret reflexa: Ergo veritas primariò est in re, & secundariò in intellectu. Conf. 1. quod adaptatur vni vt signo: & alteri vt signato per tale signum; huic intrinsecè, & formaliter: illi verò extrinsecè, & materialiter accommodatur, vt constat de sanitate, quæ formaliter animali congruit, vrinæ verò, vt eius signo: ergo, cum veritas tribuatur intellectui, & orationi vt signo, & conformitati ad rem extra: infertur veritatem formaliter esse in re. Conf. 2. ex S. Aug. 9. *Trin. c.* 11. magnitudo idem est ac veritas; maius quippe, & verius esse coincidunt. Magnitudo autem est in re, ergo & veritas. Resp. Doct. 6. *Met. in fine, q.* 3. negando ma. quem sequitur Orbel *ibid. in calce c.* 3. Intellectus quippe nedum intelligit verum sub ratione veri, sed etiam bonum, sub ratione boni, & inter ea locat discrimen: ideóque vtrumque speculatur, vt asserit Stagirita 2. *de anima T.* 146. Cum autem dicitur, intellectus est verorum, intelligitur de habitu primorum principiorum, quæ sunt semper vera. Ob id subdit idem Philosophus 6. *Met. in ianuis quis aberrabit?* maximè quia ab eorum veritate pendent omnium conclusionum veritates, annuente Scot. 1. *d.* 2. *q.* 3. *A.* Ad 1. conf. concedo ant. nego consequentiam; conformitas enim illa intellectus ad rem formaliter residet in intellectu, & terminatur ad rem, siue causatur à re, propterea veritas, quæ præfatam conformitatem sonat in intellectu, formaliter subiectatur. Ad 2. conf. dico, Aug. interpretandum esse de veritate fundamentali: hic autem sermo institutus est de veritate formali, cuius subiectum facimus intellectū.

20. Opp. 3. Scot. 1. *d. q.* 48. *q. vn.* §. *Ad arg. B.* litteris committit hęc verba. *Veritas intellectus non depēdet, nisi à solo obiecto, quod obiectū si ita est, sicut intelligitur, verum est intellectus.* Idipsum insinuat *Quol.* 18. *art.* 3. §. *contrà* 5. & confirmat *in Report.* 1. *d.* 48. *q. vlt.* R. Scotū ibi loqui de veritate causaliter, & ab extrinseco pendente: solum quippe obiectum ab extrinseco partialiter causat veritatem, ab eoque solo extrinseco ipsa veritas dependet. Hanc esse eius mentem, ex eo tex. liquet; eo enim loco comparat veritatem cum bonitate inquiens, veritatem quidem à solo obiecto dependere; veruntamen bonitatem nedum ad obiecto, sed quoque à debitis circumstantiis pendere, quas exprimit *in Report. cit. quæst.* 8. Idem sentiunt Lych. & Gadius *in expositione Quol. &* §. *cit.*

21. Opp 4. intellectus haud perhibetur conformis obiecto, proptereaquòd cōformatur cognitioni in essēdo, quandoquidē intellectus, eiusque cognitio formalis semper est spiritualis: obiectū verò, quod ab ipso intellectu cōsideratur, plerumque est materiale: verum, quoniam obiectū ita percipitur ab intellectu, sicut est à parte rei. Igitur tota collatio fit inter rem in esse cognito, & rem in esse reali: ac proindè veritas potissimū suam tenet sedem in conceptu obiectiuo Resp. talem conformitatem intellectus cum re non esse entitatiuam, & realē, sed intētionalem, quatenus obiectum repræsentatur per cognitionem, eo modo, quo est in rerum natura, vt scribit Arist. 3. *de anima c.* 8 *T* 37. Quæ circa huiusmodi cōformitas, & repræsentatio non fertur in obiectū cognitum, & seipsum, vt putat Dur. sed in conceptum repræsentatiuum, & obiectum repræsentatū, vt late explicat Suarez prænominatus *n.* 6. vbi affert exemplū de imagine, quæ dicitur vera, non collatione rei repræsentatę, ad seipsam, sed comparatione imaginis, ad rem imaginatam.

22. Instabis, obiectum dicitur repręsentatum, per veram intellectus cognitionem: igitur obiectum formaliter est verum; atqueadeò in ipso hæret formalis veritas. Ant. conceditur, in responsione proximæ oppositionis. Conseq. probatur, quod est tale per repræsentationem, repræsentatum per eam est formaliter tale, vt si imago leonis sit furens, leo est formaliter furens: ergo si cognitio est vera repræsentatiuè, res per eam repræsentata est formaliter vera, per veritatem sibi inexistentem. Concedo ant. nego consequentiam; ad eius probationem dico, id habere locum in repræsentatione reali; non autem in repræsentatione intentionali. Ratio adducitur, quia in illa sunt duo obiecta, & in hac vnū duntaxat, ad quod terminatur, quod extrinsecè denominatur verū, per veritatē formalē in intellectu manētem, veluti visione intrinsecè dicitur visus, & extrinsecè paries, vt disertè, & acutè prosequitur Lych. *quol. præmemorato.*

23. Opp. 5 in illo insidet veritas, quod designat enuntiatio vocalis: at vocalis enuntiatio designat conceptum obiectiuum. ergo in conceptu obiectiuo adest formalis veritas. Ma. videtur esse lucida: quia sicut voces sunt signa rerū: ita enuntiatio vocalis est signū enuntiationis obiectiuæ. Min. manet probata *q.* 2 *huius I art.* .. *asserti.* 3. Eò magis, quia enuntiatio mentalis est quoquè signum conceptus obiectiui. Itemque quando intellectus fert iudicium formaliter, non reflectit se supra suum actum, sed comparat obiectum cognitum, ad ipsummet, vt est à parte rei: ergo formalis veritas collocāda est in cōceptu obiectiuo. Resp. argumētum concludere de veritate rei, & fundamentali: non autem de veritate cognitionis, & formali, de qua in præsentia disserimus. Maximè quia, non solùm voces significant res, sed etiam conceptus formales, vt ait Arist. *in initio* 1 *perih.* & ego fusè probaui *loco memorato.* Ad id quod subiungitur, dico, cum veritas sit relatio, designare quidem obiectum ad quod terminatur, & in quo est, vt in causa nihilominus ipsa enuntiatio continet veritatem primariò, & formaliter. Ad aliud, quod adducitur, dico intellectum suo iudicio, ad perlustrandam formalem veritatem comparare actum suum cognoscitiuum, ad obiectum cognitum, & obiectum cognitum, ad eundem actum cognoscitiuum.

24. Veruntamen bis non ita firmiter adhæreo, quia partem oppositam probabilem, & in se, & in doctrina Scoti non censeam: siquidē veritas cum sit passio enuntiationis, & ipsa enuntiatio sit ens rationis, est 2. intentio: atque ex Scot. *l.* 2. *q.* 1. *art* 13. probauerim omnes 2. intētiones in re subiectari: vtique in sententia eiusdem, valdę probabile est, complexam veritatem, quæ est in enuntiatione vt in fundamento, docente Scot. 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. §. *Alter sub V.* fortiri commune subie-

ctum in se, cum enuntiatione: vbi enim est natura, ibi quoque est eius proprietas non quidem immediate, sed mediatè duntaxat. Itaque probabiliter doceri potest, veritatem cognitionis esse in re cognita, siue conceptu obiectiuo, eo fere pacto, quo dixi de vniuersali formaliter, & reliquis secundis intentionibus *loco proximè citato*. Fauet Vulpes 1. *p. Tom.* 2. *disp.* 32. *art.* 4. & non prorsùs dissentit Fabet *disp.* 9. *de pœnitentia cap.* 2. *num* 33. licet displiceat in hoc, quod opinatur vtramque sententiam prænarratam coïncidere, conceptumque obiectiuum, & formalem abinuicem non discriminari, cum disertè, & liquidò constet, apud cit. Auth. discrimen, quod inter eorum sensus, & doctrinam intercedat: sed de hoc fusè alibi.

ARTICVLVS IV.

An veritas sit in quauis operatione intellectus?

25. Cvm tres extent operationes intellectus, quas adduxi, & descripsi *lib.* 1. *quæst.* 3. *artic.* 6. Dialectici, potissimùm Moderni diligenter inquirunt vtrum, in qualibet operatione intellectus resideat veritas? Et sane in secunda operatione collocandam esse veritatem, aut falsitatem, omnes vno ore confitentur: in tertia verò pro certo omnes pariter præsupponunt. Tota itaque difficultas sita est in prima. Etenim Caiet. 1 *p. quæst.* 16. *art.* 2. & alij citati à Suarez *disp.* 8. *Met. sect.* 3. Conimbr. 1. *de Interp. quæst.* 5. *art.* 2. & Fons. 4. *Met. cap.* 2. *quæst.* 6. *sect.* 3. quibus ex nostris adstipulatur Fabet *disp.* 9. *de pœnit. cap.* 3. censent in secunda tantum operatione intellectus reperiri veritatem cognitionis. Oppositum autem tenent Scoto 6. *Met. quæst* 2. Orbel. *ibid. cap.* 3. & alij alleg. à Neotericis prænominatis, affirmantes primam intellectus operationem haud veritatis esse expertem.

26. Pro huius decisione, in memoriam reuocanda est illa distinctio vulgata veritatis, in incomplexam, & complexam, allata, & à me explicata *q. præsente art.* 1. Incomplexa namque primæ, complexa verò secundæ operationi intellectus attribuitur. Huiusmodi autem explicatio satis idonea, & sufficiens esse videtur, ad cognoscendam differentiam, quæ interponitur inter vtramque veritatem, necnon ad discernendum propriam veritatem illis operationibus congruentem, vt conspicuum manet ex earum descriptionibus *vbi suprà* exhibitis. Quæ autem obiicit Suarez *num.* 9. *loci cit.* aduersus hunc explicandi modum, nullius sunt momenti. Ait enim Suarez ibi, eadem ratione dici posset veritatem speciali modo reperiri in simplici notitia, quia incomplexa tantum in illa reperitur. Verum id rectè non infertur, quia idem sibi volunt cognitio simplex, & cognitio incomplexa, non sic cognitio simplex, & incomplexa, & veritas simplex, & incomplexa, quia hæc, ab illa oritur, vt passio à re, cuius est passio. Nisi ergo fiat æquiuocatio in voce simplex, nulla est instantia Suarez: & data æquiuocatione, distinguendum est nomen illud simplex, iuxtà præceptum de æquiuoco distinguendo: sicque eluditur eius argumentum.

Nec iuuat ipsum, quod subdit *ibidem* ex illa distinctione veritatis non sequi veritatem peculiariter, & formaliter secundæ operationi non accomodari magis, quàm primæ: quandoquidem in homine est veritas composita, & in Angelo est veritas simplex. Itemque in homine est veritas materialis, & in Angelo veritas spiritualis, & sic de cæteris, secundùm rerum congruentiam. Hoc (inquam) nihil ei proficit. Eadem quippe ratione veritas composita, siue complexa formaliter homini, ac Angelo adaptatur. Quamuis enim Angelus præstantiori naturà, & intellectu polleat, quam homo: nihilominus vtriusque intellectus est compositiuus, diuisiuus, & discursiuus: idemque est vtriusque obiectum, & finis, vt cum Scot. *Tract. de Angelis copiosè ostendi.* Quamobrem, optimè est præallata distinctio veritatis, qua ferè omnes vtuntur ad hoc dubium diluendum, nominatim Bonet. 5. *Met. cap.* 2. Hurt. *disp.* 9. *de anima sect.* 2. & Conimbr. *artic.* 3. ex Ægidio *quol.* 4. *quæst.* 9. Subdunt per hanc, vtramque memoratam sententiam discrepantem conciliari. Cur autem potiùs secundò quam primò attribuatur veritas, ex dicendis infrà palam fiet. Adde quod idem Suarez *disp.* 8. *sect.* 8. *num.* 17. eam videtur admittere.

27. Assertio, in prima operatione intellectus reperitur veritas incomplexa, in secunda, & tertia veritas complexa. Hæc assert. est tripartita. Prima pars est Scot. cit. *in Met.* quam innuit idem Doct. *q.* 1. *prol.* § *Antequam post M.* & probatur primo ex Arist. 3. *de anima cap.* 6 *T.* 26. qui intellectum similem facit sensui, in simplicium cognitione, cùm *secundo de anima cap.* 6. monuerit, sensum circà proprium sensibile semper esse verum. Et 9. *Met. cap.* 7. *T.* 21. *&* 22. adducit duplex illud veritatis genus, alterum quod primæ: alterum verò, quod secundæ operationi accommodatur. Ob id Fons. *sect.* 4. *loci recensiti* miratur Philosophos aduersæ sententiæ arbitrari se vestigijs Arist. inhærere. Secundò, veritas est conformitas rei ad intellectum: in prima autem operatione reperitur huiusmodi côformitas, ergo, & veritas. Maior patet ex dictis suprà Min. probatur: intellectus per primam operationem, res simplices, & incomplexas apprehêdit sicuti sunt à parte rei, vt cum apprehendit aurum, argentum, & id genus alia, vti sunt in rerum natura. Tertiò, vbi apprehenditur entitas, ibi est veritas, si apprehendatur eo modo, quo est; at in prima operatione apprehenditur entitas, vt est à parte rei, ergo & veritas Ma. claret, quia veritas est passio entitatis, Min. est in promptu, quia prima operatio describitur simplicium terminorum apprehensio. Quare in 1. operatione locanda est veritas incomplexa, sicuti eius entitas est incomplexa. Addo intellectu diuino esse perfectissimam veritatem, licet in eo sit simplex apprehensio. Secunda pars est communis Arist. *in isto opere c.* 1. *&* c. 1 *prædicam. &* 6 *Met. T.* 8. & alibi Scot *vbi suprà* & aliorû inter quos est Vasquez *disp* 55. 1. *p* Probatur ex veritatis definitione, sic, veritas est adæquatio, siue conformitas inter rem, & intellectum: talis autem conformitas extat in 2. operatione intellectus: ergo in ea efflorescit veritas Ma liquet. Min. est in promptu. Ille quippe perhibetur verum dicere, & tenere propositioné veram, quãdo cognoscit res eo modo, quo sunt in se, vt cognoscit, & affirmat hominem esse rationalê, & negat hominem esse irrationalem. Affirmare autem aliquid de alio: aut negare aliquid ab alio, esse 2. operationis intellectus, nemo est, qui ambigat. s. in eo relucet veritas, in quo manet falsitas: sed falsitas inest in 2. operatione: ergo & veritas Ma fulcitur illo pronuntiato, *contrariorum idem est subiectum*, quod est contrariorû descriptione decerpitur. Min elucet, quia veritati primæ operationis nô opponitur falsitas, vt post Bonet. 5. *Met c.* 2. astruit Orbel. 6. *Met. c.* 3. exponens illud 3. *de anima T* 26. *&* 9. *Met c.* 12. testibus Conimb. *art.* 3 *q.* 5. *Intellectus circà quod est semper est verus.* 3. in conuenientia vnius cum alio, aut disconuenientia vnius ab alio, contingit veritas complexa, aut falsitas, vt notû est: atqui in 2. operatione efficitur conuenientia, siue compositio vnius, cum alio: aut discrepantia vnius, ab alio, vt constat ex eius definitione. Igitur, in 2. operatione locatur veritas, vel falsitas complexa. Tertia pars ab omnibus tanquam vera præsupponitur, quam expressit Doct. *quol.* 18 § *Contrà* 5 & probatur 1. in quo est conformitas, in eo est veritas, vt pater per locum à definitione, ad definitû: in tertia verò operatione est côformitas intellectus, cum re intellecta, quando deducitur vera conclusio ex præmissis veris: ergo in eadem operatione adest veritas propria, ab aliis distincta. Secundò in omni propositione est veritas, vel falsitas, ob rationem non semel traditam, nimirum, quia veritas propositioni tribuitur, tanquam eius proprietas: tertia autem operatio inuoluit propositioné, cum syllogismus

syllogismus ex dictis construatur, ex tribus propositionibus, quarum vna est conclusio, vt patet *in Epit. lib.3.quæst.1.art.1.& in Log.lib.5. quæst.1.art.5.* perspicuum igitur est veritatem tertiæ operationi intellectus congruere.

28. Oppones primò, Aristoteles *hic cap.1. & 3. de anima cap 5* atque *6. Met.c.2.T.8.* palam astruit veritatem in sola compositione, & falsitatem in diuisione sitam esse, quam constat disertè esse 2. operationem. Igitur, veritas primæ operationi non adscribitur. Accedit Scot. *qui 2. dist.6. quæst.1. §. Respondeo. G.* hæc profert verba. *Intellectus simplicis non est errare, nec verum dicere: ista enim sunt conditiones intellectus componentis, & diuidentis.* Respond. Aristotelem & Scot. loquutos esse de veritate complexa, quæ quidem est propria 2. operationi: non autem de veritate incomplexa, quæ primæ operationi quadrat, vt declaraui in proposito not. Consuetudo autem Philosophorum iam inoleuit, vt quoties sermo instituitur de veritate, absolutè intelligatur de veritate complexa. Siquidem, vt bene aduertit Fons. *4. Met. quæst.6.cap.2.sect.9.* quacumque complexione nobis obiecta, vt *homo est animal: homo est lapis*, simpliciter perhibemus, illam esse veram; hanc verò esse falsam. Causa reddi potest, quia intellectus componens, & diuidens est iudex veritatis, & falsitatis. Ob id compositioni eius, & diuisioni attribuitur veritas simpliciter, & falsitas.

29. Oppones secundò, pari passu incedit veritas in vocibus, ac in conceptibus, quia voces subrogantur, loco conceptuum: in vocibus autem simplicibus non est veritas; cum enim quis profert simplex vocabulum animal, nullam perhibet veritatem, in prima ergo operatione quæ est cognitio simplicium terminorum, nulla extat veritas. Conf. vbi non est falsitas, ibi non inuenitur veritas, quia contrariorum idem est subiectum, vt suprà innui: at in prima operatione non reperitur falsitas, vt apertè docet Philosophus *3. de anima T.21.* Igitur veritas à prima operatione eximitur. Concessa ma. distinguo min. in vocabulis simplicibus non est veritas complexa, concedo: incomplexa, nego: eo ferè modo, quo supra dixi, nempè veritas est in conceptu formaliter, & in voce, vt in signo. Ad Conf. dico falsitatem bifariam vsurpari, vno modo pro ignorantia simplicis intelligentiæ, siue nescientia, cui opponitur veritas incomplexa. Altero modo pro errore, siue pro ignorantia prauæ dispositionis, cui aduersatur veritas complexa, & vocatur absolutè falsitas, quam à prima operatione amouent, & in 2. collocant communiter Philosophi, præcipuè Bonet. & Orbel. præcit. Iuxtà autem hanc distinctionem enodatur argumentum; si enim maior admittatur, min. sic est distinguenda, in prima operatione non reperitur falsitas 2. modo sumpta, concedo: 1. modo, nego. Vel dici posset, & pro inconueniente non haberem, si distinguatur falsitas, in falsitatem incomplexam, & complexam. Ista autem posita distinctione facilè diluitur argumentum. Conceditur quippe ma. & distinguitur min. de falsitate incomplexa respuitur: de falsitate verò complexa recipitur. De falsitate autem peculiares difficultates non moueo, quia cum veritati opponatur falsitas, vt obseruat Pelbart. *Tom.2. §.1. verbo falsitas*, & oppositorum eadem sit disciplina: ob id ex dictis de veritate, commodè dilui queunt, quæ de falsitate perhibentur.

ARTICVLVS V.

An dentur propositiones æternæ veritatis.

30. NOminales allegati à Tatar. *quæst. vlt. prædicabilium dub.3.* & quidam Theologi à Suarez memorati *disp.31. Met. sect.12. num.58.* nullam admittunt propositionem sempiternæ veritatis, asseuerantes de rebus existentibus dari quidem veras, vel falsas enunciationes: de rebus autem non existentibus nec veras, nec falsas. His sese opponit communis opinio cæterorum Philosophorum, & Theologorum, Scot. *1. dist.3. quæst.4. §. Ad quæst. igitur*, Lych. *ibid.* Antonij Andreæ. tum ibi, tum etiam *in expositione 1 Perih.* Ioannis de Magist. *quæst vltim. prædicam. & 1. Meteor. quæst.1. in fine, dub.3.* aliorum docentium esse propositiones sempiternæ veritatis. Pro cuius commodiori captu, & maiori dilucidatione.

31. Not. primo ex Lych. *in comm.* & tangit Scot. *passu memorato*, & ego iam indicaui *lib.1.quæst.2 art.2. not.4.* Bifariam aliquid posse inspectari, vel in esse reali, siue in esse actuali, & esse existentiæ, quo res potitur, cum à suis causis est producta, vt patet *Genesis* 1. de cælo, & terra, alijsque à Deo conditis, quæ adhuc in suo esse actuali, quod à Deo acceperunt, perseuerant: vel in esse obiectiuo, & possibili, quod esse intelligibile, quidditatiuum, & essentiale nuncupatur, præscindens ab omni existentia, & circumstantia temporis, loci, & huiusmodi: siue, vt de sinceris veritatibus particulatim loquitur Doct. *cit.5.* abstrahens ab omnibus per accidens coniunctis, cum eis. Primum esse dicitur temporaneum, quia res conditæ sunt in tempore, illudque esse in tempore participant, vt testatur diuinus Cronista præcit. his verbis, *in principio creauit Cælum, & terram.* Secundum esse dicitur æternum, & perpetuum, propterea quod res fuere producibiles, ab æterno, siue nulla existit repugnantia ex parte rerum, vt ab æterno fuerint productæ, omnique tempore, in esse perdurent, vt monstraui abunde *Tractat. de creatione dispут.3.* Vel quia creaturæ esse cognitum, & intellectum à Deo acceperunt ab æterno, scribente Scot. *vbi suprà*, quod est esse diminutum, & secundum quid: idcircò dicuntur æternæ secundum quid, & sortiuntur existentiam secundum quid, vt *eo in loco post P.* monet Doct. Lych. & Vigerius. Passio autem rei in esse realis existentiæ præexigit eius esse reale existens: atque passio entis obiectiui præexigit esse obiectiuum, vt diligenter notat Lych. cit. Cum autem vnumquodque esse gaudeat propria veritate, tanquam eius passione, iuxtà duplex esse præassignatum, duplex exoritur veritas, nempè entis realis, & entis obiectiui, siue potiùs vna veritas, quæ consequitur esse obiectiuum, & esse reale positiuum, quia quod est obiectiuum, & in potentia obiectiua, est illud idem: deinde, quod est in actu, & positum extrà suas causas.

32. Not. secundò, propositiones esse perpetuæ veritatis dupliciter intelligi potest, vt tangit Scot. *1 d 39. §.contra istud, infrà B.* aut penes esse existentiæ rerum, de quibus efformantur: aut penes esse obiectiuum rerum, de quibus efferuntur. Hæc autem difficultas non ventilatur, de esse rerum primo modo captorum: enim res sunt generabiles, & corruptibiles, de quibus, cum semper non existant, haud esse potest perpetua veritas, secundum hoc esse existentiæ actualis: aut res sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, & de his, quamuis esse queat perpetua veritas à parte post, non tamen à parte ante, quia ab æterno creatæ non fuere: maxime quia Deus suâ potentiâ absolutâ potest eas destruere, & annihilare: & si perirent earum entitates, vtique perirent earumdem veritates: atqueadeò ex hoc capite dici nequeunt propositiones æternæ veritatis, de ipsismet fabricatæ, eo modo, quo communiter sentiunt Philosophi. Nec præstat dicere cum quibusdam, res quidem non esse æternas; connexiones verò prædicatorum essentialium, & quidditatiuorum esse æternas. Quandoquidem si res non sunt æternæ, vti reuera æternæ non sunt vt liquet *ex Tract. de creatione dispут.3.* nec earum connexiones æternitate fruuntur. Nam connexio nihil aliud est quàm vnio, vnio autem est relatio, relatio verò postulat extrema, ex quibus consurgit: atqui res, earumque prædicata essentialia, quæ sunt relationis extrema, non sunt æterna, vt illi Authores concedunt: ergò,

nec connexiones, quæ inter dicta prædicata reperiuntur sunt æternæ. Præterea, quod ab aliquo emanat, præsupponit illud, a quo emanat, vt constat de de effectu, qui præexigit causam à qua producitur: vnio autem ex approximatis, & vnitis extremis resultat, vt de omni relatione extrinsecùs aduemente scripsi *l. 3. q. de relatione.* Cum ergo extrema harum connexionum sint prædicata rerum essentialia, quæ haud ab æterno extant, perspicuè conuincitur, connexiones dictorum prædicatorum nequaquam esse æternas, penès quas enuntiationes censeantur esse sempiternæ veritatis. Tota itaque dubitatio versatur circa esse 2. modo acceptum, videlicet, vtrùm propositiones de esse rerum obiectiuo sint necessariæ, & æternæ veritatis, cui occurrendum esse videtur, si dicatur, propositiones, quarum subiecta includunt essentialiter prædicata, vt *homo est animal*: aut identice, vt *homo est risibilis*, esse perpetuæ veritatis, siue earum extrema existant, siue non existant: cæteræ verò, quarum subiecta nec essentialiter, nec identicè claudunt prædicata veritate æterna non gaudent. Ita deducitur, ex Scot. 3. *d.* 21. *q. vn.* § *sed quid logicè, sub M.* & 1. *d.* 3. *q.* 4. § *Quantum ad* 3. *l.* & *quol.* 7. §. *Ad argumenta. infra X.* & traditur a Bassolio *ibid.* & Sarn. *q.* 11. *vniuers. pag.* 178.

33. Not. 3. ex Doct. *in* 1. *alleg. ante* §. *De ente a. circà* 5. Boneto cit. *non longe ab initio cap.* 2. obiectum sensibile actu existens in sensibus externis, & internis, præsertim in phantasia, producere speciem confusam repræsentantem vnum per accidens, hoc est, obiectum indutum quantitate, colore, aliisque accidentibus materialibus. Cum autem species, seu phantasma repræsentet obiectum confusè, & per accidens duntaxat, propterea non pauci percipiunt solum ens per accidens. Verùm, qui per intellectum abstrahunt obiecti essentiam, & quidditatem ab omnibus eius accidentibus, & perlustrant eius prædicata essentialia, & quæ ab eiusdem essentialibus principiis profluunt, componentes subiecta cum prædicatis efformant enuntiationes æternæ veritatis. Idque exemplo declaratur in ista propositione, *omne totum est maius sua parte*: quæ primò vera non est, vt totum est in ligno, aut lapide; sed vt præscindit ab omnibus, quibus per accidens connectitur. Ideò intellectus, qui nunquam intelligit totalitatem, nisi in conceptu per accidens, nempè in totalitate lapidis, aut ligni, nunquam intelligit puram, & sinceram veritatem eius principij, quia nunquam intelligit præcisam rationem termini, per quam est veritas.

34. Assertio, dantur propositiones æternæ veritatis. Hanc tenet Scot. *vbi suprà*, quam indicarat *in Log.* 1. *periher. q.* 8. §. *Ad* 2. *q.* & §. *Ad aliam quæst.* Probatur primo ex Aristot. qui 1. *post. T.* 21. ostendit demonstrationem habere conclusionem, quæ perpetuò vera est, quia est ex eis, quæ sunt per se, hoc est ex necessariis, & æternis. Idem scribit 1. *periher. c.* 6. & 9. *Met. c.* 6. & inde, & Scot. *ibi pag.* 280. secundum editionem Cauelli. Hoc ipsum videtur sentire Porph. *in Isag. c.* 6. in comparatione differentiæ cum proprio. 2. *ex SS. PP. Aug.* 6. *retract. c.* 4. & 2. *de lib. arbitrio cap.* 5. vbi hæc profert verba: *Quamdiu futura sunt, cœlum est, terra est, nescio: septem verò, & tria decem sunt, non solùm nunc, sed etiam semper, nec vllo modo septem, & tria non fuerunt decem, aut aliquando septem, & tria non erunt decem.* Et subdit, *nihil esse magis æternum, quam duo, & tria esse quinque.* Ex Anselm. *in Dialogo de veritate cap.* 14. qui expressè prædallatam assertionem sustinet. 3. illæ censentur propositiones æternæ veritatis, quæ sunt de obiectis æternis, & necessariis. nonnullæ autem enuntiationes sunt huiusmodi: ergo tales sunt perpetuæ veritatis. Maior est Philosophi 1. *Post. cap.* 6. vbi probat demonstrationem esse ex necessariis, & semper veri. Demonstrationem autem confici ex tribus propositionibus necessariis, certum, & indubitatum est apud omnes. Igitur enuntiationes syllogismi demonstratiui sunt perpetuæ veritatis. Minor est in promptu ex nunc illatæ de propositionibus demonstrationis, quæ sunt semper veræ, vt *omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.* 4. quæ perpetuo connectuntur vinculo, perpetuò sunt vera: sed subiecta, & prædicata propositionum necessariarum perpetuo nexu coniunguntur: ergo enuntiationes de his efformatæ sunt æternæ veritatis. Maior constans est doctrina Philosophi 2. *Met. T.* 4. scribentis, *sicut res se habet ad esse, ita ad veritatem.* Minor induci potest per singulas propositiones necessarias, ego vna tantum pro nunc contentus sum, puta *animal est sensitiuum*, animal, quod est subiectum, & sensitiuum, quod est prædicatum eius enuntiationis sic se habent ad inuicem, vt vnum ab alio nunquam seiungi valeat, quod est apertum indicium vinculi indissolubilis eorum. 5. vbi est perpetua conformitas intellectus cum re intellecta, ibi est perpetua veritas; in necessariis autem propositionibus est perpetua conformitas intellectus cum re intellecta. In his ergo est perpetua veritas. Maior nota est; ex veritatis descriptione prædallata. Minor effulget, nam verbi gratia cum intellectus percipiens hanc propositionem, *omne totum est maius sua parte*, ita eam semper intelligit, sicut est à parte rei, terminis præexplicitis. Hinc subiungit Aquensium Archipræsul 1. *d.* 39. veritas propositionis accipitur penes veritatem rei, quia veritas signi decerpitur penes conditionem signati. Additque idem Author veritatem immutabilem esse non posse in propositione, nisi significatum sit immutabile in essendo.

35. Opp. 1. veritas propositionis petitur penès veritatem rei, de qua effertur; vt patet *ex c de substantia*: nulla autem veritas rei est æterna, quia nihil præter Deum est æternum; vt docet Fides orthodoxa, & planũ feci, *in* 2. *not.* Ergo nulla propositio est semper vera. Distinguo maiorẽ: veritas propositionis habetur de re in esse existentiæ actualis, nego: in esse obiectiuo possibili, & aptitudinali, concedo. Ad distinctionem maioris, distinguenda est minor. Hæc autem distinctio, & solutio hauritur ex Doct. 6. *Met q.* 1. *in solutione* 3. *principalis*, dicente, conclusiones demonstrationis intelligendæ sunt de aptitudine, non verò de actuali existentia. Id ipsum tradit Mauritius *q.* 30. *vniuers. fol.* 56. *colum.* 2. satisque explicui *in* 1. & 2. *not.*

36. Oppones 2. enuntiationes necessariæ, ideò perhibentur æternæ veritatis, vel quia ea, de quibus efformantur, semper sunt; aut quia inter earum extrema adest necessaria, & indissolubilis connexio: sed neutrum dici potest, ergo nullæ sunt concedendæ enuntiationes æternæ veritatis. Maior à me recipitur, ob duplicem causam in ea sub distinctione assignatam. Minor ostenditur, & quidem quoad primam partem eius, iam patet ex prima oppositione: soli quippè Deo competit semper esse, teste Dauid Psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Et annuente Philosopho loco nuper cit. *Corruptis primis substantiis, corrumpentur & secunda.* Quoad 2. partem monstratur, tùm quia vnio præexigit extrema existentia, per quam vniuntur adinuicem, vt liquet de vnione materiæ, & formæ, aliarúmque rerum naturalium, & artificialium. Ratio est, quia nihil vniri potest alicui, nisi præexistat: tùm etiam quia, quæ inter se vniuntur, ab aliqua causa efficiente vniuntur: nulla autem causa efficiens inuenitur, quæ semper talium propositionum extrema vnierit. Negandæ sunt ergo tales propositiones æternæ veritatis. Concessa maiore, negandа est minor: ad eius probationem dico, res semper esse, non quidem in esse existentiæ actualis: sed,

ſed in eſſe obiectiuo, paritérque earum connexiones neceſſarias in dicto eſſe obiectiuo, quod ſufficit, vt propoſitiones de eiſdem perhibeantur æternæ veritatis, vt rectè aduertunt Mauritius: *paulò poſt locum alleg.* & Vulpes *Tom. 1. diſputat. 28. artic. 1.* & egregiè expreſſit Baſſulius prænominatus, his verbis: *Id non verificatur in actu, quod in re, hoc ſit illud: ſed de potentia, vel aptitudine, vel non repugnantia, quia res ſignificata v.g. per hominem, quoties ponitur in re, non repugnat eſſe animal, immo ipſa poſita, neceſſariò eſt animal: ita vt ſit verificatio actualis de aptitudine, aut verificatio potentialis & actualis.*

37. Oppones 3. Scot. 1. *diſt. 3. quæſt. 4. Ad quæſt. infrà P.* aſtruit æternitatem eſſe conditionem exiſtentis: res autem in eſſe obiectiuo nullam ſortiuntur exiſtentiam, vt conſtat ex dictis ſuprà: ergo propoſitiones de rebus in huiuſmodi eſſe obiectiuo, nulla æterna veritate fruuntur. Conf. idem Doct. *3. diſt. 22. quæſt. vn. §. Sed quid logicè M.* negat illam propoſitionem fuiſſe veram, *Chriſtus in triduo fuit homo*: ergo, nec iſta vera eſt, *Adam eſt homo* nullo homine exiſtente. Conſequentia deducitur, quia de vtriſque par ratio eſſe videtur, cum Chriſtus per humanitatem à Verbo aſſumptam verè fuerit homo, ſicut extitit Adam Reſpond. Scot. ſeipſum explicare: loquitur enim ibi de rebus, prout habent eſſe intelligibile, ſiue eſſe cognitum, vt notat. Tatar. præcit. cui eſſe, cum ſit diminutum, & ſecundum quid competit exiſtentia, & æternitas ſecundum quid: quemadmodum eſſe ſimpliciter, & actuali Diuino conuenit exiſtentia, & æternitas ſimpliciter. Ad Conf. occurrit idem Doct. *ibid.* adducens diſcrimen, falſitatis illius, & veritatis huius. In ea namque *Chriſtus eſt homo*, alterum extremum, putà Chriſtus, non habet vnum conceptum, teſte S. Damaſc. à Doct. cit. Chriſtus eſt nomen duarum naturarum ſignificatiuum, humanæ, & diuinæ, ſicque duos conceptus, ſcilicet Deum, & hominem deſignat: verum in iſta, *Adam eſt homo*, vnum tantùm conceptum denotat. Quare, cum ad veritatem propoſitionis requiratur, vt ſubiectum vnum conceptum duntaxat præſeferat: hinc eſt, vt illa, cuius ſubiectum plures conceptus includit, ſit falſa: hæc verò, cuius ſubiectum, vnum conceptum ſignificat, ſit vera. Vide Lycb. cit.

Articulus VI.

An Enuntiatio vera mutari queat in falſam.

38. Nonnulli, vt Hurtadus *diſputat. 9. de anima ſect. 4.* & Arriaga *diſp. 14. Log. ſect. 2. ſubſect. 1.* negant veram propoſitionem, in falſam, & econtrà in veram, ex falſa poſſe transferri; ſecuti quoſdam, quibus arridet Bonet. *5. Met. c. 2. § Amplius autem habet dubitationem* Commune autem placitum eſt Scot. *4. d. 8 q 2. §. Aliter, ſub V.* Conimb. & Tol. *in fine comment. c. de ſubſtantia:* necnon Suarez *diſp. 8. Met. ſect. 2. n. 9.* & aliorum affirmantium, enunciationem poſſe mutari è vera, in falſam, & è contra.

39. Not. primò. Omnes confiteri, propoſitiones neceſſarias, de quibus egi in antecedente artic. nullam ſubire mutationem veritatis, aut falſitatis: vocare autem in dubium, vtrùm propoſitiones contingentes, ſignificantes certam, aut incertam temporis partem, de veris in falſas tranſire valeant?

40. Not. ſecundò. Aliquid mutari poſſe bifariam, per ſe, & ratione ſui: per accidens, & ratione alterius. Primò modo enuntiatio non recipit mutationem; quia cum ſit formaliter ens rationis, ſecunda intentio, & relatio rationis, vt liquet ex dictis, ad eam nequit eſſe per ſe motus: iuxta Ariſtotelis pronunciatum, ad relationem non eſt per ſe motus, vt patet *5. phyſic. 10.* Bene autem enuntiatio ſecundo modo mutatur, ad mutationem ſcilicet obiecti, de quo perhibetur. Veluti habita mutatione per ſe in ſignificato, cadit mutatio in nomen per accidens; deſtructo quippe termino, deſtruitur quoque relatio ad terminum. Conformitas enim v.g. huius propoſitionis, *Petrus ſcribit*, quæ eſt eius veritas, ſortitur pro ſuo termino ſcriptionem Petri, & quando Petrus non ſcribit, deſinit eſſe illa conformitas. Quare priùs facta mutatione per ſe in ſcriptione Petri, per accidens efficitur mutatio in præfata enuntiatione. Præterea, memoria repete ex Doct. cit. propoſitionem eſſe naturaliter priorem veritate, & falſitate, & fortè ſubdit Scot. proprietate temporis; ac proinde propoſitionem in ſuo conceptu formali, & quidditatiuo, veritatem, & falſitatem non includere; ſed ab ea præſcindere, vt ſubiectum abſtrahit ab omni accidente, quod in ipſo recipitur, & fundamentum, ab omni relatione, quæ in ipſo fundatur.

41. Aſſertiò, propoſitiones contingentes, ſiue quæ de obiectis contingentibus efformantur, certam, aut incertam temporis differentiam ſignificantes, tranſmutatis earum obiectis, ex veris tranſire valent in falſas, & è contra. Hanc defendit Doct. præcit. & indicat *1. diſt. 3 quæſt. 4 §. De tertiu & §. De ſexto ante Y.* Probatur 1. & Ariſtotele *cap. de ſubſtantia, & 1. Perih. c. 8. & 9. Met. cap. 22.* qui apertè eam docet. 2. veritas formalis dependet a veritate fundamentali, veluti cognitio dependet à re, cuius eſt cognitio: obiecto autem mutato, veritas fundamentalis mutatur, ſicut paſſio mutatur ad ſui ſubiecti mutationem: ergo, propoſitio transferri poteſt è vera in falſam, pènes ſubiecti mutationem de quo effertur. 3. Subiectum mutatur per acceſſum, vel receſſum accidentium, quæ in eo recipiuntur, vt liquet de pariete, qui mutatur per aduentum, aut receſſum albedinis, vel nigredinis: paritérque cognitio, quæ de eo habetur: ergo per mutationem ſubiecti, de quo enuntiatur propoſitio, contingit in ea mutatio veritatis eius, in falſitatem, aut è regione falſitatis eius, in veritatem. Adde, quod ſi propoſitiones contingentes forent immutabiles, nullum adeſſet diſcrimen inter propoſitiones neceſſarias, & contingentes, quia tam illæ, quam iſtæ forent à mutatione immunes, quod planè falſum eſt. Eò magis, quia ad mutationem termini mutatur relatio; cum autem veritas ex dictis ſit relatio, deducitur euidenter præfatas propoſitiones mutationem ſubire.

42. Oppones primò. Proprium quarto modo ſubſtantiæ, eſt ſuſcipere contraria, docente Ariſt. *c præalleg.* at ſi enuntiatio de vera in falſam meare quiret, ipſi quoque attribueretur contrariorum ſuſceptio, putà veritatis, aut falſitatis, vt arguit idem Philoſophus *ibid.* non ergo talis proprietas propoſitioni videtur eſſe appingenda. Reſp. per diſtinctionem ma. ſola ſubſtantia ſuſcipit contraria, vt ſubiectum quod, & vltimatum, concedo: vt ſubiectum quo, & non vltimatum. nego. Nam ſuperficies, quæ eſt quantitas tanquam ſubiectum quo, & immediatum recipit albedinem, aut nigredinem, aut alia contraria, vt liquet experientia: ſic exponi poteſt Ariſtoteles præcit. Vel dicito ſubſtantiam eſſe ſubiectum contrariorum per ſe, & ratione ſui: orationem verò eſſe ſuſceptiuam contrariorum per accidens, & ratione alterius. hoc eſt obiecti, de quo dicitur, vt in 2. not. planum feci: maximè quia veritas, vel falſitas formaliter non inter contraria, ſed inter relationes collocatur, vt *art. 2. huius quæſt.* deciſum eſt.

43. Oppones 2. proprietas rei per Scot. *2. d. 16. q. vn.* ſeparari nequit à re, cuius eſt proprietas, quandoquidem inter ea ſolùm interuenit diſtinctio formalis, quæ habetur de illis, quæ ab inuicem ſunt inſeparabilia: veritas autem, vel falſitas eſt proprietas enuntiationis: ergo ſi propoſitio poſſet tranſire de vera in falſam; ipſa vtique poſſet reperiri abſque ſua proprietate, hoc eſt,

siue veritate, aut falsitate, quod videtur absurdum. Concessa ma. ad min. dico, veritatem, aut falsitatem propositionis disiunctiuam esse proprietatem, ob id alterutram ipsi semper inesse, veluti contingentia, vel necessitas est passio entis disiunctiua ex Scot. 1. *dist.* 39. §. *Viso* & Lych. *ibid.* § *Quantum ad* 1. omnéque ens est necessarium, aut contingens; non autem omne ens est necessarium, & contingens simul. Vel dici potest, præfatam non esse proprietatem Enuntiationis quarto modo, vt probat argumentum, & insinuat Doct. 4. *dist* 8. *quæst.* 2. *ante X.* inquirens, qualis sit propositio conuersiua, aut vera, aut falsa, occurrit, tunc neutram esse, & priorem esse naturaliter, & fortè tempore suá veritate.

44. Oppones tertiò. Quod præsignat aliquid fieri, vel fore, penes aliquam certam, aut incertam temporis differentiam, non potest mutari: propositiones autem de obiecto contingente significant aliquid fieri aut fore, aliquo temporis internallo determinato, aut confuso. Igitur huiusmodi propositiones prænominatam mutationem pati nequeunt. Ma. Probatur, quia ex communi Philosophorum adagio, *omne quod est, quando est, necesse est esse*: ergo propositio de præsenti ita est vera, vt nequeat esse falsa: pariter, quod est futurum, vt futurum necessariò est futurum: ergo, propositio de futuro etiam variari non potest: de propositione autem de præterito nemo ambigit, quia præteritum est necessarium. Ob id Philosophus 6. *Eth. cap.* 2. scribit, *hoc solo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt.* Min. induci potest per aliquas propositiones certi momenti temporis, vt Petrus scribit, & Petrus leget cras manè in instanti A. vel B. per dimidiatam horam: aut incerti temporis, & instantis, vt Franciscus hora tertia pomeridiana audiet lectionem momento talis horæ non seruato, quo ille lectioni operam dabit. Nego ma. ad eius probationem distinguo, in sensu composito, & necessitate consequentiæ, concedo: in sensu diuiso, & necessitate consequentis, nego. Hæc autem distinctio depromitur ex Scot. 1. *dist.* 40 *quæst. vn.* §. *Ad istam quæst. B.* & *dist.* 39. §. *Ad* 1. Z. sic ferè soluuntur omnia, quæ ab aduersariis opponuntur, & maximè de futuris contingentibus respectu diuinę præscientię, de quibus latè, & acutè disserit Scot. *dist. proximè alleg per quinque qq.*

45. Oppones quartò. Mutato obiecto, mutatur eius cognitio: ergo non est eadem propositio, si obiectum eius, de quo enuntiatur, mutetur. Ant. patet, quia obiectum, siue species, quæ est eius vicaria concurrit ad notitiam pariendam: ergo, eodem obiecto variato variatur vtique eius cognitio. Negò ant. ad eius probationem distinguo, per se, nego: per accidens, concedo, vt patet ex 2. not. Itaque ad mutationem obiecti, manet eadem cognitio, secundum substantiam, non verò secundum accidentia, hoc est, secundum veritatem, aut falsitatem.

Articvlvs VII.

An Enuntiationes de extremo coniuncto possint esse necessariæ.

46. DVas lego in præsenti art. magnorum Virorum contradicentes opiniones, quarum vna affirmat enuntiationes de extremo coniuncto esse necessarias, & essentiales, ita Alen. S Bon. Rich. Th. 3. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 1. & alij à Conimb. alleg. *quæst.* 6. *c.* 4 *art.* 6. Altera verò negat prærecensitas propositiones esse necessarias, & essentiales, quam tuentur Scot. 3. *dist.* 11. *q.* 3. §. *Hic sunt. B.* & clariùs *dist.* 22. *q.* 1. §. *Sed quid Logicè* Bass. Mayr. *ibid.* & ex Schola Thomistica Capr. *eadem d.* & Sonc. 9. *Met. q.* 5. quibus consentiunt Nominales cum Och. & alij complures.

47. Not. primò. titulum præpositi art. dupliciter possę intelligi, aut de propositionibus, quæ sortiuntur subiecta connexa, cum duobus per accidens vnitis, vt *equus niger est hinnibilis*, & *leo rufus est rugibilis*: aut de enuntiationibus, quæ habent prædicata coniuncta cum duobus per accidens coniunctis, vt *Petrus est homo magnus*, & *paulus est homo paruus.* De posterioribus vix est difficultas, cùm omnes teneant, eas propositiones esse contingentes, propterea quod ea prædicata; cum talibus subiectis contingenter connectuntur. De prioribus itaque tota lis viget inter Dialecticos, sintne propositiones hoc modo sumptæ necessariæ, aut contingentes.

48. Not. 2. ex *Report.* 3. *d.* 22. §. *Sed quid*: ad hoc, quod aliqua propositio sit vera, de aliquo, necesse est, priùs in se sit vera, vt constat ex 5. *Met. T.* 29. & 34. *c. de falso*, vbi habetur, orationem falsam de nullo esse veram, veluti hæc est falsa & impossibilis, *homo est irrationalis*, quia irrationalitas est opposita differentia, per quam brutum constituitur in esse bruti, & distinguitur ab homine, qui constituitur in esse per rationalitatem oppositam irrationalitati, & per eammet distinguitur à Bruto, & ab omni alio, quod non est homo: duobus autem modis esse valet propositio falsa, aut cum ea, de quibus enunciatur, repugnantiam inuoluunt, vt liquet in præaddu cta propositione *homo est irrationalis*: aut quando ea, de quibus perhibetur, actu non coniunguntur, possunt tamen coniuncta existere, vt hæc, *Petrus scribit*, si Petrus actu non scribat, propositio est falsa, licet possit esse vera. Subdit autem Scot. ibi, si nullus homo sit albus, hæc est falsa, *homo albus est homo*, quamuis vera esse queat. Quod autem sit falsa; claret; nam infertur, homo albus est homo: ergo homo est homo albus: si ergo homo albus est homo, ergo homo est albus: at nullo homine existente albo, hæc est falsa, homo est albus, quia dici potest de nullo prioristico. Quare de oratione in se falsa nihil verè dicitur. Vera autem est propositio necessariò, cum prædicatum est de essentia subiecti, vt *homo est rationalis*, aut eius passio, vt *homo est risibilis*, aut realiter cum eo identificatur, vt *risibile est rationale* Contingenter autem est vera, cum actu prædicatum coniungitur cum subiecto; quamuis absque illo esse valeat, vt *homo est albus*, albedine in homine actu existente.

49. Not. 3. ex Doct nuper alleg. & Pelbat *Tom.* 3. *verbo communicat o idiomatum* §. 8. prædicatum respiciens subiectum coniunctum, potest illud isti attribui, aut ratione totius subiecti, vt *animal rationale est risibile* vbi risibile non dicitur de solo animali, secùs de bruto prædicaretur: nec de solo rationali, alioquin anima rationalis à corpore seiuncta foret risibilis: verùm toti subiecto, putà animali rationali accómodatur: aut ratione partis, vt *paries albus disgregat visum*, vbi disgregare attribuitur parieti, ratione albedinis in eo inhærentis duntaxat. Prætereà, obserua Scot *d.* 21. *loci cit.* valde inclinare in eam sententiam, quæ affirmat propositionem per se flagitare subiectum per se vnum, ad hoc vt aliquid per se de eo enuntietur Ratio est, quia de illo, quod per se vnum non est, per se aliquid prædicari nequit, quo pacto, hæc nó est per se, *homo albus est homo*, quia subiectum huius duos conceptus includit, nempe conceptũ humanitatis, & conceptum albedinis. Item, secundum Scot. hæc non est per se, *Christus est homo*, propterea quod Christus duos conceptus includit; idem enim est Christus, ac verbum homo. Cùm ergo propositiones de subiecto cõiũcto nó sint per se, ob rationé præassignatã, perspicuè infertur eas nec essẽtiales, nec necessarias esse.

50. Assertio, enuntiationes de subiecto coniuncto sunt contingentes. Ita Scot. *locis prænarratis*, & 1. *d.* 39. *ante* §. *Sed contra Sub H.* Probatur 1. ex Arist. 7. *Met. cit.* à Doct. *in Rep. præadductis* §. *Ad rationes principales*, vbi legitur. Quod quid est hominis albi non est idem cum homine albo: ratio est, quia si homo albus essentialiter foret idem cum homine albo, homo albus esset idem essentialiter cum homine, quod est falsum, quia albedo non ingreditur essentiam hominis, sequela

patet

patet *ex ſecundo & tertio not.* Secùs non viſitur diſcrimen inter compoſitum per ſe, & compoſitum per accidens. 2. propoſitio neceſſaria, & eſſentialis non reſpicit copulam, ſiue vnionem contingentem: ſed in præfatis propoſitionibus eſt vnio contingens, ex parte ſubiecti coniuncti: ergo ſunt contingentes. Ma. eſt nota *ex ant. art.* & fulcitur canone illo dialectico, tradito à me *in Epit. l.2. q.3. art.2.* Ad falſitatem enuntiationis copulatiuæ ſufficere, ſi alterutra pars eius ſit falſa. Min. elucet, quia albedo per accidens, & contingenter hæret in homine, contingenſque eſt hoc ſubiectum coniunctum homo albus: atque homo albus eſt homo æquiualet copulatiuæ, id eſt homo eſt albus, & eſt homo. 3. vt aliquid eſſentialiter, & neceſſariò prædicetur de aliquo ſubiecto, requiritur, vt rationalis ſubiecti ſit priùs ei eſſentialis, neceſſaris, & vera vt planum feci *in 2. not.* ergo vt prædicatum enuntiationis de ſubiecto coniuncto perhibeatur, de eo ipſo ſubiecto, oportet rationem talis prædicati includi in illo ſubiecto eſſentialiter, & neceſſariò: at ratio prædicati eſſentialiter, & neceſſariò non includitur in ſubiecto coniuncto, vt in adducta propoſitione, *homo albus eſt rationalis*, liquet. Rationale quippè neceſſariò, & eſſentialiter non includitur in albedine, quia per accidens eſt, vt albedo ſit in homine, per quam homo accidentaliter, & contingenter denominatur albus. Etſi enim rationale ſit homini eſſentiale, accidentale tamen ipſi eſt eſſe album, ratione cuius propoſitio appellatur contingens, & accidentaria. Denuò, cuius ſubiecti partes repugnantiam, & impoſſibilitatem ad inuicem inuoluunt propoſitio eſt falſa, & impoſſibilis, vt *homo irrationalis eſt riſibilis*, & cuius ſubiecti partes neceſſariò coniunguntur, propoſitio eſt neceſſaria, vt *homo riſibilis eſt rationalis*; ergo, cuius ſubiecti partes per accidens, & contingenter connectuntur, propoſitio eſt accidentaria, & contingens: ac proindè immerito Carthuſianus 3. *d.*25. *q.*2. putat Scot. ſententiam nec authoritate, nec ratione cõmuniti.

51. Oppones 1. ex Ariſt. 7. *Met. c.* 10. *T.* 33. ſtatua lutea eſt compoſitum accidentale, & ſubditur *ibid.* lutum eſſe de ratione eiuſdemmet ſtatuæ: ergo, ſecundum Ariſtotelem propoſitio de ſubiecto ex duobus per accidens coniunctis eſt eſſentialis. Conf. 1. ipſemet Ariſtoteles huiuſmodi propoſitiones inter enuntiationes ſimplices, & categoricas collocat *l.1. perih. 2.* eſſe neceſſarias, nullus dubitat. Conf. 2. *ex 6. Top. c. 1. loco* 25. ens per accidens eſſentialiter definitur. Igitur nihil obſtat, quin propoſitiones ex ente per accidens conſtatæ, vti ſunt enuntiationes prænominatæ, ſint neceſſariæ, & eſſentiales. Reſp. Ariſt. *eo in loco*, nequaquam velle lutum eſſe de intrinſeca ratione ſtatuæ, quia conceptis verbis tradit, ſtatuam luteam eſſe ens per accidens, ac proindè lutum eſſe rationem eius accidentalem: poſito autem quod ſtatua ſit ex luto, vtique vera eſt propoſitio, *ſtatua eſt lutea*, ſicut poſito, quod homo ſit albus, iſta eſt vera, *homo eſt albus*, tametſi ſit accidentalis, & contingens, vti eſt illa. Idque expreſſit Ariſt. in eodem opere à me alleg. ad probandam præmiſſam aſſertionem, inquiens: *quidquid eſt hominis albi, non eſt idem cum homine albo.* Ad 1. conf. dico eas eſſe ſimplices ex parte prædicati, non autem ex parte ſubiecti, ita exponitur Philoſophus. Ad 2. conf. eum ibi verba facere de definitione latè ſumpta, quæ cum notificatione ſiue deſcriptione coïncidit; nam rectè obſeruat Orbel. 7. *Met. c. 2.* ens per accidens non habet quid, cùm ſit aggregatum ex rebus diuerſorum generum; ideóque frui non valet definitione eſſentiali, & quidditatiua.

52. Opp. 2. nihil magis eſt eſſentiale alicui toti quàm partes ex quibus conflatur: at homo albus eſt aliquod totum compactum ex humanitate, & albedine, tanquam eius partibus. Igitur hæc propoſitio eſt eſſentialis, *homo albus eſt homo.* Reſp. ma. habere locum in toto, & partibus eſſentialibus: non autem in toto accidentali, partibuſque accidentalibus, veluti ſunt naturæ integræ, & perfectæ in ſuo genere; ac proinde vna alteri accidentaliter coniungitur, & propoſitio de eis efformata eſt accidentalis. Præterea, etſi dicta propoſitio vera ſit ratione hominis, non tamen ratione albi, vt aſſerit Doct. *in Rep. cit.* §. *Ad* 2.

53. Opp. 3. quando aliquod abſolutum & eſſe, & intelligi nequit abſque alio, neceſſariò, & eſſentialiter illud aliud includit, vt ex ſe notum eſt: ſed homo albus nec eſſe, nec intelligi valet abſque albedine: ergo neceſſariò, & eſſentialiter in eo includitur albedo: atqueadeò, cum dicitur homo albus eſt homo, eſt enuntiatio neceſſaria. Reſp. ma. poſſe habere duplicem ſenſum: ſi intelligatur abſolutè, ita vt repugnantiam includat, vnum eſſe abſque alio, conceditur: quod ſi intelligatur, ex ſuppoſitione negatur. Ad diſtinctionem ma. diſtinguenda eſt min. abſolutè conceditur: ex ſuppoſitione negatur. Siquidem homo abſque albedine, & albedo ſine homine abſolutè eſſe poteſt; tamen poſita albedine, in eo vt ſic, homo albus neceſſariò, neceſſitate ex ſuppoſitione eſt albus, & hæc neceſſitas ſtat cum contingentia, veluti cum dicitur, *Petrus ſedet*, vt ſedet, neceſſariò ſedet; quia ex Scot. 2. *d.* 30. §. *ſed contra*, poſt Ariſt. 1. *perih. c. vlt.* omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe: ſimpliciter tamen Petrus ſedet contingenter, ita vt poſſit non ſedere, cum ſeſſio per accidens, & contingenter in ipſo inhæreat.

54. Dices, cum Conimb. *ſuprà commemoratis*, huiuſmodi enuntiationem poſſe bifariàm conſiderari, aut in eſſe exiſtentiæ, & ſic eſt propoſitio contingẽs, & accidentalis: aut in eſſe obiectiuo, & poſſibili, & hoc pacto eſt neceſſaria, & eſſentialis. Contra, neceſſitas, & veritas propoſitionis petitur ex neceſſitate, & veritate rerum, de quibus enuntiatur, vt liquet *ex ſuperiori art.* vbi dicebam cum Ariſt. ex eo, quod res eſt, vel non eſt, oratio eſt vera, vel falſa: ſed homo albus, niſi exiſtat, nullam habet neceſſitatem, nec veritatem: quia inter has res, quæ ſub his terminis ſignificantur, nullus intercedit nexus neceſſarius; homo enim eſt ſubſtantia, & albedo eſt accidens, quod realiter à ſubſtantia diſſidet; vt conſtat *in Met. q. de accidente*, ergo nec vlla neceſſitas, nec veritas in eſſe obiectiuo. Ideò namq; propoſitio eſt vera in eſſe obiectiuo, quia habetur de iis quæ ſunt eſſentialia, vel ſaltem inſeparabilia: eſſe autem hominẽ, & eſſe album nec ſunt eſſentialia, nec indiſſolubilia, cum per accidens ſint coniuncta. Igitur tales enuntiationes ſunt contingẽtes. Quod videntur olfacere Conimb *c.8 q vn. a.2. in ſolutione 1. & a.5. in reſponſ. 1. & 2. obiectionis, & propè finem illius art. in dilatione quarta obiectionis.*

55. Opp. 4. propoſitio identica eſt neceſſaria, & eſſentialis: propoſitio autem de ſubiecto ex duobus per accidẽs vnitis eſt identica: ergo eſt neceſſaria, & eſſentialis. Si concedatur ma. neganda eſt min. vt enim ſeribit Doct. *cit.* §. *Ad 1. principale*, nullo homine exiſtente, *homo albus eſt homo*, & falſa propoſitio: quia ratio ſubiecti in ſe falſa eſt, nempè homo albus, ſequitur enim per conuerſionem, homo albus eſt homo: ergo homo eſt homo albus, & vltrà homo eſt homo albus: igitur homo eſt homo, & ita *art 1. ad vltimum*, nullo homine exiſtente, hæc eſt vera, *aliquis homo eſt*, quam nullus Dialecticorum recipit.

ARTICVLVS VIII.

An duarum ſingularium enuntiationum contradictoriarum de futuro contingenti, vna ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa.

56. IN illa perardua, & perobſcura difficultate reniſcor duas extremas, & oppoſitas ex diametro ſententias, quarum priorem defendunt eminentiſſimus Cardinalis Aquenſium Archiepiſcopus 1. *d.*48 *art* 3.

propoſitio

proposit one 1. Cordubensis 61. *quæstionarij*, *q.* 55. *dub.* 2. Catbertinus *opusc. de veritate enuntiationum*. & Raconius 2. *p. de enuntiatione sect.* 4. *q.* 1. *prop.* 1. aientes duarũ enuntiationum singularium cõtradictoriarum de futuro contingente neutrã esse determinate veram, vel falsam. His fauent Fons. 4. *Met. in explanatione c.* 7. Bonet. 5. *Met. c.* 2. & alij à Recentioribus alleg. Posteriorem amplexantur Doctor subtilis 1. *d.* 39. §. *viso N.* & §. *Ad argumenta principalia*, & *in Rep. eadem d. q.* 2. & *Quol.* 14. §. *Hic* 5. & *T.* Gadius *ibid. fol.* 149. *colum.* 4. Tatar. 1. *periher. q. vlt.* Alens. 1. *p. q.* 15. *m* 7. S. Bon. 1. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 3. Och. *q.* 1. *Ad principale*, Rich. *q.* 5. *art.* 1. Trombet. *Opusc. de præscientia contingentium*, & Moderni complures, docentes ex duabus propositionibus singularibus contradictoriis de futuro contingenti, alteram esse determinatè veram; alteram verò determinate falsam.

57. Not. 1. ex Scot. 1. *d* 3. *q.* 4. §. *De tertiis*, *G* & 2. *d.* 7. *q. vn.* §. *contra*, *d.* & Maiore 1. *Post. fol.* 61. §. *Quartò arguitur*, duplex esse agens, naturale, & liberum. Agens naturale est, quod positis omnibus requisitis ad agendum non potest non agere, vt ignis debitè approximatus materiæ combustibili, & non impeditus non potest non comburere talem materiam combustibilem sibi proximam. Agens verò liberum, datis omnibus necessariis ad agendum, ita dominatur actui suo, & modo agendi, vt in eius potestate sit agere, vel non agere. Itemque agere intensè, aut remissè, hoc est maiore, aut minore conatu: sic agit voluntas, quæ est domina suorum actuum, libera ad oppositos actus, obiecta, & effectus, vt subtiliter prosequitur Scot 1. *d.* 39. §. *Quantum ad* 1. *E.* Contingens autem ad vtrumlibet, de quo nunc est sermo, respicit causam liberam; & necessarium, siue naturale respicit causam necessariam, seu naturalem. Itaque cùm causa libera sit indifferens, & indeterminata ad vtramque partem, & ad alterutram declinare valeat, ipsa se determinans ad vnam partem, liberè, & contingenter elicit actum, & per eum tendit liberè in obiectum, paritérque liberè producit effectum, quem voluerit producere. Stat autem voluntatem ad vnum se determinare, posséque oppositum eius velle in eodem instanti, & in hoc maximè elucet libertas; cum enim v. g. scribit, habet potentiam non scribendi eodem tempore, & momento, quo ipse scribit. Vide quæ dixi *in phys. l. de caussis q.* 3. *Tract. de scientia Dei disp.* 3. & *Tract. de voluntate Dei disp* 3.

58. Not. 2. ex eodem Doct. *proximè alleg.* §. *Ad argumenta principalia*, *P.* adesse discrimen inter determinatam veritatem enuntiationum de præterito, & præsenti, ac determinatam veritatem de futuro. Siquidem *ex* 4. *d.* 45. *q.* 3. § *Circa istam*, *sub B.* præteritum plus habet de veritate, quam futuram, quia veritas futurorum est contingens, præteritorum verò necessaria, teste Arist. 6. *Eth. c.* 2. deindè *ex* 2. *d.* 5. *q.* 2. §. *Respondeo primo*, *C.* propositio de præsenti est magis determinata quam enuntiatio de futuro; ideò Philosophus 1. *periher. c.* 7. admittit in propositionibus de præsenti determinatam veritatem, non autem in propositionibus de futuro. *Et in Report.* 1. *d.* 38. *q.* 2. §. *Ad* 1. *principale*, non est similis veritas in futuris, sicut in præterito, & præsenti, quia quòd est præsens, vel præteritum, sic est determinatum vt non sit in potestate eius oppositum. Ea quippè est veritas certa, & determinata in præteritis, & præsentibus, vt falsitas ei subesse nequeat, vt *Christus natus est.* Ratio est, quia quod semel positum est extra suas causas, non ampliùs est in potestate agentis illud ponendi, vel non ponendi. Verùm quidem est, causam liberam suaptè natura esse priorem suo effectu, & vt sic posse producere suum effectum, vel non producere; attamen, vt positus est in esse effectus, & productus, non potest ipsum non produxisse. In enuntiationibus autem de futuro, talis est veritas determinata, penès vnam partem, vt in eis possit esse falsitas, quia in potestate causæ est, pro eo instanti, ponendi & efficiendi oppositum: & hæc indifferentia, & indeterminatio causæ liberæ valet ad consiliandum, & negotiandum. Quare optimè notant Trombet. & Tatar cum cæteris, Scotist. prænominatam propositionem de futuro bifariam perhiberi posse determinatè veram, nimirum determinatione de inesse, & determinatione de possibili. Illa autem enuntiatio de futuro est determinatè vera determinatione de inesse, quæ designat rem fore, vt futura est: atque propositio determinatè vera determinatione de possibili, quæ rem denotat ita fore, vt oppositum eius accidere nequeat, qualis non est enuntiatio de futuro contingenti, quia hæc sic est vera, vt possit esse falsa in eomet instanti, quo est vera. Vnde determinatio de possibili tantùm adaptatur propositionibus necessariis, & essentialibus. Quod vt distinctius, & profundius percipiatur, & facilius Aduersariorum argumenta dissoluantur.

59. Not. 3. ex eisdem Authoribus præalleg. indeterminationem agentis liberi esse duplicem oppositam duplici determinationi, videlicet indeterminationem de inesse, & indeterminationem de possibili, & vtramque pariter esse duplicatam penès causam, & effectum. Indeterminatio de inesse ex parte causæ est, qua causa est indeterminata ad agendum, vel non agendum: indeterminatio de possibili est, qua causa est indeterminata ad posse agere, vel non posse agere. Indeterminatio de inesse ex parte effectus est, qua effectus est indeterminatus ad produci, vel non produci: vt indeterminatio de possibili ex parte effectus est, qua effectus est indeterminatus ad posse produci. Vna autem ex prælibatis indeterminationibus, & determinationibus vocatur de inesse, quia extrema sunt de inesse: & altera nuncupatur de possibili, proptetea quod extrema sunt de possibili. Vt autem indeterminatio ex duobus capitibus oriri potest, videlicet ex indeterminatione causæ, & effectus: ita etiam determinatio ex duplici capite euenire potest, & ex parte causæ, & ex parte effectus, benè verò cohæret indeterminatio de possibili, cum determinatione de inesse, vt *in fine* 1. *not. monebam.*

60. Not. 4. aliquid necessariò euenire dupliciter, aut necessitate simpliciter, & absoluta, seu necessitate consequentis, qua aliter accidere nequit, sic necessariò stellæ fulgent, luna splendet, & sol illuminat: aut necessitate secundum quid, & ex suppositione, seu necessitate consequentiæ, qua aliquid est, potest tamen esse: ex suppositione autem, quod sit, necessariò est, hac necessitate consequentiæ, vt *Petrus sedens potest non sedere*, posita verò hypothesi, quòd sedeat, necessariò sedet, necessitate ex suppositione. Prima necessitas tollit libertatem, & rerum contingentiam: secunda verò rectè cum libertate, & contingenti rerum euentu cohæret; ita cum immutabilitate, & infallibilitate diuinæ scientiæ stant futura contingentia, vt latè prosequutus sum *Tract. de scientia Dei disp.* 3. *q.* 5. Deus quippè prænoscit futura contingentia, eo modo quo sunt futura: cum autem contingenter sint futura, quia possint aliter euenire, consequenter ea ita præscit, quoniam verò sic erunt, vt præscit, & ita præscit, vt erunt: idcircò eius scientia dicitur infallibilis, & immutabilis, eaque euenire necessariò necessitate consequentiæ, perhibente Scot. *cit.* § *sed contra I.* & §. *Ad* 1. *pro* 3. *opinione Z.* & *quol.* 16. §. *De primo. sub H.* quæ non tollit contingentiam, & libertatem causæ liberæ. Quapropter licet Deus præuideat omnia futura contingentia, iuxta illud Hebreorum 4. *omnia sunt nuda, & aperta oculis eius*: nihilominus eius præuisio vim libero arbitrio non infert, quia est ipsi extrinseca: verùm potiùs indicatur præstantia, & eminentia scientiæ Dei, quæ omnia quæcumque illa sint perscrutatur; etiam profunda abyssi. Idque exemplo manifestatur, quemadmodum enim peritissimus medicus, febre maligna ægrotantem præscit moriturum, non est causa eius mortis, nec vim vllam ei infert. Pariter Deus præuidens v. g. Antichristum moriturum

citurum finaliter in peccato mortali, eius præſcientia non eſt cauſa eius æternæ mortis: ſed eius peccatum mortale finale, veluti medici pronoſticum non cogit febricitantem e vita migrare, ſed febris maligna mortem ei affert.

61. Aſſertio. duarum enuntiationum ſingularium contradictoriarum de futuro contingenti, altera eſt determinatè vera, altera eſt determinatè falſa. Ita Scot. *locis præmemoratis*, cui maior Philoſophorum, & Theologorum pars adſtipulatur. Probatur primò, propoſitiones Prophetarum & articulorum fidei Orthodoxæ ita ſunt veræ, vt eis ſubeſſe falſum non poſſit: huiuſmodi autem propoſitiones ſunt de futuro contingenti. Igitur de futuro contingenti datur determinata veritas, aut falſitas. Maior eſt fundamētum præcipuum Chriſtianæ Religionis. Min. inducitur per quaſdam propoſitiones, præſertim per ſubſequētes. *Eſa. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Hęc cum ab Eſaia prolata fuit, erat de futuro contingenti determinatè vera, ita vt eius oppoſita. Ecce virgo non concipiet, fuerit determinatè falſa. Item, illæ Chriſti Domini Mat. 26. *Antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Et ibid. *Qui intingit manum mecum in paropſide, hic me tradet. Luc. 19.* excidium futurum Ciuitatis Ieruſalem. Mat. 24. *Carnis reſurrectio, & dies iudicij futurus.* Tales autem, & conſimiles propoſitiones ſunt de futuro contingenti, determinatè veræ, & eis oppoſitæ ſunt determinatè falſæ. Eò magis, quia ſi præallatæ propoſitiones non forent determinatè veræ, nullum interueniret diſcrimen inter veros Prophetas, & pſeudoprophetas, quia nemo eorum foret mendax, aut verax: at in ſacris paginis coarguuntur falſi prophetæ, & veri Prophetæ laudibus euehuntur, vt Ezech. 13. legitur de falſis prophetis. *Vident vana, & diuinant mendacium dicentes, ait Dominus, cum Dominus non miſerit eos, & perſeuerauerunt confirmare ſermonem* Deut. 18. *Hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit.* Et Mat. 24. *ſi ergo dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus eſt, nolite credere.* Igitur enuntiationes ſingulares contradictoriæ de futuro contingenti ſunt determinatè veræ, aut determinatè falſæ. Secundò, omnia quæ ſciuntur à Deo, ſunt determinatè vera: ſcientia quippe eſt verorum *ex primo Poſt. c. 24. T. 44.* futura autem contingentia ſciuntur à Deo, iuxtà illud Pſal. 138. *Intellexiſti omnes cogitationes meas de longè, & omnes vias meas prævidiſti.* Sap. 8 *Qui ſcit præterita, & de futuris æſtimat, ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum*, &c. Eccl. 23. *Antequam crearentur omnia ſunt agnita, & poſt factum reſpicit omnia.* Quem locum adducens, & expendens S. Aug. 15. *Trin. cap. 13.* ait. *Nouit Deus, quid nobis neceſſarium ſit, priuſquam petamus ab eo. nec iſta ex aliquo tempore cognouit, ſed futura omnia temporalia, antequam in eis, & quid, & quando ab eo petituri fuerimus, & quos, & de quibus exauditurus, vel non exauditurus eſſet, ſine initio, antè præſciuit.* Tertia illa propoſitio eſt vera, quæ conformatur ſuo obiecto, ideſt quæ enunciat id eſſe, quod eſt, & fore, quod erit: & è regione iſta eſt propoſitio falſa, quæ enunciat id eſſe, quod non eſt, & fore, quod non erit: atqui vna ex propoſitionibus ſingularibus contradictoriis de futuro contingenti enunciat fore, quod erit, ſi eſt affirmatiua: vel non fore, quod non erit, ſi eſt negatiua: ergo ex prænominatis propoſitionibus altera eſt determinatè vera, altera determinatè falſa. Ma. eſt Philoſophi 1. *Perih. cap. 4.* Et corroborari poteſt definitione veritatis, quæ eſt conformitas intellectus cum obiecto. Min. probatur, hæc propoſitio nudiuſtertius à me prolata eſt determinatè vera, *perendiè ſcribam*, quia enunciauit fore quod nunc eſt, quia verè nunc ſcribo. Eò vel maximè, quia veritas, aut falſitas propoſitionis non decerpitur penes exiſtentiam rei actualem, ſecùs propoſitio de præterito non eſſet vera, quia non habetur de obiecto exiſtente: nec etiam Deus verè, & determinatè res cognoſceret, niſi exiſterent, quod pugnat locis Scripturæ præallatis in prima ratione Atque iure optimo Theologi ferè omnes de medio tollunt coëxiſtentiam æternam rerum cum ęternitate Dei, quam Caiet. 1. *part. quæſt. 14. art. 13.* teſte Lyeb. & alij pauci in Scholas inuehere conantur. Quartò, vbi eſt vera contradictio, ibi nullum eſt medium, ex Ariſtotele 4. *Met. cap. 5. T 27.* & Scot. 1. *diſtinct. 2. q. 1. ante §. oſtendo ſub T.* & ego palam feci *lib. antecedente quæſt. 9. art. 7.* Inter autem propoſitiones ſingulares de futuro contingenti extat vera contradictio, vt *Franciſcus ſcribet, aut non ſcribet*: ergo, ſicut ratione contradictionis, in propoſitione de præſenti eſt determinata veritas, aut falſitas, *Petrus ſedet, aut Petrus non ſedet*; atque in propoſitione de præterito, *Petrus ſcripſit, aut Petrus non ſcripſit*, pariter extat determinata veritas, vel falſitas, ita aſſeruendum eſt in propoſitionibus de futuro contingenti. Demùm, inter eſt, & non eſt, non interuenit medium iuxta primum principium, *quodlibet eſt, vel non eſt*: ergo inter erit, & non erit, non interponitur medium.

62. Oppones primò, futurum contingens ſuaptè natura eſt indifferens, & indeterminatum ad eſſe, vel non eſſe: ergo enuntiatio de futuro contingenti efformata, non eſt determinatè vera, aut falſa. Conſequentia tenet, quia veritas propoſitionis præſupponit veritatem rei, vt *ad finem cap. de ſubſtantia* ſcribit Ariſtoteles, & 10. *Met. T. 5.* Ant. eſt probatu facile, tum ex deſcriptione futuri contingentis, tum etiam ex eius cauſa, quæ eſt indeterminata ad illud producendum, aut non producendum: cum ergo futurum contingens nec in ſe ſit determinatum, quia nondum eſt, nec in ſua cauſa, quia nondum ſe determinauit, nec ſe determinat ad agendum, apertè deducitur, de eo nullam eſſe certam notitiam, & veritatem. Reſpond. per diſtinctionem antecedentis, futurum contingens eſt indeterminatum, indeterminatione de poſſibili, concedo: eſt indeterminatum, indeterminatione de ineſſe, nego. Hæc diſtinctio non indiget maiore explicatione, quàm ea quam ſuprà attuli not. 3.

63. Oppones ſecundò, ſicut res ſe habet ad entitatem, ita ad veritatem *ex 2. Met. cap. 1. T. 4.* & Scot. *ibidem in textus expoſitione*: ſed futurum contingens nullam habet entitatem, quia nondum à ſua cauſa eſt productum, ſed ſolùm futurum eſt, vt ab ea producatur. Igitur futurum contingens nullam ſortitur determinatam veritatem. Conceſſa ma. diſtinguenda eſt min. in eſſe exiſtentiæ actualis, concedo: in eſſe obiectiuo, nego. Ita reſpondet Doctor illuminatus Franciſcus de Mayronis, & ante eum Doctor ſubtilis *quæſt. 8. primi Perih §. Ad aliam quæſt. verſ. Ad 3* vbi interpretatur proloquium Ariſtotelis adductum in ma. videlicet, *quod ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad veritatem*; oportet enim ad veritatem talis propoſitionis, eſſe vnionem in re talem, qualis ſignificatur in ſermone. Natura autem ſignificata per hoc, quod *eſt Cæſar*, eſt ens per intellectum, alioquin intellectus de eo non faceret compoſitionem, & ſic eſt compoſitio exiſtentia apud intellectum, cum ſeipſo, & talis compoſitio ſufficit ad veritatem, vbi res non eſt exiſtens, vt patet in iſtis, *chymera eſt chymera. non ens. eſt non ens.* Præſertim quia Deus certò prænouit futura contingentia in eſſe obiectiuo, ex determinatione ſuæ voluntatis, vt tradunt Scot. 1. *diſtinct. 39. §. Viſo O.* Lych. Vigerius, & alij *ibidem*.

64. Opp. 3. ſi futura contingentia forent determinatè vera, aut falſa, cognoſcerentur ab aliquo intellectu: à nullo autem intellectu cognoſcuntur: ergo haud ſunt determinatè vera. Ma. eſt Scot. 4. *diſt. 10. quæſt. 8. ante §. Ad argumenta ſub N.* dicentis, quod habet determinatam veritatem, pollere determinata cognoſcibilitate, in quouis intellectu totum ens ſpeculante. Min oſtenditur, non enim ſcitur ab intellectu creato, qui non va-

let perscrutari, quid facturum, aut non facturum sit liberum arbitrium, nisi fortè coniecturaliter, vt tangit Doct. 4. *dist.* 45. *quaest.* 3. §. *Circa istam ante B.* Nec ab intellectu increato: *Esa* 38. Deus prædixit mortem Ezechię. & *Ionæ* 3 exitium Niniuitarum, & tamen non euenit. Ergo determinatè non nouerat. Conf. si Deus ea certò prænosceret ab æterno eadem præcognouisset, cum eius scientia sit æterna, immutabilis, & inaugmentabilis; quod autem est ab æterno, est necessarium, & infallibile, ac proinde non esset vllum futurum contingens, vt putabant Stoïci. Concessa ma. & prima parte min. videlicet intellectum creatum non posse determinatè cognoscere futurum contingens, dum est in sua causa, vt aduertit Doct. *in* 4. *mox cit.* Etsi hoc non nouit intellectus creatus, tribuendum est eius imbecillitati, & infirmitati: neganda est secunda pars min. ad eius probationem dico, eam locutionem fuisse comminatoriam, aut conditionalem, hoc est ea euentura fuisse, nisi per pœnitentiam se emendarent: quoniam verò pœnitentiam egerunt, & quidem ille flendo; versus enim ad parietem fleuit, & isti ieiunando, & humiliando se, in prædicatione Ionæ, vt testatur Christus Dominus *Matt.* 12. Propterea veniam à Deo impetrarunt, nihilque eorum, quæ prænunciata fuerunt eis, acciderunt: veluti *Act* 8 Simon magus precabatur Apostolos, vt ipsorum orationibus nihil veniret super eum horum, quæ ipsimet dixerant. Ad conf. dico, solùm probare futurum contingens relatum ad diuinam præscientiam esse necessarium necessitate consequentiæ, quæ optimè cohæret cum rerum contingentia, & libero arbitrio: non verò necessitate consequentis, quæ adimit creatam libertatem, & tollit contingentes effectus, vt *in* 4. *not.* *obseruaui.*

65. Opp 4 si foret determinata veritas de futuro contingenti, cum ipsum possit non esse, & oppositum eius contingere, vt eius nomenclatura, eiusque descriptio 1. *Priorum cap.* 4. designat, vtique ei subesse potest determinata falsitas: sed possibili posito in esse, nullum sequitur possibile. Igitur si ponatur eius oppositum, quod à Deo præscitum fuerat, ipse Deus falleretur, quia res accideret aliter, quam fuerit ab ipsomet præcognita. Deum autem falli non posse, constans est veritas, quam nemo iure negare potest. Respond. cum determinatione de inesse stare indeterminationem de possibili: ideóque damus oppositum quidem posse euenire, non tamen eueniet, & si euenisset, à Deo fuisset præscitum; propterea Deus falli non potest, quia falli est opinari rem aliter fore quàm futura sit, pro tunc, pro quando creditur esse. Deus autem ita præscit rem futuram, vt futura erit, & quoque prænouit rem posse aliter euenire, non tamen aliter eueniet v. g. Deus præuidit me hodie scripturum, & pro hoc tempore, sicut re vera nunc scribo, & posse pro nunc non scribere, non tamen pro nunc id euenire, vt scilicet nunc scriptis non dem operam, vt latè explicat, & egregiè prosequitur Doct. *in primo alleg.* §. *Ad* 1. 2. *quaest. sub Q. & distinct.* 40. *quaest. vn. in solutione* 2. *infrà D. & in Report. eadem dist. quaest.* 1. *propè finem,* vbi subiungit esse fallaciam consequentis: idem sentit Doctor resolutus Ioannes Bacco *ibid* Ad illud, quod adiicit, possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile, occurrit Scot, *vbi suprà*, quidem ex positione in esse absolutè, non sequitur impossibile: at ex positione cum alia propositione de inesse stante, sequitur impossibile, quia supponitur eius oppositum conseruari in esse v. g. possum scribere cras, posito, quod cras scribam, nullum habetur impossibile: verùm si iungatur alteri, nempè possum non scribere, sequitur impossibile, quia pro eodem instanti fieri non potest, vt scribam, & non scribam: sic data hypothesi quod Deus præuiderit me scripturũ, pro hoc instanti quidem scribo, possum tamen non scribere: posito autem, quod nunc scribam, in sensu composito non possum non scribere, benè tamen in sensu diuiso. Quare licet aliquid simpliciter non repugnet ex se; nihilominùs ex alterius positione potest repugnare. Quo in sensu futurum contingens potest non euenire; posita tamen præscientia Dei, qua præsciuit ipsum futurum, vt futurum est, implicat ipsum non esse futurum, quia Deus res præuidet in esse obiectiuo ex determinatione suæ voluntatis, eo modo, & tempore, quo sunt futuræ; & si futuræ non sunt, eas non præuidet, vt futuras, sed vt possibiles, neq; determinatæ sunt a diuina voluntate, quæ est radix omnium futurorum, vt cum Doctore, & Scotistis scribit Lych. *locu prænominatu.*

66. Opp 5. si futurum contingens esset determinatè verum, non oporteret consiliari, nec negotiari, vt arguit Aristoteles *in fine primi Perib* sublatis autem consiliis, & negotiis, tollitur humana libertas: meritum, aut demeritum; laus aut vituperium, quod est hæreticum, & absurdum. Non ergo futurum contingens est determinatum. Sequela ma. probatur; si enim res sunt iam determinatæ ad fore, vel non fore, nulla est humana sollicitudo. Nam siue homo consilietur, & negocietur, siue non, huiusmodi res erunt aut non erunt, quia iam sunt determinatæ ab omni ęternitate ad fore, vel non fore, & à Deo qui decipi non potest, ab æterno sic futuræ pro tali tempore præuisæ sunt. Nego sequelam ma. ad eius probationẽ dico, etsi res futuræ sint determinatæ determinatione de inesse, sunt tamen indeterminatæ, indeterminatione de possibili, sicque saluatur humana libertas, & manet indifferẽtia rerum contingentium, valentque consilia, & negotia; quandoquidem etsi agentia libera sint determinata ad agendum; potiuntur tamen potentia non agendi, siue oppositum faciendi: veluti qui actu scribit, habet potentiam non scribendi. Ideóque manet liber ad actus suos promendos, operaque sua exercenda, vt præclarè docent Scot. *præcit.* §. *Ad argum. principalia P.* Tatar. tum ibi, tum etiam *in Log.* 1. *Perib. quaest. vlt.* Quid verò de his senserit Arist. digladiantur Scholastici, quorum iurgiis omissis, fortassè dici potest, quando Arist. *loco alleg.* astruit futura contingentia ad vtrumlibet esse indeterminata, ipsum loqui de indeterminatione de possibili; non autem de indeterminatione de inesse. Hæc expositio videtur Doct. *cit.* cum ait. Ista indeterminatio (seu de possibili) sufficit ad consiliandum, & negotiandum. Si autem neutra pars esset futura: non oporteret consiliari, vel negotiari; ergo, quod altera pars sit futura: dum tamen reliqua possit euenire, non prohibet consiliationem, & negotiationem. Verùm si Philosophus hunc sensum non patiatur, velitque prorsùs contingentia futura esse indeterminata, vt planè videtur opinari eo in loco, & eum sic exponit Antonius Andreas *ibidem*, & anteà indicauit Scot. *in Reportat. præadductis* §. *Ad rationem Philosophi*; in hoc, & in aliis quibusdam, præsertim in opificio mundi ab æterno statuto, vt videre licet 8. *Phys. cap.* 1. & 1. *Cæli T* 102. ei non est adhærendum, sed potiùs Authoribus oppositæ sententiæ, quæ hoc tempore est communis.

LIBER

LIBER QVINTVS.

De Syllogiſmo.

Restat in hoc poſtremo libro agere de Syllogiſmo, quem Ariſtotelis eſſe ſcopum, eiuſque Logicæ obiectum, præmonui *in Præfatione Epitomes*, & aſſerui *lib. 1. quæſt. 3. art. 7.* Cum enim præmiſerim libros Prædicabilium, & Prædicamentorum, in quibus edocui terminos ſimplices, & incomplexos, qui ſunt partes remotæ Syllogiſmi: atq; in proximo libro perluſtrauerim enuntiationē, quæ eſt eius pars proxima, vt decidit Doct. 1. *Priorum quæſt. 2. §. Quantum ad 3. not.* Nunc non abs re Syllogiſmum ex prænarratis conflatum aggredior examinandum. Ordo quippè naturæ poſtulat, vt peruestigatis partibus, poſtmodum totum, ex quibus coaleſcit, perquiratur: quod non impigrè peregiſſe Stagiritam 1. *Phyſ.* aliiſque locis *in præludio libri primi Epit.* obſeruaui.

QVÆSTIO I.

De Syllogiſmo in communi.

ARTICVLVS I.

An Syllogiſmus ſit ſubiectum librorum Priorum Ariſtotelis.

1. Istud dubium *lib. 1 quæſt. 1. art. 7.* ferè à me deciſum eſſe videtur; tamen hoc loco ex inſtituto exponendum eſſe iudicaui, tum quia hic eſt proprius eius locus: tum etiam quia de ipſo concors non eſt Dialecticorum opinio, vt licet intueri apud Conimbr. & Ruuium in procemio. Marſilius namque argumentationem, Auer. cum Alex. demonſtrationem. Scot. verò 1. *Priorum quæſt. 2.* Tatar. *ibid. quæſt. 1. dub. 1.* & alij communiter ſyllogiſmum faciunt huius operis ſubiectum attributionis.

2. Not. 1. ex Ariſt. Interpretibus, quatuor hos libros, quos diſcutiendos præ manibus habemus, deque his quinque prænominatas qq. proponimus decidendas, appellari latinè reſolutorios, & græcè analyticos. Et quidem duo primi inſcribuntur ab Ariſt. & eius expoſitoribus ἀναλυτικῶν προτέρων, ſiue priorum analyticorum: duo autem poſtremi ἀναλυτικῶν ὑστέρων, ſiue poſteriorum analyticorum, vt notant Zabarel. *in comm. 1. poſt.* Maior *ibid.* & Conimbr. poſt Galenum ab ipſis cit. Cur autem hi libri analytici, id eſt reſolutorij inſcribantur, cauſa redditur, quia in iſtis traditur norma, & modus reſoluendi concluſiones in ſua principia. Quoniam verò, vt aiunt Scot. *præcit.* & Maior *Tract. de ſyllog.* bifariàm concluſio reſolui poteſt in ſua principia, videlicet ſecundum formam, & ſecundum materiam: idcircò Ariſtoteles vtriuſque modi reſoluendi regulas, & præcepta præbet, cum quidem primum reſoluendi modum, in lib. Priorum; ſecundum verò in lib. Poſteriorum adducit. Cum autem reſolutio concluſionis, in ſua principia penes formam ſit in præmiſſas propoſitiones debitè diſpoſitas, in modo, & figura, *vt explicui in Epitome libro 3. articulo 5. quæſtione 1.* Ideò ab hac reſolutione vocati ſunt libri priores reſolutorij. Et quia reſolutio penes materiam concluſionis in ſua principia petitur, ex neceſſaria connexione extremorum cum medio termino ad inferendam concluſionem: proptereà cæteri libri nuncupantur poſteriores reſolutorij. Quare autem illi Priores, & illi Poſteriores nominantur, Ratio non ſpernenda aſſertur, quia ſermo de ſyllogiſmo generatim ſumpto præire debet diſcurſum de ſyllogiſmo particulatim accepto; veluti tractatus de genere præcedit tractatum de ſpecie, & vniuersè communiora minus communibus ſunt præmittenda, vt non ſemel in ſuperioribus præmonui, & notat Maior in explanatione librorum primi Poſt. Vnde quia in eis de ſyllogiſmo in genere, & in his de ſyllogiſmo in ſpecie, qui eſt demonſtratio agitur, primum de ſyllogiſmo, & poſtmodum de reliquis diſceptare conſtitui.

3. Not. ſecundò, ex Doct. 1. *Priorum. quæſt. 6. §. Reſpondetur*, & Tatar. cit. *dub. 2.* duo in ſyllogiſmo reperiri; quorum nonnulla nuncupantur principia formalia ſyllogiſmi, puta modus, & figura ex quibus veluti forma in eſſe formali conſtituitur ſyllogiſmus. Quemadmodum enim, anima eſt forma corporis animati, ita præfata videntur eſſe forma ſyllogiſmi: aut ſi mauis, eſſe differentiam eſſentialem eius, veluti rationalitas eſt differentia eſſentialis, & quidditatiua hominis: quædam verò appellantur principia materialia, cuiuſmodi ſunt propoſitiones, ex quibus veluti ex materia componitur ſyllogiſmus. Atque ex his tanquam ex materia, & forma totus ſyllogiſmus conflatur.

4. Aſſertio, ſyllogiſmus penes ſuam rationem formalem genericam, ſiue vt loquitur Scot. quantum ad proprietates communes ſe tenentes ex parte neceſſitatis illationis decernitur obiectum lib. Priorum Ariſt. Ita Scot cit. § *Quantum ad 3 verſ. ſi autem fiat conſideratio.* Probatur primò ex Ariſt. *hoc loco cap. 4.* vbi proponit ſe prius acturum de ratiocinatione: deinde de demonſtratione, cuius rationem reddit, quia ratiocinatio eſt communior, & latior demonſtratione. Siquidem demonſtratio eſt quidem ratiocinatio; non tamen omnis ratiocinatio eſt demonſtratio; nam ſyllogiſmus topicus eſt planè ratiocinatio, non autem demonſtratio, vt apud omnes eſt in confeſſo atque ratiocinatio coïncidit cum ſyllogiſmo, vt patet ex . *cap. huius lib.* Ergo, cùm per Ariſtotelem in hiſce libris tractetur de ratiocinatione tanquam materia circà quam, conſequenter ratiocinatio eſt eorum obiectum. Secundò cuius definitio, partes, & proprietates expenduntur, eſt eius operis obiectum, vt liquet ex conditionibus præexactis, ad ſubiectum à me traditis, & explanatis *lib. 1. quæſt. 1.* Syllogiſmi autem definitio, partes, & proprietates pertinentes ad neceſſitatem illationis in hoc opere conſiderantur, vt patet legenti. Igitur, ſyllogiſmus, penes formam genericam aptè collocatur iſtorum lib. ſubiectum.

5. Oppones 1. in animo Ariſt. eſt *in initio 1. Priorum*

agere de demonstratione, deque scientia demonstrandi, ergo secundum mentem Arist. obiectum horum librorum est demonstratio. Resp Arist. eo loco propositum esse, agere de demonstratione, non quidem in hoc opere, sed in proximè sequenti, hoc est in opere posterioristico, ut idem Philosophus aperte indicat *c. 4. huius lib.* vbi conceptis verbis sancit se discursurum priùs de ratiocinatione, & posteà de demonstratione, quæ inter cæteras argumentationes primum tenet locum; huiusque causam insinuat *ibid* quia cognitio superioris inseruit, cognitioni inferioris.

6. Opp. 2 subiectum scientiæ non transcendit limites scientiæ, cuius est obiectum, ut constat ex dictis *l. 1. q. 3. ar* 1. Syllogismus autem transilit notitiā huius operis prioristici; stabilitur quippè à Doctore totius Logicę subiectū primum, & adęquatū, ut patet ex eius 3 *q. universalium.* Ergo syllogismus non est subiectum horum librorum. Concedo ma. distinguo min. penes omnes eius partes, & proprietates, concedo: penes formam, siue necessitatem inferendi, nego. Sic enim tantum consideratur, tanquam subiectum præsentis operis. Ad id, ex Scot. satisfeci loco nunc *alleg. art. 7. oppositione 3.*

7. Opp. 3. Scot nunc cit. remouet argumentationem, à subiecto Dialecticæ, ibique statuit syllogismum, cuius vestigiis inhærens ego quoque præstiti *vbi suprà assert.* 1. Verùm 1. *Priorum q* 2. in relatione partium omnium Log. eiusque totalis obiecti, idem Doct. astruit obiectum operæ prioristicæ esse argumentationem, quantum ad eius proprietates generales pertinentes, ad necessariam illationem. Ergo aut Scot. sibi contradicit, aut syllogismus horum lib non est subiectum. Resp. Scotum in dicto *lib. Priorum* sumere argumentationem, prout coïncidit cum syllogismo, aduertentibus Scotistis, qui arbitrantur eius operis subiectum esse syllogismum; cum tamen ibi Doct. asseruerit *ad finem eius quæst* esse argumentationem: quod clarè colligitur ex eodem, qui *ibidem ante* §. *Ad* 2. *not.* ait, oppositum arguitur per communiter exponentes istum lib. qui ponunt, quod syllogismus est subiectum huius. *At quæst.* 3 *univers.* amplè accipit argumentationem, prout à syllogismo distinguitur, sicque ibi nuluit astruere argumentationem esse obiectum Logicæ traditæ ab Aristotele, propter rationes ab ipso adductas eo in loco, & à me receptas.

ARTICVLVS II.

Quid sit syllogismus.

8. QVamquā iam ferè pateat definitio syllogismi à me allata, & explanata, quoad omnes eius voculas *in Epit. lib. 3. q. art.* 3. attamen nunc solerti examine, & impigra indagine præfatam definitionem, eiusque oppositiones potissimùm cum Scot. *lib. 1. Priorum q. 5.* perscrutari libet. Ad huius autem faciliorem captum memoriæ repetenda sunt, quæ docui *in prænominata Epit. lib. 2. quæst 7. art. 2.* de definitione, eiusque conditionibus necessariis, necnon, quæ notat Scot *quæst. alleg. præsertim* §. *Quantum ad* 1. *not.* videlicet definitionem esse duplicem, vnam quidditatiuam simpliciter, quæ soli substantiæ compositæ adaptatur, secundum Arist. 7. *Met. T.* 15. Alteram per additamentum, sic definitio accidentis, quæ nedum ipsius accidentis essentiam, verumetiam subiectum, in quo inhæret, exprimit. Addi potest tertia, putà descriptiua, quam Doct. *ibid.* videtur vocare definitionem quid nominis, eamque variis effici modis ostendi *loco præcit. in Epit.* Rursùs ad hoc declarandum iuuat distinctio in 2. not. præcedentis art. adducta in partes syllogismi formales, & materiales, tam proximas, quam remotas, ex quibus totus conficitur syllogismus. Vnde constat sic syllogismum non esse quid simplex, & incomplexum: sed quid complexum, & ex pluribus apte dispositis coagmentatum. Licet autem syllogismus materialiter loquendo plura includat, tamen propriam essentiam, & vnitatem sortitur, formaliter, qua etiam potitur quodlibet ens rationis logicum, siue seconda intentio logica. Nam vt acutissime obseruat Scot. 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. §. *Ad* 1 *arg.* O quantumcumque diuersa possunt concurrere in fundamento vnius relationis rationis Necesse enim est, multa concipiantur quasi vnum, in ordine ad aliquod signatum. Hoc ita patet, quia huius relationis vnius, quæ est signare bonum mustum, bene potest esse fundamentum totum istud, seu circulus coopertus foliis hæderæ in cruce positus, &c. Nec omittendum est discrimen, quod Scot. cit. & clarius 1. *Priorum quæst.* 16. §. *Secundo not.* & tergi *in Epit. lib* 3. *quæst* 1. *art.* 2. & alij vulgò asserunt, inter consequentiam formalem, & materialem. Si enim conclusio ex præmissis inferatur ratione formæ syllogisticæ, quæ consistit in modo, & figura, vocatur consequentia formalis: quod si conclusio deducatur solùm penes extrema adinuicem cum medio necessariò connexa, nuncupatur consequentia materialis. Atque, iuxtà hanc duplicem consequentiam notatur pariter duplex resolutio, prioristica scilicet, & posterioristica, quæ patet ex dictis *in sup. art. not.* 1.

9. Assertio, syllogismus materialiter captus non definitur essentialiter, & quidditatiuè: secus verò si formaliter vsurpetur. Hanc indicat Doct. *quæst. alleg.* §. *Quantum ad* 2. *&* 4 *cit.* & non obscure edisserit 1. *Post. q.* 5. §. *Ad* 1, *rationem.* Prima pars, quæ locari videtur à Doct. citato *in prælecti lib. conclusione* 1. *&* 2. probatur ab eodem, quia sola substantia ex genere, & differentia constituta definitur essentialiter, & quidditatiuè *ex* 7. *Met.* vt superius animaduerti. Syllogismus autem est accidens intentionale: ergo eius definitio sic accepta non est essentialis. Quod si dicas, accidens definiri essentialiter, dummodò constet ex genere, & differentia, vt constare debet omnis bona definitio. Contra, definitio accidentis subiectum tanquam additum exprimit: verùm in adducta syllogismi definitione nullum subiectum explicatur: propterea non est censenda quidditatiua, si eo modo, quo dixi accipiatur. Præterea, syllogismus ex pluribus propositionibus conflatur *in Epitome citat.* explicatis, quæ inter se distinguuntur. Vna autem definitio vnius rei tantùm est declaratiua. Syllogismi ergo definitio materialiter sumpti inter essentiales definitiones non est numeranda. Secunda pars, tangitur *ibidem conclus.* 3. *vers. His igitur premissis*: vbi genus, & differentiam assignat, quæ sunt præcipuè conditiones definitionis essentialis, ex omnium sententia, estque expressa doctrina eius *in* 4. *super memorato*: eamque explicite tenent Conimbr. *quæstione* 2. *cap.* 1. *artic.* 2. & suaderi potest, ea est essentialis definitio, quæ gaudet genere, & differentia, nemine inficiante: sed prædicta syllogismi definitio pollet genere, & differentia, vt patet ex eius particulis, *in Epitome* explicatis: ergo &c. Rursùs, & videtur in idem recidere, quod ex partibus materialibus, & formalibus coalescit, definitur essentialiter, siue illæ partes sint physicæ, siue metaphysicæ: syllogismus autem componitur ex partibus materialibus, & formalibus, vt declaraui *in ant. artic. not.* 2. Ergo eius definitio est essentialis. Accedit, definitio generis, & aliarum secundarum intentionum logicalium suo modo est quidditatiua, vt probaui *lib.* 2. *quæst.* 3. *artic.* 2. & de omnibus secundis intentionibus logicalibus scribit Doct. *in* 4. *cit.* §. *De* 2. *I. &* §. *Ex his K.* Syllogismus autem est vna secunda intentio logicalis cæteras secundas intent. complectens, vt innuit Sarn. *Tract de primis & secundis intentionibus art.* 1. *&* 2. Insuper, operationes intellectus suo modo quidditatiuè definiuntur, vt *in præcedente lib.* patet de definitione enuntiationis, quæ est secunda

operatio

operatio intellectus passiuè sumpta. Nihil itaque obstat, quin syllogismi definitio sit essentialis, & quidditatiua.

10. Oppones primò, definitio datur de incompleais duntaxat, vnius quippe rei, vnica est definitio, præsertim cum definitio fuerit adinuenta ad res discernendas, distinctéque declarandas: syllogismus autem est quid complexum; est enim oratio ea pluribus orationibus ad inuicem connexis composita, vt constat ex dictis: ergo syllogismus essentialiter definiri non potest. Distinguo min. definitio est de incompleais formaliter captis, concedo: materialiter, siue fundamentaliter acceptis, nego. Possunt enim plura ad vnum disponi, & ordinari, & de eo vt sic, cæteris præsuppositis, tradi definitio, vt cum *Scot. cit. & in Report. ibid.* patefeci, ante præpositam assertionem. Idipsum luculenter declarat Sarn. prænominatus inquiens, intellectus cognoscit duas propositiones aptè dispositas, secundum regulas syllogisticas, & comparat eas ad aliam propositionem, quæ ex illis præmissis probè infertur: huiusmodi autem comparatio ambarum præmissarum, ad conclusionem est secunda intentio Logica, quæ nuncupatur syllogismus. Maximè quia syllogismus dicitur vna oratio propter vnam extremorum connexionem, vnumque iudicium illatiuum.

11. Oppones secundò, bona definitio omni definito competit, vt patet ex legibus idoneæ definitionis traditis à Doct. *in præsenti q.* Sed præallata definitio syllogismi non conuenit omni syllogismo, nominatim enthymemati, quod *ex primo Post.* est syllogismus, quamuis duabus tantum constet propositionibus: at syllogismus tres postulat propositiones: illa ergo non est germana syllogismi definitio. Concedo ma. ad min. dico enthymema esse syllogismum truncatum, & imperfectum, in quo subticetur vna propositio, quæ in eomet virtualiter continetur, fierique potest syllogismus perfectus, si eidē alia propositio, quæ supprimitur, addatur.

12. Oppones tertiò, vitiosa extat definitio, in qua locatur genus remotum *ex 4. dist. 11. quæst. 3. sub CC.* In præfata autem syllogismi definitione ponitur genus remotum, nempè oratio, cum sit ponendum in ea genus proximum, quod est argumentatio: non ergo illa est apta syllogismi definitio. Propter hoc argumentum nonnulli, vt Burana, loco orationis transferunt ratiocinationem, siue ratiocinationem, quæ ab illis censetur esse genus proximum syllogismi: verum ego communem versionem approbans respondere possum, negando orationem esse genus remotum syllogismi, cum ratiocinatio, argumentatio, discursus, & huiusmodi promiscuè accipiantur, vt notat Hurt. *disp. 9. sect. 10.* & indicant Mastrius, & Bellutus *disp 11. quæst. 1.* & non dissentit Arriag. *disp. 15. sect. 2.* licet *sect. 1. eiusdem disp.* putet demonstrationē esse genus ad syllogismum. Magisque patebit *infrà art 4.* Quare ad formam arg. concedo ma. nego min. quæ ab vllo Dialectico, quem viderim, non probatur. Adde quod in subsequenti art. ostendetur syllogismum non esse genus, respectu demonstratiui, topici, &c.

13. Quæres, an prædicta syllogismi definitio adaptetur tā syllogismo illatiuo, in quo sola forma illatiua reperitur, quoue in hoc opere nonnunquam vtitur Aristoteles per litteras initiales, vt *omne A. est B. sed C. est A. ergo C. est B.* quàm probatiuo, qui de aliqua propria materia, siue certa, & peculiari re efformatur, vt, *omnis virtus est laudanda: modestia est virtus: ergo modestia est laudanda.* Respond. eam vtrique congruere: siquidem vterque est oratio tribus constans propositionibus: attamen probatiuo magis competit, tum quia scientiis prodest; tum etiam quia præcipuus syllogismi scopus est veritatis indagatio.

ARTICVLVS III.

An diuisio syllogismi in Dialecticum & Demonstratiuum sit generis in species.

14. Communis fere Dialecticorum opinio, syllogismum distribui in dialecticum, & demonstratiuum, tanquam genus in suas species. Oppositum autem placitum tuentur Scot. 1. *Priorum q. 6.* Tatar. *ibid. q. 1. dub. 1.* Maior *Tract. de syllogis antè c. 2.* & alij negantes præallatā diuisionem syllogismi esse generis in species.

15. Ad huius autem dilucidationem, & enodationem plurimum facit duplex syllogismi differentia tradita, & explicata 1. *art. huius quæst not. 2.* vtpote formalis, & materialis illa est figura cum modo inferendi, siue illatio concludens, ex præmissis: hæ verò sunt propositiones, ex quibus syllogismus constituitur, tanquam ex eius materia Necessitas quippè demōstratiui, & probabilitas topici syllogismi, ratione quarum fit antedicta diuisio, petuntur penes propositiones quæ sunt eiusdem materia: Etsi illæ fuerint necessariæ, syllogismus ex eis compositus, est demonstratiuus: quod si contingentes extiterint, & verisimiles, ex ipsis conflatur syllogismus topicus. Quapropter illæ partes syllogismi non sunt ij si essentiales, & formales, sed accidentales, & materiales: atque syllogismus non genus, sed totum in modo, quia determinatur determinatione accidentali, & materiali à Doct. *vbi suprà* nuncupatur. Atque ita exponendus est Arist. 1. *Top c. 1.* qui enumerans syllogismos, dialecticū, & demōstratiuum, planè fatetur esse species syllogismi.

16. Assertio, diuisio syllogismi in Dialecticum, & demonstratiuum non est generis in species Ita Scot. *art. §. Respondetur, conclusione 1.* Probatur primò, diuisio generis, in species efficitur, per differentias formales, & essentiales *ex 1. Met T. 43.* Atqui syllogismi distributio in topicum, & analyticum fit per differētias materiales, & accidentales, vt antè assertionem monebam Igitur, talis diuisio non est generis in species. Secūdo enim non sunt species, nec est genus, respectu eorum, quorum nequit esse genus: syllogismi autem topicus, & analyticus non sunt species syllogismi genericè sumpti: ergo syllogismus non est eorum genus, ac proinde partitio ipsius, in eos haud est essentialis. Ma. clatet ex definitione generis Min probatur, entia complexa à categoriis secluduntur, vt patet ex lib. prædicam. vbi ens incomplexum in decem scinditur categorias; syllogismi autē dialecticus, & demonstratiuus sunt entia complexa; conflantur enim ea pluribus orationibus, vt patet ex definitione syllogismi in communi: ergo syllogismus ad topicum, & analyticum non est genus.

17. Oppones primò, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, est verum genus eorum, de quibus sic prædicatur ipsiusque diuisio in ea est essentialis: syllogismus autem præcisè sumptus prædicatur in quid, de syllogismis topico, & analytico: ergo est eorū genus, prædictaq; diuisio est formalis, & essentialis. Ma. est conspicua ex generis definitione Min. probatur, definitio syllogismi rectè eis adaptatur, qui inter se non differunt numero, ergo specie Concedo ma. distinguo min. Si talis definitio sumatur, penes partes materiales, concedo: si vero accipiatur, penes partes formales, nego. Totum hoc non indiget alia clariori explicatione, præter eam, quam in 2. art. attuli, vide eam ibi.

18. Opp. 2. ex 1 *Post. T. 43.* subiectum scientiæ est vnum genere: sed syllog. est subiectū Logicæ Arist. ex assertis *l. 1. q. 3. ar. 7.* ergo syllog. est vnum genere: atqui non apparet esse genus, nisi sub sé cōprehēdat species, quę aliæ esse non vidētur, quā syllogismi, dialecticus, & analyticus: ergo syllogismus est vtriusq; propriū genus. R. syllogismū quidē esse genus sub se species cōprehēdens, nego autem eas esse syllog. topicum, & analiticum.

Poteſt namque ſyllogiſmus quatenus eſt genus diſtribui in quatuor ſpecies, quæ vocabulis *Barbara, Celarent, Dary, & Ferio* nuncupantur, ita probabiliter defendunt Tatar. & Mauor in præſenti. Vel dici poteſt vſurpari à vulgo Philoſophorum differentias materiales accidentales, loco differentiarum eſſentialium, & formalium, vt in ſimili alibi ex Ariſt. & Scot. adnotaui. Quo in ſenſu fortaſſis Doct. 3. *diſtinct.* 23. *quæſt. vn.* R. vocat inductionem ſpeciem argumentationis.

Articvlvs IV.

An diſcurſus, ſyllogiſmus, & argumentatio ſint idem.

19. Plerique putant diſcurſum eſſe genus ad argumentationem, ſiue ſyllogiſmum, enthymema, inductionem, & exemplum, quibus ſuffragantur Conimb. *c.1. primi prio. q.2. art.* 1. & Arriag. *diſp.* 15. *ſect.* 1. Alij verò autumant diſcurſum, ratiocinationem, & reliqua prænarrata, ex S. Bon. 3. *d.* 23. *q.* 5. etſi voce differant, re tamen conuenire: ita videntur ſentire Lych. *quæſt.* 3. *prol. & 4. lat. §. Iuxtà hoc.* Barg. Viger. & cæteri Scotiſtæ *ibid.* quibus adſtipulatur Racouius *Tract. de argumentatione ſect.* 1. & non longè diſtat Scot. infrà citandus.

20. Not. 1. diſcurrere trifariàm poſſe contingere. Primò, quatenus idem eſt ac vnum poſt aliud intelligere, & hoc modo ſolus Deus, qui ſimul vnico actu omnia intelligit, immunis eſt à diſcurſu. Secundò, quatenus idem eſt ac vnum per aliud intelligere, ſic ait D. Aug. *l. de diuinatione,* dæmonem ex aëris affectione, atque inordinatione ſibi nota, futuras præuidere tempeſtates. Tertiò, vt comprehendit vtrumque, ſeu cognoſcere vnum poſt aliud, & per aliud, quod eſt dictu, ex cognitione vnius noti deuenire ad cognitionem alterius ignoti; propterea dicitur diſcurrere, metaphora deſumpta ex curſu, & motu animalis, vt cum Alb. obſeruant Conimbr. *præalleg.* Sicut enim animal cum tranſit ex vno loco, ad alium locum perhibetur diſcurrere: ita intellectus creatus cum vnum poſt aliud, aut per aliud cognoſcit, dicitur diſcurrere, ex notitia prioris ſibi noti ad cognitionē poſterioris ſibi ignoti. Vnde diſcurſus deſcribitur, progreſſio intellectus à cognitione rei notæ, ad rei ignotæ cognitionē habendam, vt cum ex præmiſſis ſibi ignotis gradum facit ad cōcluſionem ex eis illatam, inquiſitam, & poſtmodū ipſi conſpicuam. Hæc diſcurſus deſcriptio non differt ab ea, quam affert Doct. 2. *d.* 3. *q.* 9 §. *Contra* 2. *A. & q.* 10. *ante N.* inquiens, *diſcurſus eſt à cognito, ad incognitum cognitio.* Nec abſimilis eſt illi, quam habet Lych. cit. & ego recipio, *Tract. prol. diſp* 3. *de ſcientia Dei, diſp.* 1. *q.* 4. *& de Angelis diſp.* 6. *q* 1. §. 5. Diſcurſus eſt illatio conſequentis, ex antecedēte, includens fūdamētaliter duas præmiſſas diſpoſitas cū debitis modo, & figura: & terminatiuè concluſionē ex illis hauſtam, & idipſum inſinuatur à Scot. *Quol.* 15. § *De* 2. *ſub V.*

21. Not. 2. ex Mauritio *q.* 26. *vniuerſ.* & Barg *q* 4. *prol.* diſcurſum tres petere conditiones. Prima eſt, vt vnum poſt aliud ab intellectu cognoſcatur, id eſt habita cognitione præmiſſarum, acquiratur notitia concluſionis. Huius cauſa redditur, quia cùm diſcurſus ſit tranſitus, ſiue proceſſio ab vno ad aliud, ac proindè motus ſpiritualis, neceſſe eſt includát duos terminos, à quo, & ad quem. Terminus à quo ſunt principia, & terminus ad quem eſt concluſio. Secunda, vt vnum, per alterum intelligatur, quia cùm extrema cùm medio coniungantur, quoad eſſe, pariter quoad cognoſci, ea eſt dependentia, vt vnum abſque alio plenè non percipiatur, præſertim quia cognitio vnius eſt cauſa cognitionis alterius. Tertia, vt alia præmiſſæ, alia verò notitia cognoſcatur concluſio. De diſtinctis namque obiectis, diſtinctæ per ſpecies acquiſitas gignūtur cognitiones, vt monſtratur *in lib. de anima.* Præmiſſæ ſiquidem à concluſione differunt, veluti cauſa, ab effectu: & ſanè de cauſa, & effectu haberi diſtinctas notitias nemo ignorat, & *ex art. infrà examinandu* apertiùs fiet. Hoc luculenter tradit Scot. *quæſt.* 1. *primi Poſt.* eiuſque eius expreſſa ſententia *in Prol. quæſt. alleg.* vbi clarè docet ſcientiam cauſari per diſcurſum ſyllogiſticum, eiuſque effectum æquiuocum præmiſſarum. Idem ſcribit 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *antè* §. *Ad* 2 *quæſt.* quem ſequuntur Gadius *Quol.* 15. *fol.* 63. & alij Scotiſtæ. Quod aduerto propter Conimb. prænominatos, qui ex Caiet. 1. *p. q.* 58. *art.* 3. arguunt Scot. propterea quod *q.* 4 *Prol. &* 2. *d.* 27 *q.* 2. exiſtimant, affirmare ad diſcurſum plures cognitiones neceſſarias non eſſe: ſed immeritò hoc ipſi Scot. affingunt, cùm oppoſitum ibi apertè legatur, defendàntq; Pelbar. *Tom.* 2. *verbo ſcientia,* §. 7. Vulpes *Tom.* 1. *prima p. diſp.* 24. *art.* 5. *& diſp.* 2. *art.* 7. Duo Iuniores *diſp.* 11. *quæſt.* 1. & cæteri Scotiſtæ tam veteres, quàm recentes.

22. Dices, Scot. 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *& Quol.* 15. aſſerere Beatum poſſe vnica viſione videre diuinam eſſentiam, & creata obiecta, quæ in ipſa eſſentia eminenter relucent. Igitur in ſententia Doct. ad diſcurſum vnus actus ſufficit, quo præmiſſæ, & concluſio attinguntur. Occurrendum eſt, data hypotheſi, eam viſionem cauſari à diuina voluntate in intellectu Beati, non tamen propriè eſſe diſcurſiuam, quia Beatus ea videt in eſſentia diuina, vt in ſpeculo lucidiſſimo, & non per eſſentiam Diuinam, vt benè notat Gadius *fol.* 163. Vide ipſum *quol. cit.*

23. Not. 3. ex eodem Scot *in prol. alleg.* diſcurſum effici poſſe dupliciter, ſucceſſiuè, aut in inſtanti. Fit autem in tempore, cum habetur cognitio vnius prius tempore, quàm cognitio alterius, quod nobis accidit ob infirmitatem, & imperfectionem intellectus noſtri, qui cognito effectu, non ſtatim venit in cognitionem cauſæ, vt patet ex Ariſtotele 1. *Met.* 2. narrante homines ex effectibus ſibi notis, & ignoratione cauſarum Philoſophari cœpiſſe. In inſtanti verò poteſt effici diſcurſus, cum prius natura præmiſſæ cognoſcuntur, quam concluſio, & hoc modo Angelos diſcurrere fatentur Pariſienſes 1. *Phyſ. in fine,* poſt Scot. 2. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 6. *& diſtinct.* 7. *quæſt. vn.* allegantes D. Auguſt. ſuprà Gen. dicentem, Beati cognoſcendo Deum, conſequenter cognoſcunt creaturas. Et ego de hoc fuſe *Tract. de Angelis diſp* 6. *quæſt.* 1. §. 5. Quare ad diſcurſum, vllum temporis interuallum non exigitur, ſed ordo naturæ, hoc eſt (affirmante Scot. cit.) vt principium diſcurſus ſit naturaliter prius notum, & vt ſic, ſit cauſatiuum alterius extremi diſcurſus.

24. Aſſertio, diſcurſus & ſyllogiſmus: argumentatio, & ſyllogiſmus, necnon ratiocinatio ab inuicem eſſentialiter non differunt. Prima pars deducitur ex Scot. *quol.* 15. *art.* 2. *ſub V.* & probatur, diſcurſus formaliter, aut virtualiter comprehendit tres propoſitiones, vt patet ex eius deſcriptione *in* 1. *not.* adducta: diſcurſus autem conflatus ex duabus propoſitionibus eſt ſyllogiſmus imperfectus, qui nominatur enthymema: atque diſcurſus ex tribus propoſitionibus compoſitus eſt ſyllogiſmus perfectus, vt declarat eius definitio. Iterum Log. vocatur ſcientia diſcurſiua, præcipuè, quia occupatur circa ſyllogiſmum tanquam eius ſubiectum. Eò magis, quia omnes diſcurſus, qui virtute diſpoſitionis terminorum aliquid euidenter inferunt, id ſolùm efficiunt, quatenus in ſe virtualiter capiunt ſyllogiſmum, qui ſolus propriè eſt diſcurſus formalis, & perfectus. Secunda pars quoque colligitur ex Doct qui *ad finem q.* 2. *primi Priorum,* vſurpat argumentationem pro ſyllogiſmo, enumerans eius partes, & proprietates: ratiocinationem verò coincidere cum ſyllogiſmo tenet Philoſophus 1. *Priorum c.*1. vbi proponit ſe diſcurſurum de ratiocinatione, id eſt ſyllogiſmo, vt paulo palam facit, afferens eius definitionem, vbi iuxta communem verſionem ponitur ſyllogiſmus; alij vt Conimbr. transferunt ratiocinationem: idemque præſtant *cap.* 4. *eiuſdem operis.* Ratio eſt, quia Log. nuncupatur rationalis,

& ratiocinatria, propterea quod circa opus rationis, sic syllogismum laborat: ergo ratiocinatio, & syllogismus idem significant. Et si qua fortè differentia intercenit, illa accidentalis est. Adde quod, vocabula secundum communem Authorum vsum sunt vsurpanda, vt monet Scot. 1. d.14. & 15. q.vn. sub E. Atque dialectici ferè omnes promiscuè præfata nomina sumunt, vt eos passim legenti patescit: non ergo inter ea collocandum est essentiale discrimen, vt innuit Philosophus 2. priorum c.19. & 24.

25. Oppones 1. de quibus habentur distinctæ definitiones, essentialiter distinguuntur, sed de discursu, syllogismo, & ratiocinatione traduntur distinctæ definitiones: ergo discursus, syllogismus, & ratiocinatio essentialiter differūt; Ma. est perspicua, Min. ea dictis est in confesso, discursus quippe definitur à noto, ad ignotum processio, syllogismus verò, & ratiocinatio describuntur orationes ea tribus propositionibus in modo, & figura dispositis, constantes: esse autem ex vno ad aliud progressionem, eōq; orationem complexam, & huiusmodi indicant distinctas definitiones. Admitto ma. respondeo min. ad eius probationem dico, non esse distinctas descriptiones quoad rem, sed quoad vocem, vt ex superioribus adductis, & explanatis liquidò constat.

26. Opp. 2. ad syllogismum, & ratiocinationē vsquequaq; perfectā duæ requiruntur notitiæ, quarū vna est præmissarū, altera verò cōclusionis, vt suprà dixi, & notauit Gadius cit. sed discursus vnico actu, siue cognitione effici valet, vt videntur tenere Scot. & eius interpretes præalleg. Ergo præenumerata plusquam accidentali differētia inter se diffident. Data ma satisfactum est min. in fine 2. not. Vel dici potest esse quidem vnum actū, esse tamen distinctas terminationes, & attingentias; aut si placet esse vnum actum complectiuè, quia est 3. operatio intellectus, siue iudicium illatiuum formaliter; initiatiuè verò esse notitiam præmissarum quam præsupponit conclusio. Itaque discursus formaliter vnam præsefert cognitionem, in qua formaliter consistit, & materialiter alteram denotat, & præsupponit, quæ ex principiis, siue præmissis proficiscitur.

ARTICVLVS V.

An conclusio sit de essentia syllogismi.

27. EX diuersa loquendi formula, & difformi locorū Arist. allegatione, tum de præmissis, tùm etiā de conclusione, vt in 1. not. patefaciam, discordes, & diuersæ exoriuntur Dialecticorum opiniones: Auer. namque & Alb. 1. Priorum T.1.c.5. solas præmissas putant esse partes syllogismi essentiales, conclusionē, ab eiusdē essentia excludentes. E regione nonnulli, quibus subscribitur Zabarel. 1. Post. ad tex.4. totam syllogismi essentiam in conclusione sitam esse arbitrantur. Cōmuniter autem sententia est Doctoris subtilis q.45. Elench. §. Ad q. Orbel. 1. Priorum c.1. Raconij Tract. de argum. sect. 3. & aliorum ea æstimantium, tam præmissas, quam conclusionem ingredi essentiam syllogismi.

28. Not. 1. ex Maiore Tract. de syllog. not. 2. quandoque apud Arist. syllogismum accipi pro solis præmissis bene dispositis, vt 2. Priorum, & 1. post. c.2 Interdum verò pro conclusione tantum, vt 1. Priorum in initio 1. figuræ, & 1. de anima T.48. nonnunquam pro præmissis, & conclusione cum nota illatiua, vt 1. Priorum c.1. & 2. Phys. T.31. & alibi frequenter. Syllogismus autem hoc postremo modo captus considerari potest dupliciter, puta primò intentionaliter, sic est oratio cōposita ex duabus præmissis, & vna conclusione, cum nota illatiua: & secundò intentionaliter, & sic est relatio rationis fundata in præmissis, & ad conclusionem terminata, vt innuunt Scot. Quol. 15. art. 2. infra V. Gadius, & Lycb. tum ibi, tum etiam in prol. cit. in ant. art.

29. Not 2. ex Doct. 1. Post. q. 10. §. Ad rationem, conclusionem bifariam posse considerari, vno modo, quatenus est quædam propositio constans subiecto, prædicato, & copula verbali, nulla alia habita ratione, & sic appellatur conclusio materialiter. Quāuis enim conclusio colligatur ex præmissis, ab eisq; in esse dependeat, nihilominus cum sit vna propositio ab aliis distincta, potest ab intellectu immediatè cognosci in ratione obiecti, vt præclarè aduertit Gadius quol. cit. post Sot. ibid. Altero modo, quatenus est quædā propositio deducta, & collecta, ex duabus præmissis, & ita vocatur conclusio formaliter, propterea quod cōcludit, & terminat discursum syllogisticum, vt iidem Authores aduertunt ex Arist. 1. Post. 2. & elicitur ea eodem ibid. c.16. vocante conclusionem, syllogismi demonstratiui terminum. His addit Zabarel. præcit. conclusionem esse formam syllogismi, etenim cum forma educatur de potentia materiæ, sitq; eius actus, & terminus formalis: & præmissæ sint eius materia, rectè conclusio nuncupatur syllogismi terminus. Deinceps cum motus duos deposcat terminos à quo, & ad quem, & discursus sit quidam motus spiritualis intellectus creati, ei consequenter assignandi sunt termini, à quo, qui sunt præmissæ, & ad quem, qui est conclusio, vt suprà monebam.

30. Assertio 1. syllogismus primò intentionaliter, siue materialiter captus includit conclusionem, tanquam eius partem essentialem. Est Scot vbi suprà, & probatur 1. ex Arist. 1. Priorum c.4. & l.2. eiusdem operis, qui inter partes syllogismi numerat conclusionem. 2. syllogismus perfectus essentialiter conflatur ex tribus propositionibus aptè adinuicē ordinatis, vt constat ex eius definitione: quod autem ingreditur definitionem alicuius, est de eius essentia, cū ergo cōclusio sit vna ex syllogismi propositionibus, infertur eam esse de eiusdē essentia. 3. materia, & forma sunt partes essentiales compositi, vt patet in Phys. præmissæ autem propositiones sunt velut materia, & conclusio tanquam forma totius syllogismi, siue illatio, quæ est in conclusione. quamvis esse syllogismi formam astruit Doct. q 6. 1. Priorum § Resp. Accedit iudicium illatiuum, quo distinguitur 3. operatio intellectus, ab ambabus præcedentibus, potissimum exstat in conclusione formaliter sumpta: nam vocula ergo, per quam exprimitur iudicium illatiuum soli conclusioni accommodatur. Igitur euidenter concluditur, conclusionem ab essentia syllogismi non separari.

31. Assertio 2 syllogismus secundò intentionaliter, siue formaliter sumptus nec præmissas, nec conclusionē in sua intrinseca, & formali ratione includit: colligitur, simulq; probatur ex Doct. 2. d. 3 q.9. § Contra 2. A. & Quol. cit §. & litteris alleg. vbi indicatur, discursum, seu syllogismum esse quemdam motum animæ spiritualē, qui à præmissis incipit, & in conclusione desinit de ratione autē motus intrinseca, nō sunt termini eius a quo, & ad quem, vt probatur in Phys. l. de motu: ergo nec præmissæ, nec conclusio, quæ sunt termini syllogismi sunt de eius essentia. Amplius in essentia relationis non clauduntur fundamentum eiusq; terminus, cùm ad eam præexigantur, & præsupponantur. & quandoque sint substantialia, vt perhibut l 3. q. de relatione: syllogismus autem formaliter captus, est relatio rationis fundata in præmissis, & ad conclusionem terminata, estque 2 intentio logicalis, sicut reliquæ, quæ per se considerantur à Log. vt scribit Sarn. Tract. de 1. & 2. intentionibus c.2. Iterum, comparatio passiua vnius obiecti cognitū, ad aliud obiectum cognitum est ens rationis, & 2. intentio logicalis ea Scot. 4. d.1. q. 2. §. Hic primò, B At syllogismus est comparatio præmissarum inter se, & ad conclusionem, vt optime affirmat Sarn. cit. Tatar. 1. Priorum q 1. & communiter cæteri Scotistæ. Non igitur præmissæ, & conclusio in syllogismi formaliter capti essentiam ingrediuntur.

32. Opp. 1. contra 1. Assert. Arist. 1. Prior c.1 definiens syllogismum vocat conclusionem, aliud à præmissis, vt patet intuenti dictum locum 1 sed esse aliud, ab alio denotat

denotat diuersitatem essentiæ, vt animaduerti *l. 2. q. de differentia*: ergo cum conclusio per Arist. sit aliud a præmissis, sequitur ipsam haud esse partem essentialem syllogismi. Resp. Philosophum quidem velle conclusionem esse aliud à præmissis, quia est earum effectus, vt *infrà* monstrabitur, non verò asserit eam esse aliud à syllogismo, vt diligenter obseruat Scot. *propè finem q 45. Elench.* quinimò eum locat in eius definitione; quod est signum euidens, ipsum ab essentia syllogismi non secernere. Nec obstat, aliquid esse effectum alicuius, eiusque compartem respectu tertij: nam caro ea sanguine producitur, & vtrumque est pars animalis, vt patebit *l. 2. de anima.* Itaque non repugnat conclusionem esse effectum præmissarum, esséque partem, vna cum eis ad syllogismum constituendum, scribente Scot. 2. *Prio. q. 2. in fine.*

33. Oppones 2. *ex* 1. *Prio. c. 21. &* 1. *Post. c. 19.* syllogismi sunt tres termini, & duæ propositiones: sed absque conclusione sunt tres termini, & duæ propositiones: ergo conclusio non pertinet ad essentiam syllogismi. Resp. Arist. loqui de propositionibus necessariis ad inferendam conclusionem, non verò de omnibus propositionibus necessariis, vt perfectus habeatur syllogismus. Hoc enim modo ad eum complendum necessariò requiritur conclusio, tanquam eius pars præcipua. Vel dicito, iuxta primam not. Arist. ibi accepisse syllogismum pro solis præmissis, sumendo partem pro toto, veluti nonnunquam pro toto syllogismo vsurpauit solam conclusionem, vt *ibid.* ex eodem Philosopho animaduerti.

Opp. 3. eadem manente conclusione, variari potest syllogismus: igitur conclusio non spectat ad essentiam syllogismi. Ant. probatur, potest esse vna conclusio duorum syllogismorum, vt astruit Aristot. 2. *Prio. c. 1.* & exprimit Zabarel. *l. de 4. figura, cap. 10.* exempli gratia, si fiat argumentum in *Darisi*, quod ad 1. figuram spectat, & in *Datisi*, quod ad 3. figuram attinet, duplex conseruetur syllogismus, cuius vna, erit tantum conclusio, puta *homo est risibilis*, quæ manet in vtroque modo prædicto, vt ad oculum in his licet intueri; primò in *Darij* omne animal rationale est risibile; aliquis homo est rationalis: ergo aliquis homo est risibilis. Secundò in *Datisi*, omne animal rationale est risibile: aliquod animal rationale est homo: ergo aliquis homo est risibilis. Resp. data hypothesi, esse vnam conclusionem materialiter, duas verò formaliter, sicuti sunt duo formales syllogismi. Maneat igitur solas præmissas non esse partes essentiales syllogismi, nec solam conclusionem; sed præmissas in ordine ad conclusionem: itidémque conclusionem, in ordine ad præmissas.

34. Opp. 4. contra 2. assert. quod per se ponitur in alicuius definitione, est de eius intrinseca ratione, vt non rarò inculcaui: præmissæ, & conclusio per se statuuntur in definitione syllogismi, cum ex dictis *in 1. assert.* sint partes eius essentiales: ergo sunt de eius intrinseca, & formali ratione. Respondeo hoc argumentum concludere de syllogismo materialiter sumpto, de quo verba feci in 1. assert. non autem de syllogismo formaliter accepto, de quo disserui *in 2. assert.*

35. Instabis, Arist. in suo organo, cæterisque eius operibus, aliam naturam, aliamve definitionem syllogismi ab ea, quam addidit dissitam, non agnouit: ergo si præmissæ, & conclusio sunt partes essentiales syllogismi, ab eodem Philosopho adinuenti, teste Alex. 1. *Prior. sect. 2. & 3.* vtique sunt de eius intrinseca, & formali ratione, quod negatur in posteriori assert. Occurrendum est Aristotelem ex instituto tantum pertractasse syllogismum materialiter captum, quia est commodior, & facilior cognitu. Hinc idem Philos. licet disserat de 2. intentionibus, quas Logicus per se meditatur: tamen nonnunquam de rebus affert exempla ad eas declarandas, præsertim *l. prædicamentorum c. 3.* vt ibi notat Scot. *q. 9. § Ad 4.* Idque etiam exercere Porphy. præmonui *l. 2. q. 1. art. 1. in responsione 3. opposit. omn.* Hoc ipsum præstitisse Aristotelem 4. *Phys. T. 39.* locum materialiter tantùm definientem, eo in loco, cum Nostratibus obseruaui.

Articvlvs VI.

An admittenda sit quarta figura syllogismi.

36. Celebris Medicorum Academia enixè defendit quartam syllogismi figuram, quam eorum Principem Galenum, in Dialecticorum scholam inuexerè contra Arist. testatur Auer. 1. *Prior. c. 8.* tametsi in operibus Galeni, quæ ad nos peruenerunt, nihil de quarta figura reperiatur, vt post Zabarel. *præcit. c. 1.* notant Conimb. *c. 7. q. 1. art. 1.* aut vt ait Maior *Tract. de syllog. c. 2. dub. 2. § Ad 2.* dictus Galenus voce, & non re fortassis ab Arist. non discordat. Quidquid sit de mente Galeni, proculdubio præstantes viri rationibus validis muniti, robustisque argumentis suffulti, eam quartam figuram tueri conantur. Lycæum autem Peripateticorum omnium, nominatim Scot. 1. *Prio. q. 34.* Titel. *l. 4. c. 3.* Raconij 3. *p. de arg. q. 1. sect. vlt.* & Hurt. *disp. 10. sect. 20.* impugnat, & expugnat Galenicam figuram, tanquam inutilem, & innaturalem. Ad cuius maiorem captum.

37. Not. 1. ex Auer. *cit. & in Epit. c. 1.* ad idonei, veríque syllogismi constructionem, priusquam componantur præmissæ, necesse est, determinatum proponatur thema, siue aliquod problema, ad quod feratur discursus, siue quod sit futurus terminus syllogismi faciendi, siue conclusio, quæ deducenda est ex præmissis. Præposito autem themate, quod maiore, & minore extremis constat, puta omnis homo est sensitiuus, assumendus est medius terminus, vt *animal*, ex quo adiuncto præfatis extremis, præmissæ efformantur, cum debitis qualitate, & quantitate, ex quibus talis eruitur conclusio, qualem præmissæ natæ sunt causare. Si enim medium nectatur prædicato problematis gignit maiorem propositionem: quod si iungatur subiecto problematis, facit propositionem min. & ex ambabus causatur conclusio, quæ est thema in principio propositum: sic habetur syllogismus perfectus: *Omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.* Vnde Arist. ex trina tantum medij termini, cum extremis complicatione, in præmissis, tres nactus est figuras duntaxat, quarum explicatio, definitio, sufficientia, & exempla petenda sunt *ex Epit. l. 3. quæst. 1. art. 5.* Quartam verò figuram addit Gal. ex quarta complicatione medij, quæ fit, quando medium prædicatur in ma. et subiicitur in min. vt ad oculum conspicitur in hoc syllogismo: *Omne animal est sensitiuum: omne sensitiuum est corpus: ergo aliquod corpus est animal.* Hæc argumentandi illegitima forma non latuit Aristot. 1. *Prior. & 2. eiusdem operis*, testante Zab. *cap. 8. loc. cit.* eam tamen neglexit, & despexit, tanquam obliquam, & innaturalem, quidquid dicant duo iuniores Scotis. 1. *p. Tract. 3. cap. 5.*

38. Nota ex Zab. mox cit. *cap. 5.* Aristotelem iuxta normam Log. naturalis adinuenisse Log. artificialem, hoc est imitantem naturam, & seruantem ordinem naturalem: ob eandem causam ipsemet Aristoteles alium syllogismum non est contemplatus, quàm eum, qui via naturali procedit. Eos autem syllogismos, quos à naturali via deflectere inspexit, ad naturales syllog. atque ad eorum vim, necessitatem, & euidentiam, reducendi modum, regulámque præscripsit: quamuis dici queant artificiales, propterea quod ad artem redacti sunt. Ob id vt eorum naturalitas firmaretur.

retur, & elucceret *l.* 1. *Prior. c.* 1. [adduxit dicta *de omni, & de nullo*, à me iam exposita *loco alleg. art.* 4. in quibus tanquam certissimis, & firmissimis fundamentis, totum ædificium perfectorum syllogismorum fundatur, eique innituntur omnes syllogismi naturales, & perfecti affirmantes, & negantes: Naturalitas autem, vel innaturalitas syllogismi non depromitur, penes prædicationem non naturalem, vt speciei de genere, & subiecti de accidente; alioquin innaturalitas accideret modis primæ figuræ indirecte concludentibus, vt hæc conclusio in *Baralipton* aliquod corpus est sensitiuum, & in conuersionibus propositionum, vt *omne visibile est homo*, sed penes formam illatiuam, quæ habetur, eum ad, quod prædicatur in præmissis, pariter prædicatur in conclusione: & quod in præmissis subiicitur, quoque in conclusione subiicitur: quod nobis innotescit per dicta de omni, & de nullo; oppositum autem efficitur in 4. figura. Quod enim superius est in præmissis, fit inferius in conclusione. Ideò, dictam figuram nunquam illegitimam Arist. non recipit, nec de ea, eiusque modis argumentandi disserendum esse iudicat.

40. Ass. tres tantùm figuræ syllogismi naturales sunt admittendæ: quarta verò, vt obliqua, & innaturalis est reiicienda. Hanc cum Arist. 1. *Prior. c.* 22. *&* 23. tenet Scot. *vbi supra* 1. pars probatur 1. quot sunt cóbinationes naturales distinctæ medij termini in præmissis totidem sunt distinctæ figuræ: tres autem sunt distinctæ combinationes naturales medij termini in præmissis duntaxat, ergo tres sunt tantùm distinctæ figuræ naturales. Ma. patet *ex* 1. *not.* Numerus quippè figurarum, ex numero complicationum naturalium medij in præmissis ab Arist. collectus est. Min. elucet, in fabricandis syllogismis viam naturalem sequentibus. Aut enim medium subiicitur in ma. & prædicatur in min. aut prædicatur in vtraque, aut in vtraque subiicitur. Vnde ex hac triplici naturali dispositione medij, triplex enascitur figura Quod si quarto modo disponatur medium, vt sit prædicatum ma. & subiectum min. quod desideratur vltimò disponendum, vt omni modo, & loco, quo fieri potest, medium complicetur in præmissis: vnde consurgit 4 figura: argumentum est obliquum, & à naturali tramite discurrendi deflectit, quod Arist. non curasse, adnerti *in* 2. *not.* vel dicito cum Scot 1. *Prio. q.* 34. non dari 4 figuram, quia dispositio medij nequit essentialiter diuersificari, nisi tribus modis prædictis: quarta enim figura inducit primam medij combinationé. Ideò à 1. tantum accidentaliter dissidet. Transpositis quippè præmissis fit 1. figura, vt, *Omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.* Et in 4 figura. *Omnis homo est animal: omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia.*

41. Respondent Medici non ignobiles 4. figuram non esse respuendam, nec esse illegitimam: siquidem, tres diuersas dispositiones medijs in præmissis causare tres figuras, cócedunt Aristotelici, ergo quarta complicatio ab eis tribus distincta medijs, in eisdem præmissis causare debet 4. figuram, à trib. præostensis distinctam. Nec ista censenda est innaturalis Etenim sola præmissarum compositio variat modum figuræ, vt constat *in Cesare, & Camestres*, qui sunt duo modi 2. figuræ: & conclusio in eis est naturalis, vt non diffitetur Arist. Pariter, translocatis præmissis 1. figuræ, mutato medij situ, planè resultat 4. figura naturalis, vt patet in hoc exemplo. *Omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.* Hic syllogismus est 1. figuræ *in Barbara.* Quod si transmutentur eius præmissæ, & medium aliam sedem teneat, hoc est, minor fiat maior, maiórque euadat minor, mediúmque sit superius in ma. & inferius in min. emergit 4. figura, vt: *Omnis homo est animal: omne animal est sensitiuum, ergo quoddam sensitiuum est homo.* Illatio huius est naturalis, vt in modis indirectè concludentibus 1. figuræ, nominatim *Baralipton.* Verùm hæc responsio non eneruat præallatę robur: quandoquidem, & illatio eius figuræ naturali ordini repugnat, & sedes eius medij est naturæ aduersa: ideo per talem transpositionem propositionum, diuersúmque medij situm non constituitur alia figura à tribus distincta. Illæ quippè 3. figuræ obseruant viam naturalem, quam suprà descripsi, etsi eam euidentiam non sortiantur duæ postremæ, qua pollet prima. Præterea licet actu non habeant *dictum de omni, aut dictum de nullo*, tamen alterutrum potentia continent. Hæc autem a Gal. excogitata ab ordine naturali declinat; quod namque prædicatur in præmissis, non prædicatur in conclusione: itemque quod subiicitur in illis, non subiicitur in ista: sed in hac inuertitur ordo naturalis prædicationis, & subiectionis terminorum, propterea iure obliqua, innaturalis, & monstruosa, à Peripateticis iudicatur.

41. Secundò probatur assertio, quod est per accidens non numeratur inter ea, quæ sunt per se, vt patet de causa per accidens, quæ ab Aristotele 2. *Phys. T.* 33. non reponitur inter causas per se: quarta autem figura est per accidens, quia per se non intenditur à natura, immò repugnat naturali, & recto ordini discursus syllogistici, vt suprà exemplo firmatum est. Non est ergo recipienda. Rursùs ars imitatur, & perficit naturam *ex* 2. *Phys. T.* 79. non verò inuertit naturam, eique aduersatur, syllogismi autem per legem artificialem elaborati, sunt artificiales, siue arte constructi, eo modo, quo suprà dixi, ergo processu naturali debent procedere; quod non præstant syllogismi 4. figuræ. Ideò optime subdit Auer. *in conclusione syllogismi 4. figura cogitatio naturalis non cadit.* Deinceps, modi obliqui, & indirectè concludentes primæ figuræ sunt eiusdem met figuræ, & ad directè concludentes reuocantur, vt omnes docent, ergo idem existimandum est de excogitatis modis 4. figuræ, quos refert Hurt. *cit.* § 152. Ea quippè propositionum transpositio, & medij dispositio inuersa in dictis præmissis non facit diuersam figuram à prima: sed quod in ea est inordinatum, & imperfectum, ad 1. figuram ordinari, reducíque debet.

Oppones 1. cui competit propria figuræ definitio, est propria figura: sed figuræ Galenicæ competit propria figuræ definitio: ergo est vera figura, numero quarta. Ma patet per locum à definitione, ad definitum. Min. ostenditur, figura communiter describitur complicatio medij termini cum extremis, in præmissis, secundum debitam prædicationem, & subiectionem: sed 4. figura sortitur talem combinationem medij termini in præmissis, à reliquis figuris diuersam: in ea quippè medium prædicatur in ma. & subiicitur in min. Ergo quartus locus inter figuras syllogisticas est ei attribuendus. Concessa ma. nego min. ad eius probationem dico, illi deesse naturalem conclusionem, vt abundè *in* 2. *not.* explicaui; proptereà, non statuitur alia figura à prænominatis distincta; sed ad primam redigenda est, annuente Scot. *cit. in initio huius art. concl.* 4.

Oppones 2. illi censentur syllogismi idonei, & in bona figura, quibus adaptatur definitio syllogismi allata ab Aristotele 1. *Prior. cap.* 1. syllogismis autem in Galeni figura constructis conuenit definitio syllogismi generatim sumpti: ergo 4. figura à Galeno excogitata, & à Medicis propugnata est legitima. Maior à nemine negatur. Minor ostenditur, ex duabus præmissis affirmatiuis in tali figura sequitur conclusio affirmatiua, vt *Omnis homo est animal: omne animal est corpus: ergo aliquod corpus est homo.* Iterum, in eadem figura, ex duabus præmissis negatiuis infertur conclusio negatiua, vt *nullus homo est lapis: omnis lapis est corpus: ergo aliquod corpus non est homo* Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, eorum syllogismorũ illationem esse obliquã, & illegitimã: ob id illis definitio syllogismi, quæ datur tantum de syllogismis naturalibus, minimè accommodatur.

43. Opp.

45. Oppones 3. effici possunt pleriquè syllogismi legitimi, & idonei nullius figuræ ex tribus enumeratis: ergo numerus ternarius figurarum mancus est, & insufficiens. Ant. multis probatur a Doct. 1. *Prior. quæst.* 34. Tatar *ibid.* & Conimb *cap. 7. quæst. 1. art. 2. de syllogismis hypotheticis*, vt *Omnis homo est rationalis, aut irrationalis: nullus homo est irrationalis: ergo omnis homo est rationalis.* Item, de syllogismo adducto ab Aristotele 2. *Prior.* Rursus de syllogismo ex obliquis, & ex oppositis, quorum exempla vide apud cit. Anthores. Respondeo cum Scot. *ibid.* præpositam assertionem esse intelligendam de omni syllogismo categorico, cum terminis rectis, & finitis, non autem de omni syllogismo hypothetico, vt probant allatæ instantiæ. Ratio est, quia tantùm in syllogismo categorico extat debita ordinatio medij cum extremis, penes prædicationem, & subiectionem, in præmissis, ad inferendam conclusionem.

ARTICVLVS VII.

An assensus conclusionis differat ab assensu præmissarum.

44. Eumdem esse actum, eumdémque assensum, quo assentimur præmissis, & conclusioni, opinantur Nominales *quæst.* 8. *prol.* relati à Mastrio, & Belluto *disp.* 11. *quæst* 2. & insinuant Lych *quæst* 3. *prologi*, & Antr. Atque in eamdem sententiam citant Scotum nonnulli Recentiores, sed immeritò, vt ex eius locis infra subiiciendis liquidò constat. Nec desunt, qui licet assensum præmissarum ab assensu conclusionis distinguant: nihilominus præhabito vtróque assensu per iteratum conclusionis assensum, cognosci præmissas arbitrentur, itavt ille principiorum, in hoc conclusionis formaliter comprehendatur. In hanc opinionem abire S. Thom. 1. 2. *quæst.* 8 *art* 3. Dur. 2. *d.* 38. *quæst.* 3. *ad* 3. & alios testatur Rumus 1. *Post. cap.* 1. *quæst* 6. Scot autem 1. *Post. quæst.* 1. § *Ad aliud*, & *quæst.* 8. & 9. necnon *quæst* 3. *Prol.* & 4. *lat. A.* Vige. & alij *ibid.* astruunt assensum conclusionis differre ab assensu principiorum, huncque in illo formaliter non includi.

45. Not. 1. Authores 2. placiti pro comperto habere, actum intellectus, quo assentimus præmissis distingui ab actu, quo conclusioni assensum præbemus, quia vterque fertur ad distincta obiecta: atque principia propter se, hoc est propter solam terminorum explicationem; conclusioni verò adhæremus propter principia, quæ dicuntur esse priora, notiora, causæque conclusionis. Hoc tanquam explorato supposito, inquiritur num intellectus in habitione assensuum principiorum, & conclusionis quiescat, an verò necesse sit, ipsum regredi, & respicere eadem principia tanquàm rationem, per quam fit assensus conclusionis.

46. Not 2. principia, & conclusionem earumque assensus bifariam posse inspectari: vno modo, vt sunt propositiones obiectiuæ, siue quædam obiecta inter se distincta, nulla habita ratione eorum connexioni & dependentiæ, vt accidit, cum quispiam alicui cõclusioni assensum præbet, sola authoritate viri fide digni suffultus: sic opinatur Aur. *in Prol. de rebus Theologicis.* Altero modo, quatenus inter ea extat connexio, & dependentia quædam, vt conclusioni adhæreatur, propter præmissas, tanquàm eius causas: huiusmodi autem dependentia, inquiunt defensores 2. opinionis includitur essentialiter, & formaliter in assensu conclusionis, vt ratio eius formalis obiectiua. Sed licet eorum 1. assertum sit verum, non tamen 2. quandoquidem conclusio, præter essentialem dependentiam, quam habet à præmissis, veluti effectus a sua causa, ipsa quoque vt propositio obiectiua consideratur in ratione obiecti, docente Scot. *quol.* 15 §. *De 2. vsq. V.* Nec præmissæ sunt rationes formales eius assensus, sed effectrices, vt in sequenti art. ostendetur. Præterea huiusmodi assensus est actus intellectus, qui vt probat Doct. 13 *quol.* est de genere qualitatis, dependentia verò est relatio; nullum autem absolutum essentialiter, & formaliter includit relationem. Igitur in assensum conclusionis non ingreditur intrinsecè, dependentia eius a principiis, quæ est formaliter relatio.

47. Assertio 1. assensus conclusionis non coïncidit, cum assensu præmissarum. Est Scot. 1. *Prior quæst* 8. & 9. & *quæst.* 4. *lat prol.* & *quol* 14. & 3. *d.* 18. *q. vn.* § *Ad* 1. *sub C.* Probatur 1. ex Aristotele 1. *Prior. cap* 1. vbi definiens syllogismum appellat conclusionem aliud quid à præmissis: distinctio autem assensus petitur penes obiecti distinctionem, a quo partialiter causatur: ergo cùm per Aristotelem conclusio sit distinctum obiectum à præmissis, planè deducitur eius assensum, vtique ab earum assensu discrepare. Præterea Philosophus *ibid.* formam syllogisticam præscribens monet medium bis in præmissis, nunquam verò in conclusione esse collocandum. Et 1. *Post cap.* 1. subiungit, omnem doctrinam, omnémque disciplinam fieri ex præexistente cognitione: igitur cum secundum Aristotelem assensus præmissarum præcedat assensum conclusionis, nequaquam ille in hoc essentialiter clauditur. 2. sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, *ex* 2. *Met T.* 4. sed præmissæ sunt distinctæ in ratione obiectiua à conclusione; sunt enim ambæ propositiones obiectiuæ spectantes ad 2. operationem intellectus, & conclusio est 3. propositio ex illis collecta pertinens ad 3. operationem intellectus: ergo assensus præmissarum ab assensu conclusionis secernitur. 3. causa, & effectus sortiuntur distinctos assensus, vt nemo ignorat: præmissæ autem sunt causæ conclusionis, & conclusio est eorum effectus ex probandis in proximo art. Quare assensus, qui de vtrisque habentur, inter se discriminantur.

48. Assertio 2. in assensum conclusionis haud formaliter assensus præmissarum ingreditur, adeò vt, nullus fiat regressus conclusionis ad eius principia. Hanc aperte insinuat Doct. *Quol. cit.* & 2. *d.* 1 *q.* 3. § *Quantum ad primum A.* Probatur 1. ex communi Philosophorum elogio, *acquisito termino, cessat motus*, syllogismus autem ex dictis suprà, est quidam motus spiritualis, cuius terminus est conclusio, vt *ibid* ex Scot. alleg. perhibui: igitur habita conclusione stat intellectus in eius immediata cognitione, ac proinde non exigitur repetitio intellectus, conclusionis ad præmissas. 2. prius vt prius non includitur in esse posterioris, quia licet posterius dependeat a priori, non tamen prius in esse dependet à posteriori: ergo assensus principiorum, qui est prior assensu conclusionis, formaliter in ipso conclusionis assensu non clauditur: alioquin conclusio notior & euidentior foret suis principiis, atque vno, eodémque actu intellectus præmissas, & conclusionem simul attingeret, quæ & consimilia, quæ intuli in 2. not. sunt planè falsa, & absurda.

49. Oppones 1. contra 1. assert. intellectus diuinus omnia vnico actu simplici perlustrat, scribente Scot. *in Prol. cit.* ergo intellectus creatus, qui ei assimilatur, si non omnia, saltem multa vno actu pertingit: tum quia intellectus creatus Beati omnia vnico actu in diuina essentia nouit, *ex* 3. *d.* 14. & *quol* 15. tùm etiam quia sapientia, quæ est vnus ex quinque habitibus intellectus, quæ vnico ab vno actu specie gignitur, nedum principia; verumetiam conclusionem ex eis causatam speculatur, *ex* 6. *Eth cap* 8. quapropter intellectus creatus terminari valet ad præmissas earúmque conclusionem. Admisso ant. negatur consequẽtia. Ratio est, quia Deus ab omni discursu est alienus,

vt

probari *Tract. de ſcientia Dei diſp.* 1. Mens autem creata vnum per aliud, & ex alio cognoſcit, eiuſq; cognitio à rebus cauſatur; ideò ſecundum obiectorum rerumq; diuerſitatẽ, per diuerſas ſpecies, diuerſas ſibi cõparat notitias, locis autem Scot. ſatisfeci *art. 4. huius q. not.* 1. Ad aliud quod ſubiicitur de ſapiẽtia, pro eius deciſione obſeruo, eã poſſe bifariam vſurpari, aut quatenus Philoſophi eam deſcripſerunt, teſte Aug. 14. *de Trin.* his verbis ſapientia eſt humanarum, diuinarúmque rerum cognitio, & ita à ſcientia non diſtinguitur: aut quatenus eam definit Ariſt. 1. *Met.* 1. puta, ſapientia eſt cognitio primarum, & altiſſimarum cauſarum, ſicque conſtituit vnum peculiarem habitum intellectus, à ſcientia & cæteris diſtinctum. Quouis autem modo accipiatur, ſi reſpiciat præmiſſas, & concluſiones, ex illis illatas, & collectas, nego effici poſſe vno, eodémque ſimplici actu, vt clarè demonſtraui, quæ ſuperiùs adduxi.

50. Opp. 2. contrà 2. aſſert. quæuis potentia cognoſcitiua vno actu tendit in obiectum, rationémque eius formalem cognoſcendi, vt patet de potentia viſiua, quæ eodem actu videndi fertur in colorem, qui eſt obiectum viſus, & lumen, quod eſt eius ratio formalis videndi: aſſenſus autem principiorum eſt ratio formalis obiectiua aſſenſus concluſionis, quia per notitiam præmiſſarum aſſentimur concluſioni: igitur aſſenſus præmiſſarum formaliter clauditur in aſſenſu concluſionis. Reſpondent nonnulli Recentiores ma. veram eſſe de ratione cognoſcendi in qua, vt rectè exemplificant de lumine, & colore; non autem de ratione cognoſcendi ex qua, vti ſunt principia, reſpectu concluſionis. Vel ſi admittatur ma. ad minorem dici poteſt, præmiſſas non eſſe rationes formales, & obiectiuas cognoſcendi concluſionem, ſed rationes eius effectrices, vt ſpopondi me oſtenſurum in ſubſequenti art.

51. Opp. 3. eo ferè modo diſſerendum eſt de actibus intellectus, quo Philoſophamur de actibus voluntatis, penès eorum medium, & finium aſſequutionem: eodem autem actu voluntas tendit in media, ad finem, & ad ipſum finem: ergo pariter intellectus eodem actu principia, eorúmque concluſionem attingit. Reſpondet Scot. 3. *d.* 28. *q. vn.* § *Ad* 1. *ſub G.* quem ſequuntur Conimb. 1. *Poſt. q.* 1. *c.* 1. *art.* 5. *ad* 2. negando paritatem. Siquidem reſpectu finis, & mediorum, eſt vna tantum bonitas, quam actus voluntatis reſpicit, ratione cuius voluntas mouetur per media, ad finis conſequutionem. Verùm in præmiſſis, & concluſione duæ extant rationes obiectiuæ mouentes intellectum ad earum adeptionem, ſcilicet veritas principiorum, quæ habetur ex terminis, & vocatur veritas immediata: & veritas concluſionis parta per præmiſſas, quæ veritas mediata perhibetur. Ob eam rem duo ſunt actus intellectus, vnus, quo tendit in principia, alter verò, quo tendit in concluſionem ex illis hauſtam.

52. Inſtabis, Scot. 1. *d.* 8. *quæſt.* 4. ait, veritas concluſionis nihil aliud eſt, quàm quædam participatio veritatis principiorum, ſiue præmiſſarum: igitur nec alius aſſenſus concluſionis ab aſſenſu præmiſſarum, in doctrina eius eſt diſtinguendus. Reſpondeo, Scotum *ibi* velle veritatem concluſionis virtualiter contineri in veritate præmiſſarum, veluti effectus virtualiter continetur in cauſa: idcirco aſſerit veritatem concluſionis eſſe participationem veritatis principiorum: formaliter autem concluſio gaudet propria veritate diſtincta à veritate præmiſſarum, vt præter loca ſuprà citata, conſpicuè declarat Doct. 6. *Met. q.* 1. *&* 1. *d.* 1. *quæſt.* 3. §. *Quantum ad* 1. *A.*

ARTICVLVS VIII.

An præmiſſæ ſint cauſa concluſionis.

53. OMnes Dialectici vnanimi conſenſu affirmant principia eſſe cauſam concluſionis: in quo autem genere cauſæ collucentur, extat inter eos non modica diſceptatio. Etenim, quidam vt Rubionius *in Prol. quæſt.* 8. *art.* 4. arbitrantur præmiſſas eſſe cauſas concluſionis in genere cauſæ materialis duntaxat. Alij vt Hurt. *diſp.* 7. *de anima ſect.* 8. & Arriaga, *in Log. diſp.* 15. *ſect.* 5. cauſalitatem principiorum reſpectu concluſionis ad genus cauſæ formalis reuocant. Scot. autem 1. *Poſt. q.* 2. §. *Ad* 1. *& q.* 8. §. *Ad* 1. *& q.* 9. §. *Ad q. & q.* 1. *Prol.* §. *Ad* 2. *ante* 5. Maior 1. *Poſt. cap.* 2. *dub.* 1. Tatar. *ibid. q.* 1. *dub.* 3. *&* 2. *Prio. in fine q.* & Rubius 1. *Poſt. q.* 5. docent præmiſſas cauſare concluſionem in genere cauſæ efficientis, & materialis. Idem ſentiunt Thomiſtæ, cum D. Th. 2. *Poſt. lect.* 3.

54. Not. ex Scot. 1. *Poſt. præſertim q.* 1. § *Quantum ad* 3. principia eſſe cauſam concluſionis bifariam poſſe conſiderari, aut ſecundùm ſe, aut vt applicantur concluſioni. Primo modo principia perhibentur cauſæ concluſionis virtualiter, & potentialiter duntaxat, 2. verò modo principia dicuntur cauſæ concluſionis virtualiter, & ſub propria ratione. Alios cauſandi modos principiorum in ordine ad concluſionem ſubiungit, & expendit Maior *vbi ſuprà*, qui apud ipſum videri poſſunt, cum nobis duo modi prælati ſufficiant ad hanc difficultatem enodandam. Præterea obſeruo cum Doct. 1. *d.* 5. *quæſt.* 1. *G.* præpoſitionem *Ex* nonnunquam denotare ſubiectum, ſiue cauſam materialem ex qua aliquid fit, quo pacto ex potentia materiæ educuntur formæ naturales, & ex compoſitis naturalibus formæ artificiales, puta ex ligno imago Cæſaris, ſic *Gen.* 6. Deus præcepit Noë, vt conſtrueret arcam ex lignis leuigatis. Interdum verò ſignificat principium effectiuum, ſiue originatiuum, vt Eccli. 24. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita.* Et Pſalm. 10. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Aliquando autem vtrumque ſimul, ſic ex patre ſemen ſubminiſtrante, filius dicitur produci & generari, vbi deſignatur principium materiale, & effectiuum: pariter in re noſtra ex principiis tanquam cauſis materialibus, & effectiuis producitur concluſio.

55. Aſſertio, principia dici valent cauſæ materiales, & effectrices concluſionis. Hæc aſſertio quoad ambas partes traditur à Doct. *locu cit.* expreſſius 1. *Poſt. quæſt.* 8. *verſ. Ad aliud.* Prima pars probatur 1. ex Ariſtotele, qui 2. *Poſt. in initio cap.* 1. hoc proloquium ſcriptis relinquit, *Omnis doctrina, & omnis diſciplina ex præexiſtenti fit cognitione*, vbi maior interpretum pars per doctrinam, & diſciplinam intelligunt notitiam diſcurſiuam, quæ de concluſione habetur, & ex præmiſſis cauſatur: at, quod eſt præſuppoſitum ſubiectum, ad aliquid efficiendum eſt cauſa materialis, vt patet ex definitione materiæ 2. *Phyſ. T.* 28. Ergo cum maior, & minor ad concluſionem præexigantur, earúmque partes, nempè maius & minus extrema per copulam verbalem coniuncta, apertiſſimè deducitur, præmiſſas in producenda concluſione, cauſalitatem materialem exercere. 2. particula *Ex* interdum denotat cauſam materialem, ex qua aliquid fit, vt monui *in not.* omnes autem concedunt concluſionem deduci ex præmiſſis, tanquàm eius principiis, & præter medium reliquos terminos in concluſione collocari. 2. pars probatur 1. ex eodem Philoſopho *ibid. cap.* 2. *primi Poſt.* palàm concedente, præmiſſas demonſtrationis eſſe cauſas concluſionis: propterea, vſurpans

pans syllogismum pro solis præmissis, subdit demonstrationem esse syllogismum facientem scire, siue generantem scientiam: scientia autem est cognitio per causam; ergo cùm nomen causæ, & effectus absolute ponatur ibi, & 2. *Phys. T.*21. ab Aristotele, de causa efficiente effectúque eiusdem causæ efficientis, ipsemet Philosophus est exponendus. 2. certitudo, & euidentia conclusionis dependet ex certitudine, & euidentia præmissarum, vt *eodem loco* expresso docet Stagirita, adducens illud axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: ergo non videtur esse vlli dubium, quin præmissæ effectiuè, ad moliendam conclusionem concurrant. Iterum, in demonstratione potissima medium & definitio subiecti, vt *in propria q.* ostendetur, & prædicatum conclusionis est dicti subiecti propria passio, quæ ab ipso subiecto causatur: atque definitio quidditatiua semper habet partem essentialem rei, quæ præsefert causam talis passionis, vt in hac demonstratione euidenter conspicitur: omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis. Rursus conclusio quoquo modo assimilatur præmissis: assentimurque conclusioni propter præmissas: quocirca, præmissæ probe censentur causæ effectrices conclusionis.

56. Oppones 1. quod esse potest absque alio, non causatur ab illo, quia effectus necessariò præexigit suam causam, a qua accipit esse etsi non in facto esse, saltem in fieri: potest autem esse conclusio sine præmissis, vt patet de proponente conclusiones logicas discutiendas, puta *Logica est scientia*, *Log. est speculatiua*, & huiusmodi, in quibus maiores, & minores earum haud extant: ergo conclusio à præmissis non causatur. Data ma. distinguenda est min. potest esse conclusio absque præhabita præmissarum efficientia, negatur. Vt enim effectus non potest produci, aut esse productus, absque sua causa producente: sic conclusio nequit habere esse, sine principiis: postposita præmissarum efficientia, conceditur: sic omnis effectus, qui non pendet in esse, & in fieri à sua causa, permanet in esse, absente aut pereunte causa eius, vt claret de domo ab ædificante constructa, quæ eo distante, aut defuncto, in esse perseuerat. Vel dici potest eas esse conclusiones non formaliter, sed materialiter sumptas, vt declaraui *art.* 5. *huius q. not.* 2. Vel dicito huiusmodi propositiones reuera non esse conclusiones, sed conclusionum nomina sibi vendicare, propterea quod præmissæ in defendentium scriptis supponuntur applicatæ ad formam syllogisticam, aut saltem memoria retinentur ab eisdem, si non actu, saltem habitu.

57. Opp. 2. comparari potest scientia, sine cognitione adhæsiua præmissarum: scientia autem est habitus conclusionis *ex* 1. *Post. cap.* 2. Ergo si scientia esse valet sine præmissarum notitia, vtique conclusio esse potest absque præmissis. Ma. probatur, quidquid Deus potest vna cum causa 2. efficere, potest se solo efficere, vt communiter tenent Theologi: atqui Deus cum intellectu creato scientiam conclusionis producit: igitur absque intellectu creato illam valet producere: talis autem scientia careret præmissis, quia ab intellectu discursiuo non prodiret, cum Deus, à quo longè est omnis discursus eam immediatè produceret: ergo haberi potest conclusio, præmissis non præhabitis. Respond. argumentum valere de virtute supernaturali; non autem de virtute naturali. Vel quod in idem videtur recidere, instantia procedit de scientia infusa: non verò de scientia acquisita, de qua Dialectici loquuntur.

58. Oppones 3. si 3. intellectus operatio, quæ nomine conclusionis exprimitur, à principiis producatur, pariter 2. operatio à prima operatione efficeretur, cùm æqua ratio de vtraque esse videatur: secunda autem operatio à prima non producitur. Non enim simplicium apprehensio, & incomplexorum cognitio est causa eorumdem terminorum compositionis: ergo nec 3. à duabus primis, quæ dicuntur præmissæ, producitur. Concessa ma. distinguo min. de terminis sumptè natura euidentibus, nego: de terminis ineuidentibus, concedo. Hæc solutio hauritur ex Doct. 3. *d.*23. *quæst. vn.* §. *Aliter E.* Quilibet namque terminus euidens parit notitiam sui in intellectu per propriam speciem, deindè intellectus huiusmodi terminos componit, vel diuidit, & talia compositio, vel diuisio dicitur 2. operatio ex eisdem terminis incomplexis actiue partialiter, ad eam eliciendam concurrentibus promanans.

59 Oppones 4. quod determinat, & actuat subiectum indeterminatum, & indifferens ad aliquid recipiendum, spectat ad genus causæ formalis: assensus autem præmissarum actuat, & determinat intellectum ad hanc, vel illam conclusionem, quia ex his, vel illis præmissis, hæc aut illa conclusio deducitur: ergo concursus præmissarum ad inferendam conclusionem reuocatur ad genus causæ formalis. Data ma. distinguenda est min. præmissæ tantùm determinant intellectum nego: præmissæ determinant, & simul concurrunt ad efficiendam conclusionem concedo. Exemplum est in promptu de specie intelligibili obiecti, quæ nedum determinat intellectum ad intellectionem obiecti, cuius est species, verumetiam vna cum intellectu actiue concurrit ad causandam eiusdemmet obiecti notitiam.

ARTICVLVS IX.

Quomodo præmissæ præcedant conclusionem.

60. PRo comperto habetur apud Aristotelem, omnesque eius interpretes in hoc opere præmissas esse conclusione priores: lis verò inter eos extat, de quanam prioritate intelligi debeat, num de prioritate temporis, vt putat Capreolus 2. *d.*3. *quæst.*2. an verò de prioritate naturæ, vt communior fert Dialecticorum opinio, nominatim Scot. 1. *Post. q.* 8. & 9. & *q.* 3. *prol. principalo*, & 4. *lat. paulo post A.* Lych. Vig. & Tatar. *tum ibi, tum etiam* 1. *Post. q.* 1. *dub.* 3. necnon Maioris 1. *Post. cap.* 1. *dub.* 3. affirmantium præmissas prioritate naturæ præcedere conclusionem.

61. Not. 1. *in hoc art.* in dubium non vocari, vtrùm notitiæ præmissarum prius tempore acquiri valeant, quàm cognitio conclusionis: cùm enim ex dictis sint distincti assensus, consequenter interpositâ aliquâ morâ temporis, vnus post alterum comparari potest. Nec etiam ambigitur, num præmissæ quatenus sunt quædam propositiones seorsim sumptæ in modo, & figura haud dispositæ, prius tempore cognosci queant, quam conclusio? id enim certum est effici, aut posse effici, vt non inficiatur Doct. 1. *Post. quæst.* 8. §. *Ad primam.* Verùm difficultas est, vtrum præmissæ aptè dispositæ, secundùm formam, & figuram, absque vllo obice interposito, cognitione apprehensiuâ, aut adhæsiuâ, priùs tempore, aut naturâ cognoscantur, quàm conclusio?

62. Not. 2. ex Doct. præcit. causam, & causatum dupliciter posse inspectari, formaliter, hoc est, quatenus se mutuò respiciunt, & vt sunt correllatiua: aut materialiter, hoc est pro fundamento, & termino causæ, & causati. Hæc distinctio satis constat ex dictis *quæst. de relatione*: ideò eam hîc non amplius explano. Denuò obserua ex eodem *ibid. quæst.* 1. & 8. post Aristotelem 2. *Prior. cap.* 26. conclusionem posse sciri in vniuersali, & in particulari, siue habitu, siue actu. Scitur autem conclusio in vniuersali, quando cognoscitur maior, non cognitis secundum se minore, & conclusione; si enim

hæc

vniuerſali, quando cognoſcitur maior, non cognitis ſecundum ſe minore, & concluſione; ſi enim cognoſcatur, *omnis mula eſt ſterilis*, cognoſcitur in vniuerſali, quòd *hæc mula eſt ſterilis*. Cognoſcitur verò concluſio in particulari, & habitu, cùm cognoſcuntur maior, & minor, non tamen aduertitur minorem actu ſubeſſe maiori, & hoc duplici modo præmiſſæ priùs naturà, & tempore cognoſcuntur, quam concluſio in actu. Denique, cognoſcitur concluſio actu, cum præmiſſæ actu ſunt debitè diſpoſitæ, & applicatæ ad concluſionem promendam: ſicque cognitis præmiſſis, ſimul tempore cognoſcitur concluſio.

63. Aſſertio, præmiſſæ, & concluſio formaliter ſumptæ ſunt ſimul natura: materialiter verò acceptæ ſunt ſimul tempore cum concluſione, priores tamen naturà ipſa concluſione. Aſſertio eſt tripartita, & traditur à Doct. *vbi ſupra*. Prima pars probatur, relatiua ſunt ſimul naturà *ex cap. de Ad aliquid*, præmiſſæ autem & concluſio ſunt relatiua, ſunt enim cauſa & effectus ex aſſertis ſupra, quæ inter relatiua numerari patet *ex 5. Met. cap. de relatione*: igitur gaudent ſimultate naturæ. 2. pars probatur, *ex 1. Poſt. cap.7.* cognita ma. ſimul tempore cognoſcitur concluſio, vt in dicto loco aduertit Maior: dummodo intellectus non ſit indiſpoſitus, & voluntas eum ab eiuſdem obiecti conſideratione non diuertat. 5. cauſa naturalis ſufficiens, & non impedita, poſitis omnibus requiſitis ad agendum habet effectum ſibi coæuum, vt patet de ſole reſpectu luminis, & de igne reſpectu caloris, quod latè proſequitur Doct. 2. *d.1. q.3.* Præmiſſæ autem vnà cum intellectu ſunt cauſæ naturales efficientes & non impeditæ ſi ſint ordinatæ in modo, & figura: ergo eodem momento temporis producunt concluſionem: atque ita cognitis præmiſſis, ſimul tempore cognoſcitur concluſio. Quare rectè ſubiungit Scot. *cit.* 1. *Poſt. q.8. §. Ad* 2. præmiſſæ ſic applicatæ continent concluſionem virtute, ſicut efficiens diſpoſitum continet effectum; efficiens autem ponit effectum actu, in omni materia diſpoſita &c. Tertia pars probatur, cauſa ſaltem natura præit ſuum effectum, vt dixi *l. de cauſis*: præmiſſæ autem ſunt cauſæ concluſionis, vt probaui *in ant. art.* Iterum à quo aliquid eſſentialiter dependet, eſt prius natura eo, à quo dependet, vt patet ex Poſtprædicamentis: concluſio autem eſſentialiter à præmiſſis dependet, ergo præmiſſæ præcedunt natura concluſionem.

64. Oppones 1. cauſa materialis antecedit tempore effectum ab ea prodeuntem, in ſeque inhærentem, vt probat Ariſt. 7. *Met. T* 4. de ſubſtantia, quæ præcedit omne accidens cognitione, definitione, & tempore: præmiſſæ autem ſunt cauſæ materiales concluſionis, vt cum Scot. *in ſuperiori art.* aſſerui: ergo præmiſſæ ſunt priores tempore concluſione. Conf. *ex 1. Prior. cap.26.* contingit cognoſcere omnem mulam eſſe ſterilem, & dubitare an habeat aliquid in ventre: ergo perſpectis præmiſſis, ignorari poteſt concluſio, atque ita non ſimul tempore ſciuntur præmiſſæ, & concluſio. Reſpondeo cùm Scot. cit. præmiſſas nedum ſortiri rationem cauſæ materialis, verùm etiam rationem cauſæ efficientis, reſpectu concluſionis: ideò nihil obſtat, quin eodem momento temporis, vnà cum illis cognoſcatur iſta. Locus autem Ariſt. adductus explicatur à me *in Met. & l.1. q.6.* propediem in lucem emittenda. Interim vide Scot. *in eo text.* Ad Confirmat. dico, cum eòdem Doctore, inſtantiam valere de præmiſſis non applicatis ſecundum formam ſyllogiſticam: non verò de præmiſſis idoneè diſpoſitis in modo, & figura, & rectè applicatis ad concluſionem inferendam. Hanc reſponſionem approbat, & confirmat Maior alleg. obiectione 5.

65. Oppones ſecundò, motus fit ſucceſſiuè, & in tempore, vt cum Ariſtotele 8. *Phyſ. cap.1. T.10.* docent omnes Philoſophi: diſcurſus autem eſt quidam motus, vt patet ex dictis *art.5. huius quæſt.* a præmiſſis quippe vt termino a quo, intellectus diſcurrendo tranſit ad concluſionem, vt terminum ad quem: ſicque primò nouit principia, & poſtmodum concluſionem, quod abſque vlla temporis intercapedine effici nequit: Conceſſa ma. ad min. dico diſcurſum non propriè, ſed tranſumptiuè appellari motum. Quamuis autem exigatur motus in conſtruendis, diſponendis, & cognoſcendis præmiſſis, vt probat argumentum: tamen habita cognitione præmiſſarum benè diſpoſitarum, ſublatis omnibus impedimentis, ſimul tempore acquiritur cognitio concluſionis; & hoc eſt, quod affirmat Ariſtoteles *propè initium huius lib.* & recipit Scot. *ad calcem quæſt.8. alleg.*

66. Oppones tertiò, intellectus noſter, cum ſit finitæ, & limitatæ virtutis, cognitione ſua nequit attingere plura, vt plura ſunt *ex 2. Top. cap.9. loco 33.* vbi legitur, *contingit plura ſcire, cogitare autem non*: ſed præmiſſæ, & concluſio ſunt plura intelligibilia: ergo ſimul tempore ab intellectu haud cognoſci valent. Reſpond. proloquium Stagiritæ, quo firmatur maior, eſſe interpretandum de multis, quæ nullum ordinem & habitudinem ad inuicem ſortiuntur: quo in ſenſu, licet multa ſciantur habitu, non tamen actu: dato autem quod multa actu percipiantur, non tamen æquè perfectè, & clarè, veluti ſi vnum actuali cognitione pertingeretur, iuxta illud vulgatum *pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus* & dicatur a *Doct. 2. d.42. q.1. §. Reſpondeo G.* De pluribus autem, quæ nullam habent inter ſe connexionem, concedi poteſt, intellectum non ferri cognitione ita intenſa, & perfecta, ac ſi ad vnum obiectum tantùm terminaretur, vt conſtat de intellectu circa multa detento, & occupato. Præſertim quia veriſimile eſt, intellectum multa diſparata actu intelligere, vt patet de ſenſu viſus, qui in papyro ſimul intuetur nigredinem, & albedinem; quod potiori iure aſtruendum eſt de intellectu, qui eſt virtus ſuperior, & eminentior, vt poſt Scot. cit. notant Maior, & Tatar. *vbi ſuprà.* Idque confirmant hi Authores de actu intellectus comparatiuo, quo plura intelliguntur, cum per eum confertur vnum obiectum cognitum, ad aliud obiectum cognitum. Poteſt igitur intellectus plura ordinata, & inordinata ſimul intelligere, eo modo, quo nunc eſt expoſitum.

67. Opp. quarto, ſi eodem temporis inſtanti, præmiſſæ vnà cum concluſione cognoſcerentur: ergò nullum ſophiſma, nulluſque error contingerent, quia in omni paralogiſmo ſtatim præcognitis præmiſſis inferretur concluſio. Neganda eſt conſequentia, ſophiſma quippè committitur, quando non fit recta applicatio præmiſſarum in modo, & figura, ad inferendam concluſionem. Præhabita verò idonea earum applicatione, ſimul tempore bonus Logicus benè nouit, quæ concluſio ex talibus præmiſſis deducatur, quæ verò non deducatur, vt diligenter aduertit Doctor. 1. *Poſt. in fine q.8.*

Articvlvs X.

An habitis præmissarum assensibus, intellectus necessitetur ad assensum conclusionis.

68. STatus præsentis art. est, vtrùm præhabitis assensibus præmissarum euidentium, apte dispositarum, ac debitè ordinatarum penès modum, & figuram syllogisticam, intellectus necessariò conclusioni assentiatur: aut ei dissentiri, impediri, inhiberi valeat, voluntatis imperio. Qua in re duæ oppositæ sententiæ recitantur, & celebrantur à Nuperis Dialecticis. Altera, quam tuentur Rubius 1. *Post. cap. 2. quæst.*8. & Auersa *quæst* 2 5. *sect.* 3. affirmantes admissis assensibus præmissarum voluntatem posse suspendere assensum conclusionis, & diuertere intellectum ad aliorum obiectorum considerationem. Altera est Scot. tùm 1. *Post. quæst.*8. §. *Ad q.* & §. *Ad primam* & *q* 9. §. *Ad primam*, tùm etiam 1. *d.*1. *quæst.*4. §. *Ad argumenta. Et* 2. *d.*6. *quæst.*1. §. *Respondeo*, *H.* Et *d.*41. *quæst.*4. §. *Quantum ad* 1. *E.* Et *Quol.*16. §. *de* 1. *circa* C. & *D.* Maioris 1. *Post. dub.*3. §. *Quarto arguitur.* Lych. Gadij *in commentariis.* Scot. præcip. Fons. 1. *Met. cap.*2. *quæst.* 3. *sect.* 7. & aliorum opinantium intellectum præhabitis principiorum assensibus ab assensu conclusionis non posse voluntatis iussu cohiberi, & ad alia obiecta diuerti.

69. Not. 1. etsi ex S. Aug. 2. *de lib. arb.* relato à Scot. 2 *d.*42. *q.*4. § *Ad qq. istas. B.* voluntas sit motrix in toto regno animæ, ipsique omnia pareant, hoc est, omnes potentiæ eius tam organicæ, quàm inorganicæ eidemmet voluntati obsequantur: nihilominus in quibusdam earum operibus, nequaquam voluntatis imperio subiici videntur. In primis, sicut voluntas in esse præexigit intellectum, ita operatio voluntatis præsupponit operationem intellectus, iuxta illud vulgatum, *nihil est volitum, quin præcognitum.* Item omnes primi motus cæterarum potentiarum haud sunt sub potestate voluntatis; quo in sensu exponit Doct. *cit.* §. *Ad* 1. *sub R.* illud Apostol. Rom. 7. *non quod volo bonum facio.* Id ipsum astruit August. alleg. *cap.*15. *Non est in potestate nostra, quin visis tangamur*, & recipit Doctor. *loco memorato* §. *Quantum ad* 1. *circa D.* qui hoc sic probat, aliqua cogitatio præcedit necessariò omne velle, saltem natura, quod autem præcedit omne velle, & est prius natura, saltem non est in potestate nostra: potest autem voluntas sibi in ea complacere, firmare intellectum in eius consideratione, auertere ipsum ab ea, & conuertere ad aliam, & ad alias multas indistinctè, & imperfectè, vt disertè tradit Doctor. *ibid.* §. *Respondeo F.* & *G.* Præterea reliquæ potentiæ animæ, siue etiam totius coniuncti, vt generatiua, nutritiua, vegetatiua, & sensitiua voluntati obtemperant, quatenus dependent à potentia motiua, vt nutritiua deposcit appositionem nutribilis, & approximationem actiui, ad passiuum, & penès hoc, & consimilia opera, dici queunt esse sub iugo voluntatis. Cæterùm positis omnibus ad agendum necessariis, nullo obice interueniente, cum sint potentiæ naturales, & necessariæ cohiberi non possunt, vt oculi aperti rectè dispositi, præsente obiecto visibili, posito in debita distantia, haud voluntas efficere valet, vt non videant huiusmodi obiectum. Similiter, nolente voluntate, auris debitè disposita, non potest non audire, in debita distantia sonum vehementem: & quiuis sensus ab obiecto maximè sensibili, vim magnam sibi inferente, non potest non dolere si sit nociuum, sibique aduersum: aut non gaudere, si fuerit delectabile, vt insinuat Doctor. 3. *dist.*15. *quæst. vn.* Id ipsum dicito de intellectu, qui cum sit potentia naturalis proposito sibi obiecto euidente, cum reliquis necessariis, non potest cohibere, ne actum intelligendi efferat, voluntate etiam ipsi obsistente. Post verò emissionem actus, potest voluntas intellectum auocare, vt desistat ab eius contemplatione, aut in ea persistat, aut ad alterius cognitionem se conuertat, scribente Scot. 1. *d.* 1. *quæst.*4. §. *si tenendo.*

70. Not. 2, ex omnium Theologorum recepta doctrina, præcipuè Scot. 1 *d.*10. *quæst. vn.* necnon *Quol.*16. *art.*2. Gadij *ibid. fol.*168. & *in Report. prim. d.*40. *q. vn.* duplicem esse libertatem voluntatis, nempe libertatem contradictionis, & contrarietatis. Libertas contradictionis, quæ & libertas exercitij nuncupatur, est, qua positis omnibus requisitis ad agendum, voluntas potest velle, vel non velle, nolle, aut non nolle hoc, vel illud: & vocatur libertas contradictionis, propterea quod actus volendi, & non volendi: pariter actus nolendi, & non nolendi sunt contradictorij. Libertas contrarietatis, quæ & libertas specificationis nominatur, est qua voluntas potest oppositos actus elicere, qui sunt velle, & nolle: amare, & odisse. Voluntas autem se determinat determinatione specificationis in eliciendo actum eiusdem rationis, circa obiectum sibi præsentatum, videlicet actum volendi, non autem simul actum contrarium, putà actum nolendi: sic suo modo intellectus determinatur determinatione specificationis ad assensum obiecti sibi oblati, non autem ad eius dissensum. Deinceps voluntas se determinat determinatione exercitij ad vnum actum duntaxat, sic nonnulli aiunt, voluntatem necessitati in amando bonum in communi. Item intellectus determinatur, determinatione exercitij, cum ita assentit obiecto, vt ab eo dissentire nequeat: & in hoc sita est tota difficultas, vtrùm intellectus euidenter præmissis assentiens, necessitetur ad assentiendum conclusioni: an verò voluntatis iussu ab eius assensu distrahi valeat, aut attrahi ad alia obiecta perlustranda.

71. Assertio. præhabito assensu præmissarum de rebus necessariis, & euidentibus, intellectus ita necessitatur ad præbendum assensum conclusioni, vt voluntas eum à dicto assensu diuellere, & in contrarium adducere non valeat. Ita Scot. cit. Probatur 1. ex Arist. 2. *Phys.* T 89. & 7 *Eth. cap.* 3. affirmante, datis præmissarum assensibus, intellectum simpliciter tendere in conclusionem. Secundò conclusio necessariò sequitur ex præmissis concessis, vt clarè patet ex definitione syllogismi, quam affert Philosophus 1. *Prior. c.*1. Ergo positis præmissis intellectus cogitur assentiri conclusioni, etiam nolente voluntate, virtus quippè naturalis, vti est intellectus, præparatis omnibus ad agendum necessariis, statim agit, vt patefeci *in* 1. *not.* Præsertim quia obiectum, & intellectus solum sunt causæ notitiæ, non autem voluntas: maiórque efficacia, vis, & pondus est obiectum euidens, quam voluntatis imperium. 3. quod est idem essentialiter, aut realiter cum alio, est inseparabile ab illo, vt communiter cum Scot. docent nostri Formalistæ *Tract. Formalitatum*: conclusio autem est idem realiter, aut essentialiter cum præmissis in syllogismo demonstratiuo, vt palam fiet *in q. de demonstratione*, & ratio est, quia per medium positum in præmissis, duo extrema inter se necessariò vniuntur in conclusione. Igitur sicut præmissis per medium assumptum præstatur assensus necessarius: ita conclusioni, in qua talia extrema demonstrantur vnita, necessariò ab intellectu præbetur assensus, adeò vt velit, nolitve voluntas, ab eo intellectus resilire nequeat. Quod luculenter edisst. 1. *ante* §. *Ad* 1. *principale*, scrit Doctor. 2. *d.* 6. *q.* 2 *sub H.*

72. Dices, id totum verum esse, voluntate non ei oppugnante;

oppugnante;quod ſi voluntas velit; poteſt intellectum impedire, ne aſſenſum præſtet concluſioni. Cont.a, quemadmodum voluntas non valet cohibere appetitum ſenſitiuum ab obiecto vehementer delectabili, aut triſtabili ſibi debitè approximato : nec facultatem vegetatiuam, generatiuam, & ſenſitiuam, omnibus præexactia ad earum opera, ab earumdem operationibus amouere, vt in nobis ipſis quotidiano comprobamus experimento; alioqoin voluntas poſſet impedire, ne homo hyeme algeret, & æſtate calleret, mulierque eo in dolore pareret, atque ne ab incommodis, aſſiduiſque ærumnis, & laboribus afficeretur : ita intellectum præhabitis præmiſſarum aſſenſibus, ab aſſenſu concluſionis diuellere voluntas minimè poteſt.

73. Oppones 1. ſicut ſe habet voluntas ad ſuum obiectum, quod eſt bonum : ita ſe habet intellectua ad ſuum obiectum, quod eſt verum. Quæuis enim potentia eodem ferè modo videtur reſpicere obiectum, circa quod occupatur: eaſdemque ſuo modo conditiones depoſcere : voluntas autem neceſſariò non fertur in bonum, etiamſi fuerit ſummum bonum, vt aſſerit Scot. 1. *d.* 1. *quæſt.*4. §. *Quartum*, & *quol.*16. Ergo nec intellectus neceſſariò tendit in verum euidens, & apparens. Nego maiorem, ratio eſt, quia licet vtriuſque potentiæ idem, & commune ſit obiectum, haud per veritatem, vel bonitatem contractum, & coanguſtatum, vt cum Scot. probaui *Tract. de cognoſcibilitate Dei, diſp.*1. Tamen adeſt diſcrimen non exiguum inter iſtas potentias. Siquidem intellectus eſt potentia naturalis, & voluntas eſt potentia libera, quæ ſortiuntur oppoſitum principiandi modum, ex Doct. *in* 1. *cit.* §. *Iſta quæſt.* Idcirco ille neceſſariò, & naturaliter : hæc verò liberè circa obiectum ſuum laborat.

74. Oppones 2. voluntas dominatur omnibus animæ viribus, tam materialibus, quam ſpiritualibus, veluti Rex abſolutè imperat omnibus ſuis clientibus, maioribus, & minoribus, vt cum Aug. ſuprà dicebam : ergo voluntas poſt aſſenſum principiorum, impedire quit intellectum, ne præſtet aſſenſum concluſioni. Conſequentia probatur, qui poteſt maius, poteſt minus, vt patet *ex Epit. l.*3. *q.*3. *art.*4. *numero* 11. voluntas autem iuſſu ſuo poteſt intellectui inhibere, ne tribuat aſſenſum præmiſſis, in quibus eſt maior euidentia : ergo quoque efficere valet, nè intellectus aſſentiatur concluſioni ex illis deductæ, in qua eſt minor euidentia, vt fatetur Ariſtoteles 1. *Poſt. cap.*3. Ma. eſt nota, qui enim poteſt ferre pondos quindecim librarum, vtique poteſt ferre pondus decem librarum, vt patet experientia. Min. ſuadetur, tum quia nemo experitur ſe cogi in aſſentiendis primis principiis; tum etiam quia quædam circa illa videntur eſſe contentio, vt oſtendit Orbel. 4. *Met. q.*5. Reſponderi poteſt ant. eſſe verum in rebus obſcuris : non autem in rebus euidentibus. Vel dato ant. diſtinguo conſequens, directè nego : indirectè, concedo. Quod expreſſit Doct. nuper alleg. §. *Si tenendo.* Et ego explanaui *ſupra not.*1. Ad eius probationem dico ma. habere locum in iis, quæ ſunt eiuſdem rationis, vt apertè monſtrat exemplum de pondere præadductum : non autem de iis, quæ ſunt alterius rationis. Non enim ſequitur, quod ſi homo poteſt generare hominem, quoque gignere valeat culicem aut plantam, quod eſt eo minus opus. Vel ſi id fortaſsè valeat habere locum in aſſentiendis præmiſſis : non tamen poſthabitis præmiſſarum aſſenſibus de rebus clarè, & diſtinctè cognitis, vt innuit Doct. 3. *d.*23. *q. vn.* §. *Aliter poſt F.*

75. Oppones 3. eadem eſt ratio operandi neceſſariò, & neceſſariò perſeuerandi in operando, ſi ſimpliciter, ſimpliciter; ſi quando poteſt, quando poteſt, vt arguit Doct. *in* 1. *alleg. quæſt.*4. *verſ. Item ad principale.* Intellectus autem retrahi poteſt à voluntate, ne perſiſtat in aliquarum rerum cognitione, admittente Scot. tùm *ibi*, tum etiam *Quol* 16. & 4. *d.*49. *quæſt.*10. Igitur, præmiſſis conceſſis, voluntas ipſum compeſcere poteſt, ne in aſſenſum concluſionis rapiatur. Conceſſo ma. diſtinguo min. directè nego : indirectè, concedo, ita exponendus eſt Doct. *locis præalleg.*

76 Inſtabis. *ex* 2. *Phyſ.T.*89. & 7. *Eth.cap.*32. ſicut principium in ſpeculabilibus, ſic finis in practicis; intellectus autem neceſſariò aſſentitur principiis : ergo & voluntas fini, ac proinde poſito dictamine practico, voluntas ei neceſſariò aſſentitur, annuente Stagirita 3 *Eth. cap.*1. ac proindè nec directè, nec indirectè voluntas valet ſuſpendere, & compeſcere operationem intellectus. Eo vel maximè, quia in naturalibus, & neceſſariis non eſt admittendus habitus, vt conſtat ex Doct. 2. *d.*2. *quæſt.*10. Igitur, ſi intellectus neceſſariò aſſenſum præbet concluſioni, nullus dandus eſt habitus de concluſione, quod eſt abſurdum. Reſpondeo proloquium Ariſtotelis exponi à Doct. *in* 4. *cit.* §. *Ad primum M.* videlicet paritatem in hoc eſſe poſitam, quod ſicut veritas concluſionis ordinatur ad veritatem præmiſſarum : ita bonitas eorum, quæ ſunt ad finem ordinatur ad finem : atque illud eſt verum comparando principia ad obiecta, & fines; non autem ad potentias : Nam intellectus eſt vis naturalis, & voluntas eſt potentia libera : ideò ille neceſſariò, hæc verò liberè agit. Ad id quod ſubditur ex eodem Ariſtotele dico, illud non eſſe verum abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, hoc eſt ſi ſit recta, & inclinationem naturalem ſequatur, veluti homo dicitur neceſſariò velle beatitudinem, ideſt, Scot. interprete, naturali appetitu, non autem actu elicito appetitua liberi. Ad aliud dico ant. eſſe verum de iis, quæ cognoſcentia non ſunt; talia quippè habitus ſunt capacia : falſum de cognoſcentibus, quibus ineſt habitus ad faciliter, delectabiliter, intensè & promptè operandum, vt ſcribit Scot. 3. *d.* 33. *q. vn. B.* & *in Report. ibi* & *q. alleg.*

Opp. quartò, quod eſt indifferens ad aliquid agendum, aut recipiendum, ab aliquo eſt determinandum (exceptà voluntate, quæ ſeipſam determinat) vt patet de materia, quæ cum ſit indifferens, & indeterminata, per formam aduenientem determinatur, & limitatur: intellectus autem quandoque eſt indeterminatus ad duas eliciendas concluſiones, directam nimirùm, & indirectam, vt liquet cum præmiſſæ ſunt diſpoſitæ in modis primæ figuræ, quorum nonnulli directè; aliqui verò indirectè concludunt, à quibus non determinatur magis ad vnam, quam ad aliam concluſionem. Igitur à voluntate ad alterutram determinatur: atqueadeò datis præmiſſis, voluntas poteſt ipſum intellectum ſuſpendere, ac auocare, ne concluſioni aſſenſum præbeat.

Conceſſa ma. ad min. dico. intellectum à præmiſſis determinari ad aſſentiendum neceſſariò concluſioni directæ, primariò, & immediatè : concluſioni verò indirectæ, ſecundariò, & mediatè. Hocque explicari poteſt de lumine, quod directè fertur ad ſpeculum, indirectè verò ad nos, tale ſpeculum inſpicientes.

QVÆSTIO II.

De præcognitis, & præcognitionibus.

IN hac, & subsequentibus qq. posteriora analytica nobis plane, & plene expendenda occurrunt, quæ tanta dignitate, & nobilitate fulgent, vt cæteris Logicæ partibus præluceant, tantæque molis, & momenti extant, vt his neglectis, & ignoratis Philosophica, & Theologica dogmata ferè ignorari videantur, affirmantibus Maiore in Proœmio huius operis, Zabar. *in fine epistola dedicatoria ad comment. libr. Post.* & Sarn. *q. 1. vniuersalium pag. 15.* In hoc autem ita eluxit ingenium Aristot. vt ipsum demonstrando docuisse palam perhibeat Alexander Peripateticus. Ideò fortasse, ne tantum opus omnibus foret peruium, consultò præfatum Philosophum occultasse ipsumque obscurasse opinatur Themistius insignis Peripateticus in principio suæ Paraphrasis: aut, quod magis placet, id præstitit ob huius præstantiam, & eminentiam: non enim omnes sublimia possunt attingere, iuxta illud vulgatum: *non omnibus datum est adire Corinthum*, cui accommodatur illud Mat. 19. *non omnes capiunt verbum istud*, licet ad rem aliam insinuandam prolatum sit. Itaque nonnullus Doctor ait, vitanda esse à cunctis Vitriaci magalia. Quod est dictu, vnusquisque secundum ingenij sui captum si non sublimium præsentis operis, saltem humilium cognitionem sibi potest comparare. Idque de veritatibus sinceris cum D. Aug. *9. de Trin. c. 6.* palam edisserit Scot. *1. d. 3. q. 4. § Ad q. ante V.* paucorum enim est, docente eodem Aug. *12. Trin. c. 14.* mentis acie peruenire ad rationes intelligibiles, & non nisi puræ animæ illas pertingunt. Quare cum Arist. & Scot. hic posteriorum notitiam demonstratiuam impigrè, & accuratè perlustramus, ab eius elementis, & principiis auspicantes, ex quibus eius essentia componitur, ipsam passionesque eius, quantum ingenioli nostri infirmitas patitur, perscrutabimur, si primùm horum librorum obiectum statuerimus.

ARTICVLVS I.

Quodnam sit subiectum huius operis.

1. NOnnulli, vt Auer. & Theophrastus *hoc loco*, arbitrantur demonstrationem vnà cum definitione, esse proprium, & adæquatum obiectum istorum librorum. Communis autem sententia est Scot. *1. Prio. propè finem, q. 2. ac 1. Post. in calce q. 2.* Maioris *ibid.* Zabarel. *in comm.* Fabri *Theor. 19.* & aliorum docentium demonstrationem esse subiectum attributionis, & totale huiusce operis, cum quibus stabilitur.

2. Assertio, sola demonstratio est primum, & adæquatum obiectum horum lib. Post. Hanc tenet Scot. *vbi suprà*, quam probo 1. ex Arist. *1. Prio. c. 4.* vbi *in lib. Prio.* proponit se acturum de syllogismo in communi; *in lib. verò Post.* de syllogismo demonstratiuo, cuius rationem reddit; quia vniuersalior est syllogismus generatim sumptus, quàm syllogismus demonstratiuus, qui est specialis, de materia necessaria, sub eóque communi comprehenditur, veluti particularis & inferior, sub communi, & superiori. Præterea in his Philosophus præbet modum resoluendi syllogismum in materiam necessariam, totúsque est in tradenda demonstrationis natura, proprietatibus, conditionibus ad eam necessariis, eiúsque effectu, qui est scientia, vt legenti patet. Cùm ergo ex dictis *in Proœgomenis quæst. 3.* obiectum scientiæ sit illud, circa quod tota scientia occupatur, vna cum cæteris conditionibus ibi assignatis, quæ demonstrationi rectè aptantur, aptè deducitur istorum subiectum esse demonstrationem.

Ampliùs æqua est ratio de obiecto totius scientiæ, ac de obiecto partis: vnius autem scientiæ totalis vnum est obiectum totale, vt communiter, & vnanimiter conclamant omnes Philosophi, & Theologi. Ergo cum totius Logicæ vnum sit sancitum subiectum totale: pariter huius partis demonstratiuæ vnum obiectum partiale est stabiliendum, quod est sola demonstratio, vt magis illucescet, ex solutione rationum compositæ sententiæ.

3. Oppones 1. Aristoteles *1. Post. cap. 7. & 2. eiusdem operis cap. 3. & indè*, quædam de definitione pertractat, eámque ibi a demonstratione segregat tanquam distinctum sciendi instrumentum: ergo in hisce lib. nedum demonstratio, verumetiam definitio constituitur obiectum adæquatum. Respondeo Aristotelem eis in locis agere de definitione, quatenus demonstrationi inseruit, vt præ aliis obseruat Faber *Theor. 6. cap. 5.* est enim eius medium, aut conclusio, aut tota demonstratio sola positione terminorum differens, vt habetur *1. Post. mox alleg.*

4. Oppones 2. tres referuntur sciendi modi inter se distincti ex communi Dialecticorum consensu: ergo iuxta horum distinctionem, distinctus tractatus, locúsque proprius eis est assignandus, in quo expendantur: peculiaris autem alius locus esse non videtur, quam in hac analytica posterioristica. Nam *6. Top.* vbi memoratur definitio, potiùs ibi exercetur, quam doceatur, vt cum Alex. notant Conimb. *in initio Comm.* Atque in *Met.* considerantur communes rerum quidditates, definitio verò vt modus sciendi Logicæ, ab ipsamet relinquitur discutienda: ergo horum librorum subiectum est definitio, simul cum demonstratione. Conf. definitio nobilitate superat demonstrationem, quia illa quid rei, ista verò qualis res sit peruestigat: nobilior autem est quidditas rei, quam eius qualitas, ex *1. Met. T.* . Igitur, non definitio propter demonstrationem, sed potiùs demonstratio propter definitionem à Logica inspectatur. Respondeo Aristotelem quidem promiscuè in hoc opere agere de demonstratione, & definitione; tamen per se, & immediate non disserit de definitione, sed quatenus hæc illi famulatur, vt paulò antè dicebam. Concedendus autem est proprius, & peculiaris locus definitioni, in quo ipsa definitio consideretur, quod Philosophum præstitisse per quinque libros narratur in eius operum syllabo: tametsi illi libri ad nos non peruenerint; sicut & quidam alij, qui in eodem indice recensentur, nominatim *l. Diuisionis*, quem postmodum Boetius ad Logicæ complementum confecit: Ad conf. nego ma. demonstratio quippe includit definitionem, aut vt partem, aut vt principium, aut vt conclusionem, aut denique quia ab ea tantum differt, penès formam syllogisticam, vt aduertit Scot. *quæst. proximè alleg.* Aristoteles autem vult nobilius esse speculari quidditatem rei tantum, quàm eius qualitatem: verumtamen demonstratio vtrumque comprehendit, ideoque illi præstat.

Articvlvs II.

An omnis doctrina, & disciplina fiat ex præexistenti cognitione.

5. Zabarella 1. *Post. statim in initio cap.*1. typis mandat, hanc propositam difficultatem, penes varias interpretum expositiones, quæ videri possunt apud Iuniores Dialecticos, esse obscurissimã: penes verò ipsum textum in se spectatum, esse clarissimam, quam enò expediam, si primum quædam, quæ ad eius capium faciunt præmisero.

6. Not. primò, ex Maiore 1. *Post. propositione* 2. Tatar. *ibid. quæst.*1. *scibili* 1. & aliis, doctrinam, & disciplinam in idem ferè coïncidere, ratione verò, siue diuerso respectu abinuicem dissidere: vna quippè & eadem scientia hoc duplici nomine nuncupatur, doctrina scilicet, & disciplina, diuersimodè tamen; perhibetur tanque doctrina quatenus à Doctore, voce, aut scripto emanat; & disciplina, quatenus in discipulo recipitur. Hoc idem Philosophus astruit 3. *Phys. summ* 1. *capit.*6. *T.*19. inquiens, doctrinam, & disciplinam esse eamdem scientiam, veluti actio, & passio sunt idem motus, tametsi inter ista non exiguum discrimen interueniat; nam doctrina, & disciplina sunt eiusdem generis, atque realiter, & formaliter identificantur: actio verò, & passio licet realiter sint idem, vt suo loco patebit, formaliter tamen abinuicem distinguuntur.

7. Not. secundò. Cognitionem vniuersè sumptam esse duplicem, sensitiuam, & intellectiuam. Sensitiua autem subdiuidunt in externam, quæ fit à sensu externo, obiecto sibi præsente, puta visio à visu de colore existente ipsi oblato: & internam, quæ efficitur a sensu interno, præuia cognitione sensus externi, de obiecto sensibili, vt sensatio sensus communis, vel phantasiæ. Intellectiua quoque est bipartita, incomplexa scilicet, & complexa. Incomplexa est, quæ habetur de aliqua re simplici, & incomplexa, media specie sensibili, & intelligibili præuiis notitiis sensus externi, & interni. Cognitio verò complexa est, quæ positis omnibus prænarratis, habetur de aliqua re complexa, siue composita per intellectum, siue a parte rei sit capax, siue expers compositionis.

8. Not. tertiò, ex Maiore prænominato, post Scot. hîc, *quæst.*1.§. *Ad quæst.* Aristotelem statuisse hanc propositionem, *omnis doctrina, & omnis disciplina fit ex præexistente cognitione*, contra veteres Academicos, præsertim Heraclitum, Cratylum, & Socratem, existimantes omnia ignorari, vt nominatim de Socrate refert Aristoteles 4 *Eth. cap.*7. necnon aduersus Recentes Académicos, putà Platonicos, arbitrantes quidem aliqua à nobis, nihil tamen de nouo sciri, sed per reminiscentiam. Per has autem particulas, *omnis doctrina, & disciplina*, idem Aristoteles reiicit priores: per alias verò, refellit posteriores Philosophos.

9. Assertio prima. Omnis cognitio vt intellectiua fit ex præcedente cógnitione sensitiua interna, cognitio verò sensitiua interna ex cognitione sensitiua externa, & in hac statur. Ità Scotus *loco nunc recensito*, idque experientia testatur, maximéque elucet in modo a me ostenso, quo fit, & cognoscitur vniuersale formaliter *capite secundo, quæstione* 1. *artic.*8. Potentiæ quippè cognoscitiuæ animæ sic à natura sunt dispositæ, & colligatæ, vt superiores, & nobiliores pro hoc statu præexigant, & præsupponant in operando operationem inferiorum, & ignobiliorum. Hinc celebratum illud elogium Philosophi *lib. de sensu, & sensato, cap.*1. adductum, & explicatum a Doctore *q.*1. *Vniuersalium Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu.*

10. Assertio secunda. Cognitio intellectiua complexa præsupponit notitiam incomplexam terminorum: & complexa conclusionis præexigit cognitionem præmissarum. Hæc assertio traditur à Doctore quoad ambas partes *loco cit. Ad* 1. *dicitur.* Prima pars est in confesso, compositum distinctè non cognoscitur, nisi eius partes cognoscantur, à quibus essentialiter dependet: cognitio autem complexa est quoddam totum, & compositum logicum, vt peculiariter de enunciatione ostendi *lib.*4. conflatur enim ex subiecto, & prædicato per copulam verbalem connectis: igitur cognitio intellectiua complexa præsupponit cognitionem incomplexam.

Denuò, ex Aristotele 1. *post T.*21. ex Scot *ibid. q* 2. principia cognoscimus, quatenus terminos cognoscimus: principia autem, quæ sunt præmissæ Syllogismi demonstratiui, sunt notitiæ complexæ: ergo cognitionem incomplexam terminorum præexigit cognitio complexa propositionum, quæ dicuntur principia conclusionis demonstratæ.

Secunda pars liquet ex dictis. Nam effectus præsupponit suam causam, à qua suum esse accipit: ergo, cum præmissæ sint causæ conclusionis, eas hanc præire apertum est.

11. Assertio 3. Doctrina, & disciplina, quam memorat Aristoteles in allata propositione, capienda est pro notitia discursiua, siue scientia conclusionis duntaxat. Hauritur ex Doct. *proximè cit.* & probatur 1. ex eodem Aristotele, qui vt habetur in codice græco, vocat doctrinam, & disciplinam διανοητικὴν, id est discursiuam, & rationalem, vt ibi optimè aduertunt Zab. & Conimb. Siue vt legunt Themistius, & Simplicius λογικὴν, hoc est rationalem, & Syllogisticam, quæ nihil aliud sibi vult quam doctrinam conclusionis, vt confirmant apertè, quæ habet idem Philosophus *ibid. T.* 1. *& l.* 2. *eiusdem operis c. vlt.* necnon 6. *Eth. c.* 3. *Et* 1 *Met. T.*48. vbi hanc eamdem propositionem repetit, claréque ostendit se hîc loqui de doctrina conclusionis; estque communior Græcorum, & Latinorum interpretatio.

Secundò Aristoteles resolutiua vtitur methodo, vt claret ex inscriptione istorum, & præcedentium librorum: ergo auspicatur à notitia conclusionis, quæ est prima ordine analytico, & vltima ordine compositiuo. Huic mirum in modum consonant exempla ab Aristotele hoc in loco adducta, siue potius (vt aliis placet) inductio in scientiis, & artibus: primò quidem in Mathematicis disciplinis, quæ ex præcedente cognitione suorũ principiorum causantur: secundò in Logica, quæ pariter per Syllogismum præsupponentem cognitionem ma. & min. ac notitiam terminorum. Tertiò in Rethorica, quæ potissimum vtitur enthymemate, & exemplo, quæ cùm sint Syllogismi imperfecti, vtique ex aliorum præuiis cognitionibus efficiuntur. Idque etiam artibus effectricibus nonnulli attribuunt, quæ ex quibusdam rerum præcognitionibus procedunt, vt exemplis illustrat Themistius, tametsi hoc non sit ad mentem Philosophi, cuius propositum, & finis fuit docere instrumentum sciendi, quod est demonstratio, eiúsque effectum, qui est scientia, vt intueri licet in eius textu.

12. Oppones 1. Angelus, Adamus, & alij, qui scientia diuinitùs elargita pollent, eam non acceperunt ex antecedente cognitione, vt patet. Igitur propositio Aristotelis præallata non est vniuersaliter vera, etiam sumendo doctrinam, & disciplinam pro scientia conclusionis. Respond. cum Scoto *quæstione secunda*, § *Ad oppositum*, assertum Philosophi esse interpretandum de scientia humanitùs acquisita, non verò de scientia infusa, vt probat argumentum.

13. Oppones secundò. Sicut se habet sensus ad sensibilia; ità intellectus ad intelligibilia: sensus autem potest aliquid sentire, nulla præuia sensatione.

Nam vbi primum puer natus est, ante quãcumque cognitionem, & perceptionem, si admoueatur linguæ eius mel, statim percipit dulcedinem : quod de visu, cæterisque sensibus est affirmandum : ergo & intellectus potest aliquid scire, sine præexistente cognitione. Nego ma. quia vt scribit Doct. *quæst.* 1. §. *Ad* 1. obiectum sensibile habet natiuam proportionem, cum sensu externo, ita vt aptum sit attingi ab eo, absque vlla præuia dispositione, & cognitione. Verùm idem obiectum sensibile conditionibus singularibus, & materialibus indutum, nullam sortitur proportionem cum intellectu immateriali, & spirituali : ideò eget aliqua præuia cognitione, vt intelligat, quæ à sensibus sibi præsentantur. Eò magis, quia intellectus est virtus discursiua à principiis, ad conclusionem : ob id vt cognitionem conclusionis adipiscatur, necesse est, cognitione præmissarum polleat.

14. Oppones tertiò. Aristoteles 1. *Met. T.* 48. hanc ipsam propositionem adducit, & extendit ad doctrinam definitionis : non ergo ea restringenda est ad solam conclusionis doctrinam, vt scriptum est *in* 3. assertione.

Respond. quidem *eo in loco Met. cit.* pati illum ampliorem sensum, fundique tam ad cognitionem definitionis, quàm conclusionis. Verùm *in initio primi Post.* tantùm capit doctrinam discursiuam, propter dictionem ibi oppositam, quæ Græcè *διανοητική*, Latinè verò *discursiua* perhibetur, vt præ aliis notat ibi Zabarella.

ARTICVLVS III.

Quot sint præcognitiones, & præcognita.

15. PRæcognitio ex vi nominis, notante Maiore *4. post. dub.* 7. nihil est aliud, quam præ aliis cognitio, siue cognitio habita, ante aliam cognitionem, propriè tamen, vt ad rem nostram, & ad hunc locum spectat, est notitia prærequisita ad habendam scientiam conclusionis. Præcognitum verò penes nomen, est quod ante aliud cognoscitur; quatenus autem in præsenti accipitur, describi potest id, quod est cognitum præexactum, & prærequisitum ad scientiam conclusionis pariendam, vt patet ex Scot. *4. dist.* 1. *quæst.* 2. § *Ex his. K.* Cupiens enim Aristoteles præbere normam demonstrandi, & aperiendi viam sciendi, docet quot sint præcognitiones, quæue sint præcognita, siue quæ præmittenda, & præcognoscenda sunt. Duplex autem est præcognitio, nempe an sit, & quid sit. An sit, duplex est, idest an existat, vel possit existere: & an sit, hoc est, an sit verum. Quid sit, quoque duplex est, videlicet quid nominis, & quid rei : quid nominis, id est, quid significetur per nomen, & quid rei, hoc est, quid sit res, siue natura, & essentia nomine significata. Præcognita verò tria numerantur ab Arist. *subiectum, passio, & principia, siue præmissa.* De passione præcognoscitur, quid nominis, de principiis an sint vera, & de subiecto vtrumque, an sit, & quid sit.

16. Assertio, duæ sunt tantum præcognitiones, tria verò præcognita præenumerata. Ita Scot. 1. *Post. q.* 4. § *Ad quæst.* cum Aristotele *hoc loco cap.* 1. *T.* 2. quem citat Doct. 3. *dist* 14. *quæst.* 2. §. *Contra rationem, sub H. & collatione* 13. §. *Ad quæst.* Prima pars probatur, de qualibet re scienda per demonstrationem, debemus prænoscere an sit, & quid sit : ergo duæ sunt præcognitiones prærecensitæ. Ant. est in promptu. Nam, vt aliquid demonstratiuè sciatur, necesse est præcognoscatur, vtrùm existat, vel possit existere? Item quid sit eius quidditas, & natura, secùs haud sciri potest. Secunda pars probatur, in scientia demonstratiua acquirenda, tria sunt necessariò præcognoscenda : ergo tria sunt præcognita ad demonstrationem habendam. Ant. ostenditur; siquidem demonstrari debet passio de subiecto per principia, seu præmissas, quæ sunt causæ conclusionis scientificæ. Vnde patet esse tria præcognita ad demonstrationem, nempe subiectum, de quo fit demonstratio, passio, quæ demonstratur in esse subiecto, atque principia conclusionis effectiua : cùm ergo nihil aliud prærequiratur prænoscendum ad scientiam conclusionis generandam, aptissimè deducitur, non plura, quàm tria esse præcognita, vt luculenter exprimit Zab. *l. de trib. præcognitis cap.* 1. Addo, quod cum demonstratio diuidatur in principia, & conclusionem, & conclusio in subiectum, & passionem, oportet hæc tria esse præcognita duntaxat.

Oppones primò. De subiecto præcognoscitur, quid rei, seu quid rei simpliciter, & de passione quid nominis, seu quid secundum quid : quid autem rei, & quid nominis sunt distinctæ præcognitiones : ergo sunt tres præcognitiones, quia illis duabus mox recensitis iungitur alia, puta an sit. Resp. cum Doct *prope finem q. cit.* vtramque præcognitionem, quid nominis, & quid rei comprehendi sub vna præcognitione generali quid sit, ideò *in initio huius art.* partitus sum præcognitionem quid est, in quid nominis, & quid rei.

17. Oppones 2. Tot sunt præcognitiones, quot sunt quæstiones : sunt autem quatuor quæstiones *ex* 2. *Post. c* 1. an sit, quid sit, qualis sit, & propter quid sit : Ergò & quatuor præcognitiones. Maior videtur esse nota, quia quæstiones præexigunt præcognitiones : cùm omnis quæstio vnum supponat, siue præexigat, & aliud quærat. Respondet Doct. alleg. §. *Ad primam obiect.* esse duas præcipuas quæstiones nempe an sit, & quid sit : reliquas verò ad istas reuocari, nempe propter quid sit reduci ad quid sit, & qualis sit, ad an sit, quod planè olfacit Zabar. *suprà cit. c.* 2. Vel dicito esse duas generales, & quatuor speciales: & hæc responsio non videtur distare à præcedente. Aut si mauis esse duas necessarias; cæteras verò nequaquam.

18. Oppones tertiò. Tria sunt præcognita, subiectum, passio, & dignitas : ergo sunt 3. præcognitiones. Ant est nostrum assertum. Consequentia tenet, quia præcognitiones numerandæ sunt, iuxtà præcognitorum numerum. Sunt námque relatiua, dicuntúrque ad conuertentiam Concesso ant. nego consequentiam. Siquidem nõ est necessarium multiplicari subiectum, ad multiplicationem formarum in ipso existentium, vt pater habens plures filios per plures numero paternitates in ipso existentes ad eos refertur, vnus tamen pater eorum est.

19 Oppones quartò. Præter illa tria relata, præcognoscenda sunt medium, & bonitas consequentiæ : ergò sunt plura, quàm tria præcognita Nego consequentiam; medium quippè non facit distinctum præcognitum à subiecto, & prædicato, sed semper alterutrum est in prima figura; in aliis verò figuris aut semper prædicatum, vt in secunda figura; aut semper subiectum, vt in tertia figura. Forma autem syllogistica, siue illatiua non ad posterioristicos, sed ad prioristicos libros spectat : Ob id hic non censetur peculiare præcognitum ab illis tribus distinctum. Vel dici potest cum Maiore in præsenti, bonitatem consequentiæ, in principiorum prænotione includi.

20. Dices, subiectum, & passio reserantur in principiis, tanquàm partes in toto : igitur, si medium non constituit distinctum præcognitum, quia ponitur in præmissis, estque earum subiectum, aut prædicatum, idem sanè astruendum est de subiecto, & passione, quæ in eisdem præmissis comprehenduntur. Dico disparitatem esse, quia subiectum, & passio distinctis præcognitionibus præcognoscuntur à præcognitione principiorum : non autem medium. Ideò hoc ab illis non est distinctum præcognitum : illa verò maximè, vt magis patescet in subsequentibus articulis.

ARTICVLVS IV.

Quid præcognoſcendum ſit de Principiis.

21. ARiſtoteles 1.*Poſt. cap.*1. ſingulum præcognitum examinans, eique propriam prænotionem attribuens ſcribit, de principiis præcognoſcendum eſſe, quod ſint vera ; de paſſione quid nominis, & de ſubiecto vtrumque, nimirum an ſit, & quid ſit. Hæc ſingulatim ſunt à nobis diſcutienda, cum Scoto 1.*Poſt. q.*5. 6. *&* 7.

22. Not. 1. Hæc tria, ſubiectum, paſſionem, & principia, ad gignendam ſcientiam demonſtratiuam quidem neceſſaria, diuerſimodè tamen conſiderari. Subiectum quippe ſpectatur, quatenus cæteris omnibus ſubſternitur, & ſubiicitur: paſſio verò, quatenus ſubiecto ineſt, ab eóque prodit, & eſſentialiter pendet. Principia autem quatenus ſunt cauſæ, à quibus cæterorum notitia proficiſcitur. Cùm autem demonſtratur paſſio de ſuo ſubiecto, per principia, vt acquiratur ſcientia, oportet ea tria prænoſcere, non quidem eadem prænotione, cùm diuerſa reſpiciant, ſed diſtinctis prænotionibus, vt per ea, quæ ſubiiciemus, magis conſtabit.

23. Not. ſecundò. Principium vniuersè ſumptum diuidi in ſimplex & complexum. Simplex, ſeu incomplexum eſt, quod vna dictione exprimitur, (de quo nonnihil *in Epitome lib.*1. *quæſt.*1. *art.*4.) ſubdiuiditur in principium eſſendi, & cognoſcendi, de quo in *Phyſ. lib. de principiis.* Complexum quod pluribus dictionibus ſignificatur, vt patet *in Epit. cit.* eſt axioma, ſiue propoſitio vniuerſalis, quæ indemonſtrabilis, per ſe nota, communis animi conceptio, & dignitas perhibetur, ſubſecatur autem *in hoc lib. cap.*2. in commune & particulare. Principium commune eſt principium Metaphyſicæ, quæ dicitur ſcientia communis, vt conſtat ex 3. *Met T.* 2. *&* 4. *eiuſdem T.*5. Præterea, commune ex Ariſtotele 1.*Poſt. cap* 8. duplex eſt, communiſſimum, & minus commune, illud ad omnia ſe extendit, vt *quodlibet eſt, vel non eſt*: hoc non ad omnia funditur, vt *contraria nequeunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto*: quod à Phyſica, & Medicina conſideratur.

Proprium eſt, quod vni tantum concluſioni, ſiue ſcientiæ competit, vt natura eſt principium motus, & quietis, quod ſoli Phyſicæ adaptatur. Rurſus obſerua ex Doct. *quæſt.*5. *loci allegat.* complexum ſub ratione complexi non habere quid, & per conſequens definitionem ſecundum Ariſtotelem 7. *Met. T.*12. *& inde.*

24. Aſſertio, de principiis præcognoſcitur, quod ſint vera. Ità Scotus *quæſt. nunc allegat.* §. *Ad quæſt.* cum Ariſtotele *ibid. cap.*1. Probatur, principia ſunt cauſæ concluſionis, vt ſuprà oſtendi: ergo de ipſis præcognoſcendum eſt, quòd ſint: quod enim nihil eſt, vllius nequit eſſe cauſa. Iterùm, ſi aliud de principiis foret præcognoſcendum, maximè quid ſint; cùm non detur alia præcognitio, vt liquet ex *præcedente artic.* Non poteſt autem de ipſis principiis præcognoſci quid ſint, quia non habent quid, cùm ſint complexa, & aggregata ex pluribus quid, quæ non habere quid ſimpliciter adnotaui ex Ariſt. *in fine* 2. *not.* Ampliùs, ante aſſenſum concluſionis, præexigitur aſſenſus præmiſſarum, quæ ſunt eius principia: igitur de principiis præcognoſcitur quod ſint vera.

25. Oppones primò. Ariſtoteles *cap* 8. *huius libr.* fatetur de omnibus principiis præcognoſcendum eſſe quid nominis: ergo de principiis prænoſcitur quod ſint & quid ſint; & ita ſentiunt Conimbr. *quæſt* 3. *art.*4. & Raconius *art.*5. *diſput.* 1. *parte* 3. *ſect.*1. Reſp. eſſe exponendum non de ipſis principiis præciſè, quia cùm ſint complexa non habent quid: ſed de eorum partibus, putà ſubiecto, & paſſione: alioqui Philoſophus ſibi contradiceret, qui expreſsè *cap.*1. *eiuſdem lo.* tradit, de principiis ſolùm eſſe præcognoſcendum quod ſint. Hanc interpretationem indicat Doct. *vbi ſuprà in fine.*

26. Oppones ſecundò. Syllogiſmus, & propoſitio ſunt complexa, & habent quid, quia definiuntur, vt patet 1. *Prior. cap.*1. Ergo quamuis principia ſint complexa, non eſt inficiandum, ea habere quid, ipſúmque quid de eiſdem præcognoſci. Reſpondet Scot. *citat* §. *Ad* 1. *rationem*, & ſignificat 4. *diſt.*1. *quæſt.*2 Syllogiſmum bifariàm conſiderari, aut ſub ratione complexi, & ita negatur Syllogiſmum habere quid: aut ſub ratione incomplexi, & vt eſt ſecunda intentio per hoc nomen, *Syllogiſmus*, ſignificata, & hoc modo conceditur Syllogiſmum habere quid, & definitionem. Idipſum aſtruendum eſt de propoſitione, quæ quoque accipi valet ſub ratione complexi, vel incomplexi: & pariter de principiis.

27. Oppones tertio. Exiſtentia præſupponit, & præexigit eſſentiam, ſicut modus præſupponit rem, cuius eſt modus: principia autem habent exiſtentiam, cum apud omnes ſit in confeſſo de eis præſupponi, quod ſint; præſertim quia cum ſint cauſæ concluſionis, debent præexiſtere, quia nihil cauſat, niſi præexiſtat, ergo & eſſentiam: quod autem habet eſſentiam, habet quid, quia eſſentia, & quidditas vel non differunt, vel ſi differunt, ſaltem ab inuicem ſegregari nequeunt: igitur, ſi de principiis prænoſcitur quod ſint, vtique præcognoſcendum eſt quid ſint. Reſpond. idem Doct. citatus, quid propriè eſſe ſolius incomplexi, déque ipſo eſt tantum definitio, quæ explicat quid rei; Ob id Ariſtoteles præallegatus rectè negat entia per accidens, & aggregata habere quid. Itaque ad argumentum in forma, conceditur totum: ſubſumptum autem negat Scotus, quia eſſentia competit tam complexis, quàm incomplexis. Vel dicito eſſe verum de eſſentia ſimplici, non autem de eſſentia ex multis aggregata, vt in re noſtra euenit.

ARTICVLVS V.

Quid prænoſcendum ſit de paſſione.

28. NOnnulli, inter quos eſt Raconius *diſp.*1. *de Demonſtratione art.*4. opinantur duas eſſe præcognitiones paſſionis, an ſit, & quid ſit: his fauent Maſtrius, & Bellutus 2. *parte Introd. Tract.*1. *capit.*1. Communis autem ſententia eſt Ariſtotelis 1. *Poſt. c.*1: Scot. *quæſt.*6. §. *Ad quæſt.* Fuentes *quæſt* 19. *diff.*1. *a.*1: Conimbr. *art.*4. & aliorum *ibid.* affirmantium de paſſione præcognoſci quid nominis duntaxat.

29. Not. Paſſionem ineſſe ſubiecto, déque eo demonſtrari per demonſtrationem; non tamen eſſe propriè accidens, veluti accidens quod dicitur quintum prædicabile, quodvè à ſubiecto realiter diſſidet, & in eo mere planè inhæret, & accidentaliter perficit: ſed eſſe accidens ſumptum pro extraneo, quia eſt extra ſubiecti eſſentiam; ab eo oritur, realitérque ipſi identificatur, vt patet *lib.* 2. *quæſt. de proprio.* Quamuis autem Doctor hoc loco videatur loqui de paſſione, tanquam accidente communi, vt notat Fuentes citatus; nihilominùs non videtur ambigendum, an hoc opus ſit Doctoris, vt præſtat idem Fuentes ibi. Nam in re conſimili putà *de lib Prior.* ipſe Fuentes *quæſt.* 3 *art* 5. *diff.* 3. reprehendit noſtrum Fabrum negantem eos libros eſſe Scoti, proptereà quod in eis multa ſunt, quæ pugnant libr. Met. & ſententiarum; & tamen eos attribuit Doctori. Idipſum hîc obiicio eidem Fuenti; & dico cum Bârgio aliàs recenſito, in his plerúmque Scotum locutum fuiſſe ſecundum communem opinionem, cuius indicium apertum eſt, quia in iſtis, non ait, *dico* ſed *dicitur*

in alus verò posterioribus operibus, euidenter suam in medium protulisse sententiam, firmis, & subtilibus rationibus communitam.

30. Assertio, de passione tantum præcognoscendum est, quid nominis, siue quid vocabulo significetur. Hanc tenet Scotus cum Aristotele locis prænominatis, & probatur: fieri nequit, vt aliquid de aliquo ostendatur, si eius nomen ignoretur: ignorato quippe nomine, rem quoque ignorari oportet significatam per nomen, vt innuit Scot. *quæst.* 4. *huius libri*, & Zab. *ibid. T.* 2. *& l. de tribus præcognitis cap* 3. post Themistium ab eo cit. aientem, significationem nominis esse principium inquisitionis: & ego præmonui *in Epitome lib.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. Passio autem demonstratur de subiecto in conclusione, per propriam causam, vt patet in hac demonstratione, *omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.* Vbi risibilitas, quæ est passio hominis, ostenditur de ipso homine per rationalitatem, quæ est eius propria causa. Itaque de passione præcognoscitur quid nominis. Prætere a, necesse est, quoquo modo cognoscere passionem, priusquam demonstretur inesse suo obiecto in conclusione. Est enim principium, siue pars vna cum subiecto constituens conclusionem: antequam verò constituamus totum, oporter nos aliquam cognitionem de eius partibus habere: ergo de ea præhabetur, & præsupponitur notitia nominalis, dico notitiam nominalem; quandoquidem prius acquiritur cognitio rei indistincta, & confusa, quàm gignatur cognitio rei distincta. Puer enim cognoscit, quid significatur per equum; tametsi naturam equi distincte non nouerit. Item, de non ente habemus cognitionem nominis, non verò cognitionem rei, cum nihil sit. Amplius, quod quæritur, non præsupponitur an sit, secùs frustrà quæreretur, vt obseruat Zab. *lib. de trib. præcognitis cap* 3. In demonstratione autem quæritur, num passio subiecto inhæreat? & concluditur in esse. Igitur de passione præcognoscitur tantùm quid nominis.

31. Oppones primò, secundum Aristotelem, & Scot. *in præsenti*, de passione præcognoscitur quid sit: ergo quoque de ea præcognoscitur, an sit. Consequentia tenet, quia quid est, præsupponit quod est. Vt enim patet 2. *Post cap.* 1. Prima quæstio est, an sit: secunda verò quid sit: prior que præcognitio *ex* 1. *Post. cap.* 1. est, an sit; posterior verò quid sit. Igitur si de passione præcognoscitur quid sit; vtique de ipsa præcognoscitur, an sit. Concesso ant. negatur consequentia, ad eius probationem dico, quid rei quidem præsupponere an sit, non tamen quid nominis.

Instatur, *ex* 4. *Met. T.* 28. quod significatur per nomen est vera definitio: ergo si de passione præcognoscitur quid nominis; pariter & quid rei. Occurrendum est ex Doctore *præallato.* §. *Ad* 1. interdum quidem rationem, quam nomen denotat esse definitionem rei, & veram definitionem, vt vult Philosophus *locis allegatis*. Interdum verò rationem, quam præfert nomen esse descriptionem, non autem veram rei definitionem, sed vocari definitionem quid nominis, vt patet ex probatis, in præposita assertione.

32. Oppones secundò, idem Philosophus 2. *Post.* subdit duplicem esse definitionem, vnam quam vocat quid rei; & alteram, quid nominis, quam non entibus attribuit. Passio autem est ens reale, cùm pullulet à subiecto, quod est ens reale: ergo passio habet definitionem quid rei, & non quid nominis: ac proinde ipsa præcognoscitur quid rei.

Respondeo definitionem quid nominis, nedum non enti; verumetiam enti conuenire, quod quoque potitur vera definitione sibi congruente, Ad Arist. dico, quidem ipsum asserere definitionem quid nominis competere non enti; non tamen negat eam enti adaptari. Passio autem cum sit ens, sortitur vtramque definitionem, quid nominis, & quid rei. Prior, ante demonstrationem prænoscitur: non autem posterior.

33. Oppones tertiò, quod coniungitur in vna præmissarum cum medio, necesse est, præcognoscatur an sit, vt liquet de subiecto, quod ponitur in vna ex præmissis, de quo prænoscitur an sit. Passio autem connumeratur cum medio in alterutra præmissâ, vt licet conspicere in præadducta demonstratione in prima probatione assertionis: ergo de passione prænoscitur an sit.

Respondeo passionem bifariàm considerari, in se quatenùs est aliquitas, nulla habita ratione ad subiectum, in quo est: aut respectiue, quatenùs designat ordinem, & habitudinem ad subiectum, in quo est. Primo modo ponitur in præmissis, & connectitur cum medio, cuius prænotio à præmissarum prænotione non differt: Secundo modo locatur in conclusione, & coniungitur cum subiecto, cuius inhærentia, siue inexistentia ostenditur in ipsamet conclusione: ideò vt passio est, non præcognoscitur de ea an sit sed probatur in esse subiecto: ita videtur insinuare Scot. *loco memorato*, §. *Contrà istam*. Nec vlla extat paritas de subiecto, & passione, quia subiectum à passione non dependet, veluti passio à subiecto dependet. Quodlibet autem ens cognosci:ur sicuti est; & cùm passio inexistat subiecto, haud cognosci valet absque respectu, & ordine ad aliud, vt bene subnecit Scotus *vbi suprà*.

34. Mastrius, & Bellutus prænominati *in principio huius artic.* hanc retinent responsionem, nihilominus subiungunt de passione prænosci debere, an sit, confusè, & indistinctè; Aristotelem verò huius non meminisse propterea quod eius inexistentia in subiecto, clarè in demonstratione ostenditur. Verùm hoc Aristoteli, & Scoto apertè pugnat, vt patet legenti textum. Siquidem cum præcognitio quid est passionis, sit cognitio confusa, & indistincta, vt scribit Doctor citatus *paulò ante* §. *ad idem*, si admittitur præcognitio eiusdem passionis an sit confusa, procul dubio vtraque prænotio concedenda est ipsi passioni, cum ambæ sint confusæ, & indistinctæ: quod subiecto solùm accommodari docent Aristoteles, & Scotus *præallegati*, vt mox palam fiet.

ARTICVLVS VI.

Quot sint prænotiones subiecti.

35. OMnes etsi cum Aristotele 1. *Post. T.* 1. libenter admittant, de subiecto prænosci quod est, & quid est: nihilominùs quo modo, quatue ratione id accipiendum sit, non omnium est vnus sensus, tum de priori, tum etiam de posteriori præcognitione. Etenim Caietanus, Toletus *cap præsenti quæst.* vn *Ad* 5. & alij à Conimbricensibus *quæst.* 3. *art.* 3. citati, putant primam prænotionem quod est, interpretandam esse de existentia actuali subiecti, adeò vt, præsupponendum sit subiectum actu existere, tempore à natura sibi constituto. Oppositum autem tutantur Scotus tum hic *quæst.* 7. *& quæst.* 3. *vniuers.* §. *Dicitur* tum etiam 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. §. *Ex his H.* Sarn. *quæst.* . *vniuers.* Faber *Theor.* 2. Conimbr. nunc allegati, & alij communiter, & vnanimiter docent, necessariò præsupponendam non esse existentiam subiecti actualem, sed sufficere possibilem, & potentialem existentiam, siue non repugnantiam ad existendum. Quoad secundam subiecti prænotionem *quid est*, altercantur quoque Dialectici inter se. Nam Zab. *lib. de tribus præcognitis cap.* 2. cui consentire videtur Tol. *alleg. Ad* 2. per quid est, intelligit, & exponit quid nominis: Scoto 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. §. *Contrà infrà H.* aliisque Authoribus prænominatis reclamantibus, qui opinantur de subiecto præcognoscendum esse quid rei.

36. Not. hoc geminatum dubium agitari, tam de subiecto

subiecto totali, & adæquato, quàm de subiecto partiali, & inadæquato. Par quippè ratio extat de vtroque, cum vtrumque sit basis, & fundamentum totius ædificij demonstratiui, ab eóque necessariò prodeant passiones demonstrabiles; stabi tantúrque subiecta perpetua, necessaria, & incorruptibilia, vt indicaui *lib. 1. quæst. 3.* Quo fit, vt sub ea prænotio an sit, non de eius natura, & essentia intelligatur; quæ cum sit necessaria, & æterna in esse obiectiuo, haud præsupponitur existere: sed de existentia possibili, & non repugnante, vt optime interpretatur Doct. *in 4. præalleg.* Bonet. 1. *Met. cap. 3.* Tatar. 2. *Post. quæst. 1. aub. 3.* & Sam. *ra. pag. 72.* Prænotio autem quid est, capi potest de conceptu quidditatiuo, & de definitione: de vtrísque enim confici queunt demonstrationes, vt patet de ente, quod cum expers sit generis, & differentiæ, definitione caret, gaudet tamen conceptu quidditatiuo, ac de ipso passiones demonstrantur, vt abundè ostendi *in Met. lib. 1.* Item, Deus *ex 1. quæst. prol.* est subiectum Theologiæ, de quo, cùm sit simplicissimus, definitio dari nequit, bene verò conceptus quidditatiuus, vt *in 1. Tract. nostra summa Theologica* liquidò constat.

37. Assertio prima. Prior prænotio subiecti *quod est* intelligi debet de existentia eius possibili. Ita Scotus *cit.* Probatur primò, *ex 2. Post. T. 1. & 7. Met T. & inde*, vbi Aristoteles scribit, demonstrationem eius medium est definitio, esse de non existente: igitur secundum Aristotelem, prima prænotio subiecti capienda est de existentia possibili. Secundum obiectum scientiæ est necessarium *ex primo Post T. 5. & 28.* Et vniuersale ex eodem *ibid. T. 29.* Vniuersale autem abstrahit ab omni existentia; cum existentia sit contingens, principiumque mutationis, quæ à scientiæ ratione est aliena: immò ipsamet scientia abstrahit ab omni existentia *ex secundo, distinct. 3. quæst. 9. §. Ad quæst. B.* Igitur de subiecto præcognoscitur existentia possibilis duntaxat.

38. Assertio secunda, per posteriorem subiecti prænotionem, quid est, intelligitur quid rei Tenet Doctor *vbi suprà, & in 3. citat.* Probatur primò, ex Aristotele 6. *Met cap. 1. & 1. de anima T. 11.* dicente definitionem subiecti esse caput, & fundamentum totius scientiæ: atque definitionem subiecti esse medium demonstrationis potissimæ: ergo, secundum Aristotelem, de subiecto præcognoscitur quid rei. Secundò, de ea definitione capiendus est Philosophus, quæ in nobis gignit scientiam; cùm in hoc Opere, scopus eius sit docere modum, & dare instrumentum aptum ad gignendam scientiam: definitio autem quid rei, & non quid nominis, in nobis parit scientiam: ergo de subiecto præcognoscendum est quid rei. Eò magis, quia vt ait Scot. *in 3. nuper alleg. & 15. Met in expositione Tex. cap 1. summa 3. numer. 54.* in ratione, & quidditate subiecti, virtualiter includitur tota ratio scientiæ. Nec per ipsam demonstrationem acquirimus quodam modo quid est, immò totaliter præsupponitur; solúmque per demonstrationem pariter cognitio passionum sibi inhærentium.

39. Oppones primò, contra 1. assert. Aristoteles *lib. prædicam. cap. de Ad aliquid*, tradit scientiam, eiúsque obiectum scibile esse correlatiua, quæ mutuam sortiuntur existentiam: additque, scientia non existente, scibile existere non posse; ergò scientia existens actu est de subiecto actu existente: ac proindè de subiecto præcognoscitur quod est existens. Confirmatur, idem 2. *Post. T. 8* subiungit vanum esse quærere quid est, nisi priùs habeatur quod est, cùm hoc illud includat: igitur non potest demonstrari, passionem inesse subiecto, nisi subiectum actu præexistere dignoscatur.

Respondeo scientiam, & scibile esse de tertio modo relatiuorum quæ sunt non mutua: ideò Aristoteles ibi ait, si scibile tollatur, tollitur & scientia: scientia verò si tollatur, non tollitur scibile. Nam si scibile non sit, scientia non est, nullus enim penitus scientia erit. Scientia verò etiamsi non sit, scibile esse nihil prohibet. Quare nego consequentiam. Ad conf. exponendus est locus ille, non de actuali, sed de existentia possibili, vt constat ex proposito not.

Instabis, syllogismus, qui est ens rationis, à Logica tanquam eius obiectum consideratur, cui nulla existentia possibilis a parte rei competit: ergo assertum Philosophi non capitur de existentia possibili. Dico obiecto scientiæ realis conuenire existentiam possibilem: obiecto autem scientiæ rationalis, vti est syllogismus competere existentiam tantùm obiectiuam. Sicut suo modo ei attribuitur definitio, vt de secundis intentionibus in vniuersum perhibent Scot. *in 4. cit. §. De 2. principali infrà H.* & Bonet 1. *Met. cap. 2. §. Quarta proprietas.*

40. Oppones secundò, quod experientia, & sensuum nisi sterio acquiritur, præsupponitur habere actualem existentiam, quia tam experientia, quam sensus versantur circa singularia actu existentia, vt luce clarius est. Scientia autem sensu, & experientia pariter, affirmante Philosopho *in proœmio 1. Met. cap. 1.* Ergo de subiecto eius præexigitur actualis existentia. Conf. Scientia Dei est de ipsomet Deo actu existente, tanquam eius deni scientiæ subiecto ex 3. *quæst. Prol.* Ergo idipsum astruendum est de subiecto cuiuscumque alterius scientiæ. Concessa ma. distinguo min. Per accidens, & occasionaliter, ratione modi cognoscendi huius status, in quo equidem scientiam vllam adipisci nire, nisi prauio sensu, & experimento concedo: per se, & absolutè, & de scientia iam adinuenta negotia videntur sentire Scot. & Lych. *cit. quæst. 3. Prol. § Ad argumenta alterius.* Ratio est, quia scientias Dei, Angelorum, & aliorum, quas didicimus à nostris progenitoribus voce, aut scripto, absque illo modo cognoscendi habemus. Ad conf. dico potest existentiam Dei, cum eius essentia esse prorsus idem, vt probabiliter ostendi *Tract. de Deo vno disp. 1.* existentiam verò creatam ab eius essentia formaliter negatiue differre.

41. Oppones tertiò, contrà 2. assert. Aristoteles *T. 1. huius lib* expressè ait, de subiecto prænoscendum esse quid significet: significare autem spectat ad nomen quod ex dictis *in Epitome lib 2. quæst. 1. lib. 1.* describitur vox significatiua ad placitum, &c. Ergo de subiecto non est prænoscendum quid rei, sed quid nominis. Præsertim quia Philosophus vult in vtramque prænotionem esse tribuendam subiecto quam adscribit dignitati, & passioni: at dignitati quòd sit, & passioni quid nominis expressis verbis praebuerat: ergo easdem prænotiones aptat subiecto, secùs non videtur loqui consequenter. Admissa ma. ad minorem dici potest cum Fabro *Theor. 3. ad 1* nedum nomen, verumetiam definitionem significare, ideò ab omnibus conceditur, quod nomen, seu definitum confusè significat, definitio clarè, & distinctè significat. Idque te ipsum exponens asserit Aristoteles, cum *T. 70. eiusdem lib.* scribit definitionem subiecti esse suppositionem scientiæ, cuius est subiectum. Ad id, quod subiicitur, dico, sicut an sit est duplex, prima complexum, & incomplexum: pariter quid sit est duplex nempe quid nominis, & quid rei. An sit incomplexum competit subiecto, non autem complexum Item quid sit rei, & non quid sit nominis subiecto accommodatur Itaque, quemadmodum quod est complexum, quod dignitati tribuitur, subiecto non congruit: sic & quid nominis, quod est passionis, non est subiecto assingendum. Cùm enim an sit, & quid sit stamantur prænotiones generales, vt cùm Scoto in superioribus animaduerti, subsecantur in speciales, quarum vna principijs, altera passioni, & vtraque modo sibi congruente, & explicito, subiecto adscribitur.

ARTICVLVS VII.

An subiectum in scientia demonstrari queat.

42. TRes in hoc articulo præcipui dicendi modi litterarum monumentis commendantur, quorum primus est Niphi 1. *Met. quæst.* 1. Zab *lib. de trib. præcognitis cap.* 9. Raconij *disp.* 1. *de demonstratione art.* 3. *propos* 5. & ante istos, Bonet. 1. *Met. cap.* 3. §. *Septima proprietas*, negantium, subiectum in scientia, cuius est subiectum, vllo modo posse demonstrari. Secundus est eorum, quorum nomina suppritnit Zab. prærecensitus, existimantium, subiectum in scientia posse à priori demonstrari, à quibus non videntur distare Bass. *quæst.* 3. *Prol.* §. *Ad rationes*, & Tatar. 1. *Post. quæst.* 1. *dub.* 2. Tertius est ferè communis Scoti *quæst.* 3. *Elench.* §. *Ad aliam quæst. & quæst.* 3. *Prol.* §. *Ad* 1. *argum. V* Fabri *Theor.* 2. & aliorum tam Scoticæ, quàm Thomisticæ disciplinæ sectatorum, arbitrantium posse subiectum scientiæ, ab eademmet scientia, cuius est subiectum demonstrari à posteriori.

43. Not. principia ad scientiam attinentia esse duplicia, notante Orbello 1. *Met. cap.* 1. annuente Scoto *quæst.* 1. *Prol.* 5. complexa, & incomplexa: illa dicuntur principia cognoscendi, propterea quòd nihil est in scientia eisdem notius, & euidentius, per quod demonstrentur, cum sint indemonstrabilia, saltem in illa scientia, cuius sunt principia. Vnde vocantur prima principia, & scientiarum ianuæ, iuxtà illud Philosophi 2. *Met. cap.* 1. *in ianua quis aberrabit?* Hæc verò appellantur principia essendi, eo quod ex his veluti partibus essentialibus constituitur subiectum scientiæ, vt corpus naturale, quod ex materia, & forma, tanquam eius principiis intrinsecis, & essentialibus conflatur. Priora necessariò exiguntur ad construendam demonstrationem, causandamque scientiam, quia per ea demonstrantur passiones de subiecto: posteriora verò haud semper. Potest namque esse subiectum scientiæ, tametsi principiis essendi careat, vt patet de ente, quod est subiectum Metaphysicæ, & extat principiorum essendi expers. Item de Deo qui est obiectum Theologiæ, cuius multæ sunt partes; scribente Scoto *vbi suprà*, quem sequitur Zab. *citat. cap.* 2. Non ergo necesse est, subiectum scientiæ habere principia essendi: sed solùm principia cognoscendi, ex quibus ostenditur inhærentia passionis de eius subiecto, in conclusione ex illis deducta, & causata. Rursùs supponitur ex dicendis, in subsequente quæst. duplex demonstratio, quia, & propter quid, seu à posteriori, quæ est per effectum, & a priori, quæ est per causam.

44. Assertio prima, subiectum scientiæ demonstrari non potest à priori ab eamet scientia, cuius est subiectum. Hanc apertè insinuat Doctor *quæst.* 3. *Elench. in solutione* 1. *rationis*, & alibi supponit, cuius contrariam vanam, & ridiculam omni ratione carentem indicat Zab. *prænominatus*.

Probatur primò, quod demonstratur à priori, demonstratur ex superioribus, & notioribus, vt ex Aristotelis definitione demonstrationis exploratum est; nihil est autem prius, nihilque notius subiecto scientiæ, cùm sit prima radix, primum consideratum, substractum, omniúmque receptaculum, quæ ad eam quoquo modo pertinent: igitur subiectum demonstrari nequit à priori. Secundò, quod à priori demonstratur, venit in quæstionem, ostenditurque esse per propriam causam, nemine reluctante: subiectum autem est præcognitum, & præsuppositum, non verò quæsitum, vt liquet ex superioribus assertis. Denuò in omni demonstratione sunt tres termini, maius extremum, minus extremum, & medium: at subiectum non est medium, quia ostenderetur per medium, nec maius extremum quod est prædicatum. repugnat autem subiectum esse prædicatum; & quod per se substat, in alio inhærere. Restat, vt sit minus extremum in conclusione, quod non demonstratur, sed est id, de quo aliud demonstratur, scilicet passio, quæ in ipso inesse concluditur. Ampliùs, in demonstratione tria præcipuè interueniunt, dignitas, subiectum, & passio: sicut autem dignitas, & passio nequeunt esse subiectum: pariter subiectum nequit esse passio, aut dignitas, cum ex dictis de eo præcognoscatur an sit, & quid sit: ac proinde à priori demonstrari non valet.

45. Assertio secunda, subiectum scientificum demonstrari quit à posteriori, siue sit partiale, siue totale. Prima pars de subiecto partiali est Scoti *vbi suprà*, & probatur ex Philosopho à Doctore cit. *ibid.* qui ostendit syllogismum sophisticum per similitudines 1. *Phys.* T. 80. materiam existere per formam, quæ haud sine ea esse valet 1. *Cæli cap.* 4. esse cælum per motum circularem: dari ignem elementarem per motum sursum; & in *Met.* esse substantias abstractas, &c. Secundò per effectum demonstrari potest causa: immò Philosophia cœpit ab effectuum cognitione, & causarum ignoratione, vt aduertit Stagirita 1. *Met. cap.* 2. ad aquarum indagationem moti sunt Philosophi: sunt autem aliqui effectus necessariò suis causis, & principiis connexi, vt patet ex Cælorum motibus, syderum influxibus, aliisque huiusmodi, quos quotidianum experimentum nobis suppeditat. Igitur partiale scientiæ obiectum à posteriori demonstrari potest. Secunda pars, quæ est Scoti tum *in prol. cit.* tum etiam 1. *Met. quæst.* 1. Probatur primò, ex Aristotele, qui 2. *Phys.* demonstrat à posteriori dari corpus naturale, quod est subiectum totale Physicæ, per motum. Idémque insinuat 6. *Phys.* T. 32. Secundò Deus est totale obiectum sacræ Theologiæ ex *Prologo citat.* & ab ea demonstratur à posteriori, vt ex Scoto 1. *distinct.* 2 *quæst.* 2. patet. Idque confirmant sacræ Paginæ, præsertim *Sap.* 13. *A magnitudine speciei cognoscibiliter potest creator horum videri.* Hoc ipsum suadent authoritates, & rationes allatæ ad probandam primam partem huiusce assertionis. Æqua enim est ratio vtrobique. Nam sicut obiectum partiale sortitur aliquos effectus necessariò ipsi coniunctos, vt multis suprà firmatum est: ita subiectum totale quosdam proprios habet effectus ipsi necessariò connexos, per quos à posteriori demonstrari potest, vt de corpore naturali superiùs manifestatum est.

Hinc refelluntur Mastrius, & Bellutus, *qui disp.* 12. *quæst.* 2. *art.* 2. etsi totam hanc doctrinam recipiant, subinferunt tamen, quod si scientia strictè sumatur pro cognitione conclusionis parta per demonstrationem potissimam, nec à priori, nec à posteriori demonstrari posse eius subiectum. Siquidem id fieri non posse à priori in prima assertione satis manet probatum: posse verò à posteriori, efficaciter suadent, quæ attuli ad illam secundam assertionem stabiliendam, & confirmandam. Nec excipi debet subiectum scientiæ per demonstrationem potissimam acquisitæ; cum Aristoteles, & Scotus *locis memoratis*, vniuersè de subiecto scientiæ posteriori demonstrabili loquantur: maximè quia hi Recentiores ad omne subiectum totale, & partiale diffundunt, & ampliant, exemplisque Physicæ, & Metaphysicæ illustrant, quarum subiecta demonstrari liquidò constat, suntque scientiæ præcipuæ, præsertim Metaphysica, quæ immeritò scientiarum regina nuncupatur. Sicut autem in methodo compositiua proceditur à causa nota, ad effectum ignotum: ita in methodo resolutiua proceditur ab effectu noto, ad causam ignotam. Cùm autem plures passiones ab vna causa ordinatè pullulent, vnáque alteram præexigat, & præsupponat, vt de admirabilitate, & risibilitate hominis, à rationalitate promanantibus haud est obscurum. A prima ergo passione auspicantes, medias pertranseuntes, ad postremam subiecti, in quo inexistunt, demonstrando

ſtrando peruenire valemus, vt diſertè proſequitur Orbel. 1. *Met. cap.* 1. §. *Ad cuius euidentiam*; Sicque à poſteriori de ſubiecto ſcientiæ anguſtè captæ conficitur demonſtratio. Propterea Philoſophus *cap.* 1. *huius lib.* & 2. *de anima cap.* 2. per definitionem animæ à poſteriori, oſtendit eius definitionem à priori, & econtrà, vt ibi palam feci. Gratis ergo, nulloque fulti fundamento prænominati Nuperi inficiantur de ſubiecto ſcientiæ habitæ per demonſtrationem: affirmant verò de ſubiecto cuiuſcumque aſſertiue ſcientiæ; nolenteſque probabuntur in ſententiam Zab. & cæterorum, quos impugnant. Locus autem Ariſtotelis T. 2. *eiuſdem lib.* ab illis adductus, nempè de ſubiecto præcognoſcimur quid ſit, & non demonſtratur, intelligitur à priori, & non à poſteriori, vt cum Scoto interpretantur ferè omnes eius diſcipuli, à quibus non diſcrepant Conimbr. *quæſt.* 3. *art.* 3. aliique non pauci veteres, & recentes Philoſophi.

46. Oppones primò, contrà 2. aſſert. aliquod ſubiectum alicuius ſcientiæ potitur principiis extrinſecis, & eſſentialibus, ex quibus coaleſcit, vt patet ex propoſito nos: ergo per ea huiuſmodi ſubiectum poteſt à priori demonſtrari: illa quippè ſunt cauſæ, & partes huius conſtitutiuæ, vt liquet de materia, & forma, quæ conſtituunt corpus naturale, quod eſt Phyſicæ ſubiectum. Conceſſo ant. nego conſequentiam. Quamuis enim talia principia oſtendi valeant à poſteriori, hoc eſt per aliquos effectus naturales, qui ſunt ſenſibiliores, & ſenſibus propinquiores: nihilominùs, cùm cauſam non habeant à priori, haud demonſtrari queunt.

Quod ſi inferas, ſaltem per ea ſubiectum poſſe probari à priori, proptereaquod ſunt eius cauſæ intrinſecæ. Occurrendum eſt in primis demonſtrationem à priori effici ex notioribus, euidentioribus, cauſiſque concluſionis: non verò ex principiis ſubiecti, quæ ad eius definitionem ſpectant. Definitiones autem ſubiectorum, ſeu ſubſtantiarum eſſe indemonſtrabiles, patet, quia ſunt ſuppoſitiones ſcientiarum: eſtque expreſſa mens Ariſtotelis 2. *Poſt. cap.* 4. 1. *Top. cap.* 1. & 6. *Met. cap.* 1. Maximè quia demonſtratio paſſionem in ſubiecto inhærentem oſtendit, non autem ipſius ſubiecti cauſam, & principium intrinſecum, vt accuratè obſeruat Zab. prænominatus.

47. Oppones ſecundò, contra ſecundam aſſert. Quod eſt ſuppoſitum, & præcognitum in ſcientia, non eſt quæſitum, & ignotum: ſubiectum autem in ſcientia eſt ſuppoſitum, & præcognitum *ex T.* 1. *cap.* 1. *primi Poſt.* imò eſt fundamentum, & radix omnium, quæ à ſcientia conſiderantur: ergo ſubiectum ſcientiæ venire nequit in demonſtrationem, etiam à poſteriori, alioquin idem foret ſuppoſitum, & quæſitum: idemque notum, & ignotum, quod manifeſtam inuoluit repugnantiam. Conceſſa ma. ad min. Dico id, & confirmatia, quæ ab aduerſæ opinionis propugnatoribus adducuntur, interpretanda eſſe à priori, non autem à poſteriori, iuxtà ea, quæ in duabus præcedentibus aſſertionibus pethibui, & probaui.

48. Oppones tertiò, eius munus eſt conſiderare exiſtentiam rei, cuius eſt conſiderare eſſentiam rei, quia exiſtentia conſequitur eſſentiam, tanquam eius modus: pertinet autem ad Metaphyſicam perluſtrare eſſentias, & quidditates rerum, cùm ſit ſcientia vniuerſaliſſima: ergo ad eamdemmet ſpectat expendere, & probare eſſentiarum exiſtentias; ac proindè nulla particularis ſcientia demonſtrat exiſtentiam ſui ſubiecti à poſteriori. Admiſſa ma. diſtinguenda eſt minor, penes rationes communes, & tranſcendentales, concedo: penes rationes particulares, & proprias, nego. Vnaquæque enim cùm ſit diſtincta ſcientia, diſtinctum ſortitur obiectum circa quod occupatur. Ideóque Metaphyſica propria aliarum ſcientiarum obiecta nec quoad eſſentiam, nec quoad exiſtentiam eorum contemplatur, nec cum eis commiſcetur, vt apertius fiet ex iis, quæ *lib.* 1. & 2. *Met.* litteris committam.

Articvlvs VIII.

An ſubiectum contineat virtualiter omnes veritates ſcientiæ, cuius eſt ſubiectum.

49. Oppugnatur, non expugnatur firmiſſimo nixa fundamento, & ſtabiliſſimo firmata præſidio, validiſſimiſque munita rationibus definitio ſubiecti ſcientifici à Scoto allata, *quæſt.* 3. *Prol.* §. *De* 2. *B.* his verbis. *Ratio primi ſubiecti eſt continere in ſe primò virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectum.* Ardua quidem captu, & difficilis explicatu, tum ratione ſui, tum etiam ratione ineundi certaminis, non ſolùm aduerſus Exteros, qui eam labefactare conantur, inter quos recenſentur Aureolus *in prol. artic.* 1. *pag.* 57. Greg. *ibid. quæſt.* 4. Bacco *quæſt.* 3. cum Och. *eo in loco quæſt.* 9. & Caiet. 1. *part. quæſt.* 1. *artic.* 7 Verùm etiam contrà Noſtrates, qui non parum altercantur, de quonam ſubiecto intelligatur, quoue ſenſu exponatur. Nonnulli ſiquidem, vt Canonicus *quæſtione prima* 1. *Phyſ.* & Orbel. *ibid.* ſubiecto generico, & ſpecifico: Alij, vt Faber *Theor.* 5. ſoli ſpecifico ſubiecto eam eſſe adaptandam concedunt. Nec minor eſt lis inter eoſdem Authores de ipſiuſmet ſubiecti veritatum continentia: quibuſdam, vt Bargio *quæſt.* 3. *prol.* opinantibus veritates contineri in ſubiecto in eſſe reali: aliquibus verò, vt Vigerio *ibid.* exiſtimantibus tantum in eſſe cognoſcibili: aliis autem vt Lych. *in Commentario*, indicantibus præcisè quoad earum euidentiam. Quid autem nobis ſecundum veritatem, & Scot. in præſentia dicendum ſit, per ea, quæ apponemus, palam fiet.

50. Not. primò, & recol. ex dictis *lib.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 1. id, circà quod ſcientia verſatur, plura ſortiri nomina, pluriſque conditiones petere, de quibus non eodem modo, in omnibus ſuis ſcriptis Doct. videtur eſſe loquutus. Enim verò *quæſt.* 3. *vniuerſ.* § *Dicitur*, tres tantùm enumerat conditiones ad ſubiectum ſcientiæ requiſitas: at *quæſt.* 1. *primi Prio.* Sex ei attribuit. Deindè 1. *Reportat. quæſt.* 1. *Prol* §. *Dicitur*, deſcribit ſubiectum, quod determinat, & dignificat ſcientiam, dicitque de aliis determinatis in ſcientia, ſiue in recto, ſiue in obliquo, exponentibus Mauritio *quæſtione* 3. *vniuerſ.* & Maiore *lib. prædicabil um quæſt.* 3. *not.* 3. At verò 6. *Met. quæſt.* 1. & *quæſt.* 3. *Prol.* definit ſubiectum eo modo, quo dixi in *initio huius artic.* quodque repetit 3. *diſtinct.* 36. *quæſt. vn* § *Quantum ad iſtum L.* aliiſque in locis ſuæ doctrinæ. Licet autem horum textuum Doct. diuerſitas in eius operibus reperiatur de ſubiecto ſcientifico totali, & adæquato: nihilominus nulla repugnantia in eis inuoluitur, ſed rectè vnus textus per alium explicari, vel vnus in alio includi, aut alter, ad alterum reduci poteſt. Illæ quippè ſex conditiones 1. *Prio.* reconduntur in tribus traditis *quæſt.* 3. *vniuerſ.* vt oſtendi *loco cit. propoſitione* 3. Iſtæ verò tres indicantur in deſcriptione ſubiecti allata *quæſt.* 3. *Prol.* Quod enim adæquatè comprehendit virtualiter omnes veritates de ipſo demonſtrabiles, præcognoſcitur an ſit, & quid ſit: dein oſtenditur quæ de ipſo paſſiones, necnon ad ipſum ne reducuntur omnia, quæ in ſcientia pertractantur. Itidem probè congruit, quod Scoto ſubiicit *in Reportat. primi, quæſt.* 1. ab obiecto ſiquidem ſcientiam determinari, & ſpecificari, communis eſt Philoſophorum ſenſus: atque ab eomet ſuam dignitatem, nobilitatémque decerpi, vno ore conclamant omnes Philoſophi cum Ariſtotele 1. *de anima, cap.* 1. & 6. *Met. cap.* 1. quem allegat Scot. *in prol. quæſt.* 3. §. *Ad* 1. *T.*

51. Not. ſecundò, ex Pariſienſibus 1. *Phyſ. quæſt.* 4 poſt Scot. mox cit. §. *De* 2. *B.* Sicut illud appellatur primum

primum ens, quod ab alio non dependet, sed alia ab ipso: ita primò continere nihil aliud sibi vult, quàm ab aliis non dependere, sed alia ab ipso, vt secundum dependet quidem à primo, non tamen primum à secundo. Etsi per impossibile quodnis aliud secluderetur, ipsum verò subiectum adhuc remaneret, tale subiectum etiam virtualiter contineret omnes veritates de ipsomet scibiles: adeò vt huiusmodi veritates non nisi in eodemmet comprehendantur. Capitur autem hic primò pro primitate adæquationis, cuius meminit Aristoteles 1. *Post.T.*11. & 14. ita vt idem sit primò continere, ac adæquatè continere, notante Scoto *vbi suprà.* Rursùs, pro huius commodiori captu obseruatur à Scotistis multiplex continentia, prima vocatur continentia essentialis, quâ vnum continet aliud in primo modo dicendi per se, sic definitum continet suam definitionem, & inferius suum superius. Secunda dicitur continentia vnitiua, qua vnum continet aliud sibi realiter identificatum, formaliter tamen distinctum, quo pacto subiectum continet suas passiones, & anima suas potentias. Tertia potentialis, quâ superius continet passiones suorum inferiorum, sic animal continet passiones hominis, & bruti. Quarta virtualis, quâ continens potest producere contentum in esse: & hæc subdiuiditur in eam, quâ continens potest producere contentum in esse simpliciter, siue in esse existentiæ realis: & in illam quâ continens potest producere contentum in esse secundum quid, seu in esse cognito, & diminuto. Illa prior continentia bifariàm efficitur, aut per motum, & mutationem, & hoc modo continens, & contentum, producens, & productum realiter differunt, vt Deus, & creatura, pater, & filius: aut per simplicem emanationem, & pullulationem, & hoc pacto continens, & contentum formaliter tantùm differunt, vt Deus, eiusque attributa, subiectum, eiusque passiones. Ista posterior quoque habetur multis modis, aut in esse cognito, & effectiuo, veluti intellectus perhibetur continere obiectum virtualiter in esse cognito, producens eius cognitionem, siue illud sit substantia, siue accidens: aut arguitiuè, vt accidens continet speciem substantiæ, quia per eius cognitionem deuenimus in cognitionem substantiæ, iuxtà illud 1. *de anima T.*11. accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendam substantiam: aut à posteriori, vt effectus continet speciem causæ: aut terminatiuè, & aceidit dupliciter, vel adæquatè, & totaliter, vt obiectum continet euidentiam rei in esse cognito: quamuis enim cognitio gignatur ab obiecto, & potentia, tanquam duabus causis partialibus: nihilominus euidentia præcisè, & totaliter causatur ab obiecto. Quinta est eminentialis, qua vnum dicitur continere aliud perfectiori modo, quàm sit in se ipso, quæ tametsi in Deo coïncidat cum continentia virtuali: in creatis verò cum virtuali continentia haud identificatur, vt liquet de auro, quod eminenter continet argentum, licet argentum producere nequeat. Veritates autem, quas subiectum scientiæ continet, ex Doct. *in prol. cit.* sunt in duplici differentia, immediatæ, & mediatæ. Immediatarum nonnullæ constant ex subiecto, & eiusque definitione, vt *homo est animal rationale*, quas tale subiectum continet essentialiter actualiter: quædam verò integrantur ex subiecto, & passione, quas tale subiectum continet virtualiter, quæve appellantur immediatæ immediatione causæ, quia causa earum immediata assignatur, vt *rationale est risibile.* Mediatæ sunt, quæ constituuntur ex subiecto, & passione, quæ perhibentur mediatæ, quia earum causa immediata non traditur, *vt homo est risibilis.* Loquimur autem hic de passionibus intrinsecis, quæ præter subiectum, nihil aliud denotant: non verò de extrinsecis, quæ semper aliquid extrinsecum respiciunt, vt eclypsibilitas lunę, beatificabilitas creaturę rationalis, vt bene aduertunt Parisienses præcit. aliique Scotistæ, pro solutione argumentorum Och. Greg. & exterorum Nominalium.

52. Not. tertiò, cùm scientia sit notitia certa, & euidens intellectus de obiecto: ab vno, eodemque scientiam ea omnia non accipere. Nam vt sit notitia, habet ab intellectu, & ab obiecto, tanquam à duabus eius causis partialibus vnam totalem integrantibus. Vt verò sit certa, & euidens, ab obiecto tantùm decerpit. Ex quo enim intellectus concipit essentialem habitudinem prædicati ad subiectum, statim virtute terminorum, certa, & euidens efficitur propositio. Quapropter, cum dicimus scientiam esse causatam à causa intellectui euidente, non loquimur de scientia, quatenus est notitia: sic enim ab intellectu pátitur, sed de scientia, vt est certa, & euidens: hoc quippe modo causatur à causa intellectui nota, quia nihil per ignotum scitur. Similiter cum dicitur, scientiam esse effectum demonstrationis, exponitur penes euidentiam veritatis, non verò absolutè penes notitiam, quæ potissimùm ab intellectu pendet. In demonstratione autem propriè non demonstratur conclusio, quia hæc non prædicatur de subiecto, sed propriè demonstratur inhærentia, siue habitudo prædicati ad subiectum, per medium, quod est definitio eiusdemmet subiecti: adeò vt posita causa, omnique alia seclusa, ponatur talis habitudo, ea verò ablata, tollatur. Obid subiectum includens formaliter, & essentialiter suam definitionem, quæ est præcisa causa inhærentiæ passionis, adæquatè virtualiter continet veritatem, euidentiam, & certitudinem talis propositionis. Quocircà non est idem veritas, & notitia: notitia quippe est quædam qualitas, in cuius essentia non includitur relatio: veritas autem est relatio conformitatis necessariò consurgens, ex terminorum compositione vt patefeci *in præcedente lib. quæst. de veritate.*

53. Not. quartò, ex Doct. *in quæst. Prol. alleg.* §. *Contrà istud D.* Sicut obiectum potest ad duo comparari, vel ad potentiam, cuius est obiectum: vel ad actum, & habitum ab ipso obiecto productum: ita duplicem ad inuicem habere proportionem, vnam motiui ad mobile, seu actiui, ad passiuum: alteram causæ ad effectum. Prior proportio consistit in hoc, quod sicut obiectum mouet potentiam, aliquid in ipsa producendo: sic potentia mouetur ab obiecto, recipiendo aliquid, ab eo, putà speciem. Posterior verò proportio sita est in eo, quod quemadmodum obiectum causat actum, & habitum: sic actus, & habitus ab ipsomet obiecto partialiter causantur. Inter has autem proportiones adest hoc discrimen.

Prima, extrema prioris proportionis respiciunt omnia per se contenta sub illis extremis. Ratio est, quia quando aliquod agens agit in aliquod passum, quodlibet agens eiusdem rationis potest agere in illud passum, & econtra, quia passum potest pati ab aliquo agente, quodlibet passum eiusdem rationis potest pati ab illo agente. Vnde ab omnibus actiuis eiusdem rationis potest abstrahi vnus conceptus prædicabilis, de ipsis. Itidem, ab omnibus passiuis potest præscindi vnus conceptus de ipsis enuntiabilis: v. g. quia hic color videri potest à potentia visiua; pariter omnis color ab eadem potentia cerni potest: & econtra, quia ista potentia visiua videt hunc colorem, consequenter omnes aliæ potentiæ visiuæ hunc colorem intueri valent. Id autem in posteriore proportione non contingit: nec in ea huiusmodi conceptus communis abstrahi potest, nec quoque sequitur, quod sicut obiectum commune causare potest euidentiam actus, vel habitus adæquati; similiter hoc obiectum sub illo contentum, talem pariter euidentiam efficere valeat. Ratio est, quia causa euidentiæ reperitur per se primò in illo communi, non verò in particulari contento sub illo. Ideo v. g. Petrus est risibilis, quia homo est risibilis, cui per se competit risibilitas, vt exhauritur *ex* 1. *Met. cap* 1

54. Not. quintò, & recol. ex dictis *lib.* 1. *quæst.* 2. vnitatem scientiæ depromi, penes vnitatem generis subiecti, partes, & proprietates habentis, vt elarè docent

cent Aristoteles 1. *Post. T.19. & 4. Met. T.1.* & Aureolus *art. 1. Prol. pag. 56.* Quod intelligitur de scientia generica, quia eius obiectum est genericum a quo partialiter causatur. Idem tradit Doctor *in Prol. citato, § De tertio sub D.* & apertius *in 3. distinct. 25 quæst. 2. § Ad 2. C. & distinct. 36. quæst. vn. §. Quantum ergo L. In Reportat. 3. distinct. 25. quæst. vn. §. Sed quæritur. Necnon 6. Met. quæst. 1.* Cùm autem ex eodem Doct. *in Prol. alleg.* duplex statuatur scientia, generica, & specifica, vtique duplex habetur subiectum scientificum, genericum, & specificum, ac proindè duplex definitio, vna subiecto generico: altera verò subiecto, specifico accommodata. Communiter autem subiectum genericum describitur, quod potentialiter continet veritates de ipso demonstrabiles, & suprà notum feci quidem non incongruè, quoniam genus est quoddam totum potentiale, vt alibi declaraui, continens sua inferiora potentia. Ob id tale subiectum genericum potentialiter comprehendere perhibetur veritates de ipso scibiles. Subiectum autem specificum est, quod per se primò continet virtualiter veritates de ipso demonstrabiles, vt suprà notum feci. Inter has duas descriptiones solum extat discrimen, quod genericum, potentialiter, & specificum suas capit veritates scibiles virtualiter. Potest autem virtualis continentia bifariàm vsurpari, vno modo latè, prout coïncidit cum continentia remota, & potentiali, sic sumpsit Doctor *locis nuper allegatis, & in Reportat.* vt exponunt quidam Recentes, secuti Orbellum 1. *Met. cap. 1. §. Ad 2. & 6. eiusdem operis cap. 1.* & Brasauolam *quæst. 3. vniuersalium.* Altero modo strictè pro continentia proxima, & immediata, & hæc tantum competit subiecto specifico, cuius videtur esse definitio subiecti *in initio huius art.* adducta, vt interpretantur Aureolus *in Prol. paulò antè ar. 2. pag 57.* Faber *Theor. 5.* aliique cõplures.

55. Assertio 1. aptè describitur subiectum scientiæ adæquatum, quod in se primò continet virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius est subiectum. Hanc expressè tenet Doct. *in prol. memorato quæst 2. lat. §. De secundo sub A.* quam approbant omnes eius interpretes *ibi lem,* & dupliciter. Primò, quod continet omnes propositiones immediatas, & mediatas, continet virtualiter omnes veritates eius scientiæ, cuius est subiectum, quia non dantur aliæ propositiones scibiles, præter immediatas, & mediatas: subiectũ autem scientiæ adæquatum continet propositiones immediatas, quia earum subiectum continet prædicatum, eamdemque euidentiam: propositiones verò immediatæ continent mediatas, putà conclusiones: ergo subiectum primum, & adæquatum scientiæ continet eius veritates, cuius est subiectum. Secundò, causa adæquata alicuius effectus, continet virtualiter eum effectum, vt liquet *ex 2. not.* Subiectum autem est causa adæquata partialis habitus, cuius est subiectum, iuxtà illud vulgatum, *ex potentia, & obiecto paritur notitia.* Rectè igitur definitur subiectum primum, & adæquatum continens virtualiter omnes eius veritates, cuius est subiectum. Maximè quia, cum ab eo subiecto plures pullulent passiones ordinem inter se seruantes, vna demonstrari potest per aliam vsque ad primam ab ipso immediatè promanans, vt innui suprà ex Orbel. 1. *Met. cap. 1.* Tale ergo est subiectum scientiæ adæquatum, quale superius descriptum est.

56. Assertio 2. definitio subiecti tradita à Scot. *in prol. cit.* & à me adducta *in principio huiusce art.* licet subiecto specifico propriè conueniat, fundi tamen potest ad subiectum genericum. Hæc assertio duas complectitur partes, per quas tota lis inter Scotistas conciliari, & sedari videtur. Prima pars probatur primò ex Doct. *cit. B. & 3. dist. 14. quæst. 1. A.* qui exponens quomodo intelligatur primitas obiecti virtualiter continentis, subdit primitas hîc accipienda est, eo ferè pacto, quo sumitur 1. *Post. T.11. & 14.* in definitione vniuersalis, quod est posterioristicum, adæquatum, & conuertibile cum suis passionibus, vti est subiectum specificum duntaxat: genericum namque adæquatè non reciprocatur cum passionibus suorum inferiorũ non valet quippè dicere, est animal; ergo est risibile, quia risibilitas non est eius passio adæquata, atque ab vno ad aliud non conuertitur subsistendi consequentia: ergo præfata definitio tantùm competit subiecto specifico. 2. idem Scot *ibid D.* astruit inter obiectum, actum, & habitum, quorum euidentiam perhibetur subiectum virtualiter adæquatè continere, adesse proportionem solùm causæ ad effectum, addictã soli illi causæ, quæ per se primò continet rationem eius effectus: subiectum autem genericum non est huiusmodi, respectu passionum inferiorum, quæ in eo tantùm potentialiter continentur: ergo debet esse subiectum specificum. Addo, quod genus est totum potẽtiale, confusum, & imperfectum vt patet *quæst. de genere:* igitur continet passiones suarum specierum potentialiter, & imperfectè duntaxat, atqueadeò continentia virtualis propria, & proxima ei non aptè tribuitur.

57. Dices, cur Doct. non præbet definitionẽ subiecti generici? Dici potest, quia huiusmodi definitio ad rem, de qua ait, non pertinet; disserit enim ibi de obiecto Theologiæ, quod nullo modo est genericum. Item quia ex illa definitione potest facili negotio hauriri definitio subiecti generici, vt in simili præstat idem Doct. *ibid. q. 4.* definiens praxim bonam, non autem praxim generatim sumptam: quod Porphyrium ferè de differentia fecisse animaduerti *in Epit. l. 1. q. 3 a. 5 antè n. 1 t.* Secunda pars probatur primò, ex Scot. 1 *d. 3. q 3. § Quantum, ad 2. a. l. & q. 7. & 8. necnon quol. 7. N.* affirmãte ens esse primum obiectum intellectus nostri virtualiter continens suas passiones de ipso demonstrabiles: ens autem non est obiectum specificum, cùm sit transcendens: igitur secundum Sent. continentia virtualis nedum obiecto specifico, sed etiam generico, aliisque obiectis competit. Secundò, idem Doct *6. Met. quæst 1.* expressè docet continentiam virtualem competere subiecto generico, & non obscurè innuit *1. Post. q. vlt. § Ad q. & 3. dist 36* afferens exemplum de Geometria, quæ cùm non sit vna specie, subiectum specificum non sortitur, in quo virtualiter eius veritates comprehendantur. Rursùs *dist. 36. eiusdem lib.* hoc ipsum repetit de Geometriæ, prudentiæ, aliorumque habituum obiectis. Insuper *in Prol recensito,* haud immemor obiecti specifici, & generici *ante E.* aliam præter traditam non præbuit definitionem, quod est inditium sub illa obiectum genericum complexum fuisse, eo ferè modo, quo *in vlt not.* declaraui. Tandem quia debet conformari Arist. qui 1. *Post. cap. 13.* loquitur de subiecto generico, vt probè notat Aureolus præcitatus, & videtur tenere Scot. 1. *Post quæst. alleg.*

58. Assertio tertia, licet subiectum virtualiter contineat suas passiones, tam in esse reali, quàm in esse cognito, non benè tamen eius ratio, quatenus est obiectum primum per alterutram expenditur. Prima pars cui fauet Scoto *loco nuper citato.* opponitur Nominalibus adductis *in principio istius art.* & probatur primò, quoad esse reale, continere virtualiter vt sic, est posse producere aliquid in esse existentiæ, siue per motum, & mutationem, vt pater producit filium, siue per simplicem emanationem, vt subiectum producit suam passionem, quatenùs ad eius positionem necessariò emanat, & pullulat passio: ergo obiectum continet virtualiter suam passionem in esse reali. Secundò suadetur quoad esse cognitum; res sicut se habet ad esse, ita ad cognosci *ex 2. Met cap. 1. T. 4.* passio autem pendet à subiecto in esse: ergo & cognosci, si non adæquatè simpliciter, saltem adæquatè obiectiuè, cùm eius notitia ab obiecto, intellectuque producatur. Secunda pars aduersatur quibusdam Scotistis, nuncupatim Bargio, & Vigerio citato, & probatur primò ex Scoto allegato, qui constituit rationem subiecti in ordine ad scientiam, cuius est subiectum: ergo virtualis continentia, penes quam posita est ratio subiecti non fertur ad esse eius reale incomplexum sed ad veritates complexas; atque ita non bene expli-

catur ratio ſubiecti, ſecundum eſſe reale productum paſſionis ſecundò, ex eodem, ſubiectum continet omnes veritates, tam immediatas quàm mediatas eius habitus, cuius eſt ſubiectum: itaque virtualis ſubiecti continentia non conſideratur penes eius eſſe reale incomplexum. Nec pariter intelligitur ſecundum eſſe cognitum: etenim Doctor *ibi* non ait ſubiectum continere primò cognitionem, vel habitum; ſed continere virtualiter veritates: veritas autem non eſt cognitio, ſed euidentia, & certitudo cognitionis, ex dictis ſuprà: ideò non rectè declaratur per ſolam cognitionem actualem, aut habitualem. Deinceps, Doctor *ibidem*, apertius perluſtrans, quid per veritatem virtualiter in obiecto contentam intelligatur, ſubdit rationem, quia ſubiectum continet prædicatum, & euidentiam totius propoſitionis: euidentia autem formaliter non eſt cognitio, ſed ſuperaddit ad illam, habitudinem neceſſariam, ſiue conformitatem contentorum Atque *paulò Poſt.§. Contrà iſtud D.* reſpuit proportionem cauſæ ad effectum interuenire inter ſubiectum primum, eiuſque actum, & habitum, quia ſolùm in obiecto primo, & communi, adeſt continentia virtualis veritatum, non autem in obiecto particulari, quod ſpectat ad euidentiam, & veritatem habitus. Quapropter virtualis continentia ſubiecti primi, & adæquati, non cognitionem, ſed euidentiam eius propoſitionum reſpicit. Accedit, quia ratio præciſa, & formalis alicuius debet eſſe illi adæquata, & intrinſeca, ita vt eâ poſitâ, eius effectus ponatur: eâque ablatâ, eius effectus remoueatur, cuius oppoſitum etiam per abſolutam Dei potentiam effici nequit. Igitur, virtualis continentia, quatenùs præciſè tendit ad notitiam, non poteſt eſſe ratio formalis obiecti ſcientifici; quandoquidem tota cognitio, nedum actualis, verùm etiam habitualis immediatè à Deo, independenter ab obiecto produci poteſt: ratio autem formalis eius, cùm ſit intrinſeca, ſuppleri nequaquam poteſt.

59. Dices, poſſe eam ſuppleri quoad motionem, non verò quoad terminationem obiecti, quia illa eſt accidentalis; hæc verò eſſentialis obiecto *ex 3. diſt. 15. quæſt.* a *in fine*. Deinceps, Deus quidem rationem formalem ſupplere nequit: bene tamen eius effectum. Verùm hæc reſponſio non mihi placet. Siquidem terminare cognitionem, haud eſt eam virtualiter continere, cùm ſit ſimplex reſpectus attingentiæ obiecti à potentia, per actum in ſe, aut in alio: continere autem virtualiter eſt poſſe producere, vt patet ex dictis ſuprà. Quare noſtra ratio per allatam reſponſionem non infirmatur. Contra id, quod ſubiungitur ſic inſto, ratio formalis continentiæ virtualis eſt poſſe producere: ſin autem Deus non poteſt ſupplere primum, nec pariter ſecundum.

60. Aſſertio quarta, ratio continentiæ virtualis obiecti ſcientifici aptè, & præciſè exprimitur per euidentiam, & veritatem actualem, vel habitualem ſcientiæ, cuius eſt ſubiectum. Hæc aſſertio conſpicuè, & accuratè defenditur à Lych *in comm. Prol. c rato*, quam priùs eo docere videntur Baſſolius, & Rubionius, quos ſequitur Faber *Theor 5. cap. 2.* aduerſus Bargium Pedemontanum, oppoſitam mordicùs tutantem, & propugnantem. Probatur primò, *locis præallegatis in ſuperiori aſſere* in quibus Doctor planè ediſſerit, ſubiectum virtualiter continere veritatem, & euidentiam propoſitionum eius habitus cuius eſt ſubiectum. Item, eſſe cauſam adæquatam eius, veluti vniuerſale poſterioriſticum, reſpectu ſuæ paſſionis: hæc autem omnia præciſè perhibentur de euidentia actus, & habitus: ergo per huiuſmodi veritatem, & euidentiam idoneè declaratur continentia virtualis obiecti primi, & adæquati ſcientifici. Secundò, veritas, & euidentia eſt effectus adæquatus ſubiecti, non modò in genere ſubiecti, ſed etiam abſolutè: ergo ratio continentiæ virtualis obiecti benè explanatur per euidentiam præfatam. Conſequentia tenet, ratio quippè formalis ſubiecti, cùm ſit intrinſeca, & diſcretiua eius, ab omni illo, quod non eſt tale, debet eſſe eidem adæquata, & per ſe primò conuenire. Ant. probatur, veritas, & euidentia cùm aliud non ſit, quàm conformitas prædicati ad ſubiectum; ea alio neceſſariò non oritur, niſi ex intrinſeca habitudine vnius ad aliud, ab intellectu cognita.

61. Oppones primò, ens rationis non eſt obiectum ſcibile, vt patet *l. 1 quæſt. 3. & lib. poſtremo Met. quæſt. 1.* ens autem rationis non continet virtualiter veritates de ipſo demonſtrabiles, quia nulla pollet virtute producendi eas in eſſe reali, & eſſe cognito: mala ergo eſt definitio ſubiecti præaſſignata. Tatar. *in proœmio Log. quæſt. 2. ſcibili 3.* facili negotio ab hoc argumento ſe expedit inquiens, allatam definitionem eſſe interpretandam de ſubiecto ſcientiæ realis, non verò de ſubiecto ſcientiæ rationalis, cuiuſmodi eſt ens rationis, quod nihil continet virtualiter, nec in eſſe reali, nec in eſſe cognito, nec partialiter, nec totaliter; cùm productio ſit actus entis realis, qui non niſi rei exiſtenti conuenire poteſt. Melius fortaſſis reſponderi poteſt, prænominatam definitionem quoque enti rationis eſſe adaptandam, propterea quod ens rationis ſuo modo gaudet propria entitate, & exiſtentia tantum obiectiua & intentionali, ac cauſalitate maximè ex eius fundamẽto prouenienẽte, ſortiturque proprias paſſiones de ipſo oſtenſibiles, vt videre eſt locis paulò ante memoratis.

62. Oppones ſecundò, ſi ſubiectum virtualiter contineret ſuam paſſionem: ſubiectum, & paſſio realiter diſtinguerentur, veluti inter producens, & productum adeſt diſtinctio realis, & ſubiectum eſt productiuum ſuæ paſſionis, vt non inficiatur Scot. *vbi ſuprà*: ſubiectum autem realiter differre à ſua paſſione, pugnat Scot. 2. *diſtinct. 16. quæſt. vn.* & latè oſtendi *in Met. lib. 5. quæſt. 2.* Præſertim quia diſtinctio realis cadit inter res, & res: multæ autem ſunt paſſiones, quæ non ſunt res diſtinctæ à ſuis ſubiectis, vt creabilitas, corruptibilitas, & annihilabilitas: perperam igitur aſſeritur ſubiectum continere virtualiter ſuas paſſiones. Nego ſequelam ma. Id enim locum habet in productionibus per motum, & mutationem: non verò in productionibus per ſimplicem emanationem, ſicut paſſio prodit ſeu ebullit à ſubiecto, vt notant Pariſienſes cit. *in ſolutione* 1. & ego obſeruaui *in 5. not.* Vel melius, iuxta vlt. aſſert. dicito, virtualem ſubiecti continentiam petendam eſſe, penes veritatem, & euidentiam propoſitionum immediatarum, & mediatarum: non autem penes productionem incomplexi in eſſe reali, & in eſſe cognito. Per hanc diſtinctionem corruunt, quæ fusè congerunt Greg. Bacco, aliique Nominales, vt videre licet apud Fabrum præcit.

63. Oppones tertiò, nihil creatum poteſt quidquam virtualiter continere, ergo ſubiectum non continet veritates de ipſo ſcibiles. Ant. probatur, ſecundum communem Theologorum doctrinam, quidquid Deus virtualiter continet, immediatè ab ipſo, tanquam à cauſa prima, & vniuerſali tantum produci poteſt. Nego ant. ad eius probationem diſtinguo, vt à cauſa ſimpliciter effectiua, concedo: vt à cauſa effectiua, & obiectiua, nego. Nam Deus continet quidem omne creabile, continentia effectiua, non tamen obiectiua. Siquidem paſſiones creaturarum non ſunt ſcibiles per deitatem, ſed per rationem formalem obiecti, à quo profluunt.

64. Oppones quartò, ſi ſubiectum continet virtualiter omnes veritates de ipſo demonſtrabiles: ergo materia, quæ eſt ſubiectum primum rerum phyſicarum ſtatuendum eſt ſubiectum Phyſicæ, Deus, qui ſua infinitate virtualiter omnia capit, erit omnium ſubiectum: atque ſubſtantia, quæ eſt cauſa cognitionis virtualiter *ex 4. Met.* nihil dubium, quin ſit ſubiectum Met. Hæc autem, & conſimilia perabſurda ſunt: ergo &c. Reſpondeo hæc, & conſimilia argumenta, quæ in hunc modum formari queunt, concludere de continentia virtuali in eſſe reali: non autem de continentia virtuali veritatis, & euidentiæ habitus ſcientifici.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

De Demonstratione.

ARTICVLVS I.

An sit, & quid sit demonstratio.

1. DARI demonstrationem exceptis Scepticis, quorum meminit Racon us *disp.1.sect.2. quæst.2.* docent ferè omnes Philosophi, potissimùm illi, qui scientiam admittunt, allegandi *in quæst. de scientia art.1.* Ob cuius gratiam perhibetur excogitata ipsa demonstratio. Est enim eius instrumentum, & causa: ab existentia autem effectus, ad eius causæ existentiam in promptu extat argumentum, pro veteres, & Recentes Philosophi in scientiis adipiscendis non rarò vtuntur. Deinceps, peculiares demonstrationes, quæ in vnaquaque scientia afferuntur, indubiam fidem huiusce assertionis. Quare, supposita demonstrationis existentia, accuratè eius essentia peruestiganda est, quæ per eius definitionem clare nobis innotescet. Duæ autem adducuntur demonstrationis definitiones ab Aristot. *cap.2. T.8.* quarum prima his verbis exprimitur, *demonstratio est syllogismus faciens scire*, quæ vt obseruat. Doct. *quæst.11. eiusdem operis, §. Ad q.* datur per causam finalem. Demonstrationis quippè finis est scientia, omneque instrumentum per finem, ad quem inuentum est, describi solet, vt insinuant Conimb *quæst.1. ad finem art.1.* Itaque cùm demonstratio sit instrumentum scientificum; iure per finem eius scientialem definitur. Secunda habetur ibid. *demonstratio est ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis*, cuius meminit Scotus, tum *loco cit.* tum etiam *3. dist 24. q vn. in fine §. Ad quæst. ante E.* Et hæc traditur per causam materialem. Quemadmodum domus ex lapidibus, calce, aliisque ipsi necessariis, tanquam ex rebus materialibus construitur; ita ex prænarratis, tanquam ex causa materiali conficitur demonstratio. Vtramque refert Maior 1. *Post fol.*70 aduertẽs vnam posse demonstrari per aliam, putà materialem per finalem, vt in simili ostendi *lib.2. de anima.* In idem videtur recidere illa, quam affert Arist. 1. *Top.c.1.* & recipit Doct. *in hoc lib. q. alleg §. Item*, demonstratio est ex immediatis, & ex his, quæ sunt immediata principia, quamuis verisimile sit hanc esse demonstrationis definitionem vniuerse sumptam congruentem demonstrationibus propter quid, & quia, vt notant geminati Scotistæ 2. *p.l.1. Tract.1. cap.2.* & explicat Doct *in fine q.cit.* demonstratio est ex immediatis finaliter resoluendo omnes demonstrationes ad prima principia, quæ sunt immediata. Itaque demonstratio absolutè effici potest ex immediatis vel mediatis; diciturque communiter esse ex immediatis, quia si ex mediatis constet, finaliter ad immediata principia resolui potest.

2. Assertio, præfatæ demonstrationis definitiones sunt exactæ. Ita cum omnibus Arist. interpretibus docent Scot. *vbi suprà*, & eius discipuli, eas ab oppositionibus aduersariorum egregiè tuentes, & plenè satisfacientes. Potest autem hæc assertio suaderi vulgari, & communi medio. Illæ siquidem censentur bonæ definitiones, quæ genus, & differentiam participant: cuiusmodi sunt prælatæ demonstrationes: ergo sunt legitimæ. Licet autem syllogismus nequeat esse genus ad topicum, & analyticum, vt probaui *q.1. huius lib. art.2.* & non dissentit Zab. *in com. T.8. & lib. de speciebus demonstrationis cap.1.* gerit tamen vicem generis in priori definitione: in posteriori verò subauditur: & reliquæ particulæ tenent locum differentiæ, quæ constituit demonstrationem in suo esse essentiali, distinguitque eam ab omni alio, quòd non est demonstratio, vt præstat quæuis alia quidditatiua, & essentialis differentia.

3. Oppones primò, idonea, & exacta definitio omni definito aptari debet, vt petunt leges bonæ definitionis: esse autem syllogismum scientiæ effectiuum, quod est demonstrationis definitio, haud omni competit demonstrationi, videlicet demonstrationi quia, quæ cùm non sit à causa, vt postulat scientia, ab Aristotele descripta, consequenter eius causa effectiua esse nequit: atque adeò demonstrationis definitio non est probè tradita. Concessa ma. ad minorem dico, allatam definitionem conuenire demonstrationi propter quid duntaxat, quæ a Doctore *in fine quæstionis* appellatur demonstratio simpliciter. Idque etiam de scientiæ definitione est attruendum, vt exponit Tatar. *quæstione 2. articulo tertio*, & eleganter explicat Zab. *loco vltimo citato.*

4. Oppones secundò, scientia pariter ab obiecto scibili, & potentia intellectiua tanquam à duabus causis partialibus vnam totalem constantibus, ex communi Philosophorum placito; perperam igitur in definitione demonstrationis locatur, scientiam esse demonstrationis effectum. Concesso ant. nego conseq. Prærequiritur namque efficientia obiecti, & intellectus, ad causandam scientiam; eaque habita intellectus format propositiones præmissas necessarias, quæ sunt causæ effectrices conclusionis.

5. Oppones tertiò, nihil superflui, nihilque diminuti ponendum est in definitione, vt manet sancitum per canones definitionis adductos *in Epitome l.2. quæstione 7. artic. vlt.* In posteriori autem demonstrationis definitione nonnulla extant, quæ supernacanea, & inania videntur, nempè prima, & immediata. Prima namque sunt immediata, quæve immediata sunt prima. Iterùm perhibetur, demonstrationem fieri ex prioribus, & notioribus: immediata autem sunt priora, & notiora: igitur illa demonstrationis definitio nun est recta. Admissa ma. nego min. Vt enim inquit Doctor non omnia principia sunt immediata, v. g. hæc est per se primò, *homo est animal*: medio tamen pollet, per quod demonstratur, hoc est per sensitiuum. Bene itaque demonstrationi apponitur, quod fiat ex primis, & immediatis, vt pariter interpretantur Conimbr. *quæst.2. art.3.* Ad aliud quod subiicitur, dico cum Doctore, principia in se, & absolute esse prima, & nota: vocari verò priora, & notiora, respectu conclusionis, quæ est posterior, & minus nota.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit demonstratio.

6. FVsè, & eruditè hanc peragunt difficultatem Zab. *libro de speciebus demonstrationis*, vbi per multa capita totus est in ea enodanda, & enucleanda, Faber *Theor.10. & 11.* Mastrius, & Bellutus *disp.13. quæst.1. art.2.* aliique complures tria præcipua placita recensentes: quorum primum est Auic & cæterorum, quos nostri Iuniores allegant, arbitrantium vnam esse tantum speciem demonstrationis, quæ nuncupatur *demonstratio propter quid*. Secundum est Auerroïs 1. *Post. com.95.* eiusque sectatorum admittentium, tres demonstrationis species, nempè demonstrationem *Quod seu Quia*, demonstrationem, *propter quid*, ac demonstrationem. *Quia, & propter quid* simul. Tertium est quod amplectuntur Scotus *quo! -. §. Hic præmittenda sunt A* Gadius, Lych. *ibidem* Zab. citatus, & alij communiter astruentes, duas esse solùm species demonstrationis, *Quia, & propter Quid.* Pro cuius faciliori, & commodiori captu

7. Not. primò, quatuor esse potissimùm demonstrationis

tionis diuisiones. Prima quæ à Scot. 1. *Post quæst.* 33. §. *contr.* 1 *istud & q.* 34. §. *vnde* ex Aristotele *ibid. c.* 18. *T.* 39 refertur, est in vniuersalitatem, & particularem: & hæc notante Aur. 1. *d.* 35. *a.* 4. decerpitur, penes vniuersalitatem & particularitatem subiecti. Illa namque habetur de subiecto vniuersali: hæc verò de subiecto particulari. Secunda ex eodem Doct. *ibid q.* 21. §. *Ad q.* post Arist. in eodem opere *c.* 19. *T.* 40. est in affirmantem, & negantem, quæ ex dictis *l.* 2. *Epit. q.* 2. *a.* 3. patescit. Illa est dignior, & præstantior ista, vt ibi quoque astruit Philosophus, tum quia est simplicior, tum etiam quia est notior, vt scribit idem Arist. 5. *Phys. T.* 35. Tertia *ex* 1. *Post. c.* 20. *T.* 41. in ostensiuam, & ducentem ad impossibile, quam memorat Scot. *Quol.* 2. §. *de* 2. *H.* & ego explico *in Epit. l.* 4. *q.* 1. *a.* 11. Tantùm hic animaduertendum censeo, primam esse veram demonstrationem: secundam autem vix nomen demonstrationis mereri, sed potius redargutionis, vt vult Aristoteles *vbi suprà T.* 40. Et vulgò appellatur *argumentum ad hominem.* Ratio est, quoniam ostensiua à prioribus progreditur, & directè infert conclusionem. Ducens verò ad impossibile obliquè, & indirectè procedit. Non enim à veritate ad veritatem, sed à falsitate oppositæ, ad falsitatem oppositæ graditur. Quandoquidem demonstrat falsitatem propositionis veræ, ex falsitate conclusionis propositæ, vt exemplo fuit illustratum *passu præallegato.* Quarta ex Doct. 1. *Post q.* 51. §. *Ad q.* in demonstrationem propter quid, & quia, quarum alteram τὸ διότι, alteram verò τὸ ὅτι vocat Aristoteles *cit. c.* 10. Hæc autem diuisio, cum sit præcipua, non segniter à me est perscrutanda in præsenti. Inter vtramque autem duplex interuenit discrimen assignatum ab Aristotele *c.* 4 *eiusdem lib.* Primum demonstratio *propter quid* semper procedit per causam proximam: at demonstratio *quia* nonnunquam per causam remotam. Secundum demonstratio quia procedit per effectum: demonstratio verò propter quid nequaquàm. Ex his colligo 1. fieri posse demonstrationem quia per effectum conuertibilem, vt patet in his duab. subsequentibus: *omne non scintillans est propè: planetæ non scintillant: ergò planetæ sunt propè:* Omne, cuius lumen sphericè augetur, est sphericum: luna est, cuius lumen sphericè augetur: ergo luna est spherica. Colligo 2. effici posse demonstrationem negatiuam per effectum non reciprocum causa communiorem, vt *omnis ignis est desiccatiuus: nulla aqua est desiccatiua: ergo nulla aqua est ignis:* vel per effectum minus communem, quam causam, & habetur demonstratio affirmatiua, vt *omne constans tribus angulis est figura: omnis triangulus constat tribus angulis: ergò omnis triangulus est figura.* Colligo 3. quoque haberi posse demonstrationem quia per causam remotam; vt suprà dicebam, *v. g. omne respirans est animal: nullus lapis est animal: ergo nullus lapis respirat.*

8. Not. secundò, data duplici causa, proxima, & remota; concedendum esse duplicem effectum, proximum, & remotum: quia causa, & effectus sunt correlatiua, quæ esse simul natura scribit Stagirita *c. de Ad aliquid.* Inter autem causam proximam, eiusque effectum proximum adest necessaria, & essentialis connexio, itavt posita causa proxima, necessariò ponatur eius effectus, & contra sublata causa proxima, vtique eius effectus proximus necessariò aufertur; vt si tollatur forma à materia, remouetur eius informatio; & si anima à corpore separetur, eius animatio, & quæ ab ipsa essentialiter dependent, remoueri oportet. Verùm huiusmodi nexus indissolubilis haud semper reperitur inter causam remotam, eiusque effectum, quia vt plurimum est eo amplior. Ideò ea posita, non est necesse ponatur eius effectus. Hinc Aristoteles præcipit eam non affirmatiuam, sed negatiuam esse efformandam in *Camestres,* qui est modus 2. figuræ, vt constat exemplo a me adducto *in fine* 1. *not.* in quo affertur causa remota respirandi, putà animal, quod non est causa præcisa, sed habere pulmones, vt explicat Doct. 16. *vniuers.* §. *Ad* 3. *in solutione quinti*: piscis quippè est animal non tamen respirat, quia caret pulmonibus, vt tangit Doct. 2. *d.* 34. *ante* §. *Ideò meritò.*

9. Not. tertiò, demonstrationem propter quid construi posse per causam extrinsecam, vt *quoties terra interponitur inter solem, & lunam, toties luna eclipsatur: quando autem sol, & luna sunt in capite, aut in cauda draconis, terra interponitur inter solem, & lunam: ergò tunc luna eclypsatur.* Aut per causam intrinsecam, quod euenit, cum medium eius est definitio subiecti, vt *omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergò omnis homo est risibilis.* Cùm autem demonstratio efficiatur per quatuor causarum genera, vt probat Scot. *q.* 57. quarum duæ sunt extrinsecæ, efficiens, & finalis: aliæ verò intrinsecæ materialis, & formalis. Ea autem est demonstratio potissima, quæ ab Aristotele & Scot. demonstratio simpliciter noncupatur, quæ habetur per causam formalem, proximam, & immediatam. Reliquæ verò demonstrationes sunt ignobiliores, & viliores, eò quòd aliquibus conditionibus ad perfectam demonstrationem necessariis destituuntur; aliquibus verò potiuntur, ratione quarum demonstrationes nominantur non absolutè, sed cum addito, siue demonstrationes secundariæ, & secundi generis, vt obseruat Zab. *lib. de speciebus demonstrati* 5. *c.* 1. Quare diuidi potest demonstratio vniuersè sumpta, in demonstrationem propter quid, & quia: demonstratio propter quid in primariam, & secundariam: illa constituitur per causam proximam, & immediatam; hæc per aliam causam alterius generis causarum à nobis prænarratarum. Rursùs demonstratio Quia dispertitur in demonstrationem ab effectu, & demonstrationem per causam remotam. Iterum subsecari potest in eam, quæ est ab effectu immediato, necnon ab effectu remoto.

10. Assertio, duæ tantum demonstrationis species *Propter quid, & Quia,* sumptæ eo modo, quo suprà sunt explanatæ. Ita Scot. *quol. cit. & q* 5 *post* §. *ad q.* post. Arist. 1. *Post. c.* 4. & 10. esseque sententiam verissimam non dubitat. Zab *c. l præalleg.* Probatur 1. omne verum necessarium, non notum ex terminis, habens connexionem necessariam cum alio vero necessario dupliciter tantummodo demonstrari potest: ergò duplex solum statuitur demonstrationis species. Ant. probatur; aut enim demonstratur à priori, idest à causa, & habetur demonstratio Propter quid: aut demonstratur à posteriori, id est ab effectu, & est demonstratio Quia. Igitur cum non supersit alia connexio rerum necessaria, præter has duas, iure optimo infertur duas esse demonstrationis species duntaxat. 2. duplex est tantum scientia *ex* 1. *Post T.* 42. & 2. *eiusd. operis T.* 25 Ergò & duplex est solùm instrumentum sciendi, siue duplex demonstratio. Ant. est in promptu, aut enim scitur res per causam, & habetur scientia *propter quid*: aut scitur res per effectum, & oritur scientia *Quia.* Conseq. tenet, quia iuxtà scientiæ species numerandæ videntur esse demonstrationis species; cum scientia à demonstratione, vti effectus a sua causa proficiscatur. Addo, quod omnis ferè diuisio est bimembris, aut ad bimembrem est reuocanda, vt ex Doctore declaraui *l.* 2. *q. de differentia.*

11. Oppones primò, potest res sciri nedum scientia *Quia*, vel *propter quid*, verumetiam scientia *Quia & Propter quid* simul: ergò secundum triplicem scientiam, triplex recensenda est species demonstrationis. Ant. legitur 2. *Post. T.* 39. & disertè ibi exponitur à Zab. Respondeo per accidens esse, vt eadem res sciatur simul demonstratione *Quia, & propter quid.* Non enim gignitur peculiaris, & 3. scientia, ratione cuius admittenda sit 3. demonstrationis species à duabus prænominatis distincta: cum non remaneat 3 connexio necessaria, & essentialis rerum, præter connexiones causæ, ad effectum, & effectus, ad causam, vt supra firmatum est.

12. Opp.

12. Opponas secundò, datur tertius cognoscendi modus tem certò, & euidenter progrediendo ab effectu ad effectum, & ab æquali ad æquale: ergo admittendi est tertia species demonstrationis à Themistio adinuenta. Ant suadetur, cum duo effectus necessariò pendent ab vna, & eadem causa, & cum eamet reciprocantur, vnus per alium demonstrari potest, procedendo ab æquali, ad æquale, vt à febre putrida duo accidentia promanant, nempè inæqualitas pulsus, & certi caloris in ægro residentis, veluti duo eius effectus cum ipsa febri conuertibiles, quorum vnus non est causa alterius, necessariò tamen coniunguntur, & sic potest formari argumentum, siue demonstratio ab effectu ad effectum. Habito tali calore in homine, adest inæqualitas pulsus: in Petro autem v. g. inest dictus calor: ergo & inæqualitas pulsus. Nego ant. ad eius probationem dico, inter eos effectus non haberi vllum per se nexum necessarium, nisi per accidens, & ratione tertij; cum vnus non ingrediatur definitionem alterius, nec vnus sit causa, vel passio alterius. Idcircò à demonstratione est alienum, vtpotè quæ petit per se vinculum necessarium vnius extremi, cum altero extremo: ac proinde huiusmodi argumentatio in numero demonstrationum haud est adscribenda.

13. Opponas tertiò, à causis remotis nonnunquam prodeunt effectus cum ipsis conuertibiles: ergo ex eis constitui potest demonstratio affirmatiua, in prima figura, quòd cum Aristotele supra assertum esse videtur. Concesso ant. nego conseq. Ratio est, quia quæ rarò contingunt, sunt per accidens, & à scientia per se non considerantur. Intuens autem Aristoteles, quod necessarium, & perpetuum est, asserit fieri demonstrationem per causam remotam, vt in *Camestres*, vbi maior est vniuersalis affirmatiua, minor, & conclusio vniuersales negatiuæ.

14. Opponas quartò, quædam sunt demonstrationes, quæ non sunt per causam, nec per effectum, vt *omnis homo est animal: Ioannes est homo: ergo Ioannes est animal*. Igitur diuisio demonstrationis præadducta manca, & diminuta est. Ant. est in confesso, cum animal nec sit causa hominis, nec eius effectus. Conf. cum definitio per definitum, aut è contra definitum per definitionem demonstratur, non est vlla demonstratio ex duabus præassignatis: ergo præfata diuisio est insufficiens. Quidam hoc argumento pressi conniuentur, & concedunt eam diuisionem esse inadæquatam, & insufficientem. Verùm ego hoc non angustor; siquidem huiusmodi argumentationes tenent per locum intrinsecum à toto vniuersali, ad partes subiectiuas, vt explicui *in Epitome lib. 3. quæst. 3. art. 3.* Præterea quia hæ procedunt à principijs essentialibus, quæ se habent veluti causæ fusè sumptæ, maximè Logicè loquendo, vbi genus se habet vt materia, & differentia vt forma, ad constituendum totum, quod est species ex illis conflata, vt dixi *lib. 2.* Ideòque sub præfata diuisione capiuntur.

ARTICVLVS II.

An demonstratio sit ex præmissis veris.

15. Qvinque conditiones recensentur in definitione demonstrationis materialis *art. præcedente* adducta, nunc sigillatim examinandæ, inter quas principem locum tenet præmissarum veritas: demonstratio quippe ex veris constare debet, quod est commune assertum Arist. *in præsenti*, Scot. *ibid.* q. 11. & aliorum. Probatur autem 1. effectus nos ducit in cognitionem suæ causæ, vt tradunt Philosophi cum Arist. 1. *Met. c.* 2. effectus autem demonstrationis est verus, nempe scientia, eiusque finis, præcipuè si fuerit scientia speculatiua, est veritatis contemplatio, *ex 6. Met. c. 1.* Ergo & causæ eius, quæ sunt præmissæ, debent esse veræ. Secundò, vulgò receptum est apud Dialecticos conclusionem sequi debiliorem partem, vt si vna præmissarum sit negatiua, conclusio erit negatiua; si particularis, conclusio quoque fiet particularis: ac proinde si præmissarum aliqua extet falsa, conclusio vtique falsa euadet: at scientia, quæ posita est in conclusione nec falsa, nec de falso esse valet, vt patet ex eius descriptione habita 1. *Post. cap. 2.* Obid subdit Philosophus *ibid.* interprete Philopono, falsi nulla est scientia, igitur demonstratio procedit ex veris. Maior autem exoritur difficultas, vtrùm præmissæ sint conclusione veriores. Nam à parte negante stant Hurt. *disp. 11. sect. 2.* Arriaga *disp. 13. sect. 3.* & Fuentes *quæst. 19. diff. 1. art. 2.* partem verò affirmantem tuentur communiter alij à præfatis Nuperis allegati. Hanc litem distinctione iudico esse dirimendam, videlicet præmissæ fundamentaliter sumptæ sunt veriores conclusione, non autem formaliter, vt [illegible] num feci *lib. 4. quæst. 4. art. 2.*

16. Assertio, demonstratio ex præmissis conclusione veroribus fundamentaliter sumptis procedit, non autem ex eisdem formaliter acceptis. Hanc assertionem quoad ambas partes probant patroni vtriusque sententiæ prærecensitæ, & quidem Prima pars suadetur 1 ex Arist. tum hic, tum etiam 4. *Met. T. 18. cap. 4.* & Scot. *ibid.* & 2. *dist. 16. quæst. vn. §. Ad 1. tertia via paulò post AA.* affirmantibus, aliquid posse esse verius alio, aut falsius. Probatur secundò, veritas est conformitas intellectus cum obiecto, sed aliqua propositio de obiecto est verior alia, vt verius est hominem esse animal rationale, quam hominem esse album: quare præmissæ constatæ ex terminis de obiectis veri[illegible] sunt veriores conclusione, quæ ex eis deducitur. Tertiò falsius est dicere tria, & duo esse mille, quam dicere tria, & duo esse sex: falsiusque est dicere hominem esse lapidem, quam canem. Quamobrem verius est dicere tria & duo esse quinque, quam dicere Petrum scribere, aut currere. Consequentia tenet fulta illo axiomate, *oppositorum eadem est ratio, & disciplina.* Ant. patet, quia illa est necessaria; hæc verò contingens. Quartò, Authoribus plerumque inter se decertantibus de vna, eademque re aduersas opiniones tutantibus, indicatur alterutra verior, quæ nimirum est conformior rei, de qua agitur. Amplius, docente philosopho in præsentia, conclusio est vera propter præmissas veras: ergo præmissæ sunt conclusione veriores: Conseq. liquet ex illo elogio, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, infra glossandum, & explanandum. Secunda pars est consentanea Scoto 1. *Post. quæst. 13. ad fin. cum.* & Scotistis alleg. *lib. 4. quæst. 4. art. 1. assert. 2.* docentibus veritatem formaliter esse relationem: hinc probationes huius fic depromo, relatio formaliter capta non suscipit magis, & minus, siue in concreto, vt *vnus pater non est magis pater, quam alius pater*: siue in abstracto, vt *vna paternitas non est magis paternitas, quàm alia paternitas*: veritas autem formaliter est relatio, vt loco nunc cit. ostendi: ergo veritas præmissarum formaliter non est maior, vel minor veritate conclusionis ex illis causatæ, & collectæ. Denuò veritas est commensuratio, & adæquatio actus intellectus cum obiecto: huiusmodi autem adæquatio consistit in indiuisibili. Si enim obiectum adæquatur actui intellectus, aliud obiectum magis ei adæquari nequit, secus non ei adæquaretur, quod est contra suppositum. Deinceps indiuisibile non suscipit magis, & minus: cùm ergo veritas sit indiuisibilis, æqualis est formaliter in præmissis ac in conclusione. Ista ratio non videtur fauere illis, qui veritatem ab actu intellectus non distinguunt, quos commemoraui *loco nuper cit.* Siquidem cum per illos actus intellectus sit qualitas, cui competit suscipere magis, & minus, veritati huiusmodi proprietas non videtur esse deneganda.

17. Opponas primò, contra 1. assert nonnunquam ex falso sequitur verum, vt legitur *in l. consequentiarum*

Ioannes Maiorus, reg. 1. & astruitur à Doct. *quæst.* 15 §. *Ad quæst.* & decipitur ex Aristotele 1. *Priorum* citato à Lych. 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. §. *Secundo principaliter:* Igitur necesse non est demonstratio construatur ex veris. Ant. patet in hoc syllogismo, *omne animal est nigrum: coruus est animal: ergo coruus est niger.* Vbi ex ma. falsa, & min. vera, colligitur conclusio vera. Conf. primò, Aristoteles 8. *Phys. T.* 45. ex motu, quem falsò ab æterno statuit, infert primum Motorem esse æternum, quod verum est. Conf. secundò in demonstratione ad impossibile, vna præmissarum est semper falsa, vt arguit Doctor *vbi suprà:* non igitur omnis demonstratio ex veris conficitur. Distinguo ant. per se, nego. per accidens, conced. Quod autem per accidens est, in scientiam non cadit, vt suprà monebam: ita interpretandi sunt Scot. Maior, & alij dictum canonem recipientes. Ad 1. conf. adhibenda est eadem distinctio, & interpretatio; præsertim quia, secundum veritatem, & fidem Catholicam, Deus non necessarius, sed liber primus extat motor, quod palam insinuauit condens mundum in tempore, vt vberè ostendi *Tract. de Creatione disp.* 1. Ad 2. conf. dici potest præmissam assert. capiendam esse de demonstratione ostensiua, non verò de ducente ad impossibile, cuius causam attuli *in ant. artic. not.* 1. & innuit Doctor præcit. *ante §. Contrà.* Vel dicito, cum eodem *ibidem*, huiusmodi demonstrationem ex veris fieri quoad tertium processum, qui est ab interemptione hypothesis, ad ostendendum principale propositum esse verum.

18. Opponēs 2. contra eamdem assert. fiunt demonstrationes de vacuo, de infinito, & alio, quæ sunt entia, sine falsa entia: non ergo ex veris semper demonstratio componitur. Conseq. tenet, quia verum est passio entis: igitur non ens, non est verum; cum opposita eisdem proprietatibus non fruantur. Ant. suadetur, illa sunt quoquo modo scibilia, cum à Physica considerentur, quæ est scientia realis; præsertim quia, de non ente sciri potest, quod opponitur enti. Itaque de eo, aliisque prærecensitis effici valet demonstratio scientifica, ac proindè demonstratio non semper ex veris formatur. Respondeo cum Doctore *eo in loco §. Ad primam:* de illis, & consimilibus haberi demonstrationem, & scientiam negatiuam, non autem positiuam, quæ semper est ex veris, & sic cum Aristotele in præsentia loquimur.

19 Opponēs tertiò, contra secundam partem assert. vna ex proprietatibus relatiuis, ab Aristotele *cap. de Ad aliquid*, numeratis, est suscipere magis, & minus: ergo, cum veritas ex assertis sit relatio, deducitur indubiè hanc proprietatem ei congruere; atqueadeò, præmissæ esse queunt veriores conclusione. Confirmatur, vbi est maior vnio, maiorque conformitas extremorum in aliquo tertio, ibi est maior veritas, vt colligitur ex Doctore *in primo præcit.* in quibusdam autem præmissis id contingit: ergo veriores extant præmissæ conclusione. Respondeo eam proprietatem attribui relationi non formaliter sed fundamentaliter, hoc est ratione fundamenti, in quo fundatur, v. g. quia albedo, & nigredo suscipiunt magis, & minus: ideò relationes similitudinis, & dissimilitudinis quæ in eis fundantur, perhibentur suscipere magis, & minus. Quod etiam de contrarietate affirmatur, vt post Scotum *quæst.* 26. *prædicam §. De prima proprietate*, & Boëtium, notant Conimbr. *in comment. cap.* 7. Ad conf. eadem valet responsio, & interpretatio, quæ mox est adducta.

ARTICVLVS IV.

An Demonstratio sit ex primis, & immediatis.

20. SEcunda conditio demonstrationis ab Aristotele tradita est, quod sit ex primis, & immediatis, quæ ab aliquibus duplex, vt insinuat Doctor 1. *Post. quæst.* 11. §. *Ad* 1. *rationem:* à cæteris verò communiter, nuncupatim à Zab. *in com. T.* 9. Arriaga, & Mastrio, & Belluto *part.* 2. Inst. *Tract.* 1 *cap* 4 *&* *disp.* 13. *quæst.* 3. *art.* 1. vna tantùm conditio esse videtur, & non abnuit Doct. *loco nunc cit.* tametsi nonnullum inter ista locet discrimen, ex diuersa proprietate desumptum: propterea alterutrum superuacaneum, & diminutum iudicandum non est, vt vtriusque vocabuli notio, & significatio apertè demonstrat, & non obscurè indicat Doct. tum hic, tum etiam *quæst* 1. *art.* 1 siue ergo ista differant, siue coincidant, hanc procul dubio patiuntur expositionem dictis Doctoris consentaneam. Demonstratio est ex primis, id est principiis, interprete Scot. cit. *quæst* 11. §. *Ad quæst* Ex immediatis, supple finaliter, vt *ibid. in fine loci cit* Doct. explicat. Quamuis enim interdum demonstratio fiat ex mediatis: nihilominus tandem ad immediata reducitur. Itaque demonstratio conficitur ex principiis, quæ esse valent indemonstrabilia, & communia, imò communissima, quorum meminit Stagirita *cap* 8 *huius lib.* Atque demonstrabilia, & propria, quæ idem Philosophus refert *ibid. &* 4. *Met. cap.* 3. omnia autem patent in scientiis tam subalternis, quàm non subalternis. In his enim, præcipuè in Metaphysica habentur principia communissima, & indemonstrabilia: in illis verò principia demonstrabilia, quæ licet à subalternatis non probentur, bene tamen à subalternantibus ostenduntur, vt fusè in quæstione de scientia sum dilucidaturus Præterea, animaduerto propositionem appellari immediatam, & indemonstrabilem, propterea quod caret medio; idque tripliciter potest contingere: primò quia caret medio à priori, & à posteriori, vti sunt principia omnium prima, quæ prorsùs sunt indemonstrabilia, vt *impossibile est idem de eodem affirmari, & negari*, & quæ considerantur à Philosopho 4. *Met. cap.* 3. *& inde.* Secundò quia medij est quidem expers à priori, non tamen à posteriori. vt *homo est animal rationale*, hæc nullo potitur medio, per quod demonstretur à priori nihilominus per eius passionem, & quasi effectum demonstrari potest à posteriori, vt *omne risibile est rationale: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis.* Tertiò quia medio à posteriori spoliatur, tametsi eo gaudeat à priori, veluti se habet propositio mox allata, quæ causam sortitur per quam demonstretur à priori, non autem à posteriori. Quod de necessariis asserimus, idipsum de contingentibus est astruendum.

21. Assertio, demonstratio conficitur ex primis, & immediatis actu, vel virtute, siue finaliter. Est Scot. *in q. cit.* quoad ambas partes, quem sequuntur Raconius *disp.* 1. *art.* 4. Hurt. *disp.* 11. *sect.* 5. & Arriaga *disp.* 16. *sect.* 6. Prima pars probatur, nonnullæ demonstrationes fiunt ex præmissis indemonstrabilibus, tam à priori, quàm à posteriori, vt suprà notaui, & exemplo illustraui: ergo huiusmodi demonstrationes, quæ ex illis constantur, constant ex primis, & immediatis actu. 2 pars probatur, in effectibus, & causis per se non abitur in infinitum, vt patet *in Phys* *l. de causis*, alioquin nihil sciretur, vt infert Scot. *vbi suprà* §. *Ad q.* quædam autem sunt propositiones demonstrabiles per alias; vt cum fiunt propositiones, & argumentationes ex passionibus inuicem ordinatis quarum vna ostenditur per aliam, vt flebile, per risibile, risibile, per admiratiuum, & admiratiuum, per discursiuum, & rationale

[illegible] inde, in quibus tandem deueuitur ad principium immediatum, & indemonstrabile. Igitur, finaliter demonstratio constat ex primis, & immediatis.

22. Opponens 1. omnis demonstratio sit ex immediatis, ergo nulla demonstratio fit ex mediatis; quia immediatum, & mediatum opponi videntur: nullam autem demonstrationem constari ex mediatis pugnat Arist. tū hic, tùm etiam 1. *Top.* 1. ex rationi, quia cùm quædā principia sint immediata, quædam verò mediata, vt patet ex superioribus, consequenter deducitur, demonstrationes esse mediatas, quæ ex mediatis principiis construuntur. Distinguo ant. omnis demonstratio fit ex immediatis proximè, aut remotè, siue actu, aut virtute concedo: proximè, & actu semper, nego; nam vt probat instantia, nonnullæ sunt demonstrationes, quæ actu, & proximè ex mediatis constant, quæ finaliter ad immediata resoluuntur, vt scribit Doct. *in calce q. allegata.*

23. Opp. secundò, si omnis demonstratio ex primis, & immediatis principiis componitur: ergò omnis demonstratio est à priori, & à causa, nullaque à posteriori, & ab effectu, quod contradicit Stagiratæ 1. & 2. *lib. huius operis*, communique Philosophorum doctrinæ. R. cum Scot. præcit. per distinctionem consequentis, de demonstratione simpliciter quam definit Aristot. concedo, de demonstratione secundum quid, vti est demonstratio à posteriori, & ab effectu, nego.

ARTICVLVS V.

An Demonstratio sit ex prioribus, & notioribus.

24. De primā parte tituli propositi, non decertant Dialectici, cum luce verius sit, præmissas propositiones antecedere conclusionem, quod quo modo intelligatur, quæue prioritas requiratur inter eas, exploratum, & probatum est *q.* 1. *huius l. a.* 9. & nonnihil tangetur *infrà in* 1. *not.* De 2. verò parte huiusce art. video non omnes esse concordes, præsertim Neotericos, qui inuentis à veteribus cupientes aliquid addere, in eorum sententias non abire, nouaiu scholas inuehere conantur, defendentes principia nec certitudine, nec euidentia, nec perfectione conclusionem superare, inter quos sunt Arriaga *disp.* 16. *sect.* 4. *subsectione* 2. qui in præfatione sui cursus Philosophici monet Lectorem ab opinionum nouitate non esse formidandum: & Hurt. *disp.* 11. *sect.* 3. & alij quorum nomina ipse Hurt. *ibi*, & Ruuius c. 2. q. 5 retinent. Idipsum quoddam nouitatis amatores, & studiosos præstitisse in alius rebus suo tempore, refert Aureolus *in Prol. fol* 57. *art.* 2. qui placiti sui rationem sectantes ab Aristotelica, communique doctrina declinarunt, præsertim Och. eiusque discipuli, quos non rarò imitantur præfari Iuniores. Vulgus autem Philosophorum est, Aristot. 1. *Post. c.* 2. Scot. *q.* 11. §. *Ad q. & q.* 13. §. *Ad q. dicitur* Inseparatorum *disp.* 13. *q.* 3. *a* 2. Fuentes *q.* 19. *diff.* 1. *a.* 3. Racon. *disp.* 1. *q.* 3. *a.* 2. *sect.* 2 Conimb. *a.* 5. *q.* 2. *c.* 2. & cæterorum docentium, præmissas esse notiores, euidentiores, & perfectiores conclusione, siue diuisim, siue coniunctim accipiantur.

25. Not. 1. ex Doct. *q.* 11. §. *Ad* 1. *rationem.* primum bifariam vsurpari, vno modo in se, & absolutè, hoc est per negationem prioris, sic categoriæ perhibentur prima genera, quia suprà ipsa genera suprema non locatur aliud genus: altero modo per comparationem ad posterius, hoc est primi, ad secundum: ita præmissæ dicuntur priores in ordine ad conclusionem, quæ est eis posterior, veluti est effectus respectu suæ causæ. Hanc eamdem acceptionem patitur nomen *primogenitus*, vt observaui *Tract. de Deo Trino, disp.* 1. *q* 7. Rursus ex Aristot. nuper cit. *T.* 5. *c.* 2. & Scot. *q.* 10 §. *Ad primam.* prius, & notius dupliciter dicuntur: prius, & notius natura, & est quod longius distat à sensibus, vt vniuersale: prius, & notius nobis, & est illud quod sensibus est proximius, vt singulare: nonnunquam quod est notius natura, quoque est notius nobis, vt sunt multa disciplinarum Mathematicarum, puta *omne totum est maius sua parte.* Item *angulus rectus est maior angulo acuto.* Demonstratio autem propter quid procedit ex prioribus, & notioribus natura: non sic demonstratio quia.

26. Not. 2. scientiam per demonstrationem causatam, duo potissimum includere, certitudinem, & euidentiam, quæ se habent adinuicem, sicut superius, & inferius, siue magis commune, & minus commune. Omnis quippe euidentia includit certitudinem, non èconstra. Nam, fides est quidem certa, non tamen est euidens. Certitudó autem describitur firma adhæsio intellectus alicui obiecto, vt certus sum, Deum esse trinum, & vnum, quia firmiter adhæreo paginæ mihi attestanti. Euidentia verò est patens, & clara notitia de obiecto. Totum hoc elicitur ex Doct. *q.* 3 *prol.* & 3. *d.* 24. *q. vn.* §. *Ad q. infrà D* adducens conditiones scientiæ, inter quas præcipuè locat certitudinem, & euidentiam, inquiens, scientia est cognitio certa, & euidens. Perfectio autem dici potest integritas rei, quæ conuertitur cum bonitate, & pulchritudine transcendentaliter sumptis, vt significant Sacri Interpretes *Gen.* 1. perfectum verò est, cui nihil deest, vt cum Scot. sentiunt Gadius *Quol.* 18. *fol.* 82. Pelbartus *Tomo* 1. *verbo perfectio*, & Votrilong 1. *d.* 36. quod alibi est diligenter perscrutandum.

27. Not. 3. hoc axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, quo in præsentia vtitur Aristot. *T.* 5. *cap.* 2. & meminit 4. *Met. T* 4. ad probandas præmissas esse notiores, & euidentiores conclusione à plerisque angustari multis conditionibus, quarum quinque recenset Maior 1. *Post. fol* 60. § *Nota* & §. *Epilogando*, concludit illud tantum habere locum in genere causæ efficientis, & finalis. Tatar. *ibid. q.* 2. *scibili* 4. ad eius explicationem, & veritatem tres conditiones adducit, duas ponit Aristoteles *in Met cit.* & tertiam addunt alij. Prima est, vt, quod de causa, & effectu prædicatur, formaliter vtrique conueniat: obid non valent hæ instantiæ, aër est calidus propter solem: ergò sol est magis calidus. Item, petrus est ebrius propter vinum: ergò vinum est magis ebrium; quia nec soli formaliter competit calor, nec vino ebrietas. 2. vt quod de causa, & effectu perhibetur, suscipiat magis, & minus, propterea non rectè deducitur, Franciscus est homo propter patrem eius: ergò pater eius est magis homo. 3. vt vnum respectu alterius, inter quæ fit comparatio, sit causa totalis, & adæquata, defectu cuius non sequitur, compositum naturale est perfectum propter formam, ergò forma est perfectior composito, quia forma est eius causa partialis, ipso toto, quod eam includit, imperfectior, affirmante Scot. 1. *d.* 1. *q.* 2. §. *Loquendo. Sub M.* Has moderationes attingit doct. 1. *Perih* § *Ad partem oppositam. Et* 1. *Post. q.* 12. §. *Ad q* & §. *Ad primam* inquiens prænominatum proloquium capiendum esse de causa efficiente, & vniuoca per se essentiali, & totali.

28. Assertio, præmissæ demonstrationis sunt notiores, euidentiores, & perfectiores conclusione. Ita Scot. *locis prææallegatis* 1. *not. cum* Aristot. *passim memorato.* Probatur 1. illud est alio notius, euidentius, & perfectius secundū se, quod est causa alterius, vt asserui *l.* 5. *Phys. q.* 1. *a.* 5. De ratione quippe causæ videtur esse, vt quidquid extat in effectu præstantius & excellentius reperiatur in causa, cū causa virtualiter contineat suum effectū: præmissæ autem, vt alibi dictis sunt causæ cōclusionis: ergo conclusione existente nota, certa, euidente, & perfecta, præmissæ sunt notiores, certiores, euidentiores, & perfectiores. Conseq. patet per regulā præassignatā, *propter quod vnūquodq; tale, & illud magis*, quæ conueniunt nostræ assertioni congruit, vnā cum conditionibus præexplicatis,

dictis bosque modificationibus angustatum, & firmatum: hic autem in multis cernitur falsum, potissimum in hoc, ferrum est calidius propter ignem: ergo ignis est magis calidus Ant. est verum, & consequens falsum. Ferrum autem magis lædit ipsum tangentem, quam ignem, ergo ferrum est calidius. Quod non procedit, nisi a maiore calore, qui extat in ferro. Respondet Scot. *quæst.* 1 1. Id esse per accidens: etsi enim ferrum magis calefaciat, quam ignis, hoc non oritur à maiore calore inhærente in ferro; sed à densitate materiæ, in qua virtus caloris est vnita, ac proinde actiuior, iuxta illud vulgatum, *virtus vnita fortior seipsa dispersa*, vt innuit Doctor 2. *distinct.* 42. *quæst.* 4. §. *Respondeo G.* & edisserit Maior *fol.* 69. *colum.* 4. Reliqua demonstrationis conditio est, quod sit ex causis, quam examinani *quæst.* 1. *art.* 8. Cum enim demonstratio sit perfectus sciendi modus, debet ex causis constare, quia scientia est cognitio rei per causam ex 1. *Post. T.* 5. siue causa sit actualis, siue virtualis, vt præstat Philosophus 2. *Cæli T.* 13. Siquidem cum ibi probasset orientem esse dextrum, seu principium motus, sibi obiicit, motum cœli nunquam cœpisse, quia in eius sententia mundus est æternus, respondet, quod si motus incohasset, ab oriente suum duxisset exordium. Vnde patet eo in loco Aristotelem, ad demonstrandum vti causa virtuali, quæ describitur ea, quæ effectum re vera non producit, tamen si effectus produceretur, non ab alia, quam ab illa, quæ assignatur, promanaret, vt in Deo incomprehensibilitas ab infinitate, & æternitas ab immutabilitate prodiret, affirmantibus geminatis Scotistis 2. *part. Inst. Tract.* 1. *cap.* 4.

ARTICVLVS VI.

An præmissæ demonstrationis sint ex necessariis, & de omni.

36. QVidam Recentes, inter quos numerantur Hott. *disp* 9. *sect.* 6. & ex parte Arriaga *disp.* 16. *sect.* 7. necnon Conimbr. *cap* 7. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 2. penes singularia tantùm, constanter asseuerant demonstrationem posse effici ex contingentibus, singularibus, & corruptibilibus. Quibus ego oppono vniuersam pene Philosophorum Scholam, in primis Aristotelia 1. *Post. cap.* 4. 8. & alibi, Scot. *quæst.* 14. Maioris *ibidem*, *fol.* 70. §. *Ad* 2. Fuentes *quæst.* 19. *diff.* 1. *art.* 7. & aliorum docentium, demonstrationem confici ex necessariis, vniuersalibus, & æternis.

37. Not. primò, Aristotelem citat. *cap.* 4. & 7. *T.* 44. afferre alias demonstrationis conditiones, videlicet demonstrationem constare ex *necessariis*, *propriis*, *de omni*, *per se*, & *de prædicato vniuerso*, quas non adducit, nec memorat *cap.* 2. *eiusdem lib.* vbi demonstrationem definit, præcipuasque eius conditiones explorat, rationem reddit Zab. *libro de speciebus demonstrationis cap.* 3. quia illæ ab his non distinguntur, at istæ, illas implicitè continent, quas *cap.* 4. *alleg.* explicitè docet. Enim verò, principia esse vera, immediata, priora, & notiora esse nequeunt, nisi sint propria, *de omni*, *per se*, & *secundum quod ipsum*, vt magis ex dicendis constabit. Vnde notantur tres gradus necessitatis ad demonstrationem requisiti, quorum primus est, vt demonstratio sit, *de omni*: secundò, vt sit *per se*, & tertiò, vt sit *de prædicato cum subiecto conuertibili*. Hi autem sigillatim à nobis sunt explanandi, & quidem primus in præsenti, & cæteri in duobus proximis articulis.

38. Not. secundò, syncategoremata, siue signa vniuersalia, putà *omne*, vel *nullum*, cuilibet subiecto opposita reddere propositionem vniuersalem, vt in *Epitome* admonui *lib.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. Cùm ergo ait Aristot. demonstrationem, aut propositionem demonstrationis, vt exponit Zab. *lib.* 1. *de propositionibus necessariis in fine cap.* 2. & 1. *Post. in comm. cap.* 4. debere esse, *de omni*, idest de subiecto vniuersali, ratione cuius appellatur vniuersalis. Quoniam verò vniuersalitas penes duo peti potest, hoc est, penes subiectum, de quo eius prædicatum vniuersaliter enuntiatur: & penes temporis perpetuitatem: propterea exoritur duplex prædicatio, videlicet de *omni prioristico*, & *de omni posterioristico*. Illa est, cum prædicatum dicitur de omni subiecto, nulla habita ratione vniuersalitatis temporis, vt si modò omnes homines forent albi, hæc esset de omni prioristico, *omnis homo est albus*. Quod si nedum omni subiecto, verumetiam omni tempore prædicatum adaptatur, & enuntiatur de subiecto, sic habetur propositio de omni posterioristico, vt *omnis homo est animal*. Prior nuncupatur de omni prioristico, eo quod *in libro Priorum*, sola forma syllogistica, absque temporis perpetuitate attenditur. Posterior autem nominatur de omni posterioristico: propterea quod attenditur in ea temporis vniuersitas, & perpetuitas. Quamobrem iste primus necessitatis gradus duas expostulat conditiones, alteram, quæ est subiecti vniuersitas, & perpetuitas: alteram verò, quæ est perpetuum vinculum subiecti cum prædicato, de quo egi *libro quarto*.

39. Assertio prima, præmissæ demonstrationis debent esse necessariæ. Hanc expressè cum Aristotele tenet Scotus citatus *in principio art.* & 1. *distinctione* 3. *quæstione* 4. §. *Ad* 1. *artic.* Probatur primò, quæ sunt principia immediata, aut mediata sunt necessaria: præmissæ autem demonstrationis sunt principia immediata, aut mediata: ergo eius præmissæ sunt necessariæ. Ma. luce meridiana est clarior: & quidem principia esse necessaria, maximè immediata legitur 2. *Met. cap.* 1. Prima principia sunt nota omnibus sicut ianua in domo, quæ ianua neminem latet, vt allegat Doctor *in primo mox citato* § *Iste rationes*. Et exponit *in Met. passu memorato*, vbi Anton us Andreas, Orb. & alij. Mediata quoque esse necessaria conspicitur, quia suam ex primis, & immediatis hauriunt necessitatem. Min. satis liquet ex præcedentibus articulis, & definitio materialis demonstrationis apertissimam eam facit. E. 2. *ex primis prædicatis* §. *De secundo* E. effectus naturalis, & necessarius habet causam naturalem, & necessariam, veluti effectus liber, & contingens, causam liberam, & contingentem: effectus autem præmissarum demonstrationis est necessarius, potà conclusio, quæ necessitatem formæ syllogisticæ, & materiæ sortitur, vt patet *in prol. quæstione* 4. Et in hoc differt syllogismus demonstratiuus à topico, quia hic solam formam syllogisticam participat: ille verò vtraque gaudet. Demonstratio igitur conflatur, ex principiis necessariis.

40. Assertio secunda, demonstratio exigit præmissas *de omni posterioristico*. Ita Scotus cum Aristotele *vbi suprà*, & sequitur *ex ant. assert.* En quippe est propositio *de omni posterioristico*, cuius prædicatum de omni parte subiecti, qua eius subiecti, quo constat, enuntiatur, estque inter ambo eius extrema perpetuus nexus, vt declarani *in secundo not.* Præmissæ autem demonstrationis sunt huiusmodi, vt probaui *in* 1. *assert.* ergo demonstratio contexitur ex præmissis *de omni posterioristico*.

41. Assertio tertia, demonstratio ex vniuersalibus, & incorruptibilibus, & perpetuis confici debet. Prima pars est Aristotelis *hoc loco*, & 2. *de anima T.* 80. 7. *Met. T.* 53. & alibi frequenter. Et Scot. *ibidem in fine quæst.* 34. & *collatione* 36. §. *Ad* 1. *istorum*. Probatur primò, demonstratio fit ex præmissis de omni, vt patet ex superiori assert. Nequit autem esse de omni, nisi fit ex vniuersalibus, vt elaret *ex* 1. *not.* Ergo demonstratio constat *ex vniuersalibus*. Secundò, scientia est vniuersalium *ex* 2. *de anima T.* 60. Ideò Plato adinuenit

Inuenit rerum ideis, negaret vniuersalia, de quibus est scientia, vt notum feci *l. 2. quæst. 1. art. 3.* Iterum, singularium non sunt propriæ passiones distinctæ à proprietatibus naturæ communis, vt fatentur C mimb. *c.7 q. 4 a. 2.* post Scot. *2 d 9 q 2 §. Ad argumenta X* Ergò ex illis non construitur demonstratio. Secunda pars defenditur ab Aristotele. *1. Post. c. 7. T.21*, & Scot *ibid. q. 14. §. Ad 2. dicitur.* Probatur 1. necessaria sunt incorruptibilia, & perpetua, vt deducitur ex definitione scientiæ allata ab Aristotele *1. Post c.2. T.5* Et ratio est, quia abinuicem sunt indissolubilia, & inseparabilia. Demonstratio autem fit ex necessariis, vt ostendi *in 1. assert.*: ergò quoque ex æternis, & perpetuis. 2. conclusio demonstrationis est de æternis, & incorruptibilibus, quia est scientifica: scientia autem est de incorruptibilibus, & æternis, ex eodem Aristotele *vbi supra*: ergo & præmissæ debent esse incorruptibiles, & æternæ, cum sint vniuersales: at si vna præmissarum foret singularis, conclusio pariter esset singularis, ac proinde corruptibilis, vt argnit Philosophus cit *T.22.*

42. Oppones primò contra 2. assert. Aristoteles *1. Post. c.14. T.44.* & Scot. *1. d. 3. quæst. 4 §. De secundus E.* senbunt, omnem syllogismum fieri, aut per propositiones necessarias, aut per eas, quæ vtplurimùm, vt pluuiæ hyeme, & calores æstate: quæ autem fiunt vtplurimùm, sunt contingentia: ergò demonstratio non semper constat ex præmissis necessariis. Conf. 1. Physica, quæ ab omnibus ferè Philosophis defenditur esse scientia, est de mutabilibus, putà elementis, & mixtis, quæ perennem subeunt mutationem, & vicissitudinem, vt quotidiana patet experientia: non ergò syllogismus demonstratiuus ex necessarius, & immutabilibus constatur. Conf. 2. lunam pati eclypsim, rarò contingit: quod autem rarò euenit, contingens est; & tamen habetur per demonstrationem; ac proinde demonstratio confici potest ex contingentibus. Respondet Auerr. aliique interpretes, duplex esse genus demonstrationum, quædam enim sunt mathematicæ, quæ fiunt ex necessariis simpliciter: nonnullæ verò sunt naturales, quæ componuntur ex iis, quæ fiunt frequenter, vt de causa naturali eiusque effectu affirmat doct. præcit. Quod si per oppositionem obicis impediatur, id est per accidens, quod scientifica cognitione non est dignum. Idque deducitur ex Aristotele, qui *1. Princ 13. sect. 1.* inquit, necessarium illud esse, quod vtplurimum fit. Vel dicito, Aristotelem *ibi* loqui disiunctiuè, nempè omnem syllogismum demonstratiuum effici ex necessariis: Dialecticum verò ex iis, quæ sæpe fiunt: sic tollitur omnis contradictio in dictis Philosophi. Ad 1. conf. quid dicendum sit patet *ex l. 1. Phys. quæst* 1. vbi ostensum est, quomodo res physicæ cadunt sub scientiam, ratione connexionis necessariæ, quæ inter eas habetur, notante Fuente prænomin. Ad 2. conf. dico cum Scot. cit. eam muniri illi principio per se noto: putà, opacum interpositum inter luminosum, & perspicuum impedit luminis multiplicitatem, ad tale perspicuum: terra autem est tale opacum interpositum inter solem, & lunam: ideò demonstratione propter quid scitur, lunam eclypsari. Itaque quoties fit talis interpositio, deliquium patitur luna, quia causa est naturalis ad effectum eius naturalem causandum, reclamante Rumo *é 4. quæst. 1.*

43. Oppones secundò, ex effectibus contingentibus, & singularibus à Deo productis, demonstratur existentia ipsius Dei, quæ est necessaria, iuxta illud Sap. 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter potest creator horum videri.* Et Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna eius virtus, & diuinitas*: ergo ex contingentibus, & necessariis effici valet demonstratio. Confirmatur, Theologia, quæ numeratur inter scientias, est de contingentibus, & singularibus, vt de Deo creante, & conseruante, naturam humanam a...mente, & cæteris, quæ sunt contingentia, & singularia. Respondeo præfatos effectus inspectari posse dupliciter, penes existentiam, & productionem eorum liberam: aut penès dependentiam essentialem, quam habent à Deo. Primo modo in demonstrationem non veniunt: 2. verò modo, maximè; quia impossibile est esse creaturam, & à Deo essentialiter, & necessariò non dependere. Hinc rectè subdit Fuentes, ex existentia creaturæ necessariò inferri existentiam Dei, à quo necessariò ipsa creatura dependet. Ad conf. occurrit Scot. *quæst. 4. prol. §. sed aliud. C.* Theologiam esse ex necessariis de possibili, nempe quod Deus est creatiuus, & susceptiuus naturæ humanæ, sic intelligendo, quod vt fruuntur secundum potentiam sunt necessaria; quamuis ea ponuntur in effectu, non sit necessarium. Non enim necessarium est Deum creare, sed Deus necessariò est creatiuus.

44. Oppones tertiò, construuntur demonstrationes de sole, luna, & Deo, vt asserit Doct. *1. d. 2. q. 4. §. Ex his C.* Huiusmodi autem sunt singularia: ergo demonstratio effici potest ex singularibus. Respondet Doct. *collatione 36.* ex Aristotele *1. Met. 55.* si aliqua scientia est de vno, vt de Deo, vel sole, esse de Deo ac si essent mille Dij, vt patet secundum Auer. *6 Eth.* Ideò Theologia est de Deo vt de vniuersali, ac si essent plures Dij, licet Deus sit singularis. Hæc responsio licet, de sole, & luna, aliisque, quorum species vno tantùm indiuiduo actu existente gaudent, locum habeat, quia eiusdem speciei eorum multa indiuidua sunt possibilia: verumtamen de Deo valere non videtur, propterea quod multitudo Deorum repugnat, vt ostendam *in Met.* Dici potest. Aristotelem, & Auer. in quotum sensu loquitur *ibi* Scot. differere secundum vulgarem opinionem admittentium Deorum multiplicitatem, & possibilitatem. An verò singulari æterno, & necessario, de eo possit esse scientia, non negat Scot. idque fortassis non renuerent Aristoteles, & Auer. vt contra Vasquez *1. p. q. 1. a. 2. c. 7.* obseruat Faber *in prol. q. 3. disp. 6. c. 1. num. 5.*

ARTICVLVS VII.

An demonstratio fiat ex præmissis per se.

45. Mvltus est Doctor subtilis *1. Post. à q. 15. ad 29.* in stabiliendis, & declarandis modis per se traditis ab Aristotele *cit. c. 4. T 30.* de quibus etiam copiosè disserunt Pelbartus *Tom. 1. verbo modus intrinsecus.* Formalistæ enim. Sirecto *art. 3 partiali, & 4. principali Tract. Form.* Maior *1. Post. fol. 7.* Tatar *q. 3.* Ioannes de Magistris *ibid.* & ego nonnihil tetigi *in Epit. l. . quæst. 2. a. 2.* Pro istorum autem faciliori captu.

46. Not. primò, vulgò vnum alteri dicitur per se conuenire, vt innuit Doct *quol. 1. § de 2. P.* Gad. *ibid.* & Orbel. *5. Met. c 7.* quod intrinsecè, & necessariò ei congruit, vt esse rationale per se competit homini: è contrà per accidens aliquid alicui dicitur adaptari, quod extrinsecè, & contingenter ei aduenit, sic esse album, aut nigrum per accidens accommodatur homini. Aduertit autem Scot. *q. 25. præcit.* & insinuat *quol. 9. A.* hanc conditionem per se posse bifariam accipi, nimirum in propositionibus, & in rebus. Primo modo facit modum inhærendi: 2. verò modo constituit modum essendi, & vtroque modo talis conditio per se est possibilis. Est autem possibilis in propositionibus, quia in aliquibus enunciationibus subiectum est causa prædicati, & in quibusdam prædicatum est causa subiecti. Exemplum primi, in secundo modo dicendi per se *homo est risibilis*, quia à principiis subiecti essentialibus prodit passio. Exemplum

plum secundi in 1. modo dicendi per se *homo est animal* quando scilicet pars definitionis prædicatur de definito, aut tota definitio de toto definito, vt *homo est animal rationale*. Itidem hæc conditio est possibilis in rebus, & constituit modum essendi, excluditque principem causam, secundum Linconiensem. Idque tripliciter; aut enim excludit causam efficientem, & finalem, sic tantum 1. causa est per se, quia nec efficientem, nec finalem causam sortitur, cùm sit efficiens, & finis omnium. Aut excludit causam materialem, & ita Intelligentiæ sunt per se, quia sunt materiæ expertes. Aut per se excludit esse in subiecto, & hoc modo substantia est ens per se; & hic modus reduci potest ad causam materialem, quia substantia est susceptiua accidentis.

47. Not. secundò, de numero modorum dicendi per se, non vnum esse omnium Dialecticorum sensum. Quidam namque vt Linconiensis in præsenti, teste Scot. *quæst.* 16. duos tantum modos dicendi per se admittunt. Alij, vt S. Thom. ab eodem Doct. *ibid.* relatus tres solùm modos dicendi per se recipiunt. Nec desunt, qui plures quam quatuor excogitent, inter quos est Themistius, qui quintum dicendi modum adiicit. Communis autem opinio est Aristotelis *c.* 4. *primi Post.* Scot. cit. Tromb *Tract Form. fol.* 45. & aliorum eo in loco quatuor dicendi modos per se connumerantium. Huius quaternarij numeri ratio adduci potest ex Tromb. *cit. in fine pag.* 2. Quidquid dicitur per se de alio, aut dicitur, vt prædicatum est de essentia subiecti, & habetur 1. modus dicendi per se, *vt homo est rationalis*; aut vt prædicatum est propria passio subiecti, ac exurgit 2. modus dicendi per se, *vt substantia est subsistens*; aut denique per prædicatum exprimitur propria causa effectus subiecti, siue vt ait Tatar. quando subiectum includit causam, per quam productum sibi inest, & oritur 4. modus dicendi per se, vt *ignis calore calefacit*, explicante Scot. 1. *d.* 32. *quæst.* 2. §. *Contra.* Omnes autem huiusmodi communi nomine dicendi per se gaudent, & meritò, indice Zab. *lib. de propositionibus necessariis. c.* 3. quia Logica *in* 1. *Post.* considerat modos dicendi per se, *in lib. Perih.* modos enunciandi, relinquens modos essendi ad 5. *Met c.*28. *T.* 33. Quilibet verò istorum proprio potitur vocabulo. Etenim 1. modus appellatur modus per se prædicandi, ac fortassè de causa, quia definitio essentialiter, & quidditatiuè prædicatur de definito. 2. modus vocatur per se inhærendi, ita dictus, propterea quod passio, quæ de suo subiecto prædicatur, ipsi necessariò, & naturaliter inest. 3. nominatur per se essendi, quia perhibetur de iis, quæ per se sunt, siue per se subsistunt, quem etiam competere, s. substantiis scribit Doct. 1. *Post. quæst.* 31. Quartus nuncupatur modus per se causandi, quia denotat causam coniunctam cum suo actuali effectu, vt monstratur de igne calore calefaciente, & indicat Doct. 3. *dist.* 7. *quæst.* 1 §. *Quarto.*

48. Not. 3. ex Scot. mox cit. *&* 1. *d* 8 *q.* 3. *T ex* 1. *Post. q.* 20. Tromb. & aliis Formalist. Prænominatis, hos modos suos sortiri gradus, & conditiones. Primi modi duæ extant potissimùm conditiones ab Aristotele *T.* 30. insinuatas: altera est, vt prædicatum insit subiecto, hoc est, vt fiat prædicatio naturalis, defectu cuius, hæc non est primi modi, *animal est homo*, notante Scot. *quæst* 28. *primi Post.* Altera, vt prædicatum dicatur de subiecto in quid, idest, vt sit definitio integra, vt *homo est animal rationale*: aut pars definitionis, vt *homo est rationalis*: aut quoduis aliud proximum, aut remotum pertinens ad eius essentiam, siue sit transcendentale *vt homo est ens*, siue prædicamentale, vt *homo est corpus*. Ad hunc quoque modum reuocantur propositiones identicæ, cùm idem de seipso prædicatur, vt *homo est homo*, vt patet ex Scot. *q* 15. & elicitur ex Aristotele 1. *Top c.* 4. aliisque locis à Recentibus alleg. Ratio esse potest, quia in prædicatione identica participes causa excluditur; sensus enim est dictæ propositionis *homo est homo*, videlicet homo per se est hic homo, vt non requiratur alia causa, vt sit homo. Hinc Philosophus 7. *Met.* subdit, quæstio cur *homo est homo*, nulla est, quia quæstio vnum præsupponit, & aliud quærit: in prædicta autem propositione nihil præsupponitur, nullaque est eius alia causa. Ideò Brulifer *Tract. Form. fol.* 17. *pag.* 2. existimat huiusmodi propositiones identitas impropriè esse primi modi, quia ex Aristotele cit. & communi Doctorum sensu ea est propositio 1. modi, cùm prædicatum est de essentia subiecti: idem autem non est de essentia suimet. Eò magis, quia in 1. modo, aut prædicatum est tota definitio, aut pars definitionis subiecti. Idque videtur astruere Doct 1. *Post. quæst* 10. *&* 1. *d.* 8. *quæst.* 3. *T. &* 3. *d.* 7. *q.* 1. *D.* Huc quoque pertinent propositiones negatiuæ, vt *homo non est irrationalis*, vt tenet Scot. *quæst.* 21. *& quol.* 4. *E.* Atque propositiones modorum intrinsecorum, vt cum Neotericis astruit Sunsine *Tract.* 2. *disp.* 1. Ratio est, quia vt dixi *Tract. de Deo v. o.* modus intrinsecus perfectè, & adæquatè intelligi nequit absque te, cuius est modus. His quatuor modis per se correspondent quatuor modi per accidens, tametsi tres tantum modos per accidens adducant Scot. *quæst.* 18. & alij Authores sub 1. comprehendentes secundum. Primus modus per accidens est, cum prædicatum non est de essentia subiecti, nec continetur sub vllo ex illis gradibus prærecensitis, vt *animal est rationale.* Secundus est, cùm prædicatum nec est de essentia subiecti, nec consequitur eiusdem subiecti essentiam, vt, *homo est albus.* Tertius est, cum aliquid alicui per se non existenti adaptatur, vt *nigredo est.* Quartus cùm effectus à causa, quæ assignatur, non proficiscitur, nisi accidentaliter, vt *homine deambulante fulgurauit.* Corruscatio quippè non est causa deambulationis hominis, sed casu accidit, & nonnisi simultas temporis vtriusque habetur. hoc est, eodem tempore fiunt corruscatio hominisque deambulatio, vt liquet 1. *Post T* 9.

49. Assertio, demonstratio effici debet ex præmissis per se. Ità Scot. cum Aristotele loco prænarrato. Probatur, demonstratio constat ex necessariis, ex dictis *art.* 5. *huius q.* Omnis autem propositio necessaria est in aliquo, ex quatuor modis per se, vt patet ex præpositis notabilibus: ergò demonstratio fit ex præmissis per se. Accedit, omnis propositio vel est per se, vel per accidens: præmissæ autem demonstrationis non sunt per accidens: ergo sunt per se. Maior est nota, quam tradit Aristoteles vbi suprà, reiiciens modos per accidens tanquàm ad demonstrationem ineptos. Min. quoque est conspicua: quæ enim sunt per accidens, sunt contingentia, & casualia, quæ in demonstrationem non cadunt.

50. Oppones primò, per se denotat causam, vt cum Aristotele aduerti *in* 1. *not.* si autem præmissæ demonstrationis forent per se, alia earum foret falsa, vt *homo est animal*, quia insinuatur idem esse causam suiipsius, quod est absurdum: non ergo oportet præmissas demonstrationis esse per se. Respondet Zab. *l.* 2. *de propositionibus necessariis prope finem c.* 17. aliquando vnam ex præmissis non esse per se in syllogismo demonstratiuo. Verùm quoniam conclusio semper sequitur debiliorem partem, non esset demonstratio, quia non esset scientifica, si alterutra ex præmissis non esset per se. Itaque aliter respondeo, concessa ma. negando min. licet enim animal sit idem cum homine: tamen ratio animalis & ratio rationalis constituentes hominem, sunt formaliter distinctæ: ideò hæc est per se, *homo est animal*, quia ratio animalis est pars essentialis ipsius hominis: & est in primo modo dicendi per se. Vide quæ dixi in confirmatione præfatæ propositionis *art.* 1. *huius quæst. oppositione* 4.

51. Oppones secundò, per se excludit causam comparticipem

participem, vel ergo amouet causam efficientem,& sic sola prima causa erit per se,quod est falsum : aut tollit causam materialem,& ita substantia materialis non esset per se, quod est absurdum : aut excludit quamlibet aliam causam, quo pacto nullum ens causatum ab aliis causis, erit ens per se, quod pariter est inconueniens. Respondeo per se in rebus diuersis excludere diuersam causam, non autem à quacumque re, quamlibet causam amouere. Enim verò in Angelis aufert causam materialem, in substantiis corporeis causam inhærendi in subiecto, vt astruit Doctor *citato*, §. *Ad* 1. *rationem*. An verò fiant demonstrationes in omnibus quatuor modis per se relatis, altercantur Authores. Etenim Raconius *disp.*1. *de demonstratione art.*3. *propositione* 3. negat in tertio modo effici demonstrationes. Faber *Theor.*14. ait quartum modum esse demonstrationi inutilem. Arriaga *disp.*16. *sect.*8. *concl.*2. non concedit omnes demonstrationes constare ex modis per se. Nostri Iuniores *part.*2. *Intr. Tract.*1. *cap.* subiungunt non semper confici demonstrationes in tertio, & quarto modis dicendi per se. Scotus autem affirmat in cunctis quatuor modis formari demonstrationes, & quidem in primo, & secundo modo, nemo inficiatur, in tertio ostendit *quæst.*31.*& in* 4.*quæst.*32.

ARTICVLVS VIII.

An præmissa demonstrationis fiant ex prædicato vniuersali.

51. POstremus necessitatis gradus ad demonstrationem requisitus affertur,& explicatur ab Arist. 1.*Post. cap.*4. *T.*11.qui vocatur prædicatum vniuersale. Cum enim iam in superioribus duo necessitatis gradus, nempè *de omni*, *& per se*, fuerint expressi,nunc tertius restat explicandus. Principio autem obseruo primum necessitatis gradum posse esse absque secūdo,& tertio, non tamen è contra,vt indicat Scot. *post. quæst.*28. Pariter secundus esse valet sine tertio, non verò tertius absque secundo, vt astruit Doct. *quæst.*33. §. *Ad quæst.* Adeò vt gradatim per has tres conditiones, præmissæ demonstrationis ad summam perueniant necessitatem. Præterea, ne in æquiuoco laboremus, aduerto vniuersale hoc loco non accipi pro eo, quod est vnum aptum, prædicari de multis, de quo fusè *lib.*2. Sed pro prædicato,quod adæquatè,& reciprocè conuenit subiecto, interprete Scoto *loco proximè allegato*, vt risibile est prædicatum vniuersale respectu hominis, cui adæquatè, & conuertibiliter adaptatur. Vnde vniuersale describitur ab Aristotele nuper citato, & recipitur à Doct. *quæst.*35. Quod de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum.Et paulò *post.T. cit.* vniuersale autem tunc est,quando in quolibet, & primò demonstratur. Huic tres attribuuntur conditiones necessariæ, quarum prima est, vt sit de omni, supple posterioristico. Secunda per se,intellige aliquo ex quatuor modis in præeunte art. adductis,& expositis. Tertia,vt prædicatum sit secundum quod ipsum,idest,vt reciprocetur,& adæquetur subiecto, exponente Scoto *quæst.*33. § *Ad quæst.* Hinc patet postremam conditionem non coïncidere cum secunda, vt nonnulli suspicantur, à quibus non videtur recedere Zab. *loco citato,& lib.*1. *de propositionibus necessariis,cap.*1. quandoquidem multæ sunt propositiones per se, quæ non potiuntur prædicato secundum quod ipsum, vt sensitiuum quidem per se dicitur de homine, non tamen secundum quod ipsum, quia non ei adæquatur, & aliis ab ipso competit, attribuiturque ei, non vt homo, sed vt animal est. Quare non puto ab Aristotele affirmari duas vniuersalis prædicati descriptiones, sed vnam duntaxat, cuius conditiones duobus in locis exprimuntur, magisque in posteriori, quàm in priori. Idem quippe est, in quolibet, & primo monstrari, ac de omni, & secundum quod ipsum prædicari. Quoniam verò prædicatum secundum quod ipsum includit modum dicendi per se, vt suprà monui : ideircò in primo loco Philosophus eum non expressit. Amplius infero, non idem esse prædicatum immediatè subiecto conuenire, ac vniuersaliter eidem competere, vt putant quidam Thomistæ citati à Rubio *quæstione tertia*, *cap.*4. secuti Themistium *in præsenti*. Siquidem prædicatum vniuersale competit subiecto primò, idest, adæquatè, vt exponit Doctor *quæstione* 34.& apertè docent Auer. & Zab. *ibidem*. Genus autem etsi immediate conueniat speciei, non tamen adæquatè, quia ipsam excedit. Idem, differentia immediatè generi subiicitur, quamuis non sit eius prædicatum vniuersale, propter rationem nunc allatam. Non ergo idem est dicere, prædicatum subiecto immediatè conuenire, ac idem vniuersaliter conuenire. Ne autem quispiam tribuendo alicui subiecto prædicatum vniuersale labatur in errorem, Aristoteles *cap.*5. *huius lib. T.*12. *& inde*, admonet, improuide posse committi tres errores, quos etiam adducit Scot. *quæst.*35. *paulo ante* §. *Ad* 1. *rationem*. Primus potest contingere,cum tantum extat vnum indiuiduum alicuius speciei, vt sunt sol, & luna, & vni eorum primò attribuitur passio, ac si foret species, purà si huic lunæ eclypsabilitas adaptetur primò : cùm enim aliæ lunæ sint possibiles, proptereà ei talis passio primò, idest adæquatè accommodari nequit. Secundus error accidit, quando propria passio alicuius generis de suis speciebus demonstratur, & quispiam imaginatur talem demonstrationem esse vniuersalem, cùm reuera non sit. Talis autem deceptio euenit, quando genus, sub quo multæ species comprehenduntur, est innominatum, & passio talis generis, cuius nomen ignoratur, non ipsi, sed speciebus sub eodem contentis conceditur, vt si quis commutatam proportionem,quæ est passio mathematica,lineis,numeris,temporibus,& solidis primò tribuat, cùm ipsorum generi plane conueniat,tametsi sit anonymum. Tertius committitur, quando propria passio alicuius speciei,eius generis propria affectio creditur, vt si quis opinetur risibilitatem homini congruere, quia est animal.

53 Assertio,ambæ præmissæ demonstrationis propter quid esse debent de prædicato vniuersali, aut saltem altera.Hanc tradunt Arist.*c* 4.Scot. *quæst.*34.§. *Ad q.* & Maior *ibid.fol.*71.§ *In* 7.*cap.*Prima pars probatur in conclusione demonstrationis propter quid demōstratur propria passio de suo subiecto,per medium.quod est definitio ipsiusmet subiecti, ex infrà dicendis:huiusmodi autem conclusio deduci non potest,nisi ex præmissis de prædicato vniuerso, vt liquet in hac demonstratione, *omne rationale est risibile* : *omnis homo est rationalis* : *ergo omnis homo est risibilis*. Rursus subiectum, de quo demonstratur propria passio,est eius causa immediata, & adæquata,vt patet:præmissæ ergo.quæ sunt causæ talis conclusionis, in qua propria passio ostenditur de suo primo subiecto,constant ex prædicato vniuerso.Secunda pars probatur,possunt fieri demonstrationes propter quid,licet vna præmissarum non sit ex prædicato vniuerso : ergo ad demonstrationem propter quid non semper requiritur vtraque præmissā de prædicato vniuersali. Ant.ostenditur in hac demonstratione: *omne animal est viuens* : *omnis homo est animal* : *ergo omnis homo est viuens*. Vbi liquidò constat maiorem non esse de prædicato vniuerso, & palam fecī antè præpositam assertionem.

54. Oppones primò, idem est per se, & quatenus ipsum:ergo prædicatum vniuersale non differt à prædicato per se.Ant.liquet per Arist. *T*11. dicentem,per se, & quatenus ipsum idem est, vt per se inest lineæ punctum, & rectum, quatenus est linea,& triangulo, quatenus est triangulus,sunt duo recti,&c. Idē legitur

*cap.*7.

cap.7. eiusdem lib. & recipitur à Themistio *ibidem*, annuente Scot. *quæst.* 34 § *Intelligendum.* Distinguo ant. idem est per se, & quatenus ipsum realiter, sicut prædicatum inferius identificatur realiter, cum superiori, concedo: idem est per se, & quatenus ipsum formaliter, primo, & conuertibiliter, nego, vt explicui *propè initium huius art.* & tangit Doct. *quæst.* 31. & 39. §. *Item si* Et videtur exprimere Aristot. *T. alleg.* cum conditioni per se addit tertiam, quæ est secundum quod ipsum, alioqui vana foret tertia conditio, si protius cum secunda coïncideret. Atque *T.* 36. assignat canonem, prædicati vniuersalis respectu subiecti primi, & adæquati, videlicet illud, quo ablato aufertur, & quo posito ponitur, est subiectum primum prædicati vniuersalis, patet de homine, & risibili, qui pares, & conuertuntur termini, positoque homine, ponitur risibile, eoque ablato, pariter tollitur risibile.

5. Opp. 2. idem est prædicatum vniuersale, ac prædicatum reciprocum, & adæquatum, vt ex Arist. nunc eruabam: definitio autem competit definito, tanquam prædicatum conuertibile, & adæquatum, vt omnis homo est animal rationale: omne animal rationale est homo ergo est eius prædicatum vniuersale, ac proinde genus quod est pars definitionis speciei, vniuersaliter, & adæquatè ipsi congruit, quod est falsum, & suprà reiectum est. Concesso toto argumento, negatur postremum illatum, quia genus est vna pars definitionis speciei, quæ est latior altera parte, quæ est differentia ipsi speciei par, & æqua. Ob id eidem speciei reciprocè, & adæquatè ratio generis non competit, veluti tota definitio definito, vt significat Doctor 1. *Post. quæst.*16. §. *Ad hæc.*

ARTICVLVS IX.

An demonstratio sit ex propriis.

56. ACceptiones proprij petendæ sunt *ex Epitome lib.1. q.3. art 6.* Solum hoc loco recolo cum Hurt. *disp.*11. *sect.*7 & Fuente *disp.*11. *quæst.*19 *diff.*1. *art.*6. proprium opponi alieno, & communi: adeò vt proprium sic sumptum sit illud, quod non ab extraneis, siue extrinsecis, sed ab intrinsecis, & essentialibus principiis rei, cuius est proprium promanat, eique ita necessariò competit, vt alteri conuenire nequeat, vt declaraui *loco mox citato*, & attigit Doctor *quæstione* 25. §. *Ad quæst.* Diffendi quoque potest proprium ad proximum, & immediatum immediatione subiecti, aut causæ, de quo mentionem facit Scotus *quæst.* 34. §. *Hinc dicitur.* Sic genus, & alia prædicata quidditatiua dici valent propria rei, tametsi multis aliis conueniant: quo in sensu illæ demonstrationes constare ex propriis perhibentur, quæ fiunt in primo, & secundo modo dicendi per se: cæteræ verò, quæ fiunt in aliis modis dicendi per se non videntur esse ex propriis, vt significat Doctor *quæstione* 26. Quod si passio ab obiecto nec oriatur, nec insit in ipso, nisi accedat causa extrinseca, eaque posita, necessariò ponatur, eaque ablata, necessariò tollatur, proculdubio inter tale subiectum, & passionem adest necessarius nexus, deque his effici valet demonstratio, vt patet de luna, cuius passio est eclypsis ab obiecta terra inter ipsam lunam, & solem causata. Huiusmodi quippè demonstratio habetur ex principio per se noto, videlicet opacum interpositum inter luminosum, & perspicuum impedit luminis multiplicationem, ad tale perspicuum: terra autem est tale corpus opacum interiectum inter solem, & lunam: ergo ob præmissum principium, & causam præallatam euidenter ostenditur lunam pati eclypsim, vt diserte intulit Scotus 5. *distinctione tertia, quæstione* 4. §. *De* 1. *cognoscibilibus ante E.*

57. Assertio, demonstratio ex propriis conficitur. Ita Aristoteles 1. *Post. cap.*1. & Scoto *ibidem, quæst.* 39. *paulò ante* §. *Ad* 1. Probatur, demonstratio, vt ostendi in præcedentibus debet constare ex præmissis de omni, per se, & de prædicato vniuersali: hæc autem sunt propria, quia competunt subiecto, de quo fit demonstratio in primo, aut secundo modo dicendi per se, vt liquet ex dictis: ergo demonstratio fit ex proprijs. Accedit, præmissæ necessariò sunt coniungendæ conclusioni, veluti causa necessaria coniungitur necessariò cum suo effectu, vt exploratum est, ex superioribus: id autem effici nequit, nisi præmissæ sint ex propriis. Communia namque, & aliena non necessariò ad inuicem connectuntur, vt patet ex iis, quæ arguit Aristoteles *cap.*7. & recitat Maior *ibidem.* §. *In quinta, fol* 72. *pag.*2. contra Brysonem demonstrantem per causam communem quadraturam circuli. Quare demonstratio ex propriis conficienda est.

58. Oppones primò, quibus plures scientiæ vtuntur, sunt principia communia, vt patet ex superioribus allectis: plures autem scientiæ vtuntur iisdem principiis, vt de subalternis ostendam *in vlt. quæstione huius libri*, & monstrari quoque potest de non subalternis, nuncupatim de Logica, Physica, & Metaphysica, quæ ad suas demonstrationes construendas adhibent hoc, aut consimile principium; putà definitio idonea constat ex genere, & differentia: non ergo demonstratio necessariò ex propriis conficitur. Concessa ma. ad min. de subalternis concedit Philosophus *cap.*7. *prædllegato.* De scientiis disparatis pariter recipi potest, dummodo non causentur per demonstrationem potissimam.

59. Oppones secundò, quod fit ex iis, quæ per accidens insunt alicui, haud fit ex propriis: nonnullæ autem demonstrationes texuntur ex iis, quæ per accidens insunt alicui: ergo non omnis demonstratio fit ex propriis. Ma. est nota: min. probatur ex Aristotele 2. *Post. cap.*1. qui (vt ibi aduertunt Græci Interpretes) admittit ea, quæ de quibusdam per accidens prædicantur, spectare ad demonstrationem. Exemplum afferunt præfati Græci de eclypsi lunari quæ per accidens dicitur de luna, quia non semper ei competit. Concessa ma. nego min. ad probationem dico, lunam posse bifariàm considerari, vno modo absolutè, hoc est, nullo habito respectu ad terræ obiectionem, & sic per accidens lunæ adaptatur eclypsis: altero modo, vt respicit terræ interpositionem, & sic per se, & necessariò ipsi lunæ attribuitur eclypsis, tanquam eius passio, vt patenter significat Aristoteles *loco allegato*, affirmans eclypsim demonstrari de luna demonstratione propter quid, esseque secundi modi per se, & oculatè docet Zab. *cap.*16. *lib.*2. *de propositionibus necessariis.*

ARTICVLVS X.

An demonstratio fiat ex per se notis.

60. DE hac difficultate proposita non videtur esse nimis elaborandum, nec in ea dissoluenda diu immorandum, cùm apud omnes sit in confesso, nonnullas demõstrationes componi ex per se notis, vt *omne totum est maius sua parte: corpus est totum, ergo corpus est maius sua parte.* Quasdam verò haud constitui ex per se notis, vt *omne flebile est risibile: omnis homo est flebilis: ergo omnis homo est risibilis.* Maius autem certamen cernitur inter Scholasticos externos, & nostros, quid sit propositio per se nota, & quænam eius diuisio idonea censeatur. Etenim D. Th. 1. *part. quæst.*2. *art.*1. Caiet. *ibid.* Ferr. 1. *contra Gentes cap.*10.

& alij eiusdem scholæ astruunt propositionem per se notã esse illam, in qua prædicatum est de essentia subiecti, atque omnem propositionem immediatam esse per se notam constanter, & incunctanter defendunt. Doctor autem subtilis *d. 2. quæst. 2. §. quoniam A. & in Report. ibid §. dico* Lych. Barg Orbel. *eo in loco*, & Pelb. *Tom. 1. verbo Deus, §. 4.* necnon Nominales, inter quos sunt Aur. *eadem d. art. 5.* & maior pars iuniorum affirmant propositionem per se notam describi eam, quæ ex sola propriorum terminorum notitia cognoscitur. Vtrum autem ad propositionem per se notam sufficiat cognitio confusa terminorum eius, vt putant Faber *Theor. 7. c. 1. & 1 disp 14. c. 1.* Fuentes *diff. 2. a. 2. quæst. 19.* & indiuisi Scotistæ *disp 13. quæst. 3. art. 1.* Aut cognitio distincta eorumdem terminorum, vt censent Lych. Posnaniensis *d. alleg.* Vulpes *Tom. 1. disp. 5. art. 1.* & alij, quos malè Fuentes *vbi suprà* in oppositam sententiam citat: quid nobis secundum veritatem, & Scoti mentem dicendum sit, per subsequentia notabilia notum fiet.

61. Not. 1. propositionem per se notam describi à Doct. nunc alleg. his verbis. *Dicitur propositio per se nota, quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet veritatem euidentem, & non propter aliquid aliud, quod sit extrà terminos proprios habet euidentiam, sed ex se tantum, vt omne totum est maius sua parte.* Breuius, & clarius definiri potest propositio per se nota: *quæ ex sola & simplici terminorum notitia cognoscitur.* Hanc indubie tradit Philosophus 1. *Post. c. 3. T. 6.* inquiens *principia cognoscimus quatenus terminos cognoscimus*: quod est dictu, solis terminis intellectis, puta subiecto, & prædicato, quouis alio secluso, illicò intelligitur propositio per se nota, vt si cognoscatur quid sit totum & quid sit eius pars, statim cognoscitur, omne totum est maius sua parte. Ab ea autem non excluditur causa eius efficiens, quæ est intellectus partialiter concurrens ad producendam cuiuscumque rei notitiam, affirmante Scot. 1. *d 3. quæst. 4. & quol. 15.* Nec dicitur propositio per se, ad differentiam propositionis per accidens; alioquin omnis propositio per se, foret per se nota; sicque non darentur propositiones per se mediatæ, quod planè falsum esse, in superioribus monstratum est. Sed ideò dicitur per se, vt omnes intelligant, cognitionem propositionis per se notæ, quoad euidentiam, ab illa causa intrinseca, medioque probatiuo, præterquàm à terminorum eius cognitione haud dependere. Quapropter ad propositionem propriè per se notam duæ præcipue conditiones requiruntur, vt benè notat Tatar. 1. *Post. quæst. 1. dub. 2.* Prima, vt sit propositio immediata, & indemonstrabilis carens medio, ad eius probationem, authore Scot. *vbi suprà §. Ex his*, quia per se, & non per aliud cognoscitur. Quamuis non omnis propositio immediata sit per se nota, *Ex eodem ibid §. quoniam sub A.* ostendente per id, quod quidditate confusè intellecta per definitum, non est nota, nisi eadem distinctè concipiatur per definitionem. Ampliùs, nisi ita esset, quæuis propositio necessaria primi modi, vt *homo est animal*, vsque ad substantiam, foret per se nota, quod tanquam falsum infert Doct. præcit. quia ex sola terminorum cognitione non habet euidentiam. Secunda, vt talis propositio nata sit habere euidentem veritatem, ex propriis terminis, quia termini, quatenùs sunt termini propositionis huiusmodi per se notæ ostendunt euidenter complexionem esse conformem rationibus propriis terminorum, eorumque habitudini, vt subtiliter deducit Doct. *in quæst. §. Ad argumenta principalia in solutione vlt. sub F* vndè enunciationes contingentes non sunt per se notæ, quia natæ non sunt habere euidentiam ex terminis; cùm non sint conformes habitudini, & rationibus terminorum *ex 1. Post. cap 3.* Præsertim quia à nobis cognoscimur per sensum, & experientiam: à Deo verò per decretum suæ voluntatis, vt abundè scripsi *Tract. de scientia Dei.* Huic autem aduersantur Aureolus Mastr. *1. d 2. quæst. & Valentia 1 p. quæst. 2. punct. 1.* aientes, præmissam definitionem propositionis per se notæ esse insufficientem: quandoquidem licet vera sit, in cognitione abstractiua, non tamen habet locum in cognitione intuitiua, vt hæc *nix est alba.* Verùm ista, & consimiles propositiones sensu, & experientia noscuntur, & saltem diuina virtute effici potest, vt ex cognitione terminorum haud notæ fiant, vt non destructa niue, si Deus ab ipsa niue auferret albedinem, quod esse possibile fatetur idem Mastr. Itaque data hypothesi, hæc foret falsa, *nix est alba*, & ex se non haberet euidentiam, quod ipsemet Mastr. quoque putat formaliter conuenire propositioni per se notæ. Præterea Arist. 1. *Post. c. 3.* negat propositionem contingentem immediatam esse per se notam, asserens omnem propositionem per se notam esse necessariam: ob id Scot. *in quæst. Paulò ante D.* negat hanc esse per se notam *homo est albus.* Apta igitur est descriptio propositionis per se notæ a Scot. præadducta.

62. Not. 2. ex Doct. *in quæst. §. quoniam A.* proprios terminos propositionis per se notæ esse definitionem eius, siue termini accipiantur pro vocibus significantibus, siue pro conceptis significatis. Nam *ex 1. Post T. 10. &* ad definitio subiecti est medium in demonstratione potissima, in qua ostenditur primam passionem inhærere subiecto, siue definitio per definitionem tanquam per medium. Si ergo definitio non est alius terminus a definito in præfata demonstratione foret petitio principij, vnaque præmissarum non differret, à conclusione, vt licet intueri in hoc argumento: *omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal rationale: ergò, omnis homo est risibilis* Vbi maior non differt a conclusione nisi vt definitio à definito: attamen maior sit indemonstrabilis, & conclusio demonstrata, habeturque processus à noto de definitione ad ignotum de definito. Quare alius terminus est definitio, aliùs verò definitum; alioquin in præadducto syllogismo duo tantum extarent termini, cùm tamen ad omnem perfectum syllogismum, tres termini exigantur, ex communi Dialecticorum consensu. Accedit, prius cognoscimus res confusè quam distinctè ordine naturali, vt liquet ex 1. *Phys T. 2.* definitum autem confusè, & definitio distinctè rem repræsentat: idem autem nequit esse prius, & posterius, simul confusè, & distinctè cognitum. Idcircò Parisienses *quæst. 4 primi Phys. §. Innata.* & Brulifer *in Epit. Form.* subiungunt, inter definitum, & definitionem esse distinctionem formalem, quæ nonnisi inter distinctos terminos intercedere potest. Igitur termini propositionis per se notæ sunt definitio, & definitum. Cùm autem huiusmodi termini rem eodem modo non exprimant, quia quod definitum confusè, definitio distinctè explicat: propterea non abs re Scotistæ *in principio huius art.* recensiti perquirunt [illegible] num propositio per se nota flagitet terminos [illegible], an verò distinctè cognitos. Hanc litem [illegible], Authoresque conciliandos esse arbitror, si dicatur in scientia vniuersali, & suprema, qualis est Met. propositionem per se notam exigere terminos distinctè notos, quia eius munus est quidditates terminorum distinctè cognoscere, ad eamque spectat vltima resolutio. In scientia verò speciali ad propositionem per se notam sufficiunt termini confusè cogniti, propterea quod prior est cognitio rerum confusa quàm earumdemmet distincta. Cùm ergo scientiæ speciales ordine doctrinæ præcedant scientiam vniuersalem, seu Met. vt eo in loco monstraui, eique dignitates, & propositiones per se notæ inseruiant, intantque ad earũ conclusiones formandas, & firmandas, euidenter deducimr, cognitionẽ terminorũ confusã ad huiusmodi propositiones per se notas sufficere. Hæc doctrina est tota Scot. 1. *d. 2. q. 2 § quoniam sub A. vers. similiter*

similiter. Et apertius 1. *dist.* 24. *quæst. vn. ante* §. *Ad aliud sub R.* his verbis, *similiter scientia naturalis, prout procedit Met. habet suos terminos confuse notos: sed Metaphysicus mediante definitione exprimit distincte notitiam illorum, & tunc est perfectior, quando est cum Met.* Id ipsum quoque asseuerat *in Report. tertia eadem dist.* §. *Ad* 3. quem sequuntur Lycheius, que interpretes præcipui. Quocirca mihi videtur dicendum, & concludendum, propositionem per se notam vniuerse sumptam esse, quæ ex sola terminorum notitia habet euidentem veritatem, vt patet ex *Doct. cit. A. & infrà* vers. *Igitur.* Et duplex esse potest, vnaquæ ex terminis confusè notis tantùm cognoscitur: altera verò, quæ ex terminis distinctè notis solum cognoscitur.

63. Not. 3. ex eodem Scot. *paulò ante* §. *Ex his. vers. Ex hoc patet*, haud esse congruum partitionem propositionis traditam à S. Th. 1. *p. q.* 2. *a.* 1. *in solutione princip.* in per se notam, & per se noscibilem siquidem membra bonæ diuisionis non debent coincidere, vt canon eius expostulat. Huius autem primum membrum coincidit cum 2. Etenim propositio non perhibetur per se nota, quia actu cognoscitur, secùs nullo intellectu cogitante, nulla foret propositio per se nota. Sed dicitur per se nota, quia quantum est ex natura terminorum nota est habere euidentem veritatem ex terminis, in quouis intellectu terminos concipiente. Quod si nullus intellectus terminos concipiat, non minus propositio est per se nota quantum est ex se. Per id pariter constat, nullam esse sectionem propositionis per se notæ, in se, & in nobis, quia quæcumque est per se nota, est per se nota cuicumque intellectui terminos eius apprehendenti, tametsi actu non cognoscatur, cùm sit euidenter nota ex terminis, si ipsi termini concipiantur. Quemadmodum enim syllogismus est perfectus, qui nullius indiget vt appareat necessarius, nullumque extrinsecum requirit, vt extremorum eius necessitas eluceat, cùm sit de rebus necessariis, quarum habitudo inter eius extrema est essentialis, & indissolubilis, siue actu à nobis cognoscatur, siue non: ita ea est propositio per se nota, quæ ex eius terminis solùm explicitis euidenti potitur veritate, siue actu, siue non à nobis cognoscatur. Rursus, cum Aristoteles scindit propositionem in dialecticam, & analyticam, non eam subsecat in dialecticam in se, & in nobis, nec in analyticam in se, & in nobis. Non igitur legitima est præadducta diuisio propositionis per se notæ. Eadem de causa exploditur diuisio Ægidij in propositionem notam sapientibus, & insipientibus: necnon partitio Varronis Scoti præceptoris, in propositionem per se notam primi generis, & secundi ordinis. Nam ratio formalis, & intrinseca propositionis per se notæ consistit in sola per se terminorum euidentia, absque vllo prorsus medio, vt patet ex dictis. Igitur impertinens est ad propositionem per se notam, vt sit nota sapientibus, vel insipientibus, sitque primi, aut secundi ordinis, dummodò propriis terminis euidentia fruatur. Eò magis, quia Scot. loquitur de propositione obiectiua, & non formali siue mentali, vt cum Theodoro aduertit Fuentes *quæstione* 19. *diff. secunda, art. tertio*, contrà Suarez *disp. vigesimanona, Met. sect. tertia, numero trigesimotertio*, interpretantem dictum Scot. de propositione formali. Ipse enim Doct. non distinguit propositionem per se notam à per se noscibili, quam certum est esse propositionem obiectiuam, & non formalem. Item subdit idem Scot. propositionem esse per se notam, quæ ex terminis suis nata est habere euidentiam; quod dubio procul obiectiuæ propositioni tantum congruit. Insuper colligitur, contentionem inter S Thomam & Scotum non esse de nomine, vt imaginantur Vasquez 1 *p. disp.* 16. *sect.* 10. *num.* 8. *Mol. ibid. art.* 2. Hurt. *disp.* 11. *sect.* 4. Suarez cit. & duo Iuniores nostri *disp.* 13. *quæst.* 3. *a.* 1. Enimverò probabile non videtur quo pacto quæstio de solo nomine tam diligenter proponatur & accuratè expendatur, tantoperè ingenia doctissimorum virorum exagitet, & subtilissimorum Doctorum studia exerceat, vt obiicit Valent. *Tractatu de Trinitate quæst. prima, p.* 4. Ego autem oppono authoritates, & rationes paulò ante adductas, quæ rem ipsam, & non solum nomen attingere planè ostendunt.

64. Assertio, quandoque demonstratio fit ex per se notis: quandoque verò nequaquam. Hæc assertio est communis Aristoteli, Scot. cit. & 1. *d.* 3. *quæst. quarta*, § *primo A.* Prima pars probatur, interdum demonstratio componitur ex ambabus præmissis, quæ ex propriis terminis duntaxat habet euidentiam, *vt omne totum est maius sua parte*: corpus autem naturale est totum: ergò corpus naturale est maius sua parte. Secunda pars pariter elucet, quia plerumque demonstratio constat ex præmissis mediatis, & demonstrabilibus: ergò non semper demonstratio conficitur ex per se notis. Ant. claret in hac demonstratione: *omne risibile est flebile*: *omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est flebilis.*

65. Oppones primò. Scotus *in q.* § *Ex his sub B.* affirmat hanc esse per se notam, *Deus est*, cuilibet concipienti perfectè eius terminos: concipere autem perfectè terminos, perinde est ac distinctè ipsosmet terminos apprehendere: igitur, ad propositionem per se notam, necesse est, termini eius distinctè cognoscantur. Respondent nonnulli eum textum non esse Doctoris, sed additionem Marginistæ eius. Verùm omnes ferè discipuli, & interpretes Scot. esse eius proprium litteram asseuerant, & sanè id apertè cernitur *in* 1. *d.* 14. *q. vn. ante* § *Ad aliud infrà R.* vt supra obseruaui Itaque admittendo præfatum textum, dico quandoque propositionem per se notam efflagitare, vt termini perfectè & distinctè concipiantur, vt *in Met.* ac etiam in Theologia, quæ est scientia suprema: præsertim quia præfatæ propositionis proprij termini cognosci nequeunt, nisi distinctè apprehendantur. Quare non omnis propositio per se nota exigit terminos distinctè notos, vt loco præallegato abundè declaraui.

66. Oppones secundò, ex eodem Doct. *ibid.* qui *ante D.* ait, *homo est albus* non est propositio per se nota, nisi per se notum sit, hominem, & album actu coniungi, quod si actu non vnirentur, eius conuersa foret vera, *nullus homo est albus.* Ex quo euidenter colligitur, secundum Scot. ad propositionem per se notam non requiri extrema necessariò coniungi, cùm sit contingens, hominem esse album. Respondeo Scotum id afferre exempli causa, vt in eius textu licet intueri, corroborantem, quod ibi asserebat, putà ad propositionem per se notam requiri extrema verè inter se vniri, quia nulla ratio est de aliquo vera, nisi in se sit vera, sicut legitur 5. Met. c. de falso *Ratio in se falsa, est de omni falsa.* Itaque negatur, quod infertur, vt patefeci *in primo not.* contrà Mayr. & Aut.

67. Opp. tertiò, idem Scot. *in q. sub A vers. Ex hoc patet*, reprobat diuisionem propositionis per se notæ, in propositionem notam in se, & in nobis, quam apertè approbare videtur *ibid.* §. *Ex his B.* inquiens, hanc esse per se notam, *Deus est*, non verò nobis. Igitur Scot. non sibi cohæret, ac proinde præfata diuisio propositionis per se notæ non est retinenda. Quidam, vt facilius ab hac Scoti difficultate se expediant, vt Cauellus, quem sequitur Fuentes *cit. art.* 2. *in resp.* 2. *obiectionis* radunt illum text. asserentes esse quamdam additionem nō verò Doct. litteram. Sed tenerà dictus tex. non videtur esse à codice Scot amouendus, cum sanè non sit additio, vt constat ex eius originali.

Idipſum habetur *in Reportat. ead. diſtinctione & quæſtione*, recipiturque ab omnibus eius Interpretibus duobus præcitatis exceptis. Ideò dico, nullam repugnantiam in Scot. aſſertis inuolui. Ait enim Doctor hanc eſſe per ſe notam *Deus eſt*, quia extrema eius nata ſunt cauſare euidentiam apprehendenti perfectè talia extrema. Quoniam autem nos non concipimus Deum ſub ratione Deitatis, ſiue vt hanc diuinam eſſentiam, ſed ſub ratione communi, & attributali, vt aptè deducit Doctor: propterea hæc non eſt per ſe nota nobis, *Deus eſt*, ſed demonſtrabilis à poſteriori, vt præſtat idem Scot. *eo in loco*.

68. Inſtabis, ad propoſitionem per ſe notam ex dictis in fine vlt. not. ſufficit, vt termini eius confusè apprehendantur ergo cùm confusè termini huius, *Deus eſt*, à nobis concipiantur, erit propoſitio per ſe nota nobis: vel concedenda eſt præcitata diuiſio propoſitionis per ſe notæ ex ſe, & nobis. Dico cum Fuente citat. ad hanc *Deus eſt*, requiri diſtinctam apprehenſionem terminorum, non quia id neceſſariò propoſitioni per ſe notæ competat, vt ſuprà oſtendi: ſed quia debet cognoſci ex propriis terminis, & quia huius, *Deus eſt*, apprehendi nequeunt proprij termini, niſi diſtinctè ipſimet termini innoteſcant: propterea Scotus ad illam exigi diſtinctam terminorum cognitionem perhibet. Cum ergo Deus ſub propria ratione diuinitatis à nobis cognoſci non valeat, ſed ſub conceptu communi, vt *in 2. quæſt. Prol. & in Tract. de cognoſcibilitate Dei fusè monſtraui*: ob id relata propoſitio non eſt per ſe nota nobis.

ARTICVLVS XI.

An Demonſtratio fieri valeat in cunctis cauſarum generibus.

69. ZAb. 2. de medio demonſtrationis *cap. 5.* cenſet tria tantum genera cauſarum, purà efficientis, finalis, & materialis poſſe eſſe media demonſtrationis. Alb. 2. *Poſt. Tract. 2. cap. 12.* arbitratur cauſam finalem non valere eſſe medium ad demonſtrandum, alij efficientem, & materialem eximunt. Quibus aduerſantur Ariſt. 2. *Poſt. cap 6 T. 11. 48.* Scot. *ibid. quæſt. 57. § Ad quæſt.* Faber *Theor. 25. cap. 2.* Conimb. *quæſt. 3. artic. 2. & 3.* & cæteri communiter, docentes demonſtrari poſſe per omnia quatuor genera cauſarum.

70. Not. primò, cum ſcientia, quæ eſt effectus demonſtrationis ſit cognitio rei per cauſam ex Ariſtotele 2. *Poſt. cap. 2. & 2. eiuſdem operis cap. 8. T. 11.* iure optimo peruestigandum eſſe, quænam cauſa ad eam requiratur, numnè in omni cauſarum genere formari valeat demonſtratio? In primis pro certo habetur ad demonſtrationem exigi cauſam proximam, & adæquatam, vt copiosè probaui in ſuperioribus, & egregiè proſequitur Zab. *vbi ſuprà cap. 4.* Maius autem, & difficilius dubium extat, quod nondum enodatum, & explicatum fuiſſe ſatis à Dialecticis arbitratur idem Zab. *citat. cap. 1.* vtrùm medium, quod ad demonſtrandum aſſumitur, ſit in genere cauſæ efficientis, finaliſve, an materialis, vel formalis? Sitnè vna cauſa ſufficiens, vel omnes, vel plures cauſæ ad demonſtrandum ſint neceſſariæ?

71. Not. ſecundò, ſecundum Scot. alleg. *in principio huius artic.* ex quatuor cauſarum generibus relatis, nonnullas eſſe cauſas in fieri, veluti ſunt efficiens, & finalis: quaſdam verò in facto eſſe, cuiuſmodi ſunt materialis, & formalis. Et iſtæ vocantur pariter cauſæ intrinſecæ, quia ingrediuntur eſſentiam compoſiti, & per eas conſtituti: illæ verò ſunt extrinſecæ, propterea, extrà ipſum compoſitum, & conſtitutum manent, de quibus omnibus fusè in Phyſica. Hoc autem loco perquiritur, vtrum ad demonſtrationem exigatur cauſa intrinſeca, vel extrinſeca, & an alterutra ſufficiat, aut vtraque requiratur.

72. Aſſertio, confici poteſt demonſtratio per omnia quatuor cauſarum genera: pluresque cauſæ concurrere queunt ad idem demonſtrandum. Ita Scot. cum Ariſt. *locis cit. & 2. Phyſ. cap. 7.* & Fereh. *veſtig. 2. cap. 4. numero 12. lib. 1.* Prima pars probatur primò, medium, & cauſa idem ſunt, vt patet 2. *Poſt. cap. 1.* demonſtratio autem fit per omne medium debitum, & neceſſarium ex eodem Ariſt. nunc alleg. Ergo, & per omnem cauſam. Secundò, demonſtratio eſt ſyllogiſmus ſcientiæ generatiuus: poſſumus autem ſcire per omnem cauſam, quia effectus neceſſariò pendet ab omni cauſa à qua producitur: demonſtrare ergo valemus per omnes cauſas. Tertiò, inductione per ſingulas cauſas, & quidem per cauſam materialem: ſic omne habens materiam eſt corruptibile, vt patet 1. *Phyſ. T. 82.* homo autem habet materiam; componitur enim ex materia, & forma, veluti quodlibet compoſitum naturale: ergo homo eſt corruptibilis. Deinde per cauſam formalem *omne quod habet animam, vegetat: arbor habet animam: ergo arbor vegetat.* Amplius per cauſam efficientem. *Quod impedit, ne cibi ad os ventriculi aſcendant, cauſat ſanitatem: deambulatio poſt cœnam impedit, ne cibi ad os ventriculi aſcendant: ergo deambulatio poſt cœnam efficit ſanitatem.* Ma. eſt in promptu, quia, vt fiat bona concoctio cibi ad fundum ventriculi debent deſcendere. Denique per cauſam finalem, quod eſt bonum, & cauſatiuum ſanitatis eſt præſtandum ad ipſam ſanitatem acquirendam: deambulatio poſt cœnam eſt bona, & effectiua ſanitatis: ergo poſt cœnam eſt deambulandum ad valetudinem adipiſcendam. Secunda pars ſanè ſequitur ex priori, & corroborari poteſt ex illo Philoſophi in initio 1. *Phyſ. 1. Vnumquodque tunc noviſſe cenſemus cum omnes eius cauſas, & principia, vſque ad elementa nouerimus.* Iterum, eadem concluſio materialis per diuerſa media, diuerſaſque cauſas, à diuerſis principiis, ſiue præmiſſis cauſari poteſt, vt euidenter oſtendi *in iſto libro quæſt. 1. articulo quinto.* Rurſus plures cauſas diuerſi ordinis poſſe producere eundem effectum, cum communi Philoſophorum doctrina monſtraui *in libro de cauſis.* Eò magis, quia quodlibet eſt ſcibile per plures cauſas, à quibus neceſſariò, & eſſentialiter dependet, vt deducebam *in prima parte huius aſſertionis.* Igitur ad ſciendum plenè, & perfectè quodlibet obiectum, neceſſe eſt, omnes eius cauſæ ſciantur, ac proindè plures cauſæ ad idem demonſtrandum coagere queunt.

73. Oppones primò, contra primam partem aſſertionis: medium demonſtrationis debet præcedere effectum, quia medium, & cauſa coïncidunt, vt ſuprà obſeruaui. Cauſam autem præcedere ſuum effectum, nulli dubium eſt: at cauſa finalis eſt poſterior ſuo effectu, quia finis vltimò acquiritur: non igitur in omni cauſarum genere fit demonſtratio. Reſpondeo cum Scotum *in quæſtione, §. Ad 2.* conceſſa ma. diſtinguo min. in exequutione, concedo, in intentione nego, quod explicandum remitto *in Phyſ. quæſtione de cauſa finali.*

74. Oppones ſecundò, medium demonſtrationis neceſſariò connectendum eſt cum extremis eius, vt liquet ex conditionibus præaſſignatis: ſed inter cauſam efficientem, eiuſque effectum non interuenit vlla neceſſaria connexio: ergo demonſtratio non efficitur in genere cauſæ efficientis. Min. probatur, poſito ædificatore non neceſſariò ponitur domus, & econtra, poſita domo, neceſſe non eſt ponatur ædificator, quia domo perſiſtente, interit ædificator. Conf. demonſtratio conſtat ex propriis, & intrinſecis, vt clarè

ex

ex dictis : causa verò efficiens est extrinseca, veluti etiam causa finalis, vt aduerti *in 2. not.* Respondeo cum Scoto *ibidem*, concessa ma. nego min. ad eius probationem dico ædificantem actu esse causam domus in fieri, non verò in facto esse : ideò mirum non est, si non existente domo, existat ædificator, & existente domo, possit non esse ædificator. Ad confirmationem, nego demonstrationem semper procedere ex propriis, & intrinsecis, vt de demonstratione eclypsis lunæ, aliisque infrà adducendis, notum erit.

75. Oppones tertiò, idem non demonstratur per se ipsum, alioqui fieret petitio principij, vt cum Scot. *in præsentia* arguit Zab. *cap 3. & 4 lib. 2. de medio demonstrationis*: at si efficeretur demonstratio per causam formalem, idem per idem demonstraretur, forma quippè designat rei essentiam, cum præbeat esse rei : igitur demonstrari non potest in genere causæ formalis. Concessa ma. neganda est min. siue enim per formam intelligatur forma partis, quæ vnà cum materia constat compositum, siue intelligatur differentia rei essentialis, & quidditatiua ; licet præcipuam, & præstantem partem essentiæ rei præseferat, attamen haud est tota rei essentia, vt *in 2. libro huius operis, quæstionibus de genere, & differentia, & in Phys. quæstionibus de materia, & forma* exploratum est.

76. Oppones quartò quod assumitur ad aliquid demonstrandum, debet esse necessarium, cùm demonstratio ex necessariis progrediatur, vt patet ex superioribus: causa autem materialis necessaria non est : authore enim Aristotele, materia est, qua res potest esse, & non esse : ergo per causam materialem non habetur demonstratio. Conf. primò, à quo emanat passio est causa, seu medium demonstrationis : passio autem non à materia, nec à forma, sed à composito profluit : ergo &c. Conf. secundò, conclusio nequit esse medium demonstrationis, quia conclusio est mediata : medium verò non est mediatum : atqui causa materialis concluditur per causam formalem, perhibente Philosopho : ergo per causam materialem non efficitur demonstratio. Concessa ma. nego min. ad eius probationem dico Philosophum exponendum esse de materia sumpta pro differentia indiuiduali, quæ à Nostratibus appellatur hæcceitas: non verò de materia partis, siue physica, siue metaphysica. Ad 1. conf. dico, etsi à composito potissimùm passiones scibiles egrediantur : nihilominus materiam, & formam suas habere passiones, ostendi *in Phys. qq. de materia, & forma.* Ad secundam conf. dico posse demonstrari causam materialem, per formalem mediatè mediatione causæ : immediatè autem potest demonstrari per propriam passionem. Nec inconuenit vnum esse prius, & posterius respectu diuersorum.

Articvlvs XII.

An in demonstratione excludendus sit circulus, & admittendus regressus.

77. PLerique veteres Philosophi, nuncupatim Pyrrhonici omnium rerum scientiam confitentes, circulum, & regressum demonstratiuum concedunt, quos allegant Conimbr. 1. *Post. cap 3. quæst. 1. art. 1* post Zab. *lib. de regressu c. 1.* eisque ex parte consentiunt inseparati Scotistæ *disp. 13. quæst. 4.* E regione alij, quos suppresso nomine refert idem Zab. *ibidem*, quos sequitur Suessanus 1. *Post. com. 35.* à demonstratione circulum, & regressum prorsus ablegant. Cæteri autem, inter quos sunt Scot. 1. *dist. 28. quæst. 3. §. Aliter E. & 2. dist. 42. quæst. 4. §. Ad argumenta antè I. & quol. 7. §. Hic præmittenda A. & 2. Priorum quæst. 4. in fine.* Faber *Theor. 9. cap. 1.* Maior 1. *Post. fol. 70. dub. 1.* Tatar. *quæst. 2. dub. 3.* Tol. *ibidem quæst. de regressu*; & alij reiiciunt circulum propriè captum, & recipiunt regressum.

78. Not. primò, circulum ex vi nominis esse transitum, siue reditum ab eodem, ad idem, vt patet in circulo mathematico, in quo initium capitur ab vno puncto lineam circumducendo, & ad idem met punctum fit redditus, vt perspicuè explicat Scot. *in quæst 5. Notandum.* Ampliusque declarari potest de motu circulari, qui efficitur redeundo ad illud, à quo mobile suum inchoauit motum. Instar huiusmodi motus appellatur syllogismus circularis, ex Arist. 1. *Post cap. 3. & a eisdem operis T. 15.* & Scotum *nunc alleg.* cum à duabus præmissis, ad conclusionem, & vicissim ab eadem conclusione, ad ambas præmissas monstrandas reiteratur discursus. Quatuor autem modis contingere potest circulus, quorum meminere Maior, & Tatar. præcit. indicatque Scot. *vbi suprà.* Primò namque fit circulus, cùm à causa, ad effectum, & econtrà ab effectu, ad causam habetur progressus, vt *omne animal rationale est risibile : omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis* : Et habetur demonstratio à causa, ad effectum. E contrà verò ab effectu ad causam ; *omnis homo est risibilis : omne animal rationale est homo : ergo omne animal rationale est risibile.* Secundò, in diuersis causarum generibus. Cum enim ex 2. *Phys. T. 50.* causæ sint sibi inuicem causæ, propterea per vnam causam, ostendi potest alia causa, vt *omnis syllogismus faciens scire procedit ex primis, veris, immediatis, causisque conclusionis : demonstratio autem est syllogismus faciens scire : ergo demonstratio procedit ex primis, veris, immediatis, causisque conclusionis.* Præterea, *omnis syllogismus procedens ex primis, veris, immediatis, causisque conclusionis est syllogismus faciens scire : sed demonstratio est huiusmodi : ergo demonstratio est syllogismus faciens scire.* Primus syllogismus procedit per causam formalem : secundus verò per causam materialem. Tertiò, cum aliqua materialis conclusio, de qua mentionem feci superius pluribus demonstrationibus demonstratur : ergo, per eamdemmet conclusionem vna præmissarum demonstratur, per quam dicta conclusio erat demonstrata. Quartò, cum idem per idem, eodem modo, eadem specie demonstrationis ex immediatis demonstratur conclusio. Hoc exemplum affert Aristoteles ad huius captum, puta, si per A. demonstratur B. & postmodum regrediendo per B. demonstratur A. & vtraque sit demonstratio propter quid. Iste autem posterior circulus appellatur circulus vniformis, & simpliciter ; tres verò priores nuncupantur circuli difformes, & secundum quid, quos tanquam possibiles omnes ferè Philosophi admittunt, & vltimum solùm tanquam impossibilem respuunt.

79. Not. secundò, regressum describi progressum ab effectu, ad causam ; & à causa, ad effectum ; vt si demonstretur hominem esse rationalem, quia est risibilis : esseque risibilem, quia est rationalis. Prior processus est demonstratio quia : secundus verò, est demonstratio propter quid. In primo, procedítur ab effectu distinctè noto, ad causam confusè notam : in secundo verò procedítur à causa distinctè nota, ad effectum distinctè notum. Ex his licet colligere discrimen, quod extat inter regressum, & circulum simpliciter. Siquidem in regressu reperiuntur duæ demonstrationes diuersæ rationis, vt exemplis suprà planum feci : in circulo autem ambæ demonstrationes sunt eiusdem rationis, & speciei, vtraque enim est demonstratio propter quid, vt patet *in ant. not.* & pariter aduertit Faber *Theor. citato cap. 1.* Præterea regressus, & circulus differunt penes finem. Nam circuli idem est principium, ac finis, vt inspicitur in exemplo allato ab Aristotele : at in regressu principium à fine diffidet, vt quoque constat ex his, quæ mox perhibui. Plura doctè, & eruditè Zab. *libro prænomi nato*, ex quibus refelluntur duo nostri Iuniores allegati, suspicantes circulum latè sumptum esse genus,

respectu regressus, & circuli propriè dicti. Enimverò nec syllogismus est genus ad topicum, & analyticum, vt patet ex dictis *in proprio art.* Nec vlla inuenitur ratio communis generica conueniens regressui, & circulo propriè dicto: censendum ergo non est circulum, ad illa duo esse genus.

80. Not. 3. in regressu tria consideranda occurrere, primùm, processum ab effectu ad causam. Etenim, cum effectus sint sensibiliores, & euidentiores suis causis, vt cum Aristotele 2. *Post.* 8. *&* 1. *Met. cap.* 5. docent Philosophi, præsertim Scot. tùm *ibi in com.* tùm etiam 1. *d.* 3. *quæst.* 4. *&* *quol.* 7. secundùm examen causæ inuentæ, eiusque collatio cum suo effectu à nobis præcognito. Habitâ enim cognitione effectus pergimus ad notitiam eius causæ, expendentes eiusdem conditiones, & proprietates, vt præstat Aristoteles 1. *Phys. T.* 81. de materia, animaduertens eam esse subiectum contrariorum, generationis, corruptionis, formarum sustentaculum, naturæ fundamentum, & huiusmodi, ex quibus essentia materiæ plane nobis innotescit, hæc considerantibus penès ingenij perspicacitatem, aut tarditatem, parùm, aut multùm temporis insumitur. 3. à causa ad effectum, & habetur demonstratio propter quid, gignens scientiam in nobis propriè sumptam. Idque totum post Scot. *Quol. cit. ante B.* eleganter edisserit Zab. *cap.* 9. *lib. alleg.*

81. Assertio, amplectendus est regressus, & abnuendus est circulus. Hæc assertio est bipartita. Prima pars traditur à Doct. *proximè memorato*, qui licet ibi nomine regressus non vtatur, reuera tamen ipsum concedit, & ostendit, vt legenti eius tex. apertissimè constat. Idem scriptis ab eodem mandatur 2. *Prior. q.* 4. *& l. de primo principio cap.* 2. Probatur 1. ex Aristotele *qui cap.* 3. *primi Post.* reiiciens circulum, admittit idem diuersis modis demonstrari posse, vt contingit in regressu per demonstrationem à posteriori, & à priori. Idem clarius docet 2. *Post cap.* 15. adducens discrimen inter demonstrationem, *quia & propter quid*, per quas habetur regressus, quem exemplo vtriusque præfatæ demonstrationis ad ipsum necessariæ illustrat, putà *omne non scintillans propè est: planetæ non scintillant: ergo planetæ sunt prope*, quæ est demonstratio quia: deinde, *quod propè est, non scintillat: planetæ propè sunt: ergo planetæ non scintillant*, quæ est demonstratio propter quid. Idipsum pariter indicat 1. *&* 8. *Phys.* aliisque in locis. 2. scientia bifariam à nobis potest comparari, aut per effectum ad causam cui inseruit demonstratio *quia*, aut per causam ad effectum, cui famulatur demonstratio *propter quid*: hæc autem duplex scientia fit per regressum, vt liquet ex descriptione regressus tradita in 2. not. Igitur regressus est recipiendus. Ma. est doctrina vulgata omnium Dialecticorum, a Doct. nostro probata *Quol. alleg.* vt eo in loco videre licet. 3. effectus potest esse notus, causa verò eius ignota, vt patet de scientia, quæ acquiritur per experientiam, quæ parta est sensuum ministerio per notitiam multorum effectuum singularium: atque Prioribus Philosophis effectus innotuerunt, eorum verò causæ ipsos latuerunt: ob id moti sunt ad venandas eorundem causas, teste Arist. *vbi suprà.* Hócque ostendi potest non incommodè de motu Cœli, de accessu, & recessu maris, aliisque effectibus nobis notis, eorum verò causis ignotis. Igitur diligenti examine, & accurata indagine adhibita, si causæ innotescant à causis ipsis, ad earum effectus retrocedi potest, quo pacto efficitur vtilis regressus in scientiarum comparatione. Secunda pars expressè defenditur ab Arist. 1. *Post. cap.* 7. & Scot. cit. *in initio art.* & probatur 1. idem respectu eiusdem simul nequit esse prius, & posterius; notius, & ignotius eodem: at si concederetur circulus simpliciter, & formaliter sumptus, idem respectu eiusdem simul foret prius, & posterius; notius, & ignotius eodem: ergo circulus simpliciter, & formaliter est impossibilis. Ma. est in promptu ex legibus contradictionis alibi adductis. Min. ostenditur: præmissæ sunt priores, & notiores conclusione, ex dictis *suprà*; per circulum autem conclusio efficitur per transpositionem, vna ex præmissis, & præmissarum altera fit conclusio: ea itaque absurda præterecensita probè inferuntur. 2. impossibile est idem per seipsum demonstrari: si autem detur circulus, simpliciter idem per seipsum demonstraretur, ergo circulus simpliciter est impossibilis. Ma. est nota ex iis, quæ ad demonstrationem exiguntur. Min. probatur, si enim v. g. A est causa B. & rursus B. est causa A. etiam A. erit causa suiipsius, quia quod est causa causæ, est causa causati, in eodem genere causæ: præmissæ autem nempè A, sunt causa conclusionis idest B. & deinceps conclusio est causa præmissarum, quia per conclusionem præmissæ demonstrantur: ergo conclusio B. erit causa suiipsius, quia est causa suæ propriæ causæ: sicque idem per seipsum demonstraretur, quod est absurdum. 3. circularis demonstratio fit tantum in terminis paribus, & reciprocis, vt scribit Stagirita *in præsenti, &* 2. *Prior. cap.* 5. sicut namque patet *ex* 2. *not.* efficitur circulus, quandocumque cum conclusione, & conuertente maioris deducimus minorem: aut cum eadem conclusione, & conuertente minoris colligimus maiorem. Pauci autem sunt termini reciproci, & conuertibiles: plura verò sunt demonstrabilia: non tamen omnia in demonstrationem cadunt, vt imaginantur illi Antiqui *in initio huius art.* recensiti, contra quos Aristoteles format hæc tria argumenta. Vanus igitur, & inanis est circulus demonstratiuus.

82. Oppones 1. contra 1. partem assertionis præpositæ, cùm ab effectu progredimur ad causam, aut nouimus causam, aut nescimus: si secundum, sicut frustra quispiam procedit ad id, quod ignorat, quia etsi obuiam ei fiat, illud noscere nequibit: pariter incassum quis causam alicuius effectus peruestigat, si eam ignoret, quia licet ei sese offerat, attamen eam nouisse non poterit. Si primum inutiliter procedimus à causa, ad effectum; quandoquidem iam per priorem progressum, causam, & effectum nouimus, hùncque ab illa pendere plane scimus; atque adeò irritus, & superuacaneus est regressus. Respondeo in 1. processu a nobis cognosci causam confusè: in 2. verò processu distinctè. Quapropter progredimur à cognitione confusa, ad cognitionem distinctam: & hunc ordinem natura præstat, & seruat Arist. potissimùm in rebus physicis, vt patet 1. *Phys.* Falluntur ergo, qui tali argumento nituntur, non agnoscentes inter scientiam, & ignorantiam, mediare cognitionem confusam, vt optimè distinguit Philosophus 1. *Post. cap.* 1. occurrens cauillo Menonis scientiam de nouo tollentis.

83. Oppones secundò, contra secundam partem assertionis, in causis efficitur circulus simpliciter: ergo & in demonstrationibus. Consequent. est in promptu, quia demonstratio habetur per causam. Ant. fulcitur authoritate Philosophi 2. *Phys. cap.* 3. *T.* 30. *&* 5. *Met. cap.* 1. *T.* 2. causæ sunt sibi inuicem causæ, efficiens quippe causat formam, & finis, efficientem. Item materia formam, atque forma materiam. Rursus 2. *Post. cap* 15. ex vapore demonstratur pluuia, & ex pluuia vapor. Deinceps 2. *Cœli T.* 59. ostenditur, stellas esse immobiles, quia sunt sphæricæ, esseque sphæricas, quia sunt immobiles: vbi apertus cernitur circulus. Resp. argumentum concludere quidem in diuerso genere causæ: non autem in eodem genere causæ, de quo tota extat difficultas.

84. Instabis, actus est causa efficiens habitus atqui habitus ab actibus iteratis, genitus est causa effectrix actus, vt probat Scot. 1. *d.* 17. *quæst.*

ergo valet tam de diuerso, quàm de eodem genere causæ. Dico, sanè esse probabile, habitum effectiuè concurrere ad productionem actuum subsequentium: attamen oppositum etiam verisimile est, vt *loco præcit.* ostendit Doct. & adbuc lis sub indice est. Data autem parte affirmante, quæ est communior, & probabilior, magisque in hanc propendet Doctor. dico habitum esse productiuum, & effectiuum actuum posteriorum, non verò anteriorum, qui nimirum præcedunt ipsum habitum. Ob id, nullum deducitur absurdum, quoniam in eodem genere causæ efficientis idem respectu diuersorum potest esse causa, & effectus, vt Petrus est pater Francisci: deindè Franciscus est pater Antonij: at respectu vnius, & eiusdem simul, idem nequit esse causa, & effectus in eodem genere causæ.

ARTICVLVS XIII.

Quodnam sit medium Demonstrationis potissimæ.

85. EX multis Dialecticorum placitis adductis, & reiectis à Balduino *quæst de medio demonstrationis cap.*1. Fabro *Theor.*10. *cap.*1. Conimb. 2. *Post. quæst. vn. art.*2. & aliis, quatuor præcipua examinanda propono, quorum vnum tuetur Zab. cit. *l.*2. probans per plura capita quoduis genus causæ posse esse medium demonstrationis potissimæ. Alterum est Alb. & Ægidij 2. *Post. quæst. de medio demonstrationis*, & tribuitur Auer. 1. *Post com.*11. qui affirmant medium in demonstratione potissima semper esse definitionem passionis, nunquam verò definitionem subiecti. Tertium est, quod defendunt Doctor 1. *Post. quæst.*56. *&* 7. *d.* 3. *quæst.*6. §. *Ad quæst. sub M.* *&* 3. *d.*14. *quæst.*2. *A. & ante quæst* 1. *Vniuers.* vt notat *ibi* Sarn. *pag.*23. quem sequuntur omnes eius discipuli, & ex parte Conimb. alleg. *art.*3. à quibus non discrepare S. Th. *lect.*1. *secundi Post.* obseruat Zab. *cap.*2. *l.*1. prærecensiti docentes medium demonstrationis potissimæ esse definitionem subiecti. Quartum est medium inter duo proximè allata, quorumdam Recentiorum, nominatim Thomitani, & Conimbr. cit. affirmantium medium demonstrationis perfectissimæ simul esse causam, & definitionem vtriusque extremi, scilicet subiecti, & passionis.

86. Not. 1. & recol. ex dictis *suprà art.*10. *huius quæst.* in omni causarum genere quidem effici posse demonstrationem, ibi tamen non fuisse stabilitum, in quo genere causæ fiat demonstratio potissima: sed hoc loco esse enodandum, & decidendum. Quod vt expeditius, & commodius fiat, in memoriam reuocanda sunt, quæ dixi in superioribus de demonstratione, eiusque speciebus, necnon conditionibus ad ipsam requisitis. Potissimum autem prætereundum non est, quid veniat nomine demonstrationis potissimæ, & quomodo ab aliis demonstrationibus discriminetur. In primis non est existimandum demonstrationem potissimam constituere speciem demonstrationis distinctam, à demonstratione propter quid, quæ subdiuiditur in primariam, & secundariam. Illa fit per causam formalem proximam, & immediatam, habens omnes conditiones prærequisitas, hæc verò per aliam causam alterius generis, carens aliqua, aut aliquibus ex conditionibus ad eam necessariis. Nomen autem hoc demonstrationis potissimæ non reperitur in scriptis Aristotelis, vt diligenter aduertit Zab. *cap.*17. *lib. alleg.* sed quippè à posterioribus Philosophis fuit adinuentum, quod vt congruum, & aptum ab omnibus recipitur. Eò magis, quia iam demonstratio sit instrumentum sciendi, ab eius fine potissimo, qui est scientia præstantissima per causam proximam, intrinsecam, & formalem acquisita, iudice Aristotele, 1. *Post. cap* 10. suam iure optimo sortiri debet denominationem. Quapropter demonstratio potissima, quæ absolutè nomen demonstrationis, siue demonstrationis simpliciter meretur, teste Zab. cit. perhibetur ea, quæ pollet medio, seu causa intrinseca immediata, & adæquata, cum reliquis conditionibus traditis, & examinatis *in anterioribus art.*

87. Not. 2. & recol. ex dictis in Summulis, in omni syllogismo siue topico, siue analytico reperiri tres terminos, quorum vnus maius extremum, seu passio: alter minùs extremum, puta subiectum, & tertius medium nuncupatur, quod assumitur ad demonstrandam passionem de subiecto, vt rationale est medium, quod accipitur ab Argumentante ad demonstranda risibilitatem de homine, seruatis debitis modo, & figura, ad bonam syllogismi constructionem requisitis. A subiecto autem emanat passio realiter cum ipso identificata, perhibente Scot. *quæst. cit.* medium verò, per quod demonstratur inhærentia, seu inexistentia passionis in suo subiecto, vocatur forma eiusdemque subiecti definitio, vt ex Aristotele 2. *Post cap.*11. adnotant Conimb. *ibid. art.*1. *loci præcit* Ratio est, quia forma intrinseca, & essentialis subiecti, quæ est vltima differentia eius constitutiua est nobilior, & præstantior eius pars, atque denominatio fit à parte nobiliori, vt cum Aristotele 7. *Met. ad T.*14. *&* 15. obseruant eius Interpretes. Quare cum medium demonstrationis sit pars subiecti præcipua, causáque intrinseca passionis, seu per emanationem, vulgóque passio nominetur accidens proprium, consequenter demonstratio potissima participat medium, siue causam intrinsecam, & formalem: reliquæ verò demonstrationes non potissimæ possunt gaudere medio, quod est causa extrinseca, quæ dicitur causa per transmutationem, quam accidens commune sortitur, vt aduertit Scot. *in quæst.* §. *Sed si passio.* sic eclypsis Lunæ prouenit à causa extrinseca, nempe à terra interposita inter ipsam Lunam, & Solem: pariter tonitrua fiunt per causam extrinsecam, hoc est per extinctionem exhalationis in nube. Quod vt clarius fiat.

88. Not. 3. ex Scot. cit. §. *Ad quæst* duplex esse accidens, vnum commune, & aliud proprium: illud consequitur subiectum singulare; hoc verò subiectum vniuersale: causatur maximque à principiis essentialibus speciei, éstque demonstrabile per eius subiecti formam intrinsecam: non sic accidens commune; inter quod, eiusque subiectum nulla extat necessaria connexio, qualis exigitur inter demonstrabilia. Rursus subiungit Doctor. *quæst.*40. §. *Ad* 1. *arg.* hæc Luna eclypsatur, contingens est ac etiam illa, terra interponitur inter Solem, & Lunam, & in vniuersum, ea quæ frequenter fiunt, contingentia sunt. Quæ autem in demonstrationem cadunt, sunt necessaria, & vt ait Linconiensis, accipiuntur cum circumstantiis, quibus necessitantur, vt ostendi *art* 8. *huius quæst.* magisque illustratur eodem exemplo *ibid.* allato, videlicet, quando Sol est in capite, aut in cauda Draconis, & Luna in eodem situ, propter interpositionem terræ inter ipsum Solem, & Lunam, eclypsatur ipsa Luna. Eò vel maximè, quia non de eclypsi actuali, sed aptitudinali loquuntur Philosophi, vt præ aliis notant Ioannes de Magistris 2. *Post. quæst. vlt.* Venetus *cap.*4. *primi Post* & facit Zab. 1. *de medio demonstrationis cap.*7. Ex his colligitur cum Scot. *quæst.*57. non omnem demonstrationem propter quid esse per causam intrinsecam, sed quan-

doque per causam extrinsecam, vt est demonstratio præallata, monente Gadio *Quol.7. fol.79. colum.1.* quæ tamen non est potissima iudice Fabro *Theor.14.* quem sequuntur indiuisi Scotistæ *disp.13. quæst.2. art.2.* Esse verò demonstrationem *propter quid*, spertè declarat Doct. *quæst.54. & 57.* reclamantibus dictis Iunioribus cum Fabro cit. & superius abundè expressi. Denique obserua ex eodem Doct. *q.56 §. Ante ad 1. arg* passionem diuersimodè vocari primum, & vltimum terminum. Dicitur quippè primus terminus penes prædicationem, quia passio directè semper prædicatur, nunquam verò subiicitur, nisi indirectè. Perhibetur autem vltimus terminus penès ordinem naturæ, quandoquidem passio est posterior natura subiecto, ac principiis eius, cùm ab eisdem suam ducat originem, vt in superioribus ostendi.

89. Assertio prima, definitio passionis non est medium demonstrationis potissimæ. Ità Scot. *loco proximè alleg. §. Ad quæst.* Probatur 1. quo cognito, inquiritur propter quid, non est medium demonstrationis potissimæ: cognita autem passione de subiecto per definitionem ipsiusmet passionis remanet inquirendum propter quid insit subiecto: ergo definitio passionis non est medium demonstrationis potissimæ. Maior est in promptu, quia demonstratio, de qua in præsentia est sermo, procedit ex primis, & immediatis. Minor quoque est conspicua, cùm huiusmodi definitio non sit ratio ipsius inexistentiæ in subiecto. 2. quod parit scientiam perfectissimam, adeò vt ipsum in esse, & in cognosci ab alio non dependeat, est medium demonstrationis potissimæ: definitio autem passionis dependet in esse, & in cognosci à subiecto, atque ab eiusdem principiis essentialibus causatur, vt supra notaui. Igitur definitio passionis nequit esse medium demonstrationis perfectissimæ. Rursus, causa & medium in idem recidunt ex suprà assertis: ergo cum causa passionis sit subiectum, ipsius passionis definitio nequit esse præfatæ demonstrationis medium. Iterum, si definitio passionis foret medium dictæ demonstrationis, fieret petitio principij; pari quippè modo quispiam admittit hominem esse risibilem, ac hominem esse ridendi capacem, quæ est definitio formalis ipsius risibilitatis, quæve extat hominis passio. Tandem, Aduersarij ideò inficiantur medium talis demonstrationis esse definitionem subiecti, propreteà quod cum præmissæ eius esse debeant immediatæ, minor foret mediata, atqui medio existente definitione passionis, minor esset mediata, quia passio definitioni subiecti inest, mediante propria definitione: igitur returquendo argumentum contrà Antigonistas, concluditur passionis definitionem haud esse medium demonstrationis potissimæ.

90. Assertio 2. definitio subiecti statuitur medium demonstrationis potissimæ. Tenet Scot. *vbi suprà*, præsertim *quæst.56. post §. Ad q.* Probatur 1. ex Arist. *2. Post.* à Tatar. alleg. scribente, medium in demonstratione esse rationem vltimi termini, qui est subiectum, propter causam præassignatam in calce *3. not.* Ac etiam, vt aduertit Doct cit. ex eodem Aristotele, si aliqua passio debeat demonstrari de subiecto, potius debet v. g. demonstrari per C. quod est definitio subiecti, quàm per B. quod est definitio passionis, huius causam reddit Arist *ibid* quia C. quod est definitio subiecti est causa ipsius A. passionis, ac quoque ipsius B. quod est definitio passionis. Idipsum confirmat *4. Phys. T.51. & 1. de anima T.11. & 2. eiusdem operis T.15.* Secundò, quod est proxima, & immediata causa passionis demonstrabilis de subiecto, à quo immediatè prodit, est medium demonstrationis potissimæ: definitio autem subiecti est huiusmodi: ergo definitio subiecti est medium demonstrationis potissimæ. Maior probatur, scientia perfectissima, quæ est effectus, demonstrationis potissimæ est per causam proximam, & immediatam, vt liquet ex definitione scientiæ *1. Post. cap.2.* & ex conditionibus principiorum, siue præmissarum, de quibus abunde in superioribus. Quodque significatur *in fine 2. Post* testante Scot. *loco ante cit.* Minor ostenditur, tùm quia posito subiecto, protinus emanat eius passio, eòque ablato, aufertur ipsamet passio: tùm etiam quia ex principiis subiecti quidditatiuis fluit, atque ab ipsomet subiecto est inseparabilis, ac proindè subiectum est proxima, & immediata causa propriæ passionis. 3. demonstratio potissima est ex primis, veris, immediatis, causisque conclusionis ex supra dictis: syllogismus autem, in quo concluditur passio de subiecto, per definitionem subiecti, est ex veris, primis, &c. Ergo definitio subiecti est medium talis demonstrationis. Accedit, quod est radix, & prima causa omnium demonstrabilium, est medium demonstrationis perfectissimæ, quæ ex primis, & immediatis componitur: definitio autem subiecti est radix, causáque immediata omnium affectiunum demonstrabilium de subiecto: ergo &c. Maior suaderi potest ex illo *2. Met. cap.4.* quod est principium, & causa aliorum, vt sint talia, est maximè tale, supple, in causis vniuocis, vt si ignis est causa, vt alia sint calida, ipse ignis est maximè calidus. Minor ostendi potest, de flebilitate, visibilitate, & admirabilitate, quæ in sententia multorum sunt affectiones de homine demonstrabiles adinuicem sic ordinatæ, vt vna per aliam demonstretur, vsque ad vltimam quæ per rationalitatem, quæ est definitio hominis, siue pars eius præcipua demonstratur, vt insinuat Aristoteles *1. Post. cap.20.*

91. Assertio 3. medium demonstrationis potissimæ non est vtraque definitio maioris, & minoris extremi Sequitur ex dictis in duab. antecedentibus assertionibus, supponiturque à Doct. & indicatur ab Aristotele *1. Post. T.22. & 2. eiusdem operis T.2.* Probatur 1. vnius effectus vna est causa totalis, & adæquata, vt patet *in Phys. lib de causis*, & traditur à Philosopho *2. Post. cap.17.* vnde Auer. *1. Post. com.46.* subdit vnius rei vnam esse demonstrationem, vnámque definitionem, quia vna causa formalis: ergo medium demonstrationis potissimæ esse nequit vtráque definitio subiecti, & passionis, sed alterutra sancita in superioribus. 2. medium demonstrationis est vnum per se, vnáque per se causa: ambæ autem definitiones vtriusque extremi non sunt vnum per se, vt patet: igitur medium dictæ demonstrationis ex vtraque definitione extremorum relatorum non integratur. Ex his, anterioribusque assertis sanè colligitur, medium demonstrationis perfectissimæ, non esse alterius generis, quàm causæ formalis, quæ subiecti quidditas, & essentia nuncupatur: cæteræ verò causæ sunt extrinsecæ, vt causa materialis, & ignobilior, & inferior.

95. Oppones 1. contrà 1. assert. quod est ratio primi termini, est medium demonstrationis potissimæ: definitio autem passionis est ratio primi termini: ergo definitio passionis est medium demonstrationis potissimæ. Maior innititur authoritati Aristot. *2. Post. T.25.* eam demonstrantis hac similitudine, scilicet folia fluere de vite demonstratur per hoc medium, succum condensari in contactu foliorum ad ramos, referente Scot. *quæst.56. ferè in initio.* Conf. ex eodem, qui *ibid. cap.1.* ait Lunæ eclypsim demonstrari per definitionem ipsius eclypsis, & consonantiam vocum per ipsius consonantiæ definitionem: atque *T.10. eiusdem lib.* subiicit medium ad demonstrandum tonitruum, esse eiusdem tonitrui definitionem: igitur definitio passionis est medium demonstrationis potissimæ. Nego maiorem ad eius probationem dico cum Scot. *cit. §. Ad 1. arg.* quidem Aristotelem *ibi*

asserere

aſſerere definitionem paſſionis eſſe medium demonſtrationis, quod etiam ego cum eodem *Doct.* admitto; non tamen eſſe medium demonſtrationis potiſſimæ, vt contendunt Authores primæ ſententiæ. Idipſum reſponderi poteſt ad confirmationem. Vel dicito hoc arg. eiuſque confirmationem concludere de definitione paſſionis cauſali, non autem de definitione eius formali, de qua in præſentia ſit eſt.

93. Oppones 2. demonſtratio perfectiſſima procedit ex immediatioribus, & prioribus: demonſtratio autem, cuius medium eſt definitio paſſionis, eſt ex immediationibus, & prioribus: ergo eius medium eſt definitio paſſionis duntaxat. Ma. patet ex dictis. Min. oſtenditur; ſiquidem immediatius paſſio prædicatur de ſua definitione, vt cum dicitur, *idoneum ad diſciplinam eſt diſciplinabile*, quàm de definitione ſui ſubiecti, vt *animal rationale eſt diſciplinabile*. Conf. 1. ex Ariſt. 1. *Poſt. cap. 6.* extrema, & medium debent eſſe eiuſdem generis: paſſio autem eſt prædicamenti qualitatis, ergo & medium erit eiuſdem generis, & prædicamenti qualitatis, quod eſſe non poteſt, niſi definitio ipſiuſmet paſſionis, cum definitio ſubiecti ſit prædicamenti ſubſtantiæ, veluti ipſommet ſubiectum. Conf. medium demonſtrationis potiſſimæ, oportet eſſe medium prius poſitione, hoc eſt prius paſſione, & poſterius ſubiecto: ſola autem paſſionis definitio eſt huiuſmodi. Eſt enim poſterior ſubiecto, & prior paſſione: igitur, definitio paſſionis eſt medium perfectiſſimæ demonſtrationis. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, propoſitionem appellari immediatam, non quia ſit per cauſam effectui proximam, vt infertur in argumento, verum quoniam aliam cauſam, per quam de ſubiecto demonſtrari queat, non ſortitur, cuiuſmodi non eſt paſſionis definitio, cum ipſa queat demonſtrari per definitionem ſubiecti, quæ eſt eius cauſa proxima, & immediata, ac etiam omnium demonſtrabilium prima, vt ſuperius obſeruaui: Ad 1. conf. occurrit Scot. alleg. inquiens, extrema, & medium dici eiuſdem generis, ideſt generantis, quia ab eodem generante promanant principia ſubiecti, eiuſque proprietates; producens enim hominem, conſequenter eius proprietates dicitur producere, nempè flebilitatem, riſibilitatem, & huiuſmodi. Vel dicito paſſionem ſubiecti reduci ad genus, ſeu prædicamentum in quo locatur eius ſubiectum, vt cum Scoto alibi docui. Ad 2. conf. concedo ma. nego min. ſatis quippè eſt, vt ſit medium cognoſcibilitatis, hoc eſt vt ſit cauſa cognoſcendi inhærentiam paſſionis in ſubiecto: non autem neceſſe eſt vt ſit prius, aut poſterius ordine: idque liquidò patet de demonſtratione à poſteriori, in qua effectus, qui eſt poſterior ſua cauſa, eſt medium, vt benè notant duo noui Scoti Interpretes præcitati poſt Tatar. ab ipſis allegatum.

94. Oppones 3. ſcientia, quæ gignitur per demonſtrationem potiſſimam, eſt ſcientia paſſionis: ergo medium huiuſmodi demonſtrationis eſt cauſa paſſionis: atqui definitio paſſionis includit cauſam paſſionis, quia definitio perfecta accidentis includit ſubiectum, cuius eſt accidens: ergo definitio paſſionis eſt medium perfectiſſimæ demonſtrationis. Diſtinguo ant. ſcientia per demonſtrationem potiſſimam parta, eſt ſcientia paſſionis, per definitionem paſſionis formalem, nego: per definitionem paſſionis cauſalem, quæ eſt forma ipſius ſubiecti, concedo. Sic enim definitio paſſionis includit ſubiectum, veluti omnis definitio accidentis quietatiua, & perfecta inuoluit ſubiectum. Idcircò appellatur definitio per additamentum, vt notaui *in Epit. art. de definitione.*

95. Oppones 4. contra ſecundam aſſert. ſi definitio ſubiecti foret medium demonſtrationis potiſſimæ, peteretur principium. Idem quippè probaretur per idem, quia definitio, & definitum idem ſunt, quod apertè tradit Ariſtoteles 8. *Top. cap. 4. loco* 80. inquiens, vnum ex modis petendi principium eſſe, cùm probatur definitum per definitionem, & econtra. Confirmatur, demonſtratio perfectiſſima conficitur ex primis, vt ſæpè præmonui: ſi autem eius medium foret ſubiecti definitio, non eſſet ex primis, quia ſubiectum eſt vltimum: igitur definitio ſubiecti non extat medium demonſtrationis potiſſimæ. Neganda eſt ſequela, quia definitio, & definitum differunt formaliter, vt cum Scot. tenent Bruliſer, & cæteri Scotiſtæ *Tract. Formalitatum.* Item arguitur à notitia diſtincta, quæ habetur per definitionem, ad notitiam confuſam, quæ habetur de definito, vt diligenter obſeruat Doctor. cit. *in ſolutione huius arg.* Ad Ariſtotelem; inquit Scot. ipſum exponens: ſi oſtenditur prædicatum de definito per definitionem, quod notius ineſt definito, petitur principium: verùm ſi illud prædicatum notius inſit definitioni, ſanè non fit petitio principij. Ad confirmat. dico cum eodem Doctore demonſtrationem effici ex primis, id eſt ex præmiſſis per ſe notis, ſiue alio modo ſuperius explicato; an verò ſubiectum dicendum ſit primum, aut vltimum, planum feci *in fine 3. not.*

96. Oppones 5. contra tertiam aſſert. Ariſtot. 2. *Poſt. cap 4. T. 5. & ibi T. 1.* ſcribit idem eſſe quid eſt, & propter quid eſt, quod exemplo illuſtrat de eclypſi, & aliis ibi videndis. Igitur medium in potiſſima demonſtratione complectitur definitionem ſubiecti, & paſſionis: Siquidem medium debet eſſe cauſa, vt paſſio ſit ſimpliciter, & hoc ratione definitionis eius formalis: & vt ſubiecto inexiſtat, idque ratione definitionis cauſalis ſubiecti, ac proinde medium vtramque definitionem continet. Confirmatur, medium eſt, per quod paſſio, & ſubiectum inter ſe neceſſariò connectuntur: ergo medium eſt definitio vtriuſque extremi; quia connexio neceſſaria ab vtroque extremo pendet. Reſpondeo præfatas quæſtiones eſſe idem ſecundum rem; differre verò penès modum quærendi, vt aduertunt Scot. *Poſt. quæſt. 54. §. Ad quæſt.* & Tatar. 2. *Poſt. quæſt. 1. dub.* 2. Itaque præfatæ quæſtiones dici poſſunt identificari, quia cauſam rei ſiue ſimplicis, ſiue complexæ perquirunt, tamen, iudice Auer. propriè non coïncidunt, quia propter quid propriè reſpicit cauſam externam, ſiue effectiuam, ſiue finalem, vt patet ex Ariſtotele, qui affert exemplum de eclypſi, quæ fit per cauſam externam, putà terræ obiectionem: quid autem reſpicit cauſam internam, quæ eſt forma, & eſſentia ipſius rei. Quare ad argumentum in forma, admiſſo ant. negatur conſequentia, quia medium huiuſmodi demonſtrationis eſt definitio cauſalis ſubiecti, vt *ſuprà* oſtendi. Ad conf. concedo ant. nego conſequentiam, quandoquidem à definitione ſubiecti, tanquam à cauſa proxima, & immediata pendet connexio, non verò à paſſione, tametſi ab vtroque extremo quoque pendeat.

QVÆSTIO IV.

De effectu Demonſtrationis.

CVM in ſuperiori *quæſtione de demonſtratione*, quæ eſt cauſa ſcientiæ abundè egerim, nunc de eius effectu, qui eſt ipſamet ſcientia, in hac poſtrema quæſtione diſſerere opportunum duxi, multa ex dictis, &

& dicendis alibi examinanda ſuppones, vt tandem hoc opus à me cœptum, & elaboratum perficiatur, & compleatur.

ARTICVLVS I.

An ſit Scientia.

1. Tres olim viguerunt Philoſophorum ſententiæ, duæ prorsùs extremæ memoratæ, & refutatæ, ab Ariſtotele 1. *Poſt. cap.* 3. & à Doctore *ibid. in initio einſdem lib. & 1. diſtinct.* 3. *quæſt.* 4. §. *Primo infrà A.* Et tertia media, quam optime inuenit, & edicit Stagirita *in præſentia* cui poſteriores Philoſophi libenter adſtipulantur, & obſequuntur. Primi placiti Authores ſunt Pyrrhonici, qui pariter Sceptici, Aporetici, & Ephectici nominantur, teſtibus Conimbr. *in comm. præfati cap.* Et à Scoto præcitato perhibentur Academici, omnium rerum ſcientiam dementes, omniumque ignorantiam admittentes. Patroni verò ſecundi placiti dicuntur Platonici, referente Doctore *vbi ſuprà*, ſiue Empedoclæi, vt volunt Conimb. mox allegati, ſuſpicantes omnium rerum eſſe ſcientiam. Qui autem medio gradiuntur itinere ſunt omnes Peripatetici, cum duo duce, capite memorato, docentes de quibuſdam rebus eſſe ſcientiam, contrà Aſſertores prioris opinionis: de quibuſdam verò nequaquam, contra poſterioris ſententiæ defenſores. Vide Ferch. *veſtig.* 6. *cap.* 4. *numero* 11.

2. Præſupponendæ ſunt acceptiones ſcientiæ ex Scoto adductæ *lib.* 1. *quæſt* 2. *artic* 2. *not.* 2. Solumque monendum eſt, hoc in loco potiſſimùm nos agere de ſcientia propriè, & anguſtè capta, vt eſt effectus demonſtrationis, cuius definitio *in proximo articulo* eſt afferenda, diligenter, & accuratè diſcutienda.

3. Aſſertio, quædam cadunt ſub ſcientiam: multa verò à nobis ignorantur. Hæc aſſertio eſt bipartita, & quoad ambas partes defenditur ab Ariſtotele, & Scot. præcit. cæteriſque Philoſophis Iunioribus. Prima pars probatur primò, ex Sancto Auguſtino *lib. de vera religione*, qui dubitat an aliquid ſciri contingat, ſe dubitare non dubitat, ſed certus eſt, non eſt autem certus, niſi de eo quod ſcit: ergo ipſum, qui ſe ſcire dubitat, neceſſe eſt concedere, ſe aliquid ſcire. Itèm ex eodem Sancto *lib.* 2. *contra Academicos*, cum Academici nihil nos verum, ſed id tantùm, quod veriſimile eſt, cognoſcere autumant, quid dicant, non attendunt: ſi enim verum ipſum, quod ſit, neſcimus, conſequens fit, vt id, quod veriſimile eſt, ignoremus. Quemadmodum fieri nequit, vt Chryſippum Socrati ſimilem eſſe quis ſciat, ſi Socratem ipſe nullo modo agnoſcat. Huc quoque pertinent alia loca eiuſdem Aurelij allata a Scoto *in primo nuper cit. A.* quibus addo 11. *Ciuit. cap* 26. *&* 19. *cap* 18. Secundò, quædam ſunt, quæ inter ſe, neceſſariò, & perpetuò connectuntur, quorum vnum de alio demonſtratur, putà paſſio de ſuo ſubiecto: ergo de quibuſdam habetur ſcientia. Ant. probatur, demonſtratur enim triangulum habere tres angulos, hominem eſſe riſibilem, & cætera huiuſmodi. Adde, quæ Euclides in ſuo opere, & quæ Ariſtoteles, aliique Philoſophi paſſim demonſtrant. Ad rem noſtram facit, quod tradit Scotus proximè recenſitus, cuilibet eſt naturaliter euidens forma ſyllogiſmi perfecti, vt patet ex eius definitione 1. *Prio. cap.* 1. Scientia autem concluſionis non dependet, niſi ex euidentia principiorum, & ex euidentia ſyllogiſticæ illationis. Ergo, cuilibet naturaliter ſcita poteſt eſſe quæcunque concluſio demonſtrabilis ex præmiſſis per ſe notis. Quare habens ſyllogiſmum perfectum demonſtratiuum, qui eſt cauſa ſcientiæ, pariter de re demonſtrabili demonſtranti cognita, vtique ſcientia potitur. Rursùs generatur ſcientia de ſcibilibus per experientiam, vt aſtruunt Ariſtoteles 1. *Met cap.* 1. & Scot. *vbi ſuprà*, atque de aliis, quæ latè, & doctè proſequitur Doct. tum ibi, tum etiam 4. *diſt vel* 43. *quæſt.* 2. § *Reſpondeo infrà D.* Inſuper, deſiderium ſciendi a natura nobis innatum *ex* 1. *Met. cap cit.* fruſtratorium eſſe non debet, quia Deus, & natura nihil faciunt fruſtrà *ex* 1. *de Cælo T.* 32. *& tertio de anima T* 45. Denique ſcientia eſt hominis perfectio: atque in vera ſcientia Dei potiſſimùm, intuitiuè conſiſtit felicitas eius. Quædam igitur a nobis ſciri, haud eſt inficiandum. Secunda pars eſt probatu facilis; cum enim ſcientia ſit cognitio rei per cauſam, multarumque rerum cauſas ignoremus, vt cur magnes trahat ferrum, ſuccinum paleam, remora ſiſtat nauim, torpedo obſtupefaciat manum piſcatoris, & huius formæ alia, quæ nos latent, planè deducitur, de omnibus nos ſcientiam non habere. Deinceps, ſcientia eſt de æternis, neceſſariis, & vniuerſalibus, vt non rarò ſuprà inculcaui, & probaui: atqui multa ſunt contingentia, temporanea, & ſingularia: & quæ à diuina voluntate pendent, nobis ſunt occulta, iuxtà illud Rom. 11. *Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?*

4. Oppones primò, cum Scoto 1. *Poſt. quæſt.* 10. *pro Academicis*, ſcientia propriè ſumpta efficitur per demonſtrationem, ex omnium conſenſione: ergo cum principia ſciantur, ſciri debent per demonſtrationem: principia autem demonſtrari non valent, ergo nec ſciri. Prima conſequentia elucet, quia præter ſcientiam demonſtratiuam non inuenitur alia ſcientia: ſubſumptum probatur; vel enim principia ſunt immediata. Si primum, ergo non ſciuntur, quia medio carent, quod ad ſcientiam exigitur. Si ſecundum, aut ſciuntur per alia media, & illa per alia, & ſic deinceps abitur in infinitum: ergo nulla de eis datur ſcientia, cum infinitum à nullo intellectu creato ſciri queat. Conceſſo ant. nego conſequentiam: Siquidem principia prima, & immediata ſunt indemonſtrabilia, ſcribente Ariſtotele 1. *Poſt. cap.* 2. & 4 *Met. T* 16. quem citat. Doctor 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 4. § *De tertiis ante G.* Diſtincto quippè habitu cognoſcuntur principia, ac concluſio. Illa namque habitu intellectus, iſta verò habitu ſcientiæ. Atque ita nulla eſt inſtantia pro Academicis elaborata.

5. Oppones ſecundò, omnis noſtra cognitio, ſenſuum miniſterio paritur iuxtà illud Ariſtotelis libro de ſenſu, & ſenſato, *nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*, experimur autem ſenſum plerumque falli, tum in ſomnis, tum etiam in vigiliis, vt multis probat Raconius, *diſp.* 1. *de demonſtratione, ſect.* 3. *quæſt.* 1. *artic.* 1. Præſertim de viſu, qui baculum in aqua fractum, & obliquum indicat, licet verè ſit integer, & rectus. Item, apprehendit ſolem tanquam pedalem, cum tamen magnitudine vniuerſam terram ſuperet. Rursùs, quæ reuerà ſunt alba aut nigra per vitrum rubeum intuemur rubea. Et id genus alia adducenda, & expendenda *in lib. de anima* Ergo nihil certi, nihilque indubitati, & euidentis eſt aſſerendum. Reſpondeo cum Scoto citato *ante G & quæſt* 3. *vniuerſ in ſolutione tertij*, noſtram intellectiuam notitiam prouenire à ſenſu, vt occaſione, non verò vt cauſa. Sic diſtinguitur ma. & exponitur Philoſophi elogium. Ad min. dico ſenſum malè affectum quidem allucinari, at ſenſum benè diſpoſitum, & debitè approximatum, medio non vitiato, circa proprium ſenſibile nequaquam decipi, vt optimè docet Scot. *loco citato*, § *Quantum ad* 3. *L. & M.* Maxime quia ſenſum errantem intellectus poteſt corrigere, vt *loco nunc allegato* abundè ſum oſtenſurus. Vide Bonet 2. *Met. cap* 5.

6. Oppones tertiò, poſſibile eſt, vt ſicut concluſio per præmiſſas demonſtratur: ſic principia per concluſionem demonſtretur, atque mutua, & circulari demonſtratione omnia oſtendantur: ergo omnia ſciri

queunt

queunt per demonstrationem circularem. Respondeo hoc argumentum iam esse dilutum. Siquidem *art.* 11. huius [illegible] quæstionis reiectus est à me circulus de[illegible] [illegible],tanquam inutilis,& inanis.

ARTICVLVS II.

Quid sit Scientia.

7. DOctor subtilis 1. *Post quæst.* 1. *&* 10. *eiusdem* [illegible]*ris*, ex Linconiensi recenset,quatuor scientiæ acceptiones, quæ non videntur multùm distare ab eis, quas *in præeunte artic.* supposui *ex locis ibi à me citatis.* Ideò in earum indagine, & explicatione non immoror, videndæ quippè sunt eis in locis : solùm hic moneo apud Aristotelem scientia latè sumpta, principia, & conclusiones ex illis deductas sciri. Inquit enim idem Philosophus *in tex.* principia magis sciri, quàm conclusionem: Scientia verò strictè sumpta,dicitur sciri conclusio duntaxat, cum ex eodem Philosopho tum *hic*,tum etiam 6. *Eth.c.* 3.& Bonet. 1. *Met.cap.* 2.Scientia sit conclusionum,& intellectus principiorum. Quoniam verò duplex est demonstratio *Quia*, *& Propter quid*, duplex quoque extat scientia *Quia*, *& Propter quid*, hoc est per effectum, & per causam. Scientia autem proprissimè capta definitur ab Aristotele 1. *Post. cap.* 2. *Cognitio rei per propriam causam*, hoc est (Scoto interprete) *Scientia est cognitio certa,& euidens rei necessariæ per propriam causam , parta per discursum syllogisticum* Hæc eiusque conditiones deceptæ sunt ab Aristotele citato adductæ , & explicatæ à Doctore 1. *Post. quæst.* 1 *&* 4. *Reportat. distinct.* 24. *quæst.* 1. §. *Ad quæst.* Diuiditur scientia sic accepta ex Scoto 1. *Post quæst. mox alleg.* in actualem , & habitualem. Actualis est, *cognitio certa , & euidens per propriam causam de obiecto necessario,actu acquisita per discursum syllogisticum*: habitualis verò est *qualitas ex frequentatis actibus scientificis comparata,facilitans intellectum ad scientificè operandum.* Præterea obiectum , ex Parisiensibus *quæst.*1.*primi Phys.*post Scot.2. *Post.quæst.* . propositionem propriè scibilem,esse propositionem necessariam dubitabilem , quæ nata est fieri euidens per propositiones euidentes , ad ipsam applicatas per discursum syllogisticum , quæ cùm coincidat cum conclusione scientifica , de qua est scientia , alia explicatione , & conditionibus ab enumeratis distinctis non indiget

8. Assertio, definitio scientiæ prælatla est probè tradita. Hanc expresse Scot. 1. *Post. quæst.* 10. §. *Ad quæst.* aliisque in locis ; & videtur constituta , in ea namque assignantur genus, puta cognitio, & differentia , quam inhærentesque eius particulæ præostendit. Item in ea nihil superflui , nihilque diminutum continetur , per eamque distinctè , & clare explicatur natura ipsiusmet scientiæ : ergo est legitima , & idonea definitio.

9. Oppones primò, principia magis sciuntur,quàm conclusio , vt probat Aristoteles *in præsenti cap.* 2. per illud axioma, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*:Scientia autem principiorum indemonstrabilium non efficitur per causam , sine medium , quo carent: patitur scientia conclusionis non acquiritur per causam. Conf. primò,nostra cognitio exordium suum sumit à notioribus nobis, *ex* 1. *Phys. T.*2. notiora autem nobis sunt causæ , sed effectus, vt patet : ergo scientia nostra non habetur per causam. Conf. secundò, si scientia foret per causam , nunquam haberetur perfecta scientia , nisi perfectè cognosceretur prima causa : atqui prima causa non nisi imperfectè , & confuse à nobis cognoscitur penes prædicata communia , vt patet *ex prima quæstione Prologi.* Respondeo argumentum concludere de scientia latè sumpta ; non autem de scientia strictè capta , vt *propè initium huius art.* animaduerti. Ad conf dico, valere de scientia à posteriori, non verò à priori , de qua datur præfata scientiæ definitio. Ad 2. conf. dico scientiam esse per causam, supple, proximam , & propriam rei scitæ , non autem per maximè remotam , & vniuersalem , cuiusmodi est causa prima. An verò ad perfectam scient am vsquequaque requiratur cognitio omnium causarum,tactum est *suprà art.* 10. & ex instituto ex endetur *in Phys.*

10. Oppones secundò, Deus omni scient à pol'et, quæ ab omni discursu est immunis , vt fusè ostendi *Tract. de scientia Dei* , *disp.* 1. Ergo necessariò non est scientiam generatim sumptam esse genitam per discursum syllogisticum , vt exprimitur in præfata scientiæ definitione. Concesso ant. dico scientiam creatam solùm inuoluere discursum , secumque vehere imperfectionem , quæ longè est à Deo , vt fusè ibi monstraui.

11. Oppones tertiò , nonnunquam habetur scientia de obiecto contingente , vt de eclypsi lunæ , quæ est contingens : ac de obiecto corruptibili , & mutabili, vt de rebus physicis : ergo perperam asseritur , scientiam potiri obiecto semper necessariò , incorruptibili, & immutabili. Respondeo cum Scoto *antè* §. *Vnde*, quod licet eclypsis possit aliter se habere secundum se respectu tamen suæ causæ non potest aliter se habere: posità enim interpositione terræ inter solem,& lunam , necessariò habetur eclypsis lunæ. Ad aliud, quod subiicitur , dico scientiam non esse de obiecto incomplexo , sed de complexo , sine de conclusione inter cuius subiectum , & prædicatum interuenit habitudo necessaria , æterna , & incorruptibilis , vt ait Doctor *locis præcitatis* , & satis declaraui *libro primis*, *quæst.*2. *artic.* 2.

ARTICVLVS III.

An euidentia sit de essentia Scientiæ.

12. QVidam vt Canus *lib.*12. *de locis cap.*2.& Masius *cap.*10. *primi Post. quæst.*3. *conc.* 1. *&* 2. negant euidentiam esse de essentia scientiæ. Scot. autem *quæst.*3. *principali* , *&* 4. *coll. prol.* §. *Sed aliud*, *&* 3. *distinct.*24. *quæst. vn.* §. *Ad quæst.sub D.* Riuius *Tract.*2. *de habitu scientiæ* , & Conimbr. *cap.*16 *quæstione prima* , *articulo tertio* , euidentiam ingredi essentiam scientiæ affirmant.

13. Not. ex Seraphico Bonet. 3.*distinct.*16. *quæst.*4. certitudinem describi , *firmam adhæsionem intellectus alicui obiecto absque formidine* : hæcque est duplex, apparens , & vera. Apparens est , quando intellectus ex aliqua ratione probabili , & efficaci applicatione voluntatis tenaciter adhæret alicui obiecto. Quò respiciens Aristoteles 7. *Eth. cap.*3. inquit : *ita firmiter adhærent nonnulli suis opinionibus falsis , aut erroribus , sicut alij adherent scientiis.* Vera autem est , qua intellectus ob solidam , & firmam rei causam aut infallibilem authoritatem adhæret alicui obiecto , sic Philosophus firmum assensum præbet huic : *homo est risibilis*, quia est rationalis : aut isti, *dies iudicij est futurus*,quia Christus Dominus testatur. Necessitas propositionis est , quà propositio ita est vera , vt falsa esse nequeat propter nexum indissolubilem , qui inter eius extrema reperitur. Euidentia verò præter firmam adhæsionem addit manifestationem veritatis Dicitur namque euidentia , hoc est clara rei videntia , quà pollent principia absolutè , & ex se : scientia verò participatione principiorum. Præterea, euidentia scinditur in euidentiam obiecti,quæ est , *clara manifestatio obiecti potentia cognoscenti* : & in euidentiam cognitionis,quæ est *clara manifestatio notitia obiectum attingentis.*

14. Asser

14. Assertio, euidentia est de essentia scientiæ. Ita Scotus præcitatus. Probatur primò ex definitione scientiæ, quæ est *certa, & euidens cognitio*, &c. Quod autem ingreditur definitionem alicuius præcipue in recto, est de eius essentia: ergo cum euidentia in recto includatur in definitione scientiæ, perspicuè euincitur esse de eiusdem quidditate. Secundò, quod est principium essentiale alicuius ab aliis distinctiuum, vtique est principium eius essentiale constitutiuum, vt explicui *in Epitome libro 1. quæst. 3. artic. 5. numero* 10. & *Tract. de Deo Trino disp. vlt.* Euidentia autem est principium distinctiuum scientiæ à fide, quæ est ineuidens, & obscura: igitur euidentia est principium essentiale constitutiuum scientiæ. Tertiò, principia, quæ sunt causæ scientiæ, sunt essentialiter euidentia ex terminis, vt patet ex dictis: ergo scientia est essentialiter euidens. Consequentia deducitur, quia si causa est euidens, vtique effectus eius est euidens: immò effectus sunt nobis euidentiores suis causis. Per eos quippè manuducimur in euidentem causarum cognitionem, ac proindè scientia essentialiter includit euidentiam.

15. Oppones primò, scientia subalternata est vera, & propria scientia, & tamen non est euidens, cùm esse queat absque scientia subalternante, à qua suam depromit euidentiam: ergo euidentia non est de intrinseca ratione scientiæ. Respondeo eatenus subalternatam esse scientiam, quatenus habens eam potest habere euidentiam principiorum, quæ traduntur in subalternante. Quod si non valeat resoluere, sed tantùm testimonio alicuius innitatur, haud erit verè sciens, nec habitus eius erit propriè scientia, vt inferius monstrabo.

16. Oppones secundò, Theologia nostra est verè scientia, tametsi sit ineuidens, & procedat ex principiis Fidei catholicæ, quæ sunt ineuidentia: non ergo euidentia spectat ad essentialem rationem scientiæ. Respondeo negando Theologiam nostram esse propriè, & strictè scientiam, quàm Nostrates vocant *de primo Post.* vt latè prosequutus sum *Tract. 1. summa Theologica* Scotus *in prolog. quæst.* 4. Restaret nunc agendum de vnitate scientiæ: Verùm quoniam commodè intelligi potest ex dictis de vnitate Logicæ *lib. 1. quæst. 7. art. 4.* Propterea his supersedendum censeo.

ARTICVLVS IV.

An diuisio Scientiæ in practicam, & speculatiuam sit essentialis.

17. Gotfredus de Fontibus, Nominales, & Thomistæ non pauci citati a Fabro *quæst. 4. prol. disp. 9 cap 6* putant scientiæ partitionem in practicam, & speculatiuam esse accidentalem, ita vt vna, & eadem scientia esse valeat simul practica, & speculatiua. Huiusmodi esse Theologiam, Medicinam, & Logicam asseuerant nonnulli, quos recenset, & defendit Suarez *disp 44. Met. sect. 13. numero* 54. Et enixè patrocinatur Ferchius *1. vest 9.* Quibus sese opponunt Scotus, & cum eo omnes Scotistæ *quæst. 4. Prol. §. Ad 2. quæst. E E.* Complut. Didacus *disp. 1. quæst. 6.* aliique complures existimantes præfatam diuisionem esse essentialem, & quidditatiuam, datam scilicet per differentias essentiales, & quidditatiuas. Pro huius difficultatis declaratione, & decisione.

18. Recognoscenda, & rememoranda sunt, quæ copiosè pertractaui *lib. 1. quæst. 2. & Tract. 1. summa Theologica* Potissimùm autem *hoc loco* aduertimus ex Doctore tum *quæst. præcit.* tum etiam *dist. 28. quæst. vn. prima, §. Quamuis*: habitum practicum dupliciter vsurpari, aut pro duplici respectu aptitudinali prioritatis naturalis, & conformitatis, aut pro ratione intrinseca ipsi habitui, quæ est fundamentum illius duplicis respectus. Speculatiuum verò bifariam etiam posse accipi, aut pro carentia eius duplicis respectus prænominati, aut pro ratione intrinseca, & essentiali constitutiua scientiæ speculatiuæ, ex qua consequitur, & consurgit negatio illius duplicis respectus, veluti eius passio. Itaque scientia speculatiua expers est præfati duplicis respectus, prioritatis naturalis, & conformitatis; practica verò illo potitur, diciturque practica per denominationem ad praxim, quæ propriissimè sumpta est actus voluntatis naturaliter posterior actu intellectus, cui conformari debet, vt abundè *in passu alleg.* explanaui.

19. Assertio prima, si practicum sumatur pro gemino respectu prærecensito, & speculatiuum pro carentia vtriusque dicti respectus, prælata diuisio scientiæ non est essentialis. Deducitur ex Doctore *in prol. quæst. citata. §. Ex hoc D.* Probatur primò, diuersorum generum non subalternatim positorum diuersæ sunt differentiæ, *ex canone antepradicamentali*: Scientia autem est de genere qualitatis, vt patet ex eius serie tradita *in Epitome lib. 1. quæst. 4. art. 7.* Duplicatus verò respectus memoratus est de genere relationis: ergo practicum, & speculatiuum non sunt differentiæ scientiæ essentiales. Secundò, nullum relatiuum ingreditur essentiam absoluti, cùm sint membra entis opposita: scientia autem est de genere absolutorum, cùm sit qualitas, quæ est ens absolutum: practicum verò primo modo acceptum est quid relatiuum, & speculatiuum expers est duplicatæ relationis prænarratæ: igitur sic acceptis practico, & speculatiuo, talis scientiæ partitio haud est quidditatiua. Dici autem possunt passiones disiunctæ scientiæ, veluti par, & impar sunt passiones numeri, vt scribit Doctor *vbi supra*, quem sequitur Mayr. *ibidem.*

20. Assertio secunda, practicum, & speculatiuum sumpta secundo modo extant differentiæ scientiæ essentiales. Ità Scot. *loco in antecedente assertione memorato §. Ad 2. quæst. E E.* Probatur primò ex Aristotele *6. Met. cap. 1. & 6. Eth. cap. 1.* necnon *1. Magnorum moralium cap. 13.* & inde diuidente scientiam in practicam, & speculatiuam, penes diuisionem, & distinctionem obiectorum extrinsecam, quæ arguit distinctionem intrinsecam, & essentialem scientiarum, vt contra Vasquez *1. p. disp. 9.* argumentantur duo nostri Iuniores *disp. 12. quæst. 5. art. 3.* Secundò, omne genus subalternum scinditur in differentias essentiales, vt liquet de corpore, & viuente in Arbore Porph. scientia autem est genus subalternum, vt intueri licet, in syllabo Qualitatis, à me adducto, *loco citato in Epit.* Et non apparent aliæ differentiæ eius essentiales, præter rationes speculabiles, & practicabiles. Sunt ergo, istæ rationes differentiæ essentiales, & quidditatiuæ. Amplius, quæ constituunt distinctas species, sunt differentiæ essentiales: rationes autem practicæ, & speculatiuæ constituunt distinctas species scientiæ, ergo sunt eius differentiæ essentiales. Ma. nota est, de rationali, & irrationali, quæ constituunt hominem, & brutum. Min. quoque est in promptu de Physica, & Ethica, quæ sunt species scientiæ distinctæ, vnaque est speculatiua, & altera practica. Ex his euidenter colligitur, non dari scientiam mediam per participationem extremorum inter practicam, & speculatiuam, vt cum quibusdam opinatus Suarez *præcitatus numero* 53. Sed non rectè, & in multis videtur deceptus. In primis non aduertit, vnam speciem non posse participare rationem alterius speciei, sicut lapis nequit participare rationem specificam hominis. Quamuis enim homo, & lapis conueniant in communi ratione entis, & substantiæ: attamen, in ratione lapidis, & hominis, nullo modo communicant. Pariter, cùm speculatiuum, & practicum sint veluti differentiæ, respectu scientiæ in communi, aut etiam veluti species eius, probè scientia diuiditur in practicam, & speculatiuam,

latiuam, quemadmodum genus, in suis species, aut potius in suas differentias. Quocumque modo dicatur, planè deducitur, nullam scientiam posse esse simul practicam, & speculatiuam, & non segniter instatur *lib 1 quæst. 1. art. 5. dub. 2. assert. 2.* Eò magis, per Suarez *ibidem*, illa diuisio, in practicam, & speculatiuam, est simpliciter sufficiens, ergo non est admittenda alia scientia media per participationem vtriusque. Vnde Arist. diuidens scientiam generatim sumptam, duo eius membra affert duntaxat, quæ sunt practicum, & speculatiuum. Quod si concedatur scientia media, iam è illa partitio manca, & diminuta foret. Denuò secundum eumdem Suarez *num. 43.* practicum, & speculatiuum sunt differentiæ essentiales, quæ faciunt differre essentialiter vnam scientiam ab alia: vnus autem, idemque habitus participare nequit duas differentias essentiales, essentialiter ab inuicem distinctas, vt de rationalitate, & irrationalitate, respectu hominis, loco allegato ostendi. Quare, nulla inuenitur scientia, quæ medier inter practicam, & speculatiuam.

Dices, cum Suarez, posse duas scientias in hoc conuenire, quod vtraque agat de re operabili, vt sic, differre verò, quia vna agit adæquatè de re operabili, alia verò non adæquatè, sed superiori, & vniuersaliori modo. Itaque practicum sumi potest vel vt abstrahit ab adæquato, & inadæquato, & vt sic est tantùm differentia subalterna, vel vt definitur, & limitatur, ad habitum adæquatè practicum, sicque est differentia vltima, & idem proportionaliter dicendum est de speculatiuo. Quamobrem, illæ differentiæ non causant diuersitatem essentialem, nisi vt vltimæ sunt, & hoc modo, nunquam coniunguntur, in eodem habitu: vt autem sunt subalternæ, possunt coniungi, quia eadem res potest habere differentias subalternas, ac proindè idem habitus potest esse simul practicus, & speculatiuus.

Contrà, omnis scientia tertur ad speculationem, vel praxim. Finis enim speculatiuæ est veritatis contemplatio, practicæ verò opus, 2. *Met. cap. 1.* Quamuis autem in scientia practica, extent nonnulla principia, quæ videntur esse speculatiua; tamen reuera non sunt speculatiua, sed practica, quia tendunt ad praxim mediatè, aut immediatè, formaliter, aut virtualiter. Ideóque tota scientia est practica. Id verò, quod dictus Suarez subdit, practicum præscindere ab habitu adæquatè, vel inadæquatè practico, vel speculatiuo falsum est. Nam, aut illud est primum genus in ratione practici, vel specolatiui, aut non. Si primum, ergo nec est practicum, nec speculatiuum formaliter, quia ab vtroque abstrahit, sicut ens præcisè sumptum, nec est finitum, nec infinitum, nec creatum, nec increatum. Impossibile autem est, vt sit aliqua scientia, quæ constituatur sub genere practici, & speculatiui, & sit practica, & speculatiua simul; sicut impossibile est, vt ens creatum, sit quoque increatum, cùm sub ente in communi contineatur. Rursus, falsum est asserere, practicum, provt includit differentiam essentialem distinctam à speculatiuo, esse differentiam vltimam, quia sub vno genere scientiæ formaliter practicæ, aut speculatiuæ, plures comprehenduntur species, vt patet ex Doctore *3. distinct. 34. quæst. 5.* Deindè, ratio inadæquata alicuius rei non constituit genus subalternum. Quodlibet quippè genus, siue subalternum, siue infimum habet propriam rationem adæquatam, secundum suum esse, vt corpus, quod est genus, in ratione corporis est adæquatum: igitur, ratio illa adæquati, vel inadæquati habitur, impertinens est, vt habitus sit simul practicus, & speculatiuus. Insuper, duo contradictoria simul vni, eidemque nequeunt conuenire; practicum autem, & speculatiuum videntur esse duo contradictoria. Siquidem, speculatiuum ad opus non extenditur, practicum verò ad opus extenditur, vt patet *3. anima cap. 10. & 2. Met. passu præalleg.*

Dices, id verum esse de habitu adæquatè practico, aut adæquatè speculatiuo: non autem de habitu, qui inadæquatè est practicus, & inadæquatè speculatiuus, diuerso respectu & consideratione.

Contrà, quicumque habitus ille sit, vel ordinatur, ad opus, vel non, si primum, est simpliciter practicus. Si secundum; est formaliter speculatiuus. Non ergo inter vtrumque interuenit vllus medius habitus, vt subinfert Doctor *in prol. citato, §. Quarta via sub M.* siue per extremorum participationem, vt hactenùs probaui, siue per extremorum abnegationem, vt mordicùs tenet Ferch. *vestig. 9. num. 17.* In quem acriter inuehuntur indiuisi Scotistæ prænominati Enimverò Arist. sæpe diuidit scientiam, in speculatiuam, & practicam duntaxat, vt 6. *Eth. cap. 1. Et 2. Met. T. 1. Et 6. eiusdem operis, cap. 1.* aliisque locis Ratio est, ex eodem Philosopho 1. *Met. cap. 2. T. 27.* omnis scientia, aut est gratia sui, aut gratia operis. Itemque ex Scot. *in prol. citato*, omnis habitus scientificus, aut extenditur ad praxim, aut non extenditur ad praxim. Addo, *ex 3. anima T. 49. Et 6. Eth. 2.* omnis intellectus aut est practicus, aut speculatiuus. Non ergo inuenitur medium per abnegationem extremorum, inter practicum, & speculatiuum.

Nec vos conturbet, nec timorem incutiat instantia Ferch. ex Aristot. sæpè vtente diuisione trimembri scientiæ, in speculatiuam, actiuam, & factiuam, vt 8. *Top. cap. 1.* Et 6. *Met. 1. & 11. eiusdem operis cap 1.* Licet enim practicũ angustissimè captum, apud Arist. & Græcos omnes, vt patet in Lexicon. perindè sit ac actiuum, & ostendunt loca Philosophi addocta à Ferch. *vbi suprà*, à quo Scotistarum nemo deflectit, recipientium definitionem paxis proprissimè captæ, quæ ex dictis, est operatio voluntatis: nihilominus, negari non potest, quin practicum vsurpetur pro operatione præscindente ab actiua, & factiua. Profero textum Arist (quem summoperè cupit Ferch *num. 12. cap. 3.* illudens Vasquez *disp. 8. cap 5.* qui pro tex. Philosophi, affert testimonium Greg *quæst. 5 prol.*) 1. *Met. c. 1.* *αἱ δὲ πράξεις δὲ αἱ γενέσεις πᾶσαι, περὶ τὸ καθέκαστόν εἰσιν.* Vbi Fons. transfert, actiones verò, generationes quæ omnes in singularibus versantur. Scot. eiusque alumni legunt, actiones sunt singularium. Thomistæ verò, *actiones sunt suppositorum* Patet autem ibi, praxim abstrahere ab actione, & factione, cum singularium quædam actionem, quædam verò factionem promant. Et paucis interiectis, idem Arist. manibus laborantes vocat *πρακτικούς*. Palam est ergo, etiam apud Peripateticorum ducem nomen practicum fundi, ad actiuum, & factiuum. Et sanè, non incongruè, cùm id ex eius notione deducatur. Addo 2. *Met. cap. 1. T. 3.* contemplatricis finis veritas est, *πρακτικῆς δ᾽ ἔργον*. idest, practicæ autem opus. Deindè subiicit. Etsi practici considerant. Græcè legitur, *πρακτικοί*. Nec videtur esse potior ratio de speculatiuo, quod de omnibus scientiis speculatiuis enuntiatur, quàm de practico, quod commune quoque debet esse scientiis practicis, in quod improuidè videtur cadere prædictus Ferch. *cap. 4. ante num. 17.* Prætereà *vestig 2. num 19. ex 7 pol. 2.* aliisque locis aduertit, speculationem dici actionem, & operationem, siue praxim, virosque speculatiuos appellat actuosos, si hoc ergo conceditur ipsi Ferch. cur nobis, non licebit, ex eodem Stagir. citato scientias actiuas, & factiuas nuncupare practicas? Rursus, idem Author *cap. 3. vestig 9. num. 11.* planè fatetur, nomina esse vsurpanda, ex vsu Arist. & aliorum insignium virorum: cùm igitur Arist. & communiter cæteri Philosophi, præadductis nominibus vsi fuerint, reprehendendi non sunt, qui eisdem vocibus vtuntur, in Schola Peripatetica. Deinceps, quamuis actio presè

sumpta non sit factio 6 *Eth.*4. Nam actio est Πρᾶξις græce: & factio est Ποίησις: tamen, vtrumque vocabulum aliquando Philosophus confundit, & valde ambigue loquitur de eis, vt obseruat Suarez *disp.*44. *Met sect.*13. *num* 28. Quare vsus inualuit, apud omnes vt practicum comprehendat actiuum,& factiuum, & in ea distribuatur, veluti operatio communis est actioni,& factioni,& in eas dispertitur,notante Tatar. 6 *Eth. quæst.*2. Ampliùs,Diogenes in vita Arist refert, duplicem esse rationem Philosophiæ, alteram versari, circà actus, appellatiq; Π *ρακτικὴν*, alteram in intelligentia,& speculatione consistere,& *θεωρητικὴν* dici.Iterum, Dialectica quidem pro Topica,& Logica pro Analytica accipiuntur, tamen Philosophorum Recentium vulgus, vtrumque nomen aptè, pro tota differendi doctrina vsurpare,euidenter ostendi *lib.*1.*q.*1. Prætetea, Arist. *c. de qualitate*, dispositionem facit communem habitui,& dispositioni,ab ipso habitu differenti. Et 3. *phys. cap* 2. *T.*6. motum definit,qui mutationis, & motus continui est genus; Atque motus absolutè,pro ipso motu continuo,præsertim locali,accipitur,vt ibi obseruaui. Non ergo tanta est religio, in vocabuli acceptione, vt practicum adaptari non valeat tam actiuo, quàm factiuo. Eò magis, quia vt monet Scot. 3. *distinct.*6. *quæst.*1. §. *Concedo sub D.* ex Aug. 5. Trin. *cap.*7. *Et* 1. *Retract. cap.*15. Quando res constat, non est vis facienda in nomine. Idem 2. *contrà Crescon. cap.*2. cum de re constat, non est laborandum de nomine. Fauet Tullius relatus ab August. *lib.*1. *contra dictum Crescon. cap.*11. *Et* 8. *Ciuit. cap* 5. Verbi controuersia iamdiu torquet homines Græculus, contentionis cupidiores, quàm veritatis. Denique monet Bartolus in *lib. de nomine*, §. *Plurimum.* In quæstionibus de nomine, communis opinio facit veritatem. Ob id Doctor 1. *dist.*8. *quæst.*1. iure instantiam de nomine vocat puerilem.

Oppones primò, sicut se habent affirmatio,& negatio: ita speculatiuum, & practicum: Negatio autem, & affirmatio non sunt differentiæ essentiales scientiæ. Paritas maioris est in confesso, siquidem, practicum affirmat duplicem respectum,iam præexplicatum in esse scientiæ:speculatiuum verò negat huiusmodi duplicem respectum. Respondeo hoc argumentum valere de practico, & speculatiuo primo modo, non autem secundo modo captis. Idque,quoquo modo declarari potest per diuisionem enuntiationis, in affirmatiuam, & negatiuam, necnon per differentias,rationalis, & irrationalis, quarum prior affirmationem, posterior verò negationem præsefert. Nomine quippè negationis, positiua, & realis entitas subintelligitur, pro qua subrogatur negatio.

Oppones secundò, extendi & non extendi ad praxim sunt contradictoria, vt suprà arguebam, quorum vnum negat aliud, ideò nequeunt esse oppositæ differentiæ reales positiuæ. Practica autem scientia extenditur ad praxim, & speculatiua non extenditur ad praxim: igitur practicum, & speculatiuum non sunt differentiæ scientiæ essentiales. Distinguo ma. si non extendi ad praxim accipiatur pro pura negatione extensionis ad opus, concedo: quod si sumatur, sicut in re nostra accipitur, pro positiua entitate significata per negationem, vt in solutione præcedentis oppositionis explicabam, nego.

Oppones tertiò, practicum, & speculatiuum sunt differentiæ intellectus accidentales. Idem quippè intellectus est simul practicus, & speculatiuus, per habitum practicum, & speculatiuum in ipso receptos: ergo pariter practicum, & speculatiuum sunt differentiæ scientiæ accidentales. Concedo ant. nego consequentiam. Causa disparitatis est, quia intellectus est omnium scientiarum subiectum inhæsionis, propterea rationes speculabiles, & practicabiles sunt ei accidentales. Verùm, cùm scientia sit genus subalternum qualitatis, sortitur rationes speculabiles, & practicabiles, tanquam differentias essentiales, in quas diuiditur.

Articvlvs V.

An scientia dicatur practica vel speculatiua, a fine, vel ab obiecto.

In præsentia nullum extat dubium de esse intrinseco, & formali scientiæ practicæ, aut speculatiuæ; pro comperto enim habetur apud omnes, scientiam esse practicam, aut speculatiuam, per suam propriam, intrinsecam, & quidditatiuam rationem speculabilem, aut practicabilem, vt docet Scoto *quæstione quarta, prol. articulo quarto*, §. *Contra istud GG.* Sed de esse extrinseco, & effectiuo, à quo nimirum scientia primariò, efficiatur practica, vel speculatiua, à fine, an verò ab obiecto? Qua in re Gotfredus *quol.*10. *quæst.*11. asserit actum, & habitum esse practicos ab obiecto, intellectum verò a fine. Henr. *quol* 8. *quæst.*1. Greg. *in Prol. quæst.*5. *art.*3. & alij autumant, actum habitum, & intellectum esse practicos à fine ad quem extenduntur, qui est ipsa praxis. Scotus autem *quæst.*4 *prol.* Faber *ibidem.* Vigerius, & alij Scotistæ *in eodem loco*, huiusmodi differentias habitus practici, vel speculatiui ab obiecto, intellectus verò ab actu, & habitu practicis, vel speculatiuis in eo receptis depromunt.

26. Not. 1. scientiam ab intellectu,& obiecto gigni, vt scripsi in *lib. de anima*, & *Tract. de cognoscibilitate Dei disp.*2. Sunt namque duæ causæ partiales eius, vnam totalem integrantes, & constituentes, tametsi vna sit magis præcipua alterà. nempe intellectus, qui cum sit causa vniuersalis, ab eo scientia non specificatur,sed ab obiecto,de quo est scientia vt patet de Deo, & sole, qui cum sint causæ vniuersales,res ab eis productæ haud specificantur, sed à causa inferiori, & particulari ad effectum communem coagente cum causis vniuersalibus, vt fusè monstraui *lib. de causis quæst.*3. Quapropter obiectum particulariter concurrit ad scientiam producendam, ab eóque denominatur, & specificatur, vt scientia de corpore naturali dicitur naturalis, & scientia de Deo perhibetur diuina. Obseruo prætereà, hic sermonem esse de obiecto formali, non autem de obiecto materiali, circà quod plures laborant scientiæ, vt ait Algazel *lib.*1. *cap.*1. & monui *lib.*1. *quæst.*3. *artic.*1.

27. Not. 2. ex 1. *T.*35. *de anima*, finem esse duplicem, finem cuius seu gratia cuius aliquid fit,& finem cui, mediante quo aliquid fit. Primus est obiectum, quod per operationem attingitur, vt Deus, quem Beati visione, & fruitione attingunt. Secundus est operatio, qua obiectum attingitur, putà visio,& fruitio, qua Beati vident, & fruuntur Deo. Solet quoque finis diuidi in finem scientiæ, ad quem suapte natura scientia tendit, vt finis Metaphysicæ est speculatio entis vniuersè sumpti. & finem addiscentis, quem sibi proponit, qui scientiam aliquam addiscit, vt honorem, lucrum, aut aliquid aliud. Quidam autem, quos citat Suarez *vbi supra num.*32. Putant vtrumque finem necessarium esse ad rationem habitus practici, sed non bene: siquidem, vt arguunt Och. *quæst.*4 *prol. art.*2. Gabriel *ibidem, quæst.*11. & Greg. *quæst.*5. hoc modo practicum,& speculatiuum forent in scientia sola denominatio extrinseca à voluntate scientis proueniens; ac proindè sola mutatione intentionis scientis idem habitus, ex practico, fieret speculatiuus,& è contrà. Aduerte insuper, finem scientiæ non esse causam, nisi quatenus

amatum,

amatum, & desideratum, propter quem mouetur efficiens ad agendum.

28. Assertio prima, actus, & habitus non sunt practici penes extensionem ad praxim tanquam ad finem. Probatur primò: si propter extensionem ad praxim, tanquam ad finem actus, & habitus forent practici, aut propter extensionem actualem, aut aptitudinalem: non primū, alioqui artifex actu non operans non haberet notitiam practicam: nec secundū, quia aptitudo non competit alicui naturæ, & alteri repugnat, nisi propter aliquod intrinsecum in tali natura; ideò hæc natura est talis, & sibi competit talis aptitudo; non ergo ob extensionem aptitudinalem actus, & habitus censendi sunt practici. Secundò, si à fine habitus est practicus, vel à fine in re habito, vel à fine cognito, & amato. Nō primū, quia finis in re est vltimus, & posterior habitu, prius autem non habet esse à posteriori: nec secundū, siue enim finis sit concupitus, & amatus, siue non, plerique habent notitiam practicam harum propositionum, videlicet, *caste viuendum est, proximus est diligendus*, qui tamen nec castè volunt viuere, nec proximum diligere. Denuò, potest quispiam discere Architecturam, eámque optimè callere, tametsi eam exercere nolit, quod est finis Architecturæ. Tertiò, si habitus esset à fine practicus, Moralis non foret practica, quia secundum Aristotelem, finis Moralis Philosophiæ non est praxis, sed speculatio substantiarum abstractarum, in qua hominis felicitatem consistere imaginatur idem Philosophus. Pro certo autem apud omnes est, Ethicam esse practicam; atqueadeò à fine scientia non est practica.

29. Assertio secunda, habitus non est practicus ab actu proprio tanquam à causa prima, & originaria. Hanc innuit Doctor *citato*, §. *Concedo G.* Probatur, actus non est practicus à se, sed ab alio, putà ab obiecto practico, vt patet ex dictis: quod autē de se practicum non est, nequit esse alteri ratio essendi practicum: ergo habitus per actum primariò non est practicus.

30. Assertio tertia, habitus, & actus statuuntur practici ab obiecto, circa quod versantur. Sequitur ex duabus antecedentibus, quam explicitè tenent Doct. *vbi suprà*, & Antonius Andreas *6. Met. quæst.* 1. Probatur primò, ex 6. *Eth. cap.* 1. vbi Aristoteles distinguit ratiocinatiuum à scientifico, penes obiectum necessarium, & contingens. Et 3. *de anima T.* 51. assignat obiectum practicum non quodcumque, sed agibile, & contingens. Et 1. *Magnorum Mor. cap.* 33. ergo secundum Aristotelem scientia est per se practica ab obiecto. Secundò, à quo scientia habet duplicem respectum prioritatis, & conformitatis est practica ab eo: ab obiecto autem scientia practica habet illum duplicem respectum: ergo ab obiecto est practica. Ma. constat ex dictis. Min. est in promptu, scientia practica habet respectum prioritatis, nedum ratione potentiarum naturaliter ordinatarum, quatenùs intellectus est prior naturaliter voluntate, & praxis est actus elicitus, aut imperatus: verumetiam ab obiecto, quod præcedit notitiam practicam, veluti causa præit suum effectum; ipsaque cognitio practica præit praxim, veluti regula suum regulatum. Item sortitur respectum conformitatis ab obiecto, quia obiectum vel est rectitudo praxis, vel aliquid virtualiter includens ipsam rectitudinem. Ideò namque ipsi scientiæ practicæ est praxis conformabilis, vt sit recta, quia scientia practica est de tali obiecto.

31. Assertio quarta, intellectus perhibetur practicus demonstratione ab actu, & habitu practicis in ipso inhærentibus. Ita Scotus *citatus*, §. *Ad rationes sub E E.* Facilèque suadetur: in intellectu resident actus, & habitus practici, veluti in papyro inhærent albedo, aliique colores: ergo sicut papyrus denominatur alba, & colorata per colores in ipsa receptos: pariter intellectus dicitur practicus, vel speculatiuus per actus, & habitus practicos, vel per actus, & habitus speculatiuos in eomet inhærentes.

32. Oppones primò, Aristoteles 1. *Met. cap.* 1. *& 5. Met. cap.* 1. *& 6. eiusdem operis*, scribit, finis speculatiuæ est veritas practicæ verò est opus. Confirmatur *ex 3. de anima T.* 49. Intellectus speculatiuus, & practicus differunt fine. Et 6. *Eth. cap.* 9. Bonum intellectus practici est confessè se habere appetitui recto. Respondeo cum Scoto citato, §. *Ad argum.* 1. *quæst. sub DD.* exponendo Aristotelem hoc modo, si finis sumatur non in ratione finis, sed in ratione obiecti, concedo habitum esse practicum, vel speculatiuum à fine: quod si accipiatur in ratione finis, nego habitum esse practicum, vel speculatiuum à fine, nisi manifestatiuè, & à posteriori. Licet autem speculatiua, & practica scientiæ sortiantur diuersos fines; attamen hi fines non primò distinguunt ipsas scientias, sed prior distinctio earundem petitur penes obiecta. Ad conf. dico cum eodem Doctore §. *Ad rationes E E.* intellectum speculatiuum, & practicum non impendere operam suam, circà idem obiectum formale, nec intellectum speculatiuum quacumque extensione effici practicum. Siquidem Aristoteles tres gradus intellectus statuit, quorum primum est considerare tantum speculabilia. Secundum est considerare agibilia in vniuersali absque dictamine de prosequutione, aut eorum fuga. Tertium est capere media in particulari ad finem assequendum, aut fugiendum. Intellectus ergo existens in secundo gradu, in quo est imperfectè practicus, extendit se ad tertium, & fit perfectè practicus, dictando prosequutionem, aut fugam finis, itavt illa extensiu sit intellectus imperfectè practici ad considerationem perfectè practicam. Etsi intellectus speculatiuus euadere possit practicus, eo modo, quo nunc explicabam: non idem tamen astruendum est de habitu, quandoquidem practicum, & speculatiuum, respectu intellectus sunt differentiæ accidentales. Verùm respectu habitus sunt differentiæ essentiales. Ad aliud de 6. *Eth.* dico Aristotelem ibi verba facere non de fine in re posito, sed de fine cognito, qui reciprocatur cum obiecto operabili. Vel ibi ostendere discrimen à posteriori inter habitum speculatiuum, & practicum.

33. Oppones secundò, scientia non vocatur practica ab obiecto: ergo à fine, consequentia tenet. Ant. probatur circà idem obiectum versari potest habitus practicus, & speculatiuus. Medicina namque diuiditur in speculatiuam, & practicam, quæ laborat circà idem obiectum, vtpotè corpus sanabile. Conf. principia practica depromuntur à fine in re posito: ergo habitus est practicus penes finem. Nego ant. ad eius probationem dico, Medicinam esse absolutè, & simpliciter practicam; licet comparatiuè, & secundum quid dici queat speculatiua, vt copiosè explanaui *libro primo, quæstione secunda, articulo quinto dub.* 2. *not.* 3. Ad conf. dico valere de fine, quatenùs habet rationem obiecti: non autem de fine, quatenùs sortitur rationem distinctam ab obiecto, vt suprà notum feci.

34. Oppones tertiò, Ratio quidditatiua desumitur à causis eius per se, à quibus habet esse per se, & essentialiter: finis autem per se notitiæ practicæ, est per se causa eius: igitur ratio quidditatiua notitiæ practicæ decerpitur à per se fine eius, qui est opus, siue praxis. Conf. primò, practica notitia est illa, quæ conformiter se habet appetitui recto, *ex 6. Eth. cap.* 5. appetitus autem rectus est appetitus finis vt intenti, & amari: ergo ratio notitiæ practicæ accipitur ex appetitu recto, tanquam ex regula. Conf. secundò, actus practicus dicitur bonus, vel malus moraliter: bonitas autem vel malitia potissimùm insunt actui, ex circum-

ſtantia finis. Igitur à fine habitus eſt practicus. Reſp. conceſſa ma. diſtinguendo min. de fine quo nego: de fine qui concedo: hic enim cauſat notitiam practicam, habetque rationem obiecti. Ad primam conf. explico locum illum, practica notitia ſe habet ad appetitum rerum conformiter paſſiuè, nego: actiuè, concedo: habet enim rationem dirigentis, & regulantis, non verò directi, & regulati, vt ex dictis liquidò conſtat. Ad ſecundam conf. concedo ma. nego min. vt enim ait Scotus allegatus *ſub E E.* actus primò eſt bonus ex obiecto, ſecundò verò ex fine, vt amare Deum eſt ſimpliciter bonum abſque aliis circumſtantiis. Quare non à fine vt finis eſt primò deſumitur bonitas actus moralis, niſi quatenus cum obiecto coincidit, vt ſatis in ſuperioribus manet explanatum.

Articvlvs VI.

An diuiſio trimembris ſcientiæ ſit legitima.

35. CVm ex Ariſtotele 1. *Poſt. T.* 43. *&* 3. *de anima T.* 38. *&* 1. *Magn. Mor. cap.* 33. Scientiarum diuiſio penes res, ſiue obiecta deſumatur, earumque origo ex eodem Authore ſit a ſenſu, totidem conſequenter numerandæ ſunt ſcientiæ præcipuæ, via ſenſus acquiſitæ, quot ſunt res, & obiecta primaria, vt diligenter obſeruant Scotiſtæ, cum Scot. 6. *Met. q.* 1.

36. Aſſertio, ſcientiæ ſpeculatiuæ partitio in phyſicā, Math. & Met. eſt idonea, & ſufficiens Hanc tradunt Ariſtoteles 6. *Met. cap.* 1. Scotus *ibidem, &* 3. *diſt.* 34. *quæſt. vn.* §. *Notandum D.* Probatur, tot ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ primariæ, quot obiecta ſpeculabilia primaria: tria autem ſunt tantum obiecta ſpeculabilia primaria: ergo tres ſunt tantum ſcientiæ ſpeculatiuæ primariæ præenumeratæ. Ma. liquet ex aſſerto Ariſt. *in principio huius art.* allato. Min. oſtenditur, primum quod nobis occurrit ſpeculandum eſt ens, iuxtà illud Auic. 1. *cap* 5. *Ens, & res prima impreſſione nobis imprimuntur,* & de ente, cum cæteris tranſcendentibus prædicatis, & quidditatibus rerum communibus eſt Metaphyſica. Ens ſubſequitur potiſſimùm ſubſtantia, quæ ſcinditur in incorpoream, & corpoream. Quia verò ſubſtantia incorporea penes prædicata communia ſolùm à nobis cognoſcitur: ideò de ea in nobis non gignitur peculiaris, & diſtincta ſcientia ab aliis: ſed eius conſideratio quoque ſpectat ad Met. tanquam ſcientiam generalem, & vniuerſalem. Subſtantia verò corporea bifariam inſpectari poteſt, vel quatenùs afficitur quantitate, & de hac conſtituitur Mathematica: ſcribente Scot. 6. *Met. citato,* §. *Sed hæc ratio,* vel quatenùs eſt principium motus, & de ipſa extat Phyſica. Ergo, cum non ſuperſit aliud obiectum primarium ſpeculabile ab illis tribus recenſitis diſtinctum, de quo habeatur alia ſcientia, clare euincitur, præallatam ſcientiæ diſtributionem eſſe legitimam, & ſufficientem.

37. Oppones primò, præter trinum obiectum theoricum prærecenſitum datur aliud obiectum ſpeculabile, puta modus ſciendi, qui ex dictis *lib.* 1. *quæſt.* 3. eſt obiectum Logicæ, quam inter ſcientias ſpeculatiuas retuli *ibidem, quæſt.* 2. *dub.* 1. *art.* 5. Manca eſt igitur, & illegitima præadducta diuiſio ſcientiæ ſpeculatiuæ. Reſpondent Alex. 1. *Priorum,* Philop. *ibid.* Themiſt. 1. *Poſt. c.* 2. & Pariſienſ. 1. *Phyſ. quæſt.* 2. huiuſmodi diuiſionem traditam eſſe de ſcientia ſpeculatiua reali: non autem de rationali, qualis eſt Logica. Vel de ſcientia ſpeculatiua principali: non vero de inſtrumentali, veluti eſt Logica.

38. Oppones ſecundò, de ſubſtantia corporea habetur vna ſcientia contemplatiua, quæ eſt phyſ. ergo de ſubſtantia incorporea conſtituenda eſt altera ſcientia ſpeculatiua proindéque quatuor ſaltem ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ. Reſp. datam jam à nobis eſſe cauſam, cur de ſubſtantia incorporea non ſit peculiaris ſcientia ſpeculatiua à tribus praenumeratis diſtincta, videlicet, propter illam trinam diuiſionem inuentam, & aſſignatā, via, & miniſterio ſenſus: quo pacto, notitiam ſubſtantiæ incorporeæ venari nequimus, cùm paſſiones eius nos lateant. Ideò de ea nequaquam quarta ſcientia ſpeculatiua conceditur.

39. Oppones tertiò, ens diſtribuitur adæquatè in ſubſtantiam, & accidens: ergo ſicut de ſubſtantia corporea habetur vna ſcientia ſpeculatiua; ita de accidente corporeo, & materiali, alia ſcientia ſpeculatiua eſt ſtatuenda Conceſſo ant neganda eſt ſecunda pars conſequentis Ratio eſt, quia ſcientia eſt de concluſione, cum ſcilicet propria paſſio demonſtratur ineſſe ſubiecto. Accidens autèm, ſiue proprium, ſiue commune nequit eſſe tale ſubiectum: propterea, de eo non acquiritur vlla ſcientia ſpeculatiua à tribus relatis diſſita.

Articvlvs VII.

An vna ſcientia alteri ſubalternetur.

40 INter ſcientias, nonnullas eſſe diſparatas, nullam habitudinem, nullamve connexionem, & dependentiam adinuicem habentes vti ſunt Phyſica, & Met. quaſdam verò eſſe ſubalternas, ſiue ſubordinatas, quarum vna dependet ab alia, diſertè, & apertè docent Ariſt. 1. *Poſt. cap.* 2. Scot. *in prol. vtriuſque operis,* Oxonienſ. *quæſt.* 4. *princ. pali, &* 5. *later. Report. quæſt.* 3. *&* 3. *diſt.* 24 *quæſt.* 1. & amborum interpretes *ibidem.*

41. Not. 1. ſubalternationem nihil aliud præſeferre, penes nominis etymologiam, quàm poſitionem vnius ſcientiæ ſub alia, ſiue ſubordinationem, continentiam, ac dependentiam vnius ſcientiæ ab alia, quoad certitudinem, & euidentiam, vt inſinuat Doct. 4. *diſtinct.* 44. *quæſt.* 5. §. *Hic dicitur D* Multos autem modos, quibus ſcientiæ inter ſe ſubalternari valent, afferunt Bonet. 2. *Met. cap.* 6. & Tatar. 1. *Poſt. quæſt.* 5. *ſcibili* 4. Tres memorant Conimbr. *eo in loco, quæſt.* 7. *art.* 1. Fonſ. 4. *Met. cap.* 1. *quæſt.* 1. & Suarez *diſp.* 2. *Met. ſect.* 5. *n.* 47. Primus efficitur ratione finis, ſic ea ſcientia perhibetur alteri ſubalternari, cuius finis eſt ſub fine alterius, hæcq; illi imperat, vt in operando ſibi miniſtret, quæ ad finis conſequutionem opportuna, & neceſſaria ſunt, vt 1. *Eth. cap.* 1. Frænefactiua, Equeſtri; hæc Militari, & iſta Politicæ. Secundus ratione principiorum, cum principia inferioris probantur per ea, quæ ſunt ſuperioris, vt patet de Chirurgia, & Geometria. Tertius ratione obiecti, quo pacto, ea ſcientia alteri ſubalternatur, cuius ſubiectum ſub alterius ſubiecto comprehenditur, ab eoque eſſentialiter dependet, vt Muſica, & Arithmetica. Hæc autem eſt vera, & propria ſcientiarum ſubalternatio, de qua Scot. cit. *&* 3. *diſtinct.* 24. *quæſt. vn.* §. *Quæſtio ante A & §. Ad* 1. *ante F.*

42. Not. ſecundò, ad germanam ſcientiarum ſubalternationem, tres exigi conditiones ex Ariſtot. cit. collectas, vt notat Ouied. *contr.* 1. *puncto* 4. quarum prima eſt, vt obiectum ſubalternantis, & ſubalternatæ ſit quoquo modo idem. Cum enim ſcientiæ ab obiecto ſpecificentur: iſtæque ſcientiæ adinuicem ſubordinentur, neceſſe eſt obiectum ſubalternatæ contineatur ſub obiecto ſubalternantis, ſicque ambæ gaudeant eodem obiecto eſſentiali, accidentaliter tantùm diuerſo. Sunt namque diſtinctæ ſcientiæ habentes diſtinctas concluſiones. Principia quippè ſubalternatæ ſunt concluſiones ſubalternantis. Vnde Scot. *in prol alleg.* §. *Sed quid.* Profert illud vulgatum, vbi deſinit ſubalternans, ibi incipit ſubalternata. Secunda vt obiectum ſubalternatæ contrahatur per aliquam differentiam accidentalem, vt linea eſt ſubiectum Geometriæ: linea verò viſualis eſt ſubiectum Perſpectiuæ. Idem, numerus eſt ſubie-

ctum

ctum Arithmeticæ, numerus autem ſonorus eſt ſubiectum Muſicæ, & vt exprimit Scot. 1. *Prio.q.*2. §. *Quantum ad* 3. Et colligitur ex Ariſt. *vbi ſupra* affirmante, ſubiectum ſubalternatæ eſſe alterum à ſubiecto ſubalternantis Notaui enim, *lib.*2. *quæſt. de differentia*, ly alterum deſignare differentiam accidentalem, & aliud differentiam eſſentialem. Eò magis, ſi ſubiectum vnius ſcientiæ ſubalternæ eſſentialiter differret ab alterius ſubiecto, nullum adeſſet diſcrimen, inter ſcientias ſubalternas, & diſparatas. Quia cùm ſcientiarum diſtinctio eſſentialis ab obiectis depromatur: ſi harum obiecta eſſentialiter diſtinguerentur, veluti obiecta earum, vtique hæ, ab illis haud diſtarent. Tertia, vt ſubalternata decerpat ſua principia à ſubalternante, vt quidam declarant de Medicina, quam putant ſubalternari Phyſicę, propterèaquod ſumit ſua principia à Phyſica, puta: calida frigidis curantur. Eſt diſciplinæ medicæ vera propoſitio innixa illi aſſerto à Phyſica deprompto, contraria ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt. Cum enim, inter has ſcientias interſit dependentia, quam deſiderare ſubalternationem ſuperius aſſerui, conſequenter perhibetur, principia ſubalternatæ eſſe concluſiones ſubalternantis; atque vbi hæc deſinit, illa incipit. Authore Ariſt. *l. de ſenſu, & ſenſili Met.c.*1. Nec quiſpiam probè calleat ſubalternatam, niſi ſciat reſoluere concluſiones ipſius ſubalternatæ in principia immediata, vel mediata ſubalternantis: omnis namque certitudo, & euidentia concluſionum, ex earum principiis petitur. Vnde ſubdit Ariſt. principia veriora eſſe concluſionibus, quia illæ, propter iſta, veritate potiuntur. Qui autem ſubalternãte nõ pollet, nequit reſoluere cõcluſiones in ſua principia à quibus illæ deſumunt ſuã certitudinem, & euidentiã.

43. Aſſ. nonnullæ ſcientiæ adinuicem ſubalternantur. Ita Ariſt. 1. *Poſt c.*12. & Scot. tum 1. *Prio q.*2 § *Quantum ad* 3. tum etiam *q.*4. *prol.* & 5. *lat.* Probatur, illæ ſunt ſcientiæ ſubalternæ, quæ gaudent omnibus conditionibus requiſitis ad veram, & genuinam ſubalternationem ſcientiarum: quædã autem ſcientię ſunt huiuſmodi, ergo dantur ſciẽtiæ ſubalternæ. Ma. eſt nota. Mi. eſt in promptu, de Arithmetica, & Muſica, necnon de Geometria, & perſpectiua, quibus conditiones prænarratæ adaptãtur, quæ explicitæ fuere in 2. not. Rursùs, ſcientia generatim capta ſcinditur in diſparatam, & ſubalternam, ex Ariſt. *paſſu alleg.* quia quædam ab aliis non dependent eſſentialiter, vt Phyſ. Math. & Met. quædam verò abinuicem eſſentialiter dependent, vt paulo ante declaraui. Adde, quod Bonet. Suarez. & alij præcit. ſuadent Met. non ſibi ſubalternare reliquas ſcientias, vt planum faciam *l.* 1. *Met.q.*2.*a.*2. tum quia abſque Met. aliæ ſcientiæ acquiruntur, vt conſtat ex vſu docendi, & addiſcendi ſcientias: tum etiam quia ſubiectum cæterarum diſciplinarum non contrahitur per differentiam accidentalem. Ideò, cum ente, quod eſt ſubiectum Met. non fieri vnum per accidens. Atque reliquæ doctrinæ ſortiuntur propria principia independenter à principiis Met. proptereà illi non ſubordinantur, nec ſubalternantur.

44. Opp. 1. *ex* 6. *Met T.*4. & inde de ente per accidens non datur ſcientia; obiectum autem ſubalternatæ eſt ens per accidens, vtpotè contractum per differentiã accidentalem, vt patet *ex* 2. *not.* Igitur nulla extat ſcientiarum ſubalternatio. Diſtinguo ma. de ente per accidẽs caſuali, & fortuito, concedo: de ente per accidens, quod deſignat ſubiectum cum accidente in ipſo inhærente, ſiue vno ſiue pluribus nominibus perhibeatur, nego. Ita ex Scot. 6. *Met.* reſpondent Orbellus *ibid.c.*1. & Tatar. *eo in loco.* Idem ſentiunt Conimb. *in proœm. Phyſ q.*1. *a.*4 *ad* 3. & tangit Doct. *in Report.q.*7. *prologi.* Ratio eſt, quia ſcientiæ ſubalternę participant idem obiectum eſſentiale, & formale, tantùm ſubiecto; ſubalternatæ additur differentia accidentalis, per quam, hoc ab illo accidentaliter differt, vt lineæ, quæ eſt ſubiectum Geometriæ, adiungitur viſualitas, quæ eſt differentia accidentalis conſiderata à Perſpectiua. Siquidẽ multa probat Perſpectiua, quæ præcisè lineæ non congruunt, multaque oſtendit, non per ſolam viſualitatem, ſed per vtramque rationem, quæ eſt linea viſualis. Quare ſcientia ſubalternata eſt de ente per accidens, quia ſic poſtulat eius natura, quæ gaudet obiecto accidentaliter tantùm diſtincto ab obiecto ſubalternantis. Itaque hoc videtur eſſe proprium eius, veluti competit quantitati prædicari denominatiue de ſuis ſpeciebus, vt aduerti quæſt. de quãtitate. Atque motus cæli, eſt regularis, præterquam in circulis epiciclis, vt notaui *lib. de cælo quæſt.* 1. *art.* 10. Similiter, de 2. intentionibus, quæ prædicantur de primis, ac de illis eſſe Logicam, quæ eſt propriè ſcientia tradit Doct. 4. *d.* 1. *q.* 2. Inſuper ſubalternata non cenſetur ſciẽtia, niſi cauſetur ab obiecto ſubalternantis. Ideóque perſpectiuus non eſt ſciens, niſi ſit Geometer, vt infert Scot. 3. *Report. d.* 24. §. *Ad* 2. Denique licet obiectum ſubalternatæ ſit vnum per accidens entitate: eſt tamen vnum per ſe ordine, quod definiri, & demonſtrari, ac ſciri quit.

45. Opp. 2. Ariſt. 1. *Poſt c.*7. *T.* 20. ſcribit Muſicum, & Perſpectiuũ verſar. circa eaſdem demonſtrationes, quas Arithmeticus, & Geometra ſpeculatur: ergo non datur ſubalternatio diſtinctarum ſcientiarum: poſtmodũ, idem Philoſophus ſubiicit hoc diſcrimen, quod ſubalternans demonſtrat à priori, ſubalternata verò à poſteriori: Atq; appellat eas vniuocas, quas alij vocãt affines, & cognatas. Reſp. perperam à quibuſdam dictum tex. allegari. Tantùm quippe Ariſt. ibi aſſerit, omnem ſcientiam procedere ex propriis principiis, nec in eis effici tranſitum de genere, in genus, præterquam in ſubalternis, ob ipſarum cognationem ac dependẽtiam quam habent adinuicem. Ad aliud, quod ſubnectitur, dico Philoſophum ibi ſolùm velle, ſubalternantẽ fieri ex immediatis principiis, ſubalternatã verò ex mediatis duntaxat: propterea quòd concluſiones illius ſunt principia iſtius. Ad vltimũ dico, ab eodem Stagit. vocari vniuocas, propter ſubordinationem, & connexionem, quæ inter illas reperitur.

ARTICVLVS VIII.

An ſubalternata ſit propriè ſcientia.

46. D.Th. in *lib.* Boëtij *de Trin.q.*5.*a.*3. *ad* 5. & 1. *p. q* 1. *art.*5. Caiet & alij eiuſdẽ familię *ibid* affirmant, principia ſubalternatæ ſola fide humana teneri, quatenus habens ſcientiam ſubalternatam credit ea eſſe certa, & vera à ſcientia ſubalternante demonſtrata. Scot. autem *q* 4 *prol.* § *Ad* 2 *q.* & *in Report.q.*3. *ac in vtroque opere* 3. *d* 24. *q. vnica.* eiuſque diſcipuli *ibid* quibus ſubſcribit Bannez 1 *p q* 1 *art.*2. *dub.*2. docent huiuſmodi principia cognoſci à ſcientia ſubalternata, cognitione certa, & euidente, adeò vt habens ſubalternatam non ſit verè ſciens, niſi eorum euidentiam calleat.

47. Aſſ. 1. ſubalternata eſt verè, & propriè ſcientia à ſubalternante diſtincta. Hanc defendit Scot. *locis prænominatis* Probatur 1 ex Ariſt. 1. *Poſt.c.* 10. qui ſupponens in ſubalternata effici veras demõſtrationes per quas vera ſcientia gignitur, tantùm inueſtigat modum, quo efformantur. Cum ergo propriæ, & diſtinctæ demõſtrationes propriam, & diſtinctam ſcientiam generent: clare euincitur, per Ariſt. ſubalternatam eſſe propriè ſcientiam 2. ſubalternata eſt de concluſionibus propriè ſcitis, a concluſionibus ſubalternantis diſſitis, vt patet ex illo à me præaddncto *in præeunte art.* Vbi ſubalternata incipit, ibi ſubalternans deſinit. Iterum obiectum vtriuſque eſt ſcientificum, & quoquo modo diſtinctum, vnaque ſupponit aliam, ac dependet ab alia, vt ſuperiùs explicitum eſt, igitur ſubalternata inter alias ſciẽtias eſt numerãda.

48. Aſſ. 2. ſubalternata non eſt ſcientia, niſi nouerit principia ſubalternantis, habenſque ſubalternatam ſibi comparare quiuerit ſubalternantem. Ita Scot. *in Report. q.*3. *prol.* & *in* 3. *nuper memorato.* Probatur 1. ex Ariſt. 1. *Poſt cap.*2. ſcribente, vt quis habeat ſcientiam alicuius concluſionis demonſtratæ oportet principia ſibi eſſe

euidentia ex terminis,& indemonstrabilia:vel si demõstrabilia extiterint,sciat ea reducere ad indemõstrabilia: Qui verò hoc præstare nescit,nec demonstrationem,nec scientiam habet:principia autem subalternatæ sunt demonstrabilia per scientiam subalternantem,cùm sint eius conclusiones , ergo si nesciat, aut nequeat ea reducere, non erit vere sciens , nec subalternata vere scientia. 2. certitudo,& euidentia sunt de ratione intrinseca scientiæ,vt supra statutum est,ea Scot. 3. *Report d.* 14. *q. vn.* §. *Dico* Ergo,cum conclusio,de qua extat scientia,suam certitudinem, & euidentiam à principiis depromat,infertur, eam proprie non esse scientiam,nisi eius principia nota,& euidentia habeat,eaque resoluere valeat.

49. Opp. 1. Theologia nostra subalternatur Theologiæ Beatorum,vt astruit D.Th. 1. p. q. 1. *art.* 2. Et tamen nullam habemus euidentiam de eius principiis,cum videamus nunc in ænigmate, 1. *Cor.* 13 Ergo necesse non est,subalternata potiri,nota,& euidentia sint principia subalternantis Nego ant. cum Scot *q.* 3. *prol.* causa est, quia vtraque Theologia est de eisdem principiis ; cum hoc tamen discrimine,scilicet,Beatis principia sunt euidentia,nobis verò obscura,& ænigmatica.

50. Opp. 2. scientiarũ identitas,& diuersitas,ab identitate,& diuersitate ob ectorum petuntur,vt non semel superiùs inculcaui,subalternatæ autem,& subalternãtis idem est obiectum essentiale,ac formale,vt cõstat *ex* 2. *not.* Igitur scientiç subalternç haud distinguuntur. Concedo ma ad min. dico,quod licet vtriusq; idem sit obiectum essentiale,nihilominus obiectum subalternatæ accidentaliter differt ab obiecto subalternãtis,quod sufficit ad distinguendas scientias subalternas, & subordinatas.

ARTICVLVS IX.

An scientia possit de nouo comparari.

51. PLato 10. *de Rep.* aliisque in locis,Origenes 1. *Periarchon.c.* 7 & alij,a quibus non longe vidẽtur distare Auic.& Auer. 3. *de anima*, suspicãtur animas rationales fuisse creatas à Mundi primordio , omnibus scientiis exornatas,proindèque hoc æuo nullam de nouo in eis scientiam gigni,sed omnem scientiam esse per reminiscentiam eorum,quę antequam ipsæ animæ corporibus vnirentur,iam callebant;per vnionem verò, cùm eisdem corporibus , eorum omnium fuisse oblitas , & quasi obnubilatas,& obrutas Oppositum autem tuẽtur Arist. 1. *Post. T.* 4. Et 2 *eiusdem operis,c.vlt.* Et 1. *Met. T.* 49. Scot. 1. *Post.q.* 1. 2 & 3. *Quol.* 13. §. *Nunc ante* S. 3. *d.* 14. *q vn.* §. *Contrà infra B* Et 4. *d.* 34. *q.* 1. §. *Hic pau ò ante* G.Gadius *Quol. alleg fol.* 136. Lych. Tract. *ibid.* & cæteri Philosophi,tam Ethnici,quam Orthodoxi,præsertim Aug. 12. *Trin.cap.* 15. cum quibus sit.

52. Assi.scientia de nouo à nobis comparatur,nul'aq; rerum cognitio est nobis congenita.Ita Scot. *locis prænominatis.* Suaderi potest ex sacris litteris, Gen. 3. *Experimento didici.* Rom. 16. *Doctrinam quam vos didicistis.* 1. Corinth. 14. *vt omnes dicant.* Et Ioan 7. Iodæi audiẽtes Christum Dominum in Templo docentem , quem sciebant,Scholas non frequentasse mirabantur, dicentes. *Quomodo hic litteras scit,cum non didicerit?* Si autem rerum sciẽtiæ nobiscum connatæ essent,nec docere,nec discere oporteret,cùm iam eis potiremur. Iterum, *lib. Geneseos*, narrantur primi artium , & scientiarum inuentores,qui immeritò earum Authores, & inuentores perhiberentur,si omnes illæ ab initio Mundi extitissent. 2. si animabus nostris forent concreatæ scientię,haud nos laterent,vt arguit Stagir. *in fine* 2. *Post.* Fieri quippè nequit,vt scientem lateat se scire,cum sciẽtia sit cognitio clara, & euidens:sicut impossibile est,habere quempiã lumen sibi præsens,& obiectum debitè approximatum, omni obice sublato,non videre. Nullam autem in nobis experimur scientiam à natura nobis inditam. Immò , si quam habemus,labore, sudore,& studio acquirimus. 3. nulla forma detrimẽtum patitur,per materiæ vnionem, cum ad eam naturaliter propendeat:anima autem rationalis est forma corporis,vt sancit Conc. Later. ad Leone decimo:ergo anima rationalis à corpore non impeditur, quin opera scientiæ non exerceat:atqueadeò si à natura fruatur scientia,eius actus eliciet nec Magistro,nec studio indigeret homo, quod experientiæ pugnat. Quare, cum experimento comprobetur , omnem scientiam in nobis generari,aut per inuentionem, aut per doctrinam, cuius primi duces sunt sensus singularium perceptiui, ea quorum notitia fit experientia,deinde ex experientia generatur scientia,vt aperte tradit Arist. 2. *Post. in calce*, & 1 *Met c.* 1. Ergo,&c. minimè scientiã non esse in nobis, per reminiscentiam. Eò magis, quia fundamentum Platonicum est falsum,& erroneũ:Fides quippè Orthodoxa nos docet animam rationalem,eo tantum momẽto creari à Deo,quo corpus humanum est debitè organizatum in vtero matris,in quod ab ipso Deo infunditur, vt ex vtroque homo constituatur, & cõponatur : esseq; tunc,veluti tabulã rasam,in qua nihil est depictum, fatentur Peripatetici,cum eorum Principe, 3. *de anima* 14. Igitur naturaliter nobis nulla est insita notitia scientifica , sed ei qua pollet homo , arte , & studio sibi eam acquirit , & comparat.

53 Opp. 1 aut quispiam rem sibi propositã iam nouit aut ignorat Si nouit,non est opus,e m amplius inquirere. Si ignorat,frustra eam inquirit, cũ non noscat,quod quærit,quia licet ei obuiã fiat,adhuc se inuenisse ignorabit Nulla ergo de nouo à nobis acquiri potest scientia. Hoc dilẽma Menonis refertur,ac refellitur ab Arist 2. *Post c.* 1. & à Doct. *ibid. q.* 2. & tangitur ab codẽ 4. *d.* 45. *q.* 3. § *De* 2. *sub F.* eum quibus Respondeo,dato casu,eum nosse rem confuse, & virtualiter,quia nouit principia, in quibus virtualiter includuntur conclusiones:nescire autem distinctè,& actualiter. Inter autem ignorantiã,& scientiam mediat cognitio confusa,quam Plato non agnoscens,inficiatur scientiã acquiri posse de nouo. Arist. verò eam admittens,concedit scientiam parari à nobis de nouo,ad cuius adeptionem opus est iudicio intellectus, vt ex principiis euidenter notis,ex cognitione terminorum,conclusiones sciẽtificę deducãtur,per applicationẽ congruam præmissarum,ad ipsas conclusiones, vt rectè contra Platonẽ aduertit Scot. 1. *Post. in fine q.* 3.

54. Opp. 2. si vlla notitia rei scientifica posset à nobis de nouo cõparari, aut acquireretur sensuum interuentu: aut Magistri operamento:aut aliter effici potest:ergo omnis scientia habetur per reminiscentiam. Ma patet. Min. ostenditur quoad vtramq; partem Non sensuum ministerio,quia sensus sępe falluntur, multaq; sensum effugiunt quorum scientiam habemus:Nec Magistri industria,siquidem ad res intelligendas præter naturale lumẽ intellectus,requiruntur species intelligibiles,quas Magister in intellectum Discipuli non potest transferre,& infundere,vt arguunt Platonici,referente Scot. 1. *Post. q.* 1. §. *Ad q* Resp. vtroq;modo in nobis gigni sciẽtiam, & quidem 1 modo,ad cuius acquisitionem,satis est si per se mouiat. siue occasionaliter res fuerint in sensu. Atq; etiam 2. modo Præceptor namq; proponit Discipulo axiomata,& principia per se nota,ad quorum cognitionem sola exigitur terminorum notitia,deinde,per externa signa , sensibilia exempla ab eodem Magistro præsentata,facile mens discipuli excitatur ad res sciendas,adiuuatur,& edocetur,vt non minus Doctè,quam erudirè tradit Doct *passu nuper citato.*

ARTICVLVS X.

An scientia , & fides possint esse simul in eodem intellectu, de eodem obiecto.

55. SCientiam subalternantem , & desparatam non posse simul consistere,cum fide de eodem obiecto,in eodem intellectu,cõmunis fert Scholasticorum, opinio, 3. *d.* 24 *q vn.* Verum,scientiam subalternantem posse .

posse simul stare cum fide, de eadem re, in vno, eodémq; intellectu, tenent D. Th. 1. p. q. 1. a. 2. & aiet. & alij *ibid.* existimantes, Theologiam nostrã esse scientiã, Theologiæ Dei, & Beatorum subalternatam Scot. autem. *mox alleg* Bail. Lyen. & cæteri *ibid.* inficiantur, scientiã, siue subalternantem siue subalternatã, de eodem obiecto, in eodẽ intellectu, & fidẽ posse se cõpati. An verò Theologia nostra sit scientia, necne? Item, vtrum sit subalternata Theologiæ Dei, & Beatorum, vide quæ late scripsi *Tr. 1. summæ Theolog. disp. 2. q. 2. &* 3. Breuiter nunc perstringam, quæ opportuna, & necessaria sunt, ad propositam difficultatem dissoluendam, remittens reliqua ad proprium eorum locum prænominatum.

Not. 1. illam dubitationem posse agitari, tam de fide diuina, quam humana. Est autem fides vniuerse sumpta, assensus firmus, & determinatus testimonio fide digni fultus. Ponitur assensus tanquã genus. Additur firmus, & determinatus, ad differentiã ambiguitatis, suspicionis & opinionis. Subijciuntur reliquę vocolæ, propter sciẽtiam, quę habetur per causam propriã, & euidentẽ Cum autem testimonium, quo fulcitur fides, sit duplex, putà diuinum, & creatum, vtiq; duplex statuitur fides, diuina & creata. Fides diuina describitur, Hebr. 11 *substantia sperandarum rerum argumentũ non apparentiũ.* Hæc autẽ subdiuiditur in infusam, quæ est habitus nobis infusus a Deo, de rebus credendis: & acquisitã, quæ est habitus acquisitus in nobis, ex auditu credendorũ diuina authoritate fultus. Fides verò creata, siue Angelica, siue humana est assensus certus rei habitus, testimonio fide digni, de qua Scot *Quol.* 14. & Gadius *eo in loco.*

57. Not. 2. quãlibet fidẽ duobus inniti principijs, vnũ est, vt res credẽda ab aliquo perhibeatur: alterũ verò, vt dicens sit verax, vt cõstat ex fidei descriptione *in 1. not.* allata. Vtrumq; autem, vel est obscurũ, vt cũ vtrumque cognosco ex coniecturis: vel vtrumq; est conspicuum, vt cum audio dicentem, eiusq; dictũ est planum. vel vnũ est obscurum, aliud verò conspicuũ, vt quando res credenda constat, non tamen testificans. Notat autẽ Doct. præcit. fidem acquisitam excedere opinionẽ, quia fides firmiter adhæret vni parti: opinio autem etsi vni parti adhæreat, tamen cum formidine partis alterius Superatur autem fides à scientia, quia scientia est euidens fides verò ineuidens, & ænigmatica.

58. Ass. scẽtia, & fides, tã diuina, quã humana de eadẽ re, in eodem intellectu simul esse nequeat. Tenet Doct. *vbi sup.* Probatur ex definitione fidei tradita ab Apostolo, & à me memorata, *in 1. not.* quæ est *argumentum non apparentiũ*: scientia autem est apparentiũ. & euidẽtiũ, vt patet 1. *Post c. 2.* vel ergo res non apparent, & de ijs est fides, vel apparent, & de eisdem extat scientia, vt diuinè concludit S. Greg. *hõ in c. 20. Ioan.* Atque adeò, de eodẽ obiecto, in eodem intellectu, sciẽtia, & fides simul stare non possunt. Adde illud eiusdẽ S. Doct. ab omnibus receptũ. *Fides non habet meritum, vbi humana ratio prabet experimẽtum.* Si igitur in nobis de articulis diuinis foret scientia, nullo merito digni essemus. Fidẽ autẽ de eisdẽ habentes, meremur, imò absq; fide impossibile est placere Deo. Nõ sumus autẽ scientes arcana Dei, sed credentes duntaxat, ac proinde scientia, & fides simul in eodẽ intellectu, de eodem obiecto, se non patiuntur.

Resp. Hurt. *disp. 10. de anima, sect. 5* §. 57. & Arr. *ibid disp. 6. sect. 6. subs. 1. n. 97* post Valent. *t. 3. disp. 1. q. 1. p. 4.* distinguentes, per eamdem rationẽ formalem obiectiuã, concedũt, quia motiuũ fidei est diuina reuelatio, aut authoritas humana, aut angelica, quæ sunt obscura, & ineuidentia: per diuersam rationẽ formalem obiectiuã, negãt, quia per motiuũ scientificum, eadẽ res clara, & euidens esse potest. Contrà in primis, hi videntur transilire limites propositi thematis, aiẽtes de eodẽ obiecto materiali, penès diuersas rationes formales suam assertionẽ statuere, cum in præsentia, vt aduertũt Tatar. alijq; præcit. lis vigeat, de obiecto propinquo, & non remoto, cuiusmodi est obiectũ materiale: ac etiã de obiecto specifico, & numerico, vt indicãt Hurt. *cit.* §. 65. & Arr. *subs. 2. n.* 107. Præsertim quia, apud omnes est in cõfesso, circa idẽ obiectũ materiale, plures habitus versari, vt explicu *l. 1 q. 3. a. 1* Deinde Hurt §. 59. asserit nõ posse simul esse scientiã & fidem actualẽ. Ex cuius assertione argumentor sic. Fides actualis, & sciẽtia sũt per diuersa media, vt ipse Hurt *sup.* apertè fatetur, ob id scientia, & fides cõponi queunt. Vel ergo resp. & dist. pręallata nulla est, vel dicta Hurt assertio falsa est, sibiq; contradictoria. Nec iuuat eũ dicere, fidẽ actualem, & scientiã inuoluere contradictionẽ non sic fidẽ habitualẽ, & sciẽtiam. Etenim respõderet facilè quispiã in doctrina dictorum Recentiorũ nulla esse repugnantiã, quandoquidẽ vtraque haberetur per diuersa media Si ergo diuersitas mediorũ simultaneã existentiã fidei habitualis, cũ scientia facit possibilẽ, vtiq; fidei actualis cum scientia Quod si occurrat Hurt inquiẽs, nemo sibi potest persuadere duo contradictoria simul: at per scientiã habet obiectũ euidens, & per fidẽ, obiectum ineuidens. Euidens autẽ, & ineuidẽs sunt contradictoria. Idipsũ quoq; accidit, tã in fide actuali, quã habituali cum scientia. Absolutè ergo negandũ est fidem cum scientia componi. Præterea cõtradictio est de eodem, respectu eiusdem simul negatio, & affirmatio, vt aduertit Hurt. §. 63. ex 4. *Met T. 9.* Aliquis autem in sentẽtia eius, & aliorũ posset obuiã fieri: & dicere, nullam existere contradictionem in simultate fidei actualis, & scientiæ, quia contradictio non innititur penès diuersa media, vt nunc arguebam.

Probatur 2 idem simul nequit esse clarũ, & obscurũ, vt liquet de aere, qui aut lucidus est aut tenebricosus: per fidem autem, obiectum redditur obscurum, & per scientiam clarum, vt confirmat Doct. *alleg. ante* §. *Quæstio*, authoritate Apostoli Tarsensis 2 *Cor.* 5. *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Igitur fides, & scientia simul manere nequeunt.

Respondent prænominati Nuperi distinguẽdo ma per eumdem actum, concedunt; per diuersum actum, negãt. Inquiunt enim, claritatẽ, & obscuritatem respicere actũ, non verò intellectũ, qui est capax actus clari & obscuri. Vndè subdunt, nullam esse paritatẽ de aere lucido, & tenebroso, quandoquidẽ, obscuritas designat priuationem claritatis in eodẽ actu, non verò in eodẽ intellectu: & in hoc habetur disparitas de tenebris, quę denotant priuationẽ luminis in aere, non autem in ipsa luce. Contra idẽ Hurt. §. 59. expresse inquit, intellectus non potest simul affirmare, aut negare vno actu, vel duob. quia nõ potest sibi duo contradictoria persuadere. Ergo licet sint duo actus, quos concedit ipse Hort adhuc adest cõtradictio. Per fidem namq; affirmat obiectũ esse obscurũ, & ineuidens & per sciẽtiã negat tale obiectũ esse obscurũ, & ineuidens. Esse autẽ obscurum, & nõ obscurũ: clarũ, & non clarũ. euidens, & non euidens simul idem obiectũ, apertã includit repugnantiã, quam diuersitas mediorum vel actuũ adimere nequit Rursus, si actuũ dualitas tollit contradictionẽ, circa idẽ obiectum, in eodem subiecto, plane assensus, & dissensus de eadẽ re, in eodẽ intellectu simul sunt possibiles, quia per vnũ actũ intellectus prębet assensum, & per alterũ actum, dissensum, circa idem obiectũ, quod negãt Hurt. *disp. 7 de anima, sect. 2.* & Arr. *disp. 6. sect. 6. n.* 87. Iterũ, eadem voluntas posset velle idẽ per actum volendi, simulq; nolle per actũ nolendi, quia sunt distincti actus. Quod non concedit idẽ Arr. *vbi sup.* Igitur, ob diuersitatem actuum scientiæ, & fidei, circa idẽ obiectũ, non soluitur argumentum, præsertim quia actus clarus, & obscurus sunt oppositi, veluti lux, & tenebræ. Vt ergo lux & tenebræ simul in eodẽ aere recipi nequeũt: sic actus clarus & obscurus in eodẽ intellectu, qui est vtriusq; subiectum, & in hoc extat paritas. Vnde in patria non est actus fidei propter ipsius obscuritatem: bene verò actus scientiæ propter eius claritatem. 1. *Cor.* 13. *Tunc autẽ facie ad faciem* Et Apoc. 1. *Facies eius sicut sol lucet,* Ob id Hurt *cit.* § 73. concedit lumen gloriæ, & fidem habitualem ex natura rei repugnare.

59. Opp. 1. Idem obiectum, ab eodem intellectu simul cognosci valet, cognitione abstractiua, quæ habetur per speciem de obiectu absente: & cognitione intuitiua, quæ extat de obiecto præsente, vt scribit Scot. 2. d. 3.

q.9.§.*Ad 4 B.Et ibid.q.*8.in Beatis cōcedit cognitionē matutinā & vespertinā. Atq; 3.d.14.q.3.statuit scientiam infusā,& acquisitā,ac beatam. Cognitio autē abstractiua est obscura,intuitiua verò est clara. Non implicat ergo simul esse fidē, & scientiā in eodem,ac de eodē subiecto. Conf.Thom.Apost. de Christo Domino simul habuit fidem & scientiam,vt legitur Ioan.20. *Quia vidisti me Thoma credidisti.* Item Ioannes Euangelista vidit Christum Crucifixum,de quo extat articulus fidei.Igitur scientia, & fides inter se in eodem , & de eodem subiecto non repugnant.

Respondeo,licet vtraque notitia esse queat in eodem intellectu,non tamē simul Ratio est,quia idem non potest esse simul eidem præsens, & absens,existens,& nō existens,visum,& non visum. Ad Conf. Dico cū Scot. 3.d.14. q.vn.§ ad 1. *ante M.ex D.Greg. hom. in octaua Paschatis*,Thomā aliud vidisse,& aliud credidisse. Vidit quippè humanitatem, & credidit Diuinitatem Christi. Ob id subdit idem Apost. *Dominus meus, & Deus meus.* Sic etiam Ioan. dilectus,& alij viderunt Christum, vt hominem passum, & crediderunt vt Deum.Pariter, B. Virgo etsi pro certo nouerit se concepisse hominem, absque virili semine,tamen se concepisse Deum Hominem,per fidem. Itaque, qui viderunt Christum natum, Crucifixum,& resuscitatum,non de his,sed de aliis mysteriis fidem habuerunt:etsi illa non vidissent,habito fidei poterant eis credere,vt doctè infert Scot.*vbi suprà.*

Instabis 2.*Cor.*12.D.Paulus vidit Diuinam essentiam, déque ea habuit fidem. Non enim per talem visionem amisit habitum fidei : Ergo fides, & scientia in eodem simul consistere valent. Occurrendum est, Apostolum habuisse fidē de illis,quæ non vidit,cū talis visio fuerit transiēs,& horaria;ob id verisimile est,nō omnia vidisse,quæ credimus:sed quædā vidisse,quædā verò credidisse:propterea retinuit habitū fidei,de iis,quę nō vidit.

60. Opp.2. vnusquisque, siue peritus,siue imperitus tenetur credere Deum esse,iuxta illud Hebr.11.*oportet accedētem ad Deum,credere,quia est.* Numeratur nāque inter articulos fidei,vt patet ex Symbolis Apost.Nicę. & Athan. Imperitus autem sola fide cognoscit Deum: peritus autem Philosophus,nedum fidem, verumetiam scientiā habet de existentia Dei,vt ostendi *in Met.d.4. q.vn. & Tract.de Deo vno, disp.1.q.1.* Ergo fides potest simul cū scientia in eodē manere.Resp.accedēte sciētia, recedere fidē,veluti adueniente luce,abscedūt tenebræ. Ideò,Philosophus habens scientiam,quod Deus sit,de eius existentia nō habere fidē, sed de aliis articulis, vt quod De⁹ sit vnus,& trinus,reparator generis humani, & id genus alia, quæ sola diuina reuelatione fulciūtur.

61. Opp.3. Arist.& alij Philosophi nonnunquā post demonstrationem,quæ scientiam parit,adducunt authoritates veterum Philosophorum , quæ fidem gignunt. Igitur,fieri potest, vt fides, & scientia simul in eodem degant. Hanc rationem magni facit D. ct. illuminatus 3.d.24. q.vn.art.6. inquiens, mos fuit Philosophorum instruendi discipulos per authoritates,& dicta aliorum, deinde per rationes probabiles,& postremò,per demōstrationes. Authoritates autem fidem,rationes probabiles,opinionem, & demonstrationes, scientiam pariunt. Resp. authoritates subsequentes demonstrationem de obiecto scibili,nihil causare,in habente de eodem obiectō demonstrationem,& scientiā,veluti de medio Dialectico,respectu medij analytici,affirmat Doct.*in* 3.*cit.* §.*Ad* 1. *princip. M.* Quòd si testimonia præcedant demonstrationem,faciunt fidem,& accedente demonstratione,tollitur fides,& sola scientia remanet.Cum autem aliquid demonstratur, plerumque aliorum asserta afferūtur,non quia causent fidem in demonstrante:sed vt palam fiat,talem doctrinam esse aliis consentaneam,ostendatúrque alios Authores præcessisse,qui huiusmodi doctrinæ patrocinantur. Arist. verò, aut alterum Philosophorum, non esse eius primarium inuentorem, ac Authorem. Subiungit Scot 3.d,24.q 3 § *Ad illa ante C.* ea, quæ possunt demonstrari, vtile est communicari, tradi per authoritates, tum ob incuriam Reipublicæ , in inquirendo veritatem,tum ob intellectus impotentiam,tū etiam,ob errores venantium,per demonstrationem,qui veritatibus suis multa falsa permiscent,vt asserit Aug. 18.*ciuit.c* 41.Cum autem simplices talibus demonstrationibus innixi,possent quidem dubitare,cui assentiendū,& assistēdum foret,idcircò tuta est via facilis,& cōmunis authoritas certa,quæ non potest fallere,nec falli.

62. Opp.4.lumen solis,& lumen syderum reperiuntur in eadem parte medij, tametsi illud sit maius, illud verò minus, & vtrumque vnum conflet lumen : Ergo pariter in eodem intellectu authoritas, & demonstratio causant eundem assensum de eodem obiecto. Neganda est paritas,quia ,cùm illa lumina sint qualitates eiusdem speciei,se intendūt:hæ verò sunt alterius speciei,suntque habitus oppositi,ideoque simul stare nequeunt.

ARTICVLVS XI.

An scientia & opinio de eodem obiecto, in eodem intellectu simul esse valeant?

63. QVamquam hæc difficultas *ex superiori art.* ferè decisa maneat , totidemque sint sententiæ in præsenti,quot in antecedente relatæ fuere. Nihilominus libet speciatim inquirere,nùm scientia, & opinio simul in eodem persistere valeant? Doctores, Irrefragabilis 3 p q 75. *n.*3. & Seraphycus 3.*d.*14.*q.*3. *art.*2 quibus adhærent Rubionius, Ric. Mayr. Bass. & plerique alij veteres,& Recentes Scholastici affirmant, per diuersa media, nempè,demonstratiuum,& topicum,tam quoad habitus,quàm quoad actus,de eodem obiecto,in eodem intellectu, posse simul cohærere scientiam, & opinionem. Aduersam autem sententiam tuentur Doctores, Subtilis 3.*d.*14 *q.vn.* Angelicus 1. *Post.lect.*44.*& de veritate q.*14.*a.*9 *ad* 6. & vtriusque Discipuli, prisci, & moderni, negantes, penes actus , & habitus simul de eadem re , in eadem mente , scientiam & opinionem posse manere.

64. Not.Duo reperiri genera habituum intellectualium. Quidam enim sunt certi, & euidentes : alij verò sunt incerti, & ineuidentes. Priores sunt tres recensiti ab Arist.6.*Eth.c.*3.intellectus,sapientia,& scientia.Posteriores verò recensuntur in eos , qui versantur circa falsum, vt error, & ignorantia : atque in illos,quibus non repugnat subesse falsum,aut verum,cuiusmodi sūt opinio,suspicio,& dubitatio. Opinio autem generatim capta describitur assensus determinatus vnius partis,cū formidine partis oppositæ : queve diuidi potest in immediatam, & mediatam. Ratio huius est,quia sicut in necessariis,quædam sunt immediata,quædam verò mediata,de quibus habentur distincti habitus:sic de opinabilibus & contingentibus,nonnulla extant immediata, & altera mediata, vt obseruat Doct.*in prol.q.*5.*laterali, & 3.d.*14.*ad finem,* & Ioan.de Magistris 1.*Post.q.vltima.* De primis est opinio immediata : de secundis verò est opinio mediata. Definitur autem opinio immediata ab Arist.1.*Post T* 44.assensus immediatæ propositionis, & nō necessariæ,siue certus assensus rei probabilis notæ ex terminis, cum formidine partis oppositæ , vt mater diligit filiū, quę cōmuniter ab omnibus recipitur,tanquam vera,in syllabo contingentiū reposita. Mediata est certus assēsus præstitus alicui probabili per mediū. Dialecticū,vt homo,quia est lætus, pergratū tibi faciet. An verò,formido sit de essentia opinionis altercātur nōnulli Scotist. Nominatim Tatar.& Ioānes de Magist.præcit. qui affirmantes formidinem, non quidem actualem,sed aptitudinalem, & radicalem ingredi essentiā opinionis decertant,contra Mayr. & Bass.*vbi supr.*inficiantes absolutè formidinem spectare ad opinionis essentiam, & quidditatem. Fundamentum autem partis affirmantis est , quia formido ponitur in definitione opinionis , ac etiam,per eam,à scientia distinguitur. Siquidem opinio est de contingentibus , quæ possunt aliter se habere. Scientia verò est de necessariis,quæ aliter se habere nequeunt.

queunt. Necessaria quippe sunt certa, & infallibilia, contingentia verò incerta, & fallibilia. Ob id subnectit Arist. 1 *Post T* 16. opus esse, vt quæ scimus, sint immutabilia: quæ autem opinamur, aliter euenire valeant. Dubitatio autem est hæsitatio intellectus neutri parti oppositæ adhærentis. Suspicio est, qua intellectus probabiliter coniectat, hoc aut illud fieri aut non fieri.

65. Ass. Scientia, & opinio de eodem obiecto, in eodem intellectu simul esse nequeunt. Ita Scot. 3. *cit.* §. *Ad 2. principale M.* Probatur 1. ex Arist. qui passu memorato expresse præpositam assertionem defendit, asserens discrimina, quæ intersunt inter scientiam, & opinionem, quæ fideliter, & eleganter adducuntur, & exponuntur, à Zabarel. aliisque eius interpretibus. 2. diuersi habitus, & actus esse non valent circa idem obiectum formale, quia vt pluries repetij, habitus, & actus, ab obiectis suis proximis, & formalibus, suam denominationem, & specificationem accipiunt. Obiectum autem scientiæ est vniuersale, necessarium, immutabile, & infallibile: obiectum verò opinionis est singulare, contingens, mutabile, & fallibile, vt ex Arist. aduertit Zabar. *vbi suprà*. Non ergo opinio, & scientia simul de eodem obiecto esse queunt.

Dices, simultatem præfatorum habituum, & actuū, de eodem obiecto esse possibilem penes diuersa media, vnum topicum, & alterum analyticum. Verùm, præterquamquod id de fide, & scientia *in antecedente art.* iam impugnaui, quod pariter de scientia, & opinione vulgò astruitur, speciatim arguo eum Arist. cit. Implicat idem obiectum posse aliter se habere, simulque non posse aliter se habere. Obiectum autem opinionis potest aliter se habere, quia est contingens: obiectum verò scientiæ non potest aliter se habere, quia est necessarium. Igitur, siue per idem, siue per diuersum medium, vnum, & idem obiectum non est simul scientificum, & opinatiuum. 3. fieri nequit, vt idem obiectum simul existimetur ab eodem intellectu certum & incertum, necessarium & contingens, quia duo iudicia contradictoria simul de eodem, in eodem admitterentur: assensus autem scientiæ est iudicium de conclusione, quo iudicatur obiectum esse certum, & non posse aliter se habere: assensus verò opinionis est iudicium de eadem conclusione, quo iudicatur obiectum esse incertum, & posse aliter se habere. Quod si quispiam de obiecto opinabili aliter sentiat, id prouenit ex temeritate, & præsumptione spiritus, vt notat Tatar. cit. aut ex proteruia, & ignorantia, vt aduertit Arist. 7. *Eth. cap.* 3.

Dices, intellectum posse ferre vtrumque iudicium per distincta media, ratione quorum nulla est implicatio contradictionis. Contra, intellectus non potest iudicare rem aliter quàm sit à parte rei, alioqui falleretur, falsumque foret eius iudicium. Prædicatum autem conclusionis scientificæ necessariò coniungitur cum eius subiecto: ergò intellectus non potest iudicare idem prædicatum non necessario coniungi cum subiecto eiusdem conclusionis, ne prorumpat in iudicium contradictorium, atque ita mediorum diuersitas non tollit præassignatam repugnantiam. Addo, quod intellectus est conuictus per veritatem scientificam, & non conuictus, per apparentem, & probabilem veritatem, quæ habetur per medium topicum: repugnat autem, eundem intellectum esse conuictum, & non conuictum, respectu eiusdem obiecti, ergo &c. 4. idem non potest esse euidens, & ineuidens simul, & semel, respectu eiusdem, vt monstraui in superiori art. Per scientiam autem obiectum est euidens: per opinionem verò obiectum est ineuidēs, vt liquet ex eius definitione in not. allata. Igitur scientia, & opinio, de eodē in eodē simul esse nō valent.

Dices, argumentum concludere de actu scientiæ, & actu opinionis, non autem de habitu vnius, & actu alterius, aut de habitu vtriusque. Contra, actus, & habitus laborant circa idem obiectum, & per idem medium habentur. Est enim habitus facilitas ad promendos actus circa obiectum penes quod versatur per idem medium, vt patet ex dictis *l. 3. q. de qualitate*: ergo eandem prorsus repugnantiam sortiuntur habitus inter se, quam habent actus adinuicē: sed actus scientiæ, & opinionis nequeūt esse simul de eadem re, vt probant rationes mox allatæ, ergo quoque habitus vtriusque de eodem obiecto simul non cohærent in eodem intellectu. Amplius, medium scientificum tollit medium opinatiuum: sublato autem obiecto, persistere nequit habitus. Qui ergo elicit actum scientificum, nequit retinere simul habitum opinionis de eadem re Ma est nota ex dictis: opinionis namque obiectum est incertum, & fallibile, quia est contingens: obiectum verò scientiæ est certum, & infallibile, quia est necessarium. Certitudo autem, & infallibilitas expellit incertitudinem, & fallibilitatem, cum inter se opponantur. Min. suadetur non videntur habitus, & potentiæ minùs pendere ab obiecto, quàm à subiecto, cùm ab vtroque necessariò pendeant. Denique intellectus per scientiam firmatur, & stabilitur in obiecto: per opinionem verò infirmatur, & vacillat circa obiectum. Non ergo simul consistere valent. Occurrunt nonnulli, apud Conimb. 1. *Post c. 16 art. 3 q. 5.* quos sequuntur duo nostri Iuniores *q.* . *disp* 24. & Ponc. *disp.* 22. *concl.* 6. diuina virtute posse manere simul in eodem scientiam, & opinionem. Verùm, id in sententia communi non est possibile, nec in Schola Scot. est ferendum. Quod enim repugnat, à nulla potentia, etiam diuina absoluta effici potest, vt communi consensu tenent omnes Scholastici: hactenus autem dicti Scotistæ asseruerunt scientiam, & opinionem non posse simul persistere propter repugnantiam, quam adinuicem præseferunt, præsertim secundum Scot. qui *loco cit.* § *contra hæc ante B. & ibid. sed si. Sub G. & in Report. eadem dist. tertij*, apertè docet, scientiam, & opinionem habere repugnātiam ad inexistendum simul in eodem intellectu, de eodem obiecto: Quæ autem repugnant, etiam supernaturali virtute fieri non possunt. Deinde, isti duo indiuisi Scotistæ ad finem quæstionis allegatæ approbant placitum Tatar. quem paulò antè impugnarant. Rursùs. *q 2. eiusdem disp.* recipiunt generalem opinionis descriptionem, quæ formidinem includit, quam postmodum diffiteri videntur. Præterea, per incertitudinem distinguitur opinio à scientia, quæ incertitudinem, & euidentiam includit. Si ergo incertitudo, & formido referantur in definitione opinionis, semper simul connectuntur, proindéque abinuicem separari, & segregari nequeunt. Deinceps, sicut de essentia scientiæ est certitudo, & euidentia, & de essentia dubitationis est hæsitatio vtriusque partis: ita de intrinseca ratione opinionis est formido. Assensus autem probabilis fidei, dubitationi, suspicioni, & opinioni competit: ergo vt ab illis hæc discriminetur, formidinem ingredi opinionis essentiā, astruendum est. Atqueadeò, talis assensus, vt præscindit à formidine, non est opinio, veluti animal. vt abstrahit à rationali, non est rationale. Insuper, data horum sententia, inferuntur omnia contradictoria, & absurda, quæ suprà ex Arist. Scot. & aliis adduximus. Nec iuuat eos dicere opinionem formaliter opponi scientiæ, ratione actualis formidinis, quia actualis formido non est de essentia opinionis, nec eius passio, veluti actualis risibilitas non est hominis passio, sed per accidens est, quod homo actu rideat. Præterea, species vnius generis non opponuntur penes earum esse actuale, sed penes intrinsecas, & essentiales earundem differentias, vt constat de homine, & bruto: ergo scientia, & opinio, quæ locantur sub eodem genere qualitatis, non dicuntur potissimùm in eodem, & de eodem incompossibiles, secundum ipsarum actualem certitudinem, & formidinem, sed secundum earum esse essentiale, & quidditatiuum, vt palam demonstrant, quæ superiùs attuli.

66. Oppones 1. idem probari potest per medium Dialecticum, quod gignit opinionem, atque demonstrari potest per medium analyticum, quod parit scientiam,

tiam, ergo non repugnat per diuerſa media, de eodem obiecto ſimul in eodem intellectu haberi ſcientiam, & opinionem. Ant. oſtenditur, de homine acquiri poteſt opinio, per medium topicum, putà lætum, & ſcientia, per medium demonſtratiuum, nempè riſibile. Conf 1. habens ſcientiam habitualem poteſt ea non vti actu: liberum quippe homini eſt, exercere, aut non exercere habitus, quibus exornatur, ergo dum actu non cogitat de concluſione ſcientifica, poteſt aſſentiri eidem concluſioni, per medium topicum: ſicque ſimul habebit ſcientiam, & opinionem. Conf. 2. ſi præfata aſſertio foret vera, non eſſent ſuppeditandæ rationes probabiles antè, vel poſt demonſtratiuas, cum nihil nobis prodeſſent, quas tamen afferre non ſemel Ariſt. alioſque Philoſophos, ſcripta ipſorum planè teſtantur. Diſtinguo ant. ſimul nego: ſucceſſiuè, concedo. Nam impoſſibile eſt, vt idem ſimul cognoſcatur, vt euidens, & non euidens, certum, & non certum, neceſſarium, & non neceſſarium. Ad 1. conf. occurrit Scot 2. *d.* 42. *qu* 4. *D.* illa duo media ſimul eſſe incompoſſibilia in cauſando aſſenſum, & ſi vnum cauſet, aliud nihil cauſabit impeditum à fortiori, vt ſi adſit medium analyticum, quod eſt fortius, & efficacius, medium dialecticum nullum cauſabit aſſenſum ab illo impeditum. Cur autem adhibeantur authoritates, & rationes topicæ dictum eſt reſpondendo ad 2. oppoſitionem præcedentis art. Ad 2. conf. *ibid.* reſponſum, & ſatisfactum eſt.

67. Opp. 2. vna eademque potentia inclinat ad oppoſitos actus, vt intellectus ad aſſenſum, & diſſenſum, voluntas ad velle, & nolle, ergò & ad oppoſitos, & diuerſos habitus, cuiuſmodi ſunt ſcientia, & opinio. Conſeq. tenet, quia habitus à potentia ex frequentatis actibus generantur, ergò ſicut potentia poteſt elicere, & recipere diuerſos, & oppoſitos actus, ita & habitus. Diſtinguo ant. ſimul, & ad idem obiectum, nego: ſucceſſiue, & ad diuerſum obiectum concedo. Addo, fortaſsè hoc in voluntate non habere locum, vt mox patebit.

Inſtabis, Lubricus, aut aliqua ſpecie intemperantiæ irretitus, ſi pœniteat prauæ ſuæ vitæ, & promat actum continentiæ oppoſitum habitui libidinis, quem adhuc retinet; non enim habitus per vnicum actum ipſi oppoſitum, repentè corrumpitur, ergò habebit habitum, & actum ſimul eidem habitui oppoſitum: proindeque habitus, & actus oppoſiti ſimul eſſe queunt de eodem obiecto in eodem ſubiecto. Hæc inſtantia, quæ tangitur à Doct. 3. *d.* 33. *quæſt. vnic. ſub B.* recipitur à Poncio *diſp.* 22. *concl.* 7. magnique fit ab eodem *ibid.* non aduertente eſſe contrà Scot. apertè, tùm ibi, tum etiam 6. *Met. quæſt.* 1 non longè ab initio; negari poteſt paritas ex eodem Doct. in eo loco, præſertim *in* 1. quandoquidem ſcientia, & opinio ſunt habitus intellectuales: temperantia autem, & intemperantia ſunt habitus morales. Intellectus quippe neceſſitatur, & conuincitur ab obiecto neceſſario, & euidente: voluntas autem, quæ eſt appetitus rationalis ſuaptè natura eſt indifferens, & pro ſuo libito poteſt hoc, aut illud capere, & ab eo deſiſtere, tametſi habens vnum habitum magis inclinet in obiectum, de quo eſt talis habitus, quàm in oppoſitum, cuius habitu caret.

68. Opp. 3. qualitates contrariæ in gradibus remiſſis poſſunt ſe compati in eodem ſubiecto, vt patet de aqua tepida, in qua ſimul ſubiectantur calor, & frigus, penès gradus remiſſos: ergò potiùs ſcientia, & opinio valent eſſe ſimul, cùm tantam non ſortiantur ad inuicem repugnantiam, quantam ſubeunt præfatæ qualitates. Neganda eſt paritas, quia contrariæ qualitates non cauſantur ab obiecto, de quo Scot. benè autem ſcientia, & opinio, ideò de eodem ſimul eſſe nequeunt.

PHILOSOPHIA NATVRALIS, SEV PHYSICA

F. BONAVENTVRÆ COLVMBI NICIENSIS
Minoris Conuentualis, Sacræ Theologiæ Professoris.

Ad mentem Doctoris subtilis.

PRÆFATIO.

PRÆMISSIS, quæ ad modi sciendi, siue Dialecticæ perfectam notitiam faciunt, ordinem doctrinæ sequentes nunc Deo Duce, Physicam aggredimur: si enim, teste Philosopho 2. *Met. T.15.* absurdum est simul quærere scientiam, & modum sciendi. Sanè commodum, & proficuum est, habito sciendi modo, scientiam, seu Physicam peruestigare, & comparare. Itaque pertransitis aridis, & arenosis aruis, campisque spinosis Dialecticæ, ingredimur fœcunda, florida, & amœna Philosophiæ naturalis promptuaria, quæ faciliori cognitione attingemus, oblectamento non exiguo afficiemur, gradumque ad ea quæ supra naturam sunt, faciemus, præmonente Aug. 1. *de ordine cap.11.* Et 1. *Retract.cap.6.* Amplâ autem extat tractatio Phys. Quippe, quæ comprehendit corpus naturale, de quo, eiusque passionibus vniuersè sumptis agitur *in octo lib. de physico auditu.* Corpus cœleste, & elementare, de quo *in 4. lib. de cælo, & mundo.* Corpus generabile, & corruptibile, de quo, *in duobus lib. de generatione & corruptione.* Corpus imperfectè mixtum, de quo *in 4. lib. Meteor.* Corpus perfectè mixtum, de quo *in lib. de metallis, & lapidibus.* Corpus animatum, de quo *in lib. de anima. De generatione animalium, & in iis, qui parua naturalia nuncupantur.* Iuxta autem præpositum ordinem, ab opere de physico auditu ducentes exordium, octo lib. instituemus. Primum, De prooemialibus Physicæ. Secundum, De principiis corporis naturalis. Tertium, De natura, & arte. Quartum, De causis. Quintum, De quantitate. Sextum, De loco. Septimum, De tempore. Et Octauum, De motu.

LIBER PRIMVS.

De Prolegomenis Physicæ.

ORDINI præostenso, & à nobis præfixo innitentes, quæstiones prooemiales *in præsenti libro* afferimus, & discutimus: sicut in Logica aliisque nostris Operibus, quâ possumus diligentiâ, præstamus. Perspectis enim origine, nomine, vtilitate, præstantia Physicæ eiusdemque naturâ, & obiecto, cæterorum omnium notitiam faciliùs, & exactiùs adipiscemur.

QVÆST.

QVÆSTIO I.

De inuentione, & vtilitate Physicæ.

ARTICVLVS I.

Quisnam sit inuentor Physicæ.

1. 2. ORIGINAS denominationes, & genera Philosophorum, eorum sectas, successores, & capita: eorumdem mores, philosophandi rationes, & tempora, quibus hi floruerunt, vberè, & disertè ex Laër. & August. referunt Viues *in comm.* 8. *Ciuit. eiusdem August.* Conimbr. *in proœm. Dia.* & Fons. pariter *in proœm. Met.*

3. De nomine autem Philosophiæ, eiusque acceptione, & diuisione, breuiter egi in Log. *lib.* 1. *quæst.* 2. *art.* 10. & copiosius August. *loco nunc memorato.* Atque de artium scientiarumque inuentione nonnulla attigi *ibidem, quæst.* 1. *art.* 4. Hæc autem, quam modò pertractare in animo est, absolutè perhibetur Philosophia, & vulgò Philosophia naturalis, vt indicat eius vocis nomenclatura. Physica namque, quæ & Physiologia dicitur, idem est ac sermo, seu scientia de natura. Quod enim Græcis est φύσις, Latinis est natura. Hæc quippè contemplatur corpus naturale, eius principia, causas, & proprietates, vt in toto eius decursu, liquidò constabit. Non est autem silentio prætereundum, priscos Philosophos, ante Socratem, omnem suam curam impendisse in rerum naturalium cognitione, teste Laër. *in Plat.* Philosophiæ ratio olim circà vnam tantùm Physicæ speciem versabatur, accessit Socrates, & Ethicam adiecit, & Dialecticam Plato. Idem scribunt August. *vbi suprà cap.* 3. Et Viues *ibidem.* Et certè, cum naturalia, & materialia priùs à nobis cognoscantur, quàm supernaturalia, & spiritualia, magisque pateant sensibus nostris, qui sunt primi duces cognitionis nostræ, iuxtà illud in Scholis sæpè decantatum, deromptum *ex libro de sensu, & sensato cap.* 1. *Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu.* Propterea, primi Philosophi iure de his primùm Philosophati sunt, vt postmodum istis cognitis, quasi quibusdam gressibus, ad spirituales, supernasque mentes, & summum Deum cognoscendum peruenire valerent, notante Aug. 6. *Musica, &* 8. *Ciuitat. propè finem cap.* 3. *Et* 1. *Retract. cap.* 11. A quo non deflectit Doctor 1. *distinctione* 17. *quæst.* 1.

4. Assertio, primarius Physicæ inuentor est Deus: eius verò secundarius auctor statuitur Thales Milesius. Prima pars deducitur ex Scot. *libro de primo rerum omnium principio, aliisque locis*, vbi docet, Deum esse primariam originem, & fontem scientiarum omnium. Probatur eo ferè modo, quo probatum est, *passu proximè citato*, Logicam à Deo, tanquam à primo fonte promanasse. *Vnus quippè est Magister noster Deus.* Matt. 23. *Qui docet hominem scientiam. Psal.* 92. Siquidem, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est.* 2. Corinth. 3. *Quid habes, quod non accepisti? & si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 1. Corinth. 4. Confirmatur ex Historiis: Pro certo enim habetur apud omnes Latinos à Græcis, ingenuas artes, & Philosophiam didicisse, vt patet ex Tullio 1. *off.* Græcos verò, ab Ægyptiis accepisse, testantur Hieronym. *in Epitome ad Paulinum*, & Laër. *lib.* 7. Nam inter alios Græcos, discendi causâ Platonem in Ægyptum venisse, August. 8. *Ciuitatis* 3. affirmat. Deindè Ægyptios, & Chaldæos ab Hebræis, nominatim Abrahamo, & Moyse fuisse eruditos, narrant Iosephus 1. *contrà Apionem* Eusebius 10. *de præparatione Euang.* & Berosus 3. *Hist.* Insuper Hæbræos à filiis primorum parentum; hosque ab Adamo, & ipsum à Deo Physicam, cæterasque doctrinas hausisse, vno calamo conscribunt Mundi Annalistæ. Ampliùs, *Gen.* 2. Adam imposuit nomina rebus, *omne quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius.* Quod præstare non valuit, absque earumdem rerum naturalium notitia, quæ indubiè spectat ad Physicam. Et qui adduxit animalia ad ipsum Adamum, vt eis nomina tribueret, eorum lem quoque notitiam, & scientiam ipsimet planè elargitus est, absque qua, propriis nominibus minimè ea vocare potuisset.

5. Secunda pars traditur à Doctore *in comm.* 1. *Met.* Probaturque testimonio Philosophi mox alleg. *cap.* 3. facientis Physicæ inuentorem Thaletem Milesium, vnum ex septem Græciæ Sapientibus, qui vixit tempore Ezechielis, & Danielis Prophetarum. Idem scribunt August. 8. *Ciuitatis* 2. Viues *ibidem*, aliique posteriores Chronistæ. Iterùm, Physicam valde locupletasse Pythagoram, eamque in meliorem frugem Arist. redegisse, tenet Philosophorum vulgus. Rursùs omittendum non est, quod scriptis reliquit Themistius. Quanquam Thales, & alij scientiarum inuentores ab omnibus celebrentur, existimandum non est, eos extitisse primos earum Auctores: sed quod post diluuium Thessalicum, quod sub Deucalione penè totam Græciam deleuit, illi ingenio perspicaciores, ab Ægyptiis edocti, eas instaurarunt.

6. Fuit autem inuenta Physica per actum rectum intellectus, vt liquet ex Arist. 1. *Met. cap.* 2. Admiratio quippè, ex qua ortum suum duxisse Philosophiam, Stagirites ait, est actus rectus intellectus. Denuò, Physica speculatur sensibilia, quæ cùm à sensibus nostris directè attingantur, euidenter infertur, ipsam nactam esse per actum rectum intellectus.

ARTICVLVS II.

An Physica sit vtilis.

7. OMnem scientiam esse bonã, cum Aristotele 1. *de anima* 1. communi calamo subscribunt eius interpretes. Siquidem cùm omnis homo scientiam suaptè natura desideret 1. *Met.* 1. & appetitus naturalis feratur in bonum planè infertur, scientiam in bonorum syllabo esse numerandam. Cùm autem bonum dispescatur in vtile, delectabile, & honestum 1. *Eth.* 8. Scientia trinum bonum prærecensitum participare videtur, vt clarè edisserit Philosophus *passu citato de anima.* Et quidem scientia bono honesto potitur, vtpote, quam intellectus rectè appetit, & voluntas benè cupit. Atque, bono delectabili gaudet, in cuius existentia, & præsentia noster intellectus valdè delectatur: necnon bono vtili fruitur, cùm ordinetur ad speculandum, si extet speculatiua, vel ad operandum, si sit practica. Non enim scientiæ vtilitas, pecuniarum lucris est metienda, sed eminentia, dignitate, & perfectione cognitionis rerum, qua mens nostra ornatur, illustratur, & perficitur, vt postmodum ab obiecta præstantiora, & digniora cognoscenda euehatur. Propterea Sanctus August. 1. *de doctrina Christiana* scribit: *Rebus, quibus vtendum est, tendentes ad beatitudinem, adiuuamur, & quasi adminiculamur, vt ad illas, quæ nos beatos faciunt, peruenire, & in his inhærere possimus.*

8. Assertio, Physica prodest reliquis scientiis. Hanc

indicant

indicant Arist. 1. *anima T.*1. Scotus, & vtriusque asseclæ *ibidem*, affirmantes Animasticam, quæ est præcipua pars Physicæ esse de genere honorabilium. *Et T.*2. eam conducere ad omnem veritatem, & maximè ad scientiam naturalem. Si autem species proficit aliquibus, haud dubium est, quin eius genus pariter eisdem prosit. Propterea, quod à Deo factum est, planè vtile est, iuxta illud vulgatum 1. *Cæli T.*31. *Deus, & natura nihil agunt frustrà.* Physicam autem à Deo prodiisse ostendi *in ant. art.* Rursùs, cognitione rerum naturalium, intellectus noster perficitur, & præparatur, præsertim, ad aliarum rerum notitiam recipiendam. Hinc Aug. 1. *Trin.* 1. *Verbis, & rebus corporeis vtitur sacra pagina, vt quasi gradatim ad diuina, & sublimia intellectus noster ascendat* Subiungunt Parisienses *fol.* 1. *primi Phys.* Huius vtilitatem esse, habere perfectam cognitionem de rebus naturalibus, quæ est vltima dispositio hominis ad felicitatem, & vitam æternam. Insuper, huius vtilitas, & emolumentum suaderi potest inductione, per singulas scientias. Inprimis, iuuat Dialecticam, quæ agit de secundis intentionibus, quæ fundantur in primis. Complures autem primas intentiones pertinere ad Physicam exploratum est. Deindè, cognitio reflexa, & comparatiua præexigit notitiam rectam: illa autem ad Logicam, ista verò ad Physicam spectat. Iterùm, cognitio nostra à sensibilibus, quæ sunt Physicæ considerationis, exordium sumit: & experientia rerum singularium materialium gigni in nobis scientiam, exaratur 1. *Met.* 1. Itaque, cum secundæ intentiones Log. in hiscè primis, quæ sunt Physicæ innitantur, palàm fit, hanc illi prodesse. Denuò, confert Mat. disciplinis, quandoquidem ista meditatur quantitatem materiæ immensam, eiusque passiones, & accidentia: illæ verò, quantitatem à materia seiunctam contemplantur. Idque induci potest in singulis: in Astrologia, quandoquidem, Physiologia disputat de cœlo, & mundo, eorumque proprietatibus, & accidentibus. In Musica, quia sonum, vocemque, & eius instrumenta perlustrat. In Geometria, & Arith. propterea quod, quantitatem continuam illa, & discretam hæc peruestigat. Inseruit quoque Medicinæ, cum naturas, viresque herbarum, plantarum, animalium, corporis humani, & aliorum, quæ sunt ipsi adiumento, perquirat. Hocque non obscurè indicat Philosophorum proloquium adductum, & explicatum à me *lib* 5. *Log. quæst.*4. *art.*7. *Vbi desinit Physicus, incipit Medicus.* Auxilio pariter est Morali, quoniam potentias naturales, & liberas, earumque actus, & habitus considerat. Neq; obest Metaphysicæ, cum per cœlorum motum, ad Angelorum mouentium, Deique primi mouentis existentiam veniamus. Atque Theologiæ non est inutilis. Nam vt disertè prosequitur D. Aug. 8. *Ciuit.*6. *Ex mobilibus, ad vnum immobile, ex mutabilibus, ad Deum immutabilem, ex corporeis, ad supremum incorporeum, & ex visibilibus creatis, ad inuisibilem creatorem cognoscendum peruenimus.* Scribente Apost. Rom 1. *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur sempiterna eius virtus, & diuinitas.* Addo, quod multa physica occurrunt in sacris litteris, quæ absque huius notitia percipi nequeunt, vt de artibus, & nuncupatim de Dialectica, eas plurimum valere ad penetranda, & dissoluenda, quæ sunt in sacro codice, aptè docet August. 2. *de doctrina Christiana cap.*31. Vnde ipsius vtilitatem agnoscentes, & percipientes Milesius, & alij huius classis, multos labores, sudoresque passi, eiusdem studio, se totos consecrarunt, vt luculenter ostendit Vorrilong. *in Prol. primi sentent.*

9. Quanto autem oblectamento, & delectamento, hæc hominem afficiat, solito suo eloquio, litteris committunt Cic. 1. *Acad. quæstionum* & Aristot. 10. *Eth.*1. *& inde.* Quæ sanè fuerunt experti illi, qui huius amore, & decore, mundi illecebris, sæculique voluptatibus vale dixerunt, quorum longum catalogum texit Vorrilong. *vbi suprà.* Est enim scientia speculatiua, per se expetenda, cuius iucundo, suauique pabulo anima nostra vescitur, alitur, & augetur in præsenti., vt in futuro alio cibo inuisibili nutriatur, fruaturque vita beata, insinuantibus August. 1. *de doctr. Christ. cap.*1. & Hugone vict. *libro primo de Arca Noe.*

10. Opponès primò, D. Paulus adductus ab August. 8. *Ciuit. cap.*9. monet, & arcet nos à Philosophiæ studio *Coloss.*2 his verbis. *Ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Accedunt Tertul. contrà Hermog. *Philosophi sunt Hæreticorum Patriarchæ.* Nazian. orat. de modestia seruanda: *In Ecclesia, veluti plaga Ægyptiaca perniciosè irrepserunt Philosophi* Hieron. in Epist. ad Iulia. *Philosophus est gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium.* Et Hugo vict. alloquens animam suam, inquit. *Imago te fallit ò anima mea. Ista enim sunt non sapientia sed dementia humana studia, in quibus imprudentes, & stulti, tam inutiliter, quàm pertinaci labore naturas rerum inquirunt; Authorem verò suum, & omnium naturarum artificem ignorant.* His, & consimilibus sanctorum testimoniis, concluditur, Philosophiam naturalem, & quamlibet aliam non proficuam, sed noxiam esse Reip. Christianæ. Respondeo locum Pauli allegati secum vehere solutionem, Ibi enim exaratur, per inanem fallaciam. Idest, sophisticam, quæ respuitur, Ecclesiastici 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Deindè subiicitur: secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Quare, Philosophia, quæ à Deo non est, nec Christo consentanea, sed ab homine fallente, & per eam errores inducente callidè, certè vt mala, & noxia reiicienda est. Hinc August. 3. conf. 4. ait, *sunt, qui seducant per Philosophiam, magno, & blando, & honesto nomine colorantes, & fucantes errores suos.* Ad quos cauendos valet monitio Pauli, & aliorum, quorum verba superius adduxi. Eò magis ex eodem August. 1. de ordine cap. 11. *Non omninò Philosophos, sed Philosophos huius mundi euitandos, atque irridendos, sacræ litteræ præcipiunt.* Denique, Moysem fuisse eruditum omni sapientiâ Ægyptiorum, à qua non excluditur Phys. refert ipsemet August. 2. *Doct. Christ. cap.*40.

11. Opponès secundò, magia est pars Physicæ, quippè, quæ mutuos consensus, vires rerum abstrusas, causasque naturales intimas, & reconditas respicit, quæ simul copulatæ, & colligatæ, miros edunt effectus, quibus homines in admirationem, stuporemque inducuntur: vt patet apud Alens. 3 *part. quæst.*16. *num.*3. Et S. Bon. 1. *distinct.*9. *quæst.*3. Hæc autem tanquam nefaria, hominique perniciosa damnatur à iure ciuili, vt constat *Cod. de malef. leg. Nemo, leg. culpa. Et iure Can.* 2 *quæst.*6. Igitur, Physica non prodest homini, sed obest. Concedo ma. ad min. dico reprobari magiam maleficam, quæ præstigiis, veneficiis, dæmonumque commerciis immixta est, vt videre licet apud August. 10. *Ciuit. cap.*9. *&* 10. Alens. & plerosque alios: non verò Magiam naturalem, quæ docet applicare actiua passiuis, ex quorum applicatione, & approximatione admirabiles causantur effectus, absque vllo interuentu, & patrocinio Cacodemonis, vt palam fiet *lib. de natura, & arte:* Vsus tamen huius probibetur ab Ecclesia Catholica, vt legitur *in quadam Bulla Sixti quinti*, propter magnum periculum, quod incurrunt homines in ea discenda, exercenda, & profitenda; *Qui enim amat periculum, peribit in illo.* Eccles. 3. Timendum quippè est, ne in iis, quæ captu, & factu sunt difficilia, sciendi, & faciendi cupiditate affectus homo, & deceptus misceatur demoni, magicas artes docenti, & implenti.

12. Opponès tertiò, Physica auocat à forensibus actionibus, hominumque societate, & studio sacræ paginæ, ac aliarum rerum, quæ plurimum ad communem vtilitatem conferunt. Qui enim Physicæ vacat,

in nimsudo eius obiecto, passionibusque totus est: non ergò Phys. hominum prohibet, sed officit. Adde, quod, omnes hæreses a Philosophis promanasse, testantur Hierony. *l. contrà Pelag.* & Tertul. nuper allegat. Respondeo in omni Republica benè instructa, & constructa, quosdam ciuilibus, aliquos diuinis, nonnullos practicis, & alios speculatiuis operam nauare, quorum omnium studia, & labores in communem cedunt vtilitatem, vt insinuat Apostol. 1. *Cor.* 12. Et *Eph.* 4. Et habetur *Luc.* 10. nominibus Marthæ, & Magdalenæ, quibus vita actiua, & contemplatiua designantur, vt ibi aduertunt sacri interpretes. Ad aliud, quod subiicitur, dico non Philosophos absolutè, sed male Philosophantes, increpandos esse, & damnandos, vt dicebam *in responsione* 1. *opp.* Itaque, Physica in se bona est, tametsi mali malè eâ vtantur: sic etiam sacra Scriptura, cum sit à Deo, optima est, quamuis Hæretici falsas, & erroneas ex ea propositiones deducant, vt declarat August. *l. de vera Religione cap.*10. & 1. *contrà. Crescomium cap.*23. Multa occurrunt, quæ quamuis bona sint, & ad vtile aliquod instituta, non omnibus tamen habentibus sint vtilia, sed tantummodò benè vtentibus. Nam, cum eadem luce, & sani oculi perfunduntur, & saucij, istis adiumentum est illis tormentum. Idem cibus alias valetudines alit, alias lædit. Idem medicamentum hos curat, illos debilitat. Eadem arma alios muniunt, alios impediont. Eadem vestis aliis tegumento, aliis implicamento; sic & Baptismus aliis valet ad regnum, aliis ad iudicium.

Articvlvs III.

Quem ordinem sibi vendicet Physica inter alias scientias.

13. Multa, diuersaque narrantur Philosophorum placita, à Recentioribus nuncupatim Tol. *in prol. Phys.* c. 3. Et Conimb. *ibid. quæst.* 5. *art.* 1. *De ordine, & loco*, quem Philosophiæ partes inter se occupant, quem tetigi *l.* 1. *Log. q.* 1. *art.* 6. Ibique prælibaui, breuiterque explicaui duplicem ordinem naturæ, & Doctrinæ. Obseruo autem hic, ordinem doctrinæ quidem homines inuexisse, ordinem verò naturæ non instituisse, sed animaduertisse: teste Aug. 2. *Doct. Christ. c.*31. Sicut enim, qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit, & locorum situs, aut naturas animalium, vel serpentium, vel stirpium, qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas: & ille qui demonstrat sydera, eorumque motus, non à se vel ab homine aliquo, rem institutam demonstrat. Sic, cum scientiæ eumdem naturæ ordinem seruent, quem earum obiecta sortiuntur: talis statuendus est ordo naturæ inter eas, qualis extat inter earumdem obiecta. Quare Metaphysica naturæ ordine est prima: obiectum namque eius, quod est ens, primum est. Post autem Metaphysicam adest Physica quæ substantiam corpoream meditatur, quam subsequitur Ethica quæ cùm mores hominum instruat, post considerationem humanæ naturæ, eius facultatem, & actuum physicorum, qui ad Physicam spectant, accedere debet sermo, de eorumdem moralitate, siue bonitate, & malitia, de quibus differit Ethica. Deindè occurrit Mathematica, quæ quantitatem perlustrat, quam præcedit substantia, 7. *Met.* 1. Postremum locum naturæ tenet Dialectica, quæ à prioribus prærecensitis orta est, vt asserui *vbi suprà art.* 5. Huic autem opponi videtur ordo doctrinæ. Quæ enim sunt priora naturæ serie, perhibentur posteriora syllabo Doctrinæ. Vndè, hac tempestate communi Philosophorum assensu, in scholis, ordine doctrinæ primùm traditur Logica, deindè Mathematica, posteà Physica, deinceps Ethica, demùm Metaphysica.

14. Ass. 1. Mathematica ordine doctrinæ, præponenda est Physicæ. Insinuatur a Doct. qui 3. *d.*34. *D.* enumerans tres præfatas scientias, speculatiuas, à Mathematica initium sumit. Et 6. *Met. q* 1. sufficientiam dictarum scientiarum decerpens, ex trino obiecto theorico, priùs aggreditur obiectum Mathematicæ quàm Physicæ. Accedit Orbel. *in proœm. considerationis Mathematica*, protestatus, se in omnibus Scotum sequi, apertè docet, Mathematicam præcedere Physicam. Idem sentiunt Aug. 2. *de ordine* 15. Et inde Plato. 7. *de Rep.* Et alij complures. Probatur 1. ex Arist. 6. *Eth. c.*8. affirmante, pueros posse esse mathematicos, non autem sapientes, vel physicos. Ratio est, quia Physica petit longam rerum experientiam, quæ ad percipiendam Mat. necessaria non est. 2. Mat. differit de euidentioribus, & notioribus. Ideò demonstrationes eius maiorem euidentiam dicuntur participare, quàm demonstrationes Physicæ, vt ex 2. *Met.*16. & 8. *Top.*2. probaui *l.*1. *de anima q.*1. *art.*2. Siquidem Physica est de rebus naturæ intimis, & reconditis. Rursus, accidentia sunt notiora substantia. Vt enim legitur 1. *anima*, *Top.* 31 accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendam substantiam. Cum ergò Mat. versetur circa quantitatem, quæ est accidens: & Physica circa corpus naturale, quod est substantia, liquidum fit, Mathematicam esse addiscendam antè Physicam.

15. Ass. 2. Physica præ locenda est antè Ethicam. Elicitur, & munitur ex Doct. *Quol.* 18 *art.* 1. Et Gadin *ibid. fol.* 183. *colum* 4. qui agentes de bonitate actus naturalis, & moralis, priùs explicant naturalem, quam moralem: atque ex descriptione illius, colligunt descriptionem istius: & meritò quidem, quoniam moralis à naturali ortum suum ducit, veluti Medicina à Phys. Ideò, sicut Physica priùs edocetur, quam Medicina: pariter doctrinæ ordine Physica præferenda est Ethicæ. Accedit Aug. 8. *Ciuit* qui *c.* 4. adducens tripertitam Philosophiæ partitionem, in rationalem, naturalem, & moralem, primùm de Physica 6. *eiu dem lib.* deinde, de Morali *cap.*8 & 10. Prætereà, prisci Philosophi priùs physicis, quam moralibus operam dabant, vt patet de Socrate, apud S. Doct. cit. *cap.* 3. qui relictis physicis, totus incubuit moralibus, cuius ordinem, & consuetudinem retinet Aristot. vt constat ex librorum eius descriptione. Ideò, 1. *Eth* 3. scribit, iuuenem non esse aptum moralis Philosophiæ auditorem. Et apud Aug. 4. *Conf* 12. Quidam Episcopus prudenter noluit agere, cum ipso Aug. (licet mater eius vehementer suaderet) & de eiusdem conuersione disserere, quia adhuc dictus Aug. erat iuuenis, nimis ardens, indocilis, & inflatus nouitate hæresis Manichæorum. Ad corrigendos, componendosque mores, firmum iudicium de rebus agendis, experientia, & prudentia, animus imperturbatus, & pacatus, qualis non est adolescentis, multæque circumstantiæ desiderantur, quas enumerat & explanat Scot præcit. Et tangit *q.* 4. *prol. antè D.D.* Deindè, prius intellectus illuminatur lumine cognitionis rerum, quàm voluntas inflammetur flamma amoris, & bonitatis earum. Vndè, extat commune elogium, *voluntas non fertur in incognitum* Et de S. Bon. in vita eius legitur, omnem veritatem, quam percipiebat intellectu, ruminabat affectu. Ampliùs, perhibetur à Philosophis Medicina corporis, quia ad curandum morbum corporis, qui est ignorantia rerum naturalium inuenta est. Ethica verò dicitur Medicina animi, eò quod ad medendam animi ægritudinem, quæ est malitia, reperta est. Priùs autem cognoscitur corpus, quam anima, cum sit spiritus à sensu remotior est. Igitur, Moralis ordine doctrinæ posterior est scientia naturali.

16. Assertio 3. Metaphysica vltimo loco est addiscenda. Ita Scotus 1. *d.*3. *quæst* 2. §. *Loquendo. sub M.* post Auic. 1. *Metaphysica*, *cap.* 3. Probatur 1. ab imis ad celsa, à paruis ad magna, ab infimis ad

suprema

ſuprema, à corporeis ad corporea, & à naturalibus ad ſupernaturalia cognitione euehimur, vt probè philoſophatur Aug. 8. *Ciuit.* 6 Et 1. *Retract.* 3. Et 7. *conf.* 1 . Et 6. *de vera Relig.* *cap.* 29. Metaphyſica autem eſt de celſis, magnis, ſupremis, incorporeis, & tranſnaturalibus, vt nomen eius indicat. Quippè quæ ca i nominis, perinde eſt ac tranſnaturalis, annuente Ariſt. 1 *Met.* 2. Ergò Metaphyſica doctrinæ ordine cæteris diſciplinis eſt poſtponenda. 2. quæ à ſenſibus ſunt remotiſſima, abſtractiſſima, & vniuerſaliſſima, ſunt cognitu difficillima, & poſtremo loco à nobis cognoſcuntur: Metaphyſica autem occupatur circa ea, quæ longiſſimè à ſenſu diſtant, ſuntque tranſcendentia, maximeque vniuerſalia, teſte Philoſopho *vbi ſuprà*. Ampliùs, quod eſt primùm ordine cognitionis diſtinctæ, eſt vltimum ordine cognitionis confuſæ, vt liquidò conſtabit *in proxima quæſt.* Metaphyſica autem eſt prima in ſerie cognitionis diſtinctæ. Eſt namque prima Philoſophia, ſcientia ſuprema, & vniuerſalis, quæ confirmat, & communit principia cæterarum ſcientiarum, lumine naturali adinuentarum, vt idem Philoſophus, & cæteri, communi ore confitentur. Doctrinæ ergò ordine Metaphyſica inter diſciplinas poſtremum obtinet locum.

[illegible] . contrà 1. aſſ. ex parte Tatar 1. *Phyſ.* q. [illegible] & Pariſienſium *ibid.* *q.* 2. *conc.* 2. Ab e[illegible] non pertranſitur, niſi per medium, [illegible] arguit Scot *in Report* 2. *d.* 1. *q.* 7. poſt Aug. 1. *Muſica*, *c.* 12. Et poteſt declarari de motu continuo, à cuius termino à quo non fit tranſitus ad terminum ad quem, niſi pertranſito eius medio: atque à domus fundamentis, ad eius culmen non conſcenditur, niſi permeentur eiuſdem mediæ partes: inter autem Phyſicam & Metaphyſicam mediat Mathematica: ſi quidem Phyſica nec re, nec ratione abſtrahit à materia. Metaphyſica & re, & ratione, à materia præſcindit. Igitur, priùs perdiſcenda eſt Phyſica quàm Mathematica. Conf. à facilioribus, & notioribus eſt inchoandum, 5. *Met. cit. à Pariſienſ. vbi ſuprà.* Quæ autem à Phyſ. tractantur, ſunt cognitu faciliora, quia à ſenſibus proximiora. A Phyſ. ergò exordiendum eſt potiùs quàm a Mat. Reſponderi poteſt, cum Scot alleg. *in ſol.* . §. *Ad aliam probationem* Maiorem valere de medio neceſſario ad aſſequutionem vnius extremi, vt oſtendunt inſtantiæ praallatæ: non autem de medio non neceſſario, vt Deus agit mediis cauſis 2. ſine eis tamen agere poteſt. Vel ſi concedatur ma. diſtinguenda eſt minor. Mathematica eſt media inter Phyſicam & Metaphyſicam, penès abſtractionem, concedo: penes aſſequutionem, & doctrinæ ordinem, nego. Ad conſ. concedo ma. nego min. Mat. quippè, eſt de euidentioribus, & cognitu facilioribus: vt maner probatum *in* 1. *aſſ.*

18. Opones 2. contrà 2. aſſ. ex parte Zenonis, Diogenis, aliorumque Antiquorum. Non niſi bonis moribus imbuti ſunt idonei ad Phyſicam capeſſendam. Vitiorum quippè colluuies impedit, & comprimit mentem, ne rerum veritatem contempletur. Ideò, qui liber à mundi illecebris, vitiorumque corruptela, non eſt, non poſſe philoſophari, monent Plato in Phædone, & Seneca. A Morali ergò, & non à Phyſica auſpicandum eſt. Reſpondeo haud dubiè multum iuuare eum, qui Philoſophiæ præcepta cupit addiſcere, vt à vitiis ſit ſeiunctus, prauiſque moribus alienus. Sic enim abiectis mundi voluptatibus, repreſſiſque animi affectibus, liberiùs, & commodiùs, veritatem contemplatur, vt exemplo Socratis, & aliorum *ſuprà art* 2. ſignificaui, & eleganter proſequutus eſt Aug. 8. *Ciuit.* 3. Cæterùm, hoc neceſſarium non eſt; cùm multi terrenis cupiditatibus implicit, & irretiti, Phyſica aliiſque ſcientiis excellant, in quorum numero fuiſſe Aug ante ſui conuerſionem patet, *ex eius lib. Retractat. & Conf.* præſertim *l.* 3. *c.* 4. *&* *l.* 8. *c.* 7.

19. Dices, Sap 1. *In maleuolam animam non introibit ſapientia.* Ergò malus, prauiſque moribus imbutus non eſt capax Philoſophiæ moralis, quæ non incongrue dici poteſt ſapientia. Dico, illud effatum capiendum eſſe de charitate, ſiue de ſcientia, quæ coniuncta eſt cum gratia, quæve perhibetur ſapida ſcientia vt obſeruaui *l.* 5. *Philoſophia Moralis q.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. Et indicaui *in Log. l.* 1. *quæſt.* 4 *art.* 1. *in reſp.* 1. *oppoſ.* Non eſt autem neceſſe Philoſophum Moralem eſſe charitate refertum, vt liquet de Philoſophis Ethnicis, gratiæ & charitatis expertibus.

20. Oppones 3. contrà 3. aſſ. Ex Bonet. 1. *Phyſ.* *cap* 1. & Mirand. 3. *de ſing. cert. ſect.* 2. Metaphyſica, ſpeculatur tranſcendentia, & prædicata maxime vniuerſalia, cauſaſque rerum altiſſimas, & ſupremas, ſine quibus obiecta aliarum ſcientiarum, lucidè, & diſtinctè cognoſci nequeunt: igitur doctrinæ ordine, Metaphyſica reliquis ſcientiis eſt anteponenda. Reſpondeo cum Scoto præcit. ſub N. argumentum concludere de ordine naturæ, & cognitionis diſtinctæ: non verò de ordine doctrinæ, & cognitionis confuſæ. Quare Metaphyſica in priori ordine eſt prima, & in poſteriori ordine eſt vltima.

ARTICVLVS IV.

De ordine dignitatis Phyſicæ & reliquarum ſcientiarum.

21. MAior, aut minor dignitas, & nobilitas peruestigatur in præſenti, tam inter ſcientias ſpeculatiuas, quam practicas: & perquiritur, vtrùm ſcientiæ ſpeculatiuæ nobilitate vincant practicas, & inter has, ac illas, quænam primum obtineat locum? Quoniam verò ſcientiæ præſtantia, & excellentia, ex eius obiecto petitur: ob id ea ſcientia cenſetur nobilior: quæ nobilius ſortitur obiectum, 6. *Metaphyſica* 2. *&* 11. *eiuſdem operis*, 6. Et Scot. *ibidem.* Ad cuius accuratiorem indaginem, facilioremque captum, neceſſum eſt noſſe, ſcientiæ ſpeculatiuæ in vniuerſum obiectum eſſe ſpeculabile, & practicæ operabile. Trinum autem ſtatuitur obiectum ſpeculabile, *ex dictis in Log. lib.* 5. *quæſt.* 4 *art.* 6. quod triplicem conſtituit ſcientiam ſpeculatiuam. Primum eſt ens vniuersè ſumptum, ſub quo continentur Deus, & ſubſtantiæ, quæ à Metaphyſica conſiderantur. Secundum eſt ſubſtantia corporea naturalis, quam Phyſica ſpeculatur. Tertium eſt ſubſtantia quanta, quæ ſpectat ad Mathematicam. Obiectum verò operabile, ſiue practicum decernitur duplex, per quod habetur duplex ſcientia practica, actiuum ſcilicet, & factiuum, illud ad ſcientiam actiuam, quæ dirigit mores: hoc ad factiuam pertinet, quæ circà externa, & manualia opera occupatur.

22. Aſſertio ſecunda, ſcientiæ practicæ dignitate præeminet ſcientia ſpeculatiua. Eſt Ariſtot. 1. *Metaphyſica*, *cap.* 2. Et 6. *eiuſdem operis*, *cap.* 1. *&* 2. Et Scot. *ibidem & quæſt.* 4. *prol.* Probatur primò ab eiſdem Authoribus. Nobilius eſt eſſe per ſe, & ſui gratiâ, quam ad aliud ordinari, eique miniſtrare: quia illud independentiam quamdam, hoc verò dependentiam ab alio deſignat: ſimpliciter autem nobilius eſt eſſe non dependere, quàm ab alio dependere, vt patet de Deo, qui eſt independens abſolutè, & de creatura, quæ eſt dependens. Speculatiua autem eſt ſui gratia, & ſeipſa expetitur: practica verò eſt gratia operis, & vſus. Ergò ſpeculatiua nobilitate præcedit practicam. Secundò, ſpeculatiua inuenta eſt ob fugam ignorantiæ; practica verò ob indigentiam operis, & neceſſitatem vitæ tranſigendæ. Vnde Stagi-

rita *vbi ſupra* teſtatur, homines ex admiratione effectuum, & cauſarum ignoratione euocatos, & prouocatos fuiſſe ad philoſophandum. Atque habitus omnibus neceſſariis ad vitam ducendam, operam nauaſſe otio fruentes in nanciſcendis doctrinis ſpeculatiuis, nominatim Mathematicis, quarum inuentores fuiſſe otioſos, putà ſacerdotes Ægyptios, refert idem Ariſt. *ibidem.* Tertiò, nobilitas ſcientiæ maior, aut minor, ex maiore, aut minore præſtantia eius obiecti decerpitur, vt ſtatim *in initio huius articuli* inſinuaui, & aperui. Speculatiuæ autem obiectum dignius eſt obiecto practicæ, vt induci poteſt in cuiuſque ſcientiæ ſpeculatiuæ, aut practicæ, adducto, & explicito *ante iſtam aſſertionem.* Denuò, finis practicæ eſt opus, ſpeculatiuæ verò eſt veritas, in cuius gaudio ſitam eſſe beatitudinem, confitetur Auguſt. 10. *conf. cap.* 23.

23. Aſſertio ſecunda, inter ſpeculatiuas, dignitate præſtat Metaphyſica. Deinde Phyſica: ſubſequitur Mathematica. Inter practicas verò actiua dignior eſt factiua. Aſſertio eſt quadripartita. Prima pars exprimitur ab Ariſtot. 1. *Met. cap.* 2. Ibidem ab eodem monitor: & à Scoto *eodem loco*, & 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. §. *Loquendo ſub N.* Quæ eſt de nobiliſſimo obiecto, nobiliſſima extat ſcientia, vt paulò antè dicebam: Metaphyſica autem ſpeculatur nobiliſſimum obiectum, putà Deum, & ſubſtantias abſtractas ex eodem Ariſt. *vbi ſuprà.* Ideò vocatur Diuina, prima ſcientia, prima Philoſophia, primorum principiorum, cauſarumque contemplatrix, & ſapientia, quam maximè habere, & perfectiſſimè ſolum Deum poſſidere, ſubdit ipſemet Ariſt. præcit. Secundò, melius, & nobilius eſt imperare, quàm ſubiici, præcipere, quam parere. Ob id idem Auctor *paſſu memorato*, ait. *Nec ſapiens præceptis ſubiici, ſed præcipere, nec idem alterius ſententiam, ſed minus ſapiens ſententiam illius ſequi debet.* Metaphyſica autem eſt ſcientiarum regina, & domina, cui reliquæ ſcientiæ, tanquàm eius ancillæ obtemperant, 3. *Met. cap.* 2. *T.* 3. Deindè, 1. *Poſt. cap.* 8. *T.* 23. Metaphyſica reſpicit communia, & prima principia reliquarum ſcientiarum. Conſiderat enim quidditates rerum omnium in communi, & in vniuerſali, vt cum Ariſt. ſcribit Doctor citat. ab Orbel. 1. *Met. cap.* 4. Rursùs, Metaphyſica explanat, confirmat, & corroborat aliarum ſcientiarum principia, vt poſt Auic. aſtruit idem Doctor *in primo allegato.* Inſuper, Metaphyſica eſt prima ordine naturæ, & methodo cognitionis diſtinctæ: meritò igitur inter ſcientias tenet primatum.

24. Secunda pars eſt Ariſt. & Scot. 6. *Met. in cap* 1. *T.* 3. dicentium, ſi nulla foret ſubſtantia ſpiritualis, naturalis Philoſophia inter ſcientias inueniretur prima, veluti modò Metaphyſica inter omnes eas tenet arcem. Probatur autem primò, ſubſtantia eſt dignior accidente, 7. *Met. T.* 4. vbi Doctor *quæſt.* 2. Et inter ſubſtantias corporeas, nobilior eſt naturalis, quàm quanta, quia illa eſt principium motus, & quietis: hæc verò præcisè nullius actionis ſtatuitur principium, cum quantitas haud ſit de genere actionum. Igitur, cum Phyſica contempletur corpus naturale, & Mathematica corpus quantum, aptè inter partes Philoſophiæ, Phyſicæ ſecundus tribuitur locus. Secundò Phyſica diſſerit de corpore animato, vt patet *ex libro de anima*: Mathematica verò de corpore, trina dimenſione conſtante, quod præcisè animæ eſt expers. Quodlibet autem viuens, & animatum præferendum eſſe cuilibet inanimato, & non viuenti, tradit Auguſt. *lib. de vera Relig. cap.* 29. Et recipit Doctor *Quol.* 1. Ergo, poſt Metaphyſicam excellentior eſt Phyſica, quam veluti ſoror non deſerit Medicina, à latere eius aſſidens.

25. Secunda pars ſequitur ex præcedentibus, quam tuentur Ariſtot. & Scotus *vbi ſupra.* Cùm enim ſubſtantia quanta ſit Mathematicæ obiectum, ex loco nunc recenſito, conſequenter Mathematica in numero ſcientiarum ſpeculatiuarum, tertiam tenet dignitatis ſedem, quæ iuxtà tertium locum, quem obiectum eius, inter ſpeculabilia occupat, ipſi datur. Præſertim quia nulla alia ſcientia ſpeculatiua realis viribus naturæ parta reperitur, illis tribus prænominatis exceptis: proindéque ordo ille nobilitatis præaſſignatus, retinendus eſt. Quoniam verò Mathematica potiſſimùm duplex eſt, Arith. ſcilicet, & Geometria, dubitari poteſt, quænam earum princeps ſit. Huic difficultati occurrunt Orbel. citatus, & Conimbr. *articulo quarto*, affirmantes Arith. Geometriæ dignitate eſſe anteponendam, quibus ego libenter ſubſcribo. Nam 1. *Met. cap.* 2. ea eſt certior, & accuratior, quæ circà ſimpliciora, & abſtractiora verſatur. Arith. autem diſſerit de vno: quod eſt principium numeri, eſt prius puncto, quod eſt principium lineæ: ſiquidem, punctum præter vnitatem, addit poſitionem in continuo. Deinceps, Geometria demonſtrationes ab Arith. deſumit. Proportio quippè in magnitudinibus à proportione in numeris depromitur. Vnde Euclides meritò Arithmeticam Geometriæ præpoſuit. Propè verò Arithmeticam aſtat Muſica, illi ſubalternata, quæ conſiderat numerum ſonorum, quæve ab Auguſtino per ſex libros, piè, & fructuosè pertractatur. Geometriam autem aſſectatur Perſpectiua ei ſubalternata, quæ reſpicit lineam viſualem, de qua forè in Perſpectiua Alacis citat. à Doctore 2. *diſt. inſt.* 13. *quæſt. vn.* §. *Quantum D.* Ab his, non longè diſtat Aſtrologia, quæ motus Aſtrorum meditatur, principiiſque mathematicis vtitur ad eorum effectos, naturaleſque eorumdem facultates perſcrutandas. Ideò ab Orbello prænominato, media inter Phyſicam, & Mathematicam cenſetur.

36. Quænam autem contemplantium certitudine, & euidentia emineat? in dubium vocari poteſt. Cui ſatisfit, ſi dicatur, quoad nos, Mathematicas eſſe certiores, & euidentiores, quia res mathematicæ patentiores nobis ſunt, minùſque indigent experientia, quam res naturales, & diuinæ. Suffragantur Ariſtoteles 1. *Eth.* 3. *Et* 2. *Met.* 3. Scotus aliique Philoſophi *ibidem.* Abſolutè verò Metaphyſica eſt certior, & euidentior. Ratio affertur ab Ariſtotele 1. *Met. cap* 1. Ea ſcientia eſt certiſſima, quæ circà vniuerſaliſſima occupatur: atque ex principiis ſimpliciſſimis conficit demonſtrationes. talem eſſe Metaphyſicam lucidè conſtat, vtpote quæ contemplatur tranſcendentia, & diuina, quæ certiſſima, firmiſſima, ſuapteque natura euidentiſſima ſunt: quamuis, parum à nobis attingantur: quoniam intellectus noſter ad ea ſe habet, veluti oculus Nicticoracis ad lumen ſolis, 2. *Met.* 1. Hanc doctrinam perſpicuè docet Scot 1. *d.* 3. *quæſt.* 2. § *Nunc* 5. De ordine perfectionis diſtinguo, quod perfectius intelligibile à nobis poteſt intelligi dupliciter, aut ſimpliciter, aut ſecundum proportionem. Exemplum, viſio Aquilæ de ſole eſt ſimpliciter perfectior reſpectu ſolis, quàm viſio noſtra, reſpectu candelæ: & tamen viſio noſtra perfectior eſt proportionaliter, hoc eſt plus habet ipſa de ratione viſionis, ſecundum proportionem ad viſibilitatem candelæ, quàm viſio Aquilæ habeat de ratione viſionis, reſpecto viſibilitatis ſolis. Iſta diſtinctio habetur à Philoſopho *primo de partibus animalium cap.* 5. vbi vult, quod licet de immaterialibus habeamus minimam cognitionem: quod eſt intelligendum proportionaliter, tamen illa eſt deſiderabilior cognitione magna, quæ poteſt haberi de materialibus, quæ eſt magna, in comparatione ad illa cognoſcibilia.

27. Porrò de Logica dicendum eſt, quod ſicut inuentione eſt vltima, ex dictis *in Log. lib.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 5. Ita videtur cæteris diſciplinis dignitate poſterior ſimpliciter. Ratio eſt in promptu, quoniam diſputat de 2. intentionibus, quæ ſunt entia rationis: reliquæ verò diſciplinæ, circa entia realia laborant. Ens autem reale ſimpliciter præſtantius eſſe, ente rationis, neminem fugit. Deinde cauſam nobilitate vincere ſuum effe-

ctum

ctum, & dominam dignitate præire famulam suam, commune extat philosophorum assertum. Cum ergo ex dictis *loco citato*. Logica sit aliarum scientiarum partus, & effectus, atque earum ancilla, non iniuria, sedes vltima ei tribuitur Potest autem dici præstantior practicis, secundum quid, quia est speculatiua, quam præstare practicis, patet *ex prima assertione*. Iterum Logica versatur circa fabrum mentis, diiudicatque verum, a falso, quod sanè indicat aliquam eius præstantiam supra opera mæchanica, quæ a factiuis habitibus efficiuntur. Quare Logica secundum quid excellit practicis, veluti accidens spirituale, secundum quid perhibetur nobilius substantia materiali, & cælorum, viuente sublunari.

28. Quarta pars traditur ab Aristot. 6. *Met. cap.* 1. Et Scoto *ibidem*. Et alibi, qui fere semper factiuam postponunt actiuæ. Causa est, quia actio dignitate anteit factionem. Actio enim propriè est operatio moralis à voluntate promanans: factio verò est operatio manualis, transiens in externam materiam. Rursus actio precisè sumpta est spiritualis, factio verò materialis: cum ergo actiua circa actionem, & factina circa factionem, operam impendant, proculdubio, actiua præfertur factiuæ. Deinceps, actiua perhibetur Medicina animi, & factina medicina corporis: atque, illa hominis opera dirigit: ista verò, circa mæchanica opera, etiam alia, ab hominibus circa sese exercet. Ideò, ait Scotus *quæstione quarta Prol. antè DD.* actiuam, seu moralem inuentam esse, propter necessaria intrinseca, hoc est, ad moderandas nostras passiones, & operationes. Denique, actiua agit de fine vltimo hominis, deque eius felicitate, & summo bono, vt aduertit Diuus August. 8. *Ciuit.* 4. Quod sanè eius præstantiam, inter alias scientias, maximè factiuam demonstrat, vt videre licet *lib.* 1. nostræ Philosophiæ moralis.

29. Oppones primò, contrà primam assertionem, Theologia, communi omnium assensu, nobilitate cæteris scientiis præcellit, quæ secundum Scotum proximè citatum est practica. Non ergo speculatiua præeminet practicæ. Respondeo præpositam primam assertionem capiendam esse de scientiis humanitus partis: non autem de scientiis diuinitus inspiratis, cuiusmodi est Theologia, quæ à Scoto statuitur practica. Hæc responsio deducitur ex eodem Doctore *quæst. tertia sub T. & quæst allegata sub BB.* quam recipiunt Orbel. Faber, & alij *eo in loco*.

30. Instabis, nobilius est, esse sui gratia, quam gratia alterius, annuente Arist. 1. *Met* 1. & admissum est, *in prima assertione*. Speculatiua autem est gratia sui, & practica gratia alterius, *ex eodem ibidem*. Ergo siue à natura, siue à Deo scientia habeatur, semper speculatiua dignitate superat practicam. Distinguenda est ma. secundum Scotum *memoratum CC.* Si fuerit gratia alterius inferioris, & ignobilioris, concedo: quod si extiterit gratia alterius nobilioris, & excellentioris, nego. Hæc responsio declaratur, & roboratur *ex* 7. *Pol.* 14. Nobilitatis est in inferiore, attingere suum superius. Vnde sensitiua hominis est nobilior sensitiua bruti, quamvis hæc sit per se, & ad aliam superiorem facultatem non ordinetur: illa verò fit gratia alterius, hoc est, ordinetur ad aliam præstantiorem, putà intellectiuam. Similiter, scientia censenda est nobilior, quæ fertur ad actum nobiliorem alterius potentiæ, quàm ea, quæ sistit in intellectu, nec vlterius progreditur. Sic Theologia, cum tendat ad praxim, seu amorem, & dilectionem Dei, quæ est actus nobilior voluntatis actu intellectus nostri. Ideò dignitate præit doctrinas speculatiuas. Aristoteles autem putat speculatiuam præeminere practicæ, propterea quod non statuit aliquam scientiam esse conformem praxi voluntatis circa finem. Non enim existimat voluntatem circà vltimum finem habere praxim, sed quamdam motionem naturalem. Ideircò non arbitratur, vllam esse nobiliorem per conformitatem ad finem.

31. Vrgebis, si valet adducta responsio, Ethica foret dignior aliis scientiis, quia illa dirigit praxim, quæ est operatio voluntatis conformabilis rectò dictamini intellectus: istæ verò in sola speculatione manent, aut si extra intellectum egrediuntur, ad opus externi affectionem feruntur. Patet autem ex suprà assertis, Ethicam post scientias speculatiuas locum suum habere. Itemque, sequitur Metaphysicam esse practicam, quia est de Deo, per operationem attingibili, hoc est, per visionem intellectus visibili, & per amorem diligibili, atque fruibili; quod communi philosophorum doctrinæ, & potissimum Scoti Scholæ contradicit. Si fortè detur sequela ma. nullum videtur sequi inconueniens ex concessis. Quandoquidem, cum Aristot. 10. *Eth.* 7. & 8. felicitatem locauerit in contemplatione substantiarum abstractarum, proindéque nullam admiserit praxim circà vltimum finem; mirum non est, si speculatiuam morali, omnique practicæ præferat. Nos autem lumine fidei illustrari, agnoscentes vltimum finem esse à nobis per operationem attingibilem, præcipuè per amorem, & fruitionem: atque nostram beatitudinem, potissimùm consistere in fruitione Dei, quæ est operatio voluntatis, seu praxis, libenter, & patenter astruimus, practicam speculatiuæ excellere, eo modo, quo supra dictum est. Eò magis, quia practica sic sumpta, non præcisè Ethica perhibetur, sed Theologica, & diuina, cùm Deum respiciat per operationem attingibilem. Ad aliud quod subiicitur de Metaphysica dico, eam considerare ens, Deum, Angelum, & reliqua transcendentia, vt speculabilia, non verò vt operabilia; ideo simpliciter Metaphysica est speculatiua.

32. Dices, dignitas scientiæ ex obiecti præstantia depromitur, vt pluries inculcani. Speculatiua autem participat nobilius obiectum, quàm practica, vt Metaphysica Deum, qui est substantia præstantissima: practica verò, vt Ethica pro suo obiecto habet actionem moralem, quæ est accidens. Et si ipsi assignetur aliqua substantia pro obiecto, nulla alia dabitur, quàm humana, quam inferiorem esse substantiâ Dei, & Angeli, nemo it inficias. Ergo nulla practica præcedit speculatiuam. Concessa ma ad min. dico. Ethicam, prout eam tradidit Aristot. fertur pro suo obiecto hominem bonis moribus imbuendum, vt dixi *libro primo Philosophiæ Moralis quæstione tertia articulo vn. assert.* 3. Verùm practicam, quam dignitate superare speculatiuam astruimus, fertur ad Deum, summum bonum, à nobis per visionem, & fruitionem attingibile. Ideò formaliter, & obiectiuè scientiis speculatiuis antecellit. Hancque propriè non Ethicam, sed Theologicam scientiam nuncupari, superiùs præmonui.

QVÆSTIO II.

De natura Physicæ.

ARTICVLVS I.

An Physica sit scientia.

1. ARISTOT. 4. *Met. cap.* 5. *T.* 22. Scot *ibi*, & 1. *Post. quæst.* 1. & 1. *distinct.* 3. *quæst.* 4. Lych. *eo in loco*, & Barg. Parienses 1. *Phys. quæst.* 3. Tatar. *ibidem, quæst.* 1. Ioannes de Magistris, & alij, quibus præiuit Augustin. 1. *Retract.* 1.

Retract. 1. *& tribus lib. contrà Academicos*, referunt, & refellunt veterum, & Recentium Academicorum sententiam, suspicantium omnia esse ambigua, & incerta; probabilia, & apparentia; mutabilia, & inconstantia, de quibus nec naturalem, nec vllam aliam esse scientiam: veritatemque rerum naturalium inquiri, sed non acquiri, in tenebris latere, nunquam verò luce micare. Sicque Academici potiùs inscitiæ, quàm scientiæ Magistri videbantur, quos acerrimè arguunt, & redarguunt, vincunt, & reuincunt Authores prænominati, asseuerantes de naturalibus esse scientiam, certamque notitiam de eis, à nobis comparari, atque de eisdem veritatem nobis elucere.

2. Not. primò, ex Scoto *in prol. quæst* 5. *lat*. §. *Sed aliud sub* C. & recolendum ex dictis in Log. *libro primo, quæst*. 2. *artic*. 2. Vnam ex conditionibus ad scientiam requisitis esse, vt sit de obiecto necessario, necessitate se tenente, non quidem ex parte scientiæ, quia ipsa in se potest esse contingens, & per obliuionem deleri; sed ex parte obiecti. Quod intelligendum non est penes existentiam, & entitatem; cum habeatur scientia de Homine, Leone, & aliis, quæ contingentia, & corruptibilia sunt, & quandoque non existentia: sed penes esse obiectiuum, & quidditatiuum, non quidem incomplexè, sed complexè, hoc est, secundum necessariam connexionem, & habitudinem quam extrema inter se sortiuntur, vt hæc propositio est necessaria, *homo est risibilis*. Quia inter eius prædicatum, & subiectum extat necessarius nexus. Siquidem propositio scibilis describitur à Tatar. & Parisien. *citat. quæst*. 1. Propositio necessaria, quæ est nata fieri euidens, per propositiones necessarias, ad ipsam applicatas per discursum syllogisticum. Huius sunt tres necessariæ conditiones, quarum prima est: vt sit necessaria, ad excludendam propositionem contingentem, vt *Homo est albus*. Secunda vt sit dubitabilis, ad remouendam propositionem per se notam, quæ ex sola terminorum explicatione cognoscitur. Tertia, vt gignatur, & euidens efficiatur, per discursum syllogisticum, ad differentiam habitus principiorum, de quibus non habetur scientia.

3. Not. secundò, scientiam non esse de singularibus (exceptà fortassè Theologià) sed de vniuersalibus, quia singularia non sortiuntur passiones distinctas ab vniuersalibus, per quas valeamus acquirere scientiam. Deindè, singularia materialia corruptibilia, & temporalia sunt, scientia verò, 1. *Post. cap*. 7. *T*. 11. est de incorruptibilibus, & æternis. Ideò, quanquam singularia naturalia ortui, & interitui obnoxia sint, Physica à scientiarum cœtu haud est tollenda. Quandoquidem non versatur circa illa, vt singularia sunt, sed circa eorum naturas communes, habentes passiones necessariò, & perpetuò eis cohærentes, & vt sic, non sunt tales naturæ corruptibiles, nisi mediatè, & per accidens, authore Aristot. 1. *Met. in proœm*. Quatenùs scilicet earum singularia corrumpuntur. Quocirca Scotus 3. *distinct*. 22. *quæst. vn*. §. *Ad* 1. *argumentum sub H*. subiicit, scientiam haberi de mutabilibus, generabilibus, & corruptibilibus, non in singulari, sed in vniuersali, sciendo talia esse mutabilia, generabilia, & corruptibilia. Siue, vt alij inquiunt, de mutabilibus datur scientia, non reduplicatiuè, sed specificatiuè Nam 1. *Post*. 2. Res corruptibiles (supple, reduplicatiuè) non sunt scibiles. Corruptibile quippè, nequit esse incorruptibile, veluti mutabile non potest esse immutabile, & contingens necessarium. Scribente eodem Doctore *quæst*. 5. *lat*. §. *Sed aliud H* Et reclamante Pererio *lib*. 2. *Phys. cap*. 3. *in resp*. 6. *dub*. Etenim cognoscere contingens, vt necessarium, non est cognoscere contingens, & cognoscere mutabile, vt immutabile, non est cognoscere mutabile, vt contrà Henr. arguit Scotus mox citatus §. *Primò* Atque cognoscere corruptibile, vt incorruptibile, non est cognoscere corruptibile: alioqui omnia caderent sub scientiam, cum nihil sit, quod non valeat considerari, sub illa particula reduplicatiua, *vt* vel *quatenus* tale, quod simplè in Logica reiectum est. *lib*. 5. *quæst* 4. *art*. 1. Addo, quòd intellectus falleretur cognoscendo res aliter, quàm sint: si ergo res sunt mutabiles, cognoscit eas mutabiles, & sic de reliquis, vti sunt.

4. Not. tertiò, quod licet Philosophus perperàm existimauerit, Mundum esse æternum, necnon materiam primam, motum, intelligentias, necessitatem naturalem Dei in agendo, & huius formæ alia: ob id non est censendum, Physicam magna ex parte non esse scientiam, vt putat Perer. *vbi suprà ad* 8. Etenim, de præfatis rebus, secundum earum existentiam, non habetur scientia, sed penes earumdem essentiam præscindentem ab existentia, vt rectè notat Orbel. 7. *Met. cap*. 3. proindéque non aufertur ratio scientiæ, siue ab æterno, siue in tempore res extiterint. Amplìus etiam nos luce fidei collustrati, ea ferè non valemus demonstrare, quæ ipse Philosophus fortè non demonstrauit. Idcircò, non magis nostra videtur esse scientia, quàm illa Philosophi. Licet autem idem Auctor quædam falsa admiserit, quædam verò probabilia inseruerit; non propterea rationem scientiæ ademit: veluti in Logica tractamur multa probabilia, tametsi ipsa Logica sit absolutè, & simpliciter scientia. Siquidem ea absolutè scientia perhibetur, quæ respicit subiectum absolutè scibile, cuiusmodi est corpus naturale.

5. Assertio, Physiologia est verè, & propriè scientia. Ita Scot. *quæst*. 1. *vniuers. in solut*. 2. Et 3. *dist*. 22. *quæst. vn*. §. *Rationes sub D*. Et *distinct*. 34. *quæst. vn*. *Et quæst*. 3. *prol*. Cui præiuit Arist. 3. *Phys. cap*. 4. 2. *Met. T*. 8. *&* 22. Et 6. *eiusdem operis cap*. 1. diuidens scientiam speculatiuam, in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam. Probatur primò, ex illa vulgata diuisione Philosophiæ, & scientiæ, relata ab Aug. 8. *Ciuit. cap*. 4. & Plat. tradita, hausta ex Hebræis in naturalem, seu Physicam Moralem, seu Ethicam, & Rationalem seu Logicam, & Metaphysicam. Secundò, de obiecto verè scibili, datur vera scientia, 1. *Post*. 2. Physica autem habetur de obiecto propriè scibili, quod ex dicendis *in proxima quæst* est corpus naturale, de quo multa demonstrantur, & sciuntur, quorum nonnulla affert Doct. 3. *distinct*. 22. *cit*. Omne corpus constans ex elementis, est corruptibile, quia ex contrariis conflatur: corpus autem humanum est huiusmodi, vt patet: ergo corpus humanum est corruptibile. Item, quod componitur ex materia, & forma est generabile, & corruptibile, cum prima radix corruptionis, teste Doctore *vbi supra* sit materia, cum priuatione ipsi coniuncta, quæ est in potentia transmutationis ad aliam formam, qua caret, vt materia aëris, ad formam aquæ, & è conuerso. Omne autem mixtum compositum conficitur ex materia, & forma: ergo omne compositum mixtum est generabile, & corruptibile. Tertiò, demonstratio, & scientia sunt de vniuersalibus, 1. *Post. T*. 43. Et 7. *Met. T*. 53. Physica autem est de corpore naturali, quod est vniuersale. Abstrahit enim ab animato, & inanimato, à simplici, & mixto; ab hoc, & illo, vt vniuersè induxi *in præfatione huius operis* Addo, reliquas scientiæ conditiones à nobis in Logica citata adductas, & explanatas quæ huic mirificè congruunt. Physica enim *est cognitio certa, & euidens rei necessariæ naturalis parta per discursum syllogisticum* Nec minus in Physica demonstratur, hominem esse risibilem, quam in Mathematica, triangulum habere tres angulos. Vtrobique; namque æqua affertur ratio, nempè à natura hominis, & à natura trianguli necessariò propriam dimanare passionem, ac inter vtramque, eiusque proprietatem, nexum indissolubilem intercedere. Demùm, præpositam assertionem apertè demonstrant, quæ fusè, & acutè adducit Scot. 1. *distinct*. 3. *citatus*. Et quæ contrà Academicos congerit August. post Aristot. allegatum, *in initio huius art*. lucidè, & nitidè conuincunt quoscumque,

etiam proteruos : adeò vt à tanta falſitate , & abſurditate philoſophandi , tantos viros prænominatos vindicare nitantur nonnulli, inter quos eſt Tullius 5. *Tuſc. quæſt.* cuius verba affert Auguſt. 3. *contrà Academ. cap.* 10. Ipſique conſentire videtur idem Auguſt. tum ibi , tum etiam 8. *Ciuit. cap* 4. Ferunt enim, illis morem fuiſſe occultandi ſententiam ſuam , nec eam cuiquam, niſi, qui ſecum , ad ſenectutem vſque vixiſſent, aperire conſueuiſſe.

6. Oppones primò , omnis noſtræ intellectionis, & cognitionis ſcientificæ primi duces ſunt ſenſus, vt indicat illud Philoſophi *lib. de ſenſu , & ſenſato cap* 1. *Nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu.* Senſus autem plerumque circà ſenſibilia falluntur , & deluduntur , vt viſus baculum poſitum in aqua iudicat eſſe diſtortum , & fractum , cum tamen verè rectus ſit, & integer. Guſtus ægroti iudicat cibum dulcem eſſe amarum, & tactus digitis decuſſatis, manu mouente vnum tantùm globum , iudicat eſſe duos globos. Igitur , de ſenſibilibus nulla certa , & ſcientifica cognitio haberi poteſt. Reſpondeo ex Doctore *in primo allegato.* §. *De tertiis.* Intellectum noſtrum ſuam auſpicari cognitionem à ſenſu , non tanquam à cauſa , ſed tanquam ab occaſione. Ideò , licet omnes ſenſus errarent , ipſe tamen intellectus non erraret , adhibitis certis, & debitis conditionibus circà proprium ſenſibile , *in lib. de anima* explicandis , præſertim quia babet terminos apud ſe , qui ſunt cauſa veritatis. Itaque ait Doct. cit. *ſub D.* ſi alicui cæco nato imprimerentur miraculosè in ſomnis ſpecies albedinis, & nigredinis, ipſo deindè euigilante , intellectus eius abſtrahens ab eis , poſſet componere hanc propoſitionem , *Album non eſt nigrum.* Et penes illam enuntiationem non deciperetur intellectus , quamuis termini non acciperentur à ſenſu errante ; quia ratio formalis terminorum , ad quam deuentum eſt , extat cauſa neceſſaria veritatis præallatæ propoſitionis negatiuæ. Quare intellectus allucinari nequit, nixus illi propoſitioni veræ vniuerſali affirmatiuæ à cauſa neceſſaria , & naturali debitè applicata, & non impedita , effectus neceſſarius , & naturalis emanat. 2. *Phyſ. T.* 48. Hinc ad inſtantiam de baculo , qui in aqua videtur obliquos, & fractus , dico intellectum firmari , & certificari hâc propoſitione euidente, nullum durius frangitur , ad tactum alicuius mollis ſibi cedentis. Baculum autem duriorem eſſe aquâ, hancque illi cedere, tam viſus, quam tactus apertè monuit : ſicque intellectui planè conſtat baculum non eſſe fractum, ſicut viſus iudicat. Ad aliam inſtantiam dico, id prouenire ex indiſpoſitione guſtus , qui humore amaro affectus , iudicat alimentum dulce eſſe amarum. Plura ſuo loco.

7. Oppones ſecundò , ſcientia eſt de obiecto noto, determinato , & neceſſario , 1. *Poſt* 2. Phyſica autem verſatur circà rem ignotam , indeterminatam , & contingentem, putà materiam, quæ eſt ignota, 7. *Met.* 35. Indifferens ad omnes formas recipiendas , & contingens , cum ex eodem *ibidem T.* 22. Materia ſit , quâ res poteſt eſſe , vel non eſſe. Non ergo Phyſica inter ſcientias recenſetur. Hæc ratio eſt vna ex præcipuis, quibus ſe eſſe victos, palàm confeſſi ſunt præfati Philoſophi , non diſtinguentes potentiam ab actu : exiſtentiam ab eſſentia ; & ſingulare ab vniuerſali. Concedo ma. nego min. Ad eius probationem , quæ fulcitur teſtimonio Ariſtot. Occurrit Doctor *in expoſitione illius tex. &* 3. *diſtinct.* 22. *quæſt. vn.* §. *Ad* 1. *argumentum ſub H.* Materia dicitur ignota , propterea quod, forma quoquo modo eſt ratio cognoſcendi ipſam materiam. Vel dicito, Philoſophum loqui de materia ſumpta pro differentia indiuiduali , quæ non cognoſcitur cognitione ſcientifica , vt notat idem Doctor *vbi ſuprà.*

8. Oppones tertiò , de mutabilibus , & inconſtantibus , deque temporalibus , & fluxibilibus , ſcientia non gignitur, 1. *Poſt.* 2. *&* 7. Phyſica autem contemplatur mutabilia , & variabilia , vt elementa , & elementata , quæ perenniter ſubeunt mutationem : conſiderat quoque durabilia , & mobilia , cœlorum motus, ſyderum ortus , & occaſus , ſolis , & lunæ deliquia, rerum ſublunarium perpetuam generationem , & corruptionem , animantium vitam , & mortem , & cætera, quæ in decurſu Phyſiologiæ peraguntur. Haud igitur Phyſica inter ſcientias eſt adſcribenda. Hæc eſt altera ratio fundamentalis præfatorum Authorum, qui perſpicientes , nihil ſub ſole firmum , nullumque gradum entis creati fixum , omniaque irrequieto motu cieri , acquiri , & deperdi à ſenſibilibus , & mobilibus omnem certitudinem, veritatemque eliminandam eſſe arbitrati ſunt. Diſtinguo ma. Incomplexè, & in eſſe exiſtentiæ , concedo : complexè , & in eſſe eſſentiæ, nego. Sic exponitur authoritas Ariſtot. citati. Mutabilitas quippè , & corruptibilitas ſunt paſſiones rerum mutabilium , & corruptibilium , veluti viſibilitas eſt paſſio coloris , perhibente Scot. *in tertio citato ſub G.* Quemadmodum enim illa eſt vera , & in ſecundo modo dicendi per ſe , *color eſt viſibilis :* ita iſtæ ſunt veræ , & in ſecundo modo dicendi per ſe, *Homo eſt corruptibilis , cælum eſt mobile , & Luna eſt eclypſabilis:* Siquidem , inter ipſarum extrema habetur perpetua habitudo , & neceſſaria connexio. Poteſt enim intellectus apprehendere terminos ſimplices, deinde inter ſe componere , de ſubiecto paſſionem eguedientem perſcere : atque ex principiis , ſiue præmiſſis veris, & neceſſariis deducere concluſiones veras, & neceſſarias, vt oſtendit Doctor *ibidem* , ſubnecto cum eodem 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 4. §. *De tertiis circa H* Licet obiectum ſit corruptibile , & mutabile , attamen eſt immutabile a vera entitate in falſam.

ARTICVLVS II.

An Phyſica ſit ſpeculatiua.

9. Recognoſcenda ſunt , quæ vberè tractaui , *in Log. lib.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 5. Et *lib.* 5. *quæſt.* 4. *artic.* 4. 5. *&* 6.

Aſſertio , Philoſophia naturalis eſt ſpeculatiua. Defenditur ab Ariſtot. 6. *Met. cap.* 1. *T.* 2. Et 11. *eiuſdem operis , cap* 2. Scoto *ibidem* Et 3. *diſtinct.* 34. *quæſt. vn. D.* Orbel. 6. *Met. cap.* 1. Antonio Andrea *eo in loco.* Pariſien. 1. *Phyſ. quæſt.* 2. Tatar. *quæſt.* 1. *ſcibili* 2. Et aliis, vna voce approbantibus, & confirmantibus diuiſionem ſcientiæ ſpeculatiuæ in Mathematicam, Phyſicam, & Metaphyſicam: ſuffragatur Aug. 8. *Ciuit. cap.* 4. qui adducens , & recipiens Platonicam Philoſophiæ tripartitam diſtributionem , in moralem , naturalem , & rationalem , ſubdit , Moralem maximè in actione verſari , Naturalem contemplationi deputari , & Rationalem diſcernere verum à falſo. Secunda ſpeculatiua eſt, quæ reſpicit obiectum ſpeculabile, practica verò, quæ ſortitur obiectum operabile , ex aſſertis in Logica *lib.* 5. *quæſt.* 4. *art.* 5. *&* 6. Atqui Phyſica contemplatur corpus naturale, quod per Ariſt. 6. *Met. cap.* 1. eſt vnum ex tribus obiectis contemplatiuis. Habetur enim de iis, quorum non eſt nobis ars, nec electio. Tertiò omnis ſcientia , vel eſt ſpeculatiua , vel practica, cum inter vtramque non intercedat medium , ſiue per extremorum participationem , ſiue per eorumdem abnegationem, vt fusè probaui *loco proximè citato art.* 4. Phyſica autem non eſt practica , quia non eſt actiua, ſeu Moralis : nec factiua, ſeu Manualis : ergo inter ſpeculatiuas eſt connumeranda.

10. Oppones primò, Ariſt. 1. *de partibus animalium cap.* 1. videtur Phyſicam expungere à ſcientiis theoricis , inquiens , Phyſicæ demonſtrandi modum , & certitudinis rationem diuerſam eſſe ab illa, quæ reperitur in ſcientiis ſpeculatiuis. Igitur , in doctrina Peripate-

tica, Physica non habet locum inter scientias speculatiuas. Respondeo Philosophum ibi tantùm intendere, Physicam non gaudere demonstrandi modo, ita facili, & euidente, veluti potiuntur disciplinæ Mathematicæ, de quibus *eo in loco* apertè verba facit. Causa redditur, quia illa res materiæ immixtas, ad quarum comparationem, longâ experientiâ indigemus, contemplatur: hæ verò a materia sensibili abstrahunt, ad quarum acquisitionem, propter manifestam certitudinem, & euidentiam, experientia non videtur esse necessaria. Ideò, modum magis speculatiuum induere perhibentur. Quarè, Arist. nullibi negat, Physicam esse speculatiuam, imò expressè affirmat, vt patet ex eius testimoniis præallegatis, ad communiendam nostram præpositam assertionem.

11. Opp. 2. Physica fertur, & ordinatur ad praxim: ergò est practica. Consequentia tenet, Ant. probatur, ex rebus physicis, & sensibilibus euehimur ad cognitionem 1. causæ, nempè Dei, eiusque amorem, vt post Doctorem Gentium, *Rom.* 1. planè tradit Aug. 1. *Retract.* 6. Et disertè 2. *de ordine.* Et *in soliloq.* Homo quippè, boni, & pulchri cupidus summoperè capitur, & maximè delectatur in magnitudine, bonitate, & pulchritudine rerum sensibilium, & visibilium: è quarum cognitione, & amore, ad earumdem opificem, & Authorem Deum cognoscendum, & diligendum proculdubio excitatur, & prouocatur. Hinc, iure idem Paulus cit. Philosophis ethnicis exprobrat, quod non sicut cognouerunt, ita Deum glorificauerunt. Nego ant. ad eius probationem distinguo. Per se, nego: per accidens, concedo. Finis enim Physicæ, non est praxis, nec eius obiectum practicum: sed speculatio rerum naturalium est eius finis proximus, eiusdemque obiectum speculatiuum est corpus naturale. Quamobrem, per accidens est, vt quispiam ex rerum sensibilium specie; & forma, ad amorem conditoris efferatur: veluti quoque, accidit Metaphysicæ, si quis, ex eius prædicatorum transcendentium, & diuinorum attributorum, ad Deum, & Angelos diligendos emoueatur.

12. Instabis, illa pars Physicæ, quæ tractat, quomodo fiant nubes, pluuia, nix, grando, aliaque meteora, in media aëris regione, à numero practicarum eximi non videtur: & quæ circà operationes humanas versatur, non minùs est practica, quàm pars Ethicæ, quæ circà easdem operationes laborat. Igitur Physica non est prorsus speculatiua. Dico, Physicam proprias dictarum rerum naturas, quidditates, & formalitates speculari: accidit autem ipsi earum effectio, in qua per se non sistit, veluti Astrologia, in Astrolabij opificio, Geometria in efformatione trianguli, & Logica in constructione syllogismi. Talia quippè opera præfatas scientias à choro speculatiuarum disciplinarum non excludunt, cùm ipsis accidant.

13. Opp. 3. Medicina est practica, ergò & Physica. Consequentia tenet. Nam illa est pars huius, cùm consideret corpus humanum, quod sub corpore naturali, tanquam eius species continetur. Ant præterquamquod est Scot. *quæst.* 4. *prol.* §. *Ad rationes oppositas. F F.* suadetur, ea quippè operam suam impendit in curandis ægris corporibus, medendi legibus, & antidotis. In eadem corpora sanitatem inducere, & conseruare conatur, quod habitui practico accommodatur. Concedo ant. nego conseq. Etenim, sunt scientiæ distinctæ, distincta obiecta formalia possidentes, cum Physica speculetur corpus naturale sub formali ratione naturalitatis, quæ est speculabilis. Medicina verò inspicit corpus naturale sub ratione sanabilitatis, quæ est ratio practicabilis formalis, distincta à naturalitate. Ideò, illa inter speculatiuas, hæc verò inter practicas aptè collocatur, Licèt autem Medicorum vulgus secernat Medicinam in theoricam, quæ de vniuersalibus causis, earisque à praxi remotioribus disceptat: & in practicam, quæ de particularibus curis, proximè, & immediatè praxi conformibus tractat; & hæc omnimodè est practica, illa verò, quanquam respectiuè dicatur speculatiua: nihilominus simpliciter est practica. Cuius rationem affert Doctor, citat. quia virtualiter includit dictam particularem, formaliter, & proximè conformem. Non me fugit autem *Aristot. l. de sensu, & sensibili cap.* 1. Physicam, & Medicinam appellare sorores, fortè non ob aliam causam, quam propter affinitatem, & similitudinem, quam adinuicem sortiuntur, quæ in eo posita esse videtur, quod vtraque medetur, diuersimode tamen ex eodem Authore. Medicina quippè corpori medicamenta parat, Physica verò animæ medelam adhibet. Vniuersa namque Philosophia dici potest Medicina animæ, vt præ aliis notat Peter. 1. *Phys. cap.* 2. cit. à Ferch. *vestig.* 9. *cap.* 2. *num.* 7. Duplex autem extat morbus animi, putà morbus intellectus, & voluntatis. Prior est ignorantia veri, quæ per speculatiuam tollitur: posterior verò, est morum corruptela, quæ per practicam, seu Ethicam aufertur. Demùm cùm Physica, & Medicina circa idem obiectum materiale, hoc est corpus naturale occupentur, & hæc ab illa multa mutuetur, induatque plerumque personam eius, non incongrue Phylosophos eas nuncupaut sorores.

ARTICVLVS III.

An Physica sit vna scientia.

14. HEnr. *Quol.* 9. *quæst.* 4. Caiet cum D. Thom. 1 2. *quæst.* 54. *art.* 4. Ferr 1. *contra Gentes*, & Recentiores non pauci, nominatim Ruuius *in proœm. Physic.* affirmant, Physicam esse vnam simplicem qualitatem, quæ se extendit ad omnes partes in ipsa consideratas. Vel vt quibusdam placet, esse vnam simplicissimam qualitatem, quæ tota gignitur, in 1. demonstratione physica, quoad intentionem, & postmodum extenditur ad alias conclusiones scientificas, per alias demonstrationes constituendas, sine augetur, quoad extensionem, nulla entitate, nulloque gradu ipsi de nouo accedente: veluti, enim vnus & idem calor per varias corporis partes extenditur, nullam nouam entitatem, gradumve intensionis accipiens. Nonnulli, quorum meminit Soncinas 6. *Met. quæst.* 9. arbitrantur esse qualitatem quidem simplicem, diuerso tamen modo eam explicant, quam Authores mox allegat. Inquiunt enim, sicut ex multis partibus heterogeneis, videlicet capite, brachiis, &c. conficitur vnum corpus, quatenùs conueniunt in vna materia, & forma: ita omnes habitus partiales Physicæ, per singulas generari demonstrationes, tametsi specie inter se distinguuntur, cum versentur circa diuersa subiecta specie distincta, nempè Cælum, terram, & huiusmodi: verumtamen, quatenùs in vna quasi forma scientiæ conueniunt, quæ est ratio formalis obiecti, siue naturalitas, siue mobilitas, dicuntur constituere vnam simplicem qualitatem. Cæteri autem putant, Physicam esse qualitatem compositam ex partialibus entitatibus verè inter se vnitis, quoniam absque vlla additione, nequit esse verum augmentum & sine vnione vera vnitas habitus. Nominales verò, Ocham. *in prol. q.* 9. Gabriel *ibidem quæst.* 8. Et Gregor. *quæst.* 3. *artic.* 2. tenent, quamlibet scientiam, in naturæ viribus acquisitam, esse vnam per aggregationem. In hanc sententiam citantur Scot. *quæst.* 3. *Prol.* Antonius Andreas, & vniuersa subtilium schola, licet isti haud doceant, Physicam, & quamlibet aliam scientiam esse vnam per aggregationem, sed vnam vnitate generis remoti, vt videre licet, apud Anto-

nium Andream 6. *Metaphyſica, quæſtione 3. articul.* 1. Tatar. *hoc loco, quæſtione proœmiali, dubio* 2. & Scoto tùm *text. citat.* tùm etiam 6. *Metaphyſica, quæſt.* 1.

15. Not. ex Scoto citato & recol. ex dictis *in Logica l.* 1. *quæſt.* 2. *artic.* 4. vnitatem ſcientiæ eſſe duplicem, vnam intrinſecam, & alteram extrinſecam. Vnitas intrinſeca perhibetur ea, quæ conſequitur ſcientiæ entitatem, & eſſentiam, quoniam omne ens eſt vnum, cùm vnum ſit paſſio entis, ex alibi dicendis. Vnitas extrinſeca ſcientiæ decerpitur penès obiectum, quod reſpicit. Ideóque, ſi obiectum eſt vnum ſpecie, ſcientia de eo eſt vna ſpecie. Quod ſi eſt vnum numero, vtique ſcientia eſt vna numero. Si verò eſt vnum genere, ſcientia pariter de eo eſt vna genere. Hinc oritur diſtinctio ſcientiæ in formalem, virtualem, & potentialem. Scientia formalis eſt cognitio particularis concluſionis demonſtratæ, ſiue demonſtratio ſit propter quid, ſiue quia inclinans præciſè intellectum ad ſpeculationem illius concluſionis. Virtualis eſt cognitio primi, ſeu adæquati ſubiecti continentis in ſe virtualiter omnes concluſiones ſcibiles de tali ſubiecto inclinans formaliter ad eius ſpeculationem, & virtualiter ad cognitionem eorum omnium, quæ virtualiter in eo includuntur, quod contingit, quando ſubiectum eſt ſpecificum. Potentialis eſt cognitio ſubiecti, & eorum omnium, quæ potentialiter clauduntur in eo, & hoc euenit, quando ſubiectum eſt genericum, quod potentialiter continet ſuas ſpecies. Quapropter, ſcientia dici poteſt vna numero, aut ſpecie, aut genere proximo, ſiue remoto, vt rectè notat Antonius Andreas *loco prænominato*. Quid autem, & quotuplex ſit continentia, & reliqua, quæ ad huius difficultatis plenum captum, & intellectum faciunt, recognoſcenda ſunt in Logica *libro* 5. *quæſt.* 2. *artic.* 8. *notat.* 1. *& inde.*

16. Aſſer. prima, Phyſica non eſt vna ſimplex qualitas, quæ per primam demonſtrationem gignitur, quoad intentionem, & poſteà augetur quoad extenſionem per cæteras demonſtrationes. Deducitur ex Scot. *locis pracit. propè initium artic.* Probatur primò, eadem extat ratio de vna demonſtratione, ac de cæteris omnibus, ergò ſi intellectus per primam demonſtrationem acquirit nouam ſcientiam, quoque per ſecundam & tertiam recipiet nouam ſcientiam. At ſecundum Aduerſarios, per primam demonſtrationem, accipit nouam cognitionem ſcientificam, ergò & per reliquas ſubſequentes. Ant. liquet, quia demonſtratio, ſiue prima, ſiue ſecunda, ſiue tertia, eſt naturale inſtrumentum ſciendi: ſi ergò prima demonſtratio generat ſcientiam, pariter nullo interpoſito obice, ſecunda, & tertia ſcientia gignitur. Secundò admiſsâ illâ Thomiſtarum ſententiâ, qui primam demonſtrationem amitteret, vtique totam ſcientiam, per alias demonſtrationes partam perderet, cum totam, ſecundum præfatos Authores, per priorem demonſtrationem ſibi comparauerit. Id autem experientiæ pugnat. Qui enim obliuiſcitur modos demonſtrandi primæ figuræ, & ea quæ docentur in Analytica, non ſequitur obliuioni dare modos argumentandi ſecundæ, & tertiæ figuræ, atque ea, quæ *in lib. Top. & Elench.* traduntur, cum illa, ab his minimè dependeant. 3. In ſententia dictorum Thomiſt. actus naturaliter ſunt generatiui habitus per hoc, quod naturaliter relinquunt ſuam ſimilitudinem in paſſo: agentium autem ſpecie differentium ſunt realea ſimilitudines ſpecie diſtinctæ, vt actus ſpecie diuerſi, cuiuſmodi ſunt intellectiones diuerſorum principiorum, & diuerſorum concluſionum, de quibus non habetur idem ſpecie habitus. 4. Vbi eſt eadem cauſa, quoque idem eſt effectus: obiecta autem, & actus morales ſpecie differentes, putà temperantiæ, & iuſtitiæ, gignunt habitus ſpecie diuerſos, propterea quod ſecundum proprias rationes ſpecificas imprimunt potentiæ ſimilitudes naturales ſpecie differentes, nullo ergò modo vnica demonſtratione acquiritur tota Phyſica.

17. Aſſertio ſecunda, Phyſica non eſt vna, ex variis gradibus eiuſdem ſpeciei conflata. Sequitur ex principiis Scoti. Et aduerſatur quibuſdam Recentibus. Probatur primò, quæ ſunt diuerſæ ſpeciei, nequeunt vnum ſpecie conſtituere, vt conſtat ex terminis: cognitiones autem, ſiue actus ſcientifici de diuerſis obiectis ſpecificis ſunt diuerſæ ſpeciei, velnti eorum obiecta differunt ſpecie, ergò ex dictis actibus ſpecie diſſitis, vna ſcientia ſpecie haud coaleſcit. Secundò, datâ illâ opinione, nulla foret ſcientia generica, ſed omnes ſcientiæ eſſent ſpecificæ. Quod contradicit 1. *Poſt. T.* 43. *Vna ſcientia eſt, quæ eſt vnius generis ſubiecti.* Non igitur Phyſica eſt vna ſcientia, ex multis gradibus eiuſdem ſpeciei conflata.

18. Aſſertio 3. Phyſica non eſt vna per aggregationem: nec vna vnitate ordinis, cuiuſmodi dicitur domus vna, nauis vna. Colligitur ex Doctore *paſſim allegato*. Prima pars probatur 1. Quæ in vnum aggregantur, ſunt entia per accidens, vt aceruus tritici, & cumulus lapidum, quæ in ſcientiam non cadunt, 6. *Metaphyſica, T.* 5. cum ſcientia per ſe in categoria qualitatis reſideat, vt patet *in Epitome libro* 1. *quæſt.* 4. *art.* 7. *in fine.* Non eſt ergò ad ea, quæ ſunt vnum aggregatione reuocanda. Secundò, ſcientia eſt de concluſione, diciturque effectus demonſtrationis ex principiis, cauſiſque per ſe proueniens, vt fusè ex Ariſtot. 1. *Poſt. oſtendi in Logica, log.* 5. *quæſt.* 3. Addo, ſubiectum ſcientiæ, quod potentialiter, aut virtualiter continet omnes eius veritates ſcibiles, eſt vnum per ſe, tùm ſit ſpecies, aut genus, quod eſſe ens per ſe, nemo diffitetur. Igitur Phyſica quæ verſatur circà corpus naturale, tanquàm eius ſubiectum quod eſt genus ſubalternum, vt videre licet in arbore Porph. adducta *in Epitome libro* 1. *quæſt.* 3. *artic.* 4. *num.* 6. non eſt vna vnitate aggregationis, quidquid dicat Ponc *diſp.* 30. *quæſt.* 2. *concl.* 4.

19. Secunda pars probatur 1. Quæ ſunt vnum ordine, ſunt diuerſi generis, & ſpeciei, vt patet de Mundo, qui cùm ſortiatur vnitatem ordinis, affirmantibus Ariſtot. 12. *Metaphyſica, T.* 51. & Scoto *ibidem.* Et *lib. de primo principio cap.* 3. *Poſt.* Pythagoram tradentem Mundum eſſe vniuerſorum complexionem, continet omnia genera, & ſpecies rerum diuerſas. Phyſica autem eſt vnius generis duntaxat, putà prædicamenti qualitatis. Igitur, non eſt vna ordine. Secundò, quæ participant vnitatem ordininis, in ſola relatione conueniunt, quia ordo eſt relatio, ex Scoto 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 4. Eſt enim parium, diſpariumque habitudo: Phyſica autem, cum ſit ſcientia, eſt de genere qualitatis, quæ eſt ens abſolutum, ergo non eſt cenſenda vna ordine. Tertiò, relatio, cuiuſmodi eſt ordo, per ſe non cauſatur, ſed reſultat ex poſitis terminis, ex alibi dictis: Phyſica autem per ſe cauſatur ex principiis. Eſt enim effectus demonſtrationis, 2. *Poſt. cap.* 2. Atque terminus actionis intellectus, 9. *Met. T.* 16. phyſica igitur non conſtituitur vna per vnitatem ordinis.

20. Aſſertio 4. Philoſophia naturalis vniuersè ſumpta eſt vna vnitate generis remoti. Ita deducitur ex eodem Doct. vbi ſuprà. Probatur 1. *ex* 1. *Poſt. T.* 43. *vna ſcientia eſt vnius generis ſubiecti.* Et 4. *Met. cit. à Doct. quæſt.* 2. *primi Priorum. Sicut vnus ſenſus eſt vnius generis ſenſibilis: ita vna ſcientia eſt vnius generis ſcibilis, ideſt ſubiecti.* Idem colligitur, *ex* 1. *Poſt.* 2. *ex* 3. *de anima. T.* 51. Si ſcientiæ ſecantur, ſicut res circà quas verſantur, & ab eiſdem decerpitur earum

rum vnitas : ergo pro rerum diuersitate, exiat scientiarum diuersitas, atque penes earum vnitatem, aptè depromitur earumdem vnitas. Multa autem sunt in Physica quæ differunt specie, & conueniunt in eodem genere. Vt enim monstrabitur *in proxima quæstione*, corpus naturale statuitur totale obiectum Physicæ; quod est genus, respectu corporis simplicis, & mixti, animati, & inanimati : ergo naturalis Philosophia, quæ de his omnibus agit, est vna genere.

21. Oppones primò, habitus voluntaris, quales sunt virtutes, & vitia, inter simplices qualitates referuntur, tametsi penes diuersa obiecta laborent, vt temperantia circà cibum, & potum : ergo idipsum dicendum est de habitibus intellectus, in quorum numero inuenitur Physica. Negandum est ant. Vt enim ait Doctor *3. distinct. 34. quæst. 1.* Temperantia non est vna specie. Siquidem, quot valent esse distinctæ voluptates, quas voluntas potest compescere, tot queunt esse species temperantiæ, quæ moderatur eas voluptates, siue circa gustabilia, siue circa tangibilia; atque nedum circa sensibilia, quibus voluntas coniunctæ delectatur : verumetiam circa insensibilia, & propria, quibus voluntas præcisè sumpta sibi complacet.


22. Oppones secundò, non est potior ratio, cur plura lumina adinuicem misceantur, & constituant vnum lumen simplex : atque multi gradus caloris coalescant in vnum perfectum, & intensum calorem, quam plures demonstrationes, quæ sunt lumina intellectus, vnam simplicem, & perfectam scientiam specificam conficiant, proindéque nihil impedit, quin omnes demonstrationes Physicæ in vnum conueniant, faciantque vnam scientiā specificam. Nego paritatem. Ratio est, quia lumina, & gradus caloris sunt eiusdem speciei, & ab obiectis diuersis specie non causantur. Verùm habitus partiales Physicæ specie inter se dissident, & ab obiectis specificis partialiter gignuntur, propterea illi in vnum specie coalescunt, non verò isti.

Articvlvs IV.

An Physica sit scientia subalterna.

23. OMnes reliquas scientias subalternari Metaphysicæ, censent nonnulli, apud Fons. 4. *Met. quæst. 2. cap. 1.* Et Suarea *disp. 1. Met. sect. 5. numero* 45. Quibus nuperrimè adstipulantur Complut. *quæst. 2. Procemiali.* Alij, quorum meminit Peter. *lib. 2. cap. 4.* affirmant, Medicinam subalternari Physicæ, & Physicam Metaphysicæ. Nec desunt, qui existimant Logicam, & Moralem, Physicæ subalternatas esse. Communis autem opinio est cæterorum Philosophorum negantium præfatas scientiarum subalternationes.

24. Not. primò, & recolen. ex dictis in Logica *lib. 5. quæst. 4 artic. 7.* quid, & quotuplex sit subalternatio, quæve conditiones ad eam propriè sumptam requirantur. Primò namque, vera subalternatio scientiarum exigit, vt obiectum subalternatæ contineatur sub obiecto subalternantis, defectu cuius Medicina non subalternatur Geometriæ, quia corpus sanabile, quod est obiectum Medicinæ non comprehenditur sub linea, quæ est obiectum Geometriæ. Secundò, vt subiectum subalternatæ addat differentiam accidentalem. Ob id scientia de specie non subalternatur scientiæ de genere; quia licet species sit sub genere, tamen supra ipsum, non accidentalem sed essentialem addit differentiam : qua de causa Antonius Andreas 1. *Met quæstione prima ad 5. Post.* & Scotus *ibidem 1. quæst. 9.* notant, illos, qui sanciunt ens mobile sumptum pro passione corporis naturalis, obiectum Physicæ non posse euadere, quin attituant, Physicam subalternari Metaphysicæ, cum mobilitas sit quasi differentia eius accidentalis. Tertiò, vt principia subalternatæ sint conclusiones probatæ, & demonstratæ in subalternante, vt patet de Perspectiua, quæ probat res à longinquo videri minores, quàm si forent propè, per hunc principium, quia triangulus, qui habet duo latera maiora, facit duos angulos ad basim minores, & eum, qui est in puncto, minorem, hoc est, illæ duæ lineæ, quæ rem visam attingunt, quò res est remotior, eò faciunt angulum minorem, in re visa; & quò propinquior, eò maiorem, vt videre licet in hac figura.



Quod principium est conclusio in Geometria, in qua demonstratur; in Perspectiua verò non probatur, sed tanquàm verum probatum præsupponitur.

25. Not. secundò, ex Tromb. *quæst. 6. Met.* vnam scientiam alteri subalternari, duobus modis contingere. Primò per denominationem extrinsecam, hoc est, penes subiectum, quod extrinsecè denominat scientiam subalternatam. Secundò per denominationem intrinsecam, quod accidit, cum vna scientia suaptè natura alteri subiicitur, veluti minus commune magis communi. Nec prætereundum est ex Scoto *in Prol. quæst. 4. principali, & 5. laterali §. Ad 2. quæst. dico sub E.* quòd licet eadem propositio possit à duabus scientiis considerari diuersimode, hoc est ab vna clarius, & ab altera obscuriùs; nihilominùs inter eas non cadit propriè subalternatio, vt quanquam Metaphysica distinctiùs, & perfectiùs cognoscat quidditatem lineæ, quàm Geometria, non ob id ei subalternatur. Quandoquidem vtrique conditiones propriæ subalternationis præfatæ desiderantur. Hinc ob eamdem causam, quamuis Metaphysica probet, & confirmet cæterarum scientiarum principia, quidditates, rerumque essentias in communi limpidiùs perspiciat; non ideò reliquæ scientiæ ipsi Metaphysicæ subalternantur.

26. Assertio prima, Medicina non subalternatur Philosophiæ naturali. Probatur primò ex Scoto, qui *quæst 4. Prol. § Ad rationes pro opinione opposita A.A.* scribit Medicinam totam esse practicam effectiuam. Et *6. Met quæst. 1.* præmiserat physicam esse speculatiuam : Practica autem speculatiuæ non subalternatur, quia per eumdémet Doctorē nunc citatū *in primo loco* differunt essentialiter. Non ergo in Physicam, & Medicinam cadit vera subalternatio. Secundò, obiecta formalia vtriusque præfatæ scientiæ sunt diuersa formaliter, & essentialiter : Medicina quippe non speculatur corporis naturalis principia, causas, & passiones : sed tendit ad effectionem, hoc est, fertur ab corpus naturale vt sanabile. Physica verò contemplatur essentiam, causas, passiones, & species corporis naturalis, absque vllo respectu, & ordine ad effectionem, aut actionem : ergò cum earum obiecta accidentali discrimine non ponantur, vt petit propria subalternatio, planè deducitur, prænominatas disciplinas veram subalternationem non subire.

27. Assertio secunda, Logica, nec Moralis subalternantur Physicæ, colligitur ex principiis Scoti *passu allegato.* Probatur, propria subalternatio exigit in scientiis subalternis idem subiectum essentiale, accidentaliter tantum distinctum in subalternata, ex

notatis supra. Tres autem præenumeratæ scientiæ prodeunt tota sub ecta formaliter, & essentialiter ab inuicem distincta. Physica nanque contemplatur corpus naturale, vt naturale; Logica syllogismum, vt sic; & Ethica respicit bonum bonis moribus imbuendum, annuente Scoto *quæstione tertia, prol.* 5. Rursus, ens reale accidentaliter non contrahitur per ens rationis, & econtra, cum ens sit æquiuocum enti reali, & rationis, vt ostendunt Formalitatæ *Tractatus Formalitatum*. Syllogismus autem est ens rationis: cætera verò aliarum scientiarum obiecta sunt entia realia.

Deinde, ens naturale præsupponit entia, artificiale, & morale, vt patet *Quæst.* 18. Inter quæ adesse essentiale discrimen, nemo ambigit. Amplius, conclusiones Physicæ non videntur esse principia Dialecticæ, nec Ethicæ, vt forent, si essent subalternæ: præfatæ ergo scientiæ à subalternatione sunt immunes.

28. Assertio tertia, Physica non subalternatur Metaphysicæ. Deducitur ex Doctore *quæstione tertia prol.* §. *Ad* 1. *argum* 2. *quæst.* T. Quam expresse tenent Tromb *vbi supra*. Et Canonic. 1. *Phys. quæst.* 1. *art.* 2. Probatur primò, defectu conditionum, quæ ad veram scientiarum subalternationem desiderantur, quæ numero ternario præadducto, & præexplicito continentur, & quidem dictis scientiis deest prima conditio, cum istæ distincta subiecta essentialia sortiantur, quorum vnum est ens, Metaphysicæ proprium; alterum verò, corpus naturale, Physicæ adaptatum. Deficit quoque secunda. Quoniam, subiectum Physicæ, non accidentali, sed essentiali differentia, quæ est naturalitas, contrahitur. Nec reperitur tertia. Siquidem Physica propriis gaudet principiis, per se euidentibus, & per se notis, vt plura sunt entia, motus est, datur natura, & huiusmodi, quæ à Metaphysica non dependent. Secunda notante Scoto *præcitato*, §. *Sed quid.* Habens subalternatam, non est verè sciens, nisi nouerit resoluere suas conclusiones in principia subalternantis, quæ sunt immediata, & indemonstrabilia. Patet autem, Physicam habere propria principia, & immediata à Metaphysica independentia, igitur illa huic non subalternatur.

29. Oppones primò, contra primam assertionem, Aristotelem *fere in initio libri de sensu, & sensibili*, affirmat Physicum cognoscere prima principia sanitatis, & infirmitatis, proferteque illud vulgatum, *vbi incipit Medicina, desinit Physica.* Quod scientiis subalternis competere, testatur Doctor mox allegatus. Eò magis corpus humanum, quod est subiectum Medicinæ, comprehenditur sub corpore naturali, quod est subiectum Physicæ contrahiturque per differentiam accidentalem, quæ est sanabilitas. Inficiandum ergo non est, Medicinam, & Physicam esse subalternas.

Peter. præcitatus, quamuis nobiscum sentiat, nullam esse subalternationem Medicinæ comparatione Physicæ: attamen notat ille, Medicinam, quæ versatur circa vniuersalia, prorsus coincidere cum Physica. Ac illa Medicina, quæ laborat, circa singularia, exercitium, & experientiam, quam idem Auctor vocat practicam, ait esse diuersum habitum à Physica, proindeque eam huic non subalternari. Verùm, iste Doctor est audiendus; quandoquidem Medicina, & Physica sunt distinctæ scientiæ, distinctaque sortiuntur obiecta essentialia. Et si tantùm visus, exercitium, & experientia rerum medicarum pertinerent ad Medicinam, quam ille practicam nominat, ipsa Medicina foret ars, & facultas, immò formaliter non esset ars, quia visus formaliter est relatio extrinsecus aduenieus, vt in simili asserui, *in Log. libro primo, quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Iterum, tota Medicina simpliciter est practica, vtpote, quæ tota fertur ad inducendam sanitatem in ægrum corpus, quod est opus externum factiuum, cuius meminit Doctor *quæstione quarta prol.* §. *Ad rationes, pro opposita sub EE.* Rursùs, Medicina gaudet propriis legibus, & demonstrationibus, atque principiis distinctis ab eis, quæ sunt Physicæ. Addo, quod licet Physica aperiat primas causas sanitatis, & ægritudinis: nihilominus non agit de illis, quatenùs sanitatis, & infirmitatis sunt capaces, sed quatenus sunt res naturales, sicque extat species ab illa distincta. Itaque respondeo ego, admittendo id omne, quod affertur ex Aristot. cum id nobis non officiat. Etenim, præfatis principiis Physicæ communibus, ac vniuersalibus existentibus, veluti principiis Metaphysicæ adaptantur cæteris disciplinis, in eisque supponuntur, minimeque probantur, tametsi aliæ scientiæ non subalternentur Metaphysicæ, vt superiùs perhibui. Iterum, vbi desinit Metaphysica, incipit Theologia, quamuis neutra sit subalterna, insinuante Doctore *vbi suprà*, §. *Si obiiciatur.* Ad aliud quod subiicitur, nego sanabilitatem esse differentiam corporis naturalis accidentariam, vt palam feci in superioribus.

30. Oppones secundò, contrà tertiam assertionem. Illa scientia, sibi reliquas doctrinas subalternat, quarum subiecta potest demonstrare, & confirmare: Metaphysica autem potest ostendere, & roborare subiectum Physicæ: ergo Metaphysica sibi subalternat Physicam. Maior videtur nota. Min. suadetur ex 1. *Post.* 8. Et 1. *Phys.* 1. Et 4. *Met.* 3. Vbi Philosophus cum suis interpretibus asseuerat, Metaphysicam suppeditare principia cæteris disciplinis, eaque probare, & corroborare. Vnde ex eodem Philosopho subnectit Orbel. 1. *Met.* 3. omnes scientias ad Metaphysicam, ordinari; immò ei subalternari apertè tradunt Themist. Simplic. aliique non pauci, inter quos citatur Aquinas *Opusc. de natura generis cap* 4. Conf. prima causa considératur a Metaphysica in qua continentur virtualiter effectus omnium rerum. Ipsaque Metaphysica probare potest, primam causam existere: ergo probare poterit in prima causa virtualiter comprehendi quemcumque effectum cuiuscumque rei. Respondeo ma. posse concedi de impropria, & secundum quid subalternatione: non verò de propria, & subalternatione simpliciter, quæ potissimùm exigit differentiam accidentalem additam, suprà subalternantis obiectum. Cæterarum autem scientiarum obiecta participant rationem formalem, & differentias essentialem, quatis in ens, quod est Metaphysicæ obiectum cadere nequit; præsertim in doctrina Scoti, diuidentis ens, non in differentias, sed in modos, 1. *distinct.* 8. *quæst.* 3. *N.* Deindè, Metaphysica non demonstrat obiecta reliquarum scientiarum, demonstratione ostensiua, sed solum demonstratione ducente ad impossibile, quæ est demonstratio indirecta, & obliqua, vt patet *in Epitome libro tertio, quæst.* 1. *artic.* 11. Ampliùs, quælibet alia scientia à Metaphysica pollet propriis principiis per se notis, à Metaphysica independentibus. Ideò ei propriè non subalternatur, cum subalternata mutuetur sua principia à subalternante, quæ sunt eius conclusiones: sicque conclusio in Physica, foret verum principium in Metaphysica, quod tanquam inconueniens intulit Doctor *in Rep. quæst* 4. *prol.* Ad conf. nego Met. agere de Deo, quatenus est causa effectuum naturalium vt sic, sed præcisè, quatenus sunt entia; atque adeò nulla propria inter dictas scientias inuehendas est subalternatio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

De obiecto Physicæ.

1. DE Physicæ subiecto Philosophi in varias, & discrepantes sententias abeunt, quæ laconicè tanguntur, & refelluntur, à Bonet. 1. *Phys. cap.* 1. & fusè à duobus nostris Neotericis, *quæst. proœmiali*, ad vniuersam Philosophiam discutiuntur. Ego celebriores seligo, in proximis articulis, quantum in me erit, breuiter, diligenterque examinandas.

ARTICVLVS I.

An ens mobile, aut corpus mobile sit adæquatum obiectum Physicæ.

2. D. Th. 1. *Phys.* in proœmio astruit, ens mobile esse subiectum totale Physicæ. Idem scribit 1. *Met. & inde.* At verò, 1. *Cæli lect.* 1. sancit, eiusdem Physicæ obiectum adæquatum esse corpus mobile. Ideò, Thomistæ inter se diuisi sunt. Quidam enim, vt Pomponatius, aiunt D. Th. quidem, dum erat iuuenis, *loco cit.* 1. *Phys.* tenuisse, obiectum physiologiæ esse ens mobile: Iterum senior effectus, *passu de Cælo alleg.* mutasse sententiam, illicque decreuisse, huius scientiæ obiectum, corpus mobile. Antiquiores autem Thomistæ, teste Iauello 1. *Phys. quæst.* 1. putant, absolutè, mentem Aquinatis fuisse, ens mobile, & non corpus mobile eiusdem disciplinæ obiectum statuendi. Ita sentiunt Caiet. *Tract. de subiecto Philosophiæ naturalis*, Fons. 2. *Met. cap.* 3. *quæst.* 5. *sect.* 2. Et Conimb. *quæst.* 4. *art.* 1. Albert. verò *Tract.* 1. *cap.* 3. Auic. *cap.* 1. *sua sufficientiæ* Ægid & Linconiensis arbitrantur phys. obiectum adæquatum esse corpus mobile, à quibus Angelicum non discrepare, planè edisserunt nonnulli, ipsum allegantes, 1. *p. quæst.* 84. *art.* 1. *& quæst.* 14. *de veritate art.* 8. *ad* 18. Sed quidquid sit de mente Th. quidvè præpositæ difficultati occurrendum sit, viderint eius Discipuli. Nos autem pro certo habemus, Doctorem subtilem, eiusque Asseclas infrà citandos ens mobile, aut corpus mobile, haud locare huius disciplinæ obiectum.

3. Not. primò, & recol. ex dictis *lib.* 1. *Log quæst.* 1. *art.* 1. multiplices subiecti sumptiones, diuisiones, descriptiones, ac conditiones ad obiectum formale, & adæquatum scientiæ pertinentes: necnon, quæ perhibui *lib.* 5. *eiusdem operis, quæst.* 2. *artic.* 8. de continentia subiecti, eiusque multiplicitate, ibi fusè ostensa, & declarata. His omnibus præsuppositis, & præcognitis, inuestigatur *in præsenti quæstione* obiectum materiale, & formale huius doctrinæ: licet Auersa *quæst.* 2. *de obiecto Philosophiæ sect.* 4. nec aduertat, nec admittat vllam rationem formalem obiectiuam obiecto materiali Physicæ, ipsum materiale obiectum restringentem. Quod *in art.* 4. *huius quæst.* commodius examinandum reiicio.

4. Not. secundò, apud plerosque Philosophos, permistè accipi, & confundi ens mobile, ens naturale, corpus mobile, substantiam corpoream, & corpus naturale, vt videre licet, apud Hurt. *in proœm. Phys.* Fuentem *diff.* 1. *art.* 1 Et Conimbr. *quæst.* 4. *art.* 1. Propterea, de nomine potius, & modo loquendi, quàm de re, iidem Authores cit. suspicantur hanc esse litem. Quod videtur habere fundamentum in doctrina Arist. qui 2. *Met. T.* 1. *&* 6. *eiusdem cap.* 1. designat ens mobile considerari à Phys. At 1. *Cæli* 1. innuit, circà corpus mobile ipsam laborare. Quo pacto præfati Philosophi censent cæteros omnes in concordiam vocare. Verumtamen, isti procul dubio intentum suum haud consequuntur: Siquidem, vterque Th. & Iauel. & alij eiusdem Scholæ in dictam concordiam venire nolunt, sancientes discrimen inter ens mobile, & corpus mobile, hoc repellentes, illud verò recipientes, tanquam proprium, & adæquatum Physicæ obiectum, vt aperui ante 1. *not.* Et aduertit Fuent. *citat. art.* 1. *&* 2. Enim verò, ens mobile est quid communius, & abstractius corpore mobili, & naturali: Angelus quippè est mobilis, & est incorporeus. Ens autem bifariàm accipi potest. Vno modo transcendentaliter, sicque est latius corpore, & quouis alio prædicamentali. Altero modo particulariter, hoc est pro ente physico, quod videtur coïncidere cum corpore naturali, innuente Philosopho 3. *Phys. T.* 15. *Motus est actus entis in potentia, vt in potentia.* Vbi non capitur ens transcendentaliter, alioqui, ea motus definitio foret vitiosa, quia assignaretur per genus remotum, quæ respuitur, 6. *Top. cap.* 1. *loco* 27. Atque *ibidem loco Physica allegato.* Motus est actus illius entis, quod est partim actu, & partim potentia, & quod motus est actus illius entis, non ex ea parte, quâ est actus, sed ex ea parte, qua est potentia. Ob id pronunciat illud axioma. *Illa sunt entia Physica, quæ mota mouent. Quæ partim sunt actu, & partim potentia.* Ex his probè infertur contra Ruuium, & Conimbr. allegatos iure Scotistas reprehendere Thomistas, decernentes, obiectum Physicæ esse ens mobile in tota sua latitudine, præscindens à corpore, & accidente. Sic enim ens per accidens, & transcendens constitueretur Physicæ obiectum, quod falsum esse, clarè demonstrant, quæ hucusque perhibuit, & latè prosequutus est Faber *Theor.* 20. *cap.* 3. Ampliùs, rectè deducitur contra Peter. *libro primo de communibus rerum naturalium principiis*, non immeritò Scotistas insectari Thomistas, non quia ipsi Thomistæ accipiant ens mobile pro mobilitate, quæ est passio corporis mobilis, sed pro principio interno motus, quod est corpus mobile, & naturale: cum præfati Thomistæ nominatim Caiet. & Iauel. citati nolint vllo modo, ens mobile, corpusque mobile, & naturale coïncidere. Non ergo hi inuiti trahendi sunt ad communem sententiam, & quæstionem de nomine, vt sæpè præstant dicti Recentes, vtrique Scholæ morigerentes. Præterea, Philosophi reales, & insignes, vti sunt Thomistæ, & Scotistæ oppugnantes Nominales, quibus non rarò isti Moderni fauent, & adhærent, de voce, modoque loquendi, cum res constat, ex August. 1. *Musica* 2. contendere dedignantur.

5. Not. 3. ex 2. *phys. c.* 1. *t.* 4. ens naturale esse, quod constat materia, & forma, cuiusmodi est corpus naturale, notante Tatar. 1. *phys. q. vn. proœmiali, not.* 1. Corpus autem duplex statuitur, physicum, & mathematicum, vt colligitur ex Doct. 4. *d.* 11 *q* 1. *& d.* 49. *q.* 16. contra Ruu. Conimb. cit. & Peter. *l.* 2. *c.* 3. addentes tertium, quod vocant corpus metaphysicum. Imprimis, Arist. 3. *Met. T.* 17. solùm illa duo recenset, à quo non deflectit Auer. 3. *phys. com.* 40. inquiens, duo esse genera corporum, vnum intelligibile, siue mathematicum, quod est trina dimensio: & aliud sensibile, siue physicum, quod ex materia, & forma coalescit. Nec iuuat dicere, Arist. loqui de corporibus, quæ reuerà existunt, caduntque sub nostros sensus, non autem, quæ cogitatione apprehenduntur, & ab accidentibus abstrahuntur, cuiusmodi extat corpus metaphysicum. Nam, præterquamquod, mancus esset Arist. corpus metaphysicum nullibi memorans, quoque diuisio eius foret insufficiens, si tale corpus metaphysicum non est reale, sed solâ cogitatione confictum, non constituit tertium corpus, à duobus illis distinctum, vt substantia, quæ est imaginaria, & ens rationis non facit aliam categoriam à genere substantiæ distinctam, adeò vt verum

sit

ſit dicere , ſunt duo ſubſtantiæ genera , vnum ſubſtantiæ realis , aliud verò ſubſtantiæ rationis. Deinceps, corpus, aut eſt intelligibile, & eſt mathematicum : aut ſenſibile, & eſt phyſicum; dicere autem, dari corpus abſtractum, non compactum ex materia, & forma, à motu, ac qualitatibus ſenſibilibus ſeiunctum, id veritàtem non ſapit, quoniam verum corpus eſt reale, ex materia, & forma conflatum. Quod autem materia, & forma conſtat, mobile eſt, & ſenſibile. Nequit ergò corpus ſegregari ab eis accidentibus, & proprietatibus ſenſibilibus , ſaltèm radicaliter.

6. Dices , corpus metaphyſicum eſſe quidem reale, ex materia, & forma compoſitum, ſed conſiderari à Met. quatenùs naturæ ordine præit accidentia ſenſibilia , ab eiſque præciſum expenditur, ad ea tamen habens habitudinem , & propenſionem , tanquàm eorum ſubiectum. Verùm id minimè ſatisfacit, quandoquidem ex eo ſolùm arguitur diuerſus reſpectus , differenſque conſideratio eiuſdem corporis ſicut dixi in Log. *l. 2. q. 1. art. 4. & 6.* de natura communi in ſe, & vt eſt abſtracta, & comparata ad ſua inferiora non autem vlla vera, & realis diſtinctio, & diuerſitas corporis, per quam tertium corpus à duobus prænarratis diſtinctum efficiatur. Ponitur autem corpus in categoria ſubſtantiæ , non quia eius conſideratio ad Metaphyſicam pertineat , ſed vt oſtendatur diſtinctio, & ordinatio rerum, quòd eſt Met. munus. Aut dici poteſt, Met. conſiderare corpus, non præcisè vt corpus , ſed vt ens , & penes eius prædicata communia, & tranſcendentia. Inſuper, illa trina diuiſio ſcientiæ ſpeculatiuæ in Mat. Met. & Phyſ. depromitur ex tribus obiectis ſpeculabilibus. Met. quippè verſatur circà ens vt ens. Mat. circa corpus quantitate affectum. Et Phyſ. circà corpus naturale: at ſi concedatur aliud corpus ab his duobus diſtinctum , aut dabitur 4. ſcientia ſpeculatiua, à dictis tribus diſtincta , aut Met. aget de corpore , quod tranſilit eius limites, & fines.

7. Dices dari corpus metaphyſicum, conſtans genere , & differentia , veluti eſt omne compoſitum metaphyſicum. Contrà , per Perer. & Rua. alleg. idem eſt corpus phyſicum compactum ex materia & forma, ac corpus metaphyſicum , ſolumque abſtractum à motu , qualitatibuſque ſenſibilibus , & in hoc differt à corpore phyſico. Multa autem componuntur ex genere , & differentia, quæ haud ſunt corpora , vt Angeli. Non præſtat ergò recurſus ad id , quod ex genere , & differentia conficitur , vt ſaluetur corpus metaphyſicum.

8. Aſſ. 1. ens mobile non eſt Phyſicæ obiectum proximum , & adæquatum. Ita Scot. 6. *Met. q.* 1. Probatur 1. ſubiectum ſcientiæ adæquatum , & proximum conſtituitur in eſſe , per ſuum genus proximum, & differentiam proximam , alioqui eius definitio foret vitioſa , vt poſt Ariſt. 6. *Top. loco* 27. *c.* 5. ſcribit Doct. 1. *poſt. q.* 2 4. Ens autem diſtat à mobili, latiuſque funditur ens , quàm mobile, cum ſit tranſcendens. Non ergò ens mobile eſt Phyſ. obiectum proximum , & adæquatum. 2. Mobile aut eſt differentia entis, aut modus eius, quoniam inter hæc non interponitur medium : mobile autem non extat differentia entis , quandoquidem , ens ſecundum Scot. non ſcinditur in differentias , ſecùs eſſet genus, quod communiter negatur. Quod ſi concedatur eſſe modum , cùm ad eam ſcientiam pertineat conſideratio entis , & modorum eius, atque Metaphyſica contempletur ens , Phyſica verò mobile; planè deducitur , Phyſicam eſſe partem Met. proindéque , non eſſe tres ſcientias ſpeculatiuas genere diſtinctas. 3. Mobile , vel eſt paſſio entis , vel eius eſſentia , & differentia intrinſeca , vel extrinſeca , accidentalis. Non 1. alioquin phyſica ſubalternaretur Metaphyſicæ , vt benè contrà Aquinatem arguit Ægidius. Nec 2. vt probatur per 2. rationem præadductam. Quod ſi præſtat dicere, mobile vſurpari pro radice , & principio interno motus , vt ſic ſumpſiſſe Thomiſ. aduerſus Scotiſt. obiiciunt memorati Recentes, quibus ſubſcribunt Complut. *diſp.* 1. *q.* 1. Oppono, radicem , & principium intrinſecum motus non eſſe ens mobile, niſi dicant, omne ens eſſe mobile , quod falſum eſſe , ipſi admittunt. Nec 3. quia cum paſſio egrediatur a principiis eſſentialibus ſubiecti , reciprocatur cum ipſo ſubiecto , cuius eſt paſſio , ſicque datâ mobilitate, tanquàm paſſione entis , omne ens foret mobile, quod veritati , & Ariſt. pugnat : veritati quidem, nam Deus eſt ens, & immobile ens : Angelus quoq; eſt ens, & ſecundum Ariſt. eſt ens immobile.

9. Aſſ. 2. nec corpus mobile decernitur Phyſicæ ſubiectum formale. Deducitur ex Doct. 6. *Met. q.* 5. probatur 1. nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum à priori , ſed ipſum præſupponit , 1. *poſt* 1. Phyſica autem 1. *Cæli T.* 5 probat , & demonſtrat corpus mobile , hoc ſyllogiſmo. *Quod habet principium internum motus , eſt mobile : ſed corpus naturale habet principium internum motus* , quod eſt natura 2. *phyſ. T.* 3. *Ergo corpus naturale eſt mobile.* 2. nullum ens per accidens eſt alicuius ſcientiæ obiectum , quia, 7. *Met.* 52. ens per accidens non eſt definibile: corpus autem mobile eſt ens per accidens ; conflatur quippè ex corpore , quod eſt ſubſtantia , & mobilitate , quæ eſt accidens proprium , ſiue eius paſſio, quæ de corpore eſt demonſtrabilis, 1. *Cæli T.* 5. Ergo corpus mobile non extat obiectum Phyſ.

10. Dices , cum Ianello 4. *Met.* quod licet mobilitas ſit accidens, tamen gerit vicem differentiæ, veluti de diuiſibilitate quantitatis , & de primis qualitatibus elementorum, præſtat Ariſt. alibi à nobis cit. Verum nihil iuuat hoc reſponſum contrà noſtrum aſſertum. Nam hoc modo, non mobilitas, ſed ratio illa , cuius locum tenet mobilitas extat differẽtia formalis, & eſſentialis obiecti Phyſicæ. Vndè ſic argumentor. Ea eſt ratio formalis obiectiua Phyſicæ, quæ formaliter , & eſſentialiter conſtituit obiectum Phyſicæ, & diſtinguit ipſum à quouis alio obiecto ſcibili, vt liquet ex dictis in Log. *loco cit. not.* 1. Mobilitas autem non eſt huiuſmodi , cum ſit paſſio corporis , vt non inficiatur Iauel. alleg. Igitur, adinuenienda eſt alia ratio formalis obiectiua, aliudque formale obiectum Phyſ. *in* 4. *art. huius q.* nominandum , & ſtabiliendum.

11. Opp. 1. contrà 1. aſſ. Ariſt. 6. *Met.* 1. *&* 11. *eiuſdem operis* 3. ſcribit , Philoſophiam naturalem occupari circà ens mobile. Idem præmonuit , 1. 2. *&* 6. *Phyſ.* necnon 1. *Cæli* 1. Nec id videtur incongruum : quemadmodum enim prima Philoſophia verſatur circà ens , vt ens : ſic ſecunda Philoſophia penès ens mobile curã ſuam impendit. Quod idem Stagirita 6. *Met. T.* 3. ſignificauit , inquiens, *ſi nulla foret ſubſtantia abſtracta, Phyſica eſſet prima Philoſophia.* Igitur, ſi inter vtramque doctrinam propter ſubſtantias ſeparatas adeſt diſcrimẽn, non ineptè infertur, ambas conſiderare ens , & quidem Metaphyſica ens vt ſic, & Phyſica ens mobile. Conf. ex 3. *phyſ. T.* 6. motus definitur, *Actus entis in potentia,* non verò actus corporis mobilis. Et *ibid. in explicatione prælata definitionis* , datur exemplum de generatione , & corruptione , quarum ſubiectum extat materia prima, quæ quidem eſt ens , non autem corpus. Igitur , ens mobile ſtabilitur Phyſicæ totale obiectum. Reſp. præterquamquod notante Fuente, *vbi ſupra* , *in fine art.* 1. nulla præfatarum authoritatum expreſſè reperitur in verſione Perionij ; datis, & admiſſis iis teſtimoniis, Ariſt. paulo poſt ſeipſum explicare; ſubdit enim, Phyſicam ſpeculari ſubſtantiam naturalem, vt præter Scot. aduertunt Conimb. *vbi ſupra in calce* 1. *art.* Et anteà inſinuauit idem

Stagir. 1. *Cæl* 1. *&* 2. *phys.* 12. *aliisque locis*, quæ si recte ponderentur, magis nobis quam Aduersariis suffragantur. Ad aliud quod subiicitur, dico, amotâ tractatione à Met. de substantiis abstractis, prima primitate dignitatis foret Physica, quia post substantias abstractas, & spirituales, primum locum tenet substantia corporea, & materialis, vt constat ex syllabis rerum omnium adductis *in Log. l.* 2. *&* 3. Proindéque, data hypothesi, cæteris omnibus disciplinis, Physica præluceret. Idque ex instituo probaui *in præeunte q. a.* 4 Rursus, ordine naturæ quoque Physica præïret reliquas philosophiæ partes, quoniam sublatis transcendentibus, & abstractionibus, à materia indubiè primò nobis occurrit substantia corporea, & materialis, in cuius agnitione incumbit Physica; sicque verum esset assertum Arist. demptis substantiis à mâteria seiunctis, Physica foret prima Philosophia, quam sic extitisse apud vetustiores Philosophos, testantur Conimb. cit. *a.* 3. *ad* 2. non distinguentes Physicam à Met. Ad cons. patet *ex* 2. *not.* sumitur quippè in definitione motus ens mobile pro composito ex materia, & forma, quod est corpus naturale. Ad aliud, de generatione, & corruptione, de quibus exempla adducit Arist. dico, in hisce accidere motum. Nam in generatione proceditur ab imperfecto ad perfectum: & in corruptione; à perfecto, ad imperfectum. Quamuis autem materia sit quoquo modo mobilis, quia tamen est pars corporis naturalis, & mobilis vt quo, reducitur ad ipsum corpus naturale, quod est totum, & mobile vt quod.

12. Opp. 2. quod est subiectum primum & adæquatum primæ passionis Physicæ, est subiectum primum, & adæquatum philosophiæ naturalis: sed ens mobile est huiusmodi, ergò ens mobile constituitur obiectum totale, & adæquatum Physicæ. ma. est nota, inducique potest in cunctis scientiarum obiectis formalibus, proximis, & immediatis, min. ostenditur. Prima passio physica est mobilitas, quæ aut est subiectiua, aut terminatiua totalis substantialis, quæ composito substantiali adaptatur, aut partialis substantialis, quæ materiæ, & formæ accommodatur, cum sint naturæ, natura autem 2. *phys. T* 3. *est principium internum motus & quietis*: atque conspicuè cernitur in anima rationali, quæ à corpore seiuncta cietur. Aut totalis accidentalis. Totum quippè accidentale est transmutabile. Fit enim ex priuatione formæ accidentalis, propterea Philosophus 1. *Phys.* 17. agit in vniuersum de principiis rerum naturalium, comprehendentibus generationem tam substantialem, quàm accidentalem, præsertim quia accidentia sunt per se mobilia, vt patet de accidentibus sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ à suis subiectis separata mouentur. Vndè Arist. totum id, quod adduxi significans, 3. *phys.* 6. *&* 9. ens statuit subiectum motus adæquatum, subiicitque 2. *Cæli* 1. scientiam naturalem speculari corpora, magnitudines, eorumque affectus. Iterum. 4. *Met.* 1. legitur, quaslibet scientias particulares, sibi abscindere partem entis, eamque meditari. Ex his & consimilibus congestis à Caiet aliisque eius asseclis, concludi videtur, ens mobile esse totale Physicæ obiectum. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, materiam, & formam esse mobilia, vt quo, redigique ad corpus naturale, quod est mobile vt quod, veluti partes ad totum reuocantur. Licet autem anima, vel alia pars seiungi queat à corpore, tamen siue semper coniuncta cum corpore, siue ab eo abiuncta, sit mobilis, semper ordinem, & dependentiam siue inclinationem ad ipsum præsefert, proindeque ad totum reducetur, vt integrum, & perfectum. Accidentia verò quoque referuntur ad corpus naturale, tanquam eorum subiectum adæquatum, ad quod ordinantur authore Scot. 4. *d* 12. *q.* 2. *§. Ad quæstionem.* Non igitur Arist. rectè poterat dicere, Phys. subiectum adæquatum, substantiam materialem præscindentem à materia, forma & composito: nec compositum abstrahens à toto substantiali, & accidentali, vt nostri duo nuperi cit. gratis dant Auersæ, & Caiet. *ab eisdem alleg.* quia scientia est vnius generis subiecti, 1. *post.* 33. quod est totum, non autem quid à toto, partibusque præscindens. Immò præter Met. quæ transcendentia prospicit, cæteræ scientiæ subiectum aliquod genericum sortiuntur, vt de speculatiuis liquet, ex earum obiectorum distributione habita 6. *Met. c.* 1. causa est, quia subiectum cuiuscumque scientiæ continet potentialiter, siue virtualiter omnes veritates scibiles de ipso demonstrabiles, *ex* 2. *q. prol.* Quod procul dubio est totum, & perfectum: non verò imperfectum, partiale, & incompletum. Vndè à Scotis. *librorum de anima*, subiectum totale, & adæquatum, non anima, sed corpus animatum statuitur, quod est totum perfectum. Pariter in Logica non enunciatio, nec enthymema, sed syllogismus qui est totum ab eisdem, dictæ Logicæ subiectum proximum decernitur. Testimonia verò Philosophi ab illis subiuncta, iam fermè fuere explicita *in* 2. *not.* Præfatus quippè Philosophus accipit plerumque ens mobile pro corpore naturali, ac vtrumquè confundit, vt præ aliis obseruant Conimb cit. *ex.* 1. *Cæli* 1. *&* 3. *eiusdem operis T.* 1. *ac* 10. *Met.* 1. nec non 11. *eiusdem voluminis capite etiam* 1. Quem sequitur Auer. 4. *Met. com.* 1. *& l.* 12. *com.* 5.

13. Opp. 3. contrà 2. *ass. Scot. q.* 3. *&* 35. *vniuers. §. quantum ad* 1. Et 1. *post. q.* 47. *§. ad* 1. *argumentum.* expressè scribit, corpus mobile esse subiectum Physicæ. Ergò in subtilium schola non est inuestigandum aliud subiectum Physicæ, à corpore mobili dissitum. Resp. cum Anglico, *in expositione eius loci*, Scotum loqui non in propria, sed in aliorum sententia, vt præstate Aristotelem *c. de quantitate.* Notant eius Expositores. Præsertim quia Doctor affert illud, gratia exempli. In dandis autem exemplis, non est nimis curandum, *ex.* 1. *Præ.* Subnectit Veglia *vest.* 6. *c.* 9. *l. r. ante n.* 40. In exemplis non est veritas, sed sola manifestatio veritatis perquiritur vel dici potest, Doct. esse interpretandum circumloquutiuè, sumendo mobile pro corpore naturali, hoc est, proprietatem, pro subiecto eius, quod fecit Arist. 5. *Met. c. de quant.* Definiens quantum, per diuisibilitatem, quæ est eius prima passio. Huic congruit, quod subiicit Scot. 1. *Met. q.* 9. vbi adducens illud Arist. *Physica considerat mobilia, in quantum mobilia*, occurrit illud dixisse Philosophum, tùm quia motus est magis notus, tùm etiam quia designat conuertibilitatem, & reciprocabilitatem passionis cum subiecto, vt mox dicebam.

ARTICVLVS II.

An corpus generabile, & corruptibile sit totale Physicæ obiectum.

14 NOnnulli, quorum suppresso nomine meminit Faber *Theor.* 20. *c.* 1. & reiicit *ibid. c.* 3. Et inter eos, à geminis Scotis. *in initio q. proœm.* referuntur Galen. 5. *de elementis simpl.* 1. *Phys.* & Ragusæus *disp.* 1. Perip. arbitrantur, corpus generabile, & corruptibile esse obiectum Physicæ. A quibus non multum discrepant illi, qui cit. à Fuent. *diff.* 5. *art.* 2. *num.* 4. autumant, eiusdem scientiæ obiectum esse substantiam sensibilem; omne quippè sensibile sublunare, ortui, & interitui est obnoxium: atque ita generabile, & corruptibile, cum sensibili per se,

aut

sit per accidens coïncidere videatur. Oppositum autem tuentur Faber, Fuentes præall. cæterique Philosophi negantes, tam corpus generabile, & corruptibile, quàm corpus sensibile, esse naturalis Philosophiæ obiectum.

15. Not. quod licet ad libitum cuiuscumque Authoris sit, ab hoc, aut illo obiecto partiali, aut totali tractationem exordiri: hocque aut illud obiectum explorare, & excutere: nihilominus ad eius arbitrium non esse scientiis assignare obiecta, eisque formalem ac essentialem rationem præbere, & constituere, vt velle videntur indiuisi Scotis. cit. *a.* 1. & apertè *disp.* 12. *Log. q.* 3. *a.* 1. Ad sectionem namque rerum, secantur scientiæ. 3. *anima T.* 48. Ab eisque suam vnitatem decerpunt, 1. *post.* 32. Ac ab eisdem specificantur, vt patet, *ibid. Vna scientia est vnius generis subiecti.* Atque penès tria obiecta formalia speculabilia habentur tres scientiæ speculatiuæ genere distinctæ, 6. *Met.* 1. causa est, quia cum scientiæ ab obiectis suis formalibus suam depromant entitatem, planè deducitur ab eisdem obiectis, ipsasmet suam vnitatem & distinctionem desumere. Denuò, obiecta formalia si sint generica potentialiter, si verò specifica extiterint, virtualiter continent veritates scibiles, de eisdem demonstrabiles, vt suprà perhibui. Iterùm demonstrationes, quarum effectus sunt scientiæ, penès diuersa obiecta, de quibus passiones scibiles demonstrantur, discriminantur. Deinceps esse scibile de pendet ab esse rei, & quæuis notitia ab obiecto cuius est notitia partialiter causatur. Nec me fugit, quosdam ex vetustis, & Recentibus nominatim Antonium Mirand. 13. *de euersione singularis cert.* vnam scientiam de omnibus rebus conflantes, eamque in partiales diuidentes. Verùm ad tollendam rerum confusionem & inducendam earum distinctionem consultò Arist. & ferè omnes posteriores Philosophi, iuxta obiectorum formalium distinctionem, scientiarum discretionem maximè innexerunt. Et qui ad obiectorum distinctionem, scientias non distinguebant, antè Arist. ad plenam, & perfectam rerum notitiam non perueneruat, potiusque balbutire, quàm aptè philosophari videbantur, 1. *Met.* 6. Denique, alius est finis scientiæ, alius verò scientis, vt tetigi in *Leg. ad finem lib.* 1. Locus autem Scot. à nostris nuperis adductus, eis non patrocinatur, tum quia est extrà, & in additione, & sub dubio relictus, vt fatentur dicti Authores; tùm etiam quia totum quod prænotani, reperitur in Scot. *quæst.* 3. *prol.* aliisque eiusdem Doct. scriptis. Nec in hoc, & reliquis, quæ fidei non repugnant, Scotus, ab Arist. voluit declinare.

16. Ass. 1. substantia sensibilis non est obiectum Physiologiæ. Colligitur ex Scot. 6. *Met. q.* 1. Probatur 1. scientiæ obiectum est vnum per se, velutì ipsa scientia vtique est vnum per se, dependenter ab obiecto, à quo gignitur, & à demonstratione, cuius est effectus. 1. *post. T.* 5. substantia autem sensibilis non est vnum per se, cum sensibilitas sit accidens, atque ex accidente, & subiecto fiat vnum per accidens, 6. *Met. T.* 4. Tum quia, 7. *Met. T.* 12. non habet definitionem: tùm etiam quia, adnertente Bonet. 1. *Met. cap.* 3. non est ens necessarium, cum eorum vnio extet contingens. Non aptè ergò obiectum Physicæ decernitur substantia sensibilis. 2. accidentia sunt per se sensibilia, 2. *anima. T.* 65. substantia verò dicitur per accidens, & remotè sensibilis. Huc quoque pertinent, quæ dixi *suprà*, *in ant. art.* videlicet, substantiam materialem præcisè sumptam, quatenus abstrahit à materia, & forma, & composito locari non posse huius scientiæ obiectum formale: quandoquidem, substantia incompleta, & partialis, ad completam, & totalem redigitur. Itaque, cum substantia sensibilis, de præfatis substantiis perhibeatur, sequitur incunctanter, ipsam non esse huius disciplinæ obiectum.

17 Ass. 2. corpus generabile, & corruptibile haud extat Physicæ obiectum adæquatum. Deducitur ex Doct. *passu praalleg.* & probatur 1. ex Arist. qui 2. *phys. T.* 71. scribit, quæ mota mouent, siue corruptibilia siue incorruptibilia, cuiusmodi est cœlum, pertinere ad Phys. Iterùm 1. *Celi* 1. & 1. *Meteor.* 1. subdit, omnia natura constantia, & mobilia esse Physicæ considerationis. Rursus, 5. *Met.* 7. & 8. *eiusdem operis*, inter substantias sensibiles; & corpora naturalia recenset cælum, quod est perpetuum, & incorruptibile. 2. omne corpus mobile spectat ad Physicam, quia mobilitas propriè capta est passio corporis mobilis; habet enim corpus naturam, quæ est *principium motus, & quietis.* Cum ergò cœlum habeat naturam, 1. *Cali.* 5. clarè infertur, ipsum Cœlum spectare ad Phys. Idque indicans Philosophus, statim post octo lib. phys. adiicit libros de cælo. 3. ea scientia, quæ agit de genere, vtique de eius speciebus disserit, quia genus potentialiter continet suas species. Phys. autem tractat de corpore naturali genericè sumpto, cuius species sunt corpora cælestia, & sublunaria, vt aduerti *in præfatione huius operis*. Addo, quod nisi cœlum caderet sub Phys. obiectum, insufficiens foret trimembris scientiæ speculatiuæ diuisio, 6. *Met.* 1. Quartò quippè, scientia speculatina danda esset, quæ de cælestibus orbibus disceptaret, quod Philosophorum torrenti opponitur. Deinceps, ratio formalis obiecti Phys. nequit esse corruptibilitas, & generabilitas, sed potiùs passio corporis sublunaris. Hinc Arist. agens de scientiæ subiecto in vniuersum, negat esse ens corruptibile. Cuius causam affert Bonet. 1. *Met.* 3. §. *Quinta.* quia corrupto subiecto, corrumpitur scientia eius subiecti, cum ab eomet subiecto, scientia consequenter dependeat.

18. Opp. 1. contrà. 1. ass. Arist. 12. *Metaphysicæ sum.* 1. *capite* 2. partitur substantiam sensibilem, in temporariam, & æternam, vultque Physicam in vtriusque contemplatione incumbere. Ratio esse potest, quia substantia sensibilis mouet intellectum nostrum ad sui considerationem, ergò substantia sensibilis statui debet obiectum Physicæ. Resp. præfatam substantiæ diuisionem non esse generis in species, sed accidentis in subiecta. Sensibilitas enim per se conuenit accidenti; per accidens verò substantiæ materiali. 2. *anima*, 65. Itaque cum sensibilitas nequeat esse ratio formalis substantiæ sensibilis, consequenter ipsa substantia sensibilis non valet esse obiectum Physicæ. Hoc quoque stabiliunt quæ dixi *in superiori artic.* respondens ad 1. oppositionem.

19. Opp. 2. contrà 2. ass. cuius principia, & passiones tractantur in 8. *Libris Phys.* decernendum est Physicæ obiectum, quia ea tanquam communia adaptantur reliquis, quæ in ipsa Phys. considerantur: principia autem, & affectiones corporis generabilis, & corruptibilis, in dicto opere tradantur, vt liquet 1. *Phys. T.* 56. *& indè*, vbi agitur de materia, forma, & priuatione, quæ haud conuenire Cælo patet, cum sit incorruptibile. Eò magis, quia Arist. putat Cælum esse corpus simplex à materia immune, notante Scot. 2. *d.* 14. *q.* 1. Idque ostenditur, *in lib. de Cælo*, concedo ma. ad min. dico, quod licet assignentur huiusmodi principia, & passiones *in præfato opere*; nihilominus, non sequitur, totam Physicam occupari in corpore generabili, & corruptibili, sed in corpore naturali abstrahente à corruptibili, & incorruptibili, vt apertè edisserit Philosophus 2. Phys. *T.* 71. Id ipsum significat 1. *Cali*,

Dd 2 *T.* 5.

T. 5. Et exponunt Conimb. 1. *phyſ. capite* 5. *quæſt.* 1. *a.* 4.

20. Inſtabis, in ſententia Ariſt. cælum non eſt compoſitum ex materia, & forma, vt *ſuprà* cum Scoto tetigi. Nec gaudet principio interno motus, cum ab extrinſeco, ſeu ab intelligentia moueatur. Dico quidem, per Ariſt. cælum eſſe corpus ſimplex: verumtamen, ſecundum Theologos, cælum conflatum eſſe ex materia, & forma: eſſeque proximè incorruptibile, non verò remotè, propterea quod, non datur aliud agens naturale, quod valeat vincere eius virtutem, ac introducere aliam formam diſtinctam ab ea quâ fruitur, docente Scot. 2. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *&* 4. *d.* 49. *quæſt.* 6. §. *Hic duo ſunt ſub B.* Habet autem cælum, principium internum motus, de quo ſuo loco.

21. Opp. 3. ſubiectum ſcientiæ debet eſſe vniuocum, cùm ſit genericum, aut ſpecificum, ex dictis *ſuprà*: corpus autem, quatenùs comprehendit corpora cæleſtia, & ſublunaria, non eſt vniuocum. Etenim, 10. *Met. ad finem*, corruptibile, & incorruptibile differunt, pluſquam genere: cum ergò cælum ſit incorruptibile, & ſublunaria corruptibilia, plane ſequitur, Phyſicam laborem ſuum impendere in ſolo corpore ſublunari, quod eſt generabile, & corruptibile. Concedo ma. Nego min. Ad teſtimonium Ariſt. dico, ipſum eſſe interpretandum de genere Phyſico, quod eſt materia, non autem de genere logico. aut metaphyſico. Vel dicito, ipſummet Philoſophum loqui de genere proximo, non verò de genere remoto, perhibente Scot. 4. *d.* 6. *quæſt.* 11. §. *Ad quæſt. propè medium.* Hocque declarari poteſt de lapide, & homine, qui licet diſcriminentur in genere proximo; tamen conueniunt in genere remoto, putà in communi ratione corporis, & ſubſtantiæ categoricæ.

ARTICVLVS III.

An ens finitum ſit Phyſicæ obiectum.

22. TRipartitos cerno Scotiſ. *in hoc art.* Quidam enim vt Bonet. 1. *Phyſ. cap.* 1. §. *perſcrutandum.* Et Tatar. *ibid. quæſt. vn. ſcibilè.* 4. quibus ſaltem verbis conſentire videtur Tol. *eo loci quæſt.* 2. arbitrantur, ſubiectum adæquatum totius Philoſophiæ naturalis, in ſe inſpectæ, & in tota ſua latitudine, eſſe ens finitum naturale, generatim captum. Alij, inter quos numerantur Canonicus 1. *Phyſ. quæſt.* 1. & Tromb. 6. *Met. quæſt.* 1. quibus adhærent gemini Scotiſ. *quæſt. proœm. a.* 2. Phyſicæ in ſe conſideratæ totale ſubiectum ſtatuunt, ſubſtantiam finitam naturalem. Cæteri verò, nominatim Faber *Theor.* an. *cap.* 1. Fuen. *quæſt.* 5. *proœm. a.* 2. inficiantur, tam ens finitum naturale, quàm ſubſtantiam finitam naturalem, Phyſicæ in ſe aut quouis alio modo inſpectatæ, eſſe adæquatum, & proximum ſubiectum. Reuocanda eſt in memoriam trina ſpeculatiuarum ſcientiarum diſtributio, miniſterio ſenſus partarum, tradita 6. *Met.* 1. & à me explicita in Logica *lib.* 5. *quæſt.* 4. *a.* 6. Præterea, ſicut admittitur vna ſcientia ſpeculatiua de ſubſtantia corporea: ita concedenda eſt altera ſcientia ſpeculatiua de ſubſtantia incorporea. Verùm quoniam propria prædicata, & paſſiones ſubſtantiæ incorporeæ per ſenſum non ſunt à nobis ſcibiles, & demonſtrabiles: & quæ de tali ſubſtantia nouimus, ſunt prædicata communia, & tranſcendentia: idcircò, de eamet ſubſtantia non habemus aliam ſcientiam à Metaphyſica diſtinctam. Metaphyſica quippè tanquàm doctrina vniuerſalis, & communis contemplatur prædicata communia, & vniuerſalia vtriuſque ſubſtantiæ, & cuiuſcumque alterius. Iterum obſerua, tam naturam quam habens naturam, eſſe ſubſtantiam 2. *Phyſ. T.* 4. non quidem incorpoream, quam Phyſica non curat, ſed corpoream, & materialem, quam ipſa Phyſica meditatur, 1. *Cæli* 1. & 1. *de partibus animalium* 1. *aliiſque locis*, quæ accumulat Veglia *veſt.* 6. *cap.* 1. *& indè.* Inſuper, idem ſub diuerſis formalib. rationibus, tractari à diuerſis ſcientiis, poſt Ariſt. 2. *Phyſ.* 18. notat Orbel. cit. *in fine*, vt Phyſica perpendit quantitatem, tanquam corporis naturalis affectionem, Mat. præciſè, quatenùs eſt quantitas, & Met. vt eſt ens.

23. Aſſ. 1. ens finitum, & limitatum, non eſt obiectum Phyſicæ. Elicitur ex Scot. 6. *Met. quæſt.* 1. Et conſonat Ariſtoteli, locis proximè alleg. Probatur 1. Phyſica non verſatur, in inſpectione entis finiti, cùm ſit muneris Met. vt patet 5. *Met. T.* 14. vbi Ariſt. diuidit ens finitum in decem categorias, quæ etiam per Bonet. cit. à Phyſica tanquàm eius obiectum non conſiderantur. Si ergo Met. expendit decem prædicamenta, in quæ tanquam in decem modos, ens finitum diſtribuitur, profectò ens quoque finitum, ipſa Met. perluſtrat, cum eiuſdem ſcientiæ ſit, veſtigare membra diuidentia, eiuſque diuiſum. Vndè idem Bonet. fatetur, ſe attuliſſe, 9. *Met. cap.* 2. partitionem entis in infinitum, & finitum. Secundò ex obiectorum diſtinctione, ſcientiarum diuiſionem depromi, tanquàm commune effatum recipit, & defendit idem Bonet. *ibid.* Finitum autem, & infinitum ſunt modi entis, vt monſtrabo *in Met.* Non igitur ens finitum decernitur Phyſicæ obiectum, alioqui duplex ſtatuetur tantum ſcientia, vna de infinito, & altera de finito, cum tamen ipſe Bonet. admittat Met. vt ſcientiam à cæteris diſtinctam, cuius curæ eſſe vult, ſpeculari ens, quod vocat primam naturam originis, & primam intelligentiam, quam nominat primam naturam perfectionis, quæ eſt Deus infinitus. Si enim de ſecundà natura conſtituitur vna ſcientia, procul dubio de prima natura ſancienda eſt altera ſcientia. Ampliùs, ens finitum comprehendit accidens, quod nullius ſcientiæ eſſe obiectum, præ aliis notat Orbel. præcit. Huc pariter pertinent, quæ adduxi, *in* 1. *art. huius quæſt.* ad repellendum ens mobile ab obiecto Phyſ.

24. Aſſ. 2. ſubſtantia finita naturalis haud eſt obiectum Phyſicæ proximum, & adæquatum. Sequitur ex dictis Doct. cit. & ſuadetur. 1. de ſubiecto præſupponitur an ſit & quid ſit, deque ipſo demonſtrantur paſſiones ſcibiles, 1. *poſt.* 1. de ſubſtantia autem finita in Phyſica non præſupponitur an ſit, & quid ſit. Nulla quippè in parte Phyſicæ definitur ſubſtantia finita naturalis, nec affectiones eius demonſtrantur, vt liquet percurrenti omnes libros Phyſicæ. Igitur ſubſtantia finita naturalis haud ſtabilitur Phyſicæ obiectum.

25. Dices, hoc argumentum probare tantùm de obiecto Phyſicæ ab Ariſt. traditæ: non autem de obiecto eius in tota ſua amplitudine captæ, vt loquuntur prænominati Scotiſ. Verùm hæc reſponſio non videtur eſſe vllius ponderis. Nam, præterquamquod dicti Authores faciunt Ariſtotelem mancum, & diminutum in ſtabiliendo obiecto Phyſicæ: ſubiectum cuiuſcumque ſcientiæ, cùm præcedat ſcientiam, eiuſque Authorem, ad arbitrium, placitumque eiuſdem, non conſtituitur, vt ponderaui, & confirmaui, *in præeunte articulo* præſertim quia reſpectus Authoris ſcientiæ eſt protſus extrinſecus, tam ipſi ſcientiæ, quàm eiuſdem obiecto. Eò vel maximè omnes ferè Philoſophi fatentur Ariſt. completam, omnibuſque numeris abſolutam tradidiſſe Phyſicam, vt conſtat ex eius par-

tium

tum enumeratione, in initio huius operis breuiter aſſignata.

Excogitare autem, aliam Phyſicam ampliorem, obiectumque eius latius, nec vlla authoritas, nec ratio alicuius momenti affertur ad id ſuadendam, vt patebit, ex ſolutione oppoſitionum infrà adducendarum. Licet autem in Log. hac diſtinctione vtamur, in ſtabiliendo Logicæ obiecto: attamen ibi ſufficiens iacitur fundamentum, & ratio ſatis firma redditur, ad eam diſtinctionem non improbandam. 2. vulgatum, & receptum ab omnibus extat diſcrimen inter Phyſ. & Met. hauſtum à Philoſopho paſſim in ſuis ſcriptis, nuncupatim 1. *Phyſ.* 18. & 6. *Met.* 2. & 1. *de partib. animalium*, 1. cuius ſunt hæc verba. *Rem à materia abſtractam nulla poteſt ſcientia naturalis contemplari, cum natura rei alicuius gratia faciat omnia. Rebus autem abſtractis abiunctum eſt id, quod ſub hoc vnius gratia verbo intelligimus.* Deindè 12. *Met. cap.* 2. idem Philoſophus agit de ſubſtantia finita, & infinita, vt aduertit Doct. *ad finem quol.* 7. Non ergò Phyſicæ obiectum ſancitur ſubſtantia finita naturalis, secùs Phyſ. à Met. non differret. Denuò, Ariſt. 6. *Met. paſſu recenſito*, diſtinctionem ſcientiarum ſpeculatiuarum inter quas memoratur Phyſ. non decerpit ex finitate, aut infinitate ſubſtantiæ, vt ibi intueri licet, & ego expreſſi in Log. *loco prælato*. 3. data illa opinione, Angeli caderent, ſub Phyſicæ obiecto, cum ſint ſubſtantiæ finitæ, & concedunt præfati Doctores: at non comprehenduntur ſub Phyſicæ obiecto, nec ipſa Phyſica eorum proprias paſſiones demonſtrat ſenſibus quippè non ſubiiciuntur, materiæ, formæque expertes: potiuſque alia ſcientia de eis foret aſſignanda, quàm eos ſub Phyſica claudere. Addo, locum eorumdem eſſe definitiuum à circumſcriptiuo diſſitum, vt vigilantes obſeruat Veglia *veſt.* 6. *l.* 2. *r.* 5. *num.* 93. Et 1. *Cæli T.* 100. dicuntur non eſſe in loco. Pariterque, motus eorum eſſe alterius rationis, vt dubitatiuè inquit Tatar. & aſſertiuè tenent alij ſcholaſtici. Ideò, non ſunt Phyſicæ conſiderationis.

26. Dices cum Tromb. & indiuiſis Scotiſt. cit *a.* 2. motum Angelorum etſi ſubiectiuè ſit ſpiritualis, tamen ratione ſpatij, & rerum, circà quas efficitur, eſt extenſus, & materialis, proindeque penès hunc reſpectum, ad Phyſ. ſpectat. Verum, hæc reſponſio, ſubſtantiam Angeli quæ eſt finita, ab obiecto Phyſicæ tollit, motum verò eius ſub eiuſdem obiecto includit, ſicque perperam ſtabilitur ſubſtantia finita huius ſcientiæ obiectum, ſed potiùs ens mobile, quod dicti Doct nobiſcum reſpuunt. Et ſi motus Angeli continetur ſub huius obiecto propter ſpatium materiale, & extenſum, vtique intellectio eiuſdem de re quanta, & materiali, obiectiuè, & terminatiuè ad Phyſ. pertinet, cum vtrobique, æqua ſit ratio. Iterùm, ſi motus fieret in inſtanti, quem eſſe poſſibilem non inficiatur Doct. 2. *d.* 2. *q.* 11. Itidemque, ſi Deus deſtrueret ſpatium illud poſitiuum, & materiale, nihil certè foret, ratione cuius motus perhiberetur materialis, ac extenſus. Demùm etiam motus, quo Deus mouet materialia, & corporea reſpiceretur à Phyſ. Atqueadeò, nedum finita, ſed etiam infinita ſubſtantia eſſet ſubiectum Phyſ. quod nemo opponentium audet dicere, quodue eſſe apertè falſum omnes conſpiciunt.

27. Opp. 1. contrà 1. aſſ. ſcientiarum diſtinctio ex obiectorum diſtinctione depromitur, 1. *poſt. T.* 43. obiectum autem Met. eſt ens 4. *Met.* 1. Ergo, obiectum Phyſicæ, quæ, illam immediatè ſubſequitur, eſt ens finitum. Conſ. nedùm ſubſtantia finita eſt mobilis, verumetiam accidens, vt patet, in Euch. Igitur, obiectum Phyſicæ adæquatum comprehendit tam ſubſtantiam finitam, quàm accidens, quod eſt ens finitum. Reſp. non à finitate aut infinitate entis, quæ ſunt modi eius ad Met. ſpectantes, Phyſica, aliæque ſcientiæ ſortiuntur obiecta ſpecificatiua, & diſtinctiua, ſed à ſubſtantia penès ſuas rationes formales. Accidens autem vllius ſcientiæ non eſt ſubiectum, vt inter alios notat Orbel. præcit. *ex* 6. *Met. T.* 5. Quia nequit eſſe primum, & vltimatum ſubiectum paſſionum demonſtrabilium; ordinatur quippè ad ſubſtantiam, à qua producitur, & in eſſe dependit. Ideò eius ens perhibetur, 1. *Eth. cap.* 6. Quare, ad conſ. dico, accidens non à ſe, ſed dependenter à ſubſtantia, eſſe mobile, & cum referatur ad ſubſtantiam, in qua ſubiectatur, propterea ſub ſubſtantia continetur; atque ita, non eſt aſſignandum pro obiecto Phyſicæ quid communius, latiuſque ſubſtantia corporea, & corpore naturali.

28. Opp. 2. in quo adæquatè ſubiectatur mobilitas, quæ eſt prima paſſio ſubſtantiæ naturalis, ſanciendum eſt obiectum totale Phyſicæ in tota ſua latitudine. ſubſtantia autem finita, quæ comprehendit ſubſtantiam incorpoream, putà Angelum, qui eſt mobilis, & ſubſtantiam corpoream, vt totum Phyſicum, eſt primum, & adæquatum ſubiectum mobilitatis; ergò totale, & adæquatum obiectum Phyſicæ eſt ſubſtantia finita. Conſ. Ariſt. ſecernit à Phyſica ſubſtantias abſtractas, propterea quod cenſet eas eſſe immobiles, & immutabiles, 1. *Cæli T.* 100. Et 12 *Met. T.* 5. ſi ergò ſciret eſſe mobiles, vt verè mobiles eſſe oſtendit Doct. 1. *d.* 2. *quæſt.* 9. indubiè eas in Phyſicæ obiecto incideret. Reſp. per diſtinctionem ma. de mobilitate ſenſibili, & materiali, quæ à compoſito Phyſico prodit, in eoque potiſſimùm ſubiectatur, concedo: de mobilitate inſenſibili, & ſpirituali, non quidem ex parte ſpatij pertranſeundi, ſed ex parte mobilis, nego. Ad diſtinctionem ma. diſtinguo min. vt enim apertè tradit Stagirita 12. *Met. cap.* 2. *ad. T.* 6. ſubſtantia ſenſibilis, eiuſque motus, ad naturalem Philoſophiam attinent; ſubſtantia verò inſenſibilis, & à materia ſeparabilis ad Met. Mobilitas quippè huius eſt alterius rationis, à mobilitate illius, vt ſignificat Tatar. cit. cum Doct. 2. *d.* 2. *quæſt.* 6. §. *Ad propoſitum. O.*

29. Inſtabis, anima rationalis alteratur in corpore, in eoque mouetur, recipitque talem motum, qui etiam pertinet ad Phyſicam. Ergò idem aſtruendum eſt de Angeli motu. Addo, Scot. cit. *quæſt.* 11. §. *dico ſub. O.* rationem loci eſſe communem vniuocam loco circumſcriptiuo, qui corpori naturali, & loco definitiuo, qui Angelo adaptatur: pariter, nullum extat incommodum, rationem vniuerſalem mobilitatis vniuocè conuenire mobilitati vtriuſque, eo ferè pacto, quo humanus intellectus, & Angelicus participant rationem communem principij intellectiui: atque viſus bouis, & Aquilæ eiuſdem ſunt ſpeciei, affirmante Scot. cit. *d.* 1. *quæſt.* 6. §. *poteſt etiam. D.* Igitur, præallata diſtinctio de mobilitate diluit argumentum, tametſi eorum naturæ ſpecie differant. Neganda eſt paritas. Siquidem anima eſt pars materiæ informatiua, conſtitutiua, & perfectiua corporis; eidem autem ſcientiæ curæ eſt ſpeculari totum, in quo incumbit, ac eius partes, principia, & paſſiones. Quapropter, cum Phyſica corpus animatum contempletur, vtique partes eius, inter quas præcipua fulget anima. Itemque meditatur ipſius animæ facultates, & affectiones, in quarum numero reperitur mobilitas. Cum autem Angelus ſit à materia ſeiunctus, nec quidpiam materiale habeat, conſequenter, nec eius eſſentia, nec eiuſdem principia, & proprietates, inter quas exiſtit mobilitas, ſunt Phyſicæ conſiderationis, inſinuante Doct. mox alleg. §. *concluſio.*

Ad aliud quod subiicitur, dico, etsi definitio loci tradita, *4. phys. T. 41.* loco circumscriptiuo tantum adaptetur, quam etiam Gilbertus *l. Sex princip.* & alij recipiant, atque licet admittatur, substantiam materialem & immaterialem participare communem rationem loci præscindentem à loco circumscriptiuo, & definitiuo, ob id non infertur vtrumque locum esse eiusdem rationis, veluti homo, & Angelus sortiuntur communem conceptum substantiæ transcendentalis, & prædicamentalis, specie tamen inter se differre fatentur omnes. Similiter substantia, & accidens vniuocantur in communi conceptu entis, secundum Scot. nihilominus esse alterius rationis, ambigit nemo. Itaque, dato quod substantia abstracta, & coniuncta cum materia potiatur communi, & generali ratione mobilitatis, non benè deducitur vtriusque mobilitates esse eiusdem rationis, cum procedant à diuersis principiis, & subiectis, quorum diuersæ sunt vires, & proprietates. Nec aduersæ sententiæ suffragatur Doct. Etsi enim velit intellectum Angeli, & hominis participare eamdem rationem, id fortasse astruit; quia vterque intellectus est spiritualis, & sortitur spirituale principium intelligendi, ac penes idem obiectum laborat. Pariter, subdit Doct. *ibid.* visum bouis, & Aquilæ non differre specie, quia ambo sunt materiales, circa idem obiectum versantes. Veruntamen, cum mobilitas Angeli sit formaliter, & subiectiuè spiritualis: ac mobilitas corporis naturalis sit materialis, non videtur, nisi valde remotè esse eiusdem speciei, nec ab vna, eademque scientia expendi. Ad conf. dicimus, Arist. censere, præfatas substantias esse necessarias, & immobiles, immò & incausatas, quod veritatem non sapere, monstrat Doct. 1. *d.* 8. *q.* 5. Et *quol. præcit.* & fusè ego ostendo *Tract. de creatione disp.* 1. *q.* 17. solus námque Deus est immobilis, immutabilis, & incausatus, 8. *Phys. T.* 34. 37. *& indè*, necnon 12. *Met. T.* 38. 41. *&* 49. Tamen, præcisa causa, cur tales substantiæ expendantur à Met. non est earum immobilitas, sed quia sunt materiæ expertes, & ab ea separatæ, vt luculenter edisserit Philosophus 2. *Phys. T.* 26. Et 2. *Phys. T.* 83. *&* 6. *Met. T.* 3. si nullæ forent substantiæ abstractæ, Physica foret prima philosophia, quoniam data hypothesi, essent tantum substantiæ materiales, quæ à Phys. pertractantur.

ARTICVLVS IV.

An corpus naturale sit Physicæ obiectum.

30. QVidam pauci, quos sequitur Auersa relatus a geminatis Scotist. *a.* 3. *q. cit.* negant corpus naturale, vt naturale esse Physicæ subiectum formale & proximum. Communis autem opinio, hoc tempore, strenuè defenditur à Fabro *Theor.* 20. Fuente in *proœm. Phys. a.* 3. Hurt. Arr. & aliis *ibid.* Quibus præiuerunt Scot. 6. *Met. q.* 1. Antonius Andreas, & reliqui *eo in loco*, qui affirmant, corpus naturale, vt naturale, esse obiectum attributionis adæquatum & formale Philosophiæ naturalis.

31. Not. naturale deriuari à natura, quæ multis modis accipitur, vt patet *q.* 1. *prol. Q.* Et 2. *d.* 18. *q. vn. B.* plures autem sumptiones sortitur naturale, 4. *d.* 43. *q.* 4. 5. *Intelligendum A.* quæ tanguntur *Quol.* 17. *propo motiuum*, & à me adducuntur *l.* 3. *de natura. & arte q.* 1. *a.* 2. Præterea, obseruo naturale, siue rem naturalem esse totum physicum, quod nominatur compositum ex materia, & forma 2. *Phys.* 1. *&* 1. *Cæli* 1. Deindè, Philosophus 2. *Phys. passu alleg.* diuidit naturam in materiam, & formam: priuationem verò, quoquo modo facit naturam: constans autem natura est compositum substantiale, quod habet materiam & formam, quæ vtraque natura est. Vndè idem Arist. 1. *Phys. in proœm.* præmonuerat, agendum sibi esse de principiis scientiæ naturalis, quæ sunt materia, forma & priuatio. Et *ibid. c.* 2. quæstiones de his appellat naturales. Atque *in fine eius lib* remittit sermonem de formis separatis, ad 1. Philosophiam, eò quòd non est naturalis. Idipsum tradit *l.* 2. *Phys. c.* 2. Amplius, 1. *dimensorum*, opus Met. inscribit post naturalia. Quocireà, natura propriè, & naturale, in 2. Philosophia, haudquaquam diffunditur, & extenditur ad substantias à materia seiunctas, & entia insensibilia, & immaterialia. Atque, qui aliter de his disserunt, innaturaliter loqui videntur, vt obiicit Caiet. *in præsenti quæst.*

Insuper, recolo ex dictis *in Log. q.* 3. *a.* 1. *l.* 1. subiectum scientificum, quod est nimis amplum, à pluribus scientiis inspectum restringi, & limitari per rationem formalem, & intrinsecam, per quam determinatur, & tantùm vni scientiæ appropriatur: sic corpus naturale, quod est materiale obiectum Physicæ, circa quod & Medicina versatur per sanabilitatem, quæ est ratio formalis corporis naturalis sanabilis, determinatur, adæquatur, & à sola Medicina respicitur: pariter per naturalitatem, corpus naturale contrahitur, coarctatur, & à sola Physiologia consideratur. Quamobrem, ab obiecto formali, scientiam, suam vnitatem, & specificationem decerpere, commune est Philosophorum adagium.

32. Ass. corpus naturale, vt naturale statuitur obiectum formale, & adæquatum totius Physicæ. Hanc esse ad mentem Doct. 6. *Met. q.* 1. asseuerant Parisienses *in fine q. alleg.* Probatur 1. ex Arist. 2. *Phys.* & 1. *Cæli præcit.* dicente, Physicam in eo, quod natura constat, incumbere. Natura autem constans, est corpus naturale, vt paulò antè explicabam. Deindè 6. *Met.* 1. scientia naturalis speculatur substantiam corpoream, in qua est motus, & quietis principium. Idem legitur 11. *Met.* 1. *&* 12. *eiusdem operis. T.* 6. Secundò, corpus naturale habet omnes conditiones requisitas ad formale & proximum obiectum Phys. Ergo decernendum est eius obiectum totale, & adæquatum. Ant. suadetur ex dictis in Log. *loco nuper memorato*, tres extant conditiones necessariæ ad formale subiectum scientiæ. 1. vt de subiecto præsupponatur, an sit, & quid sit. 2. vt habeat passiones de eius principiis demonstrabiles. 3. vt ad illud, omnia quæ tractantur in scientia, reuocentur. Hæ autem tres conditiones corpori naturali accommodantur. Prima quidem: nam cum 2. *Phys.* 1. Arist. tradat definitionem corporis naturalis; hoc pacto præsupponitur de ipso corpore naturali, an sit, quia numquam quæritur, quid sit res, nisi præsupponatur an sit. 2. verò, quia traduntur eius principia incomplexa, quæ sunt materia, forma, & priuatio, 1. *phys. T.* 56. complexa, quæ sunt eius axiomata, vt natura facit, quod melius est, deque ipso demonstrantur passiones scibiles, vt mobilitas 1. *Cæli*, 1. Tertia denique quoniam omnia comprehenduntur sub corpore naturali, vel vt partes, vel vt passiones, vel vt species, vel per se, vel per accidens, vt constat legenti libros Phys. Tertiò, quod est radix, & principium originatiuum omnium affectionum, & passionum Phys. ab omnibus vnanimiter, & incunctanter censetur esse obiectum formale, & totale Phys. corpus autem naturale est huiusmodi: ab ipso quippè promanant quantitas, qualitas, locus, tempus, motus, & id genus alia. 4. ex refutatione aliorum. Cum enim ex suprà probatis, *art.* 1. *huius q.* non sit ens mobile, nec corpus mobile: nec corpus generabile, & corruptibile vt patet *ibid. a.* 2. Nec ens finitum,

&

& ſubſtantia finita, vt liquet, *eo loci*, *a.* 3. conſequenter, & ſufficienter concluditur, eſſe corpus naturale, vt naturale.

33. Opp. 1. obiectum non probatur, ſed ſupponitur à ſcientia, cuius eſt obiectum, 1. *poſt. c.* 1. Corpus autem naturale probatur, 2. *Phyſ.* 31. Igitur corpus naturale non eſt Phyſ. ſubiectum. Concedo ma. nego min. ſolum namque ibi oſtenditur, omne mobile eſſe quantum, & diuiſibile: patet autem, quantum, & diuiſibile, haud cum corpore naturali coincidere. Idque palam indicat Ariſt. 2. *Phyſ. T.* 6. *dicens* non ſuaderi, ſed præſupponi eſſe naturam. Et 1. *Phyſ. T.* 11. quædam moueri manifeſtum eſt.

34. Opp. 2. obiectum formale eſt proprium, & diſtinctiuum vnius ſcientiæ ab alia ſcientia. Ab eo enim ſcientia decerpit ſuam vnitatem, & diſtinctionem, 3. *anima*, 38. Naturale autem eſt commune aliis ſcientiis: ſiquidem, Met. 5. *diuinorum T.* 5. *c.* 4. definit naturam eſſe *principium motus*, *& quietis*. Itemque, contemplatur quatuor genera cauſarum, *ibid. T.* 2. Rurſus, Aſtrologia corpus naturale, eiuſque motum, figuram, & ſitum conſiderat, 10. *Met.* 4. Amplius, Medicina ſcrutatur ipſum corpus naturale, vnà cum ſuis viribus, & affectionibus naturalibus. Non ergò corpus naturale extat primum, & adæquatum Phyſicæ obiectum. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, Metaphyſicam inſpicere naturam, cauſas, & id genus alia, non penes propria prædicata, ſub ratione naturalitatis, ſed penes attributa communia, & transcendentia: cum ſit ſcientia communis, & generalis perueſtigans omnium rerum rationes communes, & tranſcendentales. Hinc patet quid dicendum ſit de Aſtrologia, quæ cæleſtia corpora perluſtrat, ſub ratione mathematica, perquirens eorum menſuram, ordinem, ſitum, æqualitatem, & huius formæ alia: non autem ſub ratione naturalitatis, vt parat Phyſica. De Medicina verò claret ipſam ſortiri rationem formalem, & obiectiuam, quæ eſt ſanabilitas diſtincta à ratione formali, & obiectiua Phyſ. quæ eſt naturalitas.

35. Opp. 3. obiectum formale eſt principium, & proximum fundamentum, ac origo omnium paſſionum, & accidentium, quæ tractantur in ſcientia, cuius perhibetur formale obiectum. Naturale autem comprehendit tantùm ea, quæ fiunt per motum, non per mutationem, & ſimplicem emanationem, quæue ſunt congenita, & coniuncta ſemper cum eis, quorum ſunt paſſiones, vt quantitas cum ſubſtantia corporea, potentiæ cum anima, & huiuſmodi. Igitur, naturalitas non eſt ratio proxima, & adæquata obiecti formalis Phyſ. Concedo ma. nego mi. Etenim, ſub illis verbis. *motus*, *& quietis*. poſitis in definitione naturæ continentur omnes paſſiones Phyſicæ, ſiue ſint congenitæ ſuis ſubiectis, ſiue non: ſiue per motum, ſiue per mutationem, & ſimplicem emanationem à corpore naturali proficiſcantur. Quod magis eluceſcet ſuo loco, in explicatione dictæ definitionis naturæ. Atque roboratur, per definitionem cauſæ efficientis, quæ talis eſt *principium*, vndè *motus*, *& quietis*.

36. Quæres quodnam ſit obiectum octo librorum Phyſicorum? Reſpondet Scot. *q.* 3. *vniuerſ. ad* 2. eſſe corpus naturale præcisè ſumptum, quatenus à ſuis ſpeciebus præſcindit, de quo videndi ſunt Maſtrius, & Bellutus *quaſt. procem.*

LIBER SECVNDVS.

De Principiis rerum naturalium.

MONITI, præceptique à ſe traditi, ſtatim *in initio* 1. *Phyſ.* 1. non ſegnis exequutor eſt Ariſt. putà *in omni doctrina ab eius principiis, cauſis, & elementis exordiendum eſt.* Et *ibid. paucis interiectis T.* 4. *A communioribus, vniuerſalioribus, ad minus communia progrediendum eſt.* Iis enim præcognitis, & perſpectis, cæterorum cognitionem, ſcientiamque, cuius ſunt principia & cauſæ, facilè quiſpiam adipiſcitur. Cognitis quippè cauſis, eius effectus cognoſci haud eſt arduum, & incommodum. Hanc ego methodum ſequor, quam etiam in Log. obſeruaui, & expreſſi *in Epiſt.* potiſſimùm *in præfatione eius, & in principio lib.* 1. Itaque, primùm de principiis rerum naturalium in communi; poſtmodum de eiſdem in particulari: Denique de reliquis, quæ ea ipſa conſequuntur, diſſerendum eſſe arbitror.

QVÆSTIO I.

De Principiis generatim ſmuptis.

1. NEMO Philoſophorum tam priſcorum, quàm modernorum in dubium vocat, num ſint principia naturalia? Id enim, manifeſtum habetur in tranſmutatione compoſitorum naturalium, quæ præexigunt principia, & partes, ex quibus gignuntur, & componuntur. Atque, in naturali agente, quod præſupponit ſubiectum, in quod agit, inducit, ſiue potius educit aliquid de ſubiecto, quo ipſummet ſubiectum priuabatur. Quid autem, quotve, & qualia ſint naturalia principia, multas, eaſque diſcrepantes ſententias, ac diſſentientes voluntates Antiquorum fusè receitat, & egregiè refutat Ariſt. 1. *phyſ. c. a.* 3. *& indè.* Ego verò, quæ de his principiis opportuna, & neceſſaria iudico, per ſubſequentes articulos conſpicuè oſtendam, & pro viribus decidam.

ARTICVLVS I.

Quid ſint principia naturalia.

2. CVm Philoſophi prærecenſiti, ita variè, & obſcurè de principiis ratiocinati ſint, vt eorum nonnulli de his non naturaliter fuerint loquuti, quod illis exprobrat Ariſt. *vbi ſuprà, c.* 3. Alij verò, ita balbutientem, & diſcordem de eiſdem ſermonem habuerint, vt meritò de iſtis dici valeat illud,

Tot capita, tot sententiæ. Placet mihi, enucleatè, & accuratè vestigare, quæ de præfatis principiis generatim, & particulatim perhibentur. Vt autem illorum natura nobis lucidiùs pateat, distinctioque eorundem ab inuicem, & ab aliis facilius innotescat.

3. Not. 1. ex Scot. 4. *Met. in tex. pag.* 96. Auer. 5. *Met. in tom. c.* 1. Vorrl. 1. *d.* 29. & Fonf. *l.* 5. *Met. in expositione c.* 1. hæc tria, principium, causam, & elementum se habere veluti superius, & inferius, adeò vt principium superius sit, & eo inferior causa, & postremum elementum. Omnis quippè causa est principium, non tamen omne principium est causa, vt locus est quidem principium, vnde motus, non verò eius causa. Similiter, omne elementum est causa, sed non omnis causa est elementum, vt liquet de causa finali, & efficiente, quæ non est elementum, cùm elementum intrinsecè pertineat ad elementatum, veluti litteræ, quæ sunt elementa orationis spectant ad eius compositionem & integritatem. Idque suaderi, & declarari quoquo modo potest de hisce tribus nominibus productum, creatum, & causatum, inter quæ productum latius patet quam creatum, & causatum, & illud, quàm istud, vt obseruat Mayr. 1. *d.* 8. *q.* 7. Etenim Filius in diuinis est productus sed non creatus, nec causatus, secundum Ath. *Non factus, nec creatus.* Idipsum notari potest de istis tribus verbis, emanare, produci, & generari. Siquidem attributa Dei ab eius essentia emanant, & pullulant, non tamen producuntur, nec generantur: atque Spiritus sanctus producitur à Patre, & Filio, sed ab eis non generatur. Plura *Tract. de Deo vno, disp.* 3. *& tract. de Deo Trino. disp.* 1. Cur autem non omne principium sit causa, ratio reddi potest, quia potest esse principium alicuius, tametsi in illud non influat, vt constat de priuatione, quæ numeratur inter principia, quamuis in compositum haud influat. Causa autem apud Doctores Latinos semper concurrit ad effectus productionem ac influit in ipsummet effectum, ab ea specie, aut numero distinctum, vt ostendetur, cum de causis in communi instituetur sermo. Non me latet Philosophum nonnunquàm confundere principium cum causa, & vtrumque pro eodem vsurpare: si quidem 12. *Met. T.* 12. *cap.* 2. priuationem explicitè vocat causam. Et 5. *eiusdem operis*, 1. recensitis variis principij acceptionibus, tandem infert. *Tot modis dicuntur causa quot principia.* Et. 4. *Met. cap.* 2. *T.* 3. præmiserat, causam, & principium reciprocari, veluti ens, & vnum: sequitur ergò per Arist. causam eundem habere ambitum, quem sortitur principium. Veruntamen Suarez *disp.* 12. *Met. sect.* 1. *n.* 26. & inde, Fonf. cit. *q.* 7. *sect.* 2. & Peter. *l.* 3. *de principiis cap.* 1. afferunt, & reiiciunt multas magnorum virorum responsiones, ad præfata loca Philosophi, tandem fatentur, nominatim Suarez *cit. num.* 30. principium quoquo modò captum communius, & vniuersalius esse causa: sicque dicta Philosophi testimonia in suo robore manent, clamque negari videntur, estque modesta concessio lapsus Arist. vt prænominatus Suarez aliis obiicit: si enim principium quouis modo sumptum latiùs funditur, quàm causa; malè igitur Arist. ait principium conuerti, & reciprocari cum causa, veluti vnum cum ente: totidemque modis dici causam, quot principium: atque priuationem esse causam. Rursus Patres Græci, Chysost. Theod. *in com. Epist ad Hebr.* Damasc. 1. *fidei*, 11. & alij cit. à Conimb. 1. *Phys. cap.* 5. *q.* 1. *a.* 1. idem sentiunt. Ac in Conc. Nicæni actis, S. Ath. sumpsit causam pro principio. Cur non licet etiam Aristoteli, qui Græcus erat eadem vti acceptione? Eò magis, quidam Latini, inter quos sunt Aug. 7. *Trin.* 1. & *l.* 83. *qq. q.* 16. & Hierony. *ad c.* 3. *epist. ad Eph.* causam pro principio sumpserunt. Addo, quod iidem Authores non renuunt acceptionem causæ vulgarem, & popularem pro principio quolibet, etiam in effectum non influente, vt 4. *Met. T.* 3. olfacit Fonf. & ex 12. *Met. T.* 12. admittit Suarez *num.* 29. Et ipse Suarez id renuit concedere, ne cogatur astruere, causam, & principium æquè communia esse. Mihi autem, ad omnem difficultatem tollendam, litemque dirimendam in re, & in Arist. videtur esse dicendum, principium bifariàm posse capi, communiter, & propriè. Communiter sumptum principium, & causa latè accepta coincidunt, quo in sensu intelligitur Arist. cum ait 5. *Met. T.* 11. Totidem modis dici causam, quot principium. Et 4. *Met. passa alleg.* causam conuerti cum principio, veluti vnum cum ente. Et 12. *eiusdem operis* priuationem esse causam. Eodem modo exponitur Hieronym. præcit. *Pater sui origo est, suaque causa substantia.* Et Aug. 4. Trin. c. 20. *Pater est principium totius deitatis.* Propriè verò principium est, quod influit in productum, & dicitur origo vnius ab alio, sic in diuinis Pater est principium Filij: Pater, & Filius sunt principium Spiritus sancti. Principium ita captum, & causa, apud Græcos reciprocantur, vt patet ex Patrib. præcit. & recipitur in Conc. Florent. *sess. vlt. in litteris sancta vnionis*: apud Latinos verò nequaquam, sumentes causam strictius, prout præbet esse effectui, ab ipsa dependenti, & existenti, alterius naturæ numericæ, aut specificæ: quo pacto causa, & principium non conuertuntur, cum latius sit principium, quàm causa. Ideóque, de causa postmodum fortè, vt distincta à principio, disserit Arist. *c.* 2. *l.* 5. *Met.* eo fere pacto, quo erat ratiocinatus 2. *Phys. sum.* 3. *c.* 1. vt ibi aduertunt Orbel. & Tatar. Amplius, in creatis principium, & principiatum distincta natura gaudent, sicut causa, & causatum, vnumque semper ab altero dependet: nec censendum est Arist. agnouisse vnum ab alio produci, absque dependentia, & principiatum non esse correlatiuum principij in Diuinis, vt sanciunt Latini, de quo fusè *Tract. de Trinit. disp.* 2. *q.* 6. Porrò illa duplex acceptio principij & causæ non videtur incongrua: affinis quippè videtur sumptioni entis, & rei, quam affert Doct. *Quol.* 2. §. *De* 1. & explicatur ab Orbel. 4. *Met. quæst.* 1. *&* 2. Et indicat Arist. *loco proximè memorato*, subiiciente, communem principij definitionem, *in sequenti art.* adducendam.

4. Not. 2. ex variis scriptis, diuersisque locis Arist. deduci quatuor principiorum descriptiones, tres in singulari, & quartam in plurali. Prima reperitur propè initium Poëticæ. *Principium est, quod ipsum quidem, post aliud, necessariò non est, post illud autem, aliud natum est esse, aut fieri.* Hæc principij ratio, à Fonf. cit. *quæst.* 1. *Sect. Prima*, restringitur ad principium rei quantæ, & extensæ dumtaxat, vt ad vnitatem numeri, & punctum lineæ, & instans temporis. Verùm amplissima est, & maximè æquiuoca, vt post Damasc. *in Dialogo* contrà Manich, scribit Suarez cit. *n.* 4. Fundi enim potest, nedum ad quanta, sed etiam ad qualia, vt primus gradus qualitatis dicitur eius principium, fundamentum principium domus, locus superior principium inferioris, litteræ principium Grammaticæ, exordium orationis, & termini Dialecticæ. Idque videtur olfacere quoque Fonf. amplians eam principij definitionem ad ea, quæ sunt actu, vel potentiâ principia, necnon ad eamet, à quibus alia sunt vel fiunt. Secundà traditur, 5. *de generatione animalium c.* 7. *Hoc est enim principium esse, vt ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa.* Ista principij notificatio apparet latior præcedente. Cum enim principium definiatur per causam, veluti genus eius, & quid eo superius, propterea causa principio superior, & amplior esse videtur. Verum, licet in lata significatione, causa, & principium æquo ambitu

ex dictis potiantur: attamen, cum causa respiciat causatum, & effectum ab ipsa depēdentem essentialiter, & principium propriè captū quamuis semper influat in productum, siue communicet esse producto; nihilominus non semper productum dependet à producente, vt constat de Diuinis Personis productis, inter quas est quidem coëxigentia, non verò dependentia: estque prioritas originis, non autem prioritas naturæ, aut temporis. Consequenter, causa propriè non est amplior principio, imò contractior, quia spectat ea, quæ tantùm sortiuntur inter se essentialem dependentiam, cuiusmodi sunt multi effectus ab vna causa prodeuntes, quorum prima causa dicitur, eorumque principium in illa serie, & ordine, eo ferè pacto, quo decem prædicamenta perhibentur decem prima genera. Tertia exaratur 5. *Met.* 1. Principium est primum, vnde aliquid actu est, aut fit, aut cognoscitur. Ibi autem Arist. eiusque interpretes obseruant, Ly *Primum* conuenire omnibus Principiis: omne quippè principium est primum; non tamen omne primum est principium, vt ens est omnium primum, de quibus prædicatur, verumtamen dici nequit Dei principium, quia Deus est absque principio, imò omnium principium, & finis. Apoc. 1. Quare principium perhibetur primum simpliciter, atque in aliquo ordine dicitur aliquid principium, quod in eo ipso ordine ab alio non præceditur. Quo pacto in ordine Diuinarum Personarum, Pater est principium totius deitatis, scribente *Aug.* 4. *Trin. cap.* 20. *Inter vniuersalia genus; inter prædicamenta, substantia; inter principia naturalia, materia; inter homines Adam; & inter Minores, S. Franciscus.* Similiter, principium dicitur primum secundum quid, in aliquo ordine, sic punctum intermedium vocatur primum, & principium punctorum subsequentium lineæ, & instans temporis interiectum, quoque appellatur principium comparatiuè, hoc est, respectu instantium aliorum, ipsi succedentium in tempore. Quocircà essentiale est principio, esse primum, esseque prius eo, quod est ab ipso, siue absolutè, siue respectiuè, & in quouis ordine, vt in creatis, causa est prior saltem natura effectu, & in Diuinis, Pater est prior origine Filio, de quo fusè *tract. de Deo Trino.*

In prælata autem definitione locatur *vndè*, quod designat consecutionem, siue connexionem inter aliud, quod est à principio. Cum enim principium sit relatiuum, annuente Vort. cit. necesse est, respiciat aliud, quod ab ipso quodammodo sit, aut consequutiuè, vt instans primum respicit secundum instans, aut originatiuè, vt pater respicit filium, aut causatiuè, vt causa intuetur effectum. Quod expressit Arist. subdens, *vndè aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* Vbi tria significantur principia. Nonnulla, à quibus alia sunt, tametsi nihil prorsus producant, & influant in ea, quorum sunt principia, vt punctum dicitur lineæ principium, & priuatio generationis naturalis. Quædam verò quidem communicant esse producto, nihilominus non causant propriè productum, vt de Diuinis Personis producentibus, respectu productarum suprà dictum est. Et alia causant proprie productum, vt in creatis pater causat filium. Reliqua autem sunt principia cognoscendi, quæ appellantur dignitates, suppositiones, & doctrinarum axiomata, quorum meminit Arist. 1. *post. c.* 9. *&* 10.

5. Dices, vera definitio datur per genus, & differentiam, ex assertis *in Epist. l.* 2. *q.* 7. *art.* 2. Illa autem principij definitio traditur per membra, in quæ diuiditur, quæ potiùs videntur eius species, quàm eiusdem genus, & differentia. Itemque assignatur per disiunctionem, ergò non est idonea definitio. Admitto ma. ad min. dico, id quandoque fieri, cum nobis non plenè innotescunt definiti genus, & differentia propria, vt præstat Arist. 1. *prio.* 1. definiens propositionem per affirmatiuam, & negatiuam, quas constat esse eius species. vt aduotaui *in Epit. cit. qu.* 2. *a* 2. Pariter in præsenti dici potest. Arist. assignasse, & declarasse præfatam principij definitionē per membra eius diuidentia, siue quasi eius species, maximè quia de iis, quæ ita sunt lata, & fusa, æquiuoca & transcendentia, vix præberur definitio, sed solùm quædam descriptio, & notificatio. Potest autem dari communissima principij definitio, conueniens omnibus principiis, hiscè verbis. *Principium est primum, vndè aliquid.* Vbi primum est veluti genus, & reliquæ voculæ gerunt vicem differentiæ. Sic captum principium distribuitur, in trina membra significata per illa verba definitionis Aristotelicæ, *vndè aliquid est, vel fit, vel cognoscitur.* Quarta legitur 1. *Phys. c.* 1. *T.* 42. *Principia sunt, quæ nec ex aliis, nec ex se mutuò, sed ex iis omnia fiunt.* Hæc est propria, & principiis rerum naturalium accommodata duntaxat, consentientibus omnibus interpretibus ibi præter Arr. *disp* 1. *sect.* 2. *n.* 4. & Hurt. *ibid.* qui communem eam faciunt omni principio, extrà Phys. etiam Deo, vt est principium rerum creatarum, & Adamo, vt est principium hominum. Verùm prætercquamquod non distributiuè, sed collectiuè ea definitio sumitur, vt benè aduertit Fons. *cit. q.* 2. *sect.* 1. Non enim principium in singulari, sed principia in plurali describuntur. Qui autem, vt Mellissus, & Parmenides, vnum principium immobile, vti est Deus, decreuerunt, tanquam innaturaliter loquuti arguuntur ab Arist. *cit. c.* 2. *T.* 8. De ipso namque agitur 12. *Met. sum.* 2. *c.* 2. & indè. Quod dicitur primum principium, & immobile, à quo omnia mouentur, dependent, & essentialiter subordinantur. Vestigantur quoque ab eodem Philosopho principia generationis, & compositionis naturalis, vt patet *loco nunc alleg.* & concluditur ab eodemmet *c.* 7. *eiusdem lib. T.* 68. his verbis. *Quot igitur sunt principia rerum naturalium, quibus generatio conuenit, & quonam modo sunt tot, satis iam explicauimus.* Deindè, 5. *Met.* 2. causa efficiens describitur *principium primum, vndè motus, & quietis:* siue à quo motus, & quies proficiscuntur. Ex his satis significatur, Deum, qui est causa efficiens creaturarum, esse principium earum extrinsecum. Cum ergò Arist. disserat in Physica de principiis rerum naturalium intrinsecis, apertè euincitur, præallatam definitionem Deo, vt principio rerum effectiuo haud conuenire. Denuò, præpositio *Ex*, in dicta definitione locata non designat habitu[illegible]nem causæ efficientis ad effectum. Nam, licet quandoque ita accipiatur, vt ex sacra Pagina nititur suadere Hurt. cit. Attamen propriè non vsurpatur à Philosophis, quatenùs denotat ordinem ad causas extrinsecas; non enim propriè res dicitur effici ex agente, sed ab agente, vt explicitè exaratur 1. *Phys. c.* 4. *T.* 40. Et 5. *Met. T.* 2. Et lucidius fiet *l. de caus.* Hinc communiter reprehenditur Dauid de Dinamo existimans, Deum esse materiam primam, ex qua omnia sunt condita. Ampliùs, omnes Philosophi cum Arist. ex notatis suprà concedunt, principia esse contraria, & ex eis omnia fieri composita naturalia, siue vt termino à quo, siue vt partibus componentibus. Insuper, tres conditiones necessariæ ad ea principia, positæ in dicta definitione, & declaratæ à Parisiensibus palàm demonstrant, nullo modo illam definitionem Deo, aut aliis principiis extrinsecis, ab Arist. memoratis posse adaptari. Prima namque eorum conditio est, vt nec ex aliis, supple, fiant. Ratio est, quia principia sunt contraria, ex dicendis *infrà*: non igitur ex aliis fiunt, alioqui non essent prima, sed alia darentur priora, ex quibus fierent secunda. Nec ex alterutris etiam, quia sunt contraria, quæ ex se mutuò non fiunt, putà, tanquàm ex subiecto: sic albedo non est subiectum nigredinis, vel tanquam ex parte componente, similiter ex albedine non fit nigredo, vt ex

parte

parte eius constitutiua, benè tamen potest fieri, vt ex termino à quo, vt ex non albo fit album, ex non Musico, fit Musicus, teste Arist. 1. *Phys.c.5.T.43. & indè* Et si ex nigro fiat album, id est, per accidens, vt subdit idem Philosophus *ibi*, & explicant Parisienses *eo loco*. Per hanc distinctionem tollitur apparens contradictio, quæ involui videtur in scriptis Arist. qui *T.43.c.5.* ait, contraria ex sese non fieri, & tamen *infra T.47.* concludit, omnia gigni ex contrariis immediatis, aut mediatis. Soluitur, inquam, quia *T.43.* scribit, nihil fieri ex contrariis, supple, tanquam ex subiecto, aut tanquam ex parte constitutiua, vt forma non fit ex materia, quoniam materia non est pars constitutiua formæ. At *T.47.* astruit, ex contrariis, omnia gigni, vt ex termino à quo, siue ex eorum priuatione, vt seipsum explicat idem Philosophus *ibid. T.43.44. & indè*. Tertia conditio, sed ex his omnia fiunt. Naturalia omnia composita fiunt, ex dictis principiis, ex priuatione quidem, vt termino à quo, ex materia verò, & forma, tanquàm ex partibus componentibus. Quare, à definitiune principiorum præallata secluduntur Deus, Angelus, accidentia, & cætera, ex quibus composita naturalia nec generantur, nec componuntur.

6. Assertio, rectè definiuntur principia Physica, quæ nec ex aliis, nec ex se mutuò, sed ex his omnia fiunt. Ita Arist. cit. à quo non declinant Scot. 9. *Met. q.14. §. De aliis.* cæterique Scholastici. Probatur 1. ea censetur idonea definitio, quæ declarat definitum, gaudetque cunctis conditionibus ad ipsam requisitis, & à me adductis *in Epitome l.2.quæst.7.a.2.* Talis autem visitur præmemorata principiorum definitio, vt constat ex tribus eorum conditionibus paulò antè declaratis. Legitima ergò est definitio. Secundò in ea notantur quasi genus, & differentia: dico quasi genus, & differentiam, quia, quæ sunt partialia, & incompleta, nequeunt simpliciter participare genus, & differentiam, vt aliàs obseruaui. Eorum autem, quasi genus est principium, siue principia: & reliquæ voculæ gerunt vicem quasi differentiæ. Per eas quippe, principia Physica à reliquis principiis discriminantur: recta ergò est eorumdem prænominata definitio.

7. Opp.1. forma fit ex priuatione, vt termino à quo, & ex materia, tanquàm ex subiecto, vt anteà declarabam: ergò vnum principium fit ex alio, proindèque, perperam locatur in dicta definitione, principia ex sese non fieri. Hæc oppositio iam videtur diluta antè asserit. Nihilominus ad vberiorem doctrinam, & propter multiplicitatem responsionum, quæ videri queunt apud Nostrates, libet eam exactiùs discutere. Respondent Suarez, Hurt. & Arr. cit. post Tol. & alios, quibus videntur præiuisse Paris. prænominati, vnum principium effici ex alio, in diuerso genere principij, vt probat instantia, non autem in eodem genere principij, hoc est, forma non fit ex alia forma, nec priuatio ex alia priuatione, nec materia, ex alia materia. Contrà. Hæc responsio pugnat Arist. qui *passu alleg.* reddens rationem, cur vicissim principia ex se non fiant, inquit, quoniam sunt contraria, & prima contraria per se primò ex se non fiunt, cùm sint simplicia, secùs non forent contraria per se primò. Contraria verò, ex contrariis secundariò fieri docet Arist. *vbi suprà*. Quapropter, secundum Arist. ex primitate simpliciter & contrarietate primaria, clarè ostenditur, principia nec ex aliis, nec ex se mutuò confiei. Rursus, quãdo habetur expressa mens Arist. is in alium sensum non est trahendus: patet autẽ. Stagiritam explicitis verbis dicere omnia ex illis effici principiis, vt constat ex eorum definitione, ergò ipsa principia non fiunt. Deindè, *cap.7. T.64.* habentur hæc verba. *Ex his igitur, quæ dicta sunt manifestum est, quidquid fit compositum semper esse.* Et *ibid. T.82. Materia est subiectum primum vniuscuiusque ex quo fit aliquid*, subaudi compositum, *7. Met.c.8.T.26. Forma non fit, nec generatur.* Et *l.8. eiusdem operis, c.3. T.8. Ostensum autem est, & declaratum quod speciem, seu formam nullus facit, hoc fit autem quod ex his id est, compositum.* Idem legitur 12. *Met. T.12.* Et confirmatur a Scot. 7. *Met. concl.22.* Quod si quandoque materia, & forma dicantur fieri, vsurpatur verbum fieri in amplà significatione, veluti cum dicitur, *ex nihilo, nihil fit, &, ex nocte fit dies.* ita capitur, 1. *Phys. T.58. & 64.* vbi fieri tribuitur priuationi. In proprio autem, & stricto significatu solum compositum fit, vt patet explicitè 1. *Phys. T.65.* & aliis Text. præcit. Causa est, quia quod fit proprie, ex subiecto præexistente fit, si ergò materia fieret, ex præsupposito subiecto, fieret, abireturque in infinitum, & infert Arist. 7. *Met.26. & 27.* Et 12. *eiusdem operis* 12. Et vigilanter aduertit Veglia *vest.1. cap.17. num.50.* Et antè eum Bonet. 1. *Phys. cap.3.* Hæc duplex acceptio verbi *Fieri* colligitur à Veglia *vbi supra ex locis mox adductis*, Et 1.ca'i 112. & 121. per quam præsenti oppositioni benè & plenè satisfit, & luculenter traditur à Doct. 1. *d.3. quæst.6. §. Tertia quæstio. X.* Et 2. *d.17. quæst.1. §. Dimissa. A.* Denuò, inualida ostenditur allata responsio Recentiorum sic in eodem genere principiandi, vnum principium vicissim fit ex alio, vt forma fit ex priuatione tanquam termino à quo, vt ex tenebroso fit aër lucidus & ex forma, tanquam termino à quo fit priuatio, vt ex lucido fit aër tenebrosus. Nec præstat dicere cum Hort. cit. id habere locum in diuerso ordine, videlicet in generatione, terminum à quo esse priuatiuum & in corruptione, terminum à quo esse positiuum: siquidem hoc non tollit, quin in eodem genere principiandi, vnum principium fiat ex alio; quod est terminus à quo vndè incipit mutatio, quod idem Hurt. prænegarat: per accidens autem est, vt terminus à quo sit positiuus aut priuatiuus, dummodo ab eo exordiatur mutatio. Eò magis si concedatur in diuerso ordine, vnum principiũ effici ex alio, cum sic habeatur diuersa mutatio, planè inuoluitur diuersus ordo, & palam liquet ex allata principiorum definitione, in qua explicitè ponitur particula *mutuò*, quæ talem ordinis diuersitatem demonstrat, quæve ab eis excluditur, per illam voculam præpositam. Hinc quoque exploditur responsum Iuniorum nostrorum, *in fine quæst.4.* qui eo argumento conuicti, concedunt in diuerso ordine, & genere mutationis acquisitiuæ, & deperditiuæ, contraria principia ex alterutris fieri. Verum, id contradicit Arist. qui statim *in initio* 1. *Phys.* proponit se acturum de principiis rerum naturalium. Et *capit.7. eiusdem lib. T.68.* concludit se tradidisse principia rerum naturalium, quibus generatio conuenit. Quodque etiam Priores Philosophos intendisse, patet *ex eodem lib. à capit.2.* ferè *vsquè ad vlt.* vbi eorum opiniones rationesque narrantur, de principiis generationis naturalis, déque eorum numero, vt prænominati Recentes non inficiantur, tum *loco citato*, tùm etiam *in expos. text.* Corruptio namque & si quæ sunt eius principia per se non intenduntur à natura, sed per accidens, teste Scot. 2. *dist.1. quæst.3. §. Ad 1. argum. principale. L.* Addit Tatar. 2. *Phys. quæst.1. scib.1.* corruptionem, & motum deperditiuum non esse naturalem. Dixi autem si quæ sunt principia, quia talia non merentur nomen principij, cum ex eis non fiat aliquid, sed potiùs desinat aliquid, putà compositum quod corrumpitur. Non ergò definitio principiorum communiter recepta, potest eis adaptari, in qua expresse ponitur. *Ex his omnia fiunt.* Itaque abs re, & præter mentem Philosophorum à dictis Authoribus excogitantur principia communia acquisitiuæ, & deperditiuæ mutationibus, vt pressi opposita instantia, veram, & Aristotelicam doctrinam deserentes, & nouam amplectentes,

amplectentes, datam reſponſionem mordicùs tueantur. Inſuper, inanis redditur dilutio Pontij *diſp.* 31. *quæſt.* 1. *num.* 6. exiſtimantis, noſtram reſponſionem eſſe nominalem. Irrita, inquam eſt, quia noſtra eſt Ariſt. Realium capitis, & Scoti Franciſcanorum Magiſtri, rationibus prævallatis ſatis firmata, & vallata.

8. Opp. 2. materia fit ex partibus integralibus, & entitatiuis, authore Scot. 2. *d.* 12. *quæſt.* 2. §. *Reſpondeo D.* Ergò principia fiunt ex aliis. Conf. 1. materia cùm claudatur in prædicamento ſubſtantiæ, conſtat ex gradibus metaphyſicis, qui ſunt genus, & differentia. Conf. 2. principia particularia fiunt, ex communibus. Conf. 3. corpus quod eſt materia animæ, ſecundum Scot. 4. *d.* 11. *quæſt.* 3. fit ex alia materia; componitur enim corpus ex materia, & forma. Igitur principia, & ex aliis, & ex ſe inuicem fiunt. Negatur 1. pars antecedentis: ſiquidem cum partes integrales ſint partes quantitatiuæ, & quantitas ſupponat totum ſubſtantiale, quia eſt eius ſubiectum, conſequenter ex partibus materia conſtitui nequit. Ad 2. partem dico, partes entitatiuas non eſſe principia, ex quibus generatur compoſitum, cuiuſmodi ſunt principia, de quibus verba facimus, ſed ex quibus pars materialis conflatur. Quare, cùm ſolum compoſitum fiat ex dictis principiis, & materia creetur ac forma educatur vel inducatur in ipſam materiam; ſanè deducitur, eas partes entitatiuas haud eſſe principia Phyſica, ex quibus fit totum phyſicum. Ad 1. conf. dico, quamuis materia, vt ſubſtantia incompleta reducatur ad prædicamentum ſubſtantiæ, & componatur, quaſi ex genere, & differentia, vt patebit *in proxima quæſt.* Tamen ex illis non fit phyſicè ſed metaphyſicè, vt de anima rationali ſcribit Doct. 2. *d.* 1. *quæſt.* 6. Ad 2. conf. patet per eamdem diſtinctionem. Verum namque id eſt metaphyſicè, non autem phyſicè. Addo, quod ſicut ex principiis communibus phyſicis fiunt communia compoſita phyſica; ita ex principiis particularibus fiunt particularia, vt ex principiis ignis, ignis; & ex principiis aquæ aqua, vt in præſentia notant Pariſienſ. Licet autem ea definitio non adaptetur ſingulis principiis; non ideò inepta cenſenda eſt, quia ſupponit ſimpliciter, non verò perſonaliter: veluti definitio generis quæ ſpeciebus ſigillatim haud competit: Non enim ſpecies, de qua prædicatur genus, eſt quod prædicatur de multis ſpecie differentibus in quid. Ad 3. conf. dico corpus organicum habere formam corporeïtatis ſubordinatam animæ, ideò hoc reſpectu eius ſe habere tanquam materiam proximam, & immediatam, vt tangit Doct. *vbi ſuprà*, & ex inſtituto 4. *d.* 11. *quæſt.* 3. de qua hic non agimus, ſicut & de materia rerum artificialum, ſed de materia prima & remota, quæ aliam priorem non agnoſcit.

9. Opp. 3. cælum, quod eſt corpus naturale non fit ex præfatis principiis. Cum enim ſit ingenerabile, & incorruptibile, ex priuatione, & materia, quæ machinatur maleficium, haud effici cenſendum eſt. Non ergò recta eſt præaddncta definitio. Fonſ. cit. *ſect.* 2. vbi vulgata habet *fiunt*, vertit, *ſunt*. Sic occurrit inſtantiæ, cœlum habere principia conſtitutionis, quæ ſunt materia, & forma, non verò principia generationis, inter quæ eſt priuatio. Verum, derelinquenda non eſt communis tranſlatio, vt ſatisfiat argumento. Nam 5. *Met. cap.* 1. in communi, & generali principij deſcriptione, annuente ipſo Fonſ. legitur *fit*. Et 1. *Phyſ. T.* 82. pariter in definitione materiæ exaratur *fit*. Atque verbum græcum γίνεται fundi poſſe ad verbum fiunt, ſunt, & conſtant, alij non ignobiles ſcriptores obſeruant.

Reſponderi poteſt in ſententia Philoſophi, cœlum non conſtare materia, & forma, cum ſit corpus ſimplex, vt ex eo oſtendit Doct. *in vtroque opere Oxonienſi, & Pariſienſi.* In communi autem doctrina ſcholaſticorum arbitrantium, cœlum eſſe compoſitum ex materia, & forma, negatur ant. Nam licet materia tempore non præceſſerit formam cœli, præïuit tamen natura, & in illo priori præfuit priuatio, tanquam principium, à quo cælum, vt termino à quo, dici poteſt principiari. Atque eius formam eductam eſſe de materia, ſiue ex illo chaoo, quod ſtatuitur à Theologis, attigiſſe vſque ad cælum empyreum, ſignificat Doct. 2. *alleg.* §. *Secundum. D.*

Articvlvs II.

Quibus principiis conueniat allata definitio.

10. IN hoc art. tres difficultates moueri queunt, quarum prima eſt, vtrùm principiorum præaddncta definitio conueniat tam principiis intrinſecis, quàm extrinſecis, ſub quibus comprehenduntur quatuor cauſarum genera. Secundà nùm definiantur principia generationis, & compoſitionis: & ſi generationis, nùm præcisè vt generatio, an verò vt eſt mutatio? Tertia vtrum principia reſpiciant ſubſtantialem, & accidentalem generationem? Not. 1. ex Scot. 1. *d.* 5. *quæſt.* 2. § *Ideò tenendo. E.* Et *d.* 2. *quæſt.* 7. *K* generationem in creatis duo præſeferre ab inuicem diſtincta, productionem nimirum, & mutationem. Productio autem formaliter eſt producti, quod eſt compoſitum, 7. *Met.* 26. cui accidit, vt fiat cum mutatione alicuius partis ipſius compoſiti: mutatio verò formaliter eſt actus mutabilis, quod de priuatione formæ, tranſit ad formam; ſemper autem, & neceſſariò productionem concomitatur mutatio, in generatione rerum naturalium, ob imperfectionem potentiæ productiuæ, quæ nequit præbere totale eſſe, termino productionis, ſed aliquid eius præſuppoſitum tranſmutat ad aliam partem eiuſdem, ſicque producit compoſitum naturale. Verùm, ſi agens foret perfectum, & non præexigeret materiam ex qua vel in quam ageret, poſſetque producere effectum ex ſe, & per ſe, tunc eſſet productio abſque mutatione, vt patet in creatione, in qua propter perfectionem potentiæ creatiuæ Dei, ponentis primò totum in eſſe, verè extat ratio productionis, quatenùs per eam terminus productus accipit totale eſſe, non tamen in ea eſt ratio mutationis propriè dictæ, prout mutatio deſignat aliquid per eam aliter ſe habere nunc, quàm prius, ſcribente Stagirita 6. *Phyſ.* 31.

11. Not. 2. Ariſt. plures definitiones generationis naturalis afferre diuerſis in locis ſuæ doctrinæ, quas collegi *lib. de generatione quæſt.* 2. Et in omnibus ponitur mutatio, præſertim 5. *Phyſ. T.* 7. vbi expreſſè legitur, generatio eſt mutatio, ex non ſubiecto, in ſubiectum. Ideò plerique, vt Rim. 1. *de generatione c.* 4. *Tract.* 1. *q.* 2. putant, generationem eſſe mutationem eſſentialiter, quo pacto vanum eſſet peruestigare, nùm præſcribantur ab Ariſt. principia generationis, aut mutationis? Verùm quoniam idem Philoſophus videtur præſcindere productionem à mutatione, quia abſtrahit potentiam ſimpliciter productiuam, à tranſmutatiua, vt multis oſtendit Veglia *queſt.* 2. potiſſimum *c.* 8. *n.* 31. ex 1. *Cæli T.* 100. *Æuum eſt & immortale, diuinum, vndè aliis communicatum eſt, his quidem clarius, his autem obſcurius eſſe, & viuere.* Proptereà, meritò nonnulli perquirunt, vtrum principia generationis, aut mutationis 1. *Phyſ.* Philoſophus aſſignauerit.

12. Aff. 1. definiuntur principia generationis naturalis non præcisè, vt est productio & actio, sed vt est mutatio. Hæc aff. in tres sciinditur partes, quæ significantur à Doct. *vbi suprà*, & 2. d. 11. *quæst.* 1. prima pars probata est *in* 1. *art.* ex Arist. qui *in principio* 1. *Phys.* proponit se acturum de principiis scientiæ naturalis in vniuersum, & qui ea transcendunt tanquam innaturaliter ratiocinatos esse, reprehendit *ibid. cap.* 2. *T.* 8. & *cap.* 7. *T.* 68 concludit se tradidisse eamet principia generationis Physicæ, eorumdemque numerum. Et ego, ex aliis principiorum definitionibus, ad Physicam non spectantibus, satis declarani, & firmani illam præpositam partem. Nec nullus, quem viderim, ab hac dissentire videtur.

13. Secundà pars indicatur à Dunsio *in* 2. *cit.* contra Auersam *quæst.* 10. *sect.* 2. & Hutt. *sect.* 2. §. 7. comprehendentes sub ea definitione, omne genus causæ. Suadetur 1. generatio, vt productio est transcendens, vtpotè quæ competit generationi diuini. Verbi, assertore Scot. *vbi suprà*: atque creationi, quæ cùm sit factio ex nihilo, nullam præiacentem materiam præsupponens, non est quidem propriè mutatio, est tamen verè productio: principia autem 1. *Phys. T.* 62. definiuntur illa, ex quibus composita naturalia fiunt, tanquam ex termino à quo aut vt ex partibus totum componentibus, annuente Auers. *alleg. sect.* 1. Ergò non definiuntur, vt principia actionis, & causationis. Secundò, quæ abstrahunt à motu, & mutatione non sunt Physicæ considerationis, 2. *Phys. cap.* 2. & 12. *Met.* 6. Non ergò hoc loco tractantur principia generationis, vt est actio. Quod nobis clarè insinuans Arist. 5. *Met. cap.* 1. affert aliam definitionem principij generalem omnibus, & singulis principiis congruentem, vt patet *ex* 2. *not.* cum 1. Phys. *passu prelato* præmiserit definitionem principiorum generationis, quæ semper mutationem inuoluit. Iterùm, potentia simpliciter productiua non pertinet ad Phys. vt nouissimè aduertit Veglia nuper cit. *vest.* 2. Ergò nec productio simpliciter expenditur à Phys. vt patet in Met. *loco proximè cit.*

14. Tertia pars sequitur ex duabus prioribus, exprimiturque ab Arist. 8. *Phys. T.* 57. & alibi, qui definiens generationem, in eius definitione semper ponit mutationem. Deindè ea tria principia inueniuntur, & probantur adesse in generatione naturali per mutationem. Cùm enim duo principia sint contraria, & tertium sit eorum commune subiectum, in ipso subiecto sunt simul incompossibilia, necesse est, fiat mutatio, à termino à quo ad terminum ad quem, id est, à priuatione ad formam, vt noua generatio habeatur. Idque monstrat fusè, & clarè Stagir. 1. *Phys. T.* 50. *ad T.* 71. Ex *antea T.* 48. insinuat bis verbis. *Quæ generantur & corrumpuntur, fiunt ex contrariis.* Rursus *ibid. T.* 78. monet, eos Philosophos à veritate aberrare, qui alia statuunt principia. Præterea, *T.* 80. reprehendit Platonem, qui in dictorum principiorum numero, priuationem non collocat. Amplius. *T.* 82. definit materiam, omnis transmutationis naturalis commune subjectum. Demùm concludit, ea tria solummodò, nec plura, nec pauciora esse stabilienda principia. Idem tradit 12. *Met. T.* 12. Patet igitur, per Arist. quatuor causarum genera, à principiorum naturalium catalogo excludi, eaque esse principia generationis non præcisè, vt productio est, sed vt est mutatio.

15. Aff. 2. definiuntur tam principia generationis, quàm compositionis. Deducitur ex Scot. *vbi suprà*: Et 2. *Rep. dist.* 12. *quæst.* 1. §. *aliqui*. Et aduersatur nostris Iunioribus præcit. *quæst.* 2. *concl.* 2. arbitrantibus, 1. Phys. tantum differi ab Arist. de principiis generationis, & 2. Phys. de principiis compositionis. Probatur autem 1. *ex* 1. *Phys. cap.* 6 *T.* 51. *principia semper manere debent.* Nam priuatio recedit, accedente forma, quæ vna cum materia constituit compositum, & ambo in eo persistunt, donec ipsum compositum corrumpatur. Et *T.* 60. *Aliqua principia remanent, aliqua verò non remanent.* Quod est dictu, principia compositionis in composito manent, non autem principia generationis, vt priuatio. 2. in definitione eorum, vbi vulgò legitur, *Ex his omnia fiunt.* Ex græco contextu deducitur, *omnia sunt siue constant.* Quod sanè nonnisi de principiis compositionis capi valet, cum totum, quod fit ex principiis, non sit, nec constet ex priuatione, sed ex materia, & forma duntaxat. 3. Philosophus *hoc loco*, de principiis compositionis disceptare debet, tum quia *in initio* 1. *Phys.* ipse pollicetur se acturum de principiis in vniuersum; tum etiam quia id confirmat *T.* 58. & *T.* 66. subjicit, priuationem esse principium per accidens, cui subscribit Doct. 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. *sub l.* Quod planè exponitur de principio compositionis. Ideo *T.* 82. *Illa enim*, id est, materia, *permanens eorum, quæ fiunt, vnà cum forma, causa est perindè atque mater.* At verò, 2. *Phys.* vbi putant nostri Recentes, eum agere de principiis compositionis, ibi de materia & forma ratiocinatur, vt sunt naturæ, & causæ, quas non contineri sub allata principiorum descriptione ingenuè confitentur dicti Auctores cit. *conc.* 1. contrà Hutt. ab eisdem alleg. Quare, in præfata principiorum definitione capiuntur simul principia generationis & compositionis.

16. Aff. 3. traduntur ab Arist. primariò principia generationis substantialis, & secundariò principia generationis accidentalis. Colligitur ex Doct. *loco præmem.* §. *Ad argumenta sub l.* probatur 1. ea principia per se primò describuntur, ab Arist. *cit. T.* 42. *ex quibus composita per se primò fiunt*, vt claret, ex illis vocibus, *Ex his omnia fiunt.* Composita autem substantialia per se tantùm fiunt, vt legitur, *ibid. T.* 6 soli substantiæ propriè connenit fieri. Deindè accidenti, vt præostenditur *T.* 58. Ex alio, aliud: subaudi, compositum substantiale. Et ex altero, alterum: supple, compositum accidentale fit. Iterum, 8. *Met. cap.* 1. & 12. *eiusdem operis capit.* 3. diuiditur substantia in materiam, formam, & compositum. Ibique subijcitur, compositum esse tertium ex his, id est, ex materia, & forma, cui soli competit generatio, & corruptio. Rursus, definitio materiæ, 1. *Phys. T.* 82. tantùm materiæ primæ, quæ est substantia accommodatur. Deinceps, quæstiones, quæ mouentur à Philosophis 1. *Phys.* de eisdem principiis generationis substantialis potissimum excitantur. Amplius, compositum dicitur natura constare, id est, forma substantiali, & materia, quæ quoque est natura, 2. *Phys. T.* 4. Et pleraque alia perhibentur de eisdem, quæ non nisi de principiis generationis substantialis intelligi valent. Si quæ autem de generatione accidentali adducuntur, solùm declarationis gratia, & consequenter dicuntur. Quandoquidem accidentia sunt per se sensibilia, & per eorum cognitionem, ad cognoscendas substantias perducimur, velnti per artificialia, ad naturalia, præstante Philosopho 1. *Phys. T.* 69. Præterea, compositum accidentale est ens per accidens, quod in scientiam non cadit, atque obiectum Phys. ex assertis, est compositum naturale, quod est substantia. Denique nostri Recentes, in quos fertur nostra aff. hanc veritatem coguntur fateri *q. præam. a.* 1. *in solut. obiectionum*, aientes accidentia indirectè ad Physicam pertinere.

17. Opp. 1. contrà 1. aff. in generatione naturali, duæ rationes inspectantur, ratio productionis, siue actionis, quæ respicit agens, & ratio mutationis, quæ designat, subiectum transire ex priuatione formæ, ad ipsius formæ habitationem. Ratio autem mutationis *in toto* 1. *Phys.* nunquam memoratur: benè verò ratio actionis, sub verbo *fieri*, vt *T.* 43. & *indè.* Aut sub titulo generationis, vt *T.* 68. Igitur, dantur

principia

principia generationis, vt est actio, & productio duntaxat. Conf. 1. ea describuntur principia eo in loco, de quibus Philosophus se tractaturum *in initio lib. alleg.* decernit: ibi autẽ in animo eius est, disserere de principiis, causis, & elementis, à quibus principiatio, seu productio, & actio prodeunt: igitur, ea ipsa sunt principia generationis præcisè, vt est productio. Conf. 2. principia, vt prima præseferunt primitatem, & originem, nullamque ab alio principiationem inuoluunt, teste Tullio 3. *Tusc.* secus non forent prima principia. Cùm ergò allata definitio sit omnibus principiis conueniens, aptè infertur, ea considerari, tanquam principia generationis productionis, non autem mutationis. Concedo ma. nego. min. vt liquet *T.68.* Ad faciendam enim mutationem, contrariorũ altero, cum præsente, tùm absente satis erit. Et *T.78.* Et tandem *ad fin. eius lib.* definit materiam primam, subjectum primum omnis mutationis naturalis; & priuatio, quæ est vnum eorum principiorum, non nisi generationis, vt est mutatio, esse quit principiũ. Ad 1. conf. concedo ma. ad min. dico, propositum ibi esse, disserere de principiis, non absolutè, & vniuersè, quia de his, vt sic sermonem instituit, 5. *Met. c.1.* sed de principiis physicis, vt se ipsum declarat his verbis. *Patet, naturalis quoque scientiæ ea primùm definire, enitendum esse, quæ ad principia attinent.* Principia autem physica inuoluunt mutationem, vt superiùs adnotaui.

Nec refert ibi exarari principia, & causas. Quandoquidem, ibi nomen causa non ponitur, vt principia, quæ est traditurus, comprehendant quatuor causarum genera, cum 12. *Met.* 22. priuationem, quæ reuera non est causa, vocet causam, triaque assignentur principia, quatuor verò causæ, atque causæ præcisè non ad Phys. sed ad Met. spectent, vt videre licet 5. *Met. cap.* 2. Ad 2. conf. dico, vniuersalem principij definitionem haberi 5. *Met mox. cit. c.*1. quam suprà expendi *art.* 1. *not.* 2. Hic verò adduxi definitionem peculiarem principiis generationis naturalis, quæ inuoluit mutationem.

18. Opp 2. contra 2. ass. Arist. 1. *Phys. T.*68. concludit, se præbuisse principia generationis, siue quæ ad generationem naturalem exiguntur, ergò solùm ibi describuntur principia fieri, quæ sunt principia generationis: & non in facto esse, quæ sunt principia compositionis. Conf. 1. idem Philosophus *ibi* semper considerat materiam, quatenus est subiectum transmutationis, & formam, quatenus est terminus eiusdem. Conf. 2. principia compositionis pertractantur 2. *Phys. T.*7. sub nomine naturæ: *&* *T.*17. sub titulo causarum, ergò 1. *Phys. cit.* statuuntur tanquam principia generationis duntaxat. Concedo ant. nego conseq. Vtraque enim tribuit, vt patet *T.*51. *&* 81. *&* *in fine eius lib.* Ad 1. conf. dico, ibi nedum materiam considerari, vt est subjectum mutationis naturalis: verumetiam vt est pars intrinseca compositi naturalis. Ad 2. conf. nego ant. siquidem *eo in loco* disceptatur de natura, & arte, deque vtriusq; differentiis. Atque *ibid.* inspicitur natura, vt est principium passiuum motus, & quietis, quod competit tam materiæ, quàm formæ, quo pacto forma non est principium compositi, nec pars eiusdem. Itemque *in dicto lib.* disputatur de causis, prout influunt in effectum, non autem prout conflant totum tanquam partes intrinsecæ, & essentiales eius.

19. Opp. 3. contra 3. ass. abstrahi potest vnus conceptus communis vniuocus conueniens ex æquo generationi substantiali, & accidentali. Ergò in definitione principiorum tradita, continentur tam substantialia, quàm accidentalia principia. Conf. in nullo alio loco assignatur alia definitio congruens principiis generationis accidentalis, ergò ne mãcus videatur Arist. astruendum est in illa includi omnia. Conces. ant. distinguo cons. æquè primò substantialia, & accidentalia nego: primariò substantialia, & secundariò accidentalia concedo. Ideò vocantur prima principia, quia substantia est primum ens, & fundamentum aliorum: accidens verò perhibetur entis ens, ac in subiecto inhærens. Ad conf. idem est dicendum. Quemadmodum enim directè agitur de substantia, & indirectè de accidente, quod ipsam consequitur: ita primò tractatur de principiis substantialibus, secundò verò de principiis accidentalibus, vt præstitit Arist. *vbi suprà.*

ARTICVLVS III.

Quot sint Principia naturalia.

20. DE naturalibus principiis, eorumque numero, dissentientes, discrepantes, ac balbutientes adeò cernuntur antiqui Philosophi apud Arist. 1. *Phys. à cap. 2. ferè vsque ad finem eius lib.* vt non immeritò de istis dici valeat illud, *Tot capita, tot sententiæ.* Piget eorum placita, somniaque recitare, & refutare; cum ea omnia ab Arist. fusè, & egregiè fuerint enarrata, & rejecta, eorumdemque iurgia sic sedata, & conuicta, extincta, & sepulta, vt vix vllus, ampliùs ab interitu ea vindicare ausus fuerit, & quiuerit. Itaque, de hisce communis Doctrina Arist. tanquàm solida, & acuta recipienda, & retinenda est.

21. Ad huius autem difficultatis decisionem, & confirmationem facit distinctio principiorum, in intrinseca, & extrinseca, ab Arist. 5. *Met.* 1. tradita, & à me memorata *in duobus præcedentibus art.* Principia intrinseca sunt, quæ ad esse, aut fieri alicuius intrinsecè, & formaliter exiguntur, sic materia, & forma ad esse totius compositi, & priuatio vnà cum materia, & forma ad eius fieri, intrinsecè, & formaliter desiderantur, & claudantur. Cum illæ sint partes essentiales compositi: hæc verò terminus à quo generationis eiusdem. Extrinseca sunt, quæ in esse alicuius non ingrediuntur, vt causa efficiens, & finalis, quæ nec ad generationem compositi, nec ad eiusdem compositionem faciunt. Intrinseca autem subsecantur, in principia compositionis, quæ ad totum componendum requiruntur, tanquam partes eius intrinsecæ, quæ sunt materia, & forma, & hæc appellantur principia in facto esse, ita dicta, quia remanent in toto, postquàm ipsum totum factum est, & quamdiù in esse persistit: & in principia generationis, vt priuatio, quæ præter duo prænominata principia, ad generationem totius requiruntur: & ista nuncupantur principia in fieri, eo quod necessaria sunt ad totius factionem, quamuis in ipso toto non permaneant omnia, putà priuatio. Quare priuatio perhibetur principium intrinsecum, non quidem compositionis, cum à compositione rei naturalis abscedat, forma adueniente: sed generationis, quia est terminus à quo, & intrinsecus generationis naturalis. Itemque, priuatio dicitur principium per accidens compositionis, siue quoad esse rei: & principium per se generationis, siue quoad fieri.

22. Ass. 1. tria tantùm principia generationis rerum naturalium numerantur, quæ sunt materia, forma, & priuatio. Sic Arist. 1. *Phys. cap. 6. &* 7. necnon 12. *Met. T.*12. Et Scot. *in vtroque opere* 2. *d.* 12. *quæst.* 1. probatur 1. generatio naturalis necessariò est mutatio, quæ est transitus de non esse, ad esse, 5. *Phys. T.*7. Mutatio autem tria poscit, terminum à quo, qui est priuatio; terminum ad quem, qui est forma; & subiectum vtriusque, quod est materia, quæ de non habente formam, fit habens formam. Tria

igitur tantum statuuntur principia generationis naturalis. Secunda duo extant principia cōtraria, forma, & priuatio eius, ex probandis *in proximo art.* Præter autem illa duo, decernitur commune amborum subjectum, quod est materia. Contraria quippè idem subiectum participant, tametsi simul in eomet se non compatiantur. Tria ergò sunt principia naturalia præenumerata. 3. totidem sunt distincta principia naturalia, quot sunt distinctæ rationes naturales principiandi: extant autem tres rationes diuersæ principiandi naturales, ergò & tria principia naturalia. Ma. est nota. Min. est in promptu: priuatio quippè principiat, vt terminus à quo, & per modum abjectionis, forma verò vt terminus ad quem, & materia, vt subjectum vtriusque receptiuum. Tot ergo sunt principia nec plura, nec pauciora, quot sunt suprà recensita.

23. Ass. 2. Duo sunt principia compositionis naturalis duntaxat, nempè materia & forma. Ita etiam Arist. cit. c. 7. & Scot. *vbi suprà*, & insinuat 1. *post. qu.* 57. §. *ad* 1. *arg* Et 7. *Met. qu.* 10. §. *Ad* 1. Probatur 1. duo sunt tantùm principia, quæ intrinsecè, & essentialiter componunt totum, faciuntq; vnum per se, 2. *animæ T* 7. *&* 8. *Met.* 15. Ergò duo sunt tantùm principia compositionis. 2. tot sunt principia essentialia, & partes intrinsecæ totius, quot sunt ea, in quæ ipsū totum resoluitur. Eædem quippè sunt principia compositiua, & resolutiua vt patet 1. *Prio.* vnde hauritur, illud effatum, *ex quibus aliquid constat, in ea resoluitur*, vt homo componitur ex corpore, & anima, & in corpus, & animam resoluitur. Duo autem solum sunt principia constitutiua compositi physici præmemorata: sunt igitur tantùm duo principia cōpositionis. 3. duo solummodò principia sunt cōtraria (annuentibus veteribus, & recentibus Philosophis, 5. *Phys. T.* 48.) simul in eodem subjecto incompossibilia, scil. forma, & priuatio eius. In composito autem perdurante, non existit priuatio Siquidem, in eo existente forma, priuatio ab eo abest. Insuper, totum quod est positiuum ens, & substantia completa, ex positiuis principiis coalescit, cuiusmodi non est priuatio: duo ergo principia præfata compositionis sanciuntur duntaxat.

24. Opp. 1. à quo essentialiter aliquid pendet in fieri, extat eius principium, vt ex fusa, & angusta principij definitione superiùs allata notatur: compositum autem physicum, nedum ab eis tribus prælatis principiis essentialiter pendet in fieri, verumetiam, ab agente, absq; quo effici nequit; ergò præter illa tria, admittendum est quartum principiū, quod est agens. Conf. 1. materiæ potentia, eius quantitas, & præuiæ dispositiones ad compositi effectionē exiguntur, ergò sunt eius principia ab aliis tribus dissita. Conf. 2. ad compositi constitutionē, præter materiam, & formam, necessaria est vnio vtriusq; quam esse quid distinctum ab eis simul vnitis, ostendam, *q.* 4. *huius lib.* Conf. 3. totum quoque conflatur, ex substantia, ergò plura sunt, quàm tria, principia generationis naturalis. Concedo ma. distinguo min. compositum pendet ab agente tanquam à principio eius extrinseco, concedo: tanquàm à principio intrinseco, nego. Hic autē cum Arist. verba facimus de principiorum intrinsecorū numero. Eò magis *in præcedente art.* manet probatum, definitionem principiorum accommodandam esse, non generationi, vt productio, & actio est, quæ respicit agens, sed vt est mutatio, quæ nec agens, nec actionem in sua definitione includit.

25. Instabis, priuatio est principium extrinsecum, cum non ingrediatur compositionem totius. Si ergo causa efficiens à numero principiorū remouetur, quia est principium extrinsecum, vtiq; ab eorumdē catalogo eximenda est priuatio. Neganda est paritas, quia licet priuatio sit principium extrinsecum compositionis: tamen est principium intrinsecum generationis, quæ est mutatio de non esse, ad esse, 5. *Phys. T.* 7.

26. Vrgebis, termini à quo, & ad quem sunt extrinseci motui; cum enim motus formaliter sit relatio, ex dicendis *l.* 8. *q.* 1. quæ ex positis extremis consurgit, infertur extrinsecè ipsi aduenire. Priuatio autem est terminus à quo generationis naturalis, ergò priuatio est principium extrinsecum, tam compositionis, quàm generationis. Occurrendum est, priuationem dici principium intrinsecum generationis, non constitutiuè, sed terminatiuè; quòd est dictu, generatio necessariò postulat terminum à quo, qui est priuatio formæ, vt nouum gignatur compositum. Ad 1. conf. dico, potentiam materiæ idemtificari realiter cum ipsa materia; ideò non facit aliud principiū ab ipsamet distinctum. Cætera verò, quæ ex parte materiæ desiderantur, non per se principium, sed potiùs principij appendices nominari valent. Præsertim quia quantitas & reliqua accidentia non in materia, sed in compositio proximè subiectari, monstrabo, *l.* 5. *q.* 1. Ad 2. conf. dico, ad constuendum cōpositum, exigi quidem vnionem, nō tanquam eius principiū, sed tanquam eius constituentium principiorum vinculum: eo ferè pacto, quo in Log. verbum est copula subjecti, & prædicati, non autem inter terminos numeratur, vt ostendi *in Epit. l.* 1. *art.* 2. *qu.* 1. Ad 2. conf. Arr *disp.* 1. *Phys. in fi. sect.* 2. hàc instantià conuictus concedit, in re subsistentiam esse principium compositi, non verò in opinione Ethnicorū Philosophorum, quos subsistentia latuit. Ideò arbitratur, litem de numero principiorum esse de nomine duntaxat. Verùm, ob tam leue argumentum, à communi Philosophorum placito haud est recedendum, & nulla cogente necessitate, aliud principium à præfatis tribus distinctum, inuehendū non est, alioqui ipse Arr. multiplicet alia principia, scil. existētiam, quæ à subsistentia differt: cum diuinum Verbum quidem humanitatem existentem assumpserit, non tamen subsistentē. Nec sanè subsistentia meretur nomen principij, Imò potiùs termini, cum terminet, & compleat naturam substantialem vt astruit idem Arr. *disput.* 4. *Met.* subsistentia quippè consequitur materiam, & formā simul vnita, ipsumq; ex illis compositum, cuius est terminus, & complementum; potissimum in sententia dicti Arr. non admittentis subsistētias partiales materiæ, & formæ. Iterùm, subsistentia nō est res, sed modus qui cōcomitatur rem, cuius est modus, vt contrà prænominatū Arr. *in Met.* monstrabo. Quare ad arg. nego ant. tum quia subsistentiæ materiæ, & formæ sunt partiales, consequentes eas, veluti modi, res modificatas: tum etiam quia subsistentia totalis, quæ est totius compositi consequitur pariter totum, cum sit vltimus eius terminus.

27. Opp. 2. ex 1. *Phys. cap.* 6. *T.* 50. principia semper manere debent. Priuatio autem non semper manet, quia aduentu formæ recedit: non ergò priuatio numeranda est inter principia rerum naturalium, atque ita præadductus ternarius principiorum numerus recipiendus non est. Conf. 1. quod non influit in rem naturalem, non est eius principium, quandoquidem principium principiat influendo in principiatum: Priuatio autem influit in rem naturalem, quia est non ens; nullo igitur modo, priuatio locanda est Inter principia rerum naturalium. Conf. 2. si concedatur priuationem esse principium, quia præcedit compositum generandum, vtique admittendum est quartum principium, nempè forma abeunda, quæ pariter præit compositum generandum: hæc autem inter principia Physica non recensetur; ergò nec illa. Respondeo exponendum esse Philosophum, de principiis compositionis, & disparatis, quæ tamdiù persistunt, in composito, quamdiù compositum perdurat, non verò, de principiis generationis: & contrariis, cuiusmodi est priuatio. Ad 1. Confirmationem, dico maiorem valere de principiis

per

per ſe, & intrinſecis ipſi compoſito, teſtibus Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 66. 75. & 77. & Scot. 2. *d.* 12. *q.* 1 *infrà I.* Ad 2. conf. nego ſequelam ma. Id enim eſt per accidens, quia ſi forma præcedens non abiret, quod poſſibile eſſe diuinitùs arbitrantur pleríque, tunc indubiè forma expellenda non foret principium. Priuatio autem ſemper prærequiritur ad nouam compoſiti generationem vt terminus à quo. Atque per acceſſum nouæ formæ, ipſa priuatio recedit. Ideò hæc & non illa ſancitur principium generationis naturalis. Sic deducitur ex Ariſt. 5. *Phyſ. T.* 7. & Scot. *qu.* 4. *prol.* §. *contra hoc.* Et 2. *d.* 1. *q.* 5. *in fine.*

28. Opp. 3. ea tria principia non adæquantur generationi naturali. Etenim competunt creationi Adæ, quæ dici nequit generatio naturalis. Nec eamet principia in omni generatione interueniunt. Quandoquidem, ſi hoſtia conſecrata putrefiat, & ex ea gignatur vermis, tunc erit vera generatio, nulla præexiſtente materia, ex qua tanquam principio materiali producatur talis vermis, quia ſecundum fidem, in ea hoſtia nulla extat ſubſtantia panis, ſed tantùm eius accidentia manent diuinitùs ſuſtentata. Igitur ternarius principiorum numerus, nec generationi naturali adæquatur, nec eidem ſunt neceſſaria. Reſp. procreationem Adæ, etſi extrinſecè, hoc eſt, reſpectu Dei procreantis perhibeatur ſupernaturalia: attamen, intrinſecè eſt naturalis, quoniam reuerà ad eam tria principia naturalia interuenerunt. Veluti viſus à Deo reſtitutus cæco, ſupernaturalia eſt, quia eſt à Deo agente ſupernaturali cæcum illuminante. Cæterùm, cæcus illuminatus naturaliter videt, eiuſque viſio naturalis eſt, ſcribente Scot. 3. *d.* 14. *quæſt.* 2. §. *In quæſt. infra C.* Et *in Rep. ibidem.* Ad aliud de hoſtia conſecrata dico, data hypotheſi, accidentibus eius hoſtiæ non valentibus attingere productionem ſubſtantiæ, nec vllo agente naturali, Deus, qui omnem poteſt ſupplere cauſalitatem cauſæ ſecundæ, & omne id, quod ipſa cauſa 2. efficere nequit, immediatè crearet nouam materiam, nouamque ſubſtantiam compoſitam congruentem eis accidentibus diſponentibus ad eius productionem, ſicque ex hoſtia conſecrata gigneretur vermis, annuentibus Scot. *Quod.* 10. §. *Ad argumentum principale.* Et 4. *d.* 12. *q.* 6. §. *Dico D.* Vorr. & Orbel. *ibid.*

29. Dices, prænominata productio, ſiue generatio non eſt propriè mutatio, vt tradit Doct. 2. *d.* 5. *quæſt.* 2. *I.* Et 3. *d.* 2. *quæſt.* 3. *E.* & *d.* 7. *quæſt.* 2. & 4. *d.* 43. *quæſt.* 5. Et ex dictis præfata principia extant ſub ratione mutationis: igitur allata reſponſio inualida eſt. Dico, quamuis huiuſmodi productio non ſit rigoroſè mutatio, veluti eam capit Philoſophus, qui conſueto curſu res generari tantùm agnouit, nihilominus à mutationum ſerie eximi non videtur, vt innuit Doct. 4. *d.* 11. *q.* 1.

30. Opp. 4. principium prius eſt eo, cuius eſt principium, vt indicat eius vulgata ethymologia, & definitio: forma autem non eſt prior generatione, cum ſit eius terminus ad quem: ergò nec eſt eius principium. Poncius *diſp.* 3 t. *quæſt.* 2. *concl.* 2. *num.* 14. hoc preſſus argumento concedit formam non eſſe principium generationis naturalis. Verùm id opponitur correnti Philoſophorum docentium, tria principia in fieri, & duo in facto eſſe: & veritati, ſiquidem, cum generatio verè ſit mutatio, flagitat tria principia. Non enim poteſt effici tranſitus per ſubjectum, quod eſt materia, niſi initium ſumat à termino à quo, qui eſt priuatio, & feratur ad terminum ad quem, qui eſt forma, vt ſatis claret ex dictis *ſuprà*, ſicque inficiandus non eſt ternarius principiorum numerus. Suarez verò occurrit *diſp.* 12. *Met. ſect.* 1. *num.* 9. cui adhæret Hurt. *diſp.* 1. *ſect.* 2. §. 1. Formam priorem eſſe generatione in ordine intentionis, non autem in ordine exequutionis. Contra, ordo intentionis non ad formalem, ſed ad finalem cauſam ſpectat. Ponere autem finalem pro formali, eſt excludere formalem, & includere finalem, ac inuehere principia extrinſeca, quæ ſunt cauſæ efficiens, & finalis, & reijcere principia intrinſeca, quæ ſunt materia, & forma, quod falſum eſt. Deindè, potiùs compoſitum in intentione priùs eſt, quàm forma, cùm ſit terminus eius totalis, & vltimus finis, atque poſterius in exequutione. Quæ autem ſunt poſteriora in exequutione, priora eſſe in intentione, commune extat Philoſophorum proloquium. Nemo autem hucuſque auſus eſt aſtruere, compoſitum eſſe principium in intentione, cum reuerà ſit principiatum, & conflatum ex principiis. Igitur forma vt eſt prior in intentione, haud cenſeri debet principium generationis. Itaque reſp. ego, ſicut materia eſt prior generatione, quia eſt ſubjectum, in quo ſubjectatur ipſa generatio: ita forma eſt prior generatione, tum quia generatio formaliter eſt relatio, ſecundum Scot. quæ præexigit duo extrema, ex quibus conſurgit: tum etiam quia, generatio eſt via ad compoſitum, cuius propriè eſt generatio, ex Scot. *in Rep.* 2. *d.* 8. *q.* 1. §. Dices. Obid generatio, quæ toti ſolùm aſcribitur, præexigit principia inter quæ extat forma. Proindeque forma verè nuncupatur principium generationis naturalis.

ARTICVLVS IV.

An principia ſint contraria.

31. PArs affirmans authoritate firmatur, ratione comprobatur, & veritate communitur: & quidem authoritate priſcorum Philoſophorum, qui omnes, ſiue vnum, ſiue plura, ſiue finita, ſiue infinita ſtatuerint principia, communi calculo conſcribunt, principia eſſe contraria. 1. *Phyſ. cap.* 5. *T.* 48. deinde ratione: quoniam quod fit, tranſit à non eſſe, ad eſſe, hoc eſt à priuatione ad formam; priuatio autem, & forma ſunt contraria. Poſtmodum veritate, quia, vt legitur *ibid.* dicti Philoſophi, veritate compulſi id aſſeruerunt. Pars autem negans, etſi olim prorſus tanquam falſa, ab omnibus derelicta, & deſpecta fuerit; attamen, nunc patronos habet nonnullos, eam vt veram comprobantes, & celebrantes, inter quos citantur Aquarius, & Auerſa, à noſtris Recentibus *diſp.* 1. *q.* 5.

35. Not. 1. ex Ariſt. 5. *Met. cap.* 10. *T.* 16. & Scot. *q.* 14. & 23. *vniuerſ.* contraria bifariàm accipi: 1. propriè, ſic definiuntur, quæ ſub eodem genere, ab eodem ſubjecto, ſe mutuò expellunt, vti ſunt primæ qualitates, de quibus Antonius Andreas 10. *Met. qu.* 6. & ego fusè egi in Log. *l.* 3. *qu.* 9. *a.* 5. Secundò, impropriè pro iis nimirum, quæ repugnant, ſimulque non ſe compatiuntur in eodem ſubjecto, quo pacto contraria perhibentur habitus, & priuatio eius. Exiſtente enim formâ in materia, ſimul eſſe nequit eius priuatio in eademmet materia. Sic loquuntur Philoſophi in præſentia, aſtruentes principia eſſe contraria. Vbi exponente Auer. Ariſt. vtitur nomine contrarietatis, vt funditur ad priuatiuè oppoſita, atque ad differentias cuiuſcumque generis, 10. *Met. T.* 23. Siquidem, quodlibet genus diſtribuitur in duas differentias inæqualis perfectionis, quarum perfectior deſignatur nomine habitus; & imperfectior, nomine priuationis, vt conſpicuè edicitur de differentiis animalia; quarum vna, quæ eſt rationale, inſtar habitus: altera verò, quæ eſt irrationale, inſtar priuationis ſignificatur.

33. Not. 2. cũ ſubſtantia nominetur ens ſimpliciter, quia eſt ens per ſe ſubſiſtens, & prius accidẽte, natura, tempore, & definitione, 7. *Met.* 1. Et accidens dicatur ens ſecundũ quid, quoniã accidens à ſubſtãtia accipit

suum esse, in eaque inhæret, & sustentatur: ideò entis ens perhibetur: esse duplicem contrarietatem, vnam inter formam substantialem, eiusque priuationem, quæ vocatur contrarietas simpliciter, & prima: alteram, inter formam accidentalem, eiusque priuationem, quæ nuncupatur contrarietas secundum quid, & secunda. Hæc duplicata contrarietas insinuatur ab Arist. 10. *Met. cap.7.T.15.* his verbis. *Prima verò contrarietas habitus, & priuatio est, non tamen omnis priuatio, sed quæcumque perfecta sit. Cætera verò contraria, secundum hæc dicentur.* Rursus obserua, contraria quædam esse se totis contraria, siue per se primò, & adæquatè, vt forma hominis, & priuatio eius: quædam verò esse contraria non se totis, sed ratione partium, siue inadæquatè, vt homo, & non homo. Ideò quippè homo contrariatur non homini, quia homo habet formam, quâ non homo caret. Quæ autem se totis contrariantur, aut ratione partium, dicuntur per se contraria: quæ verò nec per vtrumq; nec per aliquid sibi additum contrariantur, contraria per accidens nuncupantur. Vt autem vsquequaque pateat oppositio, quæ interuenit inter formam, & priuationem eius.

34. Not. 3. triplicem esse mutationem substantialem, vna est deperditiua duntaxat, in qua forma obiicitur, nihilque positiui acquiritur, & istius mutationis forma abijcienda est terminus à quo, & priuatio eius terminus ad quem. Altera est tantum acquisitiua, in hac nihil deperditur, sed acquiritur aliquod positiuum, & huius terminus à quo est priuatio formæ acquirendæ, & terminus ad quem forma habita. 3. est acquisitiua, & deperditiua simul, cuius extat duplex forma, duplexque priuatio, iuxta duplicem mutationem prænominatam. Siquidem, est priuatio formæ habitæ, quæ contrariatur formæ habitæ: estque priuatio formæ habendæ, quæ contrariatur formæ habendæ. Quare, in omni mutatione semper adest contrarietas formæ, & priuationis eius, omnisque mutationis termini sunt oppositi priuatiuè, quorum vnus deperditur, alter verò acquiritur.

35. Aff. 1. principia rerum naturalium sunt contraria. Ita Arist. 1. *Phys. c.5. T.42.* & Scot. *vbi supra,* Et 2. *d.1. qu.1.5. Respondeo sub A.* Probatur 1. ea sunt contraria, quæ in eodem subiecto simul esse nequeunt, vt patet *ex primo not.* principia autem naturalia, in eodem subiecto, siue in eadem materia, simul se non patiuntur. Recedit enim priuatio à materia, per accessum formæ, & è contra: rectè ergò principia physica contraria statuuntur. 2. termini à quo, & ad quem mutationis sunt contrarij, vt euidenter conspicitur in terminis à quo, & ad quem motus localis, qui ad inuicem sunt incompossibiles 5. *Phys. T.26.* Alioqui, mobile non moueretur de vno loco ad alium locum, nisi relinqueret vnum vbi, à quo motus incipit, & acquireret aliud vbi, in quo eius motus desinit: vnum autem Principiorum naturaliū est terminus à quo generationis naturalis, putà priuatio, & aliud est terminus eius ad quem partialis, nempè forma, vt elatet ex dictis *supra*: probè ergo principia censentur contraria.

36. Aff. 2. Duo tantum sunt principia contraria, forma, & priuatio. Hanc tenet Doct. præcit. ex Arist. 1. *Phys. c.7. T.67.* tanquam indefinitam, veluti illam, quæ legitur, *ibid. T.50 principia semper manent.* Non quidem omnia, sed duo tantum, seu materia, & forma. Et quæ exaratur, 2. *Phys. T.30. Causa sunt sibi inuicem causa.* Non etiam omne sed solùm efficiens, & finalis, exponente Lych. 2. *d.12. q.3.* Atque 1. *post. c.3. T.6. Quorumdam est demonstratio: quorumdam verò non est demonstratio.* Probatur autem proposita aff. 1. quæ sunt incompossibilia adinuicem, commune sortiuntur subiectum, in quo simul existere nequeunt, vt constat de propriis contrariis, quæ ab eodem subiecto vicissim se pellunt: principia verò naturalia, ex probatis *in 1. aff.* sunt contraria, quæ gaudent communi subiecto, hoc est materia, in qua exercent suam contrarietatem, & pugnam: ipsum ergò subiectum contrariorum receptiuum, cùm aliis contrarium non sit, & statuatur vnum principiorum, planè deducitur, duo esse tantùm principia contraria. 2. omnis mutatio exigit duos terminos à quo, & ad quem, qui extant incompossibiles in eomet subiecto, in quo habetur mutatio, vt explicui *in 3. not.* Illi autem duo termini sunt duo principia inchoantia generationis naturalis, priuatio scilicet, & forma. Addo, contraria nequeunt simul ingredi essentiam alicuius, quia inter se pugnant, seque interimunt. Quare, cum compositum constituatur in esse ex principiis, necesse est, vnum contrarium abire, quod est priuatio, & aliud manere ad eius compositionem, quod est forma, quæ vna cum materia conficit totum physicum: prouideque euincitur, duo esse tantùm principia contraria præmemorata.

37. Aff. 3. principia sunt contraria prima. Tradit Arist. 1. *Phys. cap. 5. T.42.* à quo non deuiat Doct. *vbi suprà.* Suadetur 1. ex probatis *in 1. aff.* principia sunt contraria: nequeunt autem esse, nisi prima contraria, quia definiuntur, *quæ nec ex aliis, nec ex sese, sed ex his omnia fiunt.* Principia ergò sunt prima contraria. 2. contrarietas priuatiua est reliquis contrarietatibus latior, & communior, ad quã cæteræ rediguntur, etiam positiuæ, quia vna est altera perfectior, putà caliditas frigiditate, quæ designat priuationem perfectionis alterius, vt luculenter edisserit Arist. 10. *Met. T.16. sum. 2. c.3.* Denuò, cùm ista contrarietas adsit inter substantiam, & priuationem eius, & substantia sit ens simpliciter, & primum prædicamentum, apertè deducitur, esse omnium contrarietatū primam. Hinc Arist. 7. *Met. c.1.* astruit substantiam esse omni accidente priorem, tempore, naturâ, & definitione, cum extet eius subjectum, basis, & fulcimentum.

38. Aff. 4. prima contrarietas per se primò competit formæ substantiali, eiusque priuationi: secundò verò formæ accidentali, & priuationi eius. Hæc aff. consentanea, & consectaria est 3. assert. quam locaui *suprà, art. 1. huiusce quæst.* colligiturque ex Scot. *ibi alleg.* & militat contra duos ex nostris Nuperis *disput. 1. q.5.* Probatur autem 1. ex Arist. cit. qui potissimum *in præsenti* differens de principiis compositi substantialis, *T.51.* inquit, *ex non substantiis, non fit substantia.* Ergo *eo in loco,* primò agitur de eorum contrarietate, & postmodum de contrarietate principiorum totius accidentalis. Vndè Philosophus 10. *Met. cap.7. T.15.* explicitis verbis subijcit: *prima contrarietas, habitus, & priuatio est, non tamen omnis priuatio, sed quæcumque perfecta sit.* Atque *T.16.* suadet, omnia gigni ex contrariis, & contrarietatem in quouis genere reperiri, planè inducit. Cum ergò substantia sit primum genus, ei proculdubio prima contrarietas adaptatur. 2. propriè generatio est compositi substantialis, ex Arist. 7. *Met. T.12. & indè,* & Scot. 1. *d.3. quæst.6.5. Tertia quæst. sub X.* Atque dicti nostri Recentes *propè finem quæst. cit. ex T.50. primi Phys.* ingenuè fatentur, prima contraria esse in genere substantiæ. Non ergò per Arist. prima contrarietas æquata, & adæquata est vtrique formæ, substantiali, & accidentali, ac priuationi vtriusque.

39. Opp. 1. contra 1. aff. Arist 1. *Phys. T.47.* subinfert, principia esse contraria, quia omne quod fit, ex contrario fit: quod autem fit ex alio, non est principium, sed principiatum, seu compositum; ergò principium per se contrariatur principiato, non verò principia inter se contrariantur. Cons. 1. terminus à quo contrariatur termino ad quem, vt liquet ex dictis: principiatum autem est terminus ad quem. Igitur contrarietas adest inter principium, & principiatum, non verò inter principium,

principium, & principium. Conf. 2. terminus à quo reperitur etiam in factione rerum non phyſicarum, vt Angelus fit ex non eſſe Angeli, tanquam à termino à quo. Et ſi id admittatur, quodlibet fiet ex quolibet, quod pugnat Ariſt. *cit. T.* 43. Quarè aſtruendum eſt, principia per ſe, & directè non eſſe contraria. Reſp. illud aſſertum ſubillatum ab Ariſt. interpretandum eſſe, non per ſe primò de termino à quo totali, ſed partiali, vt manet explicatum *in* 2. *not.* Eſtque expreſſa mens Philoſophi *cit. T.* 45. inquientis, Muſicum fieri ex non muſico, ſed non ex quolibet, ſed ex eo, in quo Muſicæ eſt priuatio. Et *T.* 46. *Quæ forma ſunt figurata, ex figura priuatione.* Itaque non muſicum non per ſe primò, & adæquatè contrariatur muſico, ſed ratione priuationis, quæ eſt in non muſico contraria Muſicæ, quæ eſt in Muſico; ſicque principia per ſe, & adæquatè contrariantur inter ſe: principiata verò non ſe totis, ſed ratione ipſorum principiorum contrariantur: veluti in contrariis poſitiuis, non ipſa ſubjecta qualitatum contrariarum per ſe primò contrariantur, ſed ipſæmet qualitates contrariæ, putà calor, & frigus per ſe primò inter ſe dimicant. Ad 1. conf. dico, terminum a quo partiali, qui eſt priuatio, præcisè contrariari termino ad quem partiali, qui eſt forma: non autem termino ad quem totali, qui eſt principiatum ſeu compoſitum. Ad 2. conf. dico, in creabilibus, & nõ phyſicis terminum à quo eſſe nihil, ſeu negationẽ: in generabilibus verò, & tranſmutabilibus, terminum à quo eſſe priuationem. Quapropter, non ſequitur ex quolibet effici quodlibet, quandoquidem vnaquæque forma habet priuationem ſibi præcisè oppoſitam, à qua tanquam termino à quo incipit generatio, vt clarè edifferit Stagir. *vbi ſuprà T.* 43.

40. Opp. 2. in generatione elemẽti ſymboli, ex ſymbolo, qualitas ſymbola, quæ erat in corrupto, perdurat in genito. 2. *de gener. T.* 34. Ideò, facilior eſt tranſmutatio ſymboli in ſymbolũ, quã diſſymboli, in diſſymbolum: ergò principia non ſunt contraria. Idque confirmari poteſt, cum ex vino rubeo, aut albo fit acetum. Tunc enim ex rubeo, vel albo, fit rubeum, vel album; quoniam rubedo, quæ erat in vino rubeo, & albedo, quæ erat in vino albo, perſiſtunt in aceto, quod eſt rubeum, aut album Itemque ex figurato fit figuratum: ergò, non quæuis generatio ſortitur principia contraria. Reſp. in dicta generatione, non perſiſtere in genito eamdem numero, ſed ſpecie qualitatem; ſiquidem accidens non migrat de ſubiecto in ſubiectum. Verùm hoc exactè eſt perſcrutandum *in l. de elementis.* Ad conf. dico, id non poſſe, ſed per accidens effici. Etenim per ſe, ex non aceto, fit acetum, per accidens verò, ex rubeo, fit rubeum, ex albo, album, & ex figurato, figuratum, vt in ſimili aſtruit Stagir. 1. *Phyſ. T.* 43. *c.* 5. Et annuit Doct. 2. *d.* 1. *qu.* 3. §. *Ad* 1. *&* q. 5. *ad finem.*

41. Opp. 3. ſi dari queat naturæ viribus productio tendens ad aliquid præexiſtens, ſiue tranſmigratio animatum de corpore in corpus diuerſæ ſpeciei, vt volebant Pythagorei, qui memorantur 1. *anima T* 53. ſiue eiuſdẽ ſpeciei, quam non reprobaſſe Ariſt. indicat Ferch. *veſt.* 6. *l.* 2. *n.* 127. Declarari poteſt de motu circulari inchoante ab vno puncto, & terminante ad idem punctum, à quo talis cœpit motus: ſicque habetur ea circulatio abſq; terminis contrariis: ac proindè, non oportet, principia naturalia eſſe contraria. Data hypotheſi, noua eſſet generatio, nouumque genitum; propterea quod materia tranſiret de vna forma, quâ priuaretur, ad aliam formam, quâ informaretur, quo pacto principia ſemper inuenirentur contraria. Ad exemplum de motu, dico huiuſmodi motum circularem redire ad idem punctum, & vbi ſpecie, diſtinctum verò numero. Sed de hoc *lib. de motu.*

Articvlvs V.

An principia vniuocentur.

42. TRes in hoc art. cerno diſcrepantes Philoſophorum ſententias, quarum vna eſt duorum recentium Scotiſt. *diſputat.* 1. *Phyſ. quaſt.* 1. *concluſ.* 2. A quibus non longè diſtat Fucut. *ibidem quaſtion.* 3. *artic.* 3. qui exiſtimant, tria præmemorata principia, vniuocam, participare communem principij rationem. Altera eſt Fonſ 5. *Met. cap.* 1. *quaſt.* 5. *ſect.* 1. Suarez *diſputat.* 12. *Met. ſect.* 1. *numer.* 13. & Poncij *diſputat.* 31. *quaſt.* 2. *Quaſt.* 1. arbitrantium, principium ſit eſſe eis analogum. Tertia debet eſſe communis Scotiſtatum, nominatim Formaliſt. *artic.* 1. *Tract. eorum*, docentium enti, & non enti, reali, & rationis, nihil eſſe commune vniuocum. Cum enim priuatio propriè non ſit ens, cætera verò principia ſint entia realia poſitiua, conſequenter principium ipſis tribus eſt æquiuocum. Fauent Hurt. *diſp.* 1. *ſect.* 2. §. 17. & Arr. *ibid. in fine ſect.* 3.

43. Recognoſcendæ ſunt acceptiones, & definitiones principiorum allatæ, & expoſitæ *artic.* 1. *huius quaſt.* Et ſi enim ab Antiquis vox principium videatur eſſe impoſita potiſſimùm ad deſignandum initium motus, & temporis, quod eſt nobis notius, & ſenſibilius, ac ad res repræſentandas, faciendaſque accommodatius: propterea initium, medium, & finem ſtatuerunt, & diſtinxerunt. Quod non obſcurè inſinuat Stagir. 5. *Met. cap.* 1. qui varias principij ſumptiones recenſens, ab ea, à qua incipit motus, exorditur, vt ibi obſeruant eius expoſitores. Nihilominus multa alia ſignificata ſortitur, funditurque, tam ad entia realia, quàm rationis; poſitiua, & priuatiua; per ſe, & per accidens, necnon creata, & increata. Ob id dubitari poteſt, vtrum principium, reſpectu horum omnium, dici valeat vniuocum, analogum, aut æquiuocum? Rurſus, principium bifariàm inſpectari poteſt, formaliter, hoc eſt, pro relatione principij, quâ formaliter perhibetur principium, & reſpicit principiatum, vt relatiuum reſpicit ſuum correlatiuum: aut materialiter, hoc eſt pro eo, quod eſt fundamentum huiuſmodi relationis, ac per eam denominatur principium, vt oſtendi *tract. de Deo Trino diſputat.* 4. *quaſtion.* 7. vbi probaui, principium ad intra de eſſentiali, notionali, & perſonali, quidem eſſe vniuocum: verumtamen, principium ad intra, & ad extra, nequaquam. Quoniam illud formaliter eſt reale poſitiuum: illud verò formaliter eſt ens rationis. Enti autem reali, & rationis nihil eſſe commune vniuocum, expreſsè tradit Doct. 1. *diſt.* 29. *qu. vn.* quem ſequuntur Vorr. & Otbel. *ibid.* & alij prætee Bonet. 1. *Met. c.* 6.

44. Aſſ. materia, & forma vniuocantur in ratione principij, non tamen priuatio. Hæc aſſ. duas continet partes, quæ indicantur à Scot. nunc memorato. Prima pars ſuadetur 1. materia, & forma ſunt entia realia poſitiua, influentia realiter in compoſitum, ipſumq; conſtituentia: indubiè ergò, hæc duo principia vniuocãtur in cõmuni ratione principij. 2. vtrũq; eſt natura, 2. *Phyſ. T.* 11. ſubſtantia incompleta, & partialis, *ibid. T.* 21. Atq; duæ cauſæ intrinſecæ, *ibid. T.* 28. deinceps, definitio principiorum prællata optimè his duobus adaptatur, igitur iſta duo in ratione communi principij, vniuocantur. 2. pars oſtenditur 1. ex Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 66. & 75. aſtruente priuationẽ eſſe principi per accidens. Et 2. *Phyſ. T.* 15. & 5. *Met. c.* 4. recenſens naturas, inter eas non collocat priuationẽ. 2. enti, & nõ enti nihil eſt cõmune vniuocũ, vt ex Scot.

ſuadent Formaliſtæ nuper alleg. Materia autem, & forma ſunt entia realia poſitiua, partes intrinſecæ totum conſtantes: priuatio verò eſt non ens, 1. *Phyſ. T.*75. Non ergò illis tribus principium conuenit vniuocè. 3. Aut vniuocantur in ante reali, aut in ente rationis, quia inter ens reale, & rationis non intercipitur medium; in neutro autem conueniunt, non in ente reali, quia ens reale non determinatur, nec contrahitur per non ens; veluti eſt priuatio, *eo loco mox alleg.* Nec in ente rationis, quia ens reale non contrahitur per ens rationis, alioqui differentia entis realis foret ens rationis, quod implicat in adiecto. 4. Si quod magis videtur ineſſe, & non ineſt, nec quod minus videtur ineſſe, inerit, vt patet *in Epit.l.*3.*qu.*3. *a.*4. Ens autem reale, & rationis magis videntur conuenire, quàm ens poſitiuum, & priuatiuum, quia illa participant ſuo modo rationem entis: hæc verò, minimè. Nam ſi ens priuatiuum foret ſuperius, includeretur in poſitiuo, & ſi poſitiuum eſſet ſuperius, clauderetur in priuatiuo, quod repugnat. Denique, aut hæc principia vniuocantur penès eſſe formale principij, quod eſt relatio, aut penès eius eſſe fundamentale, quod eſt natura, & eſſentia dictorũ principiorũ. Non primũ quia formalis ratio principij materiæ, & formæ eſt relatio realis: ratio verò formalis principij priuationis, aut nihil eſt, aut ens ſecundum quid; iam verò patet enti, & non enti, poſitiuo, & priuatiuo nihil eſſe commune vniuocum. Igitur ratio principij, tribus præenumeratis eſt æquiuoca. Hinc refellitur Fuentes, qui *quaeſt.*3.*huius lib. a.*3. licet haſce rationes deguſtaſſet *num.*5. *tamen num.*6. peruertens Scot. terminos, vt intueri licet 3.*d.*7.*qu.*1.§. *Quartò. C.* ſcribit, principium quidem non eſſe prædicatum vniuocum, prædicari tamen de præfatis tribus vniuocè. Sed profectò fallitur, quia cùm prædicari vniuocè, nihil aliud ſibi velit, quàm prædicari eſſentialiter; nihilque eſſentiale queat eſſe commune materiæ, formæ, & priuationi, ob rationes præadductas, euidenter concluditur, principium nec eſſe vniuocum prædicatum, quod ille concedit, nec vniuocè de eiſdem prædicari, quod ipſe Fuentes aſſeuerat. Nec iuuat eum dicere, principium ſe habere, vt ſcibile, reſpectu entis realis, & rationis, quod de iſtis, putat ille vniuocè prædicari. Itidemque, opppoſitionem dici vniuocè de ente, eiuſque priuatione. Etenim, quemadmodum ens præſcindens ab ente reali, & rationis, non eſt vniuocum, in ſchola Scoti: ita nec ſcibile abſtrahens à ſcibili entis realis, & rationis, eſt vniuocum, cum proprietas, vt eſt ſcibilitas, maiori priuilegio non gaudeat eo, cuius eſt proprietas. Quod autem ſubdit de oppoſitione, patet eam eſſe æquiuocam, veluti homo dicitur æquiuocè de viuo, & mortuo; de vero, & picto, vt patet *l.prædicam.c.*1.

45. Opp.1. eadem eſt ratio, quæ affertur à Doct. 1.*diſt.*3.*quaeſt.*2. *B.* ad ſuadendam vniuocationem entis, ſe quæ adduci poteſt ad inuehendam vniuocationem principij, de tribus prænominatis. Valet enim, quiſpiam eſt certus priuationem eſſe principium, & ambigit, nùm ſit principium inſtar termini à quo, vel inſtar termini ad quem? Huiuſmodi autem conceptus communis principij quidditatiuè includitur in ſingulis, & peculiaribus principiis; ergò, principium eſt illis vniuocum. Neganda eſt paritas, quoniam ens, quod ponitur à Scot. cit. vniuocum eſt ens reale poſitiuum, quod vniuocè prædicatur de Deo, & creatura, ſubſtantia, & accidente. Principium autem, reſpectu illorum trium, haud eſt reale poſitiuum, propterea illa in hoc non vniuocantur.

46. Opp.2. priuatio eſt principium generationis, ſicut materia, & forma, eique rectè adaptatur definitio principiorum præallata: ergò ſicut à definitione, & numero principiorum non eximitur priuatio, ita nec ab vniuocatione principij expungitur. Conſ. ex 1.*diſt.*23.*quaeſt.*1. negatio infinitans, tam poſitiuo, quàm priuatiuo, & negatiuo, imò etiam impoſſibili accommodatur. Atqui perſona ſecundum Scot. præſefert negationem communicabilitatis vt quo, & vt quod vniuocè de ſuis inferioribus prædicabilem. Ergò quamuis priuatio non ſit ens poſitiuum, non ob id ab vniuocatione principij excluditur. Reſp. quidem priuationem eſſe principium generationis, non tamen vniuocari cum cæteris principiis poſitiuis, licet ei competat communis principiorum deſcriptio. Veluti æquiuoca communi deſcriptione deſcribuntur *capit.*1. *prædicam.* Nihilominus, ex hoc non ſequitur, æquiuoca per eam eſſe vniuoca, quia nomine, & non re conueniunt. Ad conſ. ſi admittatur illa impropriiſſima vniuocatio, neganda eſt paritas, quia ea omnia ſunt negatiua, & in communi negatione conueniunt. at verò poſitiua, priuatiua, & negatiua, in aliquo illis communi vniuocari, non eſt ferendum.

47. Opp.3. Ariſt. 12. *Met. cap.*4. *T.*19. *&* 23. expreſsè aſtruit, principia participare rationem analogam communis principij, ergò in huiuſmodi communi ratione principij, principia non æquiuocantur. Reſp. dando principia eſſe analoga æquiuoca, non autem analoga vniuoca, aut ab vtriſque diſtincta, ſed omnia analoga ad alterutra eſſe redigenda, in Log. *lib.*3.*qu.*1.*a.*7. Et ita exponitur teſtimonium Ariſt. præadductum.

Articvlvs VI.

An ex nihilo aliquid fiat.

48. TRes propoſitiones proferuntur ab Ariſt. 1. *Phyſ.* quæ (notante, & examinante Bonet. 1. *Phyſ. cap.*2.) priſcis Philoſophis tanquam veræ & per ſe notæ videbantur. Prima habetur *loco mox cit. T.*41. & 42. Et 12. *Met.*6. *principia ſunt contraria.* Secunda legitur *ibid. T.*52. & 53. & 1. *cæli* 120. præter duo principia contraria, ſtatuendum eſt tertium, *quod eſt commune eorum ſubiectum, de quo ſit omne, quod fit.* Tertia extatur *eodem loco T.*64. Et 7. *Met.*26. Et 8. *eiuſdem operis* 3. necnon 12. *l.*12. & alibi. *Omne quod fit, ſeu generatur, eſt compoſitum.* Duæ iam à nobis fuere diſcuſſæ, & quidem prima, *art.*4. *huius qu.* Tertia verò *art.*1. *in reſponſione prima oppoſitionis*: reſtat nunc perſcrutanda ſecunda, non quidem, vtrum detur ſubiectum commune, quod eſt materia omnium formarum receptiua? Id enim *in ſeq. q. art.*1. reijcimus, ſed an omne quod fit, ex illo tertio fiat, an verò, ex nihilo aliquid fiat. Et certè naturaliter loquendo ſubdit Bonet. alleg. omnes pertermit Philoſophos, ex nihilo aliquid fieri, & videtur eſſe implicatio ex terminis. Verumtamen, nonnulli apud Auer. & nouiſſimè Fetchius *veſt.*1. multis conatur oſtendere, & in Doctrina Philoſophi, & in rei veritate, eam eſſe veram, & contrariam falſam.

49. Not. 1. *ex* 1. *Phyſ.*33. *&* 34. Et 1. *de generatione* 11. & 12. necnon 11. *Met. ſum.*2.*c.*4. commune eſſe Philoſophorum proloquium, *Ex nihilo, nihil fit.* Propterea, quidam eorum, inter quos refertur à Vorr. 2.*d.*1 *a.*2.*concl.*3. Marcus Varro, putabant, Deũ omnia de ſua ſubſtantia produxiſſe. Nonnulli, vt Anaxag. ſtatuebant æternum chaos, in quo omnia erant immixta, & confuſa, ſine, vt ait Phil. quodlibet erat in quolibet. Segregari verò, & ſeparari per perennes generationes. Alij vt Democritus ſuſpicabantur, omnia effici ex athomis, & ab æterno res moueri confuſè, & inordinatè, caſúque fieri, & generari. Nec defuere, qui arbitrarentur, materiam eſſe improductam, & ingenitam, ex ipſaque omnia produci,

&

& generari:ita ſenſiſſe Ariſt. teſtatur Vorr. *vbi ſuprà* Erat ergò ante Ariſt. aſſertum ab omnibus Philoſophis receptum *Ex nihilo nihil fit.* Nec illud ab Ariſt. duxit originem. An verò reiectum, aut receptum ſit ab eo, verum, vel falſum, perſtrepit Fereh.cit. ſed vt clarè eniteat huius veritas.

50. Not.2.controuerſiam exiſtere inter eoſdem Philoſophos de productione formarum naturalium. Forma enim, authore Platone, ab extrinſeco, ſeu Deo, quem idem Plato formarum datorem vocat, promanat. Alij, vt Anaxagoras, cenſebant, omnes formas præexiſtere, agenſque naturale ſolùm eas ſeparare, & ab inuicem ſegregare. Ariſt. verò, & cum eo omnes poſteriores Philoſophi docent formas naturales educi de potentia materiæ, hoc eſt, pendere in eſſe, & in fieri à materia. Hinc idem Philoſophus 1. *Phyſ.T.*82. definiens materiam, inquit. *Materia eſt ſubiectum, ex quo omnia compoſita naturalia generantur, & in quod cuncta corruptibilia reſoluuntur*: vulgóque perhibetur materia ingenerabilis, & incorruptibilis, quoniam in omni generatione, & corruptione perſiſtit ſemper, tanquam eius commune ſubiectum. Idem apertè ſcribit *ibid.T.*60. *omnia fieri ex ſubiecto, & hoc fieri, ex hoc.* Et 2. *Phyſ.T.*28. *Et* 5. *Met.* 2. *Materia eſt ex qua aliquid fit.* Et 5. *Phyſ.T.*15. ſupponitur commune ſubiectum, vt aliquid fiat, ſiue ſubſtantiale, ſiue accidentale. Idipſum legitur 7. *Met.* 8. *&* 11 *ac* 12. *eiuſdem operis c.*12.

51. Not.3.quod licet adhuc lis ſub iudice ſit, de mente Philoſophi, vtrum conceſſerit (primo motore excepto) omnia eſſe creata, necnè, vt patet apud Scot. 1.*d.*8.*quæſt.* 5. Et *Quol.* 7. Itemque, nùm prima cauſa, ad extra liberè, an verò neceſſariò agat, in eiuſdem Philoſophi ſchola? Doctor noſter nunc cit. aſtruit, ipſum arbitrari Deum naturaliter, & neceſſariò agere ad extrà, creaſséque Mundum ab æterno, vt intueri licet 7. & 8. *phyſ.* Fides autem Catholica nos docet, & mundum à Deo in tempore conditum, & liberè ipſum ad extrà operari, vt latè oſtendi in *Tract. de creatione, quæſt.* 19. Præterea, apud omnes philoſophos, & Theologos certum eſt, creationem, & generationem inter ſe diſſidere, potiſſimùm in eo, quod creatio eſt productio, ſeu factio rei ex nihilo ideſt, nullo præſuppoſito ſubiecto, 2.*d.*1.*q.*5. *infrà T.* Quo pacto Angelus perhibetur creatus ex nihilo. Generatio verò eſt productio, ſeu mutatio de non eſſe, ad eſſe, ſubiecto ſcilicet præſuppoſito, & præexiſtente, quod eſt materia.

52. Not.4.ex D. Anſel. relato à Vorr. *vbi ſuprà*, aliquid fieri ex nihilo tripliciter accipi poſſe. 1. materialiter, hoc eſt, vt nihil ſit materia factionis alicuius rei, & hoc eſt impoſſibile, quia materia, ex qua aliquid fit, eſt ens reale, quod nihilo opponitur, veluti affirmatio negationi. 2. cauſaliter, ideſt, vt nihil ſit cauſa alicuius, quod pariter eſt impoſſibile, quoniam omnis cauſa per ſe influens in effectum realem, eſt ens verum, reale, poſitiuum, quod nihilo opponitur. 3. ordinaliter, quod eſt dictu. poſt nihil aliquid fit, ſiue potiùs, ex nihilo, tamquàm à termino à quo aliquid fit, veluti ex priuatione, vt termino à quo, effici compoſitum *ſuprà* aſſeuerani. Hunc ſenſum amplectuntur Theologi, admittentes creationem mundi factam in tempore, liberè à Deo. Et ſecundum Ariſt. etiam concedentem creationem ab æterno, ſine nouitate eſſendi, vt notat Bacc. 2.*d.*1. Quoniam Ariſt. opinatur Deum neceſſariò, & naturaliter agere ad extra, vt ex Scot. *in* 3. *not. cit.* præmonui.

53. Aſſ. Ariſtoteles non reiicit illam enunciationem. *Ex nihilo nihil fit* tāquàm falſam. Non diſſentit Doct. 2.*d.*1.*q.*2. Probo autem eam 1. ex eodem Ariſt. qui 1. *Phyſ. c.* 1. in animo habet diſſerere de primis principiis Phyſicis; in eiſque indagandis, & decernendis totus eſt, *in dicto libro.* Quæuè *c.*5.*T.*42. definit. Deindè *c.*6.*T.*56. ſubdit, ea eſſe numero tria. Poſtmodum, *ad finem eius lib T.*82. concludit, materiam eſſe ſubiectum primum, ex quo omnes formæ naturales educuntur: in toto ergò illo libro haud reprobat præfatam propoſitionem. 2. idem Philoſophus non reiicit alias duas procerum Philoſophorum propoſitiones prætactas *in initio huius art.* nempè principia ſunt contraria, & compoſitum propriè fit. Nec tertia apparet, quo in textu ab eo refellatur. Etſi enim *T.*33. eam adducat, tanquam dogma Anaxagoræ & aliorum, tamen non reprobat, vt malum aſſertum, ſed tantum in eo, quod memorati Philoſophi tollebant omnem generationem ſubſtantialem, locantes confuſionem rerum & ſegregationem, omneſque formas præexiſtere in materia, & quodlibet eſſe in quolibet, vt patet legenti paſſum alleg. & *T.*74. Et 1. *de generatione T.*8-11. *&* 12. Et alibi frequenter. Vnde Stagir. præmiſerat *T.* 21. *c.*2. *primi Phyſ.* eſſe vnum poteſtate, & actu. Deinde ſubiicit *T.*78. alter eſt, quoniam actu & poteſtate; & tamdem 12. *Met.T.*44. concludit, ab agente nihil prouenit, niſi extrahere illud, quod eſt in potentia ad actum. Non ergò, vt malum principium, ſed vt malè intellectum, & applicatum non videtur recipere: nec vt proprium, ſed iam ab aliis prioribus decantatum affert, vt conſtat *ibid.T. cit. &* 34. *ac* 11. *Met. ſum.*2.*c.*4. ſic nonnumquam, ad aliquid demonſtrandum præter demonſtrationem, adducit authoritates antiquorum Philoſophorum, vt oſtendat, doctrinam, quam tuetur, nec eſſe nouam, nec ab ipſo excogitatam, ſed ab aliis adinuentam, & corroboratam. Quod obſeruaui *l.*5. *Leg.q.*4.*a.*11. Tertiò, dogmata, & aſſerta Antiquorum, quæ vt falſa, & abſurda diſplicent Ariſtoteli, ipſe explicitè, & ſtrenuè explodit, & vſquequaque inſequitur, & conuincit, vt patet à *c.*2. *fere vſque ad c.*9. vbi, qui vnum principium ſiue mobile, ſiue immobile: & qui plura, ſiue finita, ſiue infinita, & qui duo tātùm locabant principia: & qui diſtinguere neſciebant, vt ille præſtat, *T.*74. nedum ſolide. & acutè reſpuit: ſed acriter, & incunctanter, erroris, & ignorantiæ redarguit, vt patet *c.*8.*T.*71. *&* 74. *&* 78. Nullo autem paſſu eius lib. vbi eſt proprius locus inquirendi veritatem eius aſſerti, nec alibi prænominatum dogma abſolutè repellit, niſi vt malè captum. Et 8. *Met.*4. remittit ſe ad ea, quæ docuit in Phyſica de differentia, que intercedit inter ea, quæ fiunt ſimpliciter, & non ſimpliciter. 4. Idem Autor aperit, & exprimit latè, & accuratè modos, quibus res naturales gignuntur, incipiens *à T.* 43. *primi Phyſ. ad* 48. proſequiturque *c.*7. 8. & 9. Atque, in quibus priores Philoſophi allucinati ſunt, clarè demonſtrat *ibid.* In his autem, ad euellendos veterum errores, ſuamque doctrinam ſtabiliendam, mirè & ingenioſè duplicem modum præbet, quo ex non ente fiat ens. Vnus exaratur *T.*75. Ex non ente per accidens, hoc eſt, ex priuatione, vt termino à quo fit aliquid, & in hoc diſſentit à prioribus Philoſophis, affirmantibus, omne fit ex ente, ſeu ex eo quod eſt. Ex non ente autem ſimpliciter, quod eſt nihil, ſiue negatiu entis, nihil fit, & in hoc cōſentit priſcis Philoſophis aſſerentibus, ex nihilo nihil fit. Profero verba Tex. *Nos autem & ipſi dicimus, fieri quidem nihil ſimpliciter, ex eo, quod non eſt, ſed tamen ex eo, quod non eſt, vt ſecundum accidens. Ex priuatione enim, quæ eſt per ſe non ens, non ex eo, quod ineſt, fit.* Alter habetur *T.*78. Et expreſſius 12. *Met. c.* 2. *T.* 8. Cum autem duplex ſciens, omne mutatur ex potentia ente, in actu ens, vt potentia albo, in actu album: eodem autem modo, & de augmentatione, & diminutione. Quare, non ſolùm per accidens, ex non ente fieri contingit, ſed etiam ex ente omnia fiunt: verùm potentia quidem ente: actu verò ex non ente. Eadem diſtinctio affertur ab Ariſt. 4. *Met. cap.*5. *Titul.* 20. ad oſtendendum, in quo Antiqui benè, & in quo malè

fuerint philosophati. Ad illos itaque, qui ex bis ita arbitrantur, dicemus, quod quidem, verè dicunt quodammodò, & quodammodò ignorant. Ens namque dupliciter dicitur. Quarè aliquo modo quidem possibile est, aliquid ex non ente fieri, aliquo verò modo non est. Simulque, idem ens, & non ens esse, sed non secundum idem ens: potentia namque contingit, simul idem contraria, actu verò minimè. Ex his conspicuum est, quid sentiat Arist. in quo concordet, in quoue discordet ab Antiquis. Recipit enim illam enunciationem, *ex nihilo nihil fit.* Sumendo nihil simpliciter, & per se, & prout designat non ens potentia, & actu: negat tamen, si accipiatur nihil per accidens, & in potentia, quia vult, ex non ente id est ex priuatione entis, siue ex priuatione formæ, vt termino à quo effici formam, & ex non ente actu, ente verò potentia fieri aliquid, vt ex materia, in cuius potentia, & non in actu est forma, potest fieri forma. Ideò, in omnibus operibus Physicis semper præexistere subiectum, siue materiam, vbique suæ doctrinæ prædicat, eosque commendat, qui tertium hoc principium, quod est priuatio, innexerunt: qui verò priuationem à materia tanquàm aliud principium non distinxerunt, reprehendit, vt patet 1. *Phys. T.* 79. & 80. Quintò, ars imitatur naturam, 2. *Phys.* 22. in multis, vt videre licet 1. *Phys.* 69. & 2. *eiusdem operis*, 86. potissimum in eo, quod si natura semper præsupponit subiectum, ex quo agat, & ex cuius potentia formas naturales educat: sic ars materiam præiacentem præexigit, ex que formas artificiales educat: atqueadeò, tam natura, quam ars, ex nihilo, nihil faciunt. Licet autem *ibid. T.* 24. & 25. dicatur, artes quasdam suam facere materiam, id absolutè non est accipiendum, cum luce clarius sit, nullam artem, quidquam agere, absque præiacta materia: sed secundum quid, hoc est, quædam artes suam materiam proximam præparant, & disponunt, vt Figulina lutum, Statuaria marmor. Quædam verò imperant aliis, vt Nautica, Dolatina, lignique præcisiua. Itaque natura & ars, ex nihilo nihil faciunt. Denuò Arist. 1. *Cæli. cap.* 9. *T.* 95. censet alium mundum non esse possibilem, quia alia materia non est dabilis, ex qua fiant alia composita alterius mundi. Iterùm scribit, Deum, & Cælum omnia procreare per lumen, & motum, causamque efficientem esse primum principium, vnde motus, & quietis. 5. *Phys.* 17. potentia actiua est transmutatiua aliud, inquantum aliud. Quæ, & consimilia, cum præexigant subiectum, apertè ostendunt, ex nihilo, nihil fieri. His subscribunt Auer. *in proœm.* 3. *Phys.* & 8. *eiusdem operis com.* 4. Et 2. *Met. com.* 15. & 16. Bonet. 1. *Phys. cap.* 3. Bacc. 2. *d.* 1. & cæteri Peripatetici, tam veteres, quàm recentes, vt mirum sit, cur in re tam manifesta, & in schola Arist. nota, tantùm inuigilet, & insudet Veglia *vest.* 1. vt oppositum in Peripatum inducere nitatur.

54. Opponit 1. Forchius *vest.* 1. *cap.* 1. librum. Xenophanis, in quo Arist. affert enunciationem illam, *ex nihilo, nihil fit*, vt non rectam, & non suam, à Peripato alienam. Et patet etiam 1. *Phys.* 33. 34. & alibi non semel, ergò in schola Arist. præfata propositio recipienda non est. Resp. prætterquamquod, nonnulli existimant illum librum esse fœtum Arist. *in dicto lib.* ipse Arist. non assertiuè sed dubitatiuè loquitur, vt patet ex particula, *Fortasse*, addita ab eodemmet Philosopho. Subscribit Malonius 1. *disp.* 2. subiiciens, Arist. non asserendi, sed disputandi gratia ibi incedere. Quod si detur, ipsum assertiuè loqui, exponendus est, sicut suprà videlicet tale dogma reiicere, non absolutè, cum ipsum expressè admittat 1. *Phys. T.* 75. inquiens. *Nos autem, & ipsi dicimus, nihil quidem simpliciter omnino, ex eo, quid non est fieri.* Sed eo modo, quo Antiqui suspicabantur, omnia actu existere, tollentes omnem generationem, & nouam rerum productionem, quidquid fit ex aliquo in actu, at ex nihilo in actu nihil fieri. Sic censebant veteres Philosophi, quos secundum hunc modum Philosophandi refellit.

Occurrit Ferch. *vest.* 1. *pag.* 40. *cap.* 15. *num.* 46. particulam *simpliciter* non esse annectendam non enti sed verbo *fieri*. Verùm hæc expositio non consonat dicto textui qui est huiusmodi: *nihil quidem simpliciter, ex eo, quod non erat fieri.* Idest ex puro nihilo, aliquid fieri nequit; sic enim nihil designat negationem entis, estque non ens simpliciter. Porrò ex non ente per accidens, siue ex priuatione, benè potest aliquid effici: præsertim quia si simpliciter coniungitur, cum voce *substantia*, simpliciter tantum fit & accidens secundum quid: veluti generatio simpliciter est solius substantiæ, & secundum quid, accidentis, 4. *d.* 11. *quæst.* 3. Id autem non intendit Philosophus, cum ex priuatione formæ substantialis, accidentalisque aliquid fieri, explicitè *ibi* ostendat. Quocirca Stagir. ex priuatione fieri aliquid concedit, ex negatione verò, aliquid fieri non admittit.

55. Opp. 2. ea enunciatio profectò ex Arist. non prodit, quam pluries ipse expressè ait, esse principium, & originem grauium errorum, & euidentium absurdorum: huiusmodi autem est præfata propositio. *Ex nihilo nihil fit.* Ergò &c. Ma. liquet. Min. ostenditur, 11. *Met. cap.* 2. Heraclitus concedit, duo contradictoria simul vera esse. Et Protagoras admittit, *Quæ cuique apparent, hæc vera esse.* Ista autem duo maxima inconuenientia, ortum ducere, ex illo dogmate, scribit Philosophus *ibi*. Item 4. *Met.* 19. ex eodem falso principio promanasse assertum impossibile Anaxag. & Democ. contraria, & contradictoria esse simul. Rursus, 1. *Phys.* 33. & 34. Non dari generationem substantialem, sed segregationem rerum, ex eodem pernicioso fonte prodiit. Insuper, proloquium Melissi, *omnia esse vnum.* Amplius, *quidquid est, æternum est*, & cætera falsa, & absona, ex eamet infausta radice consurgunt. Planè ergò enunciatio aliena est à Peripato, falsa, & absurda, longè abdicanda, & explodenda. Resp. hæc, & consimilia, quæ tam sedulo, & studioso labore vestigauit, & congessit Ferch. facilè elidi, & dilui ex dictis, in præiactis fundamentis, & munimentis. Philosophus quippè non repulit illud, sed tanquam verum axioma recepit 1. *Phys. T.* 75. & 1. *de generat* 12. omnes autem Antiquorum errores, absurditates, & falsitates profluxere ex imperitia, & ignorantia secundi principij Physici, quod est priuatio, & explicitè tradit Stagit. mox cit. Ex priuatione enim fit, quæ est per se non ens. Et *T.* 81. Immò, in *duobus cap. vlt eius lib. Et* 12. *Met. T.* 8. Ex non ente actu, & potentia, non obiectiua, sed subiectiua, omnia naturalia fiunt; vt constat ex definitione materiæ 1. *Phys. T.* 82. Hoc autem effatum ab Arist. ingeniosè excogitatum, verum, & necessarium in Licæum inuectum, vt nouum, & insolitum, mirabile, & impossibile Antiquis videtur: possibile verò, opportunum, & apprimè necessarium veræ Philosophiæ ab eodem Arist. *T.* 75. prædicatur, & mirificè à posterioribus Philosophis recipitur, & commendatur. Ex hoc ergò, patet discrimen, inter Arist. & priscos Philosophos, & quomodo prænominatum elogium sit amplectendum, quomodo verò respuendum.

56. Opp. 3. eatenùs enunciatio negatur, quatenùs limitatur: prælata autem propositio dupliciter glossatur, & angustatur ab Arist. vt liquet *T.* 73. & 77. *Ex non ente simpliciter, siue ex non ente per se, quod est purum nihil, siue negatio entis, nihil fit: ex non ente verò per accidens, siue ex non ente secundum quid, quod est priuatio, fit aliquid.* Deinde *T.* 78. & 12. *Met.* 8. *Ex*

non

non ente, nec actu nec potentia, nihil fit: ex non ente autem actu, sed ente potentia, aliquid fit. Igitur per se ex nihilo nihil fit: per accidens verò, ex nihilo aliquid fit. Nego ma. Siquidem pleræque propositiones limitantur, quæ tamen haud negantur, vt 1. *Post. cap. 1. T. 5. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* tribus conditionibus restringitur non autem respuitur. Pariter, 2. *de generat. 56. Idem manens idem, semper facit idem.* In causa naturali, & necessaria locum habet, non verò in causa contingente, & libera. Rursus plura conceduntur in sensu diuiso, quæ abnuuntur in sensu composito, vt explicui *in Epit. lib. 3. quæst. 4 art. 3.* Itaque tantùm abest, vt limitatio Arist. ad falsitatem eius impellat, quin potiùs, in eiusdem veritatem, nos oculatè, & industriosè inducat.

57. Opp. 4. Arist. *l. cit.* in Xenoph. explicitè inquit, se aliquando cum vulgo Philosophorum eam propositionem tenuisse: deindè maturiùs, & consultiùs re considerata, eammet abiecisse & à se abegisse. Idem scribit contrà Zenonem. Nec præstat dicere, ex non ente simpliciter, siue ex negatione, nihil quidem effici: verùm, ex non ente secundum quid, siue ex priuatione, & ex subiectu præsupposito aliquid effici. Sic enim non elliditur, sed inuertitur, & effugitur difficultas. Priuatio quippè est in subiecto, formaque non ex subiecto, sed in subiecto fit. Hæc autem commutatio peruertit sensum text. Aristotelici. Maximè quia idem Stagir. *in dicto lib. contrà Xenoph.* prosequens probationem eius enunciationis à se propositæ, ipsam communit authoritate Hesiodi, qui quædam ex aliis genita, quædam verò ex nihilo producta esse planè edisserit. Hoc argumentum magni facit Veglia, putatque se conuincere oppositum sentientes. Et ego, potiùs dormitasse, quàm vigilasse existimans, dico ei plenè iam fuisse satisfactum, quandoquidem *ibi* Arist. non assertiuè, sed dubitatiuè disserit, vt apertè vocula *fortasse* ab eo apposita palam facit: vultque consultò inducere Doctrinam ab ipsomet priùs traditam, & in suum licæum inuectam 5. *Phys. aliisque locu praalleg. Ex non ente per accidens, & ex non ente actu, sed potẽtia, aliquid fit.* Quod autem subdit Ferch. Non ex priuatione, nec ex subiecto præiacto, sed in subiecto præsupposito, & ex nihilo fieri. Id euidéter pugnat Aristoteli passim, & communi Peripateticorum cœtui, arbitrantium formam educi de potentia materiæ, quod *infrà q. de forma* discutiendum est. Eò magis, quia dictus Anthor *vest. alleg. pag. 55.* approbat, oppositum fieri ex opposito. Idque etiam ipse suadet *ibidem cap. 3. num. 4. ex 1. Phys. 43. & 47.* necnon ex 12. *Met. T. 6.* Ad aliud dico, proferri in sententia Hesiodi, vt patet legenti textum. Nec debet reclamare Ferch. qui vult Arist. illam propositionem pronunciasse in sensu veterum Philosophorum: & pariter ego dico eammet enunciasse in Doctrina Hesiodi. Adde *ex 1. Met. cap. 4.* Hesiodus ante omnia putat fuisse chaos: deinde terram spatiosam, atque amorem. Rectè autem Tatar ad decisionem totius difficultatis scribit, *Ex nihilo nihil fit naturaliter: supernaturaliter verò, ex nihilo aliquid fit.* Subnecto secundum Scot. & alios Scholasticos, Aristotelem concessisse creationem ab æterno, quod etiam fatetur prænominatus Ferch. *ad calcem vest. memorata.*

QVÆSTIO II.

De Materia.

PRIMVM rerum naturalium principium est materia, vtpote quæ primum, & commune extat subiectum formarum, & priuationum earum, 1. *Phys.* 82. Ad omnia naturalia supponitur tanquàm naturæ fundamentum, 1. *Met.* 17. Et indicant August. 1. *de Gen. ad lit. cap. 15. Et l. 8. cap. 20.* Scot. *Quol. 10. §. de secundo ante S.* & 3. *dist. 13. quæst. 4 L.* & *dist. 22. §. Ad. 1. F.* & 4 *d. 11. quæst. 3.* Ideò de singulis naturalibus principiis acturi, non immeritò à materia exordimur, cætera postmodum accuratè, & ordinatè prosequuturi.

ARTICVLVS I.

An sit materia.

1. NOnnulli, quorum suppresso nomine meminit Doct. in vtroque opere 2. *d.* 12. *q.* 1. putantes omne generabile, & corruptibile esse simplex, inficiantur materiam, qui etsi profligati, & penè conuicti, ab eodem Doct. *ibid.* Nihilominus adhuc defenduntur à Gorresio cit. ab Arr. *disp. 2. sect.* 1. & quibusdam aliis proscriptis à Parlamento Parisiensi, teste Camerario *q. 1. part.* 2. de medio prorsus materiam tollentes. Communis autem veterum, & recentium Philosophorum cœtus, apertè, & strenuè tum 1. *Phys.* tum etiam 1. *Met.* & alibi passim, esse materiam tuetur.

2. Not. 1. multa esse epitheta materiæ, quæ duodenario numero comprehendi queunt, sex impropria, sex verò propria. Primò autem vocatur metaphoricè *mater*, 1. *Phys. T.* 81. Quia ex potentia materiæ, quasi ex eius vtero omnes formæ naturales & corporeæ eruuntur ab agente naturali. 2. *femina* ibid. quia recipiens ab ipso agente naturali formas, partialiter concurrit ad generandum compositum, veluti mulier, cum viro ad prolem procreandam. 3. *Turpis* etiam *ibid.* quia caret perfectione formæ, quæ vocatur pulchra, & speciosa. Hinc *Gen.* 1. sub nomine terræ inanis, & vacuæ, non incongruè nominatur materia, vt præ aliis notat Vorr. 2. *dist.* 12. *art.* 1. Atque Lunæ similis perhibetur. 4. Ab Ægyptiis *lex primæ vita* nuncupatur, quia est ens infimum. Ob id ab August. 12. *conf.* 31. appellatur *propè nihil.* 5. *Sylua* ab eodem August. *l. de natura boni c.* 18. Quia sicut in sylua continentur in potentia formæ artificiales: pariter formæ naturales in potentia materiæ de qua educuntur, contineri dicuntur, 1. *Phys. T* 69. Sextò. *ens in potentia*, 11. *Met.* 22. quoniam est in potentia receptiua omnium formarum. Cæterà verò sex nomina propria materiæ recitantur ab Auic. 1. *sufficientiæ.* 2. quorum primum est vulgatum, & familiare Philosophis, nempè *materia*, ita dicta, quia ex ea fiunt omnia materialia. Secundum est *massa*, quoniam ex ea in varias portiones distributa, varia composita gignuntur. 1. *Phys.* 65. Tertium *origo*, quia est radix, & fundamentum generationis cunctorum naturalium, vt statim *in initio huius q.* ex Arist. præmonui; Quartũ *elementum* 12. *Met. c.* 4. quoniam ex ea componuntur omnia naturalia, & in eamdem postremò resoluuntur. Quintum *Hyle*, ex Arist. 1. *Phys.* 56. & August. *lib.* 20. *contrà Faustum cap.* 14. Quia recipit formas, easque appetit. 1.

Phys.

Phys. 81. Sextum *subiectum*, quia in ea subiectantur omnes formæ, *ibid. T.* 82.

3. Not. 2. materiam multifariam accipi. 1. pro differentia indiuiduali, quam videtur attingere Philosophus 1. *Cœli Titulo* 92. cum dico cælum, dico formam; cum dicu hoc cælum, dico materiam. Et expressè tradit Scot. *quol,* 2. *Met. &* 3 *d.* 12. *quæst. vn. F.* Secundò pro subiecto mobilitatis, cuius meminit idem Philosophus 8. *Met.* 12. inquiens: Fortassis etenim quædam non habent materiam, aut talem, sed solum, quæ secundum locum mobilis est. Tertiò pro quouis subiecto accidentis materialis maximè quantitatis, siue illud sit immobile, vt cœlum Empyreum, siue mobile, vt reliqui cœli. Hanc materiæ sumptionem ex Auicembron *lib fontis vitæ* referunt Parisiens. 1. *Phys. quæst.* 4. *fol.* 22. Quartò, pro crassitie, siue grossitie alicuius, quo in sensu, homo hebetis ingenij, dicitur materialis. Huius mentionem facit Vort. præcit. Quintò, pro subiecto receptiuo formarum substantialium, & de materia sic capta cum Arist. loquuntur Philosophi in præsentia, præsertim Doct. 3. *d.* 22. *quæst. vn. B.* Et *quol.* 2. de cuius potentia forma educitur, & ex qua, vnà cum forma fit compositum.

4. Not. 3. multas existere materiæ diuisiones. Prima est in materiam ex qua, in qua, & circa quam. Ista diuisio accipi potest penes diuersas habitudines & respectus. Si enim sumatur materia, quatenùs ex ea agens educit, aut inducit formam, ipsa remanente, verè dicitur materia definita 1. *Phys. T.* 82. *&* 5. *Met. T.* 2 *&* 4 Materia in qua dicitur subiectum inhæsionis, in quo forma substantialis, vel accidentalis recipitur, sic intellectus est materia, in qua inest scientia. Materia circà quam est subiectum, circà quod scientia occupatur. Secunda in materiam transeuntem, & manentem, de qua Doct. 1. *d.* 2. *quæst.* 7. *§. Ad* 1. *arg. principale. S.* Materia manens est propriè materia, vt cōstat est eius definitione. Materia est ex qua aliquid fit, eum insit 2. *Phys. T.* 282. Transiens verò minimè, sed potiùs videtur induere, terminum à quo, vt cum ex opposito fit oppositum, putà ea aëre ignis, & ex igne aqua Et hæc, à quibusdam vocatur materia alterationis. Tertia, in materiam, quæ non est necessaria ad rei constitutionem; veluti materia syllabarum dicitur cera, quia ex ea fiunt syllabæ, tametsi & cera, & syllabæ valeant esse abinuicem distinctæ: & in eam quæ est quidem necessaria ad rem, non tamen est de eius essentia, vt semicirculus non est pars essentialis circuli, sed integralis. Quarta, in materiam remotam, & proximam. Remota est ex qua res mediatè fit, sic ex ære fit circulus. Proxima verò est ex qua res immediatè conficitur, ita ex semicirculo, tanquam ex materia proxima fit circulus, teste, Scot. 3. *d.* 22. *quæst. vn.* Quinta, in Metaphysicam, & Physicam. Materia metaphysica est genus; Physica verò est subiectum formarum, de qua in præsenti. Sexta in primam & secundam, illa definitur 1. *Phys. T.* 82. Hæc verò dicitur quodlibet aliud præparatum & dispositum ad formam recipiendam.

5. Assertio, datur materia. Ita Scot. locis præcit. Probatur primò, principia naturalia sunt contraria, ex probatis *in* 1. *quæst. huius lib. art.* 4 contraria autem vnum petunt commune subiectum, in quo suas contrarietates exerceant, 1. *Phys. T.* 56 68. *&* 70. Idquè potissimùm verum est de contrariis propriè dictis, quæ ab eodem subiecto se mutuò expellunt; igitur concedenda est materia. Secundò agens naturale semper ea aliquo præsupposito subiecto agit, ideò inualuit illud naturaliter, *ex nihilo nihil fit* exaratum ab Arist, ab eoque approbatum *vbi suprà, T.* 75. Id autem, ex quo ab agente naturali, aliquid fit, est materia, vt patet *ibid. T.* 65. *&* 82. Tertiò fit transmutatio substantialis ab vna forma ad aliam formam, cùm habeatur perennis generatio, & perpetua corruptio, tam simplicium, quàm compositorum; tam viuentium, quam non viuentium: huiusmodi autem transmutatio exigit subiectum, quod est materia. 4. Substantia composita constat ex duobus, quorum vnum se habet per modum potentiæ, quod est materia, & aliud per modum actus, quod est forma. Hinc 2. *anima T.* 2. substantia diuiditur in materiam, formam, & compositum. Item compositum causatur ex materia, & forma, tamquàm ex duabus causis intrinsecis, 7. *Met. sum.* 2. *cap.* 3. *T.* 7. Denuò, sicut ars præexigit materiam ad sua artificia conficienda: ita natura præsupponit materiam, ad ad sua naturalia peragenda. 1. *Phys.* 69. *& l.* 2. *T.* 11. Ampliùs, si nihil hominis viuentis, post eius obitum remanet, sancta Ecclesia nec concederet, nec præciperet venerari Sanctorum reliquias, nec corpus Christi Domini in triduo, dum iacuit in sepulchro, aliquo cultu fuisset dignum, vtpotè, quia nihil fuisset ipsius Christi, non anima, quæ descendit ad Inferos, nec materia, ex supposito quod non detur materia. Hanc veritatem confitetur Aug. 12. *Conf. c.* 32. *&* 7. *super Gen. ad lit.*

6. Arriaga præmemoratus *num.* 3. subiicit, has rationes non conuincere Gomesium aliter sentientem de naturalibus, quàm existiment communiter Philosophi, & præfata argumenta concludant. Admittit enim dictus Gomesius post mortem hominis, & cuiuscumque animati aliquod subiectum, quod adhuc permanet, hocque putat non esse materiam primam, sed quid ex quatuor elementis ad inuicem vnitis & permixtis coalitum, elementaque esse simplicia, & ab omni compositione aliena.

Verùm, si ita opinaretur Gomesius, vt refert Arr. nolens concederet materiam primam, quia vt idem Art. in initio *sect.* 1. aduertit, per materiam primam vulgò intelligitur commune subiectum formarum substantialium. Illud autem compactum ex quatuor elementis, excogitatum à Gomesio, est tale commune subiectum formarum, nominatim animarum, quod post separationem animarum rationalium persistit; sic per explicationem Arr. non dissentiret Gomes. à vera & communi Doctrina, quem tamen ab ipsa prorsus discordare fatetur idem Arr. *ibid. n.* 3. Atque, in Schola nostra, corpus anima priuatum non est simplex substantia, sed composita ex materia, & forma, ad cuius compositionem vnio, & permixtio elementorum præexigitur. Deindè, quæstio an sit materia, in quæstionem quid sit materia, verterent. Scrutamur autem in præsentia, num sit materia? Respondere verò, materiam conflari ex quatuor elementis, non est satisfacere quæsito. Vt enim infrà patebit, Empedocles, & alij veteres, quibus iunguntur nonnulli Recentes, arbitrantur materiam primam esse quatuor elementa: sic autem opinari, non est negare materiā primam, sed est dissentire quæsito, quid sit materia prima. Cùm ergò hîc non sciscitemur quid sit materia, consequenter, & euidenter deducitur, difficultati propositæ, & argumentis præpositis nec Gomes. nec Arr. in sententia eius satisfacere. Eò vel maximè, quia si agens naturale potest aliquid creare, vt eum Gomesio occurrit Arr. nullum exigitur subiectum formarum, nec ex elementis, nec ex aliis confectum; etiam potest aliquid annihilare: ruuntque omnia, quæ dictus Arr. congerit, contrà Gomes. quia ea præsupponunt aliquod subiectum, vt videre est apud ipsum, quo supposito roborantur eius rationes. Agens verò naturale posse creare, decreto Antiquorum contradicit, 11. *Met. c.* 4. *sum,* 2. & veritati pugnat, vt alibi sum ostensurus.

7. Opp. 1. si daretur materia, foret in aliquo decem prædicamentorum reposita, cùm enim non esset ens infinitum, quod est solus Deus, foret ens finitum

nitum, quod ex dictis in Log. *l.3.q.4.* & dicendis in Met. *l.2.q.1.* diſtribuitur in decem ſuprema genera. Materia autem in nullo eorum reſidet, cùm *ex 7. Met.* 8. non ſit quid nec quantum, nec aliquid eorum quibus ens determinatur: ergo non eſt concedenda materia. Concedo ma. nego min. ad teſtimonium Ariſt. dico ipſum ſecum ferre ſolutionem, cum ait, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur. Vbi ſignificat, materiam non eſſe actum actuantem, & diſtinguentem, qualis eſt forma: ſed eſſe indifferentem, & indeterminatam ad recipiendam quamcumque formam.

8. Inſtabis materia de nullo eſſentialiter prædicatur, ſed denominatiuè duntaxat *ex eodem Ariſt. vbi ſuprà, T.25.* Ergò cùm materia nihil ſit eorum, quæ ſunt, nihil omninò eſt. Concedo ant. nego conſeq. ſi enim materia prædicatur denominatiue, eſt aliquid, quia nihil non denominat aliquid, vt rectè infert Doct. *cit. §. Ad arg. antè l.*

9. Opp. 2. ſi daretur materia, vel eſſet ens actu, vel potentia; cum ens ſufficienter partiatur in ens actu, & potentia 11. *Met. ſum. 2. c. 4* Materia autem neutrum eſt, non ergò materia eſt admittenda. Ma. patet, Min. eſt in promptu, 5. *Phyſ. c. 2. T. 8. Quod mouetur eſt, quod vero generatur, non eſt.* Materia autem non eſt quod mouetur, quia hoc eſt corpus naturale; nec quod generatur, quia proprie ſolius compoſiti eſt generatio, 7. *Met. T. 26.* Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, ſubiectum motus quidem eſſe compoſitum naturale, ſubiectum verò generationis eſſe materiam, quæ eſt ſubiectum formarum ſubſtantialium: ſicque patet mobile eſſe in potentia ad formam accidentalem, & generabile, ad formam ſubſtantialem.

ARTICVLVS II.

Quid ſit Materia.

10. QVanquàm vulgus, omniſque Philoſophorum cœtus materiam agnouerint, ex qua omnia naturalia generantur: ab eis quippè ſancitum eſt illud proloquium, *Ex nihilo nihil fit.* Attamen quid ſit materia, eius natura, & quidditas latuit ipſos, quorum placita diſtinctionis, & claritatis gratiâ, in ſubſequentes partior dubitationes.

DVBITATIO I.

Quid ſenſerit vulgus de materia prima.

11. ANtiqua vulgataque extitit opinio, teſte Ariſt. 1. *Met. c. 7. T. 14.* terram eſſe rerũ omnium materiam, ex qua cuncta naturalia coaleſcunt; quam tenuiſſe Heſiodum refert idem Philoſophus *ibid.* & ſubſcribit Pherecides, narrante Theodoreto *lib. de materia.* Poſteriorum autem Philoſophorum neminem eam eſſe amplexatum affirmat, & probat eo in loco ipſemet Stagir. Quibus nos fauentes.

12. Aſſerimus, terram non eſſe materiam primam. Ratio eſt, quia terra eſt valdè denſa, & ſicca, aliaſque induit qualitates, quæ, ad facilè figuras, formaſque recipiendas, ipſam idoneam non reddunt. Præterea terra eſt compoſita ex materia, & forma, vt de cæteris elementis *infrà* oſtendetur. Non ergò terra cenſenda eſt materia prima.

13. Opp 1. *Gen. 1.* vbi vulgata legit, *Terra autem erat inanis, & vacua.* S. Aug. *1. de Gen. ad lit. c. 1. 2. 14.* & 15. Necnon *l. 2. eiuſdem operis c. 13.* vertit, *Terra erat inuiſibilis, & incompoſita.* Atque per terram *ibid.* ſacrum textum inſinuaſſe materiam primam affirmat idem Doct. Non incongruè ergò terra nominatur materia prima. Reſp. etſi diuinus Chroniſta, per terrã voluerit ſignificare populo rudi materiam primam, immò & aquam, propterea quod, notante Aug. *lib. 1. cit. cap. 15.* hæc duo elementa, ad aliquid faciendum, operantium manibus, tractabiliora ſunt cæteris: tamen reuerà, nec terra, nec aqua eſt materia prima, cùm ex materia, & forma componantur. Veluti etiam idem Moyſes, per cœlum, omnem creaturam ſpiritualem (tametſi cælum ſit compoſitum Phyſicum) & per terram, omnem creaturam corpoream indicauit, interprete eodem Aug. *lib. 1. cit. cap.* 1. Quod ſancit Concilium *Later. c. Firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica. Creauit Deus vtramque creaturam, cæleſtem, & mundanam.*

14. Opp. 2. omnia fiunt ex terra, & in ipſam terram reſoluuntur Gen. tertio: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es.* Rurſus, terra eſt in meditullio vniuerſi tanquam idoneum formarum omnium receptaculum. Deinde. ex ea gignuntur, nutriuntur, & fouentur viuentia. Ideò nunc *Veſta, nunc Ceres*, nunc verò *communis mater* nuncupatur. Reſp. quamuis homo, & reliqua animantia terreſtria in terram reſoluantur, eà tamen reſolutio non eſt vltima, ſed adhuc reſtat poſterior reſolutio in materiam primam, examinanda *lib. de generatione quæſt. 3. a. 2.* Terra autem ſituata eſt in medio mundi, propterea quod eſt centrum ipſius Mundi, vocaturque mater, non ob formarum receptionem, ſed propter alimenta, quæ præbet viuentibus terreis, veluti aqua dici poteſt mater piſcium, & aër auium.

DVBITATIO II.

Quid ſenſerit Thales Mileſius de materia prima.

15. THales Mileſius naturalis Philoſophiæ inuentor, & ſator, 1. *Met. cap. 3. cap. 7. T. 14. eiuſdem lib.* primum materiale principium rerum naturalium conſtituit aquam, referentibus Aug. 8. *ciuit. cap. 2.* & Viue *ibid. in com.* qui in hanc ſententiam citat Cicer. Euſebium, & alios. Eamdem ſignificant Orpheus, Muſeus, & cæteri veteres Poëtæ, & Theologi, Oceanum, & Thetin rerum omnium parentes nuncupantes: immò ſacer tex. *Gen.* 1. ipſam videtur indicare: *Spiritus domini ferebatur ſuper aquas:* vbi Aug. *1. de Gen. ad lit. cap. 18. in Syriaco idiomate*, ait legi, *fouebat.* Alij verò transferunt, *incubabat.* Idemque Doct. cit. *cap* 5. declarat hac ſimilitudine; *Sicut oua fouentur ab alitibus, vbi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodo adminiculatur, per quemdam dilectionis in ſuo genere affectum.* Inſinuatur quoquè Matt. 23. *ſicut Gallina congregat pullos ſuos:* ita Deus aquæ, tanquam primæ materiæ incubabat, vt ex ea omnes formas rerum quas voluit, educeret. Idque non diſplicet eidem Aug. *ibid.* nomine aquæ appellare totam materiam; cauſam huius reddit, quia ex humida natura videmus omnia in terra, per varias ſpecies formari, atque concreſcere. Hoc ipſum pariter idem ſanctus innuit, *in opere imperfecto de Gen. ad lit. cap.* 4. Et antè figurauit Aegyptus, idolo Serapidis, quod aquam repræſentabat. Ad Aegyptios, Thaletem diſcendi cauſa deſcendiſſe, ipſoſque ab Hebræis edoctos fuiſſe, retuli *lib. 1. quæſt. 1. a.* 1. Non improbabile ergò videtur, illud placitum de prima materia, ſub nomine aquæ mutuatum eſſe à ſacro codice.

16. Nec valet quod ſubiicit Fonſ. 1. *Met. cap. 7. quæſt. 2. ſect.* 2. per aquam in ſacris Litteris, non capi primam materiam, ſed vulgatum aquæ elementum, nec Aegyptij ſub ſimulachro Serapidis, materiam primam adumbrare, ſed aquam, quæ inter elementa numeratur, ob Nilum, eorum totam oram inundantem & irrigantem. Etenim D. Aug. præallegatum

præallegatum passum Geneseos, elarè interpretatur de materia prima, quam ipsemet vocat materiam informem, incompositam, & inuisibilem, de qua Mundus, qui duabus maximè partibus, cælo scilicet, & terra constat, digestis elementis, & accepta forma, conditus est. Ibique subiungit, materiam præcessisse formam, non tempore sed origine, siue natura. Itaque congrua est expositio sacri textus si nomine terræ, aut aquæ intelligatur materia prima. Hinc, *cap. 4. operis imperfecti* est. subinfert. *Quapropter, congruentius aqua nomine appellaretur materies, cum subdita operi artificis insinuaretur, propter mobilitatem & conuersionem in quaque nascentia corpora, quam nomine aeris, in quo sola mobilitas possit animaduerti.* Eò magis in sacris litteris, sub aliis, quam sub nominibus terræ, & aquæ, materia prima proculdubio creata est à Deo, non significatur. His tamen non obstantibus, sit.

17. Assertio, aqua non est materia prima. Tenent Arist. *vbi suprà* & Scot. *ibid.* Probatur 1. aqua præexigit, & præsupponit materiam, tanquam eius partem: est enim vnum ex quatuor vulgatis elementis, quæ sunt corpora simplicia, ex materia, & forma composita, ex infrà probandis. 2. aqua est transmutabilis, sicut reliqua elementa, quorum vnum transmutatur in aliud. Ex aëre quippe ignis, & ex aqua terra generatur; materia autem est ingenerabilis, & incorruptibilis, cum sit commune subiectum omnium transmutationum. Igitur, aqua non est materia prima.

18. Opp. 1. D. Aug. *1. de Gen. ad litt. c. 5. & 1. de Gen. contra Manich. c. 7.* non improbare, sed probare videtur placitum eorum, qui nomine aquæ, materiam informem intelligunt, igitur verisimilis est sententia Thaletis decernentis, aquam esse primum principium materiale rerum naturalium. Resp. Aug. quidem affirmare nomine aquæ significari posse in sacra pagina materiam primam, quoniam cum certum sit, materiam primam à Deo esse creatam, & expressè sacer textus non meminerit creationis eius: Idcò sanctus Doctor scribit, congruenter posse designari per aquam: licet reuerà non sit materia prima, sed elementum ex materia, & forma compactum.

19. Opp. 2. *ex 1. Met. c. 3.* aqua est humida: nutrimentum autem omnium humidum est, etiam calidum humido alitur, animalia humido viuunt, eoque consumpto intereunt: quin immò omnium semina sortiuntur naturam humidam, ergò cùm aqua sit humidorum principium, non ineptè asseritur, ipsam esse primum materiale principium. Resp. hæc, & consimilia motiua, quæ afferri possunt, ad inducendam aquam esse principium materiale rerum naturalium, tantùm suadere, ipsam esse necessariam omnibus mixtis alendis, esseque quoquo modo fomentum, & quasi pabulum eorum: potiùsque materiam secundam, quàm primam esse nominandam. Quò fortassis respiciens Ecclesia, *Feria 5. ad vesperas*, canit.

Magna Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aera.

DVBITATIO III.

An materia prima sit aër.

20. Anaximander scholæ quidem Thaletis successor, sed non eiusdem sententiæ defensor, statuit pro rerum principio materiali, elementum infinitum, non definiens, quodnam sit illud elementum. Eius autem auditor Anaximenes tertius in secta Ionica expressè affirmat esse aërem, referentibus Arist. *1. Phys. c. 6. T. 54.* & *1. Met. cap. 7.* Aug. *8. Ciuit. cap. 2.* Cic. *1. de natura Deorum*, & aliis à Viua *in Com. dicti Aug. alleg.* Per aërem autem *in lib. Geneseos* non designatur materia prima, quamuis idem Aug. *in opere imperfecto de Gen. ad lit. cap. 4.* narret quosdam nomine spiritus, elementum aëris intelligere. Sic aerem nominat Regius vates Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Cur autem aër non ita congrua materia perhibeatur, veluti terra, & aqua, rationem tangit Aug. proximè memoratus, quia aër, vel ignis potius virtutem agendi, quàm patiendi sortitur, quæ materiæ adaptatur.

21. Assertio, aër non est materia prima. Ità Scotus, cum Arist. *vbi suprà*, suadetur medio communi, aër est vnum ex quatuor elementis, vt communiter docent Philosophi, & S. Aug. præcit. Elementa verò singula constare materia, & forma, liquet, quia sunt corpora naturalia, quæ ex præfatis, materia, & forma componuntur. Ergò prima materia non est aër. Iterùm, aër eminet aquæ, & terræ: quod autem est superius, actiuius est inferiore. Ob id ignis cum sit reliquis eminentior, maximè actiuus est: materia verò prima perhibetur ens infimum, & passiuum: ergò existimãdum non est, aërem esse materiam primam.

22. Opp. proprium materiæ est recipere omnes formas, ex communi Philosophorum assensu: aër autem faciliùs, quam aqua, externas, & peregrinas impressiones caloris, frigoris, odoris, & huiusmodi suscipit, ergò aër censeri debet materia prima. Conf. 1. aër est calidus, & humidus, in quo vtroque vita animalis consistit, & conseruatur. Conf. 2. aër ex dictis, vocatur spiritus, & in semine inexistunt spiritus, proptereà fortassè semen vocatur diuinum à Galeno. Eò magis, dæmones qui sunt spiritus, perhibentur aëreæ potestates, & animalia aërea, vt indicat Aug. *3. de Gen. ad lit. c. 10. & 8. Ciuit. 15.* Resp. maiorem valere de formis substantialibus, non verò de accidentalibus, cuiusmodi sunt illæ, quas aër recipit, quæve adducuntur ad minorem roborandam. Ad 1. conf. dico id solum probare, animalia potissimum terrestria indigere aëre, ad viuendum, & respirandum, quod libenter admitto. Ad 2. conf. dico aërem vocari spiritum, propter eius tenuitatem, & subtilitatem, quo fortè pacto dæmones perhibentur aërei, vel quia in aëre degunt, vt legitur apud Aug. *vbi. suprà.*

DVBITATIO IV.

An ignis sit materia Prima.

23. Arist. *1. Phys. c. 2. T. 6.* meminit eorum, qui censent ignem esse primum principium, eorum tamen nomina ibi reticet: Verùm *1. Met. c. 3.* explicitè subiicit, eos esse Hippasum Metapontinum, & Heraclitum Ephesinum: eorumdemque sententiam ibid. *c. 7. T. 13.* & rationem cæteris præcedentibus anteponit.

24. Assertio, ignis nequit esse materia prima. Tenent Arist. & Scot. *vbi suprà.* Præter commune medium suaderi potest sic, ignis est superior aëre, cæterisque sublunaribus, teste Aug. *2. de gen. ad lit. c. 3.* Materia verò prima est cunctis inferior; ideò dicitur quasi fæx, & quasi nihil. Denuò, ignis est maximè actiuus, materia verò est passiua: ignis nobilitate cæteris elementis præponitur: materia verò omnibus subiicitur. Iterùm, ignis medio calore congregat homogenea: materia verò indiscriminatim omnes formas recipit, propter vniuersalem appetitum, quem ad illas habet. Denique, cum siccitas, & caliditas igni adaptentur, & siccitate vrgente, & calore estuante, animata ferè pereant, incommodum videtur, censere ignem esse eorum principium constitutiuum, quorum est destructiuum.

25. Opp. ignis tenuissimus & subtilissimus est. Ideò in suam sphæram non patitur externas impressiones

siones ingredi;reliqua verò elementa sunt crassa, & impura: peruadit quoque, & penetrat omnia, sciditurque in minutissimas partes, notante Philosopho, *vbi suprà T.* 13. subnecto ignem esse fontem caloris: in calido autem potissimum vitam consistere, nemo est, qui non videat. Verisimile ergo videtur, ignem esse rerum physicarum primum principium. Resp. hanc instantiam solum ostendere, præstantiam, & excellentiam ignis præ aliis elementis: non autem probare, ipsum esse primam materiam, rerumque principium.

Dvbitatio V.

An materia prima sit quid medium inter elementa.

26. Qvidam materiam primam faciunt medium quid inter ignem, & aërem, quos memorat Arist. 1. *Phys. cap.* 4. *T.* 32. Alij verò, aliquid medium inter ignem, & aquam, teste eodem Philosopho, 1. *Met. cap.* 7. *T.* 14. Atque, vtrumque placitum refert ipsemet Stagir. 2. *de generatione cap.* 5. *T.* 32. Et probabilius cæteris antecedentibus 1. *Phys. c.* 6. *T.* 54. Cur autem Philosophorum nemo locauerit quidpiam interpositum inter aquam, & terram, causa fortassis est, quia terra est crassa, & densa, haudque idonea ad quascumque formas suscipiendas.

27. Assertio, nullum interiectum siue inter ignem & aërem, siue inter aërem & aquam, ponendum est principium primum rerum naturalium. Doct. Arist. & supponit Scot. *locis prælatis.* Probatur 1. materia prima est indeterminata, & indifferens ad quaslibet formas recipiendas, cùm sit commune subiectum, & vniuersale earum receptaculum: non ergo aptè astringitur ad esse medium interpositum inter ignem, & aërem, vel inter aërem & aquam, cum complecti, & amplecti debeat cunctas formas cuiuslibet rei naturalis. 2. tale medium inter prænominata excogitatū à præmemoratis Philosophis aut est compositum, aut non: si primum, ergò non est materia, quæ ferè ab omnibus præsupponitur esse pars compositi. Si secundum, non magis debet mediare inter illa elementa, quàm inter alia. Nedum enim ignea, aërea, & aquea participant materiam, verumetiam terrea, & cætera composita naturalia. Ampliùs, non explicatur quid sit illud medium intereeptum, nec probatur, nec ad ipsum astruendum, quidquam scitu dignum affertur. Dicere autem, illud esse infinitum, vt vult Anaximander, nihil iuuat, quandoquidem infinitum actu non dari, conuincit Arist. *multis in locis*, nuncupatim 3. *Phys. cap.* 5. *&* 1. *de gener. cap.* 3. *& lib.* 2. *cap.* 1. *& indè.*

28. Opp. materia rebus sensibilibus non addicitur, nec contrariarietatibus afficitur, cum sit fundamentum naturæ ab eis immune, & subiiciatur cunctis transmutationibus: ergò materia videtur esse illud intermedium inter prænarrata elementa, præostensum. Dato ant. nego consequentiam, propter rationes præadductas, in præposita ass. per ea quippè non designatur perfecta natura materiæ, nec traduntur reliqua, quæ spectant ad eius integritatem, eiusdemque perfectam notitiam.

Dvbitatio VI.

An omnia sint vnum principium materiale.

29. Qvi vnum principium innexerunt, Arist. 1. *Phys. cap.* 2. *&* 1. *Met. cap.* 3. bipartitos esse testatur. Quidam enim vt Melissus, & Parmenides innaturaliter loquentes, putant illud vnum principium esse immobile. Cùm enim natura sit principium motus, 2. *Phys. T.* 5. & huiusmodi vnum principium sit motus expers, meritò eos esse innaturales, arbitratur Stagir. vt potè negantes principia naturalia. Alij verò, quos retuli *in præcedentibus dub.* statuunt illud vnum principiū mobile, scilicet aquam aut aërem, aut ignem, aut aliquid interiectum, de quibus satis *suprà*. Hi autem naturaliter loquuntur, quoniam mobilitas est prima passio corporis naturalis. Nunc verò, libet prosequi breuiter eos, qui illud faciunt immobile, qui inter se non cohærent. Melissus quippè infinitum, Parmenides verò finitū esse putat. Ambo autē, asseuerant omnia esse vnum, quos acriter redarguit, & euidenter cōuincit Arist. præcit. metaphysicum agens, vt præ aliis obseruat Alex. *ibid.*

30. Assertio, omnia non sunt vnum principium. Ita. Arist. *vbi suprà*, & supponit Doct. *ibid.* Prob. 1. dicere omnia esse vnum principium, extat contradictio in adiecto; si enim est principiū, vtique est principiatum. Principium quippè, & principiatum sunt correlatiua, veluti causa, & causatum: sed principiū, & principiatum nequeūt esse vnum, & idem. Quod nāque est ab alio, necesse est distinguatur ab eo, quod ab alio non est, quoniam idem nequit esse à se, & ab alio dependens, & independens, origo, & originatum, faciens, & factum, causa, & causatum. Secundò ens diuiditur in infinitum, & finitum, illud nullo clauditur limite, istud termino coërcetur. Esse autem interminatum, & terminatum, indubiè vnum, & idē non sunt. Deindè, ens sciditur in substantiam, & accidens: substantia est ens per se subsistens, accidens verò est ens in alio hærens: esse autem ens per se subsistens, & esse in alio inhærens, planè non coïncidunt. Deinceps, ens finitum descendit ad decem genera suprema, quæ ab inuicem secerni, euidenter constat. Iterum, si omnia sunt vnum, consequenter omnia sunt eiusdē speciei, sicque plāta, arbor, equus, leo, & homo specie non differrent, quæ, & pleraque alia esse absurda, nemo est qui non videat. Ideò benè subiicit Arist. 1. *Phys. T.* 10. *&* 22. dato vno absurdo, plura sequuntur. Insuper, si omnia sunt vnum, aut vnitate continuitatis, & hoc non, quia cōtinuum est diuisibile in partes, quarum vna non est alia: vel vnitate indiuisibilitatis, nec istud cohærere potest, quia indiuisibile non est quantum, proindéque non foret infinitum vt dicebat Melissus. Quantitati autem finitas, aut infinitas competit. Nec etiam vnum definitione, alioqui idem esset simul album, & nigrum, bonum, & malum, contraria, & contradictoria simul essent vera, & falsa, quæ tanquàm absurda ostendit Arist. 4. *Met. T.* 19.

31. Opp. 1. ex parte Melissi, quidquid est, aut est genitum, aut ingenitum: sed non est genitum, ergò est ingenitum. Ma. patet. Quod enim est, vel est à se, vel ab alio, improductum, vel productum. Min. suadetur, quod est genitum, aut est genitum ex alio, aut ex nihilo: non ex alio, quia iam esset ens priusquā esset, quod repugnat: nec ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit. Si ergò est ingenitum, non habet principium: quod autem non habet principium, vtique nec finē: & quod principij, & finis est expers, est infinitū: quod verò est infinitum, secum aliud non compatitur, ergò est vnum ens, & quod infinitum est, omnem locum replet, ergò non datur locus, in quo moueatur, proindéque concludit Melissus, esse vnum tantum principium infinitum, & immobile. Respondet Arist. hoc argumentum peccare in forma, & in materia. Et quidē in forma, quia minor eius est negatiua, ex qua in 1. figura, nullam sequi conclusionem, obseruaui *in Epit. l.* 3. *q.* 1. *a.* 10. vel vt alij inquiunt, discursus procedit ab inferiore ad superius negatiue; veluti, si quis ita ratiocinetur, *non est homo, ergò non est animal*, quod reprehenditur 3. *Elench.* 4. In materia verò deficit, ar[gue]ndo à principio temporis, cum dicitur, *quod non [habet] principium, non habet finem*, ad principium magnitudinis, cum infertur continere omnia, & occupare omnem locum, quia est infinitum.

32. Opp. 2. ex parte Parmen. relati 1. *Phys. c.* 2. *&* 3.

necnon 1. *Met.c.5.ante Tex.1. Quidquid est, præter ens, est non ens : sed non ens est nihil, ergo quidquid est, præter ens, est nihil : sed ens, & vnum reciprocantur, ergò, quidquid est, præter vnum, est nihil*; atque ita vnum est tãtum ens, hocque immobile, quia non habet, à quo moueatur. Resp. hoc argumentum Parmenidis licet iudicio Arist. 1. *Phys.T.23.* non sit ita vanum, sicut illud Melissi; attamen captiosum, & sophisticum est, peccans sophismate æquiuocationis. Ens quippè, & vnum multis modis dicuntur, vt cum Arist. obseruat Tatar. 1. *Phys.q.2.sect.* 2. Si enim accipiantur transcendentaliter, instantia quidem vera est, sed non concludit intentum, quandoquidem propositum præmominati Parmenidis erat probare, esse vnum ens numero duntaxat actu existens, hocque immobile, vt cum cæteris interpretibus notat Tolet. *in tex. proximè cit.*

33. Dices, si veteres Philosophi veritate coacti decernunt principia esse contraria, teste Stagir. *Vbi suprà c.5.T.48.* quomodo præfati Authores astruunt vnum esse tantùm principium, cum vnum, & plura, hæcque contraria non cohæreant? Occurrendum est, eos existimare esse vnum principium, secundum veritatem, & rationem: esse verò plura principia, secundum sensum, & apparentiã, sic eorum nonnulli calidum, & frigidum, aliqui humidum, & siccum, quidam par, & impar, & alij rarum, & dẽsum locant. Hi namque existimant, omnia esse eiusdẽ naturæ, & speciei, discrimenque inter ea solùm esse accidentale. Vndè elementa in raritate, & densitate, aliisque accidentibus discriminant: mixta verò penès diuersas combinationes dictorum elementorum, eaque ab hisce veluti aqua tepida à calida, & frigida. Nec accidens nomen entis mereri, nec inter entia collocandum esse opinantur, vt notat Fons. 1. *Met.cap.7. quæst.2.sect.3.*

Dvbitatio VII.

An sint plura principia materialia.

34. POst accuratum examen, diligentemque indaginem præcedentium opinionum, reliqui Philosophi perspicientes earum incommoda, & absurda, eaque euadere peroptantes, suspicantur plura esse principia materialia, quorum nonnulli infinita, quidam verò finita esse putant, 1. *Phys. cap. 2.T.6.1.de generat. c.1 & 1.Met.c.4.* Priorum in præsenti dubitatione, posteriorum verò placitum in subsequenti discutiemus. Qui autem ponunt infinita principia, præ aliis citantur Leucippus, Democr. & Anaxag. aientes ea principia esse corpuscula, siue athomos insectiles, & indiuisibiles mathematicè, aut physicè, ex quarum compositione, & aggregatione, penès diuersam figuram, ordinem, & situm fieri generationes perennes, ex earumdem verò dissipatione, & disgregatione perpetuas corruptiones rerum accidere. Deinde, quidam eorum, vt Democr. subdunt, omnes athomos esse similares, ex quibus homogenea gignuntur: alij verò, vt Anaxag. dictas athomas censent esse dissimilares, ex quibus hetherogenea componuntur. Addunt alij, nedum ex his, vt sunt quid plenum, verumetiam, ex inani, siue vacuo naturalia corpora constitui. Itemque quod mirum est, ex his infinitos mundos conflati autumant, naturaliter omnia gigni, & corrumpi, cum tales athomi, per infinita spatia circulariter cientur, ac casu euolutæ in orbem, modò in hæc corpora adunantur, modò verò disgregantur, proindéque generationes, & corruptiones rerum naturalium contingunt. Vndè deducunt omnia casu effici, & vniuersum fortuitò regi, & gubernari, tandemque dissolui.

35. Assertio, principia materialia rerum naturalium non sunt infinita, siue similaria, siue dissimilaria censeantur. Tradit Arist. 1. *Phys. cap. 4.T.35.* nec dissentit Scot. *in com. Met. ad T.15.* Probatur 1. naturalia sunt scibilia; de his quippè est scientia phys. Principia autem rei scibilis sunt nota. Tunc enim arbitramur rem scire, cum principia eius nouimus, 1. *Phys. in initio.* Et totum perspectum nobis est, cum partes eius sunt nobis notæ. Infinitum autem est ignotum, vt rectè prosequitur Philosophus 1. *Met. cap.* 2. Non ergò dantur infinita rerum naturalium principia. 2. naturalia animata certo limite suæ magnitudinis, aut paruitatis præfiguntur, 2. *anima T.41.* Non ergò constant principiis infinitis. Si enim principia, & partes eorum forent infinitæ, ipsa quoque infinita essent. Euidenti autem experientia cernitur ea certis terminis suæ magnitudinis, aut paruitatis coërceri. Eò magis, quia infinitum actu non datur, nec dabile est, ex probandis *l. de quantitate, q. vult.* Præterea, à quouis composito naturali, si partes adimantur, minuitur, & tandem consumitur, inditium est manifestum, in eo non esse partes actu infinitas, nec principia pariter infinita. Deindè, non apparet, quomodo tales athomi indiuisibiles, sint subiecta receptiua formarum diuisibilium, & materialium. Nec ex his, & inani, ens reale positiuum, cuiusmodi est compositum naturale constare valeat. Denuò, non euitantur incommoda priorum Philosophorum. Datis quippè huiusmodi athomis, & principiis infinitis, adhuc naturalia accidentaliter ab inuicem differrent, figurâ, situ, aliisque accidentibus. Cum generationes nihil aliud sibi vellent, quàm alterationes, & congregationes rerum: corruptiones verò, secretiones, disgregationesque earumdem. Tandem, fatuum, & absurdum est, hanc firmissimam, & pulcherrimam Mundi molem, casu esse conditam, & fortuitò regi, & conseruari. Vnde, Democritus omnia ridens, præfata defendens, omnibus planè ridiculus effectus est. Atque iure insciriæ, & imprudentiæ nota inuritur tacitè 1. *Phys.T.39.* Et redarguitur 1. *de gener. c. 1.* Et postponitur Empedocli *loco nunc cit.T.40. & 1. Met.c.3.*

36. Anaxagoras præiactis duobus fundamentis, quorum primum est, *Ex nihilo nihil fit.* Secundum, *contraria fiunt ex contrariis*, sic suam probat sententiam, & verisimilem reddit. *Omne quod fit, ex non ente, aut ex ente fit*: at non ex non ente, quia ex 1. fundamento ab omnibus recepto, *Ex nihilo nihil fit.* Nec ex ente, aliqui iam ens præesset. Quod autem fit, ex ente fit, ex contrariò, vt calidum ex frigido, & humidum ex sicco, vt liquet ex fundamento secundo. Non fit autem ex contrario manente in genito, vt patet. Nam frigidum, ex quo calidum est productum, non persistit in calido, nec siccum in humido; ergò ex ente, quod inerat, seu latebat in contrario. Huiusmodi autem ens est congeries infinita athomorum, quæ vulgò dicitur chaos, in quo omnia misceri, confundi, & delitescere suspicabantur. Respond. hoc argumentum iam esse dilutum *quæst. 1. huius lib. art. 7.* ibi enim secundum Aristot. statutum est, ex non ente simpliciter, & per se, nihil quidem fieri, quo in sensu, intelligitur illud assertum, *Ex nihilo nihil fit.* Ex non ente verò per accidens, & ente in potentia, benè posse aliquid effici, sic ex priuatione, tanquam termino à quo, educitur forma de potentia materiæ, atque ex materia, & forma fit compositum.

Dubitatio VIII.

An quatuor elementa sint materia prima.

37. ARistoteles 1. *Phys. capite* 4. *Titul.* 40. approbat opinionem Empedoclis, plura principia, eaque finita decernentis: reprobat verò eiusdem placitum arbitrantis, ea principia esse quatuor vulgata elementa, adinuicem transmutabilia, vt licet intueri, 1. *Met.cap.*7. *T.* 15. aliisque locis.

38. Assertio, quatuor elementa non sunt materia prima rerum naturalium. Deducitur ex Scoto *in com.* 1. *Met. ad. T.* 15. Probatur 1. materia est ingenerabilis, & incorruptibilis cùm sit commune subiectum generationis, & corruptionis, vt explicat Doct. *in* 1. *Rep. d.* 5. *quæst.* 2. Elementa autem adinuicem sunt transmutabilia. Ex aqua enim fit aër, & ex aëre ignis, & sic de cæteris habentur perennes generationes, & perpetuæ corruptiones eorum 3. *Cæli & 2. gener.* Idque apertè indicant qualitates eorum continuè depugnantes, seque vicissim, ab eodem subiecto depellentes. Huiusmodi autem alterationes, generationes, & corruptiones petunt idem commune subiectum, quod est communis eorum materia. Non ergò quatuor præfata elementa valent esse materia prima. Secundò, principia sunt contraria, 1. *Phys. capite* 5. *T.* 48. contraria verò idem, communeque subiectum sortiri, in quo suam exerceant contrarietatem, liquet ex eorum definitione: præexigunt ergò, & præsupponunt commune subiectum, quod est materia, vt acutè subinfert Arist. num. cit. *cap.* 7. proindeque elementa nequeunt esse materia rerum naturalium. Tertiò arguit Philosophus in *Met. passu alleg.* Si Empedocles non admittit communem materiam elementis, proculdubio tollit alterationem, quæ est motus eiusdem subiecti, secundum qualitates contrarias, aut medias, 1. *de gener. cap.* 4. *T.* 24. dari autem alterationem, luce clarius est; & si auferatur alteratio, quæ naturaliter tendit ad corruptionem, corruptio quoque tolleretur, & consequenter generatio, quia corruptio vnius est generatio alterius 1. *de gener. cap.* 4. *T.* 17. Deinceps, si elementa essent materia naturalium, forent formaliter in mixto, veluti materia existit formaliter in eo, cuius est materia: atque materia esset diuersæ rationis, sicut elementa sunt distinctæ speciei. Amplius, darentur quatuor materiæ primæ, sicut habentur quatuor elementa, & materia existeret sine forma, cum ipsa elementa essent materia formæ expertia. Quæ, & consimilia valdè absona, & absurda esse videntur. Addo, *ex loco cit.* 1. *Phys. cap.* 4. *T.* 32. Empedocles conueniebat cum Anaxag. in statuendo confuso chao, seu sphæro, ex quo omnia fieri putabant, licet in aliquibus discriminarent, vt *suprà* innui, & explicuit. Tatar. *in exp. prænominati cap.* Potius igitur illud chaos, quam elementa, quæ ex eo oriuntur, est prima materia. Demum, *lib. de elementis* ostendam, elementa componi ex materia & forma: nequeunt igitur ipsa elementa esse materia prima.

Opp. 1. mixta essentialiter differunt, de quorum essentia extat materia, ex infrà probandis, ergò eorum materia debet essentialiter distingui, quorum distinctio penès quatuor elementa petitur, ac proindè, elementa sunt omnium naturalium propria materia. Concedo ant. nego consequentiam, quia differentia eorũ essentialis, ab eorumdem formis depromitur.

39. Opp. 2. mixta gignuntur ex elementis inter se pugnantibus, vt communis fert Philosophorum opinio, ergò elementa sunt materia cunctorum naturalium. Distinguo ant. dispositiuè, concedo: effectiuè principaliter, nego. Nisi dicatur, elementa esse materiam, non quidem primam, sed secundam.

Dubitatio IX.

An numeri sint materia prima.

40. TAntum potest, ac valet consuetudo in rebus contemplandis, aut faciendis, vt naturæ æquipollere videatur, iuxta illud vulgatum, *consuetudo est altera natura.* Hinc Pythagorici mathematicis disciplinis assueti, in hisque exerciti, vnitatem, siue numerum putabant esse primam materiam, teste Arist. 1. *Met. cap.* 5. *&* 7. *eiusdem operis Titul.* 19. *& indè.* Cum enim in magnitudine nihil prius sit vnitate, & numero, consequenter, omnia ex vnitatibus componi, cunctaque esse numeros, tanquam ex subiecta materia arbitrabantur, imitati fortassè quosdam, qui secretiores Theologi, & apud Hebræos Cabalistæ nuncupantur, vt videre est *in Harmonia Mundi Francisci Georgij.*

41. Ass. numeri nequeunt vllo modo esse materia rerum naturalium. Tenet Doct. cum Arist. *textibus præallegatis,* Probatur 1. substantia corporea non componitur ex accidente, secus compositum foret ens per accidens: vnitas autem, & numerus sunt accidentia in genere quantitatis reposita: materia verò redacta est ad prædicamentum substantiæ, tanquam pars compositi Physici: non ergò numeri constituuntur materia rerum physicarum. 2. Substantia est prior accidente, natura, tempore & definitione, 7. *Met. cap.* 1. *T.* 4. Numerus autem supponit res numerandas. Ex eo enim, quod res præexistunt, numerari possunt. Cum ergò numerus subsequatur res numerandas, earum materia haud esse quit. 3. numerus, nedum in naturalibus quæ sunt mobilia, verumetiam in cæteris, quæ sunt immobilia reperitur. Iterùm Mathematicæ non differrent à naturalibus, quod pugnat 2. *Phys. capite* 2. Insuper, principia sunt contraria, numeri verò nullam subeunt contrarietatem. Ampliùs, proprium materiæ est recipere quamlibet formam: numeri autem non sunt capaces recipiendi quaslibet formas. His ergò, & aliis, quæ adducit Arist. *cap.* 7. *loci præmemorati*, apertè deducitur, absurdam, & improbabilem esse Pythagoreorum sententiam prætecensitam.

42. Opp. Platonem multa accepisse à Pythagora, consignatum est: eumdemque Platonem benè sensisse de materia, patet ex iis, quæ scribit in persona Timæi. Quod etiam videtur fateri Arist. 1. *Phys. T.* 80. *cap.* 9: Ibique solum dictum Plat. reprehendit, propterea quod ipse Plato priuationem despexerit, nec eam ab hac distinxerit. Igitur Pythagoras, & Plato in re conueniunt cum Arist. licet in verbis differant, & dictam materiam sub vnitate, & numero sub magno, & paruo adumbrarint. Resp. etsi Pythagoras nonnullam notitiam de materia habuerit, eius tamen naturam plenè non videtur attigisse, cum non physicè, sed mathematicè eam tractauerit. Atque opinio de materia sic proposita *in principio huius art.* proculdubio falsa est. Plato verò, etsi ipsi multa eruditio deneganda non sit, nihilominus essentiam materiæ prorsus non videtur agnouisse, cùm eam à priuatione non secreuerit, vt ipsi obiicit Arist. *loco mox cit.* Et postmodum *in Timæo alleg.* eamdemmet materiam nominauerit hoc aliquid, quod rectè dictum non est. Nam, vt probè Arist. 2. *anima capite* 1. *&* 7. *Met. capite* 3. subiungit, hoc aliquid non est materia, sed compositum.

Dvbitatio. X.

Quid sit materia, secundum Aristotelem, & veritatem.

43. Devictis, & profligatis veteribus Philosophis, non benè de materia prima sentientibus, Aristoteles in medium profert suam sententiam duobus in locis, scilicet 1. *Phys. cap. 9. Titul.* 8 s. & 7. *Met. cap. 3. Tit.* 8. Et quidem primo loco definit materiam positiuè. *Materia est subiectum primum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid cum insit, & non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abit vltimum.* Secundo autem loco, negatiuè. *Materia non est quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur.* Sic pariter Deus cognoscitur positiuè, & negatiuè, vt ait Doct. 1. *dist. 3. quæst.* 1. Quod esse priuilegium entis perfectissimi, & imperfectissimi, præ aliis notat Seraphicus, 2. *dist.* 3. *quæst.* 2. *art.* 1. Quare Deus dicitur continere cumulum omnium bonorum, & perfectionum Exo. 33. *Veni, & ostendam tibi omne bonum.* Et D. Ansel. *in prosol. cap.* 2. subiicit, *Deus est, quo maius excogitari non potest.* Vtrumque etiam definiendi modum seruat Porph. *in Isag. c. de accidente.* Accidens est, *quod adest, & abest, sine subiecti corruptione.* Deindè, *Accidens est, quod non est genus, nec species, nec differentia, nec proprium.* Consonat Aug. qui 12. *conf. c.* tertio confitens, materiam esse quid reale positiuum infimum, eam tamen per negationes exprimit, his verbis. *Nonne tu Domine docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omninò nihil: Erat quadam informitas, sine vlla specie.* Et *ibid. cap.* 5. de eamet materia subiicit. *Conetur humana cogitatio, eam vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo.*

44. Ass. materia probè describitur. *Subiectum primum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit, & non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abit vltimum.* Explicatur quoad omnes particulas, antequàm probetur. Ponitur *subiectum* propter formam, quæ est in subiecto, veluti pars in sua comparte, & perficiens, in suo perfectibili. Additur, *primum* vt differat à materia secunda, de qua *in 1. art. huius q.* Locatur, *vniuscuiusque*, idest formæ substantialis. Subditur, *ex quo fit aliquid*, supple, compositum. Apponitur, *cum insit* ad excludendam priuationem quæ recedit adueniente forma, interprete Scoto 1. *dist. 2. quæst. 7. §. Ad 5. arg. principale. sub* S. Et 2. *d.* 12. *quæst.* 5. *ante §. Hic dicit.* Adiicitur *non secundum accidens*, tum quia materia est principium per se, tum etiam quia ex ipsa materia, & forma fit vnum per se Denique, subiungitur, *& si corrumpitur aliquid, in hoc abit vltimum*, propterea quod materia est commune subiectum generationis, & corruptionis. Ex materia quippè generantur & in eamnet resoluuntur tandem omnia naturalia. Proindèque ingenerabilis, & incorruptibilis perhibetur. Sic explicata assertio suadetur primò, ea definitio apta est, quæ declarat naturā rei definitæ, ex dictis *in Epit. l. 1. quæst. 7. art.* 2. præallata autem materiæ definitio est huiusmodi, vt liquidò constat ex singularum eius vocum explicatione præposita. Secundò, illa definitio censetur idonea de iis, quæ non sunt naturæ completæ specificæ, sed partes speciei, & incompletæ, quæ constant ex quasi genere, & differentia: definitio autem materiæ præaddncta est huiusmodi. Materia quippè est pars compositi physici. Ideò, subiectum se habet instar generis, & reliquæ particulæ locum tenent differentiæ. Talis ergo definitio est legitima.

45. Opp. 1. definitio secundum Scot. 4. *d.* 1. *q.* 2. est entis realis positiui, per se, compositi, & vniuersalis: materia autem non est ens reale positiuum, & compositum, 7. *Met. cap.* 3. *Materia non est quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur.* Non ergò definitio materiæ rectè adaptatur. Resp. maiorem esse glossandam de definitione anguste capta, omnibusque numeris absoluta, quæ reuerà materiæ, cum sit pars compositi, competere nequit. Admissa tamen ma. dici potest cum Scot. *pracit.* §. *Ad arg.* 1. *H.* Aristotelem loqui in persona antiquorum Philosophorum, vt patet ex processu tex. subdit enim *ibi* hæc verba. *Sic quidem intendentibus accidit, materiam subiectum esse: sed impossibile.* Mos autem Aristot. asserentis aliquid, non est subiicere *sed impossibile.* Vel dicito cum eodem Doct. *ibid.* Quod si Arist. loquatur in propria sententia, præfata instantia secum fert solutionem. Verba namque illa, quibus ens determinatur denotant naturam materiæ, quæ est esse indifferentem, & indeterminatam ad quamcumque formam recipiendam. Quod verum est, & nemo, quem viderim, ab hac explicatione dissentit. Et insinuat Aug. *cit. c.* 3. Non tamen omnino nihil, sed quædam informitas sine vlla specie.

46. Opp. 2. absolutum non definitur per relatiuum, secùs non foret absolutum, sed relatiuum, vt patet ex vtriusque descriptione allata *in Epit. lib. 1. quæst. 1 art.* 6. Materia autem definitur per ordinem, & relationem ad formam. Est enim commune subiectum omnium formarum. Ergò, præaddncta materiæ definitio non est idonea. Distinguo maiorem; de absoluto totali, & perfecto, concedo: de absoluto verò partiali, & imperfecto, nego. Vt patet de anima; quæ 2. *anima Tit.* 6. definitur per ordinem, & habitudinem ad corpus organicum. Est enim anima *actus primus corporis organici.* Pars autem, vt pars respicit suam compartem, vnaque alteri relatiuè opponitur notante Fuent. 5. *Phys. q.* 1. *dif.* 1. *art.* 3. *n.* 10. *post Arist.* 2. *Phys.* 26.

Articvlvs III.

An materia sit substantia.

47. Pars affirmatiua sic certa esse videtur, vt Priores Philosophi relati ab Arist. 1. *Met. cap.* 3. totam substantiam compositi substantialis, solam esse materiam censuerint, reliqua verò accidentia; proindéque composita substantialia accidentaliter differre duntaxat, potà elementa in raritate, aut densitate, & cætera alio modo præindicato *suprà*, & 1. *Phys. cap.* 5. & 6. Posteriores autem Philosophi, etsi materiam inter substantias collocent, eam tamen substantiam partialem, & incompletam esse opinantur, ex qua vnà cum forma conflatur compositum, quod est substantia totalis, completa, & perfecta. Hinc distribuitur substantia in totalem, quæ est compositum, & partialem, quæ subsecatur in materiam, & formam, illa est perfectibilis, indifferens, & indeterminata ad omnes formas recipiendas. Hæc verò est perficiens, determinans, & actuans materiam. Ideoque ex vtraque, tanquam perfectibili, & perficiente, actuabili, & actuante, siue, vt vulgò dicitur, ex potentia, & actu fit vnum per se, quod est totum substantiale, vt clarè edisserit Arist. 2. *anima T.* 7. & 8. *Met. c.* 6. *T.* 15.

48. Ass. 1. materia est substantia. Ita Scot. 2. *d.* 12. *q.* 1. Probatur 1. ex Arist. 2. *anima, T.* 2. & 7. *Met. c.* 3. *T.* 7. diuidente substantiam in materiam, formam, & compositum. 2. Substantia sciinditur in simplicem,

&

& compoſitam : ſubſtantia autem compoſita, vt diſtinguitur à ſimplici, non componitur niſi ea materia, & forma, quia ſubſtantia, ea ſubſtantiis conficitur, 1. *Phyſ. cap. 6. T. 5 1.* Alioqui tolleretur omnis compoſitio ſubſtantialis, quæ præexigit partes ſubſtantiales, quarum vna eſt materia, & altera forma. Auferretur quoque corruptio ſubſtantialis, quæ quamdam partem ſubſtantialem ſuperſtitem relinquit, ſecùs non corruptio, ſed annihilatio fieret. Pars autem ſubſtantialis, quæ poſt corruptionem compoſiti manet, eſt materia. Igitur materia eſt ſubſtantia.

49. Aſſ. 2. Materia eſt ſubſtantia partialis, & incompleta. Defendit Doct. *vbi ſuprà*, §. *Dice igitur* & §. *ſequitur.* Suadetur primò ea Ariſt. 2. *Phyſ. T. 18.* & 5. *Met. T. 8.* materia eſt cauſa intrinſeca compoſiti. Et 7. *Met. T. 7 cap. 3.* materia eſt pars compoſiti ſubſtantialis. Igitur, per Ariſt. materia eſt ſubſtãtia partialis, & incompleta. Secundò partes totius ſunt imperfectæ, quia ordinantur ad illud complendum, & perficiendum. Materia autem eſt pars compoſiti, quia ex hac, & forma componitur totum, 7. *Met. T. 7.* & 9. Igitur materia eſt ſubſtantia partialis. Tertiò compoſitum eſt per ſe vnum, conſtans ea perfectibili, & perficiente, recipiente, & recepto, determinabili, & determinante, 8. *Met. T. 15.* & 16. Et in hoc differt ab eis, quæ ſunt vnum per aggregationem, aut per ordinem. Sequitur ergò, materiam eſſe partialem, & imperfectam ſubſtantiam.

50. Opp. 1. contra 1. aſſ. receptiuum alicuius generis, nihil eſt illius generis, cuius eſt receptiuum, vt patet in ſingulis generibus accidentis. Suſceptiuum quippè coloris, non eſt in genere coloris. Nam color eſt in categoria qualitatis, eius verò ſubiectum immediatum eſt ſuperficies, quæ eſt de prædicamento quantitatis, ergò ſubiectum receptiuum formæ ſubſtantialis, quod eſt materia, non reſidet in genere ſubſtantiæ; atqueadeo, materia non eſt ſubſtantia. Reſp. maioré non eſſe vniuerſaliter, & perenniter veram. Quodlibet namque genus habet proprium potentiale, & actuale, itavt v. g. albedo, licèt ſit forma ſimplex, componitur tamen ex principiis intrinſecis, 12. *Met.* 2. quo pacto ſuſceptiuum alicuius generis eſt in eodem genere, reductiuè, veluti quantitas interminata ſortitur proprium potentiale in genere quantitatis. Cur autem ſuſceptiuum coloris non extet in eodem genere, ſed in priore genere, quod eſt quantitas, ratio redditur, quia color participat potentiale, quod ſecundum totum genus eſt prius toto genere coloris. Verùm quoniam ſubſtantia eſt primum genus, conſequenter eius ſuſceptiuum, quod eſt materia, eſt eiuſdem generis reductiuè.

51. Opp. 2. Materia dicitur propè nihil, authore Aug. 12. *Conf. c. 32.* adeò vt non detur aliquid, nihilo proximius, quàm materia; ſubſtantia autem eſt ens per ſe ſubſiſtens, vt patet ex dictis in Log. *lib.* 3. *q. 4. a. 1.* Non ergò materia inter ſubſtantias eſt collocanda. Reſp. materiam vocari propè nihil, non quia non ſit ens verum, reale, poſitiuum ſubſtantiale: verùm quoniam inter ſubſtantias tenet infimum locum, eſtque perfectibilis, carens omni forma, perfectione, & pulchritudine, vt clarè monſtrat idem Aug. *tit. c. 3.*

Articvlvs IV.

An materia ſit creata.

52. QVidam, inter quos numeratur Ariſt. teſte Vort. 2. *d.* 1. & alij relati à Suarez *diſp.* 13. *Met. ſect.* 4. *num.* 15. putant materiam eſſe ingenitam, & increatam, quam chaos nominant, ea quo omnia facta eſſe ſuſpicantur. Communis autem ſententia eſt Scot. 2. *d.* 12. *quæſt.* 1. & cæterorum ſcholaſticorum *ibid.* docentium, materiam eſſe creatam.

53. Præſupponendum eſt ex dicendis, *l. de mundo, & Tract. de creatione diſp. 1. q. 1°.* creationem propriè ſumptam eſſe productioné rei & ex nihilo, hoc eſt, nullo præſuppoſito ſubiecto nullavé præexiſtente materia. Ideoque ſoli Deo, qui eſt à ſe, & independens, adaptatur: reliqua verò agentia, cum ſint dependentia, præexigunt ſubiectum, & præſupponunt materiam; vt valeant ſuas operationes exercere.

54. Aſſ. materia eſt à Deo creata. Probatur 1. ea Aug. *l. de natura boni*, contrà Manich. *c. 18.* & *l. 12. conf. cap. 7.* vbi Deum alloquens ait, *Tu eras, & aliud nihil. Vnde feciſti cælum, & terram, duo quadam, vnum prope te, & alterum propè nihil.* Hoc eſt, interprete Scot. 4. *d. 12. q. 6. §. Quarta opinio* B. Materia, quæ dicitur propriè nihil, non quidem abſolutè, quia eſt ſubſtantia, ſed reſpectiuè, ſi comparetur cum anima & corpore, & quia caret omni ſpecie nihil dicitur teſte eodem Aug. *l. 83. qq. q. 54* Atque *eodem lib. Conf. c. 8.* ipſemet Sanctus ſubiecit. *Tu enim Domine feciſti mundum de materia informi, quam feciſti de nulla re.* Idem repetit *l. de vera religione c. 18. ſi de aliqua informi materia factus eſt mundus, hæc ipſa facta eſt omninò ex nihilo.* 2. quòd propriè fit, aut fit per creationem, aut per generationem: ſed materia effici nequit per generationem; ergò fit per creationem. Ma. patet, quia non inuenitur alius producendi modus, præter illos duos recenſitos. Aut enim res producitur abſque præiacto ſubiecto, & fit per creationem, aut ea ſubiecto præſuppoſito, & fit per generationem. Min. ſuadetur, materia eſt ſubiectum generationis, ſiue fundamentum præſuppoſitum generationi, vt ait Doct. præcit. Eſt namque generatio mutatio, quæ ſemper præexigit ſubiectum. Ampliùs nullam inuolui repugnantiam ex parte materiæ, quin fuerit à Deo creata, oſtendit Ferch. *veſt.* t. r. 8. probatque multis, hanc eſſe Ariſt. ſententiam, quod à me alibi eſt expendendum.

55. Opp. *Ex nihilo nihil fit*, ſecundum commune Phyſicorum decretum 12. *Met. c. 5.* creatio autem ex dictis ſuprà, eſt factio ex nihilo; ergò materia non eſt creata. Diſtinguo maiorem &, interpretor illud proloquium virtute agentis naturalis, quæ in agendo dependet à ſubiecto, concedo: virtute agentis ſupernaturalis, quod eſt independens, & poteſt agere abſque præſuppoſito ſubiectu, nego. Idque confirmat Aug. 1. *de Gen. ad lit. c. 15.* *Non eſt dubitandum, ita eſſe iſtam informem materiam prope nihil, vt non ſit facta, niſi à Deo, & de rebus, quæ de illa facta ſunt, ſimul concreta ſit.*

Articvlvs V.

An materia habeat actum entitatiuum.

56. DEcertant ſtrenuè duæ nobiliſſimæ ſcholæ, de difficultate propoſita, vna S. Th. 1. *p. q. 66. art. 1.* eiuſque diſcipulorum Capr. Fer. Caiet. Complut. *in præſenti diſput. 3. quæſtione* 2. §. 2. Bacc. 2. *diſt.* 12. *artic.* 2. Zab. *lib.* 2. *de materia, capite* 2. & Run. *Tractatu* 1. *de materia, quæſtione* 2. affirmantium, materiam ita eſſe puram potentiam, vt nullum includat actum entitatiuum. Altera Scoti 7. *Met.*

quæst. 5. & 2. *d.* 12. *quæst.* 1. & 4. *d.* 11. *quæst.* 3. Antonij Andreæ, Mayr. *ibid.* Parif. 1. *Phyf. fol.* 25. *quæst.* 2. Hurt. *disp.* 2. *Phyf. sect.* 2. §. 24. Arr. *ibid. sect.* 5. *subsect.* 1. Suarez *disp.* 13. *Met. sect.* 4. & 5. Fab. *Theor.* 22. & aliorum Scotist. & Nom. docentium, materiam non esse puram potentiam, sed habere actum entitatiuum.

Not. 1. ex Scot. 7. *Met. quæst.* 5. §. *Responsio.* & 9. *eiusdem q.* 2. & 2. *d.* 12. *q.* 1 §. *Est igitur videndum.* B. Baco. *ibid d.* 1. *q.* 5 post Arist. 7. *Met. T.* 56. & 8 *eiusdem T.* 15. Necnon *q. ipsiusmet operis. T.* 13. & Augustinus 12. *Confessionum* 32. potentiam scindi in obiectiuam, & subiectiuam. Potentia obiectiua est, quæ respicit producibile, & factibile; à potentia effectiua, veluti rosa modò non existens, est in potentia obiectiua, vt causetur à sua causa, tanquam eius obiectum, & terminus. Atque huiusmodi potentia radicatur non in potentia passiua materiæ, sed in potentia actiua agentis. Potentia verò subiectiua est; qua aliquid est capax recipiendi formam, sic paries participat potentiam subiectiuam recipiendi albedinem, & corpus organicum animam. Subdit autem Scotus citatus in 2. fortassè non esse absolutè geminatam potentiam, sed vnam, eamdem, respectiue diuersam duntaxat, vt enim respicit subiectum existens, dicitur potentia subiectiua: vt verò respicit agens, nuncupatur obiectiua: tametsi abinuicem seiungi queant. Nam creabile est quidem in potentia obiectiua; non autem in potentia subiectiua, cum creatio nullum præsupponat subiectum. Quod verò est in potentia obiectiua non est aliquid reale actu existens, cùm sit producibile, & factibile ab agente, sed est purum nihil actu: at quod est in potentia subiectiua, est aliquid reale actu existens causatum ab efficiente. Non enim paries in se susciperet albedinem, nisi actu existeret, cum subiectum præexigatur, & præsupponatur ad ea, quæ in ipso recipiuntur. Hinc benè ait Doct. *Quol.* 10. §. *De secundò ante G.* Et 3. *d.* 13. *quæst.* 4. *L.* materiam esse priorem formâ, quia est subiectum & fundamentum eius, in quo fundatur, & originatur.

58. Not. 2. potentiæ opponi, actum, ex Arist. 9. *Met. ad T.* 10. & Scot. 2. *d.* 2. *quæst.* 10. §. *Ad* 1. *H.* propterea, geminæ potentiæ prærecensitæ opponitur duplex actus, entitatiuus scilicet, & formalis. Entitatiuus est, quo res habet esse existens extrà suas causas; ab ente quippè deriuatur, proindeque id dicitur habere actum entitatiuum, quod habet esse causatum ab efficiente, actuque existit. Actus verò formalis est, quod vnum constituitur in esse specifico, distinguiturque à quouis alio, quod non est ipsum: forma enim dicitur, quæ tribuit esse rei specificum, & essentiale: quò fit vt vulgò esse actu tribuatur formæ, eique approprietur, quia rem determinat, specificat, & distinguit. Materia verò, quia eam recipit, estque in potentia ad eam recipiendam, & ab eamet determinatur: ob id dicitur, & definitur potentia 2. *Physica T.* 12. Et 5. *eiusdem operis T.* 8. Necnon 8. *Met. T.* 3. Idque innuit Doct. *lib. de* 1. *principio capite* 2. *conclus.* 6.

59. Not. 3. sicut potentia subiectiua duo præsefert. nempè aptitudinem in subiecto, & carentiam formæ recipiendæ (id enim perhibetur esse in potentia, quod est idoneum ad recipiendam formam quâ caret,) ita potentialitas duo designare valet, potà aptitudinem recipiendi formam, quæ est quædam realis, & actualis entitas, quidquid dicat Bac. 2. *d.* 12. Atque negationem formæ, & actus, quo pacto potentialitas non est realis, & actualis entitas, immò ab ipsa actualitate distinguitur, sicut priuatiuum à positiuo. Hinc facile diluitur dilemma Bac. aientis, vel potentialitas materiæ est actualitas, vel realiter ab actualitate dissidet: cui satisfit respondendo, potentialitatem esse radicaliter, & realiter entitatem actualem reipsa ab actualitate formæ dissitam: quoniam sicut habet proprium esse, sic sortitur propriam entitatem. Nec ob id rectè infertur, materiam esse compositam ex actualitate, & potentialitate; quandoquidem potentialitas consequitur ex materia, velut passio ex subiecto, à quo emanat; aut sicut relatio ex fundamento, vt indicat Doct. 1. *d.* 7. *quæst. vn.* §. *Ad quæstionem sub. L.*

60. Ass. materia non est pura potentia, sed habet actum entitatiuum. Tenet Scot. *locis cit. in initio huius articuli*, & suadet ex Arist. 1. *Physici, Titul.* 52. *Materia est per se principium rerum naturalium.* 2. *Physica Titul.* 7. *Materia est natura.* 5. *Metaphysica Titul.* 2. *Materia est per se causa* 7. *Metaphysica T.* 28. *Materia est pars substantiæ compositæ.* 1. *Physic. Titul.* 82. *Materia est subiectum formarum.* Et 1. *Metaphysica, Titul.* 17. *Materia est fundamentum naturæ.* Hæc autem, & consimilia munera nequit exercere materia, nisi sit entitas realis actualis. Principium quippè non principiat, nec causa causat, nec natura naturat, nec pars componit, nec subiectum recipit formam, nec fundamentum fundat, quæ in eo sunt, nisi sit actu ens reale. Igitur, in schola Arist. & veritatis, materia actu potitur entitatiuo. Idem insinuat Augustinus *lib. de natura boni, contra Manich. capite* 18. Et *libro* 1. *contrà Aduers. legis, & Proph. capite* 8. Et 12. *confessionum capite* 7. Hoc ipsum veritate pulsus videtur fateri Th. *quæst.* 3. *de veritate articulo* 5. *ad* 1. inquiens materiæ esse, habere imitationem primi entis, quod aliud non sibi vult, quàm esse actu; quod conuenit Deo, qui solus dicitur actualissimus, ipsum ergò Deum imitatur materia, non in esse potentiali, quod longè est ab illo, sed inest actuali, quod ipsi indepedenter competit. Nec valet, quod subiiciunt Complut. *disp.* 3. *quæst.* 2. §. 3. Th. instantiæ occurrere, aientem, materiam habere esse debile, & infimum. Nam, licet esse materiæ sit esse debile, & imbecille, actualitatem tamen participat, in qua Deum imitatur, & assimilatur vt intendit dictus Doctor.

Respondent Thomis. cunctis præfatis locis & testimoniis, & aiunt, materiam omnibus officiis prænarratis fungi, vt est potentia, non verò vt est actus, quo caret. Cùm enim materia essentialiter sit potentia, & ens partiatur in potentiam, & actum, consequenter materia non sub ente actuali, sed sub ente potentiali comprehenditur.

Contrà, materia, aut est potentia obiectiua, aut subiectiua. cum inter vtramque medium non intercipiatur, sicut inter ens, & nihil. Non primum, quia materia non est nihil, sed extat terminus potentiæ obiectiuæ, cuius esse per huiusmodi potentiam expletur, & terminatur: si secundum, ergò materia gaudet actu entitatiuo & Thomist. nuncupatim Complut. *in fine* §. *cit.* nolentes incidunt in sententiam Scot. asserentis, materiam esse potentiam subiectiuam & receptiuam formarum. Præterea P. *Physica Titul.* 69. & 2. *eiusdem operis. Titul.* 86. Et 1. *de partibus capite* 3. Et 2. *de generatione Titul.* 57. sicut se habet materia artificialis ad formas artificiales, ita se habet materia naturalis, ad formas naturales. Ea autem potentia, quâ pollet materia artificialis recipiendi formas artificiales non adimit esse eius actuale, ergò nec à materia naturali tollitur eius esse actuale, tametsi præseferat ordinem, & respectum ad formas naturales recipiendas. Rursus, materia actu est in rerum natura, cum sit à Deo condita, & perpetuò perseueret, ergò sortitur actum qui perhibetur actus entitatiuus, vt non obscurè indicat Arist. 7. *Met. T.* 59.

Secundò probatur aſſ. quod actu terminat dependentiam actualem alicuius entis actualis, eſt ens actu exiſtens. Non enim valet terminare actualem dependentiam eius, niſi actu exiſtat, quia terminatio præſupponit exiſtentiam eius, quod terminat, ſicut relatiu ſupponit id, quod ad aliud refertur. Materia autem terminat actualem dependentiam formæ, cum ex ea educatur, & in ea ſubjectetur. Quod fieri nequit, niſi ipſamet materia actu exiſtat: igitur materia habet actum entitatiuum.

Tertiò quod inexiſtit actu composito, debet actu exiſtere, quia prius eſt exiſtere, quam inexiſtere, ſicut prius eſt eſſe, quàm ineſſe. Materia autem compoſito inexiſtit, quia eſt pars eius eſſentialis, ex qua vnà cum forma ipſum compoſitum coaleſcit actu; igitur materia eſt actualis entitas, proindeque fruitur actu entitatiuo.

Reſpondet Ruuius *Tract.* 1. *qu.* 2. entitatem realem diuidi ab Ariſt. *9. Met. T.* 1. *& 6. eiuſdem T.* 4. in actum, & potentiam; ideoque non valere conſequentiam à diuiſo, ad vnum membrũ diuiſionis ſumptum per ſe. Sicut, non ſequitur, eſt animal, ergò eſt rationale. Contra, nam vt ait Doct. *in exp. Tex.* Illa diuiſio entis in actum, & potentiam, eſt diuiſio diſtrahens, veluti hæc, *homo alius verus, alius pictus*. Homo autem pictus verè non eſt homo: ſic ens in potentia ſimpliciter non eſt ens. Verùm materia propriè eſt ens, cùm ſit ſubſtantia, & pars eſſentialis compoſiti. Ideò, non continetur ſub illo membro entis in potentia, ſed ſub altero, putà entis actu. Rurſus ipſe Ruuius *cit. quæſt.* 3. aſtruit cum Scot. materiam habere propriam exiſtentiam independentem ab exiſtentia formæ, & compoſiti, ergò participat propriam entitatem, quia exiſtentia ſequitur eſſentiam, & entitatem. Nihil quippè exiſtit, quin habeat eſſe. Ampliùs, dictus Ruuius ad probandum materiam poſſidere propriam exiſtentiam, inquit id deduci ex principiis Ariſt. qui tria docet de materia. Vnum, quod ſit entitas realis, & actualis extrà ſuas cauſas, diſtincta à quacumque forma, & compoſito. Alterum quod ſit primum ſubjectum cuiuſuis generationis.

Tertium quod destructis omnibus formis, & compoſitis, eadem perſeuerat, proindéque ſit ingenerabilis & incorruptibilis. Hæc autem omnia dici nequeunt de pura potentia, quia competunt rei actuali, & exiſtenti: igitur Ruuius non ſibi cohæret. Nec præſtat dicere cum præfato Authore *cit. quæſt.* 3. *in reſp.* 2. materiam eſſe puram potentiam penes eſſentiam, non verò penès exiſtentiam: ſiquidem eſſentia, & exiſtentia ſunt vna, & eadem res participans diſtinctas formalitates, quas Ruuius alijque Thomiſ. haud concedunt. Si ergò materia ſecundum exiſtentiam eſt actus entitatiuus, vtique & ſecundum eſſentiam. Eò magis, quia ab inuicem ſeiungi nequeunt, cum formaliter inter ſe diſtinguantur duntaxat. Tandem, materia ſublunarium, in ſchola d. Th. ſpecie diſſidet, à materia cæleſtium: huiuſmodi autem differentia eſt penès eſſentiam, & actum. Differentia quippè actuat, & determinat rem, cuius eſt differentia, ergò quoque penès eſſentiam materia fruitur actu entitatiuo. Nec iuuat dicere cum Complut. *cit. quæſt.* 3. §. 2. tantum adeſſe differentiam negatiuam. Etenim, differentia conſtitutiua vnius poſitiui eſt principium reale conſtitutiuum eius, vt rationalitas hominis, & irrationalitas bruti: ſtabiliendum igitur eſt, abſolutè materiam actu entitatiuo pellere.

64. Opp. 1. quod ingreditur alicuius definitionem in recto eſt eius eſſentia, vel de eius eſſentia: potentia autem in recto locatur in definitione materiæ: ergò materia eſt pura potentia. Ma. patet, definitio enim eſſentiam rei denotat, & explicat. Min. fulcitur teſtimoniis Ariſt. præſertim 8. *Met. cap.* 2. *T.* 5. *Materia eſt potentia.* Et 12. *eiuſdem Met. cap.* 4. *T.* 22. *Materia primò, & per ſe eſt potentia.* Eſtque in ore omnium illud proloquium, *ex actu, & potentia fit compoſitum.* Hinc 7. *Met. T.* 8. idem Philoſophus addit, *Materia non eſt quid, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur.* Fauet Scot. 2. *poſt. quæſt.* 25. §. *Aliter dicitur.* Vbi habet hæc verba, *Materia ex ſe eſt in potentia paſſiua nullum actum in ſua eſſentia includens.* Idem ſcribit *quæſt.* 15. *Elench.* §. *Ad quæſtionem dicendum.* Concedo ma. Diſtinguo min. materia eſt potentia objectiua, negò: ſubjectiua concedo. Ad ſubſumptum *ex 7. Met.* iam dilutum, & explanatum eſt *ſupra artic.* 2. *dub.* 1. *in reſponſ.* 1. *opp.* videlicet, materiam eſſe ens indifferens, & indeterminatum ad formas recipiendas. Ad Scot. dico, vel eius loca alleg. pati præadductam diſtinctionem de potentia: vel ibi loqui in aliorum ſententia, vt in ſimili notat Angelicus, & poſt ipſum Barg. *q.* 3. *prol.*

65. Opp. 2. actus actuat, & diſtinguit, & quia forma eſt actus, ideò dicitur dare eſſe rei, ipſamque diſtinguere à quauis alia re: materia autem nec actuat, nec diſtinguit, cum ſit fundamentum naturæ, in quo nihil eſt diſtinctum, 1. *Met. T.* 11. Ergò materia nec eſt actus, nec habens actum. Diſtinguo ma. actus formalis, concedo: actus entitatiuus cuiuſmodi eſt materia, nego: Ad min. dico materiam habere actum diſtinguentem metaphyſicè, non verò phyſicè, vt patet de anima rationali, vt Angelis, qui materiæ, & formæ expertes, ſortiuntur abinuicem diſtinctionem metaphyſicam, cum quidam ſpecie differant, alij verò numero, vt latè oſtendi *Tract. de Angelis diſp.* 1.

66. Opp. 3. ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe, 7. *Met. T.* 29. Forma quippè adueniens enti in actu eſt accidentalis: at ſi materia foret actus entitatiuus ex ipſa, & forma tanquam ex duobus actibus fieret vnum per accidens. Quod pugnat *loco citato T.* 59. vbi habetur ex potentia, & actu fit vnum per ſe, id eſt, ex materia, & forma coaleſcit compoſitum. Igitur materia omni actu, etiam entitatiuo ſpoliatur. Reſpondeo cum Scot. 3. *diſt.* 22. *quæſt. vnic.* §. *contra iſta. H.* diſtinguendo maiorem; in actu completo, & perfecto, concedo: in actu incompleto, & partiali, nego. Siquidem ex actu entitatiuo partiali & incompleto, & actu formali quoque partiali, & incompleto conflatur compoſitum, quod eſt vnum per ſe.

67. Opp. 4. datur purus actus excludens omnem potentiam tam objectiuam, quàm ſubjectiuam, cuiuſmodi eſt Deus. Ergò & pura potentia, à qua longè eſt omnis actus entitatiuus, & formalis, veluti eſt materia. Concedo ant. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia etſi detur ſummum bonum, repugnat tamen ſummum malum, vt aduertit Doct. 2. *diſt.* 34. *quæſt.* 1. Quod enim eſt, participat aliquam entitatem, proindéque aliquam bonitatem, quia omne ens eſt bonum. Pariter non admittitur pura potentia nihil actualitatis habens, propterea quod omne ens increatum, & creatum habet eſſe actuale, & exiſtens, ſi fuerit à parte rei.

ARTICVLVS VI.

An materia habeat exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ.

68. ETſi ex dictis *artic. præcedente* liquidò conſtet, quid in præſenti dicendum ſit: nihilominùs,

minùs, vt distinctius, & exactius euiteat, & effulgeat veritas doctrinæ Scot. libet hunc artic. vigilanter vestigare, & diligenter examinare. Præsuppositis autem, quæ *in allegat. artic.* attuli, & explicui: solùm hic obseruo, celebriores, & veriores Thomist. conuenire cum Scotist. in hoc, quod per actum entitatiuum intelligunt existentiam, adeò vt idem sit perquirere, vtrum materia habeat actum entitatiuum, ac inuestigare, nùm materia gaudeat existentia ab existentia formæ dissita. Deinde suppono ex Met. essentiam, & existentiam realiter identificari, distingui verò formaliter negatiuè tanquam modum à te modificata.

69. Ass. materia participat existentiam distinctam ab existentia formæ. Ita Doct. eiusque discipuli, & Nomin. *n 2. passu præmemorato*, quibus suffragatur maior pars Recentiorum. Aduersus Thomist. Cajetan. *lib. de ente, & essentia capit.5. quæst.8.* Ferr. 1. *contrà Gentes capit.4.* Sonc. *capit.7. Met.quæst.17.* & Complut. 1. *Phys. disput.3. quæst.5.* §. 2. Probatur primò, materia est fundamentum naturæ 1. *Met.*17. & subjectum formarum, earumque pandochium 1. *Phys.*83. necnon pars, & causa compositi 5. *Met. T.*2. Hæc autem munera exercere nequit materia, nisi propria existentia existat, ergò materia habet distinctam existentiam ab existentia formæ. Ma. claret. Min. facilè probatur, subjectum, non potest recipere in se quidquam, nisi existat, nec causam causare effectum, & pars componere totum cum sua comparte, nisi existant; actiones quippè sunt singularium existentium, & subsistentium 1. *Metaphys.*1. vt non abnuunt Aduersarij.

Respondent Complut. nunc alleg. §. 4. *ad* 4. concessa maiore, negando min. satis enim est, vt materia iis fungatur officiis, dummodò habeat essentiam suam potentialem quæ realiter differt ab existentia. Tunc enim materia habet esse in via, siue in egredi, quod propriè non est existere, cum existentia sit vltimus terminus rei. In illo autem priori materia fertur ad formam, & compositum, proptereà nullam habet existentiam, nisi à forma mutuatam.

Contra, causa actu causans actu est, quod autem actu est, actu existit. Existere quippè, & actu esse coïncidunt. Materia autem actu est, quia actu causat, & componit, & ex ea ab agente educitur forma: atque ex eadem, & forma fit compositum. Non ergò eliditur sed eluditur argumentum: extatque implicatio in terminis, vt materia actu sit causa, quia verè causat, & non actu causet, cum per eos non existat. Quod enim est extra nihil, & extrà suas causas existit. Materia autem, vt ex ea educitur forma, & partialiter concurrit ad causandum totum, est extrà nihil, & extrà suas causas, verè à Deo creata, cùm sit terminus creationis, ergò vera, & propria existentia existit. Dicere autem ipsam tunc habere esse essentiæ, & non esse existentiæ, esse viæ, & non esse termini, ridiculum est, ac vanum. Quandoquidem si essentia eius est actu, quia actu producta ab agente, verè existit, cum existentia sit rei actualitas. Implicat namque dicere, essentiam eius actu esse, & non existentiam eius, cum esse actu rei, sit eius existentia. Essentia verò materiæ conceditur actu esse, quia est in via, & quod est in via actu est, ergò quoque admittitur eius existentia.

70. Nec præstat dicere, existentiam esse vltimum rei terminum materiamque tunc ferri ad formam, & compositum. Nam, etsi præseferat talem ordinem, & habitudinem, non ob id sequitur, ipsam non esse actu, imò esse actu, quia ordinatur ad aliud. Prius quippè res est actu quàm ad aliud ordinetur, & referatur. Tantum itaque infertur, ipsam habere esse incompletum, & imperfectum, eiusque existentiam esse incompletam, & partialem, tendereque ad suum complementum, & esse specificum, quod habet per formam. Idque dicti Authores nolentes videntur admittere, cum aiunt, eius esse viale esse, & in egredi; propterea ex ipsa, vnà cum forma fit vltimus terminus, qui est compositum, quod est ens completum, & perfectum: atque existentia perhibetur vltimus eius terminus. Eò magis, anima rationalis separata à corpore, gaudet propria existentia, tametsi propendeat ad corpus organicum, quod est eius materia. Secundò materia est commune subiectum formæ, eiusque priuationis. Hæc enim duo principia naturalia in ea successiuè reperiuntur, cùm sit subiectum mutationis naturalis, maneatque sub vtroque extremo. Ideò extat ingenerabilis, & incorruptibilis, 1. *Phys.cap.9.* Quod obire nequit, nisi propria existentia existat. Igitur, materia fruitur sua existentia independente ab existentia formæ. Maior liquet. Min. est in confesso. Materia, vt est sub priuatione, actu est, cùm in ea extet priuatio, velut tenebræ sunt in aëre, cum non est: post priuationem aduenit forma. Quemadmodum autem vas existit, quod aquam capit, ita & materia actu est, cum formam recipit. Nihil autem aliud sibi vult actu esse, quàm existere. Igitur, cum materia actu sit, quia subest priuationi, & formæ, planè deducitur, ipsam verè existere absque existentia formæ. Respondent quidam Thomis. Materiam solummodò esse subiectum vtriusque principij præmemorati, quoad essentiam, non verò quoad existentiam, quam à forma decerpit.

71. Contrà, mens Arist. & cæterorum Philosophorum asserentium materiam esse subiectum mutationis naturalis, est, ipsam nedum esse huiusmodi subiectum, penès essentiam, verumetiam penès existentiam. Quoniam ipsi inquiunt, ex ipsa materia educi formas: formæ autem non educuntur ab agente ex materia, vt est possibilis existere, sed vt existit in rerum natura, cum ex eadem, vt iam à Deo creata, & non vt possibili creari, hauriantur formæ, ipsæque formæ materiales ab eamet pendeant in esse, & in fieri. Quod autem ab alio pendet, præsupponitur existere, & in se sistere, vt denotat vox existentia. Præsertim quia, 1. *Phys.69.* materia naturalium se habet ad formas naturales, sicut materia artificialium, ad formas artificiales. Indubiè autem materia artificialium sortitur propriam existentiam, vt liquet de ligno, quod est materia conficiendi formam Mercurij: pariter ergò materia naturalium suà potitur existentiâ. Rursus, subiectum formarum accidentalium propriè existit, vt paries, in quo subiectatur albedo. Idipsum quoque astruendum est de subiecto formarum substantialium, quod est materia. Ampliùs, cum anima rationalis separatur à corpore, quod est eius materia; ipsum corpus verè existit, non existentia animæ, quæ supponitur ab eo longè abesse, nec existentia alterius formæ, cum Schola Thomistica in homine, præter animam, non agnoscat aliam formam. Igitur corpus, quod est materia animæ, absque ipsa anima, suam possidet existentiam.

72. Occurrunt Complut. *vbi suprà ad* 2. materiam existere non per existentiam formæ præcedentis, sed per existentiam formæ subsequentis. Ideò materia nunquam caret existentiâ, sed modò sub vna existentia vnius formæ, modò sub alia alterius formæ coëxistit. Veluti idem lumen permanet, licèt non à corpore luminoso, quod ipsum produxit, sed ab alio conseruetur. Contra eo momento, quo perit forma præcedens, & adest priuatio, ac nondum

dum aduenit forma subsequens, materia est actu, cum in ea sit priuatio, atque ex ea educenda, vel inducenda sit forma noua, ergò materia tunc existit, non existentia formæ veteris, aut nouæ, quia neutra ibi adest, ergò existentia propria. Deindè, materia non semper eadem persisteret in mutationibus naturalibus, sed sicut pristina forma petit, quia eius existentia deficit, ita existentia materiæ periret, pereunte formâ pristinâ. Falsum autem est materiam desinere esse, cum sit incorruptibilis, ergò & absurdum est, ei denegare propriam existentiam. Nec præstat dicere, eam destrui penès existentiam, non verò penès essentiam. Siquidem hoc ipsum dicetur de forma, quæ deficeret secundum existentiam, non verò secundum essentiam, cùm par vtrobique videatur ratio. Iterùm, cum anima rationalis à corpore separaretur, non desineret existentia eius corporis, cum ipsa anima existeret separata, à qua corpus, quod est materia eius, capit suam existentiam, secundum præfatos Authores. Addo, in motu locali subiectum eius actu existit, in artificialibus fundamentum eorum quoque existit, vt patet in domibus, & mœnibus vrbis: ergò, cum materia sit fundamentum, & subiectum formarum naturalium, ipsam ex se existere necesse est. Exemplum autem de lumine non est ad rem. Est enim in genere causæ efficientis, & adducendum erat in genere causæ formalis, vti est existentia, quæ ab essentia tanquam modus à re modificata prodit, vt præ aliis notat Auersa.

Tertiò, quæ producuntur distinctis actionibus, gaudent distinctis existentiis, quia distincta actio fertur ad distinctum terminum existentem, vt non inficiantur Thomist. Materia autem, & forma producuntur distinctis actionibus. Etenim materia per creationem, & forma per generationem proficiscitur. Igitur materia sortitur distinctam existentiam, ab existentia formæ.

Respondent Complut. præall. concessa ma. negando min. siquidem materia, & forma per se non sunt producta, sed comproducta, ad productionem totius.

Contrà, materia est terminus creationis, scribente Aug. *lib. de natura boni*, contra Manich. *c.18. & 12. Conf. capit.7. & 8.* forma verò est terminus formalis generationis, vt ostendi *quæst.1. artic.3. huius lib.* Rursus, si Deus produceret prius formam, vt animam rationalem, quàm materiam eius, deindè simul vnirentur, distinctis actionibus producerentur, & fruerentur distinctis existentiis, penès distinctas actiones. Concludo ergò, materiam participare propriam existentiam, ab existentia formæ diffitam, vt conuincunt prædductæ actiones, fatentibus Conimb. *1. Phys. cap.9. quæst.6. art.1.* Et recipiente Suarez *disp.15. Met. sect.8.* tanquam veram doctrinam.

74. Opp.1. pluribus in locis, nominatim *1. de gener. T.22. & 2. Phys. T.11.* necnon *5. Met. T.15.* inquit, *forma dat esse rei.* Idem scribit Boet. *1. Trinit. capit.2.* & Dionys. *lib. de diuinis nominibus capit.3.* hæc profert verba: *Existere est perfectissimus effectus, qui videtur esse effectus formæ.* Expono præfata testimonia per distinctionem de esse, & existere specifico, & completo, concedo: de esse, & existere partiali, & incompleto, nego.

75. Opp.2. esse est propter operari *2. Cœli T.17.* Materia autem nullam promit operationem, cum sit passiua, & receptiua duntaxat, ergò nec vllam existentiam. Respondeo maiorem non esse vniuersaliter veram. Nam relationes habent esse, tametsi actiuæ non sint. Ad min. dico ex materia oriri passiones eius, ac etiã ex ipsa partialiter causari compositũ.

76. Opp.3. si materia haberet certam, determinatam, & propriam existentiam, foret indeterminata specie, & indiuiduaretur per differentiam indiuidualem: id autem falsum conspicitur, quia esse specificum est à forma. Igitur materia suaptè natura est expers existentiæ. Concedo sequelam maioris; Distinguo min. in specie incompleta, & partiali, concedo, quod etiam de anima rationali, quæ est pars hominis, tradit Scotus *2. dist.1. quæst.6. conclusio. ante A.* In specie verò completa, & totali, nego. Hoc namque accipitur à forma, vt supra cum Arist. dicedam. Deindè, admitto ipsam indiuiduari per hæcceitatem, vt idem Doct. *cit. dist.3. quæst.6.* probat.

ARTICVLVS VII.

An materia habeat subsistentiam partialem.

77. QVi materiæ existentiam negant, ab ea quoque subsistentiam adimunt, de qua fusè, & exactè *in Metaphysica.* Quoniam autem hæc difficultas in æquiuocatione posita esse videtur, propterea Scotist. *Quod 4. §. contra illud M. & Quol.5. §. Ad 1. istorum. V.* notat nomen subsistentia esse æquiuocum, cuius tres acceptiones affert. *Quol.9. §. de secundo. A.* Et post ipsum Bass. *2. dist.12. quæst.5. art.3. ad 3.* & Tromb. *in initio Form.* qui in terminis hoc exagitant dubium, primò pro perseitate, siue existentia alicuius, absque coëxistentia alterius. Sic albedo actu non inhærens subiecto, dicitur per se subsistens, siue per se existens, quia actu non dependet à subiecto, quamuis habeat aptitudinem ab ipso subiecto dependendi. Huius meminit Stagit. *1. post.9.* adducens tertium dicendi modum per se, vt albedo est. Quod pacto accidentia Euch. per se subsistunt, & existunt, cum actu à nullo sustententur subiecto, vt ingenuè fatetur Hurt. *disputat.5. ante sect.8. §.128.* Secundò, pro perseitate, & existentia alicuius existentis, absque vlla inhærentia actuali, & aptitudinali in subiecto, sic omnis substantia, tam completa, quàm incompleta per se subsistit, quia nec actu, nec aptitudine inhæret subiecto. Licet enim inexistat in alio, tanquam pars in alia comparte, putà forma in materia, non tamen inexistit per inhærentiam, sed per informationem, cum sit actus simpliciter. Ideò ex vtraque fit vnum per se, quod est compositum: at accidens, quod inest subiecto per inhærentiam, & est actus secundum quid, propterea ex ipso, & subiecto fit vnum per accidens, *5. Metaphysica 10.* atque per id accidens discriminatur à substantia. Hanc sumptionem memorat D.Ath. *in Contr. habita, contra Arium, in Concilio Nicæno. III.* pro existentia incommunicabili alteri, nec ordinabili ad alterum actum simpliciter, cum sit vltima rei actualitas, vt quo, & vt quod. Hanc recitat Doct. *1. dist.23. quæst. vnic. §. Ad quæst. respondeo ante C.* Quod autem hac subsistentia subsistit, in natura irrationali perhibetur suppositum, vt hypostasis: in natura verò rationali, & intellectuali nuncupatur persona. Hæc est pressior, & proprior subsistentiæ acceptio, vt monet Doct. *Quol.4. & 5. præuem.*

78. Ass. materia participat subsistentiam partialem primo, & secondo, unu autem tertio modo sumptam. Elicitur ex Scotist. *vbi suprà in 2. memorato,*

ratio, contrà Vasquez 1. *p. Tom.* 2. *disput.* 147. Estque tripartita. 1. pars suadetur 1. Materia ex dicendis *in proximo artic.* potest diuinitùs existere, sine forma, ergò & per se existere, ab alioque non sustentari. Secundò accidens, quod subiecto non nititur, subsistit hoc 1. modo, vt superiùs declaraui. Materia autem se sola potest existere, vt accidens in pixide per se existit, ergò & subsistere in 1. sensu.

79. Secunda pars probatur 1. omnis substantia subsistit secundo modo. In hoc enim ab accidente dissidet, cum accidens actu, vel aptitudine subiectum deposcat: substantia verò siue completa, siue incompleta immunis est ab omni inhærentia tam actuali, quàm aptitudinali. Igitur materia cum sit substantia, hac subsistentiâ subsistit. 2. substantia à subsistendo deriuatur, vt cum S. Bonauent. 1. *dist.* 23. *quæst.* 2. aduerti *in Epit. lib.* 1. *quæst.* 4. *artic.* 3. *numer.* 9. Ergò, cum materia sit substantia, hàc subsistendi ratione non priuatur; præsertim quia est subiectum, & vehiculum formarum, quod subsistentiam 2. modo captam proculdubio postulat.

Non me latet, quosdam quidem huiusmodi subsistentiam materiæ concedere, negare verò formæ, præter animam rationalem, vt præstant duo nostri Recentes *disputat.* 1. *quæst.* 2. *artic.* 1. qui in primis pugnant Scoto *Quol.* 9. expresè docenti, formam substantialem indefinite sic subsistere, cuius affert causam, inquiens, *Forma substantialis licet insit materia informando, non tamen inharet, quia inhærere dicit non per se informare, quia inhærens non est actus simpliciter, sed secundum quid, nec cum illo, cui inhæret, facit per se totum: opposita conueniunt ei, quod per se informat.* Patet ergò secundum Scot. formam subsistere secundo modo, propterea quod differt ab accidente, quod est in subiecto per inhærentiam; forma verò, per informationem, tanquam pars in sua comparte, ex quibus conflatur totum, quod est vnum per se: ex accidente verò & subiecto, efficitur vnum per accidens. Denuò secundum Scot. *ibidem*, illud per se subsistit hoc modo, quod nec actu, nec aptitudine subiecto fulcitur: forma autem substantialis qualiscumque sit, nec actu, nec aptitudine subiecto, seu materiæ inhæret, cum penès hoc substantia differat ab accidente; malè ergò ipsi denegatur prædicta subsistentia.

80. Dices, forma quæ educitur de potentia materiæ non subsistit, propterea quod præsefert dependentiam a materia. Contrà, prænominata subsistentia excludit duntaxat inhærentiam, vt declarat Scotus *vbi suprà*, ergò licèt forma à materia dependeat, non tamen caret illâ subsistentiâ. Iterùm, si vi Diuina seiungatur forma à materia, per se existet independenter à materia. Quamuis igitur forma inexistat actu materiæ, dicta subsistentia non exuitur. Deinceps, partes integrales licet in toto integrali insint, nihilominùs non amittunt suam subsistentiam. Idipsum quoque dicendum est de parte substantiali essentiali, cuiusmodi est forma inexistens materiæ. Denique, omnis substantia dependet à Deo, quâ non obstante suâ potitur subsistentiâ; proindeque quamuis forma dependeat à materia, tamen propriâ non caret subsistentiâ.

81. Tertia pars ostenditur 1. *ex* 2. *anima capit.* 2. vbi scribit Arist. totum ex materia, & forma simpliciter esse hoc aliquid, id est, interprete Scoto citato per se subsistens. Accedunt Concilia adducta à Mol. 1. *p. disputat.* 3. in quibus sancitur, in Sancta Trin. esse tres subsistentias personales, & incommunicabiles, atque in Christo vnam subsistentiam Verbi Diuini. Suffragantur PP. Græci ac Latini à Vasquez cit. qui consones, & vnanimes sunt in præbendo propriam subsistentiam naturæ compositæ, quæ est totum totalitet ex materia, & forma. 2. subsistentia totalis, & completa est incommunicabilis existentia vt quo, & quod, ex Rich. Vict. alleg. & exposito à Doct. *in* 1. *recensito.* Quæ materiæ, & formæ non congruit, cùm sint toti communicabiles. Tertiò, subsistentia tertio modo capta est vltimus terminus naturæ completæ, cum sit id, quo vltimatè subsistit, nec ad vlteriorem actum simpliciter fertur. Itaque, cum subsistentia materiæ tendat ad totum componendum, & complendum vnà cum forma, apertè deducitur, subsistentiam haud materiæ competere in tertia sumptione.

82. Opp. 1. contrà secundam partem ass. Scotus *Quol.* 4. *ad finem artic.* 2. *M.* scribit, duplicem esse subsistentiam, vnam quæ excludit inhærentiam, & inexistentiam in alio, vt pars existit in toto: alteram verò, quæ perinde est, ac incommunicabilis existentia: neutra autem subsistentia materiæ competit, non prima, quia existit, vt pars in toto: non secunda, quia est communicabilis toti, nulla igitur extat materiæ subsistentia. Respondeo Scot. ibi occurrere testimonio Aug. aientis, diuinam essentiam subsistere subsistentiâ perfectâ, & absolutâ communi tribus Personis, veluti Deitas à tribus participatur: nihilque eo in loco tradere de subsistentia partiali: verum *Quol.* 9. euidenter subijcit, materiam, & formam subsistere subsistentiâ partiali à nobis præexplicitâ.

83. Opp. 2. subsistentia est vltimus terminus naturæ completæ, & perfectæ, per quam redditur incommunicabilis alteri, vt vno ore concientur omnes scholastici: existentia autem materiæ fertur ad subsistentiam totius, tanquam pars ad totum: ergò nulla assignanda est materiæ subsistentia. Distinguo maiorem; subsistentia totalis, & completa, concedo: subsistentia partialis, & incompleta, nego. Subsistentia quippè magis funditur, quàm suppositalitas, & personalitas. Ideò non incongruè illa parti, ista verò toti adaptatur. Nam subsistentia latè sumpta diuiditur in partialem, & totalem, propriéque, & rigorosè totalis est subsistentia, monente Scot. *Quol.* 9. *sub A.*

84. Opp. 2. forma non est subsistens, ergo nec materia. Ant. probatur, forma pendet in esse, vt in fieri à materia, quia ex eius potentia educitur. Nego ant. ad eius probationem dico etiam materiam penès esse specificum pendere à forma: nihilominùs retinet suam subsistentiam, quæ suapè naturâ ipsi conuenit, vt est substantia ab accidente distincta. Quare, licet forma sit dependens à materia, non propterea expers est subsistentiæ, quæ ab ipsa fluit, tanquam modus à re modificata. Addo formam materialem posse diuinitùs existere ab omni materia segregatam: hacque datâ hypothesi, per se subsisteret, non subsistentia noua sibi adueniente, nec nouo influxu ipsi adiuncto, vt *infrà* ostendetur: sed subsistentiâ antecedente, quâ inexistens materiæ subsistebat.

ARTIC

ARTICVLVS VIII.

An materia poßit exiſtere ſine forma.

85. THomiſtæ cum D. Thom. 1. *p. quaſt. 66. artic.* 1. & D. Bon. 2. *diſt.* 12. *quaſt.* 1. quibus inuguntur Aur. & Dur. *ibidem, quaſt.* 2. negant materiam, virtute naturali, aut ſupernaturali poſſe exiſtere abſque forma. Scotiſtæ verò cum Scot 2. *diſt.* 12. *quaſt.* 2. Rich. *ibidem, quaſt.* 4. & Gabriel *quaſt.* 1 *artic.* 3. quibus adhærent ex Thomiſ. Scot. 1. *Phyſ. quaſt.* 6. & Bannez 1. *p. quaſt.* 66. *artic.* 1. *dub.* 2. docent naturaliter quidem materiam non poſſe exui omni forma, verumtamen ſupernaturaliter ab omni forma poſſe ſeparari.

86. Not. 1. eſſentiam nihil aliud ſibi velle, quàm rei naturam, & quidditatem. Eſt enim illud, de quo dicitur, *definitio declarat diſtinctè naturam rei*, præſcindens ab actualitate eiuſdem, extra ſuas cauſas. Eaiſtentia verò, provt diſtinguitur ab eſſentia, nihil aliud eſt, quàm propria rei actualitas extrà ſuas cauſas, cuius meminit Doct. 3. *diſt.* 6. *quaſt.* 1. *B.* Et vocatur modus eſſentiæ, formaliter negatiuè ab ipſa diſtinctus. Ideoque eaiſtentia ſequitur eſſentiam. Sicut autem res habet propriam eſſentiam, à cæteris diſſitam: ita gaudet propria exiſtentia. Sicque, iuxta duplicem eſſentiam, totalem, & partialem, ſtatuetur duplex eaiſtentia, totalis, quæ compoſito, & partialis, quæ materiæ, & formæ congruit.

87. Not. 2. materiam interdùm vocari informem, bifariàm poſſe capi, vt tangit Doctor Seraphicus *præcit. quaſtione tertia*, vno modo per eaclusionem omnis formæ, tam elementum, quàm cæterarum rerum ornantium vniuerſum. Sic materia nunquam fuit informis, vt tenent Hugo *libro primo de Sacramentis, parte prima, capite quarto*, Boëtius, 1. *Trinitatis, capite ſecundo*, & cæteri Doctores, teſte Richardo, *citata quaſtione quinta.* Cuius rationem reddit, quia materia, & forma feruntur ad conflandum compoſitum. Vt ergo forma nunquàm eatitit ſine materia: ſic materia ſine forma. Altero modo, præſuppoſitis formis ſubſtantialibus cæli, terræ, & reliquorum per excluſionem aliorum, quæ ex elementis gigni quiuerunt: quo pacto exponi poſſunt nonnulla teſtimonia Sanctorum arbitrantium materiá fuiſſe priorem formâ, ſupple prioritate naturæ, non verò temporis, vt notant S. Bonauent. *vbi ſuprà quaſtione prima.* & Scotus, *ibidem, quaſtione ſecunda*, §. *Reſpondeo ſub A.* poſt Auguſtinum, *duodecimo. Confeſſionum.* Ratio eſt, quia materia eſt ſubiectum, & fundamentum formæ, quod ipſam formam præit, & origine præcedit. Quo ſenſu, in primordio Mundi, nondum erat terra generans herbam virentem, nec aqua piſcibus, nec aër volucribus ornatus, vt planè inſinuat Auguſtinus citato *capite tertio*, his verbis Deum alloquens. *Nonne tu docuiſti me, quia priuſquam iſtam materiam informem formares, atque diſtingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non ſpiritus, non tamen omnino nihil, erat quadam informitas ſine vlla ſpecie.*

88. Not. 3. ea Scot. 1. *diſtinctione* 44. *quaſtione vnica*, §. *Reſpondeo. A.* in Deo diſtingui duplicem potentiam, vnam ordinatam, & alteram abſolutam. Illa deſcribitur principium exequendi aliquid conformiter legi, penès ordinem ab ea lege ſancitum: iſta verò eſt principium agendi præter, aut contrà illam legem, dummodò nulla inuoluatur contradictio.

89. Aſſertio, 1. vi naturali, materia nequit eaiſtere abſque forma. Tenet Doctor 2. *diſtinctione* 12. *quaſtione ſecunda*, §. *Ad primam rationem, ante*, G. Probatur primò, ea modo operandi agentium naturalium, quæ non poſſunt vnam formam in materiam introducere, niſi præeaiſtentis formæ expulſione. Hinc ortum ſuum duxit illud effatum alleg. ab Ariſtotele 4. *Phyſ. Titulo* 17. *& primo de generat. Titulo* 17. *generatio vnius eſt corruptio alterius.* Et contrà. *Corruptio vnius eſt generatio alterius.* Quod illuſtrat Doctor 1. *diſtinctione* 27. *quaſtione* 3. §. *contra iſta generatio, Ad C.* Cum ergò agens naturale nequeat materiam omni forma priuare, & denudare: ſanè deducitur, ipſam materiam omni forma ſpoliatam haud poſſe exiſtere.

90. Dices cum Arr. *diſputatione ſecunda, ſectione ſexta, ſubſectione tertia, numero* 116. hanc rationem non premere. Quandoquidem, etſi materia ſemel producta, ſemper coniuncta ſit cum aliqua forma: nihilominus, id non obſtat, quin in eaordio mundi potuerit à Deo creari formæ expers. Contrà, ipſe Arr. *citat. numero* 111. aſtruit cum communi ſententia, materiam non poſſe eaiſtere naturaliter ſine omni forma: nunc verò ſubdit, potuiſſe creari à Deo, ſpoliatam omni formâ. Verùm lis noſtra non eſt de poſſibili, quod ſtabilietur in proaima Aſſertione, ſed de facto. Si ergò de facto, materia nunquam forma caruit, ratio præadducta ſuadet efficaciter, & modò, & in eius primordio, materiam participaſſe aliquam formam.

Secundò, ex eailitate, & debilitate materiæ, & formæ. Sunt namque duæ partiales entitates ſuâptè natura tendentes ad tertiam, & totalem entitatem compoſiti, vnaque abſque altera non valet conſiſtere. Materia quippè eſt ſuſtentaculum, & ſubiectum formæ. Illa eſt perfectibilis, iſta verò perfectiua. Nihil autem naturaliter extat abſque ſua perfectione eſſentiali. Cum ergò forma ſit perfectio, & complementum materiæ, ſequitur hanc abſque illa non eaiſtere.

Hanc quoque rationem conatur infringere Arr. *vbi ſuprà*, inquiens, *ſicut manus poteſt eſſe ſine corpore, ita materia ſine forma.* Contrà, materia, & forma ſunt partes eſſentiales compoſiti: at manus eſt pars integralis corporis humani. Ideo mirum non eſt, ſi abſque corpore, maneat; præſertim quia manus à corpore ſeiuncta, non eſt manus, niſi æquiuocè, vt clarè tradit Stagir. 1. *Pol. c.* 2.

Tertiò, non minus dependet materia à forma, quàm ſubiectum ab accidente. Vtrumque enim eſt ſubiectum, licet cum hoc diſcrimine, quia materia eſt ſubiectum formæ ſubſtantialis, vt corpus eſt ſubiectum formæ accidentalis. Nunquam autem corpus reperitur ſine accidente, putà quantitate, qualitate, & huiuſmodi, vt conſtat experientia, ergò pariter materia non extat, abſque forma.

91. Aſſertio 2. diuinitùs materia exiſtere valet ſeiuncta ab omni forma. Ita Scotus 2. *citat.* §. *Reſpondeo. A.* quam probat primò. Omne prius abſolutum realiter diſtinctum, eſſentialiter ab alio non dependens, ſuperna Dei virtute poteſt exiſtere ſeparatum ab eo. Materia autem eſt prior forma, realiter diſtincta, abſoluta, ab ea non dependens eſſentialiter; igitur vi diuinâ materia poteſt exiſtere abſque forma. Maior videtur nota, in qua habetur prius realiter diſtinctum à poſteriori. Nam, ſi realiter identificaretur prius cum poſteriori, vt paſſio cum ſubiecto à quo fluit,

ab

ab eo seiungi nequiret, poneretur absolutum, propter relationem, quod formaliter existere non valet, sine suo correlatiuo. Additur essentialiter non dependens, ad differentiam compositi, quod cùm à suis partibus essentialiter dependeat, haud sine illis esse potest. Min. est in promptu. Materia siquidem cum sit subiectum formæ, & ex ea hæc educatur, proculdubio antecedit ipsam naturâ, & origine, estque substantia, & ab ea essentialiter non dependet, cum sit ei extrinseca, habens suum esse entitatiuum independenter ab illa.

92. Respondent Thomist. negando materiam sine forma participare vllum esse entitatiuum, siue essentiæ, siue existentiæ. Quandoquidem cùm sit pura potentia, totum suum esse decerpit à forma. Contrà, prætetquamquod *in artic.6. præcedente*, manet efficaciter probatum, & euidenter monstratum, materiam habere propriam essentiam, & existentiam absque forma. Si materia careret existentiam à forma, adhuc diuinitùs quiret esse absque illa In sententia namque Thomist. humanitas Christi mutuatur existentiam à Diuino Verbo, & tamen illa humanitas potest esse sine Verbo. Igitur, licet materia desumeret existentiam à forma, adhuc supernaturaliter posset esse sine illa. Quo fortè respiciens Augustinus *lib.5. de gen.ad lit. capit.8.* ait. *Dum quispiam putat fieri non posse, quod factum esse scriptura commemorat, vel resiliat à fide, vel non accedat ad fidem.* Estque sancitum in Vniuersitate Parisiensi, vt refert Gadius *Quol.16. artic.1.* In realiter distinctis, & essentialiter ordinatis, & absolutis, per Dei potentiam, potest prius esse sine posteriori.

Secundò, non magis dependet accidens à subiecto, quàm forma à materia: accidens autem potest existere vi Diuina sine subiecto, ergò & materia sine forma. Min. est de fide. Creditur enim à Fidelibus, in Eucharist. accidentia manere absque subiecto. Ma. ostenditur, accidens est posterius subiecto: materia verò est prior forma. Posterius autem magis dependet à priori, quàm prius à posteriori; omne quippè posterius sortitur rationem dependentis, & prius, vt prius participat rationem independentis. Iterùm esse per se magis competit substantiæ quàm accidenti, cum substantia sit ens per se subsistens: accidens verò in alio inhærens. Materia autem est substantia, cum ex non substantiis, non fiat substantia, 1: *Phys.53.*

93. Respondent Thomist. nominatim Caietanus, adductus à Complut. *citat.* §. *tertio ad secundum.* negando paritatem, quoniam accidens habet rationem entis actualis, & actus completi in suo genere: at materia est ens incompletum, & potentiale; propterea accidens potest existere absque subiecto, non autem materia sine forma. Contra: materia est ens magis actuale, quàm accidens, quia illa est per se existens: hoc verò, in alio inhærens. Vndè habetur illud proloquium, *Accidentis esse est inesse.* Stat ergò firma, & inconcussa præallata ratio.

Tertiò, quod Deus immediatè potest creare, vtique immediatè potest conseruare. Deus autem potest creare, imò de facto creauit immediatè materiam; ergò ipsam potest conseruare sine vlla forma. Maior est conspicua, cum æquæ, eiusdemque potentiæ sit conseruare, ac creare materiam, ex alibi dicendis. Minor manet probata *articulo quarto huius quæstionis.* Deinceps, Deus est agens liberum, cuius potentia est eius voluntas. Potest autem Deus velle creare materiam, absque eo quod in ipsa inexistat forma. Denique, Deus potest perimere formam, quâ materia informatur, & impedire, ne agens naturale educat aliam formam de potentia ipsius materiæ, quâ datâ hypothesi, existet materia absque forma. Concludamus igitur non repugnare, quin materia sine forma existere valeat.

94. Opp.1. contra 1. ass. Gen.1. *Terra autem erat inanis, & vacua,* id est, informis, vt quidam eum locum exponunt. Ergò de facto materia naturaliter extitit absque forma, proindéque potest materia viribus naturæ manere absque forma. Respondeo cum Lyrano, eum locum esse interpretandum, non de materia terræ, sed de elemento ipsius terræ, quod componitur ex materia, & forma, veluti cætera elementa: sicque patet, terram fuisse creatam à Deo cum sua forma substantiali. Pariter corpora cælestia informia in initio mundi dicebantur, non quia suis carebant formis, sed quia aliquo ornatu priuabantur. Quo etiam sensu, terra inanis, & vacua perhibebatur, quoniam erat non adhuc herbis, plantis, & arboribus ornata. Idem videtur sentire Augustinus 1 2. *Conf.cap.12. & serm. 54. de tempore. Quod autem inuisibilis, & incomposita, nondum fuerat ordinata, nec diuersis fructibus plena.*

95. Opp.2. contra 2. assert. quod innoluit repugnantiam, non clauditur sub obiecto diuinæ potentiæ: materiam autem seiungi realiter ab omni forma contradictionem implicat: ergò impossibile est, materiam existere omni forma exutam. Ma. est commune Theologorum assertum. Min. patet, datâ hypothesi, materia foret actu, quia existeret, & non esset actu, quia est pura potentia. Implicat autem idem esse actu & non actu: ergo &c. Concedo ma. nego min. Ad probationem dico, materia tunc foret actu entitatiuus, non verò formalis. Ideò nulla extat contradictio, quia materia habens actum entitatiuum separetur ab omni forma, siue actu formali.

Instabis, materia existere nequit sine dependentia à Deo, vnione suarum partium, distinctione ab aliis rebus, & cæteris enumeratis à Canon. 1. *Phys. quæst.9.* §. *Ista opinio:* præfata autem huiusmodi sunt formæ. Fieri ergò non potest, vt materia ab omni forma segregetur.

Pontius 1. *Phys. quæstione 5. numero 81.* concedit de formis accidentalibus: negat verò de formis substantialibus. Contrà, præposita difficultas capitur, nedum de formis substantialibus, verumetiam de formis accidentalibus, vt videre licet apud Scot.a. *citato*, §. *Respondeo.* Et rationes præallatæ de vtrisque formis probant. Aliter ergò præadductæ instantiæ occurrendum est, cum Scot. *ubi suprà antè* §. *Ad argumenta, sub D.* videlicet, eas formas esse realiter identificatas cum materia, & formaliter ab ea distinctas, vocarique transcendentales, de quibus non est difficultas, sed de formis physicis realiter à materia dissitis, absolutis, & non relatiuis, de quarum numero non est vnio, nec reliqua allata à prænominato Pontio.

96. Opp.3. quò aliqua sunt magis vnum, eò minus sunt separabilia abinuicem, quàm ea, quæ sunt minus vnum: materia autem, & forma sunt magis vnum, quàm subiectum, eiusque passio: siquidem ex materia & forma fit vnum per se: at ex subiecto, & passione fit vnum per accidens: ergò materia à forma nullo modo separari potest. Concedo ma. distinguo min. vnitate vnionis, siue compositionis, concedo: vnitate identitatis realis, nego. Etenim subiectum eiusque passio realiter identificantur: materia verò, & forma distinguuntur realiter, faciunt tamen vnum per se, quod est compositum.

97. Opp.4. Si materia posset existere sine forma, foret alicuius speciei, quia nihil existit in rerum

rum natura, quod non locetur sub aliqua specie: materia autem nullam participat speciem, cùm ratio specifica depromatur à forma, quæ tribuit esse specificum, & essentiale. Potius ergò dicendum est, materiam nullam posse participare existentiam, absque forma. Concedo ma. distinguo min. Materia non sortitur rationem specificam, completam physicam, concedo: metaphysicam, & incompletam, nego. Sic anima rationalis perhibetur esse alterius speciei ab anima negatiua, & sensitiua. Pariter Angeli, licèt careant formâ physicâ, tamen quidam specie, & alij numero differunt, *vt dixi tract. de Angelis, disputat.* 1. Addo, in schola Thomist. materia sublunaris est diuersæ speciei à materia cælesti. Quare, nihil infertur in hac oppositione, quod nobis aduersetur.

Articvlvs IX.

An materia à forma seiuncta egeat nouo esse, & influxu, vt existat, & conseruetur.

98. Prior opinio est Henr. *Quol.* 1. *quæstione* 10. & Conimb. 1. *Phys. capit.* 9. *quæstione* 6. *artic.* 3. arbitrantium, materiam à forma seiunctam, vt sic existat, indigere nouo esse, peculiarique auxilio. Quibus videtur fauere D. Thom. 4. *distinctione* 12. *quæstione* 1. *in solutione* 3 *artic. Quæstiunc.* 3. inquiens, vt accidens in Eucharist. fine subiecto existat, nouum esse à Deo elargitum exposcere. Idem fortasse diceret de materia, si per se existeret, sine forma.

Posterior opinio est Scot. in vtroque opere Oxon. & Parif. 2. *distinctione* 15. *quæstione* 2. *propè finem*, Bass. Tatar. & cæterorum Scotist. *ibidem*, docentium, si materia ab omni forma segregaretur, nec nouum esse, nec peculiarem Dei influxum reciperet. Suffragantur Ruuius 1. *Phys. quæstione* 5. *art.* 1. *num.* 15. Hurt. *disp.* 2. *sect.* 9. §. 55. & Arr. *ibid. sect.* 6. *subsect.* 4.

99. Not. 1. materiam trifariàm posse inspectari, vno modo, vt habet propriam essentiam, & existentiam à quouis alio distinctam. Altero modo, vt recipit esse formale, seu specificum à forma, cum qua voitur ad constituendum totum. 3. vt concipitur existens per se, separata ab omni forma: Quo pacto inuestigatur in præsentia, vtrum in eo statu ei adueniret aliquod nouum esse, aut peculiaris influxus, quem prius non præhabuisset.

100. Not. 2. ex Doct. præalleg. materiæ per se existenti omni forma spoliatæ, accedere aliquod esse, bifariàm posse capi, positiuè, & negatiuè. Positiuè, vt ipsi annectatur quædam entitas de nouo, & hunc sensum reijcit Scot. & recipit Henr. Negatiuè, vt materia sit per se existens, absque eo quod forma, eidem materiæ quidquam communicet, ita vt huiusmodi esse perinde sit, ac negatio præfati esse communicari à forma. Quo in sensu, ait Scot. cit. admitti potest, materiam separatam habere tale esse, scilicet per se esse negatiuè. Quod materiæ inexistenti compositio, non competit. Quoniam, vt compositum sit per se vnum, postulat vnionem materiæ, & formæ, ex quibus causatur. Idem astruit Doct. 4. *distinctione* 12. *quæstione* 6. §. *Ad Argumenta.* de quantitate separata in Eucharist. quæ nullum habet modum positiuum existendi per se, sed negatiuum duntaxat, siue non esse actu in subiecto, Deo manutenente, & conseruante ipsam, sicut conseruabat, & manutenebat, quando subiecto nitebatur, & inhærebat, vt præclare exponit Bass. *in 4. cit. q.* 1. *a.* 3.

101. Assertio, materia, si ab omni forma seiungeretur, nec nouum esse, nec peculiarem influxum participaret. Hæc assertio scinditur in duas partes, quam tradit Doct. *passu super citat.* 1. pars suadetur 1. materia gaudet sua essentia, & existentia, necnon subsistentia partiali, à forma, cæterisque distincta; ergò si separaretur à forma, retineret idem esse præcedens absque vllo ipsi addito. Ant. probaui in superioribus. Consequentia tenet. Idem esse, quod habet coniuncta, inseparata, persistit. Non enim mutatur, nisi de statu coniunctionis, in statum separationis, qui ab ipsa haud suum esse tollit, nec nouum inuehit. Secundò, anima rationalis, cum à corpore segregatur, permanet eadem absque acceptione noui esse, cum fruatur essentia & existentia distincta, & à materia independente: ergò idem astruendum est de materia, quæ. est prior forma, minusque dependens ipsa formis, perhibente Scot. 2. *citat. ad calcem quæstionis* 1. Tertiò, accidenti, in Eucharist. à subiecto sejuncto, non communicatur aliud esse, quàm quod habuit in subiecto, vt efficaciter, & subtiliter probat Doct. *in* 4. *prememorato, quæstione* 1. §. *Hic dicitur antè A.* Idipsum ergò affirmandum est de materia, si absque forma existeret, cùm par vtrobique extet ratio. Accedit, conseruatio rei est continuata actio eiusdem, ex dicendis *lib. de causis.* Si ergò separaretur materia à forma, conseruaretur à Deo in esse eius, ipsam manutenendo in suo esse, veluti si sol luce suâ orbaretur, cum suaptè natura sit ea prior, in suo esse persisteret, nullo sibi de nouo addito. Similiter, si à planta flores, ab arbore fructus, & vestis ab homine auferantur, permanent idem homo, & res præfatæ, absque alterius accessu.

102. Secunda pars probatur 1. ea virtus, aut influxus foret creatus, aut increatus. Non secundum, quia esset Deus, cum nihil Deo excepto, sit increatum. Nec primum, etenim vel esset substantia, vel accidens, quia inter accidens, & substantiam non interponitur medium. Non substantia, cum supponatur sola materia per se existens: nec accidens, quia non valet sustentare substantiam, cuiusmodi est materia. Ergò nullus esset influxus, aut virtus ad conseruandam materiam per se existentem absque forma. 2. subiectum, quod transit à priuatione ad habitum, mutatur, cum mutatio nihil aliud sibi velit, quàm huiusmodi transitum: solâ autem existente materiâ, nulla mutatio interueniret, non generatio, nec accretio, &c. vt patet. Declarari potest de quibus baculis simul iunctis à manu iatis, & sustentatis, si vnus ab alio separetur, & ab eadem manu feratur, & conseruetur, sanè, absque vllo ipsi adiuncto existeret per se sine alio. Idem dicito de materia, se sola existente amota à forma. Rursus, est eadem actio; quâ Deus conseruat materiam iunctam cum forma, & ab ipsa forma seiunctam, cùm sit idem terminus. Quod si foret noua actio, & peculiaris influxus, vtique esset nouus terminus. Quare cum eadem materia per se existens perseueret, concedendum est, nullam ibi adesse nouam virtutem, nolumque specialem influxum.

103. Opponés 1. contra 1. partem asser. accidens nequit existere seiunctum à subiecto, nisi ei tribuatur nouum esse, ergò quoque materia non potest existere absque forma, nisi recipiat nouum esse à Deo. Consequentia tenet à pari. Ant. probatur, accidens inexistens subiecto, suum esse sumit

sumit ab ipsomet subiecto; adeò vt accidentis esse sit inesse seu inhærere subiecto, ergò vt existat sine subiecto petit nouum esse. Nego ant. ad eius probationem distinguo, accidens capit esse à subiecto, ita vt eius esse coïncidat cum esse subiecti, nego: quia accidens participat proprium esse ab eo distinctum: cum ens diuidatur in substantiam, & accidens, 5. *Met.* 15. Membra autem bonæ diuisionis, non coïncidere, monui *in Epis. lib. 2. qu. 7. art. 1.* Accidens sumit esse à subiecto, id est, causatur à subiecto, in eoque inhæret actu, vel aptitudine, concedo. Quandò autem diuinitùs seiungitur à subiecto, vt quantitas in Eucharist. retinet proprium suum esse accidentis, solumque priuatur inhærentia actuali in subiecto. Quod non est positio noui esse, sed negatio actualis inhærentiæ in subiecto, vt præ aliis notat Doctor. 4. *citat.* §. *Ad argumenta. ante G.*

Dices, accidens à subiecto abiunctum habet esse per se, quia existit sine subiecto: ergò sic existens habet hoc nouum esse, quod est existere, absque subiecto. Concedo ant. ad consequentiam dico, non esse nouum esse, sed esse præexistens accidentis, quod priùs actu inhærebat, postmodum verò actu non inhæret in statu separationis eius. Quare separatio accidentis à subiecto, non est actio positiua termini eius quod separatur, sed potiùs desitio eius inhærentiæ actualis in subiecto, vt bené aduertit Bass. *cit. in fin. art. 1.*

104. Oppones 2. pars integralis separata à toto integrali induit nouam rationem totius, vt si pars aquæ a tota aqua separetur, huiusmodi pars recipit nouam rationem totalitatis. Pariter ergò, pars essentialis, cuiusmodi est materia, si à forma abstrahatur, suscipit nouum esse, quod prius non habebat. Concedo ant. nego consequentiam: causa disparitatis est, quia pars integralis est ens completum; ideò abiuncta ab aliis partibus gaudet modo positiuo totalitatis. At pars essentialis, cùm sit ens incompletum, segregata à sua comparte, etiam est incompleta. Quocircà solùm sortitur in eo statu modum negatiuum inexistendi cum sua comparte.

105. Opp. 3. nouum miraculum non extat, absque noua actione ad id, circà quod patratur: actio autem noua petit nouum terminum: cum ergò separatio materiæ à forma sit miraculosa, & supernaturalis actio, planè deducitur, in separata materia à forma esse aliquod nouum. Nego ma. Interdum namque miraculum efficitur per substractionem diuini concursus, vt ignis fornacis Babylonicæ, non concurrente Deo, nec calefecit, nec combussit tres Pueros Hebræos in ipsum projectos. *Daniel.* 3. sol non festinauit occumbere contra Gabaonem. *Iosue* 10. sic in re nostra, si Deus non conseruaret formam, nec totum, sed solam materiam, tunc materia per se staret, & existeret. Hinc solùm deducitur modus eius negatiuus præexplicitus *in 1. art.*

Dices, tunc materia non haberet esse naturale, sed supernaturale, quandoquidem esse naturale eius est vniri, & coniungi cum forma. Eo autem in statu foret disiuncta à forma, ergò participaret nouum esse, quod est supernaturale. Dico, data hypothesi, materia quidem haberet esse naturale, quoad substantiam, non verò quoad modum. Quia potiretur modo negatiuo supernaturali, cum nec vnita, nec coniuncta esset, cum forma.

106. Opp. 4. contra 2. partem ass. vi naturali materia sine forma nequit existere, propter coëxigentiam vtriusque, vt patet ex dictis supra: ergò vt se sola subsistat, exigitur virtus supernaturalis, & peculiari Dei concursus. Concedo ant. nego consequentiam. Eâ quippè virtute, & concursu Dei, quo erat coniuncta cum forma conseruatâ, ipsamet materia ab omni forma abstracta conseruaretur: tametsi modus foret supernaturalis negatiuus, sicut superiùs explicitum fuit.

ARTICVLVS X.

An materia sit de essentia compositi.

107. Plerique, tum ex veteribus vt Auer. 7. *Metaphysica com.* 11. & Iand. *ibidem, quæstione* 12. Tùm etiam ex recentibus, vt Zabarel. 1. *de natura cæli, capit.* 8. & Rich. *primo de elementis*, sustinent, materiam non ingredi essentiam compositi. Dur. 4. *distinctione* 44. *quæstione* 1. astruit, materiam communem quidem in essentia compositi communia claudi, at materiam singularem excludi ab essentia compositi singularis. Scotus verò 7. *Metaphysica, quæstione* 16. Anton. Andr. *ibidem, quæstionis* 12. & 3. *distinctione* 22. *quæstione vnica, artic.* 1. Rich. 2. *distinctione* 12. *quæstione* 3. Alen. 3. *p. quæstione* 6. & Faber. *Theor.* 28. asseuerant materiam esse partem essentialem compositi tam vniuersalis, quàm singularis.

108. Not. 1. prætermissis variis acceptionibus materiæ, & formæ adductis à Scot. & Bass. *vbi suprà*, duobus modis sumi formam, & totidem materiam. Cum enim relatiuè opponantur, 2. *Phys.* *T.* 26. Et tot modis dicatur vnum relatiuum, quot & reliquum 1. *Top. capit.* 12. consequenter easdem patiuntur acceptiones. Exordior à forma, quæ est notior materiâ, & per eam hæc à nobis cognoscitur. Itaque primò forma sumitur pro forma totius, quæ est tota essentia, & natura rei, quæ nomine abstracto significatur vt humanitas est forma totius, siue essentia tota hominis. Atque sicut album per albedinem est album, ita homo per humanitatem est homo, qui est eius nomen concretum. Secundò, pro forma partis, quæ partialiter principaliter concurrit ad causandum, & constituendum totum, vt anima rationalis est forma hominis, per quam homo constituitur in esse hominis, & distinguitur à quouis alio, quod non est homo: similiter materia capitur pro materia totius, quæ est id, quod habet formam totius, putà homo habens humanitatem. Deinde pro materia partis, quæ vnà cum forma conflat totum, vt de hac est præsens difficultas, nùm scilicet materia partis claudatur in essentia compositi, necnè? Rursùs, tam forma quàm materia secundo modo capta diuiduntur in vniuersalem, quæ toti in communi congruit. Et in singularem, quæ toti singulari adaptatur. Amplius, differentia indiuidualis solet vocari materia vt ex Arist. *infrà* allegando, obseruant Scot. & Bass. *cit.*

109. Not. 2. nomen *quidditas* expressè non inueniri apud Arist. sed tantùm quod quid est 7. *Metaphysica*, *T.* 11. & alibi frequenter. Quod aliquando sumitur pro sola forma. 2. *Phys.* 28. & 5. *Met.* 2. Quandoque verò pro tota essentia, & natura rei 1. *de anima* 11. Et 7. *Metaphysica* 39. necnon 8. *eiusdem operis* 15. Quarè, varius videtur Arist. loquens de quidditate rei, vt indicant textus præadducti, proindéque non est ferendum iudicium, vtrum illi qui solam formam vocant quidditatem, sint magis

Peripatetici,

Peripatetici, quàm qui totam essentiam quoque appellant quidditatem, vt præstat Perer. *lib.6. capite* 1. siquidem in multiplici acceptione, diuersoque vsu nominum, posita haud est doctrina Arist. vt patet de Philosophia rationali, quam quidam totam nominant dialecticam: alij verò partem duntaxat, quæ de probabilibus disserit. Dixerim ego, quidditatem, quæ à quid deriuatur, communiorem, ac vniuersaliorem esse formâ, & totâ essentiâ, ab ijsque præscindere, & abstrahere, veluti substantia, à prima & secunda, vt explicaui, & probaui in Logica *libro 3.quæst.4. art. 2.*

110. Not. 2. ex Scot. *loco præcit.* §. *Ad 1.arg.* corruptibile bifariàm accipi, corruptibile potentiâ remotâ, & corruptibile potentiâ proximâ. Illud perhibetur corruptibile potentiâ remotâ, quod in se habet corruptionis principium, attamen nequit exire in actum, nisi prius sit in potentia propinqua, veluti calefactiuum dicitur, quod habet vim calefaciendi, nihilominùs nequit calefacere, nisi ab eo remoueatur obex, & passo approximetur: sic ignis est corruptibilis, & color est visibilis 2. *anima Titul. 66.* Istud verò est corruptibile in potentia proxima, quod habet propriam existentiam à parte rei, passum aptè dispositum nullo interposito impedimento, sic ignis existens, nullo impediente est proximè corruptibilis. Hinc facilè intelligitur, & exponitur illud 7. *Met. Titul.* 22. *Materia est, quâ res potest esse, & non esse, omniaque materia constantia esse generabilia & corruptibilia*, cum tamen *ibid.* velit, quidditatem non posse generari, nec corrumpi. Et 5. *Met.capite* 2. præmiserat omnes partes definitionis esse formas. Ibi enim pro materia sumit rem existentem singularem, quæ generatur, & corrumpitur, nec in definitionem cadit: pro forma verò rem in vniuersali & abstrahente ab existentia, quæ definitur, & scitur, estque ingenerabilis, & incorruptibilis obiectiuè, vt optimè prosequitur Doct. *vbi supra.*

111. Assertio 1. materia communis est de essentia compositi communis. Hanc præter Scot. & alios prænominatos; tuetur Auic. 5. *Met. capite* 5. Atque ita vera enitet, vt opposita iam videatur antiquata obsoleta, & profligata. Probatur autem primò ex Arist. qui 2. *Phys. Titul.* 21. *&* 7. *Met.* 39. scribit, pertinere ad Physicum, agere de materia, quia totum physicum conflatur ex materia, & forma, tanquam principiis eius intrinsecis constitutiuis. Vnde Paulò antè arguit eos, qui materiam de medio tollebant admittentes solàm formam, de natura totius substantiæ materialis.

Deinde, 8. *Met. Titul.* 6. valdè commendat eos, qui in definitione totius, complectuntur materiam, & formam. Idque præmonuerat 1. *anima, Titul.* 16. Rursus, 7. *Met. Titul.* 24. *& Titul.* 33. 34. & indè astruit materiam, & formam esse partes compositi: forma autem proculdubio est de essentia totius, ergò & materia. Prætereà, 2. *Phys. Titul.* 28. *&* 5. *Met. Titul.* 2. Materia est causa intrinseca compositi, definitur enim *ibid.* id, *ex quo inexistente aliquid fit.* Amplius, 7. *Met. Titul.* 17. definitio est compositorum, composita verò essentialiter integrantur ex materia, & forma. Vndè *ibid. Titul.* 34. similitudine id declarat de syllaba, quæ sicut ex litteris conficitur, sic totum ex materia, & forma componitur. 2. totum essentiale differt à toto integrali in eo, quod totum essentiale constat partibus ipsum essentialiter constituentibus, totum verò integrale fit ex partibus ad essentiam eius minimè pertinentibus, vt manus, pedes, & cætera membra integrantia corpus animalis: totum autem physicum est totum essentiale, nemine negante, quod ex materia & forma, tanquam eius partibus essentialibus efficitur, vt patet 2. *anima*, 2. *&* 8. *Met.* 3. Materia igitur est vna ex partibus eius essentialibus.

3. Quod per se ponitur in definitione alicuius, ingreditur eius essentiam, cùm definitio sit oratio essentiæ rei declaratiua. Materia autem locatur in definitione totius, vt liquet ex locis mox citatis in quibus legitur totum esse tertium conflatum ex materia & forma: ergò materia est pars essentialis totius.

Quartò naturalis, & corporea differunt, ab incorporeis, & spiritualibus penes materiam. Ideò Deus, & Angeli qui sunt incorporei, & spirituales dicuntur immateriales & puri spiritus: at si materia in essentia naturalium compositorum non contineretur, hæc ab illis, penès materiam non differrent: si quidem ab illis ablatâ materiâ, adhuc suam totam essentiam participarent. Fingere autem aliud discrimen essentiale, est voluntarium penitùs, atque vanum, communique omnium sensui repugnans.

Quintò, si forma foret tota essentia compositi, anima rationalis, quæ est forma hominis, esset tota eius natura, nempè humanitas, sicque mortuus homo, cum persistat anima rationalis, quæ est immortalis, esset quoque humanitas, & eum homo humanitate sit homo, veluti paries albedine est albus, sequitur non mori hominem cùm non pereat eius natura, quæ est humanitas, in sola rationali consistens, secundum Aduersarios. Quod quàm falsum sit, nemo est, qui non videat, nisi pertinax, & proteruus. Accedit Arist. 7. *Met. Titul.* 36. *Anima non est animal.* Subiicit Aug. 3. *Ciuit capite vlt. Non totus homo, sed pars melior est anima: nec totus homo corpus, sed inferior pars hominis.*

Sextò, sicut artificialia constant ex materia, & forma, tanquam ex duabus eorum partibus essentialibus, ita composita naturalia componuntur ex materia, & forma, authore Arist. *cit.Titul.* 26. Hinc definiuntur per materiam, & formam, 8. *Met. Titul.* 9. Atque compositum Met. fit ex genere, & differentia, quæ se habent vt materia, & forma. Denique sacramentis assignantur materia, & forma vt partes ipsorum essentiales, vt præ aliis Docet. Scot. 4. *distinctione* 1. *q.* 2. Meritò igitur materia inter partes essentiales totius connumeratur.

112. Assertio 2. Materia singularis ingreditur essentiam compositi singularis. Defenditur à Doct. *passu præalleg. sub. B.* Et probatur 1. ex Arist. 7. *Met. Titul.* 36. *&* 39. Quemadmodum totum commune fit ex communi materia, & forma: sic totum singulare fit ex hac materia, & forma: materia autem communis est pars essentialis totius communis, ergò & materia singularis est pars essentialis totius singularis. 2. causæ vniuersales effectuum vniuersalium sunt effectrices, & singulares singularium, 5. *Met. capite* 2. Hæc autem materia, & hæc forma sunt causæ singulares intrinsecæ, veluti materia, & forma generatim sumpta sunt causæ vniuersales intrinsecæ: ergò sicut ex his fit compositum commune, ita ex illis causatur compositum singulare. 3. in serie prædicamentali conspiciuntur genera, & species, ac indiuidua: illa autem sortiuntur principia, & causas constitutiuas, & distinctiuas essentiales communes, & vniuersales: pariter ista participant causas intrinsecas, & essentiales ipsorum con-

stitutiuas:

stitutiuas: proindéque, quemadmodum composita metaphysica ex illis causis, & principiis constituuntur: ita composita physica. Cum ergò indiuiduum metaphysicum constet ex natura singulari contracta per differentiam indiuidualem, consequenter singulare physicum conflatur essentialiter ex hac materia, & ex hac forma. Denique, indiuidua vnius speciei differunt abinuicem numero: Propterea quod vnum constituitur ex hac materia, & hac forma: aliud verò ex alia materia, & ex alia forma. Concludo igitur, materiam singularem claudi essentialiter in essentia totius singularis.

113. Oppones 1. contra 1. assert. Arist. 7. *Met. Titul.* 35. *Anima est species, & ratio, & quod quid est animati:* anima autem est forma, & quod quid est quidditas: ergò per Aristotelem materia non est de quidditate totius. Conf. 1. *ex* 2. *anima* 8. & alibi non rarò: forma est quod est, & quod dat esse rei. Conf. 2. ex 7. *Met.* 9. compositum ex materia, & forma dimittendum est, quia huius substantia posterior est quidditate rei. Vbi Stagir. expressè excludit materiam ab essentia, & quidditate compositi. Conf. 3. *ex eodem lib. Titul.* 20. in conceptis sine materia idem est quidditas, & habens quidditatem, vt humanitas, & homo, qui habet humanitatem: at in conceptis cum materia differt quidditas, & habens quidditatem: si ergò secundum Aristotelem materia est causa, vt quidditas non coincidat cum habente quidditatem, euincitur in doctrina Aristotelis materiam non esse partem essentialem totius materialis. Occurrendum est, ac exponendum vnica distinctione: forma est quidditas partialis præcipua & completiua, concedo: forma est quidditas tota, & completa, nego. Hæc expositio est ad mentem philosophi, 7. *Met. Titul.* 36. scribentis, *anima non est animal, sed pars animalis.* Et 2. *anima Titul.* 10. fatetur aperte animam, & corpus esse partes animalis, non tamen esse animal, quod ex vtrisque efficitur. Potest etiam à simili confirmari de vltima differentia metaphysica speciei, quæ dicitur quidem eius quidditas non tota, & completa, sed completiua, & constitutiua, vt rationalitas est vltima differentià hominis, non autem totalis, cum homo essentialiter constet ex animalitate, & rationalitate. Ad 1. & 2. conf. idem est dicendum. Ad 3. dico, eum locum sic esse interpretandum: in abstractis à singularibus, & indiuiduis, essentia, & habens essentiam identificantur, quia adæquantur, tam enim late patet humanitas ac homo, solum verò extat discrimen in modo significandi; nam humanitas significatur, nomine abstracto, & homo, nomine concreto. Verùm singulare non adæquatur vniuersali, vt hic homo cum homine, & humanitate specificè sumpta, propter differentiam indiuidualem, per quam quidditas, siue natura communis contrahitur, & determinatur ad esse singulare, & indiuiduale. Quare præallata instantia laborat æquiuocatione, sumendo nimirum materiam partis, pro differentia indiuiduali, cuius meminit Aristoteles 1. *Cæli* 9. & 12. *Met. T.* 49.

114. Oppones 2. materia est principium, quo res potest esse, vel non, cum enim ipsi sit annexa priuatio, est causa corruptionis, & generationis rerum, 7. *Methaphysica* 32. *& indè*: quidditas autem est necessaria, æterna, & incorruptibilis, cum abstrahat ab omni existentia, ratione cuius res est in potentia proxima generationis, aut corruptionis, vt obseruaui *in* 3. *not.* Igitur materia non est pars quidditatiua totius. Conf. quidditas spectat ad definitionem, quæ est declaratiua eius: materia autem non pertinet ad definitionem totius, cum partes definitionis haud sint materiales, sed formales 7. *Met.* 35. amouenda est ergò materia à quidditate substantiæ materialis. Respondeo per distinctionem maioris. Materia est causa generationis, & corruptionis, penes suam essentiam, in vniuersali, & esse suo quidditatiuo, negò, nisi remotè, vt *loco nuper cit.* explicui: penes existentiam, & in singulari, & in potentia propinqua, concedo. Actiones quippè, vt generatio, & corruptio sunt singularium existentium. Quare, cum materia in suo esse essentiali, & quidditatiuo abstrahat ab existentia, proindéque ab actuali generatione, & corruptione, non secluditur à ratione quidditatiua. Per id quoque satisfit confirmationi. Partes namque definitionis dicuntur formales, hoc est de conceptu formali rei definitæ, vel definibilis. Ob id non excluditur materia ab essentia compositi, cum ibi non sumatur forma, prout à materia distinguitur, sed pro essentia, & natura definiti, vt aduerti in vlt. not.

115. Opponest 3. Quod non est quid, nec quantum, nec quale, nec quidpiam aliud, non est de essentia compositi: materia autem est huiusmodi 7. *Met.* 8. Ergò materia non pertinet ad totius quidditatem, & essentiam. Concedo maiorem, distinguo minorem: materia non est quid completum, & totale, concedo: incompletum, & partiale, nego. Est enim propriè substantia, patet 7. *Met. Titul.* 5. & 2. *anima* 2.

116. Oppones 4. Homo, & Brutum differunt essentialiter, cum sint alterius speciei, nec penès materiam, quam participant, cum sint eiusdem speciei in sublunaribus, & cælestibus, docente Scoto 2. *distinctione*, 14. *quæstione* 1. Ergò penès formam, atqueadeò tota quidditas rei à forma decerpitur. Respondeo licet præcipua, & specifica differentia depromatur à forma: non tamen totalis, vt indicat Aristoteles 12. *Met.* 27. Alia est materia tua, alia mea. Præsertim, quia totum est quid tertium distinctum realiter à suis partibus, vnamque sortitur differentiam essentialem totalem, ratione cuius, ab alio toto specifico distinguitur essentialiter. Sic equus irrationalitate, & equinitate ab homine differt, qui pariter rationalitate, & humanitate ab eo dissidet.

117. Opponet 5. quod fluit, & refluit in composito, non est eius quidditas, quæ semper eadem perseuerat, cum sit ingenerabilis & incorruptibilis: materia autem fluit per continuam nutritionem animalis. Per eam quippè quædam partes deperduntur, quædam verò loco earum acquiruntur, vt reparetur, quod deperditur, & restauretur animal. Ergò materia nullo modo facit ad essentiam totius. Conf. Eadem materia informari potest diuersis formis, vt liquet de iis, qui vescuntur humanâ carne: atque in Resurrectione, eadem numero materia, à diuersis animabus informabitur, cum eam habuerint anteà, dum viuerent, eamdem reassument, cum ad vitam redibunt, Distinguo maiorem; quod fluit, & refluit secundum totum, non est de essentia substantiæ materialis, concedo: secundum partes, nego. Totum enim viuens persistit in decursu suæ vitæ, licet partes eius per nutritionem perennem mutentur. Quod nedum verùm est de materia, sed etiam de forma materiali, ea alibi probandis. Eò magis, quia etsi id locum habeat in singulari, & penes existentiam; non tamen in vniuersali, & penès essentiam, cùm actiones sint

singularium

singularium existentium. Ad conf. dico, non simul sed successiuè posse eamdem materiam à diuersis formis informari:nihilominùs non sequitur, in resurrectione totam vnam materiam numero esse sub diuersis animabus simul. Quamuis enim anteà sub eis successiuè extiterit : attamen post resurrectionem spectabit ad priorem, à cuius anima priùs informata fuit, vt post Augustinum *in Ench. capite* 85. scribit Doct. 4. *distinctione* 44. *quæst.* 1. §. *de secundo O.* & §. *Ad argumenta Q.* causam reddit, per animationem ea materia propria est priori homini ; propterea, si ab homine posteriore vsurpetur, reddenda est priori, cuius, sic antè extitit possessor; quemue priùs respicit, quàm alterum subsequentem. Veluti si contingat, mulierem duos duxisse viros, adhuc ambos viuentes ; illa relinquet posteriorem, & adhærebit priori.

ARTICVLVS XI.

An materia sublunarium sit vna specie.

118. Hæc difficultas in præsentia solùm agitatur de materia sublunarium, sine corruptibilium. Nam de materia cælestium orbium, sermo erit, cùm de cælo disceptabitur. Duplex autem extat placitum in hoc articulo. Primum est Gandauensis *primo Phys. quæstione vigesima quarta*, & Zimara *Theor.* 96. arbitrantium, materiam horum omnium inferiorum esse vnam numero duntaxat. Secundum verò defenditur à Scot. *secundo distinctione decimaquarta, quæstione prima*, §. *Respondeo. sub A.* Et 3. *distinctione vigesimasecunda*, *quæstione vnica*, §. *contra ista. B.* Et 4. *distinctione vndecima*, *quæstione tertia*, §. *De secundo. H* Rich. 2. *distinctione duodecima*, *quæstione nona*. Mayr. *ibidem quæstione tertia*. Bonet. *primo Phys. capite tertio*, §. *Habetur autem*. Hurt. *disputat. secunda sect. quinta*. Arr. *ibidem*, *sect. vndecima*, *subsect. prima*: & Suarez *disputat. decimatertia Metaphysica*, *sect. quinta*, *numero octauo*, affirmantium, materiam sublunarium esse vnam vnitate specifica. Quamuis autem Authores huius secundæ sententiæ communi consensu astruant materiam corruptibilium participare vnitatem specificam ; nihilominùs inter se altercantur. Siquidem nonnulli, vt Canon. *primo Phys. quæstione nona*, *dub. sexto*, *prop. tertia* & Complut. *disputat. tertia*, *quæstione tertia*, §. *tertio*, putant, eam vnitatem specificam esse negatiuam : Alij verò, vt Faber. *Theor.* 27. & duo Iuniores *disputat.* 2. *quæst.* 4. asseuerant, præfatam vnitatem esse positiuam.

119. Not. 1. materia, quæ prima, & secunda diuersimodè perhibetur, ex dictis, *artic. primo*, *huius quæst. in fine not.* 3. Et quidem prima in se, & absolutè inspecta: secunda verò, quatenùs idoneis, & opportunis affecta est dispositionibus ad suscipiendam formam, vocari potest vna positiuè, & negatiuè. Quod enim habet entitatem, ex quâ oritur vnitas positiua, dicitur esse vnum positiuè, vt homo participat animam rationalem, per quam est quid vnum positiuè ; quod verò caret huiusmodi entitate, & principio, ex quo proficiscitur talis vnitas positiua, nuncupatur vnum negatiuè. Quo pacto, qui statuunt materiam omnis actos entitatiui, & formalis expertem, astruunt eam esse vnam specie negatiua. Idque declaratur, vt enim Deus, habens essentiam infinitam, & immensam est vbique positiuè, quia replet omnia: vniuersale verò est vbique negatiuè, quia nullo loco determinatur, sed abstrahit ab omni loco : ita si materia sortiatur entitatem realem, actualem specificam, à qua prodeat vnitas specifica, vna specie positiua decernetur : at si prænominata entitate priuetur, à qua egredi nequeat huiusmodi vnitas, vna specie negatiua censebitur.

120. Not. 2. vnum vniuersè sumptum scindi in transcendentale, & prædicamentale. Vnum transcendentale omni enti competit, quia vnum est passio entis, *quarto Metaphysica*, *Titulo tertio.* Quo pacto quod est ens, vtique vnum est huiusmodi vnitate. Vnum autem prædicamentale est, quod conuenit ei, quod in aliquo decem prædicamentorum locatur : & est triplex, *quinto. Phys. Titulo trigesimotertio*, vnum genere, specie, & numero, de quibus abundè *in Log. libro tertio & quarto*. Additur quartum, quod nominatur vnum integritatis, & continuitatis, quod congruit eis, quæ sunt homogenea, vt tota aqua maris est vna vnitate integritatis, & si omnes aquæ, quæ ab ipso mari distant, congregarentur simul in vnum locum, forent vnum prædictâ vnitate integritatis : & si partes, & portiones totius integralis ab inuicem disiungantur, sortiuntur propriam vnitatem numericam, & inter se numero dissident. Deindè, aliquid est vnum vnitate intrinseca, veluti hæc materia est vna numero, per suam hæcceitatem, ipsam contrahentem, & determinantem ad esse singulare ; vel vnitate extrinseca, sic materia dicitur vna extrinsecè per formam in ipsa receptam, eademmet actuantem, & specificantem.

121. Not. 3. iuxtà entitatem rei consequi vnitatem. Si enim res sit incompleta, & partialis, vtique eius vnitas est incompleta, & partialis : Quod si res sit totalis, & completa, concomitatur eius vnitas totalis, & completa. Cum autem materia ex dictis *supra*, sit substantia partialis, & imperfecta, ex ipsa consequenter proficiscitur vnitas imperfecta, & partialis, veluti quoque eius existentia, & subsistentia est partialis, & incompleta. Ratio huius adduci potest, quia passio nobilitate, & perfectione, naturam, & quidditatem, à qua emanat, nequaquam superat, imò ab ipsa essentia superatur, cùm sit ipsimet extranea, & consequens.

122. Assertio 1. materia sublunarium est vna specie. Ita Scot. *vbi supra*. Probatur *primo* ex Arist. *duodecimo Metaphysica*, *Titulo vigesimosexto*. Alia est materia tua, alia mea, ratione vniuersali eadem: Tua autem, & mea materia sunt singulares, & numero distinctæ, conuenientes in ratione specifica, & quidditate materiæ, veluti Petrus, & Paulus, sunt duo homines numero distincti, participantes eamdem naturam specie, quæ est humanitas. Secundò, materia 1. *Phys.* 82. definitur, definitio autem non est singularium sed vniuersalium, 7. *Met.* 53. potissimum specierum, *ibidem Titulo* 13. Ergò, cum materia definiatur, sequitur ipsam vnitate specifica potiri. Idem hauritur ex 1. *de gener.* 14. & 2. *eiusdem operis*. Tertiò, idem numero simul esse non potest in diuersis, distantibusque locis ; at si materia foret vna numero, in cunctis sublunaribus, esset simul in plutibus locis dissitis & longinquis: ergò non est vna numero, sed specie. Ma. patet, idem nequit

 esse

esse præcisum, & diuisum à seipso: Min. est in confesso, eadem numero materia esset simul Romæ sub forma Petri, & Parisiis sub forma Francisci, & sic de cæteris. Eò magis, si Deus auferret, & separaret formam, quæ est Romæ, à materia, quæ est ibi manens integra: ac etiamsi seiungeret formam à materia, quæ informatur Parisiis, persistente eadem materia; euidenter constaret eamdem numero materiam occupare ea loca dissita, & distantia. Iterùm, eadem numero materia informaretur formis contrariis, putà forma ignis, & aquæ: simulque foret in genito, & corrupto; tolleretur transmutatio naturalis, & alia absurda deducerentur, quæ reddunt prænarratam sententiam falsam, & inopinabilem, teste Canon. Præmemorato. Amplius, ex hac materia contracta cum hac forma fit hoc indiuiduum, 7. *Metaphysica* 39. Ergò ex materia & forma in communi fit compositum, quod est vnum per se. Huiusmodi autem compositum est specificum, putà ignis: ergò sicut ignis specificus habet formam specificam, ita & materiam specificam. Nam 2. *Phys. capite* 2. causa & effectus proportionantur, si genere, genere; si numero, numero. Atque si principiata, & composita differunt, quoque principia differre necesse est, siue genere, siue specie, siue numero: patet autem composita sublunaria distingui genere, aut specie, aut numero: ergò & eorum principia, inter quæ est materia, sortiuntur eadem discrimina, differentias, vel vnitates. Denique, quemadmodum ab hac, & illa forma abstrahitur ratio specifica, & quidditas formæ: sic ab hac, & illa materia præsciuditur ratio specifica, & quidditas materiæ conueniens singulis, & particularibus materiis, deque illis prædicabilis.

123. Assertio 2. vnitas materiæ specifica non est negatiua, sed positiua. Hæc proculdubio traditur à Doct. cit. post Arist. *vbi suprà.* suadetur primò: ab ente reali positiuo profluit passio positiua, vt induci potest in cunctis, & singulis entibus: materia autem est ens reale positiuum, & de essentia totius, vt probaui *in superioribus*: ergò eius vnitas specifica extat realis positiua.

Respondet Malius, & cum eo Complut. *prælleg.* §. 9. concedentes de vnitate transcendentali, & anologa: negantes verò de vnitate categorica, & specifica materiæ, quæ cùm sit expers omnis actus positiui, consequenter caret vnitate specifica positiua. Contrà, nam præterquamquod id gratis dicitur, cum æqua eluceat ratio de transcendentali, ac prædicamentali: vtraque enitas est positiua. Ergò ab vtraque prodit vnitas positiua, præsertim quia ex probatis, materia habet actum entitatiuum, existentiam, & subsistentiam realem positiuam: ergò & vnitatem realem positiuam. Iterùm, forma gaudet præfata vnitate positiua, tametsi ex ipsa educatur, atque dependeat: ergò quoque materia præfatâ fruitur vnitate. Denuò, singularis materia est vna vnitate positiuâ per suam hæceitatem, ergò & species eius possidet vnitatem positiuam: si enim Petrus est vnus vnitate positiua per peteitatem, homo quoque qui est eius species, est vnus vnitate positiua specifica ab humanitate promanante. Ergò cùm materia sit species incompleta substantiæ compositæ materialis, & eius Indiuidua participent vnitatem numericam positiuam, non est ipsi deneganda vnitas positiua specifica.

2. Omne negatiuum reuocatur ad positiuum, vt non inficiantur Antigonistæ, ergò si materiæ tribuitur vnitas specifica negatiua, huiusmodi vnitas redigenda est ad vnitatem specificam positiuam: non potest reduci ad speciem subalternam corporis, nec infimam, quia non respicit vllam speciem, nisi per formam informetur, ergò materia non caret vnitate specificâ positiuâ.

Respondent Complut. præmemorati, *numero* 37. reduci ad speciem positiuam, non quidem positiuè, sed negatiuè. Hoc est non sicut species imperfecta positiua, ad perfectam, sed veluti negatiuum, ad positiuum, negatiuè. Ratio est, quia materia suam actualitatem, & vnitatem mutuatur à forma. Quare, materia ex se, & nudè capta nullam habet vnitatem positiuam. Contrà Materia est substantia partialis, & incompleta, & respicit compositum, cuius est pars essentialis positiua: pars autem positiua redigitur ad totum positiuum: ergò non negatiuè, sed positiuè materia reuocatur ad speciem completam positiuam. Rursus, materia locatur in prædicamento substantiæ, reductiuè, vt obseruaui in Logica *libro* 3. *quæst.* 3. *articulo* 4. propterea quòd est pars speciei completæ, cum ex ipsa, per se. & forma coalescat corpus naturale, quod est vnum per se, & substantia completa; imperfectum autem positiuum reducitur ad perfectum positiuum: igitur cum materia sit ens imperfectum positiuum, reducitur positiuè ad perfectum positiuum, ac proindè eius vnitas est positiua specifica.

124. Oppones 1. Arist. 1. *Phys.* 60. & 66. ac 2. *Met. capite* 2. scribit, materiam esse vnum numero subiectum transmutationum rerum naturalium, quod manet sub vtroque extremo: huiusmodi autem subiectum est materia: ergò secundum Arist. materia est vna numero. Respondeo exponendo Philosophum sic, materia est vnum subiectum numero formarum simul, nego: successiuè concedo: siquidem hoc corpus, quod modò est subiectum animæ, post obitum animalis erit subiectum formæ vermis; & quod nunc est sub forma aquæ, postmodum erit sub forma ignis. Quare, hæc numero materia successu temporis, multis, & diuersis subest formis.

Dices, materia, & priuatio sunt vnum numero: ergò non solum successiuè, verumetiam simul materia est vna numero. Dico, esse vnum numero vnitate subiecti, & extrinseca, non verò intrinseca, de qua loquimur in præsentia.

125. Oppones 2. si materia omni formâ priuaretur, omnesque eius portiones, quæ extant in mundo in vnum confluerent, foret vna numero: ergò licet modò in multis, distantibusque locis reperiatur, ab vnitate numerica non recedit. Conf. 1. materia est terminus creationis, quæ respicit singulare. Conf. 2. quod est vnum specie, prædicatur in quid de suis indiuiduis: materia autem non prædicatur de singularibus in quid, tum quia non est quid 7. *Met.* T. 8. tum etiam quia singularia præexigunt speciem, & præsupponunt genus: nullum autem genus assignari potest, quod congruat materiæ: ergò &c. Respondeò datâ hypothesi, materia esset vna vnitate integritatis, & continuitatis; non autem vnitate numarica, vt suprà de materi expositum est. Ad 1. conf. dico terminum creationis immediatum esse singularem, mediatum verò esse vniuersalem. Idque in cæteris rebus creatis locum habet. Homo siquidem perhibetur terminus creationis, tametsi immediatè creetur hic homo, mediatè verò homo. Ad 2. conf. dico, materiam non esse quid totale, sed

partiale,

partiale, minus principale, esseque partem speciei, reducique ad genus substantiæ.

126. Opp. 5. si principiata genere, vel specie, vel numero inter se dissident, principia quoque differunt secundum genus, speciem, aut numerum, 12. *Met.* 27. Idémque præmittitur 5. *Me. cap.* 2. *T*, 9. principiata autem seu composita quædam genere, quædam verò specie, & cætera numero abinuicem discriminantur: ergò id ipsum astruendum est de materia; præsertim quia materia concurrit ad constitutionem essentialem compositorum, sicut forma: atqui forma, & composita ex vtraque sortiuntur præallatas vnitates, & differentias: ergò & materia. Eo vel maximè; quia materia suum esse depromit à forma: sicut ergò forma est vna genere, aut specie, aut numero, sic & materia. Respondeo, ea loca interpretanda esse de materia secunda, quæ variis, & diuersis dispositionibus idoneis, & proximis ad varias, & diuersas formas affecta, & induta, eas vnitates, vel differentias participat. Itaque non intrinsecè, sed extrinsecè prænominatas suscipit vnitates, vel differentias; hoc est à forma, & composito ex illis coalito.

Dices, ea Philosophi adducta testimonia in præpositis assertionibus, ad suadendam vnitatem materiæ specificam; nedum specificam, verumetiam numericam vnitatem eius inuehunt. Dico, per ea probari vnitatem materiæ primæ intrinsecam vndè acceptæ: ac vnitatem genericam extrinsecam materiæ secundæ, sumptæ cum proximis, & debitis dispositionibus præmemoratis. Ideò nihil officiunt prælatis assertionibus.

ARTICVLVS XII.

De potentia materiæ.

127. MAteriam esse in potentia ad formam recipiendam, & ad causandum constituendumque compositum, non videtur esse vlla difficultas. Dubitatur verò, quæ & quotuplex sit huiusmodi potentia, & num ad omnem formam fundatur? quæ omnia per subsequentes dubitationes decidam, & expediam.

DVBITATIO I.

An potentia sit de essentia materiæ.

128. TRiplicem nanciscor Philosophorum discrepantem dicendi modum. Vnus est Themis. 1. *Phys. digress. vlt.* Auer. *ibid. com.* 69. & Iand. *quæst.* 55. arbitrantium, potentiam materiæ esse accidens ei superadditum, & aduentitium de genere qualitatis. Alter est D. Th. 1. *Phys. T.* 79. & 1. *P. quæst.* 115, *a.* 1. *ad.* 2. eiusque discipulorum, quibus iunguntur Ruu. *Tract.* 1. *de materia, quæst.* 6. Hurt. *disp.* 2. *quæst.* 2. & alij, affirmantium, potentiam materiæ prorsus coïncidere cum essentia eius. Tertius defenditur à Doct. 2. *d.* 12. *quæst.* 1. Mayr. *ibid. quæst.* 4. Paris. 1. *Phys. quæst.* 3. *fol.* 29. Canon. *quæst* 9. *dub.* 5. & Ioanne de Magistris *quæst.* 12. *dub.* 1. asseuerantibus potentiam materiæ formaliter ab ea distingui.

129. Not. ex Scot. 4. *d.* 43. *quæst.* 3. §. *Quantum ad istum art. H.* potentiam materiæ esse duplicem, fundamentalem vnam, formalem alteram. Formalis est relatio potentialitatis materiæ realiter inhærens, per quam ipsa materia formaliter dicitur potens recipere formam. Fundamentalis verò est principium potentiale, seu radix potentialitatis, à qua scilicet emanat potentia formalis, veluti risibilitas prodit ab humanitate. Subdiuiditur autem potentia formalis in actualem, & aptitudinalem: actualis, per quam materia dicitur actu potens suscipere formam: aptitudinalis verò, per quam materia perhibetur aptitudine potens suscipere formam. Iterum, subsecatur in proximam, & remotam. Proxima, quâ materia existit affecta his, vel illis debitis dispositionibus, ad hanc vel illam formam suscipiendam. Remota verò, quâ eadem materia vndè accipitur, sine vllis dispositionibus ad formam quamcumque recipiendam. Illa perhibetur particularis: ista verò vniuersalis. Nec spernenda est partitio potentiæ in receptiuam, quâ materia recipit formam, & causatiuam, quâ ipsamet materia partialiter causat compositum. Atque fortasse inanis non erit subsectio, in receptiuam, & sustentatiuam, siquidem quamlibet formam materia recipit, sustentare verò dicitur irrationalem non autem rationalem.

130. Ass. 1. potentia fundamentalis materiæ est de eius essentia. Tenet Doct. *vbi suprà*. Probatur 1. ex Arist. 2. *animæ* 2. *Materia est potentia, forma verò est actus.* Ergò per Arist. sicut forma essentialiter est actus: ita materia fundamentaliter sumpta essentialiter est potentia. Et. 8. *Met.* inuestigans Philosophus *T.* 15. cur ex materia, & forma fiat vnum per se, reddit rationem, quia materia est per se potentia, forma verò est per se actus. Atque *in eodem lib. Titul.* 3. & 5. præmiserat duas esse partes essentiales substantiæ compositæ materialis; quarum vna est potentia, seu materia, & altera est actus, nempè forma. 2. quod in recto locatur in definitione rei; est de eius essentia, cum definitio sit instrumentum declaratiuum essentiæ rei: in definitione autem materiæ in recto ponitur potentia; vt patet *loco mox alleg.* Et 1. *Phys. capite* 9. *Titul.* 82. definiens materiam, ait esse subiectum receptiuum formæ, quod idem est, ac si diceret, eam esse potentiam capacem recipiendi formam, vt omnes interpretes eius exponunt. Hinc à Scot. & aliis rectè nominatur potentia subiectiua, veluti homo dicitur rationalis.

131. Assertio 2. potentia formalis materiæ non ingreditur eius essentiam, sed consequitur tanquam eius passio. Huic patrocinatur Doctor citat. Probatur 1. potentia formalis alicuius subiecti est potentia, & virtus, cùm de subiecto dicatur in secundo modo dicendi per se, sitque eius passio: ergò cùm potentia formalis materiæ sit huiusmodi, non est de eius essentia. 2. quod à radice, & fundamento alicuius prodit, non participat eius essentiam, cùm radix, & fundamentum præexigatur, & præsupponatur ad ea, quæ ex ipso oriuntur, & consequuntur. Atqui potentia formalis materiæ emanat ab ipsa materia, tanquàm ab eius radice, & fundamento, vt hinnibilitas ab equinitate, & risibilitas ab humanitate. Deinceps; relatio non intrat essentiam absoluti, cum ex æquo ens diuidatur in absolutum, & relatiuum: potentia autem formalis est relatio transcendentalis receptiui, ad receptum, ex Scot. *in* 4. *distinctione* 43. *quæst.* 3. *vnde I.* Ergò potentia formalis non est de essentia materiæ, quæ est ens absolutum, sed ab ea formaliter distincta, sicut passio eius, vt de omni passione tradit Doctor 2. *distinctione* 16. *quæst. vnic. D. contra, quia.* G. Denique, præfata potentia est inclinatio, & aptitudo, & capacitas recipiendi formam, quæ sanè præexigit materiam, cuius est inclinatio, & aptitudo, proindéque essentialiter non identificatur

cum ea, sed realiter duntaxat teste Scot. 4. *dist.* 49. *quæst.*10. *A.*

132. Assertio 3. potentia actualis materiæ est accidens ab ea separabile. Defenditur à Doctore 4. *distinctione* 43. *quæst.*3. *l.* §. *Quantum ad istum.* Suadetur 1. accidens definitur, quod adest & abest, sine subiecti corruptione, ex Porph. *in Isag. c. de accidente.* Potentia autem actualis adest, & abest sine materiæ corruptione. Eadem quippè manente materia, desinunt esse pristinæ, & præcedentes formæ cum suis dispositionibus, eique adueniunt nouæ; & subsequentes formæ, cùm suis proximis, & debitis qualitatibus, vt quotidiana nos docet experientia, in perenni generatione, & corruptione rerum sublunarium: igitur potentia materiæ actualis est ei accidens. Secundò, vi diuina potest materia separari, & existere sine forma, & qualitatibus eius: quâ datâ hypothesi, foret materia sine potentia, & vnione actuali cum forma: ergò prænominata potentia est ei accidens in categoria qualitatis repositum vt præ aliis obseruant Paris. præeit.

133. Oppones 1. si potentia essentialiter, aut realiter identificaretur cum materia, manente materia; maneret potentia, illa verò desinente, quoque ista desineret esse. Persistit autem materia, pereunte potentia; siquidem, adueniente forma, & materiam informante, in ipsa materia non est amplius potentia ad eam formam, alioqui illa stante, posset eam recipere, sicque bis simul eamdem habere valeret, quod repugnat. Eò magis, appetitus materiæ est ad rem non habitam, ergò habitâ formâ, cessat is appetitus, & desiderium eam habendi. Cum autem appetitus materiæ, eiusque potentia coincidere videantur, si desinit appetitus, vtique & potentia desinit esse in materia per aduentum nouæ formæ, atqueadeò potentia nec essentialiter, nec realiter cum materia identificatur. Concedo maiorem, distinguo minorẽ: de potentia proxima, & actuali concedo: de potentia remota fundamentali, & aptitudinali, nego. Cùm enim homo ridet, habet potentiam ridendi, & cùm currit, habet potentiam currendi, vt rectè contra Megarenses arguit Aristoteles 9. *Met. cap.* 3. negantes actum simul esse coniunctum cum potentia. Quare, cum agens suam operationem exercet, non amittit potentiam eam exercendi, imò tunc maximè habet, quia eam ad actum redigit, & coniungit cum actu. Ad id quod subiicitur de appetitu, dico etsi accedente formâ, cesset in materia appetitus desiderij, non tamen appetitus complacentiæ: Nec censeo appetitum coincidere cum potentia materiæ, quandoquidem potentia eius est receptiua formæ, & causatiua partialis compositi, quod de appetitu haud affirmari potest.

134. Oppones 2. potentia formalis est relatio, vt concedit Doctor *in* 4. *citat.* Respicit enim terminum, fertúrque ad ipsum, à quo specificatur. Materia autem est substantia, & pars essentialis totius substantialis, 8. *Met. Titul.* 3. Ergò cùm relatio sit accidens, non identificatur realiter cum materia. Alioquin forma reciperetur in materia mediante accidente, cuiusmodi est eius potentia formalis, fieretque vnum per accidens, quod est falsum. Respondeo potentiam formalem esse relationem non prædicamentalem, sed transcendentalem realiter identificatam cum materia, esseque accidens proprium, non verò commune, de quo est difficultas. Ideò non sequitur fieri vnum per accidens, sicut ex anima, eiusque facultatibus realiter cum ea identificatis, cum vnitur corpori, non vnitur medio accidente; nec ex ea, & corpore organico efficitur vnum per accidens. At ex accidente communi realiter à subiecto distincto, cum simul vniantur, resultat ex eis vnum per accidens.

135. Oppones 3. potentia formalis est accidens prædicamentale. In 2. enim specie qualitatis reponitur potentia, & impotentia naturalis. Ergò potentia formalis non est passio materiæ, nec realiter cum ea identificatur. Nego ant. vt enim scribit Doctor 2. *distinctione* 16. *quæst. vnic. in fine*, in secunda specie qualitatis non residet principium operandi, sed facilitas, aut difficultas operandi.

DVBITATIO II.

Quotuplex sit potentia materiæ.

136. QVi statuunt vnam numero materiam omnium sublunarium, vt retuli *art.* 11. *huius q.* consequenter censent, vnam esse numero potentiam ad omnes formas suscipiendas. At verò, qui docent materiam esse vnam specie, vtique ei attribuunt potentiam vnam aptitudinalem, & vniuersalem, ac quot sunt numero formæ in materia recipiendæ, totidem sunt numero potentiæ proximæ, & particulares, ad eas quascumque, & singulas recipiendas.

137. Assertio 1. datur in materia potentia remota, & vniuersalis indiscriminatim respiciens omnes formas. Tenent Scot. 4. *distinctione* 43. *q.* 3. *l.* & *ibid. in Report. quæst.* 4. & præmonstrauit 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *ad finem.* Vigerius, Orbel. Lych. *ibid.* Paris. 1. *Phys. quæst.* 3. *fol.* 20. Ioannes de Magis. *ibid. quæst.* 12. *dub.* 1. Tatar. *quæst.* 7. *dub.* 3. & Canon. *q.* 9. *dub.* 1. *in solutione diff.* 2. Probatur 1. ex Aristotele 1. *Phys. cap.* 9. *Titul.* 82. qui definiens materiam, inquit esse *vnum, & primum subiectum omnium formarum*: non est autem vnum numero, quia definitio non est singularium: ergo vnum specie, quod est capax recipiendi cunctas formas: huiusmodi autem capacitas est potentia vniuersalis eius. Iterum, 7. *Met. Titul.* 8. eamdem materiam describens ait esse *subiectum indifferens, & indeterminatum, ad quamlibet formam suscipiendam*, ergò cum ex se non magis inclinet ad vnam, quàm ad alteram, clarè deducitur, potentiam eius esse vniuersalem. Idipsum insinuat 12. *Met.* 27. subiiciens esse singulares materias, quibus conuenit vna ratio communis, & vniuersalis materiæ, à qua prodit potentia aptitudinalis ad omnes formas indifferens, & indeterminata.

Secundò, qualis est entitas, talis est eius passio, quia ab entitate oritur passio, vt patet de ente, cuius passio est vnitas: entitas autem materiæ est communis, & vniuersalis, cum sit vna specie, ergò eius passio, quæ est potentia receptiua formarum, est vna vniuersalis, & communis.

Tertiò, inclinatio rei sequitur rem, cuius est inclinatio, vt inclinatio ad locum sursum sequitur ignem, & propensio ad locum deorsum sequitur terram. Vna autem extat inclinatio vniuersalis ignis ad locum superiorem, & terræ ad locum inferiorem: ergò pariter materiæ extat vna inclinatio, capacitas, & potentia passiua cunctarum formarum. Quare sicut habetur in homine vna aptitudo ridendi, in equo vna aptitudo hinniendi, & sic de cæteris; ita in materia continetur vna potentia aptitudinalis ad omnes formas.

138. Assertio 2. tot numero potentiæ proximæ adaptantur materiæ, quot in ea formæ numero sunt receptibiles. Fauet Doctor cum suis, *vbi suprà & in Rep.* 2. *distinctione* 12. *quæst.* 2. quibus ferè omnes extra eius scholam subscribunt. Suadetur 1. ex 12. *Met. passu proximè alleg. Alia est materia tua, alia verò*

materia mea. Hæ autem materiæ ſingulares ſortiuntur ſuas paſſiones ſingulares, vt hic homo hanc riſibilitatem, & hic equus, hanc hinnibilitatem. Atque hæc materia, quæ nunc eſt ſub forma hominis, habet potentiam exiſtendi ſub forma vermis, & quæ eſt ſub forma vermis, poteſt eſſe ſub forma terræ, & ſic deinceps: ergò penès multitudinem formarum numerantur potentiæ materiæ, & apertius 3. *Phyſica* 10. poſſe ſanari, & poſſe ægrotari differunt, ſicut ſanari, & ægrotari. Notante Scoto, *in Rep. cit.*

Secundò, tot ſunt potentiæ numero in materia, quot ſunt eius tendentiæ naturales ad formarum receptionem, quia potentia formaliter nihil aliud ſibi vult, quam reſpectum, & relationem receptiui ad receptum, authore Scot. *in 4. cit. infra H.* Eius autem tendentiæ naturales multiplicantur ſecundum multiplicationem formarum; vnumquodque enim tendit, ferturque ad ſuam perfectionem, & complementum. Iterùm, relatio multiplicatur ſecundum multiplicationem terminorum in vno numero fundamento: potentia autem quæ fundatur in materia, terminatur ad formam, à qua ſpecificatur, determinatur, & actuatur. Deinde, ſunt in eadem materia tot appetitus, quot ſunt formæ in ipſamet receptibiles, per quas eſt perfectibilis. Denuò, vna ſpecies reſpicit omnia eius indiuidua, & ſingularia, vnus intellectus omnia intelligibilia, & vnus ſenſus omnia ſenſibilia: ergò & vna materia tot afficitur potentiis numero, quot ſunt formæ in ipſa receptibiles.

139. Oppones 1. contrà 1. aſſertionem actus, & potentia ſunt eiuſdem generis, 9. *Metaphyſica Tit.* 7. Actus autem eſt forma, potentia verò eſt materia: ergò cum forma ſit multiplex genere, & ſpecie, idipſum pariter aſtruendum eſt de materia, proindéque non eſt vna potentia materiæ remota, & aptitudinalis. Reſpondeo per interpretationem maioris, de potentia obiectiua de qua eſt ſermo in præſentia, nego. Ita exponit Doctor 2. *diſtinctione* 12. *quæſtione* 1. §. *poſitio iſta. A.* Et 4. *diſtinctione* 11. *quæſtione* 3. §. *Alij concedentes. ante X.* Et exemplificat *in Report. 2. diſtinctione cit.* de albedine, quæ eſt eadem actu exiſtens, quæ fuerat ante in potentia agentis.

140. Oppones, 2. relationes multiplicantur, penes multiplicationem terminorum, authore Scoto 3. *diſtinctione* 8. *quæſtione vnica*: potentia autem materiæ formaliter eſt relatio, ex aſſertis ſuprà, & terminus eius formalis eſt forma: ergò cùm ſint multæ formæ genere, & ſpecie, vtique multæ ſunt potentiæ materiæ genere, & ſpecie; atqueadeò non vna eſt potentia materiæ remota, & aptitudinalis. Reſpondeo argumentum concludere de vnitate, & multiplicitate extrinſeca, non autem intrinſeca, de qua loquimur. Sic vnus intellectus reſpicit intelligibilia genere, & ſpecie differentia, vnus ſenſus communis multa ſenſibilia longè inter ſe diſtantia, ac vnus viſus pléraque viſibilia multùm ab inuicem diſcrepantia. Itaque non inconuenit vnam potentiam materiæ aptitudinalem ferri ad multas formas, tùm genere tùm etiam ſpecie diſſidentes.

141. Oppones 3. potentia materiæ actualis, nihil eſt, teſte Doctore. 2. *Rep. diſtinctione* 1. *quæſtione 7. propre finem.* Et 4. *Oxon. diſtinctione* 43. *quæſtione* 3. K. cuius cauſam affert Tatar. *ad calcem* 2. *Phyſ.* quia huiuſmodi potentia perit, poſito eius termino, nempè forma, vt ſcribit Auer. 1. *Phyſ. com.* 70. Relatio autem manente eius termino, & fundamento, manet, cum ex vtriſque emergat. Si ergo nulla eſt potentia actualis, quoque ſequitur nullam eſſe eius multiplicationem numericam penès multiplicationem numericam formarum. Reſpondeo dictam potentiam nihil eſſe poſitiuum, ſi ſpectetur vt præcedit formam, ſic enim eſt priuatio formæ, qua accedente perit eius priuatio ſignificata per talem potentiam. Ita occurrit Doctor *in 4. cit. I.* quem ſequuntur Tatar. *vbi ſuprà*, & Toletus *quæſtione* 12. *ad* 1. Cæterum potentia actualis ſumpta cum capacitate materiæ actuali ad hanc, vel illam formam actuantem, & informantem ipſam, eſt quid reale poſitiuum; veluti hæc potentia ridendi in Petro, & illa potentia hinniendi in Bucephalo.

Dices, ſi vera eſt præallata reſponſio, plurificarentur potentiæ materiæ, ad plurificationem priuationum; totque eſſent potentiæ, quot priuationes. Dico, id non eſſe inconueniens, non quia forma deſignet formaliter priuationem, ſed connotatiuè duntaxat. Eò magis, quia nequit educi forma de potentia materiæ, niſi præcedat priuatio in materia. Siquidem terminus à quo generationis naturalis eſt priuatio. Vt ergò acquiratur terminus ad quem partialis præcipuus, qualis eſt forma, neceſſe eſt, procedatur à priuatione ad formam.

142. Oppones 4. ſi materia reſpiceret omnes formas futuras, & poſſibiles, cum ſint ferè infinitæ, foret infinitæ capacitatis: infinitas autem maximam inuoluit perfectionem, quæ materiæ non congruit, quæ minima eſt inter ſubſtantias: non igitur videtur inuoluere ordinem, & habitudinem ad cunctas formas. Diſtinguo maiorem: de capacitate, & potentia actiua, concedo: de capacitate, & potentia paſſiua, cuiuſmodi eſt potentia materiæ, nego. Hæc reſponſio deducitur ex Doct. 3. *diſtinctione* 14. *quæſt. vn. ad finem.*

Dvbitatio III.

Ad quaſnam formas potentia materiæ diffundatur.

143. Potentiam materiæ reſpicere omnes formas præſentes, futuras, & poſſibiles, concordant omnes Philoſophi: diſcordant verò de formis præteritis iam amiſſis, & deperditis. Complures namque, inter quos eſt Arr. *diſputatione* 5. *Phyſica ſect.* 4. negant materiam habere vllam potentiam ad formam corruptam, & iam deſtructam. E regione Scotus 4. *diſtinctione* 43. *quæſtione* 3. Baſſæus Tatar. & alij Scotiſt. *ibidem* affirmant, materiam habere potentiam ad formam præteritam, & amiſſam. Quibus adhærent Hurt. *diſputatione* 2. *ſect.* 3. Rua. *tractatu* 1. *de materia, quæſtione* 2. *dubitatione* 4. Racon. *diſp.* 5. *articulo* 3. *ſect.* 1. *memb.* 3. Et inſinuant Aur. 2. *diſtinctione* 12. *quæſtione* 1. *articulo* 5. & Patiſ. 1. *Phyſ. q.* 2. *fol.* 29.

144. Not. 1. in ſententia eorum, in quorum numero eſt Scot. cit. qui putant, quædam naturaliter poſſe reproduci, reſpectu eorum nulla extat difficultas,

difficultas, quin potentia materiæ extendatur ad formas præteritas, & deperditas; Quod an verum sit, necne ? *in libro de generatione* ostendam, & decidam: apud illos autem, qui renuunt naturali virtute, quidpiam posse reparari, viget lis in præsentia. Quare, hoc supposito placito negatiuo, inuestigatur, num in materia existat potentia, & inclinatio naturalis, ad antea&am, & semel corruptam formam; de qua re referuntur duo præallati dicendi modi inter se oppositi.

145. Not. 2. aliquid effici non posse in alio ea duplici capite posse contingere. Primò ab intrinseco, si nulla in eo reperiatur capacitas, & inclinatio, vt lignum videre nequit, quia in eo nulla inuenitur idoneitas, & propensio ad recipiendum visum. Secundò ab extrinseco, si interponatur obex, aut agens naturali vi suâ in subiectum, haud formam inducere valeat, sic in animam rationalem ab homine nequit gratia introduci, quia gratia non in hominis, sed in Dei potestate est, iuxtà illud psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

146. Not. 3. materiam trifariàm posse inspectari. Vno modo, vt est affecta idoneis, & debitis dispositionibus ad formam suscipiendam, sic vocatur materia proxima. Altero modo, nullâ habitâ congruâ dispositione, & præuiâ qualitate ad formæ receptionem, quo pacto dicitur materia remota. Tertiò, quatenus caret & dictis qualitatibus, & non inuenitur agens naturale, quod in eam inducere, aut ea educere formam valeat, quo in sensu perhibetur materia remotissima. Rursus, omittendum non est potentiam receptiuam respicere agens, & formam. Si spectet agens, nominatur naturalis, si agens sit naturale, & consueto more eam producat; & nuncupatur supernaturalis, si agens sit supernaturale, aut insolito modo eam producat. Quod si consideretur in ordine ad formam, aut ad eam inclinat, & est naturalis, aut reluctatur, & est violenta, aut nec propendet, nec resistit eius receptioni, & est neutra.

147. Assertio, potentia materiæ extenditur etiam ad formas habitas & iam amissas: defenditur à Doct. 4. *distinctione 43. quæst. 3. H. & K.* Probatur 1. anima rationalis, quæ est forma corporis humani, separata à corpore, naturaliter inclinat ad idem corpus informandum: corpus autem humanum est materia dictæ animæ: ergò materia respicit formas præteritas, & corruptas. Ma. est Augustini tum 12. *de gen. ad litt. capite* 35. tum etiam 22. *Ciuit. capite* 22. referentis Virg. 6. Æneid.

Rursus & incipiunt in corpora velle reuerti.

Et Scot. *Quol. 13. §. Ad argumentum principale. MM.* Et 4. *distinctione* 49 *quæst.* 3. *F.* apertè tradit animam rationalem à corpore seiunctam suaptè natura propendere ad vnionem corporis priùs ab ipsa informati.

Dices cum Arr. *disp.* 10. *de anima sect.* 2. animam inclinare naturaliter ad reunionem corporis, non absolutè, sed conditionatè, hoc est, si talis vnio naturaliter foret possibilis: est autem naturaliter impossibilis, quoniam nullum agens naturale eam efficere valet.

Contra, materia ex se, & intrinsecè participat huiusmodi naturalem inclinationem, vt ingenuè ibi fatetur Arr. Quod autem nullum agens creatum queat reunionem eius cum anima præstare, non obstat. Nam, nullum agens naturale potest attingere creationem animæ, cùm à Deo solo creetur & infundatur in corpus rectè organizatum, quod ad ipsam absolute inclinat. Iterum homo nequit producere gratiam & gloriam quam Deus solus elargitur, & tamen ad eam simpliciter habere potentiam passiuam, & naturalem receptiuam ostendit Doct. *quæstione* 5. *Prol.* Eò magis, quia non quæritur, vtrum detur agens naturale, quod possit reunire materiam cum forma corrupta: sed num in materiam existat potentia ad eam ? admittit autem Arr. *passu allegat.* talem potentiam in materia ad eam formam: ergò & inclinationem simpliciter, & absolutè.

2. Materia perfectibilis, & incompleta fertur ad suam perfectionem, & complementum suaptè natura: forma verò est eius perfectiua, & completiua: specificat namque, & actuat eam: ergò si amittat formam quæ perficiebat eam, manet perfectibilis, & incompleta, sicut erat prius quam formam reciperet, proindéque ad eam adhuc habet potentiam, & inclinationem.

Dices, ad impossibile nullam esse potentiam, nullamuè inclinationem: forma autem corrupta est impossibilis, quia nulla virtus creata eam quit reparare, & restaurare. Hinc Arist. in Log. *cap. de oppositis* subdit, *à priuatione ad habitum non datur regressus.* Quare materia non amplius ad formam amissam propendet. Contrà, forma deperdita non est impossibilis simpliciter, nec vllam inuoluit contradictionem, quin reproducatur, & reparetur à Deo, vt non inficiantur Aduersarij: si autem Deus eam restauret, ex ea, & materia simul vnitis fit vnum per se, non ob aliam causam, nisi quia illa est actus, & hæc potentia: ergò licet vires naturales reproductionem eius attingere nequeant: non ob id à materia tollitur potentia naturalis ad eam iterùm recipiendam.

3. Potentia materiæ aut est eius essentia, vt censent Thomist. aut eius passio, vt putant Scotist. Quocumque modo dicatur eam auferri, illa nequit ab ista, ergò ad formam deperditam adhuc inclinat materia.

Dices, potentiam materiæ formaliter includere negationem primæ productionis formæ: quoniam verò, forma corrupta fuit iam producta, ideircò ad eam ampliùs potentia materiæ non tendit naturaliter. Contrà, potentia materiæ nihil aliud sibi vult, quam capacitatem recipiendi formam: ergò absque vlla authoritate, & ratione fingitur eam formaliter includere dictam negationem, vt vis argumenti tollatur: siue enim forma nondùm sit producta, siue producta sit, manet in materia potentia ad eam recipiendam, si producatur, aut reproducatur: siquidem si Deus reproducat formam, eamque vniat materiæ, per potentiam suam materia recipiet talem formam, ergò futilis & impertinens est negatio in potentia materiæ, respectu productionis formæ, quandoquidem eâ remotâ materia semper retinet præfatam potentiam. Quod videtur olfacere Arr. *disp.* 10. *de anima cit.* inquiens materiam ea se inclinate ad recipiendam animam à corpore segregatam.

4. Post corruptionē formæ, extat priuatio eius in materia, veluti post lucem, est priuatio lucis in aëre: ergò ad eam iterum habendam fertur materia. Ant. est in ptumptu. Nam priuatio non reperitur nisi in

ſubiecto idoneo, & capaci recipiendi formam quà caret.

Reſpondet Arr. negando, tunc in materia remanere propriè priuationem, appetitum, & potentiam ad formam recuperandam. Sicut ad præteritum tempus nulla eſt potentia; ita ad formam corruptam, nulla eſt potentia materiæ. Contra inprimis, idem Author *paſſu de anima cit.* ingenuè fatetur, materiam ex ſe frui potentia ad formam iam habitam, vt corpus ad animam, nunc verò *in Phyſ. allegat* inficiatur. Deindè, materia tunc propriè eſt priuata forma, veluti eà carebat, antequam eam reciperet, etſi eam iterùm nequeat poſſidere, non eſt defectus eius, ſed agentis naturalis, non valentis eam reproducere; veluti cælum ſimpliciter eſt corruptibile, quamuis nulla virtus creata illud deſtruere queat. Denuò, licet præteritum, vt præteritum, fieri non poſſit, vt non ſit præteritum, tamen illud quod fuit præteritum, poteſt iterùm eſſe futurum, ad quod eſt potentia. Sic forma deperdita, quamuis effici nequeat quin fuerit deperdita, nihilominùs ad eam, vt poſſet redire, & reparari à Deo, eſt potentia, & capacitas in materia, eamdem recipiendi, & informa capacitas denuò ipſam informandi, vt non obſcurè indicat Doct. *vbi ſuprà.*

148. Opp. 1. omni potentiæ actiuæ naturali correſpondet potentia paſſiua naturalis, vt deducitur ex 5. *Met. Tuul.* 17. vbi Ariſtoteles deſcribit potentiam paſſiuam per habitudinem ad actiuam. Et 3. *anima* 17. ſuadet, animæ competere intellectum patientem, quia ei adaptatur intellectus agens. Deinceps, 2. *Cæli cap.* 8. ſubiicit, ſi natura tribuiſſet aſtris virtus progreſſiua, dediſſet eis inſtrumenta, quibus eam virtutem exercerent: ſed in rerum naturalium ſerie non inuenitur potentia actiua naturalis formæ deperditæ, ergò nec potentia paſſiua ad eam recipiendam. Reſpondeo maiorem pati inſtantias. Nam, in corpore humano eſt potentia paſſiua ad recipiendam animam rationalem, non tamen actiua, cum à Deo ſolo producatur, & in illud inducatur. Item in cæco eſt potentia paſſiua ad viſum, non tamen actiua. Atque in materia cæli eſt potentia paſſiua ad aliam formam, nihilominus non datur actiua creata, quæ eam poſſit educere, & præexiſtentem deſtruere. Vt autem ea propoſitio vniuerſaliter ſit vera, exponenda, & diſtinguenda eſt cum Doctor 4. *d.* 49. *quæſt.* 11. §. *Ad argumenta.* K. & *diſt.* 43. *quæſt.* 3. Et *quæſt.* 1. *Prol. ſub Q.* in ſyllabo naturæ creatæ, nego, vt palam faciunt præallatæ inſtantiæ: in tota coordinatione entis creati, & increati concedo, Deus enim omnium ſupremus poteſt omnem formam producere, & reproducere, ad quam potentia paſſiua eſt proclinis. Itaque, licet illud proloquium in multis rebus creatis verum ſit, non tamen in omnibus, niſi declaretur eo modo, quo nunc explicabam.

149. Opp. 2. potentia non tendit ad impoſſibile: formâ autem deperditâ eſt impoſſibile reparari ab agente naturali, ergò ad eam nulla eſt potentia materiæ. Concedo maiorem, diſtinguo, minorem; ab agente creato, concedo: ab agente increato, nego.

Dices, ea forma non eſſet naturalis, vt ſupponitur, ſed ſupernaturalis, quia fieret ab agente ſupernaturali. Dico abſolutè fore naturalem, quia reciperetur in natura quæ eſt materia, ad eam naturaliter inclinata: & reſpectiuè, & extrinſecè fore ſupernaturalem, quia fieret à Deo agente ſupernaturali.

150. Oppones 3. relatio non eſt, niſi ſit eius terminus, à quo ſpecificatur: potentia autem materiæ eſt formaliter relatio: & forma corrupta, quæ deberet eſſe eius terminus non eſt: ergò nec ipſa potentia eſt in materia ad illam. Diſtinguo maiorem: relatio prædicamentalis, concedo: tranſcendentalis, nego, vt patet ex dictis in Log. *l.* 3. *q.* 6. *art.* 11.

ARTICVLVS XIII.

De appetitu materiæ.

DVBITATIO I.

An materia appetat formam.

151. AVic. 1. *ſua ſufficientia* 2. & Iuſtinus Martyr *in conf. dogmatum Ariſtotelis*, negant materiam appetere formam. Quibus ſuffragari Alb. *tractat.* 3. *cap.* 17. videtur, inquiens, appetitum non eſſe in materia, ſed in dirigente, & mouente ipſam, ad formam. Affirmant verò Ariſtoteles eiuſque interpretes 1. *Phyſ. Titul* 81 nominatim Scot. 1. *diſtinctione* 1. *quæſt.* 1. *ad finem.* Et *quæſt.* 10. *quarti*, *d.* 49. § *Reſpondeo ſub* 4.

152. Not. 1. appetitum prodire à natura appetente tanquam eius paſſionem, vniuerſeque ſumptum deſcribi *inclinationem rei in bonum ſibi conueniens, & proportionatum*; Multiplicatur autem appetitus penès rerum, & naturarum multiplicitatem. Quoniam verò natura, altera eſt expers cognitionis, & altera cognitionis compos, propterea ex eis duplex naſcitur appetitus, naturalis, & elicitus. Naturalis eſt inclinatio naturæ in bonum ſibi congruum, abſque vlla præuia cognitione, ſic terra appetitu naturali appetit locum deorſum, & ignis ſurſum. Elicitus eſt, quo natura tendit in bonum ſibi conueniens, cognitione eius præexiſtente. Cùm autẽ natura cognoſcens duplicetur, ſenſitiua & intellectiua, geminatur quoque eius appetitus, ſenſitiuus, qui & animalis dicitur, & intellectiuus, qui & rationalis nuncupatur. Ille eſt *tendentia naturalis in bonum ſibi conueniens, præcedente eius cognitione*, ſic equus auenam, & bos fœnum appetunt: hic verò eſt *inclinatio & pronitas naturæ intellectualis, notitiâ intellectiuâ antecedente, in ſuam perfectionem*, ita homo ſuâ voluntate appetit honorem, Angelus felicitatem. Hoc totum tangit Doctor 1. *diſtinctione* 1. *quæſt.* 5. §. *Ex his patet.* Et indicat Gadius *Quol.* 13. *fol.* 182.

153. Not. 2. hæc tria, appetitus, deſiderium, & gaudium ſic videntur ſe habere, hocque modo differre. Scilicet appetitus præſcindit à re præſente, & futura. Deſiderium eſt de re abſente duntaxat, vt tradunt S. Bonau. 3. *diſt.* 26. *in expoſ. lit.* Et Scot. *ibid quæſt.* 31. *quæſt. vnic.* §. *Reſpondeo ſub E.* poſt Aug. *in Pſal.* 118. dicentem. *Deſiderium eſt rerum abſentium concupiſcentia. Gaudium verò, ſeu complacentia de re præſente, & poſſeſſa, qua quis fruitur, & potitur.* Huius meminit Doctor 2. *diſt.* 17. *quæſt. vnic.* & exprimit Tatar. 1. *Phyſ. quæſt.* 7. *not.* 4. & decidunt Pariſien. *ibid. q.* 2 *fol.* 29.

154. Aſſertio 1. materia appetit formam appetitu naturali. Ita Scotus 4. *diſtinctione* 49. *quæſt.* 10. §. *Reſpondeo ſub A.* allegans illud Ariſtotelis 1. *Phyſ. capite* 9. *Titul.* 81. *Materia appetit formam, ſicut turpe pulchrum & fœmina marem.* Suadetur primò: omne perfectibile appetit ſuum perfectiuum naturaliter. Vnumquodque enim propendet in bonum ſibi conueniens, vt explicui *in* 1. *not.* Materia autem eſt perfectibilis, cum ſit ſubſtantia infima,

omni

omni carens ornatu, significata per terram inanem, & vacuam, *Gen.* 1. interprete Lyr. *ibid.* Forma verò est perfectiua, vtpotè, quæ determinat, actuat, & specificat materiam: eamque quasi nudam, & obscuram, veste suâ tegit, & splendore illustrat, & vt significat Plato in Phædro. Iure ergò materia formam expetit.

Secundò, omne pulchrum, & diuinum maximè expetitur teste Plat. nunc alleg. Forma autem est quid pulchrum, & diuinum, annuente Stagir. *passu nuper allegato.* Est namque participatio quædam, & similitudo diuini esse; quia sicut omne esse est à Deo, iuxta illud 1. *Cæli capite* 9. *Tex.* 100. ab eo deriuatum est esse, his quidem clarius, iis verò obscurius; ita à forma habetur esse, secundum commune effatum: *Forma dat esse rei.* Rursus, pars cupit vnionem suæ compartis, & ens incompletum, suum complementum: materia autem est pars totius, & forma, sua compars, ex quibus totum conflatur. Atque materia est valde incompleta, & imperfecta, quæ nonnisi à forma perfici, & compleri potest: veluti materialia naturalia per formas artificiales decorantur, & collustrantur, vt insinuat. Arist. *loco cit. T.* 69. Appetit ergò naturaliter materia formam.

155. Assertio 2. Materia indiscriminatim appetit omnes formas. Tenet Doct. 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. *in fine.* Et 2. *dist.* 18. *quæst. vnic. §. contra primum infrà D.* Probatur 1. Materia definitur 1. *Phys. Tex.* 82. subiectum primum vniuscuiusque, puta formæ, vt exponunt ibi omnes interpretes Aristotelis. Ergò cum materia habeat capacitatem vniuersalem, & inclinationem communem ad omnes, & singulas formas, sequitur ipsam eas indifferenter respicere, & appetere. Secundò, materia ex se est indifferens, & indeterminata. In hoc enim differt à forma, quæ determinat, & actuat eam. Qualis autem est natura rei, talis ei correspondet potentia & appetitus, vt suprà *in* 3. *notat.* exponebam. Ergò cum essentia materiæ suapte naturâ sit indifferens, vtique eius appetitus ad formas extat indifferens. Deinceps, omnis forma est perfectio materiæ: siquidem à qualibet forma specificatur, & actuatur; ergò quamlibet indifferenter expetit: veluti materia artificialis, non magis respicit formam Mercurij, quàm Iouis, aut alterius, vt indicat Stagir. 1. *Phys. T* 69.

156. Ass. 3. Materia appetit formam, quâ caret, appetitu desiderij. Est consentanea Doct. 4. *d.* 49. *quæst.* 4 *ante D.* Et 3. *d.* 31. *quæst. vn. §. Respondeo. C.* Et dissentanea Arr: *disp.* 2. *Phys. sect.* 4. *subsect.* 1. Probatur 1. ex Arist. *cit. T.* 81. vbi explicitè inquit, materiam appetere, & desiderare formam. 2. desiderium est appetitus rei non habitæ, vt cum Aug. & Scot. cit. in 2. *not. animaduerti*: multas autem formas non habet materia, ad quas tamen propendet tanquàm eius perfectionem, & complementum; ergò eas appetit non appetitu complacentiæ, quæ est de re præsente, sed desiderij, quod extat de re non habita, & absente. Rursus, desiderium naturale fertur in bonum conueniens, & bonum est, quod ab omnibus appetitur 1. *Eth. cap.* 1. forma autem non existens in materia, est quid eius bonum, & pulchrum, vt claret *ex* 1. *assertione* Ampliùs, tot sunt appetitus materiæ, quot formæ in ea receptibiles asserente Scot. 1. *distinctione* 1. *quæst.* 1. Appetitus autem materiæ ad formam nondum in ea receptam, non est appetitus complacentiæ, cum eâ non potiatur, ergò est appetitus desiderij, cum inter vtrumque prærecensitum, non intercipiatur medium.

Dices, materiæ habentis, & possidentis actu vnam formam, satiatur appetitus, adeò vt non desideret alteram formam. Nam, cùm materia sit incompleta, & compleatur per formam, fruens actu vnâ formâ, haud aliam cupit: Proindéque, cùm semper alicui formæ subsit, appetitu desiderij, formam non appetit. Contra, materia solum participans vnam formam, prorsus non satiatur, nec extensiuè completur, nisi esset forma perfectissima comprehendens in se reliquas omnes, inquit Doctor *in* 1. *citat. in solut.* 4. Etenim eadem materia sortitur alium appetitum ad aliam formam, propterea quod multiplicatur eius appetitus, penès formarum receptibilium in ea multiplicationem: atque existente in eamet vna forma, inest quoque priuatio alterius formæ, ratione cuius illam educibilem desiderat. Præsertim quia forma futura, & possibilis est quid bonum, quod concupiscitur à materia eius experte.

157. Instabis, si materia gaudens vnâ formâ aliam desideraret, destructionem sui cuperet. Quandoquidem potiri nequit formâ futurâ, nisi præsens expellatur, cum duæ formæ non subordinatæ simul in eadem materia haud esse valeant. Dico id esse per accidens, quoniam duæ formæ simul in eadem numero materia existere nequeunt, propter earum simultaneam incompossibilitatem, vt tangit Doctor 2. *distinctione* 18. *quæst. vnic.* D. post Aristotelem 1. *Phys. Textu.* 81. Porrò, de identitate, aut distinctione appetitus à materia, eiusdemque pluralitate, idem est dicendum, quod de potentia ipsius materiæ, *in ant. art.* assertum est, mutato vocabulo potentiæ, in nomen appetitus duntaxat, vt insinuat Fuentes 1. *Phys. quæst.* 2. *dif.* 3. *art.* 3.

158. Oppones 1. contra 1. assertionem, appetitus præexigit cognitionem rei appetitæ, annuente Aristotele 1. *magnorum mor. cap.* 12. Materia autem expers est omnis cognitionis, cùm careat anima, & mente, ergò & appetitus. Respondeo maiorem valere de appetitu elicito, animali, & rationali, vt deducitur ex tex. Aristotelis *citat.* Non autem de appetitu innato, & naturali, de quo hic loquimur, cum Scot. 1. *d.* 1. *q.* 5. *in fine.*

159. Oppones 2. materia vel appetit formam, quam habet, vel formam, quam non habet. Non primum, quia nemo cupit, quod tenet, & possidet. Non secundum, alioqui tædio afficeretur, foretque sub ea violenter: nullo igitur modo materia appetit formam. Respondeo materiam appetere vtramque formam appetitu tamen differenti: siquidem appetitu complacentiæ appetit formam, quam actu participat, & appetitu desiderij formam, quâ priuatur. Nec sequitur violenter subesse formæ, à qua informatur, quoniam in oppositam formam determinatè non propendet, vt eueniret, si violenter esset sub illa. Quare cum materia ex se non magis inclinet in vnam formam, quàm in alteram, sequitur omnes indifferenter respicere, ad easque naturaliter inclinare, docente Scoto 1. *distinctione* 1. *quæstione* 1. *in solut. vult.* Et 2. *dist.* 18. *quæst. vnic. D.*

160. Oppones 3. appetitus naturalis est inclinatio rei in bonum sibi conueniens, teste Scoto 1. *dist.* 1. *in fine quæstionis* 5. At si materia appeteret formam, quam non habet, eius appetitus tenderet in malum, putà in corruptionem formæ habitæ, cum ea forma, quam desiderat, frui nequeat, nisi pereat illa, quam possidet. Nullus ergò extat appetitus in materia. Concedo maiorem, distinguo minorem: per se, nego: per accidens concedo, vt indicat Scotus *in* 2. *mox alleg.* siquidem materia per se fertur in formam in ipsam inducendam, vel educendam, & hoc bonum est illi connaturale: desitio

autem

autem formæ præexiſtentis accidit ei, propter agens non valens in eam introducere nouam formam, niſi pristina corrumpatur.

Dvbitatio II.

Quotuplex ſit appetitus materiæ.

161. Valde diſcordes apparent recentes Philoſophi in decidenda propoſita difficultate. Etenim nonnulli, inter quos refertur Sghemma 1. *Phyſ. digreſſ.* 5. *quæſt.* 6. autumant, vnum eſſe appetitum materiæ tendentem ad formam in communi, & vniuerſalem: vnum verò in particulari, & ſingulari. Nec deſunt, qui aſtruant, appetitum materiæ multiplicari ad multiplicationem formarum, tam in eſſe vniuerſali, quàm in eſſe ſingulari. Huius placiti videtur eſſe Fuentes 1. *Phyſ. q.* 2. *diſſ.* 3. *a.* 4. vulgus autem Neotericorum eſt, vnum eſſe appetitum materiæ vniuerſalem, ſpecificum, & indeterminatum, reſpicientem formam in communi, & ſingulas formas in particulari.

162. Not. 1. ex Ioanne de magiſtris 1. *Phyſ. quæſt.* 13. *ſcibili* 3. *dif.* 3. & Pariſienſ. *quæſt* 1. *fol.* 28. duplicem eſſe appetitum tactum à Scot. 1. *d.* 1. *quæſt.* 1. & explicitum à Viger. *ibid.* vnum aptitudinalem, & indeterminatum: alterum verò actualem, ſingularem, & determinatum. Primus conuenit materiæ, nudè, & ſpecificè ſumptæ, tanquam eius paſſio fluens ab eiuſdem eſſentia, realiter ipſi identificata, veluti potentia vniuerſalis, & remota eiuſdemmet materiæ. Secundus adaptatur materiæ affectæ his, aut illis diſpoſitionibus, ad hanc vel illam formam proximè recipiendam. Huiuſmodi autem appetitus realiter diſtinguitur à materia, ſicut potentia proxima reipſa diſſidet à materia, & ab eadem ſeparari valet, vt præ aliis notat Canon. 1. *Phyſ. q.* 9. *dub.* 5.

163. Not. 2. ex Pariſienſ. *cit. quæſt.* 1. materiam ſuo appetitu ferri in formam, poſſe biſariàm capi, adæquatè ſcilicet, & inadæquatè. Et quidem materia adæquatè reſpicit formam genericè ſumptam, tanquam eius complementum, & perfectionem connaturalem illi adæquatam. Inadæquatè verò proſpicit quamlibet formam particularem, per quam vnà cum ipſa conſtituitur vnum per ſe ſingulare, quod eſt compoſitum ſingulare, veluti vniuerſale ſpectat ſingularia, & nuncupatim ſpecies, indiuidua, & relatiuum, correlatiuum, vt inſinuat Ariſt. 2. *Phyſ.* 26.

164. Aſſertio, materia appetitu ſuo vniuerſali fertur ad formam, nedum penes gradum eius genericum, & ſpecificum: verumetiam penes gradum eiuſdem ſingularem, & indiuidualem. Deducitur ex Scot. 5. *Met. quæſt.* 7. §. *contrà confirmationem.* Et 1. *d.* 1. *quæſt.* 1. *a.* 4. §. *Ad* 1. *principale.* Et 4. *diſtinctione* 43. *quæſt.* 3. §. *Quantum adiſtum.* Tenent explicite Pariſienſ. *prealleg. quæſt.* 2. quibus adhærent Rum. *tract.* 1. *de materia, quæſt.* 7. *dub.* 1. & duo noſtri Iuniores *diſp.* 2. *quæſt.* 6. *a.* 1. ſuaderi poteſt. 1. ex 1. *Phyſ. Titul.* 81. Materia appetit formam, ſicut turpe appetit pulchrum: turpe autem non ſolum appetit pulchrum in communi, ſed etiam in particulari, vt pomum, & hoc pomum pulchrum viſu, & aſpectu delectabile: ergò materia appetit formam, & hanc formam, quæ reddit eam pulchram, & venuſtam. Deinde, *ibid. Titul.* 82. materia definitur ſubiectum primum vniuſcuiuſque formæ, igitur eius appetitus funditur ad omnes, & ſingulas formas, proindeque in Lieæu Ariſt. reſpicit formam in communi, ac in particulari. Atque 2. *Phyſ. Titul.* 26. materia perhibetur eſſe de genere relatiuorum, & tendere ad formam, & ad aliam formam eſſe aliam materiam. Vbi ſignificatur, materiam ordinari ad formam vniuerſalem, & particularem, vt bene infert Doct. *in Met. paſſu præmemorato.* 2. appetitus materiæ fertur ad formam, tanquam eius terminum perfectiuum, & completiuum, vt ex vtraque fiat vnum per ſe, quod eſt totum: non tantum autem ex materia, & forma vniuerſali fit vnum per ſe vniuerſale: ſed etiam ex materia, & forma particulari conſurgit vnum per ſe particulare, vt ex materia, & forma ignis fit ignis, & ex hac materia, & hac forma ignis coaleſcit hic ignis. Igitur appetitus materiæ reſpicit formam communem, & particularem. Tertiò appetitus datur materiæ, vt perficiatur, & compleatur: at non ſolum materia perficitur, & completur per formam vniuerſalem, ſed etiam per particularem: ſingulare namque perfectius eſt vniuerſali, quia vltra perfectionem eius, propriam includit, atque actiones ad ipſum terminantur, 1. *Met. in procemio.* Quartò, paſſio adæquatur ſubiecto, cuius eſt paſſio, eiſque competit, quæ illud participant, vt riſibilitas homini, & ſingularibus eius adaptatur, cum homo, & quilibet homo ſit riſibilis: appetitus autem ad formam eſt paſſio materiæ, veluti potentia eius ad eamdem, vt ſuprà monſtraui: ergò cum extet forma vniuerſalis, ad vtramque fertur appetitus eius. Addo, relationem reſpicere terminum adæquatum, & inadæquatum, vt relatio ſpeciei naturam ſpecificam, quæ eſt terminus eius adæquatus, & ſingulare eius, quod eſt terminus eius inadæquatus: ſimiliter appetitus materiæ tendit ad formam vniuerſalem, tanquam eius terminum adæquatum, & ad formam particularem, tanquam eius terminum inadæquatum, vt animaduerti *in* 2. *not.* Ampliùs, materia perficitur à forma, ſecundum eſſe ſpecificum, & indiuiduale, ergò eius appetitus completur, & ſatiatur per vtramque prænominatam formam.

165. Oppones 1. non vnus, ſed multiplex eſt appetitus materiæ, ergò eodem appetitu materia non appetit formam vniuerſalem, & particularem. Ant. affirmatur à Doct. 1. *d.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. tot ſunt apppetitus materiæ, quot ſunt formæ in ea receptibiles. Et 3. *d.* 8. *quæſt. vn.* §. *contra.* In ſubiecto ſunt plures potentiæ, ad plures formas, potentia autem materiæ, ab appetitu eius, parùm, aut nihil differre videtur. Occurendum eſt, appetitum aptitudinalem eſſe vnum, ſicut potentia ridendi in homine eſt vna, & potentia hinniendi quoque in equo eſt vna: actualem verò eſſe multiplicem, iuxta diſpoſitionum multiplicitatem, ſic exponendus eſt Scot. præcit. Et obſeruaui, & explicaui *in* 1. *not.*

166. Oppones 2. ſi materia appeteret formam ſingularem naturaliter, ſi hanc actu poſſideret, ſub alia violenter maneret: at materia violenter ſub forma eſſe nequit, ergò non appetit formam ſingularem, ſed vniuerſalem duntaxat. Nego ſequelam ma. quia violentia diſignat renitentiam ſubiecti, in quo forma recipitur: materia autem ſubſtans vni formæ, non reluctatur alteri formæ in ea receptibili, immò ad eam inclinat; propterea non manet in ſtatu violento, vt ſcribit Doctor 1. *d.* 1. *quæſt.* 1. *in fine.* Et 2. *diſt.* 18. *quæſt. vnic. D.*

167. Oppones 3. appetitus materiæ non tendit ad impoſſibile, alioqui fruſtrà eſſet: at ſi materia appeteret formas ſingulares, eius appetitus

ferretur ad impossibile, quandoquidem aliquæ formæ adinuicem sunt contrariæ, & incompossibiles: igitur materia non appetit formas indiuiduas & singulares, sed tantum communes, & vniuersales. Si concedatur maior, negatur sequela minoris. Etenim, licet simul formæ oppositæ in eadem materia existere nequeant, possunt tamen successiuè, vt patet de qualitatibus contrariis, quæ non simul, sed successiuè idem subiectum afficiunt. Itaque, ex parte materiæ nulla extat repugnantia, & impossibilitas, cum ex se sit indifferens, & indeterminata ad quascumque formas recipiendas. Sed ex parte ipsarum formarum, quæ simul sunt in eodem incompatibiles & incompossibiles, vt præclarè monstrat Doct. 5. *Met.q.7.§ pro solutione notandum.*

Dubitatio III.

An appetitus materiæ sit æqualis ad omnes formas.

168. Prior opinio est Tol. 1. *Phys. quæst.* 15 *in fine*, Arr. *disp. 2. sect. 4. subsect.* 1. & Ruuij *tract.* 1. *de materia quæst.* 7. *dub.* 2. existimantium materiam appetere æquali appetitu omnes formas, tam nobiles quàm ignobiles. Posterior opinio est aliorum, quorum nomina supprimit Ruu. præcit. Et enixè defenditur à geminis Scotis. *disp. 2. quæst. 6. art.* 2. & Pontio *quæst.* 7. *de materia conc.* 2. & aliis arbitrantibus materiam inæqualiter appetere formas, magis scilicet nobiliores, quàm ignobiliores.

169. Not. 1. & recol. ex dictis *dub. 5. huius art.* duplicem esse appetitum, innatum, & elicitum. Ille est inclinatio potentiæ appetentis, ad finem, & perfectionem suam consequendam, absque vllo actu elicito, vt bene monstrat Bassol. 4. *dist. 49. quæst. 6.* Iste verò est coniunctus cum actu elicito potentiæ appetentis, sic voluntas actu elicito prosequitur, quod sibi bonum, & conueniens est. Primus semper manet cum natura, & potentia, cuius est appetitus, cum identificentur realiter, & formaliter differant duntaxat. Secundus verò, quandoque adest, quandoque verò abest, tum quia realiter dissidet à natura, cuius est appetitus, tum etiam quia potentia appetens non semper elicit actum. Hinc est, vt appetitus intellectiuus, qui est voluntas, habeat semper appetitum naturalem, cum naturaliter consequentem, & concomitantem, qui aliud non sibi vult, quàm inclinationem voluntatis in bonum sibi conueniens, vt aduertit Tatar. 1. *Phys. quæst. 7. scibili 4. in fine.*

170. Not. 2. ex Antonio Andr. 1. *Met. q. 2. §. Respondeo.* multiplicem differentiam appetitus naturalis, animalis, & rationalis. Primò, appetitus rationalis formaliter est liber, non sic appetitus animalis, & naturalis. Secundò, appetitus animalis, & rationalis interdum nominant potentiam, interdum verò actum elicitum: at appetitus naturalis neutrum nominat, quia quodlibet ex se, absque vllo sibi addito propendet in finem suum naturalem. Tertiò, appetitus naturalis latior est animali, & rationali. Ille quippè omnibus competit, tam animatis, quàm inanimatis: isti verò solum cognoscentibus, & vita fruentibus Quartò, hi præexigunt priorem actum potentiæ cognoscentis, vt voluntas actum intellectus, & appetitus sensitiuus, actum potentiæ cognoscentis: ille autem nullum actum alterius potentiæ præsupponit, sic graue deorsùm, & leue sursùm appetit, nullo actu præcedente.

171. Not. 3. vnam formam nobilitate alteram vincere penès differentiam specificam, & gradum essentialem, vt forma ignis essentialiter præstantior est formâ terræ; & anima sensitiua, vegetatiuâ: vnam verò alteri excellere penes gradum indiuidualem, & perfectionalem, vt anima Christi Domini nobilior est animâ Iudæ. Quare inter formas, vna alteri præstat, & inter naturas forma materiæ præcellit, magisque est natura forma, quàm materia, 2. *Phys. T.* 15.

172. Assertio 1. materia magis appetit nobiliorem, quàm ignobiliorem formam: colligitur ex Scot. 4. *d. 49. quæst.* 10. §. *Respondeo. B. & dist. 50. quæst.* 5. Probatur primò, perfectibile appetit perfectionem, magis perfectibile maiorem perfectionem, & maximum perfectibile maximam perfectionem, vt ex Arist. 1. *Met. in initio*, arguit Scot. *ibidem*, exponens illud, *omnis homo natura scire desiderat.* Si omnis homo suaptè natura scientiam desiderat, ergò maximam scientiam maximè desiderat: sed Met. est maxima scientia, cùm sit scientiarum regina, & doctrinarum apex; ergò ipsam maximè cupit. Hoc autem dato, à simili sic argumentor. Materia appetit formam, sicut turpe pulchrum, & imperfectum perfectum 1. *Phys. T* 81. Ergò materia magis appetit formam nobiliorem, tanquam eius maiorem perfectionem, quàm ignobiliorem, quæ est minor eius perfectio: conseq. tenet, quia natura per se tendit ad melius, & perfectius, 2. *de gener. T.* 59.

Secundò, quod magis perficit, complet, & satiat appetitum materiæ, magis appetit materia, quia cum appetitus naturalis sit capacitas, & inclinatio ad bonum connaturale, magis bonum & perfectum, magis satiat, & terminat eius tendentiam. Hinc subiicit Doct. 1. *d. 1. quæst.* 1. *ad* 4. si foret forma perfectissima, continens virtualiter cæteras formas, veluti anima rationalis continet sensitiuam, & vegetatiuam, compleret, & satiaret prorsùs appetitum materiæ. Igitur si forma perfectissima maximè perficit, forma perfectior magis perficiet, & satiabit appetitum materiæ, quàm imperfectior. 3. materia appetit formam, vt fiat vnum per se, & vnum perfectum, quod est compositum, vt indicat Philosophus 1. *Phys. Text.* 80. ex forma autem nobiliori constatur totum nobilius, & perfectius; ergò materia magis appetit formam nobiliorem, quàm ignobiliorem. 4. materia magis appetit formam substantialem, quàm accidentalem, vt etiam fatentur Aduersarij, non alia de causa, nisi quia forma substantialis est præstantior accidentali; ergò inter formas substantiales, ea magis expetitur à materia, quæ est nobilior, & perfectior.

Nec iuuat dicere cum Pontio citat. materiam appetere formam substantialem, non quia præcisè perfectior est, sed quia per eam acquiritur accidentalis. Siquidem in sententia Aduersariorum asserentium materiam immediatè recipere accidentia, materia non suscipit formam substantialem propter accidentalem, sed potius econtrà.

Deindè, materia non perficitur per formam accidentalem, nisi secundum quid, præsertim quia susceptiuum subiectum eius est compositum, atque ex ea, & subiecto fit vnum per accidens. Addo, naturam agere propter finem, 2. *Phys. T.* 75. *& inde*; finis autem præcipuus materiæ non est forma accidentalis, sed substantialis: igitur materia receptrix non est formæ substantialis, propter accidentalem.

Quintò, appetitus elicitus tendit ad maius bonum, ergò & appetitus naturalis fertur ad perfe-

ctius-

ctius bonum , huiuſmodi eſt forma perfectior, & excellentior. Ant. patet 2. *Phyſ. T.76. & 78.* Natura per ſe intendit quod melius , aptius, & perfectius eſt.

Dices cum Pontio *vbi ſuprà* eſſe diſparitatem de appetitu elicito, ſeu libero , & de appetitu naturali. Quandoquidem agens appetitu elicito agit ex delectu , & iudicio diſcernit vnum bonum ab alio, & præfert nobilius, & perfectius ignobiliori, & imperfectiori. Verùm appetitus naturalis materiæ , nullâ præuiâ cognitione , & diſcretione vnius boni ab alio , propendet in formam , ideò æqualiter appetit tam nobilem, quàm ignobilem. Contra, libertas , quæ appetitui elicito, & libero competit , vt diſtinguitur ab appetitu naturali, non eſt cauſa , vt ille tendat in maius bonum. Nam quandoque voluntas eligit pro ſuo libitu minus bonum , immò malum , vt monſtraui in Philoſophia morali , *quæſt. 3. art. 3. l. 2.* Paritas ergo valet in hoc, quod ſicut appetitus elicitus vtplurimùm magis fertur in maius bonum ; ita appetitus naturalis propendet in bonum perfectius , & ſibi conuenientius. Ideò Scot. *in 4. diſt. 49. cit.* aſſerit voluntatem appetitu innato inclinare in beatitudinem , quæ eſt ſumma eius perfectio. Quare , iudicium & diſcretio ad maius bonum, vel minus eapetendum extrinſecè , & impertinenter ſe habent. Eò magis , quia appetitus præcisè captus eſt naturalis tendentia in bonum appetenti conueniens , ergò in maius , & aptius bonum maior eſt tendentia, præcisâ quacumque diſcretione , & iudicio , ſic grauius pondus maiori curſu˜, & velociori impetu ruit ad centrum , vt cernitur experientia.

173. Aſſertio 2. materia habens formam nobiliorem, vtique appetit ſubeſſe formæ ignobiliori. Deducitur ex Doct. *in 1. nuper alleg.* docente, in materia ineſſe tot appetitus , quot ſunt formæ in ea receptibiles. Suadetur primò , vnumquodque cupit ſuam perfectionem, vt ſuprà inculcaui : forma autem ignobilis eſt perfectio materiæ, quia ex hac , & illa fit vnum perfectum , putà compoſitum : ergò materia informata per formam nobilem, cupit formam ignobilem. Secundò, appetitus perinde eſt ac capacitas idonea recipiendi formam non habitam : materia autem exiſtens ſub formæ præſtantiori pollet huiuſmodi capacitate, cùm ſit ſubiectum receptiuum omnium formarũ, 2. *Phyſ.* 82. Ergò ſic exiſtens deſiderat formam minus præſtantem. Tertiò , niſi materia participans formam ſuperiorem, cuperet inferiorem, ceſſaret perennis generatio, & corruptio rerum ſublunarium , perpetuumque foret totum ex materia, & forma excellentiori coalitum, atque prorſus perirent, quæ formas infimas , & imas poſſident, cùm tamen eaperiamur continuatam rerum exilium generationem , & corruptionem : talem autem ortum , & interitum prouenire ab appetitu materiæ teſtatur Ariſt. 9. *Met.* 17. & præmiſerat 7. *eiuſdem operis* 25.

174. Aſſert. 3. ſi materia gauderet forma perfectiſſima virtualiter comprehendente reliquas omnes formas , terminaretur appetitus materiæ. Tenet expreſsè Scot. *paſſu proximè cit.* contrà Pontium, *vbi ſuprà concluſ. 4.* cui præiuerunt noſtri Recentes præaldudcti ad finem. Probatur primò. Ideo non ſatiatur materia exiſtens ſub vna forma, quia non perficitur , nec completur eius appetitus intenſiuè, & extenſiuè, vt oſtendit Doct. *vbi ſuprà*: per formam autem perfectiſſimam virtualiter cæteras omnes continentem perficitur , & completur eius appetitus, tam intenſiuè, quàm extenſiuè, vt tradit Scot. *2. d. 14. quæſt. 1. §. Reſpondeo. B.* Ergò prorſus materia per eam ſatiatur. Secundò , intellectus Beati videns Deum omnia formaliter , aut virtualiter continentem omninò perficitur , & ſatiatur , iuxta illud Pſal. 16. *ſatiabor , cùm apparuerit gloria tua:* pariter ergo materia prorſus ſatiatur per formam prænominatam. Deinceps , id dicitur vndequaque ſatiari , quod habet quidquid expetit , vt patet ex illo Aug. 1. *Trin. c. 5. Beatus eſt, qui habet quidquid vult* : materia autem dictâ formâ informata poſſidet quidquid deſiderat, cùm ea cunctas alias formas virtualiter capiat.

Dices, anima rationalis virtualiter continet vegetatiuam , & ſenſitiuam , & tamen vtriuſque materiæ appetitus tendit ad eas formaliter in ſe recipiendas , immò ad imperfectiores. Iterùm, forma mixti virtualiter continet formas elementorum , nihilominus forma mixti non ſic ſatiat appetitum materiæ , quin eſſe non cupiat ſub altera forma ſiue elementi , ſiue mixti. Occurrendum eſt , licet præfatæ inſtantiæ valeant de illis formis , quæ prorſus non ſatiant materiam quam informant : non tamen de forma perfectiſſima, qualis deſcribitur à Doctore , quia hæc ſupponitur omnimodè explere appetitum materiæ intenſiuè, & extenſiuè , veluti appetitus voluntatis in obiecto ſummo, & beatifico , prorſus quietatur , vt non vltrà extendatur, vt notat Viger. nuper alleg.

175. Opp. 1. contra 1. aſſertionem, materia eſt indifferens, & indeterminata ad quamcumque formam , ergò non magis appetit perfectiorem, quàm imperfectiorem. Concedo ant. nego conſeq. quia cum eius indifferentia , & indeterminatione ſtat , magis appetere nobiliorem , quàm ignobiliorem , veluti lux ſolis , & lucernæ eſt indifferens ad illuminandas omnes partes aulæ , magis tamen illuminat proximiores , quàm remotiores eius.

176. Dices, ſuperficies quæ eſt indifferens ad albedinem, vel nigredinem non plus hanc, quàm illam cupit. Item materia artificialis, quæ eſt indeterminata ad formam Iouis, vel Mercurij, non amplius ad iſtam quàm ad illam prona eſt. Ergò id ipſum dicendum eſt de materia naturali , reſpectu ſuarum formarum. Neganda eſt paritas, quoniam tam ſuperficies , quàm materia artificialis ſunt in potentia neutra ad dictas formas : at materia naturalis eſt in potentia naturali ad prænarratas formas naturales.

177. Opp. 2. contrà 2. aſſertionem, ſi materia ſubſtans formæ nobiliori cuperet ignobiliorem, ad malum tenderet eius appetitus , quia forma vilior , & imperfectior , reſpectu nobilioris eſt quid malum. Perdere quippè perfectum , vt quiſpiam imperfectum adipiſcatur , malum videtur, nedum in naturalibus, verumetiam in moralibus: ergò cum materia ſubeſt formæ perfectiori , non expetit imperfectiorem. Nego ſequelam ant. Forma enim vilis, & imperfecta , eſt ſubſtantia; ideò ſimpliciter , & per ſe eſt bona : tametſi ſecundum quid , & per accidens dici queat mala , quia vt ea introducatur in materiam , neceſſe eſt, corrumpatur præcedens nobilior, & compoſitum eius, vt indicat Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 81.

178. Opp. 3. contra 3. aſſ. nullius appetitus compleri, & ſatiari poteſt, niſi in obiecto infinito, continente omne bonum, vt præ aliis obſeruat Viger. præcit. Nulla autem forma poteſt eſſe infinita: ergò nulla forma (licet perfectiſſima) valet explere appetitum materiæ. Diſtinguo maiorem: de appetitu rationali , qui eſt capacitatis infinitæ reſpicientis Deum infinitum , concedo : de appetitu naturali, vel animali, nego. Hic enim completur in obiecto finito , & ſatiatur in formæ nobiliſſima virtualiter cæteras formas comprehendente ſi daretur.

Articvlvs XIV.

An materia sit per se cognoscibilis.

179. Materiã per se non esse cognoscibilem, tradunt Auer. 4. *Phys.com.*17. D.Th.1. *p.q.*87. & Aegid. *Quol.* 2.*q.* 13. oppositum autem tuentur Scot. 2.*d.*12.*q.*1.§. *Ad argumentum paulò ante R.* Et 3.*d.*12.*q.vn.*§. *Ad* 1.*arg.H.* Faber *Theor.* 25. Paris. 1. *Phys. q.*4.*fol.*27. Ioannes de Magistris *q.*11.*scib.d.* Tatar.*q.*7.*scib.*2. & alij *ibid.* astruentes materiam per se esse cognoscibilem.

180. Not. 1. materiam à nobis cognosci, per transmutationem naturalem vnius formæ in aliam; cum enim huiusmodi transmutatio poscat subiectum in quo exerceatur, tale subiectum nominatur materia: hacque methodo deprehenditur ab Arist. 1. *Phys.T.* 51. Et definitur ab eodem *ibidem Textu.*82.*cap.* 9. siquidem experimur, semper aliquid corrumpi, & in corruptione eius, aliquid deperdi, putà formam, & aliquid remanere, nempe materiam. Vnde arguimus esse materiam, nunc huius, nunc verò illius formæ receptricem: sicque arguitiuè, & à posteriori, cognitio materiæ à nobis comparatur, vt significat Doct. *in* 2. *cit. post I.*

181. Not. 2. aliquid esse cognoscibile, bifariàm posse capi, vno modo per se, & absolutè, penès suam entitatem, nullo alio præcognito requisito, siue sit cognoscibile à priori, siue à posteriori: altero modo comparatiuè, hoc est per ordinem, & similitudinem alterius. Idque accidit, cùm quidpiam, ita nos latet, vt à nobis cognosci nequeat per causam, aut per affectum, sed duntaxat per alterius similitudinem, & analogiam, ratione cuius manuducimur in eius notitiam, vt innuit Doct. 7. *Met.q.*2.§.*contrà de inseparabilibus.* Et *q.*5.*prope finem.*

182. Ass. 1. materia per se est cognoscibilis. Ita Scot. *vbi suprà.* Et 2. *Met. quæst.*2. & Antonius Andreas 7. *Met. quæst.* 12. Probatur primò, omne ens positiuum est per se cognoscibile, quia cognoscibilitas est passio entis, 2. *Met. T.* 4. Materia autem est ens reale positiuum, cum sit substantia, 12. *Met. cap.*2. Ergò est per se cognoscibilis. Corroboratur, omnis color per se est visibilis, cùm sit obiectum visus, ergo & omne ens est cognoscibile, cùm ens sit obiectum intellectus, materia autem est ens, & pars substantialis entis physici completi, 8. *Met.Textu.*3. Ab entium ergò syllabo per se cognoscibilium non excluditur materia. Secundò, quod est definibile, est per se cognoscibile, quia definitio est instrumentum cognitionis scientificæ: materia autem definitur positiuè, 1. *Phys.Textu.*82. & negatiuè, 7. *Met.T.*8. Ergò est per se cognoscibilia.

183. Ass. 2. materia est à nobis cognoscibilis per similitudinem & analogiam ad formam. Tenet Doct. *in* 2. *cit. propè finem eius q.* Probatur 1. ex Arist. 1. *Phys.T.* 69. & 2. *eiusdem operis, T.* 86. & 2. *de generatione T.* 53. sic disserente; sicut se habet statua ad æs, & lectus ad lignum, ita se habet forma ad materiam: à nobis autem cognoscitur æs esse materiam statuæ, lignumque esse materiam lecti: ergò per analogiam artefactorum, cognoscitur à nobis materia. Vt enim ars in suis operibus præsupponit materiam: sic & natura ad sua opera obeunda præëxigit materiam: ex hac igitur similitudine artefactorum, deuenimus in cognitionem naturalium, vt aptè exponit Auer. textum 69. *primi Phys.* Suadetur secundò, forma est magis à nobis cognoscibilis, quàm materia: non cognoscitur autem à nobis forma, nisi per operationem, ergo nec materia: sed effectus materiæ est sustentare formam, & vnà cum ipsa causare compositum: igitur materia à nobis cognoscibilis est per habitudinem ad formam. Maior est conspicua. Minor est in promptu, quia ex noua, & diuersa operatione, arguimus nouam & diuersam formam: pariter, ex noua transmutatione, cum idem persistat subiectum, venimus in notitiam materiæ, quæ est dictum subiectum. Denuò, sunt duo principia contraria, quorum contrarietas exerceetur in communi subiecto, quod vocatur materia. Ampliùs, ex forma accidentali sensibili cognoscitur eius subiectum, iuxtà illud 1. *anima T.* 11. *Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendam substantiam.* Plane infertur, nos venari cognitionem materiæ ex habitudine, & analogia ad formam.

184. Opp. 1. ex 3. *de anima T.*9. & 7. *Met.c.de partibus definitionis*: Philosophus recensens per se cognoscibilia, meminit quidem formæ, & compositi, non verò materiæ. Immò 7. *Met. T.* 35. subiicit, materiam per se ipsam esse ignotam. Accedit Aug. *l.*20.*contra Faustum cap.*14. *Materia prima nec sentiri, nec intelligi per se ipsam potest.* Respondeo ad duo priora loca, Arist. quidem affirmare formam, & compositum à nobis cognosci, non verò asserere materiam à nobis ignorari. Quare vnum affirmat, & alterum non negat. Argumentum autem depromptum ab authoritate negatiua non concludit. Ad postremum ait Doct. *in expositione eius text.* & 3.*d.*12.*quæst.vn.*§.*Ad* 1.*arg sub H.* Materiam vocari ignotam, quia non est prima nec potissima ratio cognoscendi, sed forma quæ est causa cognoscendi materiam eo modo, quo suprà dictum est. Per idem satisfit Aug. qui difficultatem eius cognitionis significans *l. de natura boni cap.* 18. scribit materiam per nullam speciem, sed per priuationem omnis speciei, cogitari vix posse. Et 12.*conf.c.*5. nos conari, materiam cognoscere ignorando, vel ignorare noscendo.

185. Opp. 2. quod est proprium formæ, non est tribuendum materiæ: sed cognosci ab intellectu est proprium formæ, ergò non adaptatur materiæ. Maior patet. Minor ostenditur, recipi in subiecto, terminare, & informare subiectum competit formæ. Ob id subiungit Arist. 3. *anima. T.* 6. *Anima est locus formarum.* Concedo maiorem, nego minorẽ, omni quippè enti conuenit cognoscibilitas, 2. *Met. T.*4. Ad testimonium Philosophi dico, esse exponendum de formis intentionalibus, cuiusmodi sunt species intelligibiles.

186. Opp. 3. quod non est actus, nec habens actum, non est per se cognoscibile, quia potentia est quædam latentia & occultatio: materia autem est potentia, 8. *Met.T.*5. nullum actum participans, ergò non est per se intelligibilis. Potest negari maior, quia ens quod diuiditur in ens actu, & ens potentia, 6. *Met.T.*4 & 9. *eiusdem operis T.* 1. est per se intelligibile. Quod si detur maior, distinguenda est minor: materia est potentia subiectiua, nullum habens actum formalem, concedo: est potentia obiectiua nullum participans actum entitatiuum, nego: sic testimonium Philosophi adductum interpretandum est.

ARTICVLVS XV.

An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

187. VVlgus Philosophorum, cum Arist. 1. *Phys.c.9.T.* 82. concedit materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem terminatiuè, & obiectiuè: generabilem verò, & corruptibilem subiectiuè. Hic autem loquendi modus licet sit communis Thomistis, & Scotistis, tam veteribus, quàm recentibus; nihilominus non placet duobus nostris Iunioribus *disp.2.q 8.art.* 2. vt autem veritas sua eniteat, & vulgatus dicendi modus, tanquam verus, & germanus appareat.

188. Not. 1. *ex 5. Phys.T.* 4. & 1. *de gener.T.*23. generationem esse transitum, seu mutationem de non esse, ad esse subiecto præsupposito, & corruptionem esse mutationem ab esse, ad non esse, remanente subiecto. Hinc non obscurè deducitur, generabile obiectiuè, siue terminatiuè nihil aliud sibi velle, quàm esse obiectum, siue terminum generationis; adeò vt, quod transit de non esse ad esse, sit generabile; & quod transit ab esse, ad non esse, sit corruptibile. Huiusmodi autem terminus est duplex, scilicet terminus quo, & est forma, & terminus quod, & est compositum. Quoniam verò materia postquam creata est à Deo semper manet, & perpetuò durabit, propterea ingenerabilis, & incorruptibilis perhibetur. At verò generabile, & corruptibile subiectiuè est quod præexigitur, & subiicitur generationi & corruptioni, & hoc nuncupatur materia, in qua fit transitus de non esse ad esse, & de esse, ad non esse, ipsa semper persistente, & permanente, vt præclarè edisserit Arist. 1. *Phys.T.* 80. & 82. & alibi non raro. Hunc sensum amplectuntur communiter, hancque doctrinam libenter confirmant Scot. 7. *Met. quæst.* 8. & 10. Et 1. *Rep.d.5.q.*2. Antonius Andr. 7. *M t.q.* 9. Canon 1. *Phys.q.9.art.1.dub.*1. Parisiens. 1. *Phys. q.vlt.* Ioannes de Magistr. *ibid dub.*1. *Tatar. q.* 7. *sensibili* 3. Rich. 1.*d.*12.*q.*2. Bon. 1.*d.*8.*q.*1.*a.*1. Th. 1.*p q.*46.*a.* 1. Et cæteri omnes præter duos nuperos præalleg. qui communi sensui se opponentes, putant Arist. loqui de generatione, & corruptione actiuè, & non passiuè, in ratione productionis, vel destructionis, sicque existimantes alios falli, falluntur ipsi. Explicitè namque dicti Authores materiam esse subiectum commune omnium generationum naturalium, & corruptionum affirmant, non autem esse subiectum, aut terminum earum, & ab eis, quatenùs in ea tanquam in subiecto communi denominari generabilem & corruptibilem. Legant solùm præadducta loca, & euidenter conspicient veritatem vulgati proloquij. Addo ex Aug. 5. *Trin.c.*7. *&* Scot. 3.*d.*6.*q.*1. *D. Cùm res constat, non est vis facienda in nomine.* Subiicio ex Bartolo *in l. de nom. § plurimum. In quæstionibus de nomine, communis opinio facit veritatem.* Cum ergò dicti Recentes liberè fateantur, per distinctionem *in initio huius art.* allatam, hanc dirimi, & solui difficultatem, de vocabulo, & loquendi modo, haud curandum est, præsertim, cùm sit assertum Scot. cuius doctrinam se profiteri palam prædicant.

189. Not. 2. generationem, & corruptionem bifariàm accipi. Primò latè, & impropriè pro quacumque productione, seu inceptione & desitione: sic tam ea, quæ propriè creantur, & annihilantur, quàm alia, quæ alio modo prodeunt in lucem, & desinunt esse, perhibentur generari, & corrumpi. Huius acceptionis mentio fit Gen. 2. *Hæ sunt generationes cæli, & terræ.* Et indicatur 1. *Cæli T.* 111. & 113. Secundò, angustè, & propriè pro progressione substantiali à non esse ad esse, subiecto manente: & ab esse ad non esse, persistente eodem subiecto, & vocatur generatio naturalis, & corruptio, notante Ioanne de Magis. nuper alleg. Hanc geminam acceptionem subit verbum, *fit*, & quidem primam, vt Gen 1. *Fiat lux* Et 1. *Phys.T.*58 *Ex immusico fit musicus.* Et 1. *de gener.* 13. *Ex tota gemmuta fit sanguis.* Secundam verò, *Gen.* 2. *Factus est homo in animam viuentem* Et 1. *Phys.T.*64. *&* 8. *Met.T.*8. *solum compositum fit, idest generatur.*

190. Ass. 1. materia obiectiuè est generabilis, & corruptibilis lato sumpto vocabulo. Deducitur ex Scot. 2.*d.*11. *q.*1. *§. dico igitur.* Et fauet expressè Ioannes de Magis. *passu memorato.* Probatur 1. ex sacra pag. Ioan. 1. *omnia per ipsum facta sunt.* Materia autem est facta, siue creata, vt probaui *art.* 4. *huius q.* Ergò antequam fieret, erat factibilis, & producibilis, & generabilis, & corruptibilis, lato sumpto vocabulo. Secundò, omnia præter Deum prædicto modo sunt generabilia, & corruptibilia. Solus quippe Deus est summè necessarius, improducibilis, & incorruptibilis: ergò cum materia in serie rerum creatarum resideat, sequitur, sic esse generabilem, & corruptibilem. Huc quoque pertinent, quæ attuli *tract. de creatione disp.*1.*q.*17. vt ostenderem Deo excepto, omnia esse causabilia, & factibilia etiam per Arist.

191. Ass. 2. materia est generabilis, & corruptibilis subiectiuè. Tenet Doct. 7. *Met.q.*10. Probatur 1. ex Arist. 8. *Met.T.* 4. vocante materiam sublunarium generabilem, & corruptibilem. Et 3. *Phys.T.*6. definiens motum, exemplificat de generatione & corruptione. Generatio est actus generabilis, vt generabilis est: & corruptio est actus corruptibilis, vt corruptibilis est: quod autem recipit huiusmodi actus est materia: ergò in schola Peripatetica materia est generabilis, & corruptibilis subiectiuè. Secundò, forma inexistens subiecto formaliter, denominat subiectum in quo inexistit, vt patet de albedine hærente in pariete, denominante ipsum album: generatio autem, & corruptio formaliter sunt in materia, cum materia sit commune subiectum generationis, & corruptionis, 1. *Phys.T.*82. Ergò denominant ipsam generabilem, & corruptibilem: atque ita materia est generabilis, & corruptibilis. Tertiò, quidquid mutatur à non subiecto in subiectum, est generabile, cum generatio sit mutatio à non subiecto in subiectum, 5. *Phys.T.*7. Et quod mutatur à subiecto, in non subiectum, est corruptibile, quia corruptio est mutatio à subiecto in non subiectum, *ibid.* Materia autem mutatur de non subiecto, in subiectum, vt à non aqua ad aquam: & à subiecto in non subiectum, vt ab aqua, ad non aquam: ergò materia subiectiuè est generabilis, & corruptibilis.

192. Ass. 3. materia est ingenerabilis, & incorruptibilis terminatiuè. Defenditur à Doct. 7. *M.t. q* 8 *& in Report. præalleg.* 9. Et 1.*d.*1.*q.*3.*§. Ad 1. arg. principale sub* K. estque expressa doctrina Arist. 1. *Phys.T.*82. suadetur primò, omni generationi, & corruptioni subiicitur materia: & agens naturale non agit, nisi in præiactam materiam. Ideò describitur 2. *Phys.*28. & 5. *Met.* 2. Ex qua inexistente aliquid fit. Quod enim generatur, ex materia gignitur, & quod corrumpitur, in materiam resoluitur, 1. *Phys.T.* 82. Igitur materia est ingenerabilis, & incorruptibilis terminatiuè. Secundò, quod est creabile, & annihilabile, est ingenerabile, & incorruptibile terminatiuè, vt patet de Angelo, & anima rationali: materia autem est creabilis, immò de facto creata est in mundi exordio, vt ostendi *art.*4.

art.4.huius q Tertiò, terminus generationis, aut est totalis, aut partialis: materia non est terminus generationis totalis, quia est compositum: nec partialis, quia est forma. Igitur materia est ingenerabilis terminatiuè. Eò magis, generatio, & corruptio rebus sublunaribus, vtplurimum accidunt ex contrariis & repognantibus: materiæ autem nihil est contrarium, immò ipsa libenter contrariorum est commune subiectū, & omnium formarum fundamentum, non ergò est generationi, & corruptioni obnoxia.

193. Opp.1. contrà 3. aff. *ex 7. Met.T.22. Et 8. eiusdem operis T.4* Materia horum inferiorum perhibetur generabilis, & corruptibilis: ergò postrema assertio pognat Arist. Respondeo per allatam distinctionem, materia est generabilis, & corruptibilis subiectiuè, & denominatiuè, concedo: obiectiuè, & terminatiuè, nego. Ita exponenda sunt Philosophi testimonia præadducta.

194. Opp. 2. quod est causa generationis, & corruptionis, est generabile, & corruptibile: materia est huiusmodi, ergò &c. Maior fulcitur illo axiomate *1.post.c.2. propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Compositum est corruptibile propter materiam aliam formam appetentem, ergò ipsa magis est corruptibilis. Minor est Arist. *1. Phys. T.* 80. Materia formâ exuta machinatur maleficium, porà compositi corruptionem. Distinguo maiorem, in causis vniuocis, & efficientibus, concedo, vt si manus est frigida, propter gelu, gelu est magis frigidum: in causis æquiuocis, & materialibus, nego. Non enim sequitur, homo est ebrius propter vinum: ergo vinum est magis ebrium. Ita exponitur maxima Philosophi.

195. Opp. 3. quod potest in perfectius, potest & in imperfectius. Nam quod potest maius, potest & minus, vt constat ex loco à maiori ad minus: agens autem naturale potest agere in compositum, ipsum generando, & corrumpendo, quod est perfectius materia: ergò quoque potest generare, & corrumpere materiam. Corroboratur. principiati corruptibilis, principia sunt corruptibilia, cum ergò totum sit corruptibile, eius principia, in quorum numero statuitur materia, sunt corruptibilia. Ant. est Arist. *1. Cali, 6* 1. deinde, generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, 1 *de gener.* 54. Ergò si totum corrumpitur, cuius altera pars est materia, vtique ipsa materia corrumpitur. Distinguo maioré, si fuerit eiusdē rationis, & intra sphæram eius actiuitatis, cócedo: quod si extiterit diuersæ rationis, & extrà sphæram eius actiuitatis, nego. Non enim sequitur, homo generat hominem, qui est perfectior cane, ergò & gignet canem, qui est eo imperfectior. Ad distinctionem maioris, distinguenda est minor. Ad conf. negatur ant. vniuersaliter, ad eius probationem. dico effatum Philosophi esse indefinitum. Nam licet illud verùm sit de forma, & priuatione, non tamen de materia: sicut principia sunt contraria, putà forma, & priuatio, sed non materia.

Ad aliud, quod subiicitur, dico id esse intelligendum, quoad tertiam entitatem, quæ tota corrumpitur, & alia noua generatur tota: non autem quoad omnes partes; quædam enim persistit, quæ est subiectum commune generationis, & corruptionis, vt notat Arist. *1. Phys.* 60. Et 8. *Met.c.5.* Et Scot. *4.d.11.q.1.§. De primo. A.* Et Antonius Andr. *ad finem exp.6.princ.*

196. Opp.4. incorruptibile dignitate præcellit corruptibili, sicut immortale, mortali, & perpetuum temporaneo: forma autem, & compositum præstantiora sunt materia, cum hæc sit ens infimum, & defæcatum: ergò materia non est incorruptibilis, alioqui perfectione, & dignitate vinceret formam, & compositum, quæ sunt corruptibilia. Distinguo maioré: simpliciter, nego: secundum quid; concedo, vt patet de cælo, quod est incorruptibile, cui quodlibet viuens animatum præfertur, tametsi illud sit incorruptibile, istud verò corruptibile. Itemque elementū secundum totum est incorruptibile, quod postponitur mixto corruptibili.

Dices, materia indiget forma, vt existat, & subsistat, cum sit substantia partialis, & imperfecta, ergò si omni forma priuaretur quod præstare Deus potest, periret, & corrumperetur, ergò à corruptione non est aliena. Dico quamuis ex ordine rerum creatarum à Deo præfixo, materia numquam sit absque forma, & expleatur eius appetitus, per formam ac perficiatur: nihilominus data hypothesi, concursu Dei generali per se existeret, cùm gaudeat propria existentia, & subsistentia, vt ostendi *art.6. & 7. huius quæst.*

ARTICVLVS XVI.

Quænam sit radicalis causa corruptionis rerum naturalium.

197. CVm perennis rerum interitus, & corruptio continua cernatur à nobis, libet inuestigare, & perscrutari, quænam sit eius causa originaria, an forma? vel materia? vel aliud quidpiam? A contrariis impeti, & corrumpi sublunaria censet Auic. *1. suff.cap.3* Auer. verò *l.de substantia orbis*, à contrario, & materia, rerum exitium prouenire putat. At Canon. *5. Phys.q.9.a.2. dub.2* & Ioannes de Magistris *ibid.quæst.13.dub.2.* existimant corruptionem, & perditionem compositorum à forma ortum ducere: à sola autem materia radicem corruptionis oriri tradit communis Philosophorum cætus cum Arist. *1. Phys.c.9. T.81.* Non refero hic varios modos, & gradus corruptionis à me explicitos in Morali *l.5.q.2.art. 50.* Tantum animaduerto ex Arist. *l.de longitudine, & breuitate vitæ*, & Scot. *5.Rep.d.12.q 1.* principium & causam corruptionis esse duplicem, actiuam, quâ corrumpens corrumpit corruptibile: & passiuam, quâ corruptibile corrumpitur. Deinde diuiditur in intrinsecam, quâ aliquid habet internum principium corruptionis, & extrinsecam, quâ aliquid ab externo principio corrumpitur, & subdiuidi potest in primariam, quæ est prima origo corruptionis; & secundariam, quæ subsequitur, & consequitur primam radicem eius. Rursus in remotam quâ aliquid caret præuiis dispositionibus ad corruptionem: & in proximam, quâ aliquid participat idoneas qualitates ad corruptionem. Amplius in subiectiuam, quâ subiectum subiicitur corruptioni: & obiectiuam, quâ aliquid est obiectum, siue terminus corruptionis. Denique moneo omnes ferè istas causas corruptionis ad vnam fontalem, & radicalem reuocari, quæ intrinseca est: siquidem non foret corruptio extrinseca, nisi esset intrinseca, non enim principium actionum ageret in subiectum, nisi ipsum subiectum foret capax recipiendi eius actionem, pariter, corrumpens nihil corrumperet, nisi subiectum eius subiret corruptionem, annuente Doct. *2.d.32.q.5. & 3.d.12.q.vn.§. Rationes. ante.C.*

198. Aff. fons, & prima radix corruptionis rerum naturalium est materia priuatione induta. Tenet Doct. mox alleg. cum suis discipolis *ibid.* Probatur 1. ex Arist. *1. Phys.T.* 80. Materia priuata formâ machinatur maleficium, id est corruptionem compositi, vt exponunt ibi eius interpretes.

Secundò

Secundò quæ ſunt immaterialia, ſunt incorruptibilia, vt Angelus, & anima rationalis: quæ verò ſunt materialia, ſunt corruptibilia: ergò materia eſt origo, & cauſa corruptionis.

Dices, cælum eſſe materiale, compoſitum ſcilicet ea materia, & forma, & tamen eſt incorruptibile, 2. *cæli T.* 1. Non ergò prima, & adæquata ratio corruptionis eſt materia. Occurrit Scot. 2. *d.* 14. *q.* 1. & 4. *d.* 49. *q.* 6. §. *Hic duo ſunt ſub B.* cælum remotè, & ſimpliciter eſſe corruptibile: proximè verò, & ſecundum quid eſſe incorruptibile, propterea quod non inuenitur vllum agens naturale, quod valeat vincere eius virtutem, & ipſum corrumpere.

Tertiò, materia appetit formam, quâ caret, tanquàm eius bonum conueniens: eam autem nequit poſſidere, niſi ea, quâ fruitur, corrumpatur, quæ non corrumpitur, niſi totum corrumpatur. Iterùm, materia eſt in potentia contradictionis, ad eſſe ſcilicet, & ad non eſſe, 7. *Met. T.* 22. & alibi frequenter. Habet enim capacitatem recipiendi formam, quâ priuatur, veluti locus eſt capax recipiendi locatum. Eò magis, quia materia recipit contraria, quorum vnum ſimul cum altero non compatitur, ſic recedente formâ, accedit priuatio eius: quod autem recipit, quod alteri obeſt, & nocet, eſt cauſa eius interitus, & corruptionis; cùm ergò materia ſit commune receptaculum principiorum contrariorum, putà formæ & priuationis, 1. *Phyſ. T.* 68. Indubie ergò materia eſt radix corruptionis.

199. Opp. 1. vbi non eſt contrarium, ibi nulla extat corruptio, 1. *Cæli T.* 20. & *l. de long. & breuit. vitæ.* Materiæ nihil eſt contrarium 1. *Phyſ. T.* 67. Ergò non eſt cauſa corruptionis. Conf. materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, ea aſſertis *in ant. art.* Ergò non eſt corruptionis origo. Reſp. ma. valere de corruptione prodeunte ab extrinſeco, non verò de corruptione manante ab intrinſeco, de qua verba facimus in præſenti. Ideò Scot. nuper cit. ait, cælum ideò de facto eſſe incorruptibile, quia non reperitur vllum agens naturale quod vi ſuâ queat illud corrũpere. Ad conf. concedo ant. diſtinguo conſequens, ex ſe, & abſolutè concedo, iuncta cum priuatione & ſuâ potentialitate, nego, vt declarat Doct. 3. *d.* 22. *q. vn. ante C.*

200. Opp. 2. quod eſt cauſa mutationis, eſt cauſa corruptionis, quia corruptio eſt mutatio, 3. *Phyſ. T.* 6. ſed forma eſt cauſa mutationis, 1. *Phyſ. T* 68. ſiquidem, cum forma informat materiam, generatur compoſitum, & eum in ea perſiſtit, conſeruatur totum: at verò, cum ſeparatur, & abeſt, corrumpitur totum, vt fatetur Philoſophus *paſſu proximè alleg.* Ergò forma eſt cauſa corruptionis. Conf. ſi forma præcedens compateretur ſecùm formam ſubſequentem, nulla contingeret corruptio, quia nulla foret mutatio: ergò cùm accidat corruptio per ſeparationem aut deſitionem formæ, infertur planè formam cauſare corruptionem. Concedo ma. diſtinguo min. primaria, & radicalis, nego: ſecundaria, & per accidens, concedo. Vt enim nauta per ſui præſentiam eſt cauſa conſeruatiua nauis, & per ſui abſentiam eſt cauſa eius ſubmerſionis, vt tangit Ariſt. 2. *Phyſ. T.* 50. & recipit Doct. 2. *Rep. d.* 14. *q.* 1. ſic adſente forma, conſeruatur, abſente verò corrumpitur. Ad conf. idem eſt dicendum, etſi enim permanente formâ, compoſitum non ſit primaimè corruptibile, eſt tamen corruptibile remotè, propter potentiam contradictionis, quæ extat in materia, vt ex Ariſt. & Scot. præcit. firmatum eſt.

201. Opp. 3. ſi forma plenè expleret appetitum materiæ, non accideret corruptio, quæ contingit, propterea quod per formam non ſatiatur appetitus materiæ. Hinc ſubdit Doct. 1. *d.* 2. *q.* 1. ſi daretur forma perfectiſſima, continens virtualiter cæteras formas, ceſſaret deſiderium materiæ: ergò à forma non ſatiante appetitum materiæ, deriuatur corruptio. Conf. forma ex dictis eſt generabilis obiectiuè, & terminatiuè, cùm ſit obiectum, & terminus quo generationis; ergò quoque eſt corruptibilis terminatiuè, ac proinde cum ſit poſſibilis, & in potentia contradictionis, ſequitur ipſam eſſe originem corruptionis. Reſpondeo data hypotheſi, quamuis actu non eueniret corruptio, foret tamen potentia: quandoquidem maneret radix eius, quæ eſt inſeparabilis, & intrinſeca materiæ, quæ eſt eius potentia contradictionis, vt ex 2. *de gener. T.* 51. notat Scot. 2. *d.* 12. *q.* 1. *infrà A.* Exiſtans quippè materia ſub illa forma perfectiſſima, etiam quiret eſſe ſub alia forma, vel æquali, vel inferiori, proindèque à corruptione non eximeretur. Ad conf. concedo quidem formam eſſe corruptibilem terminatiuè: nego autem ipſam eſſe primam originem corruptionis, de qua extat tota contentio.

Articulus XVII.

An materia ſit tantum paſſiua.

202. Materiam nulla prorſus actiuitate gaudere, arbitrantur nonnulli, apud Mayr. 2. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 5. quos ſequuntur Tol. 1. *Phyſ. q.* 11. Ruu. *tract.* 1. *de mat. q* 9. & Vaſquez 1. *p. diſp.* 196. n. 13. E regione Manichæi relati ab Aug. *lib. de natura boni cap.* 18. omnium corporum effectricem materiam ſtatuunt; immò quidam eam eſſe Deum omnium rerum opificem, ſuſpicantur, teſte Th. 1. *p q.* 3. *art.* 8. Cæteri verò, vt Scot. 3. *d.* 12. *q.* 1. & 2. *d.* 14. *q.* 1. Mayr. præcit. Arr. *diſp.* 2. *Phyſ. ſect.* 9. & Pont. *ibid. ad finem diſp.* 32. ſic paſſiuam faciunt materiam, vt tamen ab ipſa non omnem actiuitatem adimant.

203. Not. 1. non vnum eſſe dubium de actiuitate materiæ. Inueſtigari namque poteſt, num materia ſit origo, & cauſa ſuarum paſſionum? deinde, vtrùm actiuè ſe habeat ad educendam formam, quæ de eius potentia educitur. Rurſus, an concurrat ad generationem totius? deinceps, ſitne partialis cauſa operationum, quæ à toto proficiſcuntur? denique, vtrum effectiuè moueat intellectum ad ſui notitiam, ſicut præſtant cætera obiecta cognoſcibilia.

204. Not. 2. ex Doct. 1. *poſt. q* 25. §. *Ad quæſtionem reſpondeo.* Duplicem eſſe cauſam, alteram agentem per tranſmutationem, ſic planta flores, & arbor producit fructus ſuos: alteram per emanationem, quo pacto riſibilitas ab humanitate, & Diuina attributa à Diuinitate prodeunt. Iterum, cauſa ſcinditur in phyſicam, ſeu realem, quæ extra ſe effectum emittit, vt ignis calorem: & in intentionalem, quæ in ſe recipit operationem ab ipſa productam, ita intellectus producit intellectionem, quæ actio intentionalis nuncupatur, ex alibi aſtruendis, & declarandis.

205. Not. 3. inter paſſiones materiæ, has eſſe præcipuas, ingenerabilitatem, & incorruptibilitatem, perpetuitatem, & paſſibilitatem, appetibilitatem formarum, & cognoſcibilitatem per earum analogiam, quæ ſatis ex ſuperioribus pateſcunt, exponunturque à Recentibus, nominatim Ruu. & Arr. præalleg.

206. Aſſ. 1. materia eſt ſuarum paſſionum cauſa. Deducitur ex Doct. tum 2. *loco cit. & ibid. d.* 16. *q. vn.* tum etiam 4. *diſtinctione* 12. *q.* 3. §. *Dico ergò ſub E.*

Et distinctione 13. *quæst.* 1. §. *De tertio art. antè CC.* Suadetur 1. à natura specifica potissimùm profluunt passiones, seu proprietates, vt declaraui *in Epit. lib.* 1. *quæst.* 3. *art.* 6. Materia autem est natura specifica, tametsi imperfecta, & partialis, vt probaui *articulo* 11. *huius quæst.* Ergò ab ipsa oriuntur eius proprietates, proindéque est earum causa, & origo. Secundò, omnis effectus postulat causam; sunt enim correlatiua, quorum vnum coëxigit alterum: sunt autem plures passiones, quasi effectus materiæ, ab alia causa non promanantes, quàm ab ipsa materia. Non enim à forma, nec à composito, quæ sunt generabilia, & corruptibilia, ergò à materia.

Dices, ab acto, vel includente actum, quidem prodire passiones, non autem à pura potentia cuiusmodi est materia. Contrà, materia habet actum entitatiuum, vt ostendi *in præsenti quæst. articulo* 5. Estque substantia, cuius proprietates narrantur in Logica *capite de substantia.* Denuò, ex ipsa emergunt relationes similitudinis, & dissimilitudinis. Est namque vna materia alteri similis, aut dissimilis: non ergò à materia omnis virtus actiua eximitur.

207. Ass. 2. materia in suo genere materiali concurrit ad educendam formam ex eius potentia. Deducitur ex Scot. *locis in ant. ass. recensitis,* & apertius 4. *Met. in expos Titul.* 20. *&* 8. *eiusdem operis, in Titul.* 14. Probatur primò: Materia est, ex quo aliquid fit cum insit, 2. *Phys. Titul.* 28. si ergò ad generationem compositi cooperatur materia: ergò & ad eductionem formæ, cum hæc, ab illa in esse, & in fieri dependeat. Secundò forma immaterialis inducitur in materiam, forma verò materialis ex ea educitur, ergò quoquo modo coagit ad eius productionem. Ideò fortasse perhibetur materialis, quia ex materia causatur. Ampliùs, si materia solùm præsupponeretur ad productionem formæ, nihilque circà eam causaret, vtique si forma præëxisteret, & præsupponeretur materiæ, diceretur fieri ex forma præsupposita, sicut perhibetur effici ex præiacente materia. Id autem falsum est: ergò nihil ampliùs sibi vult educi de potentia materiæ, quàm concursum ad formæ productionem, vt bene vidit Mayr. nuper memoratus.

Dices, si materia causat formam, cum vtraque sit principium; ergò vnum principium fit ex alio, quod contradicit 1. *Phys. Titul.* 41. Negatur sequela: siquidem, vt dixi *quæst.* 1. *huius lib. articulo* 5. *not.* 1. fieri propriè adaptatur composito; ideò nonnisi impropriè forma dicitur fieri, propriè verò educi ex potentia materiæ ab agente.

208. Ass. 3. materia actiuitatem partialem exercet in generatione totius. Huic patrocinatur Doct. 3. *distinctione* 2. *quæst.* 2. *art.* 1. § *Quantum ad* 1. C. Probatur primò ex 7. *Met. Titul.* 7. *&* 8. *eiusdem, capite* 2. *Titul.* 3. compositum dicitur tertium causatum ex materia, & forma, tanquàm duabus causis partialibus vnam totalem integrantibus. Secundò materia est vna ex quatuor generibus causarum, 2. *Phys. Titul.* 28. causat autem partialiter compositum, quia ex hac, & forma, totum coalescit: ergò materia munus causæ administrat in generatione compositi. Plura alibi cum de composito.

209. Assertio 4. materia ad operationes totius haud cooperatur. Pugnat Pontio prænominato, fauet verò Doct. qui 3. *in sup. ass.* adducto, totum facit distinctum à suis partibus simul sumptis: ergò per ipsum actiones, quæ prodeunt à toto, nequaquàm à partibus eius, præsertim à materia, quæ est passiua, proficiscuntur. Probatur primò ex 1. *de anima Titul.* 64. actiones quæ toti conueniunt, vt ædificare, texere, & quæ homini tribuuntur; negat animæ competere: ergò ad ea opera, nec forma, nec materia concurrunt, alioqui quoquo modo eis accommodarentur. Secundò, si materia coageret ad opera totius, cognosceretur ex illis operibus, veluti forma cognoscitur per suas operationes: at materia non est cognoscibilis à nobis, nisi per analogiam ad formam, vt monstraui *supra articulo* 14. *istius quæst.* Ergò nihil coagit in operibus totius. Tertiò, si materia actiuè concurreret ad effectus compositi, non discriminarentur mixta ab elementis, nec dignoscerentur distincta animata, ab inanimatis, nec foret discrimen inter has, & illas species rerum, cùm eamdem communem materiam participarent, idem, & opus agentem. Constat autem diuersa esse rerum genera, species, & Indiuidua, diuersasque facultates, & operationes rerum. Hinc canit Lucretius.

Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni.
Quod certis in rebus inest secreta facultas.

210. Assertio 5. materia potest agere intellectum à sensibus solutum actione intentionali. Indicatur à Doct. 2. *distinctione* 12. *quæst.* 1. *Ad arg. R.* Probatur primò, obiectum mouet potentiam ad sui notitiam intuitiuam, si sit præsens; vel per speciem sui repræsentatiuam, si sit absens: materia autem est obiectum per se intelligibile, cùm sit ens substantiale: ergò potest agere intentionaliter in intellectum. Secundò, sicut se habet sensitiuum ad sensibilia, ita intellectiuum ad intelligibilia 3. *Anima capite* 1. *Titul.* 3. sensus autem patitur à sensibili: mouetur enim ab ipso ad sensationem: ergò & intellectus ab intelligibili, cuiusmodi est materia. Tertiò, quantitas ab omnibus censetur esse de genere passiuorum: attamen actione intentionali mouet potentiam cognoscitiuam ad sui notitiam: cognoscitur quippè à nobis vt primum accidens substantiæ corporeæ, & materialis: ergò quamuis materia sit passiua, ab actiuitate intentionali haud est secludenda.

211. Opp. 1. ex 1. *de gener. Titul.* 55. *&* 2. *eiusdem Titul.* 52. Materiæ est pati. Ratio affertur ab Augustino *lib. de natura boni, capite* 18. comparante materiam syluæ. Sicut enim sylua apta est, vt ex ea aliquid fiat, non verò, vt aliquid faciat, sic materia nihil facit, sed ex ipsa aliquid fit, putà compositum. Confirmatur, efficiens, & materia non coincidunt, quia sunt duæ causæ genere distinctæ, 2. *Phys. Titul.* 31. Ergò nec materia est effectiua suarum passionum, nec alterius rei. Explico testimonia Arist. per distinctionem. Materia patitur, quatenùs recipit formam, concedo: quatenùs verò causat suas passiones, aut compositum, aut aliud quidpiam, nego: sic sentire dicitur pati, & intelligere. Vt enim sensus recipit sensationem, est passiuus; vt verò eam causat, est actiuus: pariter intellectus patitur, vt recipit intellectionem: agit autem, vt ipsam producit. Eodem modo satisfit authoritati Augustini & confirmationi, cui suffragatur Scot. 2. *distinctione* 25. *quæst. vn.* §. *Ad* 1. *sub V.* afferens exemplum, de medico, qui vt arte sua inducit sanitatem in se ipsum, dicitur actiuus; vt verò eam recipit, perhibetur passiuus.

212. Oppones. 2. actus secundus, qui est actio, supponit actum primum, qui est eius principium: materia autem nec est actus primus, nec includens actum primum, cùm sit pura potentia 8. *Met. Titul.* 5. *Et* 12. *eiusdem, Titul,* 11. Ergò materia nullius est actiua. Conf. passiones oriuntur à natura specifica, quæ constituitur, & determinatur per propriam differentiam, vt ab equinitate hinnibilitas:

hinnibilitas: materia autem nullius est speciei, cùm sit indifferens, & indeterminata: ergò non est productiua suarum passionum. Concedo ma. distinguo min. non est actus formalis concedo: non est actus entitatiuus, nego. Est autem potentia, non quidem obiectiua sed subiectiua, vt palam feci *art.* 5. *istius quæst.* Ad conf. data ma. dico ad min. materiam esse vnam specie incompleta, non autem completa, ex dictis supra *art.* 11.

213. Opp. 3. si nulla extaret materia, adhuc causarentur effectus, qui modò causantur, vt calor causaret calorem & nix frigus: ergò materia nullius est causa, vtpotè quæ nullum causat effectum. Conf. materia, non continet virtualiter formam, nec aliquid aliud: ergò est passiua duntaxat. Respondeo licet non omnes effectus prodeant à materia, cùm forma sit magis actiua: nihilominus absque materia, nec forma materialis, nec compositum, nec alia opera efficerentur, vt optimè demonstrat Doctor 2. *distinctione* 12. *quæst.* 1. §. *positio ista.* Ad conf. nego ant. gratis enim id dicitur. Ideò eadem facilitate, qua assentitur, repellitur.

ARTICVLVS XVIII.

An in materia sit ratio seminalis ipsi coæua.

214. PErdifficilis, & ardua videtur hæc difficultas apud veteres, & recentes Philosophos, tum propter eius non exiguam obscuritatem, tum etiam propter multiplicem magnorum virorum discrepantiam, vt præ aliis notat Mauritius *in* 7. *Met. quæst.* 12. Et tangit S. Bon. 2. *d.* 18. *quæst.* 3. Extat autem in præsenti art. duplex placitum præcipuum, vnum affirmatiuum, quod affingitur Alb. à Marginistis Scot. 2. *d.* 18. *quæst. vn.* & Henr. *Quol.* 4. *quæst.* 14. asserentibus in materia præexistere formam ipsi coæuam, coagentem generanti extrinseco, ad generandum compositum Huius sententiæ quinque modi adducuntur, & repelluntur à Scot. 7. *Met. quæst.* 12. & Antonio Andrea *ibid. q.* 11. Et duo à Seraphico Doct. *passu alleg.* Vnicus verò à Dur. 2. *d.* 12. *quæst.* 2. qui est de puro possibili in materia existente, ab ipsa distincto transmutabili in formam. Idque appellatur ratio seminalis, siue inchoatio formarum. Hi autem modi ita conuicti, & profligati, deleti, & penè extincti sunt à Doct. tum *loco cit.* tum etiam 2. *d.* 18. *quæst. vn.* Bass. *ibid.* Rich. & aliis, vt ferè pigeat aliquid aliud addere, & vix reperiatur hoc tempore, qui eos tueri conetur.

Alterum verò placitum est negatiuum, quod amplectuntur Authores mox alleg. docentes, nihil formæ actu in materia præexistere. Pro huius captu, obseruo cum Canon 2. *Phys. quæst.* 1. ens diuidi in actuale, & potentiale: potentiale verò subsecari in subiectiuum, & obiectiuum, quorum declaratio ex superioribus nota est. Deindè, animaduerto cum eodem *ibid.* cum dicitur, principium actiuum reperiri in materia, bifariàm posse accipi, vno modo pro tota forma generali, vel particulari, sicque nullum extat principium actiuum in materia: altero modo pro quadam præuia dispositione formæ generandæ, & ita concedi potest huiusmodi principium in materia actiuum instrumentale ad formæ nouæ productionem. Quo in sensu fortasse loquitur Aug. 5. & 9. *super Gen. propè finem*, inquiens, in grano tritici esse virtutem vt ex eo producatur potiùs triticum quam faba, & in faba esse virtutem, vt ex ea non triticum, sed faba fiat. Hocque notat Canon 2. *Phys. quæst.* 1. *dub.* 4. ex Auer. 6. *Met.*

215. Assertio, non existit in materia quidpiam actuale, aut possibile formæ ante generationem. Assertio est bipartita, cui patrocinatur Sent. *locis prænarratis*: Prima pars suadetur 1. ex 1. *Phys. T.* 82. vbi Arist. solam materiam facit ingenitam, & incorruptam. Est namque primum subiectum, ex quo omnia naturalia fiunt, & in quod vltimum cuncta ea resoluuntur. Et 7. *Metaphysica Textu.* 29. subiicit, sicut domus solùm à principio extrinseco fit, putà ab agente Intellectuali: ita ignis generatur non à principio intrinseco, sed ab extrinseco duntaxat: nihil ergò per Arist. inuenitur actu in materia, quod secum semper permaneat ad productionem formæ nouæ, & generationem compositi. Secundò, principia contraria non simul persistunt in eodem subiecto, præsertim si fuerint contraria priuatiua, quorum vnum dicit carentiam alterius in subiecto apto, & idoneo, vt declaraui in Logica *lib.* 3. *quæst.* 9. *articulo* 6. Priuatio autem, & forma sunt principia contraria priuatiua 1. *Phys. Textu.* 66. & 67. Ergò in materia cum adest priuatio, nihil formæ in ea existit.

Dices, esse in materia aliquid formæ imperfectæ. Contrà: inter opposita priuatiua non intercipitur medium, veluti inter opposita contradictoria, 10. *Metaphysica Textu.* 15. Ergò inter formam, & priuationem eius non extat aliquid formæ imperfectæ, siue inchoatio formæ. vel enim est forma in materia, vel priuatio eius, vt arguit Philosophus 1. *Phys. cit.* sed ante generationem in materia non est actu forma, ergò in ea tantum extat priuatio eius. Tertiò termini motus sunt incompossibiles, 5. *Phys. Textu.* 26. & *ad finem eius libri.* Priuatio autem, & forma, sunt termini generationis. Priuatio quippè est eius terminus a quo, & forma terminus eiusdem ad quem, & vtriusque subiectum commune est materia, 1. *Phys. Textu.* 60. Nihil ergò formæ in materia semper permanet ipsi coæuum, Quartò forma est impartibilis, & inuariabilis, ex *libro sex principiorum capite* 1. Idque significatur 8. *Metaphysica, capite* 5. *Textu.* 10. *Substantia sunt sicut numeri:* quibus nulla fit additio aut detractio, alioqui, iidem non persistunt. Forma autem est substantia, quæ penes esse essentiale, & specificum non suscipit magis, & minus, sed tantum penes esse indiuiduale: ergò vna pars eius nequaquam est coæua materiæ, & altera de nouo à generante producitur, cùm sit simplex, & indiuisibilis. Addo incompossibilitatem simultaneam in eadem materia, earumque infinitatem Syncategorematicam, necnon paritatem de forma accidentali, quæ antè eductionem ex subiecto actu non præcedit: atque de forma artificiali, quæ de subiecto extrahitur ab artifice, cùm nihil eius in ipsumet subiecto præiuerit, vt cum Auctore sex principiorum ostendit Antonius Andreas *in expositione capitis allegati.*

216. Secundà pars probatur, primò omne potentiale, & possibile, aut est subiectiuum, aut obiectiuum, vt non longè *ab initio huius articuli* obseruaui: illud autem purum possibile, quod Aduersarij collocant in materia, nè forma fiat ex nihilo, non est subiectiuum: quandoquidem præter materiam, aliud subiectiuum non statuit Arist. 1. *Phys.* præsertim *t.* 9. Nec obiectiuum, cùm hoc sit terminus potentiæ actiuæ, cuiusmodi non est

est præfatum purum possibile in materia locatum.

Dices, non esse materiam, sed quid in materia possibile transmutabile in formam. Contrà, quod est in materia, vel est eius passio, & hoc non, quia passio in ea semper manet: illud verò in ea non semper manet, cùm transmutetur in formam: vel est quid realiter à materia distinctum, quod non est priuatio, quæ non abit in formam, cùm sit eius terminus à quo, nec forma, quæ est terminus ad quem, nec compositum, quod est terminus totalis, & adæquatus generationis. Ergò nihil est, sicque Aduersarij non vitant creationem formæ, quam per illud purum possibile fugere nituntur.

Secundò omne ens, aut est actu, aut potentia, 9. *Met.T.*1. purum autem possibile in materia excogitatum, non est ens actu, vt nomen eius denotat: nec ens potentià, quia hoc vel est subiectiuum, vel obiectiuum, & recurrit primum argumentum.

Tertiò illud purum possibile residet in materia antequàm ex eo producatur forma, sicut priuatio inest materiæ, forma absente: ergò si actu est in materia, est ens actu, quia non reperitur ens in alio, nisi actu sit ens. Igitur si est ens actu, vel est increatum, & est Deus, vel creatum, & productum ex nihilo, quod dicti Authores inficiantur: quod si asserant esse ens potentià, cùm possibile nondum sit, vel fit ex aliquo, & nisi abeatur in infinitum, assignandum est illud, ex quo fiat, quod nequit esse aliud, quàm materia, cùm tamen hoc ab ea distinguant realiter, & infactibile asserant. Eò magis, purum possibile actu nihil est, ergò si forma ex eo fiat, ex nihilo fiet, quod illi renuunt.

217. Opp. 1. contrà 3. partem ass. Arist. 7. *Met.T.*29. *capite* 9. scribit, in materia præcedere partem rei generandæ: ergò in licæo Peripatetico, aliquid formæ præexistit in materia ante generationem totius. Accedit Aug. 7.*cap.lib.*3.*de Trin.* inquiens, omnium, quæ nascuntur, occulta quædam semina, in mundi elementis latere. Hinc idem Aug. *lib. de natura boni capite* 18. vocat eam syluam, quia sicut in sylua ex arboribus consitis fiunt opera artificialia: sic ex formis præexistentibus in materia gignuntur composita naturalia. Expono text. Philosophi cum Scot. *ibi in com.* per partem intelligere virtutem coagentem generationi formæ, sicut virtutes præuiæ disponentes materiam, & concurrentes instrumentaliter ad productionem formæ. Pariter potentia & facultates animæ ab eodem vocantur partes eius, 3. *anima* 1. notante Scot. 2. *distinctione* 16. *quæst. vn.* cum Seraph. *ibid. distinctione* 24. *quæst.* 1. *art.* 2. Ob id Boët. *lib. diuis.* partitur animam, sicut totum in partes virtuales. Per idem patet ad 2. locum Aug. Nam idem sanctus 3. *de Gen.* & 5. & 9. *eiusdem operis* palam fatetur præfatam virtutem actiuam in generandis arboribus, & animantibus, vt bene vidit Rich. 2. *distinctione* 18. *quæst.* 2. *art.* 2. Ad 2. passum dico, similitudinem valere in hoc, quod sicut artifex ex arboribus in sylua positis educit formas artificiales, sic agens naturale educit ex materia formas naturales. Non sunt autem in sylua formæ artificiales actu, quoque in materia actu non reperiuntur formæ naturales, vt significat Arist. 1. *Phys. T.*69. & 2. *eiusdem operis, T.* 86.

218. Opp. 2. nisi quoquo modo præexistat forma in materia, non foret generatio sed creatio, quandoquidem forma ex nihilo sui produceretur; creatio autem est productio rei ex nihilo, ergò pars, aut tota forma præit in materia ipsi coæua. Nego seq. ma. Ratio est, quia forma non ex nihilo, sed ex præexistente materia producitur, ideò non est creatio, quæ est productio ex nullo præsupposito subiecto, vt tradit Doct. 2. *dist.* 1. *quæst.* 2.

219. Opp. 3. si forma penès aliquod sui esse, non præcedit generationem, generatio non esset naturalis, sed violenta, quia non haberet principium intrinsecum quod exigitur, vt sit naturalis, sed extrinsecum, quod reddit eam violentam, cùm violentum sit, cuius principium est extrinsecum, 3. *Eth.* 1. Ergò secundum aliquid sui esse, forma generationem antecedit. Nego sequelam ant. participat namque principium intrinsecum, non quidem actiuum, sed passiuum, ad ipsam suaptè natura propendens, quod requiritur ad naturale propriè dictum, vt acutè explicat Doct. 2. *distinctione* 18. *quæst. vn.* §. *Contra. D.*

QVÆSTIO III.

De priuatione.

1. CVM in materia priuatio præcedat formam, notante Scot. 3. *distinctione* 3. *quæst.* 1. §. *si autem G.* Quia priuatio est terminus à quo generationis, vt ait Arist. 5. *Phys. Titul.* 7. & exprimit Antonius Andreas 10. *Met. quæst.* 4. Forma verò est terminus ad quem partialis præcipuus, qui indubiè illo posterior est; propterea prius de priuatione, quàm de forma disserimus.

ARTICVLVS I.

An sit priuatio.

2. NOn desunt qui priuationem à parte rei demant, in quorum catalogo scribuntur Soncinas 10. *Met. quæst.* 15. & alij Thomistæ, arbitrantes eam tantùm pendere ab intellectu, proindéque esse ens rationis. Communior autem sententia est Scot. 1. *d.*23. *quæst. vn.* §. *Item arguo. H.* Et 4. *d.* 12. *quæst.* 1. §. *De primò. A* Et *Quol.* 18. §. *Ex isto. Y.* Aur. 2. *d.* 2. *art.* 2. Mayr. *Quol.* 7. *punct.* 5. Paris. 1. *Phys. fol.* 25. & cæterorum Scotist. *ibid.* existimantium priuationem esse à parte rei nullo intellectu cogitante.

3. Not. primò ex Scot. 1. *d.*23. *quæst. vn.* §. *Item arguo. H.* Et *in Rep. d.* 28. *quæst.* 1. §. *A. quæst. dico.* Et Dur. *d.*23. *quæst.* 3. priuationem trifariàm accipi: vno modo pro carentia rei, cuius aliquid est capax, non secundum genus aut speciem, sed secundum rationem communem & transcendentem, sic homo dicitur priuatus summâ, & infinitâ perfectione, quam ens, seu Deus natus est participare, & hæc vocatur priuatio extra genus: altero modo pro carentia rei, quam aliquid natum est habere, secundum genus suum, vt talpa dicitur cæca, quia vt est animal, est capax visus, & ista dicitur priuatio in genere. Tertiò pro carentia rei in subiecto apto, secundum speciem vt homo non videns, dicitur propriè priuatus visu, seu cæcus. Duæ priores acceptiones sunt impropriæ, & appellantur potiùs negationes, quàm priuationes. Tertia verò est propria, de qua fit sermo in præsentia.

4. Not. secundò priuat. & negat. non semel inter se

ſe confundi; diſtinguuntur autem in eo, quod negatio nullam præſefert aptitudinem, & capacitatem in ſubiecto, de quo dicitur, ſic lapis dicitur non videns, quoniam nullo modo eſt capax viſus. Priuatio verò propriè denotat capacitatem, & idoneitatem in ſubiecto, de quo enunciatur, quo pacto homo viſu priuatus perhibetur cæcus, vt innuat Aug. *lib. 3. de lib. arb. cap.* 24. plura in *Log. lib. 5. q. 9. a. 6.*

5. Aſſ. 1. conceditur in rerum natura priuatio independenter ab opere intellectus. Ita Scot. cit. & *2. d. 12. q. 1. §. Ad 1. rationem ſub F. Et 5. Met. cum Ariſt. c. 22.* ſuadetur 1. ex ſacris litteris, Gen. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* ideſt priuationes lucis. Lyrano interprete *ibi.* Secundò ex PP. Aug. *lib. de decem categ. capite* 18. Et *in imperfecto de gen. ad lit. cap. 5. Aliud eſt lux, aliud illæ priuationes lucis, quas in contrariis tenebris ordinauit Deus* Anſel. *lib. de caſu Diaboli capite* 41. Et Damaſc. *capite 2. ſuæ Philoſophiæ.* Tertiò, oppoſita ſunt à parte rei, vt patet de oppoſitis contrariis, putà calore, & frigore: priuatio autem, & forma ſunt oppoſita vt patet in poſtprædicam. *capite de oppoſitis.* Itemque, priuatio ſtatuitur ſecundum principium generationis naturalis 1. *Phyſ.* 75. & 79. & terminus mutationis, 5. *Phyſ.* 7.

Deinceps, priuatio ex dictis nihil aliud ſibi vult, quàm carentiam formæ in ſubiecto idoneo: reperitur autem nonnumquam huiuſmodi carentia in rerum natura, vt nox eſt priuatio lucis in aëre, cæcitas eſt priuatio viſus in homine cæco, necnon ſurditas eſt priuatio auditus in ſurdo, & ſic de reliquis; non ergò neganda eſt priuatio à parte rei.

6. Opp. 1. non ens non eſt à parte rei, quia non ens perinde eſt ac nihil: priuatio autem eſt non ens, 1. *Phyſ.* 75. *& inde*: ergò priuatio non eſt à parte rei. Diſtinguo ma. abſolutè ſicut illud, quod participat poſitiuum eſſe in rerum natura, concedo: aliqualiter, vt terminus à quo entis poſitiui, nego: ſic eſt priuatio, vt indicat Ariſt. 4. *Met. Titul. 5.* & Scot. *ibi*, numerantes priuationes & negationes ſubſtantiarum, & accidentium, ad ipſa habentes habitudinem, quæve eſſe dicuntur, quatenus præfata entia poſitiua quoquo modo reſpiciunt, vt *ibid.* notat Doct.

7. Opp. 2. omne quod eſt, vel eſt ens reale, aut rationis: priuatio autem non eſt ens reale, cùm ſit negatio formæ realis: ergò eſt ens rationis. Reſp. maiorem eſſe inſufficientem. Et quippè addendum eſt, vel priuatio, vel negatio entis realis. Nam Ariſt. *paſſu mox cit.* inter entia collocat priuationes, & negationes. Quod non præſtaret, ſubdit Scot. *eo in loco*, niſi negationi, & non enti, aliqualiter competeret ipſum ens.

8. Opp. 3. affirmatio, & negatio tractantur à Logica differente de ente rationis, ſuntque actus rationis, ſeu intellectus. Ergò ſi negatio eſt ens rationis, pariter & priuatio. Reſp. ſi affirmatio, & negatio ſumantur pro actibus actiuis intellectus, ſunt reales, & ſpectant ad Animaſticam: ſi verò accipiantur pro actibus paſſiuis, pertinent ad Log. & ſunt entia rationis. Verùm tamen conueniunt quoque priuationi, ſecluſo quouis opere intellectus, vt nox eſt, cæcus eſt, homo non eſt lapis, planta non eſt leo, vt inſinuat Doct. 1. *d.* 23. *quæſt. vn. E.* Et 2. *d.* 12. *quæſt.* 2. *ante G.* Et *Quol.* 29. *§. de tertio Y.*

Articulus II.

Quid ſit priuatio.

9. Canonicus 1. *Phyſ. q.* 10. *art.* 2. & Pariſien. *ibid. quæſt. 1. de priuatione, propoſitione* 2. referunt, Thomam Anglicum putare, priuationem eſſe ens reale poſitiuum; oppoſitum autem tuentur Scot. 1. *d.* 25. *quæſt. vn. §. Item arguo. H.* Et *in Rep. d.* 28. *quæſt.* 1. Aur. 2. *d.* 2. *quæſt* 2. *art.* 2. Ioannes de magiſ. 1. *Phyſ. quæſt.* 13. Tatar. *ibid. quæſt.* 1. *dub.* 1. & cæteri negantes, priuationem eſſe quid reale poſitiuum.

10. Not. 1. priuationem propriè ſumptam duo præſeferre, vnum in recto, ſeu formale, quod eſt carentia formæ; aliud verò in obliquo, ſeu materiale, quod eſt ſubiectum aptum, & idoneum ad formam recipiendam. Per primum priuatio, & negatio conueniunt, quia vtraque eſt carentia formæ: per ſecundum verò ab inuicem diſſident, cùm negatio nullum depoſcat ſubiectum idoneum. Hinc S. Aug. 3. *de lib. arb. c.* 24. ſubiungit. *Cæcitas in catulis naſcentibus vitium non eſt, nec propriè cæcitas dici poteſt: ſic infans non dicitur imprudens, quia nondum prudentiæ capax eſt.* Quare in his eſt negatio viſus ante nonum diem, & tempus indebitum; poſtmodum autem ſi dictis formis fuerint deſtituti, priuati perhibentur; adeò vt illi cæci; iſti imprudentes nominentur, & ſint. Idque ſignificat Doct. 1. *d.* 5. *q.* 2. *§. Tertio principaliter infrà P.* Et *diſtinctione* 28 *quæſt.* 2. *§. Quantum ad 1. B. &c.*

11. Not. 2. ens vniuersè captum, prout abſtrahit à poſitiuo priuatiuo, & negatiuo eſſe æquiuocum, vt inſinuat Canon. cit. & Doct. *in Rep.* 1. *d.* 42. *quæſt.* 2. A quibus non diſſentiunt Antonius Andr. 4. *Met. quæſt.* 2. *§. Ad argumenta.* Et Ioannes de Magiſ. 1. *Phyſ. vbi ſuprà*, recipientes diuiſionem entis realis in poſitiuum, priuatiuum, & negatiuum. Fauent Ferr. 3. *contra Gentes* & Ruu. *tract.* 5. *de priuatione quæſt.* 1. admittentes primam partitionem entis realis eſſe in membra nunc recenſita. Quare ens reale bifariàm capitur, vno modo impropriè, ſic priuatio, & negatio dicuntur entia realia: altero modo propriè, & ita ens poſitiuum eſt reale duntaxat.

12. Aſſ. 1. priuatio non eſt ens poſitiuum. Tenet Doct. *locis prælleg.* Probatur 1. ex Ariſt. 1. *Phyſ.* T. 75. vocante priuationem non ens, ſupple, non ens poſitiuum, vt cum aliis interpretibus exponit Antonius Andreas *in Met. paſſu memorato.* Et 5. *Met. cap.* 22. *Priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto*, vt cæcitas eſt priuatio viſus: cæcitas autem in homine cæco, nullam poſitiuam entitatem formaliter deſignat: igitur ſecundum Ariſt. priuatio non eſt ens poſitiuum. 2. oppoſita priuatiua ſic ſe habent, vt vnum ſit poſitiuum, aliud verò priuatiuum, vt lux, & tenebræ, *ex poſtprædicamentis cap. de oppoſitis.* Si autem priuatio foret ens poſitiuum, inter ea nulla eſſet oppoſitio, quia eſſent poſitiua, & dicerentur habitus, non verò priuatio, & habitus, vt petit oppoſitio priuatiua. 3. ens poſitiuum creatum eſt terminus, & obiectum potentiæ productiuæ, & factiuæ, atque mutationis poſitiuæ: priuatio verò eſt terminus corruptionis, & mutationis deperditiuæ. 4. malum non eſt ens poſitiuum, ſed priuatio boni, vt oſtendi *in Morali, l.* 2. *q.* 2. *art.* 3. Priuatio autem eſt mala, quia per eam materia machinatur maleficium, ideſt corruptionem formæ ab illa poſſeſſæ. Igitur priuatio nihil poſitiui formaliter præſefert.

13. Aſſ.

13. Assertio 2. priuatio rectè perhibetur ens priuatiuum. Subscribit Scot. *vbi suprà*, præsertim 4. *Met.* cum Arist. *ibi T.* 2. affirmante priuationes, & negationes esse entia; non sunt autem entia positiua, vt probaui *in ant.ass* ergò sunt entia priuatiua. Ideò Doct. *in Report. adductu*, expressè inquit *Entium quadam sunt positiua, quadam priuatiua.* Probatur 1. ens est participium verbi substantiui *sum, es, est*: priuatio autem est vt cæcitas in oculo visu priuato, & cæcus est visu orbatus. Valet enim dicere, cæcus est, ergò cæcus est existens: non est autem existens cæcus nisi per cæcitatem: atque quod est existens est ens, cùm existentia sit eius modus. Itaque rectè deducitur, priuationem esse ens priuatiuum. 2. principium generationis naturalis est ens, quia ex eo, fit compositum naturale. Ex nihilo enim nihil fieri, commune extat Philosophorum proloquium, 1. *Phys.* 33. & 34. à me satis discussum *hoc lib. quæst.* 1. *articulo* 6. Iterum, priuatio est terminus à quo mutationis positiuæ, 5. *Phys.* 7. confirmante Scot. 4. *distinctione* 43. *quæst.* 3. Atque est vnum ex principiis contrariis 1. *Phys.* 66. Rursus, distinctio est passio entis: priuatio autem distinguitur ab aliis principiis, & à cæteris, quæ non sunt priuatio. Ampliùs, tenebræ, quæ sunt lucis priuationes, verè sunt in aëre tenebroso, & *Gen.* 1. dicebantur esse super faciem abyssi. Et Luc. 23. *Tenebra factæ sunt super vniuersam terram.* Si ergò priuatio est, & facta esse dicitur, ens sanè est, non positiuum, ergò priuatiuum, vt olfacit Art. *disp.* 2. *sect.* 12.

Dices cum Mastrio eiusque socio *disp.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. post Hurt. *disp.* 3. *sect.* 53. implicare in adiecto priuationem esse ens reale priuatiuum, quandoquidem ens reale perinde estac positiuum, quod dissidet à non ente, & ente rationis. Deindè pari modo dici posset, ægritudo est sanitas priuatiua, & peccatum est iustitia priuatiua. Contrà, potiùs videtur repugnantia, dicere esse à parte rei realem priuationem, vt illi concedunt, & negare esse ens reale priuatiuum. Quod enim est in rerum natura, independenter ab opera intellectus, vt surditas in aure, & cæcitas in oculo, est ens reale. Tale quippè esse significat copula, quale est eius prædicatum: eius autem prædicatum est reale priuatiuum, ergò huiusmodi esse priuatiuum significat. Ideò cùm quæritur an sit vacuum, perindè est ac inuestigare, non sit locus corpore priuatus? Deinceps, communis vsus retinendus est, testante Maiore *l. Prædicabilium quæst. de proprio.* Mos autem vulgatus est apud Antiquos, & Recentes, priuationes nominandi entia priuatiua, vt intueri licet apud Scot. cit. Fuent. *quæst.* 3. *diff. vn. art.* 1. Ioan de Mag. Parif. & alios innumeros.

Nec eis proficit, quod subiiciunt de valetudine, & ægritudine, de peccato, & iniustitia, sed potiùs officit: siquidem illa sunt qualitates, vt patet *capite de qualitate*, quæ sunt entia positiua conuenientia vniuocè in ratione generica qualitatis: ob id dici nequit ægritudo est sanitas priuatiua: nec peccatum est iniustitia priuatiua, cum tam ægritudo, quàm iniustitia sint entia positiua reposita in dicto prædicamento.

Nec etiam iuuat, quod alij cum Aur. 2. *d.* 3. *art.* 2. addunt melius esse dicere, non est forma, quàm priuatio est, putà, non est lux, quàm priuatio lucis sit. Etenim apud omnes tanquam veræ admittuntur huiusmodi locutiones. *Nox est, mors appropinquat, tenebra fiunt.* Vndè Augustinus 1. *contra Manich. capite* 4. scribit *vbi lux non est, tenebra sunt.* Et Damasc. 2. *fid. capite* 7. addit, *Nec aëris substantia sunt tenebra, sed luminis priuatio.* Ratio redditur non incongrua, quandoquidem, sic intelliguntur & proferuntur, sicuti sunt à parte rei: sunt autem tales priuationes à parte rei, nempè, nox est priuatio lucis, & cæcitas priuatio visus: igitur spernendæ non sunt huiusmodi dictiones & locutiones.

14. Assertio 3. priuatio est carentia formæ, in subiecto apto. Ita Scot. 1. *distinctione* 5. *quæst.* 1. *infrà. P.* & alibi. Probatur 1. ex Arist. 5. *Met. capite* 22. qui priuationem propriè dictam eo modo quo suprà definit. 2. ea est recta, & idonea definitio, in qua habentur genus, & differentia, vel quasi genus, & differentia in iis, quæ exactè definiri nequeunt, cuiusmodi est priuatio: præfata autem definitio participat quasi genus quod est carentia formæ, in quo priuatio, & negatio conueniunt: & quasi differentiam, quam indicant eius subsequentes voculæ: ergò est probè tradita. Adde, quod nihil superflui, nihilque diminuti continet, quod exigitur ad exactam, & germanam definitionem, vt non semel in superioribus inculcaui.

15. Opp. 1. contrà 1. ass. quod creatum est, positiuum ens est, quia est terminus productionis positiuæ: priuationes autem creatæ sunt, vt tenebræ, quæ sunt priuationes lucis iuxta illud Esa. 45. *Ego Deus, qui feci lucem, & creaui tenebras:* ergò priuatio est ens reale positiuum. Conf. priuationes inuitant ad laudandum, & benedicendum Dominum, vt patet in hymno trium puerorum. *Benedicite lux & tenebra Domino.* Signum ergò est esse entia positiua. Concedo ma. nego min. ad testimonium Esa. respondet Augustinus *quæst.* 106. *noui, & veteris test.* per lucem intelligi cælum, & per tenebras terram. Quod idem est ac illud Moysis Gen. 1. *in principio creauit Deus cælum & terram.* Exponi quoque potest de creatione impropria, & metaphorica, sicut de laude, & benedictione quæ eis attribuuntur, quo etiam modo explicatur locus in confirmatione adductus, ac ille Iosue 24. *Ecce. lapis iste erit vobis in testimonium, quia audiuit omnia quæ dicta sunt à Domino.*

16. Oppones 2. effectus realis positiuus à causa, & principio reali positiuo proficiscitur: principiati autem, fieri malum, corrumpi, & huiusmodi sunt effectus reales positiui prodeuntes à priuatione, vt patet 1. *Phys. Titul.* 80. & 81. Ergò priuatio est ens reale positiuum. Conf. priuatio sensu percipitur: nam visus discernit tenebras, & lucem 2. *Anima Titul.* 138. Ab ente ergò positiuo non est remouenda priuatio. Concedo ma. distinguo min. per se nego: per accidens, concedo, vt ibi explicat Arist. per eamdem distinctionem satisfit confirmationi. Siquidem visus per se, & positiuè attingit lumen: tenebras verò per accidens, & negatiuè, quatenùs non intuetur lumen, cuius absentia dicuntur esse tenebræ, sicut silentium dicitur, vbi sonus non est, & nuditas, vbi non est tegumentum, & vacuum, & inane, vbi corpus non est, declarante Aug. *lib. de natura boni, c.* 16. & *contrà epist. fundament. capite* 30. & 31. *in fine.*

17. Oppones 3. quod nihil est, nihil determinat: priuatio autem determinat subiectum, ob id nonnunquam dicitur, *cæcus deambulat, vel amat*: non quia cæcitas sit ratio deambulandi, vel amandi: sed quia illud, in quo est talis priuatio est subiectum eius prædicati, hoc est, subiectum determinant ab eo prædicato, vt scribit Doct. 1. *distinctione* 23. *quæst. vn. infra H.* Igitur priuatio est ens positiuum. Conf. oppofita priuatiua dissident à contradictoriis, non ratione negationis in qua conueniunt, tanquam in genere, ergò ratione alterius extremi quod est positiuum

tiuum proindéque priuatio formaliter importat positiuum. Concedo ma. distinguo min. positiuè nego: priuatiuè, concedo. Siquidem priuatio præter carentiam formæ, connotat subiectū idoneum ad recipiendam formam, quâ priuatur. Ideò, ratione connotati attribuuntur ei præfatæ actiones, vt optimè explicat Doct. passu alleg Ad conf. dico contradictoria discriminari à priuatiuis, in eo, quod hæc in vno extremo designat carentiam formæ, in subiecto apto, quæ priuatio propriè nuncupatur: illa verò carentiam formæ absque vlla subiecti capacitate de quo enunciatur, vt admittit *in* 1. *not.* & fusè declarat Doct. 1.*d.*28.*q.*2.§. *Quantum ad* 1.

18. Opp. 4. contrà 3.aff. D.Aug. *lib. de natura, & gratia, contrà Pelagianos cap.* 51. docet, per cæcitatem, potentia videndi amissa est, ergò priuatio non est carentia formæ in subiecto apto. Vbi enim nulla est potentia, ibi nulla est aptitudo. Nego conseq. potest namque in subiecto esse aptitudo ad formam recipiendam, tametsi in eo non extet potentia eam producendi, vt in corpore debitè organizato est aptitudo, & capacitas recipiendi animam, non extat autem in ipso potentia creandi illam, & infundendi in ipsum corpus. Vel distinguo ant. amissa est potentia proxima videndi, concedo: remota, & radicalis, nego. Hæc enim est inseparabilis à subiecto, in quo est: cum formaliter ab eo distinguatur duntaxat.

Articvlvs III.

Quotuplex sit priuatio.

19. Qvidam omnem protsus entitatem à priuatione tollentes, ab ea cōsequenter omnem pluralitatem, & distinctionem auferunt. Cæteri verò, qui esse priuationi, suo modo tribuunt, eidem vtique debitam vnitatem, pluralitatem, ac distinctionem concedunt, iuxtà vnitatem & multiplicitatem formarum oppositarum. Pro cuius captu, & intellectu, quoque modo faciunt, quæ dixi *in antecedente quæst. de potentia materiæ, art.* 12. Et *de appetitu eiusdem ibid. art.* 13. Nunc autem non erit inutile obseruare duplicem priuationem, vnam remotam siue indeterminatam: alteram verò proximam, & determinatam. Exemplo declaratur. Materia potest in se recipere omnes formas, præter eam quam actu possidet, & quoniam eas non habet, dicitur eis priuata, priuatione remotâ: quandoquidem eas participare nequit, nisi præuiis dispositionibus, quibus quasi eis approximatur. Ob id eas proximè haud respicit, quia indifferenter, ac non magis vnam, quàm alteram intuetur. Cùm autem idoneis qualitatibus disponitur, & præparatur ad alicuius formæ receptionem, ei approximari perhibetur, & sortiri proximam, & determinatam priuationem eius potiùs, quàm alterius formæ.

20. Aff. 1. priuatio multiplicatur ad multiplicationem formarum oppositarum. Subscribit Doct. 2. *distinctione* 12. *quæst.* 2. §. *Ad argumenta F.* Et *Quol.* 18. §. *Ex isto T.* Suadetur 1. ex Arist. 1. *perih. cap.* 5. Vbi Philosophus volt numerum negationum peti à numero affirmationum, quæ denotant formas positiuas, quibus immediatè opponuntur priuationes earum. Authore Scot. 2. *d.* 2. *quæst.* 1. §. *Hic dicitur.* Et *quæst.* 9. *arte M.* Igitur priuatio plurificatur penès plurificationem formarum oppositarum. Secundò oppositorum eadem est scientia, & ratio, 1. *Top. capite* 14. *&* 2. *priorum sect.* 3. *capite* 1. Priuatio autem, & forma sunt opposita priuatiua, *capite de oppositis.* Ergò, secundum multiplicationem vnius, multiplicatur aliud. Tertiò, non est terminus ad quem, nisi præcedat terminus à quo, vt patet in motu progressiuo: priuatio autem est terminus à quo transmutationis naturalis, & forma terminus ad quem: ergò hoc multiplicato, multiplicatur ille: atque ita tot sunt priuationes, quot sunt earum formæ oppositæ.

21. Aff. 2. priuationes abinuicem differunt, veluti habitus, seu formæ, quibus opponuntur. Tradit Scot. 2. *distinctione* 37. §. *Ex ista solutione: E.* Et *Quol.* 18. §. *Ex isto. T.* Suadetur 1. per id aliquid à quocumque alio distinguitur, per quod constituitur. Idem quippè est principium constitutiuum, ac distinctiuum, 1. *distinctione* 26. *quæst. vn.* priuatio autem constituitur per carentiam formæ in subiecto capaci eam recipiendi, 5. *Met. capite de priuatione.* Ergò per eam dissidet, potissimum à forma ipsi opposita. Nam sicut hæc participat suas quasi species, & indiuidua, vt patet de formis elementaribus, & mixtis, necnon de animabus vegetatiua, sensitiua, & intellectiua: sic illa suo modo sortitur suas species, & indiuidua, vt surditas, & cæcitas differunt inter se quasi specie priuatiua: hæc verò surditas ab illa surditate; similiter hæc cæcitas ab illa cæcitate quasi numero dissident. Secundò, vmbra sequitur corpus opacum, ad lucem solis, aut alterius corporis lucentis: ergò sicut corpus sortitur suam differentiam specificam positiuam, pariter vmbra habet suam differentiam specificam priuatiuam. Proindéque hoc corpus, & ista vmbra numericum participant discrimen. Tertiò ens rationis suis non caret speciebus, & indiuiduis, veluti ens positiuum, in quo fundatur. Similiter ergò ens priuatiuum, quod est priuatio suis non orbatur speciebus, & indiuiduis priuatiuis. Addo, opposita esse adæquata, vt de contrariis speciatim liquet, vnumque in alterius definitione locatur in obliquo, vt constat in horum definitione: atque ista, per sua opposita positiua dignoscuntur, ad eaque rediguntur, vt cum Scot. obseruat Antonius Andreas 4. *Met. quæst.* 2. §. *Ad argumenta.* Ergò pari modo philosophandum est de distinctione istorum, ac illorum.

22. Opp. 1. contrà 1.aff. Arist. 1. *Phys. Titul.* 79. priuationem facit vnam numero, cum materia: ergò per Arist. priuatio non multiplicatur, penès formarum multiplicationem. Conf. 1. vna est potentia numero in materia ad omnes formas, ergò & vna est priuatio omnium formarum. Conf. 2. vna relatio potest ferri ad plures terminos, ergò & vna priuatio ad plures formas. Resp. per distinctionem, & explicationem tex. præallati. Priuatio, & materia sunt vnum numero subiectiuè, concedo: formaliter, & intrinsecè, nego. Ad 1. conf. distinguo ant. specie, concedo: numero, nego. Tot enim sunt potentiæ numero in materia, quot sunt formæ in ea receptibiles, vt tradit Doct. 1. *distinctione* 1. *quæst.* 1. §. *Ad* 1. *G.* Ad 2. conf. nego ant. Siquidem relationes multiplicantur penes terminorum multiplicationem, vt probaui in Lug. *lib.* 3. *q.* 6. *art.* 7.

23. Opp. 2. multæ priuationes opponi queunt vni tantum formæ, vt tenebræ luci solis, quâ pelluntur, nedum ipsæ, verumetiam aliæ, quæ aduersantur luci ignis, cæterorumque corporum lucentium. Igitur, necesse non est, ad horum plurificationem, eas plurificari. Conf. in morali-

bus, vitia extrema, quæ ſunt priuationes virtutis, opponuntur vni ſoli habitui virtutis, vt prodigalitas, & auaritia liberalitati, ergò à pari in naturalibus multæ priuationes reluctari valent vni formæ duntaxat; atqueadeò implurificata forma, plurificari poſſunt priuationes. Nego ant. cum tot ſint tenebræ, quot ſunt luces eis oppoſitæ. Alia quippè eſt lux ſolis, alia ignis, & ſic de reliquis luminoſis, quæ ſpecie differunt. Ad conſ. nego ant. ſunt namque plures virtutes formaliter diſtinctæ, quia ſunt plura obiecta formaliter diſtincta, diuerſæque regulæ, & documenta de eis traduntur, inſinuante Scot. 2. *d.* 17. *q.* 2. *&* 3. *d.* 36. *q. vn.*

24. Opp. 3. contra 2. aſſ. quæ differunt ſpecie, aut numero reponuntur in prædicamentis, quæ ſunt ſeries generum, ſpecierum, & ſingularium: nullæ autem priuationes reſident in prædicamentis, quia hæc ſunt entia poſitiua; illæ verò entia priuatiua, ergò non eſt in eis perquirenda diſtinctio ſpecifica, vel numerica, ſicut in formis illis oppoſitis. Diſtinguo ma. quæ differunt poſitiuè concedo: priuatiuè, nego. præſertim quia priuationes reducuntur ad categorias, in quibus collocantur habitus eis oppoſiti, veluti vmbræ ad corpora, quorum ſunt vmbræ.

ARTICVLVS IV.

An priuatio diſtinguatur à materia.

25. PRiores Philoſophi, teſte Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 79. priuationem, & materiam faciunt vnum: poſteriores verò, cum eodem Ariſt. *ibid.* priuationem à materia ſecernunt.

Not. diſtinctionem eſſe paſſionem entis, 4. *Met. capite* 1. *&* 5. *eiuſdem, capite* 9. quæ non diffunditur pluſquam eius ſubiectum quod eſt ens. Quoniam verò ens diuiditur ex Scot. *in Rep.* 1. *d.* 42. *q.* 2. in poſitiuum, & priuatiuum, conſequenter inter entia realia poſitiua adeſt diſtinctio realis poſitiua; & inter ens poſitiuum, & priuatiuum diſtinctio realis priuatiua, ſiue negatiua, vt aduertit Canon. 1. *Phyſ. quaſt.* 1. *art.* 4. quem ſequitur Ruu. *Tract.* 3. *de priuatione, ad finem quaſt.* 3.

26. Aſſ. priuatio diſtinguitur à materia realiter, negatiuè. Aſſ. eſt bimembris, & conformis Scot. 2. *diſtinctione* 12. *quaſt.* 1. *&* 4. *Met. Titul.* 2. *&* 12. *eiuſdem Titul.* 12. quam expreſsè tuentur. Canon *vbi ſupra.* Tatar. *ibid. quaſt.* 1. *dub.* 2. & Pariſienſ. *quaſt.* 1. *de priuatione, propoſ.* 3. *fol.* 25. Prima pars probatur 1. quorum vnum manet, alterum verò non manet, diſtinguuntur realiter, vt declarat Scot. 2. *diſtinctione* 1. *quaſt.* 4 §. *contrà iſtam.* Materia autem ſemper manet, quia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis 1. *Phyſ.* 81. priuatio verò abit, adueniente forma *ibid. Titul.* 60. Ergò priuatio realiter differt à materia. Secundò. ſubiectum, & id quod eſt in ſubiecto realiter ſecernuntur, vt patet de accidente, quod eſt in ſubſtantia, & de anima, quæ eſt in corpore: priuatio autem eſt in materia, quæ eſt commune ſubiectum eius, & formæ: ergò priuatio, & materia realiter diſſident. Rurſus, priuatio eſt cauſa maleficij ſeu corruptionis compoſiti, 1. *Phyſ.* 81. Eſtque terminus à quo generationis, & non ens: materia verò eſt ſubſtantia, pars eſſentialis compoſiti, omnium formarum receptaculum, quæ, & conſimilia arguunt diſtinctionem realem inter hanc & illam: Inſuper, ſi materia omnes formas poſſideret, nulla in ea foret priuatio, ergò inter ea cadit diſtinctio, cum euidens indicium diſtinctionis realis ſit ſeparatio vnius ab alio. Idque ſignificans Ariſt. *in poſtpradicamentis* monet. non eſt idem cœcum eſſe, & cœcitas. Homo quippè eſt cœcus, at cœcitas eſt priuatio viſus. Diſcriminantur igitur realiter materia, & priuatio in ea inſidens.

Secunda pars oſtenditur, contrà Arretinum 1. *Phyſ. in annot. q.* 21. inter duo entia realia poſitiua extat diſtinctio realis poſitiua, vt inter Petrum, & Ioannem, ergò inter poſitiuum ens, cuiuſmodi eſt materia, & priuatiuum, vt eſt priuatio, interuenit diſtinctio realis priuatiua, ſeu negatiua. Deindè, dicuntur oppoſita priuatiua, ſumpta denominatione ab vno extremo, quod tantum eſt priuatiuum, licet alterum ſit poſitiuum, ergò pariter dicitur diſtinctio negatiua inter materiam, & priuationem, quia priuatio eſt ens priuatiuum, ſiue negatiuum. Amplius, diſtinctio ex prænotatis eſt paſſio entis, ergò, quale eſt ens, talis eſt diſtinctio, priuatio autem eſt ens priuatiuum, ergò inter hanc, & materiam, intercipitur diſtinctio priuatiua, ſeu negatiua.

27. Opp. 1. eadem diſtinctione diſtinguuntur priuatio, & materia, quà forma, & materia: hæc autem abinuicem ratione diſtinguuntur, ergò & illa. Maior valet à pari, quia vtraque eſt principium diſtinctum in materia receptibile. Min. fulcitur authoritate Philoſophi 1. *Phyſ. T.* 60. dicentis, formam, & materiam ratione differre. Concedo ma. nego min. ad teſtimonium Ariſt. dico interpretandum eſſe de ratione ſumpta pro eſſentia, & definitione, non verò pro ſolo opere intellectus, vt præmonſtrat *ibid. T.* 29. Et *in antepradicamentis*, cum rationem vniuocorum eſſe eamdem, ideſt eſſentiam, & quidditatem palam doceat.

28. Opp. 2. diſtinctio eſt paſſio entis, & relatio realis, vt *ſuprà* notaui: priuatio autem non eſt ens reale: ergò inter ipſam, & materiam non adeſt diſtinctio realis. Concedo ma. diſtinguo min. non eſt ens reale poſitiuum, concedo: non eſt ens reale priuatiuum, nego. Ideò inter materiam, & priuationem cadit diſtinctio realis negatiua.

29. Opp. 3. per nullam potentiam, etiam abſolutam Dei, poteſt eſſe materia ſine priuatione: quandoquidem materia nequit in ſe recipere omnes formas poſſibiles, maximè eas, quæ ſunt ſimul incompoſſibiles, ergò inter ea non extat diſtinctio realis, quæ cadit in ea, quæ ab inuicem ſaltem diuinitùs ſeparari queunt. Reſp. etſi illud valeat collectiuè, non tamen diſtributiuè, veluti partes integrales realiter diſſident inter ſe, & ſingulæ abinuicem poſſunt ſeparari, non tamen omnes ſimul, alioqui totum ex eis conflatum deſtrueretur. Vel dicito id oriri, non ex parte materiæ, quæ eſt omnium capax, quantum eſt ex ſe: ſed ex parte ſimultaneæ incompoſſibilitatis earum, vt innuit Doct. 2. *d.* 12. *q.* 1. *F.*

Dices, materia ſecluſo quocumque, quod non eſt ipſa, eſt priuata forma, ergò in eſſentia ſua includit priuationem; ac proindè priuatio à materia non diſſidet. Diſtinguo ant. cum Canon. præcit. formaliter, nego: fundamentaliter concedò, veluti ens præciſè, & formaliter non eſt finitum, nec infinitum: ſed fundamentaliter, & radicaliter, maximè, quia ens eſt fundamentum, & origo, à qua prodeunt finitas, & infinitas: ſic materia in ſe, & in ſua eſſentia non claudit priuationem formaliter, tamen ipſa ratione appetitus, quem habet ad formas eſt radix, & fundamentum, à

quo

quo priuatio emanat, in quoue ſubiectatur, & reſidet.

Articvlvs V.

An priuatio ſit verè principium generationis naturalis, & quomodo.

30. NEgat Plato apud Ariſt. 1. *Phyſ. Tttul.* 80. A quo non videntur deflectere Nominales, referentibus Pariſienſ. *quæſt.* 1. *de priuatione fol.* 24. vnum principium facientes materiam, & priuationem duntaxat. Affirmant Ariſt. mox *cit.* eiuſque interpretes *ibid.* conſtituentes priuationem ſecundum principium tranſmutationis naturalis, & diſtinguentes eam, à materia, & forma, quæ ſunt reliqua principia eiuſdem generationis naturalis.

31. Not. 1. & recol. ex dictis, priuationem eſſe quidem principium rerum naturalium in fieri, non verò in facto eſſe, quod eſt dictu, eam eſſe principium generationis, inſtar termini à quo, & per modum originis, vt rectè explicat Tatar. 1. *Phyſ. capite* 3. *quæſt.* 1. *dub.* 1. Non autem compoſitionis, quoniam in compoſitionem totius tantùm ingrediuntur materia, & forma, tanquam partes eius eſſentiales, & quidditatiuæ. Deinceps, non eſt prætermittendum principium latiùs patere, quàm cauſam. Etenim cauſa influit in effectum; neceſſe autem non eſt principium effectui præbere influxum, ſed ſatis eſt, vt ſit prius eo, quod ab ipſo principiatur, adeò vt præciſa ratio principij ſit prius eo, cuius eſt principium, patet de puncto initiante, quod lineam principiat, tametſi nihil in eam influat: de termino à quo motus, qui eſt eius principium, nihil in ipſum influens.

32. Not. 2. ex Scot. 2. *diſtinctione* 1. *quæſt.* 2. §. *Reſpondeo Ad A.* prioritatem eſſe duplicem, durationis, & naturæ. Prioritas durationis competit ei, quod præcedit aliud tempore, vt Adam eſt prior tempore Abel. Prioritas naturæ bipartitur in prioritatem poſitiuam & negatiuam, illa eſt, quâ vnum altero præit actu, & ponitur prius in ordine rerum, vt animal eſt prius naturâ poſitiuè rationali, & rationale riſibili, & vniuerſe cauſa ſuo effectu. Iſta verò adaptatur ei, quod verè aliud anteceſſiſſet, niſi ab agente impeditum fuiſſet, vt in primordio mundi, materiæ prius infuiſſet priuatio, niſi à Deo, in ea comproducta & concreata fuiſſet forma. Idem ſcribit Doct. *quæſt.* 3. §. *Tenemus autem H. Et in Rep. quæſt.* 3. §. *Ad* 4. *dico.* Et *quæſt.* 4. §. *prima iſtarum in ſolutione.* 3.

33. Not. ex *eodem* 2. *diſtinctione* 2. *quæſt.* 3. §. *Ad rationes E.* Et *diſtinctione* 7. *quæſt.* 2. §. *Ad argumenta. E.* Et clarius *in Rep.* 3. *diſtinctione* 3. *quæſt.* 3. *in fine*, mutationem bifariàm accipi, latè, & ſtrictè. Primo modo ſumitur pro tranſitu quocumque rei, ſic creatio dicitur mutatio, 2. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 5. §. *Secundum T.* Et 4. *diſtinctione* 10. *quæſt.* 1. §. *Quantum. G.* noua præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia vocatur mutatio. Atque 1. *diſtinctione* 39. §. *Ad* 1. *argumentum* 3. *quæſt.* 5. progreſſus de vno contradictorio, ad aliud contradictorium quoque mutatio perhibetur. Secundo modo pro tranſitu de priuatione formæ in materia ad formam, ita materia mutatur, quia de non habente formam fit habens formam, & aliter ſe habet nunc, quam prius, vt poſtulat propria ratio mutationis tradita ab Ariſt. 5. *Phyſ. T.* 7. recepta à Scot. *locis præalleg.* & explicita à Lych. tum *ibi*, tum etiam 2. *diſtinctione* 2. *quæſt.* 9. §. *Reſpondeo ad* 1. *contrà.* Quapropter mutatio propriè requirit, vt priuatio tempore in materia præcedat formam, quâ accedente recedit priuatio, & materia mutatur à priuatione formæ, ad formam. Cùm duo oppoſita priuatiua ſimul eſſe nequeant in eodem ſubiecto, conſequenter, prius eſt priuatio, & poſtmodum forma, vt ait Doct. 3. *diſtinctione* 7. *quæſt.* 2. *E.* Et 4. *diſtinctione.* 43. *quæſt.* 5. §. *De tertio. H.* Et annuit Baſſ. 3. *diſtinctione* 7. *quæſt. vn.* §. *Ad* 1. *in oppoſitum.* Per hanc duplicem acceptionem mutationis poſſunt venire in concordiam Maſtrius, & Pontius. Ille namque *diſp.* 4. *quæſt.* 3. exiſtimat priuationem eſſe principium generationis naturalis, quatenùs in materia præcedit formam duratione: Iſte verò *quæſt.* 1. *de priuatione diſp.* 34. opinatur, ſufficere, vt priuatio præcedat naturâ, ſi non poſitiuè, ſaltem negatiuè. Conciliari, inquam, poſſunt, ſi dicamus, Pontium loqui de mutatione impropriè ſumpta, & de generatione, vt eſt productio, quo in ſenſu, prærequiritur priuatio, vt præcedat ſolùm natura priuatiuè, ſeu negatiuè, vt ſi generatio ignis fuiſſet ab æterno, & de rerum generatione in initio mundi, in qua ſimul tempore cum materia fuere productæ formæ cælorum, elementorum, & mixtorum, atque de verme genito per corruptionem Euch. producta à Deo noua materia cum forma in inſtanti, vbi ſolùm natura præcedit priuatio: Idque tantùm probant argumenta, quæ congerit prænominatus Pontius *Vbi ſuprà.* Maſtrius autem verba facit de mutatione propriè capta, & de generatione vt eſt mutatio, non verò vt eſt productio, vt ſeipſum declarat *ibid.* Nec authoritates, & rationes, quas accumulat, aliud ſuadent. Siquidem, non fit propria mutatio, niſi ſubiectum aliter ſe habeat nunc, quàm prius, per receptionem nouæ formæ, quâ antè carebat. Sicque potiùs lis de nomine eſſe videtur, quam de re, in qua communis vſus Anthorum retinendus eſt, vt alibi monui.

34. Aſſ. 1. priuatio eſt principium per ſe generationis naturalis. Ita Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 67. & 79. Et 12. *Met. T.* 12. & 22. Et *ibib* Scot. *in com.* Probatur primò, principium per ſe alicuius eſt, ex quo aliquid oritur, & incipit, vt patet *ex* 1. *not.* ſed ex non ente, quod eſt priuatio, oritur generatio naturalis, putà ex non equo gignitur equus, & ex non homine homo, vt contrà Antiquos arguit Stagir. *vbi ſuprà*, igitur priuatio eſt principium per ſe generationis naturalis. Secundò, mutatio naturalis flagitat duos terminos à quo, & ad quem, primus eſt à quo incipit, ſecundus verò in quem deſinit; ille autem eſt priuatio, 5. *Phyſ.* 7. iſte verò forma. Tertiò, quando aër à tenebris tranſit ad lucem, principium eius, & terminus à quo non eſt aër, quia eſt ſubiectum, nec forma expellenda, quia agens per ſe non intendit eam expellere, ſed introducere nouam formam, etſi præcedens perſiſteret, ab ipſa non manaret noua generatio: igitur terminus à quo, ſiue principium ſtatuuntur tenebræ, quæ ſunt priuationes lucis.

Dices, priuatio eſt principium per accidens, 1. *Phyſ. Tutul.* 81. occurrit Doct. *in com.* 12. *Met. T.* 12. priuationem eſſe principium per accidens rei genitæ, quia in ea nec exiſtit, nec permanet: eſſe verò principium per ſe generationis, quia ab ea incipit generatio, vt linea à puncto, & motus localis, à termino à quo.

35. Aſſ. 2. priuatio duratione præcedit in materia formam per generationem ex ipſa educendam, aut inducendam. Tenet. Doct. 3. *diſtinctione* 7. *quæſt.* 2. *E.* Et 4. *diſtinctione* 43. *quæſt.* 5. *H.* poſt Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 43. & 44. Suadetur 1. agens natu-

tale non agit instantaneè, sed successiuè, cùm sit virtutis finitæ, & limitatæ. Disponit namque, & præparat primùm subiectum præuiis, & idoneïs qualitatibus, deindè expellit pristinam formam, vt in idem subiectum introducat nouam formam: hæc autem tota progressio fit in tempore. Fit enim transitus à priuatione ad formam: igitur priuatio in materia, duratione præit formam. Secundò, generatio est mutatio inter terminos oppositos, quorum vnus dicitur priuatio, & alter habitus, seu forma: hi autem termini simul in eodem subiecto non se compatiuntur. Impossibile quippè est vt simul in eodem sit non forma, seu priuatio, & ipsa forma, quæ priuationi aduersatur, veluti impossibile est contradictoria esse simul in eodem, & de eodem, vt scilicet idem simul sit, & non sit. Tantùm autem ad inuicem repugnant priuatiua, quantùm contradictoria, licet hæc illis sint ampliora, & latiora, vt rectè notat Doctor *in Rep.2.d.1.q.6.in fine.*

Dices, priuationem naturâ præire formam, itavt in primo instanti naturæ sit priuatio, & in secundo instanti naturæ sit forma, vtraque verò simul in vno eodemque momento temporis. Idque maximè elucet, quoniam generatio est mutatio instantanea, quo pacto nulla extat repugnantia, & implicantia inter præfata opposita, cùm sint distincta signa naturæ, quæ valent ad contradictionem tollendam. Contra, huiusmodi signa naturæ, etsi valeant, ad præconcipiendum, & præscindendum vnum ab alio, non tamen ad diuidendum. Possum enim concipere solem sine luce, & hominem, sine risibilitate: verùm tamen nequeo rectè diuidere solem à luce, & hominem à risibilitate, negare solem esse lucidum, & hominem risibilem: simulque in eodem instanti temporis dicere solem non esse lucidum, & esse lucidum, hominem non esse risibilem, & esse risibilem, quia hæc adinuicem contradicunt: pariter in re nostra: in eodem instanti temporis componi nequeunt forma, & priuatio eius, alioqui eadem forma simul foret cum priuatione eius, & non foret: sicque contradictoria essent simul, vt arguit Doct. 3. d. 3. *quæst.* 1. *E.* Porrò generatio perhibetur instantanea sumpta pro sola introductione formæ, in materiam: non autem pro tota progressione, quæ ad eam requiritur, vt ostendi in *lib. de gener.* Tertiò, eodem ferè modo philosophandum est de forma artificiali, eiusque priuatione, ac de forma naturali, & priuatione eius, vt crebrò aduertit Arist. potissimùm, 1. *Phys. Titul.* 69. & 12. *Met. Titul.* 12. priuatio autem formæ artificialis in subiecto antecedit ipsam formam. Priusquam enim efformetur forma Mercurij ex ligno, in ipso ligno præcedit carentia eius formæ, & antè verum erat dicere lignum non habet præfatam figuram, & formam: ergò à simili præexistit in materia priuatio, antequam educatur ab agente forma illi opposita, proindéque opposita priuatiua successiuè subiectantur in materia, atque in generatione prior duratione est priuatio, forma.

36. Assertio 3. priuatio principiat, instar termini à quo, & per modum originis: quòd alij vocant per suum non esse. Deducitur ex Scot. 12. *Met. in com. Titul.* 11. & 12. & 2. *dist.* 1. 5. §. *secundum. T.* Necnon 4. *dist.* 11. *quæst.* 2. §. *Dico ergo. E.* Probatur primò, priuatio tunc principiat, cùm educitur forma de potentia materiæ, quoniam tunc generatio incipit, quæ absque principio principiari nequit: cùm autem forma educitur de materiæ potentia, priuatio non est, quia cedit formæ aduenienti, sicut tenebræ fugiunt, accedente luce, igitur priuatio principiat per modum originis, siue per suum non esse. Secundò, priuatiua opposita simul non se compatiuntur in eodem subiecto; vnum quippè est negatio alterius in subiecto apto: cùm autem oritur generatio per vim agentis extrinseci, priuatio non manet, quia forma cum qua simul consistere nequit, accedit; & ipsa forma adueniente, recedit, veluti terminus à quo perit in motu, per acquisitionem termini ad quem, cui ille opponitur. Tertiò, terminus à quo creationis, quod est nihil, seu negatio extra genus, cùm res creatur, non est, quia nihil, & res simul esse non possunt: sicut ergò dum cæpit creatio rei, non est negatio eius, pariter, quando res generatur, priuatio effugit, pulsa à suo contrario, quod est forma, atqueadeò priuatio constituitur generationis principium per suum non esse & per modum originis.

37. Opp. 1. contra 1. assertionem, principia sunt, ex quibus omnia naturalia fiunt, 1. Phys 42. *Ex priuatione autem nihil fit, quia est non ens ibid. Titul.* 73. *Ex non ente autem nihil fit, quia non ens est nihil, & ex nihilo nihil fieri, commune adagium est Philosophorum, eo in loco, Titul.* 33. Priuatio ergo non est principium generationis naturalis. Conf. 1. principium est nobilius principiato, sicut causa effectu, 3. *anima*, 19. cit. à Doct. 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. & 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. priuatio autem præstantior non est composito, quod est principiatum, cùm hoc sit reale positiuum, illa verò reale priuatiuum. Conf. 2. Principium producit, & influit in principiatum, quod ab eo producitur: priuatio autem non producit sed corrumpit, non construit, sed destruit productum, cùm sit causa corruptionis rerum naturalium, 1. *Phys T.* 81. In numero ergò principiorum non est locanda priuatio. Concedo ma. distinguo minorem: tanquam ex termino à quo generationis, nego: tanquam ex parte intrinseca compositionis, concedo. Vt enim creationis terminus à quo est nihil, seu negatio extra genus: sic generationis naturalis terminus à quo est priuatio, seu negatio in genere, quæ est priuatio, aliquid fit, tanquam termino à quo, physicè: verumtamen ex negatione extrà genus, seu ex nihilo, naturaliter nihil fit, vt abundè explicui *lib.* 2. *quæst.* 1. *art.* 6. Ad 1. conf. distinguo maiorem, simpliciter, & vniuersaliter, nego: secundum quid, & indefinitè, concedo. Vt materia, quæ causat partialiter compositum, secundum quid, & in ratione principij, est nobilior: simpliciter autem, & absolutè compositum est præstantius ea, vt totum sua parte. Ad 2. conf. distinguo maiorem, principium compositionis, & in facto esse, concedo: principium generationis, & in fieri, cuiusmodi est priuatio, nego, vt de puncto lineæ principio, in ipsam lineam nihil influente, declaraui *in* 5. *not.* Ad min. dico cum Arist. ibi, & Scot. 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. *I.* id esse per accidens, non ratione rei producendæ, cuius priuatio est principium, sed ratione rei productæ, de qua non habet rationem principij.

38. Opp. 2. contra 2. ass. 7. *Phys.* 1. *&* 8. *eiusdem, quoque* 1. Nec non 1. *Cæli*, 103. Arist. statuit motum, tempus, & cætera creata ab æterno. Et Scot. 2. *d.* 1. *quæst.* 3. tanquàm problema defendit potuisse à Deo mundum condi ab æterno. Datâ autem hypothesi, generationes rerum extitissent ab æterno. In æternis autem non est prius, nec posterius duratione: non ergò in materia præfuisset priuatiò antè formam, atqueadeò vt sit generatio, non est necesse, priuatio tempore præcedat formam. Conf. generatio est mutatio momentanea, veluti illuminatio, 2. *distinctione* 2. *quæst.* 9. *sub L.* In hac autem semper exiguntur duo

termini

termini à quo, & ad quem, abſque vlla prioritate, & poſterioritate durationis, ſicut relatio poſtulat duo extrema ſimul naturâ exiſtentia, ex quibus emergit. Igitur non oportet priuationem præexiſtere ante formam. Reſpódeo etſi in hoc, & in quibuſdam aliis Philoſophus allucinatus fuerit, nihilominus datâ hypotheſi ea productio, ſine generatio non eſſet propriè mutatio, ſed impropriè. Ob id non prærequirit priuationem poſitiuè, ſed negatiuè, vt cum Scot. planum feci *ſuprà not.* 3. Per idem patet ad conf. generatio namque, quatenùs non eſt propriè mutatio, ſed productio duntaxat, non poſtulat priuationem, præcedentem in materia poſitiuè, ſed negatiuè. Ideò inter priuationem, & formam in materia recipiendam, nulla intercipitur temporis mora.

39. Opp. 3. contrà 3. aſſ. actio non eſt ſine agente, ergò nec principiatio, abſque principio: & principiante: vt ergò cauſa in actu habet effectum in actu, 2. *Phyſ.* 38. ſic principium in actu, habet principiatum in actu, & econuerſò, ergò ſi priuatio principiat, per ſuum eſſe actu principiat. Conf. 1. priuatio principiat, cum pellitur à forma; tunc autem exiſtit priuatio, quia pollens, & pulſum debent ſimul exiſtere. Conf. 2. priuatio decernitur principium, vt terminus à quo generationis: terminus autem à quo exiſtit, cum ab eo aliquid progreditur, vt patet de illo, qui iter agit ab vna, ad aliam vrbem. Conf. 3. ex 4. *Met.* 22. Abiiciens habet aliquid eius, quod abiicitur, ſimiliter ergò cum priuatio abiicitur, remanet aliquid eius, quod exiſtit, ac proindè principiat per ſuum eſſe exiſtens. Reſp. argumentum concludere de principio influente in principiatum reali influxu, atque de principio intrinſeco conſtituente & permanente in principiato: at non de principio nihil cauſante in principiato, extrinſeco, abeunte, & recedente à ſubiecto, & principiato, vt innuit Canon. 1. *Phyſ. quæſt.* 16. *art.* 5. Cui præiuit Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 68. & 60. & 61. Ad 1. conf. dico, id habere locum in pulſione, & conflictu effectiuo oppoſitorum contrariorum, vt de calore, & frigore, quæ ſe mutuò expellunt ab eodem ſubiecto: non autem de oppoſitis priuatiuis, quorum vnum dicitur expellere aliud, per ſui poſitionem, vt poſitâ formâ in materia, abit priuatio, quæ immediatè ante formam, erat in ipſa materia. Quemadmodum adueniente luce, excutiuntur tenebræ, non per vllam efficientiam lucis aduerſus tenebras; ſed per ſolam lucis poſitionem & præſentiam, fugantur tenebræ, quæ immediatè ante ipſam lucem, erant in aëre. Ad 2. conf. concedo ma. diſtinguo mi. de termino à quo permanente, de quo exemplo illuſtratur, concedo: de termino à quo abeunte, & recedente, vti eſt priuatio, nego, & patet de nocte, quæ die appropinquante, euaneſcit. Ad 3. conf. dico cum Scot. *ibi in com.* eum locum intelligi de iis, quæ mouentur, & mutantur; quorum partes quædam perſiſtunt vt materia, quædam verò deſinunt eſſe, vt forma. Vel de intenſibilibus, & remiſſibilibus, quorum aliquæ partes creſcunt, nonnullæ verò decreſcunt. Vndè orta eſt opinio Heracliti, & aliorum, exiſtimantium omnia ſenſibilia continuè moueri.

ARTICVLVS VI.

An à priuatione ad habitum detur regreſſus.

40. ARiſt. *in poſtprædicamentis, cap. de oppoſitis* pronunciat hoc effatum frequens in ore Peripateticorum, *à priuatione ad habitum, non eſt regreſſus.* Quod varie à variis interpretibus exponitur, & illuſtratur, vt videre eſt apud. Conimb. *ibid. quæſt. vn. art.* 5. Aduertit autem Baſſ. 4. *diſtinctione* 43. *quæſt.* 2. *art.* 2. illud eſſe quidem à Philoſopho probatum, non tamen demonſtratum, quandoquidem non vniuerſe, ſed indefinitè proponitur, vt innuunt Antonius Andreas *in expoſitione illius paſſus*, & Scot. 8. *Met. in cap.* 5. Veluti principia ſunt contraria, 1. *Phyſ.* 41. & 42. Indefinitè, ideſt non omnia principia ſunt contraria, putà materia, quæ recipit contraria, ſed forma, & priuatio, *ibid. T.* 67. pariter in re noſtra, quandoque à priuatione ad habitum fit regreſſus, vt à tenebris, ad lucem: quandoque verò, nequaquam, vt à morte, ad vitam. Ideoque præfatum proloquium non in omnibus eſt verum. Quod vt eluceat, in quibus ſit verum, & in quibus falſum, obſeruo cum Scot. *loco præcit.* & *quæſt.* 41. *prædicam.* Forma, quæ opponitur priuationi, vel prouenit à principio intrinſeco, eſtque rei innata, & congenita, vt viſus in homine, cuius priuatio eſt cæcitas, ſicque in boe, & conſimilibus, verum eſt elogium Philoſophi, à priuatione ad habitum, non habetur regreſſus, quod illuſtrat dicto exemplo de cæcitate, & viſu, de caluitie, & coma, in quibus non extat reditus. Vel oritur à principio extrinſeco, vt lux à ſole in aëre, quo pacto aër tenebroſus fit lucidus, tranſitque à priuatione, ad habitum, per ſolem illuminantem ipſum aërem: Et huiuſmodi reditus eſt poſſibilis, cauſa eſt, quia agens extrinſecum non operans in ſubiecto capaci formæ ab eo inductæ, priuat ipſum eâ formâ, eaque dicitur priuatum: verumtamen, ſi idem agens iterùm accedat, & operetur in præfato ſubiecto, reſtituit ei eamdem formam, quomodo à priuatione ad habitum fit regreſſus, putà à tenebris, ad lucem: in prioribus autem contrarium euenit, quoniam in rerum naturalium ſyllabo, non inuenitur agens, quod præfatam formã ſemel in ſubiecto amiſſam, in eo reparare valeat, vt homini vita orbato, eam nemo reſtituere quit. Quapropter in iſtis, à priuatione ad habitum, non datur regreſſus. Subiiciunt alij, inter quos eſt Antonius Andreas, has poſteriores priuationes priuare formis ſubiecta, in quibus ſunt potentia, & actu: illas verò priores, actu duntaxat; ideò ad has reditus eſt impoſſibilis, viribus naturæ, ad eas verò poſſibilis. Denuò, aduerto duplicem regreſſum, immediatum, & mediatum. Prior eſt, cum vnum per vnicam mutationem vertitur in aliud, quod antèa erat, vt cum ex aqua, fit aër, & immediatè ex aëre redit aqua. Itemque, ex vigilia fit ſomnus, & ex ſomno reuertitur vigilia. Poſterior verò eſt, cum per multas mutationes rerum, idem, quod priùs extiterat, regreditur, vt 2. *Poſt. cap.* 7. *T.* 15. Ex pluuia in terram cadente ſurgunt vapores, ex vaporibus gignuntur nubes, & ex nubibus redit pluuia. Idem inſinuant Aug. 6. *de Geneſ. ad lit. cap.* 13. Et *lib. de ſpiritu, & anima cap.* 15. Et Scot. *in Met. paſſu præmemorato.* Vterque autem regreſſus non fit ad idem numero, ſed ad idem ſpecie 2. *de gener. T.* 70. *in fine.* Diminutùs

 verò

verò ad idem numero est possibilis, *Ioan.* 11. Lazarus, qui fuerat mortuus, reuixit ad vocem Christi Domini cum vocantis, *Lazare veni foras.*

Aduersus prællatam doctrinam, quidam, vt Conimb. nuper eit.

41. Opponunt 1. frigiditas est forma aquæ congenita, & concreata, at si tollatur ab aqua, in se relicta, iterum redit frigiditas eius, & vt patet de aqua calefacta, quæ postmodum ad pristinam frigiditatem reducitur. Igitur haud verum est præfatum documentum. Data ma. ad min. dico, aquam calefactam priuari actu frigiditate, non autem potentia. Ob id in se relicta, expulso calore, ad natiuam redit frigiditatem. Quarè documentum allatum habet locum in priuatione priuante actu, & potentia, non verò in priuatione priuante actu duntaxat. Propterea Stagit. affert exemplum de cæcitate, quæ viso priuat hominem actu, & potentia, vt explicitè tradit Aug. *l. de natura, & gratia, contra Pelagianos c.* 51. per cæcitatem potentia videndi est amissa.

42. Opponunt 2. priuatio, & forma sunt duo principia transmutationis naturalis, 1. *Phys. T.* 57. *& inde*: atque duo termini eiusdem 5. *Phys. T.* 7. Terminus à quo est priuatio, & terminus ad quem est forma: ergò cùm ad hos terminos sit transmutatio, consequenter possibilis est regressus à priuatione ad habitum. Resp. eam propositionem non esse vniuersalem, sed indefinitam, vt paulò post initium huius art. monui. Ideò, in quibusdam recipitur, in quibusdam verò reiicitur, vt exemplis prællatis patefeci, authoritate, & ratione firmaui.

43. Opponunt 3. vnum contrariorum includit priuatiuè oppositum alterius eorum, 10. *Met.* 15. *&* 16. Inter verò contraria est transmutatio, vt à calore ad frigus, & èconuerso: ergò quoque inter priuatiuè opposita. Resp. in præposito Themate, & elogio proposito & à nobis discusso, Philosophũ verba facere de priuatione perfecta, quæ est vnius extremi, ad aliud extremum, quod est forma, non autem de priuatione imperfecta, quæ est ratione vnius contrarij imperfecti, vt nigri, quod respectu albi dicitur priuatum aliqua perfectione, qua pollet album, vt benè notat Scot. *loco proximè cit. Met. in com.* Vel dicito id non euenire præcisè, ratione priuationis, sed ratione contrarij illi coniuncti. Vel potest negari paritas. Nam transmutatio contrariorum fit semper cum motu propriè dicto, & in tempore: non sic semper in priuatiuis oppositis, vt constat de illuminatione, quæ fit in instanti, 2. *animæ, T.* 70.

QVÆSTIO IV.

De Forma.

1. FORMA inter principia tertium occupat locum. Licet enim sit prior dignitatis ordine: nihilominùs generationis ordine est posterior priuatione. Cùm enim priuatio, & forma sint contraria, consequenter præexigunt & præsupponunt commune eorum subiectũ, quod est materia primum principium; deinde subsequitur priuatio secundum principium, quod est terminus à quo generationis, & postmodum forma tertium principium quod, est terminus ad quem eiusdem formalis, & præcipuus, de quo postremus restat disserendi locus.

ARTICVLVS I.

An sit forma substantialis.

2. INter veteres Philosophos vix inueniuntur, qui formam substantialem agnoscant, vt videre licet 1. *Met. sum.* 2. *cap.* 1. Post verò Arist. ita inualuit placitum affirmatiuum in scholis de forma substantiali, vt sit dogma non incertum, & ineuidens: immò oppositum censeatur erroneum, scribente Scot. *in com.* 7. *Met. sum.* 2. *cap.* 5.

3. Not. 1. ob diuersa, & præclara munia, quæ forma exercet, pleraque sortiri nomina, & epitheta. In primis perhibetur vnum, quia materiam indifferentem, & indeterminatam, ad certam, & determinatam speciem trahit, & constituit potissimùm vnum per se, quod est compositum. Deinde vocatur species, tum quia specificat, materiam, tum etiam quia eam speciosam, & pulchram reddit, ob id speciem, & formam coincidere, scribit Aug. *lib. de vera religione cap.* 38. Nec abs re præmiserat Arist. 1. *Phy.* 81. *Materia appetit formam, sicut turpe appetit pulchrum.* Ampliùs, nuncupatur ratio, quia præsertim ab ea depromitur definitio rerum naturalium: quo etiam pacto quandoque dicitur quod quid est, & quidditas. Præterea, nominatur exemplar, lux, character, actus, endelechia, finis, terminus: & huiusmodi, quibus mirificè insignitur, & illustratur.

4. Not. 2. formam diuidi in naturalem, & artificialem 1. *Phys. T.* 69. hæc per artem producitur, illa verò per naturam de potentia materiæ educitur. Forma verò naturalis subsecatur in substantialem, & accidentalem, 7. *Met. Titul.* 7. & alibi, & exprimitur à Scot. 4. *d.* 11. *q.* 3. 5. *Alij. T. & AA.* prior est ens simpliciter, & actus primarius, vnà cum materia constituens vnum per se: posterior verò est ens secundum quid, & actus secundarius, vnà cum subiecto faciens vnum per accidens. Rursus, forma substantialis subdistribuitur in assistentem, & informantem, indicante Arist. 1. *de partibus cap.* 1. assistens mouet subiectum ab extrinseco, ipsum dirigendo, vt nauta nauim, & auriga currum. Informans verò mouet subiectum in quo est ab intrinseco, vt anima mouet corpus, quod informat. Denique forma informans dispertitur in coniunctam cum materia, & ab ipsa inseparabilem, vt forma equi: & in separabilem à materia, vt anima rationalis, cuius meminit Stagirita 3. *animæ* 19.

5. Ass. datur forma substantialis. Ita Scot. præcit. cui præiuit Arist. 1. *Phys. T.* 65. & non rarò alibi. Probatur 1. ex materia, & forma, tanquam ex duabus partibus substantialibus coalescit vnum per se substantiale, quod est totum: ergò forma est substantia partialis. Ant. patet 8. *Met.* 2. consequentia tenet, 1. *Phys.* 51. *Ex non substantia non fit substantia.* Supple, tanquam ex partibus, & principiis intrinsecis constituentibus vnum per se compositum substantiale. At si omnis forma foret accidens, fieret vnum per accidens: siquidem ex subiecto, & accidente constatur vnum per accidens, 7. *Met. Titul.* 16. Secundò, res naturales specie inter se diffidunt, vt homo, & brutum: huiusmodi autem differentia specifica non petitur penès materiam, quæ est vtrique communis,

munis; ergò decerpitur à forma, quæ vtique eſt ſubſtantia, ſicut materia, immò magis petitur penès materiam, quæ eſt vtrique comſubſtantia, 7. *Met. Titul.* 8. Et magis natura, 2. *Phyſ. Titul.* 12. Tertiò, fiunt tranſmutationes ſubſtantiales, vt ignis tranſmutatur in aërem, aer in aquam, & ſic de cæteris, cernuntur generationes perennes ſubſtantiales. Sol enim, & homo generant hominem, 2. *Phyſ.* 26. Atque continuæ ſublunatium corruptiones, præſertim receſſu *ſolis*, vt conſtat de herbis, plantis, animalibuſque ex putri materia genitis. Huiuſmodi autem non accidunt, abſque productione nouarum ſubſtantialium formarum, & interitu priſtinarum. Cùm enim materia ſit ingenita, & incorrupta, 1. *Phyſ.* 82. Et totum ſubſtantiale producatur. Sanè ipſum totum ſubſtantiale non producitur de nouo, niſi aliqua eius pars ſubſtantialis producatur, putà forma, quæ tranſit à non eſſe, ad eſſe.

Rurſus, diuerſæ operationes à diuerſis agentibus prodeuntes arguunt diuerſas eorum formas ſubſtantiales, formæ quippè potiſſimùm cognoſcuntur per operationes ſenſibiles, docente Scot. 7. *Met. quæſt. 6. ad finem & quæſt. 10. §. contrà mouens.* Vt enim materia nobis innoteſcit per tranſmutationem, ſic forma per operationem.

Dices, ad hoc ſaluandum ſufficere formas accidentales. Conſtat enim ignem calefacere per calorem, & aquam frigefacere per frigiditatem, quæ ſunt formæ accidentales. Nulla ergo ratio cogit nos inuehere in ſcholam, formam ſubſtantialem. Contra, ignis ignit, non per calorem, cùm per eum tantum calefaciat, ſed per principium ignitiuum, quod eſt forma eius ſubſtantialis. Item aqua producit aquam, non frigiditatem, quæ eſt accidens, ſed per ſuam formam ſubſtantialem: ſi enim aqua calefiat, & ferueat, amittatque ſuam frigiditatem, in ſe relicta redit ad natiuam frigiditatem, non per frigiditatem, quæ remota erat per calorem in ipſa inexiſtentem, nec per materiam quæ eſt paſſiua, ergò per principium ſibi intrinſecum, quod eſt forma eius ſubſtantialis. Demùm, de fide ſancitum eſt in Conc. Later. ſub Leone X. *ſeſ.* 8. Et in Vien. ſub Clem. V. Et legitur in Clem. vnic. *de ſum. Trin.* §. 1. Animam rationalem eſſe formam hominis ſubſtantialem. Ergò idipſum aſtruendum eſt de reliquis animabus, & formis, tam elementorum, quàm mixtorum.

6. Oppones 1. motiua priſcorum Philoſophorum tacta ab Ariſt. 1. *Met. ſum.* 1. *cap.* 1. Et explicata à Doct. ſubtili ibi *in com.* quibus mouebantur, ad inficiandam formam ſubſtantialem, & admittendam materiam cunctorum naturalium, ſolum & vnicum principium primum eſt, materia eſt id, ex quo omnia naturalia fiunt. Secundum, in materiam omnia reſoluuntur. Tertium, ex ea per ſe primò omnia fiunt. Quartum, ſola materia permanet, cæteris incipientibus, & deſinentibus: ergò præter materiam, nulla eſt ſubſtantia, quæ principiet rem naturalem, & ſi qua eſt forma, eſt accidentalis. Reſpondeo prænarrata media oſtendere, materiam eſſe primum principium rerum naturalium, ſubiectum primum formarum, ingredi eſſentiam earum, in ipſam tandem reſolui, perpetuóque durare. Hæc omnia quidem admittimus: reſpuimus verò ipſammet eſſe ſolum principium ſubſtantiale, & ſtatuimus formam ſubſtantialem, ex qua vnà cum materia conflatur totum ſubſtantiale, tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus.

7. Opp. 2. Ariſt. 2. *de gener. cap.* 7. & 8. ſcribit formas elementorum eſſe primas qualitates, quæ ſunt formæ accidentariæ: ergò id ipſum aſtruendum eſt de formis mixtorum, cùm æqua ſit ratio in vtriſque. Conf. idem Stagit. comparat plerumque naturalia artificialibus, vt patet 1. *Phyſ. Titul.* 69. & 2. *eiuſdem, Titul.* 35. Necnon 7. *Metaphyſicæ* 26. & 8. *eiuſdem.* 15. Formæ autem artificialium ſunt accidentales, ergò & naturalium. Reſpondeo Philoſophum loqui ibi circumlocutiuè, ſumendo nimirum qualitates, ſiue proprietates elementorum, pro eorum formis ſubſtantialibus, quia hæ nos latent, illæ verò patent. Quod etiam præſtat 5. *Metaphyſicæ Titul.* 18. definiens quantitatem, per diuiſibilitatem, quæ eſt eius paſſio. Ad confirmationē dico, paritatem conſiſtere in hoc, quod ſicut artifex educit formas artificiales de ſubiecto præiacto, & vt præſuppoſito eius arti: ita agens naturale educit formas naturales de potentia materiæ: in reliquis verò eſt diſparitas, præſertim, quia formæ naturales ſunt ſubſtantiæ, artificiales verò accidentia, vt apertius fiet lib. ſubſequente.

8. Opp. 3. omnis ſubſtantia per ſe exiſtit, & ſubſiſtit. Hoc enim nomen *ſubſtantia* deriuatur à per ſe ſubſiſtendo, vt dixi in *Epit. dia. lib. 1. quæſt. 4. articulo 3. ante num.* 10. Forma verò, quæ educitur de potentia materiæ, per ſe non exiſtit, nec ſubſiſtit, quia ab ea dependet in eſſe, & in fieri, vt liquet de anima canis, leonis, & cæteris: igitur nulla inuenitur forma ſubſtantialis. Confirmatur, ſubſtantia non eſt in ſubiecto, vt tradit Ariſt. *in Antepradicam.* omnis autem forma eſt in ſubiecto, putà in materia, quæ eſt eius primum ſubiectum 1. *Phyſ.* 82. Igitur, nulla extat forma ſubſtantialis. Concedo maiorem, diſtinguo minorem: actu, concedo: potentia, nego. Quamuis enim forma educta de potentia materiæ gaudeat actu conſortio materiæ eius compartis; tamen poteſt diuinitùs ſeiungi, & ſeparari ab ea, & ſic ſeiuncta, & ſeparata ſe ſola exiſtere, docente Scot. 2. *diſtinctione* 12. *quæſt.* 2. *in fine.* Ad confirmationem concedo maiorem, diſtinguo minorem: per inhærentiam, nego: per informationem, vt pars extat in ſua comparte, concedo, vt patet de ſecundis, & vniuerſalibus ſubſtantiis, quæ ſunt in primis, & ſingularibus per inexiſtentiam; non autem per inhærentiam, quæ accidenti competit.

ARTICVLVS II.

Quid ſit forma.

9. NOn vna omnium de forma extat definitio. Etenim Plato eam ſic definit. Forma eſt *Diuini exemplaris imago rebus impreſſa.* Arabes, *participatio primi actus*, ſeu Dei, *rebus impreſſa.* Porretan. *libro ſex Principiorum capite* 1. *Forma eſt compoſitioni contingens, ſimplici, & inuariabili eſſentia conſiſtens.* Ariſtoteles 2. *Phyſ. Titul.* 28. Forma eſt *ratio quidditatis, & eſſentiæ.* Complut. *diſpoſitione* 4. *Phyſ. quæſt.* 1. Forma eſt *actus primus corporis.* Cæteri verò communius, & exactius: Forma eſt actus primarius materiæ, vnum de per ſe cum illa conſtituens. Deducitur ex Doct. 4. *diſtinctione* 11. *quæſt.* 3. T Et eius particulæ ſingulæ explanantur. Dicitur actus propter materiam, quæ eſt potentia. Additur primarius,

vt differat à forma accidentali, quæ est actus secundarius? Locatur materiæ, si non præexigat aliam formam subordinatam, vt forma elementi, quod si præsupponat aliam formam, etiam respectu formæ non subordinatæ, habet locum materiæ, vt animæ quæ præsupponit formam corporeitatis, respectu cuius est actus. Ob id definitur actus corporis organici, 2. *animæ*, 6. subiiciuntur reliquæ voculæ, ad differentiam compositi accidentalis, quod est vnum per accidens. Sic explicata formæ definitio facilis est probatu, vulgari, & communi medio, pollet quippè genere, quod est actus, & differentia, quæ indicatur per subsequentes particulas: nihilque superflui, & diminuti continet, vt postulat proba & idonea definitio, notante Porr. *in prædicta sua definitione.*

10. Opp. 1. absolutum non definitur per relatiuum, cum vtrumque sit distincti generis. Ergò cum forma sit ens absolutum, malè definitur per relationem ad materiam, vt fit in præfata definitione. Distinguo ant. in recto, concedo: in obliquo, nego. Sic accidens definitur per ordinem ad substantiam, in qua subiectatur, scientia per habitudinem ad scibile, & anima, per relationem ad corpus. Præsertim quia, dicta definitio non est quidditatiua sed descriptiua, vt præ aliis aduertit Fuent. 1. *Phys. q.* 4. *diff.* 1. *art.* 1. *n.* 7.

11. Opp. 2. simplex non est definibile, quia definitio constat partibus correspondentibus partibus definiti, 7. *Met. T.* 33. Forma autem est simplex, & pars ordinabilis ad totum constituendum: ergò eius nulla est adducenda definitio. Distinguo ma. definitione exacta, & completa, concedo: definitione incompleta, & pingui minerua, nego. Maximè, quia forma licet sit simplex simplicitate opposita compositioni physicæ: non tamen est simplex simplicitate opposita compositioni metaphysicæ. Cùm sit in prædicamento substantiæ, & coalescat ex quasi genere, & differentia partiali, cùm ipsa sit incompleta, & partialis substantia.

12. Opp. 3. apta definitio alteri non competit à definito: definitio autem formæ præaddducta conuenit Deo, quia est actus primus, & simplex: ergò ea definitio est incongrua. Concedo ma. nego min. Deus namque est purus actus nulli componibilis, sinè Physicè, siuè metaphysicè: estque summè simplex simplicitate omni compositioni opposita.

ARTICVLVS III.

An forma de nouo in materia producatur.

13. Parisienses 2. *Phys. q.* 1. Ioannes de Magistris *ibid.* Conimbr. 1. *Phys. c.* 9. *quæst.* 12. *art.* 3. & Dur. 2. *d.* 18. *q.* 2. recensent tres præcipuas classes priscorum Philosophorum inter se discrepantium, de formæ origine, & productione, quarum duæ sunt extremæ, & tertia media. Prima est Anaxagoræ, & sectatorum eius, arbitrantium formas prodire ab intrinseco, omnesque actu esse in materia, in eiusque quasi gremio contineri, occultas tamen, & confusas, quas vi sua agens naturale in lucem edit, distinguit, & patefacit. Instar argenti luto immersi, quod per abstersionem artificis apparet, enitet, & emicat. Secunda est Platonis in Phædone, eiusque discipulorum existimantium, formas promanare ab extrinseco, seu ab ideis, tanquam causis effectricibus vniuersalibus singularium sublunarium seiunctis ab eis realiter. Subiungit Auic. 1. *suff. cap.* 10. formas proficisci à quadam intelligentia, quam eholeodeam, seu formarum datricem appellat. Tertia consistit in medio, quæ est Arist. & Peripateticorum omnium docentium, formas partim esse ab intrinseco, partim verò ab extrinseco. Quod est dictu, formæ non præexistunt actu in materia, ante generationem, sed in potentia eius continentur duntaxat, de qua educuntur per virturem agentium naturalium.

14. Not. 1. agens dispertiri in agens æquiuocum, quod est alterius rationis ab effectu, quem producit, vt sol est causa æquiuoca generationis hominis, 2. *Phys.* 26. Agens vniuocum participat eamdem rationem, & speciem, cum effectu, quem producit. Hocque distribuitur in agens immediatum, quod immediatè attingit effectum, vt ignis immediatè generat ignem: & mediatum, quod mediante semine ab ipso deciso gignit effectum, vt homo medio semine generat hominem.

15. Not. 2. ex Tatar. 1. *de gener. quæst.* 1. *Scibile* 1. inter creationem, & generationem hoc intercipi discrimen. Creatio est productio ex nihilo, idest ex nullo præsupposito subiecto, adeò vt terminus à quo creationis sit nihil, hoc est negatio entis. Generatio verò est productio rei ex præiacente materia, seu ex præsupposito subiecto, ita vt terminus à quo generationis sit priuatio formæ, quæ inducitur, aut educitur de potentia materiæ. Educi autem de potentia materiæ, nihil aliud sibi vult, quàm in fieri, & in esse ipsam formam dependere à materia, vt palam fiet in proximo art.

16. Ass. 1. formæ non proueniunt ab intrinseco, vt censet Anaxag. cum suis. Defenditur à Doctoribus in com. Aristotelis 1. *Met. T.* 16. *sum.* 3. *cap.* 2. *Et* 7. *eiusdem T.* 28. Manetque iam probata *art.* 18. *quæst.* 2. *huius libri.* Nec ad eius corroborationem, quippiam addendum esse iudico, præsertim eùm sit antiquata, profligata, & absoleta.

17. Ass. 2. nec dictæ formæ prorsus ab extrinseco oriuntur, vt putant Platoniei. Traditur à Doctoribus 1. *post. quæst.* 3. §. *ad quæst.* Et reiicitur à nobis in Log. *l.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. quoad ideas, quas statuit Plato causas vniuersales effectrices singularium, si verum est, quod illi affingit Arist. passim in suis scriptis, quorum quædam adduxi *passu alleg.* quoad verò Cholcodeam excogitatam ab Auic. damnatur tanquam opinio erronea ab Vniuersitate Parisiensi *cap.* 7. collectionis eius, quæ habetur ante 1. sententiarum Seraphici Bon. Et testatur Tromb. 12. *Met. quæst.* 6. Deindè agens naturale vniuocum gignit effectum sibi similem, 7. *Met. cap.* 7. & 8. vt ignis generat ignem, & homo, hominem: ergo formæ rerum naturalium non ab intelligentia, sed ab agente naturali producuntur. Eò magis, quia nulla intelligentia valet producere substantiam, vt probat Scot. 4. *d.* 1. *quæst.* 1. §. *Ista ergò M.* Et §. *Secunda. T.* Ratio potissima est, quia Angelus intellectu, & voluntate agit, quæ sunt potentiæ productiuæ accidentis, non verò substantiæ. Quæ autem substantiæ ab eo fiunt, per applicationem actiuorum passiuis producuntur, vt patet de rania productis à Magis. Pharaonis. *Exo.* 8.

18. Ass. 3. formæ materiales educuntur de potentia materiæ, virtute agentium naturalium. Docet Scot. 2. *distinctione duodecima, quæst.* 1. *ante* §. *Ad argum.* 1. *G.* Et 4. *d.* 12. *quæst.* 3. *T.*

Et *d.* 15. *q.* 1. §. *ex dictis.* Et insinuat Aug. 12. *Confess. c.* 35.

18. Suadetur autem 1. quod pendet in fieri, & in esse à materia, educitur de eius potentia, vt obseruaui in 2. not. formæ autem materiales pendent in fieri, & in esse à materia, sine qua nec producuntur, nec conseruantur, ab eaque separari nequeunt, secùs forent creabiles, immortales, & incorruptibiles, veluti anima rationalis, quæ à Deo creatur, ab eoque in corpus debitè organizatum infunditur. Igitur formæ materiales de potentia materiæ educuntur ab agente naturali. Secundò eo modo philosophandum est de forma naturali, quo de artificiali, 1. *Phys. T.* 69. Et 2. *eiusdem operis T.* 36. forma autem artificialis educitur ex præiacente materia, vt ex lapide forma Mercurij, & ex ligno forma bouis. Ergò id ipsum astruendum est de forma naturali.

19. Opp. 1. idem est, quod est in potentia, ac quod est actu, vt idem est homo, qui erat creabilis, ac qui modò formatus est, 8. *Met. T.* 15. vbi Auer. & Scot. Ergò formæ sunt actu in materia, sicut sunt in potentia, proindéque de potentia materiæ non educuntur. Conf. 1. præstantius, & nobilius non educitur ex ignobiliori, & depressiori: forma autem est præstantior materia, ergò ex hac non educitur illa. Conf. 2. ex Scot. quol. 9. formæ substantiales non dependent à materia, sed solæ accidentales. Ratio est, quia *ex eodem* 1. *d.* 35. *Nihil habens perfectius esse in aliquo genere, ad illud, quod habet minus perfectum esse, in tali genere dependet.* Respondeo exponendo cum Scot. præadductum testimonium de potentia obiectiua; non autem de potentia subiectiua, de qua nunc verba facimus. Ad 1. conf. negari potest ma. Nam ex terra aurum, ex aqua coralium, ex grano frumenti mortuo, vinum, & alia ex aliis extrahuntur, quæ planè nobilitate superant ea, ex quibus educuntur. Ad 2. conf. dico, etsi explicitè illud non extet in Scot. cit. tamen occurrendum est, formas substantiales quidem non dependere à materia vt subiecto inhæsiuo, sicut accidentales, sed tanquam à subiecto sustentatiuo, vt pars dependet à sua comparte. Ad motiuum ex eodem, dico ipsum se explicare. Ait enim, in eodem genere. Siquidem in diuerso genere id non habet locum. Cum autem forma dependeat à materia, non in genere causæ formalis, sed materialis, consequenter, non inconuenit illam, ab ista sic dependere. Idque explanari potest de toto, quod licet sit nobilius suis partibus, ab eis tamen essentialiter dependet.

20. Opp. 2. quod continet aliud, est in illo actu illud aliud, vt patet de dolio continente vinum actu: materia autem continet formas, cum sit earum subiectum, 1. *Phys.* 81. Ergò formæ actu, & non virtute sunt in materia. Conf. ex 5. *Met. T.* 1. Ex materia fit aliquid, vt inexistente, vt æs statuæ & argentū fialæ, & horū genera. Si ergò manent materia, & forma, ex quibus conflatur totum, infertur, formam præexistere actu in materia. Resp. argumentum concludere de continentia virtuali, qualis est continentia materiæ, respectu formæ de ipsa educibilis, virtute agentis naturalis. Ad conf. dico, quidem ex materia præexistente, tanquam causa materiali, & forma, tanquam altera causa formali, effici compositum: nego verò formam inexistere in materia actu, absque eductione ex ea, ab agente naturali, vt indicat Scot. *in commento loci cit.*

21. Opp. 3. animæ vegetans, & sentiens sunt formæ materiales, quæ secundum Scot. 2. *d.* 18. *quæst. vn.* à Deo originem suam trahunt: ergò non omnes formæ materiales educuntur de potentia materiæ. Concedo ant. nego conseq. Ratiò est, quia oriuntur quidem à Deo, verumtamen, non sine interuentu, & concursu materiæ; ob id non creantur, sed educuntur de potentia, materiæ, per Dei potentiam.

Articulus IV.

Quid sit formam educi de potentia materiæ.

22. Complures recitantur, & refutantur dicendi modi in præsenti articulo ab inseparatis Scotis. *disp.* 2. *quæst.* 7. *art.* 1. Pontio *disp.* 33. *quæst.* 2. & Suarez *disp.* 15. *Met. sect.* 2. *num.* 14. *& indè*, quorum quatuor præcipuos adduco, & exprimo in proximis quatuor assertionibus.

23. Ass. 1. educi formam de potentia materiæ, non est educi de potentia agentis naturalis. Deducitur ex Doct. 2. *d.* 18. *q. vn.* §. *contra.* Et aduersatur Gerardo de Odonis, teste Canon. 1. *Phy. q.* 1. *dub.* 1. Suadetur 1. eductio de potentia materiæ designat habitudinem causæ materialis, non verò efficientis, vt benè vidit Fuentes 1. *Phys. q.* 4. *dif.* 2. *art.* 1. Ergò huiusmodi eductio non est de potentia agentis naturalis, sed de potentia materiæ patientis. Secundò, si Deus educeret formam de materia, vt educit animas vegetantem, & sentientem secundum Scot. *vbi suprà*, §. *Dico igitur. I.* Talis eductio non foret de potentia agentis naturalis, cùm tamen esset vera, & propria eductio: non ergò eductio de potentia materiæ consistit essentialiter in efficientia agentis naturalis. Tertiò, data opinione prænominati Gerardi, forma non ab intrà, sed ab extrà prorsùs prodiret, vt putabant Plato, & Auic. *suprà* reiecti. Produceretur quippè forma ab agente, quod est extrinsecum: materia non concurrente, de qua extrahitur, cum in ea, virtute contineatur.

24. Ass. 2. Formæ eductio de potentia materiæ, non petit materiam prius tempore, sub priuatione eius existentem, sed natura duntaxat. Est conformis Scot. 1. *d.* 39. §. *quantum ad* 1. *sub E* Et explicitè eam tradit 1. *Rep. d.* 17. *q.* 3. §. *Item quæro contrà Conimbr.* 1. *Phys. q.* 12. *art.* 5. Et Complut. *ibid. quæst.* 2. §. 3. Probatur 1. productiones instantaneæ, vt illuminatio solis in aëre, sunt veræ eductiones formarum de potentia materiæ, immò & omnes generationes rerum sublunarium, remotis præuiis dispositionibus fiunt in instanti, vt dixi *l. de gener. q.* 2. *a.* 3. post Scot. 1. *d.* 2. *q.* 9. *sub L.* Igitur eductio formæ de materia non præexigit prioritatem durationis in ipsa materia spoliata forma. Secundò, si Deus in Euch. ex noua materia educeret formam vermis, tunc nulla esset duratio, nec successio, cùm talis eductio foret in instanti, nec retardaretur à præcedentibus dispositionibus, cum ibi nullæ essent, ergò haud necesse est, materia priuata præcedat tempore formam educendam. Tertiò, formæ accidētales, quæ à subiectis suâ naturâ emanant, vt calor ab igne, & frigus ab aqua educuntur de eorum potentia, sicut formæ substantiales de potentia materiæ: illas autem non præcedunt tempore subiecta, ergò nec istas antecedit materia priuata. Æqua enim est ratio vtrobique, vt insinuat Scot. 8. *Met. c.* 6. *sum. vnic.*

25. Ass.

23. Ass. 3. nec eductio formæ de potentia materiæ consistit in eo, quod forma & compositum eadem, & vna actione producantut. Hæc ass. militat contrà Fuen. 1. *Phys. quæst.* 4. *dif.* 2. *art.* 1. Et Suarez nuper alleg. *n.* 15. cui patrocinantur Lych. 2. *distinctione* 17. *quæst. vn.* Et Mastrius *disp.* 2. *Phys. quæst.* 7. *articulo* 2. Soadetur 1. ex Doct. 4. *distinctione* 13. *quæst.* 1. §. *Ad huius autem F.* eductio est actio distincta à generatione, qoia illa fertur ad formam, vt terminom eius: hæc verò ad ad compositum, tanquam eius termioum totalem & adæqoatum: relationes autem distingui penes distinctos terminos, decisum est in Log. *quæst. De relatione art.* 7. Idem colligitor ex eodem 4. *distinctione* 1. *quæst.* 1. *ante. HH.* & *distinctione* 43. *quæst.* 2. §. *potest dici.* Necnon 2. *distinctione* 17. *quæst.* 1. Et *distinctione* 18. *quæst. vn.* Secundò prius vt prius causatur antè posterius, vt patet de causa, quæ producitur antè effectum: forma antem est prior composito, cùm sit causa eius intrinseca, & essentialis, ergò eductio non est eadem actio, quâ producitur compositum. Tertiò forma per se non generatur, sed compositum, 7. *Met. Titul.* 26. & *indè*, ergò aliâ actione producitur forma, & aliâ compositum. Ampliùs compositum præexigit vnionem materiæ, & formæ, tanquam eius principia coostitutiua: simplex, vt est forma, præcedit compositum. Atque si Deus edoceret formam de potentia materiæ, eámque ipsi non vniret, cùm reipsa differant, produceretur forma, & non compositum. Igitur per distioctas actiones forma & compositum producuntur.

26. Ass. 4. educi formam de potentia materiæ, nihil aliod sibi vult, quam illam ab hac in fieri, & in esse dependere. Deducitur ex Scot. *locis præalleg.* Et *in Rep.* eisdem passibus, quibus in scriptis Oxoniensibus. Cui subscribunt. Canon. 2. *Phys quæst.* 1. Bass. 2. *distinctione* 18, *quæst. vn. art.* 2. & Tromb. 12. *Met. quæst.* 5. Probatur primò ex refotatione aliorum præaddoctorum modorum dicendi in præcedentibus ass. quibus melior, aptior, & communior est iste. Secundò eductio formæ de materia sic à nobis exposita distioguitur à creatione, perhibente Scot. 2. *Rep. distinctione* 17. *quæst.* 3. necnon à generatione, & aliis productionibus, 4. *distinctione* 13. *quæst.* 1. §. *Ad huius.* Ergò recipienda est. Tertiò, eductio formæ accidentalis de subiecto est huiusmodi, vt patet 7. *Met. T.* 26. & alibi passim: pariter forma artificialis ita educitur de præiacente materia, putà ligno, aut marmore, vt rectè prosequitur Antonius Andreas *in exp. lib. sex principiorum, capite* 1.

27. Opp. 2. contrà 2. ass. edoctio formæ de materia claudit in se alterationem. Necesse quippè est ad edocendam formam de materia, præcedaot aptæ, & idoneæ dispositiones, quæ haud effici qocunt, nisi successiuè, & in tempore. Ergò materia cum priuatione formæ,, præcedit tempore formam edocendam de materia. Conf. prius est forma in potentia, quàm in actu. Igitur ad eductionem formæ de materia præexigitur præfata prioritas tempotis. Distinguo ant. præcisè, & formaliter, nego: antecedeoter, & extrinsecè, concedo. Potest namque Deus educere formam de materia absque vllo temporis interuallo, & durationis intercapedine. Addo generationem fieri in instanti sumptam pro productione totius constituti ex materia, & forma: pariter edoctio est momentanea, capta pro sola productione formæ in materia. Ad conf. dico, argumentum inferre prioritatem naturæ duntaxat. Satis enim est causam natura præcedere suum effectum, vt patet ex Aug. 6. *Trin. capite* 1. Si sol fuisset ab æterno, splendor eius fuisset ab æterno: præcessisset autem sol oon tempore, sed natura duntaxat, vt bene prosequitur Scot. 2. *distinctione* 1. *quæst.* 3. §. *Hic dicitur.* Et §. *Tenentes autem M.*

28. Opp. 2. contrà 3. ass. Arist. 7. *Met. Titul.* 26. & *indè*, scribit, formam produci eadem actione, quâ fit compositum, hoc est confieri cum composito, ergò eductio formæ est eadem actio, quâ fit compositum. Conf. Scot. 2. *distinctione* 17. *quæst.* 1. §. *Dimissa. A.* Et §. *Ad* 1. *C.* Et *in Repor. ibid.* astruit eam formam educi de potentia materiæ, quæ producitur eadem productione, quâ totum: qoæ verò alia productione producitur, creari. Respondeo Arist. ibi tantum velle, formam per se non fieri, nec generari. Cuius rationem reddit Doct. *eo in loco*, quia si forma generaretur, cùm genitum fiat ex materia, & forma: seqoeretur formam fieri ex forma, quod est falsum, & absonum. Ait autem Philosophus formam confieri, & congenerari, non quia alia actione, ab actione totius non producatur, cùm sit eo prior, & causa eius, sed quia alia actione extra materiam non producitur, & euenit de forma; qoæ creatur actione agentis supremi. Per idem patet ad confirmationem. Siquidem, vt liquet *ex locis præalleg.* reuerà forma producitur alia productione, à productione compositi: verumtamen, quia non transit, sed manet intrà materiæ limites. Ideò eadem actione effici, quà compositum, perhibetur, significante Lych. nuper memorato.

29. Opp. 3. contrà postremam ass. anima rationalis vtique præsupponit materiam, putà corpus debitè organizatum: ergò si vera est nostra sententia, anima rationalis quoque educitur de potentia materiæ, quod suprà reiectum est. Non ergò videtur verum, formam edoci de potentia materiæ, esse, ab ipsa in fieri, & io esse dependere. Nego consequentiam, causa est, quoniam ad eius efficientiam non concurrit materia, veluti concurrit in genere suo ad educendam formam corpoream, & materialem, vt ostendit Doct. 2. *distinctione* 18. *quæst. vn.* §. *contrà primum. A.*

ARTICVLVS V.

An formæ Cælorum, & elementorum educantur de potentia materiæ, in prima rerum productione.

30. QVamuis vulgus Philosophorum, animâ rationali exceptâ, cunctas formas censeat educi de potentia materiæ: nihilominus à Neotericis peculiaris excitatur dubitatio, nùm formæ Cælorum, & elementorum in prima rerum molitione de potestate materiæ à Deo fuerint euocatæ? Qoidam enim quos citant, & seqountur Complut. 1. *Phys. quæst.* 3. §. 1. & *q.* 4. Et Conimb. *ibid. in cap.* 9. *q.* 12. *art.* 5. negaot tam formas Cælorum quàm Elementorum educi de potentia materiæ. Alij, quibus adhæret Suarez *disp.* 15. *Met. sect.* 2. etsi renuant formas cælestium corporum fuisse eductas de potentia materiæ: admittunt tamen de formis corporum elementarium. Cæteri verò, vt Fuentes *dif.* 2. *quæst.* 4. *articulo* 3. Hurt. *disp.* 4. *sect.* 2. Et Rua. *Tract.* 2. *de forma. quæst.* 8. astruunt prænominatas formas educi de potentia materiæ.

31. Ass.

31. Aſſertio 1. formæ cælorum in initio mundi eductæ fuere de potentia materiæ. Deducitur ex Doct. 2.*d.*17.*quæſt.*1. §. *Dimiſſa B.* Probatur. Primò, dictæ formæ pendent in fieri, & in eſſe à materia, ſicut petit vera, & germana eductio formæ de materia, ex dictis *in præcunte art.* Ergò eductæ ſunt de potentia materiæ. Ant. adhuc ſuaderi poteſt. Si enim prænominatæ formæ forent independentes à materia, eſſent incorruptibiles, veluti anima rationalis, quod falſum, & erroneum eſt. Conſeq.tenet : ſiquidem materia prius natura fuit creata, quàm eorum formis ornata, vt inſinuat Doct.2.*diſt.*11.*quæſt.*1. poſt Aug.13.*Conf.c.*7. *&* 8.Secundò omnis forma vel creatur vel educitur de potentia materiæ, vt tradit Doct. cit. *d.*18. *q. unica*,§. *contra.* Formæ autem elementorum non fuere creatæ, cum ex præſuppoſita materia productæ fuerint, ab eaque in eſſe, & operari pendeant, ergò fuerunt eductæ de potentia materiæ. Maior patet, quia inter creationem & eductionem non interuenit medium. Tertiò, potuit Deus in primordio mundi creare materiam, vnà cum debitis diſpoſitionibus ad formam cæli; cum forma, & materia realiter abinuicem ſecernantur: deindè ex materia ſic diſpoſita educere formam cæli, vt inter Aduerſarios concedit Fonſ. 5. *Met. cap.*2.*quæſt.*4.*ſect.* 1. Ergò tunc verè fuiſſet forma illa de poteſtate materiæ euocata, ergò & de facto, cùm nulla ratio in contrarium vrgeat, vt elaret *ex præcedente art.*

32. Aſſertio 2. formæ quoque elementorum, in ſua prima ſui productione fuerunt eductæ de potentia materiæ. Colligitur ex eodem Doct. *vbi ſuprà*, probaturque iiſdem rationibus, quibus præcedens aſſertio fuit firmata, & roborata. Fundamentum autem Suarez cit. & aliorum futile, & inane eſt, iam euerſum in ſuperiore art.

33. Oppones 1. *Gen.* 1. *creauit Deus cælum, & terram :* ergò cùm per cælum intelligantur corpora cæleſtia, interprete Lyran. Et per terram, corpora elementaria, infertur, formas eorum haud fuiſſe eductas ſed creatas. Conſ. quidquid eſt productum, aut eſt creatum, aut generatum: cælum autem eſt ingenerabile, & incorruptibile, 1. *Cæli ſum.*6.*Titul.*10. Ergò eſt creatum, proindequè forma eius non eſt educta de potentia materiæ, ſed creata ex nihilo. Reſpondeo ibi ſumi verbum creauit latè non verò anguſtè pro producere rem ex nihilo, vt patet ex textu illo ſacræ Paginæ. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ, in ſpecies ſuas.* Deindè, *Creauit Deus hominem.* Et poſtmodum *c.* 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ.*

Ex his, & conſimilibus locis liquidò conſtat, creationem amplè accipi *paſſu Scripturæ alleg.* prout eſt productio cuiuſcumque ex præiacente materia : preſsè verò, & propriè creatio eſt productio ex nihilo, hoc eſt ex nulla præſuppoſita materia, cuiuſmodi eſt productio Angeli, & animæ rationalis. Per id patet ad conſ. ſi enim admittatur maior ſumendo creatum duplici illo modo præexplicito : minor eſt diſtinguenda. Per ſe, negatur:per accidens verò, conceditur. Cælum quippè nec habet contrarium, nec in rerum natura inuenitur agens creatum, quod vi ſuâ valeat ipſum deſtruere, aut conſtruere, vt benè aduertit Doct. 4. *diſt.*49.*quæſt.*6.§.*Hic duo. B.* Et 11. *Met.ſum.*2. *in exp. cap.* 3. Quem ſequitur Maur. *in annot. Theor. ibid.*

34. Oppones 2. corpora cæleſtia, & elementaria vnico temporis momento, vnà cum ſuis partibus fuêre producta : adeo vt creatio priùs ad illa tota, deindè, ad eorum partes fuerit terminata : ergò fuere creata, eorumque partes concreatæ. Conſ. affectiones, vireſque rerum non educuntur de illis, tanquam de materia, vel quaſi materia. Atque ſubſiſtentia, non educitur de ſubſtantia, cuius eſt ſubſiſtentia. Itemque exiſtentia, & vniuersè rerum modi haud extrahuntur de potentia earum rerum, quarum ſunt modi. Ergò idipſum aſtruendum eſt de formis cælorum, ac elementorum.

Reſpondeo, licet eodem temporis inſtanti ea corpora, cum ſuis partibus foerint producta: nihilominus prius natura foêre productæ partes, quàm compoſita ex eis conflata, præcedunt enim origine partes compoſita ex illis conſtituta, veluti principia, principiata, & cauſæ cauſata, atque diuiſa, membra diuidentia, vt tangit Doct. 1. *diſt.* 5. *quæſt.* 1. *&* 2. Ad conſ. concedo ant. nego conſeq. cauſa eſt, quia illa emanant, fluunt, & pullulant ex naturis rerum, non ſic formæ. Quandoquidem ad illas non eſt neceſſarium agens externum, cùm ex principiis rerum intrinſecis effluant : iſtæ verò præexigunt agens extrinſecum, vt extrahat ipſas de poteſtate materiæ. Idem ferè dicito de ſubſiſtentia, quæ eſt vltimus terminus naturæ ſubſtantialis. Atque de exiſtentia, cæteriſque modis res modificantibus.

35. Quæres, vtrùm eductio identificetur cum vnione? Reſpondeo negatiuè. Cauſa eſt, quia eductio præcedit vnionem. Siquidem, vt forma vniatur materiæ, debet eſſe educta de potentia materiæ. Præſupponuntur quippè extrema vnibilia, priuſquam vniantur, ſicut de partibus totius nuper dicebam. Addo, eductionem eſſe relationem intrinſecus aduenientem : vnionem verò eſſe reſpectum extrinſecus aduenientem : atquè terminum illius eſſe formam, iſtius verò, minimè. Denuò poteſt eſſe vnio abſque eductione, vt liquet de anima rationali, quæ quidem corpori vnitur, non autem educitur. Quæ, & conſimilia apertè oſtendunt contra Suarez *diſput.* 13. *Met. ſect.* 9. *num.* 10. eductionem ab vnione diſcriminari.

ARTICVLVS VI.

An formæ accidentales educantur de potentia materiæ.

36. MOneo in præſentia, non capi materiam, pro materia prima, ſed pro materia ſecunda, quæ eſt totum, quod dicitur materia, propterea quod in ipſo ſubiectantur formæ accidentales. Deindè, aduerto, formas accidentales quaſdam eſſe reales, cuiuſmodi eſt calor : quaſdam verò intentionales, vt lumen. Reales autem ſubdiuiduntur in naturales, quæ prodeunt ab agente naturali, vt albedo, & ſupernaturales, quæ à Deo immediatè proficiſcuntur, vt gratia. Itaque cùm agens duplex ſit, naturale, & ſupernaturale, penès hunc duplicem reſpectum, forma perhibetur naturalis, ſi ab agente naturali; vel ſupernaturali, ſi ab agente ſupernaturali producatur. Penès autem ſubiectum, in quo recipitur, aſt naturalis, ſi ad eam ſubiectum incliner ; violenta, ſi reluctetur ; & neutra, ſi nec inclinet, nec reluctetur. Hæc doctrina traditur à Doct. *quæſt.* 1. *Prol.* §. *ad q. igitur. L.* Porrò, quædam formæ ſunt artificiales, quæ arte ab opifice elaborantur, vt forma domus.

37. Aſſ.

37. Ass. 1. forma accidentalis, naturalis, realis educitur de potentia subiecti. Est communis; quam tuentur noncupatim Scot. 4. *d.* 1. *q.* 1. §. *Ideò dici potest. GG.* Et Mayr. 2. *d.* 13 *q.* 4. Probatur primò, omnis præfata forma pendet in fieri, & in esse à subiecto cuius est accidens, vt postulat propria, & germana eductio formæ, de potentia materiæ, ergò educitur de potentia subiecti. Ant. est in promptu, quandoquidem, accidentis esse est inesse, hoc est inhærere subiecto, à quo aut naturaliter prodit aut ab alio extrinseco producitur, & subiectatur, siue in ipso, siue in altero. Secundò, huiusmodi forma non creatur. Nam cùm producatur ab agente creato, haud fieri potest per creationem, cùm agens creatum nec principaliter, nec instrumentaliter attingere creationem valeat, docente Scot. paulò antè cit. Nec generatur; soli quippè composito adaptatur generatio, 7. *Met. Titul.* a 7. Ergò educitur. Tertiò, quod prodit à materia, aut à composito educitur, cùm eductio sit dependentia formæ à materia, aut alio subiecto in fieri, & in esse: omnis autem forma accidentalis proficiscitur à materia, in qua inhæret, secundum aliquos: aut à composito, secundum Scot. & alios Philosophos: materia verò, vel compositum haud potest concurrere ad aliquid creandum, cùm creatio sit summi agentis independentia. Cuncta ergò forma naturalis præmemorata educitur de potestate materiæ.

38. Assertio 2. forma naturalis intentionalis educitur de potentia subiecti. Hanc supponit Doct. 2. *d.* 13. *quæst. vnic.* quam ex instituto defendunt May. *vbi suprà*, & Rich. *eadem d. art.* 2. *q.* 1. quos sequitur maior pars Recentiorum. Probatur primò, forma intentionalis est naturalis, veluti forma realis. Producit namque effectum naturalem realem, vt lumen illuminat medium, species sensibilis partialiter concurrit ad sensationem, & intelligibilis, ad intellectionem: forma verò naturalis realis educitur de potentia subiecti, ex probatis *in* 1. *ass.* Ergo & forma intentionalis. Secundò, quod producitur, concurrente subiecto educitur de eius potentia, vt indicat vox eductio. Lumen autem concurrente sole producitur, & species intentionalis, concausante obiecto, cuius vicem gerit, ergò quæuis forma intentionalis extrahitur de potestate subiecti. Accedit Resp. Hugo Vict. *lib. de sacr. part.* 6. *cap.* 26. *Opus creationis, & multiplicationis, & annihilationis, soli Deo possibilia sunt*: ergò, cum lumen à corpore luminoso, & species intentionales ab obiectis proueniant, apertè infertur huiusmodi formas educi de potentia subiecti.

39. Assertio 3. actus supernaturales, putà actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciti ab agente creato educuntur de potentia subiecti. Tradit Doct. 1. *d.* 17. *quæst.* 2. §. *Ad argumenta pro opinione. PP.* Probatur primò, præfati actus eliciuntur ab agente creato dependenter à subiecto, veluti actus naturales causati partialiter ab habitu, & potentia elicitiua: hi autem educuntur de potentia subiecti, ergò & illi. Secundò, solus actus immediatè à Deo productus, dicitur propriè creatus, quia solius Dei est agere independenter à materia, & subiecto: huiusmodi autem actus causantur ab habitu supernaturali, & potentia naturali, putà intellectu, aut volontate. Igitur non propriè creantur, sed de potentia subiecti educuntur.

40. Assertio 4. habitus supernaturales, vt Fides, Spes, gratia, & lumen gloriæ à Deo creantur. Tenet Doct. 1. *d.* 17. *q.* 2. §. *Ad solutionem.* Et §. *sexto q.* 3. Et 2. *d.* 34. §. *Ista quæstiones A.* Et 4. *d.* 1. *q.* 5. §. *Ad primam ergo.* Suadetur primò, quod à solo Deo immediatè producitur, creatur, cum creatio sit productio ex nullo subiecto præsupposito, & solus Deus agat independenter à materia, & subiecto: præfati autem habitus à solo Deo promanant, vt de gratia, & lumine gloriæ particulatim habetur, *Psal.* 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ergò creantur. Secundò, prædicti habitus non educuntur de potentia suorum subiectorum, ergò creantur. Consequentia tenet, quia non est alius producendi modus eorum. Ant. probatur, formæ quæ educuntur de potentia subiecti sunt naturales: illi autem habitus sunt supernaturales, & ita eminentes in suo ordine, sicut anima rationalis in suo syllabo, hæc autem creatur, ergò & illi.

41. Assertio 5. formæ artificiales educuntur de potentia subiectorum, ex quibus extrahuntur, & subiectantur. Deducitur ex Arist. 1. *Phys. T.* 69. Et 7. *Met. summa* 2. *cap.* 7. *Titul.* 27. *Et Scot. ibidem* qui comparant formas naturales, artificialibus: sed illæ ex assertis suprà educuntur de potentia materiæ, ergò & istæ. Deindè, ars nihil potest moliri, nisi ex præiacente materia, vt constat experientia de fabro lignario, qui vt conficiat sedem, præsupponit lignum, & ferrario ferrum, & sic de cæteris. Rursus ars præsupponit naturam, cuius est imitatrix, 2. *Phys. T.* 79. Natura autem ex nihilo formam non producit, cùm ex nihilo nihil fiat naturaliter, ergò nec ars, proindéque formæ artificiales educuntur de potentia subiecti, sicut formæ naturales.

42. Opp. 1. contrà 2. ass. eductio formæ de materia est actio realis habens terminum realem, & proficiscens ab agente reali physico: lumen autem est forma intentionalis, vt concedit Doct. 2. *d.* 13. *q. vn.* Ergò forma intentionalis non educitur de potentia subiecti. Resp. cum Scot. mox cit. lumen, vtrumque esse participare. Est enim forma realis, quia realiter medium illuminat: estque forma intentionalis, quia illo medio obiectum luce respersum à nobis videtur.

43. Opp. 2. contrà 4. ass. accidentis esse est inesse ex Arist. 7. *Met. cap.* 1. *T.* 2. & Scot. 4. *d.* 12. *q.* 5. §. *Ad q. respondeo. Sub E.* Habitus autem supernaturales sunt accidentia: ergò insunt subiecto, ab ipsoque dependent in esse, & in fieri, atque adeò non creantur. Conf. 1. creatio est rerum subsistentium: dicti autem habitus non subsistunt, quia non sunt substantiæ, ergò non creantur. Conf. 2. quæ à Deo creantur perseuerant in æternum, vt anima rationalis, & Angelus: præfati autem habitus non semper durant, vt fides, & spes non manent in patria: gratia verò peccato perit: ergò huiusmodi habitus non creantur. Resp. inhærentiam in subiecto aptitudinalem, quidem esse passionem accidentis. Hoc tamen non tollit, quin dicti habitus, qui sunt accidentia, creentur à Deo. Siquidem anima rationalis est in corpore, ipsumque informat, & tamen creatur: pariter dicti habitus sunt in subiecto, quod informant; & à Deo creantur Ad 1. conf. nego ma. nulla ratione firmatam. Ideò, qua facilitate adducitur, repellitur. Ad 2. conf. dico maiorem non esse vniuersaliter veram; etsi enim vera sit de anima rationali, & Angelo, non tamen de gratia, quæ ob demeritum peccatoris, à Deo annihilatur, vt scribit Doct. 2. *distinctione* 35. §. *Ex ista solutione Ad* 2. *infine* Et 3. *distinctione* 23. *q. vn.* §. *Ad* 1. *principale. sub. K.*

44. Opp. 3. contrà 5. ass. quod educitur de potentia subiecti, propria, distinctaque actione agentia educitur, vt denotat verbum educor. Formæ autem artificiales resultant ex incisione, dolatione, & expolitione,

expolitione, quæ sunt motus locales, quibus mouentur instrumenta artificum, & approximantur partes materiæ, ex quibus constituitur totum artificiale, vt statua, & domus: ergò prædictæ formæ non educuntur de potentia subiecti. Concedo maiorem, nego minorem. Etsi enim præexigantur illi prænarrati motus: nihilominus prænominatæ formæ propria actione producuntur ab artifice, cùm ars sit habitus cum rectâ ratione factiuus, atque educantur de potestate subiecti, sicut cæteræ formæ, perhibente Antonio Andrea *in exp. l. sex principiorum.*

ARTICVLVS VII.

An plures formæ substantiales poßint simul informare eamdem numero materiam.

45. Lis non extat in præsentia de formis subordinatis, quarum vna supponitur, & ordinatur ad aliam, vt forma corporeitatis, & forma viuentis, de quibus in 3. de anima: sed de formis disparatis, & impertinentibus, quarum altera non respicit alteram, vt forma canis, & leonis. Bifariàm autem agitari potest præposita, & proposita difficultas, naturaliter scilicet, & supernaturaliter. De primo vix est qui astruat, plures formas simul posse informare vnam numero materiam, tum quia vna forma sufficienter, & totaliter complet, & perficit materiam, quam actu informat: tum etiam quia ex illis fieret vnum per accidens. Vna quippè alteri adueniret, toto iam constituto, quòd est accidens. Iterùm, vna non secum simul alteram compatitur, experientia comprobante, *Generatio vnius est corruptio alterius*, vt legitur apud Arist. 1. *de gener. cap.* 3. *T.* 17. Et Scot. 2. *d.* 1. *q.* 5. §. *Ad* 1. *arg. L.* Necesse namque est, ad generandum nouum compositum, ab agente expellatur forma pristina, vt recens in eamdem materiam introducatur: siquidem vtraque simul in eodem subiecto est incompossibilis, scribente Scot. 2. *d.* 2. *q.* 7. §. *Ideò ante D.* Et 5. *Met. q.* 7. §. *pro solutione.* Et 2. *d.* 15. *q. vn.* §. *Dico ergò. sub. A.* Et *d.* 1. *q.* 3. *sub L.* De secundo verò non modica viget altercatio inter scholasticos. Affirmant enim Greg. 2. *d.* 12. *q.* 3. *art.* 2. Fons. 5. *Met. c.* 4. *sect.* 5. *q.* 4. Ruu. *tract.* 2. *de forma q.* 7. quibus adhærent Gemini Scotist. *disp.* 5. *q.* 7. *art.* 2. Et Pontius *disp.* 33. *q.* 33. *q* 3. *concl.* 2. secuti Sghemmam 2. *Phys. digress.* 7. Negant autem Fuentes 1. *Phys. q.* 4. *dif.* 3. *art.* 1. Cumplut. *ibid. disp.* 4. *q.* 6. §. 2. Vasquez *de incar. disp.* 24. & Arct. *in annot. q.* 19. *primi Phys.* Et plures alij vtriusque scholæ alumni.

46. Assertio, vi increata effici nequit, vt duæ formæ substantiales informent simul eamdem numero materiam. Hanc verbis explicitis tuetur Doct. 4. *d.* 49. *q.* 16. §. *Ad* 1. *argum. propè finem.* Nec potest dici, quod fit ibi in aliena materia, quia duæ formæ substantiales specificæ non possunt simul perficere eamdem materiam. Idem innuit *in eodem* 4. *d.* 11. *q.* 3. §. *Alij concedentes.* Et *d.* 10. *q.* 3. §. *Dico ergò.* Et 2. *d.* 2. *q.* 7. §. *Et ideò. D.* Et *quol.* 9. §. *De secundo.* Faucnt. Lych. & Gadius eis in locis.

47. Dices, vel Scotum proponere, & opponere argumenta, aduersùs assertionem, quam tenet, vt in primo loco adducto; vel loqui naturaliter; ideò Scot. haud fautor est præfatæ ass. Contrà, ipse Scot. satisfacit in priori passu eis, quæ pugnant cum Doctrinæ, refellitque contraria. Verùm, ad Incompossibilitatē duarum formarum simul in eadē materia, nihil respōdet, ergo indicium est, eam nequaquàm admittere, vt postmodum patet *in cæteris locis prememoratis*, in quibus ratiocinatur de virtute naturali: vt constat legenti adducta testimonia. quare Pontius cit. immeritò trahit ipsum Scotum in oppositam sententiam, vt quoque palam faciunt rationes mox adducendæ conformes principiis eius, ad suadendam præpositam nostram ass. Probatur itaque primò, ass. quod est per se simpliciter, & vltimatè subsistens per vnam formam substantialem, & materiam, nequit aliam formam substantialem in eadem numero materia compati, quia id est suppositum, siue persona quæ est incommunicabilis, vt quo, & vt quod, vt declarat Doct. *quol. cit.* compositum autem ex materia, & vna forma substantiali est simpliciter subsistens, cùm sit suppositum, ergò in ea materia nequit existere, nisi illa vna forma, quæ talem materiam informat; proindéque duæ formæ substantiales haud valent coëxistere simul in eadem materia. Hæc ratio est affinis illi primæ, quam affert Doct. vbi suprà, ad probandum, Angelum non posse informare materiam.

48. Dices, argumentum non concludere, quandoquidem suppositum est adæquatè subsistens, independens, & incommunicabile: compositum verò ex materia, & forma, non est subsistens, nisi per suppositalitatem, quæ est eius vltimus terminus. Ideò, nihil obstat, quin materia, quæ non subsistit subsistentia formæ, sed totius, queat duplicem formam in se simul suscipere. Contrà, subsistentia suppositalis est terminus vtriusque naturæque ex illis coalitæ: ergò, si vna forma in suo genere, & ordine, totaliter, & simpliciter eam causat, alia nequit simul eamdem causare, secùs idem effectus simul causaretur à duabus causis eiusdem ordinis & rationis: quod negat Scot. 3. *præcit.*

49. Dices, id habere locum in causis totalibus, & adæquatis, non autem in partialibus, & inadæquatis. Contrà, sicut duæ causæ totales nequeunt totaliter simul producere eumdem numero effectum: ita nec duæ causæ partiales eiusdem ordinis, & rationis simul partialiter, & inadæquatè possunt attingere eumdem numero effectum. Suo quippè modo, vtrobique æqua currit ratio. Secundò, si duæ formæ substantiales simul informarent eamdem numero materiam, aut ei præberent actum simpliciter, aut actum secundum quid: non hoc, quoniam istud competit formæ accidentali, quæ aduenit rei iam completæ, & perfectæ in suo esse essentiali, & substantiali: nec illud, quia ex duplici actu simpliciter fieri vnum per accidens, communæ extat adagium Philosophorum: ergò nullo modo simul in eadem materia duæ formæ substantiales possunt consistere. Hæc ratio similis est illi posteriori, quā vtitur Doct. *quol. memor.* ad ostendendum Angelum materiæ non posse vniri tanquàm formam informantem.

50. Dices cum Pontio cit. id valere naturaliter, non autem supernaturaliter. Contrà, quæ exiguntur ad alicuius essentiam, supernaturaliter tolli non possunt; nisi eius essentia destruatur. Fieri quippè nequit, vt sit homo, nisi constet ex corpore, & anima, & sit binarius, nisi ex duobus conflictur. Ex actu autem, & potentia, hoc est ex materia, & forma fit vnum per se, 8. *Met. t.* 15. quia illa est potentia, & ista est actus, & non redditur alia ratio: atque ex duplici actu disparata fit vnum per accidens: &

 non

non affertur alia causa, nisi quia vterque est actus, vnúsque ad alterum non ordinatur, sed vnus alteri accidit. Ergò impossibile est duas formas simul informare vnicam materiam: secùs, vna ordinaretur ad aliam, essentque subordinatæ, quod est contra Thesim. Deindè, vel materia per vnam formam perfectè, & completè actuatur, aut non: si non, ergò totum ex vtraque coalitum, non est completum, quod est falsum: si sic, ergò stante illâ formâ in materia, non extat in ipsa aptitudo, & capacitas ad recipiendam simul aliam formam, sicut manente albedine in pariete, non est capacitas in eo ad simul recipiendam nigredinem.

Tertiò, si vna numero materia simul quiret informari à duabus formis, posset quoque à tribus, immò ab infiniris, si darentur, cum non elucear potior ratio de duabus, quàm de infinitis. Hoc autem est impossibile, ergò & illud. Sequela majoris ostenditur ex Doctore 3. *distinctione prima, quæstione secunda*, §. *Contra*. adhibente eamdem arguendi formulam, contrà Varr. si enim inquit, natura humana posset suppositari pluribus suppositis, ergò & infinitis, cum non videatur determinatio ad certum numerum: pariter si vna materia posset actuari à duabus formis simul, ergò & ab infinitis, sicque foret infinira, cùm esset infinitarum formarum receptrix. Nec præstat dicere cum Pontio recensito, non argui talem infinitatem in materia, sicut non arguitur infinitas loci, licet infinita corpora recipere queat. Etenim, præterquamquod ita argumentatur Doctor. *vbi suprà*. locus recipiens corpora plura, id non habet ab intrinseco, vt haberet materia, data hypothesi, sed ab extrinseco, vt rectè exponit ibi Lych. ex Scot. 4. *distinctione decima, quæstione secunda*, §. *Dico ergò. K.* Quartò, repugnat naturam humanam, & quamvis aliam naturam substantialem, singularem, & numericam suppositari tribus suppositis simul, ergò implicat eamdem numero materiam pluribus formis actuari, & simul informari. Ant. est Scot. *in 3. passu nuper alleg.* Impossibile namque est, eamdem naturam adæquatè. & totaliter à multis suppositis dependere, veluti impossibile est vnum effectum causari simul à multis causis totalibus eiusdem generis, & ordinis, alioquin causaretur simul ab eis, & non causaretur, dependeretque ab eis simul essentialiter, & non dependeret, vt optimè infert Doct. *vbi suprà*. Conseq. probatur, vna forma est totale principium informatiuum, & completiuum vnius materiæ, & determinatiuum totale eiusdem in certa specie, & indiuiduo, ergò ipsamet materia simul actuari, informari, & determinari adæquatè, & totaliter nequit ab alia forma, secùs actuaretur, & informaretur totaliter, & non actuaretur, nec informaretur ab ea totaliter, quandoquidem ab alia totaliret actuatur, & informatur.

51. Dices, forma non plenè, & adæquatè complet appetitum materiæ, nec adæquatè eam perficit. Igitur nulla est paritas adducta de pluralitate suppositorum, ac formarum. Ant. est commune effatum Philosophorum, nuncupatim Scot. 2. *distinctione prima, quæstione secundad finem* Et 1. *distinct.* 14. *quæst.* 1. §. *Respondeo B.* Contrà, quia licet materia respectu alterius formæ inclinet ad eam, eamque appetat, non tamen eodem appetitu. & simul, sed diuisim distincto appetitu. Ideò Doctor *in prima citatione* præmittit tot esse appetitus in materia, quot sunt formæ in ipsa receptibiles. Stat ergò paritas, & manet argumentum in suo robore, quidquid in oppositum conentur suadere nostri Recentes prænominati.

52. Opp. 1. materia est subiectum receptiuum omnium formarum, non magis ad vnam, quam ad aliam determinata, cùm vnaquæque sit eius perfectio, & complementum: ergò vna materia numero potest informari duabus formis, ad quas ipsa disponitur, & præparatur. Distinguo ant. successiuè, concedo; simul nego, veluti lignum idoneum est, vt ex ipso ab artifice educatur forma Iouis, aut Mercurij, non quidem simul, sed successiuè dictæ imagines in ipso ligno efformari valent. Pariter Scot. in tertio loco memotaro concedit quidem vnam naturam diuisim posse à rribus personis, non tamen coniunctim assumi hypostaticè, & personaliter.

53. Opp. 2. potentia Dei absoluta, duo corpora possunt simul existere in eodem loco, secundum Scot. 4. *distinctione quadragesimanona, quæstione decimasexta*. plures relationes in eodem fundamento. Et 3. *distinctione octaua, quæstione vnica*. Et pleraque accidenria in eodem subiecto. 5. *Metaphys. quæstione septima*. Ergò & duæ formæ substantiales in eadem mareria. Concedo anrecedens, nego consequenriam. Causa disparitatis est, quia illa omnia sunt extrinseca subiectis, quibus insunt, adueniuntque eis completis, & perfectis in suo esse; ideò sunt formæ secundum quid: at verò forma substantialis intrinsecè constituit, & essentialiter actuat materiam, determinatque in certa specie & indiuiduo: ob id est forma simpliciter, proindéque vna manente in eadem materia, simul altera non potest in eamet consistere; propter incompossibilitatem, & repugnantiam earum.

54. Opp. 3. superna Dei virtute duo contraria in summo simul possunt existere in eodem subiecto, vt summus calor, & supremum frigus, ergò quoque duæ formæ simul valent eamdem materiam numero informare. Nego antecedens cum Scot. 3. *distinctione decimaseptimæ, quæstione tertia*, §. *Contra istam opinionem.* Et 3. *distinctione quarta, quæstione vnica* §. *Ad argumenta. H.* Post Aristotelem, 4. *Metaphys. Titulo nono & vigesimoseptimo*. Si enim contraria in summo quirent idem subiectum simul informare, vtique contradictoria simul de eodem vera forenr: si ergò contradictoria simul de eodem verificari nequeunt, nec pariter contraria simul in eodem hærere valent.

ARTICVLVS VIII.

An vna forma valeat simul informare plures materias.

55. TOt tunc ferè sensus Philosophorum in præsenti, quot in anrecedente articulo prælati sunt. Enimverò, naturaliter nullam formam posse simul informare multas materias, nemo in dubium vocat. Supernaturaliter autem esse possibile, asseuerant Fons. 5. *Metaphys. capite quarto, sectione tertia, quæstione quarta*, Run. *Tractatu secundo de forma, quæstione septima*. Et indicant Aut. 3. *distinctione prima, quæstione quarta, articulo secundo*, & Dur. *ibid. quæstione tertia*, quos sequitur Pontius *disputatione trigesimatertia, quæstione quarta*. Impossibile verò indicat Scot. 3. *distinctione prima, quæstione secunda*, §. *Ad quæst.*

quæst. 4. Lich. *ibid.* Fabet *disputatione quarta*, Fuentes 1. *Phys. quæst.* 4. *dif.* 3. *art.* 3. Et Mastrius *disputatione quinta*, *quæstione septima*, *articulo secundo.* Et anteà innuit Rich. 3. *distinct.* 1. *quæst.* 4.

56. Not. 1. formam distribui in partialem, seu inadæquatam, vti est forma capitis, vel pedis: & totalem seu adæquatam, vt forma totius corporis. Iterùm, in coniunctam, quæ ex omnibus partibus simul integratur, vt formæ quæ omnes partes corporis simul vnitas informat: & disiunctam, vt si forma informaret quasdam partes à toto disiunctas, & loco semotas. Rursùs indiuisibilem, seu materialem, quæ educitur de potentia materiæ, vt anima canis: & indiuisibilem, quæ creatur à Deo, vt anima rationalis. Dubitatur autem potissimùm, vtrum vna forma integra, & totalis valeat informare plures numero materias, totales, & adæquatas? Numne etiam plures materias partiales disiunctas, & loco dissitas?

57. Not. 2. quò forma est fotior, & illimitatior ad plura informanda, & perficienda, eò est præstantior, & perfectior, vt liquet de anima rationali, quæ per se primò, & adæquatè perficit totum corpus, & inadæquatè singulas eius partes, cùm sit tota in toto, & tota in cunctis eius partibus. Cùm autem forma tribuat esse essentiale, & perfectionale suo corpori, quod informat, si posset adæquatè simul informare plura corpora, foret perfectior, & si infinita simul, esset infinita, quia præberet esse perfectionale infinitis, quod ipsa nequiret, nisi esset infinita, vt de natura dante esse infinitis suppositis, probè intulit Lich. ex Scot. præcit.

58. Ass. 1. Vna forma virtute naturæ nequit simul perficere duas materias adæquatas; nec duas inadæquatas loco distantes. Conclusio est bipartita, quam insinuat Doctor. 8. *Met. in com. cap.* 6. *Titul.* 15. ex Aristotele *ibid.* Et 2. *distinct.* 1. *quæst.* 5. §. *Ad* 1. *L.* Et *distinct.* 12. *quæst.* 1. §. *positio:* Et alibi frequenter, prima pars probatur 1. Perfectio adæquata suapte natura postulat perfectibile adæquatum. Vnum quippè alteri adaptandum, proportionandumque esse, experientia cernitur: forma autem est perfectio adæquata materia, & ipsa materia est eius perfectibile adæquatum, cum ex vtraque simul iuncta fiat vnum per se. vt ait Philosophus passu nunc memorato, non alia de causa, nisi quia materia est potentia, & forma est actus. Quod si addatur altera forma eiusdem ordinis efficitur vnum per accidens: ex duplici enim actu fit vnum per accidens, 7. *Met. T.* 16. Vna ergò forma petit vnam materiam duntaxat. Secundò, duæ tantùm causæ intrinsecæ requiruntur ad constituendum compositum, quod distinguitur à simplici in eo, quod illud constat partibus duabus, putà materia & forma, istud verò partium est expers, vt benè prosequitur Doct. *ad finem.* §. *positio ista. dist.* 12. *secundi q.* 1. Tertiò, compositum metaphysicum solùm coalescit ex genere, & differentia, & indiuiduum ex natura, & differentia indiuiduali, vt homo ex animali, & rationali, & hic homo ex humanitate, & hæcceitate, vt docet Scot. 2. *d* 3. *q.* 6. §. *Ad* 4. Ergò compositum vtique physicum contentum est vnica forma, & materia. Iterùm palam est in rerum sublunarium perenni motu, & vicissitudine; nec-non in ortu, interitumque earum tàm elementarium, quàm mixtarum deprehendi vnam tantùm materiam, vnamque formam, vt cùm ex aëre fit aqua, & ex aqua aër. In his namque, & aliis, eadem est materia in genito, quæ erat in corrupto, notante Doct. 5. *Met. in exp. capitis sexti, Titulo duodecimo.* Denique, agens, vt introducat recentem formam in materiam, necesse est expellat pristinam formam. Vnde originem trahit illud vulgatum 1. *de gener. Titulo vigesimo. Generatio vnius, est corruptio alterius.* Ergò vna forma, vnam tantùm comprehendit materiam.

Secunda pars est conspicua: si enim amputetur manus ab homine, ea manus moritur, & si abscindatur ramus ab arbore, perit is ramus. Ratio est, quia anima informat corpus organicum, membra, & partes eius continuas, & contiguas, vnitas simulque copulatas: si ergò huiusmodi partes ab eo disiunguntur, & separentur, desinit eas informare, vitamque eis præbere, proindè intereunt & pereunt.

59. Ass. 2. repugnat, vnam formam adæquatè plures materias totales perficere. Tenet Doct. in 3. *præaddutto*, §. *contra hoc obiicitur.* Suadetur 1. quod est de intrinseca, & formali ratione alicuius, non potest etiam diuinitùs aliter se habere, vt de essentia hominis est, esse animal rationale, fieri nequit, vt sit homo, & non participet naturam animalis rationalis, adeò vt necesse sit, constet his duobus, animalitate, & rationalitate, nec pluribus, nec paucioribus: totum autem physicum componitur ex materia, & forma, estque quid tertium essentialiter, ex vtraque coalitum, 7. *Met. Tit.* 7. *cap.* 1. *summa secunda.* Sic enim extat eius definitio essentialis; quod autem ingreditur definitionem rei, est de eius essentia. Præsertim quia materia, & forma sunt causæ, partes, & principia constitutiua totius, 2. *Phys.* 52. & 5. *Met.* 2. Igitur, inuoluit repugnantiam, vnam formam totaliter informare multas materias adæquatas. Secundò, materia, & forma relatiuè opponuntur, 5. *Phys. Titulo vigesimosexto.* Et forma est terminus generationis, à quo specificatur relatio. Atque tot modis dicitur vnum oppositorum, quot & reliquum, 1. *Top. capite duodecimo.* In præcedenti autem articulo ostendi, vnam materiam, virtute creatâ, & increata non posse pluribus formis informari, ergò nec vnam formam simul informare plures materias. Tertiò, illa sunt vnum numero, quorum materia est vna, 5. *Metaphys. capite sexto*, *Titulo duodecimo.* quod à Scot. ibi exponitur de differentia indiuiduali, per quam natura singularizatur, & indiuiduatur: si ergò vna differentia indiuidualis requiritur ad esse singulare, & ad esse suppositale, vna suppositalitas, ita vt plures suppositalitates, & singularitates in vno, & eodem simul repugnent. Id ipsum astruendum est de pluribus materiis, respectu vnius formæ. Hùc quoque pertinent, quæ articuli in superiori articulo, ad corroborandam ass. eius.

60. Opp. 1. Nonnulli Sanctorum, vt Mitrius Aquis, & Dionysius Parisiis, amputatum caput, in propriis manibus tulerunt, ad quædam milliaria, & populo sermonem tunc habuerunt, qui fieri haud potuit, nisi anima informasset caput à corpore abscissum: ergò non implicat contradictionem, formam plures materias ab inuicem loco dissitas simul informare, & perficere. Respondeo id præstitum fuisse per miraculum, non quidem, vt vna, & eadem anima informasset plura corpora totalia, & adæquata, sed solùm membra quædam, quæ sunt partes corporis & materiæ eius inadæquatæ, vt est caput, de quo fit mentio in argumento.

61. Opp. 2. Locus est forma accidentalis, & potest esse simul in duobus subiectis, eaq; informare. vt si duo corpora existerent simul in eodem loco.

Quod vi diuina esse possibile arbitratur Scot. 4. *d. 49. quæst. 16. § Respondeo. F.* si ergò vna forma accidentalis simul inhætere potest in duobus subiectis adæquatis, vtique & vna forma substantialis potest simul duas materias totales perficere. Paritas conceditur à Doct. 3. *citat* Respondet Doct. proximè alleg. §. *Ad argumenta. D.* esse vnum locum materialem, & duplicem formalem: datâ enim hypothesi duo corpora ambitentur eadem superficie, quæ est locus materialis: forent tamen duæ actiuæ circumscriptiones, & locationes duorum dictorum corporum, quæ sunt loca formalia, vt innuit Gilbertus *lib. 16. sex principiorum, cap. 5.*

Dices, eadem superficies circumdat ea duo præmemorata corpora, in quibus cum sit accidens, indubiè inhæret: superficies autem est forma accidentalis de genere quantitatis. Ergò, vna forma potest simul informare plura subiecta totalia, & adæquata Dico, superficiem solum ambire corpus, quod est circumscriptiuè in loco, non autem aliud, quod præscindit à repletione locali, vt astruit Doct. 4 *passu memorato.* Sicque non sequitur, vnum accidens simul inhærere in duobus subiectis adæquatis.

62. Opp. 3. vna suppositalitas, siue personalitas potest terminare dependentiam duplicis naturæ suppositabilis, siue personabilis, authore Scot. 3. *d. 1 q. 3.* Ergò & vna forma simul valet perficere duplicem materiam adæquatam. Respondeo, concesso ant. negando consecq. Ratio disparitatis est, quia forma est realis positiua, realiter informans materiam, cuius est forma: suppositalitas verò formaliter tantum præsefert duplicem negationem vt quo, & vt quod. Et si defendatur personalitatem designare formaliter quid reale positiuum, vt probabile tuetur Doct. dicito eam se habere, tanquam causam respectu naturæ suppositabilis & personabilis Non repugnat autem vnam causam habere simul plures effectus, vt patet de patre habente simul plures filios. Addo Scot. in hoc, & in aliis non paucis, esse problematicum, & ostendere oppositam sententiam non carere probabilitate, quam defendunt Bass. Mayr. Pontius, & alij permulti. In negatiuam tamen videtur propendere, vt præ aliis obseruat Fuentes recensitus, *art. 3.* Atque indicant eius principia, & fundamenta.

Dices, Scot. cit. ingenuè fatetur suppositum diuinum posse suppositare simul plures naturas, & de facto in vnitate suppositi diuini Verbi vniuntur naturæ, diuina & humana: ergò absolutè nulla extat implicantia. Dico, esse disparitatem, siquidem suppositum creatum duplici tantum gaudet incommunicabilitate: at suppositum diuinum triplici, de qua fusè *Tract. de Incar.*

QVÆSTIO V.

De Vnione materiæ, & formæ.

1. VNIO præexigit extrema, quæ vnit, & simul connectit, vt ex illis fiat vnum, quod est tertium ex illis conflatum. Ideò perlustratis materia & forma, quæ sunt duo extrema simul coniungenda ad causandum compositum, aptè de vtriusque vnione disceptandum modò est.

ARTICVLVS I.

An detur vnio à materia, & forma distincta.

2. PRior opinio est Och. 1. *distinctione 30. quæst.* 1. Greg. *ibid. distinctione 26. quæst.* 2. Aur. 2. *distinctione 12. quæst. 1. art. 3.* Et cæterorum. Nominalium, & multorum Thomistarum, affirmantium, materiam, & formam seipsis vniri, itavt inter vtramque nullum interponatur vinculum ab eis distinctum. Posterior est Scot. 2. *distinct. 1. quæst. 5. §. contra istam opinionem antè A.* Et 3. *distinctione 2. quæst. 2.* Et aliis in locis, & discipulorum eius, & non paucorum Thomist. docentium vnionem materiæ, & formæ, esse quid ab illis distinctum.

3. Not. vnionem trifariàm accipi. Primò pro aggregatione, siue coniunctione aliquorum, sic vniuntur multi lapides ad construendam domum, & multi milites ad conficiendum exercitum. Secundò pro concordia multorum, & amore eorum, sic *Ioan.* 17. Christus dominus precatur patrem, vt discipuli eius sint vnum, supple, in amore, & charitate. Et Aug. à Calepino allegatus subiicit. *Nam hoc fieri posse in tanta animorum vnione, quis dubitet.* Tertiò pro nexu, seu vinculo materiæ, & formæ, ad componendum totum, & de vnione sic sumpta, disserunt in præsentia Philosophi.

4. Ass. 1. materia, & forma non seipsis vniuntur ad faciendum compositum, sed media vnione ab eis distincta. Tenet Doct. *locis præcensitis.* Probatur 1. Vnio est duorum extremorum ab inuicem distinctorum nexus. Nihil quippè sibi vnitur, sed alteri, Cum ex Scot. 4. *distinctiona 43. quæst. 3. §. Hic duo sub B.* vnio sit habitudo entis ad ens, hoc est perfectibilis, ad perficiens, & perficientis, ad perfectibile, siue respectus materiæ ad formam, & contrà, vt magis patebit in proximo art. Habitudo autem siue respectus differt ab extremis, quorum est respectus, quoniam illa sunt absoluta; hic verò ens relatiuum, quod ab absoluto differre, commune extat Philosophorum dogma. Igitur vnio à materia, & forma diffidet. Secundò, nisi vnio addat aliquid reale positiuum suprà extrema vnita, separata abinuicem forent vnita, & vnita simul essent separata, quod implicat in adiecto, ergò vnio ab extremis vnitis secernitur. Sequela ant. ostenditur: si namque vnio non differt ab extremis, cùm sint extrema separata inter se, siue coniuncta semper eadem, retinentia prorsus eamdem essentiam, & existentiam, rectè deducitur disiuncta esse coniuncta, & econtrà, quod repugnantiam innoluit.

Dices, quandò sunt vnita, vnum est in alio, putà forma in materia, & vtrumque mutua præsentia gaudet. Contrà, saltem diuinitùs, potest forma esse in materia, eidemque præsens, absque vlla informatione, & causalitate, vt patet de Angelo, & Deo, qui adsunt rebus absque informatione. Eò magis, quia approximatio, & præsentia, secundum Nominales, contrà quos disputamus, nihil reale positiuum præsefeiunt, ergò argumentum manet in sua vi, & robore. Subnecto, approximationem, præsentiam, & huiusmodi potius esse conditiones prærequisitas, quam essentiales dictis principiis.

Tertiò res non mutatur, nisi aliquid in se reale recipiat

recipiat de nouo, vt aduertit Doct. 2. *diſtinctione prima, quæſtione quinta, §. ſecundum primum. T.* Materia autem, & forma, cùm ſimul vniuntur, mutantur, fit enim materia de non informata, actu informato, & forma, de non informante, actu informans. Impoſſibile qoippè eſt, tranſire de vno contradictorio, ad aliud contradictorium, abſque mutatione, vt arguit Doct. 1. *diſtinctione trigeſimanona §. Ad tertiam quæſtionem.* Ergò vnio importat quid diſtinctum ab extremis ſimul iunctis. Qoartò dioinum Verbum, & humanitas ſunt ſimul vnita, in vnione *hypoſtatica*, quæ ab eis ſimul iunctis diſſidet, vt patet in triduo, in quo dempta fuit, cùm Chriſtus verè mortuus fuit. Itemque in Logica vnio ſubiecti, & prædicati diſſidet ab eis: quodqoe de reliquis aliarum rerum vnionibus facilè inducitur.

5. Aſſ. 2. vnio realiter diſtinguitur à materia, & forma ſimul vnitis. Deducitor ea Scot. *vbi ſuprà.* Probatur 1. quorum vnum manet, altero pereunte, hæc procul dubio realiter inter ſe diſſident, vt Petrus, & Paulus realiter ab inoicem ſecernuntur. Quandoquidem viuit Petrus, mortuo Paulo: vnione aotem diſſoluta, poſſunt manere eatrema eius, vt patet in obitu Chriſti Domini, in quo perempta fuit vnio humanitatis, cum Verbo, & perſtiterunt Ipſum Verbum, & anima rationalis eius. 2. Quæ abinuicem ſeparata poſſunt exiſtere, ſaltem diuinitus, realiter differunt: materia autem, & forma, vi dioina exiſtere queunt ſeparata, vnione vtrioſqoe destructa, vt liquet io morte hominis, in qua perit vnio animæ, & corporis, ipſis permanentibus. Igitur inter extrema vnita, & vnionem eorum intercipitur diſtinctio realis.

Dices, vnio nequit eſſe abſque eatremis vnitis, veluti relatio non poteſt eſſe ſine fundamento, & termino: ſi ergò impoſſibile eſt ſeparari vnionem ab extremis eius, planè infertur, eam haud realiter ab ipſis differre. Contrà, relatio prædicamentalis ex dictis in Logica, re ipſa diſſidet à ſuis eatremis, & tamen ab eis eſt inſeparabilis. Itemqoe, compoſitum realiter diſtinguitur à ſuis partibus ſimul vnitis, & tamen ab eis diſiungi oequit, ob dependentiam eſſentialem, quam ab illis ſortitur: ita dicendum eſt de vnione, quæ cùm ſit relatio, actoalem dependentiam habet ab extremis, quæ connectit: Ob id ſegregari non valet ab illis, tametſi inter ea, & hanc cadat diſtinctio realis.

6. Opp. 1. contrà 1. aſſ. materia, & forma ad inuicem ab agente immediatè vniuntur, ad cauſandum totum: ergò inter vtramqoe nolla intercedit vnio. Ant. oſtenditur, 8. *Metaphyſ. Titul.* 15. & 2. *de anima, Titulo ſecundo.* Ex materia, quæ eſt potentia & forma, quæ eſt actos, fit vnum per ſe, nihilque aliud requiritur, quod ſit medium, ad illa duo eatrema connectenda. Diſtinguo ant. materia, & forma immediatè vniontur, vt quod, concedo, vt quo, nego. Ad eius probationem, patet per eamdem diſtinctionem: ſiquidem vnio non vnitur, ſed eſt id, quo materia, & forma vniuntur, veluti actio non agitur, ſed eſt id, quo agens agit: atque locus non locatur, ſed eſt id, qno corpus locatur; Quare ex materia, & forma, tanquam ex partibus eſſentialibus, & immediatis fit vnum per ſe, quas agens connectit per vnionem, tanquàm earum vinculum.

7. Oppones 2. ſi daretur vnio ad vincíendam ſimul materiam, & formam, aut præcederet in materia formam aut concomitaretur, aut ſubſequeretur eam. Non primum, quia cùm vnio ſit relatio, præexigit eatrema, quorum alterum eſt forma. Nec ſecundum, qoia materia prius, & immediatius reſpicit formam, quàm vnionem, quia illa eſt ſubſtantia, hæc verò accidens. Ordo autem ſubſtantialis præcedit ordinem accidentalem, vt oſtendam *l. 5. q.* 1. Nec tertium, quia nullum poſterius coniungit neceſſariò prius, à quo realiter ſecernitur. Igitur, nulla eſt admittenda vnio materiæ, & formæ ab ipſis diſtincta. Reſpondeo vnionem ſubſequi materiam, & formam, ex quibus tanqoàm eius extremis conſurgit: Nec inconuenit poſterius neceſſariò ſequi, ſicut exiſtentia ſequitur eſſentiam, ſubſiſtentia ſubſtantiam, relatio extrema, & Deum creatura.

8. Oppones 3. ſi daretur vnio à materia, & forma differente, vel eſſet ſubſtantia, vel accidens: neutrum dici poteſt, ergò non eſt concedenda. Major patet, quia ſubſtantia, & accidens immediatè dioidunt ens. Minor eſt in promptu, non eſt ſubſtantia, qoia ſubſtantia ſufficienter ſecatur in materiam, formam, & compoſitum, 2. *Anima. Titulo ſecundo*: Nec accidens, alioqui foret vnio accidentalis, proindeqoe totum eſſet ens per accidens, quod pugnat 8. *Metaphyſ. Titulo decimo quinto.* Concedo majorem, primamque partem minoris, nego verò ſecundam partem, eiuſqoe ſequelam. Licet enim vnio formaliter ſit accidens, nihilominus eſt ſubſtantialis, quia eius extrema ſunt ſubſtantiæ, vt generatio dicitur ſubſtantialis, non formaliter, cùm ſit actio, ſed terminatiuè, quia terminus eius eſt ſubſtantia. Pariter vnio hypoſtatica diuini Verbi vocatur ſubſtantialis, ex Scot. 3. *diſtinctione ſeptima, quæſtione prima, articulo quinto*, quia eatrema eius ſunt ſubſtantiæ, & vnita in ſobſiſtentia ipſius Verbi, tametſi ea formaliter ſit accidens, putà relatio extrinſecus adueniens, ea eodem *ibid. d. 1. q. 1. art. 1. A. §. de primo dico.*

Articvlvs II.

Quid ſit vnio materiæ, & formæ.

9. Plerique Recentes, vt Suarez. *3. p. diſp.* 8. *quæſt.* 2. & Vaſquez *ibid. diſputatione decimaoctaua, capite tertio*, arbitrantur, vnionem prænominatam eſſe modum ſubſtantialem, qoi eſt fundamentum relationis tranſcendentalis, aut prædicamentalis, vt alij opinantur. Scotus autem, tum *locis cit. in ſuperiore articulo*, tum etiam *3. diſtinct.* 22. *quæſt. vn. §. Ad 1. arg. L.*, Et 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *§. Ad q. N.* Et *d.* 43. *q.* 1. *ante §. Alter ponitur. ſub B.* Baſſ. 2. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. & 3. *diſt.* 1. *q.* 1. Ouandos *ibid. dub.* 2. & Maſtrius & Bellutus *diſp. 5. Phyſ. q.* 9. doceot hanc vnionem eſſe relationem extrinſecus aduenientem prædicamentalem.

10. Not. vnionem dupliciter accipi. Primò actiuè, ſic vnio perindè eſt ac actio vnitiua agentis naturalis vnientis materiam cum forma. Neceſsè quippè eſt, materiam, & formam, prius inter ſe vniantur, quàm gignatur compoſitum, annuente Scot. 1. *Rep. d.* 2. Etenim, cauſæ ſemper, ſaltem naturâ præcedunt ſuum effectum. Secundò paſſiuè, quo pacto vnio eſt effectus vnitionis, ſeu actionis agentis vnientis materiam, cùm forma, hæcque eſt nexus, ſeu vinculum vtriuſque. Hæc autem doctrina præclarè declaratur, & corroboratur à Fabro 3. *diſputat.* 3. *cap.* 3.

de vnione hypostatica diuini Verbi, cum natura humana, in qua per actionem sanctissimæ Trinitatis nihil est productum præter relationem extrinsecus aduenientem naturæ dependentis, & sustentificatæ, ad Verbum independens, & sustentificans personaliter, & hypostaticè, *vt optimè aduertit Doct. in Rep. 3. d. 1. q. 2.*

11. Ass. 1. vnio non est modus substantialis. Defenditur à Doct. *3. d. 1. q. 1. §. De prima. A.* Ex *in Rep. q. 2.* Probatur 1. modus substantialis est intrinsecus rei, cuius est modus, cùm consequatur naturam eius, sitque ab ipsa inseparabilis, & distinguatur ex natura rei, siue modaliter ab ea, vt videntur concedere Aduersarij: vnio autem materiæ, & formæ destrui potest, ipsis permanentibus, vt corrupto composito, perit vnio, manent autem materia, & forma separata ab inuicem in morte hominis, & in cæteria diuinitùs possunt separata persistere, cùm realiter differant, significante Doct. 2. *d. 12. in fine q.* 2. Igitur vnio non est modus substantialis. 2. omne ens, vel est substantia, vel accidens, 5. *Met. T.* 14. Modus autem ille non est accidens, vt concedunt Aduersarij: nec substantia, quæ 2. *anima T.* 2. sufficienter diuiditur in materiam, formam, & compositum. 3. Si vnio est modus substantialis, & quid absolutum, vel est tantùm in vno extremo, vel in duobus, non primum quia vtrumque extremum vnitur, & mutuò referuntur. Necesse autem est, vt sit in vtroque fundamentum, vt consurgat relatio in ambobus: ambo autem ad inuicem referuntur, ergò is modus extat in vtrisque, cùm sit fundamentum dictæ relationis. Nec secundum, quia eadem forma siue substantialis, siue accidentalis duo subiecta simul informare non potest: & ipsi Antigonistæ admittunt, vnionem in vno extremorum reperiri duntaxat. Insuper, illud absolutum debet vniri materiæ, & formæ, vt infert Doct. 8. *Met. q.* 4. sicque non vnio est, sed vnibile per vnionem, vt in humanitate assumpta à Verbo, quod falsum esse probat Doct. *vbi suprà*, & efficaciter prosequitur Faber nuper alleg.

12. Ass. 2. vnio est relatio, non quidem intrinsecùs, sed extrinsecùs adueniens. Assertio est bimembris, quam tenet Doct. *passibus praalleg.* Prima probatur 1. ex Arist. 2. *Phys. T.* 26. appellante materiam, & formam simul vnitas, entia relatiua: non sunt autem entia relatiua, nisi per vnionem ipsis aduenientem, cùm sint substantiæ, quæ esse absolutum sortiuntur, ergò est relatio. 2. Vnio est vnitorum habitudo & nexus. Vnum quippè non sibi, sed alteri vnitur: igitur vnio non est ens ad se, sed ad aliud: respectus autem ad aliud est relatio, ergò & vnio est relatio. 3. Vnio hypostatica diuini Verbi cum humanitate assumpta nihil aliud sibi vult, quàm relationem naturæ humanæ dependentis ad Verbum independens, in ratione personalitatis, vt ostendit Doct. proximè cit. Ergò vnio quoque materiæ, & formæ formaliter nihil aliud est, quàm præfata relatio. Secunda pars suadetur, relatio intrinsecus adueniens emergit necessariò positis eius extremis: positis autem materia, & forma non resultat relatio, nisi simul coniungantur, & si abinuicem separentur, perit dicta relatio vnionis, ergò vnio non est relatio intrinsecùs adueniens, sed extrinsecùs adueniens, quæ non nascitur ex natura extremorum, sed positâ aliquâ conditione præsentiæ, adproximationis, aut alterius circunstantiæ, vtriusque extremi.

Deindè, vnio accidentis cum subiecto, in quo inhæret, est relatio extrinsecùs adueniens; potest namque Deus separare accidens à suo subiecto, ipsumque sic separatum conseruare, quod etiam præstare potest de materia, & forma, vt probè tradit Doct. *4. d. 12. q. 1. §. Ad q. ante O.* Igitur hæc vnio numeratur inter relationes extrinsecùs aduenientes.

13. Opp. 1. contra 1. ass. quod ingreditur constitutionem, & compositionem alicuius, si hoc est substantia, vtique & illud est substantia, vt patet de materia, & forma, quæ cùm constituant substantiam compositam, ipsæ sunt pariter substantiæ: per vnionem autem constituitur totum, quod est substantia, ergò vnio est substātia, siue potiùs modus substantialis: Conf. si vnio non est substantia, ergò est accidens: accidens autē non potest vnire extrema, nisi accidentaliter, si autem vnit accidētaliter, ergò facit vnum per accidens, quod pugnat 8. *Met. T.* 15. vbi Philosophus astruit ex materia, & forma simul iunctis effici vnum per se. Concedo ma. Distinguo min. vt pars ingrediens essentiam totius nego: vt conditio præexacta concedo. Necesse enim est partes priùs simul vniantur, quàm causent totum. Sicut necessaria est approximatio rei in loco, vt ponatur in loco, & ignis stupæ, vt ipsa stupa comburatur. Quare vnio non est pars essentialis totius, sed nexus partium duntaxat, vt rectè declarat Doct. 2. *d. 2 q. 2. §. quantum ad 3. F.* Ad conf. concedo conseq. ad subsumptum, dico, vnionem vnire extrema substantialiter, tum quia extrema eius sunt substantiæ, à quibus sortitur suam denominationem, veluti generatio, quæ est actio, proindeque accidens denominatur substantialis a substantia, quæ per eam gignitur: tum etiam quia terminus eius totalis est substantia, purà compositum.

14. Opp. 2. contra 2. ass. ex 5. *Phys. T.* 10. ad relationem non est per se motus: at si per vnionem aliquid produceretur, ad eam esset per se motus, quoniam per actionem agentis produceretur: ergò vnio non est formaliter relatio, vtpotè quæ est de genere sterilium. Respondeo per distinctionem ma. Ad relationem extrinsecùs aduenientem, nego: ad relationem intrinsecùs aduenientem, concedo, ità exponitur assertum Arist. adductum. Nam ibi Philosophus exēplificat de vbi, quod est relatio extrinsecus adueniens, vt præ aliis obseruat Faber nuper allagatus.

Articulus III.

Quotuplex sit vnio inter materiam, & formam.

15. IN hoc, veluti in superiori articulo Philosophi sunt bipartiti; Quidam enim, vt Suarez *disp. 13. Met. sect. 9.* & Complut. *1. Phys. disp. 6. q. 3.* existimant vnicam esse vnionem connectentem simul materiam, & formam. Cæteri verò, vt Scot. *2. d. 1. q. 5. §. secundum primam. 5. & ibid. in Rep. q. 6. §. Ad aliud, cùm dicitur.* Et 8, *Met. q. 4.* Maurit. *ibid. in annot.* & Mayr. *3. d. 1. q. 3.* quibus adstipulantur nostri Recentes 1. *Phys. disp. 5. q.* 10. & Pontius *disp. 34. q. 3. n. 31.* statuunt duplicem vnionem inter materiam, & formam, & quidem vnam fundatam in materia, & terminatam ad formam alteram verò in forma ad materiam.

16. Not. & recol. ex dictis *in Epit. l. 1. q. 4. a. 8.* relationem alteram esse mutuam, quæ est realis in vtroque extremo, vt relatio similitudinis in duobus albis: alteram verò non mutuam quæ in vno extremo est realis, in altero verò rationis, vt relatio scientiæ, ad scibile, quæ in scientia est realis: in scibili autem est rationis. Priores relationes dicuntur esse primi, vel secundi modi, quæ fundantur super vnum & multa,

vel

vel ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam. Poſteriores verò ſunt tertij modi, quæ fondantur ſuper menſuram, & menſurabile, vt patet 5. *Met. cap.* 15. *T.* 20.

Portò recognoſce, *ex eodem paſſu præmemorato*, relationem ſubſecari in relationes æquiparantiæ quæ eamdem communem rationem participant, vt relationes ſimilitudinis, quæ dicuntur eſſe eiuſdem rationis, propterea earum extrema æquiparantur, hoc eſt æqualiter ſe habent in illa communi ratione: Et relationes diſquiparantiæ, quæ diuerſam rationem ſortiuntur: quæue perhibentur diſquiparantiæ, quia earum extrema inæqualiter ſe habent penès rationem fundandi, vt relationes paternitatis & filiationis. Relatio quippè paternitatis fundatur in potentia actiua; relatio verò filiationis in potentia paſſiua. Nec cenſeo omittendum nonnullum diſcrimen, quod intercedit inter relationes mutuas ac non mutuas: atque relationes æquiparantiæ, & diſquiparantiæ. Enimuero, licet omnes relationes mutuæ ſint æquiparantiæ, vel diſquiparantiæ, vt conſtat in exemplis præadductis: non tamen aptè deducitur, eſt mutua, ergò eſt æquiparantiæ, quoniam poteſt eſſe diſquiparantiæ. Relatio autem non mutua latius patet, quàm relatio æquiparantiæ. Ob id in his argumentum valet, non affirmatiuè, ſed negatiuè, non eſt mutua, ergò non eſt æquiparantiæ.

17 Aſſ. inter materiam, & formam extat duplex vnio, vna quidem inexiſtens in materia, reſpicit formam, & altera in forma, fertur ad materiam. Tradit Doct. *locis prærecenſitis.* Suadetur primò ex Ariſt. 2. *Phyſ. Titulo* 26. appellante materiam & formam relatiua, quæ eſſe non valent, niſi mutua. Sunt enim ſecundi modi relatiua, quæ fundantur ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam. Materia quippè eſt paſſiua, & forma actiua. Igitur ſunt relatiua mutua, proindéque ſicut ex materia conſurgit relatio vnionis ad formam, ita ex forma pariter reſultat relatio vnionis ad materiam: atqueita duplex decernitur vnio, inter materiam & formam ſimul vnitas ad conflandum compoſitum. Secundò partes diſpoſitæ, & ſimul ordinatæ ad totum conſtituendum vniuntur, ſeque mutuò complectuntur ad illud cauſandum: materia autem, & forma ſunt partes totius eſſentiales, ordinatæ ad ipſum cauſandum, ergò ſi ex vna parte emergit relatio realis reſpiciens alteram partem, vtique ea altera parte correſpondet relatio: cum autem ex dictis vnio formaliter ſit relatio, planè infertur vnionem geminari, iuxta partium geminationem.

18. Dices, in creatura extat relatio realis ad Deum, Dei verò ad creaturam, nulla habetur relatio realis, docente Scot. 1. *diſtinctione* 30. *quæſt.* 2. *M.* Itidemque, humanitatis aſſumptæ ad Verbum aſſumens in vnitate hypoſtaſis eſt relatio realis, non verò Verbi ad humanitatem, authore eodem Doct. 3. *diſtinctione* 1. *quæſt.* 1. §. *De primo. A.* pariter, nemini mirum eſſe debet, ſi ex vna parte compoſiti conſurgat relatio realis, ex altera verò, nequaquam. Contrà, Ideò, Dei ad creaturam non eſt relatio realis, quia eſt actualiſſimus, & perfectiſſimus, cui nihil de nouo poteſt aduenire, vt aſtruit Doct. mox cit. partes autem totius ad inuicem ordinantur, ſeque mutuò perficiunt. Quemadmodum enim materia eſt potentialis, & perfectibilis; ita forma eſt perficiens, actuans, & informans. Hinc idem Doct. *in* 1. *prologo*, *Q.* inquit, omnes partes vniuerſi ordinari ad totum vniuerſum, quia ſunt potentiales ad formam ordinis, qui eſt parium, diſpariumque diſpoſitio, ex Aug. 19. *Ciuit. cap.* 13. Igitur materia, & forma, reciproca relatione ſe intuentur; atqueadeò, nulla exiſtit paritas de Deo, ad creaturam, & de Verbo, ad humanitatem ab ipſo hypoſtaticè aſſumptam, vt defendatur vnica vnio, in alterutra parte totius exiſtens duntaxat.

Tertiò, tot ſunt vniones, quot ſunt termini ad quos fertur vnio: Quia, cum vnio ſit relatio, multiplicatur iuxta terminorum multiplicationem. Sunt autem duo termini vnibiles. Nam, vt vnio materiæ terminatur ad formam: ita vnio formæ reciprocè tendit ad materiam, ergò duplicatur vnio, iuxtà earum duplicitatem. Non enim potior ratio videtur, cur vnio intrinſecè afficiat vnam partem potius quam alteram, cùm vtraque ſimul reuera ſit vnita, ergò inter vtramque mutua extat relatio.

19. Dices cum Complut. cit. *in initio huius art.* eſſe vnicam vnionem, ambas partes ſimul intrinſecè afficientem, vt vnum punctum vnit, & copulat duas partes continui, vnum inſtans duas partes temporis, atque vnum gluten, duas partes tabulæ. Contrà, repugnat vnum, & idem accidens ſimul ſubiectari in duobus ſubiectis, vt patet ex aſſertis in ſuperioribus: vnio autem eſt accidens, cùm ſit relatio, vt quoque concedunt Complut. Atque materia, & forma ſunt duo ſubiecta diſtincta, vtpote duæ ſubſtantiæ, tametſi incompletæ, & partiales. Igitur vnica vnio non poteſt ſimul intrinſecè illas afficere. Similitudines autem præadductæ non iuuant: quandoquidem punctum eſt quid abſolutum, & copulat partes integrales & non eſſentiales, de quibus lis eſt in præſentia. Quodque de cæteris etiam aſtruendum eſt, vt infrà planiùs fiet. Addo, vnio quà vnitur corpus, & intrinſecè eſt in corpore, nequit vnire animam rationalem, cùm hæc ſit ſpiritualis, illa verò materialis: corporeum autem, & materiale, quodcumque illud ſit phyſicè non attingere, nec afficere intrinſecè ſpiritum, indicat Auguſtinus 12. *in Gen. capite* 29. poſt Ariſtotelem 1. *de gen. Tit.* 43. & indè. Et ex inſtituto Doct. Scot. 4. *diſtinctione* 44. *quæſt.* 2.

20. Opp. 1. vnio deſcribitur duorum nexus, & vinculum, quo ſcilicet duo extrema vinciuntur, ac ligantur: ergò vna tantùm eſt vnio materiæ, & formæ ſimul iunctarum. Ant. eſt conſpicuum: conſeq. tenet: ſi enim foret duplicata vnio, vnaquæque pars ſortiretur ſuam vnionem, proindéque duo extrema non vnica vnione vnirentur, nec ſimul coniungerentur ad totum cauſandum. Confirmatur 1. Verbum diuinum, & humanitas ab ipſo hypoſtaticè aſſumpta vnica vnione vniuntur in perſonali ſubſiſtentia: ergò id ipſum aſtruendum eſt de materia, & forma ſimul iunctis. Confirmatur 2. in naturalibus, & artificialibus, vnica vnio ſufficit ad duo extrema vnienda, vt vnus funis vincit duo corpora, ergò vnica vnione vniuntur ſimul materia & forma, vt cauſent compoſitum. Concedo ant. nego conſeq. Ad eius probationem dico, ex parte vtriuſque extremi conſurgere geminatam relationem vnionis, vocarique eius vinculum, veluti relatio ſimilitudinis eſt duorum ſimilium aſſimilatio, & relatio æqualitatis duorum æqualium habitudo, tametſi ex parte cuiuſcumque extremi emergat relatio realis ſimilitudinis in ſimilibus, & æqualitatis, in æqualibus. Ratio eſt, quia cum ſint relatiua mutua, fieri nequit, vt ex cunctis extremis poſitis, & ſimul iunctis non reſultet relatio vnionis, & intrinſecè ea afficiat. In abſolutis verò vincula

alia est ratio, propterea vnus nexus, vnaque vnio sufficit ad ea coniungenda, vt duæ partes lineæ copulantur & vniuntur eodem puncto, vt tradit Arist. *in Log. c. de quantitate*, quia punctum, quod est earum vinculum, & copula, est absolutum indiuisibile. Ad 1. conf. concedo ant. nego conseq. ratio disparitatis est, quia Verbum cùm sit actualissimum, & perfectissimum, ex parte ipsius nequit exurgere relatio realis vnionis, ad humanitatem ab ipsomet personaliter assumptam: at ex materia, & forma, cùm sint partes, substantiæque incompletæ tendentes ad participandam perfectionem totius, si simul coniungantur, necessariò consurgit duplex relatio vnionis, vt significat Doct. 3. *d.* 1. *q.* 1. *§. De primo. A.* Et *Quol.* 9. *§. De tertio. M.* Ad 2. conf. distinguo ant. in naturalibus quæ sortiuntur partes essentiales, nego: in naturalibus, quæ participant partes integrales, concedo. Causa disparitatis est, quia partes essentiales ordinantur ad totum, perficiuntur, & complentur perfectione eius: verùm non sic partes integrales, quæ coniunctæ toto integrali, aut ab eo disiunctæ, non maiore vel minore potiuntur perfectione, vt ait Doct. *Quol. nunc cit. paulo ante N.* de artificialibus verò non valet paritas, quia vel nexus est eiusdem entitatis cum extremis vnitis, vt cùm plures funes vno fune ligantur: vel si alterius rationis extiterit, est quid absolutum, quod partes, extremaque disiuncta, opere agentis potest connectere, sic fune duo corpora vinciuntur, & filo, duæ vestes ligantur.

21. Opp. 2. vnio partes simul existentes vnit, & non præsupponit eas iam inter se vnitas, secùs foret superuacanea: relatio autem vnionis præexigit extrema iam simul vnita, ex quibus postmodum consurgit, vt patet de quacumque relatione, quæ resultat ex positione extremorum: non ergo duplicatur vnio in materia & forma simul iunctis. Respondeo, argumentum valere de vnione, quæ est quid absolutum interiectum inter duo extrema vnibilia & de hac nonnulla exempla superius adducta fuere: non verò de vnione relatiua, quæ præsupponit extrema fundamentaliter vnita, & non formaliter, quia ipsa est quæ formaliter vniuntur, veluti similia similitudine formaliter assimilantur, & æqualia, æqualitate æquantur formaliter. Ista responsio indicatur à Doct. 2. *d.* 1. *q.* 2. *§. Ad* 1. *E.* Et exprimitur à Lych. *ibid.* Et recipitur à geminis Scotis. cit.

22. Opp. 3. vnionis relatio, quæ emanat ex corpore humano tendens ad animam rationalem, nequit nectere ipsam animam rationalem, quia materiale, cuiusmodi est illa vnio corporis, non potest vnire spirituale, vti est anima rationalis, nec èconträ: Igitur, stabilienda est tantùm vna vnio, quâ materia, & forma simul connectuntur. Distinguo ant. vt subiectum concedo, vt terminum nego. Etenim relatio vnionis ex parte corporis subiectatur in corpore, & terminatur ad animam: relatio verò vnionis ex parte animæ, residet in anima, tanquam in subiecto, & fertur ad corpus, tanquam eius terminum. Spiritum autem in subiecto materiali recipi, patet de anima, quæ est actus corporis 2. *anima T.* 6.

QVÆSTIO VI.

De composito ex materia, & forma.

1. EGI in superioribus de partibus generatim, & speciatim sumptis, earumque nexu, ac vnione: nunc verò de toto ex partibus illis coflato potissimùm differo.

ARTICVLVS I.

An compositum sit vnum per se.

2. OMnes vno corde, & ore clamant, & affirmant totum ex materia, & forma coalitum, esse vnum per se: tametsi de hoc, in reddenda ratione nonnulli discrepent, vt licet intueri apud duos nostros Recentes *disp.* 5. *Phys. q.* 11. *a.* 1.

3. Not. primò, vnum esse passionem entis, 4. *Met. cap.* 2. *T.* 3. Ideò omnem entitatem consequitur sua vnitas, notante Scot. 8. *Met. q.* 4. si enim entitas sit simplex, sortitur vnitatem simplicem: si verò composita, participat vnitatem compositam. Quare, materia & forma, necnon compositum, cum sint entia distincta, vtique pollent suis propriis, ac distinctis vnitatibus, ipsis conformibus, & proportionatis.

4. Not. Secundò, gradus vnitatis adduci ab Arist. 5. *Met. cap.* 6. & exponi à Scot. tum ibi, tum etiam 5. *d.* 2. *q.* 7. *§. sed hic restat HH.* Potiores autem, & aptiores ad rem nostram facientes affero, & explico. Vnum autem vniuersè captum distribuitur in vnum per se, quod ex ratione intrinseca rei profluit, & in vnum per accidens, quod ab extrinseco rei aduenit. Vtrumque multiplex statuitur ab Arist. passu memorato. *Vnum aggregatione est minimum*, quia absque vlla rei additione, multa simul coacernantur, vt cumulus lapidum. Vnum verò ordine addit respectum, & habitudinem, qua multa ad vnum ordinantur, vt omnes res mundi sunt vnum ordine ad vnum Deum creatorem, & exercitus est vnus ordine Militum, ad vnum Ducem. Tertium est vnum per accidens, quod præter ordinem denotat subiectum, quod à forma accidentali informatur, & perficitur. Quartum est vnum compositione, quod competit toti ex materia & forma conflato, quodvè in præsentia vestigatur. Quintum est vnum vnitate identitatis, quod conuenit iis, quæ realiter identificantur, & hac vnitate pollent natura, eiusque passio. Sextum est vnum vnitate formali, quam possident ea, quæ eamdem quidditatem, & rationem formalem sortiuntur, vt Petrus & Paulus in ratione specifica, sunt vnum, & idem formaliter.

5. Assertio, compositum est vnum per se. Tenet Doct. passim, nuncupatim 3. *d.* 22. *q. vn. §. Contrà ista. sub. B.* & 8. *Met. q.* 4. & Antonius Andreas *ibid. q.* 7. post Arist. 2. *anima T.* 7. & 8. *Met. T.* 17. Probatur primò, quod constituitur ex perfectibili, & perfectiuo substantiali est vnum per se: compositum autem constituitur ex perfectibili, & perfectiuo substantiali; nempè ex materia, quæ est perfectibilis, & forma, quæ est perfectiua, ergò compositum est vnum per se. Ma. & Min. tanquam veræ communi consensu ab omnibus Philosophis recipiuntur.

Secundò, ex partibus essentialibus, & incompletis substantiis, quarum vna est per se potentia, & altera per se actus, fit vnum per se, vt docet communis

monis ſchola; compoſitum autem conſtat ex partibus eſſentialibus, & incompletis ſubſtantiis, quarum vna eſt potentia, putà materia, & altera eſt actus, nempè forma. Igitur, compoſitum eſt vnum per ſe.

Tertiò ex actu primario, dante eſſe primum, & ſimpliciter, & potentia primaria recipiente illud eſſe, fit vnum per ſe: è regione verò ex actu ſecundario præbente eſſe ſecundum quid, cuiuſmodi eſt forma accidentalis, & ſubiecto huiuſmodi eſſe recipiente, fit vnum per accidens, vt bene ſpeculatur Doct. 4. *d.* 11. *q.* 3. §. *Aly concedentes. T.* Compoſitum autem fit ex actu primario, & ſimpliciter, & materia primaria illud eſſe recipiente, vt conſtat experientia. Nam ex materia, & forma ignea fit ignis, qui eſt vnum per ſe. Itemque ex materia, & forma mixti fit mixtum, quod eſt vnum per ſe. Igitur, rectè concluditur, totum eſſe vnum per ſe nec alia redditur ratio, niſi quia materia eſt potentia, & forma actus, ait Philoſophus *vbi ſuprà* ſubdit autem Scot. 2. *d.* 12. *q.* 1. §. *Dico igitur. D.* Ideò ex materia, & forma conficitur vnum per ſe, quia ſunt cauſæ intrinſecæ compoſiti: non ſic ex ſubiecto, & accidente, quia accidens eſt ſubiecto extrinſecum, propterea ex hoc & illo fit vnum per accidens.

6. Opp. 1. ex duobus entibus in actu fit vnum per accidens. 7. *Met. T.* 49. Materia autem, & forma ſunt duo entia in actu, præſertim in ſchola Scoti docentis, materiam habere actum entitatiuum, quia reuera exiſtit, & ſubſiſtit independenter à forma ex aſſertis *in hoc lib. q.* 2. *art.* 5. *& indè*, ergò compoſitum ex materia, & forma non eſt vnum per ſe. Diſtinguo maiorem cum Scot. 2. *d.* 12. *q.* 1. *ſub D.* ex duobus exiſtentibus in actu formali, & completo, concedo: ex duobus exiſtentibus in actu, quorum vnum eſt in actu entitatiuo, & incompleto: alterum verò in actu formali incompleto, & imperfecto, nego. Sic exponitur teſtimonium prælatum. Materia quippè eſt actus entitatiuus, & forma eſt actus formalis, & vtraque, actus incompletus, & imperfectus.

Dices, ſubiectum eſt imperfectum, perfectibile tamen per accidens, quod in eo poteſt inhærere: ex ſubiecto autem, & accidente non fit vnum per ſe, ergò nec ex materia, & forma, proindéque nulla eſt reſponſio prællata. Diſtinguo maiorem, ſubiectum eſt perfectibile per accidens in ipſum receptibile, ſimpliciter, & intrinſecè nego: ſecundum quid, & extrinſecè concedo. Ita deducitur ex Doct. *in* 4. *nuper alleg.* Hinc ex ſubiecto, & accidente fit vnum per accidens: ex materia verò, & forma fit vnum per ſe.

7. Opp. 2. quæ maximè diſtant, nequeunt ſimul vniri, & facere per ſe vnum, vt patet de partibus ſimilaribus, quæ cum ſint proximæ, & eiuſdem rationis, faciunt vnum per ſe: at partes diſſimilares abuincem diſtantes, diuerſæque rationis exiſtentes faciunt minus vnum: materia autem, & forma maximè diſtant, ſunt enim diuerſæ rationis. Materia quippè eſt potentia, & forma eſt actus: potentiam autem, & actum plurimum inter ſe differre, tradit Ariſt. 2. *anima. Tit.* 6. Ergò ex iſtia non conflatur vnum per ſe. Diſtinguo ma. quæ valde differunt, nequeunt facere vnum, vnitate identitatis, concedo, qualis reperitur, inter ſubiectum, eiuſque paſſionem, quæ ſunt vnum realiter: quæ valdè differunt, nequeunt facere vnum, vnitate compoſitionis, nego. Etſi enim multum diſtinguantur, dummodo mutuam habeant proportionem aduinicem, ſunt vnibilia ſimul, & vnius per ſe cauſabilia, cuiuſmodi ſunt materia & forma, reſpectu compoſiti, vt annuit Doct. cit. T. Quòd verò ſubiicitur de partibus homogeneis, & heterogeneis, dico eſſe diſparitatem, quia iſtæ pertinent ad totum integrale; illæ verò ad totum eſſentiale, de quo hîc diſſerimus. Ità occurrit Doct. *in Met. cit. in fine quæſtionis.*

ARTICVLVS II.

An totum realiter à ſuis partibus diſtinguatur.

8. DVæ extant in hoc art. præcipuæ ſententiæ ex diametro oppoſitæ, quarum prior tribuitur Auer. 1. *Phyſ. com.* 9. & aliis Peripateticis, quos referunt, & ſequuntur Tolet. *hoc loco q.* 6. & Complut. *diſp.* 6. *quæſt.* 4. §. 2. Suarez *diſp.* 36. *Met. ſect.* 3. Hurt. *diſp.* 6. *Phyſ.* §. 16. Arr. *diſp.* 5. *ſect.* 1. citantur Nomin. & plerique Thomiſt. cum D. Th. 4. *contra Gent. c.* 81. *ad* 2. & 1. *p. q.* 77. aliiſque in locis; negantes totum à ſuis partibus haud realiter differre. Poſterior eſt Doctoris ſubtilis 3. *d.* 2. *quæſt.* 2. §. *Quantum ad* 1. *oſtendo C.* Et *in Report. q.* 1. §. *De primo dicit.* Mayr. *quæſt.* 10. Ioannis de Ouando *ibid. in comm.* Bonet. 1. *Phyſ. c.* 4. Pariſienſ. *fol.* 12. *quæſt.* 1. Tatar. *quæſt.* 2. *dub.* 1. Ioan. de Magiſ. *q.* 5 & aliorum affirmantium, totum realiter à ſuis partibus diſſidere. Quibus fauent Conimbr. 1. *Phyſ. in cap.* 2. *quæſt.* 1. & non pauci, ex celebrioribus Thomiſt. ab ipſis allegati.

9. Not. 1. præpoſitum titulum huiuſce art. duplicem poſſe pati ſenſum, vnum, an totum diſtinguatur realiter à ſuis partibus ſeorſim ſumptis: quod alij vocant totum ſyncategorematicum, & id omnes concedunt, cum certum ſit, totum reipſa differre, à quauis eius parte diuiſim capta: alterum, num totum realiter ſecernatur à ſuis partibus ſimul, & coniunctim acceptis: quod nonnulli appellant totum categorematicum, & de hoc extat duplex prænarrata opinio.

10. Not. ſecundò, totum eſſe multiplex, vniuerſale, quod habet partes ſubiectiuas, de quibus prædicatur, vt genus eſt totum vniuerſale, quod de ſuis ſpeciebus enunciatur. Totum integrale, quod conſtat partibus integrantibus, & quantitatiuis, quodve duplex eſt; alterũ homogeneum, quod habet partes eiuſdem rationis, vt ignis, aqua: alterum verò heterogeneum, quod habet partes diuerſæ rationis, vt corpus organicum conflatur ex capite, brachiis, manibus, pedibus, & cæteris. Totum eſſentiale, quod pollet partibus eſſentialibus, & diuiditur in metaphyſicum, quod conſtituitur ex genere, & differentia, putà ſpecies, quæ ex realitate generis, & realitate differentiæ componitur: & phyſicum, quod ex materia, & forma coaleſcit, vt homo conſtans ex corpore, & anima, & de hoc potiſſimùm viget præſens controuerſia.

11. Not. tertiò, tertiam entitatem diſtinctam à materia, & forma, quam in ſuam ſcholam inuehere nititur Scot. *paſſu præalleg.* §. *Quantum ad* 3. *E.* nuncupari formam, non quidem partis, ac ſi alia forma ſuperueniat formæ iam præexiſtenti in materia ipſam formam partia informans, & perficiens: ſed formam totius ſiue naturam, & quidditatem totius compoſiti, quam ſignificat Ariſt. 5. *Met. c.* 2. & declarat Auic. *ibid. c.* 1. inquiens, equinitas eſt tantum equinitas. Quod eſt dictu, natura equi præciſè, & abſtractè conſiderata, dicitur æquinitas; & natura, & quidditas hominis, eo quoque modo inſpectata, nuncupatur humanitas. Ipſa enim eſt tota natura, & eſſentia hominis, qua homo eſſentialiter, & quidditatiuè conſtituitur formaliter in eſſe hominis. Quarè tertia entitas eſt tota natura compoſiti.

per quam essentialiter, & quidditatiuè ipsum compositum constituitur formaliter in esse compositi, à quave passiones, & actiones totius profluunt & proueniunt, annuente Arist. 1. *anima T.* 64. cit. à Doct. 4. *d.* 49. *q.* 7. *ante* §. *Respondeo.*

Moneo insuper hanc controuersiam ita intellectu, & indicatu arduam, difficilemque esse, vt duo viri magno ingenio præditi, Arist. scilicet, & Aug. eam ferè iniudicatam, & sub dubio relinquere videantur, & quidem ille 1. *Phys. T.* 17. dubitatiuè loquitur, proponens dubitationem, num totum sit idem, an verò distinguatur à suis partibus. Iste verò *l.* 1. *de moribus Ecclesiæ, contrà Manich. c.* 4. subiicit, difficile esse diiudicare, quid sit homo, an anima, aut corpus, aut quid aliud ab ipsis distinctum.

12. Ass. 1. totum essentiale realiter distinguitur à suis partibus simul vnitis, & coniunctim sumptis. Ita Scot. *vbi suprà.* Suadetur 1. ex Arist. 1. *Phys. T.* 17. *c.* 2. qui ad probandam præmissam ass. hanc adhibet rationem. Si totum non differret realiter à suis partibus simul captis, partes simul sumptæ forent eædem inter se. Hoc autem falsum est, quia totum foret indiuisibile, ergò & illud. Sequela maioris fulcitur illo vulgato, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: si enim totum, & partes simul vnitæ prorsùs coincidunt, indubiè totum est suæ partes: quod tanquam inconueniens, infert ibi Philosophus. Deinde, idem Stagirita 2. *anima, T.* 1. *c.* 1. *&* 7. *Met. sum.* 2. *c.* 3. *T.* 7. diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum: membra autem bonæ diuisionis non coincidunt, cùm sint opposita, ex dictis *in Epit. l.* 2. *q.* 7. *art.* 1. Igitur, cum totum sit substantia distincta à materia, & forma, secundum Arist. *&* *ibid.* asserat primam substantiam esse materiam, secundam formam, & tertiam compositum, sicut tertium differt à primo, & secundo, ita totum à materia, & forma simul sumptis, ex quibus coalescit. Rursus 8. *Met. sum vnic. c.* 6. *T.* 15. apertè subiicit, totum esse quid à partibus simul sumptis distinctum, inquiens totum substantiale non esse simile aceruo lapidum, qui præter partes simul vnitas, & aggregatas, nihil est aliud, sed esse quid ab eis simul vnitis dissitum. Hæc, & consimilia testimonia Philosophi collecta, & adducta à Nostris, ostendunt doctrinam præpositam esse conformem, & consentaneam scholæ Peripateticæ, vt præ aliis aduertit Tol. 1. *Phys. q.* 6. Nec discrepare videtur Aug. qui 13. *Ciuit. c.* 13. distinguit mortem animæ, corporis, & totius hominis. Idque non incongruè, cùm *ibid. capite antecedente astruat*, hominem constare anima, & corpore. *ibid. cap.* 15. & 24. Et *lib.* 83. *qq. q.* 1. Quia anima est aliud à veritate, infert aliud esse animam, aliud verò veritatem. Secundò probatur, omnis effectus realiter causatus à causa reali, realiter ab ea distinguitur, quia idem nequit efficere se ipsum, 2. *anima T.* 47. nec vllum maius inconueniens excogitatur, quàm idem causare se ipsum, idemque simul, respectu eiusdem esse prius, & posterius; compositum autem est reale effectum, à materia, & forma causatum, 1. *Phys. T.* 23 *&* 5. *Met. c.* 2. Ergò ab eis simul vnitis realiter dissidet.

13 Dices, argumentum concludere de causis extrinsecis, cuiusmodi sunt efficiens, & finis: non autem de causis intrinsecis, quæ sunt materia, & forma. Contra, causa generatim capta conueniens tam causis extrinsecis, quàm intrinsecis, definitur *principium, ad cuius esse sequitur aliud, siue principium per se influens in effectũ*, vt quoque fatentur Aduersarij, nominatim Hurt. *disp.* 8. *Phys. sect.* 1. §. 1. Cùm ergo omnis effectus causatus à quacumque causa, siue intrinseca, siue extrinseca fit aliud ab ea, planè infertur distingui reali. r ab eadem causa, à qua causatur. Eò magis inter effectum realem, & causam eius, adest relatio realis, quæ poscit extrema realiter distincta; igitur cum totum sit effectus realis materiæ, & formæ, realiter ab eis secernitur. Hæc ratio adeò efficax est, vt vix inueniatur qui ei satisfaciat, vt notat Ioan. De Ouando præcit. Inprimis Hurt. *disp.* 6. *sect.* 1. §. 13. & 14. pondere huius argumenti pressus ingenuè fatetur, materiam, & formam non esse propriè causas. Verùm id Arist. & torrenti cæterorum Philosophorum pugnat, inter causas propriè dictas numerantium materiam, & formam, atque suo loco euidenter monstrabo.

14. Dices cum eodem & aliis, partes vnitas quidem efficere totum, non collectiuè, idest non simul sumptas: sic enim nihil aliud sibi volunt, quàm totum, nihilque causant, cùm sint ipsummet totum, veluti partes simul aggregatæ sunt aceruus lapidum: sed distributiuè captas, hoc est, vnam alteri vnitam constituere totum, putà, materiam informatam forma, veluti lapides sigillatim capti, hoc est vnus, in ordine ad alium facit aceruum.

Contrà, effectus totalis, & adæquatus exposcit causam totalem, & adæquatam, cum causa, & effectus adinuicem suam debitam seruent proportionem. Totum autem est effectus totalis, & adæquatus materiæ, & formæ simul vnitarum, vt tetigi *in. primo, not.* Ergò ambas simul, & collectiuè postulat, non verò distributiuè: siquidem effectus in fieri pendens à duabus causis partialibus, produci nequit, nisi huiusmodi causæ simul coniungantur, simulque causent talem effectum, vt patet de specie intelligibili, & intellectu simul producentibus intellectionem, & de patre, & matre simul gignentibus prolem.

Iterùm, materia, & forma simul iunctæ distributiuè acceptæ nihil aliud videntur præstare, quàm insinuationem actiuã, & passiuam, quæ non est effectus earum, cùm illæ sint substantiæ, hæc verò accidens, siue relatio: compositum autem est substantia, quæ non nisi à substantia producitur, ergò præfata distinctio impertinens est ad diluendam præfatam instantiam. Demùm, si vna causa in ordine ad aliam, vel realiter influit in effectum, vel non, non secundum, quia non esset vera, & realis causa, vt supponitur: ergò primum, sicque totum distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis, cùm sit quid aliud ab eis simul vnitis productum, & causatum.

Tertiò, passio fundatur in toto, tanquàm subiecto eius adæquato, eique soli conuenit, vt patet de risibilitate, quæ homini, non verò animæ, aut corpori eius competit: passio autem partibus seorsim, aut coniunctim sumptis non accommodatur, significante Arist. 1. *anima T.* 64. tùm quia hæ non sunt perfectæ, nec in recta linea prædicamenti residentes: tum etiam quia non sunt terminus generationis, aut corruptionis totalis, & adæquatus, veluti est totum 1. *Phys. T.* 64. & 7. *Met. T.* 27. Ergò, totum ab eis simul vnitis realiter dissidet.

Nec præstat dicere, passionem conuenire partibus simul vnitis, quæ vt sic, sunt totum? siquidem vnio, quæ ex dictis, est relatio, non constituit rem in esse perfecto, & absoluto, nec causat totum, quod est substantia integra, & completa, cùm sit de genere respectiuum: partes ergò vnitæ haud sunt subiectum, & fundamentum passionis. Addo, vnionem quidem esse conditionem prærequisitam ad causandum, non tamen ipsam esse causam totius, eiusque passionis.

Quartò, quorum vnũ potest existere absque alio, inter ea adest distinctio realis authore Scot. 2. *d.* 1. *q.* 4. §. *Contra istam.* Materia autem, & forma possunt existere toto non existente, vt in triduo mortis Christi, humanitas eius verè fuit destructa, quia

verè

verè Chriſtus mortuus eſt : eius verò pattes integræ permanſerunt, nempè anima eius quæ deſcendit ad Inferos, & corpus eiuſdem, quod iacuit in ſepulchro incorruptum *Pſal.* 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Negandum ergò nun eſt, totum diſtingui realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis.

15. Dices cum Run. 1. *c.* 3. *q.* 1. in corruptione totius tantum deſinere vnionem partium vnitarum inter ſe, ſicque ſeparatas abinuicem perſiſtere, vt accidit in morte Chriſti Domini. Contra in morte hominis corrumpitur humanitas, quæ eſt ſubſtantia complera, & abſoluta, non autem vnio, quæ eſt accidens telatiuum, cuius propriè non eſt corruptio, nec generatio:ergò in interitu totius, ſola vnio partium non diſſoluitur, ſed deſtruitur totum, quod eſt tertia ſubſtantia diſtincta à ſuis partibus ſimul acceptis.

16. Aſſ. 2. totum non eſt idem realiter cum ſuis partibus tranſactis in tertiam entitatem, cum partes in ipſo toto permaneant. Tenent Doct. cit. & 2. *d.* 22. *q.* 1. & alibi non rarò, & omnes eius diſcipuli, præter vnum Fabrum, tum Theor. 21. *tùm etiam* 3. *diſp.* 9. *c.* 3. Probatur 1. ex Ariſt. 1. *Phyſ. c.* 7. docente, materiam, & formam eſſe principia in facto eſſe, quia perſiſtunt in compoſito. Et 2. *eiuſdem operis, T.* 28. *ac* 3. *Met. cap.* 2. definitur materia, ex qua inexiſtente aliquid fit, & forma, quod quid eſt rei. Igitur in Licæo Petipatetico, partes non tranſeunt in totum, ſed in ipſo permanent. Secundò partes, quæ ſunt cauſæ totius, non tranſeunt in eius entitatem. Cauſa quippè non tranſit in ſuum effectum. Repugnat enim, vt cauſa fiat effectus, & effectus cauſa : ſiquidem ſi eſt cauſa, cauſat aliquid : ergò illud, quod cauſatur, non eſt cauſa præciſè, alioqui, idem faceret ſe ipſum, ac in ſeipſum tranſiret. Propterea Scot. *in* 4. *cit.* ait, materiam, & formam non eſſe cauſatas, quia ſunt prima principia, & primæ cauſæ rei. Quare diſtinctio allata à Fabro de partibus non tranſactis in tertiam entitatẽ, & de partibus tranſactis in tertiam entitatẽ aduerſatur Scot. & veritati. Nec iuuat eius reſpõſio dicentis, eam colligi ex paſſu alleg. §. *Quantum ad* 3. *art.* quandoquidem nihil aliud ibi tradit Doct. niſi vnionem præexigi ad productionem totius, eamque non eſſe totum, cùm ſit relatio ; ideoque totum non eſſe partes ſimul vnitas. Quod verò ſubdit idem Faber, Scot. illam diſtinctionem admittere, quoniam *diſt. memorata, in ſolutione q.* 2. vult, totam primò aſſumi à Verbo, animamque eſſe medium quo, nec vllam aliam vnionem ſuperuenientem, aut præcedentem partium ponit in Chriſto viuente. Ob id, ſecundum Scot. vnio totius, & partium eſt vna, eademque vnio, ſicque partes, & totum ſunt idem, ſecus ſi re ipſa diſtinguerentur, forent duæ vniones, eſſetque aliquis ordo in tali aſſumptione. Id autem ipſi nihil prodeſt, quia, vt docui *Tract. de Incar. diſp.* 5. *q.* 1. in Chriſto extiterunt tres vniones, ſecundum Scot. priùs tamen fuit vnio immediatè ad totum, & poſtmodum ad partes, ſeu ad animam & corpus. Quapropter præfatus Faber apertè Scot. & rationi contradicit. Tertiò partes, quæ ingrediuntur, & conſtituunt compoſitum, non corrumpuntur, ſed manent in ſuo eſſe reali, in eoque perſeuerant, vt patet de materia, quæ eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, & forma, præſertim anima rationalis quæ eſt immortalis: ergò partes non tranſeunt, nec mutantur in tertiam entitatem. Nec præſtat dicere cum dicto Authore, animam rationalem mutari quoad eſſe ſuſtantiale, non verò quoad ſubſtantiã, quia in corpore habet operationes ſentiendi, & vegetandi, quas extrà corpus minimè exercet. Nam, cum anima rationalis ſit immortalis, manet in corpore, penès ſuum eſſe, ergò nec mutatur, nec tranſit in tertiam entitatem, cum illud compoſitum ex anima rationali, & corpore, ſit quid diſtinctum ab ipſa anima, vt claret in hominis obitu. Tunc enim corrumpitur homo: non autem anima rationalis. Deindè, tranſire in tertiam entitatem, vel eſt tranſire ſecundum ſuam ſubſtantiam, vel ſecundum eſſe ſubſtantiale, vel ſecundum eſſe accidentale. Non tertium, quia de hoc nullum extat dubium. Nec ſecundum, quia aut per eſſe ſubſtantiale, intelligit principium operationum totius, vt ſunt vegetatio, & ſenſatio, & hoc eſt impertinens ad hanc controuerſiam, cùm certum ſit animam ſeiunctam à corpore, operationes non adminiſtrare, quas cum corpore coniuncta exercet. Neque primum, quandoquidem, negari non poteſt, ſubſtantiam animæ in cõpoſito remanere incorruptam. Quartò, in dictis Fabri videtur repugnantia in adiecto; ſi enim partes non manent, ſed totum euadunt, ergò non eſt admittenda diſtinctio realis inter partes, & totum, quæ reperitur inter extrema realia poſitiua, actu exiſtentia: ſi enim partes non ſunt in toto, ergò non diſtinguuntur, proindéque ſuperfluum eſt quærere, nùm totum re ipſa à partibus ſecernatur? Quod ſi occurras, eas diſtingui, quando ſunt ſolùm vnitæ, & non tranſactæ in totum. Contrà, cùm tantùm ſunt vnitæ, non eſt totum, quia vnio partium præexigitur ad cauſandũ totum: neque quando eſt totum, ſunt partes, vt ipſemet fatetur, ergò vana, & inanis eſt eius diſtinctio. Denique verum eſt dicere, partes ſunt in toto, vt anima, & corpus in homine, ergò non mutantur, nec euadunt totum, ſed cauſant, & conſtituunt totum, tanquàm eius partes intrinſecæ, & eſſentiales in eo perſiſtẽtes quamdiu ipſum totum durat, & perſeuerat.

17. Aſſ. Tertia, inter partes vnitas, & totum adeſt diſtinctio realis poſitiua mutua. Hæc aſſ. duas comprehendit, partes ptima pars deducitur ex Scot. 3. *d.* 2. *q.* 2. §. *Quantum ad* 3. *F.* Et *d.* 22. *q. vn. D.* §. *Quantum ergò.* Contrà Fabrum præcit. admittentem diſtinctionem negatiuam. Suadetur, inter entia realia poſitiua realiter diſtincta adeſt diſtinctio realis poſitiua, quia hæc ab eis ſuam mutuatur entitatẽ, & denominationem : præfata autem diſtinctio extat inter extrema realia poſitiua realiter diſtincta, quæ ſunt partes vnitæ, & totum ab illis cauſatum, vt ſuprà oſtendi, ergò inter dictas partes, & totum interponitur diſtinctio realis poſitiua. Deindè, quod eſſentialiter ab alio dependet, reali poſitiua diſtinctione ab eo diſſidet, vt patet de creatura, quæ eſſentialiter à Deo dependet, ab eoque realiter poſitiuè ſecernitur : totum autem eſſentialiter dependet à ſuis pattibus, annuente Scot. *locis præalleg.* Ergò & realiter poſitiuè ab eis diſtinguitur.

Secundà pars colligitur ex Doct. *vbi ſuprà*, quam ex inſtituto tenet Fuentes 1. *Phyſ. q.* 6. *dif. vn. art.* 5. cũ aliis ab ipſo alleg. aduerſus Tromb. *Tract. Form. quarta part. art* 4. *concl* 2. & alios nonnullos ex prioribus Scotiſt. Probatur, relatio pertinens ad 2. modum relatiuorum eſt mutua 5. *Met. c.* 15. *T.* 20. diſtinctio autem inter partes vnitas, & totum eſt relatio ſecundi modi, cùm habeatur inter cauſam, quæ ſunt partes, & cauſatum ab illis, quod eſt totum. Deinceps, totum cùm ſit finitum & limitatum eſt capax relationis, & diſtinctionis realis, veluti partes vnitæ: ſi ergò ex parte harum conſurgit diſtinctio, & relatio realis ad totum : pariter ex parte eius reſultat diſtinctio & relatio realis ad dictas partes illud concauſantes.

18. Opp. 1. contra 1. aſſ. Ariſt. 1. *Phyſ. ſum.* 2. *c.* 3. *T.* 17. videtur nõ diſtinguere totũ à pattibus ſimul ſumptis. Et 4. *Phyſ. T.* 23. perſpicuè ait, totum nihil aliud eſſe, præter partes. Et 2. *anima T.* 7. *c.* 1. ſubiicit, corpus, & animã vnum eſſe. Et *ibidem T.* 10. adiicit,

ſicut

nus. Partes autem sunt essentia totius, cum totum definiatur, quod habet partes, ergo nullum extat discrimen inter totum, & partes eius simul vnitas. Occurrendum est per distinctionem, partes vnitæ sunt essentia totius in obliquo, concedo: in recto verò, nego: si quidem homo non est corpus, & anima, sed constans corpore, & anima: proindeque totum non est partes, sed habens partes, cum includat partes, sitque quid tertium ab eis distinctum.

21. Oppones quartò, vel totum est simplex, vel compositum: sed non est simplex, quia constat partibus, ergò est compositum: compositum autem essentialiter includit partes: ergò ab illis realiter non distinguitur. Distinguo subsumptum totum includit partes, tanquam causas eius intrinsecas, concedo: tanquam eius essentiam, & quidditatem, nego. Cum enim hoc, ab eis sit causatum, consequenter est aliud, ab eisdem realiter distinctum.

Dices, aut sola forma causat totū, aut sola materia, aut vtraq; simul: Nullum autem aurū dici potest: ergò partes non sunt causæ totius, sed ipsummet totū. Ma. patet, à sufficienti distributione prælata. Min est in promptu, non primū quia, cum forma sit causa partialis, partialiter tantum, concurrit ad totius effectionem. Nec secundum, tum propter eamdem rationem, tum etiam quia, materia est passiua duntaxat. Nec tertium, quia, cùm in homine sit anima rationalis, & corpus, compositum eius foret corporeum, & incorporeum, materiale & spirituale, mortale, & immortale, diuisibile, & indiuisibile quod implicat. Dico, vtramque simul in suo genere causare totum, nec vlla sequitur implicantia in homine. Quandoquidem, cum anima rationalis sit incorporea, immaterialis, immortalis, & indiuisibilis, ratione eius, de homine præfata prædicata enunciantur: ratione verò corporis, de ipso cætera prædicata perhibentur. Homo quippè conflatur ex spiritu, & corpore. Verumtamen absolute dicitur corporeus materialis, mortalis & diuisibilis, vt præ aliis notat Mayr. *Quol.* 10. *ad finem*, quia effectus sequitur debiliorem partem, & vulgò in logica habetur, *conclusio sequitur debiliorem partem.* Ideò homo per se, & directè residet in syllabo corporeæ substantiæ.

22. Oppones quintò, quod aduenit rei iam in suo esse constitutæ, facit vnum per accidens: Totum autem aduenit partibus iam in suo esse constitutis, & simul vnitis: ergò si totum foret quid reipsa distinctum à suis partibus, esset vnum per accidens, quod pugnat *art. tobuius quæst.* Concedo ma. Nego min. Totum quippè partibus non est aduentitium, sed ex illis intrinsece constitutum, veréque causatum, perfectum, & completum.

Instabis, quod aduenit enti in actu, est ei accidentarium: totum autem accedit materiæ actuatæ per formam, ergò est ei accidentarium, & aduentitium. Concedo ma. nego min. siquidem, vt iam dixi totum non aduenit partibus, sed causatur ab illis.

23. Opp. quintò, contra secundam assertionem, materia, & forma constituunt vnum per se, 8. *Met.* 15. Ergò totum realiter non differt à partibus, Conseq. tenet, quia distinctio realis cadit inter duo: materia autem, & forma faciunt compositum, quod est vnum, ergò transeunt in tertiam eius entitatem. Conf. repugnat, quidpiam realiter secerni ab eo, quod intrinsecè, & essentialiter constituit, si enim est ei intrinsecum, non est aliud ab eomet. quod si est aliud, ei plane est extrinsecum. Potiùs ergò astruendum est, partes transire in totum, quam totum realiter à partibus distingui. Concedo ant. nego conseq. Etenim, materia, & forma sunt duo principia constituentia, duæque causæ partiales vnam totalem integrantes: totum verò est vnum principiatum constitutum, vnumque ab eis causatum: causam autem, & causatum realiter differre, astruit Philosophorum vulgus. Ad conf. dico, instantiam concludere de partibus, & causis extrinsecis, vt est causa efficiens: non verò de partibus, & causis intrinsecis, huiusmodi sunt materia, & forma totum causantes, & essentialiter constituentes, à quibus in fieri, & in esse dependet, estque ab eisdem inseparabile, etiam virtute diuina, vt insinuat Doct. 1. *d.* 17. *quæst.* 2. *sub CC.*

Dices, partes dependent etiam à toto, & tamen ab eo seiungi queunt, ergò idem astruendum est de toto. Negandum est paritas: siquidem totum dependet à partibus dependentia simpliciter: partes verò a toto, dependentia secundum quid: ob id hæ possunt separari ab illo, non verò illud ab istis, vt bene vidit Vort. 3. *d.* 34. *art.* 3. *ad* 2. Et *tangit Aristot.* 6. *Top. cap.* 1. *&* 1. *pol. cap.* 2. Partibus quippè corruptis, totum corrumpi oportet; verumtamen, toto corrupto, necesse non est corrumpi partes.

ARTICVLVS III.

An totum integrale, & per accidens distinguatur à suis partibus.

24. Inuenio in hoc art. Scotistas valdè discordes & discrepantes. Quidam enim, vt Mastrius, & Belluttus *disp.* 5. *quæst.* 13. *art.* 2. ac Pontius *disp.* 35. *quæst.* 2. negant totum, siue integrale, siue per accidens, distingui realiter à suis partibus simul sumptis. Alij, à quibus longè distare non videtur Fuentes *q.* 6. *diff.* 1. *art.* 7. concedunt vtrumque totum præn minatum realiter à suis partibus simul acceptis differre. Cæteri verò vt Sirectus. *Tract. form. ad finem art.* 4. *partialis*, Vallo *ibid.* Mayr. 3. *d.* 2. *q.* 10. *in calce.* Tatar. 1. *Phys. quæst.* 2. *dub.* 2. Et Parisienses *ibid. q.* 4. *fol.* 13. admittunt quidem totum integrale realiter à partibus simul vnitis discriminari: inficiantur verò, de toto per accidens.

25. Assertio prima, totum integrale realiter distinguitur à suis partibus simul sumptis. Ita Scot. 2. *d.* 16. *quæst. vn.* §. *Alia opinio. F.* Et *ibid. in Repor.* §. *Item si sint partes.* Et 3. *d.* 12. *quæst. vn. ante* §. *sed quid logice sub L.* probatur 1. ex Arist. 7. *Met. T.* 60. dicente, syllabam Ba, non esse A. & B sed quid distinctum ab A. & B. Nam si A. & B. abinuicem separentur, manent quidem illæ liberæ, non tamen dicta syllaba. Pariter, caro non est terra, nec ignis, ex quibus conflatur, sed quid distinctum ab eis, si enim dissoluitur, extant quidem præfata elementa, non autem caro, vt optimè ibi exponit Doct.

Respondet Mastrius, cum socio cit. ea testimonia capienda esse de toto integrali distincto à suis partibus seorsim, non verò coniunctim acceptis. Contra, id est extra litem, vt iidem Authores, cum reliquis omnibus ingenuè confitentur, & ipsimet cum Scot adducunt eumdem passum Arist. ad suadendum totum essentiale distingui realiter à suis partibus simul vnitis, vt patet *ibid. ex eorum art.* 1. *ratione quarta* præfatis; ergò locis Philosophi, Doct. minimè satisfaciunt, potiúsque sibi pugnare videntur, dum ea soluere nituntur. Secundò hæc propositio à nemine negatur, totum integrale componitur ex partibus. Aut ergò in ista, totum supponit pro suis partibus, aut pro alio. Si hoc, ergò ab eis distinguitur. Si illud, ergò idem ex seipso componitur, hoc est, partes, ex partibus quod est absurdum.

Occurrunt Authores prælleg. totum integrale non distingui à suis partibus vnitis, siue cum vnione acceptis: benè verò à partibus seorsim acceptis. Verum non soluunt argumentum, sed petunt principium. Id namque vertitur in dubium, vtrùm totum integrale differat à partibus coniunctim sumptis, necnè? Eo magis, dicti Authores *cit. art.* 1. *ratione prima,*

hanc impugnant responsionem, tanquam irritam, & vanam. Tertiò totum integrale, aut est homogeneum, aut heterogeneum, vtrumque autem reipsa dissidet a suis partibus, & quidem heterogeneum, vt homo, de quo exemplificat Scot *3. nuper alleg. infrà L.* & homogeneum vt caro, de qua exemplum affert idem Doct. cum Arist. 7. *Met. T. vlt.* Totum ergò integrale à suis discriminatur partibus.

26. Ass. 2. totum quantitatiuum quoque est aliud à suis partibus. Deducitur ex Scot. 2. *d. 3. q. 4. §. Ad primam rationem sub I.* & *3. passu præmemorato.* Quem sequitur Sitectus, & Vallo *vb supra*, contrà Tromb. & geminos Scotist. cit. suadetur primò, discrimen extat inter totum vniuersale, quod diuiditur in partes subiectiuas, & totum quantitatiuum, quod scinditur, in partes quantitatiuas, Totum quippè vniuersale verè & rectè prædicatur de suis partibus subiectiuis, vt animal de homine, & bruto: totum verò integrale nequaquam; vt hæc pars aquæ non prædicatur de tota aqua, cùm verè sit pars aquæ, & non tota aqua. Ergò totum quantitatiuum est aliud a suis partibus. At totum vniuersale cùm identificetur cum suis partibus, de ipsis probè enunciatur. Secundò pars subiectiua nequit esse absque toto vniuersali, vt Petrus, absque homine: verùm pars quantitatiua esse valet sine toto quantitatiuo, vt ista pars aquæ, siue tota illa aqua. Igitur, totum quantitatiuum, à suis distinguitur partibus. Insuper, totum quantitatiuum aut est continuum, aut discretum: patet autem illud discriminari à suis partibus, ex iam probatis, istud quoque monstrante Arist. 5. *Met. c. 14.* bis tria non sunt sex. Sed semel sex sunt sex: Et ibi Scot. *in exp. tex.*

27. Assertio tertia, totum per accidens non dissidet à suis partibus. Tenet Doct. *3. d. 2. quæst. 2. § quantum ad 3. sub E.* a quo declinat Ioannes de Magistris *1. Phys. q. 5 scibil. primo.* Probatur primò, tertium resultans ex duobus ipsum causantibus, aut est substantia, aut accidens. Nihil quippè mediat inter hæc duo membra, cùm ens adæquatè distribuatur in substantiam, & accidens, 5. *Met. T. 14.* si ergò totum per accidens foret aliud à subiecto, & accidente in eo inhærente, vel esset substantia, vel accidens: neutrum autem esse potest, alioqui substantia esset pars accidentis, & accidens pars substantiæ, quod implicantiam inuoluit, vt substantia inhæreat in subiecto, & accidens per se subsistat.

Secundò, subiectum, & accidens, quæ faciunt vnum per accidens, in suo genere sunt completa, & perfecta, ergò non tendunt ad causandum tertium ab eis distinctum. Vt enim id agerent, essent imperfecta, & incompleta, vt liquet de materia, & forma causantibus compositum.

Deinceps, principia constituentia aliud à se, sunt eiusdem generis, & prædicamenti, vt constat inductione de principiis totius vniuersalis, quæ sunt materia, & forma, necnon de principiis, & partibus totius integralis, & quantitatiui. subiectum autem, & accidens in eo inhærens sunt alterius generis & prædicamenti.

28. Oppones primò, contra 1. ass. si totum integrale foret aliud à suis partibus, materia, quæ constat partibus integralibus, & entitatiuis, ex Doct. 2. *d. 12. q. 1. Respondeo. D.* esset generabilis, & corruptibilis. Etenim, si in partes diuideretur, corrumperetur eius tertia entitas: etsi eædem partes iterùm reunirentur, vtique tertia eius entitas generaretur: id autē pugnat 1. *Phys. T. 82.* Ergò totum integrale haud à suis dissidet partibus. Conf. 1. si gutta aquæ caderet in mare, gigneretur noua entitas aquæ per vastum pelagus fusa, & si gutta aquæ, ab eodem mari tolleretur, noua entitas aquæ periret, quod mirum est, & inauditum. Conf. 2. idem numero naturaliter posset reproduci, vt si partes aquæ diuisæ, denuò coniungantur, tota aqua quæ prius erat, redibit. Id autem absonum, & absurdum videtur, ergò &c. Respondeo per distinctionem ma. simpliciter, nego: secundum quid concedo Illud autem dicitur simpliciter, notante Canon. 1. *Phys. q. 9. art. 2. dub. 1.* quod corrumpitur secundum partes, & totum, vt in obitu bruti, perit brutum, necnon anima, & corpus eius: aut saltem aliqua pars totius destruitur, vt in morte hominis, corrumpitur eius corpus, anima verò eius persistit. Quod autem desinit esse penès tertiam entitatem, manent tamen eius partes, perhibetur corruptibile secundum quid, vt in re nostra, si materia in suas partes substantiales, & entitatiuas dispertiretur, corrumperetur secundum quid. Nec mirum, cùm ipsa materia vulgò dicatur corruptibilis, & generabilis subiectiuè, etsi non obiectiuè. Atque partes indiuidui nutrientis fluant, & effluant, penès esse materiale, ac formale, vt tradit Doct. 4. *d. 44. quæst. 1.*

29. Dices, si corrumpitur totum, licet partes eius maneant, ergò corrumpitur simpliciter, tum quia totum est partibus præstantius, tum etiam quia, perempto toto, simpliciter res dicitur perire, & destrui: sic Christus absolutè mortuus est, quia humanitas eius, quæ erat eius tertia entitas tunc periit, quamuis partes eius omnes remansissent incorruptæ, proindéque materia simpliciter, & absolutè esset corruptibilis & generabilis. Neganda est conseq. Ratio est, quia si maneant partes, toto destructo, adhuc ad inuicem ab agente possunt reuniri, & cùm sint principia integrantia, & constituentia, iterùm queunt causare totum, vt patet de tota aqua, quæ si diuidatur in suas partes, perit totalitas eius: verumtamen, quia eædem partes permanentes denuò vniri valent ab agente, & causare totam aquam, sicut erat: ideò, tunc corrumpi secundum quid perhibetur. Quòd si destructo toto, pars, aut partes non persistant, sed pereant, consequenter totum redire nequit, hac de causa dicitur non incongruè corrumpi simpliciter Nec alia videtur esse difficultas, nisi fortasse de nomine, quidquid contendat Mastrius, cum eius sodali cit. Ad 1. conf. neganda est seq. data enim hypothesi, gutta aquæ vniretur mari, sicut pars vnitur toti, & pars carnis aggenerata per nutritionem coniungitur toti carni præexistenti, vt tradit Doct. *passu proximè cit.* Ad 2. conf. conceditur ma. ex eodem Doct. 4. *d. 43. q. 3 §. Quantum ad istum. E.*

30. Opp. 2. non ob aliam causam præcipuam defenditur in Schola Scot. totum essentiale esse aliud a suis partibus, nisi quia partes eius causant ipsum totum: partes autem integrales non causant totum integrale Non enim vna se habet per modum perfectibilis, & altera per modum perficientis, veluti materia, & forma. Igitur totum integrale non differt à suis partibus. Concedo ma. nego mi. n. ex Doct. 2. *d. 16. quæst. vn §. Alia opinio. F.* sic scribente. *Quia semper partes integrales faciunt aliquod totum, aliud à qualibet partium, per aliquod formaliter concurrens.*

31. Opp. 3. contra 2. ass. si totum quantitatiuum statuitur aliud à suis partibus, in diuisione eius noua quantitas deperderetur, & in oppositione, & continuatione eius noua quantitas acquireretur. Hoc autem contradicit Scot. 4. *d. 12. quæst. 1. §. Ad quæst. respondeo. K* affirmanti, in diuisione partium, perire habitudinem partium vnitarum, & in earum appositione acquiri huiusmodi habitudinem partium, vnitarum. Ergo, secundùm Scot. totum quantitatiuum non differt à partibus simul coniunctis. Respondeo quidem Scot. vnum ibi affirmare, & aliud non negare. Affirmat enim, in continui partitione perire præfatam habitudinem partium, & in appositione partium eam acquiri. At verò non inficiatur totum quantitatiuum esse aliud à partibus. Imò ò *ante K.* planè, & apertè ostendit, in toto continuo esse tertiam entitatem à partibus distitam, his verbis. *Illa autem tertia entitas quæ præfuit, non manet nunc.* Tandemque amittit euidenter, *locis præadductis in secunda ass.*

32. Oppo

32. Oppones quartò, si totum quantitatiuum dissidet à suis partibus, ternarius foret quaternarius, & duæ libræ essent tres libræ, aliaque inferrentur incommoda memorata, & adducta à Tatar. citat. Si quidem ternarius præter tres partes includit quartam, per quam constituitur in esse ternarij, & præter dualitatem duarum librarum additur tertia entitas ab eis distincta. Neganda est sequela. Etenim ea tertia entitas ternarij non numeratur tanquam pars distincta: veluti quidditas, & ratio communis, non refertur, vt quid distinctum à particularibus. Non enim valet dicere, sunt tres homines, & illi tres conueniunt in communi ratione, & natura hominis, ergò ille communis distinguitur, à particularibus; quoniam communia non numerantur ad numerationem particularium, vt tangunt Scot. 1. *d.* 24. *quæst. vnic.* D. & Maurit. *quæst.* 24. *vniuers.* §. *de tertio.* Causa huius reddi potest, quia ea communis ratio est essentia, & natura particularium, quæ nullum in eis potest facere numerum.

33. Oppones quintò, contra tertiam asser. omne compositum distinguitur à partibus, ex quibus coalescit: totum autem per accidens conflatur ex subiecto, & accidente, ex quibus fit vnum per accidens; vnumque horum se habet per modum potentiæ, vt subiectum: aliud verò, putà accidens, per modum actus, annuentibus Aristot. 8. *Metaphys. T.* 15. & Scot. *ibid. in expos. Top.* Ergò totum per accidens est aliud à suis partibus. Conf. 1. omnis mutatio habet suum terminum, à quo specificatur: alteratio autem est mutatio, 5. *Physic. cap.* 4. cuius terminus est totum per accidens, quod sanè à partibus suis est distinguendum. Conf. 2. Scot 3. *dist.* 2. *quæst.* 2. §. *Quantum ad* 3. *infrà E.* scribit, totum per acidens esse vnum quid, sicut totum essentiale: vt enim hoc fit ex potentia, & actu per se: ita illud efficitur ex potentia, & actu per accidens. Ob id paulo antè præmisit totum per accidens non esse suas partes, sicut totum per aggregationem. Vndè Aristot. 7. *Metaphys. T.* 11. & 12. suadet, hominem album, qui est totum per accidens esse quid vnum, ergò est aliud à suis partibus. Distinguo ma. compositum compositione ex his, concedo: compositum compositione cum his, vt est totum per accidens nego. Sic respondet Canon. 1. *Physic. quæst.* 5. *art.* 4. & Parisiens. *quæst.* 3. *fol.* 13. *Ad* 2. & 4. Ad 1. conf. dico alterationem specificari à termino formali, sic cum albedo ponitur in pariete, perhibetur dealbatio, 5. *Physic, T.* 5. ab albedine, quæ est eius terminus formalis. Ad conf. dico esse paritatem in hoc, quod sicut materia perficitur per formam: ita subiectum perficitur per accidens in ipso receptum, disparitatem verò esse, quia forma perficit materiam simpliciter; accidens verò perficit subiectum secundum quid: atque ex illis resultat tertium, non autem ex his, ob rationes præassignatas in 3. ass. Deindè, totum per aggregationem habet minimam vnitatem, ex Doct. 1. *d.* 2. *quæst.* 7. § *sed hic restat.* Et totum per accidens addit supra illud vnitatem informationis. Hinc propter hanc vnionem, & vnitatem Philosophus cit. ait hoc non esse suas partes etiam simul sumptas: bene verò illud, Scot. autem affert exemplum potiùs de toto per aggregationem, quàm de toto per accidens, quia illud est isto notius, & apertius.

LIBER TERTIVS.

De Natura, & Arte.

ARISTOTELES 2. *Phys.* disserit de Natura, & Arte: & quidem primùm de Natura, postmodum verò de Arte, cùm Natura Artem præcedat, quam ipsa Ars imitatur.

QVÆSTIO I.

De Natura.

ARTICVLVS I.

Quid sit Natura.

1. PHILOSOPHVS 1. *Physic. cap.* 1. monet, ambigendum non esse, an sit natura: cùm experientiâ pateat, & per se notum sit, dari motum naturalem, cuius principium est natura. Si quis autem vellet probare, esse naturam, similis esset cœco à natiuitate, qui conaretur euidenter probare videntibus, dari colores visibiles. Clarius quippè est videntibus esse colores, quam rationes eius suadere valeant. Quare omittitur quæsitum, an sit natura, & inquiritur, quid sit.

2. Not. primò ex Aristot. 5. *Metaphys. cap.* 4. *T.* 5. & Scot. *ibid. in com.* naturam multis accipi modis. Primò pro Deo, rerum omnium parente, & opifice, sic capit naturam D. August. 15. *Trin. cap.* 1. quæ à quibusdam dicitur natura naturans, & res à Deo creata, perhibetur natura naturata, vt videre est apud Conimb. 2. *Physic. quæst.* 1. *art* 1. Hinc mundus à Deo conditus, a nonnullis vocatur *opus naturæ, & intelligentiæ.*

Secundò, pro essentia cuiuscumque rei, sic inquit Doct. 2. *d.* 1. *quæst.* 5. §. *contra ista. I.* post Arist. 7. *Metaphys. T.* 41. & 42. *definitio est oratio distinctè explicans naturam rei.* Pariter, Fideles aiunt in Diuinis esse vnam naturam: atque diuini Verbi vnionem factam esse non in natura, sed in persona eiusdem Verbi. Tertiò, pro tota congerie rerum creaturam, quo pacto, aliquid dicitur fieri, aut esse in rerum natura, & quod vires creaturarum superat perhibetur miraculum. Huius acceptionis meminit August. *l.* 26. *contrà Faustum cap.* 4. & *l.* 29. *contrà eundem cap.* 7 si aliqua Deus faciat, contrà solitum naturæ cursum, magnalia, & mirabilia vocantur: quæ verò non excedunt modum, & vsum naturæ, appellantur naturalia. Quartò, pro natiuitate, quæ est generatio viuentium. Deriuatur quippè naturà, à nascendo, notante Scot. nuper cit. Cùm enim generatio ab interno principio prodeat, ortum est nomen naturæ, ad designandum internum cuiuscumque rei principium, vt patet apud Stagir. proximè allegat. Quare propriè natura, de qua in præsenti agimus,

ſumitur pro origine, & principio intrinſeco motus, & quietis.

3. Notat. ſecundò, naturam definiri, 2. *Phyſic. cap* 1. *T.*3. his verbis, *natura eſt principium, & cauſa motus, & quietis, eius in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundum accidens.* Explicatur quoad omnes eius particulas. Ponitur *principium*, tanquam genus. Additur *cauſa*, propter priuationem, quæ quidem eſt principium, non tamen cauſa. Subditur, *motus, & quietis*, ſupplè, diſiunctiuè, & pro *vel.* Quædam enim corpora, vt Cœlum ſemper mouentur: quædam verò ſemper quieſcunt, vt terra. Poteſt quoque capi copulatiue, nam omnia naturalia idonea, & capacia ſunt motus, & quietis, licet actu quædam ſolùm moueantur; quædam verò quieſcant dumtaxat. Dicitur, *eius in quo eſt*, vt differat à principio extrinſeco; vt eſt cauſa efficiens. Adijcitur *primò*, ob accidentia, quæ quoquomodo concurrunt ad motum, & quietem, vt grauitas, in graui, & leuitas in leui: atque deſignatur naturam eſſe principium radicale, & principale mouendi, & quieſcendi. Subnectitur *per ſe, & non ſecundum accidens*, propter artem, quæ eſt principium per accidens motus, & quietis, vt ſcamnum mouetur, vel quieſcit, non vt eſt ſcamnum, ſeu opus artis, ſed vt corpus naturale, ſeu lignum, in quo extat natura, quæ eſt præfatum principium mouendi, & quieſcendi.

4. Aſſertio, propria, & genuina naturæ definitio eſt præallata, & mox præexplicata. Recipit Doct. 2. *d.*2. *quæſt.*10. §. *Reſpondeo. F.* cum tota ſchola Peripatetica. Suadetur communi medio. Ea eſt bona definitio, in qua aſſignantur proprium genus, & differentia, ex aſſertis *in Epitome l.* 1. *quæſt.* 7. *artic.* 2. Hæc autem eſt huiuſmodi. Vox enim principium eſt loco generis, & reliquæ particulæ tenent locum differentiæ: ergò eſt proba, & exacta definitio. Deindè competit omni contento, ſub definito, & nulli alteri: nihilque ſuperflui, diminutique continet, ſicut poſtulant leges bonæ definitionis, ergò eſt rectè tradita.

5. Oppones primò, abſolutum non definitur per relatiuum, quia ſunt oppoſita, principium autem eſt relatiuum, & natura eſt ens abſolutum, cùm ſit de genere ſubſtantiæ, ergò natura ineptè definitur per principium. Diſtinguo ma. formaliter, & eſſentialiter, concedo: fundamentaliter, & materialiter, nego. Sic materia definitur per potentiam, & forma per actum, quæ ſunt relatiua, monſtrante Ariſtot. 2. *Phyſ. T.*26.

6. Oppones ſecundò, idem nequit eſſe cauſa oppoſitorum, maximè priuatiuorum, vt patet 4. *Metheor. ſum.*2. *cap.*3. Motus autem, & quies ſunt oppoſita priuatiua. Quies enim eſt carentia motus, perperam igitur natura definitur principium *motus, & quietis.* Concedo ma. diſtinguo min. ſi quies ſumatur pro priuatione motus, concedo: ſi verò accipiatur pro conſiſtentia in loco, vt capitur in præſentia, nego. Hæc reſponſio deducitur ex Scot. 4. *d* 48. *q.*2. §. *Ad argumenta. O.* & tangitur ab Aug. 2. *de lib. arb. ante cap* 8.

7. Oppones tertiò, definitio recta conuenit omnibus contentis ſub definito, 6. *Top. cap.*4. prælata autem definitio non eſt huiuſmodi, tum quia non competit animæ rationali, nec Angelis, qui ſunt formæ ſeparatæ, tum etiam quia non adaptatur terræ, quæ in æternum ſtat, *Eccleſiaſtes* 1. Nec cœlo, quod ſemper mouetur. Ergò aſſignanda eſt alia naturæ definitio. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, animam rationalem eſſe naturam, cùm ſit vera forma corporis humani, quæ licet ab eo ſeparata valeat exiſtere, nihilominùs ad illud ſemper habet aptitudinem, & inclinationem. Angelus verò non eſt forma phyſica, cùm ſit pars corporis, ſed eſt natura completa, & perfecta, ideò ei non congruit definitio naturæ. Ad aliud de terra, dico, quamuis de facto quieſcat, ei tamen motus non repugnat, cum in ſe habeat principium motus, quod eſt natura. Pariter, licet cælum ſemper moueatur, poteſt tamen quieſcere, vt tempore Ioſue quieuit, donec pugna contra Gabaonem perfecta eſt. Et poſt diem iudicij non amplius mouebitur. Quare cælum, & terra in ſe habent principium mouendi & quieſcendi.

ARTICVLVS II.

An natura ſit principium paſsiuum.

8. TRipartiti ſunt Philoſophi, *in hoc art.* Quidam enim, vt Vallelius *controuerſ.* 11. *Phyſic.* & Vaſquez 1. 2. *diſp.* 25. *cap.* 3. putant, naturam eſſe tantum principium actiuum. Alij, inter quos Maſtrius, & Bellutus *diſp.*6. *Phyſ. quæſt. prima*, opinantur, naturam eſſe principium actiuum, & paſſiuum. Reliqui verò, vt Scot. 2. *d.*2. *q.*10. §. *Reſpondeo. F.* Et *d.*18. *quæſt. vn.* §. *Contrà primum.* Et 4. *d.*43 *q.*4. §. *Intelligendum.* Faber. *Theor.* 33. & Pontius *diſp.* 36. *q.*2. *num.*9. aſſeuerant, naturam propriè ſumptam eſſe principium paſſiuum duntaxat. Video autem hanc contentionem ferè eſſe de nomine, & conſiſtere in multiplici acceptione nominis naturæ, & naturalis. Quidam enim latiùs, alij verò preſſius ſumunt, ſicut dictum eſt de praxi, in Log *l.*1. *q* 2. *art.*5. *dub.*1. Et de actione *in opere de gener. l.*3. *q* 1. *art.*4. Quare, vt ſatisfiat propoſitæ difficultati, præmonito quod obſeruaui *in art.* 1. *a* 1.

9. Not. primò ex Scot. *q.* 1. *prol* §. *Ad quæſt. L.* ſubiectum receptiuum alicuius formæ bifariam poſſe comparari, ſcilicet ad formam quam recipit, vel ad agens, à quo eam recipit. Si reſpiciat formam, aut propendet in illam, vt ignis ad locum ſurſum, & dicitur naturalis: aut non inclinat ad illam, vel reluctatur, vt ignis ad locum deorſum, & vocatur violenta: aut nec inclinat, nec reluctatur, vt ſuperficies parietis ad recipiendam albedinem, & nuncupatur neutra. Quod ſi reſpiciatur ad agens, vel agens ſolet producere eam formam, & huiuſmodi forma perhibetur naturalis: at ſi agens non conſueuit eam producere, & eam producat, nominatur ſupernaturalis, vt ſi Deus immediatè produceret ignem, talis ignis vocaretur ſupernaturalis. Itemque, ſi cæco reſtituat viſum, erit miraculum, vt præſtitit Chriſtus Ioan. 9. *A ſeculo non eſt auditum. vt quis aperuerit oculos cæci nati.*

10. Not. ſecundò ex eodem Doct. 4. *diſt.*43. *q.*4. §. *Intelligendum A.* Naturale eſſe nomen æquiuocum, quod diſtinguendum, & exponendum eſt, [illegible] multiplices acceptiones, 1. *Top. c* 12. ſumitur [illegible] naturale, vt opponitur ſupernaturali, quo pacto omne quod continetur in ſerie rerum creatarum, dicitur naturale: ſoluſque Deus nominatur ens ſupernaturale, quia ſuprà omnia creata exiſtit, excedit & excellit, tanquam eorum cauſa, & author. Secundò, vt opponitur libero, quo pacto omne agens neceſſarium voluntatis, & libertatis expers, ſeu omne non liberum, nuncupatur naturale; ſic ignis eſt agens naturale, & naturaliter calefacit, & comburit, atque homo naturaliter diſcurrit, ridet, aliaque opera naturaliter adminiſtrat, quatenùs pollet intellectu, & alijs potentiis neceſſarijs, ac naturalibus, à voluntate, quæ eſt potentia libera, diſtinctis. Tertiò vt opponitur violento, & neutro, quo in ſenſo, naturale eſt, quod inclinat ad aliquam formam ſuſcipiendam. Hinc Auguſt. 3. *de lib. arbit. cap.* 1. ſcribit, motus lapidis deorſum eſt naturalis, cùm ad eum locum ſuaptè naturà feratur: & ita propriiſſimè *na-*

tura,

tur, à qua deriuatur naturale, definitur a. *Physic. T.3* principium mouendi, & quiescendi intrinsecum, & per se.

11. Assertio, natura pressissimè, & angustissimè capta, est principium passiuum duntaxat, secundum Arist. Scot. & veritatem. Assertio hæc in tres secatur partes. Prima pars suadetur primò Arist. proximè cit *cap.3. T.5.* nobis ostendens, quodnam principium sit natura, admiratur, an verò passiuum? exemplum affert de igne, qui naturaliter sursùm fertur, puta penes principium passiuum, vt planè indicat verbum fertur. Et paulo ante præmisit *T.3. cap.1.* similitudinem de medico infirmo, qui sanatur, non vt medicus, quia per accidens est, vt ægrotus sit medicus, qui non sanatur, vt habet principium actiuum, hoc est autem medicam, sed quatenùs habet principium passiuum recipiendi sanitatem. Idem innuit 8. *Phys. T.27. 28. & 29.* Atque 2. Phys. 71. *& 3. eiusdem operis*, 8. inquit, mouentia mota esse physicæ considerationis, non verò mouentia non mota. Idque secundum græcom codicem, in definitione naturæ a. *Phys. T.3.* planè præsignificant, qui, adoertentibus Conimb. *ibid. in cap 1. quæst.1.* ait, *natura est principium, & causa in eo, quod mouetur.* Vbi locatur verbum *mouetur*, quod est passiuum.

12. Secunda pars ostenditur, Scot. a. *d.2. quæst.10. §. Respondeo sub F.* scribit, Motus non est naturalis, ex eo quod habet principium actiuum, sed ex eo, quod habet solum principium passiuom, naturaliter inclinans ad motum. Idem expressè docet *d.18. quæst. vn. §. contrà. 4. & in Resp. d.17. q.3.*

Occurrit Mastrius, cum eius socio præcit. illa Scot. testimonia exponenda esse potissimùm de principio passiuo, & postmodum de actiuo, quatenus actiuum annexum est passiuo. Contra, Doct. cit. explicitè ait solum principium passiuum esse naturam descriptam a. *Phys. cap.1.* ergò, cùm particula *solum* sit exclusiua, indubie excluditur principium actiuum. Addo, 5. *Met. in expos. cap.4.* euidenter tollit allatam responsionem, his verbis. *Principium motus, quod dicitur natura, à quo dicitur motus naturalis distinctus, contrà violentum, accipitur, non pro principio actiuo, vt quidam dicunt: sed pro principio passiuo.* Et idem 7. *Met q.12. §. Ad 1.* subiicit, *Numquam motus dicitur naturalis, propter principium actiuum intrinsecum, sed tantum, propter passiuum.*

Nec præstat dicere cum Mastrio, Scot. *q.1. prol. §. Ad argumenta pro opinione Arist. Q.* fundere definitionem naturæ traditam a. *Phys. T.3.* ad principium actiuum. Ait enim *ibi* Doct. Multa esse subiecta naturaliter receptiua alicuius perfectionis, quæ non habent principium intrinsecum actiuum, vt corpus organicum, est quidem receptiuum animæ, non tamen eius principium effectiuum. Itemque anima est receptiua gratiæ, & gloriæ, non verò earum effectiua. Amplius, 5. *Metaphysica in fine comm. cap. 4.* subdit, formæ, vt est natura, non repugnare principium actiuum. Ergò, Doct. sub natura videtur comprehendere vtrumque principium, tàm actiuum, quàm passiuum. Etenim, Doct. *ibi*, quidem docet, in syllabo rerum creatarum, quædam esse habentia capacitatem recipiendi aliquam perfectionem, non tamen habere in se virtutem actiuam producendi eam. Verùm, vtrùm natura propriissimè sumpta sit principium actiuum, vel passiuum, vel vtrumque simul, non decidit *eo passu*, sed *locis præcit.* Itenim, quamuis aliquid in se potiatur principio actiuo naturali producendi quidpiam, vt graue tendendi deorsum, & leue sursùm, nihilominus, non propter illud principium actiuum perhibetur natura præ se sumpta, sed propter principium passiuum. Pet accidens enim est, vt gaudeat principio actiuo, vt suprà de Medico ægroto planum feci. Sic pariter satisfit testimonio adducto 5. *Metaphysica.* Formam dici propriè naturam, non ob principium actiuum, sed passiuum. Eò magis, quia non demonstrare, sed opinari Scot. nemo negat: propterea fortè *ibi* locat verbum, *non repugnat.* Tametsi ipse opinioni recitatæ firmiter, & euidenter adhæreat.

13. Tertia pars probatur primò ex Scot. 5. *Metaphysica, nunc citat.* Mutatio naturalis est, penès quam, passum mouetur, hoc est, fient aptum natum est mutari à quouis agente, vt patet 8. *Physic. T.32.* vbi legitur, leuia sursùm, & grauia deorsum ferri, quia sic apta nata sunt moueri: numquam autem passum sic aptum natum est moueri, ob principium actiuum sibi inexistens, sed ob principium passiuum duntaxat, vt si aqua ab igne calefiat, ea calefactio non est aquæ ipsi naturalis, non quia producitur ab igne, sed quia ad eam naturaliter non propendet, & si eadem aqua frigefiat, huiusmodi frigefactio est naturalis, non quia ab ipsa aqua, aut ab alio agente producitur, sed quia ad eam suaptè natura inclinat. Secundò ex eodem, 4. *dist. 43. quæst. 4. §. Intelligendum. D.* illud est per se causa alicuius effectus, quo posito, & quouis alio seclusò, aut mutato, sequitur effectus: positâ autem naturali inclinatione subiecti, ad eum recipiendum, etsi in illo nullum sit principium actiuum ad eum producendum, & propriè perhibetur naturalis, & non è contrà, vt sanitas homini dicitur naturalis, non quia in se habet principium eius actiuum, quia id est per accidens, a. *Physic. T. 3.* sed quia ad eam suaptè naturà inchoat: ergò propriè natura extat principium passiuum. Addo, fieri non potest, vt principium actiuum motus sit in moto, primò, & per se: siquidem, per accidens est, vt mouens, & motum simul in eodem concurrant; possunt quippè ab inuicem segregari. Dic ergo, naturam propriè sumptam esse principium passiuum duntaxat.

14. Oppones primò contra 1. partem asser. Forma est natura 2. *Physic. T.11.* Forma autem est principium actiuum. Nam *loco nunc allegato, T. 7. & 13.* si fodiatur lectus, & putrefcat, & postmodum germinet, germinabit non lectum, sed lignum. Iterum; *cap. de partibus animalium, cap. 1.* anima, quæ est forma, est natura, quamuè vult esse principium actiuum, *ibidem.* Insuper, 9. *Metaphysica, T. 13.* Natura est eiusdem generis, cum potentia actiua. Amplius, 8. *Physic. T 27.* Animalia naturaliter à seipsis moueri, quia in se habent principium actiuum mouendi, quod est anima, quæ est natura. Igitur in Lic. Aristot. natura perhibetur de principio actiuo. Concedo. ma. distinguo min. vt est natura nego Sic enim est principium passiuum, ex Scot. 5. *Metaphysica, in comm. cap. 4. & 7. Metaphysica, quæst. 12. §. Ad omnes.* Vt distinguitur ab arte, & principio libero, concedo. Scribente Scot. *quæst. 1. prol. §. Ad argumenta pro opinione Aristot. Q.* Per hanc distinctionem exponuntur omnia præallata testimonia Arist. Et declarani suprà not.2.

15. Oppones secundò, naturalia differunt ab artificialibus in eo, quod artificialia non sortiuntur principium actiuum, velut naturalia, a. *Physic. cap. 1. T. 3.* At si natura foret principium passiuum, nullum esset præfatum discrimen, quia tam naturalia, quàm artificialia participarent principium passiuum. Conf. 1. *ex 6. Metaphysica*, 1. principium artificialium est in cognoscente, & principium naturalium est in moto: atqui principium artificialium, quod extat in cognoscente, est actiuum, ergò pariter principium naturalium est actiuum. Conf. 2. in definitione naturæ locatur causa: causa autem est actiua, vtpotè, quæ influit in effectum: ergò natura est principium actiuum. Respondeo cum Scot. 2. *d. 18. quæst. vn. §. contrà. C.* Et 6. *Metaphys. in com. cap. 1.*

in fine. Et *Met. quæst. 2. §. Ad aliud de differentia.* Naturalia, & artificialia discriminari penes id, quod naturalia habent principium passiuum inclinans ad perfectionem recipiendam, quàm recipiunt: artificialia verò sortiuntur principium neutrum, & indifferens ad hanc, vel illam formam suscipiendam, vt lignum est indifferens, vt ex eo artifex conficiat formam Iouis, aut Mercurij. Ad 1. conf. dico principium non vniformiter, sed difformiter accipi, puta in artifice, est actiuum, in naturali verò est passiuum, vt tradit Doct. 1. prælleg. *antè D.* Ad 2. conf. dico, vsurpari causam in definitione naturæ pro causa passiua, & receptiua habente inclinationem ad formam recipiendam, vt patet de materia, quæ inter causas adscribitur, tametsi sit passiua.

16. Oppones tertiò, *ex 3. Eth.* 1. violentum est, cuius principium est extra, non conferente vim passo: ergò per oppositum, naturale est cuius principium est intrà, habens aliquam vim, seu virtutem agendi, proindeque, natura est principium actiuum. Respondeo cum Doct. *in Met* nuper cit. *in fine quæst* 12. *&* 4. *d. 19. quæst. vn. §. de primo B.* ea verba Philosophi, non conferente vim passo, capienda esse, non negatiuè, sed contrariè. Quod est dictu, violentum est, cuius principium est extrà, passu resistente, & reluctante formæ in ipso recipiendæ, ad cuius contrariam inclinat: naturale verò est, cuius principium est intrà inclinans ad formam recipiendam.

17. Oppones quartò, contra tertiam partem, naturale denominatur à natura, à qua deriuatur: à principio autem actiuo, perhibetur naturale, vt ignire est naturale igni, & ignitio est actio naturalis prouemens ab igne, actiuè igniente, vt significant Aug. *in psal.* 104. & Damasc. 4 *fidei c.* 41. Ergò natura est principium actiuum. Hoc argumentum magni facit Mastrius cit. sed mihi videtur esse parui momenti, & exigui roboris. Peccat enim sophismate æquiuocationis positæ in multiplici acceptione vocis naturalis, cuius suprà memini, & notat Scot. 7. *Met. quæst.* 12. *prope finem.* Et insinuat *quæst.* 1. *prol.* 9. Valet enim de natura, & naturali, vt opponitur libero, & sponte agente: non autem de natura, & naturali, 2. *Phys. T.* 3. vt opponitur violento, & neutri.

ARTICVLVS III.

Quibusnam ratio naturæ competat.

18. DVbitatio esse potest de materia, forma & composito, necnon de anima, præsertim rationali, quæ per subsequentes ass. breuiter decidetur, & absoluetur.

19. Assertio prima, materia est natura. Ita contrà Valles. *contr.* 11. *&* Vasquez 1. 2. *disp.* 25. *num.* 22. docent Physiologi, cum Arist. 2. *Phys. T.* 4. *&* 10. Et 5. *Met. T.* 5. Et Scot. *ibid. in com.* Et 2. *d.* 18 *quæst. vn. § contrà sub C.* Probatur primò ratione tacta ab Arist. cit quod constituit compositum naturale est natura, quia naturale non fit ex non natura: materia autem partialiter constituit compositum naturale; quippè quod ex materia, & forma conflatur, ex dictis *l. præcedente, quæst.* 6. *art.* 1. Ergò materia est natura. Secundò cui competit definitio naturæ, est natura, vt patet per locum à definitione ad definitum: materiæ autem conuenit definitio naturæ. Est enim subiectum primum omnis transmutationis naturalis, & primum principium cuiuscumque motus naturalis. Igitur materia est natura.

20. Assertio secunda, forma est natura tam non viuentium, quam viuentium etiam anima rationalis. Assertio est tripartita. Prima pars traditur ab Arist. & Scot *in præsente ass.* & suadetur primò. Quod denominatur denominatione intrinsecâ, vtique est tale intrinsecè, vt patet de homine, qui denominatione intrinsecâ denominatur rationalis, & de pariete albo, qui perhibetur albus. Forma autem denominatur natura, 2. *Phys. T.* 11. Ergò, verè est natura. Secundò quod est magis tale, in eo ordine est tale, vt quod est magis album. Forma autem est magis natura, quàm materia, 2. *Phys. T.* 12. & hæc est natura ex dictis *suprà*, ergò & illa. Tertiò totum fit ex naturis, *ibid.* inter quas præcipua est forma. Atque *ibid. T.* 14. generatio est via ad naturam, seu ad formam, quæ rectè dicitur magis natura, tum quia est perfectior naturâ, tùm etiam quia perfectiori modo principiat: ratio ergo naturæ probè adaptatur formæ.

21. Secunda pars defenditur ab Arist. cit. *T.* 1. *&* 12. Necnon 1. *de anima, T.* 1. *&* 1. *de partibus animalium cap.* 1. Scot. *Quol.* 9. *art* 2. *&* 3. & reliquis Philosophis, contrà Alber. 1. *Phys. Tract.* 1. *cap.* 1. *& Simplicium in præsenti.* Probatur primò, anima viuentium vita vegetante, & sentiente est vera forma corporis organici. Nunc autem *in* 1. *parte huius ass.* manet probatum, formam vniuersè sumptam esse naturam, ergò anima siue vegetans, siue sentiens est natura. Secundò, anima generatim sumpta est principium, & causa motus, & quietis: ergò est natura. Conseq. tenet. Ant. ostenditur, anima est principium, & causa receptiua mutationum naturalium sibi conuenientium, putà nutritionis, accretionis, sensationis, & huiusmodi, quæ à natura prodeunt, a ratione ergò naturæ, anima non est eximenda.

22. Tertia pars insinuatur ab Arist. 2. *Phys. T.* 12. numerante hominem, inter naturâ constantia: homo autem, potissimùm est homo per animam rationalem, quæ est eius forma, & pars præcipua. Et 1. *de anima T.* 1. vocante animam vniuersè captam, naturam: sub anima autem, tanquàm sub suo quasi genere comprehenditur anima rationalis. Atque 2 *eiusdem operis, T.* 24. Anima est principium primum vegetandi, & intelligendi: anima autem rationalis est huiusmodi principium, præsertim intelligendi, ratione cuius ab aliis discriminatur. Subiicitur palàm à Doct. præcit. & 2. *d.* 18. *quæst. vn. sub C. §. contrà.* Et 4. *d.* 43. *quæst.* 2. *art.* 1. Et alibi. Probatur primò, omnis forma informans, vnà cum materia, constituens totum physicum, est natura, 1. *Phys.* 12. Anima autem rationalis est forma informans, tum quia sancitum est in Conc. Later. sub Leone X. & Vien. sub Clement. V. Tum etiam quia constituit hominem in esse hominis, ipsumque ab aliis secernit, ergò est natura. Secundò animæ rationali accommodatur definitio naturæ; est enim principium, & causa naturalium mutationum, & operationum, scilicet vegetandi, sentiendi, & intelligendi: ergò est natura, non quatenus est earum actiuum, sed quatenùs receptiuum, & passiuum.

Amplius, *in* 1. *l. de anima quæst.* 3. *art* 4. ostendam, animam rationalem, penès gradum ratiocinandi, & intelligendi pertinere ad Physicum, cùm sit vera, & propria forma corporis humani, per quam integratur homo.

23. Assertio tertia, forma totius, & compositum non est natura. Ab hac declinant Fuentes 2. *Phys. quæst.* 1. *dif.* 1. *art.* 8. & Mastrius *disp.* 6 *quæst.* 1. *art.* 1. Inclinant verò cæteri omnes Philosophi, cum Arist. 2. *Phys. T.* 12. *&* 5. *Met. T.* 5. *cap.* 4. & Scot. *ibi in com.* Hinc refellitur Mastrius cit. qui fatetur quidem eam esse Arist. non verò Scot. Nam Scot. *passu allegato* perspicuè eam tradit, & defendit, inquiens, cum Arist. *in illo loco* loquitur de forma, esse interpretandum, de forma partis: non autem de forma totius. Quare cum Scot. appellat formam totius, essentiam, & quidditatem rei, naturam *locis adductis* à Mastrio, accipit ibi naturam lato sumpto vocabulo, vt scriptum declarat idem Doct. *in explicatione modorum naturæ, in com. illo Met.* Iam verò suadetur ass. primò, quod

fit

fit ex alio, non est id, ex quo fit, vt patet in naturalibus filius. qui fit ex patre, non est pater, & in artificialibus. area, quæ fit ex ligno, non est lignum. Forma autem totius, & ipsum totum constat ex naturis, putà materia, & forma, quæ sunt naturæ, ex probatis supra, ergo non est natura. Secundò natura *est principium primum motus, & quietis* 2. *Phys. T.* 3. Forma autem totius,& compositum non est primum principium, sed principiatum ex primis principiis,ergo non est natura loco nunc citato definita. Insuper, Aristot. 2. *anima T.*4. Probat animam non esse corpus, quia est in corpore. Idemque innuit August. *lib. de immortalitate anima.cap.*7. & *lib* 83. *qq. quæst.*54. In composito autem est natura, veluti pars in toto: non ergo totum est natura, sed habens naturam.

24. Oppones primò, contra primam assert. Arist 5. *Met cap.*4. *T.*5. ait materiam esse naturam metaphoricè, cuius causam reddit, quia omnis substantia dicitur natura propter formam. Conf. 1. natura, præter principium passiuum denotat inclinationem ad id,quod in ipsa est recipiendum: materia autem ex se est indifferens, & indeterminata ad quamlibet formam, docente Scot. 4. *distinct.* 43. *quæst.* 3. *I.* Ergo non est natura. Præsertim quia authore Aristot. 2. *Phys. T.*5. & 8, *eiusdem operis T.*32. motus naturalis est determinatus, vt motus elementorum: si ergo materia foret natura, omnis motus esset naturalis,quia inclinat ad omnem,nullus vero esset violentus, cùm materia violentari nequeat. Conf. 2. natura est principium receptiuum motus; materia autem non est subiectum motus, sed compositum, quod secundum Scotum statuitur subiectum omnium accidentium. Igitur materia non est censenda natura. Respondet Doct. *in expositione eius textus* Aristotelem quidem dicere, omnem substantiam extensiuè, & impropriè esse naturam, quia natura est substantia. paulò antè verò iam affirmarat, materiam esse propriè naturam. Atque præmiserat 2. *Phys. T.*4. & 10. Quare ibi tantùm innuit, formam esse præstantiorem, nobilioremque naturam, confirmans, quod iam dixerat in *Phys. citat. T.*12. Forma est magis natura, quàm materia. Ad 1. conf. concedo ma. ad min. dico materiam participare inclinationem vniuersalem, & illimitatam ex se ad omnem formam, quæ limitatur, & determinatur per hanc, vel illam formam, sic materia lapidis propter eius formam, & grauitatem inclinat ad motum deorsum, vt clarè edisserit Doct. *in vtroque opere* 2. *dist.* 18. *quæst. vn.* Hine idem Doct. *in Met. cit.* cum Aristot. *ibid.* tradit materiam esse naturam, quia est susceptiua formæ: omnemque naturæ modum reuocari ad formam, quæ est præcipua natura. Ad 2. conf. concedo ma. distinguendo min. materia non est subiectum motus quod, concedo: non est subiectum quo, nego. Maximè quia est subiectum commune cuiuscumque generationis,& corruptionis,vt patet 1. *de generatione T.*1.

25. Oppones secundò, contra primam partem 2.ass. Forma est principium actiuum operationum naturalium nemine inficiante: natura verò ex assertis superiùs, est principium passiuum: ergo forma non est natura. Occurrit Doct. *lecti nuper allegatis*, formam appellari naturam, non penes principium actiuum, sed penes passiuum: sic motus deorsum in graui perhibetur naturalis, non quatenus mobile mouet. sed quatenus mouetur ab intrinseco principio,quod est passiuum.

26. Oppones tertiò, contra 2. partem dictæ assert. Animæ non competit naturæ definitio. Ergo anima non est natura. Ant. ostenditur, siquidem anima definitur *actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis. Secundo anima T.*6. Respondeo animam bifariàm considerari, vno modo vt est natura, sic conuenit ei definitio naturæ, cùm sit principium primum, & causa motus naturalis, putà vegetandi, sentiendi, & intelligendi, non quidem vt prodeunt ab ipsa actiuè, sed vt in ea passiuè recipiuntur. Altero modo, vt constituit corpus viuens, præbens ei vitam, & esse animatum, & ita definitur *passu allegato* 2. *de anima.* Nec inconuenit idem diuersas sortiri definitiones, vt patet in Logica de genere. differentia, & aliis. Etenim penes diuersas rationes formales, petuntur illæ diuersæ definitiones.

27. Oppones quartò, contra 3. partem eiusdem ass. Natura statuitur principium motus Physici, qui est materialis, & corporeus: anima autem rationalis, penes gradum intellectiuum non pendet à materia, nec à corpore in esse, & operari. Voluntas quippè, & intellectus, ac vtriusque operationes sunt prorsus immateriales, & spirituales: ergo anima rationalis secundum præfatum gradum non extat natura. Respondeo non oportere naturam esse subiectum immediatum motus, vt patet de materia, quæ licet sit natura: attamen alterationes, augmentationes, aliosque motus non recipit immediatè, sed compositum viuens, & animatum. Idque pariter astruendum est de anima materiali, vegetatiua, & sensitiua. quæ immediatè non suscipiunt prænominatos motus. Quare sufficit, vt sit pars essentialis compositi physici, ad hoc vt sit natura. Cum autem anima rationalis etiam penes dictum gradum intellectiuum sit huiusmodi forma physica corporis humani, propterea probè gaudet ratione naturæ, vt significat Doct. *Quol.*9. §. *De secundo antè* D.

28. Oppones quintò, contra 3. assert. 2. *Phys.* 1. exarantur hæc verba. *Natura sunt quidem, vt animalia, & partes ipsorum, & planta, & simplicia corpora, vt terra, ignis, &c.* Idem habetur 5. *Met. cap.*4. *T.*5. Natura quidem igitur, quod ex his vtrisque est, vt animalia, & eorum partes. Animalia autem, & cætera prænarrata sunt composita, habentia formam totius: ergo forma totius, & totum est natura. Satisfacit Scot. *in com eius tex. Met.* inquiens, per naturam ibi intelligenda esse habentia naturam, vt quoque explicat Arist. 2. *Phys. T.*5. nimirum composita non esse naturam, sed habentia naturam.

29. Quæres primò, num priuatio sit natura? Respondeo, esse naturam secundum quid, non verò simpliciter, annuente Aristotele *proximè citat. T.*15. Ratio est, quia priuatio est quodammodo forma, cùm sit in subiecto, veluti forma, in materia.

30. Quæres secundò, num materia, & forma vniuocentur in communi ratione naturæ? Respondeo affirmatiuè cum Doct. 2. *Report. distinct.*17. *quæst.* 3. causa est, quia definitio naturæ, ex æquo vtrique adaptatur. Quæ autem eamdem definitionem participant, vniuocantur.

QVÆSTIO II.

De Arte.

1. ARS definitur ab Aristot. 6. *Eth.*4. Et Scoto *Quol.*8. §. *Ad ista E.* Et 1. *distinct.* 38. *quæst. vn F. Habitus cum recta ratione factiuus.* Cuius particulæ expositæ, eiusque acceptiones allatæ sunt in Logica *lib.*5. *quæst.* 2. *artic.*1. Hic autem solùm agimus de arte, vt magis essentia naturæ nobis innotescat, eiusque similitudo, aut dissimilitudo eniteat.

ARTICVLVS I.

Utrum ars imitetur naturam.

2. NEmo ambigit, quin ars naturam imitetur, cum vulgata sit propositio, 2. *Phys. T.* x2. In quibus tamen veritas eius eluceat dubitari potest, num scilicet in effectibus agententè, an in forma vtriusque.

3. Assertio, ars in quibusdam imitatur naturam: in quibusdam verò ab ea declinat. Assertio est bimembris, & insinuatur a Doct 2. *distinct.* 18. *quaest. vn.* §. *Contra C.* Prima pars probatur primò, sicut natura assimilat sibi effectum quem producit: hocque perfectissimum eius opus perhibetur, iuxtà vulgatum proloquium. *Naturalissimum opus est generare sibi simile*: sic ars, opus quod edit, simile reddit formæ, siue ideæ, quam artifex in mente gerit. Quò respiciens Arist. 7. *Met. T.* 22. *&* 12. *eiusdem operis,* 24. ait, sanitatem, & domum ad extrà, effici a sanitate, & domo, quæ est intrà, seu in mente artificis. Secundò, vtraque præexigit subiectum, ex quo producat suos effectus, cùm ex nihilo nequeat operari, vt ostendit Doct. 4. *distinct.* 1. *quaest.* 1. Tertiò, vtraque ab imperfecto, ad perfectum progreditur, vt quotidianâ comprobatur experientiâ, & aduertit Aristot. 2. *de generatione animalium cap.* 3. *&* 2. *de historia eorum.* Quartò, ambæ sunt mensura rerum ab ipsis agendarum; certis quippè regulis, & legibus operantur, vt patet de arte saltandi, canendi, & huiusmodi. Quintò, in vtrisque accidunt casus, & monstra, de quibus, *in subsequenti lib.*

4. Secunda pars ostenditur primò, natura est substantia, x. *Phys T* 4. ars verò est accidens in categoria qualitatis residens. Secundò, natura est *principium internum motus, & quietis*: ars verò extrinsecum, & directiuum duntaxat, monente Scot. 1. *dist.* ;8. *quaest. vn.* §. *Ad authoritates F.* Tertiò, natura est verarum, & propriarum rerum opifex: ars verò similitudinarium, & apparentium duntaxat. Hinc formæ naturales sunt viuæ, & actuosæ: at formæ artificiales quasi emortuæ, nulla agendi vi potientes. Quartò, natura in abditis, & reconditis elaborandis versatur: ars autem in externis, & patentibus occupatur. Quintò, natura est perfectibilis per artem, & ars est eius perfectiua. Hinc nascitur illud adagium, 2. *Phys. T.* 79. *Ars perficit naturam*, vt ex rudi lapide efformatur pulchra statua, & ex permixtione colorum effinguntur res pulchriores, quam natura fecerit. Iterùm docet perfectè operari, quæ solo naturæ ductu imperfectè fiunt, vt patet de Musica. Deinceps, quæ à natura effici nequeunt, ab arte elaborantur, vt domus. Ampliùs, quæ naturâ suâ videntur immobilia, arte mouentur, vt horologium. Denique, quod vis naturæ non attingit, arte mirificè persoluitur, vt constat de bombardis, aliisque arte factis admirandis, quæ homines in stuporem inducant.

5. Oppones, natura propriè capta, est tantum principium passiuum: ergo realium effectuum non est causa, proindeque ab arte non differt. Dico in præsentia sumi naturam nedum quatenùs violento opponitur: verumetiam vt ab agente libero discriminatur, vt aduertit Doct. 5. *Met. in com. cap.* 4.

ARTICVLVS II.

An ars possit efficere opera naturæ.

6. PRior opinio est Alberti 3. *Miner. cap.* 9. & Henr. *Quol.* 5. *quaest.* 3. affirmantium, artem posse moliri opera naturæ, Posterior verò est Scot. *Theor.* 18. Et 2. *distinct.* 18. *quaest. vn.* §. *Dico sub K.* Et 4. *dist.* 5. *quaest.* 3. *in solutione* 3. *H.* D. Th. 2. 2. *quaest.* 77 *artic.* 2. *ad* 1. Et vtriusque discipulorum, negantium artem per se, & vi propria posse præstare opera naturæ.

7. Not. artem bifariàm accipi, vno modo, pro notitia practica, & directiua factibilium; sic ars est vnus ex quinque habitibus intellectus, recensitis 6. *Eth.* 3. Altero modo, pro forma artis in materia ab artifice impressa, & elaborata, vt imago S. Francisci in pariete efformata. Deinde, in opere artefacto, duo inspici queunt, vt in arca, lignum, quod est à natura, & modus seu figura, quæ est ab arte. Rursùs opus ab arte fieri, dupliciter potest contingere, per se, & propriâ virtute: aut per accidens, & applicationem actiuorum passiuis.

8. Assertio, ars vi suâ nequit attingere effectus naturæ. Tenet Doct. *vbi suprà.* Probatur primò, ex Aristot. 2. *Phys. T.* 2. qui statuens discrimen inter artem, & naturam, scribit, naturam habere in se principium motus, & status: artem verò huiusmodi principio carere. Secundò, omnis vera, & propria causa continet effectum ab ipsa producendum virtualiter, alioqui nequiret eum producere: ars autem virtualiter non continet effectus naturæ, quia hi sunt substantiæ: illa verò accidens, quod non posse efficere substantiam, alibi ostendam. Tertiò, ars non operatur, nisi dirigendo, regulando, & modificando opera naturæ, vt declaram in præmisso not. directio autem, regulatio, & modificatio, cum sint accidentia intentionalia, haud naturæ fœtus, & effectus valent attingere: ars ergo propria virtute eos non potest producere.

9. Oppones primò. *Exod.* 7. arte magicâ sapientes Ægyptiorum fecerunt serpentes, quos fuisse veros serpentes, sicut serpentem factum à Moyse testatur Aug. pluribus in locis, nominatim 10. *Ciuitat. cap.* 8. Et *lib.* 2. *qq. super Exod. quaest.* 11. Iterum Viues *in com.* 4. *Ciuitat. cap* 19. ex Liuio, & Plut. narrat simulachrum fortunæ bis loquutum esse, his verbis. *Ritè me Matrona vidistis, ritéque dedicastis.* Pleraque alia mira, arte fabrefacta referunt Historici, quæ videntur opera naturæ attigisse. Respondeo ea, & consimilia adducenda ab Aduersariis esse interpretanda per distinctionem prællatam *in proposito not.* scilicet, effici ab arte non per se, & per propriam virtutem, sed per accidens, & per applicationem actiuorum passiuis annuente Scoto 2. *distinct.* 18. *quaestion. vn. ante* §. *Ad argumenta. I.*.

10 Oppones secundò, arte quâdam eduntur nonnulli effectus, quos natura pertingere non valet: ergo multò magis ars potest condere effectus, quos facit natura. Consequentia patet per locum à maiori, ad minus. Ant. suadetur de iconibus, & annulis astronomicis, quorum virtute patrantur multa, quæ vires naturæ superant. Nego ant. ad eius probationem dico, ea opera præstari non virtute talium imaginum, & figurarum, sed ope dæmonum, qui pacto expresso, aut tacito accurrunt, vt homines ludificent, & decipiant, eosque à veri Dei cultu auocent ac detrahant. Hinc August. *lib.* x. *ad Simplicianum, quaest.* 3. *ex* 1. *Reg.* 28. credit possibile Dei permissu, dæmonem per pythonissam, excitasse Samuëlem, vt loqueretur cum Saul.

11. Oppones tertiò, arte fiunt vitrum, butyrum, & id genus alia, quæ sunt effectus substantiales: ergo arte effectus naturæ effici queunt. Concedo ant. nego consequentiam, quia huiusmodi effectus non proficiscuntur ab artis virtute, sed à virtute rerum naturalium adhibita iuxtapositione, permixtione, & applicatione actiuorum passiuis, vt indicant Doct. 4. *dist.* 3. *quaest.* 3. §. *Ad* 1. *G. & H.* Et antè August. 3. *Trin.* 8. inquiens. *Homo qui plantat, non creat segetem, nec Iacob applicans virgas in riuis, ex quibus biberant oues, creauit colorem fœtus.*

ARTIC.

Articvlvs III.

An formæ artificiales distinguantur à naturalibus.

12. PArisienses 2. *Phys. quæst.*4. referunt. Nominales existimare formas artificiales confundi cum naturalibus, nec inter eas extare discrimen, nisi penes voces, & nomina. Cæteri autem, quos sequuntur præfati Parisiens. & Antonius Andr. *in cap.*1. *lib. sex principiorum*, statuunt reale discrimen inter prænominatas formas.

13. Assertio prima, forma artificialis est quid reale positiuum. Tenet Doct. 8. *Met. in com cap.*3. *&* 4. *distinct.*1. *quæst.*1. §. *Tertia ratio K.* & alibi citatos à Lych. 2. *distinct.*1. *quæst.*1. § *Dicitur ab Henrico in comm. ante solutionem quorumdam dubiorum* Quibus præiuit Porr. *lib. sex principiorum*, *cap.*1. Probatur primò ex Aristot. 2. *Phys. T.*11. dicente: Lectus non dum habens formam artis, esse quid artificiale tantùm in potentia fieri verò actu artificiale per formam artificialem de nouo ipsi aduenientem. Secundò, quod cadit sub obiecto sensus est reale positiuum, cum sensus sit singularium 2. *Post. T.*27. *cap.*11. quæ sunt realia positiua, vtpote, quæ per se generantur, & sentiuntur. forma autem artis continetur sub obiecto sensus. Figura quippè est sensibile commune, 2. *anima T.*64. Ergo forma artis est ens reale positiuum. Tertiò, actionis realis positiuæ terminus est realis positiuus, cùm ad nihil haud feratur. Forma autem artificialis est terminus actionis realis positiuæ artificis. Quandoquidem artifex verè agit in præiacentem materiam, vt in ipsam introducat formam artis ab eo inteotam. Quartò, ars definitur habitus cum recta ratione factiuus 6 *Eth.*4. Ergo opus eius est reale positiuum, quod esse nequit absque forma reali positiua, quæ est forma artificialis.

14. Assertio secunda, forma artis distinguitur realiter à forma naturæ. Deducitur ex Aristot. 2. *Phys. T.*3. *&* 11. & Scot. 6. *Met in com. cap* 1 *in fine*. Et 7. *eiusdem quæst.*12 §. *Ad aliud*. Et 5. *distinct.*18. *quæst. vn.* §. *Contrà sub C.* Suaderi potest primò, differentiis vtriusque adductis *in* 1. *art. parte secunda assertionis*. Secundò, quod manet alio destructo realiter distinguitur ab illo, vt subtiliter, & efficaciter ex Aristot. probat Doct. 2. *distinct.*1. *quæst.*4. §. *Contra istam* Manet autem forma naturalis, perit verò forma artificialis, vt patet de statua in marmore figurata, quæ in ipso marmore destruitur, remanente eadem formà marmoris, sicut erat antè impressionem dictæ figuræ: ergo hæc ab illa realiter differt. Tertiò, inter accidens, & substantiam adest distinctio realis, vt patet 7. *Met. sum.*1. *cap.*2. Ars autem est accidens, & forma eius, quia potest adesse, & abesse, sine subiecti corruptione: natura verò, eiusque forma est substantia 2. *Phys. T.*4. Ergo inter dictas formas intercipitur distinctio realis.

15. Assertio tertia, forma artificialis non est vbicatio Exhauritur ex Doctore præcit. contra Art. *disp.*6. *sect.*2. Probatur primò, si forma artis foret vbicatio, mutato artefacto localiter duntaxat, mutaretur vtique eius forma, quia mutatur vbicatio. Id autem planè falsum est, quandoquidem idem vas artificiale, pluries secundum locum, mutatum retinet eamdem formam artificialem: ergo, &c. Secundò forma artificialis efficitur ab artifice, sicut forma naturalis ab agente naturali: artifex autem non efficit vbicationem, sed supponit: locatum enim supponit locum, in quo existit. Eò magis, idem lignum in vno, eodémque loco manens recipit plures formas artificiales, vt formam Iouis, Mercurij, & huiusmodi: conuincitur ergo euidenter formam artificialem non esse vbicationem.

16. Assertio quarta, forma artificialis est *qualitas terminatiua quantitatis, ab artifice elaborata per intellectum practicum, & voluntatem.* Ab hac non videtur declinare Doctor *in comm.*1 x. *Met. T.*15. *&* 4. *dist.*1. *quæst.*1 §. *Tertia ratio*. Quam ex instituto tuentur Ioannes de Magis. 2. *Phys. quæst.*2. & Parisiens. *ibid. quæst* 4. Nec dissentit Bonet. *lib. de qualitate, digres. vlt.* Explicatur, priusquam probetur. Dicitur qualitas tanquam genus. Additur *quantitatis terminatiua*, vt differat, tum à forma substantiali, quæ est materiæ terminus, tum etiam à forma, seu figura quantitatis, quæ est de genere eius, vt triangulum. Subnectuntur cæteræ particulæ, vt magis innotescat eius natura, & ab aliis rebus animaduertatur differentia eius; præsertim a forma intellectuali, quæ est in mente artificis, cuius instar producitur dicta forma, ratione cuius appellatur forma externa, vt insinuat Aristot. 7. *Met. T.*23. Domus extrà fit à domo intra, seu ab exemplari, & forma, quam artifex in mente habet. Sic explicita assertio, & definitio formæ artificialis, facilis est probatu, communi, & vulgari medio. Ea quippe extat bona definitio, quæ genus, & differentiam participat: huiusmodi autem est prælata definitio. Nam genus eius est qualitas, & reliquæ eius voculæ gerunt locum eius differentiæ. Nec quidquam diminutum, vel superfluum eisdem annectitur, vt petit proba definitio, sicque rectè se habet.

17. Oppones primò, contra primam assertionem, multæ formæ artificiales fiunt per subtractionem materiæ, vt patet de imaginibus, & figuris sculptis in marmore: quæ autem per subtractionem emergunt, nihil positiui præseferunt. Potiùs namque demitur positiuum præcedens, quam nouum subsequens exoriatur: ergo formæ artificiales non sunt entia realia positiua. Concedo ma. distinguo min. penes primum terminum, concedo: penes verò secundum, nego: vt patet de corruptione quæ est motus priuatiuus, & deperditiuus, quem subsequitur generatio, quæ est motus positiuus, & acquisitiuus: sic per subtractionem partium subiecti naturalis præcisè, nullum positiuum producitur: attamen ex illa præcisione, incisione, & subtractione eius exurgit forma artificialis, quæ reuera est quid positiuum.

18. Oppones secundò, contra secundam assertionem, quod sortitur easdem proprietates cum aliquo, non differt ab illo, quia identitas passionum arguit identitatem naturæ: forma autem artificialis potitur eisdem proprietatibus, ac forma naturalis. Est enim leuis, aut grauis, calida, vel frigida, humida, vel sicca: ergo nullum cadit discrimen inter prænominatas formas. Concedo ma. distinguo min. per se, nego: per accidens, concedo, hoc est ratione subiecti naturalis, quod verè participat dictas passiones Veluti, si exiguum graue leui magno alligaretur, & sursum ageretur graue illud, talis motus sursum non ei per se, sed leui tribueretur.

19. Oppones tertiò, contrà quartam assertionem, Scot. 4. *distinct.*15. *quæst* 4 §. *Ad quæst. F.* scribit, figuram, quæ est forma artificialis, esse quamdam relationem superuenientem diuersis partibus quantitatis, quæ mutari potest partibus manentibus eisdem in se, & in toto. Ergo forma artis non est qualitas, quæ est ens absolutum. Responderi potest, figuram, & quamuis aliam formam artificialem præexigere, ac supponere præfatam relationem positionum partium quantitatis: cæterùm ex eis consurgere, & consequi formam artis impressam in eis, & in toto ex eisdem conflato, quæ est entitas absoluta, in categoria qualitatis reposita. Ita imago sculpturæ præsupponit partium incisionem, ex qua postmodum emergit imago, quæ perhibetur statua.

Potest quoque probabiliter concedi, formam artis esse

esse formaliter dictam relationem, vt videtur sentire Doctor citatus; denominatiue verò esse qualitatem, vt significaui in Logica *quæstione de qualitate, ad finem articuli secundi.*

ARTICVLVS IV.

An per Archymiam possit fieri verum aurum.

20. BEatus Angelus de Caluasio *in sua summa, verb. Alchymia.* Secutus Auer. Auic. & alios à Recentibus citatos, opinatur efficientiam veri auri esse per Alchymiam impossibilem. Oldradus verò in suis consiliis, & cæteri non pauci, post Alb. 3. *Miner. cap.* 8. & Thom. 22. *quæst.* 77. *artic.* 2. Putant artem chymicam posse attingere molitionem veri auri.

21. Not. in iis, quæ petardua, & difficilia sunt, quæve maximè ab hominibus expetuntur veluti aurum, & argentum, iuxta illud Virg. 3. Æneid.

Quid non mortalia pectora cogis.
Auri sacra fames? Et Ouid. 1. Met.
Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius auro.
Prodierat.

Periculum est, ne dæmon se intromittat, qui optimè nouit applicare actiua naturalia passiuis, & ferè omnia sublunaria nutui eius obsequuntur, notante Scoto 2. *distinct.* 18. *quæst. vn.* §. *Dico igitur L.* Ob id Ecclesia, tanquam mater prouida, nè Christi fideles per huiusmodi effectionem pereant, præfatam artem chymicam reprobat, & damnat, *in extrauagant Spondet.* Declaratque vendentes aurum chymicum teneri ad restitutionem. Ratio est, quia vt plurimum Alchymistæ eam artem non bene callent, deque eis dici potest illud 2. Thimot. 3. *Semper addiscentes, & nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.* Hinc in ore omnium extat adagium, Alchymistæ non implent sed exhauriunt crumenas, non conficiunt, sed consumunt aurum.

22. Assertio, arte chymicâ confici potest verum aurum, & argentum, per debitam applicationem naturalium actiuorum, passiuis. Non est dissentanea principiis, & fundamentis Doctoris nuper citati. Probatur primò: ars imitatur naturam 2. *Phys. T.* 22. Natura autem ex sulphure, & mercurio, medio calore solis, concurrentibus elementis, in sinu terræ producit aurum, vt exaratur *in lib. de proprietate rerum*, c. *de Alchymia.* Ergo vtique ars ex eisdem principiis, & causis, per calorem ignis, qui est eiusdem rationis, cum calore solis potest elaborare, & conficere verum aurum. Secundò, crudum potest coqui, & impurum purgari, 4. *Meteor. summa* 5. *cap.* 2. & 3. & *summ.* 2. *cap.* 3. & *inde*: Plumbum autem, & stannum sunt cruda, æs verò, & ferrum sunt impura: ergo adhibitis debitis requisitis, per varias concoctiones, & purgationes reddi possunt cocta, & pura, cuiusmodi sunt aurum, & argentum.

Tertiò, opera præstantiora, & excellentiora conduntur beneficio artis, quam sit auri, & argenti fabrum: ergo si ars illa attigit, quoque & illud Quod enim potest maius, vtique potest minus efficere. Ant. ostenditur, per artem, ex iuuenculo iugulato gignuntur apes, teste Scot. *vbi suprà*. post August. 2. *de gen. contra Manich. cap.* 17. Ex basilisco, & capillis mulieris nascuntur Scorpiones, & cætera, quæ narrat Plin. *lib.* 11. *cap.* 20. Hæc superant efficientiam auri, & argenti, quæ sunt inanimata, quæ ab animatis nobilitate vincuntur, vt tradit August. *lib. de vera religione cap.* 55. *ad finem*, & *cap.* 57. Addo, virtute quarumdam herbarum vitrum, & hominum arte puluis tormentarius, bombarda, & consimilia fabricantur, quæ nedum auri, & argenti effectioni videntur æquare, verumetiam quamcumque aliam operam superare, & diuinæ assimilari, vt eleganter prosequitur Paulus Arelius *Tomo* 2. *suorum operum.* Atque hanc artem quosdam bene calluisse, verumque aurum, & argentum condidisse referunt viri fide digni, & non ignobiles scriptores, quibus pars maior Recentiorum assentit.

23. Oppones primò, perfectum in suo genere non habet causam vagam, & indifferentem sed certam, & determinatam, vt patet de homine, Leone, & cæteris in specie sua perfectis: aurum autem, & argentum sunt in genere suo perfecta, vt tangit Aristoteles *vbi suprà*: ergo cum aurum producatur in terræ gremio, virtute solis, non alio modo gigni potest, puta arte chymica. Respondeo maiorem non esse vniuersaliter veram. Nam ignis elementorum perfectissimus, & ab alio igne, & radiis solaribus, & collisione duorum corporum generatur; vt indicat Doct. 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. §. *Ad* 1. *S.*

24. Oppones secundò, diuturna experientia comprobatum est, nondum Alchymistas confecisse verum aurum, tametsi valde insudauerint, & multum consumpserint in eius indagine, & adeptione. Quod autem adhuc factum non est, non videtur amplius factibile, & possibile Respondeo quamuis ob eius operis præstantiam, & difficultatem, complures eius efficientiam non attigerint, quia virtus, & ars circà ardua, & difficilia occupatur, perhibente S. Bon 3. *distinct.* 40. *quæst.* 3. Nihilominus inficiandum non est, id infactibile, & impossibile. Multa quippè sunt factibilia, & possibilia, quæ adhuc facta non sunt, vt quadratura circuli, Antichristus, & id genus alia Eò magis, quia reuerà nonnulli illud peregerunt, & modum eius faciendi optimè nouerunt, quibus suffragantur D. Th. citat. *in initio huius art.* & Caiet. *ibid.*

25. Oppones tertiò, aurum chymicum non habet proprietates veri auri; siquidem non confortat cor, nec est ductile in tenuissimas laminas: ergo si tale est aurum, non est nisi aurum fucatum, & adulterinum, vtpote ab illegitimo parente genitum. Respondeo, etsi quandoque huiusmodi aurum non sortiatur affectiones veri auri, fortasse, quia ignoratur ab agente proprius efficiendi modus, tamen absolutè factibile est cum omnibus eius passionibus, & affectionibus, vt benè suadent, quæ superius adduxi.

LIBER QVARTVS.

De Causis.

EX effectuum cognitione, causarumque ignoratione ortam esse Philosophiam, testatur Aristot. 1. *Met. cap.* 2. sunt enim causæ veluti perennes fontes à quibus riuuli rerum naturalium promanant. Ob id Virg. *ad finem* 2. *Georg.* à D. August. *in Enchir. cap.* 16. *citat.* canit.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Atqueres cognosci non potest, nisi cognitis causis eius, vt post Aristot. 2. *Met. T.* 11. scribit Scot. 3. *distinct.* 22. §. *Rationes, quas Paulo ante* C. Ob id de causis agendum est.

QVÆSTIO I.

De causis generatim sumptis.

ARTICVLVS I.

Quid sit causa.

1. NON dubitatur, vtrum sit causa, quia cùm euidenter cernantur effectus, causam esse oportet. Quid verò sit causa Philosophi non sunt concordes, tametsi eorum altercatio parui sit momenti, & ad bonum, & ligitimum sensum reduci queat, vt per ea quæ nunc opponemus, liquidò constabit.

2. Not. causam dupliciter accipi. Primò, pro omni eo, à quo aliquid quoquo modo procedit: sic causa confunditur cum principio, cuius acceptionis meminit Aristot. 12. *Met. T.* 12. *cap.* 2. appellans priuationem causam, cùm constet apertè ipsam esse solum principium in fieri, absque vllo influxu in effectum: quo fortasè in sensu videntur loqui Patres Græci asserentes in Diuinis, Patrem esse causam Filij; itemque Patrem & Filium esse causam Spiritus sancti, sumentes nimirùm causam pro principio.

Secundò, pro eo, quod influit in aliud, aut ad cuius esse sequitur aliud distinctum, scilicet in natura, siue numerica, siue specifica. Ita exponuntur patres Latini, negantes in Diuinis, Patrem esse causam Filij, quia licet Pater generet Filium, eumo onicans ei esse, tamen Filius non est aliud a Patre, cùm eadem prorsus natura fruatur.

3. Assertio, causa propriè est *principium per se influens in effectum.* Hanc indicant Aristot. 4. *Met. in fine T.* 3. & Author *lib. de causis*, cum quibus est Mayr. *Quol.* 101. §. *Circa* 1. *partem.* Eamque expresè tuetur Scot. 5. *Met. in com. T.* 1. *cap.* 1. inquiens, causa est quæ necessariò influit ad esse causati. Et tangit *lib. de primo principio cap.* 1. Necnon *Theor.* 19. Explicatur, antequam suadeatur. Ponitur *principium*, tanquam genus. Additur *per se*, vt distinguatur à causa per accidens. Dicitur *influens* propter priuationem, quæ nihil influit, quæve perhibetur causa populariter, & non Philosophicè, vt explicant Conimbr. 1. *Phys. cap.* 5. *quæst.* 1. *artic.* 1. *in fine.* Subditur, *in effectum*, vt innotescat discrimen, inter diuinas Personas productas, quæ non sunt effectus producentium, quia eamdem numero essentiam participant. Sic exposita ass. facilis est probatu. Constat enim genere, & differentia, declarat explicitè naturam causæ, nihil superflui continet, nec alteri accommodatur: ergo est recta definitio.

Dices, Scot. *Theor. alleg* scribit, eam non esse definitionem, sed notificationem, cuius rationem affert, quia causa est nomen æquiuocum, quod non definitur ex dictis in Log. Respondeo Doct. esse interpretandum de causa amplè sumpta, vt coïncidit cum principio: non verò de causa presè capta, quam nunc pertractamos.

4. Opponet primò, finis numeratur inter causas, 2 *Phys. cap.* 3. Finis autem nihil influit in effectum, cum sit terminus rei: ergo non benè definitur causa, *principium per se influens in effectum.* Concedo ma. distinguo min. secundum esse reale, concedo: secundùm esse intentionale, nego, vt palam fiet *quæstione de causa finali.*

5. Oppones secundò, Verbum diuinum est causa humanitatis assumptæ ab ipso, quia est Deus, per quem omnia facta sunt: Verbum autem nihil causat in humanitate: ergo prælata causæ definitio non est legitima. Ma. patet. Min. fulcitur communi Theologorum elogio deprompto ex August. *in Ench. cap.* 18. Et *tract.* 23. *in Ioan. Opera Trinitat.s ad extrà sunt indiuisa.* Distinguo ma. Verbum causat humanitatem sibi hypostaticè vnitam, vt Deus, concedo: vt persona Verbi, nego. Sicque vera est minor, quandoquidem solum Verbum terminat dependentiam humanæ naturæ, cum tantùm Verbum sit incarnatum.

6. Oppones tertiò, si causa est, ad cuius esse sequitur aliud, punctum erit causa lineæ, quia ad primum punctum sequitur linea, & priuatio causa compositi, quia ad priuationem sequitur generatio eius, immò etiam Verbum diuinum erit effectus Patris, quia ad esse Patris sequitur Filius: id autem à Doctoribus Latinis reiicitur, ergo &c. Neganda est sequela ma. siquidem vt sit causa, nedum debet influere in effectum, verum etiam exigitur, vt quod à causa producitur, sit aliud in natura, quod Verbo non adaptatur, cum Pater, & Filius eadem natura fruantur. Ideò oppositè locatur *Aliud*, quod designat discrimen essentiale, & quidditatiuum, vt notaui in Log. *quæst. de differentiis.*

7. Instabis D. August. *qq. noui testamenti, quæst.* 18. vocat Filium Dei effectum Patris ergo præfata responsio nulla est. Occurrunt nonnulli dicentes, illud opus non esse August. cum eius phrasim haud redoleat. Verùm dicito August. loqui in sensu Græcorum, sumentium causam, & effectum suso, & lato vocabulo, vt suprà insinuaui, & præostendit Doctor Seraphicus 1. *dist.* 10. *quæst.* 2. *propè finem.*

Articvlvs II.

Quotuplex sit causa.

8. DE numero generum causarum, olim vehemens extitit decertatio, vt videre licet, apud Raconium *tract. de causis disp.*2. *sect.*1. *quæst.*2. *art.*1. Conimbr.2. *Phys. cap.*7. *quæst.*2. *art.*1. & Complut. *ibidem, disp* 8. *quæst.*2. Nunc verò inualuit opinio Aristot.2. *Phys. cap.*3. *T.*28. Et 5. *Met. cap.*1. *T.*2. Scot. *ibidem*, & aliorum communis, docentium nec plura nec pauciora, quàm quatuor esse genera causarum, materialis, formalis, efficientis, & finalis.

9. Not. primò ex Doct.1. *Met. in com. cap.*2. Et 9. *eiusdem quæst.*4. § *Hi sunt.* Prænominatas causas tractari, tum à Physica, tum etiam à Metaphysica, tametsi diuerso modo eas inspectent. Siquidem Metaphysica de illis agit, quatenùs præscindunt à motu, & mutatione: Physica verò, quatenùs motum, mutationemque includunt.

10. Not. secundò, has causas bifariàm adinuicem posse comparari, & ordinari. Primò, penes esse reale, sic. Prima causa est materia, quia est primum subiectum motus. Secunda est forma, quæ de materiæ potentia educitur. Tertia est efficiens, à qua oritur motus. Et quarta finis, quæ est terminus motus. Secundò, penes esse intentionale, & ità contrarius, & inuersus est ordo causarum ordini præcedenti. Quæ enim inter eas erat vltima, in hoc fit prima. Siquidem, quæ sunt posteriora in exequutione, sunt priora in intentione, vt ex Aristot 7. *Met. tradit* Scot.1. *Reportat. distinct.*41. *quæst vn.* §. *Dices.* Quare, in isto ordine, finis est prima causa, quia ab agente intellectuali primò intenditur, secunda est efficiens, tertia forma, & quarta materia.

11. Assertio, quatuor sunt causarum genera præcensita. Tenet Doct 1. *distinct.*2. *quæst.*2. §. *Ostenso.*5. Et *distinct.*3. *quæst.*7. §. *Contra istam opinionem A* Et 2. *Post. quæst.*57. §. *Ad* 1. *arg.* Necnon 1. *Met. in com. cap.*2. Probatur primò, ex Aristot.2. *Phys. cap.*7. Tot sunt genera causarum, quot sunt quæstionum genera, quandoquidem causa est, quæ adducitur ad explanandam quæstionem: de re autem physica, quatuor quæruntur, & petuntur, à quo fit, & est efficiens, ex quo fit, & est materia, per quod fit, & forma, & propter quid fit, & est finis. Igitur, quatuor sunt genera causarum. Secundò, omnis causa vel est intrinseca, & constitutiua rei physicæ, vel intrinseca, non pertinens ad eius essentialem compositionem, vt innuit Doct.2. *Reportat. distinct.*34. *quæst.*1. §. *Item illud malum* Et *lib. de primo principio cap.*2. *conclus.*8. Si intrinseca est materia, & forma, quæ intrinsecè, & essentialiter integrant, & constituunt totum compositum physicum Si extrinseca, est duplex, putà efficiens, & finis. Tertiò, compositum physicum fit per generationem: ergo supponit materiam, ex qua fit, formam per quam specificatur, & completur materia, efficientem causam, à qua fit, & finalem, propter quam efficitur. Dandus ergo est quaternarius causarum numerus.

12. Oppones primò, Sanctus Augustinus *lib.*83. *qq. quæst.*28. scribit, omnem causam esse efficientem: ergo vnum tantum statuendum est genus causæ, putà efficientis. Respondeo Augustinum esse interpretandum non per exclusionem aliarum causarum, quas alibi admittit, sed per anthonomasiam, quia causa efficiens habet nobiliorem influxum, & præstantiorem modum realem causandi, qui Deo etiam tribuitur: Ob id perhibetur omnis causa ab August. Hoc loquendi formula vtitur Christus Dominus *Mar.*16. *prædicate verbum omni creaturæ.* Hoc est homini, qui est cunctarum rerum creatarum præstantissimus, Interprete Greg. Vel dicito August. exponendum esse de omni causa extrinseca, quæ semper exposcit causam efficientem. Nam licet finis sit causa extrinseca, nihilominus, nulla est causa finalis, quin etiam sit causa efficiens, vt subtiliter vidit Scot.1. *distinct.*1. *quæst.*5. §. *Ad argumenta.* Et post ipsum Suarez, *disp.*12. *Met. sect.*3. *numero quinto.*

13. Oppones secundò, præter dictas causas, dantur aliæ, putà dispositiua, & instrumentalis, ergo sunt plusquam quatuor causarum genera. Conf. obiectum mouet potentiam ad sui notitiam: ergo constituit aliud genus causæ. Respondeo reuocari ad causam efficientem, ex infra probandis. Ad conf. dico obiectum gaudere duplici ratione motiua, & terminatiua, prior reducitur ad efficientem, vt patet 3. *distinct.*27 *quæst.*1. *& Quol.*13. posterior verò, cum nihil influat, nullo modo est causa, sic aiunt Scolastici 3. *sententiarum*, solum Verbum terminasse dependentiam humanitatis assumptæ absque vllo peculiari influxu, & causalitate.

14. Oppones tertiò, causa exemplaris distinguitur à cæteris causis, ergo constituit quintum genus causæ. Nego ant. cum Doct.1. *distinct.*2. *quæst.*2 § *Quantum ad* 1. *art. sub G.* Et *distinct.*36. *quæst.*1. §. *Contra ista B.* & dico causam exemplarem redigi ad causam efficientem: efficiens quippè causa, alia est naturalis, alia verò intellectualis, quæ per ideam, & exemplar, quod habet in mente operatur, vt liquet 7. *Met. Tract.*22.

Articvlvs III.

Quid sit causalitas.

15. DIfficilis sanè, & subtilis est dubitatio, de qua propter eius difficultatem, modicamque notitiam, variæ diuersæque extant Philosophorum sententiæ. Nominales enim, nuncupatim Rubion.2. *distinct* 1. *quæst.*1. *art.*1. non distinguunt causalitatem, à causa effectum causante. Alij, quos sequitur Poncius *disp.*37. *quæst.*3 opinantur causalitatem nihil aliud sibi velle, quàm vnionem Recentes non pauci putant esse actionem, siue influxum, & modum quemdam absolutum medium inter causam actu causantem, & effectum. Vulgus autem Scotistarum statuit formalem causalitatem in relationem causæ, & effectus, ex illis resultante.

16. Not. causam duobus modis posse inspectari. Primò, formaliter, quatenus includit habitudinem, & respectum ad causatum, quo pacto causa, & effectus sunt correlatiua Secundò, fundamentaliter, hoc est, pro entitate causæ, in qua fundatur prædicta relatio causæ, & ita causa est quid absolutum, videlicet substantia, vel qualitas.

Obseruat autem Gadius *Quol* 8. *fol* 93. *pag.*1. causam primo modo sumptam esse cócretum relatiuum, cui proximè correspondet potentia causandi. Eius verò abstractum esse causalitatem, quæ formaliter importat relationem causantis ad causatum. Insuper, aduertit, idem non esse inquirere per quid causa causet, & per quid causa formaliter denominetur causa. Siquidem causa causat per suam virtutem, & potentiam, quæ est quid absolutum, residens, in categoria substantiæ, aut qualitatis. Denominatur verò formaliter causa per relationem, quæ necessariò resultat ex ipsa causante, & effectu ab ipsa causato, vt significat Doct.2. *distinct.*1. *quæst.*2. §. *Ad* 1. *sub D.*

17. Assertio prima, causalitas distinguitur à causa. Deducitur ex Scot. nunc citat Et 4. *distinct.*13. *quæstione* 1. § *Ad huius autem F.* Et *Quol.*8. Probatur primò, quod esse potest absque alio, non identificatur cum illo. Id enim est signum manifestum distinctionis realis

realis vnius ab alio. Causa autem esse quit, absque causalitate, nempè, quando causa non causat, vt cum ædificator dormit, habetur quidem causa ad ædificandum idonea, sed non causalitas. Non ergo causalitas coincidit cum causa. Secundò, quod ab alio oritur, dissidet ab eo, a quo emanat. Idem quippè simul respectu eiusdem nequit esse principium, & principiatum, causa, & causatum, vt sol, qui est causa radiorum, non potest esse causatus ab ipsis radiis, causalitas autem procedit a causa. Cum enim causa causat, dicitur suam exercere causalitatem. Igitur causa, & causalitas idem non sunt.

18. Dices, concretum, & abstractum idem significant, differunt verò in solo modo significandi, vt patuit in Logica: causa autem est nomen concretum, & causalitas eius abstractum; ergo reuerâ ab inuicem non differunt. Dico, id valere de absolutis duntaxat, non verò de relatiuis, de quibus sermo est in præsentia.

19. Assertio secunda, causalitas non est vnio causæ, quocum[illegible] modo accipiatur. Exhauritur ex Doct. *vbi* [illegible] *plicite* videtur ab eo defendi, 3. *dist.* 2. *q.* [illegible] *Quantum ad* 1. *F.* Probatur primò, eadem [illegible] de causalitate causæ efficientis, ac cæterar[illegible], cum definitio causæ vniuocè competat cunctis causis: causalitas autem causæ efficientis non est vnio, vt præ aliis significant Conimbr. 2. *Phys. cap.* 7. *quæst.* 7. Ratio est, quia potest esse causalitas sine vnione causæ efficientis cum effectu, vt cùm agens agit in distans, vel cum pereunte agente, effectus producitur, vt defuncto parente, filius nascitur: ergo ne[c] in reliquis causis, vnio est earum causalitas. Secundò, vnio præcedit causalitatem causæ: ergo non est causalitas eius. Conseq. tenet. quod enim præcedit, non est idem cum eo, quod subsequitur. Ant. probatur, necesse est partes prius inter se vniri, quàm causent totum, sicut oportet ignem approximari priùs combustibili, quàm ipsum comburat. Idque quoque patet in artificialibus, quæ priùs vniuntur, & applicantur, antequàm edantur ea opera. Tertiò, potest esse vnio causarum intrinsecarum, absque earum causalitate, ergo euincitur apertè, vnionem haud esse causalitatem. Ant. suadetur, anima rationalis vnitur materiæ sine vlla causalitate. Cùm enim creatur, materia ad eius productionem nullam exhibet ei causalitatem. Idemque contingeret de aliis animabus prom[iscu]è, si à Deo crearentur, & postmodum vnirentur materiæ. Quartò, res prius debet existere, quàm alteri vniatur, vt ad oculum cernitur, nedum in naturalibus, verumetiam in artificialibus: forma autem vnienda est materiæ, vt fiat totum: ergo debet existere, quia vnio est existentium nexus: ergo præsupponitur iam causata, & educta de potentia materiæ, antequàm ei nectatur, ac proindè præcedit eius causalitas, cùm causari nequeat, nisi per causalitatem: atqueadeò vnio non est causalitas.

Quod autem subdit Pontius citatus, id non valere, quando vnio est ratio ponendi formam in esse existentiæ, est gratis dictum, & nullo fundamento fultum. Nunquam enim vnio potest esse ratio ponendi formam cùm præexistere queat forma, sine vnione; atque vnio sit accidens, & habitudo vnibilium, quæ saltem natura ipsam vnionem debent præire. Necessariò quippè præexiguntur, & præsupponuntur fundamentum, & terminus, vt ex ipsis emergat relatio: vnio autem est relatio formæ, & materiæ, ergo non est ratio ponendi formam, sed ex materia, & forma positis, & simul coniunctis consurgit.

20. Assertio tertia, nec causalitas est modus substantialis excogitatus à quibusdam Recentibus Ab hac non deflectit Doct. citat. & patet *ex lib.* 5. *quæst* 5. *art.* 5. vbi ex instituto repuli huiusmodi modum substantialem. Ampliùs, suaderi potest, in toto nihil aliud reperitur, quàm materia, forma, & vnio vtriusque, secundum dictos Nuperos: nullum autem horum trium est causalitas, vt iidem Authores asseuerant, & patet, quia materia, & forma sunt substantiæ, & vnio est accidens. Denuò, actio, quæ per nominatos Doctores, est causalitas efficientis, non est substantia, sed accidens. Locum quippè suum tenet in categoria qualitatis, vel in peculiari eius prædicamento, quod nuncupatur actio. Insuper adest, & abest absque subiecti corruptione, & quidem adest, cùm causant totum præfatæ partes: abest verò, cùm illæ eædem permanent simul in toto, aut ab inuicem separantur. Igitur causalitas non est modus substantialis dictarum causarum.

21. Assertio quarta, causalitas causæ formaliter est relatio ad causatum, posterior quidem naturâ fundamento, prior verò naturâ termino. Hæc assert. est bimembris. Prima pars traditur à Doct. 9. *Met. quæst.* 4. § *Sciendum.* Et *Theor* 11. *ac* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1 §. *Ad huius autem.* Probatur primò, cuius concretum est relatiuum, eius abstractum est relatio, quia sunt eiusdem generis, & ab opposito, cuius concretum est absolutum, eius abstractum est forma absoluta, vt patet de homine, & humanitate de albo, & albedine: causa autem est concretum relatiuum. Respicit enim causatum, vt obseruaui *suprà in not.* Ergo causalitas, quæ est eius abstractum, est relatio causæ ad effectum. Secundò, relatio est, quæ totum suum esse habet ad aliud. Est enim habitudo ad aliud, vt dixi in Logica, causalitas autem habet esse ad aliud. Siquidem est alicuius effectus causalitas. Addo, super actionem, & passionem fundari secundum genus relatiuorum, 5. *Met. cap. de relatione.* Atque actionem, quæ est vnum ex decem prædicamentis esse purum respectum, & entitatem relatiuam, tenet subtilium Schola: actionem verò esse causalitatem causæ efficientis extat communis Recentiorum opinio. Astruendum ergo est, causalitatem esse relationem.

22. Secunda pars insinuatur à Doct. 1. *distinct.* 7. *quæst. vn.* Et 2. *distinct.* 1. *quæst.* 2. Et *Quol.* 5. & expresse defenditur à Canon. 3. *Phys. quæst.* 2 *art.* 1. Bass. 1. *distinct.* 7. *quæst* 4. Et Patiero, *quæst.* 18. *sua Pinacotheca*, contrà Fuentem 2. *Phys. diff* 3. *quæst* 5. *art.* 5. & Mastrium *disp.* 5. *quæst.* 2. Probatur primò, ex Aristot. 2. *Phys. T.* 14. affirmante generationem esse viam ad naturam. Et 3. *eiusdem operis T.* 31. *citat.* & explicito à Scot 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *sub L.* actio, & passio sunt idem, sicut via ab Athenis, ad Thebas, & è conuerso à Thebis, ad Athenas. Si ergo actio, quæ est causalitas efficientis, est via ad effectum, qui est eius terminus, proculdubio ipsa actio præcedit terminum, veluti via præit limitem, ad quem ducit, sicque in sententia vtriusque Authoris causalitas quæcunque sit, antecedit effectum per ipsam producendum. Secundò, causa est, quæ per se influit in effectum, per suam causalitatem, vt efficiens per actionem influit, & producit effectum, putà ignis per calefactionem causat calorem, & sol per illuminationem, lumen: Fluxus autem ille, seu causalitas causæ effectricis præcedit effectum, veluti motus antecedit terminum ad quem ab agente præfixum. Acquisito enim termino, cessat motus; igitur causalitas est prior naturâ effectu, per ipsam producto. Hinc rectè inbiicit Scot. *Quol.* 13. *art.* 1. §. *De tertio BB.* actionem esse productiuam termini, vel eductiuam, vel inductiuam. Addit quoque in diuinis, per generationem actiuam, quæ est in Patre, Filium, qui est eius terminus, accipere esse, quod etiam astruit de spiratione actiua per quam producitur Spiritus sanctus. Demùm, causalitas efficientis, putà elicitio, quæ est actio voluntatis de genere actionis, per qua[m pro]ducitur praxis ad causam ipsam effectricem teu[i]t, vt scribit Doct. *in prol. quæst.* 4 *antè* §. *Ista tres via N.* Quod confirmant Viger. & Lych. *ibidem.* Id autem, quod spectat ad principium effectiuum, cuiusmodi est causalitas efficientis, præcedit effectum, qui est eius terminus, quo medio ipse terminus producitur, vt quo-

que astruit idem Doctor 1. *distinct.* 3. *quaest.* 6. §. *Tertia quaestio Y.* Et luculenter explicat eius fidus Achates Antonius Andr. *in com. lib. sex princip.orum*, *cap.* 2. inquiens, actionem de genere actionis, quae est relatio transmutantis, ad transmutatum esse principium non quod, vt ignis generat ignem, nec principium quo formale, vt calor gignit calorem, sed principium quo productiuum, velut calefactio est principium quo productiuum caloris.

23. Oppones primò, contra primam assertionem, agens increatum agit res ad extrà, absque vlla actione, & causalitate media inter potentiam eius, & creaturas ab ipso conditas. Ergo idipsum astruendum est de agente creato, proindeque causalitas à causa non distinguitur. Neganda est paritas, siquidem illud propter suam infinitatem nihil de nouo in se potest recipere, alioquin mutaretur: istud verò propter suam sanitatem capax est recipiendi aliquid de nouo, putà actionem, quae est relatio residens in agente, & respiciens terminum, cuius est productiua, vt patet 1. *dist.* 30. *quaest.* 2. §. *Ad argumenta, quaest.* 2. *R.*

24. Oppones secundò, contrà secundam assertionem, posita vnione materiae & formae, protinùs causatur compositum: ergo vnio est causalitas vtriusque Ant. est inpromptu, quo enim posito ponitur, & quo ablato aufertur est causa, & causalitas eius: cum ergo huiusmodi sit vnio, statuenda est causalitas praefatarum causarum. Respondeo per distinctionem ant vt conditione necessaria, & praerequisita ad totius effectionem, concedo: vt eius causalitate, & principio productiuo, nego. Nam approximatio combustiui ad combustibile requiritur quidem, vt fiat combustio, non tamen est eius causa, sed conditio duntaxat, vt suprà palàm feci.

25. Oppones tertiò, contrà primam partem assert. 4. relatio nullius rei est principium effectiuum, & productiuum, cùm sit de genere sterilium, ergo causalitas nequit esse relatio. Conf ea Doct. 3. *distinct.* 1. *quaest.* 2. §. *Ad* 1. *argum. D.* Ad absolutum in causa immediatè sequitur absolutum in effectu: relatio verò inter causam, & effectum subsequitur, & ea illis positis, consurgit, & resultat: ergo secundum Scot. causalitas non est relatio. Distinguo ant. relatio intrinsecùs aduemens, concedo: relatio extrinsecùs aduemens, cuiusmodi est actio, nego Ita respondet Antonius Andr. *passu praeal-leg.* Per idem patet ad conf. & addo verum esse de principio quod, & quo fundamentali, vt quidam aiunt, non autem de principio quo formali productiuo, vt antè primam oppositionem declarabam.

26. Instabis, omnis relatio praeexigit, & praesupponit fundamentum, & terminum, ex quibus oritur, & emanat; ergo relatio etiam extrinsecus aduemens nequit esse productiua termini. Distinguo ant. cum Canon. *vbi suprà*, relatio per modum actus primi, & in esse quieto, vt paternitas, & filiatio, concedo: relatio per modum actus secundi, & in motu, & fluxu, vt generatio actiua, actio, & huiusmodi, nego. Occurrit Mastr. citat. & dicit hanc doctrinam aduersari Scot. & veritati, & quidem Scot. qui 2. *distinct.* 1. *quaest.* 2. *E.* & 4. *distinct.* 13. *quaest.* 1. & alibi, apertè asserit relationem subsequi extrema eius, & ea ipsis positis in esse consurgere. Atqui veritati pugnat, quandoquidem relatio est ad aliud, putà ad terminum: ergo supponit terminum iam existentem, ac proinde per eam haud accipit esse. Contrà Scot. praefatam doctrinam palam tradit, tum *locis allegatis ante primam oppositionem*, tum etiam 2. *distinct.* 15. *quaest. vn.* Necnon 4. *distinct.* 12. *quaest.* 2 § *Ad argumenta Ad* 1. *sub B.* Quam libenter recipiunt, & defendunt praestantiores, & ingeniosiores eius discipuli Bass. & Canon. praenominati Fauet ratio, & veritas. Etenim haec enunciatio vera est; agens actione agit, vt ignis calefactione calefacit, & intellectus dictione producit intellectionem. Huiusmodi autem actio est de genere actionis, & influxu, per quem terminus eius accipit esse: per dictionem quippè intellectio, quae est eius terminus, capit esse, & per calefactionem calor producitur Quare Scot. & ratio nobis suffragantur, & testimonia Scot. adducta à Mastr. ei non prosunt, quia in eis Doct. verba facit de relatione primi generis, quae supponit extrema ambo producta, ex quibus resultat; vel potiùs de relatione intrinsecùs adueniente. Minus quoque eum iuuat ratio ab ipso allata: Siquidem relatio est ad aliud, supple, iam productum, aut per eam producendum, vt mox dicebam de dictione quae fertur ad intellectionem per ipsam generandam. Quod etiam habere locum in diuinis, astruit Doct. *in* 4. *alleg. D.* in quens. per generationem actiuã Filius Dei accipit esse. Est autem generatio actiua relatio sui termini productiua. Firma ergo, & stabilis manet praeadducta distinctio, & doctrina relationis primi, & secundi generis, tam in creatis, quàm Diuinis.

Si iterum vrgeas, relatio dependet à termino à quo specificatur: ergo per eam non producitur. Dico dependere à termino non producto, si fuerit secundi generis, sed per ipsam producendo.

Contrà, relatio, vt causa est, & terminus non est, sed per eam erit, quia est producendus: a non ente autem, & non existente, non potest quidpiam dependere. Dico datà hypothesi, terminum non esse in facto esse, bene tamen in fieri, quod sufficere suprà exemplis est monstratum.

ARTICVLVS IV.

An causa sit prior effectu.

17. MOdi prioris adducuntur, & expenduntur, ab Aristot. tum *in postpraedicam.* tum etiam 5. *Met. sum. vn cap.* 18. *T.* 16. & Scot. *ibid.* De duobus in praesentia tantùm dubitatur, num scilicet causa sit prior naturâ, vel tempore suo causato? Qua in re, solùm inuenio Paulum Sonc. *in* 5. *Met. quaest.* 7. arbitrantem, causam nec naturâ, nec tempore praeire effectum: sed esse simul nedum tempore, verum etiam naturâ. Caeteri verò communiter, & vnanimiter assentiunt, causam semper praecedere effectum, si non tempore, saltem naturâ.

18. Not. causam bifariàm inspectari, vno modo, penes suam entitatem absolutam, quae denominatur causa, vt persona cui per generationem filij competit, & aduenit relatio paternitatis Altero modo, penes rationem seu relationem ipsius causae, quâ respicit effectum; causa enim ex dictis *suprà* est nomen concretum relatiuum, cui correspondet effectus, tanquam eius correlatiuum. Id omne insinuat Doct. 2. *distinct.* 1. *quaest.* 2. §. *Ad* 1. *E* Et *Theor.* 18. & 19.

19. Assertio prima, causa necessariò est prior naturâ causato; tempore verò per accidens, & contingenter. Ass. est bipartita, quam indicat Arist. 2. *Post. T.* 9. Et 5. *Met T* 1. & 11. Et recipit Doctor *vbi suprà*, & 2. *distinct.* 1. *quaest.* 3. §. *Tenentes ante F.* Et 5. *distinct.* 18. *quaest. vn* § *Ad* 1. *K.* Prima pars probatur primò ex August. 6. *Trin. cap.* 1. si ignis extitisset ab aeterno, splendor ab eo causatus fuisset ei coaeternus. Praecessisset tamen ignis splendorem eius, non tamen tempore, alioquin non fuisset ei coaeternus; ergo naturâ duntaxat. Et explicitè Basil. 2 *contra Eunomium*. Priorem esse causam dicimus, posterius verò quod ab ipsa est, supple effectum, non interuallo haec inuicem discrepantia. Idem sentire Aquin. *hoc loco lect* 6. referunt Complut. *disp.* 8. *quaest.* 4. §. 1. Secundò, quod communicat praebetque esse alicui, est prius eo saltem naturâ, si ab ipso non disiungatur, vt patet de praedicatis essentialibus, & vniuersalibus, respectu particularium, & singularium. Illa quippè sunt his naturâ priora. Et patet ex descriptione prioritatis naturae, ad-

ductae

ductæ *in Epit. l.* 1. *quæst.* 4. *art.* 14. *num.* 36. Causa autem tribuit esse effectui, quia ab ea causatur; ergo est eo prior naturâ. Tertiò, à quo aliud pendet in fieri, est priùs eo naturâ. Dependentia namque alicuius ab aliquo arguit prioritatem, & posterioritatem naturæ, negante nemine; à causa autem in fieri pendet effectus, vt à sole lux, ab igne calor, ab homine risibilitas, & sic de reliquis. Quartò, suaderi potest inductione, in singulis causarum generibus: Siquidem, cùm materia sit primum principium rerum naturalium, esseque nequeat sine forma, quæ ex illa educitur, præcedit ipsam naturâ, atque forma, quæ est alterum principium, præit naturâ compositum. Vtraque enim est causa eius intrinseca, & constitutiua eius, ab efficiente inuicem vnita. Deinceps, finis mouet agens ad agendum, prius que ab ipso intenditur, & sibi proponitur consequendus: propterea, rectè deducitur, causam sine intrinsecam, siue extrinsecam, semper necessariò antè ire effectum, qui ab ea proficiscitur.

30. Secunda pars ostenditur, Deus est causa efficiens rerum creatarum, eas tempore antecedens, vt patet *Gen.* 1. *in principio*, idest in tempore, exponunt sacri interpretes, *creauit Cælum, & terram.* Quandoque ergo causa efficiens duratione effectum suum, præcedit. Secundò, natura ab imperfecto ad perfectum, temporis interuallo progreditur, vt constat in formatione hominis, qui priùs viuit vita plantæ, deinde vita animalis, & postmodum vita hominis 1. *de generatione animalium, cap.* 3. Idque etiam claret in cunctis rebus successiuis, quarum mensura est tempus. In his quippè cernitur euidenter, causam tempore antecedere suum effectum, vt pater filium, arbor fructum; ac in artefactis artifices, vt pictor imaginem ab ipso delineatam, & domificator domum ab ipso constructam, tempore priore durant, & extant.

31. Assertio secunda, causa, & effectus, vt sunt correlatiua, simul sunt naturâ. Tenet Doctor. 2. *d.* 1. *quæst.* 2. §. *Ad* 1. *E. & Theor.* 19. Probatur 1. *ex l. prædicam.cap.de Ad aliquid.* Et 5 *Metaphysicæ, T.*20. *cap.* 14. vbi referuntur relatiua secundi modi, cuiusmodi sunt relatiuæ causæ, & causati. Secundò, relatiua se mutuò ponunt, seque mutuò destruunt, vt posito patre, ponitur filius, & pereunte patre, perit filius, penès relationem Elistionis: atqui simul cointelliguntur, simulque couinrgunt ex positione extremorum: gaudent ergo simultate naturæ.

32. Oppones primò, contrà primam assertionem Arist. 2. *Physic. T.*28 & 5. *Metaphysic. T.*3. scribit hæc verba. *Causa in actu habet effectum in actu*, ergo inter causam, & effectum nulla extat prioritas, & posteritas naturæ, sed simultas naturæ, & temporis. Respondeo exponendo prælatum proloquium ex Doctore 2. *dist.* 1. *quæst.* 10. §. *Etsi dicatur sub B.* causam actu causantem influere actu in effectum, qui ab ea actu causatur: vt cùm aliquod graue deorsum descendit in centrum, huiusmodi motus, & descensus actualis, à causa actuali influente, & causante talem descensum proficiscitur, alioqui foret effectus absque causa, quod est impossibile. Licet ergo causa, & effectus sint simul tempore, prior tamen naturâ extat causa, effectu ab ipsa promanante. Hanc interpretationem, tanquam veram, & textui Philosophi conformem amplectitur Suarez *disp.*26. *sect.*2. *n.*10.

33. Oppones secundò, quod est alio prius naturâ, potest ab eo separari. Prioritas quippè naturæ arguit prioritatem independentiæ; quod autem ab alio non dependet, seiungi ab eo potest. Si ergo materia non dependet à forma, potest vna esse sine ista, quod naturaliter est impossibile. Itemque materia, & forma simul iuncta sine composito esse nequirent, quod quoque effici non potest. Respondeo ma. non esse vniuersaliter veram, multa enim natura præcedunt alia, quæ nihilominùs abinuicem sunt separabilia, vt humanitas, & risibilitas, & quæcumque subiecta, à quibus fluunt passiones inter se seiungi nequeunt, licet illa his naturâ sint priora, vt patet apud Doctor. 2. *dist.* 16. *quæst. vnic.* Rursùs, quamuis materia non dependeat à forma, quia in esse præit illam, attamen, quia est ens infimum, imbecille, & partiale, nunquam naturaliter inuenitur sine ea, quia forma actuat, & perficit dictam materiam.

34. Oppones tertiò, *esse, est propter operari* 2. *Cæli* 17. res autem non potest operari in instanti. Ideò celebratur illud, *Natura non agit in instanti*, ergo causa producens effectum tempore ipsum antecedit. Conf. voluntas, quæ est causa libera in momento non potest agere: postulat quippè tempus ad deliberandum, quid sit agendum, quæve media opportuna, & necessaria ad finis adeptionem: ergo causa, vt producat effectum, necesse est, eum tempore præcedat. Concedo ma. distinguo min. interueniente obice, virtute imbecilli, & per motum operante, concedo: remoto quouis impedimento, sufficiente virtute adhibita nego: sic exponitur prænominatum effatum. Per id quoque satisfit confirmationi, voluntas enim perfecta habens quidquid opus est ad agendum, vt voluntas Angeli, non exposcit tempus ad operandum; se enim protinus determinat ad alterutram partem, authore Scot. 2. *d.*5. *quæst.*5. §. *Respondeo primò. A.* Et 2. *d.*39. §. *Quantum ad* 1. *E.*

ARTICVLVS V.

An causa sit nobilior effectu.

35. Dubitatur de causa extrinseca, & intrinseca, æquiuoca, & vniuoca, partiali, ac totali. Quoniam verò nobilitas, & præstantia ex duplici capite peti potest, nimirum ex collatione causarum inter se, atque inter causas, earumque effectus; propterea, penes vtramque comparationem mouetur difficultas. Deinceps, causa inspici, & considerari valet dupliciter, primò in ratione causæ, quatenùs tribuit, & communicat esse effectui, & ita causa simpliciter, & absolutè nobilitate superat effectum, iuxta illud sæpè decantatum, *Melius est dare, quàm accipere.* Insinuatum *Act.*20 & defensum à Lyr. *ibid.* & August. 3. *contrà Max.min. cap.* 14. inquiens, *id verum esse in hac vita, vbi est inopia, quâ vtique melior est copia. Melius enim est habere, quàm egere, meliusque donare, quàm accipere, erogare, quam mendicare.* Secundò in sua entitate absoluta, & hoc modo, interdum effectum nobilitate vincere suam causam, vt ex *infrà* dicendis liquidò constabit.

36. Assertio prima, causa perhibetur absolutè nobilior, & perfectior effectu. Est communis, quam tuetur in primis Doctor, cum suis 4. *dist.* 49. *q.* 0. §. *Respondeo antè F.* probatur primò, principium actiuum nobilitate, & præstantia prælucet principio passiuo, iuxta vulgatum elogium: *nobilius est agens, patiente*: causa autem est principium actiuum; influit namque in effectum, vt liquet ex eius definitione prætallata *art.*1. *huius quæst.* Ergo causa est præstantior effectu. Secundò, prius, & independens nobilitate excellit posteriori, & dependenti, excellentius quippè est esse à se, quàm ab alio: causa autem est prior, & independens: effectus verò dependens, & posterior ergo illa, hunc præstat nobilitate.

37. Assertio secunda, causa formalis est perfectior causa materiali. Hanc quoque communiter defendunt Philosophi, potissimum Scot. *in vtroque oper.* 2. *d.* 12. *q.* 2. *in calce.* probatur 1. ex Arist. 12. *Met. T.* 55. Forma est præcipuum principium. Et 9. *eiusdem operis, T.* 19. Actus nobilior est, quam potentia; forma autem est actus, & materia est potentia, vt suo loco ostendi, igitur causa materialis est ignobilior formali. Secundò materia est propè nihil, ens infimum, & defæcatum: forma verò est ens pulchrum, diuinum, & quod quid est rei. Iterum, materia est perfectibilis, forma verò perfectiua, & operatiua, materia autem passiua. ergo causa formalis perfectione præstat materialem.

38. Assertio tertia, compositum vtrisque prædictis causis, siue coniunctis, siue disiunctis præcellit. Isti patrocinatur Doctor *Quol.* 9. *artic.* 3. & 5. *dist.* 1. *quæst.* 2. & *dist.* 22. *quæst. vn.* probatur primò ex Aristot. 7. *Metaphys. cap.* 3. *T.* 7. Vbi statuit formam esse præstantiorem materia, & compositum, quod ex vtrisque coalescit, eis præcellere, vt cum Alex. ibi interpretatur Scot. Secundò quod includit perfectiones materiæ, & formæ, & aliquid amplius, est eis perfectius, vt si luci præexistenti addatur noua lux, fit maior, & præstantior: compositum autem continet materiam, & formam tanquam partes eius intrinsecas, & essentiales, & tertiam entitatem causatam ab eis, quæ est totum formaliter, & distinctum ab eisdem realiter. Ergo &c. Tertiò, compositum est substantia perfecta, & completa, partes verò eius sunt substantiæ imperfectæ, & incompletæ, ordinatæ ad totum, vt perficiantur, & compleantur. Amplius, totum est terminus totalis, & vltimus generationis substantialis, quod subsistit subsistentiâ vltimâ, & suppositali. Denique totum logicum, & metaphysicum, vt species, puta homo perfectior est suis partibus, quæ sunt genus, & differentia. Ergo idipsum astruendum est de toto physico, quod est compositum, cui per se competunt passiones, & actiones, vt totali, & completo principio quod.

39. Assertio quarta, causa efficiens æquiuoca præstantior est effectu: vniuoca verò est æqualis perfectionis cum suo effectu. Deducitur ex Doctore 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. §. *Ad argumenta. R.* Prima pars probatur, quæ potest producere plures effectus, non solùm eiusdem, verùm etiam diuersæ speciei, est causa perfectior, & eminentior. Maior quippe virtus arguit maiorem præstantiam, & excellentiam. Causa autem æquiuoca potest causare diuersos effectus eiusdem, ac diuersæ speciei, vt patet de sole, qui est causa omnium viuentium, & de intellectu, qui concurrit ad productionem intellectionum diuersarum rerum, & obiectorum: causa ergo æquiuoca eminet aliis causis.

Secundò, continere plura virtualiter denotat maiorem perfectionem, & potentiam, vt constat de Deo virtualiter continente omnia factibilia: causa autem æquiuoca est huiusmodi, vtpote quæ potest causare multos effectus alterius rationis, & speciei, vt videre est apud Doct. 1. *d.* 2. *quæst.* 7. §. *Ad* 1. *arg. principale. R.* Ergo inter alias causas tenet primum locum, vt expressè tradit Doct. 1. *d.* 17. *quæst.* 2. *sub* 11. & 4. *d.* 49. *quæst.* 4. *M.* & 2. *d.* 25. *quæst. vn. Q.* Secunda pars indicatur ab eodem Doct. *ibid.* & 1. *d.* 2. *quæst.* 7. *R.* & *d.* 3. *quæst.* 7. *R.* Et probatur primò, quæ sunt eiusdem speciei, sunt æqualis perfectionis essentialis, vt patet de Ioanne, & Francisco, qui participant eamdem naturam specificam: causa autem vniuoca, eiusque effectus sunt eiusdem speciei, vt patet ex definitione causæ vniuocæ, ergo parem sortiuntur perfectionem essentialem. Secundò, causa naturalis vniuoca, non impedita nequit agere extra sphæram suæ actiuitatis, ergo præbens esse effectui non excedit ipsum, nec exceditur ab ipsomet in dignitate, & perfectione,

40. Assertio quinta, causa finalis quandoque præstantior est effectu: quandoque verò ignobilior. Non est dissentanea Scot. potissimùm 1. *d.* 1. *quæst.* 4. & *d.* 49. *quarti quæst.* 4. §. *Ad argumenta. F.* prior pars suadetur, Deus, qui est causa finalis hominis, est omnium nobilissimus, superans longè omnes eius actus, & opera ad ipsum tendentia, quæ sunt eiusdemmet effectus valdè eorum inferiores, & depressiores. Interdùm ergo, finis effectu suo extat superior, & excellentior. Posterior pars est in promptu. Siquidem, nonnunquam homo præsumit sibi finem, cuius effectus est deterior illo, vt qui philosophiæ operam nauat, lucrandi causâ. Lucrum, quod est eius finis, inferius, & ignobilius est Philosophiæ exercitio, quod est eius effectus.

41. Oppones primò, contra 1. assertionem: plerique effectus præeminent suis causis, penès suam entitatem absolutam, vt magnus ignis, ingensque flamma, à paruo igne, & modica flamma producta: sic paruus ignis magnam syluam incendit, *Iac.* 3. Pariter, verbis, herbis, & lapidibus, mirabiles eduntur effectus, qui procul dubio excedunt vires suarum causarum. Respondeo eos effectus exoriri ex applicatione causæ approximatæ materiæ debitè dispositæ, propterea quod ignis, & consimiles crescunt per appositionem nouæ materiæ, præexistenti, quæque sortiuntur maiorem perfectionem non essentialem, sed accidentalem, & gradualem, vt innuit Doctor. 1. *dist.* 8. *quæst.* 3. & ante August. *l.* 1. *de sermone Domini in monte cap.* 23. Ad id quod subditur, dico effici per applicationem naturalium actiuorum, passiuis, & nonnunquam extat pactum tacitum aut expressum Dæmonis, vt nuper obseruant Conimb. 2. *Physic. cap.* 1. *quæst.* 6. *art.* 2. post August. 10. *Ciuit. cap.* 11.

42. Oppones secundò contra 2. assertionem prius, & independens præstat posteriori, & dependenti, vt suprà arguebam *in* 2. *ass.* Materia autem est prior, & independens, à Deo condita: forma verò posterior, dependens, & ab agente creato educta, & producta ex illa, ergo materia est eminentior forma. Distinguo ma. prius perfectione, & independens perfectum, & completum, vt Deus, concedo: prius origine, & naturâ imperfectum, & incompletum independens, tendens ad perfectionem sibi congruam, vt est materia, quæ fertur ad formam, tanquam eius complementum nego. Ad distinctionem ma. distinguenda est min. sic totum dependet à partibus, & species à genere, & differentia, quibus ipsa, perfectione præluceat. Tangitur à Doct. *Quol.* 9. *art.* 3. & 3. *d.* 2. *q.* 2. §. *Quantum ad* 3. Et 4. *d.* 12. *q.* 2.

43. Oppones tertiò, contra 3. ass. *ex* 7. *Met.* 7. si forma est prior, & perfectior materia, vtique & compositum, quia forma est actus formaliter, compositum verò est in actu per formam. Conf. omnem perfectionem, quam totum participat, mutuatur à forma, quæ dat esse rei, ergò forma est eo nobilior. Respondeo reatum Philosophi esse contrarium, vt enim vulgus expositorum nominatim Alex. & Scot. ibi legit, quod ex ambobus, idest compositum, est magis substantia, idest perfectior, quàm materia, & forma. Quod si dicatur, Aristot. verè ibi in suo codice, & textu habere formam esse priorem, & magis ens, quam compositum, occurrit Doct. *Quol. præcit.* non intelligi prius, & maius, penes perfectionem, sed penès principalitatem, & independentiam, quia esse principij principalioris est independens, respectu principiati, & respectu principij minus principalis. Ad conf. nego antecedens enim forma, verùm etiam materia, licet forma sit principalior, & efficiens, influunt in totum, vt probè tradit Scot. 1. *d.* 8. *q.* 1. §. *Ad quæst. D.*

44. Oppones quartò, contra 4. ass. à causa æquiuoca prodeunt effectus eâ præstantiores, & excellentiores, vt ex putri materia, virtute solis gignuntur mures,

mares, ranæ, & huius formæ alia, quæ cùm sint animata, præponuntur inanimatis, quæ sunt eorum causæ æquiuocæ. Conf. 1. à parentibus tardi ingenij nascuntur filij ingenij sublimis, & perspicacis. Atque ex asino, & equo generatur mulus, qui asino præeminet. Conf. 2. obiectum fine e us species, quæ est vitæ expers, concurrit ad productionem intellectionis, quæ est actio vitalis, & spiritalis: ergò causa æquiuoca postponenda est suo effectui. Respondeo præstantiam, & excellentiam, suprà causam particularem, in prædictis effectibus, causæ superiori, vniuersali esse tribuendam, veluti præstantia, & nobilitas mari, quod ex pugna elementorum oritur agenti vniuersali affingitur, vt innuit Doct. 2. d. 15. *quæst. vn.* §. *Dico ergo.* Pariter, excessus nobilitatis prætatorum viuentium, in causam primam, efficientiam, & insufficientiam causarum particularium supplentem, disponentibus materiam prædictam aliis causis vniuersalibus, refunditur, Authore Scot. 1. *d.* 18 *quæst. vn.* Ad 1. conf. dico animas à Deo creatas esse inæquales perfectionis, vt *suprà* tetigi, & indicat Salomon *Sap.* 8. inquiens, *puer eram ingenio us, & fortitus sum animam bonam.* Et Aristot. 2. *anim. cap.* 9. *T* 94. Molles carne, benè aptos mente esse animaduertit. Iuuant quoque orbium cælestium influxus, variæque maternæ dispositiones, propterea idem Philosophus subiicit *in problem. sect.* 30. *quæst.* 1. Ingeniosiores melancholicos sæpè visos. Et 7. *polit.* 7. Asiaticos Europæis astutiores esse, vicissimque Europæos Asiaticis robustiores, Quandoque verò nobilitas effectus pendet ab alterutra causa, vt muli præstantia ab equa, & excellentia intellectionis, ab intellectu. Ad 2. conf. patet non enim species intentionalis est causa totalis intellectionis, sed partialis minùs principalis. Ideò vitalitas, & spiritualitas eius ab altera causa partiali principali que est intellectus, proficiscitur, vt egregiè prosequitur Doctor. 1. *d.* 3. *q.* 8. & 7.

45. Quæres, quænam causæ primum obtineant locum dignitatis? Respondeo inter causas, extrinsecas eminere intrinsecis; hæ namque potentialitatem, & imperfectionem præseferunt. Vna quippe ordinatur ad alteram complendam, & perficiendam, & ambæ ad tertium; putà compositum conficiendum, & constituendum. At verò causæ extrinsecæ præstantiam, & perfectionem designant, vtporè, quæ Deo adaptantur omnium perfectissimo, qui est omnium efficiens, & finis. Idque luculenter tradit Doctor. 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. § *Quantum ad.* 2. *art.* L. Hi autem ordinantur ad inuicem ordine dignitatis. Prima est finis, secunda efficiens, tertia formalis, & quarta materialis: ordine verò naturæ, & existentiæ primam sedem occupat efficiens, deindè materia, subsequitur forma, & postremo finis.

ARTICVLVS VI.

An causæ sibi mutuò sint causæ.

46. CVm Aristot. 2. *Physic. cap.* 3. *T.* 30. Et 5. *Metaphysica*, 2. hanc enunciationem, non vniuersalem, sed indefinitam protulerit, *Causæ sunt sibi inuicem causæ.* Ideò eius interpretes pro eius veritate, ac explicatione valde laborant, in duas classes diuisi. Plerique enim recentes, vt Suarez *disp.* 27. *Metaphysica*, *sect.* 8. & Ruu. 2. *Physic. Tract.* 8. *quæst.* 2. effundunt eam propositionem ad omnes causas, tam extrinsecas, quàm intrinsecas, ac tanquam vniuersalem recipiunt. Veteres autem, nuncupatum Tatar *quæst. vlt. prædicam. ad finem scibilis primi*, & 2. *Physic. in com.* Ioan. de magistris, *ibid. quæst.* 4. *scibili* 2. Lych. 2. *dist.* 12. *quæst.* 2. nec discrepant Paris. 2. *Physic. quæst.* 1. *fol.* 37. quibus adstipulantur Conimbr. *ibid. cap.* 7. *quæst.* 9. *art.* 2. & Fons. 5. *Metaphysica*, *cap.* 2. *quæst.* 36. *sect.* 3. restringunt dictam propositionem propriè, & simpliciter ad causas extrinsecas, efficientem scilicet, & finalem duntaxat.

47. Not. ex Doctore irrefragabili 5 *Metaphysica*, *in com. cap.* 2. & subtili *ibid.* & *quæst.* 1. *eiusdem lib.* ac Antonio Andrea *eodem loco*, *quæst.* 2. bifariam vnam causam dici causam alterius causæ, aut quoad esse, aut quoad causalitatem: vicissim autem vna causa nequit esse causa alterius penes esse, & existere, quandoquidem, vt causa causet, necessariò debet esse, & existere, sic actio agens, & calefactio calefaciens præexigit, & præsupponit. Quare fieri non potest, vt causa causans habeat essentiam, & existentiam ab altera causa, quæ ab ipsa causatur, vt forma, quæ ex potentia materiæ educitur, producat ipsam materiam, ex qua adducitur, & producitur, penes verò causalitatem, effici potest, vt vna causa moueat aliam causam ad causandum, sic finis amabilis, vel amatus excitat, & mouet agens ad agendum, illumque adipiscendum, & possidendum.

48. Assertio prima, causæ non sunt sibi mutuò causæ, penes essentiam, & existentiam. Ita Doctor. citat. Et *Theor.* 19. suadetur primò, vnumquodque in se prius est, & existit, quàm agat, & operetur, quia prior est actus primus, quam secundus, atque esse, est propter operari, 1. *Cali T.* 17. Ergo vicissim vna causa nequit esse causa alterius: si enim causa est, & existit iam, non accipit essentiam & existentiam ab alia causa, quia iam habet suam essentiam, & existentiam independenter ab altera causa, alioquin esset, & non esset, quod implicat. Et quidem esset, ex hypothesi, & non esset, quia acciperet esse ab alia causa. Ne ergo in nostris assertis admittamus, & includamus repugnantiam, & contradictionem, astruendum est, quoad esse, & existere, causæ ad inuicem non sunt sibi causæ.

49. Dices, id habere locum, in eodem, non autem in diuerso genere causæ. Contrà, constitutum iam, siue causatum in suo esse, tam in eodem, quam in diuerso genere causæ, non est ampliùs constituendum, siue, c u andum in esse, cùm præsupponatur iam constitutum, & causatum: si ergo quoad esse vna causa iam est constituta, & causata, non est ampliùs constituenda, & causanda in esse ab alia causa, secùs non foret causata, vel bis causaretur, quod vtrumque est falsum. Iterum, causa, vt causet, & communicet esse effectui, debet existere. Actiones quippè sunt existentium, 1. *Metaphysica* t. Ergo effectus, cui causa tribuit essentiam, & existentiam, non potest mutuò essentiam & existentiam præbere suæ causæ, à qua illam deprompsit, vt materia, quæ influit in formam, ipsa forma non dat esse materiæ subiectiuum, & potentiale, quod ista, antè illam præhabuit. Secundò causa natura prior est effectu, ex probatis *artic.* 4. *huius quæst.* si autem dicta propositio foret vera, causa esset prior, & non prior, respectu eiusdem, dependens, & non dependens, & quidem prior vt causa, & non prior, vt effectus alterius causæ, dependens, vt effectus, & non dependens, vt causa. Tertiò idem foret causa sui ipsius, quod respuit August. 1. *Trin.* 2. *Quidquid enim est causa causæ, est causa causati.* Et *Quidquid est prius priore, est prius posteriore*, vt rectè prosequitur Doct. *in Met. cit.*

50. Assertio secunda, causæ sunt mutuò causæ, non in eodem, sed in diuerso genere causæ penès causalitatem. Tenet Doctor. *vbi suprà.* Probatur primò, finis excitat, & mouet metaphoricè causam efficientem ad agendum, quæ agit ex appetitu finis: efficiens verò est causa finis, quoad assequutionem,

tionem, & possessionem eius. Secundò materia causat formam. Hæc enim ex illa educitur, forma verò præbet materiæ esse formale, & esse specificum. Nec vlla cernitur repugnantia, cum hæc mutua causalitas extet in diuersis causarum generibus penès rationes diuersas.

51. Opponex primò, Aristot. 2. *Physic. T.* 30. loquitur in particulari de causis, efficiente, & finali, deque eis affert exemplum duntaxat, vt labor moderatus est causa sanitatis efficiens, & sanitas est causa finalis laboris. Ergò præfata enunciatio non habet locum in causis materiali, & formali. Concedo ant. nego consequent. Argumentum quippè desumptum ab authoritate negatiua non concludit. Etsi enim affirmet de prioribus causis, tamen non negat de posterioribus. Præsertim quia magis elucet in illis, quàm in istis, maximè in opinione eorum, qui totum à suis partibus simul vnitis non distinguunt.

52. Oppones secundò, in eodem genere causæ efficientis, actus est causa habitus, e contra, habitus est causa actus. Iterùm, vapor est causa pluuiæ, & è conuerso, pluuia est causa vaporis. Amplius, piper est causa caloris in stomacho, & è diuerso piper calefacit stomachum in genere causæ effectricis. Valet ergo dicta propositio, tum in diuerso, tum etiam in eodem genere causæ. Respondeo prælata exempla esse vera, non respectu eiusdem, sed respectu diuersorum. Atque respectu diuersi temporis, vt qui olim erat alicuius discipulus, nunc euadit eius magister discipulus, & qui quondam erat alicuius Dominus, nunc efficitur eius seruus.

53. Oppones tertiò, finis est causarum omnium prima: si autem præadducta propositio foret vera, non esset omnium prima, sed aliquando postrema. Igitur non est vera etiam in causis extrinsecis, cuiusmodi sunt finis, & efficiens. Distinguo maiorem, in intentione, & perfectione, concedo: in exequutione, & in esse reali nego, vt *infrà* apertiùs fiet.

54. Quæres primò, vtrum illud axioma depromptum *ex* 2. *de*, *gen. T.* 56. *allegat. à Doctor.* 4. *dist.* 49. *quæst.* 3. *antè* §. *Hic dicitur. Idem manens idem semper facit idem, sit verum?* Respondeo affirmatiuè, dummodò tribus potiatur conditionibus. Prima vt causa sit necessaria, & naturalis, quoniam causa libera, & voluntaria mutatur, diuersosque edit effectus; sic voluntas modò amat, modò verò odit, de qua Scot. 2. *dist.* 25. *quæst. vnic.* §. *contrà conclusionem.* Respondeo secundò, vt sit causa particularis: causa quippè vniuersalis naturalis producit diuersos effectus, sol namque indurat lutum, & liquefacit ceram, aliæque opposita causat opera, quorum meminit Doctor. 9. *Metaphysica*, *cap.* 2. *T.* 4. *in com. tertia*, vt sit causa per se. Per accidens enim ab vna causa, plures oriri queunt effectus, sic gubernator sua præsen a est causa saluationis nauis, absentia verò est causa perditionis, notante Scot. 2. *dist.* 37. *quæst. vnic.* §. *Tertiò modo.* Et *in Report.* 2. *dist.* 34. *quæst.* 1.

55. Quæres secundò, vtrùm idem sit causa contrariorum? Respondet Arist. 5. *Met. cap.* 2. affirmatiuè, & Scot. *ibi* exponit præfatum elogium, non eodem, sed diuerso modo, ita gubernator est causa per se salutis nauis, & per accidens est causa eius periclitationis.

QVÆSTIO II.

De causa efficiente.

PRIMA causa in exequutione est efficiens, quæ per anthonomasiam causa nominatur, quamve dari, conspicuum est per effectus rerum sublunarium, ac per vnionem materiæ, & formæ, quæ per efficientem habetur. Non enim vniuntur materia, & forma, & ex vtraque totum non coalescit, nisi causæ effectricis interuentu, vt rectè nonnulli apud Bonet. 2. *Phys. cap.* 1. animaduertunt, inter quos est Scot 1. *d.* 2. *q.* 2. *ante M.*

ARTICVLVS I.

Quotuplex sit causa efficiens.

1. AD rei quidditatem adipiscendam plurimùm iuuare distinctionem, seu diuisionem aduertit Aug. 3. *de Doctr. Christiana c.* 2. Ideò subnectit Doct. 5. *d.* 3. *quæst.* 2. §. *Loquendo. N.* prius esse diuidendum, quam definiendum, cuius præceptum exequentes, antequam definiamus causam effectricem, in præsentia, eam potissimum in subsequentia, & proxima membra distribuimus.

2. Primò in causam per se, & per accidens ex Doct. 5. *d.* 2. *quæst.* 2. §. *Quantum ad* 1. *I* post Arist. 5. *Met.* 2. Illa est, quæ suâ naturâ, & propriâ virtute attingit effectum, vt ædificator ædificat: ista verò, quæ per aliquid sibi accidentaliter coniunctum causat, vt musicus ædificat.

3. Secundò, in principalem, & instrumentalem, 2. *Phys.* 29. & Scot. *d.* 6. *quæst.* 5. §. *Ad istam quæst D.* principalis est, quæ habet virtutem agendi in esse quieto, quâ attingit effectum, vt homo scindens lignum: instrumentalis, quæ agit in virtute alterius, vt serra secans lignum.

4. Tertiò in Physicam, & Moralem 5. *Met.* 2. vbi Scot. *in com.* & 4. *d.* 5. *quæst.* 4. & 5. prior est, quæ verè producit effectum, vt homo hominem: posterior verè, quæ quidem non influit in effectum, sed excitat, hortatur, aut consulit, vt altera causa producat effectum, vt qui suadet, vel dat consilium alicui, occidendi hominem.

5. Quartò, in æquiuocam, & vniuocam. Hauritur ex 2. *Met. T.* 4. & explicatur à Doct. *ibid.* Æquiuoca est, quæ producit effectum sibi dissimilem: vniuoca verò, quæ gignit effectum sibi similem, & eiusdem speciei, & rationis, vt ignis, ignem.

6. Quintò, in vniuersalem, & particularem. Elicitur *ex* 5. *Metaphysica*, 2. & expressè adducitur à Doctor. *ibi.* Vniuersalis multorum effectuum diuersæ rationis est operatrix, putà Deus, & sol. Particularis autem ad vnum effectum eiusdem rationis producendum determinatur, vt arbor, fructus, & planta flores edit duntaxat.

7. Sextò, in primam, & secundam. Deducitur *ex* 7. & 8. *Phys.* necnon 12. *Metaphysica.* Traditur à Doct 4. *d.* 1. *quæst.* 1. *in fine*, & alibi frequenter. Causa prima est à se, & prorsus independens, cuiusmodi est solus Deus. Causa verò secunda est ab alio, & dependens in suo esse, & operari, vbi sunt omnes res creatæ.

8. Septimò, in causam immediatam, seu proximam, quæ absque alterius interuentu, & medio attingit effectum, vt ignis generat ignem: & mediatam, seu remotam, quæ alio mediante concurrit ad productionem effectus

effectus, vt sol medio lumine calefacit terram. Tangitur ab Arist. 2. *Phys. T.* 53. Et 1. *Post. cap.* 13. *T.* 39. & à Scot. 1. *distinct.* 39. §. *Tertia positio.* Et 2. *distinct.* 37. *quæst. vn.* §. *Ad argumenta principalia. A A.*

9. Octauo in totalem, & partialem. Fundatur in Aristot. citat. & traditur à Doct. 1. *distinct.* 3. *quæst.* 7. & alibi non rarò. Tot lis est, quæ in suo genere, absque alterius ope causat effectum, vt ignis ignem: partialis verò, quæ indiget alterius auxilio, & concursu ad effectum producendum, vt intellectus exposcit speciem intelligibilem secum coagentem ad causandam intellectionem.

10. Nono in naturalem, quæ absque vlla præuiâ directione attingit effectum, vt ignis comburens syluam: artificialis verò, quæ præuia cognitione & directione edit effectum, vt ædificator construit domum. Insinuatur ab Aristotele, & Scoti *locis prædllegatis.*

11. Decimò in necessariam, & liberam. Illa est quæ positis omnibus requisitis ad agendum, non potest non agere, vt ignis debitè approximatus stupæ eam necessariò comburit: hæc autem est, quæ habens omnia necessaria ad agendum, potest agere, aut non agere, aut suspendere suam actionem, cuiusmodi extat voluntas suorum actuum domina. Significatur 2. *Perih. cap.* 3. & 9. *Met. T.* 2. 10. & 11. Et exprimitur à Doctor *ibidem.*

12. Vndecimò, causam, quæ dicitur principium quo, vt intellectus est principium quo intelligendi, & in causam, quæ perhibetur principium quod, vt homo est causa, siue principium quo intelligendi, & cætera opera vitæ exercendi. Ponitur ab Aristot. *3. animæ T.* 64. Et recipitur a Doct. 4. *distinct.* 49. *quæst.* 7. *ante* §. *Respondeo.*

13. Duodecimò, in causam alteri essentialiter subordinatam, quarum vna in agendo dependet ab alia, vt homo, sol, & Deus: & in causam accidentaliter alteri subordinatam, quarum vna neutiquam ab altera dependet, vt proauus, auus, pater, & filius. Innititur à Philosopho 2. *Met. cap.* 2. & à Doctore explanatur 1. *dist* 2. *quæst.* 2. §. *Quantum ad* 1. *H.*

14. Oppones, inueniuntur aliæ causarum distributiones, apud Aristot. tom 2. *Phys.* tum etiam 5. *Met. cit.* Ergo insufficienter à nobis sunt enumeratæ. Ant. patet, sunt enim causæ vniuersales, particulares, ac causæ actuales, & potentiales, & præcisæ, & non præcisè causæ. Respondeo potiores, & celebriores esse relatas, ad quas reliqua reuocari possunt, vt vniuersales, ad æquiuocas, & particulares ad vniuocas.

ARTICVLVS II.

Quid sit causa efficiens.

15. NOnnulli, vt Hurt. *disp.* 9. *Phys sect.* 1. & Arr. *ibid.* prorsus respuunt definitionem causæ efficientis à Philosopho adductam. Alij inter quos est Suarez *disp.* 17. *Met sect.* 1. tot tantisque difficultatum tenebris contegunt, & induunt eam, vt altera à Peripatetica planè esse videatur. Communis autem opinio est Scot. 5. *Met. in expos. cap.* 2. & aliorum docentium, illam esse idoneam, & legitimam.

16. Ass. aptè definitur causa efficiens *principium primum vndè motus, & quietis.* Ita Arist. 2. *Phys. cap.* 3. *T.* 29. & 5. *Met.* 2. necnon 1. *de gener. animalium, cap.* 1. & Scot. *in com.* 5. *Met. prædlleg.* Explicatur, quoad omnes eius voculas. Locatur *principium*, tanquam genus. Additur *primum*, propter appendices eius. Subnectitur *vnde*, idest à quo, vt denotetur eius differentia à cæteris causis. Nam materia est id, ex quo fit aliquid: forma per quod aliquid causatur, & finis propter quod fit aliquid. Subduntur cæteræ particulæ, motus, & quietis, lato sumpto vocabulo, vt significetur via eius, quæ est productio, & terminus eius, qui est effectus. Sic exposita ass. probatur communi medio, definitio apta est, quæ ex genere, & differentia coalescit, vt crebrò dictum est: huiusmodi autem est præallata definitio, vt præexplicui: ergo est recta, & idonea. Addo eam nihil superflui, nihilque diminuti continere, quod pertinet ad leges, & documenta probæ definitionis.

17. Oppones primò, Aristot. 1. *Cæli T.* 100. definit causam efficientem, his verbis, *causa efficiens est principium, vnde esse communicatur.* Hinc dicitur communicatum esse his quidem clarius, his verò obscurius esse, & viuere, vt rectè aduertit Ferebius, *vestig.* 1. *cap* 11. *num.* 30. Idipsum innuit 9. *Met. T.* 10. & 12. *eiusdem operis, T.* 30. Ergo præallata definitio est mala. Respondeo iuxta explicationem à nobis præadductam, hanc, ab illa reuerà non distingui, nisi verbis, & quia illa videtur contractior, & angustior: ista verò latior, & amplior, conueniens nedum sublunaribus, quæ per transmutationem fiunt, verumetiam cælestibus, & quæ per creationem causantur.

18. Oppones secundò, definitio vnius non competit alteri: æquatur enim rei definitæ: definitio autem prærecensita conuenit naturæ, quæ à causa effectrice discriminatur. Natura quippè 2. *Phys.* 1. definitur *principium primum motus, & quietis.* Ergo non est rectè tradita. Concedo ma. nego min. Siquidem natura est principium intrinsecum passiuum, causa verò efficiens est principium intrinsecum actiuum.

19. Oppones tertiò, causa efficiens adaptatur Deo omnium opifici, qui per motum, & mutationem non causat, sed per creationem, quæ minime est mutatio: ergo prænominata definitio legitima, & genuina non est. Concedo ant. nego consequentiam, quandoquidem, etsi creatio propriè non sit mutatio, tamen impropriè dici potest mutatio, quatenùs est transitus de non esse, ad esse rei, vt significat Doct. 2. *distinct.* 1. *quæst.* 5. *in fine, & in Reportat. ibidem, quæst.* 6.

20. Quæres, vtrum prædicta definitio sit vniuoca omnibus causis per se efficientibus prænarratis *in præeunte art.* Respondeo affirmatiuè, quod deducitur ex Philosopho, qui 2. *Phys. & 5. Met. citat* affert exempla de omnibus illis: innuitque Doct. *ibidem*, & expressè tenet Suarez *disp.* 17. *Met sect.* 1. reluctante Mastrio *disp.* 7. *phys quæst* 1. Ratio est, quia vnaquæque ex præenumeratis causis est principium, à quo pendet effectus, suoque modo quælibet influit in effectum, vel vt principalis, vel vt instrumentalis, vel vt præcipiens, & dirigens, vel vt exequens, vel consulens, vel adiuuans, vel quouis alio modo, quo causa producit effectum in genere, & ordine causæ effectricis. Hinc à SS. Patribus, & sacris Theologis Sacramenta dicuntur propriè, & veræ causæ gratiæ, tametsi in Schola Scot. eius sint causæ morales duntaxat.

ARTICVLVS III.

An plures causæ possint simul producere eumdem numero effectum.

21. TItulus præsentis articuli intelligi potest de causis subordinatis, & disparatis, necnon de causis partialibus, & totalibus diuersi, aut eiusdem ordinis, & speciei. Hæc autem dubitatio agitari potest duplici sensu. Primò naturaliter, cuius partem affirmatiuam tenere videntur Och. 3. *quæst.* 1. & *Quol.* 4. *quæst.* 8. Gabriël 3. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *dub.* 4. & cæteri Nomin. parti verò negatiuæ adhærent alij omnes modò allegandi. Secundò, supernaturaliter, de quo prior opinio est Bonet. 2. *Phys. cap.* 3. Mayr. 3. *distinct.* 5. *quæst.* 5. Suarez

disp. 26. *Met. sect.* 4. & aliorum arbitrantium diuinitùs posse eumdem numero effectum produci simul à duabus causis totalibus eiusdem ordinis, & speciei. Posterior verò opinio est, quam sequuntur Scot. *a. distinct.* 1. *quaest.* 2. & *lib. de primo principio, cap.* 3. Ioannes de magist. 2. *Phys. quaest.* 4. *artic.* 3. *dub.* 1. Parif. *ibidem, quaest.* 2. *fol.* 27. & ex Thomist. non pauci, existimantes id esse impossibile.

22. Assertio prima, duæ causæ totales diuersi ordinis simul concurrunt ad producendum eumdem numero effectum. Est communis, quam insinuat Doctor 1, *distinct.* 3. *quaest.* 7. §. *Ad authoritatem sub BB.* & probat *ex illo* 2. *Phys.* 26. sol, & homo generant hominem; sol autem, & homo sunt causæ totales diuersi ordinis essentialiter subordinatæ: ergo plures causæ totales diuersi ordinis simul coagunt ad causationem vnius numero effectus. Præterea, creator, & creatura sunt duæ causæ totales diuersi ordinis concurrentes simul nedum ad vnum numero, verumetiam ad omnes effectus naturales causandos, vera ergo extat præfata assertio.

23. Assertio secunda, duæ causæ partiales siue eiusdem, siue diuersæ speciei, simul producunt eumdem numero effectum. Tradit Doctor prænominatus *in superiori assert.* §. *Ad quaest. respondeo K.* & significat Aristot. 2. *Phys. T.* 31. & 5. *Met. cap.* 2. Probatur ex illo vulgato, *duo homines simul trahunt eamdem numero nauem, itemque ferunt idem numero pondus.* Rursùs, *pater, & mater simul concurrunt ad procreandam eamdem numero prolem.* Atque intellectus, & species intelligibilis, vt duæ causæ partiales vnam totalem integrantes producunt eamdem numero intellectionem, exploratum ergo est duas causas partiales causare simul eumdem numero effectum.

24. Assertio tertia, duæ causæ totales eiusdem ordinis, & speciei coniunctim nequeunt producere eumdem numero effectum, siue naturaliter, siue supernaturaliter. Ita Scot. *vbi suprà*, aliisque in locis. Ostenditur primo hoc argumento, quod à Bonet. præcit. censetur eius Achilles. Idem respectu eiusdem, non potest simul ab aliquo esse, & non esse. Hoc enim manifestam inuoluit repugnantiam: si autem vnus numero effectus causaretur simul, & semel a duabus causis totalibus eiusdem speciei, idem respectu eiusdem simul foret, & non foret, & quidem foret ex hypothesi, quod ab illis simul causaremt, & non foret, quia altemtra non existente, non causaretur, quandoquidem ab illa non haberet esse, posseque causari absque ea, quia ab alia totaliter, & adæquate produceretur v. g. si Plato generatur à Sorte, & simul à Socrate, tanquam à duabus causis totalibus coniunctim, potest esse sine alterutro existente. Si namque Plato non generatur à Sorte, gignitur à Socrate, istèque est absque eo à quo supponitur etiam generari. Repugnat autem aperte ipsum Platonem simul, & semel generari ab vtroque, cùm vterque sit causa eius adæquata, & gigni ab alterutro duntaxat, quia altero eorum non existente, adhuc generatur, cùm sit causa eius totalis. Impossibile igitur est vt ambæ causæ prædicto modo concurrant ad eumdem numero effectum producendum.

25. Occurrit Bonet. & cum eo Suarez *passu allegato*, negando sequelam min. Siquidem effectus postulat duntaxat esse à suis causis in ipsum influentibus; ideò habet suum esse, tametsi altera eius causa non existat: veluti si idem numero lumen acciperet esse simul à duabus lucernis accensis, si alterutra extingueretur, idem tamen lumen persisteret, quia ab altera accensa conseruaretur. Idipsum astruendum est in re nostra, si aliqua causa non existeret, existente eius effectu, huiusmodi effectus dependeret ab alia causa superstite, & adhuc permanente. Sic eneruatur Scoti ratio, quæ inuincibilis videbatur. Contrà, effectus accipit esse à causis à quibus manat, cùm causa per se influat in effectum, quem causat: prodit autem idem effectus simul à duabus causis totalibus, secundum Aduersarios, ab illis ergo accipit esse, ac sine eis esse nequit. Quod innuens Aristot. 2. *Phys.* 37. scribit *causa in actu habet effectum in actu.* Si ergo ambæ causæ totales simul causant, & influunt in effectum, effectus planè ab ipsis existentibus causatur, ab eisque essentialiter dependet, non nisi ergo ab ipsismet existentibus suum esse potest sortiri. Probat autem præfatum argumentum, datâ hypothesi, effectum posse esse, & existere, alterutrà causâ non existente, in suo igitur robore manet argumentum. Exemplum verò præadductum non prodest, sed obest: siquidem aliud est effectum causari, aliud verò conseruari. Potest quippe conseruari ab vna causa remanente, effici autem non potest, nisi à duabus causis, posito, quod totaliter ab illis duabus causis totalibus prodeat, & essentialiter pendeat. Quare lumen à duabus lucernis causatum, quamuis possit existere, vnâ tantùm lucernâ lucente remanente, & alterâ extinctâ; nihilominùs esse non potest, nisi causatum à duabus lucernis præfatis, vtpote, quæ ad ipsum causandum ambæ simul ex æquo coegerunt, secundum placitum Aduersariorum.

Secundò, terminus alicuius causæ totalis, & adæquatus nequit esse terminus alterius totalis, & adæquatus, vt patet ex vi nominis termini totalis, & adæquati, & induci potest in creatis: compositum est terminus totalis materiæ, & formæ vnius, vt non valeat esse effectus totalis alterius materiæ, & formæ: & secundum Aristot. 1. *Cæli, cap* 9. *T.* 95. Mundus iste est terminus adæquatus materiæ, vt non possit esse alter mundus, cum tota materia in eius conditione exhausta fuerit: atque in Diuinis, Filius Dei est terminus adæquatus potentiæ generatiuæ Patris, ita vt repugnet esse alium Filium Dei naturalem, vt rectè prosequitur Doctor *Quol.* 1. Effectus autem vnius causæ totalis est terminus eius adæquatus, & totalis, vt nemo negat, ipsa enim causa totalis explet omnem prorsus indigentiam eius effectus, à qua totale, & adæquatum esse decerpit, atque in eius causatio e exhauritur tota vis, & potentia ipsius causæ. Ergo effici nequit, vt sit terminus totalis, & adæquatus alterius causæ totalis.

26. Quidam ex Mayr. & Bonet. citat. aiunt Deum præbere effectum, vt ab alia causa dependeat, non quidem ex indigentia, sed ex abundantia, veluti vnum corpus naturaliter occu, at vnum locum duntaxat: supernaturaliter verò esse quit in pluribus locis adæquatis, & totalibus, authore Scot. 4. *dist.* 10 *quaest.* 1. Contrà, quod ex se, & suapte natura est incapax alicuius fieri, non potest etiam diuinitus, vt compos eius fit, vt brutum cum sit ex se irrationale, fieri nequit rationale, & oculus corporeus, cùm sit materialis, nequit attingere visione sua diuinam essentiam, quæ est spiritualis, & immaterialis: pariter cùm effectus totalis, & adæquatus sit incapax influxus alterius causæ totalis, non valet esse eius terminus totalis, & adæquatus. Locus autem corpori est intrinsecus, nec corpus à loco dependet essentialiter; immò potest esse corpus sine loco, vt vltimum Cælum non est in loco, non sic effectus sine causa à qua producitur, & essentialiter dependet.

Tertiò, idem effectus eodem instanti bis produceretur totaliter, & adæquate, semel ab vna causa totali, & semel ab altera causa totali. Nam cùm quælibet causa sortiatur suam causalitatem, & actionem totalem, quoque, & terminum totalem per eam productum: duplex autem extat causalitas, & actio, iuxta duplicem causam totalem producentem; ergo, & duplex terminus, seu effectus totalis, & adæquatus productus, à binis causis totalibus, & adæquatis simul producentibus.

27. Respondent quidam Recentes, ambas causas totales simultaneo, & totali concursu influere in vnum eumdemque numero effectum; veluti duæ causæ totales essentialiter subordinatæ, putà sol, & homo, simul

mul conflituunt, & coagunt ad procreandum vnum hominem singularem. Contrà, vel vna causa totum producit effectum, & alter est superuacanea, nibil ei communicans, & hoc est, extrà præsentem litem, vel binæ aliquid eius particulatim producunt, sicque extant causæ partiales, de quibus hæc dubitatio non mouetur, vel ambæ simul totaliter causant, & cedit præfatum argumentum, quod bis ab eis simul causatur effectus secundum illarum geminatam causalitatem. Nec iuuat præiata similitudo, quandoquidem causæ essentialiter subordinatæ sunt alterius ordinis, & rationis, vnaque vniuersalis, & altera particularis, quæ illam ad idoneam & peculiarem materiam contrahit, & determinat. Addo, idem esse dicendum de duabus causis finalibus, ac efficientibus, respectu eiusdem numero effectus, cùm æqua sit de vtrâque ratio, authore Scot. 1. *d.* 2. *quæst.* 3.

28. Oppones primò, contrà 3. assertionem, quod non repugnat, fieri potest à Deo, vt tradit vulgus scholæ, nuncupatim Doct. 4. *d.* 10. *quæst.* 2. *Dico ergo.* *F.* *Non* autem repugnat eumdem numero effectum simul produci à duabus causis totalibus, & adæquatis, ergo id est possibile. Ma. patet: min. ostenditur, si 2 eus crearet duos soles, & ambo simul illuminarent nostrum hemisphærium, ea illuminatio foret vna numero ab eis, tanquam causis totalibus simul emanans, & causata. Concedo ma. nego min. ad eius probationem, binis soles tunc partialiter simul causarent eam illuminationem. & per lumen alterius solis de nouo conditi cresceret illuminatio, veluti plura lumina posita in eadem domo, magis illuminant, & clarificant eam domum, experientiâ comprobante.

29. Oppones secundò, duo sacerdotes possunt simul eumdem numero paruulum baptizare, vnamque numero hostiam consecrare: ergo duæ causa totales simul & eumdem numero effectum producere. Respondet Doct. 4. *d.* 6. *quæst.* 2. §. *de primo* argumentum includere de duabus causis moralibus, ac etiam de causis instrumentalibus, non verò principalibus, & totalibus physicis. Ratio est, quia causæ morales, & instrumentales propriâ virtute, & peculiari influxu non agunt, nec attingunt effectum, cuiusmodi sunt præfati sacerdotes, respectu gratiæ baptismalis, & corporis Christi in Eucharistia existentis. Idem scribit *in Rep. quæst.* 4.

30. Oppones tertiò, sint duo ignes æquales virtutis, æqualiter dispositi, debitè approximati vni stupæ numero, sublatis omnibus impedimentis, totaliter, & adæquatè in eam introducent, & producent vnum numero calorem, & ignem, ex æquo ad eum gignendum concurrentes, cùm sint causæ naturales totales: ergo vnus, & idem effectus numero simul produci valet à duabus causis totalibus & adæquatis. Respondeo ex Scot. 4. *d.* 10 *quæst* 2. §. *Dico ergo ante Q.* datâ hypothesi vtrumque ignem agere partialiter: siquidem causæ naturales agunt, quantum possunt. Quoniam verò vnaquæque conatur assimilare sibi effectum, & non valens totaliter ipsum reddere sibi similem, propter alteram causam secum coagentem ad eumdem effectum; propterea partialiter huiusmodi effectus ab eis causatur: veluti duo homines ferentes idem pondus simul, partialiter, & inadæquatè se habent in eius latione, tametsi quilibet eorum possit tale ferre podus.

31. Oppones quartò, causa prima, & secunda sunt duæ causæ totales producentes simul eumdem numero effectum, vt Deus, & homo producunt vnum, & eumdem numero hominem, cum tamen Deus sit causa ex se sufficiens totaliter eum producendi, sicut se solo creauit Adamum. *Gen.* 1. Nulla ergo est implicantia, quin duæ causæ totales simul ex æquo, & totaliter coagant ad causationem vnius numero effectus. Respondeo argumentum concludere de causis diuersi ordinis, & essentialiter subordinatis, non verò de causis eiusdem ordinis, & accidentaliter ordinatis. Ita respondet Lych. 1. *d.* 37. *quæst. vn.* §. *Tertio modo.* Et innuit Doct. tum ibi, tum etiam 2. *d.* 1. *quæst.* 3. §. *In ista quæst. B.* Et expressè tenet *in Rep.* 2. *d.* 37. *quæst.* 2. §. *Teneo igitur*, de deuotione, quam ait esse à duabus causis essentialiter ordinatis, puta à voluntate Dei, & hominis. Vel dicito cum Mayr. 2. *d.* 43. *quæst.* 4. primam, & secundam causam esse causas partiales concurrentes ac productionem vnius numero effectus.

32. Dices, causa partialis designat imperfectionem, & insufficientiam potentiæ non valentis totum effectum causare; Deus autem ab omni imperfectione distat, cùm sit perfectissimus, omniumque perfectionum causa, igitur causa prima non se habet vt causa partialis in concursu causæ 2. ad causandum effectum communem.

Dico, id locum habent in causa partialiter coagente ex impotentia, & indigentia: non verò de causa sponte, & volontariè sic agente, vim habente totum effectum causandi, si vellet, cuiusmodi est causa prima cum secunda cooperante.

ARTICVLVS IV.

An plures causæ totales possint diuisim producere eumdem numero effectum.

33. Status huius difficultatis est, num effectus, qui productus est ab vna causa totali, potuerit produci ab alia causa totali, vt igni A, qui causatus est ab igne B. potuerit causari ab igne C. de quo duplex placitum inuenio potissimum. Vnum est Auer. 7. *Met com.* 41. land. 1. *de gener. q.* 12. Marsil. *ibid. quæst.* 8. Masij 2. *Phys. cap* 3. *sect.* 5. *quæst.* 3. Complut. *disp.* 15. *Phys. quæst.* 4. & aliorum Thomistarum arbitrantium contradictionem implicare, eumdem numero effectum prodire a duplici causa totali eiusdem ordinis diuisim. Alterum est Scot. 2. *d.* 20. *quæst.* 2. Gabrielis *ibid.* Suarez *disp.* 26 *Met. sect.* 5. Ruu. 2. *Phys. tract.* 7. *quæst.* 2. Fabr. *Theor.* 42. & aliorum docentium vi creatâ, & increatâ, id esse possibile.

34. Not. ex Scot. *præcit* §. *Dico quod B* ad vnitatem, & identitatem alicuius, putà compositi exigi tantùm partes eius essentiales, & intrinsecas, ita vt illud sit idem compositum, quod constat eadem materia, & forma remotis quibuscumque aliis extrinsecis loco, tempore, aliisque circumstantiis, ac etiam efficiente. Siue enim habeat eadem accidentia, vel diuersa, siue producatur ab vna, vel altera causa, semper manet idem compositum essentiale, & substantiale participans easdem partes essentiales, & intrinsecas.

35. Assertio, idem numero effectus diuisim produci potest à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem ordinis. Defenditur à Doct. *vbi supra & 4. d.* 43. & *in Rep.* 2. *d.* 20 *quæst.* 2. Probatur primò, si status innocentiæ permansisset, omnes filij à parentibus electis prorsus fuissent, nunc verò in statu culpæ, quidem filij nati sunt à patribus reprobis, vt SS. Martinus, Barbara, & Christina, vt testantur eorum acta; ergo qui geniti sunt à reprobis, generari quiuerunt ab electis ac prædestinatis, proindeque diuisim potest idem numero effectus produci à binis causis totalibus eiusdem ordinis. Idque fulcitur testimonio Greg. magn. 4. *Mor. cap.* 22. inquientis. *Si parentem primum nulla peccati rubigo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; sed illi, qui nunc per Redemptorem saluandi sunt, soli ab illo electi nascentur.* Firma igitur est prima ratio Scot. quam reiicientes Suarez, & Ruu. cit. doctrinam Greg. & dogma

dogma antiquum Scolasticorum, vt nouum inuehant, de scientia media reijciant, necesse est.

Secundò, quod alicui est intrinsecum, & extraneum non tollit eius vnitatem, & identitatem eius essentialem, vt liquet ex præposito notabili, causa autem efficiens est extrinseca effectui, quia esse potest sine illo. Igitur idem effectus diuisim effici potest à pluribus causis. Si enim hic calor non fuisset causatus à sole, potuisset causari ab igne, & si Abel non fuisset genitus ab Adamo, potuisset gigni à Noemo. Corroboratur, idem Lazarus, qui à suis progenitoribus generatus est, virtute Christi Domini resurrexit. Ioan. 11. *statim prodiit, qui fuerat mortuus.* Idque fides docet, de omnibus hominibus resurgendis in die iudicij.

Ratio huius redditur, quia præfatæ causæ pollent æquali, & sufficiente virtute producendi eumdem numero effectum.

36. Dices, Deum quidem, vt causam vniuersalem eminenter, & virtualiter omnia continentem, id posse, non verò creaturam, quæ vt causa particularis determinata est ad vnum effectum particularem, quem altera nequaquam potest causare. Contra, vniuersalitas causandi omnia solum infert, Dei potentiam diffundi ad effectos tam eiusdem, quam diuersæ speciei; non im, edit autem, vt causa particularis attingat effectus omnes eiusdem speciei, & si altera aliquem non causaret, altera eumdem causaret, quia is effectus continetur intra ambitum suæ actiuitatis. Si enim hic cibus non comedatur à Petro, potest comedi à Paulo, & conuerti in substantiam aliti, & ex superstite fit semen, ex quo Paulus generat Franciscum, qui potuit gigni à Petro, si talem cibum manducasset.

37. Dices iterum, id fieri non posse, propterea quod quæ libet causa habet certam, & determinatam latitudinem effectuum, quos altera causa pertingere nequit. Contra, quæ participant eamdem naturam specificam, gaudent vtique eadem proprietate, & virtute, vt patet de ind iuiduis naturæ humanæ, quorum si vnum potest videre, & intelligere, vtique & alterum; & quoddam vnà enim serra potest scindere hoc lignum, quoque & alterum, & si aliquid id opus non præstat, aliud præstabit. Itemque, vanum, & ridiculum videtur, hunc puluerem tormentarium, quem hic ignis combussit, alterum ignem non potuisse comburere. Si eidem pulueri fuisset debitè applicatus, & approximatus. Ordo ergo, & series effectuum vnius causæ, non obstat, quin huiusmodi effectus valeant ab alia causa eiusdem speciei produci, maximè quia inter eos non est subordinatio essentialis, sed accidentalis, notante Aristot. 2. *Met.* 2. & 3. *eiusdem cap.* 11. quæ non tollit, quin quod vnum indiuiduum eiusdem speciei potest, pariter possit & aliud, cùm comprehendatur intra spheram eiusdem actiuitatis.

Secundò, causa quæ potest conseruare, potest quoque producere eumdem numero effectum, quandoquidem non minoris est virtutis conseruare, quam efficere; duæ autem causæ totales valent conseruare eumdem numero effectum, vt idem calor qui conseruatur ab hoc igne, potest conseruari ab alio igne, ac etiam à sole, & aere calido, vt liquet experientia. Tertiò, causa efficiens nihil facit ad identitatem, aut diuersitatem essentialem effectus, cùm sit ei extrinseca; atque idem cadauer fiat, siue homo veneno, siue morbo, siue ingulo intereat: non implicat ergo eumdem numero effectum diuisim proficisci à duplici causa totali.

38. Oppones primò, effectus determinatus habet causam determinatam, sic homo generat hominem, & Leo Leonem, ergo idem numero effectus non potest diuisim oriri à duplici causa totali. Respondeo ant. non esse vniuersaliter verum, vt patet de auro, quod fit à sole, & ab arte chymica, & de quibusdam animalibus, quæ ex putri materia, vel ex semine generantur, affirmante Scot. 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. §. *Ad* 1. *R.* & *S.* post August. *in epist. ad Deogratias.*

39. Oppones secundò, si idem numero diuisim produceretur à geminis causis totalibus, dependeret essentialiter ab eis, & non dependeret, quod implicat, vt arguit Doct. *cit. in superiori art.* Ergo, &c. Nego sequelam antecedentis. Siquidem contradictio est repugnantia de eodem, respectu eiusdem, pro eodem tempore, & loco: non sic euenit in re nostra: nam datâ hypothesi, idem effectus esset productus non ab vtraque simul, & semel, sed ab alterutra duntaxat, tametsi potuerit fieri diuisim ab vtraque, vt subtiliter, & consequenter infert Doct. *vbi suprà.*

Dices, datâ hypothesi, is effectus per se non dependeret à causa, sed per accidens. Dico esse omonimiam in particula per se. Si enim per se intelligatur effectum postulare vnam causam, vt ab alia produci nequeat, nego: si verò denotet huiusmodi vocula, causam influere in effectum, & sic concedo; si tamen vna causa ei non communicaret esse, altera eidem esse communicaret. Causa autem per accidens dicitur quæ propria virtute effectui haud esse præbet, vt à Doct. *dist.* 2. *quæst.* 2. *l.* §. *Quartum ad* 1.

40. Oppones tertiò, omne agens agit per suam actionem, quæ est medium quo agens agit, & attingit effectum: vna autem numero actio habet vnum tantum numero terminum, & effectum: ergo idem numero effectus à duplici causa, & actione non valet egredi. Concedo ma ad min. dico actionem esse extrinsecam effectui, ab eaque non decerpere effectum suam vnitatem, & identitatem essentialem; ideò idem effectus potest oriri ab hac, vel illa causa, per hanc, vel illam actionem, immò esse valent distinctæ actiones ad eumdem terminum, & effectum, scribente Scot 4. *dist.* 41. *quæst.* 5. § *Tertia opinio.* Et *dist.* 13. *quæst.* 1. §. *Ad huius autem D.*

41. Instabis, *ex* 8. *Met.* 11. Si agens idem, & materia eadem, effectus erit idem: ergo ad vnitatem effectus requiritur vnitas efficientis, & actionis Occurrit Scot. *in* 4. *citat. distinct.* 43. Si agens sit aliud, & materia diuersa, quidem effectus oriens ex illis est alius, & diuersus; è regione verò non rectè deducitur, quod si idem est agens, eademque materia, idem fit effectus, quandoquidem nequaquam penes vnitatem, & identitatem agentis petitur vnitas, & identitas effectus, cùm vna, & eadem causa efficiens plures numero effectus edere queat, putà vnus pater plures filios, & vna arbor plures fructus.

QVÆSTIO III.

De causis prima, & secunda.

VNA ex potioribus causarum diuisionibus præenumeratis *in precedente quæstione, art.* 1. est in primam, quæ est Deus omnium opifex; & secundam, quæ est omnis res creata: de quarum causalitate, & concursu subsequentes libet perquirere, & decidere articulos.

ARTICVLVS I.

An causa prima conseruet causam secundam in suo esse.

1. NOnnulli apud Aug. 5. *de generi ad litt. cap.* 10. opinantur Deum condidisse Mundum, eique præbuisse virtutem agendi, sicque eum reliquisse, vt media potentia ab eo elargita, & communicata agerez, nihilque amplius circa ipsum operari, nec conseruare. Horum placitum tangit Scot. 2. *dist.* 37. *quæst. vn.* §. *Si*

hec via ante O. & ibid. in Repert. quæst.2. §. Secundo est declarandum. Et innuit Alex. *ibid. quæst.vn. art.vn.* Oppositum autem tuetur Theologorum, & Philosophorum vulgus, Scot. nunc allegatus, & *Quol.*21. & *Quol.*12. §. *De primo B.* S. Bon. 1. *distinct.*37. *artic.*1. *quæst.*1. & 2. *distinct* 7. *quæst.*2. Alen. 1. *part. quæst.*10. *mem.*2. & 3. S Th. *ibid. quæst.*8. *art.*1. & Henr. *Quol.*7. *quæst.*3. docentium, Deum conseruare cunctas res. semperque eas manutenere, adeò vt absque eius ope, & manutenentia nec momento quidem consistere valerent.

2. Not. ex Vallon. *tract. form. fol.*4. *pagin.*2. post Aristotelem 7. *Met T.*59. omnis quæstio vnum supponit, & aliud quærit. In præsenti autem supponitur causam secundam agere, ex infrà dicendis, & inuestigatur, vtrùm se solâ, & vi propriâ operetur, an verò eget ope, & concursu Dei, tam in esse quàm in operari? Deinde supponitur, causam secundam accepisse esse à Deo, cùm anteà non fuerit: Et quæritur, num illud esse, quod Deus ei communicauit, conseruetur ab ipsomet Deo, perenni, & continuo influxu eiusdemmet esse, quod in initio creationis habuit? Conseruatio quippè nihil aliud sibi vult, quam continuationem eiusdem esse à Deo iam accepti, & præhabiti, vt alibi fusè est ostendendum.

3. Assertio, Deus conseruat omnes creaturas, itavt absque eius ope, & conseruatione, in nihilum redigerentur. Ita Scotus citatus, & 1. *distinct.*2. *quæst.*2. §. *Quantum ad* 1. *art.* & 4. *distinct.*1. *quæst.*1. *PP.* Probatur primò, ex sacra pagina Isaïæ 40. *Qui appendit vniuersum orbem tribus digitis.* Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Et act. 17. *Non longè est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Ampliùs Sap. 8. *Attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* 2. ex SS. Patribus, August. 6. *de gen. ad litt. cap.*3. & 8. *eiusdem operis, cap.*26. *Si virtus Dei ab eis, quæ creata sunt, aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnis natura concideret.* Et *tract.*106. *in Ioan.* Scribit Deum esse omnitenentem, quem Græci vocant παντοκράτορ. Et Greg. *in a. cit. à Seraph. vbi suprà. Cuncta in nihilum cederent, nisi manus conditoris ea contineret.* Accedit Diony. 10. *de diuinis nomin.* inquiens, Deum esse omnia tenentem, idest, conseruantem, ne in nihilum ruant. Hancque fuisse mentem Aristot. eiusque Comment. testatur Canon. 2. *Phys. quæst.* 2. §. *Ista tamen opinio.*

Tertiò, non minus dependet lumen à corpore luminoso, quàm creatura à Deo, quoniam creatura in fieri, & in esse dependet à Deo; solus quippè Deus est independens, & cætera omnia dependentia, notante Scot. 4. *nuper alleg.* lumen autem nequit esse absque corpore luminoso, vt constat experientia: ergo nec creatura, sine Deo. Idque declaratur à Doct. Seraph. *primo præcitato*, duplici exemplo, de imagine impressa in aqua à sigillo, & de pondere in aëre sustentato à manu. Tandiu námque remanet imago in aqua, quandiu sigillum, & amoto sigillo, protinùs euanescit. Itemque tandiù pondus in aëre persistit, quandiù manus illud sustentat; quod si manus ampliùs illud non sustentaret, illicò in terram caderet: pariter, creatura sine Dei conseruatione, & manutentia in nihilum abiret.

Rursùs, mutabile, ad immutabile redigitur; temporaneum, ad æternum; dependens, ad independens; secundum, ad primum; potentia, ad actum; vita, ad viuens; & accidens, ad subiectum: Deus autem est immutabilis, & creatura mutabilis; Deus est æternus, & creatura temporalis; Deus independens, causa prima purus actus, vita, & per se subsistens, creatura verò dependens, causa secunda potentialis, imperfecta, nihil habens à se, sed omnia à Deo accipiens, ergo nisi à Deo conseruaretur, periret, & in nihilum rediret.

4. Opponos primò, agens increatum non est minus potens, quam agens creatum, cùm illud sit infinitæ, hoc verò finitæ virtutis: agens autem creatum non conseruat opus suum, postquam illud in lucem edidit, vt ædificator relinquit domum iam ab ipso constructam, nihilque ampliùs circa ipsam operatur: ergo quoque Deus postquam condidit creaturam, relinquit eam, nec quidquam ampliùs circà ipsam præstat, vt significat. *Ecclesiasticus* 15. *Dereliquit eum in manu consilij sui.* Neganda est paritas, quandoquidem opera agentis creati pendent ab ipso in fieri duntaxat, à Deo verò in fieri, & in esse. Ideò assidua, & continua eius manutenentia indigent. Causam non incongruam adducit Seraphicus proximè citatus, agens secundum præsupponit principia, ex quibus principiata & composita constituit, vt Domificator præexigit lapides, arenam, calcem, ligna, & id genus alia ad domum construendam: agens autem primum tam principia, quàm principiata efficit, propterea ab ipso perenniter omnia pendent, & absque quo in nihilum deciderent

5. Opponos secundò, quædam sunt causæ secundæ, quæ non possunt decidere, nec perire, vt Angelus, & anima rationalis, quæ sunt incorruptibiles, & immortales: ergo non omnes res creatæ conseruantur à Deo. Respondet Scot. 4. *distinct.*49. *quæst.*6. §. *Hic duo. B.* dictas creaturas, etsi non sint corruptioni obnoxiæ, quia carent materia, quæ cum priuatione sibi coniuncta extat origo corruptionis, esse tamen à Deo annihilabiles. Sicut enim ex nihilo eas creauit, ita in nihilum eas redigere valet. Idem scribit *Quol.*7. *O.*

6. Opponos tertiò, causæ secundæ nisi à Deo conseruarentur, in nihilum tenderent, vt enim ex non esse conditæ sunt, sic in non esse ferrentur: est autem contra naturam rei in non esse tendere, quia natura appetit esse, & facit, quod melius est: igitur ei non videtur esse opus continuâ Dei conseruatione. Concedo ma. distinguo min. tendere in non esse est contra rei naturam, si res cuperet naturaliter non esse, concedo, quia vnicuique innatum desiderium est semper se conseruandi, quantum potest: tendere in non esse, naturæ aduersatur, ex defectu sui, hoc est, res ex se non potest consistere si sibi relinquatur, sed eget Dei ope, & manutenentia eius, concedo. Ita insinuat Seraphicus *vbi suprà.*

ARTICVLVS II.

An causæ secundæ sint actiuæ.

7. TRipartitos inuenio Scholasticos *in hoc articulo.* Nonnulli namque, quorum placitum non improbabile censet Gabriel 4. *distinct.*1. *quæst.*1. *dub.*3. à causis secundis omnem efficientiam, actiuitatemque auferunt, arbitrantes solum Deum agere, ad præsentiam ignis, & frigefacere, ad præsentiam aquæ. Alij, quorum princeps esse Auicembron *l. fontis vitæ*, suspicantur spiritualia agendi vi quidem potiri, corporea verò eius prorsùs esse expertia. Cæteri verò, tam antiqui, quam moderni palàm defendunt causas secundas, siue spirituales siue corporales planè agere, veréque operari.

8. Not. ex Scot. *Quol.*7. §. *Sed licet P.* posse à Deo entitates, & essentias rerum vnà cum ipsarum viribus, & facultatibus destrui, aut earum integris, & illæsis essentiis manentibus, suspendere actiones earum potentiarum, vt præstitit in fornace Babylonica, non tamen aptitudines, & virtutes ab eis tollere, ne agere, & operari queant, propterèaquod realiter identificantur, & formaliter tantùm ab eis, & ab inuicem discriminantur, *ex* 2. *distinct.*16. *quæst.vni.* Quare, ignis potest quidem preueniri à Deo, aut impediri nè actu calefaciat, & comburat præiacentem materiam rectè dispositam, & debitè approximatam, non tamen ab eo adimere, & auferre aptitudinem, & idoneitatem virtualem

virtualem calefaciendi, & comburendi subiectum apte dispositum.

9. Assertio, causæ secundæ verè, ac propriè sunt actiuæ, & operatiuæ. Ita Scot. præcit. & 1. *dist.* 7. *quæst. vn.* §. *Ad* 2. *principale*, & *dist.* 4. & 2. *dist.* 25. & 37 §. *Si hæc via est vera*, & 4. *dist.* 1 *quæst.* 1. *PP.* & *Quol.* 15. Probatur primò, ex sacra pagina Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum.* Vbi habetur Dei præceptum operandi, & paulò post, eius exequutio. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen, iuxtà genus suum, lignumque faciens fructum.* Deindè *cap.* 2. *eiusdem libri, Posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum, mandauitque ei, ne comederet de ligno sciētia boni, & mali*, cuius transgressione pœnâ plectitur Adam, cum vxore eius. Et quia serpentis suasione id præstitum est, ait ei Dominus. *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ.* Et c. 22. *eiusdem operis*, idem Deus præcepit Abrahæ, vt sibi Filium immolaret, cui confestim, obediens, benedicitur ab eo dicente *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, propter me. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.* Ex his clarè patet, causas secundas vi propria agere, cùm quædam vt Adam, pœnâ plectantur, aliæ verò, vt Abraham, præmio afficiantur, quia ille malè, hic verò bene egit; alioqui iniustè, & sine causa id fieret. Item. *Luc.* 6. & *Mat.* 7. *Arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Quod exponens D. August. *lib. contra Fortunatum*, scribit, *Per arborem bonam, & malam non intelliguntur naturæ, sed voluntates nostræ*, vt legitur Matt. 12. Aut facite arborem bonam, & fructum esse bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum: Siquidem ex fructu arbor agnoscitur, subdit August. cit. Nostrum est eligere, quod volumus.

Secundò, ex SS. Patribus, Basilio *Hom.* 9 *in Hexam.* Damasc. 3 *fides, cap.* 15. & Aug. *Tom.* 4. *suorum operum lib.* 5. qq *quæst.* 15. *Operatur ille*, idest Deus, *cooperamur nos. Nos enim auferre, sed adiuuat bonæ voluntatis arbitrium.* Extatque illud eiusdem Doct. vulgatum 7. Ciuit. 30. *Sic Deus res cunctas administrat, vt suos motus agere sinat.* Hinc subiicit Scot. 4. *dist.* 49 *quæst.* 12. §. *Respondeo E. Deus pro statu isto disposuit rebus coagere, & actiones eis proprias sinere habere.* Accedit Concilium Trid. *sess.* 6. *can.* 4. expressè damnans eos, qui existimant liberum arbitrium creatum nihil omninò agere, & merè passiuè se habere. De quo fusè, & eruditè Alphons. *libro* 9. *aduersus hæreses*, *verb. libertas.*

Tertiò, ex Philosophis. Aristot. cum suo Lycæo 1. *Perih. cap. vlt.* 1. *Phys.* 2. & 8. *eiusdem operis*, necnon s. 9. & 12. *Met.* Plat. cum sua Academia citat. à D. Damasc. 9. *sua Physica.* Trismeg. & cæteris, qui constanter, & vnanimiter hanc veritatem amplexantur, & tuentur. Quibus subscribit Auer. 12. *Met.* deridens Sarracenos tollentes à rebus operationes.

Quartò, quod constat experientiâ, & patet sensibus, inficiandum non esse: experientiâ autem comprobatur, & sensibus cernitur, causas secundas agere, id ergo negandum non est. Ma. liquet, & illustratur ab Aristotele 1. *Met. cap.* 1. Min. est in confesso, ignem calefacere, & comburere, & aquam frigefacere, & sic de cæteris. Quod si negetur ab aliquo, proiiciendus est in ignem donec fateatur, ignem comburere, vt ex Auic. 1. *Met. cap. vlt.* consulit Scot. 1. *dist.* 39. §. *Quantum ad* 1. Huic consonat quod ait Stagirita 1. *Top. ad finem cap* 9. Qui dubitat, vtrum oporteat Deos honorare, & parentes diligere, an non? pœnâ indiget. Qui verò, vtrum nix alba sit, an non, sensu caret.

Quintò, ex 1. *Eth.* 7. & 2. *Cæli* 17. *cit.* à Doct 4. *Reportat. distinct.* 49. *quæst.* 1. *propè initium*, esse est propter operari, quod est dictu, vnumquodque est propter suam operationem, sic plantæ ad florendum, arbor ad fructificandum, homo ad laborem, & auis ad volatum, vt legitur *in libro Iob. cap.* 5. sunt autem causæ secundæ conditæ à Deo, vt patet Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Et quidem cælum ad influendum, & terra ad germinandum. Hocque apertè in animantibus demonstrant varia, & diuersa organa, & instrumenta apta ad diuersas functiones, & operationes exercendas, sic homo habet manus, bos cornua, Aquila rostrum, & sic de singulis, in quibus natura nihil superfluum, nihilque otiosum permittit. Addo, figuræ, & formæ artificiales à naturalibus dissident potissimùm, quia hæ viuæ, actuosæ sunt: illæ verò emortuæ, & actionis expertes. Rursùs, nemo pœna, vel gloria dignus foret. Denique, prima causa non est dormiens, sed semper operatur, contemplans, & amans seipsam; eique assistentes, & ministrantes Angeli, ac cæteri beati sunt in continua, & perenni operatione, visione scilicet, & fruitione diuinæ essentiæ. Atque id quotidie, & clarè ostendunt Cælorum motus, elementorum conflictus, mixtorum vires, totaque natura, quæ est *principium motus, & quietis.* Istæ, & consimiles rationes indubiè conuincunt aduersæ sententiæ fautores, nedum spiritualia, verumetiam corporalia agendi virtutem participare: quas fortè dependens Gabriël nuper allegatus, non audet eis adhærere, sed communem sequi protestatur. Vnde non immeritò quidam relatos Authores inscitiæ, & stultitiæ arguunt, & inter Hæreticos scribunt.

10. Oppones primò, Ioan. 1. *Sine me nihil potestis facere.* Et 1. Cor. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Et 2. Cor 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Et ante Hierem. 10. *Non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Ex his, & consimilibus sacræ Paginæ testimoniis concludi videtur, Deum operari, proindéque nihil creaturas prorsus agere. Respondeo exponendo ea loca, non valet causa secunda sine prima quidpiam agere, quia secunda est primæ essentialiter subordinata, & in suo ordine, hoc est independenter omnia prima operatur, & nisi ipsa concurrat, secunda agere nequit: non autem in ordine causæ secundæ, quæ agit dependenter a prima. Quare, vt causa secunda causet, requiritur concausatio causæ primæ. Quod insinuat Christus Dominus *passu allegato*, inquiens. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Idem insinuat D. Paulus citatus, cap. 3. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem Dei enim adiutores sumus.* Et ibid. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Maximè in operibus meritoriis, quæ haud fieri valent absque auxilio, & gratia Dei præueniente, & concomitante, vt ostendit idem Apostolus vbi supra, cap. 13. *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum* Et Deinde cap. 15. *Gratia autem Dei sum, id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui.*

11. Oppones secundò, perfectissimus agendi modus tribuendus est Deo, qui est opifex perfectissimus: agere autem se solo, est perfectior modus agendi, quàm agere ope, & consortio alterius. Igitur Deus omnia peragit, creaturis secum non concausantibus. Concedo ma. distinguo min. agere se solo est modus perfectior, quàm agere consortio alterius, si hoc proueniat ex impotentia, & imbecillitate virtutis, concedo: quod si oriatur ex communicatione potentiæ, & virtutis collatæ, quà causa secunda potest coagere cum prima, ad effectum simul producendum, nego. Id enim arguit maiorem virtutem, & perfectionem in

in agente potente communicare vim agendi effectui, vt secum cooperetur: quod artifices suis operibus artificiosis p... nequeunt, vt innuit Scot. *quol.7.§. Sed licet P.* post D.Paulum *Galat.3.*

12. Oppones tertiò, si corpora agerent, vel agerent per materiam, vel per quantitatem, sed tam materia, quàm quantitas sunt passiua, & de genere stabilium; ergo corpora vi agendi non potiuntur. Hinc sabiscit August.1. Ciuitat.19. corporeas causas non numerari inter efficientes. Conf. actio fit per intimum illapsum in passum: corpora autem nequeunt intimè illabi in passum, propter quantitatem, quæ est impenetrabilis, ergo corpora sunt actionis expertia. Responsio maiorem esse insufficientem. Siquidem corpora agunt per formam, vt principium quo, & ipsa corpora, vt principium quod, notante Philosopho 1. *anima T.64.* Ad August. dico, ipsum actiuitatem à rebus corporeis non adimere, cum eas nominet causas, sed iudicare eas, non esse potiores, & citiores, eiusmodi sunt causæ spirituales, & immateriales. Ad conf. dico, corpora agere non per illapsum, sed per contiguitatem. Constat enim ignem agere in aquam, & econtra, si contigua extiterint, & debitè approximata.

ARTICVLVS III.

An causa prima concurrat cum causa secunda ad omnem effectum producendum.

13. Etsi omnes Scholastici libenter confiteantur, & firmiter tueantur, primam causam, cum secunda coagere ad quemlibet ipsius causæ secundæ promendum effectum: nihilominus altercantur de modo, quo fit huiusmodi concursus, an mediatè an verò immediatè? Aureolus quippe *2. distinct.38. quæst. vn. artic. vn.* Dur. *ibidem, distinct.1. quæst.5.* & nonnulli apud August. *in initio art.1. huius quæst. allegat.* autumant, Deum præstare suum concursum creaturæ mediatè duntaxat, quatenus in principio molitionis eius, communicauit illi virtutem, & potentiam agendi, quâ potest totaliter ipsâ solâ quemcumque effectum edere ei præportionatum. Cæteri autem omnes, inter quos præcipuè tuent Doct. subtilis *2. distinct.37. quæst. vn. §. Propter igitur sub P. & 4. distinct.1. ad finem, quæstione 1.* Seraphicus *2. distinct.45. quæst.2. art.2. & 2. distinct.37. primo princ. quæst.2.* Angelicus *1. parte quæst.105. artic.5. & 3. contra Gentes cap.70.* Irrefragabilis *2. p. quæst.9. num.2.* Illuminatus *1. distinct.43. quæst.7.* Et princeps Nomin. *Quol.5. quæst.4.* ducent Deum esse causam immediatam omnium effectuum causarum secundarum.

14. Not. primò, & recol. ex dictis, inter causam primam, & secundam adesse subordinationem essentialem, adeovt secundæ operari nequeat absque prima, tametsi prima agere valeat sine secunda. Ratio est, quia hæc est inferior, & dependens; illa verò superior, & independens. Deindè aduertendum est, causam primam liberè, & sponte causare, & operari quoscumque effectus rerum creatarum, quamuis quædam earum concurrant ad eos naturaliter, & necessariò, vt ignis ad generationem ignis; quædam verò liberè, & voluntariè, vt se habet homo in actibus suæ voluntatis, siuè elicitis, siue imperatis.

15 Not. secundò, licet prima causa sit prior prioritate existentiæ, & perfectionis: non tamen est prior prioritate causalitatis, & concursus: vtraque enim simultaneo concursu producit communem effectum. Quod quidam Scotistæ deducunt ex Scot. *2. distinct.37. quæst. vn.* his verbis. *Causa prima agit prius prioritate æquo, quia independenter, & perfectius: non prioritate in quo, itavt prius attingat effectum, quam causa secunda.* Exemplo illustrari potest de materia, & forma. Etsi enim materia prior sit in essendo, & existendo, quàm forma; nihilominùs haud prior est in influendo, & producendo compositum, sed ambæ simul concurrunt ad ipsum causandum, vt aptè prosequitur Doct. *mox alleg. §. Ad solutionem V.* Cùm autem duæ causæ concausant eumdem effectum, si quis defectus accidat ipsi effectui, huiusmodi defectus potest ab vna, & non ab altera simul concurrente prouenire, vt *2. Phys.26.* Sol, & homo sunt duæ causæ concurrentes ad generationem hominis; si eueniat monstrum, tale monstrum non attribuitur Soli, sed homini, propter exuperantiam, vel penuriam materiæ, vel ob alias causas infrà tradendas: sic causa prima, & secunda simul producunt eumdem effectum, quod si aliquis defectus in eo contingat, ille defectus non primæ, sed secundæ causæ imputatur, vt post D. Bon. citat, innuit Doctor *vbi suprà §. Propter Q.* Ratio est, quia causa prima est perficiens, secunda verò deficiens, vt Dauid pœnitens de se ipso liberè, & publicè fatetur Psal.118. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Causa namque prima quantum est ex se perficeret effectum, si causa secunda coagens vellet eamdem perfectionem, & rectitudinem ipsi effectui præstare. Quoniam verò secunda causa non vult cum prima causare, & à regula sibi à Deo præfixa deflectit, proptereà accidit defectus, seu peccatum, quod isti soli attribuitur, quæ tenetur parere illi, & non paret vt significat August. *Psal.70. conc.2. & lib. de cantico nouo, cap.8.* qui habetur *Tom.9. operum eius.*

16. Not. tertiò, ex communi Placito Theologorum, nuncupatim Scot. *præcom §. Istæ quæstiones & §. Ex ista solutione, & in Reportat.2. distinct.35* in peccato considerari duo, putà materiale, & formale. Materiale peccati, quod & substractum, & esse physicum nominatur, est illud positiuum, quod realiter efficitur à prima, & secunda causa. Formale verò peccati est carentia rectitudinis debitæ in esse actui secundo, & non inest, quod esse morale malum, & deforme perhibetur. Explicatur exemplo, de vulneratione, & occasione hominis, ad cuius sectionem carnis concurrit Deus, non verò ad deformitatem homicidij, quatenùs prohibetur ab ipso Deo in Decalogo, Exod.20. *Non occides.* Quare peccatum formaliter nihil aliud sibi vult, quam priuationem rectitudinis, vtilitatis, ordinis, & entitatis, authore D. Bon. *2. distinct.37. art.2. quæst.1.* cui præiuit D. August. tract.1. in Ioan. *Peccatum nihil est, & cum peccant homines, nihil fiunt.* Et in Psalm 68. *Non est substantia, quia est iniquitas, quæ nihil est.* Et innuit Dauid Psal.14. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.*

17. Assertio prima, Deus concurrit ad omnes effectus rerum creatarum immediatè. Est communis Scot. citat. *in initio articuli.* Rich. *2. distinct.45. art.2. quæstion.2.* & cæteris, *ibidem* Probatur primò, ex sacris litteris. Isa 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Deut 1. *Dominus Deus noster, qui præcedet, antè faciem vestram, ipse simul debellabit eos vobiscum.* Et Ioan.1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et 15. *sine me nihil potestis facere.*

Occurrunt nonnulli exponentes præfata testimonia, & consimilia adducenda de mediato influxu, & concursu causæ primæ, cum secunda. Contra, in eis locis legitur, Deum omnia in omnibus, & cum omnibus operari, quæ haud effici queunt, absque eius immediata concausatione, vt apertè ostendit Christus Dominus passu vltimo Ioan. prælato inquiens. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semet ipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Vitis autem in palmitem influit immediatè, alioqui ipse palmes

arescet, si ab ea disiungeretur, aut quippiam inter hunc, & illam interciperetur. Ergo de concursu immediato exponenda sunt prænarrata loca.

Secundò, ex PP. Aug. lib. 1. qq. Deut. cit. quæst. 1. *Satis ostenditur, ita esse adiutorem Deum, vt etiam homines agant aliquid.* Idem in Deut. 20. quæst. 30. Et in Psal. 143. *Si enim per te impleres totum, non esset necessarius adiutor.* Rursus: *Si tu ipse, tuá voluntate nihil ageres, non vocaretur adiutor. Adiutor enim aliquid agentem adiuuat.* Idem *serm. 14 de verbis Apostoli.* Si ergo Deus in cunctis operibus adiuuat hominem, vt ait sanctus Doctor, planè infertur ipsum esse immediatam causam eorum, veluti qui iuuat aliquem ad ferendum idem pondus, aut trahendam eamdem nauim. Et Bern. 1. *Meditationum*: Deus intimior est operibus internis, quàm externis: creatura autem est sibi ipsi immediatè præsens, suorumque effectuum immediata causa: ergo & Deus, qui est immediatior, & intimior, secundum D. Bern.

Tertiò *ex 2. Met. cap 2.* in essentialiter subordinatis, causa inferior agere nequit absque superiore: causa autem secunda est essentialiter subordinata primæ causæ, cùm ab hac, illa caneteur, & in esse pendeat, sitque ens per participationem: ergo hæc immediatè influit in omnes eius effectus.

18 Dices, id non rectè deduci, quandoquidem inter causam primam, & effectus causæ secundæ, mediat ipsamet causa secunda, à qua immediatè effectus proficiscuntur. Contra, si pereat causa secunda, & persistat eius effectus, vt si destruatur ignis generans, & maneat ignis genitus, proculdubio ignis genitus dependet ab aliqua causa, quia est ens dependens, cum qua dependentia realiter identificatur, non ab igne generante, cùm sit destructus: ergo à Deo immediatè, cum inter eum, & Deum ampliùs non intersit medium.

Quartò, prima causa absolutè, & plenè dominatur in causam secundam, cùm sit omnipotens, adeò quando vult subtrahit suum concursum, ipsaque causa secunda nihil potest agere, vt *Daniel. 3* ignis ardens non calefecit, nec combussit tres pueros Hebræos. At si immediatè causa prima, cùm secunda, non causaret eius actionem, non posset impedire; haberet enim ex se totam agendi virtutem, & quidquid ad eam sequitur, cuius oppositum elucet, tum *passu allegato*, tum etiam *aliis Scripturæ locis.*

Quintò, Deus certè, & indubiè non calleret, quid factura esset causa secunda, quia cùm sit omnisciens ex determinatione suæ voluntatis, qua statuit concurrere ad omnem efficientiam causæ secundæ, vt dixi ex Scot. *Tract. de scientia Dei*, si causa secunda operatur independenter ad influxu primæ, cùm sit libera, puta homo, poterit agere oppositum, quod præscit Deus, proindéque non foret omnisciens, quia possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile, *1. Perih. ad finem.*

Addo, magis dependeret causa secunda à prima, quàm eius effectus, quia illa immediatè, hic verò mediatè, videtur incommodum, principiatum independentius, & absolutius esse principio: igitur operationes causæ secundæ immediatè à prima dependent. Idque affirmat Author de causis *propos. 1.* & confirmat Auct. *ibidem*, inquientes, causa prima plus influit in effectum, quam secunda. Atqui secunda causa influit in effectum immediatè, ergo & prima. Influere autem perindè est, ac causare; si ergo prima immediatè influit, ergo immediatè concausant omnes effectus causæ secundæ.

19. Assertio secunda, sententia negans concursum immediatum Dei cum rebus creatis, & affirmans concursum mediatum duntaxat, non videtur erronea, nec hæretica. Deducitur ex Doct. *nuper alleg.* qui argumenta hanc probantia adducit quidem, sed non diluit, & 2. *Rep. dist. 37. quæst. 1. §. Secundò est declarandum:* palàm inquit præfatam opinionem esse probabilem, tametsi affirmatiuam, & communem, ipse cum suis tueatur. Hanc autem ex instituto docent duo classici Doctores, Aureolus eminentissimus, & Doctissimus Cardinalis, & Dur. sacri palatij Magister peritissimus, & Episcopus eruditissimus. Nec valde displicet Arr. *disp. 10. Phys. sect. 1. subsect. 2.* non tens soluere argumenta illi aduersantia. Quod antè Hurt. *ib. d. sect. . subsect. 1.* præstiterat, licet postmodum *subsect. 2.* incautè, & imprudenter eam reprobet, cum Suarez *disp. 21. sect. 1.* & aliis ab eo allegato. Nec longè distant, qui asserunt Deum immediatè non concurrere ad materiale peccati, inter quos sunt insignes Theologi relati à Seraph. 2. *distinct. 37. quæst. 1. art. 1.* quosve nec ipse, nec Magister sententiarum ausus est arguere, & oppositum assertioni eorum decernere. Si autem per istos Authores primum agens immediatè non coagit cum secundo agente ad actum physicum, qui dicitur materiale peccati, non videtur, cur ad alios actus physicos eodem modo se gerat. Accedit sacra pagina *Gen. 1.* vbi legitur, Deum vim agendi terræ, aliisque rebus tribuisse, easque sic cum suis potentiis reliquisse, vt propria opera, absque eius immediato influxu operarentur, *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, &c.* Deinde *cap. 2. eiusdem lib.* Subiicitur. *Requieuit ab omni opere, quod patrarat*, idest, exponente Lyr. cessauit à conditione rerum, & compleuit opus suum. Et Ecclesiastici 15. *Reliquit eum in manu consilij sui.* Inclinant August. 7. Ciuit. cap. 30. *Sic Deus res cunctas administrat, vt suos motus agere sinat.* Et Ansel. l. de concordia, parte prima cap. 8. *Deus facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipse facit res, à quibus, ex quibus, & in quibus fiunt, & nulla res habet vllam potestatem volendi, aut faciendi, nisi ipse dante.* Et parte secunda subiungit. *Non Deus, qui prædestinat, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua potestate eam relinquit.* Denuò in nullo Concilio damnatur, nec ab vllo sancto Patre, quem viderim expressè reprobatur, vt de principiis, & propterea absolutis diuinarum Literarum constitutiuis ostendit Scot. 1. *dist. 26. quæst. vn.* Ampliùs, aduersa testimonia, & argumenta vnica distinctione solui queunt, puta valere de concursu mediato, non autem immediato; sicque facilè se ponderat illi grauiori difficultati, Deum non esse authorem mali, & causam peccati, quia non concurrit ad huiusmodi actum. Ob id sancit Concil. Trid *sess. 6. can. 6.* proditionem Iudæ, non esse à Deo, sicut est vocatio Pauli: adduntur rationes huius probabilitatem suadentes. In primis, causa sufficiens, positis omnibus requisitis ad agendum, quouis alio secluso, edit effectum suæ virtuti congruum, & proportionatum, vt ignis comburit, aqua frigefacit, planta florificat, & arbor fructificat: Ergo non exigitur alia virtus sufficiens, & totalis productiua, & secum concausans immediatè idem opus, sic passio nullo alio interposito egreditur à subiecto, cuius est passio, puta lux à corpore luminoso, & risibilitas ab homine. Iterùm, agens increatum, & creatum, aut vtrumque simul, & immediatè causat effectum totaliter, & ita effectus bis produceretur, vel alterutra causa superflueret: aut ambo forent causæ partiales partialiter concausantes; & hoc derogat potentiæ Dei, quæ est summa, & infinita, cuiuscumque effectus sufficienter productiua. Deinceps, ad effectum causæ materialis, & formalis Deus immediatè non concurrit, propter annexam imperfectionem causalitatum earum, vt nemo inficiatur, ergo id quoque astruendum est de effectu cæterarum causarum. Denique non dantur duo fines immediati: ergo nec duæ causæ efficientes simul, & immediatè eumdem effectum causantes.

20. Hæc adduxi non aduersando sententiæ communi, sed disputando pro vtraque, non asserendo, sed opinando, & vindicando ab errore, & hæresi prænominatos orthodoxos Doctores. Me autem submitto meliori iudicio, & sacrosanctæ Ecclesiæ, & sequor affirmatiuam partem. Ideò respondeo ad ea, quæ afferuntur

runtur pro parte negatiua, & dico scripturæ loca, & PP. testimonia, vnum affirmare, & alterum non negare. Affirmant quippè creaturas à Deo accepisse vim agendi, in principio suæ molitionis, vt indicat Lyran. præmemoratus. Non negare autem Deum immediatè, cum eis causare, immò id præsupponere, cùm sint entia dependentia, participata, & essentialiter subordinata. Quod verò facessit negotium, est decretum Synodi Trid. citat. negantis, Deum ad malum, & peccatum coagere, cùm sit bonorum author, & non malorum causa, cui satisfit ex August. 12. *Ciuit cap.*7. & Bon. 2. *distinct.*41. *art* 1. *quæst.*2. aientis peccatum, & malum culpæ habere causam non efficientem, sed deficientem, quæ Deo, qui est perficiens, competere nequit. Ad primã rationem idem est dicendum, nempè causas secundas agere quidem, sed dependenter à concursu Dei immediato, quem semper exigunt, & continuè deposcunt, absque quo operari non possunt. Ad 2. dico ambas esse totales in suo ordine, & communem effectum causare: aut esse partiales, nec ob id Deo imperfectio vlla tribuitur, quoniam partialiter causat non ex defectu virtutis, sed ex beneplacito suæ voluntatis sic volentis cooperari, ad efficientiam omnium effectuum creaturarum. Ad 3. dico Deum concurrere in genere causæ efficientis, quod nullam imperfectionem designat. Ad 4. dico esse duos fines subordinatos, sicuti causæ sunt essentialiter subordinatæ, propterea nulla extat implicantia.

ARTICVLVS IV.

An causa prima concurrat cum secunda immediatè immediatione virtutis, & suppositi.

21. QVidam Thomistæ, nominatim Ferr. 1. *contra Gentes, cap.*7. astruunt Deum operari cum rebus creatis immediatè immediatione virtutis, & non suppositi. Communis autem opinio est Doct. 2. *dist.* 37. *quæst vn.* §. *Ad solutionem.* Fuent. 2. *Phys. quæst.* 5 *art.* 1. *diff.* 1. Conimb. *ibid cap.* 7. *quæst.* 14. *art* 1. & aliorum docentium primam causam agere cum secunda vtroque modo immediatè immediatione virtutis, & suppositi.

22. Not. in quolibet agente duo distingui, virtutem agendi, quæ dicitur principium *quo*, & ipsum agens, quod perhibetur principium *quod*, vt virtus solis illuminandi est principium, *quo* sol illuminat, & ipse sol est principium, *quod* illuminandi. Cùm autem in ant. art. statutum sit primum agens agere cum secundo immediatè, restat in præsenti vestigandum, num operetur immediatè immediatione virtutis, & suppositi, an non? Tunc autem agens agit immediatè immediatione suppositi, cùm inter agens, & passum nullum interponitur suppositum, vt orbis lunæ agit immediatè immediatione suppositi in sphæram ignis sibi contiguam: è regione agere mediatè mediatione suppositi est, quando inter agens, & passum mediat aliud suppositum, sic Luna agit in aërem, aquam & reliqua corpora inferiora. Agere verò immediatè immediatione virtutis est, quando agens agit in passum virtute propriâ sibi inexistente, sic ignis immediatè immediatione virtutis calefacit, & comburit lignum sibi proximum: è contrà agere mediatè mediatione virtutis, est quando agens agit virtute ab alio emendicata, & in se non existente, sic artifex operatur virtute actiuorum naturalium applicata passiuis. Addunt quidam alium modum agendi immediatè immediatione virtutis, cùm agens agit à se, & independenter à quouis alio quo pacto solus Deus operatur, quia solus est independens, cætera verò ab ipso dependentia, proindéque mediatè agentia, secundum virtutem à Deo eis elargitam, & communicatam.

23. Assertio, causa prima concurrit cum secunda, vtroque modo prærecensito. Tenet Doct. *vbi suprà*, & *ibid. in Report. quæst.* 2. Idem ex eo tradit Aretinus 2. *Phys. in annot.* 2. *Phys. quæst.* 8. Probatur primò, prima causa est indistans à causa secunda, cum sit vbique per suam immensitatem, vt significatur Psalm. 15. *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Et Act. 17. *Non longè est ab vnoquoque nostrûm, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Ergo prima causa causans cum secunda immediatè agit duobus illis modis prænarratis. Secundò, quod operatur per virtutem sibi inexistentem, nullo interposito medio, immediatè causat dictis modis, vt patet *ex præmisso not.* Prima autem causa per virtutem propriam, immò independentem à quouis alio, cum secunda operatur, nullo interiecto medio, cùm illa sit isti intimè præsens. Tertiò, actio egrediens immediatè ab agente arguit binam præfatam immediationem, quoniam effectus causari nequit, immediatè, nisi per actionem ab ipso agente immediatè egredientem, maximè cùm suppositum, eiusque virtus realiter idem esse censentur. Actio autem Dei causantis cum creatura, ab eo immediatè exit, quia simul eumdem attingunt effectum communem, ergo vtraque agit duplici modo præmemorato.

24. Opp. in ore omnium extat, Deum agere mediis causis secundis, ergo neutro modo Deus immediatè causat cum rebus creatis. Respondeo, ant. esse distinguendum, vt innuit Mauritius *in cap* 2. *de primo principio*: Si enim sic capiatur, vt causæ secundæ essentialiter dependeant à prima in esse, & operari, conceditur: quod si intelligatur, Deum agere mediante virtute eis ab initio communicata, negatur com[muniter] à Scholasticis.

25. Dices, inter vtramque causam extat essentialis subordinatio: ergo vna causat, mediante alia. Dico huiusmodi subordinationem non tollere præfatum duplicem modum agendi immediatè, quia licet secunda causa nequeat operari sine prima, tamen prima non prius causat quàm secunda, sed ambæ simul immediatè communem edunt effectum. absque vlla interiectione alterius virtutis, & suppositi.

ARTICVLVS V.

An causa prima prædeterminet, & præmoueat causam secundam ad agendum.

26. FAmilia Dominicanorum, nuncupatim Bannez 1. *p. quæst.* 14. *art.* 13. & *quæst.* 23. *art.* 3. Rip. *ibid. quæst.* 19. *art.* 8. *dub.* 1. *cap* 11. Aluarez 3. *de auxiliis disp.* 19. & aliorum ex D. Th. 1 *part. quæst.* 105. autumat primam causam præmouere secundam, præmotione reali, & physica ad operandum, adeovt absque tali præmotione agere nequeat. Hi autem Authores inter se sunt diuisi, & bipartiti. Nonnulli namque opinantur, Deum præmouere agens creatum per præuiam qualitatem physicam in ipso receptam, quâ potens redditur ad operandum, & absque quâ impotens, & insufficiens est ad agendum. Cæteri verò arbitrantur, nihil quidem reale præuium in creatura poni, & recipi in ipsa intrinsecum, sed extrinsecum, quod est prædeterminatio diuinæ voluntatis prædeterminantis physicè ipsammet ad agendum. Quibus sese opponunt Scot. 4. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *propè finem*, & *distinct.* 12. *quæstion.* 3. §. *Quantum ad argum. Principale*, & *distinct.* 43. *quæstion.* 3. §. *Tertia opinio.* Faber *in supp.* 1, *disp.* 57. *cap.* 2. & *inde*, & alij Scotist. Quibus astipulantur Mol. 1. *part. quæstion.* 14. *art.* 13. *disp.* 6. & Suarez *in opuscul. lib.* 1. *de concursu*, & Conimbr. *in*

Phys. quæst. 1 . *cap* 7. *artic.* 1. & alij communiter, & firmiter negantes prænominatam physicam præmotionem, & prædeterminationem.

27. Not. primò, hanc controuersiam æque agitari de agente secundo naturali, & necessario, ac de libero, & spontaneo, nedum penes effectus vi naturæ attingibiles: verumetiam penes opera, ad quæ superna exigitur virtus. In præsenti autem de meritorijs, & supernis non mouemus vllam dubitationem, & difficultatem, cùm de fide sancitum sit dari gratiam præuenientem, qua Deus hortatur, excitat liberè, mouetque moraliter liberum arbitrium, & voluntatem creatam ad benè agendum, & meritoriè operandum, vt constat ex verbis Conc. Trid. *can.* 4. & 5. *sess.* 6. & catech. Rom. *de* 1. *art. Symb.* 1. *part. num.* 22. *Quamuis secundarum causarum efficientiam non impediat, preueniat tamen.* Idque annuunt Sacræ Litteræ Psal. 20. *præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et Psal. 56. *Misericordia eius præueniet me.* Confirmant SS. PP. præsertim August. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. in fine. *Nec velle, nec currere, nisi eo monente, atque excitante, poterimus.* Et subscribit Author *de fide ad Petrum, capit.* 32.

28. Not. secundò, causam secundam in se, & in suo ordine esse perfectam. Est enim opus Dei, cuius opera sunt perfecta, *Deut.* 32. Et ante Gen. 2. *Igitur perfecti sunt Cœli, & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat.* Cùm autem perfectio rei creatæ duplex statuatur, notante Lyr. *passim alleg.* vna ad actum primum, & altera ad actum secundum, illa est essentia rei, ista verò eius operatio, prior ordinatur ad posteriorem; quia esse est prius, quàm operari. 2. *Cœli* 17. causa secunda est perfecta, & completa in actu primo, & in suo esse essentiali: incompleta verò, & insufficiens ad effectum causandum, propterea indiget concursu primæ causæ, ad hoc, vt producatur effectus. Adest quippè inter eas causas essentialis subordinatio in esse, & in operari; ita vt causa secunda nihil prorsùs agere valeat sine auxilio causæ primæ, vt benè prosequitur Doct. 1. *distinct.* 37. *quæst. vn.* §. *Si hæc via*, & §. *Ad solutionem.* Et *in Reportat quæst.* 2. Duo autem secernuntur in causa causante, actio, & effectus per actionem productus, vt per calefactionem causatur calor ab igne: actio alia prodit à causa prima, alia verò à causa secunda; sicut enim causæ distinguuntur, ita actiones, in Schola Doctoris locantis actionem in agente: effectus verò vnus est vtriusque causæ. Ambæ namque causæ conueniunt, & concausant communem effectum, vt duo homines simul trahunt vnam, & eamdem nauim. Quapropter, causa voluntaria libera est in actione elicienda, & emittenda. Potest namque eam elicere, & non elicere, eamque suspendere. Emissâ autem, & elicitâ actione, vna cum actione causæ primæ producitur effectus communis, ita dictus, quoniam ab vtraque causatur.

29. Not. tertiò, ex Doct. 4. *distinct.* 43. *quæst.* 3. §. *Tertia opinio.* essentialem subordinationem inter primam, & secundam causam non esse quidpiam absolutum prius productum a causa prima, & receptum in causa secunda; sed nihil aliud sibi velle, quàm ordinem, & relationem, quæ nomine dependentiæ causæ secundæ à prima exprimitur. Cum enim causa secunda sit dependens à prima, tam in esse, quam in operari, propterea illi subordinatur essentialiter, adeò vt sine illa neutiquam operari queat, vt tradit Scot. 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *in fine.* Licet autem dicatur prima causa mouens, & secunda mota, nihilominùs haud prior est in influendo, & causando, sed in perfectione, nobilitate, & independentiâ, vel quia tribuit virtutem causæ secundæ, quæ simul cum Dei influxu attingit effectum communem, atque prima non agente, ipsa nequaquam agere potest, tametsi ipsamet nihil in se recipiat exponente Lych. 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. §. *Sed in hoc occurrunt.*

30. Assertio prima, in Lycæo Peripatetico causa prima non præmouet physicè, nec prædeterminat causam secundam ad agendum. Deducitur ex Scot *Quol.* 7. & 1. *dist.* 8. *quæst.* 5. & alibi contra Fuent. 2. *Phys. quæst.* 5. *diff.* 2. *art.* 1. & Complut *ibid. disp.* 11. *quæst.* 2. §. 2. Probatur primò, *ex* 8. *Phys. T.* 32. grauia, & leuia mouentur a seipsis, vt ignis sursum, & terra deorsum. Et *T.* 33. homo mouet baculum virtute propria, & sibi intrinseca.

31. Dices, grauia, & leuia moueri à generante, non autem à seipsis. Et exemplum de baculo à manu moto est ad oppositum: Siquidem illud affert Aristot. vt probet præmissam propositionem, *quidquid mouetur, ab alio mouetur*, subijcit, sicut baculus mouetur à manu hominis. Contra, Stagirita *eo in loco*, exemplificat de discente, & sciente, qui habet potentiam ad disciplinam, & doctrinam, huiusmodi autem potentia ad actum sciendi, & speculandi est sibi intrinseca, putà intellectus eius, qui est virtus intrinseca eius animæ. Si ergo grauia, & leuia mouentur, sicut sciens dicitur ad actum sciendi, quia sciens ad huiusmodi actum mouet se per potentiam sibi innatam, ita illa à se, siue à virtute ipsis intrinseca mouentur ad proprium locum, & centrum, si auferatur impedimentum, quod ne ad illud ferantur, retinent, vt subóectit idem Philosophus. Quod verò additur de baculo à manu moto, dico valere de motu locali in eis, quæ non habent potentiam intrinsecam actiuam mouendi se localiter, sed mouentur a principio extrinseco, vt baculus mouetur a manu; homo autem mouet baculum vi propria, & intrinseca. Secundò, *ex* 3. *Phys. T.* 18. causa secunda agens non mutatur: at si priusquam ageret in se reciperet præuiam qualitatem, indubiè mutaretur: ergo in sententia Aristot. causa secunda non præmouetur physicè ad operandum. Nec valet expositio Complut. agens non mutari per suam actionem, siquidem cum de non agente fiat agens, sane mutatur per suam actionem, quam emittit. Tertiò, in Schola Aristot. causa secunda est determinata ad agendum, vt ignis ad comburendum, aqua ad humectandum: ergo impertinens est qualitas præuia, ad hæc agentia determinanda in suis operibus, & effectibus. Nec iuuat responsio Complut. hæc agentia habere quidem vim determinatam, in se, & in suo ordine, non verò in ordine ad causam primam. Quandoquidem, qualitas præuia à Thomist. excogitata non respicit causam primam, sed secundam, per quam præmouet. dicitur Iterum animata mouent se à principio intrinseco, vt explicatius elucet in iis, quæ mouentur motu progressiuo. Rursùs, aqua calefacta reducit se ad pristinam frigiditatem, per vim ipsi innatam, & intrinsecam. Denique 2. *Phys. T.* 3. natura est principium internum motus, & quietis. Quod plerique interpretantur de principio actiuo. Etsi natura non ita angustè sumatur, sortitur principium actiuum, vt natura facit quod melius est 2. *de gener. T.* 59. Igitur à Peripato explodenda est præmotio, & prædeterminatio physica prænominata.

32. Assertio secunda, causa secunda naturalis à prima nec præmouetur, nec prædeterminatur physicè. Tenet Doct. *in initio huius art.* & subscribit Recentiorum vulgus. Prima pars probatur primò, causa secunda in suo genere, & ordine est perfecta, & completa, habens potentiam idoneam, & virtutem sufficientem operandi, & promendi quoslibet effectus sibi congruos, & proportionatos, vt ostendi *in primo nos.* Ergo vllam qualitatem physicam præmouentem ad agendum non præëxigit. Respondent Thomist. causam secundam quidem habere vim agendi per modum habitus, & potentiæ, non tamen per modum actus sufficientis ad operandum in suo ordine, sed à Deo eam accipit per dictam qualitatem in se receptam, per quam completur eius virtus in actu primo, & per modum principij sufficiens redditur

ditur ad agendum in suo ordine, & genere. Contra, causa secunda in actu primo, & in suo genere habet quidquid requiritur ad agendum, vt terra virtutem germinandi, & ignis vim igniendi, quibus Deus mandat, vt operentur secundum suam virtutem Gen. 1. *Germinet terra herba virentem*. Quod si foret incompleta virtus penes actum secundum, maneret, & irritum esset illud præceptum, & mandatum operandi, vtpote quia per eam non possent operari, cùm peterent aliam præuiam virtutem siue prænominatâ qualitatem physicè ipsam præmouentem, & excitantem ad agendum. Deinde, res in sua natura, & essentia completa, & perfecta, vtique in potentia & virtute sortitur suum complementum, quæ a virtus egreditur ab essentia tanquam ab eius fonte, & radice: secunda autem causa participat essentiam perfectam, & completam: ergo atque potentiam, & virtutem agendi perfectam, vt Angelus qui potitur naturâ intellectuali, perfecta pariter & intellectu perfecto, qui est eius potentia: atque iuxta rerum naturas habentur earum potentiæ, & virtutes operandi. Si ergo causa secunda per modum habitus habet virtutem sufficientem, & quoque & per modum actus.

Secundò, si causa secunda ad agendum præexigit qualitatem prædictam sibi inhærentem, eâ habitâ, & in ipsa recepta produceret effectus sibi proprios, & consentaneos absque Dei auxilio, & concursu, quia haberet quidquid requiritur ad operandum, sicque independenter ageret, veraque esset opinio Aut. & Dur. *supra* reiecta. Occurrunt Thomis. negantes sequelam. Quandoquidem, illa præuia qualitas non excludit concursum causæ primæ, cum secunda ad efficientiam communium effectuum: datur namque ad mouendam, excitandam, & applicandam causam secundam ad operationem, quæ siue illa præexistente non operaretur. Contra, causa secunda sufficienter absque alterius ope, eiusque potentiæ mouentur ab obiectis, penes quæ laborant, vt visus à colore, & auditus à sono; atque ignis sibi oblato combustibili, debitè approximato, & disposito, comburit illud, nullo alio principio sibi de nouo indito. Immò vanum, & ridiculum videtur, ignem in præfatum obiectum non posse agere, nisi priùs in eo insit qualitas præuia à Deo causata, maximè cum assignentur naturales qualitates præexistentes ad præparandum, & aptandum subiectum, circa quod agens naturale debet operari.

Tertiò, si causa secunda in se susciperet qualitatem, per quam actu operetur, & sine qua operari nequeat, esset instrumentum, quod accipit virtutem, actualemque motionem à causa principali, vt liquet de serra secante lignum, aliisque artis instrumentis. Causa autem secunda non est propriè instrumentum, quandoquidem participat propriam virtutem agendi in ipsa permanentem in esse, & in fieri, vt præclarè ostendit Doct. 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *art.* 3. Ergo nulla præuia qualitas in ea statuenda est, vt operetur, cùm propriam operandi vim in suo ordine possideat. Accurrunt Thomis. concedentes, causam secundam esse instrumentum Dei, proindeque à Deo principali agente mutari virtutem agendi, veluti instrumentum artis, vim agendi decerpit ab artifice tamdiu durantem, quamdiu ab eo actualiter mouetur; cuius motione cessat eius virtus, & operatio. Contra, causa secunda est causa non instrumentalis, sed principalis. Siquidem, ab Aristotele 8. *Phys. T.* 33. & 12. *Met. T.* 34. causa principalis diuiditur in primam, quæ est independens; & secundam, quæ est independens, & essentialiter primæ subordinata: vtraque autem pollet propriâ vi agendi in ipsa perdurante, quamdiu ipsa durat, estque productiua termini, & effectus, quem respicit; instrumenti verò virtus est transiens, & tantùm dispositiua subiecti, termini, & effectus producendi. Accedit, dicta qualitas cùm sit condita à Deo, in serie rerum creatarum residet, & extat causa secunda: si ergo omnis causa secunda ad operandum indiget præuia qualitate præmouente, sanè hæc quoque vt operetur, eget alia præexistente qualitate, & cùm sit eadem ratio de cæteris, fiet processus in infinitum ab omnibus fugiendus 2. *Met. cap.* 2. Denique, huiusmodi qualitas cùm sit accidens, non potest attingere terminum substantialem, cùm accidens non producat substantiam. Atque nulla eius necessitas apparet, nec vtilitas, nec probabilitas. Igitur explodenda, & ab Scholis est ablegan da.

33. Secunda pars probatur primò, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, 1. *Phys. T.* 51. sufficit autem æternum decretum, & determinatio Dei, qua statuit ab æterno condere res in tempore, iuxta illud Psal. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Suaque potentia quæ est voluntas, quæcumque voluit, creauit in cælo, & in terra, & in omnibus abyssis *Psal.* 134. Eisque tribuit virtutem, quâ vnà cum ipso agerent, propriosque effectus ederent, secundum præscriptionem, & definitionem, insinuante sacra Pagina Luc. 22. *Filius hominis secundum quod definitum est, vadit, veruntamen væ homini illi, per quem tradetur.* Irritum ergo, & vanum est addere nouam prædeterminationem physicam causas secundas prædeterminantem ad agendum. Secundò, *ex* 8. *Phys. T.* 18. & 1. *de gener. T.* 56 causa secunda naturalis suaptè natura determinatur ad suos effectus promendos, nullo sibi de nouo indito, vt ignis ad calefaciendum, & aqua ad frigefaciendum sibi apposito, & disposito subiecto: superfluum ergo, & superuacaneum est fingere, & inuenire nouam prædeterminationem afficientem, & præmouentem ipsam, ad operandum.

34. Assertio tertia, causa secundâ libera à prima physicè nec præmouetur, nec prædeterminatur ad operandum. Defenditur à Doct. 1. *distinct.* 1. *quæst.* 2. §. *Ad* 1. Et *distinct.* 16. *quæst vn.* §. *Alij dicunt.* Et *distinct.* 37. *quæst.* 1. §. *Quantum ad* 1. Atque indicatur ab August. 3. *de libero arbitrio, cap* 3. & *lib. de gratia, & libero arbitrio in initio.* Et *de cantico nouo cap* 8. Probatur primò, causa secunda naturalis nullâ afficitur præuiâ qualitate, nec prædeterminatione physicâ ad sua opera persoluenda, ergo nec causa secunda libera. Ant. ostensum est in præcedente assertione: consequentia suadetur. Si quid impediret, esset eius indeterminatio, & indifferentia ad agendum: hæc autem non obstat, sed iuuat, cum sit plena facultas, & absoluta potentia ad vtrumlibet, seque liberè, & sponte ipsa causa libera determinet ad quodcumque voluerit, cùm sit domina suorum actuum, vt patet Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui.* Subiungit August. passu postremo citato. Primus ille homo accepit liberum arbitrium rectum, & posuit Deus ante eum ignem, & aquam, ad quod voluerit porrige manum tuam. Elegit ignem, reliquit aquam, videte iustum iudicem. Quod elegit homo, liber accepit, malum voluit, hoc illum secutum esse. Quapropter indifferentia, & indeterminatio causæ liberæ non est passiua, cuiusmodi est potentia materiæ, ad plures formas in ipsa receptibiles, sed actiua ad oppositos actus, effectus; atque obiecta.

Secundò, data præuia qualitate, prædeterminatione physica læditur, & prorsus aufertur humana libertas, quæ consistit in eo, quod positis omnibus necessariis ad agendum, voluntas potest agere, vel non agere, & suspendere suum actum; posita quippe huiusmodi prædeterminatione, voluntas operatur id, ad quod prædeterminatur, adeo vt aliud operari nequeat, alioqui non foret prædeterminata. Si ergo voluntas aliud facere non potest, nisi ad quod prædeterminatur, sanè libera non est, cum libertas respiciat opposita, & ita vnum

agat, vt aliud possit agere, vt decernit synodus Trid. *sess.6 cap.5.*

Respondent Thomist. voluntatem creatam determinari à prima causa, seipsam verò determinare ad agendum, quo pacto manet libera, quia cum se determinat ad vnum, potest se ad oppositum eius determinare. Contra, contradictionem inuoluit, vnam, & eamdem voluntatem simul, & semel physicè esse prædeterminatam, & non esse prædeterminatam ad vnum, & quidem foret prædeterminata per dictam qualitatem, & foret non prædeterminata, quia seipsam determinaret, quod manifestam implicat repugnantiam

Tertiò, liberum arbitrium duplici fungitur munere, vtpotè, quod omittere actum, vel eum exercere, aut suspendere valet: posita autem, & admissa tali prædeterminatione amplius non est in manu eius sic eumdem actum administrare, cum prædeterminatio statuatur ab aduersariis vt sic fiat, & non aliter. Stante ergo prædeterminatione, demitur eius libertas tam exercitij, quàm specificationis. cùm cogatur id solum agere, ad quod prædeterminatur.

Respondent Thomist. argumentum robur habere in sensu composito, non autem in sensu diuiso, sicut à Scholasticis communiter conceditur, prædestinatus in sensu composito non potest damnari, in sensu autem diuiso potest damnari. Atque in ore omnium est, Petrus sedet, vt sedet, in sensu composito, non potest non sedere: at in sensu diuiso, potest non sedere. Contrà, prædeterminatio secum fert contradictionem, & repugnantiam, non verò eam aufert, vt præstat sensus diuisus. Siquidem eadem voluntas per eam esset prædeterminata, & non prædeterminata si quiret oppositum agere; sicut idem esset album per albedinem, & non esset album per eam, idemque esset prædestinatus, & non prædestinatus, quod repugnat. Etenim per aduersarios Deus prædeterminat creatam voluntatem ad aliquid operandum, itavt aliud, & oppositum tali prædeterminationi, nullo tempore eueniat, nec possit euenire, cùm ea prædeterminatio necessariò attingat effectum. Causâ autem prima necessariò agente, inquit Scot. 1. *distinct.* 2. *quæst.* 2. §. *ostenso*, causa secunda necessariò quoque agit. Si ergo illa qualitas est causa necessaria, & non est in potestate voluntatis, sequitur ipsam voluntatem non posse exire in actum oppositum. Atque eadem voluntas in malis actibus non foret culpabilis, cùm non à seipsa moueretur, sed à Deo præmoueretur ad illos actus promendos. Atque peccatum non homini, sed Deo imputaretur, & tribueretur, quod est falsum, & blasphemum.

35. Oppones primò, contra primam assertionem, *ex 7. Phys. cap.1. & 8. eiusdem operis cap.5. T.33.* & alibi, *quidquid mouetur, ab alio mouetur.* Causa autem secunda mouetur ad operandum, ergo à causa prima mouetur, proindéque admittenda est qualitas præmouens, & prædeterminans causam secundam ad operandum. Conf. ex eodem 7. *Moralium ad Eudemum, cap.* 11. se habet anima ad corpus, sicut artifex ad instrumentum, & seruus ad Dominum. Anima autem præmouet corpus, & artifex instrumentum ad agendum. Addo ex *Isa.* 10. Sennacherib perhibetur instrumentum Dei contra Iudeos. Si ergo causa secunda est instrumentum causæ primæ, sequitur illam ab hac physicè præmoueri, & determinari. Respondeo Aristotelem interpretandum esse de motu locali orbium cælestium, qui fit ab extrinseco, hoc est ab intelligentiis à Deo ipsi deputatis ad mouendum, quod declarat exemplum ab illo adductum de baculo, qui localiter ab homine mouetur. Ideò 12. *Met. T.48.* ex numero motuum localium colligitur numerus cælorum. Eò magis, 8. *Phys. citat.* subiicitur, quædam, vt grauia, & leuia mouentur non ab alio, sed a principio intrinseco, seque determinant, non autem ab alio prædeterminantur.

Vel dicito, id exponendum esse penes actum primum, *quidquid mouetur ab alio mouetur*, idest producitur, quo in sensu pariter dicitur causa secunda est mota mouens, & quidem mota, idest producta, & mouens, idest producens. Cùm autem non detur processus in infinitum 2. *Met cap.*2. deueniendum est ad vnum à se, improductum, infinitum, & independens, quod est prima causa seu Deus, omnia producens, regens, & gubernans, cùm entia nolint male gubernari. 12. *Met. in fine.* Atque penes actum secundum, quia prima causa mouente, & agente, secunda causa exit in actum in suo ordine, & ambæ simul concurrunt ad communem effectum producendum, non per aliquid præuium receptum in causa secunda, sed per virtutem à Deo illi communicatam in principio suæ molitionis, vt probè aduertit Doct. 4. *distinct.* 1. *in calce quæst.* 1. *&* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 8. § *Ad quæst. E. in solutione* 3. Hâc quoque ratione intelliguntur, & accipiuntur aliæ quædam propositiones, puta, causa agit in virtute causæ primæ, hoc est, per virtutem sibi à Deo datam in eius creatione. Iterum, causa secunda agit per applicationem primæ, idest primâ se applicante ad operandum, secunda vtique se accingit ad agendum, & vtraque propriis viribus attingit idem commune opus. Prima namque exhibente suum concursum: secunda quoque, si est naturalis, præsto est ad operandum, omni remoto obice. Rursùs, causa prima facit, vt secunda faciat, scilicet per communicationem potentiæ, & exhibitionem concursus necessarij ad faciendum. Sic capitur illud Philip. 2. *Qui operatur in nobis velle, & perficere.* Idest interprete August. 22. Ciuitat. cap. 2. *Suos id volentes facit, sicut dicitur cognouisse, quod vt cognosceretur, facit à quibus ignorabatur.* Per virtutem illis collatam, & concursum necessarium exhibitum. Ad conf. dico, verum esse de instrumento late sumpto. Nam propriè instrumentum in se nullam sortitur vim agendi in ipso permanentem, sed si qua sit virtus, accipit per actualem motionem agentis principalis, notante Scot. *in 4. citat. & distinct.* 13. *quæst.* 1. §. *De tertio CC.* Quod autem ille locus patiatur hunc sensum, patet, quia corpus est compars animæ & ex vtrisque constituitur totum animatum, quod edit opera vitæ, quæ nuncupantur operationes totius, *primò animæ T.*64. Atque famulus vi propriâ agit, licet imperio Domini subiaceat. Idem dic ad testimonium Scripturæ, vt constat *ex* 14. *eius libri.* Vbi facinora patrata à Sennacherib narrantur.

36. Oppones secundò, contra secundam assertionem, causa secunda excitatur, mouetur, & applicatur à prima causa ad operandum, cùm sit ens dependens, participatum, nihil valens agere absque concursu causæ primæ: ergo illa ab hac physicè præmouetur, & prædeterminatur. Negari potest ant. nisi intelligatur eo modo, quo suprà exphcui. Etenim ignis stupæ approximatus, absque vlla alterius excitatione, & motione eam comburit concurrente primo agente simultaneo concursu, quo eget omnis causa secunda vt operetur, vt optime declarat Doct. 2. *distinct.* 37. §. *Ad solutionem. V.*

37. Oppones tertiò, contra tertiam assertionem, multa sacræ Paginæ testimonia, præsertim Iob. 12. *Qui immutat cor Principum.* Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit, vertet illud.* Hierem. 10. *Non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis dirigentur.* Idem videtur innuere Conc. Trid. *sess.*6. *can.* 4. & non longè distat August. *ser.* 94. *de tempore.* His verbis. *Quia sic Deus in nos operatur, vt & nos operemur.* Et Scot. 4. *distinct.* 49. *quæstion.* 6. §. *Dico ergo K* inquiens, voluntatem Beati esse impeccabilem, quia à diuina voluntate præuenitur, nè in peccatum prolabatur. Respondeo ea, & consimilia adducenda, vera esse de operibus bonis, & meritoriis, ad quorum efficientiam requiri

gratiam

gratiam præuenientem, animaduerti *in* 1. *not.* Itaque, si qua præmotio datur est moralis, & non physica. Maxime quia, quædam vult Deus absolute, cuius voluntati nihil potest resistere. *Rom.* 9. Atqui Deo non concurrenti, creatura nihil potest operari, sic Deus vult semper coagere ad actum beatificum, non verò ad oppositum eius, ex quo potest subsequi culpa, ideò in sensu composito Beatus est impeccabilis, authore Scot. præcit. F. Et ex professo ostendi in Morali Philosophia, *dub.*7. *art.*2. *l.*3. *q.*2.

38. Oppones quartò, idem Doct. mox. cit. K. scribit, non esse contra naturam voluntatis creatæ determinari in voluntate increata. Igitur secundum Scot. præmotio, & prædeterminatio physica est consentanea causæ secundæ, atque ab eius schola non expungitur. Concedo ant. nego conseq. siquidem causa secunda essentialiter subordinatur causæ primæ, tenetur que ei conformari, & subiici; ideò quando vult in quibusdam operibus, vt in beatifico præuenit voluntatem creatam, ne in oppositum actum prodeat. Cæterùm, in aliis operationibus per nihil intrinsecum, aut extrinsecum physice prædeterminatur.

Articvlvs VI.

An vna sit actio primæ causæ, & secundæ.

39. DVo extant dicendi modi in hoc articulo. Vnus est Thomist. quos sequuntur Suarez *disp.* 22. *Met. sect.* 3. Hurt. 2. *Phys. disp.* 10. *sect.* 3. aliique Iuniores, arbitrantes vnicam esse actionem primæ causæ, & secundæ concurrentium, ad causandum communem effectum. Alter verò est Scot. 2. *d.*37. *quæst. vn.* §. *Ad solutionem* Lych. *ibid.* Mayr. *d.* 43. *quæst.* 4. & 1. *d.* 43. & 44. *quæst.* 7. Raconis 2. *Phys. tract. de causis, sect.* 3. *quæst.* 1. *in solutione* 5. *obiectionis*, & omnium defendentium actionem esse in agente, qui docent duplicem esse actionem primi, & secundi agentis, producentium communem effectum. Supponendum est ex alibi dicendis, actionem bifariàm accipi, pro actione de genere qualitatis, & vocatur actio acta, quæ est terminus, & effectus agentis, vt intellectio est terminus intelligentis, & visio videntis: vel pro actione de genere actionis, quæ productio, causalitas, & influxus agentis perhibetur, vt calefactio est actio calefacientis, & frigefactio frigefacientis.

40. Ass. distinctæ sunt actiones causæ primæ, & secundæ concausantium communem effectum. Deducitur ex Scot. *vbi suprà*, & *in Rep. quæst.* 2. Probatur primò, distincta agentia distinctas participantia virtutes, distinctas sortiuntur actiones, cùm simul causant eumdem effectum, vt patet de duabus lucernis eamdem domum illuminantibus, & de sideribus collustrantibus nostrum hemisphærium, à quibus egredi cernuntur distinctæ luces, illuminationes, & splendores: & si vna virtus tantùm extiterit in vno, vel duobus agentibus, & suppositis, vna tantùm actio ab eis prodit, sic in diuinis Pater, & Filius vnâ vi spiratiuâ gaudentes, vnicâ spiratione spirant Spiritum sanctum, vnusque spirator perhibentur: pariter tres Personæ vnicâ potentiâ creatiuâ potientes, in vnam exeunt simul creationem, dicunturque vnus creator. Deus autem, & creatura sunt duo agentia participantia distinctas agendi virtutes, ergo eorum actiones sunt distinctæ ad communem effectum tendentes.

Respondet Hurt. præcit. argumentum valere de disparatis, non verò de essentialiter subordinatis, cuiusmodi sunt primum, & secundum agens. Contra, subordinatio essentialis nihil aliud sibi vult, quàm ordinem, & habitudinem inferioris, ad superius, & dependentis, ad independens, quæ est de genere stertium, & impertinens ad vnitatem, aut multiplicitatem actionis, vtpote quæ petitur penes vnitatem aut pluralitatem virtutis, & principij productiui, vt clarè monstrat argumentum.

Secundò, à causis distinctis emanant distincti influxus, causalitates, & actiones, vt liquet ex definitione causæ, quæ est principium per se influens in effectum: primum autem, & secundum agens sunt causæ distinctæ; vna quippè est increata, & infinita; altera verò creata, & finita, & distinctis actionibus causant eumdem effectum.

Tertiò, causæ particulares attingentes simul eumdem effectum, distinctis actionibus coagunt, vt constat de obiecto & intellectu concausantibus eamdem intellectionem, deque patre, & matre gignentibus eamdem prolem. Deus autem, & creatura sunt veluti duæ causæ partiales concausantes eumdem communem effectum, vt non inficiatur Doct. *passu memorato*: ambæ ergo causæ distinctis coagunt actionibus. Addo, si vna ambarum est actio, sicut actio diuina est independens, imparticipata, & infinita, cum Deo identificata; sic erit quoque actio creata, quæ cum illa coïncidit, secundum Aduersarios. Insuper ex Doctoribus Scholasticis, & sacris Conc. in Christo Domino, iuxtà duplicem naturam in vno eius supposito existentem, distinguitur duplex actio, diuina, & humana; illa expers meriti, hæc verò meriti particeps; illa æterna, ista verò temporanea. Hæc, & consimilia prædicata discrimen non exiguum arguunt inter prænominatas actiones.

41. Oppones primò ex scriptura, 1. Cor. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Et Philip. 2. *Qui operatur in nobis velle, & perficere.* Quem passum exponens Aug. 1 *de gratia Christi. contrà Pelagium c.* 5. & *l.* 2. *cap.* 35. ait, *Deum concurrere ad posse, velle, & operari.* Et *l. de prædestinatione, & gratia cap.* 11. subiicit. *Ab ipso habemus velle, quia vocat, & illuminat, ab ipso perficere, quia ad nos pertinet conari bona, quæ donauit, & velle.* Velle autem, & perficere designant actionem: ergo Deus nedum ad effectum, verùmetiam ad actionem concurrit, ac proindè actio creaturæ ab actione Dei non dissidet. Respondeo ad 1. testimonium, Deum operari omnia in ordine causæ primæ, non verò in ordine causæ secundæ. Ibi enim enumerantur diuisiones gratiarum, & talentorum, penès quæ vnusquisque debet operari, & gloriæ coronam adipisci. Ideò, ex illo loco nequaquam colligi potest, vnam esse Dei, & creaturæ actionem, in producendo effectum communem. Ad 2 dico, Apostolum ibi loqui de bonis, & meritoriis operibus, ad quorum efficientiam exigitur gratia præueniens, vt indicat Augustini interpretatio prælata, sine qua nemo benè sperare, credere, & agere potest, vt sancit Conc. Trid. *sess.* 6. *can.* 5. Vel loqui de actione de genere qualitatis quæ est terminus, & effectus productionis vtriusque causæ, vt suprà in præsupposito monstraui: non autem de actione de genere actionis, quæ geminatur penès causarum geminationem, vt innuit ibi idem Apostólus inquiens, *cum metu, & tremore, salutem vestram operamini.*

42. Oppones secundò, Deus est causa immediata omnium rerum creatarum, vt ostendi *in præcente art.* Actio autem causæ secundæ connumeratur in serie rerum creatarum, ergo eius causa immediata est Deus, atque adeò ab actione Dei non discriminatur. Distinguo ma. si sint termini, & effectus eius, concedo: quod si sint viæ ad terminos, & effectus eius, nego, vt patet de relationibus, quæ à Deo immediatè non producuntur, sed consurgunt ex positone extremorum: pariter actio, quæ est relatio extrinsecus adueniens, ex Scot. 4. *d.* 13. *quæst.* 1. haud immediatè procedit à Deo.

Dices, ſi actio cauſæ ſecundæ non immediatè pendet a cauſa prima, ergo eſt independens, & imparticipata, cuiuſmodi eſt actio primæ cauſæ. Neganda eſt conſequentia. Ratio eſt, quia actio creaturæ non poteſt attingere effectum, niſi concurriente cauſa prima. Ideò eſt dependens, & participata.

Inſtabis, ſi hoc verum eſt, vtique actio Dei eſt dependens, quia non exit in effectum, niſi concauſante cauſâ ſecundâ. Negatur paritas, quandoquidem, cauſa prima ex ſuo beneplacito ſic concurrit, cùm tamen, ſi velit, totum effectum producere queat: at ſecunda cauſa niſi iunctur, nequit in effectum egredi, propterea, ſemper in eſſe, & operari eſt dependens.

43. Opponens tertiò, ſi diſtinguamus actionem creaturæ, ab actione Dei concurrentis ad eundem effectum, prolabitur in opinionem Aur. & Dur. communiter repulſam: ſiquidem creatura ſuâ potentiâ, & actione poterit attingere effectum abſque Dei auxilio, vt dicti Authores ſuſpicantur. Occurrendum eſt, latum intercipi diſcrimen inter nos, & illos Doctores. Etenim illi putant, cauſam ſecundam per virtutem ſibi a Deo traditam, in principio ſuæ conditionis, abſque vllo Dei concurſu, cauſare totum effectum: verum, nos arbitramur, nullum prorſus effectum fieri poſſe à creatura, niſi ad eum Deus coagat, & influat.

ARTICVLVS VII.

An prima cauſa determinet ſecundam quoad ſpecificationem, & exercitium actuum.

44. DVo proponuntur, & inſeruntur in titulo præſentis articuli, quorum vnum eſt, vtrùm prima cauſa determinet ſecundam, penès actuum ſpecificationem, an verò ſecunda primam? vt homo determinet concurſum Dei ad generationem hominis, & non alterius, & ſic de cæteris, ſecundum ſuas ſpecies. Alterum verò, num cauſa prima determinet ſecundam. quoad exercitium actuum, & ſingularitatem, vt Petrus gignat Franciſcum, & non Antonium, à quonam fiat hæc determinatio generationis Franciſci, & non Antonij, à Deo-ne, an verò à Petro? De priori parte, omnes ferè aſtruunt, actuum ſpecificationis determinationem proficiſci à cauſa ſecunda. Ignis quippè generat ignem, & non aquam, quod tribuitur igni generanti, & non Deo concurrenti ad eius generationem. De poſteriori verò parte inter ſe diſcrepant ſcholaſtici. Nonnulli namque quos ſequitur Racon. *quæſt.3. de concurſu Dei cum cauſis ſecundis, propoſitione 2. ſect. 3.* determinationem actuum ſingularium, attribuunt circumſtantiis, & conditionibus obiecti, ac diſpoſitionibus ſingularibus. Cæteri verò communiter in cauſam primam refundunt.

45. Not. primò, vnum determinari per aliud, bifariàm contingere, vno modo, per principium intrinſecum, & eſſentiale, ſic ſpecies, per differentiam, & indiuiduum per hæcceitatem determinatur, & de hoc in Metaphyſica. Altero modo, per principium extrinſecum, & effectiuum, de quo in præſenti. Cum enim communis effectus cauſetur à prima & ſecunda cauſa, abs re inueſtigatur, à quanam cauſa ſuum eſſe ſpecificum, & indiuiduale decerpat, à primane, an verò à ſecunda cauſa? Idque exemplis iam illuſtratum eſt in initio huius art.

46. Not. ſecundò, indeterminationem tactam à nobis *in ſuperiori art.* ex Doct. 1. *d.* 3. *quæſt.*7. §. *Ad authoritatem. BB.* duplicem eſſe, paſſiuam, & actiuam. Illa competit materiæ, quæ ſuapte naturâ eſt receptiua omnium formarum, tanquàm eius perfectionum, & cuilibet quoque ſubiecto, ſiue ſubſtantiali, quod in ſe ſuſcipit accidentia communia, ſiue accidentali, vt quantitati qualitatum ſuſceptiuæ. Ita verò conuenit cauſæ æquiuocæ, & vniuerſali reſpicienti plures effectus diſparatos, vt ſoli producenti herbam, plantam, & arborem: vel contrarios, vt eidem induranti lutum, & liquefacienti ceram: atque cauſæ vniuocæ producenti plures effectus eiuſdem ſpeciei, vt homini generanti plura indiuidua naturæ humanæ. Denuò, cauſæ naturali, cuius indifferentia determinatur ab obiecto, vt intellectus, qui eſt indifferens ad intelligendum quodlibet intelligibile, determinatur ab obiecto ſibi præſentato, putà à roſa ſibi oblata, circà cuius conſiderationem occupatur, atque ſol cuius virtus funditur ad cunctos effectus ſublunares, determinatur à diſpoſitionibus proximis præiacentis materiæ, vt ſi in ea extiterunt præuiæ, & neceſſariæ diſpoſitiones ad gignendam plantam, gignit plantam; ſi verò fuerint debitæ præparationes ad generandam ranam, generat ranam, & ſic de reliquis. Necnon cauſæ liberæ, & voluntariæ, quæ indifferens eſt ad actus contrarios, vt velle, & nolle: ac contradictorios, vt velle, & non velle. Quod notat Doct. 9. *Met. q.*15. *&* 4. *d.*12. *q.*3. §. *Dico ergo. M.* Hæc autem eſt, quæ ſeipſam ſponte determinat ad agendum, vel non agendum, quod eſt potiſſimum diſcrimen interceptum inter cauſam naturalem, ac liberam.

47. Not. tertiò, *ex tract. de ſcientia Dei diſp. 3. quæſt.*4. Deum ab æterno omnia & ſingula præſciuiſſe, & decreto voluntatis ſuæ determinare, quæ in tempore fecit, & facturus eſt cum cauſis ſecundis, ſiue liberis, adeò vt concurſus Dei ſit certus, & determinatus, non quidem antecedens, nec ſubſequens, ſed ſimultaneus, & concomitans, iuxtà exigentiam rerum, & determinationem earum. Perſpiciens enim, & præuideus Deus tendentias naturales, ac liberas cauſarum ſecundarum ad obiecta, relinquens eas in manu ſua, & poteſtate, voluntate ſuâ ſtatuit ad earum opera peragenda concurrere, & concauſare ſecundum dictas earum tendentias, & vires, vt præclarè aduertit, & tradit Scot. 3. *d.*17. *quæſt. vn. a* 2. *F.* & indicant Hilarius 9. *Trin. & Aug. in Ench.*95.

48. Aſſertio prima, concurſus primæ cauſæ, quoad ſpeciem limitatur, & determinatur per actionem cauſæ ſecundæ, ad concauſandum communem effectum. Deducitur ex Doct. 1. *d.* 3 *quæſt.* 7. §. *Ad authoritatem. BB.* probatur primò, *ex lib. Geneſeos primo,* vbi iubente Deo, *protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen, iuxtà genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſemen, ſecundum ſpeciem ſuam.* Et paulò poſt, *Quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile, ſecundum genus ſuum.* Secundò ex D. Dionyſ. *cap.* 4. *de diuinis nominibus,* ſcribente, Deum vniformiter operari omnia, diuerſitatem verò eſſe a cauſis ſecundis. Tertiò, *ex 2. Phyſ.* 26. ſol, & homo generant hominem. Vbi actio hominis, qui eſt cauſa inferior limitat, & determinat actionem ſolis, qui eſt cauſa vniuerſalis. Deus autem eſt cauſa ſuperior, & vniuerſalior: creatura verò eſt cauſa inferior, & particularis; ergo actio huius determinat actionem eius ſecundùm ſpeciem. Quartò, effectus à prima, & ſecunda cauſa ſimul productus redditur ſimilior cauſæ ſecundæ, quàm primæ, vt liquet in cauſis potiſſimùm vniuocis. Leo quippe, cooperante Deo, gignit leonem, homo hominem ſibi ſimilem. Idem euenit in cauſa libera, quæ ſeipſam determinat ad actum ſpecificum, puta amorem, aut odium, vt deducitur *ex* 9. *Met. T.*3. & Scot. ibi, & *quæſt.*15. *euſdem lib.*

49. Aſſertio ſecunda, quoad exercitium, & ſingularitatem actuum, cauſa ſecunda determinatur à prima. Colligitur ex Scot. 4. *d.*43. *quæſt.*3. §. *Quantum ad illum art. I. &* § *de 2. art. N. & ibid. in Report.* Suadetur primò, cauſa ſecunda indifferens eſt, & indeterminata

determinata ad plures numero actus, & effectus, quorum diuisim, & non coniunctim est productiua, vt Petrus indifferens est, & indeterminatus ad generandum Paulum, vel Ioannem, vel alios homines singulares, quorum habet potentiam generatiuam, cuius indifferentiæ, & indeterminationi occurrens Deus, & supplens defectum cuiuscumque causæ secundæ, ipsum limitat, & determinat priùs ad generationem Pauli, deinde Ioannis, & cæterorum. Hinc, tempore opportuna voluit, & statuit, vt ex S. Monica, eiusque viro gigneretur D. Augustinus, quo postmodum vteretur, ad profligandas hæreses eius temporis. Item, ex Petro Bernardono, eiusque vxore Pica nasceretur S. Franciscus, qui frigescentem mundum, igne diuini amoris inflammaret. Atque, ex talibus Parentibus procrearetur D. Bonauentura, qui Religionem Minoriticam illustraret, & ad meliorem frugem redigeret. A prima ergo causa stat determinatio singularium actuum, & indiuiduorum causæ secundæ.

50. Dices, si prima causa determinat secundam ad actus singulares, & effectus indiuiduos, ergo admittitur physica prædeterminatio suprà reiecta. Negatur conseq. Istum quippè est discrimen, inter determinationem, & prædeterminationem. Hæc enim respicit actum primum, siue virtutem creaturæ, vt iuuet eius insufficientiam, compleatque eius potentiam, vt aiunt Thomistæ. Illa verò spectat ad actum secundum, vt hic, aut ille effectus à creatura prodeat. Ideò omnia esse à Deo determinata ab æterno, notaui *suprà in tertio not.* non autem esse prædeterminata. Id enim videtur, & contingentiam rerum, & libertatem creatam adimere, vt satis suprà manet ostensum. Secundò, sicut se habet Rex in suo regno, ita se habet Deus in mundo, annuente Arist. *in calce* 12. *Met.* Rex autem in regno suo determinat hæc, vel illa munera à suis clientibus peragenda, suisque subditis administranda. Et patet de Centurione *Matt.* 8. *Dico huic vade, & vadit, & alteri fac hoc & facit.* Constat quoque de artifice, qui determinat ceram ad hanc, vel illã figuram, & cretam ad hoc vel illud vas efformandum: pariter ergo Deus omnium supremus Rex, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, quivè disponit omnia suauiter, decernit, ac determinat creaturam, ad hunc, aut illum effectum persoluendum: atque vt sapientissimus artifex statuit, vt creatura conficiat hoc vas in honorem, & illud in contumeliam, cùm apud ipsum solum cognitus sit numerus electorum in superna felicitate locandus. Tertiò, si quid obstaret, quod ad Deum non pertineret hoc munus, maximè ob circumstantias loci, temporis, & huiusmodi, à quibus peti videntur determinationes, & singularitates actionum, & effectuum causæ secundæ. Hæ autem non impediunt, cùm indiuidua, & singularia ab his abstrahant, ac præscindant, atque in eodem loco, & tempore, plura similia, vel dissimilia esse valeant, necnon in alio, diuersoque loco, ac tempore. Qui enim nunc gignitur Niciæ, antè generari potuit, tum hîc, tum etiam alibi. Itaque præfatæ circumstantiæ sunt valdè remotæ, & impertinentes ad determinationem singularium effectorum causæ secundæ, proindeque id totum reiiciendum, & refundendum est in primam causam: eædem autem rationes valent de spontaneo, ac libero agente, quibus hanc subnecto, Cum intellectum nostrum lateant differentiæ indiuiduales singularium, & voluntas in incognitum non feratur, consequenter ipsa voluntas non se determinat potiùs ad hunc, quàm ad illum actum promendum, sed à prima causa determinatur.

51. Oppones primò, contrà primam assertionem: æqua videtur esse ratio de actibus causæ secundæ in specie, ac de eisdem in indiuiduo, & singulari: ad hos autem causa secunda determinatur à prima, ergo & ad illos. Min. probata est in prima assertione: Ma. verò suadetur, vtraque causa ex æquo, & in suo ordine præbet, & exhibet suum concursum simultaneum ad eorum omnium efficientiam: atqui in coagendo causa secunda semper est inferior, & contractior causa prima, cùm sit huic essentialiter subordinata. Conf. *ex 2. Phys. T.* 38. Et 5. *Met cap.* 2. *T.* 3. à causis vniuersalibus prodeunt effectus vniuersales, & à causis particularibus emanant effectus particulares, ergo si ad illos eliciendos causa secunda determinat primam, quoque ad istos. Nego ma. ad eius probationem dico, etsi concursus Dei sit vnus, & idem formaliter, tamen multiplex est virtualiter, penès effectuum multiplicationem. Ideò diuersimodè se habet in actibus causæ secundæ in specie, & in indiuidua, propter discrimen à me præostensum. Ad conf. dico Arist. *in eo text.* quidem asserere causas vniuersales causare effectus vniuersales, vt sol causat effectus sublunares, tam viuentium, quàm non viuentium, & causas particulares attingere effectus particulares, vt hic artifex causat hoc artefactum: tamen nihil perhibet, vtrum ad illos determinet causam secundam, necne? Quare testimonium Arist. nobis non officit, sed proficit, præsertim secundum interpretationem Scot. exponentis illud de vniuersalitate in prædicando, non autem in causando, quem sequuntur Conimb. *hoc loco cap.* 7. *quæst.* 15. *in fine art.* 3.

52. Oppones secundò, potentia actiua suaptè naturà indifferens, & indeterminata ad oppositos actus, & effectus, non determinatur ab vllo agente, siue primo, siue secundo: voluntas autem causæ secundæ suaptè naturà est indifferens, & indeterminata ad oppositos actus, tam in specie, putà amorem, vel odium, quàm in indiuiduo, scilicet, hunc amorem, aut hoc odium, alioqui tolleretur eius indifferentia, & libertas specificationis, & exercitij, siue contrarietatis, & contradictionis. Ergo causa secunda libera non determinatur à prima, quoad exercitium actuum. Conf. datà determinatione huiusmodi, prima causa determinaret secundam ad malum, & peccatum, sicque ipsum peccatum non creaturæ, sed creatori tribueretur, & imputaretur, vtpotè, qui determinaret creaturam ad illum actum, qui est malus, vel quem subsequitur malitia, & peccatum. Distinguo ma. determinatione antecedente concedo: concomitante, nego. Ad distinctionem ma. distinguo min. Voluntas quippè, etsi fuerit determinata ad vnum actum, habet tamen virtutem eliciendi oppositum actum, vel eum suspendendi. Idcircò manet integrè, & planè libera, vt fusè ostendi in Log. *l.* 4. *art vlt.* Ad conf. neganda est sequela. Deus quippè determinat actum positiuum, & physicum, non verò carentiam, & priuationem rectitudinis debitæ illi actui, quæ est deformitas, siue defectus causæ secundæ, qui formale peccati perhibetur; proptereà non Deo, sed creaturæ imputatur peccatum, quæ cùm teneatur cooperari, & agere cum Deo præstante ipsi suum concursum, non coagit, sed deficit, quod est formaliter peccare, vt videre est abundè apud Scot. 2. *d.* 37. *quæst. vn.* §. *Ad solutionem. T. & V.*

QVÆSTIO IV.

De causa exemplari.

CAVSA exemplaris nobis conspicua esse nequit, nisi idea nobis innotescat, quæ cum eâ coincidere videtur. Ideò nonnulla de ipsamet idea differenda sunt, vt causa exemplaris planior, & notior habeatur, prælertim quia, teste Aug. 4. *Trin. alleg.* à Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 4 *sub R.* §. *Ad quæstionem igitur*, sine ideis intellectis, sapiens esse potest nemo. Subdit Clemens Alexand. 4. *strom.* callens ideas ferè diuinam ducit vitam, in-

ter

ter homines. Quod indicat Augustinus *lib.* 83. *qq. quæst.*46.

Articulus I.

An idea sit conceptus obiectiuus.

1. DVæ celebrintes effulgent in hoc art. opiniones, quarum prima est Alen. 1. *p. quæst.* 23. *in* 4. *art.*1.& præcipuorum duorum discipulorum eius, Bon. 1. *d.* 35. *quæst.* 1. *art.* 1. & Th. 1. *p quæst.* 15. *art.* 1. arbitrantium ideam esse conceptum formalem. Secunda defenditur à Scot. 1. *d.* 35 *quæst. vn.* §. *Ad ista.* Barg. *ibid.* & Bass. *quæst.* 2. *art.* 2. Och. *quæst.*5. & cæteris Nomin. & Scotis. docentibus, ideam esse conceptum obiectiuum.

2. Not. 1. nomen idea duas sortiri nomenclaturas, quarum prior notatur ab Alen. 2. *p. sua summa* adducto à Vortil. 1. *d.* 35 *art.*1. videlicet idea deriuatur ab ὕδωρ, quod idem est ac aqua. Sicut enim per aquam repræsentantur, & inspectantur diuersæ rerum imagines: ita per ideas artifici intellectuali obiiciuntur, & offeruntur variæ, & diuersæ res faciendæ, & afformandæ ab ipsomet artifice. Posterior affertur à Ludouico Viues *in* 7. *lib. Ciuit. cap.* 28. Idea suam ducit etymologiam à verbo Græco ἰδῶ, quod perindè est ac scio, inspicio, & cognosco. Quoniam, qui aliquid est acturus, exemplar inspicit, cuius instar opus suum persoluit, vt constat de pictore, qui imaginem delineat, iuxtà exemplar sibi propositum, & hoc perhibetur idea, ratio, forma, species, & huiusmodi, de quibus fuse *Tract. de scientia Dei, disp* 4. *q.*1.

3. Not. 2. ex Scot. 4. *d.* 1. *quæst.*4. bifariam aliquid esse in mente artificis intellectualis, subiectiuè, aut obiectiuè. Quod enim subiectatur, & inhæret in intellectu, dicitur esse in eo subiectiuè, putà intellectio, species intelligibilis, & habitus intellectualis: Quod autem offertur, & præsentatur eidem intellectui cognoscendum, & considerandum perhibetur esse in eomet intellectu obiectiuè, cuiusmodi est corpus naturale, & quodcumque aliud ens eidemmet obiiciendum, & intelligendum. Hinc originem trahit diuisio conceptus, in formalem, & obiectiuum. Qui enim residet in intellectu, appellatur conceptus formalis: qui autem offertur eidem cognoscendus, & expendendus, nuncupatur conceptus obiectiuus. In præsenti autem in dubium vocatur, nùm idea sit conceptus formalis, an verò obiectiuus.

4. Not. 3. ideam generatim sumptam definiri exemplar, ad quod aspiciens artifex operatur. Ponitur exemplar, tanquam genus. Adduntur reliquæ particulæ loco differentiæ. Vt enim artifex rationabiliter operetur, necesse est, vt habeat exemplar, ad cuius imitationem, opus artificiosum ab ipso intentum curet efformandum, & elaborandum. Cùm autem artifex intrà, vel extrà ipsius intellectum, queat inspicere formam, cuius instar opus suum intendit efficere; hinc oritur diuisio tacta à Doct. 4. *d.*50. *quæst.* 3. §. *Respondeo.* C. in exemplar internum, quod est in mente artificis, vt domus, aut sanitas intrà, quæ est idea domus, aut sanitatis extrà 7. *Met. cap.*7. *T.* 23. Et externum, quod oculis cernitur, de quo Exod. 25. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* An verò ista duplicata exemplarium partitio sit vniuoca, necnè? licet Philosophi non videantur concordes, tamen conciliari possunt per distinctionem Scot. *in fine prol.* inquientis non esse vniuocam vniuocatione completa, benè tamen vniuocatione diminuta, vt tangit Arist. 7. *Met. T.*30. & 12. *eiusdem*, *T.*13. cuius explicationem attuli *in Epist. dialect. l.* 1. *quæst.* 2. *art.*5. *num.*17. Porrò, cùm idearum quædam sint diuinæ, quædam verò creatæ, dubitari potest, vtrùm præaducta ideæ definitio vtrisque competat, an non? cui satisfieri arbitror, si respondeatur affirmatiuè. Quamuis enim ideæ diuinæ sint rationes æternæ, incommutabiles, primæque formæ, instar quarum res sunt ad extrà factibiles, vt optime prosequitur Doct. 1. *d.*35. *quæst. vn.* & lucidè exponit Barg. *ibid.* nihilominus sunt vera exemplaria, & obiecta cognita à mente diuina, ad quorum similitudinem diuina voluntas producit res in esse reali, & existentiæ, vt probè insinuat Lyran. *in expositione text. Ioan.* 1. Atque eis rectè adaptatur prælata definitio: quæ verò eis postmodum attribuuntur, significant discrimen, quod inter has, & creatas ideas intercipitur.

5. Assertio, idea est conceptus non formalis, sed obiectiuus. Ita Scot mox cit. *in vtroque opere.* Et 7. *Met. in com. T.* 23. probatur primò ex Arist. *passu nunc memorato.* Sanitas, & domus extrà mentem artificis fit ex sanitate, & domo, intrà eiusdem intellectum. Constat autem ex eo Textu, id non esse conceptum formalem, cum Philosophus *ibi* asserat, esse quod quid est, instar cuius sanitas, & domus constituitur verè extra intellectum artificis. Non redditur autem similis ista domus cognitioni, quâ pollet artifex, sed illi domui obiectæ in eius mente, penès quam conatur efficere à parte rei. Deindè, Arist. tum hic, tum etiam alibi redarguit Platonem, non quia tradit ideas esse rerum quidditates, species, & rationes, quia ipse hoc non inficiatur; sed quoniam eas statuit seiunctas & separatas realiter ab indiuiduis, & singularibus, vt ex instituto monstraui in Log. *l.* 2. *quæst.*1. *art.* 1. Igitur in Peripato idea non est conceptus formalis, sed obiectiuus. Suffragatur D. Aug. *l.* 83. *qq. q.*16. qui Platonem imitatus, locat ideas in diuina intelligentia ipsas continente: intelligentia autem, & cognitio, siue intellectio coïncidunt cum conceptu formali, continens verò non est contentum. Si ergo secundum Aug. conceptus formalis, siue intelligentia Dei continet ideas, apertè enuncitur, in eius sententia, ideam non esse conceptum formalem, sed obiectiuum: Eò magis, idem sanctus subiicit *ibid.* Alia ratione, seu idea esse conditum hominem, & alia equum. Vnus autem est tantùm Dei conceptus formalis, seu vna simplicissima intellectio: plures verò sunt ideæ, iuxtà rerum faciendarum pluralitatem: ergo idea non est conceptus formalis, sed obiectiuus. Hoc ipsum videntur astruere Dionys. *de diuinis nominibus, cap.*5. Senec. *l.* 3. *Epist. epist. prima* ad Lucil. & Gerson *l. de vita spirituali, lect.* 1. *corol.*12. Secundò, cui competit ideæ definitio, est idea, vt patet per locum à definitione ad definitum: ideæ autem definitio conceptui obiectiuo, & non formali congruit. Ille quippè, & non hic est, quem intendit, & sibi proponit imitandum artifex, vt Medicus intendit introducere sanitatem in ægrotum, iuxtà eam, quam in mente gerit, quæ est sanitas cognita ab eo, non autem eius cognitio. Tertiò, idea est idolum, & exemplar rei faciendæ, quod aspiciens artifex intendit producere rem ei similem in rerum natura: conceptus autem formalis est quo, non verò quod aspicit artifex, veluti visio est quo videns videt, non autem, quod videt. Quartò, exemplar externum indubiè, non est conceptus formalis, vt apertè constat de imagine externa, cui similem pictor nititur delineare, & efformare, ergo idipsum asserendum est de interno exemplari, quod cum illo vniuocè conuenire, ostendi *in tertio not.* Denuò, quod præsupponitur ad aliquid præstandum, non est illud, quod præsupponit, vt liquet de toto, quod præsupponit partes, quæ non sunt ipsum totum, sed præexiguntur ad totum faciendum: conceptus autem formalis præsupponitur ad ideam. Vt namque cognoscat artifex, quod non ignoranter, sed rationabiliter faciendum est, necesse est, priùs illud cognoscat, ergo non est idea. Insuper, nomen significat id, quod eius inuentor instituit, & statuit significare: inuentor

autem

autem huius nominis idea extitit Plato, teste August. præcit. qui per ideas designauit res ipsas, inquiens, ideam hominis esse hominem per se, & ideam equi, equum per se, & sic de cæteris rebus, & naturis specificis. Demùm, fauet D. Paulus Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*, vbi Doctor Litteralis subdit, sancti autem ponunt ideas in mente diuina, quæ sunt inuisibiles formæ, à quibus prodeunt omnia visibilia, sicut artificia a visibilia, ab exemplari inuisibili, quod est in mente artificum. Ex his liquidò constat, ideam esse conceptum obiectiuum, quem imitandum sibi proponit ad operis ab ipso intenti efficientiam.

6. Oppones primò ex 7. *Met. T. 23.* Idea est forma: forma autem pertinet ad conceptum formalem, & non obiectiuum, ergo idea est conceptus formalis. Respondeo Aristot. aliosque Authores, qui vocant ideam formam exponendos esse non de forma informante, quæ spectat ad conceptum formalem, sed de forma repræsentatiua, & obiectiua, ad cuius similitudinem artifex opus suum præstat, vt liquet in text. exemplis sanitatis, & domus in mente artificis, instar cuius extrà ab ipso construitur.

7. Oppones secundò, idea est exemplar expressiuum, & declaratiuum rei: exprimere autem, & declarare est conceptus formalis, & non obiectiui: ergo idea est conceptus formalis. Distinguo ma. præsuppositiuè, concedo, formaliter, nego: quo pacto etiam ideæ à S. Dionys. *cap. 5.* nuncupantur prædestinationes, & bonæ voluntates. Atque ab August. rationes æternæ, incommutabiles, & beatificæ, ac vita artificis.

8. Oppones tertiò. Idea vel est quid distinctum à re facienda, vel est ipsamet res facienda, quia inter idem, & diuersum, nihil mediat, 10. *Met. T. 12.* Idea autem non distinguitur à re facienda, quandoquidem plerumque artifex operatur, nullà in eius mente præexistente ideà: nec cum illa coincidit, alioqui idem foret causa sui ipsius, quod est falsum, & absurdum. Concedo ma. ad min. dico cum Bass. cit. ideam esse eamdem rem faciend m, non quidem eodem, sed diuerso modo, putà res in esse intentionali, & ideali est causa suimet in esse reali: sicut finis intentione est causa sui ipsius in exequutione, insinuante Philosopho paulò ante cit. & Scot. *ibid.*

ARTICVLVS II.

Quid, & ad quod genus causæ reducatur causa exemplaris.

9. Assertio prima, causa exemplaris rectè definitur *principium per se influens in exemplatum, penès esse obiectiuum, quod artifex in mente gerit, instar cuius producit ipsum exemplatum ad extra.* Est consentanea Doct. 1. *d. 2. quæst. 2. §. Ad 1. quæst.* Et *dist. 36. quæst. 1. §. contra ista.* Et 1. *Rep. d. 2. quæst. 1.* Et deducitur ex Arist. 7. *Met. 30. & 12. eiusdem*, 8. probatur facili, & communi medio. Id aptè, & congruè definitur, quod genere, & differentia constat, vt crebrò repetij; præfata autem causa sortitur genus, & differentiam, vt patet percurrenti singulas memoratas particulas. Nec quidquam superflui, aut diminuti continet, vt ex eisdem vocibus licet intueri, probè igitur sic definitur.

10. Assertio secunda, causa exemplaris est realis, & physica causa. Ab hac non declinant Arist. & Scot. *in præeunte aff. cit.* suaderi non potest primò de causa finali, quàm esse veram, & propriam causam physicam suo loco monstrabo, & id ipsum astruendum esse de causa exemplari non negant oppositum sententes, nominatim Fuent. 2. *Phys. quæst. 8. d ff 3. art. 1.* Deinde, à quo effectus realiter dependet in esse, est propria, & physica causa, vt liquet ex definitione causæ vniuersalis sumptæ: à causa autem exemplari effectus artificialis vere, & physicè dependet: Siquidem artifex fabricat opus instar idoli, quod in mente habet. Hinc D. August. scribit *tract. 1. in Ioan.* Faber facit arcam, Primo in arte habet arcam. Si enim in arte non haberet, non esset, vnde fabricando illam proferret, sed arca sic est in arte, vt non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. Hoc ipsum habet *ibid. Tract. 2.* Insuper, illud est vera, & physica causa alicuius, ad cuius esse sequitur aliud, vt notat Doct. *in com 4. Met. T. 3.* Et 1. *eiusdem t. 1.* Ad causam autem exemplarem sequitur aliud, puta exemplatum, vt apertè conspicitur in eis, qui instar suorum exemplarium perioluunt sua opera artificialia; causa ergo exemplaris statuitur vera, & realis causa.

11. Assertio tertia, causa exemplaris reuocatur ad causam efficientem. Ita Scot. *vbi suprà.* Et 1. *dist. 35. quæst. 1.* Et deducitur ex Aristot. 2. *Phys. T. 33.* Et 7. *Met. T. 30. & 9. eiusdem T. 3.* contra Complut. 2. *Phys. disp. 9. quæst. 5.* Conimbr. *ibid. cap. 3. quæst 5. art. 1.* & Albert. *distinct. 10. art. 1.* Probatur primò, ex Dionys. 4. *de diuinis nom.* & August. 12. *Ciuit. cap. 25.* affirmantibus ideas esse rerum existentium causas efficientes. Secundò, sicut se habet forma naturalis ad suos effectus naturales promouendos, ita se habet causa idealis, & artificialis, respectu operum artificiatorum: forma autem naturalis est causa effectrix suorum effectuum, vt liquet de anima rationali, cæterisque formis naturalibus, ergo idipsum astruendum est de forma artificiali, quæ est causa idealis, & exemplaris. Deinde, causa efficiens subleuatur in naturalem, quæ absque ideis operatur, & in intellectualem, quæ ideas expolcit, secundum quas sua edit opera. Deinde, causa exemplaris non spectat ad causam materialem, vtpotè quæ reperitur in materiæ expertibus, puta Angelo, & Deo. Nec ad formalem, quæ imperfectionem importat, nempè informationem, & partem compositi; causa verò exemplaris, cum Deo competat, nullam per se inuoluit imperfectionem. Nec ad finalem, cùm finis nobilior sit iis, quæ sunt ad finem; multa verò sunt exemplaria ignobiliora exemplatis, nec exemplatum dependet ab exemplari tanquam à fine, cùm exemplar tendat ad exemplatum, vt ad eius terminum. Restat ergo causam exemplarem redigi ad efficientem.

12. Oppones primò, ideas, penes suam nomenclaturam, idem esse ac forma, vt notat August. *lib. 83. qq. quæst. 16.* Ergo causa exemplaris, ad formalem reuocitur. Hinc Aristot. 2. *Phys. 28.* & alibi eam in genere causæ formalis locare videtur. Respondeo ideam sortiri talem denominationem, non ratione principij informatiui, cùm sit in Deo à quo longè est omnis informatio, sed ratione principij effectiui: forma quippe est principium, & origo operationum. Ità exponendi sunt August. & Aristot. cit.

13. Oppones primò, idea est exemplar, ad quod aspiciens artifex operatur, vt præbeat esse formale, & specificum rei: tribuere autem esse formale, & specificum rei, pertinet ad causam formalem: ergo idea redigitur ad causam formalem. Concedo priorem partem ma nego verò eius posteriorem, vt patet de diuinis ideis, quæ sunt effectrices, non autem formales causæ. Quare si quid affine habet idea cum forma, non ad principium formale, sed effectiuum pertinet.

QVÆSTIO V.

De causa instrumentali.

ARTICVLVS VNICVS.

An instrumentum sit actiuum.

1. MVLTA de instrumento congerunt Fuentes 2. *Phys. quæst.6.diff.2.* Puncius *quæst.8.* & Mastrius *ibidem*, *quæst.5.* quæ cum non pauca sint Theologica, & alia sibi commodiùs sint expendenda, tantùm hoc loco difficultatem propositam statuo, & decido.

2. Not. ex Scot.4. *distinct.1. quæst.1. §. Ad quæst. ergo.* DD. Et *quæst.5. §. Ad primam ergo.* F. Et *distinct.6. quæst.5. §. Ad istam quæst. E.* & Suarez *disp.17. Met. sect.2. num 7.* instrumentum esse æquiuocum, quatuorque pati acceptiones. Primò quippè sumitur pro causa secunda, vt distinguitur a causa prima, quo pacto Deus dicitur agere mediis causis secundis tanquam eius instrumentis, vt præ aliis obseruat D. Damasc. *in sua Phys. cap.9.* Atque sola causa prima est principalis, quia sola est independens. Secundò, pro parte corporis viuentis, sic Aristot. 2. *anima T.16.* vocat organa sensuum, siue potentias sensitiuas, instrumenta, quibus vtitur anima, ad sua vitæ opera exercenda. Tertiò, pro aliqua præuia qualitate disponente, & præparante subiectum ad introducendam in ipsum aliquam formam, vt calor ignis appellatur eius instrumentum, quia per eum disponitur lignum ad recipiendam formam ignis. Quarto, pro eo, quo vtitur artifex ad opera suæ arti conformia obeunda, sicque ab arte suam ducit etymologiam, authore Scot. 2. *Reportat. distinct.1. quæst.2. §. Item hoc vocabulum*, aliisque locis præcit. Instrumentum enim propriè, est quod mouetur ab artifice ad opus artificiale condendum, vt serra, entis, & id genus alis, & de hoc extat præcipua dubitatio. Quare Mayr.4 *dist.6. quæst.2.* apte distinguit instrumentum in artificiale, quod propriè perhibetur instrumentum: in naturale, quod minus propriè dicitur instrumentum, vt calor ignis: morale, quod latè nominatur instrumentum, vt habitus, & supernaturale, vt sacramenta appellantur instrumenta gratiæ, & ignis inferni instrumentum diuinæ iustitiæ. Deindè in separatum, vt semen decisum, & coniunctum, vt frigus aquæ.

3. Assertio, instrumentum propriè sumptum non est actiuum. Tenet Doct. *vbi suprà, & Theor. 17.* Suadetur primò, actus primus supponitur ad actum secundum, quia hic ab illo egreditur: instrumentum autem ex se non habet actum primum, putà virtutem, & potentiam agendi, vt patet de serra, quæ posita in angulo domus ex se nihil agit, nisi præmoueatur ab artifice, ad aliquid scindendum: igitur instrumentum non est propriè actiuum. Secundò, instrumentum, vt instrumentum nihil aliud habet, quàm figuram, & duritiem: hæc autem sunt de genere passiuorum Figura quippè vel est quantitas, vel relatio, putà ordo partium in toto: quantitas autem, & relatio actiua non sunt. Nec durities, quia resistitiua, non verò actiua est.

4. Oppones primò, quod comprehenditur sub genere causæ efficientis, est actiuum: instrumentum autem continetur in syllabo causæ effectricis, quæ diuiditur in causam principalem, & instrumentalem, vt patet *quæst. 2. art. 2. huius lib.* Ergo instrumentum est actiuum. Respondeo concedendo ma. ad min. dico instrumentum esse actiuum, non per se, sed per actualem motionem, & influxum causæ principalis. Ob id ad genus causæ efficientis reducitur, vt post Aristot. 5. *Met. cap.2. & 2. Phys. T.31.* scribit Scot. 4. *dist.12. quæst.3. §. Dico ergo D.*

5. Oppones secundò, instrumenta naturalia sunt actiua, vt patet de semine, quod est causa generationis. Itemque instrumenta supernaturalia, vt sacramenta sunt effectiua gratiæ, ergo idipsum astruendum est de instrumentis artificialibus. Neganda est consequentia ob rationes præallatas in assert. præsertim quia instrumenta naturalia dispositiuè tantùm agunt, & non attingunt terminum principalis agentis. Atque sacramenta non physicè, sed moraliter perhibentur gratiæ productiua authore Scot 4. *distinctione 1. quæstione 4. & 5.*

QVÆSTIO VI.

De causa materiali.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid sit, & quid causet causa materialis.

1. CAVSA materialis definitur ab Arist. 1. *Phys. T.28. & 5. Met T.2* Scot *ibid. in com. & Theor. 10. id, ex quo aliquid fit, cum insit*, vt ex ære statua & ex argento phiala. In hac definitione, subauditur principium, quod est eius genus, & adduntur reliquæ voculæ, vt distinguatur à cæteris causis. Potissimùm verò subditur, *cum insit*. Propter priuationem, quæ per aduentum formæ recedit; causa autem materialis permanet cum forma, cùm sit eius subiectum, & pars intrinseca totius, veluti æs manet cùm ex eo fit statua, & quoque argentum cùm conficitur ex eo phiala. Quænam autem sint munera, & effectus materiæ, per subsequentes assert. ostendam.

2. Assertio prima, causa materialis sustentat formam. Deducitur ex Doct. 2. *distinct. 12. quæst 1. & 2.* Probatur primò, ex Aristot. 1. *Phys. T 79.* Materia est commune subiectum contrariorum principiorum, quæ sunt priuatio, & forma, cùm autem abest à materia priuatio, adest in ea forma, quæ persistit in eamet, persistente composito ex vtraque.

Secundò, omne subiectum sustentat id, quod est in subiecto, vt patet de subiecto accidentium; causa autem materialis est subiectum formæ, vt scribit Philosophus 1. *Phys. T 82.* vbi materia definitur, *subiectum omnium formarum*, fulcimentum ergo formæ extat causa materialis.

3. Assertio secunda, causa materialis influit proprium influxum in compositum, partialem tamen & exiguum. Tenet Doct. *vbi suprà.* Prima pars, omnis causa aliquid causat, vt constat ex definitione causæ, quæ est *principium per se influens in effectum*: causa autem materialis est verè causa. Numeratur quippè inter quatuor causarum genera, ergo habet proprium influxum, & causalitatem, respectu compositi. Secundò compositum est quid productum, & intrinsecè causatum à causis intrinsecis, quæ sunt materia & forma, vt ostendi *lib. 2. quæst 6. art. 2.* Totaliter autem, & intrinsecè causari nequit à sola forma, cùm sit totum ex duabus partibus coalitum: ergo partialiter causatur à materia. Deinceps causa materialis definitur *id, ex quo aliquid fit*, ex dictis *in initio huius art.* compositum autem conflatur ex materia, vt ex parte. Ex

ligno

ligno quippè, tanquam ex materia ab igne fit ignis; igitur causa materialis exercet suam causalitatem partialem, circà compositum.

4. Secunda pars suadetur, qualis est entitas, talis est eius virtus, & potentia, quia virtus ab entitate promanat, eamque consequitur: entitas autem materiæ est partialis, imperfecta, & exigua, cum sit infimum ens, ex dictis: ergo eius influxus, & causalitas est partialis, exilis, ac tenuis.

Num autem vnio, & eductio formæ sint effectus causæ materialis? perscrutantur Moderni. Ego verò puto satisfaciendum esse, si dicatur neutrum esse effectum eius. Siquidem, vnio est relatio, quæ non producitur, sed comproducitur, & consurgit ex positione extremorum: atque forma propriè non fit, sed educitur, vel inducitur in materiam, solumque compositum propriè fit, vt abunde monstraui l. 2. quæst. 1. art. 1. in responsione 1. oppositionis.

5. Oppones, improbabile, & incredibile videtur, materiam tam imperfectam, & infimam concurrere ad producenda tot composita numero, & dignitate præstantia, cuiusmodi sunt cælestia corpora, & luminaria, ergo circa ea passiuè se habet duntaxat. Nego ant. experientiâ namque comprobatur, ex minimo semine gigni ingentem arborem, ex paruis granis effici plantas, herbas, & id genus alia non exigua. Quare magis elucet potentia Dei, in præbendo virtutem materiæ enti infimo, vt partialiter tot causet composita.

QVÆSTIO VII
De causa formali.

ARTICVLVS I.
Quid sit, quidve causet causa formalis.

1. CAVSA formalis definitur *id per quod aliquid fit, cùm insit.* Ista definitio faciliter intelligitur, ex definitione causæ materialis præaddicta in præcedente quæstione. Tantùm namque additur *per quod*, vt differat à reliquis causis. Siquidem causa formalis est, per quam rei tribuitur esse specificum. Quemadmodum autem causa materialis duplici munere gaudet, pariter, & causa formalis. Informat enim materiam, & partialiter causat compositum.

2. Assertio prima, causa formalis informat materiam. Traditur ab Arist. & Scot. cit. *in superiore quæst. ass.* 1. & probatur, forma est actus perficiens, determinans materiam, ex dictis *l. 2. quæst.* 4. Ergo causa formalis informat materiam, quæ est indifferens, indeterminata, informabilis, & perfectibilis.

3. Assertio secunda, causa formalis habet propriam causalitatem partialem, respectu compositi. Tenet Doctor cum Arist. *vbi suprà.* Suadetur primò: causa formalis locatur inter quatuor causarum genera, ex assertis in hoc *lib. quæst.* 1. *art.* 2. Ergo sortitur propriam causalitatem à cæteris distinctam.

Secundò, per quod fit aliquid, habet propriam causalitatem, quia causalitas fertur ad effectum; per causam autem formalem producitur partialiter principaliter compositum, vt liquet ex definitione eius allata statim *in initio huius art.*

Rursus, causa formalis præbet esse intrinsecum, & essentiale rei, iuxtà illud sæpè decantatum, *forma dat esse rei*: nequit autem dare esse rei, nisi participet propriam causalitatem, veluti agens sine actione non potest agere. Deinceps, compositum est effectus materiæ, & formæ, quia conficitur ex actu, & potentia, 2. *anima T.* 7. Et 8. *Met.* 15. per actum autem intelligitur causa formalis: igitur causa formalis potitur peculiari, & principali influxu, & causalitate circà compositum.

4. Oppones primò. forma nullum esse tribuit materiæ, quandoquidem materia habet suam essentiam, & existentiam independentem à forma, cùm illa absque ista existere queat, vt docui *l. 2. quæst. 2. art* 8. Ergo causa formalis in materia nihil prorsus causat. Distinguo ant. forma non præbet materiæ esse entitatiuum, concedo: esse specificum, & perfectiuum, nego. Quia ipsa materia per formam determinatur, & specificatur. Dici quoque potest materiam à forma haud mutuari esse intrinsecum, sed extrinsecum duntaxat.

5. Oppones secundò, si causa formalis informaret materiam, & causaret compositum, vtrique foret duplex causa, quia duplicem ederet effectum: nequit autem esse duplex causa, vt omnibus est exploratum, ergo non informat materiam, nec causat compositum. Neganda est sequela ma. Est namque vna causa habens geminatam rationem causandi, veluti lux sortitur duplicem vim causandi, putà illuminandi, & calefaciendi.

ARTICVLVS II.
An Deus supplere valeat causalitatem causæ materialis, & formalis.

6. EXtat opinio Fons. 5. *Met. cap.* 2. *quæst.* 8. *sect.* 4. & *quæst.* 12. *sect.* 2. existimantis Deum posse supplere vicem causalitatum causarum materialis, & formalis. Cui sese opponunt Scot. 1. *d.* 5. *quæst.* 2. §. *contra istam.* C. Et *d* 8. *quæst.* 4. §. *contra istam solutionem* X. Lych. Barg. *ibid.* Fuentes 2. *Phys. diff.* 5. *art.* 1. Mastrius *disp.* 5. *quæst.* 5. & alij communiter inficiantes Deum posse exercere causalitates prædictarum causarum.

7. Not. hanc difficultatem bifariàm posse agitari, in genere proprio, vtrùm scilicet Deus queat fungi muneribus harum causarum, penes proprias, & germanas ipsarum causalitates: aut in diuerso genere. putà in genere causæ efficientis, vel finalis, quæ proculdubio Deo attribuuntur. Itemque potest esse concertatio de mutuis earum causalitatibus. Materia quippè sustentat formam, hæcque ex eius potentia educitur, atque forma informat materiam, ipsique esse specificum tribuit: aut de causalitate compositi; vtraque enim concurrit ad causandum, & constituendum compositum, cùm sint principia, & partes eius intrinsecæ, & essentiales.

8. Assertio prima, Deus nequit obire munera causarum materialis, & formalis, quibus mutuò funguntur. Est consentanea Doctori *vbi suprà.* Et 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. §. *Ad quæst.* E. Probatur primò, Deus est causa perfecta perfectè causans, cùm sit infinitum perfectionum pelagus, ex dictis *tract.* 1. *summa theologica, disp.* 2. causæ autem materialis, & formalis sunt imperfectæ, imperfectè causantes. Siquidem illa subijcitur isti, atque illa per hanc perficitur, & actuatur: ergo Deus earum causalitates haud exercere valet.

Secundò, Deus nec refertur, nec ordinatur ad aliud, cùm sit infinitus, absolutus, omnium terminus, & finis; præfatæ autem causæ sunt mutuò referibiles: vna quippè vicissim ordinatur ad alteram, vt imperfectum, ad perfectum, & potentia ad actum.

Tertiò materia, & forma vniuntur adinuicem, vt causent compositum, sintque in eo persistente partes eius intrinsecæ, & constitutiuæ: implicat autem

Deum esse de essentia, & quidditate compositi, vt patet, ergo pariter repugnat ipsum exercere causalitates dictarum causarum.

9. Assertio secunda. Nec Deus potest supplere causalitatem materiæ, & formæ, in ordine ad compositum. Est conformis Scot. *locis precit.* Probatur primò: materia, & forma ità causant compositum, vt prorsùs ingrediuntur eius essentiam, suntque eius partes essentiales, vt constat de anima, & corpore, in homine: Deus autem nequit esse essentia, nec de essentia, nec pars essentialis compositi, alioqui foret imperfectus, cùm pars sit imperfecta; totumque ea perfectius. Secundò, pars fertur ad totum, vt ipsum integret, constituat, & compleat, vt liquet de partibus corporis humani: Deus autem est irreferibilis ad aliud, & incomponibilis cum alio, cum sit simplicissimus, vt asserui passu *nuper alleg.* Tertiò, materia, & forma sic causant compositum, vt intrinsecè, & essentialiter hoc ab eis dependeat, adeò vt istud sine eis esse nequeat, putà homo, absque anima, & corpore: id autem Deo repugnat, à quo longè est omnis imperfectio; igitur ab ipso nulla earum causalitas suppleri valet, concludente Scot. 1. *d.* 1. *q.* 2. §. *Quantum ante M.*

10. Assertio tertia, in genere causæ efficientis Deus potest prædictarum causarum causalitates exercere. Deducitur ex Doct. *in quarto loco memorato.* Probatur primò, omne ens creatum dependet à Deo, in fieri, & in esse, cùm solus Deus sit independens, & à se: causalitates autem præfatarum causarum sunt in serie rerum creatarum, & in proprio genere nequeunt administrari à Deo, vt manet probatum in præcedentibus assertionibus. Ergo in genere causæ efficientis, quæ vna cum causa finali Deo competit, vt suadet Doct. *in primo mox alleg.* Secundò, in Euch. Sacr. Deus absque subiecto sustentat accidentia, sicut præstaret subiectum, si ibi adesset, semotâ omni imperfectionis fæce, vt de fide docent scholast. 4. *d.* 10. Huiusmodi autem sustentatio, & conseruatio reducitur ad genus causæ efficientis. Ergo idipsum astruendum est de præmemoratis causalitatibus materiæ, & formæ, annuente Scot. 1. *d.* 5. *q.* 2. §. *contra istam C.*

11. Oppones primò, *Philip. secundo*: Deitas dicitur *forma Dei*; & *ibid.* humanitas Christi domini, *forma serui*: ergo si forma tribuitur Deo, vtique eius causalitas. Hinc perhibetur Deus formaliter sapiens, & formaliter iustus, propter sapientiam, & iustitiam, quibus verè pollet, & potitur. Respondeo illa, & consimilia perhiberi de Deo, non per proprietatem, sed per metaphoram, vt significat D. Dionyf *l. de diuinis nom. cap.* 8. & *ibidē.* Vt enim forma dat esse rei, eamque viuificat: sic Deus omnibus præbet esse, & viuere. Cùm verò subiicitur, Deum vocari formaliter sapientem, & iustum, designatur, huiusmodi attributa verè, & realiter ipsi Deo conuenire.

12. Opponens secundò, nihil causari potest à causa secunda, nisi prima causa concurrente, vt satis in superioribus fuit ostensum: compositum autem causatur à materia, & forma, quod secundum Scot. realiter ab eis diffidet. Igitur earum causalitates exercet Deus. Respondeo ma. capiendam esse de causa efficiente, & finali, non verò de cæteris, propter imperfectionem, quam secum ferunt, & repugnantiam supra ostensam. Si quis verò extat in eis concursus Dei, ad causam effectricem reuocatur.

13. Opponens tertiò, absque vlla imperfectione Deus potest obire causalitates causarum materialis, & formalis: ergo nulla extat repugnantia Ant. prob. potest Deus conseruare sine forma, & è contrà, necnon sustentare naturam, absque propria ipsius personalitate, vt præstitit in vnione hypostatica diuini Verbi cum humanitate ab ipso assumpta. Nego ant. ad probationem, dico reuocari ad causam efficientem. Ad aliud, quod subditur, dico esse solam terminationem personalem, quam nullam imperfectionem præseferre, nullamque peculiarem causalitatem, fuse monstraui *tract. de incar.*

QVÆSTIO VIII.

De causa finali.

CAVSA finalis definitur 2. *Physic. T.* 29. & 31. *cuius gratia aliquid fit*, quæve tantùm fit ab Arist. tum *loco mox cit. cap.* 8. tùm etiam 1. *de partibus animalium, cap.* 1. vt eius ignoratione prisci Philosophi in multos errores inciderunt. Ob id ne vlli errori succumbamus, à nobis exaui nanda est, præsuppositis us omnibus, quæ de hac late egimus *in Philosophia morali l.* 2. *q.* 5.

ARTICVLVS I.

An finis sit vera causa realis.

1. NEgant Hurt. *disp.* 13. *de anima sect.* 5. Cauel. *ibid. disp.* 1. *sect.* 19. Fuent. 2. *Phys. quæst.* 7. *dis.* 2. & Mastrius *disp.* 7. *quæst.* 8. *art.* 5. finem esse veram causam physicam, & aiunt esse causam moralem. Affirmant autem Scot. 1. *Met. in com. cap.* 2. Et *l. de* 1. *principio cap.* 2. Et 5. *Met. quæst.* 1. Antonius Andr. *ibid. quæst.* 2. Tromb. Complut. 2. *Phys. disp.* 14. *q.* 2. Suarez *disp.* 23. *Met. sect.* 2. & cæteri comm uniter perhibentes finem esse veram & realem causam.

2. Not. hanc litem potiùs esse de voce, quàm de re. [illegible] enim in acceptione entis realis, & intentionis [illegible]. In præsenti autem eus reale perhibetur [illegible] habet esse extra intellectum, vt calor ignis est ens reale. Ens verò intentionale dicitur, quod habet esse in intellectu: quoniam verò esse in intellectu bifariam potest contingere subiectiuè, vt scientia habet in mente, estque ens reale, aut obiectiuè, idque simpliciter, vno modo obiectiuè, sicut obiectum cognoscendum obiicitur, & præsentatur intellectui, & hoc etiam est ens reale, putà lapis menti obiectus: altero modo obiectiuè tantum quod tantùm obiicitur, & fit ab intellectu, & hoc est ens rationis ab ente realiter distinctum, vt ostendi in Log. *l.* 1. *quæst.* 3. *art.* 5. & latius *in Met. l.* 5. *quæst.* 1. *art.* 1.

3. Assertio finis est vera, & realis causa. Tenet Doct. *locis prærecensitis*, & innuit Arist. 2. *Phys. c.* 3. *T.* 29. & 5. *Met. c.* 2. statuens finem in serie aliarum causarum realium. Probatur primò, definitio causæ realis physicæ adaptatur fini. Est enim principium per se influens in effectum, cùm moueat agens ad agendum, propter eius exequutionem, & possessionem: ergo finis est causa realis physica.

Secundò effectus realis causatur à causa reali: non enim ab ente rationis fit ens reale; effectus autem finis est realis, vt sanitas à Medico in ægro causata, & felicitas à beato acquisita & possessa.

Tertiò causa generatim capta est vniuoca quatuor prænarratis, inter quas est finis: definitio quippe eius, vniuocè istis accommodatur, & denque ipsis æquè prædicatur. Insuper, finis ex instituto tractatur in Physica, & Metaphysica, quæ sunt scientiæ reales. Demùm à fine essentialiter pendet effectus realis. Vt enim effectus est ab efficiente, vt à causa reali; ita propter finem, in cuius gratiam effectus producitur, habetur huiusmodi effectus realis, proindeque finis statuitur vera, & realis causa. Quod non obscurè indicat S. Augustinus *quarto contra Iulianum cap.* 3. Et contra Aduersarium legis. Finis quippè

quippè dicitur, propter quem fiunt omnia quæcumque aliquo fiunt officio. Nam inter officium, & finem, hoc distat, quod officium est in eis, quæ facere debemus, finis, propter quem facimus

4. Oppones primò, Aristot. 1. *de gener. T.* 55. ſcribit cauſam efficientem eſſe veram cauſam: finem verò eſſe cauſam tranſlatitiam, & metaphoricam Ergo in Peripato finis non eſt vera, & realis cauſa Reſpondeo Aristotelem eſſe interpretandum non abſolutè, ſed reſpectiuè. Cauſa namque efficiens anthonomasticè perhibetur omnis cauſa, vt ex Auguſtino obſeruaui *quæſt. prima huius lib. artic.* 2. quia habet euidentiorem modum cauſandi, magiſque influxum realem. Ideò cauſa finalis comparatione eius dicitur tranſlatitia, eiuſque influxus metaphoricus, cùm tamen verè ſit realis, & verus influxus, licet intentionalis, & animalis, ratione cuius mouetur animal ad eius adeptionem, vt ſuprà declaraui.

5. Oppones ſecundò, quod non exiſtit realiter actu, non eſt cauſa realis actu: finis autem non exiſtit realiter actu, ergò finis non eſt cauſa realis actu. Ma. patet, cauſa in actu habet effectum in actu 2. *Physic.* 28. Min. eſt in promptu, ſanitas non eſt, & deambulatio eſt, quæ eſt cauſa eius. Concedo ma. diſtinguo min. quoad intentionem, nego, quoad exequutionem, concedo.

6. Inſtabis, ens intentionale nequit eſſe cauſa entis realis, ergo ſi finis eſt in intentione, non poteſt cauſare rem in exequutione, quæ eſt ens reale. Nego ant. Domus quippè intrà, quæ eſt ens intentionale, eſt cauſa Domus extrà, quæ eſt ens reale. 7. *Met. T.* 23. Quare, ſi cauſa exemplaris, quæ eſt intentionalis, verè, & realiter influit in effectum, cur hoc fini negabitur?

7. Oppones tertiò, cauſa eſt principium, vt liquet ex eius definitione: finis autem non eſt principium, quia finis, & principium opponuntur. Siquidem principium eſt à quo res incipit, & finis, in quo deſinit. Reſpondeo per eamdem diſt. conceſſa ma. diſtinguendo min. in intentione, nego: in executione, concedo. Quare principium non opponitur fini in intentione, ſed in exequutione duntaxat.

8. Dices, cauſa, & effectus adinuicem referuntur, cùm ſint correlatiua, 5. *Met.* 20. Finis autem non ſic refertur, quia non exiſtit, ergo non vera cauſa realis eſt. Concedo ma. Ad min. dico etſi non exiſtat extrà, exiſtit tamen intrà, quod non tollit veram eius realitatem, & exiſtentiam, vt patet à ſimili de cauſa exemplari, quæ licet ſit in mente artificis, verè tamen exiſtit, veréque, & realiter influit in effectum, mutuóque referuntur cauſa, & effectus eius.

ARTICVLVS II.

An finis cauſet ſecundum eſſe intentionale, an verò ſecundum eſſe reale.

9. PHiloſophi potiùs de modo dicendi, quàm de re contendere videntur in præſenti, ſicut & in antecedente articulo: Quidam enim, vt Och. 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. Gabriel *ibid. diſtinct.* 1. *quæſt.* 5. *artic.* 2. Tol. 2. *Physic. quæſt* 14. & Conimb. *cap.* 7. *quæſt.* 23. autumant finem cauſare penes eſſe reale, quod habet à parte rei, & extrà mentem artificis. Cæteri autem vt Tromb. 5. *Met. quæſt.* 1. Poncin *ibid quæſt.* 3. & Capr. *d.* 25. *quæſt.* 1. ſecundi, arbitrantur finem cauſare penes eſſe intentionale, quod in mente gerit artifex, & agens intellectuale.

10. Not. primò, duplici eſſe reali poſitiuo, & obiectiuo, quod res poteſt habere, duplicem reſpondere exiſtentiam, realem poſitiuam, & obiectiuam, atque duplicem actionem realem, quæ à reali poſitiuo prodit, vt calefactio ab igne, & intentionalem, quæ ab ente obiectiuo in mente agentis exiſtente promanat, cuius meminit Ariſtot. 7. *Metaphyſica*, *T.* 23. inquiens, *Domus extra fit à domo intrà.* Quod eſt dictu, domus, quæ exiſtit à parte rei, fit à domo idealiter exiſtente in intellectu ædificatoris. Nunc autem inueſtigatur, num finis ſuam exerceat cauſalitatem, quatenus exiſtit obiectiuè, & intentionaliter in intellectu agentis, an verò quatenus exiſtit à parte rei poſitiuè realiter.

11. Not. ſecundò, in quacumque cauſa tria poſſe interuenire, principium quod, putà ignem, principium quo, ideſt calorem, quo ignis calefacit, & approximationem, quæ eſt conditio, ſine qua ignis nequit calefacere obiectum calefactibile. In præſenti autem quæritur, vtrum principium quo in cauſa finali ſit eſſe intentionale, an verò eſſe reale, vel conditio duntaxat, ſine qua finis non finalizaret. Cùm autem dicitur eſſe intentionale, non intelligitur tantùm eſſe cognitum, ſiue apprehenſum, id enim cùm ſit ens rationis, nequit cauſare ens reale, ſed intelligitur ens reale obiectiue conceptum, ſiue exiſtat à parte rei, ſiue non, poſſit verò exiſtere, vt cum quiſpiam laborat, propter virtutis adeptionem, quam actu non habet, poteſt tamen habere, & poſſidere, ea obiectiuè exiſtit in ipſo, ad quam ſibi comparandam mouetur, eiuſque deſiderio, & amore trahitur. Quapropter eſſe cognitum, ſiue apprehenſum abſolutè non eſt ratio formalis cauſandi, ſed ſolùm prærequiritur, vt voluntas, quæ non fertur in incognitum, valeat agere, finemque ſibi præpoſitum præuio intellectus lumine acquirere, & gaudere queat.

12. Aſſertio finis cauſat non penes eſſe reale, ſed penes eſſe intentionale. Deducitur ex Doct. *quæſt.* 4. *prol. §. contra iſtum.* 4. *d.* 49. *quæſt.* 8. *§. ſecundo videndum* 5. *Met. quæſt.* 1. *antè §. Ad quæſt.* Et 2. *poſt quæſt.* 57. *§. Ad* 1. *arg.* vbi leguntur hæc verba. *Non oportet cauſam præcedere realiter effectum, ſed ſufficit, quod res præcedat effectum in intentione, quæ tamen intentio finis non eſt cauſa, reſpectu effectus, ſed res ipſa finis ſub intentione, & hoc ſufficit, quod effectum realiter cauſet.* Probatur 1. cauſa eſt prior effectu, vt oſtendi *quæſt.* 1. *art.* 4. *huius lib.* Finis autem ſecundum eſſe reale non eſt prior effectu, ſed poſterior, ſecundum verò eſſe intentionale eſt prior effectu. Ideò celebratur illud apud Scot. 1. *Rep. d.* 41. *quæſt. vn. §. Dices ex* 7. *Met. T.* 7. Quæ ſunt priora in intentione, ſunt poſteriora in executiône, ergo finis eſt cauſa ſecundum eſſe intentionale.

Secundò, per illud finis cauſat, propter quod agens mouetur ad agendum, vt patet ex definitione finis: ſed propter eſſe intentionale mouetur agens ad agendum. Finis quippe mouet in ratione diligibilis, & appetibilis: eſſe autem amabile, & appetibile ab intellectu apprehenſum eſt ens intentionale: ergo, &c.

Tertiò, idem nequit eſſe cauſa, & effectus, reſpectu eiuſdem, & in eodem genere cauſæ: finis autem ſecundum eſſe reale eſt effectus, ergo nequit eſſe cauſa, niſi penes eſſe intentionale. Ma. eſt conſpicua. Min. claret. Etenim finis in eſſe reali eſt terminus actionis agentis, & complementum rei. Ergo finis non in eſſe reali, ſed in eſſe intentionali eſt cauſa. Denique, plerumque finis non eſt in eſſe reali, vt ſupra obſeruaui, & tamen agens eum intendit, ac propter eius aſſequutionem mouetur ad agendum. Addo nonnumquam finem eſſe tantùm apparentem, & aliquando impoſſibilem, vt patet de Lucifero appetente æqualitatem Dei, quæ eſt impoſſibilis.

13. Opponis primò, ex 2. *Phyſ. cap.* 3. *finis habet rationem optimi*, quò fortè reſpiciens Eccleſiaſticus *cap.* 7. ſubiecit. *Melior eſt finis, quàm principium.* Id autem fini in eſſe intentionali non adaptatur, ergo in eſſe reali. Reſpondeo ma. eſſe interpretandam de

fine sumpto pro complemento, & in esse reali, non verò de fine, vt est causa, & in esse intentionali. Ideò argumentum nobis non officit, sed proficit.

14. Oppones secundò, finis mouet agens ad agendum, eius quippe desiderio, & amore allicitur ad eius consequutionem: eóque acquisito, cessat eius actio, scribente Aristot. 1. *de gen.* 55. Est autem causa realis ex dictis *in ant. art.* Ergo mouet secundum esse reale. Respondeo, eius motionem, esse intentionalem, & metaphoricam, vt ait Aristot. mox citat. Est autem causa realis, quia non intentio, sed res sub intentione mouet agens ad operandum, authore Scoto nuper allegato.

15. Quæres primò, vtrum finis sit omnium causarum prima? Respondeo affirmatiuè, cum Arist. 2. *Phys. T.* 31. Et 12. *Met. T.* 36. & Scot. *tract. de primo principio, cap.* 2. *concl.* 4. Suadetur primò, illud est primum, quod ab agente intellectuali primò intenditur: finis autem primò intenditur ab agente intellectuali: Siquidem, in intentione prior est finis, quàm ea, quæ sunt ad finem. Ideò, homo priùs sibi proponit beatitudinem, deindè nauat operam mediis opportunis, & necessariis ad eius consequutionem. Secundò, quod mouet aliud ad agendum, prius est eo, quod mouetur; mouens quippè, vt mouens prius est moto, veluti causa prior est effectu: finis autem mouet agens ad agendum, cùm agens in gratiam finis operetur: postmodum efficiens vnit materiam, & formam, quæ causant compositum, atque ita finis in causarum numero inuenitur prima.

16. Quæres secundò, vtrùm finis sit nobilior cæteris causis? Respondeo affirmatiuè cum Arist. citat. & Scot. *vbi suprà conclusione* 5. tum quia finis est mouens, & non mota, vt *supra dixi*, & notat Doctor *quæst.* 4 *prol.* Et 1. *distinct.* 1. *quæst.* 3. §. *Ad argumenta* tum etiam quia propter finem agens operatur. Hinc bene subiicit Comm. 5. *Met. in com. cap.* 2. *Complementum, & largitas, & bonum non inuenitur in rebus, nisi propter causam finalem: & ideò, quod caret causa finali, caret omni bono.*

ARTICVLVS III.

Quænam agant propter finem.

17. DE multis moueri potest dubitatio, de Deo, Angelo, homine, bruto, cæterisque natura, constantibus. Inter hæc autem maior est difficultas de bruto, de quo variæ recensentur opiniones à Tol. 2. *Phys. quæst.* 12. Quid autem nobis secundum veritatem, & Scotum dicendum sit, per ea quæ mox subiiciemus, aperiemus.

18. Not. primò, animantium quædam memoriæ esse expertia, Phantasia verò, siue æstimatiua pollere, quâ sibi conuenientia appetunt, & disconuenientia reiiciunt, hæcque in obiecta præsentia feruntur duntaxat: quædam verò memoriâ valere, quæ nedum præsentia, verùm etiam futura prospiciuntur, vt liquet de formicis grana frumenti congregantibus, & auibus nidum construentibus, in quibus quædam prudentiæ species elucet, perhibente Arist. 1. *Met. cap.* 1. & Scot. *ibid quæst.* 3.

19. Not. secundò, triplicem esse ordinem, & gradum eorum, quæ tendunt in finem. Primus est eorum, quæ non solùm apprehendunt finem sub ratione boni, & conuenientis, verumetiam cognoscunt habitudinem, & proportionem mediorum sufficientium, ad eum obtinendum, & hæc ex delectu, & spontè agunt, vt Angelus, & homo. Secundò est eorum, quæ percipiunt quidē finem sub ratione conuenientis, non tamen discernunt media, nec ea inter se conferunt, num sint apta, idonea, & sufficientia, ad eum consequendum, sed motu phantasiæ, seu æstimatiuæ in eum naturaliter feruntur, veluti bruta, quæ potiùs agi in finem, quam agere dicuntur 2. *Phys. T.* 59. Tertius est eorum, quæ finem non agnoscunt, vtpotè sensus, & intellectus expertia, quæ naturaliter, sine naturali pondere, in eum tendunt, vt graue deorsum, putà lapis centrum petit.

20. Not. tertiò, quamlibet rem sortiri suum finem, 2. *Phys. cap.* 8. *T.* 81. adeò vt causæ particulares tendant in finem particularem, vt Leo ad generationem Leonis; causæ verò vniuersales ad finem vniuersalem, vt cæli ad sublunarium procreationem, & conseruationem perennem in specie, & in genere. Horum præterea quidam sunt fines proximi, quidam verò remoti, alij intermedij, cæteri verò vltimi, de quibus abundè *lib.* 1. *Philosoph. moralis, quæst.* 3. *art.* 1.

21. Assertio prima, Deus agit propter finem, non quidem respectu sui, sed respectu aliorum à se. Hæc ass. est bipartita, quam tradit Scot. 1. *dist.* 1. *quæst.* 5. §. *Ad argumenta.* Prima pars probatur primò, quod non habet causam sui efficiētem non habet finalem, propter quam excitatur ad operandum, quoniam finis causalitas est mouere metaphoricè agens ad operandum. Deus autem non habet causam efficientem sui, cùm sit ineffectibilis, & incausabilis, vt demonstrat Doct. *cit. dist.* 2. *quæst.* 2. §. *Quantum ad* 1. *H. & inde.* Secundò, in Deo, vnum non est in gratiam alterius, nec vnum ordinatur ad aliud, cùm omnia sint infinita, summéque perfecta formaliter, aut realiter: penes igitur diuina prædicata, & attributa, Deus non agit propter finem. Secunda pars probatur primò, ex sacra pagina. Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et Apoc. 1. *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis.* Vbi Lyran. subiicit. *Deus est principium omnium effectuum, & finis, ad quem omnia ordinantur.* Secundò, multa operatur Deus propter electos, vt patet 1. Cor. 13. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Huic subnectit August. *lib* 83. *qq. quæst.* 56. & *lib. de spiritu, & anima, cap* 42. *Ex corpore, & anima constat homo, & quidquid oculis corporeis videtur propter corpus factum est, corpus propter animam, anima verò propter Deum.* Addi potest illud Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & magnificauit*, supple per gloriam, exponit Lyran. ibi. Qui operatur propter alicuius amorem, operatur propter finem, vt liquet ex definitione finis: Deus autem multa operatur propter amorem hominis, potissimùm, humani generis salutem, Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et Eph. 2. *Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos.* Atque Symb. Nicæn. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.* Deinde omnia sunt in gratiam hominis. Ideò 2. *Phys.* 24. citat. à Doct. 4. *dist.* 43. *quæst.* 2. *ante* §. *Oppositum. Nos sumus quodammodo finis omnium.* Rursus, ordinatè volens, priùs vult finem, quam media ad finem assequendum, ex 1. *dist.* 41. *quæst vn.* Deus autem est in cunctis suis operibus ordinatissimus. Demùm, causa finalis nullam, inuoluit imperfectionem, vt probat Doct. 2. *dist* 2. *quæst.* 2. *art.* 1 & 2. Ergo tribuenda est Deo, proindéque Deus agit propter finem, concludente eodem Doctore *ibid. P.* Et 3. *dist.* 32. *quæst. vn.* §. *Tertium patet.*

22. Assertio secunda, Angelus, & homo agunt propter finem. Tenet Doct. cum Aristot. 2. *Met. T.* 9. *in com.* Qui pollet intellectu, agit alicuius gratiâ, hoc est propter finem. Angelus autem, & homo participant intellectum, & rationem: ergo propter finem operantur. Præterea, Angelus, & homo sunt amoris capaces, ratione cuius multa operantur. Deinceps, vterque eligit media idonea, & opportuna ad finis consequutionem, nominatim Medicus eligit, & ordinat medicinam, vt ægrotus sanitatem recuperet, ergo operatur propter finem.

23. Assertio tertia, Bruta propriè non agunt propter finem.

finem. Tradit Doct. *passu proximè cit.* inquiens, agens rationale solùm agere propter finem, ergo ab opposito, agens rationis expers, vt est brutum, non agit propter finem. Idem indicat 1. *Met. cap.* 1. *& ibid. quæst.* 3. *&* 2. *d.* 42. *quæst.* 1. *&* 4. *d.* 45. *q.* 3. S. Bon. 2. *d.* 35. *quæst.* 1. Maior. *ibid.* Idipsum innuit D. Aug. 6. *Music. cap.* 3. Et 1. *de lib. arb. c.* 7. Probatur primò, quibus propriè non est amor, non agunt propter finem, quandoquidem agere propter finem, nihil aliud sibi vult, quàm operari amore finis: brutis autem propriè non est amor, qui est propriè solius voluntatis, quâ carent bruta. Secundò, quæ agunt propter finem, cognoscunt ipsum finem, applicant media apta & efficacia ad eum obtinendum, conferunt, & discernunt ea ab aliis, & discurrunt de eisdem: bruta autem hæc præstare nequeunt, cum sint mentis, & rationis expertia; igitur bruta propter finem propriè non operantur.

24. Oppones primò, agentia naturalia cognitionis expertia agunt propter finem, 2. *Phys. T.* 80. Ergo id brutis non est denegandum, quæ sunt cognitionis capacia. Ant. firmatur recto rerum ordine, pulchritudine, prouisione, & conseruatione perenni, quæ temerè, & casu esse nequeunt, vt contrà quosdam veteres Philosophos ostendit Aristot. vbi suprà. Distinguo antecedens, ex seipsis, nego: ex directione primæ causæ, concedo. Siquidem Deus omnia dirigit in suos fines, ratione cuius naturalia perhibentur agere propter finem. Quo in sensu profertur illud vulgatum, *opus naturæ est opus intelligentiæ.* Et illud. *Omnia quæ naturâ, & arte fiunt, ratione aliqua fiunt.*

25. Oppones secundò, hirundo colligit lutum, paleam, & cætera necessaria ad construendum nidum, & fouendos pullos suos. Item canis obiecto sibi pane, accedit, præsentato verò sibi baculo, fugit. Similiter ouis lupum, musca araneam, vitis laurum fugiunt: ergo hæc agunt propter finem. Respondeo hæc, & consimilia efficere instinctu naturæ, & quadam adumbratâ ratione, similitudinariâ scientiâ, & prudentiâ; vt benè aduertunt D. Aug. 11. *Ciuit. cap.* 17. *&* 11. *de genesi ad lit. cap.* 2. Scot. 1. *Met quæst.* 3. & Antonius Andr. *ibid. quæst.* 4.

QVÆSTIO IX.

De causis per accidens.

26. CASVM, & fortunam esse causas per accidens tradit Scot. 1. *d.* 2. *q.* 2. §. *Iuxta tres sub N.* Et 2. *d.* 37. §. *de modo ponendi.* Et indicat Aug. 2. *contrà Pelagianos cap.* 6. Et 2 *ad Bonifacium cap* 7. Atque pertractat Arist. 2. *Phys. c.* 4. 5. *&* 6. *à T.* 39. *vsque ad T.* 68. Vbi Parisiens. & alij eius interpretes fusè, & eruditè de hisce disserunt.

ARTICVLVS I.

An sint casus, & fortuna.

QVidam Philosophi, quorum nomina supprimit Arist. 2. *Phys. cap.* 4. *T.* 40. Quosve esse Stoïcos testantur Fuentes *ibid. q.* 10. *dif.* 1. *art.* 1. & Complut. *disp.* 13. *q.* 1. & anteà Delphinus 1. *de rerum euentu non longè à principio,* tollunt de medio casum, & fortunam, suspicantes omnia necessariò fieri, & determinatè produci. Oppositum autem tuentur Arist. cit. Scot. *Quol. vlt.* & cæteri Philosophi, & Theologi cum quibus.

27. Assertio, admittenda sunt casus, & fortuna. Tenet Doct. *vbi suprà, &* 1. *d.* 2. *quæst.* 2. §. *ostenso. &* 11. *Met. in com. T.* 13. *&* 5. *eiusdem operis, quæst.* 1. §. *Respondeo.* Idque videtur non ratione suadere Arist. sed communi consensu supponere, vt quoque præstat in Logica de denario prædicamentorum numero, vt ibi aduertit Mayr. & de immobilitate loci & aliis, notat Gadius *in expositione Quol.* 11. *fol.* 213. *colum.* 2. potest autem suaderi sic. Causa rectè diuiditur in causam per se, & per accidens, 2. *Phys. T.* 50. causæ autem per se sunt, quæ vi propriâ, & intentione influunt in effectum, & causæ per accidens, quæ præter intentionem causant effectum, cuiusmodi sunt fortuna, & casus. Rursus, dantur effectus fortuiti, & casuales, ergo concedenda sunt fortuna, & casus. Ant. patet experientiâ de multis, quæ interdum inconsultò, a nobis fiunt, & casu accidunt. putà inuentiò thesauri fodientibus vineam, & descensus lapidis à tecto domus, in caput transeuntis, & id genus alia, quæ raò, & præter intentionem agentium contingunt.

28. Oppones primò, D. Aug. 1. *Retract. primo,* seipsum reprehendit, quia aliquandò vsus est his nominibus, casus, & fortuna, ergo in schola Christifidelium tradenda non sunt casus, & fortuna. Respondet Scot. *Quol. alleg.* §. *Quantum ad* 1. *B.* reiicere fortunam, vt quoddam diuinum numen, & Deam statutam ab Ethnicis, & vulgaribus pauperibus, subdit Tatar. 2. *Phys. quæst. vlt. scibili primo,* tanquam rerum omnium casualium, & fortuitarum opificem, non verò vt eam docent Catholici, vt patet apud S. Doctorem 4. *Ciuit.* 18. *&* 19 *&* 1. *qq. super Gen. q.* 9.

29. Oppones secundò, omnes effectus habent suam causam determinatam, annuente Plat. *in Thimeo.* Et ex Cic. concedit Aug. 5. *Ciuit* 9. Ergo nihil casu, nihilque fortuitò efficitur. Distinguo ant. de causa remota, & vniuersali, concedo: de causa proxima, & particulari, nego. Sic enim multa eueniunt præter agentium particularium mentem, & intentionem, vt superius monstraui, & in hoc sensu exponendi sunt Authores memorati.

30. Oppones tertiò, nihil in vniuerso extat inordinatum, incompositum, & præposterum, cùm omnia in mensura, numero, & pondere disposuerit Dominus, *Sap.* 11. Ergo nullum extat casuale, nullumque fortuitum. Distinguo ant. respectu Dei, concedo: respectu nostrum, nego. Ita occurrit Doct. cit. & 9. *Met q.* 9. §. *Ad* 1. Et insinuat Aug. *l.* 83. *qq. q.* 24. *&* 27. *& l.* 3. *de consensu Euangelistarum c.* 13. Deo nihil fortuitú est.

ARTICVLVS II.

Quid sint casus, & fortuna.

31. MVlti sunt, & copiosi in hisce tractandis Arist, 2. *Phys. cap.* 4. *& inde,* Scot. *Quol.* 21. & Viues 5. *Ciuit. cap.* 1. perardunm autem est, & difficile scitu, peruestigare quid ista sint, adeò vt veteres Philosophi in varias abeant opiniones, & errores. Nonnulli namque, quorum præcipuus patronus censetur Democritus, orbium cælestium, & elementarium molitionem, & effectionem, casui, fortunæque tribuunt: à sublunaribus autem mixtis, & animatis ea eximunt complures, quibus Ethnicorum vulgus fauet, fortunam arbitrantur esse Deam, iuxtà illud Iuuen. Satyr. 10.

Te facimus fortuna Deam, caloque locamus.

Arist. *l. de bona fortuna,* cui suffragari videtur Bonet. 3. *Phys. cap.* 1. § *consequens autem.* Putat esse quemdam impetum in categoria qualitatis repositum. Cæteri verò, nominatim Scot. præcit. eiusque discipuli docent, fortunam esse causam per accidens in iis, quæ ex electione agunt.

32. Not. primò ex Scot. 12. *Met. in exp. T.* 7. duplici causæ per se agenti propter finem, puta naturæ, & voluntati correspondere geminam causam per accidens, casum scilicet, & fortunam. Casus quippè ad causam naturalem, & fortuna ad causam liberam reuocatur. Vna autem causa, penes diuersos effectus dici potest causa per se, & per accidens. Est enim causa per se, vt producit effectum intentum, vt ædificator construens domum dicitur causa per se eius domus, quam ædificat. Est verò causa per accidens, vt producit effectum ab illa non intentum, vt ædificator est causa per accidens lætitiæ, aut tristitiæ in dicta domo habitantium. Rursus, aduerte, causa per se perhibetur, quæ vi propria influit in effectum, aut quæ intendit effectum, quem edit: pariter causa per accidens, est, quæ vere effectum non producit, sed coniungitur illi, qui tribuit esse effectui, vt Musicus, ædificat, vbi Musica est causa per accidens ædificij, quia connectitur cum eo, qui propria virtute ædificat: vel causa per accidens est, quæ quidem producit effectum, sed ab ipsa non intentum, & si extiterit causa naturalis, dicitur casus. Si verò libera, nominatur fortuna.

33. Not. secundò, casum, & fortunam interdum promiscuè accipi, & confundi, quo in sensu, vt quoque aduertit S. Damasc. *. fides cap.* 25. Fortuna enunciatur de inanimatis, & animatis, deque naturalibus, ac liberis, sic lapides templi, & altaris appellantur fortunati, & beati. Nec omittendum est casum latiùs patere, quam fortunam. Quæ enim a fortuna fiunt, dicuntur quoque casu fieri: non autem è contrà propriè, quæ fortuitò accidunt, casu eueniunt: siquidem propriè fortuna agenti voluntario ex delectu operanti, non intendenti effectum adaptatur; at casus agenti naturali effectum non intendenti, conuenit, vt præ aliis obseruat Doct. 5. *Metaphys. quæst.* 1. § *Respondeo.*

34. Not. tertiò ex Doct. *Quol. nuper recensito sub D.* post Arist. *lib. de bona fortuna cap.* 1. fortunam præscindere à bona, & mala, veluti genus abstrahit à suis speciebus, & vsurpari pro causa, quæ effectum non intentum producit, & pro effectu non intento ab ea producto, & si fuerit bonus, perhibetur bona fortuna; si verò malus, mala fortuna nominetur. Deinceps, de his, quæ in manu nostra non sunt, vt sanitas, pulchritudo, & huiusmodi, propriè non dicimur benè fortunati, cum propriè fortuna sit de iis, quæ agimus præter nostram intentionem. Addo, penès vnum bonum euentum quispiam benè fortunatus non vocatur, sicut vna hirundo non facit ver, nec vna beata dies reddit hominem beatum, 1. *Eth.* 9. Nec etiamsi quia semper bona sortiatur, sed solùm qui rarò præter intentum bona, & prospera suscipit, vel qui mala fugit. Si quis verò in bello, lucro, vel negotio, vt plurimum bona, & prospera capiat, nominatur benè fortunatus, & e contra malè fortunatus si in prædictis, vt in pluribus mala ei accidant. Num verò hæc proueniant ab intrinseco, vel extrinseco, non exigua extat difficultas infrà dirimenda.

35. Assertio prima, orbes cælestes, & elementares à casu, & fortuna haud conditi sunt. Hæc præsupponitur à Doct. cit. & expressè cum Arist. traditur ab eodem *in com.* 11. *Met. antè T.* 8. Probatur primò, causa per se præcedit causam per accidens, quia hæc, ad illam reuocatur: natura autem, & intellectus sunt causæ per se, casus verò, & fortuna sunt causæ per accidens, ergo casus, & fortuna nequeunt esse primæ causæ rerum, cuiusmodi sunt orbes præmemorati. Secundò, si res inferiores sortiuntur causas per se, vt fatentur Philosophi, contrà quos disputat Aristot. *tit. & 2. Phys.* 44. potiori iure cæli, qui sunt res superiores benè ordinatæ, & mirè dispositæ, proindeque casus, & fortuna haud sunt primæ causæ dictorum orbium.

36. Assertio secunda, fortuna non est Dea, bonorum euentuum effectrix, ab Ethnicis excogitata. Ita Scot. *Quol. alleg. B.* post Aug. 4. *Ciuit. cap.* 18. & 7. *eiusdem, cap.* 3. Probatur, forent duæ deæ, vna bonorum euentuum, & altera malorum, vt Manichæi imaginabantur duo esse prima principia effectiua rerum, vnum bonorum, & alterum malorum. Deindè labemur in politheismum, quem esse impossibilem ostendam *in Met. l.* 4. *quæst. vn. art.* 4.

37. Assertio tertia, bona fortuna est impetus naturæ, sine ratione ad bonum, quod præter intentionem quispiam assequitur. Ita refert Scot. cit. I. Secundum Arist. *l. de bona fortuna.* Huiusmodi autem impetus dicitur causa intrinseca boni euentus, qui inest homini bene fortunato, inclinans ipsum bonum, præter eius intentum, & consequens eius esse indiuiduale, sicque vnus est bene fortunatus, non verò alter, vt constat experientia: nec ille impetus sufficit, sed requiruntur causæ extrinsecæ boni euentus concurrentes, & inclinantes ipsum ad tale bonum, cuiusmodi sunt septem planetæ in certa coniunctione, & aspectu, & inter se, & cum astris in determinato situ, & domo: quando autem soluitur illorum coniunctio, cessant boni effectus, & euentus prosperi: quo pacto quidam ad trigesimum, aut quadragesimum annum sunt fortunati, postmodum verò infelices, & infortunati decedunt, vt plerique non ignobiles scriptores obseruant. Cæterùm secundum Theologos, nominatim Scot. ad finem loci nominati omnes boni euentus hominis tribuendi sunt speciali prouidentiæ Dei, qui secundum beneplacitum suæ voluntatis dona sua, vni, & non alteri elargitur, nec iniustè, cùm sit Dominus omnium. Plura Richar. *Quol.* 3. *quæst.* 7. & Faber. *de prædest. dist.* 57. *cap.* 5. *ad finem.*

38. Assertio quarta, fortuna rectè definitur *causa per accidens ex electione in his, quæ rarò contingunt.* Ita Arist. 2. *Phys. T.* 52. & Scot. nuper cit. *Quol. vlt.* dicitur *causa*, vt genus, *per accidens*, vt differat à causa per se. *Ex electione* propter casum. Adduntur reliquæ particulæ, vt discriminetur a natura, cuius effectus sunt intenti, & determinati. Casus autem definitur causa per accidens absque electione, in iis, quæ rarò contingunt. Patet discrimen fortunæ, & casus. Siquidem illa liberis, iste verò naturalibus adaptatur, vt probe declarat Doct. 5. *Metaphys. quæst.* 2. §. *Respondeo.*

39. Oppones primò. Arist. quandoque, vt 7. *Mor. ad Eudem. c.* 8. videtur asserere fortunam esse Deam, vt præstiterunt Antiqui ab ipso relati, & non reiecti 2. *Phys. T.* 47. Hinc Romani eam vt numen diuinum colebant, & Valerius maximus narrat eius simulacrum fuisse loquutum. Respondeo Arist. in vulgi, & non in propria sententia ibi loqui, fortasse enim si eam refelleret, mortem ei intulissent. Patet autem expressa eius mens a locis à nobis adductis *in* 2. *&* 4. *ass.*

40. Oppones secundò. Idem Philosophus *l. de bona fortuna cap.* 2. scribit fortunam esse naturam, absque ratione. Ergo fortuna non est causa per accidens ex delectu, quæ causæ liberæ competit duntaxat. Respondeo Philosophum eo in loco indicare, effectus fortuitos effici nobis sine ratione deliberante, interprete Scot. vbi suprà, & quia inquit esse impetum, & inclinationem ad bonum, ad quod causæ naturales superiores, putà Cæli concurrunt, propterea naturam appellauit absque ratione. Atque ibi subiicit, vbi plurimum de intellectu, parum de fortuna, & econtrà, vbi plurimum de fortuna, parum de intellectu.

41. Oppones tertiò, plerique effectus, vt Eclypses solis, & lunæ rarò accidunt, & tamen fortunæ non attribuuntur, ergo non benè suprà definitur fortuna conueniens eis, quæ vt plurimum non eueniunt. Respondeo concesso ant. negando conseq. Quia tales effectus sunt à causa determinata, qua posita, ponuntur: Verùm effectus fortuiti per se non intenduntur,

tur,

tur, nec determinamur à causa, sed ex aliis effectibus incertis, & determinatis oriuntur per accidens, hoc est nullum cum eis habentes necessarium nexum, & vinculum.

Articvlvs III.

An sit, & quid sit fatum.

41. **C**Auendum, immò inficiandum esse absolutè fatum tanquam odiosum, & Christianæ fidei perniciosum mouens Greg. *hom. de Epiph.* Castrensis 7. *aduersus hæreses, ver. Fatum.* Suarez *disp* 19. *Met. sect.* 11. *num.* 4. *&* Pontius *disp.* 40. Addo S. August. Tract. 37. in Ioan. *si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum.* Sic enim fatum describitur ab Antiquis colligantia causarum ex astrorum motibus, & viribus efficaciam trahens. Vndè quidam Poëta canit.

Te tua fata trahunt, ne capta relinquere posses.
Deindè,

Namque ipse volens, facilisque sequetur, si te fata vocant : alter
Non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.

Contrà istos egregiè disputat D. Aug. enarratione *in psal.* 31. his verbis. *Multi dicunt, fatum mihi fecit. Quid est fatum? stella me fecerunt. Quid sunt stellæ? certè ista, quas in Cælo conspicimus. Et quis eas fecit? Deus. Quis eas ordinauit? Deus. Ergo vides, quod voluisti dicere, Deus fecit, vt peccarem: ita ille iniustus, tu iustus, quia nisi ille fecisset, tu non peccasses. Tolle istas excusationes in peccatis, & dicito cum Dauid psal.* 140. *Ne declines cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Cum hominibus operantibus iniquitatē.* Aliter definitur fatum apud Senec. *l.* 2. *qq. naturalium cap.* 36. scilicet, *indeclinabilis rerum ordo, & immutabilis earum catena, quam nulla vis potest irrumpere, propterea quod à Iouis dispositione, & definito Deorum consilio pendeat.* Quò respiciens Virg. 4. *Æneid.* canit.

Me si fata meis paterentur ducere vitam.
Auspiciis, & sponte mea componere curas.

Huiusmodi autem fatum damnatur in Conc. Bracar. I. *c.* 9. Et refellitur ab Aug. *l. hæresum cap.* 35. Et 5. *Ciuit. c.* 1. & indè, vbi Viues, & Alfon. 7 *aduersus hær. ver. Fatū.* Atq; ratione conuincitur. Sic enim læderetur humana libertas; tolleretur negotiatio, & consultatio admissa 1. *perih. cap. vlt.* Nec homo laudandus, aut vituperandus, nec præmio afficiendus, aut pœna plectendus, vt fuse, & eruditè ostendit Alfon. *vbi suprà.* Si namque omnia necessariò, & ineuitabiliter accidunt, nulla foret rerum contingentia, nullave indifferentia, & indeterminatio ad opposita, quæ & consimilia sunt falsa, absurda, & hæretica, proindèque fatum in hac acceptione, quæ est vsitata teste, Bonauent. 2. *d.* 14. *quæst.* 3. *num.* 79. est detestandum, & execrandum. Tertiò describitur fatum a Bon. 3. *Phys. cap.* 2. Aur. 2. *d.* 40. *art.* 3. Gadio *quol.* 21. & Mol. 1. *p. quæst.* 14. *art.* 13. *disp.* 1. ordo, & connexio causarum secundarum præuisa a Deo, penès quam Deus sinit res agere, & euenire. Ista descriptio decerpitur ex nominis notione. Etenim fatum à fando deriuatur, notante Aug. *tract.* 37. *in Ioan.* Et 4. *contrà Iulianum cap.* 8. Et *quæst.* 115. *noui, & veteris testamenti.* Ideò fato fieri censentur, quæ ab aliquo antè fuere prælocuta, ex eodem Aug. 5. *Ciuit. cap.* 2. *& contrà Faustum* 2. *cap.* 5. cum ergo factum perinde sit, ac prælocutum, præuisum, & prædictum, iuxtà vocis nomenclaturam, planè ordo certus, & determinatus causarum omnium concurrentium ad effectuum productionem, earumque dispositio præscita, & præuisa à Deo, perhibetur fatum. Sic fatum amplè, & generìcè captum, præscindens à bono, & malo, Boët. 4. *de cons. pros.* 6. restringit ad bonum duntaxat, & specificat ad eos tantum effectus, qui diuinæ prouidentiæ subiiciuntur, ita vt fatum secundum hunc Authorem sit ordo causarum secundarum diuinam prouidentiam exequentium. Ad hunc autem sensum quidam interpres Plinij *l.* 10. *cap.* 1. reuocat sententiam Antiquorum, inquiens. Homeri illa catena, & annuli apud Plat. nihil aliud sunt, quàm series rerum, ac ordo diuinæ prouidentiæ deseruiens. Series quippè, & ordo diuinæ prouidentiæ est infallibilis, libertatem creatam non lædens, nec rerum contingentiam tollens. Vndè concinne Manilius canit.

Nec quidquam in tanta magis mirabile mole,
Quàm ratio, & certis, quod legibus omnia parent.

43. Dices, quæ à Deo præscita, præuisa, & ordinata sunt, firma, stabilia, & infallibilia sunt: ergo si concedatur fatum, vt est certa, & determinata series causarum à Deo præuisa, & prouisa, planè necessariò earum effectus euenient, quia ità fient, vt Deus præuidit esse futuros, atque ità admittitur fatum; sicut conceditur ab Antiquis. Concedo ant. nego conseq. Ratio est, quia præscientia Dei non aufert contingentiam, nec libertatem, cum sit rebus extrinseca. Ideò solùm infertur res infallibiliter euenturas, non verò ineuitabiliter, & necessariò futuras necessitate consequentiæ, non autem consequentis, vt ostendi in Log. *l.* 4. *art. vlt.*

Articvlvs IV.

De monstris.

44. **M**Onstrum, quod à monstrando deriuatur, notante Aug. 21. *Ciuit. cap.* 8. siue quia futurum aliquem euentum monstrat, & prædicit, vt inquit Cic. 2. *de natura Deorum,* siue quia digitis quasi monstrat quidpiam tanquàm mirum, & insolitum ab omnibus spectandum, vt aliis placet; nuncupatur peccatum naturæ ab Arist. 2. *Phys.* 82. Defectus, & deformitas eiusdem, 7. *Met. c.* 9. *T.* 31. Ac etiam malum ipsiusmet naturæ, à Scot. 1. *Rep. d.* 1 *q.* 3. §. *Ad* 1. *principale.* Potissimùm verò definitur *effectus naturalis à recta, & solita secundum speciem dispositione degenerans.* colligitur *ex* 2. *Phys cit. &* 4. *de gener. animalium cap.* 4. Et exprimitur, quoad omnes eius particulas. Dicitur *effectus,* tanquam genus: ponitur *naturalis,* quia in artefactis, si aliquis defectus contingat, non monstrum, sed error appellatur. Adduntur reliquæ particulæ, loco differentiæ. Cùm enim vnaquæque species habeat indiuidua, quæ more consueto constituuntur, & integrantur ex certis partibus, ac determinatis membris, si aliquod eius indiuiduum gignatur habens omnia membra, vel aliqua insigniora & notabilia declinantia à recto, & solito modo, quo cætera fiunt, nominatur monstrum. Vt accidit ad annum Christi nonagesimum primum, quo reperitum fuit quoddam monstrum capite canino, & cæteris membris humanis, quod præsignauit sæculum illud, viris ingenio, & doctrina fore exhaustum, vt aduertit Genebr. 4. *Chronol. p.* 317. *decimo sæculo.* Quamuis autē Parisienses 2. *Phys. q.* 2. *fol.* 45. scribant ferè in cunctis creatis euenire monstra, ego existimo ea propriè fieri in animatis, vt in plantis, & arboribus, sic fert Plin. *l.* 7. *c.* 2. sub vmbra vnius ficus recubuisse vnum, & integrum exercitum: potissimum autem in hominibus, & brutis, vt contigit anno Christi 1105. quo, sus edidit fœtum humana facie. Gallus Gallinaceus quatuor pedibus natus est; biceps infans sexu duplex prodiit. Teste Geneb. *cit. pag.* 356. *sæculo duodecimo.* Monstrorum autem causa præcipua assignari potest quintuplex, abundantia materiæ, eius inopia, intemperies

 euidem

eiusdem defectus continentis foetum, & commixtio animalium diuersæ speciei: quarum meminit Plin. *lib.6. hist. cap 30.*

45. Primò, itaque nasci potest monstrum ex exuberantia materiæ, idque bifariàm, sunt enim excessus materiæ fit in omnibus partibus, & membris animalis, sic narrat Augustin.16. *Ciuit. cap 23.* Romæ quosdam habuisse corpora mole gigantea. Et anno 1649. mense Iulij. Aquis visa est testudo tantæ magnitudinis, vt in stuporem conspicientes induceret: aut excessus materiæ habetur in aliquo tantum membro, vel aliquibus membris, sic scribit Geneb.2. *Chronol ad annum vrbis Romæ conditæ* 511. Romæ pueri ex ancilla natus quadrupes, quatuor item habens oculos, & aures, & duplicem masculinum sexum Pariter nonnunquam visuntur Hermofroditi, seu Androgyni sexum masculinum, & fœmineum habentes, quos memorat August.11. *Trin. ante cap.7.* & Aristot.4. *de gener. animalium, cap 2.* & Angelus *verbo Hermofroditus.*

46. Secundò, ex penuria, & paruitate materiæ, & hoc dupliciter, vel enim deficit materia proportionaliter in cunctis partibus, & membris animalis, sicque gignitur nanus. Vnde Nicephorus 11. hist. capit. 47. refert in Ægypto quemdam ita exiguæ quantitatis extitisse, vt tantum perdicis magnitudinem attigerit. Vel deficit in aliqua parte, & membro: quo pacto oriuntur monoculi, vnipedes, vmbripedes, de quibus Plinius 7. *Hist.cap* 2. Hinc aiunt Parisiens. super alleg. suo tempore filiam quamdam natam esse oculis, & naso orbatam, tantumque loco narium habuisse duo foramina.

47. Tertiò, ex intemperie materiæ. Si enim materia sit nimis calida, & feruida, interdum infantes nascuntur dentati, cuiusmodi fuit Marcus Curius, teste Plin. citat. Et Barbati, sic Albert recensitus à Parisiensi. *vbi suprà,* testatur se vidisse natam filiam habentem vbera pendentia, & pilosam sub asellis, capite, & inguinibus. Quod si materia nimis frigida extiterit, generantur frigidi, & maleficiati, inepti ad coëundum, & generandum, de quibus Angelus *verbo Matrimonium impedimento* 16.& Lyran.*ad finem,c.1. Geneseos.*

48. Quartò, ex defectu continentis fœtum in vtero matris visuntur monstra. Si namque continens, quod est quamdam subtilis pellicula, quæ secundina appellatur, violenter comprimatur, aut frangatur, tunc vnus fœtus coniungitur cum altero fœtu, simulque iuncti ex aluo matris egrediuntur. Ita ad annum 1621. apparuerunt duo infantes simul iuncti in aluo, quorum vnus alium gestabat, vnusque comedebat, bibebat, & loquebatur, alter verò non, sed tantum spumam ex ore fundebat. Simile quid refert Doct.4. *distinct.6. quæst.2 §. De quarto I.*

49. Quintò, ex commixtione animalium diuersæ speciei, vt accidit in Africa, in qua ob fontium paucitatem, animalia diuersæ speciei congrediuntur ad bibendum simul, ibique et inuicem miscentur, & coëunt, diuersaque monstra gignunt, vt asserit Aristot.8. *de generatione animalium, cap* 28. Quo pacto nonnunquam nascuntur semi-homines, semi-bestiæ. Itemque mulier serpentem peperit, teste Luciano, & bos agnum,authore Iosepho 7. *de bello Iudaico,cap.*15.

50. Quæres primò, vtrum monstrum habens geminata membra, nempè duo capita, quatuor manus, & pedes sit vnum animal, aut plura? Respondeo cum Aristot.4. *de generatione animalium*, si cor sit vnum, est vnum animal, si verò cor sit duplex, vtique geminatur animal. Ratio est, quia cor est origo, & sedes vitæ, ob id ex vnitate eius, vel duplicitate eius statuitur vnum, vel duplex animal. Idque dignoscitur ex pulsu, subnectit Scot.4. *distinct.6. quæst.2. §. De quarto. I.* Atque in adultis, ex mte lectu, & voluntate. Cum enim homo sit vnum animal ab vnitate animæ rationalis, quæ vno intellectu, & voluntate pollet,consequenter ex his facile cognoscitur,num vnum, vel multiplex sit animal?

51. Quæres secundò, vtrum natura intendat monstrum? Respondeo per se non intendere monstrum, sed per accidens. Ratio est, quia monstrum ea dictis, est malum, quod per se non intendit natura, sed per accidens propter impedimenta præcedentia. Ita videtur tradere Seraphicus 2. *distinct.*17. *quæstion.*3. & in simili scribit Scot 1. *distinct.*41. *quæst. vn. §. Contra istam positionem.* Addo, natura intendit rectum, & perfectum, iuxta illud, *natura facit, quod melius est.* Quod si impediatur per causas prænumeratas,fertur ad obliquum,& imperfectum,cuiusmodi est monstrum.

LIBER QVINTVS.

De Quantitate.

PRÆSVPPONENDA sunt, quæ disputaui de quantitate, essentia eius, speciebus, affectionibus, & serie, *in Logica lib.*3 *quæst.*4. Quibus præsuppositis, & præiactis, cætera, quæ ibi desiderantur, hîc adiicienda curamus, præsertim quia quantitas est passio corporis naturalis, ad hanc doctrinam pertinentis.

QVÆSTIO I.

De quantitate in communi.

ARTICVLVS I.

An sit quantitas absque extensione externa ad locum.

1. VIRTVTE naturæ extensionem internam existere non posse sine externa, siue commensuratione locali, nemo ambigit, quia hæc præsupponit illam, veluti effectus suam causam, putà lumen, corpus luminosum. An verò id effici queat superna Dei virtute, extat controuersia inter Catholicos, & Hæreticos. Siquidem Lutherus, & Caluinus 4. *instit. cap.*17. quibus videtur suffragari Dur.4. *dist.*10. *quæst.*2. Putant repugnare, quantitatis extensionem externam ad locum, seiungi ab interna extensione partium in toto. Scot. autem 4. *distinct.*10. *quæst.*1. *art.*2 §. *Dico ergo aliter Al.* Bass. *ibid.* Mayr. *quæst.*2. & cæteri Doctores Orthodoxi docent diuinitùs effici posse, vt extensio interna quantitatis corporis quanti existat, absque extensione externa ad locum

2. Nota. extensio, quæ ex vi nominis perindè est ac extra tensio, vt notat Mayr. *vbi suprà, quæst.*3. est positio partium, quæve duplex est;vna quippe est interna, quæ est positio partium in toto: altera verò externa

tura, quæ est positio partium in loco. Prior est de genere quantitatis, posterior verò de genere situs: illaque esse valet, absque ista. Potest quippè Deus efficere, vt corpus quantum loco non commensuretur, & conscribatur, vt si ponatur extrà cælum; atque si existat intrà cælum, priore positione gaudeat, & non posteriore.

3. Assertio, vi diuina extensio interna quantitatis esse valet absque extensione externa ad locum. Tenet Doct. cit. & *in Report. eadem dist.* Probatur primò, ex sacra pagina Lucæ 4. *Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Et Ioan. 8. *Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.* Vbi subdit Lyran. Christus virtute diuinitatis se reddit eis inuisibilem: non potuit autem id præstare, nisi per separationem extensionis externæ, ab extensione interna quantitatis, vt fit quotidiè in Euch. in qua corpus Christi nullam habet extensionem externam ad locum, actualem, sed aptitudinalem duntaxat, vt quoque astruit Suarez *disp. 40. Met. sect. 4. num. 14.* Secundò in essentialiter subordinatis potest esse prius absque posteriori, vt claret de Deo, sole, & homine, necnon de causa, eiusque effectu: extensio autem interna quotitatis partium in toto, ac extensio externa localis, & commensuratiua partium totius in loco subordinantur inter se, priorque statuitur extensio interna, quæ est ratio essentialis quantitatis, vt probaui *in Log. præcit art. 2.* Et causa extensionis externæ localis, & circumscriptiuæ. Potest autem esse causa, absque suo effectu, vt scribit Doct. 4. *distinct. 49. quæst. 13. & 16. §. Dicunt quidam.* Quod præstitum est in fornace Babylonica, in qua positi tres Pueri Hebræi non fuere combusti.

Tertiò, prædicamenta sunt impermixta, & ferè omnia ab inuicem realiter distincta: præfatæ autem extensiones pertinent ad diuersa prædicamenta. Siquidem extensio interna spectat ad prædicamentum quantitatis, & extensio externa ad prædicamentum situs, vt obseruaui in præposito not. Ergo ab inuicem segregari possunt, proindeque prior extensio quantitatis esse valet, absque posteriore.

4. Oppones primò, D. August. *epist. 49. ad Dardanum*, hæc litteris consignat. *Tolle spacia locorum, à corporibus, & nusquam erunt, & si nusquam erunt, non erunt.* Ex quibus verbis, apertè S. Doctor innuit, corpora non posse existere, absque extensione locali, quæ est extensio externa. Respondeo August. ibi verba facere de naturali virtute: non verò de diuina potentia, quæ respicit id omne, quod non inuoluit contradictionem.

5. Oppones secundò, continuum est, quod habet partes extensas, vnaque pars est extra aliam, ac in eas diuidi potest, 5. *Met. cap. 13. T. 18.* Huiusmodi autem partium extensio respicit locum, quia non videtur, quo pacto totum corpus, eiusque partes extendi queant nisi in ordine ad locum. Igitur extensio interna quantitatis seiungi haud potest ab extentione externa, quæ est localis, & commensuratiua. Concedo ma. nego min. Siquidem apud Deum non est impossibile omne verbum, Luc. 1. Ideò, licet id naturaliter effici nequeat, supernaturaliter verò esse impossibile, ostenditur per rationes positas, ad probandam præmissam assertionem.

6. Oppones tertiò, quantum continuum existere nequit absque figura, figura autem penes suam rationem petit extensionem localem: ergo esse non valet quantum, sine extensione locali. Respondeo in primis quantum posse existere absque figura, quæ est in quarta specie de genere qualitatis. Deinde quantum esse potest sine figura externa, & situali, non autem absque figura interna, quæ est eius terminus intrinsecus, quæve residet in categoria quantitatis.

7. Oppones quartò, non inuenitur aliquid sine sua passione, seu proprietate, vt homo sine risibilitate: extensio autem externa est passio quantitatis: ergo hæc esse non potest sine illa, & è contra. Concedo ma. nego min. quandoquidem extensio externa est effectus extensionis internæ: causam verò posse reperiri sine suo effectu, patuit supra. Vel dicito, posse existere extensionem internam, sine actuali, vt homo sine actuali risibilitate, non verò sine extensione externa aptitudinali, ad locum: veluti homo esse nequit absque potentia, & aptitudine ad ridendum.

ARTICVLVS II.

An quantitas realiter à substantia distinguatur

8. SCot. 4. *distinct. 12. §. Ad quæst. ergo sub I.* duas recenset opiniones: vna est, quam sequuntur Nomin. Ocham. 4. *dist. 4. & Quol. 4. quæst. 29.* Gabr. *in can. lect. 43.* & exteri eiusdem Scholæ astruunt quantitatem coincidere, & identificari cum substantia corporea, & accidentibus materialibus, adeòvt tot sint quantitates in composito, quot sunt substantiæ, & accidentia materialia eius. Itaque, secundum hos Authores substantia materialis se ipsa est quanta, quatenus habet partes extra partes, & color pariter seipso est quantus, quatenus habet suas partes per se extensas. Altera verò est communis, quam amplectuntur Doct. præcit. Mayt. Bass. & alij *ibid.* quibus adstipulantur Thomist. ex D. Th. citat. à Complut. *disp. 13. Phys. quæst. 1.* & Suarez *disp. 40. sect. 2. num. 7.* docentes quantitatem realiter distingui à substantia, & quouis accidente materiali. Idipsum tradit S. Bon. 4. *distinct. 12. art. 1. quæst. 3.* prope finem. Nec dissentit Dur. *ibid. quæst. 1. ad 2.*

9. Præsupponenda est diuisio entis in substantiam, quæ est ens per se subsistens, & accidens, quod est ens in alio inhærens. Quod subdiuiditur in absolutum, & relatiuum, illud potest absque subiecto existere, istud verò nequaquàm, cum in fieri, & in esse ab eo dependeat, vt fusè ostendi in Log. *lib. 5. quæst. 6 art. 5.*

10. Assertio, quantitas realiter differt à substantia corporea. Ita Scot. *passim alleg.* Et 2. *distinct. 2. quæst. 9.* Et *distinct. 12. quæst.* necnon 5. *Met. quæst. 9.* post D. August. 5. *Trin. cap. 10. & 8. eiusdem operis, cap. 1.* Suadetur primò ex Aristot. tum *in Log. cap. de quantitate*, tum etiam *in Met. lib. 5. cap. de quanto.* Vbi Philosophus distinguit quantitatem à substantia. Item 1. *Phys. T. 15.* disputans contra Parmenidem, & Melissum scribit, quæ sunt alia à substantia, prædicantur de substantia, quantitas autem prædicatur de substantia. Valet enim dicere, substantia est quanta, ergo quantitas à substantia secernitur. Idem 7. *Met. T 3. & ibid. sum. 2. cap. 1. T 8.* explicitis verbis subdit. *Longitudo, & latitudo, & profunditas, qualitates quadam sunt, sed non substantiæ. Quantitas enim non substantia.* Rursus ipsemet Stagirita non rarò vt 1. & 7. *Met.* aliisque locis redarguit Pythagoricos, & Platonicos substantias rerum statuentes numeros, & quantitates. Atque, nisi distingueret quantitatem à substantia, sicut ad quantitatem est per se motus, pariter ad substantiam foret per se motus, quod inficiatur apertè 5. *Phys. T. 18.* Secundò, ea realiter differunt, quorum vnum perfistit, aliud verò perit, vt acutè arguit Doct. 2. *distinct. 1. quæst. 4. §. Contra istam.* In Eucharistia autem non manet substantia panis, vt Fides docet, & declarat Conc. Trid. *sess 13. can. 2.* Eius verò quantitas perseuerat, vt patet sensibus, & ratio suadet. Vna quippe cernitur quantitas huius hostiæ, in qua color, sapor, odor, & cæteræ qualitates tanquam in communi subiecto resident.

11. Dices, esse tot quantitates, quot sunt qualitates,

tates, cum ipſis realiter identificatæ. Contra, illæ qualitates non ſunt diſiunctæ, & diſperſæ, ſed vnitæ, & ordinatæ adinuicem: ergo vniuntur, & ordinantur in communi ſubiecto, quod eſt quantitas reipſa ab eis diſſita. Idque in ſcamno, aliiſque arteſactis elucet. quæ erant communia ſubiecta eorum, quæ in illis collocantur. Tertiò, nullum accidens identificatur cum ſubſtantia, cum ens aperte diſtribuatur in ſubſtantiam, & accidens, tanquam in oppoſita membra: quantitas autem eſt accidens, & ſtatuitur vnum ex nouem prædicamentis accidentis, ergo quantitas realiter ſecernitur à ſubſtantia. Occurrit Ocham. *Quol. citat.* concedens ma. & diſtinguens min. Si quantitas accipiatur perſonaliter, vt ſupponit pro ſingulari, putà Petro nego: Sic enim coincidit cum ſubſtantia eius: quod ſi ſupponat ſimpliciter, concedo: ſumitur namque pro voce, ſeu conceptu, qui eſt accidens. Contrà, ſi quantitas ſupponat perſonaliter, ſumitur pro hac vel illa quantitate ſingulari: Si verò ſupponat ſimpliciter, accipitur pro quantitate communi generifica, vel ſpecifica ſignificata per nomen vt explicui *in Epitome lib.1. quæſt.2. art.2.* Quouis ergo modo capta quantitas eſt accidens. Deinde, quantitas qualitercumque accipiatur eſt ens in alio, quia ſubiecto, quod eſt ſubſtantia: ergo ita eſt accidens, vt nullo pacto ſit ſubſtantia. Quartò, quæ ſunt diuerſi generis, & ſpeciei, differunt inter ſe, iuxtà regulam anteprædicamentalem, diuerſorum generum diuerſæ ſunt differentiæ, ſpecies, & indiuidua: ſubſtantia autem, & quantitas ſunt diuerſi generis, cum ſint diuerſi prædicamenti, vt ignis eſt in genere ſubſtantiæ, eius verò longitudo, & latitudo in genere quantitatis, igitur quantitas à ſubſtantia diſcriminatur. Reſpondet præfatus Ocham. ex D. Damaſc. ab ipſo allegato conceſſa ma. diſtinguendo min. penes eamdem intentionem negat: penes diuerſam intentionem concedit, ſic ignis vt eſt ſubſtantia, locatur in prædicamento ſubſtantiæ, vt verò quantus, in categoria quantitatis. Contrà, vel eadem diuerſa intentio, ſiue conſideratio non identificat, vel diuerſificat res, ſed ad eas fertur, ſicuti ſunt à parte rei. Ideò dicitur eadem intentio, quia tendit ad idem obiectum, & diuerſa, quia pertingit diuerſum obiectum: ſubſtantia autem, & quantitas ſunt res diſtinctæ, vt liquet ex earum definitionibus, ergo reuera ab inuicem differunt. Damaſc. autem loquitur de iis, quæ ſola ratione diſſident, vt ſignificat *lib.1. fidei, cap.11.* non verò quæ à parte rei ſegregantur, cum prior ſit res, quam eius ſignificatio, & diſtinctio, innuente Auguſt. quæſt.2. veteris teſtamenti.

12. Oppones primò, *ex 1. Phyſ. T 51.* non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: Si autem quantitas ſtatuatur quid diſtinctum à ſubſtantia materiali, multiplicarentur entia abſque neceſſitate. Siquidem ſubſtantia ex ſe eſt extenſa, & ſectilis in partes, nullo alio ſibi addito, ergo hæc ab illo realiter haud diſſidet. Concedo ma. nego min. eiuſque probationem. Nam ſubſtantia corporea eſt extenſa, & diuiſibilis in partes quantitatiuas per quantitatem, ſicut eſt alba per albedinem, & inducta per habitum.

13. Oppones ſecundò, quæ potiuntur eiſdem proprietatibus, non differunt inter ſe: eadem quippè proprietas arguit eamdem eſſentiam: ſubſtantia autem, & quantitas participant eamdem proprietatem. Vtraque enim ſuſcipit contraria, putà albedinem, nigredinem, & huius formæ alia, ergo inter eas nullum interuenit diſcrimen. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, diuerſimodè ſubſtantiam, & quantitatem ſuſcipere contraria. Etenim quantitas eſt eorum ſubiectum quo, ſeu proximum, & immediatum: ſubſtantia verò eſt ſubiectum quod, ſiue remotum, & mediatum, ac vltimatum. Vel dicito argumentum valere de proprietate quarto modo, non verò aliis modis, cuiuſmodi eſt ſuſceptio contrariorum conueniens ſubſtantiæ, & quantitati. Proprium autem ſubſtantiæ quarto modo eſt non eſſe in alio, & proprium quarto modo quantitatis eſt, eſſe æquale, aut inæquale, vt dixi *in Epitome lib.1. quæſt.4.*

14. Oppones tertiò, ſi quantitas à ſubſtantia realiter differret, in rarefactione acquireretur noua quantitas, cum per eam fiat noua partium extenſio: & in condenſatione deperderetur quantitas, quia per hanc partes conſtringuntur, & minorem locum occupant. Id autem videtur inconueniens, ergo &c. poteſt concedi ſequela ma. vt patebit *lib.2. de intenſione, & remiſſione, quæſt.2. artic.1. aſſert.3.* Et negari minor ex dicendis ibi.

ARTICVLVS III.

An quantitas diuidat ſubſtantiam materialem in ſuas partes.

15. ALb. *Tract.2. cap.4.* Dur. 1. *diſtinct.34. in calce, quæſt.1.* & alij, quos citant, & ſequuntur Complut. *diſp 13. Log quæſt 3.* negant ſubſtantiam corpoream eſſe diuiſibilem in vllas partes, antè quantitatem. Sent. autem 1. *diſtinct.12. quæſt.2. §. Reſpondeo D.* Ocham. *Quol.4 quæſt.14.* & vtriuſque aſſeclæ aſſeuerant, ſubſtantiam materialem prius conſtare partibus ſubſtantialibus, & entitatiuis, quam diuidatur in partes quantitatiuas.

16. Not. primò, *ex Epitome lib.2. quæſt 7. art.1.* totum potiſſimùm eſſe duplex, eſſentiale, & integrale: illud ſubdiuiditur in phyſicum, quod cõſtat materia, & forma: & metaphyſicum, quod conſtatur ex genere, & differentia. Illud verò in homogeneum, quod habet partes ſimiles, & eiuſdem rationis, vt aqua in partes diuiſa ſortitur partes, quarum quælibet re, & nomine eſt aqua: & hetherogeneum, quod participat partes diſſimilares re, & nomine diuerſas, vt corpus, quod diſpertitur in caput, collum, brachia, manus, & huiuſmodi partes organicas. In præſenti autem ſolùm controuertitur de toto phyſico, tam homogeneo, quam hetherogeneo, num partes præfatas à quantitate mutuetur.

17. Not. ſecundò, ſubſtantiæ materiali conuenire extenſibilitatem tanquam eius paſſionem, priuſquam ei adueniat quantitas. Aliud namque eſt eſſe extenſibile, aliud verò eſſe extenſum: primum ſubſtantia materialis habet à ſe, cum fluat ex principiis eius eſſentialibus, ſecundum verò accipit à quantitate. Hinc non rectè Complut. prænominati putant Noſtrates allucinari tribuentes dictæ ſubſtantiæ partibilitatem in partes entitatiuas. Siquidem admittimus in ea ſubſtantia capacitatem recipiendi quantitatem, & in eadem, ante ſuſceptionem quantitatis eſſe priuationem eius: ſtatuimus autem præter quantitatem, ſubſtantiam materialem eſſe diuiſibilem in partes entitatiuas, ſicut in partes eſſentiales, putà genus & differentiam, & acceſſu quantitatis in partes quantitatiuas, & loci commenſuratiuas, ac circumſcriptiuas.

18. Aſſertio, ſubſtantia materialis priùs eſt diuiſibilis ex ſe in partes entitatiuas, quam in partes quantitatiuas, beneficio quantitatis. Tenet Doct. *vbi ſupra,* cui adhærent Ant. Maior, Suarez *diſp 40. Met. ſect 4.* Fonſec. *5. Met. cap.13. quæſt 2. ſect.3.* Probatur primò, totum ſubſtantiale priùs conſtituitur, & componitur ex partibus intrinſecis, & ſubſtantialibus, quam extrinſecis, & accidentalibus. Prius quippè res eſt in ſe, & in ſuo eſſe conſtituta, quam aliud reſpiciat, vt patet de ſubiecto, quod præcedit accidentia, quæ in ipſa ſubiectantur, atque cauſa effectum, qui ab ea proficiſcitur; ſubſtantia autem materialis eſt totum integrale conſtans partibus entitatiuis, & ſubſtantialibus ipſi intrinſecis, vt patet *in primo not.* & adhuc declarari, & corroborari poteſt de qualitate gradibus intrinſecis

potiente,

potiente, antequam quantitate afficiatur: priùs ergo substantia materialis est partibilis in partes substantiales, quàm in quantitatiuas.

Respondent Complut. prænominati negando substantiam materialem habere vllas partes actu, præter quantitatem, sed à quantitate oriri, per quam illa extenditur, & in partes diuiditur: solumque illa sortitur capacitatem recipiendi huiusmodi extensionem partium. Itaque ipsa substantia antè quantitatem nec est totum integrale, nec vllæ eius actu sunt partes. Contra, substantia materialis vere est substantia, cùm sit ens per se subsistens in categoria substantiæ residens, partesque eius quoque sunt substantiæ ad idem prædicamentum spectantes, vt pars aquæ est aqua, & ab altera parte aquæ substantialiter differens, vel ergo huiusmodi substantia accipit esse substantiale à quantitate, vel non. Non primum, quia præsupponitur iam esse substantia, antequam ei adueniat quantitas. Si secundum: ergo secluta quantitate præexistunt in ea substantia præfatæ entitates substantiales: Siquidem per Aduersarios quantitas eis tribuit extensionem duntaxat: vt autem quid extendatur, debet præsupponi, & præexigi, quo diffundatur. Cum ergo quantitas extendat dictas partes, plane deducitur, huiusmodi partes præire quantitatem. Eò magis, si ab aliquo toto, puta ligno, diuinitùs auferatur eius quantitas, quod esse possibile non inficiantur Antigomistæ, cum quantitas realiter differat a substantia, & de facto in Euch. extat quantitas panis, absque eius substantia, permanerent eius partes substantiales, & entitatiuæ. Hoc argumentum tanto pondere veritatis firmatur, vt flectat Thomist. nominatim Ioannem à S. Th. ad admittendum præfatas partes entitatiuas, tametsi inordinatas, & confusas. Verùm id nihil eos iuuat, quandoquidem, si Deus eas existentes sinat, vt erant prius, cum quantitate afficiebantur, forent dispositæ, & ordinatæ inter se, licet inextensæ, & non quantæ. Nec præstat dicere, eas desinere esse partes, quia licet desinant esse quantæ, & extensæ, non tamen desinunt esse substantiæ, cum earum esse substantiale a Deo conseruetur, desitque eis esse extensum duntaxat. Quod olfacere videntur Complut. *passu alleg. num.* 41. definientes quantitatem, accidens substantiæ extensiuum. Secundò, accidens diuisibile supponit, & petit subiectum diuisibile, vt tradit Auer. 3. *cæli.* & ratio est, quia inter recipiens, & receptum adest proportio, quæ non interueniret, nisi vtrumque foret diuisibile. quantitas autem est accidens diuisibile, cuius subiectum est substantia materialis, igitur substantia materialis ex se est partibilis in partes substantiales. Respondent Complut. *citat. num.* 39. distinguendo, potentia, & priuatiuè concedunt: actu, & positiue negant. Contra, substantia materialis à spirituali differt, quia hæc est insectilis, vt anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis: illa verò est sectilis, puta anima sentiens est in toto corpore tota, & pars in parte corporis. Nam si esset tota in quacumque parte corporis, ea abscissa, tota periret, quod est falsum, & experientiæ repugnans, ergo actu, & positiuè substantia materialis est in partes substantiales diuisibilis. Deindè per nutritionem toti animato præexistenti aggeneratur noua pars substantiæ, quæ saltem natura præcedit quantitatem eius. Denuò, *ex* 2. *de generatione T.* 37. ex pugillo aëris fiunt decem pugilli ignes: huiusmodi autem pluralitas non depromitur à quantitate, quia penes quantitatem duo pugilli sunt æquales, ergo penes substantiam, proindéque substantia materialis est partibilis in suas entitates. Addo, si sacerdos consecraret mediam partem hostiæ, & alteram mediam non consecraret: substantia panis media desineret esse in parte consecrata, & seiungeretur à substantia panis, quæ maneret in altera medietate non consecrata, & tamen quantitas totius hostiæ maneret integra, & indiuisa, ergo data hypothesi foret partitio substantiæ in partes entitatiuas.

Nec satisfacit dicere esse eamdem quantitatem non secundum rem, sed secundum apparentiam. Id enim est ridiculum, absonum, sensui, & experientiæ aduersum. Nec pariter præstat respondere non esse propriè separationem vnius partis ab altera, sed desitionem. Nam si Deus eam partem substantiæ panis extra hostiam conseruaret absque quantitate, sicut conseruat quantitatem absque eius subiecto, & substantia, procul dubio esset vera, & realis separatio substantiæ in suas entitates, integra manente quantitate.

19. Opp. primò, essentia quantitatis est partium extensio, eiusque passio est diuisibilitas, ex communi Philosophorum placito: substantia autem realiter à quantitate secernitur, ex assertis in præeunte art. Ergò substantia non nisi beneficio quantitatis est diuisibilis in partes, vt significat Aristot. 1. *Phys. T.* 15. Conf. nullum principium indistinctum est diuisibile, quia omne diuisibile est in plura distinguibile: substantia autem, præsertim materia est principium indistinctum, cum sit potentia, actus verò distinguit, & separat 7. *Met.* 49. Ergo substantia non est partibilis in plures entitates. Distinguo ma. in partes entitatiuas, nego: in partes quantitatiuas, concedo, vt abundè supra planum feci. Per eamdem distinctionem soluitur instantia confirmationis.

20. Oppones secundò, antè quantitatem, nulla existere quit in substantia compositio partium entitatiuarum, ergo substantia ex se non est diuisibilis, sed per quantitatem duntaxat. Ant. probatur, compositio partium substantialium est accidentalis, quia non constat actu, & potentia simpliciter, cum vna pars alteri esse non præbeat, nec constituat. Distinguo ant. de compositione strictè sumpta, quæ dicitur essentialis, concedo: de compositione latè accepta, nego. Ad probationem nego ant. causa est, quia habet partes substantiales, quæ integrant totam substantiam: Ob id non accidentalis, sed substantialis nuncupatur, tametsi earum vnio sit accidens respectiuum, sicut & in compositione essentiali ex materia, & forma, contingit.

21. Oppones tertiò, materia vel est simplex, vel composita: non simplex, sic enim extat indiuisibilis: nec composita, non enim constatur ex actu, & potentia, cum ipsa sit potentia, nec ex subiecto, & accidente, cum sit ens per accidens: ergo nullo modo est diuisibilis. Respondeo, materiam constare ex partibus entitatiuis, quæ cum sint eiusdem rationis non denotant veram compositionem, quæ habetur ex materia, & forma, vt probat argumentum: veluti qualitas perhibetur simplex, quamuis ex pluribus gradibus eiusdem rationis coalescat.

ARTICVLVS IV.

Quodnam sit subiectum quantitatis.

22. CVm ex supradictis quantitas sit accidens, & omne accidens deposcat subiectum, in quo inhæreat, iure merito in præsentia inuestigatur, quodnam statuatur subiectum quantitatis? De duobus extat altercatio inter Philosophos, videlicet de materia, & composito. Auerroïstæ enim, & Nomin. quos sequuntur Achilinus *lib. de elementis, cap.* 17. Zabarel. 2. *de materia, cap.* 8. Suarez *disp.* 14. *Met. sect.* 3. & alij arbitrantur quantitatem proximè, & immediatè subiectari in materia. Scotistæ autem cum suo Doct. 2. *dist.* 3. *quæst.* 4. *§. Ad* 1. *rationem ante M.* Et *dist.* 15. *quæst. vn. §. Dico ad quæst. A.* Et 4. *distinct.* 12. *quæst.* 4. *§. Ad quæst. ergo G.* & Thomist. cum suo duce 1. *p. quæst.* 76. *art.* 6.

art.6. alijsque locis, subscribunt Dur. 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. *parte secunda.* Et 2. *distinct.* 11. *quæst.* 2. Et 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. Rich. 4. *d. eadem, quæst.* 1. & S. Bon. *ibidem, art.* 1. *quæst.* 1. & Rinn. *de gener. cap.* 4. *Tract.* 3 *quæst.* 8. docent quantitatis subiectum esse compositum.

23. Not. primò, ex Scot 4. *distinct* 12. *quæst.* 2. §. *Ad quæst. ergo l.* accidentia esse in duplici differentia, quædam relatiua, quæ habent esse ad aliud, sine quo esse non valent, nec abinuicem separari, & hæc dicuntur imperfecta, & minimæ entitatis: quædam verò sunt absoluta a subiectis, in quibus existunt realiter distincta, hæcque perhibentur accidentia perfecta, cuiusmodi sunt quantitas, & qualitas. quæ ab inuicem à subiectis in quibus inhærent separari queunt diuina virtute.

24. Not. secundò, subiectum aliud esse inhæsionis, aliud verò denominationis. Illud est in quo accidentia subiectantur, ut anima est subiectum inhæsionis intellectionis, quia in ipsa inhæret intellectio: istud verò est subiectum denominationis, quod per tale accidens denominatur, tametsi in eo toto non hæreat, sed in parte eius, vt homo dicitur intelligens, quamuis intellectio in sola anima eius insit, vel ad illud terminetur, sic teammum, vocatur opus humanum, quia actio hominis ad illud faciendum terminatur. Rursus, subiectum subsecatur in adæquatum, siue totale; & in inadæquatum, siue partiale, quorum explicatio habetur *in Log. lib.* 1. *quæst.* 3. *art.* 1. Itemque in immediatum, seu proximum, & mediatum seu remotum, de quibus *vbi suprà.*

25. Assertio, non materia, sed compositum est subiectum immediatum, & proximum quantitatis, cæterorumque accidentium. Tenet Doct. *vbi suprà.* Et in Report. *ibid.* Et *Theor.* 22. Probatur primò, varijs Arist. testimonijs, ex quibus tria potiora, & efficaciora seligo. Primum depromitur ex Log *cap. de substantia.* Corruptis primis substantijs, impossibile est aliquid remanere. Loquitur autem ibi Philosophus de substantijs perfectis, & completis, quæ sunt singularia, & indiuidua prædicamenti substantiæ, quæve dicuntur maximè substare, propterea quod substant, sine subiiciuntur omnibus prædicatis essentialibus, & accidentalibus. De petro namque substantia viuens, animal rationale, magnum, album, & huiusmodi prædicantur, quæ vere sunt in ipso, alijsque singularibus eiusdem generis. Et ne quis dicat, ea competere dictis substantijs, ratione partis, seu materiæ, quam continent, subdit eo in loco præcludens viam diluendi vim huius instantiæ, licet partes sint substantiæ, sunt tamen incompletæ, & referuntur ad totam substantiam, quæ est indiuidua, & maximè substantia, quia omnibus prædictis subsistat, deque ea prædicantur omnia, ipsa verò de nullo prædicatur. Quod si eamet substantia destruatur, vtique destruuntur omnia, quæ insunt in illa, inter quæ sunt accidentia, præsertim quantitas. Materia verò, quæ est pars eius non destruitur, cum sit incorruptibilis 1. *Phys. T.* 82. proindeque quantitas non in materia, sed in composito immediatè inhæret, ex Aristot. secundum ex 5. *Phys. cap.* 1. *T.* 3. subiectum motus est compositum, putà lignum, aut homo. Et 1. *de gener. cap.* 4. *T.* 23. statuens discrimen inter generationem, & alterationem, inquit subiectum generationis esse materiam, alterationis verò compositum, sic homo alteratur, cum ex ægro fit sanus, & ex calido frigidus, & ex malo bonus. Nec præstat dicere, totum esse subiectum denominationis, materiam verò esse subiectum inhæsionis. Quandoquidem patet perspicuè in tex. Stagiritam loqui de subiecto inhæsionis, alteratio quippe inhæret in toto, putà motus, sanitas, & huius formæ alia in homine, aut alio animali. Tertium ex *Met. lib.* 7. *T.* 4. *& lib.* 12. *T.* 4. substantia præcedit accidens natura, cognitione, & tempore. Differt autem ibi præcipuè de substantia composita. Exempla enim affert de elementis, & mixtis, maximè de plantis, & animalibus; quæ sunt substantiæ compositæ, & integræ. Atque *T.* 9. spondet se prætermittere sermonem de tertia substantia, quæ est compositum. Nec iuuat respondere cum Suarez *citat. num.* 5. non repugnare quamdam substantiam esse posteriorem natura aliquo accidente, putà formam substantialem, quantitate. Etenim licet id locum habeat in quibusdam accidentibus relatiuis, putà vnione: nihilominus de absolutis, nempe quantitate, vt contendit Suarez verum esse nequit, quia quantitas consequitur substantiam materialem completam in suo esse essentiali, & substantiali: in quacunque autem coordinatione, & serie prædicamentali prius constituitur in suo esse intrinseco, quam respiciat intrinseca, & res alterius generis, cum ergo quantitas sit alterius generis à substantia, sit quid ei consequens, & extrinsecum: forma verò substantialis respiciat materiam, vt eius compartem, & illa, hanc substantialiter compleat, & perficiat, quia ex vtraque constituitur integra, & perfecta substantia, planè deducitur quantitatem non præire, sed subsequi substantiam compositam, vt rectè arguit Doct. 2. *dist.* 3. *quæst* 4 §. *Ad* 1. *rationem L.* Et §. *Contra istam conclusionem A.*

Secundò, prius est vnum per se, quàm vnum per accidens, prius que ordo substantiarum, quam accidentium, vt videre licet in syllabis prædicamentorum adductis *in Epitome lib* 1. *quæst.* 4. Materia autem, & forma sunt substantiæ incompletæ, & partiales ordinatæ ad vnam substantiam totalem constituendam, & complendam: ergo subiectum recipiens, quantitatis, & reliquorum accidentium deceruitur compositum, quod ex materia, & forma coalescit. Respondent Suarez præcit *num* 56. & Arriag. *disp* 5. *Phys. sect.* 2. *subsect.* 1 argumentum concludere de ordine potentionis, non verò de ordine exequutionis. Quæ autem sunt priora in intentione sunt posteriora in exequutione, ex Scot. *Reportat dist* 41. 41. *quæst. vn.* § *Dices post Aristot.* 7. *Met. T.* 7. Atque natura in suis operibus sic incedit, vt incipiat ab imperfectioribus, & progrediatur ad perfectiora. Vnde si generetur ignis in ligno, prius disponitur lignum calore, & siccitate, quæ sunt præuiæ dispositiones ad eius generationem, quasve subsequitur ignis genitus, qui est substantia, illæ verò præcedunt, quæ sunt accidentia. Contra, substantia nedum partialis, verumetiam totalis ordine exequutionis præcedit quantitatem cæteraque accidentia, prius enim ordine exequutionis est subiectum, quam illa, quæ in ipso subiectantur, ab ipsomet que dependent in esse, & conseruari: substantia autem totalis est dicto ordine subiectum quantitatis, quia est ens simpliciter, & independens ab illa, & causa eius: præsertim quia prius res completur, & perficitur in suo genere, quàm respiciat alia alterius generis ordine exequutionis: forma autem, a qua materia specificatur, & perficitur, est eiusdem generis cum ipsa materia, cum vtraque sit substantia, ergo materia præsupponitur informata sua forma substantiali, proinde totalis substantia, quam recipiat quantitatem. Quare, illud eloquium, quæ sunt priora intentione, sunt posteriora exequutione, & priora generatione, sunt posteriora perfectione, non habet locum in eodem genere, sed in diuerso. Accidens quippe est posterius substantia generatione, & pariter perfectione, & exequutione. Præuiæ autem qualitates dispositiuæ non subiectantur in toto generando, cum nondum sit, sed in toto corrumpendo, quod verè extat. Ideò instantia de præuijs dispositionibus nullius est ponderis, ad eneruandum prælatum argumentum.

Tertiò, ex 1. *anima T* 66. *& lib. de sensu, & sensato, cap.* 1. operationes sensitiuæ sunt totius coniuncti, vt texere ædificare, & huiusmodi; sunt hominis, videre, audire, & id genus alia resident in organis,

puta visio in oculo, auditio in aure: organa autem sunt composita in parte corporis, & anima. Igitur hæc, & alia accidentia in toto subiectantur. Respondent Aduersarij, præfata accidentia esse in toto tanquam in subiecto denominationis, in parte verò materiæ, vt in subiecto inhæsionis. Contra, organum visus, quod componitur ex materia, & forma non solum denominatur videns per visionem, qua videt oculus, sed etiam per eamdem visionem in ipso receptam; sentire enim est pati, ficut, & intelligere, 3. animæ T. 12. Eò magis, visio fit à specie visibili in oculo recepta, & à potentia visiua tanquam duabus causis partialibus vnam totalem integrantibus: species autem visibilis inhæret immediatè non in materia, sed in oculo qui est organum totius coniuncti, siue compositi. Denuò operationes immanentes inter quas est visio, sunt fines, & termini potentiarum perfectiui, 9. Met. T. 16. perfectio autem immediate, & proximè hæret in perfectibili: ergo præfatæ operationes, ficut & alia accidentia in toto subiectantur. Quartò, in eo proxime exstat quantitas, in quo immediate est motus, qui ad eam acquirendam fertur, vt patet 5. Phy. T. 5. & 8. vbi: unum autem motus proximum, & immediatum est compositum, vt clarè exprimit ibi Stagir. de ligno recipiente motum caloris, & frigoris. Deinde, si motus immediate reciperetur in materia, nullus motus foret violentus, sed omnis motus naturalis, aut neuter, vt deducit Doct. 2. dist. 18. quæst. vn. § contra primum D. Rursus, secundum Auerroistas in Cælo non est materia, est tamen in eo motus, & quantitas. Insuper, si materia omni forma exuta foret, quod diuinitus est possibile, loco circumscriberetur, propter quantitatem in ea existentem, quæ est ratio loci circumscriptiua. Atque si admittatur quantitas vt materiæ passio, nequiret ab ea seiungi, cum passio à re cuius est passio formaliter tantum differat, prouideque in Euch. quantitas panis non esset ab eius materia seiuncta; quod communi scholasticorum placito contradicit, vt patet ex Doct. 4. dist. 11. quæst. 2. Hæc, & alia quæ adduci possunt ad confirmandam, & corroborandam præallatam assertionem reddunt eam nedum probabiliorem, sed etiam veriorem, maxime cum in hac tres præcipui Doctores Classici Scot. Th. & Dur. conueniant, qui tardò in controuersiis concordes inueniuntur.

26. Oppones primò, Arist. 1. de gener. T. 31. scribit materiam esse inseparabilem à magnitudine, seu quantitate. Atque 6. Phys. T. 32. præmisit, primum subiectum motus esse diuisibile, quod esse nequit, nisi quantitatiuum; hocque esse materiam. Addo, ex eodem ibid. cap. 5. ex non quanto, non fit quantum: si ergo materia non esset quanta, compositum, quod ex ea, vna cum forma conflatur, non foret quantum, quod liquet esse falsum. Respondeo ad 1. locum, quidem naturaliter materiam non posse consistere absque quantitate, & pariter formam materialem & compositum ex vtraque: verumtamen Arist. ibi non decidit materiam esse subiectum immediatum quantitatis. Ad 2. locum, vel Philosophus verba facit de subiecto quantitatis remoto, & non proximo: vel quod magis placet, loquitur non de materia prima, sed de materia secunda, sumpta pro composito, vt ante declarauit, 5. Phys. T. 3. & 8. differit de punctis, quæ sunt indiuisibilia, & prorsus non quanta actu, & potentia, sic ex non quanto, seu puncto, non fit quantum, cum quantum sit diuisibile, punctum verò indiuisibile. Materia verò ante formam, & compositum non præsupponatur, & præintelligatur quanta actu, est tamen quanta potentia, & capax quantitatis. Idque liquet 1. gen 8.

27. Oppones secundò, eadem est quantitas hominis viui, ac mortui, vt constat sensibus; quantitas autem hominis mortui inhæret in materia, quia cum anima in eius obitu separetur, remanet cadauer, quod est eius materia, ergo quantitatis subiectum immediatum, ac proximum est materia. Conf. anima rationalis non est quanta, nec quantitatis compos, igitur quantitas hominis in corpore, quod est eius materia insidet. Concedo ma. nego min. quia recedente anima, persistit compositum ex materia, & forma corporeitatis coalitum, in quo hæret quantitas, secundum Scot. 4. dist. 11. quæst. 3 art. 2. Ad conf. dico, quantitatem esse in homine, qui est quid tertium realiter ab anima, & corpore distinctum, veluti sensationes non sunt animæ, nec corporis, sed totius coniuncti, 1. animæ. T 64. & 66. vt quoque bene vidit, & expressit Dur. præcit. ad finem quæst.

28. Oppones tertiò, ad introducendam nouam formam in materiam, necesse est, materiam disponatur per præuia accidentia, inter quæ reperitur quantitas, ergo quantitas reponitur in materia. Ant. est in promptu, materia namque præparanda, & disponenda est per præuias dispositiones, & qualitates actiuas, quæ agant ad deperdendam pristinam formam, & nouam in materiam inducendam. Respondeo, materiam disponi, & præparari non per accidentia, quæ immediatè in ipsa recipiuntur, sed in composito corrumpendo. Quare actio eorum non attingit materiam, sed compositum corrumpendum, nisi sumatur materia, pro materia secunda, veluti Artifices dicuntur operari in materia, quæ reuera est compositum præsuppositum, sic ex lapide formant statuam, & ex ligno scamnum, tanquam ex materia præiacta.

Articvlvs V.

An diuisio quantitatis in continuam & discretam sit generis in suas species.

29. Permulti, inter quos sunt quidam Scoti discipuli, Bass. 1. dist. 24. quæst. vn. Paulus scriptor ibid. Och. quæst. 2. & cæteri Nomin. quos sequuntur gemini Scotis. disp. 7. Log. quæst. 2. art. 1. & Poncius disp. 14. quæst. 4. negant præfatam diuisionem esse generis in suas species, existimantes diuisionem esse eius speciem adumbratam, & similitudinariam duntaxat. Scot. autem quæst. 16. prædicam. §. Ad quæst. dicendum, & quæst. 17. Et 5. Metaphysicæ, in com. cap. de quanto. Et eo in libro quæst. 9. Et 1. Rep. dist. 24. § circa quæstionem, expresse ait omnes conuenire, numerum esse speciem quantitatis discretæ. Mayr. Viger. ibid. Antonius Andreas 5. Metaphysicæ, quæst. 10. Ioannes de Magistris cap. de quantitate quæst. 1. dub. 1. Tatar. Scibilis 3. Parisienses, & alij, quibus adstipulantur Thomist. affirmantes esse veram, & germanam partitionem quantitatis in continuam, & discretam, vt generis, in proprias species. Estque expressa mens Arist. tùm in Log. cap. de quantitate, tùm etiam 5. Metaphysicæ, cap. 13. T. 18. diuidentis quantitatem in continuam, & discretam. Suadetur autem sic: omne genus scinditur in duas differentias oppositas, quæ constituunt duas species, vt scripsi in Log. l. 2. quæst. 1. de genere, & quæst. de differentia, vbi asserui differentiarum quasdam esse diuisiuas, quæ diuidunt genus, & alias constitutiuas, quæ constituunt species: quantitas verò est verè genus, & vnum ex decem supremis generibus, vt ostendi ibid. l. 3. quæst. de quantitate: ergo continua, & discreta sunt propriæ species quantitatis. Deinceps Arithmetica versatur circa quantitatem discretam, tanquam eius proprium subiectum; quæuis autem scientia, vt suum subiectum respicit genus vel speciem; cum ergo quantitas discreta non sit genus supremum, sed species generis supremi, aptè deducitur, eam esse germanam quantitatis speciem.

30. Dices, vera generis species est entitas posi-

tiua: discreta verò quantitas describitur per negationem, cum dicitur esse, cuius partes non terminantur, siue copulantur termino communi, ergo non est propria quantitatis species. Concessa ma. ad min. dico per negationem intelligi entitatem positiuam, veluti significatur per incorporeum, & irrationale, authore Stagir. 6. *Top. cap.* 3. & 1. *de partibus cap.* 3.

Instabis, species generis realis, est realis, at quantitas discreta non est realis, ergo non est vera species quantitatis. Ma. est perspicua. Min. fulcitur testimonio Aristot. 8 *Met. cap.* 3. discreta quantitas consistit in ordine vnius ad aliud, ordo autem efficitur per operationem intellectus, ergo &c. Concedo ma. nego min. vt patet de ordine rerum mundi, qui est verus, & realis, nemine cogitante: de quo Arist. 12. *Met.* propè finem.

31. Dices, species est vnum per se, at discreta quantitas est vnum per accidens. Constatur namque ex multis entitatibus completis, quarum vna, ad aliam non habet habitudinem, ergo non est vera species quantitatis. Concedo ma, nego min. ad eius probationem dico quasdam esse vnitates materiales, & vnam formalem, quæ faciunt vnum per se affirmante Scot. 3. d. 22 *q. vn. ante §. sed quid logicè L.* vt binarius continet duas vnitates materiales, & vnam formalem, per quam constituitur in esse binarij; neque eluet quantitatem discretam esse vnum per se, ac veram speciem quatitatis. Quod magis patebit *infra quæst.* 3.

QVÆSTIO II.

De quantitate continua.

ARTICVLVS I.

Quot sint species quantitatis continuæ.

32. PERIPATETICI numerantes species quantitatis continuæ in varias abeunt sententias, propter diuersitatem textuum Arist. in quidem Philosophus *in Log c. de quantitate* recenset quinque species quantitatis continuæ, quæ sunt linea, superficies, corpus, tempus, & locus. At verò 5. *Met. c. de quanto T.* 18, solùm enumerat lineam, superficiem, corpus, & addit pondus, ac etiam motum.

33. Ass. 1. nec locus, nec pondus statuitur species quantitatis continuæ. Ass. est bipartita. pars traditur à Doct. *q.* 23. *prædicam §. Ad* 1. *quæsitum.* Et 5. *Met q.* 9. *contrà Mastrium disp. de quantitate sect.* 3. *q.* 4. Et *Alb. tract.* 8. *prædicam. c.* 5. suadetur primò. Locus ex 4. *Phys. T.* 30. est superficies corporis ambientis, ergo locus non constituit speciem quantitatis a superficie distinctam. Secundò, locus formaliter captus secundum Scot *Quol.* 11 *art.* 3. est relatio extrinsecus adueniens corporis continentis, ad contentum: quantitas autem est de genere absolotorum, igitur locus formaliter non est species quantitatis. 2. pars deducitur ex eodem Doct. cit. *in expositione Tex. contrà Simplicium, & alios.* Probatur, pondus perindè est ac grauitas deorsum corpus propellens, cui annectitur: grauitas autem a Philosophorum vulgo locatur in categoria qualitatis: ergo pondus non exiat species quantitatis continuæ Accedit, pondus consistit in intensione, quantitas verò in extensione: intensio autem gradualis pertinet ad prædicamentum qualitatis. Atque interdum, quæ sunt eiusdem quantitatis, sunt tamen diuersi ponderis, vt claret de auro, quod si polleat æquali quantitate, ac argentum, aut aliud metallum, nihilominus est maioris ponderis: igitur pondus positum est in intensione quæ ad qualitatem spectat.

34. Ass. 2. tres numerantur species quantitatis continuæ permanentis, linea, superficies, & corpus. Defenditur a Doct. *q* 17 *prædicam. §. Ad* 9. *dicendum.* Et 5. *Met. in com. c.* 13. post Arist. *vtroque in loco. aduersus Dur.* 2. *d.* 2 *q.* 4. & Hurt. *disp.* 13. *Met. sect* 6. Probatur 1. quantitatis essentia est extensio partium: triplex autem solùm habetur partium extensio, ergo & triplex species quantitatis continuæ permanentis. Ma. patet ex definitione quantitatis. Min. est in promptu, extensio partium vel tantum fit penes longitudinem, & est linea, vel penes latitudinem, cum longitudine, & est superficies, vel penes profunditatem, cum longitudine, & latitudine, & est corpus. Secundò, omne genus partitur suis speciebus, de quibus essentialiter prædicatur, vt liquet ex eius definitione: quantitas autem continua est genus subalternum, vt patet in Log. Ergo ei assignandæ sunt species, quæ sunt tres præenumeratæ.

35. Ass. 3. motus, & tempus sunt propriæ species quantitatis continuæ successiuæ. Hanc significat Doct. *q* 23. *prædicam §* *Ad* 1. *arg. primæ q.* & expresse tutatur 5. *Met. q.* 9 *§* *Concedo ergo quod formaliter sunt quanta à seipsis.* Sequuntur Antonius Andreas tùm *in Log. c. alleg.* tùm etiam 5. *Met. q.* 10. *§* *Respondeo.* Ioannis de Magistris, Tatar. & alij, contra Mastrium *disp* 7. *Log. q.* 2. *art.* 2. & Poncium *disp.* 14. *q.* 5. necnon Suarez *disp.* 40. *Met. sect* 8 & 9. Probatur primò. ex Arist. est diuidente quantitatem continuam in permanentem, & successiuam, illius species assignante lineam, superficiem, & corpus, illius verò motum, & tempus. Respondet Suarez mox. alleg. *sect.* 9. *n.* 13. negans quantitatem successiuam, & existimans omnem quantitatem esse permanentem Contrà, præterquamquod hæc responsio pugnat testimonio Philosophi præaddncto, contradicit quoque rationi, nam omne ens aut est permanens, aut successiuum, & vtrumque participat propriam extensionem, & mensuram: extensio autem, & mensura pertinent ad prædicamentum quantitatis, ergo si Suarez non inficiatur quantitatem permanentem, nec etiam respuere debet quantitatem successiuam.

Fonseca verò 5. *Met. cap.* 13. *quæst.* 8. *sect.* 3. admittit quidem quantitatem successiuam, veruntamen putat successionem competere motui, & tempori, non vt differentiam essentialem, sed vt eius passionem. Contrà, per quod aliquid constituitur, & distinguitur essentialiter ab alio, est eius differentia intrinseca, & essentialis: at per successionem quantitas successiua constituitur, & distinguitur à quantitate permanente. Siquidem quantitas continua bene diuiditur in permanentem, & successiuam, vt genus in suas species; ergo successio illi congruit in primo modo dicendi per se, & non in secundo modo. Quod insinuans Arist. 3. *Phys.* 1. scribit motum esse de genere continuorum. Cum enim continuum sit genus quantitatis subalternum, aptè distribuitur in permanens, & successiuum, tanquam in suas species.

Secundò probatur, distincta partium extensio arguit distinctam speciem quantitatis: motus autem, ac temporis distinctæ sunt partium extensiones, tùm ab inuicem, tùm etiam a magnitudine, in qua efficitur motus, eiusque mensura: ergo motus, & tempus sunt distinctæ species quantitatis. Ma. est conspicua. Idem quippè est principium rei distinctiuum, ac constitutiuum. Min. ostenditur, partes motus, & temporis sunt fluxibiles, priores, ac posteriores, atque nunquam simul extant, cum sint de genere successiuorum: partes verò magnitudinis simul omnes existunt, cum sint de genere permanentium. Huic rationi, quæ affertur à Doct. *in Metaphys passu memorato*, respondent duo nostri Iuniores cit. motum, & tempus tantum addere partibus magnitudinis nouum modum extensionis oppositum, permanentiæ, quatenus partes eius simul persistunt: at istorum partes continuè labuntur. Atque huiusmodi successio oritur tàm ex imperfectione agentis nequeuntis totum terminum simul inducere, quàm ex contrario obstante, ratione cuius in

passo

passo simul non potest fouua introduci. Contrà, Nam, præterquamquod isti Authores pugnant Scot. qui loco prælato, per eam rationem, plane ostendit, motum, & tempus esse genuinas species quantitatis, quoque in sua responsione repugnantiam inuoluunt afsirmantes motum, & tempus addere nouam extensionem partibus magnitudinis, ergo & nouam quantitatem, cum extensio sit ratio, & essentia quantitatis. Deinceps, successio est de essentia motus non absolute sumpti, sed continui; siquidem fieri nequit motus continuus medio pertransito absque successione. Ideò benè ait Stagir. 3. *Phys.* 1. motum esse de genere continuorum; ptomdeque motus, & tempus a veris quantitatis speciebus haud sunt eximenda.

Tertiò, vbi est passio, ibi est essentia, à qua emanat, & distincta passio arguit speciem distinctam: in motu autem, & tempore est passio quantitatis, putà maius, & minus, æquale, vel inæquale, ergo & quantitas. Immò, alia est passio motus a passione temporis. Etenim, in æquali spatio potest fieri motus velocior, vel tardior, tempus breuius, aut longius, atque continuitas motus solet esse magna, cum temporis est parua: ergo motus, & tempus sunt distinctæ species quantitatis successiuæ. Obuiam fit Suarez cit. *sect.* 9. *num.* 11. in. quiens duplex esse tempus, extrinsecum, & vniuersale, quo mensuratur motus primi mobilis, & omnium inferiorum, & de hoc concedit argumentum: intrinsecum, & particulare, & de isto putat non currere argumentum. Ait enim, æquali tempore in motu celeri moueri idem mobile, ac in motu tardo, quia in vtroque sunt eædem partes pertransseundæ, & exemplificat de calefactione, vt octo celeri, aut tarda. Contra, æqua plane est ratio de vtroque tempore, tametsi vnum sit vniuersale, aliud verò particulare. Quandoquidem, vtrumque mensurat suum motum, cuius est mensura, & quidem illud motum vniuersalem, istud verò particularem: ergo impertinens est præfacta distinctio, ad diluendam dictam rationem. Idem quippè mobile per æquale spatium potest moueri celerius, aut tardius, & iuxtà motum eius metiri breuius, aut longo tempore. Exemplum autem de calefactione est ad oppositum. Si enim calefactio vt octo citiùs fiat, tempore breui, si verò tardiùs, longo metitur tempore, qua partes, siue gradus eius acquiri possunt celeriter, vel tarde, proindéque motus eius celeris, aut tardus esse valet. Quin etiam præciso tempore vniuersali, & extrinseco, si Aquila motu celerrimo volaret ab ortu, ad occasum, vnius diei spacio, quidem foret magna continuitas motus, breuis tamen esset eius propria duratio, & intrinsecum tempus eius: ergo de vtroque tempore currit ratio.

Quartò, continuum definitur, cuius partes terminantur termino communi: partes autem magnitudinis copulantur puncto, partes motus copulantur mutato esse, & partes temporis instanti: ergo cum distinguantur harum quantitatum termini, vtique & ipsæ quantitates ab inuicem dissiciunt. Occurrit Mastrius cum eius sodali *vbi supra*, per distinctionem Suarez mox adductam, concedens id de tempore extrinseco, non autem de tempore intrinseco, quod cum motu coincidere arbitratur. Contrà, ratio communis temporis vniuocatur vtrique tempori, vt tangit Antonius Andreas 5. *Met. quæst.* 11. post Scot. *ibid. q.* 10. Siquidem vtrumque est mensura motus, habet partes extrà partes, non simul, sed successiuè, ergo participat communem terminum, qui est instans, veluti magnitudo siue communis, siue particularis puncto gaudet, ac motus mutato esse. Iterum, species vnius generis distinctæ sortiuntur distinctas differentias, & passiones, vt liquet per regulam anteprædicamentalem: motus autem, & tempus sunt species distinctæ quantitatis continuæ successiuæ, vt clarè edisserit Doct. nunc alleg. non longè ab initio eius quæst. Non ergo potiuntur iisdem partibus indiuisibilibus ac terminis, vt contendunt Authores nominati.

36. Oppones primò, contrà 1. ass. Arist. *cap. de quantitate*, statuit locum inter species quantitatis continuæ. Atque 5. *Met. cap. de quanto.* Omittit locum, & ponit pondus. Ratio autem communis est, quia vtrumque participat passionem præcipuam quantitatis, penes quam tam locus, quam pondus dicuntur æqualia, vel inæqualia, ergo referuntur in syllabo specierum quantitatis. Respondeo Arist. non in propria, sed aliena sententia fuisse loquutum. Vt enim notant eius Interpretes, tunc erat quædam popularis, & famosa opinio recensens locum in numero specierum quantitatis, cum tamen à superficie non distinguatur, ratione cuius perhibetur æqualis, aut inæqualis. Pondus verò vocatur æquale, vel inæquale, non quia sit species quantitatis, sed ratione quantitatis sibi adiunctæ: reuera autem pertinet ad qualitatem; cum enim sit graue, aut leue, quod est proprium qualitatis ad ipsam qualitatem est reuocandum.

37. Oppones secundò, contrà 1. ass. vna species vnius generis non ordinatur ad constituendam speciem alteram eiusdem generis, quia quælibet species infima est completa, & perfecta, linea autem ordinatur ad constituendam superficiem, quippè quæ conficitur ex longitudine, & latitudine: atque superficies, & linea ingrediuntur corpus, quod constat trina dimensione, putà longitudine, latitudine, & profunditate: ergo linea, superficies, & corpus non sunt propriæ species quantitatis permanentis. Distinguo ma. formaliter, concedo: materialiter, nego. Ex binario enim fit ternarius, & ex ternario quaternarius, & vterque est species numeri. Pariter corpus organicum est species substantiæ, tametsi ordinetur ad animam recipiendam, & constituendum compositum animatum, quod subest generi substantiæ.

38. Oppones tertiò, contrà 3. ass. Arist. 5. *Met. c.* 13. & Scot. *ibi* astruunt motum, & tempus esse quanta per accidens, ergo motus, & tempus non sunt veræ species quantitatis, quæ sunt quantæ per se. Respondeo exponendo testimonium Arist. duplex est quantum per accidens, vnum quod caret extensione, & extenditur per extensionem alterius, vt album quantum; albedo namque ex se nullam participat extensionem, sed eam à quantitate mutuatur, ideò album dicitur quantum per accidens. Alterum verò habet quidem propriam extensionem, tamen per aliud efficitur, sic superficies per lineam, & corpus per superficiem quanta efficiuntur: hoc pacto tempus perhibetur quantum per accidens, quia eius quantitas efficitur a motu, & ipsius quantitas a magnitudine, vt rectè interpretantur Scot. *eo in loco q* 9. & 10. Antonius And. *tum in Log. in exp. c. de quantitate*, tum etiam 5 *Met. q.* 10. S. Th. Fons. & alij *ibid.* quidquid dicant Recentes Scot. prænominati.

ARTICVLVS II.

An in continuo sint indiuisibilia realia positiua.

39. Plerique, inter quos referuntur Och. *in prædicam. quantitatis*, *Tract. de Euch. cap.* 1. & 2. Et *Quol.* 1. *quæst.* 9. maior 1. *d.* 14. *quæst.* 1. Dur. 2. *d.* 2. *quæst.* 4. Petetius 10. *Phys. cap.* 6. Auersa *quæst.* 22. *sect.* 4. & Gregor. 2. *d* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. negant in continuo adesse indiuisibilia realia positiua, si quæ verò sint, esse negatiua, & per imaginationem apprehensa. Aiunt enim punctum esse negationem longitudinis, lineam negationem latitudinis, & superficiem negationem profunditatis. Alij, vt Fons. 5. *Met. c.* 36. *q.* 6. admittunt quidem indiuisibilia positiua terminantia respuunt

respuunt verò continuantia. Cæteri autem, vt Scot. 2. d. 2. *quæst.* 9. §. *Ad argumenta quæst.* T. Lych. *ibid.* Tatar. tùm ibi, tum etiam *in Log. cap. de quantitate dub* 2. Parisienses 6. *Phys. quæst.* 1. Complut. *disp.* 24. *quæst.* 1. §. 2. & alij ab ipsis alleg. asseuerant in continuo statui indiuisibilia realia positiua, tam continuantia, quàm terminantia.

40. Not. indiuisibile describi illud, quod caret partibus entitatiuis, aut quantitatiuis. Duplex quippe extat indiuisibile, vnum substantiale, aliud verò quantitatiuum. Indiuisibile substantiale est expers partium entitatiuarum, cuiusmodi sunt Angelus, & anima rationalis. Indiuisibile quantitatiuum est expers partium quantarum, quæ vulgò perhibentur integrales, veluti est punctum in linea, instans in tempore, & mutatum esse in motu. Punctum autem inuenitur duplex, vnum terminans quantitatem continuam, veluti vltimum punctum lineæ, aliud verò continuans, quod copulat partes quantitatis continuæ. Siquidem continuum est, cuius partes termino communi copulantur: & contiguum cuius vltima sunt simul, siue in eodem loco, vt videre licet 5. *Phys. T.* 26. *& 6. eiusdem operis, T.* 1.

41. Assertio prima, puncta siue terminantia, siue continuantia sunt entia realia positiua. Tenet Doct. *passu præalleg* ex Arist. nunc cit. & 5. *Met. cap.* 6. Probatur primò, ex D. Aug. *l. de quantitate animæ*, c. 11. Et 12. vbi explicitis verbis ait. Ab ipso (idest puncto) incipit linea, ipso terminatur, & figuram rectis lineis, nullam videmus fieri posse, nisi ipso angulus claudatur. Et paucis interiectis subiicit. Nulla linea lineæ, nisi per ipsum copulatur. Vbi aperte constat, sanctum Doctorem docere puncta realia positiua continuatiua, & terminatiua in continuo. Scio hoc Aug. testimonium afferri a Maiore prænominato pro aduerso placito. Censet enim Maior, admittere indiuisibilia in continuo imaginaria, & à mente nostra excogitata, non verò realia positiua. Verùm licet sanctus Aug. ibi contempletur indiuisibilia, more mathematico, vt patet *cap.* 10. libri memorati, & inde: quodque manifestant figuræ mathematicæ ab eo delineatæ. Et 7. *de genesi ad lit. cap.* 17. idipsum ostendat: nihilominus non inficiatur ea esse positiua, & physice inspectari, cum astruat per ea lineam incipere, & desinere, ac partes eius copulari, & continuari, vt palam faciunt verba eius à nobis prælata.

Secundò, continuum ex *cap. de quantitate* definitur, cuius partes copulantur termino communi, qui in omnium sententia, est punctum: partes autem alicuius totius non coniunguntur negationi, vel priuationi, sed enti reali positiuo, sicut ipsæ partes sunt reales positiuæ, ergo cum partes continui puncto vniantur, euidenter euincitur, punctum esse reale positiuum. Respondet Fons. 5. *Metaphysica*, *cap.* 13. *quæst.* 6. *sect.* 5. planè in continuo nullum esse punctum actu, quo partes eius simul coniungantur, quandoquidem se ipsis copulantur, & inter se cohærent: finguntur verò dictæ partes punctis copulari, ad hoc vt sint signa quædam ad diuisiones partium in infinitum faciendas. Contrà, quod locatur in definitione entis realis positiui, est ens reale positiuum, non autem fictum, & mente fabricatum, vt luculenter edisserit Doctor. 4. *distinct.* 1. *quæst.* 2. §. *Hic primo. B.* punctum autem statuitur in definitione continui expressum per terminum communem, ergo reuera punctum inexistit continuo. Deindè 6. *Physic.* 1. Aristot. discutit, nùm continuum componatur ex punctis? quæ autem aliquod totum componunt, actu in eo reperiuntur, veluti materia, & forma, quæ constant totum, in ipso actu existunt: cum ergo Philosophus supponat esse puncta in continuo, & quærat, vtrum ex illis constet, indubiè vult puncta actu in continuo reperiri. Atque ficta non esse, quia ad alicuius realis totius constructionem, & compositionem figmenta vlla haud pertinent. Demùm, terminus entis realis positiui, est ens reale positiuum: non enim positiuum ens negatione, aut priuatione, aut fictione terminatur, sicut enim ens est, ità & eius terminus: continuum autem est ens reale positiuum, cum sit accidens, & species generis realis, cuiusmodi est quantitas, ergo eius terminus qui est punctum, est ens reale positiuum. Occurrit Dur. nuper memoratus inquiens, instantiam nullius esse roboris, quia continuum non finitur, nec terminatur puncto, sed seipso. Quod enim finitur, & terminatur, finitur, & terminatur seipso, non verò aliquo sibi extrinseco, veluti est punctum. Contra, hæc responsio pugnat Aug. loco præcit. admittenti positiua puncta continuantia, & terminantia, pugnat quoque Philosopho statuenti puncta moueri ad motum eius, in quo extant, 6. *Phys. cap.* 9. *T.* 86. Et habere positionem in continuo 1. *anima cap.* 4. *T.* 70. Et corpus perfectè sphæricum tangere perfectè planum in puncto, 3. *Cæli cap.* 8. *T.* 69. Motus autem, tactus, & huiusmodi enti positiuo competunt duntaxat. Necnon pugnat rationi, punctum locatur in definitione lineæ, vt patet apud Euclid 1. *Elem.* Linea est longitudo, sine latitudine, & profunditate, cuius extrema sunt duo puncta. In definitione autem entis positiui, cuiusmodi est linea, non nisi ens positiuum statuitur, vt significat Doct. 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. Deindè, diuisibile positiuum vti est continuum non terminatur, nisi per indiuisibile. Sic enim exposcit ratio quantitatis continuæ, cuius partes copulantur per indiuisibile, & pariter per indiuisibile finiuntur, ac terminantur.

42. Dices, 3. *Phys. T.* 31. scribit, finitum non finiri alio, sed seipso, ergo continuum, quod est finitum, nullum sortitur terminum, qui sit punctum. Contrà, Stagirita ibi disserit non de termino proprio continui, sed de termino alieno, & extrinseco, vt bene interpretantur Tol. & Conimb. vt si terra terminatur ab aqua, & aqua ab aere, & sic de cæteris, inquit Philosophus, nullus foret terminus si semper oportet terminari alterum ad alterum.

Tertiò, sicut se habet instans in tempore, & mutatum esse in motu, ità se habet punctum in continuo instans autem in tempore, & mutatum esse in motu sunt entia, realia positiua, ergo vtique punctum est reale positiuum. Obuiam it Dur. *vbi suprà* concedens ma. & negans min. siquidem mutatum esse non est indiuisibile intrinsecum motui, vel ei adiunctum, sed est priuatio vlterioris continuationis in motu: & si tempus finiret, instans eius foret carentia vlterioris continuationis. Contrà, tempus est mensura motus 4. *Phys. T.* 101. suntque idem realiter, vt tradit idem Author *ibid.* Instans autem temporis, secundum eum, non est priuatio vlterioris durationis, ergo nec mutatum esse est priuatio vlterioris continuationis in motu, vt enim tempus est continuum, sic motus est continuus, cum illud sit huius mensura. Rursus, quædam durant per instans, vt generatio, & illuminatio, ergo instans temporis est reale positiuum. Inconueniens quippe est, entia positiua momentanea habere durationem, quæ sit priuatio, aut negatio: cum cætera durent duratione reali positiua.

43. Assertio secunda, cætera indiuisibilia putà linea penes latitudinem, & superficies, penes profunditatem, sunt realia positiua Huic patrocinatur Doctor. 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. & suadetur primò ex Arist. *l. prædicam, cap. de quantitate*, Et 5. *Met. cap.* 13. Scot. *ibid. & alij*, qui de prædictis disserunt communiter, tanquam de entibus realibus positiuis. Secundò, generis realis positiui species sunt reales positiuæ. Species nāque non deflectit à genere, cuius est species: linea autē, & superficies sunt species generis quantitatis continuæ, vt probaui *art.* 1. *huius q. ass.* 2. Ergo sunt entia

realia

realia poſitiua. Tertiò, niſi præfata indiuiſibilia forent ſpecies quantitatis continuæ, vna tantum foret eius ſpecies, nempè corpus: vnius autem generis duæ ſaltem ſunt ſpecies conſtitutæ per duas oppoſitas differentias, in quas diuiditur genus, vt alibi monſtraui. Quartò, obiecta ſcientiarum realium ſunt realia, quia ab obiectis realibus denominantur ſcientiæ reales: linea autem, & ſuperficies ſunt obiecta ſcientiarum realium, videlicet Geometriæ, & Perſpectiuæ. Inſuper, quædam qualitates in ſola hærent ſuperficie, vt figura, 3. *Met.* 17. ſubiectum autem entis realis poſitiui eſt reale poſitiuum, cum ergo ſuperficies ſtatuatur ſubiectum qualitatum realium, planè ſequitur, ipſam eſſe realem poſitiuam.

44. Oppones primò, tria potiſſimum Ariſt. teſtimonia, quorum primum habetur 8. *Phyſ. T.* 68. puncta non actu, ſed potentia ſunt in continuo. Secundum, 3. *Met. T.* 17. ſuperficies eſt in ſolido, veluti Mercurius in rudi lapide: patet autem Mercurij figuram eſſe in rudi lapide, potentia duntaxat, ergo idipſum aſtruendum eſt de ſuperficie, & puncto, eſſe in continuo potentia. Tertium exaratur 3. *animæ T.* 25. punctum priuatione cognoſcitur. Ergo punctum, & reliqua indiuiſibilia in ſchola Ariſt. non ſunt realia poſitiua. Expono duo prima loca per diſtinctionem, indiuiſibilia ſunt in continuo potentia, penes exiſtentiam, nego, quia in eo verè exiſtunt, ſicut eius partes, partes autem actu exiſtere in continuo, nemo ambigit: penes diuiſionem, concedo. Vt enim eiuſdem partes perhibentur eſſe in eo potentia, quia non ſunt actu diuiſæ, & diſtributæ; pariter puncta, & cætera indiuiſibilia dicuntur eſſe in eodem potentia, quia actu non ſunt diuiſa. Sic ſatisfacit Bonet. *libel. de quantitate*, quem ſequuntur Suarez *diſp.* 40. *Met. ſect.* 5. *n.* 34. & alij recentes. Ad 3. dico, quædam poſitiua negatione, ſiue priuatione cognoſci, vt Ariſt. ibi exemplificat de nigro, quod conſtat eſſe ens poſitiuum, & de materia prima, 7. *Met. T.* 8. Atque de Deo oſtendi *tract. de cognoſcibilitate Dei diſp.* 1. Quare licet punctum priuatiuè cognoſcatur, hoc eſt per priuationem longitudinis, non tamen ab ente poſitiuo eximendum eſt.

45. Oppones ſecundò, continuum ſeipſo terminatur, ergo punctum non eſt eius terminus. Ant. probatur à ſimili. Sicut qualitas finitur ſeipſa, non autem alio ſibi addito: ità quantitas finitur ſeipſa, & non puncto ſibi adiuncto. Conf. ſi Deus a linea tolleret puncta ipſam terminantia, vtique foret finita, & terminata, non per puncta, quia ab illa ſupponuntur ablata, ergo per ſeipſam, proindeque vanum, & irritum eſt fingere in continuo puncta realia poſitiua. Negant. ad eius probationem, diſpar eſt ratio de qualitate, & de quantitate. Siquidem qualitatis non eſt terminus intrinſecus, veluti quantitatis continuæ, vt patet ex definitione eius, in qua expreſsè ponitur terminus, qui eſt punctum. Ad conf. data hypotheſi, linea foret finita, non poſitiuè, ſed priuatiuè: atque licet non haberet terminum intrinſecum, haberet tamen terminum extrinſecum. Vel negatur hypotheſis, quia puncta clauduntur in definitione lineæ, quod fortè ſignificans Ariſt. 1. *poſt cap.* 4. *T.* 9. ſcribit lineam fieri ex punctis.

46. Oppones tertiò, omne ens reale poſitiuum aut eſt ſubſtantia, aut accidens, quia omne quod eſt, vel per ſe ſubſiſtit, & eſt ſubſtantia, vel inhæret in ſubiecto, & eſt accidens: punctum autem non eſt ſubſtantia, vt oſtendit Stagir. 3. *Met. cap.* 6. *T.* 17. nec accidens, quod petit ſubiectum, quo fulcitur: at punctum cum ſit inſectile, non participat proprium ſubiectum, cum nulla pars ſubſtantiæ materialis ipſi correſpondeat: ergo punctum, & quælibet alia indiuiſibilia inter entia poſitiua nullam ſedem tenent. Reſpondeo ma. non eſſe prorsùs immediatam, & ſufficientem, quia poteſt eſſe aliquitas ſubſtantiæ, vel accidentia, cuiuſmodi ſunt paſſiones vniuſque, & modi. Ideò licet punctum non ſit ſubſtantia, nec accidens, eſt tamen aliquitas accidentis, puta terminus continui, ſic punctum perhibetur eſſe in continuo, tanquam terminus in terminato, vt tangit Maior *paſſu prænominato*, & annuit Canon. 6. *Phyſ. q.* 1. *art.* 1. §. *ſed contrà*, & confirmat Lycb. 2. *d.* 2. *quæſt.* 9.

Articvlvs III.

An continuum componatur ex indiuiſibilibus.

47. Viguit, ac floruit vehementer opinio Zenonis, Pythagoræ, Democriti, Platonis, & complurium aliorum exiſtimantium componi continuum ex indiuiſibilibus. Quibus ex noſtris fauent Gerardus Odonus Generalis, & Bonet. *libello ſecundo, de quantitate.* Hi autem, quamuis omnes conueniant, continuum conſtare ex indiuiſibilibus, attamen nonnulli vt Plato diſcrepant in eo, quod putant lineam componi ex punctis, ſuperficiem ex lineis, & corpus ex ſuperficiebus: alij verò, vt Democritus cenſent, continuum conflari ex quantitatibus indiuiſibilibus, putà corpus ex corpuſculis indiuiſibilibus, quæ dicuntur athomi, ſuperficiem ex ſuperficiebus indiuiſibilibus, & lineam non ex punctis, ſed ex lineis indiuiſibilibus coaleſcere. Aduerſam autem ſententiam tuentur Ariſt 6. *Phyſ.* 1. Scot. 2. *d.* 2. *q.* 9. Et 2. *Met. q.* 6. Antonius Andreas 5. *Met. q.* 10. & cæteri Philoſophi communiter negantes continuum ex ſolis indiuiſibilibus conſtare, & affirmantes continuum confici ex partibus diuiſibilibus, in diuiſibiles in infinitum.

48. Not. primò, duplex poſſe excogitari continuum, vt obſeruat Canon. 6. *Phyſ. q.* 1. *art.* 2. poſt Scot. mox cit. §. *Ad argumenta. E.* mathematicum, & phyſicum. Illud abſtrahit ab omni qualitate ſenſibili, aliiſque naturalibus, quo pacto ſubiicit Doct. 4. *d.* 49. *q.* 16. §. *Ad* 1. *D.* Mathematici ſpeculantur quantitatem. Præciſè, vt quantitas eſt. Iſtud verò coniungitur, cum qualitate ſenſibili, motu, & cæteris naturalibus. Partes autem continui duæ traduntur, aliquotæ, & proportionales. Illæ ſunt partes certæ, & determinatæ quantitatis, quæ aliquoties ſumptæ finiunt totum continuum, vt ſi tota tabula diuidatur in quatuor partes æquales, huiuſmodi partes nominantur aliquotæ, & à quibuſdam appellantur partes non communicantes, propterea quod vna non continet aliam, nec vna in alia includitur, ſed prorſus vna ab alia diſtinguitur. Iſtæ verò ſunt inæquales, quæ adinuicem quamdam ſeruant proportionem, vt ſicut ſe habent tria, ad ſex, ſic ſe habent ſex ad duodecim: & dicuntur partes communicantes, quia vna includit aliam, vnaque participat entitatem alterius, vt ſi tabula ſcindatur in duas partes, & iſtæ in alias, & ſic deinceps in alias partes minores, ſemper ſuperſunt aliæ partes iterum diuidendæ, ratione quarum continuum dicitur diuiſibile in ſemper diuiſibilia.

49. Not. ſecundò, res quaſdam eſſe nobis euidentes, vt prima principia, & quæ ſenſibus patent: quaſdam verò eſſe ineuidentes, ſenſibuſque noſtris ignotas, & latentes, in quarum numero eſt continuum, de quo in præſentia ſermonem inſtituimus. Eius quippè compoſitio, & reſolutio ità captu difficilis videtur, vt vix eam præſtantiſſima ingenia attingant, nihilominus ab eius indagine non eſt recedendum. Monet enim Stagir. *l. de lineis inſecabilibus* in hanc incidens difficultatem, abſurdum eſſe, quempiam præ ignauia ſuccumbere, propterea quod non audeat oblatas argumentationes plenè diluere, atque ſic imbecillitatem ſuam fouendo grauioribus inſuper fallaciis ſe decipere. Præmittat autem 8. *Phyſ. T.* 22. Tardi, & ignari eſſe, apparenti rationi adhærere, & ſenſum, à quo noſtra oritur cognitio, deſerere.

Pars negatiua quæ eſt Ariſt. & Scot. probatur primò. continua ſunt, quorum vltima ſunt vnum 6. *Phyſic.* 1. Indiuiſibilia autem non habent vltima: quia ipſa ſi ſint terminantia, ſunt vltima, ideò linea deſcribitur longitudo, cuius extrema ſunt duo puncta. Aliud autem eſt eſſe vltimum, & aliud habere vltimum, quidem continuum habet vltimum, non verò eſt vltimum: cum ergo illa, ex quibus componitur continuum, diuidantur in vltimum, & habentia vltimum, planè deducitur continuum ex indiuiſibilibus non componi. Aduerſæ opinionis fautores reſpondent diſtinguendo ma. penes partes ea componentes, negant: penes verò differentias diſcretiuas ſitus, ſiue loci, vel temporis concedunt. Idque palam faciunt de ſingulis indiuiſibilibus, vt de puncto, quod exiſtens in medio quadrati poteſt terminare diametrum prodeuntem ex parte dextra, non terminans eum qui pendit à parte ſiniſtra: ſicque in puncto licet indiuiſibili aſſignantur dextrum, & ſiniſtrum, antè, retrò, & huiuſmodi. Deinde in ſuperficie, quæ eſt indiuiſibilis, ſecundum profunditatem facilè oſtenditur, ipſa quippè terminatur per intra, & extrà, corpus namque ſuperficie contentum eſt intrà ſuperficiem, & corpus continens, eſt extra eius ſuperficiem, quo pacto ſuperficies vt eſt indiuiſibilis participat latera extrinſeca, ratione quorum diuiditur. Iterùm de mutato eſſe, quod eſt indiuiſibile, & terminus motus, tametſi fiat continuatio motus prioris cum poſteriore. Denique de inſtanti temporis, quod licet ſit indiuiſibile, nihilominus eſt finis præteriti temporis, & principium futuri: in eoque relationes principij, & finis conſurgunt. Huic reſponſioni obſtat, & inſtat Canon 6. *Phyſic. quæſt.* 1. *art.* 1. inquiens, præfatæ differentiæ diſcretiuæ loci, & temporis vel præſeferunt entitates abſolutas, vel relatiuas: non primum, quia indiuiſibilia forent diuiſibilia, vtpotè quæ diuiderentur in plures entitates: nec ſecundum, quia plures relationes exigunt plura fundamenta, in quibus fundentur, igitur in puncto eſſe nequeunt prænominati reſpectus, & differentiæ ſituales. Verum hæc inſtantia non euertit præfatum fundamentum, nec eneruat robur eius, conceſſa enim prima parte. min. negatur. quandoquidem in vno, eodemque fundamento eſſe queunt plures reſpectus, vt in eodem patre plures relationes paternitatis, iuxtà pluralitatem filiorum ab ipſo genitorum: atque partes continui reſpiciunt eundem terminum commune, qui eſt punctus, cui copulantur, vt tradit Ariſt. *l. prædicam. c. de quantitate.* Non inconuenit ergo indiuiſibile ſortiri prænominatos reſpectus. Idque maximè in ſententia Democr. confirmat D. Aug. 2. de lib. arb. c. 8. *Quantumcunque illud corpuſculum ſit, habet certè aliam partem dextram, aliam ſiniſtram, aliam ſuperiorem, aliam inferiorem, aut aliam vlteriorem, aliam citeriorem, aut alias finales.*

Secundò, quæ componunt continuum, ſe tangunt, tactu continuitatis, alioqui non continuum, ſed diſcretum eſſet: indiuiſibilia autem non ſe tangunt, ſecundum totum, alioqui non facerent quid maius, nec ſecundum partem, cum ſint impartibilia, non ergo continuum coaleſcit ex indiuiſibilibus. Occurrunt prænominati Authores concedentes ma. & diſtinguentes min. indiuiſibilia, putà puncta non ſe tangunt extrà, concedunt, extrà negant. Siquidem ſe tangunt penes latera extrinſeca, adeò vt penes vnum latus ſe tangant, & non penes aliud, quia vnum punctum eſt iuxta aliud ſibi proximum. Dices, huiuſmodi differentias diſcretiuas competere corpori, in cuius partibus habentur earum rationes fundamentales, non autem indiuiſibili, quod cum careat partibus, nequit eſſe earum fundamentum. Contrà, licet corpori animato propriè accommodentur, & metaphoricè inanimato, vt patet de cælo: tamen ſuo modo etiam indiuiſibili adaptantur. Punctum quippè in medio circuli exiſtens reſpicit ortum, occaſum, auſtrum, & aquilonem, partem dexteram, ſiniſtram, & huiuſmodi. Veluti quoque Angelus, tametſi indiuiſibilis, & in vrbe exiſtens prædicatas poſitiones ſpectare valet. Immò Ariſt. in definitione continui ſtatuit punctum, quod omnes eius partes reſpicit, vnit, & copulat: igitur indiuiſibili haud ſunt inficiandæ prænominatæ relationes.

Tertiò, ſit continuum ex tribus punctis coalitum, pertranſeundum à duobus mobilibus, quorum alterum ſit duplo velocius alio, & alterum duplo tardius, data hypotheſi mobile velocius pertranſibit illud, tribus temporis inſtantibus: mobile verò tardius idem percurret vno inſtanti, cum ſemi, ergo ex placito Zenonis, & aliorum infertur indiuiſibile, eſſe diuiſibile: hoc eſt impoſſibile, ergo & Stoicorum aſſertum falſum, & improbabile. Obuiam eunt contrariæ opinionis patroni, & negant ſequelam. Nam, etſi diuiſio effici valeat ſecundum dictas differentias, non tamen ſecundum indiuiſibilia, cum partium ſint expertia. Ideò, nego tranſitum fore per vnum inſtans, cum ſemi, cum tam inſtans temporis, quam punctum ſpatij percurrendi ſint impartibilia, & inſectilia.

52. Dices ergò æque citò permeabit mobile tardum, ac mobile velox vnum, & idem ſpatium pertranſeundum. Negatur conſequentia, mobile namque velocius curſum citius perſoluet, mobili tardiori, non tamen indiuiſibile diuidetur propter repugnantiam, quam deſignat, veluti impoſſibile non poteſt fieri, ſic indiuiſibile non poteſt diuidi.

Quartò, ſuadetur ex Scot. cit. Circulus minor æquari nequit circulo maiori in eo contentus, vt cernitur oculis, delineando dictos circulos: data autem doctrina Zenonis, minor circulus foret æqualis maiori. Nam ſi a circumferentia circuli maioris protrahantur duæ lineæ tendentes ad centrum circuli minoris, aut è contrà a puncto minoris circuli, ad maiorem, illæ lineæ tranſeuntes minorem circulum, ſecant minorem circulum in vno puncto, aut in duobus: non primum, alioqui indiuiſibile diuideretur, & angulus totalis æquaretur partiali, necnon duæ lineæ parallelæ in vnum confluerent, quod non videtur, cum in progreſſu magis ab inuicem diſtent. Nec ſecundum, ſecus tot eſſent puncta in minori, quot in maiori circulo, ſicque pars æquaretur toti, minuſque maiori, quod pugnat illi vulgato, *omne totum eſt maius ſua parte.* Reſpondet Bonet. cum Gerardo cit. conceſſa ma. negando min. data enim hypotheſi, licet dictæ lineæ penes ſpatium interceptum æquarentur, non tamen penes reliqua, ſuperponerentur enim in minori circulo, vt anguſtiori, & minori continenti, vt in cæteris ſimilibus conſpicitur. Quod autem ſubnicitur de lineis parallelis, dico id habere locum in diſiunctis, & diſtantibus, non verò in ſuperpoſitis, vt accidit in minori circulo.

Quintò, diameter quadrati foret æqualis coſtæ, quod pugnat ſenſui. Si enim duæ lineæ ab vna coſta ducantur ad aliam coſtam, vel ſecant lineam diametralem in in vno puncto, aut in duobus: non in vno, alioqui coſta eſſet maior diametro, cum duobus punctis coſta correſpondeat vnum tantum punctum diametri: nec in duobus, alioqui coſta menſuraretur diametro, vtpote quæ haberet tot puncta, quot diameter, extaretque tanta diſtantia inter vnam coſtam, & alteram, quanta intercedit inter vnum angulum diametri, ac alterum angulum eius, quod planè falſum eſt. Negatur ſequela à prænominatis Authoribus, vt enim maior circulus plures habet partes, & puncta, quàm minor, vt illatum eſt in reſponſione præcedentis argumenti: ſic longior linea, cuiuſmodi eſt diametralis plura continet puncta breuiori, vti eſt linea coſtalia. Hinc ait Arr. *diſp.* 16. *Phyſ. ſect.* 8. *ſubſect.* 5 diameter quædam habet puncta ad latera manentia, ratione poſitionis diametri, propterea neceſſariò linea protracta à coſta, in coſtam, quandoque percurrerit duo puncta eius.

Sextò,

Sextò, opposita sententiâ refertur inter errores Ioannis Hus damnati in Conc. Constantiensi, vt licet inueniri *sess.* 12. Accedit August. *lib. de quantitate animæ, cap.* 11. & 12. qui hanc doctrinam Arist. de compositione continui amplecti videtur, ergo contraria, quæ est Stoicorum Sacrosanctæ Ecclesiæ definitioni, & authoritati PP. nominatim Aug. nunc est pugnat, & contradicit. Responderi potest, mentem eius Concilij non fuisse, damnandi placitum Zenonis, & aliorum Philosophorum de continui compositione, quod Orthodoxæ fidei, & bonis moribus non aduersatur. Præsertim, quia teste Art. in toto corpore Concilij prædicta sententia non inuenitur, nisi in quadam appendice, ex codice cuiusdam Canonici Coloniensis, quem Typographus testatur esse mendosum. Nec in vllo alio Concilio præcedente, aut subsequente fit mentio eius. Vnde Lych. 2. *distinct.* 2. *quæst.* 9. affirmat multos suo tempore dictum assertum propugnasse, nec modò desunt, qui illud tanquam problema tueantur firmis nixum fundamentis, rationibusque efficacibus munitum, vt infra constabit. Ad August. dico, illud non expressè tenere, cum videatur sentire puncta non esse entia realia positiua, notante Maiore 1. *dist.* 24. *quæst.* 1. Deindè, si tradat puncta lineæ esse positiua, hancque illis terminari, nihilominus, num continuum ex indiuisibilibus coalescat, ne unum verbum quidem profert pro alterutra parte. Addo August. vtplurimum magis Platonì, cuius est præfatum dogma, fauere, quàm Aristoteli, qui ferè in omnibus, non tam ratione, quam voluntate studuit illi contradicere, vt præ aliis testantur Bonet. citat. & Mayr. 1. *distinct.* 47. *quæst.* 1. *art.* 2. Quod fortasse significans Plato inquit apud Foni 1. *Met. cap.* . Aristoteles in nos recalcitrat, non secus, atque in matrem pupilli, quos peperit.

52. Pars affirmatiua, quæ est Zenonis, Platonis, & aliorum antiquorum suadetur primò, & opponitur primò, contrà partem negantem, ex 1. *Post. cap.* 4. Linea constat, ex punctis. Et 7. *Met. T.* 52. partes definiti ponuntur in definitione eius, cum ergo punctum locetur in definitione lineæ, vt patet apud Euclidem 1. *elem.* & Aristot. 1. *gener.* 8. & 9. apertè euincitur, lineam ex punctis componi, & quodlibet aliud continuum effici ex indiuisibilibus, etiam in Schola Aristot. Responderi potest dupliciter, primò Philosophum in eis locis loqui in aliorum opinione. Nam 6. *Phys.* expresse, & constanter refellit eos, qui existimant, continuum ex indiuisibilibus conflari: ibi autem extat proprius locus examinandi, & decidendi hanc controuersiam, & alterutri parti adhærendi. Secundo dici potest, punctum poni in definitione lineæ, non vt pars, sed vt vinculum, aut terminus eius, veluti subiectum locatur in definitione accidentis, tanquam additum, & quid extrinsecum.

54. Oppones secundò. sicut se habet vnum ad numerum, ità punctum ad lineam, 1. *Top. cap.* 14. Numerus autem ex vnitatibus constituitur: ergo & linea componitur ex punctis. Obuia, & in promptu fit responsio, si dicatur, paritatem vnius, & puncti consistere in hoc, quod sicut vnum est principium numeri, ita punctum est initium, & terminus lineæ: Cæterum extat disparitas, quia vnum est pars numeri, at verò punctum haud est pars lineæ.

55. Oppones tertiò, si corpus perfectè sphæricum voluatur suprà perfectè planum, describet lineam compactam ex punctis, ergo continuum conflatur ex indiuisibilibus. Ant. est Aristot. 1. *anima T.* 13. corpus sphæricum tanget planum in puncto, vt quoque astruit Scot. 5. *Met. ante expositionem, cap.* 3. Atque Mathematici inquiunt lineam esse fluxum puncti, superficiem lineæ, & corpus superficiei, idque indicat Stagirita 1. *Cæli T.* 4. & explicat Auer. 3. *Phys. comm.* 60. Respondetur, quidem data hypothesi, corpus sphæricum tangeret planum in puncto; negatur autem fore lineam ex punctis compactam. Quoniam post punctum, subsequitur pars lineæ, vt scribit Doctor 2. *Met. quæst.* 7. Veluti post instans, sequitur pars temporis, 2. *distinct.* 1. *quæst.* 9. Nec videtur inconueniens subdit Mayr. 2. *distinct.* 2. *quæst.* 12. indiuisibile tangere partem in fluxu, & per modum viæ, sicut carbo accensus celeri motu inter vtramque manum reciprocè volutatus neutram combussit, quod quidem præstaret, si in ea permaneret. Ad id, quod subijcitur de fluxu puncti, superficiei, & corporis, dico Mathematicos tantum nobis indicare fluxibilitatem, & continuitatem partium continui, non verò existimare ipsum continuum constare ex indiuisibilibus.

56. Oppones quartò, puncta sunt sibi inuicem proxima, & immediata, ergo linea fit ex punctis. Ant. ostenditur, si duæ tabulæ simul coniunctæ immediatè se tangant, earum puncta immediatè se tangunt, ergo puncta sunt sibi proxima, & immediata. Satisfacit Doct. 11. *Met. conclus.* 67. *In eodem continuo, inter duo puncta intercedit pars lineæ, sicut inter duo instantia mediat pars temporis.* Ad probationem dico id habere locum in diuersis, & distinctis continuis, cuiusmodi sunt duæ tabulæ simul iunctæ, non autem in eodem continuo, de quo extat nunc difficultas.

ARTICVLVS IV.

An continuum diuidatur in semper diuisibilia.

57. EX antecedentis art. decisione pendet præsentis difficultatis solutio. Qui enim affirmant, continuum ex solis indiuisibilibus coalescere, consequenter asserunt continuum diuidi in indiuisibilia certa, determinata, & finita: Qui autem negant continuum componi ex solis indiuisibilibus, tenere debent continuum diuidi in semper diuisibilia, incerta, & indeterminata.

58. Not. primò, in præsentia minimè esse dubium de partibus aliquotis, sed proportionalibus. Illæ quippè, cum sint æqualis quantitatis, sunt certo numero determinatæ: istæ verò, cum sint inæquales, haud certo limite, ac numero cohibentur, propptereà dicuntur infinitæ in potentia, & finitæ in infinitum, adeòvt nec prima nec vltima inueniri queat, sed si huiusmodi partes diuidantur, semper restant aliæ diuidendæ, aliæque iterum accipiendæ.

59. Not. secundò, bifariàm aliquid esse posse infinitum, primo in actu, quod alij nominant infinitum in facto esse, & in accepto esse, cuius tot sunt accepta, vt alia plura accipi nequeant, quo pacto linea perhibetur infinita, cui nihil addi potest, sic Arist. 3. *Phys. T* 24. ostendit non posse dari corpus infinitum. Secundò in potentia, quod alij vocant infinitum in fieri, & in accipi, à quo si plura accipiantur, remanent plura accipienda in infinitum, adeòvt eorum nullus sit limes, nullusvè terminus. Prætereà obserua diuisibile non denominare actum, sed potentiam. Siquidem diuisibile idem sonat ac id, quod potest diuidi, sicque continuum non habet partes in accepto esse, quæ constituant infinitum in actu, sed in accipiendo vnam, post aliam, quæ faciunt infinitum in potentia.

60. Not. tertiò, totidem modis aliquid dicitur esse in potentia, quot in actu. Dupliciter autem aliquid est in potentia. Vno modo in potentia obiectiua, sic quod non existit, potest tamen existere, est in potentia obiectiua, & in virtute causæ producentis, hoc modo erant creaturæ in potentia Dei, antequam crearentur. Altero modo in potentia indeterminata, & indistincta, quod perindè est, ac non habere esse distinctum, & determinatum ab alio, ità genus dicitur habere suas species in potentia, & totum homogeneum

suas partes, quia sunt confusæ, & indistinctæ. Primo autem modo esse in actu idem est ac existere, ita vt quidquid existit, sit in actu. Secundo verò modo esse in actu significat habere esse distinctum, & separatum ab alio, adeò vt propria existentia, & subsistentia existat, & subsistat. Quare, licet partes in continuo existant, non tamen dicuntur subsistere, & esse in actu, sed in potentia, propterea quod abinuicem seiunctæ, & separatæ non sunt, quia actus distinguit, & separat, vt ex 7. *Met. T.49.* deducit Canon.6. *Phys. quæst.*1. *art.*2.

61. Pars affirmans, continuum diuidi in semper diuisibilia, quæ est Aristot. & Scot. citat. *in superiori art.* Probatur primò, ea quibus aliquid componitur, in ea diuiditur: continuum autem componitur ex semper diuisibilibus: ergo diuiditur in semper diuisibilia. Maior est communis, & vulgata; vt enim homo componitur ex anima, & corpore, sic diuiditur in corpus, & animam. Min. ostensa est in præcente art.

Huic, partoni contrariæ sententiæ respondent per negationem minoris, statuentes continuum constare ea indiuisibilibus. Qua namque facilitate, ea propositio proponitur, eademque refellitur.

Secundò, partes continui, aut sunt diuisibiles, aut indiuisibiles, quia inter diuisibile, & indiuisibile non interponitur medium: non sunt autem indiuisibiles, quia sunt quantæ, & omne quantum est diuisibile, cum diuisibilitas sit passio quantitatis, ergo sunt diuisibiles, proindeque continuum est diuisibile, in semper diuisibilia. Siquidem, non est maior ratio, cur aliquæ partes sint diuisibiles, & non aliæ, cum sint eiusdem rationis, ergo quacumque data parte, scindi potest in alias partes, & sic deinceps in infinitum. Occurrunt Antigonistæ, & dicunt, quasdam esse diuisibiles, quasdam verò indiuisibiles, adeò vt detur vltima pars in diuisione continui, quæ sit insectilis, & indiuisibilis, vt infrà palàm fiet.

62. Pars autem negans, quæ est priscorum Philosophorum, & quorumdam modernorum, continuum, non coalescere ea diuisibilibus, in semper diuisibilia, ostenditur primò, si continuum foret diuisibile in semper diuisibilia, constaret partibus infinitis, quia infinitum non est partibile in partes finitas, alioqui foret finitum, quod enim finitur, finitum est: quod autem habet partes infinitas, est infinitum: infinitum autem non datur, 3. *Phys. T.*35. *& inde*, ergo continuum non est diuisibile in infinitum. Respondetur secundum Aristot. per distinctionem maioris, continuum conflatur ea partibus infinitis in potentia, conceditur, in actu negatur. Contrà, partes in quas secari potest continuum sunt in eo actu, reuerà enim in eo existunt, vt patet 5. *Met. cap.*13. & alibi non semel. Quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, ergo partes eius sunt infinitæ actu, & non potentia. Potest satisfieri si dicatur, ex notabili supra posito secundo, & tertio, eas partes esse in diuidi, quia continuum est diuisibile, & non diuisum. Quare sicut eius partes non sunt diuisæ, sed diuisibiles, ità dicuntur non esse in eo actu, sed potentia. Hæc responsio indicatur ab August. 2. *de libero arbitrio, cap.*8. Ideò non est spernenda.

Secundò, data hypothesi, nemo posset vnquam diuidere continuum in vltimas partes, immò folium arboris in tota æternitate diuidi nequiret ab Angelo, in omnes eius partes, quod nedum incredibile, verum etiam impossibile omnibus apparet, atque ridiculum, & maximum absurdum; ficta ergo, & imaginaria est præfata diuisio continui in partes sectiles in infinitum. Huic obuiam it Mastrius *disp.*6. *Phys. quæst.*2. *art.*6. *ad finem*, inquiens nullum esse inconueniens, quia licet hoc sensus non valeat percipere, intellectus tamen benè capit, quia quantum est semper diuisibile, quod physicè, & mathematicè demonstratur. Contrà, sensui, & intellectui id apertè pugnat, nam omne finitum, vt est continuum, ablatione partium tandem finitur, & consumitur, propterea cum dicitur, continuum est diuisibile in semper diuisibilia, verum est duntaxat, quousque ad minimas partes peruenitur. Quod videtur olfacere ægre Tolet.6. *Phys. in T.*13. inquiens id se non intelligere de diuisione reali, sed rationis, quod est dictu, nulla est quantitas, in qua non possimus intellectu concipere duas partes, & plures sibi dissitas, & sic in infinitum. Inanis ergo, & vana videtur esse huiusmodi partitio partium continui in infinitum, vtporè, quæ nunquam fieri valet, ab vllo siue creato, siue increato.

Tertiò, Deus cognoscit distinctè omnes partes, in quas continuum est diuisibile, cum nihil eum lateat, Hebr.4. *Omnia sunt nuda, & aperta oculis eius*, ergo cognoscit vltimas partes in quas diuidi potest continuum, sicque continuum tandem finitur per vltimas partes. Conceditur ant. negatur conseq. Quia Deus cognoscit res, sicuti sunt, & quia in continuo non sunt partes vltimæ, propterea non cognoscuntur à Deo, vt Deus nouit partes temporis non quidem permanentes, quia in eo nullæ extant permanentes, sed fluxibiles, quia sunt in perenni fluxu: sic Deus nouit partes continui non insectiles, sed sectiles, & partibiles in infinitum. Contra sapientiæ 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit Deus.* Ergo partes continui sunt numero finitæ, cum sint in numero eorum, quæ fecit Deus, quæ multitudine, & magnitudine finita sunt. Proindeque in continuo admittendæ sunt partes vltimæ impartibiles, & insectibiles.

Quartò, ex Aristot. placito, nullus foret motus mobilis in spatio, quod experientiæ contradicit, ergo non dantur huiusmodi partes in continuo. Sequela ant. probatur, mobile prius pertransit priores partes spatij, quam posteriores, vt cernitur ad oculum: in opinione autem Aristotelis, nullæ sunt partes priores, & posteriores, sed infinitæ, infinitæ autem pertransiri nequeunt, ergo mobile, quod reuera per spatium mouetur, moueri non potest, cum transire nequeat partes, quæ in continuo sunt infinitæ. Negatur sequela ant. ad eius probationem dico, mobile per motum transire spatium extensum, quod requiritur, vt mobile conficiat motum: quod autem spatium constet partibus aliquotis, & proportionalibus numero finitis, aut infinitis, nihil facit ad rationem motus, veluti motus fit super arenam maris, tametsi numerari non possit; sic etiam auis per aërem volando mouetur, quia est extensus, quamuis sit tenuis, & ex minutis confletur partibus, quæ ad motum non pertinent, tametsi ad ipsum aërem, & extensionem eius conducant.

Quintò, in omni ordine essentialis dependentiæ est status ad aliquod independens, & primum in eo ordine, vt demonstrat Aristot. 2. *Met. cap.*2. alioqui fieret processus in infinitum, qui à rectè philosophante vitandus est: totum autem continuum essentialiter dependet à medietatibus, veluti compositum à materia, & forma: hæ autem medietates ab aliis, illæque ab aliis, & sic consequenter vsque ad vltimam, quæ est impartibilis, & indiuisibilis.

Nec præstat dicere cum Canon. præcit. maiorem, habere locum in causis extrinsecis, non verò in causis intrinsecis. Etenim Aristot. *passim nunc allegat.* eam in omni causarum genere probat, & ibi explicat Doctor subtilis. Idque quoque patet de relationibus, quarum si vna fundat aliam, nihilominus ad vltimam deuenitur, quæ alterius haud extat fundamentum; nec linea est, nisi duobus claudatur punctis, vt constat ex eius definitione allata ab Euclide 1. *Element.* Hinc mirum non est si oppositum sentientes maximis difficultatibus pressi, & grauissimis argumentorum ponderibus inclinati, in incommoda inaudita, & absurda ingentia prolabantur, ac variis contradictoriis irretiantur, quæ verè, & plenè haud soluere, ingenuè

fatentur

fatentur Aristot. *lib. de lineis insect.* Tol. Mastr. & alij, qui mordicùs illud sequuntur placitum. Necessè quippè est admittant, infinitum actu in multitudine, putà infinita puncta in linea, ac infinitas partes actu, in quolibet continuo, quod alibi plane de facto negant. Iterùm, necessè est, inficiantur vulgatum, & verum axioma, *frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum*, cum secundum illos, ad actum diuisionis vltimæ partium, continuum minime perueniatur. Rursùs coguntur respuere maximam euidentem, totum est maius sua parte, cùm capillum hominis tot partes habere asserant, ac totum hominem, imò & vniuersum mundum: atque plura alia incredibilia, & forte impossibilia, quæ piget recensere. Addo, ipsos valdè deprimere creatum ingenium, & deiicere potentiam Dei, quæ partes vnius actus in tota æternitate non possit educere, earumque primam, aut vltimam reperire, cum ipse eas omnes condiderit, & simul copulauerit in continuo.

QVÆSTIO III.

De quantitate Discreta.

ASTENOI *in superiori quæst.* discretam quantitatem esse veram, ac germanam quantitatis speciem: nunc verò inuestigandum est, quænam sint species quantitatis discretæ. Cùm enim discreta quantitas sit genus subalternum, iure expenduntur in præsentia species eius, quæ perhibentur numerus, & oratio.

ARTICVLVS I.

An numerus sit ens reale aut rationis.

1. QVI inter genuinas quantitatis species non referunt numerum, quos adduxi *in prima quæst. huius lib. art.* 5. collocant numerum formaliter sumptum inter entia rationis: qui autem docent numerum esse germanam speciem quantitatis discretæ, consequenter asserunt numerum esse ens reale.

2. Not. *ex* 4. *Phys. cap.* 11. numerum distribui in numerum numerantem, & numerum numeratum. Ille est actus intellectus numerantis, quæ sunt numerabilia, vt cum Dux numerat milites sui exercitus: alter est res ipsa, quæ numeratur vt milites à suo duce numerati. Deinde numerus subsecatur in materialem, & formalem: numerus materialis sunt vnitates simul aggregatæ, ex quibus consurgit ipse numerus. Numerus formalis est vnitas formalis resultans ex præexistentibus vnitatibus materialibus per quam ipsemet numerus formalis constituitur, vt vnitas formalis binarij est, per quam binarius constituitur formaliter in esse binarij. Insuper alius est numerus transcendentalis, alius verò prædicamentalis. Transcendentalis, qui & numerus secundum quid nuncupatur, est qui attribuitur molicis non quantis quantitate molis, sicque dicuntur tres Personæ diuinæ, & vnus Deus, Michaël, & Raphaël duo Angeli. Prædicamentalis est qui resultat ex diuisione continui, vt *ex* 3. *Phys. cap.* 7. *T.* 68. deducit Scot. 10. *Met. in expositione T.* 21. Et 4. *Met. quæst.* 2. Et coïncidit cum numero formali superiùs descripto. Hic autem tantum rebus corporeis, quæ quantitatis sunt compotes, adaptatur.

3. Assertio numerus est *ens reale positiuum*. Defenditur à Doct. *quæst.* 16. *prædicam.* 4. *Met. quæst.* 2. Et 5. *eiusdem operis, quæst.* 9. Et 1. *distinct.* 14. licet videatur problematicus, tamen pollicetur alibi se hanc difficultatem decreturum, & decisurum, idque præstat 3. *dist.* 21. *quæst. vn. antè* §. *Sed quidquid Logicè sub L.* Et 1. *Reportat. distinct.* 14. & notant Marginiſtæ eius, in scripto Oxoniensi, *passu alleg.* Hæc attuli propter geminos Scotist. qui *disp.* 7. *Log. quæst.* 2. *art.* 1. oppositam sententiam tenentes inquiunt, præpositæ assertioni firmiter non adhærere, & quamuis constanter eam tueretur, nihilominùs conuicti euidentia rationum eius, vt quoque fatetur Canon. 4. *Phys. quæst.* 7. *art.* 2. liberè, & libenter ipsam amplecti, & tueri perhibent, & palàm profitentur. Verùm ita firma, & argumentis fulta non videtur, vt contraria, quæ est communis, teste Scot. *in Reportat. cit.* & Och. 1. *distinct.* 24. *quæst.* 2. facilè, & commodè defendi non possit, vt ex oppositorum argumentorum solutione infrà liquidò constabit.

Iam verò suadetur nostra assertio, prima species cuiuslibet prædicamenti est ens reale positiuum, tùm quia prædicamenta sunt series entium realium positiuorum, tum etiam quia ens reale positiuum scinditur in decem prædicamenta, 5 *Met. cap.* 7. *T.* 14. Numerus autem est species vera, & germana quantitatis, vt manet probatum passu memorato *in initio huius artic.* Ergo numerus est ens reale positiuum. Canon. *vbi suprà*, distinguit ma. inquiens, numerum esse ens reale quidem obiectiuum in intellectu, non verò effectiuum, & extrà intellectum, cuiusmodi est lapis. Contra, secluso quouis actu intellectus, numerus est à parte rei, ergo nedum est obiectum in intellectu, verumetiam extrà intellectum. Huic subdit D. August. *duo, & tria sunt quinque, est necessaria, & æterna veritas*, atque propositio nota ex terminis, proindéque nullo modo ab intellectu dependens.

Alij, vt Mastrius, cum Belluto negant min. quæ reuera non est neganda, tum quia Aristot. *in prædicam. cap. de quantitate*, & 5. *Met. cap de quanto*, & Scot. *ibid. & locis prænarratis*, clarè, & diserte eam tanquam veram admittunt.

Secundò, obiectum scientiæ realis est reale, tùm quia scientiæ secantur sicut res, 3. *anima T.* 38. tùm etiam, quia ab obiecto scientia suum capit specificationem, & determinationem: numerus autem est obiectum scientiæ realis, putà Arithmeticæ, quæ est vna ex disciplinis mathematicis, quas esse reales, cæterisque euidentiores, nemo ambigit, ergo numerus est ens reale.

Respondent Authores nunc allegat. Arithmeticam, non tantum contemplari numerum prædicamentalem, sed etiam transcendentalem cum proportionibus, & proportionalitatibus suis, cum tamen numerus transcendens nihil addat supra res numeratas, sicque ens per accidens sufficeret ad obiectum scientiæ, vt sentit Pontius *disp.* 14. *quæst.* 4. non autem requireretur, vt esset vnum per se, cuius oppositum cernitur in cunctis, & singulis obiectis scientiarum. Contrà, Arithmetica considerat solum illum numerum, qui ex diuisione continui causatur, vt nuper ex Aristotele, & Scot. retuli: numerus autem, qui ex partitione continui efficitur, est tantùm prædicamentalis, & quantitatiuus: transcendentalis verò spectat ad Metaphysicam, cuius est speculari omnia transcendentia. Quare nulla est responsio, cùm numerus prædicamentalis sit vnum per se, & sortiatur suam propriam vnitatem specificam ad scientiæ realis obiectum requisitam: proindéque Arithmeticæ obiectum, non est ens per accidens, quod non cadit sub scientiam, cum non habeat passiones scibiles, & de ipso demonstrabiles, vt patet 6. *Met. T.* 5. Addo, cum Arithmetica sit scientia subalternans, & præcipua speculatur numerum per se cum suis passionibus: verùm Musica, quæ est scientia subalternata illi, respicit numerum sonorum, siue contractum per differentiam accidentalem. Ideò Suarez *disp* 41. *sect.* 1. *num.* 16. intuens imbecillitatem huius solutionis, conatur aliam adducere, videlicet numerum

præter

præter vnitates numeratas rerum numerabilium, quæ dicuntur vnitates materiales, nullam prorſus habere vnitatem formalem realem ſpecificam, niſi opere intellectus concipientis, & fabricantis huiuſmodi vnitatem communem dictis rebus numeratis: & ità numerus cum tali vnitate ab intellectu elaborata ſtatuitur obiectum Arithmeticæ.

Verùm, per hanc reſponſionem in maius inconueniens, quam præcedens labitur Suarez, quandoquidem ſi obiectum formale, & adæquatum Arithmeticæ ſit, & pendet ab opere intellectus, ipſa Arith. non foret ſcientia realis, ſed rationis, cum ab obiecto ſcientia ſuam entitatem, & denominationem deſumat.

Facere autem Arithmeticam ſcientiam rationalem abſurdum eſt, ac facere Logicam ſcientiam realem. Hoc autem incommodum Suarez, & Maſtrius nolunt euadere, nè concedant numerum eſſe vnum per ſe, quod clarè admittunt Ariſt. cit. Et 5. *Met. T.* 19. *Sex non ſunt bis tria, ſed ſemel ſex.* Quod eſt dictu, numerus ſenarius eſt vnum per ſe conſtitutum per propriam vnitatem in eſſe ſenarij, & per hanc ab aliis numeris diſtinguitur. Scot. 3. *diſt.* 22. *quæſt vn. ſub L.* Nec quinarius eſt vnitates quinque, ſed eſt illud totum, quod reſultat ex quinque vnitatibus, aliter ſi eſſet illæ vnitates, eſſet vnum ſicut aceruus Et præmiſit 5. *Met. quæſt.* 9. *Numerus eſt vnus forma ſua ſpecifica, à qua eſt propria diſcretio exiſtens in quinque vnitatibus, vt vna materia, ſicut homo à forma ſua ſpecifica eſt vnus.* Et *in vltimo opere Pariſienſi* 1. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. Dicitur vno modo ſic, quod numerus habet ſimpliciter vnitatem, & vna vnitas eſt, & formalitas ex vltima vnitate, ſecundum determinatam diſtantiam. Et D. Th. 8. *Met lect.* 3. *Eſt enim per ſe vnum numerus, inquantum vltima vnitas dat numero ſpeciem, & vnitatem.*

Tertiò, obiectum ſenſus eſt reale, vt patet, quia eſt ſenſibile, & ſenſus attingit ſingularia, quæ ſunt realia primò, & immediatè exiſtentia: numerus autem cadit in obiectum ſenſus, cum ſit vnum ex quinque ſenſibilibus communibus, 2. *anima T.* 64. Occurrit Canon. citat. cum Maſtr. id verum eſſe penes eſſe materiale numeri, non verò penes eius eſſe formale, quod eſt per intellectum.

Contrà, numerus formaliter eſt à parte rei, vt nemine cogitante, ſunt quatuor elementa, tria principia phyſica, & ſic de reliquis, & intellectus cognoſcit, ea, vti ſunt à parte rei: ergo numerus ſecundum eſſe materiale, & formale eſt ens reale independenter ab intellectu. Denique, numerus tranſcendentalis eſt ens reale pertinens ad Metaphyſicam, quæ eſt ſcientia realis, ergo, & numerus prædicamentalis eſt ens reale: quod enim per ſe ponitur in prædicamento, cuiuſmodi eſt numerus, eſſe ens reale, ſuperiùs apertè intuli.

4. Oppones primò, Ariſt. 3. *Phyſ. T.* 68. ſcribit numerum eſſe multas vnitates. Et 8. *Met. c.* 4 *ſum. vn. T* 10. ſubiicit numerum non eſſe vnum, ſed ſicut cumulum: ergo in Peripato numerus non eſt vnum per ſe reale poſitiuum. Reſpondeo explicando loca Philoſophi de numero materiali, non autem de numero formali. Addo ſecundum teſtimonium Philoſophi non rectè, & fideliter adduci ab Aduerſariis: eo enim paſſu ſic legitur. Numerum oportet eſſe aliquid, quo vnus, quod nunc non habent dicere: quo vnus ſiquidem eſt vnus, aut enim non eſt, ſed vt aceruus, aut ſiquidem eſt dicendum quid, quod eſt faciens vnum, ex multis, & definitio vna eſt. Potius hic locus proficit nobis, quam obſit. Enim ibi fit comparatio inter numerum, & definitionem, in eo potiſſimùm, quis ſicut numerus conſtat multis vnitatibus, ſic definitio multis partibus, eſt tamen vna, pariter numerus eſt vnus, non vnitate materiali, ſed formali, per quam conſtituitur in ſuo eſſe formali, & ſpecifico, ſicut homo per ſuam formam eſt vnus; perhibente Scot. 8. *Met. in exp. T.* 10. *&* 5. *eiuſdem, quæſt.* 9.

5. Oppones ſecundò, vt numerus ſit vnum per ſe reale, debet gaudere aliqua vnitate, ſicut multa gaudent multitudine, eadem, identitate, & diuerſa, diuerſitate, nullam autem participat vnitatem, ex quinque recenſitis à Doct. 1. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 7. §. *Sed hic reſtat. HH.* Siquidem non ſortitur vnitatem aggregationis, quæ eſt minima, nec vnitatem ordinis, nec vnitatem per accidens, nec vnitatem compoſitionis, nec ſimplicitatis, vt patet ſpeculanti, & ſingulas particulas percurrenti, ergo numerus non eſt vnum per ſe reale. Concedo ma. nego min. Numerus quippè cum per ſe collocetur in prædicamento quantitatis, ſitque eius ſpecies, componitur ex genere, & differentia, vt inſinuat Doct. proximè nominatus, proindéque potitur vnitate compoſitionis.

6. Oppones tertiò, ſi detur forma ſpecifica numeri, neceſſe eſt, exiſtat in rebus numeratis, veluti forma exiſtit in materia, quam informat: nequit autem effici, formam numeri eſſe in omnibus rebus numeratis, vt formam numeri eſſe in tribus lapidibus, quorum vnus ſit Romæ, alter Pariſiis, & tertius Taurini, alioqui forma informaret multas materias loco, & ſitu diſſitas, & accidens ſubiectaretur in variis, & diuerſis ſubiectis diſtinctis, ac diſtantibus. Diſtinguenda eſt ma. inadæquatè concedo: adæquatè, nego, vt patet de natura communi reali, quæ exiſtit inadæquatè in vno, aut duobus ſuis inferioribus, adæquatè verò in omnibus. Vide quæ dixi *in Log. lib.* 2. *quæſt.* 17. *art.* 5. *&* 6. Vel ſi concedatur ma. & negetur min. dici poteſt, id eſſe priuilegium, & proprium quantitati diſcretæ, veluti peculiare eſt generi quantitatis prædicari denominatiuè, & concretiuè de ſuis ſpeciebus, vt obſeruaui *loco cit. l.* 3. *q.* 5. *art.* 1. Atque relationi conuenit conſurgere ad poſitionem terminorum, ſiue termini ſint præſentes, ſiuè abſentes, vt *ibid.* aſſerui *q.* 6. *art.* 7. pariter naturale eſt numero eſſe in diuerſis ſubiectis: & ſi omnia identificarentur, non foret numerus, qui rerum ſemper poſtulat pluralitatem, & diuerſitatem, notantibus Pariſienſibus, *c. de quantitate, &* Vigerio *in com.* 1. *diſt.* 24. *quæſt vn.*

7. Oppones quartò, numerus tranſcendentalis nullam entitatem, & vnitatem addit ſuprà ſuas entitates materiales, vt patet de numero ternario diuinarum Perſonarum: ergo idipſum aſtruendum eſt de numero prædicamentali. Negatur conſequentia, ratio diſparitatis eſt, quia ille eſt numerus ſecundum quid, & in diuinis omnia ſunt vnum, & idem, propterea in eis non eſt propriè numerus. Nam, numerus propriè, & ſimpliciter oritur ex diuiſione continui, & non reperitur abſque potentialitate vnitatum materialium ad vnitatem formalem, vt tangit Doct. 1. *diſt.* 24. *quæſt. vn. non longè ab initio. A.*

ARTICVLVS II.

An oratio ſit vera, & realis ſpecies quantitatis diſcreta.

8. SCholaſtici, qui in ſuperiori art. inter ſe de numero diſſentiunt, vtique in hoc, de oratione diſcrepant. Nam qui numerum à veris quantitatis ſpeciebus amouent, pariter orationem à ſyllabo verarum quantitatis ſpecierum excludunt, ita Ioannes de Magiſtris, *cap. de quantitate,* & Suarez *diſp.* 41. *Met. ſect.* 3. E regione, qui numerum inter veras ſpecies quantitatis ſtatuunt, quoque in earum ſerie, orationem collocant, vt Scot. *quæſt.* 19. *prædicam.* Rub. *cap.* 6. *de quantitate, quæſt.* 9. & Complut. *ibid. diſp.* 13. *quæſt. vlt.*

9. Not. primò, orationem multas pati acceptiones. Primo enim ſumitur pro eleuatione mentis in Deum, per pium, & humilē affectum, vt videre eſt, apud Aug. *lib. de ſpiritu, & anima.* 2. pro voce ſignificatiua ad placitum, de qua diſſerit Ariſt. 1. *Perib. c.* 4. Tertiò, pro ſermone ornato ad perſuadendum, quo pacto Cic. 2. *de oratore,*

ore, vocat orationem omnium rerum reginam. Quartò, pro voce articulata pluribus syllabis, & non pluribus dictionibus constante, penes quas, prolatio successiuè fiat, vt homo, & cæteræ dictiones, quæ dicuntur orationes, idoneæ ad contentum, & harmoniam condendam. Et de oratione sic capta sermo est in præsentia.

10. Not. secundò, latius fundi sonum quam orationem hîc acceptam. Omnis quippè oratio est sonus, non verò è contra. Siquidem sonus est verberatio aëris ex collisione duorum corporum causata oratio verò est articulata, vtpotè, quæ labiis dentibus, lingua, aliisque instrumentis efformatur. sicut autem quæcunque percussio aëris est sonus: sic qualibet prolatio syllabarum, est vox, adeovt tot sint voces, quot syllabæ ordinatæ, & successiuè prolatæ, ex quibus integratur oratio, quæ est discontinua, & discreta, non quidem subiecto, aut tempore, sed forma sua intrinseca, & essentiali. Deindè in oratione duo potissimùm distinguuntur, sonus scilicet, qui est qualitas, eius affectiones, nempe vt sit acutus, vel grauis: atque eius extensio discretiua, quæ & dilatatio, & prolongatio nominatur; si enim oratio tardè, & pedetentim proferatur, magis extenditur, quam si citò, & promptè edatur; atque extensio magis est in vna, quàm in altera, ratione cuius vna est breuis, & altera longa, vt patet apud Poëtas, & Musicos.

11. Assertio, oratio est vera, & genuina species quantitatis discretæ. Tenet Doct. præcit. quam testatur esse Aristot. *cap de quantitate*, qui eam duplici ratione munit, & ostendit primò, cuius partes sunt mensurabiles: mensura intrinseca discretiua, est species quantitatis discretæ, cuius propria ratio, & forma specifica est discretio, vt supra monebam: orationis autem partes mensurantur mensura intrinseca, quæ sunt eius syllabæ, vt patet ex præiactis fundamentis, ergo oratio inter species quantitatis discretæ est numeranda. Respondent Suarez citat. & Fons. 5. *Met. cap* 13. *quæst*. 4. *sect*. 3. partes orationis intrinsecè quidem eam metiri, attamen quia non confluunt ad constituendum vnum per se quantum, a cæteris distinctum, ideò oratio non recensetur inter veras, & reales species quantitatis discretæ. Contrà, sicut ex vnitatibus materialibus numeri, eiusque vnitate formali, & specifica fit vnum per se, vt probaui in præcenti art. ita ex syllabis orationis, eiusque discretione intrinseca, & specifica, quam Scot. *vbi suprà* scribit esse innominatam, conflatur vnum per se. Prætereà, quod definitur, participat vnam rationem formalem, & specificam, quia definitio est oratio distinctè explicans naturam rei: oratio autem definitur quantitas syllabarum discretiua, ergo est vnum per se; atqueadeò germana quantitatis discretæ species.

Secundò, quod est per se quantum quantitate discreta, sortitur rationem quantitatis intrinsecam, & specificam: oratio autem est per se quanta quantitate discreta, est enim breuis, vel longa, seclusa breuitate, vel longitudine temporis, ergo non est à veris speciebus quantitatis discretæ amouenda. Occurrit Fons. *passu memorato*, id omne pendere ex instituto, & beneplacito hominum, veluti vocum significationem, non autem ex intrinseca orationis natura. Contrà, circumscripta significatione vocum hominumque voluntate, adhuc suaptè natura manet oratio breuis, aut longa, coarctata, aut dilatata, propter extensionem discretiuam ipsi propriam, & intrinsecam, vt benè infert Scot. præalleg. Ergo non tempore, nec ab alio intrinseco petitur longitudo, vel breuitas orationis.

12. Oppones primò, Arist. 5. *Met. cap. de quanto* referens quantitatis species, non meminit orationis: ergo oratio secundum Aristot. non est species quantitatis, siue discretæ, siue continuæ. Accedit Scot. 1. *distinct*. 1. *quæst*. 2. §. *Ad* 1. *O.* negans orationem contextam ex multis syllabis facere vnum per se, proindèque esse veram quantitatis speciem. Respondeo argumentum ab authoritate negatiua depromptum non concludere, præsertim quia iam in Log. *cap. de quantitate* retulerat Arist. orationem in syllabo specierum quantitatis. Ideò non erat necesse iterum eam enumerare, tùm quia prius eam iam asseruerat, & rationibus confirmarat, ratione cuius excluditur communis responsio, ipsum famosè, & populariter fuisse loquutum, quod enim ait in aliorum sententia rationibus munire non solet, vt præstat de oratione. Quo forte respiciens Doct. ibi scribit ab ea assertione se non declinare, propter authoritatem Aristotelis. Ad Scot. dico, eo in loco ex professo non agere de oratione, sed gratia exempli, in quo non exigitur omnimoda veritas, alioqui non foret similitudo, sed identitas: in Logica autem cit. ex instituto tractat de oratione, & plenè, & apertè asserit esse speciem quantitatis discretæ.

13. Oppones secundò, quod per se non est quantum, non est vera species quantitatis, quia species propria cuiuscumque rei est vnum per se: oratio autem non est per se quanta, sed ratione syllabarum, penes quas perhibetur longa, vel breuis, ergo oratio non est germana species quantitatis discretæ. Conf. in oratione reperiuntur sonus, motus, ordo syllabarum, & significatio, quæ, & consimilia nequeunt constituere vllam speciem quantitatis. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, non solum secundum syllabas, ex quibus componitur, orationem esse quantam, sed etiam secundum suam rationem specificam, quam supra diximus esse extensionem discretiuam. Ad conf. dico, præter illa enumerata, in oratione esse præfatam discretionem, quam Scot. ait esse eius propriam differentiam essentialem.

QVÆSTIO IV.

De terminis rerum naturalium.

ARTICVLVS I.

An viuentia naturalia habeant certos terminos suæ magnitudinis, vel paruitatis.

1. PAVLVS Venetus 1 *Phys. cap.* 4. & alij Philosophi non ignobiliores, teste Tol. *ibid. quæst.* 8. autumant viuentia naturalia nullo limite suæ magnitudinis, aut paruitatis cohiberi. Communis autem sententia est Scot. *quæst.* 24 *prædicam.* §. *ad quæst.* 5. *Met in expositione cap.* 5. *T.* 21. & 4. *dist* 2. *quæst.* .. §. *Ad argumenta sub* A. Ocb. 3. *dist.* 7. Gabriel *ibid. dist.* 13. *quæst. vn.* Dur. 2 *dist.* 1. *quæst.* 1. Rich. *quol.* 3. *quæst.* 5. & cæterorum docentium animata naturalia certis, & determinatis suæ magnitudinis, aut paruitatis limitibus claudi, quos egredi nequeunt.

2. Not. primò, ex Scot. *quæst.* 19. *Elench.* § *Ad* 1. *quæst.* Et 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. §. *De secundo arte Al.* totius naturalis animati duas esse partes integrantes, & heterogeneas, & homogeneas. Illæ sunt diuersæ rationis ob id dissimilares dicũtur, vt ossa, caro & huiusmodi: istæ verò sunt eiusdem rationis, ideò similares perhibentur, vt quælibet pars carnis est caro, sicut quælibet pars aquæ est aqua.

3. Not. secundò, terminorum rerum naturalium, quosdam esse intrinsecos, & affirmatiuos, quosdam verò extrinsecos, & negatiuos, numeroque quaternario comprehendi duos magnitudinis, duosvè paruitatis: prior est intrinsecus, posterior verò extrinsecus. Terminus intrinsecus magnitudinis est, quo viuens potest attingere tantam magnitudinem, sed non maiorem, vt si homo

homo perueniat ad quantitatem sex cubitorum, non verò septem, vel octo, & vocatur maximum quod sic, quia inter magnitudines, quas homo participare valet, hæc est omnium maxima. Terminus autem magnitudinis extrinsecus est, quo viuens nequit habere tantam magnitudinem, potest verò habere minorem, vt si homo nequeat attingere quantitatem septem cubitorum, possit verò habere minorem, nempè sex, vel quinque cubitorum, & nuncupatur maximum quod non, quia inter magnitudines quas homo sortiri non valet, ista est minima. Terminus intrinsecus paruitatis est, quo animatum potest existere sub tali exigua quantitate, sed non sub minore, vt si homo possit viuere sub quantitate vnius palmi, non verò sub quantitate dimidiati palmi, & nominatur minimum quod sic, quia inter quantitates minores, quas homo possidere quit, hæc est minima. Terminus extrinsecus paruitatis, est quo animatum non potest viuere sub tam parua quantitate, potest bene sub maiore, vt si homo esse nequit sub quantitate dimidiati palmi, potest verò esse sub quantitate vnius palmi, & appellatur maximum quod non, quia inter quantitates exiguas, sub quibus homo esse nequit, hæc est minima.

4. Assertio, viuentia naturalia terminis intrinsecis suæ magnitudinis, aut paruitatis coërcentur. Ita Scot. *ubi suprà*. Probatur primò, ex Aristot. 1. *Phys. cap.* 4. *T.* 36. Et 4. *de gener. animalium, cap.* 5. *&* 2. *anima, cap.* 4. *T.* 41. omnium natura constantium certus est terminus augmenti, & decrementi. Atque 7 *polit. cap.* 4. Vrbes determinatis vallantur terminis, veluti animalia, & plantæ. Secundò, quodlibet animatum exposcit determinata organa, & membra certa ad suas vitales operationes exercendas, & homo instrumenta determinatæ magnitudinis, aut paruitatis elaborat, vt opera artificialia conficiat, ergo certus est fines animatorum, penes magnitudinem, aut paruitatem, quem excedere nequeunt. Tertiò, ex *secundo animæ T.* 37. Anima est actus primus corporis organici potentia vitam habentis: virtus autem eius, vires, & facultates eiusdem sunt finitæ, & limitatæ, 1. *Cæli T.* 116. Atque experientia comprobatur, vnumquodque animatum postquam peruenit ad propriam, & idoneam magnitudinem, non amplius crescere, sed paulatim decrescere, deficiente calore naturali, & humido radicali: calor enim naturalis agens in humidum radicale debilitatur, & reagendo tandem consumitur, & finitur, vt abunde suo loco ostendemus. Stabilitur ergo, & firmatur animatis certus limes, & terminus, magnitudinem, aut paruitatem versus. Idque planè, & disertè tradit August. *lib. de beata vita.*

5. Oppones primò, *Gen.* 6. narratur floruisse Gigantes, qui insolitæ fuere magnitudinis, & eximiæ fortitudinis, igitur animata certo limite suæ magnitudinis aut paruitatis non præfiguntur. Respondeo, quamuis Gigantes fuerint proceri, excedentes homines reliquos in statura, & robusti viribus, interprete Lyran. & secundum aliquos, monstruosi, tamen non superauerunt terminum hominis, magnitudinem versus. Non enim extiterunt instar montis, sed fortassè attigerunt maximum quod sic, veluti Pygmei minimum quod sic.

6. Oppones secundò, detur certus limites magnitudinis hominis, adhuc potest tumefieri, proindeque crescere, & exsiccari, proindéque decrescere, ergo non datur certus terminus magnitudinis, aut paruitatis viuentium. Cons. perueniat homo ad maximum quod sic, tunc comedendo amplius augebitur, quia per nutritionem acquiret nouas partes conuersas in sui substantiam, ergo non est ei statuendus certus terminus suæ magnitudinis, aut paruitatis. Respondeo datâ hypothesi, illud augmentum non foret intrinsecum, & per se, sed extrinsecum, & per accidens. Ad cons. si esset in ætate consistenti repararetur ad æquale, penes partes deperditas, quod si esset in decrepita, decresceret, penes partes, quæ deficiente calore naturali, paulatim defluunt, ac deficiunt.

7. Oppones tertiò, quædam animalia semper crescunt, vt ferunt de Cocodrillo. Atque quædam plantæ terminis non cohibentur, vt vitis, hædera, & huiusmodi: non est ergo viuentibus naturalibus tribuendus certus terminus magnitudinis suæ, aut paruitatis. Nego ant. quidquid dicant nonnulli, potiùs fabulosi, quam historici. Ratio est, quia ad maiorem magnitudinem efficiendam, requiritur maior virtus, quæ in viuente semper augeri nequit, quandoquidem vita consistit in humido, & calido. Debilitatur autem per continuam nutritionem, & deperditionem calidi, & humidi. Vnde veterascunt, & postmodum intereunt.

ARTICVLVS II.

An naturalia non viuentia sint terminata penes magnitudinem, aut paruitatem.

8. HÆc dubitatio bifariàm agitari potest, de facto scilicet, & de possibili. De facto autem omnia naturalia quidem sic sunt ordinata, & disposita, vt suis terminis & limitibus claudantur, & coërceantur, iuxtà illud *Sap.* 11. *Omnia in numero, pondere, & mensura fecit Dominus.* Hinc ignis sphæram suam non prætergreditur, sed continetur inter orbem Lunæ, & supremam aëris regionem. Item aër comprehenditur inter ignem, aquam, & terram, & sic de cæteris. De possibili verò est contentio, vtrùm inanimata possint comprehendi certis limitibus, & statutis terminis intrinsecis, quoad magnitudinem, aut paruitatem. Et certè penès magnitudinem extat communis opinio Scot. 2. *distinct.* 2. *quæst.* 9. § *Ad argumenta sub N.* Och. 3. *quæst.* 7. & vtriusque sectatorum, præter Iand. *Phys. quæst.* 16. & paucos alios, quibus nuper iunguntur Complut. *disp.* 17. *quæst.* 2. §. 1. negantium naturalia inanimata, magnitudinem versus, vllis terminis limitari, & cohiberi. Penes autem paruitatem maius viget iurgium. Quamuis enim Scot. & Ocham. idem doceant, nihilominus Thomist. & Complut. *citat. quæstione* 3. aliique complures extrà eorum Scholam, tenent secundum paruitatem inanimata esse finita, & limitata, itavt perueniant ad vltimum terminum, quem præterire nequeant, paruitatem versus.

9. Assertio prima, inanimata secundum magnitudinem sunt interminata, & illimitata. Ità Doctor *ubi suprà*. Suadetur primò, ex Aristotele 2. *animæ T.* 41. explicitis verbis affirmante, ignem crescere in infinitum, si ei semper combustibilia apponantur. Et exaratur *Prouerb.* 30. *Ignis verò nunquam dicit sufficit.* Quia, vt ibi subiicit Lyran. Ex appositione combustibilium semper crescit virtus eius, ad amplius comburendum.

Secundò, huiusmodi non viuentia augentur semper, & corroborantur per intrinseca sibi apposita, vt pluuia, imbreque cadente, & fluuium ingrediente, si ea continuò crescat, crescit ipse fluuius; quandoquidem inanimata non per vnius susceptionem augentur, vt animata, sed per iuxtà positionem crescunt, ideóque eorum augmenti nullus est finis, nullusque terminus.

Tertiò, si ignis attingeret maximum quod sic, eique apponeretur stupa, vel eam combureret, aut non, non secundum, alioqui, agens debitè dispositum, & approximatum passo rectè disposito naturaliter

naturaliter non ageret, quod palàm falſum eſt: ſi primùm, ergò creſceret, nulloque limite coërceretur. Adde ex dicendis *quaſtione ſequenti* dari infinitum ſyncategorematicum, poſſeque Deum finitos effectus, in infinitum producere, quod ſanè indicat, inanimata quoque in infinitum augeri poſſe.

Occurrunt Complut. cit. §. 4. dupliciter, & dicunt primò, data hypotheſi, ignis quidem combureret ſtupam, non tamen ſibi vniret ignem de nouo genitum, tantumque ei foret contiguus, fieretque vnum per aggregationem. Contrà, quæ ſunt einſdem rationis, ſi adinuicem accedant, ſimul vniuntur, vt patet de aqua fluminis iuncta aquæ maris, aliiſque homogeneis: ignis autem de nouo productus eſt eiuſdem rationis, cum igne præexiſtente, nec diſcerni poteſt vnus ab alio, cùm vnus integer videatur. Iterùm, paruus ignis poteſt vniri alteri igni, ergò & magnus ignis eamdem vnionem ſubire valet. Si enim minor virtus effectum poteſt producere, à fortiori maior virtus poteſt huiuſmodi effectum cauſare, igitur ſi exiguus ignis alteri vnitur igni, vtique maior ignis, cuiuſmodi eſt ille præſuppoſitus, pati poteſt eamdem vnionem cum alio igne, aut à ſe producto, aut ab alio: Idque experientia, & ſenſu conſtat, oppoſitum verò de viuentibus apparet, & ab Aduerſariis iure negari non poteſt. Secundò reſpondent, dato caſu, ignis foret in ſtatu corruptionis, & in via interitionis. Contrà, quod ad ſummum peruenit, non eſt in ſtatu corruptionis, ſed perfectionis, vt patet de igne in ſua ſphæra exiſtente, de homine gloriam poſſidente, & Chriſto ſummam gratiam habente: inanimatum autem ſi attingeret maximum quod ſic, foret in ſummo ſtatu, quem participare quiret, vt liquet de Gigantibus *Gen. 6.* qui fortaſsè ad maximum quod ſic euecti, fuere robuſtiſſimi, & celeberrimi, ita vt eleuarentur contrà Deum, niterenturque imponere Pelion, oſſæ. Si ergò inanime præfatum terminum conſequitur, gaudet ſtatu non corruptionis, ſed perfectionis: deindè, huiuſmodi inanime in tali limite, & ſtatu eſt fortius, & actiuius, vt liquet de magno igne, & ardenti fornace: vi autem magna fruens à contrariis ſe liberat, & ab omni corruptione ſe defendit magis, quàm ſi virtute exigua polleret, vt liquet de magno, & paruo igne, ille quippè impetitur à contrariis, & vincitur: hic verò reſiſtit, & victor perſiſtit. Rurſùs, cauſa corruptionis in viuentibus eſt, quia aluntur per intus ſuſceptionem, ratione cuius agendo, patiendo, reagendo, & repatiendo tandem intereunt, & conſumuntur: at non viuentia per iuxtà poſitionem creſcunt, ergò ſi inanimatis plura iuxtà ponantur: ampliùs augentur, & roborantur, proindè ab omni corruptione vindicantur.

10. Aſſ. 2. inanima penes paruitatem nullum limitem, metamque agnoſcunt. Traditur à Doctor. 2. *diſtinctione ſecunda*, *quaſtione nona*, *Met.* & decerpitur ex Ariſtotele, *l. de ſenſu. & ſenſili*, *capite tertio.* Suadetur primò, inanimata ſunt continua, quæ ex dictis *quaſtione ſecunda huius libri*, *articulo quarto*, ſunt diuiſibilia in ſemper diuiſibilia, ergò eis nullus aſſignari poteſt terminus, quoad paruitatem. Conſequentia tenet, ſi daretur minimum, cùm illud eſſet quantum, vtique foret diuiſibile in alias partes, & medietates, & ſic deinceps, proindéque non eſſet minimum, quia adhuc in minores & minores partes diſtribueretur. Huic reſponderent Aduerſarij, argumentum concludere, de quanto Mathematico, non verò naturali, quandoquidem naturale, vt retineat ſuam formam, petit certam, & determinatam quantitatem, qua carens exiſtere, & conſeruari non poteſt, nec vllas exercere operationes, vt videtur concedere Ariſt. nunc alleg. *c. 6.* & Scot. *vbi ſuprà.*

Secundò, penès magnitudinem non viuentia termino non cohibentur, vt ferè omnes admittunt, ergò nec penès paruitatem. Conſequentia patet, quia vtrinſque eadem eſt ratio, cùm ſint homogenea augmenti, & decrementi capacia. Fautores contrarij placiti negarent paritatem, quia verſus magnitudinem extat quantitas, ſub qua exiſtere poteſt forma, non autem verſus paruitatem, vt paulò antè monebam, & Scotus citatus exemplificat de naturali, quod ſi ita exile extat, non amplius cadit ſub ſenſum.

11. Oppones primò, Ariſt. 1. *Phyſ. Titulo trigeſimooctauo*, ſcribit, dari minimam carnem, ex qua non poteſt alia extrahi. Et 2. *anima Titulo quadrageſimoprimo*; omnium natura conſtantium certus eſt terminus magnitudinis, & paruitatis. Reſpondeo Ariſtotelem ibi verba facere de partibus viuentis, cuiuſmodi eſt caro. In præeunte autem articulo ſtatutum eſt viuentia participare terminum ſuæ paruitatis, & magnitudinis. Idipſum quoque aſtruit in poſteriori loco inquiens, id conuenire animatis, non autem inanimatis, vt igni animæ experti.

12. Oppones ſecundò, idem Philoſophus 2. *cæli, Titulo decimoſeptimo*, & 1. *Eth. capite ſeptimo*: litteris conſignat, vnumquodque naturale eſt propter operationem: niſi autem præfigatur enti naturali certus terminus ſuæ paruitatis, reduceretur ad eam paruitatem, vt amplius non poſſet vllam edere actionem, ergò inanimatis non eſt denegandus certus terminus ſuæ paruitatis. Conceſſa majore ad minorem dico. Si tale naturale amplius operari nequiret, id non proueniret ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, vt experimur de exiguo igne, qui diù non poteſt exiſtere, eo quod ab aëre impetitur, & debilitatur, & tandèm conſumitur.

13. Oppones tertiò, ſi inanime naturale eſt interminatum, & illimitatum quoad eſſe, & operari, ergò pariter quoad perfectionem, quia hæc ſequitur illud. Ideò, cùm Deus ſit infinitus in entitate, vtique in perfectione; Atque ita ſi inanimatum ſuæ paruitatis non habet limitem, ergò nec ſortitur terminum ſuæ perfectionis. Reſpondeo argumentum concludere de perfectione ſecundum quid, & accidentali: non verò de perfectione ſimpliciter, & eſſentiali, cuiuſmodi eſt perfectio Dei.

QVÆSTIO V.

De Infinito.

ARTICVLVS I.

An ſit Infinitum actu.

1. ANTIQVI Philoſophi relati, & reiecti ab Ariſt. 3. *Phyſ. Tit. 40. & indè*, & 7. *cælic.* 5. ſuſpicantur dari actu infinitum in naturalibus. Immò Democritus adductus à Fonſ. 2. *Met. cap. 2. quaſt. 1. ſect. 4.* cenſet eſſe actu infinitos

nitos mundos, quod audiens Alex. Magnus est lachrymatus, propterea quod tunc vnum mundum sibi non comparauerat. Oppositum autem tradunt Philosophus præcit. Scot. 2. *Metaphys. quæst. 6.* aliisque in locis, & cæteri posteriores Philosophi negantes in physicis esse vllum actu infinitum.

2. Not. 1. infinitum ex vi nominis perindè esse ac carens fine, siue termino. Multiplex autem recensetur infinitum: vnum quippè dicitur infinitum à parte antè, quod caret initio, aliud verò infinitum à parte post, quod finem non habet. Aliud infinitum per essentiam, vt Deus, aliud per participationem, quod subdiuiditur in infinitum in substantia, & in accidente, & hoc in infinitum in quantitate, siue in magnitudine, siue in multitudine, & in infinitum in qualitate, seu in intensione. Atque celebratur diuisio infiniti in infinitum actu, quod nominatur categorematicum, & infinitum in potentia, quod vocatur syncategorematicum, de quibus hîc acturi sumus.

3. Not. 2. infinitum multas pati descriptiones. Siquidem primò, definitur id, à quo, si aliquid accipiatur, restat semper aliquid accipiendum, & hoc dicitur infinitum in potentia, & sincategorematicum. Secundò, infinitum est, cui multa potest fieri additio, vel detractio, & istud est infinitum actu, & categorematicum. Tertiò, infinitum est, quod superat omne finitum, vltrà omnem portionem determinatam, vel determinabilem. Idque fortasse vtrique præfato infinito potest accommodari.

4. Ass. 1. datur infinitum actu, in substantia, & in perfectione, vt est solus Deus. Hanc tradit, & ostendit Doct. 1. *distinctione secunda, quæstione secunda. §. ostensis.* Et denotat Aristoteles 8. *Phys. Tit. 78. & 12. Metaphys. Tit.* 41. Probatur primò ex sacra pagina. *Psal.* 144. *Magnitudinis eius non est finis.* Secundò, *ex D. Ansel. in Monol. capite decimo quinto. Deus est, quo maius excogitari non potest*, hoc est, interprete Scot. 1. *Rep. distinct. 2. quæst.* 1. Deus est infinitus in actu. Et August. 1. *de doctrina Christiana capite septimo*, Deus est, quo nihil melius, atque sublimius cogitatur. Tertiò, Deus est à se, per se, & independens, ergò cùm à nemine finiatur, & limitetur, extat illimitatus, & infinitus. Plura Scot. *passu immemorate*; atque ita habetur infinitum actu in entitate, & perfectione.

5. Ass. 2. nullum creatum est actu infinitum. Defenditur à Scot. *vbi suprà*, post Arist. 3. *Phys. Tit. 40. vsque ad* 36. Suadetur primò ex scriptura, *sapientia 11. Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, ac si dicatur, omnia, secundum has rationes, actu esse finita, & nihil infinitum, subiicit Titelmanus *l. 4. cap.* 3. Secundò, omnia creata in decem clauduntur prædicamentis: quæ autem in categoriis collocantur, finita, & limitata sunt, vtpotè quæ sunt genera, vel species, vel indiuidua, quæuè continent differentias potentia, vt genera, vel actu, vt species, & indiuidua: differentias verò contrahere, limitaréque illa, omnibus est exploratum. Tertiò, quidquid est, aut est Cælum, aut sub Cælo, aut extra Cælum. Cælum autem, & quæ in eius ambitu capiuntur, finita sunt, mensurantur namque ab Astrologis, vt patet in sphæra: nihil verò est extrà cælum, & ex nihilo nihil fieri constans est Physicorum dogma exaratum ab Aristotele 1. *Phys.* 33. *&* 34. Insuper, naturalia si sint composita, non excedunt materiam, & formam, tanquam eorum partes, & limites: si simplicia extent, finita sunt, sic materia limitatur per formam, ipsaque forma actuatam materiam non supergreditur: accidentia verò cùm subiecta consequantur, extrà eorum terminos non exeunt. Denique composita naturalia sortiuntur formam, & figuram: quæ autem figurata sunt, terminata esse, & finita, omnibus constat. Hinc Arist. 1. *post. ante T. 35. c. 16. rectè ait*, necesse est omnia esse finita.

6. Opp. 1. *Num.* 20. *habetur infinita multitudo.* Iob. 8. *infinita erunt.* Et Ecclesiastes 1. *stultorum infinitus est numerus.* Cons. ex Arist. 6. *Top. cap.* 3. linea infinita nec medium, nec fines habet. 1. *Elench. cap.* 3. Nomina quidem finita sunt, & orationum multitudo, res verò numero infinitæ sunt. Et *ibid. cap.* 4. Melissi oratio, quod vniuersum est infinitum. Et *eodem loco cap.* 8. Infinitæ fortassè sunt scientiæ. Respondeo, ea loca exponenda esse de ingenti multitudine, & de numero valdè excedente numerum aliarum rerum, vt probè aduertit Lyran. in Ecclesiast. præcit. Quo pacto dicitur populus infinitus. & thesaurus infinitus. Ad 1. locum Arist. occurrit Scot. 2. *Metaphys. in com. Titulo* 11. interpretans de linea infinita, potentia, non verò actu. Ad reliqua testimonia vel Philosophus loquitur in aliorum sententia, vt 1. *Elench. cap.* 4. vel exponendus est de numero rerum, quæ ferè à nobis supputari nequeunt, vt arenæ maris, & id genus alia, quæ numerari vix possunt.

7. Opp. 2. ex 1. *Phys. T.* 15. proprium quantitatis est, esse finitum, aut infinitum, ergò si datur finitum, nemine inficiante, vtique concedendum est infinitum quantum. Passio quippè non reperitur absque re, cuius est passio. Satisfacit Scot. 2. *Met. q.* 6. affectionem quantitatis, esse finitum, aut infinitum actu, vel potentia, & conuenire quantitati infinitatem non actu: sed potentia, eo modo, quo diximus suprà de partibus continui.

8. Opp. 3. motus, & tempus sunt infinita, quia æterna, 7. *&* 8. *Phys.* Ergò habetur infinitum actu. Cons. puncta, & partes proportionales in continuo sunt actu infinitæ, & animæ rationales quoque sunt infinitæ actu, cùm mundus secundum Arist. mox cit. sit æternus. Respondeo, loquendo in opinione Arist. quæ falsa est apud Catholicos, vt legitur Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Non habetur infinitum actu, quia cùm infinitum actu sit, cui nihil potest addi: atque cum præexistenti motui, & tempori, partes de nouo adiungantur, necnon animabus rationalibus, aliæ addantur, quia aliæ fiunt, siue creantur de nouo, propterea non rectè infertur esse actu infinitum, vt clarè indicat Scot. 2. *Met. q.* 8. *§. Ad rationes.* Quidquid dicant nonnulli Moderni appingentes contradictionem Philosopho, in suis assertis. Per id quoque patet ad cons.

ARTICVLVS II.

An supernaturaliter poßit esse actu infinitum in multitudine.

9. OCham. 2. q 8. Aliacensis 1. *d.* 42. *q.* 13. *art.* 3. Greg. *ibid. d.* 43. *q.* 4. Mayr. Bass. Ma. Passerus Pinacotheca *q.* 10. Vulpes *Tom.* 2. primæ partis *disp.* 42*a.* 10. & alij non pauci partem affirmatiuam amplexantur. Scot. autem 2. *d.* 2. *q.* 3. *& d.* 3. *q.* 6. *&* 7. *& Quol.* 1. *&* 3. *d.* 13. *q.* 2. *&* 1. *Rep. d.* 36. *q.* 4. S. Bon. 1. *d.* 43. *q.* 3. Rich *ibid. q.* 5. *&* 6 Barg. *d.* 8 *q.* 1. Dur. & alij quamplures partem negatiuam tuentur.

10. Not. 1. ex Scot. 1. *d.* 17. *q* 2. *§. De secundo.* Et *d.* 34. *vn. §. Respondeo A.* Potentiam Dei esse duplicem, ordinatam & absolutã. Ordinata est, qua Deus agit secundum leges, ab Ipso statutas ab æterno, sic Deus sua potentia ordinata præmiat bonos, & castigat malos

malos. Potentia verò ordinata est, quæ nulli adstringitur, sed præcisè respicit omne possibile, quo pacto Deus efficere valet quidquid non implicat contradictionem: ita Deus potest liberare damnatos à pœnis, quas in inferno patiuntur, & alia huiusmodi, quæ sunt præter ordinem præfixum ab ipsomet Deo. Hoc in sensu aiunt Iuristæ, multa fiunt de facto, idest absoluta potentia, quæ non fiunt de iure, hoc est potentia ordinata.

11. Not. secundò, hanc, & subsequentes controuersias ita esse arduas, multisque difficultatibus implicitas, vt quidam Scotis. nominatim Mauritius *in annotat. q. 6. secundi Metaphys.* Cauel. *ibi. schol.* 1. & Poncius *disp.* 43. *quæst.* 5. *concl.* 2. existiment Scot. in hac præsertim esse dubium, & problematicum. At verò ipsum in partem negantem propendere conspicuum est ex 2. *Met. quæst.* 6. §. *Dicendum aliter.* & 3. *dist.* 13. *quæst.* 4. §. *Ad* 1. *q. sub C.* aliisque locis suæ doctrinæ. Hinc subdunt Scotistæ indiuisi *disp.* 10. *q.* 3. contrarij placiti assertores, potiùs ingenia exercere, quam veritatem docere, cùm nostra sententia sit communis veteribus & recentibus, & vera. Et addit Doct. 3. *d.* 14 *q.* 2. §. *potest dici. ante N.* eam opinionem opponi multis authoritatibus Philosophorum, & Sanctorum. Nec iuuat dicere cum Vulpe alleg. Philosophos arbitrari, Deum agere ad extra ex necessitate naturæ. Nam hoc dato adhuc apud ipsos quæritur, nùm sit actu infinitum, maximè admittentes æternitatem mundi: ob id quidam reperi contradictionem in suis scriptis ipsos concessisse palam perhibent, cùm negent infinitum actu, quod coguntur fateri, si mundus est ab æterno, cum præcesserint infinitæ generationes, & potissimùm actu persisterent infinitæ animæ rationales. Eò magis, quia necessitas naturæ non impediret Deum à productione rerum infinitarum, cùm sit infiniti vigoris, & virtutis, 8. *Phys.* 78. & 12. *Met.* 41. Quod autem sancti Patres non loquantur de infinitate rerum specifica, nec de infinitate actuali, patet apud D. Aug. 12. *ciuit. c.* 18. & D. Th. 1. *p q.* 7. *a.* 4. Nec Scot. pro se illos allegaret, cùm ipsi nihil prorsùs facerent.

12. Ass. 1. infinitum syncategorematicum in multitudine concedendum est. Hæc ass. statuitur, contra Hurt. *disp.* 13. *sect.* 1. §. 7. qui oppositam affingit Scot. 3. *d.* 13. *q.* 4. docenti in Christo summam gratiam extitisse: verùm ab hac calumnia facilè, & apertè vindicatur, si legatur Doct *Quol.* 2. & *q.* 6. *secundi Met.* necnon 2. *d.* 3. *q.* 6. & 7. & 1. *d.* 2. *q* 1. § *ostento proposito. sub Z.* Præterea Hurt. allucinatur, quia in passu, in quem citat Scot. loquitur de qualitate intensibili, non verò numerabili: aliud autem est infinitum in intensione, aliud verò in multitudine, de quo nunc fit sermo. Quare licet Scot. tradat gratiam Christi fuisse summam, non tamen negat esse multiplicabilem in multis; potest enim Deus aliam summam causare in Petro, & deinceps aliam in indiuiduis multiplicabilibus in infinitum. Id autem, quod adducit ex Conc. Constantiensi non aduersatur Scot. quandoquidem decretum Concilij est contra Vvicleffum & Ioannem Hus, ponentes limitem diuinæ potentiæ, vtpotè quæ nequeat quidquam annihilare, mundo aliquid addere, aut detrahere, totque animas creare, & non plures. Quantum autem hæc, & consimilia distent à schola Doctoris, patet legenti eius opera, & sectatorum, nominatim Lich. 3. *d.* 13. *q.* 1. Fuent. 3. *Phys. q.* 3. *diff.* 2. *a.* 3 & duorum recentiorum *disp.* 10. *q.* 3. Iam vero probatur nostra præposita ass. 1. ex Arist. 3. *Phys. T.* 68. scribente, numerum posse crescere in infinitum. Et 2. *Met. cap.* 2. dari processum in infinitum in accidentaliter ordinatis, cuiusmodi sunt indiuidua, tàm substantiæ, quàm accidentis. Deinde, quantitas discreta causatur ex continua, ergò sicut hæc est diuisibilis in infinitas partes syncategorematicè; sic illa pariter est syncategorematicè infinita. Secundò, generatio rerum sublunarium est perpetua, veluti causa eius extat perpetua, putà cælum: stante ergò & perdurante causa naturali, cum omnibus eius requisitis, ab ea effectus semper prodeunt finiti in infinitum. Tertiò, intellectus creatus potest successiuè plura, & plura in infinitum intelligere, cùm ab intellectione eorum non defatigetur, sed roboretur, & perficiatur. Atque in præcedente quæstione, articulo secundo sancitum est, naturalia non viuentia haud sortiri terminum suæ magnitudinis, aut paruitatis: si ergò eorum partes sunt infinitæ potentia, procul dubio habetur infinitum syncategorematicum in multitudine.

13. Ass. 2. repugnat fieri infinitum actu in multitudine. Tenet Doct. *vbi suprà.* Probatur primò, infinito in actu nihil potest addi, vel detrahi, vt post Arist. 3. *Phys. T.* 41. tradit Scot. 4. *d.* 49. *q.* 5. §. *Ad* 1. *q. sub Q.* & *Quol.* 5. §. *De primo. infrà A.* Datâ autem quacumque multitudine & numero rerum singularium, aut Deus potest ei aliquid addere, aut non? si primum, ergò non est actu infinita multitudo, quia ei aliquid additur, contra rationem infiniti actualis; si secundum, ergò potentia Dei est exhausta, cùm nihil possit aliud vltrà producere, quod est falsum, cùm potentia Dei sit infinita, & in producendis rebus, nullus sit ei limes statuendus, proindeque actu infinitum penès multitudinem non est possibile. Obuiam fiunt Conimb. 3. *Phys. c.* 8. *q.* 2. *art.* 4. & Poncius *ibid. disp.* 41. *quæst.* 1. *num.* 18. negantes ma. & dicentes, nihil obstare, quin Deus à numero hominum infinito, tollat vnum hominem, & destruat, persistente eodem numero infinito, ac etiam stante eodem infinito numero, alium hominem producat, eique adiungat. Verùm, præterquamquod hæc responsio valet de infinito syncategorematico, à quo si quid dematur, restat aliquid accipiendum, vt constat ex eius definitione adducta, articulo primo huiusce quæstionis, non verò de infinito categorematico, vt patet ibid. alioqui assignanda foret alia definitio, quæ tamen ab aduersariis ei congrua, & idonea adhuc non datur: arguo, vel tota collectio infinita hominum necessariò exigitur, ad esse infiniti actualis, vel non? si primum, ergò dempto vno homine, tollitur ille numerus infinitus: destructa quippè essentia alicuius, destruitur & illud: si secundum, ergò si vnus homo potest tolli ab ea multitudine infinita, quoque alius, & alius: & cùm non extet potior ratio de vno, quàm de alio, auferri singuli quirent, permanente ipso numero infinito, quod est absurdum, & ridiculum.

Secundò, infinitum actu non est pertransibile, vt scribunt Philosophus, eiusque expositores 3. *Phys.* 41. & 1. *post. cap.* 16. *Titulo trigesimoquinto*, & *cap.* 3. *Titulo sexto*, alioqui infinitum haberet limitem, & mensuram: omnis autem numerus est pertransibilis, & numerabilis, vt indicant Arist. cit. & Scot. 2. *Metaphys. quæst.* 6. Respondent nonnulli per negationem maioris, & minoris, & inquiunt, mobile per summum motum percurrere infinitas partes proportionales. Atque in sententia Aristotelis, data æternitate mundi iam pertransiisset infinitum tempus, infinitæ generationes, & numerus animarum infinitus. Contrà, ad motum conficiendum, non est necesse, partes sint finitæ, aut infinitæ, sed spatium à mobili pertranseundum extensum duntaxàt, vt dixi *art.* 4. *q.* 2. *huius lib.* inanis ergò, & futilis est prællata instantia. quod autem subiicitur de placito Arist.

est ad oppositum, quia tunc non extitisset infinitum actu, & categorematicum, sed infinitum potentia & syncategorematicum, scribente Scot. proxime cit. Tertiò, data hypothesi, quod foret numerus actu infinitos, diuidi posset in decem medietates, & decem vnitates, tum sic argueretur, aut illæ partes essent infinitæ, aut finitæ: nequeunt autem esse infinitæ, alioqui pars æquaretur toti, quia esset infinita, sicut totum, cum tamen infinitum sit, quo non est maius, 1. *Cœli Text.* 140. Neque finitæ, quia quod ex finitis conflatur, finitum est, igitur infinitum actu in multitudine est impossibile. Conimb. *vbi suprà* ex Mayr. cit. negant sequelam & aiunt æqualitatem, & inæqualitatem, magis & minus competere quantitati finitæ, non verò infinitæ. Contrà, passio alicui generi conueniens competit omnibus, quæ sub illo genere continentur, vt conuenit qualitati esse simile, aut dissimile, hæc proprietas adaptatur omni qualitati: conuenit autem quantitati esse æquale, vel inæquale, & est eius proprietas quarto modo, ergò omni quantitati competit siue finitæ, siue infinitæ. Deindè propositio per se nota & primum principium semper est verum, vt quodlibet est, aut non est: hæc autem propositio est per se nota, & vnum ex primis principiis disciplinarum Mathematicarum, *totum est maius sua parte*, & ad oculum cernitur, ergo vt paradoxum defendatur, non est ad alienum, & falsum sensum reducendum, vt præstant infiniti Defensores, in quorum numero est Poncius existimans hanc oppositionem esse insolubilem, vt patet loco præcit. num. 17.

24. Oppones 1. in vnica hora sunt infinita instantia, veluti in linea sunt infinita puncta: in quolibet autem instanti Deus potest producere vnum hominem, cum non eluceat potior ratio de vno, quàm de alio, ergò cum potentia Dei sit infinita, iuxtà infinita instantia erunt infiniti homines, atqueadeò infinitum actu in numero contradictionem haud implicat. Respondeo argumentum concludere diuisim, non verò coniunctim, & quia illa instantia sunt in potentia, & syncategorematicè, ideò nequit produci, nisi infinitum potentia, & syncategorematicè. Vel dici potest secundum placitum Antiquorum esse finita momenta in tempore, & finitas partes in continuo, propterea nonnisi finitos, & determinatos homines posse à Deo creari.

25. Oppones secundò, in vno, eodemque loco diuinitùs possunt existere plura corpora, vt ostendetur in subicquenti lib. Sicut autem possunt esse in eodem loco plura corpora, ita & infinita, cum vtrobique æqua sit ratio. Ergò multitudo actu infinita non repugnat. Concedo maiorem, nego minorem, propter repugnantiam, non ex parte Dei, sed ex parte corporum, quæ infinita actu esse nequeunt, sed finita in infinitum, vt benè vidit Canon. 3. *Phys. quæst.* 3. *art.* 3.

26. Oppones tertiò, causa exemplaris reuocatur ad causam efficientem, vt probaui *l.* 4 *quæst.* 4. *art.* 2. itavt hæc illam non excedat: Deus autem est exemplar infinitorum producendorum, quia in eius essentia extant omnes ideæ factibilium; quæ sunt infinita, ergò saltem datur infinitum actu in mente diuina, quæ omnia actu nouit. Concedo maiorem, nego minorem, quia diuina essentia non est exemplar infinitorum, quia hæc non sunt factibilia, nec possibilia, immò nec scibilia, vt notat Doct. Q. 2 *prol.* §. *sed dubium est. AA.* Quare Deus cognoscit res sicuti sunt, & quia sunt finitæ in infinitum, sic eas cognoscit, & pertingit actu sua cognitione infinita ad ipsas terminata.

Dices, per totam æternitatem innumeræ sunt cordium affectiones, infinitæ hominum cogitationes, & illimitatæ Angelorum intellectiones actu à Deo cognitæ, ergò saltem in mente diuina, & in esse cognito habetur infinitum actu in multitudine. Accedit Scot. qui 1. *d.* 2. *quæst.* 1. §. *ostenso proposito Sub Y.* monstrat diuinum intellectum esse actu infinitum, quia cognoscit actu infinita cognoscibilia. Et 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. §. *Tertio ad L.* & §. *potest dici sub M.* innuit, intellectum animæ Christi posse infinita actu attingere, ergò nec rationi, nec scholæ Scot. infinitum actu in multitudine aduersatur.

Dico hæc, & consimilia solum arguere & probare infinitum syncategorematicum. Nam cum Deus ea cognoscat sicuti sunt, & sint finita in infinitum, quod spectat ad infinitum syncategorematicum, consequenter nullum faciunt actu infinitum, veluti partes continui à Deo cognitæ sunt finitæ in infinitum. Ad 1. Scot. testimonium, dico ibi ipsum incedere arguitiuè, non autem assertiuè, cum eo in loco ex instituto non disputaret, num detur actu infinitum, in proprio autem loco, cum id ex professo inuestigat, subscribit parti negatiuæ, vt patet *ex* 2. *not.* vbi satisfeci secundo testimonio ex Scot. præallato.

17. Oppones 4. quæ à Deo producuntur successiuè, possunt simul produci, quandoquidem potentia Dei est actu infinita: Deus autem successiuè producit res numero finitas, ergò eas simul potest producere, quæ tunc erunt actu infinitæ, sicque infinitum actu non est impossibile. Nego ma. propter repugnantiam ortam ex parte rerum successiuarum, quæ suaptè natura simul esse nequeunt, vt partes motus, & temporis. Itemque de partibus continui, quæ omnes simul non possunt actu esse diuisæ, vt præ aliis obseruat Tromb. *quæst. de præscientia Dei art.* 4. Idque Scot. 1. *distinctione* 2. *quæst.* 1. declarat exemplo de pictore, qui quidem pollet potentia pingendi in tabella album, & nigrum, non tamen simul, propter contrarietatem, & incompossibilitatem simultaneam quæ extat inter album, & nigrum. Ob id necesse est, vnum post aliud efformet. Pariter omnes rerum multitudines quidem possunt existere, non tamen simul coëxistere propter incompossibilitatem earum simultaneam.

ARTICVLVS III.

An infinitum actu in magnitudine repugnet.

18. Idem scholastici qui in antecedente art. altercantur, quoque in præsenti discrepant, præter Nolanum *cit. quæst.* 10. & Vulpem *disputatione* 27. *quæst.* 8. *prima sua partis*, qui admittentes infinitum actu in multitudine, negant infinitum actu in magnitudine.

29. Assertio, infinitum actu in magnitudine est impossibile. Tenent Doct. 2. *Metaphysica quæst.* 6. & 2. *distinctione* 2. *quæst.* 9. *Ad tertium*, & alibi. Rich. 1. *distinctione* 43. *quæst.* 5. Et Aur. *ibid. distinctione* 44. *art.* 2. probatur primò ex Arist. 3. *Phys. Text.* 37. 40. *& indè*, qui planè inficiatur huiusmodi infinitum. Cui arbitratur satisfacere Fuentes *eo in loco quæst.* 3. *dif.* 2. *art.* 5. inquiens, Philosophum latere potentiam Dei absolutam; ideò mirum non est, si id existimauerit impossibile. Verùm, licet dictam potentiam non agnouerit, optimè autem nouit repugnantia, absurda, & inconuenientia, quæ ex concessione eius deducuntur, quæue ibi adducit, & explanantur ab eius interpretibus. Deinde si

ex

ex eius ignoratione negaret præfatum infinitum, ergò ex cognitione eiusdem admitti deberet, at ferè omnes eam cognoscentes illud respuunt: pars quippè negans est communis, vt quoque eius fautores palam fatentur, eius ergò authoritas est magni ponderis, & momenti.

Secundò, si foret linea actu infinita, vel esset diuisibilis in partes vel indiuisibilis: nequit autem esse indiuisibilis, quia est quanta, & omne quantum est diuisibile, ex dictis: nec diuisibilis, nam vel esset diuisibilis in partes infinitas, sicque totum non esset maius sua parte, quod sensui pugnat, & August. 1. *de immortalitate animæ capite quarto*: pars quippè foret infinita, sicut totum: nec in partes finitas, quod enim ex finitis coalescit, non est infinitum, vt probè prosequitur Stagirita *vbi suprà*, ergò huiusmodi infinitum non est possibile. Occurrit Pontius *loco nuper alleg.* per distinctionem, si inspectetur pars, vt pars, necessariò est minor toto, cuius est pars: at si in se consideretur, modò sit infinita, potest esse æqualis toti. Contrà, pars quocumque modo inspectata semper minor est toto, cuius est pars, vt sensu, & aperta monstratur experientia; diuidatur totus, & integer panis in duas partes, hæc, & illa pars panis seorsim sumpta minor est toto pane, alioqui si pars æquaretur toti, tantum manducaret, qui manducaret partem panis, quantum qui manducaret totum panem, sicque sufficiebat sancto Paulo Eremitarum patri, & sancto Antonio dimidiata pars panis, quam abhinc sexaginta annis quotidiè accipiebat, cùm tamen in aduentu D. Antonij, integrum panem coruus detulerit. Addo, æqualitatem competere quantitati, penès partes aliquotas, & determinatas, non verò penès partes proportionales, & indeterminatas, secùs magnum spatium æquaretur minori, tantumque locum occuparet digitus hominis, quantum totum eius corpus, quod, & alia consimilia sunt vana, irrita, & impossibilia.

Tertiò, omne continuum est figurabile: figura quippè resultat ex terminatione partium quantitatis continuæ: omne autem figuratum necessariò est finitum, quia est terminatum, ergò infinitum actu, penès magnitudinem haud est possibile. Respondet Fuent. præcit. dupliciter. Primò, negat ma. inquiens figuram esse qualitatem realiter distinctam à quantitate, ideò hæc sine illa esse potest. Secundò, concedit ma. & distinguit min. figuratum est finitum, & terminatum termino spectante ad genus quantitatis, negat, si infinitum extiterit, admittit verò de termino ad aliud prædicamentum pertinente, cuiusmodi est figura, quæ residet in categoria qualitatis. Contra primam responsionem arguo, nullum est quantum continuum interminatum: si enim est linea, terminatur punctis, si superficies finitur lineis, quòd si extiterit corpus superficiebus limitatur: omne autem terminatum, finitum & limitatum, figuratum est, quia figura consurgit ex terminata quantitate, veluti relatio ex positis extremis: ob id Scot. 4. *distinctione duodecima, quæstione quarta*, §. *Ad 4.* figuram non immeritò inter relationes collocat, quæ absque suis extremis existere nequeunt. Non ergò continuum carere potest figura. Contrà 2. responsionem argumentor, figura non est terminus, sed oritur ex termino partium quantitatis, vt patet ex definitione eius, ergò infinitum est interminatum tùm proprio, tùm etiam alieno termino. Deindè, proprium est qualitatis qualificare, non verò terminare, quod spectat ad quantitatem, si ergò infinitum est interminatum proprio termino, vtique & alieno. Insuper, ablata causa figuræ, tollitur figura; causa autem figuræ est quantitas terminata, ergò cùm infinitum sit quantum interminatum, euincitur infinitum, nullam posse participare figuram.

Quartò, corpus naturale est mobile: mobilitas quippe est eius propria passio: at si foret corpus infinitum, esset naturale, & immobile 1. *Cæli cap. 5. & 6.* Ergò &c. occurrit Fuent. *vbi suprà* etiam dupliciter. Primò inquit, data hypothesi, corpus infinitum, fore immobile per accidens, ratione infinitatis, quæ ipsum impediret, ne moueretur. Primò, esset mobile, non quidem per spatium actuale, sed per spatium possibile. Contra priorem responsionem, vbi non est passio, nec essentia, cuius est passio, quia hæc se mutuò inferunt; vbi enim est risibile ibi est homo, ergò si corpus non est mobile, nec est naturale, & si impeditur ne sit in loco mobile, vtique impeditur ne sit. Rursùs, infinitas cùm sit modus secundum Scot. posterior corpore, non impedit vires, & functiones corporis naturalis, immò cùm corpus infinitum sit præstantius, nobiliori modo deberet exercere suas facultates, & operationes, non verò obicem eis apponere. Potiùs videtur non dari corpus infinitum, quàm si esset, fore impedimentum, ne moueretur, & operaretur. Contra posteriorem responsionem, dato alio spatio, à corpore infinito non contento, non esset locus actu infinitus, in quo extat tale corpus, ipsumque corpus non repleret omnem locum, sicque nec corpus, nec locus actu forent infinita, quia eis posset fieri additio, quæ pugnat infinito actu. Præterea, quidpiam non denominatur tale, per id, quod est possibile, alioqui homo diceretur diues, per diuitias ei possibiles, essetque beatus, quia beatitudo ei non repugnat. Quod tenera non intendit Arist. tum quia censuit Deum necessariò agere ad extrà, tùm etiam quia putauit totam materiam prorsùs fuisse productam in molitione mundi: non ergò vnquam somniauit Philosophus corpus infinitum esse mobile per spatium possibile.

10. Opp. 1. Si Deus ageret ad extrà necessariò, vt suspicatur Arist. produceret actu infinitum, cùm eius potentia sit infinita, ergò cum agat liberè, si vult, actu infinitum valet producere. Neganda est sequela ant. propter repugnantiam ex parte creaturæ, quæ infinita actu esse nequit. Idque benè vidit Arist. qui etiamsi censuerit ipsum Deum operari necessariò, attamen nullum actu infinitum admisit, vt patet 3. *Phys. T. 40. & indè.*

11. Oppones secundò, principium productiuum potest habere productum sibi adæquatum, vt in diuinis Pater generat Filium sibi æqualem, & vterque spirat Spiritum sanctum, qui est terminus potentiæ spiratiuæ adæquatus, & in creatis, potentia intellectiua fertur ad ens, tanquam terminum, & obiectum illi adæquatum, visus respicit calorem, & auditus sonum, vt terminum adæquatum, & totalem: ergò cum potentia Dei creatiua sit infinita, potest producere effectum sibi adæquatum, cuiusmodi est infinitum actu, secundum magnitudinem concedo ant. nego consequentiam, ob contradictionem petitam penès effectum, qui repugnat, vt sit infinitus actu, non verò penès potentiam Dei, quæ ex se produceret infinitum, si foret producibile. Itaque, cùm potentia respiciat tantum possibile, & infinitum actu sit impossibile, ad quod nulla est potentia, 1. *d. 2. q. 7. sub H.* concluditur, nullum esse admittendum infinitum actu, nec de facto, nec de possibili.

Articvlvs IV.

An infinitum in intensione sit possibile.

22. Bifariàm hæc dubitatio agitari potest, vno modo, vtrum infinitum syncategorematicū in intensione fieri possit? Altero modo, nùm dictum infinitum categorematicum repugnet? De priori affirmant duo nostri Iuniores *disp.* 10. *q.* 5. *a.* 1. & Poncius *disp.* 45. *q.* 1. *concl.* 5. reclamantibus Scot. *in vtroque opere* 3. *d.* 13. *q.* 1. Quarrd. *ibid.* Lycb. Fabr. & vulgò Scotist. De posteriori verò pars affirmans placet Nominalibus in superioribus præcit. Displicet verò Scot. cit. S. Thom. 22. *quæst.* 14. *art.* 7. & vtriusque asseclis. Quibus suffragantur Aut. 1. *distinct.* 44. *art.* 5 *propositione* 2. & Dur. 3. *d.* 13. *q.* 1.

23. Not. 1. ex Doct. mox cit. dupliciter aliquid posse esse summum positiuè, & negatiuè. Positiuè summum perhibetur, quod omnia superat, vt esse nequeat aliud ipsi æquale, quo pacto Deus est summum ens, quod cuncta excedit in entitate, perfectione, & virtute. Negatiuè summum extat illud, quod quidem ab alio non superatur, tametsi habeat, aut possit habere æquale, sic decem prædicamenta sunt summa genera, quia nullum genus ea superat. & gratia Christi Domini à Scot. vbi suprà vocatur summa negatiuè, quia omnem aliam excedit, quamvis Deus aliam æqualem creare valeat. Inter autem summum, & infinitum adest discrimen: summum quippè nihil aliud sibi vult, quàm id, quod à nullo exceditur; infinitum verò quippiam interminatum præsefert, siue in magnitudine, siue in intensione.

24. Not. 2. ex Doct. *vbi suprà*, & 2. *distinctione prima, quæstione nona, ad* 1. duplicem esse processum, vnum ad materiam, alterum verò ad formam. Prior dicitur in fieri, & in partes materiales, quia sicut materia est interminata, & illimitata; terminatur verò, & limitatur per formam, ità per huiusmodi processum itur in infinitum, quo pacto proceditur in diuisione continui, quod diuiditur in semper diuisibilia, nec vnquàm ad vltimam partem deuenitur. Posterior autem dicitur in facto esse, quò itur ad perfectionem, quæ (diuina excepta) est finita, & limitata. Vndè Scot. 4. *distinctione quadragesima-quarta, quæstione prima, articulo primo*, subiungit, pars secundum formam est pars secundum speciem, & pars secundum materiam, est secundum quantitatem, quatenus quantitate prædita est.

25. Ass. secundum intensionem infinitum tàm syncategorematicum, quàm categorematicum est impossibile. Assertio est bipartita, quam tuetur Doct. 3. *præallegat.* & 2. *Metaphys. quæstione sexta.* Prima pars, quæ militat aduersus Mastrium ostenditur apertè in Scot. cit. ex professo probante gratiam Christi Domini esse summam negatiuè, proindéque finitam, quod autem ait de gratia Saluatoris, idem astruendum esse de qualibet alia qualitate vno ore fatentur scholastici omnes. Inquit autem Doct. gratiam Christi esse inintensibilem, & inaugmentabilem, cùm sit maxima, sicut & eius vnio hypostatica, ob id subiicit. §. *Ad secundam quæstionem H.* In commendando Christum, malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere: Quod confirmat ex August. 3. *de libero arbitrio, capite quinto*: *Quidquid enim tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.* Eò magis, *Christus est Dei Patris vnigenitus filius naturalis*, Ioan. 1. & eiusdem Ioan. 3. *Non enim dat Deus Spiritum ad mensuram.* Et *ibid.* *De cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Hæc autem testimonia exponuntur à Scot. & Lyran. de gratia Christi summa à Deo creabili. Et ratio est, quia si pater Filio omnia summa donauit ad intrà, eidem vtique ad extrà omnia summa possibilia, potissimùm summam gratiam largitus est, vt præ aliis tradit Magist. *distinctione memorata.* Accedit Augustinus *in Enchirid. cap.* 121. vbi charitatem, quæ secundum Scot. coincidit cum gratia, scribit quandoque attingere terminum maximum, quem ampliùs excedere nequit. Et vt præcludatur via responsionis Mastrij cit. August. loqui de charitate, qua quis ita diligit Deum, vt paratus sit pro ipso Martyrium subire. Idem sanctus Doctor citatus à Glossa *de pœnitentia parte prima*, respondens obiectis Pelagianorum, probabile censet quosdam peruenisse ad summum gradum charitatis & gratiæ, vltrà quam scandere non potuerint. Igitur opinio Scot. nedum pia, & deuota, verum etiam probabilis, & rationabilis censenda est. Nam summo esse, summus habitus, & operatio debetur: Saluator autem habuit summum esse, putà vnionem hypostaticam diuini Verbi, ergò ei correspondet summa gratia, quæ vnà cum eius voluntate potest elicere summam operationem meritoriam, qua major esse nequit. Fauet Aristoteles 3. *Phys.* 68. & 69. inquiens, processum secundum materiam fieri posse in infinitum: at verò processum secundum formam habere statum & terminum. Nec præstat dicere cum Mast. id Arist. latuisse pertinens ad potentiam absolutam Dei, quam ille non agnouit. Nam mirum est Philosophum ingenio magnum nouisse illum progressum quoad materiam, istum verò quoad formam ignorasse, cum tamen hic, eo sit facilior; nouimus quippè materiam, per formam, quia hæc operatiua, illa verò passiua. Atque idem Aristoteles, vt suo loco patebit, arbitratur totam materiam esse exhaustam in fabricatione mundi, Deumque ad extrà necessariò, & naturaliter agere: igitur optimè quidem nouit vtrumque præfatum processum, vnumque, qui est secundum materiam nullum sortiri terminum, alterum verò, qui est penès formam, & perfectionem habere statum, & limitem, qui excedi non potest, vt ipsemet Aristoteles perspicuè asserit. Rursùs, ens permanens est totum factibile vnica factione, ens verò successiuum pluribus factionibus est factibile, ratio est, quia illud potest habere totum suum esse simul, nisi obex adsit, & agentis infirmitas non valentis illud totum simul, & perfectum statim causare, vt euenit in naturalibus, quæ progrediuntur ab imperfecto, ad perfectum, ob imbecillitatem, finitatem virtutis & ipsorum: istud autem habet vnam partem, post aliam & quæ perenniter labuntur, quævè nunquam simul coëxistere queunt, vt constat de partibus motus, & temporis: Qualitas autem est ens permanens vnica factione factibilis, cuius gradus omnes simul vniri & coëxistere non repugnat, nec ex parte subiecti, quorum est capax, cum ipsum perficiunt, nec ex parte Dei, qui potentia pollet infinita, nec ex parte ipsius qualitatis, quæ est potentiæ demonstratæ, simulque producibilis. Deinceps, ens participatum est terminatum & limitatum, imitans gradum certum, & determinatum perfectionis diuinæ: qualitas au-

tem, siue materialis, siue spiritualis est ens participatum, limitatum, & finitum, certum, & determinatum gradum diuinæ perfectionis participans: non enim potest potiri infinita perfectione, sicut Deus, igitur potest crescere ad certum gradum, quo maiorem adipisci non valet; atque adeò nequit esse infinita syncategorematicè.

26. Dices, quantitas extendi potest in infinitum, ergò pariter qualitas intendi potest in infinitũ. Consequentia tenet, quia sicut illa est extensibilis, & diuisibilis in partes semper diuisibiles: sic ista est intensibilis, & augmentabilis in gradus in infinitum producibiles. Dico esse disparitatem, quia progressus illius est penès materiã: at verò progressus istius est penès formam, & perfectionem. Ideò in hac est status, non verò in illa, vt obseruaui *in 2. not.* Prætereà, perfectio est intrinseca, & naturalis qualitati, estque de genere actiuorum: quantitas verò cum sequatur materiam est de genere passiuorum, & sterilium. Ob id hæc est interminata illa verò certo limite cohibetur, ex quo egredi nequit.

27. Secunda pars sequitur ex prima; si enim non datur minus nec maius: non admittitur autem infinitum syncategorematicum in intensione, ergò nec infinitum categorematicum, quod eo est maius. Deindè, non conceduntur alia infinita actu, putà in multitudine, & in magnitudine, ergò nec concedendum est infinitum actu in intensione. Atque rationes, quæ valent ad illa improbanda, solo nomine mutato, conferunt ad istud refellendum. Idque apertius, & euidentius fiet ex dicendis in proximo art.

28. Opp. 1. proprium qualitatis est suscipere magis, & minus, esseque intensibilem, & remissibilem, vt litteris consignat Arist. *c. de qualitate.* Crescit autem secundum Scot. 1. *d.* 17. *q.* 5 per additionem gradus ad gradum, qui sunt simul vnibiles, & compossibiles, cum sint homogenei, & æqualis virtutis, & perfectionis, ergò per eorum additionem perennem qualitas potest augeri in infinitum; atque adeò nullum prorsus habet limitem sui augmenti, aut decrementi. Conf. detur summa qualitas, putà gratia, aut Deus ei potest addere nouum gradum, aut non: si non, ergò potentia Dei est exhausta; si sic, ergò adhuc est intensibilis, & cum non sit potior ratio de vno, quàm de alio, poterit crescere in infinitum. Respondeo ex sua limitata perfectione, suaque intrinseca ratione habere certum, & determinatum numerum graduum, quem præterire non potest, veluti vnaquæque species rerum sortitur propriam differentiam, & perfectionem specificam vltrà quam exire nequit, alioqui bruta possent sortiri perfectionem hominum, & homines perfectionem Angelorum, necnon Angeli ad diuinam ascendere, quod est impossibile. Ad conf. dico, data hypothesi, qualitas summa, nullum amplius gradum valet suscipere, veluti vas vndique plenum aqua, nequit aliam aquam recipere, vt notat Lyran. in expositione Ioan. 1. sic etiam causa producens effectum sibi adæquatum, alium non potest causare, & scientia, præter suum subiectum adæquatum, aliud subiectum nequit respicere, & summa genera, aliud genus suprà se non habent, quo etiam pacto Beati dicuntur esse in termino.

29. Opp. secundò. Nulla extat repugnantia, quin qualitas in infinitum augeri queat, ergò infinitum syncategorematicum in intensione est possibile. Ant. ostenditur, ex triplici capite vestigari potest repugnantia, putà ex parte agentis, qualitatis, eiusque subiecti: non repugnat autem ex parte agentis, nempè Dei, qui est virtutis infinitæ, & illimitatæ: nec ex parte qualitatis, quæ est intensibilis: nec ex parte subiecti, quod habet capacitatem infinitam, & potentiam obedientialem ad omnia, quæ Deus voluerit. Respondeo implicantiam peti penes ipsam qualitatem, quæ cum locetur in prædicamento, & constet ex genere, & differentia, possidet certam, & limitatam perfectionem, quam transgredi non potest: ideò ad summum gradum perueniens, vlteriùs augeri nequit.

30. Opp. 3. in non viuentibus non statuitur certus terminus, magnitudinem, aut paruitatem versus. Ob id Arist. 2. *animæ T.* 41. scribit ignem posse crescere in infinitum per appositionem combustibilium: si autem ità crescit ignis; vtique eius calor, qui est qualitas, non ergò ei præfigendus est terminus. Respondet Aur. passu alleg. ignem absolutè non esse interminatum, sed respectiue, id est, vltra omnem quantitatem determinatam, quæ in plantis, & animalibus reperitur, vt interpretatur ibi Auer. Causa esse potest, quia virtus ignis est finita, & limitata, sicut aliorum naturalium. Et ad hunc sensum fortasse trahi potest Scot. 2. *d* 2. *q.* 9. *ad* 2. citans & approbans illum tex. Philosophi.

Instabis Scot. ibi probat partes materiæ, & formæ esse diuisibiles in infinitum, & indiuidua posse multiplicari in infinitum, ergò prædicta responsio haud ei congruere potest, cum ipse Doctor apertè admittat infinitum syncategorematicum in magnitudine, & in multitudine. Dici potest in quantitate, & eis, quæ exigua potiuntur perfectione, vt relationes, & differentiæ indiuiduales, quæ dicuntur materiales, & indiuidua per eas constituta perhibentur partes subiectiuæ habere locum: in reliquis verò, vt qualitatibus, quæ præstantem perfectionem præseferunt, non valere.

31. Opp. 4. in Concilio Viennensi sub Clem. V. inter errores damnatus Begardorum, & Beguinarum refertur iste, homo potest peruenire ad statum, in quo amplius non potest proficere, neç vlla bona opera edere: ergò sententia admittens summam qualitatem, putà summam gratiam videtur accedere ad errorem & hæresim præfatorum sectariorum. Respondet Alphonsus *l.* 11. *aduersus hæreses ver. Opera. Heresi Tertia* damnari illos, asserentes opera esse necessaria imperfectis, non verò perfectis, cum scriptum sit Apoc. 22. *qui iustus est, iustificetur adhuc.* Atque Christus, & alij viri perfecti in operibus virtutis in toto suæ vitæ curriculo se exercuerint. Quarè nihil determinatur in dicto. Conc. quod Scotico placito aduersetur.

ARTICVLVS V.

An Deus possit producere speciem perfectiorem in infinitum.

32. DOctor irrefragabilis 2 *Met. in com. T.* 12. *q.* 1. Seraphicus 1. *d* 44. *quæst.* 1. Illuminatus *ibid. q.* 9. *art.* 2. Angelicus 1. *p. q.* 25. *art.* 6. Ric. *quol.* 2. *q.* 5. Conimb. 3. *Phys. quæst.* 5. *art.* 2. Fons. 2. *Met. c.* 5. *sect.* 4. *q.* 5. & nostri duo nuperi *disp.* 10. *Phys. q.* 2. *a.* 2. parti affirmanti adhærent; parti verò neganti fauent Scot. 2. *Met. q.* 6. & 3. *d.* 13. *q.* 4. & *in Rep. eadem dist.* Aur. 1. *d.* 44. *art.* 4. *propositione prima.* Dur. *ibid. q.* 2. & ex parte Rich. *passu mox alleg.* Quam esse communiorem Scotist. refert, & tenet Poncius *disp.* 45. *q.* 2. *concl. secunda.*

33. Ass. data quacumque specie perfecta, repugnare fieri aliam, & aliam perfectiorem in infinitum. Defenditur à Doct. cit. tametsi Mauritius *in annot.* 2. *Met. q.* 6. velit Scot. firmiter ei non adhærere. Suadetur primò ex Arist. 1. *post.* 16. *T.* 14. & Scot. 2. *d.* 3. *q.* 4. §. *contra istam concl. D.* quidquid creatum, aut creabile residet in prædicamento, quod est series generum, specierum, & indiuiduorum,

in cuius ascensu, & in supremo loco extat summum genus, in intermedio species, & infimo indiuiduum Genus autem diuiditur in suas differentias, & per eas determinatur: & species per eas constituuntur: atque indiuidua per differentias indiuiduales contrahuntur, & indiuiduantur, proindéque hæc omnia sunt finita, & limitata nedum penès entitatem, verùm etiam penès perfectionem. Itaque si extrema sunt finita, vtique media finita sunt in perfectione.

34. Dices, cum Mastrio cit. posse reperiri extrema finita in serie categorica, & interiecta infinita, vt species Bruti esse queunt infinitæ, licet substantia quæ est supremum genus sit finitum: atque possunt esse infinita indiuidua, quamuis eorum species sit finita, sitque in eis non per inexistentiam, sed per indifferentiam. Contrà, differentiæ siue superiores, siue inferiores sunt finitæ, & vtplurimum duæ sunt tantum diuidentes genus, vt corporea & incorporea diuidunt substantiam, & constituunt corpus, & spiritum, & vtraque finita, & limitata sunt, vt quoque sunt intermedia, subalterna, & postrema, vt intueri licet in arbore Porphyrij. Imaginari autem alias differentias diuisiuas, & constitutiuas vanum est, & absque fundamento; negaret enim eas Philosophus, vt tangit Doct. 1. d. 2. q. 2. *ad X.* Nec vlla ratione firma statuerentur. Quod verò adiicitur de differentiis singularium non concludit, quia illæ sunt materiales perfectionem essentialem non præferentes, propterea hæ possunt multiplicari in infinitum, non autem illæ, quæ sunt essentiales, & perfectionem designantes

Secundò habentur infima & suprema creatura, vt non obscurè tradit Aug. 12. *conf. cap. 7. alloquens Deum. Duo fecisti Domine, vnum propè te, idest Angelum, & aliud prope nihil, idest materiam primam*, vt omnes scholastici interpretantur. Idque significat Arist. 2. *Met. cap.* 2. in essentialiter ordinatis non abitur in infinitum. Igitur in naturis specificis stabilitur limes & terminus. Respondet Mastrius vbi suprà Aug. loqui de facto, non autem de possibili, de quo extat controuersia. Arist. autem disserit de causis essentialiter subordinatis, non verò de speciebus earumque processu. Contrà, Idem Aug. *in Ench. c.* 10. quærens, vtrùm Mundus condi possit melior, & pulchrior, respondet negatiuè, cuius responsio non intelligitur, secundum esse accidentale, & singulare; hoc enim non negaret sanctus Pater, sed secundum esse essentiale, quod innenitur inter species; ergò non solum de actu, sed etiam de potentia verba facit Aug. Arist. verò etsi expressè ratiocinetur de causis subordinatis, quoque loquitur de essentialiter ordinaris, cuiusmodi sunt species, quæ ita incedunt, vt parem perfectionem non sortiantur.

Tertiò, quædam sunt, quæ adulteriorem gradum, & terminum gradi nequeunt, vt vnio hypostatica Diuini Verbi cum humanitate Christi, visio beatifica, maternitas Dei & secundum aliquos Eucharistia: ergò in naturis specificis non potest procedi in infinitum. Obuiam fit Mastr. *ibid.* in quibusdam id esse verum, sed non in cæteris. Contrà, eadem currit ratio de omnibus, cum enim omnia sint creata, vel creabilia, consequenter habent suum terminum quem transilire nequeunt; cur enim potius hæc, quam illa in entitate & perfectione terminantur nulla ab eo redditur ratio: ideò sine vrgenti causa recedit à Doct. eiusque schola, vt partes alienas, præsertim Recentiorum tueatur, eisque non raro obsequatur.

35. Opp. 1. infinitum syncategorematicum non repugnat, nec ex parte Dei, qui est omnipotens, nec ex parte rei, quæ est creabilis, ergò in speciebus est quoque possibile. Distinguo ant. de infinito in magnitudine & in multitudine concedo: in intensione & in speciebus, nego. Repugnat quippè ex parte specierum, quæ fieri nequeunt perfectiores in infinitum.

36. Opp. secundò, ex S. Aug. 12. *Ciuit. cap.* 18. in numeris potest esse processus in infinitum, ergò & in speciebus. Consequentia tenet, quia ex 8. *Met.* 10. species se habent sicut numeri. Concedo ant. nego conseq. ratio est, quia additio, quæ fit in numeris non est formalis, & per accessum maioris perfectionis; sed materialis, seu per multiplicationem vnitatum, quæ sunt materiales. Hinc species numerorum non esse de perfectione vniuersi perhibentur: Essentiæ autem rerum comparantur numeris, penès variationem duntaxat, non autem penès multiplicationem specierum. Si enim quidpiam addatur, vel detrahatur à numero ternario, tollitur ipse numerus ternarius, fitque quaternarius, aut binarius: sic, si à specie aliquid essentiale adiungatur, aut aufeatur, aufertur ipsa species, vt bene, & fusè explicat Scot. *in expositione illius textus.*

37. Opp. 3. data quacumque specie perfecta, vel Deus potest perfectiorem producere in infinitum, vel non: si primum, habetur intentum; si secundum, ergò potentia Dei foret exhausta, quam cum sit infinita exhauriri non posse, suprà inculcaui. Conf. diuina essentia est infinitis modis imitabilis, cùm sit infinitè bona: ergò non repugnat pluralitas specierum perfectiorum in infinitum. Resp. non posse produci speciem perfectiorem in infinitum, impossibilitate & repugnantia petita non ex parte Dei, sed ex parte speciei, quæ est impossibilis, vt perfectior & perfectior syncategorematicè condatur: ad impossibile autem nulla est potentia notante Scot. 1. *d.* 2. q. 7. *ante* §. *Tenendo igitur, sub. H.* Ad conf. negari potest antecedens, vt enim in essentia diuina non sunt ideæ infinitæ rerum factibilium, ita nec infinitæ species producibiles, vt suprà ostensum est. Vel si detur ant. neganda est conseq. siquidem Deus est infinitis modis intelligibilia, & visibilis, quos nulla creatura potest attingere, cum Deum comprehendere nequeat, nec ei adæquari.

38. Opp. 4. in Concilio Constantiensi sess. 15. anathemate feriuntur, & damnantur Ioannes Hus, eiusque alumni, existimantes Deum non posse mundum meliorem vel peiorem moliri, nec alia creare vel annihilare, præter ea quæ fecit. Ergò asserentes Deum non posse alias, & alias species perfectiores condere prolabuntur in errorem & hæresim præsatorum Hussitarum. Resp. latum discrimen adesse inter nos, & illos sectarios prærecensitos, vt aduertunt Rm. *Tract.* 2. *de infinito q.* 5. & Arr. *disp.* 13. *sect.* 2. siquidem dicti Hæretici cum Abailardo, Vuicleff. & Luthero, teste Alphon. 7. *Aduersus hær. ver. Futurum contingens.* putant Deum creasse ea, quæ creata sunt, alia verò non posse creare, præter ea quæ condidit, cum necessariò in eorum molitione se habuerit. Nos autem arbitramur Deum liberè cuncta produxisse, posseque alia moliri, quæ sunt apud ipsum possibilia, iuxtà beneplacitum voluntatis suæ. Quare Deum sua voluntate, quæ est omnipotentia potest alia indiuidua, cuiuscumque generis, & speciei efficere, tametsi species perfectiores in infinitum propter repugnantiam ex parte earum vi sua attingere non valeat, cum eius potentia, factibilia & possibilia cuncta tantum respiciat, vt cum Scot. proximè cit. monebam.

LIBER

LIBER SEXTVS.

De Loco.

ARISTOTELES 4. *Phys. cap. primo & indè*, differit de Loco, eiusque attributis, & affectionibus, cuius vestigia imitantes, nos quoque de Loco, Vacuo, eiusque proprietatibus hoc in libro disceptabimus.

QVÆSTIO I.

De natura Loci.

ARTICVLVS I.

An sit Locus.

1. CONSTANS est doctrina cunctorum Philosophorum dari locum, vt infrà apertè monstrabitur; pro eius autem faciliori, & commodiori captu & explicatu.

2. Not. locum trifariam accipi. Primò impropriè pro eo, ex quo eruitur argumentum, quo in sensu Boetius cum describit his verbis, locus est sedes argumenti, & sic de loco loquuntur Rhetores, & Dialectici, & vocantur loci topici. Ad hanc acceptionem fortassis reduci potest acceptio loci pro receptaculo alicuius, quo pacto 3. *anima T.* 6. anima vocatur locus specierum intelligibilium, materia locus formæ, & amphora locus vini.

Secundò pro cõtentiuo rei locatæ, vnà cum influxu naturali proficuo, aut noxio, ita vocatur locus bonus, & salubris, aut malus, & insalubris. Vndè celebratur illud, locus est conseruatiuus rei locatæ. Quò fortè respiciens Virg. 1. *Georg.* canit.

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ.
Arbores fætus alibi, atque iniussa virescunt,
Gramina.

Tertiò pro eo, quod circũscribit, & continet rem locatam, & de loco sic sumpto in præsentia sermo est.

3. Ass. datur locus. Ita præsupponit Scot. *Quol.* 11. *&* 2. *d.* 2. *q.* 6. Suadetur 1. datur locatum, putà corpus quod est in loco, ergò datur locus. Ant. est manifestum: conseq. tenet ferè à concreto, ad abstractum, valet enim, est album, ergò est albedo, est vestitum, ergò est vestis. Secundò, grauia descendunt deorsum, leuia sursum, tanquam ad propria loca, in quibus quiescunt. Deindè, ex transmutatione substantiali venimus in notitiam materiæ, quæ successiuè recipit formas: ergò ex mutatione locali corporum nouimus esse locum: patet enim experientia, cum vnum corpus deserit locum, aliud in eius locum subintrare & cum aliud aduenit, alterum ab eo loco recedere: cum simul in eodem loco esse non valeant: indubitatum igitur & euidens est, dari locum.

4. Opp. primò, omne quod est, vel est corpus, vel spiritus: locus autem non est corpus, quia corpus est in loco, & contentum non est continens: nec spiritus, quia spiritus loco non commensuratur, ergò reiiciendus est locus. Resp. maiorem esse insufficientem, addendum enim ei est, aut aliquid corporis, aut spiritus, & ità concessa ma. ad min. dico, etsi locus non sit corpus, aut spiritus, est tamen terminus corporis circumscriptiuus, aut definitiuus, si fuerit spiritus creatus.

5. Opp. 2. si locus est aliquid, sequitur ipsum esse in loco, quia quod est, alicubi est: locus autem non est in loco, alioqui locus locaretur, daretutque locus loci, quod est falsum: ergò &c. Resp. distinguendo ma. si fuerit corpus, aut spiritus creatus, concedo: si verò fuerit ratio existendi in loco, nego. Locus autem non est id, quod est in loco, sed id, quo aliquid extat in loco, veluti actio non agitur, sed est, qua res agitur: sic locus non locatur, sed est, quo res est in loco.

ARTICVLVS II.

An Locus sit spatium inter latera corporis continentis interceptum.

6. INter varias priscorum Philosohorum de essentia, & quidditate loci opiniones, celebratur illa, quæ recitatur, & refutatur, 4. *Phys. T.* 36. *& indè* affirmans locum esse interualllum, seu spatium inclusum, quod intercedit inter latera corporis ambientis, vt si à vase aqua pleno amoueatur omne aliud, quod in eo reperitur, spatium, quod relinquitur, secundum præfatos Authores nuncupatur locus. Huiusmodi autem spatium bifariàm accipitur, vno modo pro trina dimensione, longitudine scilicet, latitudine, & profunditate: sic nonnulli eorum asserunt locum esse præfatam trinam dimensionem, quæ dicitur corpus mathematicum de genere quantitatis: altero modo, pro illo vacuo, in quo corpora recipiuntur, & ingressa postmodum per motum ab eo recedunt, in quorum loco alia corpora succedunt, quo pacto, recedente aqua à vase, aduenit aër: & huiusmodi spatium alij non pauci, tam veteres, quàm recentes arbitrantur esse locum. Oppositum autem tradunt Arist. cit. Scot. *Quol* 11. & reliqui posteriores Philosophi negantes spatium illud quouis modo captum esse locum.

7. Ass. locus non est spatium, siue sumatur pro trina dimensione, siue pro vacuo, in quo corpora recipiuntur. Tenet Scot. *vbi suprà §. De secundo. F.* & præsupponit 2. *d.* 2. *q* 6. *& in Rep. ibid. q.* 2. Prima pars probatur primò, penetratio dimensionum ab omnibus Philosophis censetur impossibilis: at, si locus foret spatium captum pro trina dimensione corporis continentis, daretur penetratio dimensionum: Siquidem dimensiones corporis locati penetrarent dimensiones loci, in quo locaretur; cum tamen locus non sortiatur dimensiones distinctas à locato, vt bene prosequitur Arist. cit. & aduertit Scot. 4 *d.* 49. *q.* 16. *§. Ad argumenta. N.* Secundò, illa quantitas præcedit locatum, præexigitur namque subiectum alicuius susceptiuum, vt liquet de materia, quæ præcedit formam in ipsa receptam: cum autem sit accidens, nequit existere absque subiecto, quod esse debet substantia corporea, cui assignandus est locus, & pero, nùm eius locus sit illa quantitas dimensionalis, aut non; si non ergò locus non est trina dimensio; si sic, ergò illa præcedit subiectum in quo inhæret, estque prior, & posterior illo quod implicat. Deindè, dicta quantitas est separata à locato, vel non? si primum, ergò accidens existit naturaliter absque subiecto: si secundũ, ergò locatum semper est in eodem loco, quia secum habet illam quantitatem coniunctam, & annexam. Denuò, in omnium sententia, locus est immobilis: trina autem dimensio mouetur ad motum corporis locati: motis enim, nobis mouentur omnia

nia, quæ sunt in nobis: illa autem quantitas est accidens, ergò cum existat in corporibus mobilibus, ipsis motis vtique illa moueretur, proindeque locus moueretur, quod est falsum. Secunda pars quæ a Tol. 4. *Phys. q.* 3. & ab aliis non paucis, teste Artet. *ibid. q.* 2. probabilis æstimatur, quæve quidem impugnatur, sed non expugnatur, refelliturque, sed non conuincitur. Probatur 1. locus est aliquid reale positiuum, cuius proprietates sunt reales, vt continere locatum, eique æquari, & huiusmodi: spatium autem est inane, & vacuum, imaginarium, & confictum, ad nullum pertinens prædicamentum, ergò locus non est præfatum spatium.

8. Dices, esse quamdam capacitatem recipiendi corpora, si in ea ponantur, veluti extrà cælum admittuntur à plerisque spatia imaginaria, in quibus Deus si velit, potest creare alium Mundum, & transferre quædam corpora creati mundi, ad dicta spatia, in quibus posse existere, inficiatur nemo. Contrà, illa capacitas aut est aliquid, aut nihil: si est aliquid, aut est substantia aut accidens, neutrum verò esse potest, vt patet: si nihil, ergò non est locus, qui in prædicamento collocatur vt quid reale. Secundò vnumquodque corpus fertur suapte natura ad proprium locum, vt grauia deorsum, & leuia sursum: corpus autem non fertur ad vacuum, & inane, cū locus proprius ipsum alliciat, foueat, atque conseruet. 4. *Phys. T.* 40. *& inde*, igitur locus nequaquam est prænarratum spatium.

9 Opp. primò, corpus est in loco per trinam dimensionem, ratione cuius circumscribitur, & commensuratur loco: ergò locus est spatium sumptum pro trina dimensione corporis continentis. Conf. Porr. *l. sex principiorum c.* 1. scribit locum esse corpus, quod planè non potest intelligi, nisi de corpore mathematico, quod est trina dimensio. Distinguo ant. fundamentaliter, concedo, quia ratio fundamentalis per quam corpus est in loco est quantitas, siue trina dimensio: formaliter, nego: quia locus formaliter ex infrà dicendis est actiua circumscriptio corporis locantis. Ad conf. exponitur per allatam distinctionem, nimirum corpus mathematicum esse locum fundamentaliter, non verò formaliter. Vel dicito illum authorem loqui in aliena & non in propria sententia. cum *c.* 5. præfati operis subiiciat, locum esse circumscriptionem corporis continentis.

10. Opp. secundò, si locus non foret prænominatum interuallum, Mundus non esset in loco, quia extrà Mundum nihil est, quam vacuum siue inane, in quo ipse mundus locari videtur: Mundum autem existere in loco, apparet inconueniens, quia omne creatum alicubi est, quod autem est alicubi, est in loco. Conf. proprietates, quæ loco tribui solent, congruunt dicto spatio: Continet namque, & recipit in se locatum, ac etiam realiter dissidet à locato: remanet enim, abeunte locato, æquatur illi, estque prorsus immobile: ergò locus est spatium præexplicatum. Respondeo per distinctionē maioris: si Mundus inspectetur secundū se totum, siue vt alij inquiunt, categorematicè captus, concedo maiorem: puta Mundum non esse in loco, quia non habet aliquid, quod ipsum contineat, & circumscribat: Quod si consideretur secundum suas partes, nego maiorem: quia præter vltimum cælum, partes Mundi loco clauduntur. Idque fit non ratione spatij prærecensiti, sed ratione corporis continentis, & circumscribentis. Ad conf. nego ant. Siquidem tales proprietates sunt reales positiuæ: spatium verò negatiuum, & imaginarium, atque accedente corpore tollitur, locus autem persistit locato permanente.

11. Opp tertiò, locus est, in quo diuersa corpora recipiuntur, vnumque corpus succedit in loco alterius recedentis, vt aër succedit in loco aquæ, & in loco petri Ioannes: huiusmodi autem corporum sibi inuicem succedentium receptaculum est illud interuallum, & spatium: ergò locus nihil aliud sibi vult, quam dictum spatium. Distinguo maiorem, præcisè, negò; sic enim nihil est reale positiuum, primdéque illud munus obire nequit: præsertim quia adueniente corpore, tollitur spatium, locus verò manet, manente corpore locato: si verò sumatur pro concauo corporis ambientis, concedo. Hoc enim pacto, cum corpus circumscriptum recedit à corpore circumscribente, relinqui dicitur spatium, in quo locatur, & chymericum est excogitare aliquod spatium, & interuallum interiectum inter corpora locantia, & locata, præter eorum circumscriptiones actiuas, & passiuas.

Articvlvs III.

An locus sit quid absolutum aut relatiuum

12. Complures putant locum esse aliquid absolutum, tametsi inter se non conueniant. Etenim Iand. *in præsenti, q.* 4. arbitratur locum duo præseferre, vnum materiale, quod est superficies corporis continentis, aliud verò formale, quod est qualitas rei locatæ conseruatiua. Tolet. autem *ibid. q.* 4 *concl.* 4. Conimb. *c.* 5. *q.* 1. *art.* 2. & cæteri communiter, & constanter asseuerant, locum formaliter, & propriè aliud non sibi velle, quàm superficiem corporis continentis, quæ est de genere absolutorum. At verò Scot. *Quol.* 11. Gadius Lych. Tatar. & cæteri eiusdem classis affirmant quidem locum pro materiali importare quid absolutum, putà præfatam superficiem: tamen pro formali statuunt locum designare entitatem relatiuam, hoc est relationem extrinsecùs aduenientem corporis locantis, ad corpus locatum, siue circumscriptionem actiuam corporis continentis, ad corpus contentum, & positum in loco.

13. Not. 1. esse in loco, tribus modis contingere. Primò, circumscriptiue, & competit corpori, quod circumscribitur, & commensuratur loco, per circumscriptionem actiuam corporis circumscribentis. Quo in sensu S. Aug. 1. *Soliloq. prope finem*, & *l.* 83. *qq. quæst* 20. scribit, esse in loco, nihil aliud esse videtur, præter corpus. Duplex autem extat circumscriptio, vna actiua, altera verò passiua. Prior conuenit corpori locanti, & posterior corpori locato. Hinc non incongruè distinguitur duplex vbi, actiuum scilicet & passiuum. Secundò, definitiuè, quod est ità esse hîc, & non alibi, quod competit substantiis spiritualibus, putà Angelo, & animæ rationali. Tertiò, immensiuè, & vbique, quod soli Deo accommodatur, qui solus est immensus, & vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam, vt ex Psal. 138. benè deducit Alen. 1. *p. q.* 10. *m.* 2. & post ipsum Brulifer *tract. formalit. fol.* 49.

14. Not. secundò, locum esse nomen concretum, cuius abstractum est localitas. Omne autem concretum ex dictis *in Epit. l.* 1. *q.* 1. *art.* 6. duo significat, vnum materiale, & aliud formale. Materiale loci est superficies corporis continentis, eius verò formale est relatio extrinsecùs adueniens corporis continentis, ad corpus contentum, siue circumscriptio actiua corporis locantis. Ampliùs obserua, in definitione accidentis, 7. *Met. T.* 12. poni subiectum, tanquam additum, idcircò huiusmodi definitio dicitur definitio per additamentum, vt ibi insinuat Doct. & 4. *d.* 1. *q.* 2. Atque in definitione loci, qui est accidens, locatur superficies, tanquam eius subiectum, & additum proximum, & fundamentum immediatum, in quo fundatur circumscriptio actiua corporis circumscribentis, qui est locus formaliter. Ratione autem præfati fundamenti, quod dicitur à Doct. locus materialiter, enunciantur nonnullæ propositiones affirmatiuæ,

matiuæ, vt locus est superficies, locus est æqualis locato, & huiusmodi.

15. Not. tertiò, multa loco tribui. Primò, localem continentiam, quia locus continet, & circumscribit locatum. Secundò æqualitatem, locus quippè, & locatum sunt æqualia, non quoad extensionem, sed quoad continentiam. Tertiò, locum esse extrinsecum locato, possunt namque ab inuicem separari. 4. locum esse immobilem, siquidem, moto locato, remanet locus, & transeunte ex vno loco, ad alium, ipsa loca persistunt immobilia, aliter verò contingeret, si locus foret mobilis.

16. Ass. 1. locus formaliter non est qualitas conseruatiua locati. Defenditur à Doct. 1. 4. 2. q 6. §. *Ad q. H* accidere loco. Probatur primò, potest esse locus absque qualitate conseruatiua locati, immò potest esse in illo qualitas destructiua, vt si animal terrestre locetur in aqua, & diù in ea maneat, aut in igne, aut aquatile locetur in aëre, & in eo persistat, moritur, & destruitur, ergò qualitas conseruatiua non est formaliter locus. Secundò, locus vel ponitur in prædicamento quantitatis, vel in prædicamento vbi, igitur non est formaliter qualitas conseruatiua locati, alioqui collocaretur in categoria qualitatis, quod nemo adhuc ausus est asserere. Tertiò, qualitati conseruatiuæ locati non adaptantur passiones loci prætecensitæ in tertio not. Non enim continet locatum, nec ei adæquatur. Deinceps locus non suscipit magis, & minus: vnus quippè locus non est magis locus altero, licet possit esse maior: qualitas autem suscipit magis, & minus, vt patet in Log. *c. de qualitate.* Igitur formalitas loci non consistit in qualitate conseruatiua locati.

17. Ass. secunda, locus materialiter sumptus est quid absolutum, nempè superficies corporis continentis. Hanc tuentur omnes Peripatetici cum Arist. 4. *Phys. T.* 41. nuncupatim Scot. 2. *pracit. D.* & *Quol.* 11. §. *De secundo. D.* & § *De tertio. G.* contrà Hurt. *disp.* 14. *sect.* 1. aientem præpositam ass. non ratione sed sola authoritate Arist, fulciri. Probatur primò, locus definitur superficies corporis continentis, vt intueri licet passu nunc alleg. superficies autem est ens absolutum, vtpotè de genete quātitatis. ergò locus pro materiali designat entitatem absolutam. Secundò, locus est aliquid, cum sit à parte rei, vt constat ex *primo art. huius q.* sed non est spatium inter latera corporis continentis interpositum, vt probaui *art.* 2. Nec materia, nec forma, nec quidpiam aliud, præter dictā superficiem, vt suadet Philosophus vbi suprà. Tertiò proprietates entis absoluti, cuiusmodi est superficies, competunt loco materialiter capto, vt continere locatum, eique æquari: atque istæ proprietates alteri à quantitate, quæ est ens absolutum haud accommodantur: conueniunt enim soli superficiei concauæ corporis ambientis, ergò locus sic captus est superficies prænominata.

18. Ass. 3. locus formaliter est entitas relatiua. Traditur à Doct. *locis pralatis*, & 5. *Met.* q. 9. §. *Ad aliud.* n. 15. contrà Tol. Conimb. cit. & alios quamplures. Fauet Author *sex principiorum c.* 5. appellans locum circumscriptionem corporis circumscribentis, ad corpus circumscriptum. Et indicat Arist. nuper memoratus, qui in definitione loci, præter superficiem, ponit continentiam, quæ est relatio continentis ad contentum. Iam verò suadetur primò, relatiua dicuntur ad conuertentiam, ex *c. de ad aliquid*, Locus autem, & locatum sunt huiusmodi: nam locus est locati locus, & locatum est loco locatum, ergò locus formaliter est entitas relatiua. Secundò, locus formaliter non reponitur in categoria quantitatis, vt aduertit Doct. *q.* 13. & 24. *pradicamentali*, necnon 5. *Met.* 4. 9. §. *Ad aliud n.* 15. sed in prædicamento vbi, quod constituitur per relationem extrinsecùs aduenientem, sicut reliqua postrema prædicamenta, vt probaui *in Log. lib.* 3. *quæst.* 8. *art.* 1. Tertiò, posita relatione circumscribentis ad circumscriptum, ponitur locus, ea verò ablata tollitur locus, sic cætera corpora infrà vltimum Cælum sunt in loco, propterea quod sortiuntur Dictam relationem continentis, ad contentum, ipsum verò postremum cælum, quia eius relationis est expers, non est in loco, vt patebit *quæst. sequenti art.* 1. Igitur formalitas loci posita est in prænominata relatione continentis ad contentum.

19. Oppones 1. contra 1. ass. ex 4. *Phys. T.* 40. & *de historia animalium cap.* 28. & 29. locus trahit locatum, fouet, & conseruat: superficiea autem, & circumscriptio corporis continentis hæc munera præstare nequeunt, cum sint de genere sterilium, igitur locus nec est superficies, nec dicta relatio, sed qualitas conseruatiua locati. Respondeo maiorem esse diluendam, & explicandam per distinctionem. Præcisè, nego: sic enim tantum continet locatum: vnà cum qualitatibus rerum naturalium salubrem influxum præbentium locato, concedo: ità exponitur testimonium Arist. præallatum, & Scot. *q.* 13. *vniuers.*

20. Opp. 2. contra 2. assertionem, si locus materialiter est superficies, cum aliquid circumscribi valeat à multis superficiebus, putà à superficiebus aquæ, & aëris, esset in pluribus locis, quod naturaliter repugnat; ergò &c. Respondeo argumentum concludere de pluribus locis partialibus, & inadæquatis, vt cum homo habet pedes in aqua, & reliqua membra in aëre: non autem de totalibus, & adæquatis; sic enim simul nequit esse totus in aqua, & totus in aëre.

21 Oppones 3. Angelus perhibetur esse in loco, à nulla tamen superficie ambitur. Itemque corpus Christi est in Eucharistia, quod nulla circumdat superficies, atque Beatus in empyreo superficie haud circumscribitur. Ergò perperam locus definitur superficies corporis continentis. Respondeo Angelum in loco existere definitiuè, & corpus Christi sacramentaliter, quod fortasse idem est ac definitiuè. Nos autem in præsentia loquimur de loco circumscriptiuo, & commensuratiuo, qui tantummodo corpori circumscripto accommodatur.

22. Oppones 4. contra 3. assert. Aristoteles. 4. *Phys. passu alleg.* locum definiens inquit, locus est superficies corporis continentis: ergò malè asseritur à Scot. locum formaliter esse formam relatiuam, alioqui, cum definitio explicet naturam rei, rationemque eius formalem; & Philosophus eam non attigisset, inepta foret eius definitio; & ab ignorantia dictus Arist. non esset liber. Respondeo etsi eam relationem Arist. non expressit, eam tamen indicauit, cum ait locum absolutè non esse superficiem, sed cum addito, putà corporis continentis. Nec id debet esse mirum, quandoquidem 7. *Met. cap.* 14. concretum per materiale definitur, vt *ibidem cap.* 3. præstat de vniuersali, & Porph. *in Isag. de proprio, & accidente.* Verè ergò, & peripateticè disserit Scot. *de loco* statuens eius rationem formalem in relatione continentiæ, quidquid reclamet Tolet. præcit.

ARTICVLVS IV.

Quomodo locus sit immobilis.

23. INdubitatum est apud omnes Philosophos, locum esse immobilem, quod palàm fit ex motu locali. Cum enim corpus localiter mouetur, ex vno loco, venit ad alium locum, priorem deserit locum, & acquirit

acquirit posteriorem : at si locus non esset immobilis, ipse locus cum corpore localiter moueretur, sicque non mutaret locum, sed in eodem loco persisteret, quod falsum esse, ad oculum cernitur.

Dubitatur autem, quonam modo, & ratione, locus sit immobilis? Auer. 4. *Phys. in com. T.* 41. & Iandun. *ibid. q.* 6. arbitrantur, locum non moueri per se, sed per accidens, ad motum corporis, cuius est accidens, vt superficies aëris circumscribentis turrim mouetur ad motum aëris, in quo subiectatur. Bonet. 8. *Phys. c.* 4. *§. perscrutandum*, & Perer. *l.* 15. *de loco c.* 3. existimant, loci immobilitatem non omnibus locis conuenire, sed locis naturalibus elementorum duntaxat, ad quæ naturaliter mouentur corpora, de quibus constat non posse moueri, veluti moueri nequit ordo præfixus inter præcipua corpora vniuersi, ex quibus componitur. Addit Bonet. *ibid.* locum mathematicum esse immobilem, non verò physicum. Alij, vt Sot. *q.* 1. & Tol. *q.* 5. ea D. Th. *in T. cit.* putant, immobilitatem loci petendam esse, penes eamdem distantiam, ad polos, & centrum Mundi. Scot. autem cum suis 2. *d.* 2. *q.* 6. & *Quol.* 11. docet locum esse immobilem, immobilitate opposita motui locali.

24. Not. 1. Arist. 4. *Phys. T.* 41. non semel cit definire locum his verbis. Locus est *vltimum corporis continentis immobile primum*. Explicatur quoad omnes particulas. Dicitur *vltimum*, idest, vltima superficies, non quidem conuexa, sed concaua; *corporis continentis*, vt locus terræ est superficies concaua aquæ, & locus aquæ est superficies concaua aëris, & sic de cæteris, vsque ad vltimum Cælum. Ponitur *primum*, idest immediatum, & adæquatum, quia immediata; & adæquata superficies corporis continentis est locus corporis contenti. Additur *immobilis*, quia locus non mouetur localiter, vt statim ostendi *in initio huius art.* Quare definitio sic explicata est huiusmodi: Locus est *superficies concaua, & immediata corporis continentis, immobiliter se habens.*

25. Not. secundò, non esse idem locum esse immobilem, & esse incorruptibilem, vt quidam falsò affingunt Scot. siquidem Scot. affirmat quidem locum esse immobilem, negat verò esse incorruptibilem, quia cum locus sit accidens, corrupto eius subiecto, vtique corrumpuntur omnia, quæ sunt in subiecto, inter quæ extat locus. Ob id, si superficies corporis continentis pereat, quoque & locus, qui pro materiali significat talem superficiem. Eò magis, quia accidens non migrat de subiecto in subiectum, vt præ aliis notat D. Aug. 6. *contrà Iulianum, c.* 7. Igitur locus corruptibilis est, ad corruptionem subiecti, in quo inhæret. Deindè locus formaliter est præfata relatio, quæ positis fundamento, & termino, non insurgit, nisi approximentur; illis verò ablatis, aufertur; igitur reuerà locus est corruptibilis. Grauior autem viget difficultas de eius immobilitate, potissimum cum ex dictis locus sit superficies corporis continentis, & superficies aëris, flante vento, aut aqua labente circa palum fixum, vel turrim, quo pacto turris immota manet, & circa ipsam mutantur variæ superficies corporis ambientis, & continuè fluentis; vtrùm dicta turris sit in eodem loco necnè? cui difficultati satisfacit Scot. cit. *in* 2. *§. Ad q. F.* & dicit eam turrim esse in eodem loco per æquiualentiam, quandoquidem recedente vna superficie numero corporis ambientis, accedit altera superficies, quæ æquiualet præcedenti, sicut vox homo dicitur vna, quamuis multoties proferatur, totque sint voces, quot sint prolationes eius; quia verò vna prolatio æquiualet alteri, & vtráque est de eodem homine, ideò nuncupatur vna vox per æquiualentiam. Idque indicat D. Aug. 19. *contrà Faustum c.* 16. Deinceps, dici potest, præfatam turrim esse in eodem loco, quia licet ipsa mutet vbi actiuum, nihilominus non mutat vbi passiuum, sed in eomet persistit; propterea perhibetur esse in eodem loco. Addit Scot. *Quol. cit. a.* 3. *H.* sicut est vnum, & idem simile, tametsi plures de nouo ei adueniant similitudines, per productionem nouorum similium, vt si multa alba fiant, albo præexistenti accedunt multæ relationes similitudinis: sic idem subiectum recipiēs plures relationes locales, propter plures superficies corporis ambientis ei succedentes, dicitur esse in eodem loco, quia manet idem relatum, idemque fundamentum. Est enim commune, & verum documentum, concretum non multiplicatur penès multiplicationem solius formæ: necesse quippè est ad plurificationem concreti, plurificetur subiectum, siue suppositum, in quo inexistit forma. Quare palus, & turris prænominata sunt in eodem loco, tametsi circumfluant circà ipsa variæ superficies, quia retinent vnitatem, & identitatem suppositi persistentis in eodem vbi, & situ, & spatio à quo minimè recedunt..

26. Ass. 1. locus non est immobilis solummodò per immobilitatem locorum elementorum. Deducitur ea Scot. *vbi suprà*. Probatur primò, definitio loci tradita ab Arist. comprehendit cuncta loca, tàm simplicium, quàm mixtorum corporum, ergò immobilitas, quæ ponitur in loci definitione non est angustanda, & restringenda ad loca elementorum duntaxat. Ant. est in confesso, definitio namque adæquatur definito, & cum eo reciprocatur. Itaque, cum immobilitas locetur in definitione loci, quæ conuenit omnibus, & singulis locis, apertè euincitur tantum elementorum locis haud competere. Secundò, si solus elementorum locus est immobilis, ergò locus mixtorum est mobilis, sicque corpus mixtum manens immotum, moueretur simul, & eodem tempore, quia locus eius moueretur, ad motum eius: atque mutaret locum, & non mutaret locum, & quidem mutaret locum, quia ex vno loco, transiret ad alium, & non mutaret locum, quia secum ferret eumdem locum, qui in sententia Aduersariorum, mouetur ad motum corporis, cuius est locus, si detur locus mobilis: id autem & consimilia, quàm absurda sint, liquidò constat, ergò immobilitas loci non petitur penès immobilitatem elementorum duntaxat.

27. Ass. 2. nec locus est immobilis, secundum ordinem, & habitudinem, quam habent corpora ad polos, & centrum Mundi. Propugnatur, 2. *d.* 2. *q.* 6. & probatur primò, locus in sententia Thomist. contra quos militat præcedens ass. est quid absolutum, cum sit superficies in genere quantitatis reposita, ergò locus essentialiter non includit respectum ad polos, & centrum mundi. Conseq. tenet, idem quippè nequit esse ad se, & ad aliud, absolutum, & relatiuum essentialiter. Secundò, non repugnat, polos Mundi mutari: siquidem fieri potest, vt firmamentum, quòd modò voluitur ab ortu ad occasum, moueatur ab Aquilone ad Austrum, quo pacto mutarentur poli, & tamen idem palus, & turris manet immobilis, ergò impertinens est respectus ad polos mundi, vt saluetur immobilitas loci, maximè cum hæc loco videatur intrinseca, illi verò, eorum respectus sint extrinseci, & ab eo amouibiles. Rursus, poli, puncta, & cætera, quæ in sphæra describuntur, sunt conficta à Mathematicis, ab eisque excogitata: locus autem est quid reale positiuum, eiusque immobilitas, cum ponatur in eiusdem definitione, igitur immeritò recurritur ad polos Mundi, vt saluetur loci immobilitas cum possit benè ex alio capite defendi.

28. Ass. 3. locus est immobilis, immobilitate opposita motui locali. Patrocinatur Scot. *locis prænumeratis*, & probatur 1. ea aliorum refutatione, cum enim apud omnes, tàm priscos, quàm modernos, locus censeatur immobilis, non propter loca elementorum immobilia, nec propter partes Mundi fixas, aut aliud quidpiam prærecensitum, deducitur efficaciter, & sufficienter esse immobilem immobilitate opposita

motui

motui locali: Secundò termini à quo, & ad quem motus localis, ſunt immobiles, oportetque mobile relinquere terminum à quo, & pertranſito ſpatio intereiecto, acquirere terminum ad quem, vt liquet experientia, igitur cum locus non moueatur localiter, rectè dicitur immobilis immobilitate oppoſita motui locali. Tertiò, ſi locus foret mobilis, vnus numero locus eſſet ſub diſtinctis ſpeciebus loci, vt ſi eſſet ſurſum, ſi ab hoc loco moueretur corpus, traheret ipſum deorſum, ſicque ſimul eſſet ſurſum, & deorſum, quæ ſunt duo loca ſpecie diſtincta. Denuò, ſolum corpus per ſe mouetur, & acquirit locum: at ſi locus moueretur, locus acquireret locum, eſſetque locus in loco, atque loci foret locus, quod increpat Ariſt. 4. *Phyſ. T.* 12.

29. Oppones primò Ariſt. mox *cit. T.* 41. negat nauim, quæ eſt in flumine continuò labente eſſe in loco, vultque eſſe in eo, tanquam in vaſe: at ſi vera eſt Scot. opinio, cum ſuperficies circumdans nauim mutetur, vnique ſuperficiei corporis ambientis, ſuccedat altera ſuperficies, dicetur nauis eſſe in eodem loco per æquiualentiam, quod videtur pugnare teſtimonio præalleg. Reſpondeo Ariſt. quidem ibi tradere, nauim in fluuio haud eſſe tanquam in loco, ſed vt in vaſe, quatenus contentum mouetur à continente: verumtamen ſi conſideretur, vt circumſcribitur à ſuperficie aquæ fluuij circumdantis, Philoſophus non inficiatur eam eſſe in loco: ſic enim mutat locum, deſeritque vnum locum, & alterum acquirit.

30. Oppones ſecundò, ſecundum Scot. doctrinam de identitate loci per æquiualentiam, qui ex vna parte aëris, ad aliam tranſiret, eſſet in eodem loco, proindeque locum non mutaret. Nam, licet mutaret multas ſuperficies aeris, nihilominus, cum illæ ſibi inuicem ſint æquiualentes, ſequitur eum occupare eumdem locum per æquiualentiam Reſpondeo negando ſequelam. Quandoquidem, data hypotheſi, ille tranſiret ſpatium interiectum inter terminum à quo, & ad quem, & mutaretur localiter. Ideò eſſent duo loca eſſentialiter, non verò vnus locus per æquiualentiam.

31. Oppones tertiò, accidens, quod inhæret in ſubiecto mobili, mouetur ad motum eius, vt patet 2. *Top. cap.* 3. motis nobis, mouentur omnia, quæ ſunt in nobis: locus autem eſt in ſubiecto mobili, putà in corpore mobili, ergò eſt mobilis, ſi non per ſe, ſaltem per accidens. Reſpondeo per diſtinctionem, & explicationem ma. de accidente, quod motui locali non repugnat, concedo, vt albedo inhærens equo, ſi equus moueatur, vtique ad motum eius, ipſa albedo mouetur: Quod ſi repugnat motui locali, vt eſt locus, nego, vt ſi ſedeo iuxta oſtium, & poſtmodum ab eo recedam, ſeſſio, quæ erat in me dum ſedebam, non mouetur ad motum meum, cum petierit, me non ſedente, & repugnantiam inuoluat ſimul cum motu locali totius corporis mobilis, vt optimè docet Canon. 4. *Phyſ. quæſt.* 1. §. *his viſis.*

QVÆSTIO II.

De Locato.

ARTICVLVS I.

An vltimum Cælum ſit in loco.

1. Quatuor ſunt præcipui dicendi modi in hoc art. vnus eſt Philoponi exiſtimantis ſupremum Cælum eſſe in loco, quia eſt in ſpatio, ſeu vacuo ipſum circumdante, & ambiente, de quo egi in antecedente *q. art.* 2. Alter eſt Themiſtij, D. Th. 4. *Phyſ. in T.* 43. *& inde*, & Ægid. arbitrantium, vltimum Cælum eſſe in loco, ſecundum ſuas partes. Tertius eſt Auer. 4. *Phyſ. com.* 43. opinantis præfatum Cælum eſſe in loco, ratione ſui centri, hoc eſt, quia centrum ſuum habet in loco. Quartus eſt Scot. *Quol.* 11. *art.* 1. *C* & 4. *diſtinct.* 49. *quæſt.* 16. §. *Ad* 1. *argumentum. B.* Antonij Andreæ in *cap.* 5. *lib. ſex principiorum.* Ponet 8 *Phyſic. cap.* 4. Canon. 4. *Phyſic. q.* 1. Pariſienſ. Tatar. Ioan. de Magiſ. & aliorum *ibid.* docentium vltimam ſphæram verè, & propriè non eſſe in loco.

2. Not. primò, ex Canon. cit. Tatar. *ibid. q.* 1. *dub* 3. & Conimb *q.* 2. *art* 1. hanc difficultatem bifariàm poſſe excitari, vel in ſententia Theologorum ſtatuentium vltimum Cælum empyreum immobile, domicilium Beatorum, ibi æterna requie, & perpetua luce perfruentium: vel in opinione Ariſt. & ſuorum, exiſtimantium, poſtremum Cælum eſſe primum mobile, quod ſuo motu trahit cæteros orbes inferiores.

3. Not. ſecundò, ſuperficiem eſſe duplicem, conuexam, & concauam, hæc, & non illa pertinet ad locum, quia continet, & ambit locatum; ideò, vt corpus ſit propriè in loco, neceſſe eſt, contineatur, & circumſcribatur à ſuperficie concaua alicuius corporis continentis, & circumſcribentis, ſic ignis in ſua ſphæra exiſtit in loco, quia continetur, & circumdatur à ſuperficie concaua orbis lunæ. Deindè duplex notatur circumſcriptio, vna actiua, qua corpus circumſcribens circumſcribit, & continet corpus circumſcriptum, & contentum: altera verò paſſiua, qua corpus circumſcribitur, & continetur. Prior dicitur ab aliis vbi actiuum, poſterior verò vbi paſſiuum. Hinc orta eſt vulgata diſtinctio Scot. vltimum cælum eſſe in loco quoad locare, non verò quoad locari, hoc eſt actiuè, quia cætera locat, non autem paſſiuè, quia non locatur, cum ab alio non ambiatur, quod requiritur ad locum, propriè dictum. Hæc autem explicatio habetur apud Scot. cit. Licet enim expreſſè non dicat, vltimum Cælum eſſe in loco, quoad locare, & non quoad locari, tamen ex eò sponte colligitur, cum dicat præfatum cælum moueri quoad locare, & non quoad locari, quia locare deſignat actiuam locationem, ſiue vbi actiuum, ſicut locari ſignificat locationem paſſiuam, ſiue vbi paſſiuum, vt magis idem Doct. declarat 4 *diſt* 10. *q.* 1. §. *quantum ergo I. & K.* vbi ait dari vbi præſcindens ab vbi actiuo, & paſſiuo, à circumſcriptiuo, & definitiuo. Quare non eſt reiicienda, nec deſpicienda præadducta diſtinctio Scotiſ. cum Scot. doctrina, & ratione fulciatur, & adinuenta ſit ab inſignibus Doct nominatim Tatar. cit. Val. *Tract. Form. fol.* 43. Gadio *in com. Quol.* 11. Lich. ibid. & aliis veteribus, & recentibus Scotiſ. quamuis diſpliceat Maſtrio, & Socio eius *diſputat.* 11. *quæſtion.* 4. *artic.* 1. ſed immeritò ſpernunt diſciplinam Noſtram, ſeque opponunt torrenti ſubtilium, vt exteris morem gerant, & faueant, vt in aliis multis præſtant.

4. Aſſertio prima, omnia corpora infrà vltimam ſphæram exiſtunt in loco. Tenet Doct. 2. *d.* 2. *quæſt* 6. §. *Ad quæſt. ſub C.* Et indicat S. Auguſt. *Tract.* 31. *in Ioan.* Probatur primò quod continetur, & circumſcribitur ab alio, eſt in loco, cum ex dictis, locus circumſcribat, & contineat locatum: omnia autem corpora, præter ſupremum Cælum circumſcribuntur, & continentur ab aliquo: ergo ſunt in loco. Ma. eſt conſpicua, ex definitione loci. Min. patet inductione. Terra quippè continetur ab aqua, aqua ab aerè, aër ab igne, & ſic de cæteris, vſque ad vltimum Cælum. Secundò, illa participant locum, quæ ſortiuntur proprietates loci; alia autem corpora ab vltimo Cælo habent proprietates loci, ergo à loco non eximuntur. Ma. liquet, vbi eſt paſſio

 alicuius

alicuius, ibi est natura eius, hanc enim illa consequitur. Min. est in promptu, passiones loci præcipuæ sunt, continere locatum, eique æquari: præfata autem corpora comprehenduntur à loco, eique æquantur, vt peruium, & apertum est speculanti, & discutienti.

5. Assertio secunda, non statuitur primum Cælum in loco, propterea quod extrà ipsum est vacuum, & spatium imaginarium, nec penes centrum Mundi. Ass. est bimembris, & deducitur ex Scot. *Quol.* 11. *art.* 1. *&* 2. prima pars probatur, extrà Cælum est solum inane, quod est nihil, in nihilo autem, vt in loco, nullum corpus esse valet. Huc pertinent, quæ dixi *in superiori quæst. art.* 2. *ass* 2.

Secunda pars ostenditur, locus non intrà, sed extrà locatum existit, vt elucet ex definitione loci; centrum autem mundi continetur à primo Cælo, quod omnia circundat, & ambit, alioqui cor hominis foret locus eius, & axis plaustri esset locus totæ, quod est falsum, ergo &c.

6. Assertio tertia, nec dictum Cælum ponitur in loco, per suas partes. Colligitur ex Doct. *in* 2 *cit. sub D.* Probatur primò, eadem extat ratio existendi in loco, de toto, ac de partibus eius: at secundum. Aduersarios, postremum Cælum non est in loco, secundum totum, ergo neque secundum partes. Maior ostenditur, sicut totum corpus mensuratur à toto loco: itâ partes corporis mensurantur à partibus loci, præfatum autem Cælum totum non mensuratur à loco siue totali, siue partiali, ergo nec eius partes. Secundò, quod est in loco, est in continente extrinseca, cum locus contineat locatum; partes autem postremi Cæli ab vllu extrinseco non continentur, cum extrà ipsum nihil sit: ergo Cælum illud non locatur ratione partium.

7. Assertio quarta, Cælum prænominatum verè, & propriè non existit in loco. Ita Scot. *vbi suprà*, & suadetur primò ex Arist. 4 *Phys. T.* 43. 45. *& indè*, explicitè affirmante vltimum Cælum non existere in loco. Ratio eius affertur, extrà ipsum Cælum non datur aliud, quod ipsummet circumscribat, & ambiat, locus autem est contentiuus; & commensuratiuus corporis locati, ergo propriè in loco non extat. Deindè, reliqua corpora à primo Cælo sunt in loco, quia circumscribuntur, & continentur à superficiebus concauis aliorum corporum, vt ostendi *in* 4. *ass.* ergò è regione, primum Cælum, quia à nullo alio corpore circumcingitur, nec circumuallatur, propriè loci non est particeps.

8. Oppones primò, Arist. 4. *Phys. T.* 45. verbis explicitis ait, cælum esse in loco per partes, ergo aduersa sententia pugnat scholæ Peripateticæ. Respondent Themist. Auer. Toler. & alij communiter *ibid.* Per cælum accipi à Philosopho vniuersum, cuius partes, præter vltimam sphæram sunt in loco, vt idem Philosophus explicat *eo in loco T.* 46. de terra, quæ est in aqua, & aqua in aëre, tanquam in loco, & sic de reliquis partibus mundi, quæ verè locantur, excepto vltimo Cælo, quod extrà ipsum non habet aliud corpus continens, & circumscribens.

9. Opponeas secundò, quod mouetur localiter, est in loco, quia motus corporis tendit ad locum: supremum autem Cælum secundum Arist. mouetur localiter, putà ab ortu, ad occasum, persoluens suum cursum, spatio viginti quatuor horarum, quæ conficiunt diem naturalem, ergò primum Cælum est in loco. Distinguo ma. si contineatur, & circumscribatur ab alio, concedo: si verò ab alio non ambiatur, nec circumscribatur, vt accidit in primò Cælo, affirmante Arist. nunc cit. nego Motus autem localis non necessario terminatur ad locum, vt accidit in præsenti, idque etiam contingeret, si Deus extrà Cælum conderet corpus, illudque moueret.

ARTICVLVS II.

An naturaliter duo corpora possint simul existere in eodem loco.

10. ALexander opusc. de mixtione, & Fernelius 2. *sua phisiologia c. vlt.* commemorant quosdam existimare, naturæ viribus duo corporam posse simul occupare eumdem numero locum: opposita verò Assertio est communis Scot. 4. *distinct.* 49. *quæst.* 1. *& quæst.* 16. *antè* §. *Alij dicunt.* & §. *Ad argumenta.* Et *Quol.* 11. Aur. *ass.* 48. *art.* 3. Conimb. 4. *Phys. cap.* 5. *quæst.* 4. *art.* 1. Ruu. *tract. de natura loci quæst.* 5. & aliorum negantium virtute naturali, duo corpora posse simul constitui in eodem locu. Probatur primò ex 4. *Phys. T.* 27. vbi Arist. tanquam inconueniens, ac impossibile infert duo corpora simul existere in vno eodemque loco.

Secundò, penetratio dimensionum apud omnes Philosophos censetur impossibilis facultate naturæ: si autem duo corpora forent simul in eodem loco, daretur penetratio dimensionum: quantitatis quippe vnius foret in quantitate alterius, quod vi naturæ effici nequit.

Tertiò, experientia constat, vnum corpus si fuerit validius, & fortius expellere aliud ab eodem loco. Hinc fit perennis successio corporum, cum enim vnum accedit, aliud recedit, & quando vnum ingreditur in vnum locum, aliud egreditur ab eo, veluti formæ in materia, quæ simul in ea sunt incompossibiles; ideò agens naturale, vt nouam formam in materiam introducat, necesse est pristinam, & præexistentem expellat ab eadem materia. Quapropter miraculum extat, si duo corpora simul sint in eodem loco, vt euenit in natiuitate Christi Domini, eiusque resurrectione, & ascensione.

11. Oppones primò, sæpè experimur duo corpora occupare simul eumdem locum, vt ignis est simul cum ferro candente. Nam si apponatur stupa, eam accendit, & comburit. Vinum extat simul cum pane madefacto, vt indicat eius humiditas, quæ à proprio subiecto non seperatur, 2. *anima T.* 113. Deindè, vapores cum aëre tenent eumdem locum, vt quotidie à nobis cernitur. Rursus, alimentum, & alitum sortiuntur eandem simultaneam existentiam. Atque vesica vnico contenta foramine, aqua plena, si in aere suspendatur, aqua non exit, nisi concitetur. Hæc, & alia consimilia planè ostendunt eumdem locum duo corpora posse simul capere. Occurrunt Scot. *in* 4. *cit.* §. *Aliud est intellectum sub E.* & Aur. *vbi suprà*, ferrum esse in vltimo gradu calidum, debitaque dispositione, vt ignitur, in cisque poris latere ignem, qui apposit. in sibi stupam accendit, & comburit, propterea non sequitur, ignem, & ferrum eumdem locum simul participare. Idipsum dicito de pane, in cuius poris extat vinum. Quædam enim partes illius sunt solidæ, quæ aliud corpus a se expellunt, quædam verò sunt porosæ, quæ recipiunt vinum, aquam, & alia fluida, & subtilia, vt patet de spiritibus vitalibus, qui per eas partes permeant, & discurrunt. Aër autem qui est tenuis, & rarus, cedit locum vaporibus, minorem locum occupat, vt patet de cineribus in scypho madefactis, & constipatis ad minorem locum redactis. Pariter de nummis proiectis in vas aqua plenum, quibus cedit aqua, quæ intumescit, dummodò Labia eius sicca maneant, alioqui ad eorum ingressum, ipsa aqua defluit. Reliqua verò, quæ adducunt de nutrimento, & nutrito, & de vesica aëre, aut aqua plena, magis obsunt, quàm prosint. Siquidem patet alimentum esse extra locum nutriti, quia necesse

est conuertatur in substantiam aliti: atque vesica absque concitatione, & fragore, edere nequit aerem, aquam, aut liquorem, quo repletur, quod inditium manifestum est duo corpora simul in eodem loco non se compati. Idque etiam significant tonitrua, terræmotus, & huiusmodi, de quibus alibi.

12. Oppones secundò, non ob aliam causam duo corpora nequeunt simul eodem loco gaudere, nisi ob eorum quantitates, quia quantitas vnius corporis expellit quantitatem alterius ab eodem loco: quantitas autem quantitati opponitur, cum actiua non sit, ergo duo corpora simul ab vno loco circumscribi, & contineri valent. Concedo ma. distinguo min. formaliter concedo, virtualiter, nego. Quid autem sit oppositio formalis, & virtualis quantitatis, in proximum art. explanandum relinquo.

13. Oppones tertiò, corpus, eiusque accidentia in eodem loco simul persistunt: accidentia autem quantitate prædita sunt, quia sunt extensa, vt ad oculum cernitur, ergo nihil obstat, quin duo corpora simul ab vno loco ambiantur. Concedo ma. distinguo min. accidentia sunt quanta, quantitate distincta à quantitate corporis, in quo inhærent, nego: eadem quantitate, concedo. Extenduntur quippè ad extensionem corporis, in quo insunt. Propterea eodem loco potiuntur, quo corpus.

Articvlvs III.

An supernaturaliter duo corpora possint simul existere in eodem loco.

14. HÆc controuersia fusè, & exactè discutitur, & dicitur in Philosophia Morali, de beatitudine corporis, *artic.* 30. ideò hìc obiter, & breuiter tractanda, & expedienda à nobis est. Pro cuius decisione non modicum conducit distinctio oppositionis in formalem, & virtualem allata à Scot. 4. *distinct.* 49. *q.* 16. §. *Ad primum in solutione* 2. *B.* & *quæst.* 12. §. *Respondeo. antè C.* Formalis est inter ea, quæ vicissim ab eodem subjecto se expellunt, cuiusmodi sunt contraria, calor, frigus, humiditas, & siccitas: aut quia formæ inter se opponuntur, itavt in eodem subiecto, siue materia simul non se compatiantur, vt forma ignis, & forma aquæ. Virtualis adest inter illa, quæ quidem ad inuicem penès suas essentias, & naturas non repugnant, sed penès suos effectus, qui ab eis prodeunt, quique simul in eodem non se compatiuntur, vt effectus vnius quantitatis est repletio loci, quæ secum non fert aliam simultaneam repletionem localem alterius quantitatis. Quocircà quantitas opponitur quantitati penès suum effectum, qui est repletio localis. Quod si vna quantitas absoluatur à repletione locali, tunc potest existere simul cum alia quantitate in eodem loco: proindéque duo corpora possunt simul sortiri eundem locum, si alterutrum præscindat à repletione locali.

15. Assertio, diuina virtute duo corpora possunt simul existere in eodem loco, dummodo vnum eorum absoluatur à repletione locali. Ità Doctor. *locis prænominatis*, & *Quol.* 11. §. *de quarto M. & inde.* Hæc assertio duas comprehendit partes: prima pars est communis omnium scholast. *in* 4. cit. vno excepto Dur. *ibid. distinct.* 44. *quæst.* 6. prima pars probatur primò, ex præcipuis mysterijs nostræ fidei, obseratis virgineis claustris, Christus Dominus ex vtero Matris exiuit, in resurrectione, clauso sepulchro, egressus est. Ioan. 20. *Et ibid.* ianuis clausis venit ad Discipulos. Et in Ascensione, penetrauit Cælos. Hebr. 4. *Habentes Pontificem, qui penetrauit Cælos Iesum.* Penetratio autem Cælorum, lapidis sepulchri, vteri virginalis, & forum cænaculi haud effici potuit, nisi duo corpora simul extiterint in eodem loco, putà corpus Christi, & Virginis, & cæterorum præfatorum, vt tangit Aug. *lib. de agone Christiano cap.* 24. recensens prædicta mysteria, *& serm.* 159. *de tempore*, ad finem subijcit. *Deus est, qui fecit, considera Authorem, & tolle dubitationem.* Accedit Hugo Victorin. *de sacramentis l.* 2. *parte* 8. *cap.* 1. *qui fecit hanc legem, vt vnus locus vnum locatum contineret, potest in ea dispensare, quia eius lex est, vt vnum corpus vnum locum occupet duntaxat.*

Secundò, possunt multiplicari priora, absque multiplicatione posteriorum. Nam prius, vt prius non dependet à posteriori: corpora autem secundum se sunt priora loco, cum locus sit accidens, & corpora substantiæ.

Tertiò, non implicat vnum corpus simul existere in pluribus locis adæquatis, vt monstrabitur in sequenti artic. ergò nec duo corpora simul in eodem loco, cum illud difficilius, aut æquæ difficile hoc videatur.

16. Secunda pars probatur, vnum corpus totaliter, & adæquatè replet vnum locum totalem, & adæquatum, ergò duo corpora simul nequeunt eumdem locum occupare, nisi alterutrum præscindat à repletione locali. Conseq. tenet. Ant. suadetur, vnus effectus totalis non potest produci à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem ordinis, & speciei, vt ostendi *l.* 4. *quæst.* 2. *art.* 2. ergò nec idem locus potest repleri simul à duobus corporibus, alioqui idem locus foret totaliter repletus, & non repletus, & quidem repletus totaliter, vt conceditur ab Aduersarijs, & non repletus totaliter, quia aliud corpus ipsummet totaliter replet. Huic rationi responderi potest esse disparitatem de effectu à duabus causis prodeunte, & de repletione locali à duobus corporibus emanante: quandoquidem hæc à quantitate oritur, quæ non est actiua, ille verò ab effectrice causa proficiscitur, quæ verè, & propriè influit in effectum. quare opposita sententia est probabilis, quam enixè, & egregiè tuentur Bass. 4. *dist.* 49. *quæst.* 3. gemini Scotis. *disp.* 11. *quæst.* 7. estque communis hoc tempore, quæue non displicet *Scot. Quol.* 11. § *De quarto M & N. alijsque locis.* Addo, magis congruum, & possibile est, duo corpora esse simul cum suo modo naturali, quam absque illo, quia sic vnum extat tantum miraculum, putà duo corpora existere simul in eodem loco: aliter verò, duo patrantur miracula, scilicet simultanea existentia duorum corporum in eodem loco, & abstractio vnius à repletione, & circumscriptione loci. Plura vide in Morali passu præalleg.

17. Oppones 1. D. Greg. *hom. pasch.* scribit ad vocem sacerdotis, aperitur Cælum. quod planè fit, cum per consecrationem, Corpus Christi Domini è Cœlo adducitur in hostiam. Ergò idem euenit in Ascensione eius, & alijs mysterijs. Sic etiam *Act.* 7. Stephanus vidit cælos apertos. *Et Psal.* 23. portæ Cælorum dicuntur attolli & eleuari. Ergo nunquam duo corpora extiterunt, vel existere queunt simul in eodem loco. Resp. vtrumque posse fieri à Deo, immo factum esse, vt ad orationem Stephani cæli aperti sint, & in instanti prolationis verborum consecrationis à sacerdote: cætera quoque prænarrata præstita fuisse ab eodem Deo, tum quia sacræ paginæ testantur, tum etiam quia sub diuinæ potentiæ obiecto comprehenduntur. Hinc D. Aug. allegans illud Matt. 19. *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regnum Cælorum*, subiungit in Psal. 122. quæ hominibus impossibilia sunt, Deo sunt facilia.

18. Oppones secundò, partes quantitatis successiuæ nequeunt simul durare, ergo nec partes quantitatis permanentis possunt esse simul in eodem loco. Ant. liquet, de ratione intrinseca quantitatis successiuæ est successio partium post partes: conseq. ostenditur, sicut se habet successio ad quantitatem successiuam, ita extensio localis ad quantitatem permanentem. Concedo ant. nego conseq. quoniam extensio externa non est de essentia quantitatis permanentis, veluti successio spectat essentialiter, ad quantitatem successiuam.

19. Oppones tertiò, duæ formæ simul non valent informare eamdem numero materiam, ergo nec duo corpora possunt simul occupare eumdem locum. Ant. manet probatum *l.2.quæst.4. art.7.* conseq. deducitur, sicut duæ formæ simul non se compatiuntur in eadem materia, sic duo corpora simul in eodem loco. Concedo ant. nego conseq Ratio disparitatis est, quia duæ formæ adinuicem opponuntur oppositione formali: at duo corpora respectu eiusdem loci opponuntur oppositione virtuali, vt planum feci in præposito notat.

Articvlvs IV.

An supernaturaliter vnum corpus possit esse simul in pluribus locis adæquatis.

20. Vnum quodque corpus naturaliter vno solo loco potiri, manifestò comprobatur experimento. Nam, quodlibet corpus, cum sit finitum, & limitatum, loco vno, & limite locali cohibetur, & continetur, vt præ aliis notat Scot. 2. *dist.2. quæst.7.* & 4. *dist.10. quæst.2.* Maxima autem viget contentio, num id effici valeat absoluta Dei potentia, scilicet, vtrum vnum corpus possit simul existere in pluribus locis totalibus, & adæquatis? Partem negantem amplectuntur sectarij, nuncupatim Lutherus, Caluinus, & alij, apud Bellarm. 3. *de Euch. cap.3. & 4.* oppugnantes sacrosanctum Euch. Sacramentum: partem verò affirmantem tuentur omnes Doctores orthodoxi, tametsi de modo inter se non cohæreant. Etenim sancti Bon. 4. *dist. 49. de dote subtilitatis quæst* 5. Th. *ibid. dist.10. quæst.2. ad 5. & 3. part. quæst 76. art.* 5. & vtriusque asseclæ asseuerant vnum corpus posse existere simul in duobus locis in vno circumscriptiuè, & in alio Sacramentaliter, siue definitiuè. At Doctor noster 4. *distinct.* 10. *quæst.* 2. Rich. *Quol.* 1. Alens. 4. *parte quæst.* 11. *artic.* 1. §. *vlt.* Och. 4. *q.* 4. *dub.* 2. Mayr. *distinct.* 11. *quæst.* 1. Canon. 4. *Physic. quæst.*3. Parisiens. *ibid. quæst.2 fol.* 59. & reliqui Scotist. & Nomin. quibus adstipulantur complures Neoterici, docent communiter, & vnanimiter vnum corpus simul posse diuinitus circumscribi, & commensurari à multis locis adæquatis, & totalibus.

21. Not. primò, ex Scot mox citat. §. *Dico ergo ad quæst.* axioma receptissimum, & dogma verissimum esse, Deo est possibile id omne, quod contradictionem non inuoluit. Siquidem obiectum totale, & adæquatum omnipotentiæ Dei est omne possibile, & ad impossibile nulla datur potentia. Cum autem dicitur idem corpus localiter posse occupare plura loca, nihil aliud in corpore ponitur, nisi multiplex respectus extrinsecus aduueniens, cum ex dictis locus formaliter sit respectus extrinsecus adueniens locantis ad locatum, vt circumscribentis, ad circumscriptum; respectus verò posse plurificari in eodem fundamento, ad diuersos terminos, probat efficaciter, & euidenter Scot. 3. *distinct.* 8. *quæst.* 1. §. *Hic dicitur.* In vno namque albo possunt esse plures relationes similitudinis ad multa alba de nouo producta, & in vno patre plures relationes paternitatis, ad plures filios ab ipso genitos: pariter in vno corpore fundari queunt plures relationes locales, siue plures circumscriptiones diuersorum corporum ipsum circumscribentium. Quare, non vana imaginatio, sed vera ratio sequenda est. Nam, licet imaginatio non separet vnum ab alio, nec percipiat, vnum plurificari absque alio, non ideò, est impossibile, vnum corpus plura loca possidere. Siquidem, hac inani imaginatione relicta, & sensu abiecto, ratio suadet, & ostendit, posteriora posse multiplicari, sine multiplicatione prioris, sic causa vna existens plures edit effectus, & vnus pater plures filios, vtrusque sol plures radios. Cum autem loca posteriora sint corpore locato, vtpote accidentia contingenter ei aduenientia, planè infertur, posse vnum corpus, multa sortiri loca.

Dices, id verum esse, quando termini non adæquantur fundamento, at si relatio termini sit adæquata suo fundamento, vt locus adæquatur corpori locato, non valet. Contrà, relatio intrinsecus adueniens, quæ ex natura fundamenti oritur, non adæquatur ipsi fundamento, ergo nec relatio extrinsecus adueniens, cuiusmodi est locus. Ant. est in promptu, in vna quantitate extant duæ relationes æqualitatis, ad duo æqualia, & in vna qualitate duæ relationes similitudinis, ad duo similia: ergo in vno corpore duæ circumscriptiones locales. Idque corroboratur, non magis adæquat quantitatem sua præsentia ad locum, quam substantiam sua præsentia sibi conueniens: substantia autem, vt corpus Christi in Euch. habet plura vbi, seù præsentias Sacramentales, & definitiuas, in omnibus hostiis consecratis, tametsi in cælo circumscribatur, & commensuretur loco, igitur non repugnat vnum corpus plura loca simul participare.

22. Not. secundò, ex Scot. *vbi suprà*, *H* & Canon. cit. §. *His visis.* Primò ad soluenda argumenta opponentium, tres exigi regulas, & documenta; quorum primum est, quæ præcedunt locum conuenire corpori locato iis cunctis locis, in quibus existit, eodem modo, quo si existeret in vno tantum loco, vt si corpus est viuens in omnibus locis, in quibus locatur, est viuens. Itemque si corpus in vno loco est altitudine sex palmorum, vtique & in alio loco eadem quantitate gaudet; causa est, quia prius non variatur, nec multiplicatur, ad variationem, & multiplicationem posterioris; ideò potest multiplicari posterius, putà locus, sine multiplicatione prioris nempè corporis permanentis cum omnibus illis, quæ ipsum consequuntur. Secundum absoluta, & à loco non dependentia, si corpus recipiat in vno loco, quoque & in altero loco: ratio est, quia vna est eius potentia passiua, propterea si ab agente in eo imprimat formam absolutam approximato iis vno loco, eadem etiam forma recipietur ab ipso, in altero loco, propter vnius corporis identitatem, vt planum fiet in sequenti not. secùs verò res se habet de forma relatiua, quæ multiplicari potest, penes locorum multiplicationem: ratio redditur, potest aliquod obiectum esse præsens vni corpori posito in vno loco, quod nequaquam præsens est eidem corpori locato in alio loco; sic homo idem replicatus Romæ, & Parisiis, potest adesse Romæ, coram summo Pontifice, & Parisiis, coram Christianissimo Rege. Tertium quæ agit, & operatur in vno loco, pariter & in alio, ratio est, quia vtrobique eadem virtute, & potentia pollet, ob id si meretur in vno loco, etiam in alio loco, quoniam habet vnum, & idem principium merendi, quæ est eius voluntas: quod vt planius fiat.

23. Not. tertiò, pleroſque allucinari exiſtimantes, ad plurificationem loci, quoque plurificari virtutem actiuam, & paſſiuam vnius corporis in multis locis exiſtentis, ac etiam arbitrantes ob diſtantiam locorum, non poſſe corpus replicatum recipere quamcumque paſſionem, vt ſi ignis Taurini approximetur corpori ibi exiſtenti, & calefaciat, non poſſe Pariſiis idem corpus calefacere. Nam, licet agens naturaliter non agat extrà ſphæram ſuæ actiuitatis, tamen ignis Taurini non calefacit Pariſiis, ſed idem corpus exiſtens in vtroque loco calefit abſolutè, quia calefactio abſolutè non pendet a loco. Quare, eſt quidem diſtantia, quoad locum, non verò quoad corpus, cum ſit tantum vnum corpus, ergo ſi patitur in vno loco, quoque & in alio, & vbicumque fuerit replicatum, vt patet ex primo canone tradito *in* 2. *not.* Hinc ſubdit Doct. cit. *in ſolutione* 3. *M.* ſi corpus vulneretur in vno loco, non vulnerari in altero loco, quia vulneratio præſefert diuiſionem continui, ab aliquo hic, & non alibi diuidente, at vtrobique corpus habet vulnus, cum vulneratio ſit partium diſcontinuatio, quæ eſt in eodem corpore, vbicumque reperitur.

24. Aſſertiò prima, vi diuina vnum numero corpus poteſt ſimul exiſtere in vno loco circumſcriptiuè, & in alio definitiuè, ſiue Sacramentaliter. Ita Scot. *vbi ſuprà*, & *quæſt.* 3. & *in Rep.* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 2. & 3. & *Quol.* 11. Et ponitur *de conſecrat. diſtinct.* 2. *cap. prima hæreſis.* Probatur primò, ex S. Chryſoſt. *tertio de Sacerdotio*, ſic exclamante. *O miraculum! ô Dei benignitatem, qui cum Patre ſurſum ſedet, & in illo ipſo temporis articulo, hominum manibus pertractatur.* Et *hom.* 7. *in epiſt. ad Hebræos. An quia in multis locis affertur, multi Chriſti ſunt? nequaquam, ſed vnus vbique eſt Chriſtus.*

Secundò, Chriſtus Dominus in vltima cœna, cum Apoſtolos communicauit, erat in loco circumſcriptiuè, & ſimul verè in omnibus partibus panis Sacramentaliter, quas illis manducandas tribuit, vt patet Matth. 26. *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.* Et 1. Cor. 11. *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Atque nunc idem corpus Chriſti eſt in cælo ſedens ad dexteram Patris, circumſcriptiuè, & in Euch. ſacramentaliter. Rurſus, à corpore quanto diuinitùs tolli poteſt extenſio externa, quæ eſt eius effectus, ſicque corpus erit in loco definitiuè; tunc enim abſoluetur à repletione locali, eſſetque extenſio interna quantitatis, abſque extenſione externa, vt ſcripſi *l.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 2. Idque euenit in omnibus, & ſingulis hoſtiis conſecratis. Infertur ergo, idem corpus poſſe eſſe in vno loco circumſcriptiuè, & in alio definitiuè, veluti corpus Chriſti, quod eſt in pixide ſacramentaliter, & in Empireo circumſcriptiuè.

25. Aſſertio ſecunda, potentia Dei abſoluta, idem corpus poteſt conſtitui ſimul in duobus locis circumſcriptiuè. Defenditur à Doctore *locis pranarratis*, eſtque communis hoc tempore, quam Rich. cit. *quæſt.* 2. vocat tutiorem, ab errore alienam, authoritati, & veritati conſonam. Subdit Gabriel *in can. lect.* 46. eam magnificare potentiam Dei. Addit Suarez 3. *part. Tom.* 3. *diſp.* 8. *ſect.* 4. eſſe valdè conſentaneam principiis fidei catholicæ. Et Valentia *T.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 5. *p.* 1. §. 23. ſcribit, aduerſam ſententiam à Catholicis refelli, tanquam minus congruentem veritati fidei orthodoxæ. Probatur primò, ex Hug. Victorino 2. *de Sacrament. parte* 8. *cap.* 11. *Si corpus vnum eodem tempore in diuerſis locis ſimul eſt, noli mirari, qui fecit vt vnum corpus in vno loco eſſet, fecit, ſicut voluit, & aliter, ſi voluiſſet, facere potuiſſet, nam & quando vult, aliter facit.* Deindè ſubijcit. *Cogita facientem, & deſinet eſſe mirabile, quidquid illud fuerit.* Hoc ipſum innuit D. Auguſt. 4. *de conſenſu Euangeliſtarum ad finem cap.* 25. vbi expendens *Act.* 9. & 22. viſionem, quam habuit S. Paulus de Chriſto Domino, & antè S. Petrus, aliique Apoſtoli participes eius fuere, vt legitur 1. *Cor.* 15. ſcribit, ſed hoc iam de Cælo, poſt non paruum tempus Aſcenſionis ſuæ. Ex quo infero, ſicut illis verè, & realiter Chriſtus viſus eſt, ita & iſti. Cum tamen Chriſtus idem non reliquerit Cælum ex quo ad ipſum aſcendit, Authore eodem Auguſt. *Tract.* 30. *in Ioan. Donec finiatur ſæculum, ſurſum eſt Dominus.* Et deducitur ex ſacra pagina, *Act.* 3. *Quem oportet Cælum ſuſcipere, vſque in tempora reſtaurationis omnium.* Vbi Lyran. exponit, à die Aſcenſionis, vſque ad diem iudicij vniuerſalis Chriſtum ſeſſurum ad dexteram Dei Patris: ergo cum idem Chriſtus in cælo ſit circumſcriptiuè, ipſumque non deſerens, alibi etiam in loco circumſcriptiuè viſus ſit, clarè euincitur, idem corpus circumſcriptiuè poſſe exiſtere in pluribus locis. Dicere autem cum Complut. *diſp.* 19. *quæſt.* 8. § 5. *ad quartum*, tunc Chriſtum dereliquiſſe Cælum, breui temporis interuallo, & veniſſe in terram, non congruit præfatis teſtimoniis, quia etiam in die iudicij, exiguo temporis interſtitio Cælum deſereret, quod ſacer codex notat, ergo cum abſolutè aſſerat, illum non venturum, niſi veniat ad iudicium, illicque ſemper manſurum, vſque ad illud præfinitum tempus, infertur, nec breui temporis mora, ipſum à cælo abeſſe, nec abfuiſſe, nec abfuturum, alioqui voluntariè vis dictis authoritatibus infertur, ſicut ab eis, qui imaginarias, & non reales faciunt præfatas, aliaſque ſanctorum viſiones.

Secundò, quod non repugnat, poteſt à Deo fieri, vt obſeruaui in primo, not. & ſignificatur *Matt* 19. *apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Et inſinuatur ab Aug. *l. de natura, & gratia, contrà Pelagianos cap.* 7. & *l. de ſpiritu, & lit. cap.* 5. *quæ ſunt apud nos impoſſibilia, apud Deum ſunt facilia.* Idem autem corpus ſimul occupare plura loca circumſcriptiuè, & commenſuratiuè, non repugnat: quia definitiuè, & Sacramentaliter efficitur, vt patet de corpore Chriſti exiſtente in multis hoſtiis conſecratis, ergo circumſcriptiuè fieri quoque poteſt. Thomiſtæ, quos ſequuntur Complut. cit. id concedunt ſacramentaliter, & definitiuè, negant verò quantitatiuè, & circumſcriptiuè, quandoquidem locatum circumſcriptiuè adæquatur loco, extrà quem exire nequit, itaut implicet ab alio ambiri, & contineri: non ſic eſt præſentia Sacramentalis, quæ conuenit corpori non ratione quantitatis, ſed ratione ſubſtantiæ, quatenus ſubſtantia panis conuerſa eſt in ſubſtantiam corporis Chriſti. Contrà, ſicut corpus Sacramentaliter, & definitiuè continetur à loco definitiuo; ita ambitur, & continetur à loco circumſcriptiuo, quia vtrumque tàm corpus, quàm locus eſt limitatum: & licet corpus, vel ſpiritus ſit in vno loco definitiuè, poteſt quoque eſſe in alio definitiuè, vt de fide ſancitur de corpore Chriſti exiſtente in cunctis hoſtiis conſecratis; ergo idipſum aſſerendum eſt de quocumque corpore, quod ſcilicet eſſe valeat ſimul in multis locis circumſcriptiuè, cum par vtrobique extet ratio. Nec conuerſio panis in corpus Chriſti eſt cauſa, qua ipſum eſt ſic in Euch. Sacramentaliter. Nam tranſacta conuerſione, adhuc illud corpus participat illum locum, & præſentiam Sacramentalem: atque ſi panis non tranſubſtantiaretur in corpus ipſum, ſed maneret idem panis, adhuc poſſet ibi eſſe tale corpus, vt oſtendit Doct. 4. *d.* 11. *q.* 3. Quin etiam nihil obſtat, quod ſicut conuertitur ſubſtantia panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti; ſic à Deo conuertatur quantitas, in quantitatem, quo pacto corpus erit in eo loco quantitatiuè, & dimenſiue, ſicut locatur in cælo. Deinceps, commodiùs, & faciliùs eſt vnum corpus eſſe in duobus locis circumſcriptiuè, quam in vno circumſcriptiuè, & in alio definitiuè: ſiquidem in primo modo eſt tantum vnum miraculum, putà replicatio vnius corporis, in duplici loco: in ſecundo autem ſunt duo miracula,

replicatio eiusdem corporis in duobus locis,& abstractio quantitatis eius ab externa extensione, & commensuratione locali. Potius ergo corpus potest simul statui in duobus locis vna cum suo modo naturali,hoc est circumscriptiuè, quàm in vno loco,cum modo naturali, id est commensuratiuè, & in alio sine modo naturali, nempè definitiuè, siu: sacramentaliter. Corpus in Euch. est totum integrum, & perfectum sicut est in cœlo, solum præscindit à repletione locali, quæ est effectus quantitatis inhærentis in illo: potest autem Deus à dicta quantitate non amplius abstrahere, & suspendere eius effectum, vt præstitit in fornace Babylonica, cuius ignis combussit lictores Regis, cum ante non combussisset tres pueros Hebræos in eum proiectos, Deo cum dicto igne non coagente: sicque quantitas eius corporis repleret locum, in quo foret circumscriptiuè: rectè ergo deducitur, quod si corpus potest existere in loco definitiuè, vtrque, & circumscriptiuè, & negantes hoc secundum, quoque primum refellerent, nisi ad id tenendum Fides orthodoxa eos astringeret, perhibente ingenioso Bass. 4. *dist.* 10. *quæstion.* 3. *artic.* 5. *in fine.* Addit alter Doctor ab eo allegato. *Mirum est, oppo entes magis sequi inanem imaginationem, & puerilem phantasiam, quam certam, & veram rationem nostra fidei conformem, & consentaneam.* Tertiò, mag.s, aut æquè possibile est, duo corpora simul existere in eodem loco circumscriptiuè, ac vnum corpus esse in duobus locis simul circumscriptiuè: sed illud conceditur ab Aduersariis, vt patuit in antecedente art. ergo & illud ab eisdem est concedendum. Ma. suadetur, prius non multiplicatur, ad multiplicationem posterioris, vna quippe causa habes plures effectus, vt vnus Deus, plures creaturas, vnus sol, plures radios, & vnus pater, plures filios: igitur, non inconueniit vnum corpus, quod prædedit quodcumque accidens, quod in ipso inhæret, habere plura loca, in quibus simul existat. Deindè,non magis limitatur corpus ad locum, quàm locus ad corpus, quia vtrumque est finitum, & limitatum: locus autem potest recipere simul duo corpora, ex dictis, ergo & corpus simul plura loca. Occurrunt Complut. *vbi suprà*, negantes paritatem. Inquiunt enim Deum posse impedire effectum secundarium quantitatis, qui est exclusio alterius corporis ab eodem loco,non verò primarium, qui est repletio localis, & circumscriptio adæquata corporis vn us, alioqui non esset vnum corpus, sed multiplex, quod est extrà thesim. Contrà, Deus non impedit effectum primarium à duobus corporibus simul occupantibus eumdem locum, vt fatentur Antigonistæ, ergo nec eum impediet ab vno corpore existente simul in duobus locis, cum hoc corpus quantitatem, & reliqua omnia participet, ac si in vno loco tantùm existeret. Igitur, si duo corpora ambiuntur circumscriptiuè ab vno loco, pariter vnum corpus à duobus locis commensurari potest. Nec sequitur esse multiplex, tum quia corpus per locum non indiuiduatur, cum sit eo prius, tum etiam quia multiplicatur locus, non verò corpus, veluti accidentia inhærentia simul in vno subiecto, multiplicantur quidem ea accidentia, ipsum verò subiectum manet vnum dumtaxat. Demum omnia opponentium argumenta facilè diluuntur, vt mox patebit, & commodè contra ipsos retorquentur è Rusion. & Bass. cit.

26. Oppones primò, S. August. 50 *contra Faustum, cap.* 11. scribit, Christum commensuratiuè non potuisse simul existere in sole, & Luna, & in cruce, Idem videtur sentire D. Ansel. *in Monol. cap.* 15. inquiens vnum totum non posse esse in locis diuersis: corpus autem est vnum totum conflatum ex materia, & forma. Igitur vnum corpus simul nequit plura loca possidere. Respondeo August. *lo in lib.* non autem *lib.* 10. *contra Faustum*, vt perperam allegant Complut. *vbi supra*, loqui de facto, non verò de possibili, potentia absoluta. Agit namque contrà prænominatum Manichæum statuentem tres Christos, quorum vnum in sole, & luna extensum locabat, contra quem hic arguit Sanctus Doct. Christus verè in cruce passus est, & ex quo natus est ex Virg. semper deguit in terra, donec post resurrectionem ascendit in cœlum, ergo pendens in cruce, non erat simul distentus in sole, & luna, vt imaginabatur Faustus, contra quem idem August. insurrexit. Ad Ansel. dico ipsum loqui de virtute creata, non verò de increata, & diuina, interprete Rich. 4. *dist.* 10. *art.* 2. *quæst.* 5.

27. Oppones secundò, si vnum corpus potest esse circumscriptiuè simul in duobus locis, vtique in decem locis, immò vbique, quia non magis possibile est esse in duobus, quam in omnibus locis, & virtus, quæ illud locare potest in duobus, in omnibus quoque ponere valet: esse autem vbique soli Deo competit, per suam immensitatem, & infinitatem; igitur repugnat vnum corpus simul manere quantitatiuè, & extensiuè in duobus locis. Conf. vnum corpus nequit duplici tempore durare, ergo nec in duplici loco locari. Concessa seq. ma. distinguenda est mi. esse vbique conuenit tantum Deo, ex se, & virtute sua, & immensitate, concedo: virtute alterius, nego. Id namque adaptari potest corpori potentia Dei in cunctis locis replicato. Sic Christus vi propriâ surrexit, *Marci* 16. Lazarus verò potentia Dei, *Ioann.* 11. Ad conf. concedo ant. nego conseq. Ratio est, quia successio est de essentia temporis, non verò de essentia loci, qui materialiter sumptus est species quantitatis permanentis, vt patet 4. *Report. dist.* 10. *quæst.* 3.

28. Oppones 3. corpus esse in loco circumscriptiuè est ita commensurari vni loco, vt non commensuretur alteri loco: vnum autem corpus vni tantum loco commensuratur: igitur alteri loco commensurari nequit, proindéque vnum corpus neutiquam simul dua loca occupare valet. Conf. Quantitas est ratio formalis occupandi locum, & forma non multiplicata, eius effectus formalis non multiplicatur, ergo cum in vno corpore vna sit tantùm quantitas, planè sequitur, vno tantum loco posse circumscribi. Nego. ma. esse enim in loco circumscriptiuè perinde est, ac commensurari, & circumscribi à loco, non autem designat negationem alterius loci: veluti esse in loco Sacramentaliter, non importat negationem alterius loci, vt patet de corpore Christi, quod verè, & realiter re. existit in cunctis hostiis consecratis. Quare capacitas naturalis vnius loci, est duntaxat ad vnum tantum corpus recipiendum, obedientialis verò, respectu virtutis supernaturalis est ad plura corpora recipienda. Potest quoque declarari de vno obiecto, quod multis cognitionibus cognoscitur, vnus color multis visionibus videtur, vnus que sonus multis auditionibus auditur. Ad conf. dico, quantitatem esse rationem occupandi locum non proximam, & formalem, sed remotam, & fundamentalem: in vno autem fundamento fundari queunt plures relationes, vt in qua potentia generandi actiua plures relationes paternitatis, ad plures filios ab eodem patre genitos.

29. Oppones quartò, si vnum corpus simul esse quiret in duobus locis, vna materia simul posset informari diuersis formis: id autem, tanquam impossibile reiectum est suprà, quæstione de forma: ergo & istud refellendum est. Sequela ma. suadetur, idem cibus replicatus in diuersis locis posset comedi à diuersis animalibus, proindéque informaretur diuersis eorum formis, putà eorum animabus. Conf. datâ hypothesi, idem animal in se reciperet simul contraria, in vno quippe loco frigeret, si ei gelu apponeretur, & in alio caleret, si ei approximaretur ignis. Itemque, in vno loco ægrotaret, si aër ei foret noxius, & in alio, benè valeret, si aër ei esset salubris: hæc autem, & consimilia apparent absurda, & impossibilia, ergo &c. Nego sequelam ma. ad eius probationem dico, eum cibum partialiter comedi à diuersis animalibus, ac si in

eodem

eodem loco existerent, vnumquodque partem eius accipetet, sicque vna materia nequaquam duabus formis simul informaretur. Siquidem, idem ferendum est iudicium, de cibo posito in pluribus locis, ac si foret in vno loco, & simul adessent diuersi animalia ibi ad illum comedendum. Per hoc patet ad conf. Idem quippè existimandum est de corpore existente simul in duobus locis, ac si existeret in vno tantùm loco, præsentatis sibi contrariis. Si enim, vnum contrarium est fortius, & validius alio, vt ignis est potentior gelu, corpus calefiet, quia vnum contrarium fortius reportat victoriam de alio contrario minùs forti. Propterea, non sequitur, idem ardere, & algere, ægrotare, & valere. Causa huius tradita est in secundo not. quia idem est corpus, quod est absolutum independens à loco, ob id si patiatur in vno loco, vtique paritur in alio.

30. Oppones quintò, idem nequit simul viuere, & mori, saluari, & damnari, mereri, & demereri: Si autem idem homo duo loca simul occuparet, in vno posset viuere, & in alio mori, in vno esse in Dei gratia, & in alio in peccato, in vno loco occidi ab inimico, & in alio ab amico defendi. In vno habens confessarium, & moriens contritus, saluus fieret: in altero, carens confessario, & moriens impœnitens damnationem incurreret. Rursùs, si in vno loco offeratur sibi obiectum peccati, peccaret: alibi verò, haud sibi præsentato obiecto peccati, non peccaret, sicque foret simul Deo acceptus, & non acceptus, quod implicat: ergo &c. Concedo ma. nego min. Ratio est, quia vnica est tantum vita vnius hominis viuentis, vna anima, vnaque voluntas: ideò si moreretur in vno loco, vtique & in alio, & si peccaret in vno, quoque & in alio, & si foret Deo gratus hic, pariter alibi. Vna quippè est voluntas vtrobique existens, quæ est causa meriti, & demeriti, salutis, & perditionis.

31. Dices, si quis vulneretur Romæ, non vulneratur Parisiis, cum hostis eius adsit Romæ, non autem Parisiis. Similiter, si furtum committat Parisiis, & suspendatur, non furabitur Romæ, nec ibi suspendetur, cum occasio furandi sese offerat Parisiis, non verò Romæ. Actio autem non fit in distans.

Dico quidem, vulnerationem contingere Romæ, sed diuisionem carnis eius: verùm, quia corpus vnum est, vulneratum apparet, tam Parisiis, quàm Romæ. Quod alij inquiunt, per se primò vulneratur Romæ, & parisiis concomitanter, veluti relationes similitudinis, per concomitantiam consurgunt in locis proximis, ac distantibus. Idipsum astruendum est de furto, quod quidem fit parisiis, ibique is suspenditur, tamen peccatum furti imputatur voluntati eius, qui quoque adest Romæ, cum sit idem vtrobique.

32. Quæres, si Petrus replicatus Mediolani, & Taurini, veniret Mediolano Taurinum, & Taurino Mediolanum, dum in eadem semita sibi occurreret, quid fiet tunc, si aduersa facie secum ipse congrederetur? fieretne alter Ianus? Dico, non fieret alter Ianus, vt indicat Scot. *in fine. quæst. citat.* quia vnum corpus, siue homo vna tantum pollet facie, & desineret tunc esse in pluribus locis, veluti si brachium à corpore auferatur, anima desinet esse in brachio, & Theologi communiter docent, statim ac corruptæ sunt species sacramentales in Stomacho sacerdotis, corpus Christi in eis desinere esse.

QVÆSTIO III.

De Vacuo.

ARTICVLVS I.

An sit vacuum.

1. PYTHAGORæI teste Arist. 4. *Phys. cap. 6. T. 56.* & alij pauci arbitrantur dari vacuum in rerum natura: aduersos quos decertant Philosophus nunc cit. Scot. 4. *dist. 49. quæst. 16. §. Alij dicunt ante E.* Et *dist. 13. §. Ad rationes H.* & cæteri posteriores Philosophi, negantes à parte rei esse quidpiam vacuum.

2. Not. vacuum trifariàm vsurpari. Primò, pro inani, siue negatione loci, quo in sensu extra cælum dicitur esse vacuum, siue spatium imaginarium, cum tamen extrà ipsum cælum, nihil prorsus sit. Secundò, pro carentia corporis opaci, solidi, & sensibilis, cuius meminit S. Bon. 2. *dist. 13. art. 2. quæst. 3.* Sic domus carens bonis mobilibus dicitur vacua, & crumena, expers pecuniæ quoque perhibetur vacua. Tertiò, pro priuatione corporis contenti, & hoc est propriè vacuum. quod definitur 4. *Phys. cap. 7. T. 60.* locus priuatus corpore, & de vacuo sic accepto in præsentia differimus, vt si Deus destrueret omnia corpora à concauo orbis Lunæ vsque ad terram, illud interuallum, inter lunam, & terram interpositum, esset propriè vacuum, quia foret priuatum corpore.

3. Ass. non datur vacuum in rerum natura. Tenet Doct. *vbi suprà*, & insinuat *3. d. st. 27 § Ista rationes*, & expressè *quol. 12. art. 2. ante E.* Probatur primò, res creatæ ita sunt dispositæ, & connexæ, vt vna contineatur ab alia, eique approximetur, vt patet de terra, aqua, aëre, & reliquis sibi inuicem contiguis, & proximis, ac vnitis. Hinc iure subiicit Aristot. 1. *Meteor. 2. Oportet Mundum hunc subiectum esse superioribus lationibus.* Atque addit S. Aug. 8. *Ciuit. cap. 25. Elementorum catenata, & colligata series extat.* Vbi Viues exponit, *Coniunguntur elementa inter se, veluti annuli in catena* Ideò celebratur illud a Philosophis, *Natura abhorret vacuum.* Secundò, experientia comprobatur, ne fiat vacuum, grauia ascendere sursum, & leuia descendere deorsum, vt aqua per attractionem aeris in fistula sursum fertur. Atque si os phialæ calefit, & ponatur supra aquam, videtur ipsa aqua ascendere in phialam Iterùm, per fumum lucernæ extinctæ, ignis descendit ad eam reigniendam, & reaccendendam. Denuò, audiuntur tonitrua, terremotus, bombardarum fragor, & id genus alia, ne permittatur vllo modo vacuum.

4. Opp. 1. antè fabricationem Mundi, erat quoddam spatium vacuum, in quo ipse mundus conditus est, & modo extrà eumdem, est aliud spatium, in quo Deus si velit potest creare alium Mundum, ergo à parte rei non est inficiandum vacuum Conf quod à superiori, ad inferiorem locum cadit, aut recipitur in pleno, aut in vacuo, non primum, alioqui duo corpora forent simul in eodem loco, ergo secundum, sicque habetur vacuum. Distinguo ant. si vacuum accipiatur propriè, pro carentia corporis contenti, nego: quod si sumatur pro inani, concedo, quia antè, & extrà Mundum, nihil est. Ad conf. dico, recipi in pleno, vnumque alteri locum cedere.

5. Oppones secundò, si vas aqua impleatur, & vndique obfirmetur, ponaturque in loco frigido, congelabitur illa aqua, locumque minorem occupabit, & cum aer ingredi nequeat illuc, sequitur aliquod vacuum, naturaliter, ergo effici potest vacuum. Respondeo data hypothesi, vel aqua non congelabitur, vel vas frangetur, ne fiat vacuum, vt constat experientia.

 6. Oppo

6. Oppones tertiò, si fuerint duæ tabulæ æquè planæ simul iunctæ, ita vt inter eas, nec aqua, nec aer interueniat, si statim vna ab altera disiungatur, in aliqua earum parte continget vacuum: ergo vacuum est possibile. Respondeo, si huiusmodi tabulæ æqualiter planæ extiterint, & simul iunctæ moueri nequirent, nisi oblique, alioqui, vna sequetur aliam, ne concedatur vacuum. Addo, quod Aristot. 2. *animæ T.* 113. putat impossibile, dari corpora perfectè plana se immediatè tangentia. Necesse quippe est, inter duo corpora opaca intercedat aliquid aeris, vel aquæ, cum omnia sublunaria sint adinuicem permixta.

ARTICVLVS II.

An per aliquam virtutem possit effici vacuum.

7. Viribus naturæ, vacuum effici non posse, manet decisum, & probatum in præcedente art. in præsenti autem ambigitur, num virtute Angeli, aut potentia Dei vacuum dari queat, necne.

8. Assertio 1. per virtutem Angeli non potest fieri vacuum. Deducitur ex Scot. 2. *d.* 2 *q.* 12. §. *Hic dicunt C.* Et 4. *d* 49 *q.* 13. *Respondeo C.* Suaderi potest ex sacris litteris, *Iob.* 24. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Ac si dicat, vt colligitur ex Postilla Lyr. nec Angelus, nec homo, nec vlla creatura potest inuertere, & mutare ordinem rerum à Deo statutum, & stabilitum, proindéque nec tantillum vacui præstare. Item *Hebr.* 2. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ.* Addit Scot. *in* 4. *proxime cit.* causæ corporales non obediunt Angelis ad motum, quantum ad actionem, & alterationem earum. Fauet D. Aug. 3. *Trin.* inquiens, corpoream materiam non subiici Dæmonis potentiæ. Secundò, vbi extat causa eiusdem rationis, ibi habetur effectus eiusdem rationis: causa namque naturalis non impedita, cum omnibus requisitis ad agendum, vniformiter suum edit effectum: propter autem eamdem rationem datur vacuum, ac duo corpora simul ponuntur in eodem loco, vt rectè prosequitur Mayr. 4. *dist.* 11. *quæst.* 6. §. *Aduertendum.* Quia vtrobique dissoluitur connexio rerum, & demitur ordo vniuersi. Angelus verò nequit simul statuere duo corpora in eodem loco, cum ordinem a Deo præfixum immutare non valeat, teste Scot. 2. *dist.* 2. *quæst.* 12. §. *Hic dicunt C.* Ergo nec in Mundum inuehere vacuum. Tertiò, si maior virtus aliquem effectum non potest attingere, nequit minor, vt patet per locum à maiori, ad minus: maior autem virtus virtute Angeli, cuiusmodi est tota potentia vniuersi, nequit vacuum inducere, vt ostendi in præcedente art. Ergo nec Angelus id præstare valet.

9. Assertio 2. per Dei potentiam potest esse vacuum. Ita Scot. *Quol.* 11. *art* 2. *sub D.* Et 4. *dist* 43. *quæst.* 5. *art.* 1. *D.* Et *in Report ibid* §. *Sed hic occurrit.* Quem sequuntur omnes Scotist. præter vnum Vulpem 1. *part. disp.* 18. *art.* 3. *n.* 6. *& inde.* Probatur primò, omnia subduntur, & obsequuntur diuinę voluntati: *Voluntati enim eius quis resistet? Rom.* 9. Ergo si Deus velit, potest amouere aliquod corpus à suo loco, & impedire, ne in eum locum ingrediatur aliud corpus, sicque natura patietur vacuum. Secundò, qui potest construere, potest quoque destruere: immò facilius est destruere, quam construere, 2. *Top. cap* 9. Deus autem construxit vniuersum: ergo si velit potest destruere, & annihilare quædam corpora, putà aërem, & ignem, & impedire, ne alia corpora, locis eorum succedant, quo pacto fieret vacuum. Insuper, faciliùs est naturam pati vacuum, quam duo corpora simul occupare eumdem locum: Siquidem in primo, impeditur naturæ operatio, quæ est succurrere rei deficienti, vel deserenti aliquem locum. In secundo autem obsistitur eius inclinationi, quæ fertur ad vnum proprium locum: istud verò potest Deus, vt patet ex superioribus assertis, ergo & illud.

10. Opp. 1. de primo Angelo scribitur *Iob.* 41. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei.* Vbi Lyran. inquit, Luciferum virtute omnes creaturas corporeas, vincere. Et *Apoc.* 2. *Qui non cognouerunt altitudinem satanæ.* Si ergo tanta est eius potentia, nihil obstat, quin valeat inducere vacuum, priuans aliquod corpus suo loco. Respondeo exponenda esse prælata testimonia non absolutè, sed respectiuè, hoc est respectu cuiuscumque creaturæ particularis, non verò respectu totius naturæ, siue vniuersi simul colligati.

11. Opp. 2. Angelus mouet seipsum localiter potestque ciere corpora sublunaria, & in eorum motu impedire ne quædam subintrent in locum aliorum, quo pacto haberetur vacuum: igitur efficientiam vacui Angelo non est deneganda. Respondeo quidem Angelum & mouere seipsum, & corpora prædicta, ne autem vnum corpus succedat in locum alterius corporis, præstare nequit, ratione cuius accideret vacuum, quia non potest mutare ordinem rerum a Deo sancitum, nec superare vniuersalem potentiam totius naturæ simul vnitæ, & connexæ.

12. Opp. 3. contra 2. ass. Deus nequit agere, contra ordinem rerum ab ipso constitutum, & regulas ab æterno præscriptas, alioqui foret quidpiam inordinatū, & præposterum, quod diuinæ sapiētię repugnat: at si Deus faceret vacuum, immutaret rerum ordinem, & inconnexam faceret mundi machinam, reclamante Arist. *ad finem* 12. *Met.* Distinguo ma. de facto, & potentia Dei ordinata, concedo: de possibili, & potentia absoluta, quæ nulli legi astringitur nego.

13. Opp. 4. si pars præcipua à parte totius tollatur, totum destruitur, vt si caput à collo hominis auferatur, perit homo, ac si elementa, quæ sunt pars præcipua mundi auferantur, dato vacuo, sequitur Mundum periturum, quod apud Aristot. est impossibile. Conf. 1. nequeunt latera continentis distare, nisi interponatur medium, vacuo autem admisso, nullum interciperetur medium, ergo &c. Conf. 2. inter duo instantia mediat pars temporis, ergo inter duo extrema corpora, non potest esse vacuum, cum necesse sit medium esse plenum. Respondeo argumentum valere de toto essentiali, & integrali, non verò de toto accidentali, & vno ordine, cuiusmodi est Mundus: sic si pereat pars exercitus, vel Ciuitatis, quæ est vna ordine, non perit totus exercitus, vel tota Ciuitas. Pariter si aër, aut altera pars Mundi destruatur, dato vacuo, non sequitur vniuersum totum destrui, sed destruitur solum illa pars, per admissionem vacui. Ad 1. conf. distinguo m. nisi adsit medium positiuum, nego: priuatiuum concedo. Per hanc distinctionem patet ad 2. conf. potest enim esse tempus priuatiuum, siue imaginarium, sicut post diem iudicij, cessante motu Cæli, tempus positiuum non erit amplius, vt euenit tempore Iosuè, cum sol stetit, nec festinauit occumbere, testante sacro codice, *Iosue* 10.

ARTICVLVS III.

An dato vacuo, corpus in eo positum moueri possit localiter.

14. HÆc difficultas, quæ est hypothetica, & conditionalis duas includit dubitationes nunc examinandas, & decidendas, quarum prima est, vtrùm si concedatur vacuum, in eo effici queat motus? secunda verò, num, si in vacuo fiat motus; talis motus sit instantaneus, aut successiuus? Quoad priorem dubitationem, Arist. 4. *Phys c.* 8 *&* 9. parti negatiuæ adhæret, arbitraturque se eam demonstrare tribus demonstrationibus à *T.* 64. *ad T.* 83. allatis, & solutis à Bonet. 5. *Phys. cap.* 1. §. *Dissolutio.*

Dissolutio. Parisiens. 4. *Phys quæst.* 1. *fol.* 40. Tatar. *ibid. quæst.* 2 *Canon quæst.* 4. *art.* 2. Ioan. de magistris, & alijs *in eo loco*. De posteriori verò, scilicet dato motu in vacuo, idem Philosophus ibi asserit eum motum effectum in non tempore, hoc est in instanti, cui stipulantur Auer. *com.* 71. Suecian. & alij peripatetici *in eodem passu:* reclamantibus Scot. 2 *dist.* 2. *quæst.* 9. *ad* 4. *sub Y.* Th. 4. *Phys lectio* 12. Tol. *quæst.* 9. & alijs communiter, qui affirmant motum in vacuo fore successiuum.

15. Not. ex Doct. mox alleg. §. *Ad argumenta* Z. diuisibilitatem, continuitatem, & successionem motus ex duplici causa posse prouenire. Prima ex resistentia mobilis ad motorem, cum enim mouens sit virtutis finitæ, & limitatæ, nequit mouere statim mobile, & protinùs transferre ipsum a termino à quo, ad terminum ad quem sed exigit tempus, & debitam moram, vt acquirat locum propositum, & intentum, præsertim quia id statutum est à Deo, vt creatura successiuè agat in suis operibus. Idque conspicitur in productione formarum naturalium, quarum vna succedit alteri, & proceditur ab imperfecto, ad perfectum. Secunda, ex resistentia medij: Siquidem, cum mobile debeat pertransire medium, vt attingat terminum ad quem, ipsi medium resistit, vt patet in exclusione bombardæ, in qua fit fragor, resistente ipsi aëre, in volatu auis, & natatu piscis, ipsi obsistente aqua. Prior dicitur essentialis, posterior verò accidentalis, & vtraque rectè explicatur, & illustratur à Bonet. *vbi suprà.* §. *De spatio autem*. Rursus, distantia vnius extremi, ad aliud, statuitur duplex, vna positiua, quæ habetur, cum medium est plenum, & altera priuatiua, cum medium est vacuum, addi potest tertia, putà negatiua, quando medium est inane, seù nihil. Hinc spatium denominari potest positiuum, vel priuatiuum, vel negatiuum, penes distantias præallatas, & præexplicitas.

16. Ass. 1. si foret vacuum, corpus in eo positum posset moueri. Ita Scot. cit. Probatur primò, ex 1. *Cæli*, *summa* 8. *cap.* 2. si forent duo Mundi, terra vnius Mundi cieretur ad terram alterius: inter autem illos duos mundos interciperetur vacuum: ergo in vacuo esset motus. Secundò, vbi sunt mouens, & motum debite approximata, & non impedita, ibi est motus: causa quippe naturalis sufficiens, cum omnibus circumstantijs edit effectum sibi proportionatum: in vacuo autem possunt esse mouens, & motum absque vllo obice, cum vacuum sit priuatio corporis contenti duntaxat, vt si Deus in vacuo poneret hominem, & baculum in manu eius: indubiè ipse homo in eo positus talem baculum mouere quiret. Quis enim eum ab huiusmodi motu impediret, & retraheret: Ergo, in vacuo fieri potest motus. Tertiò si Deus annihilaret aërem huius aulæ, fieret certè vacuum, si impediret, ne aliud corpus in locum eius succederet, & si sursum foret lapis, omni impedimento semoto, deorsum caderet, cum sit grauis: omne quippe graue extrà suum centrum dummodò nihil ei obsit, deorsum fertur. Deindè, si quid obstaret maximè, quia deest medium plenum: at medium plenum non est causa motus; immò si est densum, & crassum, retardat ipsum motum. Ideò mobile citiùs, & velociùs mouetur in aëre, qui est rarus, & subtilis, quam in aqua, vel terra, quæ est densa, & crassa: igitur à vacuo motus non est remouendus.

17. Ass. 2. motus in vacuo esset successiuus. Tenet Doct. *vbi suprà*, & 2. *dist.* 2. *quæst.* 13. §. *Hic dicunt C.* Suadetur primò, mouens finitum, & limitatum relinquens terminum à quo, & acquirés terminum ad quem agit in tempore, & successiuè operatur: ideò extat illud vulgatum, natura non agit in instanti. & Arist. *passu memorato*, pro inconuenienti habet, motum fieri in non tempore seù in instanti, ergo mobile in vacuo, si daretur, successiuè moueretur. Secundò, si Deus ab orbe Lunæ, vsque ad superficiem terræ, & in hac statueret columnam ascendentem, & attingentem dictum Lunæ orbem, destrueret, & annihilaret cuncta corpora intermedia, & poneret lapidem vnum in summo eius, & alterum in medio eiusdem, si vterque simul caderet, qui est in medio citius centrum terræ attingeret, quàm qui est in summo: ergo motus in vacuo continuitatem, & successionem subit. Tertiò, si quid impediret successionem motus in vacuo, sane indistantia extremorum, & irresistentia medij, vt significat Philosophus cit. per sua argumenta oppositum probantia: neutrum autem obstat, & quidem extrema manent distincta, & distantia, ac si foret plenum, vt patet in præallato exemplo de orbibus Lunæ, & terræ, quæ distant, vacuo interiecto: etsi medium non resistat, nihilominus motus extat temporaneus, & successiuus, sic de facto motus cæli est successiuus, nulla ei facta medij resistentia: pariter motus Angeli à Cælo, in terram, fit in tempore, & successiuè, tametsi medium illi non obsistat: concludo igitur motum in vacuo fore successiuum.

18. Opp. 1. corpus transiens à termino à quo, ad terminum ad quem exigit aliquam distantiam; vt enim hat motus localis, vnus terminus debet ab alio distare, alioqui extrema simul essent, & in vnum confluerent, sicq; motus esset in instanti: in vacuo autem nulla adest distantia, ergo in vacuo nullus fieret motus continuus, & successiuus. Conf. corpus, quod localiter mouetur, transfertur ab vbi, quod habet, ad vbi, quo caret: in vacuo autem nullum extat vbi, cum sit priuatio loci: ergo nullus extat motus. Con ma. distinguo min. in vacuo nulla reperitur distantia positiua, concedo: priuatiua, nego, vt patet ex fine præmissi nor. per eamdem distinctionem respondetur ad conf. Licet enim in vacuo non sit vbi positiuum, est tamen vbi priuatiuum, quod sufficit ad motum.

19. Opp. 2. qualis inuenitur proportio medij ad medium, in subtilitate, & densitate, talis est proportio motus ad motum, in velocitate, & tarditate, & temporis in longitudine, & breuitate: Si autem corpus moueretur tam per medium plenum, quam per medium vacuum, nulla foret porportio medij, ad medium in raritate, & densitate, cum in vacuo nulla extet raritas, aut densitas; ergo &c. Nego ma. ratio redditur, successio motus potissimùm non petitur penes resistentiá medij, sed penes ordinem formarum, & terminorum per motum acquirendorum, vt suprà illustraui de motu cæli successiuo, nullo ipsi obsistente medio.

20. Opp. 3. sicut se habet motus, ad motum in velocitate, & tarditate, ita se habet graue, ad graue: Si ergo foret motus in vacuo, magis graue citius, & velocius non descenderet quàm minus graue, quod est falsũ, quia grauius est fortius, & potentius ad scindendum mediũ: in vacuo autem nullum interponitur medium, ergo &c. Resp. descensum velociorem, aut tardiorem huiusmodi grauium desumi ex eorum maiori grauitate, vel minori, ob id medio nihil conferente ad illorum descensum, grauius ex sua grauitate, qua pollet velocius deorsum tenderet, quàm minus graue, & ad eam partem moueretur, ad quam ipsius grauitas propelleret, sicut leue ad illam partem cieretur, ad quam eius leuitas ferretur.

21. Quæres 1. à quonam moueatur graue, cum sursum ascendit, & leue, cum deorsum descendit ne detur vacuum? Dico moueri à corpore contiguo, cæteris proximis concurrentibus. Cur autem contiguum trahat sibi proximum, est vnio, & connexio partium vniuersi, quæ est maxima, vt significat Scot. 3. *d.* 27 & Mayr. 4. *d.* 10. *quæst.* 2. post Aug. 8 *Ciuit cap.* 21. Hic autem motus dici potest motus tractionis, annuente Philosopho 4. *Cæli*, *T.* 39. & dicente, aqua non ascendit, nisi tracta. Deindè experientia ostendit, ne fiat vacuum, vnum plenum, alteri pleno superimpositum secum aliud trahit, sicque appellandus est motus attractionis.

22. Quæres 2. vtrum motus in vacuo sit naturalis, aut violentus? Dico, posse diuersimode naturalem, & violentum nuncupari, secundum Scot. 4. *d.* 49. *q.* 13. §. *variones ante I.* & quidem naturalem, si graue vt ascendit sursum, spectetur, vt est pars vniuersi, quia magis naturale est, quod toti conuenit, quàm quod parti adaptatur:

tatur : Si verò consideretur penes suum esse proprium, & particulare, dico, huiusmodi motum grauis, dum fertur sursum, & leue deorsum, esse violentum, quia inclinationi eius naturali aduersatur.

Articvlvs IV.

An extrà Cælum sit vacuum.

23. HÆc difficultas sub alio titulo mouetur ab aliis Scholasticis, videlicet, vtrùm extra Cęlum sint spatia imaginaria, in quibus Deus existat, & in eis possit condere alios mundos, si velit? Qua in re duos nanciscor dicendi modos, quorum prior est Maioris 1. *d.* 37. *q.vn.* Mol. 1. *p.q* 8 *art.* 1. *disp* 3 Hurt. *disp* 14 *Phys. lect.* 3. Suarez *disp.* 30. *M.* 1 *sect.* 7. *n.* 36. Conimb. 8. *Phys. c.* 10. *q.* 2. *art.* 2. *&* 3. Arr *disp* 14 *sect.* 4. *n.* 69. & aliorum Recentium affirmantium, extra Cælum esse vacuum, & spatia imaginaria, in quibus Deus existit, & potest creare in eis, quidquid vult. Posterior est Scot. 1. *d.* 37. *q.vn.* S. Bon *ibid q* 1. *&* 2. Rich. *q* 4 Quos duos Doctores malè pro opposita sententia negat Suarez mox. citat. Dur *q.* 2 Andr. de Castro nouo, *ibid.* & Alen. 1. *p.q.* 9. *ar.* 4. communiter docentium, extrà cælum non esse spatia imaginaria, in quibus Deus existat.

24. Not. 1 vt certa, ab incertis secernamus, omnes primò conuenire Deum non esse in rebus impossibilibus. Inconueniens quippè est, Deum existere in chymera, aliisque repugnantiam inuoluentibus. Secundò, Deum non esse in hoc Mundo circumscriptiuè, cum non sit corpus, cui competit circumscriptio localis. Tertiò, si crearetur aliquid extrà Cælum, protinùs in eo esset Deus absque vlla sui mutatione, quod exemplo declarat Seraphicus de crystallo, qui si produceretur, & illuminaretur à sole, nullam subiret mutationem, pariter Deus immotus manens existit in illis, quæ singulis diebus creat. Ambigitur autem in præsentia, num Deus sit actu in spatiis imaginariis, non quidem, vt in loco, quia ibi non est locus, sed secundum suam immensitatem independentem ab omni loco, an verò solum ibi dicatur esse in potentia, nulloque pacto dici valeat esse ibi actu? Quo fit, vt Authores hoc dubium agitantes, non dissentiant solo nomine, vt putant Valen. 1 *p.q* 8. *p.* 2. & Hurt. præcit. Nam authores secundæ sententiæ asserunt, quod sicut Deus antè Mundi fabricationē, nullibi actu erat, sed tantùm in seipso: ita quoq; nunc se habet extrà Cęlū, & in spatiis, quę Doctores primi placiti fingunt, & statuunt, vt perspicuè constabit ea argumētis, quę ad id suadendum, & corroborandū adhibent.

25. Not. 2. duo exigi, vt vnum sit in alio: primum, debent esse duo, hoc est, vnum, quod est in alio, & id, in quo aliud est: secundum, vt sint entia realia: siquidem præsentia vnius, ad aliud, est relatio realis, quæ postulat extrema realia, putà fundamentū & terminum: quod autem nihil est, quomodo fūdare, aut terminare valet relationem realem præsentialitatis? Quapropter, cum spatia imaginaria actu nihil sint, præsentia, & existentia Dei in eis, est vana, & cōmentitia, proindéque potius Deus diceretur nullibi esse, quàm alicubi, quia nihil, & nullibi conuerti videntur. Itaque ea præsentia non est actu realis, cum extrema actu non existant, sed tantùm possibilis, & non repugnans, sicque Deus non est extrà Cælum, sed potest esse, idest non repugnat, Deum esse extrà ipsum Cælum, veluti, non repugnauit ab æterno esse in Mundo, quem in tempore condidit.

26. Ass. 1. extrà Cælum haud est vacuum, nec vlla extant spatia imaginaria. Tenet Doct. cit. §. *Respondeo B* & indicat August. in proxima ass. adducendus, post Arist. 1. *Cæli T.* 99. *&* 100. vbi verbis explicitis ait *Manifestum est, extrà cælum, quod neque locus, neque vacuum nec tempus est*, Et significat 4. *Phys. c.* 1. & inde reiciens illud vacuum Antiquorum ab ipsis excogitatum, tanquam omnium rerum locum, & receptaculum, quod Vigerius *in com.* 1. *passu memorato* vocat inanem imaginationem Poëtarum ethnicorum, & Rich. *vbi suprà*, indicat esse falsam opinionem. Probatur primò, spatia imaginaria, quæ Authores prærecensiti imaginantur, vel sunt entia realia, aut rationis, neutrū autem esse queunt, ergo nihil sunt. Ma. claret, inter ens reale, & rationis non cadit medium. Min. quoad primum suadetur, quia omne ens reale præter Deum, est creatum, vel creabile: illa autem spatia non sunt creata, nec creabilia, vt fatentur Aduersarij. ergo non sunt entia realia: Quoad secundum, quoque ostenditur, entia rationis pendēt in fieri, & in esse ab intellectu, in ipsoque tantùm habent esse obiectiuè, *ex* 4. *d.* 5. *q.* 2. Ergo dicta spatia non sunt entia rationis, præsertim cum Authores relati arbitrentur ea esse, nullo intellectu cogitante.

Dices, cum Mol. cit. præfata spatia esse quasdam capacitates, & aptitudines recipiendi corpora, si Deus vellet in eis creare, aut collocare. Contra, capacitas, & aptitudo aliquid recipiendi supponit subiectum, cuius est capacitas, & aptitudo, cum sit eius passio, seu proprietas: atqui extrà Cælum, nullum extat subiectum, cum nihil sit creatum, ergo nec vlla capacitas alicuius receptiua, atqueadeò nulla sunt spatia imaginaria. Secundò, posterius non habens essentialem dependētiam à priori potest esse sine illo, & abinuicem separari, vt constat de accidēte, quod est posterius subiecto, in quo inhæret, potestque absque ex existere, vt euenit in Euch. Corpus autem est prius, vbi, cum hoc sit accidēs, illud verò substantia: substantiam autem præcedere accidens, scribit Arist. 7. *Met. T.* 4. Ergo, si forent spatia imaginaria extrà Cælum, in quibus esset Deus, ea forent Deo posteriora, sicut locus locato, & cum essent improducta, à Deo non depēderent, cum tamen solus Deus sit improductus, & independens, igitur tanquam impossibilia, & figmenta reiicienda sunt huiusmodi spatia. Deindè, extrà Cælum non priuatio, sed negatio loci est, & vno verbo nihil: dicere autem nihil esse spatia, & receptacula corporum, si in eis ponerentur, vacuum, & ridiculum apparet, immò impossibile, cum nihil nullam sortiatur capacitatem alicuius susceptiuam; nihil quippè, & aliquid oppositionem, & repugnātiam inuoluunt, si ergo spatia imaginaria non sunt aliquid, ergo nihil sunt, in quæ haud quidpiam existere valet.

27. Ass. 2. Deus non existit extrà mundum in spatiis imaginariis. Defenditur à Doct. passu præmemorato, & sequitur ex dictis in 1. ass. si namque nulla extant extrà vniuersum spatia imaginaria, vt mox probaui, apertè deducitur, Deum in eis non existere, quia Deus non perhibetur existere in nihilo. Probatur primò, ex SS Patribus, nominatim Aug. *q.* 2. noui, & veteris testamenti. *Ante omnia solus, ac æternus erat Deus.* Serm. 2. de tempore. *Qui in principio erat intra se, concludit omne principium.* Et expressius *in Psal.* 122. respondens cuidam petenti, vbi erat Deus, ante Mundum conditum, ait. *In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* Tertul. l. contrà Praxeam, c 5. *Ante omnia Deus erat solus, & ipse sibi.* Idipsum videtur scribere Bern. 5. *de consideratione Ad Eugenium.* Et explicitè tradit Magister *dist. prænominata*, cum Art. *in expositione eius littera.* Secundò, vt vnum sit in alio, oportet esse duo extrema realiter distincta, vt obseruaui in secundo not. sed extra Cælum nihil est, vt ostendi in præcedente ass. Idem quippè censendum est de esse, extrà Cælum ac de esse, antè Mundi fabricam: ante autem creationem Mundi nihil erat, nec modo extrà cælum aliquid inuenitur in quo existat Deus. Tertiò, ex duobus, quorum alteri coexistit cōsurgit relatio præsentialitatis vnius, cum altero, vt suprà monebam: at extrà Cælum nulla prorsùs relatio præsentialitatis emergere valet, cum extrema eius ibi non adsint, sed omninò inane, & nihil, quod nequit esse fundamētum, nec terminus vllius relationis. Quartò, Deus non existit in rebus possibilibus, immò res possibiles dicuntur esse in Deo, iuxta illud Ioan. 1. *Omnia*

nia

nia in ipso vita erant. Cum sint in potentia obiectiua. Deus verè existit in se, illæ verò non existunt, non ergo in eis existit Deus, coëxistere, vel inexistere supponit existentiam alterius, atque adeò cum spatia recensita nihil sint, euincitur sanè in illis Deum non existere.

28. Opp. 1. ex sacris lit. Iob. 11. *Excelsior cælo est.* Et 22. *Nonnè cogitas, quod Deus excelsior Cælo est, & suprà stellarum verticem sublimatur?* Et 3 Regum 8. *Si cæli Cælorum te capere non possunt, quantò minus domus hæc.* Hinc cantat Ecclesia ad honorem B Virginis. *Quem Cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Ex his, aliisque testimoniis adductis a Neotericis concluditur dari spatia imaginaria extrà Mundum, in quibus extat Deus. Conf. 1. ex PP. ab eisdem allatis, præsertim Aug. 11. *Conf. c.* 12. *& indè,* & 11. *Ciuit. c.* 5. vbi asserit, extrà Cælum esse infinita spatia, in quibus Deus potest creare infinitos Mundos, si velit: ergo Aug. docet spatia imaginaria extrà Mundum. Conf. 2. ex Aristot. 1. *Cæli T.* 100. statuente Deum in extima parte Cæli. Adde Trimegist. proferentem illud effatum, *Deus est circulus, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam.* Igitur, cum Deus sit immensus, & infinitus, existit extrà Mundum in spatiis imaginariis. Resp. præfata loca optimè à Rich. cit. exponi negatiuè, non verò positiuè. quod est dictu, Deus non clauditur in Mundo, tanquam eius limite, & termino, sed quantum est ex se habet potentiam existendi in aliis rebus, si ab ipso conderentur: Quia autem extrà Mundum nihil est creatum, consequenter non existit extrà ipsum Mundum. Idque egregiè exprimit Aug. 7. *Ciuit.* 30. *Idem Deus vbique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectibilis, in nullam partem mutabilis, implens Cælum, & terram, præsente potentia, non absente natura.* Ad 1. conf. dico Aug ea verba proferre in sententia veterum Philosophorum admittētium talem intercapedinem, & spatium infinitū, vt cum Arist. *suprà* indicaui. Ait enim ibi Aug. *Nam si infinita spatia temporis, antè Mundum cogitant, in quibus non videtur eis Deus ab opere cessare potuisse, similiter ergo cogitent extrà Mundum infinita spatia locorum.* Hoc ipsum insinuat S. Doct. *contra epistolam fundamenti, c.* 18. *&* 20. Accedit Faber ctiam inquiens, verba prælata conficta esse à Mol. vt ipsum traheret in suam sententiam. Ad 2 conf. dico Arist. ibi tantū velle, Deum non subiici Cælorum influxibus, nec eorum qualitatibus noxiis, propterea subdit, entia illa, quæ sunt in superiore parte Cæli, nec alterari, nec senescere, sed felicem vitam ducere. Ad Trimeg. dico, eum significare, Deum nec finiri, nec limitari Mundi limite, & termino; sed quantum est ex se, ob suam immensitatem, posse existere in infinitis rebus, si darentur.

29. Opp. 2. nisi Deus foret in spatiis imaginariis, mutaretur: Deus autem est immutabilis. Malach, 3. *Ego Deus, & non mutor.* Ergo Deus in spatiis imaginariis reperitur. Sequela ma. probatur, si Deus crearet aliquid extrà Cælū, proculdubio esset in illo, cum non valeat esse quidquam creatum, quin in eo existat Deus: Tunc antē de nouo esset præsens illi, in quo anteà non fuerat. Igitur mutaretur de non esse, ad esse nouiter in illo. Conf. 1. vt agens operetur, necesse est, prius existat secundum suam essentiam, eique approximetur, 7. *Met. T.* 10. Deus autem extrà Cælum potest agere, si velit, ergo Deus est extra Cælū. Conf 2. extrà Mundum reperitur capacitas recipiendi corpora, si Deus ea moliretur. huiusmodi autem capacitas est spatium imaginarium, ergo in eo extat Deus. Nego sequelam ma. ad eius probationem dico, Deum nullam prorsùs subire mutationem, quamuis existat in re de nouo producta, veluti sol non mutatur, tametsi illuminet corpus nouiter fabrefactum. Ratio est, quia mutatio propriè est, quando subiectum in se recipit aliquid, quod prius nō habebat. Deus autem nullius potest esse subiectum, idcò in eum non cadit mutatio. Ad 1. conf. dico, agens posse operari in distās: sol quippe longè distat à terra, nihilominus in ea multos edit effectus, vt quotidiè experimur. Proloquium autem Arist intelligitur de iis, quæ agunt per contactum duntaxat. Ad 2. conf. dico, extrà Cælum, non esse capacitatem positiuam, aut priuatiuam, sed tantum negatiuam, siue non repugnantiam, quam superius expressi.

30. Opp. 3. si Deus non esset extrà Mundum moueretur localiter; Deo autem pugnat motus localis, docēte Aug. l. contra. Adimantum, c. 13. *Dei autem sapientia, cum tota vbique præsto sit, nullo pacto migrare de loco in locum potest,* ergo &c. Sequela ma probatur, si Deus produceret corpus extra Cælum, moueretur ad motum corporis, cum enim esset in corpore, moto corpore, vtique Deus moueretur, iuxtà illud motis nobis, mouētur omnia, quæ sunt in nobis. Conf. 1. si homo poneretur extrà Cælum, posset extendere brachium: huiusmodi autem extēsio supponit spatium, in quo fieri possit: ergo extrà Cælum non est negādum spatium, in quo existat Deus. Conf. 2. Deus est extrà omne tēpus, teste Ansel. *in prosol. c.* 19. *& in Monol. c.* 20. *Deus transcendit omnia tempora, & semper est vltra illa.* Quia est æternus, ergo est extra omnem locum, quia est immensus: sed esse extrà omnem locum, est esse in spatiis imaginariis ergo Deus est in illis. Nego sequelam ma. ad eius probationem dico, corpus quidem moueri, Deum autem non moueri localiter, propter suam immensitatem: solum namque existit in re de nouo producta, & desinit existere in re corrupta. Hinc Aug. 16. *Ciuit. cap.* 5. ait. *Non loco mouetur Deus, qui semper vbique est totus, sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter vsitatum naturæ cursum, mirabiliter factum, præsentiam eius quodammodo ostendit, vt Gen.* 11. *Descendit Deus videre Ciuitatem, & turrim, quam ædificauerant filij hominum.* Sic Exod. 33 *Non ascendam tecum, ne fortè disperdam te in via.* Subnectit August. *lib.* 2. *quæstionum super Exod. quæst.* 150. *Deus nusquam absens esse potest, tamen dicitur absens, cum peccatores non punit, & gratiam non largitur, & quando punit, dicitur esse præsens,* sic Psalm. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Et Psalm. 67. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Ad 1. conf. dico data hypothesi, hominem positum extrà Cælum posse quidem extendere brachium, ob non repugnantiam, quæ est extrà illud, siue capacitatem negatiuam, veluti in vacuo effici potest motus, quamuis in eo sit capacitas priuatiua. Ad 2. conf. concedo ant. distinguo consequens, positiuè, nego: negatiuè, concedo, vt manent explicatum in sespensione oppositionis primæ.

LIBER SEPTIMVS.

De Tempore.

POST tractationem de loco, aggredimur disputationem de tempore: hæc enim duo nonnullam cognationem adinuicem sortiuntur, vt indicat S Bon. 1. *dist.* 37. *quæst* 1. Addo tertium, nempe motum, de quo *in sequenti libro.* Naturale enim corpus mouetur, durat, & locatur: quæ omnia sunt physicæ considerationis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De natura Temporis.

ARTICVLVS I.

An sit Tempus.

1. ARDVVM ac difficile esse, peruestigare naturam temporis, indicat August. 11. *conf. cap.* 15. vbi alloquens Deum, inquit. *Domine quid sit tempus, adhuc nescio.* Per tempus autem intelligimus quandam durationem successiuam, qua naturalia durant. Potest autem tempus diuidi in actuale, & potentiale, vt significat Scot. *Quol.* 11. *art.* 2. Deindè, in præteritum, præsens, & futurum. Rursùs, in annum mensem diem, & horam.

2. Assertio, datur tempus. Ita Scot. nunc memoratus §. *De secundo* F. & 5. *dist.* 2. *quæst.* 1. *sub* D. & 9. P. *& inde*, & 4. *dist.* 48. *quæst.* 5. Probatur primò, ex scriptura, *Geneseos primo. Fiant luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta.* Ecclesiast. 3. *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub Cœlo.* Apoc. 10. *Tempus non erit amplius.* Secundò, ex PP. nuncupatim Dionys. *lib. de diuinis nominibus, cap.* 13. & August. 15. *conf. cap* 14. *Nihil est notius tempore.* Tertiò, quædam sunt permanentia, quædam verò successiua, quæ durant tempore. Vnde in ore omnium est tempus, nihilque nobis magis familiare videtur, propterea non est tendendum amplius tempus, in suadenda, & ostendenda existentia temporis, cum omnibus pateat, & clareat.

3. Oppones, omne totum coalescit ex suis partibus, vt homo ex anima, & corpore: tempus autem si daretur, foret aliquod totum, cuius partes non existunt, vt post Aristot. 4. *Phys. cap.* 10. scribit August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 17. inquiens, *præteritum iam non est, futurum nondum est, nec præsens, quia labitur*: ergo non est tempus, cum partes eius non sint. Concedo ma. nego min. Licet enim tempus non habeat partes actu permanentes, & simul coëxistentes: nihilominus participat partes continuò labentes, & fluentes, cum sit continuum successiuum, vt significat Aristot. citat. & August. *vbi suprà*, & *Psal.* 38. & 135. & olfacit Scot. 5. *Met. quæst.* 8. & 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. *q.* 9. §. *Ad argumenta* B. & confirmat Viues *in* 8. *Ciuit. cap. cum authoribus ab ipso recensitis.*

ARTICVLVS II.

An tempus sit ens reale.

4. AVreolus 5. *distinct.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2. Pererius *lib.* 12. *cap.* 13. secuti Auer. 4. *Phys. com.* 189. & Galenum cit. à S. Th. *opusc. de tempore, cap.* 1. laud. *in præsenti, quæst.* 27. & Antonius Andreas 5. *Met. quæst.* 9. tuentur tempus esse opus animæ, & fabrum mentis. Quibus fauent Doctor Angelicus 4. *Phys. lect.* 13. & alij eiusdem familiæ suspicantes, tempus ab intellectu suum decerpere complementum. Communior autem, & verior sententia ex Doctoris subtilis 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. & 9. necnon 4. *dist.* 48. *quæst.* 5. Mayr. 2. *d.* 14. *q* 10. Canon. 4. *Phys.* 5. *art.* 2. Tatar. Ioan. de Magist. Parisiens. Tol. Ruu. & aliorum docentium tempus esse ens reale, seclusa quouis opere intellectus.

5. Not. primò, tempus multas pati acceptiones. Primò namque sumitur pro dispositione, & temperie aëris, quo in sensu dicere solemus, tempus esse clarum, aut obscurum, serenum, aut nebulosum, salubre, aut insalubre. Secundò, pro iucunditate, & felicitate vitæ, quam ducunt nonnulli fruentes bonis, quo pacto *Iob.* 21. legitur. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Tertiò, pro opportunitate rerum faciendarum, sic Ecclesiast. 3. *Tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum est.* Quartò, pro duratione successiua rerum, & de tempore sic accepto in præsentia disserimus.

6. Not. secundò, ex Canon. cit. & Tatar. 4. *Phys. quæst. vlt. scibili* 1. tempus bifariàm posse inspectari. Vno modo penes suam entitatem, & continuitatem successiuam, sic est à parte rei independens ab anima, eiusque intellectu, cum fuerit ante eius creationem, vt patet 1. *Gen.* vbi fit mentio temporis, priusquam formaretur homo, qui omnium vltimus est conditus. Altero modo, penes discretionem, & partitionem eius in annos, menses, dies, & horas: ita enim hæc ab homine distinguuntur, & partiuntur, ac si abinuicem forent distincta, & diuisa à parte rei, cum tamen super continuantur, & connectantur, absque vlla partium diuisione, & partitione cum perenni fluxu, & continua successione, quæ est de ratione temporis, quod essentialiter est continuum, & successiuum. Quo in sensu exponuntur Aristot. 4. *Phys. cap.* 14. *T.* 131. August. 11. *confess. cap.* 28. Scot. 5. *Met. quæst.* 9. & alij, affirmantes tempus formaliter captum esse opus animæ, & ens rationis. Siquidem cum partes temporis sint indiuisæ, & inseparatæ inter se, intellectus verò eas diuidat, & inter se separet, hoc proculdubio pendet ab anima, & iure censetur eius effectus.

7. Ass. tempus non est ens rationis, nec suum complementum depromit ab anima, sed est ens reale existens à parte rei, nemine cogitante. Ita Scot. cit. *in initio huius art.* Probatur primò, ex testimoniis scripturæ adductis, *in antecedente art.* Quò respiciens Ecclesia canit, ad Matutinum in *hymno dominicæ primæ Quadragesimæ. Rex, atque factor temporum.* Secundò, ex PP. Aug. *lib.* 4. *qq. super numeros, quæst.* 1. *ita vocante.* Deum temporum creatorem, & ordinatorem. Et *in psal.* 43. Tempora mutata video, creator temporum non mutatur. Et *l. contra sermonem Arrianorum, c.* 1. *Tempus vtique creatura Dei est.* Et Damasc. 1. *fidei, c.* 11. & 5. *eiusdem operis, c.* 1. *in fine.* Omnium igitur sæculorum factor est Deus. Tertiò, ex Arist. qui *l prædicam. c. de quātitate*, & 5. *Met. c. de quanto* recenset tempus, inter species quantitatis. Quantitas autem habet species reales, cum sit genus reale, & primum inter genera accidentium, quæ sunt realia: igitur tempus est ens reale. Quartò, quod habet proprietates reales, est reale, proprietas namque prodit à natura, cuius est proprietas. Ideò si illa est realis, hæc, quæ illam consequitur, quoque est realis. Tempus autem sortitur proprietates reales, putà longitudinem, aut breuitatem, quæ indubiè sunt entia realia. Demceps, motus est ens reale, vt pro comperto habetur apud omnes, ergo & tempus. Conseq. tenet. Tempus est mensura motus, vt patebit in proximo art. Denique, nemine cogitante res sublunares successiuè durant: Duratio autem successiua est tempus. Accedit vniuersitas Sorbonica reprobans oppositam sententiam, tanquam erroneam.

8. Opp. 1. Arist. 4. *Phys. c. vlt.* scribit, tempus ita pendere ab anima, vt si hæc deficeret, vtiq; illud desineret esse: ergo in Schola Arist. tēpus est ens rationis. Idipsum videtur sentire D. Aug. 11. *Ciuit. c.* 16. & 11. *conf. cap* 28. Resp. Philosophum ibi loqui dubitatiue, postmodum verò assertiuè subiicit tēpus non esse fixum, & permanens, sed labile, & successiuum. Vel dico ipsum considerare tempus non secundum suam entitatem, continuum, & successiuum, sed secundum assignationem, & diuisionem partium discretarum, quam ab intellectu effici animaduerti *in* 2. *not.* Ita quoque interpretandus est Aug. cit. vt ipsemet significat *in Psal.* 100. & tract. 31. in Ioan.

Omnia

Omnis dies in hoc tempore, ideò venit, vt non sit, omnis hora, omnis mensis, omnis annus, nihil horum stat, antequam veniat, erit, cum venerit, non erit, cum non venerit.

9. Opp. 2. quod conflatur ex partibus rationis, est ens rationis: quale enim est totum, tales sunt eius partes: tempus autem componitur ex partibus rationis: ergò est ens rationis. Ma. liquet. Min. suadetur, tempus integratur ex præterito, quod non est, ex futuro, quod pariter non est, & ex præsente, quod non existit, nisi in instanti. Idque confirmat Aug. 11. *conf. c.* 15. inquiens, totius temporis vnum tantum nunc siue instans babemus. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico quidem tempus non habere partes permanentes, & actu simul coexistentes, sed fluxibiles, & continuè labentes, cum sit ens successiuũ. Quod expressit Aug. in psal. 76. *Dum syllabas loquor, si duas syllabas dicam, altera non sonat, nisi cum illa transierit, ipsa denique syllaba, si duas litteras habeat, non sonat posterior littera, nisi prior abierit.* Quare Arist. & Aug. denotant fluxibilitatem temporis, non autem ipsum consistere in momento, & nunc præsenti, & indiuisibili.

Instabis, Psal. 76 *cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui:* Si ergo dies sunt æterni, cum æternitas sit tota simul, non sunt labiles, sicut nec tempus. Dico cum Aug. eos dies, quorum meminit regius Psaltes, esse dies Dei, de quo legitur. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Vnde idem sanctus Doct. subiungit psal. 101. *Totum hoc tempus ab Adam, vsque in finem seculi, exigua gutta est comparata æternitati.* Quocircà, nõ absolutè, sed respectiuè loquitur idẽ sanctus.

10. Opp. 3. tempus describitur numerus motus, secundum prius, & posterius, vt patebit in proximo art. Numerus autem pendet ab anima, ipsa enim est, quæ numerat, & assignat, ac secat partes temporis, ergo tempus est opus animæ, ac proindè ens rationis. Respondeo per explicationem, & distinctionem ma. tempus est numerus numerans, nego: numerus numeratus seu potius mensura, interprete Scoto, concedo. Vt autem hoc magis eniteat, & elucescat, fit.

ARTICVLVS III.

Quid sit tempus.

11. VAldè, & variè in ãlant, & laborans Philosophi in indaganda, & perquirenda natura, & essentia temporis. Antiqui sunt tripartiti, teste Arist. 4. *Phys. c.* 10. Nonnulli, inter quos refertur Plato in Timeo, autumant tempus nihil aliud sibi velle, quam circulationem, siue circularem reuolutionem mundi cælestis. Alij, quos sequitur Greg. 2. *d.* 2. *q.* 1. *art.* 1. arbitrantur tempus esse Cælum. Cæteri, vt Nominales quibus adhærent Fuentes 4 *Phys. q.* 3 *diff.* 3. *art.* 2. & 3. & Suarez *disp.* 50. *Met. sect.* 9. existimant tempus cum motu coincidere. Arist. autem nunc memoratus *T.* 101. omnesque eius interpretes asserunt tempus esse numerum motus secundum prius, & posterius.

12. Not. successionem temporis proficisci à successione motus, ac motus successionem prodire à magnitudine corporis mobilis, & spatij pertranseundi. Siquidem ex eo, quod corpus est tantæ magnitudinis, ac molis, tantaque, intercapedo permeanda, consequenter motus est tantum continuus, ac successiuus, cuius mensura est tempus, ea quippè mota, quæ efficitur in motu corporis mensuratur tempore. Quapropter rectè tempus perhibetur mensura motus, secundum prius, & posterius.

13. Ass. 1. tempus non est circulatio, nec Cælum, nec motus. Assertio est tripartita. 1. pars, quæ est Arist. nuper cit. T. 93. & recipitur à Doct. q. 15. *prædicam. non longè ab initio, vers. Item quælibet pars.* Suadetur. 1. nulla pars circulationis est circulatio, vt ex se patet: omnis autem pars temporis est tempus, vt præteritum, præsens, & futurum sunt tempora, ergo tempus non est circulatio. 2. pars quæ sic ponitur a Doct. 2. *d.* 2. *q.* 2. non impugnatur ab Arist. ratione, sed ab eo iudicatur insulsa, & stulta. Potest autem improbari sic, quia Cælum est substantia, tempus verò accidens. Itemque potest existere Cælum absque tempore, vt post diem iudicij tempus cessabit, cælum verò persistet, cum sit incorruptibile, tempus ergo non est cælum. 3. pars deducitur ex Scot. *vbi suprà*, & 4. *d.* 48. *q.* 2. cui fauet Aug. 11. *conf. c.* 24. & probatur 1. proprietas rei non est res, cuius est proprietas, vt risibilitas non est homo: tempus autem est passio motus, cum sit eius mensura: igitur tempus non est motus. 2. quorum passiones non identificãtur, non coincidunt, vt constat inductione: passiones autem motus non sunt eædem ac passiones temporis, vt motus est velox, aut tardus, tempus verò est breue, aut longum, magnũ, aut paruum, igitur tempus non est motus.

14. Ass. 2. Tempus aptè diffinitur *numerus motus, secundum prius, & posterius.* Est Arist. cit. *T.* 101. & significatur à Doct. *vbi suprà, & 5. Met. q* 8. Explicatur, priusquam probetur. Dicitur *numerus*, id est mensura continua successiua. Ponitur *motus*, tanquam subiectum eius, à quo scilicet tempus profluit, vt passio eius. Additur, *secundum prius, & posterius*, nempe secundum partes priores, & posteriores motus, vt manet explicitum *in præmisso not.* sic autem explanata conclusio suadetur 1. ex Arist. *passu prædlleg.* qui huiusmodi definitionem temporis affert, & tuetur, eiusque expositores ab Aduersariorum calumnijs, & iaculis vindicant, & defendunt. 2. præmissa definitio suo modo constat genere, & differentia, ergo est legitima. Ant. est in promptu. Numerus quippè, siue mensura subrogatur loco generis: cæteræ verò voculæ statuuntur loco differentiæ. Deinceps, vnicuique enti assignanda est propria mensura, vt Deo, æternitas: enti creato incorruptibili, & permanenti, æuum, ergo enti corruptibili, & successiuo attribuendum est tempus, quod est mensura labilis, & successiua.

15. Opp. 1. Numerus est species quantitatis discretæ, vt patet *l. prædicam. c. de quantitate:* tempus autem est species quantitatis continuæ successiuæ, *ex eodem ibid.* Ergo in definitione temporis perperam locatur numerus. Resp. cum Scot. loco numeri, ponendam esse mensuram, per quam clarè percipitur natura temporis, puta mensura motus. Vel dici potest, tempus appellari numerum, eo quod habet partes non quidem in quantitate discretas, quia in se, & essentialiter sunt continuæ successiuæ, sed in qualitate, hoc est opportunitate, & commoditate hominum sunt discretæ, & disiunctæ, intellectus opera.

16. Opp. 2. mensura debet esse notior mensurato, quandoquidem per eam deuenimus in cognitionem mensurati, vt benè declarat Doct. 10. *Met. in expositione tex. ad finem c.* 2. Motus autem est notior tempore, malè ergo tempus describitur mensura motus. Distinguo ma. in ratione mensuræ, concedo: in ratione talis entis, nego. Non enim necesse est cognoscere, cuius naturæ sit talis mensura, ad hoc, vt aliquid per eam mensuretur, sed sufficit, vt mensura deducat in notitiam mensurati, tametsi essentia eius lateat: idque explicari potest de specie intelligibili, quæ ducit nos in cognitionem obiecti; cuius est vicaria, quamuis ipsius natura ignoretur.

17. Opp. 3. *Gen.* 1. narratur, Deum fecisse solem, & lunam, vt essent in signa, & tempora. Et psal. 103. *Fecit lunam in tempora:* luna autem, & sol sunt infrà primum mobile. Igitur tempus nequit esse mensura primi mobilis, sed potius solis, & lunæ. Resp. cum Aug. 2. *de genesi ad lit. c.* 14. & 12. *Ciuit. c.* 14. eis in locis accipi tempus pro opportunitate rerum faciendarum, ob id subijcitur ibi, vt præessent diei, & nocti, hoc est, vt tempestiuè homines suas res agerent, seminando, colligendo, nauigando, & id genus alia. Nos autem summus tempus pro mensura motus primi mobilis, quod dicitur tempus commune, vniuersale.

18. Opp. 4. Tempus nedum est mensura motus, ve-

rumetiam quietis. Siquidem Iosuë 10. stante sole, illa quies poterat mensurari, igitur definitio tẽporis est diminuta, vtpotè cui deficit casus quietis. Respondet Arist. cit. *T.* 118. cui consentit Scot. *2.d.2.q.4.§. Concedo. sub C.* motum per se mensurari tempore, quietem verò per accidens. Addo oppositorum eamdem esse rationẽ, *2. Top. c.* 14. Motus autem & quies sunt opposita, sicut habitus & priuatio eius, ideò eadem mensura temporis metiuntur, vt benè declarat Scot. proximè cit. antè D

ARTICVLVS IV.

An tempus distinguatur à motu.

19. ETsi ex præcedente articulo pateat, quid in præsente dicendum sit: nihilominùs ad vberiorem doctrinam, & ad dirimendas varias, & diuersas Philosophorum contentiones, placet mihi exactè examinare, quomodo tempus à motu distinguatur. Quidam, quorum nomina reticet Arist. 4. *Phys. T.* 9. *& indè*, putant tempus identificari cum motu. His suffragantur Fuentes, & Suarez nominati in præeunte art. Alij, vt Iand. *in hoc lib. q.* 18. Burleus *in expositione T.* 102. & Ioan de Magistris tempus a motu realiter distinguunt. Scot. verò 11. *Met. in com. c. 2. summa 4. in fine*, perspicuis verbis scribit, tempus idem esse realiter cum motu, differre verò formaliter. Idem innuit 4. *d.* 48. *q.* 2. cui adstipulantur Mayr. a *d.* 14. *q.* 11. Antonius Andr. 5. *Met. q.* 11. Canon. 4. *Phys. q. 7. art. 3. dub. 3.* Orbel. *ibid.* Faber. *Theor.* 49. & Pont. *disp. 46. quæst. 2. concl.* 1.

20. Not. 1 ex Scot. *in com.* 11. *Met. passin prealleg.* in præsentia non controuerti, vtrùm tẽpus, quod est mensura motus primi mobilis dissideat à motu orbium inferiorum? certum quippè est discriminari, tùm quia sortiuntur subiecta realiter distincta, tùm etiam quia abinuicem possunt separari, vt si Deus primum mobile destrueret, & reliquos cælos conseruaret, tunc essent cæli infimi, absque supremo, hique absque illo cierẽtur, & durarent. Verùm, dubitatur, nùm tẽpus, quod est duratio primi cæli differat à motu ipsiusmet primi cæli, & de hoc extant opiniones præadductæ, & prænarratæ.

21. Not. 2. motum diuidi in communem, & particularem. Motus communis, siue generalis est motus primi mobilis, quo mouentur, & trahuntur, ac regulantur reliqui motus inferiorum orbium. Mensura autem motus primi mobilis est tempus commune, iuxtà enim hanc mensuram, metiuntur motus cæterarum sphærarum. Motus particularis est, qui competit cuicumque alteri corpori distincto, à primo mobili, & mensura cuiuslibet eorum dicitur tempus particulare, quod alij vocant tempus extrinsecum. Ob id Christus Dominus Ioan 7. ait. *Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Hoc pacto, distinguuntur tempora particularia, secundum motus particulares cuiuscumque rei; sicque *Gen. 6.* assignatur tempus vitæ hominis. *Erunt dies illius centum viginti annorum. Et Ioan.* 14. Saluator alloquens Philippum ait. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me*

22. Ass. tempus non realiter, sed formaliter à motu dissidet. Huic patrocinatur Doct. *vbi suprà*, & 5. *Met. q. 10 §. Et concedo.* 1. pars probatur 1. Passio non distinguitur realiter ab eo, cuius est passio, vt ostendit Scot. *2. d. 16. q. vn.* tempus autem est passio motus, 4. *Phys. summa 3. c. 9. T.* 130. necnon 8. *eiusdem operis, T.* 10. & consentit Aug. 11. *conf. c.* 24. Ergo tempus à motu realiter non dissidet. 2. quæ realiter differunt, & sunt absoluta, saltem diuinitùs abinuicem possunt separari, vt probat Scot. *2. d. 1. q. 4. §. contra statim.* Tempus autem nequit esse absque motu, cum suum esse desumat à motu, vt obseruaui in not. superioris art. & disertè tradit Arist. *cit. T.* 105. Denuò motus ingreditur definitionem temporis: est enim tempus numerus motus, secundum prius, & posterius, ergo tempus à motu reipsa non secernitur. Vndè Aug. 5. *de genesi ad lit. c. 5.* subnectit, *Motus si nullus esset, vel spiritualis, vel corporalis creatura, nullum esset tempus omninò.* Et *l. contrà sermonem Arrianorum, c. 1. Tempus sine aliquibus creaturæ motibus non potest esse.* 2. pars suaderi 1. ex Arist. tùm *l. prædicam. c. quantitate*, tùm etiam 5. *Met. T.* 18 numerante tempus, vt speciem quantitatis distinctam à motu: ergo cum non differant realiter ex probatis in 1. parte, infertur abinuicem formaliter discriminari. 2. quæ participant distinctas definitiones independenter ab intellectu, suntque inseparabilia inter se, formaliter distinguuntur, vt ex Scot. monstraui *in Log. l. 2. q. 1. art. vlt.* Tempus autem, & motus sortiuntur distinctas definitiones. Illud namque est numerus motus secundum prius, & posterius: iste verò est actus entis in potentia, vt in potentia. Iterùm tempus est mensura, motus verò tempore mensuratur: mensura autem, & mensuratum, subiectum, & quod est in subiecto saltem formaliter inter se dissident. Demùm, motus est velox, vel tardus: at verò tempus breue, vel longum: atque mobile velocissimum breui tempore magnum spatium pertransibit, quod mobile tardum non nisi longo tempore eum cursũ cõficiet: igitur inter vtrũq; adest distinctio formalis.

23. Opp. 1. Scot. 4. *d. 2. q. 1. §. Ad secundam partem. H.* astruit non distingui durationem, & mensuram a re cuius est duratio, & mensura. Et 4. *d. 48. q. 2. §. Ad q. H* & *in Rep. eadem dist. & q. Ad* 1. subiungit tempus, ad motum nihil aliud addere, quam relationem mensuræ. Ergo, vel inter se non dissident, vel si distinguuntur, realiter distinguuntur, cum mensura, & mensuratum sint relatiua, & inter relatiua, quorum extrema sunt realia habetur distinctio realis, quia vnum respicit aliud. Resp. ibi Scot. problematicè differere, & loqui de existentia Angeli, eiusque duratione, quæ est æuum. Nos autem loquimur de tempore, quod est duratio rei successiuæ, cuius non esse eamdem rationem, & paritatem indicat idem Doct. *ibid §. contrà istud sub E.* post Aug. 11. *conf. c. 23. & 24.* Ad alia testimonia dico tempus addere ad motum, cuius est mensura, rationem mensuræ intrinsecam, non autem extrinsecam, pertinentem ad 1. non verò ad 3. modum relatiuorum, vt explicat Doct. *vbi suprà.*

24. Opp. 2. potest esse tempus absque motu: ergo tempus reipsa distinguitur à motu. Ant. ostenditur, *Iosue* 10. stante Cælo commissum est prælium, quod secundum Aug. 11. *conf. c.* 53. per tres horas durauit, vel secundùm alios apud Lyran. in calce eius capitis per vnum diem artificialem, ita vt ille dies fuerit duplicatus, hoc est per viginti quatuor horas. Sicque erat tempus sine motu. Distinguo ant. tempus vniuersale potest esse sine motu primi mobilis, nego: tempus particulare, vt extitit duratio prænominati prælij, cõcedo. Vel dici potest, eam pugnã durasse tempore non positiuo, sed priuatio, sicut priuatio metitur mensura, qua eius habitus mensuratur, vt de quiete, & motu suprà planum feci.

Dices, si tempus est continuum, & non interruptum, quomodo dicitur loco citat. solem stetisse? & 4. *Reg.* 20. & *Isa.* 38. per decem gradus retrocessisse? Dico id intelligi naturaliter, non verò supernaturaliter, sicut narratur præstitum esse tunc: præsertim quia parum pro nihilo reputatur: ideò nihil obstat, quin tempus continuum, & interruptum perhibeatur.

25. Opp. 3. vnum est tempus, & idem vbique, & apud omnes, 4. *Phys. T.* 95. 133. & 134. quo sublunaria durant: motus verò plures sunt, iuxtà pluralitatem corporum mobilium, ergo inter tempus, & motum intercipitur distinctio realis. Distinguo ma. vnum est tempus commune, & vniuersale, concedo: particulare, & singulare, nego. Vt enim vnumquodque gaudet sua propria essentia, & existentia: sic suo tempore proprio, & intrinseco potitur, vt declaraui *in 2. not.*

26. Opp. 4. tempus est soboles motus, habetque distinctum esse à motu, veluti inquit Aug. *q.* 85. *noui testamenti. De terra nascitur aurum, quod non est terra; de ligno nascitur esca, quæ non est lignum; & de ouo pullus,*

qui

qui non est vnum. Soboles autem, siue effectus realiter distinguitur à sua causa: ergo tempus realiter dissidet à motu. Resp. tempus nuncupari sobolem motus non per realem mutationem productum, sed per simplicem emanationem, veluti passio prodit à subiecto, cuius est passio: ideò motus, & tempus formaliter tantum discriminantur.

Articvlvs V.

An sit tempus discretum distinctum à tempore continuo.

27. Doctur Angelicus 1 *p.q.*10 *art.*5. Henr. *Quol.*12. *q.*8. Caiet. & cæteri Thomistæ in scholam conantur inuehere tempus discretum distinctũ à tempore continuo, quo putant metiendas esse operationes Angelorum: contrà quos insurgunt Doct. subtilis 2. *d.*2. *q.*2. §. *contrà* & 2. *Rep. ibid. q.*1. Lych. Gratianus Brixiensis, Rada *contr.* 4. & cæteri negantes huiusmodi tempus discretum, à nostro tempore dissitum.

28. Not. 1. operationes Angelorum bifariàm considerari à Thomis. vno modo omnes simul collectas, & coassertatas, tametsi vna præcedat alteram, vnaque alteri succedat: & ita prænominati scholastici censent tales operationes mensurari tempore discreto, quod nihil aliud est, nisi duratio operationum Angelorum simul iunctarum. Altero modo dicti Authores contemplantur angelicas operationes seorsim sumptas, vnamque post aliam, sicque arbitrantur eas mensurari instanti temporis discreti.

29. Not. 2. præcipuas rerum mensuras vulgò quatuor recenseri, æternitatem, æuum, tempus, & instans, quas tangit Aug *l.*83. *qq.q.*19. Æternitas describitur à Boet. 1. *de consol. prosa 6. metro* 11. *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Hoc est, æternitas est duratio principij, & finis expers, qua solus Deus durat, cum solus sit æternus, principium, ac finem non habens. Hinc subiicit Aug. in Psal. 2. *In æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantum, quia quidquid æternum est, semper est.* Et in Psal. 146. in fine. *Æternitas in verbo quatuor syllabis constat, in se fine fine est.* Et in *Psal.* 100. alloquens Deum ait. *Anni tui æterni, anni tui, qui non mutantur, in generatione generationum erunt.* Æuum definitur *duratio entis permanentis, indefectibilis actu, defectibilis verò potentia.* Cuius meminere Arist. 1. *Cœli T.*100. & Aug. *l.*83. *qq q.*72. vbi æuum vocat stabile. Hæc mensura competit Angelis, animabus rationabilibus, & reliquis in suo esse permanentibus. Tempus est duratio rei successiui, & continuò labentis. Hocque ab Aug. proximè cit. perhibetur mutabile. Instans est duratio momentanea rei instantaneæ, vt generatio, illuminatio, & resurrectio, 1. *Cor.* 15. *In momento, in ictu oculi.* His nunnulli subnectunt instans naturæ, & instans originis, sed reuera non sunt durationes, sed potius præsuppositiones, & præexactiones; prius enim natura, & origine præsupponuntur, & præexiguntur ad posterius natura, & origine. Instans enim naturæ conuenit eis, quæ sunt quidem simul tempore, vnum tamen alteri præsupponitur, vt animal est prius natura homine, atque magis vniuersalia sunt priora natura, minus vniuersalibus. Instans originis adaptatur illis, quorum vnum ab alio originatur, tametsi vtrumque sit simul natura: quo pacto Theologi inquiunt, in diuinis, Pater est prior Filio origine: atque in primo instanti originis est Pater, in secundo verò instanti originis est Filius, & in tertio Spiritus sanctus.

30. Ass. non est admittendum tempus discretum à tempore, continuo differens. Tenet Doct. *ubi suprà.* Probatur 1. ex Arist. 4. *Phys. summo* 3. *c.*4. qui copiosè, ex exacte agens de tempore, vsque ad finem eius libri, haud meminit temporis discreti, nec in vllo opere eius quidpiam de ipso tempore discreto perhibet, ergo à Lyceo, huiusmodi tempus est explodendum.

Dices, Arist. existimare Angelos, quos ille intelligentias vocat, esse quosdam Deos, propterea mirum non est, si ipse Philosophus operationes eorum noluit mensurari tempore discreto, sed determinate, quâ dij mensurantur: ob id aliud tempus, præter continuum, in Peripatum non inuexit.

Contrà, Arist. non est lapsus in polytheismum, immò fortè quia plures Deos nõ coluit, ne vt Socrates supplicio afficeretur, reliquit Athenas, & petiit Chalcidẽ, vbi morti proximus veniam suorum delictorum postulauit à Deo, testãte Fons. *in proœmio Met. ad finem c.*1 ex alijs ab ipso alleg. Quare Philosophus vnum verum, & solum Deum agnouit, quem palam fatetur esse principem, rectorem, & gubernatorem vniuersi, 12. *Met. in calce.* Atque, idem Philosophus admittit *ibid. T.*47 *sum.* 2. *c.* 4. plures intelligentias, iuxta pluralitatem cœlorum mobilium, causatas a Deo, quem vocat primam causam, primum motorem, & primum ens, vt ostendit Scot. 1. *d.*8. *q.*5. *& Quol* 7. §. *sed quia. FF.* Addo, 1 *Cœli T.* 100. recenset æuum, quo præfatæ intelligentiæ durant. nullum ergo in eius schola extat tempus discretum. 2. non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem videtur esse necessitas multiplicandi tempus discretum, à continuo diuersum, ergo tempus discretum vnum, & irritum est Ma est Arist. 1. *Phys. T.* 52. & à nemine negatur Min. probatur, si qua ratio cogeret concedendi huiusmodi tempus maximè ratio S. Th aientis, operationes Angelorum non dependere à Cælo, ob id non tempore continuo, sed discreto esse metiendas. Hæc enim ratio nullius est ponderis, quia rationes Christi Domini, post eius resurrectionem non dependebant à Cælo, & tamen mensurabantur tempore continuo. Itemque actiones Beatorum, & post diem iudicij operationes cunctorum hominum non mensurabuntur tempore discreto, vt non renuunt Thomis. ergo nec modo metiuntur tempore discreto, cum sint eiusdem rationis, & speciei, ac proinde non est adinuenienda alia mensura, ad eas metiendas, præter illas prænarratas.

31. Dices, eas Beatorum operationes putà visionem, & fruitionem metiri æternitate participata. Cum enim sint ordinis diuini, & supernaturalis, ei debetur mensura quoquomodo diuina, quæ iure nuncupatur æternitas participata, quia semper erunt, & perpetuò durabunt, sicut Deus. Contrà, 2. *Cor.* 12. legitur D. Paulum habuisse huiusmodi operationes, cum raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Tunc enim fuit beatus beatitudine, quam scholastici appellant horariam, & temporariam. huiusmodi autem felicitas non est mensurata æternitate participata, quia non diù durauit, sed raptim transijt, ergo nec beatitudo aliorum Beatorum, quæ est perpetua mensuratur æternitate participatata, cum vtraque sit eiusdem speciei, & ordinis. 3. omne ens aut est permanens, quod persistis in suo esse, aut successiuum, quod continuò dilabitur: permanens autem mensuratur æuo, & successiuum tempore: atqui operationum Angelorum quædam sunt permanentes, vt visio, & fruitio Dei, quædam verò sunt successiuæ, vt eorum mutuæ locutiones, & eorundem motus locales: illæ autem metiuntur æuo: istæ verò tempore: ergo non est excugitandum tempus discretum, ad eas omnes dimetiendas.

32. Dices, operationes Angelorum esse permanentes, vnamque alteri succedere, finemque habere; ideò non æuo, quod est mensura permanentium finis expertium, sed tempore discreto, quod est mensura permanentium finem, & terminum participantium.

Contrà, mensura est vnigenea mensurato, 10. *Met. T.*4. & vtriusque modus manendi est vniformis, permanenter, scilicet vel successiuè, pondereque pondus, & vlna mensuratur tabula: Angeli autem substantia æuo metitur, quia est permanens, ergo pariter eius operatio

immanens æuo mensuratur, quia est permanens, licet hæc finem habeat, illa verò careat, Si namque Deus crearet Angelum æuo duraret, quamdiu existeret, quod si Deus eum annihilaret, finiret eius substantia, & non obstaret, quin æuo durasset, ergo quamuis operatio Angeli immanens terminetur, nihil impedit, quin aut mensuretur. Prætereà, si forma substantialis semper informaret materiam, æuo metiretur, ergo eadem quoque æui mensura dimetitur, licet à materia separetur, quia sortitur eumdem existendi modum, & manendi, siue inexistat in materia, siue ab ea seiungatur. Deindè, si motus nunquam finiret, tempore metiretur, ergo si ens permanens sit compos finis, quoque æuo mensuratur. Conseq. tenet, quia, ille tempore mensuratur, quia est successiuus, ergo istud æuo metitur, quia est permanens. Rursus Angelus locatur in cathegoria substantiæ, 5. *Met. T.* 15. quia est substantia finita, ergo eius mensura residet in cathegoria quantitatis, pariter quia est finita, non verò transcendens, vt arbitratur Caiet. Huiusmodi autem mensura non est tempus continuum, ergo est æuum. Insuper, tempus discretum à Thomis. adinuentum componitur ex instantibus eius, cum nihil aliud sibi velit, quàm plura instantia eius simul vnita, & aggregata, secundum ipsos, ergo & tempus continuum conflatur ex indiuisibilibus, cum par vtrique sit ratio: hoc autem ipsi non admittunt, ergo nec illud debent concedere.

33. Opp. 1. D. Aug. 4. *suprà Gen. ad lit. c.* 11. & 8. *eiusdem operis c.* 21. cit. a Conimb. *art. vlt.* 4. *Phys. in margine*, videtur significare tempus discretum, inquiens, Deum mouere creaturam spiritualem per tempus, ergo præter tempus continuum, secundum Aug. adinuenienda est alia mensura, qua mensurentur operationes Angelorum, quæ appellatur tempus discretum. Respondet Scot. D. Aug. ibi accipere tempus pro omni eo, quod potest habere esse, post non esse, quo pacto omne aliud à Deo dici potest temporale, quia omne creatum, antè non erat, post verò creationem, est Itaque, nego conseq. Nihil enim ibi affert Aug. quod faueat Thomis.

34. Opp. 2. nonnulla æternitate mensurantur, vt Deus, qui principij, & finis est expers: quædam mensurantur æuo, vt Angelus principij quidem compos, fine autem carens: alia mensurantur tempore, vt motus successiuus, & continuus: restant operationes Angelorum permanentes, & immanentes, quæ non metiuntur æternitate, quia principio pollent, nec æuo, quia finem habent, nec tempore, quia sunt permanentes, ergo excogitanda est alia mensura, qua dimetiantur, quæ nuncupatur tempus discretum. Resp. operationes Angelorum permanentes æuo durare, quod est mensura cuiuscumque entis creati, siue semper persistat, siue aliquando deficiat: transeuntes vero durare tempore continuo, quod est metrum, & mensura omnium successiuorum.

35. Opp. 3. post diem iudicij tempus non erit amplius, *Apoc.* 10. quia primum mobile, & cæteri Cæli non amplius mouebuntur: operationes autem Beatorum durabunt, non quidem tempore continuo, quia non erit, ergo tempore discreto, quod est earum mensura. Respondeo tunc non fore tempus extrinsecum, & vniuersale, benè verò tempus intrinsecum, & particulare, quæ metiuntur operationes Beatorum, siue ante, siue post iudicium vniuersale. Vel dicito eas duraturas esse, non tempore positiuo, sed priuatiuo, veluti cessante motu, quies, quæ est eius priuatio, mensurari dicitur priuatiuo tempore: pariter & ipse motus, si fieret in vacuo, cæteris motibus cessantibus.

QVÆSTIO II.

De Temporaneis.

ARTICVLVS I.

Quænam sint in tempore.

1. HÆc difficultas sub alio titulo à Philosophis examinatur, videlicet, quænam mensurentur tempore: esse namque in tempore, perinde est, ac mensurari tempore, teste Arist. 4. *Phys. T.* 114. Certum autem est Deum non esse in tempore cum æternitas esset eius mensura: idque est, testis S. Aug. 2. *de moribus Manich. c.* 1. inquiens, *Deus non subiicitur tempori.* Nec etiam Angelus metitur tempore, quia durat æuo, 1. *Cæli T.* 100. Itidemque nec Cælum, & omnia permanentia incorruptibilia, propter eamdem rationem. Tota verò controuersia agitatur, de substantiis generalibus, & corruptibilibus. Pars enim affirmans defenditur à D. Th. 1. *p. q.* 10. *a.* 4. *ad* 3. Caiet. *ibid. a.* 5. Sonc. 10. *Met. q.* 54. Fons. 5. *Met. c.* 13. *q.* 12. *sect.* 4. & Tol. 4. *Phys. q.* 15. Neganti autem patrocinantur Scot. 2. *d.* 2. *q.* 4. *§ Concedo.* Et *in Rep. ibid. q.* 1. Suarez *disp.* 50. *Met. sect.* 1. Canon. 4. *Phys. q.* 8. Bonet. 6. *Phys. c.* 3. Ruu. *Tract. de tempore q.* 2. Fuent. *q.* 3. 3. *dif.* 2. *art.* 2. & alij complures.

2. Not. ex Doct. *cit.* B substantiam corpoream bifariàm inspectari, vno modo in se, prout præscindit à motu, & fluxu, & ita est permanens habens totum suum esse simul: 2. vt subest motui, & mutationi, aliisque accidentibus, quæ ipsam consequuntur, & concomitantur, quo pacto dicitur mutabilis, labilis, & temporalis. Totum hoc potest illustrari de Cælo, quod ex se est permanens, & incorruptibile: est verò mutabile per motum, quo semper voluitur ab ortu ad occasum. Ratione primi, cælum durat æuo, quod ex dictis est mensura indefectibilis, permanens, & totum simul: ratione autem secundi, tempore metitur, quod est mensura successiua habens partes priores, & posteriores. Quod autem in præsentia facessit negotium est, quod substantia generabilis, & corruptibilis potissimùm animata, modò crescit, modò decrescit, partes eius quædam per nutritionem aggenerantur, & acquiruntur, quædam verò præexistentes fluunt, & deperduntur: & tandem tota simul interit, & perit. Ideò videtur esse in tempore, quod omnia consumere, & conficere perhibetur: at verò cum habet totum esse simul, non videtur subesse tempori, quia permanens, & successiuum adæquatè diuidunt quantitatem continuam, sicut species suum genus, veluti homo, & brutum immediatè, & adæquatè distribuunt animal: propterea ei debetur mensura permanenti conueniens, quæ appellatur æuum.

3. Ass. substantiæ generabiles, & corruptibiles non tempore, sed æuo metiuntur. Ita Scot. *vbi suprà.* 1. pars suadetur 1. ex 4. *Phys. c.* 12. *T.* 118. *&* 119. corpus mobile non est in tempore, vt quantum, sed vt est quantus motus: ergo secundum Arist. substantia corporea sublunaris mensuratur tempore, quatenus sibi annexus est motus, qui per se tempore metitur, non verò vt substantia existens quantitate continua permanente affecta. Occurrunt Cóplut. cit. substantiam in se omni carere mensura; idcò Arist. ait corpus mobile non subiici tempori, nisi quatenus subest motui, ratione cuius idem Philosophus fatetur corpus sublunare esse in tempore. Verum isti Authores non rectè expendunt text. Philosophi, quandoquidem non absolutè, & præcise scribit Stagir. corpus mobile non mensurari tempore, sed expressè ait, corpus vt quantum: quantum autem continuum permanens cuiusmodi est corpus, sua gaudet mensura,

mensura, igitur non probè exponunt text. nec vllo modo diluunt argumentum ipsis oppositum.

Fons.cit.aliter respondet, & dicit, corpus generabile, & corruptibile semper moueri motu saltem improprio, qui est fluxus partium eius, quæ per nutritionem acquiruntur, loco deperditarum, quæ in ipso præexistebant: ob id per huiusmodi motum, & fluxum est in tempore, à quo patitur, & demùm consumitur. At hæc responsio non congruit passui alleg. Negat ibi Stagir. corpus vt quantum tempore mensurari, ergo huiusmodi corpus nullum sortitur motum etiam improprium; qui enim aufert posterius actu, tollit & prius actu, à quo illud necessariò emanat. Ergo cum Arist. à dicto corpore adimat tempus, quod est posterius motu, consequenter tollit & ipsum motum, qui est causa eius. Amoto namque subiecto, vtique eius passio remouetur, vt si tollatur risibilitas, quoque tollitur rationalitas. Tempus autem est passio motus, 8. *Phys. T.* 11. Ergo sublato tempore à corpore quanto, quoque deferetur motus per tempus mensuratus. Subnecto, nullam fore præallatam distinctionem Philosophi. Nam, si corpus vt quantum mensuratur tempore, & idem corpus pariter eadem fruitur mensura temporis, vt participat quantum motum, ad quid distinguere corpus, vt quantum, & vt est quantus motus? sed dicendum esset, vtroque modo corpus inspectum tempore metiri, quod non astruit Arist. vt nos doceret, corpus simpliciter vt quantum non mensurari tempore.

Secundò, mensura est eiusdem rationis, cum mensurato, 10. *Met. T.* 4. corpus autem sublunare est quantum quantitate permanente, cum sit totum simul, habens suas partes simul copulatas termino communi: ergo eius mensura est permanens, non verò successiua, vti est tempus. Hæc ratio adeò est efficax, vt induxerit D.Th. *opusc.* 42. *de tempore c.* 3. in nostram præpositam assertionem, vt patet ex verbis eius adductis Complut. *vbi suprà*, §. 1. Tametsi Mafius neget illud opusculum esse Thom. Verùm cum redoleat stylum eius, non est negandum, sed potius dicendum, vi argumenti conuictum mutasse sententiam, vt præstat in aliquibus aliàs notatis, & non erubescunt Aug. & alij sancti, & docti viri proteruiam, & pertinaciam in suis opinionibus deserentes, magis verò adhærentes rationi, & veritati. Addunt Complut. vt allato argumento satisfaciant, substantias sublunares, & corruptibiles subesse tempori, quia sunt mutabiles, & transmutabiles, ac in perenni fluxu partium, quarum quædam recedunt, aliæ verò accedunt, & succeduut. Contrà, tota substantia pollet quantitate permanente, vt patet in homine, & lapide, ergo eius mensura non est tempus, quod totum intrinsecè, & essentialiter est successiuum. Deindè, illa substantia metitur tempore, vt subest motui, & mutationi, vt fatentur dicti Authores, ergo non ratione substantiæ quantæ, sed ratione motus quanti sortitur mensuram temporaneam, quod est assertum Arist. Scot. & aliorum, quos refellunt. Rursus, quamuis nonnullæ partes eius substantiæ fluant, nihilominus totum persistit, ideò tempore non metitur, vt licet quædam partes à lapide, vel ab arbore auferantur, tamen est idem lapis, & persistit eadem arbor continua permanens, mensurabilis eadem mẽsura, qua prius, cum eis partibus constabat. Præterea, aurum, & alia metalla, quorum partes omnes ferè semper manent, lapides, & corpora Beatorum post diem iudicij persistent semper in suo esse, absque vllo prorsus fluxu partium, non tamen tempori subijcientur, nec ab eo continebuntur, nec superabuntur, ergo nec modò mensurantur illo, cum semper gaudeant eadem mensura, quia semper sunt permanentia, quorum mensura non est tempus.

4. Secunda pars est contrà Suarez, & Ruu. cit. pro Scot. & Scotis. *vbi suprà*. Probatur 1. omnis mensura vel est æternitas, vel æuum, vel tempus, ex dictis *in ant. art.* substantia autem sublunaris non mensuratur æternitate, vt patet, nèc tempore, vt ostendi in 1. parte præpositæ ass. ergo metitur æuo. 2. omne ens aut est increatum, aut creatum: si increatum participat æternitatẽ: si creatum, aut est permanens, & habet æuum, aut successiuum, & subest tempori: corpus autem corruptibile est permanẽs, ergo eius mensura est æuum. Obuiam fiunt Aduersarij, & dicunt, corpus corruptibile non mereri æuum pro mensura, quoniam æuum tantum accommodatur illis, quæ sunt incorruptibilia, & immortalia, perpetua, & finis expertia, non verò ipsi substantiæ sublunari, quæ finitur, & consumitur. Verùm, hoc non obstat quin dicta substantia æuo mensuretur, quandoquidem, sicut omne successiuum tempore mensuratur, tametsi aliquod parum, aliquod verò multùm duret: sic omne permanẽs æuo metitur, quãuis aliquod perpetuò duret, quoddam verò citò destruatur, & pereat. Iterum, motus si foret æternus, vt sentit Arist. tempore metiretur, & eadem mensura temporis potitur apud nos, cum reuera finiendus sit: ergo omne permanens pro mensura sortitur æuum, licet quoddam sit perpetuum, & incorruptibile, vt Cælum: quoddam verò corruptibile, & finibile, vt substantia sublunaris. Denuò, si Angelus annihilaretur à Deo, & Cælum ab eodem destrueretur, attamen vtriusque mensura esset æuum, licet finem haberet: pariter substantia sublunaris æuo durat, tametsi tabescat & pereat, congruè ergo, & appositè Scot. mensuram substantiæ generabilis, & corruptibilis nominat æuum.

5. Opp. 1. Arist. 4. *Phys. T.* 10 explicitè inquit, ea esse in tempore, eoque mensurari, quæ capiuntur, vincuntur, & superantur ab eodem, necnon quæ generantur, & corrumpuntur: substantiæ autem sublunares generantur, & corrumpuntur, ergo earum mensura est tempus. Resp. exponẽdam esse ma. per distinctionem: si substantiæ sublunares sumantur penes suum esse substantiale, & quantitatiuum permanens, nego, sic enim habent totum suum esse simul, omnesque earum partes sunt simul copulatæ termino communi: quod si accipiantur penes motum quantum, qui eis connectitur, concedo. Hoc enim pacto tempore metiuntur propter motum, qui immediatè, & per se tempore mensuratur. Hæc responsio, & distinctio est Arist. *cit. T.* 118. à me explicita, & adducta in initio nostræ asser. & à Scot. confirmata *passu memorato*, & 11. *Met. in expos. c.* 3. *sum.* 1.

6. Opp. 2. viuentia naturalia dicuntur viuere tanto tempore, & posteà mori, vt *Gen.* 5. *Factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.* Et paulò post. *Facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est.* Et sic de reliquis, in quibus distinguitur iuuentus, & senectus, nouitas, & vetustas, vita, & mors, ergo corpora sublunaria, & potissimùm viuentia dimetiuntur tempore. Resp. iuxta distinctionem præallatam, animata, & quæcumque alia naturalia generabilia, & corruptibilia subiacere tempori, non secundum suum esse substantiale, & quantitatiuum permanens, sed secundum motum, qui est eis adiunctus, qui per se tempori subest. Idque constat de Cælo, quod non mensuratur tempore, vt est substantia incorruptibilis, sed per motum ipsi anneaum, quo continuè, & successiuè mouetur.

ARTICVLVS II.

An sit vnum, & idem nunc in toto tempore.

7. Hæc difficultas originem trahit ex Arist. 4. *Phys. T.* 104. proferente istam propositionem: *In toto tempore est idem nunc secundum substantiam, differens verò secundum esse.* Quæ cum sit obscura, & ardua intellectu, eius interpretes in varios sensus, diuersasque opiniones abeunt. Aur. 2. *d.* 2. *art.* 5. censet esse reipsa vnum nunc in toto tempore, tantùm differens, secundùm dispositionem, & rationem. A quo longè non videntur distare Alb. & Th. cit. à Tol. 4. *Phys. q.* 14. Alij, quorum

 supposito

suppresso nomine allegat idem Aur. *vbi suprà* putant esse vnum nunc, vnitate subiecti, in quo eatat. Cæteri autem in quotum numero sunt Scot. 3. *Met in fine expos. T.*17. & 2.*d.*2.*q.*2.§. *Istam instantiam.* & *in Rep.q.*1. Antonius Andr. 3. *Met.q.*3. Canon. 4. *Phys. q.*6. Bonet. 6. *Phys.c.*1. Tolet. cit. & Ruu priori Tract. de tempore, *q.*2. *dub de instanti*, docent vnum nunc esse quasi specie, plura verò numero, in omni tempore.

8. Not. 1. idem esse secundum substantiam, perinde esse ac idem in se, & absolutè consideratum. & differens secundum esse, nihil aliud sibi velle, quàm idem ad diuersa comparari, interpre Lych. *passu memorato* ex Scot. *ibid.* sic enim instâs, seu nunc sortitur diuersas côparationes, quatenus est finis præteriti, & principium futuri, notante Arist. 4. *Phys. T.*106. vel vt ea ponit Bonet. cit. esse idem secundum substantiam, significat eamdem essentiam, & rationem quidditatiuam, & specificam, sic capitur, *l. prædicam. c.*1. Vniuoca sunt quorum nomen est commune, & ratio substantiæ, secundum illud nomen est eadem. Differens verò secundum esse designat esse indiuiduale, & singulare, quod est multiplex, iuxtà multiplices differentias indiuiduales. Quarè in tempore idem est nunc specie, & multiplex numero.

9. Not 2. ex Arist. præcit. *T.*126. *& indè* nunc bifariàm accipi, nonnunquam pro a imo tempore, quo quidpiam factum est, aut faciendum est, quo in sensu frequens est apud hominès, nunc venit Petrus, aut nunc veniet Petrus Hoc confirmat Aug *in Psal.*55. vbi loquens de Iob à dæmone tentato, ait *Peruasssm est tentator tentare sanctũ virum Iob, vno puncto temporis abstulit omnia, idest breui tempore omnia perdidit.* Et *tract.*107. *in Ioan. An non quotidiè dicimus, iam non est hic, de aliquo quamtocius abituro?* E regione, quæ abhinc multo tempore peracta sunt, nequaquam dicimus nunc facta esse, vt non dicitur, nunc Christus natus est, neo nunc passus est. Propriè autem nunc sumitur pro instanti temporis, quod mediat inter partes eius, easque vnit, & copulat, veluti punctum intercipitur in partes lineæ, easque vincit, & copular, & de nunc hoc secundo modo capto, dubitatur in præsentia.

10. Ass. in toto tempore est vnum nunc quasi specie, plura verò numero distincta. Tenet Doct. locis præaddnctis, estque germanus sensus Stagit. *cit. T.*110. concedentis plura nunc in tempore. Et clarius 3. *Met. in fine T.*17. si ergo in sententia Philosophi, in tempore eatât plura nunc numero, ergo per ipsummet, est vnum nunc specie. Iam verò probatur 1, si foret tantùm vnum nunc numero in toto tempore, omnia essent in eodem nunc, & quæ extiterunt ab initio Mundi, & quæ futura sunt, vsque ad finem eius simul existerent, quia forent sub eodem nunc numero: hoc autem quàm vanum, falsum, & absurdum sit, omnibus patet, ergo non est vnum nunc in omni tempore, sed vnum specie. 2. ita philosophandum est de nunc respectu temporis, sicut de puncto respectu lineæ, & de mutato esse, respectu motus, vt deducit Arist. mox alleg. plura autem numero locantur puncta in linea, & mutata esse in motu: siquidem inter duas partes lineæ mediat punctum, & inter duas partes motus adest mutatum esse, pariter ergo inter duas partes temporis intercipitur nunc, seu instans: atqui sunt plures partes temporis, ergo & plura nunc, siue instantia, vnum verò nunc, & instans specie. 3. multiplicato subiecto, multiplicatur quoque passio, quæ ab illo promanat, vt plurificato homine, vtique plurificatur risibilitas, quæ est eius proprietas: in motu autem multiplicantur mutata esse, quia inter duas partes motus adest mutatum esse, ergo & plurificatur nunc, quod sequitur mutatum esse, veluti passio suum subiectum, a quo prodit Atque adeò plura sunt nunc numero, vnum autem specie. Adde, si esset tantum vnum nunc in toto tempore, adæquaretur ipsi tempori. Tempus namque est vnum, pariter & vnum instans esset, fieri autem nequit, vt nunc, quod est indiuisibile adæquetur toti tempori, quod est diuisibile in infinitum, ergo etiam impossibile est, esse vnum nunc duntaxat in omni tempore.

11. Opp. 1. Arist. cit. *text.* 103. explicitè videtur astruere in toto tempore esse solum vnum nunc numero, quia nunc causat tempus, veluti punctum lineam, idque exemplo illustrat de Corisco, qui vnus & idem numero est, tametsi successiuè eat la: in domo, & in foro. Idem semper substantialiter manet, quamuis accidentaliter mutetur: similiter nunc est idem semper in tempore substantialiter, licet penes diuersos respectus, & accidentia discriminetur. Resp. præter expositionem iam præallatam, quæ est Arist. conformior, & veritati proximior, teste Bonet. cit. dici potest Philosophum loqui ibi more Mathematicorum. Qui putant punctum fluere per lineam, sic nunc per tempus permeare indicat, velut Coriscus modò domum petit, modò verò in theatrum ascendit: pariter nunc respicit præteritum, cuius est finis, & futurum, cuius est principium.

12. Opp. 2. nisi persisteret idem nunc toto tempore, secundum substantiam, certè corrumperetur: idem enim aut permanet, aut corrumpitur: non potest autem corrumpi: nam vel corrumperetur in seipso, vel in alio instanti, hocque vel præcedente, vel subsequente, immediato, vel mediato, nullo autem istorum modorum corrumpi valet, non in seipso, alioqui idem simul esset, & non esset: nec alio instanti præcedente, secus corrumperetur, priusquam esset: nec in instanti immediato, cum non dentur instantia immediata: nec in instanti mediato, quia inter duo instantia adest pars temporis: ergo manet idem nunc in omni tempore. Resp. generationem, & corruptionem propriè competere substantiæ sublunari, vt alibi obseruaui, cuius productio mensuratur instanti: instans autem non mensuratur instanti, veluti tempus tempore non metitur, cum mensura à mensurato distinguatur. Quare nunc, & alia indiuisibilia dicuntur incipere, & desinere esse: latius namque patent inceptio, & desitio rerum, quàm generatio, & corruptio.

13. Quæres, vtrum tempus sit causa corruptionis rerum? vulgus existimat tempus omnia euertere, & vorare, ideò dicitur tempus edax rerum: verùm per se non est causa corruptionis earum, cum sit de genere quantitatis, quæ non est actiua, sed per accidens, quatenus quæ tempore durant, aut tempori coëxistunt, corrumpuntur, vel à principio intrinseco, per extinctionem caloris naturalis, aut consumptionem humidi radicalis, vt ab aqua, igne, de quibus habetur quotidiana experientia ortus, & interitus sublunarium, & significatur ab Arist. 4. *Phys. T.*128. Non omitto monitum D. Aug. de verbis Domini serm. 39. *Dies autem ipsi properantes transeunt, quia hodiernus dies hesternum exclusit, ipsi dies non stant, tu quare cum illis vis stare?* Et de verbis Domini, serm. 42. secundum Ioan. *Verba currunt, & hora volant, sic ætas nostra, sic ista felicitas nostra, totum tempus nostrum transit, & verbum Domini manet in æternum.*

LIBER OCTAVVS.

De Motu.

DE motu differit Ariſt. tum 3.*Phyſ.*tum etiam 5.*eiuſdem operis*,quoniam eſt præcipua paſſio corporis naturalis, quoue ignorato, naturam ignorari, monet idem Philoſophus *in initio* 3. *lib. citat.* Atque conducit, ad peruestigandas Intelligentias cœleſtium orbium motrices, necnon Dei optimi maximi notitiam adipiſcendam, qui omnis motus eſt principium, & finis. *In ipſo* namque *viuimus*, *mouemur*, *& ſumus.* Act.17.

QVÆSTIO I.

De natura motus.

ARTICVLVS I.

An ſit motus.

1. QVAMVIS luce clarius ſit,dari motum,nihilominùs, propter rationes, ſeu potius cauillos Zenonis infrà diſſoluendos, præſens ſtatuitur articulus.Ipſe enim Zeno,referente Ariſt.8. *Top. c.*3.& 6.*Phyſ.c.*9. *T.*75. negat eſſe motum:cui ſeſe opponunt idem Ariſt.nunc cit.& reliqui omnes Philoſophi admittentes motum,cum quibus ſit.

2. Aſſertio, datur motus. Præſupponitur à Doct.9. *Met.quæſt.*14 & 11.*eiuſdem operis,ſum.*4.*cap.*1.*in com.* & 2.*diſt.*2.*quæſt.*9.& *in Rep.quæſt.*2.*primi diſt.*2.§.*Ad* 2.*rationem.* Patet ſenſu,& cernitur ad oculum. Videntur enim quotidiè cœleſtia,& ſublunaria moueri:Ob id nonnullus inquit,contra Zenonem inficiantem motum, non ratione,ſed deambulatione vtendum eſt. Immò ſi quiſpiam nunc pertinaciter vellet motum reſpuere,verberandus eſſet, donec fateretur, verberantem mouere baculum ad eum percutiendum. Deindè, vnumquodque ſortitur ſuam virtutem, ad conſequendum ſuum finem, alioqui eſſet huiuſmodi virtus ſuperuacanea. Vnde extat illud vulgatum, *Fruſtra eſt potentia, quæ non reducitur ad actum.* Naturale autem corpus pollet potentia mouendi ſe de loco, ad locum. Cum enim omnia naturalia ſint finitæ, & limitatæ perfectionis, conſequenter mouentur ad comparandum ſibi commodum, & perfectionem, qua carent, vt bos ad comedendum fœnum,Leo ad deuorandam carnem.equus, ad auenam, homo ad aurum, & ſic de reliquis: manifeſtus eſt ergo motus, & potius eſt præſupponendus, quàm probandus. Subnecto cum Scot.4. *diſtinct.*12. *quæſt.*2. §. *Quantum ad iſtam*: *ante A. ex* 8. *Phyſ. ſumm.*2. *cap* 1. *T.*26. fatuum eſſe ibi quærere rationem, vbi habemus aliquid certius ratione, cuiuſmodi eſt verus ſenſus, & indubia experientia. Hinc idem Doct. *in Reportat. prælleg.* eſſe motum, colloeat inter poſitiones per ſe notas,contingentes.

3. Oppones primò, ſi daretur motus, mobile ſuo motu pertranſiret, finito tempore, infinitum ſpatium: infinitum autem non eſt pertranſibile, 3.*Phyſ.*40.Ergo nullus eſt motus. Sequela ma. oſtenditur, ſi moueatur mobile per aliquod ſpatium,neceſſe eſt pertranſeat omnes partes eius ſpatij: partes autem ſpatij ſunt infinitæ, quia ſpatium eſt diuiſibile in alias, & alias partes in infinitum. Nego ſequelam ma. ad eius probationem dico, ſpatium pertranſiri à mobili, penes partes aliquotas, quæ ſunt determinatæ quantitatis, & finitæ, ratione quarum ſpatium denominatur magnum, aut paruum: non autem penes partes proportionales, quæ ſunt ſemper diuiſibiles, & nunquam ad vltimam deuenitur. Quare argumentum Zenonis non concludit, tranſit enim à partibus aliquotis, ad partes proportionales,quod eſt manifeſtum ſophiſma.

4. Oppones ſecundò, ſi foret motus, aut mobile moueretur in termino à quo, aut in termino ad quem: neutro autem modo moueri poteſt, ergo non eſt admittendus motus. Ma. ſuadetur, non poteſt mobile moueri in termino à quo, quia ab eo incipit motus, nec in termino ad quem, quia in eo deſinit motus, non videtur ergo eſſe affirmandus motus. Reſpondeo, mobile moueri in via, ſiue in illa intercapedine, quæ extat inter terminum à quo, & ad quem. A termino autem à quo incipit motus, & ad terminum ad quem deſinit. Reliqua, quæ à Zenone, & aliis adducuntur vide apud Ariſtotelem citat. eiuſque interpretes,quæve ita euerſa, & profligata ſunt, vt nemo amplius ſit,qui ea ab interitu velit, & poſſit iure vindicare.

ARTICVLVS II.

Quid ſit motus.

5. REcondita planè, & ardua captu videtur eſſe natura, & eſſentia motus, vt ſignificat Ariſtot 3. *Phyſ. ſumm.*2. *cap.*5. *T.*12. ex varietate, & multiplicitate opinionum veterum Philoſophorum, in tradenda, & aſſignanda eius definitione, & explicanda quidditate eiuſdem. Quidam enim ſuſpicantur, motum eſſe alterationem, nonnulli diuerſitatem, alij inæqualitatem, nec deſunt, qui velint eſſe non ens. Cæteri verò cum Ariſtot. *paſſu allegat. T.*6. *cap.*2. docent motum eſſe actum entis in potentia, vt in potentia. Et *T.*16. motum eſſe actum mobilis, vt mobile eſt. Atque *T.*23. motum eſſe eius, quod agere, & pati poteſt, quatenus tale eſt. Iſtæ tres motus definitiones quidem ferè idem ſonant, & aptæ ſunt, tamen prior eſt celebrior, exactior, ac melior, ideò recipienda, retinenda,& ab Aduerſariorum iaculis, quibus impetitur, eſt defendenda.

6. Aſſertio, rectè motus definitur *actus entis in potentia, vt in potentia.* Ita Scot. cum Ariſtot. 11.*Met. T.*8. *ſumm.*4. *cap.*1. *Qual.*3. *H.* Declaratur, antequam probetur. Dicitur *actus*, ideſt actio inchoata, & imperfecta, exponente eodem Ariſtot. 3. *Phyſ T* 5. Mobile quippè mouetur ad aliquid acquirendum, propterea motus, qui eſt via, & tendentia ad illud, appoſitè extat actus, ſiue operatio incepta, & imperfecta. Additur entis putà phyſici, ſiue corporis naturalis; vt indicat Ariſtot.8. *Phyſ. T.*10. & 11. *Met.* *ſum.*4.

fum. 4. *T.* 8. & ibi Scot. *in com.* subiectum enim motus est corpus naturale existens, à quo vt præcipua passio profluit mobilitas. Subiicitur, *in potentia, vt in potentia.* Quia mobile habet potentiam ad illud quo actu caret, & quatenus participat talem potentiam movetur ad id sibi comparandum. Ob id Deus qui omnia habet, estque actualissimus, & perfectissimus, nulli motui subest. Sic explicata motus definitio suadetur. Primò, ea est idonea definitio, quæ constat ex genere, & differentia, vt supra non semel inculcaui: huiusmodi autem est præadducta motus definitio. Actus quippè est eius genus, & reliquæ particulæ gerunt vicem differentiæ eius, ergo est recta, & idonea definitio. Secundò, probatur ab Aristot. inductione, in singulis motibus. Sex namque sunt præcipui motus, quorum meminit Stagir. *in postpredicam cap.* 14. alteratio, generatio, corruptio, accretio, decretio, & loci mutatio. Hi autem omnes, & singuli motus participant præfatam motus definitionem, vt alteratio est actus alterabilis, vt alterabile est, generatio est actus generabilis, vt generabile est, & sic de reliquis, probe igitur tradita est definitio motus.

7. Opponest primò, præallata definitio non comprehendit omnem motum, ergo non est bona. Ant. probatur, intellectio, & volitio sunt motus quidem, non tamen corporis naturalis, sed naturæ intellectualis. Itemque istæ operationes conueniunt Deo, qui nulli motui succumbit. Nego ant. ad eius probationem dico, cum Aristot. 9. *Met. T.* 16. eas operationes non esse proprie motum, de quo in præsentia loquimur, sed terminos, & fines potentiarum, intelligentis, & volentis, maximè in Deo, cum realiter cum ipso identificentur: ad hominem verò pertinent, cùm prodeant ab anima rationali, quæ est pars intrinseca, & essentialis ipsius hominis, qui sub corpore naturali continetur.

8. Opponet secundò, si motus est actus, qui græcè perhibetur ἐνδελέχεια cum anima sit actus, vtique anima erit motus, quod falsum est, igitur motus non est actus, vt supra statuitur. Respondeo motum esse actum secundum, & formaliter accidens, animam verò esse actum primum, & substantialem. Endelechia verò est nomen commune vtrique actui prænominato conueniens. Ideò Scot. 11. *Met. passu memorato* notat nomen endelechia in definitione motus positum, nihil aliud sibi velle, quàm viam ad perfectionem, siue commodum, ad quod assequendum, mouetur mobile.

ARTICVLVS III.

An præfata definitio motus competat omni motui.

9. Ianduu. 5. *Phys. quæst* 2. & 3. Peter. *lib* 13. *cap.* 5. Fons. 5. *Met. cap.* 13 *quæst.* 9. *sect* 1 & Conimbr. 3. *Phys. cap.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. autumant, præfatam definitionem soli motui successiuo conuenire. Scot. autem *quæst.* 44. *prædicam.* Antonius Andr. 11. *Met. quæst. vn.* Canon. 5. *Phys. quæst.* 2. *artic.* 3. Parisiens. *ibid. quæst.* 1. *fol.* 59. Fuent. 3. *Phys. diff.* 2. *artic.* 1. & Compiut. *disp.* 16. *quæst.* 2. §. 2. *num.* 16. sub ea definitione comprehendunt omnem motum, tam successiuum, quàm instantaneum.

10. Not. ex Doct. nunc alleg. motum duobus modis accipi. Vno modo generice, prout abstrahit ab omni mutatione siue momentanea, siue temporanea. Altero modo specificè, pro motu successiuo duntaxat, de quo disserit Arist. 5. *Phys. cap* 1. & 11. *Met. sum.* 4. *cap.* 3. negans generationem esse motum, cui consentit Doctor tum ibi, tum etiam 2. *d.* 2. *q.* 1. §. *Ad argumentum.*

11. Ais definitio motus præadducta cohæret motui successiuo, & instantaneo. Tenet Doct. cit. *in predicam.* Suadetur primò, ex Arist. *qui* 3. *Phys. T.* 6. Dictam motus definitionem illustrat exemplis de motu instantaneo, cuiusmodi est generatio, & successiuo, veluti est alteratio. Et ante *in postpredicam.* affert sex species motus, inter quas locat generationem, quæ est motus subitaneus, & alterationem, quæ est motus temporarius, ergo per Arist. sub præfata definitione comprehenduntur motus successiui, & momentanei.

12. Dices, cum Fons. cit. generationem capi dupliciter, vel pro præuiis dispositionibus ad ipsam generationem necessariis, vel pro formæ substantialis introductione in materiam præiacentem, & hæc est instantanea, de qua non disserit Stagir. locis memoratis: sed de illa ipsam præcedente, quæ est successiua, & temporaria, quæve coincidit cum alteratione. Contrà, alteratio, & generatio abinuicem discrepant tanquam duæ species sub eodem genere contentæ, authore Arist. *in postpredicam. citat.* ergo, cum idem Philosophus 5. *Phys. cit.* numerat ipsasmet species motus, & de singulis exemplificat, non accipit vnam, pro altera, sed cum sint inter se distinctæ, de eisdem, vt distinctis, distincta affert exempla.

13. Dices cum Scoto *in præsenti, quæst.* 1. Arist. ibi verba facere de generatione non proprie, & formaliter vt generatio est, sed de eius termino, quem præit alteratio, ideò præmisit alterationem, quam subsequitur generatio sumpta pro ipsius termino, qui in instanti producitur, & à quo specificatur. Contra, terminus generationis est ipsi extrinsecus, sicut & terminus cuiuslibet alterius motus, quia ille est isto posterior, motus quippè est via, & tendentia ad terminum, ergo cum Arist. loquatur de motu formaliter capto, deque speciebus eiusdem exemplificet, non discurrit de termino generationis, nec de terminis cæterorum motuum exempla adducit, vt licet intueri, *in T.* 11. vbi distinguit ædificationem, quæ est motus, à termino eius, qui est domus Et *T.* 12. secernit doctionem, quæ est motus à disciplina, quæ est eius terminus: proindéque idem præstat de generatione, cuius terminus est forma substantialis in materia producta. Deindè, quilibet motus sortitur suum terminum, à reliquis distinctum, vt alteratio, qualitatem, accretio quantitatem, & generatio formam eductam, vel inductam, non vsurpauit ergo Stagir. generationem, pro termino eius.

Secundò, *in tex. prælato* Philosophus disserit de motu, & de eo ibid. ponderat se acturum *T* 1 & 2. *Phys. T.* in definitione naturæ. In eis autem locis tractat de motu vniuersè sumpto, præscindente à motu simultaneo, & successiuo, cuius vtriusque natura est principium, ergo definitio de eo data, vtrique congruit: alioqui afferenda esset alia motus definitio generalis, & communis, cum tamen alia ab ipso non sit addicta; immò 11. *Met. summa* 4. *cap.* 5. de motu in vniuersum instituens sermonem Philosophus, & de singulis eiusdem speciebus, eam ipsam definitionem motus affert, quam attulerat, & explicauerat 3. *Phys. T.* 6. Insuper, dicta definitio rectè adaptatur tam motui instantaneo, quàm temporaneo. Recta enim generatio est actus generabilis, vt generabile est, sicut alteratio est actus alterabilis, vt alterabile est.

14. Dices in Met. passu proximè citat. expressè Aristot. negat generationem esse propriè motum, ergo generatio, & quivis alius motus instantaneus non capitur sub illa definitione. Occurrendum est, ibi Philosophum remouere generationem à serie motuum successiuorum, vt iam præstiterat 5. *Phys. T.* 3. & ego monui *in præmisso not.*

15. Oppones primò, ex 3. *Phys. T.* 1. Motus est de genere continuorum, non quidem permanentium, ergo successiuorum. Idem habetur 4. *eiusdem operis*, *T.* 99. & 5. *Met. T.* 18. Ergo præallata definitio soli motui successiuo adaptatur. Resp. id protulisse Arist. quia motus successiuus est apertior, & euidentior, non autem negasse

generatio

generationem, & reliquas ſpecies præcenſitas motus in dicta definitione contineri, cum ipſe ibid. dicat ignorato motu, quoque ignorari naturam, conſtat autem naturam eſſe principium, & cauſam, nedum motus ſucceſſiui, verumetiam inſtantanei.

16. Oppones ſecundò, eſſe actum in potentia, vt in potentia denotat motum partim fieri, partim verò faciendum eſſe: fieri autem, & faciendum eſſe præſeferunt ſucceſſionem: ergo illa definitio tantùm motui ſucceſſiuo accommodatur. Reſp. per ea verba ſolummodo deſignari motum eſſe actum inchoatum, & imperfectum intrinſecè, & reſpicere actum perfectiorem. Ideò ſolus Deus eſt immobilis, quia ſolus eſt perfectus: cætera verò ſunt mobilia, & ad vlteriorem perfectionem, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem tendentia.

ARTICVLVS IV.

An motus ſit quid abſolutum, aut relatiuum.

17. Complures ſtatuunt motum eſſe ens abſolutum qui tamen ſunt bipartiti; nonnulli namque putant motum locari in genere quantitatis, eſſeque ſub ſpecie quantitatis ſucceſſiuæ. Alij verò exiſtimant eſſe quemdam modum abſolutum, veluti indicant de ſex vltimis prædicamentis, quorum memini in Log, *lib.* 3. *q.* 8. *art.* 1. Scot. autem 2. *d.* 14 *q.* 2. §. *Ad* 1 *arg. L.* & *in Rep. ib d.* & 4. *d.* 13 *q.* 1. § *Ad huius autem.* Mayr. 2. *d.* 8. *q.* 2. Ball. 4 *d.* 48 *q vn.* Vorril. *ibid. d.* 10. *termino* 2. Ioan. de Magiſ. 3. *Phyſ. q.* 2. & Pariſienſ. *eo in loco.* §. *In oppoſitum, fol.* 47. affirmant motum eſſe ens relatiuum.

18. Not. 1. in quocunque motu duos potiſſimum interuenire terminos, à quo, & ad quem. Terminus à quo eſt, vnde incipit motus, terminus verò ad quem eſt, in quo deſinit motus. Deinde, quidam ſunt termini primi, vt habitus, & priuatio eius: alij verò ſunt termini concomitantes, qui conſequuntur terminos priores, quive habentur in augmentatione qualitatis. Gradus quippè, qui conſequuntur qualitatem in ſuo augmento, vt quinque, aut vt ſex nuncupantur termini concomitantes, priores ſunt ſimul in eodem ſubiecto incompoſſibiles: priores verò ſunt compoſſibiles.

19. Not. 2. motum bifariàm accipi. Primò materialiter, hoc eſt pro forma acquiſita, vel acquirenda per motum. Secundò, formaliter, id eſt pro relatione extrinſecus adueniente mobilis, ad mouens: Quod vt melius percipiatur, obſerua, ſex reperiri entitates in quolibet motu. Prima eſt mouens, ſecunda eſt mobile, tertia forma fluens quarta fluxus formæ, quinta relatio extrinſecus adueniens mouentis ad mobile, & ſexta relatio extrinſecus adueniens mobilis, ad mouens. Nunc verò dubitatur, quænam ex prædictis entitatibus ſit formaliter motus.

20. Aſſertio, motus formaliter non eſt quid abſolutum, ſed relatio extrinſecùs adueniens mobilis, ad mouens. Tradit Doct. *locis præmemoratis.* Suadetur primò, abſolutum cenſetur illud quod eſt ad ſe, & relatiuum, quod fertur ad aliud. vt abundè explicui *in Epit. lib.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 6. Motus autem eſt ad aliud: eſt enim via, & tendentia ad terminum ad quem, vt ſupra notaui, ergo motus eſt ens relatiuum. Secundò, motus deſcribitur actus entis in potentia, vt in potentia: actus autem, ſiue actio eſt forma relatiua, de genere actionis, extrinſecus aduenientis, vt docui *paſſu memorato, quæſt.* 4. *art.* 10. Ergo motus eſt præfata relatio. Hæc ratio inſinuatur ab Ariſt. 3. *Phyſ. T.* 11. vocante motum ædificandi actionem, quæ eſt ædificatio. Et *ibid. T.* 27 & 21. motum docendi appellat doctionem, quæ quoque eſt actio reſidens in prædicamento actionis. Atque 5. *Phyſ. cap.* 1. *T.* 5. motum dealbandi nominat dealbationem, quæ pariter eſt actio eiuſdem generis. Tertiò, motus non eſt mouens, quia hoc eſt cauſa eius, nec mobile, quia eſt eius ſubiectum, nec forma fluens, cum hæc poſſit eſſe ſine illo, vt albedo, ſine actuali dealbatione, vt ſcribit expliciè Stagir. *loco proximè cit.* nec fluxus, cum fluxus includat ſucceſſionem, quæ non eſt de intrinſeca ratione motus, ex dicendis in ſequenti art. nec relatio mouentis, ad mobile, alioqui, cum Deus ſit omnium motor, in ipſo foret motus, quod eſt falſum. Relinquitur ergo motum eſſe relationem extrinſecus aduenientẽ mobilis, ad mouens.

21. Oppones primò, Ariſt. 5. *Met. T.* 18. & Scot. *ibid.* & *Quol.* 11. reponunt motum in categoria quantitatis: quod autem collocatur in illo prædicam. eſt abſolutum, ergo motus eſt quid abſolutum. Conf. ex D. Auguſt. *lib.* 83 *qq. quæſt.* 35. Amor eſt quidam motus: amor autem eſt ens abſolutum, cum ſit de genere qualitatis: ergo & motus. Reſpondeo per explicationem, & diſtinctionẽ ma. Ariſt. & Scot. eo in loco verba facere de motu materialiter capto, hoc eſt pro forma per motum acquiſita, vel acquirenda, vt monui *in* 2. *not.* Ob id idem philoſophus agit de motu, eiuſque ſpeciebus, in poſtprædicam. non autem de motu formaliter accepto, de quo in præſentia diſſero. Ad conf. idem eſt dicendum. Ibi namque ſubiicit Aug. motum eſſe ad aliquid, vt nobis ſignificaret amorem eſſe quidem qualitatem, ſi motus eius materialiter ſumatur: eſſe autem relationem, ſi formaliter capiatur.

22. Oppones ſecundò, motus nonnullam denotat perfectionem. Quæ enim mouentur, ob aliquam perfectionem acquirendam mouentur: relatio autem nullam præſefert perfectionem: ergo motus non eſt dicta relatio. Concedo ma. diſtinguo, min relatio non importat perfectionem ſimpliciter, concedo: ſecundum quid, nego. Maximè quia ſatis eſt, ſi per motum acquiratur forma abſoluta, quæ includit perfectionem. Vnde in diuinis, relationes originis formaliter nullam deſignant perfectionem, benè tamen realiter, cum identificentur realiter cum diuina eſſentia, quæ omnium perfectionum eſt pelagus infinitum.

23. Oppones tertiò, quod eſt cauſa abſoluti, eſt abſolutum: Siquidem abſolutum non niſi ab abſoluto producitur, & cauſatur, cum relatiuum ſit eo imperfectius, quod nequit eſſe cauſa eius, ab eoque eſſentialiter dependere, authore Scot. 1. *diſt.* 14. *quæſt* 2. *in fine*: motus autem eſt cauſa abſoluti. Ideò habetur illud ſæpè decantatum, motus eſt cauſa caloris. Atque Cælum influere perhibetur in hæc inferiora præcipuè: per motum à genere ergo abſolutorum motus non eſt, expungendus. Concedo ma. diſtinguo min. per ſe, nego: per accidens, concedo; eo ferè pacto, quo ſuprà dixi, tempus non per ſe, ſed per accidens, eſſe cauſam corruptionis rerum naturalium, vt ſentit Ioan. de Magiſ. 1. *Metheor. quæſt.* 3. *dub* 2.

ARTICVLVS V.

An ſucceſſio ſit de eſſentia motus.

24. Nonnulli, quos ſequitur Raconius *diſp. de motu, quæſt.* 2. *propoſitione prima,* & fauent duo noſtri Recentes *diſp.* 15 *quæſt.* 1. aſtruunt, ſucceſſionem ingredi eſſentiam motus. Scot autem 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 9. §. *Ad argumenta poſt L.* cui adhærent eius interpretes *ibid.* & ex Nuperis Tol. 5. *Phyſ. q.* 1. Conimb. 3. *Phyſ. c.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 3. Fonſ. 5. *Met. cap.* 11. *quæſt.* 8 *ſect.* 3. & non diſſentit Suarez *diſp.* 49. *ſect.* 2. & 4. negant ſucceſſionem includi in eſſentia, & natura motus.

25. Not. hanc difficultatem agitari de motu generatim ſumpto, nam de motu ſpeciatim capto, extat alia dubitatio, nuncupatim de motu locali, *infrà quæſt.* 3. *art.* 2. examinanda, & decidenda. Deindè, recolendum eſt ex dictis, ſucceſſionem motus bifariàm poſſe contingere, aut ex parte mobilis, quod eſt continuum, & ſectile in partes priores, & poſteriores: aut ex parte ſpatij,

spatij, quod vtique est continuum, habens partes post partes in infinitum diuisibiles.

26. Assertio, successio non est de essentia motûs, nec eius passio. Deducitur ex Doct. præcit. & sequitur ex dictis *in quæst. ista in huius lib. art. 3.* in quo statui definitionem motus omni motui competere. Prima pars probatur primò, ex Arist. 3. *Phys. T.6.* qui dictam definitionem motus inductione probat de alteratione, quæ est motus successiuus, ac de generatione, quæ est motus instantaneus: Si autem successio in essentia motus clauderetur, proculdubio generationi non adaptaretur, quæ est subitaneus. Secundò, Deus, cum miracula patrat à rebus non tollit suas essentias, & naturas, sed eas integras, & illæsas conseruat, vt patet de igne Babylonico, & de mari supra quod Christus ambulauit: potest autem Deus efficere motum absque vlla successione, vt in Schola Scot. cum corpus Christi adducitur è cælo in hostiam consecratam in instanti, prolatis verbis consecrationis, motus ergo non est essentialiter successiuus. Tertiò, vi diuina separari potest prius à posteriori, dummodo hoc ab illo essentialiter non dependeat, vt substantia ab accidente, quod in ipsa inhæret: motus autem præcedit successionem, vt suprà intuli, nec vlla adest inter ea dependentia essentialis, cum motus possit esse non successiuus, præscindatque à successiuo, & instantaneo, igitur successio motui non est intrinseca, & essentialis.

27. Secunda pars est in promptu, siquidem passio secundum Scot. 1. *dist. 16. quæst. vn.* realiter identificatur cum re, cuius est passio, estque ab ea inseparabilis: motus autem ex dictis existere valet, absque successione, ergo non est eius passio. Deinde, passio, quæ exit ab essentia speciei, non est passio generis, vt risibilitas, quæ est passio hominis, non est passio animalis, alioqui si animali genericè sumpto competeret, pariter omnibus speciebus, quæ ipsi subsunt, quod patet esse falsum. Successio autem congruit motui speciatim accepto, puta continuo, & temporario, ergo motui generatim sumpto non adaptatur.

28. Oppones primò, contra primam partem Arist. *lib. prædicam. cap. de quantitate.* locat motum inter species quantitatis successiuæ. Ait enim ibi quantitatis successiuæ duas esse species motum, & tempus. Idemque videtur repetere 5. *Met. cap. 13, T. 18.* Ergo secundum Arist. successio pertinet ad essentiam motus. Resp. exponendum esse Philosophum de motu non formaliter, sed materialiter sumpto, hoc est de forma per motum acquisita, quæ est continua, & successiua.

29. Oppones secundò, motus essentialiter aut est instantaneus, aut temporeus, & successiuus; nam inter hæc non intercedit medium: sed motus essentialiter non est instantaneus. Siquidem agens naturale operando non mouetur in instanti. Ob id celebratur illud adagium, natura agit in tempore. Ergo essentialiter successiuus, & temporarius. Respondeo motum in se spectatum abstrahere ab vtroque, veluti animal præscindit à rationali, & irrationali, & corpus ab animato, & inanimato. Natura autem non operatur in instanti, propter infirmitatem, & debilitatem virtutis eius. Agens autem supernaturale, quia pollet maxima virtute, & potentia infinita, ideò in instanti operatur.

30. Oppones tertiò, mensura debet esse vnigenea mensurato, 10. *Met. T.4.* Tempus autem, quod est mensura motus, est successiuum, vt liquet ex eius definitione, ergo motus, qui tempore mensuratur, est continuus, & successiuus. Concedo ma. distinguo min. de motu continuo, & successiuo, concedo: de motu in se, & generatim capto, nego. Tempus autem est mensura motus continui, & successiui, non autem motus in se, & generatim sumpti.

ARTICVLVS VI.

Quatuplex sit motus.

31. MVltæ extant motus diuisiones, quarum nonnullæ dicuntur essentiales, quædam verò accidentales. Inter essentiales prima inuenitur partitio in motum instantaneum, & successiuum, cuius meminit Doct. 2. *d. 2. q. 9.* Secunda in motum, cuius ex termini ambo sunt positiua, & in motum, cuius terminus a quo est priuatio, & terminus ad quem est eius habitus, hic est terminus positiuus, quam tangit Scot. 4 *d. 10 q. 1.* Tertia in motum substantialem, cuius terminus est substantia, & accidentem, cuius terminus est accidens: & hanc significat Doct. *in comm. 11. Met sum. 4. c. 3.* Quarta in naturalem, violentum, & neutrum: quam indicat Scot. 2. *d. 2. q. 6 §. Ad propositum O.* & 4. *d. 48. q. 2.* Ad dignoscendos autem quoscumque motus essentialiter differentes, valet certus canon, & indubitatum documentum, allatum ab Arist. 5. *Phys. c. 4. T. 31.* & Scot. 1. *d. 2. q. 7. §. Ad primum T.* & *d. 11. q. vn. § Hic sunt A.* & 3. *d. 14. §. Ad 1. argum ante F.* Motus à termino ad quem specificatur, adeò vt tot sint motus essentialiter differentes, quot sunt termini inter se essentialiter distincti: & ratio est in promptu, quia motus formaliter est relatio, ex dictis, *art. 4. huius q.* Relationem autem à termino specificari, ostendi in Log. *l. 3. q. 6. art. 7.* Ex ista regula commodè conspici poterit, quænam ex præfatis motus distributionibus sint essentiales, necne? Enim verò, si termini primæ diuisionis sint eiusdem speciei, siue fiant in instanti, siue successiuè, motus eorum pariter erunt eiusdem speciei, vt si albedo producatur in instanti, aut successiuè, nihil refert, dealbationes eius essentialiter non differunt, licet vna sit instanti, & altera in tempore. Idque apertè monstrat Stagir. *passu nuper alleg.* Secunda quoque diuisio non videtur esse essentialis, quia penitus penes terminum in quo, qui non pertinet ad rationem motus essentialem, vt patebit *in proxima, quæst.* Quod insinuans Aristot. numerat motum, eiusque species inter postprædicamenta, necnon opposita, eorumque membra, contraria, priuatiua, contradictoria, & relatiua, in quibus efficitur motus, & non obscurè tangit 5. *Phys. T.7.* asserens quadripartitum modum quo potest fieri motus. Quare, siue motus præsupponat terminum à quo positiuum, siue priuatiuum, aut negatiuum, non spectat ad eius essentiam, & quidditatem. Tertia autem extat essentialis, quoniam termini ad quos eorum motuum essentialiter differunt. Sunt namque substantia, & accidens, quæ essentiali ter differre, nemo est, qui non videat. Quarta est accidentalis, quia decerpitur ex diuersa habitudine, quam sortitur subiectum ad formam in ipsum subiectum per motum inducendam. Etenim si subiectum inclinat ad eam, motus eius dicitur naturalis; si reluctetur, perhibetur violentus, & si neutro modo se habeat, appellatur neuter. Igitur, illa diuisio nihil importat, quod ad motus essentiam conferat, proindéque non statuitur essentialis. Subnecto vnam diuisionem trimembrem essentialem, iuxtà præfatum canonem, *ex 5. Phys. sum. 1. cap. 3. T. 10.* in motum ad quantitatem, cuius species sunt accretio, & decretio, ad qualitatem, quæ est alteratio, cuius species sunt intensio, & remissio, & ad vbi, ad quod est motus localis, cuius species referuntur, 7. *Phys. T. 10.* pulsiu, tractiu, vectio, volutatio.

Porrò, diuisiones accidentales motus, præter recensitas plures aliæ extant, vna est in motum velocem, & tardum, 4. *Phys. T.96.* Altera, in rectum, & reflexum, 8. *Phys. T.64.* Tertia in simplicem, & mixtum, 1. *Cæli, T.7.* Quarta, in regularem, seu vniformem, & irregularem, seu difformem. 2 *Cæli, T.36.* De quibus omnibus, suis in locis disseremus.

32. Quæres

32. Quæres primò, in quonam prædicamento resideat motus? Respondeo per distinctionem, motus materialiter captus locatur in prædicamento, in quo ponitur eius terminus, seu forma per ipsum acquisita, vt sic terminus eius sit quantitas, motus eius reponitur in prædicamento quantitatis, si verò sit qualitas, motus eius scribitur in prædicamento qualitatis, quod si exter vbi, sedem suam habet in categoria vbi, vt insinuat Scot. *Quol.* 11 §. *De quarto sub l.* post Arist. 5. *Phys.* t. c. & 18. Motus autem formaliter sumptus, collocatur in prædicamento passionis, ratio est, quia quo patiens refertur ad agens est passio, teste Arist. 5. *Met. c.* de relatione, qui statuit secundum genus relatiuorum fundari supra potentiam actiuam, & passiuam, sine super actionem, & passionem: mobile autem, quod est patiens, refertur ad mouens, quod est agens, per motum, ergo motus formaliter insidet in categoria passionis. Ita sentiunt Canon. 3. *Phys. quæst.* 1. *art.* 2. & Parisiens. *ibid. quæst.* 2. *fol.* 48. à quibus non videtur declinare Suarez *disp.* 49. *Met. sect.* 2. & 4.

33. Quæres secundò, ad quot prædicamenta sit per se motus? Respondet Arist. 5. *Phys. T.* 10. & Scot. 1. *distinct.* 3. *quæst* 7. §. *Ad argumenta pro* 2. *opinione infrà R.* ad tria duntaxat, quantitatem, qualitatem, & vbi. Ratio est, quia motus per se, & speciatim sumptus, de quo sermo instituitur passu nunc memorato, est continuus, & successiuus, qui solum in dictis tribus categoriis effici valet: in cæteris verò mutatio, & non motus contingit, vt de relatione tradit Doctor 5. *Met. quæst.* 6. §. *Ad aliud de relatione.* Vndè, duo nostri Nuperi *disp.* 15. *quæst.* 6. *art.* 4. ponentes motum per se in categoria substantiæ, apertè pugnant Arist. Scot. cit. & 11. *Met. summa* 4. *cap.* 3. & rationi præadductæ.

QVÆSTIO II.

De distinctione, & vnitate motus.

ARTICVLVS I.

Quomodo distinguatur motus.

1. De tribus ambigitur, mouente, mobili, & termino ad quem. Ocham. 4. *quæst.* 9. eiusque discipuli nullam agnoscunt distinctionem, inter motum, & illa tria mox recensita. Alij, quos sequuntur Conimb. 3. *Phys. c.* 2. *quæst.* 3. *art.* 2. & Raeon. *disp. de motu, quæst.* 3. *propos.* 2. inter motum, eiusque terminum ad quem statuunt distinctionem formalem. Communis autem opinio est Scot. 1. *dist.* 1. *quæst.* 5. *Secundum primam T.* & 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. §. *Ad* 1. *arte F.* & 4. *dist.* 43. *quæst.* 1. §. *Aliter ponitur* D. Canon. 3. *Phys. quæst.* 1. *art.* 1. *propos.* 1. Tatar. *ibid. dub.* 1. Ioan. de Magis. *quæst.* 2. Parisiens. Run. *tract.* 1. *de motu, quæst.* 4. & Aur. 2. *dist.* 1. *quæst.* 3. *art.* 1. affirmantium motum realiter distingui à mouente, mobili, & termino ad quem.

2. Assertio prima, motus realiter dissidet à mouente, & mobili. Præsupponitur à Doct. cit. Prima pars probatur: causa efficiés realiter distinguitur à suo effectu: si enim illa cum hoc identificaretur, idem foret causa sui ipsius, quod tanquam magnum inconueniens, & absurdum, infert D. Aug. 1. *Trin. c.* 3. Mouens autem est causa, quasi efficiens motus: à mouente quippè exoritur motus: igitur motus realiter à mouente secernitur. Deindè, potest existere mouens absque motu, veluti agens absque actione, & subiectum absque accidente, quæ autem existere, & segregari abinuicem possunt, realiter differre, tradunt Arist. 7. *Top. c.* 8. & 9. & Scot. 2. d. 1. *quæst.* 4. §. *Contrà istam ante A.* Iterum motus est relatio mobilis, ad mouens, ex assertis *in prima quæst. huius lib. art.* 4. relationem autem, distingui realiter à fundamento, ex quo promanat, scripsi in Log. *lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 4. Extat igitur inter mouens, & motum, realis distinctio. Prima pars suadetur primò, quod est in subiecto, realiter secernitur ab ipsomet subiecto, in quo subiectatur, vt constat de accidente, & substantia, de locato, & loco, & in vniuersum de contento, & continente: motus autem est in mobili, tanquam in subiecto, vt clatet ex definitione eius: motus quippè definitur actus mobilis, vt mobile est, 3. *Phys. T.* 9. Secundò, potest esse mobile, sine motu: non enim necesse est, mobile semper actu moueatur: potest namque cessare à motu, & quiescere, vt quodlibet in suo centro quiescit: inter autem ea quorum vnum potest existere, altero non existente, intercipi distinctionem realem, apertè habetur 7. *Top. cap.* 1. *loco* 12. Ergo cum mobile, & motus sic se habeant, euidenter euincitur, abinuicem realiter dissidere.

3. Assertio secunda, motus reipsa differt à termino ad quem. Defenditur à Doct. *vbi suprà*, & probatur primò, quod est prius alio prioritate temporis, realiter discriminatur ab eo, quod est tempore posterius: motus autem præcedit tempore terminum ad quem, quia per illum, hic successiuè acquiritur, vt potissimùm euenit in motu locali: ergo realiter inter se differunt. Secundò absolutum realiter segregatur à relatione, præsertim extrinsecùs adueniente, præexigitur namque, & præsupponitur ad illam: motus autem est relatio extrinsecùs adueniens mobilis ad mouens, vt patet ex dictis: terminus verò ad quem, vt plurimum est quid absolutum, vt quantitas, aut qualitas, aut substantia. Insuper accidens reipsa discriminatur à substantia, vt clarè ostendit Stagir. 7. *Met. T.* 4. Motus autem est accidens, cum inhæreat in mobili, & terminus ad quem in generatione substantiali est substantia. Denique, multa attribuuntur motui, quæ nequeunt competere termino ad quem: motus enim est via, & progressio ad terminum, estque velox, aut tardus, & huiusmodi, quæ haudquaquam termino ad quem accommodantur: ergo hæc plusquam ratione, & formaliter abinuicem seiunguntur.

4. Oppones primò, ex 3. *Phys. cap.* 1. *T.* 4. Motus coincidit cum rebus, ad quas est, ergo per Aristot. motus identificatur cum termino ad quem. Conf. res in fieri non distinguitur ab ipsa re in facto esse, veluti imperfectum, à perfecto non differt, vt patet de homine, quatenus generatur, & genitus est: motus autem est res in fieri, & terminus ad quem est eadem res in facto esse. Idque videtur significare Philosophus 5. *Phys* 5. inquiens, motus non est albedo, sed dealbatio. Respondeo Philosophum exponendum esse de motu materialiter, non verò formaliter capto. Ait enim ibi motum poni in prædicamento, in quo est eius terminus: & quoniam ad tria tantum prædicamenta est per se motus; ideò in eis tribus collocatur. Ad conf. concedo ma. nego min. Motus namque est via ad rem faciendam, & perficiendam, non verò ipsa res in fieri, aut in facto esse: acquisito enim termino, siue re genita, cessat motus, & eadem re permanente, is euanescit, 1. *de gener. T.* 5 r.

5. Opp. 2. ea realiter abinuicem secernuntur, quorum vnû potest separari ab alio, vt non semel suprà memoraui; motus autem seiungi non potest à mobili, sicut accidens nequit à subiecto separari, & relatio, à termino, ergo inter motum, & mobile, atque terminum ad quem non cadit distinctio realis. R. ma. non habere locum in relatione, cuiusmodi est motus, propter essentialem dependentiam, quam ipsa relatio importat ad suum terminum vt dixi in Log. *passu nuper memorato.* Eò magis, quia nonnulli, vt Tatar. cit. *dub.* 1. *in fine* non putant inconueniés motum esse absq; mobili, quod videtur innuere Scot. 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *ante* §. *Ad quæst.* D. & *in Report. quæst.* 5.

6. Quæres, vtrùm motus distinguatur ab actione, & passione: Respondeo distinguendo cum Scot. 4 *dist.* 13. *quæst.* 1. §. *Ad huius autem H.* Canon. 3. *Phys. quæst.* 1. *art.* 2. & Ioan. de Magis. *ibid. quæst.* 3. *stibili* 3. Si tria

præenumerata

præenumerata ſumantur materialiter pro re acta,& forma acquiſita in paſſo ſunt idem ; quod ſi accipiantur formaliter, abinuicem diſtinguuntur. Nam, actio eſt relatio extrinſecus aduenièns agentis, ad paſſum, ſiue tranſmutantis, ad tranſmutatum : paſſio verò eſt relatio patientis, ad agens, ſiue tranſmutati, ad tranſmutans : motus autem eſt relatio mobilis, ad mouens: Atque poſſunt eſſe actio, & paſſio, ſine motu, vt creatio actio, & creatio paſſio. Pariter, ceſſante motu, poſſunt elici actio, & paſſio, vt patet de graui, & leui in ſuis centris, in quibus agunt, & operantur, tametſi in eis quieſcant. Deinceps, Deus, & Beati agunt, abſque motu, & mutatione. Quare, actio, & paſſio non niſi in ſublunaribus, & tranſmutabilibus cum motu coniunguntur potiſſimùm, in reliquis ferè ab eo videntur abſtrahere. Nec improbabile eſt, motum formaliter non differre à paſſione, cum ſint eiuſdem generis, vt inſinuat Ioan. de Magiſt. citat. à quo non diſcordat Suarez allegat. *in reſp. quæſiti primi, ſuperioris articuli.*

ARTICVLVS II.

A quo depromatur vnitas motus.

7. AB vtroque termino à quo, & ad quem deſumendam eſſe vnitatem motus genericam, & ſpecificam, tuentur Saxonia 5. *Phyſ. quæſt 6.* Burlæus *ibid. quæſt.* 2. & Franciſcus Sampſon *quæſt.6.* Communis autem opinio eſt Scot. 1. *diſt.* 13. *quæſt.vn.* §. *Ad argumenta principalia R.* & 3. *diſt* 14. *quæſt.* 1. §. *Ad* 1. *ſub E.* Et 4 *diſt.* 43. *quæſt.* 1. §. *Aliter ponitur D.* Pariſienſ. Tat. r. Ioan. de Magiſ. & aliorum Auſt. interpretum 5. *Phyſ. cap* 4. *T* 31 affirmantium præfatam motus vnitatem petendam eſſe, penes terminum ad quem. Vnitatem verò numericam motus à tribus potiſſimùm decerpi, hoc eſt, ab vnitate mobilis, temporis, & termini ad quem, fert Philoſophorum vulgus, cum Ariſtot. citat. *T.* 34.

8. Not. primò, duplicem eſſe vnitatem, intrinſecam, & extrinſecam : vnitas intrinſeca, eſt, quæ conſequitur rem, cuius eſt vnitas. Quodlibet enim ens eſt vnum, quia vnum eſt paſſio entis, 4. *Met. cap.* 2. *T.* 3. Subſecatur in vnitatem tranſcendentalem, & prædicamentalem: prior omni enti competit, poſterior verò iis duntaxat, quæ in categoriis collocantur, quæve triplex eſt, generica, ſpecifica, & numerica, 5. *Met. T.* 12. Vnitas autem extrinſeca eſt, quæ decerpitur penes aliquod vnum, quod eſt extrà rei eſſentiam, cuiuſmodi eſt vnitas ſcientiæ obiectiua, 1. *Poſt. T.* 43. & 3. *animæ, T.* 38. Ac etiam vnitas motus, penes terminum eius ad quem, quæ eſt ipſi motui extrinſeca, quæve triplex eſt generica, ſpecifica, & numerica, vt indicat Stagit. 5. *Phyſ. T.* 31. Per illa tria prædicamenta, ad quæ tantum vult eſſe per ſe motum, iuxtà triplicem terminum ad quem, genericum, ſpecificum, & numericum, in dictis prædicamentis repoſitum. De extrinſeca autem vnitate diſſerimus, quia nobis notior, & apertior eſt, noſque manuducit in notitiam intrinſecæ vnitatis: propterea, tanquam proloquium iam inualuit apud Philoſophos, motus ſpecificantur à terminis, in quos tendunt.

9. Not. ſecundò, ex Scot. 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 3. §. *Ad* 1. *propè finem, ad E.* & *diſt.* 43. *quæſt.* 1. §. *Aliter ponitur ſub D.* geminam eſſe vnitatem numericam, vnam identitatis, alteram verò continuitatis. Illa conſequitur naturam ſingularem, ex hæcceitate, ſiue differentia indiuiduali potiſſimùm originem trahens: hæc verò ex partibus confluentibus in vnum totum, exoritur, etſi partes ſimul perſiſtant, & coëxiſtant, reſultat vnitas totius permanentis : Si verò dilabantur, vnaque alteri ſuccedat, conſurgit vnitas totius ſucceſſiui, vt accidit in motu, & tempore, quod eſt eius menſura. Inſuper, multa in motu interueniunt, quorum quædam ſunt neceſſaria, quædam verò contingentia. Mobile, & terminus ad quem ſunt motui neceſſaria, & ab Auct. nuncupantur intrinſeca ipſi motui. Motor autem, & tempus ſunt eidem extrinſeca. Reſiſtentia verò mobilis ad motorem, regularitas, & irregularitas, necnon vniformitas, & difformitas motus, ei ſunt accidentia, & contingentia. Quandoque enim nulla interuenit reſiſtentia, vt in motu Cæli : quandoque verò extat reſiſtentia mobilis, & medij, vt in motu ſublunarium : atque nonnunquam nulla ipſimet motui contingit irregularitas, & difformitas, vt comprobatur experientia.

10. Aſſertio prima, vnitas motus generica, vel ſpecifica petitur à termino ad quem. Ita Ariſt. & Scot. cit. *in initio huius art.* Et 1. *Reportat. diſt.* 13. *quæſt. vn.* Suadetur primò à quo res denominatur, ab eo ſpecificatur, ſuamque ſumit vnitatem, vt patet de ſcientia, quæ ab obiecto denominatur, ſpecificatur, & ſuam capit vnitatem : motus autem denominatur à termino ad quem, vt generatio ſubſtantialis à ſubſtantia genita, quæ eſt eius terminus ad quem, pariter calefactio denominatur à calore, qui eſt eius terminus ad quem : necnon dealbatio ab albedine, quæ quoque extat eius terminus ad quem : igitur à termino ad quem depromitur vnitas generica, aut ſpecifica motus. Secundò, ab aliquo deſumenda eſt vnitas generica, vel ſpecifica motus, vt nemo negat : ſed non accipitur à mouente, quia plures valent concurrere ad edendum eundem motum, vt plures trahunt vnam nauim, plures ferunt idem pondus, & id genus alia : nec à medio, quia medium per accidens ſe habet ad motus vnitatem, aut diuerſitatem : nec à termino à quo, cum idem poſſit eſſe terminus à quo diuerſorum motuum, putà frigefactionis, & calefactionis, ergo rectè deducitur, præfatam vnitatem decerpi à termino ad quem. Eò magis, quia motus eſt via ad ipſum.

11. Aſſertio ſecunda, vnitas numerica motus petitur ab vnitate mobilis, temporis, & termini ad quem: Ita Ariſt. 5. *Phyſ T.* 34. & 11. *Met. ſum.* 4. *cap.* 3 quem ſequitur Scot. ibi, & indicat 4. *diſt.* 43 *quæſt.* 1. §. *Tertia opinio ſub D.* Probatur, vnum vnitate numerica continuitatis ſucceſſiuæ exigit idem ſubiectum, tempus, & terminum ad quem : vnus autem numero motus eſt quid vnum vnitate continuitatis ſucceſſiuæ : ergo ad vnitatem numericam motus tria illa præenumerata requiruntur. Ma. eſt in promptu, quia tale vnum eſt accidens, quod non migrat de ſubiecto, in ſubiectum : ergo poſtulat idem numero ſubiectum, in quo inhæret. Deindè cum ſit continuum ſucceſſiuum deſiderat idem tempus, cum hoc ſit menſura eius, atque menſura, & menſuratum, ſint vnigenea, 10. *Met. T.* 4. poſtmodum ei neceſſarius eſt terminus ad quem, à quo præcipuè ſuam numericam vnitatem decerpit. Min. eſt conſpicua, cum motus ſit accidens, & de genere continuorum ſucceſſiuorum, & menſuretur tempore, ſitque via, & progreſſio ad terminum ad quem. Addo, ſicut motus ſpecificus ſuam vnitatem ſpecificam capit à ſpecifico termino ad quem vt oſtendi in prima aſſertione, ita motus numericus à termino numerico ad quem, ſuam depromit vnitatem numericam, vt dealbatio ab albedine, & hæc dealbatio ab hac albedine : atque denigratio, à nigredine, & hæc denigratio, ab hac nigredine ſuam mutuantur vnitatem, & quidem illæ ſpecificam à termino ad quem ſpecifico : iſtæ verò numericam, à termino ad quem numerico, igitur tot requiruntur ad vnitatem numericam motus, quot ſuprà recenſita fuere.

12. Oppones primò, ſi fiat motus ab albo in fuſcum, aut rubeum, aut alium medium colorem, & iterum à nigro in eundem colorem : foret vnus, & idem terminus ad quem, tametſi multi eſſent motus, ergo à termino ad quem non decerpitur vnitas motus. Reſpondeo data hypotheſi eſſet quidem vnus, &

idem

idem terminos ad quem materialiter, tamen essent plures formaliter, sicut dixi in Log. *cap. 5. quæst. 1. art. 5.* si aliquid probetur per diuersa media, sintque quatuor præmissæ, & vna conclusio erit materialiter, duplex verò formaliter: vel dici potest esse duos motus numero distinctos, vnum verò specie, propter vnitatem specificam termini ad quem. Vel esse duos motus intrinsecè, vnum verò extrinsecè.

13. Opp. 2. plures motus specie distincti possunt habere eumdem terminum ad quem, vt motus localis rectus, & circularis tendunt ad idem vbi, quod est eius terminus ad quem, ergo vnitas specifica motus non capitur ab vnitate termini ad quem. Ant. est Scoti *1. d. 2. quæst. 7. §. Ad 1. T.* & *3. d. 14. quæst. 1. §. Ad 1. antè F.* & *4. d. 43. quæst. 1. §. Aliter ponitur. D.* Nego ant. ad eius probationem dico, eos motus non essentialiter, sed accidentaliter differre. Sunt enim omnes motus locales eiusdem speciei: si qua verò in eis extat differentia, est accidentalis. Vndè sicut curuitas & rectitudo sunt differentiæ lineæ accidentales: ita circularitas, & perpendicularitas, accidunt motui. Namque veluti homo albus, & homo niger accidentaliter distinguuntur, sic motus rectus, & circularis, teste Tatar. 5. *Phys. q. 2. scribis* 3. ex Scot. *vbi suprà*.

14. Instabis, Arist. 1. *cæli cap. 3. & 4.* probat, præter quatuor elementa, dari quintum corpus, nempè cælum ex diuersitate specifica motus recti, & orbicularis: ergo motus rectus, & circularis differunt inter se differentia essentiali, alioqui Philosophus non probaret esse corpus cæleste essentialiter diffinum ab elementis. Occurrendum est, solum inferri distinctionem accidentalem inter illos motus, quamuis dicta corpora essentialiter ab inuicem differant, quia argumentum illud est dialecticum, & à posteriori, non autem demonstratiuum, & à priori, sic ex accidente deuenimus in cognitionem substantiæ, & ex operatione in notitiam formæ; sicque exponitur Arist. 5. *phys.* 33.

15. Opp. 3. ex 8 *phys. T. 49. & 82.* demonstratur, per vnitatem motus primi mobilis, esse vnum primum motorem, primam causam, & primum ens, infinitum, increatum, & independens: ergo ad vnitatem motus, requiritur vnitas mouentis. Respondeo Arist. ibi demonstrare essentialem rerum ordinem ad vnam primam causam, & primum motorem, qui est Deus omnium opifex, à quo omnia creata dependent in esse, & operari, non autem velle vnitatem motus ab vnitate mouentis depromi: causa enim efficiens, præsertim vniuersalis res non specificat, nec distinguit, vt patet de intellectu, qui est causa scientiarum vniuersalis, à quo scientiæ non specificantur, sed ab earum obiectis, quæ sunt causæ particulares eo magis, quia plures esse queunt causæ vnius, & eiusdem numero effectus, vt liquet de iis, quæ æquiuocè generantur, gignunturque per propagationem, & putrefactionem, docente Scot. *in 1. prolog.* cum Aug. *in Epist. ad Deogratias*.

16. Opp. 4. motus progressiuus animalis non exigit semper idem mobile. Nam vna eius parte quiescente, altera mouetur, vt stantibus pedibus, mouet caput: ergo ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas numerica mobilis. Respondeo motum animalis esse mixtum, ex motu tractus, & pulsus: nos autem loquimur de motu simplici continuo, cui necessaria est vnitas subiecti, seu mobilis.

Instabis 5. *phys. T. 23.* motus primæ chordæ, & vltimæ vnico tempore est continuus, & tamen plura habet mobilia, quæ sunt illæ plures chordæ, quæ mouentur motu continuo simplici, ergo distinctio prælata de motu mixto, & simplici nulla est. Satisfit, si dicatur, Philosophum verba facere de motu pulsantis, qui verè continuus est, non autem de motu chordarum, qui est discontinuus iuxta earum pluralitatem, & diuersitatem, vt tangunt Arist. & Scot. 5. *Met. c. 6. T. 8.*

17. Opp. 5. si canis cadens ab alta turri, in medio casus moriatur, esset idem numero motus continuus, non tamen idem mobile, quia canis viuus, & mortuus sunt diuersa corpora mobilia: Alterum, virga, cuius vna pars est sicca, altera verò viridis, si moueatur, vnico motu continuo mouetur, tametsi forent distincta mobilia, secundum partium distinctionem, ergo vnitas numerica motus, ab vnitate mobilis non petitur. Respondeo data hypothesi, esset idem mobile, non quidem denominationis, sed inhæsionis, quia perseuerat idem mobile corpus informatum forma corporeitatis, veluti sunt eadem accidentia communia corpori viuo, & mortuo, in quo inhærent, scribente Scot. *2. d. 2. q. 4. §. Ad 1. sub L.* & *4. d. 12 q. 3.*

Instabis, Scot. 5. *Met. in com. c 6. T. 9. in fine* scribit, quædam esse continua, quæ in subiecto sunt diuersa, penes speciem, & formam, vt in arbore ramos siccus ramo virenti, & in homine manus arida connexa brachio viuenti: ergo per Scot. ad vnitatem numericam motus non exigitur vnitas mobilis. Respondeo quocumque modo illa se habeant, siue viua, siue mortua, formantur idem subiectum, & idem mobile, proptereà quod informantur communi, & eadem forma corporeitatis, tametsi formæ partiales sint distinctæ inter se. Ideò Scot. nihil ibi astruit, quod nobis obstet, vt patet meditanti illum passum.

ARTICVLVS III.

A quo sumatur contrarietas motus.

18. Arist. fusè, & exactè disserit de motus contrarietate, 5. *phys. c 5. & 6. à tex. 46. vsque ad vlt.* supponitur autem in præsentia; tanquam certum, dari motus contrarios, vt calefactionem, & frigefactionem: & quæritur vnde accipiatur eorum oppositio, & contrarietas. Totidem autem vigent philosophorum sententiæ de specificatione contrarietatis motus, quot de eiusdem distinctione, & vnitate relatæ fuere, in superioribus. Nonnulli namque præcitati autumant à terminis à quo, & ad quem, motum suam contrarietatem mutuari: cæteri verò, inter quos sunt Scot. 2. *d. 2. q. 7. § Et ideo ad D. & E.* eiusque discipuli, & interpretes affirmant, oppositionem, & contrarietatem motus, potissimum desumendā esse à termino ad quem.

19. Not. Arist. ; assu alleg. adducere quinque modos, quibus duo motus ad inuicem opponi, & contrariari queunt. primus est, cum terminus à quo vnius est terminus ad quem alterius, vt motus ab ægritudine, & motus in ægritudinem. Secundus cum termini à quibus vtriusque motus sunt contrarij, vt motus à sanitate, & ab ægritudine. Tertius cum termini ad quos eorumdem motuum sunt contrarij, puta motus in sanitatem, & ægritudinem. Quartus cum terminus à quo vnius, contrariatur motui ad quem alterius, vt motus ab albedine, & motus ad nigredinem. Quintus cum omnes termini, siue à quibus, siue ad quos sunt contrarij, vt motus ab albedine, in nigredinem, & motus à nigredine, ad albedinem. Inter autem præfatos modos contrarietatis motus, duo propriè sunt contrarij. nempè tertius, & quintus, vt bene concludit Philosophus *T. 48* & quidem tertius, quia vterque motus respicit terminos ad quos inter se contrarios: & quintus, quoniam ambo motus sortiuntur terminos à quibus, & ad quos contrarios, vt patet in exemplis prællatis.

20. Ass. motus contrarietas decerpitur præcipuè à terminis ad quos. Tenet Doct. *vbi suprà*, post Arist. proximè cit. Suadetur primò, ab eo sumitur motus contrarietas, à quo eius vnitas, & distinctio petitur, quia vnitas, diuersitas, oppositio, & contrarietas cōsequūtur specificationem rerum: motus autem suam vnitatem, & distinctionem essentialē accipit à termino ad quem. vt probaui in dubus præcedētibus art. Ergò ab eodē termino

mino ad quem depromit ſuam contrarietatem a.à quo res nomen, & definitionem capit, ab eo ſumit ſuam diſtinctionem, & contrarietatem, ſcribente Ariſt. nunc memorato: motus autem nomen, & definitionem ſuam mutuatur à termino ad quem, ex eodem *ibid.* ergo & ſuam contrarietatem. Inſuper, relatio ſpecificatur a termino, vt non ſemel inculcaui: motus autem formaliter ſumptus eſt relatio, ergo à termino ad quem oritur eius oppoſitio, & contrarietas.

21. Opp. 1. Ariſt. paſſu nunc recenſito quintum modum contrarietatis præ aliis approbat, quia motus eius participant terminos à quibus contrarios, ſuntque à contrariis, in contrarios, ergo motuum contrarietas à terminis à quibus, & ad quos decerpitur. Reſpondeo per explicationem, & diſtinctionem aut. ſi ſermo fiat de omnimoda, & extenſiua contrarietate motus, concedo: ſi verò de potiſſima, & eſſentiali eius contrarietate, nego. Nam ſi termini à quibus duorum motuum ſint contrarij, & termini ad quos eorum ſint idem, motus non erunt contrarij, vt ſi fiat motus ab albo, ad fuſcum, & à nigro, ad idem fuſcum, haud motus hi proprie contrarij haberentur, vt ait Ariſt. *tit.*48. excludens ſecundum modum, à propria motus contrarietate.

22. Opp. 2. Idem Philoſophus cit. *tit.*33. *tradit*, motum rectum. & circularem differre ſpecie, tametſi ferantur ad eumdem terminum ad quem, qui eſt vbi: ergo motus contrarietas ab vtroque termino à quo, & ad quem deſumitur. Reſpondeo exponendo teſtimonium Ariſt. per diſtinctionem, ſi accipiantur rectitudo, & circularitas in ſe, & abſolute, concedo: ſi verò reſpectiue, & in ordine ad motum nego, vt patet de linea recta, & curua, in quas cadit differentia accidentalis: rectitudo autem & curuitas præcisè differunt eſſentialiter: pariter homo albus, & niger accidentaliter diſſident, albedo verò, & nigredo eſſentialiter, & ſpecificè ab inuicem diſcriminantur.

23. Quæres, quænam contrarietas adſit inter motum, & quietem? Reſpondeò cum Ariſt. *cap 6. loci alleg.* intercedere contrarietatem priuatiuam. Eſt enim quies priuatio motus, veluti cæcitas priuatio viſus, inter quæ ſtatuitur oppoſitio priuatiua.

ARTICVLVS IV.

Quomodo motus incipiant, & deſinant.

24. ANſa deſumpta ex inceptione, & deſitione motus propoſitis in titulo huius art. examinandis, libet generalem peruestigare inceptionem, & deſitionem rerum, tam permanentium, quàm ſucceſſiuarum, & omiſſis quiſquilis breuiter decidere & in lucem edere: quod eſſe difficile indicat D. Aug. qui 13. *ciuit. cap.*11. valdè laborat, & agitatur, vt ſimili, & affini difficultati ſatisfaciat.

25. Not 1. inceptionem rei, nihil aliud ſibi velle, quàm initium durationis eius, & deſitionem, finem & terminum durationis eiuſdem, adeò vt inceptio, & deſitio rei ſint duo extrema, & termini, intra quos clauditur ipſiuſmet rei duratio. Quoniam verò, ex dictis *in l. antecedente, queſt.*1. *art.*5. *not.*2. quatuor ſunt menſuræ præcipuæ, quibus res durant, & venimus in earum cognitionem, propterea afferendi ſunt modi omnes, quibus res inſtantaneæ, & temporaneæ, permanentes, & ſucceſſiuæ, diuiſibiles, & indiuiſibiles incipiunt & deſinunt, quibus notis, & perſpectis, non erit difficile, & arduum earumdem notitiam attingere, & acquirere, vt inſinuat Tatar.8. *phyſ. q.*3. *dubir.* 2.

26. Not.2. ex Scot. *Quol.*12. *art.* 3. *antè* §. *Ad* 1. *arg. M.* duos eſſe modos rebus communes incipiendi, & totidem deſinendi. Primus modus incipiendi eſt poſitiuus, & intrinſecus, quo res incipit per primum inſtans ſui eſſe, in quo verum eſt dicere, nunc res eſt, & immediatè antè non erat, & nuncupatur poſitiuus & intrinſecus, propterea quod in eo momento ponit rem incipere, & gaudere propria, & intrinſeca exiſtentia. Secundus eſt negatiuus, & extrinſecus, quo incipit per vltimum inſtans ſui non eſſe, quo vè affirmatur, nunc res non eſt, & immediate poſt erit. Vocatur autem negatiuus, quoniam negat rem eſſe in eo inſtanti, & extrinſecus, quia eſt extra illud met inſtans. Prior verò modus deſinendi eſt poſitiuus, & intrinſecus, quo res deſinit per vltimum ſui eſſe, quovè affirmatur, nunc res eſt, & immediate poſt, non erit: poſterior autem eſt negatiuus & extrinſecus, quo res deſinit per primum non eſſe ſui, quo vè perhibetur, nunc res non eſt, & immediatè antè erat.

27. Aſſ. 1. ſucceſſiua, cuiuſmodi ſunt motus, & tempus incipiunt per primum ſui non eſſe, & deſinunt per vltimum ſui non eſſe. Defenditur à Scot. 2. *d.*2. *quaſt.*9. §. *Ad argumenta ut N.* quem ſequuntur Gadius *Quol.*12. Ioan. de Magiſt.8 *phyſ. quaſt.*6. *ſcibili* 1. Pariſien *queſt* 2. *fol.*87 Tatar *c r* & alij communiter. Probatur 1. quæ ſortiuntur continuas partes priores, & poſteriores perenniter fluentes incipiunt, & deſinunt extrinſecè, hoc eſt, per primum ſui non eſſe, & per vltimum ſui non eſſe: motus autem, & tempus habent partes priores, & poſteriores in perenni, & continuo fluxu, ergo incipiunt, & deſinunt extrinſece per primum ſui non eſſe, & per vltimum ſui non eſſe. Ma. eſt in confeſſo, quia ea ſunt ſucceſſiua, partibilia, & diuiſibilia in partes in infinitum partibiles, & diuiſibiles, quibus repugnat dimetiri, menſura indiuiſibili, & inſectili, cuiuſmodi ſunt inſtantia, & momenta. Min. liquet ex definitionibus motus, & temporis præallatis. Secundò, menſura, & menſuratum debent proportionari, cum ſint vnigenea 10. *Met. tit.*4. Tempus autem & motus ſunt continua ſucceſſiua, ergo eorum inceptio, & deſitio metienda ſunt menſura continua ſucceſſiua, quæ exprimitur per primum, & vltimum ſui non eſſe, eo ferè modo, quo in 2. not. declaraui.

28. Quietis autem inceptio, & deſitio eadem gaudent menſura. Ratio eſt, quia quies, & motus ſunt oppoſita, & oppoſitorum eadem eſt diſciplina, 2. priorum, *cap.*1. *ſect.*3. & 1. *Top. cap.*14. *alleg.* à Scot. 2. *Met. in com. cap.* 1. Sic ergo quies incipit, & deſinit, ſicut motus ei oppoſitus, inſinuante Scot. *loco proximè cit. O.* & 2. *d.* 2. *quaſtio* 4. §. *concedo. C.*

Inſtabis, ex 6. *phyſ. cap.*3. *T.* 31. vbi videtur velle Philoſophus, quietem incipere, & deſinere in inſtanti: quod autem incipit, & deſinit in momento, intrinſecè per primum & per vltimum ſui eſſe incipit & deſinit, ergo inceptio, & deſitio quietis non eſt dimetienda, ſicut motus, qui extrinſecè incipit, & deſinit. Occurrendum eſt, Philoſophum quidem ibi in dubium vocare, vtrùm quidpiam in momento moueatur, & quieſcat, tamen in fine eius Tex, concludit & ſtatuit, motum, & quietem eſſe in tempore: proindeque mobile moueri, & quieſcere in tempore, nullo autem modo in inſtanti.

29. Aſſ.2. indiuiſibilia, inſtantia temporis, mutata eſſe motus, generatio, illuminatio, & huius formæ alia, per primum incipiunt & per vltimum ſui eſſe deſinunt. Ita Scot. *Quol.*12. *art.*3. *L.* & 2. *d.* 2. *q.* 4. §. *Ad* 1. *arg. H.* Probatur, quale eſt ens, talis eſt menſura eius, cum per hanc veniamus in cognitionem eius, hæcque illi proportionetur: momentanea autem ſunt indiuiſibilia, & impartibilia, ergo menſurantur menſura indiuiſibili, & impartibili, cuiuſmodi eſt inſtans: quæ autem hac menſura dimetiuntur, incipiunt per primum, & deſinunt per vltimum ſui eſſe,

ergo

ergo prænominata entia ſic incipiunt, & deſinunt. Deinde quæcumque incipiunt, & deſinunt, intrinſecè, aut extrinſecè, incipiunt, & deſinunt, vt palam feci in 2. *not.* ſed inſtantanea, & indiuiſibilia non incipiunt, & deſinunt extrinſecè, alioqui fuiſſent ſucceſſiua, & partibilia, ergo intrinſecè, quod eſt incipere per primum, & deſinere per vltimum ſui eſſe.

30. Aſſ. 3. Permanentia, quæ habent totum ſuum eſſe ſimul & perfectum, incipiunt, & deſinunt intrinſecè: quæ verò acquirunt eſſe ſucceſſiue, incipiunt, & deſinunt extrinſecè. Tenet Doct. *Quol.* 12. §. *De tertio. L.* prima pars eſt in promptu. Talis eſt menſura, qualis eſt entitas, quæ per eam menſuratur, 10. *Met. tit.* 4. Inceptio autem rei permanentis, habentis totum ſuum eſſe ſimul durat inſtanti, quod intrinſecè incipit, ergo pariter eius eſſe intrinſecè incipit, ac deſinit. 2. Pars patet, quæ tempore durant, extrinſecè incipiunt, & deſinunt, vt ſuprà declaraui: quæ autem ſucceſſiuè fiunt, tempore metiuntur, quod eſt ſucceſſiuorum metrum: ergo extrinſecè incipiunt, ac deſinunt.

31. Dices permanentia menſurantur æuo, quod eſt menſura, à tempore diſſita, ergo eorum inceptio, & deſitio non fit per extrinſecum, ſed per intrinſecum. Satisfit, ſi dicatur id valere de permanentibus quæ ſortiuntur totum eſſe ſimul, non autem de permanentibus, quorum eſſe ſucceſſiuè paritur.

32. Inſtabis ex 8. *phyſ. tit.* 69. corruptio formæ ſubſtantialis deſinit extrinſecè, hoc eſt, per primum non eſſe ſui, & tamen eſt ens permanens, ergo præfatum documentum non eſt vniuersè verum. Dico id non peti penes ipſam ſubſtantiam, eiuſque corruptionem, ſed penes mouens, & mobile, quorum actio, & paſſio ſucceſſiuè, & in tempore accidunt. Maximè quia agens ſimul, & in eodem inſtanti nequit corrumpere præexiſtentem formam, & recentem in idem ſubiectum inducere, atque inſtantia immediata non ſunt, vt probè proſequitur Doctor *vbi ſuprà*, & fusè oſtendunt Lych. & Gadius *ibidem*.

QVÆSTIO III.

De mobili.

ARTICVLVS I.

An indiuiſibile poſſit moueri localiter.

1. PRior opinio eſt Auer. 6. *phyſ. com.* 86. Iand. *quæſt.* 13. Conimb. *ibid. cap.* 10. *q. vn. art.* 2. & Rui negantium, indiuiſibile poſſe per ſe moueri. Poſterior eſt Sent. 2. *d.* 2. *quæſt.* 9. *Ad* 3. *principale.* Mayr. *ibid. quæſt.* 12. Biſſ. *quæſt.* 4. *art.* 2. Tatar. 6. *phyſ. quæſt. vlt. dub.* 1. Pariſienſ. *quæſt.* 3. *fol.* 75. Ioan. de Magiſt. & aliorum, eo in loco affirmantium indiuiſibile poſſe per ſe localiter moueri.

2. Not. 1. non controuerti in præſentia de indiuiſibili ſubſtantiali, cuiuſmodi eſt Angelus, & anima rationalis. Hæc namque per ſe moueri hîc non dubitatur: ſed de indiuiſibili quantitatis, veluti ſunt punctum in linea, inſtans in tempore, & mutatum eſſe in motu: non quidem quatenus indiuiſibile eſt coniunctum continuo: ſic enim mouetur ad motum continui, ſed quatenus ſeiunctum, & ab eo ſeparatum: ſicque peruestigatur, num indiuiſibile à continuo ſegregatum moueri queat motu locali, aut alio motu, ſiue alterationis, ſiue generationis, ſiue corruptionis?

3. Not. 2. trifariàm aliquid poſſe moueri primò per ſe, quia indiuiſum à ſe, & diuiſum à quolibet alio mouetur, vt homo. Secundò per partem, ſic totum dicitur moueri, quia aliqua eius pars mouetur, vt homo mouetur, quia manus eius mouetur: Tertiò per accidens, quo pacto motis nobis mouentur omnia, quæ ſunt in nobis, proindeque moto vaſe, mouentur omnia, quæ ſunt in vaſe. Prætereà, recolendum eſt, ſucceſſionem, & diuiſibilitatem motus deſumi tum ex diuiſibilitate mobilis, tum etiam ex diuiſibilitate ſpatij pertranſibilis; poteſt autem eſſe vtrumque diuiſibile, vel alterutrum duntaxat, vt obſeruat. Doct. nuper alleg.

4. Aſſ. ſi indiuiſibile quantitatis ſepararetur à continuo, poſſet per ſe localiter moueri. Tenet Doct. cit. Probatur primò: quod per accidens mouetur, poteſt per ſe moueri, vt conſtat de aqua, quæ mouetur per accidens, ad motum vaſis, quæve moueretur per ſe, ſi à vaſe ſepararetur; ſic enim ad locum decliuem ferretur, & centrum ſuum peteret. Idque de parte quoque exemplificari poteſt, quæ per accidens mouetur, ad motum totius, quæve ſi ab eo tolleretur, per ſe moueri quiret, vt patet *ex* 2. *not.* Indiuiſibile autem quantitatis mouetur per accidens ad motum continui ergo ſi ab eo ſegregaretur, per ſe moueretur. Nec iuuat dicere, eſſe diſparitatem, quia moueri per ſe, eſt moueri motu in re exiſtente, & moueri per accidens, eſt moueri motu in alio ſubiecto exiſtente. Quandoquidem, in ſeparato indiuiſibili, foret motus, cum ſit ens phyſicum, & omne phyſicum ſit mobile: mobilitas quippe eſt eius paſſio. Eo magis, ſi corpus perfecte ſphæricum moueretur ſupra planum, tangeret illud in puncto, quod poſſibile eſſe cenſet Ariſt. 1. *anima, tit.* 13. *cap.* 1. Illud autem punctum localiter cieretur, veluti corpus localiter cieretur: imò, ſi ab eo, iſtud ſepararetur, vtique moueretur, tum quia non eſt immobile, alioqui eſſet Deus, tum quia ſeparatio vnius ab alio, motum denotat: ſi ergo indiuiſibile poteſt à continuo ſeparari, vt ex data hypotheſi, admittunt Aduerſarij, vtique per ſe moueri poteſt. Rursùs, cum circulus mouetur, punctum in eo exiſtens, aliam & aliam relationem præſentialitatis acquirit, ergo mouetur, cum aliter ſemper ſe habeat: & ſi deſtrueretur circulus, perſiſtente puncto, poteſt transferri huiuſmodi punctum, ad alium circulum de nouo productum, proindeque ipſum punctum moueretur. Secundò, Angelus poteſt exiſtere in puncto, ſcribente Scot. 2. *d.* 2. *quæſt.* 6. §. *Ad propoſitum K.* quem plures Theologi ſequuntur, inter quos ſunt Och. *Quol.* 1. *quæſt.* 4. Gabriel 2. *d.* 2. *q.* 2. & Conimb. cit. *art.* 3. datâ autem hypotheſi, Angelus moueret punctum, poſſetque ipſum punctum transferre de vno loco ad alium locum: ergo indiuiſibile, cuiuſmodi eſt punctum, poteſt per ſe localiter moueri. Occurrunt Conimb. præcenſiti, admiſſo caſu, Angelum mouere punctum, non motu continuo, ſed diſcreto, & quaſi per ſaltum: veluti punctum quod mouetur in globo, non continuè, ſed diſcretè mouetur. Contra, Angelus nequit per ſpatium continuum moueri, niſi motu continuo; neceſsè enim eſt, pertranſeat priores partes, antequam poſteriores percurrat, & prius medium, quam extremum, ergo non motu diſcreto, ſed continuo punctum moueret de vno loco, ad alium. Ant. eſt in promptu, motus dicitur continuus, ſi ſpatium, in quo fit, extiterit continuum, at ſpatium eſt continuum, vt nominati Authores fatentur, ergo & motus continuus eſt: etiamſi per ſaltum habeatur, quia non fit tranſitus ab vno extremo, ad aliud, niſi pertranſito medio. Iterùm, anima rationalis, quæ eſt indiuiſibilis mouet corpus, quod informat, motu continuo, & ſi exiſteret in puncto eius, adhuc poſſet ipſum mouere continuè per partes eiuſdem corporis, ergo id ipſum poteſt Angelus, pollens maiore virtute.

Tertiò, indiuiſibile quantitatis ſortitur propriam

grauitatem aut leuitatem, tametsi exiguam: graue autem & leue mouentur localiter, & si à propriis locis extrahantur, omni sublato obice, ad ea suaptè natura cientur: nec vlla cernitur repugnantia. Si ergò à continuo auferretur indiuisibile, ipsum localiter moueri haud implicat.

5. Dices cum Racon. *disp. de motu, art.3. quæst.5.* præfatam grauitatem, aut leuitatem indiuisibilis non sufficere ad hoc, vt punctum deorsùm, aut sursùm tendat propter suam exilitatem, & carentiam extensionis: ad motum quippè exigitur extensio mobilis, cuius punctum est expers. Contra, omne graue fertur deorsùm, & leue sursùm, siue sit magnum, siue paruum, sicut omnis homo est risibilis, siue grandis, siue exilis sit, ergo indiuisibile potest moueri, quamuis exiguam participet leuitatem, aut grauitatem. Dicere autem, ex parte mobilis requiri extensionem, & magnitudinem, est petitio principij, iamque supra satis repuli, & profligaui.

6. Oppones 1. Arist. *6. phys. c. 3. & 4. tit. 33.* expressè negat, indiuisibile posse per se moueri. Idem repetit 8. *phys. cap. 5. tit.* 40. Ergo nostra assertio pugnat doctrinæ Peripateticæ. Respondeo Philosophum exponendum esse de motu continuo, ratione mobilis, hoc est indiuisibilis. Siquidem indiuisibile, vt indiuisibile, diuisibiliter & continuè moueri nequit. Idque etiam de Angelo, cæterisque substantiis indiuisibilibus affirmatur: non verò de motu continuo, ratione spatij pertranseundi. Nam, cum spatium pertranseundum sit diuisibile, & continuum, consequenter ex parte eius, motus statuitur diuisibilis, & continuus, tametsi mobile sit impartibile, & insectile.

Instabis, idem Arist. accumulat multas rationes, ad suadendum indiuisibile non posse per se moueri. Patet autem ipsum indiuisibile non moueri diuisibiliter, cum sit partium expers, ergo mens eius est, ostendere huiusmodi indiuisibile, tam ex parte sui, quam ex parte spatij non posse per se moueri. Dico, id valere de indiuisibili coniuncto continuo, non autem de indiuisibili ab eo seiuncto, de quo extat contentio, & fortasse Stagir. non nouit indiuisibile posse à continuo seiungi; ideò ipse absolutè loquitur, nos verò conditionatè verba facimus; & adducimus præfatam distinctionem, ad soluendum oppositum argumentum. Vel dicito cum Scot. cit. eius rationes aliud non probare, nisi continuitatem motus indiuisibilis ab ipso indiuisibili non depromi, vt maximè liquet ex quarta eiusdem ratione, quæ sic se habet, continuitas temporis, & mobilis sunt ordinata. Siquidem, continuitas temporis est à continuitate motus, & continuitas motus à continuitate mobilis, indiuisibile autem non est continuum, ergo ab ipso, secundum Arist. non petitur continuitas, & successio motus, sed à spatio diuisibili, & mobili continuo, sicque valet nostra præadducta distinctio, ad mentem Philosophi.

7. Opp. 2. omne quod mouetur localiter, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem: indiuisibile autem nequit esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem: ergo indiuisibile per se moueri localiter nequit. Ma. munitur authoritate Arist. & ostenditur, si mobile foret totaliter in termino à quo, non moueretur, sed mouebitur: si esset totaliter in termino ad quem, non moueretur, sed iam motum esset: in vtroque autem termino esse non potest, quia simul esse nequit in duobus locis, nec in nullo terminorum, cum moueatur de vno, ad alium terminum. Min. est in confesso, quia indiuisibile caret partibus. Respondeo argumentum esse verum, & validum de mobili diuisibili, & continuo, quod tam ratione sui, quàm ratione spatij, sortitur diuisibilitatem & continuitatem: futile verò, & inane de mobili indiuisibili, quod non ratione sui, sed ratione spatij diuisibilis, diuisibiliter, & continuè mouetur. Vel dicito, non esse necessè, mobile partibus constet, vt moueatur continuè, sed sufficit, si penès spatium partim sit in actu, & partim in potentia, quod indiuisibili competeret, si pertransiret aliquod spatium, prius enim minus, deindè maius, & postmodum totum penetraret.

8. Opp. 3. quod localiter mouetur, prius pertransit minus spatium, quàm maius, & minus, quam æquale, atque æquale, quàm totum: indiuisibile autem nequit esse maius, aut minus; hoc enim supponit continuitatem, & diuisibilitatem mobilis, quæ insectili congruere non valet. Igitur indiuisibile est motus per se incapax. Concedo ma. distinguo min. ratione sui, concedo: ratione spatij, nego. Indiuisibile namque mouetur continuè, ratione spatij continui, & diuisibilis.

Articvlvs II.

An aliquid posit moueri localiter in instanti.

9. IN hoc perdifficili, & perarduo art. duo extant placita inter se opposita, quorum vnum tribuitur D. Th. *4. d. 44. q. 2. art. 3.* & 6. *phys. alleg.* a Tol. *ibid. quæst. 3. cap 3. in tex* 32. Rieb. 1. *d. 37. art. 3. quæst. 3.* Racon. *disp. de motu, sect. 3. q. 2. propos. 5.* & aliis existimantibus repugnantiam inuoluere, corpus localiter moueri in instanti. Alterum verò est Doct. subtilis 3. *d. 2. q. 3 §. quantum ad 2. C.* & *d. 4. q. vn. § potest dici. sub B.* & 4. *d. 43. q. 5. §. de secundo C.* Ioannis de Magis. 6 *phys. quæst* 2. Parisiens. *ibid. fol. 75.* Conimb. 3. *phys. cap. 2. quæst. 2 art. 3.* Ruu 6. *eiusdem operis, cap. 3. q. vn. propè finem*, & aliorum multorum affirmantium posse diuinitùs motum localem effici in instanti.

10. Not. motum localem fieri in instanti, bifariàm posse capi, vno modo, medio pertransito, hoc est, pertransita intercapedine illa, quæ extat inter terminum à quo, & ad quem, sic motus nequit fieri in instanti, vt patet apud Arist. 6. *phys. cap. 3.* & 5. *Met. c 13. tit. 18.* & Scot. 2. *d. 2. q. 9. sub N.* Etenim illud spatium, quod intercipitur, inter terminum à quo & ad quem, est continuum, & diuisibile, ac proindè non nisi successiue, & in tempore pertransiri potest. Altero modo, non pertransito medio, adeò vt solummodò motus accipiatur pro acquisitione formæ, in termino ad quem, & est difficultas, vtrùm aliquid in instanti, a termino à quo adduci, aut produci valeat in termino ad quem? Quo in sensu Authores secundæ sententiæ affirmant motum localem posse fieri in instanti, reluctantibus patronis primæ opinionis.

11. Ass. supernaturali virtute, motus localis potest fieri in instanti. Tenet Doct. *vbi suprà.* suadetur primò *ex 8. phys. sum. 4. tom.* 78. si virtus infinita foret in magnitudine, moueret in non tempore, quod perinde est ac in instanti: ergò motus localis in instanti non est impossibilis. Secundò, causa, cur motus localis, & forma, per eum acquirenda, non fit in instanti, aut est resistentia contrarij, aut virtus finita mouentis, aut quid aliud recensitum, à Seraphico Doct. 1. *d. 37. art. 2. quæst. 3.* sed supernæ virtuti nihil resistit; est enim Dei omnipotentia, eius voluntas, cui nihil potest resistere, Rom. 9. Igitur vi diuinà potest in instanti effici motus localis, siue forma illa, quæ per motum acquiritur. Ma. est in promptu, nam vbi non est obsistentia contrarij, motus habetur in instanti, vt illuminatio, & generatio. Atque virtus fortior agit citius, quàm potentia infirma, ergo potentia infinita, vti est diuina mouet, & agit in instanti, vt patet in rerum molitione, Ecclesiastici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Et in resurrectione mortuorum, 1. Cor. 15. *In momento, in ictu oculi.* Idipsum tradit D. Aug. *l. 21. contrà Faustum cap. 7.* & *serm. 28. de verbis Apostolò.* Atque in *Ench. cap. 9.* Idem scribit Bernar. *serm. 4. in*

festo

festo sanctorum omnium. Rursus, ex purissimis sanguinibus Beatæ virg. in instanti facta fuit diuini Verbi incarnatio, cum ipsa virgo protulit ea verba, *Luc.1. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Denique, vnum corpus vi diuinâ posse simul existere in duobus locis adæquatis disceontinuis, & distantibus, probaui *l. 6. q.2. art. 4*. Huiusmodi autem existentia dictorum corporum non est, absque motu locali, ergo motus localis potest fieri in instanti.

12. Opp. 1. ex 3. *phys.T.* 1. motus est de genere continuorum: continuum autem est diuisibile, motusque eius est successiuus: ergo motus localis haud esse valet instantaneus. Respondeo Arist. ibi non loqui de genere proprio, sed improprio, & latè sumpto, sicut dicitur Goliath de genere gigantum, & Bonauentura de genere Italorum. Ideò apponit verbum videtur, quod non est vox prorsus asserentis, sed potiùs dubitantis.

13. Opp. 2. motus localis exigit aliquam distantiam, & spatium, quod intercipitur inter terminum à quo, & ad quem: huiusmodi autem spatium pertransibile est diuisibile, in quo mobile diuisibiliter, continuè, & successiuè mouetur: ergo motus localis instantaneus repugnat. Respondeo per distinctionem Min. si motus fiat, mediò pertransito, concedo: quod si habeatur, absque medij pertransitione nego, vt superiùs planum feci.

14. Opp. 3. mobile, quod localiter mouetur, aut totum est in termino à quo, aut totum in termino ad quem: sed in termino à quo incipit moueri, & in termino ad quem cessat moueri: ergo interponitur aliqua mora, & successio, vt mobile moueatur à termino à quo, & peragat terminum ad quem: atque ita motus localis semper est successiuus. Respondeo mobile mouerі totum in termino à quo, & in vno instanti medio non pertransito esse in termino ad quem. Ratio est, quia *ex 6. phys.T.*18. in instantaneis non distinguitur fieri à facto esse, nec mutari à mutato esse, licet priùs natura dicatur moueri in termino à quo, & posterius natura esse in termino ad quem.

ARTICVLVS III.

An quod mouetur, ab alio moueatur.

15. Arist. 7. *phys. T.*1. & 2. & 8. *eiusdem operis, T.*29. & 12. *Met.c.8.T.*43. profert hanc propositionem, *quidquid mouetur, ab alio mouetur.* Quæ sitne vera vniuersaliter, an non? altercantur interpretes eius. Nam D. Th. *in com.* & alij permulti præfatam enunciationem, tanquam vniuersaliter veram recipiunt. Scot. autem 9. *Met. q.* 14. Antonius Andreas *ibid.q.*1.& Recentiores non pauci arbitrantur eam esse indefinitam, putà in quibusdam veram, & in quibusdam falsam.

16. Not. aliquid posse moueri, dupliciter contingit, aut à principio extrinseco, vt currus ab auriga, & cælum ab Intelligentia: aut à principio intrinseco, vt homo à propria virtute. Rursùs, aliquid potest esse mouens, & motum, vt anima mouet, & mouetur à se ipsa. Deinde, aliquid potest esse motum, & non mouens, vt lapis iactus à proiciente. Denuò, aliquid potest esse mouens, & non motum, sic Deus immotus manens dat cuncta moueri. Insuper, quidpiam moueri potest ad actum primum, hoc est ad esse essentiale, sic nihil potest mouere seipsum ad actum primum, quia nihil potest seipsum producere: vel ad actum secundum, & ita benè aliquid moueri quit ad actum secundum, quia post esse, quod per productionem ab alio accepit, habet potentiam operandi, quo pacto, homo postquàm creatus est, pollet potentia intelligendi, volendi, & alia opera exercendi, quæ perhibentur actus secundi.

17. Ass. vniuersaliter non est verum, *quod mouetur ab alio mouetur.* Ita Scot. *vbi suprà*, & 2. d. 2. q.10. Probatur primò *ex 8. phys. T.*29. & 30. vbi habetur, animalia moueri à seipsis, id est forma, & virtute sibi intrinseca. Secundò, aqua calefacta ex se, & à propria forma reducit se ad natiuam frigiditatem. Itemque homo spontaneo motu mouetur, seque liberè ad agendum determinat. Adde, quod in proximo art. asseremus, grauia, & leuia à seipsis moueri. Quare dictum Philosophi videtur valere tantùm de iis, quæ mouentur motu subordinato, vt ignis mouetur à cælo, cælum ab Angelo, & Angelus à Deo. Ideò ibi concludit ipse Philosophus, dari vnum primum motorem, vt monstrabitur in sequenti quæstione. Eò magis, eo in loco, infertur duntaxat in quolibet motu dari vnum motorem, qui ab alio non mouеatur, vt baculus à manu, & manus à corde.

18. Opp.1. *ex 7.phys.T.*2. quod ita mouetur, vt si aliqua eius pars quiescat, totum ipsum quiescit, non mouetur à se, sed ab alio, quia motus eius, à motu illius partis dependet. Mouetur quippè ad motum partis, & quiescit ad quietem eius: omne autem quod mouetur est huiusmodi: ergò *omne quod mouetur, ab alio mouetur.* Concedo Ma. distinguo Mi. cum Scot. 9. *Met q.*14.§. *de aliis.* Post Simplicium *in præsenti*, de motu inorganico, nego: de motu organico, & progressiuo animalis, concedo, vt patet de corde, quod mouet reliquas partes corporis animalis, ipso verò corde quiescente reliqua eius membra quiescunt. Hanc responsionem iudicat Stagit. 8. *phys.* 29.& *l. de communi motione, cap.*1. adducto, & exposito a Fereh. *l.* 2. *vestig.* 3.*num* 33. & 34.

19. Opp. 2. idem nequit esse simul in potentia, & in actu. Repugnantiam quippè inuoluit idem simul moueri actu, & non moueri, sed esse in potentia ad motum: at si quod mouetur, ab alio non mouеatur, idem foret simul in actu, & in potentia: ergo præfatum elogium est vniuersè verum, omne quod mouetur, ab alio mouetur. Distinguo Ma. cum Scot. 2. *d.*25. *q.vn.* §. *Ad primam R*: idem simul nequit esse in potentia obiectiua, & actu entitatiuo, concedo: idem non potest esse in potentia formali, & subiectiua, & actu virtuali, nego. Idque elucet in agente non vniuoco, sed æquiuoco, quod est in potentia ad formam alterius rationis ab ea, quam participat, vt sutе declarat. Doct 9. *Met. q.* 14. § *contra responsionem istam*, & §. *quod additur.*

20. Opp. 3. *ex* 1. *de gener.T* 51.*sum.*4.*c.*4. & 1. *anima T* 52.& 2.*eiusdem, sum.* 3. *cap.*1.*T.*54. idem nequit agere, & pati simul: si autem quidpiam mouetur seipsum, idem ageret, & pateretur, & quidem ageret, quia moueret & pateretur, quia moueretur à seipso ergo &c. Distinguo Ma. eodem modo, eademque ratione, concedo: diuerso modo, diuersaque ratione, nego. Idque patet de intellectu, qui producit intellectionem, ratione cuius dicitur agens & recipit ipsam intellectionem, per quam perhibetur patiens.

21. Quæres, vtrum mouens, & motum sint semper simul? Respondeo aliquando esse simul simultate suppositi, & virtutis, vt orbis Lunæ, cum sphæra solis: aliquando verò simultate virtutis duntaxat, sic sol virtute sua attingit hæc inferiora, & sublunaria.

ARTICVLVS IV.

A quo grauia, & leuia moueantur.

22. Richardus 2. *d.* 14. *art.*1. *quæst.* 4. & Ioannes de Magistris 8. *phys. quæst.* 4. *dub.* 1. de hac re multas, & discrepantes referunt sententias, inter quas duas celebriores cerno, & assero. Prior est

D. Th. 2. *part. quæst.* 18. *art.* 1. Caiet. *ibid.* Complut. *disp.* 18. *Phys. quæst.* 2. §. 2. & aliorum asserentium grauia, & leuia per se moueri à generante, per accidens verò à remouente prohibens. Posterior autem defenditur à Scot. 9. *Met. quæst.* 14. Antonio Andr. *ibidem, quæst.* 2. & 2. *distinct.* 2. *quæst.* 10. & *distinct.* 25. *quæst. vn.* §. *Ad primam sub* C. Mayr. *distinct.* 14. *quæst.* 6. & cæteris Scotistis docentibus, grauia, & leuia à seipsis moueri.

23. Not. moueri à se, perindè esse ac, habere principium intrinsecum actiuum sui motus: veluti moueri ab alio nihil aliud sibi velle, quam moueri à principio extrinseco; exemplum primi, homo mouetur à se, hoc est à virtute sibi inexistente, & 1. *de anima*, *T.* 67. ex Platone dicitur, anima est numerus se ipsam mouens: exemplum secundi, currus mouetur ab alio, nempè ab auriga. Cum autem experientia constet, grauia moueri deorsum, & leuia sursum, peruestigatur in præsentia, num huiusmodi motus efficiatur à principio, & virtute eorum intrinseca, vel extrinseca? Atque non est lis de principio remoto, & mediato, sed de proximo, immediato, à quo scilicet motus actualis grauium, & leuium proficiscatur?

24. Assertio, grauia, & leuia mouentur à seipsis. Ita Scot. *vbi suprà*, & ante ipsum diuinus Plato relatus à Bonet. 5. *Phys. cap* 3. Probatur primò, *ex* 8. *Phys. sum.* 2. *cap.* 2. *T.* 32. Sicut se habet sciens ad contemplationem, & ignis ad combustionem, ita se habent graue, & leue ad suos motus naturales: sciens autem sortitur principium internum, & actiuum contemplationis, & ignis, & combustionis: ergo quoque graue, & leue per Arist. participant intrinsecum principium suorum motuum naturalium. Deinde subiicitur, si leue impediatur, ne sursum tendat, & postmodum tollatur impedimentum agit, & superiorem locum petit. Et 4. *Cæli cap.* 1. *T.* 2. scribitur graue, & leue habere quædam suscitamenta motus. Et *T.* 25. *sum.* 2. additur, graue, & leue sortiuntur principia intrinseca motuum ad sua loca, sanabile verò, & augmentabile. principia extrinseca. Palàm autem est, ibi verba fieri de principiis actiuis, & non passiuis, cum penes hæc nullum adsit discrimen, sed penes illa duntaxat. Rursùs, 4. *Phys. sum.* 2. *cap* 5. *T* 85. Densum, & rarum, vt graue, & leue sunt, participant principium actiuum motus: vt verò durum, & molle sunt, passiuum principium motus sortiuntur.

25. Dices 2. *de gener* *T* 8. inter principia actiua non numerantur graue, & leue, ergo, vel hæc actiuitate carent, vel Aristot. in dictis suis pugnantia admittit. Dico, nullam esse contradictionem in scriptis Philosophi. Etenim 8. *Phys. citat. ait*, graue, & leue actiue se habere ad propria loca, & centra: Secundo verò *de gener.* negat ista esse actiua, & productiua sibi similium in specie, veluti homo producit hominem, & ignis, ignem, vt fusè, & eruditè declarat Scot. citat. Secundò, effectus in actu habet causam in actu, 2. *Phys. T.* 37. & 5. *Met. c.* 2. *T.* 3. Ratio est, quia nihil actu causari potest, nisi causa sit actu causans ipsum, siue actu exercens suam causalitatem: cum autem graue, & leue actu mouentur, effectus eorum est actu, hoc est motus actualis, generans verò non est, quia vel abest, vel iam periit, ergo graue, & leue non à generante, sed à se mouentur. Respondent Conimbr. 8. *Phys. cap.* 4. *quæst vn. art.* 4. licet genitor non existat, existere tamen eius virtutem motricem, quam genito communicauit; ob id à genitore potissimùm dicitur moueri, dum effectus eius exit in motum. Contra, virtus, qua genitum mouetur distinguitur à virtute genitoris. Nam, sicut natura huius saltem numero distinguitur à natura illius: sic virtus huius, à virtute eius, ergo genitum à se mouetur, vtpotè à virtute in ipsomet existente. Siquidem non inuestigatur à quo possit moueri, sed à quo actu moueatur: mouetur autem à virtute sibi intrinseca, ergo à se mouetur. Deinde, datur certa, & determinata sphæra agentia, & mouentis: in quacumque autem distantia, vel propinquitate sit genitor, per virtutem ipsi inexistentem mouetur genitum. Demùm, si in animata cientur a genitore, propterea quod genitor eis virtutem indidit, planè etiam animata mouerentur à genitore, quia pariter ab eo vim se mouendi acceperunt, sicut inanimata, at id de illis negant Aduersarij: ergò quoque de istis inficiari debent, cum par in vtriusque eluceat ratio.

Secundò, si modicum leue sit alligatum magno graui, hoc trahit illud: motus autem grauis est causa descensus leuis sibi annexi, non per aliud, quam per principium tali graui inexistens, ipsique intrinsecum. Eò magis, notante Scot. 1. *dist.* 2. *quæst.* 4. *ad finem*, §. *Contra* 1. *art.* Si graue sursum detineatur, & vincat virtutem impedientia, ne deorsum feratur, sublato obice, deorsum descendit: ille autem motus, & descensus non fit à generante, cum supponatur absens, vel extinctum, nec ab impediente, nisi per accidens, nec ab alio extrinseco, vt patet, ergo à se ipso efficitur. Insuper, magis graue citius descendit minus graui, quod aliunde non prouenit, quam à principio intrinseco. Istæ, & aliæ rationes tanti ponderis extant, vt euidentes iudicauerit Suarez *disp.* 28. *Met. sect.* 7. *num.* 22. Atque Ferr. 4. *contra gentes*, *cap. vlt.* & alij apud Complut. præcit. subiiciant, graue, & leue moueri à grauitate, & leuitate, vt à principio actiuo, tametsi instrumentali. At si isti concedunt de principio instrumentali, de principali pariter admittere debent, cum virtus instrumenti, à principali suum robur trahat, & ducat. Idque fatetur D Th. 1. 1. *quæstion.* 36. *art.* 6. & aliis locis à Complut. adductis nuncupatim 2. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 2. Vbi explicitis verbis legitur. *Non eodem modo omnes motus dicuntur naturales, sed quidam propter principium actiuum intus existens, vt motus localis grauium, & leuium.*

26. Oppones primò, Arist. 8. *Phys. cap.* 2. *T.* 33. *sum.* 2. expressè ait, grauia, & leuia, à generante, & non à seipsis moueri. Idque maximè asserit, propter elogium ab ipso prolatum 7. *Phys. T.* 2. *omne quod mouetur, ab alio mouetur.* Hanc autem extitisse eius mentem, abundè, & doctè declarat, & probat Bonet. 5. *Phys. cap.* 3. afferens sententiam Platonis ab eomet discrepantem. Respondeo exponendum esse de principio remoto, non autem proximo, de quo nunc est tota lis. Hæc distinctio deducitur ex 8. *Phys. T.* 32. esse in potentia bifariàm contingit, ad actum primum siue ad esse essentiale, & ad actum secundum, siue esse accidentale, vt planum feci in ant. art. vbi, & declaraui præfatum Aristot. proloquium.

27. Oppones secundò, quod mouet ad actum primum, vtique mouet ad actum secundum. *Quod enim præbet esse, pariter dat consequentia ad esse*, & vt inquiunt Iuristæ. *Qui dat principale, dat accessorium.* Generans autem tribuit actum primum, nempè esse graui, & leui, ergo & actum secundum, putà operari, cuiusmodi est moueri, proindèque eorum motus à generante efficitur. Distinguo ma. proximè, & immediatè, nego: remotè, & mediatè, concedo. Quamuis namque generans præbuerit graui, & leui esse, & virtutem mouendi: nihilominus non est proximum, & immediatum principium motus eorum. Sufficit quippè eis tribuisse principium mouendi, quo habito, postmodum se ipsa mouent ad proprium locum, & centrum, remoto obice, etiam interempto generante, aut longè distante.

28. Oppones tertiò, si graue, & leue à seipsis mouerentur, nullum extaret discrimen inter motum animatorum, & inanimatorum, quandoquidem tam animata, quam inanimata cierentur à seipsis: id autem veritati, & authoritati Arist. 8. *Phys. T.* 29. pugnat, vbi legitur, animata se ipsa mouere, non sic graue, & leue inanimata. Nego sequelam ma. cum Scot. 4. *distinct.* 49. *quæst.* 14. §. *Respondeo hic*, animata quippè à se mouentur præuia cognitione, & si moueantur motu progressiuo

greſſiuo poſſunt ſe ſiſtere occurrente obiecto ab eis apprehenſo, vt patet de brutis, ac etiam moueri in proprio loco, & centro, quod non competit grani, & leui inanimatis.

ARTICVLVS V.

A quo moueantur proiecta.

29. VAldè diſſentientes inuenio Philoſophos, tam Antiquos, quàm Modernos in venanda, & aſſignanda cauſa motus proiectorum. Siquidem nonnulli, inter quos eſt Plato, teſte Ariſtot. 8. *Phyſ. T.* 8 s. autumant, motum proiectorum effici per antiperiſtaſim. Alij, vt Mayr. 2. *d.* 14 *q.* 7. Th 3. *cœli ad T.* 58. & Camer. aſtruunt, cauſam proiectorum petendam eſſe à medio, ſiue ab aëre ambiente, quibus fauet Ariſt. *paſſu præallegat. Phyſ.* Cæteri verò, vt Ioannes de Magiſ 8. *Phyſ. q. vlt. dub.* 5. Tatar. *ibid. ſcibili* 4, Conimb. *cap.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 8. *Tol. ad tex.* 86. Racon. *diſp. de motu num.* 5. *art.* 1. & Maior pars Recentiorum docent proiecta moueri per virtutem impreſſam ipſis proiectis.

30. Not. in motu proiectorum multa interuenire, proiicientem proiectum, & medium, quod peruadit proiectum à proiiciente transfuſum. Certum eſt autem, proiectum pelli à proiiciente, vnamque partem medij pulſam ab alia pelli: his autem non eſt de primo impulſu, qui fit à proiiciente habente ſibi proiectum coniunctum, ſed de impulſu, & motu, quo proiectum mouetur per medium, ab ipſo proiiciente emiſſum, & iaculatum à quo nimirum moueatur, num à proiiciente, à medio ne, an verò ab alio extrinſeco? vulgus philoſophorum aſtruit impulſum eſſe quamdam qualitatem de prima ſpecie qualitatis, ſub diſpoſitione contentam, inditam proiecto à proiiciente, qua durante, proiectum mouetur, quave deficiente, deſinit eius motus, ſiue proiciens adſit, vel abſit, ſiue viuat, ſiue pereat. Non enim eſt de iis, quæ ab efficiente in eſſe, & in fieri pendent, vt lux à corpore luminoſo, ſed tantum in fieri, & non in eſſe, vt patet de ſono emiſſo, cuius cauſa licet intereat, ipſe tamen adhuc perſiſtit, & perſeuerat, ad modicum ſaltem tempus, vt fracto corpore ſonante, adhuc ſonus eius exiſtit, vt auditur,

31. Aſſertio prima, motus proiectorum non cauſatur per antiperiſtaſim. Ita Ariſt. 8. *Phyſ. cap.* 10. *T.* 8 s. & deducitur ex Scot. 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 6. *in fine. E.* Probatur primò, antiperiſtaſis eſt obſeſſio, & circumuallatio debilioris, & infirmioris corporis obſeſſi, & circumuallati, à corpore fortiori, & potentiori obſidente, & circumuallante: huiuſmodi autem obſeſſio, & circumuallatio non cauſat motum proiectorum: ergo per antiperiſtaſim non fit proiectorum motus. Ma. eſt nota per locum à definitione ad definitum. Min. eſt in promptu, per antiperiſtaſim conſtringitur, & coangustatur obſeſſum corpus obſeſſum, & circumuallatum ab obſidente, & circumuallante.

Secundò, antiperiſtaſis accidit, propter contraria inter ſe pugnantia, quorum vnum eſt alio fortius: datur autem antiperiſtaſis, abſque vllo proiectorum motu, vt hyeme, cum aqua in puteo caleſit, & æſtate, frigeſit. Deinceps, nonnunquam in nubibus fiunt antiperiſtaſes, vt ſignificant tonitrua, tametſi, nullus habeatur motus proiectorum, ergo per antiperiſtaſim, proiecta non cientur.

32. Aſſertio ſecunda, medium, ſiue aër, ſiue aqua non eſt cauſa adæquata, & ſufficiens motuum proiectorum, ſed coadiuuans duntaxat. Ab hac non videtur diſſentire Doct. *paſſu prealleg.* Probatur primò, aëre circumſtante, & ambiente immoto, mouetur proiectum, vt cum nullus ventus perflat, & tamen quiſpiam ſi proiiciat lapidem per aërem, in eo mouetur lapis proiectus: immò, aëre moto, proiectum ſi fuerit magni ponderis in eo non cietur, ergo apertum indicium eſt, aërem ambientem, aut quodlibet aliud medium non eſſe totalem, & adæquatam cauſam motus proiectorum. Eò magis, ſi in vacuo telum iaculetur, quod fieri poſſe, non eſt improbabile, tunc nullo intercedente medio, erit motus teli proiecti; à medio igitur non decerpitur proiecti motus. Secundò, rota, trochus, & quæ in gyrum voluuntur citiſſimè, ab aëre circumſtante non mouentur, vt cernitur ad oculum. Deindè, incredibile, immò impoſſibile videtur, ingentes lapides graueſque bombardarum globos moueri a circumſtante aere. Hi quippe diruunt fortiſſima mœnia, deiiciuntque altas turres, ipſorumque ictibus quæcumque alia robuſtiſſima euertuntur. Atque, cymba contra ictum fluuij, ventumque aduerſum procedit, à medio ergo non prodit præcipuè proiectorum motus.

33. Aſſertio tertia, proiectorum motus proficiſcitur à virtute proiectis impreſſa. Indicatur à Doct. *vbi ſuprà*, & inſinuat Ezechiel. 1. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* Et Iacob. 3. *Ecce, & naues cum magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.* Probatur primò, omni effectui producto aſſignanda eſt aliqua cauſa, quæ ipſum produxerit; nihil quippè ſeipſum cauſare valet: motus autem proiectorum nonnullus eſt effectus, cuius cauſa non eſt antiperiſtaſis, nec aër ambiens, nec aliud quidpiam prænarratum, ergo à ſufficiente diſtributione eſt impulſus proiicientis, proiectis impreſſus.

Secundò, quo ma. eſt proiicientis impulſus, proiectis impreſſus, eò citius, & longius deferuntur proiecta, vt quotidiè experimur. Ergo huiuſmodi impulſus eſt cauſa præciſa motus proiectorum. Rurſus, ablato tali impulſu, non ampliùs proiectum mouetur, eo autem durante, vtique durat motus proiectorum: ergo ipſe extat præcipua, & præciſa cauſa eius.

34. Oppones primò, *ex* 8. *Phyſ. T. nuper memorato*, & 3. *Cœli T.* 58. cauſa motus proiectorum refunditur, & reiicitur in medium, puta, aërem, vel aquam, Idque videtur veriſimile, propterea quod vna pars aëris concitata pellit aliam partem, & ſic deinceps de cæteris, ergo motus proiectorum à medio cauſatur. Reſpondeo fortaſſe Ariſt. verba facere de cauſa coadiuuante, quam eſſe medium, nemo inficiatur, non autem de cauſa præcipua, & præciſa, quam eſſe præfatam qualitatem, & impulſum, non negat. Quod ſi aliter ſentiat in hoc, & in aliis quibuſdam, dimittendus eſt, cum experientiis, & rationibus præallatis, contrarium nobis innoteſcat.

35. Oppones ſecundò motus proiectorum velocior eſt in medio, quàm in principio, & fine, vt omnibus elucet, hoc autem aliunde non oritur, quàm à medio circumſtante, ergo medium eſt cauſa motus proiectorum. Reſpond. hoc argumentum ſolùm probare corpus medium, ſiue aërem concitatum, parteſque eius adinuicem compulſas, & concuſſas adiuuare motum, & reddere eum citiorem, & velociorem in medio, quia plures eius partes in eo ſunt compulſæ, & concitatæ, quam in initio, & fine. Atque in motu animalis in principio, ſpiritus vitales nondum omnes ſunt ſimul iuncti, & expergefacti, ſicut in medio: in fine verò ferè langueſcunt, & diſſipantur, atque adeò tardior efficitur motus eius.

36. Oppones tertiò, quod eſt indifferens, & indeterminatum, nequit determinare motum ad locum ſurſum, vel deorſum, vel in gyrum: impulſus autem proiiciens in proiecto eſt indifferens, & indeterminatus. Non enim magis reſpicit locum ſuperiorem, aut inferiorem, aut orbicularem, ergo prædictus impulſus nequit eſſe cauſa motus proiectorum. Concedo ma. ad min. dico, huiuſmodi qualitatem impreſſam proiecto modificari, & determinari à proiiciente. Ob id, ad libitum eius, proiectum ſurſum, vel deorſum, vel in orbem voluitur.

37. Quæres, quænam sit causa desitionis præfatæ qualitatis? Respondeo esse reluctantiam, & violentiam subiecti, cui imprimitur, cum enim sit aliena, violentia, ideò paulatim deficit, cum nullum violentum sit diù durabile; cui accedit resistentia medij, & repugnantia, quæ eam debilitat, & deprimit: ideò instar soni parùm durat, citóque deficit.

QVÆSTIO IV.

De Mouente.

1. NON superest vlla difficultas de mouente, quæ non sit tacta, & discussa in superioribus: solùm nonnulla pauca restant examinanda, & decidenda de primo motore, qui est Deus optimus maximus, sub vno tantum art. cõprehendenda.

ARTICVLVS VNICVS.

An sit vnus primus motor, immobilis & immaterialis.

2. DE primo motore disserit Arist. tum 8. *Phys propè finem*, tum etiam in calce 12. *Met.* vbi venatur, & perscrutatur eius præcipua prædicata, & peculiaria eiusdem attributa. Obseruat autem Mayr. 1. *d.2. q.1.* existentiam ipsiusmet primi motoris ostendi posse duplici medio, physico, & metaphysico: tùm verò vtrumque simul, an verò alterutrum sufficiens sit ad eius demonstrationem? non vna est omnium mens. Etenim D.Th.1.*p.q.*8.*art.*1.Complut. *disp.* 29. *q.6.* §.2. & Ruu. 8. *Phys. Tract. de 1. motore*, arbitrantur medium physicum sufficere ad illum demonstrandum. Scot. verò 1. *d.2. q.1.* & *d.8. q.5.* §. *Huius exclusiua, ante A.* Conimb 8. *Phys. c.6. q. 1, art. 3,* & alij non pauci asserunt primum non deficere, nisi adiiciatur secundum. Immò Bonet. 2. *Phys. c.7.* putat quidem vtrumque esse probabile, neutrum tamen esse demonstratiuum necessarióque concludens.

3. Assertio prima, datur vnus primus motor. Ita Arist. 8. *Phys. T* 53. & 12. *Met. T.* 55. & Scot. tum *passu alleg.* tum *in Rep.1.d.2.q.1.* tum etiam *Tract.de 1. principio c.*3. vbi Mauritius, & Cauellus. Probatur primò. omne quod mouetur, ab alio mouetur 7. *Phys. T.*1. & alijs locis adductis *art. 3. superioris quæstionis:* ergo cum in per se ordinatis non fiat processus in infinitum, 2. *Met. T.* 5.*c.* 2. deueniendum est ad vnum primum motorem. Hæc ratio non videtur esse efficax & demonstratiua, quandoquidem, pleraque se ipsa mouent, vt animalia grauia, & leuia, necnon agentia libera, vt passu præmemorato palàm feci. Deinde, si quid probat præfatum argumentum, suadet tantùm existere vnum primum motorem primi cæli, qui non est Deus, sed Angelus. Rursus, per illud ostendit primum motorem mouere motu æterno à parte antè, eoque generationes rerum esse perennes, & perpetuas: hoc autem dogma est falsum, & fidei orthodoxæ aduersum. Igitur ratio physica Arist. non demonstrat euidenter primi motoris, qui est Deus, existentiam, & vnitatem eius.

Secundò, omne ens aut est causatum, & dependens ab alio, aut est incausatum, & independens, & à se: si secundum habetur intentum, nempè primum ens, prima causa, & primus motor, qui est Deus: si primum, vel illud à quo causatur, & dependet, est incausatum, & independens, & habetur propositum: vel est causatum, & dependens ab alio, & sic deinceps quæram de illo in infinitum, &, quia non itur in infinitum, ex dictis 2. *Met. T.* 5. planè infertur esse vnum primum motorem à se, & quouis alio independentem, improductum, & incausatum. Hæc ratio, quæ *ex Met.* depromitur est potior, & efficacior præcedente, teste Scot. *q.3. prol.* § *Ad 1. arg.2. q. V.* & fusius *d. 2. q. 2. §. ostensis, & §. Quantum ad 1. art.* Atque euidenter, & sufficienter concludit, quidquid dicat Ruu. suprà cit. Adde, quod in Met. monstrabitur, esse tantum vnum Deum, & politheismum esse impossibilem: aptè igitur, deducitur esse vnum primum motorem, vnamque primam causam, ac ens independens.

4. Ass. 2. primus motor est immobilis, & immutabilis. Traditur ab Arist.cit. & Scot. 1.*d.*30.*q.*2.§. *Ad 2. q.M.* Probatur 1. ex sacra pagina, Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* Et Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Accedunt Aug. *contrà epistolam fundamenti c.*19. Et Damasc. 1 *fidei c.* 3. Estque sancita de fide in Conc. Later. *c. Firmiter.* 2. quod est actualissimum, summéque necessarium nec moueri, nec mutari potest, quoniam mutatio præsupponit potentiam ad habendum, quod prius subiectum non habebat: Deus autem est ens actualissimum, ac summè necessarium, habens omnes perfectiones actu, & continens omne bonum, iuxtà illud Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Ob id rectè ansert D. Ansel. *in prosol.* 3. *Deus est, quo maius excogitari non potest.* Igitur nulli motui, mutationiue subest.

5. Ass. 3. primus motor est spiritualis, omnisque molis corporeæ expers. Defenditur ab Arist. *ad finem* 8. *Phys.* & 12. *Met.* & Scot. 1. *d.*8. *q* 1. & 3. & *in Rep. q.2.* & *d.*31. *q.*3. §. *Ad 1. principale.* De qua re fuse, & erudite multa fert Ferchius *vestig* 2. *l.1. c.3. & 6. n.20.* Probatur 1. ex sacro codice, Ioan.

Tertio, Deus perhibetur spiritus, qui immunis est à materia, & mole corporea. Hinc Saluator Luc. 24. subiicit. *Spiritus carnem, & ossa non habet.* suffragantur Origenes 7. *contrà Celsum.* Aug. *epist.* 3. & Ansel. *in Monol. c.*20. & alij asserentes oppositum esse dogma Ecclesiasticæ fidei repugnans.

Secundò, Deus est infinitæ virtutis: virtus autem infinita nequit existere in quantitate finita: non enim finito limite terminatur, nec in quantitate infinita, quæ nec datur, nec est dabilis, vt ostendi *q.5. art.3.* § Deinde, Deo tribuendum est, quod est melius, & perfectius, cum in eo sit omnium perfectionum cumulus: melius autem, & perfectius est, Deum esse spiritum, & incorporeum, quàm materialem, & corporeum, quia spirituale vincit materiale; igitur Deus ab omni materia est segregatus. Plura *Tract. de Deo vno disp.* 5.

6. Opp. 1. contra 1. ass. ab vno, eodemque principio nequeunt plura promanare, vt significat Auer. 8. *Phys. com.*46. plura autem sunt creata, & mota, vt patet omnibus, ergo non vnus est creator, & motor eorum. Respondeo illud elogium assumptum in maiore interpretandum esse de agente naturali, & necessario habente vnam tantum operandi virtutem, non autem de agente libero, & operante per plures virtutes & facultates in ipso existentes. Deus verò sponte, & liberè omnia condidit, secundùm illud Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.*

7. Opp. 2. contrà 2. ass. quod est alligatum peculiari loco, & particulari mobili, mouetur, & mutatur, si non per se, saltem per accidens, ad motum eius mobilis: Deus autem, teste Arist. 1. *Cæli T.* 100. residet in extima parte primi mobilis, ergo mouetur ad motum primi mobilis, atqueadeò Deus est mobilis, & mutabilis. Resp. concessa ma. ad min. esse exponendum Philosophum de primo Angelo, qui assistit immediatè primo mobili ad illud voluendum, ideò recenset tot Angelos, quot sunt Cæli mobiles, 12. *Met. T.*47. *c.4. sum* 2. Vel dicito, eum ibi significare, Deum non subiici cælestium orbium influxibus, propterea addit, non alterari, nec senescere, vitaque iucunda, & æterna perfrui, quam vtinam nobis concedere dignetur.

LIBRI

LIBRI
DE CÆLO, MVNDO, ET ELEMENTIS.

AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS.

AVTHORE FRATRE BONAVENTVRA COLVMBO Niciensi Minori Conuentuali sacræ Theologiæ Doctore, eiusdemque professore.

PRÆFATIO.

PRÆSTANTIAM, venustatem, ac vtilitatem scientiæ horum librorum narrat, & nunciat euidenter, & eleganter Salomon *sap.7.* cuius verba adducit aptè, & exprimit lucidè Doctor Seraphicus *in prologo secundi sententiarum.* Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, veram scientiam, vt sciam dispositionem vrbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & consummationes temporum, & morum mutationes, diuisiones temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones. Quæ omnia piè, & doctè significat, & prædicat S. Aug. *l. de vtilitate credendi cap.16.* & *in expos. psal.99.* & *l de vera Religione cap.29.* Non enim frustrà, & inaniter intueri oportet pulchritudinem Cæli, ordinem syderum, candorem lucis, dierum, & noctium vicissitudines, Lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem, quadripartitis elementis congruentem, tantam vim seminum, species, numerósque gignentium, & omnia in suo genere modum proprium, motumque seruantia. Subiiciunt Parisienses in principio huiusce operis, ex Arist. ab ipsis cit. inquientes. Nunquam nos verecundiores esse debere, quàm cum de Diis agitur: si enim templa intramus, compositi; si ad sacrificium accessuri, vultum submittimus, & omni argumento modestiæ fungimur. Quantò magis hoc facere debemus, cùm de syderibus, de stellis, deque Cælorum natura disputamus, ne quid temerè, ne quid imprudenter, aut ignoranter affirmemus. Quapropter, libet in horum diligenti indagine, ac accurato examine versari, vt postmodùm huius vitæ transacto curriculo, eorumdem primarij Auctoris, & causæ, clarâ visione, & perfectâ fruitione gaudere valeamus. Iuxtà autem tria illa à nobis proposita, tres libros conscribemus, quorum primus extabit de Mundo, secundus de Cælo, & tertius de Elementis.

LIBER PRIMVS.

De Mundo.

1\. QVOD nos Mundum appellamus, Græci κόσμον vocant, quod idem est ac ornatum, & pulchrum: sumitur autem Mundus in præsentia pro vniuersitate rerum creatarum, cuius meminit Ecclesiast.43. *species Cæli, gloria stellarum, Mundum illuminans in excelsis Dominus.* Ob id, nonnulli, vt Alexander, & Theol. arbitrantur præfatorum librorum sobiectum totale esse vniuersum. Alij verò, vt Ioannes de Magis. & Parisiens. 1. *Cæli, quæst.1.* statuunt eorum subiectum adæquatum, corpus simplex mobile ad vbi. Nos verò consequenter loqui debemus, secundum ea, quæ docuimus *l.1.q.3. art.*

art. 2. & *in prologo eiusdem operis.* Tres autem mouemus quæstiones *in hoc lib.* Primam de Mundi creatore: Secundam de Mundi creatione. Et tertiam de Mundo à Deo creato.

QVÆSTIO I.

De Creatore Mundi.

ARTICVLVS I.

An Deus potuerit creare Mundum.

1. OMISSIS variis erroribus diuersisque hæresibus relatis, & strenuè profligatis ab Alph. *l.* 5. *verb. creatura.* Et *l.* 10. *verb. Mundus.* Philosophorum vulgus videtur sentire, Deum non potuisse creare Mundum, propter illud vulgatum, & ab ipsis exaratum, 1. *Phys. T.* 35. & *inde*, & 1. *de gener. T.* 11. & alibi, *ex nihilo, nihil fit.* Oppositum autem tuentur Doctores Catholici, nominatim Scot. 2. *d.* 1. *quæst.* . & 6. necnon 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. Orbel Gratianus, & cæteri communiter, & vnanimiter docentes, Deum potuisse ex nihilo condere vniuersum.

3. Not. primò, creationem bifariàm vsurpari. Primò latè pro quacumque productione, quo in sensu, *Gen.* 1. homo dicitur creatus, tametsi fuerit formatus ex limo terræ, *ibid. cap.* 2. Huius sumptionis meminit Apostolus *Rom.* 8. & vtitur Aug. *l.* 83. *qq. quæst.* 67. & *l.* 1. *contra Aduersarium legis* & *Prophetarum cap.* 23. inquiens, creari Magistratus, & vrbes; sic quoque dicitur, Papam creare Cardinales, & Episcopum Præsbiteros. Nec huius expers fuit Arist. vt patet 4. *de historia animalium, cap.* 3. & 2. *de partibus animalium cap.* 2. & 2. *de generatione animalium cap.* 4. *Fæmina semper materiam præbet, mas vim creandi.* Secundò, strictè, & propriè pro productione, ex nullo præsupposito subiecto, & præiacente materia, quo pacto anima rationalis, & Angelus creari perhibentur.

4. Not. secundò, creationem, & factionem promiscuè accipi, vt monet Ferchius *l.* 1. *def. cap* 1. *n* 9. ex Aug. *tom* 7. *suorum operum, l.* 1. *contra Aduersarium legis.* Idque apertè colligitur ex *lib. Geneseos* Nam, *cap.* 1. dum Moyses Chronista scribit, & vtitur modo verbo creandi, *In principio creauit Deus cælum & terram.* modò verò verbo fecit, vt *cap.* 2. *cum libri, Fecit Deus Cælum, & terram.* Iterum, *cap.* 1. *præfati operis, Faciamus hominem.* Et paulò post, *Creauit Deus hominem.*

5. Not. tertiò, ex Mayr. *quæst.* 9. *quolib. post Ansel. in Monol. cap* 8. aliquid fieri ex nihilo, quatuor posse capi modis. Primò subiectiuè, veluti forma fit ex materia, & accidens ex subiecto, & quia nihil nequit esse materia, & subiectum alicuius, propterea hic modus faciendi est impossibilis. Secundò successiuè, hoc est, post nihil fit aliquid, sicut ex nocte, dies, & ex tenebris, lux, vt rectè declarat Scot. 1. *d.* 5 *q.* 2. *R.* inquiens, creatura est post nihil, idest post non esse sui, & cuiuscumque in ea. Et in simili videtur significare Stagir. 2. *Met. T.* 7 Et ludis Isthmiis fiunt Olympici, idest interprete Scot. ibi, post ludus Isthmios celebrantur Olympici, sicut post festum S. Michaëlis, colitur dies festus S. Francisci. Hic autem modus est possibilis, quia Deus potest tribuere esse creaturæ, cum esse non habuerit, veluti potest lucem creare, cum antea ipsa lux non extiterit, & ita præstitum esse, narratur *Gen.* 1. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux.* Tertiò conuersiuè, vt scilicet nihil conuertatur in aliquid, & hoc fieri nequit, quia vnum oppositum non fit aliud, vt priuatio non fit habitus, & nox non fit dies. Quartò, negatiuè, vt cum quis tacet, dicitur loqui de nihilo, quia de nullo loquitur: hic quoque modus impossibilis censetur, veluti primus, & tertius, & tantum remanet secundus præexplicatus, quo Deus creare aliquid de nihilo perhibetur.

6. Ass. prima, Deus potuit Mundum creare Ita Scot. *locis præcit* & *in in Rep ibid.* Probatur primò, qui potest immediatè agere, & independenter operari potest creare, quia ex dictis *in* 1. *not.* creatio propriè sumpta est, productio ex nihilo, hoc est, ex nullo præsupposito subiecto: Deus autem potest immediatè agere & independenter operari, cùm sit primum ens à se, & independens, ergo potuit Mundum creare Secundò, Deus potuit producere materiam primã, cùm eius potētia sit infinita omnium producibilium productiua: materia autem est creabilis, cùm sit primum, & vltimum subiectum omnium formarum. Deinde, Deus potest conseruare accidens absque subiecto, & de facto conseruat in Euch. vt fides docet, ergo & producere sine subiecto; producere autem sine subiecto, est creare vt liquet ex definitione creationis. Denuò, Deus creauit Mundum, ergò potuit eum creare. Conseq. tenet, quia ab actu, ad potentiam vsler argumentum. Ant. ostendetur *in proxima assert.* Insuper, agens potentius, & perfectius paucioribus indiget agente infirmiori, & imperfectiori, vt induci potest in singulis agentibus: agens autem infinitius, & imperfectius vt agat, exposcit subiectum, ergo agens potentissimum, & perfectissimum potest agere sine subiecto, atque adeò creare.

7. Secunda ass. Deus creauit Mundum, Tenet. Scot. *vbi suprà.* eàque de fide, contrà Simonem Magum relatum ab Aug. *in cathalogo hæref.* 1. Probatur primò, ex sacra pagina Gen. 1 *In principio creauit Deus cælum, & terram* Ioan. 1. *Mundus per ipsum factus est* Et *Act.* 7. *Deus, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo sunt.* Secundò, ex Conc. Lateran *c. Firmiter, de summa Trin & fide catholica* Adde duo symbola Apostolicum, & Nicænū, in quibus expressè sancitum habetur. Deum esse creatorem Cæli, & terræ, visibilium, & inuisibilium. Tertiò, ex Patribus, nominatim Aug. *in operibus suprà Gen.* & *contrà epistolam fundamenti, c.* 25. & *l.* 1. *de actu cum Felice c* 18 & 19. Et *l. de natura boni, contra Manich. c.* 1. & *l. de fide, contrà Manich. c* 41. Accedit Genebr. 1. *Chronol. pag.* 2 Quartò, solus Deus est independens a se, & per se, nulla re indigens ergo solus Deus ex nihilo hunc Mundum condidit. Idque apertè indicat regius Psaltes Psal. 9. *Dij Gentium dæmonia, Dominus autem Calos fecit.* Vbi affert discrimen inter verum Deum, & falsos Deos, in eo, quod verus Déus creauit Cælos, & ea, quæ in ipsorum ambitu capiuntur: falsi verò Dij nequsquam, cum dependenter a subiecto operentur, virtutemque limitatam sortiantur.

8. Opp. 1. si Deus potest aliquid creare, vtique posset mutari: Deus autem mutari nequit, ergo nec potest aliquid creare. Sequela ma. probatur, de non creante fieret creans, ergo in eum mutatio caderet. Min. ostensa est *l.* 8. *Phys. q.* 4. *art vn* Negatur sequela ma. ad eius probationem dico, eadem volunta e, qua Deus ab æterno statuit creare Mundum, creauit ipsum in tempore. Ideò, nullam subiit mutationem: præsertim quia, mutatio tunc accidit, cum subiectum aliter se habet, per receptionem alicuius in ipso de nouo recepti: Deus autem nihil de nouo recipit per creationem, sed solùm creatura ab ipso Deo recepit esse. Exemplo declarat Scot. de corpore opaco de nouo producto, & exposito luci Solis, quod quidem à sole nouiter illuminatur, tametsi sol per huiusmodi illuminationem nullo modo mutetur. Idipsum quoque illustrat idem Doct. 5. *Met. q.* 1. *his verbis. Agens voluntarium voluntate aut qua non mutata potest causare, quandò places, sine mutatione sui sicut ſi* ego

ego vellem modò ſedere cras, poſſum ſedere cras, ſine mutatione voluntatis mea.

Dices, ſaltem Deus recipit nouam relationem producentis, ad productum, ſicut per nouam generationem habetur relatio generatoris ad genitum. Vndè inquit Ambr. 1. *Trin.* ſi pater nouiter generaret filium, generationis acceſſione mutaretur: pariter, ſi creaturæ à Deo nouiter crearentur, ipſe per creationē mutaretur. Accedit Aug. *Serm.* 102. de tempore. *Vtinam, tam citò peccator homo reſurgat ad pœnitentiam, quàm citò Deus etiam definitam velit mutare ſententiam.* Et ibid. Serm. 109. *Pœnitentia in Deo dicitur mutatio ſententiæ.* Et paucis interiectis. *Mutatus eſt reus, mutauit Iudex ſententiam.* Negatur ſequela, ex dicendis quippe *infrà q.* 2. Dei, ad creaturam nulla extat realis relatio, propter ſuam infinitatem, cui nulla poteſt fieri additio, vt tradit Scot. 1. *d.* 30. *q.* 2. ad finem. Ad Ambr. dico ipſum loqui de creatis, non autem de diuinis, in quæ nulla poteſt cadere mutatio. Ad Aug. dico exponendum de mutatione non in Deo, ſed in peccatore, & non in cauſa, ſed in effectu, atque ira, dolor, & cæteræ paſſiones dicuntur de Deo non propriè, ſed ſimilitudinariè, vt bene interpretatur Lyr. *in c.* 6. *Geneſeos.* Vel vt alij inquiunt penes effectum, non verò penes affectum perhibentur dè Deo.

9. Opp. 2. cauſa, quæ poteſt agere, & non agit, propter aliquod motiuum non agit: expectat namque opportunitatem agendi: Deus autem non creauit Mundum ab æterno, ſed in tempore, vt monſtrabitur in ſequenti art. Nulla autem ratio afferri poteſt, cur potiùs in tempore Mundum creauit, quàm ab æterno: ergo magis videtur ipſum non potuiſſe creare. Reſp. in cauſa libera non eſſe quærendam aliam rationem, quàm voluntatem eius liberè agentem, cuiuſmodi eſt voluntas Dei, quæ eſt omnium creatorum cauſa, authore Aug. 1. *de Gen. contra Manich. c.* 2. Aut bonitatem eiuſdem aſſertore eodem Aug. *l.* 1. *contrà Aduerſarium legis, c.* 7. Iſtorum faciendorum cauſa, ſola Dei bonitas fuit, quia neceſſitas eius nulla non fuit. Quare Mundum condidit in tempore, & non ab æterno, quia ſic voluit. Vt autem hoc magis eluceat, ſit.

ARTICVLVS II.

An Mundus ſit à Deo creatus in tempore.

10. DE origine Mundi multas, & diuerſas affert ſententias D. Aug. 11. *Ciuit. c.* 2. quas ibi exprimit Viues: & *q.* 106. *noui, & veteris teſtamenti.* Et memorat Genebrardus *l.* 1, *Chronol. pag.* 31. Inter eas autem celebrior extat opinio Ariſt. 7. *Phyſ.* 1. & 8. *eiuſdem operis, c.* 1. ac etiam 1. *Cœli, T.* 103. eiuſque diſcipulorum exiſtimantium Mundum eſſe ab æterno: quibus ſeſe opponunt omnes Doctores orthodoxi, docentes Mundum in tempore cæpiſſe, quibus prætiuerunt Plato, eiuſque aſſeclæ, teſte Bonet. 7. *Phyſ. c.* 2. poſt Aug. 10. *Ciuit. c.* 31. & 12. *eiuſdem, cap.* 14. licet Viues ibi Platonicos inter ſe diſcrepare aſtruat.

11. Not. æternum quandoque accipi pro ſæculo, & longo tempore, vt Daniel. 5. *Rex in æternum viue.* Hinc ſubdit Horat. in Epiſt. cit. ab Aug. *l.* 1 *qq ſuper Gen. q.* 31. *Seruiet æternum, qui paruo neſciet vti.* Quandoque, pro eo, quod à parte antè non habet initium, vt Michææ 5. *Egreſſus eius à diebus æternitatis.* Quandoque pro eo, quod finis eſt expers, quod dicitur æternum à parte poſt, vt 2. Petri, 3. *Ipſi gloria nūc, & in diebus æternitatis.*

12. Aſſ. 1. Mundus conditus eſt à Deo in tempore. Præſupponitur à Doct. 2. *d.* 1. *q.* 3. aliiſque ſcholaſticis, vbi perquirunt, vtrum Mundus potuerit creari ab æterno? Probatur primò, ex ſacris litteris. Gen. 1. *In principio, creauit Deus Cœlum, & terram* vbi Aug. *q.* 112. noui, & veteris teſtamenti transfert, *ab initio temporis.* Prou 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequā quidquam faceret.* Et Ioan. 17. *Clarifica me pater claritate, quam habui priuſquam Mundus fieret.* 2. ex Concilio Later. n. *c. Firmiter, de ſumma Trin. In initio temporis Deus creauit vtramque naturam, id eſt cæleſtem, & mundanam, ſiue ſpiritualem, & corpoream, ex quibus totus Mundus compactus eſt.* Tertiò, ex Patribus, Aug. 1. contrà aduerſarium legis, & Prophetarum, *cap.* 2. Vt principium ſita, ex quo eſſe cæperunt: non enim Deo coæterna ſemper fuerunt, ſed facta initium, ex quo eſſe inciperent, acceperunt. Ath. oratione contra idola, & cæteris omnibus. Hancque veritatem agnouiſſe Pythagoram, & Stoicos refert Plut. 2. *de placitis,* ac etiam Virg. 2. *Georg.*

Non alios prima creſcentis origine Mundi.
Illuxiſſe dies, aliumque habuiſſe tenorem
Crediderim.

Quartò, primi inuentores cuiuſcumque artis, & ſcientiæ narrantur floruiſſe hoc, vel illo tempore, vt conſtat apud Moyſem *l. Geneſeos,* Athan præcit. & Ioſeph. 1. *Antiquit.* Si autem Mundus non incepiſſet, nulli forent primi inuentores artium, & ſcientiarum, cum præceſſiſſent infiniti homines, in quorum numero non inueniretur primus. Inſuper, iam natura humana valdè diminuta, & exhauſta fuiſſet, vt obſeruat Aug. 15. *Ciuit. c.* 9. Addo, congruum fuit, Deum condidiſſe Mundum in tempore, vt oſtenderet ſe liberè agere ad extrà. Denique, decens fuit, creaturam creatori non eſſe coæuam, & coæternam, concluditur ergo, Mundum architectatum eſſe in tempore.

13. Aſſ. 2. Ariſtoteles expreſsè ſentit, & tradit Mundum eſſe ab æterno. Deducitur ex Scot. paſſu præalleg. & tenent cæteri ſcholaſtici, præter Vorrilong. 2. *d.* 1. aientem, hanc maculam fuiſſe philoſopho impoſitam ab Auer. Idem ſcribit Ferch. *veſtig.* 8. *num* 1. & dicit Stagir. populariter eſſe loquutum. Mens autem ipſius Philoſophi explicita eſt 7. & 8. *Phyſ.* aliiſque locis, & munita rationibus non paucis infrà adducendis. Deinde, ſenſus expreſſus alicuius Authoris conſtat, cum ex inſtituto de aliqua re diſſerit: Ariſt. autem ex profeſſo diſputat locis præmemoratis de Mundi æternitate, quam ibi affirmat, & probat multis, ergo talis extat eius mens, & ſententia, à qua non longè videntur diſtare Anaxag. & Democritus, cum ille ſtatuat chaos, ſiue materiam æternam; iſte verò athomos itidem æternas.

14. Opp. 1. contrà 1. aſſ. *Tit.* 1. litteris conſignatur, Deum pollicitum eſſe vitam æternam, ſummam felicitatem, antè tempora æterna, vt legit Aug. vel antè tempora ſæcularia, vt habet vulgata: ergo ſi tempus eſt æternum, vtique motus, & Mundus ſunt æterna. Reſp. ſecundum Lyrani interpretationem, Deum ab æterno promiſiſſe gratiam, & gloriam ſuis electis, quam poſtmodum temporibus ſtatutis ab ipſo, & ordinatis, per Verbum incarnatum communicauit, ac eis prælnit. Idcò ſubiicitur eo in loco. *Manifeſtauit autem temporibus ſuis Verbum ſuum, in prædicatione, quæ credita eſt mihi.* Vel vt inquit Aug. Contrà Priſcillianiſtas, ea vocari tempora æterna, antè quæ nullum fuit tempus, quaſi à conſtitutione Mundi.

15. Opp. 2. aut Deus potuit, & voluit fabricare Mundum ab æterno, & habetur intentum: aut voluit, & non potuit, & hoc non, cum Deus ſit omnipotens: aut potuit, & noluit, & hoc nequaquam, quia Deus foret inuidus, quod ipſi repugnat, cum ſit ſummum bonum, liberè ſe creaturis communicans. Reſp. Deum quidem potuiſſe condere Mundum ab æterno, tamen eum voluiſſe creare in tempore, tùm quia ita ſibi placuit, tùm etiam quia voluit oſtendere ſe liberè agere ad extrà, vt inſinuat Aug *l. de fide, contrà Manich. c.* 28. inquiens, *Nullam ergo neceſſitatem patitur Deus, nec neceſſitatem facit, quæ facit, ſed ſumma, & ineffabili voluntate, & poteſtate.* Et *l.* 83 *qq q.* 27. Qui quærit, quare Deus voluerit facere Mundum, cauſam quærit voluntatis Dei. Et 12. *confeſ. c.* 4. *Dei voluntas omnium eſt cauſa.*

16. Opp. 3. motus, & tempus ſunt ab æterno, ergo &

& Mundus,consequenter qu'a illa absque isto non existunt. Ant.probatur, in motu non datur primum mutatum esse,nec in tempore primum instans, cū sit mensura motus secundum prius, & posterius: proindeque ante hoc tempus præcessit aliud tempus, cum partes eius sint priores,& posteriores. Neganti ant.ad eius probationem dico Mundum creatum esse in instanti,& instantanea ex dictis suprà incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse. Sufficit ergo in creatione Mundi, cæpisse motum, & tempus, per primum sui esse, cum antea non extiterint.

Instabis, si Mundus fuit productus in instanti, cum instans sit finis præteriti, & principium futuri, sequitur, antè illud instans fuisse tempus, atque ita nullum haberi potest initium temporis. Dico, quidem Arist. asserere instans esse finem præteriti, & initium futuri, hoc autem non probat; ideò ea facilitate, qua illud asserit, refellitur. Hinc rectè subinfert Bonet. 7. *Phys.* c.3 §. *Dissolutio autem*, his verbis. Imaginatur quippè Arist.quod tempus sit quædam linea circularis successiua,quod verum non est,sed se habet ad modum lineæ semicircularis,cuius principium est vnum nunc, & finis est aliud nunc, sicut in linea semicirculari sunt duo puncta ipsum terminantia.

17. Opp.4 si semper tempus non fuit,verum est dicere, aliquando tempus non extitisse:sed aliquando denotat tempus: ergo tempus est antè tempus, atque ita nunquam cæpit tempus,sed est ab æterno. Concedo ma.distinguo min.nega iuè,concedo,positiuè nego. Vt enim ante creationem est nihil, seu negatio creaturæ; pariter antè Mundi fabricam,perhibetur esse aliquandò negatiue. Atque Bacco 2. d.1. q. 5. ait præcessisse tempus imaginarium, & ante ipsum tetigit Doct. *Quol.*11. §. *de secundo sub F.*

18. Opp. 5. Cælum est habitaculum, & palatium Dei,iuxtà illud Psal.60.*Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæculum sæculi*.Deus autem est æternus,ergo & cælum, in quo degit, alioqui non habuisset Deus vllum domicilium,in quo habitasset.Resp.Cælum appellari domicilium Dei,quia in eo videtur, & colitur a Beatis, non autem quia eo egeat ad inhabitandum, cum modò sit vbique, & antè terrarum orbis constitutionem in seipso fuerit, vt tradidi *art.*4. q.3. l.6. *Phys.*

19. Opp.6. contrà 2 ass Arist.1.*Top* c 9.& 12. scribit esse problema, num Mundus sit ab æterno? ergo Philosophus 7.& 8. *Phys. ac* 1. *Cæli* non asseritiuè, sed dubitatiuè,& opinatiuè loquitur,cum ait Mundum esse ab æterno.Conf idem Philosophus 3.*Phys.sum.*;putat se demonstrare non dari actu infinitum:si autem Mundus factus esset ab æterno,secundum ipsum,foret actu infinitum,præcessissent enim infinitæ animæ rationales, quæ per eundem videntur esse immortales,3.*anima* 6. deinde,4.*pol*.c 13.astruit, in exordio Mundi Reges extitisse,ob paucitatem gentium,ergo planè sentit Mundum cæpisse in tempore.Resp.eo in loco,& in aliis quibusdam non loqui in propria, sed in aliena sententia, scilicet Pytagoricorum, & Platonicorum:mens autem eius aperta, & manifesta est testimonis prælleg in quibus ex professo agitat illam quæstionem. Ad conf. data hypothesi, foret infinitum non actu, & categorematicum. Sed potentia, & syncategorematicum, vt fusè ostendi l.4. *Phys. quest* 5. Ad aliud *de 4. pol.* dico id protulisse in aliorum opinione. Præsertim quia ibi de Mundi origine nè verbum quidem facit,& si de eius initio verba faceret, quærendus esset proprius locus,vbi ex instituto illud pertractat, vt pater *passibus prænarratis*: ideò iure damnatur ab Vniuers. Sorb, testantibus Parisiens 8. *Phys fol.*81. q.2.

20. Quæres 1.vtrum successiuè,aut simul, Mundus, & quæ in eo continentur à Deo fuerint creata? Resp. fuisse producta simul,& in instanti.vt patet Ecclesiastici 18.*Qui viuit in æternum creauit omnia simul* Moyses autem, qui texit seriē cunctarū rerū creati, dierū sex interuallo,loquitur ad capiū populi rudis,& multitudinis imperitæ.Idipsū sentire Aug refert Oibel. 2. d 1. & patet ex eo *l.*11.*Ciuit.c.*31.vt ibi notat Viuc.. Et 4. de *Gen. ad lit.c.*33. & *l.*1.*contra. aduersarium legis*.

21. Quæres 2 Quo mense,& die Mundus fuerit conditus?Respondēt nonnulli,inter quos sunt Hebræi, et à Genebr.*l.*1.*Chronol.pag.*5.& 2. orbē fuisse fabricatū, autūnali tēpore,mense Septembri. Quod suadere potest ex illo *Gen.c* 1.*propè finem*.vbi fiunt text. meminit fructuum,quibus referta erant arb ores,quos vè conueniret homini es,ad viuendum:fructus autem autumni tempore duntaxat idonei sunt ad edendum,& vescendū Communior verò sententia est cæterorum affirmantiū Mundum esse conditum vernali tempore,mense Martio,&c, qua Christus Dominus conceptus,& mortuus est.Vnde cantat Ecclesia in 1.hymno Dominicæ ad Matutinū.

Primo dierum omnium,
Quo Mundus extat conditus;
Vel quo resurgens conditor,
Nos morte victa liberat.

Huius placiti patroni præcipui sunt Aug.4.*Trin.c.*5. & *l.*83 qq.q.56.& q.55 & 107 *noui,& veteris test.* Damase & Genebr.cit. Idque congruum fuit,vt scilicet, salus mundo tunc redderetur,quando eam accepera illud autem Gen.præallegatū, pro prior opinione non cogit aliter sentire,quandoquidē Dei perfecta sunt opera,& creauit arbores floribus,& fructibus simul onustas.

22. Quæres 3.An Mūdus sit periturus:Resp.nō esse destruendum secundum se totum, & penes præcipuas partes,vt innuit Ecclesiastes: *Didici,quod omnia opera, quæ fecit Deus,perseuerent in perpetuum.* Sed penes accidentia,quia post diem iudicij,non mouebuntur Cæli, nec erit amplius tempus,nec emittentur cælestes influxus: atque mixta præsertim animata corrumpentur.

Articvlvs III.

An Mundus condi potuerit ab æterno.

23. Dvæ circūferuntur sententiæ extremæ in hoc articulo;quarū prior est S.Bonauent.2. d.5 q.1. Ric.*ibid* a.1.q.4.Henr.*Quol.*1.q.7.& 8 & aliorū negantiū Mundi machinā potuisse creari ab æterno. Posterior est D.Th.p.q.46.a 2.Caiet.& Nazar.*ibid.* Ant.2.d.1.a.5. Dur *ibid.*Tatar.8.*Phys.q.*1.*dub.*1. Suarez.*disp.*20. *Met. sect.*6. & aliorū multorū affirmantiū non repugnare orbē terrarū potuisse fabricari ab æterno. Scotistæ verò, cū Scot.2 d.1 q.3.& *in Rep.q.*4.Nominales cū Och *eo in loco* q.8.& *Quol.*2.q.5.vtranque prælatā opinionem esse probabilē iudicant,diluentes rationes,& ab vtraque allatas partiū,quamuis in affirmantē magis inclinēt,vt ibi notant Lych.& Fab.*disp.*8.scio autē nonnullos,vt Doct. cit.id concedere de rebus permanentibus,inficiari verò de successiuis. Cæteros autē Doct.de vtrisque affirmare.

24. Not.1.non venit in dubiū,vtrum ab æterno Deo cōpetat potentia creādi omne possibile,& creabile,quã cū ipse Deus sit omnipotēs,nihilq; ei in tēpore accrescat, quia est summè perfectus,& immutabilis,planè huiusmodi potētia ab æterno ei cōuenit:sed inuestigari,num talis potentia ab æterno in actū aliquid creādi exire valeat,necne?Deinde,aliquid esse ab æterno productū bifariam posse capi,aut ab intrinseco,hoc est,quia necessariò est productū,vt Verbū Dei Patris,quo pacto nullum creabile potuit esse ab æterno: aut ab extrinseco, quia ipsi non repugnat produci,si volūtas Dei,quæ est eius omnipotentia velit ipsum producere,& communicare esse illi. Hanc distinctionem indicat Scot. nuper alleg.§ *Hic dicitur*.& explicat Suarez *vbi suprà,num.*5.

25. Not.2. vnū esse prius alio natura dupliciter posse euenire,positiuè,& priuatiuè,scribit Doct.1.d.1 q.2.§. *Resp A* & q.3.§ *Teneres autem.H.* Quod enim præcedit aliud in esse,sine cuius entitas præexistentitatē alterius perhibetur priùs natura positiuè, vt in homine animalitas prior est natura positiuè rationalitate anteceditur;animal rationale sicut genus suā differentiā,ac animal hominē

velut

veluti genus ſuam ſpeciem. At verò, quod prius alio non præexiſtit, ſed præexiſteret, niſi aliud præeſſet, dicitur prius alio natura priuatiuè, quo pacto in materia præexiſteret priuatio, niſi agens induceret, aut educeret formam ex materia, per quam ipſa materia informatur: pariter in re noſtra non eſſe, ſiue nihil præcederet eſſe creaturæ, niſi cauſa agens tribuendo illo eſſe, impediret, ne nihil præcederet eſſe ipſius creaturæ, vt ſubtiliter proſequitur Doct. cit. & recipit Suarez *num.* 11.

26. Aſſertio, Mundus a Deo creari potuit ab æterno, nedum quoad eius entia permanentia, verumetiam quoad ſucceſſiua. Placet Scot. cit. quamvis eius oppoſita non diſpliceat. Probatur 1. ex S. Aug. *6 Trin. c.* 1. alleg. a Scot. 1. *d.* 9. *q. vn.* §. *Ad q. dico ſub. A.* Si ignis, aut ſol fuiſſet ab æterno, ſplendor ab eo egrediens fuiſſet ab æterno: ſol autem eſt cauſa ſplendoris, & ſplendor eſt effectus: ergò cum Deus ſit ab æterno, potuit creare Mundum ab æterno, veluti ſi ſol extitiſſet ab æterno, potuiſſet vtique producere ſplendorem ab æterno. Hoc argumentum adducit Aug. aduerſus Arrianos negantes coæternitatē Filij Dei, cum Deo Patre, & affirmantes ipſum Dei Filium eſſe creaturam, tametſi cæteris nobiliorem, & præſtantiorem. Si enim producens, & productum in creatis, vt ignis, eiuſque ſplendor, ſol, eiuſque lux valent eſſe coæterna, vtique in diuinis Pater, & Filius ſunt coæterni, concludit Aug. alioqui huiuſmodi argumentum ſancti Doctoris foret elumbe, & imbelle, vt perperam concedit Poncius *diſp.* 50. *q.* 4. *concl. prima.* Itaque rectè arguit Aug. ſi vna creatura producta poteſt eſſe coæterna alteri creaturæ producenti, ergò Filius Dei Patri, qui eſt productus ab eo, poteſt ipſi Patri coæternus eſſe; immò eſt eidem producenti coæternus. Idque optimè exprimit idem ſanctus 3. *contrà Maximinum cap.* 30. his verbis. *Sicut ignis gignens, & ſplendor genitus coæui ſunt, ita & Deus Pater gignens, & Deus Filius genitus coæterni ſunt.* Subiungit præfatus Doctor ex Platonicis *lib.* 10. *Ciuit. cap.* 31. ſi pes fuiſſet ab æterno, veſtigium calcantis impreſſum in puluere fuiſſet ab æterno: pariter, cum Deus Pater ſit ab æterno, genuit Filium ſibi coæternum: atque potuit Mundum condere ab æterno.

Nec præſtat dicere cum Poncio præalleg. hypotheſim eſſe impoſſibilem, quandoquidem data impoſſibilitate hypotheſis, adhuc conſequentia Aug. eſt vera; vt enim aptè diſſerit Aur. *paſſu memorato,* ſi vtraque præmiſſa conditionalis propoſitio ſit falſa, & impoſſibilis, attamen conſequentia eſt vera, vt ſi equus haberet alas, volaret, categorica eius eſt vera, putà habens alas volat, vel poteſt volare: ſimiliter in re noſtra hæc categorica eſt vera. Producens habet, vel poteſt habere productum ſibi coæuum, & gignens genitum, vt acutè proſequitur Scot. *vbi ſ. vn.* Secundò cauſa naturalis, & neceſſaria aptè diſpoſita & non impedita poteſt habere effectum ſibi coæuum, vt declarat, & exemplificat Aug. *tract.* 20. inquiens. Coæua eſt autem flamma generans luci, quam generat, nec præcedit tempore flamma generans, lucem generatam, ſed ex quo incipit flamma, ex illo incipit lux. *Da mihi flammam ſine luce, & do tibi Deum Patrem ſine Filio.* Idipſum ſcribit *lib. de ſymbolo ad Catechumenos, cap.* 3. & *ſerm.* 18. *ſecundum Ioan.* Ergò & cauſa libera poteſt habere effectum ſibi coæuum, quia libertas cum denotet perfectionem, non impedit, quin effectus ſuæ cauſæ ſit coæuus. Deus autem ab omni æternitate exiſtit, habetque principium producendi ad extrà liberum, quod eſt eius voluntas, ergò ab æterno potuit producere Mundum ſibi coæternum.

Dices, cauſa neceſſariò præcedit ſuum effectum, ideóque effectus cauſæ ſuæ nequit eſſe coæuus: Deus autem ab æterno foret cauſa Mundi, propterea ipſe Mundus ei coæternus eſſe nequit. Contrà, non eſt neceſſe, cauſa præcedat effectum tempore, ſed ſufficit prioritas naturæ, quæ non tollit coæuitatem cauſæ, cum ſuo effectu, vt patet de homine, eiuſque riſibilitate, de ſole, eiuſque luce, & ſplendore. Ergò præallata inſtantia nulla eſt. Eò magis, Græci docent Deum Patrem eſſe cauſam Dei Filij, cum tamen aſtruant cum fide orthodoxa Filium eſſe coæternum Patri. Ant. oſtenſum eſt *lib.* 4. *Phyſ. q.* 5. *art.* 1.

Tertiò, non magis videtur repugnare, Mundum poſſe fieri æternum à parte poſt, quam à parte ante, cum vtrubique æqua ſit ratio: ſed à parte poſt Mundus poteſt eſſe æternus, nemine inficiante, ergò potuit eſſe æternus à parte antè.

Quartò, nulla extitiſſet contradictio, ergò id fuit poſſibile Ant. probatur, aut enim fuiſſet repugnantia ex parte Dei, aut ex parte creaturæ: ex neutro autem capite fuiſſet contradictio, & quidem non ex parte Dei, qui ab æterno fruitur omnipotentia: nec ex parte Mundi, qui fuit producibilis tam in tempore, quàm ab æterno. Correlatiua quippè ſunt ſimul natura, *cap. de ad aliquid.* Si ergò Deus ab æterno eſt Mundi productiuus, vtique ab æterno ipſe Mundus eſt producibilis, & creabilis. Denique, ſi extitiſſet aliqua contradictio, quin Deus ab æterno non potuiſſet condere Mundum, ab aliquo Philoſopho iam fuiſſet adinuenta: nemo autem Philoſophorum adhuc vllam excogitauit contradictionem de æternitate Mundi: immò Ariſtoteles Philoſophorum princeps eniaè ſubſtinet, & ſtrenuè decertat pro parte affirmatiua, vt palam feci *in antecedente art.* Hoc autem argumentum pluris facit Ioannes Maior, præcit. ad corroborandam noſtram præpoſitam aſſertionem: & decerpitur ex Auguſtino 11. & 12. *Ciuit.* adducto à D. Th. *opuſc.* 27. *de æternitate Mundi.* Reſtaret nunc ſigillatim agendum de permanentibus, & ſucceſſiuis: verum quoniam præadductæ rationes probant permanentia potuiſſe effici ab æterno: & de ſucceſſiuis de facto videntur ſuadere argumenta præallata oppoſitionum *in ſuperiori art.* quæ ſi probant de facto, potiori iuri de poſſibili. Statuitur autem ab Ariſtotele 8. *Phyſ.* aliiſque in locis motus ab æterno, qui eſt ſucceſſiuus, ergò & tempus, quod eſt ſucceſſiuum, eiuſque menſura, proindéque nulla cernitur repugnantia, quin ſucceſſiua potuerint ab æterno fieri, & exiſtere.

27. Opp. 1. multa ſanctorum Patrum teſtimonia, inprimis Ambr. 1. Exam. *cap.* 3. *Quid tam inconueniens, quam æternitas operis coniungatur æternitati Dei.* Damaſc. 1. fidei, *cap.* 9. *Non eſt aptum natum, quod ex non ente deducitur coæternum eſſe ei, quod ſine principio & ſemper eſt.* Baſil. *hom.* 1. *Exam.* Id indicat eſſe blaſphemum. Hoc ipſum indicant Aug. 12. *Ciuit.* & Hugo Vict. 1. *de ſacram. cap.* 1 u. Fundamentum eorum præcipuum eſt, quia diſputabant contrà Arrianos ſuſpicantes Filium Dei eſſe creaturam, eſſeque Deo Patri coæternum: ſic autem arguebant, creatura non eſt coæterna creatori, Filius Dei eſt coæternus Deo Patri, ergò non eſt creatura. Min. concedebatur ab Arr. Ma. probabatur à dictis patribus, creatura eſt in tempore, vt liquet ex ſacra pagina, & palam feci, *art.* 2. *huius quaſt.* Reſpondeo præallegatas dictorum Patrum authoritates bifariàm exponi poſſe, primò, loqui de facto, non autem de poſſibili de quo eſt lis: ſecundò poſſe explicari de coæternitate à ſe, & independente, quo pacto abſurdum eſt exiſtimare, creaturam potuiſſe fieri ab æterno independenter à Deo, Sic enim ſolus Deus eſt æternus à ſe, & independens. Quapropter data hypotheſi, quod Mundus fuiſſet

conditus ab æterno, tamen non fuisset à se, sed dependenter à Deo. Fundamentum autem Patrum positum est in eo, quod cum Filius Dei sit genitus ab æterno à Patre, eique coæternus, & omnis creatura sit in tempore, planè infertur Filium Dei non esse creaturam, vt putabant Ariani. Itaque illi Patres de facto sermonem habebant, non verò de possibili, de quo extat contentio.

28. Opp. 2. creatio est transitus de non esse ad esse, cum sit productio rei ex nihilo: nihil autem præcedit esse creaturæ. Ergò nulla creatura potuit creari ab æterno. Siquidem non esse præcessisset esse: id autem æternum non est à parte antè, quo datur aliud prius, quod ipsum antecedit. Conf. si aliquid annihilaretur, esse eius præiret nihil, ergò pariter si aliquid conditum fuisset ab æterno, nihil antecederet esse eius, proindéque æternum non extitisset. Concedo majorem, distinguo minorem positiuè nego, negatiuè concedo, vt manet explicatum in secunda notitia. Ad conf. neganda est paritas, quia annihilatio præsupponit esse rei positiuè, cùm sit transitus de esse ad non esse: at verò creatio solùm præexigit nihil, quod est negatio entis realis positiui; ideò sufficit vt sit prius negatiuè, quod non impedit, quin potuerit res creata gaudere æternitate.

29. Opp. 3. si mundus produci potuit ab æterno, aut cæpisset esse, aut non cæpisset esse: neutrum autem esse potuit: ergò non potuit esse ab æterno. Ma. nota est. Min. ostenditur, si cæpisset esse, non fuisset æternus, quia quod cæpit esse, est in tempore; quod si non cæpisset esse, non fuisset creatus, quod enim creatur, incipit esse, atqueadeo est in tempore. Respondeo data hypothesi, Mundus accepisset esse ab æterno, siquidem, inter cæpisse, & non cæpisse, extat accepisse esse ab æterno. Nihil autem præcessisset non positiuè, sed negatiuè, eo modo, quo dictum est suprà.

30. Opp. 4. ex 3. *Phys. Tit.* 32. & 9. *Metaphys. Tit.* 17. in perpetuis non differt esse à posse: Mundus autem ex dictis est perpetuus, ergò si potuit esse ab æterno, extitit ab æterno, si posse coincidit cum eius esse. Respondeo secundum Scot. in expeditione illius tex. cit. Met. & land. 3. *Phys. quæst.* 9. illud elogium valere, penès esse, & posse simpliciter, & substantiale: non autem penès esse, & posse secundum quid, & accidentale, vt sol potest illuminare omne illuminabile, tametsi non sit omne illuminabile: itemque Luna potest eclypsari, non tamen semper eclypsatur. Deinceps, paries potest recipere albedinem, licèt non sit albedo. Vel melius & aptius ad rem nostram, in æternis, cuiusmodi est solus Deus, & ea, quæ in ipso sunt, idem est esse, & posse ad intrà, concedo: ad extrà, nego: sic idem est in diuinis posse generare, & generare, posse spirare, & spirare: at verò non idem sunt posse creare, & creare. Etenim Deus potuit creare res ab æterno, non tamen eas creauit ab æterno, sed in tempore. Ratio redditur, quia potentia generandi ad intra: potentia verò creandi ad extra respicit producibilia, & creabilia.

31. Opp. 5. si Mũdus potuit fieri ab æterno, non repugnat actu infinitus numerus animarum rationalium. Itemque non repugnat infinita actu rerum productio, & existentia, necnon infiniti anni, menses, dies, horæ, atque alia infinita actualia, quæ, & consimilia videntur absona, & absurda, & contradictoria, igitur non fuit possibilis Mundus ab æterno. Negandæ sunt præfatæ sequelæ allatæ, & consimiles afferendæ. Etsi namque fuissent infinita in potentia, non tamen in actu. Ratio est, quia ex dictis suprà quæstione de infinito, infinitum actu est, cui nulla potest fieri additio, at numero animarum rationalium dato: & cæterarum rerum, posset aliquid addi, hoc est, potuissent creari aliæ res, cum potentia Dei infinita, & inexhausta sit. Ista responsio deducitur, ex Scot. 2. *Met.* q. 6. §. *Ad rationes.* Quam amplectitur Trombet. *Tract. de pluralitate animarum*, tametsi Bass. contrariam sequatur 4. d. 45. q. 2. & indicet Aug. 12. *Ciuit. c.* 20.

QVÆSTIO II.

De creatione Mundi.

1. SCHOLASTICORVM chorus, nuncupatim Scot. 4. *Rep. d.* 13. q. 1. Mayr. 2. *d.* 1. q. 3 Aut. Och. Gabriel. *ibid.* q. 1. & Gadi. *Quol.* 11. scindit creationem in actiuam, & passiuam, de qua in præsenti acturi sumus.

ARTICVLVS I.

Quid sit Creatio.

2. DAri creationem, constat ex dictis, & ostensis, *art.* 1. *superioris quæstionis*, vbi asserui Deum potuisse orbem creare, ipsumque de facto creasse. Quod autem creatum est, creatione est creatum, veluti, quod productum, & generatum est, productione, & generatione est productum, & generatum. Quare conceditur creatio, quæ à D. Aug. 12. *Ciuit. cap.* 2. & Damasc. 2. *fidei*, *cap.* 8. definitur productio rei, ex nihilo: & hæc definitio, quæ creationi propriè sumptæ adaptatur, ab omnibus scholasticis recipitur, nominatim Scot. 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. §. *Respondeo. ante A.* & 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta PP.* & *in Rep. ibid.* Non modica autem lis extat inter Doctores, num creatio soli substantiæ, an verò etiam accidenti accommodetur. Etenim D. Thom. 1. 4. *part.* q. 45. *art.* 1. eiusque discipuli tuentur rei tantum subsistenti, quæ est substantia competere. Scot. verò 2. *dist.* 34. § *ista qq. A.* & 4. q. 1. §. *Ideò dici potest. L.L.* & 1. *d.* 17. q. 3. §. 6. *propter tertiam, Sub Y.* eiusque asseclæ docent nedum creationem fundi ad substantiam, verum etiam ad accidens, materiæ expers, & spirituale.

3. Not. quasdam esse formas, quæ in esse, & in fieri pendent à materia, cuiusmodi sunt formæ materiales, siue substantiales, vt forma lapidis, siue accidentales, vt lumen solis: quasdam verò è regione, nec in esse, nec in fieri à materia pendere, veluti est anima rationalis, quæ licèt sit in materia, putà in corpore, tamen ab eo, post mortem hominis separatur, & per se existit, & subsistit. Hæc distinctio indicatur ab Arist. 2. *Phys. T.* 18. docente quasdam esse formas à materia abstrahibiles, alias verò inabstrahibiles. Deindè, prætermittenda non est diuisio formarum, in naturales, quæ virtute agentis naturalis producuntur, quævè educi de potentia materiæ perhibentur: & in supernaturales, quæ ab agente supernaturali, nempè Deo conduntur, vt gratia, & cætera dona supernaturalia, de quibus nunc lis viget, nùm sub creatione comprehendantur.

4. Ass. creatio, tàm substantiæ, quàm accidenti, à Deo immediatè producto conuenit. Assertio est bipartita, quam tuetur Doct. locis præallegatis. Prima pars constat ex præcedente q. a. 1. in quo probaui Deum creasse materiam primam, Angelum, & animam rationalem, & reliqua, quæ propriè

priè ſunt ſubſtantiæ. Eſt enim Deus agens independens, ergò poteſt abſque vllo præiacente ſubiecto agere, quod eſt creare. Secunda pars ſuadetur primò, quod immediatè producitur à Deo creatur: quædam autem accidentia immediatè producuntur à Deo, ergò creantur. Ma. patet, creare perindè eſt ac agere ſine vllo medio, & præſuppoſito ſubiecto. Min. probatur, ex Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Eſſeque cõmune proloquium Theologorum gratiam creari, etiam fatentur Aduerſarij, teſte Fabro 4. *diſp.* 2. *c.* 3. Et deducitur ex D. Paulo, *Eph.* 2. vocante gratiam, creaturam. Eſt enim donum ſupernaturale, à ſolo Deo productum, ergò propriè creatur. Secundò, eius eſt creatio, cuius eſt annihilatio, veluti eius eſt generatio, cuius eſt corruptio: gratia autem per peccatum in homine non corrumpitur, quia corruptio eſt mutatio vnius formæ, ad aliam formam, iuxtà illud axioma, corruptio vnius eſt generatio alterius. Cum autem deperditur gratia, nihil de nouo generatur, ergò gratia non corrumpitur, ſed annihilatur. Nec migrat de vno, ad aliud ſubiectum, nemine negante: nec ad eius efficientiam concurrit vlla creatura, cùm intrà ſphæram ſuæ actiuitatis non contineatur; eſt enim participatio diuini eſſe, ergò creatio eam attingit, proindéque accidens, præſertim abſolutum, quod à ſubiecto realiter ſeiungi poteſt, in creationem cadit.

5. Opp. 1. accidentis eſſe eſt ineſſe, 7. *Met. T.* 3. Si autem aliquod accidens crearetur, participaret proprium eſſe, ergò nullum accidens poteſt creari. Reſpondeo Ariſtotelem ibi docere accidentium naturalium cauſam eſſe ſubſtantiam, interprete Scot. non verò loqui de accidentibus ſupernaturalibus, quæ ipſe non nouit.

6. Opp. 2. creatio eſt rerum ſubſiſtentium: nullum autem accidens per ſe ſubſiſtit: id enim proprium eſt ſubſtantiæ, ergò nullum accidens creatur. Neganda eſt ma. ſufficit enim, vt ſint entia ſimpliciter, & abſolutè, & ſaltem vi diuina per ſe exiſtere queant, vt fit in accidentibus ſacroſanctæ Euchariſtiæ.

Articvlvs II.

An creatio actio ſit ens reale.

7. AVreolus 2. *d.* 1. *q.* 2. Och. *ibid. q.* 1. Gabriel *concl.* 4. & cæteri Nominales arbitrantur creationem actionem eſſe ens reale. Scot. autem 4. *d.* 13. *q.* 1. *antè* §. *de ſecundo.* Faber 2. *diſp.* 3. *cap.* 2. Mayr. *quaſt.* 3. Gad. *quol.* 12. & alij, inter quos ſunt S. Th. eiuſque ſequaces exiſtimant creationem actionem eſſe relationem rationis.

8. Not. 1. quædam conuenire Deo ab æterno, vt ſapientia, infinitas, & reliqua tam eſſentialia, quàm notionalia: quædam verò in tempore, vt eſſe creatorem, gubernatorem, & dominum. Huiuſmodi autem dicuntur de Deo, non quia aliquid reale de nouo ipſi Deo adueniat, ſed quia ſic foret mutabilis, ſed propter nouam terminationem, ad creaturam in tempora conditam, & nouiter creatam. Idque illuſtrari poteſt exemplo de opere, quod appellatur humanum, non quia in eo ſit aliquid humanitatis, ſed quia tale opus ab homine factum eſt, potentiaque hominis factiua ad illud opus terminata eſt.

9. Not. 2. creationem actionem bifariàm vſurpari. Vno modo formaliter, hoc eſt, pro relatione rationis fundata in voluntate diuina, eiuſque actu volendi, & terminata ad creaturam. Altero modo fundamentaliter, videlicet pro diuina voluntate, eiuſque actu volendi, quo creaturam producit. Pariter, creatio paſſio dupliciter capitur, formaliter, pro dependentia, ſiue relatione reali creaturæ, ad creatorem: & fundamentaliter, ſiue pro eſſentia, & natura creaturæ, à Deo creatore producta, & creata.

10. Aſſ. creatio actio formaliter eſt relatio rationis: fundamentaliter verò eſt ens reale. Aſſertio eſt bimembris, quam tuetur Doct. vbi ſuprà. Prima pars probatur primò, omne ens aut eſt reale, aut rationis, vt præ aliis notat Vallo *tract. form. fol.* 14. & 78. Creatio autem actio non eſt ens reale, quia cum Deo competat vel eſſet eius eſſentia, vel eius relationes originis, & cùm hæc ſint æterna, ipſi conueniret creatio actio ab æterno, quod veritati contradicit oſtenſæ in 1. art. antecedentis quæſt. Ergò creatio actio formaliter eſt ens rationis. 2. Independens, & dependens, infinitum, & finitum, ſic referuntur, vt finitum, & dependens reali relatione reſpiciat infinitum, & independens, at verò independens, & infinitum ſpectat illud relatione rationis, vt acutè, & perſpicuè oſtendit Doct. 1. *d.* 30. *q.* 2. §. *Ad argumenta* 2. *q. Q.* Tertiò, ſi creatori non accederet relatio rationis, procul dubio ei adueniret relatio realis, hæcque cùm ſit in tempore, ipſe creator haberet aliquid reale de nouo, quod anteà non habebat, atque ita in ipſummet creatorem caderet mutatio, quod falſum & abſonum eſt: potiùs ergò videtur eſſe ſtatuenda relatio rationis. Secunda pars eſt in confeſſo, ſiquidem creatio actio materialiter, & fundamentaliter capta, *ex* 2. *not.* nihil aliud ſibi vult, quam voluntatem diuinam, ſiue actum eius volendi, quem eſſe ens reale, nemo ambigit: ſic ergò ſumpta creatio actio eſt ens reale.

11. Opp. 1. quod verè, & realiter denominatur per aliud, ſecluſo quovis opere intellectus, illud aliud eſt ens reale: Deus autē verè, & realiter denominatur per creationem actiuam, creans, & creatur, circumſcripto omni opere intellectus, ergò creatio actiua eſt ens reale. Diſtinguo ma. quod realiter denominatur denominatione intrinſeca, concedo: denominatione extrinſeca, nego: ad diſtinctionem ma. diſtinguo min. Deus per creationem actiuam denominatur denominatione intrinſeca, nego: denominatione extrinſeca, concedo. Deus quippè non denominatur formaliter creans, per creationem in ipſo exiſtentem, ſed per creationem ad creaturam terminatam, veluti ſcamnum dicitur humanum, propterea quod operatio hominis ad ipſum ſcamnum terminata eſt, vt patet *ex* 1. *not.*

Inſtabis, ſi Deus perhibetur creator, quià terminat relationem creaturæ, ergò creatio actiua non eſt relatio rationis. Neganda eſt conſeq. ſi fiat ſermo de creatione formaliter ſumpta, de qua lis eſt in præſentia: ſecus verò ſi diſſeratur de creatione fundamentaliter accepta, vt planum feci *in* 2. *not.*

12. Opp. 2. generans, & genitum in diuinis etiam mutua relatione referuntur, ergo quoque creator, & creatura viciſſim relatione reali ſe reſpiciunt, proindéque creatio actiua eſt relatio realis, veluti creatio paſſiua. Neganda eſt paritas, quandoquidem, præfatæ relationes originis ſunt diuinarum perſonarum conſtitutiuæ: relationes verò creatoris, & creaturæ ſunt aduentitiæ: Deo autem quidpiam reale de nouo accedere nequit, cùm ſit immutabilis, & infinitus, proptereà creatoris ad creaturam non extat relatio realis, benè verò genitoris ad genitum, & ſpiratoris ad ſpiratum.

Articvlvs III.

An creatio sit mutatio.

13. NOnnulli, inter quos est Doctor Seraphicus 1. *d.*1.*art.*3.*q.*1. arbitrantur creationem esse mutationem. Scot. autem 2. *dist.* 1.*quæst.*5.§. *Secundum primum* 5. *ad* 5. & 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 3. Mayr. 2. *d.* 1. *q.*2. Faber *ibid. disp.* 3. *cap.* 2. & alij scholastici tradunt creationem non esse proprie mutationem.

14. Not. ex Scot. *in* 2. *passu alleg.* mutationem duobus modis posse vsurpari, primò latè, & impropriè, pro quauis noua acquisitione rei, siue substantialis, siue accidentalis, quo in sensu productio cuiuscumque rei dici potest mutatio. Quò fortassis respiciens Arist. 5. *Phys.* 7. inquit, quadrifariàm aliquid posse mutari, aut ex non subiecto, in subiectum, aut ex subiecto, in non subiectum, prior est generatio, posterior est corruptio: aut ex subiecto, in subiectum, vt alteratio, aut ex non subiecto in non subiectum, & hæc combinatio reuera non est mutatio, cum eius termini nec contrariè, nec contradictoriè opponantur. Secundò pressè, & propriè pro noua actuatione formæ, quam subiectum recipit, quare aliter se habet nunc, quam prius, 6. *Phys.* 32.*&* 74. Quo pacto, mutatio semper exigit subiectum, siue transeat ab vna forma, ad aliam formam, siue à priuatione, ad formam.

15. Ass. creatio non est propriè mutatio. Fauet Scot. præcit. Probatur 1. ex D. Greg. 5. *Mor. ad medium, & finem.* Mutatio est progressio ex vno, in aliud, hoc est, Rich. interprete ex vno extremo reali, ad aliud reale extremum: creatio autem non participat duo extrema realia, cum eius terminus à quo sit nihil, ergò creatio propriè non est mutatio. Secundò mutatio pressè sumpta, ex notatis suprà est, qua aliquid aliter se habet nunc, quàm prius, per alicuius formæ receptionem: creatione autem res non se habet aliter nunc, quàm prius, cum anteà res non extiterit, sed per ipsam creationem acceperit esse. Deindè mutatio exposcit subiectum, in quo fit: creatio verò excludit subiectum, cum ex dictis definiatur productio ex nihilo, hoc est, nullo præsupposito subiecto. Ergò creatio non est propriè mutatio. Insuper, creatio sub nulla specie mutationis continetur, vt patet inductione. Non enim est generatio, nec corruptio, nec alteratio, nec mutatio localis, de quibus in postprædicamentis, & 5. *Phys. T.* 7. *& indè*, & mentionem feci *suprà in not.*

16. Opponès 1. D. Aug. 12. *Ciuit. cap.* 1. scribit, quæ ex nihilo facta sunt mutabilia sunt. Subdit verò S. Damas. 2: *fidei cap.* 3. creabilia esse vertibilia: ergò si creata versioni, & mutationi subiiciuntur, vtique creatio est versio, & mutatio. Respondeo has, & consimiles authoritates accipiendas esse de mutatione amplè sumpta, non autem de mutatione angustè capta.

17. Opponès 2. non fit transitus de contradictorio, in contradictorium absque mutatione, vt constat de pariete, qui ex non albo, fit albus per mutationem, seu receptionem albedinis: creatura autem per creationem transit à non esse, ad esse: ergò creatio est mutatio. Respondet Doct. 1. *dist.* 39. §. *Ad* 1. *arg.* 3. *q.* id valere successiuè, & non simul. Oportet enim parietem prius esse expertem albedinis, deindè ea esse ornatum. Cum autem creatura nullo modo existat, antequam creetur, ideò creatio eius non est mutatio.

18. Opponès 3. mutatio est, qua res aliter se habet nunc, quàm prius, ex dictis supra: creatione autem creatura aliter se habet nunc, quàm prius. Siquidem antea non erat, nunc verò est: ergò creatio est mutatio. Respondeo definitionem mutationis intelligendam esse præsupposita rei existentia, res quippe, quæ mutationi est obnoxia est subiecta formæ receptæ, vel recipiendæ, eiusque priuationi, propterea notaui suprà mutationem strictè captam postulare subiectum existens, in quo fiat. Cum verò creatio sit productio ex nullo præsupposito subiecto; idcircò propriè non est mutatio.

Articvlvs IV.

An creatio sit actio transiens.

19. BAnnez 1. *p. quæst.* 45. *art.* 3. *dub.* 1. & alij ab ipso relati defendunt creationem formaliter sumptam esse actionem immanentem. Aur. autem 2. *distinctione* 1. *quæst.* 2. *art.* 1. Greg. *ibidem quæst.* 6. Ocb. 1. *dist.* 43. *quæst.* 2. & Conimb. 8. *Phys. cap.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. astruunt creationem esse actionem transeuntem. Quid autem secundum Scot & veritatem in præsentia dicendum sit, per subsequentia aperiemus, & decernemus.

20. Not. creationem non esse propriè actionem. Siquidem actio ex Auctore sex principiorum *cap.* 2. definitur, secundum quam in id, quod subiicitur, agere dicimur. Et ex Scot. 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. §. *Ad huius autem sub H.* Actio est relatio extrinsecùs aduenìens transmutantis ad transmutatum; creatio autem, cum nullum præsupponat subiectum, haud censenda est propriè actio, quæ subiectum, in quod agens agit, præsupponit. Quare, si creatio non est verè actio, vtique nec actio immanens, nec transiens, vt patet ex illo canone à nobis tradito, & explicito *in Epit. lib.* 3. *quæst.* 3. *art.* 3. à quo remouetur genus, remouetur quoque species. Vocatur verò actio latè sumpta, & pariter passio, respectu rei creatæ. Rursus, reuocanda est in memoriam duplex acceptio actionis allata, & explanata *in* 2. *art. huius quæst.* Fundamentaliter scilicet pro actu diuinæ voluntatis, & formaliter pro relatione rationis Dei creantis, ad creaturam. His suppositis, aliisque supponendis, *ex l. de actione, & reactione.*

21. Assertio, actio fundamentaliter accepta est actio immanens: formaliter verò sumpta est actio transiens. Deducitur ex Scot. *vbi suprà.* 1. pars patet, quia sic accepta est actus diuinæ voluntatis, qui est ab æterno realiter cum ipso Deo identificatus. Deindè, actio immanens non habet terminum, sed ipsa est terminus productionis, 9. *Met. Text.* 16. *vbi Arist.* operationes immanentes appellat terminos potentiarum: creatio autem actio fundamentaliter capta non habet terminum, ergò creatio fundamentaliter sumpta est actio immanens. Secunda pars suadetur primò, actio transiens est, quæ respicit productum, extrà agens, à quo emanat, vt nomen eius indicat: creatio autem actio respicit creaturam, quæ est extrà Deum creantem: ergò est actio transiens. Primò, quæ sunt in tempore, perhibentur actiones ad extra, vt communiter tradunt Scholastici, distinguentes opera Dei ad intra, & ad extra: creatio autem est in tempore, & respicit opus ad extrà: ergò est actio transiens.

22. Opponès 1. creatio actio est volitio Dei: Deus quippè per actum suæ voluntatis creat quæcumque vult creare. Ideò D. Paulus *Eph.* 1. scribit, Deum omnia facere secundum beneplacitum voluntatis suæ: volitio autem Dei est immanens, ergò & creatio actio est immanens. Cócedo ma. distinguo min. volitio Dei est actio immanens, quatenus respi-

cit ea, quæ ſunt ad intrà, concedo; qoatenus verò reſpicit ea, quæ ſunt ad extra, nego: vel dicito argumentum concludere de ereatione fundamentaliter capta: non autem de creatione formaliter ſumpta.

23. Oppones 2. ſi creatio foret actio tranſiens, eſſet in ereatura. Tranſiret namque à Deo, in ipſam creaturam: ereatio autem non eſt in creatuta, alioqui ereatuta crearet, ergo ereario non eſt actio tranſiens. Reſpondeo negando ſequelam maioris: ſiquidem ſolùm creatio paſſio ſubiectatur in ereatora. Præſertim ſecundum Scot. opinantem actionem in eſſe agente.

ARTICVLVS V.

An creatio diſtinguatur à re creata.

24. NOn eſt difficultas de ereatione actione, cum enim hæe ex dictis fundamentalitet ſit actus dioinæ voluntatis, & formaliter relatio ratioois, proculdubio diſſidet à re creata, ſed de ereatione paſſione, quæ eſt relatio realis dependentiæ creaturæ, ad ereatorem. Nonnulli enim vt Aut. 2. *d.* 1. *art.* 1. defendunt creationem eſſe quid medium inter Deum, & creaturam, veluti via mediat inter duo extrema, quæ eam elaudunt. Thomiſ. 1. *part. q.* 45. *art.* 3. inter creationem, & creaturam ſtatuunt diſtinctionem realem. Scot. autem 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. §. *Ad q. iſtam. M.* S. Bon. *ibidem art.* 3. *quæſt.* 2. Ric. *art.* 1. *quæſt.* 4. & alij permulti docent ereationem paſſionem realiter idemtificati cum creatura, formalitet verò abinuicem diſcriminari.

25. Not. 1. ex Scot. 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. §. *Ad* 1. *arg. princip. D.* cauſam agere immediatè iu paſſum, non agere media aliqua forma abſoluta, vel relatiua, ſed principio, & virtute ſibi inexiſtente: ideò ad abſolutum in cauſa, ſequitur immediatè abſolutum in effectu, cætera verò ad ipſa conſequnntur, putà relatio cauſæ ad effectum, & è cunttà. Hinc, creatio non eſt quid medium inter Deum, & creaturam., quo ſcilicet ereatura à Deo creatur, quandoquidem cum ſit relatio. non præcedit, ſed ſubſeqoitur eam, cum ex poſitione extremorum conſurgat.

26. Not. 2. ex eodem Doct. cit. *quæſt.* 4. §. *Ad illam primam quæſt. Q.* creationem præſeferre plures relationes, vnam quidem ad Deum ereantem & cauſantem, & hæc realiter cum re ereata idemtificatur: alteram verò ad non eſſe præcedens, hæcque eſt duplex, vel ad non eſſe præcedens immediatè eſſe ereaturæ aliqua duratione, & hæc relatio diſtinguitur realiter à re creata, cum deſinat, ereatura in ſuo eſſe perſiſtente: vel ad non eſſe præcedens mediatè, indiſtinctè, & indifferenter, & iſta relatio manet, manente creatuta, proindéque illi realiter eſt idem.

27. Aſſertio 1. ereatio paſſio non mediat inter creatorem, & creaturam Deducitur ex Scot. *in* 2. *præalleg. q.* 2. *D.* Probatur primò, omne quod eſt, vel eſt à ſe, vel ab alio: ereatio autem paſſio non eſt à ſe, quia ſic eſt ſolus Deus, ergò eſt ab alio, atque ità non mediat inter ereatorem, & ereaturam. Secundò, ſi creatio paſſio foret quid interceptum inter Deum, & creaturam, aut eſſet quid æternum, aut temporaneum: neutrum autem eſſe valet: ergò non mediat inter illa. Ma. patet, min eſt in promptu, nihil quippè præter Deum eſt æternum, nihilque temporaneum extat, niſi ſit creatum. Accedit Concilium Senonenſe ſanciens Ideas non mediare inter Deum, & ideata, & excludens prorſus medium inter creaturam, & creatricem eſſentiam.

28. Aſſertio 2. creatio paſſio non diſtinguitur realiter à re creata: ſed formaliter duntaxat. Aſſertio eſt bimembris, quam tuetur Doct. *vbi ſuprà, quæſt.* 4. §. *Ad quæſt. iſtam. M.* prima pars probatur, quæ ad inuicem ſunt indiuiſibilia, & inſeparabilia, quacumque virtute, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali, (præter ea, inter quæ extat dependentia eſſentialis, veluti totum, & partes eius) realiter non diſtinguuntur: creatio autem paſſio, & res creata ſunt huiuſmodi, ergò inter hæc non extat diſtinctio realis. Ma. præterquamquod alibi eſt explanata, & probata, ſuaderi quoque poteſt ab oppoſito: quæ enim ſunt diuiſibilia, & ſeparabilia inter ſe, realitet differunt, vt liquet de materia, & forma, de loco, & locato, de Petro, & Paulo, & huiuſmodi: è regione igitur indiuiſibilia, & inſeparabilia haud realiter ſecernuntur. Min. prob. creatio paſſio eſt relatio dependentiæ ereaturæ ad creatorem: fieri autem neqoit vt ereatura ſit abſque illa dependentia, cum ſit formaliter ens dependens, & Deus independens. Ampliùs, illa, quorum vnum poteſt exiſtere, altero non exiſtente, realiter diſſident: idem quippè, ſimul non poteſt exiſtere, & non exiſtere, eſſe & nun eſſe. Id namque opponitur primo principio, atque tuta eſt via arguendi, per contradictionem, vt videre licet 7. *Top. cap.* 8. *& indè*. Econtrà verò, quorum vnum, abſque alio exiſtere nequit, realiter non differunt: creatio paſſio eſſe non valet, ſine re creata, & è contrario, cum illa ſit eſſentialiter dependentia eius, hæc verò dependens, igitur realitet non diſtinguuntur.

Secunda pars probatur 1. authoritate D. Aug. 7. *Trin.* 2. omne, quod relatiuè dicitur, eſt aliquid, excepta relatione: ergò cum creatura referatur ad Deum, planè infertur creaturæ eſſentiam, & ſubſtantiam formaliter differre à relatione, qua refertur ad creatorem. Secundò, abſolutum ſaltem formaliter diſſidet à relatiuo, quia illud eſt ad ſe, iſtud verò ad aliud, annuente eodem Aug. *in initio lib.* 5. *eiuſdem operis cit.* eſſentia autem creaturæ eſt entitas abſoluta, maximè ſi fuerit ſubſtantialis, & creatio paſſio eſt entitas relatiua, ergò formaliter differunt. Tertiò, diſtincta definitio, ſiue deſcriptio indicat diſtinctam formalitatem, cum definitio ſit oratio explicans naturam, & formalitatem rei: creationis autem paſſiuæ altera eſt definitio à definitione creaturæ, quia illa eſt formaliter ens relatiuum, iſta verò ens abſolutum, ergò inter hæc cadit diſtinctio formalis.

29. Oppones 1. contra 1. aſſertionem inter generantem, & genitum adeſt medium, putà generatio, vt tradit Ariſt. 2. *Phyſ. Textu.* 14 *&* 3. *eiuſdem operis, T.* 21. *&* 5. *Textu.* 3. *& alibi*: ergò inter creantem & creaturam mediat creatio. Paritas deducitur, ſiquidem, ſicut generans per generationem generat, ita creans per creationem creat: illa autem ſtatuitur medium & via inter generantem, & genitum, ergò & iſta inter creantem, & creaturam. Conf. 1. quo, & quod inter ſe differunt, negante nemine, & conſtat apertè, nam generatio eſt quo genitum generatur, & genitum eſt, quod generatur. Itémque: actio eſt quo agens agit, & effectus per eam productus, eſt quod agitur: pariter creatio eſt quo creatura creatur, & creatura eſt quod creatur. Conf. 2. quod tranſit diſtinguitur ab eo, quod permanet, vt liquet de priuatione, forma, & materia, necnon de motu, & mobili. Etenim perſiſtente materia, accedit modò priuatio, modò verò forma: & permanente mobili, nunc motus in eo, nunc verò quies ineſt. Creatio autem tranſit, re creata, & creatura remanet poſt creationem: ergò hæc mediat inter eam, & creatorem. Neganda eſt paritas, quia in generatione ſemper aliquid præexigitur, & præſupponitur, vt in diuinis eſſen-

tia, & in creatis materia: verùm in creatione nihil præsupponitur, cùm sit productio ex nihilo, solusque eius terminus attingatur, vt egregiè prosequitur Doct. Seraphicus passu alleg. Ad 2. conf. idem est dicendum. Ad 2. satisfit per duplicem acceptionem creationis allatam *in* 2. *not.* Si enim accipiatur creatio pro respectu creaturæ ad non esse præcedens eius immediatè, sic re creata, transit, desinitque creatio, veluti acquisito termino, cessat motus: quod si sumatur pro respectu creaturæ ad non esse præcedens mediatè, hæc manet, manente creatura.

30. Opp. 2. contra 2. ass. Aug. 5. *Trin. cap.* 5. scribit, in rebus creatis, quod non secundum substantiam dicitur, necesse est, dicatur secundum accidens: ergò cùm relatio creationis passiuæ non sit substantia, sed accidens, planè infertur realiter distingui à re creata. Respondeo Aug. ibi sumere accidens non pro ente inhærente in subiecto, sed pro extraneo, quod scilicet non ingreditur essentiam rei, sed ipsam consequitur. Dices, relatio locatur in prædicamento accidentia, quod verè subiecto inhæret: creatio autem passio est relatio, ergò est propriè accidens sumptum pro re inhærente in subiecto. Respondeo instantiam habere locum de relatione prædicamentali, non autem transcendentali, cuiusmodi est creatio passio, vt indicat Scot. 1. *d.* 2. *q.* 2. & 4. *d.* 43. *q.* 5. §. *De tertio.* Priùs namque ens diuiditur in increatum, & creatum, quam in decem prædicamenta, quæ sunt series entium creatorum.

Articvlvs VI.

An creatio, & conseruatio sint idem.

31. QVidam, quos sequuntur Aur. 2. *d.* 1. *q.* 2. *a.* 2. & alij, quibus fauet Ric. *ibid. q.* 1. *art.* 2. astruunt creationem, & conseruationem esse diuersas habitudines, & relationes realiter distinctas. In hanc sententiam citatur Doct. Seraphicus *in* 2. à Gadin *quol.* 12. sed ibi nihil reperio, quod ei suffragetur. Scot. autem *quol. mox alleg. art.* 1. Lich. *ibid.* Faber 2. *disp.* 8. *c.* 3. Mayr. *q.* 4. Orbel. & cæteri Scotist. asseuerant creationem, & conseruationem esse vnam, eamdemque relationem realem prorsùs realiter distinctam.

32. Not. cùm creatio sit productio rei, ex nihilo immediatè præsupposito, & conseruatio sit eiusdem rei præexistentis continuatio, præter relationem realem, qua creatura refertur ad Deum Creatorem, veluti effectus ad suam causam efficientem, importare duas relationes rationis, & quidem vnam ad non esse præcedens immediatè, ratione cuius dicitur creari in primo instanti, quo creatur: alteram verò ad non esse præcedens mediatè, ratione cuius dicitur conseruari, quoniam illud esse, quo res in primo instanti accipit per creationem, persistit, & perdurat in secundo, aliisque instantibus subsequentibus, ideò dicitur conseruari. Deinceps obserua, has duas postremas vocari relationes rationis, non quia sint ab intellectu fabricatæ, sed quia vnum earum extremum non est reale positiuum, sicut inquit Scot. *in postprædicam.* contradictionem, & priuationem esse relationes rationis, quia alterum earum extremum est negatiuum, aut priuatiuum. Relatio quippè realis emergit ex duobus extremis realibus positiuis, etsi alterutrum sit negatiuum, vel priuatiuum, relatio rationis perhibetur.

33. Ass. creatio, & conseruatio sunt vnica relatio realis creaturæ, ad Deum creantem, & conseruantem. Defenditur à Doct. cit. §. *De primo A.* Probatur 1. ex D. Aug. 8. *suprà Gen. ad lit. c.* 12. Aer præsente lumine, non est factus lucidus, sed fit lucidus à sole illum illuminante. Si enim factus esset lucidus, recedente sole maneret lucidus: non manet autem lucidus, vt liquet experientia, ergò non est factus lucidus: pariter creatura non est facta à Deo, sed fit, propterea quod eget Dei auxilio, & manutentia, absque qua protinus in nihilum redigeretur, teste Aug. 4. *de Genesi cap.* 14. Si ergò creatura semper fit, cùm conseruatur, creatio, & conseruatio ab inuicem non distinguuntur. Accedit Auic. 6. *Metaphys. capite primo*, inquiens, effectus indiget datore sui esse semper, & incessanter tamdiu, quamdiu habet esse. Si ergò conseruari est semper accipere esse à conseruatore, & creari, accipere esse à creatore, non videtur intercipi vllum discrimen inter creationem, & conseruationem. Secundò, vnitas, & identitas relationis decerpitur ex vnitate, & identitate termini, & fundamenti, vt sæpè inculcaui: creationis autem, & conseruationis idem prorsus est terminus, putà actus diuinæ voluntatis, quo creat creaturam, eamque conseruat: idemque fundamentum, nempè creatura existens: ergò creatio, & conseruatio vna, & eadem extat relatio. Deinceps, vna, eademque extat dependentia vnius effectus totalis, ad vnam causam totalem efficientem: ergò quoque vna tantum est dependentia creaturæ ad Deum creantem, & conseruantem. Ant. liquet ex *l.* 4. *de causis, quæstione secunda, articulo tertio*, consequentia deducitur. Conseruatio quippè spectat ad causam efficientem, & patet de lumine, quod sicut à corpore luminoso pendet in fieri, & conseruari, ità creatura à Deo, vt planè edisserit Aug. præcit.

34. Opp. primò, potest esse creatio, absque conseruatione, ergò creatio, & conseruatio non sunt vnus, & idem respectus, & relatio. Ant. suadetur, potest aliquid creari, & non conseruari, vt instantaneum: ergò cùm creatio separari queat à conseruatione, sequitur non identificari inter se. Respondeo per distinctionem ant. Si sumantur creatio, & conseruatio pro relatione dependentiæ creaturæ ad Deum creantem, & conseruantem, nego: si verò accipiatur conseruatio pro relatione ad non esse præcedens mediatè, sic distinguitur à creatione, hæcque sine illa esse valet, vt planum feci in præmissa not.

35. Opp. 2. nulla res præsupponit seipsam, alioqui esset, & non esset simul. & quidè esset, quia præsupponeretur esse; non esset verò, quia postmodum fieret. Conseruatio autem præsupponit creationem, vt enim quid conseruetur, prius debet esse creatum, ergò creatio, & conseruatio non sunt idem respectus. Occurrendum est per eamdem distinctionem, quâ soluta, & diluta est præcedens oppositio. Siquidem conseruatio formaliter capta pro respectu rationis ad non esse præcedens mediatè, præexigit, & præsupponit creationem, secùs verò si accipiatur pro dependentia rei creatæ, quæ prorsus eadem est cum dependentia rei conseruatæ.

36. Opp. 3. creatio est acceptio esse rei de nihilo, nullaque res accipit esse, quod iam habet. Nam 6. *Phys. T.* 7. fieri nequit, vt quispiam eat Thebas, & Thebis existat. Sicque impossibile est, vt quid acceperit esse per creationem, & iterùm per conseruationem capiat esse. Quod contingeret, si conseruatio foret eadem relatio cum creatione, eò magis esse potest conseruatio alicuius effectus, productione eius non existente, vt figura in cera impressa conseruatur, postquam à sigillo impressa est, etiam sigillo corrupto: ergò esse potest conseruatio absque creatione, atqueadeò eumdem respectum non præseferunt. Hæc, & consimilia quæ abundè,

&

& acutè accumulantur ab Aur. cit. eadem distinctione soluuntur quæ præcedentia.

ARTICVLVS VII.

An per creationem Deo adueniat aliqua relatio realis.

37. OCham 1. *d.* 30. *q.* 5. Gabriel, & cæteri Nomin. *ibid.* astruunt, Dei ad creaturam esse relationem realem, quibus contradicunt Reales omnes, Scot. 1. *d.* 30. *q.* 2. Rich. *sit. q.* 4. S. Bon. *q.* 1. Mayr. *q.* 2. Viger. Orbel. & Vortilong. eo in loco, negantes Deo per creationem aduenire aliquam relationem, siue æternam, siue temporaneam, siue potentialem, siue actualem.

38. Not. 1. ex Scot. 1. *d.* 31. *q.* 1. §. *Ad q. A.* relationem realem tria exposcere. Primò fundamentum, & terminus debent esse realia, ideò non entis ad non ens, non est relatio realis, nec etiam entis, ad non ens. Secundò, inter fundamentum, & terminum necesse est intercedat realis distinctio, ob id einsdem ad seipsum non adest relatio realis, 5. *Met. T.* 20. Tertiò, oportet relationem consurgere ex natura extremorum, nemine cogitante; si enim fiat opere potentiæ collatiuæ, non realis, sed relatio rationis erit.

39. Not. 2. quædam dicuntur de Deo in tempore, non quia ipsi aliquid de nouo accidat, sed quia significant, & connotant quæ fiunt in tempore, sic Deus vocatur creator, & gubernator, propterea quod creat, & gubernat creaturas, quæ fiunt, & durant tempore, vt insinuat Seraphicus *passu praalleg.* & post ipsum Subtilis 4. *d.* 13. *q.* 1. §. *Ad argumenta R.* inquiens, creare enim significat relationem passionis, & connotat actum essentialem diuinum intrinsecum, non quidem absolutè, sed vt respicit creaturam: quædam verò denominatione extrinseca, sic opus dicitur humanum, non quia aliquid humanitatis sit in eo, sed quia ab homine factum est, pariter vrina perhibetur sana, non quia formaliter in ea sit sanitas, sed quia indicat sanitatem, quæ formaliter est in homine; quoque Deus denominatur creans à creatione passiua, quæ extat in creatura, vt annuit Scot. 1. *cit* §. *Respondeo sub G.* Nam Deus vocatur creator, non quia in ipso sit formaliter relatio creationis, verùm quoniam terminat relationem creationis passiuæ, quæ est in creatura formaliter, & quia terminat relationem subiectionis creaturæ, nuncupatur dominus. Hinc May. *cit. q.* 1. *notat.* quatuor prædicata ex tempore competere Deo, vnum est ratione creationis, ob id vocatur agens & creans alterum, ratione similitudinis, creatura quippè est Deo similis, præsertim homo, qui dicitur factus ad imaginem, & similitudinem Dei, *Gen.* 1. Tertium, ratione inæqualitatis, sic enim Deus perhibetur maior, & perfectior creatura. Quartum verò est respectu distinctionis, quo pacto Deus à creatura distinctus appellatur.

40. Aff. 1. Deus non refertur ad creaturas, per relationem rationis: defenditur à Doct. 1. *d.* 30. *q.* 2. §. *Respondeo. H* & *in Report. ibid.* Probatur primò, secluso quouis intellectu, & præcisa quacumque relatione rationis: adhuc Deus appellatur creator, quia voluntate sua, quæ est eius omnipotentis condidit creaturam, ergò Deus non sortitur huiusmodi denominationem, per relationem rationis: posita quippè causa in actu, ponitur eius effectus in actu, & subsequitur denominatio causæ à tali effectu: cum ergò Deus voluntate sua creat creaturam, denominatur creator per huiusmodi creationem, circumscripto quolibet intellectu, ac relatione rationis. Secundò si per impossibila, Deus foret intellectus expers, vt suspicari videbantur, qui Deum putabant esse solem, nulla foret relatio rationis eius, & tamen adhuc esset creator, gubernator, & Dominus: igitur, à relatione rationis non desumuntur huiusmodi denominationes. Tertiò, relatio non terminatur ad relatiuum sed ad absolutum, vt probat Scot. cit. & egò fusè ostendi *in Log. lib.* 3. *q. de relatione*, ergò ex parte Dei, qui est terminus relationis creaturæ, non exoritur vlla relatio rationis. Denuò, relatio rationis vel esset antiqua & æterna; vel noua, & temporaria. Non primum, quia creatura, ad quam illa fertur, non est æterna: nec secundum, quia non est transitus de contradictorio, in contradictorium absque mutatione: Deus autem est immutabilis: ergò in tempore nequit in se recipere præfatam relationem rationis. Nec necessaria est ex parte intellectus creati, quandoquidem, nullo intellectu creato existente, relationem rationis causante, si Deus crearet lapidem, aut aliam creaturam, aptè denominaretur creator: nulla ergò admittenda est relatio rationis in Deo, per quam perhibeatur creator.

41. Aff. 2. nulla extat relatio realis Dei, ad creaturam, æterna, aut temporanea. Ita Scot. *passu praalleg. H.* & quoad ambas partes non audet decidere Aug. 12. *Ciuit. cap.* 15. prima pars suadetur primò: relatio realis non emergit nisi positis extremis, fundamento scilicet, & termino, cum sit extremorum habitudo: ab æterno autem nullus est terminus relationis Dei ad creaturas, cum ab æterno nulla sit creatura, vt patet ex 1. *q. huius lib. art.* 2. Ergò nec vlla extat relatio Dei ad creaturas. Secundò relatiua sunt simul natura, & intelligentia: se enim mutuò ponunt, seque mutuò destruunt, vt bene prosequitur Arist. *C. de ad aliquid.* Ad æterno autem, nulla condita fuit creatura, vt fides nos docet, ergò nec vlla relatio creatoris, ad creaturam est concedenda.

Dices, Deus est creatiuus, & creatura creabilis ab æterno vt probaui *art.* 3. *prima q. istius lib.* Ergò relationi Dei ad creaturas competit passio relationis, putà, esse simul natura, & cognitione. Dico quidem Deum esse creatiuum ab æterno, hoc est, habere potentiam actiuam creandi ab æterno, & creaturam habuisse potentiam passiuam, qua potuit creari ab æterno: nihilominus id non inuehit relationem realem, nec in Deum, nec in creaturam, quandoquidem creatura non extitit ab æterno, & Deo est impossibilis relatio accidentaria, & aduentitia creationis. Secunda pars ostenditur 1. ex Aug. 5. *Trin. c. vlt* & Mag. cit. vbi nostram aff. declarat hac similitudine: sicut nummus constituit pretium, nulla entitate reali sibi addita, sic Deus creat creaturam, nulla sibi adueniente relatione. Et *ibid.* Nihil, nec absolutum, nec relatiuum Deo aduenit in tempore. Secundò ex summa Dei simplicitate, necessitate, & infinitate, quæ nullam additionem nouæ entitatis realis patiuntur, alioqui componibilis, contingens, & finitus foret Deus, vtpotè, qui componeretur cum relatione ipsi adueniente, quæ est contingens, limitata. Tertiò relatio tertij modi est non mutua, vt patet 5. *Met. T.* 20. Relatio autem creationis est tertij modi, & non mutua, sicut relatio scibilis, ad scientiam, ergò ex parte Dei, qui est infinitus, nulla exurgit relatio realis. ad creaturam. Insuper, huiusmodi relatio aut esset substantia, aut accidens, non primum, quia substantia est ad se, relatio verò est ad aliud, nec secundum propter eius potentialitatem, & inhærentiam, quæ imperfectionem præseferunt. Nulla ergò relatio realis propter creationem rerum in Deo

collocanda est. Rectè ergò Magist. *passu memorato* concludit: Appellatio, qua creatura dicitur relatiuè ad creatorem, relatiua est, & relationem notat, quæ est in ipsa creatura: appellatio verò illa, qua creator relatiuè dicitur ad creaturam, relatiua quidem est, sed nullam notat relationem, quæ sit in creatore.

42. Opp. 1. contrà 1. partem ass. 2. quod Deo attribuitur, est æternum, vt liquet de bonitate, infinitate, & aliis, quæ de Deo prædicantur, æternaque sunt: relationes autem creatoris, gubernatoris, & Domini Deo tribuuntur, deque ipso dicuntur: ergò sunt æternæ, eique ab æterno conueniunt. Distinguo ma. per realem identitatem concedo: per terminationem nego. Nam Deus dicitur à nobis dilectus, non quidem ab æterno, sed in tempore, quia existimus in tempore: sic præfatæ relationes perhibentur de Deo in tempore, quia creaturæ sunt in tempore, quarum relationes ipsemet Deus terminat. Vel, maior est vera de prædicatis, & attributis ad intra, non verò ad extrà, cuiusmodi sunt creator, conseruator, & Dominus.

Instabis, creatura habet esse essentiale, & quidditatiuum ab æterno, de quo dantur propositiones æternæ veritatis, cum sit esse necessarium, ergò prædictæ prædicata competunt Deo ab æterno. Dico illud non esse ens simpliciter, sed secundum quid, potentiale, & ideale, de quo non oritur relatio realis, cuius terminus sit Deus, propterea quod nec ipsa, nec eius fundamentum existit.

43. Opp. 2. contrà 2. eiusdem ass. partem, relationes potentiæ actiuæ, & passiuæ, ex 5. *Met. T.* 20. sunt reales, & mutuæ: relationes autem creatoris, conseruatoris, & Domini sunt relationes fundatæ suprà potentiam actiuam, & passiuam, ergò sunt mutuæ, & reales, tam ex parte creaturæ, quam, ex parte Dei. Resp: maiorem habere locum in relationibus, quæ fundantur in potentia agentis, & patientis finiti, & limitati, non autem in relationibus, quæ fundantur in potentia agentis infiniti, & illimitati, cuiusmodi extant relationes prænarratæ.

Instabis relationes diuinæ genitoris, & geniti sunt reales, ex parte vtriusque extremi. Itemque relationes æqualitatis, & similitudinis inter diuinas personas: ergò idipsum dicendum est de memoratis relationibus, quæ sunt relationes producentis, & producti, efficientis, & effectus, inæqualitatis, & similitudinis. Concedo ant. nego conseq. ratio disparitatis est, quia earum vtrumque extremum est summè necessarium, & infinitum: istarum verò alterum extremum & contingens, & finitum.

44. Opp. tertiò, relationes disquiparantiæ, & oppositæ sunt in distinctis, & oppositis extremis, vt paternitas in patre, & filiatio in filio: prænominatæ autem relationes sunt disquiparantiæ, & oppositæ: ergò Deus denominari nequit creator à relatione, quæ est in creatura, nec dominus à relatione, subiectionis, quæ est in seruo. Resp. id habere locum in relationibus primi, & 2. modi, non verò 3. modi: præsertim cum earum terminus est summè simplex, necessarius, & infinitus, cuiusmodi est in hisce relationibus.

Instabis, forma denominat rem, in qua est, vt liquet de albedine, quæ denominat parietem album, in quo inhæret: ergò cum Deus ab huiusmodi relationibus denominetur, probè infertur eas in ipso formaliter existere. Dico id valere de denominatione intrinseca, non verò extrinseca & terminatiua, qua Deus sic denominatur. Quare Deus nullam in se recipit formam relatiuam, nec vllam subit mutationem, sed illa est in opere creato, vt bene tradit Aug. 5. *Trin. cap.* 15. ex exprimit his verbis. *Sic etiam, cum iratus malis dicitur, & placidus bonis, illi mutantur, non ipse: sicut lux infirmis oculis aspera, & firmis lenis est, ipsorum scilicet mutatione, & non sua.*

QVÆSTIO III.

De Mundi fabrica.

1. LICET in Mundo sectando, & vestigando ea, quæ in ipso continentur, vanus labor, & mala occupatio censeatur ab Ecclesiaste 1. Nihilominùs eius indago, & scientia est per se bona, cum sit à Deo, à quo omne bonum proficiscitur, tametsi per accidens mala iudicetur, quatenùs ipsi annectitur nimium studium, & magna animi afflictio, necnon pietatis, & orationis in Deum amotio, interprete Lyrano passu nunc memorato.

ARTICVLVS I.

Quid sit Mundus.

2. NOn desunt, qui existiment Mundum esse vnum compositum ex materia, & forma: Alij, vt Plato, eiusque asseclæ, teste Aug. 10. *Ciuit. cap.* 29. quibus ipse Aug. 1. *de consensu Euangelistarum cap.* 23. non audet contradicere, sed anceps ibi esse videtur, opinantur Mundum esse magnum animal. Communis autem sententia defenditur à cæteris infrà citandis, docentibus Mundum esse vnum vnitate ordinis.

3. Not 1. mundum multas pati acceptiones. Primò enim sumitur pro omni eo, quod capitur sub concauo orbis Lunæ, quo in sensu ait Arist. 1. *Meteor. cap.* 3. *oportet mundum hunc continuè subiectum esse superioribus lationibus.* Secundò pro creaturis corporis, tam cælestibus, quam sublunaribus: sic Author sphæræ, eiusque interpretes diuidunt mundum, in superiorem, & inferiorem. Tertiò, pro incolis, & habitatoribus mundi, ita accepit Alph. 10. *aduersus hæreses, verbo Mundus post Aug. tract.* 3. *in Ioan. Malus mundus, quia malè homines habitatores mundi, sicut mala domus non parietes, sed inhabitantes* Et *ibid. tract.* 4. sæpè autem vsurpatur pro homine prauo, vt intueri licet apud eundem Aug. 6. *contrà Iulianum cap.* 1. & *in Psal.* 34. *conc.* 1. In peccatoribus dicitur mundus, & in eis, qui diligunt mundum, de quibus dictum est, *Ioan.* 1. *Mundus eum non cognouit.* & 1. *Ioan.* 5. *Totus mundus in maligno positus est.* Et exprimit Apostolus *Eph.* 7. *Cuius mundi essent rectores tenebrarum, inquit, harum, rectores mundi dico tenebrarum harum.* Et anteà Christus Dominus *Ioan.* 7. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt.* Quartò pro vniuersitate omnium rerum creatarum, tàm materialium, quàm spiritualium, quo pacto dicitur, Deum creasse mundum, & per ipsum factum esse, & de mundo sic accepto disserunt Philosohi in præsenti.

4. Not. 2. varias afferri mundi descriptiones ab Authoribus, quæ abinuicem longè distare non videntur. Prima est huiusmodi: Mundus est *compages ordinata ex cælis, elementis, & reliquis creaturis, quæ in eis continentur.* Quò fortassis respiciens Aug. *in Psal. proximè cit.* subiicit: Mundus dicitur hæc fabrica, quam videmus. Secunda, Mundus est *perfecta, & absoluta rerum omnium congeries, & ornamentum.* Tertia, Mundus est *corporum ordinatio, & distributio, quæ à Deo, & per Deum asseruantur.* Insuper, definitur *ordo* ab Aug. 19. *Ciuit. cap.* 13. *parium, disparium que dispositio, vnicuique sua loca tribuens.*

5. Ass.

5. Aff. 1. Mundus non est vnum compositum ex materia, & forma. Præsupponitur à Doct. *in com.* 12. *Met. T.* 52. & *tract. de* 1. *principio, c.* 3. Probatur primò, si mundus esset vnum compositum ex materia, & forma, omnia, quæ sunt in ipso, forent eiusdem speciei, quia participarent eamdem formam, eamdemque materiam mundi: multa autem esse genere, & specie diversa, nemo est qui neget, non ergò mundus est quid vnum conflatum ex materia, & forma. Secundò quæ sortiuntur eamdem formam, ac materiam, habent easdem operationes, quia forma est principium operationum: experimur autem in vniuerso esse diuersas operationes nedum numero, & specie, verum etiam genere, vt liquet de lapidibus, herbis, arboribus brutis, & hominibus, non est ergò mundus vnum quid ex materia, & forma coalitum.

6. Aff. 2. nec mundus est magnum animal. Supponitur etiam à Doct. *vbi suprà*: opposita verò retractatur ab Aug. 1. *retract. cap.* 11. Ideò fortasse *c.* 2. *eiusdem libri* idem sanctus Doctor, pœnitet se tantùm Platonem eiusque asseclas laudibus extulisse. Suadetur primò, omne animal saltem sensu tactus pollet, 3. *anima Titul.* 66. Mundus autem sensu tactus non potitur, vt patet de aqua, aëre, lapide, metallo, & consimilibus tactus expertibus. Igitur mundus non est animal. Secundò, omne animal aut est rationale, aut irrationale: mundus autem neutrum est, ergò non est animal. Ma. est nota, & concessa apud omnes. Min. ostenditur, non est irrationale, alioqui foret brutum, Platonici autem hoc renuunt: refert enim Aug. 10. *Ciuit. c.* 29. Platone Authore *in Timæo* illos putare, mundum esse animal beatissimum, ac sempiternum. Nec rationale, secus esset homo, proindeque capax gratiæ, meriti, peccati, beatitudinis, damnationis, & huiusmodi, quæ absona, & absurda maximè videntur. Negandum igitur est mundum esse animal. Idque apertè demonstrant determinata membra, & certa organa, quibus in animali exercentur operationes vitales & animales, vt significat Arist. 1. *Phys. Titul.* 36. & annuit August. *l. de beata vita*, quæ in vniuerso cerni nequeunt.

7. Assertio 3. Mundus est vnum vnitate *ordinis.* Ità Scot. cit. & 1. *dist.* 30. *quæst.* 1. *sub Q.* Et *Quol.* 19. *§. De secundo F.* Et 2. *dist.* 1. *quæst.* 4. *§. Et quia antè C.* cui præiuit Arist. 12. *Met. Titul.* 52. docuit Pythagoras, teste Plut. 2. *de dogmatibus Philosophorum*, & tetigit Aug. *quæst.* 2. *veteris, & noui testamenti*, his verbis: *discretis abinuicem substantiis, facta compaginatione Mundus vocatur.* Probatur 1. mundus definitur congeries rerum creatarum ordinata, vt patet ex 2. not. congeries autem nihil aliud sibi vult, quàm ordinem rerum adinuicem ad vnum primum, igitur mundus est vnum vnitate ordinis. Secundò ità philosophandum est de mundo, sicut de exercitu, & regno, vt probè prosequitur Philosophus proximè adductos: exercitus autem est vnus vnitate ordinis, nempè militum, ad vnum ducem, atque regnum est vnum pariter vnitate ordinis, hoc est subditorum, ad vnum Regem: ergò quoque mundus statuitur vnus vnitate ordinis omnium creaturarum ad vnum Deum creatorem, gubernatorem, ac earumdem finem vltimum.

8. Oppones 1. contrà 1. assertionem, quæ participant eamdem materiam, vtique sortiuntur eamdem formam: mundus autem potitur eadem materia, cum vna tantum sit materia speciei, cælestium, ac terrestrium, ergò vna constat forma. Atqui constans ex vna materia, & vna forma, est vnum compositum, cum ergò mundus sit huiusmodi, planè sequitur esse vnum conflatum ex materia, & forma. Negandâ est maior, quandoquidem vnitas compositi ab vnitate materiæ non decerpitur, sed ab vnitate formæ, cum autem in orbe terrarum multæ sint formæ, plura quoque composita existere, oportet.

9. Oppones 2. quod melius, & perfectius est, tribuendum est mundo, quia mundus est opus Dei, cuius omne opus est perfectum: melius autem, & perfectius est, mundum conflari ex materia, & forma, quàm esse vnum vnitate ordinis, quia maior est vnitas compositionis, quàm vnitas ordinis: ergò &c. Respondeo maiorem valere, dummodò illud sit capax talis perfectionis. Verum mundus non est capax vnitatis compositionis, sed tantùm vnitatis ordinis. Vndè quispiam ineptè attribueret bruto rationalitatem, cuius est incapax. Ita in simili occurrit Scot. 4. *dist.* 49. *quæst.* 7. *§. Ad* 1. *antè D.* inquiens, gaudium non esse de essentia beatitudinis, quia essentia beatitudinis strictè sumptæ non est eius capax, veluti sapientia non ingreditur essentiam hominis.

10. Oppones 3. totum est nobilius, & perfectius suis partibus, vt dixi *q. de toto*: partes autem aliquæ mundi sunt viuentes vita animalis, vt cernitur ad oculum, ergò negandum non est, mundum esse animal; eò magis, quia Deus videtur esse anima Mundi, vt insinuatur 1. *Regum* 2. *suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxtà cor meum, & animam meam faciet*: si ergò Deus habet cor, & animam, sanè eius corpus & materia, nequit esse, nisi in mundo; quare anima ipsius mundi, est Deus. Distinguo ma. de toto totalitate compositionis, concedo: de toto totalitate ordinis, cuiusmodi est mundus, nego. Ad aliud; quod subiicitur, respondet Aug. 14. *Ciuit. Non arbitramur Deum habere animam, cum sit conditor animæ, sed id hoc tropicè, & non propriè dicitur, sicut dicitur habere manus, pedes, & cætera corporis membra.*

11. Quæres 1. an sit tantum vnus numero mundus? Respondet Arist. 1. *Cæli* 8. affirmatiuè, & persuaderi potest ex scriptura, Ioan. 1. *Mundus per ipsum factus est.* Et etiam 7. *Non potest mundus odisse vos.* Et Rom. 5. *per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit.* Et Matth. vlt. *Euntes in mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Itaque facer text s de mundo in singulari disserit, vt ostendat vnum esse numero mundum duntaxat. Idque congruum esse ostendit Alens. 1. *p. quæst.* 15. *m.* 1. inquiens: *sicut Deus est vnus, & causa prima vna est: pariter mundus vnus est, qui est apud omnes eius magna fabrica.* Suffragatur August. *serm.* 8. *de sanctis*, his verbis, *Vnum Dominum communis natura testatur, quia vnus est mundus* Et *quæst.* 2. *noui, & veteris test.* subdit, *Idcò Deus vnus vnum fecit mundum, vt doceret, ab vno omnia esse.*

12. Quæres 2. verùm mundus sit infinitus? Respondet Arist cit. negatiuè, & confirmat Aug. 11. *Ciuit.* 6. Ratio est, quia infinitum actu non est possibile, vt monstraui q de infinito: deindè, quod mensuratur, finitum, & limitatum est: mundus autem à Mathematicis mensuratur quoad omnes partes, igitur mundus finitus est.

ARTICVLVS II.

An possint condi plures Mundi.

13. Philosophi, inter quos est Arist. 8. *Phys. c.* t. & 1. *Cæli, T.* 103. opinantes Mundum fuisse necessariò, & naturaliter productum, tuentur plures mundos non esse possibiles: à quibus declinare non videntur Absylardus, Vvicleph, & Luterus relati ab Alphonso 7. *aduersus hæreses, ver. Futurum contingens*: suspicantes Deum non posse plures res creare, quàm creauit, nec aliter res facere, quàm fecit. Communis autem, & vera sententia est, quam sequuntur Rich. 1. *d.* 44.

d. 44. q. 4. Major *ibid.* q. 5. S. Bon. q. 4. Vulpes *tom.* 2. p. 1. *disp.* 42. a. 13. Conimb. 1. *Cali c.* 9. q. 5. a. 2. Rou. q. 2. & cæteri *ibid.* docentes plures mundos esse à Deo creabiles.

14. Not. plures mundos esse possibiles, bifariàm posse intelligi, nempè, simul, aut successiuè: deindè, concentricos, idest habentes idem centricos, aut excentricos, idest participātes diuersa centra, seu quorum vnus foret extrà alium: ampliùs, plures numero, aut specie differentes: insuper plures finitos, aut infinitos.

15. Ass. Deus potest creare plures mundos simul, vel successiuè, finitos tamen, & limitatos. Fauet Doct. 4. *Rep. d.* 50. q. 5. Probatur 1. ex Athan. *oratione contrà idola.* Ambr. 1. *exam. c.* 2. & Ansel. *l.* 1. *cur Deus homo c.* 1. & 2. allegato & recepto à Doct. *vbi suprà.* affirmantibus, virtute diuinâ condi posse multos mundos. Suffragatur vniuersitas Parisiensis, sanciens contrariam sententiam, tanquàm falsam, & erroneam, vt videre licet *in fine* 4. *Magist. sententiarum, & in initio* 1. S. Bonauenturæ, vbi præfatus error recitatur inter errores, condemnatos à Domino Stephano Episcopo Parisiensi. Secundò, eiusdem potentiæ Deus nunc est, ac tunc antè mundum conditum, cùm idem ipse fit, & anni eius non deficiant: cum autem mundum creauit, extitit potentiæ infinitæ, quæ haud exhausta est in fabricatione mundi: ergò cum virtute sua potest attingere alios mundos producibiles. Tertiò, nulla extat repugnantia, quin alij mundi producantur, nec ex parte Dei, qui est potentiæ illimitatæ, & infinitæ, nec ex parte mundorum, qui sunt producibiles, & creabiles. Vt enim hic mundus, ante ipsius molitionem, erat producibilis, sic alius, & alius est producibilis, cùm non appareat potior ratio de isto, quàm de aliis. Deindè, licèt sit vnus sol numero, & vna numero luna: tamen alius sol, aliaue luna est creabilis: pariter, quamuis conditus sit vnus numero mundus duntaxat, non repugnat tamen, quin alij mundi à Deo producantur. Quare plures Mundi sunt creabiles à Deo differentes numero, si creaturæ in eis positæ numero differant, aut specie, si creaturæ specie distinguantur. Nequeunt autem esse infiniti actu, quandoquidem ex dictis, q. de infinito, nullum actu infinitum tàm in magnitudine, quàm in multitudine, & intensione, est dabile, quidquid reclamet Vulpes præalleg.

16. Opp. 1. vnus est tantùm mundus archetypus, vnaque eius idea, instar cuius hic mundus fabricatus est, & architectatus: ergò alius mundus, præter istum, non est possibilis. Ant. notum est. Conseq. probatur, nihil est factibile, nisi habeat ideam in mente diuina, vt commune est Theologorum placitum, & proloquium. Respondeo maiorem veram esse de mundo iam condito, non autem de aliis possibilibus, quorum tot sunt in mente diuina ideæ, quot sunt mundi creabiles, & factibiles.

17. Opp. 2. Arist. 1. *Cali, c.* 9. *T.* 95. scribit, vnam esse Mundi materiam, quæ in ipso iam facto euacuata, & consumpta est tota: si autem alius mundus foret possibilis, non posset fieri absque materia hac, quia alia ab ista differens non est creabilis, ergò nec alius mundus est factibilis. Respondeo ma. valere apud Arist. existimantem, Deum agere necessariò ad extrà, ipsumque creasse totam materiam: Non verò apud nos astruentes, Deum ad extrà agere liberè, & posse creare aliam materiam ab ista distitam, secundum beneplacitum voluntatis suæ.

18. Opp. 3. nihil inordinatum, nihilque præposterum à Deo effici valet, cùm sit artifex ordinatissimus, & sapientissimus: si autem Deus condere quiret alium mundum, faceret quædam inordinata, & indisposita. Forent quippè diuersa loca specie grauium, & leuium, plures primi motores, & primæ causæ, & alia, quæ repugnantiam inuoluunt. Concedo ma. nego mi. ad eius probationem dico, data hypothesi, essent distincta loca specie grauium, & leuium, & vnumquemque Mundum habiturum esse proprium centrum, ac locum grauium, & leuium. Ad id quod subiicitur, dico, vnicuique mundo constitueretur peculiaris primus motor in in eo ordine, veluti in isto mundo extat primus Angelus mouens immediatè primum Cælum: esset autem vnus supremus motor, vnaque prima causa à se, & independens, atque vnus monarcha vniuersorum. Hoc explicari potest de regno, in quo sunt plures vniuersitates, quarum singulis, singuli deputantur primicerij: vnus autem est primarius talium vniuersitatum, veluti vnus est Rex, vnusque Dominus omnium, qui in regno degunt.

ARTICVLVS III.

An Mundus sit perfectus.

19. Multa de pulchritudine, ordine, & perfectione vniuersi scribunt Alensis 2. p. q. 16. 17. & 18. Franciscus Georg. *in opere de harmonia mundi,* Guillelmus Parisiensis *in volumine de vniuerso,* aliique complures. Vulgata autem, & vera doctrina est omnium doctorum, Mundum esse perfectum, pro cuius explanatione.

20. Not. dupliciter aliquid dici posse perfectum, vno modo simpliciter, & extrà genus, cui nulla deest perfectio, nec vlla perfectio addi potest, vel detrahi, ita est perfectus solus Deus, vt aduertit Doct. 4. d. 49. q. 14. §. *Ad* 1. *rationem M.* Et decerpi potest ex sacro codice, Matt. c 9. *Vnus est bonus Deus.* Et Marci. 10. *Nemo bonus nisi vnus Deus.* Idest, perfectus. Altero modo secundum quid, hoc est, in suo genere, quo in sensu, illud perhibetur perfectum, quod habet omnia, quæ ad eius esse, requiruntur. Cùm autem duplex statuatur esse, substantiale, & accidentale, duplex vtique est perfectum, secundum esse substantiale, cui nihil substantiæ deficit, quod spectet ad eius naturam, quo pacto homo est perfectus, qui habet omnia requisita ad eius esse substantiale, & essentiale. Atque secundum esse accidentale, sic illud appellatur perfectum, quod participat omnes perfectiones, quæ ad eius esse accidentale exiguntur, vt ille vocatur perfectus Philosophus, qui potitur omnibus, quæ ad perfectam Philosophiam pertinent.

21. Ass. Mundus est perfectus. Præsupponitur à Doct. 1. d. 44. q. *vn.* vbi inuestigat, num D. us queat producere res meliores, & perfectiores, quàm fecit; & respondet affirmatiuè. Si ergò Deus potest condere mundum perfectiorem, supponitur, mundum iam ab eo fabricatum esse perfectum. Probatur autem ass. 1. ex scriptura. Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona,* idest perfecta, vt quidam cum passum exponunt. Hæcque interpretatio deducitur ex c. 2. *eiusdem libri,* vbi legitur, *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* Notat enim Bercorius *parte tertia sui repert.* Perfectum idem esse, ac completum, & perficere perindè esse ac complere. Si ergò Deus compleuit opus suum, quod est mundus, vtique ipsum perfecit, proindèque mundus est perfectus. Et Deuteronom. 32. *Dei perfecta sunt opera.* Mundus autem est opus Dei, vt *loco pracit.* narratur, ergò est perfectus. Aug. 11. *Ciuit. c.* 21. qui allegans Platonem ait

ait *elatum esse Deum, gaudio mundi, vniuersitate perfecta.* Et *quæst.* 213. *Omnia sunt perfecta in genere suo, & vnum dicitur respectu alterius, perfectius, vt homo perfectior est bruto. Deus autem per omnia perfectus est, quia est quasi fons, & origo omnium.* Idipsum scribit *l. de perfectione iustitia, contrà Calest.* Et sanet Boët. 3. *de consolatione, metro* 9. Suffragatur Arist. citatus, & receptus à Scot. *Quol.* 19. *art.* 2. *F.* qui 12. *Met. T.* 52. bonitatem, & perfectionem vniuersi collocat in ordine, quem habent partes ad inuicem, & ad vnum primum ens, & primam causam. Secundò, *ex* 5. *Met.* 21. vnumquodque perfectum tunc est, cunctaque substantia tunc perfecta est, cum secundum speciem propriæ virtutis, nulla desit particula magnitudinis naturalis. Subiicit Scot. *ibid. in exp. c.* 6. perfectum est, cui nihil deest, & vocat ibi lineam circularem perfectam, non autem rectam, quia ei potest aliquid addi. Idem tradit *Theorem* 23. perfectum dicitur, cuius non est extra aliquid accipere. Mundus autem est rotundus, & figuræ circularis, vt conspicitur in sphæra, nihilque ei deficit, vt ea solutione oppositionum planum fiet. Deindè, perfectus artifex opus perfectum absoluit, vt liquet de pictore, & sculptore præstante, & insigni: Deus autem est perfectissimus artifex, à quo omnis ars, & omne bonum, & perfectum opus prodit. Rursus, mundus perindè est, ac ornatus & pulcher, vt obseruaui, *in initio libri huius:* apud autem Dionys. 4. *de diuinis nominib.* pulchrum idem sonat ac perfectum. Idque indicant tot rerum genera, & species, atque indiuidua, quibus ornatur, & cumulatur, vt non immeritò cæcus nominari possit ille, qui venustatem, pulchritudinem, ac perfectionem eius non intuetur.

22. Opp. 1. in Mondo reperiuntur multa fœda, deformia, & mala, vt monstra, scelera, iniquitates, iniustitiæ, calumniæ, & opprobria, quæ ostendunt mundum nequaquam esse perfectum. Ideò clamat Hierem. 12. *via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt.* Respondeo multa, quæ nobis videntur mala, & deformia valdè iuuare pulchritudinem, & perfectionem vniuersi, iuxtà illud elogium, *opposita iuxtà se posita magis elucescunt* Deus quippè opposita condidit vt notat Ecclesiasticus c. 3. *Contra malum, bonum est, & contra vitam, mors, & sic contra virum iustum, peccator. Et sic intuere in omnia opera altissimi. Duo contra duo, & vnum contrà vnum.* Dies autem pulcher elucet quidem, at pulchrior apparet respectu noctis, ac tenebrarum. Item, color albus respectu nigri videtur pulchrior, vt exprimit Aug. 11. *Ciuit. cap.* 23. inquiens: *Sicut pictura cum colore nigro loco suo posita, ita vniuersitas rerum, si quis possit intueri, etiam in peccatoribus, pulchra est, quamuis per se ipsos consideratos, sua deformitas turpet.* Idem habet *l.* 83. *qq. q.* 79. & *in Ench. c.* 11. *Malum benè ordinatum, & loco suo positum eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis.* Eò magis, quia ea omnia fiunt, vt Deus bonum eliciat. Permittit enim Deus hominem labi in peccatum, vt occasione eius, bonum opus efficiat, nempè conuersionem, penitentiam, & humilitatem. Hinc *Psal.* 112. ait Dauid, *bonum mihi, quia humiliasti me.* Et de peccato Adæ cantat Ecclesia. *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem.* Addit Aug. *l.* 2. *de peccato Orig. contrà Pelagium cap.* 34. *Deus certè in opere hominum malo, facit ipse opus bonum.* Et 11. *de gen. ad litt. c.* 21. *Deus de malo bonum elicit.* Amplius, in multis latet iudicium Dei, quod nemo hominum penetrare nequit. Vndè Ecclesiastes 5. præmonet. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris suprà hoc negotio, quia excelsior est alius*, propterea scribit August. *in annot. Iob. cap.* 11. *Non debes Deum reprehendere, cuius opera non comprehendis.* Idem litteris committit *libro* 4. *de Symb. ad Cathecumenos cap.* 2.

23. Opp. 2. in mundo quædam desunt, vt multæ species rerum possibiles, & à Deo creabiles: quædam verò supersunt, vt tot lapilli, tot grana arenæ, & huius formæ alia: ergò mundus non est perfectus. Respondeo species rerum producibiles non pertinere ad integritatem, & perfectionem Mundi, cum sit perfectus ex iis, quas actu habet. Nec quidquam in ipso superuacaneum extat: siquidem ea omnia, quæ videntur superflua, prædicant Dei potentiam, & magnificentiam. Licet autem ignoranti, & insipienti superflua appareant, non tamen scienti, & sapienti: veluti ait Aug. *in Psal.* 148. qui artem alicuius ignorat, aspiciens tot instrumenta in eius officina, iudicat esse inutilia, & superflua: ità, qui ordinem, & dispositionem vniuersi nescit, arbitratur prænarrata esse superuacanea, tametsi cuncta sint rectè disposita, & ordinata à Deo supremo omnium artifice, vt præclarè ostendit Aug. *l. de natura boni, contrà Manich. c.* 8. *Sic ordinata sunt, vt cedant infirmiora, firmioribus, inualidiora fortioribus, & impotentiora, potentioribus: atque ita cælestibus terrena cōordent, tanquam præcellentibus subdita. Fit autem decedentibus, & succedentibus rebus temporalis quædam in suo genere pulchritudo, vt nec ipsa, quæ moriuntur, vel quæ erant, esse desinunt, turpent, aut turbent modum, speciem, & ordinem vniuersa creatura, sicut sermo benè compositus vtique pulcher est, quamuis in eo syllabæ, atque omnes soni, tanquàm nascendo, & moriendo transcurrant.* Et 3. *de libero arb.* 23. *Folium arboris nullum superfluè creatur.* Etsi aliqua tibi videantur inutilia, noxia, & supernacanea, consule eumdem sanctum Doctorem, qui 1. *de genesi, contrà Manich.* 16. ait, & concludit. *Vsurpa ergò vtilia, caue perniciosa, relinque superflua.*

24. Opp. 3. si mundus foret perfectus, maximè quia partes eius sunt Angeli, & homines: Angeli autem mentes supramundanæ, & homines sunt incolæ, & finis mundi, non ergò mundus est perfectus. Concedo ma. nego min. Angeli verò dicuntur mentes supramundanæ, accipiendo mundum, pro congerie rerum sublunarium duntaxat, secùs verò si sumatur pro vniuersitate rerum omnium creatarum. Sic enim Angeli sunt partes mundi, quia inter creaturas conscribuntur. Homines quoque extant mundi partes, & finis eius: quia non inconuenit in toto, vnam partem ordinari ad aliam, vt constat de partibus corporis humani, quarum quædam ad alias ordinantur, simulque omnes totum integrant. Quarè homo est pars mundi, & incola eius, & nuncupatur finis eiusdem, propterea quod omnia in gratiam eius condita fuere.

ARTICVLVS IV.

An Deus efficere valeat mundum meliorem, ac perfectiorem.

25. RIchardus 1. *d.* 44. *q.* 1. *art.* 1. ex Hugone Vict. & Conimb. 1. *Cæli cap.* 9. *q.* 2. referunt quosdam existimare ita fuisse à Deo mundum fabricatum, vt meliorem & perfectiorem effici nequeat. Quibus subscribi videntur illi, qui arbitrantur, Deum semper facere, quod est optimum, citatur. Granadus à Pont. *disp.* 54. *q.* 2. & impugnatur ab ipso *ibid.* & à Lugo *disp.* 2. *de Incarn. sect.* 1. Communis autem opinio Scholasticorum est 1. *d.* 44. Scot. *q. vn.* Bon. *q.* 1. 2 *&* 3. Aur. Och. *ibid.* & Alensis 1. *p. q.* 25. *art.* 7. *m.* 3. Docentium, Deum posse mundum perfectiorem, ac meliorem reddere.

26. Not. 1. hanc difficultatem moueri posse, tam ex

ex parte facientis, quam ex parte operis facti, vel faciendi. Itemque de hoc mundo condito, aut de alio possibili numero, aut specie ab isto differente. Rursùs, penès esse specificum aut indiuiduale, substantiale, aut accidentale. Deinceps, cum mundus statuatur vnus vnitate ordinis, nùm huiusmodi ordo, & dispositio concinnior, & pulchrior emergere queat, & valeat?

27. Not. s. in agente libero, & voluntario duplicem distingui potentiam, alteram absolutam, quæ nulli legi astringitur: alteram verò ordinatam, qua agens operatur, secundum leges præscriptas, & præfixas. In Deo autem potentia absoluta est, quæ respicit omne possibile, nullamque inuoluens contradictionem. Potentia verò ordinata est, qua Deus operatur quidquid ab æterno statuit, & ordinauit in tempore faciendum, & præstandum, vt planum feci *quæst. de infinito, art.* 2.

28. Assertio 1. Deus non semper facit, quod melius, & perfectius est. Deducitur ex Doct. 3. *d.* 13. *quæst.* s. §. *Ad argumenta istarum qq. sub. l. in solutione* 2. vbi ait in ordine gratiæ, dari summam, & perfectissimam gratiam in Christo: non autem in ordine naturæ, cum natura aliqua creari possit perfectior, & excellentior. Deinde *ibid. distinctione* 7. *quæst.* 3. scribit, si Adam non peccasset, Verbum diuinum assumpsisset humanam carnem: melius tamen erat, si Adam in statu innocentiæ permansisset, cum hic, illo sit præstantior, & dignior: Deus autem, si voluisset efficaciter, præfatus status innocentiæ perdurasset, nihilominus status culpæ persistit, quamuis sit inferior, & deterior. Suaderi quoque potest ex illo Christi Domini Matt. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Deus autem, si ipsi placuisset, eius hominis, putà Iudæ natiuitatem impedire quiuisset, & non impediuit, non ergò Deus semper præstat, quod melius est. Præterea Marci 14. *Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer à me calicem hunc, sed non quod ego volo.* Optimum autem bonum erat passio Christi, cum tamen ab ipsa liberari idem Christus cuperet, & vellet. Deuuò, Deus est liber in quouis opere ad extrà, iuxta illud Psal. 134 *Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terra:* si autem tantum quiret optimum producere, cogeretur, & necessitaretur ad eius productionem dumtaxat, quod pugnat præadducto Scripturæ testimonio.

Dices, Patrem, & Filium spirare Spiritum sanctum necessariò, tametsi etiam liberè, vt tradit Scot. 1. *d.* 2. *quæst.* 7. & *Quol. ib.* Ideò mirum non est, si Deus necessario vellet producere semper quod melius, & eminentius extat. Dico esse disparitatem, quandoquidem Spiritus sanctus est bonum summum, & infinitum, à cuius amore, & productione non recedunt Deus Pater, & Filius: verùm quodlibet creatum est bonum finitum, & limitatum, proptereà in eius productione liberè, & contingenter se habet, nec quid perfectionis à creato opere accipit, nec eget, teste Dauid, Psal. 15. *Bonorum meorum non eges.* Igitur non semper optimum agere constringitur.

29. Assertio 2. Mundus potest fieri melior, & præstantior nedum essentialiter, verùm etiam accidentaliter. Assertio est bimembris, quam tenet Doct. *in* 2. *passu alleg.* Prima pars probatur, Deus potest condere alias species rerum possibiles in mundo, quibus essentialiter ipse mundus redderetur perfectior, cum potentia Dei sit infinita, & inexhausta. Deinde mundus est perfectus essentialiter per creaturas, quas continet essentialiter perfectas, & abinuicem essentialiter distitas, vt suprà obseruaui: cum ergò Deus valeat alias creaturas condere specie differentes, apertè deducitur, posse ipsum mundum essentialiter perfectiorem efficere. Insuper, Verbum diuinum potest sibi hypostaticè vnire aliam naturam intellectualem, putà Angelicam, immò aliæ diuinæ Personæ id ipsum possunt præstare, vt dixi *tract. de Incar.*

Secunda pars probatur, Deus potest creare aliam summam gratiam æqualem gratiæ Christi, & conferre eam Petro, aut alteri homini, eique concedere summam fruitionem, vt tradit Doct. *in* 3. *loco cit.* Itemque aliæ qualitates augeri possunt, cum suscipiant magis & minus: his autem mundus accidentaliter euaderet perfectior. Possent enim creari Angeli beatiores, homines doctiores, equi velociores, aues pulchriores, & id genus alia, quibus orbis terrarum illustrior videretur. Addit Scot. *in* 1. *Rep. d.* 44. *quæst.* s posse fieri corpora cælestia clariora, limpidiora, subtiliora & recipere peregrinas impressiones non corruptiuas, sed perfectiuas. Idque aliquando fore vaticinatur Esa. 30. *Et erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* Prædicit Ioan. Apoc. 21. *Vidi cælum nouum, & terrã nouam.* Fauet Hugo Vict. 1. *de sacr. parte* 3. *c. vlt.* Et confirmari potest. nam 3. *Top.* 32. quæ contrariis sunt impermixtiora, sunt magis talia, vt albius, quod nigro est impermixtius, pariter melius est, quod malo est impermixtius. Deus autem potest à mundo tollere omne malum, & omne noxium, vt contigisset in statu innocentiæ, & fit in regno Beatorum.

30. Assertio 3. penes ordinem, rerumque dispositionem mundus effici valet melior, & præstantior. Deducitur ex Scot. præcit, & probatur, Elementa quæ modò sunt confusa, & permixta, & nominatim terra, quæ in multorum sententia, est mari eleuatior, potest deprimi, & ad imum locum, qui ipsi est proprius, redire, depurari, & distingui, ergò quoad ordinem, mundus perfici magis potest. Deinceps, ordo melior, & illustrior petitur ex melioribus, & nobilioribus creaturis ad inuicem aptius dispositis, & rectius ordinatis: Deus autem ex dictis, potest nobiliores, & præstantiores creaturas condere, & melius disponere, & ordinare, cum id nullam includat repugnantiam: ergò mundus quoad ordinem partium melior, & excellentior euadere potest.

31. Oppones 1. contra 1. ass. Ab optimo, non nisi optimum prodire valet, ex Plat. & Dionys S. cit. ab Aur. *vbi suprà:* Deus autem est optimus, & maximus opifex, cum sit infinitus, & immensus, ergò ab eo solummodò optimum efficitur. Hoc ipsum tradit Damasc. s. *fidei c.* 29. Et confirmatur ex Aug. 3. *contrà Maximinum c.* 7. si pater potuit gignere filium sibi æqualem, & non genuit, esset inuidus: ergò pariter si Deus potuit facere mundum meliorem, & perfectiorem, & non fecit, inuidiæ argueretur, quæ longè distat à Deo. Distinguo ma. de agente necessario, & tenente sic agere, concedo: de agente voluntario, & libero nulli legi astricto, nego. Deus autem est agens liberum, & nulli debitor, ideo in manu eius est operari bonum melius, & optimum. Quod significans Apost. *Rom.* 9. ait. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam* Ità interpretanda sunt testimonia SS. Patrum, & confirmatio ex Aug. Deus enim Pater generat Filium necessariò, & naturaliter: creaturas verò sponte, & liberè producit.

Dices, nihil inordinatè, præposterè, & iniustè à Deo effici valet, cum sit agens ordinatissimus, prudentissimus, & iustissimus: at si ab eo mundus redderetur pulchrior, & illustrior, fieret contrà ordinem ab ipsomet ab æterno statutum, contrà regulas ab eomet præscriptas, & contrà id, quod natura exigit, & ratio exposcit.

Dico, nihil eorum sequi, cum Deus sit omnium dominus,

Dominus, & voluntas eius prima regula, neminique debitor: Ideò ideſt ordinatum, iuſtum, & rectum, quod ipſe vult, & quod non vult, bonum, nec iuſtum eſt. Quare, licet id valeat de potentia ordinata, non tamen de potentia abſoluta, quæ reſpicit omne non inuoluens contradictionem.

32. Oppones 2. contrà 2. aſſ. quod non ſuſcipit magis, & minus, effici nequit melius, & perfectius: mundus autem non ſuſcipit magis, & minus, penes ſubſtantias, quibus conſtat, cum paſſio ſubſtantiæ ſit, non ſuſcipere magis, & minus vt patet *l. prædicam. c. de ſubſtantia* & 8. *Met. cap.* 1. Ergò perfici, & ornari magis nequit. Concedo maiorem, diſtinguo minorem: in eſſe ſpecifico, concedo: in eſſe indiuiduali, nego, vt ibi aduertunt Antonius Andr. & Ioan. de Magiſtris.

Dices in mundo extat Chriſtus Dominus homo Deus, quo nihil perfectius effici poteſt: ergò idipſum fatendum eſt de cæteris, quæ in mundo à Deo facta ſunt. Conceſſo ant. etiam de Euchariſtiæ Sacram. & aliis quibuſdam, quorum memini *q. de infinito, art. vult.* nego conſeq. vt patet de gratia iuſtorum, & eorum fruitione, quæ non eſt ſumma, ſicut illa Saluatoris.

33. Oppones 3. datur ſuprema creatura, nempe primus Angelus, & infima, ideſt materia prima. Ergò Deus nequit creare mundum meliorem, aut deteriorem producto Ant. ſuadetur ex Auguſt. 12. *Conf. cap.* 3. vbi alloquens Deum inquit. *Duo feciſti Domine, vnum propè te, ideſt Angelum: & aliud propè nihil, ideſt materiam primam.* Diſtinguo ant. de facto, concedo: de poſſibili, nego. Ità cum Scot. in Rep. cit. exponendus eſt Auguſt. nedum *paſſu alleg.* verùm etiam *l. de quantitate animæ, cap.* 33. *Iuſtitia Dei factum eſt, vt non modò ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, vt melius eſſe non poſſint.*

Dices, mundus eſt vnus ordine: ordo autem eſt relatio, quæ non intenditur nec remittitur, ergò nec mundus perfici poteſt. Dico mundum poſſe fieri perfectiorem, non præciſe penès ordinem, ſed penes ordinata quæ in eo comprehenduntur.

ARTICVLVS V.

An creatura poſsit aliquid creare tanquam cauſa principalis.

34. HÆc dubitatio bifariàm agitari poteſt, de facto ſcilicet, & de poſſibili. De primo, vtrùm aliqua creatura quidpiam creauerit? Auic. 9. *Met. cap.* 4. exiſtimat in rerum creatione eſſe catenam auream inquiens, primam intelligentiam creaſſe ſecundam, & ſecundam tertiam, & ſic deinceps vſque ad vltimam, quæ condidit totam hanc Mundi molem. Fauet Plato *in Timæo*, qui teſte Aug. 12. *Ciuit. cap.* 26. *ait*, Deos minores, ideſt Angelos conditores extitiſſe corporum animalium: ſuffragantur Cerinthiani apud Aug. *in catalogo hæreſum, hæreſi* 8. arbitrantes ab Angelis fabricatum eſſe orbem terrarum. Verum autem, & vulgatum dogma extat, nullam creaturam quidpiam creaſſe. De ſecundo verò, num poſſit communicari alicui creaturæ principium, & potentia creandi? contendunt Scholaſtici. Nam, Maior 4. *diſt.* 1. *in fine q.* 1. Dur. 2. *diſt.* 1. *q.* 4 Gabriel *ibid. art.* 3. Arriaga *diſp.* 11. *Phyſ. ſect.* 5. *ſubſect.* 2 & Raco. *tract. de cauſis in append. ſect.* 1. *quæſt.* 2. aſtruunt potentiam creandi non repugnare creaturæ. Probabilior, & communior ſententia eſt Scot. 4. *d.* 1. *q.* 1. Th. 1. *p. q.* 45. *art.* 5. Aur. 4. *q. prœmiali art.* 3. Och. 2. *q.* 7. Molin. 1. *p. q.* 45. *art.* 5. *diſp.* 1. Suarez *diſp.* 20. Met. *ſect.* 2. *n.* 12. & aliorum negantium creaturam poſſe participare virtutem creandi.

35. Not. 1. ex Scot. cit. §. *Ad q. ergò. DD* cauſam principalem eſſe duplicem, vnam independentem, & à ſe, agentem, & producentem totaliter effectum, abſque vllo concurſu alterius cauſæ, eiuſdem, vel diuerſi ordinis, quo pacto ſolus Deus nominatur, & eſt cauſa principalis, quia ſolus eſt à ſe, independens, & nulla re indigens ad cauſandum: alteram dependentem, quæ virtute propria, & ſibi intrinſeca agit, requirit tamen aliam cauſam ſuperiorem ſecum cauſantem, & concurrentem ad producendum effectum, cuiuſmodi eſt omnis cauſa ſecunda, quæ vi propria influit in effectum, & in hoc diſtinguitur à cauſa inſtrumentali, quæ virtute alterius, hoc eſt cauſæ principalis coagit ad productionem effectus, vt aſſerui *lib.* 4. *Phyſ. q.* 5.

36. Not. 2. creaturam vniuersè ſumptam vel eſſe ſubſtantiam, vel accidens: ſubſtantiam verò diuidi in ſpiritualem, quæ aut eſt completa, vt Angelus, aut incompleta, vt anima rationalis: & materialem, quæ vel eſt partialis, vt materia, & forma, vel totalis, vt compoſitum. Accidens verò aliud eſt relatiuum, quod ex poſitione extremorum conſurgit, vt paternitas: aliud abſolutum, quod ſubſecatur in materiale, quod ex ſubiecti potentia educitur; & in ſpirituale, quod à Deo producitur, vt gratia. Rurſus obſerua. ſubſtantiam eſſe priorem quouis accidente, quod in ea ſubiectatur: ſubiectum quippè, cuiuſmodi eſt ſubſtantia præcedit id omne quod in ipſo recipitur, veluti eſt accidens. Quod fusè, & egregiè proſequitur Scot. *cit.* §. *Ita ergo.*

37. Aſſertio 1. de facto nulla creatura quidquam creauit. Deducitur ex Doct. *vbi ſuprà*, §. *Ad q. ergò*: & §. *Ideò dici poteſt.* vbi oſtendit potentiam creandi non competere creaturæ: ergò ſi de poſſibili creatio negatur creaturæ, vtique, & de facto. Qui enim alicui negat actum primum, pariter & actum ſecundum, qui à primo promanat. Probatur 1. ex ſacro codice. *Gen.* 1. creatio omnium rerum attribuitur Deo. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſo mandauit, & creata ſunt.* Et poſtmodum ſubditur. *Septimo die requieuit ab omni opere, quod patrarat.* Eccli. 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Et Hebr. 3. *Qui omnia creauit, Deus eſt.* Secundò, ex Conc. Later. *c. Firmiter*, de ſumma Trin. & fide catholica. Deus de nihilo condidit vtramque creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam. Accedunt Symb. Apoſt. *creatorem cæli, & terræ*, & Nicen. *Factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium.* Et Braccarenſe 1. *capite* 13. ſtatuens, creationem vniuerſæ carnis eſſe opificium Dei. Quare Scotus in *Reportatis paſſu alleg.* ingenuè fatetur, ſe præpoſitam aſſertionem tenere magis fide, quàm ratione. Subſcribit Suarez cit. oppoſitamque eſſe damnatam, vt hæreticam teſtatur Alphonſus *lib.* 5. *aduerſus hæreſes, verbo creatura* Reclamante Art. *vbi ſuprà*, & dicente. Conc. non loqui de creatione ſtrictè ſumpta, ſed latè ſcepta, pro quacumque productione, ſiue ex nihilo, ſiue ex præiacto ſubiecto. Contrà Conc. potiſſimum Lateranenſe definit, Deum eſſe conditorem creaturæ corporeæ, & incorporeæ, ergò ſi Deus vtriuſque eſt opifex, vt narratur *Geneſis primo*, planè infertur nullam creaturam ſecundum fidem attigiſſe de facto creationem propriè acceptam, cum etiam creatio latè capta ſoli Deo tribuatur. Hinc Ioannis primo

habetur, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et Apoc. 4. *Quia tu creasti omnia.* Insinuatur ergo dictis in locis Deum produxisse omnia, tam quæ fiunt ex nihilo, quam quæ ex præsupposito subiecto producuntur. Postmodum entia creata virtute ab ipso Deo sibi communicata producere sua opera, eodemmet Deo cum eis concurrente, non quidem ex nihilo, sed ex præiacente materia. Tertiò, ex SS. PP. Aug. 1. *de gen. contra Manich. c.* 6. & 12. *Ciuit. c.* 24. *&* 25. & 1. *de lib. arb. c.* 1. & *in fine c.* 2. *omnia ex nihilo creauit Deus.* Ansel. in Monol. c. 23. *summa existentia non est nisi vna, quæ sola creatrix est.* Et Damasc. 2. fidei, cap. 3. *omnium factor, & prouisor, & contentor Deus est solus.* Idem scribunt Athan. *l. contrà Arrian.* Hilar. 8. *Trin.* & alij concorditer, & vnanimiter. Propterea Aur. præmem. testatur se præpositæ conclusioni adhærere, contrà Arr. cit. aientem eam sententiam non esse expressè à PP. traditam, eosque fuisse loquutos de creatione, quæ est independens, & à se. Verùm, mens eorum explicita satis constat ex verbis eorumdem præadductis, præsertim quia disputabant contrà sectarios, nominatim Arrianos negantes Verbum esse Deum, aduersùs quos hac ratione insurgebant, Verbum diuinum est creator rerum omnium, veluti Pater, ergò est Deus sicut Pater. Si enim foret creatura, vt dicti Hæretici putabant, non foret creatur, pollens virtute creandi, quandoquidem nulla creatura vi creandi fruitur. Quare licèt Dei Filius non sit à se, sed à Patre, habeatque potentiam creatiuam ab ipsomet Patre, non ob id creator non censetur, proindéque prænominati Patres non differunt de creatione à se, & independente, vt arbitratur Arr. Tertiò, agens creatum præsupponit subiectum, in quod agat, vt notat Scot. 7. *Met. quæst.* 11. & scribit Stagir. tanquam verum, & vulgatum proloquium *ex nihilo, nihil fit.* 1. *Phys. Text.* 41. & alibi. Ratio est, quia agens creatum est dependens in suis operibus à materia: creatio autem est productio ex nullo præsupposito subiecto, ergò nulli conuenit creaturæ. Quintò, cui repugnat potentia, & actus primus, vtique eidem repugnat operatio, & actus secundus: potentia autem creandi impossibilis est creaturæ: ergò & creatio. Min. ostendetur in proxima aff. in qua probabitur principium creandi non posse vlli creaturæ communicari, proindéque, si de possibili creatio non potest competere creaturæ, ergò nec de facto.

38. Aff. 2. nulla creatura, siue facta, siue factibilis potest quidpiam creare tanquàm causa principalis. Ita communis fert Theologorum sententia, nuncupatim Scot. cit. in vtroque opere Oxon. & Parisien. Probatur primò, ex D. Aug. 3. *Trin. cap.* 8. *Nulla creatura dici potest alicuius rei creatrix.* Et *ibidem cap.* 9. *&* l. 9. *de genesi ad lit. cap.* 15. & *l.* 2. *qq. super Exod. quæst.* 21. Et Athan. *passu alleg. in aut. assert.* creaturam creatricem esse non posse, nulli est ambiguum. Secundò, omnis creatura facta, vel factibilis, aut est materialis, aut spiritualis, corporea, aut incorporea, vt explicui in *Epitome l.* 1. *q.* 3. *art.* 4. Neutra autem quidquam potest creare: & quidem materialis, quæ est materia, vel forma, vel compositum. De materia patet, quia est passiua, & cuiuscumque formæ subiectum. Forma verò cum educatur de potentia eius, eo modo operatur quo habet esse: sortitur autem esse per eductionem, ergò quoque agit dependenter à subiecto, ex quo educitur. Quare in esse, & in operari ab eomet pendet, proindéque creare nequit. Idipsum statuendum est de composito, quod cum constet ex materia, & forma, eamdem planè rationem agendi participat, quam illa. Est namque vtriusque causatum totale, & adæquatum, quod non transgreditur limites actionum dictarum causarum. Hæ autem creationem nequeunt attingere, ergò nec illud. De spirituali verò creatura, quæ est Angelus, vel anima rationalis idem est dicendum. Inprimis Aug. 9. *de gen. ad lit. cap.* 15. tradit, creare naturam tam nullus Angelus potest, quam nec seipsum. Anima verò rationalis est Angelo inferior natura, & virtute: si ergò ille non potest creare, nec ista. Ratio redditur, omnis creatura spiritualis agit intellectione, & volitione, quæ sunt accidentia, accidens verò vi propria, & intrinseca nequit productionem substantiæ attingere, quæ per creationé efficitur. Nulla igitur creatura siue creata, siue creabilis potest aliquid creare. Hæc ratio displicet Suarez *disput.* 20. *Met. sect.* 2. *num.* 19. *&* Arr. cit. Aiunt enim intellectionem, & volitionem, ad aliquid creandum posse præexigi, & concurrere instar dirigentis, & applicantis: siquidem agens intellectuale debet prænoscere quid agendum per suam cognitionem, cum operetur propter finem, & per suam volitionem debet applicare potentiam suam exequtiuam, qua opus ab ipso intentum producitur. Quare sicut homo intelligit, & vult generationem, & potentia generatiua generat: ita dari potest creatura intellectualis, quæ præuiis intellectione, & volitione, crearet aliquid per potentiam, & virtutem creatiuam sibi à Deo communicatam, & inditam. Verùm hæc Suarez instantia non eneruat, sed corroborat argumentum Scot. cum apud ipsum cit. expressè habeatur, vt licet intueri, §. *secunda propositio. A A.* eique plenè satisfaciat inquiens, agens intellectuale non producit immediatè per suam naturam, & substantiam, alioqui in diuinis forent quatuor personæ, vna producta ex fœcunditate naturæ, præter tres alias, quod falsum, & hæreticum est. In creatis verò, si daretur potentia exequtiua, esset subordinata potentiis intellectiuæ, & volitiuæ, ac eis inferior, & ignobilior, à qua creatio, quæ est actio præstantissima, prodire nequit. Homo autem generat hominem, non potentia aliqua conueniente ipsi per animam rationalem, sed facultate naturali materiali, vt præstant animalia irrationalia. Hinc est vt Angeli, tam boni, quàm mali non participantes eam virtutem, generare non valeant alios Angelos sibi similes.

Tertiò, nulla creatura facta, vel factibilis, potentia infinita insigniri valet: nam potentia naturam, à qua prodit, non excedit: quælibet autem creatura est finita, & limitata, ergò & eius virtus, & potentia finita, & limitata est. Principium autem creandi est infinitum, quia est independens protsùs ab alio, hoc est, à subiecto, & materia, cum ex nihilo rem producat: ergò nulli creaturæ adaptari potest. Rursus, præstantior creatura, si quid mirabile operatur, fit applicatione actiuorum naturalium passiuis, vt legitur *Exod.* 7. de serpentibus productis à Magis Pharaonis, & trado *lib.* 3. *Phys. quæst.* 2. *art.* 2. Deinceps, tot annorum spatiis, à primordio Mundi, vsque modò, non inuenitur vlla creatura, quæ aliquid ex nihilo produxerit, quod non exiguum signum est, nullam creaturam posse quidpiam creare, veluti à prima rerum molitione, nulla pars cæli fuit corrupta, quod signum est, ipsum cælum esse incorruptibile, vt *in proximo lib.* monstrabo.

39. Oppones 1. contra 1. assert. D. August. *hom.* 80. *in Ioan.* & exaratur in Can. 1. quæst. 1. Detrahe. *Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* abluitur autem cor per gratiam, quæ creatur à Deo in anima, suscipiendo sacramentum Baptismi: ergò aqua baptismalis creat gratiam, sicque creatura potest aliquid creare. Respondeo verba

Aug.

Auguſt. non eſſe capienda phyſicè, ſed moraliter, hoc eſt, ea pacto, quo Deus ſtatuit creare gratiam in ſuſcipiente ſacramenta, obicem non ponente. Quare Deus phyſicè creat gratiam, non verò aqua, vel alia quæcumque creatura.

Inſtabis, Concilium Florentinum in decreto Eugenij Papæ afferens diſcrimen inter Sacramenta veteris, & recentis legis, ſancit, huius Sacramenta cauſare gratiam, non autem illius: gratia autem, ſecundum Scot. 2. *d.* 34. §. *iſta q.* 3. *A.* creatur: ergò creatura attingit creationem. Dico quidem præfatum Conc. & alia definire Sacramenta dignè ſuſcipientibus conferre gratiam; de modo autem, quo cauſant, non determinant, ſed id ſcholaſticis diſputandum relinquunt, quorum quidam phyſicè: alij verò moraliter gratiam efficere opinantur.

40. Opp. 2. idem ſanctus Doctor *l.* 83. *qq. q.* 78. ſcribit, Artifices nihil creant, quia agunt dependenter à materia: Angeli autem non dependent à materia, cum ſint incorporei, & immateriales: ergò Angeli poſſunt aliquid creare. Reſpondeo quidem agere dependenter à materia, eſſe vnam cauſam, ob quam Artifices creare nequeunt; nihilominus non eſt omnis cauſa, ſed potiſſima cauſa, eſt eſſe ab alio, & dependentia in eſſe, & operari. Quapropter, licet Angeli ſint à materia ſeiuncti, tamen quia non ſunt à ſe, & independentes, creare non poſſunt.

Inſtabis, agens materiale poteſt aliquid ex nihilo producere, putà formam, vt tenent Philop. & Ferch. Veſtig. Peripat. Ergò & agẽs immateriale, cuiuſmodi eſt Angelus. Nego ant. Forma quippè educitur de potentia materiæ: eductio autem formæ de ſubiecto non eſt creatio, ſed productio ex aliquo, quæ à creatione diſtinguitur, vt patet ex dictis ſuprà.

41. Opp. 3. qui poteſt annihilare, poteſt quoque creare, vtriuſque enim æqualis eſſe potentiæ, cenſent omnes ſcholaſtici: creatura autem poteſt quid annihilare. Homo quippè per peccatum ab ipſo cõmiſſum, amittit gratiam, quæ eſt terminus creationis, & annihilationis: ergò &c. Concedo ma. diſtinguo min. effectiuè, nego: demeritoriè, concedo, cum Scot. 3. *d.* 13. *q. vn.* §. *Ad* 1. *principale L.* Quod eſt dictu, homo per peccatum demeretur, vt Deus ampliùs in eo gratiam non conſeruet: gratiam autem non conſeruare, perindè eſt ac annihilare.

Inſtabis, cum panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti, talis panis annihilatur, ergò ſi creatura aliquid valet annihilare, vtique & creare. Nego ant. latum quippè adeſt diſcrimen inter annihilationem, & tranſſubſtantiationem, vt indicat Alphon. *l.* 6. *aduerſus hæreſes, hær.* 5.

Vrgebis, ſi hoſtia conſecrata putrefiat, & gignatur vermis, fit noua materia, quæ ex dictis creatur, non implicat ergò creaturam aliquid creare. Dico, data hypotheſi, Deum creare nouam materiam, authore Scot. 4. *d.* 12. *q.* 6. *D.* quem ſequuntur Och. cit. & alij complures.

Articvlvs VI.

An creatura poßit eſſe cauſa inſtrumentalis ad aliquid creandum.

42. Prior opinio eſt Magiſtri 4. *d.* 5. §. *Hic quæritur.* Gabriel. *ibid. d.* 1. *q* 1. *a.* 3. *dub.* 2. Suarez *diſp.* 20. *Met. ſect.* 3. *n.* 7. Hurt. *diſp.* 12. *Phyſ. ſect.* 7. §. 118. & quorumdam aliorum arbitrantium creaturam poſſe eleuari à Deo, vt inſtrumentum ad aliquid creandum. Poſterior eſt Scot. in vtroque 4. *d.* 1. *q.* 1. Aur. *ibid. q. proœmiali a.* 3. Th. 1. *p. q.* 45. *a.* 5. Mol. *ibid.* & cæterorum negantium vllam creaturam poſſe eſſe inſtrumentum alicuius creationis.

43. Not. 1. & recol. ex dictis *l.* 4. *q* 5. *a. vnic.* Quid, & quotuplex ſit inſtrumentum, & addo ex Scot. cit. §. *Ad q. ergò E K.* quod ſi alicui naturæ repugnat eſſe principium actiuum aliquarum actionum, fieri minime per quamcumque potentiam, etiam diuinam abſolutam eſſe earumdem principium. Quamvis enim Deus abſolutè valeat creare frigus, non tamen poteſt ipſum frigus producere per calorem, ita vt calor ſit per ſe cauſa effectiua frigoris. Idque inſinuat D. Damaſc. 1. *fidei*, *cap.* 7. inquiens, quod licet Deus efficere queat aliquid extrà ordinem rerum creatarum, nihilominus efficere nequit, vt homo ſit formaliter aſinus. Ratio eſt, quia natura, & eſſentia hominis repugnat naturæ, & eſſentiæ aſini, cum conſtituantur per oppoſitas differentias, putà homo per rationalitatem, & aſinus per irrationalitatem. Atque non ſolùm natura vnius pugnat naturæ alterius, ſed etiam paſſiones earum: obid implicat hominem gignere aſinum, vnumque participare principia, & proprietates alterius. Quare, ſi concedatur, inſtrumentum propriè agere ad effectum producendum, debet habere in ſe formam actiuam in eſſe quieto, ante motionem, veluti cauſa ſecunda, vel ſaltem in actuali motione recipere actiuam virtutem, qua in ſuo ordine agendi, agat, ad terminum principalem producendum, aut ad aliquam diſpoſitionem præuiam. Itaque tanquàm vera, & vniuerſalis propoſitio ſtatuenda eſt, omne inſtrumentum, quod eſt verè, & propriè actiuum, vel agit ad aliquam præuiam diſpoſitionem termini principalis: vel per aliquam formam ſibi intrinſecam attingit terminum principalem, tametſi in virtute principalis agentis, ſiue tale principium actiuum præcedat motionem, ſiue tantùm ſibi inſit, dùm actu mouetur. Quod ſi nec in eſſe quieto, nec in actuali motione, formam agendi ſortiatur, planè deducitur, nullo modo poſſe agere: etſi tantùm habeat ſuaptè natura principium paſſiuum, nequit habere principium actiuum, alioqui vt repugnans eius eſſentiam deſtrueret. Certum autem, & indubitatum eſt, Deum poſſe ſupplere actionem agentis creati, & ad eius effectum non concurrere, vt de facto præſtitit in fornace Babylonica, in qua ignis ardens non calefecit, nec combuſſit tres Pueros Hebræos: fieri tamen non poteſt, vt calor frigefaciat, quia eſt paſſio frigoris repugnans calori; & è regione, calefacere eſt paſſio caloris repugnans frigori. Cauſa huius adduci poteſt, quia hæ paſſiones fluunt naturaliter ab eſſentiis eorum, & ita ſicut eſſentiæ formaliter ad inuicem repugnant, ſic pariter eorum paſſiones, & proprietates, vt patet de homine, à cuius eſſentia emanat riſibilitas, quæ opponitur rudibilitati, quæ eſt paſſio prodiens ab eſſentia aſini.

44. Not. 2. ex Scot. 3. *diſtinctione prima, quæſtione prima.* §. *Non aſſerendo. ſub F.* & *quæſtione ſecunda. Ad argumenta principalia. infrà C.* naturam humanam (quod & de qualibet alia natura aſtruendum eſt) eſſe in perfecta obedientia ad dependendum è quocumque ſuppoſito, per actionem agentis ſupernaturalis, cui omnia ſubduntur, & faciunt verbum eius, nec quidquam poteſt reſiſtere voluntati eius, cum habeat plenum dominium, & poteſtatem in omnia. Vndè, ſicut Deus poteſt multa de potentia abſoluta, quæ non poteſt de potentia ordinata, hoc eſt, ſecundum legem ab ipſo inſtitutam, & ſancitam: ita quoque multa poteſt præſtare in creatura per potentiam obedientialem, quæ non poteſt præſtare modò, ſinendo ipſammet creaturam, iuxtà ordinem ſibi præſcriptum. Nihilominus, cenſendum non eſt, per hanc potentiam obedientialẽ, poſſe aſſumi crea-

turam à Deo, ad promendos effectus sibi repugnantes, & impossibiles, quandoquidem ad impossibile nulla extat potentia, siue creata, siue increata. Quamobrem Scot. loco memorato, q. 2. negat vnam naturam creatam singularem posse assumi ad vnionem hypostaticam coniunctim, à tribus diuinis Personis, quia id repugnat, posse tamen diuisim, quia id non repugnat: quamuis enim Deus se solo, & immediate valeat producere frigus, aliaque accidentia absoluta, nequit tamen efficere, vt calor actiuè concurrat ad producendum frigus, quia ei repugnat, cum sit talis natura, vt non potiatur principio, & vi frigefaciendi, sed virtute calefaciendi duntaxat. Potest quidem Deus constituere hoc pactum, vt apposito calore producatur frigus, non à calore effectiuè, sed ab ipsomet Deo, quemadmodum dicimus de causalitate sacramentorum, quæ physicè non attingunt gratiam, sed moraliter, idest, quia Deus statuit cum Ecclesia, vt per huiusmodi sacramenta, in recipiente, & obicem non ponente producatur gratia, non à sacramentis physicè, sed ab ipso Deo.

45. Ass. nulla creatura potest assumi à Deo, tanquam instrumentum actiuum, ad aliquid creandum. Ita Scot. *4. d. 1. quæst. 1. §. Ideo dici potest LL.* Probatur primò, quod nullam habet formam, seu principium actiuum in esse quieto, ante omnem motionem agentis: aut in fieri, cum actu mouetur, nullo modo potest agere: creatura autem nullum principium actiuum participat ad aliquid creandum, in esse quieto, quia nequit esse causa principalis creationis, vt ostendi *in præcunte art.* aut in fieri, quia vel disponeret ad creandum, & hoc est impossibile, quia nullum in creatione extat subiectum disponendum, cum sit productio ex nihilo, siue ex nullo præsupposito subiectu: vel attingeret terminum creationis, & hoc non, quia nullam in se possidet vim creatiuam.

Dices id effici, non propria virtute, sed virtute Dei. Contrà, instrumentum priusquam assumatur à Deo ad creandum, ex omnium sententia, non habet virtutem creandi, ergò si eleuetur à Deo, & concurrat ad creandum, de nouo debet recipere virtutem creandi; siquidem, idem manens idem, absque vlla sui mutatione, nullo modo, nunc non est actiuum, nunc verò actiuum: creatura autem assumpta à Deo, tanquàm instrumentum non recipit in se vim creandi, cuius est incapax, cum sit virtus actiua independens à subiecto, & omnis creatura agit dependenter à subiecto. Atque instrumentum quando agit, recipit influxum ab eo, cuius est instrumentum, nimirum motionem actualem, per quam agit in suo ordine: illa autem motio non prouenit ab instrumento, sed à virtute mouentix principalis, ergò creatura non potest eleuari, vt instrumentum creationis.

Secundò, cui repugnat actus primus, vtique repugnat actus secundus, quia hic, ab illo promanat, & remoto principio, remouetur quoque principiatum: creaturæ autem, vt causæ instrumentali repugnat actus primus, idest potentia creandi, quia hæc est à se, & independens, soli Deo conueniens, ergò creatura assumi nequit à Deo, vt instrumentum creationis.

Dices, argumentum concludere de causâ principali, non autem de causa instrumentali. Contrà, instrumentum propriè non est actiuum, vt probaui loco præcit in primo not. & si quid operetur, solùm præuiè disponit subiectum, in creatione autem nullum subiectum supponitur disponendum, cum sit factio ex nihilo. Addo, potentia obedientialis quæ extat in creatura; non est actiua, sed passiua, ergò creatura, vt instrumentum nequit attingere terminum creationis. Tertiò, duæ causæ propriè influentes in effectum, quoquomodo id fiat, siue principaliter, siue instrumentaliter, efferunt suam propriam actionem, & sicut sunt duæ causæ, ità & duæ actiones, quibus effectus communis producitur, vt tradit Doct. *in calce q. præcit.* ergò si creatura statuatur causa instrumentalis creationis, suo modo, & ordine debet promere suam actionem, & actiue concurrere ad terminum creationis: id autem præstare nequit, quia agit dependenter à subiecto, ergò eleuari non potest, vt instrumentum creationis.

46. Opp. 1. non minor virtus requiritur ad faciendam vnionem hypostaticam diuini Verbi cum humanitate, quam ad aliquid creandum, quia vtrumque est opus supernaturale: creatura autem potest esse instrumentum præfatæ vnionis, ergò & creationis. Min. probatur. B. virgo extitit instrumentum mysterij Incar. ad hanc quippè cooperata est, cum fuerit vera mater Dei, & hominis. Vnde Ecclesia cantat, *sancta Dei genitrix.* Concedo maiorem, nego minorem, ad eius probationem dico quidem Beatam Virg. fuisse cooperatam ad Christi humanitatem: totam verò sacrosanctam vnionem Verbi, cum dicta humanitate fuisse peractam Spiritus sancti virtute, sicut prædixerat Angelus Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Beata verò virgo nuncupatur Dei genitrix, propterea quod genuit Christum, qui est Deus, & homo, tametsi non attigerit prænominatam vnionem. Idque declarari potest de homine generante hominem, quamuis animam rationalem non producat.

Instabis, sacerdos est causa effectrix transsubstantiationis corporis Christi, ad quam exigitur virtus supernaturalis, sicut & ad creationem, dico esse instrumentum morale, non verò physicum, sicut dictum est de sacramentis gratiam causantibus, & de humanitate Christi patrante miracula, vt scribitur Luc. 5. *virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*

47. Opp. 2. æquè difficile, & arduum est, corpus agere in spiritum, ac creaturam eleuari vt instrumentum creationis, cum sit vulgatum effatum, corpus non agit in spiritum. Primum autem est possibile, vt patet de igne inferni vrente animas damnatorum. Luc 16. *crucior in hac flamma.* Ergò & secundum. Concedo maiorem. Ad minorem dico, ignem ibi agere obiectiue duntaxat, hoc est. vt obiectum nolitum à damnatis: hæc autem est actio intentionalis, non verò realis physica. Vel dicito damnatos torqueri in inferno, tanquam in teterrimo antro, & carcere, in quo detinentur authore Scot. 4. d. 44. q. 1.

Instabis, 4. *Reg.* 20. narratur, morbum Ezechiæ Regis fuisse ab Esaia curatum per ficus, qui potius aggrauant infirmitatem, quàm sanent, notante Lyran. *eo in loco.* Atque *Ioan.* 9. cæcus natus visum recepit per lutum, quod visui nocet. Ergò si hoc potest Deus, quoque & illud. Dico, ea ad dictos effectus non concurrisse physice, sed moraliter, veluti si Deus oratione sancti Francisci crearet Angelum, illa oratio esset causa non physica, sed moralis. Aur. cit. declarat hoc de apponente stupam igni, & de incendiario, qui dicitur causa combustiua domus, in quam proiecit ignem, cum ipse ignis verè, & physicè eam comburat, non autem incendiarius.

47. Opp. 3. Aug. *serm.* 24. *de verbis Apost.* *illud Matt.* 11. *discite à me* scribit, *discite à me non Mundum fabricare, & creare naturas, nec illa quidem alia, qua hic latens Deus, homo manifestus effecit*: ergò Aug. nō censet inconueniens, & impossibile, creaturā posse aliquid creare, maximè si vi diuina eleuetur tamquam instrumentum creationis. Respondeo exponendū esse Aug. moraliter, non verò physicè, sicut dictum est in responsione 1. *oppositionis præcedentis art.* vel fiet satis, si dicatur, ibi Christum Dominum nos docere *humilitatem*, quæ est fundamentum cæterarum virtutum, quæve vnita cum charitate nos conducit ad felicitatem

tem æternam, & requiem animabus noſtris ſempiternam. Ideò ipſe Saluator ſubiicit, *& inuenietis requiem animabus veſtris.* Et ſi nouerimus, quomodò creandus ſit mundus, & rerum omnium ſcientiam habuerimus, quæ in eo ſunt, abſque humilitate, & charitate, nequiremus eam gloriam, & requiem adipiſci. Vel idem ſanctus nobis innuit, quod ſicut impoſſibile eſt creaturam condere Mundum, ità impoſſibile eſt abſque humilitate cæleſtem beatitudinem ſibi comparare.

LIBER SECVNDVS.

De Cælo.

De natura Cæli, eiuſque motu, ac influxu eiuſdem agentes, cætera relinquimus Aſtrologis conſideranda, & conſpicienda. Tres autem in hoc libro præcipuæ diluuntur quæſtiones: prima de natura Cæli, ſecunda de motu eius, & tertia de eiuſdem influxu. Antequàm autem has aggrediar difficultates, in animo eſt Cæli nomenclaturam exponere. Quidam enim putant Cælum deriuari à celando, proptereaquod videtur nobis celare, quæ intrà, & ſuprà ipſum efficiuntur: cæteri verò, nominatim Vorrilong 2. *d. 16. art. 1.* notionem eius deducunt à verbo cælo, quod perinde eſt ac ſculpo: & certè in ipſo mirificè cernuntur ſtellæ ſculptæ, veluti in pulcherrimo campo lucentes, & micantes. Huius verò ſtatus eſt firmus, ordo certus, & ornatus perfectus, vt non incongruè pſallat regius vates Pſal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.*

QVÆSTIO I.

De natura Cæli.

ARTICVLVS I.

An Cælum componatur ex materia, & forma.

2. A Ver. 1. *de ſubſtantia orbis cap.* 2. & 1. *Cæli ad tex.* 7. *&* 10. ea Ariſt. *locis infra citandis*, putat cælum eſſe corpus ſimplex, materiæ, formæque expers. Idem ſentiunt Gabriel 2. *d.* 12. *q.* 1. Aur. *ibid. d.* 14. *art.* 2. Dur. Mayr. & Arr. *diſp. vn. celeſ. ſect.* 1. à quibus non declinat Poncius *diſp.* 51. *q.* 1. *in fine.* Oppoſitum autem nimirum, Cælum conſtare ea materia, & forma docent cæteri, Alenſ. 2. *parte, q.* 44. *m.* 3. S. Bon. 2. *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 2. Och. *quæſt.* 22. Th. 1. *p. quæſt.* 66. *art.* 2. Suarez *diſp.* 13. *Met* Conimb. 1. *Cæli c.* 2. *quæſt.* 4. *art.* 2. & Hurt. *diſp.* 1. *ſect.* 1. §. 7. Scot. autem *in vtroque opère* 2. *d.* 14. *quæſt.* 1. hanc controuerſiam vnica diſtinctione dirimit, inquiens ſecundum Philoſophos cælum eſſe corpus ſimplex, ſecundum verò Theologos, eſſe compoſitum.

3. Not. 1. ex Scot. *in Report. cit. §. circà iſtam quæſt.* pro certo haberi, cælum non eſſe ſubſtantiam incorpoream, cum à nobis cernatur quantum, & ſenſibile: quantitas autem nonniſi in ſubſtantia materiali, & corporea ſubiectatur: dubitatur verò, vtrùm ſit ſubſtantia ſimplex, aut compoſita ex materia, & forma. Deinde obſerua cælum nonnunquam accipi pro aëre, vt Pſal. 8. *volucres cæli* ideſt aëris, interprete Aug. 12. *Conf.* 32. Et Pſal. 146. *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam.* Hinc Aug. *l. de natura boni, contrà Manich. c.* 33. ſubiungit, *Quandoque aër Cælum dicitur, non illud, in quo ſunt ſydera, ſed hoc inferius, cuius caligine nubila conglobantur, & vbi aues volitant, nam & cælum nubilum, & volatilia cæli appellantur.* Quò fortè reſpiciens Paulus Eph. 6. *ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus* nominauit. Addit Damaſc. 2. *fidei, c.* 6. conſuetudo diuinæ ſcripturæ eſt, aërem cælum vocare. Propriè autem cælum eſt continentia rerum omnium viſibilium, & inuiſibilium, authore Scot. 2. *d.* 2. *q.* 6. *paulo ante B.* poſt Damaſc. mox alleg. de quo canunt Virg.

Maria, ac terras cælumque profundum

Et Lucan.

Nubes excedit Olympus.

Et de hoc in præſentia inſtituitur ſermo, quod Abrahæ monſtratum eſt, Gen. 15. *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes.*

4. Not. 2. duobus modis vſurpari formam, & totidem materiam: ſumitur quippè forma pro parte compoſiti phyſici, quæ vnà cum materia cauſat compoſitum. Itemque pro tota natura, & eſſentia cuiuſcumque rei, ſic humanitas dicitur forma hominis, Philip. 2. *Formam ſerui accipiens*, ideſt humanitatem, ſeu humanam naturam, interprete Lyr. & vocatur forma totius. Hoc quoque in ſenſu Angeli perhibentus formæ ſimplices, nempè naturæ compoſitionis phyſicæ expertes. Materia pariter capitur pro materia partis, quæ vnà cum forma conflat compoſitum; & pro materia totius, ſeu differentia indiuiduali, quæ dicitur materia, quia eſt ſuſceptibilis, & ſubiicibilis, veluti materia ſubiicitur omnibus formis, notante Scot. *in exp.* 1. *Met. cap.* 4. vndè Ariſt. 1. *cæli T.* 92. præmiſit: *Cum dico cælum, dico formam; cum dico hoc cælum, dico materiam.*

5. Aſſ. 1. ſecundum Ariſt. eiuſque aſſeclas cælum, à materia eſt ſeiunctum, & corpus ſimplex, quod quinta eſſentia Peripateticorum nuncupatur. Tenet Doct. *locis memoratis.* Probatur 1. validis, & efficacibus Philoſophi authoritatibus, & teſtimoniis, 9. *Met.* 17. cælum eſt æternum, & non eſt in potentia contradictionis ad eſſe, vel non eſſe: quod autem componitur ea materia, & forma poteſt eſſe, aut non eſſe, 1. *Phyſ.* 12. Ratio eſt, quia materia actuata, & informata per vnam formam inclinat, & appetit alteram formam, ideò ob priuationem ipſi annexam machinatur maleficium, ideſt corruptionem compoſiti, in quo extat, 1. *Phyſ.* 81. Ergò in ſchola Peripatetica, cælum non conſtat ex materia, & forma. Occurrunt Rub. *in com.* 1. *de cælo, c.* 2 *q.* 5. Conimb. & alij præcit. Ariſt. amouere à cælo potentiam disiunctam

ctam ab actu, seu forma, qua actuatur, & informatur, non verò potentiam coniunctam semper cum actu, & forma, qua actuatur, & informatur: hæc enim potest esse cum æterno, & perpetuo, cuiusmodi est cælum. Contra idem Arist. *ibi* admittit solum potentiam in cælo, ad formam accidentalem, puta ad qualitatem, & ad vbi: at si ibi foret materia, esset quoque indifferens, & in potentia ad aliam formam substantialem, ad quam inclinat, & appetit si non proximè, saltem remotè: nulla quippè forma quantumcumque perfecta, potest satiare, & explere omnem appetitum aliarum formarum. Deindè si per Arist. cælum est corpus simplex, sanè infertur carere materia, cum simplex composito ex materia opponatur. Idipsum exarat Philosophus 8. *Met. T.* 4. *&* 14. *&* 12. *eiusdem operis, T.* 10. Et *ibid. T.* 30 probat intelligentias materia carere, quia sunt sempiternæ: cælum autem est æternum, vt patet 1. *Cæli T.* 38. *&* 39. Ergò materiæ non est compos. Secundò, *ex l. de longitudine, & breuitate vitæ, cap* 2. quod conflatur ex materia, à contrariis non est alienum: corpus autem cæleste caret contrariis, vt patet 5. *cæli*, c. 3. *&* 4. Ergò est expers materiæ.

Dices cum Ruu. cit. Cælum habere nonnullam contrarietatem. Est enim penes vnam partem, rarum, & penes aliam partem densum, & motus eius velox, aut tardus. Contra, Arist. ibi verba facit de contrariis propriè dictis quæ sunt primæ qualitates, quæ aduersantur vitæ animantium, de quorum breui, & longa vita agebat: patet autem huiusmodi contrariis carere cælum, ergò inepta est præfata responsio, ad textum Arist.

Tertiò, *ex* 2. *de gener. c.* 1. *&* 8. *Met.* 14. quæ comparantur ex materia, & forma, sunt ad inuicem transmutabilia, vt liquet de elementis, quorum vnum transmutatur in aliud: cælum autem est intransmutabile & incorruptibile, 1. *cæli*, 81. Ergò, à Physica compositione eximitur. Nec præstat dicere cum Ruu. cælum transmutari non simpliciter, sed secundum quid, hoc est ab vna forma accidentali, ad aliam, aut priuationem eius, vt à luce, ad tenebras, vt patet de nocte, & eclypsi solis, & lunæ. Siquidem Arist. eo in loco loquitur de transmutatione substantiali, per quam Philosophi potissimum deuenerunt in notitiam materiæ. Nam, si daretur corpus simplex, posset in eo effici transmutatio accidentalis, & tamen foret expers materiæ, ergò Philosophus est interpretandus de substantiali transmutatione, proindeque, in sententia eius cælum caret materia.

6. Ass. 2. secundum Theologos, & veritatem cælum componitur ex materia, & forma. Defenditur à Doct. *locis præmemoratis*, & probatur primò, ex sacra pagina, sap. 11. *qui creauit orbem terrarum est materia inuisa.* Idest, vt exponit Lyra. ex materia prima, quæ dicitur inuisa, propterea quod à nobis non est cognoscibilis, nisi per anologiam ad formam, tametsi in se sit cognoscibilis ex assertis in Phys. *l.* 2. *q.* 5. *art.* 14. vel, vt interpretatur Aug. 2. *de gen. ad lit.* 11. *Fecit Mundum ex materia informi.* Quæ dicitur chaos pertingens à terra, vsque ad cælum empyreum, exprimente Scot. *vbi suprà*, post Alensem præcit. ex quo Cælum, & cætera corpora fuere compacta 2. ex SS. PP. cit. ab Aur. *art.* 2. Suarez, & Conimbr. prærecensitis, vnum nobis sufficit nominare, & allegare Aug. tum *passu proximè adducto*, tum etiam 2. *de gen. contrà Manich.* 7. & *l.* 2. *contrà Aduersarium legis, & prophetarum cap.* 8. nostram conclusionem munientem authoritate iam à nobis allata *sap.* 11. Quibus præiuerunt Plato, Democr. Empedoc. & alij vetustiores Philosophi hanc veritatem complectentes, & confirmantes, teste D. Th. 1. *p. q.* 66. *art.* 5. Tertiò, cælum habet esse in actu, cum vere cernatur existere in rerum natura, aut ergò est actus, aut habens actum: non est autem actus siue perfectus, aliqui foret natura intellectualis, siue imperfectus, seù esset forma, quæ nequit esse anima rationalis, vel alia ex sublunaribus, vt per se constat, restat, vt sit habens actum, quod autem habet actum, vtique pollet potentia ad illum suscipiendum: & huiusmodi potentia actus susceptiua est materia, igitur cælum ex materia, & forma conflatur. 4. cælum est sensibile, & materiale, in se recipiens accidentia composito congruentia, putà magnitudinem, raritatem, densitatem, diaphaneitatem, figuram, colorem, & id genus alia: igitur cælum est compos compositionis.

7. Opp. 1. contra 1. ass. Arist. 1. *cæli, c.* 2. *T.* 5. probat cælestes sphæras moueri circulariter, quia constat ex naturis: naturæ autem sunt materia, & forma: compositum verò est habens naturam, igitur cælestia corpora componuntur ex materia, & forma. Conf. ex eodem ibid. T. 92. explicitis verbis scribit cælum constare ex materia. Et *ibid. T.* 94. & 95. causam adducit, cur non possit fieri aliud cælum, quia conflatur ex tota materia, ita vt in eius productione vniuersa materia fuerit exhausta. Deinceps 2. *de generatione c.* 9. *T.* 51. & 12. *Met. T.* 22. affirmat eadem esse principia sublunarium, & cælestium, temporalium, & æternorum, corruptibilium, & incorruptibilium; non est ergò à cælo ablegande materia. Respondeo Philosophum eo in tex. asserere corpora naturalia esse mobilia, & cælestia cieri motu orbiculari; materiæ verò ibi non meminit, quidquid dicant Conimb. *in eius expositione.* Vel, data hypothesi, quod illud assereret, exponendus est, non de materia partis, sed de materia totius, sumpta pro differentia indiuiduali, vt animaduerti, *in fine* 2. *rat.* vel de materia ad vbi & circa quam, non verò de materia ex qua. Ad conf. dico ibi Arist. verba facere de mundo, qui secundũ ipsum est effectus necessariò à Deo productus, itavt alius condi nequeat: etsi postmodum de cælo idem astruat, tamen non est interpretandus de materia partis, sed de materia totius: ob id præmisit *T.* 92. cælum esse eorum, quæ singularia sunt. Et deindè, cum dico hoc cælum, quod est singulare, dico materiam: per hanc distinctionem quoquè satisfit cæteris locis præcit. Et addi potest, Arist. loqui de principiis metaphysicis, quæ sunt genus, & differentia, quæve dicuntur quodammodo materia, & forma. Quod planè aduertit, & expresse scribit 8. *Met.* 14. *inquiens.* Non omnis materia est, sed quorum generatio est, & transmutatio adinuicem: quæcumque autem sine transmutatione sunt, horum autem non est materia.

8. Opp. 2. Idem Stagir. 2. *anima, c.* 1. *T.* 2. diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum, & corpus naturale ait constare ex materia, & forma: cælum autem est corpus naturale: ergò conflatur ex materia, & forma. Respondeo exponendum esse de corpore sublunari, generabili, & corruptibili, non autem de cælesti, ingenerabili, & incorruptibili, atque de corpore naturali simplice, vti est cælum in sententia eius.

9. Opp. 3. quod recipit eadem accidentia, quæ recipit corpus generabile, & corruptibile, participat eamdem materiam: cælum autem sortitur eadem accidentia, quibus informatur corpus sublunare. Est namque quantum, figuratum, coloratum, sensibusque subiectum, etiam ex Arist. 1. *cæli* 22. ergò quoque est compositum ex materia, & forma. Respondeo hoc quidem esse probabile argumentum, non tamen est demonstratiuum; nam, cum dicta accidentia sint communia, nos non manuducant in notitiam propriam, & euidentem naturæ corporis cælestis. Diceret enim Arist. corpus simplex eamet accidentia habere, & participare, quæ corpus compositum, ideò negaret ma. Præsertim quia, eorum subiectum proximum non est materia, sed corpus, siue simplex siue compositum, vt decisum est in Phys. *l.* 5. *q.* 5. *art.* 4.

ART. II.

Articvlvs II.

An cælum distinguatur ab elementis.

10. EXtitit opinio priscorum Philosophorum, antè Arist. existimantium Cælum esse corpus ex elementis conflatum, tametsi inter se dissentiant. Nonnulli enim,(vt videre est apud Conimb. 2. *Cæli, c.2.q.5.a.1.* & Rub. *ibid. q. 4.*) putant esse igneum, quidam æreum, alij aqueum, & cæteri terreum, aut quispiam a sublunaribus minimè dissitum. Communis autem sententia est Arist. 1. *Cæli, c. 2. & 3.* & aliorum posteriorum Philosophorum, & Theologorum 2 *d.* 14. docentium Cælum esse corpus ab elementis, & sublunatibus cunctis diuersum.

11. Not. ex S.Bon. 2.*d.*14.*a.*1.*q.*2. litem, quæ viget inter Peripateticos, & SS. Patres consentientes cum veteribus Philosophis, & arbitrantes Cælum ex elementis, aut ex aliquo elemento coalescere, potius esse de nomine, quàm de re. Licet enim D.Aug. 2. *de gen. ad lit. c.* 5. Ambr. 2. *Exam.c.3.* & alij non pauci dicant Cælum esse igneum: tamen non videntur existimare, ipsum reuera esse naturæ igneæ, sed penès conuenientiam, hoc est, quia est lucidum, sicut ignis: pariter Cælum dicitur aqueum, vt idem sanctus Doctor obseruat, *vbi suprà, q.* 1. quia habet quandam similitudinem, cum aqua, scilicet, quia est perspicuum, veluti aqua, & quia etiam retinet lumen, sicut aqua. Quod si hoc tibi non satisfacit, cape illud D.Aug. 19. *Ciuit.c.3.in fine.* Potius de rebus ipsis iudicare debemus, quam de hominibus, quid quisque senserit. Plerique namque SS.PP. Platonem suo tempore sequuti existimantem, Cælum participare naturam igneam. Sic ergò, vt Philosophi præfatum dogma tuebantur, cuius oppositum Arist. primus in scholam inuexit, quem postmodum vulgus scholasticorum amplexum est. Atque si vtraque pars incerta tibi videatur, sume illud Seraphici Doct. proximè cit. In rebus dubiis melius est piè dubitare, quàm temerè aliquid definire.

12. Ass. Cælum est corpus distinctum, à quatuor elementis, & cunctis sublunatibus. Tenet Doct. *in vtroqueopere 2.d.14.q.1. non procul ab initio,* Gabriel *ibid.* Lyran. *in expos. Gen.* 1. & sacri interpretes iuniores. Probatur 1. corruptibile, & incorruptibile differunt plusquàm genere, 10. *Met.* 26. Cælum autem est incorruptibile, elementa verò corruptibilia, saltem penès partes, & cætera sublunaria, secundum se tota, ortui, & interitui sunt obnoxia, ergò cælum ab his omnibus dissidet.

Dices, tàm sublunaria, & inferiora, quàm cælestia, & inferiora sunt corruptibilia, vt patet 2. Petri, 3. *cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Occurrendum est cum Lyr. illum tex esse exponendum, non secundum substantiam, sed secundum accidentia. Ideò subdit sacer tex. *Nouos verò cælos, & nouam terrã, & promissa ipsius expectamus.* Post namq; diẽ iudicij, omnia sunt immutãda, & renouãda, igneque purgãda, vt præfatus Postillator ibi animaduertit.

Secundò, quod mouetur motu proprio, & peculiari à motibus aliorum, est corpus ab eis distinctum, & diuersum, vt arguit Arist. 1. *cæli tex.* Cælum autẽ cietur motu proprio, putà circulari, elementa verò, & alia corpora, motu recto, sursum, aut deorsum mouentur, vt patet experientia de igne, qui sursum fertur, & de terra, quæ deorsum cadit. Ergò hæc, ab illo discriminantur.

Dices, ignis etiam orbiculariter mouetur, vt cernitur in cometis ignitis, qui à nobis cernuntur in gyrum volui, ergò motus circularis non est cælo proprius, quo nobis innotescat eius discrimen ab igne, & reliquis sublunaribus. Dico ignem quidem circulariter in sua sphæra moueri, tamen is motus non fit à principio intrinseco, veluti cælum mouetur, sed ab extrinseco, hoc est à cælo, ad cuius motum trahitur ipse ignis, veluti funis ad motum rotæ voluitur, ipsi annexus.

Tertiò, locus, situs, & influxus cæli, apertè demõstrant, ipsum à cæteris prænominatis differre. Etenim locus eius est supremus omnia sublunaria continens, & circumvoluens, ad concordiam contraria reuocans; est enim causa vniuersalis mixtorum, tàm viuentium, quàm non viuentium, ab omni contrarietate semotum. Deindè, ad vniuersi ornatum, & cõplementũ spectat, vt sicut sunt elementa pugnantia, & mixta ex eorum pugna resultantia, sic existat corpus ea omnia continens, superius, maius, & sublimius, luminibus collustratum, stellis fixis, & erraticis præditum, & ab omni fæce, & perturbatione sublunarium seiunctum, cuiusmodi est cælum. Eò magis, cùm sit domicilium Angelorũ, & omnium Beatorum, in quo Deus ab eis videtur, & possidetur. Accedit ratio Arist. 1. *Meteor.* 3. si cælũ foret igneũ, cùm sit multo maius, & efficacius cæteris, omnia iam combussisset, & in cineres redegisset: quæ ratio licet sit igni peculiaris; attamen accommodari potest reliquis elementis. Siquidem, si cælum esset aqueum, iam omnia inundasset, & deuastasset: idque pariter de aëre, & terra asseruaretur, cùm sit ingentis magnitudinis, & virtutis. Tenenda ergò est sententia Arist. docentis, cælum esse alterius naturæ ab elementis, & à cunctis sublunatibus.

13. Opp. 1. eadem accidentia arguunt idem subiectum, eamdéque substantiam, iuxta illud 1. *de anima, T.*11. *Accidentia magnam partem conferunt, ad cognoscendam substantiam*: eadem autem accidentia subiectantur in cælo, ac in sublunaribus, nempè quantitas, densitas, raritas, & id genus alia, ergò cælum, & sublunaria abinuicem non differunt. Distinguo ma. eadem accidentia arguunt eamdem essentiam, & naturam à qua profluunt, propria, concedo: communia, nego, vt patet de sacchato, cycgno, & aliis, in quibus subiectatur eadem albedo, & alia accidentia, tamètsi participent distinctam naturam, & essentiam.

14. Opp 2. *Gen.*1. legitur, Deum diuisisse aquas, quæ erant sub firmamento, ab aquis. quæ erant suprà firmamentum: ergò in cælo sunt aquæ, vt clarè psallit Dauid Psal. 148. *Aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudẽt nomẽ Domini.* Proindéq; cælũ ex elemẽto aquæ conflatur. Respondet Seraph. nuper alleg. *q.* 1. & post ipsum Scot. 2. *Rep.d.*12. *ad finem q.* 1. per aquas, quæ super cælos sunt, intelligi cælum crystallinum, quod ob eius perspicuitatem, & diaphancitatem videtur esse aqueum, tametsi verè aqueum non sit, sed similitudinariè duntaxat.

15. Opp. 3. Cælum appellatur æthereum, & empyreum, ita nominatur ab igne. Atque vbi Moyses scribit, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Plato scribit Deum primò fecit ignem. ac terram: Per ignem intelligens cælum. Insuper, tota cæli moles vocatur ignea, & calida: ergò cælum ex igne conflatur. Occurrit Seraphicus cit. cælum nuncupari igneum, per cõuenientiam, quia participat lucem emicantem, & splendescentem, veluti ignis. Atque empyreum dicitur igneum, non igne elementari, sed igne amoris, quo ardẽt Beati. Hinc primus ordo Angelorum nuncupatur Seraphin ab ardore amoris, & charitatis, veluti Cherubin à scientia, notante Scot. 4.*d.*49.*q.*4.§ *Iuxtà.K* Et significatur Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem s m.*

16. Opp. 4. quod est capax contrariarum qualitatum, est elementum, aut elementatum, vt in confesso est apud omnes: Cælum autem est capax contrariarum qualitatum. Nam Saturnus est frigidus,

ſol calidus, Mars ſiccus, & luna humida. Ergò cælum à ſublunaribus non diſſidet. Concedo ma. diſtinguo min. cum Scot. *q.4 prol. GG.* Et 1. *d.* 3.*q.*7. *ſub R. & Quol.* 15. §. *Ad* 1. *præcipuæ ante BB.* Et 2. *d.*25.*q. vn. ſub G.* formaliter, nego: virtualiter, concedo.

Articvlvs III.

An materia Cæli ſit eiuſdem ſpeciei cum materia ſublunarium.

17. QVi cum Dur. 2. *d.* 12. *q.* 1. tenent cælum eſſe corpus ſimplex, & compoſitionis phyſicæ expers, liberi ſunt ab hac difficultate. Qui autem exiſtimant, cælum ex elementis, aut ex aliis componi, meritò inueſtigant, num materia eius ſit eadem ſpecie, aut diuerſa ab elementis, cæteriſque ſublunaribus. Qua in re duplex viget placitum, vnum eſt Alent. 2. *p. q.* 44. *in* 2. Ric. 2.*d.* 12. *q.*8. Th. 1. *p. q* 66. *art.* 2. Caiet *ibid.* & aliorum arbitrantium materiam cæleſtium ſpecie differre à materia terreſtrium. Alterum verò eſt Scot. 2.*d.*14.*q.*1. S. Bon. *d.* 12.*q.*1. Ocham *q.*22. Aur. *d* 14.*q.*1.*art.*2. Racon. *tract. de principiis ſect.* 1.*art.* 4. Mol. *tract. de opere ſex dierum, diſp.* 5. & Arriag. *diſp.*2. *Phyſ. ſect.* 11.*ſubſect.* 2. docentium corpora incorruptibilia, & corruptibilia, ſuperiora, & inferiora participare eamdem ſpecie materiam. Quibus præiuerunt Trimeg. Empedo. Heracl. & alij a Ruu. 1. *Cæli cap.* 2.*q.* 6. *cit.* & à Conimbr. *ibid. q.* 5. *art.* 1.

18. Not. licet materia ex ſe ſit indifferens ad quamlibet formam recipiendam: tamen nonnullæ formæ ab agente creato ſunt ſeparabiles, & de facto ſeiunguntur, vt liquet in perenni ortu & interitu rerum ſublunarium: quædam verò ſunt inſeparabiles ab eodem agente, cum præuias diſpoſitiones contrarias ipſam materiam præfatis formis informatam inducere nequeat, vt quoquo modo videtur in adamante, & cæteris, inter quorum formam, & materiam nexus extat neceſſarius, & ferè indiſſolubilis, cuiuſmodi eſt forma cæli: veruntamen abſolutè vna, ab alia ſeiungi valet, ſi daretur agens, quod vincere poſſet eius virtutem, & introducere oppoſitas & repugnantes præparationes & diſpoſitiones.

19. Aſſ. materia cæleſtis, & terreſtris ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei, Tenet Doct. cit. *in vtroque opere.* Probatur primò, quæ participant eamdem definitionem, ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei, quia definitio ſignificata per nomen, rationem deſignat, & explicat, 4. *Met.* 28. Materiæ autem terreſtrium, & cæleſtium, corruptibilium, & incorruptibilium vna, & eadem extat definitio. 1. *Phyſ.* 81. Vtraque enim eſt ſubiectum formarum, ſiue corruptibilium, ſiue incorruptibilium: nec alia in ſcriptis Philoſophi inuenitur definitio materiæ. Iterùm, in fundamento naturæ, cuiuſmodi eſt materia, nihil eſt diſtinctum, vt ex Auct. refert Dur. nuper alleg. poſt Scot. *q.* 15. *de anima*, §. *Ad q.* foret autem quidpiam diſtinctum, ſi materia ſublunaris ſpecie diſſideret à materia cæleſti: inter vtramque enim intercederet diſtinctio ſpecifica, quæ deſtrueret præfatum elogium ab omnibus decantatum. Secundò huiuſmodi diſcrimen ſpecificum inter hanc, & illam materiam ſtatuitur, aut propter nobilitatem, aut propter incorruptibilitatem formæ: neutrum autem valet ad inuehendam talem diſtinctionem ſpecificam materiæ, in ſublunaria, & cæleſtia. Et quidem non formæ nobilitas, & præſtantia, quandoquidem anima rationalis præſtat, & excellit cæteris formis horum inferiorum, attamen materiæ huius, & earum ſpecie ab inuicem non diſſident: nec incorruptibilitas formæ: enimverò vna ſtella pollet forma incorruptibili diſtincta à forma alterius ſtellæ: nemo autem aſtruit materiam vnius differre ſpecie à materia alterius. Tertiò, communia, eademque accidentia arguunt idem ſubiectum, communemque materiam, vt ſignificat Ariſt. 2. *anima* 11. corpora autem ſuperiora, ac inferiora ſortiuntur eadem accidentia, nimirum quantitatem, perſpicuitatem, denſitatem, raritatem, lumen, & id genus alia: ergò & idem ſubiectum, eamdemque materiam. Quartò non dantur duo primi efficientes, duoque vltimi fines, vt demonſtrat Scot. 1. *d.*2.*q.* 2. Ergò nec duæ materiæ primæ, cum æqua ſit ratio vtrobique. Hæc doctrina corroboratur ex ſacra pagina. Enimverò *Gen.* 1. materia prima ſignificatur per terram, notante S. Bon. præcit. Vel per aquam, vt aduertunt alij Doctores. Certum itaque eſt apud omnes ſacros interpretes, Deum vnam duntaxat materiam creaſſe, ex qua omnia conſtant, vt exprimitur ſap. 11. *Qui creauit orbem terrarum ex materia inuiſa.* Quo argumento preſſus, & conuictus Mol. paſſu memorato noſtram ſententiam amplectitur, tametſi oppoſitam ſe alias tenuiſſe ingenue fateatur. Accedit Aug. 2. *de gen. ad lit. cap.* 11. inquiens, *Ex ipſa corporali materia, iam factum cælum narratur.* Hoc ipſum indicat ſanctus Doctor 2. *de gen. contra Manich. cap.* 7. Et 12. *Conf. cap.* 7. & 8. ſubſcribunt Patres omnes præadducti in antecedente art. opinantes cælum ex elementis, aut ex aliquo eorum compactum eſſe; ſi enim Cælum participat materiam elementorum, conſequenter inferiorum, ac ſuperiorum corporum materia eſt eiuſdem rationis, ac ſpeciei.

20. Opp. 1. Ariſt. 1. *de gener. cap.* 10. *T.* 54. & *inde*, plane ediſſerit, quæ participant eamdem ſpecie materiam, eſſe viciſſim tranſmutabilia: cælum autem eſt intranſmutabile, & omnia ſublunaria ſunt tranſmutabilia, ergò eius materia ſpecie diſcriminatur ab iſtorum materia. Idipſum indicat 8. *Met. c.* 4. *T.* 12. In perpetuis, veluti ſunt cæli non eſt eadem materia, ac in caducis. Et 12. *eiuſdem operis, cap.* 2. *T.* 10. In ſempiternis, vt ſunt corpora cæleſtia, extat materia plane diuerſa à temporaneis, & corruptibilibus Idem ſignificat S. Dionyſ. 4. *de diuinis nominibus.* R. exponendum eſſe Ariſt. de diſtinctione accidentali, non verò eſſentiali. In materia quippe cæli, nec ſunt, nec eſſe valent naturæ viribus diſpoſitiones proximæ, & præparationes idoneæ, ad aliam formam, veluti ſunt in hiſce inferioribus, propterea hæc ſunt ad inuicem tranſmutabilia, non autem illud. Vel exponi poteſt de materia in qua, non verò ex qua. Idque inſinuat explicitè paſſu poſtremo præalleg. inquiens, perpetua ſubire lationem, & mutationem vbi. Vel dicito ipſum loqui de materia, non partis, ſed totius, ſumpta pro hæcceitate ſeu differentia indiuiduali, vt ſuperius obſeruaui. Hoc quoque modo interpretandus eſt Dionyſ. *loco cit.* Eò magis, quia Ariſt. ſtatuit cælum, quintum corpus ſimplex, ab omni materia ſegregatum, vt patet ex probatis *art.* 1. *huius q. aſſ.* 1.

21. Opp. 2. materia cæli indiſſolubili nexu coniungitur cum eius forma, cum ſit neceſſarium & perpetuum: materiam verò ſublunarium diſſolubili, & contingenti vinculo coniungitur cum forma, vt palam facit continuus, & perennis rerum ortus, & interitus, ergò hæc ab illa ſpecie diſſidet. Reſp. id verum eſſe proximè, & ſecundum quid, non autem remotè, & abſolutè. Etenim, de facto cælum eſt incorruptibile, quia non datur agens creatum ipſi contrarium, quod vincere queat eius virtutem, ac in ipſummet introducere oppoſitas, & repugnantes diſpoſitiones

dispositiones, per quas præparari possit, ad recipiendam formam, aliam ab ea, quam habet, vt planum feci in præposito not. Et indicat Damasc. his verbis: *Voluntate Dei cælum est incorruptibile:* & satis argutè post Scot. prosequitur Och. nuper alleg.

Instabis, si materia cæli foret in potentia passiua ad suscipiendam aliam formam, cum potentiæ passiuæ correspondeat actiua, deduceretur in rerum natura existere agens creatum, quod huiusmodi polla; virtute actiua informandi talem materiam forma diuersa à forma cælesti, proindeque cælum de facto esse corruptibile, quod est falsum. Neganda est sequela; sufficit namque vt in tota entium coordinatione sit tale agens, putà Deus, vt patet de corpore humano debitè organizato, ad recipiendam animam rationalem, quam solus Deus potest creare & in ipsum infundere, notante Scot. *q. 1. prol.* & *4. d. 43 q. 3.* §. *Ad arg. principalia.*

22. Opp. 3. materia cælestis est susceptiua peregrinarum impressionum, astruente Philosophorum, & Astrologorum vulgo 1. *Meteor:* terrestris verò materia est talium accidentium capax: ergò specie differunt, alioqui vtraque eorum omnium compos foret. Resp. ea accidentia esse communia, ex quibus non potest deprehendi distinctio specifica vnius, ab alia: præsertim quia accidentium proximum, & immediatum subiectum est compositum, non autem materia, vel forma.

Articvlvs IV.

An Cælum sit animatum.

23. Tanto veterum Philosophorum ferè omnium authoritatum pondere pars affirmans fulcitur, vt D. Aug. anceps videatur, vt præ aliis notant Scot. *2. d. 14. q. 1.* §. *secundum Theologos* D. & Aur. *ibid. q. 2. art. 2.* Atque tunc temporis sic inualuit, vt Anaxagoras sentiens solem esse inanimem impietatis crimine notatus, & damnatus fuerit ab Athenienfibus, teste Laertio in eius vita: pars autem negans est nunc temporis communissima, & opposita censetur erronea à Doct. Seraphico *2. d. 14. art. 3. q. 2.* & damnata ab Vniuersitate Parisiens. vt *in collect. errorum, cap. 15.* intueri licet, *in fine 4.* Magistri, & *in initio 1.* S. Bon. Necnon à D. Hierony. *in com. Deut. 32.* & *Isa. 1.* & *45.* recensetur inter errores Orig. Immò, in V. Synodo generali anathemate feriuntur oppositam tuentes, referente Ionerio *tom. 2. summæ Conciliorum.*

24. Not. & recole ex dictis. *2. Phys. q. 4. art. 1.* formam diuidi in assistentem, & informantem, vt indicat Arist. *1. de partib. 1.* Forma assistens est rei extrinseca, cui assistit, monet, & fouet, sic nauta naui, & auriga currui perhibetur forma assistens: forma verò informans est rei intrinseca, & essentialis, vtpotè quæ vna cum materia essentialiter, & intrinsecè causat, & integrat totum, quod verè pes eam est actuatum, & animatum, si illa viuens, sine viuifica extiterit.

25. Ass. cælum propriè non est animatum. Ita Scot. cit. & *in Repori. ibid.* & *2. Met. in expos. cap. 18.* *Picol. lib. de cælo, cap. 19.* & ceteri à Recentibus alleg. Probatur 1. ex SS. PP. Ambr. *2. Hexam. cap. 4.* Basil. *ibid. homil. 3.* Cyril. *2. contrà Iulian.* Damasc. *2. fidei, 6.* Lyran. *in cap. 10. Ierem* & Abul. *in cap. 23. Exod. q. 47.* & indè, præpositam ass. tuentibus, & profitentibus, quibus suffragantur Mayron. Ocham. Gabriel. Ric. Lych. Pelbar. & alij Scholasticæ disciplinæ professores. Secundò ex Arist. *2. anima cap. 1. T. 37.* Anima est actus primus corporis organici potentia vitam habentis: cælum autem non est corpus organicum, & etherogeneum, sed similare, & homogeneum, ac immensæ magnitudinis, in qua anima manere nequit, cum exigit determinata organa, & membra, ad opera vitæ exercenda, vt decisum est *lib. 5. Phys. q. 4. art. 1.* Ergò orbes cælestes sunt inanimes. Tertiò si cælum foret animatum, aut animaretur anima vegetatiua, aut sensitiua, aut intellectiua: nulla autem harum trium animatur: ergò est inanime. Ma. est conspicua, cum tria genera animarum dictarum dentur duntaxat. Min. ostenditur, si informaretur anima vegetatiua, nutriretur, augeretur, generaret sibi simile, atque quoad aliquas partes corrumperetur, cum præfatæ operationes effici nequeant absque corruptione. Si verò anima sensitiua insigniretur, esset sensitiuum, & saltem sensu tactus ornaretur, calori, frigori, aliisque qualitatibus subiiceretur, proindéque foret passibile, veluti animal. Quod si potiretur anima rationali, esset capax meriti, demeriti, gloriæ, & pœnæ, æternæ salutis, & damnationis: quæ, & consimilia ei repugnant vt tangit Scot. *Quol. 9.* §. *de tertio.* Deinde, statutum est in Conc. Later. *c. Firmiter,* Deum duas tantum creaturas intellectuales condidisse, Angelicam scilicet, & humanam: constat autem neutram esse cælestem molem, à qua nullum opus vitæ oriri cernitur. Motus enim localis absolutè non est actio vitalis, cum etiam fiat à carentibus vita, & à forma assistente fieri valeat vt monui in præmisso not. Non posse autem nostram assertionem demonstrari, contendunt Aur. & Arr. præcit. & indicat Scot. *in fine q. scripti Oxoniensis alleg.* Et antè ipsum Aug. *1. Retract. cap. 10.* inquiens, *An esse istum Mundum, sicut Plato censuit, & multi alij Philosophi, nec ratione rectà indagare potui, nec Diuinarum scripturarum authoritate persuaderi posse cognoui.*

26. Opp. 1. illud Isa. 1. *Audite cæli, quæ loquor.* Audire autè spectat ad animata anima sensitiua, vel intellectiua, ergò cæli, qui audiunt, sunt animati. Accedit Psal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu.* Qui autem intelligunt, viuunt. Adde Ecclesiastem 1. *In circuitu pergit spiritus.* Idest sol suos peragit circulos. Spiritus autem viuit: ergò sol est animatus. Resp. cum Hierony. *in expos. eorum locorum,* Ric. Scot. & Bon. cit. capienda esse illa testimonia metaphoricè, vt indicant verba subsequentia. Isa. *Et auribus percipe terra.* Et Deus 32. *Audiat terra verba oris mei.* patet autem terram propriè non esse animatam, pariter nec cælos. Declaratur *Daniel. 3.* vbi res inanimes inuitantur ad laudandum, & benedicendum Domino. *Benedicite glacies, & niues Domino.* Huiusmodi autem laudatio, & benedictio est translatitia, & metaphorica, quoque auditio cælorum. Ad aliud psalterij, *qui fecit cælos in intellectu,* idest in sapientia, interprete Aug. Nam vt habetur Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Vel dicito cum eodem Doctore, pes cælos intelliguntur sancti, quibus non tantum audite, verumetiam intelligere diuina donauit. Hoc ipsum tradit Damasc. *2. fidei, 6.* explicans verba Psal. 95. *Lætentur cæli, & exultet terra.* Angelos, qui sunt in cælo, & homines, qui sunt in terra, ad lætitiam vocat. Ad Ecclesiastem dico, locum eius exponendum esse effectiuè, non verò formaliter, sol quippè est causa æquiuoca, & vniuersalis dispositiua viuentium sublunarium. Ideò subiicit Arist. *2. Phys. 26.* sol & homo generant hominem.

27. Opp. 2. Arist. *2. Cæli T. 13.* expressè ait cælum esse animatum. Et *ibid. T. 61.* & *68. eiusdem lib.* vitam cælo tribuit. Ergò in Peripato cælum est animatum. Resp. cum Scot. *in Rep. cit.* Philosophum tribuere animam cælo, non per informationem, sed pes assistentiam. Aut loqui in sententia Platonis, &

& vulgari, nè fortè sicut Anaxagoras, criminis accersiretur, & damnaretur. Aut fortasse de hoc malè sentit, sicut de æternitate Mundi, & aliis nonnullis alibi recensitis.

28. Opp. 3. S. Aug. *lib. de agnitione veræ vitæ*, scribit, qui dicunt cælos esse rationales, ipsi meritò sunt irrationales, ergò Aug. non fauet oppositæ sententiæ. Resp. cum Scot *passu. alleg.* eum lib. non esse Aug. Non enim redolet eius stylum, vt patet legenti.

Instabis, idem S. *lib. de duabus animabus* disertis verbis scribit: *Musca propterea quod viuit, nobilior est sole.* Hoc ipsum videtur astruere 1. *Retract.* 5. & 2. *eiusdem operis cap.* 7. Resp. ibi eum non assertiuè, sed dubitatiuè loqui & quandoque ad mentem Platonis, cui plurimum fauet, vt patet de Angelis, quos esse corporeos opinabatur, sicut Plato. Quare firmiter vni parti non videtur adhærere, vt in simili præstat 18. *Ciuit. cap.* 11. vbi relatis opinionibus de numero Ecclesiæ persequutionum, non in vnam magis, quàm in alteram inclinat. Atque, *in eodem opere*, in multis dissentit à D. Hieronymo, licet sancto: & *lib.* 21. aliqua admittit vt vera ab aliis enarrata, alia verò non concedit, sed de iis dubitat, vt patet *lib.* 22. *cap.* 13. *& lib. de beata vita*, & alibi fatetur ingenuè se plura ignorare. Illudque de eo dicere quimus, quod ipse de S. Cypriano, contrà Donatistas, ait. *Non me terret authoritas, quia reficit humilitas eius.*

29. Opp. 4. anima definitur 2. *anima T.* 13. principium mouendi: cælum autem mouetur vt quotidiè experimur: ergò ab anima qua informatur. Resp. cælum non moueri à principio intrinseco, sed extrinseco, ipsi assistente, vt palam feci in præposito not. Ideóque animatum non statuitur.

ARTICVLVS V.

An cælum sit fluidum, aut solidum.

30. NOnnulli tam ex veteribus, quàm ex recentibus Philosophis, in eam abeunt sententiam, vt asseuerent cælum esse fluidum, & penetrabile, adeò vt stellæ, & sydera moueantur in eo, sicut volucres in aëre, & pisces in aqua. Alij, quamvis admittant, firmamentum, siue cælum stellatum esse firmum, & solidum, instar lapidis, & ferri, tamen reliquos cælos, quibus insunt planetæ, autumant esse permeabiles, & pertransibiles, quibus videtur suffragari Seraphicus 2. *d.* 14. *art.* 1. *q.* 2. Communis autem opinio cæterorum Philosophorum, in quam inclinat Scot. 2. *d.* 14. *q.* 2. statuit cælos omnes esse firmos, ac solidos, & indicat S. Bonau. *ibid. q.* 2. *a.* 2.

31. Not. in sacra script. *Gen.* 1. inter orbes cælestes potissimum nominari firmamentum, ita dictum à firmitate, & soliditate qua pollet, vt aduertit Lyra *in postilla loci mox alleg.* post Aug. 2. *de gen. ad lit. cap.* 10. his verbis. *Firmamentum dicitur, non propter stationem, sed ob firmitatem, aut ob incongressibilem terminum superiorum, & inferiorum aquarum, vocatum intelligere licet.* Idem notat Calepinus *Verbo firmamentum.*

32. Ass. cælum est solidum siue sit firmamentum, siue quodcumque aliud superius eo, aut inferius. Insinuatur à Doct. *passu memorato.* Suadetur 1. ex sacra pagina, *loco precit.* & Iob. 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es calos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Vbi autem expressa sunt verba scripturæ sacræ, ad alterum sensum non sunt extorquenda, vt quidam præstant, aientes firmitatem cælorum non coincidere cum soliditate. Nam, si cæli sunt solidissimi, vt testatur scriptura, sanè habent soliditatem, sicut parietes albi habent albedinem, præsertim quia subditur, quasi ære fusi. Patet autem æs esse solidum ergò cæli sunt solidi, quia æri ipsi in soliditate assimilantur. Nec valet dicere cum Camerario, illud dictum à Deo non approbari, sed reprehendi, quandoquidem non Heliu, qui eum protulit sermonem, sed Iob, cui Deus loquebatur, arguitur. Adde, illud idem in sacra pagina recipi, vt Psal. 32. *Verbo Domini, cæli firmati sunt.* Deindè *Isa.* 51. prænunciatur, cælos liquescendos esse, ergò nunc liquidi non sunt, sed solidi, alioqui vanum, & irritum foret illud vaticinium. Rursus, Hebr. 4. *Habemus pontificem, qui penetrauit cælos.* Fluidum autem, & liquidum non penetratur, quia cedit corpori duro, & solido, vt constat de aëre cedente lapidi in ipsum proiecto, & de aqua cadenti plumbo cedente, & locum ei dante. Maximè, quia vt magnum miraculum narratur à D. Paulo, ac si cæli essent fluidi, non esset miraculum, sicut non est miraculum pisces per mare transire, & aues per aërem permeare. Eò magis, significatur ibi duo corpora fuisse simul in eodem loco, veluti, cum Christus egressus est ex vtero Virginis, obseratis claustris virginalibus, & ex sepulcro, ipso clauso manente, & cum clausis ianuis venit in cænaculum ad discipulos. Quare nostra sententia est consentanea præcipuis mysteriis nostræ fidei: opposita verò est eis dissentanea, fauetque Dur. ex sectariis alibi reiectis, & profligatis. Secundò ex SS. Patribus, quos citat, & accumulat Tannerus *tom.* 1. *de creatione Mundi*, *q.* 3. *dub.* 2. eisque consentit Lyr. quorum testimonia esse apertiora, & clariora oppositis, subscribit Arr. *disp. vn sect* 3. *subsect.* 4. Tertiò, quod est fluidum, & penetrabile, est corruptibile saltem secundum partem, vt liquet de aëre, aqua. & cæteris huiusmodi: cælum autem est incorruptibile, ex dicendis in proximo art. Igitur cælum non est fluidum & permeabile. Quartò si cælum foret fluidum, in eo daretur vacuum. Si enim mouerentur stellæ de vno loco ad alium, locus earum derelictus, non impleretur ab alio corpore, vt benè prosequitur Scot. cit. §. *Ad videndum. A.* Ergò naturaliter daretur vacuum, quod *q. de Vacuo* repulsum est. Alia plura non congero, quandoquidem perhibente Aug. nuper recensito, vbi sunt sacræ paginæ aperta testimonia, addo ego, & perspicuæ PP. authoritates, superfluum est, argumenta plura superaddere.

33. Opp. 1. D. Ambr. Basil. & Nicænus *in Hexam*, & alij ab Arr. *subsect.* 2. *alleg.* planè asserunt cælos esse fluidos & permeabiles: Ergò aduersa sententia contradicit SS. Patribus. Resp. eos Patres non loqui assertiuè, sed dubitatiuè, & dialecticè, aut si id verè affirment, eis in hoc non est adhærendum, tum quia sunt pro nobis alij PP. & authores non minoris nominis, & authoritatis, tum etiam quia nobis suffragantur sacræ litteræ, atque rationes firmiores, & efficaciores.

34. Opp. 2. nonnunquàm visa sunt phænomena siue cometæ, aliaque metereologica, suprà orbem Lunæ: hæc autem fluida sunt, vt patet, ergò & cælum fluidum est. Nego ant. Vt enim rectè ait Tann. cit. meteora, etsi interdum videantur transcendere Lunam, nihilominus tenera non transiliunt eam, sed sunt infrà eammet, quandoquidem non ascendunt, nisi ad supremam regionem aëris. Quare inanis est apparitio eorum meteororum, quæ quoque videntur astra conscendere. Immò quandoque nubes videntur existere suprà solem, & ipse sol interdum videtur esse tripes, cuius oppositum apertè constat. Huiusmodi ergò visiones sunt apparentes, & inanes.

ARTIC. VI.

ARTICVLVS VI.

An Cælum ſit incorruptibile.

35. QVi tenent cum Ariſt. cælum eſſe quintum corpus ſimplex diſtinctum ab elementis, cum eodem 1. *celi cap.* 3. *T.* 20. & 2. *eiuſdem operis*, 1. affirmant ſuapte natura eſſe incorruptibile, & perpetuum. Qui verò tuentur cum priſcis Philoſophis, cælum componi ex elementis, aut ex aliquo eorum, faciunt cælum corruptibile, & temporale. Qui autem autumant cælum conſtare ex materia, & forma, non quidem elementati, & ſublunari, etſi fateantur eſſe incorruptibile, diſputant verò de modo, quo extat incorruptibile. Nonnulli namque, quos citant & ſequuntur Suarez *diſp.* 13. *Met. ſect.* 11. *n.* 13. Conimbr. 1. *cali, lib.* 3. *q.* 1. *art.* 2. & Rua. *ibid. q.* 2. exiſtimant cælum intrinſecè, & ex propria natura eſſe ingenerabile, & incorruptibile. Cæteri verò, vt Scot. 11. *Met. ſum.* 2. *in expoſitione cap.* 3. & 2 *d.* 14. *q.* 1. & 4. *d.* 49. *q.* 6. §. *Hic duo ſunt ſub B.* Antonius Andr. 8. *Met. q.* 4. Mauritius *Theor.* 16. Ioannes de Magiſtris 1. *cali q.* 2. Tatar. & Pariſienſes *ibid.* docent ex propriis, & intrinſecis principiis naturæ ſuæ cælum eſſe corruptibile, extrinſecè verò, & de facto eſſe incorruptibile, & ingenerabile.

36. Not. hanc controuerſiam bifariàm agitari poſſe, de facto ſcilicet, aut de poſſibili, ſiue vt alij inquiunt, proximè, aut remotè. Itidemque intrinſecè, aut extrinſecè, vtrum videlicet, cælum in ſe habeat principium corruptiuum, an verò principium extrinſecum, putà agens naturale, quod valeat ipſum corrumpere? nam autem agens ſupernaturale id poſſit eſt extra litem, cum ipſum, cæteraque creata voluntate ſua ſubſiſtant, & ſapientia regantur, & ſi ſubtraheret ab eis manum ſuam, in nihilum redirent. Iuxtà autem has duas præfatas diſtinctiones per duas proximas aſſertiones, tota hæc dirimitur, & diluitur difficultas.

37. Aſſ. 1. de facto cælum eſt incorruptibile. Tenet Doct. cit. & *in Rep. ibid.* & inſinuat. Aug. 3. *de libero arb. cap.* 23. Probatur 1. ex communi Philoſophorum & Aſtrologorum, necnon Theologorum placito, cui temerarium eſt ſe ſe opponere, ſecundum monitum Eccleſiaſtici 4. *Ne contra contrà ictum fulminis.* Maximè quia ſunt ſolidiſſimi, & firmiſſimi, vt ex ſacra pagina oſtendi *in precedente art.* Secundò ſuadetur experientia tot millium annorum quibus ſemper durat, & conſeruatur incorruptum, ſecundum totum, omneſque eius partes; ſi autem foret corruptibile, aut totum, aut ſaltem aliqua eius pars iam corrupta, & conſumpta fuiſſet, cuius oppoſitum palam omnibus eſt. Tertiò, non datur in rerum natura agens aliquod, quod poſſit vincere eius virtutem, ipſumque deſtruere, cum maior ſit virtus eius virtute, & potentia cunctorum ſublunarium. Igitur de facto, & proximè cælum eſt incorruptibile.

38. Aſſ. 2. de poſſibili, & remotè cælum eſt corruptibile. Defenditur à Doct. cit. & potiſſimum 4. *d.* 49. *q.* 6. §. *Hic duo cap. in ſolut.* 2. ſuaderi poteſt primò ex ſacris litteris. Iob 14. *Homo poſtquam dormierit, non reſurget, donec atteratur Cælum.* Aliiſque teſtimoniis infrà adducendis, in quibus expreſsè habetur cælum eſſe corrumpendum & pereundum. Secundò ex Patribus, nominatim Baſilio, Ambr. 1. *Hexam. cap.* 6. & Aug. 26. *Ciuit. cap.* 18. affirmantibus cælum aliquando eſſe diſſoluendum, & deſtruendum. Fauent Plato, aliique priores Philoſophi aſtruentes cælum ex elementis conflari, proindéque corruptionem ſubire. Secundò, quod conſtat materia, ſubiacet corruptioni: ei quippè annectitur priuatio, quæ molitur compoſiti perniciem, & corruptionem 1. *Phyſ. T.* 81. cælum autem materiæ eſt compos, ergò corruptioni eſt obnoxium. Eò magis, quia forma cæli, quæ informat, & actuat eius materiam non continet formaliter, nec eminenter reliquas formas, ad quas ipſa materia inclinat, ac deſiderat, tanquàm eiuſdem perfectionem, ac complementum: ergò cælum ex ſe, & principiis ſuis intrinſecis eſt corruptibile, vt optimè proſequitur Scot. proximè memoratus.

39. Opp. 1. contra 1. aſſ. *Pſal.* 101. regius Vates loquens de cælis ait. *Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Matt. 24. *Cæli, & terra tranſibunt.* Et 2. Petri 3. *Cali ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent.* Reſpondet Aug. 3. *de geneſi ad lit. cap.* 2. & 3. per cælum intelligi aërem, & per cælos partes aëris, vt notaui *art.* 1. *huius quæſt.* Vel reſpondeo cum Scot. 4. *d.* 43. *q.* 1 §. *Ad argumenta. H. in ſolut* 2. & Lytan. *in poſtillis eorum locorum*, poſt D. Greg. 17. *Mor. cap.* 5. cælos eſſe corrumpendos, penès eſſe accidentale, non autem penès eſſe ſubſtantiale, quandoquidem poſt diem iudicij, non ampliùs cæli mouebuntur, nec influent in hæc inferiora. Vnde *Eſa.* 30. prænunciat. *Et erit lux Lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.*

40. Opp. 2. Quod mouetur motibus contrariis, eſt corruptibile de facto, vt manifeſto comprobatur experimento in ſublunaribus: cælum autem mouetur motibus contrariis, nempè ab ortu ad occaſum, & ab occaſu ad ortum, vt patebit in ſubſequente quæſt: ergò cælum de facto eſt corruptibile. Diſtinguo ma. de eo, quod mouetur motibus alteratiuis, & violentis, concedo: de eo, quod mouetur motu neutro cuiuſmodi eſt cælum, ex dicendis *paſſu alleg.* nego.

41. Opp. 3. Aſtrologi non ignobiles referunt anno 1572. viſam fuiſſe nouam ſtellam in Caſſiopeia, quæ durauit per biennium, & poſtmodum diſparuit: hoc autem præſtitum non eſt, abſque vlla tranſmutatione ſubſtantiali: quod verò eſt tranſmutabile, vtique eſt corruptibile de facto, inficiandum ergò non eſt cælum actuali corruptioni ſubiacere. Occurrit Aug. 21 *Ciuit. cap.* 8. id effici per miraculum. Ipſe enim ex Varrone teſtatur, ſtellam Veneris aliquando mutaſſe colorem, magnitudinem, & curſum, ita vt nec anteà, nec poſteà id factum ſit. Quare ea ſtella prænarrata fuit miraculoſa, ſicut tempore Ezechiæ, ſol retroceſſit decem lineis. *Iſa.* 38. Et quando Chriſtus patiebatur, ſol obſcuratus eſt. *Luc.* 23. probabile namque eſt Deum produxiſſe de nouo eam ſtellam, ad ſignificandum aliquid magni, & excelſi, vt *Matt.* 2. Deus per nouam ſtellam duxit Magos ad præſepium, vt viderent Chriſtum natum. Hinc Aug. *ſerm.* 31. *de tempore*, qui habetur in feſto Epiphaniæ, ſubiicit, eam ſtellam fuiſſe magnificum ſignum cæli, quæ narratet Gloriam Dei. Atque nonnunquam D. us huiuſmodi iubar efficit, vt ſibi conſulant homines, ac prouideant, nè deinceps prauam viam ſequantur. Hæc reponſio eſt pia, & theologica. Aliter autem, & philoſophicè reſpondeti poteſt cum Clauio, Maurolico, aliiſque non minus præſtantibus Aſtrologis, non extitiſſe verè ſtellam, ſed cometam, cuius materia cum forma tenaciter, fortiterque erat connexa, & conglutinata, ideo tanto tempore permanſit, quipè paulatim decreuit, & poſtmodum euanuit, quod apertum indicium fuit eum concretum eſſe ex aëre, nubibus, aliiſque ſublunaribus, proindéque non fuiſſe propriè ſtellam. Quocircà, licet videbatur in Caſſiopeia, verè tamen erat infrà Lunam,

veluti anno 1617. visi sunt duo cometæ, vnus igneus barbatus in oriente, alter verò albus, & argenteus in meridie, aliquos menses persistentes in eadem distantia, & cursu cum primo mobili, quiue videbantur esse in firmamento, in quo extant stellæ fixæ; pariter suprà notaui, *art. 5. huius q.* interdum nubes conscendere astra, solem, & lunam cerni à nobis, cum tamen sit falsa, & irrita apparitio, sic dicendum est de illo iubare, quod tunc videbatur esse in cælo, & reuera sub ipso erat, & infrà Lunam.

ARTICVLVS VII.

An Cælum sit nobilius quouis alio corpore.

42. DE duplici corpore moueri potest hæc dubitatio, nimirum de corpore inanimato, & animato; deinde num de animato anima imperfecta, vt animantur imperfecta animalia, an verò de animato anima perfecta, veluti animantur, quæ fiunt per generationem duntaxat? Quidam enim etsi concedant de imperfectis animátibus, negant verò de perfectis: alij solum hominem excipiunt: cæteri verò communiter cælo præferunt nobilitate quodlibet animatum, siue fiat per propagationem, siue per putrefactionem, siue per vtrumque modum.

43. Ass. 1. Cælum nobilitate vincit omnia corpora inanimata. Deducitur ex Doct. 2. *d.* 14. *in fine q.* 1. vocante cælum corpus ita perfectum, cui apertè non videtur repugnare animatio. Deindè ipse cum aliis scholasticis, in dubium vocat, vtrùm, cum existimetur esse inanime, sit adhuc nobilius, & præstantius animatis? Quod manifestum indicium est, ipsum arbitrari, cælum nobilitate superare quodcumque corpus inanimatum. Idque præclarè tradit Aug. *l. de vera Relig. c.* 55. *ad finem, &c.* 37. Probatur autem primò, nobiliora accidentia arguunt nobilius, & præstantius corpus. Primo enim animæ, *T.* 11. accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendam substantiam. Cælum autem pollet nobilioribus accidentibus, putà lumine, figura, motuque orbiculari, loco supremo, & huiusmodi, ergò nobilitate præstat reliquis corporibus non viuentibus. Secundò, effectus præstantiores, & excellentiores denotant eminentiorem, & superiorem causam. Ex effectibus quippè nos deuenire in cognitionem causæ. vulgatum extat Philosophorum adagium, *Cælum autem sortitur maiores, & nobiliores effectus*, vt patet 1. Meteor. 1. *Oportet Mundum hunc subiici superioribus lationibus.* Continet enim, conseruat, regit, influitque in hæc inferiora, atque pulcherrimis, & fulgentissimis ornatur syderibus, estque Beatorum Domicilium, in quo Deum vident ipsi, & fruuntur.

44. Ass. 2. Cælum nobilitate vincitur à quocumque animato, siue perfecto, siue imperfecto. Defenditur à Doct. 1. *d.* 8. *q.* 3. §. *Respondetur.* Et *d.* 13. *q vn.* §. *Alia est. ante M.* Et *Quol.* 1. *art.* 1. *sub G.* Et 4. *Rep. d.* 49. *q.* 7. contrà Pererium *l.* 2. *cap.* 6. Bannez 1. *p. q.* 3. *a.* 5. aliosque nonnullos. Suadetur autem 1. Ecclesiastes 9. *Melior est canis viuus leone mortuo.* Non alia de causa, nisi quia canis viuus est animatus, leo verò mortuus est inanimatus. Cælum autem ex dictis *art.* 4. *huius quæst.* est inanime, ergò postponitur cuilibet animato. Secundò, ex D. Aug. 55. *Trin. c.* 4. *&* 11. *Ciuit. c.* 16. & *l. de vera religione, c.* 55. quæcumque substantia viuens meritò præponitur, cuilibet substantiæ, naturæ lege, non viuenti. Et *l. de duabus animabus*, musca, quia viuit, nobilior est Sole. Tertio, sicut melius est esse, quàm non esse, ita melius, & perfectius est viuere, quàm non viuere. Gradus namque vitæ præfertur gradui naturæ; iidemque operationes vitales, animales, & rationales præcellunt naturalibus, & non vitalibus. Deinceps, anima est forma perfectior, atque viuentia mouentur ab intrinseco, cæli verò ab extrinseco, ex infrà asserendis, ergò quæcumque animata, eos nobilitate superant.

45. Opp. 1. Arist. 1. *cæli*, *T.* 16. & 1. *de partibus animalium c.* 1. vocat astra, & cælestes orbes præstantiores cunctis, quæ sub sensum cadunt. Idem innuit 2. *cæli c.* 3. *T.* 6. Atque 6. *Eth. cap.* 7. præmiserat, alia esse homine longè diuiniora, vt ea, quæ oculis conspicimus, scilicèt cælestia corpora. Ergò in schola Philosophi, cælum præponitur omnibus sublunaribus, tàm viuentibus, quàm non viuentibus. Respondeo, si Arist. censuit cælum esse animatum, vt videtur velle in sententia multorum, procul dubio statuit, ipsum cælum etiam nobilius omnibus creatis viuentibus: si verò existimauit esse inanime, eius præadducta testimonia pati queunt hanc interpretationem, videlicet, cælum nobilitate præstare animatis, etiam homine, si accipiatur pro aggregato ex orbe cælesti, & intelligentia ipsi assistente: secus verò si sumatur præcise pro ipso corpore cælesti duntaxat.

46. Opp. 2. causa est nobilior suo effectu, 5. *Met.* 1. *&* 2. Cælum autem est causa viuentium, potissimum hominis, 2. *Phys.* 26. qui præstat omnibus viuentibus sublunaribus, ergò cælum eminet tàm inanimatis, quàm animatis. Distinguo ma. de causa totali, & principali, concedo: de causa partiali, & minus præcipua, nego, vt patet de specie intelligibili, quæ est causa partialis, & minus principalis, intellectionis, licet ignobilior, & inferior ipsa intellectione. Cælum autem est causa animantium dispositiua duntaxat. Siquidem ex alibi dicendis cælum non est causa productiua, & effectiua animarum eorum, sed Deus præhabitis dispositionibus, & idoneis præparationibus corporum eorum educit, & producit eorum animas, de potentia materiæ eorumdem informatiuas, perfectiuas, & completiuas.

ARTICVLVS VIII.

Quotuplex sit Cælum.

47. DIuersæ, discordesque extant Philosophorum, & Astrologorũ sententiæ in statuendo, stabiliendoque numero corporum, orbiumque cælestium. Siquidem D. Chrysostomus *hom.* 4. *in Genesim*, & Andreas Cisalpinus 3. *de orbibus q.* 4. putant vnum esse tantum cælum habens stellas, quæ per ipsum permeant, ac discurrunt, instar auium in aëre, & piscium in mari, per eius cauitates, & canales. Nonnulli, quibus fauet Orbellus 2. *d.* 14. existimant esse tres cælos, aëreum, æthereum & empyreum. Arist. 12. *Met. T.* 47. *cap.* 4. *summa* 2. octo recenset cælos. Quidam recentes duodecim, & Basilides relatus ab Aug. *in cathologo hæresum, hæresi* 4. numerat trecentos sexaginta quinque. Communis autem opinio Astrologorum, & Theologorum fert, esse decem cælos mobiles infrà numerandos, & nominandos.

48. Not. 1. nonnunquam cælum vsurpari proto to globo cælesti, comprehendendo omnes orbes cælestes, sic loquitur diuinus Chronista Geneseos. primo, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Et Arist. inscribit libros de Cælo, & Mundo, deque

eo disserit Author sphæræ, *in suo libello*. Aliquãdo verò, pro singulis orbibus cælestibus, quo in sensu sacra pagina non rarò de cælo disserit in numero plurali, nominatim Psal. 144. *Laudate eum Cæli Cælorum*. Et in præfatione Missæ Ecclesia cantat, *Cæli Cælorum*.

49. Not. 2 numerum Cælorum mobilium deprehensum fuisse ab Astronomis, ex numero motuum eorum. Ideò ab illis tot statuuntur cæli mobiles, quot reperti sunt diuersi eorumdem orbium cælestiũ motus. Idem quippè corpus diuersis motibus haud cieri valet. Decem autem motus diuersi in corporibus cælestibus ab Astrologis inuenti sunt, vt præ aliis notat Scot. 2. *d*. 14. *q*. 2. proptereà decẽ cælos esse affirmant.

Not. 3. stellas esse in duplici differentia. Quædam enim dicuntur fixæ; eo quod positæ in firmamento seu cælo stellato seruant semper eamdem propinquitatem vel distantiam. Cæteræ verò perhibentur erraticæ quia non seruant semper eamdem distantiam, vel propinquitatem, sed modò accedunt, modò verò recedunt, vt singulis diebus cernimus in sole, & luna, & huiusmodi stellæ nominantur Planetæ.

50. Ass. 1. non vnum tantùm est cælum. Tenet Doct. nuper alleg. probatur 1. ex sacra pagina, Psal. 148. *Laudate Dominum de cælis*. Ecclesiastici 24. *Ego feci in cælis vt oreretur lumen indeficiens*. Et Ephes. 4. *Qui ascendit super omnes cælos*. Secundò, ex SS. PP. August. 10. *in Gen. cap.* 29. Ambr. 2. *Hexam*. 2. Damasc. 2. *fidei*, 6. & aliis à Neotericis alleg. qui præpositam defendunt assertionem. Accedit Arist. 2. *cæli*, 59. *&* 12. *Met. Titul*. 48. qui tot enumerat intelligentias seu Angelos, quot sunt cæli mobiles. Suffragantur Astrologi, tam prisci, quam moderni adducti à Conimbr. 2. *cæli c*. 5. *q*. 1. *art*. 1. & Rub. *ibid*. *q*. 2. Tertio pluralitas cælorum depromitur ex pluralitate, & diuersitate motus, vt obseruaui *suprà not*. 2. Non est autem vnus cæli motus, vt quotidie conspicimus in sole, luna, aliisque planetis, & syderibus, ergò non vnum est cælum, sed multiplex.

51. Ass. 2. Decem referuntur cæli mobiles, quos numerat, & nominat noster Gadius *in com. Quol*. 11. *fol*. 117. *colum. tertia*.

10. Primum mobile, quod cælum crystallinum, siue aqueum dicitur.
9. Zodiachicum, ità dictum, quia eius motus fit supra polos Zodiaci, penès gradus eius, qui motus licet sit tardus, verus tamen, & realis est.
8. Firmamentum, quod & cælum stellatum vocatur, eò quod in ipso extant stellæ fixæ.
7. Cælum Saturni.
6. Cælum Iouis.
5. Cælum Martis.
4. Cælum Solis.
3. Cælum Veneris.
2. Cælum Mercurij.
1. Cælum Lunæ.

Præfatam assertionem esse verissimam, & receptissimam tradit Racon. *disp. vnica de cælo, sect*. 1. Estque consentanea Scot. qui licet in vtroque opere 2. *d*. 14. *q*. 2. recenseat nouem cælos mobiles, admitteret quoque decimum; quandoquidem concedit nonum ex nono motu comperto ab Astrologis, qui est motus retrogadus, ergò pariter daret decimum, ex alio motu, qui est motus trèpidationis, siue accessus, & recessus, inuentus à posterioribus Astronomis æquè insignibus, ac expertis in ea arte, ac prioribus. Nam idem Doct. 3. *d*. 4. *q. vn. propè finem L*. in simili difficultate ait, expertis credendum esse. Cum ergò Recentiores Astrologi longa, & accurata indagine cõpererint decimum motum, vtique, & decimum Cælum. Nec mirum, cum etiam Christophorus Columbus longa nauigatione, nouum orbem terrarum adinuenerit, qui anteà nos latuit. Quare, ex decem distinctis, diuersisque motibus, rectè inferuntur decem sphæræ & orbes cælestes distincti, ac diuersi, quos placet sigillatim recensere, & explanare. Primũ mobile mouetur motu raptus, quo trahit secum omnes inferiores orbes, & peragit cursum suum, spatio viginti quatuor horarum, quibus fit dies naturalis. Cælum Zodiachicum mouetur motu trepidationis, & persoluit cursum suum triginta sex millium annorũ interuallo. Cælum stellatum centum annis motum suum terminat. Cælum Saturni, triginta annis. Cælum Iouis, duodecim annis. Cælum Martis, duobus annis. Cælum Solis, Veneris, & Mercurij, vno ferè anno. Et cælum Lunæ, quolibet mense.

52. Ass. 3. præter decem cælos prænumeratos, admittendum est vndecimum immobile, quod empyreum nominatur. Insinuat Scot. *passu pracit*. §. *Ad argumenta in solut*. 1. & tenent omnes Theologi cum Magistro *ibid*. suaderi potest sic: concedendum est cælum, ad quod ascendit Christus Dominus, *Ephes*. 4. ibique *sedet ad dexteram Dei Patris*: istud autem cælum, in quo existit Saluator, vocatur Empyreum: ergò concedendum est vndecimum cælum. Deindè, duæ extant ciuitates, damnatorum, vna Beatorum, altera, cuius meminit Ioan. Apoc. 21. *Ciuitas in quadro posita est*: huiusmodi autẽ ciuitas, siue Sanctorum domicilium, in quo ipsi Beati clarè Deum intuentur, & fruuntur, appellatur Empyreum, quod immobile censetur. Si enim huiusmodi cælũ moueretur, vtique & ipsi Beati, qui in eo degunt, mouerentur; cum tamen congruum non sit, illos moueri, & agitari, cum requiescant à laboribus suis, Apoc. 6. sintque in termino, vt cum Scot. tradunt Scholastici.

53. Opp. 1. contrà 1. ass. Arist. 12. *Met. T*. 48. scribit cælum esse propter motum Astri: in eodem autẽ cælo sunt plura astra. Siquidem narratur *Gen*. 1. Deum fecisse solem & lunam, & stellas, easque posuisse in firmamento. Igitur vnum tantũ est cælum, in quo extãt omnes stellæ. Conf. 1. vnus, & idem est motus omniũ orbium cælestium, vt cernitur ad oculum, ergò vnũ est cælum duntaxat. Conf. 2. non sunt multiplicanda entia sine necessitate, 1. *Phys*. 52. Nulla autem vrget necessitas statuendi plures cælos, cum omnes stellæ, tam fixæ, quàm erraticæ existere queant in vno, eodemque cælo, puta firmamento, vnum ergò tantùm cælum affirmandum est. Resp. quidẽ esse vnam causam vt cælum factũ sit propter astrum; sed esse præcisam, & totalẽ causam, plures quippè, ac diuersi sunt cæli ad causandos diuersos effectus, & influxus, in hæc inferiora, vt infra patebit. Quod autem ita sit, palam constat, cum Arist. *in* 1. *assert*. allegatus asserat esse octo cælos mobiles. Ad illud Gen. occurrit Doct. cit. ibi accipi firmamentum pro toto globo cælesti inter ipsum, & orbes elementares. Idipsum indicat Lyran. ibi inquiens sumi firmamentum, prout continet cæteras sphæras inferiores, in quibus lucent Planetæ. Ad 1. conf. dico esse vnum motum communem primi mobilis, quo cæteri omnes inferiores orbes rapiuntur: esse verò plures motus proprios, quibus ipsi orbes inferiores voluuntur, vt suprà fuit ostensum. Ad 2. conf. conceditur ma. & negatur min. vt probaui in 2. ass.

54. Opp. 2. contrà 2. ass. legitur 2. *Cor*. 12. *D*. paulum raptum fuisse vsque ad 3. cælum, quod est empyreum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, ergò sunt tantum tres cæli. Resp. quidem sacrum codicem ibi connumerare tres cælos, alios tamen plures non inficiari: argumentum autem desumptũ ab authoritate negatiua non concludit. Vel melius, dico per tres cælos intelligi aërem, totum globum corporum cælestium mobilium, & empyreum. Vel vt exponit Lyran. *in postil*. per tertium cælum capi empyreum, secundum crystallinum, & primum sydereum, comprehendens firmamentũ, & reliquas sphæras cælestes inferiores. Aug. autem 12. *de gen. ad lit. c*. 7. per tres cælos interpretatur tres visiones, corporalem, spiritualem, & intellectualem.

55. Opp. 3. contra eamdem ass. si plurificantur cæli, ipsique excedant numerum octonarium, quem posuit

Arist. maximè, propter retrogradum, & trepidationis motum quem posteriores Astrologi obseruarunt: isti autem allucinari potuerunt. Vix enim percipitur ille motus, & effici potest ab Angelo, tali cælo assistente, & mouente: immò tanta intercipitur intercapedo, & distantia, vt attingi nequeat. Eò vel maxime, quia dicitur fieri per vnum gradum, centum annis. Quis autem Astrologus tamdiu viuit, quamdiu terminum eius motus perspicere valeat? cum vita eius ita breuis sit, vt ad eius metam peruenire haud possit. Non videntur ergò admittendi alij cæli, præter octo ab Aris. aliisque Philosophis traditos. Resp. deligenti indagine, & diuturna obseruatione, egregios, & præcipuos Astrologos verè eum motũ adinuenisse, & notasse. Vsi enim sunt instrumentis idoneis & ita affabrè elaboratis, vt in euidentem eius notitiam deuenerint, tametsi ille motus sit tardissimus, & minimus: eis autem magis fides danda est, quàm aliis in ea arte non multũ exercitis: atque primi inuentores eius tradiderũt, posterioribus, & sic deinceps isti, nobis, nec mirum vlli esse debet, cum omnia prioribus non innotuerint, sed successu temporis, vti de quibusdam minutis constat in correctione Conc. Niceni & postmodum *Greg.* XIII. Quare, cum tres motus obseruẽtur in firmamento, non ab Angelo ipsi assistente, & mouẽte, sed ab aliis Angelis deputatis superiorib. sphæris pręfatis efficitur, cũ vni cęlesti corpori sit proprius motus à cæteris distinctus, vnde depromitur eorũ numerus, ac influxus, cũ singulis cẽtũ annis maximæ reuolutiones in sublunaribus fiant, atq; post magnum annum Platonicũ omnia esse reditura affirment nonnulli Philosophi relati ab Aug. 12. *Hic ciu. c.* 13. & meminit Scot. 4. *d.* 43. *q.* 3. §. *sciendũ. A.*

ARTICVLVS IX.

An cæli, & astra specie distinguantur.

56. DVo inseruntur dubia *in proposito art.* quorum vnum est, vtrum cęli ab inuicẽ specie differãt: alterum verò, nùm Astra, tum inter se, tũ etiam à cælis, quibus insident, specificam sortiantur distinctionẽ. De primo, Auer. 1. *cæli, com.* 48. Iand. *ibid. q.* 12. & Dur. 2. *d.* 14. *q.* 2. negant specificum discrimen in cælos: affirmãt verò Parisienses 2. *cæli, q. vlt.* Ioan. de Magist. *ibid. q.* 4. & Ric. 2. *d.* 14. *a.* 3. *q.* 5. De secũdo autẽ pariter duæ vigent sententiæ quarũ prior defenditur à Tatar. 2. *cæli, q.* 2. *dub.* 3. Run. *ibid. c.* 7. *q.* 1. & Mol. *tr. de operibus sex dierũ, disp.* 15. statuentib. specificã distinctionẽ inter orbes, & astra in eis existẽtia. Posterior verò traditur à Racõ *disp. de cælo, q.* 1. *a.* 3. Ma. *q.* 8. aliisq; cõplurib. à quib. nõ videtur declinare Scot. 2. *d.* 14. *a.* 2. & *in Report. ibid.* qui astra, & orbes, quib. insunt, eadẽ gaudere specie arbitrantur, siue illa fixa, siue erratica extiterint.

57. Ass. 1. corpora cælestia inter se specie dissident. Nõ est dissẽtanea Scot. mox alleg. Suadetur 1. distincti effectus specie, diuersæq; passiones, motus, & loca arguunt distinctas specie causas, essẽtias, & principia, vt constat in istis sublunaribus, tàm animatis, quàm inanimatis, quorũ diuersi effectus, & virtutes, ac proprietates nos inducunt in notitiam distinctionis specificæ illorum: orbium autẽ cęlestiũ extant distincti effectus, passiones, motus, & loca; vnus quippè humectat, alter verò exsiccat: vnus calefacit, & alter frigefacit, & id genus alia, quę sanè nobis indicant, & adnotant specificam distinctionẽ, quę inter eos intercipitur. 2. Orbes sublunares ab inuicẽ specie dissident, vt patet de orbibus ignis, aëris, aquę, & terrę: ergò idipsum astruendũ est de orbibus cælestibus, cum vtrobiq; par ratio eluceat. Quod non obscurè insinuat D. Paulus 1. *Cor.* 15. vbi asserens discrimen specificũ inter homines, & pecora, volucres, & pisces, idem asserit interuenire inter corpora cælestia, & terrestria, ac etiã inter ipsa cælestia corpora, vt videtur explicare Auth. *de fide ad Petrũ c.* 3. & nõ dissentit Lyrã. *ibid. in Postil.* Accedit ratio Seraphici 2. *d.* 14. *a.* 2. *q.* 1. desũpta ex quadruplici causa in genere, quę cũ sit prolixa, pulchra tamẽ, videri potest apud ipsũ.

58. Ass. 2. Planetæ sortiũtur distinctionẽ specificã inter se, specie tamen identificantur, cum orbibus, quib. affigũtur, quodq; de stellis fixis est existimãdũ. Ab hac non declinat Scot. *vbi suprà*, sed cã indicat 4. *d.* 49. *q.* 15. §. *Ad primũ. C.* Est autem tripartita. 1. Pars de distinctione specifica Planetarum est in promptu. Siquidẽ in 1. ass. manet probatũ, orbes cælestes inter se specie differre, planetæ autẽ resident in distinctis orbibus, ergò iuxtà distinctionẽ specificam suorum orbiũ, vtiq. ipsi specie inter se dissidẽt. Deinde eadẽ currit ratio de Cælis, ac de Planetis. Planetæ namq; habent diuersos, & distinctos effectus, & influxus. Saturnus quippè prouocat hominem ad tristitiam, & auaritiam: Iupiter verò ad lætitiam, & liberalitatem, Mars ad bellum, & discordiã, Venus verò ad pacẽ & cõcordiã, & sic de cæteris. 2. Pars probatur ex Arist. 2. *cæli, c.* 7. *T.* 41. dicẽte stellas participare eamdẽ naturã, cum orbibus, quib. insũt. Ratio adducitur à Doct. passu proximè alleg. stellæ sunt partes densæ orbium cælestium: rarum autẽ, & densum non mutãt speciẽ. Insuper, influxus, effectus, & passiones eædẽ promanãt à planetis, ac ab orbibus, in quibus existunt, ergò apertè euincitur, eas esse eiusdẽ speciei, cũ dictis orbibus. 3. Pars quoq; est in cõfesso. Stellę quippè fixę sunt partes cęli stellati, seu firmamẽti densæ, & spissę, reliquę verò partes, in quib. non apparent sydera; sũt partes rarę sed vt dixi, densũ. & rarũ, veluti magis, & minus non variãt speciẽ, ergò stellæ fixæ participãt eamdẽ naturam specificã cum cælo, cui inexistunt.

Opp. 1. contrà 1. ass. orbes cælestes habent eumdem motum, figuram, & huius formæ alia, quæ à nobis cernuntur, & probantur: ergò sunt eiusdem speciei. Concedo ant. nego cònseq. Ratio est, quia motus, figura, & cætera huiusmodi sunt accidentia communia, à quibus distinctio rerum specifica non petitur. Vel distinguo ant. de motu diurno, quo omnes sphæræ voluuntur, & rapiuntur, concedo: de alio motu, quo vnumquodq; cælum cietur, nego, vt palã feci in præeunte art. in quo proprij, & singuli motus cælestium corporum animaduersi, & traditi fuere.

59. Opp. 2. Arist. 1. *cæli, c.* 2. *scribis*, præter quatuor elementa dari quintam substantiam simplicem, quę, vt suprà notaui, vulgò nuncupatur quinta essentia Peripateticorum: si ergò per Arist. vna tantum substantia statuitur, planè infertur orbes cælestes esse eiusdem speciei. Respondeo Philosophum quidem admittere quintum corpus ab elementis diuersum, nùm verò sit vnum genere, aut specie, necne non decidere. Nos autem cum prænominatis Authoribus fulti præcedentibus fundamentis, & rationibus sancimus esse vnum genere, multiplex verò specie.

60. Opp. 3. contra 2. ass. stellæ, siue erraticæ, siue fixæ potiuntur luce: reliquæ autem partes corporum cælestium luce carent: ergò inter stellas, & orbes, quibus insunt, adest distinctio specifica. Conf. stellæ quibusdam pollent viribus, quibus eorum orbes priuantur, vt Luna dominatur in humida, eique tribuuntur fluxus, & refluxus maris, non autem eius orbi, in quo extat. Item, Mercurius inclinat hominem ad litteras, non sic eius orbis. Pariter, vrsa minor ad se trahit magnetem, quod reliquæ stellæ firmamenti non præstant; ergò in eas cadit discrimen specificum. Concedo ant. nego consеq. Tantùm namque infertur differentia accidentalis, cum lux sit accidens commune. Cur autem stellæ luceant, non verò reliquæ partes cælorum, causa est, quia illæ sunt partes densæ, quæ lucem in se recipiunt, istæ verò sunt partes raræ, quæ ipsam lucem in se retinere nequeunt. Ad conf. dico, ex iis deduci discrimen accidentarium duntaxat, vt liquet de hominibus, quorum nonnulli habent virtutem sanandi ægrotos, alij verò non: quidam proni sunt ad litteras, alij verò inepti, cum tamen omnes sint eiusdem naturæ specificæ. Addi potest orbes, quibus stellæ affiguntur gaudere eisdem virtutibus, & habere

habere eosdem influxus, quos ipsæmet stellæ, tametsi harum sit maior, & efficacior, veluti calor, & ignis existens in ferri poris magis calefacit, & comburit, quàm existens in stupa, propterea quod illud est densum, ista verò rara.

ARTICVLVS X.

An in motibus Planetarum sint admittendi circuli ecentrici, & epicicli.

61. ABnegat Auer. 2. *cæli com.* 32. & 12. *Met. com.* 45. sequutus Arist. 2. *cæli*, *T.* 46. quibus fauent S. Bon. 2. *d.* 14. *a.* 1. *q.* 2. & Ric. *ibid. a.* 5. *q.* 2. Affirmant autem Scot. *eadem d. & q.* 5. *De secundo.* Dur. *ibid. q.* 1. Tatar. 2. *cæli, q.* 1. *dub.* 1. & Ioan. de Magis. *q.* 3. *dub.* 3. Quibus præiuerunt Ptolomæus, & cæteri Astrologi, admittentes præfatos circulos tàm ecentricos, quàm epiciclos.

62. Not. 1. circulum diuidi in concentricum, & ecentricum. Concentricus perhibetur ille, cuius centrum idem est, cum Mundi centro. Ecentricus verò est, cuius centrum diuersum extat à centro Mundi: & hic triplex est, vnus penès superficiem conuexam, & dicitur ecentricus simpliciter, alter penès superficiem concauam, & vocatur ecentricus secundum quid, tertius verò penès vtramque superficiem, & perhibetur circulus differens, in quo mouetur, & defertur corpus Planetæ, ad motum eius. Pars autem huius circuli magis distans à centro Mundi nuncùpatur Aux, idest eleuatio: pars verò à dicto centro minus distans, eique opposita, nominatur oppositum Augis, idest depressio: atque partes intermediæ appellantur stationes.

63. Not. 2. circulum epicyclum esse sphærulam, intrà crassitiem ecentrici simpliciter contentam, & existentem suprà circumferentiam circuli deferentis. In epicyclo autem ab Astrologis describuntur quatuor puncta, & ducuntur duæ lineæ procedentes à centro Mundi. Concludentes cum circulum, vnam orientem versùs, alteram verò occidentem versus. Punctum autem tangens lineam orientalem dicitur statio prima, & punctum tangens lineam occidentalem nominatur statio secunda. Planeta verò existens in duobus illis punctis nominatur Stationatius. Arcus interceptus perhibetur directio, & planeta existens in eo, directus: arcus inferior, retrogradatio, & planeta, qui in eo est, retrogradus nuncupatur.

64. Ass. 1. concedendi sunt circuli ecentrici. Defenditur à Doct. loco præcit. Suadetur experientia compertum est, quemdam planetam citiùs pertransire vnum signum, quàm aliud, tametsi vtrumque æqualis magnitudinis extiterit, & Planeta vniformiter moueatur. Ergò statuendi sunt circuli ecentrici. Ant. claret de sole citius pertranseunte signum Piscium, quàm Leonis. Deindè, nonnullus planeta quandoque magis terræ approximatur, quandoque verò ab ea magis elongatur, stante æquali aëris serenitate, vt certis, idoneisque instrumentis experti fuere Astronomi, & patet de sole, qui aliquando maior, aliquando verò minor verè à nobis cernitur, quia vicinior terræ est interdum, & interdum remotior: atque vna Eclypsis in eodem signo diuciùs durat, quàm altera, non alia sanè de causa, nisi quia dantur prænominati circuli.

65. Assertio secunda, admittendi quoque sunt circuli epicycli. Non displicet Scot. *vbi suprà*, & 4. *distinct.* 43. *quæst.* 3. 6. *Hic sciendum*, *sub B.* Probatur, obseruarunt Astrologi, vnum & eumdem planetam citiùs pertransire vnum, & idem signum vno tempore, quàm alio, quod non euenit, nisi quia in deferente extat epicyclus, in quo huiusmodi planeta mouetur, extrà motum deferentis, talisque motus, est motus epicycli, dandi ergò sunt circuli epicycli. Plura Major 2. *distinct.* 14. *quæst.* 2.

66. Opp. 1. Arist. *in initio huius art. cit.* negat præfatos circulos: ergò huiusmodi circuli nec tradendi, nec recipiendi sunt. Concesso ant. negatur conseq. quoniam in hoc Astrologi sequendi sunt, vt experti in sua arte, vt indicat Major nunc alleg. Addo cum Scot. *in expositione* 12. *Met. Tex.* 44. Arist. non fuisse multum Astrologiæ peritum. Ideò mirum non est, si dictos circulos non admisit: pariter non statuit, nisi octo cælos, cum tamen Astrologi plures, quàm octo doceant, vt scripsi *suprà, art.* 8. *huius q.*

67 Opp. 2. Si darentur circuli ecentrici, in Mundo forent diuersa centra: grauia quippè haberent duo loca, ad quæ naturaliter tenderent: atque plures, quàm decem forent cæli mobiles. Negatur sequela, etenim terra est centrum Mundi, ad quod suapte natura feruntur grauia: vnumque cælum gaudet proprio centro ab alio distincto: sicque non essent plures cæli totales, præter enumeratos, licet partiales multo plures existant.

68. Oppones 3. si planetæ mouerentur in epicyclo, describerent circulum alium à circulo, quem conficit orbis, cui affiguntur, atque mouerentur extrà ipsum orbem, sicque à se ipsis mouerentur, veluti animalia. Negatur sequela. Siquidem huiusmodi circulus efficitur in cælo partiali: non autem in totali, vt procedit argumentum.

69. Opp. 4. Luna non mouetur motu epicycli, sicut de Sole omnes concedunt: ergò id ipsum astruendum est de cæteris planetis. Ant. ostenditur, ea imago, quæ cernitur in ipsa luna, quamve vulgus putat esse iconem hominis ferentis pondus in dorso, semper eodem modo apparet, aliter verò videretur, si in epicyclo cieretur, nunc enim cerneretur facies eius sursùm, nunc verò deorsùm, & modò diuerso, & opposito. Respondent Ric. *loco cit. in initio huius art.* & Parisienses 2. *cæli in fine q.* 2. *fol.* 116. Lunam tantùm moueri penès centrum suum, quantum mouetur penès centrum epicycli, & quia motus huius est oppositus motui illius, propterea præfata imago in Luna eodem modo semper se habet, eodemque situ permanet, & apparet.

70. Quæres primò, nùm in cælo extent sex positionum differentiæ quæ sunt dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, antè, & retrò? Respondent Arist. 2. *cæli*, *Tex.* 13. affirmatiuè, quod intelligunt Seraphicus 2. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 2. & Subtilis *ibid. d.* 2. *q.* 6. §. *Aly autem A.* non propriè, sed similitudinariè, quandoquidem dextrum propriè est in animali, in cuius parte virtus mouendi, & agendi præcipua residet, in cælo autem, cum sit animæ expers, impropriè perhibetur habere dextrum, sic oriens, vnde incipit motus, dicitur eius dextrum, occidens sinistrum, sursùm Polus Antarcticus, deorsùm verò Polus Arcticus, antè est eius pars, quæ recipit motum, & retrò pars ei opposita.

71. Quæres secundò, nùm cæli sint colorati? Respondeo negatiuè, quod deducitur ex Scot. 2. *d.* 25. *q. vn. sub G.* & 4. *d.* 49. *q.* 15. §. *Respondeo sub A.* Ratio est, quia color causatur ex commixtione primarum qualitatum, quæ cum in cælo nullæ reperiantur, aptè infertur, nullum in ipso esse colorem. color autem, qui in ipso met cernitur cæruleus, non est verus color, sed apparens duntaxat, veluti ille, qui in mari videtur. Causa est, quia vbi non est verus color, terminus eius videtur esse cæruleus.

72. Quætes secundò, vtrum cælum sit graue, aut leue? Respondet Doct. 4. *d.* 49. *q.* 16. §. *Alij dicunt ante E.* negatiuè. Ratio est, vbi non sunt primæ qualitates, nec secundæ, veluti grauitas, & leuitas, suprà autem statutum est in cælo, non esse primas qualitates, vtique nec secundas.

73. Quæres quartò, vtrum cæli sint contigui? Responder Seraphicus nuper cit. & Lyran. *in* 1. *Gen.* affirmatiuè. Ita enim ordinatum, & dispositum est vniuersum, vt corpora eius sint contigua, vnumque sit alteri proximum, se immediatum, nè vacuum inter ea accidat. Vndè Astrologi subiiciunt, cælos esse contiguos, eo ferè pacto quo extant cortices, ac partes vnius cepæ.

74. Quæres quintò, vtrum stellæ erraticæ, & fixæ lumen à sole recipiant? Occurrit D. Aug. 2. *de genesi ad lit. cap.* 16. & *in Psal.* 10. affirmatiuè post D. Paulum 1. *Cor.* 15. & Arist. 1. *Cæli T.* 100. affirmatiuè, & potissimum experimur in accremento, & decremento Lunæ, ac in eius eclypsi: ob id sol positus est in medio cælestium orbium, vt suam lucem valeat effundere, & communicare stellis cunctis, veluti cor sedem suam tenet in medio corporis animalis, vt vitam præbeat omnibus partibus, membrisque eius: quamvis nonnullum lumen ex se participent, à sole minimè mutuatum, vt in dicto Lunæ deliquio euidenter cernitur.

QVÆSTIO II.

De motu Cœli.

ARTICVLVS I.

An omnes Cæli moueantur.

1. Extitit opinio quorumdam veterum Philosophorum, quorum nomina referuntur apud Conimbr. 2. *Cæli, cap.* 5. *q.* 4. *art.* 1. existimantium solùm terram moueri, orbes verò cælestes esse fixos, ac immobiles. Hæc autem sententia mihi videtur stulta, falsa & erronea, vtpotè quæ sensui, experientiæ pugnat, & sacræ paginæ non contradicit, quæ terram in æternum stare, immobilemque esse affirmat, vt *in sequenti lib.* ostendetur. Idque statuunt omnes Philosophi posteriores, & Scholastici 2. *d.* 14. Ambigunt autem vtrum orbes inferiores moueantur motu primi mobilis, atque num etiam motu proprio cieantur distincto à motu primi mobilis? Quæ difficultas decidetur per duas assertiones proximè postponendas.

2. Ass. prima, cœlestes sphæræ inferiores mouentur motu 1. mobilis, defenditur à Doct. *in vtroque opere* 2. *d.* 14. *q.* 2. Suadetur primò experientia, stellæ quippè erraticæ, & fixæ visuntur à nobis ascendere suprà nostrum orizontem, deinde occumbere, & postmodum reuerti ad ortum, & iterum circumagi ad occasum spatio viginti quatuor horarum: huiusmodi autem motus proficiscitur à primo mobili; ideò appellatur motus diurnus, & raptus, quandoquidem secum rapit cæteras cœlestes sphæras inferiores. Secundò *ex* 10. *Met. T.* 12. in vnoquoque genere datur vnum, quod est metrum, & mensura aliorum, ergò in genere motus admittendus est motus primi mobilis, penès quem mouentur, mensurantur, & regulantur motus reliquorum orbium cœlestium. Tertiò, quæ alicui sunt proxima, & immediata, si illud moueatur vtique cientur ea, quæ sunt ipsi immediata, & proxima, vt in multis licet intueri: orbes autem cœlestes inferiores sunt ad inuicem proximi, & immediati, instar partium vnius cepæ, vt statui in antecedente *q. art. vlt. quæsito tertio*: ergò moto primo mobili, necesse est moueantur reliqui orbes inferiores.

3. Ass. 2. orbes cœlestes inferiores proprio agitantur motu, ab occasu ad ortum. Tenet Doct. *vbi suprà*, cum communi Astrologorum placito, & indicat D. Damasc. 2. *fidei*, 6. Probatur primò, Planetæ nonsemper seruant eamdem propinquitatem, vel distantiam adinuicem, vt quotidie cernitur ad oculum: id autem aliundè non prouenit, quàm ex motu proprio, quem sortiuntur inferiores orbes distinctum à motu primi mobilis, alioqui eodem modo mouerentur, & æquè distarent, ac proximarentur. Secundò, diuerso modo, diuersoque tempore singuli orbes conficiunt, & persoluunt suum cursum peculiarem, vt sol vno anno, Mars duobus annis, & Luna quolibet mense, vt obseruaui *præcedente q. art.* 8. Hæc autem diuersitas prodit ea diuersitate motus cuiuslibet corporis cælestis, ergò præfata corpora proprio gaudent motu. Tertiò effectuum diuersitas arguit diuersitatem motuum: quilibet autem prædictus orbis sortitur proprium effectum, vt notaui, *loco mox cit. art.* 9. Ergò & proprio agitatur motu. Plura Maior 2. *d.* 14. *q.* 1.

4. Opp. 1. quod mouetur motu proprio, & motu alterius, necesse est, cohibeatur, ac retardetur motus vterque: motus autem primi mobilis retardari, & cohiberi nequit à motibus propriis cæterorum orbium, cum sit istis fortior & vehementior, ergò reliqui orbes à primo mobili propriis motibus non circumaguntur. Occurrit Isidor. 3. *Etymol. cap.* 34. concedens, motum primi mobilis retardari quodammodo à motibus propriis aliorum orbium. Astrologi autem respondent, motum primi mobilis modificari à motibus inferiorum orbium eo ferè pacto, quo modificamus motum, & impulsum alicuius corporis sursum, aut deorsum delati.

5. Opp. 2. quod mouetur in contriam partem, reluctatur, & cohibetur eius virtus, atqui inferiores orbes mouentur in contrariam partem per motum primi mobilis, videlicet ab ortu, ad occasum, ergò eorum motus est ipsi oppositus, cum sit ab occasu, ad ortum. Resp. maiorem habere locum in iis, quæ mouentur motu naturali, aut violento, non autem in illis, quæ cientur motu neutro, & indifferenti, cuiusmodi voluuntur Cæli.

6. Opp. 3. idem simul moueri nequit motibus contrariis: at si orbes inferiores propriis motibus agitarentur, contrariis motibus mouerentur, putà ab ortu ad occasum, &ècontrà, ergò motu primi mobilis circumuoluuntur duntaxat. Distinguo ma. si ille motus sit ab vno puncto ascendendo, & ab eodem descendendo, concedo esse motum contrarium, vnumque, & idem haud simul posse moueri motibus contrariis; quod si aliter res se habeat, vt in re nostra, nego esse motum contrarium. Idque explicari potest de formica, quæ mouetur in rota proprio motu, idemque de nauta, qui deambulando per nauim mouetur proprio motu distincto, à motu nauis.

ARTICVLVS II.

An Cæli moueantur ab Angelis.

7. Dvæ præcipuæ fulgēt Philosophorū, & Theologorū sententiæ, quarū vna est Maioris 2. *Cæli*

Saxon. 8. *Phys 4. vlt.* Racon. *q. 3. de motu cæli art.* 1. & aliorum, quibus videntur fauere Auic. 9. *Metaphys. cap.* 1. & Aur. 2. *dist.* 14. *art.* 2. arbitrantium cælos moueri a propriis formis sibi intrinsecis : Altera verò est Scot. 2. *d.* 14. *q.* 1. Antonij Andreæ *ibid.* S. Bon. *art.* 3. *q.* 2. & cæterorum communis docentium cælos moueri ab intelligentiis sibi à Deo deputatis.

8. Ass. 1. Cæli à propria forma non mouentur. Tenet Doct. cit. Probatur primò, motus proueniens à propria forma, aut foret violentus, aut naturalis: neuter autem esse valet, ergò cæli à propria forma non mouentur. Ma. patet, Min. est in promptu, non violentus, quia nullum violentum durabile, & secundum Arist. cælorum motus est in æternum duraturus : nec naturalis, alioqui quies foret eis violenta, sicque post diem iudicij, cæli violenter quiescerent. Secundò, omne inanimatum, cuiusmodi est cælum, ex dictis in præeunte q. art. 4 in proprio loco ab intrinseco localiter non mouetur, vt liquet de aqua, aëre, & cæteris, quæ non nisi ab extrinseco agitantur, Cælum autem est in proprio loco, ergò à sua forma non mouetur.

9. Assertio 2. Cæli circumaguntur ab intelligentiis. Tradit Scot. *vbi suprà* & 4. *distinct.* 48. *quæst.* 2. §. *Ad quæst.* & 2. *distinct.* 2. *quæst.* 6. *paulò ante A.* Iob 9. *sub quo curuantur, qui portant orbem*, idest Angeli, interprete Lyran. Cum ergò portitores orbis sint Angeli, palam deducitur ipsos mouere cælos. Secundò ex Arist. 8. *Phys. T.* 52. & 12. *Met. T.* 43. numerante tot intelligentias motrices orbium cælestium, quot sunt orbes mobiles. Subscribunt Aug. 3. *Trin. cap.* 4. & Greg. 4. *Dialog. cap.* 4. Tertiò, quod non mouetur ab intrinseco, necesse est, moueatur ab extrinseco, cum motus principium sit intrinsecum, aut extrinsecum : corpora autem cælestia non cientur ab intrinseco, vt ostendi in priore assertione, igitur circumuoluuntur ab extrinseco, putà ab Angelis eis à Deo constitutis.

10. Oppones 1. si cælum ab intrinseco non moueretur, forma eius foret otiosa, quia esse est propter operari, 2. *cæli, T.* 17. & 9. *Metaphys.* 15. & 16. Igitur, si eius forma non esset principium mouendi, foret irrita, & superuacanea. Respondeo concedendo quidem illam formam non esse principium effectiuum motus localis, esse tamen causam aliorum effectuum, qui producuntur in hoc vniuerso, ideò non est frustrà, maximè cum sit causa intrinseca ipsius cæli, quod ex materia, & forma conflatur.

11. Opp. 2. Deus immediatè mouet cælos, ergò Angeli non sunt à Deo constituti ad eos voluendos. Ant. suadetur ex illo Iob. 34. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* vbi Greg. & Lyran. subiiciunt, Deum immediatè regere, & gubernare vniuersa, tantamque esse eius potentiam, vt immediatè se extendat ad omnia. Concedo ant. nego conseq. ad eius probationem dico, id esse accipiendum de interna directione, non autem de externa exequutione. Vult namque Deus operari mediis causis secundis, vt ostendi *l. de causis, art.* 4. *q.* 3.

12. Opp. 3. omni potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua, ex Arist. passu memorato : cœlum autem sortitur potentiam passiuam, respectu motus, ergò quoque potẽtiam actiuam respectu eiusdem motus. Respondeo cum Scot. *q.* 1. *prol.* ma. glossandam esse per hanc distinctionem, in se, aut in tota coordinatione entis, quo pacto potentiæ passiuæ corporis humani organizati correspondet potentia actiua Dei infundentis animam rationalem in ipsum debitè dispositum, & rectè organizatum. : pariter potentiæ passiuæ cæli correspondet potentia actiua Angeli, ad ipsum voluendum.

13. Opp. 4. vnus Angelus sufficit, ad mouendos omnes cælos, cum nihil ei resistat : ergò frustrà multiplicantur Angeli, ad multiplicationem cælorum mobilium. Nego ant. Quamvis enim nulla intercedat resistentia qualitatis contrariæ, nihilominus extat resistentia ex parte magnitudinum cælorum. Sunt namque ita magni, & vasti, vt vnus Angelus nequaquam valeat eos omnes mouere, veluti vnus Angelus simul nequit existere in pluribus locis totalibus, & adæquatis, ratio est, quia Angelus est substantia finita, & limitata, ratione cuius certo loco determinatur.

14. Quæres primò, vtrùm Angelus in mouendo cælum defatigetur? Respondeo, negatiuè, causa est, quia defatigatio est diminutio spirituum animalium, qui reparari possunt per quietem. Angelus autem est immunis à laxitudine, quia cum non sit animal, caret spiritibus animalibus : & ob eamdem causam cælum quoque non est defatigabile. Addit Scot. *in Report.* 4. *dist.* 45. *quæst.* 14. §. *Dico, vt prius.* Nunquam accidit defatigatio, nisi cum passum vincit agens, quantum ad aliquid, licet simpliciter vincatur, sed ibi nulla est repassio, ideò nulla fatigatio.

15. Quæres secundò, per quamnam potentiam Angelus moueat cælum? Respondeo Angelum non mouere per voluntatem, vt sancitum est in Vniuersitate Parisiensi, sed per potentiam exequutiuam, distinctam ab intellectu, & voluntate eius.

ARTICVLVS III.

An motus cæli sit naturalis.

16. PRior opinio tribuitur S. Bon. 2. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 3. S. Th 3. *contrà Gentes, cap.* 23. & aliis censentibus motum cæli esse naturalem. Subscribunt Conimb. 1. *cæli, cap.* 2. *q.* 3. *art.* 2. & Ægidius 2. *dist.* 14. & Argent. *ibid quæst. vn. art.* 1. Posterior defensio à Doct. 2. *dist* 2. *q.* 6 *O.* & 4. *dist.* 48. *q.* 2. *E.* Ric. 2. *d.* 14 *q.* 6. Dur *quæst.* 2. Hurt. *in præsenti disput. sect.* 4. Arr. *sect.* 5. & Auic. 9. *Met. c.* 2. statuentibus motum cæli esse neutrum, & indifferentem.

17. Not. corpus moueri naturaliter ad locum, in quo naturaliter quiescit, & è contrà violenter moueri ad locum, in quo violenter quiescit. Naturale autem, vt à violento distinguitur, duo exigit copulatiuè, vnum, vt principium sit intrinsecum, supplè principium passiuum, alterum verò, vt mobile naturaliter inclinet ad talem motum. Defectu autem vtriusque, aut alterutrius motus nuncupatur neuter, & indifferens. Itaque, cum dicitur motus non est naturalis, capi potest, vel penès principium, vel penès terminum, potissimùm verò penès terminum, in quem tendit.

18. Ass. motus cæli non est naturalis, nec violentus, sed neuter, & indifferens. Ita Scot. cit quem sequuntur Parisienses 1. *cæli, fol.* 111. Ioannes de Magistris *ibid. quæst.* 1. *dub.* 3. & Tatar. *scibili primo.* Probatur primò, omnis motus aut est naturalis, aut violentus, aut neuter : motus autem cæli non est naturalis, secùs interdum cælum naturaliter quiesceret; acquisito namque termino, cessat motus naturalis, vt patet de lapide petente centrum, in quo quiescit : cælum verò nunquam quiescit, sed semper in gyrum vertitur, ergò eius motus haud est naturalis. Nec violentus, cum nullum violentum sit durabile, 1. *cæli* 15 Cæli autem motus est æternus, tàm à parte antè, quàm à parte post, secundum Arist.

Ergò non est violentus, proindéque est neuter, & indifferens. Secundò, si cæli motus non esset neuter, foret simul naturalis & violentus: fieri autem nequit, vt idem motus sit simul naturalis & violentus, ergò est neuter. Sequela ma.ostenditur, nam esset naturalis, quia suaptè natura tenderet ad suum terminum: essetque violentus, quia ab eo termino recederet, vt liquet de omni motu circulari, cuiusmodi est motus cæli. Tertiò motus naturalis fertur ad aliquod cōmodum corporis mobilis, vt patet de grauibus, & leuibus loca sua petentibus, in quibus perficiuntur, & conseruantur in suo esse, iuxtà illud vulgatum, locus est conseruatiuus rei locatæ. Cælum autem nullum recipit commodum, perfectionemque à motu suo, cum semper æquali modo maneat, & cælum empyreum, quod est nobilissimum, non mouetur, sed quiescit. Deindè si perficeretur in motu, non videtur, cur potius perficeretur per motum ab ortu, ad occasum, quàm per motum ab occasu, ad ortum.

Dices cum Gabriele *a. d.* 54. *q. vn. art.* 3. *dub.* 2. quod licet cælum à motu suo vllam perfectionem propriam non recipiat, recipit tamen vniuersum, fiunt quippe per eum perennes rerum generationes, varietates, & vicissitudines. Contrà. Lis præsens non est de cōmodo, quod res Mundi per motum cæli participant, sed de proprio commodo, quod Gabriel ipsi cælo nullum attribuit, sicut reuera nullum est attribuendum. Veluti quoque non disputatur, vtrùm motus rerum vniuersi sit naturalis, necne? sed num motus ipsiusmet cæli sit naturalis, aut non? respondere autèm esse naturalem, ratione rerum vniuersi, est extrà quæstionem istam: veluti dicere, cum aqua ascendit sursùm, ne detur vacuum, eum motum esse naturalem, ratione connexionis naturalis rerum, vt in simili occurrit Scot. 4. *dist.* 49. *quæst.* 54 eum absolutè, & simpliciter sit motus violentus.

Denuò motus ignis in orbem non est violentus, quia per eum non requiritur vbi, in quo violenter quiescat, vt patet in sua sphæra, in qua orbicula-riter mouetur: nec est naturalis, quia solùm naturaliter fertur sursùm. Ergò est neuter. Quod etiam de motu cæli astruendum est. Insuper, superficies est in potentia neutra, ad albedinem, aut nigredinem recipiendam, ergò & cælum, ad motum ortus, vel occasus, & è contrà. Denique in Ethicis dantur actus indifferentes, vt latè ostendi *in Moral. l.* 3. *q.* 2. *art.* 3. pariter in Phys. admittendus est motus neuter, qualis est motus cæli.

19. Opp. 1. Arist. 1. *cæli* 5. ostendit, cælum habere motum naturalem, propretereaquod est corpus naturale. Idipsum innuit 3. *eiusdem operis*, 1. & 8. *Met.* 1. *&* 2. Conf. 2. *Phys.* 78. vnumquodque vt agitur, sic aptum natura est, & vt aptum natura est, sic agitur. Cum ergò cælum in orbem voluatur, sequitur eius motum esse naturalem. Respondeo ea omnia loca exponenda esse de naturalitate penès principium corporis mobilis, non autem penès terminum ad quem, à quo præcipuè decerpitur naturalitas motus, obseruata in præposito not. Ad conf. dico, Philosophum loqui de fine naturaliter intento ab agente. Vel dico, vocari motum naturalem, quatenùs non fit ab agente supernaturali, sed ab Angelo, qui est agens naturale, & creatum, & finitum. Vel, quoad influxus naturales, quos causat in his inferioribus & sublunaribus.

20. Opp. 2. *ex* 3. *Eth.* 1. violentum est, cuius principium est extrà: principium autem motus cæli est extrà ipsum, eo quod mouetur ab Angelo sibi assistente, vt probaui *suprà art.* 2. *huius q.* Ergò motus cæli est violentus. Respondeo in ma. locandas esse alias particulas, quas ibi addit Arist. conferens vim, Idest violentiam passo, cum scilicet mobile violentiam patitur per eum motum. Angelus autem licet sit causa extrinseca motus cæli, tamen ipsi cælo nullam vim infert, nec ad eum motum ipsummet cælum propendet. Ob id, huiusmodi motus nec est naturalis, nec violentus, sed neuter.

21. Opp. 3. Cælum non est deterioris conditionis, quàm corpus sublunare: Corpus autem sublunare mouetur motu naturali, ergò & corpus cæleste. Respondeo cælum esse talis naturæ, vt valeat circulariter moueri. Motus autem circularis videtur esse nobilior cæteris motibus, veluti figura circularis, & rotunda reliquis figuris eminet. Quare, licet cælum naturale motu non agitetur, ob id non infertur esse deterius, & inferius, reliquis corporibus.

ARTICVLVS IV.

An motus cæli sit regularis & vniformis.

22. NOt. regularitatem motus petendam esse penès æquale tempus, ita vt illud regulariter moueatur, quod mouetur æquali tempore: & è regione, quod mouetur inæquali tempore, irregulariter mouetur. Vniformitas autem motus depromitur ex motu partium corporis mobilis. Id enim mouetur vniformiter, cuius partes æquè velociter, aut æquè tardè cientur: & è regione illud difformiter mouetur, cuius vna pars velociùs, aut tardiùs alia parte mouetur.

23. Aff. motus cæli est regularis, & vniformis. Ita Arist. 2. *cæli* 35. & omnes Astrologi, & indicat Scot. 2. *d.* 14. *q.* 3. *ante* §. *dico ad q.* & 4. *d.* 48. *q.* 2. §. *In ista q. C.* & *d.* 49. *q.* 13 *ante* §. *Ad rationes. G.* & *in Rep.* 4. *d.* 43. *q.* 4. Probatur primò experientia, siquidem motus diurnus 1. mobilis semper conficitur spatio viginti quatuor horarum. Itemque sol per annum absoluit suum cursum, & luna ferè per mensem. Secundò, Astrologi benè prædicunt Eclypses lunares, ac solares, nedum quoad diem, verumetiam quoad horam, & minutum, in quo efficiuntur. Itemque multa alia pronosticantur, quæ sunt certa, & infallibilia: hæc autem omnia non possunt prædicere certò, & infallibiliter, nisi motus cæli foret regularis, & vniformis, vt ex se est exploratum.

24. Opp. 1. non omnes cæli transeunt æquale spatium, siquidem maiores maius, & minores minus spatium permeant, ergò motus eorum non est regularis, nec vniformis. Respondeo præfatam regularitatem, motus petendam esse potissimum à motu primi mobilis, & postmodum à motu proprio cuiuslibet orbis, non autem à motu alieno, & respectu aliorum, vt liquet ex assertis suprà.

25. Oppones 2. in motu cæli contingunt Eclypses Solis, & Lunæ: huiusmodi autem deliquia denotant irregularitatem, ac difformitatem motus: ergò cæli motus non est regularis, nec vniformis. Concedo maiorem, nego minorem. Ratio est, quia tales Eclypses prouenìunt ex primæua constitutione corporum cælestium, suntque ad ornatum, & perfectionem vniuersi, vt patet de nocte, die, luce, tenebris, aliisque oppositis, iuxtà illud: opposita, iuxta se posita magis elucescunt.

26. Opp. 3. nonnunquam Sol stetit, vt *Iosue* 10. Interdum verò idem sol retrocessit decem lineis, vt *Esa.* 38. Et aliquando in meridie, ipsemet sol obscuratus est, vt *Luc.* 23. Igitur cæli motus non est regularis, nec vniformis. Respondeo præfata omnia esse miraculosa, & præter naturam, de

de quibus in præsentia non loquimur. Hinc tempore passionis Domini, perspiciens in plenilunio, & in meridie solem obscuratum, exclamauit. *Aut Deus naturæ patitur, aut tota Mundi moles dissoluetur.*

QVÆSTIO III.

De influxu Cæli.

ARTICVLVS I.

Vtrum Cælum influat in hæc inferiora.

1. PRætermissis, quibusdam erroribus quos recitat, & refutat Mayr. 2. *dist.* 14. *quæst.* 4. & indicant Conimb. 2. *cæli cap.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. & meminit Ruu. *ibidem tract.* 1. *quæst.* 1. post D. Thom. 2. *d.* 15. *q.* 1. *art.* 2.

2. Assertio 1. cælum, & stellæ influunt in hunc Mundum inferiorem. Est communis Scot. 2. *dist.* 14. *quæst.* 3. Maior. *ibid. quæst.* 8. Ric. *art.* 3. *quæst.* 5. Bon. *quæst.* 2. *art. vlt.* Tatar. 1. *Meteor. quæst* 1. *subtili* 3. Ioan. de Magist *ibidem quæst.* 2. aliisque Philosophis, & Theologis. Probatur primò, ex Arist. 1. Meteor. *c.* 2. *Oportet Mundum hunc inferiorem subiectum esse superioribus lationibus, vt indè vis eius vniuersa regatur.* Et 2. *de gener.* 15. & 12. *Met.* 33. & 34. Suffragantur Aug. 3. Trin. *c.* 4. *Corpora crassiora & inferiora, per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur*, & 5. *de ciuit.* Boët. 4. *de consol.* Dionys. *de diuinis nominibus cap.* 4. & Basil. 6. *Hexam.* 2. motu solis efficitur quadripartita anni distinctio, vt præ aliis aduertit Aug. *in præfatione Psal.* 150. & Lyr. *in c.* 1. *Gen.* Diuiditur namque in duo æquinoctia, vernum, & autumnale, & duo solstitia, æstiuum, & hyemale. Deindè, sol transiens per obliquum circulum Zodiaci est causa generationis, & corruptionis rerum. Accessus quippè eius ad nos est causa ortus rerum, & recessus eiusdem est causa interitus earumdem rerum. Atque 2. phys. 26. *sol, & homo generant hominem.* Insuper, 1. Cæli 32. *Deus, & natura nihil agunt frustra*: Deus autem creauit Cælum, planetas, & reliquas stellas, igitur ne inutilia, & superuacanea esse videantur, statuendum est, ea communicare suos influxus istis inferioribus, & sublunaribus.

3. Assertio 2. Cælum & stellæ influunt in elementa, quoad alterationem, & generationem. Ità Scot. *cit.* & 3. *dist.* 16 *quæst.* 2. §. *Rationes istæ antè* A Probatur experientia, siquidem, accedente sole ad nostrum Zenith, elementa superiora, ignis, & aër augentur, & accrescunt, ideò æstiuo tempore abundant caliditas, & siccitas: elementa verò inferiora diminuuntur, & decrescunt, sic prædicto tempore æstiuo, humiditas, & frigiditas deficiunt. Recedente autem sole à nostro Zenith, elementa inferiora, aqua, & terra augentur, & accrescunt, ob id hyeme abundant aquæ, & frigus: elementa verò superiora decrescunt, propterea hyemali tempore caliditas, & siccitas desunt.

4. Assertio 3. corpora cælestia concurrunt ad motum sublunarium. Tenet Doct. *in* 2. *passu memorato*, & ostendit sic, cum elementa inter se confligunt, virtute cæli efficitur eorum motus, causaturque mixtum ex tali conflictu, per virtutem cæli, vt palam fiet in proximo lib. ergò cælum influit mouendo ista inferiora. Prætereà, experientia constat Cometas cieri circulariter ad motum Cæli. Ergò sublunaria mouentur ad motum Cæli.

5. Assertio 4. animata imperfecta, & perfecta participant effectus planetarum, & aliorum cælestium orbium. Defendit Scotus *vbi suprà in vtroque opere.* Probatur 1. ex Galeno *lib.* 3. *de diebus criticis*, qui mandat obseruandas esse planetarum congressiones, & oppositiones, præsertim Lunæ, vt ægra corpora bene curentur, ob id subdit Doct. mox cit. Medicos debere esse Astrologos, vt opportunè sua medicamenta præbeant ægrotis. Secundo ostreæ marinæ, conchæ, cancri, & huiusmodi alia inueniuntur plena in oppositionibus solis, & Lunæ, vacua verò in quadraturis eorum; ergò planetæ influunt in animata. Rursùs, homines, qui Lunatici appellantur, magis agitantur vno tempore, quàm alio, quandoquidem maiores recipiunt influxus à Luna, in quadratura, quàm in oppositione eius. Iterum, æstate, magis calor viget in plenilunio, quàm in nouilunio Denique apparent euidentes, & mirabiles effectus in plantatione arborum, scissione earum, in accessu & recessu maris, aliisque permultis, quæ quotidiè oculis nostris obiiciuntur, & fusè à Doctore differuntur.

6. Oppones 1 *Genesis* 1. loquitur, Deum fecisse solem, & Lunam, & posuisse illa in firmamento cæli, vt essent in signa, & tempora, ergò non sunt causæ horum inferiorum, sed signa duntaxat. Idque videtur confirmare S. Damasc. 2. *cap.* 6. *his verbis* Nos dicimus, quoniam ipsa Astra non sunt causa alicuius eorum, quæ fuerunt, nec corruptionis eorum, quæ corrumpuntur. Signa autem sunt magna imbrium, & aëris transmutationis. Respondeo cum Seraph. & Lyran. non esse tantum signa, sed etiam causas, indicante sacro textu, cum subdit, *vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* Veluti sacramenta sunt signa, & causæ gratiæ. Ad Damasc. dico ipsum negare illa esse causam primariam, & independentem, non verò causam dependentem, creatam, & concurrentem vniuersalem cum causis particularibus istorum inferiorum, propterea Lyran. præcit. ait Moysem consultò narrare Deum fecisse illa duo luminaria, ne populus Iudaicus pronus ad idololatriam, ea, vt Deos coleret. Vnde *Deut.* 4. habetur. *Ne forte oculis eleuatis ad cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra Cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus.*

7. Oppones 2. Arist. 7. *Phys. Text.* 26. scribit agens, & patiens debere esse simul, vt prodeat actio, & fiat effectus: cælum autem longè distat ab istis inferioribus, ergò in hæc nequit influere. Respondeo exponendum esse philosophum per distinctionem, simultate suppositi, nego: simultate virtutis, concedo. Quamuis enim suppositum Cæli quam maximè absit à terra, tamen virtus eius proxima illi est, ratione cuius producuntur effectus.

8. Oppones 3. idem Arist. 1. *de gener. cap.* 7. *T.* 51. & Dionys. 2. *de diuinis nominibus*, affirmant agens assimilare sibi passum, quantum potest: cælum autem haud sibi assimilat sublunaria. Nulla quippè extat similitudo inter hæc, & illud: ergò cælum non agit in hæc inferiora. Exponendum est præfatum testimonium per distinctionem, de agente vniuoco, conceditur: de agente æquiuoco, cuiusmodi est cælum, negatur. Quare, non est necesse, interueniat nonnulla similitudo, vt cælestia, in sublunaria influant.

9. Quæres, num cælum empyreum aliquid influat in hunc Mundum sublunarem. Respondet Doct. Seraphicus 2. *dist.* 2. *parte secunda, art.* 1. *quæst.* 2. problematicè. Affert namque rationes probabiles pro vtraque parte, easque ingeniosè diluit. Placet para affirmans, tum quia nulla substantia in mundo est otiosa, tum etiam quia corpus nobilissimum, & perfectissi-

perfectiſſimum gaudet virtute præſtantiſſima agendi, & influendi in ſua inferiora, veluti eſt cælum empyreum.

Articvlvs II.

Per quid agat cælum in hunc Mundum.

10. DE tribus ambigi poteſt, ſcilicet de luce, motu, & occulta virtute, quam alij influentiam occultam, & latentem appellant, quæ omnia per tres ſubſequentes aſſertiones expediam breuiter, & euidenter.

11. Aſſertio 1. cælum agit in hæc inferiora per lucem. Eſt communis Scot. *in antecedente art. alleg.* & cæteris Scholaſt. & Philoſophis. Probatur, luce ſolis illuminantur, & calefiunt corpora ſublunaria, eius verò abſentia obſcurantur, & frigefiunt cernimus quippè lumine ſolis liquefieri ceram, & indurari lutum. Atque eius calor eſt cauſa diſpoſitiua generationis rerum, eiuſque priuatio eſt cauſa interitus earum, cum vita in calido, & humido conſiſtat. Deinceps, arbores, quæ luci ſolis ſunt expoſitæ, fructificant, quæ verò ea priuantur, nequaquam.

12. Aſſertio 2. Cælum quoque per motum influit in ſublunaria. Tenet Doct. *vbi ſuprà*, cum reliquis Scholaſticis. Probatur, acceſſus, & receſſus Solis à nobis, motuſque eiuſdem in circulo obliquo Zodiaci eſt cauſa ortus, & interitus rerum. Atque receptum extat axioma à philoſophis, motus eſt cauſa caloris, veluti quies eſt cauſa frigoris, calorem autem eſſe cauſam rerum ſaltem diſpoſitiuam, inficiatur nemo. Igitur Cælum motu ſuo agit in iſta inferiora.

13. Aſſertio 3. admittendæ ſunt occultæ cælorum influentiæ, ſiue propriæ vires, & virtutes eorum, quibus innumeri, & miri producuntur effectus. Eſt contra Mirandulanum 3. *contrà Aſtrologos*, *c.* 5. *&* 6. & alios nonnullos à Recentib. alleg. pro D. Bon. 2. *diſt.* 14. *parte* 2 *art.* 2. *quæſt.* 2. Ric. *ibidem art.* 3. *quæſt.* 5. *ad* 5. Mayr. *quæſt.* 4. Maior. *quæſt.* 8. Tatar. 1. *Meteor. quæſt.* 1. *ſcibilis ſecundè*, & non diſplicet Scot. *paſſu præmemorato*, & fauet D. Aug. 21. *Ciuit. cap.* 4. 5. *&* 7. Probatur primò, de metallorum gignitione, præſertim argenti, & quæ attingi nequeunt à motu, & luce cælorum, ergò ab aliis eorum facultatibus, & viribus, quæ vulgò eorumdem influentiæ occultæ nuncupantur. Primò, acceſſus, & receſſus maris, potiſſimum oceani, qui latenti Lunæ virtuti tribuitur, quæ magnum dominium habet in corpora humida. Rurſus magnes trahitur ad polum arcticum, & à polo antarctico regreditur; & alia huiuſmodi, quæ produci non videntur, niſi à virtutibus corporum cæleſtium, quæ influentiæ occultæ appellantur. Secundò, ſublunaria viribus ſuis complures effectus mirabiles edunt, quæ nos latent, ſicut eorum formæ ſubſtantiales ſpecificæ, ergò & cæleſtia miros effectus producunt, quorum virtutes nobis ſunt occultæ, ſicut eorumdem formæ ſubſtantiales ſpecificæ, vt præclarè proſequuntur Seraph. Doct. *loco prærecenſito*, & alij. Denique, Aſtrologi diuerſos effectus attribuunt ſtellis, quædam enim frigefaciunt, vt Saturnus, nonnullæ calefaciunt, vt Sol, aliquæ humectant, vt Luna, & aliæ exſiccant. Hæc autem, & conſimilia non prodeunt, niſi à diuerſis viribus, & facultatibus, quæ quia nobis ſunt ignotæ, vocantur influentiæ occultæ. Quare immeritò Peter. & alij cit. à Rub. 2. *cæli cap.* 3 *quæſt.* 2 has vocant deliramentum figmenta, & ignorantiæ aſylum, cum nihil aliud ſibi velint, quàm vires, & facultates cælorum, à quibus miri emanant effectus. Siquidem, ſi ſublunarium virtutes attingunt effectus mirabiles, hæque non nobis ſunt notæ, vt conſtat de viribus multorum lapidum, herbarum, & plantarum, quantò magis facultates cæleſtium? quæ cum ſint nobiliſſima, & præſtantiſſima, proculdubio pollent viribus excellentiſſimis, & eminentiſſimis, à quibus prodeunt effectus nobiliſſimi, & præſtantiſſimi. Itaque, cum non negentur huiuſmodi virtutes cælorum, ſanè inficiandæ non ſunt præfatæ influentiæ occultæ, quæ prorſus adinuicem coincidunt.

14. Oppones 1. lux nobilitate, & cauſalitate vincit omnes qualitates, vt experimur in effectibus, & operibus horum ſublunarium, quæ à luce fiunt, ergò Cælum per lucem agit duntaxat. Ant. eſt in promptu, de floribus plantarum, & fructibus arborum, qui lucem, tanquam parentem, & cauſam agnoſcunt, ergò idem eſt aſtruendum de cæteris aliorum rerum effectis, & partis. Reſpondeo quamuis lux innumeros producat effectus, attamen non attingit opera metallorum quæ gignuntur in gremio terræ, aliaque effecta, quæ luce ſunt eminentiora, & inſigniora, ideò venandæ ſunt aliæ præſtantiores cauſæ, quæ dicuntur influentiæ occultæ.

15. Opp. 2. motus ex dictis *lib.* 8. *Phyſ. q.* 1. *art.* 4. formaliter eſt relatio, quæ non eſt de genere actiuorum: ergo per motum in hæc inferiora non influit Cælum. Concedo ant. diſtinguo conſequens, vt per principium effectiuum concedo: vt per conditionem, ſine qua non, nego. Sic lux eſt quidem conditio præuia, & diſpoſitiua, ad producendam ſubſtantiam, ipſam tamen effectiuè non attingit.

16. Opp. tertiò, dedecet virum philoſophum aſſerere, quæ nec ſenſu, nec ratione probari queunt: dari autem influentias cæli occultas nec ſenſu, nec ratione ſuaderi poteſt, immò nec authoritate. Nam Ariſt. in ſuis ſcriptis huiuſmodi influentias non commemorat. Ergò concedendæ non ſunt. Concedo maiorem, nego minorem, vt patet ex 3. *aſſ. propoſita.* Multæ autem veritates latuerunt Ariſt. ſoli enim Deo omnia ſunt nota, iuxta illud Hæbr. 4. *Omnia ſunt nuda, & aperta oculis eius.*

17. Quæres, vtrùm ceſſante motu cæli, effici queat aliquis motus in his inferioribus? Reſpondeo affirmatiuè cum Scot. 1. *d.* 2. *q.* 11. §. *Dico ergo ſub A.* & 4. *d.* 48 *q.* 2. *ſub I.* contrà D. Th. 2. *cæli lect.* 4. & ſuos. Nam, ex Aug. 11. *Conf.* ſtante cælo, mouetur rotula figuli. Idque ſancitum eſt in vniuerſitate Pariſienſi, & ratio eſt, quia ſublunaria, præter motum cæli habent cauſam ſufficientem effectricem ſui motus. Igitur abſque motu cæli moueri poſſunt.

Articvlvs III.

An Cæli, & aſtra influant in animam humanam.

18. PLanetarij, & Aſtrologi iudiciarij exiſtimant Cælos, & ſydera ſic influere in animam humanam influxu naturali, ac neceſſario, vt aliter agere non valeat, niſi ſecundum eorumdem cælorum, ac ſtellarum influxum. Scot. autem 2. *d.* 14. *q.* 3. §. *Quarto dico. H* S. Bon. *ibid. q. vlt.* Ric. *q.* 5. *art.* 3. Maior. *q.* 8. Gabriel *q. vn. dub. vult.* Dur. *part. ſecunda q.* 2. & cæteri Scholaſtici, & orthodoxi Doct. negant cælos, & ſydera cogere humanam voluntatem ad promeudas neceſſariò ſuas actiones, & operationes.

19. Not. ex Scot. mox cit. cælum, & aſtra agere in

in mixta siue inanimata, siue animata per suos influxus, alterando nimirum ea, per qualitates conuenientes, aut disconuenientes: ideóque remotè, ac indirectè dici potest dicta corpora cælestia influere in humanam animam, quandoquidem præfatæ qualitates possunt lædere illa mixta, eorumque organa, temperiemque ipsorum dissoluere. Læsis autem sensibus, intellectus, & voluntas possunt deordinari in suis actibus, & operibus. Hinc subiicit Orbellus 2. *dist.* 25. *quæst.* 2. læso, & impedito organo phantasiæ, vt patet in phreneticis, intellectus impeditur à sua functione, & operatione.

20. Assertio 1. directè, & immediate cæli, & astra non influunt in animam humanam. Tenet Doct. cit. & *quæst.* 11. *de anima.* Probatur primò, corpus nequit directè agere in spiritum: agens quippè est nobilius patiente, vt præ cæteris tradit Aug. 12. *de gen. ad lit. cap.* 29. Cæli autem sunt corporei, & anima humana spiritualis, 3. *anima*, 19. & 2. *de gener. animalium*, *cap.* 3. Ergò illi, in hanc agere directè nequeunt. Secundò, anima humana est incapax accidentium materialium, ob id intellectus eius agens transfert species materiales in spirituales, quas intellectus patiens recipit, 3. *anima*, 18. Insuper, ex Damasc. 2. *fidei cap.* 7. corpora cælestia, naturaliter, & necessariò operantur, ergò si influerent in animam humanam, eius læderet libertatem, cuius oppositum statuemus *in* 3. *ass.*

21. Assertio 2. indirectè, & remotè cæli influere queunt in intellectum, & voluntatem hominis. Defenditur à Doctore *passu allegato.* Prima pars probatur ex Arist. 1. *anima, Textu.* 66. corrumpitur intellectus, quodam interius corrupto. Quod est dictu. offenso sensu, præsertim phantasiæ, indirectè offenditur, ac deordinatur intellectus. Secundò, experientia constat, læso sensu communi, potissimum confusa imaginatione, & phantasia, confundi ac deordinari intellectum in suis actibus, & operibus, vt patet in phreneticis, & lunaticis, qui magis vno tempore, quàm alio agitantur, secundum maiorem, aut minorem influxum, quem à Cælo recipiunt. Prima pars suadetur 2. *ex* 1. *polit.* 3. appetitus sensitiuus naturaliter se habet ad partem rationalem, tanquàm seruus, ad Dominum. Interdum autem seruus indirectè saltem reluctatur Domino: ergò idipsum dicendum est de appetitu sensitiuo, qui ad se trahit voluntatem, tametsi quoquo pacto inuitam, & reluctantem. Vndè Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odio malum, illud facio.* tractus à sensualitate, subiicit Lyran. ibi. Secundò, voluntas humana sequitur appetitum sensitiuum, quandoquidem appetitus sensitiuus mouet efficaciter voluntatem ad prosequendum id, quod illi, ab ipso appetitu sensitiuo offertur, & præsentatur, si eidem voluntati sit commodum, & bonum: appetitus autem sensitiuus potest deordinari, & lædi, per noxium cæli influxum: ergò indirectè cælum potest agere in humanam voluntatem.

22. Assertio 3. Cæli, & sydera non cogunt humanam voluntatem ad agendum, sed eam relinquunt in pleno dominio suorum actuum, & operum. Patrocinatur Doct. *vbi suprà.* Probatur primò, ex Conciliis Brachar. 1. *cap.* 9. & 10. & Tolet. primo, in quibus damnantur Priscillianus, eius sectatores, ac fautores, existimantes corpora cælestia suis influxibus humanam temerare libertatem. Quorum meminit Aug. *in catalogo hæresum*, *hæresi* 70. suffragantur SS. Patres, nuncupatim Dionys. 4. *de Diuinis nominibus*, Basil. *hom.* 6. *in Hexamer.* & August. 13. *Trin. c.* 4. Et corroborari potest ex illo Deut. 4. *Solem, & Lunam, & omnia Astra cæli creauit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.* Quod autem creatum est in ministerium hominis, non prædominatur ei in regimine, virtute, & voluntate, alioqui foret creatum in dominium, & non in ministerium: itaque cum cæli, & astra creata fuerint ad seruiendum homini, planè deducitur nullam vim voluntati humanæ inferre. Addi potest vulgatum Ptolom. astrologi præstantissimi in Almag.

Sapiens dominabitur Astris.

Secundò, ex Arist. 2 *Perih. propè finem*, affirmante, hominem habere potentiam ad opposita facienda, idest voluntatem, in cuius potestate est velle, aut nolle, aut non velle, alioqui frustrà forent consilia, & negotia. Quartò, quod essentialiter alicui competit, est ab eo inseparabile, secùs destrueretur eius natura: humana autem voluntas essentialiter est libera; per id enim distinguitur ab intellectu, cæterisque potentiis naturalibus. Ergò, humana voluntas per influxum cælestium corporum ad agendum non cogitur. Demum si hominis voluntas in suis operibus necessitaretur, cum malè ageret, non foret homo culpandus, & puniendus, sed incusanda essent Astra, quæ ipsum necessariò impellerent ad mala perpetranda, sicque tolleretur omnis ratio meriti, & demeriti, laudis, & vituperij, honoris, & opprobrij.

23. Opp. 1. ex Arist. *l. de elementorum proprietatibus*, Regna vacua facta sunt, & terræ depopulatæ sunt ob coniunctionem duarum magnarum stellarum, scilicet Iouis, & Saturni, ergò sydera suo influxu necessitant homines ad bellandum, aliaque opera exercenda. Respondeo interpretandum esse dispositiuè, non verò coactiuè: inclinant namque, sed non constringunt homines ad hæc, aut illa obeunda.

24. Opp. 2. stellæ influunt in Dæmones, qui sunt puri spiritus, ergò potiori iure in animam rationalem, quæ corpori vnitur. Ant. suadetur, certa experientia comprobatur, Dæmones magis vno tempore torquere energumenos, quàm alio tempore, vt patet in Lunæ accremento, & decremento; quod aliunde non prouenit, nisi ex maiori influxu, quem tunc Luna in illos emittit, ratione cuius phreneticos, & Lunaticos magis vexant, & exagitant. Nego ant. ad eius probationem dico, non Dæmones recipere huiusmodi influxum, sed dictos Lunaticos. Agnoscunt quippè Dæmones opportunitatem temporis, qua facilius dicti homines possunt agitari & torqueri, nempè ob humorum copiam, ideircò magis tunc temporis eos perturbant, & diuexant.

Dices, Dæmones alliciuntur, & fugantur quibusdam herbis, & lapidibus, & animantibus, quibus magicæ artis periti vtuntur, ergò non obstat, quin corporum cælestium influxus recipere valeant. Dico, id effici ex pacto tacito, aut expresso eorum, applicantium actiua passiuis. Hinc D. Aug. 20. contrà Faustum, *c.* 22. sic scribit, & subiicit. *Illi quippè superbi, & impij spiritus non nidore, ac fumo, sicut nonnulli vani opinantur, sed hominum pascuntur erroribus.*

25. Opp. 3. nonnulli pollent præstantiori ingenio, quam alij, non alia sanè de causa, nisi quia illi ingeniosiores concepti, & nati sunt sub nobilioribus, & proprioribus astris, vt qui sub Marte, ad bellum, & qui sub Mercurio ad studium litterarum sunt magis idonei, & proprij. Igitur cælestia corpora agunt in animam humanam. Concedo ant. distinguo consequens, remotè, & indirectè, concedo: proximè, & directè nego. Iuuant quidem Astra, & disponunt ad bonitatem, & præstantiam ingenij, eius tamen causa præcipua est Deus creans animam nobiliorem, ex qua emanat nobilior intellectus, cum cæteris potentiis perfectioribus. Idque maximè elucet in schola Scot. docentis substantiam singularem participare gradus perfectionales, ratione quorum vna anima est altera nobilior, & præstantior, vt sancitum est in vniuersitate Parisiensi.

ART IV.

ARTICVLVS IV.

An Astrologi ex obseruatione syderum possint certò futura prædicere.

26. QVi *in antecedente art.* altercantur, quoque *in præsente* pugnant, pro cuius solutione, & decisione iuuat distinctio de futuris euentis necessariis, & naturalibus, aut voluntariis, & liberis, iuxtà quam duplex statuitur subsequens ass.

27. Ass. 1. si Astrologi agnoscerent vires, & facultates naturales Astrorum, possent certò præcognoscere, & prædicere eorum effectus necessarios, & naturales futuros. Ità Scot. 2. *dist.* 14. *quæst.* 3. §. *secundò dico. F.* Probatur primò cognita perfectè causa, cognoscitur effectus eius, quia hic ab illa essentialiter dependet. Ideò, qui habet demonstrationem per causam, facilè potest habere demonstrationem per effectum. Igitur, si Astronomi benè, & perfectè callerent naturas, viresque syderum, certè, & indubiè possent vaticinari eorum effectus naturales futuros. Secundò quotidiana experientia constat, Astrologos multa futura prænunciare, quæ à syderibus producenda, & fienda sunt, vt congressiones, oppositiones eorum, eclypses, serenitates, tempestates, pluuias, siccitates, copiam, inopiam rerum, terræ motus, ortus, interitus earumdem rerum, bellum, aut pacem Gentium, & id genus alia. Vndè Sixtus quintus in Bulla, quam edidit contrà Astrologos iudiciarios excipit effectus naturales, his verbis. *Futuris euentibus ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent, duntaxat exceptis.* Subnectit Scot. *passu prememorato*, Angelum certò prænoscere huiusmodi effectus naturales, quia optimè nouit eorum causas naturales. Igitur, si Astrologi benè, & plene cognoscerent syderum essentias, & virtutes, proculdubio eorum effectus certò prædicerent. Hinc refelluntur Conimb. 1. *cæli c.* 3. *quæst.* 9. *art.* 2. existimantes dictos Astrologos tantum probabiliter posse prænoscere eos effectus. Cum enim Astrologia sit propriè scientia, qui eam benè callet, nouit causas vniuersales naturales ad eam spectantes, proindéque pollet scientia de eis, ac de ipsarum effectibus, atque ità necessariò, & euidenter prænunciare potest tales effectus futuros: tametsi nonnunquàm ob indebitam dispositionem sublunarium, aut aliud obstaculum impediantur, nè fiant tales effectus.

28. Assertio 2. Astrologi saltem coniecturaliter possunt præscire mores hominum, maximè si nouerint, sub quorum planetarum dominio sint concepti, & nati: non tamen, quæ pendent ea eorum libero arbitrio, & voluntate. Assertio est bipartita, quam tenet Doct. *vbi suprà*, §. *Quarto dico. H. & I.* prima pars probatur 1. qui sunt in diuersis climatibus diuersos mores sortiuntur, vt præ aliis obseruat Ptolomæus tract. 2. quadripart. & aperte intuemur in Italis, Germanis, Gallis, & Hispanis, aliisque nationibus Hinc Arist. in suis problem. scribit, qui meridiei sunt proximiores, vt plurimum sunt præstantioris ingenij, & perspicacioris intellectus, & ad rés agendas aptiores, ob circuli signorum, & stellarum errantium loco Zenith capitum eorum proximitatem, ergò Astrologi, hæc, & alia scitè aduertentes facilè possunt prædicere mores hominum. Deindè, cernimus quosdam deditos esse Mathematicis vt Plat. nonnullos Historiis, vt Plin. aliquos prosæ & facundiæ, vt Cic. & alios poëticæ arti, vt Ouid. qui ipsemet ait,

Quidquid conabar dicere, versus erat.

Secundò, ea parentibus sumitur argumentum dignoscendi eorum filios, quia filius est pars patris 5. *Eth.* 6. eique similis; ideò spurius non promouetur ad sacros ordines, quia si pater fuit incontinens, idem præsumitur de eius filio, vt patet, Eatrân. de filiis presbiterorum. Igitur Astrologus benè versatus, & peritus in sua arte, potest coniicere mores alicuius, si cognoscat originem eius, & influxum Iouis, aut Saturni, aut alterius syderis. Tertiò, mores sequuntur temperamentum corporis, vt tradit Galenus in lib. ab ipso sic inscripto: *temperies autem corporis humani ab influxu syderum non parum pendet. Ideò, qui nascuntur sub Ioue sunt alacres, ob copiam sanguinis, quem influit ille planeta, qui sub Saturno sunt melancholici, ob siccitatem, & frigiditatem ab illo planeta communicatam; qui sub Marte ad bellum sunt proni, qui verò Veneri subsunt, libidini dediti sunt. Hinc Gen.* 8. *sacer tex. menet. sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et Ecclesiastes 1. *Peruersi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.* Quartò, voluntas hominis prosequitur, quod obiicit, & sequitur eius appetitus sensitiuus, vt dicebam *in præeunte art. Ass.* 2. Astra autem directè influunt in appetitum sensitiuum, ergò eorum influxibus cognitis, possunt Astrologi coniicere hominum mores. Præterum quia, vt legitur Iacobi primo, *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Et Virgil. *Ecclog.* 2.

Trahit sua quemque voluptas.

Secunda pars probatur primo, ex sacra pagina, Deut. 18. *Gentes istæ Diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.* Isa. 46. *Non est vltrà Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio, quæ necdum facta sunt.* Et 47. *Qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent ventura tibi, ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos.* 2. Planetarij, & Astrologi iudiciarij damnantur, & anathematizantur ab Ecclesia, vt patet 2. parte Decretorum, cap. 26. Conc. Brach. 1. *cap.* 9. T. *primo.* Denique à Sixto V. in propria bulla excommunicantur astrologiam iudiciariam exercentes. Quocirca non immeritò S. Bonauent. 2. *d.* 14. *quæst. vult.* oppositam sententiam vocat hæreticam, diabolicam rationi, & sensui pugnantem, ac non sibi cohærentem. Tertiò, ea PP. Clem. 9. recognitionum, Greg. *homil.* 10. *in Euang.* Epiph. & Aug. 7. *Conf. cap.* 3. vbi reiiciens Mathematicorum diuinationes affert exemplum de geminis Esau, & Iacob, qui simul concepti, & nati ea eodem vtero matris, vita, & moribus valdè diuersi ac dissimiles fuere. Et 2. *de gen. ad lit.* 17. exemplificat de arbustis, plantis, seminibus, & herbis, quæ eodem tempore plantantur, & seruntur, eodemque momento temporis nascuntur, & tamen patet eas esse diuersas. Idem asserit 5. *Ciuit. cap.* 1. *in fine*, & *cap.* 2. 3. 4. *& inde.* Et *lib.* 83. *qq. quæst.* 45. & 1. *ad Simplicianum, in sol.* 2. *quæst.* Hoc ipsum scribit, & astruit Genebr. 1. *Chron. pag.* 21. Quartò, voluntas humana suaptè natura est indifferens, & indeterminata ad opposita obiecta, actus, & effectus, vt latè sum prosequutus in Philosophia Mor. *libro* 3. *quæstione* 1. & 2. & insinuaui *in superiore articul.* Ergò nemo Astrologorum, ea syderum notitia potest scire, quæ ipsa voluntas factura est. Quamuis enim Astra inclinent eammet voluntatem ad aliquid præstandum, non tamen cogunt, nec necessitant ad suas operationes obeundas.

29. Opp. 1. Cæli sunt veluti libri, in quibus legi videntur omnes effectus futuri humiuum, cunctorumque

rumque

rumque sublunarium, sic *Gen.* 1. Astra dicuntur esse posita in firmamento cæli, vt essent signa futurarum rerum, per varios, & diuersos aspectus, interprete Orig. Esa. 34. *Complicabuntur sicut liber cæli.* Et Apoc. 6. *Cælum recessit, sicut liber inuolutus.* Ergò, si quis orbium cælestium characteres benè cognoscat, & perfectè calleat, certò prænuntiabit futuros rerum euentus, & effectus. Conf. Matt. 2. *Magi mirantur Christum Regem natum per stellam ipsis apparentem.* Ioan. 2. *Nondum venit hora mea.* & cap. 7. *Nemo apprehendit eum, quia nondum venit hora eius.* Si ergò Christus Dominus natus est sub sydere, & quoque mortuus, potiori iure astruendum est de cæteris hominibus, quorum ortus, actus, mores, & interitus pendent ab Astris; proindéque hæc omnia petiti Astrologi prænoscere queunt. Resp. præfata loca, & consimilia exponenda esse de effectibus necessariis, & naturalibus, vt ostendi *in prima ass.* Non autem de effectibus contingentibus, & liberis, vt monstraui *in 2. parte ass.* 2. Aut interpretanda sunt de cognitione probabili & coniecturali: non verò de notitia certa, & infallibili.

Ad conf. dico, eam non extitisse veram stellam ex fixis, aut erraticis, sed quid meteorologicum à Deo, vel ab Angelo compactum ad ducendum Magus ad præsepe Domini, & signum constitutum diuinitùs, ad indicandam eiusdem Domini natiuitatem in carne. Atque priùs natus est ipsi Dominus, quàm facta sit prædicta stella, proindéque sub fatali sydere non est ortus Christus. Ad cætera scripturæ testimonia dico, ea significare tempus prædefinitum à Deo Patre, quo Christus Dominus nasci, pati, & mori debebat, iuxtà vaticinia Prophetarum.

30. Opp. 2. Cometa apparens est signum mortis, Regis, aut alterius magni viri, vt Arist. & Astronomi astruunt. Ergò Astrologi ex syderum aspectibus possunt vera prædicere. Resp. Cometam ferè malorum euentuum esse signum, & causam, quia cum ex dictis in Meteor. sit magna copia exhalationum simul iunctarum ad primam regionem aëris euecta, cadens postmodum multis nocet, mortemque affert, inter quos est Rex, aut alius vir potens, cuius mors præcipuè notatur & nominatur. Atque tunc excitantur tumultus, & bella, quorum exitus infelix, & infaustus, Regi mortem infert. Vel dicito cum D. Damasc. 2. *fidei cap.* 7. iussu Dei, Cometam esse præsagium interitus Regum, & magnorum virorum, vt se disponant, & præparent quàm citius, ad reddendam rationem bonorum, malorumve, quæ in præsenti vita perpetrarunt.

31. Opp. tertiò, multa vera prædicunt Astrologi, vt Cæsarem fore Imperatorem, Neronem occisurum matrem, Alexandrum veneno pereundum. Franciscum futurum pauperem, & Christisigniferum, Bonauenturam Doctissimum, & huiusmodi. Igitur Astrologi à præsagio verò futurorum non sunt excludendi. Resp. vtique aliquando. Astronomos multa vera prædicere, siue casualiter, siue probabiliter, siue coniecturaliter: at multò plura falsa proferunt, ideò eis fides non est adhibenda, vt præ aliis aduertunt S. Aug. l. 83. qq. q. 45. S. Bon. & Maior præcit.

LIBER TERTIVS.

De Elementis.

1. DE elementis scitè, & vberè disserit Arist. 3. & 4. *de Cælo*, necnon 2. *de generat.* Nos autem quæ de eorum natura, numero, viribus, ac facultatibus traduntur, tum in communi, tum etiam in particulari, hoc vnico lib. comprehendimus.

QVÆSTIO I.

De Elementis in communi.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit elementum.

2. ESSE elementum, nemo ambigit, quid verò sit, omnes conueniunt, præter Arr. *disp.* 4. *de elementis*, qui singularem affert elementi definitionem infra repellendam. Quot autem sint elementa, non exiguum extat iurgium inter Philosophos. Nonulli namque infinita elementa numerant, alij verò etsi finita statuant, tamen inter se non cohærent, quidam enim tria, & alij quatuor recensent, nec desunt, qui vnum faciant duntaxat.

3. Not. 1. elementum multipliciter accipi. Primò, pro principio cuiuscumque rei: sic litteræ dicuntur elementa syllabarum, & propositiones per se notæ appellantur elementa scientiarum. Hanc acceptionem tangunt Aug. *in Psal.* 9. & Arist. 4. *Top. cap.* 1. & 1. *Phys. in initio*, & 5. *Met. cap.* 3. *T.* 4. & Scot. *ibi.* Secundò, pro prædicatis vniuersalioribus ac principiis generationis, vt scribit Stagirita 13. *Met. cap.* 4. Tertiò, pro corpore simplici, quod valet ad generationem, & compositionem corporis mixti, & de elemento sic sumpto sermo est in præsentia.

4. Not. secundò, duas adduci ab Arist. elementi definitiones, siue descriptiones, quarum prior habetur 5. *Met. cap.* 3. *T.* 4. Elementum dicitur, ex quo componitur primo inexistente indiuisibili specie, in aliam speciem: cuius explicatio legitur apud Doct. *in com. loci præcit.* quamuis ipse Doctor non quatuor elementis, sed materiæ primæ adaptari censet. Posterior traditur 3. *Cæli T.* 35 *sum.* 5. Elementum est, in quod alia corpora resoluuntur, quod inest potentia, aut actu. Hæc est propria, & exacta definitio elementi, ideò est retinenda: clarius autem definiri potest elementum, *Corpus simplex, in quod cætera corpora resoluuntur.* Dicitur *corpus*, vt differat à materia, & reliquis, quæ rationem corpoream non sortiuntur. Additur *simplex*, propter mixtum. Subditur, *in quod cætera corpora resoluuntur*, vt distinguatur à cælo, quod licet sit corpus simplex, tamen mixta corpora in ipsum non resoluuntur, cum de facto sit incorruptibile, & irresolubile.

5. Ass. aptè definitur elementum corpus simplex, in

in quod cætera corpora resoluuntur. Non declinat ab vlt. definitione Arist. nec pugnat Scot. 5. *Met. cit.* & 2. *d.* 15. *q. vn.* & *in Rep. ibid.* Suadetur, constat namque genere, & differentia. Eius quippe genus est corpus, reliqua verò sunt eius differentia. Nihilque diminuti & superflui continet, atque adæquatè eidem conuenit: proba ergò, & idonea est præallata definitio. Hinc refellitur Arr. nuper alleg. definiens elementum, quod vnica qualitate, ex primis constat. Siquidem substantia, sicut est elementum, non participat differentiam accidentalem, cuiusmodi est prima qualitas, quam Arr. constituit differentiam eius constitutiuam, & distinctiuam. Deindè, infrà ostendemus primas qualitates non esse differentias essentiales elementorum, vnumque elementum sortiri duas qualitates, esseque quatuor primas qualitates, quatuor elementis congruentes: perperam ergò Arr. aliam venatur elementi definitionem à communi discrepantem.

6. Ass. 2. quatuor sunt tantùm elementa, terra, aqua, aër, & ignis. Ita Arist. *locis præmemoratis*, & Scot. *vbi suprà* & 2. *d.* 14. *q.* 3. Quibus suffragantur Aug. *de gen. ad lit. cap.* 2. & 8. *Ciuit. cap.* 5. & 12. *eiusdem operis cap.* 9. Basil. *hom.* 2. *de Mundi opificio.* Damasc. 2. *fidei capite* 7. & alij PP. & Doctores Scholastici. Probatur primò, sunt quatuor qualitates primæ residentes in quatuor distinctis corporibus: ergò sunt quatuor corpora prima, & simplicia, in quibus inhærent præfatæ qualitates, tanquam passiones in suis subiectis, quæ vulgò nuncupantur quatuor elementa. Ant. est in promptu, calor, frigus, humiditas & siccitas vocantur, & sunt quatuor primæ qualitates, & quidem calor igni attribuitur, humiditas aëri, frigiditas aquæ, & siccitas terræ. Conseq. tenet, ex accidentibus namque propriis deuenimus in cognitionem substantiæ, proindéque ex quatuor primis qualitatibus, rectè manifestatur quaternarius elementorum numerus. Secundò, dantur quatuor loca distincta, in quibus reponuntur quatuor dicta corpora simplicia, cum ex dictis *lib.* 6. *Phys. q.* 5. *art.* 1. non sit vacuum in rerum natura. Ergò sunt quatuor prænominata elementa. Ant. ostenditur, duo sunt loca superiora, in quibus degunt ignis, & aër: cætera autem duo sunt inferiora, in quibus manent aqua, & terra. Denuò, quatuor inueniuntur temperamenta viuentium, melancolicum, cui dominatur terra: phlegmaticum, in quo viget aqua: sanguineum, in quo regnat aër: & colericum, in quo feruet ignis. Quatuor igitur elementa sunt admittenda memorata à regio Psalte *Psal.* 148. & à Daniele 3.

7. Opp. 1. contrà 1. ass. cætera corpora non componuntur ex elementis, nec minus ipsamet elementa componuntur ex materia, & forma quàm illa, igitur inepta est veraque definitio elementi præallata. Resp. elementa præexigi ad compositionem mixtorum, tanquam eorum principia effectiua, non autem formalia. Non enim elementa sunt in mixtis formaliter, sed virtualiter duntaxat. Ipsa autem elementa perhibentur simplicia, tametsi ex materia, & forma coalescentur, quia ad ipsorummet efficientiam, alia non præexigunt, vt fit in generatione mixtorum, vt in q. de mixtione, & mixto palam fiet.

Dices, in prima definitione Arist. ponitur elementum inexistere in eo, quod componit: & in secunda quoque elementum extare in mixto actu, vel potentia. Ergò responsiu præadducta nullius est ponderis. Dico, posse responderi præfatam inexistentiam elementi in mixto, non esse formalem, sed virtualem, & potentialem. Vel dicito eam non esse definitionem elementi propriè dicti, sed materiæ primæ interprete Scoto, *ibi in expositione tex.* Ad aliud, quod subditur ibi problematicè loqui, nec litem decidere, num actu, vel potentia elementum sit in mixto, nisi postmodum in opere de ortu, & interitu.

8. Opp. 2. contrà 2. ass. Moyses *lib. Geneseos* texens seriem omnium rerum à Deo creatarum, præsertim elementorum non meminit ignis: ergò non sunt quatuor elementa. Resp. argumentum ab authoritate negatiua depromptum non concludere. Vndè S. Bon. 2. *d.* 14. *art.* 1. *quæst.* 2. notat diuinum Chronistam mentionem etiam non facere de aëre, quem esse vnum ex elementis, non negatur. Cur autem ignem non retulerit, rationem affert Lyran. quia loquebatur populo rudi, qui spiritualia, & quæ sunt suprà nos, non capiebat. Itemque, non memorat creationem Angelorum, quos fuisse creatos à Deo notat Aug. 11. *Confess. cap.* 22. Atque, creatione cæli intelligi Angelos, qui sunt creaturæ spirituales scribit idem Aug. 1. *de gen. ad lit. cap.* 17. & 2. *eiusdem operis cap.* 18. Et litteris consignat Genebr. 1. *Chron. pag.* 2. Adde Damasc. 2. *fidei cap.* 7. dicentem, per lucem prima die creatam intelligi ignem, quia non est aliud ignis, quàm lux.

ARTICVLVS II.

An formæ elementorum sint primæ qualitates.

9. GAlenus 1. *de vsu partium*, & 1. *de elementis* Philoponus 2. *de generat. com.* 7. & Alex. 12. *Met. com.* 12. putant essentiales formas elementorum esse primas qualitates. Aduersam verò sententiam insinuat Arist. 2. *de generat. T.* 16. & 54. & tuentur Parisien. *ibid.* Ric. 2. *d.* 14. *art.* 2. *q.* 1. & 2. Aur. *d.* 15. *art.* 2. & alij communiter negantes formas elementorum esse primas qualitates.

10. Ass. 1. elementa non constituuntur in esse substantiali elementari per primas qualitates. Hanc præsupponit Doct. 2. *d.* 15. *q. vn.* §. *dico ergò. A.* vbi astruit formas substantiales elementorum actu, & formaliter non remanere in mixto, ipsumque mixtum constitui per suam propriamque formam distinctam à formis elementorum. Ob id Arist. 2. *de gener.* proximè cit. inuehitur in priscos Philosophos, eo quod egerunt de qualitatibus, non verò de formis substantialibus elementorum. Deindè, idem Philosophus *lib. de sensu, & sensili cap. de sapore* subiicit. Ignis calefacit, vt calidus, non autem ignit, vt calidus. Vbi Arist. perspicuè ostendit, formam ignis non esse calorem, alioqui ignis igniret, vt calidus, quod ipse apertè respuit. Quare, secundum Arist. calefactio quidem prouenit à calore ignis, tanquam eius instrumento, ignitio autem promanat à forma ignis, per quam essentialiter ipse in esse ignis constituitur. Hoc ipsum innuit S. Aug. *in expos. Psal.* 147. Calidus calore calefacit, & frigidus frigore frigescit, & velox velocitate velox fit. Et *lib. de natura, & gratia contrà Pelag.* Calor, & frigus sunt qualitates substantiarum, & substantia substantiæ contrariatur per suas qualitates. Prætereà, nulla substantia composita constituitur in esse substantiæ per formam accidentalem, alioqui non foret vnum per se, sed per accidens, vt ostendi *lib.* 2. *Phys. q.* 6. *art.* 1. At si primæ qualitates forent elementorum formæ, ipsa elementa, quæ sunt composita substantialia, constituerentur in esse substantiæ per formas accidentales, cuiusmodi sunt primæ qualitates, quæ sunt accidentia in prædicamento qualitatis reposita. Nemo autem inficiatur, elementa esse composita substantialia, vt liquet ex definitione elementi adducta *in præcedente art.* Igitur formæ elementares non sunt primæ qualitates. Rursus, passio alicuius rei non est forma essentialis eius, cum

passio

passio præsupponat rem iam constitutam per suam formam essentialem: primæ autem qualitates videntur esse passiones elementorum. Ab igne quippè profluit calor, seu potius potentia calefaciendi, notante Bonet. 5. *Met.* §. *Iuxta.* Ab aqua frigiditas, siue facultas frigefaciendi, ab aere humiditas, siue virtus humectandi: & à terra siccitas, siue vis exsiccandi. Insuper, quod ab alio seiungi potest, eo integro, & illæso remanente, non est forma substantialis, quia seiuncta forma eius, cuius est forma, destruitur ipsamet res constituta per talem formam: possunt autem existere elementa, sine primis qualitatibus, ergò primæ qualitates non sunt elementorum formæ. Ma. est nota. Min. ostenditur, ignis in fornace Babylonica non calefecit, nec combussit tres Pueros in eam proiectos. *Dan.* 3. Tunc autem erat ignis absque calore, non tamen existebat sine sua forma substantiali, ergò nec calor est forma elementi ignis, nec aliæ qualitates censendæ sunt formæ cæterorum elementorum.

11. Ass. 2. vnumquodque elementum potitur propria sua forma substantiali. Deducitur ea Doct. *vbi supra.* Probatur primò, quod constat ea materia, & forma gaudet propria forma substantiali, vt patet ex dictis *in Physs. passu proximè cit.* Quodlibet autem elementum conflatur ex materia, & forma, quia elementum est corpus, ea asseritis in superiori art. Ergò quodlibet elementum sortitur suam propriam formam substantialem. Secundò, quod est proximum, & immediatum subiectum accidentium materialium fruitur sua propria forma substantiali ab aliis distincta: quodcumque autem elementum est proximum, & immediatum subiectum accidentium materialium, ergò quodlibet elementum pollet sua propria forma substantiali. Ma. ostensa est *l.* 5. *Phys. quæst.* 5. *art.* 4. Min. est liquida; siquidem quodlibet elementum est corpus ex materia, & forma conflatum.

12. Opp. 1. Arist. 2. *de gener.* 7. verbis explicitis ait, principia, & formas elementorum constitutiuas esse primas qualitates. Ergò in schola Arist. primæ qualitates sunt formæ elementorum. Respondeo ea verba proferri à Philosopho in sententia veterum Philosophorum, quos ibi acriter reprehendit, vt palàm fit ex eodem Stagir. *T.* 54. Aut si mauis, dicito cum tex. accipiendum esse circumlocutiuè, vsurpando passiones elementorum, pro eorum formis essentialibus, vt quandoque præstant Philosophi, potissimum, quando formæ substantiales nobis non innotescunt, vt patet 5. *Met. c. de quanto*, vbi sumitur diuisibilitas pro essentia quantitatis, quæ reuera est eius passio.

Dices, *ex* 2. *de partibus animalium*, *c.* 1. qualitates, & virtutes elementorum sunt materia mixti, materia autem mixti est substantia, ergò & dictæ qualitates sunt substantiæ. Occurrendum est, ipsas qualitates appellari materiam mixti, quatenus sunt materiales dispositiones ad mixtum faciendum.

Instabis, viuentia aluntur frigidis, calidis, humidis, & siccis, 2. *anima* 28. alimentum autem viuentium est substantia, ergò & qualitates elementorum. Satisfit si dicatur, viuentia nutriri ex calidis, frigidis, humidis, & siccis, hoc est, ex substantiis affectis caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate, vt significat idem Philosophus 5. *anima*, 10.

13. Opp. 2. à forma substantiali, quæ est principium actiuum exire debet aliqua operatio: à forma autem ignis non emanat alia operatio, quàm calefactio, ergò calor, & non alia forma constituit ignem in suo esse substantiali elementati. Concedo ma. nego min. Etenim à forma ignis egreditur ignitio, qua ignis ignit, & producit ignem, sicut à calore emergit calefactio, qua ignis calefacit.

Dices, non inuenitur apud probatos Authores, verbum ignio, & voa ignitio, sed fingitur ad eludendam vim præfati argumenti. Dico reperiri apud Aug. *l.* 3. *contrà litteras Petiliani Donatistæ c.* 4. Atque idem Doct. obseruat *in expos. psal.* 104. vbi vulgata habet eloquium domini inflammauit eum, alios legere, igniuit eum. Et Dam. 4. *fidei*, *c.* 14. vbi vtriusque vocis meminit. Et Arist. 5. *Meteor. cap.* 4.

14. Quæres 1. vtrùm elementa differant inter se specie? Respondeo affirmatiuè, quod apertè indicant eorum passiones, operationes, effectus, & loca diuersa, quæ arguere distinctas naturas specificas, sæpè inculcaui.

15. Quæres secundò, nùm elementa sint nobiliora, & præstantiora mixtis? Respondeo negatiuè, cum Arist. 5. *de gener.* 84. & Scot. 1 *d.* 3. *q.* 7. §. *Ad argumenta*, *P.* & 2. *d.* 15. *q. vn.* §. *Dico ergò C.* Ratio est, quia forma mixti est actualior, superior, & ordine posterior. Quæ autē sunt generatione posteriora, sūt priora perfectione, supple in eodē ordine, vt rectè explicat Scot. 4. *d.* 11. *q.* 3. *ante* §. *Ad rationes ergò A A.*

Articvlvs III.

An elementa sint ingenerabilia & incorruptibilia.

16. Elementa esse ingenerabilia, & incorruptibilia tradunt Arist. 2 *de gener.* 55. & Scot. 5. *d.* 8. *q* 5. §. *sed pars. sub B. & C.* quo autem modo id intelligatur, per ea, quæ subiiciemus, palàm fiet.

17. Not. trifariàm aliquid dici posse ingenerabile, & incorruptibile. 1. Quia est expers materiæ, veluti Angelus. 2. Quia non habet contrarium, quod vi sua valeat ipsum vincere, vt cælum. 3. Quia habet æqualem virtutem in resistendo virtuti actiuæ illius contrarij, cuiusmodi sunt elementa. Rursus, pro nunc quidpiam dici potest generabile, & corruptibile bifariàm. Vno modo, secundum partem, hoc est, quia aliqua eius pars generatur, aut corrumpitur: altero modo secundum totum, hoc est, totum persistit semper, etsi aliqua eius pars in vno loco depetdatur, tamen in alio loco reparatur, & resarcitur: quo pacto totum dicitur semper perdurare.

18. Ass. 1. elementa penès partes sunt generabilia, & corruptibilia. Patrocinatur Doct. 2. *d.* 14. *q.* 3. §. *Dica ad q. sub A.* & *Quol.* 11. *vbi* Gadius *fol.* 19. *pag.* 2. *volum.* 1. & 3. *d.* 16. *q.* 2. §. *Rationes ista. ante A.* Probatur 1. ex Arist. 3. *cæls*, 52. & 2. *de gener.* 6. vbi ex professo disserit de generatione, & corruptione, secundum partes. 2. Accedente sole suprà Zenith alicuius regionis, elementa superiora, putà ignis, & aër crescunt, & inferiora, nempè aqua, & terra decrescunt, vt singulis annis comprobatur experientia: è regione autem, recedente sole à Zenith alicuius regionis elementa inferiora augentur, & superiora diminuuntur: atqui accretio, & decretio haud efficiuntur absque generatione, & corruptione quarumdam partium ipsorum elementorum: igitur elementa secundum suas partes generantur, ac corrumpuntur. 3. agentia contraria conantur viribus suis assimilare sibi opposita: nequeunt autem agere in contraria, nisi fiat aliqua generatio, & corruptio partium, vt constat de igne, qui extinguitur ab aqua, quæve ab igne absorbetur. Igitur elementa censenda sunt generabilia, & corruptibilia secundum partes.

19. Ass. 2. elemēta secūdū se tota sūt ingenerabilia, &

& incorruptibilia. Defenditur à Doct. *in* 1. *nuper alleg.* & *in* 3. *proximè memorato.* Probatur primò, ex Arist. 2. *de gener.* 51. affirmante elementa esse æterna, & perpetua, veluti Mundum: Mundus autem est ingenerabilis, & incorruptibilis, secundum totum. Ergò idem astruendum est de elementis. Accedit alius locus Philosophi 1. *Meteor. c.* 3. vbi pro absurdo habet, vnum elementum sua virtute ita aliud superare, vt illud corrumpat & destruat. Igitur secundum Arist. elementa secundum se tota sunt ingenerabilia, & incorruptibilia. Fauet sacra pagina, Ecclesiastes 1. Terra autem in æternum stat: ergò si terra est perpetua, vtique & cætera elementa. Quod insinuat idem Author ibidem c. 3. *Didici, quod omnia opera tua perseuerent in æternum.* Quem passum Lyran. interpretatur, quoad opera præcipua, quæ sunt corpora cælestia, & elementaria. Secundò, quæ sunt æqualia in agendo, & resistendo, quæve sunt contemperata ad æquilibrium penès suas virtutes sunt ingenerabilia, & incorruptibilia, quoniam corruptio proficiscitur ab inæquali virtute, & facultate agentis superantis potentiam patientis: elementa autem sunt inter se æqualia, & contemperata, penès suas vires, vt liquet experientia tot annorum, quibus ipsa elementa incorrupta secundum se tota conseruantur. Denique, vbi non datur agens creatum fortius, & potentius alio, non datur ibi pariter corruptio, & dissolutio alterius, vt ex se patet; non habetur autem in rerum natura agens creatum fortius & potentius ipsis elementis, cum cæteris creatis ipsis auxiliantibus, & conseruantibus: ergò, elementa secundum se tota sunt ingenerabilia, & incorruptibilia.

20. Oppones primò, quod est generabile, & corruptibile, secundum suas partes: quoque est generabile, & corruptibile, secundum totum: quia corruptis partibus, corrumpitur & totum, veluti genitis partibus, gignitur totum: in prima autem assertione statutum est, elementa esse generabilia, & corruptibilia penès suas partes, ergò & penès se tota. Respondeo maiorem valere de toto, cuius omnes partes deperduntur, & destruuntur: non verò de toto, cuius aliquæ partes corrumpuntur, quædam autem generantur. Sic in re nostra, si nonnullæ partes elementorum in vno loco deperduntur, in alio loco quædam aliæ partes acquiruntur, & resarciuntur, ac reparantur.

21. Opponès secundò, vnum elementum ita potest crescere, vt sua virtute aliud destruere queat, ergò elementa secundum se tota sunt corruptibilia. Ant. probatur, si enim ignis, qui reliquis est actiuior, opposito semper ei combustibili, semper augeretur, vique sua superaret aërem, ipsumque destruere queiret. Respondeo quantum crescit vnum elementum in vno loco, tantùm decrescit in alio loco. Quare nego sequelam ant. scilicet, vnum elementum sic posse augeri, vt aliud comminuere, & euertere valeat, vt magis infrà ostendetur.

22. Opponès tertiò, elementa conflantur ex materia, & forma, ergò sunt corruptibilia. Ant. est in confesso ex definitione elementi. conseq. tenet, quod namque componitur ex materia, & forma corruptioni est obnoxium, cum materia, cum priuatione ipsi annexa sit radix, & origo corruptionis. 1. *Phys.* 80. Concedo ant. distinguo consequens, proximè nego: remotè, conoedo. Vel dicito, id verum esse de possibili, non autem de facto, sicut dictum est de cælo, *l.* 2. *quæst.* 1. *art.* 6.

Articvlvs IV.

Quodnam sit elementum nobilius.

23. Aff. ignis nobilitate vincit cætera elementa, subsequitur aës, deindè aqua, & postmodum terra. Deducitur ex 4. *d.* 47. *q.* 2. §. *Ad argumentum. C.* Estque expressa sententia D. Aug. *l. de spiritu, & anima, c.* 15. dicentis. Ignis, & aës sunt corpora præcellentia. Et 2. *de gen. ad lit. c.* 3. ignis est suprà aërem. Et 8. *ciuit. c.* 14. sicut eis diuersa dignitas est locorum, ita etiam naturarum. Suadetur primò, quod participat nobiliorem proprietatem, præstantiusque agendi principium, est nobilius, & excellentius inter elementa: passio quippè, & agendi virtus præstantius indicat naturam nobiliorem, & excellentiorem, cum ab hac, illa oriatur: ignis autem gaudet præstantiori virtute, cum sit maximè actiuus. Hinc Arist. 2. *anima, T.* 50. subiicit, interuentu caloris omnia viuere, & conseruari. Calor autem maximè competit igni, ergò ignis est elementorum nobilissimus. Secundò, præstantiori, & eminentiori, locus præstantior, & eminentior est tribuendus. Natura quippè ita est ordinata, & disposita, vt tribuat vnicuique, quod suum est: igni autem præbetur locus superior, qui est suprà aërem in conçauo orbis Lunæ. Ideò scribit Starig. 5. Top. c. 1. *Ignis est corpus nobilissimum habens superiorem locum.*

Et canit Ouid.

Ignea conuexi vis, & sine pondere cæli.
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.

24. Opp. 1. terra quiescit in suo centro: ignis verò, & reliqua elementa semper mouentur, & agitantur, vt de igne potissimum nobis indicant Cometæ, qui ad motum eius voluuntur. Ergò terra nobilitate præponenda est cæteris elementis. Confestesta præbet pabulum cunctis animantibus, ergò anteponenda est aliis elementis. Respondeo nobilitatem, & præstantiam cuiuscumque rei, non ex quiete, aut motu eius depromendam esse, sed ex natura, passione, ac virtute eius. Pes accidens quippè est, vt aliquid moueatur, aut quiescat. Eò magis, quia nemo ambigit, cælos esse præstantiores terra, & tamen perpetuò circumaguntur. Ad confi. admitto quidem terram esse viuentibus vtiliorem, non tamen nobiliorem. Merces quippè sunt vtiliores scientiis, non autem nobiliores eis.

25. Opp. 2. excellentius, & præstantius temperamentum animantium est sanguineum, quod constat ex calido, & humido: caliditas autem, & humiditas magis aëri, quàm aliis elementis congruit, ergò aër præferendus est igni. Resp. præstantiam, & eminentiam elementorum non esse petendam penès temperamenti nobilitatem, & excellentiam, sed penès nobiliorem eorum naturam, virtutem, & locum, vt suprà inculcaui.

Dices, si locus facit ad nobilitatem elementi, aues quæ in aëre, & pisces, qui in aqua degunt, præponendi fosent hominibus, qui in terra morantur. Resp. ex loco tantùm inferri nobilitatem secundum quid, non verò simpliciter, sic exponitur Aug. 8. *Ciuit. c.* 15. Homo autem absolutè nobilitate præstat cunctis animantibus, ratione naturæ humanæ, & præsertim ratione animæ rationalis, & quia in terra est vt in via, & tendit ad patriam, quæ est cælum, Beatorum domicilium. Vndè D. Paulus *Hebr.* 13. subiicit: *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Concludo cum August. in exp. psalmi noni. *Quoniam terra quasi finis est rerum*

vltimum

vltimum elementum est , in quo homines ordinatissimè laborant. Idem scribit Plin. 2. *Hist.* c. 66.

ARTICVLVS V.

An elementa sint inter se æqualia.

26. QVadrifariàm potest esse dubitatio. Primò, vtrum elementa sint æqualia in quantitate molis, siue in magnitudine, & extensione ? secundò, num sint æqualia in densitate,& raritate ? tertiò, an sint paria in viribus actiuis , ac passiuis ? quartò, vtrùm participent æqualem materiam. Quæ omnia quatuor sunt statuenda,& decidenda,per subsequentes assertiones.

27. Ass. 1. elementa sunt imparia,& inæqualia, penès magnitudinem , & extensionem. Indicatur à Doct. *i. vtroque opere 2. d. 14. q. 3. §. Ad q. dico. A* probatur primò ex Arist. 2. *de gener.* 37. ea est proportio de toto elemento , penes quantitatem , ac de partibus eius : si qua autem pars terræ resoluatur in partem aquæ , ipsa pars aquæ erit decuplo maior. Itemque. si pars aëris resoluatur in partem ignis,huiusmodi pars ignis erit decuplo maior, proindeque nonnulli supputant , ignem millecuplo excedere terram : ergò elementa superiora magnitudine superant inferiora. Secundò , continens est maius contento , inficiante nemine : elementa autem superiora continent inferiora ; ignis quippè continet aërem , aër aquam , & aqua terram. Deinceps , rarum magis extenditur , quàm densum, maioremque occupat locum,vt palam est omnibus: elementa autem superiora sunt rariora inferioribus , vt liquet de terra , & aqua , quæ sunt valdè densa, & crassa. Accedunt Mathematici , qui metientes cuncta elementa ; testantur ignem magnitudine vincere aërem , itidemque aërem , aquam, atque aquam, terram. Igitur, elementa penès magnitudinem, & extensionem inter se non æquantur.

28. Ass. 2. elementa sunt imparia in densitate, & raritate. Insinuatur à Doct. *vbi suprà*, & 4. *d.* 47. *quæst.* 1. *propè finem.* Suadetur primò, quæ sunt magis materialia , & crassa, sunt magis densa, vt patet de liquoribus . præsertim oleo : elementa autem inferiora sunt magis materialia , & crassa, quàm superiora. Ideò constipatur terra , & aqua congelatur , non sic aër , & ignis. 2. quæ sunt magis pura , & impermixta. sunt magis rara, quia densitas nasci videtur ex adunatione multarum rerum, quæ inter se permiscentur:ob id aqua pura non potest congelari , præsertim mare, quia in eo non concurrunt , quæ faciunt ad congelationem, vt in lacubus , & stagnis : aër autem , & ignis sunt immunia à constipatione, & congelatione ; ergò sunt rariora, & puriora vt quoque concludit, Mayr. 2. *d.* 14. *q.* 5.

29. Ass. 3. elementa æquantur adinuicem in virtutibus actiuis , & passiuis , atque in materia. Assertio est bimembris,quam ostendit Doct. 4. *d.* 49. *quæst.* 13. §. *Respondeo sub B.* Prima pars probatur,elementa sunt proportionata , & contemperata : ergò sunt æqualia in potentiis actiuis , & passiuis. Ant. constat ex dictis *suprà art.* 3. *huius q.* conseq. deducitur : si enim vnum elementum foret impar in virtute, aut superaret aliud, aut superaretur ab alio, sicque vnum corrumperetur ab alio , & dissolueretur, proindeque de facto elementa forent corruptibilia, quòd supra repulsum est. Quocircà , tantum de caliditate est in igne , quantum de frigiditate est in aqua , & tantum est de humiditate in aëre , quantum est de siccitate in terra , vt benè prosequitur Ioan. de Magist. 1. *Meteor. q.* 3. Secunda, pars probatur, æquales vires,ac virtutes potiri videntur æquali subiecto , sed vt ostendi *in prima parte huius ass.* virtutes elementorum sunt æquales , ergò æqua extat materia eorum. Atquè ità, si qualibet materia cuiuscumque ignis cogeretur in vnum,similiter,si omnis materia cuiuscumque aquæ in vnum locum confluerct, tanta foret materia aquæ, quanta foret materia ignis. Quod etiam affirmandum est de materia aëris,& terræ. Quapropter , mirum in modum sunt ordinata , & dispositia elementa , penès materiam,ac vires,& virtutes.

30. Opp. 1. Nautæ demissa bolide inueniunt profunditatem maris oceani , ad tria milliaria duntaxat; & Geometræ terram metientes , inquiunt eius profunditatem esse ad sexcenta octoginta octo milliaria, ergò elementa superiora non excedunt inferiora magnitudine , ac extensione. Respondeo argumentum non concludere de aqua simul in vnum congregata, sed de aqua dispersa , & diuisa in eam, quæ suprà terram , & sub terra , in tot maria , flumina, stagna, lacus,fontes,puteos,& huiusmodi, vt mirum non sit , si mare oceanum non sortiatur tantam profunditatem , quantam partiatur terra , quæ ferè simul in vnum videtur congesta.

31. Opp. 2. si ignis foret maior cæteris elementis , cum in maiori corpore videatur existere maior virtus,iam alia elementa vorasset,ac omnia deuastasset, quod est apertè falsum, ergò ignis magnitudine non superat reliqua elementa. Respondeo ignis virtutem contemperari , ac cohiberi ab humiditate aëris,& ab astris, & cælis virtualiter frigidis,& humidis , necnon ab humiditate , & frigiditate aquæ, cuius vapores euehuntur ad secundam , & nonnunquam ad supremam regionem aëris. In idem videtur recidere responsio Scot. 4. *d.* 49. *quæst.* 13. §. *Respondeo sub B.* dicentis , id prouenire ex proportione, vel adæquatione aliorum in resistendo virtuti eius in agendo,saltem concurrente Cælo, & cooperantibus aliis in resistendo. Addo , eius virtutem non ita esse fortem,& vehementem,propter raritatem eius, in propria sphæra,& centro.

ARTICVLVS VI.

An elementa sint rotunda.

32. COrpora vniuersi insigniora, eiusque partes præcipuas esse sphæricas præ aliis notat Mauritius in margine Mayr. 2. *d.* 14. *ad finem q.* 5. estque commune Philosophorum placitum.

33. Ass. elementa potiuntur figura rotunda. Deducitur ex Scot. 2. *d.* 14. *q.* 3. & *d.* 15. *q. vn.* & expresse defenditur à Mayr. *ibidem, quæst.* 5. aliisque Scotist. quibus præiuerunt Plin. *lib.* 2. *hist. natur. cap.* 2. Plut. *l. de placitis* , & Ptholem. *in Almegist.* Probatur primò , totus mundus est sphæricus , & partes eius præcipuæ sunt rotundæ , inter quas extant elementa. Aut. canitur à Mannilio , subsequentibus versibus.

> *Hæc est naturæ facies,sic Mundus & ipse,*
> *In conuexa volans,teretes facit esse figuras.*
> *Stellarum, solisque orbem ,lunæque rotundum*
> *Aspicimus tumidum quærentes corpore lumen.*

Secundò , corpora cælestia insigniuntur figura rotunda, ob id circulariter mouentur , ergò & elementa prædicta figura fruuntur. Conseq. tenet, orbes inferiores conformantur orbibus superioribus: orbes autem superiores sunt sphærici , ergò & inferiores , assertore Arist. 2. *Cæli , cap.* 4. & insinuante August. 2. *de gen. ad lit. c.* 19. exponente illud Psal. 103. *Qui extendit Cælum, sicut pellem.* Tertiò suadetur

 sigillatim

sigillatim & quidem terram esse rotundam fusè, & probè attendit Arist. 2. *Cæli, à T.* 104. *vsque ad finem eiusdem lib.* tum quia omnes partes terræ æqualiter recedunt à circumferentia Cæli, & accedunt ad medium eius; tum etiam quia grauia ex quacumque parte cæli descendant, mouentur ad terram, penes æquales angulos, ergò signum apertum est, terram esse orbicularem. Rursus, vmbra sequitur figuram corporis, à quo prodit: vmbra autem terræ, quæ videtur in lunari eclypsi, ob interpositionem ipsius terræ inter solem, & lunam est sphærica, ergò & terra rotonda est. Deinceps, qui habitant plagam orientalem, prius solem intuentur, ab eoque illuminantur, quàm qui morantur in ora occidentali, quod sanè aliundè non prouenit, quàm ex rotunditate terræ, vt rectè aduertit Clauius, & alij *in expos. sphera.*

Aquam verò esse sphæricam, monstrant guttulæ eius existentes suprà folia herbarum, quæ apparent rotundæ; atque in ore cyphi intumescit aqua, ob eius rotunditatem. Deindè, qui ex alto nauigant mare, pergentes ad littos, prius vident cacumina montium, quàm valles, & planities, quod planè non proficiscitur, nisi ex rotunditate terræ.

De aëre quoque est in promptu, ipsum esse rotundum. Aër quippè continet aquam, quæ cum sit rotunda ex mox assertis, infertur ipsum etiam esse rotundum. Prætereà, aër circulariter mouetur, vt constat ex cometis, qui in eo existentes orbiculariter cientur ad motum eius, & cæli.

Denique, ignis est sphæricus, tum ex parte Lunæ, quæ vna cum suo orbe est sphærica, tùm etiam ex parte aëris, qui ex nunc dictis est orbicularis. Concludendum ergò est omnia, & singula elementa esse sphærica, & orbicularia.

34. Opp. 1. quod mouetur circulariter, participat figuram rotundam, vt scribit Arist. 1. *cæli quinsè*, elementa autem mouentur motu recto, vt patet de terra, quæ deorsum tendit, & de igne, qui sursum fertur, ergò elementa non sortiuntur figuram rotundam. Concedo maiorem, distinguo minorem: extrà propriam sphæram, concedo: in propria sphæra, nego. Cernimus quippè ad oculum Cometas ignitos moueri circulariter existentes in suprema aëris regione, & propè ignem.

35. Opp. 2. cum sol oritur, non videtur à nobis circulariter moueri: si autem terra foret rotunda, cerneretur à nobis oriri orbiculariter: potius verò nasci videtur figura plana, & moueri motu recto: non ergò terra est sphærica. Respondeo ad maiorem, quidem sensum nostrum vix, aut non percipere in motu solis circularitatem circa terram. Ratio est, quia in magno circulo, amplissimoque circuitu partis exiguæ, exilisque non deprehenditur curuitas, & sphæricitas.

36. Opp. tertiò, in terra insident montes, valles, planities, fontes, & flumina, quorum quædam ab ortu ad occasum decurrunt: quædam verò ab occasu ad ortum defluunt: si autem terra foret orbicularia nec flumina sic fluerent, nec forent fastigia montium, & id genus alia: non igitur terra rotunda censenda est. Concessa maiore, ad minorem dico, terram non esse rotundam, instar globi mathematici, vt probat argumentum, sed quoquo modo, & imperfectè rotundam, vt nos contendimus.

37. Quæres primo, cur Mundus, & præcipua, quæ in eo sunt sphærica insigniantur figura? Respondet Mayr. nuper memoratus id factum esse quadruplici de causa. Prima quia figura rotunda est simplicissima. Secunda, quia est maximè capax. Tertia, quia est maximè æqualis. Et quarta, quia est integerrima, & perfectissima.

38. Quæres secundò, num elementa in suis sphæris sint pura? Respondet Arist. 2. *Meteor. c.* 3. aliquid ignis puri reperiri in ipsius sphæra. Ratio adducitur à Scot. 4. *d.* 47. *ad finem q.* 2. quia ignis est maximè actiuus. Ideò, si quid impuri, & extranei illuc fertur; protinùs absumit, vel extrà se deiicit. Itaque, ignis est purior quocumque alio elemento, vt insinuat D. Aug. 2. *de gen. ad lit. c.* 3. Addi potest, aliquid puri aëris existere in suprema eius regione, aliquid puræ aquæ in profundo maris, & quidpiam puræ terræ in penetralibus eius, vt significant Parisienses 2. *de gener. fol.* 135. Absolutè autem hæc tria elementa, terra, aqua, & aër sunt impura, & permixta, vt patet ex vaporibus, & exhalationibus; quæ eleuantur in aërem, ex salsedine, & dulcedine aquæ: necnon ex putredine, & vligine terræ: & cætera huiusmodi, quæ prænominata elementa reddunt valdè impura, & permixta.

QVÆSTIO II.

De transmutatione elementorum.

ARTICVLVS I.

An elementa sint adinuicem transmutabilia.

1. Difficultas non est de transmutatione accidentali, sed substantiali elementorum, non quidem secundum se tota, cum ex assertis *in antecedente quæst. art.* 3. sint ingenerabilia, & incorruptibilia, sed secundum partes. Cum enim ex dictis ibi elementa sint generabilia, & corruptibilia secundum partes, pariter deducitur esse partialiter transmutabilia. Maior autem extat dubitatio, num elementa sint immediatè, aut mediatè adinuicem conuertibilia? Tres namque in hac re recitantur discrepantes sententiæ, quarum vna est eorum, quos memorant Marsilius 2. *de gener. quæst.* 9. & Tolet. *ibidem quæst.* 8. existimantium elementa prius conuerti in aliqua mixta, puta vaporem aut exhalationem, quàm in se inuicem transmutentur. Altera est Themist. 5. *Phys. Tixul.* 9. & Ruu. 2. *de gener. cap.* 6. *quæst.* 1. opinantium vnum elementum symbolum quidem immediatè posse conuerti in aliud symbolum, non autem in dissymbolum. Tertia defenditur à Tatat. 2. *de gener. quæst.* 2. Ioan. de Magis. Parisiens. *ibidem*, aliisque permultis scribentibus, & docentibus omnia, & singula elementa immediatè ad inuicem esse transmutabilia.

2. Not. primò, conuersionem, siue transmutationem esse bipartitam, vnam immediatam, alteram verò mediatam. Illa est, qua vnum absque alterius interuentu, in aliud vertitur, vt homo, in cadauer: ista est, qua vnum non transmutatur in aliud, nisi aliquod intercipiatur, vt alimentum conuertitur in substantiam aliti viuentis, medio chylo, & sanguine.

3. Not. secundò, elementa mutuò agere, & pati, mediis suis qualitatibus, quæ non attingunt eorum substantias, cum sint accidentia, sed disponunt proximè ad eorumdem productionem, ac generationem. Inter autem primas qualitates arcem tenet caliditas, subsequitur frigiditas, deindè humiditas, & postremo siccitas in agendo: in resistendo autem ordo est inuersus; prior quippè est siccitas, postea humiditas, deindè frigiditas, & vltimum locum occupat caliditas, de quibus omnibus abundè *infrà q.* 3.

4. Aſſ. 1. elementa ad inuicem tranſmutantur. Tradit Ariſt. 2. *de gener.T.7.&* 24. Necnon 1. *Met. c.4.*& Scot.*ibi*,& 2.*d.*14.*q.*3.§. *Dico ad q.ſub A.* Probatur primò, contraria mutuò tranſmutantur, quia inter ſe pugnant. Illud autem, quod de alio victoriam reportat, in ſe tranſmutat, veluti viuens animatum in ſe conuertit nutrimentum. Elementa autem ſunt inter ſe contraria, continuamque exercent pugnam: ac quandoque vnum ſuperat alterum, vt æſtate ignis, & aër vincunt aquam, & terram: è regione terra, & aqua hyeme ſuperant aërem & ignem: ergò elementa mutuò tranſmutantur. Secundò, sæ 1. *de gener. cap.* 4. *Tit.* 18. generatio vnius eſt corruptio alterius, & econtrà: quædam autem elementa generantur, quædamve corrumpuntur, penès partes, videlicet temporibus mox recenſitis: ergò inter ea adeſt perpetua, & perennis tranſmutatio. Tertiò, cernimus ad oculum, quod ſi ignis in aquam proiiciatur, & minoris virtutis extiterit, extinguitur ab ipſa aqua: econtrà verò, ſi ignis fortiore virtute polleat, abſorbet aquam. Idque aſtruendum eſt de reliquis elementis: igitur inter elementa extat continua, & mutua tranſmutatio.

5. Aſſ. 2. elementa tam ſymbola, quàm diſſymbola immediatè adinuicem conuertuntur. Deducitur ex Doct. *vbi ſuprà*,& 1. *d.*3.*q.*4.§.*contrà.ſub F.* Videturque expreſſa mens Ariſt. *locis præcit.* Probat enim ibi elementorum omnium tranſmutationem, proptereaquod ipſa elementa ſunt contraria, ſunt autem contraria immediata, vt aqua, & ignis, terra, & aër, ergò ſecundum Ariſt. elementa ſe tranſmutant immediatè. Deindè, cuncta elementa ſortiuntur virtutem huiuſmodi tranſmutationis immediatæ: ergò non eſt deneganda immediata elementorum tranſmutatio. Ant. eſt in promptu, ſiquidem vnum elementum participat virtutem, qua immediatè poteſt conuertere in ſe aliud elementum, vt aqua poteſt immediatè extinguere ignem, & è conuerſo ignis poteſt aquam abſumere. Nec iuuat dicere cum Poncio *diſp.* 56. *q.* 5. *concl.* 1. elementa non habere ſufficientes vires, & potentias conuertendi ſe mutuò immediatè. Siquidem natura non deficit in neceſſariis: cum autem elementorum conuerſio ſit neceſſaria ad vniuerſi conſiſtentiam, & perennem ſublunarium generationem, oportet ea poſſidere facultates idoneas, & ſufficientes ad talem mutuam tranſmutationem immediatam. Enimverò ſi elementa præuiis ſuis qualitatibus immediatè attingere valent productionem mixti, vt fatetur Poncius, iure potiore poſſunt gignere immediatè elementum, cum hoc ſit illo ignobilius, & deterius. Quod namque poteſt maius, vtique & minus. Eo magis, poſitis debitis diſpoſitionibus, quæ habentur per eorum qualitates, nihil obſtat, quin vnum immediatè conuertatur in aliud, vt ſi caliditas ignis ſuperet frigiditatem aquæ, & ſiccitas eius humiditatem huius, nullo medio interpoſito fiet tranſmutatio aquæ in ignem. Denuò, ſi gutta aquæ proiiciatur in ingentem, & ardentem fornacem, protinùs ignis eam vorat, & immediatè in ſe conuertit: ergò concedenda eſt præfata elementorum mutua, & immediata tranſmutatio.

Dices cum Pont. cit. negando ant. Putat enim exiguam aquæ guttam iniectam in magnum rogum conuerti prius in fumum, aut aliud mixtum. Contrà, talis gutta aquæ ſtatim ab igne abſorbetur, vt indicat ſtrepitus, quem edit, nec fumus, aut aliud quidpiam egreditur, cum ſubitò deſtruatur, & pereat, vt cernitur ad oculũ, ergò nihil mixti producitur. Inſuper, qualitates elementorũ immediatè adinuicé agunt, vt calor in frigus, humiditas in ſiccitaté, ergò & elementorũ ſobſtantiæ, præhabitis idoneis diſpoſitionib. immediatè agũt, & mutuò cõuertũtur.

6. Opp. 1. extremum nequit tranſire in extremum, niſi priùs trãſeat in medium, 5. *Phyſ.* 2a. Ignis autem, & aqua ſunt extrema elementa, diſſymbola, & maximè contraria, inter quæ mediat aër, veluti etiam aër, & terra ſunt extrema, inter quæ interponitur aqua, ergò ignis non poteſt verti in aquam, niſi prius vertatur in aërem, ſicut etiam aër non poteſt tranſmutari in terram, niſi prius tranſmutetur in aquam, proindéq; effici nequit immediata tranſmutatio elementorum, ſaltem diſſymbolorum. Diſtinguo ma. ſi tranſitus in medium ſit neceſſarius, vt in motu locali, & in formatione hominis, ex notatis *in* 1. *not.* concedo: ſi verò neceſſarius non ſit, vt in propoſito, nego, quod efficaciter oſtendunt probationes 2. Aſſ. præallatæ.

7. Opp. 2. ſi aqua immediatè in ſe conuerteret ignem, prius ignis in ſe deberet recipere frigiditatem aquæ, quia neceſſe eſt, per eam diſponatur ad introductionem eius formæ: ignis autem nequit recipere frigiditatem aquæ, tùm quia eſt ſibi contraria, & repugnans, tùm etiam quia Ariſt. 2. *de partibus animalium, c.*2. id expreſſè inficiatur. Ergò nunc elementum non poteſt immediatè conuerti in aliud. Concedo ma. diſtinguo min. ignis non poteſt in ſe ſuſcipere frigiditatem aquæ, tanquam ſibi propriam, & connaturalem, concedo: tanquam violentam, & ſibi repugnantem, nego, ſicut enim aqua in ſe recipit calorem ipſi contrarium: ſic ignis frigiditatem ipſi oppoſitam, & reluctantem. Sic exponitur Ariſt.

8. Opp. 3. ignis eſt leuiſſimus, & terra grauiſſima: ergò ex terra gigni nequit ignis. Ant. eſt peruium conſeq. oſtenditur. Siquidem oporteret leuitatem, & raritatem recipi in terra, cuius non eſt capax, cum ſit grauis, & denſa. Concedo ant. nego conſeq. ad eius probationem dico remitti eius grauitatem, & raritatem ignis eam vincentis, in tali via & diſpoſitione apta & congrua, vt formam ignis recipere queat, vt in ſimili notat Scot. 1. *d.*17. *q.*3.§. *Hic dicitur verſu. Tertiò ſic.*

ARTICVLVS II.

An elementa ſymbola facilius tranſmutentur ad inuicem, quàm diſſymbola.

9. VArij variè ſentiunt, & in diſcrepantes, ac oppoſitos ſenſus abeunt, vt videre licet apud Tol. 2. *de gener. q.*9. & Rub. *ibid. c.*6.*q.*2. Nos autem communem ſequimur opinionem, quæ eſt affirmatiua, quamve prius amplexi ſunt Ioan. de Magiſtris *eo in loco quæſt.* 2. Tatar. *ſcibili primo*, & Pariſienſes *q.* 1 *fol.* 134.

10. Not. ea vocari elementa ſymbola, quæ in aliqua qualitate conueniunt, vt ignis, & aër, quæ ambo participant caliditatem. Itemque aqua, & terra, quæ ambo ſortiuntur frigiditatem. Elementa verò diſſymbola appellantur illa, quibus nulla qualitas eſt communis, vt ignis, & aqua. Nam ignis eſt calidus, & ſiccus: aqua verò eſt frigida, & humida. Itemque, aër, & terra ſunt diſſymbola, quandoquidem aër eſt calidus, & humidus: terra verò eſt ſicca, & frigida. Facilitas autem, vel difficultas mutuæ tranſmutationis elementorum peti poteſt penès primas qualitates, vel penès qualitates ſecundas. Itemque; penès actiuitatem, aut reſiſtentiam earum, aut penès vtramque ſimul.

11. Aſſ. elemẽta ſymbola facilius, & celerius adinuicem tranſmutãtur, quã diſſymbola. Deduci poteſt ex Doct. 2. *d.*14.*q.*3.§. *Dico ad q.* & traditur explicitè

ab Arist. 2. *de gener. c.* 4. *T.* 15. Probatur primò, commodius, & facilius est vincere vnum, quam duo, vt hauriri potest ex illo Ecclesiastes, 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur*. Et ex vulgato, *Nec Hercules contrà duos*. In transmutatione autē elementi symboli in symbolū, vna tantùm virtus, & qualitas contraria est vincenda, in eis extat vna vis, & qualitas repugnans duntaxat: in dissymbolis verò duæ virtutes, & qualitates oppositæ sunt superandæ, vt constat *ex præmisso nos*. Ergò facilior, & celerior est transmutatio elementorum symbolorum, quàm dissymbolorum. Major capienda est cæteris paribus. Nam propter excessum potentiarum, & qualitatum elementorum dissymbolorum, citior, & facilior effici potest transmutatio eorum, vt si gutta aquæ iniiciatur in ingentem ignem citius, & celerius vertitur in ipsum ignem, quàm aër in ignem, aut aqua in terram, tametsi illa sint dissymbola, hæc verò symbola. Secundò, velociùs, & promptiùs introducitur forma, in materiam, cum vnum extat impedimentum tollendum, quàm si duo extiterint obstacula non imparia, vt intueri licet in naturalibus, & moralibus, ac artificialibus: in conuersione elementi symboli, in symbolum, vnum tantum obstat, putà vna qualitas contraria: in transmutatione autem dissymboli, in dissymbolum duo obstant, & pugnant, vtpotè duæ qualitates contrariæ. Insuper plus possunt duæ substantiæ pugnantes, quàm vna: in symbolis autem vna tantùm pugnat, in dissymbolis verò duæ: ergò horum transmutatio est difficilior, illorum verò facilior, & velocior.

12. Opp. 1. eadem est ratio de transmutatione elementorum symbolorum & dissymbolorum: ergò elementa symbola facilius & citius non transmutantur, quàm dissymbola. Ant. suadetur in vtrisque sunt duæ qualitates, quæ non persistunt in elemento transmutato, alioqui accidens migraret de subiecto, in subiectum. Negò ant. ad probationem dico esse disparitatem, quia in dissymbolis extant duæ qualitates contrariæ superandæ: at verò in symbolis vna tantùm qualitas est vincenda, alia autem etsi pereat, non tamen per se, sed per accidens, hoc est ad corruptionem subiecti, proptereà quod corrupto subiecto corrumpuntur omnia quæ sunt in subiecto.

13. Opp. 2. gutta aquæ in magnum rogum proiecta, citius & velocius voratur ab igne, quàm terræ particula: ignis autem, & terra sunt symbola: aqua verò, & ignis sunt dissymbola. Ergò facilior est conuersio dissymbolorum, quàm symbolorum. Eò magis, actio exercetur inter contraria, ergò vbi habetur maior contrarietas, ibi citior, & facilior exit actio: dissymbola autem magis pugnant, quàm symbola, quia hæc penès vnam qualitatem dimicant duntaxat: illa verò penès binas qualitates, ergò istorum breuior, & commodior est transmutatio. Respondeo præfatam nostram propositionem accipiendam esse cæteris paribus, in argumento autem adducto extat imparitas, quia portio terræ plus materiæ sortitur, quàm gutta aquæ, proindeque magis resistit, & difficilius conuertitur: quod si æqua foret materia in vtrisque, citius conuerteretur portio terræ in ignem, quam aquæ gutta Ad aliud quod subiicitur, dico, quod licet actio habeatur inter contraria, quæ mutuò decertant: nihilominus vbi sunt plura contraria, eaque fortiora superanda, tardior, ac difficilior victoria reportatur, vt euenit in præsentia, quia duæ qualitates contrariæ in dissymbolis sunt vincendæ, in symbolis autem vna duntaxat, proptereà horum facilior, eorum verò difficilior efficitur transmutatio.

Articvlvs III.

An ex duobus elementis effici possit tertium.

14 Titulus huiusce articuli bifariàm capi potest, vno modo vtrum elementum possit corrumpere duo elementa, & gignere tertium elementum ab eis specie dissitum? Altero modo, nùm per actionem tertij effici queat elementum distinctum à duobus inter se pugnantibus, siue, an ex duobus elementis victis, vnum elementum valeat producere tertium ab illis distinctum? Vterque autem sensus intelligi potest tam de elementis dissymbolis, quàm symbolis: & agitatur à Ioan. de Magis. 2. *de gener. q.* 2. *scibili* 2. & Tatar. *ibid.* aliisque Scotis. ac nuperrimè à Poncio *disp.* 56. *q.* 6.

15. Ass. 1. vnum elementum potest gignere aliud elementum specie distinctum. Ab hac non videtur declinare Scot. 2. *d.* 14. *q.* 3. & *d.* 15. *q. vn.* Necnon *d.* 58. *q. vn.* §. *Dico igitur. Sub K.* Probatur 1. ex Arist. 2. *de gener. c.* 4. scribente dari mutuam elementorum transmutationem. Et *ibid. T.* 26. concludente eorumdem generationem circularem: ergò secundum Arist. vnum elementum potest gignere aliud. Nec satisfacit huic testimonio Philosophi Ruuius in præsenti *c.* 6. *q.* 3. inquiens, ibi Arist. tantùm velle, ex quolibet elemento, vt termino à quo posse aliud generari, non autem vnum esse causam efficientem alterius. Siquidem Arist. ibi rationem adducens, cur elementa sint adinuicem transmutabilia, inquit, quia sunt contraria per primas qualitates pugnātia: huiusmodi autē cōtraria sunt effectiua, & causatiua: ergò Stagir. loquitur non tantū de termino à quo, sed de vera efficientia eorum. Deindè ibid. docet, transitum eorum esse faciliorem, & citiorem in symbolis, quàm dissymbolis: huiusmodi autem transmutatio pertinet ad causam efficientem. Insuper, symbolum verè causat symbolum, vt ignis ignem, ergò cùm quæritur, vtrum dissymbolum possit gignere dissymbolum, tale quæsitum spectat ad causam efficientem, proindéque incongrua, & inepta est præfata Ruu. interpretatio. Secundò, quatuor primæ qualitates sunt veluti rationes seminales elementorum, vt cum D. Aug. 3. *Trin.* 9. aduertit Scot. 2. *d.* 18. *q. vn. ante L.* Ergò per eas elementa præparantur, ac dispònuntur ad prædictam eorum conuersionem, sicque vnum potest aliud causare, cum vnumquodque eorum duas, aut saltem vnam ex dictis qualitatibus participet. Occurrit Ruu. cit. vnam qualitatem non sufficere, sed duas necessariò exigi. Contrà, vna qualitas aliis validior, & efficacior, vt calor potest præparare, ac disponere vnum elementum ad alterius corruptionem, & generationem, vt patet æstate, cum calor feruet, & frigus languet: & econtrà hyeme, cum frigus dominatur, & calor perit? ergò siue vna, siue duplex qualitas sufficit ad cuiuslibet elementi generationem. Eò magis, quia affirmante Arist. 1. *Meteo. sum.* 4. *cap.* 1. in cryptis, & antris terræ, ex aëre in eis incluso generatur aqua, cuius causa effectrix alia non est, quàm terra, cuius frigiditas vincit calorem aëris, & disponit ad introducendā formam aquæ. Vnde originē ducunt fontes, ac flumina. Siquidē frigiditas terræ per se ordinatur, ac fertur ad expellendū calorem aëris, & inuehendam formam aquæ, concurrente humiditate, & reliquis ad eius generationem prærequisitis. Cum enim elemēta non sint pura, sed permixta, frigiditas terræ haud est sola, sed eam concomitatur in dictis locis humiditas, & id genus alia, quæ faciunt ad aquæ productionem: ergò terra est per se causa generationis

nerationis aquæ. Denuò, maior conuenientia, & efficacia extat in vno elemento, ad aliud causandum, quàm in mixto ad generandum elementum: mixtum autem potest causare elementum, vt silex, & ferrum collisa gignunt ignem: igitur non est inficiandum, vnum elementum posse aliud causare. Obuiam fit Ruu. *loco memorato*, & negat à ferro, & silice collisis egredi ignem; tanquam à causis per se eius, recurritque ad causas vniuersales, cælestesque virtutes, quarum munus est supplere defectum causarum particularium cum hæ huiusmodi effectus attingere non valent, vt contingit in generatione imperfectorum animalium, ex putri materia. Verùm, quotidiana experientia nos docet, ignem eo modo causari, ergò cum palam habeantur causæ particulares eorum effectuum, inanis, & vanus extat recursus ad causas vniuersales, & cælestes. Præsertim quia productio ignis ea dicta collisione ferri, & silicis non excedit horum vires, ac virtutes: siquidem, ista sunt mixta, quæ nobilitate vincunt quodlibet elementum, ergò cùm ad oculum cernatur, ignem ab eis prodire, alia causa non est venanda, & vestiganda. Quod autem affert Ruu. de generatione imperfectorum animalium, non ipsum iuuat, quia terra putrefacta, aut quoduis aliud, quod adducitur, cum sit dictis animalibus ignobilius, ac imperfectius, nequit ea causare, & generare. propterea ad causam vniuersalem recurritur, non autem sic in præsenti.

16. Aſſ. 2. vnum elementum potest corrumpere duo elementa, & gignere tertium ab eis distinctum. Non dissentit Doct. *locis prætensis*, nec Arist. 2. *de gener. T. col.* 29. Probatur 1. fortior virtus vnius elementi potest superare virtutes debiliores duorum elementorum, ergò per eam victoriam, quam reportat vnum elementum de aliis duobus, produci potest tertium ab illis distinctum. Ant. suadetur, magnus ignis vi sua potest vincere aliquam partem aquæ, & portionem terræ, ex quibus postmodum producatur aër, ergò data hypothesi vnum elementum corrumpere quit duo elementa, ex quibus aliud distinctum producatur. Secundò, nonnunquam in mixtis accidit, vt vnum destruat duo, ex quibus gignatur tertium ab eis distinctum. Ant. est in promptu, vnus horum potest occidere duos homines, ex quibus fiunt cadauera, vermes & huius formæ alia, quæ ab homine discriminantur.

17. Aſſ. 3. per actionem tertij, ex duobus elementis inter se pugnantibus, potest aliud generari. Non opponitur Scot. *vbi suprà*, nec Arist. cit. Probatur primò, si aqua, & terra confligant inter se, & debilitentur vires eorum, per actionem ignis superuenientis, ex illis confractis produci potest aër, vt *suprà* insinuaui. Ergò per actionem tertij, id est possibile. Secundò, in mixtis hoc non rarò contingit, vt ex ferro, & ære, per actionem ignis potest produci aurum, atque ex equo, & asina gignitur mulus, qui specie ab eis dissidet, ergò id quoque fieri valet in elementis.

18. Opp. 1. contrà 1. aſſ. Si vnum elementum posset generare aliud specie dissitum vel foret causa eius vniuoca, vel æquiuoca: sed neutra causa esse valet, ergò id censendum est impossibile. Ma. patet quia diuisio causæ in vniuocam, & æquiuocam est adæquata. Min. ostenditur, causa vniuoca est eiusdem rationis, & speciei ac effectus, quem causat: æquiuoca verò præstantior, effectu, quem producit, cum eminenter, & virtualiter eum continent: vnum autem elementum non continet aliud eminenter, cum non sit eo superius, & excellentius. Concedo ma. & admissa prima parte mi. nego secundam partem: ignis enim est elementorum nobilissimus, & vniuocè, & æquiuoce gignitur, vt suprà ostendi. Idem astruitur de animalibus, quæ per putrefactionem, & propagationem generantur.

19. Opp. 2. si ignis, & aër inter se confligant, cum ambo sint calida, si producatur aqua per actionem tertij, persisteret calor in aqua, in aqua autem calor permanere nequit, cum sit ei extrinsecus, & repugnans, ac ipsa redit ad suam frigiditatem: ergò ex duobus elementis non potest effici tertium. Resp. data hypothesi, calorem ignis, & aëris non perdurare in aqua, quæ eum expellit, vt contrarium, & corruptis eius subiectis, quæ sunt ignis, & aër, vtique corrumpitur ipse calor in illis subiectatus.

20. Opp. 3. idem secundum idem, & respectu eiusdem non potest esse fortius, & debilius: si autem ex duobus elementis mutuò altercantibus, tertium gigneretur, idem foret fortius, & debilius: ergò id est impossibile. Ma. est euidens. Min. ostenditur, idem esset fortius, quia vinceret aliud, & esset imbecillius, quia vinceretur ab alio: vtrumque quippè corrumperetur, quia ex vtroque tertium efficeretur. Concedo ma. nego min. ad probationem dico, id effici per actionem tertij, vt in 3. aſſ. manet explanatum, & probatum.

QVÆSTIO III.

De primis qualitatibus elementorum.

ARTICVLVS I.

Quot, & quid sint primæ elementorum qualitates.

1. NONNVLLI, prisci, & moderni, quos sequitur Arriaga *disp.* 4. *de gener. sect.* 2. duas tantùm constituunt qualitates primas, purà calorem, & frigus. Communis autem opinio est Arist. 2. *de gener. cap.* 2. *T.* 8. Parisiensium. Ioan. de Magistris, Tarar. & aliorum *ibid.* quatuor enumerantium primas qualitates, calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem.

2. Not. 1. primas qualitates non esse ab elementis inseparabiles. potest namque ignis esse absque calore, & aqua absque frigiditate, non tamen ille sine potentia, & virtute calefaciendi, & hæc sine principio frigefaciendi. Quare dictæ qualitates siue sint de secunda, siue de tertia specie categoriæ qualitatis realiter distinguuntur ab elementis: horum autem vires, & facultates realiter cum ipsis identificantur, vt generatim de cunctis realiter rerum virtutibus tradit Doct. 2. *d.* 16. *q. vn.* §. *Ideò dico.*

3. Not. 2. quatuor præfatas qualitates vocari actiuas, non quia aliæ qualitates non sint actiuæ, verum quoniam primæ qualitates sunt productiuæ sibi similium, vt calor calorem producit, frigus frigiditatem, humiditas humiditatem, & siccitas siccitatem: non sic cæteræ qualitates. Non enim grauitas causat grauitatem, nec leuitas leuitatem, ob id potius qualitates passiuæ, quàm actiuæ perhibentur. Rursus aduerte, humiditatem, & siccitatem appellari passiuas qualitates nonquidem absolutè, sed respectiuè. Cum enim calor, & frigus sint maioris actiuitatis, quàm humiditas, & siccitas, propterea istæ, respectu earum dicuntur passiuæ, quæuè sunt maioris resistentiæ, quam illæ Quod autem est maioris resistentiæ dicitur passiuum respectu eius, quod est minoris resistentiæ, vt præ aliis notat Ioan. de Magistris 2. *de gener. q.* 1. *dub.* 1.

4. Aff. 1. Quatuor extant primæ qualitates positiuæ prærecensitæ. Præsupponuntur à Scot. 4. *d.* 1. *q.* 5. §. *Ad primum. sub F.* & indicantur ab eodem *q.* 40. *prædicamentali, in fine.* Et referuntur ab Ang. 1. *de doctrina Christiana, c.* 14. & *in expositione Psal.* 6. Suadetur 1. quatuor sunt elementa, ex assertis *in* 1. *q. huius lib. art.* 1. ergò & quatuor sunt primæ qualitates. Conseq. deducitur, vnumquodque elementum participat suam propriam qualitatem in summo, vt ignis calorem, aër humilitatem, aqua frigiditatem, & terra siccitatem. Secundò quatuor sunt humores, phlegma, sanguis, atra, & flaua bilis, ex quibus quatuor consurgunt complexiones animalium, melancholica, phlegmatica, sanguinea, & cholerica, ergò rectè infertur quaternarius numerus primarum qualitatum. Deindè, qualitates elementis conceduntur, vt inter ea fiat mutua transmutatio, vt benè vidit Arist. 2. *de gener. cap.* 2. ad transmutationem autem quatuor requiruntur qualitates, duæ actiuæ; quæ sunt calor, & frigus, duæque passiuæ, quæ sunt humiditas, & siccitas. Denuò omnes qualitates sunt quatuordecim relatæ ab eodem Philosopho *ibid. T.* 8. Et reliquæ ad primas quatuor rediguntur, vt ostenditur eo in loco, & explicatur à Ioan. de Magis. Ergò non plures quàm quatuor sunt recitandæ primæ qualitates.

5. Aff. secunda, rectè distribuuntur primæ qualitates, quæ nec ex aliis, nec ea se inuicem, sed ex his cæteræ qualitates tangibiles, & sublunares oriuntur. Consonat Arist. 2. *de gener. T.* 15. & non dissonat Scot. cit. & aliis suæ doctrinæ locis. Suadetur, primæ qualitates disponunt ad rei generationem, aliæ verò qualitates pertinent ad ornatum, & perfectionem rei, ergò sicut res prius generatur, quàm ornetur, & perficiatur, ita illæ qualitates ordine naturæ istas præcedunt, atque ita non sunt ex aliis, sed sunt primæ. Deindè, calor solùm gignit calorem, & frigiditas frigiditatem, & sic de reliquis, ergò ex se mutuo non fiunt. Rursus ex istarum permixtione procedunt cæteræ qualitates, vt de colore astruit Doct. 4. *d.* 49. *q.* 15. §. *Respondeo sub A.* post Arist. *sect. vlt. problem.* de sapore *lib. de sensu, & sensibilis, cap.* 4. & de odore *ibid. cap.* 5. & 2. *anima, cap.* 9. *de grauitate, & leuitate* 4. *Phys. T.* 85. & de sono *sect. vndecima problem.* Quapropter, cum præallata definitio sit adæquata, & reciproca, nihilque superflui ac diminuti contineat, tanquam recta, & idonea censenda est.

6. Aff. 3. non sunt admittendæ qualitates virtuales elementorum, à quatuor præfatis distinctæ. Non est dissentanea principiis Scot. & defenditur à Tatar. 2. *de gener. q.* 1. *scibili tertio*, Conimb. *cap.* 5. *q.* 2. *art.* 2. Pontio *disp.* 54. *q.* 3. *concl.* 4. & aliis, tam ex antiquis, quam modernis. Probatur primò, si præter quatuor primas qualitates actuales, darentur quatuor virtuales, forent octo qualitates: id autem Arist. 2. *de gener. T.* 15. contradicit, tradenti quatuor qualitates duntaxat. Prætereà, primæ qualitates aut sunt de secunda aut tertia specie prædicamenti qualitatis: istæ autem sunt tantum actuales, ergò nullæ dantur qualitates virtuales ab actualibus distinctæ. Secundò, aliæ qualitates à primis, proficiscuntur ex ipsarum primarum permixtione, vt palam feci *in* 5. *ass.* ergò si admitterentur qualitates virtuales, inter qualitates secundas forent adscribendæ. Insuper, quidquid est vel realiter identificatur cum substantia, vel realiter ab ea differt. Si primum, non est qualitas, quia cum qualitas sit accidens, cum substantia non coincidit. Si secundum, ergò est accidens, quod in actuale, & virtuale non secernitur: proindéque perperam qualitates primæ distribuuntur in quatuor virtuales, & quatuor actuales.

7. Opp. 1. vna qualitas prima fit ex alia: ergò non bene definiuntur primæ qualitates, quæ nec ex aliis, nec ex se mutuò, sed ex his cæteræ qualitates sublunares fiunt. Ant. est in confesso. Nam æstiuo tempore à calore vrgente, & feruente oritur siccitas, & ariditas terræ. Tunc enim herbæ, & plantæ, & pleraque alia exsiccantur, & arescunt. Nego ant. ad eius probationem distinguo, per se, neg: per accidens concedo. Ex eo namque, quod calor tunc temporis consumit humorem, per accidens efficitur siccitas, & ariditas terræ.

8. Opp. 2. aqua quando est calida reducit se ad pristinum suam frigiditatem: ergò aqua habet virtualem qualitatem, per quam redit ad natiuum frigus: ea autem virtualis qualitas differt ab illis quatuor actualibus prænumeratis: ergò concedendæ sunt qualitates virtuales ab actualibus distinctæ. Resp. aquam reduci ad suam natiuam frigiditatem non ab vlla qualitate virtuali distincta à quatuor primis actualibus, sed à sua forma substantiali, virtute cuius efficitur frigida, vt insinuaui *suprà in fine* 1. *not.*

9. Opp. 3. in mixtis dantur qualitates virtuales, ergò, & in elementis. Ant. est in promptu de vino, & pipere, quæ quamuis actu, & formaliter sint frigida, tamen ab homine suscepta, & in eius stomachum iniecta calefaciunt: sic quoque Medici experiuntur quasdam herbas esse virtualiter calidas; quasdam verò esse virtualiter frigidas. Concedo ant. nego conseq. quia huiusmodi virtutes prodeunt ex naturis earum rerum specificis, & fortasse non sunt propriè qualitates, & accidentia communia, sed propria, reipsa identificata cum earum naturis substantialibus, vt animaduerti *in* 1. *not.*

ARTICVLVS II.

Quid sint singulæ primæ qualitates.

10. IN antecedente *art.* adducta est definitio primarum qualitatum in communi: nunc verò *in præsente art.* sigillatim singulæ qualitates describendæ sunt Arist. quippè 2. *de gener. cap.* 2. *T.* 8. & 4. *Meteor. cap.* 1. definit vnamquamque primam qualitatem in concreto. Ait enim, calidum est, quod congregat homogenea, & disgregat heterogenea, vt calor in vnum cogit aurum permixtum cum aliis metallis, & ab istis illud disiungit, ac separat, vt constat in liquefactione metallorum. Frigidum est, quod congregat tam homogenea, quam heterogenea, vt patet in aqua congelata, in qua coadunantur ligna, lapides, paleæ, & id genus alia. Humidum est, quod difficulter proprio termino, faciliter autem alieno termino terminatur, vt aqua lapidibus, & aggeribus tanquam alienis terminis terminatur. Siccum est, quod facilè proprio, difficilè verò alieno præfigitur termino, vt patet de terra, & lapide, quæ proprio limite quidem terminantur facili negotio, at alieno termino non nisi labore, & necesse enim est, excidantur & in partes diuidantur.

11. Aff. aptè, & congruè definitæ fuere singulæ primæ qualitates. Ad hac non declinat Scot. in suis scriptis. Suadetur, illæ præallatæ descriptiones lucidè declarant naturas primarum qualitatum, & benè explicant earum passiones, & effectus, ergò sunt probè traditæ. Iterùm, in eis assignari queunt genus, & differentia. Conueniunt namque omnes in communi ratione qualitatis, discrepant verò in reliquis, vt constat discurrenti per earum voculas, & particulas præallatas.

12. Opp.

12. Opp. 1. per id debet aliquid definiri, quod est prius, & intimius ei: definito quippe intrinsecam rei naturam explicat: sunt autem alia in primis qualitatibus priora, & intimiora, quàm congregare homogenea, adunare heterogenea, terminari alieno termino, & præfigi proprio termino. Ergò non benè singulæ qualitates primæ fuere descriptæ. Ma. patet. Min. probatur, calefacere est intimius calori, quàm congregare homogenea, frigefacere est prius frigori, quàm adunare heterogenea, ergò potiùs per hæc quàm per illa primæ qualitates sunt definiendæ. Resp. totum hoc argumentum esse verum, maluit autem Arist. describere præfatas primas qualitates per alias proprietates, & effectus inferiores ac posteriores, eo quod illi non sunt ita noti & faciles, sicut calefacere, frigefacere, & huiusmodi. Nihil enim noui, & scitu digni dixisset, nec maiorem notitiam de dictis qualitatibus nobis præbuisset.

13. Opp. 2. calor vnit heterogenea, ergò non distinguitur à frigore, in eo, quod frigus congregat heterogenea, & homogenea. calor verò homogenea duntaxat. Ant. probatur, in liquefactione ceræ, & resinæ, in qua coguntur in vnum tam homogenea, quam heterogenea. Iterùm, in generatione mixti ex calido, & humido componuntur partes heterogeneæ: atque in nutritione viuentis, per calorem naturalem alimentum vnius rationis coniungitur cum alimento alterius rationis. Denique, frigore, interdum rumpuntur saxa, & dissoluuntur membra, vt patet experientia, hyemali tempore. Distinguo ant. simpliciter nego: secundum quid concedo: Ita quoque respondendum est ad reliquas probationes, quæ subiiciuntur. Ratione quippè alicuius qualitatis viscosæ, per calorem corpora heterogenea, cum homogeneis simul vniuntur. Absolutè verò huiusmodi vnio à calore non efficitur. Ad vlt. dico id non per se, sed per accidens contingere, quatenus scilicet quædam partes nimis stringuntur, seque simul sustinere nequeunt, proptereà laxantur, & collabuntur.

ARTICVLVS III.

An cuilibet elemento conueniat aliqua prima qualitas in summo.

14. ASsertio prima, quatuor primæ qualitates in summo competunt quatuor elementis: ita communis fert Philosophorum, & Medicorum opinio. à qua non deflectit Doct. 2. d. 15. q. vn. Probatur primò, quatuor sunt elementa, ea dictis, *in 1. q. huius lib. art.* 1. Ergò & quatuor qualitates primæ in summu conuenientes eis. Conseq. tenet, vnumquodque elementum sicut specie ab alia distinguitur, ita & qualitatem specie distinctam à cæteris sortitur, per quam agit, exercetque suam operationem. Secundò, quatuor primæ qualitates in summu non adaptantur mixtis, quia in his dicuntur esse refractæ, ac debilitatæ, ergò conueniunt ipsis elementis, quorum natura sunt simplices. A simplici autem substantialiter, & virtualiter, nonnisi vna qualitas primò & immediatè proficiscitur, proindéque vna simplex operatio exercetur.

15. Ass. 2. igni calor, & aëri humor in summo congruit. Deducitur ea Doct. cit. & 4. d. 47. q. 2. *ad finem.* Prima pars suadetur primò, nobiliori elemento debetur nobilior qualitas, quoniam qualitates distribuuntur iuxta naturarum distributionem: ignis autem est nobilius elementum, ex ostensis *art.* 4. *q.* 1. *istius lib.* & calor nobilitate vincit reliquas qualitates: rectè ergò igni attribuitur calor in summo. Secundò, origini, & fonti caloris debetur summus calor, veluti fonti lucis, summa lux: ignis autem est fons caloris, 2. *de gener. cap.* 3. *T.* 53. & 2. *Met. c.* 1. *T.* 4. Ergò ei competit calor in summo.

Secunda pars probatur ex Arist. 2. *de gener. passim nunc alleg.* præbente aëri humiditatem, igni calorem, aquæ frigiditatem, & terræ siccitatem. Et *T.* 49. *eiusdem lib.* subiiciente, ignem, & aërem reluctari aquæ, & terræ, quidem non ab aliam causam, nisi quia ignis est calidus, ratione cuius aduersatur aquæ, & aër est humidus, ratione cuius opponitur terræ. Ergò per Arist. summa humidas ascribitur aëri. Secundò humidum est, quod difficile proprio, & facilè alieno termino terminatur, vt constat ex præcedente art. Aër autem est huiusmodi: difficile namque ipsi proprius terminus assignatur, alieno verò facile clauditur, vt patet in vesicis, & follibus. Addo, quæ humida sunt, per aërem humidiora redduntur, vt liquet de oleo, aliisque humidis.

16. Ass. 3. aqua est frigida in summo: & terra est sicca pariter in summo. Non pugnat opetibus Scot. prima pars est Arist. proximè cit. *T.* 23. Probatur primò, aqua maximè frigefacit, vt patet experientia, cum quispiam aliquo temporis interuallo in ea degit, dentibus fremit. Secundò, aqua maximè opponitur igni, sunt enim elementa dissymbola: ignis autem est summè calidus, ergò ea opposito, aqua est summè frigida.

Secunda pars traditur ab Arist. *vbi suprà*, & ostendi potest ea illo *Gen.* 1. Terra dicitur arida, idest maximè sicca, interprete Basilio, *hom.* 4. *Hexam.* Deindè nisi terra humectetur aqua pluuiali, aut fluuiali, maximè exsiccatur, & arescit, ergò siccitas in summo terræ coaptatur.

17. Opp. 1. contra 2. ass. aqua magis humectat, quàm aër, ergò aquæ, & non aëri summa humiditas est adaptanda. Ant. est in confesso, experientia quippè compertum est, ea loca esse maximè humida, quæ aqua plena sunt. Conf. 1. aër per flatum ventorum siccus efficitur, ergò maximæ humiditati non subiacet. Conf. 2. Luna vehementer dominatur in corpora humida: habet autem ipsa Luna magnum dominium in aquam, vt de accessu, & recessu maris astruit doct. 2. d. 14. q. 3. §. *Dico ad q. ad B.* potius ergò aqua dicenda est maximè humida, quàm aër. Resp. id contingere, propterea quod aqua est magis crassa, & densa quàm aër: ob id aqua magis humectat, quàm aër, qui rarus est, tenuis, & subtilis. Idque explicari potest de ferro calefacto, quod magis calefacit manum, quam ignis, qui stupam comburit. Ratio est, quia ignis, & stupa sunt corpora rara, ferrum verò densum. Ad 1. conf. dico, eam siccitatem non ex aëre, sed ex ventosis exhalationibus promanare. Ad 2. conf. fateor in aquam, Lunam maximè dominari: ex hoc autem non infertur, aquam esse humidiorem aëre. Cur autem Luna sic in aquam dominatur, disquirit Doct. nuper cit. & ego suo loco.

18. Opp. 2. contra 3. ass. quò aliquid magis distat à cælo, eò est frigidius. Cælum quippè videtur esse causa caloris. Ideò à quibusdam ignitum censebatur. Longius autem terra distat à cælo, quàm aqua, cum sit infimum elementum, ergò summa frigiditas terræ competit, non autem aquæ. Conf. 1. si aqua foret maximè frigida, esset congelata: oppositum autem restatur experientia: ergò summa frigiditas non est aquæ propria. Conf. 2. loca maritima sunt calidiora locis mediterraneis. si autem aqua foret frigidissima, loca maritima, in quibus extat maxima copia aquæ, essent frigidiora: id autem euidenter est falsum: ergò &c. Nego ma. siquidem,

ſiquidem maior, aut minor diſtantia à Cælo non eſt cauſa maioris frigiditatis, aut caliditatis, cum cælum non ſit formaliter calidum, ſed virtualiter duntaxat. Ad 1. conſ. neganda eſt ſequela maioris. Cauſa quippè congelationis aquæ eſt exhalatio terreſtris. Quoniam verò in mari non ſunt huiuſmodi exhalationes; ob id mare non congelatur. Paludes verò, & ſtagna maximè congelantur. Immò experimur aquam calidam citiùs congelari, quàm frigidam, cuius cauſa eſt, quia maior extat copia exhalationis in calida, quàm in frigida. Ad 2. conſ. dico loca montoſa eſſe viciniora mediæ regionis aëris, quæ eſt frigidiſſima per antiperiſtaſim. Itemque per niues, quæ in dictis locis ferè ſemper manent: & per radios ſolares, qui ea directè non pertingunt: Maritima autem ſunt valdè ima & remota à 2. regionis ora, niuiumque expertia. Itidemque ſol iſta immediatè illuminat; & directè ſua luce aſpicit, nullo interpoſito obice: idcircò calidiora exiſtunt.

19. Quæres, núm quodlibet elementum habeat geminas qualitates: Reſpondeo affirmatiuè, non tamen æque primò, cum vna ſit prior altera. Sic enim ignis eſt calidus, & ſiccus, aër humidus, & calidus, aqua frigida, & humida, terra ſicca, & frigida, vt poſt Ariſt. 2. *de gener. T.* 53. & 4. *Meteor. cap.* 1. tradit D. Damaſc. 2. *fidei, cap.* 12.

ARTICVLVS IV.

An qualitates ſymbolæ elementorum ſint eiuſdem ſpeciei.

20. NOnnulli, quorum nomina ſubticent Tol. 1. *de gener. q.* 7. Conimb. *q.* 6. *art.* 1. *cap.* 3. & Run. *ibid. quæſt.* 10. arbitrantur qualitates ſymbolas elementorum ſpecie inter ſe diſtingui. Communis autem opinio eſt Tatar. *de gener. q.* 1. *ſcibili* 4. Marſil, *q* 4. Racan. *q.* 3. *art. poſtremo*, & aliorum docentium præfatas qualitates eamdem ſpeciem participare.

21. Not. qualitatum elementarium quaſdam eſſe ſymbolas, quaſdam verò diſſymbolas. Illæ ſunt, quæ ſub eodem nomine multis competunt elementis, vt calor ignis, & aëris, humor aëris, & aquæ, frigiditas aquæ, & terræ, ſiccitas terræ, & ignis: iſtæ autem nomine, & re ab inuicem diſcrepant, vt caliditas ignis, & frigiditas aquæ, ſiccitas ignis, & humiditas aëris, humiditas aquæ, & ſiccitas terræ.

22. Aſſ. 1. qualitates elementorum ſymbolæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Inſinuatur à Doct. *in vtroque opere* 2. *d.* 15. *q. vn.* Probatur 1. quæ ſe mutuò intendunt, ſortiuntur eamdem ſpeciem, vt patet de aqua addita aquæ, per quam ipſa aqua creſcit, ac de lumine addito lumini, per quod ipſummet lumen augetur: qualitates autem elementorum ſymbolæ ſe inuicem intendunt, vt frigiditas aquæ intendit frigiditatem terræ, & caliditas ignis intendit caliditatem aëris, ergò huiuſmodi qualitates ſunt eiuſdem ſpeciei. Secundò facilior extat tranſitus elementi ſymboli, in ſymbolum, quàm ſymboli, in diſſymbolum, vt manet probatum *in* 2. *q. huius lib. art.* 5. Quod ſi qualitates ſymbolæ eadem ſpecie non gauderent, æque facilis eſſet tranſmutatio diſſymbolorum, ac ſymbolorum, quia in vtriſque, vtraque qualitas foret vincenda. Immò nullum eſſet elementum ſymbolum, quia vtraque eius qualitas eſſet diuerſæ ſpeciei. Deindè non quatuor tantùm forent primæ qualitates, ſed octo, quod *art.* 1. *huius q.* reiectum eſt. Atque vni duo eſſent contraria, quod nondum Ariſt. 10. *Met. cap.* 9. *T.* 25. pugnat, verumetiam ſacræ paginæ Eccleſiaſtici 33. *Duo contra duo, & vnum contra vnum.* Sunt ergò qualitates elementorum ſymbolæ eiuſdem ſpeciei.

23. Aſſ. 2. calor elementaris videtur ſpecie diſſidere à calore naturali viuentis, ita vt licet qualitates mixti ſint ſimiles qualitatibus elementorum, non tamen eamdem participant ſpeciem. Tenet Doct. præcit. §. *Ad* 1. *in oppoſitum. F.* & ſequitur Lych. *ibid.* Probatur primò, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei ſe mutuò iuuant, fouent, & intendunt, vt liquet de pluribus luminibus ſimul iunctis, & vnitis: calor autem elementaris, ſpeciatim febrilis conſumit, & exinguit calorem natiuum animantium. Hinc Stagir. 5 *polit. cap.* 8. ſubiicit, mortem eſſe extinctionem caloris naturalis in humido radicali: ergò calor elementaris, & vitalis non ſunt eiuſdem ſpeciei. Secundò, quæ producunt diuerſos effectus, ſunt diuerſæ ſpeciei, dignoſcitur quippè diuerſitas ſpecierum ex diuerſitate effectuum qui ab eis proficiſcuntur: calor autem natiuus diſponit ad conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti, cauſaturque caro: calor autem ignis alium ſortitur effectum, putà diſpoſitionem & præparationem ad gignendum ignem, ergò calor ignis eſt alterius ſpeciei, à calore vitali.

24. Opp. 1. contrà 1. aſſ. quæ à naturis ſpecie differentibus promanant, ſunt diuerſæ ſpeciei. Siquidem naturæ ſpecie differentes, gaudent proprietatibus ſpecie diſtinctis: ſymbolæ autem qualitates prodeunt à naturis ſpecie diſſitis, vt calor ab igne, & aëre. Ignis autem, & aër ſpecie differunt: ergò calor ignis, & aëris pariter ſpecie ab inuicem ſecernuntur. Reſp. maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, niſi de proprietatibus quarto modo. Etenim licet Bos, & Aquila ſpecie inter ſe diſcriminentur, nihilominus viſus huius, & illius ſunt eiuſdem ſpeciei. Similiter, quamuis homo, & Angelus differant ſpecie: attamen intellectus hominis, & Angeli ſpecie non diſtinguuntur, vt præclarè, & luculentè tradit Scot. 2. *d.* 1. *q.* 6. §. *poteſt etiam addi. D.*

25. Opp. 2. humiditas aquæ ignem extinguit, non autem humiditas aëris ignem abſumit: ergò apertum ſignum eſt humiditatem aëris, & aquæ non eſſe eiuſdem ſpeciei. Reſp. cauſam cur humiditas aëris ignem non extinguat, eſſe quia eſt tenuior, ac ſubtilior: humiditas autem aquæ eſt craſſior, & denſior, propterea ignem conſumit, ac deſtruit.

26. Opp. 3. calor ignis violenter manet in aëre, & in ipſo igne eſt naturaliter: quæ autem ſunt eiuſdem ſpeciei, violenter, & naturaliter non reperiuntur in eiſdem ſubiectis: ergò qualitates ſymbolæ elementorum ſunt diuerſæ ſpeciei. Diſtinguo ma. calor in ſummo violenter manet in aëre, concedo: ſic enim igni competit duntaxat: calor in remiſſo, nego. Hoc enim pacto aëri adaptatur, qui eſt calidus in remiſſo, & humidus in ſummo.

27. Opp. 4. contrà 2. aſſ. Ariſtoteles *lib. de reſpiratione, capite* 7. vocat calorem naturalem, qui nutritioni inſeruit, calorem igneum, ergò calor natiuus, & igneus conueniunt in vnam, eamdemque ſpeciem. Reſpondeo adeſſe quidem affinitatem, & ſimilitudinem inter vtrumque calorem, vt notat Scot. 2. *diſtinctione* 15. *quæſt. vn.* §. *Ad primum.* nihilominus non gaudere eadem natura ſpecifica, veluti qualitates mixti ſunt ſimiles qualitatibus elementorum, non tamen ſunt eædem ſpecie, vt docet idem Doct. *ibid.* Quare Ariſtoteles præallegat. ſic exponit, vt palam indicat *lib. de iuuent. capite* 2. inquiens, animam in corde eſſe quaſi ignitam, hoc eſt, habere calorem ſimilem calori ignis, vt denotat particula quaſi ab eo conſulto appoſita.

28. Opp. 5. calor igneus iuuat calorem naturalem, vt patet in medicinis ignis calore affectis, quæ decoctioni inseruiunt: atque calore igneo, ex gallinarum ouis in clibano suppositis excludi pullos referunt Conimb. præcit. *in initio huius difficultatis, art.* 2. Ergò hic calor ab illo specie non discriminatur. Respondeo per id solùm probari inter dictos calores esse nonnullam similitudinem, & conuenientiam, vt mox cum Scot. dicebam, non verò conuenire in eamdem speciem, veluti homo, & brutum multa communia affinia, & similia participant, cum tamen specie differant. Ad aliud quod subiicitur, dico ex eo tantum argui, pullos gallinarum æquiuocè posse generari, veluti ignis æquiuocè gignitur, nimirum ab igne, à radiis solaribus, & collisione duorum corporum.

ARTICVLVS V.

An duæ qualitates contrariæ possint esse simul in eodem subiecto.

29. STatus huius art. bifariàm intelligi potest. Primò, vtrùm duæ qualitates contrariæ simul esse valeant in vno, eodemque subiecto, in gradu remisso. Secundò, num inesse simul queant in summo gradu. Atque vterque modus capi potest de virtute naturali, aut supernaturali.

30. Not. vulgus Philosophorum appellare qualitatem in summo quæ attingit octauum gradum, vt summus gradus caloris est calor vt octo, & frigus in summo, est frigus vt octo: qualitatem verò in remisso vocare illam, quæ est infrà latitudinem octo graduum, vt calor vt quatuor, & frigus vt quatuor. Plura, cum de intensione, & remissione qualitatis differemus. Præterea, ad huius decisionem non modicum iuuant, quæ adduxi, & stabiliui, 5. *Phys. q.* 4. *art.* 7.

31. Aff. 1. plures qualitates contrariæ in gradu remisso possunt se compati simul in eodem subiecto. Tenet Doct. 2. *d.* 18. *quæst. vn.* §. *Ad argumenta M.* contrà Dur. *quæst.* 2. *Prol. num.* 19. & alios eit. à Conimb. 2. *de gener. c.* 3. *quæst.* 8. *art.* 1. Et deducitur ex Arist. 2. *de gener. T.* 48. Idemque insinuatur 3. *Top. c.* 4. & 5. *Phys. T.* 19. Necnon 4. *Met. T.* 17. Suadetur primò, inter duo extrema intercipitur medium, vt inter album & nigrum habetur color medius, putà rubeus, aut viridis, ergò inter qualitates in summo, dantur qualitates in remisso Quandoquidem, non fit transitus naturaliter ab vno extremo, ad aliud extremum, nisi per medium, sicque cum aqua calefit, non statim est calida in summo, sed paulatim vt monstrat experientia de aqua lebetis, cui supposito igne, sensim tangatur, pedetentim recipit calorem, deinde ebullit, & feruet, & extra ipsum lebetem egreditur ignemque extinguit. Secundò, inter calidum, & frigidum habetur tepidum, vt patet de aqua tepida. Quod insinuans Ioannes Apoc. 3. inquit: *Vtinam calidus, aut frigidus esses, sed quia tepidus es, euomam te.* Possunt ergò qualitatea contrariæ inesse simul in eodem, in gradu remisso: elementa ita vicissim pugnant agendo, & patiendo, vt eorum vires, & facultates remittantur, & refrangantur, ad hoc vt mixtum producatur, in quo, eorum qualitates ad quandam mediocritatem rediguntur congruam ipsi mixto 2. *de gener. cap.* 10. & 2. *de partibus animalium cap.* 1. Qualitates namque contrariæ in summo disponunt mixtum ad corruptionem, & destructionem, in remisso autem ipsum fouent, & conseruant, vt qualitates attemperatæ in animali quamdiu sic manent, tamdiu ipsum animal viuit: Quòd si earum aliqua nimium excedat, moritur, vt liquet de febre ardente, & maligna, quæ causat eiusdemmet animalis mortem. Deindè, in artefactis miscentur colores, odores, sapores, & aliæ qualitates secundæ, quæ inuicem in eodem manent ad quandam mediocritatem redactæ. Atque duo agentia contraria inter se pugnantia simul morantur æquis viribus gaudentia, vnumque vincere alterum nequit, nec ab eodem loco expellere, vt patet de duobus luctatoribus æquè validis, ac robustis, nominarim Iacob, & Angelo secum luctante, *Gen.* 32. Insuper, in moralibus habitus temperantiæ in eodem homine existens simul compati valet actum intemperantiæ, immò plures alios actus, qui successu temporis destruere possunt dictum habitum temperantiæ, & & gignere habitum intemperantiæ, actibus eius frequentatis. Ergò idipsum astruendum est de qualitatibus contrariis naturalibus, cum æqua in vtrisque ratio eluceat. Denique, qualitates contrariæ ex alibi dicendis sunt intensibiles, & remissibiles, ergò ità remitti queunt, vt vna alteram expellere ab eodem subiecto non valeat, puta calor vt quatuor, & frigus pariter vt quatuor, cum enim supponatur, ea participare æqualem virtutem, consequenter altera alteram vincere, & pellere ab eo subiecto, in quo inhæret, neutiquam potest.

32. Assertio 2. qualitates contrariæ in summo nec naturaliter, nec supernaturaliter in eodem simul subiectari nequeunt. Assertio est bimembris, quam tradit Doct. 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. §. *contra istam opinionem sub VV.* Et 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta in solutione* 3. Et 4. *dist.* 49. *quæstione* 16. §. *Ad* 1. *infrà C.* prima pars probatur primò, ex 2. *Top. cap.* 5. Impossibile est, contraria simul eidem inesse. Idem legitur 5. *eiusdem operis cap.* 4. & 5. *Phys. Titul.* 19. ac 2. *de gener. Titul.* 16. Estque communis inter Philosophos. Secundò, experientia nos docet, calorem expellere frigus, vt patet æstiuo tempore, & èecontrà frigus expellere calorem, vt liquet byemali tempore: quodque de reliquis contrariis astruendum est, & quotidie in nobis, cunctisque sublunaribus comprobatur. Vnde ortum ducit illud effatum, contraria contrariis curantur, calida frigidis, humida siceis. Tertiò, vi increata id effici nequit, vt ostendam proxima parte huius assertionis, ergò nec fieri potest virtute creata, & naturali. Conseq. tenet per locum à maiori ad minus à nobis explicitum *in Epiteme Dialect. lib.* 3. *quæst.* 3. *art.* 4. Secunda pars quæ militat contrà Gabrielem *in can. lect.* 46. Conimb. 2. *de gener. cap.* 3. *quæst.* 8. *art.* 5. Ruu. *ibidem, quæstione* 6. *numero* 93. aliosque non paucos. Probatur primò, quæ inter se repugnant, simul in eodem secum compati nequeunt, quia obiectum diuinæ potentiæ est omne possibile, non autem impossibile, quod repugnantiam inuoluit, docento Scoto 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. §. *ergò ad quæst. F.* Duæ autem qualitates contrariæ in summo repugnant simul inexistere in eodem subiecto, vt liquidò constat ex eorum definitione. Definiuntur namque contraria, quæ ab eodem se mutuò expellunt; 10. *Met. Titul.* 14. si autem essentia qualitatum contrariarum talis est, qualis exprimitur per nunc allatam definitionem, planè sequitur, simul non posso consistere, etiam diuinitùs, quoniam Deus non mutat essentias, & naturas rerum, cum sint immutabiles, & inuariabiles.

Dices, si hæc ratio valeret, qualitates contrariæ in gradu remisso nequirent simul inesse in eodem, quia hia

his quoque competit præallata desinitio Istud autem contradicit primæ assertioni, in qua statui dictas qualitates in remisso, posse simul existere in eodem subiecto. Contrà, anthore Scot. *in 1. distinctione 17. q. 3. VV.* est aliquod positiuum in illis, quod eis repugnat simul in esse, non autem in istis. Quandoquidem mutua expulsio ab eodem, & perennis contrarietas indicatur per earum definitionem præadductam, at simultanea earumdem coëxistentia in eodem, aut repugnantia respicit ipsarum gradus infimos, aut supremos. Nam, in gradu remisso possunt simul consistere, non verò in gradu intenso, & excellenti, veluti in vase tanta aqua capi potest, & non maior. Similiter, quispiam ferre potest tantùm pondus, & non maius: atque flumen pertransire potest, vsque ad talem limitem, ampliùs autem peruadare non valet. Rursus, creatura animata sortitur certos, & determinatos terminos suæ magnitudinis, & paruitatis, quos excedere nequit: pariter, qualitates contrariæ intrà latitudinem talium graduum possunt simul se compati, non verò in summa latitudine intensorum, & supremorum graduum.

Secundò, si contraria in summo possent simul existere in eodem subiecto, vtique & contradictoria, infert Arist. 4. *Met. cap. 4. T. 27.* contradictoria autem simul de eodem verificari nequeunt, vt concors est omnium Philosophorum sententia, ergò nec contraria simul eidem in esse valent. Occurrit Gabriel nuper alleg. illud testimonium non esse capiendum de qualitatibus contrariis, sed de propositionibus contrariè oppositis. Contrà, ibi Philosophus ait, contraria impossibile est simul inesse, aut aliqua ex parte ambo, aut alterum quidem aliqua ex parte, alterum verò simpliciter: ergò non differit de incompossibilitate propositionum contrariarum, sed de simultanea coëxistentia contrariarum qualitatum, quæ est impossibilis. Adde quod propositiones non insunt in rebus, sed dicuntur, & prædicantur, siue affirmantur, vel negantur de subiectis, contraria verò insunt, vel non insunt in subiectis, ergò expositio Gabrielis non congruit textui Arist. Inbnectit autem Scot. in expositione eius loci, vnum contrarium quod imperfectius est alio, designat priuationem alterius tanquam perfectioris, vt nigrum priuationem albi: priuatio autem est negatio eiusdem esse, ergò consequenter contraria præseferunt eamdem repugnantiam oppositionis contradictoriæ.

Dices, cum eodem cit. quem sequitur Suarez *dis. 45. Met. sect. 4. n. 15.* contraria non opponi oppositione immediata & formali penès incompossibilitatem formarum ipsorum, sed virtuali dumtaxat, penès effectus simul in eodem incompossibiles, Deus autem potest vi sua absoluta suspendere eorumdem effectus, vt præstitit in fornace Chaldaica ideò non sequitur oppositio contradictoria, nec idem fore summè calidum, & summè frigidum. Contrà, implicat aliquam formam esse in subiecto, eique non præbere suum effectum formalem, vt albedinem esse in pariete, ipsique non dare suum esse formale, quod est facere ipsummet parietem album. Si autem contraria simul existant in eodem subiecto, putà calor, & frigus, tribuunt ei suum esse formale, quod est esse calidum, & frigidum. Potest autem Deus impedire, ne ignis calefaciat, & aqua frigefaciat, quia horum effectuum sunt causæ effectrices; verùm nequit efficere vt calor non habeat esse calidum; & frigus esse frigidum, quia hoc est eorum natura, & essentia, quæ non potest mutari, nisi destruatur. Insuper, duæ formæ substantiales simul in eadem materia sunt incompossibiles, ex assertis *lib. 1. Phys. quæst. 4. art. 7,* Ergò id ipsum astruendum est de duabus qualitatibus contrariis simul in eodem subiecto.

33. Opp. 1. ideò duæ qualitates contrariæ in eodem non possunt simul subiectari, quia inter se opponuntur: at tam opponuntur in gradu remisso, quàm intenso: ergò si nequeunt esse in gradu intenso, vtique nec in remisso. Concedo maiorem, nego minorem, quia in supremo gradu qualitates habent maiorem vim expellendi se ab eodem subiecto, non sic in gradu infimo, propterea quod earum vires sunt refractæ, ac debilitatæ, vt fusè declaraui suprà in 2. parte ass. in responsione instantiæ ibi allatæ.

34. Opp. 2. duo corpora diuinitùs possunt simul existere in eodem loco, vt affirmaui *lib. 6. Phys. quæst. 2. art. 3.* Ergò etiam supernaturaliter duæ qualitates in summo possunt esse simul in eodem subiecto. Concedo ant. nego conseq. ratio est, quia illud est possibile: hoc autem contradictionem includit, vt ostendi in 2. parte vltimæ assertionis.

QVÆSTIO IV.

De qualitatibus motricibus elementorum.

ARTICVLVS I.

Quid, quotuplex, & quibus conueniant qualitates motrices elementorum.

1. QVALITATES motrices elementorum perhibentur illæ, per quas elementa mouentur sursum, vel deorsum. Nam grauitas est qualitas motrix ad locum deorsum, & leuitas ad locum sursum. Quadruplex autem distinguitur qualitas motrix elementorum: prima, est leuitas simpliciter, quæ conuenit: secunda, est grauitas simpliciter, quæ competit terræ: tertia, est leuitas secundum quid, quæ congruit aëri: & quarta, est grauitas secundum quid, quæ adaptatur aquæ. Quare, penès has qualitates elementa dicuntur grauia, vel leuia simpliciter, aut secundum quid. Leue autem simpliciter, est quod reliquis elementis supereminet, graue simpliciter, quod cæteris omnibus subiacet, leue secundum quid est, quod respectu aliquorum eleuatur, respectu verò aliorum subsistitur. Graue secundum quid describitur illud, quod quidem terræ eminet, aliis verò elementis est inferius.

2. Ass. ignis est summè leuis, & terra summè grauis: aër autem est leuis secundum quid, & aqua est grauis secundum quid. Assertio est bipartita, quæ indicatur à Doct. *2. distinctione 14. quæst. 3. §. Dico ad quæst. A.* Prima pars de igne traditur ab Aug. *22. ciuit. capite 9.* & Damasc. *2. fidei capite 6.* & suadetur primò, supremo elemento attribuenda est suprema qualitas motrix. Id enim natura, & ordo rerum postulat: ignis autem est elementorum primus dignitate, & præstantia. Est enim maximè actiuus, & purus, ergò ei debetur summa leuitas. Secundò, quod est in superiore loco, est summè leue: ignis autem extat in superiore loco, puta sub concauo orbis Lunæ: igitur, ignis est summè leuis.

Ab opposito autè, terrã esse grauissimã scribit Arist. *5. Top.*

5. *Top. cap.* 1. & ratio est, quia terra est infimum elementum, ergo ipsi infima qualitas motrix est præbenda: hæc autem est summa grauitas: ergo terra est summè grauis. Rursus, terra vltimum locum occupat inter elementa, ergo ei adaptatur vltima qualitas motrix, quæ est summa grauitas. Iterùm, extremis elementis, extremæ qualitates motrices sunt concedendæ, ignis autem, & terra sunt extrema elementa, vt patet, ergo eis congruunt qualitates extremæ, cuiusmodi sunt summa grauitas, & summa leuitas.

Secunda pars ostenditur, intermediis elementis, intermediæ qualitates motrices accommodantur: aër autem, & aqua sunt elementa media inter ignem, & terram intercepta, ergo eis quadrant mediæ qualitates motrices, quæ sunt leuitas secundum quid, & grauitas secundum quid. Idque quoque suadent loca media, quæ occupant aër, & aqua, inter loca ignis, & terræ interposita. Igitur aër est leuis secundum quid, & aqua est grauis secundum quid.

3. Oppones primò, Arist. 1. *Meteor. cap.* 4. affirmat, interdum ex ignis sphæra portiones quasdam ignis descendere ad ima loca, ergo ignis non est summè leuis, vtpotè qui fertur ad loca infima. Resp. illum ignis descensum non affici ratione ipsius ignis, sed ratione alicuius materiæ ponderosæ cum eo compactæ virtute orbium cælestium adductæ: quod declarari potest de cometis, quorum partes quando dissoluuntur, deorsum feruntur, & in terram decidunt.

4. Oppones secundò, ferrum, & plumbum sunt terra grauiora: ergo terra non est summè grauis. Ant. experientia obfirmatur. Si enim portio ferri, aut plumbi æqualis portioni terræ libretur, magis illa, quam ista ponderabit. Conf. 1. corpora mortua si proiciantur in mare, in initio ad fundum tendunt, postmodum verò sese efferunt supra aquam: huiusmodi autem corpora sunt terrea, ergo terra non est grauior aqua. Conf. 2. pumex teste Plinio, in aqua supernatat: est autem ipse lapis terreus, ergo aqua videtur grauior terra.

Respondeo ant. verum esse de terra mixta, cum reliquis elementis, non autem de terra pura, quæ planè est grauissima, vt indicat Scot. 4. *dist.* 49. *quæst.* 14. §. *Respondeo. A.* Ad 1. conf. dico illud proficisci ex corrosione partium terrestrium, consumpta enim sanie, partibusque grauioribus, corpus ad locum superiorem ascendit, quia ossa, & alia eius membra sunt aqua leuiores, vt designat idem Doct. *cit.* §. *Respondeo ergo ante I.* Eò magis, quia illæ partes sunt porosæ, & aëre plenæ. Ad 2. conf. dico illum lapidem pollere proprietatibus superiorum elementorum, veluti oleum, quod suprà aquam fertur, aut quia est maximè porosus, & in eius poris aër includitur, qui eminet aquæ.

ARTICVLVS II.

An elementa in suis locis grauitent aut leuitent.

5. NOnnulli, quibus videtur fauere Arist. 4. *Cæli, T.* 39. arbitrantur, elementa in propriis locis grauitare, aut leuitare. Communis autem sententia est veterum, & recentium Philosophorum, quos sequuntur Tatar. 4. *Cæli q. vn. scibili quarto.* Parisienses *quæst.* 3. *fol.* 119. Conimb. *ibid. cap.* 6. *quæst.* 2. *art.* 1. & Rub. *quæst. vlt.* existimantium elementa in suis centris haud grauitare, vel leuitare.

6. Not. primò, grauitatem, & leuitatem diuidi in habitualem, & actualem. Grauitas habitualis, quæ & grauitas in actu primo appellatur, est qualitas, qua corpus graue potest moueri deorsum, & leuitas habitualis est qualitas, qua corpus leue sursum euehi potest. Grauitas autem actualis est, qua graue actu deorsum fertur: & leuitas actualis est, qua corpus actu sursùm eicitur: atque vtraque dicitur grauitas, & leuitas in actu secundo, siue grauitatio, & leuitatio.

Not. secundò, elementum graue secundum quid, & leue secundum quid facilius descendere, quam ascendere: vt aqua, quæ est grauis secundum quid, magis fluit, quàm terra, & minus quam aër, propterea, si aliqua pars terræ subtrahatur, aër subintrat in eum locum, dummodò non sit obex. Quare aqua, & aër absque vllo obstaculo interposito descendunt, non verò ascendunt, quia vnumquodque elementum certis limitibus, & superficiebus circumdatur, & circumscribitur. Ideoque graue à superficiebus circumscribentibus detinetur, ne ascendat, non autem prohibetur, ne descendat.

7. Assertio, elementa in suis propriis, & naturalibus locis habent quidem grauitatem, aut leuitatem habitualem: non verò actualem. Exhauritur ex Doct. 4. *dist.* 49. *quæst.* 13. § *Ad rationes principales. I.* Prima pars suadetur primò, vbi est essentia, & natura rei, ibi est eius passio, & virtus, quia passio, ac virtus eius consequitur naturam cuius est proprietas, & facultas: in suis autem locis elementa gaudent suis essentiis, & naturis, ergo & proprietatibus, & virtutibus mouendi se sursum, aut deorsum, quæ sunt grauitas, & leuitas habitualis.

Secundò, elementa extra proprium centrum moueri queunt, vt liquet experientia, cum ignis quandoque cernitur a nobis a sua sphæra cadere, & explicatur 4. *Meteor. c.* 4. Ab actu autem ad potentiam, valida est consequ. Atque eamdem retinent potentiam mouendi se, cum existunt in suis locis, ac cum manent extrà propria centra. Igitur, in propriis locis elementa participant grauitatem, aut leuitatem habitualem, siue in actu primo.

Secunda pars ostenditur primò experientia de iis, qui descendunt ad fundum maris, quive licet multum aquæ supra seipsos habeant, nihilominus nullam aquæ grauitatem sentiunt. Deinde, nos sentimus vllam grauitatem aëris, tametsi suprà capita nostra plurimùm ipsius aëris existat. Denuò, cum vas aquæ plenum extat in puteo, non grauitat: si autem velimus illud sic plenum ex puteo extrahere, pondus eius apertè experimur: igitur elementa in suis locis nec grauitant, nec leuitant.

Secundò, si elementa, vt sunt in suis centris, grauitarent, aut leuitarent, in eis naturaliter non quiescerent, sed violenter existerent, quia in eisdem mouerentur, cum euidenter constet, suismet locis naturalibus si moueantur, moueri ab extrinseco, & ita violenter. Quare verum est commune effatum Philosophorum, elementa in suis propriis locis nec grauitant, nec leuitant.

8. Oppones primò, Aristot. *passu in initio huius allegat.* videtur affirmare, elementa media, idest aërem, & aquam in suis locis grauitare, & leuitare. Ait enim vtres aqua, vel aëre plenos grauitare, quod aliunde non prouenit, nisi quia prædicta elementa in propriis locis grauitant, vel leuitant. Conf. 1. lignum centum librarum velocius per aërem descendit, quàm librâ plumbi, in aquam verò contrarius est eorum descensus, citiùs quippe fertur ad fundum libra plumbi, quàm præfatum lignum, vt patet intuenti. Conf. 2. interdum aër infrà terram descendit, & aliquando suprà aërem effertur, ergo ista elementa in suis centris grauitant, vel leuitant. Respondeo id Aristot. non asserere. Cur autem vtres aqua, vel aëre pleni grauitent, causa est, quia aër in eis est densus, & densa grauiora sunt, quam rara: atque halitus terrestres, & a homi commiscentur

cum dicto aëre, propterea nonnullam sortiuntur grauitatem, sic exponitur Arist. præcit. Ad 1. conf. illud lignum esse grau us plumbo vnius libræ, propterea citius mouetur deor.um. Cũ autem in aqua idem non contingat, ratio est, quia lignum ob poros aëre plenos, & ob crassitiem aquæ impeditur motusque eius retardatur, præsertim, cum lignum est siccum, addo ipsum lignum esse magis aëreum, & plumbum magis terreum. Ad 2. conf. id euenire, ne fiat vacuum in rerum natura, vt ostendi *quæst.* 1. *art.* 1 *lib.* 6. *Phys.*

9. Oppones secundò, partes terræ solidiores sunt grauiores, quam eius partes rariores: ergo terra in suo centru grauitat. Conf. vas vacuum in aqua supernatat; at si aqua impleatur, fundum petit, ergo signum est, aquam in suo loco grauitare. Respondeo hoc oriri ex eo quod partes superiores terræ magis sunt porosæ, & siccæ, ac proximæ sed partes autem inferiores eius sunt magis densæ, & humidæ, ideoque grauiores. Ad conf. dico, vas, cum aqua impletur, ab ipso expelli aërem, atque non ratione sui, sed ratione terri sibi annexi, aut alterius grauis ipsimet adhærentis deorsum ferri, vt liquet experientia de vase ferreo, aut plumbeo. Quod si vas prorsus ligneum extiterit, non cadit in fundum, aquæ, & non nisi violenter im le.ur aqua.

10. Oppones tertiò, experimur, quod si aliqua pars terræ existat suprà caput nostrum, in centro ipsiusmet terræ, habere nonnullam grauitatem. ergo terra in suo loco naturali grauitat. Distinguo ant. Si illa pars disiungatur à cæteris partibus, concedo: at si ea pars cum reliquis coniungatur, nego.

QVÆSTIO V.

De Elementis in particulari.

ARTICVLVS I.

An locus ignis sit sub concauo orbis Lunæ.

1. NEGANT Pythagorici, quos sequuntur Arr. *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 67. & Poncius *disp.* 57. *quæst.* 7. Affirmant verò Arist. 2. *Cæli, cap.* 3. *T.* 18. & *cap.* 1. 1. *T.* 73. eiusque interpretes ibi, & Scholastici 2. *distinct.* 17. Scot. *quæst.* 2. §. *Si ratio ista B.* S. Bon. in dubiis litteralibus. Gabriel *quæst.* 1. *art.* 1. Ric. *quæst.* 5. Orbel. & cæteri *in eodem loco*, docentes dari sphæram ignis, propè orbem lunæ. Hanc.

2. Assertio probat Scot. 2. *Reportat. dist.* 17. *quæst.* 1. §. *Item motus*, ex motu elementorum, siquidem aqua ascendit suprà terram, aër supra aquam, & ignis supra aërem, vt cernitur ad oculum: ergo concedetur sphæra ignis in vacuo Lunæ. Quamuis autem, subdit Scot. ibi ignis exiguus nequeat ad eam peruenire, id procedit ex magna virtute continentis, & parua virtute resistentis, quod corrumpitur, priusquam dictam sphæram attingat. Immerità igitur Poncius cit. inquit Scot. præfatam assertionem non probare, sed præsupponere. Addit Doct. suprema aëris regio est calidissima: huiusmodi autem calor non prodit à media eiusdem aëris ora, quia hæc frigida, nec à Luna, cum hæc quoque virtualiter sit frigida, ergo ab igne, cuius sphæra statuitur supra aërem, Suffragatur Sanctus August. 3. *de gen. ad litt. cap.* 2. & 3. adducens eam ferè rationem. Ignis fertur sursum, vt monstrat experientia: flamma quippè concitata petit locum superiorem: igitur cum vnaquæque res ad proprium locum tendat apertè deducitur, sphæram ignis esse suprà aërem.

Dices, cum Poncio prænominato, ignem in carbone accensum, & in ferro candente haud ascen[illegible]re, immò quandoque descendere ad vorandum [illegible] unt: etsi quid ascenat est fumus, non autem ignis. [illegible] nta, carbo, & ferrum sunt dura, & densa, ob id non flammescunt, sed candescunt, & si palea eis apponatur protinùs ignescit, igneique fumum elenatur: Quod si interdum descendat ad lumendum alimentum, id est per accidens, vt ac. idit, ne fiat vacuum. Flamma autem non est præcisè fumus, sed ignis flammescens; atque fumus naturam ignis participat, propterea sursum tendit. Accedit ratio Aristotelis, quodliber elementum sortitur suam qualitatem, & passionem: igni autem competit summa caliditas, & summa leuitas: ergo & primus, & supremus locus inter elementa, qui est supr[illegible] em. Rursùs, & cætera elementa habent certa loca, & determinata centra, ergo, & igni debetur proprius locus, qui est sub Luna. Licere autem cum dicto Ponc, *vbi suprà* hoc de reliquis elementis experimur, non autem de igne, facile est, quia ratio suadet, & conuincit omne corpus gaudere certo, & proprio loco, eumque ostendunt Cometæ igniti, qui ab alio, nisi ab igne ibi existente ignitur, & inflammantur. Denique, omnia sublunaria sunt contemperata, vt vniuersum subsistere valeat: nisi autem ignis existeret in concauo orbis Lunæ, vt in proprio loco, cuncta non forent contemperata, quandoquidem maior esset humiditas aeris, frigiditas aquæ, quam caliditas ignis subterranei, qui valde exiguus est, respectu prædictorum. concedenda ergo est præfata sphæra ignis, nedum authoritate, verum etiam ratione fulta, & munita, quidquid dicat Poncius præcensitus.

3. Oppones primò, Aristoteles 1. *Meteor. capit.* 4. scribit ignem, quem dicitur esse supra nos, non esse verum ignem, ergo per Aristotelem non datur proprius sphæra ignis in concauo orbis Lunæ. Respondeo Aristotelem, ibi non negare absolute esse ignem, sed secundum quid, hoc est ignem feruentem, flammescentem, ardentem, & æstuantem, sicut est apud nos, vt patet legenti illum text. & loca citata in principio huius art. vbi ex instituto probat esse propriam sphæram ignis, suprà aërem.

[illegible] si ignis foret sub concauo Lunæ, cum sit maximè actiuus, & in agendo efficacissimus, iam omnia sublunaria vorasset, & conflagrasset, vt infert Philosophus mox alleg. Et ob eamdem causam e[illegible] cludit idem Philosophus, cælum non esse igneum, aliòquin iam omnia in cineres redegisset. Negatur sequela, quia contemperatur ab aëre circumstante, à Luna, Saturno aliisque corporibus cælestibus virtute et frigidis, ac humidis, quamuis Scot. 4. *distinct.* 49. *quæstion.* 13 §. *Respondeo sub R.* Nec extat paritas de cælo, cum sit multo maius cæteris, propterea rectè infert Stagir. quod si cælum esset igneum, iam omnia consumpsisset.

4. Oppones secundò, ignis vt conseruetur, indiget pabulo, experientia quotidiana testante, & confirmatur: in concauo autem Lunæ, nullum adest pabulum, & alimentum, quo nutriatur, & foueatur: ergo ibi nullus est ignis, sed omnis ignis est subterraneus, & ad vsum hominum accommodatus, aut ad [illegible] maiorum teseruatus. Distinguo [illegible] In propria sphæra nego, locus enim naturalis est conseruatiuus rei locatæ: extra propriam sphæram, concedo. Raro est, quia proprium locum im[illegible] à contrariis; ideò eget passu, & alimento, vt conseruetur.

5. Oppones tertiò, si daretur propria sphæra ignis, in ea quædam habitarent animalia, vt patet de locis cæterorum elementorum, in aëre quippe incolunt aues, in aqua pisces, & in terra la[illegible], &c

& quadrupes:in igne autem nullum animal potest viuere, cum sit maxime vorax, quodcumque ad eum accedit, destruit, & consumit, inficianda ergo sphæra ignis sub orbe Lunæ. Si concedatur maior neganda est minor. Nam, teste Berehorio *l.10.Reduct mor. cap.* 9. Salamandra viuit in igne, absque vlla sui consumptione, veluti piscis in aqua, sine vlla sui corruptione degit, quia est eius locus naturalis: pariter salamandra moratur in igne, tanquam eius centro. Vel dicito, non esse necesse, in omnibus elementis animalia existere, quandoquidem terrestria viuentia non in centro terræ, sed in eius superficie manent duntaxat.

Articvlvs II.

An aër sit calidus.

6. Assertio: suaptè natura aër est calidus. Ita Arist. 2. *de gener. cap.* 3. *T.*16. eiusque discipuli, & interpretes ibi Ioannes de Magistris, Tatar. & Parisienses, aduersùs Stoïcos, Arr. *disp.* 4. *sect.* 2. *subsect.* 3. & Pontium *disp.*56. *quæst.*4. *conclus.* 4. Deducitur ex Scot. 1. *dist.*14. *quæst.*3. §. *Dico ad quæst. sub A.* vocante elementa superiora, quæ sunt ignis, & aër, calida: & inferiora, quæ sunt aqua, & terra, frigida. Probatur primò ratione Arist. passu mox allegat. quatuor sunt possibiles, ac vtiles combinationes qualitatum elementorum: vna est caliditas, & siccitas: altera frigiditas, & humiditas: Tertia humiditas, & caliditas. Quarta verò siccitas, & frigiditas, vnaque istarum in summo competit singulis elementis, purà caliditas in summo igni, & siccitas terræ, restant humiditas, & frigiditas, quarum vna aquæ, altera verò aëri conuenire debent, atqui frigiditas in summo nequit aëri adaptari, quia duo elementa immediata non sunt dissymbola, alioqui se mutuò destruerent, vel non nisi mixta esse quirent, ergo ei congruit summa humiditas cum caliditate, non in summo, proindéque aër est calidus. Nec iuuat negare ma. cum Poncio cit. siquidem, præterquamquod traditur ab Arist. nuper cit. suadetur, elementa inter se confligunt, congrediuntur, & contemperantur ad faciendum mixtum, iuxta illud proloquium. *Concordia discors, & discordia concors*; si autem quatuor præfatæ combinationes non admittantur, nulla foret dictorum elementorum concordia, & contemperatio, elementaque media essent extrema, & extrema media, quod planè aduersatur recto ordini vniuersi, eiusque conseruationi, & perpetuitati.

Secundò, humidum est *ex* 2. *de gener. cap.* 2. *T.* 8. quod facile terminatur alieno termino, facilius autem terminatur aër, quàm aqua, siquidem ad terminandam aquam requiruntur lapides, ligna, aggeres, & id genus alia, quæ nonnisi ingenti labore fiunt: aër verò faciliori negotio limitatur, in follibus, vesicis, aliisque vasibus ipsum aërem recipientibus, & terminantibus. Quæ autem sunt humida, dominante in eis aëre, sunt humidiora aqua, & calidiora, vt liquet de oleo, quod est calidum, de quo Plinius *l.*15. *hist. c.*4.

Tertiò, quæ sunt rara, sunt calida, etenim calor corporibus rarioribus adaptatur, funditque, & extendit corpora densa: aër autem est rarus, & tenuis, cedisque cunctis corporibus opacis, ac densis, ergo aër est calidus: atque ita nostra assertio authoritate, & ratione firmatur, ac stabilitur, quidquid conetur dicere Ponc. præcit.

7. Oppones primò, aqua, quæ naturaliter est frigida, postquam calefacta est, redit ad pristinam suam frigiditatem, vt constat experientia: aër autem est huiusmodi, nàm absente sole, nocturno tempore, & hyemali redit frigidus, ergo aër suaptè natura est frigidus. Conf. media aëris regio est valdè frigida, propterea in ipsa gignuntur pluuiæ, niues, grandines, & huius formæ alia, quæ manifestam indicant aëris frigiditatem concedo ma. Distinguo mi. intrinsecè, & ratione sui, nego mi. extrinsecè; & ratione vaporum, qui virtute solis attracti redeunt ad primæuam frigiditatem concedo. Ad conf. dico id effici per antiperistasim: vapores quippè euecti ad præfatam oram, amittentes externam caliditatem, ad suam natiuam frigiditatem reuertuntur, & circumuallati, ac obsessi à suprema, & infima ipsius aëris regione, perfrigidi euadunt.

8. Oppones secundò, oleum, quod est aëreum citius congelatur, quàm aqua, ergo aër suaptè natura videtur esse frigidus. Concedo ant. nego consequentiam. Causa namque, cur oleum facilius congeletur, quam aqua, est eius crassities, & pinguedo. Quæ autem pinguia, & crassa sunt, faciliter, & celeriter congelantur.

9. Oppones tertiò, ventilatione aëris æstate corpora nostra refrigescunt, ergo signum non obscurum est, aërem ex se frigidum. Concedo ant. nego conseq. ratio est, quia tunc corpora nostra sunt calidiora aëre, ob id ventilatione ipsius aëris refrigerantur: præsertim quia, per dictam ventilationem partes calidiores aëris recedunt à nobis; partes verò frigidiores ad nos accedunt, vndè oritur refrigeratio.

Articvlvs III.

An terra sit in medio Mundi.

10. Vnanimis extat Philosophorum consensus, terram sitam esse in medio Mundi. Ipsi autem Philosophi dubitant, vtrùm sit idem centrum Mundi, ac grauitatis. Itemque nùm sit idem centrum quantitatis, ac magnitudinis.

Not. centrum Mundi esse punctum, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam primi mobilis sunt æquales: centrum verò grauitatis esse punctum rectæ lineæ diuidentis corpus graue in duas partes æquales: atque centrum magnitudinis esse punctum rectæ lineæ diuidentis quantum aliquod in duas partes inter se æquales.

11. Assertio prima, terra posita est in medio vniuersi. Ita Arist. 2. *Cæli cap.*13. & 14. *T* 100. Ptholemæus *in Almegis.* Plin *l.*2. *hist.cap.*71. Parisiens. Ioan. de Magist. Tatar. & alij *in com.* Arist. cit. & non dissentit Scot. 2. *dist.*14. *quæst.* 2. *&* 3. Maior. *ibid.* Probatur primò, illud est centrum Mundi, ad quod per angulos rectos, ac perpendiculares grauia descendunt, ad terram autem grauia descendunt per angulos rectos, & perpendiculares, vt constat experientia, ergo terra est constituta in medio Mundi.

Secundò, nisi terra foret in medio Mundi, non accidérent eclypses lunares, quia terra non interponeretur inter Solem, & Lunam, cum vterque planeta existere quiret in puncto Zodiaci ipsi oppositi, absque terræ interiectu. Hinc eleganter canit Mannilius.

Qui nisi librato penderes pondere tellus,
Non ageres cursus Mundi, subeuntibus astris
Phœbus ad occasum, & nunquam remearet ad ortum,
Luna, vel submersos regeret per inania cursus.

12. Ass. secunda, idem statuitur centrum vniuersi, ac centrum grauitatis: non autem idem est centrum grauitatis, ac magnitudinis. Assertio est bipartita, quæve non est dissentanea Scot. nuper alleg. prima para ostenditur, summè graue babet locum infimum in Mundo, vt patet ex dictis: locus autem infimus in vniuerso est locus terræ, quæ est summè grauis: idem ergo est centrum Mundi, ac centrum grauitatis.

Secunda pars suadetur, in quibusdam locis terra est grauior cæteris omnibus, vt in locis, in quibus terra tegitur aqua. Item ijne, vbi terra est densior. Deinde, terra non est perfectè sphærica ex assertis suprà, igitur ergo centrum grauitatis non coincidit cum centro magnitudinis.

Oppones, terra est vasta, & ingens, de cuius magnitudine abundè agunt Cosmographi, Geographi, centrum autem ex præposito notabili est punctum, quod ex dictis est indiuisibile, & impartibile, ergo terra nequit esse centrum Mundi. Concedo ma. ad min. dico, terram esse instar puncti, non quidem absolutè, & secundum se, sed respectiue, hoc est ratione orbium cælestium, qui sunt vastissimi, & ingentis magnitudinis.

Articvlvs IV.

An terra sit altior mari.

13. PRoblema extat, tam apud sacros, quàm prophanos Philosophos, núm terra mari emineat, necne? Nonnulli namque, vt Cic. 2. *de natura Deorum*, Burgensis *in cap.* 1. *Gen.* & Catharinus, quibus suffragantur D. Th. 1. *p. quæst.* 69. *art.* 1. *ad* 2. existimant terram mari esse depressiorem. Cæteri autem, vt Lyran. in postilla *cap.* 1. *Gen.* & alibi, Maior 2. *dist.* 14. *quæst.* 4. Parisienses 2. *Meteor. quæst.* 2. *fol.* 98. Ioan. de Magist. *ibid. quæst.* 1. & fauent Magister 2. *d. præalleg.* nec ab his declinare videntur Doctor Seraphicus in expositione litteræ, & subtilis *ibidem quæst.* 5. § *Dico ad quæst. antè C.* docent terram esse eminentiorem mari. Suadent primò ex sacra pagina. Gen. 1. *congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt in locum vnum, & appareat arida*, vbi Lyran. cit. & alij non ignobiles scriptores aiunt, aquas fuisse coactas in concauitates, & cauernas terræ, Deumque eleuasse dictam terram, nè ipsæ aquæ inundarent, & cooperirent totam ipsam terram, vt viuentia terrestria possent vitam ducere, plantæ, arbores, & consimilia germinare quirent: quò fortasse respiciens regius Psaltes Psal. 32. subdicit. *Congregans sicut in vtre aquas maris* Et præmiserat Psal. 23, *Ipse super maria fundauit eum*, supple. orbem terræ. Et Psal. 134. *Qui firmauit terram super aquas.* Secundò, ex SS. Patribus, Aug. lib. 1. *qq. super Gen. quæst.* 132. expendens locum cit. scripturæ proximè allegatum, subiecit *Secundum hanc loquutionem rectè intelligitur, quid altior sit terra, quam aqua, altiùs quippè ab aquis sustollitur, vbi habitent terrena animalia.* Idem scribit *quæst.* 111. & *l.* 2. *contrà aduersarium legis, & Prophetarum. c.* 13. & *in Psal.* 135. Hieronym. *in Psal.* 32. & Chrysost. *hom.* 9. *ad populum Antiochenum*, qui eidem patrocinantur sententiæ. Tertiò, quod prius à Sole illuminatur, est altius, & eminentius: experientia quippè nos docet, prius Solem suam lucem diffundere in sublimioribus, & eminentioribus, quàm in depressioribus, & inferioribus. Sol autem prius illuminat terram, quàm aquam. Antè namque sol apparet in montium fastigiis, quàm in mari, ergo terra mari eminet. Quartò, flumina ad loca decliuiora pergunt, vt omnibus patet: fluunt autem flumina in mare, ergo signum euidens est, mare esse depressius terrâ. Iterum, foret perenne, ac continuum miraculum, si mare totam terram non tegeret, ac inundaret: miracula autem non esse admittenda sine necessitate, extat vulgatum proloquium, apud Theologos. Denique à montibus altis, & sublimibus cernitur mare valdè imum, & depressum, quod planè ita non esset, si mare foret altius terra.

14. Oppones primò, Psal. 104. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, nec conuertentur operire terram.* Et ibid. *Super montes stabunt aquæ.* Iob. 38. *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Matt. 6. *descendit ad illos de naui.* Et Lucæ 5. *Et ascendente Iesu in nauiculam.* Ergo mare est terra contermina altius. Respondeo duo prima testimonia nihil contrà nos concludunt. In his siquidem tantum habetur, Deum posuisse limites mari, hoc fecisse concauitates intrà quas ipsum mare continetur, nec extrà illas egreditur. Atque in primordio Mundi, aqua occupauit superiorem locum, & extitit suprà terram, cum locus naturalis aquæ sit suprà terram, verùm ob viuentium terrestrium necessitatem, & commoditatem, Deus extulit terram supra aquam, in eiusque antris, & cauernis collocauit, & in eis mansit vsque ad tempus diluuij, quo aquæ stabant supra montes, vbi obseruant Aug. & Eugubinus, ibi poni futurum pro præterito, propterea quod Hebræi carent præterito imperfecto, & pro eo vsurpant futurum. Postmodùm autem iussu Dei recessit aqua à terra, manens vbi prius in initio, *nec erit amplius diluuium dissipans omnem terram*, Gen. 9. Ad cætera loca dico solum ibi inferri, nauem eminere terræ contermina, ideò dicitur quispiam ascendere ad nauem, non verò ad mare. Idque deducitur ex Psal. 106. *Qui descendunt mare in nauibus.* Et Ionæ primo, *descendit Ioppem, & inuenit nauem euntem Tharsis.*

15. Oppones secundò, Ecclesiastes primò. *Ad locum, vndè exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Cum ergo flumina suam trahant originem à mari, tanquam ipsorum principio, planè euincitur, mare altitudine terram superare. Respondeo præfatum testimonium glossandum esse non immediatè, sed mediate dumtaxat. Fontes quippè, à quibus flumina oriuntur, fiunt ex vaporibus in aquam conuersis, authore Arist. 1. *Meteor. cap.* 13.

16. Oppones tertiò, qui ex alto mari nauigant, & terram versus, conspiciunt ipsam terram depressiorem, & decliuiorem mari, ergo euidens signum est, mare terra esse superius, & eleuatius. Respondeo tunc sensus eorum decipi: causa est, quia terra est atri coloris: quæ autem sunt atra, & obscura, videntur esse ima, & profunda: ob id pictores volentes effingere profunditatem putei, opponunt colorem atrum. Sic terra videtur esse depressior mari, quia est atri coloris. Addo nonnunquam altum sumi pro profundo, ideò illud Psal. 68. *Veni in altitudinem maris*, Lyran. vertit *in profundum maris.* Et indicat Virg. 1. *Æneid.* hoc carmine:

Vix è conspectu Siculi telluris in altum
Vela dabant læti.

17. Quæres, vtrùm terra sit Immobilis? Respondet Arist. 2. *Cæli T.* 102. affirmatiuè, & confirmatur ex illo Ecclesiastes 1. *Terra autem in æternum stat*, idest immobilis interprete Lyran. Vnde Ecclesia *in hym. feria* 3. *ad Vesperas cantat*,

Terram dedisti immobilem.

Ratio est, quia terra est grauissima, & mundi centrum, proindéque immobilis extat, veluti centrum sphæræ, & subscribit Plin. 2. *hist. cap.* 5. Recipe tandem ad complementum huius operis monitum S. Aug. in Psal. 145. *Totum Cælum cogita, omnia ista simul bona valdè, quia fecit Deus omnia bona valdè, vndique pulchritudo operis, quæ tibi commendat artificem, mirare fabricam, ama fabricatorem. Non occuperis in eo, quod factum est, & recedas ab illo, qui fecit.*

LIBRI
DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

PRÆFATIO.

POST duo opera Philosophiæ naturalis, quorum primum habetur *in 8. lib. Physicorum*: Et secundum *in quatuor lib. Celi, & Mundi* continetur: traditur tertium ab Aristot. quod in duobus *lib. de generatione, & corruptione* comprehenditur, quodve nunc pertractandum suscepimus. Horum autem subiectum proximum, & adæquatum in Scoti Schola statuitur corpus generabile, & corruptibile. Vt enim *in lib. de cælo*, corpus ingenerabile, & incorruptibile stabilitur eorum subiectum immediatum, & totale, ita *in hisce lib.* corpus generabile, & corruptibile extat proprium, & adæquatum obiectum. Ratio est, quia tota Physica respicit corpus naturale, tanquam genus, & partes eius spectant species eiusdem corporis, inter quas numeratur corpus generabile, & corruptibile. Hanc autem totam materiam partior in quatuor libros, quorum primus est de generatione, & corruptione. Secundus de intensione, & remissione. Tertius de actione, & reactione. Et quartus de mixtione, & mixto.

LIBER PRIMVS.

De generatione, & corruptione.

1. QVAMVIS *in præfatis libris* Aristoteles differat de aliis motibus prænarratis, nihilominus hi libri inscribuntur de generatione, & corruptione, propterea quod generatio, & corruptio sunt eorum partes præstantiores, ac nobiliores, à nobiliori verò fieri denominationem, fatetur August. 2. *Retract. cap.* 43. Cum autem alteratio præcedat generationem, vt tradit Doct. 1. *distinct. 4. quæst.* 4 § *Si tenendo.* post Aristot. 8. *Phys.* r. causa est, quia non fit generatio nisi præuia alteratione. Prærequiritur namque actio agentis præuiam formam expellentis, vt noua forma per eiusdem agentis actionem in materiam introducatur, ad hoc, vt nouum compositum generetur. Merito igitur alterationem præmittimus, priusquam de generatione agamus.

QVÆSTIO I.

De alteratione.

ARTICVLVS I.

Quid sit alteratio.

2. ESSE alterationem, nemo in dubium vocat, cum manifesto comprobetur experimento. Quid autem sit alteratio, non est concors Philosophorum sensus. Quidam enim latius, alij verò pressius nomen alterationis accipientes variè, ac diuersimodè ipsam alterationem describunt ac definiunt. Pro cuius commodiori, ac faciliori captu.

3. Not. primò, ex vi vocabuli, alterationem esse motum, quo subiectum redditur alterum, siue alteratum, hoc est mutatur accidentaliter, quo fortasse respiciens Porphyrius *in Isagoge cap. de differentia*, inquit accidentalem differentiam facere alterum, & essentialem facere aliud, quia illa alterat tantum subiectum, quà differt ab alio accidentaliter, hæc autem constituit subiectum in esse quidditatiuo, & essentiali, distinguitque ipsum à quolibet alio. Bifariàm autem potissimùm vsurpatur alteratio. Primo latè pro quocumque motu successiuo subiectum alterante, & mutante, quo pacto aër perhibetur alterari, cum ex tenebricoso effi-

catur lucidus , & homo de nesciente fit sciens. Hinc Arist. 8. *phys. T.* 26. scribit animum imaginando , & opinando motum alterationis subire. Secundò pressè, pro motu continuo successiuo habente contraria , quo in sensu homo alteratur, quando ex frigido fit calidus, ex albo fit niger , & è contra ita communiter de alteratione loquuntur Philosophi cum Arist. 1. *de gener.* 1. & 1. *de cælo* , 20. cæli sunt expertes alterationis, quia in eis non extant contrariæ qualitates. Et *ibid. cap* 4. *T.* 24. secernitur alteratio ab augmentatione, diminutione, & motu locali.

4. Not. 2. *ex eodem ibid. cap.* 4. *T.* 53. definiente alterationem sic, alteratio est , *motus penes qualitates contrarias extremas , aut medias eodem subiecto sensibili remanente.* Explicantur omnes istius particulæ. Dicitur *motus* , loco generis , quia in hoc cum aliis conuenit. Additur , *secundum qualitates contrarias extremas, vel medias* , pro differentia , in hoc quippe differt ab alteratione impropria, & translatitia , cuius memini in *præmisso not.* subditur , *eodem subiecto sensibili remanente* , vt distinguatur à generatione, & corruptione, in quibus subiectum , hoc est compositum , de nouo gignitur , vel corrumpitur , vt palam fiet in duabus proximis quæstionibus.

5. Ass. alteratio rectè definitur ab Arist. cit. Non discordant Scot. 9. *Met. quæst.* 14. §. *Quarto &* 4. *d.* 11. *quæst.* 1. §. *De primo. A.* Et *in Report. ibid.* §. *Dico primo.* Parisienses 1. *de gener. in com.* Ioan. de Magistris , Tatar *& alij ibid.* Suadetur , ea est apta definitio , quæ datur per genus , & differentiam , vt non rarò præmonui : huiusmodi autem est præallata definitio, vt liquet ex 2. notabili , ergò probe tradita est. Deindè , per eam optime explicatur natura , & essentia alterationis, & distinguitur ab omni alio, quod non est alteratio , gaudetque omnibus legibus bonæ definitionis , nihilque superflui , & diminuti continet , ergo inter rectas definitiones est connumeranda.

6. Opp. præfata alterationis definitio videtur competere qualitati primæ , ac quartæ speciei : alteratio autem propriè dicta qualitati 3. speciei accommodatur duntaxat , vt indicat Arist. præcit. vbi meminit passionum , quæ ad 3. speciem qualitatis tantùm spectant , ergo præallata definitio non est germana, & genuina. Concedo Ma. nego Min. Arist. quippè dictam definitionem illustrat exemplis de sanitate, & ægritudine , quæ in 1. specie qualitatis collocantur , & de metallo. quod modò est rotundum , modò verò angulare , cuius sedes extat in 4. specie qualitatis : quarè alteratio non videtur esse restringenda, & coangustanda solùm in 3. specie qualitatis.

Occurrunt Complut. *disput.* 4. *quæst.* 1. §. 3. & dicunt, alterationem per se locari in 3. specie qualitatis , per accidens verò in cæteris classibus qualitatis , præuiis scilicet aliis qualitatibus , veluti alteratione calidi , & frigidi , ex sano efficitur æger , & è contrà. Verùm hæc responsio non tollit allatam instantiam , quandoquidem Philosophus *l. prædicam. cap.* 4. contexens seriem qualitatum per se , inter eas in prima specie refert sanitatem , & ægritudinem , ergo sanitas & ægritudo per se , & non per accidens resident in prima specie. Deindè definitio rectà datur de rebus per se : cum ergo Arist attulerit definitionem alterationis congruam , & exemplificauerit de sanitate , & ægritudine , apertè sequitur eas esse qualitates per se , & non per accidens , locatas in prima earum classe. Eò magis , idem Philosophus conficiens syllabum 3. qualitatis speciei , non recenset sanitatem , & ægritudinem , cum tamen eas debuisset referre , si ad eam per se pertinerent. Rursus , quidam non vulgares eius interpretes , loco passionum vertunt affectionum : hoc autem vocabulum adaptari potest cunctis qualitatibus cuiuscumque speciei. Demum, alteratio adæquatè distribuitur in intensionem , & remissionem , secundum dictos Complut. cit. *quæst.* 2. §. 2. sanitas autem , & ægritudo sunt intensibiles & remissibiles , ergo bene Arist. eas statuit in prima specie qualitatis, cum sint qualitates per se : annuente Scot. *Quol.* 13. §. *Nunc tertiò.* 5. *& T.*

ARTICVLVS II.

An si generatio sit impossibilis, alteratio quoque sit impossibilis.

7. Ægidius 1. *de gener. cap.* 1. Saxonia *ibid. q.* 1. autumant, tanquam simpliciter verum , quod si generatio foret impossibilis , vtique alteratio esset impossibilis. Alij autem , vt Paris. *in præsenti , dub.* 3. *fol.* 122. Tol. *quæst.* 1. & Poncius *disput.* 53. *quæst.* 1. absolutè admittunt alterationem possibilem, si generatio foret impossibilis.

8. Not. hanc litem non esse de alteratione non habente contrarium : sic enim aperte constat , alterationem non coniungi cum generatione , cuiusmodi est illuminatio. Nec de qualitate mediata , sed immediata , quæ scilicet immediatè afficit sensum , vt insinuat , & declarat Gadius *Quol.* 13. ex Scot. *ibi* , §. *Nunc tertiò sub S.* Siquidem, cum homo de nesciente fit sciens , habetur alteratio mediata , quam nec præcedit , nec subsequitur vlla generatio simpliciter , vt indicat Doct. 1. *distinct.* 3. *quæst.* 6. §. *Tertia quæstio sub X.*

9. Ass. 1. absolutè potest esse alteratio sine generatione. Deducitur ex Scot. cit. Suadetur primò, prius potest simpliciter esse absque posteriori , maximè cum inter ea nulla extat essentialis dependentia : alteratio autem est prior generatione ; necessè namque est , prius alterentur elementa , vt generetur mixtum: atque præparetur , ac disponatur materia , ad nouam formam recipiendam & nouum compositum generandum , ergò si non esset generatio , potest vtique esse alteratio.

Secundò accidens potest simpliciter esse absque substantia , vt patet in Sacramento Euch. ergo & productio illius absque productione istius : alteratio autem cuiusque terminus est accidens : generatio verò licet formaliter sit accidens , eius tamen terminus est substantia , ergò cum inter ista , nulla intercedat essentialis ordinatio , aptè concluditur , alterationem posse existere , non existente generatione.

10. Ass. 2. naturaliter , per locum à causa finali, si generatio foret impossibilis , pariter alteratio esset impossibilis. Ita videtur sentire Arist. 1. *de gener.* 1. & anteà 8. *Phys.* 1. à quo non est alienus Scot. *locus præadductus.* Probatur primò , non fit generatio absque idonea præparatione , & debita materiæ dispositione : huiusmodi autem dispositio, & præparatio materiæ non efficitur absque alteratione , ergo nisi esset generatio , non esset alteratio.

Secundò non habetur generatio , sine actione contrariorum : siquidem , corrumpi oportet præcedens compositum , vt nouum gignatur : id autem non contingit , absque alteratione , vt liquet de igne alterante lignum per calorem , & conuertente ipsum , in suam substantiam , vt gignatur nouus ignis : ablata igitur generatione , aufertur alteratio.

11. Opp. 1. contra 1. ass. quæ ad inuicem essentialiter ordinantur , vnum nequit esse absque alio : alteratio autem , & generatio essentialiter ordinantur. Ordo quippè præfixus à natura est , vt generatio non fiat, absque præuia alteratione , ergo , &c. Concedo ma. nego

nego min. Etsi enim id naturaliter contingat: absolute tamen haud verum est, quia interdum habetur alteratio, generatione non subsequente, vt patet de amygdalis celeriter florentibus, & non fructificantibus.

12. Oppones secundò, contra secundam assertionem, quævis forma, & materia exigit certas dispositiones, & determinatas circumstantias, quibus ablatis, aufertur, quibusve positis, ponitur: huiusmodi autem dispositiones per alterationem inducuntur in materiam ab agente naturali, vt generetur nouum compositum, ergo si generatio est impossibilis, quoque alteratio est impossibilis. Respondeo argumentum concludere de facto, quia naturaliter inter se connectuntur, & vt plurimum ita euenit, non autem de possibili, vt suadent efficaciter, quæ supra adduxi.

ARTICVLVS III.

An alteratio distinguatur à generatione.

13. HOc dubium mouet Aristot. 1. *de gener. cap.* 1. & 4. eiusque interpretes, nuncupatim Parisiens. Tatar. & Ioannes de Magistris, *ibidem, quæst.* 3. *scibili.* 1.

Assertio prima, alteratio, & generatio ab inuicem differunt. Tenet Doct. 1. *distinct.* 3. *quæst.* 6. §. *Tertia quæst. sub X.* & *in Reportat.* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. §. *Dico primo.* Probatur potissimùm tripliciter, & primò, ex definitione vtriusque, quæ distinctam sortiuntur definitionem, ab inuicem discriminantur: alteratio autem, & generatio participant diuersam definitionem, ergo inter se differunt. Ma. est conspicua. Min. est in promptu: Siquidem generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili subiecto remanente. Alteratio verò est motus, secundum qualitates contrarias, eodem subiecto sensibili persistente, vt patuit in primo art. huiusce quæstionis.

Secundò, ex terminis, quorum termini sunt distincti, vtique inter se distinguuntur: Termini autem à quibus, & ad quos prædictarum transmutationum discriminantur, ergo & ipsæ transmutationes ab inuicem secernuntur. Ma. est nota ex 8. *Phys. quæst.* 1. *artic.* 1. Min. elucet, terminus quippè à quo generationis est priuatiuus, cum generatio sit transitus à non esse substantiæ, ad esse substantiæ, & alteratio sit transitus ab vna qualitate contraria, ad alteram, authore Aristot. *in postprædicam cap.* 4. terminus à quo ipsius est positiuus; atque terminus ad quem generationis est substantia, & alterationis est accidens qualitatiuum. A termino autem ad quem, motum specificari, ostendi loco mox allegato.

Tertiò, ex subiecto, nam generationis nullum subiectum persistit: at verò alterationis idem subiectum perseuerat. Iterum generatio est momentanea, alteratio verò est temporanea. Rursus generatio est productio simpliciter: alteratio autem est productio secundum quid: discriminantur ergo ab inuicem generatio, & alteratio.

14. Assertio secunda, Alteratio differt à cæteris motibus. Tradit Arist. citat. *in fine, cap.* 4. à quo non declinat Scot. *vbi suprà.* Probatur, tum quia huius definitio, ab eorum definitionibus segregatur: tum etiam quia terminus ad quem istius discrepat à terminis ad quos illorum, vt probè inducit Philosophus in postprædicam præcit. Bene ergo statuitur discrimen inter alterationem, & reliquos motus.

15. Oppones primò, contra primam assertionem, omnis motus, quo aliquid aliter se habet nunc, quam priùs, alteratur: generatio autem est huiusmodi, ergo non differt ab alteratione. Ma. claret. Min. ostenditur, materia recipiens nouam formam aliter se habet nunc, quàm prius. Nec iuuat dicere, materiam recipere formam substantialem, compositum verò, quod alteratur recipere formam accidentalem: Etenim siue sit forma substantialis, siue accidentalis, subiectum recipiens vtramque formam, aut alterutram, alteratur. Respondeo ma. esse insufficientem, debet namque addi subiectum recipiens qualitatem, alteratio autem est qualitas. Cum autem materia recipiat nouam formam substantialem, propriè non dicitur alterari per eius receptionem.

Instabis subiectum generationis, & alterationis est commune vtrique puta materia, ergo nulla est responsio: dico generationis materiam esse subiectum immediatum, & proximum; alterationis verò mediatum, & remotum, atque partiale, non autem totale, velut est compositum.

16. Oppones secundò, subiectum generationis, & alterationis est ens in actu, cum in sententia Scot. materia participet actum entitatiuum: ergo generatio, & alteratio penes subiectum non differunt. Respond. etsi vtriusque subiectum sit actu ens, tamen in eo situm est discrimen, quod alterationis subiectum est ens completum, & perfectum, generationis autem est ens incompletum, & imperfectum.

ARTICVLVS IV.

An alteratio sit motus continuus.

17. ÆGidius 1. *de gener. quæst.* 16. cui videtur consentire Iandunus 8. *Phys. quæst.* 8. putat alterationem esse motum continuum, penes intensionem, non verò penes extensionem. Alij citati à Conimbr. 1. *de gener. cap.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. & Complut. *ibid. disp.* 4. *quæst.* 10. § *primo*, neutro modo defendunt alterationem esse continuam, existimantes effici per quasdam morulas, & discreta instantia, exempli causa, ignis, vt calefaciat lignum producit primum gradum caloris, & paulatim quiescit, deinde post exiguam quietem causat secundum gradum caloris, & sic deinceps alios gradus. Communis autem sententia est Scotistarum, & Nominalium, docentium alterationem esse motum continuum: quibus subscribunt Suarez *disp.* 46. *Met. sect.* 3. Tol. *in præsenti, quæst.* 6. & Rub. *tract.* 3. *cap.* 4. *quæst.* 2.

18. Not. primò, non esse in præsentia dubium, vtrum alteratio iam cœpta possit interrumpi: id enim possibile esse, & non rarò contingere experientia testatur. Ignis quippè incipiens calefacere lignum, ob contrarium fortius ipsi obsistens, & vincens, desistit, aut alia de causa non continuat calefactionem in dicto ligno: sed difficultatem esse, num suaptè natura alteratio perennis, & continua esse valeat, ita vt ipsi non aduersetur, nec repugnet continuata successio.

19. Not. secundò, ex duplici capite motum dici posse continuum primò, ex parte subiecti, quia scilicet subiectum per continuum fluxum formæ mutatur, & alteratur, vt lignum per continuum calorem ab igne productum, & emissum continuè, & successiuè calescit. Secundò, ex parte formæ quæ videlicet continuè, absque vlla intermissione intendit, & perficit subiectum in quo est, vt albedo per dealbationem à dealbante dealbat parietem, ipsumque per continuam dealbationem perficit, siue reddit magis album, eo quod ipsa albedo est intentior, & perfectior additione plurium nouorum graduum. Hinc duplex distinguitur alteratio, extensiua, quæ respicit subiectum, & locum in quo diffunditur, & extenditur: & intensiua, quæ respicit nouos gradus ipsi additos formæ, ratione quorum intendi perhibetur ipsamet forma.

20. Assertio alteratio est motus continuus, tam

 quoad

quoad intensionem, quàm quoad extensionem. Traditur à Doct. 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. §. *Hic dicitur, versu. Item quarto.* Et 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. *sub N.* Et insinuatur ab Aug. *l.* 83. *qq quæst.* 9. *Cum capilli crescunt sine vlla intermissione fit.* Probatur primò ea Arist. 5. *Phys.* 39. omnis motus est continuus, & præmiserat *in eodem lib.* 18. alterationem esse vnam ex speciebus motus propriè dicti. Et 41. subiicit, motum non esse vnum numero, nisi sit continuus: igitur in schola Peripatetica, alteratio est motus continuus.

Secundò, alteratio, & generatio discriminantur præcipue in eo, quod generatio fit in instanti, & alteratio fit in tempore, vt patet ex præcedente art. Mensura autem debet correspondere mensurato: cum autem alteratio mensuretur tempore, tempusque ipsum sit continuum, planè infertur alterationem inter motus continuos conscribendam.

Tertiò, agens alterans aliquod subiectum, non desistit à sua actione, si subiectum, in quod agit sit rectè dispositum, & bene præparatum, vt constat de ligno sicco debitè igni approximato, quod continuè ab eodemmet igne calefit, & comburitur; Necnon de ipsomet igne aquam lebetis calefaciente, & numquam cessante, si ipsi suppeditentur sufficientia combustibilia, nullusque obex interponatur. Rursùs, incredibile, & improbabile est, agens necessarium, & naturale non impeditum non agere, & quiescere habens subiectum idoneum, debiteque dispositum: assignanda quippè esset causa huiuscemodi quietis, & cur potiùs in hoc momento agat, quàm in alio: quare, cum nulla probabilis ratio adduci queat, ad diluendum præfatum motiuum, apertè deducitur, alterationem esse motum continuum successiuum.

21. Oppones primò, *ex* 8. *Phys.* *T.* 23. Dicere alterationem fieri continuè, est aduersari valde manifestis. Ergo per Arist. alteratio non est motus continuus. Respondeo Ibi Philosophum arguere illos, qui existimant, alterationem semper fieri, & nunquam desistere, adeò vt nullum sit interuallum vnquam assignandum, quo subiectum non alteretur, v. g. aquam semper calefieri, continuèque agitari, quod inficiatur Philosophus. Asserit namque interdum alterationem desinere, proindè subiectum eius nonnunquam ab ipsa alteratione esse immune.

22. Oppones secundò, cuius termini continuari nequeunt, motus non potest continuari: termini autem alterationis non possunt continuari, quia sunt contrarij, ergo alteratio non est motus continuus. Vndè 6. *Phys* 18. legitur, motus factos in contrariis, aut contradictoriis non esse continuos. Concedo ma. Distinguo min. si subiectum non sit debitè dispositum, & vnum contrarium sit fortius alio, concedo: quod si subiectum sit aptum, rectéque præparatum, & vnum contrarium alio sit debilius, ac infirmius, nego. Ita exponendus est Arist. *passu alleg.*

23. Oppones tertiò, si subiectum paulisper non quiescat, quando fit alteratio, ergo in quolibet instanti producitur nouus gradus, & cum instantia sunt infinita, quoque infiniti erunt gradus producti, aut producendi, atqueadeò daretur infinitum actu, quod reiectum est *quæst* 5. *l.* 5. *Phys.* Nego conseq. quia alteratio non in instanti, sed in tempore efficitur, sicut quilibet alius motus continuus. Eo magis, quia illa instantia, veluti puncta, & partes proportionales sunt in potentia in continuo, non autem in actu, ideò non sequitur dari infinitum actu, si concedatur præposita consequentia.

QVÆSTIO II.

De Generatione.

ARTICVLVS I.

An sit generatio substantialis.

1. PHILOSOPHI Platone, & Aristotele antiquiores, nominatim Leucippus, Democritus, Empedocles, & Anaxagoras negant omnem generationem substantialem, existimantes, omnes res actu præcedere, solumque moueri penes quemdam modum, hoc est per congregationem, vel separationem, raritatem, vel densitatem, vt litteris consignarunt 1. *Phys cap* 4. *T.* 33. Et 1. *de gen.* 1. *& indè.* Hæc sententia ortum suum ducit ex illo axiomate, *Ex nihilo nihil fit.* Quod si de nouo res generaretur, videtur eis necessario talem rem ex nihilo fieri. His sese opponunt omnes posteriores Philosophi, Academici, Peripatetici, illorumque sequaces, docentes dari generationem substantialem.

2. Not. primò, & recole ea dictis in 2. *Phys quæst.* 4. *art.* 1. admitti formas substantiales realiter distinctas à materia; cum enim experiamur ab agentibus prodire varias, & diuersas operationes; cumque materia sit tantum passiua 1. *de gener.* 55. & 2. *eiusdem*, 53. consequenter astruendum est, eas actiones promanare à formis substantialibus. Forma quippè dat esse, & consequenter operari. Atque compositum ex materia, & forma coalitum, est principium quod operationum, & forma est principium quo earumdem, vt alibi præmisimus.

3. Not. secundò, ex Arist. 1. *de gener. cap.* 3. & Scot. 11, *Met. summa* 4. *in exposit. cap.* 3. productionem naturalem substantiæ appellari generationem simpliciter, & compositum per eam genitum vocari ens simpliciter: productionem verò accidentis nuncupari generationem secundum quid, & accidens per eam productum, ens secundum quid. Nec obstat Arist. proxime cit. subdere generationem terræ, esse generationem secundum quid, tametsi ipsa terra sit substantia: id enim non dicit absolutè, sed respectiuè, scilicet respectu ignis, cuius generatio dicitur productio simpliciter, propterea quod est nobilior, & præstantior generatione terræ.

4. Assertio admittenda est generatio substantialis. Defenditur a Doct. 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. §. *Tertia quæstio. sub X.* & *dist.* 13. *quæst. vn.* Ocham. Gabri. & aliis Scholast. *ibid* quibus præiuit Aug. 3. *contrà Maximinum, cap.* 6. inquiens, *Homo generat hominem, & canis, canem.* Idem scribit *ibid. cap.* 14. Probatur primò, agentia naturalia producunt sibi similia, vt ignis gignit ignem, & homo hominem, vt ait Aug. mox cit. & antè Arist. 2. *Phys.* 26. huiusmodi autem productio est generatio substantialis, quia per eam producitur compositum, quod est substantia completa. Ergo concedenda est generatio substantialis. Corroboratur, tria sunt sufficientia principia generationis substantialis, materia, forma, & priuatio, 1. *Phys. cap.* 6. *&* 7. Deinde accidens generat accidens, vt calor calorem, ergo & substantia gignit substantiam. Iterum, alteratio est possibilis, quæ ordinatur ad substantiam, ergo & ipsius generatio. Si enim medium est possibile, vtique & finis per ipsum medium acquirendus.

Secundò, materia appetit formam substantialem, 1. *Phys. T.* 81. Huiusmodi autem appetitus non potest expleri,

expleri, nisi per generationem, per quem ab agente naturali educitur forma substantialis de potentia materiæ. Insuper, eadem species conseruatur, & perpetuatur, 2. *animæ*, 34. Talis autem conseruatio, ac perpetuatio speciei non efficitur, nisi per generationem substantialem multorum indiuiduorum. Cernimus namque granum frumenti corrumpi, & ex eo corrupto gigni spicam, in qua producuntur multa grana eiusdem frumenti, vt præmonuit Saluator Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Concedenda ergo est generatio substantialis.

5. Opp. 1. si daretur generatio substantialis fieret ex non ente simpliciter, cum terminus eius sit ens simpliciter putà substantia, atqui non ens simpliciter est nihil, & ex nihilo nihil fit, physicè ergo nulla admittenda est generatio substantialis. Respondeo ad Ma. per distinctionem, fieret ex non ente simpliciter, actu & potentia, quod est nihil, nego: fieret ex non ente simpliciter actu sed potentia, concedo, quia ex eo quod non est actu sed potentia, potest effici aliquid, quod sit actu, vt patet ex dictis.

Instabis, quod generatur, ex aliquo ente in actu generatur, vt ex igne, qui est ens actu fit aër, ergo generatio non fit ex ente in potentia. Distinguo ant. ex aliquo ente in actu entitatiuo, qui est materia habens ipsum esse actu, & est in potentia subiectiua, concedo: ex ente in actu completo, & perfecto persistente in genito, nego: sola quippè materia, quæ est ens incompletum, & partiale perseuerat in genito, quæ extiterat in corrupto.

6. Opp. 2. totum est, quod ex partibus coalescit, ergo tunc gignitur totum, cum omnes eius partes gignuntur. Nam ex 1. *de gener. cap.* 4. *T.* 23. generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili subiecto remanente: partes autem totius non generentur, præsertim materia, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, 2. *de gener. T.* 51. Ergo, nulla habetur generatio substantialis. Concedo ant. nego conseq. sufficit namque ad generationem totius, vt partes simul vniantur, & constituant ipsum totum, quamuis aliqua eius pars præextiterit, putà materia, & altera pars, nempè forma de præiacente materia educatur, veluti in resurrectione, quæ est quædam regeneratio, omnes partes compositi præerunt, & præexistunt, vt de Lazaro redivivo, Ioan. 11. litteris exaratur.

Instabis. Forma est nobilior materia, ergo si materia non fit, vtique nec forma. Si autem forma non fit, pariter nec generatio fiet, sicque generatio est impossibilis. Dico propriè formam non fieri, sed educi de potentia materiæ: compositum autem est, quod propriè fit, & generatur, 1. *phys. T.* 64. *& inde.*

7. Opp. 3. ex 8. *Phys. T* 69. idem nequit esse, & fieri simul: si autem admitteretur generatio substantialis, idem esset, & fieret simul; quandoquidem generatio fit in instanti, potiùs igitur de medio tollenda est generatio, quàm concedere prætactum incommodum, & absonum. Respondeo testimonium Philosophi interpretandum esse de successiuis; non verò de instantaneis, cuiusmodi est generatio.

ARTICVLVS II.

Quid sit generatio.

8. Conimb. 1. *de gener. cap.* 4. *quæst.* 9. *art.* 1. Rum. *Tract.* 1. *quæst.* 2. & alij Iuniores asserunt generationem esse essentialiter mutationem. Contra quos stant Scot. 1. *d.* 2. *quæst.* 7. Meyr. *ibid. d.* 4. *quæst.* 1. Vorrilong. *eadem dist.* Alen. 3. *p. quæst.* 7. *num.* 9. Arr. *disput.* 1. *de gener. sect.* 1. & Complut. *ibid. disput.* 2. *quæst.* 2. §. 4. negantes generationem præcisè, & absolutè, mutationem essentialiter includere.

9. Not. primò, generationem trifariàm vsurpari. Primò, pro productione cuiuscumque entis, siue sit substantia, siue accidens, quo pacto Arist. 5. *Phys. T* 7. scribit, *Generatio est mutatio de non subiecto, in subiectum*, hoc est de priuatiuo, ad positiuum, vt de non homine, gignitur homo, & de non albo generatur album.

Secundò, pro productione viuentis duntaxat, sic generatio describitur *productio viuentis à viuente principio vitæ coniuncto, in similitudinem naturæ.* Quo in sensu D. August. 2. *contra Maximinum, in fine* ait, Adam non esse genitum, sed factum à Deo.

Tertiò, pro productione substantiæ tantum, siue id, quod per eam generatur sit viuens, siue non viuens. Et de generatione hoc tertio modo sumpta disserunt Philosophi in præsentia cum Arist. 1. *de gener. T.* 23. eam definiente his verbis. *Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili subiecto remanente.* Hæc autem definitio non differt ab aliis allatis ab eodem Arist. vt monstrat Ponc. *hoc loco.*

10. Not. secundò, hæc tria, originem, productionem, & generationem se habere sicut superius, & inferius, hoc est, veluti magis commune, & minus commune: Omnis quippe productio est origo, sed non omnis origo est productio: nam diuina attributa originantur, & pullulant ab essentia diuina, non tamen producuntur. Itemque, passio originatur quidem à natura, cuius est passio, propriè tamen ab ea non producitur. Præterea, omnis generatio est quidem productio, & origo, verumtamen non omnis productio, & origo est generatio. Quandoquidem Spiritus sanctus producitur, quidem, & originatur, sed non generatur, vt fusè ostendi *Tract. de Deo trino, disp.* 1. *quæst.* 5.

11. Assertio prima, generatio essentialiter non est mutatio. Tenet Doct. *vbi suprà*, & *dist.* 5. *quæst.* 2. §. *Ideo tenendo E. & F.* & *dist.* 13. *quæst. vn.* §. *Ad argumenta ante. Q.* Probatur primò, mutatio ex 5. & 6. *Phys. cit.* à Scot. 2. *dist.* 1. *quæst.* 5. §. *Secundum primam opinionem T.* est, quia subiectum aliter se habet, per receptionem alicuius rei de nouo: generatio autem non est huiusmodi, quia quod generetur prius non erat, & postmodum per generationem accipit esse totale de nouo, proindeque generatio non est essentialiter mutatio.

Dices, per generationem materia mutatur recipiens nouam formam, qua prius carebat, ergo generatio essentialiter est mutatio. Contra, si materia non præexisteret, sed vna cum forma produceretur, & gigneretur, tunc foret generatio, absque mutatione, sicque generatio essentialiter non est mutatio. Deinde, materia quidem per nouæ formæ susceptionem mutatur, verumtamen non bene infertur generationem esse formaliter mutationem, vt latè prosequitur Fons. 5. *Met. cap.* 13. *quæst.* 9. *sect.* 1.

Secundò, generatio diuini Verbi non includit essentialiter vllam mutationem, vt nemo Catholicorum negat, ergo generatio præcisè sumpta formaliter non est mutatio. Siquidem mutatio præsefert imperfectionem, quæ longe est à diuinis: ergo cum generatio Deo Filio competat, rectè deducitur, generationem in suo esse essentiali mutationem non includere.

Dices, esse disparitatem, quia illa generatio Filij Dei est æterna, & infinita: hæc verò quæ rebus creatis competit est temporaria, & finita, atque adeò essentialiter mutatio. Contrà, licet enim penes ea discriminentur: verumtamen participant communem rationem vniuocam, veluti Deus, & creatura conueniunt in communi ratione entis vniuoca. Igitur sicut diuina generatio non includit mutationem, ità & generatio creata.

Tertiò, si corrumpantur species sacramentales, & ex

ex eis gignatur vermis, cum ibi nulla præexiſtat materia, tunc habetur generatio, abſque vlla mutatione, ergo generatio in ſe non includit mutationem.

Dices, data hypotheſi, non eſt generatio, ſed pura eductio formæ de materia, atqueadeò non ſequitur generationem eſſe abſque mutatione. Contra, quidquid producitur in creatis, vel creatur, vel generatur, vermis, dato caſu, non creatur, quia non fit ex nihilo, ergo generatur, quia producitur ex materia à Deo de nouo creata. Deinde, cum forma educitur de potentia materiæ, habetur generatio, quia per eam gignitur compoſitum. Iterum, ſi ſola foret eductio formæ à generatione diſſita, non foret generatio: atqui verè vermis eſt genitus ex prædictis ſpeciebus, ergo per veram generationem, & non per aliam actionem ab ipſa diſtinctam.

12. Aſſ. 2. generatio formaliter eſt productio de ſubſtantia alicuius, ſeu relatio intrinſecùs adueniens generantis, ad genitum. Ità Scot. 3. *d.* 8. *q. vn.* Suadetur primò, *ex* 5. *Met. cap. de relatione*, *T.* 20. vbi referuntur relationes, quæ fundantur in potentia actiua, & paſſiua, inter quas recenſentur generationes actiua, & paſſiua. Secundò, quo nonnulla referuntur ad inuicem, eſt formaliter, & intrinſece relatio: generatione autem generans, & genitum ſe mutuò reſpiciunt, ergo generatio eſt prænominata relatio. Ma. patet ex dictis in Log. q. de relatione, & min eſt conſpicua ex eodem loco. Tertiò, ex communi Theologorum ſenſu, & vniuerſali placito: generatio diuini Verbi eſt relatio, per quam Verbum ipſum conſtituitur in eſſe perſonali, igitur ſi generatio in diuinis eſt formaliter relatio, vtique & in creatis, cum æqua extet ratio vtrobique.

Dices, relatio eſt de genere ſterilium, vt crebrò in ſuperioribus inculcaui: generatio autem in generante eſt actiua, ergo generatio non eſt formaliter relatio. Concedo Ma. diſtinguo min. generatio dicitur actiua, tanquam principium productiuum, & effectiuum termini geniti, nego: extrinſecè verò, quia reſultat ex eo, in quo formaliter tendet tale principium productiuum, concedo.

Inſtabis, actio, quæ ſecundum Scot. eſt relatio, eſt principium quo productiuum termini, vt calefactio eſt principium, quo ignis calefacit, ergò idipſum aſtruendum eſt de generatione. Occurrendum eſt actionem, quæ eſt de genere actionis eſſe relationem extrinſecùs aduenientem, generationem verò eſſe relationem intrinſecùs aduenientem, ideò mirum non eſt, ſi illa ſit productiua: hæc verò minimè.

13. Opp. 1. ex Ariſt. 1. *de gener. c.* 4. *T.* 23. generatio eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili ſubiecto remanente. Et *c.* 5. *einſdem lib. T.* 25. generatio, eſt mutatio a ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam in actu. Et 8. *Phyſ. c.* 7. *ad tex.* 57. & 58. generatio eſt mutatio de non eſſe, ad eſſe. Quod autem ingreditur definitionem alicuius in recto, eſt ei eſſentiale, & quidditatiuum: mutatio ingreditur definitionem generationis, ergo eſt ei intrinſeca, & eſſentialis. Reſpondeo generationem ab Ariſt. potius deſcribi quam definiri. Ipſe namque Philoſophus deſcribit, & declarat eam, per quaſdā circumſtantias. Siquidem ex eo, quod eſt generatio in creatis, eam conſequitur mutatio. Abſolute autem, & præcisè generatio non eſt mutatio, vt probatur *in* 1. *aſſ.*

14. Opp. 2. Idem Stagir. 5. *Phyſ. T.* 55. perquirens, & aſſerens diſcrimen inter alterationem, alioſque motus, & generationem ſubiicit, generationem eſſe mutationem. Si autem mutatio non foret generationi intrinſeca, & eſſentialis, præfatum diſcrimen eſſet nullum. Videtur ergo per Ariſt. mutationem claudi in eſſentia generationis. Reſpondeo illud quidem eſſe vnum diſcrimen, non tamen proximum, & præciſam cauſam; eo ferè pacto, quo in materia de creatione aſſerui, artifices non poſſe creare, quia operantur per corpus, cum tamen hoc non ſit præcipuum motiuum, ſed quoniam non ſunt independentes. pariter, generatio diſtinguitur ab alteratione, aliiſque motibus, quia eſt mutatio: veruntamen hæc non eſt præciſa cauſa, verùm quia motus eſt ſucceſſiuus, generatio verò eſt inſtantanea. Itemque per motum efficitur accidens, per generationem verò gignitur ſubſtantia: atque generatio eſt productio de ſubſtantia producentis.

15. Opp. 3. tria ſtatuuntur principia generationis naturalis, videlicet materia, forma, & priuatio: vbi autem priuatio eſt principium, ibi eſt mutatio; materia quippe tranſit à priuatione ad formam: ergo generatio eſt mutatio. Vnde Scot. 2. *d.* 1 *quæſt.* 3. § *Tenentes autem ab F.* ſubiungit, generationem neceſſario includere mutationem. Concedo Ma. diſtinguo min. per ſe, & eſſentialiter, nego: per accidens, & concomitanter, concedo: ſic exponitur Scot. cit. ſiquidem generatio creata ſecum fert mutationem, propterea quod ſemper præcedit priuatio formæ, tranſitque materia, à priuatione formæ, ad ipſam formam. Cæterum abſolutè, & præcisè generatio nullam claudit mutationem.

ARTICVLVS III.

An generatio ſit inſtantanea.

16. NOnnulli, inter quos ſunt Thomas de Vio 1. *p. quæſt* 36. *art* 6. & Heruæus *tract. de vnitate formarum q* 17. non diſtinguentes actionem alterationis, ab actione generationis, aſtruunt generationem eſſe ſucceſſiuam, fierique in tempore. Scot. autem 2. *d.* 2. *q.* 9. *ſub L.* Mayr. *ibid. d.* 19. *q. vn.* Lichet. *d.* 16. *ad finem*, Conimb. 2. *de gener. c.* 4. *q.* 12. *art.* 5. Ruu *ibid. tract.* 5 *q.* 5. & alij agnoſcentes actionem alterationis diſtingui ab actione generationis, docent generationem eſſe inſtantaneam.

17. Not. generationem bifariàm accipi: vno modo pro præuia diſpoſitione ſubiecti, vnà cum introductione formæ de nouo productæ in ipſummet ſubiectum, quo pacto generatio ſic accepta dici poteſt ſucceſſiua, & temporaria, quia eius diſpoſitiones, & præparationes ſunt ſucceſſiuæ, & temporaneæ. Altero modo, pro ſola introductione, & productione formæ ſubſtantialis in materia aptè diſpoſita, & debitè præparata, & ità generatio eſt momentanea.

18. Aſſ. 1. alteratio, & generatio ſunt duæ actiones inter ſe diſtinctæ. Defenditur a Doct. 1. *d.* 2. *q* 6. *infrà* & 4. *Rep. d* 15. *q.* 1. §. *Dico primò.* Probatur primò ex Ariſt. *in poſtprædicamentis*, *cap.* 4. diſtinguente alterationem a generatione. Et 3 *Phyſ. cap.* 2. *T.* 6. & 3. *einſdem operis cap.* 1 *T.* 9. *& indè*, aliiſque in locis idipſum confirmante. Ratio eſt, quia alteratio eſt inter terminos contrarios, vt à calido, in frigidum, & ab humido, in ſiccum: at generatio verſatur inter terminos contradictorios, vt à non ſubſtantia in ſubſtantiam, ergo ſecundum Ariſt. ſunt actiones diſtinctæ. Secundò, diſtincta principia ſortiuntur diſtinctas actiones, & principiationes, vt patet 1. *Phyſ.* ſubſtantia autem & accidentia ſunt diſtincta principia, cùm ſint diſtincta membra entis: generatio autem ſubſtantiæ tribuitur, vt 2. *Phyſ. T.* 26. homo, & ſol generant hominem, & alteratio accidens. Sic enim calore, & frigore, ſanitate, & ægritudine alteratur homo: atque paries albedine, & nigredine, quæ ſunt accidentia: alia ergo actio eſt alteratio à generatione.

Dices, ſi hæc ratio concluderet, ſubſtantia foret immediatè actiua, & operatiua, cum tamen ſoli accidenti actio, & operatio vulgò præbeatur. Occurritur huic inſtantiæ concedendo ſubſtantiam eſſe principium actiuum generationis ſubſtantialis. Nam licet ſubſtantia non operetur, niſi præuiis accidentibus diſponentibus & idoneè præparantibus ſubiectum,

ſubiectum, ad introducendam formam ſubſtantialem in ipſum, attamen ipſa ſubſtantia eſt principium productiuum, & generatiuum ſubſtantiæ, vt infrà euidenter, & efficaciter monſtrabo. Tertiò, termini diſtincti arguunt diſtinctas vias, quibus ad ipſos tenditur, ac fertur: generationis autem terminus eſt ſubſtantia, & alterationis eſt qualitas: ergo generatio, & alteratio ſtatuuntur diſtinctæ viæ, & actiones quibus præfati termini fiunt, & acquiruntur.

Dices, id effici per naturalem reſultantiam. Ex eo enim quod ſubiectum per alterationem eſt aptè diſpoſitum, educitur noua forma, expulſa veteri, fit nouum compoſitum, vetuſto corrupto. Contra, prætérquamquod illa reſultantia habetur per veram efficientiam, vt patet de paſſione, quæ ex ſubiecto conſurgit, & de relatione, quæ comproducitur poſitis extremis: illa eductio eſt alia actio ab alteratione, quia fertur ad alium terminum nempè ad formam ſubſtantialem; motum autem diſcriminari penes terminum ad quem deciſum eſt *lib.8. Phyſ. quæſt. 2. art. 1. & 2.* Deindè, poteſt fieri alteratio ſine generatione, ergo illa, ab hac diſſidet. Ant. patet, illa quippè eſt prior, hæc verò poſterior: prius autem eſſe poſſe abſque poſteriori, ſuprà oſtendi. Præterea, ſi agens alterans deſiſtat ab alteratione, vt cum dealbans parietem ceſſat à dealbatione eius. Tunc indubiè habetur alteratio, ſine generatione, proindéque iſta eſt actio, ab ea diſſita.

19. Aſſertio ſecunda, generatio eſt inſtantanea. Traditur à Doct. citat. *propè initium huius art.* & inſinuatur ab Auguſt. *3. Trin.* Suadetur primò *ex 5. Phyſ. T.9. & 10* Ad ſubſtantiam non eſt per ſe motus: generationis autem terminus eſt ſubſtantia, & motus fit in tempore, quia eſt ſucceſſiuus, ergo generatio, quæ eſt mutatio à motu diſtincta, fit in inſtanti. Secundò, menſura conformatur menſurato; debet enim eſſe vnigenea, generatio autem, eiuſque terminus eſt indiuiſibilis, cum ſit permanens: ergo eius menſura eſt impartibilis, & inſectilis, putà inſtans. Tertiò, niſi generatio foret inſtantanea, & momentanea, eadem numero materia ſimul informaretur pluribus formis: vnum, idemque indiuiduum participaret diuerſas ſpecies, eſſetque multiplex, & diuerſum indiuiduum, ſingulare, ac ſuppoſitum, quandoquidem eſſet ſub forma aquæ, ignis, & huiuſmodi, quæ benè intulit Mayr. *in principio iſtius art. alleg.* Inſuper, illuminatio habetur in inſtanti, notante Scot. *5. Met. quæſt. 7. §. Ad 2. argumentum.* Atque in inſtanti adducitur, vel producitur per verba ſacramentalia corpus Chriſti in hoſtia conſecrata: ergo pariter generatio fit in inſtanti.

20. Oppones primò, in poſtprædicam. generatio collocatur inter ſpecies motus: ergo cum motus ſit ſucceſſiuus, & temporaneus: vtique generatio ſucceſſiua eſt, & temporaria. Idem legitur *3. Phyſ. cap. 2. T.6.* Ex *lib. 6. eiuſdem operis, T.54. & 55.* Quod mutatur tempore, & non inſtanti mutatur. Conf. primò, ex Anſel. *in Minol.* ſubſtantia, quæ paulatim deſtruitur ad minus, & minus eſſe producitur. Conf. ſecundò, ex Scot. proximè memorato, quædam illuminationes ſunt ſucceſſiuæ. Hoc ipſum quoque aſtruendum eſt de generatione. Reſpondeo in iis locis motum ſumi genericè, prout præſcindit à motu ſpecifice capto, & mutatione, veluti *cap. de qualitate*, diſpoſitio accipitur genericè, quatenus comprehendit habitum, & diſpoſitionem propriè, & ſpecificè ſumptam. Ad vltimum teſtimonium dico, vel ibi Philoſophum loqui de mutatione locali, vel de mutatione prout comprehendit præuias diſpoſitiones ſubiecti, mutationem formæ ſubituri. Sic etiam exponitur Anſel. pro 1. conf. adductus, & Scot. pro 2. conf.

21. Oppones ſecundò, agens creatum eſt virtutis, finitæ, & imbecillis: ad agendum verò in inſtanti requiritur virtus ſumma, & infinita. Ob id Ariſtot. *8. Phyſ. 10. & 12. Met. 29.* Subiecit ſolum Deum agere in inſtanti. Et Scot. *2. diſt. 1. quæſt. 1. & 4 diſt. 1. quæſt. 1.* omnem creaturam agere in tempore. Reſpondeo, id verum eſſe ſi loquamur de actione independente à ſubiecto, non autem de actione dependente à materia, hacque aptè diſpoſita, & debitè præparata, vt ſuprà obſeruaui.

22. Oppones tertiò, ſi generatio foret in inſtanti, vel ſubiectaretur in materia, vel in compoſito ex materia, & forma, cum enim ſit accidens expoſcit aliquod ſubiectum, in quo inhæreat: in neutro autem eſſe videtur, ergo non fit in inſtanti. Ma. patet. Min. eſt in confeſſo. Non enim eſt in toto generando, quod nondum eſt, nec in materia, quia videtur eſſe in re acta. Reſpondeo generationem, vt eſt actio eſſe in generante, vt verò eſt paſſio, eſſe in genito. Quod infrà abunde eſt oſtendendum, cum diſſeremus de actione, & paſſione.

ARTICVLVS IV.

Quiſnam ſit terminus generationis.

23. CVm omnis mutatio procedat à termino à quo ad terminum ad quem, & generatio ex dictis ſuprà ſit mutatio, meritò hîc inquiritur eius terminus: omiſſo autem termino eius à quo, quem omnes concedunt eſſe priuationem ſubſtantiæ producendæ; veſtigatur terminus eiuſdem ad quem. De quo non vnus extat Philoſophorum ſenſus. Etenim nonnulli, quos ſequitur Hurt. *diſp. 1. de gener. ſect. 7. §. 74.* cenſent terminum generationis eſſe vnionem materiæ, & formæ cæteri verò ſtatuunt compoſitum ex materia, & forma, tametſi inter ſe diſcrepent: nam quidam, vt Run. *tract. 1. cap. 4. quæſt. 3.* & Conimb *ibid. quæſt. 15. art. 2.* putant terminum generationis abſolutè eſſe totum ex materia, & forma conflatum, nulla habita ratione ſuppoſitalitatis eius. Alij verò, quibus adhærent Complut. *diſp. 2. quæſt. 3. §. 3.* docent, totum ex materia, & forma coalitum, vnà cum exiſtentia, & ſubſiſtentia eius, conſtituendum eſſe terminum generationis totalem, & adæquatum. Nec deſunt, qui duplicem actionem agnoſcentes, vnam formæ, & alteram compoſiti, prioris terminum, formam; poſterioris verò terminum decernunt eſſe compoſitum.

24. Not. primò, ex Scot. *7. Met. quæſt. 10.* Antonio Andr. *ibid quæſt. 9.* & *1. diſtinct. 17. quæſt 5.* terminum eſſe bipartitum in partialem, & totalem, ille dicitur terminus quo, & formalis, ille verò terminus qui, & totalis, ac adæquatus generationis, vt anima rationalis eſt terminus quo, & homo eſt terminus qui generationis humanæ: ſic intellectus eſt terminus quo intellectionis, eſt homo vocatur terminus qui eiuſdem intellectionis. Pariter filiatio eſt terminus quo, & filius, eſt terminus qui generationis patris. Deindè obſeruat Doct *in 2. præcit.* ſi forma diſtincta productione producatur à productione totius, vtique ad eam producendam requiritur diſtincta actio ab actione qua generatur totum: quoniam autem omnis actio eſt relatio, & relatio multiplicatur ſecundum terminorum multiplicationem, hinc eſt, vt peculiaris, & proprius terminus ſit productionis animæ, qui dicitur terminus formalis diſtinctus à productione totius, cuius terminus perhibetur totalis, & adæquatus.

25. Not. ſecundò, *ex eodem Doct. 1. diſt. 4. quæſt. 2. §. Reſpondeo B.* & *§. Ad 1. argum. Et in reſponſione 2.* vnicuique quo, correſpondere ſuum quod, veluti omne abſtractum habet ſuum concretum, putà humanitas, homo, & albedo, album, idque etiam in diuinis affirmatur, vt Deitas, Deus, tametſi vni quo correſpondere valeant plura quod inadæquatè, vt humanitati plura ſuppoſita hominis: nam hic homo, humanitate eſt homo, & ille homo humanitate eſt homo, quamuis

nis proprium quod hominis in communi sit homo, & proprium quod adæquatum hominis in particulari sit hic homo. Sicut enim homo humanitate est homo, ita hic homo hac humanitate est hic homo. Hinc est, vt non immeritò dubitetur, vtrùm terminus generationis totalis sit totum includens solum existentiam & essentiam materiæ & formæ, an verò simul subsistentiam suppositalem, & hypostaticam totius compositi.

26. Ass. 1. terminus formalis generationis statuitur forma. Est Scot. *locis in initio huius art. prememoratis.* Probatur 1. Tria extant principia naturalium rerum, 1. *Phys.* 51. *& inde*, materia primo, & forma: materia autem est commune subiectum priuationis, & formæ, priuatio verò est terminus a quo, ergò forma ei opposita est terminus ad quem, non totalis, cum sit pars totius, ergo partialis, & formalis. Secundò, forma est natura, 2. *Phys.* 10. generatioque perhibetur naturalis, quoniam est via in naturam, non autem via in materiam, quia materia præexistit, nec in compositum, quia compositum est habens naturam, ergo est via in formam, tanquam in eius terminum formalem, à quo fit eius denominatio. Tertiò a quo aliquid in esse essentiali constituitur, & specificatur, est eius terminus formalis: forma autem est huiusmodi, ergo est terminus formalis. Ma. patet, terminus formalis dicitur terminus quo, nimirum quo res in suo esse essentiali, & quidditatiuo determinatur. Min. est lucida, iuxta commune effatum, forma dat esse tanquam essentiale, & specificum.

27. Ass. 2. Terminus totalis generationis non est vnio materiæ, & formæ: sed compositum ex illis. Insinuatur vtraque pars à Doct. *vbi supra*. Prima pars probatur primò, terminus totalis per se generatur, vt sæpè inculcat Arist. nuncupatim 7. *Met.* 26. vnio autem materiæ, & formæ non generatur, cum sit relatio, ex dictis *l.* 2. *Phys. quæst.* .. *art.* 2. quæ consurgit ex positione extremorum, secundum ò copula, & nexus terminorum non est terminus, vt ostendi *in Epitome dialectica l.* 1. *quæst.* 1. *art.* 3. de verbo, quod est vinculum subiecti, & prædicati propositionis: vnio autem est vinculum, quo materia, & forma vniuntur, ad constandum compositum. Tertiò, vnio est formaliter accidens, cum sit relatio extrinsecus adueniens: terminus autem generationis est substantia: in hoc namque potissimum differt generatio ab alteratione, quia huius terminus est accidens, illius verò est substantia, vt vberè declaraui *in* 1. *art. prima quæst. huius lib* Insuper, vnio præcedit generationis terminum: prius quippe partes adinuicem vniuntur, quam constituant, & causent totum, cum causæ suns effectus saltem natura præeant, & antecedant; materia autem, & forma sunt causæ intrinsecæ compositi: neutiquam ergo vnio extat generationis terminus.

Dices præter vnionem in toto genito nihil de nouo causatur per generationem. Nam materia præexistit, forma verò vel inducitur, vel educitur de potentia materiæ, & si seorsim iam fuit producta, & vniretur materiæ, fieret nouum compositum per nouam vnionem vtriusque. Igitur vnio censenda est terminus generationis. Negatur ant. quandoquidem generatur compositum, quod ex assertis *lib. Phys. nuper all. g. quæst.* 6. *art.* 2. distinguitur realiter à materia, & forma huius vnitis.

Secunda pars est communis Scholasticis *in* 2. *cit.* & perspicue traditur ab Arist. 1. *Phys. c.* 7. *T.* 67. & 1. *Met. c.* 1. necnon 7. *eiusdem*, *T.* 26. scribente, non materiam, nec formam, sed compositum generari duntaxat: ergo in Peripato, terminus totalis generationis est compositum. Secundò quod per se fit, & generatur, statuitur ab omnibus terminus totalis, & adæquatus generationis: solum autem compositum per se fit, & generatur. Nam materia est ingenerabilis, & incorruptibilis: forma verò vel educitur de potentia materiæ, aut in ipsam materiam inducitur: ergo compositum est terminus generationis adæquatus. Tertiò, in generatione accidentali, forma accidentalis per se non fit, vt albedo, sed totum accidentale, puta album, nec fit musica, sed musicus, 7. *Met. cap.* 8. *T.* 26. & 27. Igitur similiter in generatione substantiali non gignitur per se forma substantialis, sed totum substantiale. Deinde duæ causæ vnam totalem constituentes gaudent suo effectu totali, & adæquato, vt patet: materia autem & forma sunt duæ causæ partiales vnam totalem integrantes, quarum effectus, & terminus est totum. Denuò, primus terminus generationis in intentione est compositum, ergo & vltimus termi us in executione est ipsummet compositum. Quod enim est primus in intentione, est postremus in executione. Insuper, corruptionis terminus totalis est priuatio totius compositi, vt liquet in hominis interitu, in quo non anima, nec corpus, sed homo moritur, & corrumpitur coalescens ex anima, & corpore: ergo è contra, in generatione ipsius hominis, quæ opponitur eius corruptioni, terminus eiusdem totalis decernitur ipsemet homo coalitus ex anima, & corpore.

28 Ass. . totum includens essentiam, & existentiam, non autem subsistentiam suppositalem censetur esse terminus totalis, & perfectus generationis, individuitur a Doct. tum locis præcit. tum etiam 2. *d.* 2. *q.* 3. & 3. *d.* 4. *q. vn.* Probatur 1. ex Arist. qui locis prætraductis, & alibi passim docet compositum esse quid tertium constans ex materia, & forma præcise: totum autem sic constatum essentiam, & existentiam præcise continet, non autem denotat suppositalem, vt est terminus generationis substantialis. Siquidem totum accidentale, quod est terminus generationis accidentalis, cuius meminit Stagir. *in Met. proximè cit.* nullam includit suppositalem subsistentiam, cum tamen veram rationem termini totalis sortiatur, ergo idipsum asserendum est de termino totali generationis substantialis. Secundò actiones, & generationes sunt singularium, 1. *Met. cap.* 1. singularia autem præcisè non includunt suppositalitatem, vt Arist. *ibid.* exemplificat de artificibus expertis, & scientibus, a quibus opera sua prodeunt non vt subsistunt, sed vt existunt. Hinc Scot 4. *distinct.* 12. *quæst.* 3. *§ Ad principales rationes. AA.* explicans præfatum testimonium Arist. ait ibi non habent actiones esse suppositorum, sed singularium. Et subdit ibi dici posse actiones esse suppositorum, tanquam vltimatè denominatorum, Iterum, ratio suppositalis latuit Arist. & nobis innotuit per mysterium Verbi incarnati, in quo docemur Christum vt hominem suppositari non humana, sed diuina suppositalitate, & personalitate, tametsi sit perfectus homo, & verè a B Virgine genitus. Rursus ratio suppositalis formaliter non præfesert quidpiam positiuum, sed negatiuum, vt problematicè tenet Doct. 3. *d.* 1. *q.* 1. § *Non affirmando. Ad E.* & *Quol.* 19. *art.* 2. ergo terminus totalis generationis præcise non includit suppositalitatem.

Dices, suppositalitas est terminus vltimus naturæ substantialis, ergo est realis positiuus terminus eius, non autem negatiuus, vt putat Scot. cit. Negatur conseq. Nam priuatio est principium, & terminus a quo generationis realis, & positiuæ, & tamen est carentia, & negatio formæ in subiecto idoneo, & apto ad ipsam formam recipiendam. Pariter punctum est terminus lineæ, quæ est quid reale positiuum, cum tamen ipsum punctum in sententia Nomin. quos adduxi, & tepuli 5. *Phys. quæst.* 1. *art.* 2. sit negatio longitudinis.

29. Ass. 4. forma actione distincta producitur ab actione, qua producitur compositum. Probatur primò, ex Arist. 7. *Met. T.* 26. & Scot. *ibi in com.* docentibus compositum fieri, & per se generari, formam verò nec per se generari, nec fieri, nisi per accidens: actio autem

autem per se differet ab actione, ergo ens, ergo secundum Arist. & Scot. actio qua producitur forma est alia ab actione, qua gignitur compositum.

Secundò, actio formæ dicitur eductio, vel inductio in materiam præexistentem: actio verò compositi appellatur generatio: hæc autem subsequitur illam: prius quippè educitur forma, vel inducitur in materiam, quam generetur compositum, ergo huiusmodi actiones abinuicem discriminantur.

Tertiò, actio in Schola Scot. est relatio extrinsecùs adueniens: relatio autem distinguitur penes distinctionem terminorum: atque eductionis vel inductionis terminus est forma: generationis verò terminus est totum realiter distinctum à materia, & forma coniunctim acceptis. Itemque terminus quo, & qui differunt, vt patet ex primo not. Forma autem est terminus quo, & compositum est terminus qui, ergo actiones, quibus hæc producuntur, inter se distinguuntur.

Dices Scot. 2. *distinct.* 17. *quæst.* 1. §. *Ad* 1. scribit, formam, quæ educitur de potentia materiæ, produci productione totius, ergo actio, qua producitur forma, non differt ab actione, qua producitur compositum. Dico formam produci productione compositi, quia forma educta, vel educenda non potest esse, nec existere absque composito, dicitúrque generari generatione compositi, quatenus est pars alicuius, quod per se generatur, neque perhibetur generari per accidens, vt rectè exponit Lych. ibi. Quare licet huiusmodi forma alia actione producatur ab actione compositi, tamen quia non exit extrà ip̄sum totum, propterea productione huius produci perhibetur: è regione, quia forma inducenda potest creari extrà compositum, sine extrà materiam & priusquam fiat totum, idcirco propria actione fieri dicitur alia, ab actione compositi.

30. Opponens primò, contra primam assertionem, 2. *Phys.* 70. & 8. *Met.* 12. forma & finis coincidunt: finis autem, siue terminus generationis si sit forma, ergo est eius terminus totalis, & adæquatus. Conf. ex 2. *Phys.* 10. Forma est natura. Et *ibid.* 14. generatio est via in naturam, non quidem in materiam, quæ præexistit, nec in totum, quod non est natura, sed habens naturam, ergo in formam, quæ est eius verus, & proprius terminus. Respondeo exponendum esse de fine, & termino quo p. ætiali principali: non autem de fine, & termino totali, & adæquato, qui est compositum. Addo ex Doct. 7. *Met. quæst.* 10. §. *Ad* 1. *rationem*. Forma est finis generationis, quia est quo compositum finit generationem: estque per se finis materiæ. Ad conf. dico, *ex eodem ibid.* & 8. *eiusdem operis, quæst.* 1. §. *Quod additur*, generationem nuncupari viam in naturam, tum quia fertur ad compositum naturale, quod est eius terminus qui: tum etiam quia tendit in formam, quæ est natura, & terminus eius quo. Quare, generatio bifariàm vocatur naturalis à termino eius totali, qui est totum, & à termino eius partiali, & formali, qui est forma.

31. Opponens secundò, contra tertiam assertionem, quod generatur, non est forma, nec quidditas, sed totum ex materia, & forma conflatum, 7. *Met. T.* 27. Ergo in Schola Peripaterica, terminus qui generationis est suppositum. Conf. terminus qui generationis est completus, & perfectus, finisque eius vltimus: ergo est suppositum, vtpotè quod est vltimus terminus naturæ substantialis. Negatur conseq. quia quidditas, siue naturæ compositū ex materia, & forma est vnum quo, cui correspondet suum quod, puta habens eam naturam, vt humanitati, homo, qui præcise non est suppositum. Nam Christus est verus, & perfectus homo, tametsi careat proprio supposito, supplente illud Verbo diuino. Quare huic humanitati Christi, quæ est vnum, quod correspondet suum, quod nempe hic homo præcisè, absque vlla suppositalitate, veluti quoque deitati correspondet Deus præcisè, absque diuinis personalitatibus, vt palam facit Doct. cit. *in* 2. *not.* Ad conf. distinguo amatio ratione naturæ, concedo: in ratione suppositi nego. Generatio namque fertur ad naturam integram, & perfectam, præcisa suppositalitate, quæ cum præseferat formaliter duplicem negationem, vt quo, & vt quod, nullam denotat formaliter generationem.

Articvlvs V.

An Accidens possit generare substantiam.

32. Tres potiores legi opiniones in hoc art discrepantes, quarum vna commemoratur à Soncin. 7. *Met. quæst.* 7. Ruu. 2. *Phys tract.* 4 q. 6. & Fons. 5. *Met. cap.* 2. *quæst.* 6. *sect.* 2. cui videtur fauere Maior 4. *dist.* 12. q. 1. affirmans accidens posse immediatè gignere substantiam. Altera traditur à D. Th. 3. *p q.* 77. *art.* 3. Caiet. *ibid.* aliisque compluribus, existimantibus accidens posse attingere productionem substantiæ, in virtute substantiæ. Tertia est Scotistarum cum suo principe *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. & Nominalium cum suo duce Ocham. 2. *quæst.* 23. negantium accidens generare substantiam, vt causam principalem, aut instrumentalem. A quibus non longè distant Dur. 4 *dist.* 12. *quæst.* 2. Arriag. *disp.* 11. *Phys sect.* 2. *subsect.* 4. & alij non pauci, & tradicit Ric. 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *ad* 7. tametsi 4. *dist.* 14. *art.* .. *quæst.* 2. oppositum sentire videatur. Et ante istos S. Bon *ibid art.* 2 *quæst.* 1.

33. Not. primò, rerum creatarum quasdam esse passiuas, nullam scilicet emittentes actionem, nullamque habentes efficientiam, in quarum numero statuuntur materia, relationes, & id genus alia, quibus addi possunt formæ artificiales, quæ videntur emortuæ: Ob id inquit Aristot. 2. *Phys. T.* 13. si fodiatur lectus non germinabit lectum, sed lignum, propterea quod formæ præfatæ haud sunt actuosæ: quasdam verò esse actiuas, quarum series texitur *in lib. Geneseos*, quæve non nullæ producunt sibi similes, vt homo, hominem, aliæ verò sibi dissimiles, vt terra germinat herbam virentem, & sol gignit aurum in sinu terræ. Cum autem formæ nonnullæ sint accidentales actiuæ, vt calor producit calorem, quædam verò non sint actiuæ, vt quantitas: aliæ autem sint substantiales, vt formæ vegetantium, & sentientium, dubitatur virum istæ sint actiuæ, sicuti sunt formæ accidentales, an verò actiones, & effectus iam accidentales, quam substantiales, non ab illis, sed ab istis prodeant. Tuta Scot. 1. *dist.* 7. *quæst. vn* § *Ad argumenta prima V.*

34. Not. secundò, agens substantiale interdum agere immediatè, vt ignis gignit ignem in stupa immediatè statim ac ipsi apponitur: interdum verò mediatè, hoc est mediis præparationibus debitis, & dispositionibus aptis ad introducendam suam formam in subiectum, sic ignis præuia calefactione, & exsiccatione lignum viride disponit ad suscipiendam suam formam igneam. Idque indicat Arist. 2. *anima, T.* 50. inquiens, animam vti calore naturali, quo alimentum disponitur, vt conuertatur in substantiam aliti. Vnde alteratio præcedit generationem, quandoquidem prius alteratur subiectum, & disponitur, quàm in ipsum introducatur forma, à generante: Ob id ignis habet potentiam calefactiuam, qua disponit subiectum, & ignitiuam, qua suam formam in ipsum dispositum inducit.

35. Not. tertiò, ex Ocham, præcit. ad huius controuersiæ cognitionem, & decisionem, multum iuuare experientiam. Experimur namque ferrum calefactum non comburere stupam sibi proximam, & appositam, quod nobis apertè ostendit, calorem non esse cau-

 sam,

sam, & principium igniendi, & comburendi, at si in ferro adsit ignis, in poris eius latens, protinùs stupam sibi applicatam ignit, & comburit, propterea quod ipse ignis habet in se vim, & facultatem producendi sibi simile, quæ cum sua substantia, & natura realiter identificatur, vt probat Scot. 2. *d.* 16. *quæst. vn.* & ibi declarat Lych. & Gratianus Brix. Rursus, quotidiana nos docet experientia, & ad oculum cernimus, plantas, herbas, arbores, & animalia sibi similia procreare. Vnde Arist. 2. *Phys.* 26. subiicit, sol, & homo generant hominem: patet autem hominem, & cætera viuentia prænarrata esse substantias. Quare nedum forma quæ est substantia partialis, & principium quo, verumetiam, compositum, quod est substantia totalis & principium quod, est actiuum, annuente Stagir. 1. *anima*, *T.* 64.

36. Ass. 1. accidens non est immediatum principium productiuum substantiæ. Aduersatur Peterio 6. *Phys. cap.* 13. pro Scot. cit. & 9. *Met. quæst.* 7. §. *Ad quæstionem.* Suadetur primò *ex* 7. *Met. cap.* 7. *T.* 32. adducto à Doct. nunc alleg. *in M.* & 2. *Rep. d.* 25. *quæst. vn.* §. *Dicunt saltem.* Substantia præit accidens, & ad generationem substantiæ non præexigitur accidens: si autem accidens foret principium generatiuum substantiæ, dubio procul ipsum accidens prærequireretur ad eam, quia principium necessariò præcedit principiatum, & causa causatum: ergo cum Arist. ibi asserat, accidens non necessariò antecedere substantiam, imò ipsam subsequi, cum ipsamet sit illo prior natura, cognitione, & tempore, authore eodem Philosopho *ibid. cap.* 1. *T.* 4. Est enim hæc subiectum eius, quod præcedere necessarium est, proindeque ista ab illo nullatenus gigni potest. Secundò, accidens est inferioris ordinis, & ignobilius, ac deterius substantia, ideò dicitur entis ens, & ens in alio: ergo cum substantia sit nobilior accidente, quia est ens per se existens, ab accidente, tanquam principio suo actiuo immediato haud producitur. Ant. est in confesso, conseq. ostenditur, omnis effectus, aut est vniuocus, & est æquè nobilis ac sua causa, seu æquiuocus, & huius causa est nobilior, & præstantior, quia causa æquiuoca virtualiter continet ipsius effectum æquiuocum: continere autem aliquid virtualiter, arguit nobilitatem, & præstantiam maiorem, ob id Deus, qui est perfectissimus, dicitur omnia virtualiter, & eminenter continere.

Occurrit Peter. cit. inquiens, accidens esse ignobilius in ratione entis, non verò, in ratione principij productiui. Sic enim accidens nobilitate vincit substantiam. Contrà, nobilitas, vel ignobilitas rei petitur ab eius entitate, quia illa hanc consequitur, vt patet de Angelo, & homine, qui sunt nobiliores cæteris rebus creatis, quia nobiliorem entitatem, & naturam participant: igitur si per Peter. substantia nobilitate præcellit accidenti, in entitate, pariter & in principio, & virtute agendi. Deindè, via cognoscendi res in suis entitatibus, & essentiis depromitur ex viribus, potentiis & effectibus earum, vt monet Christus Dominus Matt. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Arbor quippe bona, bonos fructus facit, & arbor mala, malos fructus facit.* Et eius Apostolus *Rom.* 1. prædicat. *Inuisibilia Dei* à creatura Mundi, *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna eius virtus, & diuinitas.* Et Philosophi vnanimiter proferunt hoc elogium, ex effectibus cognoscuntur causæ. Atque ex his ortum suum habet Philosophia, vt constat 1. *Met. sum.* 1. *cap.* 2. Quare si accidens in entitate vincitur à substantia, vtique & in virtute, & potentia agendi, atque adeò vana, & irrita est prætallata distinctio Peter. ad diluendum prædictum argumentum. Tertiò nobilius, & præstantius esse rei, est eius esse essentiale, & quidditatiuum; si autem accidens præberet suum esse essentiale, & quidditatiuum substantiæ, foret ignobilius, & deterius ipsa substantia, quandoquidem foret esse accidentale, quod est inferius esse substantiali, ergo cum accidens tribuit esse virtuale, quod est esse principium actiuum, quod consequitur esse essentiale ipsius accidentis, nunquam immediatè valet attingere productionem substantiæ.

Dices, substantiam gigni, & resultare ex actione accidentis: post namque alterationem, sequitur generatio, vt palam feci *in prima quæst. huius lib.* propterea iure attribuitur immediata productio substantiæ, accidenti. Contrà, resultantia supponit actionem, vt relatio, quæ resultat ex extremis, supponit productionem extremorum. Præsupponuntur namque extrema producta, vt postmodum ex eis consurgat relatio: ergo, si substantia resultat post actionem accidentis, præexigit non solum actionem ipsius accidentis dispositiuam, verumetiam actionem generantis, quæ est generatio, proinde generatio substantiæ, non accidenti, sed substantiæ adscribitur. Addo, quod alteratio est actio distincta à generatione, terminus namque illius est accidens, nempe qualitas, illius verò est substantia, vt superiùs decretum, & stabilitum est.

Quartò, accidens nequit esse principium immediatum corruptiuum substantiæ, ergo nec eius principium productiuum. Conseq. tenet, æqua namque requiritur virtus ad vtrumque præstandum. Ant. ostenditur, vnum non potest aliud corrumpere, nisi habeat maiorem proportionem, ac virtutem: accidens autem est inferius, & minus tam in entitate, quam in virtute, vt ante monstraui, magisque resistit substantia, quam agat accidens, proindeque in ipsam nullum dominium, imperiumque habet.

Dices, incredibile videtur omnem frigiditatem, aquæ non posse extinguere minimam scintillam ignis, omnemque calorem ignis non posse absorbere exilem particulam aquæ, propterea quod illa sunt accidentia, hæc verò substantiæ. Dico, id non esse incredibile, nec impossibile, veluti virtus creaturæ, etiam supremæ nequit attingere creationem cuiuslibet creabilis etiam minimi; atque si omnes vires omnium rerum creatarum simul coniungerentur, non possent vnam solam animam rationalem creare, nec diuidere omnes partes proportionales vnius continui, nec vacuum inducere, & id genus alia, quæ superant facultatem earum omnium: sic mirum, & absurdum esse non debet, si cuncta accidentia simul iuncta minimam substantiam immediatè producere, aut destruere non valent, cum non cadant in sphæram actiuitatis eorum.

37. Assertio secunda, nec accidens gignit substantiam, in virtute substantiæ. Patrocinatur Doctor citatus, quem etiam ex exteris multi sequuntur, nuncupatim Hurtad. *disp.* 9. *sect.* 3. contra Suarez *disp.* 18. *Met. sect.* 2. & Thomistas. Probatur primò, illa virtus substantiæ, qua accidens à Thomist. dicitur attingere productionem substantiæ, aut est substantia, aut accidens, cum inter hæc, nullum interponatur medium. Si primum, habetur intentum, quia substantia, & non accidens, gignit substantiam. Si secundum, ergo Thomistæ incidunt volentes in opinionem, quam ipsi totis viribus conantur refellere, putà accidens gignere substantiam. Solis quippè verbis ab authoribus primæ sententiæ dissentire videntur. Illi enim censent accidens producere substantiam: isti verò arbitrantur, accidens in virtute substantiæ gignere substantiam. Si quis autem flagitet ab ipsis, quid sit producere substantiam in virtute substantiæ, ingenuè fatentur, & apertè respondent,

eam

eam substantiæ virtutem esse accidens repositum in categoria qualitatis, sicque accidens immediatè gignit substantiam, quod est primum placitum ab ipsismet rejectum.

Secundò, prædicta virtus substantiæ aut est in accidente, aut extrà accidens: si primum, nihil est in accidente, quod non sit accidens, vel aliquid accidentis, & recurrit primum argumentum. Si secundum nihil agit propria actione, per id quod est extrà se, vt nemo deambulat per virtutem deambulatiuam in alio existentem, sed per suam virtutem in seipso existentem: nullatenus ergo accidens attingit productionem substantiæ, in virtute ipsius substantiæ.

Dices, eam virtutem esse in accidente quid distinctum virtualiter ab ipso, per quod eleuatur ad producendam substantiam, tametsi nobiliorem, & superioris ordinis, veluti cum assumitur à Deo creatura tanquam instrumentum ad aliquid creandum. Contrà, illud virtualiter distinctum ab accidente, quod excogitatur à Complut. vi præsati argumenti ptessis, vel est accidens, vel substantia, cum inter hæc ex dictis non intersit medium: neutrum autem est, cum per ipsos ab his distinguatur, ergo nihil est, & fingitur aliquid esse, ob fugam argumenti. Nec eleuatio eius quidpiam iuuat, cùm nequeat accidens, quod est suaptè naturâ ineptum ad producendam substantiam facere ipsum aptum, & capax talis productionis, veluti inquit Scot. eleuari nequit musca ad creandum Angelum: & huic non incongruit illud Christi Domini Matt. nuper alleg. *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Accidens igitur non transilit limites suæ virtutis, quæ non funditur nisi ad producendum accidens.

Dices iterum, id habere locum in accidente separato à substantia, non autem de ipso coniuncto cum substantia, cui subordinatur, & coniungitur. Multa quippè coniuncta cum aliis operantur, quæ ab eis disiuncta non agunt: sic etiam virtus vnita fortior, & mira fiunt applicando actiua passiuis, vt ostendi *l.3. Phys. quæst.5.* Contrà. Nihil de nouo additur accidenti coniuncto, nisi coniunctio, & subordinatio, quæ cum sit relatio non est de genere actiuorum: igitur si accidens separatum non pollet vi producendi substantiam, nec cum est ipsi substantiæ coniunctum. Non enim coniunctio potest ei præbere talem virtutem, cuius est incapax, vt musca non potitur potentia scribendi etiam assumpta, & coniuncta manui hominis, quia ex se inepta est ad scribendum.

Quod si obuiam fias, & dicas accidens esse causam substantiæ instrumentariam: substantiam verò esse causam principalem. Contra, instrumentum non attingit terminum causæ principalis, sed agit dispositiuè duntaxat, vt tradidi *l.4. Phys. quæst.5. art. vn.* Deindè, si substantia gignit substantiam, vt causa principalis, ergo est per se actina, cum per se influat in effectum substantialem, quod negant Caiet. aliique præcipui Thomistæ.

Dices, accidens esse causam partialem, & vnà cum substantia concurrere ad generationem substantiæ, veluti species intelligibilis, & intellectus sunt duæ causæ partiales intellectionis. Contra, vna causa partialis non agit, nisi simul concurrat altera causa partialis, sic intellectus non intelligit, absque concursu speciei intelligibilis, & pater non gignit prolem, absque simultaneo concursu matris: accidens autem priùs efficit suam actionem, quàm substantia, alteratio quippè, quæ est actio accidentis, præcedit generationem, quæ est actio substantiæ, ergo accidens nequit esse causa partialis substantiæ. Rursùs, substantia potest gignere substantiam, sine accidente. Nam si subiectum foret aptè dispositum, & debitè præparatum, nullo interueniente accidente, agens substantiale in ipsum suam formam substantialem induceret, vt ignis immediatè ignitet stupam, & lignum siccum. Ergo accidens nequit esse causa partialis substantiæ, cum hæc, absque causa altera partiali non valeat effectum producere.

58. Assertio tertia, substantia generat substantiam Author est Scot. *vbi suprà* Probatur primò, terra gignit herbam, aqua pisces, planta flores, arbor fructus, & animalia sibi similia procreant, vt quotidie cernimus: hæc autem omnia sunt substantiæ, vt videre licet in syllabo prædicamenti substantiæ, & narratur à diuino Chronista *in Pentat.* Suffragatur D. Damasc. *l.3. Fidei 15.* Actio est efficax, est substantialis naturæ motus. Et paulò post. Quorum natura est eadem, horum & actio eadem est, & quorum actio vna, horum quoque substantia vna est. Et infrà. Sancti autem Patres concorditer dixerunt, quæ eiusdem sunt substantiæ, & eiusdem actionis. Subscribit Aristot. *2. Phys. t.26.* Sol, & homo generant hominem. Sol autem, & homo quibus tribuitur generatio, sunt substantiæ. t. *de gener. 54. 55.* arguit eos, qui à formis substantialibus omnem efficientiam auferebant. *2. animæ, cap.1.* Anima definitur actus primus corporis organici potentia vitam habentis. Et *cap.3. eiusdem lib.* Anima est principium, quo viuimus, sentimus, intelligimus, & sumus. Anima autem est substantia prædictarum operationum immediata causa, & origo: & vnita corpori constituit totum, cui competunt reliquæ actiones, potissimum generatio, *1. Met. cap.1. Generatio est singularium*, vt Sortis, Platonis, & aliorum humanæ naturæ indiuiduorum.

Dices, has, & consimiles authoritates tantum probare substantiam esse principium radicale, & remotum generationis, non verò immediatum, & proximum. Contra *7. Met. T.32.* Ad generandam substantiam sufficit substantiam præexistere, vt si generandum sit animal, satis est, si præcedat animal, nulla existente quantitate, & qualitate: sic autem substantia immediatè, & proximè gignit substantiam, ergo præfata testimonia capiuntur de principio proximo, & immediato. Deindè, Deus immediatè agit per suam substantiam, cum accidentis non sit capax, ergo idipsum agenti creato adaptatur. In primis enim à substantia creata immediatè prodeunt propriæ passiones, & vires, quæ cum ea realiter identificantur, vt ostendit Doct. *2. dist.16. quæst. vn.* Atque herba, quæ est formaliter frigida, est virtualiter calida, pariter vinum est virtualiter calidum, & hyeme formaliter frigidum: necnon aqua calefacta redit ad pristinam frigiditatem: hæc autem, & consimilia promanant immediatè à substantia, cum nulla præexistant accidentia, quæ præfatos effectus præstare valeant, substantia igitur est immediatum, & proximum agendi principium.

Secundò, accidens producit accidens immediatè, vt calor calorem: ergo substantia immediatè generat substantiam, conseq. tenet, quandoquidem substantia non est inferioris, ac deterioris conditionis accidente, immò nobilioris, & excellentioris: ergo si illi competit actio immediata, vtique & isti.

Dices, animam rationalem, & Angelum nobilitate vincere cuncta viuentia sublunaria; tamen hæc generant: non autem illi: similiter, licet substantia præstantior sit accidente, non tamen rectè infertur, quod si illud sit immediatum principium operandi, quoque & ista. Contra ratio, cur Angeli nequeunt generare sibi similes, est quia generatio præsupponit aliquid, ex quo oriatur: Angeli autem creantur, & creatio est productio ex nihilo, nullo scilicet subiecto præsupposito. Non obstat itaque quin substantia sit immediatum principium agendi. Præsertim, quia maior præstantia extat in anima rationali, & Angelo, vt nullum agens creatum attingere queat productionem

productionem eorum, authore Scot. *quæst.*1. *Prol.* Id autem non aufert principium agendi à substantiis sublunaribus.

Tertiò, illud est principium proximum productiuum substantiæ, cui effectus substantialis assimilatur, quoniam agens nititur assimilare sibi effectum, quantum potest, estque celebre proloquium, naturale opus est generare sibi simile: substantia autem genita assimilatur substantiæ generanti, vt filius patri, vel matri: ergo substantia immediatè, & proximè gignit substantiam.

Dices, argumentum concludere de principio radicali, & principali, non autem de principio proximo, & immediato, cuiusmodi est accidens in generatione substantiæ. Contra. Forma substantialis immediatè dat esse, est enim actus primus tribuens esse formale, & essentiale materiæ, ipsamque determinat, ac specificat, ergo & immediatè dat operari. Vnde anima, quæ est præcipua inter formas, est principium immediatum vegetandi, sentiendi, & intelligendi, 2. *anima, cap.*2. Denuò, assimilatio effectus competit causæ proximæ, non verò remotæ, particulari, & non vniuersali, sic ait Aristot. 1. *Met.* 8. generatio per se est huius hominis, putà soris, hominis verò per accidens. Pariter homo genitus non assimilatur soli, sed homini generanti, quæ est eius causa particularis, & proxima: igitur, substantia est immediatum principium generationis.

39. Opponens primò, Aristot. 1. *de sensu, & sensili, cap.*4. scribit, ignis agit, vt calidus, non verò vt ignis, calor autem est accidens, ergo calor est principium generatiuum ignis, qui est substantia. Conf. primò, *ex primo de gener. T.*51. actio exercetur inter contraria: contrarietas autem accidenti, & non substantiæ congruit. Conf. secundò, calor ferri producit ignem, qui vel etiam gignitur ex radiis solaribus reflexis, & attritione duorum corporum: ignis autem est substantia. Conf. tertiò, animalia imperfecta, vt ranæ, moscæ, culices, & pulices ex calido, & humido generantur, ergo accidens est principium effectiuum substantiæ. Respondeo ignem duas sortiri actiones. Vna est calefactio, quæ oritur à calore ignis: altera verò est ignitio, quæ prouenit à substantia ignis. Quare cum Philosophus inquit, ignem agere, vt calidum, exponendus est de prima, & non de secunda actione, & iam ostendi *lib. de elementis, quæst.*1. *art.*2. Ad 1. conf. dico, actionem fieri inter contraria dispositiuè, non autem effectiuè. Quapropter contrariæ qualitates disponunt, non verò concurrunt actiuè ad generandam substantiam. Ad 2. conf. dico, ignem non produci à calore ferri, sed ab igne latente in poris eius. Ad alias experientias dico, lucem, & reliqua accidentia se habere dispositiuè, & non actiuè in generatione substantiæ ignis. Ad 3. idem est dicendum; à quo verò dicta animalia procreentur, suo loco ostendam.

40. Opponens secundò, substantia operatur, per suas potentias, & facultates: potentiæ autem sunt accidentia, puta qualitates: recensentur namque in secunda specie qualitatis: ergo accidens pertingit productionem substantiæ: Conf. ex 9. *Met. T.*3. & 12. *eiusdem, T.*26. *&* 28. actus, & potentia sunt eiusdem generis, substantiæ scilicet, vel accidentis: igitur accidenti competit substantiæ generatio. Concedo ma. distinguo min. si sumantur potentiæ pro facilitatibus, & agilitatibus agendi, concedo: quod si accipiantur pro principiis actiuis, & virtutibus agendi, nego. Sic enim realiter identificantur cum substantia, cuius sunt potentiæ, 2. *distinct.*16. *quæst. vn.* Ad conf. dico, eum locum interpretandum esse cum Scot. ibi de potentia obiectiua, & actu entitatiuo: non verò de potentia actiua, & actu formali.

41. Opponens tertiò, hostia consecrata si debitè calefiat, & humefiat, gignit vermem, qui non fit ex substantia, quia secundum fidem, in ea nulla extat substantia panis, ergo ab accidente gignitur, putà calore, & humore. Respondeo data hypothesi, Deum creaturum nouam materiam, ex qua praexistente generaretur præfatus vermis. Author quippè naturæ supplet defectum causæ secundæ, quando ipsa deficit. Ita in simili respondi *lib.* 2. *Phys. quæst.*1. *art.*3. *ad* 3. cum Scoto 4. *distinction.*12. *quæstion.*6. *D. & Quol.*10.

Articvlvs VI.

An substantia possit gignere accidens?

42. Multa fusè, & exactè accumulant duo nostri Nuperi *disp.*7. *Phys. quæst.*6. *art.*3. *&* 4. & Ponc. *ibid. disp.* 38. *quæst.* 3. Ego verò velociter, & breuiter me expedio, & diluo hanc difficultatem, verborum prolixitatem, & quisquilias relinquens. Bifariam autem agitari potest nempe, vtrùm substantia producere valeat in se accidentia, necne: ac etiam, num efficere queat accidentia in alio subiecto? Quâ in re duæ præcipuæ vigent Philosophorum opiniones, quarum prior est Thomist. quos citant, & sequuntur Complut. *disp.*10. *Phys.* existimantium, substantiam nullo modo esse productiuam accidentium, siue in se, siue in alieno subiecto. Posterior est Scot. eiusque discipulorum 1. *dist.* 36. *quæst. vn.* & 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. Quibus adstipulantur Suarez *disp.* 18. *Met sect.* 3. Hurt. *disp.* 9. *Phys. sect.* 3. Arr. *disp.* 11 *sect.* 2. *subsect.* 5. & alij complures, docentium, substantiam esse immediatum principium productiuum accidentium

Not. primò, ex Scot. 1. *Post. quæst.* 25. §. *Ad quæst. vers. seu alio modo.* Sarnano, *quæst.* 1. *vniuers. pagin.* 16. *&* 17. bifariam aliquid posse ab alio prodire. Vno modo per transmutationem, seu per motum, & mutationem, sic producuntur effectus naturales à suis causis, quæ realiter, & mutua distinctione distinguuntur: atque actio, per quam huiusmodi effectus fiunt, describitur relatio extrinsecùs adueniens transmutantis, ad transmutatum, vt scripsi *in Epitome lib.* 1. *quæst* 4. *art.* 9. Altero modo per simplicem emanationem, veluti sunt passiones, quæ ab essentiis, & naturis rerum oriuntur, puta risibilitas, flebilitas, & cæteræ proprietates, quæ à natura humana effluunt, ac etiam potentiæ, vires, & facultates eius: necnon diuina attributa, quæ à diuina essentia pullulare dicuntur, quæue ab ea, & abinuicem formaliter differunt, vt monstraui *Tract. de attributis, disp.* 3. *quæstione secunda.*

Addi possunt, quæ per naturalem resultantiam, & sequelam consurgunt, vt relationes, quæ positis extremis emergunt, ita positis duobus parietibus albis, egreditur relatio similitudinis inter illos, & relatio dissimilitudinis inter alios parietes nigros.

43. Not. secundò, ab vna eadem essentia, & natura oriri plures passiones, & potentias, ordine quodam inter eas seruato, vt admirabilitatem, risibilitatem, flebilitatem ab humanitate, & ab anima rationali intellectum, & voluntatem, non quia vna sit causa alterius, sed quia vna præsupponit aliam, vnaque præexigit actionem alterius; ob id celebratur illud proloquium, nihil volitum, quin præcognitum: ac etiam, nihil est intellectu, quin prius fuerit in sensu. Quandoquidem potentiæ superiores, & spirituales præsupponunt actiones virium, ac virtutum inferiorum, & materialium, propter naturalem ordinem, & necessariam colligantiam, quam pro hoc statu sortiuntur adinuicem. Hæ autem vires, & facultates identificantur realiter cum substantia, à qua profluunt, proindéque sunt realiter substantiæ, & formaliter

formaliter distinguuntur, ex dicendis in lib. de anima.

44. Not. 3. Actionum quasdam esse vitales, nempè vegetationem, sensationem, & intellectionem: quasdam verò non vitales, puta illuminationem, fulgurationem, & huiusmodi. Itemque nonnullas esse immanentes, alias autem transeuntes, de quibus abundè suo loco.

45. Ass. 1. substantia immediatè producit accidens. Ita Scot. cit. quam probat *ex 7. Met. T. 31.* vbi legitur ad generandam substantiam necessariò præire substantiam, veluti causa præcedit suum effectum, vt si generandum sit animal, præexistit animal, vt causa eius: ad productionem verò accidentis, putà quantitatis, & qualitatis, non est necesse, quantitas, & qualitas antecedant, quia horum causa proxima est præcedens substantia. Idem insinuatur 4. *Meteor. cap. vlt.* Et citatur D. Damasc. à Doct. *in 4. passu præadducto.* Hæc testimonia parui pendet Ponc. cit. Verùm, cum sint dictorum grauissimorum Authorum, quorum vestigia se sequi profitetur, non sunt spernenda, præsertim quia validissimis rationibus, & certissimis experientiis fulciuntur. In primis, in efficientibus, & effectibilibus accidentalibus standum est ad primum, cum processus in infinitum semper sit vitandus: experimur autem calorem gigni ab igne, & frigus ab aqua, atque hunc calorem, ab illo calore, & calorem in manu à ferro calido causatum esse: si ergo hic calor ab illo calore efficitur, & ille calor à calore ignis, sequitur calorem hunc vltimum ab igne immediatè effici, cum alia causa non præcedat præter ignem. Deindè, euidenti comprobatur experimento, aquam calidam ac feruentem reduci ad natiuam frigiditatem, cuius causa nequit esse alia, quàm substantia ipsius aquæ: nam si ab ipsamet aqua, Deus tolleret cætera omnia præter calorem, remanente sola substantia eiusdem aquæ, cum dicto calore, eamet aqua fieret frigida, non ab alia causa efficiente, quàm ab ipsamet aqua, cum nihil aliud supponatur esse, præter eamdemmet substantiam aquæ, & calorem ab igne in ea causatum.

Respondent Complut. *disputat.* 10. *quæst.* 7. §. 7. id per accidens & non per se contingere, ad remouendum scilicet impedimentum, quod est calor impediens, nè frigiditas exeat ab aqua per naturalem sequelam, ex vi primi termini, & præcedentis facti esse. Aqua enim ex primæua sua constitutione habet vt sit frigida, cum ex natura eius resultet frigiditas, ideò si calefiat, redit postmodum ad suam pristinam frigiditatem. Contra, calore expulso, qui obstabat, nè aqua fieret frigida, quando aqua effecta est frigida, huiusmodi frigiditas de nouo producta in aqua, a quo causata est? non à calore, qui perit, cum sit eius contrarius, nec à præcedente eiusdem frigiditate, quia consumpta est à calore superueniente, nec ab alia causa, quam à substantia eius. Siquidem prior frigiditas quam aqua in sui productione accepit, à substantia eius fuit causata, sicut etiam calor ignis humiditas aëris, & siccitas terræ: ergo & posterior frigiditas ablata per calorem ignis, ab ipsa aquæ substantia producta est. Maxime, cum frigiditas posterior distinguatur numero à priore: effectus quippè nouus, sortitur nouam causam, habentem scilicet nouam causalitatem, licet ipsa causa in se eadem perseueret, vt patet de planta nouos flores producente, & de arbore singulis annis recentes fructus faciente. Insuper, si in prima sui molitione Deus non concurreret ad talem frigiditatem, sed post aliquod temporis interuallum, tunc frigiditas producta non esset ex præcedente facto esse, sed ex subsequente facto esse: Pariter si primum esse interrumpatur, & fiat secundum esse; ex hoc secundo, & non ex primo prodiret frigiditas. Adde; cum accidens omne sit entis ens, & præsupponat subiectum, consequenter quodlibet accidens flueret ex priori facto esse: hoc autem non admittunt præfati Authores, cum Thomist. ergo nec illud ab eisdem admittendum est.

Ex his consequitur passionem, quæ in Schola Thomist. est accidens produci alia actione ab actione substantiæ, & subiecti, à quo egreditur, tum quia est accidens per Thomist. quod distinguitur realiter à subiecto, in quo inhæret; tum etiam quia est alius terminus à suo subiecto, qui petit aliam veram, & propriam actionem, per quam producatur. Rursus, si calor ab alio agente, putà à sole producatur, alia planè actione causatur ab actione ignis, cùm sint distincta agentia, vtique ergo cum à sua substantia promanat, per aliam realem actionem efficitur. Idque maxime elucet, si priùs producatur subiectum, & vi diuina, post aliquam temporis intercapedinem fiat eius passio. Sic enim per priorem actionem subiectum accipit esse, & per posteriorem actionem, passio eius. Aliter autem in sententia Scot. est dicendum, docentis passionem realiter identificari cum suo subiecto, & ab inuicem formaliter distingui duntaxat. Nam, actio est relatio transmutantis ad transmutatum, quæ non potest cadere inter subiectum, & passionem eius. Habetur quippè solum inter ea, quæ realiter ab inuicem secernuntur.

46. Ass. 2. vnum accidens est causa alterius accidentis; non quidem instrumentalis, sed principalis. Traditur à Doct. vtraque pars *in 4. loco præallegato.* Prima pars suadetur primò, calor ignis, qui est accidens producit calorem in aqua, lumen solis, quod pariter est accidens, causat calorem in aëre, & in terra, & vulgò dicitur, motus est causa caloris: est autem motus accidens, atque albedo disgregat, & nigredo congregat visum, necnon ab omnibus conceduntur actiuæ qualitates, quæ nonnisi aliorum accidentium sunt causæ, & principia immediata.

Secundò *ex 2. cæli, cap. 3. T. 17.* esse est propter operari: accidentia autem sunt, cum ens vniuersè captum diuidatur in substantiam, & accidens, ergo sunt actiua, & operatiua. Vnde pleraque sunt aliorum immediata principia, vt præter mox recensita, multi putant, contemplationem causare delectationem, cognitionem, desiderium, intentionem finis, mediorum volitionem, & assequutionem, atque principiorum notitia, conclusionis assensum: non est igitur accidenti deneganda vis actiua immediata.

Secunda pars, quæ militat contrà Fons. 5. *Met. cap. 2. quæst. 6. sect. 6.* & Conimb. 2. *Phys. cap. 7. quæst. 18. in fine artic.* 3. pro Scot. *vbi suprà,* & aliis, quos citant, & sequuntur Complut. *prælleg. quæst. 8.* §. 2. Probatur primò, quod vi propria agit, est causa principalis, vt liquet ex descriptione causæ principalis, contradistincta à definitione causæ instrumentalis: accidens autem agit virtute propria, vt patet de calore, qui sua virtute producit calorem, quod idem astruendum est de frigore, aliisque qualitatibus actiuis, ergo accidens producit accidens tanquam causa principalis.

Dices, accidens agere in virtute substantiæ, cum sit eius virtus, eique subordinetur, vt instrumentum principali agenti. Contra, si accidens separetur à subiecto, quod vi diuina esse possibile, imò factum in Euch. credimus, sua virtute agit, albedo namque hostiæ consecratæ disgregat visum, & si calefiat, calor eius calefacit, absque vllo subiecti concursu, cum ibi non existat, ergo accidens statuitur causa præcipua productionis accidentis, siue sit coniunctum, siue separatum à subiecto. Subordinatio autem illa accidentis, à subiecto non tollit virtutem intrinsecam, qua pollet accidens, veluti subordinatio hominis, soli & Deo, non aufert ab ipso sua-

mine suam virtutem, & potentiam, quam participant, ad suos effectus promendos. Secundò, causa præcipua conatur sibi similem reddere effectum, quem producit, hoc enim agenti naturali competit: accidens autem ab accidente productum assimilatur accidenti producenti, putè calor calori, & humor humori. Eò vel maximè, quia accidens productum non excedit vires producentis, cum sint eiusdem speciei, & proportionata. Denique si substantia est causa præcipua generandi substantiam, vt non negant præfati Authores, incongruum, non videtur, accidens causare accidens, vt princeps, causa.

47. Assertio tertia, substantia in se, & extrà se potest gignere accidens. Ambæ partes insinuantur à Doctore citato, & 2. *dist.9. quæst.2. §. Ad argumenta 2. quæstionis. Q.* Prima pars suadetur primò, ignis est calidus calore à se emanante, & in ipsomet existente, & insidente: quodque de humiditate aëris, frigiditate aquæ, & siccitate terræ astruendum est. Potissimùm autem cernitur in aqua, quæ calefacta redit, ad frigiditatem ab eamet productam & receptam in semetipsa.

Secundò, sensatio, quæ est accidens producitur à sensu, & in eo residet, propterea sensus diuiditur in actiuum, & passiuum. Itidemque intellectio, quæ pariter est accidens causatur ab intellectu, & in eo manet. Hinc intellectus distribuitur in agentem, & patientem, qui realiter est substantia, ex dicendis *in lib. de anima.*

Secunda pars ostenditur primò, de ligno, quod à colore ignis calefit, de manu ab eomet calefacta, & de aqua feruida, & bulliente: in his quippè alienis subiectis subiectatur calor, quine etiam producitur à sole, & in aere, & terra residet: potest ergo accidens produci extrà proprium subiectum, præsertim quia sol, qui est virtualiter tantum calidus, inducit calorem in sublunaria, quo formaliter fiunt calida. Idem dici potest de pipere, vino, & cæteris, quæ causant calorem in ventriculo, aliisque subiectis. Secundò, in sententia Scot. 2. *dist.9 quæst.1. §. Ad quæst. istam B.* vnus Angelus loquitur alteri, per immissionem conceptus obiecti, de quo loquitur: est autem conceptus accidens intentionale; atque non repugnat intellectionem, quamlibet recipi in intellectu eam non producente, cum sit qualitas, proindéque accidens absolutum realiter distinctum, tam à producente, quàm à recipiente ipsam. Insuper, quod sufficienter est in actu primo, non impeditum potest exire in actum secundum, & ipsum inducere in subiectum idoneum, aptéque dispositum. substantia autem est sufficiens principium, & immediata causa effectiua accidentis, vt suprà monstraui, & extrà eam est subiectum capax, vt liquet de igne calefaciente manum, & aquam in lebete, igitur substantia potest causare immediatè accidens extrà se. Duplici quippè modo efficitur accidens, à substantia scilicet, & accidente, quidquid in oppositum contendat Ponc. contra Mastr.

48. Assertio quarta, accidens propriè conseruatur à substantia, cui est consentaneum, & congruum. Indicatur à Doct. *in quarto cit.* & probatur, substantia est locus, & sedes accidentis, cum sit subiectum, & causa eius: locus autem est conseruatiuus rei locatæ, & causa conseruat suum effectum, quantum potest, vt liquet de fructibus ab arbore productis, de fœtibus animalium, & huiusmodi aliis. Deinde accidens dependet in esse, & in fieri à substantia, ob id perhibetur entis ens, ergo ab ea hoc propriè conseruatur. Rursùs, extra proprium subiectum perit accidens, vt calor in aqua, frigus in igne, & humor in terra: at verò in suo subiecto conseruatur accidens, vt calor in igne, frigus in aqua, humor in aëre, siccitas in terra, & lumen in corpore luminoso, & lucido: Ob id extat ingens conflictus inter sublunaria, vt vnumquodque suum tueatur accidens. Eò magis, accidens nedum inseruit substantiæ disponendo materiam, vt in ipsam introducatur eius forma, sed etiam est eius ornamentum, & perfectio: quodlibet autem conseruat sua adminicula, & ornamenta, atque monilia, cuiusmodi sunt accidentia respectu substantiæ.

49. Oppones primò, contra primam assertionem, substantia ex assertis *in præcedente art.* producit substantiam: ergo non producit accidens. Conseq. tenet, vnumquodque producit, effectus secundum genus suum, ergo sicut accidens non attingit generationem substantiæ, in Schola Scot. pariter substantia non gignit accidens, quod est alterius rationis ab illa. Conf. ab vna, simplicique essentia, non prodeunt multa, diuersáque principia, & opera: substantia autem est vna simplex essentia, quæ consistit in indiuisibili: ergo ab ea egredi nequeunt tot virtutes, potentiæ, & facultates, quæ sunt accidentia de genere qualitatis. Concedo ant. nego consequent. ad eius probationem dico, valere in vniuocis, non verò in æquiuocis causis, vt calor à luce solis, ab igne, & à motu efficitur: necnon quædam imperfecta animalia per putrefactionem, & propagationem generantur. Ad conf. nego ma. ab vna quippe essentia diuina, quæ est simplicissima emanant multa attributa, ab vna anima rationali plures potentiæ, pariter ab vna radice plures propagines, & ab vna causa plures eduntur effectus. Mirum itaque non est, si ab vna substantia completa proficiscantur accidentia.

50. Oppones secundò, contra secundam assertionem, instrumentum definitur, quod agit in virtute causæ principalis, vt liquet de calamo litteras, & dictiones efformante, virtute scribentis: accidens autem operatur in virtute substantiæ, vt lux calefacit in virtute solis, & calor quoque calefacit in virtute ignis, ergo accidens est causa instrumentalis, ad causandum accidens. Conf. sicut res se habet ad esse, ita ad operari, iuxta vulgatum Philosophorum adagium: accidens autem pendens à substantia in esse cum in ipsa inhæreat, ergo & in operari, ac proindè est causa instrumentalis in effectione accidentis. Concedo ma. distinguo min. per actualem motionem, veluti serra mouetur actu à secante lignum, nego: per actualem vim quam in se habet, concedo: sit propriè accidens non est instrumentum substantiæ, quia pollet propria & intrinseca virtute in esse quieto, qua instrumentum caret, vt tradit Doct. 4. *distinct. 1. quæst. 1. DD. & quæst. 5. F. & distinct. 6. quæst. 6. E.* Ad conf. dico, posse exponi ma. si res sit naturalis, operatio eius est naturalis: Quod si res sit libera, vtique operatio est libera: non autem ritè infertur, si res habet esse ab alio, quoque operetur vi eius propria, & intrinseca. Sufficit namque si dederit, & communicauerit ei virtutem operandi, vt pater tribuit esse, & virtutem agendi filio, qua postmodum ipse filius, absque patre operatur. Vnde, præfatum proloquium interpretandum est, eo ferè pacto, quo illud 2. *Met. cap. 1. T. 4. Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci.* Cognitio quippè conformatur rei, de qua est, pariter operatio sequitur rem, cuius est operatio. Ideò si res est naturalis, operatio est naturalis, & si est libera, vtique libera existit operatio. Similiter si operatio exit à sensu, est sensatio: quod si prodit ab intellectu, extat intellectio.

51. Oppones tertiò, contra tertiam assertionem, qualitates, quæ nuncupantur actiuæ sunt sufficientia principia actiua, absque consortio substantiæ, in qua insident, ergo substantia non influit in effectus, & opera earum. Ant. ostenditur, si calor separetur ab igne, in quo inhæret, proculdubio calefaceret absque igne: ergo etiam dum est igni coniunctus, sine vllo ipsius ignis concursu calefacit. Conf. species sacramentales si calefiant, reducuntur postea ex se ad

pristinam

priſtinam frigiditatem, abſque ope, & influxu ſubiecti, cum proprio careant ſubiecto : ergo actiuæ qualitates ſe ſolis agunt abſque interuentu, & concurſu ſubſtantiæ, in qua ſubiectātur. Nego ant. ad eius probationem, dico, data hypotheſi, citò tranſiret, & periret, veluti lumen velociter perit, cum à corpore luminoſo ſeiungitur : quod eſt apertum indicium, ſubiectum influere cum accidentibus prænominatis, ad eorum effectus. Ad conf. dico, id effici ab ambiente aëre, alliſque circumſtantibus : vel ab authore naturæ ſupplente defectum creaturæ ex vi præcedentis miraculi, cum dicta accidentia diuinitus ſint abſque ſubiecto, veluti ſi corrumpantur, & quidpiam ex eis generetur, Deus producet, & creabit nouam materiam, ex qua illud gignatur, vt ſupra dicebam ex Scot. 4. *diſtinction.* 12. *quæſt.* 6. *D.*

QVÆSTIO III.

De Corruptione.

ARTICVLVS I.

An ſit, & quid ſit corruptio.

1. DARI corruptionem, præterquamquod experimento comprobatur, interitu animantium, cæterarumque rerum ſublunarium, quarum corruptio cernitur ad oculum, planè, & lucide oſtenditur, ex generatione rerum naturalium, quæ de nouo fiunt, quæve abſque præcedentium rerum pernicie, haud producuntur. Vt enim agens inducat nouam formam in materiam, cum duæ formæ ſint ſimul incompoſſibiles, neceſſe eſt expellat præcedentem formam : quod effici nequit, abſque priſtini compoſiti reſolutione, & corruptione. Patet ergo, admittendam eſſe corruptionem, quam præſupponit Scot. 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 6. *aliiſque in locis.* Præterea, generatio, & corruptio ſunt mutationes oppoſitæ : illa quippè eſt poſitiua, & acquiſitiua: hæc verò priuatiua, & deperditiua. Oppoſitorum autem eamdem eſſe ſcientiam, ſcribit Ariſtot. 1. *Top. cap.* 14. Quare cum *in prima, quæſt. huius lib. art.* 1. monſtrauerim, eſſe generationem, conſequenter patet ab oppoſito eſſe corruptionem, admiſſo namque vno oppoſito, admittendum quoque eſt aliud oppoſitum. Quod verò ſit corruptio non ita euidens, & patens eſſe videtur : tamen ex dictis *vbi ſuprà, art.* 2. facilè præſenti difficultati poteſt ſatisfieri. Secundum enim Ariſt. 5. *Phyſ. cap.* 3. corruptio eſt mutatio de eſſe ſubſtantiali ad non eſſe ſubſtantiale, vt ab eſſe hominis, ad non eſſe hominis. Iuxta verò Scot. mentem, corruptio eſt relatio corrumpentis ad corruptum. Claret ab eius oppoſito. Sicut enim generatio præcisè eſt relatio generantis ad genitum : ita corruptio eſt reſpectus corrumpentis ad corruptum. Cætera verò, quæ de generatione ſuperiùs dicta fuere : pari modo, aduerſo tamen ordine, dicenda ſunt de corruptione. Idque etiam intelligendum, ac præſtandum eſt de oppoſitionibus, earumque ſolutionibus : nec his amplius quidpiam aliud addendum eſſe iudico.

2. Quæres primò, vtrum corruptio ſit naturalis? Reſpondeo corruptionem dici poſſe naturalem, quatenus eſt à cauſis naturalibus, & intrinſecè agentibus in mixto, quo pacto Scot. 2. *diſt.* 19. *quæſt. vn.* §. *Concedo A.* ſcribit mortem Adæ, etiam in ſtatu innocentiæ, ſi permanſiſſet, futuram eſſe naturalem, propterea quod calor naturalis agens in humidum radicale, & ſe agens, & repatiens tandem conſumitur, & extinguitur, ex quo accidit mors naturalis, vt patet in ſenibus, & decrepitis; propriè autem non eſſe naturalem, quia nec materia appetit per ſe corruptionem formæ, quam habet, ſed per accidens, quatenus nequit recipere nouam formam, niſi præexiſtente, & vetere repulſa. Atque ex oppoſito, mors perhibetur violenta, quatenùs eſt à cauſis extrinſecis mixto viuenti nocentibus, & necantibus, ſic qui perit veneno, aut gladio dicitur mori morte violenta.

3. Quæres ſecundò, vtrum corruptio per ſe intendatur à natura? Reſpondeo negatiuè. Natura quippè non intendit per ſe deſtructionem ſui, nec malum, cuiuſmodi eſt mors, quæ dicitur malum naturæ. Hinc Ariſtot. 1. *Eth.* 1. & Dionyſ. *de diuinis nominibus* 4. ſubiiciunt, *nemo intendens ad malum operatur.* Sic etiam monſtra perhibentur fieri non per ſe, ſed per accidens. Atque priuatio 1. *Phyſ.* 73. *& inde*, vocatur principium naturalium per accidens.

ARTICVLVS II.

An generatio vnius ſit corruptio alterius.

4. CElebratur, & plerumque à Philoſophis decantatur illud 1. *de gener. cap.* 3. *T.* 17. *Generatio vnius eſt corruptio alterius*, quod quo pacto verum ſit, percipiatur, per ea, quæ ſubiicientur, planum fiet.

5. Not. ex Scot. 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 3. §. *Ad* 1. *argum. principale. K. in ſolutione* 3. præadductum proloquium non capi de prima, nec de vltima generatione. Etenim prima generatio eſt productio totius compoſiti primi, ad quam præcisè, & immediate non ſequitur deſtructio eiuſdem, nec alterius, cum ſupponatur eſſe primum genitum : nec quoque de vltima corruptione, & generatione : Siquidem mixtum vltimò genitum, etſi in elementa diſſoluatur, nihilominus amplius vllum mixtum non generabitur, vt continget poſt diem iudicij, cum ceſſabunt cunctæ ſublunarium generationes, & ampliùs tempus non erit, *Apoc.* 10.

6. Aſſertio, præfata propoſitio, generatio vnius eſt corruptio alterius, non eſt vera formaliter, nec identicè; ſed concomitanter, & illatiuè. Hæc aſſertio in duas ſcinditur partes, & deducitur ex Scot. *paſſu præalleg.* Prima pars probatur primò : quæ opponuntur priuatiuè, nec formaliter, nec identicè ſunt vera, vt patet; nam, nec videns eſt cæcus, nec cæcus eſt videns, ſiue formaliter, ſiue identicè : generatio autem, & corruptio opponuntur priuatiuè. Siquidem generatio eſt progreſſio de non eſſe ſubſtantiali, ad eſſe ſubſtantiale, & corruptio eſt tranſitus de eſſe ſubſtantiali, ad non eſſe ſubſtantiale : igitur præmiſſa propoſitio nec formaliter, nec identicè eſt vera.

Secundò, quæ diuerſas participant definitiones, non ſunt idem formaliter, vt crebrò inculcaui : generatio autem, & corruptio ſortiuntur diuerſas definitiones, vt ſupra indicaui. Deindè, poteſt eſſe generatio abſque corruptione, vt eſt generatio diuini Verbi, & prior generatio in Mundi exordio : atque vltima corruptio in fine eius, vt in præpoſito not. inſinuaui: igitur nec in ſenſu identico, nec formali præadducta propoſitio eſt vera.

Secunda pars ſuadetur primò, ex ſacra pagina, Ioan. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Vbi cernitur perennia frumenti generatio, eiuſdemque concomitans, & ſubſequens corruptio.

Secundò, agens vt generet aliquid, neceſſe eſt priorem formam expellat, & nouam in materiam introducat, quandoquidem duæ formæ ſimul nequeunt informare eamdem numero materiam; per expulſionem

autem pristinæ formæ fit corruptio, & per aduentum recentis formæ habetur generatio, ergo concomitanter, ac illatiue, generatio vnius est corruptio alterius, & è contra, corruptio vnius est generatio alterius, vt patet ex continua rerum mutatione, ac vicissitudine.

7. Oppones primò, generatio, & corruptio ab inuicem non distinguuntur, ergo præfata propositio est vera formaliter, aut saltem identicè. Ant. est in promptu. Sunt namque vna, eademque mutatio. Siquidem, ignis agens in aquam, ex ipsa aqua gignit aërem, sicque habetur vna mutatio duntaxat: vnum quippè est tantùm agens, ab vno autem, vt vno, non prodit nisi vnum. Nego ant. eiusque probationem. Sunt enim duæ mutationes, iuxtà duplicem terminum ad-quem. Etenim vna est ab esse aquæ, ad non esse aquæ, & accidit corruptio, altera verò est à non esse aëris, ad esse aeris, & habetur generatio. Quomodo autem ab vno plura prodire valeant, suprà manet expositum.

8. Opppones secundò. Cum homo moritur, forma eius, quæ est anima, non perit, cum sit immortalis, nec materia, quia est ingenerabilis, & incorruptibilis, 1. *Phys.* 82. Igitur prædictum proloquium haud est semper verum. Respondeo in obitu hominis, corrumpi hominem, qui est tertium distinctum ab anima, & corpore: & generatur cadauer, quod constat ex materia, & forma corporeitatis, atque ex cadauere gignuntur vermes, & ex vermibus terra, vt quotidiana monstrat experientia.

Oppones tertiò, in nutritione corrumpitur forma alimenti, & non generatur vlla alia forma, cum permaneat anima rationalis, ergo effatum illud prærecensitum non est vniuerse verum. Conf. quandoque fit aliquod genitum, absque vllius rei corruptione, vt cum homo ex speciebus sacramentalibus nutritur, ergo in aliquibus deficit prænominata propositio. Negatur ant. corrupto namque alimento gignitur sanguis, & ex sanguine caro, vt planum fiet, cum de nutritione agemus. Ad conf. dico corruptis speciebus sacramentalibus, Deum creare nouam materiam, ex qua nouæ formæ educuntur, & fiunt noua composita dictis speciebus conformia, vt patet Tract. de Eucharistia. Eò magis, quia id locum habet in accidentibus contrariis. Si enim corrumpatur frigus, generatur calor, & è regione, si calor corrumpatur, gignitur frigus, vt patet hyeme, & æstate: in aliis verò accidentibus non videtur tenere: lumen quippè desinit absque eo, quod producatur aliud accidens. Cæterum, accidentium non est generatio simpliciter, sed secundum quid duntaxat: *4. d. 11. quest. 3. sub P.*

Articvlvs II.

An in corruptione fiat resolutio vsque ad materiam primam.

9. DOctor Irrefragabilis *4. p. quest. 57. m. 4.* Alber. *2. p. sum.* de homine, & vtriusque discipulus Aquinas *1. p. quest 16. & 17.* aliique complures, in quocumque composito, siue animato, siue inanimato vnicam formam statuentes, arbitrantur in omni corruptione resolutionem effici vsque ad materiam primam. E regione subtilium princeps *4. dist. 11. quest. 3. art. 2.* & Nominalium dux *Quol. 2. quest. 11.* Plures formas in quolibet toto viuente agnoscentes, negant in cuiuscumque viuentis interitu fieri resolutionem, vsque ad materiam primam. Suffragantur, qui accidentium subiectum proximum, & immediatum putant esse materiam, inter quos recensentur Suarez *disp. 14. Met. sect. 3.* & Tol. *1. de gener. quest. 7.* aliique nuperi non pauci.

10. Not. primò, compositorum quædam esse simplicia, vt elementa: quædam verò mixta, quæ subdiuiduntur in inanimata, vt lapis, & animata, vt homo. Cum autem hæc omnia sint corruptioni obnoxia, certum est apud omnes materiam persistere, quia est incorruptibilis; formam verò priorem perire, & posteriorem produci, per nouam generationem, quod accidit propter simultaneam duarum formarum, in eadem numero materia incompossibilitatem: dubium autem extat, num in quacumque corruptione sublunarium, aliqua forma substantialis, aut accidentalis remaneat in materia, aut nulla? ita vt corruptio proximè, & immediatè cadat in materiam, propterea quod vnica forma substantiali informatur, nullamque patitur recipi in se immediate formam accidentalem, ita vt nihil prorsus sit in genito, quod præextiterit in corrupto. An verò, admittantur in materia plures formæ substantiales, quarum vna corrupta, altera in ipsa materia remaneat: aut si formarum pluralitas negetur substantialium, concedatur quædam accidentalis forma immediate in materia inhærens, quæ post formæ substantialis corruptionem, in ipsamet materia perseueret noua forma substantiali informata. Priorem sensum tuentur Authores primæ sententiæ: posteriorem autem patroni secundæ sententiæ prosequuntur.

11. Not. secundò, ex Scot. nuper cit. in toto animato esse duplicem formam substantialem, vnam, quæ vocatur forma mixti, & corporeitatis, quæve constituit mixtum in esse corporis: alteram verò, quæ nuncupatur anima, quæve constituit mixtum in esse animati, & viuentis, ex probandis in lib. de anima. Huiusmodi autem formæ adinuicem subordinantur, vnaque alteram supponit. Forma quippè mixti ordinatur ad animam, hæcque eam præexigit: adeò vt forma mixti respectu materiæ, quam informat, dicatur actus, respectu verò animæ, cui subordinatur, se habeat vt materia. Quod probè insinuat Arist. *in calce 4. Meteor.* admittens formas intermedias, & subordinatas, quarum vltima absolutè forma, & actus; reliquæ verò vicem materiæ videntur gerere, vt acute probat Doct. *passu memorato, §. Alij concedentes. 5.*

12. Not. tertiò, admissa formarum pluralitate in viuente naturali, quædam accidentia consequi vnam formam, quædam verò alteram. Ex eo enim, quod compositum participat animam, viuit, sentit, intelligit, aliaque opera vitæ exercet: & ex eo, quod sortitur formam mixti, & corporeitatis, est quantum, figuratum, album, vel nigrum, & huiusmodi. Vnde, si anima a corpore separatur, ab ipso corpore non amplius exeunt actiones vitales: attamen persistunt alia accidentia in eodem corpore, puta quantitas, qualitas, cicatrix, & id genus alia, quæ erant, dum dictum corpus anima informabatur, & viuebat: quod est apertum indicium, in eomet adhuc permanere formam corporeitatis, quam præfata accidentia concomitantur, & in hoc toto ex materia, & forma mixti coalito, talia accidentia inhærent, & resident: quod si prædicta forma pereat, & totum illud, & consequenter prænominata accidentia destrui necesse est: destructo namque subiecto, destruuntur omnia, quæ sunt in subiecto.

13. Assertio, in corruptione eius, quod vna tantum potitur forma, fit resolutio vsque ad materiam primam: in cæteris verò, plures formas habentibus, si corrumpantur, non fit resolutio vsque ad materiam primam. Insinuatur à Doct. in vtroque opere, loco prærecensito, Bassol *ibid. q. 4.* Antonio Andr. *8. Met. quest. 3.* Ioan. de Magis. *1. de gener. quest. 2.* Tatar. Parisiens. & aliis in eodem loco. Prima pars est communis, faciliterque, & euidenter probatur: quod componitur ex vna numero materia, vnaque numero forma, in ea duntaxat resoluitur, veluti propositio ex vnico subiecto, & prædicato conflata, in ea resoluitur duntaxat, quia nihil aliud superest, in quod amplius resoluatur:

totum

totum autem, qood vnica materia, & forma conſtat, ſi reſoluatur, immedite, in hæc duo taotum reſoluitur: materia autem eſt incorruptibilis, & forma ei vnita perit, ergo pereunte compoſito ea his, in materiam efficitur reſolotio. Deinde, in huiuſmodi compoſito, aut perſiſtit forma ſubſtantialis, aut accidentalis, cum inter hæc non interſit medium: ſed oon prior forma, alioqui non fieret corruptio: neceſſe enim eſt, pereat forma ſobſtantialis, ſi totum ſubſtantiale ſit reſoluendum: nec poſterior, quia cum forma accidentalia ſubiectetur in toto duntaxat, deſtructo toto, vtique deſtroitur quidquid eſt in ipſo toto, velnti forma accidentalis: ſicque in huiuſmodi toto, ſi deſtruatur, fit reſolutio in materia duntaxat.

Secunda pars probatur primò, ea Ariſt. *de gen.* 24. eodem accidentia, quæ erant in corrupto, remanent in genito: talia autem accidentia non inhærent immediatè in materia, ſed in compoſito ex alibi dictis, ergo in aliquo compoſito ex aliqua forma ſuperſtite, qoæ vocator forma mixti, & corporeitatis, ergo totum animatum, ſi corrumpatur, non fit reſolutio, vſque ad materiam primam. Deinceps, 2. *anima*, 6. Anima eſt actus primus corporis organici: corpus autem non eſt materia, cum ſit quid tertium ea materia, & forma coalitum: ergo corrupto animato, non fit reſolutio immediatè in oateriam, cum adhue permaneat forma corporeitatis, per quam corpus conſtituitur in eſſe corporis.

Dices, ibi Philoſophum per corpus in definitione animæ poſitum, intelligere materiam organia affectam, non verò quid totom ex materia, & forma aliqua compactum. Contra, priuſquam anima vniatur corpori, neceſſe eſt, producatur, & formetur corpus, in cuius formatione natura valde laborat, & inſudat, ſic prius erat ſub forma ſeminis, deide ſub forma embrionis, & poſtmodum ſub forma corporis debitè diſpoſiti, & idonee organizati, in quod inducitur; vel educitur anima: ante autem animæ aduentum non erat talis materia ſine forma, quia nunquam reperitur materia nuda, & exuta omni forma: & poſtquam viuens anima informatum corrumpitur, remanet præfatum corpus inanime, habens aliquam formam, non animam, quæ perit, ſi t eſt materialis, vel abſcedit, ſi eſt ſpiritualis, ergo alia forma, quæ nuncopatur forma mixti, ſiue corporeitatis.

Secundò, omnis noſtra cognitio ortum ſuum trahit a ſenſibus. Ideò habetur illud ſæpe decantatum *nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*. Senſus autem rectè diſpoſitus, & bene applicatus oon fallitur. Cernimus autem in homioe mortuo eamdem quantitatem, figuram, cicatricem, eademque membra, partes, capillos, & id genus alia, quæ erant in vioo, qoæ clarè indicant, & apertè manifeſtant eſſe vnum, & idem corpus, vnitate, & identitate formæ corporeitatis, quæ quoqoe inerat, dum viuebat, ergo in corruptione hominis, & cuiuſcumque alterius animati, non fit reſolutio vſqoe ad materiam primam.

Dices non eſſe eadem, ſed ſimilia, & affinia. Contrà, nam præterquamquod id pugnat ſenſui, & experientiæ, qua ſentimos eumdem prorſus calorem, qui poſt diſceſſum animæ, adhuc manet in corpore mortuo, & videmus eum colorem numero, cuius erat particeps, dum viuebat, aſſignanda eſt cauſa effectrix taliom effectuum de nono productorum, quæ ſanè nulla tradi poteſt. Siquidem nequit eſſe cælum, nec Deus, nec aliod peculiare agens naturale, cum id non appareat, nec neceſſitas vrgeat, nec ratio ſuadeat, nec authoritas iubeat; immo oppoſitum euidenter cernatur. Eadem quippè herba mortua conſeruat eumdem colorem, odorem, ſaporem, & virtutem, qua vtuntur Medici ad curanda vulnera, & ſanandos morbos: igitur in corruptione animatorum non habetur immediata reſolutio in materia prima.

Tertiò, in triduo mortis Chriſti Domini, eius corpus erat idem, quod natum eſt ea Virgine, quod pependit in cruce, reſurrexit, & manet in cælo nunc, & conſecratur in hoſtia, vt ſcribunt S. Ambr. & alij Patres cit. à Baſſ. Erat autem idem non per animam, quæ deſcendit ad Inferos, ergo per formam corporeitatis, qoa præditum erat, cum viuebat. Ex his, aliiſque pluribus adducendis *l.* 2. *de anima*, concluditur pars negatiua, inanimatorum in ei itu non efficitur immediata, & proxima reſolutio in prima materia.

14. Oppones primò, contrà prima partem Aſſert, *ex* 1. *gener.* 24. cum ex aqua fit aër, remanent in ipſo aere diaphaneitas, & humiditas. Et 2. *de gener T.* 25. facilior eſt tranſmutatio elementorum ſymbolorum, quàm diſſymboloiom, quia qualitates ſymbolæ manent, non autem diſſymbolæ: igitur, ſecundum Ariſt. in corruptione ſimplicium, & inanimatorum noo efficitur immediata & proxima reſolutio in materiam primam. Reſpondeo non perſiſtere eadem accidentia numero, ſed ſpecie. Tranſmutatiò autem corporum ſimplicium citior, & facilior extat in ſymbolis, quam diſſymbolis, propterea quod ea dictis *l. de elementis*, in illius minora, in iſtis verò maiora ſunt vincenda.

Dices, præfatum teſtimonium addoctum eſt à me ad ſuadendam 2. partem Aſſert. præpoſitæ, ergo eadem accidentia nomero perſeuerant in genito, quæ erant in corrupto, non autem eadem ſpecie duntaxat, ſecùs ea authoritas non ad propoſitum, ſed ad oppoſitum foret. Dico valere tantum pro mixtis animatis, non verò pro ſimplicibus, & inanimatis, quæ vna ſola forma gaudent.

15. Oppones ſecundò, *ex* 1. *eiuſdem operis cit. cap.*4.*T.*24. corroptio eſt tranſmutatio totius in totum, nullo ſenſibili remanente ergo nullum accidens perſiſtit in genito, quod erat in corrupto: alioquin aliquod ſenſibile remaneret, quod expreſſe negat ibi Philoſophus. Eò magis, *l. prædicam. cap. de ſubſtantia*, idem Stagir. præmiſerat, corruptis primis ſubſtantiis, impoſſibile eſt aliqoid remanere, ergo in quacomque rei naturalis corroptione, nihil aliud ſupereſt, quam nuda materia. Reſpondeo per interpretationem eius loci, ſcilicet, corruptionem vnius totius ſpecifici, in alud ſpecificum, vt cum corrumpitur animal, corrumpitur hoc ſpecificum, quod dicitur animal, & efficitur alud ſpecificum, quod informatur forma corporeitatis, & appellatur cadauer.

Inſtabis, ſi perſiſtit in corruptione illud mixtum, qood retinet eadem accidentia, ergo remanet aliquod ſenſibile, vt ſobiectum, quod apertè ibi inficiatur Ariſt. dico perdorare eadem accidentia non qoidem in toto ſpecifico iam corrupto, qoia & ipſom, & qoæ erant in ipſomet corrupta ſunt, ſed in genito, quod eſt alud ſpecificum, quod habet eadem accidentia, quæ ſequuntur formam mixti, vt ſuprà obſeruaui. Idem dicendom eſt ad alud teſtimonium, corruptis quippè ſingularibus, cuiuſmodi ſunt primæ ſobſtantiæ, corrumpuntur quoqoe omnia, quæ in eis ſunt. Verum tamen ſi fuerit aliqua prima ſubſtantia, ſiue aliquod totum ſobſtantiale, cuios forma in eo perſeueret, vtique in eodemmet permanebunt accidentia, quæ dictam formam concomitantor, & in illo toto ſubiectantur.

16. Oppones tertiò, ſi plures formæ eſſent in eodem compoſito, ratione quarum, totum, dùm corrumperetur, non reſolueretur in materiam primam, planè dedocitur compoſitum non eſſe vnom per ſe, ſed per accideos. Quod enim aduenit rei iàn actu, & iam conſtitutæ ea materia, & forma, eſt ens per accidens: hoc autem incommodum, & abſurdum ab omnibus cenſetur, in quod incidunt, qui parti negatiuæ huius quæſtionis adhærent: parti ergo affirmatiuæ potiùs, quam negatiuæ eſt ſubſcribendum. Neganda eſt ſequela ma. argumentum namque concludit de formis diſparatis, & perfectis: non autem de formis ſubordinatis,

dinatis, & intermediis. Forma enim corporeitatis est subordinata animæ, & imperfecta: ideò hæc, absque illa non præseruat totum à corruptione, immò ipsum totum, pereunte, aut abscendente anima, est in continua corruptione, vt constat de cadauere.

LIBER SECVNDVS.

De Intensione, & Remissione.

1. DVABVS quæstionibus hic liber absoluitur, quarum prior est de intensione, & remissione: posterior verò de rarefactione, & condensatione. Quoad primam moueri potest triplex dubitatio, de substantia scilicet, de quantitate, & qualitate: & quidem de quantitate difficultas iam præmissa est, & decisa, tùm in Log. *quæst. de quantitate*, tùm etiam in Phys. *l. 5. quæst.* 1. supersunt verò reliquæ duæ hoc loco perscrutandæ, & dirimendæ.

QVÆSTIO I.

De Intensione.

ARTICVLVS I.

An substantia suscipiat magis, & minus.

2. VIDEO Philosophos in hoc articulo esse bipartitos: nonnulli namque, vt Tol. 3. *de anima*, *quæst.* 18. Complut. *disp.* 12. *Log. quæst.* 5. & Dur. 2. *d.* 32. *quæst.* 3. negantem tuentur partem. Alij verò, vt Antonius Andr. 11. *Met. q. vn.* & *in expos. l. sex principiorum*, Ioannes de Magis. *cap. de substantia quæst.* 3. *dub.* 1. & Caiet. 1. *p. q* 85. *art.* 7. affirmantem amplectuntur partem: quibus fauent Scot. 8. *Met. quæst.* 3. & Mauritius ibi.

3. Not. primò, ex Doct. mox cit. suscipere magis, & minus in quacumque forma nihil aliud sibi velle, quàm esse maius, aut minus alio, non quidem maioritate molis, sed maioritate perfectionis in natura rei, seu in complemento perfectionis. Vnde, omnis forma specifica participat quamdam latitudinem graduum, eius indiuiduis communicatam, secundum magis, & minus. Vnum quippè indiuiduum plures eius gradus sortitur, quàm aliud, ratione quorum dicitur alio præstantius, ac perfectius, quod vt melius percipiatur.

4. Not secundò, gradus esse in duplici differentia, specificos scilicet, & indiuiduales. Gradus specifici sunt intrinseci, & essentiales, per quos species constituitur in esse talis speciei: vnaque species extat nobilior altera, vt homo per suum gradum intrinsecum, essentialem, & specificum constituitur in esse hominis, & distinguitur a bruto, & quolibet alio, quod non est homo. Gradus verò indiuidoalis est portio perfectionalis, ratione cuius vnum indiuiduum est alio perfectius, vt Petrus nobilitate superat Andream, penes ipsum gradum perfectionalem, propterea nobiliores actiones, & præstantiores efferit, ac depromit operationes. Vt autem apertius fiat, quid sit huiusmodi gradus.

5. Not. tertiò, gradum, seu modum intrinsecum formæ describi à Scotis. nuncupatim Antonio Andr. 8. *Met. q.* 6. & Tromb. *tract. formalit. parte* 2. *fol.* 35. *pag.* 2. *Portionem perfectionalem formæ specificæ, extrà eius conceptum quidditatiuum, ipsam formam specificam infrà suum conceptum essentialiter includentem, inclusam realiter intrà conceptum indiuidui.* Hæc verba, licet plura, non prolixitatis, sed claritatis, & explicationis gratia statuuntur. Dicitur enim *portio*, quia non est tota forma, sed eius perfectio; ponitur *extrà eius conceptum quidditatiuum*, quia natura specifica abstrahit, & præscindit à quocumque gradu perfectionali, quamuis de omni gradu prædicetur, vt superius de omni inferiori. Additur *inclusa realiter intra conceptum indiuidui*, quandoquidem omne indiuiduum huiusmodi naturæ specificæ includit aliquem gradum eius. Alia quoque vulgaris adducitur descriptio gradus, seu modi; nempe, qui additur rei, non variat rem. Cum enim gradus essentiam rei non ingrediatur, sed eam consequatur, propterea siue ei addatur, siue ab ea abstrahatur, ipsa natura specifica non mutatur essentialiter, sed accidentaliter duntaxat, vt si albedini habenti tres grados adiungatur quartus gradus, ipsa albedo non mutatur, secundum suam essentiam, sed solum perficitur penes illum gradum ipsi de nouo aduenientem, & perficientem.

6. Ass. substantia suscipit magis, & minus, non penes esse specificum, sed penes esse indiuiduale. Annuit Doct. *vbi suprà*, & 1. *d.* 17. *q* 3. Probatur 1. ex Arist. *l. prædicam. c. de substantia*, affirmante, primam substantiam esse magis substantiam, quam secundam. Quod si dicas, hoc esse capiendum, quoad receptionem accidentium, hoc est, quia prima substantia magis substat accidentibus, quam secunda: non satisfacis, quia substantia à subsistendo dicta non subiacet accidentibus, vt patet de Deo. Deinde quantitas pluribus accidentibus subest, quam qualitas, & tamen non dicitur illa magis accidens, quàm ista; nec si vna quantitas plura recipiat accidentia, quàm alia quantitas, putà quantitas singularis, quàm vniuersalis, dicetur magis quantitas: igitur præmissa interpretatio non videtur congruere textui, & menti Arist. Accedit articulus Parisiensis, in quo leguntur hæc verba. *Si quis dixerit, animam Christi in puris naturalibus non esse perfectiorem anima Iudæ. Error.* Anima autem est substantia, vnaque est præstantior, & nobilior altera, vt sancit vniuersitas Sorbonica, ergo inficiandum non est, substantiam suscipere magis, & minus. Nec præstat dicere, eum articulum esse exponendum penes esse accidentale, non verò penes esse substantiale, videlicet, animam Christi excellere animæ Iudæ, propterea quod participat præstantiorem scientiam, aliosque habitus nobiliores: quandoquidem id non est ad mentem illorum Doctorum, qui præfatum condiderunt art. Nemo est, qui neget in donis gratuitis, nobilioribusque accidentibus animam Christi superare animam Iudæ, sed ille canon extat de naturalibus, & substantialibus, vt patet intuenti, & legenti.

Dices, dictus articulus non transit Sequanam, veluti articulus Coloniensis Rhenum, & Oxoniensis

Tamesiam.

Tamesiam. Contrà, in simili arguit Scot. 2. *d.* 2. *q.* 6. §. *Contra hoc.* Propè initium, sententia publice damnata in aliqua Vniuersitate, etsi non sit hæretica, tamen est suspecta: cùm ergo celeberrimus Parisiensis cætus præallatum canonem statuerit, ei oppositus videtur suspectus, aut saltem non ita probabilis, & verisimilis. Nec ab hoc declinat D. Aug. *l.* 1. *de sermone Domini in monte, cap.* 23. inquiens: *Omnes naturæ in ordine suo, gradibus suis pulchra sunt.* Si ergo naturæ substantiales gradibus potiantur, vnaque alteri emineat, planè deducitur, eas suscipere magis, & minus; In sententia Aug. Idem insinuat Magister 2. *dist.* 32. & Ric. ibi *art.* 4. *quæst.* 1. Nec dissentit Arist. 2. *de gener. animalium, cap.* 3. inquiens, *sicut anima est perfecta magis, vel minus, ita corpus præparat.* Subnectit Scot. 3. *dist.* 9. *quæst. vn.* naturam Christi esse optimam, eiusque animam omnium esse perfectissimam. Vnde, meritò Simplic. *in prædicam. cap. de quantitate,* commendat Archytam præpositæ assertioni patrocinantem.

Secundò, natura pluribus communicabilis, secundum plures rationes, & gradus, suscipit magis, & minus: substantia autem à multis est participabilis, secundum varias rationes, & diuersos gradus, ergo suscipit magis, & minus. Ma. suadetur ab opposito. Nam si communicaretur pluribus, vno, æqualique gradu, omnes eius partes subiectiuæ, eiusque inferiora forent æqualia, & paria: quod est falsum, & experientiæ contrarium, hominum quipppè vnus est altero subtilior, ingeniosior, & fortior, arborum vna fructuosior, altera plantarum floridior, & herbarum vegetior, & sic de reliquis. Min. claret, de natura humana, quæ participatur à multis singularibus, & indiuiduis, & de natura ignea, quæ pluribus ignibus singularibus communicatur inæqualiter, vnus quippè actiuior est altero, remotis omnibus impedimentis, etsi duo simul coniungantur, citiùs, & velociùs calefaciunt, & comburunt, quod prouenit ex maioritate, & pluralitate graduum, quos simul vniti possident.

Dices, ea omnia proficisci, ex variis, diuersis dispositionibus, & præparationibus subiectorum, in quæ præfata agentia naturalia agunt, vt patet de lignis siccis, quæ faciliùs, quam humida, & madida ab igne accenduntur, & comburuntur. Atque de organis idoneis, aptéque dispositis, quibus aliquis vtens, commodiùs, promptiùs, & meliùs operatur, quàm alter vtens eisdem malè affectis, & impeditis. Hinc Scot. 1. *post. quæst.* 2. §. *Ad quæstionem dicitur*, subdit, animam intellectiuam per se non suscipere magis, & minus, sed per accidens, ratione corporis melius dispositi, & aptius complexionati; ob id vnus est altero eminentior, & ingeniosior. Contrà, positis omnibus requisitis ad agendum causa naturalis necessariò agit, quantum potest, & si eodem tempore, & momento plantentur duæ arbores in eadem terra, ab eodem agricola, eodem modo colantur, tamen vna erit vegetior, maior, & fructuosior altera, & gemini ab eisdem parentibus procreati, ab eisdemque Magistris instructi, parique cibo aliti dissimodè operantur, vnus quippè bonus, & litteris deditus, alter verò malus, & vitiis irretitus, etiamsi fuerint ambo pari modo dispositi, & in omnibus æquales, verumtamen varias, ac diuersas efferunt actiones, vnusque eminet alteri: huiusmodi autem eminentia & præstantia non prodit nisi à præstantiori natura, & nobiliori anima, proindéque substantia est plurium, maiorumque graduum susceptrix. Scot. autem præalleg. in opinione non propria, sed aliena loquitur, vt plerumque in eo opere præstat, propterea scribit, Ad quæstionem dicitur.

Tertiò, natura illuminata, pluribus communicabilis, est graduum multorum capax; quidquid enim est illimitatum, & infinitum, est graduum particeps, vt patet de natura diuina, quæ tribus Personis communicatur, infinitate graduum perfectionis continente, & possidente: substantia autem specifica est illimitata, & indeterminata ad plura singularia, & indiuidua, ergo multorum graduum perfectionalium est compos.

Dices, limitari, & contrahi per varias, ac plures hæcceitates, non autem per graduum perfectionalium multitudinem, ac varietatem. Contrà, actiones præstantiores, & excellentiores non prodeunt ab hæcceitatibus, & singularitatibus, quæ sunt conditiones agentis, non verò principia agendi, sed à natura principiis, & potentiis agendi prædita, & ornata, ergo natura, & non singularitas est graduum particeps, tametsi per differentias indiuiduales contrahatur, & limitetur. Deinde, natura perfectior est si pluribus sit communicabilis, quam vni soli, authore Aug. 4. *Trin. cap* 1. substantia autem specifica est in plura indiuidua diuisibilis, eisque communicabilis. Rursùs, vna specica substantiæ est perfectior altera, vt Angelus homine, & homo bruto, ergo & vnum indiuiduum eiusdem speciei, aliud nobilitate, & perfectione vincit. Denique, ad ornatum, Vniuersique pulchritudinem facit, vt indiuidua sint impatia virtute, nobilitate, & perfectione, veluti sunt rerum species, quarum vnam, alteri excellere, ac eminere palàm cernimus, & experimur.

7. Opp. 1. Arist. *l. prædicam. c. de substantia* scribit, proprium esse substantiæ, non suscipere magis, & minus. Et 8. *Met.* 10. subiicit, species se habent sicut numeri: numero autem nihil potest addi, aut minui, quin mutet speciem: ergo idipsum astruendum est de substantia, quod verum non est, si graduum foret susceptiua. Respondeo per distinctionem, & expositionem eorum locorum, penes esse specificum, concedo: penes esse indiuiduale: nego. Quod videtur olfacere idem Philosophus 3. *Met.* 11. & 10. *eiusdem operis*, 26. agnoscens in specie perfectionis æqualitatem.

Dices, Scot. *quæst.* 15. *prædicam. propè finem* ait, primam substantiam vocari maxime substantiam, non quia sit compos graduum: verum quoniam substat pluribus accidentibus quam secunda substantia. Occurrendum est, Scot. *ibi* tantum velle primam substantiam plura continere, quàm secundam substantiam, veluti species plura continet, quàm genus, quod verum est: & si nomenclatura substantiæ à substando desinetur, proculdubio prima substantia magis substat, quàm secunda, secus verò si à per se subsistendo notionem suam ducat, vt suprà arguebam.

8. Opp. 2. quod aduenit rei iam in suo esse constitutæ est accidens. Dicitur namque accidens propterea quod accidit rei, non autem ipsam constituit, nec in eiusdem esse intrinsecum ingreditur: præfati autem gradus accidunt substantiæ primæ iam in suo esse singulari, & substantiali constitutæ, ergo sunt ei non substantiales, & intrinseci, sed accidentales, & extrinseci. Distinguo ma. si fuerit alterius generis, & realiter distincti ab eo, cui aduenit, concedo: quod si extiterit eiusdem generis, & realiter cum eo identificati, nego, cuiusmodi sunt gradus perfectionales, & indiuiduales, annuente Scot. 1. *d.* 17. *q.* 3. §. *Ad istam q.* YY. & *Quol.* 6 § *contra ista, ad M.* Idque declarari potest de gradibus albedinis, qui ei aduenientes, ipsam perficiunt, quive eidem accidere non dicuntur. Quare ad distinctionem ma. distinguo min.

9. Opp. 3. si substantia esset capax graduum, ad substantiam foret per se motus, quod negat Aristot. 5. *Phys.* 10. Ergo, &c. Respondeo cum Scot. negando seq. Licet enim ad substantiam non sit per se motus continuus, & successiuus, quia non temporaneè, & successiuè dictos gradus substantia non acquirit, veluti qualitas: est tamen ad eam per se mutatio, quia eo instanti, quo indiuidua substantia producitur, comproducuntur, & consequuntur tales gradus perfectionales.

ART.

ARTICVLVS II.

An qualitas intendatur, & remittatur.

10. COmmune extat Philosophorum placitum, qualitatem esse formam intensibilem, & remissibilem, quod vt rectè, & commodè percipiatur.

11. Not. accretionem esse duplicem, extensiuam vnam, intensiuam alteram. Illa est, qua qualitas extenditur per partes subiecti, in quo inhæret, cum calor diffunditur ad calefaciendas omnes partes ligni. Intensiua verò est, qua qualitas perficitur, & maioratur, per nouorum graduum susceptionem, vt calor habens quatuor gradus, si quintus gradus ei addatur, intenditur, & maioratur: è regione, si ab eodem calore tollatur aliquis gradus, remittitur, & minoratur. Præterea obserua, terminum accretionis extensiuæ esse quantitatem molis: intensiuæ verò esse qualitatem, quam alij vocant quantitatem virtutis, seu perfectionis. Rursùs, in qualitate duæ reperiuntur partes essentiales, seu specificas, quæ non intenduntur, nec remittuntur, quandoquidem essentia consistit in indiuisibili, non suscipiens magis, & minus: & materiales, ac indiuiduales, quæ intensionis, & remissionis sunt capaces.

12. Assertio, qualitas est forma intensibilis, & remissibilis. Defenditur à Doct. 8. *Met. quæst.* 8. *q.* 3. in qua multa vtilia, & subtilia pertractat. Et 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. estque communis cæteris Scholasticis *ibid.* Suadetur primò, ex Arist. qui *lib. prædicam. cap. de qualitate*, scribit, proprium qualitatis esse, suscipere magis, & minus. Quodque tradit 4. *Phys.* 84. & 4. *Top. p.* 20. his verbis, si ad simpliciter, sequitur simpliciter, ad magis, sequitur magis: ad album autem sequitur, quod sit albedine album, ergo ad albius sequitur, quod sit magis albedine album: proindéque, si forma in subiecto est intensibilis, & remissibilis, vt que in se est intensibilis, & remissibilis. Secundò, cernimus aërem lucidiorem, parietem albiorem, sentimus aquam calidiorem, niuem frigidiorem, audimus cantum suauiorem, & hominem doctiorem, & huiusmodi, quæ patenter, & euidenter nobis ostendunt, qualitatem intensionis, ac remissionis esse compotem. Insuper fieri nequit, vt aliqua forma participetur à multis penes multiplicem rationem, graduumque varietatem, nisi suscipiat magis, & minus: posse enim habere graduum pluralitatem, nihil aliud sibi vult, quam posse intendi, & remitti: qualitas autem est huiusmodi, nunc enim magis viget frigus, quia sortitur plures gradus frigiditatis, lux quoque est intensior, & calor feruidior, non alia sanè de causa, nisi quia plures gradus participat. Concludo itaque, qualitatem esse intensibilem, & remissibilem, subscribit August. *Ad Bonifacium, & ante.* Apost Ad Philip. 1. *Oro, vt charitas vestra magis, ac magis abundet.* & Apoc. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

13. Oppones, si qualitas posset intendi, & remitti, vna albedo foret magis albedo, quam altera. Siquidem albedo intensa potiretur aliquo gradu, quo careret albedo remissa: id autem falsum esse videtur, ergo & istud. Negatur sequela ma. data namque hypothesi, esset quidem maior albedo: sed non magis albedo, propterea quod magis dicitur de participantibus formam, non autem de forma, quæ à multis participatur. Vel dicito, maiorem valere de esse indiuiduali, non verò de esse specifico.

ARTICVLVS III.

Quo nam modo fiat intensio qualitatis.

14. MAgna, & ardua extat hæc tractatio, tum ob huius rei difficultatem, tum etiam ob opinionum multiplicitatem, quæ adducuntur, & refelluntur ab Aur. 1. *dist.* 17. Mayr. Maiore, aliisque Scholast. *ibid.* Quatuor autem celebriores, & potiores affero, & examino: quarum prima tribuitur Gofred. *Quol.* 11. *quæst.* 3. Burleo *Tract. de intensione form.* & Dur. *dist.* 17. *quæst.* 7. *num.* 55. existimantibus qualitatis intensionem effici per præexistentis corruptionem, & subsequentis productionem, itavt si fuerit albedo vt quatuor, & accedat albedo vt quinque, desinit illa vt quatuor, & manet hæc vt quinque: in remissione oppositum contingit: nam qualitas perfectior corrumpitur, & imperfectior persistit, vt manet albedo vt quatuor, & corrumpitur albedo vt quinque.

Secunda, defenditur ab Ægidio *quol.* 2. *quæst.* 14. affirmante qualitatem intendi per remotionem, & depurationem à suo contrario, quod est dictu, ea qualitas intenditur, tunc cum eius contraria diminuitur, vt calor intenditur, quando cessat frigus, & remittitur ipse calor, quando frigus augetur.

Tertia est D. Th. 22. *quæst.* 24. *art.* 5. eiusque discipulorum arbitrantium intensionem, & remissionem qualitatis fieri per maiorem, & minorem radicationem in subiecto, adeòvt ea qualitas sit intensior, quæ perfectius afficit subiectum, in quo inhæret; remissior autem, quæ imperfectius à subiecto participatur.

Quarta, traditur à nostro Doct. 1. *distinct.* 17. *quæst.* 1. S. Bon. *ibid. parte secunda, quæst.* 2. Alens. *summa de virtutibus collar.* 69. Ocham *quæst.* 6. *distinct præalleg.* Ric. *artic.* 5. *quæst* 2. & cæteris communiter docentibus intensionem formæ accidentalis fieri per additionem gradus ad gradum in eadem parte subiecti.

15. Not. latitudo graduum, quæ ex dictis, & notatis *in primo art. huius quæstionis*, duplex statuitur extensiua, & intensiua, facit vnum, non quidem essentiale, veluti ex genere, & differentia, ex materia, & forma, nec accidentale, vt ex accidente, & subiecto: sed vnum homogeneum, ex partibus similaribus coalitum, velut ex partibus heterogeneis, & dissimilaribus constituitur vnum heterogeneum, puta corpus organicum ex capite, collo, cæterisque membris conflatum: sic ex multis gradibus simul vnitis fit vna qualitas, putà vna albedo, & vnus calor vnitate, & totalitate homogeneitatis.

Dices, plura indiuidua, & singularia non integrant vnum indiuiduum, & singulare, vt duo lapides non faciunt vnum lapidem, nec duo homines vnum hominem: pariter duo gradus indiuidui, & singulares haud constituunt vnam qualitatem indiuiduam, & singularem. Dico, id valere de completis, & perfectis indiuiduis, quorum vnum non refertur, nec ordinatur ad aliud, vt benè ostendunt exempla præadducta; secus verò de aliis incompletis, & imperfectis: ex his quippè singularibus fit totum singulare completum, nempè ex hac materia, & ex hac forma, ex hoc corpore, & hac anima fit hoc viuens, & animatum: pariter ex pluribus gradibus simul iunctis, & inexistentibus, & singularibus fit vnum totum singulare, & indiuiduum, quale homogeneum, & similare, quod præcedit compositum ex materia, & forma, quia vt bene aduertit Doct. 1. *Reportat dist.* 17 *quæst.* 6 §. *Ad rationem dico.* Si resoluatur huiusmodi compositum, adhuc eius extrema, & partes ambæ gaudent compositione vnigenea, & vnitate homogenea.

16. Asser

16. Asser. 1. fit intensio qualitatis, remanente eius entitate præcedente. Ita Scot. cit *in vtroque opere. q. 3. §. Ad q. igitur.* Probatur primò ex Arist. 1. *de gener. T. 31 & 35.* affirmante, augmentum esse præexistenti magnitudini additamentum. Idque videat vox intensio, nisi enim præexistens qualitas persisteret, per nouam entitatem eius productam, non intenderetur ipsa qualitas, sed simpliciter produceretur, velut cum producitur aqua non dicitur augmentari, sed dum ei iam productæ, & præexistenti additur alia aqua, vt patet de flumine vno fluente in aliud flumen, puta Druentia in Rhodanum, & Ticinus in Padum, in quibus manifeste apparet augmentationem, & intensionem aquæ præsupponere permanentiam præexistentis aquæ: pariter qualitatis intensio præexigit præcedentem qualitatem persistentem, vt calor vt sex prærequirit calorem vt quinque præexistentem. Deindè intensio perindè est ac perfectio, & intendi idem est ac perfici, vt insinuat D. Aug Ad Bonifacium, his verbis: *Charitas meretur augeri vt aucta mereatur, & perfici.* Quod autem asseritur de charitate, idem astruendum est de aliis qualitatibus siue materialibus, siue spiritualibus: cum ergo qualitas intenditur, & perficitur, non destruitur, destrueretur autem, si qualitas præexistens periret, per nouæ qualitatis aduentum.

Secundò, quantitati molis præcedenti, si alia addatur, ipsa prior, cum posteriore persistit, vt cernitur ad oculum, si tabulæ addatur noua pars, & vetusta, & noua simul manent. Idipsum ergo affirmandum est de quantitate perfectionis, cùm par sit ratio in vtrisque, annuente Aug. 6. *Trin. cap.* 7. In his, quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, ac melius esse.

Tertiò, causa influens in effectum, necessariò debet existere, iuxta illud, causa in actu habet effectum in actu: qualitas autem præcedens, putà habitus intellectualis, aut moralis est causa actus: concurrit namque habitus tanquam causa partialis ad producendum actum, vt non negant Authores primæ sententiæ ergo ipse habitus præexistens permanet, adueniente actu, quæ est noua qualitas ei addita. Idque maximè patet de habitibus supernaturalibus, nuncupatim gratia, quæ nunquam excidit, siue sit in via, siue in patria, vt benè ait Postillator 1. *Cor.* 13.

Quartò, eodem modo philosophandum est de intensione, ac de remissione qualitatis, vt concedunt quoque aduersarij: in remissione autem si corrumpatur perfectior, putà summus gradus frigoris à duplici summo calore, non inuenitur postmodum, à quo producatur gradus remissus frigoris: non enim à calore, quia calor per se non est productiuus frigoris, nec ab agente vniuersali, ad quod non est recurrendum absque necessitate, & vrgente ratione, vt præ aliis notant Scot. & Maior in præsenti, maximè cum sensus, & experientia oppositum nos doceant, vt in re nostra euenit. Siquidem cernimus aquam feruidam, & ebullientem paulatim remitti, & sentimus manu eius calorem pedetentim decrescere, absque vlla causa interueniente eiusdem causatiua. Rursùs, quæ sunt eiusdem rationis se mutuò iuuant, & conseruant, vt liquet de duobus ignibus simul iunctis sese corroborantibus; calor autem ignis, & solis, itemque calor primus ac secundus sunt eiusdem rationis, ergo vno adueniente, alter non destruitur. Hocque euidenter conuincitur de duabus facibus accensis, quarum lumina simul in eadem aula posita magis illustrant, & illuminant illam, & si vna tollatur, remanet lumen alterius, tametsi non ita intensum. Itemque duo lumina causant in vno corpore opaco duas vmbras, & si vnum eorum auferatur, vna extat duntaxat vmbra. Igitur in intensione qualitatis, præcedens qualitas non destruitur. Hæc & alia quæ congerunt Doct. eiusque discipuli oppositam sententiam falsam, improbabilem, & impossibilem palam ostendunt, & apertè demonstrant.

17. Ass. 2. qualitas non intenditur ex remotione contrariæ qualitatis. Est Scot. *vbi suprà, §. contrà istam opinionem ante XX.* Probatur primò, potest esse intensio, vel remissio, absque vlla permixtione contrarij, vt patet de habitu, qui est postremum prædicamentum, qui tamen suscipit magis, & minus, vt eques est armatior pedite, tametsi nihil ei sit contrarium. Ergo intensio non prouenit ex depuratione, & remotione contrarij.

Dices, *ex 3. Top. cap. 4. loco 9.* Albius est, quod est nigro impermixtius, ergo tunc qualitas intenditur cum ab ea tollitur contrarium. Dico, id esse exponendum causaliter, & concomitanter, non autem formaliter, & præcisè, ac si intensio qualitatis expostulet remotionem contrarij. Secundò, potest intendi qualitas, nulla interueniente contrarietate, vt lux in aere intenditur, cui nihil extat contrarium: atque aliquid puri elementi reperiri sub concauo orbis Lunæ, & in fundo maris asserui, cum agerem de elementis: ergo & pura qualitas, sine mixtione qualitatis contrariæ, cuiusmodi est summus calor, aut summum frigus. Insuper, habitus supernaturales intenduntur, vt charitas, & gloria in Beatis, in quibus nullum prorsus extat contrarium: ergo intensio qualitatis ex depuratione à contrario non proficiscitur.

18. Ass. 3. nec per maiorem radicationem in subiecto intenditur qualitas, subscribit Doct. cit. *ante §. Ad istam q sub VV* Et tenent omnes, præter Thomist. quorum quidam improbabilitatem sententiæ Thomisticæ intuentes, ab ea recedunt, & dicunt D. Th. & Scot. in modo loquendi, & verbis tantùm discrepare. Alij verò conantur eam opinionem defendere, quæ cùm nullam probabilitatis, & veritatis speciem habeat, in varios, diuersosque explicandi modos abeunt, qui cum vani, & irriti sint, piget eos adducere, & refellere. Iam verò probatur præposita asser. 1. illa radicatio qualitatis intensibilis in subiecto vel distinguitur à forma intensibili, vel non. Si secundùm habetur intentum, quandoquidem, cum radicatio sit maior, aut minor, vtique qualitas erit maior, aut minor, quod respuunt aduersarij. Si primum, vel distinguitur tanquam forma absoluta, vel relatiua, si absoluta, vel est quantitas, & hoc non, quia quantitas non suscipit magis, & minus, vel est qualitas, & labuntur Aduersarij in doctrinam Scot. quam impugnant: si relatiua, pariter habetur propositum, quia relatio non suscipit magis, & minus nisi ratione fundamenti, quo fulcitur. Vnde paries albus dicitur magis similis alteri parieti albo, propter maiorem albedinem, qua afficitur, & in qua fundatur maior eius similitudo, quæ est relatio, ratione cuius refertur ad alium parietem album.

Dices, esse existentiam maiorem, quam qualitas in subiecto participat. Contra, existentia est idem realiter cum essentia, cuius est existentia, vt ostendant in Met. ergo si existentia qualitatis suscipit magis, & minus, quoque & eius essentia, & entitas. Deinde existentia communis est omni rei productæ extra suas causas, ergò si per maiorem existentiam fit intensio, omnis res, quæ existit, subiret intensionem, quod est falsum. Rursùs, existentia conuenit rei, in initio eius productionis: non sic autem intensio, vt pro comperto habetur apud omnes, ergo intensio à qualitatis existentia non est petenda.

Secundò, nonnunquam qualitas intensa est minùs radicata in subiecto, quàm qualitas remissa, igitur intensio formæ non petitur penès maiorem radicationem in subiecto. Ant. probatur, rubor ortus ex verecundia intensior est, quàm rubor causatus à natura, cuiusmodi est in sanguineo, tametsi iste sit magis radicatus in subiecto, quàm ille, igitur impertinens est

maior radicatio in subiecto, ad qualitatis intensionem. Vnde reiiciuntur illi, qui asserunt maiorem radicationem esse, qua qualitas firmius, ac tenacius inexistit subiecto, siquidem febris tertiana est intensior febre, quæ vulgò dicitur etica, tametsi illa à subiecto facilius remoueatur, quàm ista, quæ in eo persistit, vsque ad mortem. Refelluntur quoque illi, qui affirmant, præfatam maiorem radicationem esse maiorem vnionem qualitatis cum subiecto. Nam ignis, & calor eius magis vniuntur cum stupa, quam calefaciunt, & comburunt, quàm cum ferro, tametsi tenaciùs in hoc insint deinceps. Vnio ex alibi dictis est formaliter relatio, quæ non suscipit magis, & minus, ergo intensio formæ non proficiscitur ex maiore vnione qualitatis cum subiecto. Denique, audiendi non sunt, qui per maiorem radicationem intelligunt perfectiorem participationem formæ à subiecto, in quo subiectatur, & qui addunt esse nouum modum subiecto aduenientem. Etenim, subiectum est tale, per talem formam, vt paries est albus per albedinem, estque magis tale per eamdem formam maiorem, vt paries est magis albus per maiorem albedinem, quæ in ipso recepta est. Iterum, motus acquisitiuus fertur ad terminum ad quem, à quo specificatur: intensio autem formæ est motus acquisitiuus, quia forma intenditur, & perficitur per eum, ergo non à subiecti perfectione, & participatione, nec à nouo modo depromitur intensio qualitatis. Eò vel maximè, quia intensio formæ fieri potest absque subiecto, & modo eius; si enim hostia consecrata calefiat, & nouus calor ei addatur per ignis approximationem, calidior fiet, nullo existente subiecto: non ergo intensio qualitatis à maiore participatione subiecti, vel nouo eius modo desumitur.

19. Ass. 4. intensio formæ intensibilis causatur per additionem gradus, ad gradum. Patrocinatur Scot. *vbi suprà*, §. *sexto*, 13. & 1. *Rep. quæst.* 6. Suadetur primò, ex 4. *Phys* 85. & 1. *de gen.* 31. & 33. vbi legitur, augmentum effici ex additione nouæ entitatis, præexistenti adiunctæ. Atque euidenter constat, ex refutatione aliorum. Secundò, videmus apertè aquam crescere additione nouæ aquæ, quantitatem accessu nouæ quantitatis, lumen aduentu noui luminis, & sic de reliquis: ergo idipsum asserendum est de quacumque intensione formæ intensibilis, cum in hac, ac in illis par currat ratio. Tertiò experimur, pondus magis ponderare, & onerare, si ei nouum addatur, vt plumbum magis ponderat, si aliud plumbum adiungatur, calorem magis calefacere, si ei adnectatur alius calor, & aquam magis ebullire, & feruere, supposito illi alio igne, ergo nouo gradu addito præcedenti fit intensio.

Quartò, nouo merito, nouam gratiam tribuit Deus homini, quæ vnitur gratiæ præcedenti. Hinc Conc. Trid. cit. ab Arr. *disp.* 3. *sect.* 1. *subsect.* 3. sancit gratiam augeri per bona opera Et Ecclesia, in quadam oratione, tam pro iustis, quàm pro iniustis orat Deum, vt largiatur eis gratiam inquiens, *Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde.* Iustis autem, & sanctis Deus præbet nouam gratiam, per noua eorum bona opera: si ergo gratia crescit additione nouorum graduum, idem dicendum est de reliquis qualitatibus, tam spiritualibus, quàm materialibus.

20. Opp. 1. pro Goffredo, termini motus sunt incompossibiles, 5. *Phys.* 20. Qualitas autem præcedens, & qualitas subsequens sortiuntur terminos suorum motuum: duabus namque productionibus producuntur: igitur intensio efficitur per corruptionem qualitatis præcedentis, & productionem subsequentis. Conf. motus localis, sonus, & vox intenduntur partis præexistentis corruptione, & nouæ partis acquisitione: ergo idem affirmandum est de cæteris qualitatibus. Respondeo per explicationem, & distinctionem mi. de terminis primis, cuiusmodi sunt forma, & priuatio eius, concedo: de terminis concomitantibus, veluti sunt gradus priores, & posteriores formæ intensibilis, nego. Ad conf. concedo ant. nego conseq. ratio est, quia illa sunt successiua, quorum partes nunquam simul coexistunt, sed continuò labuntur, prioribus corruptis, succedunt posteriores productæ: hæc verò permanentia; ideò pristini, & recentes gradus simul existunt, & manent.

21. Opp. 2. pro Thomis. 4. *Phys* 84 Ex calido fit magis calidum, nullo facto de nouo calido in materia, quod non erat calidum, quando minus erat calidum, ergo per intensionem caloris, nihil noui caloris aduenit præcedenti. Conf. simile in forma appositum simili non auget, vt tepidum adiunctum tepido non auget, & intendit ipsum tepidum præexistens, ergo qualitas non intenditur appositione noui gradus. Respondeo illud testimonium interpretandum esse non simpliciter, sed secundum quid, cum enim aliquid fit calidius, non fit calidum absolutè, quia iam præsupponitur esse calidum, sed fit magis calidum, quia intenditur calor, additione noui caloris: veluti cum paries albus magis dealbatur, non fit paries albus, quia iam erat albus, sed fit magis albus. Ita deducitur ex Scot. præcit. *in Rep. quæst.* 6. *ad* 2. Ad conf. Nego ant. cum eodem Doct. *ibid. in solutione* 3. minima quippè gutta aquæ addita alteri guttæ, in[illegible] eam, vt liquet experientia: sic minimus calor appositus alteri calori, indubiè auget illum Quare, si gradus caloris aquæ tepidæ iungatur alteri gradui caloris, huiusmodi gradus intenditur.

22. Opp. 3. vna anima rationalis est perfectior altera, vnusque Angelus superat alterum perfectione: & tamen nec anima, nec Angelus potiuntur huiusmodi graduum latitudine, ergo nec qualitas tales gradus participat. Occurrendum est, tam animam, quàm Angelum gaudere suis gradibus, diuersimodè tamen, nam eis competunt gradus perfectionales substantiales simul omnes in primordio suæ creationis: isti verò gradus accidentales per motum, & temporis interstitium acquirendi.

ARTICVLVS IV.

An gradus qualitatis intensæ sint homogenei.

23. SVarez *disp.* 46. *Met. sect.* 1. *n.* 10. & Hurt. *hoc loco disp.* 5. *sect.* 2. §. 98. quibus videtur præire Dur. 1. *d.* 17 *quæst* 7. *numero* 5 negant gradus formæ intensæ esse similares, & homogeneos. Oppositum autem docent Scot. 1. *d.* 17. *q.* 3. & *in Rep q.* 6. Mayr. *ibid. d.* 18. *q.* 2. *art.* 1. & 2. Orbel. & cæteri Scotist. Ocham. *q.* 7. & Gabriel *ibi*, & alij Nominales, suffragantur Vasquez *Tom.* 1. *in* 1. 2. *disp.* 28. *c.* 6. Arr. hic *disp.* 3. *sect.* 3. & reliqui extra vtramque Scholam.

24. Not. & recolendum est ex alibi dictis, totum esse duplex, heterogeneum, & homogeneum, illud constatur ex partibus alterius rationis, vt corpus humanum ex capite, collo, & reliquis mébris, quæ ipsū integrant, & perficiunt: istud verò, ex partibus eiusdem rationis, vt tota aqua, cuius omnes partes sunt aquæ, & totus ignis, cuius omnes partes, si ab inuicem seiungantur sunt ignes, tametsi coniunctæ denominationem totius non sortiantur, separatæ verò maximè, quia desinunt esse partes, & induunt rationem totius. Huiusmodi autem partes non subordinantur inter se, nec vna est actus, & altera potentia, sed sunt vnibiles ad inuicem, & integrant totum, quod dicitur vnum vnitate continuitatis, & homogeneitatis, quod bipartitur in extensiuum, vt quantum quantitate molis, & intensiuum, vt quantum quantitate virtutis, ac perfectionis.

25. Ass. gradus formæ intensæ sunt similares, & homogenei. Ita Scot. cit. *in vtroque opere*, estque communis.

minis, & vera. Probatur primò, partes aquæ, ignis, exterorumque homogeneorum sunt similares, & eiusdem rationis: ergo partes, & gradus qualitatis intensæ sunt homogenei, & similares. Ant. patet, quia participant idem nomen, & eandem rationem, veluti indiuidua eiusdem speciei: quod magis elucet si separentur ab inuicem, quæ tunc induunt rationem totius; tunc enim verum est affirmare, & dicere, hæc est aqua, & illa est, aqua, itemque hic est ignis, & ille est ignis. Eò magis, quia gaudent eadem proprietate, & virtute; partes namque aquæ, & tota aqua, frigefacit, & humectat: itemque partes ignis, & totus ignis calefacit, & comburit. Atque simul vniuntur, seque iuuant, & tuentur à contrariis, & mutuò fouent.

Secundò, eodem modo philosophandum est de quanto quantitate virtutis, ac de quanto quantitate molis, vt in superioribus monstratum est: Atqui quantum quantitate molis sortitur partes homogeneas, vt patet de tabula, aliisque continuis, quorum partes copulantur termino communi: ergo idem affirmandum est de quanto quantitate perfectiuus, vt constat de lumine, calore, frigore, aliisque qualitatibus intensis, quarum partes, & gradus sunt similares, & vnigenei.

Tertiò, si fuerint duo globi ænei æqualis ponderis, æquales erunt in grauitate: Si verò simul vniantur magis ponderabunt, vt monstrat experientia: quod si abinuicem disiungantur, minus ponderabunt, semper conseruantes singuli suam æqualem grauitatem: ergo si grauitatis gradus sunt similes, & homogenei, pariter gradus exterarum qualitatum erunt similes, & vnigenei, vt liquet de duabus accensis lucernis, quæ simul iunctæ, aut abiunctæ retinent suos gradus lucis similes, eiusdemque rationis.

Quartò, si quispiam Deo carus, & sceptus habeat tres gradus gratiæ, & postmodum bene operetur, actu tamen remisso, & conatu minori, debetur illi alius gradus gratiæ, quo præcedentes gradus intenduntur, veluti aqua addita aquæ intenditur, tametsi subsequens sit minor præexistente, vt patet de fluminibus intrantibus mare: ac de pluuia, qua intumescunt ipsa flumina, quorum aquæ omnes sunt similes, & homogeneæ, ergo hoc ipsum dicendum est de gradibus cuiuscumque qualitatis intensæ.

Dices, id non valere de qualitatibus operatiuis, & productiuis effectuum eiusdem rationis, vt calor producit calorem, & lux lucem: benè tamen de non productiuis effectuum sibi similium, vt gratia non producit gratiam, & gloria non producit gloriam. Contrà, quod vnum sit productiuum alterius, vel non productiuum, non tollit, aut ponit homogeneitatem, aut heterogeneitatem. Nam Angelus, & anima rationalis non generant sibi similia, & tamen assimilantur, & Cæli sunt homogenei, licet non generent alios cælos: lux gignit lumen cuius gradus sunt similes, & eiusdem rationis: sic dicito de igne, calore, & aliis eiusdem formæ. Concludo ergo gradus qualitatis intensæ, siue priores, siue posteriores esse homogeneos, & similares.

26. Oppones primò, si gradus forent similes, & homogenei, qualitas intensa, & remissa essent æqualis perfectionis, ac virtutis: hoc autem defendi nequit, ergo nec illud. Sequela ma. suadetur, si gradus qualitatis extendantur, æque sunt perfecti, ac si intendantur, quia per extensionem non amittunt suam, virtutem, & perfectionem, nec per vnionem accipiunt nouam perfectionem, & vigorem. Nego seq. ma. ad eius probationem dico, gradus vnitos, & intensos esse efficaciores, & præstantiores, quàm disiunctos, & remissos: quia virtus vnita fortior se ipsa dispersa. Et natura simul coniuncta, & colligata impedit ne fiat vacuum ab Angelo primo, licet non sit potestas in terra, quæ comparetur ei: *Iob.41.* cuius memini *lib.6. Phys. quæst.3. artic.2.* Quo in sensu fortassè *Ecclesiastes* 4. subiicit, *Funiculus triplex difficilè rumpitur.*

27. Oppones secundò, plures gradus in eadem parte subiecti intendunt qualitatem, ergo & plures partes quantitatis se penetrantes intendunt quantitatem: hoe autem non conceditur, ergo nec illud est admittendum, si gradus sint homogenei: bene tamen, si heterogenei extiterint. Concedo ant. nego conseq. quia qualitas, cum suscipiat magis, & minus, est capax intensionis, quantitas verò, cum magis, & minus non suscipiat, non intensionis, sed extensionis est particeps.

28. Oppones tertiò, agens nequit transilire metus suæ virtutis, & actiuitatis, vt pro certo habent omnes Philosophi: Si autem gradus qualitatis forent homogenei, agens naturale ageret vltrà suam virtutem, & exiret extra sphæram suæ actiuitatis. Nam v.g. album vt duo posset causare duos gradus albedinis in alteto albo sibi simili habente pariter duos gradus albedinis, sieque esset album vt quatuor. Itemque alios gradus quiret efficere, etiam octauum, & summum, quod videtur incommodum, & absurdum: ergo præfati gradus qualitatis intensæ haud sunt homogenei. Concedo, ma. nego min. Simile quippe, & æquale in virtute non agit in simile, nec in par in potentia, ac virtute, vt ostendit experientia. Album namque vt duo, quia iam habet, & possidet duos gradus, ad ipsos non tendit, & inclinat, quia acquisito termino, cessat motus, sed alios, quos agens fortius, & superius inducere valet duntaxat. Quare, nullum sequitur incommoditas, in statuendis gradibus homogeneis: quin immò, si ponantur gradus heterogenei, vt apertè euincunt, quæ suprà adduxi.

29. Oppones quartò, per visionem intensiorem perfectius, & clarius videtur Deus à Beatis, at si gradus sunt homogenei, & æquales, æque perfectè, ac clarè videret vnus Beatus habens duos gradus visionis, quàm alter habens quatuor gradus, propterea quod vnus gradus non est perfectior, ac maior altero, sed sunt æqualis virtutis, ac perfectionis. Ergo &c. Concedo ma. nego min. ratio est, quia licet gradus sint æquales in virtute, & perfectione, non tamen in numero. Ideò habens plures gradus visionis beatificæ est beatior, habente pauciores, veluti ille est ditior qui habet plures pecunias, & facultates, alio pauciores possidente.

30. Quæres, quænam qualitates sint intensibiles, & remissibiles? Dico potissimum esse qualitates primæ speciei, putà habitus acquisitos, vt scientiam, & infusos, vt gratiam: & tertiæ speciei, vt amorem, odium, lætitiam, tristitiam, & id genus alia, de quibus fusè in Log.

ARTICVLVS V.

An gradus qualitatis inter se distinguantur.

31. Assertio, gradus qualitatis intensæ abinuicem realiter distinguuntur. Insinuatur à Scot. *1. d.17.q.3.* & *in Report q.4. & inde*, contrà quosdam, quorum suppresso nomine meminit Mayr. *d.18. primo, q.2 a.1.* Probatur 1. ea realiter inter se differunt, quorum vnum potest produci, altero non producto. Hoc enim est præcipuum, & manifestum indicium distinctionis realis: potest autem produci primus gradus, secundo gradu non producto, siquidem post productionem primi gradus, agens potest impediri à contrario, ac desistere à productione secundi gradus. Ergo gradus inter se realiter differunt. Secundò, quorum vnum potest remanere, & persistere in esse, aliud verò corrumpi, inter ea cadit distinctio realis, vt constat ex definitione distinctionis realis alibi allata: potest autem vnus gradus permanere, & alter destrui, potest namque primus gradus in suo esse persistere, & secundus

 gradus

gradus corrumpi, vt euenit in remissione qualitatis, cum scilicet magnus & intensus calor aquæ feruidæ remittitur, & intenditur frigus, redeunte ipsa aqua, ad suam frigiditatem: ergo &c.

32. Opp. 1. realiter distincta non faciunt vnum per se, nisi alterum se habeat per modum potentiæ, & alterum per modum actus: qualitas autem intensa est quid vnum coalitum ex graduum pluralitate: ergo gradus, ex quibus coalescit, realiter non differunt. Distinguo Ma. de iis, quæ faciunt vnum vnitate compositionis, concedo: de aliis verò quæ constituunt vnum vnitate homogenea, integrali, & graduali, nego.

Opp. 2. si forent plures gradus realiter distincti, multiplicatis ipsis gradibus, vtique multiplicaretur qualitas, quandoquidem ad multiplicationem inferiorum, multiplicatur superius: qualitas autem intensa non est multiplex sed vna, ergo nec gradus sunt multi reipsa distincti. Nego ma. potest namque plurificari posterius, absque plurificatione prioris: sic vna existente causa, plures sunt eius effectus, & sub vno genere comprehenduntur plures species: atque vna species plura habet indiuidua. Quarè, qualitas intensa licet sit vna vnitate homogeneitatis totali, est tamen multiplex multiplicitate partiali, veluti mare est vnum totale, & plura partialia.

Articulus VI.

An intensio, & remissio inter se differant.

OMnis forma intensibilis, quoque est remissibilis. Quod enim potest intendi, vtique potest remitti, & è contra. Vndè intensio est acquisitio, seu motus acquisitiuus graduum qualitatis: remissio verò est deperditio, seu motus deperditiuus graduum qualitatis. Idque claret de calore aquæ, cum ab igne supposito, magis calefit, & ebullit, ac feruet: & cum amoto igne, paulatim calor minuitur, & redit ad suam pristinam frigiditatem.

33. Ass. intensio, & remissio ab inuicem discriminantur: Insinuatur à Doct. *locis præalleg.* probatur primò, motus distinguuntur penes suos terminos, ex dictis *lib.* 8. *Phys. quæst.* 2. *art.* 1. & 2. Intensio autem, & remissio distinctos sortiuntur terminos. Siquidem intensionis terminus est positiuus, remissionis verò est priuatiuus, vt patet ex descriptione vtriusque præallata, ergo intensio, & remissio inter se dissident. Secundò, intensio, & remissio inter se differunt, veluti generatio, & corruptio: generatio autem, & corruptio inter se differunt, vt liquet *ex primò l. huius tract. quæst.* 2. & 3. Ergò pariter intensio, & remissio. Ma. est conspicua ex initio huius art. intensio quippè est acquisitio nouorum graduum, remissio verò est deperditio graduum quorumdam præexistentium.

34. Opp. 1. Arist. 5. *Phys.* 18. recenset remissionem inter motus positiuos, ergo intensio, & remissio non differunt sicut motus positiuus, & priuatiuus. Respondeo Philosophum exponendum esse de remissione non præcisè, & formaliter, sed connotatiuè, & fundamentaliter, quatenus remissio designat aliquos gradus superstites, penès quos remissio vocari potest motus positiuus.

35. Opp. 2. intensio, & remissio se habent, veluti generatio, & corruptio, ex assertis suprà: corruptio autem est destructio totius in totum, nullo sensibili remanente, vt loco nuper cit. ostendi: ergo etiam connotatiuè, & fundamentaliter remissio non est motus positiuus. Respondeo remissionem esse corruptionem partialem, hoc est aliquorum graduum duntaxat: non autem corruptionem totalem, vt benè deducitur in argumento.

QVÆSTIO II.

De rarefactione, & condensatione.

1. ESse rarefactionem, & condensationem, patet oculis nostris. Cernimus namque ignem rarefieri, aquam condensari, oleum, lac, & id genus alia. Quid verò sint, quidve includant, ad quod tendant, & in quo resideant, non ita apertum, & peruium est: proptereà subsequentes statuimus art. ad hæc illustranda, & decidenda.

Articulus I.

An per rarefactionem producatur quantitas de nouo, & per condensationem vetus deperdatur.

2. QVatuor præcipuæ opiniones referuntur, & examinantur Philosophorum discordes, & discrepantes, quarum prima est quorundam, quorum nomina reticet Doct. 4. *d.* 12. *q.* 4. §. *quantum ad istam*, existimantium rarefactionem effici per corpuscula tenuia, & subtilia ingredientia intra poros rarefacti: & condensationem fieri per egressum dictorum corporum, ex poris condensati. His subscribunt Arr. *disp.* 16. *Phys. sect.* 10. *subsect.* 2. & Ponc *disp* 55. *quæst. vlt. concl.* 5. *num.* 47. secunda est Goffiedi *Quol.* 11. *quæst.* 3. Burl. relati à Marginistis. Scot. nunc cit. §. *Hic est vna opinio*, & Pomponatij, *primò de gen. quæst.* 10. arbitrantium per rarefactionem corrumpi totam quantitatem præcedentem, & nouam maiorem in rarefacto produci.

Tertia est quam tuentur Bassol. 4. *d.* 12. *quæst.* 3. Marsilius 1. *de gen. quæst.* 15. Heruæus *Quol.* 1. *quæst.* 5. & alij non pauci, affirmantes in rarefactione aliquam partem quantitatis nouæ produci, & in condensatione aliquam partem quantitatis præcedentis deperdi. Hancque sequitur Tol. 4. *Phys. quæst.* 11. putatque esse veram, & Arist. cui patrocinatur Scot. *vbi suprà, sub B.* §. *quantum ad istam*, & *in Repor. quæst.* 5. §. *Dico tamen.* Quarta traditur a Ioanne de Magis. 1. *de gen. quæst.* 4. *scibili primo*, Mayt. 4. *d.* 12. *quæst.* 4. Rub. 1. *de gen. c.* 5. *tract. de rarefactione quæst.* 1. Conimb. *quæst.* 17. *art.* 3. aliisque permultis, asserentibus in rarefactione nullam quantitatem totalem, aut partialem acquiri, sed maiorem extensionem localem, & in condensatione minorem. A quibus longè distare Doctor noster locis præalleg. non videtur.

3. Not. 1. rarefactionem, & condensationem bifariàm accipi. Primò latè pro quacumque laxatione, & dilatatione, vel contractione, & compressione cuiuscumque rei rarefactibilis, & condensabilis, sic spongia aere, vel aqua plena dicitur rarefacta: expulso autem aere ab ea, vel aqua dicitur condensata. Hæc autem acceptio est vulgaris, & impropria, quam plerique veteres tantum agnouerunt, existimantes in corpore esse poros vacuos, quos nos tenui, & subtili corpore plenos fatemur. Secundò presè, pro ampliatione partium coniunctarum maiorem locum occupantium, aut pro compressione earumdem partium simul connexarum minus spatium tenentium. Et de hac sumptione, quæ est propria, sermo est in præsentia. Sic enim rarefit cera calore, & condensatur frigore, & quodlibet aliud rarefactibile, & condensabile.

4. Not. 2. tres esse præcipuas causas rarefactionis, & condensationis. Vna est calor, & frigus

notante

notante D. *Bon.* 2. *d.* 14. *quæst.* 3. *n.*67. Experimur namque calorem rarefacere rarefactibile, & frigus condensare condensabile, vt mox de cera explicabam, quæ igni apposita, rarescit, & illi proxima densatur. Patet quoque de castaneis, glandibus, puluere tormentario, & alijs huius modi, quæ per calorem, & ignem rarescunt, & petunt maiorem locum, ac etiam protinùs franguntur, & in fauillas, & cineres reducuntur. Præterea constat de aqua in lebete, quæ frigida paruo loco contenta est, at verò, cum incalescit, rarescit, & ad maiorem locum tendit, ebulliensque, ac feruens, extrà ipsum lebetem egreditur. Altera est generatio, præcipuè elementorum, quorum nonnulla æstate crescunt, & rarescunt, vt ignis, & aër: cætera verò decrescunt, & densantur, vt aqua, & terra: hyeme verò oppositum contingit. Siquidem illa minorantur; hæc verò maiorantur. Tertia est motus localis, quo aër à ventis impetitur, & ad angustum locum redactus, densatur: quibus cessantibus ad lucum ampliorem funditur, & rarescit.

5. Not. 3. accidentia materialia educi de potentia subiecti. Quod enim actu est frigidum, erat frigidum in potentia, & quod actu est calidum, vtique erat calidum in potentia, & sic affirmandum est de reliquis, eo ferè pacto, quo formæ substantiales educuntur de potentia materiæ, ex ostensis *lib.* 2. *Phys.* pariter accidentia ab agente naturali eruuntur ex potentia suorum subiectorum. Vndè quantitas, quæ est primum accidens consequens substantiam corpoream, ex cuius potentia educitur, ei proportionatur, & adæquatur, adeò vt ea crescente crescat, & decrescente, decrescat. Itaque, in rarefactione augetur dicta substantia, & quoque eius quantitas, & in densatione minuitur eadem substantia, similiter eius quantitas minoratur: & hanc doctrinam expressè tenuisse Arist. 4. *Phys.* *T.* 84. affirmat Tolet. nuper alleg.

6. Ass. 1. rarefactio non fit per ingressum corporum subtilium in crassitiem corporis rarefactibilis: nec condensatio per egressum dictorum corporum. Tangitur à Doct. *passu memorato* §. *quantum ad ista sub B.* Probatur primò, corpus potest esse rarum, absque præfatis corporibus subtilibus: ergò rarefactio non fit per huiusmodi corpora. Ant. est in promptu. Siquidem quædam sunt partes cæli raræ, quæ non lucent: quædam verò sunt partes densæ, quæ lucent, putà stellæ. In illis autem non existunt talia corpora subtilia, cum cœlum sit corpus simplex alienum ab ingressu, aut egressu eorum corporum, incorruptum, & seiunctum ab eorumdem ortu, transitu & interitu.

Dices, cœlum à primordio suæ nolitionis ita esse constitutum, vt quædam eius partes sint raræ, quædam verò densæ. Cæterùm, corpora sublunaria rarefactibilia, & densibilia exigunt, aut respectant huiusmodi corpora subtilia, & exilia. Contra, si ea corpora non sunt necessaria ad vnum corpus rarefaciendum, ergo nec ad aliud, veluti si quantitas non est causa ad indiuiduandam, & singularizandam substantiam cælestem, ergo nec ad sublunarem, & terrestrem. Pariter si mainr radicatio in subiecto non est causa intensionis gratiæ, & gloriæ iustorum, nec etiam alterius qualitatis, puta albedinis, vel nigredinis. Quare si præfata corpora non causant raritatem in cœlo, vtique nec in terra. Secundò rarefactio foret iuxtapositio eorum corporum subtilium: vnum quippè alteri apponeretur, ratione cuius rarefieret: id autem falsum est, veluti dogma priscorum Philosophorum existimantium generationem esse aggregationem athomorum. Deindè, illa corpora sunt raritatis, & densitatis capacia, cum sint eiusdem rationis, cum cæteris rarefactibilibus, & densabilibus: ergo assignanda est causa eorum raritatis, & densitatis, quæ non habetur per alia corpora, secus abiretur in infinitum, ergo statuenda est altera causa infrà nominanda.

Insuper, absque ingressu talium corporum, cera in vase occlusa rarescit, & frigore densatur: dato enim quod ipsum vas vndique sit obturatum, & obseratum, vt ea corpora in idemmet vas ingredi nequeant, sanè habetur rarefactio ceræ à calore circumstante, eoque cessante, eiusdem ceræ densatio: vanum ergo & frustraneum est admittere ea corpora, tanquam causam raritatis, & densitatis rarefactibilium, & densabilium cum absque illis raritas, & densitas esse valeant. Demum, si corpus secundum omnes suas partes extenderetur, aut comprimeretur, & Deus impediret, nè vllum corpus subtile intromitteretur intra dictas partes, aut extra illas exiret, ipsum corpus rarefieret, aut densaretur, sine illis tenuibus corporibus ingredientibus, aut egredientibus: impertinenter ergo sunt ea corpora ad raritatem, aut densitatem. Quæ autem respondent Authores primæ sententiæ ad hæc, sunt sic trita, & futilia, vt pigeat ea adducere, & refellere.

7. Ass. 2. in rarefactione tota præcedens quantitas non corrumpitur & noua subsequens maior non producitur. Ita Scot. *vbi supra.* Probatur primò, manente subiecto, manet vtique eius passio, & proprietas, vt manente homine, manet quoque eius risibilitas: in rarefactione autem compositum physicum, quod est subiectum quantitatis persistit, vt sensu, & experientia monstratur, ergo & eius passio, & proprietas, quæ est quantitas, proindèque in rarefactione non perit verus, nouaque maior quantitas non succedit. Secundò perseuerantibus accidentibus, etiam subiectum perseuerat. Non enim accidentia migrant de subiecto in subiectum, nec suaptè natura valent esse sine subiecto: in rarefactione autem permanent accidentia, quæ inerant in subiecto, priusquam rarefieret, putà color, odor, sapor, & huius formæ alia, vt liquet in cera rarefacta, ergo & ipsorum subiectum proximum, & immediatum, quod est quantitas. Huc quoque pertinent rationes, quas attuli, ad probandum, in intensiore, qualitatem præcedentem non corrumpi, sed persistere cum additione nouorum graduum.

8. Ass. 3. in rarefactione aliqua pars quantitatis de nouo aggeneratur præexistenti, & in condensatione aliqua pars quantitatis deperditur. Tenet Doct. cit. præsertim *in fine.* Probatur primò ex definitione rari, & densi, quam omnes communiter, & vnanimiter ex Arist. 4. *Phys. cap.* 9. *T.* 84. recipiunt, rarum est, quod sub magnis dimensionibus habet parum materiæ. Densum verò est, quod sub paruis dimensionibus habet multum materiæ. Corroboratur *ex* 4. *Phys.* 84. rarum est, quod magis in potentia erat dimensiuum, fit actu magis dimensiuum: nequit autem esse magis actu dimensiuum, nisi per maiorem quantitatem, sicut non potest flumen maius esse, nisi per maiorem aquam in eo existentem, nec maior fornax ardens, nisi per maiorem ignem in ea ardentem. Cum ergo fit rarefactio, noua pars quantitatis accedit præexistenti quantitati rarefacti, & cum efficitur condensatio, quædam pars quantitatis corporis condensati. Occurrit Hurt. cit. per distinctionem, inquiens, præfatum testimonium non valere in actu primo, & remoto: sed in actu secundo, & proximo, qui est extensio dimensiua circumscriptiua, & localis: non verò extensio interna partium corporis rarefacti, & quantitatiua. Et in idem videtur recidere quod Ruu. & alij aiunt, esse nouum modum, non autem nouam quantitatem. Contra, vbi est effectus formalis, ibi est causa eius formalis, vt patet, vbicumque enim est animatio, ibi est anima, & vbi est dealbatio, ibi est albedo: ergo si in rarefactione est noua dimensio, & extensio, quoque est noua quantitas: concedunt autem Authores alleg. esse nouam, maioremque dimensionem, & extensionem in rarefactione rei rarefactæ, ergò, & nouam, & maiorem quantitatem, cum illa, ab hac non separetur, sicut effectus formalis à causa formali,

& modus, à re modificata non segregatur. Deinde quantitas definitur ens per se extensum, & positio partium extrà partes: in rarefactione autem reperitur maior extensio partium, maiorque earumdem partium positio, vt sensus, & experientia monstrat, ergo & maior quantitas.

Secundò, intensio formæ non fit absque nouo gradu illi addito, vt probaui *in superiori quæst. art. 3.* Ergo extensio, quæ habetur per rarefactionem, non efficitur, nisi per nouam partem quantitatis præexistenti adiunctam. Conseq. patet à pari; sicut enim intenditur forma additione noui gradus: ita extenditur additione nouæ partis quantitatis. Respondent Aduersarij negantes paritatem, quia quantitas extenditur nullo sibi addito, vt liquet de spongia, pelle, & reliquis, quæ inuariata, & immutata extenduntur, & constringuntur absque receptione, & accessu alicuius rei de nouo. Contrà, præterquamquod isti afferunt hanc paritatem ad suadendum intensionem effici per nouorum graduum aduentum, & adducunt exempla de extensione, & rarefactione latè sumpta, cuius memini loco nuper memorato, impugnantur sic: ille motus quo corpus transit à denso ad rarum, est alicuius rei acquisitiuus, non alterius sanè, quam quantitatis, quia fit maius, quod spectat ad quantitatem, ergo in rarefactione acquiritur aliqua quantitas, quæ priùs non erat in eo corpore.

Dices, produci quandam qualitatem, qua ipsum corpus rarescit. Contrà, rarefactio non fertur ad qualitatem, sed ad quantitatem, teste Arist. *l. prædicam. ad finem c. de qualitate,* & dato quod fiat aliqua qualitas, non obstat, quin etiam gignatur aliqua quantitas, cum fiat noua extensio, quæ pertinet ad quantitatem. Rursus, in nutritione aggeneratur pars aliqua substantiæ, & quantitatis præexistenti nutrito, vt non negant Antigonistæ, ergo pariter in rarefacto adiungitur rarefacto quædam quantitas, per quam corpus amplius extenditur, & maioratur.

Dices, non fieri nouam quantitatem, sed modum quemdam subsequentem quantitatem. Contrà, iam is modus à nobis reiectus est, tanquam vanus, & irritus. Deinde, si esset, in aliqua ex decem categoriis collocaretur, sed non in tribus prioribus, vt fatentur prænominati Authores, nec in reliquis, quæ constituuntur non per modus, sed per relationes extrinsecùs aduenientes, ex assertis in Log. *l. 3. quæst. 8. art. 1.* Insuper, is modus non dissidet ab extensione locali, vt significant prærecensiti Philosophi, ergo eadem ratione refellitur, qua extensio localis suprà reiecta est. Porrò non caret probabilitate in rarefactione solummodò acquiri dictam extensionem vbiqualem, quam in multis curriculis tutatus sum, nec à Scot videtur multum aliena, cum anceps videatur, & dubius *locus memoratis*, & non ignobiles eius discipuli apertè, & enixè eam defendant, & oppositis argumentis commode, & facilè occurrant.

9. Oppones primò, *ex 4. Physic. cap. 9. T. 84.* in rarefactione nihil noui acquiri à corpore rarefacto, & in condensatione nihil præexistentis deperdi. Nam, eadem cera, quæ erat frigore concreta, & densa, calore dilatatur, & funditur ad maius spatium, & locum occupandum. Respondeo per expositionem, & distinctionem eius testimonij: in rarefactione, & condensatione nihil de nouo aduenit, aut recedit, quoad materiam, partes eius subiectas, concedo: quoad quantitatem, aliaque accidentia, nego: siquidem ibi, vt obseruant Conimbr. *1. de gen. cap. 5. quæst 17. art. 1.* Aristot. tradit definitiones rari, & densi, inquiens, rarum est, quod sub magnis dimensionibus habet paruam materiam, & densum quod sub paruis dimensionibus multum materiæ participat. Quare præfatum testimonium potius nobis proficit, quàm officiat: eadem quippè materia, siue corpore remanente, per rarefactionem acquiritur maior dimensio, quæ pertinet ad quantitatem, & per condensationem, quoque eodem persistente subiecto perit aliqua eius dimensio, quæ quantitati est propria.

10. Oppones secundò, si rarefacto corpori accedit noua quantitas veteri præexistenti, cum vtraque sit accidens, postulat subiectum, in quo inhæreat, vel ergo vna est in alia, sicque datur penetratio dimensionum, quæ est impossibilis: vel altera recedit à subiecto, vt putat Goffred. vel rarefactio non fit per omnes partes, quod est contra hypothesim: atque cum non appareat alius modus, quo fiat rarefactio, rectè deducitur nec totam quantitatem nouam, nec partem eius acquiri rarefacto, & in denso neutram amitti. Respondeo partem quantitatis in rarefacto adiungi præexistenti quantitati, eo ferè pacto, quo aquæ additur aqua, & igni ignis. Suprà namque affirmaui, intensionem, & extensionem assimulari; sicut enim illa fit additione gradus, ad gradum; sic ista additione partis, ad partem. Itaque, nullum infertur incommodum ex præadductis, & prænarratis.

11. Oppones tertiò, si rarefactio tenderet ad nouam quantitatem, non distingueretur ab augmentatione, quia hæc pariter fertur ad nouam quantitatem, & identitas motus petitur à termino ad quem: vtriusque autem præfati motus idem foret terminus ad quem, puta quantitas, ergo nullum interciperetur discrimen inter dictos motus, quod est falsum. Neganda est sequela ma. siquidem augmentatatio est accretio materiæ subiectæ, & quantitatis simul, vt liquet in animatis, quæ crescunt per intus susceptionem, & in inanimatis, quæ augentur per iuxta positionem: in rarefactione autem est solum additio penes aliquam quantitatem, vt suprà planum feci.

12. Oppones quartò, si hostia consecrata rarefiat, vt non repugnat, apposito calore, acquireret aliquam quantitatem, quàm priùs non habebat, in qua non esset corpus Christi, quandoquidem corpus Christi existit duntaxat in partibus eius consecratis: inconueniens autem videtur esse aliquam partem hostiæ, in qua corpus Christi non existat, ergo per rarefactionem ei non aduenit noua quantitas. Concedo ma. nego min. vt enim hostiæ consecratæ accedunt alia accidentia, vt calor, diuisio, fractio, & huiusmodi, in quibus non extat corpus Christi, pariter mirum nulli debet esse, vt in noua quantitate per rarefactionem parta non sit corpus Christi Domini, vt post Scot. cit. notat Hurt. *disp. 4. sect. 2.*

Articulus II.

An raritas, & densitas spectent ad quantitatem, aut qualitatem.

13. Qui in rarefactione nullam nouam quantitatem agnoscunt, rarefactionem, & densationem inter qualitates adscribunt. Qui autem in rarefactione totam quantitatem, aut partem de nouo acquiri, & in condensatione deperdi arbitrantur, raritatem, & densitatem ad quantitatem reuocant. Pro huius autem difficultatis explanatione, & decisione.

14. Not. ex Scot. *in prædicam quæst. 3. §. Notandum in cap. de qualitate*, & Antonio Andrea *in expos. sex principiorum, cap. 6.* rarum, & densum bifariam accipi, vno modo, pro extensione partium, idque dupliciter, vel pro extensione partium in loco, & est situs, vel pro extensione partium in toto, & conuenit quantitati, quæ diuiditur in eam, quæ habet positionem, partium, & in aliam, quæ tali positione partium caret, vt intueri licet *lib. prædicam cap. de quantitate*, in quo afferitur

afferitur præfata diuisio quantitatis. Altero modo pro extensione partium materiæ, passionemque sensui infert, & ab ipso sensu percipitur, quo pacto est qualitas, residens in tertia specie qualitatis.

15. Assertio, raritas, & densitas pertinent ad prædicamentum quantitatis. Tenet Doct. 4. *distinct.* 12. *quæst.* 4. suadetur primò, ex Aristot. qui *in prædicam. cap. de qualitate*, excludit rarum, & densum à genere & serie qualitatis.

Secundò, extensio partium in toto competit quantitati, vt liquet ex definitione quantitatis: in rarefactione autem extenduntur partes in toto, vt ostendi in antecedente art. ergo raritas, & densitas in categoria quantitatis collocantur.

Tertiò, motus specificatur à termino ad quem, ex alibi dictis: terminus autem ad quem rarefactionis est noua quantitas, ratione cuius partes corporis rarefacti extenduntur adinuicem, & ad locum ampliorem. Deinde, in superiori art. asserui, in rarefactione produci quamdam partem quantitatis de nouo, quæ annectitur, & aggeneratur præcedenti, & præexistenti quantitati. Insuper, raritas, & densitas vel locantur in prædicamento quantitatis, vel qualitatis, vel situs: sed non in categoria situs, cum sit extensio partium ad locum, nec in prædicamento qualitatis, quia præexigunt qualitatem, præexigens autem non est præexactum, vt accidens quod præexigit subiectum, in quo inhæret, non est ipsum subiectum, in quo subiectatur: raritas autem præexigit qualitatem, vtpotè calorem, quo densum rarescit, vt superius obseruaui: igitur raritas, & densitas resident in prædicamento quantitatis.

16. Oppones Arist. 4. *Phys.* 84. & 7. *eiusdem operis*, 11. raritatem, & densitatem inter qualitates tangibiles enumerat. Idem sentiunt August. *lib. categ. cap* 12. Damasc. *in Phys. cap.* 52. Porret *lib. sex principiorum, cap.* 6. & alij permulti. Respondeo has, & consimiles authoritates exponendas esse iuxtà distinctionem prætallatam in præmisso not. quatenus scilicet sunt qualitates tangibiles, & passibiles: non autem quatenus præseferunt positionem partium in toto, aut in loco.

17. Oppones secundò, quantitati nihil est contrarium, authore Arist. *cap. de quantitate*: raritas autem, & densitas sunt contraria, vt significat idem Philosophus 4. *Phys.* 85. & 2. *de partibus animalium, cap.* 1. ergo in catalogo qualitatis connumerantur. Concedo ma. distinguo min. ratione sui, nego: ratione contentorum in eis, concedo. Siquidem in ipsis continentur calor, frigus, & cæteræ qualitates. Ita exponenda sunt loca Philosophi prætallata.

Articvlvs III.

An sine rarefactione, & additione nouæ materia ex paruo fieri possit magnum.

18. OMnes, (quibusdam paucis exceptis) negant id effici posse naturali virtute: de supernaturali verò, non vna est Doctorum sententia. Siquidem D. Greg. Nyssenus *orat.* 3. *de resurrectione*, Petrus Lombardus 2. *dist.* 18. Dur. & alij *ibid.* partem affirmantem amplectuntur: negantem autem sequuntur Mayr. Bassol. Carthusianus, & Ariminensis, *eadem dist. nunc alleg.* vtramque autem tanquam probabilem tuentur Maior, Gabriel *ibid. quæst. vn. art.* 3. Dub. & Conimbr. 1. *de gen. cap.* 5. *quæst.* 18. tametsi in negatiuam propendeant.

19. Assertio, ex paruo nequit magnum effici, etiam diuinitùs, nisi rarefactione, aut accessu nouæ materiæ. Tangitur à Doct. 2. *dist.* 18. *quæst. vn. in fine.* suadetur primò, quod clauditur in essentiali definitione alicuius, ab eo tolli non potest, superna, & absoluta Dei potentia, nisi destruatur, vt si ab homine dema ns rationale, quod ingreditur definitionem eius essentialem, & quidditatiuam, aufertur natura eius: at in definitione magni statuitur maior quantitas, quam in definitione parui: definitur namque magnum, & rarum, quod habet parum materiæ, & multum dimensionis, & paruum, & densum, quod habet multum materiæ, & dimensionis parum, vt patet 4. *Phys.* 84. impossibile ergo est, paruum euadere magnum, nisi rarefactione, per quam acquiritur noua quantitas, ex dictis in præcedente art. aut aduentu nouæ materiæ, veluti aqua crescit, addita ipsi alia aqua, & ignis augetur, adiuncto ipsi altero igne.

Secundò, nullo modo, nullaque virtute, effectus formalis esse valet, absque sua causa formali, vt animatum esse nequit absque anima, & album sine albedine: magnum autem est effectus formalis magnitudinis, quæ est quantitas; magnum quippè est magnitudine magnum, veluti quantum est quantitate quantum, & album albedine album: ergo ex paruo non efficitur magnum, nisi addatur noua quantitas, quæ habetur per rarefactionem, aut noua materia, per quam fit augmentum. Vnde August. 10. *de gener. ad lit.* Postremò subiicit. *Quid autem absurdius, quàm putare, vllum esse corpus, manente natura sua quantitate, quod vndique crescat, nisi rarefiat.*

Tertiò, eo planè modo philosophandum est de hac re, ac de costa Adæ, de qua Eua formata est, *Gen.* 2. de oleo cuiusdam viduæ multiplicato, 4. *Reg.* 4. Atque de panibus Euangelicis, *Ioan* 6. & *Matt.* 14. Hæc autem non euenerunt absque nouæ materiæ accessu, & interuentu. Vt enim probè subiicit August. *in Ioan. proximè citato* panes Euangelici benedictione Christi Domini multiplicati sunt eo ferè pacto, quo segetes ex paruis granis augentur: quos crescere per nouæ materiæ additionem nemo in dubium vocat. Idipsum ergo de præsenti astruendum est.

20. Oppones primò, maius, & præstantius opus est creatio ex nihilo, quàm factio magni ex paruo: illud autem est possibile, vt ostendi *lib. de Mundi opificio*, ergo & istud. Respondeo primum esse possibile, quia nullam inuoluit repugnantiam: secundum verò esse impossibile, quia implicat esse quantum sine quantitate, sicut esse album, absque albedine.

21. Oppones secundò, quod non includitur in essentia materiæ, potest absque vlla repugnantia tolli ab ea: magnitudo autem, vel paruitas non est de essentia materiæ, cum ex alibi dictis quantitas non sit coæua materiæ, nec passio eius: sed composito adaptetur: nihil ergo obstat, quin ex paruo fiat magnum absque rarefactione, & quantitate. Concedo ma. ad min. dico; materiam non posse effici magnam, aut paruam, sine quantitate: causa est, quia maius, aut minus competunt quantitati, cum per quantitatem res dicatur magna, vel parua, sicut per similitudinem res dicitur similis, & per dissimilitudinem dissimilia.

22. Oppones tertiò, si res parua fieri nequit magna, nisi ei addatur noua materia, si maior sit materia, quæ ei aduenit, non videtur fieri ex illa, sed potiùs ex ista: vnde si multum aquæ infundatur in parum vini, iam non est ampliùs vinum, sed aqua. Sic ex costa Adami non fuisset factum corpus Euæ, quod erat conuenientis, & debitæ magnitudinis, cum à Deo fuerit conditum, cuius perfecta sunt opera. Neganda est sequela; nam ex paruo semine producitur magna arbor, & ex exigua scintilla ingens ignis. Idque significat Saluator Luc. 13. de grano sinapis, quod cum sit paruum, crescit in magnam arborem. Ad illud quod subiicitur, dico pertinere ad mixtionem, de qua *in* 4. *lib.*

LIBER TERIVS.

De Actione, & Reactione.

1. PRÆSVPPONENDA, & præcognoscenda sunt, quæ dixi in Logica de actione & passione, præsertim *in Epitome lib.1. quæst.4. art.9.* Reliqua verò hic enixè, & accuratè sunt examinanda, & decidenda. Duæ verò quæstiones mouentur in hoc libro, prior de actione, & posterior de reactione.

QVÆSTIO I.

De Actione.

ARTICVLVS I.

An actio sit in agente, aut patiente.

2. PRIMA sententia est Henr. *Quol.4.quæst.4.* Capreoli 2.*distinct.1. quæst.2.art,3.* & multorum aliorum existimantiom actionem subiectari in patiente. Secunda verò sententia traditur à Scot.4. *dist.13. quæst.3.* & 2. *dist.3. quæst.5. lit.5.* & 3. *dist.3. quæst.6. in fine,* & *quæst.9. lit.O.* & *lib. de anima, quæst.3.* Antonio Andr.9. *Met quæst.4.* & *in exp. lib. sex princ. duobus nuperis disp.7 Phys.quæst.3. art.1.* & ex Thomist.Caiet.1.*p.quæst.25.art.1.* docentibus actionem in agente residere.

3. Not. primò, ex Scot. *Quol.*13. actionem vulgò diuidi in actionem immanentem, & transeuntem. Actio immanens describitur, cuius terminus manet in agente, vt dictio, & intellificatio, quæ fertur ad intellectionem, tanquam eius terminum, quæ insidet in intellectu producente ipsam intellectionem, per præfatam dictionem, & intellificationem. Itemque productio visionis est actio immanens, propterea quod visio, quæ est eius terminus, manet in oculo, vt in subiecto. Actio verò transiens definitur ea, cuius terminus exit extra agens, vt domificatio est actio transiens, cuius terminus est domus constructa, quæ extra ædificantem extat. Quare præallata actionis diuisio petitur penes terminum, qui si manet in agente, ab eo denominatur actio immanens: quod si fiat extrà agens, ab illo denominatur actio transiens. Obseruat autem Canon. 3. *Phys. quæst* 2. huiusmodi actionem, non nominari, nisi ab effectu, siue termino eius, & exemplificat de charitate, quæ licet sit actio nobilis, attamen sortitor nomen à dilectione, quæ est eius effectus. Nec omittenda est diuisio in actionem, quæ relinquit opus post se, id est permanens, vt ædificatio relinquit domum constructam: & in actionem, quæ non relinquit opus post se, idest permanens, vt cantatio, & cytharizatio, cuius terminus, & effectus velociter transit, & fluit, cum sint in motu transeunte citò, vt patet in prolatione verborum, & emissione vocis. Huius meminit Arist. 1. *Eth.1.* & 6. *eiusdem operis,* 4. & 1. *Magn. mor. cap. vlt.* necnon 9. *Met. T.*16.

4. Not. secundò, actionem posse bifariàm vsurpari, vno modo pro relatione extrinsecus aduueniente transmutantis, ad transmutatum, quæ est propriè actio de genere actionis, secundum quam agens formaliter denominatur agens. Altero modo, pro actione acta, seu pro re producta per actionem, quæ dicitur actio de genere qualitatis, scribente Scot. 1. *dist.17. quæst.1.* 9. *Qui vellet. ante N.* & 9. *Met. ante exp. in cap.1.* & *T.*41. Hæc autem statuitur duplex: aut enim forma, seu res per actionem producta manet in agente, & vocatur actio immanens, vt intellectio, de qua 9. *Met.*16. Aut forma, seu res per actionem producta, egreditur limites agentis, & extra ipsum agens residet, & perhibetur actio transiens, vt domus constructa, de qua in fine prioris notabilis.

5. Assertio prima, actio formaliter primo modo sumpta pro forma respectiua subiectatur in agente. Est Scot. *vbi suprà*, & probatur primò, *ex* 3. *Phys.* 20. Agens est, a quo aliud, passum verò, quod ab alio: ergo actio est id, quo agens formaliter denominatur agens, cuiusmodi est respectus transmutantis, ad transmutatum, qui extat in agente. Deinde, *ex* 5. *Met. T.*16 potentia actiua est principium transmotandi aliud, inquantum aliud, igitur actio est transmutatio alterius, inquantum alterum, cum sit actus potentiæ actiuæ transmutatiuæ in agente residens. Vnde, *lib. de somno, & vigilia, cap.*1. subiicitur, eiusdem est actus, cuius est potentia: potentia autem agendi est in agente, ergo in eodemmet insidet pariter actio.

Occurrit Ruu. 3. *Phys. quæst* 6. & ait, præfata testimonia ostendere, quidem actionem esse ab agente, non autem in agente, quod controuertitur à Philosophis. Contrà, 2. *anima,* 24. & 29. expressè habetur actum esse in eo, cuius est actus: ergo præmemorata loca non rectè exponuntur de esse ab agente, & non esse in agente, vt in subiecto. Nec præstat subinferre, ibi esse sermonem de actione immanente, non verò transeunte, quandoquidem, ibi quoque verba fiunt de actione transeunte, quæ terminatur ad actionem immanentem: visio quippe, intellectio, & reliquæ actiones immanentes præexigunt, & præsupponunt actiones transeuntes, per quas producuntur, vt palam feci suprà in fundamentis.

Secundò, id subiectatur in agente, per quod agens denominatur formaliter agens, vt liquet de albedine, qua paries dicitur formaliter albus, inhærente in ipso pariete: agens autem actione dicitur, & denominatur formaliter agens, vt ignis calefactione calefaciens, & aqua frigefactione frigefaciens: ergo actio subiectatur in agente. Nec iuuat quorumdam responsio dicentium, agens denominatione extrinseca per actionem denominari duntaxat: Etenim, licet obiecta, in quæ actiones feruntur denominentur denominatione extrinseca, vt paries visus, & lapis cognitus, verumtamen in oculo formaliter est visio, & in intellectu cognitio, per quam formaliter intellectus denominatur cognoscens, & oculus videns: igitur agens actione denominatur agens formaliter, & denominatione intrinseca, non verò extrinseca.

Tertiò, in quo extat fundamentum relationis, in eo reperitur formaliter relatio, vt in Petro est fundamentum paternitatis, putà potentia generandi, in eodem pariter inest paternitas per filium ab ipso genitum. Idque etiam valet in diuinis. Nam paternitas formaliter

est

est in Deo Patre, in quo est potentia generandi Filium: in agente autem inuenitur fundamentum actionis, quæ ex dictis est relatio extrinsecùs adueniens agentis, ad passum, & eius fundamentum potentia actiua transmutatiua: ergo & ipsamet actio, quæ in dicta potentia actiua fundatur.

Quartò, duæ formæ oppositæ existere nequeunt simul in eodem subiecto, vt patet de calore, frigore, & cæteris, quæ in eodem simul non se compatiuntur: actio autem, & passio sunt duæ formæ, seu entitates oppositæ: ob id idem simul respectu eiusdem non potest esse agens, & patiens, purà calefaciens, & calefactum, frigefaciens, & frigefactum; constat autem in passo esse passionem; ergo ab opposito in agente actionem. Insuper, aliquid de non agente, fit agens, vt ignis de non calefaciente lignum, fit calefaciens ipsum lignum, & mutatur consequenter: mutari autem est aliter se habere, per receptionem alicuius de nouo: & ignis calefaciens in se nihil recipit, quam calefactionem, quæ est eius actio, igitur actio sedem suam tenet in agente. Vnde nonnulli non incongruè inferunt, Arist. existimasse, Mundum à Deo fuisse conditum ab æterno, quia capere non valuit in tempore ipsum Deum posse agere, absque noua actione ipsimet adueniente, quæ ipsum mutabilem redderet. Ne igitur Deum faceret mutabilem, opificem rerum statuit ab æterno, vt intueri licet 8. *Phys.* aliisque suæ doctrinæ locis: proindéque actionem in agente insidere, est arbitratus.

6. Assertio secunda, actio secundo modo capta, prout est forma non exiens extra agens, manet in agente: quatenus verò transit extrà agens, subiectatur in passo. Assertio est bipartita, quam tenet Doct. præcit. Prima pars probatur *ex* 9. *Met. T.* 16. operationes, quæ sunt fines potentiarum, putà visio, intellectio, & reliquæ consimiles, in eisdem potentiis, à quibus proficiscuntur, collocantur. Potentiæ autem sunt in agente, ergo & eius actiones sic acceptæ. Secundò, perfectio cuiuscumque subiecti manet in eo, cuius est perfectio, sic visio in oculo, speculatio in intellectu, & gratia in voluntate: actio autem sumpta pro re acta est perfectio agentis cuius est actio; ideò tendit ad eam, tanquam eius finem, ex passu Arist. proximè alleg. Ergo inhæret in agente.

Secunda pars probatur, forma, quæ per motum producitur, exit ab agente, & recipitur in patiente, vt calor per calefactionem productus egreditur ab igne, & in ligno recipitur, à quo ipsum lignum calescit, sic etiam frigiditas niuis in manu recipitur, & inhæret: pariter ædificatio in ædificato, & contextio in contexto, authore Stagir. 3. *Phys.* 19. Denique, motus est in mobili, ex dictis *l. de motu*, ergo huiusmodi actio subiectatur in passo.

7. Oppones primò, Arist. 3. *Phys. à T.* 18. *vsque ad* 24. dissetens de actione, & passione, *T.* 19. *&* 20. potissimum ait, doctionem, & disciplinam esse in discente: doctio autem est actio docentis, & discens est patiens, doctrinámque recipiens: ergo actio subiectatur in passo. Idem asserit 2. *anima T.* 139. aliisque in locis. Respondeo Philosophum interpretandum esse de actione acta, seu producta, quæ est de genere qualitatis: non autem de actione productiua, quæ est de genere actionis, de qua loquimur in præsentia. Idque apertè significat Stagir. citat. *T.* 22. distinguens actionem à passione, doctrinam, & disciplinam.

Dices, Aristot. 3. *Phys. T.* 25. apertè scribit actionem, & passionem esse vnum motum: motus autem est in mobili, quod est patiens, ergo præfata interpretatio, ac distinctio non quadrat textui Philosophi. Dico esse vnum motum materialiter, non autem formaliter. Ait enim ibi actionem, & passionem esse vnum motum, veluti esse motus ascendentis, & descendentis: & veluti est vna distantia, & intercapedo vnius ad duo, & duorum ad vnum. Constat autem motum ascendentis, & descendentis non esse vnum formaliter, eum sint motus oppositi, sed materialiter, ratione spatij intercepti, & interpositi, patet quoque non esse vnum motum subiectiue: nam subiectum ascendentis est ascendens, & descendentis est descendens, quod vtrumque formaliter idem non est.

8. Oppones secundò, ex 9. *Met.* 16. actio diuiditur in immanentem, & transeuntem: si autem omnis actio foret in agente, irrita, & vana esset præfata diuisio, quandoquidem omnis actio esset immanens, & nulla actio transiens, quod pugnat Arist. & Philosophorum vulgo, ergo &c. Respondeo eam actionis partitionem non esse vniuoci, in vniuocata, sed æquiuoci, in æquiuocata, & desumi penes terminum, si enim terminus resideat in agente, dicitur immanens: quod si ab eo exeat, dicitur transiens, vt animaduerti in 1. not.

9. Oppones tertiò, actio est motus, 3. *Phys.* 22. agere quippè est mouere, & agens est mouens: motus autem non est in agente, sed in patiente. Est namque motus actus mobilis, vt mobile est, ex loco alleg. *T.* 18. Ergo actio non collocatur in agente. Respondeo per explicationem, & distinctionem ma. de actione sumpta pro forma transeunte extra agens, concedo, iuxtà 2. *partem ass.* 2. De actione verò productiua, & formaliter capta, nego.

ARTICVLVS II.

An sit actio in distans.

10. Dvæ præcipuæ in hoc art. leguntur scholasticorum discrepantes sententiæ. Vna est doctoris Angelici 1. *p. quæst.* 8. *art.* 1. Caiet. Bannez *ibid.* Suarez *disp.* 18. *Met. sect.* 8. & multorum Recentiorum, negantium dari actionem in distans: Altera verò traditur à Doctore subtili 1. *dist.* 37. *quæst. vn.* & 2. *dist.* 9. *quæst.* 2. *B.* & 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. *Ad* 3. *principale.* Mayr. Bass. Lych. Pil. Oeh. Gabr. Maior. & cæteris Scotist. & Nomin. affirmantibus actionem fieri in distans.

11. Not. agens quandoque vna actione agere in sibi proximum, & remotum, vt ignis calefactione calefacit aerem sibi propinquum, & manum ab ipso distantem: quandoque verò alia actione agit in propinquum, & alia in remotum, vt sol luce illuminat orbes vicinos; & alia virtute, & actione gignit hominem ab ipso distantem, 2. *Physic.* 26. sol, & homo generant hominem. Vnde deducitur in huiusmodi agente reperiri duplex agendi principium, & potentiam, vnam qua agit in proximum, & alteram, qua agit in remotum, sic sol potentia calefactiua calefacit sublunaria, & potentia generatiua gignit aurum in gremio terræ. Cur autem agens prius operetur in proximum, quàm remotum, duplex affertur ratio à Doctore, vna, quia viciniora sunt proportionata, & prius disposita, quam remotiora, ad recipiendum actum, & influxum agentis, sic cernimus solem priùs illuminare montes, & colles, quam planities, priusquam terram calefacere, quam generare mineram in visceribus terræ. Altera verò est imbecillitas, & infirmitas agentis, quod cum statim non valeat inducere formam in præiactam materiam, necesse est prius eam præparet, & disponat per vnam actionem, & deindè per aliam introducat: hinc 9. *Metaphysica*, 15. Aristot. subiicit, agens sublunare prius alterat, quam generet, quod accidit ex imperfectione, & infirmitate suæ potentiæ, qua prius attingit imperfectius, quàm perfectius,

perfectius, priusque medium, quàm extremum, atque prius proximum, quàm remotum. Quod si polleret potentia perfecta, in passum dispositum protinus, & immediatè suam formam introduceret.

12. Assertio, datur actio in distans. Ita Scot. citat. & *in Reportat* 1. *dist*.37. *quæst*.2. Probatur primò, extant pleraque agentia, quæ agunt in distans: ergo non est abneganda actio in distans. Conseq. tenet. Ant. ostenditur, sol distat à terra, & tamen gignit aurum in sinu eius, vt omnes Philosophi fatentur: non producit autem illud motu suo, luce, & calore, aut alia qualitate, tum quia hæc, vsque illuc non peruadunt, permeant, & pertingunt, tum etiam quia sunt accidentia, quæ ex dictis nequeunt substantiam generare. Iterum, magnes ad se trahit ferrum à se dissitum, succinum paleam, mulier coniectu oculorum fascinat hominem. Hinc Gal.3. *O. insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* Basiliscus visu, & sibilo hominem necat. Rursus, teste Isid. relato à Berchorio *lib*.10. *reduct. mor. cap*.63. Si lupus prius hominem viderit, in ipsum hominem raucedinem inducit, & priuat voce, & insinuat Poeta.

Lupi videre priores.

Insuper, torpedo obstupefacit manum piscatoris, stuporem minimè immittens in arundinem, & rete eius. Demum, puluis sympathicus mira operatur in distans: igitur admittenda est actio in distans. Respondent Aduersarij, etiam solem luce suæ peruadere penetralia, & viscera terræ, in eisque gignere mineralia, veluti in superficie eiusdem terræ viuentia, & quæuis alia tam perfecta, quàm imperfecta procreat: Ob id pater viuentium nuncupatur, & causa vniuersalis. Addit Arr. *disp*.7. *Phys. sect*.6. *subsect*.1. tum solem, tum etiam cætera agentia agere in medium per qualitates occultas, & ignotas: etsi effectus causæ in extremo, & remoto fiat, non tamen absque actione in medio, quod quandoque non est capax actionis, qua in longinquo producitur effectus, vt euenit in stupore causato in manu piscatoris, & non in filo, & arundine eius, sic de fascinatione, aliisque huiusmodi astruendum est. Contra, Terra ex alibi assertis est sicca, & frigida, etsi superficies eius à sole calefiat, tamen eius calor nequit ad eius sinum peruenire. Etenim, si calor fornacis ardentis eo maior, & efficacior eum attingere nequit, vt certo comprobatur experimento, proculdubio nec ille dictum gremium pertingere valet. Eò magis æstate, cum magis feruet calor, terra frigidior est in sinu suo, vt nobis palàm faciunt aquæ fontiles, & puteales, quæ tunc frigescunt, & hyeme calescunt. Quod autem subnectit. Arr. nullius est momenti; nam præterquamquod dictæ qualitates dispositiuè tantum, & non actiuè se habent in generatione substantiæ, cuiusmodi est aurum, & quoduis minerale, in experientiis adductis, in medium, nullum edunt effectum, vt patet, etsi necesse sit fortasse ipsum medium pertranseant, in ipso tamen non operantur, vt quoque olfacit Arr. cit. inquiens eios effectus medium capax non esse, veluti lumen solis peruadit corpora cælestia, non tamen ea calefacit, quia caloris, non sunt receptiua, & aptæ subiecta. Cum ergo in distante cernatur effectus, in proximo verò nullus dignoscatur effectus, absque fundamento, & gratis excogitatur effectus in medio, cum nullæ eius valeat esse causa productiua.

Secundò, certo comprobatur experimento, fundum lebetis frigere, & aquam in eo contentam ebullire. Similiter, si oleum infundatur in papirum, & locetur ipsa papirus suprà carbones ignis accensos, oua in ea posita frigi possunt, & fungi coqui, integra manente eadem papiro: igitur agens potest agere in distans, non agendo in medium sibi proximum. Arr. passu memorato ægrè fert primam experientiam, vixque eam potest capere: atque negaret quoque secundam, si ei offerretur. Verùm, prior est Arist. *sect*.24. *problem. quæst*.3. & 8, & probatissimorum authorum, nec caret probabilitate, & ratione. Si enim hyeme terræ superficies est frigida, & eius gremium est calidum, vt indicant aquæ calidæ, & fumarres, cur etiam fieri non potest, vt aqua fundo lebetis proxima frigescat, & quæ in eius labio extat à supposito igne incalescat, & ebulliat? Deinde, æstate infima regio aeris est calida, media verò eius ora est frigida, cum tamen sol radiis suis vtramque pertingat: igitur dicta experientia à veritate haud est aliena. Posterior autem cernitur ad oculum, & quæ in oppositum adducit Arr. nullius sunt ponderis, ita vt pigeat ea afferre, & refellere.

Tertiò, phantasia, seu imaginatio residet in capite, & mouet appetitum, qui est in iecore, aliasque potentias ab ipsa loco dissitas. Itemque aliena qualitate imbuit ea, quæ ab ipsamet distant, vt præ aliis notant Hypocr. & Auic. *lib. de anima, sect*.4. *capit*.4. Vnde, celebratur illud adagium. *Imaginatio facit casum.*

Quartò, proiecta mouentur per virtutem impressam à proiiciente, & cum actu eiciuntur, a proiiciente recedunt, & elongantur. Rursùs, si Deus vbique non existeret, posset aliquid agere, vbi non existeret, cum eius potentia sit voluntas, quæ æque operari valeat tam in proximo, quàm in remoto, & in extremo, non verò in medio si velit. Dicere autem cum Mol. 1 *part. quæst*.8. *art*.1. *disp*.2. Deum quidem pro suo libito posse agere hoc, vel illo tempore, & loco, & se libere determinare ad agendum, quod vult, non tamen suum influxum posse præhabere in extremo, nisi tribuat in medio, gratis dicitur, quandoquidem, voluntas Dei cum sit liberrima, non est alligata medio, vel extremo, sed pro suo beneplacito valet agere in extremum, & non in medium, maximè cum ordo rerum ab ipso Deo mutari, & inuerti possit, & inuertit, quando vult, cum sit agens suprà naturam. Deinceps in creatis præscindi potest potentia, quæ agit in medium ab alia, quæ agit in extremum. Si enim sol non illuminaret terram, adhuc posset gignere aurum in eius gremio. Atque de facto orbes cælestes illuminat, non tamen eos calefacit: sublunares verò, & luce, & calore perfundit. Denique vnus Angelus alteri Angelo distanti loqui potest, in medio nihil causando, possibilis igitur est actio in distans.

13. Oppones primò, Arist.7 *Met*.9. scribit, inter mouens, & motum nihil mediat. 1. *de gen*.43. & 78. & 1. *Met. cap*.2. subiungit, agens immediatè agere in proximum, & mediatè in remotum. Ergo non datur actio in extremum nisi habeatur in medio. Respondeo Philosophum ibi disserere de agente, quod operatur per præuias qualitates. Sic enim actio prius fit in medio, quàm in extremo, vt sol prius illustrat terram, quam eam calefaciat, priusque calefacit, quam concurrat ad generationem sublunarium. Absolutè verò, necesse non est, agens in proximum ante agat, quam in remotum, nisi duplici de causa præostensa *in præmisso not.*

14. Oppones secundò, vnumquodque agens gaudet propria sphæra suæ actiuitatis, extra quam operari nequit, cum sit limitatæ, & finitæ virtutis. Idque facilè, & clarè inducitur, & deducitur. Vna quippè candela nequit totam Ciuitatem illustrare, & ignis exiguus magnam domum calefacere. Quod si agens posset agere in longinquum, nulla foret sphæra actiuitatis eius. Siquidem, non appareret, cur potiùs in hoc distans, quàm in aliud, atque in minùs, vel magis remotum: igitur actio in distans non est concedenda. Concedo ma. nego min. Nam iuxtà maiorem, vel minorem virtutem agentis efficitur actio in minore, aut maiore distantia, & intercapedine, sic magnes trahit ferrum, & ignis calefacit, & comburit in tanta distantia, & non in maiore. Atqueadeò rectè assignatur sphæra actiuitatis, intrà quam agens potest agere, & extrà quam agere nequit.

Oppones tertiò, sol non potest illuminare terram,

nisi prius illuminet aërem. Itemque, non potest generare tanam, aliaque imperfecta animalia, nisi humiditate, & calore ipsa terra disponatur, & debitè præparetur: igitur agens nequit agere in extremum, nisi prius agat in medium. Respondeo quidem solem antequam vi generatiua prædicta generet, virtute illuminatiua, & calefactiua aptare subiectam materiam, vt inpetius *in not.* animaduerti. Absolutè autem necessarium non est, quia si non agat per primam potentiam, potest agere per secundam. Vnde, sol quidem illustiat orbes cælestes, non tamen eos calefacit: orbes verò sublunares, & illustrat, & simul calefacit, atque in sinu terræ mineralia procreat, lumine, caloreque haud eum attingens.

15. Oppones quartò, D. Ansel. *in Monol. c.* 22, scribit apertè, Deum esse vbique, quia operatur vbique: ergo agens non potest agere, nisi sit præsens rei faciendæ, veluti Deus non operatur, nisi sit præsens. Ant. fulcitur authoritate sacræ paginæ Psal. 136. *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Et Act. 19. *Non longè est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Respondeo D. Ansel. non tradere præcisam causam, veluti S. Aug. *l.* 83. *qq. quæst.* 78. non affert potiorem causam, cum inquit artifices non posse quidquam creare, quia operantur ex præiacta materia. Etenim, causa, cur Deus est vbique, est eius immensitas: ideò ratio Ansel. procedit per locum extrinsecum, & conseq. eius non est formalis, sed materialis, & quia attribota Dei realiter inter se identificantur. Cum autem voluntas sit eius omnipotentia; ob id Scot. subiicit, quod si per impossibile, Deus non esset vbique, posset agere, vbi non adesset, sicque ageret in distans.

ARTICVLVS III.

An actio, & passio requirant contactum agentis, & patientis.

16. Commonis extat Philosophorum doctrina, actionem, & passionem agentis, & patientis contactum exposcere: quo autem modo intelligatur, ac fiat, per subsequentia illustrabitur, & explanabitur.

17. Not. primò, agentium, & patientium quædam esse spiritoalia, cuiusmodi sunt Deus, Angelus, & anima rationalis, quædam verò esso corporalia, vt cælum, elementa, & mixta. Prætereà, nonnulla agentia agunt in alia, actione reali, sic ignis calefacit ignem calefactione, quæ est actio realis: aliqua verò actione intentionali, ita albedo agit in visum, seu oculum producendo in ipso speciem soi, quæ est actio intentionalis, ex dicendis *in lib. de anima.*

18. Not. secundò, ad actionem agentis in passum, necessarium esse contractum. Debet namque vtrumque vicissim se tangere. Duplex autem statuitur contactus, formalis scilicet, & virtualis. Formalis, qui & mathematicus nuncupatur, est quo corpora se tangunt penes suas superficies, vt duæ tabulæ simul iunctæ, quarum vltima se tangunt. Virtualis autem, qui & contactus physicus perhibetur, est quo agens per suam virtutem tangit aliud, vt sol per lumen suum terram tangit. Hæc doctrina insinuatur à Doct. 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. §. *Ad argumenta sub Q.* & *dist.* 45. *quæst.* 2. *G ad finem.*

19. Assertio, non est necessarius contactus formalis, vt agat in passum, sed sufficit contactus virtualis. Defenditur à Doct. alleg. & 2. *dist.* 9. *q. vn. C.* & deducitur ex præcedente art. facilèque probatur, nam contactus propriè dictus fit per quantitatem, inter ea scilicet, quorum vltima se tangunt, *ex* 1. *de gen cap.* 6. agens autem spiritualis quantitatis est expers, necnon materiæ, aliarumque rerum, quæ rebus materialibus competunt duntaxat: igitur ad hoc vt agens agat in passum, non est necessarius contactus mathematicus. Deinde, plura agentia, præsertim sensibilia agunt per præuias dispositiones, vt ignis calefacit, & desiccat prius lignum, quam in ipsum suam formam inducat: alia verò, quæ agunt in distans prius præparant subiectam materiam præuiis qualitatibus, quam effectum intentum producant, vt sol lumine, & calore terram disponit ad complurium generationem: satis ergo est ad promendum effectum, vt agens tangat passum tactu physico, & virtuali.

20. Oppones, ex omnium sententia, quantitas non est de genere actiuorum, igitur tam in sensibilibus, quàm spiritualibus, non exigitur contactus, qui fit per quantitatem, ad hoc vt agens agat in passum. Concedo ant. distinguo consequens. Non requiritur quantitas tanquam principium, & ratio agendi, concedo: vt conditio agentis, nego. Necesse enim est agentia corporea quantitatem participare, ratione cuius fit contactus, & postmodum actio.

Instabis, si vi diuina albedo separetur à substantia, & quantitate, poterit speciem sui in oculo producere, ergo ad agendum non exigitur quantitas, vt conditio agentis. Ant. suadetur, sicut enim oculus potest videre albedinem à substantia, & quantitate seiunctam: ita ipsamet albedo potest producere speciem suimet in oculo, cum nulla adsit repugnantia. Neganda est sequela antecedentis. Siquidem actio rei materialis necessariò postulat extensionem, quæ prouenit à quantitate. Vndè data hypothesi, albedo non immutaret oculum; qui vt eam videre nequiret, vt patet de corpore Christi Domini in Euch. quod à nobis cerni non potest.

ARTICVLVS IV.

An idem possit agere in se ipsum, & simile, in simile.

21. Sub titulo proposito, duplex intexitur difficultas, altera, num idem valeat exercere actionem in se ipso? altera verò, verùm similia inter se operari queant. Breuiter autem hæc duo dubia sunt expedienda, & decidenda per ea, quæ mox subiicremus, & trademus, prætermissis aliorum placitis.

22. Not. primò, actionum aliam esse perfectiuam aliã verò corruptiuam. Actio perfectiua est, qua agens perficitur, vt intellectione intellectus, & volitione voluntas perficitur: corruptiua, qua agens corrumpitur, vt nimio studio, & labore indefesso homo interit: nimiaque humectatione corrumpitur lapis. Deinceps, bipartitur actio in vniuocam, qua agens producit formam eiusdem rationis, cum forma, quam sortitur, sic ignitio dicitur actio vniuoca, per quam ignis producit ignem: & æquiuocam, qua agens producit formam alterius rationis, & speciei ab ea, quam participat, vt intellectus gignit intellectionem, quæ dissidet ab eo, cum ille sit substantia, hæc verò accidens.

23. Not. secundò, dissimilia nuncupari illa, quæ participant qualitates dissimiles, vt calidum, & frigidum: similia verò, quæ sortiuntur qualitates similes, vt duo calida, & duo frigida. Quædam autem possunt esse similia in qualitate, & non in gradu eiusdem qualitatis, vt calidum vt duo, & calidum vt quatuor: aliqua tam in qualitate, quam in gradu qualitatis eius, vt calida vt quatuor: alia verò quidem similia in vtroque, non autem in acrimonia, & efficacitate agendi, vt ferrum calidum vt duo, & stupa quoque calida vt duo. Cum enim calor in ferro sit in densis, faciliùs, & celeriùs

lentiùs agit, & calor in stupa sit in materia rara, tardius agit.

24. Assertio prima, agens potest agere in seipsum, actione perfectiua, non verò corruptiua. Indicatur à Doct. 1. *dist.* 28. *quæst.* 3. §. *præterea. infrà C.* Prima pars suadetur, aqua calefacta agit in seipsam, cum redit ad natiuam frigiditatem, quæ est eius perfectio, & passio. Iterum intellectus agit in seipsum, producens in se intellectionem sui aliorumque obiectorum: igitur actione perfectiua agens potest agere in seipsum. Secunda pars ostenditur, nihil quippè seipsum destruit, immò quantum potest semetipsum conseruat, insinuante Apost. Ephes. 5. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam.* Ob id, vnumquodque fugit suum contrarium, eique resistit, & quantum in se est aduersum illud pugnat, & si fieri potest, expugnat. Quod si in se corrumpatur, id est per accidens, vt ignis absumendo oleum, hoc deficiente, ille corrumpitur, & viuentia animata per nutritionem, tandem moriuntur, quia virtus finita in perenni actione debilitatur, & postremò consumitur.

25. Assertio prima. Idem non agit in seipsum actione vniuoca, benè verò actione æquiuoca. Insinuatur à Doct. 2. *dist.* 25. *quæst. vn.* §. *Ad* 1. *rationem.* Prima pars probatur, nihil potest gignere seipsum, ex Aug. 1. Trin. *Nullum maius est absurdum, quàm idem causare se ipsum.* Ergo nullum potest agere in se ipsum actione vniuoca, alioquin produceret eamdem formam, quam in se haberet, quod est inconueniens, ac incommodum. Secunda pars probatur, idem potest agendo recipere, quo caret, cum sit capax eius: agens autem actione æquiuoca est expers formæ: quam nititur producere, & in se recipere, vt intellectus caret intellectione, quam conatur habere. Igitur actione æquiuoca agens potest in seipsum agere.

26. Assertio tertia, simile in qualitate, & gradu non agit in simile eiusdem qualitatis, & gradus: vtique verò in simile alterius gradus. Assertio est bipartita, nec scholæ Scot. dissentanea, contrà Marsilium 1. *de gen. quæst.* 19. & Tol. *ibid. cap.* 7. *quæst.* 13. Probatur primò, ex Arist. 1. *de gen.* 50. dicente, agens agit in passum, vt in aliud: simile autem in qualitate, & gradu non habet passum, vt aliud, & in aliquo dissimile, & contrarium, cum particeper eamdem qualitatem, & gradum: ergo &c.

Secundò, agens agit ex victoria, quam habet suprà passum, *ex* 1. *de gen. cap.* 7. & *l. de motibus animalium.* Simile autem in qualitate, & gradu non superat aliud, cum vtrumque sit æquale, ergo vnum in aliud agere nequit. Secunda pars ostenditur, agens conatur assimilare sibi passum, quantum potest, 1. *de gener.* 51. & reddere perfectum passum, veluti est ipsum agens: igitur simile in qualitate, & non in gradu potest agere in aliud in gradu dissimile duntaxat. Idque totum confirmari potest experientia, de manu calefacta à calore solis, quæ magis calefieri potest à calore ignis, qui est intensior, & efficacior dicto calore solis, ratione cuius agit amplius calefaciens manum. Quapropter duplici de causa, vnum agens potest agere in aliud, contrarietate scilicet, & similitudine quadam, vt indicat Aug. *serm.* 19. *de sanctis*, inquiens. *Medici dupliciter curant ægrotos, per contraria, iuxtà illud effatum, calida frigidis curantur*, & per similia, apponentes similia similibus, sic scorpionum carnes oleo vnctæ percussionibus medentur scorpionum, sic theriaca de serpentis carne confecta, morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas, in potu sumpta expellit.

27. Oppones primò, calor vt quatuor in ferro, quod est materiæ densæ magis calefacit, quam calor vt quatuor in stupa, quæ est materiæ raræ, ergo ille in hunc agere quit: proindeque simile tam in qualitate, quam gradu potest agere in simile eiusdem qualitatis, & gradus. Respondeo quidem faciliùs, citiusque calefacere calorem in ferro existentem, quàm in stupa, propter rationem præadductam: nego autem eum in istum agere, quia agens vt agat in passum, debet superare in aliquo illud, alioqui nullus foret finis actionis, sed post perfectam pugnam inter contraria, & post partam victoriam, passumque agenti assimilatum, denuò inchoaretur actio.

Instabis, calor ferri gignit ignem, calor verò stupæ nequaquam: ergo ille calor est actiuior isto. Potest quoque corroborari de luce solis, quæ in speculo concauo generat ignem, in aëre autem nequaquam: ergo idipsum affirmandum est de calore ferri, & stupæ. Occurrendum est, non calorem ferri producere ignem sed ignem in poris eius latitantem. Ad aliud dico, in dicto speculo esse dispositiones, vt sol producat ignem, non autem in aëre, in quo non extant huiusmodi dispositiones.

28. Oppones secundò, manus æque calidæ simul iunctæ magis calefiunt, quàm si abinuicem disiunctæ fuerint, vt comprobatur experientia, ergo simile agit in æqualiter simile. Respondeo illam vim maioris caloris promanare à corde, non autem à calore manuum; nam earum calor solet ab aere ambiente temperari, ideò si coniungantur, meliùs recipiendo, meliusque conseruabunt eumdem calorem, ab ipso fonte corde prodeuntem. Sic fortalse intelligitur illud Ecclesiastes 4. *Si fuerint duo, fouebuntur mutuò. si fuerit vnus, quomodo calefiet?* Et adagium: *virtus vnita fortior se ipsa dispersa.*

29. Oppones tertiò, *ex* 8. *Top. cap.* 7. in maiori corpore existit maior virtus, quàm in corpore minori: ergo virtus existens in maiori corpore potest producere maiorem effectum eâ, quæ in minori extat corpore. Respondeo id esse exponendum extensiuè, non autem intensiuè.

Dices, 3. *Phys. cap.* 3. *T.* 42. si vnum elementum foret infinitæ molis, combureret reliqua elementa, eaque in se conuerteret, id autem non contingeret, ob maiorem intensionem actiuarum qualitatum, quia hoc Arist. tribuit infinitæ moli, & materiæ multitudini ergo &c. Respondeo quod si non repugnaret moles infinita, nec pariter intensio infinita repugnaret, sicque ille ignis infinitè magnus destrueret cætera elementa. Cum autem prius repugnet, vtique, & posterius, ex alibi assertis *q. de infinito.*

ARTICVLVS V.

An actio semper procedat à proportione maioris inæqualitatis.

30. Hic art. sub alio titulo proponitur, & discutitur, num scilicet, ad hoc vt agens agat, debeat esse maior actiuitas eius, quam resistentia passi, de quo extat duplex Philosophorum opinio. Prior est Burlei 3. *Phys. com.* 16. Vallesij *contr.* 44. & Tol. 1. *de gen. quæst.* 13. & 15. arbitrantium, actionem non semper fieri à proportione maioris inæqualitatis. Posterior est communis cæteris Philosophis, nominatim Niph. 1. *de gen. com.* 195. *quæst.* 3. Rub. *cap.* 9. *quæst.* 3. Ponc. *disp.* 54. *quæst.* 3. & Complut. *disp.* 8. *quæst.* 3. § 3. affirmantibus, actionem semper procedere à proportione maioris inæqualitatis.

31. Not. primò, agens, & patiens bifariàm adinuicem posse comparari, vno modo, quando maior est actiuitas vnius, quàm resistentia alterius, & ista comparatio nuncupatur proportio maioris inæqualitatis: altero modo, quando minor est actiuitas vnius, quàm resistentia alterius, & huiusmodi comparatio appellatur proportio minoris inæqualitatis. In præsenti autem quæritur, vtrum ad actionem requiratur

maior

maior actiuitas agentis, quàm resistentia patientis, an verò sufficiat minor agentis actiuitas, quàm sit resistentia patientis.

32. Not. secundò, communiter resistentiam nihil aliud sibi velle, quam obicem, seu obstaculum, quo patiens impedit, ne agens agat in ipsum passum, vt Cælum resistit igni, ne calefiat; & comburatur. Duplex autem traditur resistentia, vna dicitur positiua, qua patiens per contrariam qualitatem reagit in agens, vt ignis calefacit aquam, aqua verò frigefacit ignem. Itemque, ignis exsiccat aquam, aqua verò humectat ignem. Altera autem perhibetur priuatiua, quæ est propriè resistentia, quæve formaliter aliud non est, quam non passio, seu priuatio passionis, sicque resistere formaliter nihil aliud sibi vult, quàm non pati ab actione agentis, quo pacto ferrum resistit frigori, quia per hoc, non patitur illud. Duplici autem de causa effici potest resistentia patientis, Prima ob debilitatem virtutis agentis, vt ingens lapis resistit puero, qui eum amouere nequit, nec in altum tollere, propterea quod virtus eius est exigua. Secunda, ob radicationem, & firmitatem formæ in subiecto. Quia enim forma tenaciter materiæ est vnita, & obfirmata: ideò agens eam expellere non valet, vt in eam introducat aliam, sic adamas resistit igni, aliisque agentibus naturalibus, quæ ipsum haud corrumpere queunt. Hæc tota doctrina deducitur ex Scot. 2. *dist.* 5. *quæst.* 9. *Ad* 4. *Z.* Et 4. *dist.* 1. *quæst* 5. §. *Ad* 1. *ergo q.* F. Porrò cognosci potest resistentia ex eo, quod res est dura. & densa. Omne quippè durum, & densum resistit corrumpenti: è regione verò tatum, & molle non resistit, vt liquet de cera, quæ recipit figuram cuiuscumque agentis eam imprimentis.

33. Assertio, actio contrariorum semper procedit à proportione maioris inæqualitatis. Non aduersatur principiis, Scot. Probatur primò, si tanta foret actiuitas agentis, quanta est resistentia patientis, nulla prodiret actio, igitur ad actionem prærequiritur maior agentis actiuitas, quàm sit resistentia patientis. Ant. præterquamquod experientia comprobatur, de ictibus bombardarum, quibus mœnia fortissima vrbium non læduntur, deque aliis consimilibus, quæ quotidie ab oculom cernimus, adhuc suadetur, actio fit ex victoria, quando agens habet suprà patiens, ergo maior præexigitur virtus agentis, quàm sit resistentia patientis. Necesse quippè est, agens superet patiens, alioqui nulla exiret actio.

Secundò, resistere propriè, & formaliter est non pati, ergo si patiens non patitur ab agentis virtute, nec agens agit in passum, ptoindeque nulla sequitur actio. Quod si prodeat actio, ipsa non procedit, nisi à proportione maioris inæqualitatis.

34. Oppones primò, ex 1. *de gen. cap.* 9. vnumquodque agens communicans in materia potest pati per virtutem patientis, ergo non est necesse, vt agens actiuius sit, quàm patiens resistitiuius. Conseq. probatur, alioqui nulla daretur reactio, nec repassio, in sequenti q. admittenda, & constat de aqua in ignem projecta, quæ ab ipso igne absumitur, & per eam sedemmet ignis debilitatur. Concedo ant. nego conseq. ad eius probationem dico effici reactionem non secundum totum, sed secundum partem, vt apertius fiet loco alleg.

35. Oppones secundò, gutta aquæ cauat lapidem durissimum, & funis scindit, & excauat putei viuos lapides: maior autem est resistentia lapidis, quàm actiuitas guttæ aquæ, & funis. Ergo falsum est actionem semper procedere à proportione maioris inæqualitatis. Conf. paruus lapis de loco alto cadens lædit quoquomodo magnum lapidem: maior autem extat resistentia magni lapidis, quàm actiuitas exigui lapidis: igitur non oportet agens actiuius esse; quàm patiens resistitiuius. Respondet Doct. 2. *d.* 5. *q.* 9. *P.* non primam guttam aquæ cauare lapidem, nec secundam, sed multas simul disponere paulatim mollificando lapidem, deinde vltimam in virtute præcedentium, lapidem excauare, quo pacto actiuior est aqua, quam sit lapis resistens, vt indicat illud sæpè decantatum,

Gutta cauat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.

Sic pariter asstruendū est de fune scindente lapidem. Ad conf. dico, id proficisci à magno impetu, lōgo descensu, & grauitate lapidis, necnon virtute eiusdem lapidis.

QVÆSTIO II.

De Reactione.

ARTICVLVS I.

An sit reactio.

1. PAsser *Theorem* 43. *cap.* 4. refert quosdam inficiantes reactionem, & hi sunt bipartiti: nonnulli enim, inter quos citatur Maior 1. *d.* 17. à Rubio *tract. de reactione cap.* 9. *quæst.* 9. absolutè negant reactionem. Alij verò vt Niphus 1. *de gen. com.* 195. *q.* 3. solum respuunt reactionem, quæ fit inter contrarias qualitates, vt quando ignis calefacit aquam, aqua non reagit in ignem per frigiditatem, sed per humiditatem. Communior autem opinio cæterorum Philosophorum est, admittendam esse reactionem, & repassionem. Pro cuius captu.

2. Not. reactionem esse reciprocam actionem, hoc est, actionem passi, qua passum agit in agens. Duplex autem statuitur reactio, vna penes qualitatem contrariam, vt cum ignis agit in aquam per calorem, & aqua reagit in ignē per frigiditatem: altera per disparem qualitatem, & alterius rationis, vt cum ignis agit in aquam per calorem, & aqua in ignem per humiditatem Quare, reactio cadit inter ea, quæ participāt qualitates elementares, & corruptiuas: ob id inter spiritualia, & incorporea non habetur reactio, propterea quod spiritualia qualitatum elementarium sunt expertia. Præterea, non efficitur propriè reactio, quando passum est in maxima distantia: similiter, quando est valde debile, & improportionatum. Demum in agentibus intentionalibus non consurgit reactio, vt cum obiectum producit sui speciem in potentia; tunc potentia non reagit in obiectum, nec quoque, cum lumen solis terram calefacit, terra non reagit in lumen.

3. Ass. concedenda est reactio. & repassio. Traditur à Doct. 2. *d.* 17. *q.* 5. § *contra istam positionem, sub Kk.* Tertia-via. 4 *d.* 44. *q.* 1 § *Quantum ergo. D concl* 3. & 3 *d.* 16. *q.* 1 §. *Ad q. ad C.* & 2. *d.* 15. *q vn.* & *d.* 19. *q. vn.* §. *Concedo sub A.* vbi differens de statu Adæ in innocentia scribit, quod si Adam in eo statu perseuerasset, nisi virtute diuina translatus fuisset in Cælum, tandem senio confectus, mortuus esset: cuius rationem reddens subiicit, calor naturalis agens in humidum radicale, & conuertens alimentum in substantiàm alīti, patitur, & in reagendo repatitur, & in repatiendo debilitatur, & demùm consumitur, acciditque mors naturalis. Probatur autem proposita *ass.* 1. *ex* 1. *de gener.* 55. & 5 1. vbi ad dilucidandam reactionem Arist. affert exemplum de aqua vino infusa, quæ virtutem vini diminuit, adeò vt fiat vinum lymphatum & aqueum, ipsumque vinum ab aqua repatiatur. Idem adstruit 4. *de gen. animalium, c* 1. cui subscribit Gal. 3. *de causis symptomatū, c.* 5. Secundò, datur mixtio, qua mixtum generatur, ergo admittenda est reactio. Ant. est conspicuum. Conseq. probatur mixtum efficitur per refractionem, & remissionem qualitatum: illa autem refractio, & remissio fit per remotionem, scilicet calidum agendo in frigidum, & è contrà.

deinceps, elementa continuò inter se confligunt, propterea quandoque calor, quandoque frigus, humiditas, aut siccitas vigent, ac dominantur: ille autem conflictus habetur reactione, & repassione, ergo admittenda est reactio, & repassio. Accedunt experientiæ, nix quippè à manu compressa infrigidat manum, & calefit ab ipsa manu. Itemque aqua frigida in aquam calidam lebetis iniecta remittit eam, fitque tepida. Insuper, ferrum candens proiectum in aquam frigidam calefacit ipsammet aquam, calorque eius ferri remittitur à frigiditate eiusdem aquæ, non igitur abnuenda est reactio, & repassio.

4. Oppones primò, vel agens, & patiens sunt æqualis virtutis, vel inæqualis: non primum, quia agens non agit, nisi ex prædominio, & victoria in passum, ex Arist. *l. de motu animalium*: nec secundum, quia debilius, & impotentius nequit agere in fortius, & potentius: igitur reiicienda est reactio, & repassio. Respondeo data hypothesi passum posse reagere in agens, secundum partem, tametsi non secundum totum, propterea virtute patientis infirmatur, & debilitatur nonnulla pars agentis proxima, & postica. Si enim aqua proiiciatur in ingentem ignem, quamuis non extinguat totum ignem, tamen extinguit aliquam eius partem, aut saltem quoquo modo eam debilitat. Vel dico, tunc passum agere in agens, non quidem actione perfecta, sed imperfecta.

5. Oppones secundò, idem moueri non potest motibus contrariis, *ex 5. Phys. cap. 6.* si autem. daretur reactio, idem moueretur motibus contrariis, ergo non est admittenda. Ma. patet; min. ostenditur, idem quippè aër calefieret ab igne, & frigefieret ab aqua: ergo idem subiret motus contrarios. Distinguo ma. eodem respectu, concedo; diuerso respectu, nego. Ad distinctionem ma. distinguendi est min. aer namque respectu ignis calefieret, respectu verò aquæ frigefieret. Non inconueniens autem duo contraria simul esse in eodem in remisso, & non in summo, vt monstraui *lib. de elemen. quæst 3. art 5.*

6. Oppones tertiò, agens conatur assimilare sibi passum, quantum potest: quod si daretur reactio, agens non assimilaret sibi passum: siquidem, reactio patientis in agens impediret huiusmodi assimilationem, ergo &c. Concedo ma. nego min. Ad probationem dico impediri assimilationem perfectam, non autem imperfectam. Licet enim agens, quantum in se est nitatur assimilare sibi passum: tamen ab actione patientis reprimitur, & impeditur veluti motus primi mobilis, à motibus orbium inferiorum cohibetur, & retardatur.

7. Oppones quartò, gutta aquæ proiecta in fornacem ardentem, protinùs absorbetur ab igne: ergo signum euidens est, non dari reactionem, alioqui illa aqua reageret in ignem, quod non apparet. Respondeo in præmisso not. me admonuisse, in reactione requiri proportionem inter agens, & patiens, qualis haud cernitur inter modicam aquam, & magnum ignem. Valde quippè est exigua virtus aquæ: ideò mirum non est, si non reagat in ignem. Vel dicito, dictam guttam aquæ parùm reagere in ingentem ignem, vt constat ex illo strepitu, quem edit ignis, cum eam aquam absumit.

8. Oppones quintò, contradictoria nequeunt simul esse vera de eodem, quoniam vnum est negatio alterius, ergò nec contraria simul queunt esse vera de eadem re, vt indicat Arist. 10. *Met. T.* 9 quandoquidem vnum est priuatio alterius, vt calor est priuatio frigoris, & econtrà frigus est priuatio caloris. Concedo ant. nego conseq. ad eius probationem dico, contraria propriè dicta esse positiua, & in prædicamento qualitatis reposita, quod est syllabus entium realium positiuorum, & palàm feci loco nuper memorato, art. 1.

Articulus II.

An qualitas in medio existens intendatur.

9. Vtriusque partis tam affirmatiuæ, quàm negatiuæ extant patroni non ignobiles, quorum meminere Neoterici, nuncupatim Conimb. 1. *de gen. cap. 9. quæst. 1. art. 1.* & Ruu. *ibid. quæst 8.*

10. Not. qualitates alterantes esse duplicis generis. Quædam enim directè feruntur in aliud, vt calor directè calefacit aquam sibi proximam: quædam verò indirectè tendunt in aliud, vt lux solis retrocedens à pariete sibi obiecto. Potest autem actus reflexus qualitatis effici dupliciter, primò propter obiectum sibi obsistens, ratione cuius regreditur, vt species visibilis à speculo ad oculum, & species audibilis à loco concauo ad aurem.

Secundò, ex obsessione contrariæ qualitatis obsistentis, & circumdantis eam, vt frigiditas aquæ à calore aëris circumdata, & impedita, ne vlterius extendatur, neque retrocedit. Deinde, aduerte bifariam posse peruestigari qualitatem in medio positam intendi, & augeri, nimirum, verùm intendatur à causa principali producente eam qualitatem, an verò à corpore opaco sibi obsistente?

11. Assertio prima, qualitas in medio existens intenditur per reflexionem. Deducitur ex Doct. 2. *d. 15. quæst. vn.* Probatur primò, homogeneum comprehensum in loco angusto intenditur, vt patet de aqua, quæ si nimis sit in stricto loco, profundior efficitur: qualitates autem intensibiles sunt homogeneæ: igitur impeditæ, ne in locum amplum fundantur per partes subiecti, in quo sunt, intenduntur, proindéque qualitas in medio existens per reflexionem intenditur. Ma est nota, min. probatur, lumen in paruo cubiculo existens, intensius est, quam si foret in magna domo: magis quippè illuminat, & clarificat cubiculum, quàm magnam domum, vt liquet experientia.

Secundò, virtus, & actio in propinquum est fortior, & efficacior, quam in remotum, gradusque quos agens produceret in partes remotiores, producit in viciniores, ac proximiores: per reflexionem autem qualitas non protenditur in longinquum, sed regreditur ad idem medium. Ergò magis, virtus vnita fortior seipsâ dispersa per reflexionem autem gradus qualitatis magis vniuntur, ergo per eam qualitas magis intenditur.

12. Assertio secunda, intensio qualitatis non efficitur à corpore sibi obsistente, sed a causa principali producente eam qualitatem. Tenet. Doct. *vbi suprà, &* 4. *d. 10. quæst. 9. §. Ad argumenta.* D. Probatur primò, *ex 8. Phys. T. 31.* vbi Arist. affert exemplum de motu pilæ retrocedentis à pariete sibi obiecto, cuius motus retrocessionis non est paries, sed proiiciens talem pilam, & quò maior extiterit eius impulsus, eò maior est retrocessio: ergo à pari, causa intensionis qualitatis est corpus opacum sibi obsistens, sed eius causa principalis, veluti cum lumen in medio intenditur, non est corpus opacum, sed luminosum, puta sol, aut lucerna producens tale lumen.

Secundò, species visibilis producta, & retrocedens per speculum sibi oppositum, non à speculo, sed ab obiecto producitur, cuius est species, & imago, *ex 2. de anima, cap. de visu*: igitur lumen, quod intenditur per corpus sibi obsistens, non producitur à corpore ipsi resistente, sed à corpore luminoso: & ratio reddi potest, quia quod producit per lineam rectam, vtique producit per lineam reflexam, ob impedimentum corporis opaci, vt innuit Scot. *9. Met. quæst. 15. §. Ad tertium*, & explicite 2. *d. 3. quæst. vn. §. Quantum ad 3.*

13. Oppone

13. Oppones primò, idem manens idem semper facit idem, 1. *de gen. T.* 56. qualitas autem in medio posita manet eadem, causaque eius productiua. ergo huiusmodi qualitas non intenditur per reflexionem. Respondeo adductum axioma ma. sic esse interpretandum, si maneat semper eodem modo, nihilque ei accedat, ad min. dico qualitatem in medio esse quidem eamdem, ei tamen adiungi nouum gradum per actum inflexum productum, ac proinde semper eodem modo non manet.

14. Oppones secundò, agens non est intensius in partibus propinquioribus, quàm in remotioribus: ignis namque non videtur calidior in proximo, quàm in remoto: qualitas quippè vt duo non producet effectum in partibus proximioribus, nisi vt duo, ergo per reflexionem nequit producere effectum vt quatuor, atqueadeò qualitas non intenditur per actum reflexum. Respondeo argumentum concludere de qualitate agente per rectam lineam, non verò de ea, quæ agit per lineam reflexam de qua in præsentia est sermo.

ARTICVLVS III.

An qualitas intendatur per antiperistasim.

15. HVnc art. instituunt, & decidunt Recentes plerique nominatim Conimb. 1. *de gen. cap.* 9. *quæst.* 1. *art.* 2. Run. *quæst* 7. & Ponc. *disp.* 54. *quæst.* 5. pro cuius captu, & intellectu.

16. Not. antiperistasim esse nomen græcum, quod perinde est ac latinum circumobsistentia contrarij debilioris à contrario fortiori circumdante, & circumuallante: siue, quod in idem recidit, actio antiperistica est roboratio, & intensio qualitatis contrariæ imbecillioris à contraria qualitate circumstante, & oppugnante illam, vt patet æstiuo tempore de aqua putei, quæ est frigidior hyeme: & è contrà, eadem aqua hyeme est calidior æstate, propter obsessionem contrariorum.

17. Assertio secunda, qualitas intenditur per antiperistasim. Est consentanea Scot. in suis scriptis, dissentanea verò Cardan. 2. *de subtilitat. propè finem.* Probatur primò, aquæ fontales, & puteales hyeme sunt calidiores æstate: & econtra sunt frigidiores hyeme: huiusmodi autem intensio efficitur per antiperistasim. Ergò &c. Ma. constat experientia. Min. probatur, ideò calidior est aqua putei hyeme, quam æstate, quia exhalationes calidæ, quæ superfuerunt in terra, per recessum solis, & aduentum hyemis, occludantur à frigore, quod tunc in superioribus partibus terræ maximè viget: è regione aqua putei æstate est frigidior, quia frigiditas terræ circumobsidetur à calore, qui tunc maximè dominatur, & æstuat, igitur qualitas intenditur per actionem antiperisticam.

Secundò, venter animalis hyeme est calidior, melius que alimentum decoquit, affirmante Hypocrate *aphoris.* 15. id autem fit per antiperistasim, quandoquidem calor naturalis, & spiritus vitales circumuallantur à frigore, quod tunc temporis regnat.

Tertiò, æstate, media aëris regio est frigidior, propterea, eo tempore gignuntur grandines, quod aliunde non prouenit, quàm ex calore tum supremæ, tum etiam infimæ oræ aëris circumobsistente: qualitas ergo intenditur per antiparistasim.

18. Assertio secunda, causa antiperistasis per se non est contrarium obsidens, sed per accidens duntaxat Non discrepat Doct. nec eius discipuli aduersantur. Probatur primò, quod est productiuum alicuius, non est eiusdem destructiuum, vt constat inductione de agentibus naturalibus: contrarium autem obsistens est corruptiuum qualitatis contrariæ intensæ, vt patet de igne respectu aquæ, eiusque frigiditatis, ergò nequit esse eiusdem qualitatis productiuum.

Secundò, à principiis, causisque oppositis, & contrariis non prodeunt, nisi effectus oppositi, & contrarij, vt liquet de calido, & frigido, humido, & sicco: alioqui idem, & diuersum participarent eadem principia, causasque: contrarium autem obsistens est principium aduersans, & oppugnans qualitatem intensam sibi oppositam, & contrariam: igitur non est causa per se, sed per accidens, hoc est, quia impedit, ne ampliùs extendatur, vlteriusque progrediatur.

19. Assertio secunda, causa effectus antiperistasis, quandoque est intrinseca, quandoque verò extrinseca. Ab hac non videntur declinare Scot nec eius asseclæ. Suadetur primò *ex* 1. *Meteor. sum* 3. *cap* 1. vbi Philosophus scribit loca subterranea hyeme esse calidiora, quia frigus circumstans abigit, & impedit calorem, ex calidis exhalationibus aliàs ibi relictum egredi, ratione cuius præfata loca redduntur calidiora, quàm æstate.

Secundò, ratio cur venter animalis hyemali tempore sit calidior, extat, quia pori eius clauduntur, calorque natiuus ab externo frigore iterum obsidetur: igitur causa antiperistasis quandoque est interna quandoque verò est externa.

20. Oppones primò, Galenus 3. *de simplicium medicamentorum facultatibus cap.* 7. scribit, falsa apprehensione sensus æstate iudicat aquam esse frigidiorem, hyeme verò calidiorem, cum absolutè aqua sit frigida tam hyeme, quàm æstate. Conf. ideò æstate aqua videtur esse frigida, quia tangitur manibus calidis, non autem, quia verè sit magis frigida. Respondeo Galenum in hoc fuisse allucinatum, vt monstrat experientia. Quod autem hyeme aqua fontalis sit calidior, indicat fumus: qui ex ea egredi cernitur: omnesque bene dispositi discernunt, & statuunt aquam præfatam hyeme calidiorem esse æstate. Ad conf. dico, licet manus sit calidior, tamen adhuc experimur maiorem frigiditatem eius æstate, quàm hyeme, vt liquet de manibus æque calidis.

21. Oppones secundò, condensatio, & rarefactio sunt causæ maioris caliditatis, & frigiditatis. Quod enim densius est, calidius est: quod verò rarius est, frigidius est: ergo non sunt quærendæ aliæ causæ antiperistasis præter condensationem, & rarefactionem. Ant. probatur, aer, qui à pulmonibus exit, calidior est, quàm aër, qui angustiore ore egreditur, vt comprobatur experimento: id autem non fit, nisi propter condensationem, & rarefactionem, ergo & c. Conf. aer commotus per flabellum, æstate nos refrigerat, & recreat: hoc autem aliundè non prouenit, quàm ex aëris condensatione, & rarefactione: igitur condensatio, & rarefactio sunt maioris caliditatis, & frigiditatis. Resp. quamuis condensatio, & rarefactio plurimum conferant ad causandam caliditatem, & frigiditatem, nego tamen esse causas præcisas: ad allatam experientiam dico id accidere, & prouenire à frigiditate aëris ambientis, qui reddit flatum hominis frigidum. Quod autem æque calidus, aut frigidus fit aër, qui emergit ab ore apertiore, aut angustiore, constat euidenter, si quis ponat manum suprà os, sentiet æqualem calorem, tam in vno, quàm in altero. Ad conf dico, id oriri, quia aer, qui nos tangit, est calidus, & per flabellum mouetur, & loco eius succedit alius aer, qui est frigidior præcedente, propterea paulisper tunc nos refrigerat.

LIBER QVARTVS.

De Mixtione, & Mixto.

1. ARISTOTELES *primò de gener. cap.* 10. post disputationem de actione, & passione, aggreditur tractationem de mixtione, cuius vestigiis inhærentes in hoc lib. quæ de mixtione, & mixto à Philosophis agitantur, breuiter prosequemur.

QVÆSTIO I.

De Mixtione.

ARTICVLVS I.

An sit mixtio.

2. QVIDAM apud Arist. s. *de gener. cap.* 10. *T.* 81. mixtionem esse possibilem inficiantur: quibus sese opponunt idem Arist. & cæteri Philosophi ibidem affirmantes admittendam esse mixtionem.

3. Not. mixtionem bifariàm capi: primò pro congerie multorum, quæ admiscem adunantur, proprias formas retinentia, totumque suum esse, quo pacto miscentur grana frumenti in horreo, oues in grege, ac pecuniæ in crumena.

Secundò, pro congressu elementorum, ex quibus alteratis efficitur mixtum, per actionem tertij, putà Cæli, innuente Arist. 1. *Meteor. cap.* 2. Quo in sensu hic de mixtione loquimur, quam Scot. 1. *Rep. dist.* 3. *quæst.* 3. scindit in mixtionem perfectam, & imperfectam, ab ipso ibi expositam, & declaratam.

4. Assertio, admittenda est mixtio. Defenditur à Doct. mox cit. præsupponitur ab eodem 1. *Met. in exp. cap.* 2. *sum.* 3. & 2. *dist.* 15. *quæst. vn.* Probatur primò, datur mixtum, vt cernitur ad oculum, ergo & mixtio. Conseq. tenet à concreto ad abstractum: si enim est album, quoque est albedo: & si est homo, vtique est humanitas. Si ergo conceditur mixtum, pariter concedenda est mixtio, quandoquidem mixtum mixtione fit mixtum.

Secundò, quædam animalia imperfecta gignuntur ex putri materia, vt culices, & pulices: eorum autem productio est mixtio ex aqua, aere, & cæteris huiusmodi, vt constat experientia de locis obscænis, & fœtidis, in quibus præfata animalia generantur, ac morantur.

Tertiò, datur mixtio artificialis: ergò danda est mixtio naturalis. Ant. patet de succia per distillationem extractis, deque herbis, arboribus, aliisque huiusmodi. Itemque de figulis, & imaginibus fabrefactis. Conseq. tenet. Accedit mixtio vini, & aquæ, in sacra synaxi.

5. Oppones primò, si mixtio foret possibilis, aut per mixtionem, elementa, eorumque partes se mutuò penetrarent, aut fieret eorum iuxtapositio: vtrumque autem refellit Philosophus 1. *de gener. cap.* 10. contrà quosdam vetustos Philosophos: igitur mixtio est impossibilis. Respondeo neutrum inferri, quod in argumento proponitur: sed, vt ait Doct. 2. *d.* 15. *quæst. vn.* ex elementis alteratis, & corruptis, per actionem tertij gignitur mixtum, quod *lib. de elementis* copiosè sum prosequutus.

6. Oppones secundò, si esset mixtio, vel esset naturalis, vel violenta: neutra autem esse valet: ergo mixtio est impossibilis. Ma. est nota. Min. ostenditur, per mixtionem grauia ascenderent, & leuia descenderent, atque inter se pugnarent, & congrederentur ad conficiendum mixtum: ascensus autem grauium, & descensus leuium est violentus. Nec esse potest mixtio violenta, cum generatio mixti sit naturalis. Respondeo mixtionem esse naturalem, non in ordine ad elementa, vt probat argumentum, sed in ordine ad agens naturale, quod intendit producere mixtum, iuxta genus, & speciem suam.

7. Oppones tertiò, vinum aqua permixtum retinet suam formam, summque esse substantiale: igitur in mixtione necesse non est elementa corrumpi. Ant. probat D. Genesius *lib. de natura hominis*, inquiens, spongia oleo imbuta, vinoque aqua mixto: aquam puram extrahit, igitur in mixtione persistunt formæ eorum, quæ miscentur. Respondeo verum esse argumentum de mixtione imperfecta, vt contingit in vino lymphato, non verò de perfecta, de qua sermo est in præsentia. Sic exponendi sunt Arist. 1. *de gener. T.* 84. & Scot. 4. *Report. passu alleg.*

ARTICVLVS II.

Quid sit mixtio.

8. STagirita 1. *de gener. cap.* 10. *T.* 90. *in fine* definit mixtionem, his verbis, *mixtio est miscibilium alteratorum vnio.* Hæc autem definitio multas patitur calumnias à quibusdam impetitas, nominatim Scalig. *exercitat. tertia*, ideò, vt ab eis vindicetur.

9. Not. ex Scot. 2. *dist.* 15. *quæst.* 5. §. *Ad 1. in oppositum. F.* participium alteratorum, quod locatur in descriptione mixtionis, denotare in ipsa mixtione, præcedere alterationem miscibilium. Vt enim dixi de generatione, quam præcedit alteratio, sic astruendum est de mixtione. Ad productionem namque mixti, oportet elementa inter se confligere, alterari, remitti, & refrangi, secundum suas partes: postmodum verò, per actionem tertij efficitur mixtum. Deinde, mixtio perhibetur vnio, seu transmutatio: transmutantur quippè elementa in mixtum; propterea mixtio clariùs potest definiri generatio mixti ex alteratis miscibilibus. Tres autem requiruntur conditiones ad propriam mixtionem. Prima, vt miscibilia sint actiua, & passiua: ideò inter medicinam, & sanitatem non habetur mixtio, cum sanitas corpori non misceatur. Secunda, vt minimum miscibilium misceatur, cum minimo alterius, alioqui non mixtio, sed iuxtapositio fieret. Tertia, vt multum vnius non seiungatur à pauco alterius, secus accideret augmentatio, vel destructio, sic gutta aquæ iniecta in ingentem ignem, non miscetur, sed prorsus perit.

10. Aſſertio, mixtio rectè definitur miſcibilium alteratorum vnio. Fauet Scot. nuper memoratus. Probatur primò, quod conſtat genere, & differentia rectè definitur: præfata autem definitio eſt huiuſmodi, ergo eſt bona. Ma. liquet. Min. oſtenditur, vnio, ſeu tranſmutatio eſt genus: reliquæ verò voculæ gerunt vicem differentiæ, vt in præmiſſo not. planum feci.

Secundò, legitima definitio nihil ſuperflui, nihilque diminuti continet, & reciprocatur cum definito, vt dixi in Log. art. de definitione: talis autem eſt definitio mixtionis, vt patet percurrenti omnes eius particulas præadductas: igitur recta extat dicta definitio.

11. Oppones primò, definitio non traditur per æquè ignotum, aut minus notum, cum inuenta ſit ad rem declarandam: prælllata autem definitio aſſignatur per æquè ignotum. Exprimitur quippè, per alterata miſcibilia, quæ pariter ſunt ignota ac ipſa mixtio, ergo non probè traditur. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, Ariſt. prius declarare quid ſit miſcibile, quæve miſcibilia, antequam deſcribat mixtionem, ob id per notiora definitur.

12. Oppones ſecundò, in definitione fugiendus eſt circulus: in allata autem definitione committitur circulus: ergo ea definitio non eſt idonea. Ma. eſt conſpicua. Min. ſuadetur, mixtio exprimitur per alterata miſcibilia, & miſcibilia alterata per mixtionem. Concedo ma. nego min. ponuntur namque alterata miſcibilia, tanquam cauſa materialis, & diſpoſitiua: velut alij inquiunt, tanquam cauſa efficiens; ideò nullus ſit circulus, quia mixtio quidem per alterata miſcibilia exprimitur: non autem miſcibilia alterata declarantur per mixtionem, vt intendit argumentum.

13. Oppones tertiò, mixtio non conſtituitur ex miſcibilibus alteratis, ergo mixtio non eſt miſcibilium alteratorum vnio. Ant. probatur *ex 3. de gener. animalium cap. 11.* vbi ait Philoſophus, aues ex aëre, piſces ex aqua, & belluas ex terra generari. Ergo ad mixtionem, mixtumque conflandum, non oportet elementa miſceri, cum vnum elementum ſufficiat ad generationem mixti, authore Scot. vbi ſuprà. Nego ant. ad eius probationem dico ibi Ariſt. ſignificare prædominium elementi aëris in auibus, aquæ in piſcibus, & terræ in belluis: non autem negare, ad mixtionem mixtumque componendum elementa concurrere. Vel dicen, Stagir. tantùm aſſignare locum, in quo degunt prænominata animalia; ſic enim aues in aëre, piſces in aqua, & belluæ in terra morantur.

14. Quæres, an mixtio diſtinguatur a generatione? Reſpondeo affirmatiuè. Differt namque, ſicut ſuperius ab inferiore, omnis quippe mixtio rigoroſè capta eſt generatio, non autem omnis generatio eſt mixtio, veluti genus magis funditur, quàm ſpecies.

QVÆSTIO II.

De Mixto.

ARTICVLVS I.

Quanam ſit cauſa mixti.

1. QVIDAM Recentes exiſtimant cauſam mixti effectiuam eſſe miſcibilia, id eſt quatuor elementa inter ſe pugnantia. Verùm Scot. 2. *d. 15. q. vn.* & Abb. 5. *de animalib. Tract. 1. c 8.* docent cauſam principalem mixti eſſe agens vniuerſale, cauſamque diſpoſitiuam eſſe elementa inter ſe confligentia.

2. Not. mixta, quæ per alterationem produci videntur, eſſe in duplici differentia. Quædam enim ſunt animata, quæ haudquaquam produci valent ab elementis, aut à corporibus cæleſtibus, quandoquidem tam elementa, quàm mixta, & cælica corpora ſunt animæ experria: ideóque nequeunt eſſe cauſæ viuentium principales: ſed tantùm eſſe queunt cauſæ diſpoſitiuæ, ratione quarum agens vniuerſale poteſt formam in materiam diſpoſitam, ac præparatam introducere. Alia verò ſunt mixta inanimata, quæ gigni haud poſſunt ab elementis, propterea quod, aut corrumpuntur ipſa elementa, aut ita refranguntur eorum vires, & virtutes, vt minimè eſſe valeant cauſæ eorum principales effectrices, ſed gignantur à corporibus cæleſtibus, vt alibi dixi de auro, argento, & conſimilibus.

3. Aſſ. cauſa principalis productiua mixtorum non ſunt elementa inter ſe pugnantia, ſed agens vniuerſale. Tenet Doct. *paſſu præcenſito.* Probatur 1. elementa ob mutuum, & perennem conflictum, aut manent corrupta, aut debilitata, & refracta, penes ipſorum virtutes, ac facultates: mixtum autem cauſari nequit actu à corrupto, quia quod corruptum eſt, non eſt; effectus autem in actu requirit cauſam in actu, 5. *Phyſ.* 38. Igitur mixtum effici non poteſt ab elementis corruptis, nec ab ipſis debilitatis, cum agens infirmum nequeat attingere effectum firmum, ac validum, cuiuſmodi eſt mixtũ. Neceſſè ergo eſt, mixtum fiat ab alia cauſa validiori, ac fortiori, vti eſt agens vniuerſale 2. omnis cauſa, vel eſt vniuoca, vel æquiuoca: elementa autem non poſſunt eſſe cauſa vniuoca mixti, cum mixtum ſit alterius rationis ab eis: nec cauſa æquiuoca, cum hæc nobilior ſit ſuo effectu, eo quod virtualiter illum continet: mixta autem nobilitate præſtant elementis, ergo illa ab his principaliter non cauſantur. 3. aut mixtum eſt animatum, aut inanimatum: elementa autem producere non valent mixtum animatum nec inanimatum, vt liquidò conſtat ex præpoſito not.

4. Opp. quando poteſt aſſignari cauſa particularis alicuius effectus, non eſt recurrendum ad cauſam vniuerſalem. Id enim dedecet Philoſophum perquirentem proprias, & peculiares rerum cauſas: generationis autem mixti tradi poteſt propria, & particularis cauſa, puta elementa pugnantia adinuicem: perperam igitur recurritur ad agens vniuerſale, quale eſt Cælum. Concedo ma. nego min. cauſa negationis euidenter oſtenditur in probatione aſſ.

ARTICVLVS II.

An in mixto ſint elementa,

5. IN hoc art. tres vigent celebriores Philoſophorum ſententiæ, quarum prima eſt Auic. 1. *ſua ſufficientia, c. 1.* & Philoponi 1. *de gener. ad text. 74.* affirmantium elementa exiſtere in mixto, ſecundum ſuas formas ſubſtantiales integras, & perfectas: ſecundum verò ſuas qualitates refractas, & remiſſas. Secunda eſt Auer. 3. *Cæli, com. 67.* Achilini, & aliorum, opinantium, formas, & qualitates elementorum remanere in mixto in eſſe refracto, & remiſſo. Tertia defenditur à Scot. 2. *d. 15. q. vn. & in Report. ibid.* Mayt. Lych, & aliis in eodem loco aſtruentibus, elementa non perſiſtere formaliter in mixto, ſed virtualiter, & potentialiter duntaxat.

6. Not. 1. vt clarius, ac diſtinctius hæc controuerſia percipiatur, bifariàm poſſe capi titulum huius art. Vno modo, vtrùm formæ ſubſtantiales elementorum permaneant in mixto, actu? & hic ſenſus examinatur in præſentia. Altero modo, vtrum qualitates elementorum perſiſtant in mixto, actu, ſiue in ſummo, ſiue in remiſſo; & iſte ſenſus expendetur in proximo art.

7. Not. ſecundò, in mixtione tria interuenire. Primum eſt mutua alteratio per actionem, & paſſionem contrariarum qualitatum. Secundum eſt actio qualitatum actiuarum, in qualitates paſſiuas, veluti eſt actio caloris, & frigoris, in humiditatem, & ſiccitatem. Tertium eſt productio, ſeu generatio mixti, quæ eſt poſterior alteratione, & actione actiuarum qualitatum in paſſiuis. Sic enim efficitur diſpoſitio, & præparatio, vt poſtmodùm habeatur mixtio, ſiue generatio mixti.

8. Not. tertiò, quatuor eſſe entitates in quolibet mixto. Prima eſt entitas materiæ, quæ eſt eadem cum materia elementorùm. Eſt enim materia commune ſubiectum formarum tam elementorum quam mixtorum. Secunda eſt entitas formæ, quæ diſtinguitur eſſentialiter a formis elementorum. Sicut enim vnumquodque mixtum eſſentialiter diſſidet ab elementis: ita quæcumque forma mixti diſcriminatur, à formis elementorum. Tertia eſt entitas totius mixti, quæ reſultat ex materia, & forma ſimul vnitis, vt probaui *l. 2. Phyſ. quæſt 4. de compoſito.* Quarta eſt entitas accidentium; quæ conſequuntur compoſitum mixtum ſubſtantiale.

9. Aſſertio prima, formæ ſubſtantiales elementorum formaliter in eſſe perfecto non remanent in mixto. Tenet Doct. præcit. Probatur primò, *ex 1. de gener. T. 84. & 2. de partibus animalium, cap. 19.* vbi Ariſt. negat elementa perſiſtere in mixto.

Secundò, ſi formæ ſubſtantiales elementorum actu exiſterent in mixto, mixtum foret quintuplex ſuppoſitum ſubſtantiale: hoc autem tanquam magnum inconueniens, & abſurdum iudicatur ab omnibus Philoſophis, ergo & illud. Sequela ma. patet, quia iuxta quintuplicem formam ſubſtantialem habetur quintuplex ſuppoſitum. Min. ſuadetur, quia non eſſet ens per ſe, ſed per accidens, habens plures formas ſubſtantiales diſparatas.

Tertiò, quodlibet eſt vnum; quia eſt vnius ſpeciei: ſi autem formæ ſubſtantiales integræ, & perfectæ forent in mixto, ipſum mixtum eſſet diuerſarum ſpecierum, veluti elementa: atqui planè falſum eſt, vnum, idemque participare diuerſas naturas ſpecie diſtinctas, ergo &c.

10. Aſſertio ſecunda, formæ ſubſtantiales elementorum non perdurant in mixto, in eſſe remiſſo, & refracto. Defenditur à Doct. *paſſu memorato.* Probatur primò, ex Ariſt. *l. prædicam. cap. de ſubſtantia,* aſſerente, ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus, ſupple, penes eſſe ſpecificum, & eſſentiale, vt ibi planum feci: ergo cum formæ elementorum ſint ſubſtantiales, nullo modo reperiuntur in mixto, in eſſe remiſſo, & refracto.

Secundo, incredibile, immò & impoſſibile videtur, quod per magnum temporis interuallum, in fundo oceani formam ignis in eſſe imperfecto nondum periiſſe, corruptamque fuiſſe à forma contraria aquæ, quæ ibi eſt efficaciſſima, maximæque virtutis: igitur, meliùs cum communi ſententia aſſeritur, prædictas formas elementorum, ſiue in ſummo, ſiue in remiſſo nequaquam in mixto permanere.

11. Aſſertio tertia, in mixto extat duntaxat vna forma ſubſtantialis, per quam mixtum conſtituitur in eſſe mixti, & differt ab omni eo, quod non eſt mixtum. Fauet Scot. *vbi ſuprà.* Probatur primò, vnum mixtum differt ab alio eſſentialiter, vt lapis ab arbore, homo à leone: huiuſmodi autem diſtinctio eſſentialis petitur penes propriam formam, vni, & non alteri competentem, cum materia ſit commune ſubiectum vniuſcuiuſque formæ. Igitur in vno mixto reperitur vna forma ſubſtantialis duntaxat.

Secundò, niſi mixtum conſtitueretur per vnam tantùm formam ſubſtantialem, mixtum non gigneretur, ſed alteraretur: communiter autem tenetur per mixtionem generari quippiam ſubſtantiale de nouo, quod nuncupatur mixtum: igitur mixtum conſtituitur per propriam formam, ratione cuius diſſidet ab elementis.

Tertiò, à quolibet mixto emanat vna præcipua proprietas, vt ab homine riſibilitas, & à leone rugibilitas: huiuſmodi autem paſſio, ſeu proprietas oritur potiſſimum à forma mixti: ergo in mixto exiſtit ſolummodò vna forma ſubſtantialis conſtitutiua mixti.

12. Oppones primò, Ariſtot. 1. *de gener.* 84. ſcribit miſcibilia remanere in mixto: miſcibilia autem ſunt elementa: ergo elementa ſunt in mixto, quæ exiſtere nequeunt abſque ſuis formis, proindéque aptè deducitur, elementa manere in mixto, ſecundum ſuas formas ſubſtantiales. Confir. primò idem Philoſophus *ibid. T. 88.* ſubdit, guttam vini in amphoram aquæ plenam iniectam, non miſceri, ſed deſtrui, propterea quod miſcibilia manent in mixto, & non gutta vini in multum aquæ proiecta. Conf. ſecundò, 5. *Metaphyſica, cap. 3. T. 4* elementum eſt, ex quo inexiſtente aliquid fit: igitur, ſi elementa inexiſtunt mixto, ſequitur ea in hoc manere, penes ſuas formas ſubſtantiales. Reſpondeo Ariſt. interpretandum eſſe ſecundum conuenientiam elementa eſſe in mixto: non autem ſecundum ſubſtantiam. Quod patentiùs fiet in proximo art. Vel dico, id dixiſſe, non in propria, ſed in aliena ſententia, ſcilicet Empend. Anaxag. & aliorum opinantium elementa actu, & formaliter exiſtere in mixto. Ad primam conf. dico, guttam vini in ingentem copiam aquæ proiectam quidem non miſceri, ſed deſtrui, propterea quod nulla remanet conuenientia, nullaque ſimilis qualitas in vino: in mixto autem adſunt qualitates conuenientes, ac ſimiles, qualitatibus formarum elementarium, ratione quarum in mixto dicuntur eſſe elementa, virtute, ac potentia. Ad ſecundam conf. dico cum Scot. *ibi in com.* eam elementi definitionem, non quatuor vulgaris, ſed materiæ primæ tantum coaptari. Vel dicito fieri mixtum ex elementis, quæ præexiguntur exiſtere, ad hoc vt ipſum mixtum, ex eis gignatur.

13. Oppones ſecundò, *ex 1. de gener. in fine,* mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio: ſi autem in productione mixti, elementa alterantur, planè infertur ea in mixto perdurare penes ſuas formas ſubſtantiales. Conf. primò, mixtum mouetur ab elemento prædominante: vnum autem nequit aliud mouere, niſi actu exiſtat, igitur cum elementum prædominans moueat mixtum, inficiandum non eſt, elementa formaliter, & actu eſſe in mixto. Conf. ſecundò ex 3. *Cæli, T 67.* elementa, ex quibus conflatur mixtum, in ipſomet mixto perſiſtunt. Reſpondeo illud verum eſſe præexigitiuè, non autem formaliter. Quod eſt dictu, alteratio elementorum præexigitur ad generationem mixti, vt planum feci, *in quæſt. præcedente articul.* 2. Ad primam confir. dico, illud prædominium non eſſe ſecundum qualitatem propriam elementi exiſtentem in mixto, ſed ſecundum conuenientiam, hoc eſt in mixto reſidet aliqua qualitas prædominans, quæ eſt ſimilior vni elemento, quàm alteri, vt in cholerico eſt temperies prædominans, quæ aſſimilatur magis igni, quàm aquæ, aut alteri elemento. Ad ſecundam conf. dico Ariſtot. ibi loqui in ſententia Empedoc. & aliorum antiquorum, illud dogma ſuſtinentium.

14. Oppones tertiò, vnumquodque ex eis componitur, in quæ reſoluitur, vt patet de homine, qui componitur ex anima, & corpore, & in ea reſoluitur: mixtum autem reſoluitur in elementa; ergo ex elementis componitur. Conf. ſicut ſe habent litteræ ab ſyllabas, ita elementa ad mixta, ſyllabæ autem

ex

ex litteris componuntur, ergo & mixta ex elementis, constantur. Distinguo ma. de resolutione separatiua, vt ostendit præadductum exemplum, concedo ma. De resolutione productiua, nego ma. concedo min. si enim genitum resoluitur in corruptum, & corruptum in genitum per productionem subsequentia formæ, & per corruptionem formæ præcedentia, vt cum homo resoluitur in cadauer, & vermes, in huiusmodi resolutione formæ præcedentes non existunt in genito, & de nouo producto. Ad conf. neganda est paritas, ratio est, quia litteræ sunt partes integrales syllabarum; elementa verò sunt principia actiua, & dispositiua, ad generationem mixti.

Opp. 4. experimur ex mixto, putà ligno apposito ad ignem, si fuerit madefactum, egredi aquam: illa autem aqua non producitur ab igne, quia ignis est destructiuus, & non productiuus aquæ, ergo illa aqua inerat in ligno, ac proinde formæ elementares extant actu, & formaliter in mixto. Conf. primo ex rosis, aliisque floribus per distillationem educitur aqua, ergo forma aquæ actu est in illis. Conf. 2. ex ferro, & lapide percussis excutitur ignis: ergo ignis formaliter, & actualiter erat in lapide. Respondeo aquam, quæ exit ex ligno extare in poris ipsius ligni quæ per calorem ab eomet expellitur. Idque ostenditur ex eo, quod solum lignum madefactum emittit aquam, non sic lignum siccum, & aridum. Quod si ex ligno viridi effluat aqua, non est formaliter aqua elementaris, sed quidam humor, & succus, qui est quoddam mixtum. Ad 1. conf. nego aquam roseam, & consimilem distillatam esse aquam elementarem, vt indicant eius virtutes, & proprietates. Ad 2. conf. dico ignem in silice non esse actu, sed potentia, velut forma naturalis, priusquam educatur de materia ab agente, dicitur esse in potentia in ipsa materia.

15. Opp. 5. si formæ elementares actu non componerent mixtum, sequeretur mixtum non esse mixtum, sed simplex, veluti quodlibet elementum: mixtum autem dissidet a quolibet elemento, cum hoc sit simplex, illud verò mixtum, ergo in mixto inueniuntur formæ elementares. Respondeo vocari mixtum, non quia habet formam aliquam compactam ex formis elementorum, sed quia ad eius generationem, necesse est, præmisceantur elementa. Quare secundum formam, mixtum est ita simplex, sicut quodcumque elementum, & prærequirit elementorum mixtionem, ratione cuius perhibetur mixtum.

ARTICVLVS III.

An elementa maneant in mixto secundum suas qualitates.

16. **N**Emo est qui nesciat, elementa quoquo modo existere in mixto, tum propter authoritatem Arist. 1. *de gener.* 84. & alibi, tum etiam propter rationes prællatas in oppositionibus superioris art. Difficultas verò est, qua ratione, quoue modo præfata elementa in mixto persistant. Conueniunt autem ferè omnes Philosophi elementa esse in mixto virtualiter: digladiantur verò inter se, quid sibi vult, elementa esse virtualiter in mixto. Etenim D. Th. 1. *p. q.* 76. *art.* 4. Caiet. *ibid.* & Vega 2. *de arte medendi c.* 6. autumant elementa esse virtualiter in mixto, nihil aliud sibi velle, quàm qualitates eorum reperiri in mixto, in esse remisso, & refracto. Scot. autem 2. *d.* 15. *q. vn.* §. *Dico igitur B.* eiusque discipuli *ibid.* & ex Thomist. Iauellus 8. *Met. quæst.* 4. Sonc. & alij non pauci docent elementa virtualiter permanere in mixto, nihil aliud esse, quam eminenter contineri in eo, veluti anima vegetatiua, & sensitiua virtualiter, & eminenter sunt in anima rationali: an quod in idem recidit elementa sunt in mixto, secundum conuenientiam, & proportionem virtutis.

17. Not. 1. elementa esse in mixto, penè proportionem, & conuenientiam virtutis, bifariam posse intelligi, vno modo in summo, & hic sensus nemine defenditur. Altero modo in remisso, & hic sensus est, quem tuentur Scot. cæterique Authores prænominati.

18. Not. 2. ex Doct. 4. *Met. in exp. T.* 27. & 2. *d.* 7. *q. vn.* §. *Ad argum. principalia sub X.* medium esse duplex, vnum appellatur medium per abnegationem extremorum, sic virtus est in medio, quia recedit ab extremis, putà liberalitas mediat inter auaritiam, & prodigalitatem, eo quod ab vtraque recedit. Alterum verò nominatur medium per participationem extremorum, quod scilicet ex extremis componitur, tametsi non sit propria compositio, sed conuenientia extremorum: quo pacto color rubeus est medius inter colorem album, & nigrum, non quia participet partim naturam albedinis, & partim naturam nigredinis, cum rubedo sit qualitas ita simplex, ac albedo, & nigredo, verùm quoniam maiorem sortitur conuenientiam cum extremis, quàm extrema inter se. Magis quippè conuenit rubedo cum albedine, & nigredine, quam albedo, & nigredo. Pariter elementa dicuntur esse in mixto, per conuenientiam, quia magis conuenit mixtum cum elementis, quàm elementa inter se. Itemque elementa perhibentur esse in mixto secundum proportionem virtutis, quandoquidem magis proportionantur qualitates mixti, cum qualitatibus elementorum, quàm qualitates elementorum adinuicem.

19. Ass. elementa non sunt in mixto, propterea quod qualitates eorum, in esse remisso, & refracto existant in ipso mixto, sed penès conuenientiam, & proportionem virtutis, patrocinatur Doct. *vbi suprà.* Probatur primò ex Arist. 1. *de gener.* T. 84. asserente, actu elementa non reperiri in mixto, nisi virtutem eorum, quæ non est eadem quidem, sed ei similis, & affinis, vt mox ostendam. Secundò, corrupto subiecto, corrumpuntur omnia, quæ sunt in subiecto, quod tanquam vulgatum proloquium recipiunt omnes Philosophi: elementa autem in generatione mixti corrumpuntur, penes suas formas substantiales, ergo & penes eorum qualitates, proindéque nulla qualitas eorum remanet in mixto, nisi secundum similitudinem, & conuenientiam. Tertiò, accidens non migrat de subiecto in subiectum, vt quoque communiter admittunt Philosophi, ergo qualitates elementorum, quæ sunt accidentia, non migrant de elementis in mixtum, atqueadeò in mixto haud subiectantur. Insuper, calor ignis, si nimius existeret, est destructiuus mixti. Quod da frigore aquæ, cæterisque elementorum qualitatibus astruendum est: qualitates autem, quæ insunt mixto, ipsum mixtum conseruant, ac fouent, quantum possunt, ergo euidenter euincitur, dictas qualitates non esse elementares.

20. Opp. 1. Arist. 2. *de partibus animalium, cap.* 2. astruit, elementa existere in mixto, secundum suas virtutes, & qualitates. Idipsum præmiserat 1. *de gener.* T. 84. Ergo in Schola Peripatetica, qualitates elementorum persistunt in mixto. Respondeo hæc, & consimilia testimonia Philosophi exponenda esse, non secundum identitatem, sed secundum similitudinem, & conuenientiam, siue non formaliter, sed virtualiter, eo ferè modo, quo anima sensitiua virtualiter continetur in intellectiua.

21. Opp. 2. in mixto, putà homine est calor, in lapide frigus, in pisce humiditas, & in ligno siccitas: huiusmodi autem qualitates sunt elementares, ergo elementa extant in mixto, penès suas qualitates. Conf. præstantiori modo dictæ qualitates reperiuntur in elementis, quàm in mixtis, ergo in vtrisque reperiuntur. Concedo ma. nego min. sunt enim alterius ra-

tionis cuius causa est, quia calor elementaris alterat, & disponit ad productionem ignis: calor verò mixti alterat, & præparat ad gignendam carnem, vt rectè aduertit Doct. nuper cit. G. §. *Ad primum.* Idem respondendum est ad Conf. Vt enim forma mixti perfectior est forma elementi, sic qualitas illius præstat qualitati huius.

Articvlvs IV.

An in mixto dari possit temperamentum ad pondus.

22. NEgant Auic. Auer. & alij à Recentibus allegati esse possibile, in quocumque mixto temperamentum ad pondus: Affirmant autem Fernelius 8. *Physiolog. c.* 4. Valles. 1. *contra. c.* 7. aliique complures posse dari in homine, cæterisque mixtis temperamentum ad pondus.

23. Not. secundum Galenum, aliosque Medicos, temperamentum vniuersè sumptum esse concentum, seu harmoniam quatuor primarum qualitatum ad quamdam mediocritatem reductarum, adeò vt penes formarum diuersitatem, diuersa temperies, ac proportio earumdem qualitatum habeatur. Iuxta autem Scot. mentem, temperamentum est congrua dispositio qualitatum conuenientium, qua forma mixti conseruatur in eius materia. Si enim huiusmodi qualitates in mixto fuerint attemperatæ, conseruatur mixtum: quod si fiat excessus, aut defectus in aliqua parte principali mixti, nisi iuuetur per medicinam, accidit mors viuentis animati. Vulgò autem diuiditur temperamentum in vniforme, & difforme: illud est, in quo omnes præfatæ qualitates sunt in æquilibrio, seu in omnimoda æqualitate, & pondere, & nuncupatur temperamentum ad pondus, propterea quod in eo dictæ qualitates, quasi in æquali mensura, & pondere librantur: Hoc verò est, in quo prænominatæ qualitates non gaudent æquali gradu, sed vna, vel duæ præualent, & dominantur in ipso. Subsecatur autem istud temperamentum in simplex, & compositum: simplex est, in quo vna qualitas dominatur dumtaxat: compositum est, in quo duæ qualitates excedunt, & superant alias duas qualitates: estque quadruplex, iuxtà quadruplicem combinationem qualitatum. Primum est igneum, seu colericum, in quo dominantur calor, & siccitas. Secundum est aëreum, seu sanguineum, in quo abundant calor, & humiditas. Tertium est aqueum, seu phlegmaticum, in quo præ aliis vigent frigiditas, & humiditas. Quartum est terreum, seu melancholicum, in quo excedunt frigiditas, & siccitas. Temperamentum autem, in quo extat excessus vnius, aut duarum qualitatum similium, & conuenientiū appellatur temperamentum ad iustitiam, quia tales qualitates sunt iuxtà exigentiam naturæ mixti, eiusque partium, sic cerebrum est frigidum, cor calidum, os siccum, caro humida, &c. Vt enim *ex* 3. *Eth.* 3. in Repub bene ordinata distribuuntur præmia, secundum vniuscuiusque merita: ita in ordine mixtorum seruatur ratio iustitiæ, vt non eadem sit omnium temperies, sed iuxtà cuiuslibet mixti, & partium eius naturam.

24. Assertio, possibile est in mixto temperamentum ad pondus. Tangitur à Doct. 4. *d.* 49. *quæst.* 13. §. *Respondeo sub B.* & defenditur à Tatar. 2. *de gener. quæst.* 2. *dub.* 1. *in fine.* Probatur primò ex Arist. *sect.* 5. *problem.* affirmante, viuentia mixta ad æqualitatem attemperata, facilè ægrotare, faciléque sanari: non sic ea, quæ ad æquilibrium temperata non sunt: ea quippè difficilè in morbum incidunt, difficiléque curantur.

Secundò, qualitates participare queunt æqualitatem graduum intensionis, aut remissionis, veluti etiam eorumdem inæqualitatem, vt patet, ergo concedi potest præfatum temperamentum ad pondus. Immò, probabile est, Christum Dominum illud habuisse cum sit omnium sanissimum, ac perfectissimum, & complexio eius fuerit nobilissima, & præstantissima: & fortasse Adamum, in statu innocentiæ, cum pars inferior paruerit superiori.

Tertiò, si est vnum contrarium, potest esse & aliud, 2. *T.* 44. & 2. *eiusdem.* *T.* 18. Ergo cum detur corpus mixtum inæqualiter temperatum, vtique dari potest mixtum æqualiter temperatum, sicque non repugnat mixto temperamentum ad pondus.

25. Oppones primò, *ex* 1. *de gener. cap.* 10. *n.* 89. in omni mixto, vnum elementum prædominatur, virtusque eius in eodem est intensior, & eminentior: igitur dato tali prædominio, nullum extat temperamentum ad pondus. Hoc idipsum videtur sentire Scot. nuper cit. Respondeo, quod licet de facto, & vt plurimum, id accidat, de possibili tamen non obstat, quin detur mixtum ad æquilibrium. Sic exponenda sunt præadducta testimonia Stagit. & Scot.

26. Oppones secundò, in homine, aliisque animantibus extant partes maximè diuersæ in temperie. Putà iecur, cor, cerebrum, nerui, & huiusmodi, vt ex his resultari nequeat temperamentum ad pondus, ergo præfatum temperamentum est impossibile. Respondeo quamuis in quacumque parte mixti esse non possit dictum temperamentum ad pondus, tamen toti mixto non repugnat, si omnes eius partes adinuicem conferantur, gradusque qualitatum in singulis comparentur. Idque explanari potest de ponderibus horologij, quorum vnum, licet non æquetur alteri, tamen omnia ad æquilibrium ordinantur, vt motum totalem, & regularem conficiant.

Articvlvs V.

An idem numero naturaliter possit reproduci.

27. HVius difficultatis examinandæ causam præbet nobis Arist. 2. *de gener. cap. vlt.* inquiens, generationes esse circulares, quod est dictu, in generationibus effici reditum, & regressum, non quidem ad easdem res numero, sed specie, vt quidam eius interpretes eum locum exponunt, propterea vulgus Philosophorum perquirit, vtrùm idem numero reproduci queat? Qua in re inuenio tres opiniones, duas extremas, & tertiam mediam. Prima est quorumdam Philosophorum, nominatim Platonicorum, quos refert Scot. 4. *d.* 43. *quæst.* 3. §. *Hic sciendum. A.* post D. Aug. 12. *Ciuit. cap.* 13. arbitrantium, post magnum annum, idest, post triginta sex millia annorum, omnia redire eadem numero, nedum secundum substantiam, verum etiam secundum accidentia, propterea quod omnes cæli redibunt ad eumdem situm, dato illo Ptolemei, in Almagisto, Cælum stellatum moueri per centum annos, vno gradu, contrà motum diurnum, sequitur, motum eiusdem Cæli ab occidente in orientem, complendum esse spatio triginta sex millium annorum. Secunda est D. Th. 4. *contrà Gentes cap.* 81. Capr. Palud. & aliorum 4. *d.* 43. & Suarez 3. *p. disp.* 45. *sect.* 6. negantium naturaliter vllum effectum corruptum posse eumdem numero reproduci. Tertia est Scot. 4. *cit. q.* 3. §. *Tertia opinio* Ric. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 6. & complurium aliorum, docentium virtute naturali, quosdam effectus numero posse reproduci.

28. Not. hanc controuersiam posse agitari, aut de potentia naturali, vt in præsenti art. vestigatur: aut de potentia supernaturali, quoad ens permanens, de quo in sequenti art. aut quoad ens successiuum, de quo in postremo art.

29. Assertio prima, non omnia sunt reditura eadem

dem numero. Ita ex Aug. præcit. tenet Scot. *vbi supra.* Probatur primò, ex sacra pagina Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.* 1. Thess. 4. *semper cum Domino erimus.* Psal. 11. *Tu autem Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum.* Subiungit Scot. ex Psal. nunc alleg. *In circuitu impij ambulant.* idest, dicunt reditiones circulares. Et Apoc. 10. *Tempus non erit amplius.*

Secundò, admissa tali rerum circulatione, nulla foret beatitudo, quia homo rediret ad pristinas miserias, & calamitates. Aut enim homo beatus putat se nunquam rediturum ad priorem statum laboribus, & ærumnis plenum, sicque falsa opinione est beatus: aut putat se aliquis reuenturum ad pristinum statum, sicque timet, & non est beatus, cum beatus sit securus de æterna felicitate.

Tertiò, scientia foret reminiscentia, quod improbat Arist. 1. *post T.* 4. inquiens, impossibile est, nobilissimos habitus in nobis esse; & nos latere. Deindè, actiones liberæ necessariò non subiiciuntur cælorum causalitati, ergo nec iidem homines numero, nec eædem ipsorum actiones numero regredientur, vt suspicabantur Platonici, teste Aug. præalleg. vbi sic scribit, Plato, & schola Academica docuit discipulos, per innumera retrò sæcula, & idem Plato, & eadem Ciuitas, & eadem schola, iidemque discipuli repetiti. Plura Scot. cit.

30. Assertio secunda, probabile est naturæ viribus, quædam posse redire eadem numero. Fauet Scot. *pass. memorato*, §. *Tertia opinio.* Probatur primò, *ex* 1. *Cæli*, *T.* 22. *&* 8. *Met. T.* 11. si agens fuerit idem, & materia eadem, effectus erit idem: potest autem esse idem agens, eademque materia effectus eiusdem producti, & reproducti, vt si igni apponatur manus, & calefiat, deinde calor pereat, manu separata, si eadem manus eidem igni reponatur, sequitur idem numero calor. Ergo quandoque redire potest idem numero effectus.

Secundò, agens, & materia tantam habent potentiam ad effectum corruptum, quantam prius habebant ad ipsum effectum producendum, quia causa virtualiter continet suum effectum: agens quippè, & materia sunt indifferentia ad hunc, aut illum effectum producendum, aut iam productum. Non ergo repugnat aliquem effectum reproduci.

Tertiò, si aqua in multas distribuatur partes, perit identitas eius numerica. Siquidem, quælibet pars aquæ est aqua, & vnaquæque facit vnum totum realiter ab alio distinctum. Quod si iterùm illæ partes vniantur, redit eadem aqua numero, quæ prius erat. Item febris intermittitur, & redit eadem febris. Rursùs, partes animalis perfecti possunt naturaliter reparari, ergo & totum animal. Conseq. videtur nota. Ant. ostenditur, si ab aliquo præscindatur auricula, semel ab homine illo seiuncta perit, quia anima non ampliùs eam viuificat: quod si eidem homini reuniatur, vt præstitit Christus Maleo, *Matt.* 26. redit eadem auricula viuens vita, qua priùs viuebat. Insuper lib. de causis asserui, eumdem numero effectum diuisim posse produci à pluribus causis eiusdem ordinis, nec eis necessariam esse eamdem numero actionem, cum illi sit extrinseca.

31. Oppones primò, Ecclesiastes 1. *Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est, iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Conf. Cæli inchoantes suum motum ab vno puncto, ad idem punctum reuertuntur, ergo eosdem numero effectus causabunt, proindéque, eadem, quæ prius erant, redibunt. Conseq. tenet, eædem causæ naturales eodem modo applicatæ, & non impeditæ producunt eosdem effectus iuxtà illud 2. de gener. 26. *idem manens idem, semper facit idem.* Respondeo illud esse exponendum, de decreto Dei, intellectu, & voluntate eius; quia ab æterno ea omnia statuit, quæ in tempore producit, eaque omnia sunt Deo præsentia, non quidem in esse realis existentiæ, sed in esse obiectiuo. Ad conf. nego, Cælos redire ad idem punctum, à quo moueri cœperunt, vt ex Thebit. notat Scot. cit. *sub B.* Et diligenter obseruant alij Astrologi, contrà Platonicos.

32. Oppones secundò, contrà 2. Ass. *ex* 2. *de gener. c.* 11. *T.* 70. quorum substantia perit, non reuertitur eadem numero, 5. *Phys. c.* 4. *T.* 37. Non redit eadem numero sanitas. Et *l. prædicam. c. de opposit.* *A priuatione, ad habitum, non datur regressus.* simile quid habetur 8. *Met. T.* 14. Ergo vnum, & idem numero corruptum non potest reparari. Respondeo primum testimonium interpretandum esse vtplurimum, aliquando verò nihil obstat, quin idem numero possit redire, sic respondet Scot. cit. *q.* 1. & *in Report. q.* 2. *ad* 2. Ad aliud dico, magis esse ad oppositum, quandoquidem, si sanitas continuata per diem manet eadem, cur eodem modo, illa quæ fuit manè, & meridie interrupta, & vespere redita erit eadem? Ad 3. exponitur de reditu immediato, non autem mediato, vt explicui *l.* 2. *Phys. q. de priuatione.*

33. Oppones tertiò, totum pollet vnione partium, non autem redit eadem vnio, quæ est interrupta: interruptum quippè non regreditur idem. Si namque idem rediret, foret iteratio, quæ repugnat identitati. Respondeo ad identitatem numericam effectus non exigi eamdem vnionem, cum etiam non requiratur eadem actio, eademque causa, vt *l. de causis præmemorato*, fuse monstraui. Hinc Doct. *in* 4. *nuper alleg* § *Aliter. D.* declarat id, de eodem vbi numero, quod acquiri potest motu recto, & circulari.

ARTICVLVS VI.

An supernaturaliter idem numero effectus permanens corruptus possit reparari.

34. Marsilius 2. *de gener. q.* 18. Dur. 4. *d.* 43. & alij pauci putant, idem numero compositum, & mixtum permanens, quod semel interit, præter hominem, nunquam posse reparari, quibus præiuerunt Sadocæi, vt legitur *Matt.* 22. negantes vniuersalem hominum resurrectionem. Oppositum autem tuentur Scot. 4 *d. cit. q.* 1. S. Bon. *ibid. q.* 5. Bass. Mayr. & alij Scholast. *ibid.* & S. Th. *quol.* 4. *a.* 5. docentes, omnia permanentia, quæ perierunt, diuini virtute, eadem numero posse reparari. Suadetur primò, ex scriptura, Iob. 19. *Scio, quod in nouissimo die de terra surrecturus sum.* & 1. Cor. 15. *Omnes resurgemus.* Estque articulus fidei, vt patet in symbolo Apost. *Carnis resurrectionem*, & Nicæno, *Et expecto resurrectionem mortuorum.* Secundò, ex Aug. 22. *Ciuit. c.* 21. Et serm. 19. de verbis Domini. *Si in nihilum redigeremur, facere Deus poterat, vt essemus, sicut facit nos esse, cum antea nunquam fuissemus.* Idem habet *serm.* 19. *de sanctis.* Et Greg. hom. 18. in Euang. *Longè minus est Deo reparare, quod fecit, quàm creasse, quod non fuit.* Tertiò, nulla extat repugnantia ex parte Dei, cuius potentia est infinita: & ex parte rerum corruptarum, quæ ex se iterum produci contradictionem non implicat, sicut antequam producerentur, erant producibiles. Hinc Aug. in exp. Psal. 62. *Si Deus fecit nos, qui non eramus, magnum est illi, reparare, quando eramus.* Et de verbis Apostoli, serm. 10. *Plus est facere, quod nunquam fuit, quàm reparare, quod fuerit.* Et de tempore serm. 52. *Cogitauit Abraham Deum, qui dedit, vt qui de senibus nasceretur, qui non erat, posse etiam de morte reparare.*

35. Oppones primò, *ex* 6. *Eth. c.* 3. recipitur ab Arist. assertum Agathonis. *Hoc solo priuatur Deus, ingenita facere*

facere, quæ facta sunt. Ergo repugnat, corrupta eadem numero ad præsentia posse reuocari. Respondeo quidem non posse facere, quin quæ facta sunt fuerint facta, non rectè tamen infertur, Deum non posse efficere præsentia ea per reproductionem. Nam, sicut per primam factionem fuerunt facta, deinde destructa, per aliam factionem, poterunt reparari eadem numero, vt patet *Ioan.* 11. de Lazaro, qui mortuus, reuocatus est ad vitam voce Christi Domini dicentis, *Lazare veni foras, & statim prodiit, qui fuerat mortuus*.

36. Oppones secundò, idem habere nequit duplicem existentiam, duplicemque durationem, vt conspicuum est: si autem eadem numero res posset redire, duplici existentia, duplicique duratione gauderet, nempe vna, quam haberet per primam productionem, altera verò quam participaret per secundam productionem. Distinguo ma. simultaneam, & continuam, concedo: interruptam, & discontinuam, nego: vt constat de Christo Domino, qui post mortem surrexit, & reuixit.

37. Oppones tertiò, si Deus ad extrà ageret necessariò, non minorem haberet potentiam, quam nunc habet agens liberè: si autem ad extrà ageret necessariò, non posset idem numero reparare, ergo nec agens liberè id potest. Respondeo hypothesim esse impossibilem. Dato autem vno impossibili, & absurdo, plura sequuntur, *1. Phys. T.* 10. 13. *&* 15. Vel, si concedatur ma adhuc posset idem numero reparare, dummodò eadem materia, & reliqua prærexacta fuerint disposita, vt in simili de homine. Secundum Arist. tenet Scot. vbi suprà.

ARTICVLVS VII.

An vi diuina idem numero ens successiuum possit redire.

38. PArti negatiuæ fauent D. Th. *Quol.* 4. *art.* 5. Rub. *de gener. tract. de reproductione quæst.* 4. & Complut. *ibid. disp.* 13. *quæst.* 2. arbitrantes, contradictionem inuoluere idem numero ens successiuum restitui. Parti verò affirmanti adhærent Aur. 4. *d.* 43. Bass. *ibid.* Mayr. *d.* 44. *quæst.* 3. quibus videtur præire Scot. 4. *d.* 43. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta L.* asserentes idem numero ens successiuum diuinitùs posse reparari. Probatur primò, quod non implicat contradictionem potest fieri à Deo, ex communi scholasticorum asserto, præsertim Scot. nunc cit. & *d.* 10. *q.* 2. §. *Dico ergo F* idem autem numero ens successiuum, putà motum, & tempus reproduci, nullam implicantiam involuit, ergo est possibile. Ma. conceditur ab Aduersariis. Min. probatur, idem numero ens permanens potest restitui, ergo & successiuum. Ant. admittitur ab eisdem Antigonistis. Conseq. probatur, sicut ens permanens virtualiter continetur in causa: sic & ens successiuum, vt magis patebit ex solutione oppositionum infrà adducendarum.

Secundò, motus specificatur à termino, vt benè decisum est, *sol. de motu*: potest autem Deus reproducere eumdem numero terminum motus, ergo & eumdem numero motum. Ma. patet. Min. ostenditur, Deus valet reparare idem numero corpus, quod habeat idem vbi numero, eamdemque præsentiam localem, ergo & eumdem numero motum, per quem talem præsentiam localem acquisiuit.

Tertiò, si eadem extrema relationis restituuntur, vtique eadem numero relatio resurget, & redibit, vt patet de Christo Domino habente eamdem numero relationem filiationis ad Virginem matrem, post eius mortem, quam ante mortem habuit, notante Scot. vbi suprà. Motus autem formaliter est relatio extrinsecus aduenient mobilis ad mouens, vt ex instituto maret probatum *lib. de motu prealleg.* Adde, quod si subiectum idem numero reparari potest, quoque eius accidentia, quæ ipsum subiectum consequuntur. Dato enim principali dantur quoque accessoria, vt scribunt Iuristæ: per Aduersarios autem eadem substantia numero restitui potest, ergo & eius accidentia, inter quæ numerantur motus, & tempus.

39. Oppones primò, quod intrinsece, & essentialiter est continuum, nequit idem reparari, quia si interrumpatur, destruitur eius continuitas: ens autem successiuum est continuum, *ex* 5. *Phys. cap.* 4. *T.* 39. Ergo ens successiuum nequit idem numero restitui. Nego ma. si enim interrumpatur continuum, desinet quidem esse; attamen nihil obstat, quin Deus valeat idem numero reparare, quod nunc erit continuum, sicut anteà: siquidem partes eius seruabunt eamdem continuitatem ad inuicem.

40. Oppones secundò, reparari nequit idem numero motus, nisi reparetur idem numero tempus, quia ex motu sequitur tempus, veluti ex sole oritur lumen: idem autem tempus numero redire nequit, quia tempus verum, reale, & positiuum ordinatur essentialiter ad tempus imaginarium, quod à Deo nec mutari, nec reparari potest, ergo tempus verum si desinat esse, restitui non potest. Respondeo, etsi maior sit vera materialiter, non tamen formaliter, quia non motus à tempore, sed tempus à motu prodit. Tamen si admittatur ma. negatur min. quia proprium, & verum ens cuiusmodi est tempus, essentialiter non dependet à non ente, veluti est tempus imaginarium.

41. Oppones tertiò. Non minoris potentiæ est, rem existentem conseruare, ne pereat, quam corruptam reparare, vt non inficiantur Aduersarij: Deus autem nequit conseruare rem successiuam, ne corrumpatur, alioquin non erit successiua, sed permanens, quod est impossibile, ergo &c. Respondeo maiorem valere, si intelligatur secundum esse quod res habet, & qua res vel habet esse permanens, vel successiuum, si vtrumque Deus potest suo modo conseruare, ac etiam reparare: Quod si aliter maior accipiatur, idest, vt ens successiuum permaneat, & non fluxibiliter conseruetur, vt instatur in argumento, & indicatur in minori propositione, falsa est.

LIBER DE METEOREIS.

1. Meteora sunt quædam mixta imperfecta, quæ in sublimi loco generantur. Nam græcè μετέωρον, perindè est ac latinè sublime, vt rectè obseruant Zabarel. Tatar. 1. *Meteor. quæst.* 1. *scibili* 1. *in fine*, Ioan. de Magis. *quæst.* 2. *scibili* 3: & Parisiens. *ibid. in exp. Text. not.* 1. Quare scientia meteororum est cognitio rerum sublimium, quæ nimirum efficiuntur, & visuntur in loco alto, & sublimi, scilicet in suprema, aut in media regione aëris. Quamuis autem nonnulla meteora fiant in imo, & humili loco, & quædam alia ab Arist. in suo opere pertractentur: nihilominus, quoniam quæ in sublimi conspiciuntur, plura sunt nobiliora, & præstantiora, propterea ab eis suam sortiuntur denominationem & inscriptionem. Excitantur autem in isto libro quinque quæstiones, quarum prima est de meteoris in communi. Secunda de meteoris ignitis. Tertia de meteoris aëreis. Quarta de aqueis. Et quinta de terreis.

QVÆSTIO I.

De Meteoris in communi.

ARTICVLVS I.

De causis meteororum.

1. Cavsa efficiens meteororū est Cælum, per suum influxum ac motum. Causa materialis remota sunt quatuor elementa, præsertim aqua, & terra, causa verò materialis proxima sunt vapor, & exhalatio. Formalis est, per quam meteorum constituitur in suo esse essentiali, & distinguitur ab omni alio, quod non est ipsum. Finalis autem est bonum vniuersi. Vapor est halitus humidus, & calidus, qui egreditur ex aqua, locisque humidis. Cum enim aqua est calefacta virtute solis, attrahitur quidam fumus, qui appellatur vapor, & ex eo fiunt nubeculæ, nubes, pluuiæ, grandines, & id genus alia: Quodque experimur, cum aqua lebetis est calefacta Tunc enim, virtute caloris ignis eleuatur ex ipsa aqua quidam fumus, qui à Philosophis vocatur vapor, cuius meminit Doct. 2. *d.* 15. *quæst. vn.* §. *Dico ad quæst. sub B.* & *in Report. d.* 14. *quæst.* 3. & 1. *d.* 2. *quæst.* 3. *Report* § *Ad* 1. *principale.* Exhalatio autem est halitus calidus, & siccus, qui ex terra, locisque siccis educitur, virtute radiorum solarium. Siquidem ex terra calefacta, cum sit porosa, instar fumi videtur extrahi quidam halitus, qui exhalatio nuncupatur. Ex eo autem fiunt meteora ignita, quæ ab aliis nominantur impressiones ignitæ: etsi partes ipsorum meteororum maximè ad inuicem connectantur, attractæ per vim solis ad supremam regionem aëris generant cometas: quod si partes eorum nullo vinculo coniungantur, sed inter se sint dispersæ, faciunt flatus, siue ventos.

3. Assertio, duo sunt meteororum genera, vnum ex vapore, aliud verò ex exhalatione compactum. Ita Arist. 1. *Meteor.* & communiter reliqui Philosophi, à quibus non deflectit Scot. cit. & in aliis suis operibus. Probatur, duplex tantum extat materia proxima meteororum, ergo duplex est genus meteororum duntaxat. Ant. euidens est ex mox dictis, vel enim meteora participant materiam calidam, & humidam, aut materiam siccam, & calidam, quod est dictu, aut fiunt ex vapore, aut ex exhalatione. Deinde, in proximo art. ostendetur, vaporem, & exhalationem differre specie, & essentialiter inter se, ergo meteororum duplex statuitur genus præicensitum.

4. Oppones, tot sunt meteororum genera, quot sunt combinationes eorum, vt constat de numero qualitatum, & aliarum rerum: quatuor autem sunt combinationes meteororum. Aut enim fiunt ex calido, & humido; aut ex sicco, & humido: aut ex humido, & frigido: aut ex calido, & sicco, ergo numeranda sunt quatuor meteororum genera. Neganda est ma tum quia, quæ frigida sunt, nequeunt in altum attolli: tum etiā quia calida, & sicca in vnum coire non possunt, propterea ex his non fiunt propriè meteora.

ARTICVLVS II.

An vapor, & exhalatio distinguantur essentialiter.

5. Titulus huius art. bifariam intelligi potest. Vno modo verùm vapor, & exhalatio ab inuicem essentialiter, aut accidentaliter differant: altero modo, nùm essentialiter, vel accidentaliter ab elementis secernantur? Qua in re duplex viget placitum Philosophorum, quorum primum est Auer. & Philoponi 2. *de gener. com.* 8. & L uaniensium *l.* 1. *tract.* 2. existimantium vaporem, & exhalationem ab elementis, & ab inuicem accidentaliter tantum differre. Secundum verò placitum defenditur à Ioan. de Magis. 1. *Meteor. quæst.* 4. *dub.* 5. Tatar. *ibid. quæst.* 1. *scibili* 4. & aliis affirmantibus vaporem, & exhalationem tam ab elementis, quàm ab inuicem secerni essentialiter. Quibus fauet Scot. 4. *d.* 12. *quæst.* 4. §. *Quantum ad istam opinionem. sub B.*

6. Assertio prima, vapor, & exhalatio essentialiter ab elementis discriminantur. Videtur expressa mens Scot. nunc memorati: Et probatur primò, *ex Arist.* 1. *Meteor. cap.* 9. asserente, vaporem posse mutari in aquam: quod autem mutatur in aliud, distinguitur essentialiter ab eo, in quod mutatur, vt intueri licet in perenni, & quotidiana rerum vicissitudine, & mutatione. Alimentum quippè vertitur in carnem: caro autem ab alimento, quod in carnem mutatum est, ab ipsa carne essentialiter diffidet. Idque quoque de cæteris est iudicandum.

Secundò, omne mixtum essentialiter differt ab elementis, vt l. *de elementis* monstraui: vapor autem, & exhalatio sunt quædam mixta, tametsi imperfecta, ergo &c.

Tertiò, quod fit ex alio tanquam ex materia. distinguitur ab eo, ex quo fit. Idem namque nequit esse efficiens, simul & effectum, respectu eiusdem: vapor autem,

autem, & exhalatio constantur ex elementis, vt in præcedente art. planum feci, ergo secernuntur ab eis essentialiter.

7. Assertio secunda, inter vaporem, & exhalationem adest differentia essentialis. Non est dissentanea Scot. *vbi suprà*. Probatur primò, passiones diuersæ arguunt differentias essentiales, vt rarò præmonui in superioribus: vapor autem, & exhalatio habent diuersas proprietates. Vapor namque humectat, & facile in aquam, vel aërem soluitur: exhalatio verò exsiccat, & facile in terram, aut ignem vertitur, ergo inter se essentialiter differunt.

Secundò, quæ diuersa loca petunt, indicant diuersam essentiam, vt dixi, cum agerem de elementis: vapor autem, vsque ad mediam regionem aëris attolli potest, exhalatio verò, vsque ad supremam eiusdem aëris oram ascendit, vt apparet in Cometis. Deinceps, indicium non spernendum est ea prodire à diuersis elementis; siquidem vapor ab aqua, & exhalatio à terra potissimum oriuntur. Igitur inter ista agnoscenda est distinctio essentialis.

8. Oppones primò, Arist. 2. *de gener cap* 4. inquit, fumum, qui est exhalatio, effici ex terra, & aëre, igitur exhalatio essentialiter non dissidet ab elementis, ex quibus componitur. Respondeo, exhalationem fieri ex illis, tanquam ex materia, vt dixi *in præeunte art*. Ob id tamen non sequitur, eam essentialiter ab elementis non distingui. Nam, mixta perfecta fiunt ex elementis, quæ ab illis essentialiter differre, nemo inficiatur.

9. Oppones secundò Idem Philosophus 1. *Meteor. cap*. 3. scribit, vaporem esse concretionem aquæ, idest, partes aquæ seiunctas. igitur in Peripato vapor ab elemento aquæ non differt essentialiter. Respondeo Arist. quidem astruere, vaporem esse concretionem aquæ, & eleuari rursùm virtute solis, non tamen velle, ipsum vaporem cum aqua coincidere, immò distingui essentialiter, vt *suprà* insinuaui.

ARTICVLVS III.

Quo loco, & tempore fiant meteora.

10. NOt. primò, locum ignis esse totum illud spatium à concaua superficie orbis lunæ, vsque ad superficiem conuexam aëris. Locum verò aëris esse illud interuallum, quod interponitur à superficie concaua ignis, ad superficiem conuexam maris, & terræ. Locum aquæ, siue maris esse à superficie concaua aëris, ad superficiem conuexam terræ. Et locum terræ esse à superficie aquæ, & aëris, ad centrum ipsius terræ.

11. Not. secundò, aëris tres numerari regiones, supremam, mediam, & infimam. Suprema est à superficie sphæræ ignis, vsque ad eam partem aëris, quæ directe à corporibus cælestibus eminenter calidis, calefieri non potest. Infima est ab illa parte, quæ à dictis corporibus calefieri nequit, vsque ad terram. Media est, à parte illa, quæ per reflexionem radiorum solarium calefieri non valet, vsque ad eam, quæ directè ab igne, orbibusque prænominatis calefieri potest. Suprema est calida, tam propter natiuum aëris calorem, quàm propter calorem externum ignis sibi proximi. Infima quoque est calida, propter reflexionem radiorum solis, & propter exhalationes calidas. Media est frigida, quia directè non potest calefieri ab igne, & corporibus cælestibus prætercensitis: atque propter antiperistasim, magnamque copiam vaporum tedeuntium ad pristinam frigiditatem.

12. Assertio prima, meteora non fiunt in sphæra ignis, sed in sphæra aëris, aquæ, & terræ. Non discrepat Scot. in vtroque opere *2. d.27. q. 1.* De igne probatur, si quid enim ad eum attollatur extraneum, protinus absumit, & vrit, propter ipsius maximam actiuitatem: ideò ignis est leuissimus; omnia verò meteora habent aliquid grauitatis, cum sint mixta, tametsi imperfecta, igitur ad orbem eius peruenire nequeunt.

De aëre est in confesso. Audimus namque tonitrua, videmus fulgura, & experimur fulmina, & reliqua huiusmodi, quæ euidenter constat fieri in aëre.

De aqua non est obscurum, quandoquidem est dulcis, vel salsa, nitrosa, bituminosa, & humida, ex quibus qualitatibus, & affectionibus habetur maxima dispositio ad meteororum generationem. Vndè, virtute solis, conspicimus ex aqua eleuari vapores in altum.

Dè terra facilè ostenditur, siquidem est cauernosa, spongiosa, & bituminosa: idcircò, ab ea per calorem solis, exhalationes in altum feruntur; sicque perflant venti, & terræmotus interdum audiuntur.

13. Assertio secunda, omni tempore, meteora gignuntur, potissimum autem vere, & autumno. Non dissentit Doct. cit. & *ibid. dist. 4. quæst 1.* Suadetur primò, ex Arist. 1. *Meteor. cap*. 4. vbi expressè præpositam tuetur assertionem. Secundò, constat experientia de cometis, qui autumno visuntur à nobis, non autem aliis temporibus. Eò magis, hyeme, & æstate non adest tanta copia vaporum, & exhalationum, quanta conspicitur vere, & autumno. Siquidem hyeme, frigus, & humiditas impediunt, ne calore solis vapores, & exhalationes sursùm euehantur: atque calor æstate exsiccat terram, & consumit vapores, ne in sublimem locum tendant.

14. Oppones primò, aër suaptè natura est calidus, ergo calor eius impedit, ne vapores ad mediam eius regionem eleuati, redeant ad natiuam suam frigiditatem, proindéque, nec eius media regió frigidior est, nec tanta in ea extat vaporum congeries. Respondeo, aërem suo naturali calore, non posse id impedire, propter rationes à nobis præadductas *in 2. not.*

15. Oppones secundò, nullum violentum est perpetuum, 1. *Celi T.*28 Frigiditas autem mediæ aëris oræ est extrinseca illi, & violenta, ergo non est perpetua: durat autem semper: ergo, signum est, vapores in ea existentes non reduci ad pristinam frigiditatem. Respondeo proloquium Philosophi esse interpretandum de mixtis sublunaribus, non autem de elementis, locisque eorum: quandoquidem inter ea extat perpetua pugna, perennisque conflictus, ob generationem mixtorum, bonumque vniuersi.

QVÆSTIO II.

De Meteoris ignitis.

ARTICVLVS I.

Quænam sint meteora ignita.

1. METEORA ignita, quæ & impressiones ignitæ nuncupantur, multa sunt, iuxta multiplicem formam, & figuram, quam sortiuntur ex materia calida, & sicca diuersimode disposita, & affecta. Dicuntur autem ignita, eo quod sunt accensa, & inflammata ab igne, aut calore solis æstuante. Inter autem meteora ignita potissimùm recensentur Pyramides, columnæ igneæ, stipulæ, candelæ accensæ,

accensæ, lanceæ ardentes, capreæ saltantes, titio, draco tortuosus, ignis perpendicularis, ignis lambens, ignis fatuus, Helena, Castor, & Pollux, Cometæ, fulgura, fulmina, & id genus alia. Cum enim materia istorum meteororum sit fumea, calida, & sicca, facilè ab igne, aut à sole potest accendi, & inflammari. Si autem fuerit lata, & longa, efficiuntur stipulæ, faces, & candelæ accensæ: quod si fuerit admodum in longum protensa, & scintillauerit, fiunt capreæ saltantes, lanceæ volantes: si non scintillauerit, efficitur titio, si per medium discurrat, habentur stellæ cadentes, & sydera discorrentia. Si materia sit tenuis, & parùm accensa obicem non inueniens, prodit ignis fatuus, qui ad motum fugientis mouetur, ipsumque sequitur, vt quandoque cernatur in cæmeteriis. Si verò coalescat ex materia pingui, & viscosa, oritur lumen, quod si vnum tantùm extiterit, vocatur Helena; si verò duo simul fuerint, appellantur Castor, & Pollux.

2. Assertio prima, meteora ignita fiunt in aëre. Traditur à Doct. *2. dist. 14. quæst. 3. §. dico ad quæst. sub A.* patet experientia. Æstiuo namque tempore huiusmodi impressiones ignitæ conspiciuntur à nobis, & quidem aliquæ existunt in suprema regione aëris, vt Cometæ, nonnullæ in media eius regione, vt fulgura, fulmina, & aliæ in infima, vt ignis lambens, & fatuus.

3. Assertio secunda, meteora ignita interdum mouentur motu circulari: interdum verò motu recto. Non displicet Scot. præcit. Prima pars experientia comprobatur, de cometis, qui mouentur ad motum Cæli, qui est circularis.

Secunda pars est in promptu de stellis cadentibus, quæ deorsum feruntur. Itemque, lumen per fumum extinctæ candelæ descendit deorsum ad accendendam candelam extinctam: quandoque igitur meteora ignita apparent in ora infima aëris.

4. Assertio tertia, dicta meteora præcipuè fiunt æstiuo tempore, siue diurno, siue nocturno, à nobis autem solum visuntur nocte, propterea quod lumen solis cum sit maius, offuscat lumen minus eorum, ne à nobis cernantur. Non aduersatur Scot. cit.

Ratio præpositæ assertionis est, hæc meteora gignuntur ex exhalationibus calidis, & siccis: calor autem, & siccitas magis vigent æstate, quam alia tempestate.

5. Assertio quarta, huiusmodi meteora differunt inter se accidentaliter. Non pugnat scriptis Doctor. suadetur, differunt per magis, & minus: quædam enim sunt magis inflammata, quàm alia: magis autem & minus non variant speciem, vt dixi in Logica, *quæst. de qualitate.* Iterùm differunt per calorem, & colorem, quæ sunt accidentia. Rursus dissident penes maiorem, aut minorem materiæ qualitatem, diuersamque figuram, quæ, & consimilia arguunt differentiam accidentalem duntaxat.

6. Assertio quinta, talia meteora collocantur in categoria substantiæ. Ab hac non deflectit schola Doctoris subtilis. Siquidem meteora sunt mixta imperfecta, vt suprà monui, quæ sunt substantiæ, atqueadeò in categoria substantiæ resident.

ARTICVLVS II.

De Cometis.

7. DE natura Cometarum vehementer, & acriter altercantur Philosophi, tam veteres, quam Recentes. Inter autem varias, diuersasque eorum opiniones, duas præcipuas seligo examinandas, quarum prior est priscorum Philosophorum existimantium Cometas esse de natura cælesti, & isti inter se sunt diuisi. Nonnulli namque putant Cometam esse coniunctionem plurium stellarum errantium, quæ à nobis rarò videntur, cum sint prope solem. Alij verò arbitrantur esse tantùm vnam stellam erranticam. Nec desunt, qui affirment comam Cometæ constare ex materia elementari, ipsum autem Cometam ex materia cælesti esse compactum. Posterior sententia recipitur, & defenditur ab Aristot. 1. *Meteor. cap.* 7. Parisiensibus, Tatar. Ioan. de Magistris *ibid.* & aliis docentibus Cometam coalescere ex materia sublunari exhalationum.

8. Not. ab Aristot. citat. Cometam describi magnam exhalationum copiam, quarum partes valde inter se sunt compactæ, & coagulatæ, ad supremam regionem aëris, virtute solis, euectæ. Varij autem, diuersique gignuntur Cometæ, penes varietatem, & diuersitatem materiæ, & figuræ. Si namque partes Cometæ sint raræ, fit Cometa crinitus: si verò aliqua pars sit densa in longum protracta, efficitur cometa caudatus, quod si quædam eius pars sit rara, reliquæ verò spissæ, emergit Cometa, qui perhibetur barbatus. Deinde, Cometarum alius existit niger, qui prænunciat mortem multorum: alius rubeus, qui præsagit mortem principum, bella, & tempestates: alius albus, siue argenteus, qui vbertatem rerum prædicit. Apparent autem Cometæ autumnali tempore, propterea quod ad eos conflandos exigitur magna quantitas exhalationum, & ad talem congeriem non modica requiritur temporis intercapedo, vt extollatur ad primam regionem aëris, partesque simul coniongantur, & ab igne ibi accendantur. Durat autem quinquaginta ad minus, aut 70. diebus; quandoque sex mensibus, quandoque anno, aut etiam biennio.

9. Assertio prima, Cometa non est aliqua stella ex erraticis; nec coniunctio plurium Planetarum. Assertio est bimembris, quam præsupponit Doctor. citat. Prima pars suadetur primò, stellæ erraticæ semper mouentur in circulo Zodiaci: non sic autem cietur Cometa, vt obseruant Astrologi: ergo inter stellas erraticas non est recensendus.

Secundò, si Cometa foret stella erratica, nunquam eodem tempore viderentur plures Cometæ, quos conspicimus anno 1617. quandò in oriente apparuit Cometa barbatus, & in meridie, sub nostro zenith Cometa albus, seu argenteus, ergo Cometa inter stellas erraticas non est statuendus.

Secunda pars ostenditur, si planetæ coniuncti distinguerentur, nobis appareret: partes autem Cometæ inter se abiunctæ, a nobis non cernuntur, vt experientia comprobatur, ergo &c.

Secundò, multoties planetæ ad inuicem coniunguntur, & tamen nullus efficitur Cometa: euidens igitur est, Cometam non esse nexum plurium planetarum.

10. Assertio secunda, Cometa non est de natura cælesti; sed sublunari. Assertio quoque est bipartita, quam non respuit Doct. *vbi suprà.* Prima pas probatur primò, quæ sunt cælestia, sunt incorruptibilia, vt monstraui *l. de Cælo.* Cometa autem dissoluitur, & corrumpitur, post aliquod temporis interstitium præassignatum in calce præcedentis notabilis: igitur Cometa non participat naturam cælestem. Secundò, quod crescit, & decrescit, non est compos naturæ cælestis: accretio quippè, & decretio designat corruptionem: Cometa autem augetur per appositionem nouæ materiæ, & decrescit per subtractionem præexistentis materiæ eiusq; dissolutionem, ergo Cometa non induit naturam cælestem. 2. pars est Arist. *passu prememorata*, & probatur 1. ex D. Damasceno 2. *fidei c.* 7. his verbis. *Aggignuntur autem, & frequenter Cometæ, & signa quædam interitum Regum, qui quidem non sunt ex iis astris,*

quæ ab initio rerum facta sunt, sed diuina iussione, opportuno tempore constituuntur, atque rursus dissoluuntur.

Secundò, cum apparent Cometæ, fiunt sterilitates, tempestates, & huius formæ alia. Id autem aliunde non prouenit, quam ea materia illa, quæ vi solis à terra eleuatur, quæ e relinquit ipsam terram siccam, & aridam, constat ergo Cometa ex materia, naturaque sublunari.

11. Oppones primò, Albumazar testatur aliquando apparuisse nouam stellam suprà sphæram Veneris: aliamque se vidisse refert Hali in 15. gradu scorpij, cum sol esset in 15. gradu Tauri. Item, anno 1574. in Cassiopeia, magna stella visa est, quæ post biennium euanuit: huiusmodi autem stellæ fuere Cometæ, ergo Cometa est de natura Cælesti. Respondent nonnulli, inter quos est D. Damasc. cit. miraculosè eas stellas fuisse à Deo conditas, ad homines commonefaciendos, & vt sibi cauerent, & vias prauas desererent. Melius dici potest, vere non extitisse prædictas stellas in Cælo, sed infra lunam, vt quidam Astrologi eorum temporum obseruarunt, & fuisse Cometas, qui videbantur esse in Cælo, propter magnam intercapedinem, quæ extitit inter illos, & terram. Nec id est improbabile, cum etiam nubes, & quoddam aliud metereologicum videatur à nobis esse in Cælo, aut saltem pertingere Cælum, cum tamen ita non sit.

12. Oppones secundò, quod mouetur motu circulari, habet naturam cælestem, cum motus circularis sit passio Cæli: Cometa autem mouetur motu circulari, vt patet inspicienti, ergo est naturæ cælestis. Nego ma. Ignis quippe orbiculari motu mouetur, cum tamen naturæ cælestis non sit præditus. Motus autem circularis non est proprietas Cæli quarto modo: ideò alijs quoque rebus competit.

13. Oppones tertiò, si Cometa esset compactus ex materia sublunari, parum duraret: constat autem ex dictis multùm temporis persistere, ergo signum est, ex materia sublunari non componi. Confir. media aëris ora, quæ est frigida, impediret huiusmodi exhalationes, ne ascenderent sursum ad supremam regionem aëris, igitur Cometa materia sublunari non potitur. Respondeo, causam à nobis iam esse traditam, cur Cometa interdum diù duret, videlicet quia partes eius sunt tenaciter inter se connexæ. Ad conf. eodem fere modo respondendum est. Cum enim partes eius sint valdè leues, siccæ, & calidæ, virtute solis vincunt frigiditatem mediæ regionis aëris, & ad supremam tendunt, ibique aliquandiù manent, vt suprà animaduerti.

14. Quæres, vtrùm stella, quæ apparuit Magis, *Matt.* 2. fuerit Cometa, aut quid aliud? occurrunt D. Chrysost. hom 6. in Matt & Nicenus *dialogo de anima* fuisse Angelum instar stellæ. Ego autem, cum Lyrano in Postil. puto extitisse aliquod meteorologicum, virtute Diuina, vel Angelica compactum, quod ab Angelo mouebatur ad ducendum Magos, & ostendendum eis præsepe Domini; velut Hebræi per columnam ignis in desertum ducebantur nocte: & per columnam nubis, die. *Exod.* 13.

Articvlvs III.

De Tonitruo.

15. ANaxagoras, & Empedocles putant tonitrua esse extinctionem ignis prodeuntem à frigiditate, & humiditate nubis. Aristot. autem 2. *Meteor. cap. vlt.* asseuerat Tonitru esse sonum editum in nube, propter exhalationem calidam, & siccam, inclusam inter latera nubis, quæ vt exeat, violenter mouet ipsam nubem, aut frangit, vnde efficitur fragor, & auditur sonus eius qui dicitur tonitruum.

16. Not. ad sonum tonitrui edendum exigi nubem densam, frigidam, & aquosam, & in ea inclusam exhalationem calidam, & siccam, quæ ne pereat, petit exitum, & non inueniens ob contrarium circumstans, putà frigiditatem, & humiditatem quatit nubem, aut eam frangit. Si autem parua sit exhalatio occlusa in nube, quidem mouet ipsam nubem, sed eam haud frangit, propterea fit, & auditur exiguus sonus. Quod si magna fuerit exhalatio, frangatque nubem, auditur magnus sonus, instar fractionis panni, vel papyri.

17. Assertio, tonitruum non est extinctio ignis in nube frigida, & aquosa: sed sonus editus ex violenta percussione exhalationis calidæ, & siccæ, inclusæ inter latera nubis frigidæ, & humidæ. Ita Arist. præcit. à quo non declinat Scot. in suis operibus. Prima pars probatur primò, si tonitru foret extinctio ignis in nube, huiusmodi extinctio non esset clara, & lucida, sed fumea, & obscura, quod experientiæ pugnat.

Secundò, prius est tonitruum, quàm extinguatur ignis in nube, ergo tonitru non est extinctio. Ant. probatur, prius nubes inter se colliduntur, quàm accendatur, & inflammetur exhalatio: ob id in subsequenti art. ostendetur, fulgur esse posterius tonitruo. Addo, prius ferrum, & silex percutiuntur ad inuicem, quam excitatur ignis, ergo etiam prius editur tonitru, quam extinguatur ignis in nube.

Secunda pars suadetur primò à simili. Fumus inclusus in ligno quærens exitum, & non inueniens, propter obsessionem contrarij rumpit ipsum lignum, fragoremque edit: ergo apparet exhalationem occlusam intra latera nubis obsessam à frigiditate, & humiditate, vim inferre, vnde oritur sonus, qui vocatur tonitru.

Secundò, flamma ignea, à circumdante frigiditate impedita, edit sonum, ergo quoque prædicta exhalatio intra nubem, vt egrediatur, concutit partes nubis, & sonum emittit. Denuò, recentes castaneæ proiectæ in ignem, franguntur, sonumque edunt: idipsum astruendum est de exhalatione inclusa in nube, ac etiam de cæteris, quæ in capite, ventreque animalis violenter includuntur, quæ coactè exeuntes crepitant, igitur præfata exhalatio est tonitruum.

18. Oppones, Aristot. 1. *post. T.* 10. & alibi non rarò vtitur illa definitione tonitrui, Tonitru est extinctio ignis in nube, ergo in peripato dicta definitio non est abijcienda. Respondeo, Aristot. eam attulisse, tanquam vulgatam, & tunc temporis communem: non autem, vt propriam, & veram cum hoc loco, qui est proprius, eam tanquam falsam apertè reiiciat.

19. Quæres, quænam tonitrua sint pertimescenda? Respondeo si coruscationes, & tonitrua fiant simul, esse pertimescenda, quia extat magna violentia ex magna copia exhalationum accensarum, quæ citissimè ex nube decutiuntur: Quod si fuerit aliqua morula inter coruscationes, & tonitrua, non sunt timenda, quia magna non incutitur vis, cum ingens quantitas exhalationum accensarum non reperiatur.

Articvlvs IV.

De fulgure.

20. ANaxagoras opinatur fulgur esse ignem à Cælo prodeuntem. Empedocles existimat esse ignem radiis solaribus accensum. Aristot. autem 2. *Meteor. cap. vlt.* & 3. *eiusdem operis. cap.* 1. statuit, fulgur

fulgur esse exhalationem accensam, caloreque igneo affectam.

21. Not. à quibusdam Philosophis assignari discrimen inter fulgur, corruscationem, & incensionem. Siquidem, exhalationem, quæ est inflammatio à nube egrediens, vocant fulgur. Exhalationem verò inflammatam, delatam per nubem, nominant corruscationem. Atque exhalationem valde accensam, & inflammatam, quæ delecta citissimè suprà corpora, offendit ipsamet corpora, appellant fulmen. Quidquid autem sit de hoc discrimine, certum est fulgur esse illam corruscationem, quæ exiens ex nube, clara, & lucida est.

22. Assertio prima, fulgur non est ignis à Cælo emanans, nec pariter ignis radiis solaribus accensus. Assertio hæc, quæ est bimembris, non opponitur scholæ Scot. Prima pars probatur primò: in Cælo, nullus extat ignis, vt in lib. de Cælo manet ostensum, ergo à Cælo non egreditur ignis, qui nominatur fulgur.

Secundò, non videtur, cur potiùs in vna nube, quàm in altera oriatur huiusmodi ignis? Itemque in vna parte Cæli, potius quam in alia emicet talis ignis: igitur improbabile est existimare, fulgur esse ignem à Cælo prodeuntem.

Secunda pars suadetur, sole non relucente, nec immittente suos radios in nubem, & in terram, vt accidit nocturno tempore, adhuc fiunt fulgura: ergo apertè euincitur, fulgur non esse præfatum ignem à sole accensum.

23. Assertio 2. fulgur est exhalatio accensa, igneo colore tincta, ex nube violenter egrediens. Non aduersatur Scot. Suadetur primò, ex percussione duorum corporum excitatur ignis, à quo nonnunquam accenduntur, & comburuntur ingentes syluæ: ergo ex collisione duarum nubium accenditur exhalatio, quæ a Philosophis perhibetur fulgur.

Secundò, ex tonitruo sequitur fulgur, veluti ex percussione lapidis excutitur ignis, igitur fulgur aliud non sibi vult, quàm exhalationem accensam ex collisione nubium excitatam, & egressam.

24. Quæres primò, vtrùm semper fiat tonitru, quando videtur fulgur? Respondeo affirmatiuè, ratio est, quia nunquam inflammatur exhalatio, nisi fiat collisio nubium, proindeque tonitruum. Cur autem non audiatur tonitru, & videatur fulgur? causa est, quia visus longiùs videt, quam auditus audiat, illeque hoc est nobilior: aut quia sonus ille est exiguus, propterea ob nubium distantiam, ad aures nostras nequit peruenire.

25. Quæres secundò, num antè fiat tonitru, quàm fulgur? Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia prius fit commotio, & collisio nubium, quam accendatur exhalatio, veluti prius fit percussio ferri, & silicis; quàm ex silice egrediatur ignis.

26. Quæres tertiò, qua de causa prius videatur fulgur, quam audiatur tonitru? Respondeo causam esse, quia visus in videndo est citior, & actiuior, quam auditus in audiendo. Idque patet in expositione Bombardarum, in qua efflagratio cernitur antequam sonus audiatur. Itemque in remigatione, prius videntur remi motus, quàm audiatur eorum fragor.

Articvlvs V.

De fulmine.

27. Vlgi fert opinio fulmen esse lapidem igne delatum: Philosophi autem nuncupatim Arist. 3. *Meteor.* 1. astruunt fulmen esse exhalationem ignitam, motam violenter, ex nube frigida, & aquosa emissam deorsum.

28. Not. tunc effici fulmen, cum multa exhalatio subtilis violenter emittitur, & expellitur à frigiditate nubis. Diuiditur autem in penetratiuum, & adustiuum. Penetratiuum est, quod ob suam nimiam subtilitatem, permeat corpora porosa, relinquit ea integra, & consumit dura, & fortiora ipsi resistentia. Sic integra manente vagina, fulmen liquefacit ensem. Itemque dolio fracto, vinum, quod in eo est, conseruat. Similiter argentum in crumena consumit, crumena non consumpta. Ratio est, quia rumpit dura sibi obsistentia, & mollia cum sibi non resistant, minimè lædit. Adustiuum, quod corpora, in quæ cadit, adurit, quo pacto nonnunquam homo fulmine tactus redigitur in cineres. Sic etiam comburuntur sublimes turres, & alta templorum pinnacula. Rursus, fulminum aliud est diuidens, aliud verò denigrans. Hæc autem diuisio, sicut præcedens petitur penes effectus, quos fulmen causat. Si enim fulmen vnum corpus ab alio diuidat, appellatur diuidens: quod si absque combustione, nigredine afficiat corpus, nominatur denigrans.

29. Assertio, fulmen non est lapis igne delatus, sed ingens exhalatio subtilis ignita violenter ex nube frigida excussa deorsum. Non pugnat scriptis Scot. Probatur primò, fulmen penetrat multa corpora, vt suprà adnotaui: si autem foret lapis penetrare nequiret corpora densa, & opaca, propter eius crassitiem, & duritiem, ergo fulmen non est lapis igne delatus.

Secundò, nullo apparente signo externo, aut ictu, animal fulmine tactum emoritur: si autem fulmen esset lapis, relinqueret locum ictus: igitur, cum nihil appareat derelictum in tactu fulminis, infertur probe fulmen non esse lapidem, sed præscriptam subtilem exhalationem. Quod si quandoque vnà cum fulmine cadat lapis, nihil aliud est ipse lapis, quàm nubes in lapidem conuersa, & concreta, veluti in corpore humano quandoque lapis efformatur. Quin etiam Alb. *l. 3. tract. 3. cap. 23.* scribit, in media aeris regione quandoque produci metalla, purà ferrum.

30. Quæres primò, cur fulmen ossa consumat, non autem carnem? Respondeo causam esse, quia caro est mollis, eique non resistens: os verò est durum, eique resistens absumit. Idque explicari potest de globis bombardarum, qui in earum explosione, dura frangunt, mollia verò illæsa deserunt. Adde, quod prædictus effectus prouenit à fulmine penetratiuo, quod peruadit, & permeat corpora porosa, & mollia.

31. Quæres secundò, cur consumatur aliquando vinum in dolio, ipsomet dolio integro permanente? Respondeo causam esse, propterea quod, dicta exhalatio fulminis est valde calida, & sicca, quæ vinum, cum sit humidum, absumit: dolium verò non lædit, quia eius poros pertransit, propter nimiam eius subtilitatem.

32. Quæres tertiò, cur combusto dolio, vinum adhuc persistit? Respondeo causam esse, quia illud fulmen est adustiuum. Ob eius quippè adustionem, ex viscositate fit quædam pellicula, quæ cum vino concreta, impedit, ne ipsum vinum diffundatur. Dictum autem vinum potest durare, quatuor diebus donec disrumpatur præfata pellicula: quod si quispiam bibat ex eo vino, morietur, quia per fulmen redditur vinum venenosum.

33. Quæres quartò, cur antè casum fulminis, interdum perflet ventus, interdum verò concomitetur, vel subsequatur ipse ventus? Respondeo causam esse, quia concitantur partes aëris ob fulminis celeritatem, aut quia partes aliquæ exhalationis non sunt accensæ; ideò ventum gignunt.

34. Quæres quintò, cur fructus tacti à fulmine sint venenosi? Respondeo propter materiam fulminis quæ est venenosa, & sulphurea. Vnde, fulmen redolet odorem sulphureum.

35. Quæres sextò, cur si homo venenatus tangatur à fulmine, venenum amittit? Respond. causam esse, quia ab

ab agentibus contrariis contrarij prodeunt effectus, sic ventus aliquando extinguit candelam, eamque extinctam reaccendit. Pariter interdum ventus aperit ostium, illud claudit interdum.

36. Quæres septimò, cur homo nonnumquam tactus fulmine, non moriatur: at verò reliqua animalia si fulmine feriantur, intereunt? Respondeo id oriri ex præstantia eius. Est enim homo cunctorum animantium præstantissimus, & nobilissimus: sic etiam fertur Aquilam à fulmine non tangi, cum sit auium Regina.

37. Quæres octauò, cur fœtus in ventre matris moriatur, matre ipsa non moriente? Respondeo, causam esse, quia fœtus est tener; & debilis, non sic mater, quæ est fortis, & robusta, veluti gemma vitis frigore, & gelo perit, ipsa vite viuente.

38. Quæres nonò, cur si homo dormiens percutiatur à fulmine, moritur oculis apertis: quod si fuerit expergefactus, moritur oculis clausis? Respondeo causam primi casus esse, quia cum ostenditur homo dormiens, aperit oculos, vt videat obiectum offendens, & nocens; non habens autem tempus claudendi oculos, remanet cum oculis apertis. Causam autem secundi casus esse, quia homo euigilans audiens fragorem tonitrui, videnſque ingentem coruſcationem, & vndique obiecta horribilia claudit oculos, ne tantum malum magis ei obsit, sicque remanet mortuus clausis oculis.

39. Quæres decimò, quodnam sit remedium contrà fulmen? Respondet Plinius *l.* 2. *c.* 15. sumendum esse laurum, quæ nunquam fulmine tangitur, aut aliquid ex vitulo marino. Pnto ego, melius remedium esse petere loca subterranea, quia obseruatum est, fulmen ad quinque pedes potest terram attingere. Vndè videmus loca altiora esse fulmini obnoxia, iuxta illud,

Summa petit liuor, perflant altissima venti,
Summa petit dextra, fulmina missa Iouis.

QVÆSTIO III.

De Meteoris aëreis.

ARTICVLVS I.

De Voragine, aliisque spuris aëris.

1. **M**VLTÆ impressiones aëreæ à nobis cernuntur, nocte existente serena, inter quas præcipuè numerantur vorago, hiatus, area, seu corona, colores rubei, seu sanguinei.

2. Not. primò, causam materialem prædictorum meteororum esse exhalationem sursùm euectam, efficientem esse astra, & quæcumque corpora luminosa, quæ lumen suum effundunt suprà partes exhalationis: formalem esse lumen; finalem verò esse vniuersi pulchritudinem. Modus autem, quo præfata meteora fiunt, est huiusmodi: cum enim exhalatio habeat quasdam partes densas, quasdam verò raras, si lumen alicuius syderis incidat in eas, diuersimodè eas afficit. Siquidem, si in medio exhalatio sit densa, partes circumstantes sint raræ, lumenque alicuius astri super eas effulgeat, si fuerit magna densitas, efficitur vorago. Quod enim densum est, lumine non collustratum, apparet nigrum, siue profundum. Ideò, alibi obseruaui, pictores quando profunditatem putei præsentare volunt, in medio collocant colorem nigrum, & vndique eum circumdant albo colore: quod si densitas exhalationis parua fuerit, vocatur hiatus, & si vndique densitas exhalationis collustratur à lumine, appellatur area, seu corona, quam Græci nominant ἅλω. Si autem exigua sit exhalatio, & quoquomodo inflammata, habentur colores rubei, & sanguinei.

3. Not. secundò, duplex esse genus colorum, vnum verorum, qui fiunt ex permixtione primarum qualitatum, de quibus Arist. *l. de sensu, & sensili*: alterum autem apparentium, veluti sunt, qui ex lumine diuersimodè modificato efficiuntur, vt patet de coloribus colli Columbæ expositæ ad lumen solis, de quibus secundò & tertiò Meteor. Huc pertinent colores sanguinei, & alij, qui in aëre apparent.

4. Assertio, visuntur à nobis prænarrata meteora potissimùm æstate, nocte existente serena. Patet experientia & confirmari potest *ex* 1. *not.* in quo notauimus modum eorum faciendi: nec dissentanea est subtilium scholæ.

5. Quæres primò, cur prænominata meteora à nobis nocte cernantur dumtaxat? Respondeo, causam esse, quoniam die, lumen solis, cum sit maius, offuscat lumen minus aliquorum astrorum, ne huiusmodi impressiones à nobis aspiciantur. Veluti quoque, ob eamdem rationem, die stellas non intuemur.

6. Quæres secundò, cur cum apparent talia meteora, audiantur quædam voces similes vocibus humanis? Respondeo causam esse, quia tunc temporis, multæ exhalationes exeunt à terra, quæ cum angustum meatum transeant, sonum edunt, vt patet de vento spirante, & flante per locum angustum. Huiusmodi voces videntur esse humanæ, secundum imaginationem audientis, veluti sonus campanæ videtur significare id, quod audiens imaginatur.

7. Quæres tertiò, cur istæ impressiones videantur esse in Cælo? Respondeo id prouenire ex eo, quod oculus noster nequit intercapedinem agnoscere, quæ existit inter cælum, & illas impressiones, & figuras. Quodque constat de nubibus quæ videntur esse in Cælo, cum tamen verè in eo non sint. Adde, vulgus appellare Cælum aëreum, nebulosum, serenum, & huiusmodi.

ARTICVLVS II.

De aliis impressionibus aëreis.

8. **I**Nter spectra aëtea numerantur Virgæ, & Parelia, quæ à nobis nunc sunt explicanda.

Cernuntur à nobis quædam lineæ perpendiculares, quæ cõmuni nomine appellãtur virgæ, siue funes, quæve nihil aliud sunt, quam radij solares perpendiculariter prodeuntes à sole, per nubem discontinuam, siue perforatam, aut per nubem quidem continuam, sed in vna parte raram, in alia verò densam, quo pacto efficiuntur huiusmodi lineæ, quæ dicuntur virgæ, & funes. Parelia perhibentur ea meteora, iuxtà nominis etymologiam, quæ sunt iuxtà solem, siue paria soli. Vndè, Παρήλια, quasi Παρὰ ἥλιον, quod perinde est, iuxtà solem. Tale namque spectrum describitur imago solis in nube expressa, quia gignitur, quando nubes est à latere solis, & per reflexionem radiorum solarium ad eam, similitudo solis prodit. Hinc, interdum visi sunt duo soles, & aliquando tres; non quia reuera sint plures soles, sed quia imago ipsius solis impressa fuit in pluribus nubibus, eo ferè modo, quo nunc explicabam.

ARTICVLVS III.

De Iride.

9. IN varios, diuersosque sensus abeunt Philosophi differentes de natura iridis, vt licet intueri apud Plutarc. 4. *de placitis, cap.* 5. & Alber. *lib* 3. *tract.* 4. *cap.* 8. Nonnulli namque putant, iridem esse solis similitudinem in nube concaua expressam. Alij verò scribunt iridem esse vaporem à terra sursùm eleuatum, qui sphæricus est, eò quòd à terra sphærica educitur, & sursum a frigore congelatur, qui cum sol ei opponitur, efficit iridem. Auic. & Algazel existimant, fieri ex aere humefacto per pluuiam, qua aër recipit quemdam nitorem, ratione humiditatis, & ita videtur iris. Communior autem opinio Philosophorum est, iridem esse nubem roridam, à radiis solaribus percussam.

10. Assertio prima, iris nec est nubes, nec sol, sed nubes rorida à radiis solaribus percussa. Non discrepat Scot. in suis scriptis. Prima pars probatur, sole lucente, non semper extat iris; similiter nube existente in aere, non semper cernitur iris, ergo nec sol, nec nubes sunt iris. Secunda pars patet ex dictis, præsertim in præmisso not. siquidem, posita nube rorida, radiisque solis ex opposito eam respicientibus ponitur iris.

11. Assertio secunda, colores qui videntur in iride, non sunt veri colores, sed apparentes, & similitudinarij duntaxat. Est consentanea doctrinæ Scot. Probatur, veri colores ex alibi dictis fiunt ea permixtione primarum qualitatum: in iride autem nulla est permixtio primarum qualitatum: in ea quippè extant lumen solis, & nubes, quæ non retinent primas qualitates. Deinde, eodem modo philosophandum est de coloribus iridis, ac de coloribus colli Columbæ expositæ ad lumen solis: colores autem istius sunt apparentes, experientia docente, ergo & colores illius. Insuper, colores cæterorum meteororum ea assertis supra sunt apparentes, ergò & iridis colores.

12. Quæres primò, vtrum iris sit nobilissimum meteorum? Respondeo affirmatiuè, & deducitur ex sacris litteris, præsertim Ecclesiastici primò. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valdè enim speciosus est in decore suo.*

13. Quæres secundò, nùm detur iris lunaris? Respondeo affirmatiue, rarò tamen contingit. Nam, vt obseruat Philosophus per spatium quinquaginta annorum, nocte, duæ irides lunares inspectæ fuere duntaxat.

14. Quæres tertiò. Vtrùm, iris extiterit antè diluuium vniuersale, cum *Gen.* 4. dicat Deus. *Arcum meum ponam in nubibus Cæli, & erit signum fœderis, inter me, & inter terram.* Respondeo extitisse, quia causa eius extitit, putà sol, & nubes rorida, consequenter & eius effectus naturalis, qui est iris. Dicitur autem iris signum non amplius diluuij futuri vniuersalis, ex instituto, & beneplacito Dei. Videtur autem esse signum naturale pluuiæ, si manè fulgeat: signum verò serenitatis, si vesperè cernatur. Porrò, interdum plures apparent irides, videlicet duæ, aut tres.

ARTICVLVS IV.

De Galaxia.

15. DE galaxia, quæ perindè est ac circulus lacteus, siue via lactea, quæve à Rusticis, & imperitis nuncupatur via S. Iacobi, valdè, ac variè Philosophi decertant: siquidem Pytagorici arbitrantur galaxiam esse illam partem combustam, quæ a quibusdam planetis à Zodiaco declinantibus per niueum colorem facta est, sicque videtur alba, & lactea. Anaxagoras, & Democritus opinantur, galaxiam esse illas stellas, quæ noctu, absque interpositione terræ collustrantur à luce solis, quo pacto, illa pars propter solis lumen illuminata, apparet alba: reliquæ vero partes propter terræ vmbram, nequaquam albescunt. Nec desunt alij Veteres suspicantes viam lacteam effici per reflexionem visus nostri ad solem. Atque Arist. 1. *Meteor. c.* 8. asseuerat viam lacteam esse magnam exhalationem inflammatam, continuo pabulo contentam in aëre instar Cometæ. Communior autem sententia est reliquorum Philosophorum, docentium galaxiam esse ingentem copiam exiguarum stellarum, quæ præ ipsarum exiguitate à nobis cerni nequeunt.

16. Not. partes Cæli esse in triplici differentia. Quædam enim sunt raræ, quæ collustrari non possunt, cum in se lumen retinere non valeant, proptereà videntur esse coloris cærulei. Aliæ sunt partes densæ, quæ ob suam densitatem in se recipiunt lumen, è quarum numero sunt stellæ, quæ à nobis videntur lucidæ, aut saltem albi coloris. Reliquæ verò partes medio modo se habent, vtpotè quæ nec sunt valdè raræ, nec valdè densæ. Ideò aliquando inter eas, & nos intercipiuntur exhalationes, & vapores, qui videntur eas reddere maiores: & si deficiunt huiusmodi vapores, & exhalationes, apparent minores: cum tamen reuera sint semper eiusdem quantitatis, & figuræ.

17. Assertio prima Galaxia non est pars combusta per calorem syderũ errantium à Zodiaco declinantium: nec ea pars, quæ nocte, à lumine solis collustratur. Non pugnat licæo Scot.

Prima pars probatur primò: Cælum de facto est incorruptibile, nec vllis peregrinis impressionibus subiicitur, ergo via lactea non est combusta per declinationem quorumdam planetarum a Zodiaco. Aut. abundè fuit ostensum lib de Cælo.

Secundò, pars combusta non alba, sed nigra apparet, vt constat de carbonibus aliisque huiusmodi, quæ ab igne comburuntur: illa autem pars, quæ vocatur circulus lacteus, non est nigra, sed alba, ergo &c.

Secunda pars suadetur primò, sol diuersimode cursum suum peragit: igitur si fieret circulus lacteus ob collustrationem, nocte mutaretur huiusmodi circulus, veluti mutatur solis collustratio: via autem lactea manet in eodem situ, & loco, vt omnes intuentur, & obseruant Astrologi.

Secundò, vmbra terræ non impedit lumen solis: siquidem, notantibus Astrologis, vmbra ipsius terræ ad Cælum Mercurij tantum peruenit. Igitur; cæteræ partes firmamenti non impediuntur ab interiectu terræ, ne illuminentur à splendore solis, fiantque albæ, veluti circulus lacteus: oppositum autem euidens est, ergo &c. Deinceps, sol in magnitudine valdè excedit terram, vt patet ex appendice de sphæra, propè finem. Igitur terra nequit impedire, ne cæteræ partes, præter viam lacteam, pertingantur, à lumine solis.

18. Assertio secunda, circulus lacteus non efficitur ex reflexione visus nostri ad lumen solis: nec est magna exhalatio continuo pabulo in aëre sustentata sed est ingens multitudo paruarum stellarum fixarum in firmamento, quæ præ nimia earum exiguitate à nobis cerni non possunt; idcò ea pars albi coloris videtur. Non aduersatur doctrinæ Scot.

Prima pars probatur primò, si nulla foret reflexio visus nostri ad solem, adhuc esset circulus lacteus: impossibile quippè est, eum dependere à visu nostro, qui est ei valde extrinsecus: & si periret omnis homo, nulli dubium est, quin persisteret talis via lactea: igitur nequaquam causatur ex reflexione visus nostri ad solem.

Secundò, in aqua, & in speculo, in quo nulla extat reflexio visus nostri ad solem, apparet via lactea, ergo perperam fingitur, talem circulum causari, à reflexione visus nostri ad solem.

Secunda pars ostenditur primò, exhalatio quæcumque sit, siue magna, siue parua, non semper durat, quia post aliquod temporis interuallum, decidit in terram, vt patet de Cometa: circulus autem lacteus semper manet totus integer, ergo euidenter euincitur, non esse aliquod meteorum. Secundò, quodlibet meteorum excrescit, vel decrescit, estque de natura sublunari: via autem lactea semper est eadem, in eodem situ, & loco, cum eadem figura & quantitate: igitur nequit esse exhalatio in aere residens.

Tertia pars monstratur primò, ex diligenti obseruatione Astrologorum, quibus magis credendum est, quàm Aristoteli, iuxtà illam maximam, vnicuique in sua arte experto credendum est: Astrologi autem obseruarunt dictum circulum esse de natura cælesti, proindéque nulli corruptioni obnoxium.

Secundò, experimur partes, quæ à longè, lumine coruscant, apparere albas, vt de mari, montibusque & turribus à radiis solaribus percussis, conspicuum est. E regione, quæ lumine non perfunduntur, nigra videntur esse, vt patet de nocte, locis subterraneis, & huiusmodi: igitur, cum via lactea valdè distet à nobis, videaturque alba, eaque albedo non oriatur à sole, vt constat ex dictis, infertur, nihil aliud esse, quàm ingentem quantitatem exiguarum stellarum.

19. Oppones primò, quædam non modica exhalatio more Cometæ criniti apparet in aere, quæ dicitur circulus lacteus: ergò sicut cometa est exhalatio, & de natura sublunari: hoc ipsum astruendum est de via lactea. Respondeo, si argumentum concluderet, deduceretur, quod sicut Cometa crinitus non semper apparet, sed successu temporis deficit, nec ampliùs videtur: ita via lactea, aliquo temporis interstitio desineret esse, quod pugnat experientiæ. Nam, à Cælo condito, vsque nunc, semper perseuerat eodem modo dictus circulus.

20. Oppones secundò, via lactea interdum maior, & interdum minor videtur: ergo participat naturam elementarem, quæ nunc crescit, nunc verò decrescit. Respondeo dictum circulum in eodem situ, vna cum quantitate, & figura semper existere, dummodo obex non interponatur; tunc autem interiicitur impedimentum, quando in aère extat magna copia exhalationum, quæ videntur facere eum maiorem. Idque experimur de sole, & luna, cæterisque syderibus, quæ ob nimiam exhalationem, aut vaporem, qui inter nos, & illa intromittitur, maiora apparent, tametsi in se semper eodem modo, eademque magnitudine persistant.

QVÆSTIO IV.

De Meteoris aqueis.

ARTICVLVS I.

De nube, & pluuia.

1. MATERIA proxima meteori aquei est vapor, qui virtute solis, sursum attollitur, & in media regione aëris si frigore condensetur, efficitur nubes. Siquidem, nubes nihil aliud sibi vult, quam vaporem à circumstante frigore condensatum. Nubes autem in aquam soluta, est pluuia. Cum enim graue tendat deorsùm, & pereunte calore extrinseco, qui existebat in vapore condensato, nubes fit grauis, consequenter soluta in minutas guttulas deorsum fertur, & pluit. Triplex autem statuitur nubes, alba, nigra, & rubea, seu sanguinea. Nubes alba est leuis, nihilque aquæ continens, cum sit sterilis. Ob id a ventis, aut calore solis, facile dissipatur, & euanescit. Nubes nigra, est aqua plena. Est fœcunda, & in aquam, seu pluuiam funditur. Nubea rubea, rubedinem mutuatur, aut à locis rubeis, ex quibus extrahitur, aut ab aliis, quæ in aere feruent. Si autem post pluuiam supersit aliquid nebulosum, quod fertur super terram, appellatur nubecula, quæ est signum serenitatis. Diuiditur autem in imbrem, & nimbum. Imber est, cum guttulæ minutiores, & frequentiores cadunt in terram. Nimbus autem efficitur, cum guttæ pluuiæ sunt grandiores, & densiores. Rotundæ sunt autem guttæ pluuiæ, propterea quod sunt aqueæ, & aqua est rotunda, & homogenea, vt patet in guttis, quæ remanent in foliis brassicæ, aut alterius rei.

2. Quæres primò quo in loco resideant nubes? Respondeo existere in media regione aeris, vt patet cum homo in monte existens conspicit aliquando nubes, & nubeculas in vallibus.

3. Quæres secundò, qua de causa, nonnunquam vnà cum pluuia decidunt ranæ, locustæ, & alia animalia imperfecta? Respondeo ea, ab vniuersali agente, mediis dispositionibus quæ inueniuntur in aliqua materia transuecta in mediam aeris plagam, sicut alibi diximus in ea interdum gigni lapides, metalla, & id genus alia. Quod conspicitur in locis obscœnis, & fœtidis, in quibus pleraque animalia imperfecta procreantur, putà muscæ, culices, & pulices.

4. Quæres tertiò. Quænam sint signa pluuiæ, & serenitatis? Respondeo esse multa: imprimis signum pluuiæ est rubedo solis matutina, & econtrà, signum serenitatis est rubedo eius serotina. Deinde, quando sol, & luna sunt pallidi coloris, est signum pluuiæ. Iterùm, si oriente sole, solæ nubes nigra tegat ipsum solem, & protinus euanescat, est prognosticum pluuiæ: At si dicta nubes diù persistat, est signum serenitatis. Rursùs cantus ranarum, & coruorum matutinus indicat pluuiam: eorum verò cantus serotinus præsagit serenitatem. Insuper, si pulices, & muscæ acrius pungant, præsignant pluuiam. Plura Virg. 1. Georg.

ARTICVLVS II.

De aliis impressionibus aqueis.

5. INter aquea meteora recensentur nix, ros, pruina, glacies, & grando, de quibus breuiter nunc differendum est.

Nix est nubes frigore immediatè concepta. Etenim, priusquam nubes in aquam dissoluatur, à vehementi frigore ambiente comprimitur, sicque instar flosculorum lanæ in terram cadit.

Ros est modicus vapor parum à terra eleuatus, ob paucitatem caloris ipsum eleuantis, & frigiditatem noctis superuenientis, temperato tantùm tempore deorsum fertur, & manè apparet.

Pruina est quoque exiguus vapor à terra parum sublatus, qui ob frigus circumstans comprimitur, & more niuis, matutino tempore, hyemali tamen sereno cadit, & cernitur.

Glacies est aqua congelata in stagnis, paludibus, aut fluuiis, propter admixtionem alicuius terreæ exhalationis. Cum enim terra sit densa, & cum aqua admisceatur, accedente frigore, ipsa aqua euadit gelu, seu glacies.

Grando est pluuia in gelu transmutata, propter antiperistasim caloris à terra prouenientis, ideò probabiliter defenditur, grandinem effici in infima regione aëris. Nam, cum descendit, auditur strepitus in aëre, quod denotat, proximo loco gigni. Accidit autem tempore æstiuo, & autumnali, propterea quod calor à terra exiens, cum frigiditate, ex media aëris ora aduentante, comprimitur, & aqua pluuialis fit grando.

6. Quæres primò, cur quando pluit in vallibus, ningit in montibus? Respondeo causam esse, quia in vallibus extat calor, qui fundit niuem: in montibus verò frigus viget, quod comprimit ipsam niuem. Eadem quoque ratione, non ningit in mari, eò quòd in illo repesiuntur vapores, & exhalationes calidæ, quæ niuem statim dissoluunt.

7. Quæres secundò, cur nix sit alba? Respondeo id prouenire, propter partes aëreas, quæ in ea existunt, necnon ob frigiditatem in ipsa manentem. Ideò, qui incolunt regiones frigidas, sunt albi: qui verò calidas, sunt nigri. Et si interdum videatur alterius coloris, causa est: quia tabescit; idcircò, ab albedine deflectit.

8. Quæres tertiò, an ex niue fiat crystallum? Respondeo affirmatiuè. Obduratur namque gelu diuturnitate temporis, & ex hoc vehementiori concreto nascitur crystallum, vt præ aliis scribit Aug. *in expositione Psal.* 147. A quo non declinat Scot. 8. *Met. in com. cap.* 2.

9. Quæres quartò, qua in regione fiet? Respondeo effici in media regione aëris. Idquè satis apparet in montibus, qui existentes in secunda aëris plaga, penes ipsorum fastigia, onusti sunt ferè omni tempore præfata niue.

Articvlvs III.

De melle, manna, & saccharo.

10. Virg. 4. Georg. vocat mel, cæleste donum, sic canens.

Protinus aerei mellis cælestia dona.

A quo non videntur valdè distare Plin. & alij existimantes mel esse cæli sudorem, vel astrorum saliuam, vel purgantis se aëris succum. Videtur autem in florum, foliorumque superficie distillari, quod mirum in modum apes colligunt, parant, & componunt. Hinc instar salis in arboribus dependentia reperiuntur mella in Arabia, & India. Immò, fertur Auenione anno 1341. magnam mellis copiem cecidisse è cælo, & in foliis, ramisque arborum ad modum gummi extitisse. Fit autem ex vaporibus humidis, commixtione partium terrestrium perexiguarum.

11. Manna est quidam liquor candidus, qui dicitur ros melleus matutinus: fitque ex commixtione partium terrestrium sursùm eleuatarum, aquea humiditate decocta. Vulgò autem, per manna intelligitur alimentum illud, quod Deus præbuit Hebræis in deserto, quod erat rotundum, instar coriandri, vt patet *Exod.* 16. & *Sapient.* 16. An verò hoc, ab illo specie differat, contendunt nonnulli: parti autem negatiuæ subscribo. Siquidem diuersum agens, eâtique diuersa non statuit effectus specie diuersos, vt patet de homine à Deo condito, & ab alio homine genito. Itemque de igne, ab igne, & à solo producto, qui sunt eiusdem speciei. Si qua autem illa præfata extat differentia, non essentialis, sed accidentalis censenda est, vt saporum varietas, & diuersorum hominum sustentatio.

12. Saccharum eodem ferè modo, quo mel, & manna, gignitur, influxu nimirum cælesti, adhibitis quibusdam instrumentis, & cannis, igne supposito, quibus ad densitatem, & candorem redigitur.

Articvlvs IV.

De mari.

13. De mari agit Arist. 2. *Meteor.* non quia sit meteorum, cum sit à Deo conditum, *Gen.* 1. & quæcumque magna aquarum congregatio vocetur mare, Ioan. 6. de mari Galileæ, quod est Tiberiadis, cum tamen sit, & dicatur stagnum Genezareth: notante Lyran. in Postil. sed quoniam admixtam habet salsedinem, quæ inter meteora numeratur. Mare autem varias sortitur diuisiones, præcipua est in mare Oceanum, quod vndique terram circumdat: & penes ea, quæ circuit, variis, ac diuersis sortitur nominibus: & mediterraneum, quod ex oceano, inter columnas Herculis irrumpens per medias terras diffunditur, quodque sub Iulio Cæsare in triginta fuit diuisum, restibus Parisiens. hoc loco. Plure Hydrographi. Multis verò agitatur motibus. Primò à ventis impetitur, & turbatus, iuxta varietatem, & multiplicitatem eorum.

Secundò, cietur ab ortu, ad occasum, vt experiuntur nautæ, potissimùm Lusitani, qui vno mense Indias petunt, non reuertuntur verò, nisi triùm mensium interuallo. Hic autem motus fortassè oritur à motu primi mobilis. Vt enim ignis, & aër in suis sphæris sic mouentur, vt patet in Cometis in ipsis existentibus; pariter & mare, licet non sic euidenter, cum aqua sit elementum crassius, & depressius, oculis nostris non ita subiectum, quoad totum. Nec id videtur improbabile, cum sola terra sit firma, & in æternum stet ex dictis *l. de elementis, quæst.* 5. *art.* 4. *in fine*, cætera verò circumaguntur, & motu diuino circumferantur.

Tertiò, à septemtrione, ad Austrum, causa est, quia terra in aliquibus partibus est altior, in aliis verò depressior: ideò mare ad locum decliniorem defluit. Deinde in septentrione plus aquæ gignitur ob maiorem abundantiam frigiditatis, & humiditatis: in Austro verò diminuitur, & deperditur, ob nimiam siccitatem, & siccitatem e us. Adde, flumina copiosiora, & maiora ibi: pauciora verò hic, & minora in ipsum mare irrumpentia.

Quartò, motu accessus, & recessus, cuius causa censetur Luna, vt post Ambr 4. *Exam. cap* 7. & Basil. *ibid. hom.* 6. scribit Scot. 2. *dist.* 14. *quæst.* 3. §. *Dico ad quæst. ad B.* Quotidie autem mare bis fluit, & refluit virtute Lunæ. Cum enim ipsa Luna ascendit suprà hemisphærium, à puncto orientis, vsque ad punctum meridionale fluit, è puncto meridionali, vsque ad punctum occidentis refluit. Atque à puncto occidentis, vsque ad punctum directum oppositum puncto meridionali iterum fluit: & ab illo puncto, vsque ad aliud ad punctum denuò refluit. Denceps, Luna speciali influxu, medio suo lumine est causa eleuationis quarumdam partium maris. Siquidem dictum lumen in occursu medij densioris refrangitur: & quò magis accedit ad lineam perpendicularem, & directam, eò magis refrangitur. Insuper, Lunam in humida dominari manifesto comprobatur experimento.

Salsedo autem maris est exhalatio terrestris, sicca, & adusta calore solis, & flatu ventorum decisa, vt patet à simili, de lixiuio, sudore, & vrina, quæ pariter sunt salsa, veluti aquæ maris.

14. Quæres primò, cur aliqui fontes sint salsi? Respondeo id effici ex salsedine terræ, aut quia huiusmodi fontes per meatus subterraneos prosiliuntur à mari.

15. Quæres secundò, cur flumina salsa non sint? Respondeo

Respondeo causam esse, quia in eis non extat exhalatio adusta, & sicca: & si qua sit, per terram purgatur: aut fortasse, quia ipsa flumina continuò decurrunt ad mare, nec vnquam immota manent, vt calore solis adurantur.

56. Quæres tertiò, vndè promanent fontes? Occurrunt nonnulli, quosdam fontes oriri ex aquis pluuialibus receptis in concauitatibus terræ: alij respondent prouenire ex mari, vt videtur esse ille fons celebris, & mirabilis Vallis clausæ, apud Insulam Venustianam, propè Auenionem, vbi Petrarca captus amore Lauræ canebat. Cæterì verò, vt Arist. putant nasci ex aere frigido, & vaporibus corruptis.

QVÆSTIO V.

De Meteoris terreis.

ARTICVLVS I.

De terræmotu.

1. DVo de terræmotu potissimùm inuestigantur, videlicet, quid sit terræmotus, & quænam sit eius causa. Omissis autem varijs, diuersisque opinionibus Antiquorum, quæ a Recentioribus cum Arist. recitantur, & refutantur 2. *Meteor. cap.* 7.

2. Assertio prima, terræmotus est concussio terræ proueniens ab exhalatione in sinu eius inclusa, quæ petit exitum, & non inueniens, quatit terram: vnde efficitur pulsus aut tremor, quæ sunt eius species. Non contradicit Scot. Probatur primò, ex Arist. qui repulsis veterum placitis, loco nunc alleg. hanc statuit conclusionem.

Secundò, sicut ob exhalationem inclusam in nube, rumpitur ipsa nubes, & editur fragor, qui appellatur tonitru: pariter, propter exhalationem in locis subterraneis inclusam, exitum non habentem commouetur terra, & fit sonus, qui terræmotus nuncupatur.

Tertiò, eodem modo Philosophandum est de halitu in terra occluso, non potente egredi, quo philosophamur de puluere tormentario in bombardis incluso, quo accenso, ac inflammato, ob angustias loci, & leuitatem eius exit magno cum strepitu, & bombus efficitur. Sic dicendum est etiam de exhalationibus in ventre animalis obseratis: venter quippè ab eis inflatur, & huiusmodi halitus exiens edit sonum, qui dicitur crepitus.

3. Assertio secunda, causa terræmotus est halitus calidus, & siccus in terræ visceribus inclusus. Ita Arist. præcit. non declinat Scot. Probatur primò, quando extat magna copia exhalationum in sinu terræ inclusarum, fiunt terræmotus, vt constat experientia, præsertim vernali, vel autumnali tempore. Igitur causa terræmotus est halitus calidus, & siccus inclusus in visceribus terræ.

Secundò, loca, & regiones cauernosæ, & fungosæ sæpe subeunt terræmotum, ergo signum euidens est, huiusmodi halitum in eis inclusum, causam esse ipsius terræmotus.

4. Assertio secunda, duæ sunt species terræmotus, puta tremor, & pulsus. Ita Arist. *vbi suprà*, & non pugnat Doct. & probatur, aut ab exhalatione in terra inclusa, ipsa terra in gyrum agitatur, scilicet modò in hanc, modò verò in illam partem, & oritur terræmotus, qui vocatur tremor, vel ab exhalatione in terra detenta, ipsamet terra sursùm pellitur, & exurgit terræmotus, qui nuncupatur pulsus: ergo sunt duæ species terræmotus prænominatæ.

Dices, incredibile est, exilem, tenuemque halitum, veluti est dicta exhalatio, habere tantam vim, vt ingentem terræ molem moueat, & quatiat, domos euertat, & montes deiciat, vt accidit in terræmotu. Igitur quærenda est alia causa terræmotus. Dico, minimè esse non debere; quandoquidem experimur, ventos esti tenues, nihilominus ingentia saxa mouere, arbores cum radicibus euellere, & magna ædificia deuastare. Itemque exhalationes in corpore inclusas, magnos dolores incutere, ægritudinesque gignere, & nisi curentur, mortem afferre. Quare, verisimile valde est, cum est magna copia istarum exhalationum, præfatum causari effectum.

5. Quæres. Quotnam sint effectus terræmotus? Respondeo præcipue esse quatuor. Primus conspicitur, cum aqua putei turbidior fit, tetrumque odorem efflat. Secundus quando dicta aqua putei ebullit, & sursùm fertur. Tertius quando mare intumescit absque ventorum flatu. Quartus quando est tranquillitas aëris intempestiua.

ARTICVLVS II.

Quid sit ventus.

6. DIfficile scitu, & arduum cognitu est, quid sit ventus, vt indicant sacræ paginæ, Psal. 134. *Qui producit ventos de thesauris suis*, idest de locis hominibus occultis, interprete Lyran. ibi. siue de absconditis naturæ causis, insinuante Aug. eo in loco, his verbis. *Quia enim flat ventus, scitur, quia causa flat vel de quo thesauro rationis. eductus sit, nescitur.* Et quæst. 59. noui testamenti. *Ventus vndè veniat, vel quò vadat, nescimus* Et paulò ante. *Ventus auditur, sed non videtur.* Ob id, Philosophi in varias, & diuersas abeunt sententias. Nonnulli namque putant, ventum esse aerem motum, ac agitatum. Quidam astruunt esse impetum aëris fluentis. Et alij esse fluxum aeris. Arist. autem 1. *Meteor. cap.* 13. tradit ventum esse exhalationem calidam, & siccam; motam circà terram in transuersum, seu lateraliter.

7. Not. virtute solis, è terra, vel aqua subleuari, non solum vapores ad mediam regionem aeris, qui in pluuiam conuertuntur: verùm etiam exhalationes, quæ si nullo fuerint compactæ vinculo, a media aëris era quæ est frigida, pelluntur, & quoniam leuea sunt, deorsùm tendere nequeunt: ideò lateraliter eieuntur. Ventus autem moueri incipit, circà nubes, qui ab eis primò pellitur, & postmodum venit ad nos, ad mare, & ad terram. Hinc nullo flante vento, videmus moueri nubes, quia priùs ad eas spirat, deindè in initio parum concitatur, & postea vehementer flat, propterea quod ei adduntur aliæ exhalationes, quæ maiorem causant ventum.

8. Assertio prima, ventum non esse aërem commotum, neque impetum, neque fluxum ipsiusmet aeris: non dicrepat Scot. Probatur primò, cum bombardæ exploduntur, aët vehementer eietur & agitatur, & tamen tunc non adest ventus: ergo signum apertum est, ventum non esse aërem commotum.

Secundò, cum turres in præceps ruunt, aër quàm maximè commouetur: tunc autem nullus extat ventus. Deinceps, aër est humidus, & calidus, vt dixi, *lib. de elementis, quæst.* 5. *art.* 2. ventus autem est calidus, & siccus. Demò, aër est elementum, ventus autem est mixtum imperfectum: ab omnibus quippè, inter meteora quæ sunt mixta imperfecta recensetur, igitur non est aër commotus, nec aliquid in proposita ass. adductum.

9. Assertio secunda, ventus est multitudo exhalationis

lationis calidæ, & siccæ, quæ à terra excitatur, & circa ipsam terram voluitur ab hac non distat Scot. Probatur primò, tunc perflant magni venti, cum existit magna exhalationis copia, vt constat experientia, quandò apparent Cometæ: igitur ventus nihil aliud sibi vult, quàm exhalationem calidam, & siccam, motam obliquè circà terram.

Secundò, ventus valdè exsiccat, quandò perflat circà terram. Experimur namque, ventorum flatu terram reddi siccam, & aridam, & res humidas euadere siccas. Ergo ventus est exhalatio calida,& sicca Rursùs, in nobis aliquando aluus inflatur ob exhalationes calidas, & siccas, quæ ventositates vulgò dicuntur. Igitur in orbe terrarum, venti nihil aliud sunt, quàm huiusmodi exhalationes calidæ, & siccæ.

10. Oppones primò, aër est maximè mobilis à quocumque agente extrinseco: ventus autem quoque facile mouetur ab extrinseco: pellitur namque in hanc vel illam partem, ergo aer motus, & ventus coïncidunt. Conf. ex Damasc. 2. *fidei*, *cap.* 8. dicente, ventum esse motionem aëris. Respondeo ventum posse vocari aërem motum, non per se, & formaliter: sed denominatiuè dumtaxat, eo quod cum perflat ventus, aër mouetur. Ad conf. dico esse Damasc. interpretandum. Nam, paucis interpositis,idem sanctus subiicit, Ventus est multitudo exhalationis calidæ, & siccæ, mota circà terram.

11. Oppones secundò, ventus à nube pellitur. aër autem quoque à nube pellitor, immò efficitur ventus per aëris agitationem, præsertim per folles, & flabella, ergo ventus idem est ac aër motus satisfit per eandem distinctionem, per quam diluta est præcedens oppositio: solum quippè infertur, ventum esse aërem motum denominatiuè, non verò formaliter.

12. Oppones tertiò, è mari oriuntur plures venti, de quo ascendunt vapores: non autem exhalationes, ergò ventus potiùs est vapor, quàm exhalatio. Respondeo in mari, propter terræ admixtionem, & aquæ adustionem,virtute radiorum solis, multas emergere exhalationes,vt patet de salsedine eius.Quare nego è mari non eleuari exhalationes, quæ cum admixtos habeant vapores: ob id venti,qui ab eis prodeunt, sunt humidi, & calidi.

13. Quæres primò; cur aliqui venti orbiculariter moueantur? Respondeo duplicem posse assignari causam. Prima est, quia excitantur per influxum Planetarum, qui voluuntur in gyrum, proptereà etiam venti in orbem cientur. Secunda est, quia exhalationes, quæ sunt materia ventorum, à frigiditate mediæ regionis aëris pelluntur deorsum, & à leuitate, & caliditate earum, cum non possint deorsùm ferri, idcircò orbiculariter mouentur.

14. Quæres secundò, cur venti velociùs moueantur in fine quam in principio? Respondeo causam esse, quia in fine maior extat exhalationum multitudo; ob id crescente exhalatione, crescit, & ventorum insufflatio.

15. Quæres tertiò, cur maiores venti spirent à meridie, & septentrione, quàm ab oriente, & occidente? Itemque cur magis venti regnent vernali, & autumnali tempore, quàm æstiuali, & hyemali? Respondeo id effici per absentiam solis. Nam, sol per sui absentiam non consumit vapores, & exhalationes existentes in meridie, & septentrione: ideò, magis in eis abundant, quàm in oriente, vbi vapores, & exhalationes per solis præsentiam dissipantur. Similiter, magis vigent venti, vere, & autumno, quia tunc habetur maior copia vaporum, & exhalationum, quàm æstate, & hyeme.

16. Quæres quartò, quare aliqui venti sint frigidi, alij verò calidi, cum oriantur ex nube calida, & sicca? Respondeo ventos intrinsecè esse calidos, & siccos, vt patet ex definitione venti præallata: extrinsecè verò sunt frigidi,& humidi. Quod oriri potest ex locis, ex quibus prodeunt. Ideò Boreas est frigidus, quia proficiscitur ex regione frigida. Auster est calidus, quia manat ex loco calido. Prætereà, quidam reddunt aërem serenum,vt Aquilo,quia est propè nos, ideò nubes expellit: quidam verò faciunt nebulosum, vt Auster, qui ex longinquo venit, proptereà ducit ad nos nubes, & pluuiam.

Articvlvs III.

Quotuplex sit ventus.

17. De ventorum numero, non modica extat altercatio inter Philosophos. Etenim nonnulli quatuor ventos tantum statuunt. Aliqui duodecim. Alij viginti quatuor. Communis autem opinio triginta duos ventos recenset.

18. Diuiduntur autem venti, in generales, qui vbique spirant: & in prouinciales, qui in aliqua prouincia, & regione maximè perflant. Deindè, in ordinarios, qui spirant more consueto, nullum damnum sublunaribus inferentes: & in turbulentos, qui præter modum flantes, maximum eisdem sublunaribus detrimentum causant. Quandoque enim, euertunt ædificia, eradicant arbores, proptereà vocantur tempestates, & procellæ. Insuper, distribuuntur in cardinales, seu principales, qui à Mundi cardinibus spirant, & in collaterales, seu interiectos, qui inter ventos principales interponuntur. Venti autem principales sunt quatuor, & habetur Matt. 24. *A quatuor ventis*, & refertur ab Aug. *in expositione Psal.* 59. Subsolanus, Auster, Fauonius, & Septentrio. Subsolanus est, qui ab oriente flat, ita dictus: quia sub sole spirat. A dextris Subsolani extat Vulturnus,& à sinistris Eurus. Auster est, qui à meridie flat, ita dictus, quia haurit, siue alit nubes. Cui adiunguntur duo, quorum vnus vocatur Euro-auster, propterea quod ex vna parte habet Eurum, & ex altera Austrum. Alter nuncupatur Austro-africus, quia hinc Auster, illinc verò Africus prodit. Fauonius est qui ab occasu spirat, ita dictus, quia fouet gramina terræ: à dextris cuius manet Africus, & à sinistris Chorus, eò quod quasi ventorum chorum efficit. Septentrio, quia oritur à septentrione, siue sub Vrsa minori perflat. A dextris eius extat Circius, à sinistris verò Aquilo,qui stringit aquas, & dissipat nubes

19. Probabile est ventos duodenario numero prærecensito comprehendi. Patet experientia Nautarum, qui alios ventos, præter enumeratos nancisci non videntur, etsi fortasse alij venti inueniantur, saltem prædicti sunt præcipui, & notiores.

20. Quæres. Quot sint Venti turbulenti? Respondeo esse tres, qui dicuntur Ecnephias, Typhon, & Præster. Ecnephias est ingens exhalatio, calida,& sicca,quæ disrumpens nubem,in qua includitur, deorsum violenter fertur. Ideò Nautis naufragium affert, & cæteris viuentibus non modicum detrimentum. Typhon est exhalatio subtilior, quam Ecnephia, quæ transiens per foramen angustum, deorsùm violenter tendit, & magna incommoda ad mortales adducit. Præster nihil aliud addit suprà dictum Typhonem, quàm accensionem, & inflammationem.

LIBRI DE ANIMA.

PRÆFATIO.

PRÆHABITA tractatione de corpore naturali generatim ſumpto, *in octo libris Phyſ.* Ac de corpore ingenerabili, & incorruptibili, *in quatuor libris de Cœlo, & Mundo.* Deinde, de corpore generabili, & corruptibili, *in duobus libris de generatione, & corruptione.* Poſtmodum de corpore imperfectè mixto, quod *in quatuor libris Meteororum* expenditur. Ordinata methodus poſtulat, vt de corpore animato diſſeramus, quod præcipuè *in tribus lib. de anima abſoluitur.* Vnam autem ex præcipuis partibus Philoſophiæ eſſe tractationem de anima, præ aliis tradit D. Aug. *lib. 2. de ordine, cap* 8. his verbis. *Duæ ſunt potiſſimùm quæſtiones in Philoſophia, vna de anima, & altera de Deo; Prima facit vt nos nouerimus, Secunda vt originem noſtram: hæc nobis dulcior, illa carior: hæc dignos vita æterna, illa nos beatos reddit: hæc diligenter examinatur à regio Pſalte, Pſal.* 118. *Anima mea in manibus meis ſemper; illa perquiritur ab eodem, Pſal.* 33. *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me.*

Quinque autem conſtituemus libros de anima: quorum primus erit de prolegomenis Animaſticæ. Secundus de anima in ſe. Tertius de anima vegetatiua. Quartus de anima ſenſitiua. Et Quintus de anima intellectiua, ſeu rationali.

LIBER PRIMVS.

De Prolegomenis Animaſticæ.

1. QVEMADMODVM in reliquis noſtris operibus conſueuimus quædam procemialia præueſtigare, antequam penetralia rerum agendarum ingrediamur: ſic in præſentia præmittimus præludium Animaſticæ, vt poſtmodum reliqua omnia, quæ ad ipſam ſpectant, commodius, & faciliùs adipiſcamur.

QVÆSTIO I.

De obiecto Animaſticæ.

ARTICVLVS I.

An Anima ſit obiectum librorum de anima.

2. PRIMA ſententia eſt Alb. Th. *in præſenti* land. *quæſt.* 3. Tol. *quæſt.* 4. Ruu. & Pone. *in procemio de anima*, exiſtimantium, horum librorum ſubiectum totale, & adæquatum eſſe ipſam animam. Secunda eſt Apollinaris *ibid. quæſt.* 3. & Conimb. *in procemio*, qui vnica diſtinctione putant ſe dirimere hanc difficultatem, nempè, ſi libri de anima ſumantur vnà cum iis, qui paruorum naturalium nuncupantur, quive eorum quaſi quædam acceſſio ſunt, ſtatuendum eſt illorum ſubiectum totale, corpus animatum: quod ſi ſeorſim accipiantur ab illis, aiunt, non corpus animatum, ſed animam eſſe eorumdem ſubiectum adæquatum. Tertia eſt Scot. 1. *Met. quæſt.* 1. Ioan. de Magiſtris 1. *anima, quæſt.* 1. Tatar. *ibid. in fine*, Venet. *com.* 3. Piccol. Compl. *quæſt. vn.* & aliorum multorum docentium, horum lib. ſubiectum totale, & adæquatum eſſe corpus animatum.

3. Nut. & recol. ex dictis in Logica *lib.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 1. quid, & quotuplex ſit ſubiectum ſcientiæ, necnon quæ, & quot ad illud neceſſariò requirantur. Deinde, obſerua hos libros gaudere eodem ſubiecto, ac illos, qui de paruis naturalibus inſcribuntur, quive ſunt de ſenſu & ſenſato, de ſomno & vigilia, de longitudine & breuitate vitæ, & huiuſmodi; quandoquidem eſt idem opus continuum, vt bene notat Tolet. cit. *concluſ.* 2. cum in his omnibus eadem principia, paſſioneſque corporis naturalis conſiderentur.

4. Aſſertio prima, anima non eſt ſubiectum adæquatum librorum de Anima. Inſinuatur à Doct. *Quol.* 9. §. *de* 2. *antè F.* & 4. *d.* 44. *quæſt.* 2. §. *Ad quæſt.* A Probatur primò, illud eſt ſubiectum adæquatum horum librorum, quod habet omnes conditiones illi neceſſarias, & requiſitas: anima autem non eſt huiuſmodi, ergo non eſt dictorum lib. ſubiectum adæquatum. Ma. patet. Min. probatur, paſſiones, quæ conſiderantur in hac ſcientia, non competunt animæ, vt habere virtutem videndi, audiendi, iraſcendi, miſerendi, & huiuſmodi. Nec valet reſponſio Tol. & Conimb cit.

has

has paſſiones, & operationes etiam de anima prædicari, quia ipſa anima eſt principium earum. Nam, præterquamquod hæc reſponſio non eſt ad rem, quandoquidem non eſt quæſtio de ſubiecto quo, vt eſt anima, ſed de ſubiecto quod, vt eſt corpus animatum. Arguo ſic, nunquam anima dicitur nutriri, iraſci, videre, audire, texere, & huius formæ alia, ex Ariſt. 1. *anima*, *T.*64. & Scot. 4. *d.* 44. *quæſt.* 1. *A.* Idque præſertim conſpicitur in anima ſeparata his paſſionibus, & actionibus carente. Eò magis, ſubiectum totius phyſicæ non eſt forma corporis naturalis, ſed corpus naturale, ſecundum Scot. vel ens mobile, ſecundum D. Thom. pariter ergo ſubiectum iſtorum lib. non eſt forma corporis animati, quæ eſt anima.

Secundò, ſubiectum partiale alicuius ſcientiæ totalis debet eſſe ſpecies ſubiecti totalis ipſius ſcientiæ: anima autem non eſt ſpecies corporis naturalis, vel entis mobilis: ergo anima non eſt ſubiectum horum librorum. Reſpondet Tol. loco alleg. negando ma. ſiquidem, in ſcientia non ſemper de ſpeciebus ſui obiecti generici agitur: ſed aliquando de principiis, & cauſis, vt in præſenti diſſeritur de anima, quæ animatorum eſt principium. Addunt Conimbr. ſatis eſſe ſubiecta partium cuiuſcumque ſcientiæ quoquo modo includi in ſubiecto totius, alioquin diceretur ens mobile de ſenſu, & ſenſibili, de reſpiratione, motuque animalium, quod eſt falſum. Contra ſecundum Tol. *vbi ſupra*, idem eſt ſubiectum horum lib. ac paruorum naturalium, quo poſito, ſic argumentor, Ariſt. debuit agere de ſpecie nobiliori corporis naturalis, quæ eſt corpus animatum: ſed in nullo alio loco egit, niſi in iſtis, ac illis libris prænominatis, vt patet legenti cuncta opera Ariſt. Ergo vel diminutum facit Ariſt. vel eius reſponſio eſt inanis, & vana. Si enim diſſeruit de principiis, & cauſis corporis animati, tenebatur quoquo agere de illo, in quo ſunt talia principia, & cauſæ, & de quo prædicantur, quod eſt corpus animatum. Quod verò ſubnectunt Conimb. non eſt ad propoſitum, quia maior noſtra capitur de ſubiecto partis ſcientiæ totalis ſpecifico, vt in Logica eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus, reſpectu ſyllogiſmi generatim ſumpti: non autem de qualibet re contenta ſub ſubiecto, cuiuſmodi ſunt reſpiratio, motus animalium, & id genus alia.

Tertiò, de ſubiecto præſupponitur in ſcientia, quid ſit, 1. *poſt.* *T.* 1. anima autem definitur, 2. *huius*, *c.*1. Ergo anima non eſt huius operis ſubiectum quod, & adæquatum. Reſpondet Tolet. ſcientiam ſupponere de ſubiecto quid nominis, non autem quid rei. Immò ſubdit conuenire ſcientiæ definire ſuum ſubiectum, non tamen ipſum demonſtrare. Contra, præcognitio quid nominis eſt communis omnibus conſtituentibus demonſtrationem, tam paſſioni, quam principiis, & ſubiecto: ergo de ſubiecto non tantum eſt præcognoſcendum quid nominis, ſed etiam quid rei, cum eius definitio ſit principium, & cauſa, ad inquirendam notitiam paſſionis, eiuſque inhærentiæ cum ſubiecto: quod intelligendum eſt de demonſtratione à priori, non autem a poſteriori. Eò magis, quia Tol. *lib.* 2. *quæſt.* 3. aſſerit, definitionem animæ traditam eſſe ab Ariſt. per demonſtrationem à priori.

5. Aſſertio ſecunda, ſiue diuiſim, ſiue coniunctim ſumantur hi libri de anima, ab illis, qui paruorum naturalium nuncupatur, anima non eſt ipſorum ſubiectum totale. Indicatur à Doct. *locis præaddučtis in* 1. *aſſ.* & probatur primò, idem eſt liber, & opus continuum, propterea exiſtimatur ſextus liber Philoſophiæ naturalis. Ergo præfata diſtinctio, & ſeparatio vana eſt, & inepta.

Secundò, vbi ſunt eædem paſſiones, ibi eſt idem ſubiectum, vt omnibus eſt in confeſſo: in his autem, & illis libris expenduntur eædem paſſiones, & affectiones, vt patet legenti. Futilis ergo, & inanis extat prætallata diſtinctio, ad propoſitam difficultatem diluendam.

6. Aſſertio tertia, corpus animatum ſtatuitur obiectum totale iſtorum lib. Tenet expreſsè Doct. *in Met. paſſu alleg.* Nec diſſentit Ariſt. 1. *de anima.* *T.*19. *&* 64. Probatur primò, in tota Phyſica ſubiectum totale eſt corpus naturale, ergo in Animaſtica, quæ eſt pars eius eſt corpus animatum. Ant. oſtenſum eſt, *lib.* 1. *Phyſ.* *quæſt.* 3. *art.* 4. Conſeq. deducitur, pars immediatè ſubiectiua alicuius generis eſt ſpecies eius: corpus autem animatum eſt pars proximè ſubiectiua corporis naturalis. Diuiditur namque corpus naturale in animatum, & inanimatum, ab Ariſt. *T.*19. nunc alleg. & cernitur in arbore Porphyrij. Igitur rectè horum lib. ſubiectum adæquatum decernitur corpus animatum.

Secundò, omnes conditiones requiſitæ, ad ſubiectum horum totale competunt corpori animato: ergo non eſt negandum eſſe dictorum lib. ſubiectum adæquatum. Ant. facile eſt probatu. Nam, de corpore animato præcognoſcitur, an ſit, & quid ſit: eius paſſiones in his lib. demonſtrantur. Atque omnia ad ipſum reuocantur, quæ in iſtis tractantur: vt patet inductione, per ſingula eorumdem.

7. Oppones primò, illud eſt ſubiectum in ſcientia, cuius definitio in ea quæritur, & aſſignatur, 1. *poſt.* *c.* 1. *&* 9. In his autem lib. non corporis animati, ſed animæ traditur definitio, 2. *anima*, *cap* 1. & proponit Ariſt. *initio primi lib.* ſeque præſtitiſſe fatetur *lib. de ſenſu*, *&* *ſenſibili*: ergo anima eſt ſubiectum totale præfatorum lib. Reſpondeo per diſtinctionem, & explicationem ma. de ſubiecto quo, & partiali principali, concedo: de ſubiecto quod, & totali, nego. Agit autem Philoſophus in hoc opere de anima, non præciſè, ſed in ordine, ad corpus animatum, quod eſt totum. Ideò, ineptè infertur, animam eſſe horum ſubiectum, quia in ipſis definitur; veluti ſi quis diceret, motum eſſe ſubiectum Phyſicæ, propterea quod à phyſica definitur. Idque etiam de loco, & tempore eſſet aſtruendum, quod apertè falſum, & abſurdum eſt.

8. Oppones ſecundò. Animaſtica eſt ſcientia, cæteris nobilior, & excellentior, non ob aliam cauſam, niſi quia diſſerit de anima, quæ inter res phyſicas nobilitate præſtat: at ſi corpus animatum foret iſtorum obiectum, animaſtica cæteris non excelleret, quia ea pars, quæ agit de animalib. emineret aliis, cum in prædicamento ſubſtantiæ, inferius, vt eſt animal, præſtantius ſit corpore animato. Reſpondeo. Animaſticam vocari præſtantiorem, tum quia agit de anima, & potiſſimum de anima rationali, tum etiam quia diſſerit de corpore animato, quod nobilius eſt ipſa anima, quæ eſt eius pars: totum namque præſtantius eſt ſuis partibus diuiſim, aut coniunctim ſumptis, vt ſancitum eſt apud Scot. 3. *d.* 22. *quæſt.* *vn.* §. *Ad* 1. *argumentum alterius opinionis ſub I.*

9. Oppones tertiò, hi libri inſcribuntur Περὶ ψυχῆς, ideſt de anima: ergo de anima ſtatuitur ipſorum ſubiectum. Reſpondeo plerumque inſcriptionem, & denominationem decerpi à ſubiecto quo, & à parte nobiliori, vt eſt anima. Sic D. Aug. à parte potiori titulum ſe dare *lib. de Ciuit. Dei* faſſus eſt 2. *Retract.* *cap.*43. Immò, partem pro toto nonnunquam vſurpari notat idem Sanctus *lib.* 3. *de conſenſu Euangeliſtarum*, *cap.* 24. Sic anima pro homine accipitur, Roman. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, id eſt omnis homo, interprete eodem Auguſt. *tract.* 105. *in Ioan.* & Lyran. *ibi in poſtil.* Quare non incongruè dici poteſt, accipi animam pro corpore animato.

Artic-

Articvlvs II.

An pertineat ad Phyſicam agere de anima.

10. IN hac non parua difficultate, tres extant dicendi modi Peripateticorum. Primus eſt Simplicij *in prologo Phyſ.* & Themiſtij *ibid.* arbitrantium eſſe Mathematici diſſerere de anima. Quod ſano modo intelligendum eſt. Non enim putant eſſe Muſicæ, aut Geometriæ tractare de anima: verùm quoniam anima, quoad gradum vegetatiuum eſt in materia, & penes gradum intellectiuum, eſt à materia immunis; ob id dicitur eſſe negotij mathematici, quia de anima habetur abſtractio inſtar Mathematicæ, nimirùm, media inter Phyſicam, & Mathematicam, tametſi non ſit propria abſtractio mathematica, quia hæc accidentium eſt duntaxat, & illa eſt ſubſtantiæ, cum anima ſit ſubſtantia. Secundus, defenditur à Boetio *in prolog. prædicam.* Philop. 1. *de gener.* Tol. 1. *de anima quæſt.* 1. & Run. *quæſt.* 1. qui hac diſtinctione vtuntur, nempe, ſi conſideretur anima ſecundùm illud eſſe, quod habet cum corpore, eſt phyſicæ conſiderationis: quod ſi ſpectetur, penes eſſe proprium intellectiuum, ad Met. pertinet. Tertius eſt, quem amplectuntur Scot. *Quol.* 9. §. *de ſecundo ante D.* Lych. & Gadius *ibid.* Quibus ſuffragantur Alex. *in principio Meteor.* Auer. 2. *Phyſ. com.* 26. Anic. & alij complures, docentes tractationem de anima, penes omnes gradus ſpectare ad Phyſ.

11. Not. primò, & ſup. ex infrà dicendis triplex eſſe genus animæ, vegetantis, ſentientis, & intelligentis. Prima eſt in plantis, ſecunda in brutis, & tertia in homine. Has autem multiplices eſſe ex variis ipſarum operationibus collegerunt Philoſophi. Ab actione namque dignoſcitur vegetatiua, à cognitione ſenſitiua, & ab intellectione intellectiua. Vbi autem eſt ſenſitiua, ibi virtualiter eſt vegetatiua, & vbi eſt intellectiua, ibi virtualiter vegetatiua, & ſenſitiua continentur, non verò è contrà. Cunctæ autem animæ vnà cum materia conſtituunt compoſita viuentia, & animata, veluti reliquæ formæ informantes, licet inter eas nonnullum interponatur diſcrimen. Nam duæ priores dependenter à materia operantur, ita vt abſque ipſa materia, nec eſſe, nec operari valeant, cum compoſitum viuens ſit immediatè, & proximè operatiuum, docente Ariſt. *l. de ſomno, & vigilia, cap.* 1. & 1. *de anima, T.* 66. At verò intellectiua quaſdam operationes elicere poteſt abſque corpore, puta intellectionem, & volitionem, quæ ab ipſa proficiſcuntur, & in ipſamet inhærent, 2. *de gener. animalium, cap* 9. Ideoque, non tantum perhibetur immaterialis, à ſua entitate: verùm etiam ab operatione, quam abſque materia depromit.

12. Not. ſecundò, animam poſſe bifariam inſpectari, vno modo, penes propriam ſuam eſſentiam, & operationes, ſiue à materia pendentes, ſiue à materia immunes: ſic anima eſt phyſicæ conſiderationis. Altero modo, penes ſua prædicata generalia, & tranſcendentalia, & ſic pertinet ad Met. vt in ſimili aſtruit Scot. *quæſt.* 1 *prol.* § *contra iſtam rationem.* Nec iuuat dicere cum aliquibus, animam ſecundùm eſſentiam attinere ad Phyſ. & ſecundum intellectionem, ad Met. Enimuerò, ſi eius eſſentia tractatur à Phyſ. vtique & eius operationes ab eadem ſcientia expenduntur, vt liquet in Met. in qua diſſeritur de Deo, & Angelis, ac de eorumdem operationibus Nec mihi arridet quod alij inquiunt, penes gradum ſenſitiuum eſſe muneris Phyſ. penes verò gradum intellectiuum, eſſe Met. Irrita ſanè, & vana diſtinctio, cum quoad gradum intellectiuum, & rationalem informet corpus, ac per eum ſit homo, ſiue animal rationale. Nec quoque placent diſtinguentes gradum intellectiuum, à gradu rationali, cum in homine idem prorſus ſit gradus rationalis, ac intellectiuus.

13. Aſſertio prima, animæ vegetans, & ſentiens ſunt phyſicæ conſiderationis Indicatur à Doct. *Quol.* 9. §. *de ſecundo.* Probatur primò, ex Ariſt. 1. *de partibus animalium, cap.* 1. & 2. *de gener. animalium, c.* 3. Necnon 6. *Met. T.* 2. Docente partes Phyſ. eſſe agere de præfatis animabus.

Secundò, Phyſ. officium eſt, diſſerere de omnibus formis naturalibus 2. *Phyſ.* 1. Deque his, qui ortui, & interitui ſunt obnoxiæ, 1. *Phyſ. T.* 82. huiuſmodi autem ſunt animæ prænominatæ, ergo earum tractatio pertinet ad Phyſ.

14. Aſſertio ſecunda, Phyſica quoque agit de anima rationali, ſpectata ſecundum ſuam ſubſtantiam, & eſſentiam. Tangitur ab eodem Doct. *vbi ſuprà.* Probatur primò ex Ariſt. qui 3. *animæ*, ferè totus eſt in indagine, & ſermone de anima rationali.

Secundò, anima rationalis eſt forma corporis organici, quia reuera informat corpus humanum, ergo reſpicitur à Phyſ. Deindè, definitio animæ tradita ab Ariſt. 2. *animæ cap.* 1. rectè illi adaptatur. Atque, ea ſcientia, quæ ſpeculatur totum, vtique meditatur eius partes: Phyſica autem ſpeculatur totum hominem, ergo & eius partes, inter quas præcipua eſt anima rationalis. Adde ſanctionem duorum Conciliorum. Later. & Viennen. in Clementina, *cap. de ſumma Trin.* definientium, animam rationalem eſſe veram, & propriam formam corporis humani.

15. Aſſertio tertia, animæ rationalis operationes à corpore immunes ſunt muneris Phyſ. Hanc explicare tenet Doct. *Quol. cit. Antè D.* Probatur primò, ex 7. *Met. T.* 8. aliiſque locis adductis à Ferchio *l.* 2. *veſtigatione* 6. *cap.* 1. In quibus claret prædictas operationes pertinere ad Phyſ. Accedit Concilium Viennenſe, ſub Clem. V. *de ſumma Trin. & fide Catholica*, vbi damnantur illi, qui tenent animam rationalem ſub gradu intellectiuo, non eſſe formam corporis. Et Alphonſus à Caſtro 2. *aduerſus hæreſes, verbo anima*, refert, quemdam Petrum Ioannem in hanc hæreſim incidiſſe.

Secundò, penes gradum intellectiuum, anima rationalis eſt vera forma corporis humani, & ab aliis animabus diſtinguitur, eique congruit definitio naturæ, quæ eſt principium motus, & quietis: ergo penes gradum intellectiuum ſpectatur à Phyſ.

Tertiò, ea doctrina, quæ conſiderat eſſentiam alicuius, quoque reſpicit paſſiones, & operationes eius, vt alibi oſtendi: Phyſica autem tractat de eſſentia animæ rationalis, ergo & de eiuſdem gradu intellectiuo, ac intellectione. Maximè, quia anima in corpore intelligit omnia dependenter ab ipſo corpore Ideò celebratur illud 3. *animæ T.* 39. oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari. Et in ſtatu ſeparationis, etſi non actu, ſaltem potentia, & aptitudine reſpicit corpus. Pariter, accidentia Euchariſtiæ, licet non actu ſint in ſubiecto, tamen hoc non impedit, quin ſint accidentia naturalia, inclinentque ad inhærendum in ſubiecto.

16. Oppones primò, Ariſt. 2. *Phyſ. T* 3. *& inde* ſcribit, tria eſſe, circa quæ laborat Phyſ. ſcilicet, naturam, ens naturale, & ens ſecundum naturam. Idem ſubiungit 1. *Celi, T* 5. Anima autem non eſt natura, teſte Simplicio, quia non eſt principium motus, & quietis: nec eſt ens naturale, cum non ſit compoſitum: nec ens ſecundum naturam, quia operatio tantùm, & affectio dicuntur entia ſecundum naturam. Ergo anima non pertinet ad Phyſ. Reſpondeo quidquid dicat Simplicius, animam eſſe naturam, vt patet 2. *Phyſ. T.* 7. *&* 11. & 8. *eiuſdem operis, T.* 27. vbi ait Philoſophus, animalia habere in ſeipſis principium motus ſui, eumque affirmat fieri à natura. Hoc ipſum aſſerunt Zabarella, Mercen. Tol. & Faber *Theor.* 53.

17. Oppones

17. Oppones ſecundò, Phyſ. diſſerit de formis corruptibilibus, & generabilibus, 1. *Phyſ. T.* 83. Anima autem rationalis eſt ingenerabilis, & corruptibilis, 1. *de anima*, *T.* 6. & 2. *de gener. animalium*, *cap.* 3. cum ex potentia materiæ non educatur. Ergo eius conſideratio non ſpectat ad Phyſ. Reſpondeo primò, concedendo ma. Non tamen ob id excluditur anima rationalis ab eius conſideratione, cum ibi non dicat, Phyſ. tantùm agere de formis materialibus. Reſpondeo ſecundò, quamuis anima rationalis generationi, & corruptioni non ſubiaceat: nihilominus, quia ordinatur ad materiam, ſeu corpus, quod informat, ob id eſt forma phyſica, ac phyſici numeris. Quod videtur olfacere Ariſt. cum ait 2. *Phyſ.* 26. Phyſ. ſe diffundere ad animam, quæ licet à materia ſeparabilis ſit, in materia tamen exiſtit, cum ipſammet materiam informet.

18. Oppones tertiò, *ex* 1. *de partibus*, *cap.* 1. Phyſica non tractat de omni anima, ſed de anima à materia inſeparabili: anima autem rationalis eſt à materia ſeparabilis, ergo de hac non agit Phyſica. Reſpondeo cum Alex. eiuſque Aſſeclis, *eo in loco* quæſtionem Philoſophi non eſſe ſolùm de anima animantium, quia de hac multa diſſerit in lib. de anima; ſed de anima prout comprehendit intelligentias, quæ lato modo dicuntur animæ, & vulgo intelligentiæ cæleſtium orbium motrices, quæve, cum ſint ſubſtantiæ abſtractæ, meritò idem Phyloſophus à Phyſica excludit. Hinc, 1. *Cæli*, *cap.* 1. Intelligentiam, cælum mouentem vocat animam eius. Et 1. *de anima*, *cap.* 1. *T.* 8. tradens exempla animarum inquit, vt anima equi, hominis, & Dei. Pro certo autem habetur apud omnes, Deum non informari anima informante. Idipſum innuit 6. *Metaphyſica*, *cap.* 1. *T.* 2. Vel occurrendum eſt ſecundò, Phyſicam non tractare de omni anima, quoad rationes communes, & generales, concedo: quoad ſuam eſſentiam, & proprietates phyſicas, nego, vt bene aduertit Tatar. *in præſenti*, & videtur tangere Scot. *Quol.* 2.

19. Oppones quartò, Phyſica contemplatur ea, quæ ſunt in corpore naturali: gradus autem intellectiuus non eſt in corpore naturali, præſertim quandò anima rationalis abiuncta eſt à corpore: ergo ſaltem ſecundum gradum intellectiuum, anima rationalis non expenditur à Phyſica. Reſpondeo Phyſicam reſpicere, nedum corpus, & ea, quæ ſunt in corpore: verùm etiam partes corporis, ſiue coniunctim, ſiue ſeorſim: proindeque nil impedit, quin gradus intellectiuus, & ſtatus ſeparationis animæ rationalis inſpici valeat à Phyſica. Vel dicito, Phyſicam occupari circà prædicata, & attributa animæ propria: non verò communia, & tranſcendentia, vt planum feci *in* 2. *not.*

QVÆSTIO II.

De natura Animaſticæ.

ARTICVLVS I.

An Animaſtica ſit ſcientia.

1. REVOCANDA ſunt in memoriam omnia illa, quæ de ſcientia, eius acceptionibus, diuiſionibus, & conditionibus neceſſariis animaduerti in Log. *l.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 2. & *l.* 5. *quæſt.* 4. Quibus recognitis, & præſuppoſitis.

2. Dico, Animaſticam eſſe ſcientiam. Præſupponitur à Doct. & defenditur à cæteris Philoſophis. Probatur primò, de corpore animato eſt ſcientia, quia eſt obiectum ſcibile, habens paſſiones demonſtrabiles: Animaſtica autem verſatur circà corpus animatum, vt deciſum eſt *in* 1. *art. ſuperioris quæſtionis*, ergo Animaſtica eſt ſcientia.

Secundò, ſi de genere eſt ſcientia, vtique & de ſpecie, quia obiectum ſcientificum eſt genericum, & ſpecificum, cum vtrumque participet paſſiones demonſtrabiles: de corpore autem naturali, quod eſt genus, habetur ſcientia, nempè Phyſica, vt oſtendi *l.* 1. *Phyſ. quæſt.* 1. *art.* 1. Ergò & de corpore animato, quod eſt eius ſpecies. Inſuper, de anima, & corpore ab ipſa informato acquiritur certa, & euidens cognitio per propriam cauſam, vt patebit in decurſu iſtorum librorum. Cognitio autem certa, & euidens rei neceſſariæ, per propriam cauſam eſt ſcientia propriè dicta, vt copiose monſtraui *in Log. lib.* 5. *quæſt* 4. Ergo Animaſtica inter veras ſcientias collocatur.

3. Oppones primò, quod non eſt ſenſibile, nec per ſe, nec per accidens, non eſt ſcibile, quandoquidem noſter intellectus ea tantùm, quæ cadunt ſub ſenſum, percipit, 1. *poſt.* 14. Anima autem, nec per ſe, nec per accidens ſubiicitur ſenſui, ergo non eſt ſcibilis, atqueadeò de ipſa non eſt ſcientia. Min. ſuadetur, ſubſtantia, euiuſmodi eſt anima, non eſt ſenſibilis: nam ſenſus per ſe reſpicit accidentia, & per accidens, compoſitum, cuius anima eſt pars. Reſpondeo maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, quandoquidem de Deo, & Angelis habetur ſcientia, cum tamen nullo modo ſint ſenſibilia. Præterea, dici poteſt, animam eſſe ſenſibilem, non ratione ſuæ naturæ, ſed ratione effectuum, qui cadunt ſub ſenſum. Præſertim quia ſecundum nos, Animaſtica non eſt de anima præcisè, ſed de corpore animato.

4. Oppones ſecundò, idem nequit eſſe ſciens, & ſcitum: at ſi de anima foret ſcientia, eadem anima eſſet ſciens, & ſcita, quoniam de ea haberetur ſcientia, tanquam de obiecto ſcito. Ma. liquet, quia idem nequit eſſe ſimul agens, & patiens. Reſpondeo maiorem valere eodem reſpectu: non autem diuerſo reſpectu, quatenus enim anima contemplatur ſeipſam, dicitur agens, quatenus verò ſuprà ſeipſam reflectit ſe, in ſe recipiens huiuſmodi cognitionem, dicitur patiens, & ſcita. Vel dico, maiorem habere locum in agente vniuoco, non autem in agente æquiuoco, veluti euenit in præſenti.

5. Oppones tertiò, ſcientia eſt de toto, cum obiectum ſcientiæ ſit genericum, aut ſpecificum: anima autem eſt pars compoſiti animati: ergo de anima non eſt ſcientia. Reſpondeo maiorem valere de ſcientia totali, non autem de ſcientia partiali, qualis eſt illa, quæ præcisè eſt de anima. Vel dicito, Animaſticam non eſſe de ſola anima, ſed de corpore animato, vt ſuprà manet deciſum.

ARTICVLVS II.

An Animaſtica ſit nobilior, & certior cæteris ſcientiis.

6. ARiſt. *in proœmio huius operis*, Animaſticam inter bona honorabilia refert: ex cuius verbis, eius interpretes occaſionem ſumpſerunt examinandi, & decidendi hanc difficultatem, quæ dupliciter agitari poteſt. Primò, vtrùm Animaſtica ſit certior, & nobilior inter partes totius Phyſicæ.

Secundò, num Animaſtica ſit certior, & dignior aliis ſcientiis, putà Math. & Met.

7. Not. primò, ſcientiam eſſe digniorem, & honorabiliorem aliis, bifariàm poſſe capi. Vno modo obiectiuè, hoc eſt, quia obiectum eius eſt dignius obiectis reliquarum ſcientiarum. Altero modo entitatiuè, hoc eſt, quia per nobiliores, & digniores demonſtrationes paritur, quo pacto ea eſt præſtantior ſcientia, quæ acquiritur per demonſtrationem propter quid, quàm illa, quæ gignitur per demonſtrationem quia. Præterea, 1. *Eth. cap.* 8. obſerua, bonum eſſe triplex, vtile, delectabile, & honeſtum. Vtile eſt, quod in gratiam alterius appetitur, vt potio amara eſt bonum vtile, quia ſumitur ab ægroto, propter ſanitatem recuperandam. Bonum delectabile eſt, cuius præſentia nobis affert oblectamentum, vt obiectum beatificum, quod cernitur à Beatis, quiue ipſo fruuntur. Bonum honeſtum, quod vi ſua trahit, & allicit amantem, vt ſcientia, ob ſui præſtantiam attrahit ſcientem ad ſui adeptionem. Vndè dicebat Cic. *Si virtus oculis ſuis videri poſſet, mirabilem ſui excitaret amorem.*

8. Not. ſecundò, ſcientiam eſſe certiorem, dupliciter poſſe intelligi, aut ſimpliciter, quia procedit ex principiis certioribus. & ex obiecto euidentiore: aut ſecundum proportionem, & ita quælibet ſcientia eſt æque certa, eò quod quæcumque ſcientia eſſe debet ex veris, certis, & neceſſariis. Inſuper, aduerte, omnem ſcientiam, ſiue de bono, ſiue de malo eſſe bonam, quia quæuis ſcientia eſt perfectio intellectus: è contrà verò, error, & ignorantia eſt imperfectio intellectus, omniſque ignorantia videtur mala: ideò habetur illud effatum; *Omnis malus eſt ignorans.*

9. Aſſertio prima. Animaſtica eſt de genere bonorum honorabilium. Inſinuatur à Doct. *quaſt.3.prol.* Probatur primò, ex Ariſt. qui *in initio 1. de anima,* collocat Animaſticam inter bona honeſta, & honorabilia.

Secundò, quod perficit intellectum noſtrum, & per ſe deſideratur, eſt bonum honeſtum, & honorabile: Animaſtica autem eſt huiuſmodi, quæ naturam animæ, capacitatem, paſſiones, vireſque eius perſcrutatur. Igitur Animaſtica rectè refertur inter bona honorabilia. Adde, quod homo per Animaſticam deuenit in cognitionem ſuiipſius, quæ multum ab Antiquis commendatur, & recipitur illud ſæpè decantatum, *Noſce teipſum.* Quod accuratè exequebatur Dauid Pſal. 119. *Anima mea in manibus meis ſemper.*

10. Aſſertio ſecunda, inter partes Phyſicæ, Animaſtica tenet primum locum. Deducitur ex Scot. locis à nobis cit. *lib. de cælo, quaſt. 1. artic. 7. Aſſert.* 2. Suadetur primò, nobilitas, & præſtantia ſcientiæ petitur penes nobilius, & præſtantius obiectum, vt non tarò in ſuperioribus præmonui: obiectum autem Animaſticæ dignius, & excellentius eſt quouis alio obiecto Phyſiologiæ, quia omne animatum præponitur cuilibet inanimato, vt oſtendi, loco mox alleg.

Secundo, homo cunctis rebus phyſ. nobilitate prælucet, vt præ aliis affirmat D. Aug. *l. 34. contrà Fauſtum, cap.1.* Animaſtica autem diſſerit de homine, vt patet *l.3. de anima.*

11. Aſſertio tertia, Metaphyſica nobilitate vincit Animaſticam, & Mathematica certititudine. Deducitur ex Scot. *vbi ſuprà.* Prima pars probatur primò, *ex 6. Met. T.2.* vbi Met. Theologia, & ſcientiarum Regina vacatur.

Secundò, Metaphyſica verſatur circà Deum, tanquam eius obiectum partiale principale. Itemque circa Angelos. Rursùs, Metaphyſica tractat de primis principiis, probatque cæterarum diſciplinarum principia, ergo eminet Animaſticæ, & reliquis ſcientiis.

Secunda pars ſuadetur primò, *ex 2. Metaphyſica, T.16.* vbi Philoſophus ſcribit, & aſſerit, Mathematicas diſciplinas certitudine præſtare aliis ſcientiis.

Secundò, ea eſt ſcientia certior, quæ procedit per certiores demonſtrationes. Mathematicæ autem diſciplinæ procedunt per demonſtrationes certiores, putà demonſtrationes propter quid, & Animaſtica per demonſtrationes quia, & à poſteriore, ſeu ab effectu, & operatione.

Tertiò, certior nobis eſt cognitio de accidentibus quàm de ſubſtantia, tum quia pro hoc ſtatu nequimus de ipſa ſubſtantia habere conceptum quidditatiuum, vt elicitur ex Doct. 1. *diſtinct. 3. quaſt. 3. K. & diſtinct.22.quaſt.1.* & proſequitur Faber. *Theor.98.* tum etiam quia obiecta ſenſuum ſunt accidentia, inter quæ eſt quantitas, de qua Mathematica. Igitur Animaſtica certitudine poſtponitur Mathematicæ.

12. Oppones primò, *lib.8. Phyſic.* agitur de primo motore, qui eſt Deus, & in lib. de Cælo diſſeritur de Intelligentiis mouentibus orbes cæleſtes: Deus autem, & intelligentiæ ſunt nobiliores anima, & corpore animato: ergo Animaſtica non præeminet omnibus partibus Phyſ. Reſpondeo Phyſ. non tractare de Deo, & Angelis per ſe, ſed per accidens, quatenus mouent corpora cæleſtia: Animaſtica verò per ſe agit de anima, & corpore animato, inueſtigans eius eſſentiam, vires, & facultates, & operationes.

13. Oppones ſecundò, Animaſtica eſt de iis, quæ vnuſquiſque in ſe ipſo experitur. Eſt enim de anima, operationibus vitalibus, & huiuſmodi, quæ euidens eſt eſſe in nobis. Vnde Auguſt. citat. à Ruu. hic *quaſt. 1.* ſubiicit, *Qui ſe habere animam non cognoſcit, neſcio an eam habeat.* Ergo Animaſtica eſt cæteris doctrinis certior. Reſpondeo argumentum concludere de ſcientia à poſteriori, non verò à priori, & ratione cuius Mathematicæ, & Metaphyſicæ dicuntur Animaſtica certiores. Addo monitum Auguſt. *in Pſalm. 73. Vndè ſcis quia viuis, cuius animam non vides? Reſpondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor: ſtulte, ex operibus corporis, agnoſco viuentem, ex operibus animæ, non potes agnoſcere creatorem?*

LIBER SECVNDVS.

De Anima in se.

1. EAMDEM methodum seruat Arist. in hoc opere, quam præcipit obseruandam, *1 post. cap.*1. nimirùm, præsupponendo de subiecto, an sit. Enimuerò in præsenti, non examinat, an sit anima, cum omnibus pateant eius operationes, & effectus, putà vegetatio sensatio, & intellectio. Ideò, relictâ quæstione. An sit anima, meritò peruestigatur, quid sit, incipiendo ab eius prædicatis essentialibus, & quidditatiuis communibus, & vniuersalibus. Tres autem in hoc libro mouentur quæstiones; quarum prima est de prædicatis animæ essentialibus. Secunda, de partibus corporis animati. Et tertia de potentiis, & facultatibus, animæ.

QVÆSTIO I.

De Prædicatis animæ essentialibus.

ARTICVLVS I.

An anima sit substantia.

2. QVIDAM relati à Ferebio. *vestigatione 6. cap.*1. *num.* 2. secuti Galenum *l.* 3. *de locis affectis, cap.* 6. & Alexandrum, putant animam esse χρᾶσιν, hoc est, temperiem quatuor primarum qualitatum, quæ cum sit accidens, pariter animam esse accidens, fateantur, necesse est. Huius sententiæ extitisse Empedoclem, & alios Antiquos, testatur Arist. 1. *anima, T.* 54. Et in hanc falsitatem propendere nonnulli sectarij, nominatim Carpocratea, & Epiphanes, narrat Theodoretus *l. de diuinis decretis.* A quibus non longè videtur distare Plato *in Timæo* sentiens, animam esse numerum sonorum, & harmoniam, & indicat Aug. *l. de vera Religione, cap.* 41. tametsi fortasse ipse Plato metaphoricè locutus fuerit. Communis autem opinio est Arist. 1. *&* 2. *de anima, cap.*1. Scot. & aliorum docentium animam esse substantiam.

3. Not. substantiam dupliciter vsurpari. Primò, pro base, & fundamento cuiuscumque ædificij, siue corporei, siue spiritualis, quo in sensu Hebræorum 11. *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*

Secundò, pro eo, quod per se subsistit, sic est propriè substantia, quæ scinditur in partialem, & totalem, seu in materiam, formam, & compositum, *ex* 6. *Metaphysica, T.* 2. illæ sunt substantiæ partiales: hoc verò est substantia totalis, & completa.

4. Assertio. Anima est propriè substantia. Ita Arist. *locis prænominatis.* subscribit D. Aug. *l. contrà Secundinum, cap.*13. Et annuit Doct. 3. *dist.*22 *quæst. vn* §. *Ad* 1. *principale. R.* Probatur primò, quod constituit substantiam compositam, est substantia, quia substantia composita non coalescit ex substantia & accidente, alioqni foret ens per accidens: anima autem constituit substantiam compositam viuentem, & animatam, cum sit pars præcipua compositi animati, ergo anima est substantia, tametsi partialis, & incompleta.

Secundò, per animam corpus animatum, à corpore inanimato distinguitur; nam vt cernitur in arbore Porphyrij corpus diuiditur in animatum, & in inanimatum: illud autem discrimen haud est accidentale, quia est diuisio substantialis, ergo anima, quæ est differentia constitutiua, & distinctiua animati, ab inanimato, est verè substantia.

Tertiò, quod per se existit, & subsistit independenter à corpore, est substantia, vt liquet ex definitione substantiæ, sed anima rationalis per se existit, & subsistit separata à corpore, vt nemo Catholicorum negat. Ergo anima rationalis est substantia, quodque de animabus vegetante, & sentiente astruendum est.

5. Oppones primò, substantia est ens per se existens: anima autem per se non existit, cum in corpore existat, ergo anima non est substantia. Respondeo concessa ma. distinguendo min. per inhærentiam, nego; per informationem, vt pars in sua comparte, concedo.

Oppones secundò, substantia est ens, quod accidentibus substat. Deriuatur quippè à substando: anima autem accidentibus non substat: cum subiectum accidentium ex alibi dictis sit totum compositum, non verò anima: Ergo anima non est substantia. Respondeo quamuis illa substantiæ etymologia vera sit in aliquibus, non tamen in omnibus. Nam Deus est substantia, verumtamen nulli succumbit accidenti. Quare melius est dicere, substantiam deriuari à per se subsistendo. Vel concedo ma. nego min. Anima namque est subiectum propriorum accidentium, vt intellectionis, volitionis, & huiusmodi: non autem accidentium communium, velut sunt accidentia materialia. Vel dicito, animam esse subiectum quo accidentium, non verò quod.

6. Oppones tertiò, substantia saltem diuinitùs potest ab omni alio separari, cum quo coniungitur: animæ autem vegetans, & sentiens nequeunt etiam diuina virtute, à corporibus quæ informant realiter seiungi, & segregari, cum generentur ad eorum generationem, & corrumpantur ad eorumdem corruptionem, & interitum: ergo signum apertum est, dictas animas non esse substantias. Respondeo, causam, cur præfatæ animæ à corporibus realiter abstrahi non valent, esse, quia pendent in fieri, & in esse à materia. Vndè, sicut reliquæ formæ materiales à materia seiungi non possunt, propter allatam rationem: pariter negatiua, & sensitiua animæ pereunt ad suorum corporum interitum. Eò magis, quia non desunt, vt ait Ferebius citat. *lib.* 3. qui existiment etiam dictas animas posse realiter separari à materia, & corporibus, quæ informant.

7. Oppones quartò, anima est id, quo pereunte, perit animal: destructo autem animalis temperamento, destruitur animal, vt patet: ergo anima est

temperies primarum qualitatum. Confirm. anima est principium, à quo prodeunt diuersæ passiones, & affectiones, putà odium, amor, & id genus alia, quæ promanant à diuersis temperamentis, vt colerici procliuet sunt ad iram, melancholici ad tristitiam, sanguinei ad lætitiam, & phlegmatici ad ægritudinem. Distinguo ma. vt forma, concedo, vt dispositione, nego. Animalis autem vita pendet ab illis duobus, potissimùm verò ab anima. Ad confirm. eodem modo distinguendum est. Per variam quippè dispositionem materiæ oriuntur diuersa temperamenta, prodeuntque diuersi effectus, & effectus.

Articvlvs II.

Quænam substantia sit Anima.

8. Plerique Veteres Philosophi existimantes nihil esse in rerum natura, præter materiam, & corpus, siue crassius, siue subtilius, putant, animam esse corpus, quos aliquando sequutus est August. 5. *Confes. cap.* 13. Et *lib* 6. *eiusdem operis*, *cap.* 1. In eamdem sententiam propendere videntur illi, qui suspicantur, animam diuinæ essentiæ, ac substantiæ particulam esse, quos ve recenset, ac refellit Alphonsus à Castro, *secundò aduersus Hæreses*, *verbo Anima*, *heresi* 4. Aristoteles autem 1. *de anima*, *cap* 5. *T.*72. eius interpretes, omnesque posteriores Philosophi docent animam esse substantiam distinctam à materia, & corpore.

9. Assertio prima, anima non est materia, nec corpus, sed substantia partialis ab eis distincta. Hæc assertio est tripartita, quæ deducitur ex Scot. 2. *dist.*9. *quæst.* 2. §. *Ad argumenta* 2. *quæst. P.* & *Quol* 9. Prima pars probatur primò, materia est communis sublunaribus, & cælestibus corporibus: ergo anima non est materia. Ant. probatum manet *lib. de cælo*, *quæst.* 1. *art.* 2. & 3. Conseq. tenet, quia sublunaria, & cælestia forent eiusdem speciei, quia participarent materiam, quæ est eiusdem speciei in his, ac in illis, vt ibi probaui *art.* 3. Secundò, anima est principium actiuum, ab ea quippè prodeunt actiones vitales: materia autem est principium passiuum dumtaxat, est enim subiectum formarum, 1. *Phys. T.* 82. Ergo anima non est materia.

Tertiò, si anima materia, nulla foret distinctio inter animata, & inanimata: ea namque omnia sortiuntur materiam: omnes autem agnoscuntur discrimen essentiale inter animata, & inanimata, igitur anima non est materia.

Secunda pars insinuatur ab Aug. *l. de immortalitate animæ, cap.*7. & *l.* 83. *qq. quæst.*54. dicente: *Anima est corpore melior.* Probatur primò, quod est in alio, distinguitur ab eo, quod in alio non est. Idem namque simul, & respectu eiusdem, nequit esse in alio, & non in alio, secus esset contradictio: anima autem est in corpore, & corpus haud est in anima, nec in alio ab anima distincto, vt probè argumentatur Arist. præcit. Igitur anima non est corpus.

Secundò, actus corporis non est corpus: quia idem nequit esse informans, & informatum, actuans, & actuatum: anima autem est actus corporis, quoniam informat, & actuat corpus, vt clariùs in sequentibus patebit. Insuper, potest remanere corpus absque anima, vt cernitur in cadauere, ergo anima non est corpus. Conseq. tenet, quandoquidem, si anima foret corpus, persistente corpore, vtique anima persisteret, cuius oppositum experimur.

Tertia pars sequitur ex præcedentibus. Quoniam verò infrà peculiaris articulus instituendus est, ad id probandum, & decidendum, propterea hic supersedendum censeo.

10. Assertio secunda, Anima non est de substantia Dei. Præsupponitur à Doct. *vbi suprà*, & ostenditur primò, ex sacra pagina, Gen. 2. *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Si ergo anima est spiraculum vitæ, non est substantia Dei, nec de eius substantia, veluti flatus ex ore hominis egrediens, non est substantia hominis, nec de substantia eiusdem.

Secundò, si homo foret de substantia Dei, esset æqualis ipsi Deo, veluti Filius Dei, qui est de substantia Dei Patris, & ei æqualis, & participaret attributa, & prædicata Dei, sicque esset omnisciens, omnipotent, & immutabilis, vt Deus, quod est falsum, eum teste Iob 13. *Homo numquam in eodem statu permaneat.*

Tertiò, ex Conc. Brach. *cap.* 5. sic definiente, *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia, sicut M[illegible]chæus, & Priscillianus, anathema sit.*

Denuò, anima rationalis creatur, vt significat c. 5. sacer text. præcit. *Creauit Deus hominem, ad imaginem, & similitudinem suam.* Imago autem, & similitudo Dei posita est in anima, eiusque viribus, & actibus, ex alibi dictis; atque creatio propriè est factio ex nihilo, vt patet *ex* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 1. Concluditur ergo animam haud esse ex substantia Dei.

11. Oppones primò, materia est receptiua accidentium: anima autem recipit accidentia sensibilia, & intelligibilia, ergo anima est materia. Negari potest maior. Siquidem subiectum proximum, & immediatum accidentium est compositum, ex assertis, 5. *Phys. q.* 1. *art.* 4. Etsi quandoque accidentia peculiaria, & propria subiectentur in anima, occurrendum est animam esse eorum subiectum quo, non autem quod, vti est compositum. Eò magis, quia esse commune subiectum accidentium non arguit identitatem rerum, cum non faciant ad ipsarum rerum quidditatem, & naturam, huiusmodi accidentia, sed prorsùs sint extrinseca.

12. Oppones secundò, quæ sunt materialia sunt corpora, aut saltem corporea: animæ autem vegetans, & sentiens sunt materiales, & partibiles, nedum in partes integrales, & quantitatiuas, verùm etiam entitatiuas, ergo sunt corpora, vel corporeæ. Negari potest maior. Nam accidentia, quæ totum substantiale consequuntur, vocantur materialia, tametsi corpora non sint. Quocircà, animæ vegetatiua, & sensitiua perhibentur materiales, & corporeæ; eò quod à materia, & à corpore in esse, & in fieri dependent, veluti accidentia materialia.

13. Oppones tertiò, D. Aug. 22. *Ciuit.* scribit Arist. velle animam esse quintum corpus, præter quatuor elementa, eisque longè præstantius. Idque deduci potest, *ex* 2. *de gener. animalium*, *c.* 3. Ergo in schola peripatetica, anima est corpus. Resp. Aug. id retulisse ex sententia Cic. *l.* 1. *qq. Tusc.* falsò imposita Aristoteli, vt euidenter constat ex ipsomet Arist. 1. *de anima*, vbi totus est in refellendis veteribus existimantibus animam esse accidens, vel materiam, vel corpus. Ad testimonium Philosophi dico ipsum tantùm velle ibi, calore naturali animam conuertere alimentum in substantiam corporis viuentis, & animati.

Articvlvs III.

An anima sit subsistens,

14. Vasquez 3. *p. disp.* 32. *cap.* 4. Mol. 1. *p. art.* 2. *q.* 19. *disp.* 3. & Fons. 5. *Met. c* 8. *q.* 5. putant animã nulla propria gaudere subsistentia, sed compositũ duntaxat

dumtaxat ſubſiſtentia totali, & completa. Scot. autem *Quol.* 4. §. *contra illud. M.* & *Quol.* 3. §. *Ad primum iſtorum. V.* Lych. Gadius, & alij *ibid.* docent animam frui propria ſubſiſtentia partiali, & incompleta.

15. Not: ex Doct. *Quol.* 9. §. *de ſecundo ſub A.* ſubſiſtentiam diuidi in totalem, & partialem. Subſiſtentia totalis eſt duplex negatio incommunicabilitatis, vt quo, & vt quod, id eſt, ſubſtantia, quæ per ſe ſubſiſtit, ſubſiſtentia totali, communicari nequit alteri, vt forma, vel vt tota natura, quia prorsùs redditur incommunicabilis, & independens, independentia actuali, & aptitudinali, quod eſt dictu, ſubſtantia, quæ ſic ſubſiſtit, nec actu, nec aptitudine ab alio dependet. Subſiſtentia partialis eſt non inhærentia in alio, quæ competit ſubſtantiæ partiali, quæ non inhæret in ſubiecto actu, nec aptitudine, & in hoc diſtinguitur ab accidente, cuius proprium eſt in alio inhærere. Idque innuit Ariſt. *in Antepradicam.* inquiens; *Subſtantia non eſt in ſubiecto, è contrà verò, accidens eſt in ſubiecto.*

16. Aſſertio. Anima non ſubſiſtit ſubſiſtentia totali, ſed partiali tantum. Defenditur à Scot. *vbi ſuprà.*

Prima pars, quæ eſt contrà Origen. 1. Περὶ ἀρχῶν, *cap.* 5. Probatur primò: Anima eſt ſubſtantia partialis, ergo eius ſubſiſtentia eſt partialis. Ant. eſt notum, quia anima eſt pars corporis animati. Conſequentia tenet, quia ſubſiſtentia ſequitur entitatem ſubſtantialem: ſi enim illa ſit partialis, vtique & iſta: quod ſi ea fuerit totalis; pariter & hæc erit totalis.

Secundò, anima rationalis à corpore ſegregata naturali deſiderio propendet ad vnionem corporis: huiuſmodi autem naturalis inclinatio aliundè non oritur, quàm ex eo, quod partialiter ſubſiſtit, & cupit totalem, ac perfectam ſubſiſtentiam, quæ ſoli compoſito adaptatur, ergo anima non ſubſiſtit ſubſiſtentia completa, & perfecta.

Secunda pars probatur primò, ex D. Athanaſio *in Conc. Nicæno contrà Arium*, definiente, ſubſtantiam, vt ab accidente diſtinguitur, eſſe ens, quod habet, vt ſubſiſtat.

Secundò, omnis ſubſtantia eſt ſubſiſtens, cum definiatur ens per ſe ſubſiſtens: anima autem eſt ſubſtantia, vt liquet 1. *art. huius quæſt.* Ergo anima habet ſuam ſubſiſtentiam partialem.

Tertiò, quod eſt in alio per informationem, & vt pars, propriam ſortitur ſubſiſtentiam partialem: quandoquidem, ſi ſeparetur à toto, adhuc per ſe ſubſiſtit: anima autem eſt in corpore per informationem, & vt pars corporis phyſici animati, ergo anima ſubſiſtit ſubſiſtentia partiali.

17. Oppones primò, quod per ſe ſubſiſtit, poteſt ſeparari ab eo, in quo eſt: anima autem tam vegetans, quàm ſentiens nequaquam abiungi valet à corporibus, quæ ab ipſis informantur, ergo ſaltem iſtæ animæ partialem ſubſiſtentiam non participant. Reſpondeo maiorem gloſſandam eſſe, dummodò à materia in eſſe, & in fieri non pendeat, cuiuſmodi ſunt præfatæ animæ; veluti creaturæ per ſe ſubſiſtunt, ſi fuerint ſubſtantiæ, tametſi abſque Deo eſſe nequeant, quia ab ipſo in eſſe, & in fieri dependent. Pariter, partes ſubſtantiales entitatiuæ per ſe ſubſiſtunt, licet vna ſine alia eſſe non valeat.

18. Oppones ſecundò, quod per ſe ſubſiſtit, creatur, quia ſubſiſtentia habetur per propriam, & peculiarem actionem, cuiuſmodi eſt creatio: animæ autem vegetans, & ſentiens non creantur, cum educantur de potentia materiæ, ergo per ſe non ſubſiſtunt. Neganda eſt ma. Etenim gratia creatur, non tamen per ſe ſubſiſtit, cum ſit accidens, cuius proprium eſt inhærere in ſubiecto.

19. Oppones tertiò, ſi anima rationalis gauderet propria ſubſiſtentia, per vnionem humanitatis cum diuino Verbo fuiſſet deſtructa ipſamet animæ ſubſiſtentia, quia humanitas Chriſti fuit aſſumpta, ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuini Verbi: hoc autem non conceditur, ergo nec illud eſt admittendum. Negatur ſequela ma. quandoquidem, illa humanitas fuit vnita Verbo in vnitate ſubſiſtentiæ incommunicabilis, ſuppoſitalis, & perſonalis: non verò in ſubſiſtentia partiali, & incompleta, qualis eſt ſubſiſtentia animæ rationalis.

Articvlvs IV.

Quid ſit Anima.

20. Reiectis veterum Philoſophorum ſententiis de anima non benè ſentientium, Ariſtot. in medium adducit definitionem animæ, *l.* 2. *cap.* 1. inquiens, *Anima eſt actus primus corporis organici potentia vitam habentis.* Hæc autem definitio declaranda eſt, & ab Aduerſariorum, potiſſimum Platonicorum calumniis, quibus impetitur eſt vindicanda.

21. Not. primò, ex Scot. 4. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. definitionem dupliciter vſurpari. Primò, pro ratione declaratiua cuiuſlibet entis ſiue realis, ſiue rationis, ſiue poſitiui, ſiue negatiui, & priuatiui, quod nomen entis ſortitur.

Secundò, propriè pro ratione, & oratione declaratiua entis realis, poſitiui, per ſe, vniuerſalis, compoſiti, compoſitione phyſica, vel metaphyſica. Quo pacto Anima non poteſt definiri, cum vtraque compoſitione careat, ſitque pars compoſiti phyſici. Vndè præallata animæ definitio perhibetur exacta, & eſſentialis, propterea quod melior, & exactior ea hucuſque non eſt adinuenta.

22. Not. ſecundò, pro maiori captu præfatæ definitionis: exponendas eſſe omnes eius voculas, & particulas. Dicitur enim *actus*, propter materiam, quæ eſt potentia. Ponitur *primus*, tum ob accidens, quod reſpectu ſubſtantiæ, dicitur actus ſecundus, tum etiam ob operationem, quæ eſt actus ſecundus. Additur *corporis organici*, ſupple, non materiæ affectæ organis, vt plerique interpretantur, quandoquidem materia non eſt corpus, ſed pars corporis organici. Nec materia eſt organica, alioquin, non rectè locaretur particula illa organici. Quare, per eas voculas corporis organici, intelligitur, non corpus mathematicum, ſed compoſitum ex materia, & forma mixti, ſeu corporeitatis, quod rectè diſpoſitum, & debitè organizatum, eſt ſubiectum idoneum animæ, vt indicat Ariſtoteles inquiens, anima eſt actus corporis, ideſt, forma corporis. Sed de hoc infrà copiosè, cum diſſeremus, & perquiremus, num anima informet nudam materiam, an verò præexigat in materia formam corporeitatis? ſubnectitur, *potentia vitam habentis*, quod poteſt exponi, tam de vita in actu primo, iuxta illud 2. animæ, T. 36. *Viuere viuentibus eſt eſſe*, quàm de vita, in actu ſecundo, quæ eſt operatio vitalis ab ipſa anima promanans, præmonente Ariſtotele 9. *Eth. capit.* 7. his verbis. *Sumus autem operatione, & actu viuendo, atque agendo ſumus.*

23. Aſſertio, definitio animæ præallata eſt rectè tradita ab Ariſt. Indicatur à Doct. 1. *d.* 17. *quæſt.* 2. Probatur primò, ad bonam definitionem tria requiruntur. 1. vt definitio diſtinctè, & clarè explicet, quod

confusè designat definitum. Secundum, vt definitio reciprocetur cum definito. Tertium vt nihil superflui, ac diminuti contineat: hæc autem tria conueniunt præfatæ definitioni, vt patet discurrenti per singulas particulas adductas, & explicitas in primo not. Secundò, recta definitio habetur per genus, & differentiam, vel per quasi genus, & differentiam, in iis, quæ non sortiuntur proprium genus, & propriam differentiam, vt patet *in Epit. l. 2. quæst. 7. art. 2.* definitio autem animæ datur per quasi genus, & differentiam. Ponitur enim actus, tanquam genus, & reliquæ particulæ gerunt vicem differentiæ. Adde, quod melior, & exactior hucusque non inuenitur, etiam ab eius impugnatoribus, ergo prædicta definitio est retinenda.

24. Oppones primò, Arist. postquam assignauit definitionem animæ, subiungit, se definiuisse animam *ἐν τύπῳ*, idest in figura, vt quidam exponunt: definitio autem in figura non est essentialis, & exacta, sed solum descriptiua, & pingui minerua: Ergo præallata animæ definitio non est legitima. Respondeo non recipiendo eam expositionem, sed amplectendo versionem Argyropoli, qui *ἐν τύπῳ* transfert in communi. Et quidem rectè. Congruit namque textui Arist. definientis animam in communi, & generatim sumptam, & non latet Scotum *passu alleg.* Idque confirmatur *ex l. 1. de historia animalium, cap. 1.* vbi Philosophus proponit se acturum de propriis animalium differentiis, de quibus ait in figura, seu in communi tractandum est, deindè de quolibet eorum genere exactius perscrutandum. Idem scribit *l. prædicam. cap. 5.* & 1. *Eth. cap. 3.* & 10. *eiusdem operis, cap. 6.* Necnon 7. *Met. 7.*

25. Oppones secundò, animæ definitio debet competere omni animæ, vt postulant leges bonæ definitionis: prædicta autem definitio non conuenit omni animæ; putà rationali, quæ à corpore abstracta, & seiuncta, non est actus corporis, ergo non est probè tradita. Respondeo concessa ma. negando min. Etsi enim actu non informet corpus, quando est à corpore separata, sufficit tamen, vt possit illud informare, inclinetque ad ipsum.

Oppones tertiò, definitio prænominata conuenit aliis ab anima, ergo non est apta, & idonea. Ant. suadetur, competit Angelo corpori assistenti, in quo mouet ipsum corpus, aliasque exercet operationes vitales. Nego ant. ad eius probationem dico, Angelum non informare corpus, sed ei assistere, illudque mouere, eo modo, quo Nauta mouet nauim, & Auriga currum.

26. Oppones quartò, anima est potissima perfectio rei animatæ, ergo anima non est actus primus sed secundus, quia secundus perfectior est primo, iuxta illud, vnumquodque est propter suam operationem. Vnde, Arist. 1. *Eth. cap. 12.* & *lib. 10. eiusdem operis, cap. 6.* & 7. tradit, felicitatem, quæ est vltimus finis, & omnium perfectionum maxima, consistere in operatione, quæ est actus secundus. Concedo ant. nego conseq. Ad illud proloquium, dico esse interpretandum de fine formali: non autem de fine obiectiuo.

ARTICVLVS V.

An secunda definitio animæ sit legitima.

27. OMnes Peripatetici fatentur, secundam animæ definitionem esse bonam, quæ traditur ab Aristot. 2. *animæ, cap. 2. T. 19.* his verbis, *Anima est, quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Clariùs, *anima est principium viuendi, sentiendi, loco mouendi, & intelligendi.* Licet autem omnes interpretes Aristot. eam definitionem tanquam rectam, & veram recipiant, de modo autem quo recipi debeat, inter se discrepant. Nam Ægidius *in Text. præalleg.* putat esse quadruplicem definitionem in vna inclusam, iuxta quadruplicem animarum speciem. Simplicius eam soli animæ rationali conuenire existimat. Communis autem sententia est cæterorum Philosophorum affirmantium esse vnam tantùm definitionem, eamque non soli animæ rationali, sed animæ generatim sumptæ adaptari.

28. Not. Aristot. vt declararet primam definitionem animæ, excogitasse secundam, definitionem propositam à nobis *in initio huius artic.* Ex eo enim, quod anima est principium viuendi, sentiendi, loco mouendi, & intelligendi, facilè intelligitur, animam esse actum primum corporis organici potentià vitam habentis. Etenim, ex operationibus & effectibus deuenimus in cognitionem causæ. Hæc autem posterior definitio non exponitur copulatiuè: sic enim animæ rationali competeret duntaxat: sed disiunctiuè, quod est dictu, anima est principium viuendi, aut sentiendi, aut loco mouendi, aut intelligendi. Rursùs, aduerte principium, quod locatur in hac definitione, non esse principium quod, cum hoc conueniat composito animato, sed principium quo: ideò rectè dicitur, animam esse, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Denuò, huiusmodi principium non est extrinsecum, veluti Auriga mouens currum, & Nauta nauim: sed intrinsecum, & pars essentialis, & præcipua compositi physici animati.

29. Assertio, præadducta animæ definitio non est quadruplex in vna inclusa: sed vna tantum, non soli animæ rationali conueniens, sed animæ genericè captæ. Hæc assertio est tripartita, quam insinuat Doct. 1. *dist. 17. quæst. 2. §. contra istam. FF.* & 2. *d. 16. quæst. vn.*

Prima pars suadetur primò ex Arist. in præsenti, qui expressè astruit se tradere aliam definitionem à priori dissitam, eius manifestatiuam, & declaratiuam: ergo vna est duntaxat definitio animæ, & non quadruplex.

Secundò non sunt quatuor species animarum. Nam anima solum distribuitur in vegetantem, sentientem, & intelligentem: ergo non sunt quatuor definitiones animæ in vna inclusæ. Ant. patet. Conseq. deducitur, quia iuxta numerum animarum, assignatur numerus definitionum.

Secunda pars probatur primò ex Aristot. qui *loco allegato*, fatetur se definire animam in communi, ergo non præbet definitionem soli animæ rationali congruentem, alioquin à proposito suo declinaret.

Secundò præallata definitio, vt suprà monui, non collectiuè, sed disiunctiuè recipienda est: sed disiunctiuè capta, soli animæ rationali non accommodatur, ergo &c.

Tertia pars sequitur ex dictis, in duabus partibus præcedentibus: si enim vna est tantum animæ definitio, eaque non animæ rationali tantum competit, rectè infertur, competere animæ in communi.

30. Oppones primò, aliud ab anima, est principium viuendi, loco mouendi, & intelligendi, ergo præfata animæ definitio non est idonea, & legitima. Ant. probatur, *Actuum 17.* Deus perhibetur principium, in quo viuimus, mouemur, & sumus. Nego ant. ad eius probationem dico, explicandum esse de principio extrinseco: non autem de informatiuo, & intrinseco prædictarum operationum. Vel dicito cum Lyran. *in postil.* Deum esse causam efficientem: animam verò esse causam formalem, & intrinsecam.

31. Oppones

31. Oppones secundò, anima est principium operationum vitalium: ergo anima est principium quod earum. Ant. patet, conseq. probatur, illud est principium quod, cui verè attribuuntur operationes, & actiones: animæ autem attribuuntur actiones vitales, ergo est earum principium quod. Concedo ant. nego conseq. ad probationem dico actiones esse suppositorum vltimatè denominatorum, ideoque compositum animatum est principium quod, & anima principium quo.

32. Oppones tertiò, anima rationalis, cum à corpore est seiuncta, est verè anima, tamen non est principium vegetandi, sentiendi, & cæterarum operationum vitalium: ergo perperam dicitur, animam esse principium dictarum actionum. Respondeo in statu separationis, etsi anima rationalis non sit actuale principium præfatarum operationum; est tamen principium potentiale, & aptitudinale, quod sufficit, vt anima nominetur, & sit principium earumdem operationum.

33. Quæres, num prædicta definitio sit essentialis, & quidditatiua, an verò accidentalis, & descriptiua? Respondeo esse descriptiuam: siquidem datur per principium, & potentiam operandi, quæ præsupponit essentiam, & naturam iam constitutam in suo esse essentiali, & quidditatiuo, à quo vires, facultates, & potentiæ operandi promanant. Idque insinuat Aristot. qui priorem definitionem, per abscondita, & obscura testatur se tribuere: posteriorem verò per clara, & manifesta, cuiusmodi sunt effectus, & operationes, quæ nobis magis patescunt, quam causæ, & earum principia, cum sint sensibiliores, & proximiores nostris sensibus. Hocque magis illustrabitur, & clarescet ex subsequente art.

ARTICVLVS VI.

An vna definitio possit demonstrari per aliam.

34. AVerroës *in præsenti com.* existimat, in præfatis animæ definitionibus Philosophum nulla vti demonstratione; atque vnam per aliam definitionem non posse demonstrari. Vulgus autem Philosophorum statuit quidem Arist. demonstrare vnam, per alteram: nihilominùs inter se contendunt de modo demonstrandi. Etenim Ægidius Caiet. & Alb. putant, primam demonstrari per secundam, demonstratione à priori. Cæteri autem, vt Parisienses *in exposit. text.* Tatar. *ibid.* Rub. *lib. 2. de anima, quæst.* 10. & Complut. *disp. 3. quæst. 3.* §. 2. docent priorem demonstrari per posteriorem, demonstratione quia, & ab effectu.

35. Assertio prima, Aristoteles in tradendis præfatis animæ definitionibus vtitur demonstratione. Indicatur à Doct. 1. *distinct. 17. quæst. 2.* §. *Contra istam conclusionem ante FF.* Probatur primò, Arist. *in initio, cap. 2. præsentis operis 2. de anima.* Pollicetur se allaturum definitionem animæ, quæ sit medium, ad demonstrandum alteram definitionem præpositam *in primo cap. eiusdem lib.* Ergo Arist. demonstrat vnam definitionem per alteram.

Secundò, per effectum alicuius potest demonstrari eius causa, demonstratione quia, & ab effectu: posterior autem animæ definitio est ab effectu, & operatione, putà vegetatione, sensatione, & intellectione. Sic enim conficitur demonstratio. Omne quod est principium viuendi, sentiendi, & intelligendi, est actus primus corporis organici: anima autem est huiusmodi principium vegetandi, sentiendi, & intelligendi, ergo est actus primus corporis organici.

36. Assertio secunda, prima animæ definitio demonstratur per secundam à posteriori. Insinuatur à Doct. nuper citat. vbi ait. *Ex hoc quod anima est, quo viuimus, & sentimus, concluditur, quod anima est actus, & forma sic agentis.* Probatur primo ex Arist. 2. *anima, cap. 2.* asserente secundam animæ definitionem haberi per notiora nobis, quæ sunt effectus, & operationes, penes quas fit demonstratio quia, & à posteriori. Et *ibid. T. 36. & 37.* tradente singulatim actiones, & operationes singularum animarum, ergo posterior definitio traditur per operationes, & effectus animæ, cuiusmodi sunt vegetatio, sensatio, loci mutatio, & intellectio: ergo prior definitio demonstratur per posteriorem, demonstratione quia, & ab effectu.

Secundò prius res constituitur in suo esse substantiali, & essentiali, quàm in esse operatiuo, & effectiuo: esse autem actum corporis organici est esse animæ essentiale, & esse principium productiuum, & operatiuum est quid consequens, ergo prior definitio animæ demonstratur per posteriorem demonstratione, quia. Idque corroboratur, sicut enim se habet esse, ad operari: ita se habet principium essendi, ad principium operandi: esse autem actum primum corporis organici, est principium essendi. Hoc enim modo constituit, actuat, & animat corpus: esse verò principium vegetandi, sentiendi, & huiusmodi est esse originem, & causam efficientem operationum. Insuper, quia res habet tale esse, estque talis essentiæ, & naturæ, idcircò habet tale principium operandi, & non econtrà: ergo, quia anima est actus primus corporis organici, proptereà est principium operationum vitalium: ergo secunda definitio demonstrat primam à posteriori, & ab effectu.

37. Oppones primò, Arist. *in initio cap. 2.* spondet, se quæsiturum, & daturum definitionem, quæ causam rei distinctè exprimat: ergo posterior definitio ostendit priorem à priori, & demonstrat demonstratione à causa, & propter quid. Idque congruum videbatur, vt scilicet Arist. ab effectu potius ad causam, quàm à causa ad effectum, definitionem præberet, sicque ipsum præstitisse, præ aliis docet Caiet. Respondent nonnulli, eum tex. exponendum esse de causa finali, finis quippè animæ est operatio. Sic visus est, vt videamus, & intellectus, vt intelligamus, ac anima, vt operemur. Quo dato dici potest Arist. ibi afferre demonstrationem per causam finalem. Vel dicito posteriorem animæ definitionem continere causam, proptereà quod operationes vitales prodeunt ab anima, tanquam à causa, saltem radicali, deque his fiunt demonstrationes ab effectu, & à posteriori.

38. Oppones secundò, prius est rem esse in se talem, & in se habere esse, quam aliud respicere, quia res prius constituitur in suo esse, quàm ordinetur ad aliud: sed esse principium operationum vitalium est esse animæ in se præcisè, & absolutè, esse verò actum corporis organici est in ordine ad aliud ab ipsa anima distinctum, ergo bene per 2. definitionem demonstratur prima à priori. Distinguo ma. de entibus completis, & totalibus concedo: de incompletis, & partialibus nego. Siquidem incompletum, & partiale dicit ordinem ad aliud, vt ex vtroque fiat totum: sic ex anima & corpore constatur totum animatum.

ARTICVLVS VII.

Quot sint species animarum.

39. MAgna extat varietas, & dissidium opinionum inter philosophos de animarum speciebus. Nonnulli namque, quibus videntur fauere Plato *in Timæo*, & Anaxagoras suspicantur esse vnam animam specie, quæ penes varia organa, diuersasque dispositiones, varias ac diuersas efficit operationes, vt in corpore arboris edit vegetationem, in corpore bruti sensationem, & in corpore hominis intellectionem. Quidam, quibus adhærent Ægidius, & Caiet. in præ-

ſenti, quatuor eſſe animarum ſpecies imaginantur, vegetatiuæ, ſenſitiuæ, loco motiuæ, & intellectiuæ. Alij verò duas conſtituunt animas ſpecie diſtinctas, ſentientem ac intelligentem. Vulgus autem Philoſophorum, cum Ariſt. 2. *animæ*, *T.* 30. *&* 31. tres ſtatuit animarum ſpecies, quæ ſunt vegetans, ſentiens, & intelligens. A quo autem præfatus numerus ternarius decerpatur, non vna eſt omnium mens, ac ſenſus, vt infrà *concluſione* 2. palàm fiet.

40. Aſſ. 1. ſunt tres ſpecies animarum. Inſinuatur à Doct. *in vtroque opere* 2. *d.* 15. *q. vn.* Probatur 1. ex Ariſt. 2. *animæ*, *T.* 30. *&* 31. referente tres animas duntaxat, vegetantem, ſentientem, & intelligentem. Subſcribit *D. Aug.* 8. *de ciuit. cap.* 8. *Atque in exp. Pſal.* 144. innuit ſubſequentem rationem. Secundò, tot ſunt ſpecies animarum diſtinctæ, quot ſunt earum differentiæ eſſentiales, quandoquidem per diuerſas differentias eſſentiales, & quidditatiuas conſtituuntur diſtinctæ ſpecies eſſentialiter: tres autem tantum ſunt differentiæ ſpecificæ, & eſſentiales animarum, videlicet, vegetans, ſentiens, ac intelligens. ergò tres tantum ſunt ſpecies animarum Secundò tres ſunt operationes diuerſæ procedentes à tribus principijs realiter, & eſſentialiter diſtinctis; ergò tres numerantur ſpecies animarum. Conſeq. tenet, ab effectu, ad cauſam. Ant. oſtenditur. Sunt enim vegetatio, ſenſatio, & intellectio, quæ realiter diſtinguuntur, & inueniuntur in ſubiectis realiter, & eſſentialiter diſtinctis, ergò principia eorum conſtitutiua, & diſtinctiua realiter, & eſſentialiter diſtinguuntur, vt in ſimili copiosè, & acutè proſequitur Doctor ſubtilis 1. *d.* 26. *q. vn.*

41. Aſſ. 2. ternarius numerus ſpecificus animarum non depromitur, ex trino modo, quo anima ſeſe eleuat ſuprà materiam. Deducitur ex Doct. *vbi ſuprà*, & opponitur D. Th. 1. *part quæſt.* 77. *art* 1. Probatur primò, ſi ex diuerſo modo eleuandi ſe ſuprà materiam deſumeretur diſtinctio ſpecifica animarum, plures, quàm tres forent animarum ſpecies, ſed hoc non admittunt. Aduerſarij, ergò nec debent concedere illud. Maſuadetur, canis v. g. nobiliori modo ſe eleuat ſuprà materiam, quàm culex, & muſca: canis autem comprehenditur ſub eodem genere animæ ſenſitiuæ, ſicut culex, & muſca, ergò &c. prætereà, Elephas præſtantiori quoque modo ſeſe effert ſuprà materiam, quàm oſtrea, cum teſte Athenæo ipſe elephas ſit valdè docilis, & ferè diſciplinabilis: hoc autem non obſtante, prænominata animalia capiuntur ſub eodem genere animæ ſenſitiuæ.

Secundò, varius diuerſuſque modus rerum non variat, nec diuerſificat res, proindéque non arguit differentiam ſpecificam, vel genericam, cum ex alibi dictis, modus deſcribatur, qui additus rei non variat rem, ergò ex præfato modo non colligitur diſtinctio animarum eſſentialis, & ſpecifica.

42. Opp. 1. anima rationalis non eſt vna ſpecie, ergò non ſunt tres ſpecies animarum. Ant. eſt in confeſſo, anima rationalis eſt pars ſpeciei, cum ipſa, & corpus humanum conſtituant hominem, qui eſt ſpecies. Adde, quod anima vegetans eſt multiplex, ac in varia genera diſtribuitur, putà radicum, herbarum, plantarum, & arborum. Similiter, ſentiens habet ſub ſe innumera volatilia, aquatilia, & terreſtria. Homo verò eſt ſpecies athoma, & infima. Vndè, non videtur anima rectè diuidi in duas ſpecies ſubalternas, & tertiam infimam. Reſpondeo quidem, propriè, & rigorosè loquendo, nec anima rationalis, nec aliæ irrationales eſſe ſpecies, ſed partes ſpecierum, & quaſi ſpecies, quia pars interdum ſumitur pro toto, vt *Gen.* 6. Homo nominatur *caro*. Et Ezechiel. 13. *anima*. Ad id, quod ſubiicitur de anima rationali, quæ eſt ſpecies ſpecialiſſima: cæteræ verò animæ ſunt ſpecies ſubalternæ: hoc nihil obſtat. Nam quantitas diſcreta diuiditur in numerum, & orationem, quæ eſt ſpecies infima: Itemque, quando, ſitus, & vbi licet ſint genera ſuprema, habent tamen paucas ſpecies, eaſque non intericctas, & ſubalternas. Demùm animal ſecatur in Brutum, & hominem: & quidem illud multarum ſpecierum: hic verò vnius extat ſpeciei infimæ duntaxat.

43. Opp. 2. ſunt quatuor animatorum genera, putà vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & intellectiuum, vt fatetur Ariſt. in præſenti: ergò & quatuor ſunt animarum genera. Si namque quadruplex eſt animatum, vtique & quadruplex anima: cum non ſit animatum, niſi ab anima animetur. Concedo ant. nego conſeq. ratio eſt, quia illa quadruplex partitio animatorum decerpitur, non penès diuerſas animas, ſed penès diuerſas potentias, & ab inuicem realiter diſtinctas. Fieri enim poteſt, imò de facto euenit, vt quædam animalia de loco non moueantur, putà, quæ lapidibus ſunt affixa, & non habent potentiam motiuam localem: quædam verò de loco moueantur; quæ potiuntur potentia motiua locali, vt canis. Diſtinctio autem ſpecifica animarum trina, petitur penès tres differentias eſſentiales, & ſpecificas, quarum ſuprà memini.

44. Opp. 3. quæ vegetant, quoque ſentiunt. ergò vegetans, & ſentiens eſſentialiter inter ſe non differunt. Ant. probatur, quædam arbores ſuccos aliquos attrahunt: quædam verò eos expellunt. Iterùm, quædam conſortium aliarum fugiunt, vt olea quercum, vitis laurum, & braſſicam, filix arundinem: nonnullæ autem ſe mutuò fouent, & amplectuntur, vt vitis oleam, & vlmum. Adde, quod cum vitis amputatur, lachrymas videtur effundere: ergò quæ vegetant à ſentientibus ſpecie non diſſident. Reſpondeò hæc, & conſimilia effici per ſympatiam, vel antypatiam, vt notat & recitat Plinius *l.* 26. *hiſt. nat cap.* 1. Cæterùm, vegetantia viuunt, vt legitur Ioan. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram. mortuum fuerit.* Et 1. Cor. 15. *quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur.* Et confirmat D. Aug. 1. *de Ciuit. cap* 20. adducens illud Pſal. 77. *occidit vineas eorum.* Et 11. *einſdem operis. cap.* 16. ſubiicit plantas viuere vita vegetatiua, diſtincta à ſenſitiua, cuius rationem affert Ariſt. 2. *de anima, cap.* 12. *T.* 66. inquiens, plantarum materia admodum terreſtris eſt: ideóque eſt incapax ſenſus. Deinceps, in ſentientibus dantur ſomnus & vigilia, quibus plantas carere, experimur. Quod autem ſubnectitur de vite humorem emittente, dico id euenire non propter ſenſum cuius ſit compos, ſed propter dicti humoris vbertatem: vndè, alio tempore (verno excepto) ſi abſcindantur eius propagines, nullum humorem effundit.

45. Quæres, num præfata animarum partitio ſit vniuoca? Reſpondet Ariſt. 2. *anima cap.* 1. eſſe vniuocam, & ibi comparat eam figuræ, quæ vnam communem rationem vniuocam participat conuenientem omnibus, & ſingulis figuris: ſic ratio communis animæ vniuoca cunctis animabus ſtatuitur.

Articvlvs VIII.

An anima ſit indiuiſibilis.

46. THumas Argentinas 1. *d.* 1. *quæſt.* 8. refert Gerardum Odonum exiſtimare, omnes animas, ſiue vegetantem, ſiue ſentientem, ſiue intelligentem, eſſe diuiſibiles. E regione Simplicius, & Ammonius 3. *de anima*, *com.* 20. opinantur omnes animas eſſe indiuiſibiles. D. Th. 1. *p. q.* 76 *art.* 8. Caiet. *ibid.* aliique einſdem claſſis, putant animas imperfectorum animalium eſſe diuiſibiles, animas verò perfectorum animalium eſſe indiuiſibiles & inſectiles. Doctor autem ſubtilis 4. *d.* 1. *q.* 5. & *d.* 44. *q.* 1. *art.* 1. & alij complures

aſſerunt,

astruunt, & decernunt, omnes animas, præter rationalem, esse sectiles, ac diuisibiles:

47. Not. 1. aliquid esse diuisibile tripliciter posse contingere. Primò diuidi bile in partes essentiales, quo pacto compositum diuiditur in materiam, & formam, ex quibus tanquam partibus essentialibus coalescit. Secundò in partes potentiales, hoc est, in potentias, vires, & facultates, sic anima rationalis distribuitur in intellectum, & voluntatem, tanquam eius potentias, & virtutes. Tertiò in partes integrales, sic corpus humanum dispertitur, in caput, brachia, & cætera eius membra. Deinceps aduerte, aliam esse diuisionem alibi à nobis explicitam in partes entitatiuas, & quantitatiuas. Siquidem substantia materialis prius in se habet partes substantiales, quæ vocantur entitatiuæ, quàm afficiatur quantitate, penès quam diuisibilis est in partes integrales, & quantitatiuas. In præsenti autem ambigitur num anima coalescat ex huiusmodi partibus entitatiuis, & quantitatiuis, in quas formaliter sit diuisibilis, & sectilis.

48. Not. 2. nobiliorem, & perfectiorem animam exposcere præstantiores, & potiores dispositiones ad sui introductionem, & informationem corporis, plura organa exigere ad opera vitæ exercenda animam equi, quàm animam tauæ, & culicis. Pariter, ad infusionem animæ rationalis plura requiruntur, quàm ad productionem animæ equi. Hinc fortasse Arist. *l. de senectute cap.* 1. subdit, animas ἐντομῶν, seu annulosorum esse indiuisibiles, quia si per medium amputentur, adhuc viuunt, quod nequaquam accidit de animalibus perfectis. Rursùs, si aliquæ partes plantarum, aut rami arborum abscindantur, & plantentur, adhuc virescunt, & germinant; hac fortassis de causa, quia virtus seminalis earum per omnes partes earumdem diffunditur: non sic autem in reliquis animatis, quæ habent locum determinatum, & certum vas, in quo eorum semen seruatur, vt insinuat Arist. 2. *anima*, T. 20. *sum. 1. cap.* 1.

49. Ass. omnes animæ, tam vegetatiuæ, quàm sensitiuæ, tam perfectorum, quàm imperfectorum animalium, sunt sectiles, & diuisibiles, præter animam rationalem, quæ est insectilis, & indiuisibilis. Assertio est bimembris, quam tuetur Doct. *locu prealleg. in initio huiusce art.* 1. pars probatur primò, quod est materiale, & corporeum participat proprietates entis materialis, & corporei, quia vbi est natura alicuius rei, ibi consequenter est eius passio, & affectio, eum hæc, ex illa consequatur, & pullulet: animæ autem sentiens, & vegetans sunt materiales, ac corporeæ in omnium sententia: ergo participant proprietates entis materialis, ac corporei, cuiusmodi est quantitas, cuius passio est diuisibilitas.

Secundò, quod educitur de subiecto diuisibili, & sectili, est diuisibile, & sectile, cum accipiat naturam, & proprietatem à diuisibili, ac sectili: animæ autem vegetans, & sentiens educuntur de potentia materiæ, quæ est diuisibilis, ac sectilis, ergò ipsæmet animæ sunt diuisibiles, & sectiles. Item, præfatæ animæ corrumpuntur ad corruptionem corporum, quæ ab ipsismet informantur. Sunt namque mortales, & corruptibiles, ergò, & diuisibiles. Denuò experimento comprobatur in plantis, & arboribus à quibus si abscindantur partes aliquæ putà rami, adhuc viuunt, & pullulant: quod planè signum apertum est, easdem animas esse diuisibiles, & partibiles.

Secunda pars probatur primò, omne immateriale, & incorporeum est impartibile, & indiuisibile, veluti est Deus, & Angelus: anima autem rationalis est immaterialis, & incorporea, vt fides docet, & rationes in vlt. lib. adducendæ, suadent, ergò est insectilis, & indiuisibilis. Secundò anima rationalis est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, vt monstrabitur in proximo art. Ergò est indiuisibilis. Ant. & conseq. liquent, cum proprium sit rei indiuisibili, nulli parti peculiari ascribi, & allegari. Adde, quod non educitur de potentia materiæ, sed creatur, quod palàm indicat, ipsam animam esse impartibilem, ac indiuisibilem.

50. Opp. 1. omnis anima informans est diuisibilis: anima autem rationalis est forma informans, ergò est diuisibilis. Ma. ostenditur, anima informans recipitur in materia, quam informat. Quidquid autem recipitur, per modum recipientis recipitur. Materia autem, in qua recipitur anima est diuisibilis, ergo quoque anima est diuisibilis. Nego ma. ad eius probationem dico, illud axioma sic esse interpretandum. Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur, id est secundum idoneitatem, capacitatem & proportionem recipientis: non verò, quod recipitur induat naturam, & proprietatem recipientis, alioqui accidens, quod recipitur in substantia foret substantia, & subsistens, veluti est subsistens ipsamet substantia. Itemque, anima rationalis recipitur in corpore mortali, ipsa foret mortalis, veluti corpus est mortale; quod errorem, & hæresim redolet.

51. Opp. 2. Si anima rationalis, quia est spiritualis est indiuisibilis, pariter anima sensibilis erit indiuisibilis, quia est spiritualis, vt colligitur ex sacra pagina, Gen. 7. *cuncta vbi erat spiraculum vita, mortua sunt.* Et Ecclesiastes. 3. *spiritus iumentorum descendat deorsum.* Respondeo ibi spiritum latè sumi: veluti Psal. 148. ventus appellatur spiritus, interprete Lyran. in postil. *Ignis, grando, nix, glacies & spiritus procellarum.*

52. Opp. 3. pars hominis abscissa adhuc viuit, ergo anima rationalis, quæ extat in parte illa est sectilis. Ant. probatur de lingua S. Pauli, quæ auulsa ab eius corpore loquuta est. Item de D. Dionys. qui gestauit corpus suum in manibus ad duo milliaria. Idemque narratur de D. Myrtio Aquensium Patrono. Rursùs, si aliquod membrum amputetur ab homine, adhuc viuit, & mouetur. Idque, maximè experimur de corde quod si ab homine euellatur, adhuc palpitat. Respondeo eos motus fieri propter calorem, & spiritus vitales, qui etiam persistunt aliquantisper in partibus abscissis, vt patet de corde. Etenim spiritus vitales in dictis partibus existentes, excitant motum, licet anima verè ibi non permaneat. Ad id, quod subiicitur de lingua S. Pauli, ac de capitibus SS. Dionys. & Myrtij. Dico, id præstitum fuisse miraculosè, & virtute Dei, qui omnia potest.

53. Opp. 4. si vermis pungatur in cauda, se totum retrahit, quod signum est, animam eius esse insectilem, & indiuisibilem, alioqui se totum non colligeret, sed tantum partem amoueret, & retraheret, quæ pungitur. Quare cum dolorem sentiat in toto corpore, planè infertur animam eius esse impartibilem, ac insectilem. Quod videtur olfacere D. Aug. *l. de quantitate animæ, cap.* 31. Respondeo id accidere, quia sortitur corpus, & animam continuam, & per naturalem sympatiam, ideò si vna pars offenditur, cæteræ partes dolore afficiuntur, vt notat Aug. *l.* 21. *contra Faustum in calce c.* 8. *&* 9. & non longè distat Arist. *l. de iuuentute cap.* 1. Ad testimonium Aug. dico ibi loqui dubitatiuè: assertiuè verò loco nuper alleg. contra Faustum, vbi nobis fauet.

ARTICVLVS IX.

An anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis.

54. QVamquam ex præcedente art. hæc difficultas videatur esse decisa, & discussa: nihilominus ad maiorem facilitatem, vberioremque doctrinam, placet nobis istam peculiariter perquirere, authoritateque, & ratione communire. Qui autem tuentur omnes animas esse diuisibiles, consequenter inficiantur totam

totam animam esse in toto, & totam in qualibet parte corporis. Qui autem asseuerant animam rationalem esse indiuisibilem, & impartibilem, vtique astruunt, eam esse in toto, & totam in qualibet parte corporis: reliquas verò animas, nequaquam. Scio autem, nonnullos Philosophos, vt Xenocratem, existimare, animam esse in capite; aliquos, vt Parmenidem, in pectore; quosdam in corde, vt Andr. Cisalpinum, 5. *Peripateticarum qq.* Nec deesse, qui opinentur, animam existere, in certo, & determinato loco corporis, veluti araneam, vt secundum opportunitatem, vitæ functiones administrare, per cunctas corporis partes discurrere, & percurrere valeat.

55. Not. nonnunquam anima dicitur esse in capite, aut in corde, non quia tenera tantum in hisce partibus existat, dictasque partes solùm informet: verum quoniam in ipsis, meliores, nobiliores vitæ operationes exercet, propter organa meliora, & dispositiones præstantiores, quæ in eisdem membris extant: quo pacto intellectio perhibetur fieri in capite, non autem in pede, propterea quod in capite sunt organa idonea ad producendam intellectionem. Pariter, de corde dicuntur oriri nobiliores actiones vitales, tùm quia est fons caloris, tùm etiam quia est officina spirituum vitalium. Hinc Christus Dominus *Matt.* 15. inquit, *de corde exeunt cogitationes, &c.* Amplius aduertè, subiectum animæ esse duplex, totale, & adæquatum, quod est totum corpus, quod à tota anima informatur: partiale, & inadæquatum, quod est membrum, & quæcumque pars, quæ ab anima animatur.

56. Ass.1. anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis. Ita Scot. 1. *d.*8. *q.*1. §. *Ad q. respondeo. D.* & 4. *d.*1. *q.*5. §. *contra opinionem istam B.* probatur primò ea D. Aug. *l.*1. *contra Manich. cap.*19. Sicut Deus est totus in toto Mundo, & totus in qualibet parte Mundi: sic anima rationalis est tota in toto homine, & tota in qualibet parte hominis. Idem scribit *l. de immortalitate animæ.* Et 6. *Trin.*6. & *l. contra epistolam fundamenti, c.*16. subscribit Damasc. 1. *fidei, cap.*17.

Secundò quod est simplex, & spirituale, est totum in toto, & totum in qualibet parte eius, in quo est: quia simplex & spirituale caret partibus entitatiuis, & quantitatiuis: anima autem rationalis est simplex, & spiritualis; ergò &c. Tertiò quod est indiuisibile, & impartibile, non diuiditur, ad diuisionem partium, alioqui foret implicatio in adiecto. Anima autem rationalis est indiuisibilis, ac insectilis, vt ostendi in præcedente art. Ergò est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis.

57. Assert.2. anima vegetans, & sentiens est tota in toto corpore, & pars in parte corporis. Insinuatur à Doct.4 *d.*44. *quæst.*1. §. *Quantum ergo. D.* Probatur primò, animæ prænominatæ sunt materiales, & corporeæ: ergò pars est in parte, & tota in toto corpore. Ant. est in promptu, quia extenduntur, & diuiduntur, ad diuisionem totius, & partium corporis, quod ab eis informatur. Secundò præfatæ animæ sunt mortales, ac corruptibiles, ergo diuisibiles, ad diuisionem materiæ, quam informant, proindéque vnaquæque earum est tota in toto corpore, & pars in parte corporis, quod informat.

58. Dices, eas animas extendi, non ratione entitatis, sed ratione quantitatis. Contra, vbi est tota anima irrationalis, ibi est tota quantitas, & vbi est pars animæ, ibi est pars quantitatis. In hoc enim, substantia corporea, ab incorporea discriminatur, quia illa sortitur partes entitatiuas, & quantitatiuas, quarum hæc est expers. Deinceps, absurdum videtur dicere, animam esse totam, secundum essentiam, in qualibet parte, & animam diuidi, ad diuisionem quantitatis. Si enim pars quantitatis non est tota quantitas, nec etiam pars animæ est tota anima. Idem quippè, secundum idem non est totum simul, & pars.

59. Quod si dicas, non alia de causa, animam diuisibilem esse totam in parte, secundum essentiam, nisi quia habet partes eiusdem rationis. Contra, hoc non facit, quominus anima diuidua, secundum essentiam suam sit in qualibet parte. Nam sicut pars aquæ, quæ est eiusdem rationis cum tota aqua non dicitur tota aqua: sic nec pars animæ perhibetur tota anima, penès suam substantiam, & essentiam.

60. Ass.3. quælibet anima, siue diuisibilis, siue indiuisibilis informat totum corpus organicum. Tenent Doct.1. *d.*38. *q.*3. §. *sed tunc H.* & 4. *d.*43. *q.*2. §. *Respondeo. cap.* Faber *Theorem.* 82. *cap.*1. & alij communiter, aduersus Alb. & Platonem, teste Alcinao, *de doctr. eius, cap* 23. existimantes animam tantùm existere in membro præcipuo, putà corde. Suadetur 1. ex Arist. 2. *animæ, cap.*1. *T.*6. qui definiens animam, ait esse actum corporis organici. Pars autem corporis, vt caput, vel cor, non est corpus, sed corporis membrum, ergò secundùm Arist. totum corpus organicum est totale, & adæquatum perfectibile, & informabile ab anima. Idipsum innuit *ibid. T.*9. inquiens, sicut visus ad oculum, ita anima ad totum animal. Et *T.* 20. subiicit, Anima est in cunctis corporis membris, veluti virtus plantæ germinandi per totum corpus diffunditur, & expanditur.

Secundò, vbi sunt potentiæ, & vires animæ, ibi est anima per informationem: in toto autem corpore sunt potentiæ, & facultates animæ: ergò in toto corpore existit anima per informationem. Ma. claret, quia anima, & virtutes eius formaliter distinguuntur ab inuicem: quæ autem formaliter dissident, etiam diuinitùs sunt inseparabilia. Min. est in promptu, quia quælibet pars animati, nutritur, augetur, sentit, aliasque operationes vitales exercet. Tertiò, anima informans est pars quidditatiua, & constitutiua corporis viuentis, & animati: si autem ipsa anima totum corpus non informaret, non foret eius pars essentialis, & quidditatiua: ergò informat totum corpus. Ma. liquet, nam sicut ex materia, & forma non viuente fit vnum totum per se, quod est compositum naturale; ita ex anima, & corpore organico, fit totum viuens, & animatum. Min. ostenditur, per Aduersarios, anima non est in toto corpore, secundum suam substantiam, sed tantum in vna parte præcipua corporis: ergò solummodò constituit, in esse essentiali illam partem, quam informat, præsertim quia forma tribuit esse formale, & essentiale, seipsam præbendo subiectæ materiæ.

61. Dices, animam virtualiter esse in cæteris partibus corporis, quod sufficit, vt dicatur forma corporis viuentis, & animati. Contra, licet Deus virtute sua sit in corpore, & Angelus in orbe cælesti, quem mouet. Nihilominus, haud perhibetur esse pars eius essentialis, eumque informare, sed tantùm eidem assistere: atqui est in omnibus rebus per præsentiam, potentiam, & essentiam, non tamen per informationem, vt tradit vulgus Scholasticorum. Vana igitur, & nulla est præallata responsio.

62. Opp.1. contra 1. ass. si tota anima intellectiua foret tota in qualibet parte corporis, vt in oculo, abscisso ipso oculo, homo moreretur, sicque dicta anima in reliquis partibus non remaneret, quod pugnat experientiæ cum videamus manibus, brachiis, & pedibus auulsis, adhuc hominem viuere: igitur anima rationalis non est tota in quacumque parte corporis, quod ab ipsa informatur. Distinguo ant. tota anima est in oculo, tanquam in subiecto inadæquato, concedo: tanquam in subiecto adæquato nego. Quod deducitur ex Scot. 1. *d.*28. *quæst.*3. §. *sed tunc est aliud H.* Si autem præscindatur membrum præcipuum, putà cor, aut caput, homo non potest viuere, & anima rationalis persistere, quia non amplius extant dispositiones idoneæ, & necessariæ ad eius persistentiam, in aliis partibus minus præcipuis, quibus ablatis, adhuc perseuerat, vt præclarè

clarè edisserit Scot. 4. d. 11. quæst. 3. paulo ante II Animalia verò entoma, & annulosa decisa adhuc viuunt, quia minores exigunt dispositiones. Sunt namque continua, partieipantque partes ferè homogeneas, & similares, vt notat Arist. *l. de senect. c.* 1.

63. Opp. 2. si anima rationalis esset tota in qualibet parte corporis, ergò qualibet pars hominis esset homo, quia in qualibet parte eius foret tota, & perfecta anima: vb. autem est perfecta anima, ibi est perfectum animal: atque tot essent homines, quot sunt partes eius corporis, quod apertè falsum est. Negatur conseq. Anima quippè non denominat, nisi subiectum adæquatum, quod adæquatè informat, putà corpus organicum, quod est heterogeneum, & dissimilare, vt patet apud Arist. *l.* 1. *de historia animalium, cap.* 1. Aliquo autem modo denominantur partes corporis, nempe animatæ, denominatione accepta ab anima, à qua informantur.

64. Opp. 3. simplex, & indiuisibile non adæquatur, nisi indiuisibili, & inextili: anima autem rationalis est indiuisibilis: qualibet verò pars corporis est sectilis, & diuisibilis: ergo anima rationalis informare nequit corpus, quod est diuisibile, & partibile in partes essentiales, & integrales. Distinguo ma. de indiuisibili quantitatiuo, concedo: de indiuisibili substantiali, cuiusmodi est anima rationalis, nego, vt patet de Angelo, qui licet sit indiuisibilis, existit tamen definitiue in loco diuisibili, vt benè prosequitur Doct. 2. d. 2 q 6.

65. Opp. 4 D. Hieronymus explanans illud Christi Domini, Matt. 15. *de corde exeunt cogitationes*, scribit, animam non in cerebro, vt quidam Philosophi opinantur, sed in corde sedem suam habet, ea Christi doctrina. In parte ergò certa, & determinata corporis anima collocatur. Respondeo esse interpretandum inadæquatè, non verò adæquatè. Dicitur autem anima esse in corde, propterea quod cor est officina spirituum vitalium, fons caloris, & radix operationum vitalium. Hinc celebratur illud Philosophi, *cor est primum viuens, & vltimum moriens.* Rursùs, licet planta vitam suam perhibetur habere in radice: sic & animal in corde, tanquàm membro eius præcipuo.

ARTICVLVS X.

An plures animæ sint in eodem viuente.

66. Iacobus Zabarel. *l. de facultatibus animæ, cap.* 8. & Gandauensis 7. *phys. q.* 8. statuunt in bruto duas animas, vegetantem & sentientem: in homine verò tres, vegetantem, sentientem & intelligentem. Quibus præiuerunt Plato *in Timæo*, & 9. *de repub.* & Galenus 8. *de vsu partium, cap.* 1. Distinguentes dictas tres animas etiam loco, ponant in cerebro intelligentem, sentientem in corde, & vegetantem in hepate. Ocham. 4. *quæst.* 7. & *Quol.* 1. *quæst.* 10. Mayr. 2 *d.* 17. *q. vn.* & Mirandol. *l.* 33. *de euersione singularis certaminis, sect.* 2. collocant in homine duas animas, sensitiuam, scilicet, & intellectiuam, & ante, quidam sectarij, vt Manichæi, teste Aug. 6. *contra Faustum, cap.* 8. opinati sunt, alteram animam bonam à bono principio, ea Dei particula productam: alteram verò malam à malo principio efformatam. Huius meminit, & reiicit Synod. generalis Constantinopol. *act.* 10. *can.* 11. communis autem sententia est Scot. 4. *d.* 11 *q.* 3. Alens. 2. *p. q.* 62 *m.* 2. Th. 1. *p. q.* 76. *art.* 3. & exterorum Theologorum, & Philosophorum docentium, in vno viuente, & animato esse vnam animam dumtaxat.

67. Not. ex Scot. cit. Tatar. 2. *de anima, quæst.* 1. *dub.* 3. & Ioan. de Magistris *ibid. q.* 2. quandocumque duæ formæ sic se habent, vt vna virtualiter aliam contineat, in eodem subiecto simul sunt incompossibiles. Subiiciunt autem præfati Authores, vnam formam virtualiter aliam continere, nihil aliud sibi velle, quàm ipsam formam esse principium, & causam omnium effectuum, & operationum, quas alia forma potest efficere, vt anima sensitiua virtualiter continet animam vegetatiuam, qua operatur, quidquid vegetatiua operatur. Similiter, intellectiua virtualiter continet sensitiuam, & vegetatiuam, quia præstat quidquid vtraque præstat, & agit. Quod namque est nobilius, & præstantius alio, continet virtualiter illud aliud, habetque virtutem, & potentiam efficiendi quidquid ignobilius, & inferius operari valet, & aliquid amplius, vt patet de anima rationali virtute continente cæteras animas, quæ agit omnia, quæ reliquæ agunt, & alia plura. Itemque, de Deo virtualiter, & eminenter continente creaturas, quæ facit, quæ faciunt creaturæ, & cætera omnia, quæ repugnantiam non inuoluunt.

68. Ass. in vno animato est tantum vna anima, & quidem in homine vna anima intellectiua, quæ virtualiter continet vegetantem, & sentientem, & in bruto vna sentiens, quæ virtualiter continet vegetantem. Tenet Doct. *vbi suprà*, & antè ipsum, D. Aug. *l. de spiritu. & anima cap.* 4. *& indè*, & *l* 11. *de gen. ad lit. cap.* 35. his verbis, *In vno corpore anima vna, & tres vires, intellectus, voluntas. & memoria.* Probatur primò ex sacris litteris, Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et Ioan. 10. *Animam meam pono pro ouibus meis.* Si autem in homine forent tres animæ, non rectè dixisset Christus, animam in singulari, sed animas in plurali: quilibet autem homo habet animam suam, veluti Christus; ergo in quolibet homine, & animato vna tantum statuitur anima. Secundò ea Conc. Later. *cap. Firmiter, de summa Trin. & fide Catholica.* Et. 6. *Synodo generali*, in qua decretum est, Verbum diuinum assumpsisse partes humanæ naturæ, quæ sunt corpus, & anima rationalis. Et definitur *in Synodo generali*, in qua anathemate feriuntur oppositum sentientes. Tertiò ea Patribus. Nam præter Aug. nuper. cit. Nicænus *l. de creatore hominis, cap.* 12. præfatam ass. confirmat hac similitudine. *Sicut vnus cytharœdus, per diuersitatem fidium, in vna cythara diuersos edit sonos: sic vna anima intellectiua in vno corpore existens, per distinctas potentias, diuersaque organa, diuersas efferit actiones, & operationes.* Greg. Magnus *hom.* 12. *in Ezech.* Lact. *l. de ira Dei, cap.* 11. & Hugo Vict. *l. de spiritu, & anima* subscribunt. Quartò ea Arist. 3. *de anima, cap* 4. *T.* 66. & *cap.* 5. *T.* 91. Necnon 2. *eiusdem operis, T.* 31. docente, & dicente, quod sicut triangulus est in quadrangulo; ita vegetatiua, & sensitiua sunt in intellectiua. Constat autem figuram triangularem formaliter non existere in quadrangulari, ergò nec vegetatiua, & sensitiua formaliter est in intellectiua. Quintò si in homine forent tres animæ distinctæ, vna non impediret actionem alterius, siquidem distinctæ formæ sortiuntur distinctas vires, & potentias, quarum vna nec in esse, nec in operari pendet ab alia, experientia autem nos docet, sensum nonnunquam impedire rationem, perhibente Scot. 3. *d.* 15. *q. vn. sub H.* post Aug. 14. *ciuit. cap.* 16. vehemens delectatio sensibilis impedit vsum rationis. Et Arist. 7. *Eth. c.* 9. Ingens voluptas sæpissimè furatur intellectum sapientis. Hinc, paucis interiectis subnectit noster Doct. cit. *Quod si in Martyribus maximis tormentis expositis intellectus eorum habuit vsum suum, id fuit ex speciali gratia creatoris.* Patet ergò, in homine esse vnicam animam multis potentijs, & virtutibus adornatam. Adde, quod vehemens, & intensa contemplatio retardat actiones sensuum, impeditque nutritionem, vt constat de iis qui magno studio, & speculationi sunt dediti & intenti, ergò dubio procul, vna eademque anima his omnibus fungitur muneribus. Sextò, data hypothesi,

hypothesi, homo foret triplex indiuiduum, per vegetatiuam namque animam esset planta, vel arbor; per sensitiuam brutum, & per intellectiuam homo: essetque sub diuersis speciebus, ab eisque non distingueretur, quod est absurdum. Huic Arist. 1. *de anima*, *T.* 91, subiicit, non posse esse animal viuum, vbi plures sunt animæ. Insuper, si in homine admittantur tres, aut duæ animæ, cum Christus Dominus fuerit verè, & perfectè homo, in eius obitu, animæ vegetans, & sentiens, aut corruptæ fuissent, aut in sepulcro, cum eius corpore remansissent, aut vna cum anima rationali ad inferos descendissent, aut in certo, & quodam loco separatæ extitissent. Non primum, quia sanctum vidisset corruptionem, quod pugnat Psal. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Atque quod semel assumpsisset, aliquando dimisisset, quod contradicit D. Damasc. 3. *fidei*, *cap.* 26. *Quod semel assumpsit*, *nunquam dimisit.* Nec secundum, alioqui corpus Christi non mortuum, sed viuum iacuisset in sepulchro. Nec tertium nec quartum, secùs possent realiter separari, vegetans, & sentiens a corpore, veluti intelligens, quod tanquàm falsum & absurdum, communiter reiicitur.

69. Opp. 1. ex Arist. 1. *de gener. animalium cap* 3. Homo prius viuit vita plantæ, deindè vita animalis, & postremò, vita rationalis. Ibi autem Philosophus loquitur de prioritate temporis: atque non de operationibus earum animarum, sed de essentia earumdem, vt vult Zabarel. & deducitur ex verbis tex. alleg. Non simul fit animal, & homo; nec simul animal, & equus. Ergò secundum Arist. in homine sunt tres animæ realiter distinctæ, penès substantiam, & essentiam. Respondet D. Th. 1. *p q.* 118. *Tol.* a. *anima*, *quæst.* 7. & Conimb. *de gener. quæst.* 21. *art.* 3. prius tempore inesse vegetatiuam, & sensitiuam, quæ adueniente intellectiua corrumpuntur; cum naturæ ordo postulet, vt ab imperfecto, ad perfectum procedatur. Contra, si hæc responsio valeret, indiuiduum generis existeret à parte rei extra suas species per aliquod temporis interuallum, vel homo prius tempore foret planta, deindè brutum, & postmodum homo. Primum falsum est, quandoquidem, non reperitur in rerum natura vllum indiuiduum, quod immediatè non sit alicuius speciei indiuiduum. Secundum non placet, tùm quia diuinum Verbum aliquando fuisset planta, deinde brutum, & deniquè homo, quod nemo Theologorum astruit: tùm etiam, non videtur à quo illæ inferiores animæ corrumpantur. Imperfectum quippè à perfecto non corrumpitur, nisi contrariæ qualitates inducantur, quibus positis forma præcedens persistere nequit. Nec videntur esse adinuicem incompossibiles, quia dici potest, vnam respectu alterius, gerere vicem materiæ, aliam verò, habere locum formæ, sicque esse formas intermedias, & subordinatas. Quare aliter respondeo, videlicet Arist. exponendum esse non de essentia, sed de operatione. Causa est, quia plura requiruntur ad exercendas operationes rationalis animæ, quàm ad vegetatiuæ, & sensitiuæ opera exercenda, pluraque ad sensitiuæ, quàm vegetatiuæ actiones promendas: proptereà probè infert Stagir. homo primò viuit vita plantæ, idest prius administrat operationes vegetantis, non autem homo prius est planta, vel arbor, quam brutum, interprete Philopono, quem sequitur Alb. summa de homine, reclamante Zabar. *vbi suprà.* Idque insinuat idem Arist. 2. *de gener. animalium*, inquiens, *Homo priusquam adultior sit, partem superiorem corporis habet maiorem, quàm inferiorem, & quò amplius augetur, è contrà euenit, vt inferiora sint superioribus longiora. Dum infans est, quadrupes reptat, deindè se erigit, bipesque incedit, & decrepitus tripes dicitur, eo quod baculo vtitur.*

70. Opp. 2. vbi est operatio, ibi est eius principium, & radix eius. Cùm esse nequeat effectus absque vlla causa: in homine autem sunt operationes animarum, vegetantis, & sentientis. Homo quippè vegetat, & sentit: ergo in ipso homine extant formaliter animæ vegetans, & sentiens, quæ sunt principia, & causæ prædictarum operationum. Distinguo ma. formaliter, aut virtualiter, concedo: semper formaliter, nego. Nam calefactio terræ fit à sole, & tamen nec calor nec calefactio formaliter reperitur in sole, sed virtualiter duntaxat: pariter in homine fiunt vegetationes, & sensationes, quæ prodeunt ab anima rationali, quæ virtualiter continet animas, vegetantem, ac sentientem, vt ind cat Scot. *collatione* 1.

Dices, homo formaliter vegetat, & sentit: quod autem continet aliud virtualiter, non est formaliter tale, vt Deus, qui virtualiter continet creaturas, non est formaliter creatura; & sol qui virtualiter continet calorem, non est formaliter calidus: inualida igitur, & vana est præallata responsio. Dico esse disparitatem, quia Deus ita virtualiter continet creaturas, vt valeat ipsas producere, ac creare: Non sic anima rationalis virtualiter continet animas vegetantem, & sentientem, cum nequeat eas producere, ac causare. Dicitur autem easdem virtualiter continere, propterea quod potest agere, & operari, quæ illæ agunt, & operantur, scilicet, vegetare, sentire, & huius formæ alia. Vel dico Deum formaliter potentiam vegetatiuam, & sensitiuam non habere, veluti anima rationalis, & homo. Maximè, cum ipse Deus sit eius incapax, sicut sol caloris, & aliarum qualitatum contrariarum.

71. Opp. 3. contrariæ operationes, oppositique effectus ab vno, eodemque peruenire non possunt, vt arguit Scot. 3. *d.* 15. *q. vn.* ex Auic. 6. *naturalium cap.* 2. Homo autem experitur in se aduersas actiones, contrariosque effectus, sensus namque pugnat rationi, & è contrà, testante D. Paulo ad Galat. 6. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Idque confirmat Arist. 2. *magnorum mor cap.* 9. inquiens, *pars irrationalis impedit rationalem agere.* Distinguo ma. de agente vnica virtute, & potentia, concedo: de agente pluribus viribus, facultatibus & potentiis, nego. Anima autem rationalis insignitur pluribus virtutibus & potentiis, vt patet de intellectu, voluntate, cæteris potentiis, & facultatibus animæ. Quod præclarè instituat D Aug. 18. *tract. in Ioan.* his verbis, *per oculos potest videre, per aures audire, per manus operari, diuersa membra, diuersa membrorum officia, non potest illud membrum, quod potest istud, tamen propter corporis vnitatem, oculus sibi, & auri videt, & auris sibi, & oculo audit.*

72. Opp. 4. homo est mortalis, & corruptibilis, non autem per animam rationalem, quæ est immortalis, & incorruptibilis, ergo per animas vegetantem, & sentientem, quæ in ipso reperiuntur. Respondeo non ob eam causam assignatam, hominem esse mortalem, & corruptibilem, sed propter corpus, quod corruptibile est, iuxta illud Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.*

ARTICVLVS XI.

An præter animam, detur forma corporeitatis in animato.

73. Partem negantem amplectuntur D. Th. 1. *p. q.* 76. *art.* 4. Caiet *ibid.* Ferrariensis 2. *contrà Gentes cap.* 58. Argent. 4. *d.* 13. *q.* 1. *art.* 1. Greg. 2. *d.* 17. *quæst.* 2. aliique complures docentes in quolibet viuente, & animato, solam animam informare materiam, nullamque formam corporeitatis præsupponere. Hi autem sunt bipartiti: quidam enim, vt D. Th. 1. *anima*, *ad tex* 4. tuentur animam informare materiam affectam organis, ad vitæ opera administranda: alij verò, vt Greg. putant animam informare materiam, connotando idonea organa ad functiones vitæ exercendas. Partem

autem

autem affirmantem defendunt Scot.4. *d*.11. *q*.3. *art*.2. eiusque discipuli, Ric.2.*d*.17.*art*.1.*q*.5. Mayr.*d*.16. Bacon.3.*d*.19 *q.vn*. Piccolom. Zabarel. aliique non pauci, astruentes animam informare materiam præuia forma corporeitatis, proindéque in animato quocumque præter animam esse formam corporeitatis.

74. Not.1. formam corporeitatis, quæ ab aliis nuncupatur forma mixti, & cadaueris, realiter distingui, tum à materia, tum etiam ab anima. Siquidem forma corporeitatis constituit materiam in esse corporis: anima verò constituit corpus in esse viuentis, & animati. Quapropter, in quocumque viuente, & animato, secundum Scot. Duplex adest forma, vna est forma corporeitatis, & altera est animæ. Prior se habet per modum materiæ: posterior verò gerit vicem formæ: eo quod prima subordinatur secundæ. Hæc doctrina non obscurè traditur ab Arist.4. *Meteor. propè finem*, affirmante, dari formas intermedias, & subordinatas, quarum priores substernuntur, & subordinantur posterioribus: vltimam verò gerere vicem formæ, & reliquas habere locum materiæ. Ideóque non abs re nonnulli vocant formam corporeitatis vicariam, propterea quod absente anima, tenet locum eius.

75 Not.2.ex Scot præcit. Y ens simpliciter bifariàm accipi, vno modo quatenus opponitur non enti, quo in sensu, quodlibet ens, siue sit substantia, siue sit accidens appellatur ens simpliciter, & non ens haud meretur nomen entis simpliciter, propterea Arist.1 *de gen*.12. subiicit, ex non ente simpliciter nihil fieri, veluti 1.Phys.33. & inde, *ex nihilo, nihil fit*. Altero modo, vt opponitur enti secundum quid, & ità sola substantia est ens simpliciter, & accidens est ens secundum quid. Substantia, quippè primum constituitur in esse substantiali, & postmodum in se recipit accidentia, cum sit basis, & fundamentum reliquorum entium.

Præterea recolendū est ex dictis 1.*de gener.q*.3.*art*.3. in corruptione non fieri resolutionem vsque ad materiam primam. Multa namque accidentia, quæ erant in genito, persistunt, & permanent in corrupto, vt ibi abundè explicatum, & probatum fuit.

76. Assertio, anima non informat puram materiam, siue organis afficiatur, siue connotet organa apta, & idonea, ad functiones vitæ obeundas, sed præsupponit formam corporeitatis. Ita Scot.*vbi suprà*. Probatur primò, ex Arist. 1. *anima*, *T*.6. Anima est actus corporis organici, id est perfectio substantialis, & essentialis corporis, ergo anima non informat puram materiam, sed præexigit formam corporeitatis Perfectio quippè alicuius præsupponit perfectibile: anima autem est actus, & perfectio substantialis, & essentialis corporis, ergo præsupponit corpus iam constitutum in esse corporis, alioqui non foret actus corporis, sed causa efficiens ipsius corporis. Deindè, anima non informat corpus, nisi prius fuerit organizatum. Est enim omnium doctrina, corpori organizato animam præbere vitam, & intercedere aliquam temporis moram, vt idem corpus aptè, & debitè organizetur: materia autem non est corpus, sed pars corporis.

77. Dices cum Suar.1.*de anima*,*c*.2. corpus non esse subiectum inhęsionis, sed compositionis, & quidem non actuale, sed potentiale. Contrà, *ex* 4.*Top.c*.11. corpus est animalis pars, & ex corpore, & anima componitur totum animal: partes autem totius præsupponuntur existentes actu, vt fiat totum, ergo corpus est verè, & plenè corpus cum debita sua forma corporeitatis priusquā vniatur animæ. Deinde, corpus est, quod ab anima informatur: non potest autem ab ea actu informari, nisi actu existat: igitur corpus suam formam corporeitatis participat ab anima independentem. Eò magis, post separationem, aut decisionem animæ ab eo, persistit corpus in esse corporis, cum omnibus suis partibus, forma, figura, cæterisque accidentibus, vt cernitur ad oculum. Igitur corpus sortitur suam propriam formam corporeitatis. Idque planè ostendit fœtus antequam animetur, in quo palàm videmus præfata forma, figura, & cætera prænarrata, quæ ab anima, nondum educta, vel inducta, effici nequeunt. Suffragatur D. Aug.13.*Ciuit.c*.24. Vbi loquens de creatione animæ rationalis, quam Deus Gen.2.*insufflauit*, inquit, & indidit homini, idest corpori. Hoc autem secundum corpus, quod Deus finxit ex puluere, cui data est anima, vt fieret corpus animale, idest homo in animam viuentem. Et *lib*.83.*qq.quæst*.54. Quidquid viuificatur ab anima, corpus est. Atque formam cadaueris exprimit idem Doct. *lib*.20. *contrà Faustum*, *c*.10. Secundò, plures mutationes substantiales exigunt plures formas substantiales, cum terminus formalis mutationis substantialis sit forma substantialis: in quolibet autem animato producendo, & generando requiruntur plures mutationes substantiales. Siquidem de non esse corporis fit corpus, & de non esse animati, fit animatum. Terminus autem formalis prioris mutationis est forma corporeitatis; atque terminus posterioris mutationis est anima. Igitur, anima præexigit, & præsupponit formam corporeitatis. Experimur namque animata priùs producere corpus per rationem seminalem, vitæ expers, posteriùs verò, ipsum corpus per animam eductam à generante, vel inductam à creante animari, ac viuere. Ideóque à forma seminis, transit ad formam embrionis, à forma embrionis, ad formam corporeitatis, à forma corporeitatis, ad animam, qua animatur, ac viuit. Ex hoc naturæ processu, liquidò constat, animam præsupponere formam corporeitatis, absque qua, anima non informaret, nec viuificaret corpus sibi subiectum, & præsuppositum.

Tertiò, multa accidentia, quæ erant in genito, remanent in corrupto, vt si homo vulneretur, & moriatur, in corpore eius mortuo persistit eadem cicatrix, quæ erat, dum viueret: huiusmodi autem cicatrix, & reliqua accidentia, quæ visuntur in dicto corpore subiectantur in composito ex materia, & forma corporeitatis, cum subiectum accidentium ex alibi assertis, & probatis, non sit materia, sed compositum, & coalitum ex materia, & forma.

78. Dices, non esse eadem accidentia, sed similia, & affinia. Contrà, sensus bene dispositus, & debitè approximatus proprio suo obiecto, non fallitur circà ipsum: sed oculus videt in cadauere idem prorsus vulnus, eamdem figuram, & quantitatē. In pomo abscisso ab arbore, eumdem colorem, odorem, & saporem; atque eiusdem arboris ramum alterum viridem, & alterum aridum, & consimilia, quæ nonnisi à proteruo negari possunt. Deinde, si non sunt eadem accidentia, assignanda est eorum causa efficiens certa, & determinata. maximè cum interdum accidant in ictu gladij, fulminis, aut tormenti bellici: Quæ, cum reuera assignari nequeat, affirmādum est, ea ipsa accidentia permanere in corrupto, quæ erant in genito, proindéq; eorum subiectum proximum, & immediatum esse corpus informatum forma corporeitatis. 4. quod est inextensum, & incorporeū formaliter, tribuere nequit esse extensum. & corporeum formaliter.: anima autem rationalis est inextensa, & incorporea: ergo præbere non potest esse extensum, & corporeum: homo autem est extensus, & corporeus formaliter: ergo hoc esse extēsum, & corporeū accipit à forma extensa, & corporea, cuiusmodi est forma corporeitatis. Præsertim quia, post recessum animæ rationalis à corpore, adhuc corpus humanum remanet extensum, sicut erat, cum informabatur ab ipsa anima rationali, ergo dictum esse extensum, & corporeum prodit à forma corporeitatis.

79. Dices, cum Caiet. & aliis Thomist. animam rationalem æquipollere formæ extensę, ac corporeæ, & virtualiter tribuere esse extensum, ac corporeum. Contrà, forma nequit efficere effectum sibi repugnantem, alioqui ignis posset frigefacere, & aqua calefacere: esse autem extensum, & corporeum repugnat animæ intellectiuæ, quæ est inextensa, & incorporea: ergo ab alia forma promanat, quàm ab anima rationali. Deinceps, forma informans non potest præbere aliud esse informato, quam illud formale, quod ipsa habet, cum det ei esse suum formale, & essentiale: esse autem formale animæ

rationalis est inextensum,& incorporeum,ergo non dat corpori esse corporeum,& extensum.Quintò,in triduo, corpus Christi erat sine anima rationali , quia reuera Christus Dominus mortuus erat : ipsum autem corpus erat idem corpus tunc , quod exiit ex vtero Virginis, quod pependit in ligno,quodque resurrexit à mortuis, vt astruunt SS. Patres, nuncupatim Ambr. & ponitur *d. 2. de consecr.* Non erat autem idem corpus per animam rationalem , quæ descenderat ad Limbos , ergo per formam corporeitatis.

Occurrit Caiet.fuisse idem idemtitate suppositi diuini verbi.Contrà,si ipsum corpus dimissum fuisset a Verbo,itavt ab ipso Verbo ampliùs non suppositaretur,adhuc fuisset corpus,& illud idem,quod egressum est ex Virgine,& iacuit in sepulchro,& resurrexit,& apparuit Apostolis, non idemtitate, & vnitate suppositi diuini, ergo idemtitate,& vnitate formæ corporeitatis.

80. Dices cum Suarez.esse idem corpus sensibiliter, quia in eo manserunt eædem accidentia sensibilia, putà eamdem quantitatem,figuram,vulnera,& id genus alia. Contrà, accidentia non persistunt in aliquo , nisi persistente eadem forma,cum accidentia non in materia,sed in composito residean t:ergo non rectè dicitur idem corpus sensibiliter. Deinde,non bene dicitur in Euch. manere substantiam panis, & vini, quia persistunt eadem accidentia panis, ac vini. Igitur huiusmodi corpus non erat idem sensibiliter,vt imaginatur Suarez cit.

81. Opp.1.esse est à forma , & vnum esse est ab vna forma,ideò sæpè decantatur illud,forma dat esse rei:animatum autem est vnum,ergo,ab vna forma,quæ est anima Distinguo ma.completè, & adæquatè,concedo : incompletè,& inadæquatè, nego. Quod est dictu,vltima forma,quæ est anima præbet vltimum complementum, totumque animatum ab ea denominatur,ac specificatur. Nihil autem impedit,quin accipiat aliud esse ab alia forma subordinata , ratione cuius constituatur in esse corporis,vt apertè deprehenditur,quando anima à corpore separatur,tunc enim remanet corpus cōstitutum in esse corporis absque anima , quæ ipsum corpus informet. Declarari potest quoq; de differentia metaphysica specifica,quæ constituit speciem infimam completè,& adæquatè,à qua ipsa species denominatur, tametsi aliæ differentiæ superiores præexigantur, & præsupponantur, atque ab eis eadem species denominetur , vt indicat Scot. *Theor.*12.& declarat Maurit.*ibi*.

Opp. 2.ex duob. actibus fit vnum per accidens, *ex 2. anima,T.7.& 7. Met.T.49.* duæ autem formæ sunt duo actus.forma quippè actuat materiam:ergo si duæ formæ informarent eamdem materiam , viuens , & animatum habens duas formas, foret vnum per accidens,quod est falsum.Distinguo ma.ex duob actibus inter se non subordinatis fit vnum per accidens, concedo : ex duobus actibus quorum vnus alteri subordinatur,nego,vt satis declarati *in 1.not.*

82.Opp.3.si concedatur forma corporeitatis,propter aliquam operationem esset admittenda, quia forma est propter operationem:huiusmodi autem forma non operatur, cum sola anima sit principium operationum,irrita ergo, & vana est talis forma corporeitatis.Concedo ma nego min. mutat enim ad operationes materiales promendas. Ideò cadauer sursum positum descendit deorsum,veluti aliud quodlibet graue.Itemque,valet ad opera organica efferenda,quæ dicuntur esse totius coniuncti:non enim, sine corpore fieri valent vegetatio, sensatio , & huius formæ alia.

83. Opp.4.forma perfectior continet virtualiter imperfectiorem,& superior,inferiorē,vt tetragonū,trigonum *2.anima,T.31*.Ergo anima,quæ est nobilior,continet virtualiter formā corporeitatis,quæ est ignobilior, & deterior.Distinguo ant.de continentia inferioris , in superiore per excessum perfectionis,concedo,vt homo continetur in Angelo.Ob id Greg.*hom 29 in Eu.*scribit. *Omnis creatura aliquid habet homo , esse cum lapidibus, viuere cum arboribus,sentire cum animalibus,& intelligere cum Angelis* : De continentia effectuum inferiorum, nego. Sic enim anima nequit præbere esse corporeum, & extensum,sed ipsum præexigit,ac præsupponit.

84. Opp.5.ex 1.*de gener.2.3.& 4.* subiectum generationis,& transmutationis substantialis non est ens actu, sed potentia, hoc est simplex materia:data autem forma corporeitatis præcedente animam,sequitur, subiectum generationis esse ens actu,seu compositum ex materia, & forma,cuiusmodi est corpus:ergo non est concedenda præfata forma corporeitatis Resp.Arist.*ibi* verba facere de generatione mixti inanimati:non verò de generatione mixti animati,de qua in præsenti est lis.

QVÆSTIO II.

De partibus corporis animati.

1. QVAMVIS in plantis , & arboribus difficile non sit scire,quænam partes sint viuentes,& animatæ. Quandoquidem , compertum est, omnes illas partes anima frui, quæ virescunt, crescunt, & germinant,inter quas referūtur,folia, flores,fructus, rami,cortices,radices,& huius formæ alia.Nihilominus non modica extat controuersia, quænam partes in animantibus anima gaudeant.Enim verò,animaria sortiuntur ossa, carnem, sanguinem, vngues, capillos,& id genus alia,de quibus in præsentia differendum est.

ARTICVLVS I.

An sanguis sit animatus.

2. Prior opinio est Caiet.1 2 q.54.Medinæ *3.p q.5. art.2.*Tol.2.*de anima,q* 4.Complut.*disp.6.q.1.*& Bannez 1.*de gener.c.4.q.8.art.3.not.2.*affirmantium sanguinem esse animatum Posterior opinio est Scot.*4.d.8. q.1.sub B.*& *3. d.3. q.2.5. Sed contrà hoc arguitur,& in Report.4.d.*10.*q.4.* Alens.2.*p q 25 m.7.* S.Bon.4. *d.44. q.1.*Ric *ibid art 1.q.1* Maior.*d.43.q.4*, Bassol.*d.44.q.1. art.2.*D.Th.*1.p q.vlt.art.1 ad 3*.Suar.2. *anima,c.3.* Cauel.*disp.1.sect.9*.Galen. *lib.2.de elementis*.Fern.*ibid. c.2.* Senec.*lib.2.de naturalibus,qq.*& aliorum multorum,negantium sanguinem esse anima præditum.

3. Not.1.sanguinem multas pati acceptiones.Primo namque sumitur pro progenie , sic vulgò dicitur : *hic est de meo sanguine,& meus consanguineus.* Vnde D.August.22. *contra Faustum , cap.35.* subdit. *Vxor Abrahæ erat ex patre sui sanguine procreata.*Et Virg.6.*Æneid.* canit.

Alto à sanguine Teucri.

Secundo pro vita,quo in sensu Ecclesia in hymno vnius Martyris ad vesperas , cantat.

Pro te effundens sanguinem,
Æterna dona possidet.

Et Poëta 2. *Æneid.*

Vitam cum sanguine fudit.

Idipsum innuit August. *de sermone Domini in monte, cap.23.lib.2.*& *lib.4.qq.ex Leuit. cap.17.quæst.57.*

Tertiò,pro peccato,ità Dauid psallit Psal.50. *Libera me de sanguinibus*,id est de peccatis. sine iniquitatibus, interprete eodem August. *ibid.* sanguis quippè dicitur iniquitas, propterea quod iniquitas fit per sanguinem. Quò fortassè respiciens D. Paulus 1. *Cor.15.* ait,*Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt.*

Quartò , pro humore calido , & humido in hepate genito, in venis , & arteriis diffuso ad membra alenda, & vitam ducendam ordinato. Et de sanguine sic accepto loquimur impræsentiarum.

4. Not.2.aliquid esse partem viuentis,& animalis,bifariam posse capi ; vno modo strictè,sic illa pars dicitur esse corporis animalis, quæ informatur anima,estq; verè viuens,& animata, & pertinet ad primariā constitutionē corporis

corporis animalis, vt caro, os, & huiusmodi. Altero modo, latè, sic quæcumque pars quæ facit ad integritatem, & conseruationem animati, dicitur pars authore Scot. in 4. passu alleg. Et sanguis refertur in partes corporis humani, quandoquidem, ipsum corpus humanum sanguine fouetur, nutritur, & subsistit. Huiusmodi autem partes perhibentur pertinere ad secundariam, constitutionem corporis animati. Ob id Conc. Trid *sess.* 13. *can.* 1. & 2. sanguinem Christi Domini, inter partes corporis commemorat. Idipsum indicat Conc. Ephesinum, *can.* 5. Et *in epistola ad Nestorium* Fauet Arist. 3. *de historia animalium, c.* 2. recensens sanguinem, inter partes similares animalis, eamque potissimam, quia per ipsum sanguinē, vita restauratur, & conseruatur, eoque consumpto, naturaliter moritur animal. Præterea obserua inter partes animalis similares, quasdam esse solidas pertinentes ad aliarum partium consistentiam, vt ossa: quasdam verò fluidas, quæ ad temperandum, alendum, & conseruandum ipsum animal conducunt, vt humores, inter quos est sanguis, & spiritus vitales, quibus fiunt operationes vitales, & species deferuntur ad organa interna, veluti, per aërem, ad externa: cætera verò valent ad ornatum animalis, vt capilli, vngues, & consimilia.

5. Ass. sanguis non est animatus. Tenet Doct. *locis præalleg.* Probatur 1. ex Arist. 2. *de partibus animalium, c.* 3. *in fine*, astruente, sanguinē esse in venis, veluti aqua in vase: aqua autem non habet eamdem formā, qua pollet vas, in quo extat, ergo sanguis non informatur eadē forma, qua venæ, in quibus continetur: venæ autem in omnium sententia, sunt animatæ, ergo sanguis non est animatus, idem colligitur *ex* 8. *eiusdem operis, cap* 5. necnon 3. *de anima, T* 45.

Secundò, ex August. *lib.* 3. *qq. quæst.* 57 *in Leuit.* Vita ista temporalis, maxime sanguine continetur in corpore: contentum autem non videtur participare eamdem formam, quam continens, vt patet de vino contento in dolio, & consimilibus: igitur, cum sanguis contineatur in corpore, non sortitur eamdem formam, quam habet corpus viuens, & animatum.

Respondent Complut *in initio huiusce ar. alleg* præfata testimonia interpretanda esse de continētia non præsè, sed latè sumpta, veluti medulla est in osse, & ut in carne, tametsi, tam medulla, quam os sint animata: pariter sanguis existit in venis, quod non obstat quin sit animatus. Contra, de ea continentia exponendus est Arist. & Aug. de qua ipsi expresè loquuntur, atqui verba faciunt de continentia vasali, dicentes sanguinem comprehendi in venis, sicut in vase: quod autem in aliquo capitur, tanquam in vase, participat aliam formam ab ipsomet vase, in quo continetur, vt suprà exemplis ostensum est. Deinde 4. *Phys.* 41. Arist. inquit locum continere locatum: patet autem, locatum esse alterius formæ à loco, igitur idem Philosophus ibi intelligendus est de continentia propria, & rigorosè accepta Quod autē Complut. subiiciunt de medulla in osse, & de osse in carne cōtento, non valet, quandoquidem illa continētur in hoc, & istud in ea, non vt contentum in continente, sed vt pars in sicca comparte, veluti forma in materia: atque huiusmodi partes spectant ad primariam constitutionem corporis animati, vt suprà obseruaui. Deinde, medulla nutritur sanguine, estque continua cum osse, à quo conseruatur, & sapit carnem, valdéque gustui amabilem, & delectabilem. Impertinenter ergo est similitudo allata ab Authoribus præcit. qua non satisfaciūt adductis authoritatibus. Quid autem sit medulla, à quo oriatur, & ex quo generetur, vide Berch. *in suo reduc. morali l.* 2. *c.* 53. Tertio, alimentum animati non sortitur eamdem formam, quam possidet ipsum animatum: sanguis autem est nutrimentū animati, ergo sanguis est inanimis. Maior est Arist. 8. *de partibus animalium, c.* 5. estque Medicorum dogma affirmantium, desinente sanguine, animal nutriri cæteris humorib. puta, pituita, atra, & flaua bili: tametsi non ità bene, & commodè. Ratio autem adducitur, quia alimentum transit in substantiam aliti, ideóque corrumpitur, & fit quædam aggeneratio: nutritio, quippè est partialis generatio, docente Scot. 4. *d.* 44 *q.* 1. *art.* 1. Et generatio vnius est corruptio alterius. Ob id Christus Dominus *Ioan.* 12. monet. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuū fuerit, multum fructum affert.* Min. traditur ab eodem Arist. 3. *anima, T.* 45. Cuius signum est, quia deficiente sanguine, deficit, & obit animal, veluti deficiente oleo in lampade, perit lumen, cum sit eius pabulum, quo alitur, & conseruatur.

6. Occurrunt prænominati Authores distinguentes, & dicentes, id valere de sanguine nutrimentali, non autem de sanguine naturali. Contrà, hæc distinctio de duplici sanguine, est voluntaria, & gratis excogitata. In primis enim pugnat vulgo Medicorum, & Philosophum. Aduersatur quoque rationi. Nam, tam ille, quàm iste sanguis sunt eiusdem speciei, differuntque accidentaliter duntaxat scilicet, quia naturalis est purus, & coctus, nutrimentalis verò est impurus, & incoctus. Hoc autem extat discrimen accidentale, veluti cernitur in vino puro, & lymphato, in auro, & argento puro, & impuro, & fæcibus immixto. Quartò, partes animatæ, connectuntur, & continuantur cum aliis partibus eiusdem corporis animati, cum ipsum corpus animatum sit vnum continuum ex eis omnibus constitutum, & conflatum. Sanguis autem disiungitur, & discontinuatur à reliquis partibus præfati corporis animati, tum quia est fluens, & permeans per eius membra, tumetiam quia expresè asseritur ab Arist. 2. *de partibus animalium, in fine cap.* 3. his verbis. *Non enim sanguis continuus carni, nec cognatus est: sed in corde, ac venis, quasi in vase continetur.* Igitur sanguis animæ, & vitæ expers est.

7. Obuiam fiunt iidem Philosophi citati, & aiunt, sanguinem, quidem non immediatè, sed mediatè continuari cum aliis membris animalis: quandoquidem, sanguis participat quasdam partes crassiores, quæ dicuntur fibræ, quæ continuantur cum venis, & venæ cum carne. Contra, fibræ sunt carneæ, osseæ, & neruosæ, ergo sanguis non continuatur cum ipsis: illæ quippè esse queunt absque isto, quia hic fluidus est, illæ verò persistentes, & permanentes, duræ, & solidæ quoquo modo sunt. Deinde crassum, & densum, à raro, & tenui essentialiter non differunt, vt alibi monstraui, ergo si dictæ partes sunt animatæ, vtique & omnes reliquæ, proindéque perperam distinguitur sanguis in naturalem, qui est animatus, & nutrimentalem, qui est inanimis. Et postmodum in partes crassas eius, quæ connectuntur cum venis, & partes tenues, & fluidas, quæ ab eis disiunguntur, cum sanguis quocumque modo sumptus sit eiusdem rationis, & speciei, possitque totus à corpore animalis segregari, & separari, ipso toto cum suis partibus, & membris remanente, & consistente in esse corporis, non tamen in esse viuentis, & animati.

Quintò, accedit argumentum Theologicum. In consecratione, sub speciebus panis, ex vi verborum aduenit corpus Christi Domini, & per concomitantiam, aduenit sanguis eius, vt sancinit Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. Si autem sanguis foret animatus, sub speciebus panis, ex vi verborum adueniret ipsemet sanguis Christi. Quandoquidem partes animatæ pertinent ad primariam constitutionem corporis animati, vt obseruaui *in secunda not.* Concluditur ergo & Philosophicè, & Theologicè, sanguinem anima, vitaque carere. Nec iuuat dicere, cum Arist. & Complut. *vbi suprà*, id esse exponendum de partib. solidis, non verò de partibus fluidis, cuiusmodi est sāguis. Sic enim petitur principium. Certum quippè est, sanguinem esse partē fluidā, & lis est, vtrum sit pars animata, necne? & respondetur à dictis Authorib. esse partē fluidam, ideóq; sub speciebus vini per concomitantiam, adesse sanguinem. Hoc enim quæritur, vtrum pars fluida fruatur animatæ, si animetur ea vi verborū cōsecrationis, esset sanguis Christi, quod negat

negat præfatum Conc. & definit, esse per concomitantiam duntaxat. Addo, contra eosdem Authores, quod si corpus eius datur per modum cibi, vtique sanguis datur per modum potus, vt patet Matt. 26. *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.*

8. Opp. 1. quod est pars animati, est animatum: sanguis autem est pars animati, ergo sanguis est animatus. Ma. patet, quia cum animatũ sit quoddam totum, forma totali informatum, eius partes debent participare eamdem formam, quæ est anima. Min. nititur testimonio Arist. 3. *de hist. animalium, c.* 2. referentis sanguinem inter partes animalis homogeneas, & similares. Distinguo ma. de parte spectante ad primariam constitutionem animalis, concedo: de parte pertinente ad secundariam constitutionem, & integritatem eius, cuiusmodi est sanguis, nego. Hæc distinctio allata est, & abundè explicata *in* 2. *not.* præposito. Ad distinctionem ma. distinguenda, & exponenda est min.

9. Opp. 2. quod exercet opera vitæ, est viuens, & animatum: sanguis autem præstat opera vitæ, ergo sanguis est animatus. Ma. patet, ab effectu ad causam. Min. est, promptu, sanguis namque mouetur, palpitat, & feruet. Vnde Stagir. 1. *de hist. animalium, c.* 1. & 3. *eiusdem operis, c.* 19. explicitè asserit sanguinem esse animatum. Addo illud Leuit. 17. *Anima omnis carnis, sanguis est.* Suffragantur Aug. *l.* 2. *contra Aduersarium legis.* Et *epistola* 146. *& l. de spiritu, & anima, c.* 21. & Damasc. 2. *de fide, c.* 12. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, tales operationes non prodire ab intrinseco, sed ab extrinseco, hoc est ab anima, quæ est in membris animatis, non autem in sãguine: veluti, cum aqua ebullit, illa ebullitio, non ab aqua, sed ab igne ei supposito proficiscitur. Ad Arist. dico, exponendum esse de animatione non propria, sed metaphorica, eo modo, quo dicitur lapis viuus, & argentum viuum. Ad locum scripturæ sacræ, sic intelligitur. Anima est in sanguine, tanquam in pabulo, quo animal nutritur, fouetur, & conseruatur. Obid Aug. in eum tex. *q.* 17. subiungit. Vita est in sanguine, quia ab eadem multis modis dependet: ab eo quippè alitur, & fouetur: non verò est in eo formaliter, vt in corpore animato, quod satis est, vt bene præceptũ sit, vt peccata animatum, per oblationem sanguinis in altari expianda sint. Ita interpretandus est Damasc. & alij, si adducantur.

10. Opp. 3. quod hypostaticè vnitur diuino Verbo, est animatum, quandoquidem Verbum non nisi partes animatas assumpsit. Sanguis autem vnitur Verbo hypostaticè, vt tradit Ioann. 3. *de celebratione Missarum*, ergo sanguis est animatus. R. ma. non esse vniuersaliter veram. Nam, ex Scot. 3. *d.* 2. *q.* 1. *a.* 2. natura rationalis etiam non viuens potest assumi à Verbo, immò & partes seorsim sumptæ. De facto autẽ in triduo, partes corporis Christi erant eidem Verbo hypostaticè vnitę: tametsi tunc non fuerint animatæ, quia Christus verè mortuus est.

11. Opp. 4. adeps est sanguis frigore coagulatus, teste Galeno, 2. *de temperamentis.* Aut secundum Arist. 1. *de gener. animalium, c.* 2. adeps est sanguis concoctus, per bonam nutritionem. Adeps autem est animata, ergo & sanguis. Concedo ma. nego min. sicut enim semen ex dicendis in proximo art. non est animatum, ita & pinguedo. Est namque superfluum, quod ex nutritione superest, ac excrementum, affirmante Arist. 1. *de gener. animalium. c.* 18. *&* 19. Quin etiam, deficiente cibo, ipsa crassitudo, & pinguedo valet pro alimẽto mẽbrorũ corporis viuentis, & animati, vt ait Rondelinus *l.* 3. *de pisc. c.* 14.

ARTICVLVS II.

An sint animata semen, & lac?

12. DVo proponuntur examinanda, & decidenda sui titulo præsentis art. quorum primum est, vtrùm semen animâ informetur? Secundum verò, num lac anima fruatur? Quæ duo, vt facilius percipiantur, & dirimantur.

13. Not. primò, ex Scot. 2. *dist.* 18. *quæst. vn. F.* semen describi, *corpus imperfectum à natura non intentum propter se, sed propter aliud, vt scilicet generetur simile in specie.* Explicatur, dicitur *corpus imperfectum*, eo quod agens naturale medio semine, intendit producere corpus perfectum. Additur, *non propter se, sed propter aliud intentum*, quia semen est superfluum viuentis animati, quod videlicet derelinquitur post habitam nutritionem eius. Subiicitur, *vt generetur aliud simile in specie*, ratione cuius designatur eius causa finalis. Etenim, finis seminis est generatio alterius similis generãti in specie. Duplex autem denotatur processus, vnus ascendens, alter verò descendens. Prior est ab imperfecto, ad perfectum, nempè à forma seminis, ad formam embrionis, a forma embrionis, ad formam corporis debite organizati, a forma corporis, ad formam animæ. Posterior processus est à perfecto, ad imperfectum, id est, à forma animæ, ad formam cadaueris à forma cadaueris, ad formam vermis, à forma vermis, ad formam terræ, sicque resoluitur vsque ad materiam primam.

14. Not. 2. nonnullum intercedere discrimen inter sanguinem, & semen. Nam in animalibus sanguineis, ex sanguine bene cocto efficitur semen. Quod vt percipiatur, obserua modum faciendi: cibus ab animali prius teritur dentibus. Hinc aiunt Medici, prima digestio fit in ore. Deindè, idem cibus sic tritus demittitur ad ventriculum, vbi concoquitur, & fit secunda digestio. Cibus enim sic decoctus in ventriculo appellatur chilus: Si quid autem eius fuerit defæcatum, demittitur in secessum: quod verò bonum eius extiterit viuenti, per venas Meseraicas transuehitur ad iecur, vbi iterum coquitur, fitque tertia digestio, ibique accipit suam rubedinem, ab ipso scilicet hepate rubeo. Postmodum, per venas, cauam, & portam transfertur ad omnes partes, cunctaque membra animalis, & in eis existens conuertitur in substantiam animati, fitque eius nutritio. Si quid verò superest, aut in pinguedinem, aut in semen vertitur, quod transmittitur ad vascula opportuna, eiúsque conseruatiua, quove efficitur generatio.

15. Not. 3. lac non differre essentialiter à sanguine mẽstruo, sed accidentaliter duntaxat; hoc est, in pinguedine, colore, dulcedine, cæterisq; huiusmodi, vt præ aliis tradit Arist. 4. *de gener. animalium, c.* 8 vbi vocat lac, sanguinẽ bene coctum, & non corruptum. Subscribit Clemens *Alex. l.* 6. *Pedagog. c.* 6. inquiens, lac esse sanguinem secundum substantiam, variato tantùm colore a vehemẽti spiritu. Indicatur ex eo, quod lac, vt plurimum fit ex mẽstruo. Nam, in fœminis, fœtu concepto, cessat fluxus mẽstrui, vt ex eo ipse fœtus nutriatur, & augeatur. Atque, eo magis cessat, quo idẽ fœtus fit maior, & lac exhauritur. Illud quippè attractum per venas transfertur & sistit in vberibus, vbi denuò decoctum, albedinem, dulcedinem, cæteraque accidentia recipit: dixi, vt plurimum prouenire ex menstruo, propterea quod nonnunquam contingit, lac emanare à maribus, qui menstrua non patiuntur. Fertur namque in insula Lemno, ex capri vberibus tantum lactis emulsisse, vt fierent ex eo collostra, narrante Philosopho 3. *de hist. animal. c.* 20.

16. Ass. 1. semen non est actu animatum. Ita Scot. 4. *d.* 44. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 1. *Q.* & 2. *d.* 20. *q.* 2. *sub C.* cui præiuit Arist. 2. *de anima, c.* 1. *T.* 10. & 2. *de gener. animalium, c.* 1. sequuntur Alb. 2 *p. summa de homine*, Iand. 7. *Met. q.* 19. & Fernel. 7. *Phisiolog. c.* 13. & alij complures, contrà Platonem *in Timæo*, Peramatũ *l. de semine*, aliosq; nonnullos. Probatur 1. quod continetur in aliquo, tanquam in vase, non sortitur eamdem formam, quã vas. vt patet de aqua in amphora, & de vino in cypho: semen autẽ est in quibusdam membris animalis. vt in vase. Siquidem natura prouidit quædam vasa, in quibus cõtinetur semen. Ideòque, semen non intẽditur à natura, pro supposito, in quo est, sed propter aliud simile in specie generandum, vt palàm feci, *in* 1. *not.* explicans definitionem eius.

Secundò

Secundò, alimentum animati non eſt animatum, vt oſtendi in præcedente art. de ſanguine: ſemen autem eſt reſiduum nutrimenti viuentis, vt ſuprà declaraui, not. 2. ergo ſemen actu animam non participat.

Tertiò, ſemina herbarum, plantarum, & arborum domi ſeruata non viuunt, ergo nec ſemina animalium. Ant. conſtat experientia. Non enim aluntur, nec creſcunt. Deinceps, ſemen deciſum ab animali non viuit, vt quoque fatentur Aduerſarij, ergo nec ſemen coniunctum in animali. Conſeq. tenet, quoniam vtrumque ſemen participat eamdem formam, eaſdemque proprietates, & accidentia.

Quartò, ſi ſemen foret animatum, vel eadem numero anima, qua totum ſuppoſitum viuit, vel diuerſa: non ſecundum, alioqui duæ eſſent diuerſæ animæ, in vno, eodemque numero ſuppoſito, quod eſt falſum. Si primum, ſequitur, in generatione non induci nouam formam de potentia materiæ, ſed tantùm priſtinam augeri, & extendi, ad informandum aliud corpus: quod ſic ſuadeo, ſemen quippè ab animali deciſum eſt verè ſemen, nec vllo modo amittit rationem ſeminis: immò, in loco apto poſitum, magis videtur habere rationem ſeminis, cum tunc eo fungatur munere, ad quod à natura eſt inſtitutum, ergo informatur eadem forma, quam priùs habebat, ſecus, non ampliùs foret ſemen, proptereaquod aliam formam ſuſciperet. Prior autem forma corrumpi nequit, niſi alia de nouo accedat. Nam corruptio vnius, eſt generatio alterius.

17. Aſſertio ſecunda, lac eſt animæ expers. Ab hac non diſcrepat Doct. *vbi ſuprà*. Probatur primò, ex Ariſtot. 4. *de gener. animalium, c.* 8. affirmante, & vocante, lac ſanguinem bene coctum, & non corruptum. Secundò, lac, & ſanguis diſcriminantur accidentaliter duntaxat, ex tertio not. ſanguis autem careat anima, ex probatis in ſuperiore art. ergo, & lac. Tertiò, lac vtplurimum eſt menſtruum bene purgatum, ſordibus, fæcibuſque ablatis, vt ſatis manifeſtaui, paſſim mox alleg. Menſtruum autem à ſanguine eſſentialiter non differt, ergo nec lac. Proindéque, cum menſtruum ſit animatum, vtique, & lac eſt inanime.

18. Oppones primò, contra primam aſſertionem, quod habet virtutem producendi animatum, eſt actu animatum: ſemen autem pollet virtute producendi viuens, ac animatum, vt quotidiana nos docet experientia, ergo ſemen eſt actu animatum. Reſp. poſſe negari ma. ſol quippè in multorum ſententia habet virtutem gignendi ranam, tametſi ipſe ſol animæ ſit expers. Quod ſi conceDatur ma. diſtinguenda eſt min. ſemen participat potentiam principalem generandi animatum, nego: diſpoſitiuam, concedo.

19. Opp. 2. ſemina herbarum, plantarum, & arborum nutriuntur, augentur, & germinant domi ſeruata, vt patet de alliis, cæpis, & huiuſmodi. Nutritio autem, auctio, & germinatio ſunt operationes vitales à viuente ac animato prodeuntes, ergo ſemen eſt actu viuens, & animatum. Diſtinguo, quædam ſunt ſemina, & fructus ſimul radicum, ſtirpium, & plantarum, vt mox prærecenſita, & hæc viuere, & animari, concedo. Alia verò, ſunt ſemina duntaxat, & iſta anima, vitaque gaudere, nego. Ob id Ariſt. 2. *de anima, c.* 1. *&* 2. *de gener. animal. cap.* 1. ſubiungit, nullum ſemen animari, & viuere.

20. Oppones tertiò, contra ſecundam aſſertionem, actiones diuerſæ, diſtinctæque proprietates arguunt diſtinctam naturam, & eſſentiam, vt nemo negat: lac autem, & ſanguis ſortiuntur diuerſas actiones, necnon diſtinctas paſſiones. Nam ſanguis eſt rubeus, & calidus: lac verò eſt album, & frigidum: ergo non ſequitur, quod ſi ſanguis eſt inanimis, pariter & lac ſit inanimatum. Concedo ma. Ad min. dico, id tantùm arguere diſcrimen accidentale: non autem ſubſtantiale, de quo extat contentio.

ARTICVLVS III.

An Capilli, & vngues ſint animati.

21. PRima ſententia eſt D. Th. 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 1. *ar.* 2. *quæſtiuncula* 3. Iauel. 2. *de ani. quæſt.* 10. Bannez 1. *de gener. cap.* 4. *quæſt.* 8. *art.* 4. & aliorum affirmantium, capillos, & vngues eſſe animatos. Secunda eſt, quam tuentur Fernel. 2. *Phiſiolog. cap.* 2. Galen. *l. artis medicæ* Fracaſtor. *l. de anima, Tol.* 2. *de anima, quæſt.* 4. *cap.* 2. quibus videtur conſentire Scot. 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. negantes Capillos, & vngues eſſe anima præditos.

22. Not. 1. ex Iſidor. & Berch. *lib.* 2. *ſui reduct. cap.* 61. capilli, quaſi capitis pili dicuntur, qui quoq; coma, cæſaries, crines, aliiſque nominibus nuncupantur. In horum procreatione natura ſic incedit. Ex nutritione animalis remanent quædam fæces, & excrementa craſſa, & ſicca, atq; fuliginoſi vapores in ſtrictis cutis ſpiramentis incluſi, anguſtiſq; meatibus detenti, qui oblongam dictorũ meatuum figuram ſortiuntur, ſeſéque pellunt extrà, & in lucem ordinatim prodeunt: Quiue, licet ſint excrementitij, nihilominus ad ornatum, & decẽtiam animalis conducunt, vt præ aliis aduertit D. Aug. *in Pſal.* 34. *concl.* 1. *& in Pſal.* 51 Eodem ferè pacto, natura videtur ſe gerere in efformatione vnguium. Nam venæ, nerui, tendines, & ligamenta digitorum ex reſiduo nutrimenti emittunt, quoddam excrementum craſſius, ſiccius, & durius in extrema parte digitorum, manuũ, & pedum: Atq; ibi magis ſolidatur, & dureſcit, tãdemq; in vngues vertitur, ac mutatur, qui quoquomodo ad munimentũ, & ornamentum animalis cõfert, vt notat D. Aug. *l.* 22. *de Ciuit. Dei, c.* 24.

23. Not. 2. nonnullos, etſi libenter concedant, capillos haud animari, & viuere: negare tamen id de vnguibus, proptereàquod in his viſuntur quædam fibræ, & venulæ, ſiue quaſi radices, eo ferè pacto, quo in radicibus, vel frondibus arborũ apparent huiuſmodi venulę, per quas tranſmittitur nutrimẽtum ad eas partes alendas. Eò magis, quia eorum percuſſione, & auulſione, dolore non modico afficimur, qui ſanè nõ fieret, niſi vngues animâ fruerentur. Verùm, oppoſitũ probabilios, & veriſimilius eſt, idcóque tenendum. Præfata autem inditia non cogunt. Etenim, etiam in quibuſdam lapidibus aliiſque non viuentibus cernuntur nonnullæ fibræ, & venulæ, non tamen cenſetur viuere. Itemq; in capillorum auulſione, dolore angimur: nihilominus Aduerſarij fatentur pilos eſſe inanimatos. Huiuſmodi namque dolor cauſatur, ex contiguitate partium inter ſe, non quia vita potiantur: veluti, ſi ferrum in carnem iniectum, in eaque retentum, ſi extrahatur, dolorem infert.

24. Aſſ. tam vngues, quam capilli anima, vitaque carent. Eſt conſentanea Ariſt & Scot. pręalleg Probatur 1. quod non eſt pars animalis, ſecundum potẽtiam, & ſubſtantiam, non eſt animatum; atqui vngues, & capilli non ſunt partes animalis, nec ſecundum potentiam, nec ſecundum ſubſtantiam, ergo non ſunt animati. Ma. patet. Quod enim non eſt pars corporis naturalis, planè non participat formam corporis naturalis: pariter, quod non eſt pars corporis viuentis, gaudere nequit anima, & vita. Min. eſt in promptu, quandoquidem dicti capilli, & vngues valent ad ornatum, & auxilium animalis, atqueadeò animati non ſunt.

Secundò, quod eſt ſupernacaneum, reiectaneum, & excrementum nutrimenti animalis, non eſt animatum: Sic autem ſunt capilli, & vngues, vt oſtendi *in* 1. *not.* ergo ſunt inanimes. Ma. eſt nota: quia partes animati non repelluntur ab animato, & quod cedit in alimentum animalis non reiicitur ab eo: quod non ſeruatur in pilis, & vnguibus. Min. eſt Ariſt. *l.* 3. *de hiſtoria animalium, c.* 11.

Tertio, viuentib. ineſt ſemper aliquod opus vitæ, cum opus vitæ ſit neceſſarius effectus animati: capilli autem, & vngues nullum opus vitæ edunt: creſcunt namque per iuxtapoſitionem, vt comprobatur experientia de

quibusdam corporibus defunctorum, & cernitur in corpore B. Angeli de Clauatio, Cunei, & B. Antonij de Stronone, Assisij quiescente, in quo vngues, & capilli crescunt. Huiusmodi autem accretio fit per iuxtapositionem, eo ferè pacto, quo aqua additione aquæ augetur. Præterea, cum amputantur vngues, & capilli, dummodo caro non tangatur, & lædatur, nullus dolor infertur animali, ergo non sunt animati.

25. Oppones primò ex Aristot. 1. *anime*, T. 79. & 3. *eiusdem*, *cap*. 13. capilli dicuntur partes animalis. Et 3. *de hist. animalium*, *cap*. 11. vngues in quibusdam animalibus, ad tantam perueniunt duritiem, vt ab ossibus non differant. Ossa autem sunt animata, ergo & vngues. Respondeo ad duo priora testimonia, capillos esse partes animalis secundarias, & excrementitias: non verò primarias, & per se à natura intentas. Ideò animæ sunt expertes. Ad tertium testimonium, dico similitudinem Philosophi, valere penes duritiem, non autem penes animationem. Quare, concedo quidem, vngues aliquando ita durescere, sicut ossa: nego autem vngues animari, veluti ossa.

26. Oppones secundò, calore animalis deficiente, deficiunt vtrique, & decidunt capilli, vt constat in senibus. Ergo capilli sunt animati, alioqui non videtur, qua de causa fieret eorum casus. Respondeo id prouenire ea coniunctione, & contiguitate quam habent cum carne animalis. Ob id calore, & humore desinente, desinunt quoque capilli.

Oppones tertiò, vngues, & capilli augentur, quotidiana monstrante experientia: ergo sunt animati. Conseq. tenet, quia auctio est signum animæ, ac vitæ. Respondeo vngues non crescere per intus susceptionem, quod requiritur ad hoc, vt aliquid verè, & intrinsecè sit animatum. Addo, animatum augeri iuxtà trinam dimensionem, capillos verò, & vngues, penes longitudinem duntaxat, quod haud dubium est, eos nec animari, nec viuere.

27. Oppones quartò, dentes sunt animati, vt cum Aristot. 3. *de gener. cap*. 4. affirmant omnes Philosophi, & quidem meritò, cum sint partes insignes in fabrica animalis. Ergo illipsum astruendum est de capillis, & vnguibus, cùm per ratio in vtriusque eluceat. Conf. vngues habent quasdam fibras, & venulas, per quas alimentum transit, & aluntur: quæ autem nutriuntur, proculdubio animantur: ergo anima, vitaque illis non est deneganda. Concedo ant. nego conseq. causa est, quia dentes sunt ossa, ex communi Philosophorum placito: non sic vngues, vt patet ex eorum sectione. Ad conf. dico, etsi appareant fibræ, & venulæ in vnguibus, nihilominus non sunt animati, vt patet de lapidibus in quibus cernuntur huiusmodi fibræ, & venæ, tametsi anima, vitaque careant, ex communi omnium consensu.

ARTICVLVS IV.

An partes organicæ animalis habeant formas specie distinctas.

28. Hoc dubium sub alio titulo proponi solet, vtrùm dentur formæ partiales? De quo extant duæ sententiæ extremæ. Vna est Alensis 1. *p. quæst*. 59. *m*. 2. D. Th. 2. *contra gentes*, *cap*. 64. & 1. *p. quæst*. 76. *art*. 5. *ad* 3. Run. 2. *de anima*, *cap*. 3. *quæst*. 7. & Complut. *disp*. 6. *quæst*. 2. §. *Secundo*, & aliorum negantium membra, & partes organicas gaudere formis distinctis ab anima animalis, qua totum ipsum animal informatur, & viuit. Altera est Scot. 4. *dist*. 11. *quæst*. 3. & 7. *Met. quæst*. 10. Antonij Andr. *ibid. quæst*. 17. Mayr. 2. *distinct*. 16. *quæst. vn*. & complurium aliorum affirmantium membra, & partes organicas animalis participare distinctas formas partiales à forma totius, & anima, qua viuit animal.

29. Not. partes organicas animalis esse in duplici differentia, nonnullas homogeneas, cæteras verò heterogeneas. Illæ sunt similares, eiusdem rationis, & denominationis, sic partes ossis sunt, & denominantur ossa, & partes carnis sunt, & denominantur carnes. Istæ verò sunt diuersæ rationis, ac nominis, vt caput, collum, brachia, pedes, & huiusmodi, quæ sortiuntur diuersas complexiones, proprietates, & operationes. Inter autem hæc membra, quædam sunt præcipua, puta, cor, cerebrum, & huiusmodi: alia verò sunt minus præcipua, vt manus, pedes, & id genus alia.

30. Aff. partes organicæ animalis sortiuntur formas specie distinctas ab inuicem, & forma communi, quæ est anima. Tenet. Doct. *vbi supra*. Probatur primò, ex Arist. 3. *de partibus animalium*, *cap* 4. affirmante, cor esse primam partem animalis, quod est dictu, prius producitur cor, quam reliqua membra corporis animalis, antequam accedat anima ad informandum corpus eius. In illo autem priori, cor habet suam formam, quia nihil existit sublunare substantiale, quod careat sua forma substantiali: atqui tunc cor non participat formam animæ, quia supponitur nondum esse animam. Igitur gaudet propria sua forma cordis, ratione cuius distinguitur à formis reliquarum partium corporis animalis.

31. Respondent nonnulli, quorum nomina reticet Mayr. *passu alleg*. & sequuntur Complut. cit. cor, & cætera membra animalis sortiri inter se distinctionem non essentialem, sed accidentalem duntaxat. Contra. Nulla materia, siue totalis, siue partialis reperitur naturaliter absque forma: in corde autem est materia partialis, vt patet, ergo & forma partialis: hæc autem non est accidentalis, quia cum materia sit substantia, vtque eius forma est substantia: ergò cum vna substantia differat ab alia substantia substantialiter: planè infertur, præfatam distinctionem haud esse accidentalem, sed substantialem. Iterum, totum, & adæquatum perfectibile est corpus organicum: Ob id 2. *anime*, *cap*. 1. *T*. 6. anima definitur actus primus corporis organici. Corpus autem organicum ex partibus dissimilaribus, & heterogeneis coalescit, inter quas principem locum tenet cor. Totum autem corpus organicum, eiusque partes præexiguntur, & præsupponuntur, priusquam anima informentur. Ergo cum huiusmodi corpus sit substantia, eiusque partes substantiales, sanè eiusdem substantialiter inter se differe.

Secundò, diuersa temperies, figura, & operatio arguunt diuersam formam, & substantiam: per illa quippè deuenimus in notitiam huius. Ideò subiicit Arist. 1. *anima*, *T*. 11. Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendam substantiam. Partes autem organicæ animalis participant diuersum temperamentum, insigniuntur distincta figura, eliciuntque aliam operationem. Cor enim est calidum, & officina spirituum vitalium: cerebrum verò est frigidum, & fons spirituum animalium: caro est humida, & mollis: os verò siccum, & durum, & sic de reliquis: ergo sortiuntur diuersas formas partiales substantiales.

32. Occurrunt prænominati Authores, & dicunt, id prouenire ex accidentibus, & qualitatibus dispositiuis. Dispositiones quippè extant in capite, & in organis eius ad visionem, auditionem, & reliquas sensationes: non autem in pedibus, aliisque membris corporis animalis. Quare huiusmodi diuersæ operationes non oriuntur à diuersis formis substantialibus, sed accidentalibus. Contra, diuersa accidentia detegunt, & manifestant diuersas formas substantiales: quandoquidem substantia nos latet, & materia est passiua, ergo operatio tribuitur formæ, & toti composito: ergo cernentes varia, diuersa accidentia, & operationes, deprehendimus distinctas formas substantiales, & composita, vt benè differit Arist. 1. *anime*, *T*. 64. & inde. Vnde, planta sortitur diuersam figuram ab arbore: arbor ab homine: homo à Leone, & sic de reliquis. Itemque diuersimodè

uarsimodè agunt, & operantur, quæ planè nonnisi à formis specie, aut genere distinctis promanant.

Tertiò, si aliqua pars organica animalis, ab ipso abscindatur, adhuc retinet suam formam, quam habebat, cum erat coniuncta cum cæteris membris, ac partibus, vt si moneatur os, videtur ipsummet os, cum eadem forma, & figura, cuius antea erat eumpos: illa autem forma non proficiscitur ab anima, vt patet, quia hæc, ab illa seiuncta est, & segregata. Igitur quælibet pars organica animalis possidet suam propriam formam substantialem. Non præstat dicere, hoc prodire, ab accidentalibus formis, quæ subiectantur in materia. Siquidem materia ex dictis non est proximum, & immediatum subiectum accidentium: atque materia nunquam inuenitur, absque aliqua forma substantiali: ergo si inuenitur aliqua pars organica à toto animali separata, gaudet sua propria forma partiali substantiali. Adde, quod etiam in artefactis id perspicitur. Nam imago pictoris, plures formas distinctas specie sortitur, vt colorem album, nigrum, & huiusmodi: ergo quoque hoc non incongruè affirmatur de naturalibus, cum hoc tamen discrimine, quia illæ formæ sunt accidentales: istæ verò substantiales.

33. Oppones primò, manus mortua, & viua sunt æquiuocè manus, teste Arist. 4. *Meteor. & 7. Met. T. 35.* At si manus haberet peculiarem formam ab anima distinctam, manus nequaquam foret æquiuoca mortuæ, & viuæ, quia vtraque participaret eamdem formam manus: ergo partes organicæ distinctas specie formas non sortiuntur. Respondeo manum, & quodlibet aliud membrum organicum animalis posse bifariàm considerari. Vno modo, quatenùs manus importat ordinem ad animam, actu ipsam manum informantem, sicque manus viua, & mortua sunt æquiuoca, cum manus viua informetur anima, qua caret manus mortua. Altero modo, absolutè, quatenus habet formam manus, & sic vtraque vniuocatur in forma manus. Per hanc distinctionem exponitur testimonium Arist.

34. Oppones secundò, maior distinctio esse videtur, inter partes organicas animatas, quam inter partes organicas inanimatas: partes autem organicæ animatæ, vnam communem formam possident, nempè animam, ergò & partes inanimatæ. Ma. suadetur, quia illæ habent distinctas operationes, vt oculus visionem, auris auditionem, & sic de cæteris, quæ arguunt distinctas animas, à quibus prodeunt: istæ verò vnam actionem, & operationem communem eliciunt: hoc tamen non obstante, vna forma participatur ab eis duntaxat: ergo, &c. Nego sequelam ma. Etenim, vna anima, penes distinctas vires, & potentias, potest elicere, & exercere distinctas operationes: propterea, ex diuersis operationibus non rectè infertur diuersitas animarum. Verumetiam, ex diuersis temperamentis, & passionibus probe depromitur formarum varietas, secundum diuersas partes organicas, vt euidenter ostendunt, quæ suprà adduximus.

35. Oppones tertiò, quod est continuum, non potitur partibus habentibus diuersas formas, vt patet de ligno, auro, & reliquis continuis participantibus eamdem prorsùs formam communem: corpus autem animalis est continuum. Omnes quippè eius partes adinuicem continuantur, vt cernitur ad oculum. Ergo huiusmodi partes non fruuntur distinctis formis. Respondeo ma. in qua vim faciunt Aduersarij, non esse omnino veram. Siquidem ramus arboris est continuus: tamensi vna eius pars sit viua, & altera arida, quandoque. Pariter interdum, corporis humani pedes aridi sunt, reliqua verò eius membra sana, & viua sunt. Ad min. dici potest, corpus animalis non esse simpliciter continuum, sed mixtum, ac medium inter continuum, & contiguum, propterea quod eius partes inter se colligantur, & connectuntur.

36. Oppones quartò, si huiusmodi partes organicæ haberent formas specie diffitas, constituerent vnum per accidens, & vnum per aggregationem. Nam ex pluribus actibus disparatis efficitur vnum per accidens. In communi autem sententia compositum animalis est vnum per se, ergo eius partes formis specificis non potiuntur. Nego sequelam ma. quandoquidem formæ illæ partiales sunt subordinatæ formæ communi, quæ est anima. Ideòque ex eis bene fit vnum per se.

37. Oppones quintò, quælibet forma substantialis, vnà cum materia constituit suppositum: ergo si in ipso forent plures formæ substantiales, deduceretur ipsum ex eis coalitum fore multiplex suppositum, & hypostasem: quod falsum esse, nemo est qui inficiatur. Respondeo non quamlibet formam substantialem constituere suppositum, sed formam totalem completam, & perfectam. Idcircò, perperam infertur, ex pluribus formis partialibus abinuicem specie diffitis, vnum esse multiplex suppositum.

ARTICVLVS V.

De partibus humani corporis.

38. SYnopsis partium singularum humani corporis, vulgò vocatur anatomia, quam nunc breuissimè attingere statui, relinquens exquisitam eius tractationem, & diligentem, accuratamque eiusdem indaginem, ipsius magistris, & professoribus. Potius autem à partibus humani corporis quam à partibus corporis naturalis generatim sumpti, aut cuiuscumque alterius animati, & animalis exordior, propterea quod dictæ partes corporis humani sunt nobiliores, & excellentiores, & quia fabrica est mirabilior, & diuinior.

39. A quibusdam autem totum humanum corpus diuiditur in tres ventres, quorum primus appellatur caput, secundus thorax, & tertius artus. Ab aliis, verò earum partium, quadruplex efficitur distributio.

Prima in partes essentiales, & integrales. Illæ sunt quæ totum essentialiter constituunt, putà corpus, & anima rationalis in homine, & in quolibet alio composito naturali materia, & forma. Partes integrales, quæ totum integrant, perficiunt, & ornant, sunt caput, collum, brachia, manus, &c.

40. Secunda, in partes spermaticas, alimentitias, & excrementitias. Partes spermaticæ sunt, quæ medio semine à progenitoribus efformantur: quæve primigeniæ nuncupantur, propterea quod ab initio fœtus, fuerunt procreatæ. Alimentitiæ sunt, quæ per nutritionem aggenerantur, & connectuntur partibus prioribus seu primigeniis. Excrementitiæ sunt, quæ ex superfluo alimento prosiscuntur, vt semen, lac, capilli, & cæt.

41. Tertia, in partes continentes, contentas, & impetum facientes. Partes continentes sunt, quæ sub suo ambitu alias partes comprehendunt, vt membrana, cutis, pellis, & huiusmodi. Partes contentæ perhibentur, quæ sub aliis continentur, vt iecur, cor, pulmones, & reliqua. Partes impetum facientes dicuntur, quæ cæteras partes excitant, vt spiritus vitales pulsant arterias.

42. Quarta, in partes heterogeneas, seu dissimilares, quæ sunt diuersæ rationis, vt caro, os, &c. & homogeneas, seu similares, quæ sunt eiusdem rationis, vt caro, & partes eius, sunt caro, veluti aqua, & partes eius sunt aqua. Huiusmodi autem partes similares potissimùm septem recensentur, os, catilago, ligamentum, tendo membrana, cutis, & caro. Ad has autem reuocari possunt quatuor humores, spiritus, semen, & lac.

Os est substantia terrestris, sicca, frigida, & dura, necnon animata. Nutritur enim, & augetur per intus susceptionem. In ossibus autem tota fabrica corporis

 nititur,

nititur, & fulcitur. Sunt enim fulcimenta, & fundamenta reliquarum partium, & membrorum corporis animalis.

Cartilago est substantia osse tenerior, quæ inuerti, inflectique potest. Quædam autem cartilago insidet in extremitatibus ossis, vt patet de cartilagine nasi: quædam verò ossis extremitatibus non adhæret, vt cartilago auris.

Ligamentum, vt nomen indicat, est quædam substantia connectens, siue colligans ossa, ne à propriis locis dimoueantur.

Tendo à tendendo deriuatur, quia vt mox ipsa denotat, veluti chorda membrum mouendum tendit, mediatque inter ligamentum, & neruum. Nam mollior est ligamento, & durior est neruo.

Membrana est tunica, qua teguntur corporis partes, & membra.

Cutis est membrana, quæ totum corpus, aut aliquam eius partem cooperit. Dissecatur autem cutis in externam, quæ nuncupatur epiderma, quæve oculis nostris conspicitur: & in internam, quæ derma nominatur, quævè à nobis non ita facilè cernitur.

Caro est substantia, quædam laxa in corpore à sanguine procreata. Differt autem à pinguedine, quia etsi pinguedo quoque ex sanguine fiat: nihilominus à frigore, per modum congelationis efficitur: caro verò à calore per siccitatem efformatur.

43. Quatuor humores sunt sanguis, pituita, id est phlegma, atra bilis, nempè melancholia, & flaua bilis, scilicet cholera, qui omnes nutritioni inseruiunt, simulque miscentur, vt asserit Medicorum vulgus, contrà Arist. 1. de partibus animalium.

Spiritus est subtilis quædam substantia, vocaturque spiritus propter tenuitatem, & promptitudinem agendi. Huiusmodi autem spiritus conspiciuntur in incisione venæ. Nam, virtute ipsorum spirituum, sanguis ex vena incisa egreditur. Diuiduntur autem spiritus in innatos, & influxos. Innati sunt substantiæ subtiles procreatæ ab initio fœtus, ad eius consistentiam. Influxi sunt, qui vnà cum sanguine influunt, iuuantque spiritus innatos. Deindè, spiritus influxi subsecantur in naturales, vitales, & animales. Naturales sunt, qui vnà cum sanguine in venam difluunt, nutritionemque adiuuant. Vitales dicuntur, qui à corde, tanquam vitæ fonte proflu-ant. Animales perhibentur, qui à cerebro trahunt originem, e inseruntque ad sensationes obeundas. De quibus nonnihil agit Scot. 4. *distinct.* 49. *quæst.* 16. §. *Alius intellectus*, inquiens, hos diffundi per totum corpus, & per poros illos vbi non est caro solida.

44. Partes dissimilares potissimùm referuntur quatuor, & nuncupantur musculus, vena, arteria, & neruus. Musculus est pars heterogenea, tunica, carne, fibris, & ligamentis contexta. Sciditurque in musculum latum, profundum, & oblongum. Vena est pars heterogenea vnica contexta tunica, sanguinis alimentitij conceptaculum. Subsecatur præcipuè in venam cauam, & venam portam: atque in alias multas, quarum vltimæ appellantur venæ capillares. Arteria est pars dissimilaris duplici induta tunica, vitalis sanguinis conceptaculum. Oritur à corde. Duplex autem ex ipso corde oritur, ex parte scilicet sinistra eiusdem, vnaque vocatur venosa, & altera aorta: Venosa ad pulmones fertur, eisque præbet sanguinem arteriosum, fuliginesque expurgat. Aorta est, quæ vitali influxu reliquas partes corporis fœcundat.

Neruus est pars heterogenea spirituum animalium vehiculum, quo anima in cerebro insidens, totum corpus regit, & moderatur. Ortum suum habet à cerebro, vt contrà Arist. tradunt Medici, quibus tanquam magis expertis fides est adhibenda, præsertim cum id cernatur in sect. anatomica.

45. Nunc verò libet declarare partes, quatenus à natura sunt rectè dispositæ, aptèque ordinatæ. Tres autem partes præcipuè obseruantur in humani corporis fabrica, caput scilicet, thorax, & artus.

Caput autem sciditur in partem capillatam, ità dictam, quia capillis adornatur, & non capillatam, quia capillorum est expers. Hæc comprehendit frontem, oculos, nasum, genas, tempora, labia, aures, & reliqua. Illa verò subdiuiditur in sinciput, id est partem anteriorem capitis, in verticem, hoc est summitatem capitis, & occiput, scilicet partem posteriorem capitis. Deinde, subsecatur in partes continentes, & contentas. Rursùs, continentes in communes, cuiusmodi sunt cutis, & membrana carnosa: & proprias, quæ distribuuntur in externas, vti sunt pericranium, & cranium, in quo tanquam in casside seruatur cerebrum; & internas, quæ extant duæ meninges circumplectentes totum cerebrum, quarum vna, quia est durior, vocatur dura mater: altera verò, quia est melior, nuncupatur pia mater. Partes autem contentæ sunt cerebrum, & cerebellum. Illud est in anteriore parte capitis, & est maius: istud verò est in posteriore parte eiusdem capitis, & est minus, vt nomen eius indicat. In cerebro autem obseruantur quædam cellulæ, in quibus resident sensus, de quibus sigillatim suo loco, cum de sensibus instituetur sermo.

46. In thorace extant duæ cutes, epidermis scilicet, & derma. Accedunt quædam pinguedo, musculi serrati, mastoïdes, & bronchius. Visuntur quoque duæ mammæ, præsertim in fœminis. Occurrit diaphragma, quod est instar muri interpositi, quodve continet in se vitales operationes, beneficio cuiusdam membranæ vniuersalis, quæ respectu diuersorum locorum, diuersa sortitur nomina. Vt enim respicit inferiora, perhibetur septum, & peritoneum: quatenus verò respicit superiora, nominatur pleura, & membrana subcingens, & in capite meninx. Subsequitur cor, quod est principium, & fons vitæ constans duabus partibus, vna latiori, quæ dicitur basis, siue caput: altera verò angustiori, & acuminata, quæ appellatur cuspis, siue apex. In ipso corde reperiuntur duo ventriculi, totidem auriculæ, & quatuor vascula. In dextro ventriculo cernuntur duæ venæ, nempè vena caua, & vena porta: in sinistro autem, duæ arteriæ, venosa, & aorta. Dantur verò eidem cordi duæ ariculæ prænominatæ, fortassè, vt calor eius moderetur, & quasi per duo flabella refrigeretur. Denuò aduenient pulmones, quorum materia est mollis, & spongiosa: modò autem extenduntur, modò verò comprimuntur, quandoquidem conceduntur à natura ad respirationem faciendam. Instar quippè follium organorum extenduntur, vt aërem frigidum attrahant; & comprimuntur, vt aërem calidum expellant. Quod fortassè innuit Dauid Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Et exprimit August. *lib.* 4. *contrà Iulianum, cap.* 14 Pulmones sunt veluti folles, quibus alternatim vitales flatus hautimus, & reddimus. Et *in expos. Psal.* 102. Est quidem pulmo pectoris, iecoris nostri quasi follis quidam anhelantis spiritum reciprocum, qui spiritus concepti aëris, in vocem, & sonum exprimitur, cum verba digerimus. Nec prætermittenda sunt aspera arteria, quæ est ad respirandum, & ad efformandam vocem inseruit, necnon œsophagus, qui est canalis, per quem transmittitur alimentum, in ventriculum. Musculi laringis, & colli, gurgulio, spina dorsi, vigintiquatuor costæ, duodecim ex vno latere, & duodecim ex altero latere. Subnectendum est hepar, in quo facultas naturalis insidet, & venarum radicatio. Splen, & reliqua, quæ declarantur ab Anotomistis.

47. Artus, qui, & inferior venter nuncupatur, dispartitur in partea continentes, & contentas. Partes continentes sunt epidermis, & derma, membrana adiposa, & carnosa. Partes verò contentæ numerantur vmbilicus, omentum, id est membrana, quæ adhæret in fundo ventriculi. Iunguntur intestina, quorum vnum dicitur duodenum, propterea quod eius magnitudo mensura-tur

tur duodecim digitis. Alterum vocatur ieiunum, eo quod cum sit alno longins, nunquam videtur plenum. Tertium est ileon, quartum cœcum, quintum colon, & sextum rectum, quod ea crementa recto tramite expellit. Eorum autem vinculum appellatur mesera:cum. Succedont canales vrinatij, vessica, vasa spermatica, & reliqua, de quibus abunde Anatomistæ.

QVÆSTIO III.

De potentiis animæ in communi.

1. POST indaginem, & examen animæ secundum se, & generatim sumptæ, necnon de partibus corporis animati, ordinata methodus postulat, vt eius potentias, vires, & facultates, diuina suffragante gratia perscrutemur. Prius namque est esse, quam consequentia ad esse, vt tangit Doct. 4. *dist.* 10. *quæst.* 7. §. *Respondeo A.*

ARTICVLVS I.

A quo producantur potentiæ animæ.

2. SVnt, qui arbitrantur, animæ potentias produci à generante compositum animatum, tanquam à principio proximo, & immediato. Communis autem opinio Philosophorum sustinet vires, facultates, & potentias animæ immediatè, & proximè produci ab ipsamet anima.

3. Not. primò, ex Scot. mox cit. *in exp.* 9. *Met. cap* 2. quasdam potentias competere inanimatis, vt igni potentiam calefactiuam, & aquæ potentiam frigefactiuam: quasdam verò animatis, vt potentiam nutritiuam, & augmentatiuam: inter quas nonnullæ oriuntur ab anima, vt intellectus, & voluntas ab anima rationali: aliquæ à corpore, vt mobilitas, & cæteræ à toto coniuncto, vt vegetatiua, sensitiua, & huiusmodi, quarum meminit Arist. 1. *anima*, 64. & Scot. 12. *Met. in expos. T.* 14. inquiens, potentiæ, præter intellectum, & voluntatem, sunt organicæ, & totius coniuncti, & in separatione, non manent, nisi vt in radice.

4. Not. secundò, per potentias animæ intelligi principia immediata operationum vitalium, sic intellectus est principium proximum, & immediatum intellectionis, voluntas volitionis, & sensus sensationis. Hinc subiicit Doct. 3. *d.* 34. *q. vn. ante.* §. *His suppositis sub H.* potentia est, quo potens est potens, & quo potens est fortis. Potest autem aliquid ab alio produci bifariàm, aut per motum, & mutationem, quo pacto productum realiter distinguitur à producente, vt sunt effectus, à suis causis: aut per simplicem emanationem, siue per realem resultantiam, vt potentiæ ab anima, & à toto coniuncto, putà potentia calefactiua, ab igne, & frigefactiua, ab aqua. Atque diuina attributa à diuina essentia pullulare dicuntur. Hunc duplicem producendi modum recensent Scot. 1. *post. quæst.* 25. §. *Ad quæst. vers. sed alio modo*, & Sarn. *quæst.* 1. *vniuers. pag.* 16. & 17.

5. Not. tertiò, ab vna, eademque simplici anima, plures oriri potentias, vt ab anima rationali promanant intellectus, & voluntas, ordine quodam seruato. Nam intellectus prodit ab anima intellectiua priùs, quàm voluntas, eo ferè pacto, quo reperitur ordo in productione plurium effectuum essentialiter ordinatorum ab eadem causa promanantium, quorum vnus supponit alium, non quia vnus ab altero efficiatur, vt motua dicitur esse causa caloris, sed quia inter vtrumque extat naturalis præsuppositio, vnusque altero est immediatior causæ, aut saltem minora supponit. Sic nos priùs intelligimus, quàm velimus, non quòd intellectio sit causa volitionis, sed quia intellectio minora præexigit quàm volitio, ita naturaliter ab anima prius emanat intellectus, quàm voluntas, vt indicat Doct. 1. *distinct.* 2. *quæst.* 7. O. & alibi non rarò.

6. Ass. potentiarum quædam ab anima, quædam verò à toto coniuncto immediatè oriuntur: & à generante mediatè, & remotè. Ass. est bipartita, quam tenet Doct. *locis præalleg.* & insinuat D. August. *lib.* 1. *contra Iulianum, cap.* 3. inquiens. *Voluntatum si quærantur origines, quæ occurrunt, nisi naturæ, quas Deus bonas condidit.*

Primam parsa probatur primò, illud est principium immediatum, & proximum alicuius, quo primo posito immediatè ponitur, & quo primo ablato immediatè aufertur: posita autem anima immediatè ponuntur potentiæ inorganicæ, & posito toto coniuncto immediatè ponuntur potentiæ organicæ, & materiales, vt neminem videtur latere, ergo anima, & totum coniunctum est immediatum, & proximum principium omnium prædictarum facultatum, & virtutum.

Secundò, anima non est ignobilior forma elementorum, cum sit principium vitæ: & compositum animatum non est deterius composito inanimato: formę autem elementorum, & ipsa elementa sunt principia proxima, & immediata suarum potentiarum, vt ignis potentiæ calefactiuæ, & aqua frigefactiuæ, ergo pariter anima, & totum viuens, & animatum sunt immediata principia, & origines præfatarum virium, & potentiarum.

Secunda pars defenditur expressè à Doct. 1. *post. quæst.* 56. §. *Ad* 1. & suadetur ex communi Philosophorum elogio, qui dat esse, dat consequentia ad esse, Et ex proloquio Iuristarum, qui dat principale, dat accessorium. Generans autem producit animatum, ergo mediatè, & consequenter producit vires, & facultates eius. Deinde, qui producit substantiam corpoream, vtique producit passiones, & accidentia eius, putà quantitatem, qualitatem, & huiusmodi: generans autem animatum producit animatum sibi simile, ergo consequenter producit vires, & virtutes, quæ ipsum consequuntur & concomitantur.

7. Opponas primò, Arist. 7. *Phys.* 1. scribit, nihil à seipso moueri: Si autem anima, & animatum producerent suas potentias, & facultates, mouerentur à se ipsis ad easdem potentias producendas, ergo ab eis dictæ potentiæ non proficiscuntur. Respondeo ad ma. & dico, effatum Arist. valere de iis, quæ producuntur per motum, & mutationem: non autem de cæteris, quæ prodeunt per simplicem emanationem, cuiusmodi sunt vires, & virtutes animæ, & totius coniuncti animati, vt palàm feci *in* 1. *not.*

8. Opponas secundò, ab vno, vt vno, non potest proficisci nisi vnum, authore Auer. 8. *Phys. com.* 46. Anima autem est vna simplex substantia, & animatum quoque vnum est, ergo ab his prodire nequeunt plures vires, & potentiæ. Respondeo per expositionem ma. ab vno habente vnum principium tantum, non potest produci, nisi vnum, concedo: ab vno habente plura principia, nego. Sic ab vno sole oriuntur potentiæ illuminandi, & calefaciendi, & ab vna causa, plures prodeunt effectus.

ARTICVLVS II.

An potentiæ animæ abinuicem, & ab ipsa anima distinguantur.

9. PRima opinio est Ocham. 2. *quæst.* 24 *& vlt.* Gabriël. Greg. & aliorum Nominalium arbitrantium, potentias animæ esse prorsus idem cum ipsamet anima,

anima.ita vt anima rationalis non distinguatur ab intellectu,& voluntate,quæ sunt eius potentiæ,sed ipsamet sit intellectus,& voluntas connotando dictarum potentiarum operationes. Anima quippè, quatenùs intelligit, connotat intellectum, & quatenùs vult, connotat voluntatem. Secunda, opinio est Alens.2. *p. q.*63. *m.*s. Th.1.*p.quæst.*77.*art.*1. Tol.2.*animæ,quæst.*9. Ruu. *ibid. cap.*3 *quæst.*1.& moltorum aliorum,statuentium potentias abinuicem,& ab anima realiter differre. Tertia, defenditur à Scot.3.*dist.*16.*quæst.vn.*& 4. *dist.*44.*quæst.*2. Tatar.2. *de anim.quæst.*2 *art.*2. Ioan. de Magist. Ponc. *disp.*58. *quæst.*11. aliisqoe permultis, docentibus inter animam, & potentias eius interreipi distinctionem formalem.

10. Not. primò, & recol. ex dictis *in super.art.*ex Scot.4. *dist.*10. *quæst.*7. §. *Dico A.* sicut homo componitur ex anima, & corpore: ità participat nonnullas potentias spirituales, quæ à sola anima rationali oriuntur,putà intellectus, & voluntatis: quasdam verò materiales, quæ toti coniuncto competunt, vt potentia visiua, & huiusmodi, scribente Arist. *l. de sensu, & sensato, cap.*s Et quidem earum, quæ sunt totius coniuncti aliquæ dicuntur magis corporeæ, quæ videlicet consequuntur naturam corporis mixti: cæteræ verò magis videntur accedere ad naturam animæ,propterea quod consequuntur, & concomitantur corpus animatum. Hac autem posita dist. accipiendum est id, quod idem Doct. *in* 4. *dist.*44. *quæst.*2. tradit,potentiæ inorginicæ (ità fortè dictæ, quia ad suas operationes exercendas, non indigent organo corporeo) realiter identificantur cum anima, formaliter verò ab ea discriminantur:potentiæ autem organicæ, quæ non sunt animæ per se, nisi radicaliter partialiter, sed totius compositi ex anima, & corpore, realiter ab anima secernuntur, cum hæc, absque illis esse queat. Vnde anima in statu separationis, nullam sortitur potentiam organicam, nec potest exercere actum alicuius potentiæ organicæ, & corpore.

11. Not. secundò, ex eodem Doct. *in* 2. *passu memorato*, §. *Rationes istæ A* potentiam vno modo sumi pro principio operandi, & ità *ex* 5. *Met. T.*17. & 9. *eiusdem T.*2. potentia scinditur in actiuam,& passiuam. Altero modo,prout distinguitur potentia ab actu:sicque nedum potentia,& actus sunt eiusdem speciei, verumetiam eiusdem numeri,*ex eodem* 9.*Met.*15.& 3. *Phys.*8. Illud quippè indiuiduum, quod nunc est in actu, est illud idem, quod fuit in potentia,putà obiectiua.Quo fit, vt falsum prorsùs sit potentiam primò modo acceptam, quæ describitur principium transmutandi aliud,inquantum aliud, esse eiusdem generis, cum actu. Nam,substantia producit accidens, quod est diuersi generis ab ipsa substantia,*ex* 7. *Met. in fine* Quare, non rectè infertur à Thomist. actus, & operatio sunt accidentia, ergo & potentia productiua est accidens,cum etiam secundum D. Th. substantia producat substantiam, tametsi non immediatè, sed mediantibus accidentibus. Fieri namque potest, vt potentia sit substantia, actus verò sit accidens.

12. Assertio prima,anima,eiusque potentiæ non sunt prorsùs idem. Traditur à Doct. *locis præcit.* Probatur primò,ex Arist.1. animæ 91. *In vno viuente vna est anima,plures verò potentiæ.* Et 2.*eiusdem,cap.*3. *T.*27. Tria sunt genera animarum, quinque verò genera potentiarum. Et ibid T.9. *Si oculus foret animal,eius forma esset potentia visiua.*Suffragatur D. Aug. l. de spiritu,& anima,cap.4. *Vna anima, plures potentiæ, & vires.* Et *ibid.* Comparat animam Deo trino, iuxtà ternarium potentiarum numerum, intellectus, voluntatis, & memoriæ. Idem *lib.*1. *contrà Iulianum,cap.*3. subdit naturas intellectuales esse origines voluntatum. Patet autem originem distingui ab originato,veluti arbor,à fructu, & radix à germine. Et *l.*4. *contrà eundem.c.*4. subnectit,naturam creatam esse bonam semper, voluntatem verò bonam esse, si opus bonum operetur, & malam, si malum faciat opus. Igitur August.distinguit voluntatem, & cæteras potentias animæ,ab ipsamet anima.Secundò, quod est omninò idem, & indistinctum cum alio,quidquid attribuitur vni,attribuitur & alteri,vt si homo, & animal rationale identificantur, quidquid dicitur de homine,vtique dicitur de animali rationali:quod autem competit vni potentiæ animæ, non competit alteri, vt intellectus intelligit, non autem voluntas intelligit: voluntas vult,non verò intellectus vult. Tertiò, quod emanat ab alio, non coïncidit cum eo, à quo emanat, veluti effectus non identificatur cum causa,a qua causatur. Potentiæ autem animæ emanant ab ipsa anima, vt manet probatum in 5. *art. huius, quæst.* Ergo &c. Quartò, principium naturale differt à principio libero: intellectus autem est principium naturale, & voluntas est principium liberum: ergo intellectus, & voluntas, quæ sunt potentiæ animæ rationalis inter se distinguuntur. Ma. elucet,quia principium naturale est ad vnum determinatum,& principium liberum est indifferens,& indeterminatum ad oppositos actus, & opposita obiecta.Insuper,& in diuinis,Verbum producitur per intellectum,& Spiritus sanctus per voluntatem, ergo si intellectus,& voluntas non differrent,tam bene spiritus sanctus procederet per intellectum ac per voluntatem, & similiter Verbum per voluntatem produceretur, ac per intellectum: id autem planè falsum, & erroneum est, vt ostendi *tract. de Deo trino, disp.*1. Ergo statuendum est discrimen inter animam,eiusque potentias, & facultates.

13. Assertio secunda,potentiæ,viresque animæ,nec abinuicem,nec ab ipsa anima realiter dissident: sed formaliter duntaxat. Hæc ass. est bimembris,cuius præcipuus Patronus est Scot.*vbi suprà.* Prima pars probatur primò,ex Arist.2.*animæ,T.*27.vocante potentias,partes animæ, & perfectiones eius: quod si potentiæ distinguerentur realiter ab anima, non forent partes eius, quandoquidem anima est substantia, & potentiæ realiter ab ea distinctæ sunt accidentia in sententia Thomistica. Deinde,idem Arist.dubitat,num intellectus sit ab anima separabilis? Si autem potentiæ,ab anima realiter dissiderent,nulla foret dubitatio,cum proculdubio,accidens reipsa à substantia secernatur.Additque multa alia ibid. Ex quibus planè deducitur,Arist. nequaquam statuisse distinctionem realem inter animam, & facultates eius.Quod non aduertens Tol. præcit.putat opinionem oppositam esse Peripateticam. Secundò,*ex* 1. *Phys.*52. non sunt multiplicanda entia absque necessitate:melior quippè est vnitas, quam multitudo: & natura præstat, quod melius est,2.*de gener.*50.Si autem anima, & potētiæ eius realiter differrent, forent multa entia reipsa distincta.Igitur,cum melius,& præstātius sit,animam esse vnum quid reale identificatum cum suis potētiis,apertè infertur,intercipiendam haud esse distinctionem realem inter animam,& potentias eius.Tertiò,si potentiæ ab animæ realiter dissiderent, saltem diuinitùs possent separari,& collocari in lapide,aut alio subiecto, sicque lapis haberet intellectum, & anima tunc esset veluti truncus, exuta, & spoliata omni virtute, & facultate, proindéque,non foret principium vegetandi, sentiendi, & intelligendi,quod pugnat naturæ animæ,quæ ità fuit superiùs descripta,& definita. Rursus, anima, quæ est substantia,non esset immediatè actiua,& operatiua: sed solùm ageret,& operaretur per accidentia: alibi autem monstraui,substantiam esse immediatè actiuam,& operatiuam,ergo vires, & virtutes eius ab illa realiter non segregantur.Demum,anima immediatè non foret beata, quia immediatè non videret Deum, nec ipso frueretur: sed mediantibus accidentibus, quæ per Thomist. sunt intellectus,& voluntas: hæc autem,& consimilia reiecta sunt tract. de beatitudine.

Secunda pars sequitur ex dictis.In prima namque ass. probaui,potentias non esse prorsùs idem cum anima.In prima autē parte huiusce 2.ass.monstraui,inter animam, & potentias eius non intercedere distinctionem realem,

ergo

ergo aſtruendum eſt, intereſſe diſtinctionem formalem. Præterea, quæ ſortiuntur diſtinctas formalitates, & definitiones, & quæ etiam virtute diuina abinuicem ſegregari nequeunt, formaliter differunt, vt fusè alibi oſtendi: anima autem, & potentiæ eius ſunt huiuſmodi, vt patet ex dictis ergo formaliter differunt.

14. Opp. 1. D. Aug. 12. *Ciuit. c. 6. & l. de Spiritu, & anima, c. 4.* & Iſidor 11. *Ethymol.* hæc proferunt verba. Anima eſt vitalis, dum vegetat, eſt ſenſus, dum ſentit, & ſpiritus, dum cōtemplatur, & eſt anima, dum ſapit: igitur anima nullo modo diſtinguitur à ſuis potentiis, niſi penes diſtincta nomina, & connotata, vt non obſcurè indicant Patres præcecéliti. R. fortaſsè dictos PP. exiſtimare, animam, & potétias eius eſſe vnum, & idem realiter, diſtingui verò formaliter. Vnde loco cit. de Ciuit. Aug. confundit metum, triſtitiam, aliaſque affectiones animi, cum voluntate, quas conſtat ab ipſa voluntate diſſidere. Idipſum oſtendunt teſtimonia eius allata in 1. aſſ.

15. Inſtabis, idem S. Doct. 7. *Conf* alloqoens Deum, inquit *Voluntas enim & potentia Dei. Deus ipſe eſt.* Ergo ſi in diuinis potentia, & attributa inter ſe, & cum diuinitate identificantur, id ipſum aſtruendum eſt de anima, & potentiis eius. Dico, hæc, & illa idemtificari quidem realiter, diſtingui verò formaliter, vt latè proſequutus ſum *Tract. de Deo vno, diſp 2 q. 2.*

16. Opp. 2. Ariſt. *l prædicam. c. de qualitate*, collocat potétias naturales in categoria qualitatis, ergo Ariſt. arbitratur, potentias naturales eſſe accidentia: atqui accidentia realiter differunt à ſubſtantia, in qua ſubiectantur, igitur potentiæ animæ, quæ ſunt accidentia ab ipſa anima realiter differunt. Reſpondeo Ariſt. interpretandum eſſe de potétiis ſumptis non pro principiis agendi, & operandi, quia ſic reſident in prædicamento eorum, quorum ſunt principia: ſed pro habilitatibus, & agilitatibus naturalibus agendi, & operandi: Ob id ibi exemplificat de curſore, & pugillatore, qui habēt huiuſmodi facilitatem, & habilitatem currendi, & pugillandi.

17. Opp. 3. potentia viſiua realiter diſtinguitur à potentia auditiua, ergo quod affirmatur de iſtis, pariter aſtruendum eſt de aliis potentiis. Ant. probatur, quiſpiam poteſt eſſe cæcus, etſi ſurdus non ſit: ergo ibi eſt potentia auditiua, ſine viſiua, proindéque illa ab hac realiter diſcriminatur, cum ex dictis, ſignum euidens diſtinctionis realis ſit, quando vnum ſeparari poteſt ab alio. Concedo ant. nego conſeq. quia illæ potentiæ nunc prænominatæ, ſunt totius coniuncti: non autem ſolius animæ, vt obſeruaui ſuprà in 1. not. Vel dico, valere de potentiis proximis, non autem remotis. Quandoquidem, qui eſt cęcus, etſi potentia proxima videndi careat, non tamen potentia remota, vt patet de cæcis à Chriſto Domino illuminatis, Matt. 11. *Cæci vident, ſurdi audiunt*, &c. & *Ioan. 9.* cæcos natus ait, *cum eſſem cæcus, nunc video.*

ARTICVLVS III.

An diſtinctio potentiarum deſumatur penes diſtinctionem actuum, & obiectorum.

18. IN hoc art. duos nanciſcor dicendi modos, quorum priorem ſequuntur D. Th. 1. *p. q. 77 art. 3.* Caiet. Bannez *ibid.* Tol. 2. *de anima. q.* 8. Complut. *diſp. 7 q. 1.* §. 2. & Run. *c. 3. q.* 8. affirmantes, potentias animæ differre per habitudinem ad actus, & obiecta. Poſteriorem amplectuntur Scot. *Quol.* 13. poſt HH. & 2. *diſt.* 16. *q. vn.* & *3. d. 34. q. vn. in fine*, & 1. *Met. q.* 6. Iand. 2. *de anima, q.* 8. Herueus *Quol. 1. q.* 10. Mercen. Mayr. Lych. & alij complures negantes potentias eſſentialiter, & intrinſecè diſtingui per actus, & obiecta.

19. Not. 1. hoc loco non controuerti, num potentiæ diſtinguantur abſolutè per actus, & obiecta? Id enim pro certo omnes ſuppotunt, ſed ambigi de modo, quo potentiæ penes actus, & obiecta diſcriminantur. Etenim Thomiſt. putant actus, & obiecta diſtinguere potentias à priori, & eſſentialiter, ita vt ſpectent ad ipſarum eſſentiam, & quidditatem, non quia ſint formæ intrinſecæ earum, inquit Tol. cit. ſed habitudo quædam, ad actus, & obiecta, adeò vt potentia quælibet in ſua eſſentia includat habitudinem ad actum, & obiectum, eaque ſit eiuſdem differentia, quæ varia, & diuerſa eſt, pro varietate, & diuerſitate objectorum. Scotiſtæ autem arbitrantur actus, & obiecta non diſtinguere potentias eſſentialiter, intrinſecè, & à priori, nec habitudinem illam ad actus, & obiecta eſſe de earum quidditate, & eſſentia, ſed per ſuas proprias, & intrinſecas differentias conſtitui in eſſe potentiæ, quæ manifeſtantur per actus, & obiecta ad quæ terminantur.

20. Not. 2. ex Scot. 1 *d. 3 q 4. art. 2. C.* potentias diſparatas tripliciter adinuicem ſe habere. Aut enim ſūt omninò diſparatæ, & contradiſtinctæ, aut ſubordinatæ. Quod ſi ſubordinatę extiterint, vel ſunt in eodem genere. vt cognoſcitiua ſuperior, & inferior, vel in diuerſo genere, vt cognoſcitiua, & appetitiua. Primo modo, potentiæ diſparatæ participant obiecta prorſus diuerſa, quandoquidem nulla earum eſt per ſe operatiua circa idem obiectum, circa quod verſatur alia potentia, cuiuſmodi ſunt ſenſus exteriores, vt viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus. Secundo modo potentiæ diſparatæ ſortiuntur obiecta prima ſubordinata, ita vt potētia ſuperior poſſit habere per ſe actum, penes quodcumque, circà quod poteſt potentia inferior, quo pacto, obiectum primum potentiæ ſuperioris continet ſub ſe obiectum potentiæ inferioris. Vnde primum obiectum viſus ſecundum ſuam communitatem continetur ſub primo obiecto ſenſus communis Tertio modo potentiæ ſic ſe habent, vt appetitiua adæquetur cognoſcitiuæ in operando, circà, quæcumque obiecta, idem ſortet obiectum primum vtriuſq; & ſub eadem ratione formali, ex parte potentiæ. Si autem appetitiua habeat actum, circà aliqua cognoſcibilia, & circà aliqua, non: tunc obiectum appetitiuæ erit inferius, & contractius ad obiectum cognoſcitiuæ, veluti ſunt intellectus, & voluntas. Quod ſi voluntas ponatur habere actum circà omne intelligibile, ſtatuetur idem obiectum, tam intellectus, quàm voluntatis, & ſub eadem ratione formali. Si autem ità minimè ſit, ſed voluntas ſolum eliciat actum, circà intelligibilia, quæ ſunt finis, aut entia ad finem, & non circa merè ſpeculabilia, hoc modo decernitur obiectum voluntatis quoquo modo contractius, & limitatius obiecto intellectus.

21. Aſſ. 1. diſtinctio potentiarum eſſentialis, & intrinſeca non petitur penes actus, & obiecta earum: ſed extrinſeca, & manifeſtatiua duntaxat. Defenditur à Doct. *locis preadductis.* Prima pars probatur primò, quod eſt poſterius potentia non eſt principium eſſentiale conſtitutiuum, & diſtinctiuum eius, quandoquidem, prius vt prius non accipit ſuum eſſe à poſteriori: actus autem ſunt poſteriores potentiis, quia hi, ab eis oriuntur, ergo ab iſtis, illarum diſtinctio intrinſeca, & quidditatiua non decerpitur.

Reſpondent Complut. & Run cit quod licet potentia ſit prior actu in genere cauſæ efficientis, non tamen in genere cauſæ finalis, cum actus, & operatio ſit finis potentiæ, authore Ariſt. 9. *Met. T.* 16. Contra, finis eſt cauſa intrinſeca, ſicut & efficiens: lis autem eſt de cauſa formali, intrinſeca, & eſſentiali, ergo nulla eſt reſpōſio. Deinde, ex dictis *l. de cauſis, q de cauſa finali*, finis cauſat penes eſſe intentionale, in præſenti autem inueſtigatur eſſe reale, à quo depromitur vnitas, & diſtinctio realis, & quidditatiua potentiæ, cuiuſmodi non eſt eſſe cauſæ finalis, ſiue penes eſſe intentionale, ſiue penes eſſe reale.

Secundò, & ferè recidit in idem, cum primo argumento, & deſumitur, ex Scot. 2. *d. 1. q. 5* primum præcedit actus primus in ſe, & per ſe, ſecundum naturam, poſtmodum verò ſubſequitur eſſe principium actus ſecundi;

cundi : potentiæ autem sunt actus primi, & principia productiua actuum secundorum, ergo potentiæ per se primò, & essentialiter non differunt per actus secundos. Ma. suadetur à Doct. cit. omne ens, quod est principium alicuius actionis, ideò talem actionem efficit, quia est tale ens, & talis naturæ, vt patet de sole, qui est principium generandi multa mixta, cuius distinctio ab eis mixtis quidditatiua, & essentialis, haud quidem est illa potentia, siue principium producendi ea mixta, sed est forma, & essentia ipsius solis, qua essentialiter, & quidditatiuè distinguitur à præfatis mixtis. Min. est conspicua, & satis claret ex dictis in præcedente art. in quo patet potentias animæ non esse accidentia, sed identificari realiter cum substantia ipsius animæ. Tertiò, quod est extrinsecum, & extrà rationem formalem alicuius rei, minimè eam essentialiter, & intrinsecè ab aliis distinguit, vt patet : actus autem, & obiectum sunt extrà rationem formalem, & quidditatiuam potentiæ. Nam licet per impossibile, nullum foret obiectum, adhuc esset potentia. Itemque, obiectum est causa partialis actuum: vna autem causa partialis, intrinsecè, & quidditatiuè non includit aliam causam partialem. Rursùs, terminus est extrà rationem fundamenti, & terminantis : actus autem, & obiectum sunt terminus potentiæ: igitur ab actu, & obiecto non mutuatur suam vnitatem, & distinctionem essentialem, & quidditatiuam potentia.

Secunda pars munitur primo authoritate Arist. 2 *anime, T.* 33. & Doct. tum *locis cit.* tùm etiam 2. *distinct.* 3. *quæst.* 8. §. *Ad argumenta sub N. in solutione vlt.* affirmantium, potentias distingui per actus, & actus per obiecta. Quod intelligitur à posteriori, & manifestatiuè, vt liquet ex iis, quæ ibi leguntur. Secundò, longa indagine, & euidenti experientia compertum est, ab actibus, & obiectis, vnitatem, & distinctionem extrinsecam, & manifestatiuam decerpi. Experimur namque eum, qui meditatur, etiam iudicare, ac discurrere: qui autem non potest meditari, nec iudicare : pariter nec deliberare, nec ratiocinari valere, vt bruta. Hinc rectè deducitur, illos actus pertinere ad vnam solam potentiam intellectiuam, cuius obiectum primum, & adæquatum est omne intelligibile. Item, quicumque potest velle, potest etiam nolle, amare, & odisse : qui autem velle nequit, quoque nolle, diligere, & odisse non potest. Præterea, inferimus, esse vnam duntaxat potentiam, quæ hos omnes actus efferit, quęve dicitur voluntas. Similiter, quoddam animal nutritur, non tamen generat; ideirco colligimus potentiam generatiuam distingui à potentia nutritiua. Idipsum censendum est de reliquis potentiis, in ordine ad suos actus, & obiecta. Igitur manifestatiuè, & à posteriori, venimus in cognitionem distinctionis potentiarum, per actus, & obiecta.

22. Assertio secunda, potentiæ non distiguuntur per habitudinem ad sua obiecta: sed per suas intrinsecas, & formales rationes. Fauet Scot. *vbi suprà* Prima pars, quæ opponitur Caiet. & Tol. probatur primò, ad hominem, dicti enim Authores asserunt, potentias esse entia absoluta de secunda specie qualitatis : modò verò astruunt esse entia relatiua, & in sua essentia includere relationē, ergò apertè sibi cōtradicunt. Nec iuuat dicere, esse quid absolutum cum relatione. Id enim nullo modo fieri potest. Siquidem, vt optimè probat Scot contra Henr. 2. *d.* 16. *q. vn. G.* absolutum cum relatione per se vnum conflare nequit : vnius autem operationis per se est vnum principiū. Ergo impossibile est, in ratione eius principij intrinseca, & essentiali ingredi relationem, intellectio autem, & volitio, est actus per se vnus, ergo habet vnam potentiam, & principium per se vnum. Secundo, principium per se vnum prius est operatione, atque esse potest absque contradictione sine ipsa, veluti causa potest esse sine suo effectu: relatio autem, nec esse, nec intelligi potest sine termino, qui in re nostra est operatio, ergo habitudo, & relatio potentiæ ad actum, & obiectum, non includitur in essentia potentiæ. Tertiò, respectus non est per se de ratione potentiæ receptiuæ, & passiuæ, ergo nec potentiæ actiuæ. Conseq. est perspicua. Ant. probatur, quia materia, quæ est potentia passiua, recipit formam immediate per suam essentiam, non verò per relationem : ergo relatio nequaquam ingreditur essentiam potentiæ passiuæ. Deinceps, quod est per se pars compositi conflans per se vnum cum illo, non est per se pars relationis, quia relatio non facit per se vnum, cum absoluto : potentia autem passiua, quæ est materia, vnà cūm forma constituit totum, quod est ens absolutum, ergo quoque in potentia actiua, de qua loquimur, non includitur vlla relatio, & habitudo essentialis.

23. Dices cum Ruu. præcit. in substantia, & quouis ente absoluto, non repugnare aliquem respectum transcendentalem, veluti in creatura est relatio ad Deum creantem, & in scientia est relatio ad obiectum scibile, vt non obscurè insinuat Arist. *lib. predicam. c. de ad aliquid.* Pariter non inconuenit in potentia actiua essentialiter inesse habitudinem, & relationem, ad actum, & obiectum eius. Contra, ens vniuersè captum distribuitur adæquatè in absolutum, & relatiuum, tanquam duo membra eius distincta, veluti animal diuiditur in rationale, & irrationale. Igitur intrinsecè, & essentialiter absolutum non includit relationem. Absolutum quippè est ad se, & relatio est ad aliud. Si quę autem relatio contineatur in absoluto, est subsequens, & concomitans ipsum absolutum, quia prius res est ad se, quàm ad aliud, propterea substantiam subsequitur relatio identitatis, aut diuersitatis, & scientiam, quæ est qualitas, concomitatur relatio ad scibile. Idem astruendum est de relatione creaturæ ad creatorem, & cæteris huiusmodi, quæ non sunt de essentia eorum, quorum sunt relationes.

Secunda pars probatur primò ex refutatione alterius sententiæ oppositæ Cum enim alia distinctio non appareat, per quam potentiæ inter se essentialiter differant, perspicuè infertur, seipsis distingui, hoc est per suas proprias entitates, eo ferè pacto quo productiones diuinæ se ipsis differunt, vt docet Scot. 1. *dist.* 13. *quæst. vn.* §. *Ad quæst. respondeo O.*

Secundò, ratio formalis vnius potentiæ non est ratio formalis alterius potentiæ, secluso quocumque actu, & obiecto: igitur vna potentia ab alia dissider, per suam rationem formalem. Ant. patet, ratio namque formalis intellectus non est ratio formalis voluntatis, & econtrà, quocumq; alio circumscripto, siue actu, siue obiecto.

Tertiò, quodlibet ens absolutum, per suam propriam, & intrinsecam differentiam, ab aliis differt, vt patet differenti : potentiæ autem, siue sint qualitates, vt putant Thomist. siue realiter substantiæ, vt censent Scotist. sunt entia absoluta : ergo participant proprias, & intrinsecas differentias, per quas ab aliis essentialiter differunt. Quartò, prius causa constituitur in suo esse essentiali, & formali, quàm illi aduenıat relatio causati, ergo potentiæ, quę sunt causæ actuum, prius sunt in suo esse essentiali constitutæ, quàm recipiant relationem actuum, quos efficiunt. A quo autem res habet suam entitatem, vtique ab eodem mutuatur suam vnitatem, ac distinctionem : igitur cum potentiæ penes suum esse essentiale & quidditatiuum pręcedant actus, & obiecta, consequēter non ab his, sed à suis intrinsecis, & formalibus rationibus depromūt suas essētiales distinctiones.

24. Opp. 1. pro Tol. cit. per id constituitur aliquid, per quod essentialiter distinguitur ab alio : potentia autem differt ab aliis generibus eiusdem prædicamenti per talem habitudinem ad actum, & obiectum, ergo potentia essentialiter includit præfatam habitudinem. Ma. est nota. Min. est in promptu, quandoquidem potentia, quæ est in genere qualitatis, non in alio differt à cæteris generibus, nisi quia est principium immediatum formaliter agendi, & operandi. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, potentiam, penes suum esse formale non esse in prædicamento qualitatis, aut in alio prædicamento accidentis : sed reductiuè collocari in categoria sub-

stantiæ

ſtantiæ, veluti paſſiones ſubſtantiæ collocantur in prædicamento ſubſtantiæ. Vel ſi concedatur potentiam aliud non eſſe, quàm principium immediatum operationum, negatur tamen, per huiuſmodi habitudinem, ad actum, & obiectum, circa quod verſatur, conſtitui in ſuo eſſe eſſentiali. Prius namque potentia conſtituta eſt in ſuo eſſe eſſentiali, & quidditatiuo, quàm adueniat illa relatio actus ad ipſam potentiam. Eò magis, quia Tol. concedit, potentiam eſſe ens abſolutum, cum ſit qualitas, ſecundum eam: omne autem abſolutum prius eſt in ſuo eſſe abſoluto, quàm recipiat relationem ſibi aduenientem, vt ſuprà inculcaui.

15. Opp. 2. nemo concipere valet potentiam, niſi intelligat habitudinem ad actum, & obiectum, vt indicat Ariſt. 5. *Met.* 12. qui potentiam definiens, non aliter, quàm per actum, & obiectum definit. Igitur, ſi intellectus non aliter intelligit naturam, & eſſentiam potentiæ, niſi concepta habitudine ad actum, & obiectum, ſanè ipſa habitudo ſpectat ad eius eſſentiam. Reſpondeo negando ant. ſiquidem, quodlibet ens abſolutum concipitur priùs in ſe, quam concipiatur in ordine ad aliud, vt tradit Doct. 2. *d.* 1. *quaſt.* 6. §. *dico tunc.* Quare, illa habitudo, & relatio non eſt de conceptu formali potentiæ, ſed conſequitur, & concomitatur, ad eius entitatem: alioquin potentia locaretur in categoria relationis, non verò in prædicam. qualitatis, vt aſſerunt Thomiſ.

16. Dices, nec actum, nec obiectum eſſe eſſentiam, vel differentiam potentiæ, ſed ab his deſumi differentiam potentiæ, quæ eſt quædam habitudo ad actum, & obiectum, non quidem habitudo, quæ eſt accidentalis relatio, ſed principium habitudinis, quæ rectè nuncupatur eſſentialis habitudo. Contrà, falſum eſt, ab actu, & obiecto deſumi potentiæ differentiam intrinſecam, & eſſentialem, cum actus ea dictis ſit poſterior potentia: à poſteriori autem vt ſic, accipi nequit differentia eſſentialis prioris. Quamuis autem actus ſit prior in intentione, poſterior tamen eſt in executione, cum ſit eius finis, à quo depromitur differentia extrinſeca. Deindè falſum eſt, eſſentialem habitudinem eſſe differentiam potentiæ. Nam, præterquamquòd videtur eſſe in hoc aſſerto repugnantia, cum dicitur, habitudo eſt differentia potentiæ, & poſtmodum, non habitudo, ſed principium habitudinis: principium quippè habitudinis non eſt habitudo, ſed potius cauſa habitudinis.

Quod ſi occurras, id valere de habitudine eſſentiali, non verò accidentali. Contrà, non videtur quomodo habitudo ſit cauſa habitudinis. Nam, cum vtraque ſit relatio, vna eſſe nequit cauſa alterius, quia relatio non eſt de genere actiuorum. Quod ſi principium actus vis vocare habitudinem eſſentialem, gratis hoc dicis, & abſque vllo fundamento, eſtque effugium argumenti.

17. Si iterùm replices, quædam eſſe accidentia abſoluta, quæ nullum important reſpectum extrinſecum, & hæc non definiuntur per aliquid extrà ſe: quædam verò ſunt, quæ licet ſint abſoluta, tamen aliquem ordinem, & reſpectum includunt ad extrà, cuiuſmodi ſunt potentiæ, actus, habitus, & huius formæ alia, & hæc, abſque aliquo extrinſeco definiri non poſſunt, non quod illa extrinſeca, & reſpectus ſint de eorum eſſentia, ſed principium eſſentiale eorumdem reſpectuum. Contrà, quod non ingreditur eſſentiam alicuius, poteſt ſine eo definiri: ille autem reſpectus, & habitudo ex conceſſis non intrat eſſentiam potentiæ, ergò definiri poteſt abſque tali reſpectu, & habitudine ad actum, & obiectum. Maior conſtat ex munere bonæ definitionis, quod eſt, explicare diſtinctè naturam rei, & non ea, quæ ſunt extrà rei naturam, alioquin definitio foret vitioſa: cum ergò admittatur, illam habitudinē eſſe extra eſſentiā potentiæ, vtique concedendū eſt, abſque illa poſſe definiri. Pronunciatū verò Ariſt. iam ſuprà expoſitū eſt, de diſtinctione extrinſeca, manifeſtatiua, & a poſteriori.

LIBER TERTIVS.

De Anima vegetante.

1. De ſingulis animabus tractaturis primùm nobis occurrit inueſtiganda anima vegetans, tum quia eſt communior, & vniuerſalior, tum etiam quia eius operationes antecedunt operationes reliquarum animarum. Hinc ſubdit Ariſt. 2. *de gener. animalium, cap.* 3. Homo prius viuit vita plantæ, deindè vita animalis, & poſtmodum vita rationalis.

QVÆSTIO I.

De natura Animæ vegetatiuæ.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid, & quotuplex ſit Anima vegetatiua.

2. ASSERTIO 1. anima vegetatiua eſt *actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis vegetantem.* Eſt conſentanea Ariſt. & Scot. cit. ſuprà *l.* 2. *q.* 1. *art.* 4. vbi omnes eius particulæ fuere explicitæ, præter vltimam, quæ additur, vt ſtatuatur diſcrimen inter ipſam, & animas ſenſitiuam, & intellectiuam. Poteſt quoque definiri à poſteriori: anima vegetans eſt *principium viuendi*, hoc eſt vegetandi, & explicatius deſcribitur his verbis, Anima vegetans eſt *principium nutriendi, augendi, & generandi.* Hæc pariter deſcriptio animæ vegetatiuæ patet ex dictis *loco mox alleg. art.* 5. Hæc autem diſcriminatur à cæteris animabus, propterea quod iſta eſt tantum principium vegetandi, illæ verò nedum ſunt principium vegetandi, verumetiam ſentiendi, loco mouendi, & intelligendi.

3. Aſſ. 2. anima vegetatiua eſt ſpecie multiplex: præſupponitur ab Ariſt. & Scoto. Suadetur primò, diuerſæ operationes ſpecie diſtinctæ arguunt diuerſas formas ſpecie diſtinctas, *ex* 1. *anima*, 13. Apparent aut em plures operationes ſpecie diuerſæ, in vegetantibus. Siquidem alia virtus & operatio prodit ab vna planta; alia verò ab altera. Itemque diuerſi fructus à diuerſis arboribus fiunt, vt conſtat experientia, ergò in eis reperiuntur animæ vegetantes ſpecie diſtinctæ. Secundò corpora diuerſimodè organizata & figurata indicāt animas ſpecie diſtinctas. Etenim quælibet anima exigit apta organa idoneaque membra ad ſuas operationes exercendas vegetantia, autem ſortiuntur diuerſa corpora, diſtinctaque membra, partes, & figuras, vt intuemur in ceraſo, pino, populo, & reliquis, igitur plures inueniuntur animæ vegetantes ſpecie diſtinctæ. Iſte diſcurſus inſinuatur ab Ariſt. 1. *anima, cap.* 3. *T.* 53. & Scot. 1. *d.* 2. *quaſt.* 7. *in reſponſione ad* 1. *principale* Et 3. *d.* 2. *in principio corporis q.* & 4. *d.* 11. *quaſt.* 3. *art.* 2. *CC.* §. *Ad rationes pro* 1. *opinione.* Suffragantur Antonin. Andr. 7. *Met. q.* 17. & Faber *Theor.* 73. *cap.* 4. Et Lychet. *in com. primi ſententiarum præmemorati.*

4. Opp. 1. contra 1. Aſſ. Ariſt. 2. *anima*, 43. definit animam vegetantem, ſic. Anima vegetans eſt *principium generandi ſibi ſimile*. Ergò definitio à nobis præallata de anima vegetatiua pugnat doctrinæ Peripateticæ. Reſpondeo Ariſt. tradere definitionem animæ vegetantis ab opere præſtantiori, quod eſt generare ſibi ſimile: non autem abſolutè eam deſcribere, vt ſuprà egi. Quare Ariſt. vnum tantùm ibi declarauit: ego verò conatus ſum omnia adducere, quæ faciunt ad claram notitiam animæ vegetantis.

5. Opp. 2. contra 2. Aſſ. ſi diuerſa membra in vno viuente non arguunt diuerſas animas, cum ex dictis, vna anima animet, & viuificet plures partes organicas ſpecie differentes, ergò ex diuerſis corporibus organicis, non rectè infertur diuerſitas ſpecifica animarum vegetantium. Reſpondeo id valere de membris vnum corpus integrantibus & conſtituentibus: non autem de membris, ac partibus, ex quibus diuerſa corpora conſtantur, & coaleſcunt; ſic enim, ex diuerſis corporibus diuerſa membra habentibus deprehenduntur diuerſæ animæ vegetantes ſpecie diſtinctæ.

QVÆSTIO II.

De potentiis animæ vegetantis.

ARTICVLVS I.

Quotuplex ſit potentia animæ vegetatiuæ.

1. SVNT, qui quatuor animæ vegetatiuæ vires, & facultates conſtituunt, videlicet, nutritiuám, augmentatiuam, generatiuam, & calorem naturalem. Communis autem Philoſophorum ſententia aſtruit eſſe tantùm tres prænumeratas, ab earum numero calorem naturalem expungentium.

2. Not. 1. in indagine, & examine alicuius rei, duplicem obſeruari poſſe ordinem, naturæ ſcilicet, & doctrinæ. Priorem ſequimur in præſentia, agentes de natura, & quidditate animæ vegetantis, deinde de potentiis eius, & poſtremò de eiuſdem actibus. Hunc ordinem tenet Ariſt. diſſerens de anima generatim ſumpta, inueſtigans prius eius eſſentiam, & definitionem, poſtmodum eius potentias, actus, & obiectum. Poſteriorem verò præſtat *hoc loco*, *T.* 33. ſecundi de anima, vbi aggreditur prius obiectum actus, & potentias vegetantis animæ, & poſtea ipſius eſſentiam, & naturam perluſtrat.

3. Not. 2. alimentum deſcribi ab Ariſt. 2. *anim.* *T.* 43. contrarium, per quod ſua mutatione, animatum incrementa ſuſcipit, & vnum, ex altero generatur. Tres autem conditiones requiruntur ad alimentum propriè dictum, tactæ à Scot. 4. *d.* 44. *q.* 1. & expreſsè ab eodem Philoſopho nunc cit. quarum prima eſt, vt ſit contrarium alito, quia cum nutrimentum conuertendum ſit in ſubſtantiam nutriti, debet eſſe contrarium, proptereaquod mutatio non fit niſi quoquo modo ſit contrarium: tametſi non deſinit, qui exiſtiment, teſte eodem Philoſopho *ibid.* *T.* 44 debere eſſe ſimile alito. Oppoſitum autem eſt probabilius, quia in nutritione vnum ſuperatur ab alio, & in ſubſtantiam ſuam tranſmutatur: victoria autem habetur ex contrario. Secunda vt ſit ex illis contrariis, quorum mutatio ſic ſe habet, vt vnius mutatio, alterum augeat. Ideò, cum ex albo fit nigrum, quia tunc non habetur augmentum, propterea vnum non eſt alimentum, & pabulum alterius. 3. vt mutatio non ſit reciproca. Nam alimentũ vertitur quidem in ſubſtãtiam aliti; verum tamen alitum non conuertitur in ſubſtantiam alimenti.

4. Not. 3. ex eodem Ariſt. cit. *T.* 47. alimentum trifariàm poſſe conſiderari. Primò ſecundum ſubſtantiam, & hoc modo eſt nutritionis obiectum, ſubſtantia quippè per ſubſtantiam reparatur. Secundò penes quantitatem, & ita eſt potentiæ augmentatiuæ obiectum. Tertiò quatenus eſt reſiduum, & ſuperfluum nutritionis, quo pacto eſt cauſa generationis non quidem eiuſdem numero, ſed alterius ſimilis in ſpecie. Dixi eſſe ſuperfluum, non quidem veluti excrementa, ſed vt quid ſuperuitum ad nutritionem, & reſtaurationem proprij indiuidui. Poſtquam enim indiuiduum ſufficienter eſt nutritum, ſi quid remanet, non in propriam ſubſtantiam conuertit, ſed tranſmittit ad vaſa ſpermatica, illud conſeruantia propter generationem ſimilis in ſpecie.

5. Aſſ. ſunt tres potentiæ animæ vegetantis præmemoratæ: calor verò naturalis eſt inſtrumentum eius duntaxat. Deducitur ex Doct. in 4. *cit.* *q.* 1. Prima pars probatur primò, tria ſunt, quæ requiruntur ad animatum anima vegetatiua, ergò tres ſunt potentiæ eius Ant. ſuadetur, vt vegetatiuum viuat, & conſeruetur, neceſſe eſt, nutriatur, ergò indiget potentia nutritiua. Deindè, huiuſmodi viuens nequit eſſe ſub exigua quantitate propterea exigit certam, & determinatam quantitatem, & magnitudinem. igitur ei neceſſaria eſt potentia augmentatiua, per quam debitè augeatur. Denuò, vnum, & idem indiuiduum nequit eſſe perpetuum, tametſi perpetuitatis ſit auidum, ei ergò neceſſaria eſt potentia generatiua, qua media generans gignit ſibi ſimile, & perpetuatur in ſpecie. Secundò tres ſunt actus, triaque obiecta diſtincta, circà quæ laborat animatum vegetans, ergò & tres extant potentiæ eius prænumeratæ. Ant. oſtenditur, ſunt namque, nutritio, augmentatio, & generatio. Itemque alimentum penès ſuam ſubſtantiam, & vt eſt quantum, & reſiduum vegetantis.

Secunda pars probatur, anima vegetans vtitur calore naturali, ad exercendas ſuas operationes vitales, veluti ignis, ad calefaciendum: huiuſmodi autem calor eſt inſtrumentum ignis, ergò pariter calor naturalis eſt inſtrumentum vegetantis. Præterea calor eſt accidens, potentiæ verò animæ realiter identificantur cum ſubſtantia ipſius animæ, ex alibi aſſertis, & probatis, igitur calor naturalis non eſt potentia animæ vegetantis, ſed inſtrumentum eius.

6. Opp. 1. potentia augmentatiua eſſe nequit abſque nutritiua: ergò non ſunt ſtatuendæ duæ potentiæ ab inuicem diſtinctæ. Ant. patet, quia nihil poteſt creſcere, niſi nutriatur. Concedo ant. nego conſeq. licet enim vis auctrix præexigat virtutem nutricem, vnaque, cum alia ſemper coniungatur. Nihilominus inferendum non eſt, eas inter ſe non diſtingui. Nam potentia volitiua præſupponit intellectiuam, tametſi ab inuicem differant. Itemque virtus calefactiua præexigit illuminatiuam, quamuis inter ſe has differre, communis ſit Philoſophorum ſenſus.

7. Opp. 2. exiſtere poteſt vis nutritiua, abſque generatiua vt conſtat de quibuſdam animantibus, quæ quidem aluntur, non tamen generant cum ſint ſterilia, veluti ſpadones. Ergo huiuſmodi potentiæ in anima vegetante diſtinctæ non reperiuntur. Reſpondeo licet quædam animalia gignere nequeant, non obid deducendum eſt virtutem generatiuam animæ vegetanti non competere. Quandoquidem aut id accidit, ob aliquod impedimentum, aut imperfectionem, & defectum, vt patet in iis, quæ fiunt ex putri materia.

8. Opp. 3. idem eſt obiectum nutritiuæ, augmentatiuæ, & generatiuæ. Ergò vna eſt tantum potentia animæ vegetantis. Ant. probatur, alimentum eſt obiectum idem illarum facultatum, vt indicaui *in* 3. *not.* Ergò tales potentiæ ab inuicem non ſecernuntur. Nego ant. ad eius probationem, dico eſſe idem obiectum materialiter, diſtinctum verò formaliter, vt *paſſu alleg.* palàm feci. Sic quoque interpretandus eſt Ariſt. 2. *anima*, *c.* 4. *T.* 41. & 2. *de gener. animalium*, *c.* 4. inquiens eamdem eſſe facultatem nutriendi, augendi, & generandi, ſupple, realiter, & materialiter, non verò formaliter & eſſentialiter.

ARTICVLVS II.

Quomodo præfatæ potentiæ diſtinguantur.

9. QVamuis ex præcedente *lib.* 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. iam ferè huius dubitationis nodus ſolutus eſſe videatur : nihilominus plerique alium diſſoluendi modum hîc adhibendum eſſe ſuſpicantur , & conantur. Etenim Iand. in præſenti, *quæſt.* 13. Alb. 5. *parte ſummæ de homine, quæſt. de motu nutritiuo, art.* 2. quibus videtur fauere D.Th. 1. *p.q.* 78. *art.* 2. Caiet. Iauel. & Ferr. ſubſcribit Fernelius *l.* 5. *phyſiolog. cap.* 5. prænominatas facultates, & potentias realiter ab inuicem, & ab anima diſtingui, arbitrantur. At verò Philop. 2. *anim. ad T.* 47. Sueſſ. *in com. T.* 42. Valleſ. 2. *contr. c.* 20. Dur. 1. *d.* 3. *part.* 2. *q.* 2. & alij non pauci inter has potentias, realem diſtinctionem non agnoſcunt.

10. Not. 1. compertas nobis eſſe tres operationes animæ vegetantis , ex tribus potentiis præaſſignatis ortum ſuum ducentes, quæ ſunt nutritio, augmentatio, & generatio. Cum enim calor naturalis ſemper agat in humidum radicale, & nitatur ipſum conſumere, conſequenter aliquæ partes viuentis deperduntur, quæ per nutritionem reparantur, & reſtaurantur. Præterea, cum viuens anima vegetali, in principio ſuæ formationis ſit exiguum, oportet, ipſum ſibi acquirere certam, & debitam quantitatem , & magnitudinem , quæ efficitur per augmentationem. Inſuper , quoniam indiuiduum eſt corruptioni, & morti obnoxium, nè vniuerſitas rerum ſublunarium viuentium pereat , habetur generatio , per quam vnumquodque in ſua ſpecie conſeruatur, ac perpetuatur.

11. Not. 2. accretionem vegetantis bifariàm accipi, vno modo , pro acquiſitione maioris quantitatis in viuente, ſic animatum dicitur creſcere vſque ad certum limitem; altero modo, pro acquiſitione nouæ quantitatis, ſiue maioris, ſiue minoris, ſiue æqualis, & ita fit augmentum ſemper in viuente. Nam, ſicut viuens ſemper nutritur , quandiù viuit , ſic ei noua per nutritionem additur quantitas.

12. Not. 3. & recol. ex dictis *l. præcedente, q.* 3. *art.* 5. potentiarum nonnullas eſſe ſolius animæ, puta intellectum, & voluntatem : aliquas verò totius coniuncti, vt vegetandi, & ſentiendi facultates, quæ cum à toto animato prodeant , tanquam à partiali radice originantur ab anima, ac etiam à corpore, vt non obſcurè innuit Ariſt. 1. *anima*, 64. & poſt ipſum Scot. 12. *Met. in expoſ. T.* 13. quæue in ſtatu ſeparationis animæ, à corpore, non manent in ipſamet anima , niſi vt in radice , non quidem totali, ſed partiali duntaxat. Hoc ipſum indicat 9. *Met. in expoſ. T.* 2.

13. Aſſ. 1. potentia nutritiua realiter non differt ab augmentatiua ; ſed formaliter duntaxat. Deducitur ex Doct. 2. *d.* 16. *q. vn.* Prima pars ſuadetur primò rationibus, quas attulimus, *l.* 2. *mox alleg.* ad probandum potentias animæ genericè ſumptæ, ab anima, & ab inuicem realiter non ſecerni. Secundò, non poteſt effici nutritio, niſi fiat augmentatio, ergò ſignum eſt prænarratas potentias realiter non diſtingui. Ant. oſtenditur, nutritio eſt acquiſitio nouæ ſubſtantiæ , nouæque quantitatis: ſicque non poteſt fieri vna operatio, abſque alia, proindéque , ſicut operationes prædictæ ſunt inſeparabiles, ità & earum potentiæ, ac vires.

Secunda pars probatur primò, quia occupantur circa diſtincta obiecta formaliter. Siquidem , vis nutritiua reſpicit ſubſtantiam alimenti, augmentatiua verò quantitatem eius : ergò inter eas adeſt diſtinctio formalis. Secundò habent diuerſas definitiones, quas petit diſtinctio formalis , ergò formaliter differunt. Ant. eſt in promptu, nutritiua namque eſt virtus tranſmutandi alimentum , in ſubſtantiam aliti , medio calore naturali; augmentatiua verò eſt virtus , qua animatum augetur, per intus ſuſceptionem, mediante etiam calore naturali.

14. Aſſ. 2. inter potentiam nutritiuam, & generatiuam non intercipitur diſtinctio realis, ſed formalis. Innititur à Doct *vbi ſuprà*. Prima pars innuitur primò authoritate Ariſt. 2. *animæ*. 42. dicentis, vnam eſſe vim nutriendi, ac generandi, ſupple, realiter. Secundò nutritio eſt aggeneratio, ſiue partialis generatio, vt ſuprà indicaui, ergò virtus, quæ totum generat, & virtus, quæ partem aggenerat, non ſortiuntur realem diſtinctionem. Hùc quoque pertinent rationes adductæ , paſſu paulò antè memorato.

Secunda pars oſtenditur primò, nutritio reſpicit proprium indiuiduum : generatio autem reſpicit aliud indiuiduum numero diſtinctum Igitur. huiuſmodi potentiæ formaliter differunt. Secundò , nutritio eſt partialis generatio , & generatio eſt totalis productio viuentis. Inſuper, animatum ſemper nutritur, quandiù viuit, non tamen ſemper generat, inter has igitur potentias concedenda eſt diſtinctio formalis

15. Aſſ. 3. potentiæ organicæ, quæ dicuntur totius coniuncti ab anima , & corpore realiter differunt : ab ipſo verò toto coniuncto ſolummodò formaliter. Eſt conſentanea doctrinæ Scot. locis præalleg. prima pars indicatur ab Ariſt. 1. *animæ*, 64. *& inde*, vbi apertè tradit, iraſci, texere , & id genus alia non animæ, ſed toti coniuncto eſſe tribuenda : ſi ergò principium, & cauſa præfatarum actionum , & operum non eſt anima, ſed totum ex anima & corpore coalitum, quod ab vtroque realiter diſſidet, planè infertur, eas potentias , ab ipſiſmet anima , & corpore realiter diſcriminari Deindè, realis aliquorum ſeparatio proculdubio arguit diſtinctionem realem inter illa , vt planè manifeſtat deſcriptio realis alibi adducta, & explanata: corpus autem, & anima realiter ſeparantur, vt euidenter conſtat in obitu hominis , in quo anima à corpore realiter ſegregatur, ergò prænominatæ potentiæ, ab ipſiſmet corpore , & anima realiter ſecernuntur.

Secunda pars eſt in confeſſo, quandoquidem potentiæ ſoli animæ, aut corpori congruentes, ab eis formaliter tantùm differunt , ergò idipſum aſtruendum eſt de potentiis, quæ ſoli coniuncto competunt, cum æqua ratio ſit de illis , ac de iſtis. Ant oſtenſum eſt *l.* 2. *q.* 3. *art.* 2 vbi de potentiis animæ in communi actum eſt, & deciſum diſcrimen formale.

16. Opp. 1. contra 1. aſſ. viuens vegetans non ſemper creſcit, tamen ſemper nutritur in toto decurſu vitæ eius : igitur potentia nutriens reipſa diſtinguitur à potentia auctrice. Ant eſt in promptu, quodlibet animatum certo termino ſuæ magnitudinis, aut paruitatis cohibetur, ac definitur ex alibi aſſertis. Diſtinguo ant. viuens non ſemper creſcit , accretione primo modo ſumpta, concedo : Secundo modo accepta, nego, vt planum feci *in* 2. *notabili*.

17. Opp. 2. contra 2. Aſſ. quodlibet animatum toto tempore vitæ ſuæ nutritur, non tamen omni tempore generat, vt experientia teſtatur. ergò facultas nutritiua differt realiter à generatiua: Concedo ant. nego conſeq. Id enim tantùm deſignat diſtinctionem formalem, quam ſtatui inter dictas potentias. Quod autem animatum non ſemper generet, ſanè id prouenit ex obice, aut defectu aliquo, vt patet in ſpadonibus.

18. Quæres quæ , & quot famulentur potentiæ nutritiuæ? Reſpondeo ex Aug. *l. de ſpiritu , & anima, cap.* 20. & Damaſc. 2. *fidei , cap.* 16. quatuor quaſi ancillas ei poſſe aſſignari, quæ ſunt attractrix, expultrix, retentrix, & concoctrix. Attractrix eſt, quâ alimentum attrahitur ab animato, nè defluat, & impediatur operatio nutritiua. Expultrix eſt , quæ defœcatum , & noxium alimentum extrà emittit Retentrix eſt, qua retinetur alimentum proficuum, & vertitur in ſubſtantiam nutriti. Concoctrix eſt, quæ attractum alimentum medio calore naturali concoquit.

QVÆSTIO III.

De actibus animæ vegetantis.

ARTICVLVS I.

An actus animæ vegetantis inter se distinguantur.

1. NVMERVS trium potentiarum animæ vegetantis traditus est, & explicitus *in præcedente art.* nunc verò assignandus quoque est numerus actuum eiusdem vegetantis animæ, qui etiam est triplex, putà nutritio accretio, & generatio. Quæritur autem in præsentia, núm isti actus coincidant, an verò inter se differant. Quidam enim hos verbo tenùs, & solo nomine discriminari putant, vt Marsilius *1. de gener. q.* 50. & Alb. de Saxonia *ibid. q.*9. Cæteri verò communiter inter præfatos actus agnoscunt distinctionem.

2. Not. quamdiu animatum crescit, tandiu quoque nutriti, quia accretio præexigit, & præsupponit nutritionem Idque euidenter elucet in plantis, arboribus & animantibus, quæ in initio parua sunt, pedetentim verò, penès omnes partes augescunt. Præterea calor naturalis continuò agit in humidum radicale, ideò necesse est, vt partes deperditæ per nutritionem resarciantur, ac reparentur, nouis aggeneratis.

3. Ass. 1. nutritio distinguitur ab augmentatione. Defenditur à Doct. 4. *d. 44. quæst.* 1. *in calce qæ.* 1. *paulo post L.* Probatur primò, actus, saltem à posteriori distinguuntur, per obiecta circa quæ versantur: nutritio antem, & augmentatio sortiuntur diuersa obiecta: ergò inter se distinguuntur. Ma. patet ea dictis *l.* 2. *quæst.* 3. *art.* 3. Min. ostenditur, nutritio occupatur, circa substantiam alimenti, tanquam eius obiectum: accretio verò, circà quantitatem eius. Constat autem, substantiam, & quantitatem esse distincta obiecta, concurrentia effectiuè ad producendos actus dictos.

Secundò, augmentatio est motus, qui fit in tempore, & nutritio fit in instanti, *ex* 5 *Met.* 13. Fieri autem in tempore, aut in instanti arguit distinctionem, ergò enim præfati actus ità fiant, inter ipsos discrimen intercipitur. Tertiò prius, & posterius differunt: idem quippe nequit esse simul prius & posterius respectu eiusdem: nutritio autem præcedit augmentationem: oportet namque priùs animal nutriri, quam crescat. Cum accretio sequatur nutritionem, veluti quantitas concomitatur substantiam. Igitur inter prænominatos actus inuenitur distinctio.

4. Ass. 2. nutritio differt à generatione. Deducitur ex Scot. cit. probatur primò, tandiu animatum nutritur, quandiu viuit, vt animaduerti in præmisso not. Generatio verò non semper fit, sed certo, & determinato tempore, testante experientia, ergò nutritio, & generatio non identificantur. Secundò, quæ participant distinctas definitiones, inter se distinguuntur, quia definitio exprimit naturam rei: atque iuxtà distinctionem naturarum, distinctæ assignantur definitiones: nutritionis autem, & generationis traduntur distinctæ definitiones. Nam, generatio est origo viuentis à viuente, principio vitæ coniuncto: nutritio verò est productio partialis, siue aggeneratio partis, præexistenti toti animato nutriendo, ergò statuendum est discrimen, inter nutritionem, & generationem.

5. Opp. 1. nutritio, & augmentatio fiunt in instanti, ergò hi actus inter se non dissident. Ant. suadetur, eo nutrimento, quo animatum alitur, pariter crescit. Non enim effici potest additio alicui, nisi eidem fiat accretio: sed pes nutritionem fit nouarum partium additio, ergò & accretio. Nego ant. Nutritio quippe est mutatio, quæ est instantanea: augmentatio verò est motus, qui est temporaneus. Adde, quod generatio, & illuminatio sunt momentanea, tametsi aliundè differant.

6. Opp. 2. nutritio est aggeneratio nouarum partium, præexistentibus, & prioribus partibus, vt docet Scot. *vbi suprà*. ergò nutritio à generatione haud discriminatur. Concedo ant. nego conseq. siquidem nutritio partem, generatio verò. totum respicit. Deindè, nutritio proprium indiuiduum, generatio autem aliud indiuiduum de nouo producendum respicit. Vndè, apparet discrimen intes actus prænarratos.

ARTICVLVS II.

An per nutritionem aliquid de nouo generetur.

7. DOctos subtilis 4. *d.* 44. *quæst.* 1. commemorat opinionem Magistri sententiarum *a.d.* 30. eiusque fratris, putà Authoris *historiæ Scholasticæ, cap.* 37. & Hugonis Victorini *Tract. de Sacram. parte 6. cap. penult.* suspicantium, nihil nutrimenti transire in substantiam naturæ humanæ. Arbitrantur enim, id solùm esse de veritate naturæ humanæ, quod accipimus à parentibus in initio generationis: alimentum verò, quod sumimus esse tantùm fomentum caloris naturalis: adeò vt ipsum alimentum foueat, & adhæreat caloti naturali, eo ferè pacto, quo oleum adhæret lyeno, nè lumen lampadis extinguatur. Aduersus prædductam sententiam consurgunt omnes ferè Philosophi, & Theologi docentes alimentum per nutritionem transire, & transmutari in substantiam alti. Quamuis nonnullum extet dissidium inter istos. Etenim D.Th. putat, nutrimentum mutari in substantiam nutriti, penès partes materiæ, non autem, penès partes formæ. At Scot. *vbi suprà* affirmat, alimentum transmutari, in substantiam alti, tàm secundùm partes materiæ, quàm secundùm partes formæ. Quod vt rectè intelligatur.

8. Not. 1. in animato, quasdam esse partes, quæ dicuntur secundùm materiam, quasdam verò, quæ dicuntur secundum formam. Illæ sunt, quæ proximè fluunt, & refluunt, adeò vt, ampliùs virtutem in se non habeant conuertendi alimentum in sui substantiam: & vocantur partes secundum materiam, non quia forma careant, quandoquidem nulla materia, aut pars materiæ reperitur forma exuta, sed quia, sicut materia non agit, pariter huiusmodi partes non agunt, sed patiuntur, & corrumpuntur. Istæ autem perhibentur partes secundum formam, proptereà quod habent virtutem conuertendi alimentum in substantiam sui. Vt enim forma agit, sic ipsæ partes agunt, nec sunt in prorima dispositione, ad fluendum, & refluendum, immò, vi sua resarciunt, & reparant partes deperditas.

Not. 2. hanc difficultatem agitari posse, nedum de partibus solidis, & alimentitiis: verùm etiam de partibus solidis, & spermaticis. De prioribus pro certo habetur, eas de nouo aggenerari præcedentibus & præexistentibus: de posterioribus verò affirmatur ab Arist. 1. *de gener. c.* 5. Et ratio est, quia omnes partes, tàm duræ, quàm molles nutriuntur, & augentur: atque diminuuntur, & decrescunt, propterea idem iudicium ferendum est de vtrisque. Addo, cunctas esse mortales, ac corruptibiles, proindéque augmentationi, ac diminutioni obnoxias, vt nos docet quotidiana experientia.

9. Assertio 1. aliquid de nouo per nutritionem transit in substantiam nutriti. Huic patrocinatur Scot. *passu prænumerato*. Probatur primò, principium vegetandi habet vim conuertendi cibum in substantiam nutriti, ergò per nutritionem aliquid de nouo aggeneratur animato alito. Ant. suadetur, à natura

natura namque huiusmodi principium concessum est, vt reparentur partes deperditæ, & consumptæ, per calorem naturalem, agétem in humidum radicale. Conseq. tenet, membra quippe animalis grandiora sunt, cum iam animal ipsum per aliquos annos vitam duxit, quàm abhinc paucis diebus fuit genitum. Talis autem partium, & membrorum accretio non efficitur absque noua acquisitione nouæ substantiæ, & quantitatis, ergo &c. Secundò, nisi per nutritionem, aliquid de nouo addatur nutrito, fieret miraculosa multiplicatio, & augmentatio, veluti multiplicati, & augmentati fuere panes euangelici in deserto, *Ioan. 6.* Nullum autem miraculum admittitur absque necessitate, igitur per nutritionem aliquæ partes aggenerantur viuenti nutrito. Tertiò, nisi partes viuentis per nutritionem reparentur, concedendum est, partes primigeneas, & spermaticas esse immortales, ac incorruptibiles: partes verò alimentitias, esse mortales, & corruptibiles, ac proinde genere inter se differre, quia corruptibile, & incorruptibile genere differunt, 10. *Met. in fine*: absurdum est autem, dari in animali carnem aliquam incorruptibilem, & aliquam corruptibilem. Siquidem hæc, & illa caro ab inuicem specificam differentiam non sortiuntur. Fatendum ergò est, per nutritionem aliquas partes nutrito de nouo aggenerari.

10. Ass. 2. per conuersionem nutrimenti in alitum, fieri nouam formam carnis: non verò materiam nutrimenti propria forma pereunte informari, per formam carnis præcedentem. Fauet Doct. *vbi suprà, A.* Probatur primò, forma extensa, & diuisibilis, extenditur, ad extensionem materiæ, & diuiditur, ad diuisionem eius, nec eam respicit indiuisibiliter, & inextensè, alioquin foret indiuisibilis, simplex, & inextensa, veluti anima rationalis, quod est falsum: ergò, cum materia aliti animati augetur, vtique & forma eius: atque cum corrumpitur aliqua pars formæ, quoque & aliqua pars materiæ eius deperit: proindéque, cum quædam pars materiæ per nutritionem aggeneratur præcedenti materiæ, eodem etiam modo, quædam pars formæ ingeneratur priori formæ: & sicut illa pars materiæ de nouo est producta: pariter illa forma est noua, quæ nouam mater am informat, secùs non magis nunc, quàm tunc foret extensa. Ant. liquet ex Arist. *l. prædicam cap. de quantitate*, vbi habetur, quanta est superficies, tanta est albedo, quæ in ea existit. Secundò, si post nutritionem, plures sunt partes materiæ in toto, quàm priùs, aut ergo pars noua materiæ est in toto, absque forma, quod est inconueniens, cum nihil materiæ existere valeat sine forma, ex omnium consensu: aut est ibi sub forma noua, & habetur intentum: aut sub forma antecedente, sicque vel illa desinit perficere primam materiæ, quam priùs perficiebat, & hoc modo migrabit eadem pars formæ, à parte materiæ, ad aliam partem, quod est inconueniens: vel illa pars formæ prior eamdem simul perficiet partem materiæ nouam, & sic perficiet simul duo perfectibilia, quorum vtrumque est sibi adæquatum. Nam pars materiæ est adæquatum perfectibile parti formæ, & per consequens, cum illæ duæ partes materiæ sint duo adæquata perfectibilia illi parti formæ, manifestum est, ipsam, duas illas materiæ partes tàm priorem, quàm posteriorem, informare non posse. Tertiò forma extensa, & diuisibilis educitur de materia, & subiecto diuisibili, & extenso, ergo sicut tota anima de toto subiecto, & de tota materia educitur; ita pars formæ, & animæ de parte materiæ, ei correspondens educitur, proindéque, per nutritionem non aggeneratur pars materiæ, quin pariter aggeneretur pars formæ, animali nutrito.

11. Opp. 1. anima rationalis informat quamlibet partem, etiam de nouo aduenientem corpori humano, nec oportet de nouo produci aliam formam. Ergò idem astruendum est de partibus quæ per nutritionem, cuicumque animali adueniunt, videlicet esse partes secundum materiam, non autem secundum formam. Neganda est paritas ant. quia anima rationalis est indiuisibilis, & immaterialis: cæteræ verò animæ, & formæ sunt diuisibiles, & materiales. Ideò, vna pars formæ informat partem materiæ, & tota forma, & anima informat, & animat totam materiam eius, in quo reperitur.

12. Opp. 2. Arist. 1. *de gener. cap. de accretione, T. 34.* explicitis verbis scribit, partes animati secundùm speciem persistere: partes verò, secundum materiam fluere, & refluere: igitur in doctrina Peripatetica per nutritionem acquiruntur partes, secundum materiam, non verò secundum formam. Respondeo locum Philosophi exponendum esse, iuxta sensum præmissi not. in quo euidenter fuere explicitæ partes, nedum penes materiam, verumetiam penes formam. Nec occurrit amplius aliquid addere, ad declarationem eius testimonij.

13. Opp. 3. si partes de nouo per nutritionem animato comproducuntur, ipsum animatum erit vnum contiguum, vel continuum, aut saltem vnum per aggregationem: hoc auté refellitur ab omnibus Philosophis, ergò nihil per nutritionem de nouo adiungitur ipsi nutrito. Respondeo tantummodo sequi, animatum esse vnum per aggenerationem, quia partes acquisitæ per nutritionem succedunt loco deperditarum, & refocillant ipsum animatum.

ARTICVLVS III.

An indiuiduum idem perseueret à principio sui ortus vsque ad eius metam.

14. QVi partes Magistri sententiarum amplexantur, facili negotio se expediunt ab hac dubitatione; affirmantes idem indiuiduum, quod continuò nutritur, perseuerare à principio suæ natiuitatis, vsque ad vltimam eius periodum, propterea quod idem humidum radicale, eædemque partes persistunt, quæ à suis progenitoribus acceptæ fuere. Qui autem aliam viam à Magistro discrepantem sequuntur, non leui agitantur, & premuntur difficultate, quomodo scilicet idem sit indiuiduum à principio sui ortus, vsque ad finem, si partes eius semper fluant, & refluant. S. Th. expendens istud dubium, astruit esse idem indiuiduum, quia partes eius secundum formam perdurant, tametsi secundum materiam dilabantur. At Doctor subtilis præalleg. *in superiori art.* existimans partes indiuidui fluere, & refluere, nedum penès materiam, verùm etiam penès formam, docet idem remanere indiuiduum à principio suæ vitæ, vsque ad mortem, quia remanet totum, licet partes eius continuò mutentur, & reficiantur.

15. Ass. indiuiduum animatum, quod nutritur, & augetur, permanet idem ab initio sui ortus vsque ad eius obitum. Defenditur à Doct. *vbi suprà.* Suadetur primò ex Arist. 1. *de gener. cap. 5.* affirmante, subiectum, quod alitur, & crescit, perseuerare semper idem vsque ad eius interitum. Et 3. *prolit. c. 5.* ciuitas dicitur semper eadem, quamuis nonnulli semper nascantur, aliique moriantur. Secundò illud idem permanet in toto vitæ suæ curriculo, quod perdurat secundum totum, quia identitas vera & realis alicuius desumitur ab identitate totius: idem autem indiuiduum in toto vitæ suæ cursu persistit, secundum totum, tametsi aliquæ partes defluant, vt patet de arbore, quæ dicitur esse eadem, quamuis quædam eius partes abscindantur: & idem flumen, licet partes eius continuè dilabantur. Ergò, idem est indiuiduum, à principio sui ortus, vsque ad eius terminum vitæ, licet partes eius fluant, ac refluant. Tertiò identitas alicuius petitur potissimùm, penès identitatem materiæ, & formæ: tota autem materia, & forma perseuerant in vno, & eodem indiuiduo, ergò & idem persistit indiuiduum. Ma. est in confesso,

confeſſo, quia illæ ſunt partes intrinſecè, & eſſentiales totius. Min liquet, nam licet eius partes alterentur, & impuræ reddantur, vt conſtat de partibus ſenis, tamen eædem partes perdurant, ſecundum eamdem ma eriam, & formam. Inſuper ex dictis, elementa ſunt g nerabilia, & corruptibilia, ſecundum partes ingenerabilia verò & incorruptibilia, ſecundum ſe tota. Ergò idipſum aſtruendum eſt de indiuiduo viuente, & animato.

16. Opp. 1. ſi præfata aſſertio vera eſſet, idem foret indiuiduum non per realita em, ſed per æquiualentiam: in præſenti autem perueſtigatur vera, & realis identitas indiuidui, ergo &c. ſequela ma. oſtenditur, quia loco partium deperditarum, acquiruntur & ſuccedunt aliæ partes de nouo, ſicut diximus de loco, quem eſſe eamdem per æquiualentiam, aſſerimus alibi, cum de loco ex inſtituto egimus: Licet enim partes corporis ambientis recedant, aliæ tamen de nouo accedunt idem corpus ambientes, proindéque, cum iſtæ æquiualeant illis, corpus dicitur eſſe in eodem loco per æquiualentiam. Nego ſequelam ma ad eius probationem dico eſſe diſparitatem, quia per flatum venti, partes aeris ambientis præcedentes ſimul omnes recedunt, aliæ verò adueniunt in locum priorum. At in animato, non ſic contingit, quia quædam tantùm partes viuentis exiguæ, & exiles diſpereunt, & ferè omnes reliquæ partes eiuſdem viuentis permanent. Obid. reuera idem perſiſtit indiuiduum: veluti licet capilli, vngues, aliæque partes digitorum præſcindantur, nihilominus, idem ſemper ſtat indiuiduum. Idipſum affirmandum eſt de partibus quæ per nutritionem fluunt, & refluunt ab animato.

17. Opp. 2. ſi omnes partes animati fluunt, partes præcipuæ, vt cor non eſſent ſedes animæ, vt cum Ariſt. affirmant Philoſophi, quandoquidem huiuſmodi partes, quoque forent obnoxiæ fluxui, & refluxui. Id autem apparet falſum, cum remaneant idem cor, idemque caput, & cætera membra potiſſima: ergò &c. Nego ſeq. ma. cauſa namque, cur cor perhibeatur ſedes animæ, non eſt, quia partes eius à fluxu, & refluxu ſunt immunes: verum quoniam participat præſtantiores, & nobiliores diſpoſitiones, ad exercenda nobiliora vitæ opera.

18. Quæres 1. vtrum idem numero indiuiduum poſſit reparari? Reſpondeo negatiuè, potentia namque ordinata, a priuatione ad habitum non datur regreſſus. Potentia autem Dei abſoluta non repugnat, vt patet *Ioan.* 11. de Lazaro. Et *Marci* 16. de Chriſto Domino. Ratio eſt, quia nulla extat repugnantia, nec ex parte Dei, nec ex parte rei corruptæ, quæ vt fuit poſſibilis, antequam exiſteret; ità poſt eſſe deperditum, adhuc retinet poſſibilitatem, vt fit de nouo.

19. Quæres 2. Quid ſit vita? Reſpondeo cum Ariſt. eſſe permanentiam animæ vegetantis, cum calore naturali, & humido radicali, in corpore organico. Addi poteſt, vel virtualiter ipſam animam vegetantem continentem. Mortem verò, econtrà eſſe defitionem eiuſdem animæ in corpore organico. Duplex autem eſt mors, naturalis, quæ accidit defectu humidi radicalis conſumpti, per calorem naturalem: & violenta, quæ contingit gladio, veneno, aliiſque modis innumeris.

20. Quæres 3. Quid ſit ſanitas? Reſpondeo eſſe debitam temperiem omnium partium animati: è regione verò, morbus eſt intemperies omnium membrorum, aut alicuius animati: & ſi fuerit pars præcipua, niſi adhibeatur opportunum remedium, accidit mors.

21. Quæres 4. quid ſit reſpiratio? Reſpondeo eſſe attractionem aeris frigidioris expulſo aëre calidiore ad temperandum calorem cordis. Cuncta autem animalia, quæ habent pulmones, reſpirant: reliqua verò eorum expertia, vt piſces non reſpirant.

22. Quæres 5. quænam ſit opus nobiliſſimum animæ vegetatiuæ? Reſpondeo eſſe generationem, iuxta illud 2. *de anima T.* 34. naturaliſſimum, ſiue nobiliſſimum opus eſt, generare ſibi ſimile. Et 4. *Met.* ſubiicitur, vnumquodque eſt perfectum quando poteſt generare ſibi ſimile.

23. Dices, Deus non poteſt gignere alium Deum, ergò præfatum elogium non eſt vniuerſaliter verum. Occurrit Doct. 1. *Met. in expoſ. c.* 1. Alium Deum non eſſe factibilem nec generabilem, quia Deorum pluralitas repugnat.

24. Inſtabis, Angelus eſt factibilis, tametſi nequeat generare ſibi ſimilem Dico illud non eſſe verum, quando productum ita eſt perfectum, vt ad ſui productionem poſeat cauſam æquiuocam, cuiuſmodi eſt Angelus.

ARTICVLVS IV.

An vterque parens concurrat actiuè ad generationem Prolis.

25. INdubitatum eſt, patrem actiuè ſe habere in productione fœtus. Ambigitur verò, num mater quoque actiue concurrat, ad prolis effotmationem. Qua in re, D.Th. 3. *p. q.* 32. *art.* 4. Dur. 3. *d.* 3. *q.* 1. & Capr. *ibid. d.* 4. *q. vn. art.* 4. aſſerunt matrem paſſiuè ſe gerere tantùm in fœtus procreatione. Doctor autem ſubtilis 3. *d.* 4 *q vn.* Et *Quol.* 15. *art.* 2. Seraphicus *ibid. quæſt.* 1. Mayr. Baſſol. Lych, & alij plurimi, quibus præiuerunt Hypocr. *l de genitura*, Galen. *l. de ſpermate*, & *l.* 2. *de virtutib. naturalibus cap.* 3. & cæteri Medici docent ad generandam prolem matrem actiuè concurrere.

26. Not. non verti in dubium, vtrùm mater ſit principium actiuum principale generandæ prolis, quandoquidem omnes admittunt, non eſſe huiuſmodi principium principale: ſed totam litem eſſe, vtrum ſit principium actiuum minus præcipuum. Præterea, obſerua, cum Scot. præcit. in formatione fœtus multos interuenire motus. Primò namque deciditur ſemen à generante, & tranſmittitur ad locum generationis aptum, deinde ibi condenſatur, itemque figuratur, organizatur, & perficitur. Vnde dubitatur, vtrùm ad præfatos motus mater actiue, an verò paſſiuè ſe habeat duntaxat.

27. Aſſ. mater actiuè concurrit ad generandam prolem, tametſi minus principaliter Tenet Doct. *vbi ſuprà* & 4. *d.* 17. *q.* 1. 5. *ſed tunc ſub LL.* Et indicat D. Aug. *Tract.* 2. *in Ioan.* Suadetur primò, mas & fœmina ſunt eiuſdem ſpeciei, vt ſcribit Ariſt. 10. *Met.* 15. quæ autem ſunt eiuſdem ſpeciei participant idem principium actiuum, eamdemque generandi virtutem; ergò cum pater actiuè ſe habeat in formatione prolis, idipſum aſtruendum eſt de matre, eo modo, quo explicitum eſt ſupra. Secundò quod aſſimilat ſibi prolem, concurrit actiuè ad ipſam prolem efformandam, quia cauſa agens nititur reddere effectum ſibi ſimilem: proles autem nonnunquam ſimilior eſt matri, quàm patri. Ideò, fortaſſe inquit Ariſt. 9. *Eth. cap.* 7. Quia magis ſuos eſſe filius matres ſciunt, magis in eorum generatione laborant, propterea magis eos diligant, ergò mater coagit ad gignendum fœtum. 3. ſemen cenſetur ab omnibus principium actiuum prolis: mater autem emittit ſemen, ad formandum fœtum, vt teſtantur Medici, & obſeruat Anatomiſtæ, in fœminis eſſe quædam vaſa ſpermatica ſeminis conſeruatiua, ergò matri non eſt deneganda virtus actiua minus principalis ad prolem gignendam.

28. Opp. Ariſt. 1. *de gener. animalium, c.* 19. & 20. tradit, matrem in gignenda ſobole paſſiuè ſe gerere: ergò in peripato, mater non eſt principium actiuum prolis. Reſpondent quidam Ariſt. loqui de principio actiuo magis præcipuo, non autem de principio minus præcipuo, de quo dubitatur in præſentia. Verum hæc reſponſio contradicit Ariſt. qui explicitis verbis tum loco cit. tum etiam alibi docet matrem paſſiuè ſolùm ſe habere in generatione fœtus & exemplo illuſtrat *paſſu cit. cap.* 2.

Inſtabis,

Inſtabis, idem Philoſophus 7. *Mor. ad Eudemum cap.* 3. inquit, matres Magis, quam Patres amare Filios, quia magis ſuum opus eſſe, arbitrantur. Et 8. *Eth. cap.*11. præmiſit, parentes amare liberos, quaſi ex ſe quiddam ſint, liberos autem amare parentes, quaſi ex illis quidpiam ſint. Occurrendum eſt, præfata loca exponenda eſſe, quoad ſubminiſtrationem materiæ, & educationem: non autem quoad actiuitatem generationis ipſius prolis. Quare in hoc, & quibuſdam aliis alibi notatis, Ariſt. eſt deſerendus, & ſequendi ſunt Medici tanquam magis experti, vt monet Scot. *loco memorato*.

29. Oppones ſecundò, ſi mater ſe haberet actiuè in efformatione ſobolis, emitteret ſemen veluti pater. Semen quippè ab omnibus cenſetur principium actiuũ fœtus. Mater autem non emittit ſemen, Ariſt. 1. *de gener. animalium, cap.* 12. & quod ipſa mater effundit, videtur eſſe quidam humor aqueus, & rarus, qui rationem ſeminalem non ſortitur, ergo mater non eſt principium actiuum prolis. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico eſſe verum ſemen, licet non ita perfectum, cuiuſmodi eſt ſemen patris.

30. Oppones tertiò, quod ſuppeditat tantùm materiam ſoboli, non coagit ad eius productionem: mater autem ſolam materiam ſubminiſtrat, in quam agit ſemen patris, ergo mater non concurrit actiuè ad gignendam prolem. Concedo ma. nego min. partialiter namque mater, licet minus principaliter coagit ad generandam ſobolem, vt ſatis ſuprà manet probatum.

ARTICVLVS V.

An quæ fiunt per putrefactionem ſint eiuſdem ſpeciei cum iis, quæ fiunt per propagationem.

31. AVerroës 8. *Phyſ. com.*46. & 1. *de gener. cap.*1. Iand.7. *Met. quæſt.*15. & quidem alij negant, quæ generantur ex ſpermate, eſſe eiuſdem ſpeciei, cum iis, quæ ſine ſemine gignuntur. Scot. autem 1. *diſt.*2. *quæſt.*7. §. *Ad* 1. *argumentum principale. R.* Et 3. *diſt.*14. *quæſt* 3. §. *contrà.* Propè initium, Antonius Andreas 7. *Met. q.*8. Faber. *Theorem.*71. & cæteri, tam contrà, quàm extrà eius ſcholam, aſſeuerant quæ per putrefactionem, & per propagationem generantur, participare eamdem ſpeciem, & naturam.

32. Not. viuentium ſublunarium quædam eſſe perfecta, putà hominem, & leonem, quæ ex putri materia, procreari, haud eſt cenſendum, quandoquidem, tot partes, & organa requiruntur ad eorum conſtitutionem, & integritatem, quæ nonniſi à cauſa propria, vniuoca, & præſtanti, produci valent, præſertim eorum animæ, quæ ex dicendis infrà, à Deo efficiuntur: quædam verò eſſe imperfecta, ſcilicet plantas, mures, & id genus alia, quæ, aut ex ſemine, aut ſine ſemine generantur, & de his extat præſens dubitatio: non de illis. Quod autem dicitur 2. *Polit.* de quibuſdam hominibus, ex terra procreatis, vel alio modo, non eſt Ariſt. ſed Eurip. & Ouid. Idque fabuloſum eſt.

33. Aſſertio, præfata viuentia, quæ æquiuocè generantur, ſunt eiuſdem ſpeciei. Tenet Doct. *vbi ſuprà*, & 7. *Met. in exp. cap.* 6. & *T.* 23. Et *ibid. in exp. cap.*9. *T.*90. Probatur primò, *ex* 7. *Met. T* 23. Et 5. *de hiſtoria animal. c.*1. & 6. *eiuſdem, cap.*15. vbi Ariſt. ſcribit, ſunt quæ ex limo, & arena proueniunt, etiam ex iis generibus, quæ ex coitu, & ouo generantur, ergo ſecundum Ariſt. quæ æquiuocè gignuntur, ſunt eiuſdem ſpeciei.

Secundò, ex D. Aug. 3. *Trin. cap.*9. genitum per putrefactionem propagat alia iterum propagantia, & ita ſunt vniuoca, generans, & genitum: ergo propagata ex ſemine, & producta ex putri materia ſortiuntur eamdem naturam ſpecificam. Ant. patet de auibus, apibus, aliiſque pluribus, quæ caſu genita, poſtmodum ſemen producunt, & emittunt, ex quo alia procreantur eiuſdem naturæ, & ſpeciei.

Tertiò, quæ habent idem corpus, eamdem virtutem, paſſionem, & accidentia, continentur ſub eadem ſpecie. Hæc enim planè manifeſtant eamdem naturam ſpecificam, vt indicat Ariſt. 1. *animæ*, *T.* 53. Quæ autem fiunt ex putri materia, & quæ ex ſemine gignuntur, habent idem corpus organicum, eamdemque naturam, proprietates, & accidentia, vt liquet de mure genito per putrefactionem, & de mure genito per propagationem ab alio mure Itemque de plantis, quæ caſu naſcuntur in montibus, & quæ alibi ſeminantur, ſemine earum in terram demiſſo. Inſuper, ignis genitus ab alio igne, vterque eſt eiuſdem ſpeciei, cum igne producto ex ſcilice, aut ex radiis ſolaribus: ergo & animata ſub eadem ſpecie comprehenduntur, quæ gignuntur ex putri, & quæ ex ſemine procreantur.

34. Oppones primò, Ariſt. 1. *de gener. animalium, cap.*1. & 5. *eiuſdem operis*, conceptis verbis ſcribit, quæ generantur ex putri materia non eſſe eiuſdem ſpeciei, cum eis, quæ oriuntur ex ſemine, vt coitu pediculorum procreantur lendes, vnione muſcarum, vermiculi, & pulicum congreſſu, quoddam genus vermiculorum ſpeciem oui referens: ergo prææallata noſtra aſſertio pugnat Ariſt. Reſpondeo Ariſt. ibi ſolum recenſere ea, quæ generantur ex putri materia, quorum nonnulla ſunt infœcunda, cætera verò fœcunda, ſibi ſimilia generantia, & participantia eamdem ſpeciem, vt ſuprà ex eodem Philoſopho ſatis fuit oſtenſum.

35. Oppones ſecundò, quæ ex diuerſa materia gignuntur, ſunt diuerſæ ſpecies, alioquin quodlibet generaretur ex quolibet: quæ autem per putrefactionem, & per propagationem fiunt, ſortiuntur diuerſam materiam, quia illa ex putri, hæc verò ex ſemine naſcuntur, igitur participant diuerſam ſpeciem. Nego ma. quia vnitas, vel diſtinctio ſpecifica rerum non à materia, ſed à forma depromitur, vt alibi euidenter monſtratum eſt.

36. Quæres, quænam pars in corpore animalis prius efformetur? Reſpondent Hypocrates, & Galenus eſſe hepar: Ariſt. verò ſcribit eſſe cor, quod eſt fons caloris naturalis, & ſpirituum vitalium. Ob id celebratur illud, cor eſt primum viuens, & vltimum moriens. Oculus autem econtrà, dicitur eſſe vltimus viuens, & primus moriens.

LIBER QVARTVS.

De Anima ſenſitiua.

1. PECVLIAREM non moueo quæſtionem de natura animæ ſenſitiuæ, quandoquidem ex dictis, *l. 2. de anima in communi* facilè intelligitur, quid in præſenti affirmandum ſit. Bifariàm autem definitur anima ſentiens, primò, à priori ſic, anima ſenſitiua eſt actus primus corporis organici potentiâ vitam vegetantem, & ſentientem habentis. Secundò, à poſteriori, anima ſenſitiua eſt principium vegetandi, & loco mouendi. Omnes particulæ vtriuſque præadductæ definitionis abundè explanatæ fuere, loco mox alleg.

QVÆSTIO I.

De Productione animæ ſenſitiuæ.

ARTICVLVS I.

An anima imperfectorum animalium producatur à Cælo.

1. DOCTOR Seraphicus 2. *diſt.* 8 *quæſt.* 1. *art.* 2. eiuſque præceptor Doctor irrefragabilis Alexander Alenſis 7. *Met. ad Text.* 23. arbitrantur animas imperfectorum animalium à Cælo produci. Contrariam ſententiam tuentur Doct. ſubtilis 4 *diſt.* 12. *quæſt.* 2. Baſſolius *ibid.* & cæteri eiuſdem instituti, & gymnaſij, docentes animas præfatorum animalium nequaquam à Cælo, tanquam à cauſa efficiente promanare.

3. Not. per imperfecta animalia, de quibus ſermo eſt impræſentiarum, potiſſimum intelligi ea animalia, quæ ex putri materia fiunt, quorum quædam in terra, quædam verò in mari procreantur. Siquidem Ariſt. *l. 6. de hiſtoria animalium, cap.* 16. narrat anguillas ex putri vligine prodire. Idque etiam de oſtreis refert Plinius 10. *hiſtoria naturalis* 68. Atque ea lignis corroſis tineæ, ea madore aëreo papiliones, cicadæ, formicæ, & id genus alia.

4. Aſſertio, animalia imperfecta, eorumque animæ non producuntur à Cælo, niſi diſpoſitiuè. Fauet Doct. *vbi ſuprà.* Suadetur primò, viuens non producitur, à non viuente, vt crebro in ſuperioribus dictum eſt. Cælum autem eſt non viuens, ex alibi aſſertis, & prædicta animalia ſunt viuentia, igitur à Cælo non producuntur.

Secundò, nobilius non efficitur ab ignobiliori, iuxta illud vulgatum, nemo dat, quod non habet: Cælum autem eſt ignobilius, & imperfectius quolibet animali imperfecto. Quodlibet namque animatum præfertur cuilibet inanimato. Quia gradus vitæ eſt præſtantior, & excellentior, gradu naturæ: ergo Cælum non eſt horum animalium opifex, niſi diſpoſitiuè.

Tertiò, Cælum agit in hæc inferiora tantùm lumine, calore, & motu, vt dixi, cum de influxu Cæli ſermonem haberem: lumen autem, calor, & motus, cum ſint accidentia, nequeunt attingere productionem earum animarum, quæ ſunt ſubſtantiæ, inquirenda ergo eſt alia cauſa effectrix prædictorum animalium.

5. Oppones primò, Scot. 1. *diſt.* 7. *quæſt. vn.* §. *vna indeterminatio. E.* Sol eſt indeterminatus ad producenda multa animalia. Et 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 6. §. *Dico. ſub B.* & *diſt.* 9. *quæſt. vn.* §. *Ad quæſt. infrà B.* Et 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 16. ſi Cælum ex hac materia produceret vermem: Ergo in ſchola Scot. Cælum eſt principium, & cauſa effectiua eorum animalium. Reſpondeo præfata Doct. teſtimonia interpretanda eſſe, iuxta diſtinctionem præallatam, ſcilicet diſpoſitiuè, non autem effectiuè.

6. Oppones ſecundò, eiuſdem cauſæ eſt diſponere materiam, ac inducere, vel educere formam ea materia diſpoſita: Cælum autem eſt cauſa diſpoſitiua materiæ, ad introducendam animam ſenſitiuam horum animalium, ergo quoque eſt cauſa inductiua, vel eductiua eiuſdem animæ. Nego ma. accidentia quippè in noſtra ſententia, ſunt cauſæ diſpoſitiuæ ſubſtantiæ producendæ, & tamen non ſunt cauſæ eius effectrices. Item, homo generans diſponit materiam, nihilominus non creat animam rationalem

7. Oppones tertiò, *Geneſeos* 30. Ex aſpectu virgarum variè pictarum, varij fœtus à pecoribus fuere editi. Et Aug. *l.* 1. *qq. ſuper Geneſim, quæſt.* 92. narrat ex Hypocrate, quamdam fœminam, inſtar pulchræ imaginis, quam in cubiculo habebat, peperiſſe puerum pulcherrimum, vtrique parenti, & generi diſſimilem. Subiungit D. Hierony. in præſenti, hac arte vti Hiſpanos, ſtatuentes venuſtos equos, ante equas, tempore conceptus. Addit Quintilianus, matronam quamdam adulterio accuſatam eſſe, proptereaquod pepererat Æthyopem, quæ ab eo crimine libera euaſit, quoniam in eius cubiculo inuenta eſt Æthyopis imago. Reſpondeo cum Lyrano in poſtil. præfati loci, hæc, & conſimilia attribui virtuti imaginatiuæ. Iuxtà illud adagium, *imaginatio facit caſum*

8. Oppones quartò, in quibuſdam inſulis à terra remotiſſimis degunt quædam animalia, quæ nec per natationem, nec per tranſportationem illuc peruenêre; quandoquidem magnum intercipitur interuallum, & ibi extant belluæ efferatæ, putà Leones, Tigres, Lupi, & huiuſmodi. Nec præſtat dicere, ea ab initio Mundi ibi à Deo fuiſſe creata. Nam, per diluuium vniuerſale periiſſent, ergo recurrendum eſt ad cælum, tanquam eorum cauſam efficientem. Conſ. Plinius *l.* 8. *hiſt. cap.* 42. immò D. Aug. 21. *Ciuit. cap.* 5. & Virg. ferunt, equas flante fauonio concipere, ſubnectunt Ariſt. 6. *de hiſt. animalium* in Syria, & Plin. cit. *c.* 44. in Africa, mulas parere. Hoc ipſum tradunt Marcus Varro, Dionyſ. & alij complures. Reſpondet D. Aug. 16. *Ciuit. cap.* 7. eas belluas, per hominum induſtriam, venandi cauſa, illuc tranſlatas fuiſſe: aut Angelorum miniſterio, delatas. Quod autem in aliquibus oris mulæ ſint fœcundæ, in aliquibus verò non, id tribuitur diſpoſitiuè cæleſtibus influxibus, veluti in quibuſdam regionibus naſcuntur, & viuunt quædam animalia, in quibuſdam verò, minimè, quòd fortè aſpiciens, canit Virg. 1. Georg.

Hîc ſegetes, illîc felicius vuæ.

Idem dicendum eſt ad conf. Quod ſi aliter ſentiat Plin. pro fabula habetur, teſte Iuſtino *l.* 43. *ſua hiſt.* Præſertim quia, ea animalia ſunt perfecta, quæ produci

dnci nequeunt, niſi medio ſemine, aut immediatè à Deo, *vt oſtendi in poſtremo art. præcedentis lib.*

ARTICVLVS II.

An anima ſenſitiua producatur ex ſemine decidentu.

9. PLerique Philoſophi arbitrantur, ſenſitiuam animam produci à ſemine decidentis. Putant namque, ſemen eſſe cauſam effectricem organizationis, & animationis animalium perfectorum. Scot. autem 2.*d.*18.*quæſt vnic.*§. *Reſtat nunc videre.E.*& §. *Dico igitur.I.*Lych. Gratianus Brixienſis *ibid.* Faber. *Theor.*69. & alij affirmant, ſemen nullo pacto eſſe, nedum cauſam organizandi tot diuerſa membra, verùm nec etiam producendi ipſam animam, niſi diſpoſitiuè, quod eſt dictu, ſemen diſponere duntaxat ad vlteriorem, & perfectiorem formam: Deum verò immediatè ex illa materia, per ſemen diſpoſita, educere animam ſenſitiuam, quæ vnà cum corpore organizato, conſtituit animal integrum, & perfectum.

10. Not. agentium animatorum anima ſenſitiua, nonnulla eſſe æquiuoca, quæ gignunt animata diuerſæ rationis, & ſpeciei, vt equa, & aſinus generant mulum, qui participat ſpeciem diuerſam ab aliis: cætera verò eſſe vniuoca, quæ producunt fœtum eiuſdem ſpeciei, vt homo hominem, & leo leonem generant. Ex his autem, quædam ſunt ouipara, quæ mediis ouis pariunt ſibi ſimilia: reliqua verò producunt ſuam ſobolem medio ſemine, quorum meminit Aug. *l* 3. *qq. in Leuiticum*, *quæſt.*38.

11. Aſſertio prima, ſemen non eſt cauſa efficiens animæ ſenſitiuæ, nec etiam organizationis corporis eius, niſi ſolùm diſpoſitiua. Aſſertio eſt tripartita, quam tuetur Doct. *vbi ſuprà.*

Prima pars probatur primò, viuens non producitur à non viuente, vt multoties dixi, & probaui in ſuperioribus: ſemen autem eſt non viuens actu, vt patet *l.*2. *quæſt.*2. *art.*2. in quo oſtendi, ſemen, & lac eſſe anima expertia, ergo ſemen non eſt principium productiuum animæ ſenſitiuæ.

Secundò, effectus in actu habet cauſam in actu, vt conſtat *ex l. de cauſis*: quando autem anima ſenſitiua producitur, vel producta eſt, ſemen non ampliùs eſt, quia iam eſt corruptum. Siquidem, *loco paulo antè alleg. l.*2.*quæſt.* 2. *art.* 2. ſemen tranſmutatur in embrionem, & de embrione tranſit in corpus organizatum, ea quo educitur anima ſenſitiua, ergo ſemen non eſt cauſatiuum animæ ſenſitiuæ.

Tertiò, ſicut ex elementis corruptis effectiuè non generatur mixtum. Etenim, quæ corrupta ſunt, cum eſſe non poſſideant, nec quoque agendi virtutem participant: mixtum autem ex alibi dictis, producitur per actionem tertij, hoc eſt, agentis vniuerſalis: ita etiam aſtruendum eſt, ſemen corruptum haud cauſare animam ſenſitiuam.

Secunda pars oſtenditur. Quod eſt vnigenum, & vniforme, non eſt principium, & cauſa diuerſitatis effectuum, vt patet de igne, & aqua, quæ ſunt vnigena, & vniformia. Semen autem eſt vnigenum, & vniforme, vt conſtat intuenti: ergo non eſt opifex tot diuerſorum organorum, & partium diſſimilarium, quæ viſuntur in corpore organico animalis integri, & perfecti.

Tertia pars ſuadetur. Quælibet cauſa habet ſuum effectum, cum nihil otioſum permittat natura: ſemen autem eſt cauſa à natura intenta, & elargita ad generandum aliud ſimile in ſpecie, vt animaduerti paſſu proximè cit. Ergo ei attribuendus eſt aliquis effectus, qui haud eſt anima ſenſitiua, nec organizatio corporis, ſed diſpoſitio ad organizationem, & introductionem animæ ſenſitiuæ.

12. Aſſertio ſecunda, Deus eſt opifex animæ ſenſitiuæ, & organizationis corporis eius. Tenet Doct. præcit. & annuit Aug. *l.* 8;. *qq. quæſt.* 10. inquiens, corpus eſſe à Deo: ſi ergo per Aug. corpus fit à Deo, quod eſt minoris molis, conſequenter anima ſenſitiua, quæ eſt præſtantius opus. Deindè, probatur præfata aſſertio, quando non inuenitur inter res creatas cauſa ſufficiens productiua alicuius effectus, recurrendum eſt ad Deum, qui eſt author naturæ, & ſupplet quidquid efficere nequeunt cauſæ ſecundæ: in rerum autem natura non reperitur cauſa effectrix animæ ſenſitiuæ, & organizationis corporis eius, vt monſtraui in priori aſſertione, ergo aſtruendum eſt, Deum vtriuſque effectus eſſe opificem. Corroboratur, Auer. 2. *Cæli*, in rebus arduis, & difficilibus accedit ad Deum. Immò Galenus ſubiungit, virtutem ſeminis eſſe diuinam, ac ſi diceret, Deum operari vi ſua, medio ſemine, tanquam cauſa diſpoſitiua. Et Auguſt. 22. *Ciuit. cap.*23. mirabilem vocat vim ſeminum. Et *ibi* ſubnectit, incorpoream, corporeámque naturam, illam præpoſitam, iſtam ſubiectam, miris modis copulans, & connectens animatum ipſe facit.

13. Oppones primò, ſi anima ſenſitiua immediatè à Deo producitur, ergo creatur, veluti intellectiua: ſenſitiua autem non creatur, ergo nec immediatè à Deo producitur. Nego conſeq. extat namque diſcrimen inter productionem animarum ſenſitiuæ, ac intellectiuæ. Siquidem, intellectiua fit ex nihilo, proptereà creatur, ſenſitiua verò educitur de potentia materiæ, hoc eſt de corpore aptè organizato, ideò non creatur.

14. Oppones ſecundò, ſi brutum non concurrit ad productionem animæ ſenſitiuæ, ergo non eſt parens eius bruti, quod generatur ab ipſo: vulgò autem brutum generans appellatur pater bruti geniti, igitur attingit productionem animæ ſenſitiuæ. Nego conſeq. Nam, ſicut homo generans non producit animam rationalem, & tamen nuncupatur pater filij ab eo geniti: ita & brutum vocatur pater eius, quod genuit, licet non attigerit productionem animæ ſenſitiuæ illius. Satis enim eſt, vt mediante ſemine deciſo, à progenitore fiat debita præparatio, ac diſpoſitio ad organizandum corpus dictæ animæ, & ipſam ex eo educendam: idque præclarè ediſſerit Aureolus 1. *diſt.* 31. *art.*2. *propoſitione ſecunda.*

15. Oppones tertiò, ſi ſemen non eſt principium actiuum animæ ſenſitiuæ, eiuſque corporis, ex quolibet ſemine, quodlibet animal gigni poſſet, cum actiuè non concurrat ad productionem animalis, hoc autem experientiæ pugnat. Non enim ex humano ſemine generatur leo, vel bos, vel aliud animal, ergo &c. Nego ſequelam ma. vt enim ſuperiùs monui, ſemen eſt principium diſpoſitiuum. Ideò, aliter diſponit ſemen humanum, aliter verò ſemen leoninum, & bouinum. Quapropter, non ſequitur, ex quolibet ſemine generari quodlibet animal, propter varias, & diuerſas diſpoſitiones, quas varia, & diuerſa ſemina præſtant.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

De Sensibilibus.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit sensibile commune.

1. VT quod à nobis in titulo huiusce articuli proponitur, commodius, & melius percipiatur, & intelligatur, animaduerto, sensibile esse obiectum, penes quod sensus versatur. Sensus autem est potentia vitalis, quæ percipit obiectum sensibile. Diuiditur autem sensibile, in sensibile per se, & sensibile per accidens. Istud est, quod non ratione alterius percipitur à sensu, vt substantia, quæ sentitur per sua accidentia; illud verò est, quod à sensu attingitur, vt color, sonus, & id genus alia. Porrò, sensibile distribuitur in sensibile commune, & proprium. Sensibile commune statuitur illud, quod à pluribus sensibus externis attingitur, vt magnitudo, figura, & reliqua infrà recensenda. Sensibile proprium est, quod ab vno tantum sensu externo percipitur, putà color à visu, & sonus ab auditu. Quintuplex autem numeratur sensibile proprium, iuxtà quintuplicem sensum externum, videlicet, visibile, audibile, gustabile, odorabile, & tangibile.

2. Assertio, quinque sunt sensibilia communia, motus, quies, numerus, magnitudo, & figura. Ita Arist. 2. *anima*, *cap*.6. *T.* 64. contrà Galenum, *l. de dignoscendis pulsibus*, motum à numero sensibilium segregantem. Et deducitur ex Scot. 4. *dist*.45. *quæst*. 3. *Ad* 1. *sub F.* & *d* 12. *quæst*.2. §. *Hic sunt. B.* & *q*.3. §. *Ad principale. CC.* Probatur primò, tot sunt distincta sensibilia communia, quot sunt diuersa obiecta, quæ à pluribus sensibus percipiuntur, vt constat ex descriptione sensibilis communis allata in præmisso notabili: quinque autem sunt obiecta distincta, quæ à pluribus sensibus attingi queunt, ergo quinque sunt sensibilia communia prænarrata. Ma. est conspicua. Min. est in promptu. Siquidem, à pluribus sensibus percipiuntur, motus, quies, discretio rerum, quantitas, & imago earum, quæ sunt communia sensibilia quinario numero relata.

Secundò, rerum pluralitas, & multitudo, ad quædam capita præcipua redigenda est, vt tollatur earum confusio, & indistinctio, vt fit de vniuersalibus, prædicamentis, & huiusmodi: multa sunt autem sensibilia communia, vt constat experientia: ergo reuocanda sunt ad illa quinque prærecensita. Quæ autem afferunt Perspectiui, putà situm, distantiam ad motum, asperitatem, leuitatem, curuitatem, & rectitudinem, ad figuram commodè, & aptè reuocantur. Itaque, retinendus est præfatus numerus quinarius communium sensibilium.

3. Oppones primò, motus est in continuo fluxu, immò à plerisque censetur ipsemet fluxus: fluxus autem non à sensu, sed à ratione percipitur, ergo motus non est de numero sensibilium communium. Concedo ma. distinguo min. secundum formalem, & perfectam rationem, concedo: secundum materialem, & imperfectam rationem, nego. Videntur quippè homines deambulare, aquam fluere, lapides deorsum cadere, & id genus alia, quæ quotidiana nos docet experientia.

4. Oppones secundò, animantia rationis expertia non numerant, vt scribit Arist. *sect*.30. problematum, ergo numerus ab eis non attingitur, proindéque numerus inter sensibilia communia non est referendus. Respondeo per explicationem, & distinctionem antecedentis. Bruta non numerant, addendo, diminuendo, & repetendo, eo modo, quo præstant homines, concedo: non supputant, id est non cognoscunt res discretas, vt tres lapides, tres homines, & id genus alia, nego. Vt enim oculus noster corpotens multa abinuicem distincta, & discreta discernit, sic & oculus belluæ agnoscit, quæ distincta, & diuersa sunt.

5. Oppones tertiò, quies est priuatio motus: priuatio autem ab vllo sensu non discernitur, ergo nec quies, atqueadeò, quies inter sensibilia communia perperàm numeratur. Respondeo quietem in præsentia non sumi pro carentia motus, sed pro consistentia rei in loco, in qua fundatur priuatio motus.

ARTICVLVS II.

An sensibile commune producat speciem sui distinctam à specie sensibilis proprij.

6. FErrariensis 2. *de anima*, *quæst*. 11. & Michaël de Palatio *ibid. cap*.6. putant sensibile commune non imprimere speciem sui in sensu distinctam à specie proprij sensibilis, sed per eamdemmet speciem proprij sensibilis attingi à sensu commune sensibile. D. Th. 2. *de anima*, *lect*. 13. & 1. *p*. *quæst*. 78. *art*. 3. *ad* 2. Bannez *ibid.* aliique non pauci, quos sequuntur Complut. *disp*.9. *de anima*, *quæst*. 2. §. 2. & Poncius *disp*.59. *quæst*.9. existimant, per speciem modificatam proprij sensibilis percipi à sensu sensibile commune. Scot. autem 4. *dist*.12. *quæst*.3. §. *Ad principales rationes. CC.* Bassol. *ibid. quæst*.2. Iand. 2. *de anima*, *q*.18. Gandauensis *quæst*.17. & alij complures affirmant, per speciem distinctam à specie proprij sensibilis, cognosci à sensu sensibile commune, adeò vt sensibile commune producat in sensu suam propriam speciem, à specie proprij sensibilis distitam.

7. Not. ex Doct. mox cit. sensibile commune, tametsi causet propriam speciem sui, nihilominus nequit causare illam, absque sensibili proprio concomitante. Non quia sensibile commune non præcedat sensibile proprium, adeò vt, hoc ab illo seiungi, & separari queat: verum quoniam non est prius in agendo in sensum. Cuius fortasse ratio est, quia sensus prius respicit suum obiectum proprium, quàm aliud, ideoque nullum alium actum valet recipere, nisi prius actum sui proprij obiecti recipiat. Quapropter sensus non percipit obiectum secundarium, quoad est sensibile commune, nisi prius percepto obiecto primario, quod est sensibile proprium: veluti singulare priùs percipitur, quàm vniuersale, in ordine, & serie cognitionis confusæ, vt alibi palàm feci.

8. Assertio, sensibile commune gignit in sensu speciem sui distinctam, à specie proprij sensibilis. Fauet Scot. *vbi suprà*, vt legenti text. eius, quidquid dicat Canallus *in annot*. 3. *ad quæst*.6. *de anima num*.10. *concl*. 3. Suadetur primò, ex Arist. 2. *anima*, *ad finem cap*.8. dicente, sensibile commune mouere, & immutare sensum, quod effici nequit, nisi per speciem, & similitudinem sui distinctam, à specie, & similitudine sensibilis proprij.

Secundò, diuersa, distinctaque obiecta producunt diuersas, distinctasque imagines, & similitudines, tum quia sunt eorum semina, & effectus, tùm etiam quia visuntur apertè in speculo multa, diuersaque obiecta repræsentante: sensibile autem commune extat obiectum distinctum à sensibili proprio, vt constat ex superiore art. ergo producit distinctam speciem, à specie sensibilis proprij.

Tertiò, distinctæ sensationes fiunt à distinctis speciebus

ciebus sensibilibus, quia distinctæ causæ producunt distinctos effectus: distinctæ autem sensationes oriuntur à sensibili communi, & sensibili proprio, vt si à longè videatur turris, magnitudo eius quidem à sensu percipitur, color autem ipsiusmet turris minimè cernitur: magnitudo autem est de genere sensibilis communis, & color de numero sensibilis proprij: igitur statuenda est species sensibilis communis distincta à specie sensibilis proprij. Adde quod vniuersale distinguitur à singulari, vt liquet ex descriptione vtriusque alibi allata, ergo species illius à specie huius secernitur.

9. His obuiam fiunt Complut. *cit.* § 4. & dicunt, esse eamdem speciem vtriusque sensibilis, modificari verò, & determinari, ad repræsentandum sensibile commune, vel proprium. Contrà, modus ex alibi assertis non variat rem, cuius est modus: commune autem, & proprium sensibile sunt rea, & obiecta distincta, ergo habent species distinctas, non verò tantum modificatas. Præsertim quia vna haberi potest absque alia, vt de magnitudine, & colore, & vtriusque speciebus suprà demonstrabam.

10. Oppones primò, magnitudo est quantitas, quæ est de genere passiuorum: ergo, cum magnitudo sit de numero sensibilium communium, plane infertur, ipsam non gignere speciem sui in sensu distinctam à specie proprij sensibilis. Respondeo magnitudinem, quæ est quantitas, esse passiuam, penes actionem realem: non autem, penes actionem intentionalem, de qua hîc loquimur.

11. Oppones secundò, vtrumque sensibile, siue commune, siue proprium, per vnicam speciem cognosci valet, ergo non est excogitanda, & multiplicanda alia species, vna sensibilis communis, & altera sensibilis proprij. Ant. est in promptu, quandoquidem sensibile proprium determinat, & modificat sensibile commune: ergo hoc, per illius speciem attingi valet. Negatur ant. ad eius probationem, si admittatur quoquo modo sensibile commune determinari, ac modificari à sensibili proprio, tamen cum sint obiecta inter se distincta, vt cognoscantur à sensu, exiguntur distinctæ species ab eis promanantes.

ARTICVLVS III.

An præter speciem impressam, requiratur præsentia obiecti sensibilis ad externam sensationem.

12. IN isto art. præsupponitur ex infrà dicendis dari species sensibiles, quæ describuntur imagines, seu similitudines rerum sensibilium partialiter concurrentes, ad eliciendam sensationem. Quibus suppositis hæc difficultas bifariàm agitari potest, vno modo, de potentia naturali, cuius partem affirmatiuam tuentur Aur. *in prol. art.* 3. Buridanus 2. *de anima*, *quæst.* 21. & indè, aliique, quos suppresso nomine allegat Mayron. *quæst.* 18 *prol.* partem verò negatiuam amplexantur Scot. *Quol.* 13. eiusque asseclæ. Altero autem modo, de potentia supernaturali, cuius duplex quoque extat opinio, prior Ocham. *Quol.* 6. *quæst.* 6. & Gabrielis 2. *dist.* 3. *quæst.* 8. arbitrantium, repugnare sensationem externam fieri, absque obiecto præsente. Posterior autem defenditur à Scot. 4. *dist.* 10. *quæst.* 9. §. *Ad quæstionem. B.* Maior. 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *concl.* 1. Mol. 1. *part. quæst.* 55. *art.* 2. *disp.* 2. *m.* 5. Ruu. 2. *de anima quæst.* 13. aliisque permultis astruentibus, nullam inuolui contradictionem, quin de obiecto absente habeatur externa sensatio.

13. Not. ex Scot. 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. §. *sed hic restat. sub FF.* & 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. §. *Ad quæst. igitur.* C. Et *Quol.* 13. *art.* 2. §. *circà secundum. I.* cui subscribunt Dur. *quæst.* 3 *prol.* & vulgus cæterorum Philosophorum, cognitionem esse duplicem, vnam intuitiuam, alteram verò abstractiuam. Illa est obiecti præsentis, & in se actu existentis, aut in alio eminenter ipsum continente. Exemplum primi, visio oculi cernentis colorem actu existentem. Exemplum secundi, visio Beati cernentis creaturas in Deo eminenter contentas. Ista est obiecti non existentis in se, aut absentis, aut in alio virtualiter non contenti, vt cognitio rosæ, hyeme, aut alterius rei cognitæ non existentis, nec præsentis, nec in alio eminenter contentæ. Quidquid dicat Aur. præcit. non recipiens præfatam doctrinam communem descriptionis notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ. Nec respuenda est distinctio cognitionis intuitiuæ in immediatam, & mediatam, vt præstant Conimbr. 2. *de anima, cap* 6. *q.* 3. *art.* 1. siquidem, ex alibi dictis, cognitio Dei de futuris contingentibus est quidem intuitiua, non immediata, sed mediata: atque cognitio creaturarum quæ à beatis intuitiue in Verbo cernuntur non videtur esse immediata, cum aliquando in se, & in propria existentia, & præsentia ab eisdem non videantur. Nec iuuat dicere cum eisdem Authoribus cit. cognitionem in alio cognito non esse intuitiuam, veluti Cæsar cognoscitur in sua statua. Nam etsi, hoc verum sit, quia huiusmodi cognitio est in figura, & specie eius: at præfata cognitio creaturarum in Verbo habetur de ipsis, vt virtualiter in ipso Verbo contentis: quod non sic se habet cognitio Cæsaris in statua, aut imagine eius, aut aliquo alio eiusdem repræsentatiuo.

14. Assertio prima, naturaliter fieri nequit sensatio externa, nisi obiectum actu existat, & præsens sit sensui. Tenet Doct. cit. & 7. *Met. quæst.* 13. §. *Aliter.* & 1. *Report. dist.* 3. *quæst.* 4. Probatur primò, ex Arist. 2. *de anima*, *T.* 60. *sum.* 4. *cap.* 1. statuente discrimen inter obiectum sensus, & intellectus: Nam, illius obiectum est singulare in se existens: huius verò, vniuersale abstrahens ab existentia actuali: igitur in schola Peripatetica, externa sensatio non efficitur, nisi actu obiectum existat, ipsique sensui reipsa præsentetur.

15. Dices, singulare per se existentiam actualem non importare, quandoquidem singulare nihil aliud sibi vult, quàm naturam determinatam, & contractam per hæcceitatem, quæ est eius differentia indiuidualis, & principium constitutiuum, & distinctiuum, à quolibet alio, quod non est indiuiduum, ac singulare. Idque clarè apparet in quacumque serie prædicamentali, in cuius base residet singulare, ab omni existentia præcisum, & abstractum. Contrà, singulare ab actuali existentia abstractum, non cognoscitur à sensu, sed ab intellectu, & quidem non cognitione intuitiua, sed abstractiua, de qua non est lis in præsentia. Deindè, cognitio intuitiua dicitur cognitio visionis, non videtur autem actu obiectum, nisi actu existat, igitur externa sensatio non fertur nisi ad obiectum actu præsens.

Secundò, species obiecti sensibilis, nisi ipsummet obiectum sensibile sit præsens, eu nescit, ergo ad illam causandam requiritur præsentia obiecti actu existentis. Ant. experientia comprobatur, species namque recepta in oculo, de pariete, nisi paries actu sit præsens, non ampliùs apparet, veluti quoque cernitur in speculo. Non enim videtur in ipso speculo, nisi sit actu præsens illi. Idipsum igitur affirmandum est de sensatione externa, quæ à sensu non producitur, nisi obiectum sit actu existens, eique præsens.

16. Dices, cum Arist. *l. de somnis*, *cap.* 2. sensationem externam concomitatur quædam qualitas, vt patet cum à luce solis accedimus ad vmbram, tunc derelinquitur quædam lux, quæ in oculo cerni videtur. Idque confirmat D. Aug. 11. *Trin. cap.* 1. inquiens, plerumque, cum diu solem intuemur, aut quodlibet

luminosum,

luminosum, & postmodum oculos claudimus, apparent nobis quidam colores lucidi, varie sese commutantes, & minus, minusque fulgentes, donec desistant. Quive supersunt ex clariore luce, quæ micabat clarius, & expressius, cum erat coniuncta corpori luminoso. Censet ergo Aug. visionem externam fieri, corpore luminoso absente. Contrà, id prouenit à læsione sensus: quandoquidem sensus patitur à vehemente sensibili, vt patet, cum fixis oculis lucem solis intuemur. Accidunt quippè quædam motiones, alterationes, & agitationes, ratione quarum, quædam sensationes in nobis effici videntur, quæ reuera non fiunt, sed est deceptio imaginationis iudicantia visionem adhuc circà idem obiectum permanere, vt quandoque euenit in dormientibus, somniantibus, ægrotantibus, phrænericis, timoreque affectis, & lodificatis, qui videntur audire sonos, & videre terribilia & ea, quæ sanè non sunt, vt indicat Arist. 2. *animæ*, *T.* 138. Igitur, falsæ, deceptoriæ, & erroneæ sunt huiusmodi sensationes. Nec aliter videntur sentire Arist. & Aug. prænominati, si rectè expendantur.

17. Assertio secunda, supernaturaliter sensatio extrema effici potest, per speciem impressam, obiecto sensibili absente. Ita Scot. 4. *d.* 10. *quæst.* 9. *§. Ad quæst. ergo. B.* Probatur primò, absolutum posse esse, absque relatiuo, quia prius est absolutum, quàm relatiuum: sensatio autem extrema, & ens absolutum, cum sit de genere qualitatis: præsentia verò obiecti sensibilis est relatio: igitur sine præsentia obiecti sensibilis fieri potest sensatio externa.

18. Dices, relatiuum nequit esse absque suo termino, & correlatiuo, vt non potest esse pater, sine filio: sensatio autem externa respicit obiectum sensibile externum præsensque, & actu existens, vt liquet ex eius definitione allata in præmisso not. Ergo sensatio externa non potest fieri, nisi de obiecto præsente. Contrà, licet id locum habeat in relatiuis secundum esse, non tamen in relatiuis secundum dici, & tertij generis, vt suo loco obseruaui: Nam scientia & scibile sunt relatiua tertij modi, potestque esse scientia, obiecto scibili absente, immò scientia quælibet abstrahit ab omni existentia sui obiecti: pariter non videtur incongruum, esse externam sensationem de sensibili non existente, cum sit de numero relationum tertij generis.

Secundò, Deus sua absoluta potentia potest efficere, quidquid efficere valent causæ secundæ, vt alibi satis manet discussum, ergo potest supplere causalitatem obiecti sensibilis præsentis, ac proinde, benè fiet sensatio obiecto non præsente, Deo nimirum causante, quidquid causaret obiectum sensibile, si adesset. Eo magis, ad sensationem solùm requiruntur sensus, & species sensibilis, vt patebit infrà: Deus autem potest producere quamlibet speciem cuiuscumque obiecti sensibilis, veluti produxit species intelligibiles in mente Angelorum: ergo id cadit sub obiectum diuinæ potentiæ.

19. Oppones primò, contrà 1. ass. Scot. *Quol.* 13. *art.* 2. scribit, Deum non posse facere notitiam intuitiuam, absque reali præsentia obiecti realiter existentis, vt præstare non posse, vt ego videam lapidem, visione intuitiua, nisi lapis sit realiter præsens, in propria præsentia, & existentia. Idipsum litteris consignat 4. *d.* 49. *quæst.* 1. cuius oppositum idem Doct. videtur astruere 4. *dist.* 10. *quæst. vlt.* inquiens, Deus sua potentia potest causare in oculo non glorioso, visionem corporis Christi, tametsi ipsum corpus præsens non sit illi oculo. Respondeo per distinctionem, exponendo doctorem, putà in prioribus locis loqui de potentia Dei ordinata: in posteriori verò, de potentia eius absoluta, quo pacto, nulla extat contradictio in scriptis eiusdem Doct.

20. Oppones secundò, post proiectionem alicuius proiecti, absente proiiciente, remanet in proiecto aliqua qualitas, quæ dicitur impulsus. Ergo idipsum effici potest in sensatione externa, quæ scilicet absente sensibili, præstetur. Neganda est paritas. Etenim illa pendet in fieri à proiiciente duntaxat: hæc verò in fieri, & in esse, propterea, nisi obiectum sensibile actu existat, esse nequit.

21. Oppones tertiò, contrà 1. ass. nulla potentia egredi valet limites sui obiecti, cum ex dictis, potentiæ specificentur ab obiectis: obiectum autem sensus est singulare existens, & præsens. Ob id celebratur à Philosophis effatum illud, sensus est singularium, & intellectus vniuersalium: ergo etiam supernaturaliter, sensatio externa fieri nequit, nisi obiectum sit existens, & præsens sensui externo. Concedo ma. ad min. dico, obiectum sensus esse quidem singulare, non tamen singulare præsens, sed singulare absolutè, vt planum feci *in* 1. *ass.*

22. Oppones quartò, sensus externus à natura est elargitus, vt præsentia obiecta sentiamus, vt gustu mel degustemus, & tactu tangamus: at si absente obiecto fieret sensatio, sine melle gustaremus ipsum mel, & sine tangibili tangeremus ipsum tangibile, quod est impossibile. Confirm. sensatio externa est intuitiua, quæ respicit obiectum præsens, in quo differt ab abstractiua. Ergo non habetur, nisi de obiecto præsente. Respondeo per præallatam distinctionem. Potentia ordinata, concedo: potentia absoluta, nego. Ad conf. dico, data hypothesi, fore intuitiuam non immediatam, sed mediatam, vt declaraui in præposito not.

Articvlvs IV.

An sensus circà propria sensibilia possit errare.

23. Epicurei, teste Marco Tullio *in qq Academicis*, opinantur, sensum circa propria sensibilia nunquam errare. E regione Academici referente D. August. *Tomo* 1. *suorum operum*, existimant, sensum circà propria sensibilia semper errare. Communis autem cæterorum Philosophorum opinio fert, sensum penes propria sensibilia, interdum errare, interdum verò non errare, quibusdam conditionibus adhibitis.

24. Not. primò, hic non quæri, vtrum error formalis sensui competat, quia huiusmodi error accidit 2. operationi intellectus iudicantis falsò aliquid alicui conuenire, quod reuera non conuenit, vt cum dicitur homo est lapis: sed num error apprehensionis ipsi sensui congruat, qui euenit, quando ipsemet sensus apprehendit aliquid aliter, quam sit, vt cum apprehendit solem esse quantitatis bipedalis, cum esse multò maioris quantitatis, demonstrent Astrologi. Iudicium autem latè captum sensui, & intellectui accommodari censet Arist. 2. *Top. cap* 2. & indicat Scot. 1. *d.* 3. *quæst* 4.

25. Not. secundò, quatuor conditiones requiri, ne sensus decipiatur, circà propria sensibilia, quarum prima est, vt organum sensus sit rectè dispositum, defectu cuius infirmus, quæ sunt dulcia sentit esse amara, & quæ amara, dulcia 2. vt in medio nullus adsit obex, defectu cuius rubea videtur facies, aut manus, si per vitrum rubeum interpositum cernatur. 3. vt inter sensum, & obiectum sit debita distantia. Vnde, turris nimium distans à visu, videtur esse nigri coloris, cum tamen sit albi coloris. 4. vt obiectum sensus sit proportionatum potentiæ, hoc est, vt valeat mouere potentiam sensitiuam, ob id athomi non videntur à nobis, nisi per radios solis transeuntes per fenestram.

26. Assertio, sensus circà proprium sensibile simpliciter non errat, licet possit errare, apprehendendo hoc, vel illud aliter, quàm sit. Insinuatur à Doct.

1. d. 3.

1.*d.* 3.*q*.4.§. *De tertiis.ſub G.*1.pars ſuadetur 1.ex D.Aug. 15.*Trin.c.*12.dicente. *Abſit à nobis,vt ea,quæ per ſenſus corporis didicimus,vera eſſe dubitemus. Per eos quippè didicimus cælũ.terram,& ea,quæ in eis nota ſunt nobis,&c.*

Secundò,ſenſus habet quidquid requiritur ad cognoſcendum verè ſuum obiectum,dummodò ſeruentur cõditiones prænarratæ in 2.not.Ergo,abſolutè ſenſus circà illud non errat. Ant.eſt in promptu,quandoquidem eſt potentia naturalis debitè approximata, non impedita,& rectè diſpoſita. 3.ſcientiæ fundantur in cognitione ſenſus,iuxta illud vulgatum *l.de ſenſu,& ſenſato.c.*1. *Nihil eſt in intellectu,quin prius fuerit in ſenſu.* In ſcientiis autem non contingit error, vt patet in Log. quæſtione vlt.Ergo,nec ſenſus circà proprium ſenſibile allucinatur.Idque non incongruit noſtræ fidei,quæ quoque ſenſus miniſterio acquiritur,vt patet Ioan.vlt *Quia vidiſti me Thoma,credidiſti.* Et 1.eiuſdem,1 *Quod audiuimus,& vidimus oculis noſtris,& manus noſtra cõtrectauerunt de Verbo vitæ.* Fauet Ariſt.8.*Phyſ.*22.inquiens,eum eſſe cogitatione hebetem,qui ſenſibus fidem abrogat.

27. Secunda pars,quæ eſt Scot. 5.*Met.q.*4.§.*contrà vnum.* Probatur 1.ex Ariſt. 2.*anima* 161.affirmante,ſenſum circà proprium ſenſibile raro decipi. Igitur Ariſt. ſenſit ſenſum nonnunquam allucinari, quandò ſcilicet apprehendit obiectum aliter quam ſit, vt quando digitis decuſſatis, manus tangit vnum globum, tactus apprehendit duos globos, & tamen reuerà vnus eſt tantùm globus. 2.intellectus interdum corrigit ſenſum, vt notat Scot.4.*Met.in exp.T.*21.& 1.*d.*3.*q*.4 § *De tertiis cognoſcibilibus. G.* Ergo ſenſus aliquando fallitur, vt patet apud Aug.15.*Trin. c.*12. oculus fallitur, cum in aqua remus videtur eſſe fractus,& nauiganti,turris moueri.Idẽ habet S.Doct.12 *de geneſi ad lit. c.*25.*& l.*83.*qq.q.*9.& *l.*3.*cõtrà litteras Petiliani Donatiſtæ,c.*21. Ant. præclarè oſtenditur à Doct. *in* 1.*proximè alleg.* potiſſimum de baculo,qui aqua videtur ab oculo fractus,cum tamen ſit integer,& rectus. Intellectus ſic diſſerit. Nullum durius frangitur ad tactum mollis ſibi cedentis: baculus autem eſt durior aqua, quæ ipſi cedit, vt tam viſus quàm tactus clarè experitur, ergo ſi in ſenſu accidat error, intellectus poteſt corrigere.

28. Opp.1.contrà 1.partem Aſſ.ſenſus rectè diſpoſitus, & debitè approximatus obiecto proprio ſenſibili adhuc errat, ergo ſenſus decipitur circa proprium ſenſibile. Ant. oſtenditur, oculus videt iridem ſibi proximam, & collum columbæ ad lumen ſolis,adſtantis, & in vtroq; apprehendit veros colores,qui tamen ſunt colores apparentes,vt oſtendi *l. Meteor.q.*3.*a.*3. R quidẽ ſenſum nonnunquã falli: intellectum tamen poſſe eum corrigere,vt luculenter tradit Doct. proximè cit.

29. Opp.2. contrà 1 aſſert.ſenſus percipit obiectum per ſpeciem ſenſibilẽ:ſpecies autem ſenſibilis eſt imago naturalis repræſentans ipſum obiectum ſicuti eſt,ergo ſenſus nunquam fallitur. Reſp.verum eſſe argumentum,ſi adhibeantur omnes conditiones adductæ,& explicitæ *in* 2.*not.* falſum verò, ſi aliqua earum deſit.

30. Quæres 1.vtrum ſenſus poſſit ſimul plura percipere? R affirmatiuè. Poteſt namque viſus plures colores videre; & auditus plures ſonos audire. Meliùs autem vnum percipit,quàm plura Ideò decantatur illud.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

31. Quæres 2.num vehemens ſenſibile lædat ſenſum? Occurrit Ariſt. 2.*anima,c.*2. affirmatiuè, & patet experientia de eo,qui meridiano tempore fixis oculis ſolem intuetur,cuius viſus offenditur:ac de bombardarum exploſiore, qui ſurdus efficitur, ob vehementiam ſonitus earum. Ratio eſt,quia ſenſus exigit ad ſenſationem, debitam temperiem,quæ diſſoluitur, ob magnam ſenſibilium vim,& impetum frequentem Cur autem id non accidat intellectui,ſed perficiatur à perfectiſſimo intelligibili; cauſa eſt,quia intellectus eſt ſpiritualis: ſenſus verò eſt corporeus, cuius temperamentum inuertitur, & immutatur à vehemente ſenſibili.

32. Quæres 3.vtrùm ſenſibile poſitum ſuprà ſenſum faciat ſenſationem? Reſp.in tactu,& guſtu, affirmatiuè: in reliquis verò tribus, negatiuè. Sic viſibile poſitum ſuprà oculum impedit viſionem. Cauſa eſt,quia iſti ſenſus exigunt medium, vt ſuam efferant ſenſationem.

QVÆSTIO III.
De Senſibus externis.

ARTICVLVS I.
Quid, & quot ſint ſenſus externi.

1. SENSVS externi deſcribuntur, facultates materiales organo corporeo externo affixæ. In idem videtur recidere definitio ſenſus allata à D.Damaſc.2.*fidei, c.*18. ſenſus eſt virtus animæ,materialium rerum apprehenſiua, ſiue cognoſcitiua. Dicuntur autem externi, non quia extent in extremitatibus corporis. Nam,affirmante Ariſt *l de ſenſu,& ſenſate*,viſus haud eſt in extremitate pupillæ, ſed quia extrà apparent nobis, aut quia immutantur ab obiectis externis nullo alio interpoſito, putà viſus à colore, & auditus à ſono.

2. Aſſ. ſunt quinque ſenſus externi, viſus, auditus, odoratus,guſtus,& tactus. Memorantur ab Ariſt. 2.*anima,T.*128.& Scot.2.*d.*3.*q* 8.*Ad* 3.& *q* 6.*de anima.* Et exarantur à Damaſc.*fidei,c.*12. & Aug.15. *Ciuit. c.*16. & 1.*de gen. contrà Manich.cap.*14.& 11.*Trin antè c* 2. *&* 12.*de gen.ad lit c.*16. Probatur 1. Potentiæ materiales, & corporeæ numerantur penes numerationem organorum, vt nemo negat: extant autem quinque organa diſtincta, vt cernitur ad oculum, & magis patebit infrà, cum de ſingulis diſſeremus: ergo ſunt quinque ſenſus externi,per quos veluti nuncios corporis diuerſa nunciantur, perhibente Aug. *Tract.*99. *in Ioan.*

Secundò, potentiæ diſtinguuntur, ac manifeſtantur, penes diſtinctionem obiectorum,ea alibi oſtenſis: ſunt autem quinque obiecta formalia diſtincta rerum ſenſibilium externarum,puta viſibile,audibile,odorabile,guſtabile,& tangibile,tradita ab Aug.2.*de lib.arb. c.*3. & explicita *l.*83.*qq. q* 64. & *l. de duabus animabus c.*2. & *in exp.Pſal.*147. Inſuper,ſunt quinque media ſentiendi, videlicet,terra,aqua aër, ignis, & cælo, quibus fit ſenſatio externa, vt præ aliis docet Ariſt. in præſenti, ergo ſunt quinque ſenſus externi.

3. Opp.1.non omnia animalia pollent ſenſibus externis,ergo non dantur quinque ſenſus externi. Ant.probatur,quædam animalia, vt talpa viſu carent, teſte Plinio *l.*2.*hiſt.natur.c.*69.& alia auditu priuantur,vt Apes, referente Ariſt.1.*Met.c.*1. Concedo ant.nego conſeq. Non enim neceſſe eſt,cuncta animalia,bis quinq; ſenſibus, potiri,veluti non oportet omnia animalia habere potentiã loco motiuam. Sufficit quippè aliqua eis omnibus gaudere,vt cõſtat de homine,leone.& cõſimilibus.

4. Opp.2. guſtus,& tactus abinuicem non differunt, ergo non ſunt admittendi quinque ſenſus externi. Ant. oſtenditur,guſtus eſt quidam tactus. Non enim guſtamus ſapores,niſi eos tangamus. Reſp.diſtinguendo ant. guſtus latè ſumptus eſt quidam tactus,concedo: ſtrictè acceptus, nego. Sortiuntur namque diſtincta obiecta formalia, diſtinctamque definitionem, vt claret ex ſuperioribus aſſertis.

5. Opp. 3. viſus reſpicit corruptibilia,& incorruptibilia,ſublunaria,& cæleſtia. Vna autem, eademque potentia nequit hæc omnia reſpicere, ergo viſus non eſt vnus ſenſus,ſed multiplex,penes obiectorum multiplicitatem. Si concedatur ma ad min.dico,ea omnia cadere ſub vna ratione formali obiectiua, quæ eſt viſibilitas. Ideò,ex vnitate obiecti formalis, probè deducitur vnitas potentiæ viſiuæ.

6. Quæres primò, à quo originem ducant ſenſus externi? Reſpondent Medici, nominatim Galenus *l.*6.

de placitis Hypocr. & Platonis, sensus externos oriri à cerebro, quia occlusa via, quæ prodit à cerebro, impeditur sensatio externa. Igitur, euidens signum est, ipsos a cerebro proficisci.

7. Quæres secundò, vtrùm sensus externi cunctorum animantium sint eiusdem speciei? Respondeo affirmatiue, ratio est, quia idem prorsùs est obiectum formale eorum, tametsi nonnullum sit discrimen accidentarium inter eos, puta in perfectione. Visus namque Aquilæ perfectior, & acutior est visu bouis, & aliorum animantium.

8. Quæres tertiò, nùm sensus hominis perfectione vincant sensus brutorum? occurrit Hypocrates per distinctionem. Si enim fiat sermo de substantia horum sensuum, in homine sunt perfectiores, quia proueniunt à causis perfectioribus, videlicet anima rationali, & corpore humano, & à toto coniuncto, quod est homo, qui præstat, & excellit cæteris animantibus. Quod si disseratur de esse accidentali eorum, quædam animalia sortiuntur præstantiores sensus quàm homo, propter organorum meliores dispositiones. Idque insinuat Canellus *in 6 quæst. de anima, concl.* 5. inquiens, in omnibus sensibus, hominem superare cætera animalia absolutè: etsi secundùm quid superetur ab aliquibus. Hinc exatantur proxima duo carmina,

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

9. Quæres quartò, quemnam ordinem inter se seruent sensus externi? Resp. ordine originis, primum esse tactum, quia est fundamentum vitæ, deindè gustum, odoratum, auditum, & visum: ordine verò dignitatis, & perfectionis, primum locum tenere visum, subsequi auditum, odoratum, gustum, & tactum.

ARTICVLVS II.

An sensus externi indigeant medio ad sensationem producendam.

10. HÆc difficultas tacta est in 3. quæstio præcedentis quæstionis, & fere soluta: nunc verò exactè examinanda, & enucleatè decidenda: de qua extant duæ Interpretum Arist. sententiæ discrepantes, quarum prior defenditur ab Auer. *in præsenti com.* 16. affirmantes omnes sensus externos exposcere medium ad promendam sensationem externam. Posteriori autem patrocinatur Alexander, existimans tres primos sensus visum, auditum, & odoratum exigere medium ad producendam sensationem: reliquos verò duos, gustum, & tactum nequaquam.

11. Nota medium sensus vocari illud, per quod obiectum sensibile agit in potentiam, & organum sensitiuum. Bifariàm autem agere potest, siue immutare sensum, vel secundum esse reale, quod dicitur in re extra, vt cum ignis calefacit tactum: vel secundum esse intentionale, diffundendo speciem sensibilem in ipsum sensum, vt patet de obiecto visibili, quod immittit speciem sui in visum, per quam ipse visus videt colorem ipsimet præsentatum, & obiectum. Præterea, sensatio fieri potest a sensibili posito suprà sensum, imperfecta, vel perfecta. Et hæc distinctio conciliat multos inter se dissentientes, de axiomate Arist. 2. *anima, c.* 7. *T.* 75. inquientis, sensibile positum suprà sensum non facit sensationem, supple imperfectam, aut perfectam, vt præ aliis animaduertit Tol. *ibi q.* 2. *l.* 3. *c.* 35. Et hoc in sensu fortasse loquitur Scot. *quæst.* 4. *de anima*, & explicat Cauel. *ibid. in suis annot.*

12. Ass. 1. probabile est, tres priores sensus externos visum, auditum, & odoratum sensationē non exercere, nisi adsit aliquod medium. Probatur 1. ex Arist. 2. *anima, c.* 6. qui apertè tradit præfatos sensus medium flagitare. 2. extat commune proloquium, exaratū *in* 2. *de anima*, *c.* 7. *T.* 75. sensibile positū suprà sensum non facit sensationē, quod experientia comprobatur, manibus quippè suprà oculos positis, auribus, naribusque occlusis, impediuntur visio, auditio, & odoratio, quæ sunt sensationes prædictorum sensuum, igitur hi sensus ad sensationem producendam medio egent. 3. ad videndum necessariū est lumē, & ideò si alterutrū desit, visio non efficitur, igitur visus requirit mediū ad visionē promendā.

13. Ass. 2. verisimile est, gustū, & tactū non postulare medium ad suas eliciendas sensationes. Probatur, non fit tactio, nec gustatio, nisi tangibile immediatè tangatur à tactu, & gustabile à gustu, vt patet experiêntia de cibo ore digesto, & de manu qualitates primas immediatè tangente. Itemque de duabus tabulis immediatè se tangentibus. Deindè, si ponatur manus suprà ignem, improbabile est, cutem eius, mediante aëre sentire calorem, & ipsum ignem non excludere aërem medium, si adsit. Idque etiam patet de gestu. Siquidem, non potest vllus gustare mel, si inter gustum, & mel interponatur medium. Igitur hi duo posteriores sensus ad sensationem faciendam non petunt medium.

14. Opp. 1. ex Arist. 2. *anima, c.* 7. probante, dari quinque sensus externos, quia sunt quinque media, quibus efficitur quintuplex sensatio, ergo si valet ratio Arist. fatendum est, omnes sensus externos requirere medium, ad exerendas suas sensationes Resp. Arist. ibi verba facere de mediis internis receptiuis in organis, & sensatiis sensuum externorum, cuiusmodi sunt species sensibiles concurrentes ad producendas sensationes. Nos autem hoc loco disserimus de mediis externis, quæ debent interponi, inter obiectum sensibile, & potentiam sensatiuam exteriorem, quæve non esse necessaria gustui, & tactui, suprà asseruimus.

15. Opp. 2. Idem Philosophus proximè cit. *T.* 75. profert hanc maximam, sensibile positum suprà sensum non facit sensationem: igitur, omnis sensus ad productionem suæ sensationis necessariò exigit mediū. Resp. præallatam propositionē non esse vniuersaliter verā: excipiuntur enim gustus, & tactus, ex assertis suprà & probatis.

16. Quæres, vtrum sensus externi suas percipiant sensationes, vt visus suam visionem videat, & auditus suam audiat auditionem? Resp. negatiuè, ratio est, quia sensus externi non sunt potentiæ collatiuæ, & reflexiuæ suprà suos actus, propterea suos sensationes non attingunt. Præsertim quia sensationes non sunt obiecta sensibilia, sed media, quibus ipsa obiecta sensibilia sentiuntur, & à sensibus percipiuntur.

ARTICVLVS III.

An sensus externi possint percipere obiectum spirituale.

17. ETsi omnes de facto concedant, sensus externos non posse attingere vllum obiectum spirituale: quodque de qualibet alia potentia materiali pariter astruunt: nihilominus nonnulli, inter quos est Arr. *disp.* 5. *de anima, sect.* 1. & non longè videtur distare Ponc. *disp.* 59. *q.* 5. *in fine concl.* 5. de possibili id admittunt, nullamque inuolui contradictionem autumant. Vulgus autem Scholasticorum, nuncupatim Scot. 4. *d.* 49. *q.* 11 §. *Ad argumenta antè* K. & cæterorum tam eius classis, quàm alterius, docet sensum externum, & internum nullo modo posse spiritualia percipere.

18. Ass. nec de facto, nec de possibili sensus externi possunt quidpiam spirituale attingere. Assertio est bipartita, quam tuetur Scot. nunc cit. 1. pars probatur 1. experientia de visu, qui non videt animam rationalem, nec Angelum, nisi in corpore ab ipso assumpto, quodque pariter de aliis sensibus existimandum est.

Secundò, intellectus sensibus alligatus nequit nisi materialia percipere: ob id extat proloquium illud, nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.

Et aliud 3. *de anima, T.* 19. oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari. Huiuſmodi autem phantaſmata ſunt ſenſibilia, & materialia, quæ intellectus agens reddit ſpiritualia. ſenſus ergo ad ſpiritualia non fertur.

Secunda pars ſuadetur primò, potentia quælibet egredi nequit limites ſui obiecti totalis, & adæquati: ſi autem ſenſus aliquid ſpirituale poſſet attingere, exiret terminos ſui obiecti totalis, & adæquati. ergo id eſt impoſſibile. Reſpondet Ponc. eit eſſe petitionem principij. Hic enim quæritur, vtrum potentia poſſit eleuari à Deo, ad conſiderandum aliquid, quod ſit extrà eius obiectum: Contrà, fieri non poteſt, vt obiectum potentiæ ſit adæquatum, & non adæquatum, totale, & non totale: at ſi ſenſus poſſet percipere quidpiam ſpirituale, obiectum eius quod eſt ſenſibile, foret adæquatum, quia eſt potentia ſenſitiua, & materialis: & non foret adæquatum, quia tranſiliret terminos ipſius ſenſibilis, & eueheretur ad ſpirituale, & immateriale. Ergo id repugnat. Ma. eſt in promptu, quia potentia, & habitus ſpecificantur à ſuis obiectis totalibus, & adæquatis, 2. *animæ, T.* 33. Deinde potentia organica non poteſt eſſe non organica, alioqui eſſet organica, & non organica, quod implicat: ſenſus autem eſt potentia organica, & materialis: at ſi eleuaretur ad percipiendum obiectum ſpirituale, eſſet inorganica, & ſpiritualis, vt patet de intellectu, qui eſt potentia inorganica, & ſpiritualis percipiens obiectum immateriale, & ſpirituale.

Secundò, Deus non poteſt videri oculo corporeo, proptereà dicitur inuiſibilis, authore Aug. *l. contrà Adimantum, c.* 28. & *tract.* 24. *in Ioan.* Ille non eſt talis ſubſtantiæ, quæ videri oculis poſſit. Ergo ſi viſus non poteſt Deum, aut aliud quidpiam ſpirituale percipere, idipſum adſtruendum eſt de reliquis ſenſibus.

19. Opp. 1. omne creatum eſt in potentia obedientiali Dei, ad faciendum quidquid Deus voluerit: ergo cum ſenſus ſit ens creatum, eſt in potentia obedientiali, ad percipiendum obiectum ſpirituale, ac proindè non repugnat, ſenſum externum poſſe attingere aliquid ſpirituale. Reſp. potentiam obedientialem ex alibi dictis non eſſe actiuam, ſed paſſiuam. Atque omnipotentia Dei recipit omne poſſibile: non autem impoſſibile, cuiuſmodi eſt ſenſum attingere ſpirituale, & immaterialem.

20. Opp. 2. Iob 19. *In carne meà videbo Deum ſaluatorem meum.* Cui videtur fauere Aug. 22. *Ciuit. cap.* 29. Hoc autem teſtimonium capitur de viſu materiali, & oculo corporeo, ergo non repugnat ſenſum percipere ſpiritualia, veluti eſt Deus. Reſpondeo illud, & conſimilia interpretanda eſſe de Chriſto Domino, qui ſecundum humanitatem videri poteſt oculo corporeo, non verò ſecundum diuinitatem, quæ cernitur oculo mentis, & intellectus.

QVÆSTIO IV.

De ſpeciebus intentionalibus ſenſibilibus.

1. HÆc quæſtio ſtatuitur inter præcedentes, & ſubſequentes, proptereaquod rectè percipi nequeunt ſenſationes, niſi habeatur notitia de hiſce ſpeciebus intentionalibus ſenſibilibus. Ideò probè intexitur inter has, ac illas.

ARTICVLVS I.

An dentur ſpecies intentionales ſenſibiles.

2. PRimum placitum tenent Ocham. 2. *quæſt* 7. Gabriel 2. *diſt* 3. *quæſt.* 2. & Dur. *quæſt.* 6. quibus ſenſu, & conſenſu adſtipulantur cæteri Nominales, reſpuentes huiuſmodi ſpecies ſenſibiles, ac intelligibiles. Secundum placitum defendunt Scot. 1. *diſt* 3. *quæſt.* 6. Barg. Lych. Vigerius, Faber, Vulpes, & reliqui Theologi, & Philoſophi admittentes, tam ſpecies ſenſibiles, quàm intelligibiles.

3. Recognoſcendæ ſunt acceptiones ſpeciei allatæ *in Epitome Dialect. lib.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 4. Hoc autem loco ſumitur ſpecies, pro repræſentatione obiectiua, ſiue imagine, & ſimilitudine rei, quæ eſt qualitas obiecti vicaria, ad partialiter producendam ſenſationem, quæve nuncupatur ſpecies impreſſa, eo quod in ſenſu imprimitur, & quoque perhibetur intentionalis, proptereaquod intenditur à potentia ſenſitiua, vt fiat ſenſatio. Ipſa autem ſenſatio vocatur ſpecies expreſſa, quæ eſt formalis expreſſio obiecti ſenſibilis, & qua ſenſus formaliter eſt cognoſcitiuus. Quod autem dixi de ſpecie ſenſibili, idem pari modo affirmandum eſt de ſpecie intelligibili.

4. Aſſertio, concedendæ ſunt ſpecies ſenſibiles, & intelligibiles. Traditur à Doct. *vbi ſuprà*, quamuis *quæſt.* 17. *de anima*, oppoſitum tueri videatur: cui præiuit D. Aug. 10. *Conf. cap.* 8. *&* 12. *Ciuit. cap.* 7. & 7. *de gen. ad lit cap.* 21. & *l. contrà epiſtolam fundamenti, cap.* 19. Probatur primò, ex Ariſt. 2. *animæ, T.* 121. affirmante, ſenſum eſſe ſpecierum receptiuum. Et *T.* 114. Et 3. *eiuſdem operis, T.* 28. *& indè*, docente, tam ſpecies ſenſibiles, quàm intelligibiles.

Secundò, ideò ſenſibile poſitum ſuprà ſenſum non facit ſenſationem, quia requiritur medium, per quod deferatur ſpecies, ad ſenſum, vt efficiat ſenſationem, ergo ad ſenſationem efferendam, neceſſaria eſt ſpecies ſenſibilis. Ant. præterquamquod *in ant. quæſt. art.* 2. manet probatum, adhuc poteſt ſuaderi, niſi habeatur ſpecies ſenſibilis in ſenſu, licet interponatur medium inter ſenſum, & obiectum ſenſibile, non efficitur ſenſatio, ergo ad ipſam ſenſationem, neceſſaria eſt ſpecies ſenſibilis.

Tertiò, potentia ſenſitiua ſeipſa nequit producere ſenſationem, alioqui ſenſus ſemper ſentiret, vt oculus ſemper videret: patet autem, ſenſum non ſemper exercere ſuam ſenſationem, niſi habeat ſpeciem rei ſenſibilis: immò, ſi ſpecies deperdatur, non ampliùs ſenſus poteſt ſentire, ergo danda eſt ſpecies ſenſibilis.

Quartò, potentia indifferens, & indeterminata debet actuari, & determinari, per aliquid actuans, & ipſam determinans, vt conſtat de materia, quæ actuatur, & determinatur per formam: potentia autem ſenſitiua eſt indifferens, ac indeterminata, ad hoc vel illud ſenſibile ſentiendum, igitur determinanda, & actuanda eſt per ſpeciem ſenſibilem in ipſa recipiendam. Accedunt experientiæ potiſſimùm de viſu, ſiquidem in aqua, ſpeculo, aliiſque corporibus diaphanis, à tergo, aliquo corpore opaco impediente, apparent imagines, figuræ, & id genus alia. Rursùs per perſpicilia, meliùs, & clariùs videntur ab oculo obiecta debitè approximata, & rectè diſpoſita, quàm abſque illis, ratione quorum augetur viſio, quæ abſque ſpecie effici nequit. Deindè, in exploſione Bombardæ, priùs videtur accenſio pulueris tormentarij, & poſtmodum auditur eius ictus, & bombus, quia poſteriùs defertur ſpecies ſoni ad auditum, vt obſeruauit *l. Meteo. q.* 2. *a.* 4. Inſuper, in odore, qui priùs defertur ad odoratum proximorum, quàm diſtantium: hæ autem, & conſimiles ſenſationes à ſenſibus non eduntur, ſine ſpeciebus ſenſibilibus: igitur concedendæ ſunt huiuſmodi ſpecies ſenſibiles, ac intelligibiles.

11. Opp. 1. Arist. *l. de sensu.& sensili c.* 2. reprehendit Democritum, aliosque vetustos Philosophos affirmantes, in sensu recipi species sensibiles, vt producantur sensationes, ergo Arist. refellit præfatas species sensibiles. Resp. Stagiritam arguere dictos veteres Philosophos, non quia huiusmodi species admiserint: verùm quoniam putauerunt sensum esse tantùm potentiam passiuam, nihilque prorsùs ag. re ad sensationem producendam. Nos autem volumus, sensum quidem esse receptiuum specierum, nihilominus actiuè concurrere, vnà cum speciebus sensibilibus ad producendas sensationes.

6. Opp. 2. quod inducit in cognitionem obiecti, priùs debet cognosci, quam obiectum, qua est medium, quo ipsum cognoscitur: species autem sensibilis à sensibus non cognoscitur: non enim visus videt speciem coloris, nec auditus audit speciem soni, ergo tales species sunt supervacaneæ. Resp. ma. valere de medio cognito, vt creatura, qua cognoscitur Deus. Ipsa namque creatura debet priùs cognosci, quàm Deus, non autem de ratione cognoscendi, veluti est species, quæ est ratio cognoscendi, & similitudo obiecti sensibilis. Idque patet de speculo, quod quidem est repræsentatiuum diuersorum obiectorum tamen non est necesse speculum priùs cognoscatur, quàm videantur obiecta in ipso speculo repræsentata.

7. Opp. 3. si darentur species sensibiles, plura accidentia differentia solo numero forent simul in eodem subiecto, putà in eodem medio, & eodem organo: hoc autem videtur repugnare, ergo & illud. Concedo sequelam ma. Nego min. vt patefeci, & probaui in Logica *quæst. de relatione*, vbi ostendi, in eodem patre esse plures paternitates numero, & in eodem medio plura lumina solo numero distincta, & magis patebit in Met. in qua monstrabitur, accidentia à suis subiectis non indiuiduari.

8. Quæres primò, à quo producantur species sensibiles? Respondeo produci ab obiectis, quorum sunt similitudines, & imagines.

9. Quæres secundò. In quo subiecto inhæreant species sensibiles? Respondeo subiectari in medio, & in organo potentiæ sensitiuæ. Tales quippè species ab obiectis per medium deferuntur ad sensum in quo resident.

ARTICVLVS II.

Quid sint species sensibiles.

10 NOnnulli existimant, species sensibiles esse naturas, & quidditates obiectorum. Quidam verò putant esse athomos, siue corpuscula, quæ ab obiectis, ad sensus emittuntur. Nec desunt, qui adstruant, esse formales similitudines obiectorum. Communis autem exterorum Phylosophorum fert opinio, species sensibiles esse imagines obiectorum repræsentatiuas, & effectiuas, partialiter concurrentes ad productionem sensationum.

11. Assertio prima, species sensibiles non sunt obiectorum naturæ, & quidditates. Deducitur ex Doct. 1. d. 3. *quæst.* 7. §. *Ad authoritatem Philosophi. AA.* Probatur primò, si species forent naturæ obiectorum, cum sint in sensu, consequenter naturæ obiectorum essent in sensu, sicque naturæ leonis, canis, & cæterorum manerent in sensu: hoc autem, quàm falsum sit ex se patet, & ex illo Arist. non lapis, sed species lapidis est in intellectu 3. *anima*, *T.* 38 Ergo tales species haud sunt essentiæ, & naturæ obiectorum.

Secundò, quod est extrà sensum secundum suam naturam, non est in sensu: cum vnum, & idem simul, & respectu eiusdem nequeat esse in sensu, & extra sensum: natura autem obiecti est extrà sensum, putà arbor est extra oculum: species verò ipsius arboris est in oculo, veluti species intelligibilis lapidis est in intellectu. Deus verò nihil potest esse sine sua essentia: Nihil quippe est magis intimum rei, quàm eius essentia: potest autem esse species absque obiecto, vt species, quæ est in phantasia de obiecto corrupto, igitur species non est ipsamet obiecti natura, & essentia.

12. Assertio secunda, species sensibiles non sunt athomi, seu corpuscula, ab obiectis ad sensum transmissa. Hauritur ex Doct. *Quol.* 13. §. *Ad argumentum principale. LL.* Et *Quol.* 14. *in fine 6. de tertio* Et §. *Ad ista. HH.* Probatur primò, plura corpora simul esse non possunt in eodem loco, vt dixi *lib. de loco.* Plures autem species simul existunt in eodem loco, putà in eodem medio, & in eodem organo, ex alibi dictis, & probatis, ergo species sensibiles non sunt præfata corpuscula, ab obiectis in sensum delata.

Secundò, quod inhæret in alio, non est corpus, sed accidens, & corpus est substantia quæ est ens per se subsistens: species autem sensibiles inhærent in medio, & in sensu, qui est potentia earum receptiua, ergo non sunt prædicta corpuscula.

13. Assertio tertia, species sensibiles non sunt formales obiectorum similitudines: sed imagines repræsentatiuæ, efficientes, & partialiter concurrentes ad producendas sensationes. Assertio est bipartita, quam tenet Scot. *vbi suprà.* Prima pars suadetur primò, similitudo formalis obiecti nihil aliud est, quam ipsamet obiecti cognitio, quæ vt dicitur species expressa. Latum autem intercedit discrimen, inter speciem, & cognitionem obiecti, hoc est inter speciem impressam, & expressam, vt suprà insinuaui, ergo species sensibilis, siue species impressa non est similitudo formalis obiecti.

Secundò, quod est causa alicuius, respectu eiusdem nequit esse effectus, alioqui idem foret causa sui ipsius: species autem sensibilis est causa partialis formalis similitudinis obiecti, siue cognitionis ipsius obiecti, ergo non valet esse formalis eiusdem obiecti similitudo. Secunda pars sequitur ex dictis, siquidem species est obiecti vicaria. Gerit namque vicem eius, repræsentando scilicet ipsummet obiectum, vnaque cum potentia sensitiua causat sensationem, ergo species sensibilis est similitudo repræsentatiua obiecti, cuius est species.

14. Opp. 1. species sensibiles sunt similes formaliter obiectis sensibilibus, ergo sunt eorū similitudines formales, eandemque naturæ, cum similitudo in identitate fundetur. Distinguo ant repræsentatiuè, effectiuè, & intētionaliter. cōcedo: realiter, physicè, & formaliter nego.

Opp. 2. in aere apparent varij colores, & in pariete per reflexionem, vt lumen reflectitur ad virides plantas, paries coloratur, & cum velum sericum rubeum appenditur ad fenestram, sole lucente, tota domus rubescit. Igitur species sensibilis est formalis imago obiecti sensibilis Concedo ant. nego conseq. Dici namque potest, id non effici, quia species à nobis cernantur, sed quia aër diffunditur, permixtis speciebus, veluti per vitrum viride, omnia videntur viridia. Vel dicito cum Scot. 2. *d.* 13. *q.* vn §. *Quantum ad* 3. *art. F. & G.* aliquando speciem esse visibilem, vt explicat de fulgore emisso ab oculo moto in tenebris, qui visibilis est, tametsi sit species lucis dumtaxat.

ARTICVLVS III.

An species sint diuisibiles.

15 PRæsens difficultas moueri potest, tam de speciebus sensibilibus, quàm intelligibilibus, quæ infrà duplici Art. est stabilienda, & decidenda, ad eius declarationem, & decisionem, duo præmittendo.

a6. Not.

16. Not. primò, speciem esse indiuisibilem, bifariam posse capi, in essendo, vel in repræsentando: In essendo, si eius natura, & essentia, & entitas sit insectilis, ac indiuisibilis, cuiusmodi sunt Deus, Angelus, & anima rationalis: in repræsentando autem, si species tota repræsentet totum obiectum, non verò pars partem: è regione statuitur diuisibilis, si tota species repræsentet totum obiectum, & pars partem, Idque solùm intelligitur de specie sensibili, & non de specie intelligibili, quæ partium est expers.

17. Not. secundò, agens naturale debitè approximatum passo, & rectè dispositum, & non impeditum, agere in tota sphæra suæ actiuitatis, secundum totam suam potentiam, & virtutem, vt si aqua frigefaciat & humectet terram in tanto spatio, & non maiori, tota aqua dicitur frigefacere, & humectare totam illam terram, & singulas eius partes: non autem vna pars agit in aliam, & alia in aliam, & sic deinceps: veluti lumen lucernæ illuminat totam domum, non verò pars partem: sic species diffunditur per totum medium, & spatium ipsi congruum, ac debitum, in quo obiectum, de quo est species, sentiri potest, & continetur in ambitu suæ virtutis, & actiuitatis, nullo obice interposito.

18. Ass. 1. species sensibiles sunt diuisibiles. Deducitur ex Doct. *2. d. 13. q. vn.* ostenditur primò, quod est materiale, est diuisibile, cum omne materiale sit quantum, & omne quantum diuisibile, *5. Met. c. de quanto.* species autem sensibilis est materialis. Emittitur quippè ab obiecto materiali, & corporeo: ergo species sensibilis est diuisibilis.

Secundò, quod educitur de potentia subiecti diuisibilis, est diuisibile, cum à diuisibili non prodeat, nisi diuisibile: species autem sensibilis educitur de potentia subiecti diuisibilis, & materialis, vt patet inductione, ergò est diuisibilis.

19. Ass. 2. species intelligibiles sunt insectiles, & indiuisibiles Ab hac non declinat Doct. *vbi suprà.* Probatur primò: quod inhæret in subiecto insectili, & immateriali est insectile, & indiuisibile, cum indiuisibile non recipiat diuisibile. Ideò, Angelus cum sit indiuisibilis, & immaterialis, non recipit accidentia materialia, & diuisibilia: species autem intelligibiles subiectantur in subiecto indiuisibili, & immateriali, putà intellectu, ergò sunt insectiles, & indiuisibiles.

Secundò, omne immateriale, & spirituale est impartibile, & insectile, cum careat partibus entitatiuis, & quãtitatiuis: species autem intelligibiles sunt immateriales, & spirituales. Fiũt enim ab intellectu agẽte, qui est spiritualis, & recipiũtur in intellectu patiẽte, qui quoq; est spiritualis: ergo species intelligibiles sunt indiuisibiles.

20. Opp. 1. contrà 1. ass. lux, & calor indiuisibiliter producuntur à Sole, & ab igne, nec pars prodit à parte: sed tota lux à toto sole, & totus calor à toto igne: quod si species sensibiles forẽt diuisibiles, planè vna pars produceretur ab vna parte obiecti, & altera ab altera parte eiusdem, tota q; species, à toto obiecto, quod verisimile non videtur, ergo species sensibiles non sunt diuisibiles. Negari potest ma. siquidem, vna pars lucis, ab vna parte solis emicat. Idque apertè ostenditur, quando sol eclypsatur. Tunc enim tantum vna parte lucis eius fruimur. Itemque, cum pars ignis à toto igne demitur. Tuncque nec illuminat, nec calefacit tantum, quantum prius illuminabat, & calefaciebat, propter dictam partem eius ablatam, & demptam. Quoniam verò huiusmodi species sunt intentionales, repentè, continuè, & non discrete, ac successiuè ab obiectis emanant, & quasi imperceptibiliter, propterea vna pars non dicitur fieri ab alia, sed tota species à toto obiecto, eo modo quo suprà in not. fuit explicitum.

21. Opp. 2. exigua pars obiecti à longè non videtur: totum verò obiectum maximè videtur: igitur, pars obiecti non causat partem speciei, sed absolutè species producitur à toto obiecto, sicque species sensibilis non est diuisibilis. Resp. causam, cur modica pars obiecti, si valdè distet non cernatur à nobis, totum verò obiectum à nobis aspiciatur esse, quia obiectum visibile debet esse proportionatum potentiæ visiuæ: quoniam autem pars exilis obiecti est improportionata visui, propter indebitam distantiam: ob id videri non potest: totum verò extat ipsi visui proportionatum, propterea à nobis videtur. Hocque declarari potest de atbomis, quæ quia exigua sunt, à nobis non videntur: cætera verò corpora non ità parua, vtique à nobis cernuntur.

22. Quæres, vtrùm species suscipiant magis, & minus? Resp. affirmatiuè, sunt enim qualitates, quarum passio est magis, & minus suscipere. Ideò, quædam clarius, quædam verò obscuriùs obiecta repræsentant.

QVÆSTIO V.

De Visu.

1. HABERI non potest plena, & perfecta notitia de visu nisi cognoscantur lux, & lumen, quæ ad obiectum ipsius visus pertinent, vt præ aliis astruit Scot. 1. *Met q. 2. §. Ad aliud, quod.* Ideò, perquirenda primum sunt, quæ de lumine enunciantur, & postmodum reliqua, quæ eidem sensui congruunt, tradenda.

ARTICVLVS I.

An lux sit accidens, vel substantia.

2. D. Th. 1. *p. q. 67. art. 3.* commemorat opinionem quorumdam existimantium, lucem esse formam substantialem corporum lucentium, quæ opinio fortassè coïncidit cũ ea, cuius meminit Arist 2 *animæ, c. 7. T. 69.* tuente, lucem esse corpus. Communis autem sententia est Arist. nunc cit. Scot. 2. *d. 13. q. vn.* Mayr. *ibid* Alens. *3. p. q 69. m 2. art. 1.* & aliorum docentium, lucem esse accidens, repositum in categoria qualitatis.

3. Not. 1. ex Gabriele *2. d. 13 q. vn.* nomen lux impositum esse potissimum, ad significandum id, quo colores manifestantur, vt videri possint, quo scilicet visibile in potentia, fit actu visibile. Transfertur autem ad omne id, quo manifestatur cognoscibile, vt Ephes. 1. *Omnia, quæ arguuntur à lumine manifestantur* Et postea, *Omne, quod manifestatur lumen est.* Sic Deus, Angelus, fides, gratia, & gloria dicuntur lumina.

4. Not. 2. hæc ita, lucem, luminosum, & lumen sic se habere, vt lux sit origo luminis, luminosum sit subiectum lucis, & lumen species lucis, siue effectus eius. Quare lux illustrat corpus, in quo est, deindè reddit seipsam lucidam, & postmodum reliqua illuminat. Præterea obseruã, tria emanare à corpore luminoso, radium, splendorem, & fulgorem. Radius est corporis lucidi ad aliquid terminatus. Splendor est radius repercussus in corpore opaco. Et fulgor est lumẽ tenebris mixtum. De quibus omnibus, & singulis latè, & exactè Perspectiui.

5. Ass. 1. lux non est substantia Ita Arist. & Scot. *vbi suprà.* Probatur 1. quod per se est sensibile, non est substantia, quia vt superiùs dixi, substantia est sensibilis per accidens: lux autem est per se sensibilis, quia per se ab oculis nostris aspicitur, ergo lux inter substantias non est adscribenda.

Secundò quod est accidens alicuius, non est substantia, quia substantia nulli accidit, 1. *Phys. 27.* Lux autem est accidens solis, & ignis. Potest namque sol obtenebrari, vt Matt. 24. *Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum.* Itemque, ignis in propria sphæra non lucet, cum sit valdè rarus. Atqui ignis inferni perhibetur tenebricosus, ergo lux non est substantia.

6. Aſſertio ſecunda, lux non eſt corpus, ſed accidens repoſitum in categoria qualitatis. Defenditur ab Ariſt. & Scot. *locis præalleg.* Prima pars ſequitur ex priore aſſ. ſi enim lux non eſt ſubſtantia, nec eſt corpus. Quod enim non habet ſuperius prædicatum eſſentiale, nec habet prædicatum inferius, vt patet per dictum de nullo, ergo ſi lux non eſt ſubſtantia, vtique non eſt corpus, quod ſub ſubſtantia comprehenditur, vt patet in arbore Porph. Deindè, ſi lux foret corpus, duo corpora eſſent ſimul naturaliter in eodem loco, putà lux, & aer, lux enim eſt in aëre. Rurſus, corpus conflatur ex materia, & forma: lux autem eſt expers materiæ, ergo non eſt corpus.

7. Secũda pars infertur ex aſſertis ſuperioribus; cum enim lux non ſit ſubſtantia, nec corpus, deducitur eſſe accidens, non aliud, quàm quale, quia per lucem corpora lucida denominantur qualia, ergo lux eſt qualitas.

8. Oppones primò, Ariſt. 5. *Top. cap.* 3. ſcribit lucem eſſe ignem: ignis autem eſt ſubſtantia, ergo lux eſt ſubſtantia. Atque *ſect.* 11. *problematum* 13. appellat radios ſolares, ac lumen, corpora. Fauent Aug. 3. *de lib. arb. cap.* 5. & 7. *de gen. ad lit. c.* 1. Damaſc. 2. *fidei, c.* 7. & Hugo Victorinus 1. *de ſacram. c.* 9. & Doctor. Seraph. 2. *d.* 13. *art.* 2. *q* 1. tanquam problema defendit, adducens, & ſoluens teſtimonia, & argumenta partis affirmantis, & negantis. Reſp. Ariſt. aut fuiſſe loquutum in aliorum ſententia, quos loco nuper de anima cit. impugnat: aut ſumpſiſſe lucem pro corpore luminoſo, veluti accipitur *Gen. c.* 1. vbi lux creata dicitur prima die, id eſt corpus luminoſum, quod per lucem tanquam nobiliorem qualitatem manifeſtatum eſt. Sic quoque exponi poſſunt Patres præalleg. Vel in hoc non ſunt audiendi, cum non ſit dogma fidei, & pro noſtra parte habeamus Authores non minoris authoritatis.

9. Oppones ſecundò, quod producit ſubſtantiam, eſt ſubſtantia, quia in ſchola. Scot. ſubſtantia nonniſi à ſubſtantia gignitur, lux autem, & lumen generat ſubſtantiam, vtpotè aurum, & id genus alia, ergo lux eſt ſubſtantia. Concedo ma. diſtinguo min. diſpoſitiuè, concedo: effectiuè, nego. Hæc autem diſtinctio alibi allata, & declarata fuit.

Opponès tertiò, quod eſt nobilius ſubſtantia materiali, eſt ſubſtantia, quia nobilitas ſequitur rem, cuius eſt nobilitas: lux autem nobilitate ſuperat ſubſtantiam materialem, authore Aug. 2. *de lib. arb.* Lux inter corpora primum locum tenet. Ergo lux eſt ſubſtantia. Concedo ma. diſtinguo min. ſimpliciter, nego: ſecundum quid, concedo. Sic exponendus eſt Aug. Nam alibi dixi, qualitates actiuas nobilitate vincere materiam, ſecundum quid: ſimpliciter verò; materiam quamuis paſſiuam, præſtantiorem eſſe, nedum qualitatibus, verumetiam quibuſcumque aliis accidentibus.

10. Opponès quartò, luci ac lumini nihil eſt contrarium: qualitati autem aliquid eſt contrarium, vt patet in enumeratione paſſionum qualitatis, ergo lux & lumen non ſunt qualitates, ſed ſubſtantiæ. Concedo ma. Ad min. dico, non omnes qualitates habere contrarium, putà ſpecies ſenſibiles ac intelligibiles, cum habere contrarium non ſit paſſio qualitatis quarto modo.

Articvlvs II.

An lumen ſit qualitas realis & intentionalis.

11. D. Th. 1. *part. quæſt.* 67. *art.* 3. Caiet. & Bannez *ibid.* Complut. *diſp.* 10. *de anima, quæſt.* 1. § *B.* Rub. *tract. de ſenſu, cap.* 7. *quæſt.* 2. & alij permulti aſſerunt lumen eſſe qualitatem realem, & phyſicam duntaxat. Scot. autem 2. *d.* 13. *quæſt. vn.* §. *de* 2. *dico.* C. Faber. *Theor.* 66. Piccolom. *l. d. viſu cap.* 8. Zabarel. *l.* 1. *de viſu, cap.* 9. Cauel. *diſp.* 2. *de anima, ſect.* 9. *dub.* 1. & cæteri eiuſdem ſcholæ docent, lumen nedum eſſe qualitatem realem, verumetiam intentionalem. Pro cuius faciliori, & commodiori captu.

12. Not. primò, ex Doct. mox alleg. *ſub B.* intentionem duobus modis vſurpari. Vno modo, pro actu potentiæ vitalis tendentis immediatè in obiectum, quo pacto, quando intellectus percipit obiectum reale, ſimpliciter dicitur prima intentio: quando verò comparat vnum obiectum cognitum ad aliud, dicitur ſecunda intentio, vt copioſè explicaui *in Epitome l.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 10. Altero modo, pro medio, & ratione repræſentatiua obiecti, per quam potentia cognoſcitiua tendit in ipſum obiectum, & effectiuè partialiter concurrit ad operationem vitalem producendam: & de eſſe intentionali ſic ſumpto, ſermo eſt in præſentia, quod participatur à ſpeciebus ſenſibilibus, & intelligibilibus.

13. Not. ſecundò, aliquid poſſe habere eſſe reale, & intentionale ſimul: vt ſignum ex D. Aug. 1. *de doctrina Chriſtiana, cap.* 1. habet eſſe reale, quia per ſe à ſenſu percipitur: & habet eſſe intentionale, quia eſt medium, quo ducitur in cognitionem alterius. Pariter, lumen participat eſſe reale, quia eſt per ſe ſenſibile, & ſortitur eſſe intentionale, quia eſt ſpecies loci. Idque expreſſit idem Aug. *tractatu* 35. *in Ioan.* inquiens, *Lumen & alia demonſtrat, & ſeipſum.*

14. Aſſertio, lumen eſt qualitas realis: ac etiam intentionalis. Aſſ. eſt bipartita, quam tuetur Scot. & conſentit Aug. mox cit. Prima pars ſuadetur primò, lumen collocatur in tertia ſpecie qualitatis. Eſt namque paſſibilis qualitas: omnis autem paſſibilis qualitas in genere qualitatis repoſita eſt realis, ergo lumen eſt qualitas realis, & phyſica.

Secũdò, quod habet effectus reales, eſt reale, vt patet: lumen autem habet effectus reales. Illuminat namque, calefacit, liquefacit ceram, indurat lutum, & id genus alia, ergo lumen inter qualitates reales refertur.

15. Secunda pars probatur primò, ex Auerroë 2. *anima, conc.* 72. & 75. Et *de ſenſu, & ſenſato non longè ab initio*, affirmante, lumen eſſe ſpeciem receptam in oculo, ad hoc vt ipſe oculus videat: ſpecies autem habet eſſe intentionale, vt monui *in fine* 1. *not.* Ergo lumen eſt qualitas intentionalis. Idipſum inſinuat Ariſt. 2 *anima, T.* 68. dicens, lucem eſſe per ſe ſenſibilem, quæ ſanè non gaudet alia ſpecie, quàm lumine. Et *l. de ſenſu, & ſenſili cap.* 5. ſubdit lumen eſſe ſpeciem in oculo receptam, qua viſus videt.

Secundò, ſi lumen non haberet eſſe intentionale, poſitum ſuprà ſenſum, impediret ſenſationem, quod pugnat experientiæ & Ariſt. paſſu proximè cit. ſi enim lumen recipiatur in viſu, aut auditu, nullo modo viſioni, aut auditioni obſtat. Inſuper, lumen manet, donec deſit lucidum, contrario caret, & ſe compatitur cum alio lumine, quæ ſunt ſigna ſpeciei ſenſibilis.

16. Opponès primò, lumen denominat ſubiectum, in quo eſt, vt lumen exiſtens in aëre, denominat aërem luminoſum: quod autem habet eſſe intentionale non denominat ſubiectum, in quo extat, vt ſpecies albedinis inhærens in oculo, non denominat ipſum oculum, putà album, ergo lumen non eſt qualitas intentionalis. Concedo ma. diſtinguo min. de illo, quod habet tantum eſſe intentionale, concedo: de illo verò, quod habet eſſe reale, & intentionale ſimul, nego. Cuiuſmodi eſt lumen, vt patet *ex* 2. *not.* Vel dico cum Scot. cit. l. intentionalia, & alia non pauca non ſortiuntur propria nomina denominatiua, veluti ſubiecta odorum, ſaporum, & colorum, notante Mauritio, *q.* 29. *Vniuerſalium fol.* 55. *columna ſecunda.* Ideò, mirum non eſt, ſi ſpecies albedinis, quæ eſt in oculo, non denominet oculum album.

17. Opponès ſecundò, quod habet effectum realem, eſt reale, quandoquidem effectus realis nonniſi à cauſa reali proficiſcitur: lumen autem cauſat effe-

ctum

ctum realem, putà calefacit, ergò lumen est qualitas realis. Respondeo quidem lumen esse qualitatem realem, vt ostendi in prima parte Assertionis: & quoque esse qualitatem intentionalem, vt monstrant, quæ adduxi *in 1. parte eiusdem Ass.*

18. Opp. 3. quod per se est sensibile non habet esse intentionale, cum intentionale non cognoscatur à sensu, vt species visibilis non videtur ab oculo: lumen autem est per se sensibile, videtur namque ab oculis nostris, ergò lumen non est qualitas intentionalis. Respondeo ma. valere de eo quod habet tantum esse reale: non verò de eo, quod potitur vtroque, scilicet, reali, & intentionali, veluti est lumen.

19. Opp. 4. si lumen in toto medio productum, foret species intentionalis, repræsentaret solem, vel eius lucem, vel vtrumque in ea magnitudine, situ, & figura, quam habet, veluti species cuiuslibet alterius obiecti repræsentat illud, cuius est talis species: igitur, ex qualibet parte medij, aut situ existente, ab oculo cerni poterit, quod experientiæ pugnat. Respondeo lumen non esse speciem cuiuslibet obiecti, sed lucis duntaxat, vt benè vidit Scot. Ideò cessat instantia, & reliqua quæ nobis opponunt nonnulli Nuperi.

20. Quæres 1. quotuplex sit radius? Respondeo esse triplicem, rectum, reflexum & fractum. Rectus est, qui per medium diaphanum diffunditur, donec virtus corporis luminosi desinat vlteriùs progredi. Radius reflexus est, qui adueniente corpore opaco, transilit, & retrocedit in partem oppositam. Radius fractus est, qui diffunditur per medium, nec prorsùs diaphanum, nec prorsùs opacum, sed per lineam perpendicularem frangitur.

21. Quæres 2. Quotuplex sit lumen? Respondeo esse duplex, primarium scilicet, & secundarium. Primarium est, quod immediatè à luce prodit. Secundarium verò est vmbra luminis primarij. Extat autem discrimen inter vmbram, & tenebras, quia vmbra est priuatio luminis primarij, tenebræ verò sunt carentiæ, tàm primarij, quàm secundarij luminis.

22. Quæres 3. vtrùm lumen, quod recipitur in oculo, ab ipsomet oculo videatur? Respondeo negatiuè. Videtur namque lumen solum, quod est extrà oculum. Ratio est, quia vis visiua, ad ea, quæ sunt intrà oculum non pertingit, alioqui, sensibile positum suprà sensum, faceret sensationem, quod potissimùm de visu suprà negatum est. Visionem autem posse videri à visu videtur concedere Scot. *d.* 45. *quæst.* 3. §. *de* 2 *art. l.* 4. *sententiarum.*

Articvlvs III.

An lumen sit necessarium tam ex parte obiecti, quàm ex parte medij, ad videndum.

23. Avic. 6. naturalium, *parte* 3. *cap.* 1. astruit lumen esse necessarium ex parte obiecti duntaxat. Auerr. 2. *de anima, com.* 67. putat lumen esse necessarium tantùm ex parte medij, cui suffragantur Complut. *disput.* 10. *quæst.* 5. §. 2. Communis autem opinio est Scot. 2. *d.* 13. *q. vn.* §. *De secundo dico sub C.* & 1. *d.* 3 *quæst.* 6. §. *contra istam opinionem.* Conimb. 2. *de anima, cap.* 7. *quæst.* 4 *art.* 2. & cæterorum arbitrantium, lumen requiri ad videndum colorem, tum propter medium, tum etiam propter obiectum.

24. Not. 1. Diaphanum dupliciter vsurpari. Vno modo, pro eo, quod solùm est transparens, ex se luminis expers, vt aqua, & aër. Sic diaphanum describitur ab Arist. 2. *anima, cap.* 7. quod non per se, sed alieno lumine est visibile. Altero modo, pro eo, quod lumen participat, tametsi non sit translucidum, quo in sensu Astra perhibentur diaphana lumen participantia.

Notat autem Scot. 4. *d.* 49. *quæst.* 15. §. *Ad primum.* c. ex eodem Auic. cit. lucem, lumen, & colorem habere diuersa receptiua, minusque aliquid posse esse receptiuum lucis, & luminis, quàm lucis, & coloris. Nam subiectum lucis est opacum, & densum: subiectum verò luminis est peruium & perspicuum. Hinc densior pars cæli est lucida, nempè stella. Subiectum autem coloris est densum, propterea quod color non est, nisi in perspicuo terminato. Quod vt melius, & facilius intelligatur.

25. Not. 2. colorem bifariam describi ab Arist. videlicet, 2. *anima, cap.* 7 color est, quod actu mouet diaphanum. Et *l. de sensu, & sensato, cap.* 4. color est terminus diaphani, in corpore termina o. Clarius, color est qualitas secunda ex commixtione, & temperie qualitatum primarum orta. Diuiditur autem color, in verum, & apparentem, cuius memini *l. Meteor.* disserens de Iride. Rursùs, alij sunt colores extremi, vt albedo, & nigredo. Alij verò sunt colores medij, vt color viridis, rubeus, &c.

26. Ass. lumen exigitur ad depromendam visionem, ex parte vtriusque, obiecti scilicet, & medij Ass. est bimembris, quam tenet Doct. *vbi suprà.* & *in Report. ibid.* Prima pars probatur 1 ex Arist. 1. *anima, cap.* 7. *T.* 73. affirmante, colorem esse terminum diaphani, & obiectum lumine perfusum videri, ergò in Peripato, lumen requiritur ad videndum obiectum coloratum.

Secundò, experientia comprobatur, in obscura nocte, si aliquod obiectum lumine illustre ur, videri à nobis, quod verò caret lumine, nequaquam videri, vt declarat Doct. 2. *d.* 7. *quæst. vn.* §. *De secundo ante l.* Deindè, si visus illuminetur, obiectum verò expers sit luminis, haud videtur obiectum, ergò ubiectum. vt videatur, lumine est collustrandum. Ampliùs, si obiectum maiori lumine perfundatur, magis videtur, & si minori lumine illustretur, minus videtur, vt patet, ergò necessarium est lumen ad obiectum cernendum.

27. Secunda pars suadetur 1. ex eodem Arist. *cit. T.* 67 concludente, nihil esse visibile sine lumine, & quemlibet colorem, per lumen visibilem esse. Et 3. *eiusdem operis, T.* 18. Lumen facit potentia existentes colores, actu colores Respondeo ideò sensibile positum supra sensum non facit sensationem, quia ad sensationem præsertim visûs requiritur medium, vt liquet ex dictis: non potest autem visus attingere obiectum, nisi medium illuminetur quoquo modo, ergò lumen etiam requiritur propter medium Insuper, vt obiectum à visu percipiatur, necessaria est species, quæ in eo imprimatur: imprimi autem non potest species rei visibilis in oculo, nisi per medium Necesse enim est, species transmittatur per medium, ad oculum, ergò lumen vtique necessarium est, ex parte medij.

28. Opp. 1. color per se est visibilis, 2. *anima T.* 66. Ergò ad eum videndum non requiritur lumen. Respondeo colorem suapte natura esse visibilem potentia, actu verò per lumen, authore Arist. 3. *anima, T.* 18.

Opp. 2. ad audiendum, olfaciendum, tangendum, & gustandum non exigitur lumen, ergò nec etiam ad videndum obiectum. Concedo ant. nego conseq. Ratio adduci potest, quia visus, inter sensus externos est præstantissimus. Proptetea plura exigit, vt patet de homine, ad cuius formationem, educationem, & perfectionem multò plura sunt necessaria, quàm ad productionem, & conseruationem reliquorum animantium.

29. Opp. 3. experientia constat, qui existunt in tenebris, videre obiectum lumine perfusum ab ipsis distans, licet in medio, & in oculis eorumdem non sit lumen. Eò magis, si lumen in medio requireretur, quo remissius, & imperfectius foret in medio, eò minus, & imperfectius videretur obiectum: id autem non efficitur, dummodò non deficiat, nec remittatur

lumen in obiecto existens, ergò ex parte medij non est necessarium lumen. Respondeo esse quidem in medio aliquod lumen, quod præ exiguitate à nobis non videtur, veluti athomi, lucente sole in nostro emispherio à nobis præ earum paruitate non videntur. Quod autem huiusmodi lumen necessariò existat in medio, & perueniat ad organum visus patet, quia ad visionem ex dictis requiritur medium, & species obiecti, secùs sensibile positum suprà sensum faceret sensationem. Deinde, agens agit tantum intrà sphæram suæ actiuitatis, & si obiectum visibile etiam lumine illustratum, nimis distet ab oculo non videtur, eo quod illud lumen ad ipsum oculum peruenire non potest. Item mare fluctuat à vento agitatum, quovsque durat ventus, & ad certum limitem mouet ipsum, & non amplius. Quod est signum, virtutem venti ad alias partes maris non diffundi, & extendi. Patet etiam, dum iacitur lapis in aquam, quæ fluctuat secundum vim impressam ei à proiiciente. Ad id quod subiicitur, dico, parum pro nihilo reputari, & quia exile est lumen medij, ob id non videtur iuuare ad augmentum visionis obiecti, & quia visus non distrahitur tunc ab obiectis medij, ideò toto conatu videt tale obiectum extremum luminosum, & eius virtus sic vnita fortior extat, & producit perfectiorem visionem. Quare semper exigitur ad videndum lumen in medio, & in organo, quia visus potissimùm exposcit illud de quo præcipuè dictum est, sensibile positum suprà sensum non facit sensationem.

ARTICVLVS IV.

Quodnam sit obiectum visus.

30. NOnnulli, quorum nomina reticet Mayr. 2. *d.* 13. *q.* 2. arbitrantur lucem esse obiectum totale, & adæquatum visus. Alij, quibus fauet Arr. *disput.* 5. *de anima*, *sect.* 3. *subsect.* 2. putant esse colorem. Cæteri autem inter quos sunt Scot. 2. *Repore. d.* 13. *q. vn.* eiusque discipuli asseuerant obiectum visus adæquatum esse quid commune abstrahens, & præscindens à lumine, & colore.

31. Not. 1. lumen, lucem, & colorem esse entia absoluta, seu qualitates ab inuicem realiter distinctas, ac indistinctis subiectis inhærere. Lux quippè est qualitas realiter inhærens lucido, à quo formaliter corpus denominatur lucidum. Lumen est qualitas, cuius subiectum est medium luminosum, quæuè extenditur ad extensionem ipsius medij, quod per eam formaliter perhibetur luminosum: Color autem est qualitas secunda consequens complexionem corporis colorati, causata ex varia, & diuersa commixtione primarum qualitatum realiter inhærens corpori terminato, à quo formaliter tale corpus appellatur coloratum. Denuò, aduerte, lumen posse videri absque colore, lucemque absque lumine, non tamen è contrà. Addit autem Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 6. §. *contrà istam opinionem ante C.* colorem quodammodo continere lucem, quia lux est in corpore terminato. Ideoque in alio, & alio lumine causat diuersa repræsentatiua, aliud scilicet in maiore, & aliud in minore.

32. Not. 2. ex eodem doct. 1. *d.* 3. *quæst.* 3. §. *Ad rationes in oppositum. E.* & *Quol.* 8. § *Ad ista. H.* rationem essentialem, & formalem, quam sensus, puta visus respicit, tanquam formam obiectiuam, non esse, relatiuam sed absolutam, vt insinuat Arist. 2. *anima*, *T.* 66. Ideóque visibile, cum sit relatiuum ad potentiam, visiuam non est formaliter, & per se primò obiectum eius, sed per se secundò, veluti mobile non est obiectum formale, & adæquatum totius physicæ, proptereaquod non est forma, & ratio essentialis, & quidditatiua corporis naturalis, sed eius passio, & affectio prima. Potest autem fieri circumlocutio, sumendo passionem pro radice eius, & forma essentiali, sicut præstat Arist. 5. *Met. c. de quanto*, definiens quantitatem per diuisibilitatem, quæ est proprietas ipsius quantitatis. Et 2. *de gener.* 7. ait, formas elementorum esse primas qualitates, quæ cùm sint accidentia, nequeunt esse formæ constitutiuæ elementorum, quæ sunt substantiæ.

33. Ass. nec lumen, nec color est obiectum primum, & adæquatum visus, sed quid communius, & abstractius, complectens vtrumque, quod est innominatum, potest autem dici visibile, eo modo, quo nunc *in* 2. *not.* explicabam. Conclusio est tripartita, quam tuetur Doct. *vbi suprà*, & *collatione* 11. 12. & 20. Prima pars probatur, lumen non continet omnia, quæ cadunt sub potentiam visiuam, ergò lumen non benè statuitur obiectum totale visus. Ant. est in promptu, color namque est visibilis, qui tamen non est lumen. Secunda pars suadetur eodem ferè modo, plura respicit visus, quæ non sunt colores, nec colorata, nempe cælestia, ergò cùm color non capiat omnia quæ attinguntur à visu, rectè deducitur colorem non esse eius obiectum primum, & adæquatum. Tertia pars colligitur ex duobus prioribus, ex eisque munitur, cùm enim obiectum totale, & adæquatum visus, nec sit lumen, nec color, probè infertur esse quid eis vniuersalius abstrahens, & præscindens ab eisdem, quod nominari potest visibile, quod comprehendit, & adæquat omnia, quæ sub potentiam visiuam cadunt, ab eaque respiciuntur.

34. Opp. Arist. 2. *anima*, *T* 63. perspicuè constituit obiectum visus, colorem, & auditus sonum: ergò opposita sententia aduersatur Scholæ Peripateticæ. Idem videtur sentire Scot. 1. *d* 3. *quæst.* 3. § *contrà istud. B.* & *E.* & *ante* §. *sed restat.* Ratio reddi potest ex eodem Doct. *ibid. quæst.* 6. *antè C.* quia color continet lucem, cum sit in corpore terminato. Continentia autem requiritur ad obiectum cuiuscumque potentiæ, habitus, vt alibi copiose planum feci: ergò est obiectum visus. Respondeo Arist. exponendum esse de obiecto non totali, sed partiali. Vult enim eo in loco lumen pertinere ad potentiam visiuam, cum tamen non sit color, sed qualitas ab eo distincta, vt enucleaui in 1. not. sic etiam intelligendus Scot. Illa autem continentia coloris non est virtualis, potentialis, aut formalis, quæ exigitur ad obiectum potentiæ, aut habitus, de qua loquitur Scot. *in prologo*, *q.* 3.

ARTICVLVS V.

An visus sit præstantior inter sensus externos.

35 VIsum præcellere reliquis sensibus externis asserit Arist. 1. *Met. cap.* 1. & confirmat ibi Scot. *in expos. eius loci*, & 4. *d.* 1. *quæst.* 2. *N.* subscribunt Berchorius 4. *parte*, *l.* 1. *cap.* 7. & cæteri Authores. Ratio est, quia est maxime cognoscitiuus, discretiuus, & nuncius amoris, videturque esse immaterialis, cum immutetur immutatione intentionali, recipiatque species intentionales. Hoc ipsum insinuatur ab Aug. *l.* 4. *contrà Iulianum cap.* 14. inquiens, tres vltimos sensus, olfactum, gustum, & tactum esse corpulentiores, & quodammodo grossiores. Atque idem Sanctus notat, visum accipi pro generali sensu, *l.* 2. *qq. supra Exod. quæst.* 72. *ex Exod.* 20. *Populus videbat vocem.* Et *Gen.* 24. *Cum vidisset Iacob, quia sunt esca in Ægypto*, cum tamen fuerit ab Ægypto absens. Addi potest, visum longiùs sentire, eiusque obiectum esse latius, & excellentius, cum ad sublunaria, & cælestia feratur. Vnde eius priuatio maximam causat tristitiam, & dolorem, quò fortè respiciens aiebat Tobias 5.

Quale

Quale gaudium mihi, cum lumen non videam.

36. Dices Arist. *lib. de sensu, & sensato in fine, cap. 1.* scribit: *Cæci nati habentes auditum sunt magis sapientes, quàm surdi nati habentes visum.* Dico visum magis inseruire ad scientiam per inuentionem: auditum verò ad scientiam per doctrinam acquirendam.

37. Dices iterum, Leo Papa *serm. Pascha* præfert tactum visui, quoad certitudinem cognitionis. Dico esse exponendum, non absolute, sed penes certitudinem magis experiendam, per visum, & tactum, quàm per visum duntaxat.

38. Instabis, tactus plures differentias demonstrat, quàm visus. Est namque tactus circa contraria: visus verò vnius contrarij est tantùm perceptiuus, scilicet albi, & nigri 2. *anima*, 7.107. Dico plura esse visibilia, quam tangibilia. Atque qualitas tangibilis, est quoque visibilis, non econtrà: sicque plura percipit visus, quàm auditus.

39. Vrgebis, sensus ille est nobilior, quem magis diligimus, & cuius oppositum magis odimus, *lib. 2. priorum, cap. 21.* oppositum autem tactus magis odimus, quia oppositum tactus destruit animal, non autem oppositum visus. Dico, illam regulam falli per instantiam in terminis. Nam, melius est bene viuere, quam viuere, & tamen magis odimus oppositum viuere, quam oppositum bene viuere, quia oppositum viuere destruit viuere, & benè viuere. Vnde 7. *Top. cap. 1.* limitat illam regulam sic, nisi, cum alterum infert alterum. Non enim valet, quando magis eligendum includit minus eligendum, velut bene viuere includit viuere. Pariter, visus includit tactum, & oppositum tactus destruit tactum, & visum.

ARTICVLVS VI.

An visio fiat per receptionem speciei in oculo, ab obiecto.

40. Viguit olim opinio Empedoclis, Platonis *in Timæo*, Lactant. *lib. de opificio Dei, cap. 8.* & aliorum Academic. existimantium, visionem effici per extramissionem, hoc est, ex quodam lumine, & fulgore emisso ab oculis, ad obiectum visibile. Oppositam verò sententiam tradunt Aristot. 2. *anima*, *T. 74.* & *lib. de sensu, & sensili, cap. 2.* & 1. *Top. cap. 11. & 14.* Scotist. & Thomist. & cæteri Peripatetici, affirmantes, visionem fieri per intus susceptionem, hoc est per speciem obiecti visibilis receptam in visu, & partialiter concurrente, cum potentia visiua ad visionem promerendam.

41. Not. quatuor esse genera obiectorum visibilium, quorum nonnulla sunt diaphana lucis expertia, vt aqua: quædam quidem aliquam lucem participant, habent tamen aliquod opacum, vt noctiluca, quæ ex aliqua parte lucet, ex altera verò parte, nequaquam. Alia sunt, quæ firma luce fruuntur, quæve diffunditur ad reliqua illustranda, vt corpora lucentia. Reliqua sunt, quæ exiguam lucem sortiuntur, quæ quoquo modo ad alia illustranda diffunditur, cuiusmodi sunt corpora illuminata, & irradiata.

42. Assertio, visio fit per receptionem speciei impressæ in oculo, quæ est principium partiale, ad ipsam visionem producendam. Deducitur est Scot. 1. *dist. 3. quæst. 4.* § *De tertiis cognoscibilibus sub G.* Probatur primo, dantur species sensibiles requisitæ ad productionem sensationis, vt probaui *quæst. 4 huius lib. art. 1.* Visio autem est sensatio: igitur; ad visionem producendam, necesse est, recipiatur species sensibilis obiecti visibilis in oculo. Corroboratur, in speculo à tergo videntis, videtur obiectum: huiusmodi autem visio non fit per extramissionem visus, cum visus nihil illuc emittat, vt patet, ergo visio per intus susceptionem, & non per extramissionem efficitur.

Secundò, improbabile, & incredibile est, ex paruis oculis egredi tantum lumen, & fulgorem ad collustrandum cælum remotissimum, aliaque obiecta, quæ sub visum cadunt; at si visio fieret per extramissionem, oporteret egredi tantum lumen ex oculis, ad præfata obiecta collustranda: quod nedum improbabile, verùmetiam impossibile apparet.

Tertiò, lumen solis, tametsi magnum non potest reflecti, nisi ad primam regionem aëris, ergo & lumen oculi nequit ad cælum reflecti, cum sit multò minus, debilius, & infirmius impossibile namque est, paruum lumen, è terra attingere Cœlum, cum sit magna, & ingens intercapedo. Adde, quod licet quidam oculi aliquod lumen extramittant, vt oculi felium, & luporum, verumtamen alij, putà humani, lumine prorsùs carent. Visio ergo non fit ex lumine emisso ab oculis, ad obiecta visibilia.

43. Oppones primo Arist. 3. *Meteor. cap. 1.* videtur admittere, visum emittere lumen, ad obiectum visibile, per quod efficitur visio, igitur Arist. non dissentit à doctrina Platonis. Conf. 1. quia ibid meminit Antiphierontis, affirmantis se semper gestare, & videre propriam imaginem, & figuram: immò die nocteque cernere multa simulacra, quæ non potuit videre, nisi per extramissionem. Conf. 2. *ex 5. de gener. animalium, c. 1.* oculi parui, & reconditi, melius, & acutius vident, quàm magni, & lati, quinetiam contractis palpebris ipsi oculi clariùs, & distinctius aspiciunt obiecta visibilia, igitur visio fit per extramissionem. Respondeo Arist. ibi loqui non in propria, sed in sententia Platonis. Nam locis præcit. in initio huius art. ex instituto hanc difficultatem pertractans reiicit dictum Platonis placitum, & proprium statuit, & probationibus munit, præsertim *lib. de memoria, & reminiscentia, cap. 2.* Ad 1. conf. dico, cum hominem illa obiecta vidisse non propriis oculis, sed imaginatione læsa, vt expressè asserit idem Arist. *passu nunc alleg.* Sic phrenetici habentes sensus turbatos loquuntur tam præsentibus, quàm absentibus, quorum imagines gestant in phantasia. Ad 2. conf. dico, tunc speciem sensibilem, & potentiam visiuam vniri, & quia virtus vnita fortior existit, propterea oculi reconditi melius, & distinctius vident, quàm lati, & magni. Quod pariter de palpebris contractis astruendum est.

44. Oppones secundo D. Aug 6. *sua Musica* conceptis verbis tradit, visionem effici à fulgore egrediente ab oculis ab obiecta visibilia. Conf oculi fascinantium immittunt aliquid noxium in fascinatos. Hinc D. Paulus *Galat. 3.* subiicit. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* Ergo sicut fascinatio fit per emissionē qualitatis noxiæ, pariter & visio. Respondeo August. extitisse sectæ Platonicæ, eique multum fauere: ideò in hoc, & aliis quibusdam non est ei adhærendum. Idem autem Sanctus refert mirum aliquod *lib. de cura pro mortuis gerenda, cap 12.* inquiens, quemdam hominem nomine Curma, de Tunis, quæ est municipium Tulliensis, propè Hipponem, cum ægrotaret, ablatis sensibus, pene mortuum iacuisse aliquot diebus, qui quasi euigilans multa se vidisse testatus est, in primis aperiens oculos, ait, petat aliquis domum Curmæ fabri ferrarij, & videat quid accidat ibi, quò cum ventum esset, inuentus est mortuus ille faber ferrarius, sicut ille prædixit. Quod accidit casu, aut relatione, aut reuelatione. Consule Rich. *quol. 3. quæst. 12.* Ad aliud, loquimur de eo, quod iuuat ad videndum, non de eo, quod ei nocet.

45 Oppones tertiò, obiectum proximum melius videtur, quam remotū, vt liquet experientia: Si autem visio fieret per receptionem speciei, æque clarè, ac distinctè videretur obiectum remotum, quàm proximum, quia species eodem modo repræsentat visui, tam obiectum proximum, quàm remotum. Respondeo agens naturale

citiùs,

citiùs, & fortiùs agit in propinquum, quàm in remotum, vt patet de igne celeriùs calefaciente sibi proxima, quàm remota. Ideò, ad formam argumenti, concessa ma. nego min. species namque cum sit agens naturale perfectiùs, & distinctiùs repræsentat, & agit in proximum, quàm in longinquum, vt patet de speculo clarius repræsentante vicina, quam remota.

46. Opp. 4. experimur ab oculis nostris, in tenebris emicare aliquem splendorem, imò oculi videntur esse ignei, ergò visio fit per extramissionem. Respondeo id contingere, propterea quod oculi sunt quædam corpuscula polita, & leuia, humorem crystallinum participantia. Negandum autem non est, quædam animalia, vt feles per huiusmodi fulgorem nocturno tempore cernere: tamen id non est verum absolutè, nec oculos participare naturam ignis, alioqui calor ipsius ignis temperiem eorum dissolueret.

Articvlvs VII.

Qua in parte oculi fiat visio.

47. Philosophi valdè altercantur, quanam in parte oculi efficiatur visio? Nonnulli siquidem putant visionem fieri in tunica retina, aliqui in aranea, quidam in humore vitreo; alij in coniunctione neruorum opticorum; cæteri verò communiter in humore crystallino, siue in pupilla oculi.

48. Not. 1. oculum construi ex quinque tunicis, tribus humoribus, & septem musculis. Prima tunica, seu membrana vocatur specularis, ita dicta, quia est perlucida, & resplendens, veluti speculum. Secunda est reticularis, siue retina, quæ componitur ex multis venis, & arteriis instar retis, ideò retina, & reticularis nuncupatur. Tertia est vuea, eò quod habet similitudinem flosculorum vuæ. Quarta est cornea, quia gerit imaginem laminæ corneæ. Est namque lucida, & vitrea. Quinta est alba, eò quod sortitur album colorem. Primus autem humor est crystallinus, eò quod est lucidus, velut crystallus. Secundus est vitreus, quia est similis vitro. Et Tertius est aqueus, seu albugineus, quia habet similitudinem aquæ, & alba
ginis oui. Humor crystallinus est in medio positus, quem circumdat tunica specularis: sequitur humor vitreus, quem ambit tunica recticularis: postmodum accedit humor aqueus, quem circumdant cæteræ tunicæ. Adsunt deindè 7. musculi in fabrica oculi, quibus subsistit, & firmatur ipse oculus. Prætereà, in eo notatur figura rotunda, quæ idonea est ad videndum omni ex parte, & versus omnem partem, vbicumque, & quodcumque obiectum visibile.

49. Not. 2. à cerebro deriuari duos neruos, qui optici, seu visorij appellantur vt tangit Aug. 7. *de gen. ad lit. cap* 17. Isti autem nerui hunc seruant ordinem, videlicet, à cerebro ducentes initium, & inter se distantes, posteà simul vniuntur, & priusquàm ad oculos perueniant, ab inuicem separantur. Per huiusmodi autem neruos à cerebro, ad oculos, spiritus animales transmittuntur, vt visionem iuuent, ac per eosdem neruos, à sensibus externis ad sensus internos, species demandantur: ideoque valdè conferunt ad videndum.

50. Ass. 1. visio non fit in coniunctione neruorum opticorum. Deducitur ex Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 4. §. *De tertiis sub G.* & 4. *d.* 10. *quæst.* 9. *antè* §. *Hic dicitur.* Probatur primò ex obseruatione anatomica. Interdum enim prædicti nerui simul non coniunguntur teste Vesalio *l.* 4. *de fabrica corporis humani, cap* 4. Et tamen visio nō impeditur, sed fit eo modo quo fieret, si huiusmodi nerui simul vnirentur, ergò non efficitur visio in coniunctione dictorum neruorum. Secundò, quando clauditur vnus oculus altero oculo aperto remanente, visio acutior efficitur, quia notante Arist. *sect.* 11. *problem. quæst.* 4. virtus visiua vnitur in vnum, ob id perfectior redditur visio, quod non contingeret, si visio per huiusmodi neruorum vnionem fieret.

51. Ass. 2. visio causatur in oculo, & in ea parte, quæ dicitur pupilla, siue humor crystallinus. Ab hac non declinat Sent. *vbi suprà.* Suadetur primò ex Arist. 1. *de historia animalium, cap* 9. & *l.* 4. *eiusdem operis, cap.* 8. & 5. *de gener. animalium cap.* 1. affirmante visionem fieri in præfato humore crystallino. Secundò tam mira oculi constructio disponitur, & ordinatur ad constituendum, & conseruandum visum, ergò visio fit in ea parte oculi, quæ est aptior, & accommodatior ad videndum, cuiusmodi est humor crystallinus, seu pupilla. Hinc valde commendatur pupilla, in sacra pagina. putà Psal. 16. *Custodi me, vt pupillam oculi tui.* Zach 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et Hierem. Thren. 2. *Nec taceat pupilla oculi tui.* Ergò in pupilla, seu humore crystallino gignitur visio, cum hæc pars sit in medio ipsius oculi splendida, perspicua, & diaphana, & ad videndum magis idonea.

52. Opp. 1. potentia visiua vna tantùm est in quolibet animante: oculi autem duo sunt, ergò visio non producitur, nisi in coniunctione neruorum opticorum: conseq. deducitur, quia si cædantur tales nerui, debilitatur visus aut prorsus deperditur. Respondeo potentiam visiuam esse vnam distributam in duos oculos, veluti arbor diuiditur in duos ramos. Natura siquidem prouida duos procreauit oculos in vno animali, vt ex vtraque parte videre valeat. Itemque, si vnus offendatur, alter sanus, & integer exerceat visionem. Ad id quod subiicitur, dico quidem huiusmodi neruos esse necessarios ad videndum, velutì tunicam specularem, musculos, & alia præcensita, non tamen inde infertur, in coniunctione eorum neruorum generari visionem.

53. Opp. 2. in eo, quod est vitæ expers, non efficitur visio, aut alia operatio vitalis: humor autem crystallinus vita caret, ergò in ipso non causatur visio. Concedo ma. nego min. id enim verum est de humore fluido: non autem de humore quasi congelato, cuiusmodi est humor crystallinus.

54. Opp. 3. Quod est coloratum, nequit esse aptum, & idoneum, vt in eo fiat visio, alioqui visio foret falsa. Nobis namque omnia viderentur esse eiusdem coloris, quem haberet illud, in quo fieret visio, vt si per vitrum rubeum quispiam videat, omnia illi videntur rubea: humor autem crystallinus est coloratus, ergò in ipso nequit fieri visio. Concedo ma. nego min. Etsi enim humor crystallinus sit perlucidus, & nitidus, non tamen est coloratus, quia lumen, nitor, & splendor non sunt colores, vt constat ex dictis in superioribus.

Articvlvs VIII.

An in speculo videatur obiectum, aut imago eius.

55. Assertio, in speculo videtur obiectum, non verò imago eius. Ità Scot. 2. *d.* 13. *quæst. vn. E.* & 4. *d.* 10. *quæst.* 9. *sub D.* Mayr. *quæst.* 15. & 19. *prologi* Tol. 2. *de anima, cap.* 27. *quæst.* 34. Run. *Tract. de sensu visus, quæst vlt.* Antonius Andr. *supra sex principia, cap.* 6. *ex parte*, & alij complures: aduersus D. Th. *quæst.* 8. *de veritate, art.* 5. Capreol. & alios Thomist. affirmantes in speculo videri vtrumque, putà obiectum, & eiusdem obiecti imaginem. Probatur primò, id videtur in speculo, quod cadit sub obiectum visus, quia potentia non extenditur extra suum obiectum: species autem

autem obiecti non continetur sub obiecto visus, cum ipsius obiectum sit lumen, & color ea dictis *art.* 4. *huius q.* Ergò non species obi. cti sed ipsum obiectum videtur in speculo.

Secundò, quod cernitur in speculo, cernitur visione reflexa, cum ex opaco speculi reflectatur, vt omnes norant, præsertim Perspectiui: species autem obiecti non reflectitur, sed ipsum obiectum, ergò obiectum videtur in speculo. Deinde, imago diffunditur, per totum speculum: id autem quod aspicitur, non cernitur in toto speculo, vt patet videnti, ergò ipsummet obiectum videtur in speculo.

56. Opp. 1. si obiectum in speculo videretur, planè cerneretur in proprio loco, situ, & magnitudine, cuius oppositum experientia testatur, ergò in speculo non videtur obiectum, sed imago eius. Occurrit Mayr. *passu alleg.* qui videt se in speculo, immediatè intueri seipsum, per actum reflexum, quamuis sensus exterior indicet ibi esse speciem, quia solet videre res, per lineam rectam, & non reflexam.

57. Opp. 2. in speculo plano, secundum Orizontem collocato, summa pars rei visæ apparet su[b]tùs, ima verò infrà. Atque in speculo fracto, simplicia videntur duplicia, & in quibusdam speculis, vnum obiectum videtur esse multiplex, ergò in speculo videtur imago obiecti. Dici potest, illam diuersitatem, duplicitatem, & multitudinem prodire ex situ, aut structura speculorum, necnon ex modo, quo regreditur imago, per quam res aspicitur. Plura Perspectiui.

58. Quæres, vtrum visus hominis, & Aquilæ differant specie? Respondeo negatiuè cum Scot. 2. *d.* 1. *quæst.* 6. §. *potentiam addi licet.* D. vt enim intellectus hominis, & Angeli sunt eiusdem speciei, quia idem participant obiectum, tametsi vtriusque naturæ specie distinguantur: sic visus hominis, & aquilæ sortiuntur eamdem speciem, licet eorum naturæ specie discriminentur.

QVÆSTIO VI.

De Auditu.

ARTICVLVS I.

An sonus sit obiectum auditus.

1. ASSERTIO, sonus est obiectum totale, & adæquatum auditus. Traditur ab Arist. 2. *anima*, 77. & Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 3. *ante* §. *sed restat E.* Suadetur primò: circa quod primò, & per se potentia versatur, est eius obiectum primum, & adæquatum, vt alibi ex *primo post.* planum feci: circà autem sonum primò, & per se laborat auditus. Definitur namque auditus potentia sensitiua exterior, quæ sonum percipit dumtaxat. Igitur sonus est obiectum totale, & adæquatum auditus.

Secundò, visibile eo modo quo explicui *in præcedente, q. art.* 4. est obiectum adæquatum visus. Ergò & audibile statuitur obiectum adæquatum auditus, quod est sonus.

2. Opp. 1. quod est sensibile commune non est obiectum auditus, quandoquidem sensus externi, in quorum numero est auditus, habent propria sensibilia sonus autem referri videtur inter sensibilia communia, vt significat Arist. 2. *anima*, 85. inquiens, sonum esse motum: motus autem locatur inter sensibilia communia, ergò sonus non est obiectum auditus. Concedo ma. nego min. Ad eius probationem dico Arist. interpretandum esse causaliter, non verò formaliter, vt constabit in subsequente art.

3. Opp. 2. quod non percipitur ab auditu, non est eius obiectum: sonus autem non percipitur ab auditu, ergò non est eius obiectum. Ma. patet, quia potentia cognoscitiua est sui obiecti perceptiua. Min. ostenditur. Vel idem numero sonus percipereretur à multis, vel alius, & alius sonus numero distinctus. Non primum, quia idem numero accidens, cuiusmodi est sonus, non migrat de subiecto, in subiectum: nec subiectatur in diuersis subiectis. Nec secundum quia est idem sonus numero, qui à pluribus percipitur. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, esse eumdem numero sonum, qui à multis percipitur, & attingitur, per species distinctas in eis receptas. Vt enim à pluribus idem obiectum videtur per distinctas species sensibiles: pariter, idem sonus auditur à multis per species distinctas, in aures eorum receptas.

4. Quæres, quemnam locum teneat auditus inter sensus externos. Dico, secundum habere locum. Post enim visum, subsequitur auditus. Siquidem est organum disciplinæ, authore Arist. l. de sensu, & sensili, valetque ad eruditem vitam traducendam Atque, fides est ex auditu, *Rom* 10 vnde, si visus est nobilior, auditus videtur esse vtilior.

ARTICVLVS II.

An sonus sit motus, vel qualitas ab eo distincta.

5. Communis fert Philosophorum sententia, sonum non esse motum, sed qualitatem ab eo distinctam, ipsum motum consequentem. Pro cuius captu & explica[tio]n[e].

6. Not. quædam corpora esse sonantia, cuiusmodi sunt corpora dura, putà æs; quædam verò esse absona, quæ nullum sonum edunt, vt corpora mollia, veluti est lana Tria autem exiguntur corpora ad producendum sonum, percutiens, & percussum, atque medium interceptum Præterea, quatuor extant conditiones necessariæ, vt fiat sonus, prima vt percutiens, & percussum sint corpora dura, defectu cuius, butyrum, & mel non edunt sonum, cum sint mollia. Secunda vt sint lenia, & plana. Tertia vt sint concaua. Quarta vt motus percutiens, & percussi, citò fiat, nam si pedetentim efficiatur, non editur sonus.

7. Ass. sonus non est motus aëris resilientis, nec id quod per aurem sentitur, sed qualitas sensibilis proueniens ex collisione duorum corporum, vel diuisione eorum, in corpore idoneo ad eam recipiendam. Assertio est trimembris, Scot consentanea, quam tuentur Scotist. 2. *de anima, cap. de auditu*, nuncupatim Cauel. *disput* 2. *sect.* 10. Prima pars probatur primò, motus est sensibile commune, ex alibi assertis, sonus autem est sensibile proprium, cum ab auditu tantùm percipiatur, ergo sonus non est motus.

Secundò, passiones soni dissident à passionibus motus. Siquidem sonus est grauis, aut leuis: motus verò nequaquam, sed velox, aut tardus. Deindè, motus in nullo locatur prædicamento, cum inter postprædicamenta numeretur: sonus autem resider in prædicamento qualitatis. Rursùs motus est formaliter relatio, ea dictis *l. de motu*: sonus verò est qualitas, quæ est ens absolutum. Denique, sonus causatur à motu, *secundò animæ*, T. 78. Igitur sonus non est motus. Secunda pars militat contra Poncium *disp.* 60. *quæst.* 2. *conclusione* 2. & probatur: si dolore afficiatur auris, & pungatur, sentitur ab aure ipsa, & tamen dolor, aut consimile non est sonus. Itemque motus, fragor, & id genus alia per aurem sentiuntur, cum tamen motus per Poncium sit ibi haud sit sonus. & è conuerso. Tertia pars suadetur, id per quod aliquid

quid denominatur quale, est qualitas, vt liquet ex descriptione qualitatis, per sonum autem aliquid denominatur quale, vt campana benè sonans dicitur bona, ergò sonus est qualitas. Denoo, visio est qualitas sensibilis, ergò & sonus, siue sonatio. Ant. notum est ex dictis, & magis patebit in proximo libro, cum agemus de intellectione, & verbo mentis. Consequentia tenet, quia est par ratio de vtrisque, veluti quoque de odoratione, gustatione ac tactione. Reliquæ particulæ præassignatæ soni definitionis satis apertæ, & manifestæ sunt, ex præposito notabili.

8. Opp. 1. Arist. 2. *animæ, T.* 85. definit sonum his verbis. Sonus est ictus, & motus resilientis aëris, ergo secundum Philosophum, sonus est motus. Respondeo exponendum esse causaliter, non autem formaliter, quod est dictu, motus est causa soni, veluti est causa caloris. Ex motu namque duorum corporum se collidentium ad inuicem, efficitur sonus. Hanc verò esse mentem Arist. elatet ex alio loco, vbi ait, odorem esse euaporationem, cum tamen euaporatio non sit formaliter odor, sed causa eius.

9. Opp. 2. sonus non denominat subiectum, in quo est, ergò sonus non est qualitas. Conseq. patet, per qualitatem subiectum denominatur quale, *ex lib. prædicam. cap. de qualitate.* Ant. est in promptu, aër, in quo subiectatur sonus, per eum non denominatur qualis. Si concedatur ant. negatur conseq. causa est, quia intentionalia non denominant subiecta, in quibus inhærent: cum autem species soni deferatur per aërem, tanquam medium: hinc est, vt ipsum non denominet. Non pauca autem esse accidentia, quæ non denominant subiecta in quibus sunt, animaduerti in præcedente quæstione, *art.* 2.

10. Quæres 5. quid requiratur ad auditionem? Respondeo requiri percutiens, & percussum, ac medium, necnon speciem, quæ per medium defertur ad auditum.

11. Quæres 1. vtrùm auditio fiat ità citò sicut visio? Respondeo negatiuè, causa est, quia visus nedum est nobilior auditu, veruminetiam citior in agendo. Ideò *l. Meteor.* obseruaui, in tonitruo, prius à nobis cerni lumen, siue coruscationem, quàm audiri fragorem eius.

12. Quæres 3. quænam sint media ad edendum sonum opportuna, & idonea? Respondeo esse aërem, & aquam. Et quidem aër est principalior, & aptior. ubid in aëre auditur integer, & perfectus sonus: non verò in aqua ob eius crassitiem. Quod autem in aqua audiatur sonus, testatur Arist. *l. 4. de historia animalium, c.* 8. inquiens, piscatores verba non proferre, dum piscantur, nè audiantur à piscibus, qui si sonum verborum percipiunt, statim fugiunt. Idem scribit Plin. *l. 9. hist. cap.* 2. affirmans, pisces spirare, dormire, & audire. Ideò fugiunt Triremium remigia.

13. Instabis, Arist. 2. *animæ, cap.* 8. *T.* 81. ait, aquam non esse receptiuam soni: ergo aër est solum subiectum, & medium soni. Dico, Arist. interpretandum esse de medio, & subiecto præcipuo, quale non est aqua, sed aër. Obid in aëre sonus clarus, & distinctus auditur, non sic in aqua, in qua sonus indistinctus, & imperfectus sentitur. Sic autem exponendum esse Arist. liquidò constat ex eodem *ibid. T.* 79. vbi perspicuè tradit in aëre, & aqua sonum audiri.

14. Quæres 4. num apes auditu careant? Respondet Arist. 1. *Met.* 1. etiam, & cum excitato sono ipsæ apes redeunt ad aluearia, occurrit Scot. *in expos. tex.* id accidere, non quia verè audiant sonum, verum quoniam aër mouet eas. Verisimile autem videtur eas carere auditu perfecto: non autem prorsus expertes esse auditus imperfecti, vt experientia ostendere videtur.

ARTICVLVS III.

De Echo.

VT benè, & plenè origo, & natura Echo percipiatur, duo notabilia sunt subiicienda

15. Not. 1. sonus est duplex, rectus, & reflexus. Sonus rectus est, qui directè, nullo interposito obice fertur ad auditum: reflexus verò est, qui interueniente corpore obsistente; regreditur, sicque efficitur Echo, seu vox reflexa, si sonus rectus ad corpus antrosum, & cauernosum resiliat, vndè progressus erat. Contingit autem ob diuersos, multosque anfractus, vocem multoties reflecti, sicque teste Plin. *l. 36. hist. nat. cap.* 15. Olimpiæ in porticu, vna vox septies reddebatur eadem.

16. Not. 2. duæ extant viæ in animali procedentes ad partes interiores, vna est recta, per quam cibus transmittitur ad stomachum, & dicitur gula. Altera est obliqua anfractuosa, & circularis, per quam fit respiratio, estque valde angusta. Ideò si quidpiam in eam ingrediatur, animal tussit, nec vnquam quiescit, donec illud exeat. Vndè, quando rheumata à cerebro descendunt, & intrant in hunc meatum, animal moritur morbo, qui dicitur opoplexia. Per huiusmodi autem meatum itur ad pulmones, qui sunt veluti folles cordis, per quos emittitur aër calidus, & attrahitur aër frigidus. Cum autem, vi aliqua extrahitur aër, per hanc viam, quæ vulgò vocatur aspera arteria, formatur vox, adhibitis cæteris instrumentis naturalibus ad eam efformandam necessariis, puta gurgulione, palato, lingua, dentibus, labiis, & huiusmodi. Hinc Arist. 2. *animæ, in fine cap.* 8. definit vocem his verbis. *Vox est ictus aëris, per respirationem animati, cum imaginatione aliquid significandi.* Idipsum insinuat Aug. *in expositione Psal.* 3.

17. Ass. 1. Echo est *vox reflexa, obsistente sibi corpore cauernoso, qua regreditur ad eum, qui ipsam profert vocem.* Non est dissentanea Scot. quam tenent Scotist. *loco mox cit.* & probant ibi similitudine allata à Philosopho. Sicut se habet pila resiliens à pariete, ad eum, qui proiicit illam, ita se habet Echo percutiens corpus anfractuosum, & cauernosum, & reluctans ad proferentem talem vocem: ictus autem pilæ resilientis à pariete est reflexus, ergò Echo reuertens ex aliquo antro, ad proferentem, est vox reflexa. Deindè, aliter suadetur ex Doct. 2. *d.* 13. *q. vn.* §. *Quantum ad* 3. *D.* agens non potens agere vlterius per lineam rectam, agit per lineam reflexam, vt constat de sole agente per lumen, corpore opaco sibi opposito, ergò si quispiam vocem emittat vltrà non directè tendentem propter corpus opacum cauernosum, sequitur eamdem vocem redire ad proferentem, quo pacto habetur Echo, vt patet experientia in vallibus, & locis antrosis, & cauernosis. Hinc cantat Ouid.

Ingeminat voces, auditaque verba reportat.
Expectare sonos, ad quos sua verba remittat.
Ante ait, emoriar, quam sit tibi copia nostri,
Retulit illa nihil, nisi sibi copia nostri.

18. Ass. 2. auditio fit in ea parte auris, quæ appellatur aër innatus. Non dissentit Doct. quam tuentur eius asseclæ vbi suprà. Probatur primò ex Arist. tum hîc, *T.* 83. tum etiam 2. *de partibus animalium, cap.* 10. vbi expresse profert hæc verba *Sensorium audiendi, aërem esse, fatemur.* Secundo ex Galeno *l.* 8. *de vsu partium, cap.* 6. in ea parte efficitur auditio, quæ est aptior, & accommodatior ad audiendū: substantia autem illa subtilis, quæ vocatur aër innatus, est magis idonea, vt in ea fiat auditio, quia quò pars est spiritualior, & nobilior, eò habet nobiliorem, & præstantiorem operationem: prædicta verò pars est huiusmodi, ergo in ea efficitur auditio, quam mirabilem canit Ouid. 3. *Met.*

Latet, in nulla loce videtur.
Omnibus auditur, sonus est, qui viuit in illo.

20. Opp.

20. Oppones, quod est inanimatum, nequit vitalem operationem producere: aer autem est inanimatus, ergo in ea parte, quæ dicitur aër, non efficitur auditio, quæ extat operatio vitalis. Concedo ma. distinguo min. de aere propriè dicto, concedo: de aëre impropiè capto, & similitudinatio, nego, veluti est aër, de quo in præsenti loquimur.

21. Quæres 1. quænam sint requisita, ad auditionem efficiendam? Resp. præter partes cartilaginosas, quæ exterius apparent, aliosque anfractus, instar cocleæ, necnon duos neruos à cerebro procedentes, ad organum auditus, adesse tria ossicula, quorum vnum se habet per modum mallei, aliud per modum incudis, & tertiū instar stapedæ.

22. Quæres 2. cur omnes surdi à natiuitate, sint quoque muti? Respondeo causam esse, quia defectu auditus, nullum idioma percipere valent.

QVÆSTIO VII.

De Odoratu.

1. Obiectvm odoratus est odor, sicut ex dictis *in antecedente quæst. art.* 2. obiectum auditus est sonus. Odoratus autem describitur sensus externus solum odorem percipiens, qui inter dictos sensus externos, tertium occupat locum, vt cum Arist. 2. *anima, c* 9. *T.* 92. affirmant Peripatetici.

Articvlvs Vnicvs.

An odor sit substantia, vel qualitas.

2. Heraclitus, teste Arist. *lib. de sensu, & sensili, c.* 5. & Plato *in Timæo* suspicantur odorem esse quamdam substantiam fumeam. Arist. autem nunc alleg. Alex. *ibid.* & omnes Peripatetici docent, odorem esse qualitatem secundam, ortam ex tempere primarum qualitatum sicco prædominante, per actionem caloris immutantem potentiam olfactiuam.

3. Ass. odor non est substantia fumea, sed qualitas præscripta. Ab hac non videntur deflectere Scot. eiusque discipuli 2. *anima, c.* 9. *T.* 92. Probatur primò, obiectum singulorum sensuum externorum est accidens, vt patet inductione: odor autem est obiectum olfactus, vt vulgus Philosophorum affirmat, ergo odor non est substantia fumea. Secundò, obiectum sensus externi est sensibile proprium, quod est per se sensibile: quod autem est per se sensibile, est accidens, ex alibi dictis, ergo cum odor sit ens per se sensibile, sequitur esse accidens, puta qualitatem suprà descriptam.

4. Oppones primò, quod nutrit animal. est substantia: nutritio quippè est aggeneratio, & actio substantialis. Odor autem nutrit animal. Nam referēte Plinio *l.* 7. *hist. nat. c.* 2. in Indiis quidam populi solo odore viuunt. Citatur etiam Arist. inquiens, quemdam hominem, aëre, & Sole viuere. Et Olympiodorus subiicit, hominem odore, & aëre posse vitam ducere. Concedo ma. distinguo min de odore præcisè sumpto, nego: de odore, vnà cum substantia coniuncto, concedo. Quod si aliter sentiant Plin. & reliqui prænominati, fides eis non est adhibenda.

5. Oppones secundò, idem Aristoteles *sect.* 13. *problem. quæstion.* 5. asseruit odorem esse halitum, halitus autem est substantia vaporosa, ergo odor est substantia fumea.

Respondeo vel Philosophum interpretandum esse iuxtà distinctionem nunc à nobis allatam: vel non fuisse locutum formaliter, sed subiectiuè. hoc est, quia odor subiectatur in halitu, qui est substantia fumea.

6. Dices. odor pomi, qui funditur, & per attrectationem manuum diminuitur aut est substantia fumea, aut si est accidens, transit de subiecto, in subiectum, quod fieri nequit. Dico, odorem non separari à pomo, sed euaporati partes substantiæ tenuiores, ab subtiliores, in quibus vehitur odor.

7. Quæres primò, quænam sint media, per quæ odor defertur? Respondeo potissimum esse aërem, vt experiuntur de odore florum, qui per aerem ad nos transuehitur. Deinde aquam, vt patet de piscibus, qui antequam escam edant, ipsam olfaciunt.

8. Quæres secundò, à quibus fiant odores? Respond. à corporibus odoriferis, permixtione qualitatum primarum, dominante sicco. Obid vernali, & æstiuali tempore, quia viget siccitas, odores maximè efflantur: è regione, hyemali tempore, non extant odores, propter nimiam humiditatem. Quod si in locis humidis edatur odor, ille est fœtidus, & noxius, qui quandoque ita nocet animali, vt ipsum necet.

9. Quæres tertiò, in quanam parte fiat olfactus? Respondeo fieri in caruncul is, siue tuberculis mamillaribus, eo quod dictæ partes sunt valde idoneæ, vt in ipsis efficiatur olfactus: quidquid reclamet Galen. existimans fieri in anteriore parte cerebri.

10. Quæres quartò, vtrum odor agat, secundum esse reale, an verò secundum esse intentionale? Respondeo aliquando agere, secundum esse reale, vt constat de odore thuris attingentis nasum: aliquando verò secundum esse intentionale: hinc olfacimus odores florum longè distantium. Atque Plinius *lib.* 10. *hist. capite* 6. narrat vultures, & coruos, ad multa milliaria olfacere fœtorem corporum mortuorum; ideò ad ea progrediuntur. Idem testantur D. Thom. & Hieronym.

11. Quæres quintò, num olfactus perfectior sit in homine, quàm in brutis? Occurrit Arist. 2. *anime, cap.* 9. *& lib. de sensu. & sensato, cap.* 4. hebetiorem, & imperfectiorem esse olfactum hominis, aliorum animalium. Idque experientia comprobatur. Canes quippè per olfactum sentiunt, & norunt leporum, pernicum, cæterorumque animantium vestigia: atque Dominoa ipsorum etiam absentes, odoratu perquirunt. Hæc autem, & consimilia homo percipere, & sentire nequit. Causa est, quia olfactiua eius facultas residet propè cerebrum, quod est frigidissimum, & humidissimum. Frigiditas autem, & humiditas odoratum deprimit: atque, cum homo sit animal magni cerebri, imperfectiorem olfactum participare, oportet.

QVÆSTIO VIII.

De Gustu.

Articvlvs I.

Quid, & quotuplex sit sapor.

1. Gvstvs describitur, sensus externus solum saporem percipiens. Eius quippè obiectum adæquatum est sapor, veluti obiectum totale olfactus statuitur odor. Sapor autem definitur qualitas secunda ex temperie primarum qualitatum, & commixtione sicci terrestris, vnà cum humido, calore decoquente. Tria autem ad saporem requiruntur, primum est siccitas terrestris, vt experientia demonstrat. Secundum est humiditas aquea. Quod enim humore aqueo permiscetur, sapidum redditur. Tertium calor, quo mediante, terrestre cum humido decoquitur.

Octo autem saporum species numerantur ab Aristot. *lib. de sensu, & sensili, cap.5.* videlicet, dulcis, amarus, pinguis, salsus, ponticus, seu acer, acerbus, acidus, & acutus. Dulcis attingitur in melle, & ficu: amarus in oppio, & absynthio, pinguis in lacte, & butyro, salsus in sale, & aqua maris, acer in limonijs, acerbus in sorba, acidus in oleo, & acutus in aceto. Controuertitur autem inter Aristot. & Galenum, quinam ea prædictis sint sapores extremi? Nam Aristot. scribit, esse dulcem, & amarum? Galenus verò astruit, esse acrem, & acutum. Hæc autem lis dirimi, & conciliari potest hoc modo, & distinctione. Si inspectentur sapores, in ordine ad gustum, & penes suam naturam, rectè ait Aristot. extremos sapores esse dulcem, & amarum. Quod si considerentur penes temperiem corporum, benè loquitur Galen. acrem, & acutum esse extremos sapores, vt videre licet *lib. 4. de simplicium medicamentorum facultate, cap.* 10.

2. Opponee primò, cineres sunt amari, & tamen in eis nulla extat humiditas, ergo non aptè sapor definitur qualitas orta ex commistione humidi, cum sicco terrestri.

Respondeo cineres potius esse insipidos, quam sapidos, & si quid in eis est amari, ex ligni combusti materia prodit. Vel dico, vt plurimum in sapore commiscere humiditatem aqueam, licet quandoque non ità contingat, vt in cineribus.

3. Oppones secundò, extrema sensibilia lædunt sensum: sapor autem dulcis non offendit sensum, vt patet, ergo sapor dulcis non est extremus inter sapores.

Respondeo quidem vtplurimum, vehemens sensibile lædere sensum: tamen non ità euenit in saporibus, quandoquidem sunt qualitates secundæ saporatæ. Quamuis si extiterit sapor nimis dulcis noceat interdum animali.

4. Quæres primò, vtrum gustus agat secundum esse reale, an verò secundum esse intentionale? occurrit Aristot. 2. *anima*, 102. inquiens, agere secundum esse reale, propterea quod ad gustum non exigitur medium externum. Necesse quippè est, cibus immediatè gustui applicetur.

5. Quæres secundò, quanam in parte fiat gustus? Respondeo in lingua, præsertim in eius cuspide. *Primo de hist. cap.11. & 2. de partibus, cap.17.* Nam, cum volumus aliquid parumper degustare, deuoluimus illud ad linguæ cuspidem: cum autem aliquid aliud nolumus degustare, protinùs transmittimus ad Stomachum.

ARTICVLVS II.

An gustus differat à tactu.

6. Paulus Venetus 2. *anima, cap.16.* & Ægidius Romanus *ibid. in com. T.* 103. confundunt gustum cum tactu, adeò vt velint esse vnum, eumdemque sensum, dupliei nomine decoratum. Aristot. autem *loco nunc memorato T.* 112. & 128. & *lib. de sensu, & sensili, cap.4.* & Scotist. exterique eius interpretes docent gustum distingui à tactu.

7. Not. tactum tripliciter accipi. Vno modo, pro contactu duorum corporum, quorum superficies immediatè se tangunt, se dicimus vnam tabulam tangere aliam, quia eorum superficies se tangunt. Quò respiciens Aristot. 5. *Phys. lib.* 26. inquit, corpora illa se tangere, quorum vltima se tangunt. Altero modo, pro tactu potentiæ vitalis percipientis obiectum, quo pacto, quia gustus, & tactus immediatè, absque vllo medio externo sua obiecta attingunt, idcircò gustus, & tactus in hoc non dicuntur differre.

Tertiò, pro potentia tactiua, quæ versatur circa tangib. les qualitates, sicque tactus à gustu, cæterisque sensibus secernitur.

8. Assertio, gustus, est sensus externus à tactu speeie distinctus. Non displicet Scot. 2. *dist. 3. quæst. 8. ad 3.* enumeranti, & recipienti quinque sensus externos inter se distinctos, vt ostendi *quæst. 3. art. 1. huius lib.* Probatur primò ea distinctione obiectorum arguitur, & colligitur distinctio potentiarum à posteriori ex alibis dictis: gustus autem sortitur obiectum specie distinctum ab obiecto tactus. Nam obiectum gustus est sapor, & obiectum tactus sunt qualitates tangibiles, ergo gustus dissidet à tactu. Secundò, diuersa organa indicant diuersos sensus, quia numerus sensuum à numero organorum deprehenditur: organum autem gustus discriminatur ab organo tactus; nam hic diffunditur per totum corpus: ille verò residet in cuspide linguæ. Eò magis, quia interdum deperditur gustus, tactus verò integer, & saluus perseuerat: ergo ab inuicem differunt.

9. Oppones primò, Aristot. *lib. de sensu, & sensibili, cap.2.* perspicuis verbis ait, *gustus est quidam tactus, & gustabile est quoddam tangibile,* ergo secundum Aristot. gustus à tactu non secernitur. Respondeo Aristot. exponendum esse de tactu secundo modo capto: non autem de tactu tertio modo sumpto, vt planum feci *in præmisso not.* Vel intelligendus est non formaliter, sed suppositiuè, quia gustus semper supponit tactum, vt notat Cauel. *in annot. quæst.6.* Scot. *de anima.*

10. Oppones secundò, gustus aquam attingit: aqua autem non est sapida, quia aqua est elementum, quod saporis est expers: ergo gustus versatur circà tangibiles qualitates, veluti tactus, proindéque ille, ab hoc non discriminatur.

Respondeo aquam gustari non putam, sed mixtam, quam gustus percipit, & sentit. Ideò argumentum haud nobis officit.

QVÆSTIO IX.

De Tactu.

1. Tactvs describitur, sensus externus tangibiles qualitates percipiens. Est autem tactus, 3. *anima, T.66.* omnium maximè necessarius, ad animalis vitam ducendam, noxia fugienda, & commoda amplectenda: obiectum verò eius videntur esse qualitates tangibiles. Qui autem molliorem carnem sortiun ur, pollent ingenio maiori: qui verò duriorem, sunt tardi, & obtusi, 2. *anima*, 94.

ARTICVLVS I.

An tactus sit vnus, vel multiplex sensus.

2. Philosophus, & Simplicius non ignobiles Peripatetici 2. *de anima, T.*108. quibus suffragantur D. Thom. 1. *part. quæst.*78. *art.3. ad 3.* Poncius *disp.60. quæst.4. concl.5.* aliique permulti, arbitrantur, tactum esse vnum sensum dumtaxat. Cæteri autem, vt, Auic. 6. *naturalium, parte 2.* Auerroës, Tol. *passu mox allegat.* Scot. *quæstione 1. de anima,* Ioannes de Magistris, & alij Scotist. *ibidem,* existimant, tactum esse duplicem sensum.

3. Not. aliquid esse vnum, bifariàm posse capi. Primò, vnitate intrinseca, & formali: sicque vnumquodque gaudet sua vnitate, penes suam entitatem. Secundò, vnitate

vnitate extrinſeca, & obiectiua, quo pacto illud eſt vnum, quod laborat circà vnum tantùm obiectum, & aliud eſt multiplex, quod verſatur circà multa obiecta. Per hanc diſtinctionem diſſoluitur præpoſita, & præſens difficultas.

4. Dici poteſt, tactum eſſe vnum, vnitate intrinſeca: eſſe verò multiplicem multiplicitate obiectorum. Prima pars ſuadetur, ens, & vnum conuertuntur, cum vnum ſit paſſio entis: tactus autem eſt ens, ergo eſt vnus vnitate intrinſeca, & tranſcendentali. Adde, quod omnis potentia eſt vna, nedum vnitate communi, quæ eſt tranſcendentalis, verumetiam vnitate propria, vt eſt talis potentia, ab omni alia potentia, & quacumque te diſtincta. Tactus autem eſt potentia ſenſitiua, cum inter quinque ſenſus externos numeretur. Igitur tactus eſt vnus vnitate ſibi intrinſeca. Secunda pars videtur eſſe Ariſtot. 2. *animæ*, *T*. 107. dicentis, tactum non eſſe vnum, ſed plures. Et probatur, potentia, quæ ſortitur plura obiecta, non eſt vna, ſed multiplex, cum ex alibi aſſertis potentia multiplicetur, penes multiplicationem obiectorum: tactus autem participat plura obiecta, putà tangibiles qualitates, quarum vna non reuocatur ad aliam. Non enim calor redigitur ad frigus, nec ſiccitas ad humiditatem. Igitur, cum tactus ſit perceptiuus huiuſmodi qualitatum, infertur eſſe multiplex, multiplicitate obiectiua. Atqui, ex dicendis in proximo art. ſenſorium tactus ſtatuitur totum corpus animalis, quod eſt multiplex multiplicitate partium, ergo quoque non malè aſſignari videtur multiplex tactus.

5. Dices, illa potentia eſt vna, cuius obiectum eſt vnum, vt non ſemel inculcaui: obiectum autem tactus eſt vnum purà tangibile, ergo tactus eſt vnus ſenſus dumtaxat. Concedo ma. nego min. Licet enim tangibile voce dicatur obiectum tactus: tamen reuera non eſt eius obiectum. Siquidem non inuenitur aliquod tangibile, quod ſit vniuocum cunctis tangibilibus. Ratio eſt, quia tangibiles qualitates non conueniunt in aliquo communi vniuoco. Ideò Ariſt. in Logica collocat contraria inter poſtprædicamenta.

6. Inſtabis, ſi admittantur plures ſenſus tactus, vtique quinarius numerus ſenſuum externorum non erit legitimus, quod pugnat communi doctrinæ aſſerenti quinque eſſe tantum ſenſus externos. Nego ſequelam. Nam vnus eſt ſenſus tactus, vnitate intrinſeca, quæ ſufficit, vt non plures, quàm quinque teferantur ſenſus exteriores: tametſi ſint plures tactus plutalitate extrinſeca, & obiectiua, vt ſuprà declaraui.

Vel dicito, eſſe vnum tactum realiter, duos verò formaliter: veluti ſecundum quoſdam Scotiſ. intellectus eſt vnus realiter, duplex verò formaliter, nempe agens, & patiens.

ARTICVLVS II.

Vbinam ſit ſenſorium tactus.

7. Themiſtius *in ſua paraphraſi, c.* 19. & Simplicius 2. *animæ, T.* 116. locant organum tactus in corde. Alex. verò, & Philop. *T.* 114. ſtatuunt ſenſorium tactus in carne, & cute. Scot. autem *q.* 2. *de anima* Galen. 1. *de vſu partium, cap.* 16. & alij communiter tradunt, tactum potiſſimùm reſidere in neruo à cerebro procedente, & medium eius internum eſſe carnem.

8. Not. ex Anatomia, prodire à cerebro quemdam neruum, qui diffunditur, & diſpanditur per totum corpus animalis, diuiditurque in varios, & diuerſos ramos, & ramuſculos, eo ferè pacto, quo in foliis arborum, nuncupatim ficuum apparent, ac viſuntur quædam venulæ, & fibræ, per quas deducuntur ſpiritus vitales, & viuificare videntur earum partes, ac membra. Præterea, obſerua, duplex eſſe medium, vnum internum, quod eſt pars, eiuſque connungitur cum reliquis partibus viuentis, cuiuſmodi eſt caro: alterum verò externum, quod non eſt pars viuentis, ſed eſt extrà ipſum viuens, veluti aër, aut aqua, quæ extant media externa ad videndum, & audiendum.

9. Aſſertio, tactus organum eſt prænominatus neruus, eiuſque medium internum eſt caro. Defenditur à Doct. cit. eiuſque diſcipulis *ibid.* Probatur primò, ex Ariſtotele 2. *animæ*, *T.* 109. *de partibus*, affirmante, non carnem, ſed dictum neruum eſſe ſenſorium tactus. Secundò, illud cenſetur ſenſorium tactus, quod eſt magis idoneum ad tangendum: ſic autem eſt præfatus neruus. Cum enim obiectum dicte nueruens tangit dictum neruum, ſentiinus vehementiorem dolotem, quàm ſi tangat cæteras partes igitur in eo nerno collocandum eſt ſenſoriu.n tactus, & in carne, tanquam eius medio interno.

10. Oppones primò Ariſt. 1. *de hiſt. animalium, c* 4. & 2. *de partibus animalium cap.* 1 *& inde*, decernit ſenſorium tactus eſſe carnem: ergo in Peripato organum tactus non eſt neruus, ſed caro. Reſpondeo Ariſtot. ibi loqui recitatiuè, & non aſſertiuè. Nam, idem Philoſophus is ex inſtituto de ſenſorio tactus 2. *animæ cit. T.* 109. planè inficiatur carnem eſſe organum tactus. Idque etiam præſtat 2. *de partibus animalium, cap.* 10. Immò *lib. de ſenſu & ſenſilis cap* 2. locat tactum in corde, quia putat neruos oriri à corde cum tamen ex anatomia pateat ipſos neruos prodire à cerebro.

11. Oppones ſecundò, ſi pungatur caro, ſentit dolotem, ergo in carne, & non in neruo extat organum tactus. Reſpondeo ſenſorium tactus eſſe in carne, non ratione ſui, ſed ratione nerui latentis ſub ipſa carne. Vel dicito, eſſe in carne, vt in medio interno, non autem, vt proprio organo.

12. Oppones tertiò, quædam partes animalis maximè ſentiunt, ſi tangantur, vt cor, & pulmones, & tamen neruorum ſunt expertes: ergo ſignum euidens eſt, ſenſorium tactus in neruis haud eſſe reponendum. Eò magis, quædam exiſtunt animalia, quæ neruis carent, tametſi potiantur ſenſu tactus, veluti cætera animalia, cum nequeat eſſe animal, niſi tactu gaudeat. Cuiuſmodi ſunt piſces: apertè ergò euincitur, ſenſorium tactus non eſſe neruum. Reſp. eas partes prætecenſitas non habere neruos ità patentes, & euidentes, ſicut reliquas, nihilominus vere neruorum ſunt compotes, vt patet inſpicienti. Etenim, ibi viſuntur parui nerui, ſiue fibræ quædam, in quibus efficitur tactus. Ad id, quod ſubiicitur de piſcibus, idem eſt dicendum authore Stagirita 3 *de hiſtoria animalium, cap.* 5. tribuente piſcibus proprios, & veros neruos.

QVÆSTIO X.

De Senſibus internis.

1. Dari ſenſus internos, communis extat doctrina omnium Philoſophorum. Experientia namque comprobatur, bruta recordari eorum, quæ viderunt, audierunt, & olfecerunt. Canis quippe nouit dominum, vocemque eius audit, & meminit, quamuis aliquo tempore abfuerit. Itemque, recordatur loci, in quo verberatus fuit, fugitque percutientem. Ampliùs noxia, deſerit, & commoda ſequitur. Rurſus ouis apprehendit lupum, vt inimicum, & mus, felem Ex his, aliiſque huiuſmodi facilè, & apertè deducitur, animalia rationis experta, & ratione prædita habere ſenſus internos.

Articvlvs I.

Quot sint sensus interni.

2. IN hoc art. valdè disceptant Philosophi, adeò vt videantur tôt eorum sententiæ, quot capita. In primis namque Alex. Alensis 2 *parte, quæst.*70. *m.*2. & Tatar.2. *de anima, quæst. vlt. dub* 2. Necnon Ponc. *disput.*61. *quæst.*1. *concl.*1. affirmant vnum esse tantum sensum internum, qui varia, & diuersa nomina sortitur, ac multiplex dicitur, penes multas operationes quas exercet, & multiplicem dispositionem organorum, ratione quorum videtur esse multiplex, cum tamen reuera vnus sit dumtaxat, plura habens munera, & operationes. Quidam, inter quos est Fons.5. *Met. sect.*13. *quæst.*7. arbitrantur, duos esse solùm sensus internos, videlicet, sensum communem, & phantasiam. Nonnulli tres numerant sensus internos, putà, sensum communem, phantasiam, & memoriam. Plerique addunt quartum, scilicet æstimatiuam. Cæteri verò, præter quatuor iam recensitos, statuunt quintum, nempè cogitatiuam, vt videre est apud Ioannem de Magistris 2. *de anima, quæst.* 8. *dub.* 3.

3. Not. primò, vocari sensus internos duplici de causa. Prima est, quia nec mouentur, nec immutantur ab obiectis externis, veluti visus, & reliqui sensus externi. Secunda quia extant intrà cerebrum. Eorum quippè organa in ipso cerebro continentur, ideóque à nobis extrà non cernuntur.

4. Not. secundò, ex Anatomia, cerebrum diuidi in duas medietates, quarum vna est ad partem dextram, & alia ad partem sinistram. Itemque scindi in partem anteriorem capitis, quæ vocatur sincipur, & in partem posteriorem eiusdem capitis, quæ dicitur occiput. Porrò, in anteriori parte vtriusque medietatis duo extant sinus, & concauitates: in posteriori verò parte, siue occipite inuenitur alius sinus, siue ventriculus. In primo sinu residet sensus communis, qui percipit omnia obiecta sensuum externorum eaque præsentia discernit, deque his iudicat. In secundo sinu manet phantasia, siue vis, & potentia imaginatiua, quæ nedum percipit cuncta obiecta, quæ sensus communis, & reliqui sensus attingunt, vt præsentia, verumetiam vt absentia, eaque apprehendit, discernit, & æstimat, num sint conuenientia, vel disconuenientia? In tertio, autem sinu locatur memoria, quæ conseruat species singulas omnium obiectorum, quæ à sensibus externis, per sensum communem, & phantasiam transmittuntur ad ipsam memoriam, degentem in occipite, vt testatur D. Damasc.2. *fidei, cap.* 20.

Amplius obserua, præfatos sinus, eorumque vias esse plenas, & refertas spiritibus vitalibus, & animalibus, quibus mediis, pro opportunitate animalis iuuantur vires, & potentiæ sensitiuæ ad suas operationes obeundas.

5. Assertio prima, nec vnus, nec duo tantum sunt sensus interni. Hæc assertio est bipartita, quæ non aduersatur Scot *in proxima assertione*, citando, quidquid dicat Cauel. *quæst.*9. *de anima, concl.*4.

Prima pars probatur primò, ex Aristot. 2. *anima*, *T.*55. affirmante esse plures sensus internos. Et *lib. de memoria, & reminiscentia*, subiiciente præter alios sensus internos, admittendam esse memoriam sensitiuam, ergo in Peripato, non est tantum vnus sensus internus. Fauet D. Aug. *lib.*2. *de lib. arb. cap.*7. docens explicitè plures sensus internos.

Secundò, quæ competunt sensui communi, non competunt phantasiæ, cum diuerso fungantur munere. Nam sensus communis immutatur à sensibus externis, qui dum ab operatione desistunt, hic nullam potest actionem emittere, cum nihil percipere valeat, nisi sit præsens. Phantasia autem, quæ non ab externis sensibus immediatè mouetur, sed à sensu communi immutatur, licet dicti sensus ab opere cessent, adhuc operari potest, quia nedum præsentia, verumetiam absentia percipit, discernit, & iudicat.

Tertiò, quidam facilè res percipiunt, & difficilè eas memorantur, ergo non est eiusdem sensus percipere obiecta, eaque memorari, ac proinde non vnus est tantùm sensus internus.

6. Secunda pars suadetur 1. ex eodem Arist. *locis adductis in* 1. *parte istius assertionis*, in quibus præter sensum communem, & phantasiam, admittit memoriam sensitiuam. Idem sentit D. Aug *l.*1. *Musicæ, cap.*4. & 2. *de lib. arb. c* 5. Igitur non sunt tantùm duo sensus interni. Secundò, distinctæ definitiones sensuum internorum arguunt distinctos sensus, vt sæpè inculcaui: afferuntur autem distinctæ definitiones sensus communis, phantasiæ, & memoriæ, vt patet *ex* 2. *not.* ergo legitimus non est binarius numerus sensum internorum.

7. Assertio secunda, non sunt plures, nec pauciores, quam tres sensus interni, sensus communis, phantasia, & memoria. Ab hac non videtur declinare Scot. Nam 1. *dist.*3. *quæst.*6. §. *Contra istam paulo ante F.* meminit sensus communis. Et paulò post phantasiæ. Et 4. *dist.* 43. *quæst.* 3. memoriæ sensitiuæ. Hoc ipsum innuit D. August. non solum *locis citatis in superiore assertione*, verumetiam 11. *Trin.*7. vbi explicitè recenset tres prænominatos sensus internos. Quibus præiuit Arist. tum locis citatis, tum etiam 2. *anima*, *T.*145 & 3. *eiusdem operis*, *T.*31. Probatur primò, tot sunt sensus interni, quot sunt sinus, & organa interna eorum sensuum. Ex numero quippè horum ternario rectè colligitur ternarius numerus illorum. Sunt autem tantum tria organa interna, siue tres sinus, & concauitates memoratæ, & explicatæ, in secundo not. Ergo sunt tantùm tres sensus interni prænumerati.

Secundò, æstimatiua, & cogitatiua, quas nonnulli à prædictis sensibus distinguunt, coincidunt cum phantasia. Siquidem phantasia æstimat, & iudicat de obiectis, tam præsentibus, quam absentibus, vt patet in somniis. Atque ea mediatur, & cogitat: ergo non sunt excogitandi alij sensus interni, præter tres illos prænominatos.

8. Oppones primò, Sanctus Augustinus *lib. de spiritu, & anima, capite* 4. numeratis quinque sensibus externis, vnum sensum internum agnoscit, quem vocat imaginationem. Ergo in sententia Augustini vnus est tantum constituendus sensus internus.

Respondeo, ibi Augustinum vnum sensum internum quidem admittere, qui est phantasia; alios verò duos non negare, quos expressè posuit, & docuit *locu nuper alleg.* Quare sanctus Doct. *in eo loco* vnum affirmat, & alios duos non respuit.

9. Oppones secundò, Aristoteles *lib. de memoria, & reminiscentia* scribit, phantasiam, & memoriam esse passiones primi sensitiui: primum autem sensitiuum est sensus communis, secundum eumdem Philosophum, ergo phantasia à sensu communi non differt, ac proindè non sunt tres sensus interni.

Respondeo Philosophum esse interpretandum non realiter, & formaliter, sed præsuppositiuè, & effectiuè, quod est dictu, phantasia, & memoria præsupponunt operationem sensus communis, velut ipse sensus communis præexigit, & præsupponit operationes sensuum externorum. Ideóque propriè, & præcisè phantasia, & memoria non sunt passiones sensus communis.

10. Oppones tertiò, quæ sortiuntur idem obiectum, non sunt distinctæ potentiæ, quia obiectorum vnitas indicat vnitatem potentiæ: phantasia autem, & sensus commu

communis participant idem obiectum: quidquid enim percipit sensus communis, hoc ipsum attingit phantasia, ergo non sunt distinctæ potentiæ. Respondeo, argumentum concludere de potentiis disparatis, cuiusmodi sunt sensus externi: non verò de potentiis subordinatis, veluti sunt sensus communis, & phantasia. Sic enim adinuicem ordinantur, vt quidquid sensus inferior attingit, quoque attingat sensus superior, & aliquid ampliùs. Quare mirum non est, si sensus communis cognoscit cuncta obiecta sensuum externorum, quæ pariter à phantasia, quæ est potentia superior percipiuntur.

ARTICVLVS II.

An sensus interni sint actiui.

11. PRima sententia est Ianduni 2. *de anima, quæ.* 16. Apollinaris *ibid. q.* 13. & aliorum, qui astruunt, dari sensus internos passiuos realiter distinctos à sensibus actiuis. Secunda est Alb. *lib. de apprehensione in initio, & in summa de homine* affirmantis, sensus internos esse tantùm passiuos, species verò sensibiles esse actiuas, & productiuas sensationum. Tertia defenditur à Plotino *sexto Enneadum, cap.* 4. & Simplicio *in expos. T.* 55. *&* 52. existimantibus, sensum internum esse tantùm actiuum, & principium totale sensationis. Quarta deducitur ex Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 7. & 2. *de anima quæst.* 12. Cauello *ibid.* Tatar. Ioanne de Magist. aliisque permultis docentibus sensum internum esse principium principale partiale actiuum sensationis, speciem verò sensibilem esse aliud principium actiuum minus principale, & vtrumque constituere vnum principium totale, & adæquatum sensationis.

12. Assertio prima, sensus interni non sunt realiter diuisi in actiuos, & passiuos: sed iidem sensus diuerso respectu dicuntur actiui, & passiui. Hauritur ex Doct. proxime cit. Probatur primò, ex Arist. 2. *anima ad text.* 127. *& inde*, vbi ait, sentire est pati, & postmodũ subdit, sensus eum sentit, agit, ergo per Arist. idem sensus est actiuus, & passiuus, diuersimodè tamen. nam est actiuus, quatenus producit sensationem: estque passiuus, quatenùs eam in se recipit, aut quis prius recipit speciem sensibilem, quàm sentiat. Præterea, idem Philosophus *ibid. ad Text.* 124. quærens, cur plantæ non sentiant? occurrit, quia carent potentia sensitiua: potentia autem sensitiua est actiua, quia producit sensationem, ergo respectu diuersorum idem sensus est actiuus, & passiuus. Secundò, si sensus distinguerentur realiter in actiuos, & passiuos, forent plures sensus, quàm enumerati sunt *in superiore art.* communiter autem alij sensus, quàm præfati, non recensentur, ergo sensus non distribuuntur in actiuos, & passiuos. Rursùs, non dantur organa distincta sensuum passiuorum, ab organis actiuorum, igitur, nec vlla datur distinctio realis inter illos sensus. Ampliùs, idem agens diuersa consideratione dicitur patiens, vt patet de oculo, qui vt videt dicitur agens, vt verò recipit visionem, vel speciem sensibilem, dicitur patiens. Ergo, idipsum affirmandum est de sensibus internis. Insuper, 2. *Phys. T.* 40. non sunt multiplicanda entia sine necessitate: nulla autem extat necessitas multiplicandi sensus internos in actiuos, distinctos realiter à passiuis, vana ergo, & irrita est præfata diuisio sensuum in actiuos, & passiuos realiter distitos.

13. Assertio secunda, species sensibilis in organo recepta non est totale principium sensationis, itavt potentia sentiens passiuè se habeat respectu eius. Deducitur ex Doct. cit. & 3. *dist.* 4. *quæst. vn.* Et Arist. *vbi suprà, & lib. de somno, & vigilia, cap.* 1. dicente, sensationem esse actionem totius coniuncti, hoc est totius compositi animati, ad cuius efficientiam actiuè concurrit sensus, seu potentia sensitiua. Probatur primò, si sola species foret totalis causa sensationis, si diuinitus seiungeretur ab organo sensitiuo, per se, absque organo, sensationem promeret, quia causa sufficiens, per se agens, & nihil requirens, quod concurrat ad suam actionem, vbicumque collocetur, non impedita agere potest. Igitur, species à vi sensitiua seiuncta, sensationem emitteret, quod quàm sit absurdum, cuilibet parum in Philosophia erudito, satis, superque liquet. Ant. notum est; si enim, exempli causa, calor esset separatus ab igne, calefaceret: atque albedo, cæteraque accidentia in Eucharistia, suos habent effectus, tametsi existant sine subiecto: ergo eodem modo fieret de specie sensibili, si diuina virtute à sensitiua facultate separaretur.

Secundò, data hypothesi, medium, per quod species sensibiles transiret, sentiret: hoc autem est falsum, quia si medium sit aër, nullo modo sentire potest: ergo & illud ex quo deducitur.

14. Dices negando sequelam ma. quandoquidem, ad sensationem requiritur subiectum aptum, & capax ipsius sensationis, cuiusmodi non est medium, per quod defertur prædicta species. Contra, tale subiectum aptum, & idoneum ad sensationem, nihil ad eius efficientiam operatur, sed solum recipit speciem: medium autem eodem modo recipit speciem, ergo quoque sentiret.

Tertiò, potentiæ animæ vegetantis sunt actiuæ, putà generatiua, nutritiua, & augmentatiua, vt constat ex lib. præcedente, ergò & potentiæ sensitiuæ, quæ sunt sensus, pariter sunt principia productiua sensationis, cum in vtrisque par ratio eluceat. Deinceps, operatio vitalis prodit à principio vitali: in hoc quippè distinguitur ab aliis operationibus non vitalibus, sensatio autem est operatio vitalis, vt patet, ergo producitur à sensu, qui est potentia vitalis. Ampliùs, quod denominat aliquid, quoquo modo ab eo emanat: sensatio autem denominat sensum, per sensationem enim sensus formaliter sentit, & per eam dicitur sentire, ergo sensatio oritur à sensu, tanquam à principio ipsius productiuo, & effectiuo.

15. Assertio tertia, nec solus sensus est causa productiua sensationis, sed quoque requiritur species sensibilis, tanquam altera causa partialis eius. Patrocinatur Scot. 1. *distinct.* 3. *quæst.* 7. Probatur primò, eo ferè pacto fit sensatio, quo intellectio, in ratione operationis vitalis: intellectio autem, ex alibi dicendis, non efficitur à solo intellectu, sed quoque ab obiecto intelligibili, iuxtà illud August. 2. *Trin.* 2. & 9. *eiusdem operis, vltimo*: *Ex obiecto, & intellectu pariter notitia.* Et eodem *ibid.* citat. à Doct. *vbi suprà*, ex visibili, & vidente gignitur visio: ergo ex specie sensibili, & sensu fit sensatio. Ma. patet, quia semotis cæteris, quæ intellectioni, vt intellectio est, competunt, in ratione operationis à potentia animæ, aut totius animati prodeuntis, æquali via incedunt, quod indicat Aristot. inquiens, sentire est pati, sicut & intelligere. Quod si simpliciter sensus foret totalis causa sensationis, sentire non esset pati, sed agere, & operari, nec exigeretur quidpiam aliud ad sensationem exerendam.

Secundò, posita causa naturali alicuius effectus, & non impedita, statim sequitur actio: posito autem sensu à nullo detento, si obiectum, aut eius species non sit præsens, sensus sentire nequit, ergo non est causa totalis sensationis.

16. Dices, requiri obiectum, aut eius species, non quidem, vt agat, sed vt disponat, & determinet sensum, ad sentiendum. Prius quippè potentia debet informari specie, quam agat, & operetur. Contrà, siue ponatur obiectum in ratione causæ sine qua non, siue in ratione termini, siue in ratione disponentis, & excitantis, arguo,

sunt tantùm quatuor genera causarum, 2. *Phys.* 28. & 5. *Met.* 3. Ergo illis existentibus, in se perfectis, & non impeditis, & sufficienter approximatis, sequitur effectus ab eis causatus, si fuerint causæ naturales, igitur si sensus sit causa totalis sensationis, & subiectum eius receptiuum, cum semper extet in actu, & existat causa naturalis, semper haberet actualem sensationem, ipsamque semper causabit, quod est falsum. Tertiò, quod sibi assimilat effectum, ad ipsum efficiendum actiuè concurrit, obiectum autem sensibile sibi assimilat sensationem, immò sensatio magis redditur similis obiecto sensibili, quam potentiæ sensitiuæ, ergo obiectum sensibile, siue species eius sensibilis est causa actiua partialis sensationis. Denique, causa vniuersalis, & indeterminata, ab alia causa debet determinari ad agendum, vt patet de sole, qui non causaret effectus sublunares, nisi causæ inferiores, & sublunares ipsum determinarent ad hunc, aut illum effectum producendum: sensus autem est indifferens ad quamlibet sensationem cuiuscumque obiecti sensibilis: ergo ab ipsis obiectis, aut eorum speciebus determinari debent. Huiusmodi autem determinatio est actio propriè dicta, eiusque effectus alius esse nequit, quam sensatio, ergo tam sensus, quàm species sensibilis concurrunt ad efficiendam sensationem.

17. Assertio quarta, sensatio formaliter est actio. Tenet Doct. 7. *Met. quæst.* 14. §. *Contrà responsionem*, & *quæst.* 28. §. *Respondeo.* Et *quol.* 13. & 15. Probatur primò, ex Arist. 2 *anima*, 37. & 125. Et *lib. de sensu, & sensili*, *cap.* 2. Necnon 9. *Met.* 16. vocantre sensationes, & intellectiones operationes, & actiones immanentes. Secundò, quod producitur à principio vitali, est actio vitalis, veluti actio, quæ emanat à principio non vitali, est actio non vitalis: sensatio autem proficiscitur à principio vitali, purà sensu, qui est potentia vitalis, ergò sensatio est actio. Dici quoque potest passio, quatenus recipitur in sensu, ratione cuius ipse sensus dicitur passiuus, vt suprà obseruaui. Scotistæ autem vtuntur hac distinctione, videlicet, sensatio est actio de genere qualitatis, non verò de genere actionis.

18. Oppones primò, datur intellectus agens, & patiens 3. *anima* 17. Ergo concedendus est sensus actiuus, & passiuus, cum vtrobique videatur par ratio. Nam, sicut se habet intellectus ad intelligibilia: sic se habet sensus, ad sensibilia: intellectus autem diuiditur in agentem, & patientem, ergo, & sensus distribuendus est in actiuum, & passiuum. Concedo ant. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia datur intellectus agens, vt speciem materialem reddat spiritualem: non sic se habet sensus, qui recipit speciem materialem, cum ipsemet sensus sit quoque materialis, quare non currit eadem paritas de intellectu, ac de sensu.

19. Oppones secundò Arist. 2. *animæ*, 140. tradit, sensum pati, quando sentit, ergo sensus est passiuus duntaxat, quia sentire est pati. Respondeo Arist. exponendum esse non formaliter, sed præsuppositiuè, quod est dictu, vt sensus formaliter sentiat, necesse est, recipiat speciem sensibilem, ratione cuius dicitur pati. Vel etiam, vt in se recipiat sensationem, veluti paries recipit albedinem, per quam formaliter perhibetur albus. Quare, diuerso respectu, sensus vocatur passiuus, & actiuus, vt suprà notaui. Vnde, idem Philosophus, vt nobis innueret, sensum non esse tantùm passiuum, 2. *anima*, *T.* 125. subiicit, odorari non est pati ab odorabili, quia est sentire: quibus verbis insinuat, sentire non esse formaliter pati.

20. Oppones tertiò, sensatio est actio vitalis, quæ non prodit, nisi à principio vitali: species autem sensibilis non est principium vitale, ergo species sensibilis non est principium sensationis productiuum. Respondeo instantiam valere de principio principali: non autem de principio minus præcipuo, cuiusmodi est species sensibilis. Quapropter, sensatio vocatur operatio vitalis, non ratione speciei sensibilis, sed ratione sensus, qui est principium actiuum principale.

Articulus III.

In quanam parte animalis sensus interni locentur.

21. Disceptant acerrimè Arist. & Galenus de sede sensuum internorum, præsertim de loco sensus communis. Ille namque 2. *de gener. animalium*, *cap.* 4. & alibi, sensum communem collocat in corde, cui fauent D. Hierony. Ad Fabiolam Auer. 1. *de partibus animalium*, *cap.* 7. & Ianduη. *quæst.* 9. *de somno, & vigilia* Iste verò 8. *de vsu partium*, *cap.* 3. *& inde*, statuit sensum communem, & reliquos sensus internos, in cerebro. Suffragantur Berchor. 1. *Reduct. moralis*, *cap.* 6. Cauel. *quæst.* 10. *de anima*, *concl.* 2. Ponc. *disp.* 61. *concl.* 1. & alij complures.

22. Not. primo, Arist & Galen in quibusdam conuenire, & in quibusdam dissentire Ambo enim conueniunt, sensum communem ibi residere, vbi est principium, & origo sentiendi. Deinde, vterque admittit, neruorum fontem esse principium sentiendi, quoniam per neruos animal sensitiuam, & motiuam facultatem participat. Verùm hi duo Authores discordant in eo, quod Arist. autumat cor esse principium, & officinam neruorum, venarum, & arteriarum: è regione Galen. putat cerebrum esse originem, & fontem neruorum, propterea in eo ponit sensum communem.

23. Not. secundò, in iis, quæ sub sensum, & experimentum cadunt, potius adhærendum esse expertis, quam illis, qui tali experientia non pollent, vt præstat Scot. 2. *dist.* 4. *quæst. vn.* §. *Ad argumenta pro opinione prima.* Vbi recitans opinionem Philosophi, de matre respectu fœtus, nùm scilicet actiuè, aut passiuè se habeat? Quoniam ipse Arist. sentit matrem tantum passiuè se gerere in formatione fœtus, ipsummet Philosophum Doctor noster deserit, & sequitur Galenum, tanquàm expertum, quia expertorum via est tutior, & certior, præsertim, cum rationes in oppositum facili negotio dilui queant. Quocircà, in præsenti mirum non est, si communiter Philosophi placitum Arist. deserant, & Galeni sententiam amplectantur, quandoquidem per sectionem anatomicam apertè liquet, & cernitur, originem neruorum, & principium sentiendi, non à corde, sed à cerebro promanare.

24. Assertio, sensus communis, & reliqui sensus interni, non in corde, sed in cerebro resident. Citatur Scot. *quæst* 10. *de anima*, & probatur primò, vbi sensorij nerui suam ducunt originem, ibi suam sedem habent sensus interni, vt quoque fatetur Stagir. sensorij autem nerui initium suum sumunt à cerebro, vt cernitur experientia in sect. anatomica, ergo sensus interni collocantur in cerebro. Secundò, si repente extrahatur cor animalis à cæteris eius membris, adhuc experimur aliquam sensationem fieri in capite eiusdem animalis. Narratur quippe, quosdam, abscisso corde, adhuc fuisse loquutos: locutio autem est sensatio, quæ nonnisi à sensu oriri valet, igitur sensus interni non in corde, sed in cerebro reponuntur. Tertiò læso capite, & cerebro, læduntur sensus interni, & impediuntur sensationes; remedia autem adhibentur non cordi, sed cerebro. Atque, qui nimio studio indulgent, non corde, sed capite dolent. Igitur sensus interni in cerebro sunt collocandi.

25. Oppones primò, quod est principium sensationis, debet esse pars continua, cum aliis partibus, membrisque animalis, ad hoc vt sensatio, motusque eius rectè fiant: cerebrum autem est pars ab aliis discontinua, cum sit in capite, tanquam in vase, ergo in cerebro non extant sensus interni. Conf. quod non sentit, nequit esse origo, & sedes sensuum internorum: cerebrum autem non sentit. Si enim tangatur, non dolet, igitur, cerebrum non est locus sensuum internorum. Concedo ma-

nega

nego min. Partes quippè cerebri continuantur cum nervis, & cæteris membris, quibus efficitur sensatio, vt patet in sectione anatomica. Ad conf. concedo ma nego min. Etsi enim cerebrum non ità vehementer sentiat, ob eius temperiem; quæ est mollis: nihilominus verè sentit, & si vulnus eius sit maximum, animal dolore ingenti afficitur.

26. Oppones secundò, cor est principium vitæ. In eo namque sunt spiritus vitales, & animales, ergo cor est principium sensationis, proindéque in eo sensus interni resident. Respondeo cor esse quidem principium spirituum vitalium, non verò animalium, quia spiritus animales à cerebro prodeunt, comprobante experientia. Quare secundum Medicos, & veritatem, cor est sedes spirituum vitalium, cerebrum autem spirituum animalium & iecur sanguinis.

27. Oppones tertiò, cor locatur in medio corporis animalis, veluti Rex in medio sui regni, ergo cor est principium sensuum internorum. Respondeo etsi admittatur cor mediam sedem tenere in corpore animalis: non ob id sequitur, ipsum esse originem sensuum internorum. Nam venter est in medio animalis, & tamen nullus affirmat, ab ipso ventre sensus præfatos originem trahere. Immò, cerebrum statuitur principium eorum, propterea quod est in capite, tanquam in arce, ac vt cœlum in mundo. Quare, præaddućta instantia nullius est roboris.

28. Oppones quartò, homines insensati vocantur excordes, aut vecordes, igitur homines sensati appellandi sunt cordati, non alia sanè de causa, quàm quia cor est origo, & fons sensuum internorum. Respondeo etsi nonnunquam id concedatur, frequentiùs tamen, dicti homines dicuntur esse absque cerebro, & vulgò habetur illud, pulchrum caput, sed sine cerebro. Et, quando caput dolet, cætera membra dolent.

29. Oppones quintò *Matt.* 15. Christus Dominus inquit. *De corde exeunt cogitationes malæ*, cogitationes autem pertinent ad phantasiam, quæ est vnus ex sensibus internis: ergo sensus interni oriuntur à corde. Respondeo cum Lyrano in postil. eum locum interpretandum esse de corde spirituali, quod est intellectus, qui voluntate non reluctante, ad malum propendens perhibetur origo malorum.

ARTICVLVS IV.

An sensus interni discurrant.

30. SEnsus internos siue bruti, siue hominis esse discursiuos, putant nonnulli recensiti, & repulsi ab Alphonso Castrensi *lib.* 3. *aduersus hæreses. verb. Bestia, & Brutum*, in quorum errorem, & hæresim videntur labi Laurentius Valla *lib. de dialect. cap.* 9. & Plutarch. rationem, & discursum brutis attribuentes. Alij quorum dux est Auic. 6 *naturalium parte* 4. *cap* 2. quem sequuntur nominatim S. Th. 1. *p. quæst.* 78. *art.* 4. & Caiet. *ibid.* etsi renuant bruta discurrere, arbitrantur tamen, cogitatiuam hominis esse discursus capacem. Communior autem sententia est Scot. 2. *distinct.* 42. *quæst.* 4. §. *Ad primum R. in solutione* 2. Lych. & Gratiani Brixiensis *ibid.* docentium sensus internos tam bruti, quàm hominis, esse rationis, ac discursus expertes.

31. Assertio prima, bruta rationis, discursusque sunt incapacia. Ita Scot. proximè cit. Probatur primò, ex sacris litteris Psal 31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Vbi autem non est intellectus, nec ratio, nec discursus esse potest. Sacer autem textus testatur, belluas carere intellectu: ergo quoque ratione, & discursu. Deinde Psal. 48. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis, & similis factus est illis.* Similitudo autem, quam affert sacra pagina de homine, cum belluis in eo consistit, quia non intellexit, ergo discrimen quod intercipitur inter hominem, & brutum, statuitur in hoc, quia homo pollet ratione, & intellectu, brutum verò eo caret, cuius etiam fit expers homo, cadens in peccatum. Tunc non intelligit, veluti iumentum, in quo ille, huic tunc assimilatur.

Secundò ex D. August. 1. *Musica, cap.* 2. & 1. *de lib. arbitrio, cap.* 7. & 8. *Homo ratione belluis præcellit.* Tertiò, Arist. 2. *animæ, T.* 157. *Nihil brutis potest persuaderi, quia ratione priuantur* Et lib. de *memoria, & reminiscentia, cap.* 4. *Nulla animalia reminiscuntur, præter hominem, quia nec syllogizant, nec ratiocinantur.*

Quartò, vt animal discurrat, necesse est, cognoscat principia discurrendi, quia sine principiis, non possunt haberi ea, quæ ex illis deducuntur: sensus autem interni nequeunt cognoscere principia discursus, ergo ratione, & discursu non potiuntur. Ma patet. Min est in promptu principia discursus ex assertis in Log. sunt duo, dici de omni, & dici de nullo, quæ cum sint vniuersalia, & sensus singularia tantum attingant, apertè infertur, nullum sensum brutorum esse idoneum ad discurrendum.

Quintò, ratio, & discursus competit rationalibus: bruta autem sunt irrationalia. Constituuntur namque per differentiam oppositam rationalitati, cum animal diuidatur in rationale, & irrationale, ergo bruta ratiocinari, & syllogizare nequeunt. Insuper, cui conuenit discursus, conuenit & intellectus, pariter, voluntas, prudentia, & reliqui habitus: brutis autem nec voluntas, nec prudentia, nec cæteri habitus morales, aut intellectuales adaptantur, cum eorum animæ sint materiales, ac corporeæ. Itemque forent capaces gratiæ, & peccati, meriti, & demeriti, pœnæ, & gloriæ æternæ, quæ, & consimilia longè sunt à brutis, ergo ratio, & discursus brutis accommodari nequeunt, vt eleganter edisserit Aug. *lib* 83. *qq. quæst.* 5. & 13.

32. Assertio secunda, cogitatiua hominis non est compos discursus. Exhauritur ex Doct. cit. & 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. §. *Contra istam opinionem ad A.* Probatur primò, idem est asserendum de cogitatiua hominis, ac de cogitatiua bruti, quia vtraque est materialis, & corporea: cogitatiua autem bruti est rationis, & discursus expers, veluti cæteri eius sensus, vt ostendi in antecedente ass. Ergo & cogitatiua hominis, cum æqua vtrobique eluceat ratio.

Secundò, potentia ratiocinatiua, & discursiua cognoscit vniuersalia, quia discursus conflatur ex vniuersalibus, vt bene prosequitur Scot. *in primo proximè cit.* & fulcitur duobus principiis in priori assert. memoratis: cogitatiua autem hominis percipere nequit vniuersalia, quia solus intellectus vniuersalia attingit, iuxta illud prolóquium, sensus est singularium & intellectus vniuersalium, ergo est incapax rationis, & discursus.

33. Oppones primò, quod est capax prudentiæ, aliarumque habituum, est capax rationis, & discursus: Bruta autem prædita sunt prudentia, aliisque habitibus, qui inesse non possunt, nisi in rationis, & discursus capacibus. Nam 1. *Met* 1. Apes dicuntur prudentes: immò Serpentes, ore Christi Domini, Matt. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes.* Et Gen. 3. *Serpens erat callidior, idest prudentior, cunctis animantibus terræ* Et Prouerb. 6 *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.* Ergo bruta à ratione, & discursu non sunt eximenda. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, ea testimonia exponenda esse de prudentia non propriè, sed impropriè sumpta, quod est dictu, præfata animalia participant quamdam adumbratam prudentiam, & vestigium quorumdam habituum intellectualium. Ita insinuant August. 11. *Ciuit. cap.* 27. & Scot. 1. *Met. quæst* 3.

34. Oppones secundò, nonnulla animalia sunt disciplinabilia, & docilia, ergo & discursiua. Ant. patet apud Elianum, Athenæum, & Berchorium *lib* 14. *reductorij moralis, cap.* 6. qui mirabilia referunt de quibusdam bru-

tis,nominatim,Delphino, Leone, & Elephante litteras efformante,& exarante : quæ,& consimilia non videntur posse effici , absque ratione, & discursu. Concedo ant. nego conseq. ad eius probationem dico , ea omnia fieri instinctu naturali,& quadam assuefactione, & fortè non de est illis quædam similitudo , & vestigium rationis,vt videtur innuere D. August.mox alleg.

35. Oppones tertiò , canis in triuio positus , lepore pertransito per aliquam ex illis tribus viis,duabus explorratis,venit ad tertiam,quam pertransit,& capit leporem , igitur canis discurrit. Conseq. tenet. Nam canis sic videtur differere. Lepus non pertransit primam viam , nec secundam,ergo tertiam. Huiusmodi autem, deductio est discursiua , ergo ratio , & discursus à quibusdam animalibus non est amouendus. Respondeo, canem ingredi tertiam viam non quia discurrit,sed quia olfacit odorem leporis. Siquidem olfactis duabus primis viis, vt constat experientia, & non sentiens in eis odorem leporis, olfacit tertiam, & sentiens odorem ipsis leporis, insequitur, ipsumet leporem arripit,& interficit.Sic etiam dilui potest instantia Bacon. 2 *dist.*25. *art. penultimo* , de vulpe, simia, & reliquis animalibus callidis , quæ videntur mira præstare Nec prætermittendum est , quod ait D. August. 1. Musicæ cap. 3. *In brutis non est ars,quia non est ratio.*

QVÆSTIO XI.

De Appetitu sensitiuo.

1. APPETITVS sensitiui meminit Scot.*quæst.*4. *prol.* §. *Dico igitur sub B.* & 1. *distinct.* 17. *quæst.*2. §. *Hanc viam sequendo T.* Et 2. *distinct.*6. *quæst* 2. §. *In ista quæst. D. & E.* Et *Quol.*2.*B.* Necnon 3. *dist.*17 *quæst. vn.*§. *Istam quæstionem B.*Hoc autem animal bona appetit,& mala auersatur:conuenientia recipit , & disconuenientia fugit. Definitur enim appetitus sensitiuus , potentia sensitiua , qua animal bonum , & conueniens prosequitur : malum verò, & disconueniens fugit.

ARTICVLVS I.

An appetitus sensitiuus distinguatur à potentia cognoscitiua.

2. D. Th. 1. *p. quæst.*78. *art.*2. & 3. Caiet. & alij *ibid.* inter appetitum sensitiuum, & potentiam cognoscitiuam agnoscunt distinctionem realem. Scot. autem 3. *distinct.*17. *quæst. vn.* Cauel. *disp.*2. *de anima , sect.*2. & alij *ibid* inter appetitum , & potentiam agnoscentem, non realem, sed formalem distinctionem constituunt.

3. Not. ex Doct.nunc alleg. appetitum bipartiri in innatum , & elicitum. Ille est inclinatio , & propensio naturalis cuiuscumque rei,sic graue appetit locum deorsum,& leue sursum. Hic verò est facultas actiua,qua viuens appetit sibi commodum,ipsumque prosequitur, & declinat incommodum , ipsumque fugit , vt suprà describens appetitum dicebam. Subdiuiditur autem in naturalem, & liberum. Prior est , quo animal naturaliter , & necessariò concupiscit sibi bonum : posterior verò est,quo animal rationale sponte,& liberè appetit, & vult aliquid , quod potest non velle , & desistere ab eius prosequutione : & de hoc non est præsens difficultas, sed de illo , qui dicitur appetitus sensitiuus, memoratus Gen.4. *Sub te erit appetitus eius,& tu dominaberis illius* Roman.7. *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et Gal.5. *Caro concupiscit aduersus spiritum , & spiritus aduersus carnem.* Atque de hoc differit S. Damasc.cit.à Doct. *in primo,dist.*17. *quæst.*2. *paulo ante* §. *Ad argumenta, quæ facta sunt.* & *ante V.* inquiens , *ducitur, non ducit* , ideli, appetitus sensitiuus non dominatur actioni suæ,quod est ducere: sed respectu actionis suæ determinatur ab agente , ad certam operationem , & hoe est duci. Interprete Scot. *vbi suprà.*

4. Assertio prima,appetitus sensitiuus distinguitur à potentia cognoscitiua,non quidem realiter,sed formaliter. Ass. est bimembris,quam insinuat Scot. præcit. & *quæst.*1. *de anima*, §. *Ad* 1.inquiens. *Vbi est sensitiuum, ibi est appetitiuum : tamen altera est potentia sensitiua, altera appetitiua.*

Prima pars suadetur primò, appetitus liber , qui est voluntas,distinguitur ab intellectu, qui est potentia cognoscitiua spiritualis : ergo & appetitus sensitiuus,qui est potentia appetitiua naturalis,& necessaria distinguitur à potentia materiali cognoscitiua Ant. conceditur ab omnibus realibus Philosophis. Consequentia tenet, quia æqua est ratio vtrobique.

Secundò,appetitus sensitiuus sequitur sensum,veluti risibilitas consequitur hominem : risibilitas autem distinguitur ab homine , vt passio,à subiecto , cuius est passio,vt palam fiet in Met. Deinde, prius cognoscitur res , quàm appetatur , quia appetitus , tam sensitiuus, quàm intellectiuus non fertur in incognitum,ergo cum prior sit potentia cognoscitiua,quàm appetitiua,& omne prius distinguatur à posteriori, planè infertur appetitum sensitiuum differre à potentia cognoscente. Eò magis,virtutes morales subiectantur in appetitu sensitiuo,ex Doct. 3.*dist.*15. non autem in potentia cognoscitiua,ergo ille ab hac distinguitur.

5. Secunda pars constat ex dictis *lib.*2. *quæst.*3. *art.*2. vbi ostendi potentias animæ, ab ipsa anima, & abinuicem non realiter , sed formaliter differre. Itemque quomodo potentiæ totius coniuncti animati , cuius modi sunt istæ potentiæ,tam ab ipso coniuncto,quàm inter se discriminentur , nec quidpiam aliud hic addendum esse iudico, præter id quod ibi dictum, & probatum est.

6. Assertio secunda , tot sunt appetitus , quot sunt sensus. Defenditur à Doct.*in tertio cit.*& indicatur 12. *Met. T* 39. vbi habetur,*omne intelligibile esse appetibile*, ergo & omne sensibile conueniens est appetibile, sicut omne ens est cognoscibile , sicque cum omnis sensus sit cognoscitiuus , quoque est appetitiuus , atque tot numerantur appetitus,quot sunt sensus.Deinde,distinctæ apprehensiones habentur à distinctis sensibus, vt patet de singulis sensibus externis , alia quippè est apprehensio visus, alia auditus,alia adoratus, gustus, & tactus : ergo alius est appetitus visus,auditus & sic de cæteris. Insuper , vnumquodque sicut participat propriam entitatem, ità habet propriam inclinationem, & consequenter delectationem , sic visus inclinat ad pulchrum visibile,ipsum appetit, & sibi complacet, & delectatur in eo:ergo iuxtà multiplicitatem sensuum,multiplicantur appetitus. Rursùs,in materia tot sunt appetitus,quot sunt formæ in ipsa recipiendæ,vt dixi *q. de materia*.Denique in anima rationali,quia est vnus intellectus, quoque in ea est vnus appetitus, qui est voluntas.Concluditur ergo penes numerum sensuum numerari appetitus.

7. Oppones primò , contrà primam assertionem, Arist. 3. *animæ,T.*29.non videtur distinguere appetitum sensitiuum à potentia cognoscitiua:ergo opposita sententia contradicit Scholæ Peripateticæ. Respondeo Arist. inter potentiam cognoscitiuam , & appetitiuam non statuere distinctionem realem , benè tamen formalem , vt suprà asserui *in secunda parte Assertionis propositæ.*

8. Oppones secundò , munera , diuersique fines arguunt realem distinctionem inter ea , quorum munera, & fines sic diuersificantur : potentiæ autem cognoscitiua

tiua,& appetitiua exercent diuersa munera,& aspiciunt diuersos fines, vt patet, ergo inter eas interponitur distinctio realis.

Respondeo ma. intelligendam esse de distinctione formali,non autem reali,quam Thomist.conantur inuehere in dictas vires,& potentias.

ARTICVLVS II.

An appetitus concupiscibilis distinguatur, ab irascibili.

9. Gabriel 3. *dist.*25. & 26. *quæst.*1. *art.*3. *dub.*5. Suarez 5. *de anima, cap* 4. & Ponc. *disp.*61. *quæst.*2. *concl.*2. arbitrantur duplicem appetitum propositum *in initio huius art.* sola ratione differre, hoc est, penes diuersos actus. Scot. autem 3. *distinct.*34. *quæst. vn.* §. *Notandum sub G.* & *in Report. ibid.* & Th. 1. *p. quæst.*81. *art.*2. & vtriusque discipuli,quibus præiuerunt Plato 4. *de Report.* Arist. 1. *magnorum mor. cap.*13. & Galen.6. *de vsu partium, cap.*18. existimant, inter appetitum concupiscibilem, & irascibilem cadere distinctionem realem.

10. Not.& recole ex dictis *lib.*2.*huius operis,q.*3 *a* 3. à distinctis actibus, & obiectis peti distinctionem potentiarum à posteriori, & manifestariuè. Atque sensuum tam internorum, quam externorum multiplicitatem in superioribus, ostendi depromendam esse ex multiplicitate,& diuersitate organorum: necnon differentiam potentiarum materialium, ab immaterialibus interesse,in eo,quod istæ ab anima ortum suum ducunt dumtaxat, vt patet de intellectu, & voluntate ab anima rationali promanantibus: illæ verò à toto coniuncto animato, ideò hoc persistente, persistunt, & hoc pereunte, illæ pereunt. Deinde, quando mens alicuius Doctoris expressa, & clara est, per eius verba, non est trahenda, & extorquenda ad alienum, & contrarium sensum, vt significat Doct. 1. *distinct* 8. *quæst.*5. §. *De intentione* C.patet autem apud Scot. suprà memoratum, appetitum concupiscibilem, & irascibilem realiter distingui, vt benè vidit Cauel. *disp.*2. *de anima, sect* 7. Quare Ponc. cit. immeritò nititur trahere Scot. in oppositam sententiam, vt præstat etiam de appetitu, inquiens esse vnum tantum appetitum secundum Scot. cum perspicuè, & clarè ipse Scot. doceat multiplicari appetitus, penes multiplicationem sensuum, & potentiarum cognoscitiuarum. Quæ autem pro se adducit dictus Ponc. cum sint nullius ponderis, & roboris, piget referre, & refellere, cum veritas, sicut lux tenebras excutiat: & istæ, in illa simul persistere nequeant. Puto itaque ipsum Ponc. & Suarez etiam non legisse Scot. aut si fortè legerint, perperàm intellexerint.

11. Ass. inter appetitum concupiscibilem, & irascibilem interuenit distinctio realis. Ita Scot. *vbi suprà.* Probatur primò, ibi sunt distincta organa, ibi sunt distinctæ potētiæ organicæ, vt constat de sensibus externis,& internis, qui distincta organa sortiuntur. Atqui, in parte sensitiua, concupiscibilis,& irascibilis habent distincta organa Idem quippè non potest moueri simul diuersis motibus in eodem organo. Dolor autem concupiscibilis est cum restrictione, delectatio vero ei opposita est cum dilatatione:at dolor irascibilis fit cum calefactione,quia ira est accensio sanguinis circà cor: ergo ibi duo appetitus realiter distinguuntur. Secundo, præsupponens,& præsuppositum inter se re ipsa differunt, vt tria præsupponunt duo, tria autem præsupponentia, & duo præsupposita realiter abinuicem discriminantur: irascibilis autem præsupponit concupiscibilem, atque obiectum illius præsupponit obiectum istius. Idque etiam de actibus vtriusque affirmatur, vt egregiè prosequitur Doct.*loco memorato* inquiens,*Semper irascibilis quando habet actum suum,duo nolita sunt ibi, vnum concupiscibilis, & aliud irascibilis: nolitum concupiscibilis est carere cibo, ex qua nolitione sequitur tristitia, in concupiscibili, quæ quasi refugit nolitum,& non repellit. Est quoque ibi aliud nolitum, seu illud, quod aufert cibum, quodque pertinet ad irascibilem, non actu refugitiuo, sed repulsiuo. Dum verò actu non repellitur, est tristitia pertinens ad irascibilem.* Plura Scot. *ibi.* Denuò, si aliquod bonum appetatur à concupiscibili,sub ratione impossibili obtentu,erit dolor concupiscibilis,non verò irascibilis,quia *ex* 2. *Rhet.* Nemo irascitur circà impossibile. Amplius, obiectum concupiscibilis est bonum absolutè obiectum verò irascibilis est bonum arduum, offendens, vindican lum:stat ergo distinctio realis inter istos duos prænominatos appetitus sensitiuos.

12. Oppones primò,eadem sunt passiones vtriusque appetitus, ergo vnus, & idem est appetitus prorsus indistinctus. Ant.probatur,ex Tullio 4 *qq.Tuscul.* odium est ira inueterata:odium autem spectat ad concupiscibilem,& ira ad irascibilem. Item,ex Damasc.*à fidei,c.*16. Ira constat ex tristitia. Patet autem,iram tribui irascibili, & tristitiam concupiscibili Nego ant ad eius probationem, dico id verum esse causaliter, non autem formaliter,quod est dictu, diuturna ira causat odium, non tamen formaliter est odium. Pariter,ira causat tristitiam, quando scilicet iratus non potest vindictam sumere de offendente.

13. Dices,in amante feruet sanguis,sicut in irato,ergo amor,& ira non sunt diuersæ passiones.Dico diuersimodè id accidere Nam sanguis ebullit in amante, cum dulcedine,& voluptate:in irato verò,cum amaritudine, & displicentia.

14. Oppones secundò,eodem pondere, & grauitate lapis fertur deorsum, & remouet prohibens, & impediens,eodem motu frangit filum,& petit centrum.Rursùs idem calor ignis calefacit aquam,& resistit frigori. Deinceps,eadem vis imaginatiua apprehendit bonum, & malum,ergo idem appetitus respicit conueniens, & disconueniens, proficuum, & noxium. Concedo ant. nego conseq Ratio est,quia irascibilis internum repugnat concupiscibili, vt patet in iustis, qui compescunt concupiscentias suas, & irascuntur eas cohibentes, & comprimentes. Non sic autem impetus naturalis lapidis, & inclinatio eius ad locum deorsum pugnat ipsi, cum eadem virtute impedimenta pellente. Ad id.quod subiicitur de imaginatiua, dico etiam concupiscibilem ferri in commodum,& noxium: non autem in arduum offendens,vt præstat irascibilis.

15 Oppones tertiò,in appetitu rationali non differt concupiscibilis ab irascibili, ergo nec in appetitu sensitiuo, cum par vtrobique ratio videatur. Concedo ant. nego conseq. cuius rationem affert Doct *passu alleg.H.* quia appetitus sensitiuus residet in parte sensitiua, & corporea: appetitus verò rationalis suam tenet sedem in parte intellectiua & spirituali, quæ est inorganica. Ideò, vnus est tantùm appetitus rationalis, distinctus verò. penes diuersa munera, veluti distinguitur portio in potentiam superiorem, & inferiorem:ac etiam idem intellectus respicit principia, & conclusiones ex eis illatas.Quare,licet sit vna potentia cognoscitiua spiritualis, sunt tamen multæ potentiæ cognoscitiuæ materiales, vt liquet de sensibus externis, & internis. Quæ enim sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus.

16. Quæres, quisnam ex prædictis appetitibus sit præferendus? Occurrit Henr. *quol.*8. *quæstior.*15. inquiens, concupiscibilem præcellere irascibili, causa est, quia concupiscibilis fertur circà bonum simpliciter, irascibilis verò circà bonum secundum quid, quatenus vtile,& offendens. Atque, irascibilis est propter concupiscibilem. Ideò enim quispiam irascitur, quia bonum à sua concupiscibili tollitur. Adde, quod concupiscibilis est circà finem, & irascibilis circa media ad finem. Vel dicito, irascibilem superare nobilitate concupisci

concupiscibilem, quia hæc est prior, illa verò posterior generatione. Quæ autem sunt posteriora generatione, in eodem ordine sunt perfectiora, vt patet de voluntate, quæ est posterior generatione, intellectu, eoque nobilior. Eò magis, irascibilis tendit ad bonum ard um offendens, in quo fortes, & magnanimi maximè elucent, non sic concupiscibilis, quæ est communis belluis. Iterum, quæ communiora sunt, ignobiliora censentur: concupiscibilis autem magis funditur, quam irascibilis, igitur hæc illi videtur prælucere. Denique patientia est fortitudo nobilissima, quæ residet in irascibili. Irascibilis ergo concupiscibili præponenda esse videtur.

ARTICVLVS III.

In quo resideat appetitus sensitiuus.

17. PEripatetici cum suo principe vtrumque appetitum, concupiscibilem, & irascibilem in corde, collocant, vt ex Vesalio referunt Conimbr. *disp.6. Eth. quæst.2. art.5.* Medicorum verò dux Galen. *de locis affectis lib.5.* existimat appetitum concupiscibil. in suam sedem tenere in hepate: irascibilem autem in corde. Nonnulli Neoterici, vt Hurt. *disp.17. sect.12.* & Arr. *disp.5. sect.4.* appetitum, tam concupiscibilem, quam irascibilem statuunt in cerebro. Scotistæ autem, qui cum Scot. *3. dist.34 quæst.vn* tuentur ror esse appetitus, quor sunt sensus, consequenter astruunt, ibi existere præfatos appetitus, vbi existunt sensus.

18. Assertio, vterque præcensitus appetitus collocandus est in cerebro. Non aduersatur Scot. *vbi suprà*, & facilè deducitur, & ostenditur ex dictis, & assertis in superioribus. Siquidem, *quæst.10. huius libri. art.3.* sensus resident in cerebro, ergo & appetitus eorum. Conseq. tenet, quia *ex primo art. huius quæst.* sensus, & appetitus non realiter abinuicem, sed formaliter dissident dumtaxat. Quæ autem formaliter differunt, sunt inseparabilia, ocenpantque eumdem locum, ergo cum sensus maneat in cerebro, vtiq; & eorum appetitus. Deinde appetitus liber, & rationalis, qui est voluntas alium locum non sortitur ab intellectu, vterque enim manet in eadem anima rationali, ergo idipsum asserendum est de appetitu sensitiuo, vtpote qui loco non seperatur à sensu, cuius est appetitus. Denuò, appetitus naturalis conueniens etiam rebus inanimatis, non seiungitur loco à te, cuius est appetitus, vt patet de appetitu lapidis ad suum centrum, qui sequitur ipsum, vbicumque sit, ergo idem affirmandum est, de appetitu sensitiuo, qui consequitur, & concomitatur sensum cuius est appetitus.

19. Opp.1. ex sacra pagina Deut.6. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*: Ex quo, & consimili loco, putà Matt.15. *De corde exeunt cogitationes malæ*, &c. non obscurè deducitur, appetitum sensitiuum residere in corde Resp cum Lyran ibi in postil. præfata testimonia interpretanda esse de corde spirituali, ut est voluntas radix, & causa amoris, & odij meriti, & demeriti: non autem de corde materiali vt contendunt Aduersarij, in quo reponunt appetitum sensitiuum.

20. Opp.2. cor est principium, & fons vitæ: ergo in eo locandus est appetitus sensitiuus. Concedo ant. nego conseq. licet enim ex dictis, cor sit origo vitæ, & spirituum vitalium, non tamen spirituum animalium, & sensationum, quarum radix, & origo est cerebrum.

21. Opp.3. quædam passiones, vt lætitia, & mœstitia, am r, & od um, cordi attribuuntur, ergo ab ipsius cordis loco non recedit appetitus sensitiuus. Concedo ant. nego conseq. Licet enim cor habeat huiusmodi passiones: non tamen reliquas, quæ cōpetunt cæteris partibus animalis. Quare cor quidem gaudet suo appetitu, non autem illo appet tu, qui sensui adaptatur. Supra namque ostendi, vnumquodque suo frui appetitu.

LIBER QVINTVS.

De Anima Rationali.

1. PRÆHABITIS concertationibus de animabus vegetatiua, & sensitiua, differendum remanet de anima intellectiua, eiusque potentiis, facultatibus, & actibus, per subsequentes quæstiones, & proximos articulos. Quinque autem in hoc libro agitantur quæstiones, quarum prima est de natura animæ rationalis. Secunda de intellectu eius. Tertia de voluntate. Quarta de potentia motiua. Et quinta de statu animæ separatæ.

QVÆSTIO I.

De Natura animæ rationalis.

ARTICVLVS I.

An anima rationalis creetur.

2. DEO ardua, & abscondita est origo animæ rationalis, vt D. August. ingenio magnus ro. *de genesi ad lit. cap.13.* de ea anceps remaneat, & 2. *retract.* ingenuè fateatur se nescire eius principium. Quo fortasse respiciens D. Bern. ab Alphonso cit. *lib 2. aduersus hæreses, verbo Anima*, subiungit. *Ex me ipso cognosco, quod Deus incomprehensibilis est, quia me ipsum non comprehendo.* Vnde, cum anima ità sit cognitu difficilis, innumeri exorti sunt errores, tum apud Ethnicos, tum etiam apud Christicolas, quorum nonnullos recitat August. *3. de lib. arb. cap 21.* & cæteros prænominatus Alphons. de Castro. Ego verò quatuor tantùm adduco, & sellero. Primus est eorum, qui existimant, animam rationalem esse quamdam particulam diuinæ essentiæ. Secundus est quorumdam arbitrantium, animam rationalem propagari per traducem, hoc est, per virtutem seminalem, eo modo, quo cæteræ animę producuntur. Tertius est Auic. qui teste Scot.4. *dist.1. quæst.1.* putat animam rationalem ab Angelo fuisse creatam. Est Origen .1. *Periarch. cap 7* Platonis *in Timæo.* & aliorum quos citat. Aug. 11. *Ciuit. cap.23.* suspicantium, omnes animas à primordio Mundi fuisse creatas, & peccasse à conditore secedendo, & diuersis progressibus, pro diuersitate peccatorum à cælis vsque ad terras, diuersa corpora quasi vincula meruisse. Fides autem Catholica docet animam rationalem à Deo ex nihilo productam esse.

3. Assertio prima, anima rationalis non est producta, ex substantia diuinæ essentiæ. Ita Scot. 2. *dist.* 17. *quæst.* 1. §. *Responsio A.* & *in Report. ibid.* S. Bon. Ric. & alij Scholast. *eodem in loco*: quibus præiuit Aug. 7. *de gen. ad lit. cap.* 2. & *lib.* 1. *de genes. contra Manich. cap.* 11. & *l. de vera Religione, cap.* 9. Probatur primò, ea sacris lit. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Hæc autem imago Dei consistit in anima, penes intellectum, voluntatem, & memoriam, interprete Lyran. *ibi.* si ergo anima facta est à Deo, factio non cadit in Deum, nec etiam mutatio, cum ipse Deus sit infactibilis, & immutabilis, Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* Ergo anima non est ex Dei substantia. Et cap. 2. eiusdem libri. *Inspirauit in faciem eius, spiraculum vitæ.* Vbi Chrysost. *hom* 11. *in Gen.* Et Eucherius 1. *in Genesim* exponunt, spiraculum illud, quod Deus inspirauit in faciem hominis, esse animam ipsius hominis, proindéque eam animam non esse de substantia Dei. Vt enim flatus exiens ex ore hominis non est de substantia ipsius hominis, sed de aëre circumfuso: ita anima prodiens à Deo, vt spiraculum, non est de substantia ipsius Dei. Accedit Aug. 1. contra aduersarium legis, & prophetarum, *cap.* 14. inquiens. *Flatu autem illo Dei, qui hominem animauit, factus est ab ipso, non de ipso, quia nec hominis flatus, hominis pars est, nec homo eum facit de seipso, sed ex aereo haustu sumpto, & effuso.* Secundò, ex Concilio Bracc. 1. *cap.* 1. in quo damnatus fuit præfatus error, his verbis. *Si quis animas humanas, vel Angelos, ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Idem sanxit Leo primus *Epist.* 91. *cap* 5. Tertiò, diuina essentia est indiuisibilis, & impartibilis, cum sit spiritualis, & summè simplex, omnis compositionis expers, vt ostendi tract. de Deo vno, disp. 1. Ergo anima rationalis nequit esse particula diuinæ substantiæ.

Quartò, si anima rationalis produceretur de diuina substantia, aut produceretur de ea tanquam ex materia, aut tanquam ex forma: vterque autem modus repugnat diuinæ essentiæ, cum materia, & forma habeant esse partiale, & incompletum, ipsa verò diuina essentia sit perfectissima, & absolutissima.

Quintò, proprietates diuinæ essentiæ competerent animæ rationali, sicque ipsa anima rationalis foret infinita, omnipotens, beata, & huiusmodi; è regione attributa, & passiones animæ rationalis conuenirent diuinæ substantiæ, atque ita esset capax meriti, & demeriti, fœlicitatis, damnationis, & huiusmodi, quæ sunt impossibilia, & abhorrent piæ aures.

4. Assertio secunda, anima rationalis nec ex ratione seminali, nec ab Angelo, sed à Deo immediatè ex nihilo producta fuit. Assertio est tripartita, quam insinuat Scot. cit. *in vtroque opere.*

Prima pars probatur primò, ex D. August. *lib. noui testamenti* dicente. *Inhonestum puto, si dicantur anima corporis generari, vt anima nascatur ex anima.* Et *lib. de Ecclesiasticis dogmatibus* subdit, *Anima, non cum corporibus seminantur.* Secundò, corporeum, & materiale nequit producere spirituale, & immateriale: ratio autem seminalis est corporea, & materialis; anima verò rationalis est spiritualis, & immaterialis, iuxta illud Lucæ 23. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Et tradit August. 1. *Trin.* 8. & *lib.* 83. *qq quæst.* 1. Ergo anima rationalis non fit ex traduce, & propagatione. Deinceps, incorruptibile non fit ex corruptibili, & immortale, ex mortali; anima autem rationalis est incorruptibilis, & imortalis, semen verò est corruptibile, & virtus eius. Amplius, forma quæ fit cum composito naturali, corrumpitur ad eius corruptionem: anima autem rationalis persistit, & per se stat ab eo separata, eoque pereunte, non perit, ergo, anima rationalis non producitur per traducem, & propagationem.

5. Secunda pars manet ostensa, & probata *l. de Mundo q.* 3. *art.* 5. & 6. in quibus munstraui nullam creaturam, siue spiritualem, siue materialem posse aliquid creare, tanquam causam principalem, aut instrumentalem. Cum ergo Angelus sit creatura, consequenter non valet attingere creationem animæ rationalis. Ratio potissima est, quia ad aliquid creandum requiritur agens independens; creatura autem siue intelligentia, siue alia quæcumque est dependens, propterea nullius rei potest esse creatiua.

6. Tertia pars suadetur primò, ex sacro tex. Esa. 27. *Omnem flatum ego feci.* Ibi autem sermo est de flatu spirituali, qui est anima rationalis de qua Gen 1. legitur, inspirauit spiraculum vitæ, in faciem eius. Si ergo solus Deus eam produxit, non de aliquo, sicut dicitur de eius corpore, quod formauit ea limo terræ, ergo de nihilo. Eccles 12. *Reuertetur puluis in terram suam, sicut erat, & spiritus reuertetur ad Dominum suum, qui dedit illum.* Supple, per productionem ex nihilo. Ideò *Sap.* 2. subiicitur *Ex nihilo nati sumus.*

Secundò, ea Aug. *lib* 1. *contra Aduersarium regis, & Prophetarum, cap.* 15. Et *l de spiritu, & anima,* hæc profert verba. *Anima nec elementum est, nec ex elementis, sed ex nihilo est facta, & soli creatori suo cognita.* Idem scribit *in epist ad Optatum,* & *l.* 83. *qq. quæst.* 1. cui consentiunt Hierony. *in cap.* 12. Zachar. & alij Patres, & Doct. Scholast. ei 2. *dist.* 7. Nec videtur dissentire Arist. 2. *de gener. animalium, cap.* 3 inquiens. *Mens de foris aduenit.* Suffragatur Conc Lateran. Clementina prima de summa Trin. & fide Cathol. *Deus ab initio vtranque de nihilo condidit creaturam corporalem, & spiritualem angelicam, & mundanam, deinde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam*

Tertiò, quidquid producitur, vel educitur de potentia materiæ, vel creatur. Anima autem rationalis non educitur de potentia materiæ, ergo creatur. Ma. est nota à sufficienti partium enumeratione. Min. ostenditur, educi de potentia materiæ, ea alibi assertis, nihil aliud sibi vult, quàm pendere in fieri, & in esse à materia: anima autem intellectiua nec in fieri, nec in esse pendet à materia, vtpote, quæ ab ipsa materia separata potest per se existere, & consistere. Demùm, modus operandi arguit modum essendi: anima autem rationalis operatur independenter à materia. Intelligit namque, & vult absque materia, vt patet in statu separationis, ergo producta est ex nihilo. Nec omittenda est congruentia Seraphici Doct. nuper memorati sic differentis. Anima est imago Dei tendens in Deum, tanquam eius finem vltimum, in cuius clara visione, & fruitione est beatificanda, quemue ea toto corde tenetur diligere, ergo ab ipso Deo immediatè prodit, atque ea nihilo creatur.

7. Assertio tertia, anima rationalis infunditur à Deo in corpus, eo instanti, quo corpus est debitè præparatum, & organizatum, itavt nunquàm extiterit ante eius organizationem. Indicatam à Doct. *vbi supra,* & opposita inter hæreses conscribitur ab Alphonso præcit. & ab August. *lib. heresum, cap.* 70. Probatur primò, ex Leone *l. in epistola* 92. *ad episcopum Asturigensem,* ità decernente. *Constanter, & veraciter prædicamus rationalem animam non prius extitisse, quam corpori fuerit vnita.* Subscribunt Damasc. 2. *fidei, cap.* 12. Nyssenus *lib. de homine, cap.* 29. & cæteri orthodoxi Doctores. Secundò, inter causam efficientem, & formalem adest hoc præcipuum discrimen, quod illa prius potest existere, absque vllo effectu, vt patet de Deo, qui extitit ab æterno, absque vlla creatura ab æterno producta: hæc verò nequit esse absque suo effectu formali, vt liquet de formis naturalibus, & materialibus: anima autem rationalis est forma informans, vt dicetur in sequenti art. ergo non extitit ante corpus ab initio mundi, sed simul cum eo aptè organizato creatur à Deo. Deinde, *Dei perfecta sunt opera,* Deut. 32. Anima autem dum actu non informat corpus, est imperfecta, quia est pars: ergo ante corpus non est creata. Rursùs, si anima

creata fuit à primordio Mundi, cum fruatur intellectu, & memoria, recordaretur nunc eius status: cum *ex 1 post. c. 1.* impossibile sit in nobis existere habitus, & nos latere: atque in ipsa nulla extat recordatio dicti status, ergo nullo modo tunc extitit. Insuper, si tunc fuisset creata, habuisset easdem potentias, quas modo participat, & cum potentiæ non sint frustrà, egisset, & operata fuisset opera bona, vel mala per dictas potētias Id autem pugnat *Rom. 9.* nuncupatim de Esau, & Iacob, de quibus legitur. *Cum nondum nati essent, aut aliquid egissent boni, aut mali, vt secundum electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.* Accedit definitio Conc. Brace. 1. *c. p. 6* sic statuentis. *Si quis animas humanas dicit prius in cælesti habitatione peccasse, & pro hoc, in corpora humana, in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.*

8. Opp. 1. *Geneseos* 2. scribitur, Deum quieuisse ab omni opere, quod patrarat, per sex continuos dies, ergo Deus nihil amplius creat, atqueadeò omnia anima præsupponuntur esse creata, priusquam Deus quieuerit, ab opere, quod perfecerat a mundi exordio. Respondeo, cum D. Hierony. & Lyran eum locum esse caponendum de nonis rerum generibus, & speciebus, quas ampliùs Deus non creat, præter eas, quas initio Mundi condidit. Quod autem Deus adhuc in orbe terrarum operetur, constat ex illo Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Et fuse ostendi *l. de causis.*

9. Instabis, Iob. 40. *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* Per Behemoth autem intelligitur Dæmon, interprete Lyran. *ibi in postil* Et Iob dicitur factus simul cum Dæmone: Dæmon autem creatus est in initio Mundi, ergo quoque anima Iob. Quod autem dicitur, de anima Iob, idem est astruendum de cæteris animabus, proindeque animæ humanæ, in principio Mundi fuere creatæ simul cum Angelis & Cœlis. Dico, illud tecum non esse capiendum, quoad associationem, & simultaneam originationem temporis: sed quoad similitudinem in natura intellectuali, quandoquidem anima Iob, & cæteræ animæ humanæ participant naturam intellectualem, veluti Angeli. Ita exponit Lyran. cui adhæret Gabriel. 5. *dist.* 17. *quæst. 1. art. 3. propè finem.* Affertur autem congruentia cur animæ non debuerunt simul creati cum Angelis, & Cælis, quia hi sortiuntur naturam perfectam: hæ verò imperfectam, & partialem, tendentem suaptè natura ad corpus tanquam eius compartem, & ea vtrisque constituitur vna natura humana integra, & perfecta: quia verò corpus humanum per generationem parentum efficitur, propterea eo idoneè organizato Deus creat animam, quam in ipsum corpus infundit, vnde consurgit homo.

10. Oppones secundò, homo, & quodlibet aliud animal, per rationem seminalem generatur: anima autem bruti non creatur ex nihilo, ergo nec anima hominis. Distinguo ma. secundum productionem corporis, concedo: secundum productionem animæ nego.

11. Instabis, eadem productione producitur compositum, & forma compositi: cum forma non producatur, nisi quia compositum producitur, 7. *Met. T.* 22. præsertim quia materia non fit, nec forma fit, sed compositum fit dumtaxat, 1. *Phys. T.* 64. Homo autem non creatur, sed generatur, ergo anima eius pariter non creatur. Dico, instantiam valere de forma, quæ educitur de potentia materiæ, non verò de forma, quæ inducitur in materiam, cum modi est anima rationalis, quæ alia productione producitur distincta à productione compositi.

12. Vrgebis, si anima rationalis alia productione producitur à productione compositi, produceretur ante compositum, quia pars est prior toto: supra autem assertum est, animam non præcedere compositum, nec prius ipso existere, ergo &c. Dico, præcedere non tempore, sed natura dumtaxat, quod sufficit ad saluanda ea omnia, quæ suprà tradita sunt.

Articvlvs II.

An anima rationalis sit forma informans, vel assistens.

13. Averroës 3 *de anima, com.* 5. imaginatur, animam rationalem esse vnam formam omnibus assistentem, & ita quoque sentire Aristot. suadere conatur, vt videre est, apud Aur. 2. *dist.* 16. *quæst.* 1. *art.* 1. fusè, & eruditè id extractantem, & tangit Scot. 2 *dist.* 3. *quæstion.* 6. § *Ista positio ante B.* vocans fictionem illius maledicti Auer Et Alphonsus *lib.* 2. *aduersus hæreses, ver. Anima* inquit esse errorem, & hæresim cuiusdam Petri Ioannis. Nec minor videtur esse error Pythagoræ, eiusque discipulorum statuentium Metempsychosin, hoc est transmigrationem animarum de vno corpore, in aliud corpus. Quibus fauet Plato *in Timæo, & vlt. de Rep.* teste Aug. 10. *Ciuit. c.* 30. & *serm.* 139. *de tempore,* vbi eam sententiam refellit: & 11. *de gen. ad lit. cap.* 29. appellat ridiculam, & noxiam. Atque Alph. cit. *heresi* 8. hanc inter hæreses Albanensium, & Albigensium ascribit. Vera autem, & Catholica doctrina est Scot. 4. *d.* 43. *quæst.* 2. §. *Respondeo A.* & 2. *dist.* 17 *quæst.* 1. S. Bonauent. *ibid. dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. Ric *dist.* 17. *art.* 1. *quæst* 3. Aur. & aliorum docentium animam rationalem multiplicari, penes corporum humanorum multiplicationem, non migrare de corpore, in corpus, esseque veram formam informantem.

14. Not 1. & recol ea dictis, *lib* 2 *Phys. q. de formis.* bipartiri formam in assistentem, & informantem. Illa est, quæ assistit, & dirigit aliquid, veluti auriga currum, & nauta nauim dirigit: ista verò est, quæ tribuit esse rei, putà esse specificum, quidditatiuum, & essentiale, ratione cuius vnum differt ab alio specie, vt eanis, à leone & planta ab arbore.

15. Not. 2. Arist. quidem asserere quasdam formas informantes esse mortales, & corruptibiles, vt constat experientia, per perennem generationem, & corruptionem viuentium sublunarium, vegetatiuum, & sensitiuum, quæ cernimus quotidie, modò oriri, modò verò interire. De anima verò rationali, dubium manere, infrà ostendam Possumus autem tres, adducere, & distinguere propositiones, quarum prima est, anima rationalis est forma informans. Secunda, anima rationalis est inorganica, & incorporea. Tertia, anima rationalis in se, & penes suam naturam, & essentiam, est incorruptibilis, & immortalis. De duabus primis Arist. non videtur dubitare, vt patebit ex iis, quæ adducemus, ad probandas, & confirmandas proximas assertiones. De tertia verò, idem Philosophus fuit anceps. Ob id, secundum varia, & diuersa principia variè, & diuersimodè loquutus est, ex infrà dicendis.

16 Asserto prima, non est vna anima rationalis omnibus, & singulis hominibus assistens, sed tot sunt animæ humanæ indiuiduæ, quot sunt homines indiuidui, & singulares: nec vna anima migrat de vno corpore in aliud corpus. Insinuatur à Doct. *vbi suprà,* & enixè defenditur à Doct. Seraphico nuper citat. vocante oppositam sententiam falsam, hæreticam, & pessimam.

Prima pars probatur 1. quilibet homo habet suam animam, per quam est homo, & hic homo, ab aliis distinctus, ergo non est vna anima communis omnibus hominibus, eisque assistens. Ant ostenditur, homo est species, quæ prædicatur in quid de pluribus differentibus numero, quæ sunt eius singularia & indiuidua: vnumquodque autem singulare, & indiuiduum partiepat naturam singularem, & indiuiduam completam, quæ in animatis constat ex corpore, & anima, ergo quilibet homo habet suam animam, sicut suum corpus humanum atqueadeò non est vna anima communis omnibus assistens.

Secundò,

Secundò, vna anima sortitur suas actiones, & operationes, penès suas vires, & potentias: constat autem à singulis indiuiduis naturæ humanæ prodire varias, diuersas & oppositas simul actiones, & operationes, vt patet quotidiè in negotiis, literis, armis, & huiusmodi, ergò iuxtà numerum indiuiduorum humanorum, vtique numerantur animæ humanæ. Tertiò, si vna foret anima in cunctis hominibus assistens, cum sola anima sit capax scientiæ, omnes homines essent scientes, & docti, si dicta anima gauderet scientia & doctrina: vel omnes essent ignari, & nescientes, si prælata anima foret expers scientiæ & doctrinæ. Itèque, cum à voluntate animæ desumatur bonum, & malum, meritum, & demeritum, beatitudo, & miseria, gloria, & pœna. Omnes essent boni, beati, & gloriosi, iuxta bonitatem, beatitudinem, & gloriam eius animæ: & econtrà, mali, miseri, & infelices, secundum malitiam, miseriam, & infelicitatem eiusdem animæ: hæc autem, & consimilia pugnant veritati, & potissimum fidei orthodoxæ.

Accedit Conc. Lateran. sub Leone X. *sess.* 8. his verbis. *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes, animam intellectiuam esse vnicam in cunctis hominibus.* Insuper, forma assistens tantùm mouet, & dirigit rem, cui assistit: non autem in ea causat vegetationem, sensationem, & intellectionem, vt patet de auriga, nauta, & Angelo mouente cœlum. Non enim currus nauis, & cœlum vegetant, sentiunt, & intelligunt, veluti homo vegetat, sentit, & intelligit habens animam rationalem, ergò patens, & euidens indicium extat, animam hominis non esse assistentem formam, vnam que in omnibus.

17. Secunda pars probatur primò ex Aug. *l.* 5. *de symbolo ad catechumenos, cap.* 9. *Tom.* 9. *suorum operum,* qui hæc profert verba *Introduxerunt quidam pro meritis animas dari corporibus, & esse reuolutiones, & circulos, quos increpat Dauid Psal.* 11. *in circuitu impij ambulant. Qui talia credunt, impij sunt.*

Secundò si anima transiret de vno corpore, ad aliud, recordaretur eius transitus, & status, & narraret ea, quæ in huiusmodi statu, & transitu præstaret, vt fecit D. Paulus 1. *Cor.* 15. cum raptus est vsque ad tertium cœlum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et Arist. 1. *Post. cap.* 2. *T.* 5. reprobans, scientiam esse per reminiscentiam, subiicit, impossibile est habitus nobis inexistentes, nos latere: si ergo anima manens in vno corpore, postmodum migraret ad aliud corpus, planè recordaretur eius status, & operum eorum, quæ in eo egisset, atque huiusmodi transmigrationis: cum autem nulla prorsus de his habeatur recordatio, euincitur apertè talem transmigrationem animarum esse vanam, & irritam. Tertiò, secundum doctrinam orthodoxam, dum homo moritur, anima eius est in termino; vel enim ad cœlum euolat, vel ad inferos deducitur, vt purgetur in purgatorio, vel pro demeritis æterno supplicio puniatur in inferno. Figmentum ergò, & somnium est, credere præfatam animarum transmigrationem.

18. Ass. 2. anima rationalis est forma informans. Traditur à Doct. *locu cit.* Probatur primò ex Conc. Viennen. sub Clemente V. *de summa Trin. & fide catholica, cap. vn.* his verbis. *Porrò doctrinam omnem temerè asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia anima rationalis, seu intellectiua, verè, ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicæ fidei inimicam, prædicto sacro probante Concilio reprobamus.* Idem definit Conc. Lateran. sub Leone X *ex* 2. *de anima cap.* 1. *T.* 6. Anima est *actus primus corporis organici*, per actum autem intelligitur forma: in ore quippè omnium extat proloquium illud, ex actu, & potentia fit totum, hoc est ex materia, & forma fit compositum: sub autem illa definitione animæ comprehenditur anima rationalis, quæ verè est anima, & omnium animarum nobilissima. Idque maximè constat ex secunda animæ definitione tradita *ibid. cap.* 2. *T.* 24. Anima est *principium quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus*, ergo cum cæteræ animæ secundum Arist. & veritatem sint formæ informantes, vtique anima rationalis est forma informans. Tertiò, forma definitur ab omnibus, quod dat esse rei, actuat materiam, determinat, specificat, & perficit eam. Anima autem rationalis tribuit esse homini viuens, sentiens, & intelligens. Per eam namque homo viuit, sentit, & intelligit, & distinguitur ab omni alio, quod non est homo, ergò est eius forma informans.. Quartò, omnis homo, & quilibet homo est dominus suorum actuum, ità vt in sua potestate sit, velle, aut nolle, aut non velle: si autem anima rationalis non esset forma informans, homo nullatenus foret dominus suorum actuum, vt patet de curru, cuius forma assistens est auriga, & cœlo, cuius forma assistens est Angelus à Deo deputatus ipsi cœlo.

19. Opp. 1. Arist. 2. *de generat. animalium, cap.* 3. palàm scribit, animam ab extrinseco, & desoris aduenire corpori, ergò est forma assistens, & non informans. Respondeo exponendum esse Arist. scilicet animam rationalem non educi de potentia materiæ, veluti reliquas formas, & animas: sed induci, & infundi in corpus, quod idem est, ac creari à Deo, vt fides orthodoxa nos docet.

20. Instabis, idem Philosophus 1. *de anima, T.* 92. inquit, fingi non potest, quam partem corporis occupet anima, ergò non informat corpus, sed ei tantùm assistit. Dico, præfatum Philosophum ibi solùm insinuare, animam non esse alligatam alicui parti corporis, sed esse totam in toto corpore, & totam in qualibet parte corporis, vt alibi asserui.

21. Vrgebis, ex 3. *animæ, T.* 4. *&* 6. Intellectus est immixtus, & seiunctus à materia; ergò anima est forma assistens. Dico esse intelligendum non quoad esse, sed quoad operari, quod est dictu, intellectus operatur absque materia, cum sit immaterialis, & purè spiritualis.

Opp. 2. Fetchius *l.* 4 *defens. c.* 4. *n.* 45. fert, & suadet *ex* 1. *anima, T.* 63. *&* 65. dari circulationem animarum rationalium, ergò Arist. non contradicit Pythagoræ, quoad transmigrationem animarum de vno corpore in aliud corpus. Respondeo in eis tex. nihil reperiri, quod faueat errori Pythagorico. Ideò, eadem facilitate, qua adducuntur à Fetchio, refelluntur prælati textus, & passus.

22. Opp. 3. spirituale nequit esse forma, entis materialis, quia illud extendi non potest, ad extensionem istius, cum sit indiuisibile, & inextensibile. Anima autem rationalis est spiritualis, & immaterialis: ergò non valet esse forma informans corporis humani, quod est materiale, & organicum: Nego ma. Nihil enim impedit, formam spiritualem informare corpus, quod est materiale, veluti non repugnat, accidentia spiritualia recipi in subiecto materiali, & corporeo.

23. Instabis, Angelus, qui est spiritualis non potest informare materiam, ergo nec anima rationalis, cum æqua sit ratio vtriusque. Respondet Scot. *Quol* 9 esse disparitatem, quia Angelus est completus, & perfectus in sua entitate, & natura: anima verò rationalis est incompleta, & imperfecta, & pars speciei humanæ, proptereà potest informare materiam, & perficere corpus humanum, ex quo, & ipsa anima coalescit homo, qui est species completa, & perfecta.

ARTICVLVS III.

An anima rationalis sit immortalis.

24. SAducæi, & Epicurei, aliique non pauci, quos adducit; & refellit Alphonsus, *l.* 2. *aduersus*

hæreses, *hæresi* 7. faciunt animam rationalem caducam, & mortalem. Quibus consentiunt Lucretius, teste Aug. *l. de vtilitate credendi*, *ad Honoratum*, *cap.* 4. & Plinius 7. *hist. naturalis*, *cap.* 55. & non videtur longè distare Galenus in libro qui inscribitur, *Quod animi mores, corporis temperamentum sequantur*, *cap.* 3. & 4. existimans animam esse temperamentum quatuor primarum qualitatum, quod est dissolubile, & corruptibile. Cæteri autem Philosophi, in Academia, in Lyceo, & reliquis Gymnasiis, docent animæ rationalis incorruptibilitatem, & immortalitatem, quæ est vnum ex præcipuis fundamentis, & basibus, orthodoxæ fidei, & Christianæ religionis.

25. Not. immortalitatem trifariàm posse accipi. Primò pro omnimoda immutabilitate, & perfecta necessitate, quo in sensu D. Paulus 1. 7 *hm. vlt.* loquens de Deo ait. *Qui solus habet immortalitatem.* Idest, interprete Aug. *Tract.* 23. *in Ioan.* solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram æternitatem. Quare solus Deus est immutabilis, & summè necessarius, reliqua verò sunt mutabilia, & contingentia. Sola namq; voluntate Dei, eiusque manutenentia consistunt, & conseruantur. Secundò pro eo, quod caret principio corruptionis, & mortalitatis quod est materia, cum priuatione sibi annexa, & ità, quæ à materia seiunguntur, vt Angelus, & anima rationalis, sunt incorruptibilia, & immortalia. Tertiò pro eo, quod per sui inhærentiam, & assistentiam reddit aliquid incorruptibile, & immortale, quo pacto Adam, si permansisset in statu innocentiæ, fuisset incorruptibilis, & immortalis, per iustitiam originalem à Deo ipsi elargitam.

26. Ass. Anima rationalis est immortalis. Probatur primò ex sacra pagina. Ecclesiastes. 12. *Ibit homo in domum æternitatis suæ* Sapien. 11. *Deus creauit hominem inexterminabilem, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Imago autem Dei in homine, non in corpore, sed in anima posita est. Cum igitur homo sit inexterminabilis penès animam, apertè sequitur, ipsius animam esse incorruptibilem, & immortalem. Matt. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et Ioan. 10. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ex his, & aliis testimoniis scripturæ, clarè, & apertè conuincitur, animam humanam esse immortalem. Secundò definita est in Conc. Later. III. *sess.* 8. in quo sic legitur. *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes, animam intellectiuam mortalem esse, & hoc in dubium vertentes, cum illa non solum verè, per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verùm & immortalis, quod manifestè constat ex Euangelio.* 3. ex PP. Aug. qui composuit librum *de immortalitate animæ*. Nazianzeno *l. de anima*, Niceno *orat. catech.* Greg. 4. *Dialog. c* 45. & reliquis omnibus vnanimiter docentibus immortalitatem animæ rationalis. Subscribunt cuncti Theologi, & Doctores Scholastici, consentiunt Philosophi, Poetæ, omnes populi, & nationes, quæ sub cælo sunt, vno ore, & voce conclamantes animæ immortalitatem. Vide Complut. *disp.* 6. *de anima*, *q.* 2. §. 2. huiusmodi communem, & vnanimem omnium consensum putant esse vocem naturæ certè, & clarè prædicantis prædictam animæ immortalitatem, ità vt naturaliter, & euidenter demonstretur. Verùm hoc quidem suadet, & viget, sed non demonstrat, & conuincit. Ideò non omnes assentiunt, & consentiunt, immò multi dissentiunt, & reluctantur, vt in principio huius art. præmonui, & magis infrà constabit.

27. Instabis, D. Chrysost. *hom.* 4. *de prouidentia* explicitè inquit. Qui dubitat de animæ immortalitate, etiam dubitare posse, an in meridie dies sit: ergo secundùm Chrysost. notum, & euidens est, animam esse immortalem. Dico eum habere sermonem apud Fideles, quibus non ratione naturali, & demonstratiua, sed sacra Scriptura, & potissimum Euangelio eius immortalitas innotescit, & manifestè constat, vt fatetur præfatum Conc. Later. in vltimis verbis à nobis adductis. Et antè adducit Aug. 13. *Trin. cap.* 9. non per rationem, sed per Euangelium, docente Christo Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quartò, in omni Republica bene ordinata constituitur iudex, & gubernator, qui bonis, & iustis præmia largiatur: malos verò, & iniustos puniat: Mundus autem est veluti Respublica optimè disposita, & rectissime ordinata, in qua extant boni, & mali, iusti, & iniusti: illi autem, vt plurimum affliguntur, & opprimuntur: isti verò prosperantur, lætantur, beneque se habent. Vnde Hierem. 12. flens ait. *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt.* Debet ergò esse Deus rector, & gubernator, omnium bonorum, ac malorum iudex iustus, & retributor æquus, qui post mortem vnicuique tribuat congrua meritis præmia. Idque non fieret, nisi anima foret immortalis, cum illa accidant in præsenti vita, alioqui iniustitiæ accusaretur Deus, vtpotè qui iustos puniret, & impios præmio afficeret.

Hæc ratio est quidem vrgens, sed non est conuincens. Quispiam enim obuiam ei potest fieri, & dicere, non demonstrari Deum esse vniuersi rectorem, bonorum, malorumque præmiatorem præsentem, aut futurum: non enim tenetur Deus, & astringitur ad hoc, vel illud præstandum, & retribuendum, cum nulli absolutè sit debitor, & possit facere vasa in honorem, & in contumeliam, pro suo libito, absque vlla iniustitia. Adde, quod nonnulli putant Deum necessariò agere ad extra, & à sublunaribus curam, & prouidentiam diuinam tollunt, quod non opinarentur, si euidenti ratione ostenderetur Deum esse Mundi rectorem, & gubernatorem, omniumque retributorem, penès leges iustitiæ retributiuæ, & punitiuæ. Quod si concedatur, quod intenditur in argumento, occurrendum est, virtutem, & iustitiam secum ferre bonum, & præmium, cum tanta sit eius pulchritudo, & voluptas, vt teste Tullio, si oculis videri posset, omnes incitaret ad sui amorem: malum autem, & peccatum secum vehit pœnam, & supplicium, propter eius deformitatem, & turpitudinem: est enim veluti vermis rodens viscera peccatoris. Hinc subdit D. Aug. 1. Conf 12. *Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sibi sit omnis animus inordinatus.* Quod antè expertus erat Dauid *Psal.* 50. inquiens, *peccatum meum contra me est semper.* Vbi Lyran. exponit. *Horridum mihi est, sicut aduersarius existens continuè contra me præsentialiter.*

28. Instabis. D. Chrysost. cit. à Complut. & Conimbr. scribit. *Sicut notum est, Deum esse iustum, ita euidens est, animam esse immortalem.* Hancque veritatem se didicisse à S. Petro, testatur Clemens 3. *recognitionum.* Dico, istos Patres interpretandos esse supposita fide, nam quippe est animæ immortalitas ex sacris literis, præsertim ex Euangelio, vt declarat Conc Later. his verbis. *Manifestè constat ex Euangelio.* Comprobat Conc. Viennen. sub Clem. V. & fauet Aug. *epist.* 3. *ad Volusianum.* inquiens. *Quis nunc est extremus idiota, vel quæ muliercula, quæ immortalitatem animæ non credat, vitamque post mortem futuram.* Vbi aduerte verbum *credat*, quod ad fidem, non autem ad scientiam pertinet. Eò magis, quia fides, & scientia de eodem simul esse nequeunt, quia illa est obscura, & ænigmatica: hæc verò clara, & euidens. Præfati autem Conimb. *art* 5. hanc propositionem, de immortalitate animæ asserunt esse de fide, sicut reuera est, ergò non demonstratur, cum per demonstrationem habeatur scientia, alioqui de ipsa simul foret fides, & scientia, quod repugnantiam inuoluit. Nec præstat dicere, id non contradicere, quia de Deo simul habetur scientia, & fides; credimus enim esse Deum, & demonstramus esse Deum à posteriori, proindeque non implicat

implicat contradictionem, immortalitatem animæ & fide, & scientia simul acquiri. Siquidem, ille qui sibi comparat scientiam de Deo, quod sit, non habet de ipsius Dei existentia scientiam, & fidem simul, sed scientiam dumtaxat, vt ostendi *in summa Theologica, Tract. de Deo vno, disp.* 1. veluti, qui vidit Christum crucifixum, de ipso crucifixo non habuit fidem: sic etiam, qui demonstrat Deum esse, de ipso, vt existente non fidem, sed scientiam habet. Pariter, si animæ immortalitas est propriè scita, simul non est credita, Dicti autem Authores asserunt esse creditam, ergò non est demonstrata, & scita, per medium necessarium, & euidens, vt postulat scientia propriè dicta. Quintò forma per se subsistens & spiritualis est incorruptibilis, & immortalis: anima autem rationalis est huiusmodi, ergò est incorruptibilis, & immortalis. Distinguo ma. de forma completa, & perfecta subsistente subsistentia totali, & completa, veluti est Angelus, concedo: de forma partiali, subsistente subsistentia partiali, & incompleta, veluti est anima rationalis, quæ est pars corporis, quæ vna cum corpore constituit compositum, quod est homo, nego. Id enim est probandum, vt scilicet forma partialis possit, et se esse, & subsistere absque corpore, ac perpetuò durare, & viuere.

29. Instabis, forma, quæ est impermixta, & separabilis à materia est incorruptibilis, & immortalis, cum corruptio, & mortalitas oriatur a materia, privatione sibi annexa, 1. *Phys. T.* 81. Anima autem rationalis est separabilis a materia, & reliquis omnibus, sicut perpetuum a corruptibili, 2. *anima. T.* 21. ergò suaptè natura est incorruptibilis, & immortalis. Dico ma. valere de forma separabili a materia, penès esse, & operari: non autem de separabili tantum penès operari, veluti est anima rationalis, cuius intellectus in intelligendo non pendet à corpore, velut visus ab organo. Sic exponendus est Arist. vt patet ex eodem 1. *de anima*, *T* 66 *Intellectus corrumpitur in nobis, quodam interiori corrupto* Sed de mente Arist. infrà. Dici quoque potest intellectum humanum in operari pendere à corpore & sensu, iuxtà Philosophorum adagium, *nihil est in intell. &c. quin prius fuerit in sensu*: omnis quippè nostra cognitio, & intellectio ortum suum ducit à sensibus. Quare in esse, & operari intellectus noster pendet à corpore. Sextò appetitus, & desiderium naturale non est frustaneum, & superuacaneum, 1. *cæli*, *T.* 32. & 3. *anima*. *T.* 46. Homo autem naturaliter appetit semper esse, & viuere. Obid, quantum potest, fugit mortem, quò fortè respiciens D. Paulus subnectit, *Nolumus expoliari, sed superuestiri.* 2. *Cor.* 5. igitur anima est immortalis cum tale desiderium ad vitam æternam naturaliter nobis innotescat. Idque corroboratur, homo suaptè natura appetit beatitudinem 1. *Eth. c.* 17. pater autem beatitudinem esse sempiternam, ergò pariter animam esse immortalem. Satisfieri potest, si dicatur, huiusmodi argumentum esse in ufficiens, & inefficax, quandoquidem, non est euidens, nec euidenter probatur, semper esse, & viuere competere homini, imò oppositum, cernitur enim homo senescere, corrumpi paulatim, & tandem mori. Toto autem corrupto, partes corrumpi necesse est. Quare, licèt appetat homo semper viuere, tamen vita sempiterna ei non est possibilis, nec probari potest necessariò ei conuenire, veluti brutum vitat mortem, & fugit ea, quæ sunt causa mortis eius, tametsi corruptioni, & morti sit obnoxium. Non igitur ostenditur necessariò immortalitas animæ ex appetitu, siue innato, qui est inclinatio naturalis ad vitam conseruandam, siue elicito, qui potest esse ad impossibile apprehensum, vt bonum, & conueniens, & ad erroneum, si allucinetur in apprehensione, & consequutione eius, quod appetit, & prosequitur.

30. Instabis, appetitus naturalis est rectus, & bonus, cum natura feratur semper ad bonum. Ideò extat illud effatum, *nemo aspiciens ad malum, operatur, immo declinat à malo, & facit bonum.* Si autem quispiam sibi proponat vitam perpetuam, eam desiderat, & prosequitur appetitu naturali, non ducente ad impossibile, & sibi repugnans, & aduersum, Dico, appetens aliquid appetitu elicito prius debet considerare, vtrùm illud fieri possit, necne à alioqui erit appetitus errantis, & insipientis Vita autem hominis sempiterna est impossibilis, vt constat experientia, de omnibus, & singulis hominibus, qui nascuntur, viuunt, & postmodum moriuntur. Ad conf. dicimus, felicitas naturalis agnita à Philosophis non est sempiterna, cum ab aliquibus ponatur in bonis corporis, à quibusdam in bonis fortunæ, & ab aliis animi, quæ omnia decidunt, & desinunt, vt ostendi in Morali: beatitudo autem supernaturalis, quæ consistit in clara Dei visione & fruitione, fide nobis est cognita, non verò demonstrata

Septimò ab operatione arguitur, & agnoscitur forma, cum forma sit actiua, & materia passiua: operatio autem animæ rationalis est intellectio nedum singularium, verumetiam vniuersalium. Intelligit namque principia, terminos transcendentales, & prædicamentales, entia realia & rationis, complexiones eorum, diiudicatque à notis ad ignota, ex principiis, & præmissis deducit conclusiones, syllogizat & demonstratiuè, & dialecticè, scit se scire, & intelligit se intelligere: hæc autem, & consimilia secernunt ipsam animam rationalem, à vegetatiua, & sensitiua, quæ singularia, & materialia tantum percipiunt, & reddunt eamdem similem Deo, & Angelo: ergò sicut Deus, & Angelus intellectus, & intellectione præditi sunt immateriales, & immortales: ita & anima. Hoc argumentum à multis censetur demonstratiuum, & insolubile, verum à Scot. eiusque discipulis videtur so obile, & dialecticum. Nam, Deus quidem & Angelus sunt in esse, & operari à materia Independentes: anima verò humana, nequaquam iuxta illud 3. *de anima*, *T.* 30. *Oportet intelligentem phantasmata speculari*. Est enim forma hominis informans, & alligata sensibus, qui sunt primi duces cognitionis nostræ, ideòque à corpore dependens.

31. Dices, Scot. *Quol.* 9. *art* 2 *prope finem*. ex intellectione, quæ est operatio animæ rationalis demonstrat eius immaterialitatem, & immortalitatem, & subdit esse medium commune ad ostendendam immaterialitatem, & immortalitatem Angeli, & animæ, ergò inquiunt Conimbr. ratione naturali demonstratiua etiam per Scot. probatur immortalitas animæ Dico, ibi Scot. solum ostendere subiectum receptiuum intellectionis, quæ est actio spiritualis, esse animam intellectiuam, quæ est spiritualis & ex intellectione, quæ est operatio immaterialis argui immaterialitatem animæ Cæterùm, idem Doct. ibi non ait, necessariò, & demonstratiuo medio probari animæ immortalitatem, vt malè inferunt Conimb. cit sed probabili, & dialectico, vt ait 4. *d.* 43. *q.* 2. & confirmat ex D. Aug. 13 *Trin. cap* 9. his verbis, *Humanis argumentationibus, vix pauci magno præditi ingenio, vacantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem peruenire potuerunt.* Et Greg. 4. *Mor. in fine*, adhibitis quibusdam rationibus probabilibus ad eam rem suadendam inquit. *Qui propter istas rationes noluerit credere, propter fidem credat.* Atque S. Paulus *Act.* 17. prædicans resurrectionem Christi Domini, quæ fieri nequit absque animæ immortalitate, coram aliquibus Philosophis Atheniensibus ingenio perspicaci ornatis, & ratione naturali vtentibus inter quos erat D. Dionysius, videbatur nouorum Dæmoniorum annunciator. Et *ibidem* 16. à Festo insanire censebatur. Quæ ibi affert Paolus de resurrectione, & de grano cadente in terram sunt tantùm probabilia, nullo verò modo demonstrabilia, & euidentia. Addo Concilium

Later. definire animæ immortalitatem esse manifestam ex Euangelio. Quod autem ex Euangelio notum est non ratione necessaria, & euidente ostenditur, sed fide creditur. Quod etiam statuit Conc. Viennense sub Clem. V. §. *porrò*. Subscribunt Lyran. *in cap.* 14. *Iob.* Caiet. *in cap.* 9. *Rom.* & *in cap.* 4. *Ecclesiastes* Vatablus *ibid.* Scaliger *exerc.* 907. Att. *dispus.* 10. *sect.* 1. *subsect.* 2. & non displicet Ruu *tract. de anima separata q.* 4. aliisque iuris præstantissimis. Vnde immeritò Tol. *3. anima*, *c.* 5. *q.* 16. & Conimb *Tract. de anima separata, disp.* 1. *art.* 3. *sub fine* temeritate notare non verentur præfatos Authores, cum potiùs ipsi temeritatem subire videantur, qui audent eos censura dignos existimare.

32. Opp. 1. contrà præmissam ass. Leuit. 21. *Super omnem animam mortuam non introibit*, idest sacerdos. Si ergò anima moritur, vtique est mortalis, ab actu quippè ad potentiam tenet conseq. Conf. 1. Ecclesiastes 3. *Vnus est interitus hominis, & iumentorum, & par vtriusque conditio*: animæ autem brutorum sunt mortales; ergò & anima hominis. Conf. 2. *Iob.* 14 Videtur præclusi via, & spes resurgendi, cum dicitur. *Homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus, vbi quæso est*? Si ergò post obitum hominis, nihil eius remanet, anima eius est mortalis, veluti corpus eiusdem hominis est mortale, totusque homo mortalis est. Respondet D. Aug 3 *qq. in Leuit* q. 81. per animæ præsentiam, vitam temporalem, qua subsistebat, nomen eius accepisse, veluti alibi dicitur anima omnis sanguis, sanguis eius est. Atque ex eodem Leuit. *cap.* 24. idem Aug. *ibid.* q. 78. animam appellat vitam ipsam corporis, quæ fit per animam: & hinc ostendere voluit, homicidam hominis animam percutere, & percutiendo vita hominem priuare. Ad 1. conf. occurrit Lyran. & ait esse tacitam obiectionem impiorũ, nominatim, Saducæorum negantium Angelum, & animam esse immortalem, & mortuorum resurrectionem Vel dicito, interpretandum esse de composito, nempè sicut compositum bruti dissoluitur, & moritur, sic & compositum hominis: non autem de anima, quia iumenti anima educitur de potentia materiæ, propterea est mortalis: anima verò hominis creatur à Deo, idcirco est immortalis. Ad 2. conf. idem est dicendum, putà hominem, quando moritur, totum mori, & corrumpi: animam verò eius remanere incorruptam, cum sit incorruptibilis, & immortalis, vt ibi suadetur, & indicatur per futuram resurrectionem.

33. Opp. 2. sexta Synodus generalis, *actione* 11. *in epist. Sophronij*, videtur sancire, & definire inuisibilia, & immaterialia, in quorum numero sunt Angelus, & anima rationalis, non per naturam, sed per gratiam esse incorruptibilia, & immortalia, ergò anima suapte natura non est incorruptibilis, & immortalis. Idem videtur sentire D Bern. 5. *de consideratione ad Eugenium*, potissimùm de Angelo. Respondeo præfatum Conc. loqui de immortalitate primo modo sumpta, quæ soli Deo competit, vt obseruaui *in præmisso not.* Ideò Ecclesia *ex* 1. *Tim.* 1. quotidie cantat, *Regi sæculorum immortali* Non autem de immortalitate secundo modo accepta, quâ potiuntur Angelus, & anima rationalis, cum sint expertes materiæ, & priuationis sibi annexæ, quæ est causa mortalitatis, & corruptionis, 1. *phys.* 81.

34. Opp. 3. si anima rationalis est immortalis, maximè quia non educitur de potentia materiæ, sed creatur, estque spiritualis, & immaterialis: quædam autem sunt formæ, quæ non educuntur de potentia materiæ, sed creantur, suntque spirituales, vt gratia, & tamen sunt corruptibiles. Gratia namque per peccatum mortale corrumpitur. Ergò, idipsum videtur dicendum de anima humana. Concedo ma. distinguo min. effectiuè, nego: demeritoriè, concedo. Quod est dictu, peccator demeretur, vt Deus amplius in eo gratiam non conseruet. Propterea gratia propriè non corrumpitur, sed annihilatur per subtractionem diuini concursus Vel dicito, esse sermonem de spirituali forma per se subsistente, cuiusmodi est anima rationalis: non autem de spirituali forma inhærente, veluti est gratia actus intelligendi, & volendi, quæ sunt accidentia.

ARTICVLVS IV.

Quid sentiat Aristoteles de immortalitate animæ.

35. DE mente Arist. quoad animæ immortalitatem digladiantur eius interpretes. Siquidem Alex. *de anima*, Iustinus martyr, Nyss. *l. de anima*, Nazianz. *contrà Eunomium*, & alij non pauci affirmant, Arist. animam nostram fecisse caducam, corruptibilem, & mortalem. E regione Theophrastus, Ammonius, D. Bon. 2. *d.* 19. *q.* 1. D. Th. 2. *contrà gentes, cap.* 79. aliique complures, putant Arist. existimasse, animam nostram ab omni corruptione, & mortalitate esse immunem: Scot. autem 3. *d.* 27. *q. vn.* §. *Istis igitur. sub G.* & 4. *d.* 43. *q.* 2. § *de* 2. *propositione.* Et §. *potest dici.* 5. Heruæus *Quol.* 1. *q.* 11. Niphus *opusc. de immortalitate animæ c.* 1. Conimb. *tract. de anima separata disp.* 1. *art.* 2. Cauel. *disp.* 1. *de anima sect.* 12. Ponc *disp.* 62. *q.* 3 *concl.* 2. Bassol. 4 *d.* 43. *q.* 3. *art.* 3. & cæteri Scotist censent, Arist. de immortalitate animæ fuisse dubium, nec plus vni, quàm alteri parti adhæsisse, sed pro rei opportunitate, de qua agebat, modò in hanc, modò in alteram sententiam propendisse.

36. Not. ex Bassolio nunc alleg. ad suadendam animæ immortalitatem secundum Arist. conducere loca, & rationes, quas ex ipsomet Arist adducunt, qui ex eiusdem mente parti affirmatiuæ fauent: ad tuendam verò mortalitatem animæ, in sententia eiusdemmet Philosophi iuuant principia, & fundamenta ipsius allata ab illis, qui parti negatiuæ, *in eius Liceo* adhærent: quæ omnia pro vtraque parte à nobis *infrà* sunt adducenda, & expendenda. Rursùs, omittendum non est, Arist. multa protulisse, non assertiuè, sed opinatiuè, & dubitatiuè, atque secundum antiquorum Philosophorum & vulgi placitum. Ob id 2. *cæli T* 60. scribit. *De quibus habemus maximas dubitationes: parua semper sufficientia suffecerunt Philosophis, vbi non poterant ad maiora peruenire, nè contradicerent principiis Philosophiæ.* Et paulò post. *De aliis astris dicunt Ægyptij, & Babylonij, à quibus multas credulitates habemus de vnoquoque astrorum. Vnde quandoque Philosophi acquiescunt, propter suas persuasiones probabiles: quandoque propter assertiones suorum principiorum, præter rationem necessariam.*

37. Pro animæ mortalitate proponuntur, & diluuntur subsequentia argumenta ex scriptis, & principiis Arist. desumpta.

Primum, *ex* 8. *Phys.* & 1. *cæli*, mundus est ab æterno fabricatus, hominumque generationes sunt infinitæ: corpora autem eorum, cum corrumpantur, in morte eorumdem non manent: benè verò animæ ipsorum si sint immortales: cum autem præcesserint infinitæ illorum generationes, infinitæ actu forent animæ humanæ: id autem contradicit, 3. *Phys. T.* 35. vbi Philosophus ex instituto refellit infinitum actu, siue in magnitudine, siue in multitudine: ne igitur apertam contradictionem admittat, deducitur ipsum censere animam esse mortalem, & corruptibilem. Responderi potest, haud inferri infinitum actu, cum infinitum definiatur id, cui nulla potest fieri additio, vel detractio. Datis autem quibuscumque animabus humanis, adhuc possunt dari aliæ, & aliæ animæ in infinitum, quod non est infinitum actu, & categorematicum, quod respuit Arist. sed potentia, & syncategorematicum, quod ipse non negat.

Secundò, quod habet principium, vtique habet finem: 1. *cæli*, *c.* 12. *T.* 126. anima autem intellectiua incipit

cipit esse, 12. *Met.c.*3. ergò definit esse, ac proindè est mortalis. Potest dici, Arist. ibi loqui de composito, quod generatur, & corrumpitur, non autem de anima, quæ propriè non generatur, sed si fuerit anima irrationalis educitur de potentia materiæ: quod si fuerit anima rationalis creatur, & inducitur in materiam aptè præparatam, & bene dispositam.

Tertiò, compositum, quando corrumpitur, resoluitur in elementa, & si quid eius remanet, pertinet ad materiam, 7. *Met. T.*60. ergò nulla forma in corruptione totius manet incorrupta. Anima autem rationalis est forma, ergò est mortalis. Dici potest, ipsum loqui indefinitè veluti 1. *phys. T.*83. proponit se acturum de formis generabilibus & corruptibilibus, cum etiam suo loco tractet de forma incorruptibili, quæ est anima rationalis. Quare ad illud testimonium dico, verum esse de composito ex materia, & forma educibili de potentia materiæ, non verò inducibili, qualis est anima rationalis.

Quartò, à priuatione, ad habitum non datur regressus, *c. de oppositis, post prædicam.* idemque numero non potest redire, 2. *de gener. c. vlt.* si autem anima foret immortalis, cum moritur homo, separatur ab eius corpore, vel iterum ergò reunienda est corpori, & hoc non nouit Philosophus, cum resurrectio futura naturaliter non demonstretur, vel sic separata persistet, & cum inclinet ad corpus, quia est forma eius intrinseca, esset in statu violento: nullum autem violentum est perpetuum, 2. *cæli cap.* 3. *T.*18. infertur animam esse mortalem. Potest dici, animam seiunctam à corpore, non appetere amplius vnionem corporis, quia dicente Auic. satiatus est eius appetitus ex eo, quod semel est coniuncta corpori. Ideò violenter non existit extrà corpus.

Quintò, anima quidpiam nequit intelligere, absque phantasmatibus 3. *anima, T.*39. anima autem, quæ aliter non potest intelligere, nisi per phantasmata, non potest à corpore segregari: quæ verò à corpore seiungi nequit, est mortalis, igitur à mortalitate non eximitur anima intellectiua. Dici potest id verum esse motiuè, & occasionaliter: non autem simpliciter, & absolutè, vt alibi explicaui.

Sextò, si anima immortalitate gauderet, vtique frueretur perpetua felicitate: 12. autem *Met T.*39. legitur, Deum semper esse beatum, hominem verò, paruo tempore. Vnde, 1. Eth. *cap.* 10. Solon arguitur, propterea quod astruit, homini post mortem conuenire veram beatitudinem Quinetiam, 3. *eiusdem operis, cap.*6. post mortem nihil boni, maliue remanere. Potest dici, ibi sermonem esse de felicitate, quæ habetur in præsenti vita conueniens homini constanti anima, & corpore, quæue sita est in bonis creatis, & finitis, cuius suprà memini: hæc autem felicitas animæ à corpore seiunctæ non competit: ità quoque satisfieri potest reliquis duobus postremis testimoniis: & iis omnibus, quæ accumulat Tol. 2. *de anima, q.*15.

38. Pro immortalitate animæ adducuntur, & soluuntur authoritates, & rationes ex Arist. deprompta, in variis, diuersisque locis suæ doctrinæ. 1 anima statuitur incorruptibilis, 1. *anima, T.*65 Et quid diuinum, & impassibile, *ibid. T.*66 ergo anima censetur immortalis ab Arist. Respondetur, ibi Philosophum non loqui assertiue, sed dubitatiue, vt indicat verbum videtur ab eo positum, & vocula fortassis ab ipsomet locata, paulo post tex. proxime alleg. Vel dicito loqui respectiuè, non autem absolutè, quod est dictu, respectu potentiæ organicæ, quæ vtitur organo, & quia organum corrumpitur, vtique & ipsa potentia organica corrumpitur. Ideò ibid. Philosophus ait, si senex haberet oculum iuuenis, videret ità benè sicut iuuenis, quia verò oculus senis non ità integer extat, & idoneus, veluti oculus iuuenis, sed paulatim decrescit, & corrumpitur, propterea nequit æque bene videre. Intellectus autem cum sit potentia inorganica ad intelligendum, organum minimè adhibens, ideò dicitur incorruptibilis in operando, & intelligendo, cum tamen in essendo simpliciter sit corruptibilis: obid subiicit idem Philosophus eo in loco, intellectus corrumpitur in nobis quodam interiori corrupto.

2. Inter sensum, & intellectum statuitur discrimen, 3. *anima*, 7. in eo quod vehemens sensibile corrumpit sensum, vt patet, si quis fixis oculis solem in meridie lucentem intueatur: perfectissimum verò intelligibile non lædit, sed perficit intellectum, vt cum intellectus intelligit Deum. Igitur, si intellectus est impassibilis, incorruptibilis, & immortalis, vtique anima extat immortalis, cum ille, ab hac prodeat, tanquam eius virtus, & potentia. Potentia autem spiritualis ab essentia, & natura materiali, & corporea emanare non valeat. Satisfit, si dicatur id non per se, sed per accidens contingere, hoc est, ratione organi, quod læditur à forti sensibili, quoue exercetur operatio, quæ prouenit à toto coniuncto, 1. *anima*, 64. Intellectus verò, quia in intelligendo non vtitur organo, estque potentia solius animæ, idcircò ab excellenti intelligibili non patitur in intelligendo, diciturque separabilis in operando. non autem in essendo, cum anima sit pars intrinseca, & essentialis coniuncti, seu hominis. Idem respondendum est ad 2. *de anima, c.*1. *T.*11. & *c.* . *T.*21.

3. Anima non est ante corpus producta. potest autem ipsa anima intellectiua post corpus manere, 12. *Met. c.*3. *T.*17 quia exercet actionem à corpore seiunctam, putà contemplationem. Respondeo Philosophum ibi loqui conditionatè, & non absolutè, vt insinuat particula conditionalis si, quam ibi repetit, si autem aliquid posterius permanet. Et paucis interiectis, si anima tale sit, non omnis, sed intellectus.

4. Animæ vegetans, & sentiens virtute seminis producuntur, & ex potentia, & gremio materiæ educuntur: non sic anima rationalis, quæ de foris aduenit, & extrinsecus accedit, nihil communicans cum corpore, ideò existere potest sine illo, 2. *de generatione animalium cap.* 3. proindeque est incorruptibilis, & immortalis. Respondeo id protulisse dialecticè, & opinatiuè, non verò assertiuè, & demonstratiuè Non enim ibi, nec alibi affert vllam rationem necessariam, & demonstratiuam. An verò anima producatur per eductionem, aut per creationem, valdè dubium est apud ipsum Arist. vt fusè, & acutè prosequitur Scot. *in* 4. *cit.* § *potest dici. M N, & O.*

5. Materia est, qua res potest esse, vel non esse, cum appetat omnes formas: anima autem rationalis materiæ est expers, cum sit spiritualis, ergo est immortalis. Maior est Arist. 7. *Met T.*22. Minor est eiusdem, 3. *anima*, 4 *&* 6. Respondeo maiorem valere de composito ex materia, & forma, quod propriè est generabile, & corruptibile, cuius corruptionis causa assignatur materia, cum appetitu ad formas, quibus caret: non verò de anima, alioqui cum aliæ animæ non constent ex materiæ, forent incorruptibiles, & immortales veluti anima rationalis quod est falsum.

6. Fortis debet appetere mortem, eique se exponere pro Republica, secundum iudicium rationis naturalis 3. *Eth c.*11. & 9. *eiusdem operis, c.*9. Ergò, ratione naturali ostenditur immortalitas animæ. Conseq. tenet, nemo quippe quocumque bono, siue particulari, siue communi sibi proposito debet, aut potest cupere non esse suum, quandoquidem ex Aug. 3. *de libero arbitrio*, non esse non potest appeti, cum appetitus feratur in aliquod esse. Quod si anima non foret immortalis, moriens appeteret non esse suum, cum mors sit priuatio vitæ totius coniuncti animati. Occurrendum est, fortis duplici de causa debet pro bono publico occũbere, tum quia bonum commune præfertur bono particulari, cuiusmodi est vita fortis: tum etiam quia, melius est intensum bonum, tametsi momentaneum, quàm bonum remissum, licet sit diuturnum. Fortis autem sibi acquirit magnum bonum, exercens magnum actum virtutis cum moritur pro Rep. quo priuaretur, si diu otiosè, & vitiosè viueret.

QVÆSTIO II.

De Intellectu animæ rationalis.

ARTICVLVS I.

An sit, & quid sit Intellectus agens.

1. DARI intellectum agentem, concors est Philosophorum opinio affirmatiua, quibusdam paucis exceptis, quos sequitur Dur. 1. *d.* 3. *parte* 2. *quæst.* 5. Quid autem sit, discors extat eorumdem sententia, vt videre est apud Doctorem Seraphicum 2. *d.* 24. *art.* 2. *quæst.* 4. & vltima, Aur. *d.* 17. *art.* 1. Henr. *Quol.* 8. *quæst.* 12. & Conimb. 3. *de anima, cap.* 5. *quæst.* 1. *art.* 1. Quidam vt Alexander 2. *animæ, cap.* 20. *& inde*, existimant, intellectum agentem esse Deum. Nonnulli, vt *Auic.* 9. *Met. cap.* 4. censent esse quamdam substantiam separatam, siue Angelum, quem vocant Cholcodæam. Alij, vt Zimara, putant esse partem animæ essentialem. Scot. autem *Quol.* 15 Lych. Gadius *ibid.* & cæteri Philosophi 3. *anima, cap.* 5. communiter, & vnanimiter docent, intellectum agentem esse potentiam, & facultatem animæ rationalis.

2. Not. ex Arist. 3. *de anima, cap.* 5. *T.* 18. intellectum bipartiri in agentem, & patientem Ille est, qui species materiales reddit spirituales. Ideò dicitur à Scot. cit. transferre res de ordine, in ordinem, hoc est, de ordine materiali, ad ordinem spiritualem. Atque, ab Arist. mox alleg. intellectus agens describitur, cuius est omnia facere, idest, facere omnia, de materialibus, spiritualia. Iste verò, qui, & passibilis, & possibilis nuncupatur, est qui species intelligibiles in se recipit, propterea dicitur patiens, eò quod est potentia receptiua specierum, aut etiam quia recipit intellectionem cuiuscumque obiecti intelligibilis. Vndè *ibid.* describitur ab Arist. cuius est omnia fieri, quod est dictu, cuius munus est, recipere omnes species intelligibiles, ac intellectiones cuiuslibet rei.

3. Ass. 1. datur intellectus agens. Traditur à Doct. *Quol.* 15. *art.* 1. *&* 2. post Arist. præcit Probatur primò, quod est in potentia passiua, ad aliquam perfectionem suscipiendam indiget principio actiuo, quo valeat eam perfectionem acquirere. Natura quippè non deficit in necessariis: atqui omni potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua; cum sint correlatiua, quorum vno posito, ponitur & aliud. Anima autem rationalis ponitur potentia passiua, ad recipiendam cuiuslibet rei intellectionem, cum sit veluti tabula rasa, in qua nihil depictum, ergò ei competit principium actiuum, quo possit intellectionem sibi comparare: huiusmodi autem principium actiuum intellectionis vocatur intellectus agens, ergò admittendus est intellectus agens.

Secundò, anima in se nequit recipere speciem materialem obiecti intelligibilis, quia corpus non agit in spiritum, nec recipitur in spiritu: ergò, cum ad intelligendum necessaria sit species intelligibilis recepta in intellectu patiente, quia oportet intelligentem phantasmata speculari, 3. *animæ.* 29 concedendus est intellectus agens, qui speciem materialem reddat spiritualem, ad hoc vt recipi queat in intellectu patiente.

Tertiò, animæ vegetans participat potentias vegetandi, quæ sunt potentiæ, nutritiua, augmentatiua, & generatiua, & sentiens vires, & facultates sentiendi, quæ sunt sensus exteriores, & interiores, ergò vtique anima intelligens pollet suis potentiis, & virtutibus, inter quas est intellectus, & cum sit vnita corpori, & alligata sensibus, qui non repræsentant, nisi species materiales in ipsa haud recipi valentes, tribuitur ipsimet intellectus agens, qui fungitur officio transferendi species materiales, ad spirituales.

Quartò, anima est Dei imago, *Gen.* 1. huiusmodi autem imago relucet potissimùm in potentiis, scilicet intellectu, & voluntate, docente Aug. 14. *Trin. cap.* 8. & 15. *eiusdem operis, cap.* 7. *vel* 14. Ei ergo non est denegandus intellectus agens, qui depuret, & spirituales, & species materiales ei oblatas per sensus, qui nonnisi materialia percipiunt, & repræsentant. Adde, quod omne productum, omnisque effectus sortitur suum principium, suamque causam: intellectio autem est qualitas Producta, & causata, cum sit terminus potentiæ intellectiuæ, 9. *Met.* 16. ergo eius principium, & causa est intellectus agens aut patiens.

4. Instabis, si admittatur intellectus agens, & patiens, pariter concedendus est sensus agens, & patiens, voluntas agens, & patiens, & sic de reliquis: horum autem diuisio non conceditur, ergò nec illius, cum æqua ratio de vtrisque videatur. Dico esse disparitatem, quia intellectus agens disponit, & præparat suum obiectum, cum de materiali faciat spirituale, & de non intellecto, intellectum, atque de non vniuersali, vniuersale, abstrahatque illud a conditionibus materialibus ac singularibus: hoc autem non præstant sensus, nec aliæ potentiæ prænominatæ, cum laborent circà sua obiecta, absque vlla dispositione, & præparatione, penès ipsa, vt visus, circa colorem, & auditus, circa sonum: ideircò non admittitur partitio sensus in agentem, & patientem, nec alia huiusmodi diuisio cæterarum facultatum, & potentiarum.

5. Dices, vnus intellectus prædicta munia exercere valet, ergò alteruter intellectus est superuacaneus. Ant. ostenditur, vnus & idem visus producit visionem, eamque in se recipit, pariter vnus, & idem intellectus producit intellectionem, quam in se suscipit, inanis igitur, & inutilis est partitio intellectus in agentem, & patientem. Dico, quidem probabile esse, ea omnia munera posse præstare eumdemmet intellectum, vt tradit Doct. *Quol. memorato*: nihilominùs paritas non currit de sensu, aliisque potentiis, vt suprà monebam, propterea quod cæteræ potentiæ versantur circa sua obiecta disposita, & præparata: intellectus verò, cùm sit spiritualis, & in se nequeat recipere materiale, sitque sensibus addictus, qui materialia, & singularia attingunt dumtaxat: hinc prouida natura dedit animæ intellectiuæ intellectum agentem, qui ea omnia obire valet. Quæ autem congerit, & opponit Dur. præcit. sunt nullius momenti, facileque ex his assertis dissolui possunt.

6. Ass. 2. intellectus agens nec est Deus, nec Angelus, nec pars animæ essentialis, sed facultas, & potentia eius naturalis. Assertio est quadripartita, quæ deducitur ex Doct. & profligatur à Seraphico nuper cit. prima pars probatur primò ex Arist. *in initio* 3. *de anima*, vocante intellectum partem animæ: Deus autem nequit esse pars animæ, cum para inuoluat imperfectionem, & Deus sit perfectissimus, ergo intellectus agens non est Deus.

Secundò, intellectus, & intellectio sunt idem cum essentia ipsius Dei: intellectio verò hominis est accidens, & intellectus eius identificatur realiter cum substantia eiusdem, ergò intellectus agens nequit esse Deus.

Tertiò, multi sunt intellectus agentes iuxtà hominum multitudinem, Deus autem vnus est, Deuter. 6. *Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est.* Deinde, Deus generali, & communi influxu influit, & illuminat omnem hominem, igitur omnes æqualem notitiam, & scientiam participarent, si ipse Deus foret intellectus agens. Insuper homo non esset essentialiter intelligens, & rationalis, sed extrinsecè, & denominatiuè, quæ & consimilia patent esse falsa, & absurda: igitur nequaquam censendum est, Deum esse intellectum agentem.

7. Secunda

7. Secunda pars, eſt in promptu, tum quia Angelus non eſt intellectus agens, ſed habens intellectum: tum etiam quia Angelus eſt ſubſtantia completa, & perfecta non valens eſſe forma informans: igitur nequit eſſe intellectus agens.

8. Dices eſſe formam aſſiſtentem. Contrà, forma aſſiſtens habetur aſſiſtens, quando res, cui aſſiſtit, non poteſt præſtare munera, quibus fungitur aſſiſtens, vt patet de Nauta, reſpectu nauis, & Auriga reſpectu curtus: atqui homo eſſentialiter, & intrinſecè eſt intellectiuus, non niſi per intellectum, ſicut eſt volitiuus per voluntatem, & ſenſitiuus, per ſenſum, igitur non benè ſtatuitur Angelus, vt intellectus agens hominis, ei aſſiſtens.

9. Tertia pars oſtenditur, anima eſt indiuiſibilis, & impartibilis, ex alibi dictis, & probatis, ergo intellectus agens non eſt pars eius eſſentialis, & quidditatiua. Deindè, ſenſus non eſt pars eſſentialis bruti, ſed eius facultas, & virtus, ergo idipſum exiſtimandum eſt de intellectu agente, reſpectu hominis.

10. Quarta pars ſuadetur, quod à natura alicuius emanat, eſt eius paſſio, virtus & potentia, vt liquet de virtute calefactiua ab igne promanante, & de illuminatiua à ſole prodeunte, intellectus autem agens oritur ab anima intellectiua, & generatim à natura intellectuali, ergo eſt eius virtus, & potentia. Rursùs, vnaquæque gaudet ſua vi, & facultate, vt vegetatiua potitur virtute nutritiua, augmentatiua, & generatiua: & ſenſitiua participat vires ſentiendi, tam exteriores, quam interiores, ergo pariter intellectiua pollet potentia intelligendi, cum ſit præſtantior, & excellentior cæteris formis. Denuò, Angelus intellectu præditus eſt, quia ſortitur naturam intellectualem, ergo quoque homo fruitur intellectu, cum ſit ratiocinatiuus, & intellectiuus.

11. Oppones primò, intellectus eſt diuinus, & impaſſibilis, 1. *anima*, *T.* 66. & impermixtus, & à materia ſegregatus 3. *eiuſdem operis*, *cap.* 1. *T.* 4. Hæc autem Deo competunt, ergo intellectus agens eſt Deus. Conf. intellectus agens omnia facit ex eodem 3. *animæ*, *cap.* 3. *T.* 18. Deus autem eſt omnium opifex, iuxta illud Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ergo intellectus agens eſt Deus. Reſpondeo non omne, quod eſt a materia ſeiunctum eſſe Deum, alioqui Angelus, & quodcunque aliud ſpirituale foret Deus. Intellectus autem agens dicitur impermixtus in operando, quia non vtitur organo, veluti potentiæ materiales, quæ ſunt totius coniuncti, vt clarè ediſſerit Ariſt. 1. *anima*, 64. Ad conſ. dico, agentem intellectum omnia facere, putà ſenſibilia, intelligibilia: non autem abſolutè, vt Deus, qui ſenſibilium, & inſenſibilium, viſibilium, & inuiſibilium factor, & author eſt.

12. Oppones ſecundò, Philoſophus 3. *anima in principio* vocat intellectum, partem animæ, ergo intellectus non eſt facultas, & potentia ipſius animæ. Occurrit Scot. 2. *diſt.* 16. *quæſt. vn.* §. *Ideò dico*, intellectum appellari partem, non quidem eſſentialem, ſed perfectionalem, promanantem ab eſſentia eiuſdem animæ: cum vna potentia non includat perfectionem alterius potentiæ: ob id potentiæ animæ perhibentur partes eius.

13. Oppones tertiò, quod eſt pura potentia non eſt virtus, & facultas animæ, quia animæ vires, & potentiæ ſunt entia realia poſitiua: intellectus autem eſt pura potentia, cum ſit veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, 3. *anima*, 14. Ergo non eſt a[illegible]æ vis, & facultas. Reſpondeo intellectum nuncupari puram potentiam, non in entitate, ſed in intellectiuitate, hoc eſt quia eſt in potentia, ad intelligenda quæcumque intelligibilia, eſtque capax recipiendi intellectiones eorum.

14. Quæres primò, quænam ſit diſtinctio inter intellectum agentem, & patientem? Thomiſtæ ſtatuunt diſtinctionem realem. Pleriqne Scotiſtæ diſtinctionem formalem. Probabiliter dici poteſt eſſe vnam realiter, & formaliter potentiam animæ, diuerſo reſpectu, & munere diſtinctam dumtaxat, vt enim transfert, de ſenſibili, ad intelligibile, & depurat ſpecies materiales, cauſatque intellectionem dicitur intellectus agens: vt verò recipit ſpecies intelligibiles, & intellectiones obiectorum intelligibilium, vocatur intellectus patiens. Siquidem, non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, 1. *Phyſ.* 18. Si ergo vna tantum potentia intellectiua, cuncta prætecenſita munera obire valet, fruſtrà duplex aſſeritur: atqui vnus ſolùm intellectus eſt ſufficiens, ad ea omnia perſoluenda, veluti vna voluntas, vnuſque viſus, & ſenſus communis ſufficiunt, inutiliter, & inaniter aliæ potentiæ, & nominatim alter intellectus multiplicatur, cum vnus ſatis ſit, non quidem realiter, ſed formaliter ab anima diſtinctus, vt de potentiis animæ generatim ſumptis dixi, & oſtendi *l.* 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. *huius operis.*

15. Quæres ſecundò, vtrùm intellectus humanus ſpecie differat ab intellectu angelico? Dici poteſt probabiliter cum Scot. 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 6. §. *poteſt etiam addi D.* non differre ſpecie. Nam, licet natura angelica, & humana ſpecie diſtinguantur, non oportet huiuſmodi diſtinctionem interponere inter vtriuſque facultates, & potentias. Nam, licet homo, & Aquila differant, ſpecie attamen, non eſt neceſſe, potentiæ eorum viſiuæ ſpecie diſtinguuntur, cum verſentur circà idem obiectum formale ſpecie non diſtinctum.

ARTICVLVS II.

Quodnam ſit obiectum intellectus animæ rationalis.

16. PRima ſententia eſt D. Th. 1. *part.* *quæſt.* 12. *art.* 8. & *quæſt.* 84 *art.* 7. Caiet. *ibid.* Capr. 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. & aliorum Thomiſtarum arbitrantium obiectum adæquatum intellectus humani eſſe quidditatem rei materialis. Secunda, eſt Ægidij *Quol.* 4. *quæſt.* 10. & quorumdam aliorum opinantium, obiectum totale intellectus animæ rationalis eſſe ens verum. Tertia, defenditur à Scot. 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. & 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 8 § *Reſpondeo. B.* & *quol.* 14. *art.* 2. Lych Gadio, & cæteris eiuſdem ſcholæ, docentibus obiectum totale, & adæquatum intellectus noſtri, eſſe ens generatim ſumptum.

17. Not. primò, obiectum intellectus, aliud eſſe naturalis inclinationis, ad cuius cognitionem ſuaptè natura fertur intellectus, & ita quodlibet ens cadit ſub obiectum intellectus, quodve appellatur obiectum ex natura potentiæ: aliud verò eſſe obiectum naturalis attingentiæ, quod ſcilicet virtute ipſius intellectus attingitur, & ſine intelligitur. Præterea obiectum diuiditur in terminatiuum, ad quod ſcilicet intellectus terminatur: & motiuum, quod mouet, & excitat intellectum ad ſui notitiam: hoc autem ſubſecatur in motiuum naturale, quod eſt quidditas rei ſenſibilis, quæ naturaliter mouet intellectum noſtrum ad ſui cognitionem; & in ſupernaturale, quod ope diuina cognoſcit, ſic lumine gloriæ clarè intuetur Deum.

18. Not. ſecundò, potentias vitales eſſe in triplici differentia, quædam enim ſunt diſparatæ, quæ nullum adinuicem ſortiuntur ordinem, vt ſenſus externi, quorum obiecta ſunt quoque diſparata, & diſtincta, & diuerſa, vt color, ſonus, & odor: quædam verò ſunt ſubordinatæ, quæ ſeruant aliquam habitudinem inter ſe, & iſtæ, vel ſunt eiuſdem ordinis, vt potentiæ ſenſitiuæ, cognoſcitiuæ, externæ, & internæ, necnon intellectus, & huiuſmodi potentiæ ſic ſe habent quoad obiectum, vt ſuperior cognoſcat quidquid inferior, & aliquid amplius, vt intellectus

attingit quidquid percipitur à sensu, & pleraque alia: cæteræ verò potentiæ sunt alterius ordinis: vna quippè cognoscitiua, & altera appetitiua, & intellectus, & voluntas, quarum obiectum videtur esse idem, secundum Scot. 4. *dist.* 49. *quæst.* 1. §. *Ad* 1. *quæst. antè T.* quem sequitur Fabr. *disp.* 9. *cap.* 7. Omne quippè intelligibile, est quoque volibile.

19. Assertio prima, obiectum primum, & adæquatum nostri intellectus ex natura potentiæ non est quidditas rei materialis. Tenet Doct. *locis in initio-bus art. alleg.* Probatur primò, obiectum totale, & adæquatum alicuius potentiæ non excedit, nec exceditur à potentia, vt liquet ex descriptione obiecti adæquati aliàs allata: noster autem intellectus, præter quidditatem rei materialis intelligit spiritualia, nempè Deum, Angelum, & id genus alia, vt ex Arist. 12. *Met. vlt.* præ aliis notat Ferchius *vestig.* 2. *cap.* 12. *num.* 12. Igitur, quidditas rei materialis, non rectè decernitur totale obiectum nostri intellectus, ex natura potentiæ. Nec præstat dicere cum Ianel. 3. *de anima, quæst. de obiecto intellectus possibilis*, D. Th. cùm astruit, obiectum intellectus nostri ex natura potentiæ esse quidditatem rei materialis, interpretandum esse pro hoc statu viæ, & coniunctionis: non autem pro statu patriæ, & separationis, in quo ponit ens communiter sumptum. Etenim, pro hoc statu etiam nouimus Deum à posteriori, & animam nostram, ac Angelum cælo assistentem, vt patet de Arist. aliisque Philosophis agnoscentibus intelligentias orbium cælestium motrices. Nec præfata distinctio quadrat menti Th. cùm 1. *part. quæst.* 85. *art.* 1. explicitis verbis scribat. *Connaturale est nobis cognoscere naturas, quæ non habent esse nisi in materia.* Atque proportio, quam ipse Th. exigit inter intellectum nostrum, & obiectum eius, non competit statui separationis, sed statui coniunctionis dumtaxat, igitur præallata Ianelli distinctio nullius est momenti.

Secundò, desiderium naturale cuiuscumque rei ad aliquid acquirendum non est frustrà, 2. *Met.* 1. Intellectus autem desiderat nedum cognoscere materialia, verumetiam spiritualia, immò quotidiè nitimur ex visibilibus, & materialibus venari cognitionem rerum inuisibilium, & immaterialium, iuxtà illud Rom. 1. *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Ergo obiectum totale intellectus nostri ex natura potentiæ non est quidditas rei materialis.

20. Dices, argumentum concludere de intellectu separato, non autem coniuncto, de quo loquuntur Thomist. Contrà, nulla potentia extrà suum obiectum, etiamsi fuerit separata, & eleuata, vt visus etiam diuinitus nequit attingere sonum, aut odorem, aut aliud quidpiam, extrà suum obiectum, si ergo obiectum totale intellectus nostri ex natura potentiæ sit quidditas rei materialis, in quocumque statu ponatur, aut eleuetur, non poterit percipere, nisi quidditatem rei materialis, cum omne aliud præter hanc, sit extrà limites sui obiecti totalis, & adæquati. Adde, Philosophos ethnicos, quorum meminit D. Paulus cum agnouisse quidem Deum, statum verò separationis animæ, vel ignorasse, vel dubios extitisse, vt liquet ex *q. præcedente, art.* 3. & 4. Insuper. Metaphysica agit de ente transcendente, quod præscindit à re materiali, & spirituali, à finito, & infinito, à Deo, & creatura: naturæ autem viribus acquiri Metaphysicam, nemo inficiator. Atque 10 *Eth. cap.* 10. Philosophus collocat felicitatem in contemplatione substantiarum abstractarum: igitur ex natura potentiæ, obiectum adæquatum nostri intellectus non est quidditas rei materialis.

21. Assertio secunda, nec verum est primum, & adæquatum obiectum nostri intellectus. Defenditur à Doctore *vbi suprà*, & probatur primò, de obiecto totali alicuius demonstrantur passiones, seu proprietates eius; vt ex 1. *post.* 1. tradit Scot. *quæst.* 3. *Vniuersalium*: at verum est passio entis, 4. *Met.* 5. quæ non est subiectum, sed in subiecto, à quo emanat, ergo verum non est statuendum obiectum totale nostri intellectus.

22. Dices, argumentum valere de obiecto scientiæ, non autem de obiecto potentiæ, de quo in præsenti ambigitur, & controuertitur. Contrà, potentia, & scientia circa idem laborant, vt intellectus, & Metaphysica circà ens, tametsi potentia sit vniuersalior, & communior, cum ad plura diffundatur, quam scientia, nam intellectus non solum ens, sed reliqua omnia, quæ sub ente continentur, & vniuersalia, & singularia respicit: verumtamen, potentia non tendit primò ad passionem subiecti, sed ad ipsum subiectum, quod sub ipsam cadit, sic visus cernit parietem, odoratus rosam, gustus pomum, & sic de cæteris, ergo pariter intellectus non verum, sed ens, & quæ sub ipso comprehenduntur, vt suum subiectum respicit, & contemplatur.

Secundò, potentia non superat suum obiectum adæquatum, vt auditus non funditur ad aliud, quàm ad sonum, & odoratus, nisi ad odorem, humanus autem intellectus non tantùm verum, sed etiam bonum, immò omne intelligibile considerat, & contemplatur, ergo verum non est totale eius obiectum.

23. Dices, quodcumque, quod respicit intellectus, considerat sub ratione veri, sicut voluntas tendit ad bonum, sub ratione boni. Contrà, non sic limitatur intellectus, vt verum speculetur dumtaxat, sed quodcumque cognoscibile, & intelligibile, sed præter verum, reliqua sunt intelligibilia, putà ens, bonum, vnum, & quæ sub ambitu entis capiuntur, ergo intellectus non est coangustandus, & limitandus à sola consideratione, & contemplatione veri. Ampliùs, voluntas præsupponit, & præexigit operationem intellectus, iuxtà illud non semel decantatum, nihil volitum, quin præcognitum: potest autem voluntas velle non verum, & nedum possibile, sed etiam impossibile, ex alibi dictis: ergo & intellectus, qui est prior potentia, voluntate, potest intelligere non verum, ac proinde totale obiectum intellectus non est verum.

24. Assertio tertia, obiectum motiuum humani intellectus pro hoc statu est quidditas rei sensibilis: obiectum verò adæquatum ex natura potentiæ generatim captum est ens. Ita Scot. cit. & *quæst.* 19. *de anima.* Prima pars suadetur primò, ex illo communi adagio deprompto ex Arist. lib. de sensu, & sensili cap. 1. *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*: sensus autem non repræsentat, nisi quidditatem rei sensibilis: igitur obiectum motiuum intellectus nostri, in statu viæ est quidditas rei sensibilis.

Secundò, ex alio axiomate desumpto ex eodem, 3. *animæ*, *T.* 39. *Oportet intelligentem phantasmata speculari.* Phantasmata autem sunt species sensibiles oblatæ à phantasiâ intellectui, ergo obiectum motiuum humani intellectus est quidditas rei sensibilia.

25. Dices, si quidditas rei sensibilis extat obiectum nostri intellectus, pro hoc statu, cum quidditas rei sensibilis videatur coincidere cum quidditate rei materialis, male impugnatur in prima ass. huius art. opinio D. Th. sic existimantis. Dico esse latum discrimen inter sententiam Scot. & Th. quandoquidem, hic putat quidditatem rei materialis esse obiectum intellectus humani, ex natura potentiæ: ille verò censet quidditatem rei sensibilis esse obiectum dicti intellectus motiuum, non autem ex natura potentiæ. Cur autem in præsenti vita intellectus noster ita sit addictus sensibus subministrantibus species sensibilibus, per quas excitatur ad intelligendum, causa est colligantia potentiarum, quarum superiores nequeunt agere, nisi præuiis actionibus inferiorum, sic sensus externi, postea interni, & postmodum intellectus agens, & possibilis actiones suas promunt, & operantur.

Vel

Vel fortaſsè huiuſmodi intelligendi modus in ſtatu innocentiæ non extitiſſet, cum ſit pœnalis, nobiſque acciderit ob peccatum, vt ex Auguſt. 15. *Trin. cap.* 27. refert Scot. *Quol.* 14. §. *de ſecundo. P.* his verbis. *Quæ cauſa eſt, cur acie fixa, lucem ipſam videre non poſſis? niſi vtique infirmitas, & quis eam tibi fecit, niſi iniquitas.*

26. Secunda pars probatur primò, quod habet communitatem, & virtualem continentiam, eſt obiectum adæquatum noſtri intellectus, vt egregiè proſequitur Doct. *in* 1. *nuper cit.* Ens autem generatim ſumptum participat communitatem, quia prædicatur de inferiori quocumque, aut formaliter, aut identicè, & virtualem continentiam, cum ſub ente omnia comprehendantur, ſiue creata, ſiue increata, ſiue vniuerſalia, ſiue ſingularia, ergo ens ſic acceptum extat obiectum adæquatum noſtri intellectus.

Secundò, omnis potentia ſortitur ſuum obiectum totale, & adæquatum, vt patet de ſenſibus externis, quorum quilibet verſatur circà ſuum totale obiectum, vt viſus, circà viſibile præſcindens à luce, & colore, auditus circa ſonum, olfactus circa odorem, & ſic de cæteris, ergo cum intellectus ſit vna ex potentiis naturæ intellectualis, gaudet ſuo obiecto adæquato, quod eſt omne intelligibile, ſiue ens communiter acceptum.

27. Dices, obiectum cuiuſcumque potentiæ eſt ens reale vniuocum, vt patet inductione de ſingulis obiectis cuiuſlibet facultatis, & potentiæ: ens autem non eſt vniuocum, cum prædicetur de ente reali, & rationis, quibus nihil eſt commune vniuocum, ens ergo non eſt ſanciendum obiectum adæquatum humani intellectus. Dico ens reale vniuocum Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti ſtatui obiectum adæquatum intellectus creati, ens verò rationis reduci ad ipſum, veluti negationes, & priuationes, ad ens poſitiuum, vt præmonui in Log. & planius fiet in Metaphyſica.

28. Oppones primò, infimus intellectus habet infimum obiectum, quia potentia, & obiectum eius eſſe debent vniformia, & conformia: intellectus autem animæ rationalis eſt infimus, cum excedatur ab intellectu angelico, & diuino, igitur obiectum eius eſt quidditas rei materialis. Conf. inter potentiam, & obiectum debet eſſe proportio: noſter autem intellectus, cum ſit corpori coniunctus, nullam habet proportionem cum rebus immaterialibus, & ſpiritualibus, præſertim cum Deo, qui eſt infinitus, & immenſus, ergo quidditas rei materialis decernitur obiectum adæquatum noſtri intellectus. Concedo ma. diſtinguo min. in entitate, & perfectione, concedo: in capacitate, & receptiuitate, nego; eſt enim infinitæ capacitatis, veluti intellectus angelicus. Ad conf. concedo ma. diſtinguo min. non eſt proportio in entitate, concedo: in intelligibilitate, nego. Extat namque proportio motiui, ad mobile, authore Scot. 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 11. §. *Reſpondeo. B. & C.*

29. Oppones ſecundò, potentiæ diſtinguuntur penes diſtinctionem obiectorum, 2. *animæ*, *T.* 33. Intellectus autem, & voluntas ſunt diſtinctæ potentiæ, cum ille ſit potentia naturalis, & neceſſaria: hæc verò indifferens, & libera ad oppoſitos actus, & obiecta: atqui iſtius obiectum eſt bonum, ergo illius obiectum eſt verum. Reſpondeo ma. valere de potentiis diſparatis, non autem ſubordinatis, veluti ſunt intellectus, & voluntas, tametſi alterius ordinis, vt declaraui *in* 2. *not.* Ideò vtriuſque obiectum eſſe ens, & æqualis ambitus tradunt Gadius *Quol.* 16 *fol.* 168. *pag.* 2. *columna* 3. & Faber. *de pœnitentia*, *diſp.* 9. *c.* 7. & videtur eſſe problema, apud Scot.

30. Oppones tertiò, ſi ens foret obiectum totale humani intellectus, poſſet ipſe intellectus cognoſcere quodlibet ens particulare: intellectus autem nequit cognoſcere cognitione intuitiua ſubſtantiam, Deum, & id genus alia, ergo ens non eſt obiectum adæquatum noſtri intellectus. Reſpondeo ſequelam ma. veram eſſe de obiecto ex natura potentiæ: non autem de obiecto motiuo. Quapropter, cum Deus, & alia entia prærecenſita non moueant intellectum noſtrum, per ſe, aut per ſui ſpeciem, non rectè infertur, humanum intellectum ſuaptè virtute poſſe deuenire in claram cognitionem, & viſionem Dei, aliorumque entium ſpiritualium.

31. Quæres primò, vtrum ad intelligendum requiratur ſpecies intelligibilis? Reſpondeo affirmatiuè, vt enim ad ſentiendum præexigitur ſpecies ſenſibilis: ſic ad intelligendum neceſſaria eſt ſpecies intelligibilis, quæ determinat intellectum ad intelligendum potius hoc, de quo habet ſpeciem, quam illud, de quo non gerit ſpeciem vt ſecum actiue concurrat ad producendam intellectionem.

32. Quæres ſecundò, quænam, & quotuplex ſit cauſa intellectionis? Reſpondeo eſſe duplicem, intellectum ſcilicet, & ſpeciem intelligibilem, tanquam duas cauſas partiales integrantes, & conſtituentes vnam cauſam totalem, ad producendam intellectionem.

33. Quæres tertiò quænam ſit cauſa principalis intellectionis? Reſpondeo eſſe intellectum, ideò denominatur intellectio ab intellectu, & actio vitalis à principio vitali, quod eſt ipſemet intellectus, eo ferè pacto, quo dictum eſt in ſuperiori lib. de ſenſatione, & ſenſu, verbis duntaxat mutatis.

ARTICVLVS III.

Quid ſit verbum mentis.

34. Acris extat pugna inter ſcholaſticos, quidnam ſit verbum mentis? Siquidem Bonetus 3. *Met.* & Aur. 1. *diſt* 27. *parte* 2. *art.* 2. arbitrantur verbum intellectus creati eſſe obiectum cognitum. Ægidius Romanus *Quol.* 4. *quæſt* 13. putat eſſe ſpeciem intelligibilem Cui videtur fauere pater eius Auguſt. 11. *Trin. ad finem cap.* 2. inquiens, *Species corporis, quæ videtur, & impreſſa eius imago ſenſus, quod eſt viſio, ſenſuſve formatur.* Thomas 1. *part quæſt.* 34. *art.* 1. *ad* 2. einſque diſcipuli, quos citant, & ſequuntur Complut. *diſp.* 21. *de anima*, *quæſt.* 2. § 2. exiſtimant eſſe terminum per intellectionem productum, proinde abinuicem differre, ad minus formaliter. Scot. autem 1. *diſt.* 27. *quæſt* 3. & *diſt.* 2. *quæſt.* 7. §. *Ad authoritatem* Lych. Barg. Viger. Voril. *ibid.* & Gadius *Quol.* 14. Quibus ſuffragantur Suarez 1. *de Trinitate*, *cap.* 6. Vaſquez 1. *part. diſp* 38. *cap.* 3. & Ruu. *tract. de actu intellectus poſſibilis*, *quæſt.* 3. docent verbum mentis eſſe actualem intellectionem.

35. Not. primò, verbum diuerſimodè ab Authoribus vſurpari. Primò, pro voce coniugata per tempora, quo pacto accipiunt, & vtuntur Grammatici.

Secundò, pro perſona Filij Dei, ſic ſumitur Ioan. 1. *In principio erat Verbum.*

Tertiò, pro conceptu rei cognitæ, quo in ſenſu, aliud dicitur verbum mentis, aliud verò verbum vocis, quod eſt ſignum verbi interni, quod eſt verbum mentale vt ſignificat Stagir. 1. *Perih cap.* 1. inquiens, *Voces ſunt earum, quæ ſunt in anima.* Ideſt conceptuum, & intellectionum, quæ ſunt in mente, ſeu intellectu.

36. Not. ſecundò, intellectionem coincidere cum notitia, & cognitione ſpirituali, in qua tria interueniunt, nempe, actio, paſſio, & qualitas: ſicut enim in productione caloris tria reperiuntur, calefactio, calepaſſio, & calor: ſic in cognitione intellectiua tria quoque inueniuntur, intellefactio, intellepaſſio, & intellectio: prima eſt actio de genere actionis, ſecunda

eſt

est passio de genere passionis, & tertia est qualitas de prædicamento qualitatis, producta per dictionem, quæ a nobis dicitur intellectio, veluti calor producitur per calefactionem, hæcque vocatur à Scotist. actio de genere actionis: ille verò, actio de genere qualitatis, quive potius appellandus est terminus actionis, quàm actio: pariter intellectio perhibetur terminus dictionis, seu intellefactionis, quia per hanc, illa producitur, & ista, ad eam terminatur, & simtur, vt edisserit Arist. 9. *Met. T.* 16 & Auer. ibi.

37. Not. tertiò, actionum quasdam esse veras, & reales, per quas aliquid reale producitur, vt sunt calefactio, qua calor producitur, & illuminatio, qua lumen gignitur: alias verò similitudinarias, & grammaticales, quibus nihil reale producitur, cuiusmodi sunt visio, intellectio, & cæteræ, quæ perhibentur actiones immanentes, & intentionales, & exprimit Auer. 2. *anima*, *com*. 41.

38. Assertio prima, verbum mentis creatæ non est obiectum cognitum; nec species intelligibilis. Hæc ass. est bimembris, quam tuentur Scot. *locis præcit.* 1. pars probatur, obiectum denominatur cognitum, & intellectum, à cognitione, & intellectione sibi extrinseca in intellectu subiectata, velu ti paries denominatur visus, à visione existente in oculo, terminata, ad ipsum parietem, ergo verbum mentis non est obiectum cognitum. Ant. est in promptu. Conseq. tenet, verbum producitur ab intellectu, obiectum autem præcedit operationem ipsius intellectus, ergo huiusmodi verbum haud extat obiectum cognitum. Denuò, quod tantùm denominatur ab aliquo denominatione extrinseca, ab eo non producitur, vt liquet de Cæsare picto, qui quidem à pictura denominatur pictus, ab ipsa tamen pictura non producitur: obiectum autem denominatur cognitum, à cognitione, & intellectum, ab intellectione, vt mox arguebam, ergo non statuitur verbum mentis.

39. Dices esse disparitatem: res enim cognita est præsens intellectui cognoscenti, de qua iudicat: non sic res picta præsentatur picturæ, propterea nihil medium causatur: verùm intellectus rem intelligens, etsi in esse existentiæ realis non sit præsens, est tamen in esse obiectiuo, & intentionali. Vndè, licet nihil reale ad extrà producatur: attamen producitur aliquid in esse intentionali, post intellectionem, quod ipsam terminat. Contrà si intellectus iudicat de re cognita, differitque de ea: huiusmodi iudicium non est verbum mentis, sed ad secundam operationem intellectus pertinet, & discursus ad tertiam, ergo nulla est responsio. Deinde, illud, quod post rei intellectionem producitur, aut est ens reale, aut rationis, non primum, vt fatetur Aur. nec secundum, alioqui solùm ens rationis foret verbum mentis, quod est falsum, & Animastica, quæ est scientia realis de eo non tractaret, cum sit minus Metaphysicæ, vel Log. Insuper, res dicitur esse ab æterno in esse cognito, & obiectiuo, non tamen dicitur verbum intellectus creati fuisse ab æterno, cum nullus extiterit, sed fuerit creatus in tempore, vt fides docet. Igitur verbum mentis nequit vllo modo esse obiectum cognitum.

40. Secunda pars ostenditur, causa alicuius non potest esse effectus eiusdem, secus idem foret causa sui ipsius, quod est absurdum: species autem intelligibilis est causa verbi mentis partialis minus principalis, vt probat Scot. cit. Ergo non est verbum intellectus creati. Deinde, species intelligibilis appellatur species impressa, quæve, vt causa verbi intellectus finiti præcedit ipsum verbum, quod vocatur species expressa, ergo species intelligibilis nequaquam est verbum mentis, nisi dicatur, idem esse causam, & effectum, respectu eiusdem, quod est impossibile.

41. Assertio secunda, Verbum creatum non est terminus per intellectionem productus: sed est actualis intellectio: conclusio est bipartita, cui patrocinatur Scot. *vbi suprà.* Prima pars, quæ aduersatur Thomist. Probatur primò, sentire est pati, 2. *anima*, *T.* 52. pariter & intelligere est pati, 3. *eiusdem operis*, *T.* 2. ergo intellectio est passio, non quidem de genere passionis, sed de genere qualitatis, vt suprà observauit: si autem per intellectionem produceretur verbum mentis, intellectio esset actio de genere actionis, veluti dictio, per quam gignitur verbum mentis, vt bene vidit Aug. 9. *Trin. cap. vlt.* Notitia gignitur vere, & volitio procedit. Cum ergo intellectio sit terminus dictionis, per eam nihil vlterius producitur.

42. Dices, intellectionem esse veram actionem productiuam verbi creati, veluti intellectio Dei Patris est verus actus, per quem producitur Verbum Dei, quod est eius Filius. Contra, nam præterquamquod, id pugnat Arist. nunc alleg. asserenti intellectionem esse passionem, quam Scotist. statuunt in prædic. qualitatis, & Verbum diuinum generatur à Deo Patre non per actum intelligendi, sed per actum dicendi, vt ex Scot. docui *Tract. de Deo trino*, *disp.* 1. *q.* 5. contradiceit quoque eidem Philosopho 9. *Met. T.* 16. comparanti speculationem, & quamcumque operationem immanentem, in cuius serie locatur intellectio vitæ, & visioni visus: patet autem vitam, & visionem nullius termini esse productiuam, notante eodem Stagir. *ibid.* Ergo intellectio non est actio productiua verbi creati, vel cuiuscumque alterius termini, 6. *Eth. cap.* 4. Nec præstat dicere, cum D. Th. 1 *parte quæst.* 85. *art.* 2. *ad* 3. id valere de sensatione externa, non verò interna, quandoquidem ibi Philosophus loquitur expressè de visione visus, quæ est sensatio externa. Atque gratis negatur de sensatione interna, cum in vtraque appareat eadem ratio. Eò magis, idem Doct. *opusc.* 48. *cap.* 1. ingenue fatetur sensationem, & intellectionem non esse actiones de genere actionis, ergo nullius termini sunt productiuæ.

Secundò, actiones immanentes nullum sortiuntur terminum, ex Arist. locis memoratis: intellectio autem inter actiones immanentes refertur, etiam à D.Th. proximè cit. Ergo per intellectionem nullus terminus producitur, qui sit verbum intellectus creati.

43. Nec iuuat dicere, operationem immanentem, quidem non habere terminum ad extrà, habere tamen terminum ad intrà, seu, vt ait Aur. cit. non ad realem, sed ad intentionalem terminum tendere. Siquidem Arist *passu recensito*, aperte tradit huiusmodi operationem esse opus, terminum, & finem operantis, nec vlterius operantem progredi, quia acquisito hoc termino, motus eius quiescit, veluti dealbans parietem, ipso pariete dealbato, non ampliùs eumdemmet parietem dealbat: sic rem intelligens, plena eius intellectione parta, in eamet intellectione quiescit, & terminat eius actionem, alioqui si ret terminus termini, immò ipsamet intellectio non esset terminus, sed via ad terminum, quod Arist. & veritati non congruit. Atque vanus, & irritus esset alius terminus: quid enim intelligens intendit, & vult, nisi intellectionem rei intelligibilis? ergo habita intellectione eius, non fertur ad alium terminum, sed in eo verè sistit, & permanet. Deinceps, illud intentionale, quod Aduersarij excogitant, & dicunt produci per intellectionem, esseque eius terminum, & verbum mentis, est ne eus reale, vel rationis, non hoc, quia directe producitur ab intellectu, & non reflexè, veluti fit ens rationis: nec illud distinguunt ab ente reali: propterea appellant idem ens intentionale contradistinctum ab ente reali. Rursus, si valuit verbum ab intellectione causatum esse eus intentionale, quia manet in intentione, & in mente intelligentis: pariter intellectio est ens intentionale, quia residet in intellectu, estque eius qualitas, & perfectio, cuius non est alius terminus, cum per eam verè denominetur qualis, & plene perficiatur, eiusque actio vltimatè finem habeat. Insuper, idem videtur esse astruendum

de

de intellectione, ac de amore, cum intellectus, & voluntas sint potentiæ naturæ intellectualis tendentes ad acquirendam perfectionem eius, voluntatis autem terminus est amor, cuius non est alius terminus: ergo vtrique terminus intellectus est intellectio, qua non comparatur alius terminus dictus verbum mentis.

44. Secunda pas probatur primò, ex D. August. serm. 20. de sanctis. *Vox sonus est, index cogitationis, verbum verò ipsa cogitatio.* Et tract. 13. in Ioan. *Quando ergo concipis verbum, quod proferas, rem vis dicere, & ipsa rei conceptio in corde tuo, iam verbum est, nondum processit, sed iam natum est in corde, & manet, vt procedat.* Idem *tract.* 23. Et fauent Damasc. 1. *de fide orthodoxa, cap.* 18. Iren. 2. *heresum, heresi* 47. & Anselm. *in Monol.* 31.

Secundò, quod producitur ab intellectu creato, est verbum creatum. Verbum namque dicitur notitia genita, vt patet apud D. Aug. 9. Trin. 12. *Ex cognoscente, & cognito paritur notitia*: intellectio autem producitur ab intellectu creato. Ideò 9. *Met.* 16. perhibetur eius opus, & terminus: igitur est verbum mentis.

Tertiò, Verbum creatum non est obiectum cognitum, nec species intelligibilis, nec intellectionis terminus: ergo à sufficiente distributione, sequitur esse actualem intellectionem.

45. Oppones primo, pro Ægidio, ex Aug. 8. *Trin.* 7. Verbum Carthaginis est in memoria: per huiusmodi autem verbum Carthaginis nequit aliud intelligi, quam species intelligibilis, vt idem Doct. plane significat *loco in initio huius art. cit.* Ergo species intelligibilis est verbum creatum. Respondeo vtrumque locum Aug. exponendum esse causaliter, non autem formaliter, quod est dictu, verbum partialiter causatur a specie intelligibili, vt ipsemet Aug. se declarat 9. *Trin.* 12. *nunc allegat.* & 11. *eiusdem operis.*

46. Oppones secundò, verbum est productum, estque terminus productionis: intellectio autem non producitur, ergo intellectio non est verbum mentis. Ma. est conspicua. Min. est in confesso, quia intellectio est actio, & actio non agitur, sed est id, quo aliud agitur, & producitur. Concedo ma. Ad min. dico id concludere de actione de genere actionis, non verò de actione de genere qualitatis, cuiusmodi est intellectio, vt suprà monui.

47. Oppones tertiò, ex 1. *Eth.* 3. felicitas, & aliæ operationes non sunt qualitates: subiicitur autem *ibid. cap* 7. felicitatem consistere in contemplatione, quæ ab intellectione, & notitia præsertim intuitiua non videtur longè distare, ergo intellectio non est qualitas, proindeque non est verbum mentis. Respondeo præadductum testimonium bifariàm posse exponi, vno modo Arist. ibi loqui de operatione, & actione productiua, quæ planè non est qualitas. Altero modo, ipsum disputare contrà Platonem, existimantem, omne bonum esse qualitatem, cuius oppositum tuetur Philosophus inquiens, actus elicitos esse bonos, tametsi qualitates non sint.

QVÆSTIO III.

De Voluntate.

1. POst intellectum immediatè à natura intellectuali, & anima rationali proficiscitur voluntas, quæ etiam in agendo, & operando præsupponit, ac præexigit actionem, & operationem eius, iuxtà illud non semel decantatum, *Voluntas non fertur in incognitum.* Atque, sicut appetitus sensitiuus subsequitur potentiam cognoscitiuam sensitiuam, vt asserui *l.* 4. *quæst.* 51. Sic voluntas, quæ perhibetur appetitus rationalis concomitatur, & consequitur intellectum, qui virtus est, & potentia intellectiua. De voluntate autem iam multa dixi, & docui in Philosophia Morali *l.* 3. *quæst.* 1 & 2. Ideò hic pauca quædam, quæ supersunt adiiciam, & adiungam.

ARTICVLVS I.

An Voluntas ab intellectu distinguatur.

2. 3. AVreolus, & Dur 1. *dist.* 3. *quæst.* 4. affirmant, intellectum, & voluntatem esse prorsus vnam, eamdemque virtutem, & facultatem animæ humanæ, distinctis tamen, ac diuersis nominibus, & muneribus decoratam, & insignitam. Cæteri autem Scholastici agnoscentes discrimen inter prænominatas vires, ac virtutes, valde de huiusmodi distinctione disceptant, & dimicant. Nam D. Th. de veritate, *q.* 12. cum suis asseuerat, intellectum, & voluntatem distingui realiter. Scot. verò, eiusque discipuli, 2. *dist.* 16. *quæst. vn.* inter vtramque prærecensitam potentiam statuunt distinctionem formalem. Et hæc assertio manet probata *l.* 2. *quæst.* 2. *art.* 2 vbi agens de potentiis animæ generatim sumptis, docui eas ab anima, & abinuicem non realiter sed formaliter dissidere. Peculiariter tamen adhuc suaderi potest ex S. Damasc. 2. *fidei, cap.* 22. definiente voluntatem, his verbis. *Voluntas est ipsa simplex virtus, qua volumus.* Intellectus verò est potentia, qua intelligimus. Atqui, distinctæ definitiones arguunt distinctionem formalem ex alibi assertis: igitur, cum intellectus, & voluntas sortiantur distinctas definitiones, sequitur formaliter distingui. Deindè, distinctus agendi modus infert distinctam potentiam formaliter, vt videtur esse in confesso apud omnes: voluntas autem participat distinctum modum agendi ab intellectu, cum hic naturaliter, & necessariò agat: illa verò sponte, & liberè, & indifferenter se habeat ad distinctos actus, & opposita obiecta, ergo inter vtramque potentiam prænominatam adest distinctio formalis. Accedit, in diuinis, Filius producitur, & generatur per intellectum, & Spiritus sanctus procedit, & spiratur per voluntatem: id autem arguit distinctionem formalem inter intellectum, & voluntatem, ergo si in diuinis huiusmodi potentiæ ab inuicem differunt formaliter, vtique, & in creatis.

4. Oppones primò, pro primo placito, potentia volitiua est pariter cognoscitiua, cum voluntas non possit quidquam velle, nisi illud cognoscat, ergo nullum videtur esse discrimen, & distinctio inter intellectum, qui est cognoscitiuus, & voluntatem, quæ est volitiua. Distinguo ant. formaliter, nego, præexigitiuè, concedo. Quod est dictu, prius intellectus ostendit voluntati obiectum cognitum, quàm ipsa illud velit: eo ferè pacto, quo seruus fert lumen antè dominum, vt dominus eius, illo lumine illustratus videat, quæ agenda sunt, & imperet executioni mandanda: sic voluntas lumine intellectus collustrata eligit quæ præstanda sunt, imperatque potentiis inferioribus, vt circa ea, suas operationes exerceant.

5. Oppones secundò, pro secundo placito Psal. 118. *Da mihi intellectum, & discam mandata tua*: Et Matt. 15. *Adhuc vos sine intellectu estis*, ergo homo est expers, intellectus, & si eum habet, accipit à Deo, proindèque realiter ab anima eius distinguitur. R. cum locum exponendum esse ad mentem Aug ibi, conc. 18. *Da mihi intellectum*, supple, fac me intelligere, iuxtà illud Daniel. 8. *Quærebam intellectum.* Et postmodum subditur: *Fac intelligere visionem illam.* Et Psal. 31. *Intellectum tibi dabo*, hoc est faciam te intelligere, quæ à te facienda sunt, & exequenda.

6. Oppo

6. Oppones tertiò Aristot. 3. *Eth.* 3. scribit intellectum, & voluntatem esse idem principium animæ rationalis, ergo in Peripato voluntas distinguitur ab intellectu. Respondeo vtramque præfatam potentiam esse vnum principium realiter identificatum, esse verò duo principia formaliter distincta. Sic interpretandus est Arist. *passu memorato.*

7. Oppones quartò, actus subordinati non arguunt distincta principia, diuersasque potentias, vt constat de illuminatione, & calefactione, quæ ab vno sole promanant: intellectio autem, & volitio sunt actus subordinati. Siquidem volitio subordinatur intellectioni: Ob id celebratur illud proloquium: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Igitur voluntas ab intellectu non dissidet. Respondeo ma. habere locum in actibus subordinatis prodeuntibus ab eadem potentia: non autem in actibus promanantibus à distinctis potentiis, cuiusmodi sunt intellectio, & volitio. Exemplum verò adductum est ad oppositum, quia illuminatio, & calefactio oriuntur à diuersis potentiis. Calefactio quippè à potentia calefactiua, & illuminatio à potentia illuminatiua proficiscuntur. Vnde in cœlestibus orbibus est illuminatio, absque calefactione, & in terra habetur in vtraque actio, scilicet illuminatio, & calefactio.

ARTICVLVS II.

An voluntas sit nobilior intellectu.

8. NOnnulli, quorum suppresso nomine meminit Bassolius 4. *dist.* 49. *quæst.* 3. asserunt, intellectum, & voluntatem esse æqualis perfectionis, & dignitatis. Thomistæ autem, & Scotist. cognoscentes aliquam præeminentiam, & præstantiam inter prænominatas vires, & facultates, acriter de istarum dignitate contendunt, & disceptant. Illi namque cum D.Th. 1. *p. quæst.* 82. *art.* 3. censent, voluntati intellectum præcellere, & præire: isti verò cum Doct. subtili 4. *dist.* 49. *quæst.* 4 voluntatem intellectui esse præponendam, & præferendam existimant.

9. Not. & recole ex alibi dictis, & indicant Scot. 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. *&* 2. *dist.* 24. *quæst.* 1. *ad* 2. idem prorsus esse obiectum adæquatum intellectus, ac voluntatis, penes eamdem rationem formalem. Sunt namque ambæ potentiæ æqualis ambitus: atque omne, quod est intelligibile, vtique est volibile. Ideóque maior excellentia, & eminentia istarum non est depromenda penes earumdem obiectum, sed potiùs manifestatur, & declaratur, penes actus præstantiores, ac digniores, qui ab vna, & non ab alia potentia, ex prærecensitis proficiscuntur, vt in assertione proxima palam fiet.

10. Assertio, voluntas nobilitate, & dignitate intellectui prælucet, & præeminet. Ita Scot. nunc cit. §. *Iuxtà hoc quasi ex latere.* Et ante eum Alens. 3. *part. quæst.* 80. *m.* 1. S Boc. Ric. & alij eiusdem classis, & ordinis. Probatur primò, ex D. Ansel. *lib. de conceptu virginali, cap.* 4. vocante voluntatem reginam in regno animæ, & rationem ancillam, regina autem dignior est ancilla, ergo & voluntas præstantior est ratione, seu intellectu. Et S. Bern. *lib. de libero arbitrio,* affirmante voluntatem esse dominam, & rationem, pedissequam Domina autem præstantior est pedissequa, ergo & voluntas, ratione, quæ coïncidit, cum intellectu.

Suffragatur Arist. 9. *Met T.* 10. vbi ait voluntatem determinare intellectum ad hoc, aut illud intelligendum, eique imperare, vt hoc, & non aliud contempletur. Cum enim intellectus sit potentia naturalis, proindeque non habeat dominium sui actus, præsente passo, necesse est determinetur à voluntate, vt exeat in actum huius, aut illius obiecti intelligibilis, vt optimè prosequitur Scot. *in expositione præfati tex.*

11. Occurrunt Thomist. nuncupatim Complut. *disp. vlt. quæst* 5. §. 3. voluntatem mouere intellectum applicando: intellectum verò mouere voluntatem præcipiendo, dirigendo. & regendo. Contrà, intellectus quidem repræsentat speculanda, & agenda, sed non imperat, dirigit, sed non præcipit, ostendit, sed non cogit: alioqui, cum sit potentia purè naturalis, & necessaria, tolleret libertatem, nullumque foret meritum, vel demeritum: in iis namque, quæ naturaliter, & necessariò fiunt, nec meremur, nec demeremur ex communi consensu. Deindè imperium est actus voluntatis, vt late monstrauimus *in Philosophia morali lib.* 3. *quæst.* 2. *art.* 4.

Præterea, intellectus perhibetur dirigere, & regere, non instar domini, & regis, qui vere vult, & iubet, quæ peragenda sunt in suo regno, sed instar consiliarij, qui offert, & præsentat quæ præstanda sunt domino, in cuius postmodum manu, & potestate sunt, faciendi quæ ab eo offeruntur, & præsentantur. Igitur, sola voluntas in regno animæ habet dominium suorum actuum, imperatque intellectui hoc, aut illud speculandum, potestque conuertere, aut auertere ipsum à tali speculatione, & intellectione, vt egregie prosequitur Scot 2. *d.* 42. *quæst.* 4. perperam ergo dominium, & imperium animæ tribuitur intellectui.

Secundò, cuius actus est dignior, & præstantior, potentia nobilior & excellentior censetur ab omnibus, quia ab actibus deprehenditur nobilitas, vel ignobilitas potentiæ: actus autem voluntatis, perfectione, & nobilitate superat actum intellectus, vt amor, intellectionem. Vnde in sacris litteris valde commendatur amor Dei, & proximi, non autem cognitio eorum: atque in ore D. Ioannis semper erat illud, *Filiòli diligite alterutrum.* Et Cant. 8. *Fortis est vt mors dilectio.* Et Poëtas canit.

Omnia vincit amor.

Hinc primi Angeli dicuntur Seraphin ab amore, & secundi Cherubin a scientia, ergo postponendus est intellectus voluntati: insuper extat illud effatum apud Hugonem Vict. in Ang. Hierar. cap. 7. ex Dionysio. *Dilectio supereminet scientia.* Illa autem pertinet ad voluntatem, hæc verò ad intellectum.

12. Obuiam fiunt prænominati Authores respondentes, & dicentes id totum verum esse in via, non verò in patria. Contra, amor Dei, & proximi, tam in via, quam in patria est eiusdem rationis, & speciei, tametsi in patria sit in gradu potiori, & excellentiori: ergo si in via excellit, quoque & in patria, cum nulla extet causa, cur oppositum accidat in patria. Deinde, si Seraphin dicti sunt ab amore viæ, quæ fuit causa eorum meriti, quo gaudent, & exultant in cœlo, possidentque primam sedem inter cœlestes spiritus, proculdubio amor patriæ præstat scientiæ patriæ, vtpote quo meruerunt illas supremas sedes. Itaque amore viæ euecti sunt ad primum locum, & non scientia viæ, ergo ille, qui extitit causa tantæ fœlicitatis & gloriæ, non verò istà, præfertur, & præcellit in patria. Rursus, maius peccatum est odium Dei, & qui magis Deum oderunt, magis peccauerunt, magisque puniuntur in inferno: ergo ab opposito, qui plus Deum amauerunt, plus meruerunt: Seraphin magis dilexerunt Deum, ergo magis meruerunt, maioremque gloriam acquisiuerunt, non ratione scientiæ, sed ratione dilectionis, ergo hæc, illi præfertur in via, & in patria, veluti etiam odium Dei & in via, & in inferno maius statuitur peccatum inter reliqua peccata.

Tertiò, habitus nobilior arguit nobiliorem potentiam, vt non negant Aduersarij: habitus autem voluntatis nobilitate vincit habitum intellectus, vt patet 1. Cor. 10. *Fides, spes, charitas, tria hæc. maior autem horum est charitas.* Hinc subiicit August. in exp. Psalm. 105. *Nihil inuenio eminentius charitate in diuinis libris.* Et 15.

Trin.

Trin. *cap.* 19. *In donis Dei nullum est maius donum charitate, nec æquale*, ergo cum charitas resideat in voluntate, planè deducitur voluntatem intellectui eminere.

13. Nec iuuat dicere cum Thomist. lumen gloriæ, quod spectat ad intellectum excellentius esse charitate, & charitatem solùm excellere in via, & non in patria. Nam præterquamquod istud iam ex dictis in responsione præcedentis instantiæ manet reiectum, præallata testimonia absolutè loquuntur, & illa distinctio viæ, & patriæ excogitatur ad vim argumenti fugiendam, vt liquet ex iis, quæ *ibid.* D. Paulus *cap.* 13. subnectit. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quare rectè ex hoc loco Pauli, S. August. concludit in exp. Psal. 141. *Ergo charitas dicit supereminentiorem viam.* Et paulo post. *Nihil excellentius est viâ charitatis, & non in illa ambulant, nisi humiles.* Eò magis, si voluntas in via perficitur nobiliori habitu, quàm intellectus, pariter & in patria, cum æqua proportio intersit, tam hìc, quàm ibi. Atque asserere lumen gloriæ antecellere charitati, gratis dicitur, nulloque fundamento, testimonio, & ratione firmatur. Addo charitatem magis vniri Deo, quàm lumen gloriæ, vt præ aliis tradit Hugo Victor. lib. de angelica Hyerarchia. *Dilectio præminet scientia, & vbi scientia foris stat, affectus penetrat amantis, non quia aliquid diligatur, quod non cognoscatur, sed quia perfectius diligitur, quàm cognoscatur.* Ratio autem est, quia charitas fertur per se, & immediatè in Deum, eiusque essentiam, quæ est obiectum beatificum: at verò lumen gloriæ, quod datur beato, vt eliciat visionem beatificam, non sic se habet, necesse enim est, vt fiat visio beatifica, vniatur diuinæ essentiæ, in ratione speciei intelligibilis, & obiecti, docente Thom. 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 2. Perfectior igitur extat charitas siue in via, siue in patria, quocumque alio dono à Deo elargito.

Quartò, quæ sunt posteriora generatione, sunt priora perfectione, vt patet in naturalibus. Natura quippè progreditur ab imperfecto ad perfectum, & anima rationalis, quæ est posterior generatione, est prior perfectione reliquis formis præcedentibus: voluntas autem est posterior generatione, intellectu. Priùs namque ab anima rationali emanat intellectus, & postmodum voluntas, ergo hæc illi præstat nobilitate, & dignitate.

14. Respondent Complut. citat. *ad finem* §. 2. illud valere de vno, eodemque, quod est prius generatione, sit posterius perfectione: non autem absolutè, & simpliciter. Nam actus est prior potentia, & prioritate originis, & perfectionis. Itemque substantia prior est accidente, suisque proprietatibus, nedum generatione, verumetiam perfectione. Contrà, hoc assertum, quod est prius generatione, est posterius perfectione, & econtrà, posterius generatione est prius perfectione, quod exaratur apud Scot. 4. *distinct.* 51. *quæst.* 3. *& distinct.* 16. *quæst.* 2. §. *Ad rationes antè Q.* intelligitur via generationis, & eodem genere, vt in genere formarum substantialium, vltima forma est perfectior præcedentibus, putà anima præstat formis sanguinis, embrionis, & huiusmodi, in genere accidentium absolutorum, postremum est perfectius, vt qualitas, qualitate, quæ prius illa generatur: sic in genere potentiarum, sensitiua præcellit vegetatiuæ, & volitiua intellectiuæ, quia hæc, ad illam ordinatur, & actus huius, ad actus eius diriguntur, intelligere namque est propter velle, & visio, propter fruitionem. Quod autem subdunt Authores prærecensiti, scilicet intellectum esse actum, & voluntatem potentiam, quia ille est mouens, & hæc mobilis, planè falsum est, quia vtraque est potentia ab anima rationali proficiscens: nec intellectus mouet voluntatem, nec physicè, nec moraliter, nisi repræsentatiuè, & consiliatiuè, eo modo, quo explicatum est suprà. Immò voluntas mouet intellectum, iussu, & imperio, conuertens, aut auertens ipsum ad quodcumque voluerit, sibique placuerit. Insuper voluntas est formaliter libera, & domina suorum actuum, & aliarum potentiarum, quæ ipsi subiiciuntur, est causa meriti, & beatitudinis. Vndè 13. *Trin.* August. profert illud proloquium, *Beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil malè vult.* Perfectione ergo, & dignitate voluntas prælucet intellectui. Quod etiam videtur olfacere Angelicus 1. *part. quæst.* 82. *art.* 3. inquiens. *Licet cognitio eorum, quæ sunt infrà nos sit præstantior, quàm eorundem amor: tamen amor illorum, quæ sunt suprà nos est nobilior cognitione.* Hinc subnecit idem Doct. *ibid.* charitatem, quæ est in voluntate esse excellentiorem habitibus intellectualibus.

15. Oppones primò, actio, & operatio beatifica præcellit cæteris actionibus, & operationibus 1. *Ethic.* 1. cognitio autem, & intuitio Dei est actio, & operatio beatifica, vt patet ex illo Ioan. 7. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.* Hocque videtur astruere Stagit. 10. *Ethic.* 10. statuens felicitatem in contemplatione substantiarum abstractarum. Cognitio, visioque spiritalis, & contemplatio est actio, & operatio intellectus, ergo cum ex operatione nobiliore deprehendatur potentia nobilior, clarè euincitur intellectum præire, & præstare voluntati. Confirm. 1. sapientia, quæ est habitus intellectus, est simpliciter nobilissima, & præstantissima, 4. *& 6. Ethic.* & 1. *Metaphysica*, 1. Confirm. 2. *ex* 1. *pol. cap.* 1. *&* 3. Intellectus principat, & imperat appetitui, ergo est potentiarum animæ nobilissimus. Concedo maiorem: Ad minorem dico, quidem visionem Dei inter operationes intellectus esse dignissimam, & præstantissimam, non tamen si comparetur fruitioni Dei, hæc enim illam superat, in qua potissimùm consistit beatitudo formalis Beati. Atque hæc est operatio voluntatis. Ita respondendum est ad primam confirm. ad secundam, ibi sermonem esse de appetitu sensitiuo, cui quodammodò principari, & imperare videtur intellectus, cum sit videns, & sciens.

16. Instabis, videns, & sciens excellit cæco, & ignoranti: intellectus autem est videns, & sciens: voluntas verò est cæca, & ignara. Vndè ortum habuit illud pronunciatum, voluntas non fertur in incognitum. Necesse enim est, intellectus illuminet voluntatem, eique ostendat obiecta, vt possit ea velle, vel nolle, vel non velle. Igitur præponendus est intellectus voluntati Si admittatur maior, ad minorem dico, voluntatem non esse cæcam, & ignaram, sed non videntem, & non scientem, eò quod ipsa voluntas non est capax visionis, & scientiæ: sed volitionis, & fruitionis, quæ superat cognitionem, & visionem.

17. Vrgebis, D. August. *lib.* 22. *contrà Faustum*, *cap.* 17. scribit, ratio hominis partim actiua, partim autem passiua, proculdubio contemplatiua præcellit. Cui satisfit si dicatur, id valere intrà latitudinem actuum intellectus: non autem extrà, vt patet de fruitione diuinæ essentiæ, quæ est actus voluntatis superans cunctos actus intellectus.

18. Opponès secundò, potentia, quæ regulat reliquas potentias, est eis nobilior, & eminentior, quia regula nobilitate vincit regulatum: intellectus autem regulat voluntatem: ipsa namque voluntas, quando sequitur rectum dictamen rationis, benè operatur, è contrà verò operatur male, & mulctanda est, igitur intellectus eminet voluntati. Si concedatur maior, ad minorem, intellectum quidem regulare voluntatem per modum consilij: voluntatem verò regere intellectum per modum imperij. Est enim voluntas, veluti Rex: & intellectus velut Iurisconsultus. Nullum autem dubium est, Regem nobilitate superare Iurisconsultum consilium ipsi Regi præbentem.

19. Instabis, voluntas dependet ab intellectu: nihil quippè volitum, quin præcognitum, non è contrà, ergo voluntas est ignobilior intellectu. Si concedatur ant. negatur conseq. Nam, compositum dependet à materia, & forma, vtraque tamen est præstantius. Item, intellectus in intelligendo dependet à phantasmate, huic tamen ille præstat. Quare prævia operatio intellectus, quæ præexigitur, & præsupponitur ad operationem voluntatis; ipsius voluntatis maiorem præstantiam, & nobilitatem, suprà intellectum, nec minuit, nec lædit.

20. Opponès tertiò, quod habet obiectum abstractius, & simplicius, est præstantior, & præeminentior potentia: intellectui autem sortitur obiectum abstractius, & simplicius, quam voluntas, cum obiectum illius sit ens verum, & istius bonum: verum autem est vniuersalius, & communius bono, prælucet ergo voluntati intellectus. Concedo maiorem, nego minorem, suprà namque animaduerti ex Scot. tam latè patere obiectum voluntatis, quàm intellectus, quod est ens in tota sua latitudine, & amplitudine sumptum.

QVÆSTIO IV.

De Memoria.

1. Cum memoria vniuersè sumpta diuidatur in sensitiuam, & intellectiuam, propterea libet duos constituere articulos in ista quæstione, in priori de memoria sensitiua, in posteriori verò de memoria intellectiua erit sermo.

ARTICVLVS I.

An sit, & quid sit memoria sensitiua.

2. Doctor subtilis *in vtroque opere 4. distinct. 45. quæst. 3. in decisione huius artic.* Problematicè incedit, proponens, & soluens rationes vtriusque partis, tam affirmatiuæ, quàm negatiuæ, tamen in affirmatiuam propendet, cui adhærent Bassol. *ibid.* Vorril & alij, quibus præiuerunt Aristot. *lib. de memoria, & reminiscentia*: & Alens. 2. *p. quæst. 69. artic.* 1. *m.* 3. quosve sequuntur cuncti Recentes.

3. Not. primò, memoriam multas pati acceptiones, vt intueri licet apud Betchor. *parte secunda, verb. Memoria.* Aur. 1. *distinct. 3. artic.* 2. & Scot. *quæst. 3. antè* §. *Ad argumenta in oppositum principalia. sub H.* & *in Report. quæst.* 4. vbi ait memoriam potissimum sumi tripliciter. Primò, prout est conseruatiua specierum, de rebus præteritis, vt præteritæ sunt, & de memoria sic sumpta differit Arist. *lib. de memoria, & reminiscentia.*

Secundò, quatenus est conseruatiua specierum, de rebus absentibus, siue huiusmodi res in suo esse existant, siue non, sed præteritæ fuerint.

Tertiò, quatenus est principium productiuum alicuius notitiæ, partiale tamen, & minus principale, quo pacto intellectus habens huiusmodi speciem actualem dicitur memoria fœcunda, quia sic potest exire in actum cognoscendi, & intelligendi, de qua Scot. *cit. quæst.* 7. abundè disceptat.

4. Not. secundò, ex Scot. *in quarto, locis præalleg.* duplex statui obiectum memoriæ, remotum, & proximum, illud est, de quo memorans interdum habuit actum, vt quispiam meminit amici defuncti, cum quo diù familiariter, & sanctè vixit. Istud verò est actus præteritus, quatenus, vt memini lectionis præteritæ, quam recitaui, aliàs, talis actus perhibetur obiectum propinquum memoriæ. Hæc autem conueniunt vtrique memoriæ, tam sensit.uæ, quam intellectiuæ; tametsi præcipuè intellectiuæ.

5. Assertio prima, datur memoria sensitiua in bruto, & in homine. Tenet Doct. cum Aristot, *vbi suprà*, & 1. *Metaphysica* 1. Quæ solo gustu, & tactu prædita sunt, memoria carent, vt conchylia, cætera ergo animalia, quæ omnibus sensibus potiuntur, memoriam sensitiuam participant. Probatur primò, habetur distinctus sinus, & organum in occipite animalis, in quo residet vis, & potentia memoratiua, vt tradidi *lib. 4. quæst. 10. artic.* 1. Et patet ex sectione anatomica, & insinuatur à Damasc. 2. *de fide, cap.* 20.

Secundò, multos edunt effectus, plerosque actus depromunt, & complura opera patrant bruta, quæ euidenter, & patenter ostendunt ipsa pollere memoria sensitiua. Præuident namque; & prouident sibi necessaria ad vitam sustentandam, & conseruandam, vt formica æstate congregat grana tritici, quibus vescatur hyeme Canis blanditur, & obsequitur panem sibi largienti, quem agnoscit, si ipse largiens absfuerit, & postmodum aduenerit: baculum verò gestantem, & percutientem odit, & fugit. Auis nidum construit, oua parit, pullos nutrit, & ab hostibus se defendit. Elephas, & nonnulla alia animalia sunt disciplinæ capacia: hæc autem, & consimilia effici nequeunt à brutis absque memoria, igitur eis haud deneganda est memoria sensitiua.

6. Dices, cuncta illa prænumerata, quæ efficiunt bruta, non proficisci ex eo, quod ipsa bruta memoria potiantur, sed ex apprehensione delectabilis, aut tristabilis. Delectatur quippè formica in collectione granorum frumenti, tristatur canis cum baculo verberatur. Item auis delectatur in constructione nidi, & nutritione pullorum: tristatur verò in eorum ablatione, & interitione. Quare dici potest, ea omnia fieri à brutis industria, & ductu naturæ: non verò, quia memoria calleant. Verùm, licet id non sit impossibile, & improbabile, attamen melius est eis memoriam tribuere, vt efficacius, & euidentius insinuant, & demonstrent, quæ adducta sunt pro ea tuenda, quàm eius opposita, vt fatetur Scot. nuper allegat. *in fine primi articuli*, pro defensione Arist.

Tertiò, quæ vtuntur ratione, & intellectu, participant memoriam intellectiuam, ergo sensus capacia, & imaginatiua prædita memoriæ sensitiuæ non sunt expertia. Conseq. tenet, memoria est retentiua, & conseruatiua specierum, intellectiua autem memoria retinet, & conseruat species intelligibiles, pertinet ergo ad memoriam sensitiuam retinere, & conseruare

conſeruare ſpecies ſenſibiles : experimur autem bruta habere huiuſmodi ſpecies ſenſibiles , ergo & memoriam ſenſitiuam. Demùm , natura non deficit in in neceſſariis , 3. *animæ* , 45. Neceſſaria autem eſt memoria brutis , vt bona ſemel cognita, & præterita, iterum proſequantur , mala verò, & noxia ſemel præterita,iterum fugiant ; atque ne in ſiniſtros incurſus tranſactos ampliùs incurrãt, vitamque tueantur,& conſeruent : niſi autem haberent ſpecies præteritorum,eorumque recordarentur,nequirent damna futura.& pericula ipſis imminentia proſpicere.& euitare.

7. Aſſ. 2.memoria ſenſitiua deſcribitur. *Vis memorandi præteritarum ſpecierum ſenſibilium retentiua.* In idem recidit definitio memoriæ ſenſitiuæ allata ab Ariſt. *lib. de memoria*,& à Scot. præcit §.*Contra iſtam quæſtion.C.* Hæc autem aſſertio,& definitio eſt facilis probatu,cum conſtet genere , & differentia , quæ exprimuntur per præcedentes particulas, nihilque diminuti, ac ſuperflui contineat, vt patet diſcurrenti.

8. Oppones primò,contrà primam aſſertionẽ memoria reſpicit tempus,vt præteritum,teſte Ariſt.*l.de memoria*:tempus autem eſt numerus motus,ſecundum prius, & poſterius, 4. *Phyſ.*101. Quod abſque comparatione vnius ad aliud effici non poteſt,comparatio autem non eſt ſenſus,ſed intellectus,ſequitur ergo memoriam parti ſenſitiuæ non competere. Reſpond. cum Ariſtot.cit. eo ſenſu,quo percipitur magnitudo,quoq; percipi tempus,tametſi ſit ſucceſſiuum : nam motus continuus eſt ſucceſſiuus,& à ſenſu perceptibilis 2.*animæ* 64. Atque licet tempus ſit numerus,nihilominùs etiam percipitur ſenſu,cum numerus inter ſenſibilia per ſe referatur,vt patet *loco proximè cit. T.*64.

9. Oppones ſecundò , ſi foret memoria ſenſitiua, eſſet conuerſiua, & reflexiua ſuprà ſe , & ſuum actum, quia potentia ſenſitiua recordaretur actus præteriti, vt conuenit potentiæ recordatiuæ : hoc autem pertinet ad intellectum , qui ſolus ſtatuitur potentia reflexiua, & collatiua vnius obiecti ad aliud obiectum , vniuſque actus , ad alium actum eius, atque ſuprà ſe ipſum : ergo non eſt admittenda memoria ſenſitiua. Dici poteſt ſenſum cognoſcere ſuum actum,vt viſum viſionem, & potentiam recordatiuam actum præteritum , quia vis recordandi diſſidet à virtute ſentiendi tum quia illa habet diſtinctum organum ab iſta , vt patet in anatomia ; tum etiam quia omnia animalia ſunt quidem ſenſitiua , non tamen omnia recordatiua , vt ſuprà obſeruaui ex Ariſtotele 1. *Met.*1. Prætereà , poteſt negari ſequela ma. Quamuis enim ſenſus cognoſcat prius , & poſterius , actum præſentem de obiecto præſente , & actum præteritum, per ſpeciem habitam de obiecto abſente , vt liquet de phantaſia : nihilominus , non rectè infertur ipſum ſenſum eſſe potentiam reflexiuam , & collatiuam , quia non reflectit ſe ſuprà ſe, nec comparat vnum ad aliud, vt præſtat intellectus,qui eſt potentia collatiua,& comparatiua, vt benè vidit Doct.*in Rep cit. ad* 2.

10. Opp.3. Formica hoc anno genita, quæ nondum experta eſt penuriam hyemalem,ità colligit,& cogit in vnum grana frumenti, ſicut trium annorum. Itemque auis vnius anni ſic conficit nidum , velut alia quatuor annorum,ergo memoria caret,cum non valeat recordari præteriti,cuius eſt expers:proindeque ſi quę agit,non memoriæ , ſed naturali induſtrię eſt adſcribendum. Reſpondeo ea quidem poſſe non improbabiliter attribui naturali inſtinctui : tamen meliùs , & veriùs adaptantur memoriæ , vt palàm faciunt , quæ peraguntur à brutis perfectis,præſertim diſciplinæ capacibus.

ARTICVLVS II.

An ſit memoria intellectiua , & diſtinguatur ab intellectu.

11. QVidam apud Scot.*in ſuperiori art.alleg. art* 2. videntur memoriam intellectiuam inficiari,ſolamque memoriam ſenſitiuam agnoſcere. Communis autem ſententia eſt Scot. *ibid.* Baſſ. Vorril. Canel. *diſp* 3. *ſect.*2. Ponc. *diſp.*63. *quæſt vlt.* & aliorum admittentium memoriam intellectiuam à ſenſitiua diſtinctam. An verò memoria intellectiua ſit tertia potentia ab intellectu, & voluntate diſtincta, altercantur Scholaſtici. Nonnulli ſiquidem apud Rua, *Tract de actu intellectus poſſibilis , quæſt.*5. *dub.*3. tenent eſſe potentias diſtinctas ; cæteri verò , vt Baſſol.4. *diſt.*45. *quæſt.*1 §, *Ad propoſitum.* Och. *quæſt.*12. Dur. 1. *diſt.*3. *quæſt* 3. Argent.2. *diſtinct.*39. *quæſt. vn. art.*1. & D. Thom. 1. *part. quæſt.*79. *art.*7. Docent memoriam intellectiuam , ab intellectu poſſibili non diſſidere. A quibus non diſſentit Scot. tum *paſſu memorato*, tum etiam *Quol.*15.

12. Not.ad memorandum exigi aliquem actum præteritum , qui vnà cum eius obiecto ſtatuitur obiectum memoriæ. Tria autem in memoria debent eſſe repræſentatiua , quorum primum eſt ſpecies intelligibilis, quæ repræſentat, cuius eſt memoria. Secundum eſt intentio , quæ repræſentat actum cognoſcendi præteritum. Tertium eſt tempus , in quo rem illam cognoſcimus. Sunt quoque tria repræſentata , res cognita, tempus,quo cognoſcebatur res, & actus cognoſcendi ipſam rem.

13. Aſſertio , datur propriè memoria intellectiua. Ita Scotus citatus, & 1. *diſtinctione tertia,quæſtione ſexta.* Probatur primò , ex Ariſtotele *lib. de memoria, & reminiſcentia , propè initium.* Quorumdam intelligibilium memoramur , vt quod triangulus habet tres æquales , duobus rectis : idque quia didicit , & fuit ſpeculatus , actus autem diſcendi , & ſpeculandi præteritus ſpectat ad memoriam intellectiuam , in Peripato igitur concedenda eſt memoria intellectiua. Et indicatur 3. *animæ* , 8. Suffragantur Auguſt. 10. *Conf. cap.*8. *& indè*, & Greg. *ad finem* 4 *moral.* & conſonat ſacræ paginæ Luc.16. *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua,Lazarus ſimiliter mala.*

Secundò , ad eam potentiam pertinet memoria intellectiua,ad quam ſpectat actus recordandi : ad potentiam autem intellectiuam pertinet actus recordandi, ergo & memoria intellectiua. Ma. patet , quia per actum nobis innoteſcit potentia. Minor eſt in promptu de actu, quo quiſpiam intelligit, ſe aliquando demonſtraſſe , triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis , vt mox ex Ariſtotele dicebam : atque de actu , cuius meminit peccator , ſe mandata Dei non cuſtodiſſe : hæc autem , & conſimilia non competunt memoriæ ſenſitiuæ , cum ſenſus ſit incapax demonſtrationis , & ſcientiæ , ergo memoriæ intellectiuæ adaptantur , ſicque admittenda eſt memoria intellectiua.

14. Dices , nihil eſt in intellectu , quin prius fuerit in ſenſu , ergo ſi quis eſt actus memorandi, non intellectiuæ , ſed memoriæ ſenſitiuæ eſt tribuendus. Dico ant. eſſe exponendum repræſentatiuè , & occaſionaliter : non autem per ſe , & effectiuè. Nam intellectus non intelligit , niſi ſenſus ipſi obiiciat , & offerat phantaſmata , ſeu ſpecies ſenſibiles , tamen cauſa effectrix actus intelligendi non eſt ſenſus , ſed intellectus : pariter , quamuis memoria intellectiua præexigat , & præſupponat memoriam ſenſitiuam,nihilominus illa, ab hac diſcriminatur, penes eſſe,& memorari.

Tertiò, intellectus est, qui clarè, & distinctè cognoscit, & distinguit præteritum à futuro, & confert præteritum cum præsente, conuertitque se ad actum suum præteritum, suprà quem se reflectit: hæc autem effici nequeunt absque memoria intellectiua, cum sensus non possit conferre vnum, ad aliud neque reflectere se suprà suum actum transactum, admittenda igitur est memoria intellectiua.

15. Dices, visus percipit se videre, & nitque visionem suam, vt ait Doct. 4. *dist* 45. *quæst*. 3. § *De secundo art. ex* 2. *de anima, ab ipso cit*. Ergo sensus est potentia conuersiua, & reflexiua suprà se, atqueadeò ad memorandum sufficit memoria sensitiua. Dico, id præstare visum, quia visio est quodammodò colorata, non verò quia visus sit potentia reflexiua, nisi impropriè, & imperfectè, vt ibi aduertit Bassolius.

Quartò, in parte sensitiua extat memoria sensitiua, ex assertis in ant. art. ergo & in parte intellectiua manet memoria intellectiua. Conseq. tenet, intellectus potest percipere quidquid percipit sensus, & multò plura, cum sit potentia præstantior, & eminentior, sensus autem pollet memoria, ergo & intellectus. Iterum, anima separata potitur memoria, vt exaratur *Luc*. 16 *præcit* ergo & coniuncta. Demum, memoria intellectiua tribuitur Deo, & Angelo, qui sunt intellectuales, ergo homini non est deneganda, qui sortitur animam intellectiuam.

16. Assertio secunda, memoria intellectiua non distinguitur ab intellectu possibili realiter, nec formaliter. Deducitur ex Scot *locis prænominatis*. Probatur primò, de ratione memoriæ intellectiuæ est, esse locum conseruatiuum specierum intelligibilium, earum thesaurum, & promptuarium: hoc autem munere fungitur intellectus patiens, authore Arist. 3. *anima*. *T* 7. vocante ipsum intellectum patientem, locum formarum, putà specierum, & *T* 18. intellectum qui omnia fit. Quod est dictu, huiusmodi intellectus in se recipit omnes species intelligibiles, atque omnes actus intelligendi, quos ipse depromit, quorum nonnulli sunt præteriti, quorumue idemmet intellectus meminit, ergo memoria intellectiua, ab intellectu patiente non dissidet.

Secundò, non sunt multiplicanda entia, sine necessitate, 1. *Phys*. 52. vna autem, eademque potentia intellectiua sufficit ad intelligendum, & memorandum, ergo memoria ab intellectu non secernitur. Ma. conceditur ab omnibus. Min. ostenditur, idem protsùs intellectus apprehendit, & intelligit, iudicat, affirmat negat, & discurrit, ergo idem intellectus suscipit species intelligibiles, easque retinet, & conseruat, idemque intellectus producit actum intelligendi, & conseruat, recipit habitum, eoque pro opportunitate vtitur: exercet varia, & diuersa munera, vt enim producit actum intelligendi dicitur intelligentia, vt habet speciem cum obiecto præsente, vocatur memoria fœcunda, pariter cum recordatur suorum actuum intelligendi præteritorum nuncupatur potentia recordatiua, & absolutè memoria. Idque illustrari potest, de vno, eodemque vase, quod in se aquam recipit, eamque retinet, & conseruat. Atque de eadem phantasia, quæ præsentia, & absentia percipit, necnon de eodem sensu communi, qui omnia obiecta sensuum externorum attingit. Insuper idem intellectus cognoscit res in esse realis existentiæ, & in esse cognito, & obiectiuo, atque nouit tempus, partes, & differentias eius: cæteraque entia tam præterita, quam præsentia peruestigat, penetrat, & perlustrat. Concluditur ergo eamdem prorsus potentiam, & esse intellectiuam, & memoratiuam, veluti est apprehensiua, iudicatiua, & discursiua,

17. Oppones primò, contra primam assertionem, solam memoriam sensitiuam tradit Aristoteles *lib*. 6. *de memoria, & reminiscentia*, eique consentit Damasc. 2. *fidei*, *cap*. 20. Ergo memoria intellectiua in Scholas non est inuehenda.

Respondeo Aristot. quidem admittere memoriam sensitiuam, non tamen negare memoriam intellectiuam, immò eam expressè docere non longè ab initio loci eius allegati, quem pro nobis adducimus in prima assertione. Quamuis multò plura tradiderit de memoria sensitiua, quam intellectiua. Sic etiam exponi potest Damasc. cit.

18. Oppones secundò, memoria est de præterito vt præteritum est: intellectus autem non est de præterito, vt præteritum est, quia præteritum est singulare, quod ab intellectu non intelligitur, ergo &c. Concedo ma. nego min. eiusque probationem. Intellectus quippè, licet dicatur absolutè esse vniuersalium, quia ab ipso, & non à sensu percipiuntur vniuersalia: tamen ipsemet intellectus singularia intelligit, nedum præsentia, verum etiam præterita. Atque vniuersalia quoque possunt esse præterita, quæ nimirum fuere existentia in mente præteritorum hominum, putà Aristot. Scot. & aliorum.

19. Oppones tertiò, si daretur memoria intellectiua, Beati qui aliquando peccauerunt dum viuerent in hoc Mundo, recordarentur, vel saltem possent recordari suorum peccatorum, quæ commiserunt: vel ergo in eorum recordatione, delectarentur, & essent mali: vel ea detestarentur, & dolerent, & forent miseri, vtrumque autem non est admittendum, ergo &c. Dici potest, cum D. Greg. *in Psalm* 87. Peccatorum recordatio in Beatis non est ad dolorem, & pœnam, sed ad gaudium, & exultationem, atque ad magnificationem diuinæ misericordiæ, propterea quod ab eis fuere liberati. Vel dicito, vehementem voluptatem, & delectationem, *ex* 7. *Eth. cap vlt*. excludere omnem miseriam. Cum autem Beati maxima delectatione beatitudini infinitæ & æternæ afficiantur, ab omni miseria sunt immunes, quæ sequi potest ex memoria præteritorum malorum, & peccatorum.

20. Oppones quartò, contrà secundam assertionem D. August. 11. *de genesi ad lit. cap*. 35. scribit, in vno corpore esse vnam animam, & tres vires, intellectum voluntatem, & memoriam: intellectus autem, & voluntas sunt duæ potentiæ distinctæ realiter, aut formaliter, igitur memoria est tertia potentia ab illis duabus distincta

Respondeo secundum Scot. 1. *dist*. 3. *quæst*. 9. §. *De tertio C*. exponendum esse August. non de tribus potentiis distinctis, vt ipsemet August. se declarat 15. *Trin. cap* 8. sed capere memoriam pro receptione, & conseruatione specierum, intellectum pro actuali intellectione, & voluntatem pro actu volendi. Ita quoque eum interpretatur D. Th. 1. *p. quæst*. 79 *art*. 7.

21. Instabis, in anima relucet imago sanctissimæ Trinitatis, & homo dicitur factus ad Imaginem, & similitudinem Dei, non alia de causa, nisi quia, sicut in diuina essentia sunt tres personæ realiter distinctæ, sic in anima sunt tres præfatæ potentiæ realiter distinctæ. Occurrit Scot. 1. *dist. citat*. §. *De tertio*, & ait, prædictam imaginem consistere in actibus primis, & secundis simul, quos exprimit D. Aug. 15. *Trin. in fine, cap*. 6. his verbis. *In homine inuenitur Trinitas, mens, idest anima, notitia, qua se nouit, & dilectio, qua se diligit*. Plura Scot. vbi suprà, & ego *Tract. de cognoscibilitate Dei*.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

De potentia motiua animæ rationalis.

ARTICVLVS I.

An anima rationalis possit mouere seipsam, & corpus, quod informat.

1. OMni duplici gaudet potentia motiua, vna organica, & materiali, quæ dicitur totius communicti, qua homo se mouet motu progressiuo, sicut cætera animalia: altera verò inorganica, & spirituali, quæ competit ipsi, ratione animæ, quæve cum sit peculiaris, & propria animæ, ipsimet animæ adaptatur etiam à corpore abiunctæ.

2. Assertio, anima rationalis pollet potentia motiua, qua potest mouere seipsam de loco ad locum, & corpus, quod informat. Est Scot. 2. d. 42. q. 4. §. *Ad quæstionem secundam.* N. & d. 16. q. vn. cui præiuit Aug. l. 83. qq. q. 8. Suadetur primò, de anima Christi Domini, quæ, vt habetur in Symbolo Apost. *descendit ad inferos*: anima autem Christi est anima rationalis, cum ipse Christus fuerit verus, & perfectus homo, ergo anima rationalis potest se mouere localiter. Idque corroborati potest de Angelis, quibus anima assimilatur, qui vt habetur in sacro codice, missi Dei exequentes descendunt in terram, & ascendunt in Cælum. Secundò, quod competit inferiori, & imperfectiori, conuenit superiori, & perfectiori, [illegible] cum, à minori ad maius: conuenit autem animæ [illegible] potentia motiua, cum moueantur localiter, animaque sit principium vegetandi, sentiendi, & loco mouendi, ergo animæ accommodatur potentia motiua. 3. omni potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua, vt optimè prosequitur Scot. *in prol. q. 1.* Anima autem est in potentia passiua ad existendum in hoc, vel illo loco, cum nequeat existere vbique: ergo ipsi congruit potentia actiua, qua valeat acquirere hunc, aut illum locum. Insuper corpus informatum anima mouetur de loco ad locum, corpus verò anima non informatum non mouetur motu progressiuo, ergo anima sortitur potentiam, & virtutem motiuam, qua se ipsam & corpus, quod informat, ciere valet.

3. Opp. actus, & potentia simul in vno, & eodem, respectu eiusdem opponuntur, ergo eadem anima simul nequit esse in actu, & in potentia ad suum motum: at si anima quiret mouere seipsam, foret simul in potentia, & in actu, & quidem in actu, quia nihil potest se mouere, nisi sit in actu; in potentia verò, quia tenderet ad motum, & locum, quem sibi acquirere conaretur, ergo &c. Distinguo ant. de actu, & potentia obiectiua, concedo: de actu autem, & potentia subiectiua, nego. Idem namque Petrus, qui habet potentiam receptiuam albedinis, recipit ipsam albedinem, quæ est actus eius accidentalis. Quare, anima mouens se ad aliquod vbi, dici potest esse in actu virtuali, & in potentia formali.

ARTICVLVS II.

An potentia motiua distinguatur à reliquis animæ facultatibus, & potentiis.

4. NOnnulli, inter quos est Ferrariensis 2. *contra Gentes, c.* 82. confundunt potentiam motiuam, cum imaginatione, & intellectu practico. Alij, à Rua. *alleg. 3. de anima, Tract. de voluntate, c.* 13. arbitrantur, potentiam motricem esse appetitum sensitiuum, vnà cum potentia exequutiua, adeò vt sint duo principia partialia integrantia vnum principium totale mouendi. Communis autem opinio est Mayron. 2. d. 43. q. 1. Duc. & aliorum Scholasticorum docentium potentiam motiuam, & executiuam differre ab intellectu, & voluntate, ac cæteris animæ viribus, & virtutibus.

5. Not. potentiam motricem quandoque esse absque præuia cognitione, & appellatur potentia motrix naturalis, quæ reperitur in corde, cum dil. & tnt, atque constringitur. Itemque in animalibus Petr. s [illegible] : quandoque verò potentia motiua est cum appetitu, & præuia cognitione ad assequendum, quod est prosequendum, aut fugiendum, quod est noxium, & hæc nuncupatur potentia progressiua, qua anima mouetur de vno loco, ad alium locum. & de hac est præsens difficultas. Diuiditur autem huiusmodi potentia in organicam, & in inorganicam. Organica corporeis animatis competit, & inorganica, seu spiritualis viuentibus spiritualibus adaptatur, prout Angelis, & animæ rationali.

6. Ass. 1. potentia motiua non est sensus imaginatiuus, nec intellectus practicus. Deducitur ex Doct. 4. d. 10. q. 7. § *Respondeo.* 1. pars ostenditur. Cuncta animalia pollent aliquo sensu saltem tactu, 1. *Met.* 1. cum tactus sit sensus animali necessarius, vt dixi *q. de tactu*: quidam autem animalia carent potentia motiua, vt patet de iis, quæ lapidibus affiguntur, igitur potentia motiua non est sensus, siue phantasia, aut alter sensus. 2. pars est in promptu, Deus potissimum præditus est intellectu, qui tamen potentiæ motiuæ est expers. Deinde intellectus si est speculatiuus sistit in sola rei contemplatione, si verò practicus, fertur ad directionem operis: vtraque autem notitia gignitur, absque potentia motiua, igitur nullo modo potentia motiua est intellectus, siue practicus, siue speculatiuus.

7. Ass. 2. potentia motiua non est appetitus sensitiuus. Non dissentit Scot. cit. & 2. d. 42. q. 4. § *Ad quæstionem* 2. *N.* Probatur 1. omnia animalia participant appetitum sensitiuum, tametsi nonnulla careant potentia motiua, vt dicebam *in* 1. *ass.* igitur vis motrix non est prænominatus appetitus. 2. appetitus nihil aliud esse videtur, quàm inclinatio, & propensio rei ad aliquid habendum, & possidendum, cuiusmodi non est potentia motrix, alioquin, omnia illa, quæ fruerentur tali appetitu, gauderent virtute motrice: quod est falsum, ergo prædictus appetitus non est vis motiua.

8. Ass. 3. potentia motiua est potentia exequutiua distincta formaliter à reliquis potentiis animæ. Non discrepat Scot. *vbi suprà.* Probatur 1. potentia motiua in Angelis distinguitur ab eorum intellectu, & voluntate, ergo & in hominibus, cum par vtrobique luceat ratio. Ant. probatur assensu Parisien. *Si quis dixerit Angelum mouere Cælum intellectu, aut voluntate, error.* : bruta intellectus, & voluntatis sunt expertia, tametsi potentia motiua non careant, ergo hæc, à cæteris eorum potentiis discriminatur. Demceps nonnullis vellet mouere, & non mouebitur. Quandoquidem eius voluntas non impeditur, benè tamen eiusdem potentia motiua: ergo hæc, ab illa, & reliquis animæ virtutibus, & facultatibus differt.

9. Opp. 1. Arist. 3. *anima, à text.* 44. *vsque ad* 55. totus videtur esse in statuendo, imaginationem vna cum appetitu esse potentiam motiuam, & exequutiuam, igitur in Peripatu aliud principium motus progressiui animalis non est excogitandum. Respondeo Arist. quidem scribere imaginationem inuare potentiam progressiuam, per modum dirigentis, & appetitum ei opitulari, per modum ponderis, & propensionis: non autem esse ipsam potentiam motiuam, & progressiuam, quam *in* 3. *ass.* docui.

10. Opp. 2. idem iudicium ferendum est de potentia motiua Angeli, ac animæ rationalis: illa autem non differt ab intellectu, & voluntate eius, ergo nec ista. Ma. non patitur difficultatem. Min. verò est in promptu,

quandoquidem Angelus mouetur localiter, per imperium suæ voluntatis. Concedo ma. nego min. eiusque probationem, vt fusè monstraui, *tract. de Angelis*. Et *in 3. ass. præposita* toli art. Sorbonicæ Vniuersitatis, ad id confirmandum, & corroborandum.

11. Opp. 5. frustrà fit per plura, quod potest fieri, per pauciora, vt elicitur ex 1. *Phys. l.* 5 2. Anima autem rationalis potest localiter moueri, sine tertia potentia ab intellectu, & voluntate distincta, ergo non est astruenda alia potentia ab eis diffita. Ma. à nemine negatur. Min. videtur conspicua, cum tres tantùm potentiæ animæ vulgò recenceantur, intellectus, voluntas, & memoria, vt videre licet apud Aug. 12. *de Genesi, ad lit. c.* 35. Concedo ma. nego min. Rationes quippè præpositæ satis euidenter, & efficaciter ostendunt, admittendam esse potentiam motiuam à prænumeratis distinctam.

QVÆSTIO VI.

De Anima separata.

1. STATVS animæ separatæ nuncupatur ille, quem habet anima rationalis, cum à corpore est abiuncta. Cum enim corpori est coniuncta, aggrauatur à corpore, quod est mortale, & corruptibile, iuxta illud *Sap 9. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*. Ipsa autem est immortalis, & incorruptibilis, propterea status, quo gaudet, dum à corpore est seiuncta, perhibetur status animæ separatæ, de quo agunt Scholastici, nominatim Scot. 4. *d.* 45 *q.* 2. Maior *ibid. q.* 4. Mayr. *d.* 46. *art.* 2. *q.* 1. 2. 3. & 4. Aur. *d.* 45 *q. vn.* S. Bon. *d.* 50. *ar.* 1. Ric. *art.* 1. & 2 Bassol *d.* 43. *q.* 3. & cæteri eo in loco.

ARTICVLVS I.

An status animæ separatæ sit naturalis.

2. D. Th. 1. *p quæst.* 89. *art.* 1. eiusque discipuli *ibid.* & Henr. *Quol 7. q* 13. astruunt statum animæ separatæ esse violentum, siue contra naturam, teste Thom. 4. *contra Gentes, cap* 79. Conimb. *Tract. de anima separata disp.* 2. *art.* 2. putant, præfatum statum, nec esse naturalem, nec violentum, sed præter naturam. Scot. aut. in *passu alleg.* § *De tertia propositione K* & *quol.* 13. 9. *Ad argumentum principale.* MM. Lych. Bass. & alij arbitrantur huiusmodi statum esse naturalem.

3. Not. 1. ex Scot 1. *d.* 3. *q.* 3. 5. *Sed restat G.* statum describi stabilem permanentiam legibus diuinæ sapientiæ firmatam. Diuiditur autem in statum viæ, & statum patriæ. Ille est, quo Deus statuit à nobis facienda, quamdiu in hoc sæculo viuimus: iste verò, quo idem Deus decreuit præstanda, post hanc vitam, in Cælo. In præsenti autem statu, sensus interni res non percipiunt, nisi prius eas externi sensus attingant, & intellectus non intelligit, nisi prævia cognitione dictorum sensuum Vnde extat commune proloquium Philosophorum, nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, atque oportet intelligentem phantasmata speculari. Quare potentiæ superiores præsupponunt operationes potentiarum inferiorum, adestque inter eas vnio, & conexio in operando, quæ non videtur absolutè necessaria, quia Angeli non sic intelligunt, nec Beati in Cælo, corpore glorioso prædici. Id fortaslè in hac vita nobis accidit ex culpa originali, vt significat August. 15. Trin c vlt. Quæ causa, cur ipsam lucem acie fixa videre non possis? nisi vtique infirmitas. Et quis eam tibi fecit? nisi vtique iniquitas.

4. Not. 1. ex eodem *in 4 prædict.* 5. inclinationem naturalem esse bipartitam, vnam ad actum primum, quæ est imperfecti, ad perfectum, quæve concomitatur potentiam essentialem: alteram verò ad actum secundum, quæ concomitatur potentiam accidentalem, cum sit, e. perfecti, ad perfectionem communicandam. Prioris autem oppositum est violentum, & non perpetuum, quia ponit imperfectionem perpetuam, quam Arist. habuit pro inconuenienti, quia tollit in vniuerso quamcumque perfectionem. Posterior verò nullum violentum importat etiamsi perpetuò suspendatur, cum imperfectionem non præseferat. Huiusmodi autem inclinatio competit animæ respectu corporis. Deinceps, in memoriam reuocandum est *ex lib.* 3. *Phys. q.* 1. *art.* 2. quid sit naturale, quid violentum, & neutrum, siue præter naturam, Quibus suppositis, & prælibatis.

5. Ass. 1. status animæ separatæ non est violentus, nec præter naturam. Assertio est bimembris, & deducitur ex Doct. cit. 1. pars probatur 1. *ex* 3. *Eth. c.* 1. violentum definitur, cuius principium est extrà, non conferente vim passo, hoc est, passo non reluctante anima autem non reluctatur statui separationis, cum ille status sit nobilior, & perfectior, vtpotè, qui competit Angelo, & Deo. In eo namque clarius, & distinctius res intelligit, & cernit: ob id non defuerunt Philosophi, qui dixerunt, animam in pœnam peccati, corpori fuisse addictam, & admixtam. 2. nullum violentum est perpetuum, 2. *Cali, c.* 3. *T.* 17. in eo autem statu anima extat perpetua, cum sit immortalis. & incorruptibilis, ergo ille status neutiquam violentus est æstimandus. 3. si violenter anima existeret extra corpus, resurrectio mortuorum foret naturalis: naturaliter quippè propenderet ad vnionem corporis, sicque seipsam posset corpori vniri, veluti lapis non impeditus sursum existens suapte natura fertur ad suum centrum: resurrectio autem est supernaturalis, à solo Deo factibilis, vt tradunt Theologi prætcit. Ergo præfatus status non est violentus.

Secunda pars suadetur 1. illud est [illegible] naturam alicuius, seu neutrum, quod ei nec prodest, nec obest: status autem separationis prodest animæ, quia perficitur, libera existit, non ampliùs sensibus alligata, materiæque coniuncta, & obiecta apertiùs, & clarius intuetur. 2. quod est neutrum, & præter naturã, nec est naturale, nec violentum, non proxima autem ass. ostendetur, prædictum statum esse naturalé, ergo non est neuter & præter naturã.

6. Ass. 2. status separationis animæ potest dici naturalis. Tenet Doct. *vbi suprà*. Probatur primò, ille status est naturalis, in quo anima perficitur, & nobilitatur. Naturale quippè est ad quod res suapte natura inclinat, veluti est vltima eius perfectio, & summa fœlicitas, quam acquirit in eo statu, in quo assimilatur Angelo, vtpotè, quæ intelligit absque phantasmate, & dependentia à corpore, is ergo status censendus est naturalis. 2. quod non est naturale, non est diuturnum, 2. *Cali*, 15. huiusmodi autem status est diuturnus. Immò, si Deus in Resurrectione, animam corpori non coniungeret, perpetuò ipsa anima persisteret à corpore abstracta. Nullum quippè agens creatum potest hanc illi vnire, vt docent Scholastici prænominati, non incongruè ergo ille status perhibetur naturalis.

7. Opp. 1. pars extrà totum violenter manet, cum ordinetur ad totum constituendum, & complendum: anima autem separata est pars extrà totum, putà hominem, ergo in dicto statu violenter se habet. Distinguo ma. de parte, quæ recipit suam perfectionem à toto, concedo: de parte verò, quæ toti communicat suam perfectionem, nego, veluti est anima rationalis.

8. Opp. 2. anima propendet naturaliter ad vnionem corporis: ergo status animæ extrà corpus est violentus. Ant probatur ex D. Aug. 22 *Ciu. c.* 26 *referente* Virg. 6. *Æneid.* cantantem ex Plat.

Rursus & incipiunt in corpora velle reuerti.

Et idem Aug. 12. *de gen. ad lit. c.* 1. *suprà Gen.* adductus ab Orbello *d.* 49. *q vn.* scribit, animæ à corpore separatæ inest quidam naturalis appetitus corporis administrandi, quo retardatur quodammodo, ne tota intentione in Deum

Deum tédat. Adde Scot. *4.d.49.q.1.F.* Aliquis appetitus inest animæ, ad corpus, tanquam ad proprium perfectibile. Distinguo ant. de inclinatione ad actum primum concedo: de inclinatione ad actum 2. nego. Ita exponéda sunt testimonia Aug. & Scot. adducta ad conf. ant. Vel dico animam duplici inclinatione naturali gaudere, vna cum vnitur corpori, vt vsu sensuum suam perfectionem adquirat: altera verò cum extat separata: sic enim à materia immunis, magis perficitur: iamque satiata manet transacta vnione corporis, ad quā non ampliùs inclinat, veluti fœtus extra vterum egressus, nō amplius ad eum propendet, vt ex Auic. tuetur Doct. 4. *præmemorata.* Vel dicito, animam quidem inclinare ad corpus rectè dispositum, & benè organizatū: non verò ad corpus indispositum, corruptum, & in cineres redactum, vt accidit in statu separationis. Adde, quę dixi *2. Phys. q.2. a.12. dub. 3.*

9. Opp. 3. mors est contrà naturā, cum eam destruat: mors autem accidit per separationem animæ à corpore: ideò pugnant aduersæ qualitates, vt anima à corpore egrediatur, tantus hominis tunc extat dolor, & horror. Resp. mortem, & reliqua prærecensita, non respicere animam, quæ est immortalis, & incorruptibilis, sed totum coniunctum, quod est homo, qui interit, & dissolutus, in terramque abit.

ARTICVLVS II.

Quænam conueniant animæ separatæ.

10. ASsertio prima, potentiæ materiales, & organicę non competunt animæ separatæ. Defenditur à Doct. *4.d.45.q.3.§. Ad quæstionem sub M* probatur 1. ex Arist. *1. anima, T.64.* & *l. de sensu, & sensili c.1.* affirmante, potentias organicas, & corporeas esse totius coniuncti, cuiusmodi est homo, non autem animæ, quæ est pars eius. 2 præfatæ potentiæ conflantur ex perfectione corporis mixti, & animæ sibi vnitæ: cum autem anima est separata, corpus corrumpitur, vnà cum iis, quæ ipsum consequuntur, inter quæ sunt dictæ potentiæ, igitur anima à corpore segregata est expers prædictarum virium, & facultatum.

11. Ass. 2. potentiæ inorganicæ, & immateriales in anima separata resident. Ita Doct nuper cit. Probatur 1. quę realiter identificantur inter se, abinuicem separari nequeunt, etiam diuinitùs, cum signum apertum distinctionis realis sit separabilitas, vt crebrò in superiorib. inculcaui: potentiæ antē spirituales realiter identificantur cum anima, & abinuicem, vt ostēdi *l.1. de anima, q.3. a.5.* Ergo persistunt in anima separata. 2. manente subiecto, manent quoq; ea, quæ sunt in subiecto, nisi adsit aliqua causa corrumpens: in statu autem separationis, persistit anima, quæ est dictarum potentiarum subiectum, ergo persistunt ipsæmet potētiæ, cum nulla tradi valeat causa, quæ eas corrumpat, & destruat 3. forma non inuenitus absque sua operatione, & principio operandi, vt forma ignis sine calefactione, & principio calefaciēdi, & aquæ sine frigefactione, eiusque principio, & causa effectrice, vt patet *2. Cœli. T.17.* Anima autem rationalis est forma, immò formarum perfectissima, eiusque operatio est intellectio, & volitio, & vtriusq; principium, intellectus, & voluntas, ergo in statu separationis, qui est status perfectionis, his omnibus ipsa anima non priuatūs. 4. sigillatim ostenditur, de cunctis viribus, & facultatibus eiusdam animæ. In primis de potentia secosdatiua, & memoratiuā, de qua *in hoc l. q. 4. a.2.* de potentia motiua, *ibid. q.5. a.1.* de intellectu verò, & volūtate liquidò patet, cum in ipsarum potētiarum actibus sita sit summa felicitas, putà in visione intellectus, & fruitione voluntatis, permanent ergo huiusmodi potentiæ in anima separata.

12. Ass. 3. species intelligibiles, habitus intellectuales imperfectionem non præseferentes permanent in statu separationis, veluti etiam habitus voluntatis Hæc ass. est bipartita, cui patrocinatur Scot. *4.d.45. q.1.§. Alia opinio.* Prima pars aduersatur Ponc. *disp.56 q.5. concl.1.* & probatur 1. ex *3. animæ, T.6.* Anima est locus formarum, putà specierum intelligibilium, locus autem est conseruatiuus locati, ergo cum intellectus sit locus specierum intelligibilium, & maneat tam in statu coniunctionis, quàm separationis, deducitur, dictas species persistere in anima separata. Deindè, ex Boëtio *5. de consolatione, prosa 5.* quidquid recipitur, per modum recipientis, recipitur: anima autē est prorsus immortalis, & incorruptibilis, ex assertis *in præsenti l. q.1 a.3.* Ergo species in ipsa receptæ permanent, cum à corpore segregatur. Atque Auic. *naturalium, parte 1. c.6.* subiicit animam à corpore abiūctam clarius, & distinctius intelligere, quod præstase nequiret, nisi separata conseruaret species, vtpotè quæ partialiter concurrunt ad producendos actus intelligēdi. Suffragatur D. Hier. *in prologo Bibliæ, c.7. ad Paulinum:* Discamus in terris, quorum scientia nobis perseueret in Cælo. Scientia autem, cum sit de conclusione, pręsupponit præmissas demonstrationes: præmissæ verò præexigunt terminos, qui absque prænarratis speciebus non percipiuntur. Quod si scientia, quæ tanto labore, & sudore in hoc statu à nobis acquiritur, in alio statu non remaneret, indignum, & vanum foret nostrum studium, & irritus labor in ea perquirenda, & perlustrāda, subiungit Doct. *passu proximè cit. C.* 2. species intelligibiles neutri statui, siue coniunctionis, siue separationis repugnant, ergo in vtroq; perseuerant. Ant. de statu coniunctionis conceditur à Ponc. & aliis, quos commemorant Aur. aliique Scholastici *dist. prælleg.* de statu verò separationis ostenditur, siquidem dictæ species, quamuis in fieri dependeant à phantasmatibus, non tamen in esse. Possunt namque existere, immò de facto existunt sine illis, cum sint in intellectu, qui in esse haud dependet à materia, & materialibus, *3. anima, 6.* Huiusmodi ergo species in anima persistunt, & perdurāt. 3. tales species non sunt qualitates instantaneæ, sed continuę, & permanentes, nihilque ipsis est cōtrarium, ergo si hìc in intellectu manēt post intelligēdi actus, ergo & illìc, cū ille status non sit deterioris conditionis, immò perfectioris, quam iste, alioqui tristaretur anima, propter admissionē earum, in quarum acquisitione, tantū tempus, & studium consumpsit. Ant. est in confesso, quandoquidem nec intellectus eis aduersatur, cum sit earumdem sedes, & subiectum: nec obiectum, cum ab hoc ortum suum ducant: nihil autem est productiuum, & simul destructiuū vnius & eiusdem. 4. si potentia inferior aliquid præstat, superior vtique illud potest præstare, vt si visus colorē percipit, pariter sensus communis, & intellectus eum percipit, & cognoscit: phantasia autem, quæ est potentia inferior conseruat species de rebus absentibus, vt patet in somniis, ergo & intellectus retinet, & cōseruat species de rebus cognitis, cum à corpore est seiunctus Insuper, anima separata potitur memoria, & reminiscentia, ex dictis *q.4. huius lib. a.1.* quæ esse nequeunt absque speciebus intelligibilibus retentis, & conseruatis in intellectu. Vnde diues epulo Luc. 16. meminit quinque Fratrum, qui adhuc in hoc Mundo viuebant.

13. Secunda pars est in promptu, charitas quippè, quæ est habitus voluntatis in vtroque statu perseuerat, iuxtà illud 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Deindè statui perfecto debetur habitus perfectus: charitas autē est habitus perfectus, immò inter reliquos habitus siue intellectuales, siue morales perfectissimus, & pręstantissimus, ergo remanet in anima separata. Vnde sumitur argumentum ad probandam primam partem huius ass. Si enim habitus morales persistunt in voluntate animę separatæ, pariter & habitus intellectuales, qui secum non vehunt imperfectionem, illique statui repugnantiam, in intellectu eiusdem animæ perseuerant.

14. Ass. 4. anima separata potest aliquid de nouo intelligere, quod in corpore non intellexit. Ita Scot. *vbi suprà, q.2.§. Ad quæstionem C.* Et *in Repart.§. Ad 2. quæstionem.* Suadetur 1. ab agente naturali debitè approximato passo, & non impedito, producitur effectus, vt patet

tet de igne comburente stupam sibi proximam: anima autem separata prædita est intellectu agente, & patiente, cui obuiam fit Angelus, aut aliud obiectum antea sibi ignotum, tunc verò notum, & intellectum. Principium namque sufficiens, & totale ad gignendam notitiam, & intellectionem est potentia cognoscitiua, & obiectû in se, aut in specie ipsum repræsentâte: ergo cum anima separata id omne habeat, planè euincitur, ipsam posse sibi comparare notitiam alicuius prius sibi ignoti. 2. anima paruuli defuncti exiguo tempore nati non habet cognitionē vllius obiecti, solùm quippè in corpore exercuit operationes vegetatiuas, & sensitiuas: ea autem anima à corpore seiuncta non est veluti truncus, incapax intellectionis, quia pollet intellectu agente, & patiente, ergo potest sibi acquirere intellectionē alicuius obiecti: quod si hoc potest anima pueri, non est denegandum animæ adulti, & cuiuscumque alterius, cum sint eiusdem rationis, & essentiæ. 3. quod participat nobiliorē, & eminentiorem modum essendi, habet maiorem, & opportuniorem modum sibi acquirēdi propriam perfectionem: anima autem separata habet excellentiorem, & præstantiorem modum essendi, quia seiuncta est à materia, & statu imperfecto; sic enim intelligit sine sensibus, & phantasmatibus, quibus erat alligata dum erat corpori cōiuncta, ergo consentaneum est, ipsam posse sibi adipisci cognitionem obiecti priùs ignoti. Occurrit Ponc. nuper alleg. post D. Th. 4. *d.* 50. *q.* 1. à Deo, vel ab Angelo infundi species, quibus deuenit in cognitionem obiectorum ignotorum. Contrà, absque necessitate, & vrgente ratione non est recurrendum ad Deum, vel substātias abstractas: dedecet namque philosophum, cum suppetunt rationes naturales, & efficacia argumenta, vt in præsentia. Anima quippè separata habet sufficiens principium exeundi in actum intelligendi, cum potiatur intellectu, & obiecto præsente, si ipsi v.g. offeratur Angelus, nonne poterit ipsum cognoscere? Si in via per motum Cęli attigit cognitionē eius, & in patria amittet eam, & ipsi oblatum non noscet illum? Ex obiecto namque, & potentia cognoscitiua, paritur notitia, teste Aug. 9. *Trin. c.* 12. à quo nemo Scholasticorum discordat. Deinceps, anima coniuncta potest assequi species rerum, easque intelligere, & separata in statu perfecto gaudens eodem intellectu, & cæteris viribus sibi congruentibus eas ignorabit, & de nouo quasdam illarum attingere non valebit? Profectò, id falsum, & absurdû videtur, quod habens principiû naturale agendi, non impeditû, & reliqua necessaria ad agendû, non agat, nisi peculiari influxu influat Deus, aut Angelus. Deterior siquidē esset anima rebus inanimatis, quæ cōmuni influxu pręstant opera sua, vt ignis calefacit, & aqua frigefacit, & aër humectat.

15. Dices, id prouenire ex modo eius intelligendi, quia ipsa anima intelligit depēdenter à phantasmatibus, & in eo statu caret ipsis phātasmatibus, propterea tunc quidquam nequit intelligere, nisi à Deo, vel Angelo species rerum ipsi subministrētur. Contrà, ille modus intelligēdi non est ei naturalis, sed ei accidit ex labe originali, ex dictis in superioribus. Deinde, si fiat ex colligatione potētiarum inferiorum, cum superioribus, & sensuum, cum intellectu: tamen potentia superior potest aliquid agere absque concursu inferiorum, vt patet de phantasia, quæ in somniis agit, feriatis reliquis sensibus, siue externis, siue internis. Ergo cû intellectus sit superior, à sensibus abstractus, poterit intelligere obiecta præsentia, & proportionata, absq; nouo influxu, & concursu Dei aut Angeli. Præterea, homo existens in curru iter agit, quoque extrà currum potest iter agere. Itemque homo in naui deambulat, pariter extrà nauim potest deambulare, quia vtrobique sortitur deambulandi virtutem: sic anima in corpore potest aliquas rerû species sibi acquirere, easq; intelligere, quoque extrà corpus id potest pręstare, quia in vtroq; statu participat eamdem intelligēdi potentiā. 2. species sensibiles ab obiectis sensibilibus præsentibus causantur in potentiis sensitiuis, & materialibus: sunt namque eorum similitudines, & imagines naturales, & ab imaginatiua offeruntur intellectui agenti, qui transfert eas de esse materiali, ad esse spirituale, vt suo loco dixi, & explicui: sicut ergo obiecta ipsa materialia causāt, & præsentant dictas species sensibus: ita & intellectui agenti animæ separatæ, qui cû habeat eam vim in statu separationis, planè sequitur posse habere eumdem effectum transmutandi easdem de esse materiali, ad esse spirituale, ac proinde iis mediis, cû sint spirituales cognoscere, & intelligere obiecta per ipsasmet repræsentata proculdubio valet. 3. Angelus potest aliquid de nouo cognoscere per species ab obiectis deprōptas, vt insinuat D. Aug *l. de cura pro mortuis, c.* 13. & affirmat D. Greg. 15. *Mor. c.* 13. à quib. non discrepat D. Th. 1. *p. q.* 89. *a.* 8. concedens Angelum quandoque descendere de cælo, ad aliqua peruestiganda, & perlustranda. Ergo & id potest anima separata. Denuò sensibilia mouent sensum, vt color oculum, & sonus aurem, ergo & spiritualia mouent intellectum. Insuper, accidēs coniunctum agit, vt albedo parietis disgregat visum: separatum quoque à subiecto immutat sensum, putà albedo hostiæ consecratæ disgregat eumdem visum, ac si fuerit in subiecto. Ergo idipsum asserendum est de intellectu animæ separatæ, ac coniunctæ.

16. Opp. 1. contra 3. ass. 1. Cor. 13. *scientia destruetur*. Scientia autem est vnus ex quinq; habitibus intellectus 6. *Eth.* 3. Ergo habitus intellectuales in statu separationis non manēt. R. testimonium D. Pauli allatum pro ma. exponendum esse, secundum partem, & modum imperfectum: non verò secundum substantiā ipsiusmet scientiæ, vt paulò post se declarat Apostolus inquiens, Nunc cognosco ex parte, tunc autem, sicut cognitus sum: Non enim amplius in ænigmate, & in speculo, sed facie ad faciem videbimus Deû, & reliqua obiecta in eius essentia repræsentata. Huic consonat Lyran. tum ibi, tum etiam in Epist Hieronym ad Paulinum *c. prealleg. in ass.* 3.

17. Opp. 2. ex 3. animæ, 39 *Sicut se habet sensus ad sensibilia: ita se habet intellectus ad intelligibilia:* sensus autē non potest cognoscere sensibilia, nisi sint existentia pręsentia, ergo nec intellectus intelligibilia, nisi sint præsentia per phantasmata: in statu autem separationis, nullum erit phātasma, quia tunc anima cunctorum sensuum erit expers, ex probatis in 1. ass. Igitur anima separata nec retinet, nec conseruat species intelligibiles. Resp. Arist. interpretandum esse de statu coniunctionis, quem nouit duntaxat: non autem de statu separationis, in quo phantasmate non indiget, cum habeat species intelligibiles alias acquisitas, quæ reseruantur in intellectu possibili, tanquam in eius thesauro.

18. Opp. 3. anima corpori vnitur, vt vsu, & ministerio sensuum assequatur cognitionem rerum: ergo in statu separationis, cum omnibus sēsibus careat, nequit vllam rerum notitiā sibi comparare, alioqui frustrà foret vnio eius, cum corpore. Nego conseq. Etenim anima duplici via potest rerum notitiam adipisci, putà in statu coniûctionis, ac etiam separationis: veluti finis acquiri potest duplici medio, nempe sanitas lotione, & potione. Quod si lotione acquiratur, non sequitur, potione non posse comparari, sed vtroque modo. Pariter, anima potest sibi acquirere cognitionem rerum in statu coniunctionis, ac etiam in statu separationis.

19. Dices, inter cognoscens, & cognitum interuenit nonnulla proportio, veluti inter recipiens, & receptum: inter autem animam separatam, & obiectum materiale, nulla adest proportio, quia hoc est sensibile: illa verò, nequaquam: atque spirituale recipere nequit materiale, hocq; in illud agere non valet. Igitur anima in tali statu nullam potest rei notitiam adipisci. Dico, intercipi conuenientiam, & proportionem non in entitate, sed in intelligibilitate, hoc est sicut res materialis est intelligibilis, sic anima est intellectiua, & intelligens. Veluti inter Deum infinitum, & intellectum finitum non inuenitur proportio in entitate, bene verò in intelligibilitate, hoc est, sicut Deus est cognoscibilis: sic intellectus creatus est cognoscitiuus.

LIBER

PHILOSOPHIA
MORALIS

Fr. BONAVENTVRÆ COLVMBI,
NICIENSIS,
Minoris Conuentualis ſacræ Theologiæ
Doctoris, & Profeſſoris.

AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS.

PHILOSOPHIA MORALIS
Fratris BONAVENTVRÆ COLVMBI, Minoris Conuentualis S. Theologiæ Professoris.

OCCASIO SCRIBENDI.

PHILOSOPHIAM Moralem prælo committere constitui, tum propter maximam eius vtilitatem, iucunditatem, & dignitatem, in superioribus prænarratam: tum etiam ob scriptorum paucitatem in schola Scotica, qui hanc typis mandarunt. Veteres enim Scotistæ ex instituto vix eam attigerunt: Recentres verò ieiunè, aut parum eam degustant. Hac fortasse de causa, quia est captu facilis, speculationibus haud referta, vel quæ in ista pertractantur, in Theologia, potissimum 3. *Sententiarum, & 2. parte Summæ Theologicæ*, ea omnia ferè aguntur, & expenduntur. Quamobrem hanc lucidè, & exactè, breuiter tamen examinandam, & excutiendam duxi, vt omni ex parte, Scoticæ doctrinæ studiosis cursus integer Philosophicus, & absolutus Scotistarum habeatur, vnà cum locis, & testimoniis Doctoris Subtilis explicitis, aut ex ipso deductis, & collectis.

PRÆFATIO.

PHILOSOPHIÆ Moralis primus author & sator, ab August. 8. *Ciuit.* 3. fertur fuisse Socrates, qui relictis naturalibus se totum moralibus dedit, & ad corrigendos, componendosque mores omnem curam & diligentiam adhibuit. Et sanè humanum genus legibus naturali atque morali regi ac gubernari constans est omnium sensus atque consensus. Arist. verò 1. *Polit.* 2. scriptum reliquit: *Homo perfecta lege instructus, eamque sequutus, omnium animantium optimus est; verùm à recta lege, bonisque moribus abductus, animal est omnium pessimum.* Et Seneca *in qq. naturalib. Virtus non nisi præuio duce & magistro acquiritur: at vitium absque vllo præceptore paritur.* Magno itaque studio venit amplectenda Ethica atque excolenda, quæ tanquam inuentum ac cœleste munus, vt bonorum morum vera norma atque magistra viam ad virtutem sternit & claudit ad vitia; passiones animi moderandas & compescendas; quid iustum, quidve iniustum; illud inhiandum, istud verò abhorrendum esse præmonstrat, & tandem prædicit atque deducit ad perennem fœlicitatem, & cælestem beatitudinem, cuius nos participes effici dignetur qui summa gloria, & infinita beatitudine potitur.

LIBER PRIMVS.

De Prolegomenis Philosophiæ moralis.

TRES in hoc præludio exarantur, & examinantur quæstiones, prima est de existentia, & nominibus Philosophiæ moralis. Secunda de diuisione, & natura eius. Tertia verò de obiecto, & materia circa quam ipsa Philosophia versatur.

QVÆSTIO I.

De existentia, & nominibus Philosophiæ moralis.

1. PRIMVM, quod de quauis re proposita peruestigamus, & perlustramus, est an sit, vt monet Arist. 2. *post.* 1. Cuius monitum, & præceptum libenter accipientes, & alacriter sequentes, nos prius existentiam Philosophiæ moralis pertractandam & explanandam breuiter statuimus, quàm alia eius quæsita, & prædicata aggrediamur.

ARTICVLVS I.

An sit Philosophia moralis.

2. ASsertio, datur Philosophia moralis. Hanc præsupponit Scot. *quæst.* 4. *Prol.* §. *contrà istam positionem. vers. Ideò dicitur sub E.* Et §. *Ad argumenta BB.* Et 4. *distinct.* 14. *quæst.* 3. §. *Hic dicitur F.* Probatur primò, ex communi Philosophorum consensu, qui huiusmodi Philosophiam vnanimiter, & concorditer docent, & prælo mandant. Accedunt August. 8. *Ciuitat. cap.* 5. Plut. 2. *de placitis capit.* 1. & Aristoteles *quinto Tomo operum eius.*

Secundò, ex celebri diuisione Philosophiæ, in rationalem, naturalem, & moralem, recepta a Stoïcis, Peripat. aliisque Philosophis, quorum torrenti improuidum, temerariumque sese opponere videtur. Atque ex vulgata partitione scientiæ in speculatiuam, & practicam, quæ subdiuiditur in actiuam, & factiuam, cuius meminit Arist. 6. *Metaphysica, cap.* 1. Et præmonuit 2. *Metaphysica, T.* 3. *Finis speculatiuæ est veritas, practicæ verò opus*, quod est, vel manuale spectans ad factiuam, vel morale pertinens ad Ethicam. Insuper ad rectè loquendum inuenta est Grammatica, ad bene dicendum Rhetorica, ad aptè disserendum Logica, ergo ad bene, beatéque viuendum concedenda est Philosophia moralis, cuius finis est, vt boni fiamus, 10. *Ethic.* 9. & 1. *Met* 2.

3. Opponės primò, Arist. 2. *Metaphysica, T.* 3. & Scot. ibi definientes Philosophiam inquiunt, Philosophia est scientia veritatis contemplatrix: Ethica autem est operis effectrix, non verò veritatis speculatrix, vt patet 10. *Ethic.* 9. Igitur cum definitio Philosophiæ haud ipsi congruat, admittenda non est Philosophia moralis. Respondeo præfatos Authores verba facere eo in loco de Philosophia speculatiua, non verò practica, cuiusmodi est Ethica, vt paucis interiectis textus plane, & nitidè ostendit. *Finis speculatiuæ est veritas practicæ verò opus.* Quod eruditè, & solidè monstrat D. Augustin. 11. *Ciuitat. cap.* 25. qui loquens de Platonicis ait. *Tripartitam sapientiæ disciplinam statuunt, cuius vna pars Logica, altera Physica, & tertia Ethica nuncupatur. Horum nomina latina iam multorum litteris obsignata sunt, vt rationalis, naturalis, & moralis vocentur.*

4. Oppones secundò, vnum est obiectum omnibus disciplinis conueniens, vt videre licet 3. *Met.* *T.* 10. cùm ergo Philosophiæ, & scientiæ diuisio penes res depromatur 3. *Anima* 31. non videtur esse excogitanda Philosophia moralis, à cæteris disciplinis distincta. Responden esse vnum obiectum commune, & transcendens, putà ens, quod sola Metaphysica speculatur, assertore Arist. 4. *Met.* 1. Præter autem ens, dantur obiecta particularia, quæ aliæ scientiæ considerant, vt loco mox cit. exemplificat Philosophus de Mathematicis scientiis, quæ distinguuntur à Metaphysica, penes sua obiecta particularia. Idque iam prædocuerat 1. *Ethic. cap.* 6. inquiens. *Multæ sunt scientiæ eorum etiam, quæ sub vna denuncupatione constituuntur.*

ARTICVLVS II.

Quibus nominibus appelletur hæc scientia.

5. SIcut Logicæ plura sunt nomina, nonnulla propria, quædam verò metaphorica, vt patefeci in *Epist. Dialect. lib.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. ita Philosophiæ morali complura assignantur vocabula, vt obseruant Aristot. Enarratores *in proœmio Ethicæ.*

Assertio, huius scientiæ quædam sunt nomina impropria, quædam verò propria. Hæc assertio est bipartita, & deducitur ex Scoto *locis allegatis præcedente art.*

Prima pars patet, ex variis quippè, & diuersis muneribus, & officiis, quibus ipsa fungitur, multa vocabula ei adaptantur. Appellatur enim vitæ magistra, morum regula, animi medicina, & voluntatis phatus, vt concinnè prosequitur Racon. *in suo Præludio mor.*

Secunda pars est in promptu. Siquidem vocatur Philosophia ciuilis, cuius origo ducitur à voce Ciuitas, cujus partes sunt singulæ domus familiæ, pauperes, & diuites, scribente Philosopho 4. *pol.* 21. Perhibetur quoque Philosophia practica, eo quod propriè praxim dirigit, quæ est operatio voluntatis, recto dictamini rationis conformabilis, vt dixi in Logica *lib.* 1. *quæst.* 3 *art.* 5. *dub.* 1. Iterum nuncupatur Ethica, siue moralis, quandoquidem de moribus, vsu, & habitu acquisitis disceptat, vt præ aliis notat Scot. 4. *dist.* 14. *quæst.* 3. §. *Hic dicitur F.* & annuit Arist. 1. *Magn. mor. cap.* 7.

6. Oppones, vna res vnum dumtaxat participat nomen, vt conſtat de homine, aliiſque rebus, quibus Adam *Geneſ.* 2. impoſuit nomina: vna autem eſt Philoſophia moralis, penes vnitatem ſui obiecti formalis, de quo in tertia quæſtione: ergo vno nomine, & non pluribus eſt nuncupanda. Negatur maior. Nihil quippè impedit, quin ex diuerſis officiis, muniis, attributis, & prædicatis, circà quæ occupatur vna ars, vel ſcientia, plura ſortiatur nomina, vt liquet de Logica, & Metaphyſica, quæ pluribus vocabulis inſigniuntur, propriis locis traditis.

Fauet Dionyſius, qui opus integrum confecit *de diuinis nominibus*, tametſi vnus ſit Deus, hicque ſimpliciſſimus.

Subſcribit Hieronymus *epiſtola centeſima trigeſima ſexta*, qui ex ſacro codice decem nomina Hebraïca colligit, & exprimit, ipſi Deo accommodata. Atque de Dæmone Bern. intelligit illud 6. *Æneidos:*

Cui nomina mille, mille nocendi artes.

QVÆSTIO II.

De diuiſione, & quidditate Philoſophiæ moralis.

ARTICVLVS I.

Quotuplex ſit Philoſophia moralis.

7. PRINCIPIO ſcinditur Ethica, in Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam. Monaſtica eſt, quæ in operibus moralibus priuati hominis conſiſtit. Ideò Monachus idem eſt ac ſolus, ſiue ſolitarius. Oeconomica eſt, quæ in benè regenda familia verſatur. Politica verò in rectè adminiſtranda Ciuitate, & gubernanda Rep. occupatur.

Deinde Politica ſubdiuiditur in Monarchiam, Ariſtocratiam, & Democratiam. Monarchia eſt, qua omnia vnius imperio ſubduntur, & reguntur. Ariſtocratia, qua omnia paucorum virtute, & æquitate inſignium virorum aguntur, & gubernantur. Hinc Philoſophus *primo Metaphyſica ſecundo* ait, Ingenio præditi debent aliis præeſſe. Democratia, qua Populus poteſtatem habet omnia regendi, & moderandi.

8. Aſſertio prima, recta eſt vulgata partitio Philoſophiæ moralis, in Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam. Præſupponitur à Doctore citat. Probatur primò ex Ariſtotele, qui omnia ſua opera Philoſophiæ moralis diſtinxit in decem libros de Monaſtica, duos de Oeconomica, & octo de Politica: præfata ergo diuiſio conſentanea eſt doctrinæ Ariſtotelis. 2. penes tria bona exercetur operatio moralis, vel circà priuatum hominem, & eſt Monaſtica, vel circà familiam, & eſt Oeconomica, vel circà Ciuitatem, prouinciam, aut regnum, & eſt Politica. Probè igitur diuiditur Ethica in tres prænominatas ſpecies.

9. Aſſertio ſecunda, Monaſtica præcedit tempore Oeconomicam, & Politicam, & hæc quidem tempore eſt poſterior duabus præcedentibus: dignitate verò eis præcellit. Non diſſentit Doct. *ibidem*, & recipit Ariſtoteles 1. *Oeconom.*, *capite* 1. Iſta aſſ. duas comprehendit partes.

Prima pars ſuadetur, homo prius debet ſcire, quæ neceſſaria ſunt ad ſui inſtructionem, & regimen, quod pertinet ad Monaſticam, quam aſſumatur ad regulandam, moderandamque familiam, quod ſpectat ad Oeconomicam; priuſque redditur idoneus ad familiam gubernandam, quam ad Remp. adminiſtrandam. Idque mouens D. Paulus 1. *Timot.* 3. inquit. *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit.* Deinde, præter Deum, amor ſui ipſius aliorum præcedit amorem, vt tradit Doctor. 4. *diſtinct.* 50. *quæſt.* 2. §. *Reſpondeo.* Et indicat Ariſtoteles 2. *pol.* 3. Ideò habetur illud Prouerbium, *Prima charitas incipit à ſeipſo.* Quò fortè reſpiciens Dauid *Pſalm.* 118. inquit, *Anima mea in manibus meis ſemper.* Accedit Gregor. *in capite* 8. *Iob*, *Reges, quia ſua corpora benè regere ſciunt, qui deſideriorum motus in ſe temperant, ſubiectas cogitationes lege virtutis regulant. Reges quia ſibimetipſis præſident, ſe regere ſciunt; ideò beata terra, cuius Rex nobilis eſt.* Suffragatur Solon Athenienſis, *Impera, vbi prius didiceris parere. Regi enim cum didiceris, ſcies regere.*

10. Secunda pars oſtenditur, bonum commune præferendum eſt bono particulari, quia illud eſt diuinius, vt tangit Scot. 1. *Reportat. diſtinct.* 10. *quæſt.* 1. poſt Ariſtotelem 2. *Magn. moral. capite* 17. Politica autem laborat circà bonum commune: Monaſtica verò, & Oeconomica reſpiciunt bona particularia. Igitur Politica cæteris dignitate præſtat. Vnde vir bene natus omnia paruipendet etiam diſpendio ſui, & totius familiæ, vt Reip. prouideat, eamque conſeruet, & tueatur, ab hoſtium inſultu.

11. Aſſertio tertia, bene diuiditur Politica in Democratiam, Ariſtocratiam, & Monarchiam: hæc verò vltima reliquis præcedentibus prælucet. Hæc aſſertio, quæ in duas ſecatur partes, non aduerſatur Scot. *vbi ſuprà.*

Prima pars ſuadetur, vel enim omnes incumbunt ad regimen Reipublicæ, & eſt Democratia: vel tantum virtute, & ingenio præſtantiores curam Reipublicæ gerunt, & eſt Ariſtocratia: vel vnius omnium ſupremus cunctis eminet, & præſidet, & eſt Monarchia. Tres ergo tantum ſtatuuntur politicæ ſpecies prærecenſitæ.

Deinceps, ſicut in Logica omnis propoſitio vel eſt vniuerſalis, vel indefinita, vel particularis: ita regimen aut populo committitur, aut virtute excellentioribus, aut vni ſoli. Si primum, eſt Democratia. Si ſecundum, eſt Ariſtocratia. Si verò tertium, eſt Monarchia. Non ergo numerandæ ſunt plures, aut pauciores ſpecies politicæ, tribus prærecenſitis.

12. Secunda pars oſtenditur primò, *ex tertio politic. & duodecimo Metaphyſices quinquageſimo quinto. Entia nolunt male gubernari, vnus ergo omnium princeps.*

Secundò, ex Patribus. Chryſoſtomo homilia trigeſima quarta in 1. Corinthiorum: *Deus dedit nobis vnum caput, nempè Adamum. Cur enim non omnes naſcimur ex terra, cum nec mulierem fecerit ex terra? Quoniam non ſuffeciſſet ad nos incitandos ad concordiam, quod ſimiliter eſſemus eiuſdem eſſentiæ, niſi etiam eumdem haberemus primum parentem.* Et Hieronymo tum 1. contrà Iulianum, tum etiam epiſtola ad Ruſticum Monachum. *Grues vnam ſequuntur ordine iterato: Imperator vnus, Iudex vnius prouinciæ, Roma vt condita eſt, duos ſimul fratres habere Reges non potuit.*

Tertiò, Princeps eſt imago, & exemplar Dei in

terris,

cæteris, & rerum moderator, vt quidam ex Sen. referunt: Monarchia autem Dei Dominium repræsentat, quod vnum est duntaxat, iuxtà illud Matt. 6. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Ierem. 12. *Pastores multi demoliti sunt.* Et Ioan. 10. *Fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Prætereà, 2. *Physic.* 22. Ars imitatur naturam: regimen autem naturæ ad vnum tendit, vt partes, & membra ad vnum corpus, & animam ea viuificantem, & gubernantem, corpus, & anima ad vnum compositum animatum: omnes potentiæ animæ, & totius coniuncti animati vni subiiciuntur, putà voluntati, aut rationali virtuti. Inter belluas terrestres regnat Leo, inter aquatiles Cete, inter volatiles Aquila, & omnibus animantibus præest homo, vt patet Gen. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Denique vniuersorum Dominus, vnus est Deus, vt legitur Apoc. 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium.*

13. Oppones primò, contrà primam assertionem, Aristot. 1. *Magnorum mor. cap.* 1. sub Politica recenset Ethicam: ergo Ethica non dissidet à Politica, aut saltem ea non est communior, & vniuersalior. Respondeo ibi Arist. loqui per figuram synecdochen, sumendo partem pro toto, idest Politicam pro tota Ethica. Plerumque enim denominatio fit à nobiliori parte. Sic inscribuntur libri de anima, cum sint de corpore animato, quod est eorum subiectum, vt ibi docui. Pariter August. *lib.* 2. *qq Euangelicarum quæst.* 7. Animam locat pro homine. Et 3. *de consensu Euangelist. cap.* 24. subiicit, Morem sacræ scripturæ esse, partem pro toto vsurpare. Quare Philosophia moralis vocatur Politica, quia hæc est apex eius, cæterisque eius partibus eminet.

14. Oppones secundò, contrà tertiam assertionem 1. *Reg.* 8. reprehenduntur Israëlitæ à Deo, quia ab ipso postularunt Regem: ergo Monarchia, cuius caput est Rex, non est cæteris præstantior, & dignior. Respondeo Israëlitas non à Deo redargui, eo quod petierint Regem absolutè, sed quia Deum, qui erat eorum Rex, & qui per Iudices eos regebat, mutare voluerunt in Regem, qui regnum tanquam suum possideret, & ad filios suos iure hæreditario transmitteret. Ideò subdit August *in Psalm* 17. *Notum est autem, quomodo ille populus Regem sibi petierit, non secundum Dei, sed secundum suam voluntatem.* Et *lib.* 5. *qq. quæst.* 16. *ex Deut.* 17. *Desiderantibus Regem Deus illis non præcepit, sed permisit.*

15. Oppones tertiò, natura non sumus serui, sed liberi. *Fecit enim Deus hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, Eccles.* 8. Ergo Democratia, in qua extat publica libertas aliis est præferenda: siquidem nos esse liberos in actibus nostræ voluntatis, cui non obstat, quin ad bonum regimen Ciuit. Regni, & Imperij, vni subiiciamur, & obsequamur, qui malos coërcendi, & bonos præmiandi potestatem habeat. Idque non minus luculenter, quàm eloquenter edisserit Chrysost. hom. 23. ad Rom. *Quoniam honoris, ac conditionis æqualitas, pugnas, ac dissidia plerumque inducit, multos fecit Principatus, multasque subiectiones, vtpote viri, vxoris, patris, filij, senis, adolescentis, serui, liberi, principis, subditi, præceptoris, ac discipuli. Et quid miraris, quod in homine istud fecit, quando idem & in corpore nostro fecit? Sed hoc quidem minus, istud verò melius, & hæc quidem reliquis membris imperantia, ista verò subdita. Idem & in bestiis videre est, vt in apibus, gruibus, gregibus ouium agrestium. Quin, & mare ista disciplina destitutum non est: sed illic quoque multa piscium genera, sub vno reguntur, ac militant, longasque ita peregrinationes exequuntur. Libertas enim illa dissoluta, ac moderamine carens, vbique mala, confusionisque causa est.*

Quæres, quisnam fuerit primus omnium Rex? Dico, cum August. *lib primo quæstionum super Genes. quæstion.* 121. In Israël extitisse Saul, vt patet 1. *Reg.* 10. *Et clamauit omnis populus, & ait, viuat Rex.* Dixi in Israel. Nam, antè Saül, in aliis regionibus floruisse Reges, narratur *Genes.* 14. vbi Abraham vicit eos Reges, qui captiuum duxerunt Loth. Atque, in confesso est apud Chronistas, Ninum Beli filium vniuersæ Asiæ populos subiugasse, qui antè Saul vixit. Ideóque, Saül simpliciter non extitit omnium primus, qui nomen Regis sibi vindicauit, *vt in text. mox citat. cap.* 8. aperte constat: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersa habent nationes.* Plura Genebr. 1. *Chronol. pag.* 17. 18. *& inde.*

ARTICVLVS II.

An Philosophia moralis sit scientia.

PHilosophiam moralem esse vnum, verumque habitum intellectus, nemo est, qui nesciat. Est enim habitus, quo intellectus iudicat, quid amplectendum, quidve fugiendum sit: cum autem, ex dictis in Logic. *lib* 1. *quæst.* 2. *artic.* 1. *Not.* 2. quintuplex statuatur habitus intellectus, & existimatur, proptereà, iure vertitur in dubium, quisnam habitus intellectus, ex illis quinque decernatur Philosophia moralis.

16. Assertio, Philosophia moralis est scientia. Ita Scot. *quæst.* 4. *prol.* §. *Ad argumenta principalia circà BB.* Probatur primò, ex Aristot. 2. *Metaphysic. cap.* 1. *T.* 3. *& 6. eiusdem, cap.* 1. *T* 1. vbi recensentur scientiæ speculatiuæ, & practicæ, inter quas non infimum locum tenet Philosophia moralis. Fauet Hugo *lib. de instructione Nouitiorum Via ad Deum est scientia, quæ ad instructionem rectè, & honestè viuendi pertinet.* Et late ostendit Ocham. *Quol.* 2. *quæst.* 14. Et concludit Ægid. 1. *de regim. cap.* 3. *Homo interuentu huius scientiæ dominatur sibi ipsi, seque lucratur.*

Secundò, Philosophia moralis est habitus per demonstrationem acquisitus, ergo est scientia. Consequent. tenet, ex 1. *post.* 2. *& 6. Ethic.* 3. Ant. probatur, multæ in Ethica fiunt demonstrationes, omne summum bonum est finis vltimus: Deus autem est summum bonum, ergo est finis vltimus Item, omne rationi consentaneum est prosequendum, virtus autem est bonum rationi consentaneum, ergo est prosequenda.

Tertiò, Ethica est vnus ex quinque habitibus intellectus, vt omnes concedunt: non est autem ars, quia ars est habitus factiuus, qui corporeo organo exercetur: nec est habitus intellectus, qui in sola terminorum explicatione acquiritur: nec est sapientia, quæ causas altissimas contemplatur: nec prudentia, quandoquidem pueri Mathematicam, & Ethicam callere possunt, tametsi prudentia careant, cuius rationem reddit Aristot. 6. *Ethic* 8. quia prudentia est particularium, quæ per experientiam nobis innotescunt, cuius pueri sunt expertes. Atque nonnulli Ethica, aliisque disciplinis sunt ornati, prudentia verò sunt exuti, cum male res suas gerant, vt nominatim de Salomone notat Raynaud. §. 4. *prol. n.* 41. Et antè eum Æneas Syluius *epist.* 104.

Oppones primò, Moralis Philosophia, secundum August. 19. *Ciuitat. cap.* 3. dicitur ars circà vitam, vel ars honestæ vitæ: ars autem est habitus à scientia distinctus, 6. *Eth.* 3. Ergo moralis Philosophia

non eſt ſcientia. Reſpondeo exponendo Ariſt. de arte latè ſumpta, ſicut accipit Ariſtot. 1. *Metaphyſ.* 1. vbi Mathematicas diſciplinas vocat artes, quas conſtat eſſe propriè ſcientias: non autem de arte anguſtè, & propriè capta, ſic enim benè à ſcientia diſſidet, vt probat argumentum.

Oppones ſecundò. Idem Philoſophus 6. *Ethic.* 8. ſcribit habitus cum rectâ ratione actiuus, ſecundum ea, quæ homini ſunt bona, vel mala, eſt prudentia: Philoſophia autem moralis eſt huiuſmodi, ergo eſt prudentia. Reſpondeo maiorem capiendam eſſe, penes ea duntaxat, quæ ſunt bona, aut mala, ſecundum particulares circumſtantias, quandoquidem prudentia reſpicit actiones ſingulares, loco, & tempore debito promendas, & adminiſtrandas, vt clatè inſinuat Ariſtot. *loco proximè allegat.* Non autem de iis, quæ ſunt bona, vel mala in communi. Iſta namque ſpectant ad Ethicam. Adde, quod prudentia eſt vna ex virtutibus moralibus, de qua ſuo loco. Ethica autem, nedum virtutes morales, verumetiam pleraque alia conſiderat, vt patebit in eorum decurſu.

Oppones tertiò, ſcientia eſt de æternis 1. *poſt.* 6. Ethica verò eſt de temporaneis, & mutabilibus. Verſatur quippè, in humanis actibus; quos mutationem ſubire, neminem latet. Vnde *Iob.* 14. de homine loquens ait, nunquam in eodem ſtatu permanet. Igitur Philoſophia moralis non eſt ſcientia. Reſpondeo per expoſitionem, & diſtinctionem maioris incomplexè, nego: complexè, concedo. Ad diſtinctionem maioris diſtinguenda eſt minor, vt copioſè cum Scot. præſtiti in Logic. *lib.* 1. *quæſt.* 2. *artic.* 2.

Articvlvs III.

An Philoſophia moralis ſit practica.

Prælibatis iis omnibus, quæ ſtudioſè attuli, & latè explicui in Logica *paſſu nunc recenſito, art.* 5. *dub.* 1. & 2. promptè, & facilè deciditur præſens difficultas.

Aſſertio, Philoſophia moralis eſt practica. Defenditur, à Scot. *quæſt.* 4. *prol.* §. *contrà iſtam poſitionem. ſub E.* poſt Ariſtot. 1. *Ethic.* 3. & 10. *eiuſdem operis, cap.* 10. & *Clem.* 1. *pædag. cap.* 13. qui eam appellat ſtudium rectæ rationis, ſupple, practicæ, & mores dirigentis. Probatur primò, omnis ſcientia, quæ dirigit praxim, eſt practica, quæ verò non dirigit praxim, eſt ſpeculatiua: Ethica autem dirigit praxim, ergo eſt practica. Maior eſt communis. Minor eſt in promptu. Siquidem Ethica dirigit operationem voluntatis quæ eſt vera, & propria praxis, vt ex omnium conſenſu tradit Doct. *vbi ſuprà*, §. *Dico igitur.*

Secundò, omnis ſcientia, vel eſt ſpeculatiua, vel practica, 6. *Metaphyſ.* 1. Philoſophia autem moralis eſt ſcientia, vt probaui in præcunte artic. ſed non eſt ſpeculatiua, quia tendit ad opus, finiſque eius eſt, vt boni efficiamur, ex dictis, loco nunc allegat. Igitur, Philoſophia moralis, inter diſciplinas practicas eſt aſcribenda, non quidem factiuas, & manuales, ſed actiuas, quarum principium eſt in agente electio. Idem enim eſt agibile, & eligibile, 6. *Metaphyſica, paulo ante text.* 2.

Oppones primò, finis ſcientiæ practicæ eſt opus, 2. *Metaphyſ. cap.* 1. *T.* 3. Finis autem Philoſophiæ moralis, nullum extat opus, cum ſit praxis, quæ nullum denotat opus: ergo Philoſophia moralis non eſt practica. Concedo maiorem, diſtinguo minorem, nullum eſt opus manuale, concedo: nullum eſt opus morale, nego, vt loco præreceuſito abundè declaraui.

Oppones ſecundò, omnis ſcientia eſt ſui gratia, vt non obſcurè innuit Ariſtot. 1. *Metaphyſ.* 2. Philoſophia autem moralis non eſt ſui gratia, quia fertur ad opus morale, ergo nec eſt ſpeculatiua, nec quoque practica. Reſpondeo eludendo, nullumque eſſe argumentum. Si quid enim valeret, ſuaderet ſolùm Ethicam non eſſe ſpeculatiuam, quod libenter admittimus, non verò, non eſſe practicam, vt videre licet in text. prælato, vbi Stagir. explicitè, & apertè ſcribit, nobiliorem eſſe ſcientiam, quæ eſt ſui gratia, quàm quæ eſt gratia alterius. Quare, abſolutè nego maiorem, ſcilicet omnem ſcientiam eſſe ſui gratia, Quod piè, & eruditè indicat Chryſoſtom. *homil.* 13. *ad Rom. Quid profuerit, ea, quæ agenda ſunt ſcire ei, qui ea ad opus non producit? certè nihil: immò maior indè condemnatio exiſtit.* Et præmonet Ariſtot. tum 10. *Ethic. cap.* 9. tum etiam, 1. *Moral. ad Eud. cap.* 3.

QVÆSTIO III.

De obiecto Philoſophiæ moralis.

Articvlvs Vnicvs.

Quodnam ſit obiectum Philoſophiæ moralis.

Valvs, & enixè altercantur Philoſophi, in decernendo obiecto Philoſophiæ moralis, quos conciliare nititur Raynaud. § 2. *prol. ſuæ diſciplinæ moralis.* Nonnulli namque opinantur, obiectum eius eſſe virtutem. Quidam, vt Pontius felicitatem naturalem. Alij, actionem humanam moralem. Cæteri verò, hominem bonis moribus imbuendum. Pro cuius declaratione, & deciſione.

Not. primò, actionum quaſdam eſſe naturales, & neceſſarias, quaſdam verò liberas, & contingentes. Priores naturaliter, & neceſſariò ab homine prodeunt, vt nutritio, accretio, & generatio, quæ communes ſunt cunctis animantibus. Poſteriores autem, liberè, & contingenter ab eodem proficiſcuntur, vt amor, odium. Rurſus, adducte ex Doctore *quæſt.* 4. *prol. artic.* 1. §. *Dico igitur*, duplicem eſſe actum voluntatis, elicitum, & imperatum. Actus elicitus immediatè à voluntate promanat, in eaque reſidet, vt actus diligendi. Imperatus verò eſt actus alterius potentiæ, à voluntate, imperio ipſius voluntatis ſubiectus, veluti actus appetitus ſenſitiui coërcitus à voluntate, de quo inquit Deus, Cain, *Gen.* 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

Not. ſecundò, actionem voluntatis poſſe bifariàm inſpectari. Primò, in genere entis, quatenus ſcilicet eſt ens, ſiue actus realis phyſicus à voluntate prodiens, cuius conſideratio pertinet ad Animaſticam, quæ de voluntate, & conſequenter de actibus eius diſſerit.

Secundò, in genere moris, quatenus actio decore, aut dedecore, præconio, aut opprobrio digna cenſetur, de qua diſputat Philoſophia moralis. Præterea, recognoſce quæ dixi *lib.* 1. *Logica, quæſtion.* 4. *artic.* 1. de diuiſionibus obiecti, eiuſque

eiuſque conditionibus neceſſariis, & ad ipſum requiſitis.

Aſſertio prima, virtus non eſt obiectum proximum, & adæquatum Philoſophiæ moralis. Deducitur ex Doct. *quæſt. 3. prol. §. Ad 1. argum. 1. quæſt. & §. Ex his dictis in fine.* Probatur primò, virtus non continet omnia, quæ in Ethica comprehenduntur, veluti ſunt bonum, finis, ſelicitas, & id genus alia, de quibus ſigillatim in hoc opere ſumus acturi. Ergo nequit eſſe obiectum eius totale, & adæquatum.

Secundò, obiectum ſcientiæ primum, & adæquatum non ordinatur ad aliud, quod in ipſa tractatur, immò, omnia, quæ in illo aguntur, ad illud quoquo modo referuntur: virtus autem ordinatur ad felicitatem, tanquam ad finem, & terminum eius: non ergo eſt Ethicæ obiectum totale, & adæquatum.

Hinc quoque refellitur opinio eorum, qui arbitrantur, ſelicitatem naturalem eſſe totale obiectum diſciplinæ moralis, quandoquidem hæc eſt finis eius, non autem obiectum eiuſdem totale. Addo, ſcientiam realem, cuiuſmodi eſt Ethica, non verſari, circa accidens, tanquam eius obiectum: felicitas autem formalis eſt accidens, putà operatio perfecta naturæ intellectualis. Deinde, ſelicitas naturalis non continet virtualiter, aut potentialiter omnes veritates, quæ de iſta ſcientia perhibentur: atque multa in hac tractantur, quæ haud felicitati naturali congruunt, proindéque hæc non decernitur obiectum eius totale, & adæquatum.

Aſſertio ſecunda, nec actio humana moraliter dirigibilis extat Philoſophiæ moralis formale obiectum. Colligitur ex eodem Doct. præcit. Probatur primò, obiectum formale, & totale cuiuſque ſcientiæ eſt obiectum quod, ideſt, quod à ſcientia expenditur, & exeutitur: actio autem humana moraliter dirigibilis non eſt obiectum quod, ſed quo, ideſt, media actione, ſiue notitia practica, Philoſophus moralis nouit benè, honeſtéque eſſe viuendum, ſeque in bonis moribus exercet, vt ſelicitatem adipiſcatur. Huiuſmodi ergo humana actio non eſt primum, & proximum obiectum moralis doctrinæ.

Secundò, actio moralis non continet omnia, quæ conſiderantur in Ethica, præſertim, bonum, finem, felicitatem, & huius formæ alia. Non enim hæc ſunt actiones, nec ad actionem reuocantur. Denuò in Log. *paſſu allegat.* reiecimus actionem, ſiue operationem intellectus, vt dirigibilem, ab obiecto Dialecticæ: ergo pariter à nobis refellenda eſt actio moralis, vt bonis moribus informabilis ab Ethicæ obiecto. Inſuper, obiectum ſcientiæ realis, & principalis, vti eſt Ethica non eſt accidens, annuente Doctore nuper memorato, & patet de obiecto phyſicæ, aliarumque ſcientiarum: actio autem, ſiue de genere qualitatis, ſiue de genere actionis, eſt accidens: non ergo extat obiectum formale Philoſophiæ moralis.

Aſſertio tertia, homo bonis moribus erudiendus, ſeu moralizandus eſt formale, & adæquatum Philoſophiæ moralis obiectum. Innuit Doct. *quæſt. 3. prol. §. Ad 1. argum. 1. quæſtione, in ſolutione 3.* Expreſsè tuetur Aut. *quæſt. vltim. prol.* Et tangit Ariſtot. 1. *Ethic.* 4. Probatur primò, ex aliorum refutatione. Cum enim apud omnes pro certo habeatur, Philoſophiæ moralis aliquod eſſe ſtatuendum obiectum formale, hocque haud ſit virtus, nec ſelicitas naturalis, nec aliud quidpiam, ex probatis ſuperius, euidenter euincitur, eſſe hominem bonis moribus imbuendum.

Secundò, ſuadetur à ſimili, obiectum phyſicæ eſt corpus naturale, & Medicina eſt corpus ſanabile, ergo obiectum Ethicæ eſt homo moralizabilis.

Tertiò, præſatum obiectum participat omnes conditiones neceſſarias præexactas ad obiectum proximum, & ſormale Ethicæ. Præſupponitur namque in Ethica, an ſit, & quid ſit homo moralizandus, demonſtrantur eius paſſiones ſcibiles, & ad ipſum, omnia, quæ diſſeruntur in Ethica redіguntur, vt conſtat legenti, & percurrenti ea. Ergo huiuſmodi extat diſciplinæ moralis obiectum.

Oppones primò, contrà ſecundam aſſertionem, actio humana moraliter dirigibilis, habet omnes conditiones requiſitas ad obiectum formale Philoſophiæ moralis, ergo eſt eius obiectum ſormale. Ant. probatur, actionis humanæ principium, partes, & proprietates ſunt liberum arbitrium, & habitus, qui ad honeſtos actus inclinant, & influunt. Hæc enim omnia in morali ſcientia expenduntur, & excutiuntur, ergo &c. Nego ant. ad eius probationem dico, actionem eſſe obiectum quo, non autem quod, vt palam oſtenditur, *in ſecunda aſſertione.*

Oppones ſecundò, contrà tertiam aſſertionem, in Ethica, de homine non præcognoſcitur an ſit, & quid ſit, nec demonſtrantur eius paſſiones ſcibiles. Id enim munus eſt Animaſticæ, ergo homo moralizabilis non eſt obiectum ſormale Ethicæ. Nego ant. ſiquidem, diuerſimodè homo conſideratur ab Ethica, & Animaſtica. Ab animaſtica enim inſpectatur, vt corpus naturale animatum anima rationali: ab Ethica verò vt bonis moribus inſtruendus. Ideò, ſub diuerſa ratione ſormali in vtriuſque ſcientiæ conſiderationem cadere poteſt, vt in ſimili aſtruit Stagit. 1. *Eth.* 7.

Quæres, quiſnam ſit finis Philoſophiæ moralis? Dico eſſe honeſtam vitam, & veram ſelicitatem homini conferendam, vt inſinuat Senec. *epiſtol.* 88. monſtrat Aut. *quæſt. vltim. prol.* & indicat Ariſtot. 1. *Eth.* 4. & 8.

LIBER SECVNDVS.

De bono fine, & felicitate hominis.

PHILOSOPHI moralia peruestigantes, & pertractantes, tria à nobis proposita priùs examinant, & exagitant, quàm reliqua attingant, quæ ad Philosophiam moralem spectant, tùm quia hunc ordinem Peripateticorum Princeps seruat, tùm etiam quia, præsentato bono, præfixo fine, obiectaque homini felicitate, ipse mouetur libenter, & alacriter excitatur, ad perquirenda media congrua, opportuna, & efficacia, ad eorum consequutionem, vt indicat Arist. 1. *Eth.* 2. & notat Eustratius, *in preludio* 1. *Eth.* Quatuor autem extant quæstiones in præsenti libro, primus de bono, secundus de malo, tertius de fine, & quartus de felicitate, & beatitudine hominis.

QVÆSTIO I.

De Bono.

ARTICVLVS I.

An sit Bonum.

DE duplici bono memorato à Doct. 2. *dist.* 7. *quæst. vnic.* excitari potest præsens difficultas, nempè de bono, quod reciprocatur cum ente, quodue appellatur bonum transcendentale à Metaphysica expensum, & excussum: & de bono morali, quod Ethica examinat, & considerat.

Assertio prima, conceditur bonum transcendens. Est Aristotelis 4. *Met. T.* 18. *&* 28. Scot. & cæterorum Philosophorum *ibid.* Probatur primò ex sacra pagina, Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Et Exod. 33. *Ostendam omne bonum tibi.*

Secundò, passio conuertitur cum eo, cuius est passio, vt liquet ex Porph. *in Isag. cap. de proprio*: bonum autem transcendens est passio entis, 4. *Met. cit.* Esse verò ens, nemo inficiatur: ergo & bonum transcendens.

Tertiò, bonum omnia appetit, 1. *Eth.* 1. in eiusque indagine, omnes ferè occupantur, vndè extat illud vulgatum alleg. à Scot. 5. *Met. cap.* 2. *in T.* 3. Nullum agens agit respiciens per se ad malum. Admittendum ergo est bonum transcendens.

Assertio secunda, datur bonum morale. Hæc ass. quoque est communis, sicut præcedens. Probatur primò ex sacris literis, 2. *Palip.* 24. *Fecit, quod bonum est coram Domino.* Matt. 5. *Vt videant opera vestra bona.* Ad Titum 2. *Præbe exemplum bonorum operum.* Et de S. Laurentio Ecclesia cantat, *Laurentius bonum opus operatus est.*

Secundò, actus elicitus à voluntate, conformis rationi rectæ, est bonus moraliter, vt infrà palam fiet: actus autem prudentis, & sapientis viri conformatur recto dictamini rationis: igitur, respuendum non est bonum morale. Deinceps, celebris est diuisio ab omnibus recepta, in bonum naturale, & morale. Atque plerique nuncupatim Socrates dimisso bono naturali, ad bonum morale se conuerterunt, omnemque curam in eo obtinendo collocarunt, vt animaduerti in præfatione huius disciplinæ: aptè ergo admittitur bonum morale.

Oppones primò, primæ Ioan. 16. *Omne, quod est in Mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Hæc autem omnia mala sunt, quia peccata, & transgressiones diuinæ legis: nullum ergo bonum est concedendum. Respondeo præfatum testimonium exponendum esse iuxtà interpretationem Aug. 6. *contrà Iulianum cap.* 1. sumendo Mundum, pro homine malo, in quo prænominata peccata regnant. Et de hoc Idem Ioan. *in initio sui sacri eloquij* inquit. *Mundus eum non cognouit.* Et *ibid. cap.* 14. *Venit enim princeps huius Mundi.* Cum autem, præter hominem prauum, & reprobum, sit vir bonus, & iustus, non probè infertur, nullum esse bonum. Quod etiam benè vidit Arist. 3. *polit.* 7. *Bonos, & æquos dominari oportet, authoritatemque habere omnium.* Et 4. *Eth.* 3. *Solus bonus est honorandus.*

Oppones secundò, ex eodem Ioan. *præcit. cap.* 19. *Mundus totus in maligno positus est.* Hinc D. Antonius, vt patet in eius vita, vidit aliquando vniuersum Mundum irretitum, & illaqueatum laqueis diaboli, à quibus pauci liberantur. Adde, probra, scelera, & conuicia, quæ committuntur in Mundo. Non ergo videtur esse bonum in Mundo. Occurrendum est, ex August. *in Psal.* 34 *conc.* 1. & *tractat.* 3. *in Ioan.* & Alphons. *l.* 10. *aduersus hæreses, ver. Mundus.* ibi accipi Mundum pro malis, & prauis incolis Mundi, qui innumeris malis, & sceleribus notantur. Ideò, sancti viri, nisi ope Dei, ab eiusdem mundi retibus, & laqueis malorum eruerentur, procul dubio perirent. Hinc *Sap.* 4. de homine iusto legitur. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Et Psal. 123. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Quare, etsi mala sunt, quoque sunt bona. Si enim est vnum oppositum, est, vel saltem potest esse aliud oppositum, vt egregie prosequitur Arist. 4. *Met. T.* 20.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit bonum.

PRimò scinditur bonum, in bonum transcendentale, cuius memini in præcedente artic. & bonum prædicamentale, quod ab Aristot. 5. *ad Nicom. cap.* 9. & 1. *ad Eudem. cap.* 5. diffunditur in decem genera, siue prædicamenta. Ratio huius diuisionis reddi potest, quia quidquid est, aut locatur in genere, & est prædicamentale, aut est extrà genus, & est transcendentale, vt abundè ostendi in Log. & *in Met. l.* 2.

Secundò distribuitur à Platone 1. *de legibus*, & indicatur ab Aug. 2. *de gen. contrà Manich. cap.* 4. *&* 1.

de

de natura boni, *cap.*1. & *in Psal.*26. *enarratione* 2. & Scot.1.*d.*1. *quæst.*4.§. *Negatiuam*. Post Arist.1. *Eth.*6. in bonum diuinum, quod dicitur bonum per essentiam, vti est solus Deus, de quo Matt. 19. *Nemo bonus, nisi solus Deus* Et 9. *Eth.* 4. *Deus est bonum, cum sit ipsum id, quodcumque est & bonum creatum, quod perhibetur bonum per participationem, cuiusmodi est omne creatum.* Causa huius partitionis est, quia vt patet, *in Met. l. de ente* 1. ens adæquatè secatur in ens increatum, & creatum.

Tertiò, à Scot. 1.*d.*1.*quæst.*1. *art.*3. & 4. & *in Rep. ibid. quæst.*1. in bonum verum, apparens, & præstitutum. Bonum verum perhibetur illud, quod verè congruum, & conueniens est rei. Bonum apparens, quod quidem videtur bonum, tamen reuera bonum non est. Bonum præstitutum, quod quispiam sibi præfigit esse bonum, licet nec verum, nec apparens bonum sit. Potest namque voluntas pro suo libito sibi aliquid, tanquam bonum præstituere, vt suo loco monstrabitur.

Quartò ab eodem Doct. 2. *Rep. d.* 7. *quæst.* 3. in bonum naturale, quod naturæ alicuius congruit: bonum gratuitum, quod reddit hominem Deo gratum, instruitque in eius actum meritorium: & bonum morale, quod recto dictamini rationis conformatur.

Quintò ab Aug 8. *ciuit.cap.*8. & *l.de spiritu. & lit. cap* 11. & Scot.4.*d.*46 *quæst* 4. *A.* & *d.*15. *quæst* 4 *B.* quibus præiuit Arist. 1. *Rhet. cap* 5. in bonum intellectuale, siue bonum animi, vt sunt virtutes, & dona Dei, de quibus Ecclesiastic.31. *Stabilita sunt bona illius in Domino* Bonum corporis, vt sanitas, pulchritudo, Psal.44. *Specie tua, & pulchritudine tua.* Vndè subdit Aug.15. Ciuit. *Pulchritudo corporis donum Dei, bonum est, sed propterea id etiam largitur malis, nè malum, bonum videatur malis.* Non omitto dictum Diogenis, qui videns quemdam vultu decorum, & moribus turpem, ait. *O quàm bona domus, & malus hospes.* Bonum fortunæ, vt diuitiæ, de quibus Matt. 25. *Pater-familias vocauit seruos suos; & tradidit illis bona sua.* Addi potest bonum æternum, vt beatitudo, de qua S.Petrus Matt.17. *Domine, bonum est nos hic esse.* Et Ecclesiastic. 39. *Bona, bonis creata sunt à principio.*

Sextò ab Arist.1. *Eth.*3. & Scot.3. *d.*14. *quæst. vn.* §. *His suppositis ante K.* in bonum honestum, quod per se expetitur, decetque naturam rationalem, vt virtus tam intellectualis, quàm moralis: bonum vtile, quod gratia alterius expetitur, vt opes, ad dignitates consequendas: & bonum delectabile, cuius præsentia, habenti fert oblectamentum, vt pomum, quod est visu pulchrum & aspectu delectabile, cuiusmodi erat illud, quod produxit Deus in paradiso voluptatis *Gen.*1.

Oppones, vnum est solum bonum, idque summum, vt patet Luc.18.*Nemo bonus nisi solus Deus*: Ergò inanes extant tot bonorum diuisiones præadductæ. Concedo ant. nego conseq. Nam, est vnum tantum bonum, per essentiam: plura verò bona sunt per participationem. Hæc responsio affertur à Damasc.2. *fidei cap.*29. *solus Deus natura bonus.supple per essentiam:catera verò sunt bona per participationem.*

ARTICVLVS III.

Quid sit bonum.

17. NOnnolli, inter quos à Suarez *disput.*10. *Met. sect.*1.*num.*2.citatur Capr.2.*d.*24. & consentire videtur Faber *in supplem.*4.*d.*14 *cap.*5. existimant, bonum præ se ferre tantùm relationem rationis conuenientiæ vnius, ad alterum. Alij à Conimb. alleg. *disput.*1. *Eth. art.*1. arbitrantur, bonum designare formaliter quamdam rationem absolutam rei, cuius est bonum. Scot. verò 1. *d.*17. *quæst.*2. & *Quol.*18. Gad, & Lych. *ibid.* docent bonum formaliter nihil aliud præ se ferre, quàm relationem realem integritatis, siue conuenientiæ rei cuius est bonum.

Not.1. ex Doct. cit. §. *De primo. C.* bonum duplex esse, primarium, & secundarium. Bonum primarium, quod & bonum essentiale perhibetur, est integritas, siue perfectio rei in se, quæ designat negationem imperfectionis, & diminutionis, sic natura humana dicitur bona, quia habet quidquid requiritur ad eius essentiam, & hoc est bonum transcendentale, quod cum ente reciprocatur, 1.*Eth.*6.& 4. *Met.*28. Atque, cum eo realiter identificatur, veluti passio cum re, cuius est passio. Bonum autem sic acceptum distribuitur in bonum per essentiam, veluti est Deus: & in bonum per participationem, cuiusmodi est omne creatum. Bonum secondarium, quod enti superueniens, & accidentale dicitur, est integritas conuenientiæ eius alteri, cui debet conuenire, vel alterius sibi: hæque duæ conuenientiæ adinuicem connectuntur, vt videre licet apud Aug.8. *Trin.cap.*3.*Bona valetudo sine dolore, & lassitudine: & bona facies hominis dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata.* Cernitur quippè, in hac authoritate prior conuenientia, cum dicitur, *bona valetudo est sine dolore & lassitudine.* Posterior verò, cum subditur, *& bona facies hominis dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata.*

Not 2. triplex esse agens, naturale sine cognitione, vt ignis est agens naturale, cui bonum est calefacere, & ignire: atque materiæ bonum est subitare formæ, ac partialiter concurrere ad generationem totius. Naturale cognoscens cognitione sensitiua vt equus, cui bonum est comedere auenam, & bos fœnum. Intellectuale, siue liberum, quod liberè, & rationaliter agit hocque tantùm potest operari bene, vel male moraliter, quia est voluntate præditum, polletque iudicio, quo iudicat aliquid esse rectum, & conforme rationi rectæ; cætera verò naturæ ductu trahuntur, & necessariò ab obiectis determinantur. Bonitas autem moralis petitur penès ordinem, & habitudinem voluntatis ad rectam rationem. Ideóque ille actus est bonus, qui est conformis rectæ rationi, & econtrà ille est actus malus, qui rectæ rationi est difformis.

18. Not.3. duplicem esse regulam, intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca est recta ratio interna, quæ indicat, & dictat de actibus, & operibus humanis benè obeundis. Extrinseca censetur ab aliquibus diuinus, intellectus, qui ab æterno res omnes nouit, quando, vbi, & qualiter fieri debent. Melius statuitur diuina voluntas, cui voluntas creata conformanda est, vt tradit Doct.1. *d.* 48. *quæst. vn.* vt autem actus moralis sit bonus, nedum requiritur potentia iudicatiua de conuenientia ipsius actus, verumetiam necesse est, actu iudicet rectè de acto, alioqui dormiens habens potentiam iudicatiuam, moraliter benè ageret, quod est absurdum. Porrò ad bonitatem actus requiruntur multæ circumstantiæ, præcipuæ sunt, circumstantia finis, modi agendi, temporis, & loci, de quibus doctè, & eruditè Angelus *ver. circumstantia.* Agens namque rationale agit propter finem, media eligit idonea, & opportuna ad eius consequutionem, ob id, si finis eius bonus est, vtique eius actus bonus est. Hinc valet monitum illud,

Quidquid agas, prudenter agas, & respice finem:

Deinde subsequitur modos agendi, vt actus fiat secundum debitam decentiam, & honestatem, vt si esurienti detur panis propter Deum, actus quidem bonus est: verum si à præbente proiiciatur panis ad caput egentis, modus est indebitus. Quare vulgò dicitur,

Omnibus adde modum.

Et Horatius cantat,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltrà, citraque nequit consistere verum.

Postmodum est circumstantia temporis, vt scilicet actus

fiat debito tempore, vt tempore Quadragesimæ ieiunandum, die verò Dominica nequaquam. Deinceps, circumstantia loci, vt actus fiat loco congruo, & debito, puta Missa in Ecclesia, & loco idoneo celebretur. Ex his, reliquisque circumstantiis, actus fit bonus moraliter: quod si aliqua dictarum circumstantiarum desit, actus malus est. Vnde subiicit Dionys. 4. *De diuinis nominibus. Bonum est ex causa integra, & malum ex quocumque defectu.* Et Aristot. 2. Eth. cap. 5. & 3. eiusdem operis, cap. 3. *Oportet simul omnes circumstantias concurrere in actu quocumque morali, ad hoc vt sit bonus moraliter.* Et addit Doct. nuper cit. *Sufficit tamen defectus vnius, & cuiuscumque circumstantiæ, ad hoc vt sit malus moraliter.* Propterea legitur in sacro Codice, Iacob. 2. *Qui in vno offenderit, factus est omnium reus.*

18. Assertio prima, bonum siue transcendentale, siue morale non est relationis. Deducitur ex Scot. infrà citando vtraque pars. Prima pars probatur primò, terminus creationis, & factionis non est ens rationis, nec relatio rationis, quia actio realis positiua sortitur terminum realem positiuum: bonum autem transcendentale est terminus creationis, & factionis realis positiuæ, vt patet Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, & Prouerb. 3. *Cuncta fecit bona in tempore suo*: igitur bonum transcendentale non est relatio rationis.

Secundò, bonum increatum est ens reale positiuum: Est enim Deus summum bonum, quo maius excogitari non potest, vt patet ex Ansel. *in prosol.* 2. & August. 1. *de doctrina, cap.* 7. Ergo & bonum creatum, conseq. tenet. Si enim diuisum est reale positiuum, vtique membra diuidentia sunt realia positiua, vt monstraui *in Epitome dialectica lib. 2. quæst. 7. art.* 1. bonum autem præcisè, & vniuersè sumptum est ens reale positiuum; cum sit passio entis realis cum ipso conuertibilis.

Tertiò, appetitus fertur ad ens reale positiuum, quia est potentia realis positiua: bonum autem est ad quod tendit potentia appetitiua: ideò definitur 1. *Eth. cap.* 1. *bonum est, quod omnia appetunt.* Suffragantur August. *lib. de natura boni*, Basilius, & cæteri Patres qui de bono, vt ente reali positiuo passim disserunt. Secunda pars probatur primò, ex *Psal.* 118. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Et ob id. *Bonum mihi, quia humiliasti me.*

Secundò, scientia realis per se non agit de ente rationis, secus non realis, sed rationalis foret: Ethica autem est scientia realis, & agit de bono per se, vt liquet in eius discursu.

Tertiò, actus moralis bonus est laudabilis, etsi fiat in gratia Dei est dignus præmio, & vita æterna: Deus autem non saluat hominem per ens rationis, sed per bona opera realia positiua, quæ ipsum sequuntur. Addo, quod nemine cogitante homo operans secundum rectum dictamen rationis est bonus moraliter, & agens contrà rationem rectam est malus moraliter. Igitur bonum morale non est relatio rationis.

19. Assertio secunda, bonum morale est conuenientia actus volontatis conformis rationi rectæ. Ita Scot. 1. *dist. 17. quæst. 2. §. Quantum ad istum, art. ante P.* Probatur primò, quo primo posito ponitur, est essentia, siue ratio essentialis, & formalis eius, vt alibi non semel inculcatum est, ab omnibusque approbatum: posita autem conuenientia, & conformitate actus voluntatis ad rectam rationem, statuitur actus formalis moralis bonus, illa verò sublata, actus est malus. Vnde Aristot. 6. *Eth. cap.* 1. inquit, electio recta requirit rationem rectam, cui conformanda est.

Secundò, praxis, quæ est actus moralis definitur operatio voluntatis nata conformiter fieri rationi rectæ ad hoc vt actus sit rectus, vt abundè monstraui in Log. *lib. 1. quæst. 1. art. 5. dub.* 5. Id autem quod per se ponitur in definitione alicuius, est illi essentiale. Rursus bonum est ex integra causa, ex Dionys. suprà citat. & malum ex quocumque defectu: causa autem integra non est, nisi adsit præfata conuenientia, cum reliquis circumstantiis. Igitur in prælata conuenientia posita est bonitas moralis actus.

20. Ass. 3. bonum morale non est quid absolutum, sed relatio conuenientiæ & conformitatis. Ita Scot. *vbi suprà.* Probatur 1. Bonum morale positum est formaliter in conformatione actus volũtatis, ad rectam rationem, vt ostendi *in præcedente ass.* huiusmodi autem conformitas est relatio, vt nemo inficiatur, ergò & bonum morale est relatio. 2. ex actu conformi rectæ rationi, & circonstantiis debitis emergit ea conuenientia actus moralis, veluti ex positione quorumcumque extremorum consurgit relatio, vt vberè exposui *in Epit. Dialectica 6. 1. q. 4. art.* 8.

21. Dices, non esse relationem, sed connotationem, vt cum quibusdam Recentibus occurrit Rainaudus *d. 4. disciplinæ moralis art. 2. num. 13. & 14.* Contra, connotatio consequitur moralitatem, vt bene vidit Becanus 1. 2. *Tract. 1. cap. 4 quæst. 5. num.* 4. priùs enim res constituitur in suo esse formali, vt essentiali, quam aliud connotet, ideò *in Log. l. 3. q. 1. art.* 5. dixi, concretum in recto significare formam, & in obliquo subiectum. Immò data hypothesi, quod non esset connotatio, adhoc esset moralitas, quandoquidem esset prærecensita conformitas. Denuò inter entitatem absolutam, & relatiuam non interponitur medium, quia quidquid est, vel est ad se, & est absolutum, vel ad aliud, & est relatiuum. Moralitas autem per Authores præalleg. non est entitas absoluta, ergo probè infertur esse relationem prædictam conuenientiæ, & conformitatis voluntatis ad rectum mentis dictamen.

22. Oppones primò, mensurabilitas est relatio rationis *ex 5. Met cap.* 15. Ergo & illa conuenientia est relatio rationis, cum sit ordo regulati ad regulam, & mensurati ad mensuram. Confirm. primò, moralitas nihil reale addit actui physico, quia actus moralis pendet à voluntate, veluti significatio hominum ex beneplacito imponentis. Conf. secundò, Deus dicitur creator non per aliquid reale, quod ipsi de nouo ex creatione rei adueniat; item perhibetur Dominus serui, maritus, & vxor dicuntur coniuges per relationem rationis, siue per denominationem extrinsecam, ergo idipsum astruendum est de moralitate. Nego ant. est enim mensurabilitas vera, & realis proprietas quantitatis, veluti diuisibilitas, & reliquæ eius passiones memoratæ, & explicatæ *in Epitome lib. 1. quæst. 4. art* 6. Ad 1. conf. Nego quoque ant. Ridiculum enim est, bona, vel praua opera à cogitatione intellectus pendere, præmiaque conferri per bonum ens rationis, & pœnam infligi per malum ens rationis, quod homo facit. Ad 2. conf. dico esse disparitatem, quia Deus cum sit infinitus nihil reale de nouo potest recipere: verum actus physicus voluntatis, cum sit finitus, imbui potest noua realitate, quæ est moralitas. Adde, quod tales denominatione etsi sint extrinsecæ, tamen non sunt entia rationis vt alibi contra Vasquez monstratum est.

23. Oppones secundò, Arist. 1. *Eth. cap.* 1. cit. à Doct. 4. *dist. 49. quæst.* 9. Bonet. 5. *Met. cap.* 3. & Sent. *Epist.* 118. recipit definitionem boni ab antiquis Philosophis traditam, scilicet, *Bonum est, quod omnia appetunt.* Idem habet 3. *Top. cap.* 1. Ergo alia boni definitio non est inuehenda, vt supra fecimus. Respondeo approbari prælatam definitionem tanquam bonam, quia datur non quidem à priori, sed à posteriori, hoc est per proprietatem, quæ est appetibilitas, veluti 5. *Met. cap.* 15. definitur, quantitas per diuisibilitatem, quæ est eius proprietas.

24. Oppones tertiò, bonum est qualitas *ex* 10 *Eth. cap. 3. & inde.* Iterum virtus, & vitium sunt qualitates in prædicamento qualitatis residentes: ergo bonum formaliter non est relatio. Respondeo exponendo Aristotelem, & commune placitum per distinctionem, bonum, & virtus sunt qualitates fundamentaliter, siue pro actu, siue pro habitu physico sumptæ, concedo: formaliter,

maliter, & essentialiter pro conuenientia, & conformitate actus voluntatis cum recta ratione, nego. Vt enim inquit Doct. quol. alleg. pulchritudo formaliter non est qualitas in corpore pulchro, sed aggregatio omnium conuenientium tali corpori, puta magnitudinis, figuræ, & coloris, necnon omnium respectuum ad corpus, eiusque membra: ità bonitas moralis actus est quasi quidam decor eius actus includens aggregationem debitæ proportionis, nempè ad potentiam, obiectum, tempus, finem, locum, modum, & huiusmodi, de quibus Scot. *in 1. passu allegato*, & nonnihil *infrà quæst. de virtutibus moralibus art.* 2.

ARTICVLVS IV.

An actus exterior addat aliquam bonitatem ad actum interiorem.

25. LIcet tractatio huius controuersiæ spectet ad librum de actibus humanis, tamen hoc loco libet expendere, & decidere ipsam, vt cognitio boni latiùs, & ampliùs diffundatur, & expandatur. De qua duæ vigent oppositæ Scholasticorum sententiæ, quarum prior est Thomistarum, quos citat. Faber *in additione lib 4. dist.* 14. *disp.* 2. *num.* 4. & Nominalium cum Och. *Quol.* 1. *quæst.* 20. opinantium actum exteriorem nullam bonitatem habere distinctam à bonitate actus interioris. Posterior est Scoti *Quol.* 18. §. *De tertio Q.* Gadij, & aliorum *ibid.* docentium actum exteriorem participare propriam bonitatem moralem dissitam à bonitate actus interioris. Idem sentit Aureol. 2. *distinct.* 32. *quæst. vn. art.* 5. nec dissentit Rich. *distinct.* 40. *articulo quarto.*

26. Not. primò, istam quæstionem excitari de actu interiori, & exteriori eiusdem suppositi, temporis, & obiecti. Nam respectu diuersorum suppositorum, actus Platonis interior potest esse bonus, quamuis actus exterior Socratis non sit bonus: potestque Plato nunc temporis actum bonum internum elicere, & post aliquod temporis interuallum, actum exteriorem promere bonitatis expertem. Atque nunc castè viuere cum vxore, cum antea impudicè vixerit cum pellice. Præterea obserua cum Gadio *vbi supra fol.* 181. hic non inuestigari, vtrum actus interior intendatur, aut extendatur per actum exteriorem, quia cum sint distincti actus, vnus alium non intendit, nec extendit.

27. Not. secundò, ex Doct. *in prol. quæst.* 4. duplicem esse actum, elicitum, & imperatum. Ille dicitur interior, hic verò exterior. Actus interior est actus voluntatis, qui immediatè prodit ab ipsa voluntate, ideò vocatur elicitus, eo quod à voluntate sponte & liberè eliciatur. Actus exterior est, qui à voluntate imperatur, vt audire lectionem est actus, quo voluntas imperat potentiæ auditiuæ, vt audiat, quæ præceptor explicat. In præsenti autem quæritur, num actus a voluntate imperatus sortiatur aliam bonitatem distinctam à bonitate actus eliciti eiusdemmet voluntatis.

28. Assertio, actus exterior habet aliam bonitatem moralem distinctam ab actus interioris bonitate. Ita Scot. *vbi supra*. Probatur primò, quæ præceptis distinctis negatiuis prohibentur à Deo, induunt propriam, & distinctam rationem rei illicitæ, & malitiæ, secùs non duplici præcepto, sed vno duntaxat vetarentur. Actus autem interior alio præcepto negatiuo prohibetur distincto à præcepto, quo prohibetur actus exterior, vt patet Exod. 20. *Non mœchaberis*, ecce actus exterior. *Non concupisces vxorem proximi tui*, ecce actus interior. Et Deut. 5. *Non furtum facies*, ecce actus exterior. *Non concupisces rem proximi tui.* Ecce actus interior. Idque innuit Apostolus 2. *Cor.* 9. Qui verba faciens de actu exteriori ait. *Qui parcè seminat, parcè & metet*, quod verum haud foret, nisi actus exterior aliquam bonitatem participaret distinctam à bonitate actus interioris, vt rectè intulit Rich. *loco præmemorato.*

Secundò, ex August. 12. *Trin.* 12. *Peccatum cogitationis est peccatum longè minus, quam si opere statuatur implendum*, & 13. *Trin.* 5. *Mala voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Et paulò antè. *Ideò beatum dicat, quia viuit, vt vult, cum profectò, quamuis & sic miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset.* Patet autem ipsum S. Doct. loqui non de miseria pœnæ, sed de miseria culpæ. Cuius enim desiderium non impletur, magis affligitur, quàm ille, cuius appetitus expletur, iuxta illud Prouerb. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Claretque ex *Psal.* 9 ab eodem Doct. cit. *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ. & qui iniquè gerit, benedicitur.* Vbi primus versus de interiori: secundus verò de exteriori actu, & peccato, opere completo, planè intelligitur. Si ergo actus malus exterior ad actum malum interiorem addit malitiam, pariter per locum à contrariis, actus bonus exterior ad actum bonum interiorem addit bonitatem. Accedit Boëtius 4. *de consol. prosa* 4. Et fauet Arist. 9. *Met. T.* 19. inquiens, *actus est melior potentia in bonis.*

Tertiò, bonitas moralis est integritas eorum, quæ secundum rectam rationem operantis debent conuenire ipsi actui morali; atqui alia integritas est eorum, quæ secundum dictamen rectæ rationis debent conuenire actui interiori, & eorum, quæ actui exteriori debent conuenire. Igitur alia est bonitas actus exterioris distincta a bonitate actus interioris Ma. patet ex præcunte ait. Min. probatur, aliquis actus exterior effici nequit, nisi successiuè, ac etiam aliquis actus exterior fieri nequit, nisi nolendo proximo, vel ei proficiendo, quod verum non est de actu interiori. Cum ergo quædam circumstantiæ competant actui externo, quæ haud congruunt actui interno, probè deducitur vtrumque esse distinctam bonitatem moralem.

Quartò, cui, si mente tantum habeatur, non debetur præmium: etsi opere compleatur, debetur laus, & præmium, participat sanè distinctam bonitatem, at habenti doctrinam Catholicam, nisi doceat, non datur ei aureola Doctoratus, etsi cupiat mori pro Christo, nisi pro ipso moriatur non consequitur aureolam martyrij. pariter si mente, & corpore Virgo non sit incorrupta non debetur ei aureola Virginitatis. Insuper leges Ciuilis, & Canonica non præmiant homines, nisi quoad bona opera externa ab ipsis peracta, & exhibita, nec eosdem puniunt, nisi quoad praua opera externa; de actibus verò internis soli Deo, qui corda scrutatur, relinquunt iudicium: fatendum ergo est actum externum gaudere propria bonitate dissita à bonitate actus interni. Quod apertè indicat illud scripturæ Iacub. 3. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir*, quod pertinere ad actum externum nemo ignorat.

29. Oppones primò, August. 1. *de libero arb. cap.* 3. scribit. *Si quis habet voluntatem concubandi cum vxore aliena, & non datur facultas, coram Deo tam reus est, ac si opere compleuisset.* Accedit Chrysost. hom. 26. in Matt. *Sola voluntas remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo.* Fauet Bernard. Epist. 77. *Quid plenius, quàm quod voluntas pro facto reputatur.* Et alibi, *sola voluntas vritur in inferno.* Nec discrepat Greg. *hom.* 4. *in Euang.* Respondeo hæc, & consimilia PP. testimonia tantum probare, in actu interno malo esse peccatum, absque actu externo iuxtà illud Saluatoris Matt. 5. *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Atque primariam, & originariam malitiam prouenire ab actu interno. Vnde Christus Dominus Matt. 15. inquit. *De corde exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria*, &c. Non autem negare in actu externo coniuncto cum actu interno reperiri peccatum, & malitiam, cum de vtroque actu extent distincta præcepta vtriusque prohibitiua, vt superiùs ani-

maduerti

maduerti. Atque vulgò peccatum distribuatur in peccatum cordis, oris, & operis.

30. Oppones 2. quod voluntarium non est, non est bonum, vel malum, quandoquidem bonitas, vel malitia à voluntate suam trahit originem. Ob id celebratur illud August. *lib. de vera relig. cap.* 14. *Peccatum nullo modo est peccatum, nisi sit voluntarium.* Actus verò externus ab actu interno seiunctus non est voluntarius, propterea quod ab actu interno bonitatem, aut malitiam sortitur: ergo actus exterior nullam participat bonitatem à bonitate actus interioris distinctam. Respondeo concessa ma. distinguendo min. non est voluntarius subiectiuè, veluti tristitia subiectatur in voluntate, nec obiectiuè, sicut obiectum volitum dicitur voluntarium, concedo: non est voluntarius imperatiuè, nego. Imperatur quippè à voluntate, cui cæteræ potentiæ obtemperant. Quare vterque actus perhibetur voluntarius, cum hoc tamen discrimine. Primò enim, & immediatè actus interior; secundò verò, & mediatè actus exterior est voluntarius.

31. Oppones tertiò, eadem est veritas actus intelligendi, & obiecti intellecti: ergo eadem est bonitas actus volendi, & obiecti voliti: actus autem exterior respectu actus interioris se habet instar obiecti, cum voluntas actu elicito conformi rationi rectæ vult fieri actum exteriorem; ergo &c. Ant. probatur dupliciter, primò, sicut veritas principij est immediata, sic notitia actualis eius dici potest immediata, & conclusionis mediata.

Secundò, notitia principiorum est ex terminis, & notitia conclusionis est ex principijs, sic istis vt obiectis competit veritas. Confirmatur, vbi vnum propter alterum, ibi tantum vnum: actus autem exterior mutuatur bonitatem ab actu interiori: ergo actus exterior nulla potitur bonitate distincta à bonitate actus interioris. Maior suadetur à Nominalibus: idem est actus circa finem, & media, quæ sunt ad finem. Iterum, idem est habitus principiorum, & conclusionum. Distinguo ant. obiectiuè, & denominatiuè, concedo: formaliter, & intrinsecè, nego. Veritas quippè alia est in mente, alia verò in re, vt obseruaui *in Log. lib.* 4. *quæst.* 4. *artic.* 3. Pariter bonitas alia est in actu interno, alia verò in actu externo, quia eis extat diuersa conuenientia, & conformitas recto dictamini rationis. Probatio autem ant. facit pro nobis; siquidem veritas conclusionis differt à veritate principiorum, illa namque est mediata, hæc verò immediata. Vnde Aristot. 6. *Eth. cap* 4. statuit distinctus habitus principiorum, & conclusionum, de principijs quippè habetur habitus intellectus, de conclusionibus verò scientia. Ad conf. maior potiùs nobis proficit, quam obsit. Licet enim actus exterior bonus sit, propter actum interiorem, sua tamen bonitate non priuatur. Etenim conclusio est vera propter præmissas, tamen ipsa conclusio gaudet propria veritate distincta à veritate præmissarum, vt mox dicebam.

32. Oppones quartò, peccatum ex Ansel. 1. *de conceptu Virg. cap.* 27. & *de casu diaboli cap.* 15. & 16. & Scot. 2. *dist.* 35. *est carentia iustitiæ debitæ*: in actu autem exteriori non est alia carentia iustitiæ debitæ distincta à carentia iustitiæ debitæ in actu interiori. Igitur in actu exteriori non habetur alia malitia distincta à malitia actus interioris. Maior apud Scotistas patet. Min. ostenditur ex eodem sancto: iustitia, vel iniustitia non residet, nisi in voluntate: ergo nequit esse in actu exteriori, qui sedem non habet in voluntate. Conf. primò, vbi vna est auersio, vnaque libido, ibi est vna ratio formalis peccati, in actu autem interiori, & exteriori vna est tantum auersio, quia est vna voluntas, cuius solius est auerti à fine, aut conuerti ad finem. Auersio quippè ex 1. *dist.* 37. est inordinatio voluntatis circà aliquod ordinatum ad finem ex diuino præcepto, circà quod debet ordinari. Conf. secundò, quæ interdum ab August. nominatim *lib.* 83. *qq. quæst.* 38. appellatur cupiditas, & ab eodem idid. libido, dicitur venenum charitatis. Cum ergo in sola voluntate locetur charitas, pariter malitia, siue peccatum. Respondeo exponendo Ansel. de iustitia actuali, quæ est rectitudo actus conformis rationi rectæ, & hæc duplex est, primaria, quæ actui elicito adaptatur, & secundaria, quæ actui imperato competit. Per hanc distinctionem ad argumentum in forma, concedo ma. distinguo min. de iustitia primaria, & habituali, concedo, de iustitia secundaria, & actuali, nego. Ad 1. conf. concedo ma. distinguo min. cum Scot. cit. de auersione formali, & virtuali, concedo: de auersione sumpta pro quacumque malitia separante à fine efficaciter volendo, vel consequendo, nego. Potest enim hæc auersio esse in actu voluntaris imperato. Siquidem, ve'ut referibilitas, seu ordinabilitas ad finem dici potest conuersio: ità irreferibilitas, & inordinabilitas nuncupari valet auersio. Ad 2. conf. si libido capiatur pro impr.ba voluntate, admitto ipsam posse formaliter, vel causaliter reperiri in peccato: verum si accipiatur pro omni delectabili immoderatè appetito, vel imperato, fateor nedum actui elicito, & interiori: sed etiam actui imperato, & exteriori conuenire. Idque tangit Glossa in cap. 20. Exodi. *Qui opus adijcit voluntati, iniquitatem addit iniquitati*, & passim confirmat sacer Codex, malis operibus sanciens pœnam, vt Apoc. 18. *Quantum se glorificauit, & in delicijs fuit*, &c. Bonis verò operibus statuens præmium, vt Matt. 25. *Possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi, esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere*, & Marth. 16. *Reddet vnicuique iuxta opera sua.* Adde Athanasium in Symbolo. *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui verò mala in ignem æternum.*

QVÆSTIO II.

De Malo.

ARTICVLVS I.

An sit malum.

1. TANTI facit sententiam de malo subtilis Chrysologus *serm.* 131. *antè finem*, vt apertè, & disertè dicat. *Bona quàm sint bona scire, nisi malorum cognitione, non possumus.* Insinuatur Gen. 3. *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Prosequitur August. 2. *de genesi contra Manich cap.* 9. & *lib. de vera religione, cap.* 20. Ratio est, quia benè, & plenè vnum oppositum cognosci non valet, nisi aliud oppositum cognoscatur, oppositorum quippè eadem est disciplina: malum autem bono opponi, præ alijs notat Arist. *in postprædicamentis, c. de oppositis.* Quare ex notitia boni præhabita *in superiore, q.* commodè *in hac q.* mali cognitio comparabitur.

2. Not. ex Scot. 2. *Report. dist.* 34. *quæst.* 1. sicut priuatio cognoscitur per habitum, vt tenebræ per lucem, sic malum dignoscitur per bonum, atque malis pertransitis ad bona peruenitur. Vnde quidam canit.

Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.

Porrò bonum, & perfectum coincidere astruit Philosophus 5. *Met.* 21. perfectum autem bifariàm capitur. Vno modo perfectum est, cui nihil est, quod vocatur perfectum simpliciter, & perfectum perfectione essentiali, & primaria. Altero modo dicitur perfectum secundum quid, & perfectione secundaria. Similiter bonum duplex est, bonum bonitate primaria, & bonum bonitate secundaria. Bonum primo modo non habet contrarium, siue positiuum, siue priuatiuum, quia contraria nata sunt fieri circà idem subiectum, 2. *Top. cap.* 2.

cap. 2. Quod ergo non est aptum alteri inesse, non fortitur contrarium positiuum, vel priuatiuum. Bonum autem bonitate primaria, quatenus primum non est idoneum alteri inesse, quoniam cum sit primum, est à se, & independens, quod est summè necessarium, nullo alio indigens, cum sit sibi sufficiens, quod autem est sibi sufficiens, est summè bonum. Itaque bonum istud tantùm habet oppositum contradictorium, nempè non bonum. Bonum verò bonitate secundaria participat oppositum priuatiuum. Siquidem malum est priuatio boni, authore Damasc. 2. *fidei*, *cap*. 4. & *lib*. 4. *cap*. 2. veluti tenebræ sunt priuationes luminis.

3. Assertio, datur malum in vniuerso. Ita Scot. *vbi supra art*. 1. §. *Viso igitur*. Probatur primò ex sacris litteris, Gen. 2. *de ligno scientiæ boni, & mali*. Prouerb. 1. *Ad malum currunt*. Eccles. 4. *Oculus malus ad mala*. & Matth. 6. *Libera nos à malo*. 2. ex Chrysost. orat. de S. Philogonio. *Vbi perpetua sibique succedentia mala sunt*. Et hom. 40. in Matt. *Quidquid bonum non est, malum est*. Saluia. lib. 6. de gubernatione Dei. *Cum duo sint maxima mala, si homo aut seipsum perimat, aut Deum lædat*. August. *in Psal*. 34. & Hierony. *in cap* 6. *Ier*. Hancque esse sententiam Peripat. & veterum Acad. testatur August. 19. *Ciuit. cap*. 4. Id enim conspicitur aperte 2. *Magn. mor. cap* 8. Nec prætermittendum est monitum Diogenis relatum à Laërt. *lib*. 4. Ille enim cum à iolescentem natura malum lapides in Cœlum iactantem videret. *Euge* inquit, *scopum non attinges*. Significans eos cœlestium bonorum nequaquam hæredes esse, qui malitiosam agerent vitam.

Ternò, inferius, regulabile, & conformabile regulæ superiori, & rectæ, ab ea potest deficere, & aliquando deficit, vel ob aliquid sibi obsistens, vel ob aliam causam, vt patet in agentibus naturalibus, quibus interdum accidunt monstra, quæ dicuntur mala, siue peccata naturæ, & in liberis agentibus contra Dei præcepta, & leges ab ipso Deo Rege indicteque eis præscriptas, à quibus perhibentur fieri mala moris, siue peccata, quæ à ministris iustitiæ puniuntur. Igitur cum omne creatum siue naturale, siue liberum agnoscat primam, & supremam regulam, & ordines, & leges peculiares ipsis præfixas, declinantia, & deficientia ab eis, mala esse compertum est.

Quartò, appetitus naturalis, & rationalis bonum prosequitur, & malum noxiumque fugit, vnumque perfectione ornatur, aliud verò ea priuatur, vnum pulchrum, alterum turpe, videns cæcum, sanum ægrum, & sexcenta alia, de quibus, vbere, & Doctè Chrysost. *in primo passu alleg*. Denique nemo ferè est, qui aliquod malum non subeat, & quotidiè experiatur. Vnde Tyrius optimè subdicit. *Quæ namque ætas, aut tempus est, quod non à malo oppugnatur aliquo? Nonne simul ac natum est, humidique matris è loco recens euulsum, luto, sordibusque defluit, vagitu omnia complet, ac lachrymis? Postea si ad ætatis florem adolescat, feruore quodam, & intemperie agitur. Si perueniat ad pubertatem, præ ardore animi, & vehementia, nullo consilio in officio contineri potest, nullo monitu. Si ad senectutem, paulatim moritur, & deflorescit. Nihil denique aliud quàm inutile, morosumque fit, ac difficile animæ hospitium*.

4. Oppones primò, infinitum bonum secum non patitur vllum malum, vt si foret corpus infinitum, aliud corpus secum ferret simul, & in eodem loco, vt dixi *in Phys. quæst. de infin. to*. Ergo cum sit infinitum bonum, nempè Deus, vllum non datur malum. Resp. cum Scot. 1. *dist*. 2 *quæst*. 2. §. *Ad* 1. *argum. DD*. antecedens verum esse de agente naturali, & necessario, vt putarunt quidam Philosophi, non autem de agente libero, & voluntario, cuiusmodi est Deus, qui licet sit summum, & infinitum bonum, permittit tamen malum, propter bonum, authore August. *in Ench. cap*. 6. Ob id regius Psaltes *Psalm*. 118. subdit, *Bonum mihi quia humiliasti me*.

5. Oppones secundò, *Dei perfecta sunt opera*, Deut. 32. *omniaque per ipsum facta sunt*. Ioan. 1. Ergo cum bonum, & perfectum identificentur, ex Scot. cit. planè deducitur, nullum esse malum. Respondeo ea loca scripturæ esse exponenda de operibus immediatè, & à solo Deo productis, qui *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Gen 1. idest perfecta, vt quidam vertunt, & quidem aptè, cum ex dictis bonum, & perfectum coincidant: non autem de operibus, ad quorum productionem concurrit causa secunda, quæ in operando interdum deficit. Vnde per causas naturales accidit malum naturæ, & per causas liberas malum moris. Hoc confirmat August. lib. de cantico nouo, qui habetur Tom 9. eius operum. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, & posuit Deus ante eum, vt legitur Eccles. 15. *ignem, & aquam. ad quod volueris, porrige manum tuam*. Elegit ignem, reliquit aquam, vide te iustum iudicem. Quod elegit homo, liber accepit, malum voluit, hoc illum secutum est.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit malum.

6. QVamquam ex boni diuisionibus adductis in antecedente quæst. art. 2. patere videantur partitiones mali; attamen illæ istis sunt latiores & amphores. Licet enim detur vnum bonum, non tamen summum malum, vt probant Scot. 2. *dist*. 37 §. *Ad aliam, quæst H*. & 4. *dist*. 50. *quæst*. 2. §. *Respondeo A* Vort. *ibid. dist*. 14. *concl*. 1. *parte* 2. & Suarez *disp*. 11. *Metec.* 1. *num*. & ego infrà, cum agam de causa mali, & habetur 7. *Eth. cap*. 12. Rursus approbatur quidem distributio boni, in bonum absolutè, & bonum respectiuè, vt insinuat Doct. *Quol. super citat. art* 1. *sub C*. Verùm diuisio, in malum, quod in se malum est, & quod est malum alteri, quam recipiunt Vasquez 1. 2. *disp*. 95. & Suarez præalleg *num* 8. non est retenda; in primis S. August. 2. *de moribus Manich. cap*. 8. eam apertè repellit, inquiens. *Malum relate est in se, & absolutè bonum, & venenum in se est bonum, sed alteri est malum, quia nocinum*. Deinde, malum formaliter ex dicendis in proximo art est priuatio boni: ergo nullum est absolute malum. Iterùm malum est disconuenientia rei, disconuenientia autem est relatio, veluti conuenientia pariter est relatio; inualida ergo est præfata diuisio. Eò magis, relatio siue realis, siue rationis non est de genere actionum, ergo malum non est, quia alteri malum.

7. Celebratur autem ab August. 1. *de lib. arb. cap*. 1. & Scholasticis, nuncupatim Scot. 2. *Report distinct*. 34. *quæst* 1. §. *Secundo*. Diuisio in malum naturæ, quod est priuatio perfectionis naturalis, sic monstrum 2. *Phys*. T. 82. perhibetur malum, siue peccatum naturæ, & malum moris, quod est carentia conformitatis actus voluntatis recto dictamini rationis.

8. Vulgata quoque est diuisio ab eodem Aug. loco cit. & contra Adimant *cap*. 24. approbata, & Scot. 2. *dist* 37. §. *Ideo posset*, & 4. *dist*. 50. *quæst*. 1. §. *Respondeo A*. in malum pœnæ, & malum culpæ. Malum culpæ est carentia rectitudinis debitæ inesse actui secundo voluntatis, & non inest, quæ secundum Scot *passu in* 2. *memorato*, est peccatum formaliter. Malum pœnæ est carentia boni debiti, prouenjens à culpa, quo pacto damnati priuantur beatitudine, & puniuntur in inferno, ob peccata ab eis perpetrata.

9. Oppones primò, remoto diuiso, vtique remouentur membra diuidentia, in quæ diuisum distribuitur, vt patet ex dictis *in Epitome lib*. 1. *quæst*. 7. *art*. 1. Malum autem non est, vt ait Dionys. 4. *de diuinis nominibus*. Ergo nec vlla est eius diuisio. Concedo ma. nego min. vt patet *ex superiori art*. ad Dionys. dico ipsum esse interpretandum de malo formaliter, quod non est quid

quid positiuum, sed priuatiuum, vt monstrabitur *in proximo art.*

Oppones secundò, præter mala prænumerata datur malum demeritorium, quod opponitur bono gratiæ, cuius meminit Doct. 2. *dist.* 37. Ergo insufficientes sunt præallatæ malorum diuisiones. Respondeo malum demeritorium redigi ad malum culpæ, quod est peccatum, ratione cuius peccator demeretur, vt Deus in eo non amplius conseruet gratiam. Præsertim quia gratia, & peccatum propriè, & formaliter non opponuntur in Schola Scoti. Ideò necesse non est statuere malum demeritorium tanquam membrum oppositum gratiæ, & distinctum à malo culpæ.

ARTICVLVS III.

Quid sit malum.

10. Caiet. 1. *part. quæst.* 48. *art.* 1. & 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 5. Med. *ibid.* & Vasquez *disp.* 45. *cap.* 9. quibus præiuerunt Pythagorici, vt indicat Arist. 1 *Met. cap.* 1. & testantur Th. 1. *part. quæst.* 49. *art.* 1. *ad* 1. & Mayr. 2. *dist.* 43. *quæst.* 3. asseuerant malum naturæ, quod & malum simpliciter vocant, esse quid priuatiuum: malum verò moris, quod & malum secundum quid appellant, esse quid positiuum, & consequenter decernunt peccatum formaliter esse aliquid positiuum. Oppositum autem tuentur Scot. 2. *dist.* 37. § *Istæ qq.* Alen. 2. 2. *quæst.* 94. *m.* 2. Henr. *Quol.* 1. *quæst.* 25. Aur. *dist.* 35. *art.* 2. & cæteri communiter docentes, malum formaliter in priuatione boni consistere.

11. Not. licet hæc tria malum, vitium, & peccatum aliquando promiscuè vsurpentur, vt patet apud Alen. 2. 1. *q.* 18. *& inde*, tamen inter ea intercipitur nonnulla distinctio. Amplius quippè diffunditur malum, quam vitium, & peccatum, seque habere videntur sicut magis commune, & minus commune, superius, & inferius. Malum quippè opponitur bono, siue naturali, siue morali: vitium verò virtuti, ideò ait Basilius *in Const. Monast cap.* 3. Vitium non est, nisi virtutis desertio. Et subiungit Aug. 4. de libero arbitrio, cap. 14. *Quod perfectioni naturæ deesse perspexeris id voca vitium.* Peccatum verò, vt notat Aur. cit. addit suprà malum, respectum ad agens, quandoquidem, id quod est carentia debiti in esse agenti, quatenus agens est, dicitur peccatum, licet vtplurimum sumatur prout opponitur gratiæ demeritoriè, quatenus est defectus à prima regula, & ordinatione diuina, sic Psal. 36. *Declina à malo, & fac bonum.* Vel vt est auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Ita scribit Aug. *ad finem* 1. *de lib. arb.* omnia peccata hoc vno genere contineri, cum quisque auertitur à diuinis, veréque manentibus, & ad mutabilia, atque incerta conuertitur. Et *lib.* 2. *cap.* 19. *Voluntas auersa ab incommutabili, & communi bono, & conuersa ad proprium bonum.* Et *lib. de vera religione, c.* 3. *A terrenis auersio, & in vnum, verumque Deum conuersio.* Subnectit Aur. *vbi suprà* culpam respicere agens liberum, adeò vt culpa propriè non reperiatur, nisi in habente liberum arbitrium, sicque cum homo malè agit, culpandus est, si verò benè operetur, laudandus est, propterea quod pollet libero arbitrio. Præterea obserua, in hisce prænarratis duo posse considerari, materiale scilicet, & formale, quod peculiariter de peccato animaduerti, & expressi *lib. de causis, quæst.* 3. *art.* 3. *not.* 3 illud est positiuum, hoc verò priuatiuum, vt ibi intueri licet, & infrà *art.* 5.

12. Assertio, malum formaliter captum est priuatio boni, ita Scot. cit. Probatur primò ex scriptura Psal. 12. malum dicitur declinatio, *Declina à malo, & fac bonum.* Transgressio, Matt. 15. *Quare transgredimini mandata Dei?* Prohibitio Psal. 33. *Prohibe linguam tuam à malo*, Defectus Psal. 118. *Defecit in salutare tuum anima mea*, & in præceptis negatiuis apponitur negatio. *Non furtum facies, non occides*, &c. Ex quibus deducunt, malum nihil positiuum formaliter præseferre.

Secundò, ex PP. Dionys. 4. de diuinis nominibus. *Malum non est existens, nec ens in existentibus, sed est perfectionis, bonique proprij, & accommodatæ priuatio.* Damasc. 2. de fide, cap. 4. *Nihil est malum, nisi boni priuatio, sicut tenebræ luminis.* Aug. lib. 83. qq. quæst. 7. *Nomen malum sumptum est ex priuatione speciei.* Et in Enchi. cap. 11. *Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi priuatio boni?* Idem sentiunt Ambr. *l. de Isaac, & anima, cap.* 7. Ansel. *lib. de conceptu virginali, cap.* 5. & alij à Recentibus *alleg.*

Tertiò, illa est præcisa, & formalis ratio mali, qua posita, dempto quouis alio, ponitur malum, & qua remota, remouetur malum: posita autem priuatione boni, ponitur malum, sublato quocumque alio, ea verò remota, tollitur malum: igitur malum est priuatio boni. Maior est conspicua. Min probatur, si actus voluntatis sit conformis rationi rectæ semper est bonus, at si actus ipse declinet à tali rectitudine est malus, ideò ait Dionys. præcit. *malum est ex quocumque defectu.* Nunquam enim dicitur actus malus, nisi priuetur perfectione, & bonitate, quam debet habere, & patet de malo naturali, putà cæcitate, quæ est malum oculi, quæue reperiri nequit absque priuatione. Deinde si malum foret quid positiuum, vel esset quid corporeum, vel incorporeum, vt arguit August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 7. Neutrum autem esse compertum est, cum Deus vtrumque creauerit, non autem malum formaliter sumptum. Siquidem, vt perhibet idem August. 12. Ciuit. cap. 7. *Mala voluntas non habet causam efficientem, sed deficientem.* Accedit Arist. 6. Eth. cap. 3. *Volitio recta necessariò petit rationem rectam, cui conformatur*: è contra verò volitio mala est, quæ rectæ rationi non conformatur, ac proindè malum formaliter est carentia eius conformitatis, perfectionis, & bonitatis, siue sit malum naturæ, siue sit malum moris, vt benè concludit Suarez *disp.* 11. *Met.*

13. Opponet primò, multæ sunt peccatorum distinctæ species, vt furti, homicidij, &c. Huiusmodi autem species assignari nequeunt per priuationes, sed per actus posit uos: igitur malum non rectè definitur priuatio boni. Conf. primò, eidem actui iustitiæ opponuntur multa vitia, vt furtum, homicidium, & adulterium, quæ specie differunt: ergo &c. Conf secundò, si furtum foret carentia rectitud nis, maximè iustitiæ debitæ, & defensionis rei familiaris: quis autem non semper tenetur tueri rem familiarem proximi, nisi ex debito curam illius habeat: igitur &c. Respondeo cum Scot *Quol* 18. §. *Ex isto T.* concessa ma. negando min. Etenim mala suo modo differunt, quo bona, quæ deberent inesse, adeò vt si bonitates & rectitudines, quæ deberent inesse differant specie, pariter mala eis opposita differunt specie: etsi illæ numero distinguantur, vtique mala numero diffident. Priuationes quippè differunt, sicut habitus, quorum sunt priuationes, vt surditas, & cæcitas suo modo differunt specie priuatiua, veluti auditus, & visus specie positiua discriminantur. Itemque hæc, & illa cæcitas numero priuatiuo secernuntur, sicut hic, & ille visus numero positiuo distinguuntur. Atque ex maiore, vel minore bonitate, qua actus priuatur, infertur maius, vel minus malum, magis, vel minus graue peccatum, & transgressio legis. Ad 1. conf. nego ant. Furtum namque opponitur rectò dictamini rationis, vt quilibet habeat, & possideat, quod suum est: qui autem furatur, aufert ab altero, quod suum est; ideò furtum est carentia talis rectitudinis. Homicidium verò opponitur rectò dictamini rationis, vt vnusquisque propria fruatur vita estque formaliter priuatio eius rectitudinis, quia à proximo suo aufert vitam. Per id patet ad 2. conf. Furtum enim non pugnat defensioni rei familiaris, sed recto dictamini rationis, vt quilibet teneat, & possideat, quod suum est.

14. Oppo

14. Oppones secundò, bonum, & malum morale sunt opposita contraria: ergo malum non est priuatio boni. Ant. est Arist. 2. *cap. de oppositis.* & 2. *Eth cap* 8. Ratio est, quia inter bonum, & malum interponitur medium, nempè neutrum, seu indifferens: at inter priuatiuè opposita nullum datur medium. Conf. ex eodem Philosopho c de oppositis, *à priuatione ad habitum non datur regressus*: à malo autem ad bonum, vt à vitio, ad virtutem habetur regressus. Ergo &c. Respondeo distinguendo ant. materialiter sumpta, concedo, vt iustitia, & iniustitia sunt qualitates contrariæ, pariter virtus, & vitium. Formaliter, & præcisè capta, nego, sic enim vt notat Aureolus cit. ex Arist. 10. *Met. c. 3. T. 16.* vnum contrariorum includit priuationem alterius. Atque malum non dicitur præcisè malum ratione positiui, sed ratione priuationis inclusæ. Vel dicito id valere de malo sumpto pro noxio, cuius meminit Aug. 12. *Ciuit. c. 4.* non verò de malo accepto pro carentia boni conuenientis. Ita interpretandus est Arist. locis recensitis. Ad probationem dico non intercipi medium, quando subiectum est capax formæ, dari verò medium, quando subiectum est idoneum ad formam recipiendam, vt catulus post nonum diem est videns, vel cæcus: antè verò nonum diem non est vidēs, nec cæcus, sed non videns. Vel dicito id verum esse in naturalibus, non verò in moralibus, per hanc distinctionem satisfit confirmationi, licet enim in naturalibus à priuatione ad habitum non fiat regressus, vt à morte ad vitam: nihilominus in moralibus potest fieri regressus, vt ab iniusto ad iustum, & è contrà. Itemque à malo ad bonum, & vice versa.

15. Oppones tertiò, omne dictum, vel factum, vel concupitum contrà legem Dei est aliquid positiuum reale: omne autem peccatum præsertim commissionis est dictum, aut factum, aut concupitum: ergo omne peccatum est aliquid positiuum reale. Maior patet. Minor est Aug. *l. contrà Faustum. c.* 25. Resp. argumentum concludere de peccato sumpto pro materiali, non verò pro formali, sicque exponēdum esse Aug. Nam idem Aug. *in Ioan.* interpretans verba illa, *sine ipso factum est nihil*, inquit, *peccatum nihil est, & cum peccant homines, nihil fiunt*, quod accepit ex Psal. 72. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.*

16. Dices, si peccatum nihil est, Deus pro nihilo puniret peccatorem, quod falsum, & absonum videtur. Dico Deum non infligere pœnam peccatori pro nihilo, quod est negatiuum, sed pro nihilo priuatiuo, hoc est pro carentia rectitudinis debitæ inesse actui eius & non inest, sicut præceptor verberat discipulum, qui non studuit lectioni, debebat autem studere, & Dominus castigat seruum, qui bona eius non seruauit, cum ea debuisset ipsi conseruare, sic Deus in peccatorem animaduertit, qui cum mandata eius custodire debuisset, transgressus est.

17. Instabis, odio Dei nulla potuit, nec debuit inesse rectitudo, & conformitas rationi rectæ, quia præcisè, & absolutè est malum. Igitur Deus non mulctat peccatorem propter carentiam rectitudinis debitæ inesse actui, & non inest. Dico actum illum voluntatis peccatoris, quo vult malum Deo, informatum illa malitia, potuisse, & debuisse informari bonitate, & rectitudine debita, hoc est amore erga Deum, quia tenetur homo amare ipsum Deum, vt creatorem, & summum bonum, odio autem habendo ipsum deficit, & meretur pœnam, deflectens à prima, & superiori regula, ipsi præfixa, & stabilita.

ARTICVLVS IV.

A quo sit malum.

18. Principio ablegandus est error Pythagoræorum, & hæresis Manichæorum existimantium esse duo prima principia, quorum vnum est bonorum, & alterum malorum causa. In quos acriter, & vehementer inuehitur Aug. *contrà epistolam fundamenti à cap. 30. vsque ad finem. 2. de moribus Manich. 2. de genesi contrà Manich. c. 1. & 9. in Ench c. 10. 12. 24.* & alibi passim, præsertim 1. *de lib. arb. c. 1.* vbi profert hæc verba. *Credimus autem ex vno Deo omnia esse, quæ sunt, & tamen non esse peccatorum authorem Deum.* Hoc quoque egregiè refellit Alphons. *l. 10 aduersus hæreses, hæresi* 2. Accedit Plato *in Tim.* & 11. *de Rep.* arguens Hesiodum, & Homerum, qui decem malorum causas faciunt. Et Aug 8. *Ciuit. cap* 14. testatur, secundum Platonem omnes Deos esse bonos, & excelsos. Adde, 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Et Gen. 1. & 3. *Omne lignum, quod Deus in paradiso plantauit, bonum est.* Hinc subdit Aug. 1. *de Gen. contra Manich. c.* 13. herbas venenosas ad pœnam, & exercitationem mortalium creatas esse. Et in Ench. c. 11. *Bene facit Deus etiam de malo.* Et sancitur de fide *in Conc. Brach.* 1 *cap.* 7. cuius verba adducit Alph. nuper alleg. *verbo creatura, hæresi* 2. Præterea, omne quod est, bonum est, quia quod est, ens est, ens autem, & bonum reciprocantur, vt tradunt Metaphysici, & docet Aug. *in Ench. c.* 24. & consonat Author *de fide ad Petrum, c.* 4. & 21. Denuò, bonum, & malum opponuntur priuatiuè, ex dictis suprà, bonum autem est positiuum habens principium bonum, quod est Deus, ergo malum, quod est priuatiuum, nullum sortitur principium productiuum, veluti cæcitas, tenebræ, & cætera priuatiua propriè non habent principium, & causam effectricem, cum propriè non fiant. Ob id August. 14. *Ciuit. c.* 12. loquens de esca, quam comedens Adam lapsus est in peccatum, subiicit, eam escam non fuisse malam, nec noxiam, nisi quia prohibitam. Et *lib. de vera relig. c.* 13. Diabolus inquantum Angelus non est malus, sed inquantum peruersus propria voluntate. Insuper, si foret vnum primum principium malorum, vel esset à se, vel ab alio, non secundum alioqui non esset primum principium, sed ab alio priore dependeret: nec primum, quia esse à se est independens, & summum bonum, vt infert Scot. 2. *Rep. dist.* 34 *quæst.* 1. §. *Ad aliam quæst H.* Denique summum malum est impossibile, quia non potest quid reperiri, quod careat omni bono, vt aduertit Doct. cit. cum Aug. *l.* 83. *qq. q.* 6. Igitur esse nequit duplex principium primum, vnum bonorum, & aliud malorum.

19. Assertio prima, malum pœnæ est à Deo. Ita Scot. 2. *dist.* 14. §. *Ideo posset sub D D.* & 4. *distinct.* 50. *quæst.* 1. & Vorr. *ibi art.* 2. Probatur primò, ex scriptura, Hierem 11. *Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt.* Amos 3. *Non est malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Mich. 1. *Descendit malum à Domino.* Et Baruch. 2. *Adducit Dominus super nos mala.* Vnde Deus tulit sententiam pœnæ contrà Adamum, Euam, & serpentem *Gen.* 3. Probatur secundò, ex August 1. Retract. cap. 16. *Malorum ergo pœna, quæ à Domino Deo est, malum est.* Et 1. *de gen. ad lit. cap.* 13. & oppositum tanquam hæreticum damnat *lib. hæresum, hær.* 65. scribit Saluianus lib. de gubernatione Dei in initio. *A Deo quidem punimur, sed ipsi facimus, vt puniamur. Cum autem puniri nos ipsi facimus, cui dubium est, quin ipsi nos nostris criminibus puniamur? quia quicumque dat causam, qua puniatur, ipse se punit, secundum illud, funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur.*

Tertiò, iudex iustus, & rectus secundum leges præscriptas punit malos, & præmiat bonos, debet enim iudicare iuxta opera siue bona, siue mala: Deus autem est æquus iudex viuorum, & mortuorum, & oportet nos manifestari antè tribunal Dei, vt referat vnusquisque, prout gessit in corpore suo siue bonum, siue malum: ergo malum pœnæ est à Deo. Ideò subdit Ecclesiast. 11. *Mors, & vita à Domino Deo est.* Atque Alphonsus *lib.* 10. *aduersus hæreses, verbo malum*, refert quemdam Coluthum

vt hæreticum damnatum esse, propterea quod absolutè asseruit, Deum nullius mali esse factorem; cum ex sacris paginis præalleg. liquidò constet, Deum esse causam laborum, ærumnarum, calamitatum, & cæterorum, quæ sunt mala pœnæ. Per hæc enim mali corriguntur, & boni meliores fiunt, vt doctè prosequitur Aug. 3. *contrà Iulianum cap.* 8.

20. Assertio secunda, malum culpæ non est à Deo, sed à voluntate creata. Ita Scot. nuper alleg. *sub. H.* & §. *Ad solutionem istorum. T. & indè.* Hæc assertio duas capit partes. Prima pars defenditur ab Aug. *l.* 83. *qq. q.* 4. & oppositum tanquam hæreticum refellitur ab Alph. *l.* 10. *aduersus hær. hæres.* 1. Probatur primò ex scriptura. Matt. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere*: Deus autem est summè bonus, immò, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Rom. 11. *Si radix sancta, & rami: Deus autem sanctus est.* Isa. 6. Igitur malum culpæ non est à Deo.

Secundò, malum culpæ punitur à Deo, vt ostendi in 1. ass. Ergo non est à Deo. Propterea subiicitur Ose. 13. *Perditio tua ex te Israël, ex me tantummodo saluatio.*

Tertiò, arguit Scot. cit. *antè X.* Deus non potest à se auerti, nec formaliter, quia non potest se non diligere, cum sit summum bonum non agnoscens superiorem regulam: nec virtualiter, quia nihil aliud à se est necessarium, sed liberè, & contingenter ab ipso volitum quidquid est extra ipsum: peccatum autem, quod perindè est ac malum culpæ, est auersio ab incommutabil bono, & conuersio indebita ad commutabile bonum, authore Aug. *in opere de lib. arb.* Malum ergo culpæ non est Deo tribuendum.

Secunda pars probatur primò ex sacro codice, Psal. 33. *Vultus autem Domini super facientes mala.* Et Rom. 7. *Sed quod nolo malum, hoc ago.* 2. Aug. 12. *Ciuit. c.* 6. 7. 8. & 9. *l.* 2. *de nuptiis c.* 50. & 3. *ad Bonifacium c.* 9. 1. *de gratia contrà Pelagium c.* 20 *l.* 83. *qq. q.* 4 & 1. *de gen. ad lit. c.* 9. vbi loquens de Dæmone ait. *A se quidem habet malam voluntatem, ab illo autem idest Deo, naturam bonam.* Et *l. de correptione, & gratia c.* 6. de homine verba faciens inquit. *Prima prauitas, qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, prauus effectus est.* 3. ea est causa mali culpæ, quæ deficit à regula 1. sibi præfixa, & mandato eidemmet constituto: voluntas autem creata est huiusmodi, vt liquet *Gen.* 1. de primis progenitoribus, aliisque diuinæ legis transgressoribus. 4. Quæ punitur ob malum culpæ, est eius causa; delinquens enim, & peccans debet puniri, voluntas autem creata punitur, affirmante Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 20. *malam propriam voluntatem pœna ignis æterni plectendam esse credendum est.* Rursus, sola voluntas est fons, & origo boni, & mali, meriti, & demeriti, in potestate enim eius solius est benè, vel malè operari; ideò Aug. 8. *de gen. ad lit. cap.* 17. subnectit, *Voluntas est causa peccati, & alia causa non est inquirenda.* Et 13. Ciuit. cap. 14. *à malo vsu liberi arbitrij series calamitatis exorta est.* Idem scribitur 1. *Mag. mor. cap.* 10.

21. Assertio tertia, malum naturæ non prodit à causa prima, sed à causa secunda. Deducitur ex Doct. *vbi suprà.* Probatur primò, Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona,* siue *perfecta*, vt quidam transferunt. Et Eccles. 34. *Dei perfecta sunt opera.* Et alibi, *fecit Deus hominem rectum.* 2. Aug. 5. de gen. contrà Manich c. 51. *Deus omnia fecit non solum bona, sed bona valdè.* Idem scribit 1. *de lib. arb. c.* 1. & *l.* 2. *c.* 1. & 2. *l. qq. super Exo. q.* 143. Tertiò, Arist. 2. *Phys. T.* 27. *Sol, & homo generant hominem*, quod si accidat monstrum, non soli, qui est causa vniuersali, sed homini, qui est causa particularis tribuitur, ob exuberantiam, vel paucitatem materiæ, aut alias causas traditas *in Phys. l. de causis q.* 6 *art.* 3. Quartò, monstrum est peccatum naturæ, cuius causa est deficiens, vt præ aliis obseruat Alex. 3. *p. q.* 26. *m.* 7. *art.* 1. Deus autem est causa perficiens, & indefectibilis, cum sit omnium primus, à nullo regulabilis, & conformabilis. Igitur malum naturæ non Deo, sed creaturæ est adscribendum.

22. Opp. 1. *Iob.* 4. legitur de Dæmone, *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit, vt illudatur ab Angelis eius.* 1. Ioan. 3 *Ab initio diabolus peccat.* Et Ioan. 8. *Ille fuit homicida ab initio.* Igitur, Dæmon est principium, & causa malorum. Respondeo ex quo Dæmon paulò post quam creatus est à Deo, ab ipsomet Deo se auertit, & conuertit ad sui amorem, cum appetierit æqualitatem Dei; ideò dicitur initium figmenti Dei. Cecidit enim, qui manè oriebatur, factusque est in derisum, & illusionem Angelorum, vt patet ex illo text. Iob cit. *Vt illudatur ab Angelis eius.* Et Psal. 73. *Draco iste, quem formasti ad illudendum.* Vocatur autem homicida ab initio, quia ex quo homo conditus est, ipsum hominem per inuidiam, suasione, & tentatione in mortem deiecit, perhibente scriptura, *Sap.* 2. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Ita cum August. 11. *de gen. ad lit. cap* 21. respondet Scot. 2. *dist.* 5. *quæst.* 2 § *Ad* 1. *principale. ante R.* Vel dicito etiam cum eodem Aug. *ibid.* id exponendum esse de præscientia Dei: quamuis enim Deus præsciuerit Luciferum sponte, & liberè casurum in peccatum, statim ferè post creationem eius, voluit tamen Deus eum creare ad bonorum exercitium eorumque profectum. Sic dicitur Eccles. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* & Apoc. 3. *Agnus qui occisus est ab origine mundi.*

Oppones secundò, Exodi 4. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Et Ezechelis 14. *Ego decipiam prophetam illum.* Et Isa. 64. *Dominus miscuit illis spiritum erroris.* & cap. 63. *Quid errare fecisti nos Domine à via tua?* Indurare autem, decipere, & in errorem inducere quempiam, est malum culpæ: cum ergo Deus id præstet, planè infertur Deum esse causam mali culpæ. Respondet Alphonsus 10. *aduersus hær. hær.* 1. *ver. malum.* Deus dicitur indurare cor Pharaonis, non quia illud malitia imbuat, sed quia permittit ipsum obdurari, decipi, in errorem, & in reprobum sensum labi. Huic consonat expositio August. *lib. de prædest. cap.* 5. 6. & 15. *Indurabo cor*, idest non emolliam. Idem scribit 5. *contrà Iulianum cap.* 3. Veluti cum Hærus erga seruum ita se præbet ei indulgentem, & complacentem, vt eius vitia, & crimina non puniat, dicitur peiorem, deterioremque seruum reddere.

23. Oppones tertiò, legitur 3. *Reg.* 12. voluntate, & iussione Dei Roboam regem malum, & improbum regnare. Et Iob. 24. *Deus regnare facit hypocritam.* Et 2. *Reg.* 16. Deus præcepit Semei, vt malediceret Dauid. Igitur Deus est author mali culpæ. Respondeo has, & consimiles authoritates, quæ adduci queunt, ista dilui, & exponi distinctione, videlicet, intelligendas esse non effectiuè, sed permissiuè, idest, Deus permittit, vt malus princeps, & rex, imperet, & regnet, propter peccata populi, vt patet ex passu Iob allegat. Et 2. Tess. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati.*

ARTICVLVS V.

Quomodo à voluntate contra malum proficiscatur.

24. MAlum à bono oriri apertè tradunt August. 1. *contrà Iulianum cap.* 3. & *lib.* 3. *contrà eundem cap.* 24. Ambros. *lib. de Isaac, & anima cap.* 7. & Scot. 2. *dist.* 37. §. *Ad aliam quæst.* Quo verò pacto

pacto id fiat lis eſt inter Scholaſticos. Tres enim affe-ſuntur, & diſcutiuntur dicendi modi in hoc art. à Scot. mox citat. quos eius Marginiſtæ attribuunt S. Bonauenturæ 2. *diſt.* 34. & 44. ex quibus idem Scot. alleg. §. *Propter igitur*, bene, & plenè inſpectis, & accuratè rimatis, fatetur ſe colligere veram ſolutionem huiuſce difficultatis.

Primus autem dicendi modus eſt, qui legitur, & defenditur à Seraph. cit. *diſt.* 34. *quæſt.* 2. 3. & 4. *art.* 2. affirmante malum eſſe à bono per accidens, accidentalitate ſe tenente ex parte cauſæ, veluti inquit Philoſophus 5. *Met.* T. 2. & 2. *Phyſ.* T. 33. Policletus eſt cauſa ſtatuæ per accidens. Secundus eſt prænominati Doct. *ibid. d.* 44. *q.* 3. *a.* 1. aſſerentis, bonum eſſe cauſam mali per accidens, accidentalitate petita ex parte effectus, hoc eſt cum voluntas per ſe intendit poſitiuum in effectu, cui accidit, vt coniungatur aliquod deforme, ſiue malum, quod voluntas per ſe non intendit. Tertius eſt eiuſdem *vbi ſuprà*, *quæſt* 2. *art.* 1. opinantis malum prouenire à bono, non vt à cauſa efficiente, ſed deficiente.

25. Not. primò, ex Scot. alleg. §. *Propter igitur*, quod cum in malo duo interueniant, videlicet actus phyſicus, qui eſt poſitiuus, quive dicitur materiale peccati, & priuatio iuſtitiæ debitæ, quæ eſt formale peccati. Primum habet cauſam efficientem, quia omne poſitiuum, præter Deum, eſt ab alio vt cauſa efficiente. Secundum verò nullam ſortitur cauſam, niſi deficientem. Voluntas quippè creata, quæ tenetur ſe conformare Deo, eiuſque mandata ſeruare, ſi ei non ſe conformat, eiuſque præcepta non ſeruare, aſſertore Scot. *in Report.* 2. *diſt.* 37. §. *Ad* 1 *q. dico*, dicitur deficere, quod eſt formaliter peccare, malumque facere iuxta illud Pſal. 50. *Malum coram te feci*, à quo eruì petimus Matt. 6. *Libera nos a malo.* Ex eo enim quod cauſa libera aliquod poſitiuum præſtat, cui annectitur aliquis defectus, deficit, ſiue peccat, annuente Aug. 2. contra Iulianum, c. 26. *Vt quoniam quiſpiam alienos fructus decerpit, furtum facit declinans à lege Dei præcipiente, non furaberis.* Quo in ſenſu ſubdit Scot. memoratus explicari queunt pleræque authoritates, præſertim Dionyſ. lib. de diuinis nominibus, cap. 4. *Nemo agit ad malum aſpiciens.* Et Ariſt. 3. Eth. c. 5. *virtute præditus bona eligit*, ſupple per ſe, per accidens verò mala. Quod eſt dictu, non intendit per ſe mala, niſi per accidens, hoc eſt caſu, & fortuito. Quod vt melius percipiatur.

26. Not. ſecundò, vnum ab alio poſſe oriri per accidens tripliciter. Primò, ex parte cauſæ, quia ſcilicet coniungitur per accidens cauſæ, quæ talem effectum verè producit, vt Muſicus ædificat vbi muſica per accidens, eſt, & impertinens ad ædificandum, quia homo non ædificat vt Muſicus ſed vt ædificator, quatenus pollet arte ædificandi, non verò vt potitur arte canendi. Hoc modo peccatum à voluntate prodit, non vt voluntas eſt, alioqui conueniret diuinæ voluntati, quæ eſt impeccabilis, ſed vt eſt defectibilis, & obliquabilis, quod ipſi accidit, ex eo quod eſt ex nihilo, vt ſentit Auguſt. 12. *Ciuit. cap.* 6. 7. 8. & 9. & 1. *de gratia contra Pelagium. cap.* 20. & *lib* 14. *eiuſdem operis, cap.* 13. *Homo ex eo, quod eſt ex nihilo deficit, & peccat.* Ex lib. *de nuptiis, cap.* 20. Idem habet author *lib. de fide ad Petrum, c.* 3. *Omnes creaturæ bonæ ſunt, & quia ex nihilo factæ ſunt, deficiunt.*

Secundò, ex parte effectus, quod accidit, cum effectus à cauſa per ſe non intenduntur, vt fodienti vineam inuentio theſauri. Ita malum dicitur per accidens cauſari à voluntate, quia voluntas per ſe illud non intendit, vt in præeunte not. dicebam.

Tertiò, ex eo quod eſt extraneum, quo pacto riſibile rationali, & rationale animali dicuntur accidere, quia ſunt extrà eſſentiam animalis, vt obſeruaui *in Epitome lib.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 4. *num.* 17. Sic à voluntate per accidens fit malum, non vt voluntas eſt, ſed quatenus eſt creata voluntas, ſiue vt eſt finita, & limitata, & ex nihilo eſt defectibilis, & peccabilis, vt acutè deducit Doct. *vbi ſuprà. Q.* & *R.* & ante Auguſt. 14. *Trin. cap.* 4.

Deinceps obſerua animam, & quamlibet naturam eſſe bonum, vt liquet 1. Timot. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.* Creatam verò voluntatem, quæ oritur à natura rationali eſſe bonam, ſi bene operetur; eſſeque malam, ſi malè operetur, vt docte, & præclarè proſequitur Auguſt. præcit. *aduerſus Iulianum.*

27. Aſſertio prima, malum originem ducit à bono. Ita Auguſt. & Scotus citatus *in principio huius art.* quibus videtur aduerſari Suarez *diſp.* 11. *Met. ſect.* . *n.* 15. & *inde.* Probatur primò, defectus eſt à cauſa deficiente, vt claudicatio a claudicante, cæcitas à lumine carente, priuatio formæ a materia, &c. Cauſa autem deficiens, vt ens, & cauſa eſt, quid bonum eſt, vt homo cæcus ſecundum naturam humanam eſt ens poſitiuum, & bonum: materia eſt pars compoſiti, & ſubiectum formæ, & cætera à Deo condita, ſunt bona, vt aduertit Auguſt. *lib. de vera religione, cap.* 23. & 19. *Ciuit cap.* 13. Ergo malum eſt à bono.

Secundò, ab alterutro neceſſe eſt, originetur malum, hoc eſt a malo, vel a bono, ſed non à malo. Nam huiuſmodi malum aut eſſet ab alio, & aliud ab alio, & ſic deinceps in infinitum, quod eſt abſurdum: aut à ſe, ſicque foret primum, & ſummum malum, quod eſt impoſſibile, vt ſuprà monſtratum eſt. Deinuò malum eſt priuatio boni, authore Auguſtino *in Ench.* 11. quod illuſtrat Sanctus Doctor de morbo, qui eſt priuatio ſanitatis: priuatio autem ſupponit, & præexigit ſubiectum in quo eſt, & à quo eſt, vt patet de priuatione, quæ ſubiectatur in materia; ſubiectum autem eſt bonum, quia ens: reſtat ergo malum eſſe à bono.

28. Aſſertio ſecunda, malum eſt à bono, quatenùs eſt bonum finitum, & limitatum, quod eſt voluntas creata. Tenet Doctor *vbi ſuprà*, §. *Propter igitur.* Probatur primò, teſtimonijs Auguſtini allegati *in ſecundo not.* cauſa enim cur voluntas peccat, inquit Auguſtinus eſt, quia producta eſt ex nihilo, quod autem ex nihilo eſt, finitum, & limitatum eſt.

Secundò, quod eſt defectibile, eſt peccabile, quia peccatum eſt defectus a bono incommutabili, teſte Auguſt. 1. *de gratia contra Pelag. cap.* 10. & *lib. de vera relig. cap.* 3. & 14. *Ciuit. cap.* 9. voluntas autem vt creata & finita, eſt defectibilis, & ſæpè deficit à diuinis mandatis, ipſa transgrediendo, iuxtà illud 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

Tertiò, omnis ſubiectus, & ſeruus poteſt declinare à præcepto, & lege ſui Domini, quia tenetur ille iſti ſe conformare; omnis autem voluntas creata eſt Deo ſubiecta, & inferior obligata præcepto Dei præcipientis Matt. 10. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Et ei debet conformari, vt ediſſerit Doct. memorans §. *Iſta qq ante A.* & *poſt B.* & §. *Ad argumenta* 1. *q. in ſolutione* 2.

29. Oppones primò, à bono non prouenit niſi bonum, ſicut a malo malum: voluntas autem eſt bona, quia eſt à Deo, à quo omne bonum promanat ergo à voluntate creata non cauſatur malum. Maior fulcitur vulgato Saluatoris teſtimonio Matt. 7. dicentis, *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere.* Quod inuens Hort. allegatus ab Auguſt. 5. *contrà Iulianum* ſubiungit, *Tunc obſequatur natura, cum ſine magiſtro ſenſerit, quod natura deſiderat, non enim poteſt, quæ bona eſt, malè deſiderare.* Reſpondet Auguſt. 5. *contrà Iulianum, cap.* 2. & 4. *contrà eumdem, cap.* 4. Per bonam arborem intelligendam eſſe bonam voluntatem, quæ conformatur legi diuinæ, benèque operatur, quæve actus bonos elicit, fructuſque bonos operis meritorij facit: per arborem verò malam interpretandam eſſe malam voluntatem, quæ à diuinis mandatis declinans malè operatur, fructus malos pec-

catorum producit. Quare non natura humana, dicitur bona, aut mala arbor, sed voluntas quæ ab ea promanat perhibetur bona vel mala arbor, cum sit libera, & indifferens, se deinde determinat ad bene, vel malè operandum. Vel dicito cum Scot. eit § *Ad argumenta principalia* 1. *quæst.* Christus Dominus per arborem intelligit actum interiorem, & per fructum actum exteriorem, increpat enim ibi hypocritas, qui cum intus mali sint, extrà boni apparere volunt, quos idem Saluator monet cognosci à nobis per eorum opera exteriora, inquiens, *à fructibus eorum cognoscetis eos.*

30. Oppones secundò, voluntas creata ideò est peccabilis, quia est defectibilis, & ideò peccat, quia deficit, vt constat *ex* 2. *assi.* ab Aug. 12. *Ciuit. cap.* 7. defensa. Si ergo hæc ratio valet, Deus potest peccare, quia potest deficere; siquidem deficere perindè est ac non efficere *ex* 2. *Phys. T.* 30. & 5. *Met. cap.* 2. Deus autem potest non agere, quia ad extrà liberè agit: ergo potest deficere, ac peccare. Concedo ant. nego conseq. Quamuis enim deficere nominaliter, & grammaticè idem sonet ad non efficere, tamen realiter, & moraliter idem est ac deficere à regula superiore, cui debet obsequi. Deus autem cum sit prima regula, nullo modo potest deficere, & peccare.

31. Oppones tertiò, in causis præcisis, si negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis *ex* 1. *post. T.* 30. vt si habere pulmones, est causa respirandi, non habere pulmones est causa non respirandi. Quando autem Deus causat rectitudinem in actu, est causa eius rectitudinis, hoc est, vt voluntas creata in suo ordine causandi causet rectitudinem in eomet actu: igitur è contrà si Deus non causet rectitudinem in actu, est causa eius obliquitatis, & defectibilitatis, quæ est peccatum. Concedo ma. ad min. dico cum Scot. *in quæst. antè X.* quod si Deus non causaret rectitudinem, quæ deberet inesse actui voluntatis creatæ, idque ob libertatem suæ voluntatis, non autem ob defectum voluntatis creatæ non sponte concurrentis: tunc non esset causa peccati, quia non esset ibi carentia rectitudinis debitæ, atque ita nullum esset peccatum voluntatis creatæ. Etenim non secum causa prima concurrente, non potest quidquam agere, sicque tunc non peccaret. Siquidem cum duæ causæ simul concurrunt, defectus attribuitur causæ, quæ non agit, & tenetur agere; Deus autem cum agere non tenetur, si tunc causa secunda non operatur, nullus ipsi defectus, nullumve peccatum ipsi imputatur.

32. Quæres primò, cur Deus permittat mala? Respondet August. 5. *contrà Iulianum antè cap* 8. id præstare, vt ex malis eliciat bona. Et *lib.* 4: *contrà eundem cap.* 7. subiicit Christum vti benè omni genere malorum, ad vtilitatem bonorum Et 3. *de nuptiis cap* 20. Deus de malis bene operatur per omnia. Et *lib. de correptione, & gratia cap.* 10. qua creauit omnia bona valdè, & mala ex bonis exortura esse præsciuit, & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere.

33. Quæres secundò. Vtrum vnum peccatum sit pœna alterius peccati? Respondeo cum August. 5 *contrà Iulianum cap.* 3. & Scot. *vbi suprà* §. *Ideò posset dici DD.* affirmatiuè. Ratio est, quia pœna formaliter est carentia boni conuenientis voluntati, & volenti, quando autem quis peccat, priuatur bono sibi conueniente, aut secundum affectionem commodi, aut affectionem iustitiæ, vt ostendit Doct. cit. §. *Ad q* 3. *C.* Vndè rectè subnectit Aug. 1. *Conf. cap* 12. Deum alloquens. *Iussisti Domine, & ita est, vt omnis inordinatus animus pœna sit sibi.*

34. Dices, si peccatum est carentia rectitudinis debitæ, quæ est culpa distincta à pœna, quomodo vnum peccatum est pœna alterius peccati? Dico, cum Scot ad finem distinctionis allegatæ dupliciter pœnam accipi, vno modo pœna est carentia boni conuenientis naturæ intellectuali, vt carentia visionis, & fruitionis Dei, & hæc est pura primario, quæ est à Deo non efficiente, nec deficiente, sed deserente, idest naturam, quæ deficit, relinquente in suo defectu, & in omnibus defectibus consequentibus ad illum defectum, vbi includuntur plerçque carentiæ perfectionum conuenientium tali naturæ. Hæc autem in damnatis vocatur pœna damni. Altero modo pœna est aliquod positiuum disconueniens naturæ, vt calor vehemens carni appositus, est ipsi disconueniens: & pœna sic capta est à Deo infligente, quæ in damnatis appellatur pœna sensus, cuius meminit Aug. 1. *Retract. cap.* 25. & 26.

QVÆSTIO III.

De fine.

1. PRÆFERTVR tractatio de fine reliquis causis, inquit Arist. 1. *de partibus c.* 1. quia finis est ratio, ratio autem est principium in rebus tam natura, quam voluntate constituendis. Philosophia autem moralis potissimum de fine disserit: quoniam teste Aug. 9. *Ciuit. c.* 1. propter finem cætera volumus, ipsum autem non nisi propter seipsum. Virtutes enim, & cætera opera moralia tanquam media ad finem, siue felicitatem assequendam adhibemus, vt non obscurè indicat Arist. 1. *Eth. c.* 2. & apertè tradit Scot. 4 *d.* 49 *q* 8 *in fine* Præsuppositis autem, & præcognitis, quæ dixi in Phys. de causa finali, reliqua de eadem, paulò exactius, & accuratius examinanda, excutiendaque proposui in præsentia.

ARTICVLVS I.

Quotuplex sit finis.

2. NOn est contemnenda etymologia finis allata. & expensa à Vorr. 4. *d.* 50. Finis a fune dicitur; fune quippe metæ, & termini terrarum finibus constituebantur, ideò legitur Psal. 16. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Et alibi. *Diuisit terram in funiculis distributionis.* Ratio etiè potest, quia sicut fune trahimus, quod optamus, ita ob finem consequendum à nobis concupitum, labori, virtuti, cæterisque bonis operibus incumbimus. Nec omittenda est quadruplex acceptio finis prælibata à Scot 4. *d.* 49. *q.* 9 *in fine.* à nobis expendenda aptius, & melius infra, tanquam locus commodior, & opportunior.

Multas autem finis diuisiones adducunt, & exprimunt Suarez *disp.* 23 *Met. sect.* 1. Raconius *in prælud. Log. sect. vlt. c.* 2. & *Tract* 2. *Mor. disp. vn q.* 2. & Fuentes 2. *Phys q* 7. *diff.* 1. *art* 1. Ego verò potiores, & præstantiores seligo, & explico.

3. Prima est peruulgata diuisio, in finem operantis, & finem operis tacta à Scot. 1. *Met. q.* 7 *in calce.* Ille est quem sibi operans, siue sciens proponit consequendum, vt si quis Philosophiæ studeat, propter inanem gloriam, hæc est eius finis, quive nominatur finis extrinsecus. Hic est, ad quem opus, siue scientia fertur, & propter quem est adiuncta, quive intrinsecus perhibetur, vt finis Logicæ est discretio veritatis à falsitate. Scindi potest in mediatum, siue remotum, vt combinatio litterarum in Grammatica, & cognitio terminorum in Logica: & in immediatum, siue proximum, vt notitia congruæ locutionis in Grammatica, & cognitio syllogismi in Logica. Rursus in totalem, siue adæquatum, & partialem, siue inadæquatum, quæ facilè ex dictis in Log. *l.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. percipi queunt.

4. Secunda, finis operis, siue artis in finē cui, & finē eu us.

cuius. Quam tradunt Arist. 2. *de anima* c.4. *T.*37. & 2. *Phys. c.*1. *T.*23. & *c.*7. *T.*71. & Scot. 2. *d.*6 *quæst.* 2. §. *in illa quæst. A.* Finis cui est id, cui quispiam vult aliquod bonum, propter quod operatur, vt ægrotus est finis, cui medicus vult per medicamenta inducere sanitatem. Finis cuius est illud bonum, quod quispiam alicui vult, vt sanitas est finis cuius, quam medicus mediis medicamentis curat ægroto præbere. Ille respicit amorem concupiscentiæ, quia est in commodum alterius: iste verò amorem amicitiæ, quia est propter se, & in aliud non tendit, vt astruit Doct. *vbi suprà*, quem sequitur Suarez *cit. n.* 3.

5. Tertia, in finem obiectiuum, seu finem qui, & finem formalem, seu finem quo. Hanc memorat Scot. 12. *Met c.*2. & *tract. de* 1. *principio c.*2. & 4. *d.*49. *q.*6. *sub C.* Prior est obiectum obtinendum, & fruendum, vt finis obiectiuus beatitudinis est Deus. Posterior verò est operatio, qua attingitur, & possidetur tale obiectum, vt fruitio, qua Beatus fruitur Deo. Hinc ortum duxit illa diuisio beatitudinis in obiectiuam, & formalem, de qua copiosè suo loco.

6. Quarta, est in finem faciendum, qui ab operante, & intendente efficitur, quive aliquando permanet in operante actione transacta, vt sanitas in ægrotum inducta, aliquando verò non persistit in operante, vt concentus, post cantationem, & sonus cytharæ post cytharizationem: & in finem factionis, qui est id, ad quod operatio rei genitæ ordinatur, quod præexigitur, antè operationem, vt forma præexigitur priusquam sustentetur à materia, & subiectum ante accidentia Tangitur ab Arist. 1. *Eth c.*6. & 1. *Magnorum moralium c.*3. & explicatur à Bonet. 2. *Phys. c.*3.

7. Quinta, in finem vltimum, & non vltimum. Hic quoque dicitur finis sub fine, & intermedius, estque, cuius gratia quidem aliquid fit: tamen adhuc refertur, & ordinatur ad aliud, vt pecuniæ exhibitio ad succurrendum egeno, & ad obtinendam Dei gratiam Finis vltimus est, cuius gratia aliquid fit irreferibiliter ad aliud. Hæc finis partitio deducitur ex Scot. 2. *Met c* 2. & 4. *d* 49. *q.*2. & *ibid in Rep q.*7. *in fine.* Potest autem finis vltimus subdiuidi in finem vltimum secundum quid, hoc est vltimum in aliquo ordine, & serie, vt sanitas intenta à Medico, ratione cuius, vt restituatur ægroto, omnem curam, & operam impendit: & finem vltimum simpliciter, ad quem tandem omnia reducuntur, vti est Deus iuxta illud, Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Oppositiones autem, quæ in præsenti articulo confici queunt, proponentur, & dissoluentur commodius, & aptius in sequenti Parte.

Articvlvs II.

Quisnam ex dictis finibus sit causa finalis.

8. Scholastici non sunt conformes, nec concordes in statuendo, quisnam ex prænarratis finis diuisionibus propriam rationem causæ finalis sortiatur. Vt autem magis certa, & verisimilia, à minus certis, & dubiis secernamus. Obseruamus apud omnes, certum esse, & indubium ex 2. *Phys. T.* 29. & 31. finem definiri, *cuius gratia aliquid fit.* Vertitur autem in dubium, cuinam fini ex recensitis præfata definitio adaptetur. Et quidem vtrique fini secundæ diuisionis conuenire pro certo videtur; quia agens agit propter finem, opusque eius ad finem ab ipsomet agente, præcognitum, & propositum fertur. Homo quippè agit propter beatitudinem, eiusque opera ad ipsam consequendam diriguntur, & feruntur, participantque propriam, & formalem rationem finis.

9. De fine autem formali, & obiectiuo fere eadem habetur causa. Etenim operatio agentis maximè intellectualis, quæ dicitur eius finis, est propter ipsum, siue, vt per eam perficiatur, vt patet ex Aristot. 9. *Metaphys. T.* 16. & Scot. *ibid.* Finis verò obiectiuus est gratia operantis, & finis formalis, vt in eo operans conquiescat, ipsum obiectum per operationem attingendo, eo potiendo, gaudendo, & fruendo. Perficitur enim agens per habitionem, & possessionem talis finis obiectiui, in eiusque visione, & fruitione planè, & plenè sistit, quod clarè edisseit Vates Regius Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Maior autem, & grauior dubitatio extat de fine cuius, & cui, necnon de fine intermedio, & vltimo.

10. Quoad autem primum thema propositum, & examini expositum, Och. 2. *quæst.* 3. *artic.* 1. Gabriel *ibid distinct.* 1. *quæst.* 5. Henr. *Quol.* 2. *quæst.* 2. & alij opinantur finem cui, non verò finem cuius participare propriam naturam causæ finalis. Communis autem sententia cæterorum Philosophorum vtrique fini propriam rationem formalem causæ finalis accommodat, & adaptat.

11. Quoad verò secundum dogma de fine vltimo, & non vltimo, Vasquez cum 1. *part disp.* 82. *cap.* 1. & 1. 2. *disp.* 4. respuat præfatam diuisionem tanquam illegitimam, & vanam, soli fini vltimo attribuit causalitatem causæ finalis. Communis autem sensus, & consensus cæterorum est, vtrumque finem pollere propria ratione causæ finalis.

12. Assertio prima, finis cuius, & cui habent propriam rationem causæ finalis. Deducitur ex Scot. 2. *dist.*6. *quæst.*1. *F.* Probatur 1. ex Arist. 2. *de anima cap.*4 *tit.* 37. admittente prælatam finis diuisionem, cum 2. *Phys.*29. assignans communem finis definitionem, dixerit, finem esse, cuius gratia aliquid fit. Si ergo membra bonæ diuisionis ex æquo participant naturam diuisi communis, eisque conueniat ipsius definitio, procul dubio vterque finis est propriè causa finalis.

Secundò, propter finem homo mouetur ad agendum, vt nemo negat: non solum autem mouetur propter finem cui, verumetiam propter finem cuius: in vtroque enim est bonitas: atque homo excitatur nedum, vt habeat beatitudinem obiectiuam, sed etiam, vt habeat beatitudinem formalem. Itemque Medicus mouetur ad procurandam sanitatem, ipsamque opero suo nititur ægro conferre. Sanitas autem est finis cuius, æger verò est finis cui; vterque ergo est propriè finis, immò in vnum coalescere putant non pauci Recentes ex Scot. *vbi suprà*, & *Arist* 5. *Met. cap.*2. Ratio est, quia agens vtrumque finem adæquatè intendit; vult enim Medicus sanitatem ægroto, ipse autem ægrotus est finis cui, & sanitas finis cuius. Quod apertè docet Arist. nunc alleg. inquiens, propter quid homo deambulat? vt sanetur. Vbi vterque finis capitur, putà homo, & sanitas, ille finis cui, iste verò finis cuius, cum hoc tamen discrimine, quia ie est finis principalis, iste verò minus præcipuus.

13. Assertio secunda, tam finis vltimus, quàm non vltimus est verè finis. Colligitur ex Scot. 1. *dist.* 1. *quæst.*4. §. *Ad argumenta.* & 4. *d.*14. *quæst.*2. *H.* & *R.* Probatur primò, ex 2. *Met. cap.*2. in finibus non datur processus in infinitum. Et 2. *Phys. T.*89. *cit.* à Doct. *Quol.*16. *F.* & 4. *dist.*49. *quæst* 9. *M. Sicut se habet principium in speculabilibus, ità finis in agibilibus* atqui in scientiis speculatiuis, quod est principium vnius scientiæ, est finis, siue conclusio alterius, & è contra, quod est finis, siue conclusio vnius, est principium alterius, vt liquet in scientiis subalternis, de quibus *in Log. l.*5 *q.*4 *a.*7. Pariter in agibilibus, & moralibus, vnum ordinatur ad aliud, estque finis in tali rerum serie; quoniam verò huiusmodi res non sunt summè bonæ, propterea ad aliud ordinantur, quod est omnium vltimum, & summum bonum. Præterea 2. *Phys.*24. homo

mo est finis artefactarum rerum, cuius finis vltimus est Deus, vt innuunt D. Paulus 1. *Cor.* 13. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et S. Aug. *lib.* 83. *qq. quæst.* 56. *& lib. de spiritu, & anima cap.* 4: *Ex corpore, & anima constituitur homo, & quidquid oculis corporeis videtur, propter corpus factum est, corpus propter animam, anima verò propter Deum.* Rursus 2. *Phys. cap.* 7. *T.* 71. finis generationis est forma, forma autem vlterius ordinatur ad compositum, tanquam totalem, & vltimatum finem eiusdem generationis. Adde, quod vnum potest fieri gratia alterius, & postmodum ordinari ad aliud, vt quis comedit ad corpus sustentandum, deinde ad seruiendum Deo. Denique plerique Recentiores nuncupatim Suarez citat. *num.* 5. Fuentes *quæst.* 7. *diff.* 1. *art.* 1. *num.* 3. & gemini Scotistæ *disp.* 7. *phys. quæst* 8. *artic.* 1. tradunt ex fine cuius, & cui, necnon ex fine formali, & obiectiuo tanquam partialibus conflari vnum totalem. Siquidem in assequutione vtriusque fit coniunctio vnius cum alio ad desideratum, & dilectum, sic sanitas cum homine sano, & homo sanus dici potest integer, & totalis finis operantis: pariter homo per visionem, & fruitionem coniungitur Deo, & fit beatus, quo pacto perhibetur habere suum finem, siue vltimatam suam perfectionem, quia coniungitur cum optimo sibi possibili, vt scribit Doct. *q.* 1. *prol.* & *in Rep.* 4. *dist.* 49. *quæst.* 7. *in solutione vlt.* Idque monstrat Saluator Ioan. 7. *Rogo te, Pater, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*, supple vnitate charitatis, & amoris, vt tradit Doct. 1. *d.* 5. *quæst.* 2. & ego fusè expressi *Tract. de Trin. disp.* 3. *quæst.* 5. Insinuat Arist. 5. *Met. cap.* 2. inquiens, homo deambulat propter sanitatem, vbi comprehendit tam hominem, qui est finis cui, quàm sanitatem, quæ est finis cuius: Idem statuitur de fine formali, & obiectiuo. Homo enim operatur, vt videat Deum, ipsoque fruatur, vbi Deus clarè visus, & possessus dicitur vltimus finis hominis.

14. Oppones primò, contrà primam assert. finis est, quo habito, quiescit animus appetentis, veluti acquisito termino cessat motus: habito autem fine cuius, non quiescit animus appetentis, quia non propter se, sed propter aliud appetitur, vt sanitas, quæ dicitur finis cuius appetitur propter hominem. Non enim per se amatur, sed gratia alterius: finis autem est, cuius consequendi gratia cætera expetuntur, 2. *Met.* 8. Igitur finis cuius non est propriè finis. Vndè Scot. 4. *dist.* 49 *in calce quæst.* 1. *& d.* 50. *quæst.* 2. *sub F.* subiicit, operatio secundum se non videtur esse sui gratia, sed gratia obiecti. Et Suarez *disp.* 24. *Met. n.* 16. subnectit finem formalem ordinari ad obiectiuum. Conf. sicut se habet instrumentum ad causam principalem: ita se habet finis cuius ad finem cui, quia vt instrumentum nequit agere sine causa principali, à qua dependet: finis autem cuius non appetitur, nisi propter finem cui, vt explicui suprà de sanitate, quæ non desideratur, nisi ob finem cui, idest hominem. Igitur finis cuius non gaudet propria natura finis. Concedo Ma. ad min. dico vtrumque finem simul coniungi, vt sistat intentio appetentis, quia se habet vt perfectio, & perfectibile, finis enim cuius est perfectio finis cui, vt sanitas est perfectio hominis. Id tamen non tollit, quin finis cuius sit propriè finis. Nam agens causa eius mouetur ad agendum, vt claret ex dictis. Ad Arist. dico, ipsum loqui de fine vlt. vel etiam de quocumque fine, ad quem media ordinantur, respectu quorum iure nuncupatur finis, per id quoque satisfit testimonio Scot. alleg. Ad conf. neganda est paritas, quia instrumentum ex dictis *in Physica*, non est propriè actiuum, nisi in actuali motione agentis. Verùm finis cuius in suo genere est actiuus, quia agens agit propria actione, propter eius consequutionem.

15. Oppones secundò, finis cui est subiectum, vt sanitas subiectatur in homine: ergò finis cui non est propriè finis. Conseq. tenet *ex* 2. *Phys.* 24. vbi legitur nos esse omnium quodammodo fines. Conf. si talis, vt verè finis admittatur, vtique concedendum est, hominem esse finem Dei, quia ipsum nobis appetimus, præsertim quia ex suprà dictis, ex fine formali, & obiectiuo integratur vnus totalis finis. Id autem falsum, & absurdum est, ergo & istud, atqueadeò finis cui non est propriè finis. Respondeo si comparetur finis cuius ad finem cui, quidem hic est eius subiectum, vel obiectum, & hoc respectu, non dicitur finis, nec sic exercet causalitatem causæ finalis, sed quatenus adhibentur media ad eius adeptionem, & in gratiam eius assequendi agens operatur. Ad Aristotelem dico ipsum, illud protulisse non diminuendo, sed diuersificando, ibi enim antè meminerat finis generationis, & quia homo est artefactorum finis, ideò Arist. ait, *Sumus nos aliquo modo fines eorum, quæ arte fiunt*, vt rectè aduertit Fons. *quæst.* 10. *sect.* 1. *passu recensito.* Idque verum esse patet, quia subdit Philosophus, se tradidisse duos fines in Philosophiæ libro, qui licet apud nos non extet, tamen expressè id habetur 2. *de anima cap.* 4. Ad conf. nego sequelam, quia Deus non ordinatur ad nos, sed nos ad ipsum ordinamur, & vt ipsum attingamus visione, & fruitione, mandata eius seruamus, nostraque opera ad ipsum dirigimus. Quare Deum diligimus, quia vult à nobis diligi tanquam summum bonum à nobis possidendum, omniaque ad eum met, tanquam vltimam, & consummatam perfectionem nostram referimus, vt præ aliis notat Rich. 3. *dist.* 26. *quæst.* 1. *art.* 7.

16. Oppones tertiò, quod fertur ad aliud non est finis, sine vltimum, & extremum rei, vt declaraui *in Epit. lib.* 1 *quæst.* 1. *art.* 1. Finis autem intermedius ad aliud tendit, vt constat ex eius descriptione præallata: ergo finis intermedius non est propriè finis. Ma. fulcitur testimonio Philosophi 2. *Physic.* 29 finis est, cuius consequendi gratia omnia fiunt ab agente ipsum intendente. Conf. 1. implicat medium esse finem, quia medium est ad aliud, finis verò est propter se: non ergo datur finis intermedius. Conf. 2. Deus non vult vnam creaturam propter aliam; diuina enim voluntas ab obiecto creato non mouetur, vt vnum velit propter aliud: ergo tantum vltimus finis gaudet propria natura finis, cætera verò duntaxat participant rationem medij. Distinguo ma. si non habeat propriam bonitatem, gratia cuius expetatur, & ametur ab agente, concedo, vti sunt potio amara, sectio venæ, & huius formæ alia: si potiatur propria bonitate, ratione cuius propter se expetatur, nego, vt exercitatio corporis moderata. Hoc enim modo vnum bonum potest diligi propter aliud, vt castitas propter sanitatem, & sanitas propter Deum, quo in sensu scribit Ecclesiastes 2, *Abstinui me à vino, vt me conuerterem ad sapientiam.* Vbi abstinentia à vino est propter sapientiam, & sapientia propter Deum. Et Arist prænominatus *T.* 24. ait, artificialia esse propter hominem, homo verò propter Deum, qui est finis omnium postremus. Huic consonat illud 1. Cor. 13 *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Ad Arist. dico, vel ipsum verba facere de fine vltimo simpliciter, vel de fine etiam vltimo secundum quid, ad quem omnia media propter eius consequutionem necessaria in illa serie ordinantur. Ad 1. conf. antecedens est verum reduplicatiuè, non autem specificatiuè; quod namque est medium respectu finis vltimi, potest esse finis respectu aliorum, vt abstinentia à vino est medium ad consequendam sapientiam, vt eius finem, deinde sapientia est medium ad assequendam beatitudinem. Ad 2. conf. dico id valere in Deo, quia omnis creatura est obiectum intellectus, & voluntatis eius duntaxat terminatiuum: non autem in nobis, qui mouemur ab obiectis creatis, vnaque eorum bonitas potest mouere nos ad alteram bonitatem, & terminare nostrum appetitum non simpliciter, sed secundum quid, vt magis infrà patefaciam.

17. Quæres,

17. Quæres, vtrum prænominati fines vno, aut duplici actu diligantur. Reſpondeo cum *Scot.* 4. *d.* 49. *q.* 5. §. *Ad quæſt* Rada 1. *contr. contr.* 11. *a.* 4. & Fabro 2. *diſp.* 32. eos fines amati duobus actibus; ſiquidem finis cuius amatur amore concupiſcentiæ, & finis cui amore amicitiæ, ſuntque diuerſi in habitudine, & in obiecto, vt explicat Faber *cit. cap.* 3. Rurſus, finis intermedius ordinatur ad finem vlt. vnuſque videtur ſe habere, vt cauſa, & effectus, quæ inter ſe realiter diſſident. Ideóque agens non vno, ſed pluribus actibus ad eos fertur.

Articvlvs III.

Quænam ſit ratio conſtitutiua finis.

18. Hæc difficultas ſub alio titulo proponitur, nimirùm, vtrum voluntas poſſit velle malum ſub ratione mali; duplicique ſenſu poteſt agitari, primò de ratione finis conſtitutiua in actu primo. Secundo verò de ratione eiuſdem conſtitutiua in actu ſecundo. Prior ſenſus in hoc art. examinatur: poſterior verò in ſubſequente diſcutietur. Duplex autem in præſenti viget opinio. Vna eſt Alen. 1. *part. quæſt* 17. *m.* 4. & *quæſt.* 34. *m.* 1. Thom. 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. & 3. *contra Gentes cap.* 2. & 3. & Suarez *diſp.* 23. *Met. ſect* 5. aſſerentium rationem conſtitutiuam finis in eſſe finis eſſe ſolummodo bonitatem. Altera eſt Och. 3. *quæſt* 13. *dub.* 3. & aliorum Nom. affirmantium, nedum bonum, vel malum, ſed etiam indifferens ad bonum, vel malum poſſe eſſe rationem finis obiectiuam, quam voluntas vt finem ſibi præfigere, & præſtituere poteſt.

19. Not. 1. Scotiſtas in hoc dubio eſſe diſcordes, & tripartitos; quidam enim vt Maſtrius, & Bellutus *diſp.* 7. *Phyſ. quæſt.* 8. *art.* 2. priorem opinionem ſequuntur, Alij verò vt Faber. 1. *diſp.* 13. *cap.* 7. & *diſp* 9. *de pœnitentia cap* 8 poſteriorem ſententiam amplectuntur. Cæteri verò vt Vorr. 2. *d.* 43. *diff.* 2. vtrumque placitum probabile cenſent, ſic etiam videntur ſentire Doct. *Ibid.* Brulifer, & Gadius, *Quol.* 16. *fol.* 169. Idque iam aſſerui, *tract. de Angelis diſp.* 11. *quæſt.* 4.

20. Not. 2. in ſchola ſubtilium, ens quidem generatim acceptum eſſe obiectum intellectus, vt liquet ex Scot. 1. *d.* 3. *quæſt.* 3. § *Ad rationes in oppoſitũ C.* & *E.* An verò idem ſit obiectum intellectus, ac voluntatis, obſcurè, & dubiè ibi loquitur Doct. nec alterutri parti firmiter videtur aſſentire; eodem ferè modo in hac, ac in illa difficultate procedit, vt legenti attentè textum palam eſt. Loco enim mox cit. apponit particulam conditionalem ſi: at 2. *d.* 6. *quæſt.* 1. § *quia tamen. A.* explicitè, & abſolutè ait, omne ens eſſe obiectum voluntatis, licet ibi non tam abſolutè loquatur, vt patet ex illo ver. *poteſt aliter ad quæſt. reſponderi.* Vnde *in Rep.* 2. *eadem d.* & *quæſt.* reſpondens ad rationes pro oppoſita opinione, in ſolutione quarta, adhuc ſub dubio reliquit præfatam difficultatem, vtrum odium Dei ſit poſſibile.

21. Not. 3. *ex* 4. *Rep. d.* 49. *quæſt.* 9. duplicem eſſe appetitum voluntatis, naturalem, & liberum. Appetitus naturalis eſt inclinatio, qua voluntas ſuaptè natura propendet ad bonum ſibi congruum, quod dicitur appetere, & velle affectione commodi, & appetitu concupiſcentiæ, ità vnumquodque dicitur appetere ſuam perfectionem & 1. *Phyſ.* 81 materia appetit formam. Appetitus verò liber eſt, quo voluntas liberè ſe determinat ad aliquid volendum, ſiue illud ſit poſſibile, ſiue impoſſibile, quod perhibetur velle affectione iuſtitiæ, & amore amicitiæ, ſi id fuerit poſſibile, poteſt efficaciter velle, & adhibere media ſufficientia, & idonea ad eius aſſequutionẽ: at ſi fuerit impoſſibile, poteſt illud velle inefficaciter, & complacenter, veluti Angelum malum appetiiſſe æqualitatem Dei tradit Doct. loco præcit. Porrò per præallatam diſtinctionem dirimitur prorſus, & plenè diſſoluitur iſta controuerſia. Siquidem affectione commodi ſemper voluntas fertur in bonum: affectione verò iuſtitiæ, quamuis vt in pluribus tendat in bonum, non tamen ſemper, ſcribente Doct. 4. *diſp.* 49. *quæſt.* 9. *Reſp.* §. *Ad aliud cum dicitur.*

22. Aſſertio prima, ratio conſtitutiua finis præſcindit à bono, & malo, eſtque ad vtrumque indifferens. Deducitur ex Doct. 2 *diſp.* 6. *quæſt.* 1. §. *quia tamen. A.* dicente, voluntatem pro ſuo obiecto reſpicere totum ens. Et 4. *d.* 49. *quæſt.* 1. §. *Ad.* 1. *q. antè T.* quæcumque voluntas reſpicit pro obiecto volibile ſub ratione communiſſima, quia eſt potentia immaterialis, & per conſequens reſpiciens totum ens, vel aliquod æqualis ambitus cum ente. Et *ibid. q.* 10. §. *Reſpondeo ſub E.* addit, voluntatem poſſe ſuſpendere actum volendi, vel nolendi circà beatitudinem, vel miſeriam. Darique actus indifferentes, conſtans eſt eius doctrina 2. *d.* 42. *quæſt. vn* Probatur 1. ex Aug. 1. *Retract. c.* 9. & 22. *Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas.* Quod Scot. 1. *d.* 1. *quæſt.* 4. §. *contra* 2. *art.* & alibi explicat de actu elicito voluntatis, & *in Euch. c.* 14. *Aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt.* Si ergo voluntas liberè reſpicit quodlibet obiectum, ſiue bonum, ſiue malum, conſequenter eſt indifferens ad hoc, vel illud volendum, aut nolendum; ac proinde ratio finis eius præſcindit ab vtroque, & ad vtrumque eſt indifferens. Secundò, voluntas quouis obiecto ſibi præſentato, poteſt illud velle, vel nolle, vel non velle. Si primum, habetur intentum, putà voluntatem reſpicere indifferenter quoduis obiectum, ſiue bonum, ſiue malum: ſi ſecundum, ergò voluntas non eſt libera, quod pugnat ſacræ paginæ Eccleſ. 15. *Appoſui tibi ignem, & aquam, ad quodcumque volueris porrige manum* 3. quod habet obiectum abſtractius à bono, & malo, præciſè & adæquatè non ſpectat bonum, vt liquet de intellectu, cuius obiectum eſt ens in tota ſua amplitudine acceptum *ex* 1. *d.* 3. *quæſt* 3. qui proindè non contemplatur verum, aut bonum duntaxat: obiectum autem voluntatis eſt ens, quod eſt communius bono, & reliquis tranſcendentibus. Ergò voluntas pro ſua ratione obiectiua non reſpicit bonitatem duntaxat. Ant. ſuadetur à Doct. *loco proximè alleg.* §. *Ad rationes in oppoſitum.* Poteſt enim voluntas velle quodcumque obiectum ab intellectu ſibi oblatum. Si ergò intellectus contemplatur omne ens, ſanè id voluntati non eſt denegandum, cum potentia appetitiua adæquetur potentiæ cognoſcitiuæ in operando, penes quælibet obiecta. Vide Fabrum *in* 4. *diſp.* 9. *de peccatis quæſt.* 2. *c.* 7.

23. Aſſertio ſecunda, voluntas poteſt velle malum, ſub ratione mali. Indicatur à Scot. *vbi ſuprà* & expreſſè ab eodem aſſeritur, *collatione* 17. *ad finem*, vbi loquens de Angelis malis ſubdit, aut volunt odium Dei ſub ratione mali, & habetur propoſitum, nempè malum ſub ratione mali poteſt eſſe volitum: aut eſt volitum ſub ratione boni, & ſic errarent, quia odium Dei eſt per ſe malum, & amor Dei eſt per ſe bonus, aut non poſſunt velle, cuius oppoſitum experimur in peccatoribus & damnatis. Idem ferè legitur 2. *d.* 43. *quæſt.* 1. *antè A.* Deinde probatur ex ſcriptura Pſal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* & Ioan. 15. *Qui odit me, odit & Patrem meum*, vbi Scot. 2. *d.* 43. *quæſt.* 1. §. *Ad* 1. ſubuenit, non poſſe quempiam odiſſe vnam diuinam Perſonam, niſi virtualiter aliam Perſonam odio habeat: cum ergo odium Dei ſit per ſe malum, & voluntas queat illud velle, vt damnati, planè euincitur voluntatem poſſe tendere in malum ſub ratione mali. Prætereà, quidam mortem appetunt, ſéque ipſos perimunt deſperatione ducti, licet cognoſcant mortem eſſe quoddam malum auerſum, & aduerſum beatitudini; homineſque praui ſæpè volunt malum, nulla habita, vel propoſita ipſis bonitate, ſed ſola malitia

perciti, & quia malum sic eis placet, nullum bonum, nec emolumentum inde sperantes. Deinde, *ex 1. d. 1. quæst. 1.* triplex assignatur finis, verus, apparens, & præstitutus, siue præfixus, & hic est, quem voluntas sibi proponit, nulla habita ratione bonitatis, vtilitatis, aut honestatis, sed sponte, & liberè: potest ergo voluntas pro suo libito velle malum, vt malum est. Quod indicat Arist. *2. Magn. mor. c. 7.*

24. Assertio tertia, Scotus videtur problematicus, num odium Dei sit possibile; possitque voluntas velle malum sub ratione mali. Ita sentit Cauellus *1. Met. quæst. 2. Scholio 3.* adducens multa loca pro vtraque parte, ex quibus Scot. ancipitem mansisse colligit. Patet autem præposita assertio legenti scripta Doctoris In 1. enim *d. 1. quæst. 4. §. Ad argumenta,* occurrens testimonio August. *in Ench. cap. 73. Miseri non solum esse nolumus, sed nequaquam velle possumus,* inquit, hoc esse interpretandum non de actu voluntatis actuali, & elicito, sed de actu naturali habituali, & aptitudinali, quo voluntas naturaliter inclinat ad suam perfectionem, veluti quæcumque alia potentia, & natura. Ideò *in Rep. 4. d. 19. quæst. 9.* exemplificat de materia prima, quæ naturaliter appetit formam, veluti omne imperfectum appetit suam perfectionem. Et *ibid. subiicit,* omnes velle beatitudinem non actu amicitiæ, sed concupiscentiæ, voluntas enim inordinata damnatorum, & viatorum pessimorum non vult illum actum propter se, siue illum actum in se, immò non vult illum esse, nec Deum esse, qui est obiectum beatificum. Idipsum scribit *in Rep. 1. d. 1. q. 2. §. Ad 1. principale.* Et *2. d. 6. quæst. 2. M. & N. & in Rep. eadem d. & q. §. Ad 1. rationem.* Et *2. d. 43. quæst. 1. §. Respondeo. D.* ait, *Deus formaliter ab aliqua voluntate non potest odiri.* Et citat seipsum *4. d. 49. quæst. 9.* Atque *in eodem 2. cit. quæst. 2.* loquitur conditionate, & dubitatiuè. Absolute verò videtur loqui *Quol. 16. F.* inquiens, *finem non habere rationem nolibilis, quia nec malitiam, nec defectum boni includit. Vnde hoc, quod est nolle finem, includit contradictionem, sicut videre sonum.* Hoc etiam videtur innuere August. *4. qq. super Numeros quæst. 24. Nec ideo ipsum peccare, nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod ex eo consequitur.* Et *in Ench. cap. 14. alleg. à Doct. in vtroque opere quarti* habetur, in potestate voluntatis est, elicere actum volendi, aut nolendi, tam circa bonum, quàm circa malum, quia nullum velle necessariò elicitur à voluntate, tam circa beatitudinem in vniuersali, quàm in particulari, vt patet *in eodem primo memorato, & eodem loco quarti F.* Etsi idem Scot. ibi concludat nos non posse velle miseriam, quoad inclinationem, & appetitum naturalem, tamen non asserit absolutè voluntatem determinari ad alterutrum actum: & respondens illi rationi, in qua non est defectus boni, vel mali est necessariò volitum, decernit eam propositionem esse falsam, quia voluntas respectu cuiuscumque actus est libera, & à nullo obiecto necessitatur. Deindè addit, voluntatem posse suspendere suum actum ostensa sibi beatitudine. Rursus *3. d. 33. quæst. vnica §. Ad rationem igitur C.* scribit obiectum voluntatis esse bonum. Quod præmiserat August. *l. 2 de serm. Domini in monte cap. 34. Voluntas non est nisi in bonis.* Huic occurrendum est cum Doct. *1. d. 23. quæst. vn. A. & D.* interpretandum esse de obiecto voluntatis non adæquato, & motiuo, sed quoad inclinationem, & appetitum naturalem, & vt in plurib. Idque etiam scribit *4. d. 49. quæst. 10. §. Ad 1 arg. E. & M. & ibid. in Rep. quæst. 9 § Ad aliud cum dicitur.* Denique ad finem *coll. 17.* videtur admittere odium Dei, quod est per se malum. Cui potest satisfieri, si dicatur, odium Dei esse possibile non formaliter, sed interpretatiuè, veluti Doct. *ait. 2. Rep d. 6 quæst. 1.* in fine, Angelum malum appetiisse æqualitatem Dei non formaliter, quia talis æqualitas est impossibilis, sed interpretatiuè, & voluntate, inefficaci, quæ dicitur velleitas, ita respondet Gadius *passu prærecensito.* Quare indiuisi Scotistæ præalleg. & si in 1. conc. expressè velint Scot. defendere bonum esse obiectum adæquatum voluntatis, tamen in fine conclusionis 2. & in solutione 1. conuicti locis Doct. prænominatis, ingenue fatentur Scot. esse problematicum hac in re, quamuis ipsum magis inclinare in eorum sententiam arbitrentur. Quod an verum sit, æquus iudicet iudex, ex hactenus adductis.

25. Oppones primò, Dionys. *de diuinis nominib. c. 4.* adductus a Doct. 2. d. 43. quæst. 2. in initio, *Nemo aspiciens ad malum operatur.* Arist. 1. Eth. 1. *Bonum est, quod omnia appetunt,* citatur à Doct. 4. d. 49. q. 9. Et 2. *Phys. 31.* & 7. Met. c. 10. *Finis, & bonum adinuicem reciprocantur.* Suffragantur Aug. l. 2. de serm. Domini in monte cap. 34. *Voluntas non est, nisi in bonis.* Et Ansel. l. de concordia c. 21. *Voluntas non potest non velle summè bonum.* Igitur ratio obiectiua finis est bonitas vera, vel apparens. Respondeo ea omnia loca bifariam dilui. Primò vera esse, vt in pluribus, non autem semper; quidam enim ita sunt mali, & reprobi, vt quamuis sciant se malè operari malumque ob finem, non ob id desinunt male, & peruersè agere, vt notat Doct. *passu proximè allato, §. Ex his, sub N.* Secundò verificari quoad appetitum naturalem, non quoad liberum, siue penes affectionem commodi, non verò penes affectionem iustitiæ, Authore Scot. *in 4. alleg. §. Respondeo. & §. Ad 1.*

26. Oppones secundò, sicut se habet intellectus ad verum, & falsum, quoad assensum, vel dissensum, ita se habet voluntas ad bonum, & malum, quoad velle, vel nolle. Sed intellectus nequit falso assentire, ergò nec voluntas malum velle. Ideo Brulifer cit. à Gadio ex Scot. *2. d 6. quæst. 2. N. & in Rep. ibid §. Ad aliud cum dicitur,* ait, odium Dei non esse possibile, quia est malum, nisi ex parte eius iustitiæ non quidem in se, sed in effectu, puniente damnatos, quatenus nolunt iustitiam eius vindicantem. Neganda est paritas, quia intellectus est potentia naturalis, & voluntas libera, ideò licet voluntas appetitu libero, & actu elicito, & vtplurimum velit bonum, non tamen necessariò, sed liberè, & absolutè potest non velle, nedum negatiuè, verumetiam contrariè, scribente Doct. cit. §. *Ex his, sub N. & §. Ad 1. argumentum in oppositum. Ibi.* quamuis concedat illud Philosophi alterum *2. Phys. T. 89.* sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in practicis, quoad obiecta, non verò quoad potentias, rationem reddit Scot. *1. d 1. quæst. 4. §. Ad argumenta & Quol. 16. a. 1. F. & G* Quandoquidem necessitas est in intellectu, ex euidentia obiecti necessario causante hunc assensum in intellectu; non autem bonitas aliqua obiecti causat necessariò assensum voluntatis: voluntas quippè liberè assentit cuicumque obiecto bono, sicque liberè assentit maiori bono, sicut minori. Quod non perspicientes duo nostri Recentes cit. *conclus. 2.* oppositum nituntur tueri contra Doctorem.

27. Oppones tertiò, quod non capitur sub obiecto potentiæ alicuius, ad illud potentia non fertur, vt patet de sono, qui cum sit extrà obiectum visus, ad ipsum visum minime spectat, vt infert Scot. *Quol. 16. a. 1. ante F.* malum autem non comprehenditur sub obiecto voluntatis, quia malum non est appetibile, nec volibile, solum autem bonum, quia est conueniens, est appetibile, & volibile. Igitur ratio finis obiectiua est bonitas. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, valere de appetitu naturali, non autem libero, & vt in pluribus, non verò semper, vt astruit Doct. in 4 alleg. Ad testimonium Scoti *ex quol.* depromptum dico, vel esse exponendum eo modo quo nunc dixi, vel dubitatiuè loqui, vt indicant eius verba. *Vers. Hic potest dici, & ibid. G.* subiungit voluntatem non necessariò, sed liberè se mouere & determinare ad obiectum.

28. Dices volibile appetitu libero, & amore amicitiæ

est

est appetibile: malum verò vt malum, nec in se, nec propter se est appetibile, quia ex dictis *suprà quæst. 2. art. 3* malum formaliter est priuatio, quæ nihil positiui formaliter designat. Denuò, potentia non habet actum, nec obiectum disconueniens: malum autem est disconueniens, cum obsit ei, cui inest. Nullo ergò pacto, malum vt malum à voluntate est volibile. Dico id habere locum penes inclinationem naturalem & affectionem commodi: non autem penes actum liberum & affectionem iustitiæ. Damnati namque cupiunt non esse, Apoc. 9. *Desiderabunt mortem, & non inuenient.* Quò respiciens Aug. *l. de miseria huius mundi,* ait, *O Mors, quàm dulcis es, quibus tam amara fuisti. te solum desiderant, qui te vehementer oderunt.* Atque mali Angeli conceperunt æqualitatem Dei, quæ est impossibilis, *ex 2. d. 6. quæst. 1.* Ex 2. *enim Mor. ad Eud cap.* 10. volunt etiam ea homines, quæ impossibilia norunt, vt omnibus hominibus imperare, & immortales esse. Item dari peccatum ex malitia, sicque peccasse 1. Angelum & Adamum, probabiliter tenet Doct. 2. *dist. 43. quæst. 1. sub C.* Vel id valet de voluntate efficaci, non autem inefficaci, & conditionata, vt ibi asserit Doct. Ad aliud dico, verum esse de potentia, & inclinatione naturali, in profundo malorum demersa, vt patet de obstinatis in malo, notante Vorr. *passu proallato*: non verò de potentia libera, & actu elicito, quo homo potest velle malum vel bonum, vt ex sacra pagina tradit August. in Ench. *Fecit Deus hominem, vt possit benè, aut malè velle.*

ARTICVLVS IV.

Quænam sit causalitas finis.

29. Difficilis quidem cognitu est causa finalis, vt *in Phys. l. de causis* præmonui, difficilior verò extat eius causalitas, ideò pro magna eius difficultate à scholasticis non rectè perspecta, & perscrutata, magnoperè altercantur, & aduersantur in ipsa statuenda, & stabilienda, vt videre licet apud nostros Recentes *disp. 7. Phys. quæst. 8. art. 3.* Fons. 5. *Met cap. 2. quæst. 10. art. 3.* Suarez *disp. 23. Met. sect. 4.* & Fuentem 2. *Phys. quæst. 7. diff 3. art. 1.* Etenim nonnulli, vt Herueus *Quol. 1. quæst. 8.* & Peter *l. 8. cap. 3. Phys.* putant causalitatem finis sitam esse in eo, quod finis præbet, & communicat bonitatem, & amabilitatem mediis, propter ipsius finis assequutionem, vt finis Medicinæ est sanitas, quæ præstat mediis ad ipsam comparandam appetibilitatem, & amabilitatem, quamuis ægro nauseam, & molestiam non modicam inferat. Ab his non videtur longè distare Auersa *q. 13. Phys. sect. 1.* existimans causalitatem finis elucere in ordinatione rei, ad proprium finem. Vulgus autem Philosophorum causalitatem finis collocat in motione agentis ad agendum pro finis adeptione, qui inter se non cohærent, quædam eorum pars statuit eam in reali motione præcedente actionem agentis, quædam verò in motione metaphorica, concurrente, & concomitante actionem agentis. Altera verò pars putat consistere in actione agentis, non distinguens causalitatem finis ab actione voluntatis, ad finem, & propter finem elicita. Ita cum Suarez cit. & Complut. *disp. 14. Phys. quæst. 5. §. 2.* tenent gemini Scotistæ præallegati, & Fuent. *l. 2. quæst. 7. diff 3. art. 2.*

30. Not. primò, sicut in causa efficiente, tria intersunt, principium, effectus, & actio per quam agens agit, & effectus producitur. Actio autem perhibetur media inter agens, eiusque effectum, vt in productione caloris, est calor producens, calor productus, & calefactio, qua media calor producitur à calore producente: Pariter in causa finali tria distinguuntur, principium finalizandi, finalizatio, & effectus per ipsam finalizationem productus. Quid autem sit ratio finalizandi, eiusque effectus, non est obscurum, nec vlla est inter præfatos Authores contentio; sed nodus difficultatis totus consistit in finalizatione, quid per eam intelligatur, quiduè sit, an sit attractio, siue excitatio, & allectio; & vtrum præcedat, vel concomitetur, an verò subsequatur actionem agentis. Vtrum sit realis, aut intentionalis, numve sit ipsamet agentis actio ad finem directa.

31. Not. secundò, duplicem esse motionem, realem vnam, & intentionalem alteram: motio realis capitur hoc loco pro ea, quæ habetur extra agens intellectuale, vt lapis mouetur à proiiciente motione reali. Intentionalis est, quæ extat in agente intellectuali, vt lapis cognitus dicitur habere esse intentionale in mente cognoscentis, quatenus mouet intellectum ad sui notitiam; pariter habent esse intentionale species sensibiles, & intelligibiles, atque lumen, vt dixi *l. 4. de anima quæst. 5. art. 1.* Vndè celebratur illud adagium, *Obiectum mouet potentiam ad sui notitiam.* Hæc autem motio, qua obiectum mouet potentiam ad sui cognitionem pertinet ad causam efficientem; obiectum quippè, siue eius vicaria species est causa partialis productiua cognitionis ipsius obiecti, iuxtà illud August. 9. *Trin. cap. vlt. Ex obiecto, & potentia paritur notitia*, quod fusè probaui *vbi suprà quæst. 10. art. 1.*

Præter verò hanc motionem intentionalem, qua intellectus ab obiectis mouetur ad ipsorum notitiam, habetur motio eorundem obiectorum ab intellectu oblatorum voluntati, qua ipsa voluntas allici, siue trahi, & moueri perhibetur bonitate, appetibilitate, & amabilitate eorum, ad eamet amanda, prosequenda, & assequenda, eligens, & vtens mediis, quibus ea possidere, & frui valeat. Et de hac motione disseritur in præsentia, quæ ab Arist. 1. *de gener. cap. 7. T. 55.* cæterisque Philosophis nuncupatur metaphorica; non quia absolutè non sit realis, sed ficta, & imaginaria, cum reuera bonum siue verum, siue apparens alliciat, & trahat voluntatem ad sui amorem, & possessionem: Verùm comparatiuè, hoc est, respectu motionis causæ efficientis, quæ physicè dicitur mouere, vt aduertunt Paris. & Complut. 14. *Phys. d [illegible] quæst. 2. & 5.* Atque alibi ex August. dixi causam efficientem antonomasticè vocari causam, eique attribui actionem, & effectum, vt liquet *l. de causis quæst. 1. art. 1.*

32. Not. tertiò, etsi communi consensu omnes concedant causam finalem cæteras causas præcedere, discrepant tamen de quanam præcedentia, & prioritate capiendum sit. Etenim plerique, quos sequuntur nostri duo Recentes prænominati putant finem solum præire prioritate nobilitatis, & perfectionis reliquas causas; cæteri verò, quibus adhærent Conimb. 2. *Phys. 17. quæst. 20. art. 2.* nedum nobilitate, verum etiam origine cæteras causas anteire, vt patet ex 3. *de anima cap. 3. T. 54.* & 1. *dist. 2. quæst. 2. §. ostenso. S.* vbi Scot. citat Auic. 6. *Met. cap. vlt.* dicentem, quod si de qualibet causa esset scientia, illa quæ esset de causa finali, foret nobilissima. Ipsa enim quantum ad causalitatem præcedit causam efficientem, quia mouet eam ad agendum. Idemque innuerat antè *quæst. 4. prol. §. contrà istam positionem. ante E.* & *d. 25. quæst. vn. §. contrà conclusionem B.* Finis est principium mouens, & mouet prius omni alia causa. Quod non intelligitur tantum de prioritate perfectionis, vt videtur velle Doct. 2. *d. 37. quæst. vn. §. Ad solutionem istorum V.* inquiens, non prius materia materiat, quam efficiens efficiat. Nam ibi Scot. loquitur de concursu simultaneo causæ 1. & 2. ad causandum communem effectum, veluti materia, forma, & efficiens simul causant compositum, quod dictarum causarum extat communis effectus, & singulæ causæ in suo genere ad eiusdem productionem simul concurrunt: non tamen ibi inficiatur

ciatur causam 1. præuenire causam 2. gratia sua præueniente, iuxta illud Psal. 1. *Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Apoc. 20. *Sto ad ostium, & pulso.* Itaque quamquam causæ simul agant, & concurrant suis causalitatibus ad communem effectum producendum; tamen causa finalis, eiusque causalitas præit reliquas causas, quia mouet agens ad agendum. Hinc Doct. *ibid.* fortè consultò non meminit finis, sed solum materiæ, & efficientis, cum 1. *d.* 2. *quæst* 2. S. explicitè, & clarè astruat, his verbis. Ipsa enim, idest, finalis, quantum ad causalitatem præcedit causam efficientem. Et rationem affert, quia mouet eam ad agendum. Et 2. *d.* 25. *quæst. vn. ante C.* Finis mouet prius omni alia causa; causa est *ex* 1. *d.* 1. *q.* 5. §. *Ad argumenta*, causalitas causæ finalis est mouere efficiens ad agendum. Et præmittitur *q.* 4 *prol. antè E.* finis non est causa, nisi inquantum amatus, & desideratus mouet efficiens ad efficiendum. Idem repetitur *ibid. d.* 8. *quæst* 5. *ante C.* Finis non est causa, nisi inquantum mouet efficiens ad dandum esse, mouet inquam, vt amatus, & desideratus. Idem legitur 2. *Rep. dist.* 1. *quæst.* 3. *in calce*, & 2. *dist.* 25. §. *Ad* 1. *principale.*

33. Assertio prima, causalitas finis non est sita in communicatione bonitatis, & amabilitatis mediorum: nec in ordinatione rei, ad suum finem. Ista assertio duas comprehendit partes, & fundatur in Scot. mox citando. 1. pars deducitur ex Doct. *vbi suprà* & 2. *d.* 6. *quæst.* 1. vbi asserit Angelum appetiisse æqualitatem Dei, cuius assequutio est impossibilis, & media nulla suppetunt ad eius adeptionem. Iterùm, voluntas ex dictis *in art. art* potest tendere in malum in ratione mali, ad cuius habitionem, nulla media bona eliguntur, & si malus erit finis, media eius nullam ab ipso participare queunt bonitatem. Rursus, media etiam antè causalitatem finis potiuntur propria bonitate, & amabilitate, quia sortiuntur propriam entitatem; omne autem ens est bonum, cum ens, & bonum connectantur. Deinceps quandoque media sunt, finis verò non est, quod autem non est, nequit existenti vllam præbere bonitatem. Necesse enim est, res existat, vt agat, & communicet alteri suam bonitatem. Præterea, quispiam potest eligere media contraria fini ab ipso intento, vt volens beatitudinem, eligit fornicationem, quæ opponitur beatitudini, vt prosequitur Doct. 4. *dist.* 49 *quæst.* 10. §. *Ex his ante N.* Denique, cum aliquis sibi præfigit finem, nullam bonitatem habentem, & cum finis tantum est apparenter bonus: atque cum quis finem intendit quidem, media verò non eligit, sed negligit: potest ergò esse causalitas finis, absque communicatione bonitatis medij ad talem finem obtinendum; Atqueadeò causalitas finis in tali participatione bonitatis mediorum haud consistit.

Secunda pars tangitur, & munitur à Doct. 1. *d.* 8. *quæst.* 5. §. *contrà istam opinionem* dicente, ex 5. *Met. cap.* 1. agens propter finem amatum præbet esse alteri ad ipsum ordinando; non igitur causalitas finis posita est in ordinatione rei ad finem, cum talis ordinatio habeatur ab agente, cuius causalitas posterior est, causalitate finis, vt patet *ex* 3. *not.* Deinde causalitas finis est in agente intellectuali sibi proponente talem finem, à quo mouetur ad eius consequutionem: ordinatio autem, siue ordo mediorum ad finem est à parte rei, medicamenta quippè ordinantur ad sanitatem, bona opera ad Deum, potentiæ ad actus, & actus ad obiecta, atque actus meritorij ad felicitatem perpetuam. Denuò, potest esse talis ordinatio rei ad finem absque causalitate finis, vt monstrat Apost. 1. Cor. 13. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* In tali ergo ordinatione haud sita est causalitas finis.

34. Assertio secunda, causalitas finis non est actio agentis, quatenùs est à fine. Hanc procul dubio tuetur Doct. 2. *dist.* 25 *quæst. vn.* §. *contra conclusionem. B.* vbi expressè ait, aliam esse causalitatem finis, aliam verò causalitatem efficientis. Causalitas autem efficientis est actio agentis: ergo in schola Scoti causalitas finis non est actio agentis. Idem exhauritur ex *locis prælleg.* Ratio fundamentalis est, quia causalitas finis est mouere agens ad agendum, vt finis est amatus, & desideratus: causalitas verò efficientis est qua actu agens effectiuè agit, & producit effectum ab ipsomet agente intentum. Igitur causalitas finis non est actio agentis. Præterea, idem respectu eiusdem nequit esse causalitas finis, & eius effectus, veluti idem respectu eiusdem nequit simul esse prius & posterius, præbere esse alicui, & ab eodem accipere esse: actio autem agentis refertur inter effectus causæ finalis, vt infrà monstrabitur; & ratio est, quia finis mouet, & allicit agens ad agendum, vt suprà explicabam. Deindè, si actio agentis confunditur cum causalitate finis, sicut agens effectiuè concurrit ad agendum, pariter finis effectiuè ageret, sicque non differet ab efficiente, quod suprà repulsum est, & egregiè redarguit Scot. 2. *dist.* 25. *quæst. vn.* Insuper, prior est causalitas finis causalitate efficientis, quandoquidem prius finis mouet efficiens ad agendum, quam efficiens agat, mouere autem agens ad agendum est causalitas finis *ex* 1. *dist* 2. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta.* Igitur, causalitas finis non est actio agentis, vtpotè, quæ ipsam finis causalitatem subsequitur.

35. Nec iuuat dicere, finem non esse propriè causam, nisi appropriatè, & denominatione extrinseca, prioritatemque eius non esse in quo, sed à quo, quod est dictu, non præcedere tempore, nec natura causalitates cæterarum causarum, sed perfectione duntaxat. Contra, in Phys. probatum manet causam finalem esse proprie causam, rectéque numerari inter reliqua causarum genera ab Arist. tum. 2. *Phys. T.* 30. tum etiam 5. *Met.* 2. veréque ab ipsa pendere effectum, suoque modo in productionem eius influere, quod est munus propriæ causæ. Item finis præit reliquas causas, si non tempore, saltem natura. Propter namque finem agens mouetur ad agendum, & nemo negat illud elogium, *Quod est prius in intentione, est posterius in exequutione*, quod de fine tantum verum esse omnes conclamant. Et si per geminos Scotistas, & cæteros prænominatos, finis non est propriè causa, nec proprium sortitur perfectionem, & præstantiam, super alias causas, cum ab entitate rei fluat perfectio, & nobilitas eius. Si ergo finis tantum appropriatè est causa, & denominatione extrinseca, profectò non videtur cæteris causis eminere, quod tamen illi non audent inficiari, cum sit expressa mens Scot. & commune Philosophorum effatum. Adde, quod nostri Nuperi approbant exemplum, quod sicut succinum paleas, & magnes trahit ferrum: ita finis mouet agens ad agendum: at verè, & realiter magnes ferrum, & succinum paleas ad se trahit, ergo verè, & realiter finis mouet agens ad agendum. Rursus, causalitas est in causa, cuius est causalitas, veluti actio secundum Scot. est in agente; omnis autem causa suam sortitur causalitatem à cæteris realiter distinctam, cum esse queat sine illis. Nam, quamuis voluntas moueatur à fine, potest tamen non agere pro suo libito, & suspendere suum actum. Hac autem data hypothesi habetur causalitas finis absque actione agentis.

36. Nec præstat dicere, causalitatem finis, & efficientis distingui virtualiter cum Complut. vel cum aliis realiter identificari, & formaliter differre. Siquidem, cum possit esse causalitas finis sine causalitate efficientis, planè infertur, realiter differre, secundum leges distinctionis realis alibi à nobis assignatas. Tandem si veritas obiectiua valet mouere intellectum ad sui notitiam, nemine respuente, non videtur, cur etiam bonitas obiectiua non possit excitare, & mouere voluntatem ad sui amorem, & dilectionem. Idque

etiam

etiam coguntur concedere præfati Authores *in responsione 2.*

37. Assertio tertia, causalitas finis est motio metaphorica, qua agens monetur ad agendum, consequendi alicuius rei gratia. Ita Scot. *locu praeaddu&is.* Probatur primò, ex Arist. 1. *de generatione cap.* 7. *T.* 55. affirmante, sanitatem, quæ est finis curationis, metaphoricè, & translatitiè mouere Medicum ad ægrotum curandum. Motus quippe finis est motus allicientis, & trahentis per modum amoris. Idque corroborari potest ex illo Poetæ.

Trahit sua quemque voluptas.

Et Iacobi 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*

Secundò, causalitas causæ est, qua causa actu causat, vt agens actione agit actu, quæ est eius causalitas, præfata autem posita motione, finis causat actu, eaque ablata, finis non causat, veluti amota actione, agens non agit: ergo causalitas finis est dicta causalitas.

Tertiò, causalitas finis non est mediorum amabilitas, nec eorum ordinabilitas ad finem, nec actio agentis. Igitur à sufficiente enumeratione deducitur esse dictam motionem metaphoricam.

38. Dices, cum Caiet. 2. 2. *quæst.* 17. *artic.* 5. Fons. cit. *sect.* 4. & Conimbr. 2. *Phys. cap.* 7. *quæst.* 21. *artic.* 2. *ass.* 2. causalitatem finis esse id, cuius gratia aliquid fit. Contrà, ea non est causalitas finis, sed eius essentia, & definitio: aliud autem est, finem esse causam, aliud verò eius causalitatem, vt constat 2. *Phys. cap.* 3. *T.* 31. & 2. *Met. cap.* 2. *T.* 8. & 1. *Eth. cap.* 7. Eò magis, quia per eam non explicatur causalitas finis, sed causa finalis, quæ sic definitur, id cuius gratia aliquid fit. Patet autem maximè in causa efficiente causam differre à causalitate; efficiens enim causa est principium agendi, causalitas verò eius non est quæ agit, sed qua agit. Alioqui non fuisset opus Philosophis, valdè insudare in indagine causalitatis finis, cum in promptu esset ipsius finis causalitas, putà eius definitio. Ob id Scot. *in prol. cit. F.* subiicit, *Effectus nihil habet ab aliquo causante, quia illud natum est causare nisi actu causet.* Et paulò post concludit, *finis non causat actu, vt causa finalis, nisi vt actu amatus, & desideratus moueat efficiens ad agendum.* Quare vt finis actu causet, debet per actualem motionem mouere agens ad agendum, ai per eius definitionem non sic habetur, quia definitio præscindit ab actuali causalitate, & actuali rei existentia. Concluditur ergo motionem metaphoricam esse finis causalitatem.

39. Oppones primò, si mouere metaphoricè agens ad agendum foret causalitas finis, quod sic mouet, & allicit agens ad agendum, esset causa finalis, & ex opposito, quod non alliceret agens ad agendum, non esset causa finalis. Aliquis autem est finis, qui non allicit agens ad agendum, vt finis ab agente præstitutus, si fuerit malus, præsertim secundum nos, qui ea assertis superius, decreuimus malum sub ratione mali posse à nobis desiderari, & intendi: atque aliquid potest allicere, licet non sit finis, vt Deus à sua bonitate allicitur; tametsi non sit eius finis, quia ab eo distinguitur. Eò magis, quia notante Scot. 1. *dist.* 1. *quæst.* 5. §. *Ad argumenta,* & *dist.* 8. *quæst.* 5. §. *Contrà istam opinionem.* Nullius est causa finalis, nisi respectu cuius est causa efficiens. Bonitas autem diuina est incausata, & incausabilis ea codem 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. *S.* ergo esse nequit causa finalis ipsiusmet Dei. Hoc argumento pressi Fons. & Conimbr. prænominati limitant, angustantque motionem metaphoricam finis ad agens tantum creatum, non autem ad agens increatum, vti est Deus. Ideóque concludunt illam causalitatem finis peculiarem esse agenti creato, subduntque causalitatem finis vniuersalem, & adæquatam esse, cuius gratia aliquid fit, quos in posterma asser. respnimus. Nos autem bis angustiis non coarctamur, nec istis limitationibus angustamur, astruentes præfatam motionem esse adæquatam. Itaque ad argumentum in forma, concedo ma. ad primam partem min. dico, eam valere de appetitu naturali, non autem de appetitu libero, & elicito, qui nedum de malo, verumetiam de impossibili posse esse *in ant. artic.* monstrau.

Ad secundam partem dico, secundum Scot. 1 *dist.* 1. *quæst.* 5. Deum non esse causam finalem respectu sui, quia respectu ipsius nulla est causa efficiens, cum sit ineffectibilis, & incausabilis, ac proindè respectu eiusdem nulla est causa finalis. Vulgò autem dicitur Deus agere propter finem, non sui, sed effectus, quem producit. In quod nolentes videntur incidere Conimbr. cit. *quæst.* 22. *art.* 2. *ad* 1.

40. Oppones secundò, causa finalis est omnium causarum prima, nedum primitate perfectionis, verumetiam primitate temporis, vel saltem naturæ, vt cum Auic. 6. *Met. cap. vlt.* tenet Doct. *cit. in prol.* & *dist.* 2. *quæst.* 2. *primi S.* Si autem motio metaphorica est eius causalitas, ipsa nequaquam præcedit reliquas causas. Siquidem priusquam finis moueat voluntatem ad agendum, necesse est, obiectum cognoscatur ab intellectu, & partialiter concurrat ad sui notitiam, & cum voluntas sit potentia cæca, & in incognitum non feratur, intellectus repræsentat voluntati tale obiectum cognitum, vt adnotaui *in secundo not.* Vnde subnectit Doct. 2. *dist.* 25. *quæst. vn. sub B.* in agentibus à proposito, finis non mouet nisi sit cognitus ab agente à proposito, quod est agens intellectuale liberum. Igitur causa efficiens præcedit causam finalem, si motio metaphorica extet eius causalitas, quod pugnat communi Philosophorum pronunciato præadducto in ma. & præexplicito *in tertio not.* Respondeo concessa ma. ad min. Quamuis requiratur obiectum cognitum, vt voluntas in illud feratur, tamen dicitur finis prior in intentione, & posterior in executione, quoad actiones, & effectus liberos, non autem necessarios, & naturales, qui præcedunt, veluti potentia naturalis præit in esse potentiam liberam, sic & in operari, vt probat argumentum. Quapropter finis est prima causa in ordinatis, & voluntariis, quæ ex electione, & libertate fiunt ab agente libero, & voluntario. Quocirca Scot. 1. *distinct.* 41. addit, *Ordinatè volens prius vult finem, quam ea, quæ sunt ad finem.* Atque in tota rerum coordinatione, Deus, qui est omnium finis, & principium prius noluit gloriam prædestinatis conferre, quam mundum condere, gratiamque eis elargiri. Patet ergo finem esse primam causam in operabilibus ordinatis, & rationabilibus, ad quæ interdum tanquam agenda, & operanda, necesse est, præcognoscantur, & præmdeantur, vt operans rectè agat, & benè operetur.

41. Oppones tertiò, quædam absque vlla prauia notitia finis feruntur in ipsum finem, vt lapides petunt centrum, & vniuersè grauia deorsum, & leuia sursum. Igitur præfata motio non est finis causalitas. Occurrunt Conimb. cit. *art.* 3. *ad* 4. concedendo consequentiam de agentibus cognitione, & appetitione carentibus, existimantes illam motionem etsi agenti creato adaptetur, non tamen omni, vtpotè cognitionis experti. Verum si tale agens creatum agit propter finem, vt volunt Conimb. assignanda est eius finis causalitas, quæ per illos non est motio metaphorica, nec aliud quidquam esse videtur, propterea quod tenera non est agens propter finem, vt alibi dici. Quamobrem nego præfata agentia agere propter finem, sed naturali suo impetu tendunt in propria loca.

42. Oppones quartò, eo modo allicit, & trahit finis agens, quo ille, qui hortatur, & consulit cuipiam aliquid faciendum, proponendo, & inuitando illum ad id præstandum, vt præstat causa moralis, motio autē hortantis, & consulentis, spectat ad causam efficientem *ex 2. phys. c.* 3. *T.* 29. Ergo prænominata motio haud est causalitas finis. Resp. negando paritatem maioris. Etenim qui hortatur, & consulit, actiuè agit, licet moraliter suadendo, scilicet

ſcilicet proſequutionem, vel fugam rei faciendæ: finis autem ſolum vt deſideratus, & amatus mouet agens ad agendum, ſcribente Scot. *locis memoratis*.

43. Oppones quintò, pro geminis Scotiſtis præalleg. Doct. 1. *diſt*. 5. *quæſt*. 2. *S*. non eſt in actu motio cauſæ finalis, niſi agens moueatur appetendo, & deſiderando finem, finem verò mouere agens, nihil aliud ſibi vult, quam agens mouere finem. Ideò dicti Authores concludunt motionem finis non præire cauſalitatem agentis. Confirmant id *ex* 2. *d*. 17. *quæſt. vn. V*. vbi legitur, omnes cauſas ſimul cauſare effectum, implicareque effectum cauſari in vno genere cauſæ, & non in alio genere cauſæ, vt eſſe materiatum, & non eſſe effectum. Repugnat ergò prius finem finalizare, quàm efficiens efficere. Non igitur per Scot. motio finalis præcedit actionem agentis. Reſpondeo eum locum Scot. potius eis obeſſe, quam prodeſſe; ibi enim Doct. explicitè ait cauſalitatem finis præire cauſalitatem efficientis, quia eam mouet ad agendum, mouens autem præcedit motum. Si ergo per Scot. finis mouet efficiens ad agendum, cauſalitas illius prior exiſtit cauſalitate iſtius; ideo quippe agens agit, propterea quod finis mouet ipſum ad agendum; igitur motio finis, quæ eſt eius cauſalitas procul dubio præcedit cauſalitatem efficientis Ob id concludit ibid. Quia in Deo nihil eſt cauſabile, & effectibile, conſequenter reſpectu ipſius Dei, nec finis, nec eius cauſalitas eſt; Quod enim eſt finalizabile, eſt effectibile, igitur cum Deus, nec aliquid in Deo ſit effectibile, nec pariter finalizabile. Ad id verò, quod ſubiicitur, non capitur effectiuè, alioqui finis eſſet efficiens, vt arguit Doct. 2. *diſt*. 25 *quæſt. vn. B* Sed allicitiuè, hoc eſt, quia allicit, & attrahit voluntatem ad ſui amorem, vt clarè ediſſerit Scot. *Tract de* 1. *principio. verſ. Et ſi quæras*. Finis dicitur cauſa prior, quatenus incipit alliciendo voluntatem, & hac ratione eminet in cauſando ceteris cauſis. Ad conf. ſatisfeci vberè *in* 3. *not*.

44. Oppones ſextò, cauſa in actu habet effectum in actu, 2. *Phyſ*. 27. cauſa enim & cauſatum ſunt correlatiua, quæ ſunt ſimul natura. Priuſquam autem agens agat, nullus eſt effectus cauſatus, quia omnis effectus pendet ab agente, ſine cuius actione nihil fieri quit. Igitur cauſalitas finis non eſt prior cauſalitate efficientis, per eam quippè aliquid cauſaretur, eſſetque aliquis effectus præcedens cauſam efficientem, quod ſanè repugnat. Igitur, cum nihil fieri queat ante actionem agentis, indubiè infertur, finem ante agens nihil cauſare, eamdemque eſſe cauſalitatem huius, ac illius. Conf. ante efficientiam agentis, non habetur, niſi bonitas finis obiectiua, ac finis cognitus ab intellectu. Finis autem cognitus nihil cauſat in voluntate agentis, niſi repræſentando ipſum finem, bonitaſque eius obiectiua pertinet ad actum primum, Igitur cauſalitas finis alia non eſt, quam cauſalitas efficientis. Propterea finis dicitur cauſa, quia agens agit propter ipſum Hinc 3. *Met. cap*. 2. *tit*. 3. & 1. *de gen. cap*. 7. inquit, ceſſante actione, vtique finem ceſſare. Niſi ergo agens agat, non eſt finis. Si autem finis cauſaret, antequam agens ageret, verum non eſſet, finem eſſe in cauſa, vt agens agat, ſiquidem priuſquam agens ageret, iam aliquid à fine foret cauſatum, nihil autem poteſt eſſe cauſatum ſine efficiente. Igitur non eſt præuia cauſalitas finis, ſed prorſus eadem cum cauſalitate efficientis.

Reſpondet Fonſ. *vbi ſuprà ſect*. 5. *in ſol*. 1. *obiectionis*, pronunciatum Ariſt. adductum pro ma. habere quidem locum in aliis cauſis, non tamen in cauſa finali, rationem diſparitatis reddit, quia ſola cauſa finalis cauſat vt res deſiderata, ſicque etiam non exiſtens cauſat, reliquæ verò cauſæ non influunt in effectum, niſi actu exiſtant. Verùm, à prædicto axiomate non eſt excipienda cauſa finalis, cum enim ſit vera cauſa ſecundum *Fonſ. quæſt*. 21. *ſect*. 1. & ſecundum eumdem cauſet penes eſſe reale, planè implicat, cauſam cauſare, & non exiſtere: effectus namque quicumque ſit, pendet à cauſa, cum ipſa ſit eius principium influens in eum, vt patet ex definitione cauſæ generatim ſumptæ. Maximè quia cauſalitas, & cauſatum prodeunt ab exiſtente, nihilque cauſatur, niſi ab exiſtente, alioqui effectus penderet à nihilo, quod eſt impoſſibile. Addo, quod idem Author ibid. tenet probabiliter cauſam finalem cauſare, penes eſſe intentionale.

45. Ego autem conceſſa illa propoſitione, ad aſſumptam dico, antequam agens effectiuè concurrat ad effectum, eſſe cauſam finalem actu in eſſe intentionali, penes quod eſſe cauſat, vt dixi in Phyſ. eſſeque eius effectum actu, qui eſt allicere, & attrahere voluntatem ad agendum, & proſequendum intentum, & propoſitum finem ab intellectu oſtenſum. Quare concedo quidem omnem effectum pendere ab efficiente effectiuè, non autem allicitiuè, & inuitatiuè; ſic enim pendet à fine alliciente, & amoroſè trahente voluntatem ad agendum. Quod non obſcurè inſinuat Doct. 2. *diſt*. 25. *quæſt. vn. R*. & apertius *Tract. de* 1. *principio*: Cauſa finalis dicitur prior, quatenus incipit alliciendo voluntatem, & hac ratione eminet in cauſando cæteris cauſis. Itaque ante actum elicitum à voluntate, finis habet ſuam cauſalitatem, quæ eſt allectio, & attractio voluntatis ad operandum: eſſeque allectum, & attractum, eſt eius effectus. Ob id, quando infertur, antè agens non eſt vllus effectus, diſtinguo, non eſt vllus effectus effectiuè concedo: non eſt vllus effectus allicitiuè, qui eſt eſſe motum metaphoricè, nego. Fautores autem oppoſitæ ſententiæ confundunt effectum à cauſa promanantem effectiuè, & allicitiuè, propterea non diſtinguunt cauſalitatem finis à cauſalitate efficientis, quas eſſe diſtinctas conuincit Scot. *paſſu recenſito*, *antè C*. Ad conf. nego ant. Præter enim finem cognitum, & bonitatem obiectiuā eſt motio metaphorica, quæ præcedit actum voluntatis elicitum; ideò præuia motione agens agit, & nititur ipſum finem in eſſe reali ponere, & poſſidere, quo habito fruitur, & deſinit operari circà ipſum, *ex* 3. *Met. cit*.

Mirum autem non eſt, ſi quandoque voluntas eum non aſſequatur. Nam vel impeditur, & interrumpitur eius actio, vel non adhibet media idonea, & efficacia ad eius conſequutionem: vel propter eius libertatem poteſt eum non proſequi, imò fugere, licet vt plurimum ab eo mota, & allecta ad eum adipiſcendum feratur.

46. Oppones ſextò, eadem ſubſtantialis vnio, vt eſt formæ à materia, eſt eius cauſalitas, & vt eſt à forma, eſt cauſalitas formæ: pariter ergo eadem actio, vt eſt à fine, eſt eius cauſalitas, vt verò eſt ab efficiente, eſt eius cauſalitas. Conf. 1. eadem actio eſt cauſalitas cauſæ primæ, & ſecundæ. Ergo id ipſum aſtruendum eſt in re noſtra. Conf. 2. per eamdem intellectionem intellectus mouetur à re intellecta, mouetque eamdem rem: pariter voluntas per eamdem actionem mouetur à fine, & ipſe finis mouet voluntatem ad ſui amorem. Actio igitur eadem, vt eſt à fine eſt cauſalitas eius, & vt eſt ab agente, vtique eſt eius cauſalitas. Reſpondeo negando ant. vt enim dixi *in Phyſ*. ſicut ſunt diuerſæ cauſæ, ità ſunt diuerſæ cauſalitates, & vniones. Per idem patet ad 1. Conf. alia quippè eſt actio cauſæ primæ, alia verò eſt actio cauſæ ſecundæ, tametſi vtriuſque ſit idem, & communis effectus. Ad 2. conf. neganda eſt paritas. Intellectus namque vna cum obiecto producit neceſſariò intellectionem, voluntas verò liberè elicit actum, adeò vt poſſit non elicere & ſuſpendere ipſummet actum.

ARTICVLVS V.

An omnes actiones agentis sint effectus finis.

47. CVm actiones agentis intellectualis quædam respiciant finem obtinendum, qui vocatur finis in intentione, vt desiderium, intentio, amor: quædam media ad finem, vt electio, vsus, consultatio, & inquisitio mediorum: & aliæ finem obtentum, qui nuncupatur finis in exequutione, vt gaudium, complacentia, fruitio. Ideo non abs re Scholastici perquirunt, vtrum finis suam exerceat causalitatem circa omnes prænominatos actus, an verò circa primos, vel secundos, vel tertios duntaxat. Plerique enim quos citant, & sequuntur Scotistæ indiuisi *disp.* 7. *Phys. quæst.*8. *art.* 3. arbitrantur omnes actus agentis cadere sub finis causalitatem. Alij verò, quos adducit & defendit Fuentes 2. *Phys. quæst.* 7. *dist.* 4. *art.* 1. *&* 2. censent causalitatem finis tantum versari penes media, vt ordinanda ad ipsum finem consequendum.

48. Not. 1. ex Scot. 4. *dist.* 49. *quæst* 8. §. *Ad argumenta. T.* finem accipi quadrifariam, vno modo pro causa finali, quæ 2. *Phys.* 29. definitur, *Cuius gratia aliquid fit*, quo pacto Deus est finis omnium, quia propter semetipsum *omnia operatus est*, Prouerb 16. Altero modo, pro vltima perfectione, ad quam res ordinatur, vt beatitudo, quæ consistit in visione, & fruitione Dei, qui est finis noster, cum sit nostra vltima perfectio, & complementum. 3. pro optimo, cui agens coniungitur per operationem, vt per visionem, & fruitionem Beatus attingit Deum obiectum ipsius beatificum, optimum, & perfectissimum. Quartò pro vltimo, in quo agens vltimatè quiescit, in eius siquidem contemplatione, & fruitione, tanquam in perfecta possessione summi boni permanet. Has quatuor finis acceptiones Doct. *in Rep. eadem dist. quæstione* 7. ad tres reducit, vt præstat Vort. *ibid. dist.* 50. Duæ quippe vltimæ vnam tantum videntur conflare, cum optimum, & vltimum simpliciter non differant. Ideò cantat Ecclesia in Dominica 6. post Pent. *Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum.* Nisi fortè respectu rationis, vt indicat Doct. 1 *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *De tertio D.*

49. Not. 2. ex Scot. 4. *quæst. prol.* §. *contra istam positionem. sub E.* & Orbel. *ibid. q.* 5. finem tripliciter considerari, vt cognitum, vt amatum, & vt habitum. Finis cognitus effectiuè non mouet agens ad agendum, quamvis necesse sit cognoscatur finis ab agente intellectuali: vt in gratiam eius operetur: attamen circa ipsum effectiuè non agit, cum sit causa distincta à causa efficiente. Adde, quod vt arguit Doct. 2. *dist.* 25. *quæst. vn. B.* si finis moueret agens effectiuè, cum omne mouens effectiuè, sit efficiens, finis foret efficiens, atque cum efficiens per se agat propter finem, finis moueret propter finem, quod est absurdum. Finis vt amatus, siue intentus, siue desideratus propriè dicitur causa finalis: Nam *ex* 1. *dist.* 8. *quæst* 5. §. *contra istam opinionem*, finis non est causa, nisi quatenus mouet agens ad dandum esse, mouet autem vt amatus, & desideratus, quia propter eius amorem agens operatur. Idem legitur 1. *d.* 2. *q.* 2. *S. & in prol. alleg. antè E.* Finis habitus, & possessus est terminus agentis, &; dicitur vltimus in exequutione, qui ex parte agentis vocatur formalis, & ex parte obiecti nuncupatur obiectiuus, in vtrinsque verò coniunctione habetur consummata, & perfecta felicitas, quam subsequitur gaudium, & delectatio, vt patebit in proximo art.

50. Not. 3. *ex* 1. *dist.* 1. *quæst.* 3. §. *quantum ad* 1. *A.* intellectum, & voluntatem in quibusdam conuenire, in quibusdam verò discrepare penes suos actus complexos. Conueniunt quidem in eo, quod sicut intellectus habet duplicem assensum complexum, respectu veri complexi, vnum penes principia, & alterum penes conclusionem. Prior est assensus propter se, quia principia nouimus per se ipsa, hoc est terminis duntaxat explicitis. Posterior verò est assensus propter aliud, conclusioni namque assensum præbemus propter præmissas, quæ sunt eius causæ, vt fusè ostendi in Log. *lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 8. Ita voluntas habet duplicem actum quo assentit bono, vnum, quo adhæret bono propter se, id est vlterius ad aliud bonum non referens, veluti voluntas ordinata diligens Deum propter se, & in ipsomet sistens duntaxat: alterum, quo vnum bonum diligit propter aliud bonum, vt sanitatem ad subueniendum egenis ægrotis, Deoque melius famulandum. Hæc autem conuenientia, siue comparatio intellectus & voluntatis deducitur *ex* 6. *Eth.* 2. vbi Philosophus profert hæc verba; *Quod in mente est affirmatio, & negatio, hoc in appetitu est prosequutio, & fuga.* Et inde subiicit: *Sicut in mente est duplex affirmatio propter se, & propter aliud: sic in appetitu, seu voluntate duplex extat prosequutio, siue adhæsio, propter se, & propter aliud.* Differunt autem primò, quia actus intellectus sunt necessarij, & naturales partialiter ab obiectis, circa quæ versantur causati, ab eis distinguuntur, & specificantur, suamque depromunt euidentiam, vnuique est euidens propter euidentiam alterius. Verùm actus voluntatis sunt spontanei, & liberi ab obiectis volitis haud pendentes, vtrumque voluntas refert, aut non refert ad aliud, vel propter aliud, cum sit in eius potestate hoc, aut illud velle, aut nolle.

Secundò dissident; quia duo prænominati assensus intellectus sunt adæquati, & immediati, adeò vt inter eos nullus interponatur actus medius, qui nimirum nec sit principiorum, nec conclusionis, nec sit euidens per se, nec per aliud: At voluntatis assensus patiuntur medium. Etenim potest voluntati proponi, & ostendi obiectum bonum absolutè apprehensum, illudque ipsa voluntas præcisè potest velle, nec propter se, nec propter aliud bonum, ac absque eo, quod intendat eo frui & potiri. Quinetiam voluntas potest imperare intellectui, vt perspiciat, quale sit illud bonum, & quomodo comparandum, & pro suo libito ei adhærendum. Ratio fundamentalis huiusce discriminis, est naturalis necessitas intellectus, & libertas, & indifferentia voluntatis. Porrò concludunt Scot. *ibid.* & Vort. *dist.* 1. *diff.* 2. recensendos esse tres voluntatis actus, vsum, qui est actus imperfectus voluntatis tendentis in vnum, propter aliud: fruitionem, qui est actus perfectus eiusdem in aliquid, gratia sui: & actum neutrum, qui est actus eiusdemmet potentiæ tendentis in aliquid nec propter se, nec propter aliud. Subsequitur verò fruitionem delectatio, gaudium, & huiusmodi, quæ non sunt actiones, sed passiones eius, vt suo loco monstrabitur. Denique colligitur duplex genus actuum voluntatis, quos adducit & exprimit Doct. *quæst.* 4. *Prol.* Quidam sunt proprij, qui appellantur actus eliciti, vt intentio finis, & mediorum prosequutio: alij verò sunt imperati, ita dicti, quia imperio voluntatis fiunt, & exercentur ab aliis potentiis à voluntate distinctis.

51. Not. 4. quædam esse, quæ propriè fiunt gratia finis, vt domus ad habitandum, & nauis ad nauigandum, & cætera, quæ agens volun-

tarium spectat vt terminos, & effectus suarum operationum: quædam verò propriè non fiunt, sed sunt, quibus agens producit suos effectus, vt calefactio est, qua ignis calefacit, & frigefactio, qua aqua frigefacit, vt explicaui *in Epitome lib. 1. quæstione quarta, artic. 9.* Sic intentio, electio, & aliæ voluntatis actiones dicuntur impropriæ effectus finis, quatenus sunt, quibus mediis agens operatur. Hinc Aristot. 5. *Met. cap. 2.* subnectit, ex mediis quæ valent ad finis adeptionem, quædam esse opera, nempè actiones, quædam instrumenta, quibus artifex opera ab ipso intenta, & proposita peragit, & perficit. De effectibus autem propriè sumptis nemo, quem viderim ambigit, eos esse inter effectus causæ finalis ascribendos: sed tota altercatio fulget de effectibus impropriè captis, qui cum ex dictis sint triplicis generis; quidam enim præcedunt finis intentionem, nonnulli mediorum prosequutionem, & cæteri finis consequutionem. De primis, & tertiis est ferè tota lis inter Philosophos. Nam de secundis vix est, qui eos amoueat à serie effectuum causæ finalis, licet Arr. *disp. 8. Phys. sect. 7. num. 76.* Supprimat nomina quorumdam fautorum contrariæ sententiæ.

52. Assertio prima, simplex amor finis, & cæteri actus, qui præcedunt mediorum electionem ad finem consequendum non cadunt sub causalitatem finis. Deducitur ex Doct. præcit. § *Ad argumenta F.* vbi expresse ait, finem non mouere agens ad agendum, nisi vt amatum, & desideratum. Ergo amor finis, eiusque desiderium præit causalitatem eius, ac proinde in amorem eius haud continetur. Idem habet 4. *distinctione 49. quæstione 8.* inquiens, Deum non aliter esse causam finalem omnium, nisi quia propter ipsum res sunt amatæ. Iterum 1. *distinctione prima, quæstione tertia*, admittit actum neutrum, vultque ibi summum bonum posse esse obiectum beatificum, absque ratione finis. Et 2. *distinctione 41. quæstione vn.* affirmat, & probat esse actus indifferentes, non solùm actu, sed etiam habitu, & virtute. Et *suprà*, ostendi ex eodem Doctore, esse problema, voluntatem posse ferri in malum sub ratione mali.

53. Nec iuuat respondere cum nostris Recentibus cit. Scotum loqui ibi de causalitate finis non vniuersali, sed particulari. Nam præfata loca legenti, constat ipsum disserere de ea vniuersè sumpta, quam statuit esse motionem metaphoricam, nec aliam vsquam tradit. Atque *quæstione quarta prol.* apertè loquitur vniuersè de fine cognito intentione, amore, desiderio, &c. Hinc dicti Authores allegati, id ex 1. *distinctione prima, quæstione tertia*, se collegisse, ingenuè fatentur, statim *in initio artic. 7.* Nec minus illis prodest, quod subdunt, Scot. capi principatiue, quia finis causat, quatenùs allicit, & excitat agens ad agendum. Siquidem isti *artic. 3. disp. 7.* putant causalitatem finis esse actionem agentis. Ideò secundum Scot. tales actus præcedentes electionem mediorum sub causalitate finis haud comprehenduntur. Suaderi quoque potest *ex 2. Phys. T. 19.* & 5. *Met. cap. 3.* vbi definiunt finis, cuius gratia cætera fiunt. Ergo in doctrina Philosophi, quæ fiunt gratia alicuius, sunt effectus finis, & ècontra, quæ non fiunt gratia finis, non sunt effectus finis: amor autem, intentio, & cæteri actus non fiunt propter finem, quia effici gratia finis, idem est ac amore finis, consequenter amore finis foret amore finis, quod est vanum, & ridiculum.

54. Quod si dicas, gratia finis coïncidere cum bonitate finis, quæ excitat agens ad eius consequutionem, id arbitror falsum esse, quandoquidem non semper agens mouetur à bonitate finis, sed pro suo libito, & arbitratu, præsertim cum finis est malus, quem voluntas vult sub ratione mali. Præterea finis causat penes esse intentionale ex dictis in Physica. Ob id dicitur prior in intentione. Igitur ipsa intentio finis non capitur sub eius causalitate, alioqui cum causa sit prior suo causato, daretur aliquid prius ipso fine, quod est causa intentionis, eiusque propositi, & amoris, proindéque finis non foret prima causa, nec prior in intentione. Deinceps si agere propter finem, sit agere propter bonitatem finis, cum bruta trahuntur à bonitate finis, agerent propter finem, quod loco citato reiectum est. Denuò, bonitas obiectiua causat, non in genere causæ finalis, sed efficientis, causalitas enim huius competit dumtaxat agenti intellectuali libero: ergo cum vt plurimum obiectum mouens agens intellectuale, sit expers mentis, & voluntatis, ipsa effectio obiecti non debet connumerari inter effectus finis. Denique effectus cuiuscumque causæ est terminus eius causalitatis, amor autem nequit esse terminus finis, cum finis causet, vt amatus, & desideratus. Atque motio metaphorica, quæ est causalitas finis, est motio amoris, & desiderij, causalitas autem cuiuslibet causæ non est effectus, sed quo effectus producitur, vt planum feci in vlt. notat. Quare non aptè Suarez allegatus, scribit amorem, intentionem, vsum, & electionem claudi sub effectibus causæ finalis, cum non sint eius termini, nec quod efficitur, sed quod effectus finis, siue finis in exequutione efficitur.

55. Assertio secunda, vsus, electio, & reliqui actus voluntatis eliciti, vel imperati, interni, vel externi numerantur inter effectus causæ finalis. Assertio est bipartita, & deducitur ex Doct. *vbi suprà.*

Prima pars de vsu patet ex 1. *distinct. 1. question. 3. arte §. De* 1. vbi ait Scot. vsum esse actum imperfectum volendi bonum propter aliud. Illud enim, quod fit gratia finis, continetur sub eius causalitate, vt liquet ex definitione finis: vsus autem est gratia finis; quispiam enim operatur perquirens media idonea, & opportuna, imperatque potentiis externis, membraque sua, vel aliena applicat ad finis adeptionem, eaque ordinat, & disponit ad eius possessionem. Rursus, vsus pendet essentialiter à fine; non enim quis laboraret, & vteretur mediis necessariis, nisi intenderet, prosequeretur, & inhiaret finem: ergo vsus comprehenditur in serie effectuum causæ finalis.

Secunda pars est in confesso apud omnes ferè Philosophos, estque probatu facilis. Etenim actus electus, & reliqui actus præmemorati fiunt propter finem, ad eumque ordinantur, & referuntur, amanturque media propter finem, vt sectio venæ, & potio amara propter sanitatem. Deinde finis mouet agens, vt eliciat actum volendi finem, adhibeat media necessaria ad ipsum comparandum, & possidendum. Insuper electio, & imperatio, cæteræque operationes pendent essentialiter a fine à quo excitatur, & mouetur agens. Igitur præfati actus inter eius effectus aptè recensentur.

56. Assertio tertia, actus consequentes finem adeptum non cadunt in eius causalitatem. Exhauritur ex eodem Doct. *vbi supra*, præsertim 1. *distinct. 1. quæstione tertia*, vbi assimilat actus intellectus, actibus voluntatis in eo, quod nonnulli sunt propter aliud, vt vsus, alij verò propter se, vt fruitio, quæ habent de fine adepto, & possesso. Cum ergo fruitio, & complacentia ad aliud non ordinentur, nec referantur, eiusmodi sunt ea, quæ sub finis causalitate includuntur, planè sequitur fruitionem, & reliquos actus consequentes adeptionem finis non recenseri inter effectus finis. Præterea, cessante actione agentis, cessat quoque causalitas finis, *ex primo de generatione, capite 7. T. 55.* Consequuto autem fine, cessat actio agentis, vt in artificialibus, ædificata domo, non amplius circa eius constructionem ædificator [illegible],

&

& Medicus inducta sanitate in ægrum, non amplius eum curat; & in naturalibus, graue cadens deorsum ad suum centrum perueniens, non amplius in eo mouetur, sed quiescit, vt scribit Doct. 4. *dist.* 49. *quæst.* 8. §. *Secundò videndum. sub E.* & 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *De 4. E.* Quod respiciens Aug. *in Psal.* 56. inquit. *Sed cum ad illum perueneris, vltra non queris, finis tuus est.* Eò magis, in sententia Aduersariorum existimantium causalitatem finis perinde esse ac causalitatem agentis, esseque eamdem actionem, diuerso tantum respectu inspectam. Deinde, si tales actus sunt effectus finis, iam finis non est adeptus; quia causalitas finis est propter finem acquirendum, in cuius gratiam agens operatur. Implicat autem finem esse adeptum, & simul non esse adeptum, vt contingeret, si tales actus fierent propter finem: omnis enim causalitas est ad producendum effectum, & terminum de nouo acquirendum: noua quippè relatio exigit nouum terminum. Cum ergò fine adepto, maximè si existerit vltimus, alius non supersit acquirendus finis, probè infertur, eos actus inter effectus finis non ascribi. Item, finis est prior in intentione, & posterior in exequutione. Si ergò consequutus est finis operationes, quæ habentur circa ipsum finem habitum, non clauduntur sub causalitate finis, quia iam finis exercuit suam causalitatem, alioqui non foret vltimus in exequutione, sed foret quid aliud vltimum assequendum, ad quod causalitas eius ordinaretur. Ampliùs ex dictis in 1. *art. huius quæst.* finis alius est formalis, vt fruitio, alius verò obiectiuus, vt Deus: si autem fruitio caperetur sub causalitate finis, non foret finis, sed ad finem adhuc dirigeretur, quia finis gratia alterius causat: at fructio cum sit vlt. finis formalis hominis, ad aliud non refertur, sed stat cum vnione, & coniunctione obiectiua finis, ratione cuius homo perfectè beatificatur, & vltimate quiescit, vt significat Aug. *lib.* 2. *qq. Euangeliorum quæst.* 39. *Tomo* 4. *suorum operum. Summa quies præmium est iustorum laborum, qui in Ecclesia ministratione peraguntur.* Insuper, dicta diuisio finis recipitur à Suarez *cit. sect.* 3. *n* 5. & *num.* 15. scribente, vtrumque finem complere vnam causam finalem. Si ergo vterque est causa finalis, non est effectus eius, idem quippe simul nequit esse causa, & effectus. Demùm, fruitio est vltima perfectio formalis hominis, qua coniungitur optimo, siue Deo ob ecto eius beatifico: non ergo ad aliud ordinatur, secus non foret perfectio vltima; atque adeo Suarez, & nostri Recentes non rectè astruunt esse vnum finem, ex vtroque c alium, vnumque ad alium ordinari, quos etiam retuli *suprà art.* 5.

57. Oppones primò, ex 1. *dist.* 1. *q.* 5. §. *Ad argumenta.* Et *d.* 2 *q.* 2. §. *Iuxta tres conclusiones N.* Et *d.* 8. *q.* 5. §. *contra istam opinionem.* Quod est infinibile est incausabile, hoc est, quod non habet finem, non habet efficientem causam, quia omne per se agens agit propter finem: & quod habet efficientem causam, vtique habet finalem: amor autem, desiderium, & si qui sunt alij actus præcedentes electionem finis sortiuntur causam efficientem. Nam præter Deum, omnia sunt causata, vel causabilia, à causa efficiente: hi ergo actus referendi sunt inter effectus causæ finalis. Conf. ex 2. *d.* 40. *q vn.* vbi ait Scot. omnes actus humanos respicere finem. Ratio est, quia agens agit propter finem, à fine allicitur, & mouetur ad ipsum consequendum. Ergo huiusmodi actus sunt sub finis causalitate. Respondeo Scotum ibi loqui de iis, quæ causantur vt quod, non autem de illis, quæ causantur vt quo, vt aduerti suprà in vlt. not. Atque de eis, quæ non antecedunt actionem, & electionem agentis, alioqui actio ageretur, & factio fieret, quod non conceditur. Ad conf. dico Doct. esse exponendum de secundis actibus, electione, vsu, & cæteris præuaricatis; non autem de primis, de quibus contendimus in præsentia. Præsertim quia id non reperitur in Scot. immò oppositum, cum sanciat esse actus indifferentes ad finem irreferibiles, vt quoque asserit Vurr. *dist.* 1. *primi diff.* 2.

58. Opponens secundò, homo exercens primum actum amoris operatur propter finem, mouetur namque à bonitate eius, gratia cuius operatur: ergo huiusmodi amor continetur inter effectus finis. Conf. 1. is actus amoris prouenit ab aliqua causa: Quidquid enim est, Deo excepto, fit ab alio: non videtur autem ab alia causa promanare, quàm à voluntate, quæ omnes suos actus dirigit ad finem, cùm sit agens ex delectu. Igitur primus amor numeratur inter finis effectus Conf. 2. quod capitur sub obiecto alicuius potentiæ, ab ea tanquam eius effectu, respicitur, vt liquet de obiecto intellectus, quod est verum, & de obiecto visus, quod est color, & sic de reliquis: ergo bonum, quod est obiectum voluntatis, mouet ipsam ad agendum propter finem; ac proindè illeamor finis, quo excitatur voluntas à fine ad operandum cadit sub eius causalitate. Conf. 3. actus amoris ergà Deum elicitur à voluntate propter finem, vt patet ex Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum: propter retributionem.* Itaque quicumque actus amoris siue prior, siue posterior censetur finis effectus. Nego ant. cum enim homo sit agens liberum, potest suo arbitratu eam actionem ad nullum finem dirigere, cum ex dictis dentur actus indifferentes, & neutri, maxime quia illa motio est causalitas finis, quæ præcedit actionem voluntatis, ideoque dicitur finem mouere efficiens, vt amatum, & desideratum, isque amor præit agentis efficientiam. Ad 1. conf. dico esse à fine, non verò à voluntate, quæ tunc mouetur ab amore finis, motio autem finis non est motio voluntatis, cum ex eius appetitu, & desiderio ipsa voluntas allicitur ad agendum, propter eiusdem finis adeptionem. Ad 2. conf. datu, & non concesso ant. nego consequentiam. Suprà namque innui, obiectum voluntatis esse omne ens, tamque latè patere, quàm obiectum intellectus. Ad 3. conf. dico valere de amore efficaci, & elicito à voluntate, non autem de amore complacentiæ, & inefficaci præcedente amorem elicitum, & efficacem, vt constat ex 1. *dist* 8. *quæstione* 5. & 2. *dist.* 6. *quæst.* 1.

59. Opponet tertiò, actus subsequens adeptionem finis est propter finem, cum sit actus perfectus *ex* 1. *d.* 1. *q.* 3. ratione cuius homo coniungitur fini suo, ipsoque fruens, gaudens, & delectans perfectissimo modo, circa ipsummet præsentem, quem prius concupiscebat, & amore flagrabat, potestque dicere illud *Cant.* 3. *Teneo eum, nec dimittam*, veluti Beati tenent, vident, fruuntur Deo, & delectantur: ergo actus præfati subsequentes sunt propter finem, in eius causalitate contenti. Nego ant. cum enim esse propter finem idem sonet ac propter amorem finis. Amor, qui est circa finem acquisitum, & possessum foret propter amorem, quod est ridiculum, & absurdum, Iam enim finis exercuit suam causalitatem, adepto fine, cum causalitas finis sit motio, qua agens mouetur ad consequendum finem, quo consequuto cessat talis causalitas, veluti quando causa efficiens effectum suum producit, cessat eius actio, & acquisito termino cessat motus. Alioqui si adhuc agens moueretur ad agendum gratia finis, ipsum nec haberet, nec possideret, quod data hypothesi falsum est. Addo quod fruitio, quæ est actus perfectus, est vlt. finis formalis, non ergo est propter finem, secus non esset finis vlt. Sed finis sub fine Nec inutr dicere, ipsum esse ob finem obiectiuum, quia finis obiectiuus pariter est vltimus, & in suo genere vnus finis ad alium non ordinatur, cum finis ex æquo dimidatur in finem formalem, & obiectiuum, vt patuit in 5. *art. huius q.*

 60. Si

60. Si dicas esse duplicem actionem, vnam imperfectam tendentem ad finis consequutionem, & hæc fine adepto, cessat: alteram perfectam, qua agens quiescit in fine, & ista habito fine non cessat. Ita ex Diuo Thoma 4. *distinct* 48 *quæst*. 2. *artic*. 2. exponunt Arist. Suarez *disp*. 23. *Met. num*. 6. *sect. cit*. Ruuius, & alij, cuius corroborationem, & declarationem adducunt exemplum de motu Cœli, qui fine suo consequuto, qui est imitatio diuinæ bonitatis, cessat: similiter amor non desinit ad finis adeptionem, immò perfectior fit in coniunctione, & fruitione finis habiti, & possessi. Contrà, est namque petitio principij, non verò dilutio argumenti. Flagitatur quippè, versaturque in lite, vtrum actus, quo agens in fine habito agit, causetur à fine, necne? cui respondetur affirmatiuè, & cum causa petitur, obnixm fit, quia est actus, qui perdurat cum fine. Id autem est, quod postulatur, & inuestigatur, vtrum scilicet, actus quo agens in fine habito operatur, pendeat à fine. Nos autem dicimus nequaquam à causalitate finis pendere, quandoquidem finis causalitas habet suum terminum ad quem, & vlterius non se extendit, alioqui non foret vltimus finis. Nec distinctio allata congruit testimonio Philosophi, quia ex 3. *Phys. cap*. 2. *T*. 6. *Motus est actus entis in potentia, vt in potentia*, siue actus imperfectus ad perfectionem acquirendam directus, tunc autem agens sua vlt. gaudet perfectione, igitur non amplius extat motus, & cessante motu, vtique actio agentis cessat ad acquirendum terminum. Aristoteles autem verba facit de motu rerum generabilium, & corruptibilium, non verò de motu Cœli orbiculari, qui est neuter, & ab extrinseco, nec propter imitationem diuinæ bonitatis, sed propter perennes generationes, & corruptiones rerum sublunarium, quarum non est meta, donec dies iudicij adueniat; tunc enim desinente Cœli motu, vtique generationes, & corruptiones sublunarium desinent, vt dixi *lib. de Cœlo, quæstione secunda, articulo quinto*. Adde, quod agens mouetur ad rem consequendam, qua caret, habita autem huiusmodi re, in ea perfruenda conquiescit; vnde Apoc. 14. *Vt requiescant à laboribus suis*. Et Ecclesia cantat, *requiescant in pace*, quod optauerat Dauid Psalm. 4 *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*.

ARTICVLVS VI.

Vtrum media ad finem sint formaliter bona.

61. PLerique, quos sequitur Suarez *disp* 23. *Met. sect*. 6. *num*. 11. negant media esse per se bona, nisi ratione finis, ad quem ordinantur. Cæteri verò, inter quos sunt Faber *de peccatis disp*. 9. *quæst*. 1. *cap*. 8. Fuentes 3. *Phys. quæst*. 7. *diff*. 4. *art*. 3. & Hurt. *disp*. 13. *de anima sect*. 4. § 26. arbitrantur, media ad finem directa participare propriam bonitatem contineríque sub obiecto voluntatis.

62. Not. primò, media bifariàm posse inspectari, vno modo materialiter sumpta, quatenus talia sunt entia, nullo habito respectu, & ordine ad finem, quo pacto nemo inficiatur, media potiri aliqua bonitate: altero modo formaliter capta, quatenus ad finem diriguntur, propter quem assumuntur, & amantur ab agente: & de medijs sic acceptis, tota est proposita difficultas, vt aduertunt Fuent. & Suarez præmemorati.

63. Not secundò, ex dictis, *quæst. de bono, ar*. 5. triplex esse bonum, honestum, delectabile, & vtile. Media autem inter bona honesta, & delectabilia non referuntur, quandoquidem hæc propter se, illa verò propter aliud appetuntur. Licet autem vtilia sint gratia aliorum, non ob id carent propria bonitate, veluti relatiua, tametsi aliud respiciant, propria entitate, & bonitate non spoliantur: sic media perhibentur habere bonitatem, non quidem absolutam, sed relatiuam. Quinimmò etsi nullam sortirentur bonitatem, & perfectionem, vt relationes diuinæ adhuc voluntatis obiecto clauderentur, vt docet Scot. *in Report*. 1. *dist*. 1. *quæst*. 1. inquiens, *Voluntas potest habere finem præstitutum, qui nullam habeat rationem boni*.

64. Assertio, media ad finem gaudent propria bonitate distincta à bonitate finis, & comprehenduntur sub obiecto voluntatis. Deducitur ex Doct. 1. *dist* 1. *quæst*. 3. § *Quantum ad* 1. *A*. & *ibid. quæst*. 4. § *Ad argumenta. Voluntas ita liberè assentit maiori bono, sicut minori. Quol*. 16. §. *Dei F* 4 *dist*. 49. *quæst* 10. §. *Ex his*. Et *ibid. Reportat*. 1. *quæst*. 9 & *collat*. 17. *Voluntas pro sua libertate, & delectu fertur in media, & in finem*. Fauet Aristoteles 3. *Top. cap* 1. *Finis est eligibilior iis, quæ sunt ad finem*. Et paulò post. *Melius est, quod propter se, & honorabilius, & laudabilius est amicitia diuitiis*. Et 1. *Magn. mor*. 3 *Melior est finis iis, quæ sunt ad finem*. Iam verò assertio probatur rationibus, & primò, tam latè patet obiectum voluntatis, quàm intellectus, *ex* 2. *distinct* 6. *quæst*. 1. obiectum autem intellectus est omne ens, siue sit medium, siue finis, siue quodlibet aliud. Causa est, quia omne ens intelligibile, est quoque volibile. Media ergo cum sint entia, vtique sunt bona, continenturque sub obiecto voluntatis.

Secundò, omnis potentia, & facultas, quæ agit circa vnum obiectum, non absolutè, sed respectiuè, hoc est in ordine ad aliud, agit circa vtrumque, voluntas autem agit circa media, non præcisè, sed in ordine ad finem; ergo voluntas respicit media, proindéque media comprehenduntur sub eius obiecto. Maior est Philosophi 2. *de anima*, *T*. 146. affirmantis sensum communem discriminari à reliquis sensibus, propterea quod agnoscit discrimen inter obiecta diuersorum sensuum: omnis autem potentia statuens discrimen inter aliqua diuersa, necesse est, ea cognoscat. Quare cum voluntas eligat media meliora, & opportuniora, planè infertur ea velle, atque in eius obiectum cadere media. Hæc ratio eshauritur *ex Quol*. 16. *art* 1 *sub K*.

Terriò, sicut se habet principium in speculabilibus, sic se habet finis in operabilibus, 2. *Phys*. Intellectus autem nedum præmissas; verumetiam conclusionem, distincta cognitione attingit. Illa quippè habitu principiorum, hæc verò habitu scientiæ comparatur: pariter ergo voluntas fertur ad finem, & ad ea, quæ ad ipsum ordinantur, cuiusmodi sunt media.

Quartò, si qua ratio excluderet media à voluntatis obiecto, maximè quia non sunt bona, nec amabilia, nec appetibilia, vt contendunt patroni oppositæ sententiæ: hæc autem ratio nulla est, quia ex dictis suprà, voluntas pro suo libitu, & delectu potest tendere in bonum, & malum, in neutrum, in referibile, & irreferibile, in possibile, & impossibile, vt constat ex dictis. Eò magis, media sunt bona propria bonitate, absque respectu vllo ad finem. Nam opera, quæ quis persoluit ad gloriam consequendam, sunt bona, vnumque eorum melius est alio; ideò maius, aut minus præmium, tribuitur à Deo, iuxtà meliora, vel minus bona opera peracta. Iterum virtutes rerum naturalium vel artificialium, sunt bonæ, vt virtus vini, quo (iubente Apostolo) vtebatur Timotheus ad iuuandam valetudinem eius. Item calor naturalis est bonus, nedum in se, quia est bona qualitas, verumetiam propter nutritionem animalis, quo vtitur animal tanquam medio, & instrumento ad se ipsum fouendum, & nutriendum.

Deinde

Denuò, cum bonitas fit conuenientia rei, vnumque medium fit altero conuenientius, vnumque alteri præferatur post consultationem, consequenter fit, vt media fint bona, subque voluntatis obiecto capiantur. Huc pertinet elogium Scot. 1. *distinct. 41. quæst. vn. §. Potest aliter dici A.* ordinatè volens prius vult finem, quam ea, quæ sunt ad finem, cuiusmodi sunt media, quæ pariter sunt volita, licet prius finis, quàm media, quæ spectant ad ipsius finis consequutionem.

65. Oppones primò, *ex 2. Phys. c. 3. T. 31.* & *6. Met. c. 1.* necnon *1. Eth. 1* cit. à Doct. *4. dist. 49. quæst. 4. §. Iuxta hoc vers. Aliter dicitur.* Finis, & bonum coïncidunt. Ergo per Arist. media, quæ non sunt finis, sed ad finem, per se bona non sunt, sed solùm vt respiciunt finem. Ideò subdit idem author 2. *Eth. 7.* illud est rei bonum, cuius gratia operatur. Cùm ergo agens operetur propter finem, non verò propter media, infertur, media bona non esse nisi participatione bonitatis finis, proindéque sub subiecto voluntatis haud comprehendi. Respondeo assertum Stagiritæ interpretandum esse de bono honesto, & delectabili, quod per se appetitur, non autem de bono vtili, quod gratia alterius appetitur, cuiusmodi sunt media, quæ valent ad finem consequendum. Idque confirmat alterum testimonium eiusdem Philosophi inquientis, illud esse bonum, propter quod agens agit. Media autem licet finem spectent, pro cuius adeptione assumuntur ab agente, non ob id bonitate intrinseca priuantur, veluti creatura respicit Deum; sortitur tamen propriam entitatem, & bonitatem ab eo respecto distinctam. Quamobrem bonitas mediorum est quidem ad finem, nihilominus non est bonitas ipsius finis, sed ab ea dissidet, veluti relatio à termino, & actus ab obiecto, ad quod fertur.

66. Opponens secundò, media eliguntur, & assumuntur ab agente intellectuali, propter finem. Ideò enim agens potius hæc, quam illa media eligit, priusque istis, quam eis mediis vtitur, gratia consequendi finem, à cuius bonitate excitatur, & mouetur ad agendum, consultat de eisdem, perquirit, & seligit efficaciora, & opportuniora ad eius adeptionem. Igitur, media suam bonitatem à fine depromunt, & mutuantur. Conf. primò, cessante fine, cessant quoque media ad finem, ergo media aliam bonitatem non participant à bonitate finis differentem. Conf. secundò, acquisito fine, media eius nihil prorsus conducunt, vt potio amara, sectio venæ, & cætera ad sanitatem comparandam, ipsa sanitate præcisa, ea nedum inutilia sunt; verumetiam noxia, & mala. Igitur si qua in mediis extat bonitas, à bonitate finis decerpitur. Concedo ant. nego conseq. potiùs namque oppositum, quam propositum deducitur, siquidem media eliguntur conuenientiora, commodiora, & aptiora, propterea quod ipsa media fruuntur propria bonitate, à finis bonitate dissita, secus quæcumque media sufficerent ad finem comparandum, nec magis vnum, quam aliud ad illum foret aptius, & expeditius, quod quotidianæ, experientiæ, contradicit. Licet autem bonitas per se prima, & absoluta sit bonitas finis: attamen extat secunda bonitas mediorum, quæ sunt ad finem ab eiusdem bonitate distincta, vt luculenter edisserit Doctor *Quol. 16. sub F.* inquiens, sicut est ordo in veritate, inter principium, & conclusionem, quæ habet veritatem participatam à principio: ita est ordo inter finem, & ens ad finem in bonitate, siue appetibilitate, quia ens ad finem habet bonitatem participatam respectu finis. Ad 1. conf. si finis desinat esse, desinit quoque ordo, siue respectus medij ad finem; non tamen desinit bonitas intrinseca medij, quemadmodum si filius moriatur, perit quidem paternitas respiciens filium, non tamen perit persona, in qua inerat paternitas. Ad 2. conf. dico, quædam esse media, quæ bonitatem intrinsecam, & formalem non participant, sed tantum extrinsecam à fine desumptam, & hæc sunt bona, bonitate finis duntaxat, vt sectio venæ, & huius formæ alia: quædam verò præter ordinem, & habitudinem ad finem gaudent intrinseca, & formali bonitate, & ista sunt bona, dempta bonitate finis, vt si lux solis cæcutienti, & nicticoraci bona non sit, in se tamen bona est, & ambulanti, operantique prodest. Iterùm, quamuis calor ignis febre ardenti laboranti bonus non sit, nihilominus ipsi igni bonus est, cùm sit virtus eius, qua calefacit. Itaque quod vni propter interceptum obicem non prodest, alteri est adiumento, vel ornamento.

67. Opponens tertiò, quando diligitur proximus propter Deum, nulla bonitas extat in proximo, vt diligatur, nisi à Deo vltimo fine hominis deprompta: ergo medium, vt medium, quodcumque illud sit, totam suam bonitatem a fine mutuatur. Conf. primò, quod est ens per participationem, vtique bonum est per participationem, decerpitque suam entitatem, & bonitatem ab ente, & bono per essentiam: cum ergo omne ens creatum sit bonum per participationem, consequenter à Deo, qui est bonum per essentiam, accipit bonitatem, quam optabat Dauid Psalm. 118. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Conf. secundò, ex illo adagio.

Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes.

Si ergo actiones sunt bonæ, quia finis bonus est, & è contrà actiones sunt malæ, quia finis malus est, colligitur apertè media suam emendicare bonitatem à fine, cuius sunt media. Nego ant. omne quippè creatum est bonum propria, & intrinseca bonitate, vt patet Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Et Matt. 7. *Arbor bona bonos fructus facit.* Etsi enim Deus sit bonus bonitate independente, & vltimata, creatura tamen est bona bonitate dependente, & finita, ordinataque ad Deum omnium vltimum finem. Ad 1. conf. distinguo, quod est bonum bonitate extrinseca, concedo, quod est bonum bonitate propria, & intrinseca finem non respiciente, nego. Sic enim Scoto respondet Gadius *Quol. 16. art. 1.* Ad 2. conf. dico id valere de eo, quod ordinatur ad bonum finem, secundum iudicium rectæ rationis, aliter fallit, siquidem non sequitur, finis est bonus, ergo media sunt bona, quia possunt esse mala, vt quis vult fornicari propter Deum, quod lex Dei prohibet: & quispiam vult cudere numisma, vt succurrat egeno, quod vetat statutum Principis.

68. Quæres primò, vtrum negationes, & priuationes capiantur sub obiecto voluntatis? Occurrendum est affirmatiuè. Nam Scot. 4. *dist. 50. quæst. 2. §. Ad 1. quæst. F.* & Vorr. *ibid. art. 3. diff. 1.* asserunt damnatos appetere non esse, iuxta illud Apoc. 9. *Desiderabunt mortem, & fugiet ab eis.* Mors autem est carentia vitæ. Iterum voluntas potest velle impossibile, *ex 2. distinct. 6. quæst. 1.* Impossibile autem est negatio entis. Amplius, quidam Philosophi se obcæcarunt, ne viderent mala, & in ea prolaberentur, vt ostendi *in serm. de cæco nato.* Rursùs mali diligunt tenebras, & oderunt lucem, vt claret ex illo Christi Domini Ioan. 3. *Dilexerunt magis tenebras, quàm lucem.* Ratio est in promptu, voluntas ex se est libera, potestque pro suo libito tendere in bonum, vel malum: malum autem esse priuationem boni, superiùs monstratum est. Addo, quod negationes non summè amamus, vt arguit Doct. 1. *Reportat. distinctione tertia*, & *ibidem*, negatio cognoscitur per affirmationem, ex 2. *Perih. in fine*, & 4. *Met. T. 2.* Vrplurimum autem homo desiderat negationes, & priuationes, non præcisè, sed ad euitanda maiora mala. Vnde Doctor 4. *allegato*, §. *Respondeo*, inquit, quando sunt duo mala, in eligendo minus malum, est fugere maius malum, quia ibi vnum habet rationem boni, respectu alterius, vt liquet 5. *Eth. 6. in fine.* Ad vitandam ergo

pœnam damnati cupiunt non esse. Insuper, quispiam optat esse absque infirmitate, & dolore, vt sanitate fruatur, & quis desiderat mortem, vt vita æterna potiatur, sic Apostolus Philip. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Tametsi affectione commodi, naturalique inclinatione mortem perhorrescat, *Nolumus spoliari, sed superuestiri.* 2. *Cor.* 5.

69. Quæres secundò, vtrum relationes tam reales, quam rationis valeant contineri intra voluntatis obiectum. Respondent nonnulli, quorum meminit Suarez cit. *num.* 10. negatiuè: alij verò distinguentes, de relationibus transcendentalibus, concedunt, de prædicamentalibus, negant, quibus subscribit Suarez *vbi suprà.* Ego autem adhæreo parti affirmatiuæ; Eæ enim omnes relationes sunt entia, quæ sicut cadunt sub obiectum intellectus, sic pariter sub obiectum voluntatis, cum vtriusque sit æqualis ambitus. Causa est, quia quis potest velle esse patrem, aut Papam: præcisè autem paternitas, Papatus, & id genus alia sunt relationes. Eò magis, sicut relationes sortiuntur entitatem, pariter & bonitatem; omne quippè ens est bonum, vt constat ex Met. Nec præstat distinctio Suarez de relationibus transcendentalibus, & prædicamentalibus: siquidem illæ præter esse ad aliud, participant entitatem absolutam; penes quam non sunt relationes, sed penes ordinem, & respectum, quem ad aliud præseferunt. Quod si relationes transcendentales sunt bonæ, potiori iure prædicamentales, quæ præter esse transcendentale, aliquid aliud participant, ratione cuius in genere locantur. Id ipsum quoque astruendum est de relationibus rationis, vt tenent Conimb. 2. *Phys cap.* 7. *quæst.* 31. *art.* 3 & *leg.* 5. *cap.* 1. *quæst.* 11. *sect.* 4. quæ suo modo gaudent esse, quod ab intellectu accipiunt, atque penes illud esse experti queunt à voluntate. Vt enim sunt intelligibiles, sic etiam sunt volibiles, præsertim quia voluntas formare valet ens rationis latè sumptum, vt dixi *in Met.* 6. *de ente rationis.* *q.* 2 *art.* 2. *Assertione* 2.

ARTICVLVS VII.

An sit vltimus finis secundum quid.

70. Hæc dubitatio capi, & examinari potest bifariàm, vno modo de vltimo fine secundum quid, hoc est de fine vltimo in aliqua serie, & genere rerum, de quo in præsenti art. Altero modo de fine vltimo simpliciter, id est de fine vltimo omnium rerum, de quo in sequenti art. disseremus.

71. Assertio. Datur finis vltimus secundum quid. Ita Scot 4. *dist.* 49. *q* 3. *ante* §. *Hic dicitur.* Et *q.* 4. §. *In ista quæst sub A.* Et *ibid. in Rep. quæst.* 3. §. *ratio ad oppositum* Et passim alibi. Probatur 1. ex Arist. Statuente tum *lib. predicamentorum*, tum etiam 5. *Met. tit.* 14. decem suprema genera, & 10. *Met. cap.* 2. subdit: *In vnoquoque genere datur vnum, quod est metrum, & mensura aliorum.* Et antè 2. *Phys* 24. & 1. *Pol.* 5. & 1. *Eth.* 1. Homo est rerum finis. 2. vbi est 1. causa efficiens in aliquo ordine, ibi quoque est prima causa finalis; vt enim scribit Doct. 1. *dist.* 1. *quæst* 4. causa efficiens, & finalis simul coniunguntur, adeò vt, nisi sit causa efficiens, non erit causa finalis, & econtrà. Vnde *lib. geneseos* narrantur singulæ rerum creationes & generationes, iuxtà genus, & speciem earum, præsertim hominis, qui à Deo, & propter Deum creatus est. 3. res non vna, sed pluribus pollent viribus, penes specierum varietatem, & multiplicitatem habentur diuersæ virtutes, potentiæ, & operationes, quæ sanè ad diuersos effectus, & fines tendunt, cum casu non sint, vt contrà Empedoclem, Anaxagoram, & Epicurum decertat vulgus Philosophorum cum Arist. Igitur, quælibet res sortitur suum finem particularem, ad quem assequendum à Deo est intenta, & directa. Denuò, artifices secundum diuersas artes, diuersos sibi proponunt, & intendunt fines, vt Medicus pro fine suæ curationis habet sanitatem ægro inferendam, qua introducta, cessat eius curatio. Idem patet de instrumentis, quorum quædam ad scindendum, quædam verò ad scribendum sunt adinuenta, & de naturalibus ait Ecclesiastes cap. 3. *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cœlo.* Huc pertinent, quæ tradit Philosophus 2. *Met. cap* 2. potissimùm in essentialiter subordinatis non proceditur in infinitum, cum ergo omnia sint adinuicem ordinata, & disposita à Deo, in numero, pondere, & mensura, sequitur, quamlibet rem sortiri proprium, & peculiarem finem, ad quem a conditore rerum ipsa-tum est directa, & ordinata.

72. Oppones primò *ex* 7. *Phys. cap.* 1. & 8. *eiusdem operis*, mundus est æternus, ergo rerum ordo, & series est æterna; atque ita non datur finis vltimus secundum quid in quauis rerum serie. Respondeo concesso ant. negando consequentiam. Per id enim solùm concluditur numerus infinitus in accidentaliter ordinatis, sed non tollit finem vltimum secundum quid, siue particularem cuiuscumque rei, vt docet Scot. 1. *dist.* 2. *quæstione* 2. §. *Quantum ad* 1. *ante I.*

73. Oppones secundò, partes lineæ sunt infinitæ, authore Arist. 1. *Met.* cit. Ergo non est certus, & determinatus finis cuiuscumque rei. Conf. ex eodem *ibid.* qui concedit materiam esse infinitam: si ergo Deus, qui est infinitus, nullum finem habet, idipsum astruendum est de materia, sicque non quælibet res peculiari potitur fine. Respondeo Arist. loqui de partibus non aliquotis, sed proportionalibus, quæ dicuntur esse in potentia & in diuidi: non verò actu diuisæ, & ab inuicem seiunctæ, quæ nullam in præsentia ingerunt difficultatem. Ad conf. dico materiam vocari infinitam non quidem in entitate, & perfectione, veluti est Deus, sed in capacitate, & receptibilitate, siue indifferentia, ad quamuis formam recipiendam, vt anima rationalis, licèt sit limitata in entitate, dicitur tamen illimitata & infinita in capacitate, proptereà quod potest Deum infinitum videre, eóque perpetuò frui, vt suo loco monstrabitur.

ARTICVLVS VIII.

An sit vltimus finis simpliciter.

74. Perquiri potest, vtrum sit vnus, vel plures fines simpliciter, numve plures esse queant, necnon vtrum demonstrari valeat esse vnum tantùm finem simpliciter vltimum.

75. Not. ex Doct. *q.* 1 *prol. D.* duobus modis finem vltimum posse inspectari. Primò præcisè, vt causam finalem perfectissimam in genere entis, quæ omnium per accessum, aut recessum est metrum, & mensura, & de fine sic capto loquimur in præsentia.

Secundò, vt finem vltimum per operationem attingibilem, hoc est per visionem, & fruitionem, & de fine sic accepto disserunt Theologi. Hoc enim pacto Deus solus est finis vltimus hominum, & Angelorum. Hi námque tantum Deum intueri, ipsoque frui possunt; cæteræ verò creaturæ cum mentis, & voluntatis sint expertes, prædictas actiones erga Deum exercere nequeunt, vt confirmat Scot. 2. *d.* 1. *q.* 5. *in solut.* 4. & 5. *dubij.*

76. Assertio prima, est tantum vnus finis simpliciter. Ita Scot. 1. *dist.*5. *quæst.*2. §. *Iuxta tres conclusiones. N.* Probatur 1. ex scriptura, Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Et Apoc. 1. *Ego sum α, & ω. principium, & finis.* Subscribunt Aug. 1. *de doctrina Christiana c.*23. & 19. *Ciuit.* Arist. 12. *Met.*10. Trimegis. *in Pimandro,* Plato 4 *de legib.* & alij passim hanc veritatē amplectentes: Secundò, processus in infinitum non admittitur 2. *Met.*2. Ergo omnium est vnus vltimus finis. Conseq. suadetur à Scot. 1. *Rep. d.*2. *quæst.*2. §. *Ex hoc sequitur*: primum agens agit propter finem non alium à se, quia finis est, & quamdo agens agit propter finem alium à se, finis est ena nobilius efficiente. Tertiò, creaturæ inter se ità sunt ordinatæ, & dispositæ, vt vna sit propter aliam, vt 1. *pol. cap.*5. omnia corporea quodammodo ordinantur ad hominem, & homo ad Deum, vt fatetur Apostolus 1. *Cor.*13. Idque cernitur in tota rerum vniuersitate, in qua terra ad aquam, aqua ad aërem, aër ad ignem, & sic deinceps, vsque ad vltimum cælum, vbi apparet mira rerum connexio, & ordinatio. Sicut autem primum est cælum in catalogo rerum materialium, sic vltima est terra: & si admirabilis ordo elucet in corporeis, potiori iure in spiritualibus, in quibus extat maior perfectio, & dignitas. Vnde subiungit Scot. *in Rep. passu alleg.* Bonum vniuersi consistit in duplici ordine, in ordine partium inter se, & in ordine partium ad aliquod primum: si tollatur primitas isto modo, tolleretur natura boni in vniuerso. Addo, quod res particulares, & singulares, ad communes, & vniuersales rediguntur, & si ens est vltimum in ascendendo, in descendendo verò est indiuiduum: & in Phys. vltima rerum resolutio est ad materiam primam. Stat ergo esse vltimum finem simpliciter.

77. Assertio secunda, demonstratur esse vnum finem vltimum simpliciter. Tenet Scot. *vbi suprà,* & 1. *Rep. d.*2. *q.*2. Colligiturque ex scriptura. Matt. 6. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Et Esa. 28. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non possit.* Fauet August. 18. *Ciuit.* 18. probatur 1. demonstratur esse vnum 1. efficiens, & vnam primam causam, 8. *Phys. c.*1. & 2. *Met. cap.* 2. & 12. *eiusdem operis, cap. vlt.* sic, omne quod est, vel est producens, vel productum; Quod enim est, aut est à se, aut ab alio: si est à se, ergo est improductum, & primum efficiens: si ab alio, vel illud est ab alio, & sic deinceps, quousque deueniatur ad primum, quod est improductum, & incausatum. Pariter ergo demonstratur esse vnum finem vltimum simpliciter, vel enim vnum ordinatur ad aliud, & iterum vsque ad vltimum inordinabile, & irreferibile ad aliud, & habetur intentum, vel proceditur in infinitum, quod in causis essentialiter subordinatis est impossibile, 2. *Met. loco cit.* Igitur, demonstratur vnus vlt finis simpliciter. Secūdò, omne per se agens, & intellectuale agit propter finem, vel ergo operatur propter finem alium a se, sicque est imperfectum, quia ordinatur ad aliud, ab eoque perficitur. Ideò enim ordinatur ad finem, vt ab ipso fine perficiatur, appetitus eius expleatur, intentioque eius quiescat: id autem Deo adaptari non potest, qui ab omni imperfectione, & perfectibilitate longè distat. Maximè, quia Deus non agit propter finem, in quo beatificetur, sed vt creatura suum assequatur finem. Vel operatur propter finem, qui cum ipso identificatur, & habetur vltimus finis simpliciter, qui est Deus, testantibus scripturis alleg. *in præcedente ass.* Tertiò, finis est gratia alterius, diciturque habere rationem optimi, est causa omnium prima, & nobilissima, ex dictis supra. Deus autem est perfectissimus, & eminentissimus, non alterius, sed sui gratia, cum extrà Deum, non sit aliud perfectius, & eminentius, ipseque contineat omne bonum, & perfectionem. Demonstratur ergò vltimus finis simpliciter. Eò magis, omnis perfectio tribuenda est Deo, esse autem 1. efficiens denotat maximam perfectionem: ergo & esse vltimum finem simpliciter, qui est ipsemet Deus.

78. Opp. 1. cōtra 1. assertionē, dantur fines particulares in singulis rerum ordinibus: igitur non est necessarius finis communis rerum omnium. Ant. est in promptu; siquidem vnaquæque res habet suum finem distinctum à quacumque alia re. Nam secundum rerum distinctionem, habentur distincti fines, vt patet de grauibus, quæ tendunt deorsum, de leuibus, quæ sursum feruntur, herbæ germinant, plantæ florent, arbores fructificant, &c. de quib. in aur. art. Concedo ant. nego conseq. Etsi enim in categoriis dentur indiuidua, eorumque differentiæ indiuiduales, non ob id tolluntur communia, & vniuersalia, eorumque differentiæ genericæ, & specificæ: similiter admissis finibus particularibus quarumcumque rerum, tantùm abest, vt tollatur finis communis, & vltimus vniuersalis, quin potius necessariò concedatur. Ratio reddi potest, quia res adinuicem ità sunt connexæ, & ordinatæ, vt vna referatur ad aliam, omnesque tandem ad vnum finem simpliciter vltimum reuocentur, vt palam facit Scot. 4. *d.*49. *q.*3. arguens ad oppositum.

79. Dices, ex his infertur esse vnum finem rerum creatarum, qui est bonum vniuersi, eius compositio, ordo, & conseruatio: hæc autem ratio nullius est ponderis; Etenim si Deus conderet alios mundos, vnus eorum ad alium non ordinaretur, atque non foret vnus finis vniuersalis, & communis eorum. Dico quidem vnionem, & ordinem rerum ad vnum mundum non esse finem vltimatum; vt enim prima causa non ingreditur vniuersitatem rerum creatarum; pariter vltimus finis non est quid creatum, sed Deus increatus, & improductus, qui est à se, & per se, notante Scot. 1. *d.*2. *q.*2 *sub I. & K.*

80. Opp. 2. contra 2. assertionē, demonstratio constat ex necessariis, *ex* 1. *post. c.*2. *tit.*8. illa autem argumentatio adducta in 1. assertione procedit ex contingentib. Assumitur namque medium causatum, quod est contingens, omne quippe causatum est contingens, cùm libere causetur à Deo, iuxta illud Psal. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terra.* Non ostenditur ergò esse vnum finem vltimum simpliciter. Concedò ma. ad min. dico esse demonstrationem à posteriori. Valet enim, est effectus, ergo est causa, quia relatiua sunt simul natura, dicunturque ad conuertentiam. Vel dicito esse demonstrationē à priori sic, omne effectibile est ab effectiuo effectibile, & cum non abeatur in infinitum, deueniendum est ad 1. efficiens, & primam omnium causam in ascendendo, & in descendendo ad vltimum finem, vt innuit Doct. 1. *Rep. d.*2. *q.*2. §. *Ad* 2. *rationem.*

81. Opp. 3. in accidentaliter ordinatis admittitur processus in infinitum à Scot. cit. Ergò dandus est in essentialiter ordinatis, cùm æqua sit causa in his ac in illis. Concedo ant. nego conseq. ratio disparitatis affertur à Doct. *ibid.* causæ essentialiter ordinatæ sunt actu causantes, vnaque in causando dependet ab alia: non sic in accidentaliter ordinatis, Paulus enim generaret Franciscum, tametsi non existeret Petrus, & sic de reliquis, de quibus Scot. bene, & acutè loco *alleg.* quem sequitur Fons. 2. *Met. cap.* 2. *quæst.* 7. *sect.* 5. *Ad* 1.

Opp. 4. *ex* 8. *Met cap.* 5 *tit.* 10. res se habent sicut numeri: non datur autem vltimus numerus, ergo nec vltimus finis. Conf. in Mathematicis procedimr in infinitum ad alias, & alias conclusiones: ergo quoque in finibus itur in infinitum. Resp. in vno esse paritatem, in altero verò disparitatem, & quidem paritas est, sicut vna res dependet ab alia, & causa 2. à prima: sic vnus numerus dependet ab alio, vt duodecim à sex, & octo à quatuor: Disparitas verò est, quia in numeris non habetur status, bene verò in rebus, vt liquet ex dictis, & explicat Doct.

in Rep. cit. §. *Ad argum. principale.* Ad conf. valet de accidentaliter ordinatis, non autem de essentialiter subordinatis. Vnde extat illud Solonis apud Aristot. 1. *pol. cap.* 5.

Finis opum positus non est mortalibus vllus.

Et Eccles. 1. *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.*

Articvlvs IX.

An vltimus finis concurrat cum finibus particularibus ad finaliter causandum.

82. STatus huius difficultatis capiendos est hoc sensu, videlicet, vtrum sicut prima causa concurrit efficienter ad omnes effectus cuiuscumque causæ secundæ producendos: ita vltimus finis finaliter influat, & concurrat ad omnium finium particularium effectus depromendos? Qua in re duplex videtur esse Scholasticorum opinio, vna eorum, qui asserunt, vltimum finem concurrere cum finibus particularibus ad finaliter causandum remotè, & mediatè, in quorum numero recenseri possunt Dur. & alij, qui in genere causæ efficientis existimant Deum dedisse creaturis virtutem agendi, & nihil ampliùs circa eas operari, & ad earum effectus non concurrere, nisi per traditam ipsis vim, & potentiam operandi, vt tetuli *lib. de causis quæst.* 3. *art.* 1. Altera est eorum, qui censent, Deum ad omnes causarum secundarum effectus immediatè, & proximè cooperari, sic quoque putant vltimum finem proximè, & immediatè, cùm cæteris finibus particularibus influere.

83. Assertio, finis vltimus concurrit cum omnibus finibus particularibus proximè, ad finaliter causandum. Deducitur ex Doct. 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. & 4. 2. *quæst.* 2. §. *Iuxtà tres. N.* & 4. *dist.* 49. *quæst* 8. §. *Ad argumenta. E.* Probatur primò, eadem est ratio de prima efficiente, & vltimo fine. Prima enim causa, & vltimus finis coincidunt, vt suprà ostendi: prima autem causa immediatè, & proximè concurrit ad omnes effectus causarum secundarum: ergo, & vlt. finis cum finibus particularibus proximè concurrit ad finaliter causandum.

Secundò, omnis perfectio possibilis tribuenda est Deo; cum Deus sit, quo maius, & perfectius excogitari non potest: proximè autem, & immediatè agere cum causis secundis, est perfectio, ipsique Deo tribuitur ab omnibus ferè Scholasticis: ergo proximè cum earumdem finibus particularibus finalizate competit vltimo fini. Causa namque finalis non est veluti causa materialis, & formalis, quarum causalitates longè sunt à Deo, cum sint imperfectæ, vt aduertit Doct. *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. §. *Quantum ad* 1. *antè M.* Deinceps causæ secundæ sunt subordinatæ causæ primæ: in causis autem essentialiter subordinatis, inferiores non causant absque superioribus, quia ab ipsis illæ essentialiter dependent in causando. Vltimus ergo finis proximè concurrit cum particularibus finibus ad finaliter causandum.

84. Dices, cum Suarez *disp.* 24. *Met. sect.* 2. verum esse de actionibus creaturæ, quatenus sunt ab ipso Deo: non autem de actionibus, vt sunt à creatura. Hoc enim modo tantùm virtualiter, implicitè, & mediatè, non verò semper immediatè immediatione suppositi concurrit prima causa. Ita Suarez arbitratur se concordare vtramque sententiam præadductam *in initio huius art.* Verùm eius distinctio vana, & concordia nulla est: siquidem fatente, & docente ipsomet Suarez, eadem est actio Dei, & creaturæ: ergo ad eam eodem modo semper se habet, præsertim cum sit à creatura, semper est dependens, & essentialiter subordinata: igitur semper indiget eodem auxilio, & concursu Dei immediato, & cum suppositum, & virtus Dei ab ipso non seiungantur, si agit immediatè immediatione virtutis, vtique operatur immediate immediatione suppositi, cum vbique sit Deus, penes esse suppositi, & virtutis, vt monstraui loco præcit. Addo, parem esse rationem de causa efficiente, & finali; cum idem Deus sit efficiens, & finis omnium. Non enim Deus agit ob finem suum, alioqui foret imperfectus; sed propter creaturæ finem, eam quippè ordinat ad suum finem, vt obseruat Doct *p. d.* 1. *q.* 5. §. *Ad argumenta.*

85. Oppones primò, finis causalitas est motio metaphorica, ratione cuius agens mouetur ad agendum, propter bonitatem finis ipsi propositam, sed inanimata, & irrationalia nequeunt tali motione excitari ad agendum; cum intellectu, & voluntate careant. Non ergò Deus immediatè concurrit cum omnibus finibus particularibus ad finaliter causandum. Concedo ma. ad min. dico talia propriè non agere propter finem, ob rationem allatam, sed potius aguntur, & ducuntur in finem, siue in commodum ipsis. Ideò à fine metaphoricè non mouentur, veluti agentia intellectualia.

86. Oppones secundò, vt agens operetur propter finem, oportet prænoscat finem, voluntas quippè non fertur in incognitum, vt ex Doct. 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. *antè* §. *Ista quæst.* & § *contrà.* Plerumque autem agens intellectuale nec finem nouit, nec eum intendit, imò contrarium elegit, & præstat. Respondeo sufficere, si finem nouerit confusè, & in vniuersali, ac etiam habitu, etsi non actu, vt tradit Doct. 3. *distinct.* 1. *quæst.* 4. §. *posset.* & *in Rep ibid.* §. *Ad* 1. *principale.*

87. Oppones tertiò, Deus nec efficienter, nec finaliter concurrit ad vitia, & peccata perpetranda: plerique autem intendunt, & tendunt ad mala iuxta illud Pro. 1. *Pedes enim eorum ad malum currunt*: ergo &c. Occurrendum est ex dictis, *in Phys loco cit.* peccata formaliter non esse effectus, sed defectus, & recessus à Deo, consequenter ad ea Deus neutro modo, idest nec efficienter, nec finaliter concurrit. Præsertim quia Deus omnia in gratiam sui fecit, non autem ex intentione peccatoris, qui sibi alium suæ actionis finem vltimum, siue finem præstitutum constituit, aduertente Fons. 5. *Met. cap* 2. *quæst.* 12. *sect.* 6. *in solutione argumentorum.* Hinc est, vt nonnulli in bonis animi, quidam in bonis corporis, & cæteri in aliis rebus creatis suam collocent felicitatem, quæ omnia *in proxima quæst.* sunt adducenda, & ponderanda.

QVÆSTIO IV.

De Beatitudine.

Articvlvs I.

Quid, & quotuplex sit beatitudo.

1. DAri beatitudinem, quæ & summum bonum, & felicitas nuncupatur, nemo dubitat. Id enim patet ex naturali appetitu, quem omnes habent ad acquirendam felicitatem. Omnes namque, inquit Aug. 13. *Trin. cap.* 5. *in Psal.* 32. *conc.* 2. & *Psal.* 118. *conc.* 1. volunt esse beati, miseri esse nolunt. Atque 1 *loco cit.* subiungit quemdam Mimum dixisse in theatro se scire, quid omnes vellent., supple beatitudinem, vt allegat Doct. 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. §. *Quantum ad istos.* Fauet Arist. 7. *polit.* 13. Bene viuere, ac felices esse omnes cupiunt. Deindè, bonum est, quod omnes appetunt, beatitudo autem nedum est

est bona, verumetiam est omnium bonorum cumulus, scribente Cic. 5. Tusc. qq. secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. Iterum, vnusquisque suam perfectionem desiderat. Est enim communis inclinatio ad bonum, & fuga à malo: beatitudo autem est perfectio vltima creaturæ rationalis, teste Doct. 4. dist. 49.

2. Quid verò sit beatitudo, non ita planum esse videtur, quod non potest clarè, & euidenter constare, nisi acceptiones, & diuisiones beatitudinis afferamus, & exponamus. Nomen enim beatitudo est æquiuocum, vt notant Scot. 4. cit. quæst. 2 §. *Ad quæst.* CC. & Alph. 3. *aduersus hæreses*, *ber* 4. Ideò eius significationes præcipuæ sont adducendæ, cum Vorr. 2. d. 4. *term* 1. *art.* 4. Vno modo sumitur beatitudo pro via, & dispositione ad veram felicitatem, quæ dispositio esse potest duplex, remota, de qua inquit Philosophus 5. Eth. *Pueri bona indolis beantur, quatenus remotè sunt dispositi ad beatitudinem*: & proxima, cuius meminit Dauid Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Et Saluator *Matt.* 5. assignans octo beatitudines. Ioan. 17. *Hac est vita aterna, vt cognoscant te verum Deum.*

Altero modo, pro liberatione, & ereptione à præsentibus, vel imminentibus malis. Hinc canit Virg. 1. *Æneid.*

O ter, quaterque beati.

Tertiò, pro quadam participatione supremæ beatitudinis per cognitionem, & amorem quæ vel est actiua, de qua 1. *Eth.* 5. vel contemplatiua, de qua 10. *Eth.* 8. Et hoc in sensu Author de fide ad Petrum subiicit Angelos fuisse creatos bonos, & beatos.

Quandò, pro supremo statu, quo Deus clarè videtur, & possidetur à beatis. Quò respiciens Dauid ait Psal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Definitor autem à Boëtio 3. de consol. Prosa 2. *Statum omnium bonorum aggregatione perfectum.* Ab August. 13. *Trin.* & Isidor. *Beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult*, idest, ille est beatus, qui habet omne bonum, quod potest rectè velle. Quare is est beatus, qui Deum perfectè possidet. Notat autem Vorr. tria in definitione Boëtij praelata. Vltimum, statum, siquidem beatitudo est immutabilis, & immutabilis, ob id idem Boët. alibi subdit.

Quid me felicem toties iactastis amici,

Qui cecidit stabili, non erat ille gradu.

Secundum, aggregationem omnium bonorum, qui enim Deum habet, possidet omne bonum, iuxta illud Exodi 33. *Ostendam tibi omne bonum.* Tertium, perfectionem, & complementum status. Beatis quippè nihil deest, quia habent quidquid optant. Huic affinis est definitio beatitudinis tradita ab Arist. 1. Eth 7. *Felicitas est operatio anima per rationem, aut non sine ratione secundum virtutem in vita perfecta.* Per operationem animæ secundum rationem intelligitur operatio intellectus, & voluntatis, quæ sunt potentiæ creaturæ rationalis, & intellectualis. Additur, non sine ratione, secundum virtutem, supple, actionem rationi consentaneam, quæ est sapida per sapientiam, & visionem, & flammida per ardorem amoris, & charitatis, quæ habetur per Dei fruitionem. Subnectitur in vita perfecta, hoc est perenni, & æterna. Vt enim 1. Eth. eit. *Vna irundo non facit ver, sic vna dies, & operatio interrupta non reddit hominem felicem, & beatum.*

3. Prima autem diuisio beatitudinis, quam tangit Aug. *l. de catechizandis rudib. cap.* 22. est in naturalem, & supernaturalem. Naturalis est status omni malo pœnæ, & culpæ carens. Quo in sensu August. 4. *de Gen. ad lit. cap* 3. inquit, *Angeli in initio suæ creationis fuerunt beati beatitudine naturali, quia habebant perfecta naturalia, & erant in gratia*, vt ex professo ostendi *Tract. de Angelis disp* 2. *quæst.* 3. *Beatitudo supernaturalis est clara Dei visio, eiusque perfecta fruitio.*

4. Secunda in contemplatiuam, & actiuam, quam tractat Arist. 1. *Eth.* 5. & 10. *Eth.* 8. Contemplatiua sita est in cognitione Dei, & actiua in amore eiusdemmet Dei.

5. Tertia ex Aug. *Tract* 6. *in Ioan* & *in Psal.* 118. *conc.* 1. in beatitudinem in spe, quæ coincidit cum beatitudine sumpta pro dispositione, cuius supra memini, de quave Eccles. 31. ait, *Beatus vir, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit*: & in beatitudinem in re, quæ est vera felicitas, qua sancti fruuntur in Cœlo.

6. Quarta in obiectiuam, & formalem. Obiectiua est Deus, quem Beati clarè vident, & perfectè fruuntur: vt patet Psal. 3. *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea.* Formalis verò eiusdem clara visio, & perfecta fruitio, quâ Beati vnuntur, & coniunguntur obiecto beatifico, qood est eorum optimum, & summum bonum.

7. Oppones primò, Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis*; quas Heraclitus intuens semper flebat. Hinc S. Paulus Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* nulla ergo extat beatitudo naturalis Respondeo non omnes gaudere beatitudine naturali, sed eos duntaxat, qui contemplatione, & amore Dei vacant, & qui pollent naturalibus integris dicuntur felices felicitate non simpliciter, sed secundum quid, hoc est ea felicitate, & beatitudine, quæ haberi potest in præsenti vita, licet vt plurimum sit laboribus, & mœroribus coniuncta, & inuoluta, quam Authores præcit. & alij meditantes inter infelicitatem, & miseriam existimabant. Vndè Ecclesiastes 1. *Vidi cuncta qua fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus:*

8. Opponęs secundò, Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Et 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur* Cum autem beatitudo sit vita perfecta, in præsenti autem sit continua, & perennis mors, vt canit Poeta *Æn.* 2.

Vbique luctus, vbique clamor, & plurima mortis imago.

Non apparet vlla beatitudinis vmbra siue simpliciter, siue secundum quid. Respondeo, quamuis vrplurimum respectu corporis, homines subeant innumeros propemodum labores, & ærumnas; attamen respectu animæ, cuius est propria, essentialis, & principalis beatitudo, si homo fuerit cognitioni Dei, eiusque amori deditus, dicitur beatus, beatitudine naturali, de qua in præsentiarum sermo est.

ARTICVLVS II.

De beatitudine obiectiua.

9 CVm celebrior, & copiosior sit diuisio beatitudinis, in obiectiuam, & formalem, ideò latè, & exactè à nobis est examinanda, & excutienda in hoc, & in proximo art. Tot autem extitêre Philosophorum placita de beatitudine obiectiua, vt de hac melius, veriusque, quam de quauis alia re, præ variis controuersiis, ac diuersis hominum opinionibus posita, & certata, dici possit illud vulgatum, *Tot capita, tot sententia.* Videndi sunt Aristoteles 1. *& 7. Eth* Ambr. 2. *de officiis*, præsertim Aug. 19. *Ciuit.* c. 1. qui refert Marcum Varronem numerasse 288. oppositas sententias de felicitate, & beatitudine obiectiua, quæ ad tria capita redoci queunt, nempè ad bona fortunæ, corporis, & animi: quorum meminit Aristoteles 7. *Polit.* 1. Omnes namque fatentur beatitudinem in bono positam esse, litigant verò, num consistat in bonis fortunæ, vel corporis, vel animi, de quibus sigillatim

gillatim in ſubſequentibus dubitationibus agendum breuiter eſt.

Dubitatio I.

An Beatitudo ſita ſit in bonis fortunæ.

10. Bona fortunæ, quæ & bona externa vocantur, ſunt quatuor potiſſimùm, diuitiæ, poteſtas, honor, gloria. Diuitiarum autem duo traduntur genera ab Ariſt. 1. *Pol. 6.* vnum dicitur rerum naturalium, quæ nobis à natura conceduntur ad vſum, & commodum noſtrum, vt arua, prædia, iumenta. Alterum eſt rerum artificialium, quas humana induſtria adinuenit ad res permutandas, vt aurum, argentum, & huius formæ alia, quorum meminit Ariſtot. 1. *Rhet.* 5. Potentia verò, ſiue imperium, & dominium eſt, quo quidam imperant, regunt, & dominantur aliis. Honor eſt reuerentia alicui exhibita, in teſtimonium virtutis, ſiue præſtantiæ eius. Gloria eſt clara cum laude notitia, ſiue frequens de aliquo fama, cum laude, Authore Aug. *tract.* 105. *in Ioan.*

11. Aſſertio prima: felicitas non eſt in opibus & diuitiis, deducitur ex Scot. 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 1. §. *Ad* 1. *quæſt.* & defenditur à Baſſ. *ibid. art.* 2. poſt Ariſt. 1. *Eth. cap.* 5. Probatur primò ex Scriptura Pſal. 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Matt. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.* Et Luc. 12. *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, quò fur non accedit, nec tinea corrumpit.*

Secundò ex PP. Aug. *l.* 2. *de ſerm. Domini in monte, cap.* 11. *&* 22. & *l. de diſciplina Chriſtiana cap.* 1. *Pecunia te non facit beatum*; & *in* 2. *enarr. Pſal.* 29. *Plus egent quantò plus habent, deſideriis vaſtantur, cupiditatibus diſſipantur, timoribus cruciantur, triſtitia contabeſcunt.* Chryſologus in quodam ſerm. *Auri cuſtos, ſeruator argenti ſecuritatem non habet, neſcit quietem.* Et Greg. in Euang. *Solæ diuitiæ veræ ſunt, quæ nos virtutibus diuites efficiunt.* Si ergo Fratres diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate, ſi culmen veri honoris quæritis, ad cœleſte regnum tendite, ſi gloriam dignitatum diligitis, in illa ſuperna Angelorum curia aſcribi feſtinate.

Tertiò ex Philoſophis, nominatim Crate, *Abite vos ò peſſimæ diuitiæ, ego vos ſubmergam, ne ſubmergar à vobis.* Bia. *Omnia mecum porto.* Senec. epiſt. 111. *Turpe eſt, beatam vitam in auro, & argento reponere.* Et Ariſt. 2. Rhet. 16. *Diuitiæ nihil ferè aliud ſunt, quam felix amentia.*

Quartò, beatitudo eſt finis hominis, in ea quippe homo quieſcit, ſic Dauid cupiebat, Pſal. 4. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Vndè de Beato cantat Eccleſia, *Obdormiuit in Domino.* In diuitiis autem non quieſcit homo, Eccleſ. 5. *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Extatque illud decantatum.

Creſcit amor nummi, quantum pecunia creſcit.

Et aliud Æn. 3.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Quintò, felicitas non eſt gratia alterius, cum ſit vltimus finis: pecuniæ autem vſui, & adiumento ſunt homini. Vndè Xenoph. *de inſt. Cyri l.* 8 inquit, *Non eos, qui plurimas pecunias poſſident, & cuſtodiunt, felices duco; nam hoc pacto, qui muros cuſtodiunt, fortunatiſſimi forent, quippè qui omnia quæ ſunt in vrbibus cuſtodiunt.* Et Boet. 3. *de conſ. pro.* 3. *Diues ſemper eſto, ſaltem præſidio, ne diuitiæ arripiantur.* Rurſus, diuitiæ ſunt corruptibiles, & amiſſibiles, & plerumque diuites ad magnam inopiam rediguntur. Inſuper ſunt homine ignobiliores, cùm ſint mixta terrea inanimata, quibus quodlibet viuens, & animatum nobilitate præſtat. Igitur in diuitiis, & pecuniis non eſt quærenda felicitas.

Nec prætereundum eſt, quod ſubdit Hieron. in Pſal. 83. *Omnis diues, aut iniquus, aut iniqui heres eſt.*

12. Aſſ. 2 in potentia, imperio, & dominio non conſiſtit beatitudo, colligitur ex Doct. cit. Probatur primò, ex ſacra pagina Sap. 6. *Potentes autem potenter tormenta patientur.* Et Pſal. 75. *Confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum.*

Secundò, ex Curt. l. 4. *Perículoſum eſt prægraue imperium, & difficile eſt continere, quod capere non poſſis.* Accedit Agrippa ad Aug. apud Dionem l. 53. *Neceſſum eſt, vt qui magnum imperium gerat, multis curis, & metibus conficiatur, voluptates minimè percipiat, moleſtiſſima atque identidem & videat, & audiat, & ſentiat.* Subſcribit Lembus in orat. funeb Guidobaldi Vrbini Ducis, *Imperiis, atque diuitiis cum fortuna, tum ſæpè caſus dominatur: parua interdum offenſione, velut grandine totius anni fruges, ſic totius vitæ omnes medius fidius commoditates auferuntur.*

Tertiò, quod ſubiacet continuæ pugnæ, perenni timori, indefeſſæque ſollicitudini, & odio, non eſt felicitas, quæ ab omnibus ærumnis, & malis eſt aliena, vt liquet ex eius definitione: poteſtas autem, imperium, & dominium ſuccumbunt illis, & ferè innumeris caſibus, doloribus, & laboribus. Ideò fiunt tot excubiæ, adhibentur tot cuſtodiæ, & munitiones, nec fides datur parentibus, nec conſanguineis. Princeps enim omnes timet, ab omnibus ſe cuſtodit, qui quærunt animam eius. Vndè referente Bruſon. *lib.* 3. *cap.* 13. Saturninus, hortantibus militibus, vt imperium ſuſciperet, ait, *Neſcitis ò milites, quantum mali ſit imperare: gladij vi ceruicibus imminent, haſtæ vndique ſpicula; ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur, non cibus pro voluntate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtudio.* Atque nonnullus Princeps, cuidam adulanti ſignificans infelicitatem, & imminens periculum Regis, poſuit enſem ſolo filo appenſum, cuius acumen erat ſuprà caput laudantis Regem: quo innuit vitam ipſius Regis à ſolo filo tenente enſem dependere. Idque experientia nos docet, qui aliis imperant, in multa incidere pericula, vt Philippus Macedo bello præſidens oculum amiſit, & poſtmodum vitam, eius Filius Alex. veneno periit, Cæſar gladio confoſſus eſt, & ſic de aliis patet in Hiſtoriis, qui in orbe terrarum dominantes, infauſto fine vitam cum morte commutarunt. Ideò non abs re ſubdit Senec. *Iſta poſuit conditor mundi Deus, odium, & regnum.* Et ſuffragatur Chryſ. *in Matt.* ſemper enim grandis poteſtas maiori timori ſubiecta eſt, ſicut ramum arborum in excelſo poſitarum, etiamſi leuis aura flauerit: ſic & ſublimes in culmine dignitatum exiſtentes, etiam leuis nuntij fama conturbat: humiles autem ſic in conualle, plurimumque in tranquillitate.

13. Aſſertio tertia, nec in honore poſita eſt ſumma felicitas. Ita Ariſtoteles 1. *Eth.* 5. nec contradicit Doct. *paſſu allegat.* Probatur primò ex Pſal. 48. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Secundò, ex Chryſoſt. in Matt. *Honoris magnitudo his qui pro digno viuunt honore, ſtimulus incipit eſſe pœnarum.* Anſelm. in ſimil. cap. 71. *Sic agunt illi, qui mundi huius honores appetunt, quomodo pueri, qui ſequuntur papiliones.* Et Senec. ad Lucilium epiſt. 82. *Abſtrahunt nos à recto diuitiæ honores, potentia, & cætera, quæ opinione noſtra cara ſunt.*

Secundò, beatitudo formalis eſt in Beato, & obiectiua eſt coniuncta cum formali, adeò vt Beatus per viſionem, & fruitionem vnitus, coniunctuſque ſit obiecto beatifico, vt ait Scot. 4. *d.* 49. *q.* 2. Honor autem non eſt in honorato, ſed in honorante, teſte Ariſt. 1. *Eth.* 5. 3. beatitudo non eſt gratia alterius, cū ſit vltimus finis,

finis, astruente August. *lib. 2. de serm. Domini in monte*: honor verò est propter alterum, hoc est in testimonium virtutis, excellentiæ, & dignitatis.

Tertiò, honor pendet ab hominum arbitrio, & voluntate, quæ est infirma, & inconstans, vt patet de Christo Domino, qui antequam pateretur ingrediens Hierusalem honoratus, & acclamatus fuit à populo, & paulò post ab eodem vociferatus, vt crucifigeretur. Hinc benè Chrysost. *in quodam ser.* perhibet, *Honores sollicitudo inseparabiliter comitatur, pompa, & fauor mundi fumus est, & aura subitò euanescens.* Nec omittendum est illud sæpè decantatum, *Honores mutant mores.*

14. Assertio quarta, nec etiam beatitudo esse quit in fama, & gloria mundi. Exhauritur ex Scot. *vbi suprà.* Prima pars de fama probatur ex Senec. in Tragœdia, lib 4.

Contemne famam, fama vix vero fauet.

Addit nonnullus, *fama quam sequimur, ventus est, fumus est, vmbra est, nihil est.* Et Virg. 4 Æn.

Fama malum, quo non aliud velocius vllum.

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Idem scribit Tertul. *Apol.* 7. Cum ergo fama sit inconstans, & mutabilis: beatitudo verò sit perpetua, & inconcussa, sane concluditur in fama non esse locandam felicitatem.

Secunda pars de gloria suadetur ex 2. Cor. 10. *Qui gloriatur in Domino glorietur.* Nihil est ergo gloria nostra, nisi ad Deum referatur, vt tradit August. *lib. 1. de serm. Domini in monte cap.* 13. & *lib* 1. *cap.* 1. *& inde.* Idque monet idem Paul. cit. *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Accedit Bern. in serm. *Non recti planè, sed peruersi animi est quærere gloriam, & non exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certant.* Nec despiciendus est Ouid 4. *Trist.* 3.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Addo, quod persæpe gloria est fucata, & inanis, redditque homines elatos, & insolentes, atque ab arbitrio, & libito hominum plerumque pendet. Igitur in gloria mundi non est statuenda summa felicitas. Fauet Boet. 3. Consol. pros 6. *Gloria, quàm fallax sæpè? quàm turpis est?*

15. Oppones primò, ex 5. Eth. 5. *Pecuniis omnia obtinentur.* Et Ecclesiast. 10. *Pecuniæ obediunt omnia:* ergo in opibus, & facultatibus consistit felicitas. Respondeo ea allata testimonia esse capienda de venalibus, & iis, quæ ab hominibus magni fiunt: non autem de virtute, & sapientia, veróque bono, quod diuitiis, & pecuniis possideri haud potest. Omne quippè aurum in comparatione illius arena est exigua. Adde, quod per dicta loca insinuatur pecunias esse media tantum ad acquirendam felicitatem, si quis benè iis vtatur, vt præstiterunt Abraham, & alij diuites gloria, & honore coronati. Hinc subdit Chrysol. serm. 121. *Abraham non sibi, sed pauperibus diues fuit, & opes non habere, sed prorogare gestiuit.* Et indicatur 4. *Eth.* 1.

16. Oppones secundò, per potentiam, & imperium homo magis accedit ad Deum, quàm per reliqua, quæ ipse valeat possidere. Ideò potentes, reges, & præsides appellantur Dij, vt legitur Exod. 13. *Diis non detrahes.* Immò dominium videtur præceptum à Deo Gen. 1. *Dominamini volatilibus cæli, piscibus maris, & bestiis terræ.* Ergo in dominio, & imperio extat beatitudo. Respondeo, quamuis dominatu homo Deo assimiletur, non tamen in eo habetur beatitudo; veluti homo per animam rationalem dicitur factus ad imaginem, & similitudinem Dei, quamquam in ea non sit beatitudo. Idipsum astruitur de imperio, ratione cuius homo propè accedit ad Deum, nihilominùs in eo non reperitur felicitas, vt ostendit secunda assertio.

17. Oppones tertiò, homines maximè appetunt honorem, & gloriam, authore Cic. pro Arch. *Trahuntur omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur, nihilque apud homines pluris æstimatur, quàm honor, & gloria.* Ob id Prouerb 15. *Fama bona impinguat ossa.* Et August. *lib. de doctrina Christiana* subiicit. *Sic Doctor bonam eligat vitam, vt etiam bonam non negligat famam.* In fama igitur, & gloria posita est beatitudo. Distinguo ant. de fama, & gloria labili, & futili, quæ dicitur mundana, nego: de fama; honore, & gloria vera, & diuina, concedo. Sic enim exaratur Psal. 115. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Addo illud 6. pol. 4. *Plerique magis lucrum quàm honorem appetunt.*

DVBITATIO II.

An beatitudo sit in bonis corporis.

18. INter bona corporis potissimùm numerantur valetudo, pulchritudo, & fortitudo, quorum meminit Doct. 4. *distinct.* 11. *quæst.* 4 Bona autem valetudo, siue sanitas consistit in æqualitate, siue proportione humorum, scribente Scot *in vtroque opere* 2. *distinct.* 11. *quæst.* 2. §. *Ad* 1. *rationem sub G* Pulchritudo ex August 22. *Ciuit. cap* 19. cit. à Doct. 4. *distinct* 49. *quæst.* 15. Est *partium congruentia cum quadam coloris suauitate.* Fortitudo est *virtus posita in periculorum aggressione; & laborum perpessione*, vt indicat Stagirita 3. *Eth.* 6. & consentit Doct. 3. *distinct.* 36. *quæst. vn.* §. *Quantum ad primum.*

19. Assertio, felicitas vera posita non est in bonis corporis prærecensitis. Tangit Doct. *prœlog.* §. *De secundo.* Et defendit Lact. *lib.* 1. *cap.* 18. Probatur primo, quæ appetitum non satiant, nec desiderium explent, non sunt beatitudinis obiectum, tale quippè obiectum explet, & prorsùs satiat appetitum. At præfata bona corporis non explent appetitum, siquidem non sunt sui gratia, sed ordinantur ad operandum. Esse enim est propter operari 2. *Cæli* 17 Etsi ea tantum homo possideret, adhuc famesceret, sitiret, & indigeret aliis necessariis ad vitam ducendam.

Secundò, vera felicitas est bonum firmum, & fixum, vt claret ex eius descriptione: prædicta verò bona sunt inconstantia, & instabilia, vt liquet Psal. 37. *Non est sanitas in carne mea.* Prouerb. 31. *Vana est pulchritudo* Iudic. 16. *Ab eo discessit fortitudo.* Idque roboratur. Nam ægritudo, cui homo subiicitur, dissipat vires, pulchritudinem euellit, & sanitatem euertit.

Tertiò, valetudo est humorum æqualitas, quæ est passio quantitatis, proindeque de genere ste.lium: vel si est proportio humorum, est formaliter relatio, quæ est minimæ entitatis. Fortitudo autem elucet in perferendis laboribus, & aggrediendis terribilibus, quæ potius mœstitiam, quam lætitiam; dolorem, quam gaudium; malum, quam bonum pariunt. Eò magis; quoniam in his homo à belluis superatur, leò quippè fortissimus, pauo pulcherrimus, piscis sanissimus, Aquila visu, lupus auditu, canis odoratu, equus velocitate, & coruus vitæ longitudine hominem vincunt; vt egregiè prosequitur August. *ser.* 34 *de verbis Domini* Denuò. corpus ordinatur ad animam, veluti materia ad formam, estque corruptibile cum iis, quæ ipsum consequuntur; vnde clamat Paulus Rom. 7 *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius!* Et Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Quare rectè subiungit August. serm 46. de Sanctis *Nemo se credat aliquam felicitatem, aut aliquod verum gaudium in hoc sæculo possidere.*

20. Oppones primò, in eo consistit beatitudo, quod per se expetitur, quia est vltima perfectio: sanitas autem per se expetitur. Per eam namque iucundamur, & lætamur: Ob id August. *lib. de bono coniugali, cap.* 22. ait, *Melius est habere Zachæi staturam contractam, &*

brevem

breuem cum sanitate, quàm Golia cum febre. Et Plato in Gorgia. *Optimum est valere, deinde pulchrum esse, & postmodum opes possidere sine fraude partas.* Addit Plut. *In salubribus praeceptis sanitas est maximè diuinum, longè blandissimum condimentum.* Si concedatur ma negaida est min. Enim verò sanitas est ad operandum. Ideò homo in ea non quiescit, præsertim quia potest esse homo sanus, pauper tamen, omniumque ferè rerum indigus, vt non semel contingit. Nec omitto illud 1. *Magn. Mor.*4. & 1. *Eth.*9. Beatus debet esse perfectæ ætatis Nec enim puer, vt pater est beatus. Idque tangitur Eph.4 *Donec occurramus in virum perfectum.*

21. Oppones secundò, pulchritudo ab omnibus amatur, dignaque iudicatur imperio. Ob id celebratur illud: Species Priami digna est imperio. Et Psalm. 44. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere, procede, & regna.* Atque de Christo Domino *ibid.* legitur, *Speciosus forma præ filiis hominum.* Et Prouerb. 31. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Respondeo quidem pulchritudinem esse præcipuum corporis ornamentum, vt constat ex illo, *Propterea decorem induit te Dominus*: nihilominus in ea non habetur beatitudo, cum sit in corpore, quod ad animam ordinari superius animaduerti, veluti hominis excellentia, & præstantia non est sita in eius statura, sed in animi nobilitate, eiusque virtutibus, & operibus gloriosis.

DVBITATIO III.

An felicitas sit in voluptate.

22. PLerique veram felicitatem collocant in voluptate corporis, & animi; in quorum numero esse Epicurum, eiusque asseclas referunt Conimbr. *disp.* 3. *Eth quæst.* 2. *art.* 3. ex Torquato apud Cic 2. *de finibus*, & Sen. *lib. de vita beata.* Et August. *lib. de vtilitate credendi ad Honoratum, cap* 4. *serm.*13. *de verbis Apostoli.* Et *tract. de Epicureis, & Stoicis cap.*4. *Tom.*6. Quidam Iudæi, teste Alphonso *l.*3. *aduersus Hær. Hær.* 2. suspicantur felicitatem positam esse in deliciis carnis, quorum fortasse meminere Salomon *Sap.*2 *Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum sit pratum, in quo non pertranseat luxuria nostra* Et Paul. Gal.6. *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem* Necnon August. *in epist. ad Rom. cap.*13. Hos sequuntur Cerinthus affirmante eodem Alph. *vbi suprà*, qui libidini deditus, malisque moribus imbutus, regnum Christi post hominum resurrectionem in concupiscentiis, & carnis illecebris futurum esse imaginatur. Adstipulantur Sarraceni, vt tangit Scot. *quæst.* 2. *prol* §. *De sexto*, expectantes, & sancientes pro beatitudine, quod porcis competit, purà gulam, & coïtum. Idque displicet Auic.9. *Met. cap.*7. tametsi ab eorum secta fortè non abhorreat.

23. Assertio. Catholicæ religionis haud in voluptate corporis, & deliciis carnis veram statuit felicitatem præsupponitur à Doct. præmemorato, & defenditur à Pelusiota 4. *Epist.* 5 Probatur primò, ex sacra pagina, Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Sap 2. Credentes in voluptate se inuenisse felicitatem, fatentur miseriam reperisse. *Ergo errauimus, & lumen veritatis non illuxit nobis* 1. Cor. 15. *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et Luc.16. *Epulabatur quotidie splendidè, mortuus est diues, & sepultus est in inferno.*

Secundò, ex PP. August. 5. *Ciuit. cap.*20. *& locis prænominatis.* Chrysol. *serm* 66. Hieron. epist. Ad Damasum Papam *Semper voluptas famem sui habet, & transacta non satiat.* Idem scribunt Ambr. *in Luc.*6. Isid. *de summo bono*, & Chrysost. *orat* 6. *de fato.*

Tertiò, ex Senec. epist. 39. *Quidam voluptatibus se immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt, & ob hoc miserrimi sunt.* Accedit Cato maior. *Malorum esca voluptas, qua homines capiuntur, vt hamo pisces.* Fauet Cic. 2. de finibus. *Nemo est dignus nomine hominis, qui vnum diem totum velit esse in voluptate.*

Deinceps, voluptas corporis obruit mentem, deprimit intellectum, tollit rationem, adeò vt quid egregium, & præclarum homo in ea immersus haud præstare valeat, authore Arist. 7. *Eth. cap.*11. Ob id rectè subiicit Saluianus 2. de Ecclesia Cath *Voluptates sunt impedimenta, non adiumenta, non subsidia, sed onera.* Præterea, vera felicitas includit summam pacem, & quietem, vt supra insinuaui: *Militia autem est vita hominis super terram* Iob. 7. Item, *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Gal. 5. Ideò August. *lib.* 2. *de serm. Domini in monte cap.*18. inquit. *Oremus, vt fiat voluntas Dei, sicut in Cælo, & in terra, quia cum corpus tanquam terra, spiritus tanquam Cælo, summa, & tota pace consenserint, non lugebimus. Nam nullus alius huius temporis luctus est, nisi cum aduersum se ista confligunt, & cogunt nos dicere, video aliam legem repugnantem legi mentis meæ, & luctum nostrum lachrymosa voce testari. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom Non ergo in voluptate posita est felicitas, vt quoque agnouit Stagir. 1. *Eth.*5. Et 8. *pol.*3. Subiicit. *Felicitas finis est, quam non cum dolore, sed cum voluptate omnes putant.*

24. Oppones primò, Arist. 10. *Eth. cap.*2. scribit, ridiculum esse ab aliquo quærere, cur delectari velit, causa est, quia vnusquisque suapte natura appetit delectationem, & 7. *Eth. cap* 11. Pueri, & bestiæ voluptates persequuntur: ergo in delectatione, & voluptate corporis, quæ est reliquis maior consistit felicitas. Conf. sicut summa infelicitas habetur in doloribus corporis, sic suprema felicitas est in delectatione, & voluptate eius. Ob id fauo mellis assimilatur in sacro codice, eamque quis aliquando expertus, cætera relinquens, paruique faciens in ea conquiescit. Respondeo, etsi omnes ferè delectentur in deliciis carnis, eiusque appetitus sit incitatissimus; tamen in ea voluptate non locatur beatitudo, cum momento tantum duret, & postmodum sequatur tristitia, atque animalia salaciora sint breuioris vitæ. Quod innuens Paulus 1. *Cor* 16. ait. *Qui fornicatur, peccat in corpus suum.* Eò magis, delectatio est passio, beatitudo verò in actione sita est, ex infra dicendis. Addo Arist. 2. *Magn. mor. cap.*7. docentem voluptates corporis esse improbandas.

25. Oppones secundò, Esa 65. *Serui mei comedent, vos autem esurietis, serui mei bibent, vos autem sitietis.* Luc. 17. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, vt edatis, & bibatis.* Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ* Et quidam ex *Matt.*19. teste Hieron *lib.*4. *in Matt.* Et *Apoc* 20. post mille annos, putant regnum Christi fore in voluptatibus sæculi, & carnis deliciis. Respondeo ea, & consimilia testimonia exponenda esse de cibo, & potu spirituali, veluti *Tobiæ* 12. Angelus Raphael ait, *Alio cibo inuisibili vescor.* Itaque dicti passus capiendi sunt non carnaliter, sed spiritualiter, vt fusè ostendit Alph. *suprà* relatus. Maximè, quia homo non est propter escam, & potum, sed econtra; ideò ait Cic. *Non vt edam viuo, sed vt viuam edo.* Et S. August. *lib.* 2. *de serm.* Domini in monte cap. 14. *Nec ideò debemus euangelizare, vt manducemus, sed manducare, vt euangelizemus* Et *cap.*25. *Quæcunque res propter aliud quæritur, sine dubio inferior est, quam id, propter quod quæritur.* Et paulò post concludit. *Si Euangelium, & regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum.*

Dubitatio IV.

An felicitas ſit in bonis animi, vel in alia re creata.

26. Cum ex ſuperioribus liquidò conſtet, felicitatem obiectiuam non eſſe ſitam in bonis fortunæ, nec corporis, ſupereſt exquirendum, & expendendum, num ſit in bonis totius coniuncti, aut in bonis animi, aut alio obiecto. Pro certo namque habetur, hominem conditum eſſe à Deo, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando fruendo poſſideret, affirmante Panigorola 2. *Quadr. ſerm. Dominica* 2. Inclinationem quippè ad bonum ſicut ad verum cognoſcendum eſſe in homine, nec fruſtrà haberi, omnes nedum Catholici, verumetiam Ethnici planè agnoſcunt.

27. Not. in homine quaſdam eſſe vires, & facultates materiales, quæ potentiæ totius coniuncti nominantur, vti ſunt ſenſus externi, & interni: quaſdam verò eſſe ſolius animæ rationalis, puta intellectum, & voluntatem. Iterum obſeruo res creatas vel eſſe ſimplices, & ſpirituales, cuiuſmodi ſunt Angeli: vel eſſe compoſitas, & materiales, vt elementa, & cætera, quæ in vniuerſo continentur, de quibus generatim, & ſpecialim egi abunde *in Phyſ.*

28. Aſſertio prima, vera felicitas non eſt in potentiis ſenſitiuis, & materialibus, nec in ſpiritualibus, & immaterialibus. Deducitur ex Scot. 4. *diſtinctione* 49. *quaſtione* 8. & *ibid quaſt. prima, & ſecunda* in duas ſcinditur partes. Prima pars probatur primò, ex Aug. 1. *de ſerm. Domini in monte, cap.* 8. *In homine præcipuum, & excellens imperat cæteris, non verò, quæ ſunt nobis, & belluis communia.* Veluti ſunt potentiæ, & vires corporeæ. Et *ibid. cap.* 9. *Merces veſtra, quæ inconcuſſa, & æterna eſt, in rebus volubilibus, & temporalibus non eſt collocanda.* Potentiæ autem ſenſitiuæ ſunt volubiles, & corruptibiles, in his ergo non eſt veranda beatitudo.

Secundò, huiuſmodi potentiæ ſunt defectibiles, & perfectibiles, vt dixi 4. *de anima*: beatitudo autem eſt *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Deinde non explent noſtrum appetitum. *Non enim ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Eccleſ. 1. Et *Sanguiſuga duo ſunt filiæ, puta iraſcibilis, & concupiſcibilis, quæ dicunt ſemper affer, affer*, Prouerb. 30. Nequit igitur in iſtis reperiri vera felicitas, vt quoque concludit Ariſtot. in *Eth.* 9. Secunda pars probatur primò ex Auguſt. *lib de natura boni contra Manich. cap* 7. *In rebus à Deo factis, tam magnum bonum eſt natura rationalis, vt nullum ſit bonum, quo beata ſit, niſi Deus* Secundò, tales potentiæ multis ſunt obnoxiæ defectibus, & erroribus, intellectus quippè plerumque errat, nec quieſcit in cognoſcendis rebus creatis; ideò Eccleſ. 1. *Qui addit ſcientiam, addit laborem*: voluntas verò malitiæ ſuccumbit, nec in appetendo, & volendo res creatas ſatiatur, vnde Dauid harum moleſtiis affectus Deum alloquens ait, Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Rurſus, nutante Auguſt in c. 25 Iob. *Quemadmodum bona temporalia communia ſunt piis, & impiis, ità intellectus, & voluntas ab eiſdem participantur. proindèque haud in hiſce quærenda eſt felicitas.*

29. Aſſertio ſecunda, in nulla re creata, quæcumque illa ſit reperitur ſummum bonum. Traditur à Scot. 4. *diſt.* 49 *quaſt.* 1 §. *Ad* 1. *q.* & §. *De ſecundo.* Probatur 1. Eccleſ. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & afflictio ſpiritus.* Pſal. 143: *Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius velut vmbra prætereunt* 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, nec ea quæ ſunt in mundo.* Et ibid. *Quidquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Secundò, ex Auguſt. *lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte c.* 2, & *l.* 2. *eiuſdem operis, c.* 21, Et *in epiſt. alleg. Ioan. Mundus tranſit. & concupiſcentia eius. Quid vis? vtrum amare temporalia, & tranſire cum tempore, an Chriſtum amare, & in æternum viuere.* Et Bern. ſerm. de Dedicatione. *Auida mens hominis poteſt rebus creatis occupari, ſatiari non poteſt*, & Ariſtot. 2. pol. 5. *Infinita eſt cupiditatis natura*: ergo capacem animam, quidquid Deo minus eſt, non implebit. Tertiò, felicitas eſt bonum perfectum, nulla autem creatura eſt perfectè bona, quia *nemo bonus, niſi ſolus Deus*, Luc. 14. Inſuper, anima eſt capax infiniti, poteſt enim intelligere infinitum, illudque amare, ergo quocumque finito dato, non explebitur eius deſiderium, veluti materia prima, quacumque forma in ea recepta, retinet ſemper appetitum habendi alias formas, vt dixi in Phyſ *quaſt. de materia* Denique, etſi appetitus rerum habendarum placeat, experientia tamen diſplicet, vt ex Greg. 36. *Mor.* latè proſequitur Paulus Aretius *lib.* 3. *ſuorum operum.*

30. Aſſertio tertia, in Deo tantùm reperitur vera felicitas, & perfecta beatitudo. Defenditur ab eodem Doct. *vbi ſuprà.* Probatur primò, Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum.* Pſalm. 32. *Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius.* Pſalm. 82. *Beati, qui habitant in domo tua Domine.*

Secundò, ex Dionyſ. *de cæleſti Hier. cap* 10. Et Auguſt. *lib. de natura boni contra Manich. cap.* 7. & lib. contra Adimantum ante cap. 19. *Tota beatitudo in ſolo Deo inconcuſſa figitur.* Idem in ſoliloquiis, *capite* 1. *Tom* 9.

Tertiò, Deus eſt, quo maius excogitari non poteſt, ex Anſel. in Monol. *Infinitum, independens, continens omnia bona, præſertim diuitias, & gloriam.* Pſalm. 111. *Gloria, & diuitiæ in domo eius.* Honorem, & gloriam. Pſalm 8. *Gloria, & honore coronaſti eum.* Principatus, & dominia, Pſal 44 *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Sapientiam, & ſcientiam. Col. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Idem videtur tradere D. Thom 1. *part. quæſtione* 36. *artic.* 3. Et egregiè Aug. *Tract.* 10. *in epiſt. Ioan. ad medium.* Atque Cic. 5. *Thuſc.*

31. Opponés primò, in cognitione, ſiue viſione, & fruitione obiecti beatifici conſiſtit vera, & integra beatitudo, vt vnanimiter, & concorditer tenent Scholaſtici 4. diſtinctione 49. Deus autem non videtur, nec poteſt videri, nec poſſideri à nobis. 1. Ioan 4. *Deum nemo vidit vnquam, nec videre poteſt.* Confirm. ille eſt beatus, qui habet perfectè Deum: nullus autem habet perfectè Deum, niſi qui eum perfectè amat, & Deus non poteſt perfectè amari, quia non poteſt perfectè cognoſci 1. Ioann. 4. *Deum, quem non vides, quomodo poteſt diligere.*

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo min. in hac vita, concedo: in alia verò vita, quam ſperamus poſt vniuerſalem reſurr. nego. Per idem patet ad confirm. nemo quippè in hoc ſæculo poteſt eſſe beatus, vt oſtendunt, quæ ſunt in præcedentibus dubitationibus contrà Begardos, & Beguinas citat. ab Alph. *vbi ſuprà her* 4. & 5. Quod explicitè litteris conſignat D. Paulus 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

32. Opponés ſecundò, inter beatum, & obiectum beatificum debet eſſe aliqua proportio, veluti inter cognoſcentem, & cognitum, amantem, & amatum: inter Deum autem, & hominem nulla intercipitur proportio, cùm Deus ſit infinitus, & illimitatus, homo verò finitus, & limitatus. Non ergo Deus eſt hominis beatitudo obiectiua. Concedo ma. diſtinguo min. de proportione geometrica, concedo: de proportione intelligentis ad intellectum, videntis ad viſum, nego, vt aſtruit Doct. 4 cit. *quaſt.* 11. §. *Reſpondeo C.*

33. Oppon. Ariſt. 1 *Eth* 8 & 7. *pol. c.* 1. aſſerit, ad felicitatem neceſſaria eſſe bona externa, in quorum numero

ſunt pecuniæ : at ſi Deus foret obiectum beatificum, non requirerentur diuitiæ, cum Deus ſit diues in omnibus, qui inuocant eum. In Deo igitur poſita non eſt felicitas.

Reſpondeo Ariſtotelem verba facere de felicitate ſecundum quid, nempè hominis Politici, qui à Republica maximè honoratur, eique præeſt, ad cuius gloriam, & magnificentiam tuendam, ipſam Remp. & propellendos hoſtes eius plurimum iuuant bona externa, & potiſſimum diuitiæ, vt declaratur 1. *Magn. mor. cap.* 9. & 7. *Eth. cap.* 13. Secus verò ſi ſermo fiat de felicitate ſimpliciter, quæ in his non eſt poſita, vtpotè quæ à caſu, & fortuna non pendet, ſed à virtute, & ſapientia, quæ magis elucent in aduerſis, quam in proſperis, vt arguunt Stoïci contra Peripateticos memoratos à Conimbr. *diſp.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 1. Nec hæc reſponſio pugnat Ariſtoteli ſtatuenti 10. *Eth.* 8. beatitudinem in contemplatione ſubſtantiarum abſtractarum, quarum prima, & ſuprema eſt Deus. Quare rectè Auguſt. 3. *contrà Maximum, capite* 23. ſubiicit. *Non te facit bonum, nec beatum, niſi bonum immutabile quod ſolus eſt Deus. Nam bonus Angelus, bonus homo, bona cætera creata, hæc non ità bona ſunt, vt ea quiſque adeptus fuerit, ſit beatus, nec vlla eſt beata vita, ſi non ſit æterna.*

ARTICVLVS III.

De beatitudine formali.

34. MVlta peruestigantur, & pertractantur de beatitudine formali a Doctor & aliis Scholaſticis 4. *diſtinctione* 49. quæ diſtinctionis gratia in proximas dubitationes diſtribuo, vt præſtiti *in præcedente artic.*

DVBITATIO I.

An beatitudo formalis ſit in operatione.

35. HÆc difficultas agitatur de beatitudine non ſolùm creata, ſed etiam increata. Itemque nedum de naturali, ſed etiam de ſupernaturali. Et quidem communis opinio Philoſophorum 1. *Eth.* 7. & 10. *eiuſdem operis cap.* 6. (quamuis vt aduertit Scot. *paſſu nunc alleg. quæſt.* 1. *ante* §. *Ad quæſt. ſub H.* Philoſophi non attigerint in quo obiecto, vel ſub qua ratione ſit beatitudo) ſtatuit eam in operatione. Solum lego apud Raconium *Tract.* 3. *Mor. diſp. vn. quæſt.* 1. *artic.* 3. citantem Capr. 3. *diſput.* 13. *quæſt.* 1. referentem Ioannem de Rippa exiſtimare beatitudinem formalem conſiſtere in viſione increata, quâ Deus ſeipſum videt, & contemplatur. Oppoſitum autem defendunt omnes Doctores præallegati, arbitrantes beatitudinem formalem inhærere in eo, qui formaliter eſt beatus.

36. Not. primò, beatitudinem aliam eſſe viæ, aliam verò patriæ. Beatitudo viæ eſt, quæ habetur, aut haberi poteſt in hoc ſæculo, & duplex eſt, vna vera, & altera falſa. Vera eſt, quæ conſiſtit in cognitione, & dilectione Dei, ſeruando eius præcepta, & ferẽdo libenter, & patienter labores, doloreſque præſentis vitæ. Sic ait Chriſtus Matt. 5. *Beati, qui lugent, quoniam conſolabuntur.* Et Ioan. 7. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te.* Ideſt, interprete Alphonſ. 3. *aduerſus Her. verb. beatitudo, hær.* 4. *Via ad vitam æternam.* Idque tradunt Cyril. *lib. de fide ad Reginas*, & alij ab Alph. alleg. Falſa beatitudo eſt, quæ in aliquo obiecto creato locatur ex prænominatis *in antecedente art.* Beatitudo patriæ eſt ſumma, & vltimata perfectio, quæ haberi poteſt à creatura intellectuali: & hæc diuiditur à Doct. *nuper memorato* §. *De ſecundo. AA.* in beatitudinem ſimpliciter, & ſecundum quid, illa eſt perfectio ſecunda immediatè coniungens obiecto extrinſeco perfectiuo nobiliſſimo. Hæc verò coniungit obiecto perfectiuo minus nobili. Iterum beatitudo ſimpliciter accipi poteſt pro coniunctione ad extrinſecum perfectiuum, vel pro fundamento proximo eius coniunctionis : ea eſt relatio, iſta verò operatio de genere qualitatis, vt ſcribit Doct. *vbi ſuprà,* §. *Ad argumenta in ſolutione* 4. *EE.*

37. Not. ſecundò, ex eodem Scot. *ibid.* §. *De ſecundo Y.* pro certo haberi apud Philoſophos, beatitudinem eſſe bonum ſufficiens, excludens omnem defectum, & indigentiam. Itemque bonum pefectum, & completum, ab omni imperfectione, & diminutione alienum. Pariter bonum vltimatum abſque vllo reſpectu, & ordine ad aliud melius, & perfectius bonum. Deinceps bonum, quo habito completè bene eſt habenti. E regione miſeria eſt completa indigentia, & carentia perfectionis ſecundæ, diminutioque boni ſecundi, & excluſio eius, quod per ſe amatur, cum habetur. Denique miſeria eſt, qua miſero completè malè eſt ipſam habenti.

38. Aſſertio prima, felicitas non extat in viſione Dei increata. Deducitur ex Doctore *loco prærecenſito.* Probatur primò, felicitas debet inſidere in eo, qui formaliter eſt felix, *ex* 1. *Eth.* 13. veluti albedo debet eſſe in eo, qui formaliter eſt albus : viſio autem increata non eſt in beato, ſed in Deo. Igitur per dictam viſionem homo formaliter non eſt beatus.

Secundò, quod realiter, & formaliter mouetur, debet aliquid recipere, quia mutatio eſt receptio alicuius de nouo in ſubiecto, quod prius non erat, vt dixi *in Phyſ. lib. de motu.* Homo autem de non beato fit beatus per beatitudinem in ipſo receptam, quæ nequit eſſe viſio increata, quæ non eſt receptibilis in ſubiecto, cum non ſit accidens.

Tertiò, omnes eſſent æqualiter beati, quia ea viſio increata eſt infinita, ſemperque eodem modo ſe habet. Quare opinio Ioan. de Rippa eſt ſingularis, & à communi placito diſcedens, veluti ea de proprietatibus, conſtitutiuis diuinarum perſonarum, quas ille putat eſſe abſolutas, vt citant Marginiſtæ Scoti 1 *diſt.* 26. *quæſt. vn.* §. *Tertia opinio.* Doct. tamen *ibid.* excuſat eum ab errore, & hæreſi, eiuſdemque opinionem oſtendit eſſe probabilem, & veriſimilem.

39. Aſſertio ſecunda, beatitudo formalis conſiſtit in operatione beati. Tenet Doct. præcit. & probat primò, in vtroque opere multis locis Ariſtotele præſertim 1. Eth. c. 8. & 9. *Felicitas eſt operatio optima* Et 10. eiuſdem operis, c. 8. *Dij, qui ſunt feliciſſimi dormiunt, ſed operantur.* 2. pol. 3. & 2. *Magnorum mor* c. 10. Necnon 12. *Met* c. 6. T. 61. *Si non intelligat, quid vtique inſigne erit ei, & venerabile, ſed ſe habeat, ſicut dormiens.*

Secundò, Auguſt. 1. *de doctrina Chriſtiana* c. 6. ait, felicitatem ſitam eſſe in fruitione, quæ eſt operatio voluntatis. *In exp. epiſt. ad Gal. prope finem, lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte, cap.* 33. Cum enim beata vita actione, & contemplatione compleatur, actio facultatum, virium, & cõtemplatio manifeſtationem rerum deſiderat.

Tertiò, Ariſtot. 1. Cæli 17. *Eſſe eſt propter operari* : creatura ergo intellectualis cum ſit propter operationem perfectiſſimam, quæ eſt beatitudo, condita eſt, tum quia viuentia ſuperant non viuentia, gradu vitæ, & intellectualia vincunt rationis expertia, gradu vitæ intellectualis, quæ poſita eſt in operatione, ſcilicet intellectione, & volitione : tum quia felicitas viæ locatur in operatione, vt patet ex octo beatitudinibus à Chriſto Domino relatis, & explicitis, *Matt.* 5. Idipſum quoque aſtruendum eſt de beatitudine patriæ. Tum quia beatitudo eſt coniunctio creaturæ intellectualis cum ſuo optimo, quod per operationem attingitur. Tum etiam quia

expectatus

expectatur à vobis æterna vita, eo modo, quo eam Angeli participant. Matt. 22. *Sunt sicut Angeli Dei in Cælo.* Angeli autem beantur per operationem. 1. Petri 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Et Matt. 18. *Angeli eorum vident faciem Patris.* Et 1. Cor. 13. *Tunc autem facie ad faciem*

40. Opponea primò, beatitudo est cumulus omnium bonorum, & aggregatio omnium perfectionum, vt constat ex August. 13. Trin. 5. *Beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil male vult.* Et Boët. 3 cons. prol. 2. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Pleraque autem alia sunt bona, præter operationem: non ergo felicitas posita est in operatione. Hæc oppositio non probat directè felicitatem non consistere in operatione, propterea Scot. *in Repor* eam omittit consultò. Vel dicito Beatum gaudere omnibus bonis, quia attingit Deum per operationem, in quo sunt omnia formaliter, aut eminenter.

41. Oppones secundò, beatitudo est vnio, siue coniunctio formaliter beati, cum obiecto beatifico, vt supra patuit asser. 2. vnio autem, siue coniunctio est relatio, & operatio est entitas absoluta de genere qualitatis: ergo, &c. Conf. absolutum potest existere absque relatione in eo fundata, quia est ea prius, & omne prius vt prius potest esse absque suo posteriori. Cùm ergo operatio sit ens absolutum, esse valebit sine illa relatione, sicque erit beatitudo absque obiecto beatifico, & beatus absque vnione, & attingentia obiecti beatifici. Respondeo vnionem esse medium quo beatus coniungitur cum obiectu beatifico, siue vt ait Doct. *passu alleg. in Rep. in fine q.* 1. causaliter; est enim prædicatio causalis, consistitque in operatione vltimata, quæ est proximum fundamentum dictæ vnionis. Ad conf concedo ant. ad conseq. dico beatitudinem intrinsecam, quæ posita est in operatione designare terminum, siue obiectum beatificum, & concomitanter denotare illam vnionem, quæ cum sit relatio extrinsecus adueniens, non consurgit, nisi extrema approximentur.

42. Oppones tertiò, beatitudo est permanens; Ob id dicitur status perfectus, operatio verò est transiens, siue in fieri, in operatione ergò non reperitur beatitudo. Conf. 1. agens non est perfectus per suam operationem producendo aliquem effectum: beatitudo autem est optima perfectio beati: ergo, &c. Conf. 2. beatus recipiens beatitudinem mutatur, de non beato quippe fit beatus: agens autem vt agens non mutatur *ex 3. Phys.* tis 9. Conf. 3. beatus non est causa suæ beatitudinis, alioqui se ipsum beatificaret; est autem causa effectrix suæ operationis, ergo, &c. Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem de operatione, seu actione de genere actionis concedo: de operatione, seu actione de genere qualitatis, veluti est operatio, de qua hîc disserimus, nego. Ad 1. conf. distinguo maiorē, de perfectione essentiali, concedo: de perfectione accidentali, nego. Ad 2. conf. idem est dicendum. Ad 3. dico ad beatificandum duas exigi causas, vnam beati, & alteram Dei beantis. Beatus autem est causa partialis suæ beatitudinis formalis, & intrinsecæ, non verò est causa totalis, vel partialis beatitudinis extrinsecæ, & obiectiuæ.

43. Oppones quartò, habitus est perfectior, & nobilior operatione, tum quia est diuturnior, & permanentior actu; bonum autem diuturnius est melius, bono parum durante *ex 3. Top* 1. Tum etiam quia habitus est causa actus, ideò habens habitum promptius, facilius, & delectabilius operatur: atque causa est nobilior suo effectu, ergo, &c. Respondeo ex Doctor. cit. *FF. & SS.* negando ant. Actus namque cæteris paribus, est perfectior habitu, quia per ipsum attingitur obiectum beatificum. Dixi cæteris paribus, quia fieri posset, vt habitus foret ita intensus, & actus sic remissus, vt habitus vinceret actum. Ad testimonium Arist. dico exponendum esse cæteris paribus, vt patet legenti textum eius, *Quercus n. nec coruus longæui non præstant homini*: præsertim in re nostra, in qua actus est æque permanens ac habitus. Ad aliud, quod subditur, dico esse verum de causa totali, non verò de causa partiali, cuiusmodi est habitus.

Dvbitatio II.

An felicitas sit in essentia, vel in potentiis animæ.

44. Hent. *Quol.* 13. relatus à Scot. 4. *distinct* 49. *quæst.* 2. & *in Rep. ibid. quæst.* 1. putat beatitudinem formalem esse in essentia beati, & in eius potentiis, & quidem in essentia principalius, & immediatius: in potentiis verò minus principaliter, & mediatè, siue per redundantiam, hoc est ea essentia beatitudo redundat in potentiis, eo fere pacto, quo beatitudo animæ redundat in corpore. Addit præterea perceptionem felicitatis immediatius esse in potentiis, quam in essentia animæ, propterea quod amor est quædam transformatio in rem amatam, vt cum Dionys. *de cælesti Hierarchia* 7. tradit Hugo Victor. *in eius com.* Per amorem enim quispiam se ipsum despicit, transformatque se in alterum, quem diligit. Itaque secundum Hent. Deus per circumincessionem, siue per illapsum est in creatura, per quem ipsa creatura quasi deificatur, veluti carbo ignitus fit quasi ignis. Oppositum autem docent Scot. cit. & cum eo cæteri Scholastici tam prisci, quam neoterici, nominatim Vasquez 1. 2. *disputatione* 8. *cap.* 1. & Raconius *disputatione vn. de beatitudine, quæstione* 1. *art.* 3. *supposito* 2. defendentes beatitudinem formalem immediate, & proximè esse in potentiis.

45. Not. 1. ex Doctor. *vbi suprà* §. *Ad quæstionem ergò. I.* & §. *Ad argumenta. O.* perfectionem esse duplicem, vnam essentiæ, & alteram potentiæ, perfectio essentiæ prior est perfectione potentiæ, veluti essentia præcedit potentiam, illa est essentialis, pertinetque ad actum 1. hæc verò accidentalis, estque actus 2. siue operatio, in qua consistere felicitatem asserui in superiori dub. sunt autem hæ perfectiones alterius ordinis, respiciuntque diuersa perfectibilia. Illa est nobilior in suo ordine, idest in serie primorum actuum: hæc verò eminet cæteris actibus 2. Felicitas quippe simpliciter non est perfectio nobilissima, sed secundum quid, puta in genere actuum secundorum, *vt scribit* Doct. cit. §. *proxime alleg. O.*

46. Not. 2. *ex* 2. *dist.* 16. *quæst. vn.* potentias animæ non esse ipsam animam formaliter, nec esse accidentiá realiter ab anima, & inter se distincta, sed formaliter abinuicem, & ab anima differre, quæ est earum fundamentum, & radix, à qua pullulant, & promanant, vt dixi *l.* 2. *de anima. quæstione* 4. Quare essentia animæ non est idoneum, & immediatum subiectum receptiuum operationum, veluti truncus arboris non producit immediatè flores, nec fructus, sed eius rami sunt eorum causæ immediatæ effectrices. Pariter homo non est visiuus immediatè per corpus, vel animam, vel tertiam entitatem, sed per potentiam visiuam, vt clarè edisserit Doctor *vbi supra* §. *Ad istam* 2. *sub M.* & *in Rep. ibid.* §. *præter hoc.* Maius bonum est animæ videre Deum per intellectum, quam per essentiam, quia videre non est natum esse bonum eius, nisi per intellectum. Sic non est natum esse eius bonum habere obiectum beatificum, vt beatificum, nisi per potentiam attingentem ipsum per operationem.

47. Assertio, beatitudo formalis subiectatur immediatè in potentiis, non verò in essentia animæ rationalis; tenet Doct. *passu alleg.* Probatur 1. felicitas formalis consistit in operatione, vt monstraui in præeunte dub. operatio autem non residet immediatè in essentia, sed in potentia, vt intellectio in intellectu, & volitio in voluntate, *ex 2. de anima 6. & 9. Met.* 10. ergo, &c.

Secundò, essentia animæ præcisis potentiis, non est operatiua; non enim anima est formaliter intellectiua, & volitiua, sed per intellectum, & voluntatem, veluti corpus animatum non operatur, nisi per organa, videt enim per oculum, audit per aurem: immediatum autem susceptiuum visionis non est corpus, sed oculus: pariter ergo subiectum idoneum immediatum receptiuum beatitudinis formalis non est essentia animæ, sed eius potentiæ.

Tertiò, totum non est aptum subiectum, & immediatum receptiuum qualitatis, nisi mediante quantitate, ratione cuius dicitur recipere reliqua accidentia; Ista namque nuncupatur subiectum quo, istud verò subiectum quod, vt alibi fusè explicui, & probaui. Similiter anima non est conueniens, & subiectum immediatum capax beatitudinis formalis, nisi per ipsius vires, & facultates, quæ datæ ipsi sunt ad agendum, & recipiendum perfectiones sibi congruas. Adde, quod ille illapsus excogitatus ab Henr. pertinet ad actum 1. vt probat Doct. *vbi suprà*; homo autem est beatus per actum 2. quo coniungitur cum obiecto beatifico, alioqui dormiens foret beatus, vt arguit Arist. nuper alleg. Immò ipse Henr. fatetur hominem beatificari per amorem, qui est actus 2. & operatio in voluntate immediatè inhærens. Demum miseria, quæ opponitur beatitudini, non residet immediatè in anima, vt suadet Doct. memoratus §. *Ad istam q. H* & suffragantur Philosophi ab eo alleg. *ibid.* ergo idipsum astruendum est de beatitudine formali.

48. Oppones primò, Nobilius perfectibile poscit nobiliorem perfectionem vt liquet in rerum ordine naturali, in quo nobiliores naturæ gaudent nobilioribus perfectionibus: & in morali, in quo iustitia distributiua præbet maius, & nobilius præmium præstanti maiora, & nobiliora opera virtutis, quàm alteri, qui minora, & depressiora opera exercet; essentia autem animæ est nobilior perfectibilis, quam eius potentiæ, quoniam illa est substantia, hæ verò accidentia. Substantiam autem nobilitate vincere accidens, legitur 7. *Met.* 1. Cum igitur beatitudo sit nobilior perfectio creaturæ intellectualis, aptè deducitur beatitudinem principalius, & immediatius in essentia, quam in potentiis animæ insidere. Conf. à priori fit illapsus in posterius, obiectum autem beatificum prius illabitur in essentiam, quam in potentias, quia in his est per redundantiam. Concedo maiorem, distinguo minorem: in ordine perfectionum essentialium, & in actu primo, concedo: in ordine perfectionum accidentalium & in actu 2. nego. Beatitudo autem formalis est actus 2. & eminet inter actus secundos ex Doct. cit. §. *Ad argumenta O.* Ad conf. dico maiorem valere de actu 1. non verò de actu 2. illapsus autem si quis sit vniuersalis, vel particularis naturæ rationali, spectat ad actum 1. qui esse valet absque actu 2. non è contrà, scribente Scot. præadducto §. *Ad istam 2. sub A.*

49. Oppones secundò, quidquid est immediatum susceptiuum accidentis, si posset per se esse, & ab omni alio separatum existere, posset illud immediatè recipere, vt liquet de quantitate, quæ immediatè est receptiua albedinis, quæ seiuncta à substantia materiali potest immediatè eam recipere, vt fit quotidie in sacrosancta Euch. Si ergo potentia immediatè recipit beatitudinem, si separetur ab anima, vtique eam reciperet, proindéque foret potentia beata sine anima, quod falsum, & absurdum est. Conf. in eo immediatè subiectatur beatitudo, in quo inhæret immediatè eius præuia dispositio, gloria quippè est gratia consummata: præuia autem dispositio felicitatis, quæ est gratia, sedem suam habet in essentia, & ex ea redundat in potentiam, sicut gloria animæ in corpus eius: ergo, &c. Concesso ant. ad consequentiam dico, instantiam valere apud illos, qui sentiunt potentias animæ esse accidentia, & realiter ab anima, & abinuicem distinguere: non autem apud nos, qui tuemur potentias animæ realiter identificari cum ipsa, & formaliter distingui, proindéque esse ab eadem inseparabiles. Eò magis, data consequentia, nullum sequitur inconueniens, nam quantitas habet albedinem etiam à substantia corporea seiuncta. Idque tradit Doct. *vbi suprà. §. Ad quæst sub L.* Ad conf. concedo maiorem, nego minorem. Gratia enim est immediatè in voluntate, quæ sola potest dici grata formaliter, solaque elicere actum gratum, & meritorium, vt notat Doctor. citat. §. *Ad istam a. G.*

50. Oppones tertiò, si felicitas immediatius, & principalius est in potentia, quam in essentia, natura intellectualis foret beata per accidens, veluti lignum est calidum per calorem in ipso receptum. Hoc autem videtur inconueniens, quia beatitudo est perfectio nobilissima: ergo beatitudo immediatius est in essentia, quàm in potentia. Concedo seq. ma. Etenim natura beatur per operationem, quæ est accidens, vt ostendi in ant. dub. Non autem per accidens, si sumatur per accidens medium accidentaliter ipsi coniunctum, & inordinatum, vt musicus albus; sic enim accidens accidenti non accidit. 4. *Met. cap.* 4. & explicat Doctor. *alleg. §. Ad quæst. ergo N.*

DVBITATIO III.

An beatitudo consistat simul in pluribus operationibus.

51. Richardus 4. *dist.* 49. *quæst. 6. art.* 1. S. Bon. *ibid q.* 5. & Alen. 2 *p. q.* a 1. *m.* 1. collocant formalem felicitatem simul in operationibus intellectus, & voluntatis: Scot. autem *ibid. q* 3. Th. eadem *d. q.* 1. *in sol.* 2. quæstiunculæ, & vtriusque asseclæ potissimùm felicitatem in vna tantum operatione sitam esse arbitrantur.

52. Not. 1. ex Doct. præcit. §. *Ad quæst. A.* beatitudinem bifariàm vsurpari. 1. pro aggregatione omnium bonorum ad ipsam pertinentium, sicque beatitudo non est in vna operatione, quandoquidem omnis potentia animæ suo modo potest attingere obiectum beatificum, & quidem intellectus per visionem, & voluntas per fruitionem, atque totus homo est beatificabilis, vt infrà patebit. 2. pro consummata perfectione, & operatione vltimata, qua simpliciter, & absolutè benè est beato, & ita beatitudo statuitur in vna operatione duntaxat. Vt enim obiectum beatificum vnum est re, & ratione, in quo tanquam in extrinseco perfectiuo est huic naturæ benè, perfectéque, & non nisi quatenus attingitur ab hac natura simpliciter immediatè per operationem, ita operatio vna est duntaxat circa illud obiectum.

53. Not. 2. *ex eodem ibid. A.* potentiam attingere obiectum beatificum immediatè, dupliciter posse intelligi. Aut enim ly immediatè excludit medium eiusdem ordinis in attingendo obiectum in suo ordine, sicut potentia dicitur immediatè attingere

tingere obiectum præsens per suam operationem, hoc est non per aliud medium, quam per ipsam operationem. Aut ly immediatè excludit medium alterius rationis, & ordinis, hoc est, nihil extat, eo immediatius, perfectius, & intimius attingens obiectum beatificum. Hæc distinctio illustrari potest exemplo de causa 1. & 2. quæ immediate attingunt idem passum, adeò vt neutra causa agens in passum sit medium, per quod alterum attingat communem effectum, licet prima causa immediatius, hoc est intimius, & perfectius eum attingat, cum tota attingentia causæ secundæ, sit in virtute causæ primæ independenter agentis. Pariter intellectus, & voluntas quidem immediatè attingunt obiectum beatificum, diuersimodè tamen. Nam intellectus videndo, & voluntas fruendo. Itemque intellectus initiatiuè, & voluntas complectiuè, & quietatiuè. Siquidem natura intellectualis non in sola visione obiecti beatifici quiescit, sed vlterius tendit, nempe vt voluntate eo fruatur.

54. Assertio, beatitudo formalis intensiua, & completiua in vnica consistit operatione. Ita Scot. prænominatus. Suaderi potest 1. *Psal.* 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* 2. Damasc. 2. fidei cap. 11. *Cæterum sine sollicitudine, ac cura, vnum opus haberemus, quod Angelorum est laudare indefesse & assiduè Deum.* Idem innuit August. *in Psal.* 86. *&* 147. Accedit Arist. 1. *Eth.* 7. & 8. *&* 13. felicitas est operatio optima, secundum optimam virtutem, & in vita perfecta. Secundò, in quouis ordine datur vnum primum & vltimum, quod reliqua præit, & præcellit, in quo statur, nec vlterius proceditur, 2. *Met.* 2. Ob id omnes Peripatetici admittunt vnam primam causam, primum motorem, primam materiam, vltimum finem, siue intrinsecum, & formalem, siue extrinsecum & obiectiuum. Ergo in genere, & ordine operationum beatificantium, datur vna operatio, in qua intensiuè sistit beatus 4. *ex* 8. *Met. cap.* 5. Species sunt sicut numeri, idest, vna species est perfectior altera per differentiam perfectiorem constituta, vt licet intueri in cunctis differentiis generum diuisiuis, & specierum constitutiuis, de quibus. *in Epit. articulo de differentia.* Ergo in serie operationum beatificantium vna est excellentior alia, in qua vltimatè beatus quiescit. Quarò, quæ perfectius & intimius attingit obiectum, est præstantior, & nobilior, vt suprà tetigi: operatio autem voluntatis perfectius, & intimius attingit obiectum beatificum, per eam quippè complete, & perfectè bene est beato, nec vltra tendit, vt monstrabitur *in proxima dub. Hinc Ansel. lib. cur Deus homo cap.* 1. subiicit, *Ordo peruersus est, velle, vt intelligas, potius enim intelligere, vt velis, diligas, & fruatur.*

55. Oppones primò, beatitudo locatur in vnione, & coniunctione beati, cum obiecto beatifico, vt *supra* patefeci; non solum autem beatus vnitur cum dicto obiecto per actum voluntatis; sed etiam per actum intellectus, hoc est, per visionem, & fruitionem: ergo in vtroque actu simul posita est beatitudo. Respondeo quidem per vtramque operationem beatum beatificari, cum hoc tamen ordine, & discrimine, nempe perfectius, & intimius per operationem voluntatis, quam per operationem intellectus.

Oppones secundò, cui conuenit moueri ad terminum acquirendum, vtique competit in termino quiescere: atqui tam intellectus, quam voluntas tendit ad obiectum beatificum tanquam vtriusque terminum: ergo in vtraque operatione habetur beatitudo. Respondeo etsi propriè tendere in terminum conueniat potentiæ appetitiuæ, siue sensitiuæ, siue intellectiuæ, vt notat Doct. vbi suprà; tamen admissa ma. Distinguo min. Æque perfectè, & intimè, nego: inæqualiter, & dispariliter, concedo. Etenim perfectius, & intimius voluntas, quam intellectus fertur in obiectum beatificum,

56. Oppones tertiò, eodem, parique modo philosophandum est de pluralitate formarum exacta ad actum 1. ac ad actum 2. Sed ad actum 1 naturæ beatificabilis plura requiruntur, putà intellectus, & voluntas: ergo id ipsum astruendum est de felicitate in actu 2. Confirmatur: natura non potest perfectè, & integre beatificari, si aliquid ei desit beatificandum: at si penes omnes potentias, & operationes non beatificaretur, restaret adhuc aliquid beandum: intellectus autem beatificatur per visionem, & voluntas per fruitionem. Nec beatitudo est perfecta, & completa, nisi homo beatificetur in anima, & corpore. Igitur in multis operationibus sita est felicitas. Concedo ma. distinguo min. æqualiter, nego, inæqualiter, & quodam ordine, concedo. Quemadmodum enim interuenit ordo inter potentias beatificabiles, vnaque præit aliam: pariter operationes sunt ordinatæ, ita vt prior sit operatio intellectus, & posterior operatio voluntatis, in qua tanquam perfectiori, & nobiliori complectiuè extat felicitas: cuiusmodi sunt formæ subordinatæ, quarum vltima tribuit complementum essentiale composito, vt dicitur *lib. 2. de anima.* Ad conf. dico id valere de beatitudine extensiua; non autem de intensiua, quam nunc pertractamus.

57. Oppones quartò, August. 13. Trin. 5. *Beatus est, qui habet quidquid vult*; beatus autem nedum vult fruitionem, verumetiam visionem, immò omnia, quæ ad integram, perfectamque beatitudinem spectant. Non ergo in vna operatione posita est summa felicitas. Respondeo id capi non diuisiuè, sed vnitiuè, & non in se, sed in eo, qui formaliter & eminenter continet omnia. Atque de beatitudine extensiua, non verò intensiua, de qua sermo est in præsentia.

Dubitatio IV.

An beatitudo sit in actu intellectus vel voluntatis.

58. D. Th. 4. *dist.* 49. *quæst.* 1. *art.* 1. *solut.* 1. *quæstiunc.* & 3. *contra Gentes cap.* 23. *&* 26. Conimb. *disp.* 3. *Eth. art.* 2. Racon *disp. vn. de beatitudine, quæst.* 2. *art.* 3. & alij non pauci censent beatitudinem principaliter & essentialiter consistere in actu intellectus: in actu verò voluntatis, tanquam in quadam perfectione extrinseca superueniente visioni, eo ferè pacto, quo decor, & pulchritudo aduenit iuueni. Scot. autem *in vtroque opere dist. alleg. quæst.* 4. Bass. Vorr. & cæteri eius discipuli *ibidem* statuunt summam felicitatem essentialiter, & principaliter in actu voluntatis, originatiuè verò, & minus principaliter in actu intellectus.

59. Not. 1. ex Doct. cit. §. *In ista quæst. ante A.* omnes, qui tenent beatitudinem suam esse in operatione, astruere, talem operationem prouenire à potentia spirituali, & immateriali, cuiusmodi sunt intellectus, & voluntas; Nam cum beatitudo sit operatio optima, & nobilissima, nequit prodire à potentiis sensitiuis, & materialibus, vt bene etiam vidit Arist. 1. *Eth.* 9. quæ sunt potentiæ totius coniuncti, siue compositi; vt enim in esse sunt inferiores, & imperfectiores, ita & in operari. Eò magis, hæ potentiæ nequeunt per suas operationes attingere obiectum beatificum, quod est Deus, qui nec oculo corporeo, nec aliis sensibus siue internis, siue externis percipi potest, ex dictis *Tract. de cognoscibilitate Dei, disp.* Et si quoquo modo hæ vires, & facultates sunt beatificabiles, id fit per redundantiã, siue resultantiam beatitudinis

animæ, ad corpus; sic enim erit beatitudo totalis extensiua, ait Doct. q. 3. cit. §. *Ad argumenta pro 1. opinion. F. in fol. 3.* Itaque hic solùm peruestigatur, vtrum beatitudo sit in operatione spirituali, intellectus scilicet, vel voluntatis.

60. Not. 2. *ex eodem ibid. §. Iuxta hoc K. & N.* & *in Rep. quæst. 2. §. Dico. ex 9. Met. tit. 15.* aliquid esse prius alio bifariàm contingere, generatione, vel perfectione. Quæ sunt autem priora generatione, sunt imperfectiora iis, quæ sunt posteriora generatione, & è contrà, quæ sunt posteriora generatione, sunt priora perfectione, vt experimur in naturalibus. Prius enim corpus est sub forma sanguinis, deinde embrionis, posteà sub forma corporis debitè organizati, & denique completur per animam in esse viuentis, & animati, quod est posterius productum, & reliquis præcedentibus perfectius. Præfatum autem assertum intelligendum est in eodem ordine, secùs verò in alio ordine. Nam accidentia sunt posteriora substantia generatione, quia illam consequuntur, nihilominus sunt ea imperfectiora, vt patet 7. *Met. 1.* Quamuis autem posteriora generatione dependeant à prioribus; sunt tamen perfectiora, vt liquet 9. *Met. tit. 15.* sic finis dependet à mediis, quibus tamen est perfectior, forma à materia, qualitas corporea, à quantitate, in his autem posteriora, & dependentia ab illis, perfectiora existunt. Simpliciter autem perfectum est prorsus independens. Nam sicut est primum generatione, ita & perfectione, ex eodem Philosopho nunc cit. Vbi verò non concurrunt duæ prænominatæ primitates, fallit illud dictum. Quapropter licet voluntas dependeat ab intellectu, in agendo, quia non potest velle nisi obiectum præcognitum; ob id tamen non est existimandum operationem eius esse imperfectiorem, voluntatemque esse inferiorem intellectu, vt monstrani *lib. 3. de anima, q. de voluntate.*

61. Not. 3. beatitudinem formalem multa complecti extensiuè, vt in superioribus tetigi, & collegi ex variis locis, & testimoniis sacræ paginæ.

Primò cognitionem, seu visionem Dei. Ioan. 10. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.* 1. Cor. 13. *Videbimus eum sicuti est.*

Secundò Amorem Dei. Prou. 8. *Ego diligentes me diligo.* Cant. 3. *Inueni, quem diligit anima mea.*

Tertiò Delectationem, quæ ex 1. *dist. 1. quæst. 4.* consequitur fruitionem. Psal. 15. *Delectationes in dextera tua vsque in finem.* Psal. 16. *Vt videam voluptatem Domini.*

Quartò Gaudium Ioan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Mat. 25 *Intra in gaudium Domini tui.*

Quintò tentionem & apprehensionem Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam.* 1 Cor 9 *Sic currite, vt comprehendatis.*

Sextò securitatem, & perpetuitatem. Psalm. 83. *In secula seculorum laudabunt te.* Matt. 25. *Ibunt iusti in vitam æternam.* Denique omnium bonorum cumulum. Exo. 33. *Ostendam omne bonum tibi.* Luc. 10. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: & patet ex definitione beatitudinis, quæ est *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

62. Assertio, beatitudo principaliter, & essentialiter consistit in actu voluntatis. Ita Scot. *vbi suprà.* Probatur 1. Ioan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* & 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Vnde Hieronymus *in Com. Gal. lib. 3. cap. 6.* De Ioan. Apostolo loquens subdit. *Nihil aliud per singulas collectas proferre solebat, nisi hoc. Filioli diligite alterutrum.* Tandem discipuli, & fratres, qui aderant tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt, *Magister, quare hoc semper loqueris?* qui respondit, dignam Ioanne sententiam. *Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Atque commendatur, & mandatur magis nobis dilectio Dei, quàm eius cognitio, ratione cuius indicatur in actu voluntatis potissimùm felicitatem locari.

Secundò *August. 1. Trin. 13.* Solo illo illustrari, perfruique sufficiet. Et ibid. cap. 5. *Beatus est, qui habet quidquid vult.* Et 1. De doctrina Christiana cap. 6. *Summa merces est, vt ipso perfruamur.* Volitio autem, & fruitio est actus voluntatis, ergo in eo præcipuè, posita est felicitas. Idem insinuat Ansel. *lib. cur Deus homo cap. 1.* Nec dissentit Arist. qui, notante Maiore, post Scot. *quæst. 4. prol. §. contra hanc conclusionem*, in contemplatione includit amorem, id est puritatem vitæ, quæ in amore capitur. Et Bonet. 4. *Theologiæ cap. 3.* subiicit Stagiritam comprehendisse amorem in contemplatione, tanquam in fonte. Propterea idem Philosophus subnectit 12. *Met. tit. 36.* primam intelligentiam mouere cæteras intelligentias in ratione amati.

Tertiò, ea potentia est potissimùm beatificabilis, quæ meretur, & bona opera exercet, quia Deus reddet vnicuique iuxta opera sua, vt patet in Symb. Ath. sola autem voluntas meretur, & bona opera operatur, reliquæ verò potentiæ iussu, & imperio voluntatis. Ob id August. 11. Ciuit. cap. 28. *Nec vir bonus dicitur, qui scit, quod bonum est, sed qui diligit.* Et S. Bern. *Sola voluntas vritur in inferno, quia sola demeruit.* Vnde reprehenduntur Pharisæi *Matt. 12.* qui accedentes ad Christum, dixerunt; *Magister volumus à te signum videre.* Sicut ergo peccatum non est, nisi voluntarium, vtique meritum, & bonum opus non nisi à voluntate prodit; proindeque in eius actu præcipuè homo beatur.

Quartò, quæ perfectius, & intimius attingit obiectum beatificum, in eius actu statuitur essentialiter beatitudo, vt fatentur quoque aduersarij, propter rationem adductam ab Aquin. cit. Voluntas autem actu suo perfectius, & intimius attingit obiectum beatificum. Tendit namque in ipsum immediatè tanquam in vlt. finem, cum finis vltimus vt sic sit proprium eius obiectum. Id quippè magis est volendum, quod ab appetitu naturaliter magis appetitur, huiusmodi autem est quod est proximius vltimo, quod simpliciter magis appetitur naturaliter.

Quintò, quod ordinatur ad aliud, est minus perfectum, eo quod est gratiâ sui, minusque attingit obiectum, & finem, ad quem fertur, vt constat de mediis ad finem directis, & ordinatis: actus autem intellectus ordinatur ad actum voluntatis; cognoscimus namque, vt diligamus, non è contra. Hinc August. 19. *Ciuit.* 14. inquit, *Homini anima rationalis inest, vt mente aliquid contempletur, & secundum hoc, aliquid agat, & postea, vt aliquid vtile cognoscat, & secundum eam cognitionem, vitam, moresque componat.* Et antea 11. *Ciuit.* 28. præmiserat, in hominibus, qui rectè amant, ipse amor magis amatur.

Sextò, habitus voluntatis est nobilior habitu intellectus, 1. Cor 13. *Maior autem eorum est Charitas*, & eius oppositum est peius, scilicet odium Dei; ideò Seraphin dicti ab ardore charitatis, & amoris Dei, sunt primi inter cælestes spiritus. Quare miror Conimb. cit. qui ponentes supernam beatitudinem in sola Dei contemplatione, postmodum subiiciunt felicitatem in præsenti vita consistere in operibus meritoriis, & actionibus charitatis. Si enim hæc in operibus voluntatis locatur, vtique & illa, cùm ista sit via, & dispositio ad eam: si ergo in bonis actibus *Matt. 5.* habetur felicitas huius sæculi, vt concedunt Conimb. consequenter & beatitudo alterius vitæ, in eiusdem voluntatis actu collocanda est.

63. Oppones primò, Ioan. 7. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.* Cognoscere autem spectat ad intellectum. Igitur in actu intellectus præcipuè estat felicitas. Conf. Augustinus 1. Trin. cap. penult.

Visio

Visio est tota merces, visio autem est actus intellectus, veluti dilectio est actus voluntatis. Vt enim visio corporea est actus oculi, sic visio incorporea est actus intellectus. Idipsum videtur tangere Aristot. 11. Met. T. 39. *Actus intellectus est vita, & si actus est aeternus, vita est aeterna.* Respondeo eum locum exponi de cognitione fidei, quæ dicitur vita æterna, & felicitas viæ, vt elaret ex verbis præcedentibus, & subsequentibus; sic dictum passum interpretantur Cyril. & Aug. *quæst.* 113. *veteris, & noui testamenti*, quos sequitur Alph. 3. *aduersus hæreses hær.* 4.

64. Vel dicito cum Scot. in eo Euang. non extat vita beata, quod si Thomistæ liceret addere, cognoscendo est vita beata: quoque liceret Scotistæ apponere, amando, & fruendo est vita beata. Vel dico esse quidem vitam beatam intellectus; non tamen voluntatis, & totius hominis, eamque esse præcipuam, quæ est in actu voluntatis. Per id satisfit Aug. adducto ad conf. visio quippe est tota merces intellectus, non verò totius hominis, sed solum eius potentiæ intellectiuæ per ipsam beatificabilis: voluntas autem est beatificabilis per fruitionem, quæ est præstantior visione. Ideò in ea, & non in ista consistit essentialiter felicitas.

65. Opponis secundò, 10. Eth. 10. vel 8. *Felicitas substantiarum abstractarum est in speculatione, quæ est actus intellectus*: ergo cum similes eis simus, iuxtà illud Christi, Matt. 12. *Sunt sicut Angeli Dei in cælo.* Aptè concluditur, nostram felicitatem quoque positam esse in actu intellectus. Conf. ex 1. Eth. 10. *Beatitudo est bonum sufficiens*; visio autem Dei est huiusmodi, vt patet Ioan. 14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Responderi potest, duplicem esse felicitatem, speculatiuam, & practicam, vt videtur tangere Arist. 10. *Eth. in initio cap.* 7. & 7. *Pol.* 3. felicitas autem speculatiua sita est in speculatione, & practica in fruitione. Quare intellectus per speculationem, siue visionem, & voluntas per fruitionem beatificantur. In hac autem principalius, quam in illa locatur felicitas. Præterea dici potest ex prænotatis, Philosophum in contemplatione comprehendere cognitionem, & amorem. Vel etiam vt ait Doct. *in fine Prol.* Stagiritam non agnouisse, nos posse attingere Deum actu amoris, & fruitionis, ideò in actu intellectus statuit felicitatem. Ad conf. dico, visionem esse bonum sufficiens intellectui, per quam ipse beatur; non esse verò bonum sufficiens toti naturæ intellectuali, nec esse perfectius bonum, imò dilectio est bonum sufficientius, & perfectius, quia eo habito, habens minus eget, in eoque prorsus quiescit. Ad testimonium scripturæ dico esse exponendum de sufficientia penes instructionem fidei, quæ dicitur felicitas viæ tendens ad felicitatem patriæ, non verò de sufficientia, quæ habetur in termino, per fruitionem, quæ est actus voluntatis, in quo homo quasi deificatur.

66. Opponis tertiò, beatitudo est primum volitum: quod enim primum appetimus, est felicitas: actus autem voluntatis non est primum volitum, quia nulla potentia versatur circa actum suum rectum, tanquam obiectum; licet possit laborare circà actum reflexum: ergo in eo potissimùm non est felicitas. Conf. actus voluntatis ordinatur ad finem: felicitas autem ad aliud non ordinatur, cùm sit vult. finis beati: ergo &c. Distinguo ma. beatitudo est primum volitum extrinsecum, quod est obiectum beatificum, loquendo de beatitudine obiectiua: concedo: beatitudo formalis est primum volitum, vt quid extrinsecum, nego. Siquidem beatitudo formalis, est perfectio intrinseca beati, quam ipse appetit, veluti vnumquodque suam appetit perfectionem, annotante Scot. cit. *antè* §. *In ista quæst.* Ad conf. patet ex dictis *quæst.* 3. *de fine art.* 2.

67. Opponis quartò, beatitudo est coniunctio naturæ intellectualis cum vult. fine per suam operationem: voluntas autem per suam operationem non coniungitur, cum vlt. fine. Non enim coniungitur per desiderium, quod est de re absente, nec per delectationem, quæ præexigit adeptionem finis, in quo delectatur qui ipsam, & quiescit. Vndè Paulus hortatur Fideles ad comparandam felicitatem 1. Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis.* & 1. Timot. 6. *Apprehende vitam æternam.* Ergo cùm intellectus sit virtus apprehensiua, & comprehensiua, euincitur in ipso positam esse felicitatem. Concedo ma. ego min. Quamuis enim voluntas non coniungatur obiecto beatifico, per desiderium, propterea quod beatitudo est de re præsente, & desiderium de re absente. Nec per delectationem, quæ est passio consequens actum beatificum, vt ait Doct. *quæst.* 4. *Prol.* §. *contra hanc conclusionem.* Ideò Aug. 9. *Trin. cap. vlt.* Appetitus inhiantis fit amor fruentis. Itaque licet primò primitate originis Beatos quiescat in actu intellectus, videndo obiectum beatificum, ipsumque perpetuò attingat, vt innuit Apost. præcit. Nihilominus primò primitate perfectionis quiescit in actu voluntatis, qui vlt. & perfectior operatio Beati existit.

Dvbitatio V.

In quonam actu voluntatis sit beatitudo.

68. Cvm in antecedente dubio decisum sit beatitudinem principaliter, & essentialiter consistere in actu voluntatis, in præsenti restat disquirendum, & discutiendum, quinam sit ille actus, in quo ipsa felicitas locatur. Omnes autem Scotistæ cum Scot. viro omni laude præcipuo, & veritate munito *d. præcit. quæst.* 5. astruunt esse fruitionem obiecti beatifici. Vt autem rectè intelligatur.

69. Not. primò, ex Doct. *loco alleg.* §. *Ad quæst A.* actum voluntatis positiuum generatim sumptum diuidi, in actum volendi, & nolendi: actus volendi subdiuiditur, in actum volendi propter se, siue propter bonum voliti, & in actum volendi propter aliud, idest propter bonum volentis. Ille dicitur amor amicitiæ, siue affectio iustitiæ: iste verò amor concupiscentiæ, siue affectio commodi; posterior non est fruitio, sed prior. Nam frui est amore inhærere propter se, hoc est propter obiectum amatum, quod vt melius percipiatur.

70. Not. secundò, fruitionem bifariàm accipi, vt tangit Doct. 1. *dist.* 1. *quæst.* 5. §. *Ad authoritatem*, & §. *Ex his patet.* Vno modo impropriè, quo pacto perhibetur de appetitu sensitiuo, cæterisque, quæ quoquomodo attingunt obiecta. Altero modo propriè, sicque tantum competit voluntati, cuius proprius est amor, vt liquet ex August. præmemorato. Diuiditur autem fruitio in inordinatam, & ordinatam. Inordinata est, qua quis fruitur obiecto, quo debet vti ad fruendum, vt peccator, qui creatura fruitur, cum ea vti debeat ad Deum diligendum, ipsoque fruendum. Hinc subdit Aug. lib. 83. qq. quæst. 30. *Peruersitas est vti fruendis, & frui vtendis.* Hoc pacto peccasse primum Angelum immoderatè concupiscendo sibi beatitudinem, astruit Doct. 2. *dist.* 6. cum Anfel. *l. de casu diaboli cap* 6. Ordinata est actus voluntatis tendentis ad obiectum propter se diligendum. Et potest esse duplex, vna viæ, & altera patriæ, illa est imperfecta, hæc verò perfecta.

71. Not. tertiò, ex Doct. 4. *dist.* 49. *quæst.* 5. §. *Ad quæst. E.* Probabilius esse fruitionem beatam differre specie, seipsis quidem formaliter, causaliter verò ab habitudinibus causarum. Si enim specie non differrent, secundum gradus vtique differrent. Quod si concedatur, eas penes gradus differre, tantum posset intendi fruitio viæ, vt fieret fruitio patriæ; sicque quispiam viator posset esse beatus, quod est falsum. Iterum ad causandam fruitionem patriæ præexigitur visio Dei, quæ haud requiritur ad fruitionem viæ.

Ob id Scot. cit. *sub E.* subiicit distinctionem harum fruitionum peti a distinctione vnionum, veluti ex diuersa approximatione agentis ad passum variatus effectus. Aliter quippe agit agens, quod per rectam lineam opponitur, & approximatur passo, quam agens, quod agit per lineam reflexam, aut fractam. Cognitio autem hæc est quasi approximatio obiecti ad voluntatem. Ideò si fruitio Viatoris cresceret in infinitum, aut caperetur summus gradus fruitionis viæ, nunquam æquaretur fruitioni patriæ, & econtrà. Ratio est, quia cum vna species nobilitate superet aliam speciem, quod de indiuiduis vnius speciei, respectu indiuiduorum alterius speciei astruendum quoque est: siquidem series vnius dissidet in esse, & in perfectione, à serie alterius.

72. Assertio prima, beatitudo non est in actu nolendi. Ita Scot. cit. *sub B.* Probatur primò, nolitio vtplurimum tendit in malum, & volitio in bonum: felicitas autem non solum fertur ad bonum, sed ad omne bonum, immò ad summum bonum. Non ergo felicitas sita est in actu nolendi.

Secundò, actus beatificus est primarius, & per se intentus, & immediatus vltimo fini, quo beatus ei immediatè, & perfectè vnitur: nolitio autem est actus secundarius, & occasionatus, & ferè semper præsupponit volitionem, vt significat Anselm. *l. de casu diaboli cap.* 1. inquiens, *Nullus deserit iustitiam, nisi volendo aliquid, quod non stat cum iustitia*; non stat ergo felicitas in actu nolendi.

Tertiò, beatitudo ex dictis est in operatione optima, & perfectissima: volitio autem est perfectior nolitione, veluti enunciatio affirmatiua perfectior est, negatiua, *ex* 1. *Perih. cap.* 4. in nolitione igitur felicitas non locatur.

73. Assertio secunda, nec felicitas posita est in actu concupiscendi. Tradit Doct. alleg. *antè C.* Probatur primò, felicitas consistit in actu, qui ex se est bonus, & perfectus, vt claret 1. *Eth.* 10. Actus verò concupiscendi non est per se bonus, cum possit esse malus, vt liquet de primo Angelo, qui æqualitatem Dei concupiuit. Vndè Aug. l. 83. qq. q. 30. *Vti fruendis, & frui vtendis, est peccatum.*

Secundò, felicitas est actus primus, & immediatus vlt. finis: concupiscentia verò est actus posterior actu amicitiæ. Ideò namque concupisco bonum Petro, quia amo Petrum, cui tale bonum concupisco.

Tertiò, affectio commodi præsupponit affectionem iustitiæ. Hæc enim illam regit, & moderatur: concupiscentia verò competit voluntati, ob affectionem iustitiæ. Insuper, actus amicitiæ fertur ad obiectum in se bonum: actus verò concupiscentiæ respicit proprium vtile: nobilius autem est esse sui gratia, quàm gratia alterius: non ergo felicitas statuitur in actu concupiscendi.

74. Assertio tertia, beatitudo est in actu volendi, qui est fruitio Dei præsentis in se. Tenet Doct. *vbi suprà antè D.* Probatur primò, Aug. 1. de Doctr. Christiana cap. 4. 5. & 6. *Summa merces est, vt eo perfruamur.* Et patet ex definitione fruitionis allata ab eodem Aug. *ibid. cap.* 4. recepta à Magistro, & cæteris Scholasticis. *Frui est amore inhærere alicui propter se.*

Secundò, in actu optimo voluntatis residet felicitas: fruitio autem est actus optimus voluntatis: ergo in eo extat felicitas. Ma. patet. Amor namque amicitiæ est voluntatis optima operatio, qua beatus intimius, perfectiusque coniungitur obiecto beatifico. Rursus optima operatio extat in optima, & nobilissima potentia. Penes enim nobilitatem potentiæ habetur nobilitas actus: ex dictis autem voluntas inter potentias animæ primatum tenet, tum quia est libera, & causa meriti, tum quia melius est bonum, quam non bonum, tum etiam quia charitas, quæ residet in voluntate est nobilior habitu fidei manentis in intellectu: stat ergo felicitas in actu volendi.

75. Oppones primò, fruitio communis est tam beato, quam non beato, ergo in fruitione non reperitur felicitas. Ant. probatur, tam viator, quàm comprehensor fruitur. Vterque enim diligit Deum propter se, & si quispiam non diligat Deum propter se, potest tamen ipsum diligere; nihil quippè obstat, quin ipsum Deum diligat, vt in se bonum amore amicitiæ, veluti comprehensor: hic autem est beatus, ille verò nequaquam: ergo &c. Distinguo ant. fruitio perfecta, per quam natura intellectualis beatificatur, Deoque immediatè approximatur, & intimè vnitur, nego: fruitio imperfecta, per quam amatur obiectum beatificum, ab eadem creatura non vidente, nec ipsum attingente, concedo. Hæc autem competit Viatori, & non beato, illa verò comprehensori, & beato, quas inter se specie differre, suprà monui, & ostendi.

76. Oppones secundò, non repugnat, non existentem in gratia, & charitate videre clarè diuinam essentiam, eaque frui; sine charitate verò quispiam beatus esse nequit: Siquidem authore Aug. 15. Trin. cap. 9. *Sola charitas diuidit inter filios regni, & perditionis*: non ergo in fruitione posita est beatitudo. Ant. liquet *ex* 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. vbi Scot. ait, beatum posse videre Deum, ipso non fruendo, & posse videre vnam Diuinam Personam, non videndo aliam. Respondeo data hypothesi, illum non fore beatum, quia non est beatus ex fruitione, nisi fruitio tanta sit, quanta competit comprehensori, adeò vt sit eius speciei penes aliquem gradum. Nulla autem fruitio absque charitate esse valet tanta, quanta requiritur ad beatificandum.

77. Oppones tertiò, omnia inferiora voluntate suo modo beatificantur, hoc est secundum quid in actu concupiscendi: ergo pariter voluntas potest beatificari in actu concupiscendi, & in affectione commodi: fruitio autem non ad concupiscentiam, sed ad amorem amicitiæ pertinet, ex supra notatis: ergo &c. Concedo ant. nego conseq. causa est, quia illa ob suam imperfectionem nequeunt attingere, nisi proprium commodum. Ideò si qua eis est fruitio, inuenitur in eo actu, quem habere queunt, & cum perfectiorem habere non possint, necessariò in eo quiescunt. At voluntas cum vtroque actu potiatur, actusque amicitiæ sit perfectior actu concupiscentiæ, consequenter non in eo, sed in isto habetur felicitas. Sicut non valet, intellectus intelligit, quidquid percipiunt sensus interni, & externi, igitur in cognitione sensitiua, qua pollent dicti sensus sita est eius optima operatio. Non valet hæc conseq. vt constat ex Arist. determinente felicitatem in contemplatione substantiarum abstractarum, quarum cognitio non cadit sub sensus.

78. Instabis ex Aug. 9. Trin. cap. vlt. *Appetitus inhiantis fit amor fruentis*: ergo &c. Dico id rectè esse intelligendum; si enim intelligatur de appetitu, quo viator sibi appetit bonum, nunquam talis appetitus fit amor fruentis, quia sic est actus concupiscendi, qui effici nequit actus amicitiæ: Quod si capiatur de appetitu, quo viator vult Deo bonum esse in se, quia amat ipsum propter se, siue amore amicitiæ, sic appetitus iste, qui est amor amicitiæ in via imperfectus, in patria fit perfectus, & perfecta fruitio, qua homo beatificatur.

Oppones quartò, spei succedit tentio. Quod enim in hac vita speramus, in alia tenemus, ideò Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam*: tentio autem est actus voluntatis, non tamen est fruitio: ergo in tentione, non verò in fruitione reperitur beatitudo. Respondeo tentionem non esse de spectantibus essentialiter ad beatitudinem, sed de concomitantibus eam, veluti delectatio, & securitas, de quibus infrà. Licet enim tentio succedat spei, nihilominus non probè infertur in ea poni felicitatem formaliter. Nam visioni ænigmaticæ succedit clara visio Dei, in qua

essentiali

eſſentialiter non extare beatitudinem, *ſuprà* manet probatum.

Dvbitatio VI.

An, & quomodo beatitudo ſit perpetua.

79. Dvo proponuntur in præſenti dub. vnum, an beatitudo ſit perpetua, ſemperque duratura, cuius omnes Scholaſtici concordes, & vniformes partem amplexantur affirmantem. Alterum verò, qua ratione beatitudo ſit perpetua, qua in re diſcordant Theologi. Etenim Ægidius in præſenti d. cit. à Scot. Margiriſtis, arbitratur perpetuitatem felicitatis petendam eſſe ab ipſamet beatitudine, quæ ſuapte natura eſt neceſſaria, taliſque forma, vt nequeat non ineſſe, cui ineſt, quemadmodum perfectiſſima forma corporea conſtituit compoſitum incorruptibile, & intranſmutabile, cuiuſmodi eſt cœlum. Alij, vt D. Th. 1. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. & 2. cenſent perpetuitatem beatitudinis deſumendam eſſe ab habitu determinante potentiam beatificam neceſſariò, ſemperque ad actum beatificum, putà intellectum, ad videndum ex lumine gloriæ, & voluntatem ad fruendum ex charitate conſummata. Scot. autem 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 6. §. *Hic duo*, vtramque prænominatam ſententiam refellens, ſtatuit *ibid.* §. *Dico ergo. F.* perpetuitatem beatitudinis à diuina voluntate, quæ ſicut voluit creaturam intellectualem beatificare, ita eam in tali felicitate ſemper, & perenniter conſeruare.

80. Not. primò, ex Doct. cit. §. *Hic duo. B* præter Deum nihil eſſe abſolutè neceſſarium, quia ſolus Deus eſt per ſe, & à ſe, à nullo dependens, cætera verò ſunt ſimpliciter contingentia, quia creata, & à diuina voluntate dependentia in eſſe, & conſeruari. Ideò dixi *l. de cauſis quæſt.* 3. *art.* 1. ſi Deus auferret à creatis ſuam manutenentiam, & conſeruationem, protinus in nihilum abirent. Quædam tamen creata dicuntur neceſſaria ſecundum quid, non quia non poſſint aliter ſe habere, ſed aut quia non habent in ſe Principium corruptionis, quod eſt materia cum priuatione ſibi annexa, *ex* 1. *Phyſ. T.* 80. vt Angelus, qui à materia eſt immunis, aut quia non habet contrarium, quod ipſum valeat deſtruere, vt cœlum, quo non datur in rerum natura agens fortius, quod valeat vincere eius virtutem, ipſumque deſtruere, ſed à ſolo Deo ipſummet non conſeruante deſtrui poteſt, & annihilari. Hoc enim ſenſu dici poteſt beatitudo incorruptibilis, & perpetua, propterea quod non habet contrarium, quod ipſum valeat deſtruere, ſicque ſemper manet, iugiterque manebit.

81. Not. ſecundò, æternum multis accipi modis, vt ex Alen. in materia de ſacrificiis refert Vorr. 1. *diſt.* 31. *art.* 1. quos ad tres videtur reducere Doct. *loco nuper allegat.* §. *de ſecundo dubio. antè L.* Primò enim ſumitur æternum propriè pro eo, quod principij, & finis eſt expers, ſine inceptionis, & deſitionis incapax, quo pacto definitur æternitas à Boet. 3. de conſol. *Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.*

Secundò, pro duratione temporanea diuturna, habente tamen aliquando finem, vt Danielis 3. *Rex in æternum viue*; ſic etiam capit æternum Horatius *in epiſt. cit.* ab Aug. *l.* 1. *qq. in Gen. q.* 31.

Seruiet æternum, qui paruo neſciet vti.

Tertiò, pro duratione perpetua permanente nunquam finem habitura, vt Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Et 2. Cor. 4. *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Beatitudo autem non durat propriè æternitate, vt vult Th. 4 d. 49. *quæſt.* 2. *ſol.* 3. *quæſtiunc.* Siquidem, vt arguit Scot. ſi ſubſtantia non durat æternitate, nec eius actus, quia accidens non eſt immutabilius eius ſubiecto, in quo inhæret, ſi ergo actus ſecundum ſubſtantiam menſuratur æuo, vt concedit Th. conſequenter ipſe actus, vt beatificus non menſuratur æternitate. Addo, quod æternitas propriè dicta ſoli Deo competit, ergo non eſt adaptanda actui beatifico, ſed cum ſit permanens, menſuratur æuo, & ſi fuerit ſucceſſiuus, menſuratur tempore perpetuo. Nec ratio eius eſt vllius momenti, inquientis, beatitas, quia viribus naturæ attingi nequit, ob ſuam perfectionem præſtantem, & eminentem, debet habere menſuram peculiarem, quæ eſt æternitas, cum beatitudo ſit vita æterna. Etenim licet non acquiratur vi naturæ, tamen eſt minus nobilis ſubſtantia, cum ſit accidens, omneque accidens ſit inferioris ordinis, quacumque ſubſtantia. Præterea, anima rationalis virtute naturali non poteſt produci, immò nec vlla creatura intellectualis, & tamen non aſſignatur alia menſura ei, quam æuum, vt dixi *in Phyſ. l. de tempore quæſt.* 1. *art.* 5. Itaque ſi præfatus Doct. ob ſuam rationem admittit actum beatificum metiri æternitate, vtique neceſſe eſt, concedat ipſam naturam intellectualem metiri æternitate, quod alibi negat.

82. Not. tertiò, *ex eodem ibid.* §. *De tertio. M:* beatitudinem bifariàm capi. Vno modo pro perfectione permanente intenſa, vt permanens eſt, quo pacto perpetuitas non eſt de eius eſſentia, quia quæcumque perfectio permanens quouis gradu intenſa, ita eſt perfecta ſi duret breui tempore, & etiam vnico inſtanti, ac ſi duraret omni tempore, teſte Philoſopho 1. Eth 6. *Nihil eſt perfectius ex hoc, quod eſt diuturnius, æquè enim perfecta eſt albedo vnius diei, ac vnius anni.* Non me latet eumdem Philoſophum 3. *Top loco* 1 aſſerere, *Quod eſt diuturnius, & ſtabilius, hoc melius eſt.* Et 2. de generatione animalium, *Melius eſt eſſe, quàm non eſſe, viuere, quàm non viuere. Non eſt, qui non velit magis mille annos viuere, quàm cum piſce Ephemero*, ex 5. hiſt. animalium cap. 19. *vnà cum auibus ad Hip. viuere vnum diem.* Hæc enim ſcribente Scot. 1. *diſt* 8. *quæſt.* 1. & 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. §. *Hic ſunt*, intelligenda ſunt cæteris paribus, vt monui non ſemel in ſuperioribus.

Altero modo pro perfectione permanente intenſiua, & extenſiua perpetuò durante, & ita perpetuitas ſpectat ad beatitudinem, veluti duratio pertinet ad rem, cuius eſt duratio. Quo in ſenſu beatitudo non eſt per ſe vnum, ſicut operatio, & totum æuum non faciunt per ſe vnum: ſe habent enim vt ſubiectum, eiuſque paſſio, ſiue vt menſura, & menſuratum, vt dixi *in Phyſ. l. de tempore, & motu.*

83. Aſſertio prima, beatitudo eſt perpetua. Tradit Doct. cit. §. *Hic duo ſunt. A.* Et militat contrà Orig alleg. & refutatum ab Alph. *lib.* 3. *aduerſus hær. verb. beatitudo. hær.* 3. qui aliquando beatos paſſuros miſeriam, & damnatos felicitatem habituros alternis vicibus imaginatur. Hic error ortum duxit ex Plat. exiſtimante poſt magnum annum omnia reditura eſſe ad priſtinum ſtatum. Probatur primò, Sap. 5. *Iuſti autem in perpetuum viuent.* Pſal. 83. *In ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Et Matt. 5. *Ibunt iuſti in vitam æternam.*

Secundò, Athanaſ. in Symb. *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam.* Aug. ſerm. 17. de verbis Domini, *Vita beata eſſe non poteſt, niſi æterna.* Et ſerm. 158. de tempore. *Quia ſicut iuſtus nunquam erit exiturus à gloria, ita & peccator nunquam poterit liberari à pœna.* Et canit Eccleſia: *Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, & æternitas temporum.*

Tertiò, argumentatur Aug. 13. *Trin. cap.* 8 ſi beatus poſſet amittere beatitudinem, aut eam amitteret volens, aut nolens, aut nec volens, nec nolens. Si primum, non eſſet beatus, quia non diligeret eam. Beatus autem amat beatitudinem, quæ eſt eius vltima perfectio, poſtremuſque finis, atque beati omnes eſſe volunt. Si ſecundum, foret miſer, quia nollet ſummum bonum; atque ex dictis ſuprà felicitas non conſiſtit in actu nolendi. Si tertium, ergo non eſt beatus, quia felicitatem parui pendet, cùm ſit maximi facienda,

quia

quia est omnium optima. Quartò arguit idem Doct. 12. *Ciuit. cap.* 20. Beatus aut scit beatitudinem suam finiendam, aut nescit: si scit, ergo non est beatus, quia timor est passio, qua timens patitur, & non quiescit, ob futurum malum, qu od sustinere credit. Itemque timor minuit amorem eius, quod aliquando est deserendum. Vnde Christus Matt.6. vt nos ab amore diuitiarum huius sæculi auocaret, monet esse finiendas, & corrumpendas; & è contrà opes cælestes semper duraturas, & in æternum mansuras. Si nescit, ergo viatores sunt peritiores, & doctiores beatis, quia illi nouerunt felicitatem perituram, quam isti ignorant, quod falsum est, eum beati scientia sint ornati, & gloria coronati. Rursus, ex 2. de generatione in fine; *Natura appetit, quod melius est*: melius autem est, felicitatem esse perpetuam, quam desitutam, cum in ea omnis appetitus, desideriumque sit complendum. Denique nulla causa, reddi potest, cur felicitas summa sit ad tempus, dicere autem eum Platone omnia reditura esse ad primum statum, est merum figmentum, & inanis imagitatio, vt cum Scot. monstraui lib. de generatione, ad finem. Eò magis, quia anima est immortalis, & corpus post diem iudicij immortalitate insignietur, testante Paulo 1. *Cor.* 15. & Ioan. Apoc.7. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & iam non erit amplius nec luctus, nec clamor*, &c.

84. Assertio secunda, perpetuitas beatitudinis non decerpitur ex forma ipsius beatitudinis, quæ necessariò, & perpetuò afficiat subiectum, in quo insidet. Ita Scot. c.t. §. *Dico ergo F.* Probatur 1. non magis est necessaria forma in subiecto, quam ipsum subiectum, in quo forma inest, quia si quæ necessitas est, petitur à necessitate subiecti eam sustentantis. Atque subiectum beatitudinis, & quodcumque aliud subiectum pendet à conseruatione Dei liberè, & contingenter illud conseruantis, vt suprà monui *nu.* 1. Ergo & ipsa beatitudo liberè, & contingenter à Deo conseruatur, proindeque ex se, & natura sua non est perpetua. 2. omnis forma realiter differt à materia, seu subiecto, in quo est, quia est ens absolutum, & posterius subiecto, ab eoque saltem diuinitùs separabile, vt ostendi *lib.* 2. *Phys. quæst. de forma.* Beatitudo autem est forma accidentalis absoluta, actioque de genere qualitatis, ex dictis suprà: omne autem accidens esse posterius substantia, tempore, natura, & definitione tradit Philosophus 7. *Met. cap.* 1. Tertiò, nulla forma satiat prorsus appetitum materiæ, quem habet ad omnes formas suscipiendas, tanquam eius perfectiones, vt dixi *loco alleg. quæst. de materia*, nisi forma sit infinita: nulla autem forma creata, vel creabilis potest esse infinita cum infinitum actu repugnet. Cùm ergo felicitas sit forma accidentalis, non necessariò, & perpetuò coniungitur cum subiecto, in quo inhæret. Quartò, non plus connectitur beatitudo cum beato, quam beatus cum Deo, siue non magis dependet beatitudo à beato, eiusque potentia beatifica, quam beatus à Deo: beatus autem liberè, & contingenter dependet à Deo, quia eius manutenentia, & conseruatio est libera. Igitur & beatitudo non perpetuatur ex vnione, connexioneque necessària, quam Ægidius imaginatur habere cum beato, eiusque potentia beatifica. Insuper, beatitudo est operatio naturæ intellectualis; Deus autem absolutè potest impedire eius causam, ne causet effectum, vt liquet de igne Babylonico *Daniel.* 3. De cælo, quod per triennium precibus Heliæ suos non præbuit influxus, 3. *Reg.* 17.

85. Assertio tertia, beatitudo non est perennis ex eo, quod in eius subiecto beatifico nulla est ratio mali, defectusvè. Tuetur Scot. *vbi suprà.* Probatur 1. beatus ob beatitudinem, qua fruitur, non amittit voluntatem, libertatemque suam, cum omnia eius naturalia remaneant integra, immo perfectiora reddantur: ergo ostenso sibi obiecto, circa ipsum non se habet necessariò, sed liberè, & voluntariè eo potitur, proindèque à bonitate obiecti beatifici non accipitur perennitas felicitatis beati. Secundò, obiectum voluntatis ex dictis suprà non est bonum, sed ens; Ideoque pro sua plena libertate, & absoluto dominio potest velle, nolle, & non velle, intellectui, cæterisque potentiis imperare, cuius iussus, & imperio subiiciuntur, potest nolle bonum, velle malum, & suspendere suum actum, vt satis ostendi, & probaui *suprà*, confecique integram quæst. *Tract. de cognoscibilitate Dei, disp.* 3. beatum non necessariò frui obiecto beatifico, ipsi ostenso.

86. Assertio quarta, nec idcirco beatitudo est perennis propter habitum necessariò afficientem potentiam beatificam, putà per lumen gloriæ necessariò determinans intellectum ad videndum Deum, charitatemque consummatam, ad fruendum ipso necessariò. Tradit Doct. *eo ipso loco præmemorato.* Probatur 1. habitus adueniens potentiæ datur ipsi potentiæ ad facilè, promptè, expeditè, & delectabiliter operandum, vt liquet ex definitione habitus, non autem ad necessitandam, impediendamque potentiam, ne suo modo operandi operetur: ante autem receptionem habitus potentia beatifica necessariò non operabatur, voluntasque erat libera, & domina suorum actuum: ergo accedente ei habitu, non tollitur eius modus operandi, sed perficitur, & nobilitatur: atqueadeo felicitas non perpetuatur, ex habitu potentiæ superaddito.

Secundò, quando duæ causæ partiales concurrunt ad eumdem effectum simul producendum, & alterutra est præcipua, huiusmodi causa præcipua, à minus præcipua non necessitatur ad producendam suam operationem, sed potiùs è contrà, vt liquet de intellectione, quæ producitur ab intellectu, & obiecto cognito, intellectus tamen est causa principalis intellectionis, à qua denominatur intelligens, diciturque actio vitalis. Item instrumentum non necessitat agens principale ad agendum, immò agens principale præmouet instrumentum ad agendum, eoque ad suum libitum vtitur: ergo, &c.

Tertiò, causa prior non cogitur à causa posteriore, vt Deus, qui est causa prima, non determinatur a causa secunda, potentia autem beatifica prior est lumine gloriæ, & charitate consummata, veluti subiectum est prius eo, quod est in subiecto. Rursus, potentia beatifica est maior, fortiorque habitu, cum sit, quo simpliciter possumus, atque ille propter hanc à Deo condatur. Maius autem, & fortius à minori, & inferiori non necessitatur, sed è contrà. Iterum Christus in via habuit tantam gratiam, & charitatem, quantam beatus, immò maiorem, cum eius gratia fuerit summa negatiuè, vt dixi *Tract. de Incarnatione.* Eius tamen voluntas erat libera, oblatus enim est, quia ipse voluit. *Esa.* 53. meritque voluntate, libertateque sua, redemptionem, nostramque salutem. Idipsum astruendum est de B. Virg. quæ præ aliis gratia plena sponte, & liberè operata est. Non igitur causa perennitatis beatitudinis, in habitus determinantes potentias beatificas reiicienda est.

87. Assertio quinta, beatitudo est perpetua per voluntatem Dei volentis eam sic perpetuò durare. Tenet Doct. *vbi suprà*, quem sequitur Raconius *disp. vn. de beatitudine, sect.* 4 *quæst.* 2. Probatur 1. beatitudo perpetuatur, velùti Angelus, aut hominis natura; vt enim suprà dicebam cum Scot. non magis accidens est perpetuum, quam eius subiectum, in quo inhæret. Natura verò Angeli, vel hominis est perpetua, voluntate Dei, vt sancitum est *in VI. Synodo generali Constantin act.* 1. Angelos esse immortales, & incorruptibiles voluntate Dei. Igitur Dei beneplacito felicitas est perpetua.

Secundò, sicut voluntate Dei beatitudo intenditur, ita quoque extenditur, sed beneplacito Dei beatitudo intenditur,

intenditur, & beatus perficitur. Voluntariè enim, & libere, *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Pſal. 83. & Matt. 20. *Nonne mihi licet facere, quod ego volo?* Denuò omnia, quæ ſunt, & fiunt ad extra, liberè, & contingenter ſunt, & fiunt, vt ſuprà obſeruaui: beatitudo autem formalis eſt opus ad extra, & obiectum beatificum eſt voluntarium. Vnde Auguſt. *lib. de videndo Deo* inquit, *Deus eſt ſpeculum voluntarium, ſi vult, videtur, ſi non vult, non videtur.*

88. Aſſertio ſexta, perpetuitas non eſt de eſſentia beatitudinis intenſiuæ, ſed extenſiuæ duntaxat. Defendit Scot. cit. Probatur 1. ex Ariſt. 1. Eth. 6. *Albedo vnius diei ita eſt perfecta, ſicut albedo vnius anni.* cauſa eſt, quia extenſio rei non pertinet ad eſſentiam intenſionis; hæc enim eſt de genere qualitatis, illa verò de genere quantitatis: prædicamenta autem ſunt impermixta ex alibi dictis: ergo, &c. Secunda, beatitudo formalis eſt eſſentialiter operatio intellectus, aut voluntatis ex aſſertis in ſuperioribus: perpetuitas verò non eſt operatio, quia cum ſit de genere quantitatis, quæ non eſt actiua, nequit eſſe operatio. Inſuper, æternitas non eſt de eſſentia beatitudinis Dei. Vt enim probaui *tract. de Deo vno*, eſt modus Dei, & ipſius felicitas ſita eſt in operatione, alioqui Deus eſſet quaſi dormiens, quod tanquam inconueniens infert Ariſt. 12. *Met.* Ergo nec perpetuitas eſt de eſſentia beatitudinis creatæ. Addo quod æuum, & tempus ſunt paſſiones rerum durantium, vt notaui ſuprà: paſſiones autem non ſunt de eſſentia rerum, quarum ſunt paſſiones, vt peculiariter de tempore reſpectu motus, cuius eſt paſſio, oſtendi *in Phyſ. 9.* de natura temporis. Igitur perpetuitas non ſpectat ad beatitudinis intenſiuæ eſſentiam, ſed extenſiuæ duntaxat.

89. Oppones primò, par ratio eſſe videtur de certitudine beatitudinis, ac de eius perpetuitate: ſed certitudo eſt de eſſentia beatitudinis, ergo & perpetuitas. Ma. videtur nota, & conceſſa ab omnibus. Min. fulcitur teſtimonio Auguſt. 13. Trin. cap. 7. *Quod eſt omninò beatiſſimum, ita fortè certiſſimum erit.* Concedo maiorem, nego minorem. Ad Auguſt. dico, præterquamquod ipſe Auguſt. apponit particulam dubitatiuam *fortè*, exponitur de extenſiua, non verò intenſiua beatitudine, vt ait Doct. cit. §. *Ad argumenta T.* Vel dicito cum eodem Doct. hîc *in Rep.* beatitudo eſt certiſſima, non ex natura beatitudinis, ſed ex diuina reuelatione, vt claret ex locis Scripturæ præallatis.

90. Oppones ſecundò, de ratione intrinſeca beatitudinis eſt, vt ſit optima, & vltimata perfectio, cum ſit finis vltimus intrinſecus creaturæ intellectualis: ergo excludit omnem priuationem, qua ſubiectum poteſt appetere aliam perfectionem, taliſque perfectio corrumpi, & deſinere eſſe queat; proindéque perpetuitas eſt de eſſentia beatitudinis. Conf. 1. ideo cælum eſt incorruptibile, quia eius forma plenè ſatiat appetitum eius materiæ: & nedum ea forma ſubſtantialis, verumetiam accidentalis, vt perſpicuitas in ipſo Cælo, & luminoſitas in ſtellis. Conf. 2. ſi forma corporea poteſt reddere corpus æternum, vt forma Cæli, vtique & forma ſpiritualis reddit beatum perpetuum, & incorruptibilem. Ideò S. Paulus 1. *Cor.* 15. clamat, *Seminatur corpus in corruptione, ſurget in incorruptione.* Reſpondeo ant. valere quoad intenſionem, non verò quoad extenſionem. Ideò ſuperius dixi cum Stagirita, tam eſſe perfectam albedinem vnius diei, quam vnius anni. Ad conſequentiam dico, excludere quidem priuationem proximam, non verò remotam, explereque appetitum actualem; non autem potentialem, veluti materia habens vnam formam, non priuatur potentia, & appetitu habendi aliam formam.

91. Inſtabis, beatitudo eſt finis vltimus intrinſecus, vltimatè coniungens naturam intellectualem cum fine extrinſeco explente omne deſiderium, & appetitum: ergo nulla eſt ampliùs priuatio, qua aliam formam appetere queat. Dico eſſe quidem finem vltimatum intrinſecum, tamen finitum Ob id non excludit priuationem remotam, maximè quia beati non poſſident formaliter omnem perfectionem ipſis poſſibilem, ſed tantum penes eorum merita.

92. Vrgebis, ergo non ſunt perfectè beati, quia non habent quidquid volunt. Ex Auguſt. enim alibi memorato, Beatus eſt, qui habet quidquid vult. Dico, beatos habere quidquid volunt, ſupple, iuſtè, & rectè, ſecundum diuinam legem, & ordinationem; Ideò expletum, & quietum eſt cor eorum, præſertim, cum Deum habeant, qui vnitiuè continet omne bonum, quò reſpiciens Auguſt. 1. *Conf. fere in initio* ſubdit Deum alloquens: *Inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Ad 1. conf. nego eam cauſam allatam reddere cælum incorruptibile, quandoquidem abſolutè, & remotè eſt corruptibile, licet proximè, ſit incorruptibile, quia non datur agens creatum fortius, quod valeat id deſtruere, vt dixi *l. de cælo*, Ad 2. conf. per idem patet, nec formam ſubſtantialem, nec accidentalem, cum vtraque ſit finita, explere omnem appetitum materiæ, cum etiam appetat cæteras formas. Itaque nulla quantumvis perfecta forma tollit appetitum materiæ, ad alias formas, à quibus actu non informatur, cum ex dictis quæſt. de materia tendat ad omnes formas, ſiue imperfectas, ſiue perfectas recipiendas.

93. Oppones tertiò, natura beata non eſt exuta omni priuatione: ergo poteſt eſſe miſera, cùm ex ſe ſit capax beatitudinis, & miſeriæ: impoſſibile autem eſt, beatum poſſe eſſe miſerum, alioqui non foret plenè beatus, immo timeret, ne miſeria ſibi accideret, timor verò ſecum vehit triſtitiam, quæ longè diſtat à beato. Igitur perpetuitas eſt de eſſentia felicitatis. Reſpondeo quantum eſt ex ſe, natura intellectualis eſt capax vtriuſque; contrariorum; namque idem eſt ſubiectum 2. *Top. cap.* 2. & *in poſtprædicam.* tamen non erit vnquam miſera, quia ſcit à Deo ipſi reuelante ſemper in beatitudine ſe permanſuram. Ideo nec timor, nec triſtitia in eam cadit. Pariter damnati ſciunt perpetuis pœnis ſe addicturos, propterea affliguntur, & triſtantur quam maximè.

94. Oppones quartò, 1. *Eth.* 8. felicitas eſt operatio optima ſecundum vitam perfectam, quæ per Ariſt. includit perpetuitatem. Ideo pro inconueniens habet, felicem poſſe eſſe miſerum. Igitur in ſchola Peripatetica, felicitas eſſentialiter eſt perpetua. Reſpondeo Ariſt. in his, & conſimilibus, ambiguè, & dubitatiuè loqui, veluti de immortalitate animæ. Nam 12. *Met.* ſcribit noſtram beatitudinem non eſſe perpetuam. Et 3. *Eth. cap* 9. poſt mortem nihil boni, aut mali poſſe accidere. Nec mirum eſt, cum non cognouerit, veram felicitatem, quæ viribus naturæ cognoſci nequit, cum ſit ſupernaturalis, proindéque à Deo nobis reuelata. De qua loquens Auguſt. 12. *Ciuit. cap.* 20. inquit: *Illa nobis veraciter promittitur vera felicitas, cuius erit ſemper retinenda & nulla infelicitate rumpenda certa ſecuritas.* Et 13. Trin. cap. 9. *Humanis quippè argumentationibus hæc inuenire conantes vix viri magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinis ſubtiliſſimis eruditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem peruenire potuerunt. Cui tamen animæ beatam vitam non inuenerunt ſtabilem, id eſt veram.*

DVBITATIO

DUBITATIO VII.

An beatitudo reddat beatum impeccabilem.

95. Beatum esse impeccabilem, indefectibilem, & inobliquabilem tenent omnes Doctores orthodoxi: qua autem ratione, quave de causa sit impeccabilis vestigant, & disceptant Scholastici. Plerique enim, vt Raconius nuper alleg. *quaest.* 1. *art.* 2. autumant impeccabilitatem beati necessario prouenire ex vi, & natura beatitudinis, adeò vt in eo nulla sit prorsus potentia peccandi, siue proxima, siue remota. Scot. autem 4. *dist.* 49. *quaest.* 6. §. *Dico ergo.* 6. Vorr. & alij *ibid.* docent beatum esse impeccabilem in sensu diuiso: pro cuius declaratione, & decisione.

96. Not. primò, & recolendum ea dicta *in Epitome l.* 3. *q.* 4 *a* 3. *n.* 9. quid sit sensus compositus, quidve sensus diuisus. Cùm autem dicitur beatus in sensu composito non potest peccare, perinde est ac dicere, nequit simul beatus esse, & peccare, quia peccatum, & felicitas opponuntur. Siquidem beatitudo excludit omnem defectum, & peccatum est defectus à diuina lege, & prima regula. Ideoque beatus, vt beatus est impeccabilis, veluti paries albus vt albus, in sensu composito non potest esse niger, vt satis declaratum est, passu praetercensito. In sensu autem diuiso non repugnat, quin beatus possit peccare, siue habeat potentiam, & possibilitatem ad peccandum. Quod vt melius percipiatur.

97. Not. secundò, ex eodem Doct. potentiam peccandi distingui in remotam, & proximam. Potentia remota est voluntas creata, quae suapte natura est defectibilis, & peccabilis. Est enim finita, & libera ad bonum, aut malum faciendum, & domina suorum actuum, quae quatenus ab eatrinseco, hoc est à diuina voluntate praeuenitur, & determinatur ad bonum volendum, actumque continuandum, & perpetuandum optimum fruendi obiecto beatifico, dicitur potentia remota, veluti materia, quae non est praeparata, & disposita ad aliquam formam recipiendam, dicitur habere potentiam remotam ad talem formam. Potentia verò proxima peccandi est eadem voluntas in se manens, libera ad vtrumlibet, à nullo principio extrinseco praeuenta, & determinata, nullo sibi obice interposito, potest eligere bonum, vel malum sibi appositum, & praesentatum, veluti materia, cum est praeparata, & benè disposita potest proximè, & immediatè recipere formam ab agente productam sine inductam, vel eductam. Sic beatus non habet potentiam proximam peccandi, quia eius voluntas praeuenitur à Deo, vt continuet iugiter actum suum beatificum, quo stante, & durante, nunquam potentia eius remota ad peccandum reuocari potest ad actum peccandi Nam causa 2. praeuenta à causa prima, ad agendum vnum oppositum, nequit in aliud oppositum exire. Nihil tamen beatus intrinsecum habet, per quod intrinsecè reddatur incapax, impotens, & repugnans ad peccandum, cum natura eius sit defectibilis, & peccabilis, quia est dependens, finita, & superiorem regulam agnoscens.

98. Not. tertiò, *ibid. ex illo extra. l.* Potentia operatiua non dicitur potentia, nisi adsint omnia necessaria ad agendum, & tollantur omnia impedimenta, quae valent operationem eius impedire. Quemadmodum enim ea 9. *Met.* 6. nihil est in potentia passiua proxima, nisi remoueantur impedimenta, quae impediunt, ne aliqua forma in ea recipiatur, sic non est potentia proxima actiua, nisi adsint omnia requisita, remoueanturque obices valentes ipsam impedire, ne in actum siue operationem prodeat: pariter in beato est eadem potentia volitiua, quae erat prius in eo, dum adhuc non erat beatus, & haec dicitur potentia remota peccandi, quae simpliciter est defectibilis, & peccabilis, nihilque ipsi deficit necessarium, cum sit ei intrinseca, vt sunt reliquae potentiae. Tamen in eo haud est potentia propinqua peccandi, quandoquidem praeuenitur a causa prima, continue agente actum oppositum peccato, cuiusmodi est actus beatificus.

99. Not. quartò, ea eodem *ibid.* non esse contra naturam, & libertatem voluntatis praeuenti, & determinari à causa prima, quia causa secunda, est inferior, essentialiter subordinatur causae 1. & ab ipsa dependet in esse, & operari, quod Philosophi nominatim Arist. 7. *Phys.* 1. & 8. *eiusdem operis* cognouerunt, proferentes illud elogium, *Quidquid mouetur, ab alio mouetur*, ratione cuius deuenerunt ad notitiam primi motoris, & primae causae. Foret autem contra eius naturam, & libertatem, si ab habitu determinaretur, quia cum habitus sit inferior, detorque, vt eo vtatur potentia, consequenter nequit ab eo praeueniri, & praedeterminari, enim sit prior, & nobilior eo, atque causa principalis. Potentia quippè est, qua simpliciter possumus; habitus verò inclinat eam, facilitat, & partialiter, minus tamen principaliter ad operationem concurrit. Quomodo autem libertas creata praeuenta à diuina voluntate, maneat illaesa, vide Scot. cit.

100. Assertio prima. Beati sunt actu impeccabiles. Tenet Scot. *vbi supra*, & 3. *dist.* 12. *quaest. vn.* Probatur primò, ea Aug. *l.* 3. *contra Maximinum c.* 13. Nazian. *orat.* 44. *in principio*, & aliis passim. Atque corroborari potest ea illo scripturae Apoc. 1. *Nihil coinquinatum introibit in regnum Caelorum.* Si ergo, vt quis gloria fruatur, debet ab omni sorde peccati, & labe culpae esse immunis, consequenter in eo reg[num] nullum committitur peccatum, beatique sunt impeccabiles.

Secundò, duo opposita nequeunt esse simul in eodem subiecto ex Aristotele in post praedicamentis: beatitudo autem opponitur peccato, illeque status est huic oppositus. Vbi enim est summa quies, & perfecta pax: hic verò continuus labor, & perenne bellum.

Tertiò, beati sunt in termino, sicut & damnati nequeunt amplius mereri, aut demereri Manet enim quilibet perpetuò in sua Ciuit. ex decreto Dei, quo immutabiliter statuit ab omni aeternitate filios pacis, & saluationis, iugiter degere in Ciuitate caelesti, & Hierusalem: filij verò perditionis, & reprobationis, in Ciuitate Babilonica, & tartarea, poenis, tormentisque aeternis torqueri.

101. Assertio secunda causa, cur beati sint impeccabiles est voluntas Dei praeueniens, & [det]erminans eorum voluntates ad perennem, & perpetuam fruitionem. Docet Scot. *loco cit. sub G.* Probatur primò, causa perpetuitatis beatitudinis sanctorum non est natura ipsius beatitudinis, quae est accidens realiter distinctum à subiecto, in quo est, diuinitùs separabile, & contingens, vt *in ant dub.* probatum est: ergo pariter causa impeccabilitatis eorum non est beatitudo, quae ea se est accidens separabile, nec aliquid aliud eis extrinsecum, sed diuina voluntas praeueniens, & continuans actum beatificum.

Secundò, causa prima agente, & praeueniente causam secundam, nequit causa secunda, resistere, eaque non agente, ista agere non potest, vt patet de igne Babilonico, qui Deo suspendente suum concursum, non combussit tres illos pueros Hebraeos in eum proiectos. Deindè potentia Dei ordinatâ statutum est, Beatos permansuros semper in bono, vt communiter astruunt Theologi, & non declinaturos ad malum: siquidem in illo statu non amplius erit dolor, nec luctus, igitur voluntas Dei semper concurrens ad actum beatificum, & non ad oppositum eius, est causa illorum impeccabilitatis.

102. Assertio tertia, de possibili, & potentia remota beati sunt peccabiles. Tradit Doctor *alleg. H.* Idque astruit de Christo, vt homine 3. *dist.* 12. *quaest. vn.* Probatur primò, natura creata, & liberum arbitrium in statu beatifico non destituitur, sed perficitur, non tollitur, sed persistit quàm maximè, solumque ei tribuuntur

tribuuntur accidentia, vt lumen gloriæ, charitas consummata, quæ simul causant operationem beatificam. Dicta autem accidentia non adimunt vim, & potentiam volitiuam, quæ ex se potest benè, vel malè agere, estque ad vtrumque vertibilis, cum essentialiter sit libera, finita, & creata; atque prænominata accidentia realiter ab ipsa differunt, proindéque absoluta Dei potentia, possunt ab eadem separari; ornant autem, ipsamque perficiunt, & coniungunt cum perfectissimo bono, vltimoque fine.

Secundò, voluntas beati præcise, & absolutè est dependens, superiorem regulam agnoscens; Deus verò solus est impeccabilis, quia est independens, & prima omnium regula. Igitur beatus absolutè, & remotè est peccabilis.

Tertiò, Deus pro suo libito, & beneplacito dat gratiam, & gloriam, cui vult, vt patet ex illo Matt. 20 *Nonnè mihi licet facere, quod ergo volo?* Igitur absolutè sicut Deus liberè gloriam beato tribuit, vtique potest eam auferre, posito autem quod eam tolleret à beato, ipse sibi relictus, vt erat ante beatitudinem, nihil dubium, quin tum foret peccabilis; atqueadeò potentia remota, & in sensu diuiso beatus est peccabilis.

103. Oppones primò, contra 1. assertionem *ex 4. Top* 5 Deus, & studiosus potest praua agere, ergo etiam beatus est peccabilis, sicut Deus Respondet Th. cit. à Vorr. 3. *dist.* 12. si Deus velit; non potest Deus velle praua agere, ergo nec peccare. Contra, potentia Dei est eius voluntas, si ergo Deus potest, ergo vult. Præterea Arist. non loquitur conditionatè, sed absolutè vt constat legenti eum librum. Occurrit Seraphicus, illud allatum esse exempli causà, exempla autem non poscunt veritatem, vt in simili aduertit Fereb. *vest.* 3. *leg.* 1. *cap* 6 *ante num* 58. Vel dico id intelligi permissiue, non effectiue, vt Exod 4. *Indurabo cor Pharaonis*, exponente Alph. *l.* 10. *aduersus hereses. har.* 1. *verb. malum.* Vel intelligitur de Angelo, seu Dæmone, familiare quippè est Arist. sumere Deum pro Angelo, vt notaui *in Log. lib* 3 *q.* 4. *art.* 3.

104. Oppones secundò, si Deus præueniret, & determinaret voluntatem beati, ad actum beatificum: ergò cogeretur, nec foret libera in actibus suis eliciendis: tollere autem libertatem, & contingentiam à causa 2. absurdum, & incongruum est, cum sit contra eius naturam. Conf. nihil laudabile, nihilque commendabile foret in operationibus beatificis, essetque beatus, veluti truncus, & res inanimis, ac irrationalis, quæ aliter operari non potest, cum tamen in cælo ei promittatur plena libertas, immò voluntas futura sit ibi liberior, teste August. *in Ench. cap.* 14. Nego conseq. quia vt supra notaui, cum causa 2. subordinetur causæ primæ, si ab ipsa præueniatur, nihil fit contra eius naturam, quæ sic est ordinata, & subordinata causæ primæ, maximè cum concurrat ad eius perfectionem optimam, ad quam ipsa naturaliter propendet: Ideo nulla est coactio, libertatisque violatio. Ad conf. dico id esse laudabile, quandoquidem causa 2. se determinat ad bonum, & cooperatur in bono, cum causa 1. Quare cum causa 2. concurrat cum causa 1. ad actum beatificum promendum, haud sequitur eam esse tanquam truncum, aut quid aliud ex incommodis subillatis.

105. Oppones tertiò, August. *in Ench cap.* 96. scribit, Anima nostra sicut habet nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper est habitura. *Et ibid.* subiicit, *Miseri non solum esse nolumus, sed nequaquam velle possumus*: Ergo in beatis nulla est potentia peccandi etiam remota. Conf. 1. Perih. *Possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile*: si ergo beatus potest peccare, posito quod peccet, quod non implicat, sequitur non esse beatum, sed potius dignum pœna, & damnatione, quod est perabsurdum, ergo, &c. Respondeo August. esse interpretandum de potentia proxima, non verò remota, vel de facto, non autem de possibili: vel quoad inclinationem naturalem, non verò quoad absolutam possibilitatem Ad conf. idem est dicendum, scilicet in sensu diuiso, & potentia remota beatum posse peccare; non autem in sensu composito, potentia propinqua, & lege Dei ordinata, qua statuit beatum iugiter perseueraturum in bono, & felicitate: atque nunquam in malum, peccatumve lapsurum. Quod autem adducitur *ex* 1. *Perih.* exponitur à Scot. *in dist.* 39. §. *Ad* 1. *arg. q.* Vide ibi.

Dubitatio VIII.

Vtrum beatitudo reddat beatum securum.

106. Hæc difficultas affinitatem habet cum dub. 6. præcedente, in qua peruestigatur, num perpetuitas sit de essentia beatitudinis; ideo ex decisione illius, facilis est dilutio istius. Vt enim perennitas præsupponit beatitudinem, veluti mensura mensuratum: pariter securitas præexigit felicitatem, sicut obiectum præsupponitur eo, quod ipsum concomitatur. Securitas autem non respicit obiectum beatificum, sed ipsam beatitudinem, de qua beatus redditur certus, & securus. Vt autem magis pateat, quod à nobis est propositum.

107. Not. 1. certitudinem, & incertitudinem pertinere ad intellectum. Intellectus enim est, qui efficitur certus vel incertus, seu dubius de aliquo obiecto, vt tetigi *in Log. lib.* 5. *quæst.* 4. & ex instituto, suo loco examinabitur. Timor autem, & securitas spectat ad appetitum, siue sensitiuum, siue intellectiuum, præsupponuntque apprehensionem sensus, aut intellectus, & quidem timor præexigit apprehensionem sensus, vel intellectus de malo infligendo, vel de inflicto continuando, vt notat Doct. *cit.* §. *de secundo principali.* P. de quo intellectus plerumque est certus, & aliquando est dubius, licet propriè timor non sit de eo, quod venit in dubium, scribente Scot. *in Rep. hic* §. *De secundo principali.* Cùm autem timor, & securitas opponantur, & opposita collocentur in eodem subiecto, sitque oppositorum eadem ratio, & disciplina, consequenter ex declaratione timoris, patet notificatio securitatis. Quare timor naturæ intellectualis residet in appetitu rationali, hoc est voluntate, quod pariter asserendum est de securitate, quæ in voluntate quoque suam sedem habet, subsequens certitudinem de bono conferendo, vel de bono collato continuando.

108. Not. 2. tentionem esse nomen æquiuocum, cuius quatuor acceptiones adducit Doct. *cit.* §. *De secundo principali.* R. Primò enim sumitur tentio pro habitione obiecti in memoria, cum tenet ipsum obiectum per speciem impressam, vel per habitum, vel per alium modum, sic tentio spectat ad intellectum, qui à memoria intellectiua non distinguitur, ex dictis *lib.* 3. *de anima.*

Secundò pro actuali intellectione de obiecto, quod euenit, cum intellectus actu speculatur obiectum, & in ea speculatione voluntas tenet ipsum intellectum, imperando eidem intellectui, ne ad aliud medicandum conuertatur, & quoad istud tentio pertinet ad voluntatem, quoad illud verò ad intellectum.

Tertiò pro amore concupiscentiæ, quo quis sibi appetit bonum, quod sperat se habiturum. Et tentio sic accepta succedit spei virtuti, cum id, quod per spem desideramus, tenemus, potimur, & possidemus.

Quartò pro actu assequutionis, siue passione consequente spem passionem, quæ est in irascibili. Nullo autem horum modorum tentio est de essentia beatitudinis, & quidem 1. modo tentio præcedit beatitudinem & pertinet ad actum 1. intellectus: beatitudo verò ad actum 2. vt patet ex dictis. 2. modo est actus

intellectus, qui quoque præcedit beatitudinem, quæ est actus voluntatis subsequens actum intellectu, veluti voluntas naturaliter posterior est intellectu. Tertiò, est amor boni commodi, in quo non extat beatitudo, quæ est amor boni honesti, & non aliorum, sed gratia sui. Quartò verò modo tentur est passio subsequens beatitudinem, sicut perpetuitas concomitatur felicitatem intensiuam.

109. Assertio prima. Beatus est securus de sua beatitudine. Ita Scot. *cit. §. de secundo principali. P.* Probatur primò, Psal. 111. *Ab auditione mala non timebit.* Psal. 22. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et Ioan 7. *Nemo rapiet eas de manu mea.*

Secundò, August. *serm* 143. *de tempore.* Et 12. *Ciuit. cap.* 20. & *in Psal.* 90. *Ibi autem, cùm illuc peruenerimus, perfecta securitas.*

Tertiò, timor opponitur securitati, vt suprà notatum, non potest autem timor cadere in beatos, alioqui non forent beati, metuerent namque amittere suam beatitudinem, & quoquomodo paterentur, quia timor est passio: ergo si beati non forent securi de felicitate perpetuanda, Deum non intensè diligerent, quia nemo maximè illud diligit, quod aliquando timet amittere, beati autem amant Deum, quantum amare possunt, necnon suam formalem felicitatem, in qua vltimatè quiescunt, & delectantur. Insuper beatitudo est æterna: ergo & secura, quia obiectum securitatis est beatitudo, quam semper beati, se esse possessuros certi sunt, & securi.

110. Assertio secunda, securitas beatitudinis non petitur ex natura ipsa beatitudinis, nec ex aliquo obiecto creato, sed ex diuina voluntate reuelante. Assertio est tripartita, quàm tenet Scot. *ibid.* Prima pars patet ex dictis de perennitate felicitatis, quæ ex se est contingens, sicut quodlibet aliud creatum, & perpetuatur per diuinam voluntatem: pariter securitas non habetur ex ipsa felicitate, quæ est accidens, & passio realiter à subiecto, in quo inhæret, distincta, ab eoque amouibilis. Vt ergo beneplacito Dei perpetua est, ita & secura.

Secunda pars quoque est in promptu; Nam vires naturæ eam non attingunt, cum sit supernaturalis. Ob id refert August. nuper citat. viros alioqui doctissimos, & subtilissimos eam non attigisse, sed lapsos esse in perpetuos circuitus, & manes anfractus, ambages, & reditus, ad miserias impossibiles, de quibus fortasse loquens Propheta ait, Psal. 11. *In circuitu impij ambulant.* Iterum quod dependet à diuina voluntate, demonstrari nequit, beatitudo autem, perpetuitas, eiusque securitas dependet à diuina voluntate, vt mox patebit.

Tertia pars suadetur Ioan. 10. *Nemo rapiet eas de manu mea.* Vndè cantat Ecclesia. *In æternum requies eorum.* Et, *Amplius non erit luctus, nec clamor, sed nec vllus dolor.* Deindè beati noscunt Deum esse veracem, & immutabilem, cum ergo Deus protulerit beatos iugiter in felicitate permansuros, infertur planè per diuinam voluntatem, eos esse de ea securos. Rursus, quemadmodum damnati affliguntur vehementer de pœnis, in æternum continuandis, Matt. 25. *Ite in ignem æternum*: ab opposito beati lætantur, de gloria perpetuo fruenda, & possidenda, diuina voluntate sic reuelante. *In cælestibus regnis sanctorum habitatio est, & in æternum requies eorum*, canit Ecclesia.

111. Assertio tertia, securitas non est de essentia beatitudinis. Tradit Doct. *allegat. Q.* Probatur à simili de perpetuitate, quæ ex dictis quoque non est de essentia beatitudinis, sed eius passio ipsam subsequens, & concomitans: securitas autem præsupponit beatitudinem: quod autem aliud præexigit, & præsupponit, non ingredi eius essentiam, notum est. Nam posterius non est de essentia prioris. Denuò, beatitudo intensiua esse potest absque securitate, vt si foret felicitas horaria, vel momentanea: quod autem esse valet absque alio, non esse illi essentiale, nemo ambigit. Quare conclusio de essentia beatitudinis intensiuæ, non est de securitatem.

112. Oppones primò, beatitudo est finis omnium desideriorum; per eam quippe natura intellectualis satiatur, nec vlterius eius appetitus progredi potest, cum extra Deum, qui est infinitus, & vltimus finis, nihil sit. Ergo sicut naturale cuique est, in bono permanere, & perseuerare in eius adeptione, ita permanentia, & perpetuitas est illi statui essentialis ac etiam securitas. Eò magis, quia Scot. occurrens huic instantiæ, ait esse veram de fine extrinseco vnitiuè continente omne bonum: non autem de fine intrinseco, qui est finitus, cui potest deesse aliqua perfectio. Si autem hæc responsio valet, sequitur, beatum non esse perfectè beatum, quia eius appetitus non esset plenè, & perfectè expletus. Respondeo argumentum concludere de beatitudine extensiua, & de fine extrinseco, siue obiectiuo, qui est Deus; non autem de fine intrinseco, & beatitudine intensiua. Ad id quod subiicitur, dico beatum esse perfectè beatum, quamuis non habeat omnem gradum felicitatis, quia conformatur voluntati Dei, eiusque meritis. Ideò inquit August. 13. Trin. cap. 5. *Beatus est, qui habet, quidquid rectè vult* vbi appositè ponit aduerbium *rectè*, quia si amplius vellet, non rectè vellet, nec foret beatus, quia voluntati Dei non conformaretur.

113. Oppones secundò, pœna damnati est æterna: ergo & gloria beati vtique est æterna. Ant. patet, culpa est infinita, nempè contra Deum, qui est infinitus. Culpa autem nequit esse infinita intensiuè, alioqui daretur malum formaliter infinitum, quod est impossibile, ergo erit infinita extensiuè, hoc est quoad durationem. Si ergo de durationis ratione intrinseca est perpetuitas, vtique de eiusdem ratione est securitas. Distinguo ant. & consequent. ex se, nego; ex voluntate Dei, concedo. Ad probationem dico, culpam intrinsecè, & formaliter esse finitam, quia est à voluntate finita: extrinsecè verò, & obiectiuè esse infinitam, quia est contra Deum obiectum infinitum. Voluit autem Deus voluntate sua, & liberalitate præbere præmium æternum iustis, quod quidem non est rigorosè ex iustitia, sed ex sua bonitate, & liberalitate. Siquidem si per instans iustus frueretur diuina essentia, excederet quàm maximè eius meritum, tamen ita voluit, & statuit Beatum perpetuò frui summo bono. Similiter ipsi placuit, & sancinit damnatum æternò cruciari, in pœnam suorum peccatorum.

Dvbitatio IX.

An gaudium sit de essentia beatitudinis.

114. Dvo Scholasticorum principes, qui in superioribus aduersantur, quoque in præsenti altercantur. Etenim Angelicus 4. *dist* 48. *quæst.* 3. *art.* 1. arbitratur gaudium ingredi beatitudinis essentiam. Subtilis verò *eodem* 4. *d.* 49. *quæst.* 7. docet gaudium non esse de essentia beatitudinis.

115. Not. primò, gaudium, delectationem, exultationem, voluptatem, & huiusmodi vulgò confundi, tametsi quoquomodo inter se differant. Tribuuntur autem tam potentiis materialibus, vt appetitui sensitiuo, quam spiritualibus, vt appetitui rationali. Homo namque dicitur gaudere de visione, & fruitione rerum spiritualium, atque de bono, & delicato cibo. Propriè verò gaudium est passio animæ actum amoris intensum consequens, de obiecto amato. Lætitia designat motionem, dilatationem virium interiorum. Ideò dicitur lætitia, quasi latina, propterea quod animam quasi latam facit, vires fundens exteriores. Exultatio denotat motum exteriorem

à corde

corde exeuntem, extráque apparentem; ob id nominatur exultatio, quasi extra saltatio. Hæc autem resident in concupiscibili, præsupponunt operationem amantis, circa obiectum amatum, quam postmodum consequuntur, & concomitantur. Idcircò Doct. cit. & 1. distinct. 1. quæst. 3. Rep. Planè distinguit delectationem à dilectione, quia hæc est actio, illa verò passio.

116. Not. secundò, ex Scot. *in 4. loco prealleg.* §. *Dico ergo. A.* voluntatem bifariàm inspectari, videlicet vt est operatiua, & vt est receptiua. Si inspiciatur primo modo quatenus est operatiua, sic vltimatè perficitur per operationem, qua perfectè, & intimè coniungitur optimo simpliciter, quod est eius obiectum beatificum, & in hac operatione essentialiter beatitudo collocatur. Quod si voluntas secundo modo consideretur, hoc est quatenus receptiua, ita perficitur per passiones supernaturales, quarum est vltimatè receptiua, putà gaudij, delectationis, & huiusmodi. Vndè colligit Scot. *ibid.* magis accedere gaudium ad beatitudinem, quàm securitatem. Nam beatitudo formalis, & gaudium resident in eadem potentia, nempè in concupiscibili. Quiescit quippe voluntas per delectationem, quatenus eam recipit, veluti eadem voluntas perficitur per operationem, quatenus eius est operatiua. Verùm securitas est in irascibili, quæ consequitur spem, non virtutem, sed passionem, vt tetigi *in ant. dub.*

117. Assertio, gaudium nôn est de essentia beatitudinis strictè sumptæ, sed passio ipsam subsequens. Ita Scot. præcitat. Probatur primò, ex Aristot. qui 10. *Eth.* 4. inquit, delectationem (quæ ex dictis suprà coincidit cum gaudio) aduenire operationi. Post enim operationem accedit delectatio, estque quoddam superueniens, & perficit eam veluti decor iuuenem. beatitudo autem consistit in operatione, ex suprà ostensis, & probatis: non ergo gaudium ingreditur essentiam beatitudinis, in schola Arist.

Secundò, dilectio, & delectatio in eo differunt, quod dilectio est actio voluntatis, de qua tanquam obiecto potest esse delectatio: quispiam enim in dilectione, & amore potest delectari, scribente Scot. *in Rep* 1. *dist.* 1. *quæst.* 3. delectatio autem, & gaudium confunduntur, ergo &c.

Tertiò, beatitudo est in intima vnione beati, cum obiecto beatifico: hæc autem vnio fit per operationem, quàm concomitatur gaudium: Iterum beatitudo respicit obiectum beatificum nedum in ratione causæ efficientis: verumetiam in ratione obiecti; delectatio verò, siue gaudium fertur ad obiectum beatificum tantum, vt causam efficientem, à qua causatur: beatitudo verò cum sit operatio vitalis efficitur partialiter à beato, qui non passiuè tantum, sed etiam actiuè se habet in ea. Demùm, multa appetimus *ex* 10. *Eth. cap.* 3. etsi delectationem non habeamus, vt scire, recordari, & id genus alia. Ob id non est operatio propter delectationem, sed potiùs econtrà, auctore Philosopho vbi suprà, non laboramus, vt quiescamus, sed quiescimus, vt laboremus.

118. Oppones primò, S. August. 10. *Conf* scribit, *gaudium est vita beata*: ergò gaudium est de essentia beatitudinis. Ant. patet à definitione ad definitum. Si enim valet, homo est animal rationale, rectè infertur, ergo animal rationale est homo. Pariter, si vita beata est beatitudo; & econtrà, & gaudium per August. est vita beata, planè deducitur, gaudium essentialiter esse beatitudinem. Confirm ex 10. Eth. cap. 1. & 2. *Delectatio est vltimum bonum.* Et *ibid. delectationem omnia appetunt*, ergo gaudium felicitati est essentiale. Expono August. cum Scot. causaliter, quatenus vita beata causat gaudium, sicut natura passionem, idque patet ex Verbis August. inquientis, *Quorum gaudium tu ipse es, & ipsa est beata vita, gaudere de te, propter te.* Vel dicito, eam non esse definitionem essentialem, sed descriptiuam, veluti quum dicitur, homo est animal risibile. Ideircò gaudium non est in voluntate vt operatiua, sed vt receptiua passionum eius, inter quas numeratur gaudium. Ad confirm. patet per idem. Delectatio enim, & gaudium est bonum consequens beatitudinem, tanquam passio perficiens voluntatem, non vt operatiuam, sed vt receptiuam, *vt suprà* declaratum est. Ita interpretandus est Philosophus *locis pracit.*

119. Oppones secundò, beatitudo est perfecta quies, & satietas concupitorum, vt claret Apoc. 14. *Requiescant à laboribus suis.* Et Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ideò subdit August. 1. Confess. 1. *Nullum bonum satiat, nisi Deus*, gaudium autem est perfecta quies, ergo essentialiter est beatitudo. Respondeo quidem in beato simul esse beatitudinem, gaudium, & id genus alia, sed non eodem modo. Siquidem beatitudo est, qua per se primo homo est beatus, gaudium verò consequitur ipsam felicitatem, veluti passio subiectum, à quo emanat.

120. Oppones tertiò, Deus absoluta sua potentia potest auferre quidquid non est de essentia alicuius, maximè si fuerit realiter ab eo distinctum, eoque posterius, & essentialiter ab eodem non dependens, vt ex Scot. alibi asserui, & ostendi: si ergo gaudium non esset de essentia, & quidditate beatitudinis, vi diuina posset esse beatitudo sine gaudio, & delectatione: repugnat autem beatitudinem esse sine gaudio, vt innuit Saluator Ioan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Igitur gaudium est de quidditate beatitatis. Concedo ant. nego consequent. eiusque assumptum; nulla quippè extat contradictio, & quamuis id repugnet, tamen nunquam fiet. Deus namque ita disposuit, vt beatitudini annexa sint delectatio, gaudium, & huius formæ alia. Dixi enim *suprà* beatitudinem intensiuam posse durare per instans, tametsi id nunquam continget, sed perpetuò duratura sit. Deinceps ad hominem, potest esse visio, absque fruitione, & tamen hoc nunquam eueniet, licet Th. nolit fruitionem ingredi naturam beatitudinis.

121. Oppones quartò, quod melius, & perfectius est, tribuendum est beatitudini, cum sit perfectio omnino maxima: melius autem, & perfectius est beatitudinem habere gaudium sibi essentiale, quam non habere: ergo &c. Respondeo maiorem valere, dummodò ei non repugnet, repugnat autem gaudium, cum sit passio beatitudinis, esse de eius essentia, sicut posterius esse de essentia prioris, passionemque esse de essentia subiecti, cuius est passio, vt risibilitas sit de essentia hominis, & sapientia, quæ est accidens sit de quidditate eiusdem. Ita satisfeci *lib. de mundo* eis, qui asserunt melius esse, mundum esse compositum, quam vnum vnitate ordinis, cum id mundo contradicat, hoc verò illi congruat.

DVBITATIO X.

Vtrum homo sit infimum beatificabile.

122. IN hac difficultate tria perquiri possunt. Primum, an homo sit beatificabilis. Secundum, vtrum natura humana inter creaturas beatificabiles sit infima, & vltima. Et tertium, num Philosophi agnouerint hominem esse beatificandum vera beatitudine, quam nos post hanc vitam speramus, & expectamus esse possessuros.

123. Not. primò, creaturas esse in triplici genere, quædam enim sunt inanimatæ, vt lapides, & hæ ineptæ sunt ad felicitatem, quia licet appetant proprium centrum, in quo quiescunt; attamen, quia in eo non operantur; beatitudinis sunt expertes, & incapaces,

cum felicitas in operatione consistat. Nonnullæ sunt animatæ, & operatiuæ in propriis locis; sunt tamen prorsus materiales, & vtuntur potentiis corporeis ad operandum, versanturque circa obiecta corporea, & materialia, & cum obiectum propriè beatificum sit spirituale, consequenter propriè beatificari nequeunt, vt notat Arist. 1. *Eth.* 9. Aliæ sunt creaturæ prorsus spirituales, vt Angeli, quos esse beatificabiles, nemo ambigit. Restat homo, qui ex corpore, & spiritu constat, & quidem anima eius capax est felicitatis, pollet enim intellectu, & voluntate, quæ sunt potentiæ operatiuæ, valentes suis operationibus attingere obiectum beatificum. Quoad eius potentias materiales, quæ dicuntur vires totius coniuncti, licet æqua videatur ratio de his, quæ sunt in homine, ac de illis, quibus bruta muniuntur; tamen quia corpus hominis informatur anima rationali, & beatitas huius, in illud redundat, ex infra monstrandis, propterea potentiæ hominis inferiores dicuntur beatificabiles, non quidem simpliciter, quia obiectum beatificum est extra earum obiecta, sed secundum quid, quatenus suo modo, quo possunt operantur, & in suis operationibus quiescunt. Sicut visus noster licet nequeat ita clarè intueri solem, vt Aquilæ oculus; nihilominus in eius visione quiescit, quia videt quantum potest videre. Sufficit namque ad explendum appetitum naturæ si habeat, quantum sua tè natura habere potest, idoneaque sit ad illud habendum.

124. Not. 2. quamuis homo naturaliter desideret beatitudinem; tamen ad eam assequendam, viribus naturæ non nouit media sufficientia, & opportuna, sed necesse est, ei reuelentur à Deo, & instruatur, quæ & qualia ad eius adeptionem sint necessaria, vt asserui *in prol. quæst.* 1. *art.* 8. Vndè Philosophus naturæ ductu non potuit deuenire in notitiam veræ felicitatis, quia non fuit lumine fidei illustratus, nec alium quam hunc statum hominis fortassè agnouit. Licèt autem, vt arguit Scot. 4. *dist.* 49. *quæst.* 8. homo possit cognoscere, & speculari ens, & quæ sub ipso continentur, & deuenire in notitiam Dei optimi maximi, in quo tanquam optimo, & perfectissimo tantum potest satiari: attamen propria virtute nolle nequit, num ipse illud optimum per operationem attingere valeat; proindèque clarè videre, frui, potiri, & gaudere, vt fusè *tract. de cognoscibilitate Dei sum prosequutus.*

125. Assertio prima, homo est beatificabilis. Tuetur Doct. cit. §. *Respondeo. paulò ante A.* Probatur 1. ex Scriptura. 1. Cor. 13. *Tunc facie ad faciem, & cognoscam sicut cognitus sum.* Et Matt. 22. *Erunt sicut Angeli Dei in cælo.* 2. ex August. 13. *Ciuit. cap.* 20. Et oratione contra Iudæos, Paganos & Arrianos, Et alibi passim. Tertiò vnumquodque inclinat ad suum bonum, & perficitur vltima perfectione in bono optimo, & perfectissimo: natura autem humana est huiusmodi. Propendet enim in suam vltimam perfectionem, per eamque vltimatè perficitur. Est autem eius vltimata perfectio, beatitudo, & finis agendorum, 1. *Eth.* 7. & 10. *Eth. cap.* 8. ergo, &c. Quartò, Deus est beatus per visionem & fruitionem sui ipsius. Non enim est veluti dormiens ex 12. *Met.* 51. sed viuit vita intellectuali, quæ sita est in operationibus intellectus, & voluntatis: natura verò humana pollet intellectu, & voluntate, ergo est beatificabilis. Denuò, à Christo promittitur bonis vita æterna, quæ est beatitas. Matt. 25. *Ibunt iusti in vitam æternam.* Et Ioan. 4. *Fiet fons vitæ salientis in vitam æternam.*

126. Assertio secunda, natura humana est vltima, inter naturas simpliciter beabiles. Tenet Doct. *vbi suprà.* §. *Secundò videndum, ante E.* Probatur 1. August. l. de natura boni contra Manich cap. 7. *Cætera verò, quæ sunt facta de nihilo quæ vtique infra sunt, quam spiritus rationalis, nec beata possunt esse, nec misera.* Et 14. *Trin. cap.* 8. vbi loquens de natura humana inquit. *Eò capax, quò imago. Imago autem non est in vlla creatura inferiore humanitate*, vt constat ex dictis *Tract. præalleg* humanitas ergo est infima natura beatificabilis. Secundò naturæ inferiores humanitate operantur operationibus organicis, & materialibus duntaxat, quibus attingi nequit obiectum beatificum, quod est immateriale, & spirituale. Rursus *in tract. mox recensito* allatui, & probaui, Deum non posse videri oculis corporeis, atqueadeò non posse cadere sub obiecto alicuius potentiæ corporeæ, & materialis. Accedit. Arist. 1. Eudem. 4. *Nec enim felix dicitur equus, aut piscis, aut aliud quodcumque animantis genus.* Et 10. *Eth. cap* 8 idem astruit.

127. Assertio tertia, quædam natura inferior humanitate est beatificabilis secundum quid. Tradit Scot. *loco cit.* probatur 1. Luc 10 *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Et ibid. 11 *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Vbi Seraph. subdit: *Maria non tantum beata fuit, quia Christum gestauit in carne, verum etiam beatior, quia ipsum perfectissimè gestauit in mente.* Secundò, omnis natura, quæ per suam operationem potest coniungi suo optimo, vltimoque fini est beatificabilis secundum quid, quia beatitudo fit per visionem naturæ beatificabilis cum suo optimo, dico cum suo optimo, non autem optimo simpliciter, propptereaque non est beatificabilis simpliciter: quædam autem natura inferior humanitate, vt natura sensitiua, mediis potentiis sensitiuis suo optimo vniri potest, vt patet Iob. 19. *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Igitur natura humana non est infima beatificabilis. Tertiò, totus homo est beatificabilis, quia totus meretur, vt manifestabitur in subsequente art. in homine autem præter rationalem, est natura corporea sensitiua, quæ per suas vites voluntati subiectas, eique parentes, sicut meretur, ita & beatificatur. Hinc post diem iudicij maior, & amplior hominis erit beatitudo, quia corpus eius est beandum, vt infra ostendetur; non nisi per facultates, & potentias sensitiuas operantes, & attingentes suo modo obiectum beatificum. Vnde sanctorum corpora & iustorum reliquiæ honorantur in terris, tum quia fuere instrumenta, & causæ bonorum operum; tum etiam quia post finem mundi in cælis sunt beanda, & glorificanda, vt innuit Christus Matt. 17. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Estque probabilis opinio quorumdam, potentias inferiores, & naturales beari circa pulcherrimum corpus Christi.

128. Oppones primò, pars est inferior, & ignobilior toto, vt dixi l. 5. *Phys.* q. de compositio art. 2. *Anima autem, quæ est pars hominis est beatificabilis, immo nunc sola anima beatur, & totus homo post diem iudicij ergo quædam natura inferior humanitate est beatitudinis capax.* Respondeo concessa maiore, ad minorē dico, animam esse immediatum subiectum susceptiuum beatitudinis, & vt quo: hominem verò esse eius subiectum mediatum, & vt quod. Homo enim intelligit, & vult per intellectum, & voluntatem, in eo mediatè, & in his immediatè intellectiones, & volitiones subiectantur. Cum autem inuestigatur, vtrum inueniatur natura beatificabilis inferior natura humana, non de anima rationali, sed de naturis corporeis, & materialibus dubium excitatur.

129. Oppones secundò, Quæ ad vnum finem ordinantur, quæ sunt ei proximiora, & immediatiora, proximius, & immediatius illum attingunt; reliqua verò, quæ sunt à fine remotiora, & distantiora, mediis prioribus ad eum perueniunt, vt si quis cælum conscendat, per aërem, & ignem pertransibit, priusquam ad illud euolet: Angeli autem sunt proximiores & immediatiores vltimo fini, hominibus, quia sunt his excellentiores, & præstantiores. Ergo homo non immediatè, sed mediatè, hoc est mediis Angelis est beatificabilis. Respondeo distinguendo maiorem de mediis necessariis ad finis assequutionem, &c

& de agentibus subordinatis essentialiter, vt declaratur in min. & quoque illustrari potest de scientiis, & artibus subalternis, concedo: de mediis non necessariis ad finis adeptionem, & de agentibus non subordinatis essentialiter, nego: quorum vnum in agendo non dependet ab alio, & vtcunque immediatè versatur circa vnum, & idem obiectum, tametsi vnum perfectius, & aliud minus perfectè circà illud laboret, vt oculus hominis, & oculus Aquilæ intuentur solem immediatè, licet hic illo perfectius ipsum solem cernat. Pariter Angelus, & homo immediatè beatificantur in Deo, tanquam obiecto beatifico, tametsi Angelus cum sit homine perfectior, perfectiùs eum attingat.

130. Oppones tertiò, Deus est causa suprema, & vniuersalissima omnium rerum opifex, & quoque vltimus omnium finis, ex dictis. *quæst. de causa finali.* Ergo, quæcunque natura etiam humanitate depressior est felicitatis compos. Distinguo ant. Deus est causa efficiens, & finalis rerum tam materialium, quàm spiritualium, concedo: Deus est omnium earum rerum causa, & finis per operationem attingibilis, nego. Id enim soli naturæ intellectuali competit; ideò natura humana inter naturas beatificabiles postremum occupat locum.

ARTICVLVS IV.

De beatitudine corporis.

131. Corpus humanum esse beandum, ratio suadet, cum enim sit instrumentum, & pars hominis essentialis, ipseque homo totus sit beandus, quia totus meruit, consequenter corpus eius beatitudine est insigniendum. Atque cum idem homo nequeat esse beatus in corpore mortali, erit beatus in corpore immortali, docente Scot. 4. *dist.* 49. *quæst.* 13. §. *Respondeo. A.* Beatificatur autem corpus per quatuor, dotes beatificas, de quibus generatim, & speciatim in subsequentibus dubitationibus, & proximis paragraphis disserendum est.

DVBITATIO I.

De dotibus beatificis in communi.

§. VNICVS.

Quid, & quotuplex sit dos beatifica.

132. Maior 4. *dist.* 49. *quæst.* 7. & Ricc. *ibid art.* 3. referunt nonnullos existimare, tentionem esse dotem beatificam à cæteris distinctam. Vulgus autem Theologorum (nominatim Argent. *quæst.* 1. *artic.* 1. Nicol. de Neile *tract. de beatitudine corporis quæst.* 1.) vt notat Seraph. *ibid. art.* 1. *quæst.* 1. tuetur quatuor esse tantum dotes beatificas corporis, impassibilitatem, claritatem, agilitatem, & subtilitatem.

133. Not. primò, dotem communiter diuidi in dotem animi, & corporis. Dotes animi naturales sunt virtutes morales, prudentia, fortitudo, temperantia, & iustitia. Supernaturales, virtutes Theologicæ, fides, spes, & charitas: beatificæ, visio, fruitio, & vtriusque perpetua securitatis perfectio. Dotes corporis naturales sunt pulchritudo, robur, incolumitas, & his similia: supernaturales quaternario numero comprehenduntur, & nominantur *ferè in initio huius* §.

134. Not. secundò, ex Vorr. *artic.* 1. *huius d.* tria hæc, dotem, donationem, & parafernum inter se differre. Dos quippe est id, quod sponsus præbet sponsæ, cum nubit; ideò, cum Christus nobis nubit, tribuit nobis gratiam, & charitatem Donatio, idest, quasi duno datio, notante Angelo. *ver. donatio*, propriè à Legisperitis, præsertim ab Vlpiano, sumitur pro irreddibili datione: hic tamen pro eo, quod dat maritus vxori, matrimonio consummato, sic gloria dicitur dos animæ beatæ. Vnde Ecclesia cantat. *Veni sponsa Christi, accipe coronam*, & Paulus 2. Tim. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Aliæ acceptiones, & species donationis petendæ sunt ex Angel. *passim prae allegat.* Parafernum est, quod datur vxori ab amicis post nuptias. Ob id omnia bona parafernalia perhibentur cuncta bona vxoris, vt aduertit Beatus Ang. *ver. paraferna.* Dicitur enim à Πάρα, idest iuxtà, & φερνα, idest dos, quasi iuxta dotem.

135. Not. tertiò, ex eodem Vorr. memorato, dotem tribus accipi modis. Primò, pro eo quod tribuitur sponsæ à patre ipsius sponsæ, estque ei proprium dominium, & patrimonium, virque eius habet visum ad ferendum matrimonij onus, vt ex Iurisconsultis obseruat Ang. *ver. Dos.* Quo pacto Deus Pater dotat animam, vt sit sponsa Christi.

Secundò, pro eo, quod sponsus præbet sponsæ, vt patet *Gen.* 34. vbi ait Iacob Sichen, & filiis eius. *Augete dotem, & munera postulate* Et Exod. 22. *Si seduxerit quis Virginem, & dormierit cum ea, dotabit eam.* Huius duplicis acceptionis dotis meminit Doct. 4. *d.* 49. *quæst.* 13. §. *dico ergo.*

Tertiò, pro perpetuo ornatu animæ, & corporis dato, ratione nuptiarum consummandarum in resurrectione, quo pacto inquit Doct. nunc cit. impassibilitas est dos, siue assistentia diuina præseruans corpus beati ab omni corruptione, licet huiusmodi dos non insit realiter ipsi beato.

136. Assertio, quatuor sunt dotes corporis beati præcensitæ: præsupponit Doct. disputans de singulis speciatim à *quæst.* 13. *distinct.* 49. *vsque ad quæst.* 16. Probatur primò, Sap. 3. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintilla in arundineto discurrent.* Subdit Seraphicus loco prælato: *In fulgore claritas, in scintilla impassibilitas, in arundineto subtilitas, in discursu agilitas.* Et indicat Saluator Mat. 13. *Fulgebunt iusti sicut sol.* Sol enim est clarus, subtilis, impassibilis, & agilis. Suffragatur Apost. 1. Cor 15. *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione*, notatur impassibilitas. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*, habetur claritas. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*, extat agilitas. *Seminatur animale, surget spirituale.* Designatur subtilitas. Fauet August. 22. Ciu. *Aberit à corporibus nostris omnis deformitas per claritatem, omnis tarditas per agilitatem, omnis infirmitas per subtilitatem, & omnis corruptio per impassibilitatem* Accedit ratio, corpus humanum, & quodlibet mixtum dicitur constare quatuor elementis, à quibus quatuor imperfectiones, siue defectus contrahit. Ab aqua, quæ est humida passibilitatem, siue corruptionem; ideò quod est humidum aqueum, facilè corrumpitur. A terra obscuritatem, cum sit corpus opacum, siue densum, proindéque obscurum. Ab aëre infirmitatem, est enim tenuis, & facilè impellenti cedit. Ab igne animalitatem, ignis quippe est actiuior, & continuò consumit, continuoque indiget pabulo. Igitur cum corpus beati sit perfectum, & ornatum, amotis imperfectionibus, & defectibus prærecensitis, perfici, & ornari debet quatuor ornamentis, quæ sunt quatuor prænominatæ dotes beatificæ.

137. Oppones primò, corpus non gaudet pluribus dotibus quam anima, & serua quam domina, quia ignobilius non est pluribus ornamentis, quàm nobilius decorandum: anima autem tribus dotibus tantum est prædita, & ornata, scilicet visione, fruitione, & perpetua securitate:

ergo pariter tres sunt assignandæ dotes corporis gloriosi. Nego ma. anima namque sensitiua plures sortitur potentias, quàm intellectiua; non tamen sequitur, illam hac esse præstantiorem. Item Deus tametsi omnium perfectissimus, & nobilissimus, expers est accidentalium perfectionum, & ornamentorum; præsertim quia, non in maiori numero, sed in præcipuis perfectionibus consistit rei nobilitas. Vel dicito esse disparitatem, quandoquidem dotes animæ, penes potentias ipsius; at verò dotes corporis ex quaternario elementorum numero petuntur.

138. Oppones secundò, dotes numerantur ad numerum comparationum corporis ad animam: corpus autem bifariàm comparatur ad animam. Se habet enim animæ respectu corporis vel tanquam motor, vel vt perfectio: ergo duæ sunt corporis dotes duntaxat. Respondeo secundum illas duas comparationes, in corpore exiguntur quatuor dispositiones, & perfectiones, iuxta quatuor defectus, & imperfectiones à quatuor elementis contractas, propter eà quatuor statuuntur dotes corporis beatifici.

139. Oppones tertiò, sicut claritas spectat ad pulchritudinem, ita & partium congruentia. Inquit enim August. 22. Ciuit. cap 19. *Pulchritudo est partium congruentia, cum quadam coloris suauitate.* Vt ergo claritas refertur inter dotes corporis; sic & partium congruentia. Confirm. ex Ansel. lib. de similitudinibus cap. 50. *Partes beatitudinis sunt pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longæuitas.* Respondeo claritatem esse dotem, quia datur corpori glorioso: at congruentia partium ea est, quæ prius erat, antequam corpus beatificaretur. Ideò non facit dotem nouam à reliquis distitam. Ad conf. respondet Rie. *quæst. 1. ad 1.* pulchritudinem reduci ad claritatem, libertatem ad agilitatem, fortitudinem ad subtilitatem, sanitas, voluptas, & longæuitas ad impassibilitatem.

Dubitatio II.

De Impassibilitate.

§. I.

An corpus gloriosum sit impassibile.

140. PRo explicatione, & dilutione huius §. *in præsenti dist. quæst. 6. art. 1.* à Bass. & aliis Scholasticis *ibid.* adducuntur duæ acceptiones impassibilis, & totidem passionis, exprimendæ à nobis *in 1. notabili.*

141. Not. itaque primò, impassibile, & immortale duobus accipi modis. Primò impassibile perindè est ac potens non pati, & immortale potens non mori: sic Adam in statu innocentiæ extitit immortalis, nempè potens non mori. Si enim Deo paruisset, & in peccatum lapsus non fuisset, potuisset non mori, nec mortuus fuisset; sed post longam vitam in paradiso terrestri, tandem translatus fuisset ad Paradisum cœlestem, videns Deum clarè, ipsoque perfectè fruens, vt asserit Doct. 2. *dist. 19.* Secundò impassibile idem est ac non potens pati; & immortale, non potens mori, ita Adam in dicto statu non fuit immortalis. Potuit namque mori, & de facto per peccatum ab ipso patratum, mortuus est. Prætereà obserua passionem propriè esse corruptiuam, sine abiectiuam, quæ tangitur Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Impropriè verò esse salutiuam, & perfectiuam, de qua Aristot. 2. *de anima T.* 139. & 3. *eiusdem operis T.* 18. & Scot. 1. *distinct.* 3. *quæst.* 7. §. *Ad authoritatem.*

142. Not. secundò, ex eodem Doct. 4. *dist.* 49. *quæst.* 13. §. *Responsio.* in statu beatifico poni ea, quæ sunt ei necessaria, & quæ faciunt ad eius perfectionem. Ideò nutritio, accretio, generatio, & id genus alia in eo non reperiuntur, quoniam non est necessarium alimentum, nec augmentatio, cum omnia, quæ ibi extant, sint perfecta, quod significat Paulus Eph. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum.* In hoc namque statu est cumulus omnium bonorum, & perfectionum: atque actiones, & passiones, quæ secum vehunt imperfectionem longè ab eo distant, præseruante Deo corpus gloriosum ab omni malo, & molestia, propter merita, quæ vnà cum anima sibi coniuncta præstitit, iuxta illud Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam, &c.*

143. Assertio, post resurrectionem corpus beati erit impassibile, & immortale. Ita Scot. proximè cit. Probatur primò, ex scriptura 1. Cor. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* proindéque impassibilitatem. Passibilitas quippe non manet cum immortalitate.

Secundò, ex August. 13. Trin. *Beata vita est immortalis.* Subdit nonnullus, summum bonum sola ipsa est immortalitas. Et virtus ad immortalitatem producit.

Tertiò, corpus debet proportionari, & conformari animæ, in statu perfectissimo, qualis est beatificus, sicut in statu imperfecto, siue in via, anima conformatur corpori. Condolet namque, & contristatur corpori læso: ergo in patria corpus ab omni passione, & corruptione est immune, veluti anima pariter tunc est impassibilis, & immortalis.

Quartò, in eodem statu anima appetit, & vult corpus tantum durare, quantum ipsa durabit, cum ambo sint partes hominis essentiales; anima autem, & homo perpetuò durabunt, ergo & corpus, sine quo homo esse nequit; atqueadeò tunc est impassibile, & immortale. Denuò, corpus cum anima cooperatur, & concurrit ad actus meritorios, tanquam organum, & instrumentum eius, atque coniungitur cum ipsa anima, quæ tunc redditur impassibilis: ergo corpus ratione meriti, & vnionis cum anima, in dicto statu extat impassibile, & immortale.

144. Oppones primò, quod est palpabile, est corruptibile, teste Greg. in cap. 20. Ioan. *Corrumpi necesse est, quod palpatur*: corpus autem beati est palpabile, vt liquet Luc. 24. *Palpate, & videte.* Et corpus Christi, de quo ibi sermo est, erat gloriosum. Igitur corpus beati non est impassibile. Distinguo ma. de palpabili sibi derelicto, & non præseruato ab vlla causa, potente ipsum à corruptione liberare, concedo, & ita capitur testimonium Greg. præallatum: de palpabili à diuina voluntate præseruato, nego, cuiusmodi est corpus gloriosum, vt tetigi *suprà in fine 2. not.*

145. Oppones secundò, corpus beati præditum est sensatione; sensatio quippe est operatio animalis perfacta 2. *de anima. T.* 123. In illo autem statu corpus gloriosum est vndequaque perfectum: sensatio verò non est absque passione, & corruptione corporis sensibilis; omne enim sensitiuum patitur ab excellenti sensibili, vt visus à lumine solis, & tactus ab intenso calore. In patria ergo corpus beati non manet impassibile. Distinguo ma. de sensatione non secum vehente imperfectionem, & passionem realem, vti est sensatio intentionalis, putà visio, & auditio, concedo: de sensatione reali secum ferente imperfectionem, vti est nutritio, nego.

146. Oppones tertiò, ex 1. Cœli T. 15 & 2. eiusdem operis T. 18. *Nullum violentum durabile*: corpus autem gloriosum est mixtum, quod in se continet quatuor elementa, quæ præter ignem, sursum violenter manent, vtpotè quæ sunt extrà propria loca. Igitur corpus beati à passione alienum non est. Glossatur ma. de violento sibi derelicto, non autem de violento à Deo conseruato, & perpetuò conseruando, cuiusmodi est corpus gloriosum.

147. Oppo

147. Oppones quartò, ex eodem 1. *Cœli T.* 124. vbi Aristot. arguens contra Plat. ait, Cælum nequit esse corruptibile, & sb alio perpetuari, quia aliquid non potest esse ex se possibile, & ab alio perpetuari: atqui corpus beati est ex se impossibile, & corruptibile: ergo à Deo conseruari non valet incorruptum, & perpetuum. Conf. ex Auer. 12. *Met.* præter Cæli motum, nihil est ex se possibile, & ab alio necessarium: præfatum autem corpus ex se est possibile, ergo à Deo nequit esse necessarium, proindéque non est impassibile. Respondeo cum Scot. rationem Aristot. valere, dummodò ita intelligatur. Si cœlum ex se est corruptibile, vt fatetur Plato, igitur ex se potest corrumpi: si autem Deus ipsum cælum necessariò conseruat, ergo non potest corrumpi. Idem autem corpus posse corrumpi, & non posse corrumpi repugnantiam inuoluit. Nos autem existimantes Deum liberè agere ad extrà, dicimus corpus quidem cœleste, sicut & quodlibet corpus gloriosum ex se esse corruptibile, diuina autem voluntate iugiter conseruari, & perpetuò ab omni corruptione, & passione corruptiua, & abiectiua præseruari. Ad conf. dico Auer. loqui in principiis Aristot. arbitrantis Deum necessariò agere ad extrà. Ideóque motu cæli excepto, reliqua, quæ suaptè natura sunt corruptioni obnoxia, non semper durant, sed corrumpuntur. Nos autem lumine fidei illustrati statuimus motum Cæli post diem iudicij finem habiturum: elementa verò, cælum, & corpora beatorum Deo præseruante, ab omni passione, & corruptione aliena in æternum duratura.

§. II.

Qua de causa corpus beati sit impassibile, & immortale.

148. MVltæ in hac difficultate recitantur, & refutantur Theologorum sententiæ à Scot. præalleg. & Vorr *ibid.* Nonnulli enim arbitrantur corpus effici impassibile, & immortale ex causa materiali, & subiectiua, hoc est, quia in corpore glorioso non manent qualitates consequentes mixtum, & contrariæ qualitates ipsum disponentes ad corruptionem: vel si persistant dictæ qualitates, vt alij suspicantur, tamen sunt ad æquilibrium, vnaque in alteram agere, vel ab alia pati non potest. Plerique in tale corpus inuehunt impassibilitatem, ex parte causæ efficientis, remouentis omnia, quæ in illud corpus inducere queunt corruptionem, vel dantis omnia, quæ conferunt ad ipsum à corruptione præseruandum, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco. Quidam ex causa formali decerpunt prædictam dotem, affirmantes ex anima gloriosa immortali, & incorruptibili fluere perpetuam sanitatem, & perennem vigorem in corpus, quod ipsa informat. Nec desunt, qui eam petant ex absoluto dominio, quo anima beata dominatur perfectè illi, ipsumque ei prorsus obtemperat; ideóque nulla extante reluctantia, habetur incorruptibilitas, & impassibilitas. Alij censent corpus reddi impassibile, propter priuationis absentiam, quæ 1. *Phys. T.* 81. dicitur causa corruptionis. Cum enim in eo non sit qualitas contraria, nec motus, nec quid aliud iuuans ad corruptionem, infertur ipsum esse incorruptibile, & impassibile. Scot. autem cit. §. *Dico ergo D.* eiusque alumni repulsis omnibus prænarratis opinionibus tradunt causam impassibilitatis corporis gloriosi non esse intrinsecam, sed extrinsecam, non creatam, sed increatam, putà diuinam voluntatem non coagentem causæ secundæ, ad illud corrumpendum.

149. Not. causam, per quam corpus fit impassibile, posse assignari multiplicem. Vel enim est positiua, vel priuatiua. Si priuatiua, duplex statui potest, cessatio motus cœlestis, & non cooperatio primæ causæ, cum causa secunda. Positiua diuiditur in intrinsecam, quæ est materialis, vel formalis: & in extrinsecam, quæ est efficiens, aut finis: efficiens verò subsecatur in increatam, qualis est diuina voluntas: & creatam, quæ est cœlestis, aut sublunaris, substantialis, aut accidentalis, aut remouens prohibens. Peculiariter dici potest anima beata, vel dos in corpore.

150. Assertio prima, corpus beati non fit impassibile, propter carentiam qualitatum naturalium, quæ consequuntur mixtum. Ita Doct. cit. *sub A.* Probatur primò: nihil deest illi corpori, quod facit ad eius esse naturale, eiusque ornamentum, cum sit in statu perfecto. Illæ autem qualitates pertinent ad esse corporis naturalis, non quidem constitutiuum, sed consequutiuum quia ab eo profluunt. Igitur, ob earum absentiam illud corpus non efficitur impassibile.

Secundò, huiusmodi corpus non foret mixtum, ex quo qualitates mixti non promanarent, nec debitum, & propoctionatum subiectum ab anima rationali informabile, & receptibile.

Tertiò, illæ qualitates sunt tantum dispositiuæ, ad corruptionem: ergo eis ablatis adhuc esset causa, & radix corruptionis, ideò 1. Phys. text. alleg. non asseritur, qualitates naturales esse causam corruptionis, sed materiam secum habentem priuationem. Demum, cœlum alienum est ab eis qualitatibus, tamen absolutè non est impassibile, & incorruptibile vt dixi *lib. de Cœlo.*

151. Assertio secunda, nec redditur esse corpus impassibile, ob qualitates contrarias ad æqualitatem redactas. Tenet Scot. *ibid. sub B.* Probatur primò, elementa licet sint æqualia in agendo & resistendo secundum se tota, nihilominus sunt passibilia, & corruptibilis secundum partes. Ideò est inter ea perpetua pugna, & continua generatio, & corruptio rerum sublunarium. Igitur ex æqualitate, & temperatione qualitatum, non petitur impassibilitas dicti corporis.

Secundò, in mixto semper aliqua qualitas dominatur, vt tradidi *lib. de elementis*, etsi daretur in eo temperamentum ad pondus, adhuc tamen corpus esset passibile. Nam temperamentum Christi Domini erat ad pondus, tamen erat passibile, & mortale. Deinceps, si foret ab intrinseco impassibile, non tamen ab extrinseco; ob id assignandum est aliquod aliud, quod reddat ipsum impassibile, tàm ab intrinseco, quam ab extrinseco.

152. Assertio tertia, causa impassibilitatis corporis beati non desumitur ex dominio animæ in corpus, quod informat. Est contrà D. Th. hic pro Scot. cit. *ante C.* Probatur primo, qualitates corporis corruptiuæ non repugnant animæ, immò anima eas præsupponit, cum informet corpus debitè organizatum, & aptè temperatum. Igitur cum anima eas non expellat, consequenter non est causa impassibilitatis eius.

Secundò, si anima impediret causas naturales corporis corruptiuas, maximè voluntatis imperio: voluntati autem animæ, vel Angeli causæ naturales non obediunt. Non enim Deus subiecit orbem terræ voluntati Angeli, vel animæ, vt patet Hebræorum 2. vnde *in Phys. quæst. de vacuo* asserui, nec Angelum, nec vllam creaturam posse efficere vacuum, proptereàquod causæ naturales ei non subduntur, sed soli Deo eius opifici.

Tertiò, si permansisset status innocentiæ, potentiæ inferiores perfectè obtemperassent rationi rectæ, non ob id tamen homo erat impassibilis, cum nutritus fuisset, & auctus, idque genus alia præstitisset, quæ haud fiunt, absque passione corruptiua, vt alibi asserui: ergo &c.

153. Assertio quarta, nec corpus beati extat impassibile, ob dotem, siue qualitatem prohibentem passionem corruptiuam, quæ ex anima redundet in corpus. Defenditur à Doct. *vbi suprà*, contrà Henr. *Quol. 9. quæst. 16.* Probatur primò, illa qualitas vel est cœlestis, vel sublunaris, hæcque vel elementaris, vel mixta: sed nulla ex enumeratis esse valet: ergo per

dictam qualitatem corpus non efficitur impassibile Ma. patet ex sufficienti qualitatum enumeratione. Min. probatur, non est qualitas cœlestis, quia nec est diaphaneitas, nec lux, nec lumen, nec qualitas occulta, vt patet; præsertim quia corpus humanum, cum sit mixtum, non est capax qualitatis cœlestis; nec qualitas elementaris, quia hæ secundum partes, siue gradus corrumpitur; nec qualitas mixti, quoniam ista non perpetuò conseruat mixtum, nec potest præpedire, vel impedire corpus ab aliis corruptiuis qualitatibus. Vnde quamuis durities impediat, ne ferrum faciliter in partes scindatur, non liberat tamen ipsum à calefactione, frigefactione, & combustione.

Secundò, qualitates susceptibiles in proximo subiecto susceptiuo sunt eiusdem generis physici, *ex 5. Met. T. 13. & 10. eiusdem operis, T. 22.* Atqui qualitates mixti sunt omnes contrariæ, aut mediæ: igitur huiusmodi qualitates non arcent corpus a corruptione, passi neque corruptiua.

Tertiò, aut vna qualitas pugnat alteri qualitati, aut non. Si primum, ergo tales qualitates non tollunt omnem actionem, quia vnum contrarium agit in aliud contrarium, actione corruptiua. Nam vt patet *lib. de elementis*, vnum contrarium nititur destruere aliud contrarium, estque mutua pugna, & continuus inter ea conflictus, ex quo subsequuntur corruptiones, & generationes sublunarium. Si secundum, ergo vna non impedit aliam, à sua actione, & passione.

154. Assertio quinta, non prouenit impassibilitas corporis gloriosi, à cessatione motus cœlestis. Tradit Doct. *vbi suprà, sub C.* Probatur primò, actiones, & passiones hominis à Cæli motu, aut ab eius abcessu non pendent, idcircò ait Augustin. 11. Conf. 23. *Stante Cœlo, mouetur rotula figuli*: ergo nec impassibilitas corporis beati à cessatione motus cœlestis efficitur.

Secundò, sancitur per artic. Parisiensem. *Si quis dicat, stante cœlo, approximato igne stupa, ignem stupam non comburere, error.* Et Iosue 10. narratur, sole non occidente, commissum esse prælium contrà Gabaonem.

Tertiò, *ex 2. de generatione, cap. 11. T. 55.* motus dicitur causa generationis non actiua, sed adductiua, hoc est, quia adducit generans in locum, in quo generat, idest vbi habet materiam proximam, & cætera requisita ad generandum. Si autem generans foret præsens, & approximatum materiæ debitè dispositæ, non opus esset motu, vt si sol extaret in medio hemisferij, staretque ibi, non oporteret ipsum moueri, ad illuminandas, & calefaciendas eius partes. Addo ex dictis *in Phys. lib. de motu*, formaliter motus est relatio mouentis ad motum, relatio autem est de genere sterilium. Igitur positio motus non causat eius passibilitatem, nec eius defectio causat in eodem corpore impassibilitatem.

155. Assertio sexta, causa, per quam corpus beati fit impassibile est extrinseca, nempè diuina voluntas, non cooperans cum causa secunda corruptiua. Defenditur à Doct. *passu alleg. §. Dico ergo D.* Probatur primò à simili, sicut voluntas beati est impeccabilis, quia Deus cum ea non concurrit ad vllum peccatum, actumque malum, vt alibi monstraui: pariter corpus beati est impassibile, quia Deus non coagit cum causa secunda, corruptiua eius.

Secundò, *Danielis* 3. in fornace Babylonica, tres pueri Hebræi ab igne non fuere combusti, quandoquidem Deus cum illo igne non concurrit ad eorum combustionem: sic corpus beati non est vlli corruptioni, & passioni obnoxium, proptereaquod Deus suspendit suum concursum, absque quo causa eius corruptiua haud ipsum lædere potest; atque ita immune manet ab omni passione, & corruptione. Deindè, cœlum est incorruptibile, non absolutè, cum materia, & formæ constet, sed secundum quid, hoc est, quia in hac rerum vniuersitate non inuenitur vllum agens creatum eo fortius, & potentius. Ergo corpus beati est incorruptibile, quia in ipsius nullum agens valet agere, ipsumque corrumpere, Deo non coagente, suspendenteque suum concursum.

156. Oppones primò, anima mediat inter Deum, & creaturam corpoream: ergo post resurrectionem, sicut perfectè Deo subiicietur, ità plenè suo corpori dominabitur, proindéque corpus per huiusmodi subiectionem reddetur impassibile. Nego vltimam sequelam, talis quippè subiectio non constituet corpus impassibile, vt patet in statu innocentiæ, in quo porrò inferior parebat superiori, non tamen corpus erat impassibile. Operabatur namque ea, quæ absque passione fieri nequeunt, vt suprà notaui: eò magis, quia præfata subiectio non ab anima, sed à diuina voluntate efficitur, vt aduertit Doct. cit. *ante G.*

157. Oppones secundò, August. ad Dioscurum scribit, *tam potentem fecit animam Deus, vt ex eius plena felicitate redundet in corpus sanitas perpetua, & vigor incorruptibilis.* Idcircò erat miraculum in Christo, qui cum in anima esset beatus, ea animæ beatitudo non redundabat in corpus eius. Conf. primò, durities est quædam impassibilitas prohibens, ne corpus durum patiatur, hoc est, ne facilè in partes scindatur. Ergo, dari potest qualitas in corpore, per quam corpus à corruptione præseruetur. Conf. secundò, per gratiam homo fit gratus Deo, per gloriam beatus, per albedinem albus, & per doctrinam doctus: ergo per dotem impassibilitatis, quæ est qualitas, corpus eius fit impassibile. Conf. tertiò, quædam naturalia, vt balzamum, & id genus alia faciunt corpus incorruptibile, vt monstrat experientia, inconueniens igitur non est, concedere qualitatem aliquam, qua corpus beati fit impassibile. Respondeo id non prouenire ab vlla qualitate, qua corpus reddatur incorruptibile, sed a diuina voluntate ordinante, & decernente animam, & corpus ab ea informatum præmiari beatitudine, ob merita in vita hominis præstita, & quidem animam visione, & fruitione Dei, corpus verò impassibilitate, & cæteris dotibus, quæ ab ipso Deo sunt. Ad 1. conf. dico, etsi durum resistat scindenti, non tamen calefacienti, & comburenti; idcircò non est prorsus impassibile, velut est corpus. Ad 2. conf. concedo ant. nego consequentiam, vt liquet ex enumeratione qualitatum in quarta assertione, quæ nequeunt constituere corpus impassibile, sicut nulla qualitas potest reddere hominem impeccabilem. Ad 3. ea quidem quodam tempore corpus à corruptione præseruant, non tamen semper. Tandem enim corpus iis delinitum, & delibutum, corrumpitur, & consumitur, veluti quodlibet aliud sublunare, vt lapides, & huius formæ alia, quæ perhibentur æterna, quia longo tempore durant.

158. Oppones tertiò, ablato priori, auferetur posterius, sublata enim causa, tollitur effectus; motus autem cæli est prior motu sublunarium, 8. *Phys. T. 73.* Ergo cum post diem iudicij cessauerit motus Cæli, docente fide, vtique omnes motus rerum sublunarium cessabunt, inter quos est corruptio corporis, sicque corpus erit incorruptibile, per cessationem motus. Concessa ma. Distinguenda min. cum Scot. motus cæli est prior prioritate vniformitatis, & velocitatis, concedo: prioritate causalitatis, nego. Vel distinguenda est ma. si posterius essentialiter dependeat à priori, concedo: si non dependeat essentialiter, nego, vt brutum est prius homine, vt patet lib. Geneseos, & tamen homo potest sine bruto, vt contingeret post diem iudicij. Motus autem sublunarium, potissimùm hominis non dependet essentialiter à motu Cæli. Potest enim moueri homo, cælo immoto, vt *suprà* animaduersum est.

159. Oppones quartò, corpus gloriosum dotatur dote impassibilitatis, nemine Theologorum abnegante: dos autem formaliter est in dotato, sicut albedo in alb-

albo, & lumen in luminoso: Quod si teneatur cum Scot. impassibilitatem corporis beati oriri a præseruatione diuinæ voluntatis impedientis causam naturalem eius corruptiuam, nulla dos impassibilitatis foret formaliter in tali corpore. Igitur dos impassibilitatis ab assistentia, custodiaque diuinæ voluntatis haud decerpitur. Conf. 1. elementum quoque gauderet dote impassibilitatis, quia iudicio transacto, diuina voluntate præpedietur ab omni corruptione; non enim amplius erit pugna, & conflictus elementorum. Conf. 2. damnatus frueretur dote prænominata, quia corpus eius nunquam corrumpetur. Conf. 3. erit perpetuum miraculum, corpus præseruari ab omni corruptione, sicut extitit miraculum, tres pueros Hebræos ab igne Babylonico non comburi, nec lædi. Concedo maiorem, nego minorem, dos quippè, quæ tribuitur sponso, à patre sponsæ non est realiter in sponso, nec in sponsa, vt si fuerit pecunia, aut ager. Item, si quis dotauerit filiam suam, tribuens ei milites ad ipsam ab omni malo custodiendam, docente Scot. *in Rep.* hic. Nec in definitione dotis habetur vlla particula, quæ denotet, dotem formaliter esse in dotato, vt videre licet apud Angelum, *verb. dos*, aliosque Casuistas & Summistas. Pariter in matrimonio spirituali, Deus dotat corpus beati dote impassibilitatis, vt sit immune ab omni corruptione. Similiter dotat in eo, quod beatus habet ius ex meritis, vt Deus præseruet, & conseruet corpus eius ab omni causa corruptiua. Per id patet ad 1. conf. elementa namque fiunt incorruptibilia solo Dei beneplacito, corpus verò beati ex meritis præcedentibus, ratione quorum habet ius, quo recipit talem dotem. Ad 2. conf. est disparitas, quia beatus habet illam dotem ex meritis ad eius lætitiam, & exultationem: damnatus verò ad eius pœnam, & afflictionem, propter eius demerita. Ad 3. nego sequelam: Nam si id nunc fieret, vtique foret miraculum, vt præstitum est de illis tribus Pueris in igne manentibus illæsis: nunc verò nequaquam, quia stabilietur cursus naturalis, vt res quiescant, immotæ maneant, & alienæ sint ab omni passione, & corruptione; veluti naturale, & consuetum erit cælum stare, & perpetuò immotum permanere.

DVBITATIO III.

De agilitate corporis beati.

§. I.

An corpora beatorum sint agilia.

160. Constans est Scholasticorum doctrina, præsertim Scot. 4. *dist.* 49. *q.* 14. Vorr & aliorum *ibid.* affirmantium corpora beatorum dote agilitatis decorari. Pro cuius faciliori captu, & commodiori intellectu.

161. Not. 1. ex Doct. mox cit. §. *Respondeo. B.* Agilitatem nihil aliud sibi velle, quam habilitatem alicuius, ad promptè, citóque se mouendum eo motu, cuius principium est anima, id est motu progressiuo, non autem motu naturali, cuius principium in mixto est elementum prædominans. Quoniam verò agilitas nequit esse in aliquo toto, ad faciliter se mouendum, nisi simul concurrat virtus motiua, & mobile; ideo ad agilitatem speciatim captam requiritur perfecta virtus motiua residens in anima, & congrua dispositio non repugnans huic motui ex parte corporis mobilis.

162. Not. 2. ex eodem *ibid. A.* in composito animato sensitiuo duplicem esse motum, vnum naturalem, qui decerpitur ex elemento prædominante in illo. Sic homo naturaliter descendit deorsum, quia in eo dominatur terra, quæ cum sit grauis, deorsum petit. Alterum progressiuum, qui fit ab animali, quatenus anima pollet, quæ est principium, quo animal progressiuè se mouet. Tripliciter autem hi duo motus ab inuicem discriminantur. Primò, principium motus progressiui est anima. Principium verò motus naturalis est elementum prædominans. Hinc quia in homine prædominatur terra, post mortem eius, corpus eiusdem est grauius, quam cum viueret, propterea quod tunc terra maximè dominatur, spiritu, siue anima ab eo seiuncta. Secundò, motus naturalis fit, nulla prævia apprehensione, & cognitione, sed ductu naturæ ad vnum determinatur, vt lapis pondere suo ad centrum fertur. Motus verò progressiuus fit prævia apprehensione, & cognitione eius, in quod tendit; ideo ad vnum non determinatur, sed penes apprehensionem, eiusque appetitum, modò ad hunc, modò ad illum determinatur. Tertiò in motu naturali mouens ab intrinseco nequit seipsum sistere, vt lapis deorsum cadens seipsum in tali motu minimè potest sistere. Verùm in motu progressiuo, animal quod mouetur ab intrinseco, pedem figere valet, vt equus apprehendens offendens obiectum, puta lupum, aut foueam profundam, vlteriorem gradum non facit, etiam percussus. Atque id de Asina Balaam, quæ ab eo percussa, vlterius videns Angelum nolebat progredi, legimus *Num.* 22.

163. Not. 3. ex eodem *vbi suprà* §. *Ad 1. rationem. M.* in entium serie, & coordinatione, quædam entia sic esse perfecta, vt perfectionem vlteriorem recipere nequeant, veluti Deus. Addunt nonnulli Christum Dominum, beatam Virginem, & sacrosanctam Eucharistiam. Aliqua sunt adeò imperfecta, vt vlla perfectione vlteriori perfici non valeant, cuiusmodi sunt accidentia relatiua. Alia verò perfecta quidem sunt in genere suo, possunt tamen adhuc perfici, non perfectione essentiali sed accidentali, vt homo in sua essentia perfectus perficitur scientia, gratia, & gloria, quæ sunt eius perfectiones accidentariæ.

164. Not. 4. ex eodem *ibi. sub B.* Virtutem motiuam vnam esse, quæ diuerso respectu dici potest organica, & inorganica, quatenus enim homo prius mouet vnam partem sui corporis, & postmodum aliam partem, vt contingit in motu progressiuo, ea potentia dicitur organica. De qua Arist. *lib. de motu animalium.* Quatenus verò anima eius est à corpore separata, mouetque seipsam, de vno loco, ad alium locum: veluti Angelus, talis potentia perhibetur inorganica. Subdit autem Scot. *cit. infra C.* si omnes partes corporis, quod anima informat, forent æque dispositæ ad motum eius recipiendum, huiusmodi potentia nuncuparetur inorganica, vt accidet post vniuersalem resurrectionem. Quare potentia motrix hominis secundum se non est organica, sed per accidens, quatenus vna pars est magis disposita, quam alia; Ob id homo prius mouet partem propinquiorem, quam remotiorem, prius magis, quam minus dispositam.

165. Assertio, corpora beatorum post diem iudicii erunt agilia: ita Scot. *vbi suprà.* Probatur primò Sapientiæ 3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Et Esa. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt Aquilæ volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt.* Et 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Vbi glossa, *viuum, & mobile.*

Secundò August. 22. Ciuit. c. 30. *Vbi volet spiritus, ibi erit protinus corpus.*

Tertiò omnis congrua perfectio tribuenda est beatis, cum gaudeant statu perfecto, veluti est status beatificus, perfectio autem est, corpora gloriosa

esse

esse agilia, sine labore, & fatigatione moueri, & pro suo libitu discurrere. Insuper beatorum corpora futura sunt impassibilia ex assertis *in prima dub. huius art.* §.1. Ergo & agilia, cum par sit ratio de hac, ac illa dote.

166. Oppones primò, si concedenda est agilitas corpori glorioso, maximè propter motum localem eius, vt constat ex descriptione agilitatis in primo not. in statu autem beatifico non habetur motus localis, qui est actus entis imperfecti, 3. *Phys.* 2. in eo quippè est omnis perfectio possibilis. Igitur corpora beatorum non erunt agilia. Conf. ablato priori, aufertur posterius, quia hoc ab illo dependet, sed post resurrectionem non erit primus motus, nec tempus, vt clamat Angelus *Apoc.* 10. Ergo nec motus secundus, qui est aliarum rerum, quæ sub Cæli ambitu continentur. Concedo ma. nego min. Licet enim beatus habeat omnem perfectionem essentialem, simpliciter ipsi possibilem, non tamen omnem perfectionem accidentalem, & secundum quid, quæ acquiritur per motum localem. Pariter beatus non omnia actu nouit, sed quæ ipsi Deus vult ostendere in diuina essentia, quæ ex aliàs dictis est speculum voluntarium, si vult videtur, si non vult, non videtur. Ad conf. dico ma. esse veram de priori, à quo essentialiter dependet posterius, vt *suprà dub.* 1. §. 2. respondens oppositioni 3.

167. Oppones secundò, corpus gloriosum non indiget agilitate, vt moueatur localiter, sed latoribus, & adiutoribus, putà Angelis, vt patet Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, in sinum Abrahæ.* Et Thess. 4. *Simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra.* Igitur corpora beatorum non erunt agilia. Nego ant. dantur quippe à Deo Angeli, corporibus beatorum, non ob indigentiam, sed ob reuerentiam, & honorem, veluti Domina a suis seruis fertur, non quia eorum egeat virtute motiua, sed ob honorem, & dignitatem, potiusque eam concomitantur, quam ferant, veluti Aulici respectu Regis, quem sequuntur, & obsequuntur.

168. Oppones tertiò, beati resident in certo locò, & determinata sede, adeò vt quidam sint Christo proximiores, alij verò longinquiores, iuxtà eorum merita, vt dicitur de Angelis, quorum primi sunt Seraphin, secundi Cherubim, & sic de cæteris, quorum ordines, & series retuli *in Tract. de Angelis.* At si forent agilia, mouerentur localiter, & quidem locum proximiorem relinquerent, & acquirerent distantiorem. Respondeo nec Christum, nec beatos esse immobiles, sed ad libitum, & beplacitum suum posse moueri localiter, & locum mutare, nullam perfectionem, & beatitudinem amittentes, veluti, qui Regi inseruiunt, modo ad eum accedunt, modo verò ab eo recedunt, retinentes eius beneuolentiam, & fauorem, & de Angelis claret in sacra pagina, præsertim *Gen.* 28. de scala Iacob, per quam Angeli descendebant, & ascendebant. Idem astruendum est de hominibus beatis. Eò magis, quia Deus est vbique, & à quocumque, vbicumque fuerit potest videri, & possideri.

169. Oppones quartò, quò aliqua perfectiora sunt, eò paucioribus operationibus attingunt suam perfectionem: beati autem sunt perfecti penes animam, & corpus, ergo non mouentur localiter ad acquirendam aliquam perfectionem, proindéque carent agilitate. Conf. beatitudo dicitur quies, vt patet Exod. 33. *Requiem dabo tibi.* Et *Beati requiescunt à laboribus suis.* Apoc. 14. At si mouerentur localiter, non quiescerent, quia quies, & motus opponuntur priuatiuè, ergo &c. Concedo ma. distinguo min. penes perfectionem essentialem, concedo: penes perfectionem accidentalem, nego, vt de cognitione, quæ est perfectio intellectus, quæ acquiri potest de nouo à beato, suprà firmandum est. Ad conf. dico esse quietem à laboribus, & miseriis, ideò cantat Ecclesia pro defunctis. *Requiescant in pace.* Ac etiam ab operibus meritoriis, vt testatur Saluator Ioan. 7. *Venit enim nox, in qua nemo potest operari.* Non autem à motu locali Angeli: namque beatitate mouentur, tametsi quiete æterna, perpetuaque beati fruantur.

§. II.

Quid sit agilitas.

170. Ric. 4. *dist.* 49. *quæst.* 7. arbitratur agilitatem esse quamdam qualitatem supernaturalem, qua corpus redditur habile, vt virtute motrice animæ citò, promptéque moueatur localiter, quaue amouentur impedimenta, potissimùm grauitas, quæ impedit, ne corpus facilè, & promptè cieatur localiter. Oppositum autem docent Scot. *ibid. quæst.* 14 §. *Respondeo H.* Vorr. & cæteri Scotistæ negantes præfatam qualitatem, & asserentes nihil qualitatis supernaturalis addi corpori beati, vt facilè, & liberè moueatur, solumque potentiam motiuam animæ fieri intentiorem, & perfectiorem, tollique à corpore resistentiam accidentalem mox explicandam.

171. Not. primò, ex Scot. *vbi suprà,* duplex interuenire impedimentum in corpore, quo impeditur, ne agiliter, & velociter moueatur. Primum petitur ex parte organorum virtutis motiuæ, quod est in iuncturis, & neruis, quo obice amoto, corpus redditur agile, & facile ad motum, præsertim progressiuum.

Secundum verò sumitur ex toto corpore, quod humoribus pinguibus, & materialibus repletum est, caputque vaporibus, & exhalationibus fumosis, cæterisque facientibus hominem ponderosum, & tardum ad motum, vt liquet de corpore mortuo humoribus pinguibus pleno, quod extat grauius, quam viuum, maximè amotis spiritibus vitalibus, qui reddunt corpus leuius: corpori autem glorioso, sublatis prænominatis impedimentis tribuuntur spiritus boni, & subtiles, qui statuunt corpus facile, & agile ad motum.

172. Not. secundò, ex eodem *ibid. quæst.* 13. §. *Ad rationes sub H.* illud esse simpliciter violentum, quod opponitur naturali, magisque violentum, quod magis naturali aduersatur, & minus violentum, quod minus naturali opponitur, vt aquam ferri sursum, ne detur vacuum in vniuerso, non est simpliciter violentum; at si aqua deorsum caderet, dato vacuo, esset simpliciter violentum, & secundum quid naturale; ratio est, quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis, quàm natura particularis, magisque naturale est, quod toti conuenit, quam parti. Subdit autem idem Doct. *quæst.* 14. *cit.* §. *Ad illud sub K.* quando sunt quædam potentiæ ordinatæ, naturalitas potentiæ superioris est maior, quam potentiæ inferioris, vt liquet de tactu, qui naturaliter penes propriam inclinationem delectaretur in tangibili; itidemque gustus in gustabili: cum tamen beati nec tactum, nec gustum in suis actibus exerceant, proptereaquod dicti sensus sequuntur inclinationem appetitus superioris, putà voluntatis. Eodem modo philosophandum est de graui, cum ascendit, ne detur vacuum. Vt autem res se habet in maiori mundo, sic & in minori, qui est homo. Quare naturalius est corpori informari, & perfici ab anima, ab eaque cieri, quàm cieatur motu proprio ad centrum. Ideóque secundum inclinationem naturæ superioris quiesceret naturaliter simpliciter, secundum quid verò violenter.

173. Assertio prima. corpus beati non euadit agile, per qualitatem supernaturalem profluentem ab anima, in ipsum corpus. Ita Scot. cit. § *Respondeo H. & I.* & *in Report. ibid.* Probatur primò, impossibile est, corpus mixtum animatum non esse graue, sicut inconueniens est, lapidem esse, & non esse durum, maximé si sit marmoreus; Siquidem in corpore dominatur terra, cui competit summa grauitas, immo corpus nec animatur, nec perficitur ab anima, nisi habeat grauitatem, cæterasque

tuſque naturales qualitates. Si enim corpus foret ita denſum, & ſolidum ſicut aurum, non eſſet aptum, & proportionatum ſubiectum ab anima informabile, & perfectibile. Igitur corpus non fit agile per remotionem grauitatis, & additionem ſupernæ qualitatis.

Secundò, corpus beati non eſt capax leuitatis, alioqui deorſum non tenderet, quia quod ad vnum vbi eſt determinatum per vnam qualitatem, non determinatur ad aliud vbi ei oppoſitum, vt patet de igne, qui fertur ſurſum, quia eſt leuis, & de terra, quæ tendit deorſum, quia eſt grauis. Cum ergo corpus beati per grauitatem naturaliter inclinet deorſum, infertur non eſſe agile per qualitatem ipſi adiunctam.

Tertiò, illa qualitas aut eſt cœleſtis, aut elementaria, aut mixta. Non cœleſtis, quia in orbem per illam ferretur corpus, ſicut cœlum orbiculariter fertur. Nec elementaris, quia vel eſſet qualitas ignis ſupernum locum tantum petens, vel aeris medium locum appetens, vel aquæ, vel terræ ad imum locum tendens. corpus autem beati ad omnem locum, & differentiam poſitionis fertur, & fertur, ergo &c.

Quartò, omnis qualitas determinat agens ad certam, & determinatam operationem, vt patet de charitate, quæ inclinat voluntatem ad operationem bonam, & memoriam, atque de ſcientia, quæ inclinat intellectum ad rerum notitiam, ergo ſi daretur qualitas ad agilitandum corpus beati, tantum ipſum determinaret ad vnum motum, & vbi, ſurſum, aut deorſum, cum tamen ſit indifferens, & abſque vllo labore, & fatigatione ad omnem motum, & locum. Atque ità nulla datur qualitas reddens corpus agile, ad ipſum mouendum. Denique impaſſibilitas non eſt qualitas corpori addita, ergo nec agilitas, cum vtrobique par extet ratio.

174. Aſſertio ſecunda, corpus beati fit agile per intenſiorem, & perfectiorem virtutem motricem animæ, & ablationem duplicis à corpore impedimenti prænarrati; necnon collationem bonorum, & ſubtilium ſpirituum eidem corpori. Docet Scot. *vbi ſuprà*. Aſſertio habet duas partes. Prima pars probatur primò, ſicut virtus viſiua beati intenditur, & perficitur, reſumpto corpore glorioſo. Poteſt enim tunc beatus, abſque vlla difficultate, & labore videre quodlibet viſibile, quia tunc virtus viſiua. & cæteræ eius potentiæ ſunt perfectæ, ſuiſque obiectis proportionatæ: ergo vis motiua animæ in ſtatu beatifico ita intendetur, & perficietur, vt valeat pro ſuo beneplacito mouere corpus ſibi adiunctum ſine labore, & fatigatione.

Secundò, beati erunt ſicut Angeli in Cœlo, teſte Chriſto *Matt*. 22. Angeli autem mouent ſe, & corpora cœleſtia, & quæuis alia, ſine fatigatione, ergo anima in ſtatu beatifico, mouebit corpus, quod informat, quocumque voluerit. Secunda pars ſuadetur primò, corpus impeditur, ne agiliter, & faciliter moueatur, ob impedimentum, quod reperitur in iuncturis, & neruis atque ob ſuperfluos, humores per totum corpus diffuſos, maximè per aluum, & caput, quibus ablatis, & collatis ſpiritibus ſubtilibus loco eorum, corpus efficitur agile, & promptum ad motum. Secundò, cadauer proiectum in aquam petit fundum, ob craſſitiem, & ſaniem in eo exiſtentem; corroſa autem ſanie, craſſiſque humoribus ſurſum eleuatur, natatque ſuprà aquam. Igitur ſublatis impedimentis, additis ſpiritibus ſubtilioribus corpus fit expeditum, & promptum ad motum. Idque declarat Guillelmus Paris. 1. *part. ſumma de vniuerſo*, de fatuis, qui in ſua manentes ſtultitia mire mouentur, pericula incolumes pertranſeunt, & alia præſtant ardua, & difficilia, quæ haudquaquam, cum ſunt liberi à ſtultitia obire queunt, cauſam affert, quia tunc temporis parum comedunt, ſuperflui eorum humores euacuantur, virtuſque eorumdem motrix non ità corpori eſt alligata, ſicut in ſanis, & ſapientibus. Idipſum dici poteſt de corpore beati, quod amotis impedimentis, auctaque vi motiua animæ, fit habile, & agile ad eundum, quocumque beatus voluerit.

175. Opponés primò, Auguſt. 22. *Ciuit. cap* 20. ſcribit, tunc auferetur pondus graue animæ. Igitur in ſtatu beatifico tolletur grauitas à corpore glorioſo, quæ ipſum impedit, ne promptè, & expedite moueatur. Occurrit Scot. cit. §. *Ad illud K.* exponens Auguſt. de pondere aggrauante, cuiuſmodi ſunt humores craſſi, & noxij, & ſuperuacanei. Quò forte aſpiciens Salom. *Sap*. 9. inquit. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Non autem de pondere, quod coincidit cum grauitate, quæ eſt proprietas corporis mixti, & animati, ſine qua anima nequit ipſum corpus informare, & perficere. Ideò, vt ait Ariſtot. 2. *Cæli T*. 71. ſi foret vna ſtella addita, vel amota, non moueretur ab Angelo applicato cœlo ad ipſum mouendum, ità ſi corpus foret leue, non foret informabile ab anima, nec ab ipſa mobile. Videmus namque nonnulla, ob leuitatem à motu impediri.

176. Oppones ſecundò, ſi corpus glorioſum eſſet graue, deorſum caderet, & tenderet in centrum, vt in eo quieſceret, ſurſumque, & in cœlo violenter maneret; ergo vt ibi maneat, neceſſe eſt tollatur ab eo grauitas. Nego ant. ratio allata eſt *in ſecundo not*. quia ſecundum inclinationem naturæ ſuperioris ſurſum naturaliter ſimpliciter quieſceret, ſecundum quid verò violenter, vt eo in loco ſatis eſt explicitum.

177. Oppones tertiò, ſi corpus beati foret graue, anima ipſum continuè mouendo, defatigaretur, & langueſceret, ſicque non eſſet beata, cum beatitudo omnem languorem, & laborem de medio tollat: ergo corpus beati eſt grauitatis expers. Nego ant. ratio eſt, quia anima à grauitate corporis non vincitur, nec à corpore eſt contraria actio, qua defatigetur. Præſertim cum defatigatio proueniat à conſumptione ſpirituum, qui per quietem reparantur. Huiuſmodi autem ſpiritus non exiſtunt in anima, ſed in corpore, veluti etiam Angelus mouens cœlum non defatigatur, vt aſſerui *lib. de Cælo*.

178. Oppones quartò, potentia animæ motiua eſt ipſi animæ ſubſtantialis, realiter cum ipſa identificata: ergo non intenditur in ſtatu beatifico, ſicut in eodem ſtatu anima non intenditur, cum omnis ſubſtantia, *ex capite de ſubſtantia* non ſuſcipiat magis, & minus; proindéque corpus redditur agile per intenſionem virtutis motiuæ animæ.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguo conſequens: eſſentialiter, concedo: accidentaliter, & extrinſecè, nego, per additionem quippè purorum ſpirituum, & remotionem impedimentorum dicitur intendi, & perfici, vt abundè *ſuprà* expoſitum eſt.

179. Quæres, vtrùm poſt diem iudicij, Sancti in Cœlo futuri ſint ſtantes aut ſedentes? Dici poteſt eis adaptandam eſſe ſtationem, potiuſquam ſeſſionem, aut alios ſitus. Sic enim corpus eſt aptius ad operandum, & mouendum agilius; inclinatio quippè eius partium agilitati videtur pugnare. Hinc *Act*. 7. Stephanus vidit Ieſum ſtantem, non ſedentem, aut iacentem. Fauet Auguſt. *lib. de ſymbolo*, qui explicans illum art. fidei, *Sedet ad dexteram Patris*, inquit, non eſſe intelligendum de ſeſſione corporali, ſed ſpirituali. Quo pacto etiam exponi poſſunt alia loca, maximè Pſal. 109. *Sede à dextris meis*. Et Matt. 19. *Sedebitis, & vos iudicantes* 12. *tribus Iſrael.*

DVBITATIO

DVBITATIO IV.

De claritate corporis gloriosi.

§. VNICVS.

Vtrum corpora beatorum futura sint clara.

180. DOtem claritatis futuram esse in corporibus beatorum, communis est doctrina Scholasticorum, præsertim Scot. 4. *d.*49. *q.* 15. S. Bon. Ric. Bass. Vorr. & Maior. *ibid.* Ad cuius faciliorem captum, & commodiorem intellectum.

181. Not. 1. ex Doct. mox alleg. §. *Respondeo. A.* claritatem esse refulgentiam manifestam. Præter enim lucem, & colorem præsefert manifestationem sui. Vnde perhibetur clara lux, clara veritas, & clarus color, cum manifestatur, vel in promptu est, vt se ipsum manifestet. Hoc pariter sensu vocatur Doctor clarus, cuius doctrina omnibus est manifesta, vel potest omnibus manifestari. Participabunt autem corpora Sanctorum colorem manifestum, iuxta ipsorum complexiones; ob id iuxta diuersas complexiones habebunt diuersos colores pulchriores, & minus pulchros, ac etiam secundum varias regiones calidas, vel frigidas, & sicut ipsi erant in via. Probabile quippè est Æthyopes retinere nigredinem, & Tartaros albedinem, vt inquit Maior cit. *q.* 50. *in fine.* Necnon iuxta vniuscuiusque merita, annuente Paulo 1. Cor. 15. *Alia est claritas solis, alia claritas lunæ.* In his videndis delectabuntur, plusquam in visione Solis, aut alterius corporis luminosi; quandoquidem homo plus delectamenti capit aspiciens vultum bene coloratum, quam fulgentem Solem; etiamsi ea corpora, nedum colore ornentur, verùm quoque luce niteant. Quare illa corpora futura sunt colorata, & fulgentia; Idcircò ad eorum laudem, & gloriam cantat Ecclesia. *Fulgebunt iusti sicut sol.*

182. Not. 2 ex eodem, *ubi supra sub B.* adducente Auicennam 6. *Naturalium* affirmantem lumen, lucem, & colorem habere diuersa subiecta, in quibus recipiuntur. Subiectum namque lucis est opacum, & densum, subiectum verò luminis est peruium, & diaphanum interminatum. Ob id subiicit Aristoteles 2. *cœli T.* 42. densior pars cæli est lucida, vt stella; & quod extat post eam, videri nequit, ideò eclypsat illud, aut aliam stellam, vt cernitur in Eclypsi solis, cum luna impedit, ne sol suos radios ad terram diffundat. Cæteræ verò partes cæli sunt diaphanæ, & luminosæ. Ex his infertur, quod si corpora gloriosa sunt lucida, non esse peruia, & transparentia, vt per ea cernantur alia corpora. Subiectum autem coloris est densum, quandoquidem color recipitur in perspicuo terminato, lumen verò in perspicuo interminato, vt in aëre, vel aqua. Quocircà probabile est beatorum corpora esse lucida, & colorata, potiusquam lucida, & luminosa; color enim, & lux inter se societatem habent in subiecto, tametsi ab agente creato simul in idem subiectum induci nequeant. At partes diaphani non recipiunt lucem, sed lumen; ob id colorata non sunt transparentia, & si fuerint diaphana, vel lucida, se habent veluti noctilucæ. Hæc licet communiter, & regulariter ita sint, & ad mentem Scoti, nihilominus nulla extat repugnantia formalis, aut virtualis quin diaphana sint colorata, vt præ aliis ostendunt Bass. & Maior. præalleg.

183. Ass. 1. corpora beatorum post resurrectionem erunt clara; defendit Doct. cit. §. *Respondeo. A.* Probatur 1. Matt. 13. *Tunc fulgebunt iusti, sicut sol, in regno Patris eorum.* Philip. 3. *Configuratum corpori claritatis suæ.* Et Apoc. 21. *Habentem claritatem Dei.* 2. Aug. 22. Ciuit. c. 19. *Apostoli post resurrectionem videbant colorem faciei Christi, claritatem autem non videbant.* 3. corpori in statu beatifico omnis perfectio tribuenda est, cum sit status perfectus: eius autem perfectio est habere congruum colorem, lucidum, & manifestum, quod est dos claritatis, vt patet ex 2. not. 4. corpus gloriosum est agile, & impassibile, ergo & clarum, cum claritas sit dos beatifica corporis, veluti impassibilitas, & agilitas, vt ergo corpus beati sit vndequaque ornatum, & perfectum, expers non est claritatis.

184. Ass. 2. claritas corporis gloriosi est fulgentia manifesta coloris conuenientis eiusdem corporis. Ita Doct. *vbi suprà. B.* & constat *ex* 1. *not.* siquidem claritas vltrà colorem non addit, nisi manifestationem sui, ergo claritas dicti corporis, nihil aliud sibi vult, quam prædictam fulgentiam coloris conuenientis eius complexioni, vt constat in corpore Christi transfigurato, Matt. 17. *Resplenduit facies eius sicut sol,* illa igitur resplendentia, siue refulgentia est dos claritatis.

185. Opp. 1. Greg. 18. *Mor. in cap.* 18. *Iob,* scribit corpora beatorum forè perula, & transparentia, quia delectatio maior videtur esse videndo, quæ sunt intra, quam quæ sunt extra. In hoc enim videtur ars à natura differre, quia ars harmoniam extra causat, natura verò intra. Igitur beatorum corpora non sunt colorata, proindeque nec clara; siquidem lux in denso, & non in diaphano recipitur, vt claret *ex* 2. *not.* Respondeo corpora gloriosa esse porosa, ideoque vnus beatus potest videre, quæ sunt intra corpus alterius beati, per poros eius, ac si foret diaphanum, veluti lynx potest videre, quæ sunt intra, & extra parietem. Itaque corpus beati, potius erit instar crystalli, quam aëris, aër quippè transparens est, proptereà, nec coloris, nec lucis, sed luminis est receptiuus.

186. Opp. 2. ex Aug. nuper memorato, corpora beatorum erunt colorata, & pulchra: ergo futura non sunt lucida, nec clara, quia lux, & color non videntur inter se societatem habere, vt patet in sole, in quo quidem est lux, non tamen color. Concedo ant. nego consequentiam; siquidem absolutè lux, & color non repugnant ad inuicem, nisi ex parte agentis creati non valentis simul in idem subiectum introducere lucem, & colorem.

187. Opp. 3. claritas, siue color clarus præsentatus alicui videnti, videtur necessariò ab ipso: sed corpus Christi post resurrectionem, Luc. 23. non est cognitum à discipulis euntibus in Emaus: ergo corpus gloriosum non est clarum. Occurrunt nonnulli ex Aug. 22. *Ciuit. c.* 19. id accidisse, quia oculi eorum erant infirmi, idcircò non poterant cernere claritatem corporis Christi, sicut Hebræi nequibant intendere in faciem Moysis. *Exo.* 34. Et discipulos in transfiguratione Domini, nubes lucida obumbrauit. *Mat.* 17. Quod licet verum sit permanenter, non verò transeunter: absolutè tamen verum non est, vt patet de sole, qui videtur à nobis quidem, sed non ita distinctè, sicut ab Aquila.

Alij vt Th. respondent, Christum occultasse claritatem corporis sui, imperio suæ voluntatis, ne videretur ab illis Discipulis, sicut potest id præstare quilibet beatus. Contrà, voluntas cuiuscumque, siue beati, siue non beati impedire nequit actionem causæ 2. vt voluntas mea non valet impedire ignem, ne comburat, aut aquam, ne calefaciat, nisi adsit contrarium, puta ignis in aquam, & aqua in ignem pariter, voluntas beati non potest causas naturales à suis actibus, & effectibus præpedire, & impedire.

Respondet Scot. id factum esse diuinitus, hoc est, Deo non cooperante cum dictis Discipulis, ad videndum, & cognoscendum Dominum, vt indicat sacer textus. *Oculi eorum tenebantur, ne eum cognoscerent.* Etenim Deo non concurrente, nulla creatura valet

quidquam

quidquam agere, cum actio causæ 2. à prima causa dependeat essentialiter. Quare contingere potest, vt ad aspiciendam claritatem alicuius beati, Deus non coagat ad eius visionem, quando beatus vult claritatem sui corporis non videri, ab vllo non beato; sicque dici potest, beatum occultare claritatem sui corporis, non quidem sua voluntate, sed Deo volente, siue non coagente, ad conspiciendam claritatem eius. Hinc cessat instantia Argentinæ 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. *art.* 1. Sic argoentis contra Scot. non est anima beata minoris potentiæ, respectu corporis sui, quam Angelus, respectu corporis alieni: Angelus autem tam bonus, quam malus facere potest, ne corpus in medio illuminatum, & in debita distantia videatur à circumstantibus: ergo & anima id potest. Maior patet. Minor suadetur, *Gen.* 19. Angeli percusserunt eos cæcitate à minori, vsque ad maximum, ita vt hostes videre non possent. Item Magi arte Dæmonis reddunt se inuisibiles. Non valet inquam, id enim factum est ab Angelis bonis, Deo non cooperante. A dæmone verò per illusionem sensuum, vt abundè ostendi *Tract. de Angelis.*

188. Quæres, *Luce* 24. Christus visus est à prænominatis discipulis, instar peregrini, nunquid tunc mutauit colorem, quem prius habuit, nunquid ostendit eis corpus sophisticum, & phantasticum. Respondet Doct. in fine loci alleg. negatiuè. Potuit enim Deus causare actionem alterius qualitatis in oculis eorum (vel non concurrere cum potentiis visiuis eorumdem) ne viderent claritatem corporis Christi, licet illud corpus talem colorem, & qualitatem non haberet, vt patet de visione facta per vitrum rubeum, cum omnia rubea videntur, licet in eis verè non sit color rubeus. Nec fuit illusio, aut deceptio, quia illi certi erant, eum talem fuisse in persona, qualis reuera ipse erat vt crederent esse Christum. Idque melius erat, quam si in claritate sua vidissent eum, cùm aliud Christus non intenderet, quam eis Personam suam manifestare.

DVBITATIO V.

De subtilitate corporis beati.

§. I.

An corpora gloriosa sint subtilia.

189. **B**Eatorum corpora fore subtilia, communis fert Theologorum opinio, Scoti 4. *dist.* 49. *q.* 16. §. *Dicunt quidam.* Rich. *ibid. q.* 4. Bast. Malo. & cæterorum, pro cuius notione, & explicatione.

190. Not. ex 3. *de generatione T.* 10. vox subtilitas dicitur à virtute penetrandi, & subintrandi. Est autem æquiuoca; ideo distinguenda. Quatuor namque modis accipitur. Primò, pro eo, quod habet figuram acutam ad penetrandum idoneam, vt acus. Secundò, pro eo, quod habet paruam materiam, qualia sunt corpora rara, vt aër, quia rarus est subtilis, & penetratiuus. Tertiò, pro virtute, qua aliquid præditum penetrat aliud, sic vinum, oleum, & id genus alia perhibentur subtilia, quia penetratiua sunt. Quartò, pro possibilitate data corpori glorioso ad existendum cum alio corpore, ad libitum beati, & de hac sermo est in præsenti, vt patet apud Scot. cit. §. *Ad argumenta.* Transfertur autem ad potentias cognoscitiuas; ille quippè dicitur habere subtilem visum, qui potest penetrare ad videnda parua, & longinqua, quæ alij non vident, & subtilem intellectum, qui intima, & occulta scrutatur, & attingit: pariter spiritus vitales, & animales, necnon substantiæ immateriales vocantur subtiles.

191. Assertio, corpora beatorum erunt subtilia. Tenet Doct. *vbi suprà.* Probatur 1. ex scriptura 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale:* quod autem est spirituale, est subtile, vt constat ex præposito not. suffraganeur Aug. nuper memoratus, & Greg. à Bon alleg. Secundò, corpus, quod penetrat aliud corpus, est subtile, quia subtile est penetratiuum, vt liquet ea dictis supra: vnum autem corpus gloriosum penetrat aliud corpus, vt corpus Christi penetrauit cælos. *Hebr.* 4. ergo &c. Tertiò, vna ex quatuor dotib. beatificia est subtilitas, vt asserui *dub.* 1. *huius art.* Atque corpus quò subtilius, eò nobilius, vt liquet de elementis, inter quæ ea sunt præstantiora, quæ sunt subtiliora, nobilioremque locum occupant, vt ignis, & aër. Iterum, non potest corpus gloriosum retardari, à motuque impediri, secus posset turbari, tædio affici, & in vinculis coniici, quo pacto non beatum, sed miserum foret. Astruendum igitur est corpus gloriosum subtilitate esse insignitum.

192. Oppones primò, corpus gloriosum participat tantam materiam, quantam habuit, cum non erit gloriosum, quia huiusmodi corpus est rectè proportionatum, & aptè organizatum: at corpus non gloriosum non est subtile, quia est opacum, & materiale, quod opponitur diaphano, & subtili: non ergo corpus beati est subtile. Respondeo argumentum concludere de grossitie, aut subtilitate, ratione quantitatis, vel qualitatis: non autem de subtilitate quarto modo accepta, de qua nunc disserimus.

193. Oppones secundò, subtile non penetrat, sed penetratur à duro; durum quippè penetrat aquam, aërem, & consimilia. Si ergo corpus beati foret subtile, vtique esset passibile, cuius oppositum superius sancitum est. Conf. penetratio dimensionum censetur impossibilis: at si corpus beati esset subtile, procul dubio daretur penetratio dimensionum: ergo &c. Distinguo maiorem: de subtilitate raritate ad patiens, concedo: de subtilitate iuncta virtuti agentis, & quarto modo sumpta, nego. Ad conf. dico maiorem valere de corpore subtilitatis caperte: non autem de corpore subtilitatis compote, cuiusmodi est corpus beati.

194. Oppones tertiò, corpus gloriosum non est maioris subtilitatis, quam radius, vel aër radius autem, vel aer sua subtilitate non penetrat corpora opacà, sed porosa duntaxat: ergo, &c. Respondeo esse æquiuocationem in nomine subtilitas, quod ea dictis in not. est æquiuocum. Radius enim vel aër est subtilis subtilitate secundo modo capta: verum corpus gloriosum pollet subtilitate quarto modo sumpta, ideò nullum est argomentum.

§. II.

Quid sit subtilitas corporis gloriosi.

195. **M**Vlta placita adducuntur, & refelluntur a Bast. *quæst.* 4. *art.* 1. quæ ad duo præcipua capita reduci valent, vnum est eorum asserentium subtilitatem corporis gloriosi esse quid positiuum, qui inter se non cohærent. Etenim nonnulli asserunt esse quamdam tenuitatem, qua anima suo imperio efficere valet, vt corpus beati peruadat, & permeet rimas, & poros cuiuslibet corporis, eo ferè pacto, quo aeue subintrat corpora porosa. Alij affirmant esse quamdam qualitatem causatam ex redundantia animæ beatæ in corpus eius. Cæteri verò tuentur esse qualitatem à Deo creatam, per quam corpus est penetratiuum in quodlibet corpus. Alterum est aliorum existimantium subtilitatem nihil positiuum absolutum præseferre, qui sunt bipartiti; quidam enim aiunt, esse subtractionem materiæ, ita vt corpus, quod erat materiale conuertatur in spiritum, fiatque prorsus spirituale. Reliqui verò docent subtilita-

tem eſſe ordinem debitum corpori glorioſo, quatenùs eſt animatum anima, quæ hoc meruit; ſiue explicatius, dos ſubtilitatis eſt ius quoddam per modum meriti in beato, ſecundum diuinam ordinationem, idque Deo ipſo faciente, vel influxum ſuum ſuſpendente à corporibus ne ſibi reſiſtant, vel mutuò ſe expellant.

196. Aſſertio prima, ſubtilitas corporis glorioſi non eſt plena ſubiectio, qua corpus animæ ſubiicitur, vt valeat ad quamcumque quantitatem, & figuram ſe reducere. Ita Doct. præcit. §. *Dicunt quidam.* Et videtur eſſe contra Dur. *num. 9. diſt. alleg.* Probatur 1. corpus beati eſt impaſſibile, ex dictis ſuprà: at ſi ad paruum quantitatem redigeretur, inſtar acus, foret paſſibile, quia condenſaretur, vel rarefieret: condenſatio verò, aut rarefactio eſt paſſio corpori impaſſibili diſſentanea: ergo &c. Secundò, corpus glorioſum eſt congruè organicum, & aptè proportionatum, vt petit anima, ad hoc vt ipſum informare queat, vt patet *lib. 2. de anima:* corpus autem ad paruam, & exiguam figuram redactum, vt tranſeat per tenuiſſimos poros, & rimulas alterius corporis, non eſt debitè organizatum, vt claret ex loco nunc alleg. & *ex lib. de quantitate, qq. de certa, & determinata quantitate viuentium animatorum.* Vnde meritò Scot. prænominatus vocat oppoſitam ſententiam, fictionem. Tertiò, munus animæ eſt informare, & viuificare corpus organicum idoneum ad operationes vitales exercendas, vt conſtat ex duplici animæ definitione allata, & explicata paſſu recenſito. Non ergo redigitur corpus ab anima ad prænominatam ſubiectionem, & obedientiam. Quartò, facile eluderentur diuina myſteria Incar. ſi dicatur corpus Chriſti tranſiſſe per rimas clauſtri Virginei, Reſur. ſi aſſeratur idem corpus penetraſſe poros lapidis ſepulchri, per rimas ianuæ accedens ad Diſcipulos in Cœnaculum. Aſcenſ. ſi teneatur, permeaſſe poros cæli. Sic enim aſtruentes caderent in hæreſim Caluini, & aliorum negantium, duo corpora poſſe ſimul exiſtere in eodem loco.

197 Aſſertio ſecunda, ſubtilitas corporis beati non eſt qualitas cauſata à gloria animæ beatæ huiuſmodi corpus informantis. Deducitur ex Scot. cit. *ante §. Ad argumenta.* Probatur primò. gloria animæ non cauſat in corpore ab ipſa informato talem qualitatem, vt patet in transfiguratione Domini, in qua gloria animæ Chriſti non redundabat in corpus eius, relinquens ipſum in eo ſtatu, quo prius erat: ergo &c. Secundò, felicitas animæ ſita eſt in viſione, & fruitione diuinæ eſſentiæ, quæ cum ſint qualitates, & termini potentiarum naturæ intellectualis, nequeunt aliam qualitatem producere, qua corpus beati fiat ſubtile. Eò magis, quia in proxima aſſert. oſtendetur, nullam qualitatem poſſe reddere corpus beati ſubtile.

198. Aſſertio tertia, ſubtilitas corporis huiuſmodi non eſt qualitas à Deo creata, inhærens ipſi corpori glorioſo. Ita Doct. mox alleg. Dur. *num.* 10. & Argent. Probatur 1. ea qualitas non erit maioris virtutis, quam Angeli virtus, cuius non eſt poteſtas in terra, quæ comparetur ei. Iob. 41. Virtus autem Angeli non poteſt reddere corpus ſubtile, vt quodlibet corpus permeet, & penetret, ſicut nequit efficere vacuum, ex alibi aſſertis: ergo nec illa qualitas facit corpus ſubtile. Secundò, ea qualitas aut eſt actiua, aut paſſiua: non ſecundum, quia corpus glorioſum paſſionem ſubiret, quod eſt falſum, cum ſit impaſſibile: nec primum, quia eius actio non eſt ſimultas corporum; eius namque oppoſitum magis actionem deſignat, puta expulſionem alterius corporis. Nec eſt terminus, quia ſimultas aliquorum eſt non mutua expulſio, ſicque eſt carentia potius, quam poſitio actionis: ſi ergo illa qualitas non ageret, corpori foret potius impedimento, quam adiumento. Tertiò, illa qualitas aut eſſet materialis, aut ſpiritualis: ſi primum, non videtur, cur materiale reddat corpus ſpirituale, cum nihil, quod formaliter non habet, valeat alteri formaliter tribuere, iuxta commune effatum: *Nemo dat, quod non habet.* Si ſecundum, quemadmodum anima ſpiritualis non facit corpus ſpirituale, ſed præbet ei vitam in actu 1. & in actu 2. duntaxat: ſic ea qualitas licet ſpiritualis, non efficit corpus ſubtile & ſpirituale. Quartò, huiuſmodi qualitas eſt neceſſaria, & naturalis neceſſariò, & naturaliter agens, ad idem ſemper inclinans: obedientia autem virium inferiorum ſuperioribus non videtur ad idem ſemper propendere, quia quandoque rectæ rationi conformantur, quandoque verò ei aduerſantur. Non ergo ad libitum animæ corpus mouebitur, ſed iuxta cauſalitatem præfatæ qualitatis, atqueadeo potiùs erit in onus, quàm in decus beati.

199. Aſſertio quarta, ſubtilitas præfati corporis non eſt conuerſio materiæ in ſpiritum. Deducitur ex Doct. *vbi ſuprà*, decernente remanere idem corpus numero, cuius oppoſitum tanquam hæreticum cenſuratur à Baſſ. & Dur. *locis recenſitis.* Probatur primò, ſi corpus per ſubtilitatem verteretur in ſpiritum, non eſſet amplius corpus, ſed ſpiritus, ſicque tolleretur reſurrectio mortuorum, fruſtraque eſſet fides noſtra, cùm tamen ſcriptum ſit. Mar. 16. *Surrexit non eſt hic.* Ioan. 11. *Statim prodiit, qui fuerat mortuus.* Luc. 7. *Dedit illum matri ſuæ*, & 1. Cor. 15. *Si Chriſtus reſurrexit, ergo & nos reſurgemus.* Accedit Auguſtinus de fide ad Petrum, cap. 17. *Idem homo in vtero matris, & pependit in cruce, & iacuit in ſepulchro, & reſurrexit.* Secundò, corpus nunc dicitur animale, & homo peccator perhibetur animalis homo: at non vocatur animalis, eo quod verſus ſit in animam, vt patet: ergo nec tunc dicetur ſpirituale corpus eius, quia mutatum ſit in ſpiritum Reparabitur enim eo tempore, non autem mutabitur eſſentialiter, ſecus non eſſet homo, qui eſſentialiter eſt corporeus. Tertiò, homo non beatificaretur, nec præmia meritorum acciperet, quia non amplius foret homo, ſed ſpiritus ille, in quem corpus eius mutatum eſt. Et innumera alia abſurda ſequerentur ex præfata abſurda, erronea, & hæretica ſententia.

200. Aſſertio quinta, dos ſubtilitatis aliud non ſibi vult, quam poſſibilitatem coexiſtendi vnum corpus, cum alio corpore, pro libito voluntatis animæ informantis ipſum. Ita Scot. *paſſu alleg.* & *diſt. 50. quæſt. 6. §. Iuxta.* Probatur primò, ex refutatione aliarum ſententiarum, quibus hæc probabilior, & ſubtilior iudicatur à Baſſ. *vbi ſupra*; Cum enim ſuperius conceſſa ſit dos ſubtilitatis, & non ſit quid ex prænarratis, à ſufficienti enumeratione infertur eſſe eadem ipſa, quæ ſuprà. Secundò eodem modo philoſophandum eſt de dote ſubtilitatis, ac de dote impaſſibilitatis, vt rectè deducit Scot. à quo non longè videntur diſtare Dur. & Argent. prænominati: ſed impaſſibilitas nihil poſitiuum abſolutum formaliter denotat ex præoſtenſis, ergo idipſum aſtruendum eſt de ſubtilitate.

201. Oppones primò, contra 1. aſſert. corpus ſubtile vulgò nuncupatur illud, quod habet pauciores partes materiæ ſub eadem, vel maiore quantitate: ergo cum ex ant. art. corpus glorioſum ſit ſubtile, ſequitur ipſum eſſe ſubtile per paucitatem materiæ, inſtar aeris, aut alterius corporis tenuis. Reſpondet Doct. cit. §. *Ad argumenta.* corpus glorioſum non eſſe ſubtile per carentiam alicuius partis materiæ, ſed per poſſibilitatem exiſtendi cum alio corpore, ad libitum voluntatis animæ ipſius, non ex ſe effectiue, ſed à diuina voluntate.

202. Oppones ſecundò, contra 2. aſſert. Auguſt.

lib.

lib. ad Dioſcorum, *Tam potentis natura fecit Deus animam, vt ex eius plena felicitate redundet in corpus ſanitas perpetua, & vigor incorruptibilis*, vt Matt. 17. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol.* Vbi Scot. ait, tunc non fuiſſe miraculum, ſed ceſſationem miraculi. Ergo per redundantiam gloriæ animæ cauſatur ſubtilitas corporis. Reſpondeo Auguſtinum tantùm ibi velle, corpus ea vnione cum anima beata, concomitanter, & regulariter beari, quod non negamus: tamen non affirmat ſubtilitatem, & cæteras dotes beatificas effici a gloria animæ: cum enim gloria animæ ſit in viſione, & fruitione diuinitatis, quæ ſunt qualitatis potentiarum rationalium vltimi termini, ex 9. *Met.* 16. haud aliud quidpiam cauſare queunt.

503. Oppones tertiò, contra 3. aſſert. claritas, & agilitas ſunt qualitates poſitiuæ reales, ergo id ipſum aſtruendum eſt de ſubtilitate, & impaſſibilitate; Non enim videtur potior ratio de illis, quam de iſtis. Conf. ſicut homo eſt gratus Deo per gratiam, quæ eſt qualitas poſitiua realis, & beatus per gloriam: pariter igitur corpus eſt ſubtile per qualitatem à Deo immediatè cauſatam corpori glorioſo inhærentem. Concedo ant. nego conſeq. ſicut non valet dicere, materia, & forma ſunt principia realia poſitiua, ergo priuatio, quæ eſt tertium principium generationis naturalis, vtique eſt poſitiuum reale. Per id quoque ſatisfit confirmationi, conceditur enim ant. & negatur conſeq.

204. Oppones quartò, contra 4. aſſert. 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale*: Ergo corpus per ſubtilitatem vertitur in ſpiritum. Reſpondeo per explicationem, corpus ſurget ſpirituale, non per conuerſionem corporis in ſpiritum, ſed per dotem ſubtilitatis; Vt enim dicitur clarum per claritatem, & impaſſibile per impaſſibilitatem, quoque appellatur ſubtile, per ſubtilitatem. Vnde Baſſ. & Nicolaus de Neiſe explicantes illud teſtimonium obiiciunt, ſurget ſpirituale, id eſt ſubtile. Idque corroborari poteſt ex multis locis Scripturæ ſuadentibus poſt reſurrectionem remanere idem corpus, vt Iob 19. *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Luc. 24. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet.* Fauet Greg. *Caro Chriſti ſurrexit, ſed alterius gloriæ, eiuſdem naturæ, id eſt corporea.*

§. III.

An corpus glorioſum per ſuam ſubtilitatem ſimul eſſe queat, cum non glorioſo.

205. Vt naturæ duo corpora non poſſe ſimul eumdem locum occupare oſtendi in Phyſ. *lib.* 6. *quæſt.* 2. *art.* 5. nunc verò perſcrutandum eſt; vtrum virtute Dei id effici queat. Qua in re Dur. 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 6. id putat impoſſibile; & contradictionem inuoluere, cui adhærent Caluinus, & alij ſectarij. Communis autem opinio eſt Scot. 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 16. §. *Reſpondeo.* Ricard. *quæſt.* 5. Argent. & S. Bon. *ibid. quæſt.* 1. de dote ſubtilitatis, affirmantium nullam claudi repugnantiam, quin Deus præſtare valeat, vt duo corpora ſimul exiſtant in eodem loco, ſiue vnum ſit glorioſum, alterum non glorioſum, ſiue vtrumque glorioſum, ſiue neutrum.

206. Nota ex Scot. cit. §. *Reſpondeo* & §. *Dicunt quidam*: inter vnam quantitatem, & alteram quantitatem, pariter inter vnum vbi, & alterum vbi, non intercedere repugnantiam formalem, ſed virtualem. Repugnantia formalis adeſt inter illa, quæ ſecundum ſe, & ſuos effectus opponuntur, vt album, & nigrum. Repugnantia verò virtualis cadit inter cauſam naturalem, & oppoſitum ſui effectus, vt ſi cælum ex hac materia gigneret vermem, ſi agens fortius ſuperueniret, & induceret in eamdem materiam formam oppoſitam formæ vermis, hæc virtualiter opponitur cælo. Quantitas autem quantitati formaliter non repugnat, quandoquidem quantitati, & ſubſtantiæ nihil eſt contrarium: atque repugnantia formalis non extat, niſi in eodem ſubiecto. Sunt autem plura ſubiecta; nempe plura corpora, data hypotheſi. Tantum ergo eſt repugnantia penes locum, quia locus eſt ſpatium capax corporis, vnum autem corpus eſt vnius loci repletiuum, quantum locus aptus eſt repleri. Itaque aliud corpus ei opponitur, quia non poteſt replere eumdem locum, qui iam per aliud corpus occupatur. Quare eſt oppoſitio virtualis, quatenus effectus vnius cauſæ, quæ eſt repletio loci, opponitur alteri cauſæ naturali, quatenus aliud corpus nequit occupare talem locum, qui iam per aliud corpus occupatur. Poteſt autem Deus impedire, ne cauſa naturalis ſuum producat effectum, vt ne ignis igneat, & calefaciat. Propterea, ſi alterutrum corpus præſcindat à repletione locali, procul dubio non repugnat, duo corpora ſimul exiſtere in eodem loco, quorum ſcilicet vnum repleat locum, alterum verò abſtrahat à circumſcriptione locali.

Aliter defendi poteſt, etiam duo corpora poſſe in eodem loco ſimul exiſtere commenſuratiue, & circumſcriptiuè, quia quantitas, *ex* 4. *Phyſ. cap. de vacuo*, eſt de genere ſterilium, & cum ipſi nihil ſit contrarium, conſequenter, nulla reperitur contradictio, quin duo corpora ab eodem loco ſimul circumſcribantur, vt tenent Baſſ. & alij non ignobiles Scotiſtæ.

207. Aſſertio prima, duo corpora, ſiue glorioſa, ſiue non, ſimul in eodem loco exiſtere queunt. Ita Scot. vbi ſupra ſequutus Damaſc. 4. *de fide, cap. vlt.* & Greg. cit. a Bon. *quæſt.* 1. *de dote ſubtilitatis.* Probatur 1. quod factum eſt, aliquando eſt, exiſtit, & fuit poſſibile, quia ad impoſſibile nulla eſt potentia: ſed factum eſt aliquando, vt duo corpora ſimul extiterint in eodem loco, nempe corpus S. Virginis & Chriſti Domini in Natiuitate, corpus eiuſdem Chriſti, & lapidis Sepulchri, in Reſur. ianuis clauſis in ingreſſu ad Diſcipulos in Cœnaculum, in aſcenſu ad cælum, & in exiſtentia ipſius, cum cælo empyreo. Igitur poſſunt duo corpora ſimul in eodem loco exiſtere.

208. Occurrit Dur. nuper alleg. corpus Chriſti exiſſe ex vtero Virginali non per fractionem, ſed per dilatationem clauſtri Virginei, ſicut factum fuiſſet, ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet. Ad id quod dicitur, Chriſtum ſurrexiſſe, clauſo tumulo, reſpondet non haberi in ſacra pagina, & ſi Sanctus aliquis id aſſerat, ſumendum eſt pro opinione. Contra, hæc euaſio præcluditur ex probatis *in* 5. §. *huius dubitationis*; Dilatatio namque, & conſtrictio, ſicut condenſatio, & rarefactio ſunt paſſiones, quæ corpori glorioſo, cum ſit impaſſibile, aduerſantur. Deinde, ſi in ſtatu innocentiæ extitiſſet dilatatio, non tamen virginitas permanſiſſet: Beata autem Maria ſecundum fidem, Virgo poſt partum permanſit, ergo nulla eſt paritas. Præterea extorquetur ſacer Textus, *Hebr.* 4. dicitur Chriſtum penetraſſe cælos, non verò ipſos dilataſſe; Vt enim patet ex terminis, aliud eſt penetrare, aliud verò dilatare. Præterea, *Matt.* 28. legitur poſt Chriſti reſurrectionem, Angelum reuoluiſſe lapidem ab oſtio monumenti, ergo ante clauſum erat, proinde clauſo tumulo, ſurrexit Chriſtus. Et Eccleſia cantat.

Ille, qui clauſus lapide,
Cuſtoditur ſub milite,
Triumphans pompa nobili,
Victor ſurgit de funere,

Secundò, si foret aliqua repugnantia, esset ratione duarum quantitatum ad inuicem repugnantium, vnusque alteram expellentis ab eodem loco: quantitati autem nihil est contrarium, vt patet 1. *prædicam. cap. de quantitate*: ergo, &c.

Tertiò, causa potest esse absque suo effectu, vt *Danielis* 3. ignis non combussit tres pueros Hebræos in ipsum proiectos: si ergo effectus quantitatis est replere locum, Deus facere potest, vt vnum corpus repleat locum, aliud verò non repleat eundem locum. Non ergo implicat contradictionem, duo corpora simul extare in eodem loco.

Quartò, in eodem fundamento, & subiecto possunt esse plura accidentia, & relationes nedum intrinsecus, sed etiam extrinsecus aduenientes, vt plures paternitates in eodem patre, & plures locationes corporum in eodem vbi. Item, prius potest multiplicari, posteriori non multiplicato, vt possunt esse plures causæ, absque plurificatione effectuum, quia prius, vt prius non dependet à posteriori: corpora autem sunt priora loco, veluti subiectum, & fundamentum sunt priora accidente, & relatione, quæ in eis fundantur, & subiectantur. Potestque esse corpus sine loco, vt liquet de vlt. sphæra, & de corpore, quod Deus, si velit, potest ponere extra cælum.

209. Assertio secunda, probabile quoque est, duo corpora etiam circumscriptiuè posse simul eumdem locum occupare. Probatur primò, corpora beatorum sunt simul cum cælo empyreo commensuratiuè; verisimile quippe non est, corpus Christi, aut cæli abstrahere à repletione locali, & circumscriptione commensuratiua. Verisimilis ergo est præfata assertio.

Secundò, facilius est duo corpora simul esse cum suo modo naturali, quam cum alio modo non naturali, vt arguit Doct. 4 *dist.*10. *contra D.Th.* asserentem vnum corpus posse existere in pluribus locis sacramentaliter, non autem circumscriptiuè: at si vtrumque corpus extet simul in eodem loco circumscriptiuè, est cum suo modo naturali, quod si alterutrum præscindat à repletione locali, vnum eorum est absque suo modo naturali, quia à loco non commensuratur: Ergo id est possibile.

Tertiò, quantitati nihil est contrarium, vt dixi supra: ergo duæ quantitates duorum corporum sunt simul in eodem loco compossibiles. Insuper, non repugnat, in duobus fundamentis, aut subiectis æqualibus tertio fundari duos respectus intrinsecos æqualitatis, ad illud tertium, ergo nec vlla extat contradictio, quin in duobus corporibus æqualibus alicui loco, fundentur duo respectus extrinseci passiuæ circumscriptionis, ad vnum locum simul terminatos: illud autem est possibile, ergo & istud.

210. Oppones primò, contra 1. assertionem, Boëtius 1. *Trin. cap.* 1. differentiam in numero accidentium varietas facit, tamen locus semper est diuersus, quoniam vnum duobus nullo modo fingere possumus. Si ergo varietas loci differentiam numeralem, siue indiuidualem constituit, planè infertur, duo corpora in vno loco simul existere non valere. Respondeo, Boëtium esse interpretandum, non quoad constitutionem, quia locus non indiuiduat, siue singularizat corpus, cum queat esse corpus sine loco, vt liquet de vltima sphæra: Sed quoad innotescentiam, quia naturaliter nobis innotescit, vnum corpus vno loco esse contentum, & si vnum corpus in vnum locum subintrat, aliud corpus ab eo loco recedit.

211. Oppones secundò, ex 1. Phys. 17. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: at si duo corpora sunt simul in eodem loco, vtique sunt eadem inter se, ergo non duo erunt corpora, sed vnum, quod est contra hypothesim. Maior est nota. Minor suadetur, dimensiones corporis nequeunt esse diuersæ à dimensionibus loci, *ex* 4. *Phys. cap. de vacuo*, si esset vacuum, non posset ibi poni cubus, id est corpus cubicum, manente autem causa, manet effectus. Respondeo cum Scot. cit. in solutionem tertij, locum non participare dimensiones, vt constat 4. Phys. mox alleg. vbi refutantur veteres Philosophi existimantes, locum esse interuallum, siue spatium inter latera corporis continentis; Arist. autem id ibi infert, vt inconueniens, hoc est si locus foret spatium illud, ergo dimensiones loci, & locati erunt eædem. Addit Doct. cit. Dimensiones esse easdem, non positiuè, sed negatiuè. Alij inquiunt penes æqualitatem, non verò quantitatem, easdem esse.

212. Oppones tertiò, quæ magis conueniunt, magis videntur simul posse coëxistere, vt aqua, cum aqua, & ignis cum igne simul potius commorantur, quam cum aliis diuersi generis, & speciei: duo autem corpora gloriosa magis conueniunt, quam gloriosum, & non gloriosum, & tamen gloriosum non est simul cum glorioso, per dotem subtilitatis, ergo, &c. Respondeo, maiorem veram non esse, nisi cæteris paribus; siquidem non omnis similitudo est ratio simultatis. Nam si id verum esset, duæ quantitates cum sint eiusdem generis, & speciei, forent simul in eodem loco naturaliter, & duas formas simul in eadem materia, quod falsum esse, ostendi *in Phys.* Ad minorem dico, à Deo ordinatum esse, vt corpus gloriosum, simul esse valeat cum corpore non glorioso, ad libitum beati, propter aliquam perfectionem acquirendam: non sic autem à Deo sancitum est, vt vnum corpus gloriosum sit in alio corpore glorioso, cum nulla perfectio comparetur, propter vtriusque simultatem.

213. Oppones quartò, tota ratio, cur duo corpora simul esse nequeant, est duplex eorum quantitas; vna namque non compatitur secum aliam, quia vtriusque entitates sunt ad inuicem repugnantes: ergo, &c. Conf. 1. sicut duæ partes quantitatis nequeunt simul occupare eumdem situm; sic nec nota quantitas, quia de intrinseca ratione quantitatis est, habere partes extra partes. Conf. 2. partes quantitatis si possent simul esse in eodem loco, & situ, possent simul replicari, ita vt vna haud sit extra aliam, proindeque fieri quiret, vt mons magnus transiret per foramen acus, totumque cælum posset claudi in exigua crumena, quod nedum impossibile: verumetiam incredibile videtur. Respondeo dupliciter, primò secundum Scot. in quantitatibus ad simultaneam existentiam esse repugnantiam, non quidem formalem, sed virtualem præexplicitam. *in not.* 2. ex Bass. dico, quantitates inter se non esse repugnantes, nisi ex ordine rerum sic à Deo statuto, vt quantitas vnius simul non existat, cum quantitate alterius corporis. Ad 1. conf. duæ partes colligatæ, & simul coniunctæ non nequeunt eumdem locum simul occupare, quia sic sunt dispositæ, vt vna excludat aliam simul ab eodem loco. At partes disiunctæ inter se non repugnant, vt simul vniantur, ad coëxistendum in eodem loco. Cum autem probatur, de ratione quantitatis est, habere partes extra partes, quoad internam extensionem, conceditur: quoad verò positionem externam, negatur, vt fusè explicui *in Phys. lib.* 3. *quæst.*1. *Ad* 2. *conf.* dico id esse possibile, per ablationem extensionis externæ, non verò internæ, vt patet de corpore Christi in Euch. quod totum est in minima particula hostiæ, quia eius quantitas præscindit à positione externa, & locali circumscriptione.

214. Oppones quintò, duo indiuisibilia nequeunt esse immediata, alioquin non forent duo, vt patet 6. *Phys. cap.* 1. & inde: ergo à pari, si duo corpora forent simul in eodem loco, non essent duo, sed vnum duntaxat, quod repugnat hypothesi. Concedo

ant.

ant. nego conseq. ratio disparitatis est, quia indiuisibilia nullam magnitudinem, aut paruitatem sortiuntur: verum corpora gaudent propriis magnitudine, & diuisibilitate, ideò posita etiam simul in eodem loco, abinuicem distinguuntur, & diuiduntur. Addo, quod duo indiuisibilia siue puncta distinguerentur inter se, quamvis inter ea nihil mediaret; nullum tamen ibi esset continuum.

215. Oppones sextò, ab vno puncto, ad aliud punctum duci nequit, nisi vna linea recta. at si duo corpora essent simul in eodem loco, duci possent duæ lineæ rectæ ab vno puncto corporis continentis, ad aliud punctum eiusdem corporis contenti, ergo, &c. Distinguo maiorem. respectu eiusdem corporis, concedo: respectu diuersorum corporum, nego. Sic enim essent duæ lineæ simul, & in eodem loco, sicuti sunt duo corpora in eodem loco simul existentia. Accedit, quod inter duo puncta loci opposita possunt quidem protrahi duæ lineæ rectæ, non autem si loca non opponantur.

§. IV.

Per quid corpus gloriosum potest simul existere cum corpore non glorioso.

216. CVm *in ant.* §. sancitum sit, absolutè duo corpora posse gaudere simultanea vnius, eiusdemque loci existentia, in præsenti libet perquirere per quid corpus gloriosum queat penetrare corpus non gloriosum. De quo complures afferuntur, & reiiciuntur dicendi modi à Scot. 4. *d.* 49. *q.* 16. Vorr. Bass. & aliis *ibid.* Primus est S. Bon. *d. alleg. quæst.* 1. de dote subtilitatis, affirmantis, duo præfata corpora posse simul stare in eodem loco, non vt quanta mathematica; sic enim vnum efficerent, sed vt quanta naturalia, propterea quod licet situ non different, subiecto tamen differrent. Secundus est Ric. *quæst.* 5. *opinione* 2. asserentis, per virtutem creatam, quæ est dos subtilitatis, corpus gloriosum simul posse consistere in eodem loco, cum corpore non glorioso. Tertius est Petri de Tharantasia *hac dist. problem.* 4. *q.* 3. defendentis per remotionem grossitiei præfata corpora simul se compati in eodem loco. Quartus est D. Th. *d.* 44. *eiusdem* 4. *q.* 2. *art* 2. *in solut. princ.* 1. *quæstiunc.* existimantis id effici per ablationem materiæ, à corpore. Putat enim materiæ diuersitatem exposcere diuersa loca, cum autem compositum nedum pendeat à causis proximis, verumetiam, & potissimùm à causa prima, consequenter Deus abstrahens materiam à corpore, vi sua potest ponere, & conseruare dicta corpora simul in eodem loco, eo modo, quo in Euch. ponit, & conseruat accidentia sacramentalia sine subiecto. Quintus est Gotf. *quol.* 6. *quæst.* 5. docentis corpus gloriosum esse simul cum non glorioso, per remotionē modi quantitatiui, ratione cuius corpus est in loco, quivè à Deo tolli potest. Sextò est Scot. cit. *ante* §. *Respondeo.* & Henr. *Quol.* 9. *quæst. vlt. ad* 1. affirmantium duo prænominata corpora posse existere simul in eodem loco, quia Deus potest conseruare prius, absque posteriori, locus autem est posterior corpore. consequens naturaliter quantitatem, Deus autem potest tollere locum, à corpore, atque ita possibile est, ea corpora secum pati simul in eodem loco.

217. Assertio prima, non ideò corpus gloriosum potest simul in eodem loco existere, cum corpore non glorioso, quia sunt quanta naturalia, non verò quia sunt quanta mathematica. Ita Doct. *vbi suprà*, §. *Dicunt quidam* Probatur primò corpus naturale, & mathematicum sola abstractione differunt, puta quantum naturale est coniunctum cum materia sensibili, & quantum mathematicum abstrahit à materia sensibili, vt alibi explicitum est: ergo si corpora naturalia possint simul eundem locum possidere: idipsum astruendum est de corporibus mathematicis, quia consideratio, & abstractio nihil ponunt in rebus cum ergo illa realiter identificentur, plane deducitur præallatum discrimen, nullius esse ponderis. Secundò sola quantitas vnius corporis impedit, ne quantitas alterius corporis, in eodem loco simul existat, nemine inficiante: atqui tam mathematica, quam naturalis est essentialiter quantitas, dicta differentia nunc præadducta differens: igitur ad rem non pertinet prælata distinctio.

218. Nec valet dicere cum Bass. cit. *art.* 2. *dist* 7. naturalem differre per subiectum, & mathematicam per situm. Siquidem vtraque & subiectum & situm requirit, cum enim sit accidens, petit subiectum, & cum sit ratio existendi in loco situm postulat, huiusmodi ergo distinctio non euacuat propositam difficultatem.

219. Assertio secunda, nec per virtutem creatam, quæ habetur per subtilitatem, possibile est, ea corpora simultaneam eiusdem loci existentiam possidere. Defenditur à Doct. prænominato §. *Ad argumenta in solutione* 2. Probatur primò rationibus adductis *dub.* 2. §. 2. *assert.* 3.

Secundò, virtus cuiuscumque formæ siue substantialis, siue accidentalis est limitata, & finita, ergo per nullam virtutem creatam, duo corpora simultaneam eiusdem loci habere nequeunt, cum enim corpus sit determinatum ad vnum locum, atque positio vnius sit expulsio alterius vt constat experientia, ingrediente enim aqua in locum aëris, ipse aër recedit ab eo loco, & sic de cæteris, veluti generatio vnius est corruptio alterius.

Tertiò, non potest naturaliter effici mutatio positiua, nisi fiat transitus à priuatione formæ, ad habitum, siue formam in eis, in quibus nata sunt concurrere, ergo absolutè loquendo, vlla virtus creata præstare nequit, vt vnum corpus capiat vnum locum, & non priuetur alio loco, vt claret in motu locali.

220. Assertio tertia, per amotionem grossitiei, siue corpulentiæ, siue grauitatis, corpus gloriosum non existit simul in eodem loco, cum corpore non glorioso. Tenet Doct. memoratus. Probatur primò, grossities, siue corpulentia etiamsi à corpore auferatur, adhuc extat ratio, per quam vnum corpus nequit simul existere in eodem loco, nempe quantitas vnius replens locum, & expellens aliud corpus ab eodem loco, vt suprà monui. Ideò duo corpora simul nequeunt occupare eumdem locum, propter eorum quantitates, quæ sunt incompassibiles naturaliter in eodem loco, sublata autem corpulentia adhuc remanent quantitates dictorum corporum: ergo impertinens est præallata ratio. Secundò, corpus gloriosum est sensibile, & quantum, quia gloria non tollit ab ipso sensibilitatem, & quantitatem; amota verò grauitate ab illo adhuc persistit quantum, & sensibile, vt patet de cælo, quod 2. *cæli* 1. non est graue, nec leue, est tamen naturale, & quantum. Tertiò, corpulentia est qualitas, quæ est posterior quantitate. Primum enim accidens consequens substantiam corpoream, est quantitas. Igitur, remota corpulentia, non aufertur quantitas, sublato quippe posteriori, non est necesse, tollatur prius, potest enim esse causa, sine effectu, & principium absque principiato. Atque ita non rectè infertur, per remotionem grauitatis, ea corpora simul eumdem tenere locum.

221. Assertio quarta, materia vnius corporis non est impedimento alteri corpori, ne vtrumque simul habeat eumdem locum. Tuetur Scot. *passu recensito.* Probatur primò, materia præcisè non postulat locum

Etenim potest esse materia sine loco, vt si ponatur extrà cælum, locus quippè est ea posterior, sicut & corpore, ergo per ablationem materiæ non statuuntur duo corpora simul in eodem loco.

Secundò, si materiæ corporum differunt per loca, non distinguerentur materiæ, nisi loca distinguerentur, & cum materia sit pars intrinseca, & essentialis corporis, etiam diuinitus, fieri nequiret, corpus absque loco, sicut non potest esse corpus, sine materia, absurdum autem est non posse existere corpus, sine loco, ergo absurdum est, corpora posse existere in eodem loco, sine materia.

Tertiò secundum Thom. forma indiuiduatur per materiam: si ergo non manet materia distincta, nec forma, nec corpus, quod ex illis conflatur; repugnat autem corpus esse absque suis causis intrinsecis, & essentialibus. Nulla ergo est ratio præassignata, vt ea corpora collocentur simul in eodem loco.

222. Assertio quinta, vnum corpus non est simul cum alio in eodem loco, per remotionem modi quantitatiui. Tradit Doct. *ante* §. *Respondeo*. Probatur primò, quod est in alio loco sibi æquali, est in loco, cum suo modo quantitatiuo, quia à quantitate profluit æqualitas, vel inæqualitas, tanquam eius passio: corpus autem simul existens, cum alio corpore, est in loco sibi æquali: retinet enim suam quantitatem, quæ est ratio loci repletiua: ergò ea ratio nullius est ponderis.

Secundò, licet Deus possit efficere corpus sine quantitate, petitur autem, quomodo persistente quantitate in duobus corporibus vnum queat simul existere cum alio. Corpus siquidem Christi, cum cælum conscendit, & penetrauit, participabat quantitatem ipsi congruentem, & cætera accidentia, quæ faciunt ad eius integritatem, & ornatum. Non oportet ergo tollere quantitatem ad hoc, vt duo corpora simultaneam loci existentiam sortiantur.

223. Assertio sexta, virtute solius Dei duo corpora valent simul participare eumdem locum: Docet Scot. cit. §. *Ad argumenta in sol*. a. & latè ostendit Bass. allog. *articulo* 3. §. *sed quantum ad*. Probatur primò, lex virtutis creatæ est, vnum corpus vno loco contineri, & circumscribi, aliudque corpus ab eodem loco secum non ferre, nec pati: ergo sola potentia diuina, quæ nulli legi alligatur, potest duo corpora simul in eodem loco constituere. Ant. claret ex dictis, & patet experientia: conseq est in promptu, cum enim Deus sit infinitus, vtique pollet virtute infinita.

Secundò, ei tantum virtuti competit facere, vt duo corpora simultanea vnius loci gaudeant existentia, cui conuenit efficere, vt vnum corpus simul existat in pluribus locis, siue circumscriptiuè, siue sacramentaliter: atqui hoc tantum effici valet à potentia diuina, vt fusè alibi monstraui, ergo & illud.

Tertiò, cui nihil resistit, potest quodcumque possibile præstare. Nam Angelus, cui tota natura colligata resistit, nequit efficere vacuum. Potentiæ autem Dei nihil resistit, vt patet *Rom*. 9. ergo vi diuina id est possibile. Insuper ea sola potentia statuere potest duo corpora simul in eodem loco, quæ potest facere, vt corpus ita velociter moueatur sicut spiritus: potentia sola Dei id potest præstare, ergo & istud.

224. Assertio septima, per dotem subtilitatis corpus gloriosum simul esse valet in eodem loco cum corpore non glorioso. Placet Scot. *vbi suprà* §. *Respondeo*, probatur primò ex refutatione aliorum in præpositis assertionibus.

Secundò, per dotem impassibilitatis corpus beati redditur impassibile: ergo per dotem subtilitatis, corpus gloriosum quit penetrare corpus non gloriosum, eique intimè assistere, ad libitum suæ voluntatis, non quidem ex se effectiuè, sed à voluntate diuina sic decernente, vt clare edisserit Doct. alleg. §. *Ad argumenta*.

225. Oppones primò, cuilibet causæ necessariæ correspondet effectus necessarius, ambo enim sunt correlatiua: Dos autem subtilitatis est causa necessaria, nempè qualitas: ergo habet effectum proprium, qui alius esse nequit, quam penetratio corporis gloriosi, cum non glorioso. Concedo maiorem, nego minorem. Nam impassibilitas est dos, quæ nullum effectum habet secundum nos negantes impassibilitatem, & subtilitatem esse qualitates, authore Scot. passu memorato ante §. *Respondeo*. subtilitas est respectus quidam extrinsecus ad aliud corpus, qui respectus est simultas.

226. Dices, impassibilitas impedit, ne agens contrarium possit causare actionem. Dico, non esse actionem, sed resistentiam, vt constat de cælo, quod prohibet, ne elementa in se agant absque vlla actione ab ipso elicita.

227. Oppones secundò, nisi subtilitas sit causa corpori existendi cum alio corpore, corpus post resurrectionem foret in onus animæ. Siquidem anima ex se valeret esse cum quouis corpore, & pariter corpus eius esse nequiret, cum quouis alio corpore, esset ipsi in onus, quoniam sine ipso posset, & cum ipso non posset, quod pugnat Aug. 22. *Ciuit. cap*. 11. Neganda est sequela, ratio est, quia ita cito virtute Dei posset simul existere, cum alio corpore, sicut si esset, absque corpore, posset esse, cum alio corpore, propria virtute. Quare Deus ei ad nutum assistit, ac si id habeat, in sua potestate; quemadmodum viator habet gratiam, licet non ab ipso fiat, sed à Deo creetur.

228. Oppones tertiò, Scot. asserit vnum corpus non posse in alio simul existere, nisi alterutrum absoluatur à repletione locali: ergo ab alterutro corpore tollitur modus quantitatiuus, proindéque immeritò refellit Gotfredum, in cuius sententiam nolens incidit. Concedo ant. distinguo consequens, quoad extensionem externam, concedo: quoad extensionem, & positionem partium internam, nego, vt vberè alibi manet expositum.

§. V.

An beatitudo corporis sit accidentalis.

229. CVm à Doctoribus Scholasticis, nominatim Ric. 4. *distinctione* 49. *articulo quinto, quæstione* 1. duplex statuatur præmium, siue beatitudo, vna essentialis, & altera accidentalis, illa est de obiecto primario, seu increato, quæ consistit in eiusdem obiecti clara visione, & perfecta fruitione. Altera accidentalis de obiecto secundario, seu creato, absque quo anima potest esse beata. Ideò subiicit Augustinus 5. conf. cap. 4. *Beatus, qui te scit, etiamsi illa nesciat; qui vero te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est*. In præsenti autem examinatur, num gloria corporis sit essentialis, aut accidentalis?

230. Not. beatitudinem corporis esse essentialem, bifariàm posse intelligi, vno modo principaliter, sic sola beatitudo animæ est essentialis, quia anima est pars præcipua hominis. Altero modo minus principaliter, quo in sensu, cum corpus sit pars hominis minus præcipua, consequenter eius beatitudo dici potest essentialis minus præcipua.

231. Assertio, beatitudo corporis est ipsi essentialis. Traditur à Ric. cit. innuitur à Doctor 4. *dist*. 49.

quæst 8.

*quæſt.*8. §. *Ad argumenta, & diſt.*50. *quæſt.*5. §. *Ad* 1. *quæſt.* Probatur primò, tam anima, quam corpus ſunt partes hominis eſſentiales, licet vna ſit formalis, & altera materialis: ergo ſicut beatitudo animæ eſt eſſentialis, ita beatitudo corporis eſt eſſentialis.

Secundò, ea perfectio eſt eſſentialis, ſine qua ſubiectum non eſſet perfectum, vt ſuprà inſinuaui, at ſine beatitudine corpus humanum non eſſet perfectum; ad eam quippe ſuapte natura propendet, ergo felicitas corporis eſt eſſentialis.

Tertiò, ea eſt perfectio accidentalis, quæ ſuperadditur perfectioni eſſentiali, & primariæ, cuiuſmodi non eſt beatitudo corporis, vtpotè quod ad eam fertur, veluti anima ad ſuam felicitatem inclinat.

Quartò, per beatitudinem animæ, & corporis totaliter homo beatificatur, & ſine ea ſicut non eſt perfectè beatus, immò non eſt perfectus homo, ita non eſt beatus: facit ergo beatitudo corporis, ad integritatem, & completam felicitatem hominis, proindéque eſt illi eſſentialis.

232. Oppones primò, nulla beatitudo perhibetur eſſentialis, quæ accedit beatitudini eſſentiali. Siquidem ea eſt accidentalis, quæ aduenit rei iam completæ, & perfectæ in eſſe beatifico: felicitas autem corporis aduenit beatitudini animæ, vt patet ex Gloſſa *in cap.*25. *Exod.* Igitur beatitudo corporis eſt accidentalis. Concedo ma. nego min. beatitudo namque corporis, non animæ, ſed ipſi corpori competit; ideò cùm ſit propria corpori, non conuenit animæ.

233. Oppones ſecundò, quod vni eſt eſſentiale, alteri non eſt accidentale; ſiquidem, 3. *Phyſ.*27. ſubſtantia nulli accidit; at beatitudo corporis accidit beatitudini ſubſtantiali animæ. Poſt enim felicitatem animæ, ſequitur felicitas corporis: ergo beatitudo corporis eſt accidentalis. Nego ma. Nam quamuis ſubſtantia nulli accidat, nihilominus, quod eſt vni eſſentiale, poteſt eſſe alteri accidentale, vt calor eſt eſſentialis albedini, tamen parieti eſt accidentalis, quia paries accidentaliter eſt albus.

Articvlvs V.

De beatitudine totius hominis.

234. Electos fore beatos in anima, & corpore, cum fide Orthodoxa tradit Doct. 4. *diſt.*50. *quæſt.* 5. §. *Ad* 1. *quæſt.* totamque naturam humanam eſſe ſubiectum felicitatis ſcribit idem Doct. *ibid. diſt* 49. *quæſt.*8. §. *Ad argumenta.* Ideò poſt indaginem beatitudinis animæ, & corporis habitam in ſuperioribus, libet nunc de totius coniuncti, ſiue hominis felicitate diſceptationem inſtituere.

Dvbitatio I.

An omnes ſenſus Beatorum futuri ſint cum actibus ſuis.

235. D. Th. 4 *diſtinct.*44. *art.*2. *quæſt.*1. *in ſolut.* 3. *&* 4. *quæſtiuncula*, & Ric. *ibid. diſtinct.*49. *art* 4. *quæſt.*3. opinantur omnes ſenſus electorum in patria fore cum actibus ſuis. S. verò Bon. *eodem loco art.*3. *quæſt.*1. Scot. *quæſt.*13. §. *Ad rationes principales*, *in ſol.* 2. Maior *concl. primo.* Vorr. *articulo ſecundo, concluſione prima*, & alij plerique aſſerunt, quoſdam ſenſus exituros in actus ſuos, quoſdam verò nequaquam, pro cuius deciſione.

236. Not. ex Doct. nunc allegat. quoſdam ſenſus eſſe neceſſarios, & pertinentes ad perfectionem, vt ſunt viſus, & auditus: quoſdam verò eſſe, ob indigentiam, non autem ob neceſſitatem, quorum actus poſcunt imperfectionem concomitantem, vt guſtus, & qui ad nutritionem conferunt. Rurſus aduerte ex eodem *ibid.* paſſionem quamdam eſſe corruptiuam, & abiectiuam contrarij, quamdam verò eſſe perfectiuam, vt patet ex alibi dictis. Demum obſerua, immutationem eſſe duplicem, intentionalem, & realem, poteſt autem eſſe intentionalis, abſque reali, vt ſuo loco palam feci.

237. Aſſertio prima, non omnes ſenſus exteriores beatorum in patria exibunt in actus ſuos. Tenet Doctor *vbi ſuprà.* Probatur primò, vbi non ſunt obiecta præſentia quorumdam ſenſuum externorum, nec ſunt actus eorumdem ſenſuum, quandoquidem ſenſus externi, vt agant, petunt obiecta ſua, actu exiſtentia, vt dixi *libro de anima ſenſitiua*, *quæſtione de ſenſibus externis*; in cœlo autem non ſunt odores, nec ſapores, cum ſint qualitates corruptibiles, vt ibi oſtendi: ergo non omnes ſenſus externi in cœlo eſſerent actus ſuos.

Secundò, guſtus, & odoratus ad nutritionem tendunt, & ad deperditi reſtaurationem, in cœlo autem nec nutritio, nec alij actus, quos imperfectio concomitatur, exiſtunt: non igitur omnes ſenſus externi electorum deproment actus ſuos.

238. Aſſertio ſecunda, viſus, auditus, & tactus in patria ſuos actus elicient. Probatur de viſu Iob 19. *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* & Apoc. 5. *Videbit eum omnis oculus.* Accedit Auguſtinus *lib. de ſpiritu, & anima*, viſus reficietur in contemplatione humanitatis, eſtque ibi obiectum viſus, lumen, & calor. Siquidem corpora glorioſa futura ſunt lucida, debitè complexionata, & colorata. De auditu liquet Pſalm. 149. *Exultationes Dei in gutture eorum.* Idque tenet vtraque gloſſa interlinearis, & marginalis. Et exaratur Apoc. nunc eit. *Cantabant canticum nouum.* De tactu oſtenditur Luc. 24. *Palpate, & videte, quia ego ſum.* Deinde eſt ibi medium tactus, nempè caro coniuncta. Atque veriſimile eſt, Beatos viciſſim ſeipſos amplexuros. Addo, dictos ſenſus in ſuis actibus nullam præſeferre concomitantem imperfectionem. Igitur concedendi ſunt in patria, cum actibus ſuis.

239. Oppones primò, nobilior eſt potentia coniuncta cum actu ſuo, quam ab eo diſiuncta, quia per eum ornatur, vt intellectus intellectione, & ſenſus ſenſatione perficitur. Intelligere namque, & ſentire perfectionem includunt: ſtatus autem beatificus eſt perfectus: ergo cum beati potiantur omnibus ſenſibus, ſequitur, omnes eos exercere ſuos actus. Confirmatur, ſicut anima appetit vnionem cum corpore, ita vnionem cum obiecto. Igitur cum anima glorificetur per vnionem actuum ſuarum potentiarum, ſequitur etiam corpus ſenſitiuum glorificari per exercitium virium ſentientium, cum actibus ſuis. Diſtinguo antecedens, de potentia, cuius actum non concomitatur imperfectio, nec fit ob indigentiam, concedo: de potentia, cuius actum ſubſequitur imperfectio, fitque propter inopiam, nego, vt liquet de guſtu, & odoratu præexplicitis. Ad conf. neganda eſt paritas, & ratio diſparitatis traditur, per diſtinctionem mox allatam.

240. Oppones ſecundò, corpus glorificatur, quia inſeruit animæ, ergo & ſenſus per actum ſuum coniungi debet obiecto, quoniam animæ famulatur. *Nihil* quippè *eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*, *ex lib. de ſenſu, & ſenſato, cap.*6. Concedo ant. nego conſeq. de guſtu, & odoratu, propter cauſam præaſſignatam. Beatificantur namque ſi non per præſentiam obiectorum, & actuum ſuorum, ſaltem per redundantiam gloriæ animæ in corpus, & in omnes ſenſus eius.

241. Oppones tertiò, vox non fit, niſi medio aëre, vt patet ex eius definitione allata 2. *de ani-*

ma, *T.96.* In cœlo autem non est aët, ergo nec vox, ficque auditus ibi non gaudet actu ſuo.

Reſpondeo maiorem habere locum in hoc ſtatu, in quo etiam ad viuendum, & reſpirandum exigitur aer. At non in alio ſtatu neceſſarius eſt aer, maximè, cum Deus ibi vicem eius præſtare valeat, ſicut præſtare poteſt, vt homo viuat, & loquatur in vacuo.

DVBITATIO II.

An omnium beatorum æqualis ſit beatitudo.

242. CErtum eſt quoad durationem à parte poſt, beatitudinem ab omnibus beatis æqualiter participari: ac etiam beatitudinem obiectiuam omnibus æque communem eſſe, quia Deus, qui eſt eorum felicitas obiectiua, Pſalm. 3. *Gloria mea*, ab omnibus videtur, & poſſidetur. Dubium verò eſt de formali beatitudine, vtrum ſcilicet cuncti electi formaliter ſint æqualiter beati, hoc eſt, æqualiter intenſiuè, & extenſiuè videant, & fruantur Deo. Atque hæc eſt de adultis. Nam paruuli decedentes ſolo baptiſmo deliburi, abſque vllo proprio merito, ſed merito Chriſti ſolius ſaluantur, ac æque glorificantur, vt præ aliis ſcribit Baſſ. 4. *diſtinct.* 50. *quæſt.* 2. *articulo primo.*

243. Not. primò, ex Scot. *loco nunc cit. quæſt.* 6. §. *Reſpondeo*, neceſſe non eſſe, appetitum naturalem habere omnem perfectionem, cuius eſt capax. Vt enim ſatis eſt graui, vt quieſcat in terra, non autem oportet ipſum quieſcere in profundo eius ſinu: ſic appetitus naturalis hominis quieſcit in felicitate, ſecundum merita, & voluntatem Dei, ſicut quælibet para vniuerſi in proprio loco quieſcit, ſecundum appetitum naturæ vniuerſalis. Idque fit, cum illa, quæ ſunt grauiora, quieſcunt in loco inferiori, & quæ ſunt leuiora, in loco ſublimiori, ideò vt lege naturæ, vnumquodque ſortiatur proprium, & determinatum locum in vniuerſo, ſecundum naturam vniuerſalem. Itaque licet appetitus naturalis naturaliter propendeat ad ſummam perfectionem, & felicitatem, tamen Deus ſua iuſtitia diſtributiua ordinat, vt beatitudo detur beato propter merita, quæ quia inter homines ſunt inæqualia, conſequenter beatitudo inæqualiter communicatur.

244. Not. ſecundò, duplicem eſſe æqualitatem, vnam quantitatis, & alteram proportionis. Prima eſt inter duas quantitates molis, vel virtutis, quarum vna non excedit aliam, vel exceditur ab alia, vt duæ tabulæ tricubitæ.

Secunda eſt inter duas quantitates molis, vel virtutis, quarum licet vna ſuperet alteram, vel ſuperetur ab altera, nihilominus habent proportionem ad inuicem, vt ſicut ſe habent duo ad quatuor, ſic ſe habent tria ad ſex, proindéque inter duo, & tria perhibetur eſſe æqualitas proportionis.

245. Not. tertiò, ex eodem *ibidem*, §. *Iuxta hoc.* Inæqualitatem felicitatis poſſe oriri vel à potentia actiua, vel paſſiua, vel ab obiecto, ſi potentia ſit neutra. Nequit autem eſſe ab obiecto, quia obiectum beatitudinis eſt infinitum in perfectione; infinitum autem, vt infinitum in perfectione nequit eſſe inæquale: potentia verò perfectè quieſcit in optimo, in quo ſaluatur ratio ſui obiecti, ſecundum totum re, & ratione obiectum præſentatur potentiæ beati. Nec ex parte potentiæ paſſiuæ, quia hæc in quouis homine eſt æqualis capacitatis, ſicut in Angelo. Ex parte verò potentiæ actiuæ, quæ duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca, inueſtigari poteſt inæqualitas. Et quidem potentia extrinſeca, ſi eſt naturalis æqualiter agit in ſubiectum aptè, & æquè diſpoſitum, & non impeditum: potentia verò libera, vel agit, ſicut vult, vt patet Matt. 20. *Nonne mihi licet facere, quod ego volo*: vel agit ſecundum iuſtitiam diſtributiuam, reddens vnicuique, iuxta opera ſua, vt præſtat Deus. Ex parte potentiæ intrinſecæ, quæ duplex eſt, naturalis, vt intellectus, vel libera, vt voluntas: adduntur habitus ſupernaturales, lumen gloriæ, & gratia, ſeu charitas. Intellectus autem, vel voluntas in vno poteſt eſſe perfectior, quàm in alio; & ob id elicere actum perfectiorem: pariter lumen gloriæ, & gratia in vno valent eſſe maiora, quam in alio, proindéque inæqualis poteſt eſſe beatitudo, vt aſſerui *Tract. de cognoſcibilitate Dei, diſp.* 3. *quæſt.* 6.

246. Aſſertio prima, beatitudo omnium Prædeſtinatorum non eſt æqualis. Defenditur ab omnibus Scholaſticis, nuncupatim Scoto citato, & Dur. 3. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 8. Probatur primò Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, idest, gloriæ maioris, vel minoris perfectionis. Interpretet Baſſ. cit. *in fine art.* 2. Huncque paſſum exponendum eſſe de beatis teſtatur Auguſt. alleg. à Scot. *vbi ſuprà, quæſt.* 5. Pſal. 61. *Reddes vnicuique iuxta opera ſua.* Et 1. Cor. 15. *Sicut differt à ſtella ſtella in claritate.* Accedunt Symbola, Concilia, & PP. adducti *loco recenſito.*

Secundò, ſicut in rerum natura ſunt gradus perfectiores, & imperfectiores, ita & in gloria habentur gradus maiores, & minores; in hac autem mundi vniuerſitate, patet, eſſe res nobiliores, & ignobiliores, maiores, & minores, vt conſtat de albedine, & nigredine, cæteriſque, quæ ſuſcipiunt magis, & minus. Idipſum ergo aſſuendum de gloria beatorum.

Tertiò, vt in membris corporis elucet maior, vel minor præſtantia, quemadmodum ad oculum cernitur in capite, & reliquis partibus: Sic in Eccleſia, quæ eſt corpus myſticum, maior eſt gloria capitis, quam gloria membrorum, vt clare edixit Paulus Eph. 1. *Deus Pater conſtituit Chriſtum in cœleſtibus, ſuper omnem Principatum, Poteſtatem, Virtutem, & Dominationem.*

Quartò, charitas maior atgrit maiorem gloriam. Nam datur charitas, ſiue gratia tanquam comprincipium meriti, & gloriæ. Iterùm, Deus eſt iuſtus: ergo ſecundum iuſtitiam eius diſtributiuam plus laboranti datur maior gradus gloriæ, quam minus laboranti. Vnde Apoſtolus 2. Tim. 2. *Labora ſicut bonus miles.* Et Philippus 4. *Adiuua illas, quæ mecum laborauerunt.*

247. Aſſertio ſecunda, gloria corporum non eſt par omnibus electis. Tenent Doctores *in prima aſſertione alleg.* Probatur primò, teſtimonio ſcripturæ. 1. Cor. 15. *Stella differt à ſtella in claritate*: ergo ſicut ea corpora nonnulla ſunt clariora, & nitidiora aliis: ſic corpora ſanctorum inæquali gaudebunt felicitate.

Secundò, corpus eſt pars hominis, eoque vtitur anima ad laborandum: vt ergo anima vna eſt beatior altera, pariter vnum corpus alio eſt felicius, & ſublimius. Et congruit quidem corpus Chriſti ſplendidius eſſe cæteris, quia ipſe Chriſtus eſt caput ſuper omnem Eccleſiam. *Eph.* 1. Deinde corpus Beatæ Virginis, & ſic de cæteris, ſecundum merita eorum. Impar igitur eſt felicitas corporum Sanctorum.

248. Opponea primò, quilibet beatus habet æqualem capacitatem, naturalemque appetitum, ad gloriam ſuſcipiendam, cum ergo in patria totus appetitus expleatur, & tota capacitas per gloriam compleatur: inferunt gloriam omnibus electis eſſe parem. Vnde ſubdit Auguſtin. 12. ſuprà Gen. ad litt. capite 35. *Anima ineſt naturalis quidam appetitus ad corpus, quo retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in ſummum bonum, donec ille appetitus quieſcat.* Concedo ant. diſtinguo conſequens, de appetitu rationali, & deliberatiuo, concedo: Is namque

quæ subditur regulæ voluntatis diuinæ; ideò tanta gloria contentus est, quantam Deus vult ei præbere, secundum exigentiam meritorum: appetitus verò naturalis, cum sit non actus elicitus, sed tantum inclinatio, consequenter non oportet ipsum habere summam gloriam, & omnem gloriam, sicut materia non habet actu omnem formam. Hoc in sensu exponendus est August. memoratus.

249. Oppones secundò, Matt. 20. *Omnes acceperunt singulos denarios*, paresque extiterunt, quamuis nonnulli circa horam 6. & alij circà horam 9. in vineam ad laborandum venerint. Per denarium autem ibi significatur præmium beatificum, vt exponunt sacri Interpretes: igitur omnibus par est felicitas. Confirmatur, ex Augustino tract. 66. in Ioan. *Omnium erit par gaudium.* Et lib 83. qq. quæst. 32. *Eandem rem non potest alius alio plus intelligere*, ergo nec vnus altero erit beatior.

Respondeo testimonium illud esse interpretandum de beatitudine non formali, sed obiectiua. Vel de vita æterna, qua omnes beati sunt prædíti, non autem de felicitate, qua vnus altero felicior est. Ad confirmationem, exponendus est Augustin. extensiuè, non verò intensiuè; licet enim gaudium sit de partibus, quia quilibet gaudebit de singulis, & de omnibus, de quibus alius gaudebit, non tamen pari affectu, æquali visione, & fruitione, sed vnus alio clariùs, & limpidiùs videbit, & perfectiùs fruetur obiecto beatifico.

250. Oppones tertiò, priuatio non suscipit magis, & minus: quædam autem dotes beatificæ sunt priuationes, nempè impassibilitas, & subtilitas, vt constat ex dictis in superioribus. Igitur impar non est felicitas corporis. Concedo maiorem: ad minorem dico, id verum esse de impassibilitate, & subtilitate, falsum verò de agilitate, & claritate, quæ sunt reales qualitates, vt insinuat Scot. *vbi suprà, §. Ad 3. quæstionem*. & S. Bonauent. *ibidem, quæstione secunda*, de dotum distinctione. Nec mirum vlli esse debet. Nam principia physica non omnia sunt positiua, & diuina attributa quædam sunt positiua, quædam verò negatiua, de quibus fusè *Tract. de Deo vno disp. 3.*

Dvbitatio III.

An pœna damnatorum sit æqualis.

251. Scot. 4. *distinct.* 50. §. *Ad 1. quæst.* animaduertit, quod sicut beatus est beatus beatitudine animæ, & corporis: sic damnatus duplici pœna est damnatus, damnatione animæ, & corporis Reprobus quippè punitetur duplici pœna, scilicet pœna damni, & pœna sensus, vt præ aliis notat Chrysost. *hom* 24. *in Matt.* pœna damni est carentia boni apti in esse conuenientis, non quidem remoti, sed propinqui inuoluntaria, & nolita. Breuius, pœna damni est priuatio visionis, & fruitionis beatificæ. Hæcque bifariam dici valet inæqualis prima: quia est priuatio inæqualis, idest inæqualiter ordinati ad hos, aut illos gradus maiores, aut minores beatitudinis. Secundò, quia nolita, quis namque plus vellet bonum suum, quam alterius. Pœna sensus est tristitia, siue dolor positiuus, corporalis, aut spiritualis, quo damnati affliguntur. Diuiditur autem pœna sensus in mentalem, quæ est tristitia ex apprehensione læsionis causata, & dicitur pœna vermis, siue continuus remorsus conscientiæ: & in corporalem, quæ est dolor causatus, ab igne inferni, per immutationem sensus, immutato quippè sensu, immutatur appetitus, & illo mediante, voluntas.

252. Assertio prima, pœna damni est damnatis inæqualis. Tenet Doctor citatus. Probatur primò, priuatio perhibetur maior, aut minor, penes habitum maiorem, vel minorem, quo priuat: quidam autem damnatorum damnati erant ad magis bonum, alij verò ad minus bonum. Ergo pœna damni est inæqualis. Ant. patet, non omnes ad æquale bonum, sunt ordinati, vt liquet *ex præcedente articulo*. Consequentia tenet, qui poterant assequi maius bonum, & non sunt assequuti, magis tristantur, quàm illi, qui minus bonum erant consequuturi. Veluti is magis angitur, qui poterat possidere thesaurum, & non possidet, quàm qui poterat sibi comparare decem nummos aureos, & non est adeptus. Hinc ait Bern. serm. 8. in Psalm. 90. *Vt acrius doceant videntes, quid amiserint.*

Secundò, maior est pœna damni, quàm pœna sensus, vt cum Chrysost. nuper alleg. confitentur Theologi, si autem pœna damni foret æqualis, non esset major, immò minor, quia paruuli hanc solùm ferunt, qui tamen æquè non torquentur, sicut adulti damnati.

Tertiò, id causat maiorem pœnam, & tristitiam, quod est magis inuoluntarium, & plus nolitum quidam autem ex damnatis amplius nolunt, quàm alij; vt Lucifer magis patitur, quàm alij, ab ipso tracti. Impar ergo est damnatorum pœna damni.

253. Assertio prima, pœna vermis, quoque est inæqualis reprobis. Defendit idem Scot. *vbi suprà.* Probatur primò, pœna vermis ex dictis est tristitia causata, ex apprehensione læsionis; quidam autem damnatorum magis, quam alij tristantur. Qui enim plus peccauit, plus tristatur. Cum ergo nonnulli grauius quàm alij peccauerint, magis puniuntur, quàm alij, proindéque pœna vermis reprobis est inæqualis. Secundò, gloria est impar beatis, propter merita imparia, vt ostendi in superiori dub. Ergo pariter pœna vermis est reprobis inæqualis, ob demerita inæqualia.

254. Assertio tertia, pœna ignis damnatis vtique erit inæqualis. Tradit Doctor *ibidem*. Probatur primò, Iob 24. *Transibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium.* Et Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

Secundò, Augustinus de Ciuit. *Licet ignis æqualiter ardeat, non tamen æquali molestia cruciat.*

Tertiò, iustitia Dei distributiua exigit, vt qui in maiorem culpam incidit, magis torqueatur ab igne, qui ad puniendos malos à Deo in inferno positus est. Inæqualis est ergo pœna ignis damnatis. Deinceps; qui magis meruit, castigans corpus suum, & in seruitutem redigens, plus præmij, & gloriæ accipit: similiter, qui maiori voluptati corporeæ indulsit, magis demeruit, dignusque est maiori pœna, & supplicio. Æqua ergo non est malis pœna ignis.

255. Oppones primò, priuatio non suscipit magis, & minus, quia est carentia formæ in subiecto apto, vt dixi *in Phys. lib. 2. quæst. de priuatione.* Pœna autem damni est priuatio visionis, & fruitionis diuinæ essentiæ. Pœna ergo damni æqua est damnatis. Distinguo ma. ratione carentiæ habitus, quo priuat, concedo: ratione malitiæ, vel maioris boni, quo priuat, nego, vt *suprà* declaraui.

256. Oppones secundò, agens naturale in subiectum aptè dispositum, æquè agit, vtpotè secundum vltimum potentiæ suæ: ignis autem inferni est agens naturale, agens secundum vltimum potentiæ suæ in damnatos: igitur damnati æquali pœna ignis torquentur. Respondet Bass. inæqualitatem pœnæ sensus non esse decerpendam ex parte ignis, sed ex inæqualitate demeritorum, potissimùm verò ex parte Dei affligentis, qui cooperatur igni ad maiorem afflictionem, penes exigentiam maioris culpæ. Addo ex eodem, quod si ignis non posset in tam vehementem immutationem, quantam pos-

cit peccatum, ipse ignis cooperatur Deo ad illum gradum, quem potest, & Deus immediatè superaddit vlteriorem gradum.

257. Oppones tertiò, si pœna susciperet magis, & minus, maior pœna foret peior, id autem falsum est, quandoquidem pœna est ens positiuum, & est iusta; omne autem iustum est bonum: ergo &c. Respondeo, licet pœna maior sit simpliciter maius bonum, est tamen simpliciter malum huic ferenti huiusmodi pœnam, cum sit contrà eius affectionem commodi, ideò maius incommodum, maiorque afflictio, & dolor subsequuntur. Declarari potest de vento, qui bonus est simpliciter, quia purgat aerem nubibus, vel adducit pluuiam, quæ iuuat fructus terræ: est verò malus alteri, quia submergit nauim eius, vel quia eum madefacit.

258. Oppones quartò, omnis pœna peccatoris est infinita, quia contrà Deum, obiectum infinitum, infinito autem nihil est maius. Igitur omnis pœna par est damnatis. Distinguo ma. obiectiuè, & extrinsecè, concedo: formaliter, & intrinsecè, nego. Tanta quippè est malitia formaliter, quanta est bonitas, quæ nata fuisset inesse actui, si secundum debitas circumstantias fuisset elicitus, vt cum Authore *lib. de fide ad Petrum* docet Scot. *in fine q. alleg.*

Dvbitatio IV.

An Electi post diem iudicij beatiores sint futuri.

259. IN hac difficultate vnum supponitur, & aliud quæritur. Supponitur autem tanquam de fide ab Ecclesia sancitum, vt videre est apud Alphonsum, animas Sanctorum à suis corporibus, quæ informabant abstractas, videre clarè Deum, ipsoque plenè frui, vsquam eadem corpora in resurrectione vniuersali reassumant. Inuestigatur autem, num gloria eorumdem beatorum post iudicium augenda sit, an non. Qua in re duplex extat Scholasticorum placitum. Vnum est Durand. 4. *distinctione* 49. *quæstione* 7. & Maioris *ibidem, quæstione* 12. existimantium beatitudinem iustorum, post resurrectionem mortuorum futuram esse maiorem quidem extensiuè, non tamen intensiuè. Alterum est Mag. eodem loco, S. Bon. *quæstione prima de beatitudine corporis.* Ric. *articulo secundo, quæst.* 7. & Arg. *quæstione tertia, articulo* 4. docentium, gloriam Sanctorum post diem iudicij fore maiorem, tam intensiuè, quàm extensiuè.

260. Not. ex Seraph. cit. beatitudinem posse vocari maiorem quatuor modis. Primò, quia est de obiecto infinito, sic dicitur maior, quia de maiori obiecto non reperitur: atque cum omnes iusti idem obiectum infinitum participent, ratione obiecti propriè non perhibetur maior, nec minor.

Secundò, penes habitum, maiori enim habitu gloriæ potitur Petrus, quam Linus III. extensiuè, quoniam de pluribus gaudet Franciscus, quam Antonius IV. intensiuè, quia intensiori visione, & fruitione, maiorique conatu gaudet vnus, quam alter. Insuper obserua ex Scot. 4. *distinctione* 49. *quæstione* 8. § *Ad argumenta*, Animam rationalem esse partem hominis beatificabilem, esseque felicitatis subiectum immediatum: totam verò naturam humanam esse mediatum eius subiectum. Visio namque, & fruitio immediatè recipiuntur in anima, hoc est in eius potentiis, intellectu, & voluntate, & hæc nuncupatur beatitudo essentialis. Alia verò, quæ spectat ad corpus, & humanitatem appellatur accidentalis, annuente Seraph. *vbi suprà, ante responsionem ad argumenta in oppositum.*

261. Assertio prima, extensiuè post resurrectionem mortuorum, felicitas electorum maiorabitur. Deducitur ex Doct. *passu alleg.* Probatur primò, nedum anima post diem iudicij, verumetiam corpus beatum erit, potentiæ superiores, ac etiam inferiores beatificabuntur. Igitur extensiuè, post vniuersalem resurrectionem, maior fiet beatitudo Sanctorum.

Secundò, iusti tunc gaudebunt non solùm de propria, sed etiam de aliorum cunctorum gloria; omnes quippè electi tunc simul participabunt eamdem beatitudinem: conceditur ergo tunc maior felicitas extensiua.

262. Assertio secunda, post diem iudicij, gloria Sanctorum erit intensior. Confirmatur assertio Scot. *vbi suprà.* Vult enim Doctor, naturam humanam esse subiectum beatitudinis totale, & adæquatum, esseque humanitatem quid tertium realiter distinctum à suis partibus coniunctim sumptis; vnde sumitur hoc argumentum, maior virtus intensiua est totius, quam partis: ergo, cum post diem iudicij tota natura sit beatificanda, intensiuè erit maior gloria beatorum. Deinde suadetur ex glossa in Apoc. 6. *Vidi sub altare animas interfectorum.* Modò animæ Sanctorum sunt in minore dignitate, quam sint futuræ, quia vnam solam stolam acceperunt, tunc autem duplici stolâ decorabuntur. Hinc de D. August. cantat Ecclesia in off. eius proprio. *Quod sibimet in æternum gustat, æternum decoratus vnâ stolâ, securus de reliqua.* Accedit Hierony. in Oie. Peracto iudicio ampliorem gloriam suæ claritatis Deus demonstrabit electis. Nec dissentit Bern. *libro de diligendo Deo.* Anima exuta, tamen corpori est coniuncta, etsi non vita, vel sensu, tamen affectu, vt sine eo nec possit, nec valeat consummari. Præterea, totum est nobilius, perfectius, & fortius suis partibus, vt patet ex Auctore *libro de causis, propositione* 17. ab omnibus recepto, *Virtus vnita fortior se ipsa dispersa.* Post autem vniuersalem resurrectionem anima, & corpus simul vnientur, constituturque homo totus beatus. Cum verò operari supponat esse, perfectius esse perfectiorem esseret operationem. Igitur tunc beatior futurus est homo. Iterum, desiderium naturale fertur ad perfectionem desiderantis, anima autem separata desiderat corpus, tanquam suam compartem, & organum, quo opera meritoria exercuit, totusque homo meruit; ideò Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Anima verò sola non est vir, sed pars viri: ergo cum totus homo tunc sit beatus, intensior erit Sanctorum felicitas. Denique, nunc minor est miseria damnatorum, quoniam nunc anima, tunc verò & corpus, totusque homo torquebitur, ergo ab opposito, post diem iudicij intensiuè augebitur Sanctorum gloria.

263. Oppones primò, quò virtus est magis Deo coniuncta, eò magis beatificatur, & gaudet: anima autem à corpore separata magis vnitur Deo, quàm si fuerit corpori coniuncta. Sic enim virtus eius diffunditur, & dispergitur ad viuificandum, & regendum corpus, proindéque minor erit beatitas, cum resumet corpus, quam ab eo separata. Confirmatur primò, intellectus, & voluntas in suis operibus non vtuntur organo, 3. *de anima* 16. Igitur per vnionem animæ cum corpore non crescet gloria. Confirmatur secundò, anima Christi in triduo, minus quàm antea erat beata, quia a corpore, quod iacebat in sepulchro, erat seiuncta: id autem falsum est, ergo & istud. Concedo maiorem, nego minorem. Resurget enim homo constans anima, & corpore, vtroque perfectior, & robustior, eiusque cunctæ vires inferiores, & superiores vnientur, fortioresque fient, vt experientia comprobatur ex illo axiomate paulò antè adducto. Ad 1. confirmationem, concedo antecedens, nego conseq. ratio est, quia per resumptionem corporis fit natura perfecta,

&

& integra habens perfectiorem operationem, quàm ſi ſola extiterit anima. Ad 2. neganda eſt paritas, quandoquidem anima Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis inſignita eſt gratia, & gloria ſumma negatiuè, vt *tract. de Incar. Verbi* latè ſum proſequutus.

264. Inſtabis, tunc anima Chriſti carebat corpore, vt ſua compatte, & Chriſtus vt homo verè fuit mortuus: ergo fortè non erit inconueniens dicere, tunc Chriſtum non habuiſſe omnem gloriam, quam habuit dum viuebat. Concedi poteſt conſeq. Nam eius corpus antè mortem non erat glorioſum. Non enim præditum erat quatuor dotibus beatificis. Eò magis, quia in triduo non erat homo, conſequenter non habens naturam hominis, nec gloriam eius; atque qui non habet eſſe, nec conſequentia ad eſſe.

265. Oppones ſecundò, principia immediatè beatificabilia ſunt independentia à corpore, & vnione eius, ſunt enim intellectus, & voluntas, quæ ſunt vires immateriales. Igitur per vnionem animæ cum corpore non creſcit hominis gloria. Diſtinguo antecedens, ſi capiantur ea principia, quatenus ſunt in totali, & adæquato ſubiecto, nullam habente inclinationem ad corpus, cuiuſmodi ſunt intellectus, & voluntas naturæ angelicæ, concedo: Si verò ſint in ſubiecto quo, & partiali, veluti eſt anima rationalis, quæ naturaliter propendet ad corpus, nego. Sic enim perfectiores, & potentiores euadunt illæ facultates, vt patet ex dictis.

266. Oppones tertiò, ſi intenſior futura eſt gloria iuſti, poſt iudicium, quàm antè, vel id proueniet ex maiori gratia, vel lumine gloriæ, vel ex roboratione virtutis, vel ex præſentia obiecti, vel ex obice reperto in anima, antè reſurrectionem, & remoto, poſt vnionem eius cum corpore recepto: ſed ex nullo horum capite oritur: ergo non creſcet gloria beatorum per corporum aſſumptionem. Maior oſtenditur, non ex parte gratiæ, vel luminis gloriæ, quia hæc eadem perſiſtunt: nec ex parte virium beatificabilium, quia cum ſint realiter ſubſtantiæ, non intenduntur, nec remittuntur. Nec ex parte obiecti, quia obiectum beatificum eodem modo ſe habet, nec vllus obex interuenit, cum anima eſt ſeparata, vt patet. Reſpondeo, id proficiſci ex roboratione virtutis, quæ habetur à natura integra, & perfecta conſtituta, & conflata ex anima, & corpore, vt *ſuprà* manet explanatum, & probatum.

267. Dices, ille gradus additus; qui prius non erat, vel eſt abſque meritis, vel datur propter merita, vel fit ſine gratia, aut cum gratia à Deo elargita: nullum autem iſtorum apparet, ergo nulla tunc erit maior felicitas. Dico dari ratione totius naturæ. Homo namque eſt, qui propriè meruit, & bonum opus operatus eſt, ob id ei debetur gradus maior, quam extiterit in ſola anima, quæ eſt tantum eius pars, licet præcipua.

DVBITATIO V.

An beati videant pœnas damnatorum.

268. HÆc difficultas intelligi poteſt, vel de facto, vel de poſſibili. Itemque num oculo mentis, aut corporis, intuitiuè ne, an abſtractiuè. Amplius, vtrum in genere proprio, aut in Verbo, aut alio ſimili modo. Et è conuerſo, vtrum damnati videant gloriam beatorum, & quomodo.

269. Not. primò, ex Scot. 4. *diſtinctione* 50. *quæſtione* 3. §. *Reſpondeo* poſt Aug. 9. *Trin. cap.* 10. præter cognitionem de re præſenti, & in propria exiſtentia, aliquid poſſe cognoſci dupliciter. Primò, in ſpecie, ſic cognoſcitur res in ſe, & per ſe, non autem per aliud, ſiue per rationem alterius.

Secundò, penes priuationem, & eſt, quod per aliud cognoſcitur, non verò per rationem sui, quo pacto priuatio cognoſcitur per habitum ei oppoſitum, 4. *Met.* 4. & 9. *eiuſdem operis*, 3. & 5. *Eth.* 1. Rurſus, aliquid cognoſcitur in proprio genere, ſiue in proprio eſſe, ſiue que eſſentia, & exiſtentia, vt lapis dicitur cognoſci in lapidicinia, aut in Verbo, ſiue in eſſentia diuina, quæ eſt exemplar lucidiſſimum omnium rerum repræſentatiuum, & contentiuum omnium formaliter, aut eminenter. Priuationes verò, & alia, quorum non eſt idea, per poſitiua eis oppoſita cognoſci, fuſe oſtendi, *tract. de ſcientia Dei, diſp.* 2. *quæſt.* 6.

270. Not. ſecundò, ex eodem *ibid.* multiplicem eſſe damnatorum pœnam. Primò namque triſtantur reprobi, propterea quod amiſerunt præmium ſubſtantiale, quod conſiſtit in viſione, & fruitione diuinæ eſſentiæ. Secundò, triſtantur de culpa, non quatenus Dei offenſiua, ſed quatenus eſt cauſa eorum tormentorum. Tertiò, triſtantur de igne perpetuo eos detinente, tanquam in teterrimo carcere. Quartò, triſtantur de igne immutante ſenſum, & detinente eorum intellectum in continua, perennique eius conſideratione. Quintò, triſtantur de culpa, quatenus eſt vermis, ſeu continuus remorſus conſcientiæ.

271. Aſſertio prima, beati de facto non vident pœnas damnatorum, oculo corporeo. Ita Scot. cit. §. *Reſpondeo.* Contra nonnullos alleg. ab Aureolo 4. *diſt.* 50. *art.* 4. Probatur primò, inter potentiam viſiuam, & obiectum eius viſibile requiritur debita diſtantia, vt liquet ex dictis *lib.* 3. *de anima, q. de viſu*: ſed inter cælum empyreum, in quo degunt Beati, & infernum, in quo morantur, & detinentur damnati, eſt indebita diſtantia, vt ſupputant Coſmographi, & Aſtrologi: ergo beati modò non cernunt ſupplicia malorum in inferno. Secundò, viſus non penetrat corpus opacum. Non enim intuetur, quæ ſunt ſub terra; infernus autē eſt in centro terræ, vt communiter aſtruunt Theologi: oculo igitur corporis beati nunc non aſpiciunt pœnas damnatorum.

272. Aſſertio ſecunda, nec oculo mentis viſione intuitiua beati vident perditorum tormenta. Tenet Doct. *ibid.* Suadetur primò, inter intellectum, & obiectum exigitur proportionata diſtantia, vt dixi loco præcitato, q. de intellectu: intellectus autem beati eſt in cœlo empyreo, cruciatus verò reproborum eſt in inferno: ergo beati intuitiuè non reſpiciunt malorum pœnas. Secundò, quæ cernuntur intuitiuè ab intellectu, ſunt ei præſentia in proprio genere, & in propria exiſtentia, vt conſtat ex terminis, pœnæ autem damnatorum non ſunt præſentes, ſed longe ab intellectu diſtantes beati, igitur reproborum pœnæ non aſpiciuntur intuitiuè à beatis.

273. Aſſertio tertia, vi diuina beatus vtroque præfato modo poteſt videre malorum tormenta in inferno. Defendit expreſſè Baſſ. 4. *diſtinct.* 50. *quæſt.* 3. *art.* 2, & congruit Scot. prænominato. Probatur primò, Deus poteſt ſupplere omnem cauſalitatem cauſæ ſecundæ, in genere cauſæ efficientis, cum id perfectionem præſeferat, & in Deo ſit omnis perfectionis cumulus: viſio autem, ſiue oculi, ſiue intellectus, de malorum tormentis ſpectat ad cauſam efficientem: ergo ſi oculus, aut intellectus præſente, & concurrente obiecto poteſt eam producere, potiori iure Deus, qui eſt infinitæ virtutis poteſt ſe ſolo eam cauſare in oculo corporis, aut mentis beati.

Secundò, Deus potentia ſua valet producere omne abſolutum, ab alio eſſentialiter non dependens, quia potentia eius eſt illimitata: ſed viſio ſiue corporea, ſiue ſpiritualis eſt ens abſolutum, ab alio eſſentialiter non dependens, cum ſit qualitas, quæ eſt de genere abſolutorum: ergo diuina virtute vtraque viſio effici valet.

274. Aſſertio quarta, viſione mentali abſtractiua,

Beati in inferis vident miserorum cruciatus. Est consentanea Scot. & aliis Doctoribus. Probatur primò, Esa. vlt. *Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui preuaricati sunt.*

Secundò, Hierony. ibid. *Dicite, non est miraculum, si sancti iam immortales, reprobos videant mentis intelligentia, cum propheta adhuc mortales, videre hec omnia meruerint.* Egredientur ergo electi, non loco, sed intelligentia, vel visione manifesta, ad videndum impiorum cruciatus.

Tertiò, oppositorum eadem est ratio & scientia, ex communi Philosophorum proloquio: gloria autem, & miseria sunt opposita: cùm ergo pateat, beatos intueri suam gloriam, & beatitudinem, non est eis deneganda notitia, de reproborum miseria, & pœna.

Quartò, status beatificus, quantum fieri potest, est dignificandus, cum sit omnium supremus, est autem dignum, & congruum, beatos agnoscere malorum pœnas, vt ab eis erepti, gratias vberiores Deo referant, & gaudeant magis de felicitate adepta, diuina gratia suffulti, à laqueis carnis, mundi, & Diaboli liberati, & à pœnis, quas impij patiuntur, vt non obscurè insinuant Dur & Ric præallegati.

Quintò, viatores ex sacra pagina nonnullam sortiuntur notitiam, de reproborum miseriis, vt patet Luc. 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Matt. 12. *Mittite eum in tenebras exteriores.* Et Iob. 24. *Transibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium.* Potiori ergo iure comprehensores, quos nihil latet, quod ad eorum cognitionem, laudem, & beatitudinem spectat. Denique reprobi sciunt statum beatorum, vt patet passu alleg. *Pater Abraham mitte Lazarum*, &c. Beati ergo norunt miseriam damnatorum.

275. Assertio quinta, ratione diuinæ essentiæ, beati vident in Verbo pœnas malorum positiuas. Patrocinantur Scot. & Sanctus Bonauent. cit. Probatur primò, diuina essentia est speculum lucidissimum omnium repræsentatiuum, vt non semel inculcaui, ergo beati intuentes diuinam essentiam, cernunt pœnas impiorum positiuas.

Secundò, essentia diuina repræsentat omnia, quorum ideæ in ipsa resident, nemine negante: at præfatæ pœnæ habent ideas in mente diuina, quia sunt entia positiua, de quibus dantur propriæ ideæ: ergo &c.

276. Assertio sexta; Beati non cernunt pœnam damni reproborum in Verbo, sed in eius opposito positiuo. Tuetur Doctor *vbi suprà*. Probatur primò, ex dictis in antecedente assertione: ea tantum videntur in Verbo, quorum sunt ideæ: pœna autem damni nullam in Deo sortitur ideam, cum idea sit rei factibilis, pœna verò damni sit carentia gloriæ beatificæ.

Secundò, oppositum priuatiuum cognoscitur per oppositum positiuum, vt tenebræ per lucem, nox per diem, & cœcitas per visum: Pœna autem damni est oppositum priuatiuum, vt notat eius prælata descriptio. Igitur cum pœna damni sit oppositum priuatiuum, sequitur ipsam cognosci per eius oppositum positiuum, quod est gloria eorum, siue visio, & fruitio diuinæ essentiæ.

277. Assertio septima, Beati nulla afficiuntur passione, ex visione, siue cognitione tormentorum iniquorum. Tradit Doctor cit. §. *De tertio princip.* & *in fine quæstionis allegata Ad 3.* Probatur primò, beati sunt impassibiles, vt suprà ostendi, ergo nulli passioni succumbunt ex visione cruciatuum impiorum.

Secundò, omnis passio vel est appetitus sensitiui, vel rationalis. In beatis autem non est passio appetitus sensitiui, quippè qui conformatur plenè voluntati, & recto dictamini rationis: nec extat passio appetitus rationalis, vtpotè qui diuinæ voluntati vnitus, & conformatus est. Denuò, beati sunt in termino, ab omni dolore, & tristitia immunes, & passione alieni. Absorbentur enim in infinitam gloriam, & gaudium. Vnde Gregor. homil. 41. in Luc. ait, *Fideles in regnis supra se attendunt, quorum gaudia post, contemplari non possunt.* Et de reprobis subdit Seraphic. citat. *Tunc maiori pœna absorpti erunt, vt iam non liceat eis cogitare gloria dignitatem, semper tamen in mente habebunt eius amissionem, & carentiam, vt tristentur.*

278. Assertio octaua, beati gaudent de pœnis reproborum, non quidem simpliciter, sed secundum quid, quatenùs ità ordinatum est à Deo. Recipitur a Doct. cit. & scinditur in tres partes. Prima pars probatur primò, Psalm. 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam*, & Psalm 51. *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.*

Secundò, beati debent conformari diuinæ voluntati, quæ est iusta, & sancta, Deus autem sic statuit affligere iniustos, & punire malos: Atque in eorum interitu ridebit Prouerb. 1. & ibidem 31. *Ridebit in die nouissimo.* Deinde qui habet, quod postulabat, lætatur, beati autem habent quod petebant, nempè malorum punitionem. Apoc. 16. *Sub throno Dei omnes sancti clamant, vindica sanguinem nostrum Deus noster.* Malos ergo torqueri, exultant iusti. Secunda pars probatur primò. Deus absolute de malorum tormentis non gaudet, vt patet Esa. 1. *Heu consolabor super inimicos meos*: ergo nec beati simpliciter lætantur de eorumdem miseriis, & pœnis.

Secundò, obiectum lætitiæ non est malum, sed bonum simpliciter: pœna autem est reprobis mala, præsertim pœna damni, quæ est priuatio beatitudinis. Adde, quod obiectum pœnæ, circa quod ordinatur, est natura nuda, quæ à Deo non dirigitur ad pœnam, nisi propter malitiam.

Tertia pars suadetur, Beati in iis, quæ Deus vult, ei complacent, quia ei mente, & voluntate coniunguntur: Deus autem iuste vult punire impios, igitur beati solum delectantur de pœnis iniquorum, quatenus ita iustè Deus decreuit eos punire. Rursus, iustus de iustitia lætari debet, quia est bona: in puniendis autem malis Deus seruat iustitiam distributiuam. Itaque volunt beati, quod Deus vult, & si ipsi Deo non displiceret malorum liberatio, eam vellent, vt benè prosequuntur Scot. & Bass. præalleg.

279. Oppones primò, damnati non cernent gloriam Sanctorum, vt cum Gregor. asserit Magister *in præsenti distinctione*: ergo nec beati videbunt malorum cruciatus. Conseq. tenet à pari. Non enim videtur potior ratio de illis, ac de istis. Concedo antecedens, nego conseq. plura quippè possunt beati diuina luce suffulti, quam mali inferorum tenebris obnubuti. Præsertim, cum beati sint principes regni Cœlorum, quos plus posse, quam seruos, & carceribus addictos, patet, vt sunt reprobi, & de quodam legitur Matt. 22. *Ligatis manibus, & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores.*

280. Oppones secundò, diuina essentia licet repræsentet terminos simplices rerum, & complexiones necessarias, non tamen propositiones contingentes, vt *Iudas damnabitur, petrus saluabitur*. alioqui quilibet beatus cognosceret omnes enunciationes contingentes, futuras & possibiles, quod non conceditur. Respondeo diuinam essentiam esse repræsentatiuam propositionum contingentium, non præcisè, sed post determinationem diuinæ voluntatis, per quam intelliguntur, & plenè cognoscuntur omnia futura, vt latè monstraui *tract. de scientia Dei, disp. 3.*

281. Oppones tertiò, si beati viderent impiorum mala, vel eis compaterentur, aut de eorum pœnis gauderent: Si primum forent miseri, quia compassio includit passionem, à qua illi longè distant:

Si

Si secundum, forent crudeles; lætari quippè de aliorum malis, charitati pugnat. Resp. beatos lætari videntes pœnas iniquorum, non simpliciter, sed secundum quid, quatenus ita Deus decreuit, in eisque delectantur, quatenus resplendet diuina iustitia, vt *supra* monstraui.

Dubitatio IV.

An Damnati malint non esse, quàm torqueri.

282. Nonnulli, quorum nomina supprimit Doct. 4. *d.*50.*q.*1 § *Resp.* (citatur à Marginistis Scot. Ric. *eadem dist. a.*4.*q.*2. qui potiùs *ibi*, & *q* 3. oppositum videtur sentire, id tamen expresse tenet Dur. *ibid. q.*2.) existimant reprobos non posse cupere, non esse. Communis autem opinio est Scot. cit. Bon. *ibid. q.*1. Aur. Maior. Basso & aliorum arbitrantium malos posse appetere non esse, ad miseriam fugiendam.

283. Not. 1. aliquid posse appeti, appetitu naturali, quo homo fertur in bonum sibi conueniens, fugitque nociuum, & disconueniens. Quod fit sine præuia cognitione, & actu elicito, sic lapis pondere suo tendit ad suum centrum naturaliter. Vel appetitu rationali, & deliberatiuo, quo homo ad libitũ appetit, quodcumq; vult, & de hoc appetitu mouetur præsens difficultas. Obseruat autem Aur. alleg. *q vn. a.*1. ex Ansel & Arist. 9. *Eth. in fine*, duplicem in voluntate affectionem, puta affectionem commodi, & affectionem iustitiæ. Causa redditur, quoniam voluntas aut tendit in sibi commodum, & delectabile, & penes hoc dicitur habere affectionem commodi: aut tendit in bonum iustum, & honestum, quod gratia sui expetitur, & de hoc perhibetur habere affectionem iustitiæ.

284. Not. 2. ex Scot memorato, §. *Ad* 2. *q* bonum, & malum; si vtrumq, sit positiuum, inter se opponi contrariè: si verò alterutrum sit priuatiuum, vt malum culpæ, opponi priuatiuè at si vnum sit positiuum, & aliud negatiuum opponi contradictoriè, vt ens, non ens, esse, & non esse. Miseria autem opponitur contrariè beatitudini, quoniam vtrumque est positiuum. Non esse autem, seu nihil, non est malum formaliter, ideò non est odibile formaliter, alioqui, cum antè mundi fabricam, fuerit non esse, seu nihil, fuisset malum, antè mundum conditum, quod falsum est. Propriè itaque malum scinditur, in malum culpæ, & malum pœnæ, atque adeò argumenta, quæ probant ad euitandã miseriam, non posse quempiã appetere non esse, quia non esse est maius quouis alio malo, quia adimit totum bonum, & consimilia nullius sunt ponderis, diluunturque à Doct *ibid* § *Respondeo.*

Not. 3. ex eodem *vbi suprà*, malum culpæ non opponi Deo, ac si per culpam aliquod ei detrimentum accidat, sed dicitur contrà Deum, quia fit contrà eius legẽ, & præceptum. Nec ob culpam Deus vult, peccatorem simpliciter non esse, nec ipse peccator appetit non esse, propter peccatum, necnon esse contrà præceptum. Quare, cum dicitur, peccatum inhonorat Deum, vt Ioan. 8. *Vos autem inhonorastis me*, non tollit aliquid à Deo. Nã honor est in honorante, non verò in honorato. Tollit itaque aliquod bonum accidentale ab honorante, quod est minus bonum simpliciter, quàm suum esse substantiale, quod excluditur per non esse, vt rectè prosequitur Bass. *a.*1 *ad* 3. Rursus aduerte ex eodem *ibid.* § *Respondeo ergo.* Culpa, & non esse possunt ad voluntatem comparari, vniformiter, vel difformiter. Vniformiter, si intelligatur, voluntatem esse causam non esse, vel simpliciter, vel quantum est in se, sicut intelligitur, esse causam culpæ, itavt ipsa voluntas sit causa non esse, hoc autem est impossibile, quia nequit annihilare seipsam, sicut non potest seipsam creare; æqualis quippè potentiæ est annihilatio, ac creatio. Nec debet velle non esse, ad vitandam miseriam, alioqui peccaret mortaliter; quandoquidem, sicut odium Dei est peccatum, quia vnusquisque tenetur diligere Deum super omnia; ita odium sui ipsius est peccatum, quia post Deum, quis tenetur diligere seipsum. Ob id fortè Arist. 9. *Eth c.*8. ait. *Bonus vir debet esse sui amator.* Et c. 7. *Esse est expetibile, atque amabile omnibus.* Difformiter autem, si voluntas sit causa culpæ, non verò non esse, itavt voluntas non causet ipsum non esse, sed velit ab alio effici, vt si velit annihilari à Deo, interfici à tyranno, potiusquam in culpam cadat. Et hoc sensu excitatur præsens difficultas, num quis potius appetat non esse, quam in miseriam culpæ incidat.

285. Ass. 1. appetitu naturali nemo potest appetere non esse. Tuetur Doct cit. §. *Ad* 2. *q* & §. *Ad q. ergo*, cui adhærent Bass *a.*2 & Ric. *a.*4 *q.*3 Probatur 1. ex 2. *de generatione T* 59. & 2. *de anima T.*35. natura appetit esse, intentioque totius naturæ est conseruare esse, ideò ne aliqua pars vniuersi pereat, natura toto conatu fugit vacuum 2. appetitus naturalis nihil aliud sibi vult, quam inclinationem, & tendentiam ad proprium commodum, & perfectionem, vt patet ex 1. not. Ideò tot remedia perquirunt ad proprium esse tuendum, mortemque, quæ priuat esse, vnusquisque abhorret, & perhorrescit. Igitur naturali appetitu nullus cupit non esse. 3 naturali appetitu omnis homo beatus esse vult, & natura scire desiderat, 1. *Metaph.* 1. quia omnis perfectus esse optat, ergo cum non esse, tollat omnem perfectionem, bonitatemque, apertè deducitur, neminem naturaliter appetere non esse.

286. Ass. 2. ad vitandum malum pœnæ, non debet quis appetere non esse. Tenet Doct. *ibid.* §. *Respondeo ergo* Probatur 1. nemo recta ratione debet optare, quod pugnat bono, & iusto: cupere autem non esse, ob pœnarum fugam, contradicit bono, & iusto. Nam pœna est à Deo, & ad puniendos malos, aptè est instituta. 2. nullum malum debet esse impunitum, & bonum irremuneratum. Si ergo iustum est, bonos præmio afficere, æquum etiam est, malos pœna plectere. Non ergo recta ratione, quispiam optare debet non esse, ad pœnam fugiendam.

287. Ass. 3. potiùs quis debet optare non esse quàm incidere in culpam: patronus est Scot. *vbi suprà* Probatur 1. quilibet tenetur seruare diuinum præceptum. Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: peccare autem est, Dei mandatum transgredi. Matt. 15 *Quare transgredimini mandata Dei?* Potiùs ergo quis debet eligere non esse, quam cadere in malum culpæ. 2 homo debet conformari diuinæ voluntati, vt 1. regulæ; inferior quippè superiori parere debet: Deus autẽ est prima regula, omniumque suprema. Deinceps, præponendus est amor Dei amori creaturæ, & affectioni commodi, quia amandus est Deus super omnia; ob id ait Christus: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Et alibi, *Si quis diligit Patrem, plusq. am me, non est me dignus.* Fauet Aug. in 7. Ioan. *Qui odit animam suam, perdet eam.* Corroboratur ex 4. *Eth.* 3. vbi Arist. loquens de viro forti, inquit: *Secundum rectam rationem pro communi bono, fortis se debet exponere periculo mortis, siue non effendi, ne labatur in vitium timiditatis.*

288. Dices, fortis exponit se morti, propter spem melioris vitæ, quam expectat, non autem propter non esse. Contrà Arist. de alia vita, animæque immortalitate anceps extitit, vt alibi ostendi. Absolutè autem asserit, fortis pro patria occumbere debet.

289. Ass. 4. vt fugiant culpam improbi, non desiderant non esse. Defendit Doct. §. *Ad* 1. *q* cui suffragatur Maior ad finem 4. *sententiarum, dub.* 1. Probatur 1. Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* 2. damnati in malo sunt obstinati, sunt enim in termino, non valentes amplius de culpis perpetratis pœnitentiam agere. Displicet autem eis culpa, non quidem, vt Dei offensiua, sed vt pœnæ afflictiua, inestque eis vermis conscientiæ, qui est pergrauis pœna, vt præ aliis notat Bass. alleg. *art.* 3. Mali ergo non appetunt non esse, ad malum culpæ declinandum.

290. Ass. 5. probabile est, impios ad fugiendam pœnam, cupere non esse. Placet Scot. Bon. & aliis *vbi suprà.* Probatur primò, Matt. 26. *Melius erat illi, si natus*

non fuisset bono ille. Apoc. 9. *Desiderabunt mortē, & mors fugiet ab eis*: mors autem ad non esse fertur. Homo qu ppè per mortem amittit esse, desinitque esse homo. Et Eccles. 41. *O mors, quàm bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, & defecto etate.*

Secundò, Aug. de miseria huius mundi scribit: *O mors quàm dulcis esses, quibus tam amara fuisti, te solùm desiderant, qui te vehementer oderunt.* Suffragatur Hieronym. à Seraphico memoratus: *Melius est non viuere, quàm malè viuere.* Idemque Doct. in 10. Marci. *Melius est non esse, quàm ad tormenta esse.* Et Glossa in cap. 20. Hierem. *Melius est non esse, quàm malè esse.*

Tertiò, Arist. 9. *Eth.* 9. postquam asserit esse, & viuere diligibile esse, subiicit id se non intelligere de illis, qui calamitosam, & ærumnosam ducunt vitam. Quidam enim tædio vitæ seipsos interimunt, ad fugiendam miseriam, estque vulgatum de misero. *Melior est ei mors, quàm vita.* Vnde idem Philosophus 1. *Rhet.* 2. scribit. *Carentia mali est delectabilis.*

Quartò, pœna momentanea est præferenda æternæ, sicut infinitum, finito anteponitur: at si damnati caderent in non esse, eorum pœna foret temporanea, cum tamen sit æterna. Denuò, non esse non est malum, nec per se odibile, quia nihil est, vt claret ea dictis: pœna verò, & miseria iniquorum est mala, & per se odibilis, qua ipsi reprobi affliguntur. Adde, quod morti adiudicati, ne in tormentis decidant in desperationem, iussu Iudicis, à satellitibus citò interficiuntur. Quare concludit Seraphicus, concedo ergo, quod damnati mallent non esse, & omnis homo debet illud appetere, considerata grauitate vtriusque pœnæ.

291. Opp. 1. Aug. 3. de libero arbitrio ad medium: *Considera, quam bonum est esse, quod beati, & miseri volunt. Magis enim est esse, & esse miserum, quàm omninò non esse, cùm tamen miser esse nolis.* Conf. 1. ex eodem *ibid.* non esse, non est eligibile, quia omne eligibile videtur bonum, ergo nec volibile. Conf. 2. ex eodem de Ciuit. adducto à Dur. cit. *Hi, qui sibi planè miserrimi esse videntur, & sunt: si quis eis immortalitatem daret, qua non ipsa miseria finiretur, exultarent lætitia, sicque potiùs eligerent esse, quàm non esse.* Adde, quod est in ore omnium, *Melius est esse, quam non esse.* Resp. exponendo Aug. non esse, non est eligibile simpliciter, concedo: secundum quid, id est ad fugiendum malum, nego. Quod insinuat Arist. 9. Eth 9. *Esse, & viuere sunt per se diligibilia,* & *cap.* 4. *Vnusquisque sibi vult bona*, non autem qui miseram, & flagitiosam trabit vitam. Vel id intelligitur de appetitu elicito, non autem de appetitu naturali, & affectione commodi. Per idem satisfit duabus confirmationibus ex Aug. adductis.

292. Opp. 2. quod non continetur sub obiecto appetitus, non est appetibile, nec volibile: non esse autem non capitur sub obiecto appetitus, quod est bonum verum, aut apparens: ergo cum non esse nullam in se claudat veram, aut apparentem bonitatem, immò tollat omnem entitatem, & bonitatem, consequenter non est appetibile. Concedo ma. distinguo min. per se, & simpliciter, concedo: Per accidens, & secundum quid, nego. Met. namque contemplatur ens, & non ens, & Logica affirmationem, & negationem.

293. Opp. 3. qui appetit necessariò beatitudinem, appetit necessariò esse, non verò non esse: sed omnis homo, etiam improbus capit necessariò beatitudinem, tanquam eius perfectionem: ergo non esse à nemine desideratur. Conf. ex 9. *Met.* 16. priuatio non appetitur, nisi ratione habitus ei oppositi, ergo non appetitur non esse, nisi appetatur esse, simul autem appeti nequeunt esse, & non esse, ergo &c. Concedo ma. distinguo min. appetitu naturali, & conditionato, concedo: appetitu rationali, absoluto, & efficaci, nego. Ad conf. dico per se appeti habitum, per accidens verò eius priuationem: priuatio quoque dicitur principium non per se, sed per accidens, 1. *Phys* 66.

Opp. 4. sicut se habet homo ad summum bonum, ita ad summum malum: sed non potest quis nolle summum bonum, ergo nec quispiam potest velle summum malum, quod est non esse, quod tollit omne bonum. Concedo ma. nego min. damnati quippè Deum oderunt, ita non esse potest ab eis desiderari, præsertim quia ex dictis, non esse non est malum. Insuper, sicut volunta potest ferri in impossibile, ex alibi dictis, pariter potest velle non esse, volitione inefficaci.

DVBITATIO VII.

Quid, & quoplex sit aureola.

294. Constat ex superioribus, duplex esse beati præmium, alterum essentiale, accidentale alterum. Aureolam autem esse inter accidentalia præmia numerandam, compertum esse videtur, apud Doctores: siquidem nonnulli sunt beati habentes præmium accidentale, non tamen aureolam, quæ ex dicendis tribus Martyribus, Doctoribus, & Virginibus conceditur duntaxat: & alij accidentale, quod est aureola, conueniens illis tribus mox recensitis. Hæc diuisio affinis est illi, quam attulimus *in Epist.* 1. *q.* 3 *art.* 5. distribuentes, differentiam in maximè propriam, & non maximè propriā, quæ deinde subdiuiditur in propriam, & communem.

295. Nor. primò, præmium essentiale beati, quod potissimum consistit in visione, & fruitione diuinæ essentiæ, metaphoricè vocatur corona, vt Psal. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Et Apoc. 3. *Et in capitibus eorum corona aurea:* Per gloriam enim beatificam homo fit particeps regiæ potestatis. Ideò *ibid.* subditur c. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Corona quippè est proprium signum regiæ potestatis. Præmium autem essentiale dicitur aurea corona, tum quia victoribus datur, tum etiam quia est instar coronæ, quæ capitur linea circulari, quæve ita perfecta est, vt ei fieri nequeat additio, nisi accidentalis: pariter illud præmium adeò perfectum est, vt quidquid ei superaddītur, sit accidentale. Præterea, quemadmodum corona circularis, ad idem punctum, à quo incipit terminatur, ita per præmium essentiale homo primo principio coniungitur, a quo in esse, per creationem exiuit. Aureola autem, quæ est aureæ vox diminutiua, sicut Tulliola est nomen diminutiuum Tulliæ, est præmium accidentale, siue gaudium, de operibus ab homine præstitis habentibus rationem victoriæ excellentis, per quam exterius apparebit in corpore quidam decor, declarans præsatum gaudium exterius.

296. Nut. secundò, ex S. Bon. 4. *dist.* 33. *quæst.* 1. *art.* 1. in præmio beatifico tria considerari, habitum, statum, & decorem. Habitui respondet aurea, statui fructus, & decori integritatis aureola. Quod autem habitui correspondeat aurea, p. ter, quia aurea est habitus gloriæ essentialis, & in ea habitus continetur. Statui fructus correspondet, vt claret *Matt.* 13. vbi fructus maior, aut minor petitur penes terræ præstantiam, & bonitatem maiorem, vel minorem, velut fructus maior, vel minor secundum statum. Decori correspondet aureola, quandoquidem aureola datur per merita, quæ quid extrinsecum excellentius respiciunt. Vndè decor quidam erit Doctoribus, de conuersis per ipsos. Decor quoque Martyribus in corpore, qui se pro Christo passioni, & morti exposuerunt. Necnon decor Virginibus in corpore, quæ se pro Christo incorruptas seruauerunt. Subdit autem idem Sanctus, in his esse decorem cum gaudio, & gaudium cum decore. Atque aureola debetur actui interiori, per comparationem ad decorem exteriorem, & exteriori relato ad interiorem. Quare si virgo velit corrumpi, & non corrumpatur, postea que pœniteat,

pœniteat, quia incorrupta manet caro eius, ſi perſiſtat vſque in finem, habebit aureolam. Iterùm ſi nolit corrumpi, & violenter corrumpatur, etiam aureola decorabitur, vt patet de S. Lucia, quæ tyrannum alloquens ait: *Si inuitam iuſſeris violari, corona mihi duplicabitur.* Deinceps, niſi quis actibus ſe exerceat in docendo, patiendo, & vincendo, non reportabit aureolam, propterea ſi quiſpiam velit docere, & actu non doceat, ei non dabitur aureola: Pariter ſi quis velis ſubire martyrium, & non ſubeat, aureola martyrij non inſignietur.

297. Aſſertio prima, datur aureola, quæ eſt gloria accidentalis, de victoria rei excellentis. Præſupponit Doct. *locis cit.* Probatur primò, 1. *Exod.* 25. mentio fit aureæ coronæ, & aureolæ, vbi gloſſa eum locum de gloria eſſentiali, & accidentali interpretatur.

Secundò, egregiè pugnanti, & præclarè vincenti, dandum eſt peculiare præmium, & corona, vt fiebat olim. Erant enim diuerſæ coronæ, ciuicæ, caſtrenſes, & aliæ, de quibus Calepinus, & cæteri amplè diſſerunt: quidam autem in bello ſpirituali referunt præſtantem, inſignemque victoriam: præbenda ergo eſt eis peculiaris corona, quæ nuncupatur aureola.

298. Aſſ. 2 triplex aureola tribus præbetur, martyribus, Doct. & Virginibus. Eſt communis, & præſuppoſita ab eodem Doct. *ibid.* Probatur, 1. ſingulari certamini, & excellenti pugnæ, peculiaris corona, & ſingulare præmium tribuendum eſt, vt *ſuprà* dicebam: Martyres autem, Virgines, & Doctores ſingulariter certant, & excellenter dimicant. Et quidē de Virginibus patet Apoc. 14. *Virgines enim ſunt.* De Martyribus canit Eccleſia: *Cum palma ad regna peruenerunt ſancti, coronas decoris meruerūt de manu Dei.* Et de Doct. ait Saluator Matt. 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum*; ergo tribus illis triplex aſſignanda eſt aureola. 2. de triplici præcipuo hoſte victo, triplicata gloria, & præmiū à victore refertur. Sic enim poſtulat iuſtitia diſtributiua: triplex autē eſt hoſtis præcipuus ſuperandus, caro, mūdus, & diabolus: de carne, hoc eſt voluptate venerea, potiſſimùm virgo reportat victoriā inſignē; ob id ei tribuitur aureola Virginitatis, ad quā ſumendam inuitat eam Eccleſia: *Veni ſponſa Chriſti accipe coronā.* De mundo, patiendo maximè dolores, & ferēdo mortē, palmam refert, & inſignitur aureola martyrij, de quo eadē Eccleſia cantat: *poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* De diabolo etiam nedū vincendo, verū etiam à faucibus eius peccatores eripiendo, patiētia, & doctrina egregiè triūphat, meretur coronā, quæ appellatur aureola Doct. Ideò Eccleſ. 39. inquit: *Sapientia eius enarrabunt gentes & laudem eius ennuntiabit Eccleſia.* 3. tribus actibus excellētibus triū animæ potentiarū, tres præcipuæ coronæ aſſignantur. Vnus autē actus rationalis inſignis eſt, defendere doctrinā fidei, aduerſùs impugnātes ipſā, & huic datur doctoratus aureola. Hinc in hymno officij S. Franciſci, canitur. *Hoſtes malignos proterens, aureā victor meruit, aureolam dum docuit.* Alter potior concupiſcibilis eſt cohibere venereas voluptates, & iſti conceditur aureola Virginitatis, quò fortè reſpiciēs Dauid ait, Pſal. 44. *Intende proſpere procede, & regna.* Tertius peculiaris iraſcibilis eſt, pati dolores, & labores, ac pro Chriſto mortem ſubire, & huic aſſignatur aureola martyrij. Pugna autem Martyrum eſt fortior, & robuſtior, Virginum difficilior, & periculoſior, Doctorum grandior, & laborioſior. Eminet autem Martyrum gloria, ſequitur Virginum corona, deinde Doctorum cœtus.

299. Opp. 1. quo quis eſt magis liber, poteſtq; tranſgredi, & non tranſgreditur Dei præceptū, eò magis meretur, eique maius debetur præmiū, vt indicat Greg. *Seruitia quantò ſunt magis libera, tantò ſunt magis grata?* Martyres autē in ferendo dolorem, & patiendo mortem, non ſunt liberiores: quia pœna eis infligitur à Tyrānis, quamve neceſſariò ſubeunt: eis ergo non eſt danda aureola, quæ eſt præmiū præſtantis, & ſingularis victoriæ. Concedo ma. nego min. voluntariè enim ſuſtinent duriores, ac diriores pœnas quam alij, ob id meritò illis traditur aureola.

Opp. 2. plus anguntur viduæ ſe continentes à carnis illecebris, quā Virgines, quia illæ habent habitū coëundi; hæ verò nequaquam. Vnde Aug. 8. *Conf. c.* 5. ſubdit; *Ex voluntate peruerſa, facta eſt libido, & dū ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo.* Ergo illis, & non iſtis concedēda eſt potiùs aureola. Dato ant. nego conſequentiam, cauſa eſt, quia non difficultati certandi, ſed ſingulari, & excellenti victoriæ de certamine tribuitur corona potiſſimum illi, qui hoſti nunquam ceſſit, ſed de illo ſingulariter triumphauit, cuiuſmodi eſt Virgo.

300. Inſtabis. ſi Virgini debetur peculiare præmium, maxime ob difficultatem, aut perfectionem. Non. 1. quia difficilius eſt abnegare propriā voluntatē, quā Virginitatē ſeruare: nec 2. quia perfectius eſt inimicos diligere, quàm Virginitatem cuſtodire. Occurrit Seraphicus prælatus. Virgini competere, non ratione difficultatis, vel perfectionis, ſed ratione decoris, & præſtantis victoriæ.

301. Opp. 3. qui ſe exaltat in præſenti, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur, vt patet *Luc* 18. Doctor autem in hac vita ſe effert ſuprà alios, ita vt quidam ſuperbia elati, in profundum malorum prolabantur. Hinc gloſſa Matt. 4 *Diabolus multos decipit, honore magiſterij inflatos,* ergo Doctoribus non congruit aureola. Concedo ma. diſtinguo min. propriam gloriam quærens, concedo: gloriam Dei quærens, nego. Si autem quidam Doctores cadant, non Doctoratui, ſed malitiæ eorum id eſt adſcribendum. Ideò Chriſtus ait, *Vos eſtis ſal terræ quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?*

302. Quæres 1. vtrum aureola ſit in anima, vel corpore? Reſpōdent Seraph. & Ric *præalleg.* q. 4. eſſe in anima, quatenus gaudium, & præmium reſpondet meritos anima autem propriè voluntate meretur; ob id aureola eſt in anima; ac etiam in corpore quatenus eſt quidam decor, qui eſt ſenſibile ſignum eiuſdem gaudij interni. Quapropter ſcribis Aug. 22 Ciuit. c. 20 *Cicatrices Martyrū nō erūt in deformitatē, ſed in dignitatē.* Quò fortaſſè pacto, Chriſtus voluit retinere vulnera ſuæ paſſionis.

303. Quæres 2. num Chriſtus habeat aureolam? Reſpondet Ric. cit. q. 5. & fuſius *Quol.* 1 q. 6. affirmatiuè, triplici quippe gaudet aureola, martyrij, virginitatis, & doctoratus, cum exciterit Martyr, Virgo, & Doctor, Immò Rex Martyrum corona Virginum, vniuſque omnium Magiſter, & Doctor.

304. Quæres 3. vtrū Angeli aureola decorētur? R. negatiuè, & quidē nō ſunt laureati aureola martyrij, cū ſint immortales, nec virginalis pudicitiæ decore inſigniti, cū ſint incorporei, nec gloria doctoratus prædıti, propterea quod ad docēdi, & prædicādi munus, aſſūpti non fuēre.

LIBER TERTIVS.

De Principio, & actibus humanis.

1. PRÆCOGNITO, & propoſito fine vltimo, ſiue beatitudine, in præcedente libro, accedunt in præſente, principium effectiuum, & eius actus, in quibus cognoſcendis, & deligendis, nauiter, & diligenter eſt incumbendum. Hunc ordinem in pertractanda Ethica

tenet Arist. vt videre est 1. *Eth. cap.* 2. & 3. *eiusdem operis cap.* 1. *& inde*: necnon 1. *Magnorum moralium cap.* 10. *&* 11. à quo non discrepant Tullius 5. *de finib.* & Seneca *epist.* 71. Ratio est, quia causa finalis est omnium prima, & nobilissima, subsequitur efficiens, à qua prodeunt actus humani, tanquam eorum principio productiuo. Quocircà duæ mouentur quæstiones in hoc libro, prior de principio humanorum actuum, posterior verò de actibus humanis.

QVÆSTIO I.

De Principio humanorum actuum.

ARTICVLVS I.

Quodnam sit principium humanorum actuum.

2. Ecis to huius art. tota posita esse videtur, in acceptione, & explicatione huius vocabuli *humanum*; ideò vt omnis æquiuocatio tollatur, & res bene percipiatur.

3. Not. 1. intellectum, & voluntatem esse principia, siue potentias naturæ intellectualis, & rationalis, de quibus, vt distinctis, vix loquitur Philosophus, vt notat Raconius *disp.* 1. *sect.* 8. *de principiis humanarum actionum*, post Scot. 2. *dist.* 25. *quæst. vn.* §. *Dico ergo.* T. Huiusmodi autem potentiæ abinuicem, & ab anima formaliter distinguuntur. Est enim intellectus potentia naturalis, & voluntas potentia libera, vt abundè ostendi *l.* 3. *de anima, quæst.* 2.

4. Not. 2 actus vocari humanos tripliciter contingere. Primò, extrinsecè, & denominatiuè, quia opus factum est ab homine, veluti scamnum perhibetur humanum, vt obseruaui *l. de mundo, quæst.* 2. *de creatione.*

Secundò, quod ab aliqua potentia hominis oritur, ita intellectio, & quæuis alia operatio prodiens ab homine, dicitur humana, realiter, & entitatiuè.

Tertiò, propriè, quod à sola voluntate promanat; sic actus eius, qui est liber appellatur humanus, propterea quod est proprius homini, vt distinguitur à belluis: hæ quippe naturaliter, & necessariò agunt, sine potiùs aguntur; ille verò sponte, & liberè operatur, vt dixerit Doct. *dist.* 41. *quæst vn.* §. *Aliter.* & prosequitur Faber. *disp.* 4. *de pœnitentia cap.* 5. Et indicat Arist. 2. *Eth.* 9. & 6. *eiusdem operis* 2. necnon 3. *cap.* 1.

5. Not. 3. ex Damasc. 2. *de fide cap.* 27. voluntatem præsupponere intellectum, in esse, & in operari. Est enim prior origine. Vnde celebratur illud elogium sæpè decantatum: *Voluntas non fertur in incognitum;* siquidem huiusmodi potentiæ adinuicem ita ordinantur, vt vna in esse, & operari præexigat, & præsupponat aliam, vti sensus interni præsupponunt esse, & operationem sensuum externorum. Quare licet voluntas ad esse, & operari præexigat intellectum; ab eo tamen non dependet in eliciendis, & promendis suis actibus, nec ad ipsos intellectus effectiuè concurrit: solum quippè repræsentat obiecta, ad quæ voluntas pro suo libito fertur, adeò vt ipsa sit domina suorum actuum, imperetque intellectui, cæterisque potentiis, quæ eidem subduntur, vt infrà apertiùs monstrabitur.

6. Assertio, actus humani propriè sumpti, à sola voluntate prodeunt. Tradit Doct. citat. *in* 2. *not.* & deducitur *ex* 6. *Eth.* 2. Probatur primò, ex communi consensu omnium Philosophorum, & Theologorum, qui agentes de actibus humanis, actus voluntatis pertractant, præsertim illi, qui ex professo nunc temporis conficiunt tractatum de actibus humanis.

Secundò, vocabula sunt vsurpanda secundum communem Authorum vsum, notante Scot. 1. *dist.* 14. & 15. *quæst. vn. sub E.* §. *Licet autem hac via.* Vulgus autem Scholasticorum, actus humanos accipit pro actibus voluntatis duntaxat. Deinde illi sunt propriè actus humani, qui laude, aut vituperio digni esse censentur, vt suprà tetigi: soli autem actus voluntatis eliciti, vel imperati sunt capaces meriti, aut demeriti, gloriæ, aut pœnæ. Igitur actus humani sunt propriè illi, qui à voluntate proficiscuntur.

7. Opponens primò, clara Dei visio, eiusque fruitio beatifica sunt actus humani; hi autem non sunt liberi, sed necessarij. quia beatus necessariò videt, & fruitur obiecto beatifico, ita vt aliter facere nequeat, secùs posset non esse beatus, imò damnatus, quod repugnare videtur: igitur actus humani non tantum actus liberi voluntatis. Occurrunt Conimb. *disp.* 4. *Mor. quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1. *&* 2. concedentes illos esse quidem actus hominis, sed non humanos, quia sunt necessarij, vt probat argumentum. Verùm hæc responsio non mihi arridet. Si enim illi actus in via sunt humani, cur non in patria? quippe qui non videntur amittere suum esse in patria, sed in ea sunt perfectiores, & nobiliores, veluti charitas in via, & in patria non differt, nisi sicut perfectum, & imperfectum, magis, & minus, quæ non variant speciem, nec mutant essentiam rei. Quare respondeo secundum Scot. cit. in superioribus eos esse actus humanos liberos à voluntate prodeuntes, tametsi de facto voluntas non feratur ad actus oppositos, quia Deus decreuit concurrere semper ad illos, & non ad oppositos, nihilominus absolutè, & remotè ipsa voluntas potest tendere in actus oppositos, nunquam tamen actum oppositum eliciet, propterea quod præueniatur à diuina voluntate, continuante illos actus beatificos, vt *loco mox alleg.* fuit explicatum.

8. Opponens secundò, actus intellectus sunt actus humani, non sunt tamen liberi, cum sint naturales, & necessarij, vtpotè qui prodeunt à potentia naturali, & necessaria, cuiusmodi est intellectus. Iterum actus somniantium, & dementium sunt actus humani, non sunt autem liberi, cum merito, aut demerito careant. Deinceps, primi motus non sunt in nobis, quod est dicta, non subduntur nostræ voluntati, & libertati. Ideò nec præmium, nec supplicium merentur, & tamen sunt humani, ergo &c. Respondeo prænominatos actus impropriè nuncupari humanos, quatenus fiunt ab homine, vt obseruaui *in* 2. *not.*

9. Opponens tertiò, actus voluntatis sunt immanentes, veluti actus intellectus, qui non exeunt extra ipsam potentiam: sunt autem alij actus ab appetitu sensitiuo, viribus, membrisque externis pendentes, qui boni, vel mali, laude, vel dedecore digni æstimantur. Non ergo omnes actus laudabiles, vel imputabiles voluntati sunt attribuendi. Respondeo actus voluntatis quosdam esse elicitos, quosdam verò imperatos. Ideò actus recensiti aliarum potentiarum à voluntate dicuntur boni, vel mali, non ex se, sed quatenus subduntur imperio voluntatis, cuius est regere, & imperare cæteris potentiis, vt earum actus recti fiant, & conformentur legi Dei.

ARTICVLVS II.

An sit liberum arbitrium.

10. HÆretici allegat. ab Alph. *lib. 8. aduersus hæreses, verbo libertas, hær. 1.* in tantam dementiam, & malitiam venerunt, vt liberum arbitrium ab homine sustulerint, contra quos, non authoritatibus, & rationibus, sed fustibus, & funibus agendum esse videtur, donec fateantur peccantem posse eos non percutere, & verberare, vt de iis, qui negant ignem comburere, ait Scot. 1. *d.* 39. §. *Quantum ad* 1. cum Auic. 1. *Met. cap. vlt.* exponendos, & proiiciendos esse in ignem, donec confiteantur ignem comburere.

11. Not. primò ex Orbel. 2. *distinct.* 25. *quæst.* 1. post Scot. *ibid. distinct.* 38. *quæst. vn* §. *Respondeo sub A.* liberum arbitrium duas animæ rationalis præseferre potentias, intellectum scilicet, & voluntatem, vt nomen eius indicat. Dicitur enim liberum, & arbitrium. Quidem liberum, quod designet voluntatem; quæ sola est libera; inter potentias animæ. Additur arbitrium, quod est intellectus, cuius est arbitrari, siue iudicare, quid eligendum, & prosequendum sit, quidve fugiendum, & reiiciendum. Voluntas autem naturali ordine præexigit, & præsupponit intellectum, eiusque operationem, quia intellectus est causa ostensiua, consiliatiua, & iudicatiua, ostendens voluntati, quid sit verum, vel falsum, bonum, vel malum, in cuius deinde potestate est, alterutrum eligere, & prosequi, vel respuere, & reiicere. Itaque liberum arbitrium denotat causam ostensiuam, quam alij inquiunt causam sine qua non, quam non olfacit Doct. 2. *distinct.* 25. *quæst. vn.* Etenimque munus intellectus præmonstrare obiecta voluntati. Et voluntas statuitur causa effectiua, siue electiua, & imperatiua, in cuius potestate est eligere quæ ostenduntur ipsi ab intellectu, eique imperare, & cæteris potentiis, cum sit domina, & regina, in regno animæ. Quamobrem non est existimandum, liberum arbitrium esse tertiam potentiam, ab intellectu, voluntateque distinctam, vel esse quemdam habitum vtriusque potentiæ, vt quidam suspicantur: sed esse formaliter voluntatem, & præexigitiue intellectum. Idque propter ordinem naturalem potentiarum, quæ sic disponuntur, & ordinantur, vt posterior non operetur absque priori; veluti sensus interni non operantur, nisi præuiis operationibus sensuum externorum: pariter voluntas non agit, nisi præagat intellectus, iuxta illud vulgatum, *Nihil volitum, quin præcognitum.*

12. Not. secundò, quamuis hæc tria, spontaneum, voluntarium, & liberum, nonnunquam apud Authores promiscuè accipiantur, vt videre est, *Leuit.* 22. & 1. *Para.* 19. Psal 53. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Et Psal. 117. *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine.* Fauet August. 16. contra Faustum in fine cap. 29. *Non ex Iudæis natum, sed sponte Iudæum factum.* Et c. 22. contra eumdem cap. 73. *Si Moyses sua sponte fecisset, aut hoc Hebræi sua sponte fecissent, profectò peccassent.* & 5. *Eth. cap.* 8. & 2. Nihilominus inter ea nonnullum discrimen obseruat Faber *disp.* 9. *de pœnitentia cap.* 13 *num.* 379. Spontaneum quippe latius patet, quàm voluntarium, & liberum: voluntarium verò latius est, quàm liberum. Quod autem spontaneum magis diffundatur, quàm voluntarium, patet ex 3. *Eth cap* 2. Nam belluæ spontè perhibentur moueri, hoc est à principio intrinseco, ad comedendum cibum, vt bos fœnum, & equus auenam, non tamen voluntariè, & liberè, cum sint rationis, & voluntatis expertes. Similiter voluntarium vniuersalius est libero: siquidem pueri, & amentes vsu rationis carentes dicuntur voluntariè quoquomodo operari, non verò liberè; eorum namque operationes meriti, aut demeriti compotes non sunt, cuiusmodi extant operationes propriè liberæ. Liberum autem coincidit cum voluntario strictè sumpto, & voluntas est potentia libera, vtpotè, quæ à nullo principio extrinseco cogitur, sed pro suo beneplacito se ipsam determinat ad agendum, vel non agendum, vel actum suum suspendendum. Ob id rectè scribit Damasc. 2. fidei cap. 21. *Res ducuntur ab appetitu naturali, voluntas verò ducit, non ducitur.* Et cap. 25. & 26. *Homo est principium proprium operum, & potestate, arbitrioque liberum.* Et cap. 27. *Rationalia ducunt, & irrationalia ducuntur* Idem *l.* 2. *cap.* 18.

13. Not. tertiò, ex Alph. 4. *aduersus hær. verbo libertas, hær.* 1. nomen libertas in sacra pagina esse æquiuocum. Tribus namque potissimum modis accipitur. Primò, pro gratia, per quam homo à peccato liberatur, 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et apertius Rom 6. *Cum enim essetis serui peccati, liberi facti estis iustitiæ.* Suffragatur Aug. 12. contra Faustum cap. 9. *Et si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.*

Secundò, pro gloria; Rom 8 *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Tertiò; prout opponitur necessitati, & coactioni, quo pacto illud non est liberum, quod necessariò, & coactè fit, econtra verò liberum est, quod potest fieri, & non fieri, cuius principium est voluntas se liberè determinans ad operandum. Vnde August. contra Fortunatum ait; *Animæ rationali, quæ est in homine, Deus dedit liberum arbitrium, faciendi aliquid, vel non faciendi.*

14. Not. quartò, liberum, & contingens, licet quandoque pro eodem vsurpentur, præsertim apud Scot. astruentem Deum ad extra agere liberè, & contingenter; tamen præcisè non coincidunt. Quædam enim contingenter, & casu fiunt, quæ liberè haud fiunt: & quædam liberè fiunt, quæ vtique contingenter eueniunt, vt dixi *in Phys. quæst. de causis per accidens.* Iterùm nonnulla fiunt necessariò, & liberè; vt Deus necessariò, & liberè diligit seipsum, ratio est, quoniam voluntas est essentialiter libera, seque ipsam determinat ad operandum. Quia verò voluntas Dei est rectissima, & inobliquabilis, obiectumque eius est Infinitum, ac infinitè bonum, propterea seipsam ad illud amandum determinat. At voluntas creata, quæ liberè vult, vtplurimum contingenter vult, quia est obliquabilis, & defectibilis.

15. Assertio, datur liberum arbitrium, siue voluntas libera, in operando. Tenet Doct. infrà citat. post Arist. 1. *Magn. mor. cap.* 10. Probatur primò, Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Eccles. 15. *Apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam.* Ioan. 5. *Vis sanus fieri?* & Marci 12. *Aut facite arborem bonam, & fructum bonum, aut facite arborem malam, & fructum malum.*

Secundò, Aug. *in opere de libero arb. contra Felicem Manich.* l. 2. *cap.* 3. & 4. & *de actis cum eodem Felice cap.* 3. & 8. Ambr. 1. *de vocatione Gentium cap.* 11. Tertul. 1. *contra Marcionem*, & cæteri ab Alph. alleg.

Tertiò, Arist. 9. *Met.* 10. potentiæ irrationales sunt ad vnum determinatæ, potentiæ verò rationales sunt ad opposita, hoc est indifferentes ad hoc, aut illud appetendum, & volendum, adeò vt in earum potestate sit hoc, vel illud eligere, & prosequi. Quod si non forent indeterminatæ, & ad vtrumlibet, non oporteret negotiari, nec consiliari, quod tanquam absurdum, & falsum infert idem Philosophus 1. *Perih. cap. vlt.* & 2. *moral. Eud. cap* 8.

Quartò, si homo non polleret libero arbitrio,

deterior esset omnibus aliis, tam viuentibus, quam non viuentibus. Etenim hæc omnia naturæ ductu, & necessariò agunt, nec peccant: ideò si homo in suis operibus non esset liber, non peccaret, vt ait Aug. c. contrà Fortunatum. *Qui cogitur necessitate aliquid facere, non peccat. Iniustè supplicio æterno mancipatetur, & perpetuis inferni carceribus detruderetur.* Perperamque Dauid *Psal.* 118. clamaret ad Deum. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Atque frustrà vi Deus præcepta, & leges obseruandas præscriberet. *Quis enim*, vt cum Aug. loquar de fide contra Manich. c. 10. *non clamet, stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere, & iniquum esse eum, cui non fuit potestas iussa complere.* Deniò, experimur nos sponte, & liberè operari, quæ operamur, velle, quæ volumus, & nolle, quæ nolumus; ob id sanciuntur leges, decernuntur Iudices, qui earum transgressores puniant, Oratores, & Concionatores deputantur ad monendum populum, & hortandum ad bonum amplectendum, & malum fugiendum; proptereà lepidè, & acutè Zeno verberans seruum in furto deprehensum, cùm is diceret. *Fatale mihi erat furari, & cædi*, inquit, teste Laër. l. 7. benè subnicit Aug. 2. de libero arb. *Qui dicit, vel sentit, voluntatem non esse mouendam, talis est exterminandus ab hominum numero.* Et Scot. 1. d. 30. q. vn. C. *Infitiatores libertatis, verberandi, & torquendi sunt, donec fateantur eos, à quibus cum patiuntur posse desistere.*

16. Opp. 1. Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, ergo homo nullum participat liberum arb. conseq. tenet ex dictis, liberum arb. est potentia libera operandi, quidquid vult operari: nihil autem potest operari sine Christo, vt ipsemet Christus planè edisserit, & apertè proclamat Apost. 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est.* Concedo ant. nego conseq. Id enim solum infert, concursum Dei exigi ad hoc, vt homo operetur. Velut intellectus nequit intelligere absque obiecto, vel specie intelligibili, non tamen rectè negatur intellectum habere vim intelligendi. Quare ex illo scripturæ testimonio deducitur hominem agere dependenter à Deo, nec ipsum posse operari, nisi Deo cooperante, vt latè ostendi 6. *de causis q. de causa* 1. & 2. Maximè, quia ibi Saluator loquebatur de operibus meritoriis, quæ sine præueniente Dei gratia effici nequeunt, vt sancit Concilium Trid. *loco nunc alleg.* adductum

17. Oppones secundò. Idem Redemptor *Ioan* 6. inquit: *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*: qui autem trahitur, non liberè, sed coactè agit: cum ergo homo trahatur à Deo, consequenter libero non gaudet arb. Conf. August. serm. 2. de verbis Apostoli. *Verum est magnas arbitrij liberi vires homo, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit.* Et epist. 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati grauditate perdidimus.* Respondeo exponendo eum passum, de tractu non physico, necessario, & violento, vt malè deducit Lut. sed de tractu morali, qui fit, cum homo vocatur à Deo, cui potest reluctari, & interdum resistit, & contrarium operatur, vt innuitur 1. Magn. moral. c. 11. & patet Prou. 1. *Vocaui, & renuistis, intendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum.* Et Matt. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, sub alas, & noluisti?* Conf. satisfacit Aug. *ibi*, inquiens. *In mortem homo lapsus est, infirmus factus est, à latronibus semiuiuus, in via relictus est*, vt significatur Luc 10. Quandoquidem ad opus meritorium requiritur gratia, sine qua homo non potest bene agere, ideò per peccatum dicitur homo amisisse liberum arbitrium, non absolutè, sed ad bene operandum, vt tradit idem Sanctus in Ench. c. 30. *Quomodo quisquam de libero arb. in bono gloriabitur opere, qui nondum liber est ad bene operandum, nisi se vana superbia inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens. Gratia salui facti estis per fidem.*

18. Opp. 3. Deus æterno decreto, omnia futura opera ab homine prodeuntia decreuit, & stabiliuit, certo, & infallibiliter sic, & non aliter euentura, vt docent Scot. eiusque alumni, ergo nullum est liberum arbitrium, vtpotè cum omnia sint determinata ab æterno, & nequeat homo aliter operari, quam Deus statuerit ab æterno. Conf. Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis; cui vult miseretur, & quem vult indurat.* Nullum ergo extat in homine liberum arb. Respondeo decretum Dei inuoluere libertatis humanæ voluntatis tendentias; Deus quippè statuit agere liberè cum creaturis liberis, & non impedire earū libertatem. Licèt verò res [illegible]eniant, sicut Deus præsciuit, & decreuit, non tamen tollitur liberum arb. cum in potestate hominis sit, oppositum agere, & ad alterutrum se determinare, vt dixi *in Log. l. 4. art. vlt.* vnde perperam Arr. *disp.* 4. *de anima sect.* . *n.* 3 arguit Scotistas huiusmodi decretum Dei admittentes, & defendentes, quod innuuntur 3. *Reg.* 8. & *Coll.* 2. ideò Eccles. cantat in off. S. Antonij Lusitani. *De quo Rex regnantium aliud decreuit.* Adde illud Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ad conf. dico eum textum interpretandum esse de prædestinatione in intentione, quæ à solo Deo dependet. Deus namque, quos vult, prædestinat, & eligit ad gloriam, cum sit dominus gloriæ, cui vult, eam præbet, nec vlli infert iniuriam, iuxta illud Matt 2. *Nonne mihi licet facere, quod ego volo.*

Articvlvs III.

In quo sita sit libertas.

19. TRes recitantur, & celebrantur in hac re sententiæ, quarum 1. est Alex. 1. *de anima, c. de phantasia*, & Auer. 2. *phys. com* 48. existimantium libertatem subiectari in intellectu duntaxat. 2. est D. Th. 1. 2. *q.* 17. *art.* 1. *ad* 2. Medinæ *ibid.* & Iauelli 9 *Met q.* 4. arbitrantium libertatem radicaliter esse in intellectu, & formaliter in voluntate. 3. defenditur à Scot. 2 *d.* 25. *q. vn.*, & *d.* 38. Fabro *disp.* 9. *de pœnitentia c.* 10. *n.* 26. & aliis docentibus libertatem tantum esse in voluntate.

20. Not. 1. & recole ex dictis, voluntatem præsupponere intellectum vt operetur, non quidem tanquam actiuum ipsius effectiuam, siue totalem, siue partialem, vt *infrà* monstrabitur, sed tanquam causam ostensiuam, illuminatiuam, & consiliatiuam, eo ferè pacto, quo sensus interni præexigunt operationem sensuum externorum; pariter intellectus pro hoc statu præsupponit operationem sensuum tam internorum, quam externorum, proptereà prædicatur à Philosophis illud proloquium. *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Atque Doct. 1. *d.* 43. *q. vn.* subiungit, scientiam Dei esse causam rerum ostensiuam, eius verò voluntatem earumdem rerum causam productiuam, & effectiuam, vt fusè ostendi *Tract. de scientia Dei disp* 2. *q.* 4. Ex his patet, Fabrum cit. non loqui ad mentem Doct. quando scribit, dici posse libertatem radicaliter residere in intellectu, eo quod voluntas nequit exire in actum, nisi præuio actu intellectus. Id enim non sonat radicem libertatis locari in intellectu, quandoquidem intellectus nullo modo est liber, nec formaliter, nec causaliter, cum eius operationes sint naturales, & necessariæ, vt quoque fatetur Faber; quamuis autem eius explicatio Scot. non sit aduersa, eius tamen modus loquendi est insolens, & inauditus apud eumdem Doct. eiusque asseclas.

21. Not. 2. libertatem vulgò diuidi, in libertatem specifica

specificationis, & exercitij. Libertas specificationis, vt vox eius indicat, est quæ respicit obiecta specie, aut quouis alio modo distincta, ad quæ volenda, vel nolenda, voluntas indifferenter se habet, quoniam in eius potestate est, hoc, aut illud velle, aut nolle, aut non velle. Libertas exercitij, vt nomen eius denotat, spectat ad actus voluntatis, quibus ipsa voluntas vult, aut non vult, exercetque suas operationes spontaneas, & liberas. Deinde distribuitur libertas, in libertatem contrarietatis, & contradictionis, illa habetur penes actus contrarios, qui sunt velle, & nolle bonum, vel malum: ista verò petitur penes actus contradictorios, qui sunt velle, & non velle bonum, non bonum. Sed Raconium *q 3. prop. 1. sect. 3. disp. 1. de principiis actionum humanarum*, inficiari libertatem contrarietatis; quoniam opinatur voluntatem non posse velle malum, vt malum, sed semper tendere in bonum verum, vel apparens. Sed fallitur, vt enim alibi dixi, quamuis voluntas naturaliter inclinet, ad bonum, nihilominus absolutè potest velle malum, vt malum, annuente Paulo Rom. 1. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, facio.* Nec eum iuuat respondere, voluntatem velle malum sub specie boni. Etenim hæc responsio præcluditur per verba Apostoli. *Sed quod odi malum, facio.* Odium quippè, quod est de malo, non potest esse sub specie boni, vt legenti eius textum liquidò constat.

22. Ass. 1. libertas formaliter non est in intellectu. Tenet Doct. *vbi suprà*. Probatur 1. vbi non est actus 1. ibi non est actus 2. quia actus 2. oritur ab actu 1. Intellectus autem non est actus 1. libertatis, quia est potentia naturalis, & necessaria; ideò intellectui diuino tribuitur generatio diuini Verbi, quæ est naturalis, & necessaria: voluntati verò diuinæ, competit processio Spiritus sancti, quæ est spontanea, & libera: non ergo in intellectu reperitur formaliter libertas. 2. principia, seu potentiæ naturæ intellectualis ex æquo diuiduntur, in naturalem, & liberam, 2. *Perbib.* c. *vlt.* & 9. *Met.* 10. intellectus autem est potentia naturalis; voluntas verò libera: ob id Deus dicitur agere ad extra, voluntate, quia agit liberè, non verò intellectu, quandoquidem intellectus est principium naturale, & necessarium. 3. intellectus est ad vnum determinatus, præsentatoque sibi obiecto, & debitè approximato, non potest illud non intelligere, veluti si oculo præsentetur color, dummodo non impediatur, & debitè approximetur, nequit oculus non videre huiusmodi colorem. Quapropter conuincitur intellectus, per euidentes nota, & vera, adeò vt non valeat dissentire, ab eisque resilire, docente Scot. 1. *d.* 1. *q.* 4. Etsi contingat aliquis defectus non intellectui, sed voluntati imputatur, vt bene prosequitur Aug. 2. & 3. *de lib. arb.*

23. Ass. 2. radicaliter libertas non insidet in intellectu. Aduersatur Thomist. pro Scotist. cit. Probatur 1. Vel pro radice libertatis Thomist. intelligunt principium, originem, & fontem libertatis, vel causam sine qua non, siue principium præexactum ad libertatem, ad hoc vt voluntas queat exercere suam libertatem. Non 1. quia à potentia naturali, & necessaria ad vnum determinata non potest oriri libertas, quæ est voluntaria, indifferens, & indeterminata ad vtrumlibet. Est enim implicatio in adiecto, vt à naturali, necessaria, & ad vnum determinato, prodeat libertas, indifferentia, & indeterminatio, quia illa, & ista inter se palam opponuntur. Nec 2. sic enim in intellectu nulla extat radix libertatis, quam totis viribus Thomist. conantur in scholas inuehere. Siquidem causa sine qua non, haud est radix operandi, sed potiùs conditio necessaria ad operandum, vt liquet de approximatione ignis, ad combustibile, quæ nequaquam est radix, seu principium comburendi: pariter licet prærequiratur intellectus, eiusque operatio, vt voluntas operetur, veluti præexigitur lumen ad videndum, tamen ipse intellectus nihil causat in volitione, sed ipsamet voluntas ex se est libera, & domina suorum actuum. Igitur libertas non inuenitur in intellectu, tanquam in fonte, & radice. 2. omnis libertas aut est contrarietatis, aut contradictionis, aut specificationis, aut exercitij, vt obseruaui *in* 2. *not.* In intellectu autem nulla harum libertatum radicatur. Etenim libertas contrarietatis sita est, in velle, aut nolle. Libertas contradictionis, in velle, aut non velle. At non est in potestate intellectus velle, aut nolle velle, aut non velle. Huiusmodi quippè actus non spectant ad intellectum, cuius actus sunt intellectio, visio &c. sed ad voluntatem, vt nomina eorum apertè demonstrant. Deinceps, datis duabus præmissis notis euidenter, & necessariis, in debita forma, & figura dispositis, & ordinatis, intellectus necessariò assentit conclusioni earum, vt asserui in Log. At si radix libertatis foret in intellectu, planè posset ei dissentire, & resilire, quod Aristoteles, & cæteri Philosophi putant impossibile.

24. Ass. 3. libertas formaliter soli voluntati congruit: Ita Scot. cit. Probatur 1. Matt. 26. *Fiat voluntas tua:* Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Et 1. Cor. 7. *Non habens necessitatem, sed potestatem suæ voluntatis.* 2. Conc. Trid *sess* 6. *can* 5. sancit hominem esse liberum, ad cooperandum, vel resistendum gratiæ, sua voluntate. 3. Aug. 3. de libero arb. c. 3. *Voluntas non est, nisi sit libera.* Et 1. Retract. c. 9. *Nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas.* Idem habet contra Faustum *c.* 36. Rursus voluntas imperat intellectui, ipsumque conuertit, vel auertit à consideratione cuiuscumque obiecti; tantum ergo in voluntate formaliter libertas consistit. Deinceps, decus, dedecus, meritum, demeritum soli voluntati tribuuntur, vt videre est apud Aug. & alios Patres passim, Doctores, & Philosophos. Insuper, omnis bona diuisio ex dictis *in Epit.* c. 2. q 7. *art.* 1. fit in membra opposita, vt animal in rationale, & irrationale: potentia autem aptè, & adæquatè scinditur in naturalem, & liberam, cum ergo sola voluntas sit libera, euidenter concluditur, in ipsa sola formaliter consistere libertatem.

25. Opp. 1. potentia formaliter libera debet esse cognoscitiua: voluntas autem non est cognoscitiua: ergo non est formaliter libera, sed intellectus. Maior probatur 8. *Phys. T.* 8. & 9. *Met. T* 10. potentia libera est ad opposita. Nequit verò esse ad opposita, nisi sit cognoscitiua, quia ad alterutrum se determinat, quod fieri nequit, nisi opposita noscat. Minor est in promptu. Vulgò enim voluntas perhibetur potentia cæca, ratio est, quia voluntas est potentia appetitiua, quæ contradistinguitur à facultate cognoscitiua, vt dixi 4. *de anima.* Nego maiorem: ad eius probationem innixam testimonio Aristotelis, dico voluntatem esse ad opposita, non quia est cognoscitiua, sed quia formaliter est libera, & ex se indeterminata ad vtrumlibet. Præexigit autem cognitionem, quæ pertinet ad intellectum formaliter. Sicut autem ad videndum oculus prærequirit lumen, ita voluntas ad volendum præsupponit cognitionem, vt claret ex 2. not.

26. Opp. 2. ei facultati competit formaliter libertas cui conuenit imperare aliis potentiis: imperare autem tribuitur intellectui, & non voluntati, ergo & libertas Ma. patet. Min. suadetur, munus potentiæ appetentis, vti est voluntas, est exequi, quod imperatur à ratione iudicante, & ratiocinante. Ob id Arist. 3. *de anima T.* 48. subiicit, intellectum, & appetitum esse principia motus, quia intellectus imperat, & appetitus exequitur. Concedo ma. nego min. ad probationem dico id valere de appetitu sensitiuo, non autem rationali, qualis est voluntas. Tantum enim intellectus ostendit voluntati, quid agendum, aut non agendum sit, in potestate verò voluntatis est, alterutrum eligere, & exequutioni mandare, vt constabit in *proxima*

quaest. vbi monstrabitur, imperium ad voluntatem solummodò spectare.

27. Opp. 3. ea potentia est libera formaliter, quæ est indifferens, & indeterminata: voluntas autem non est huiusmodi, ergo non est formaliter libera. Ma. liquet, libertas namque consistit in indifferentia ad vtrumlibet. Min. ostenditur, potentia indifferens nequit se determinare, alioqui non foret indifferens, & indeterminata, sed determinata, idemque moueret seipsum, quod respuit Arist. 8. *Phys. T.*40. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico, id esse verum de agente naturali vniuersali, quod penes dispositionem subiectæ materiæ determinatur, vt patet de sole indurante lutum, & liquefaciente ceram: non verò de causa libera quæ sponte se determinat ad agendum. Quod autem subiicitur ex Philosopho, dico id habere locum in motu necessario, & subordinato, non autem in motu voluntario, & libero, vt abundè explicui *in Phys. l. de motu.*

28. Opp. 4. voluntas tendit ad id, quod ab intellectu monstratur, sequiturque rectum dictamen rationis, adeò vt syllogismo necessario, & perfecto existente, conclusioni eius, voluntas necessariam præbeat assensum, ab eoque nequeat declinare: igitur radix libertatis est in intellectu. Conf. iudicium rectum intellectus regulat voluntatem, illi sic conformantem tanquam regulatum suæ regulæ, vt cum Arist. astruit Scot. *q.* 4. *prol.* vbi praxim describens ait, esse actionem voluntatis conformem rationi rectæ, practicamque scientiam consistere in duplici respectu prioritatis, & conformitatis: ergo libertas radicalis sita est in intellectu. Nego ant. potest namque voluntas cuicumque discursui perfecto, etiam dissentire pro sua libertate, vt patet de proteruis, vetos, & euidentes discursus abnegantibus: siquidem voluntas ab obiecto non necessitatur, aut ab alio extrinseco non cogitur. Ad conf. distinguo ant. per modum consiliantis, & famulantis, concedo, veluti famulus sere dumen ante Dominum, & Consiliarius dat consilium Regi, monstratque ea quæ sunt in regno præstanda, in cuiuis potestate, & libertate est, ea agere, vel non agere, imò oppositum eligere, & efficere pro suo libito, vt non rarò contingit. Per modum imperantis, & mandantis, nego, vt patet ex responsione huiusce oppositionis.

Articvlvs IV.

An voluntas sit tantum passiua, vel actiua.

29. Nonnulli arbitrantur, voluntatem esse tantùm potentiam passiuam diuerso tamen modo, & via incedunt. Etenim Gotf *quol.* 6. *q.* 7. cit. à Scot. *§. d.* 25. *q. vn. §. Dicitur*, & Bacc. *ibid.* putat volitionem effici a phantasmate irradiato ab intellecto agente, tanquam principio effectiuo extrinseco, & in voluntate tantum recipi, tanquam eius subiecto. Henr. verò *quol.* 12. *q.* 5. alleg. à Doct. *vbi suprà.* §. *Alia est opinio.* astruit volitionem fieri, ab obiecto cognito, & intellecto. Calet. 1. *p. q* 80. *art.* 2. & Dur. 2. *d.* 24. *q.* 2. opinantur volitionem causari ab obiecto, & à voluntate, vt duabus causis partialibus, vnam totalem constituentibus, veluti ex specie intelligibili, & intellectu habetur vna causa integra, & totalis productiua intellectionis. Alij asserunt primam volitionem effici solum à principio intrinseco: de cæteris verò volitionibus subsequentibus statuunt duas causas partiales, vnam totalem integrantes. vt sentiunt Nominales cit. à Fabro, & ita existimare Th. eiusque Asseclas refert idem Faber *disp* 9. *de pœnitencia c.* 1. *num.* 172. Scotus enim prænominatus, & alij complures docent actum volendi effectiuè prodire à sola voluntate, & ab intellectu, vt causa ostensiua, proponente, & monstrante obiectum voluntati, in cuius potestate est velle, vel nolle, vel non velle.

30. Not. 1. voluntatem in communi sententia esse receptiuam volitionis, quemadmodum intellectus est susceptiuus intellectionis. Enim verò vtraque operatio est de genere qualitatis, finis, & perfectio prædictarum facultatum. Qua de causa Arist. 3 *de Anima* t. inquit, *intelligere est pati.* Controuertitur autem in præsentia, num volitio producatur à principio intrinseco, quod est voluntas, an verò à principio extrinseco, quod est obiectum, aut aliquid aliud tactum in vnum istius art.

31. Not. 2. voluntatem posse bifariam inspectari. 1. vt est potentia appetitiua inclinans naturaliter ad suam perfectionem recipiendam, sic est potentia passiua, nullius que actus productiua: inclinare quippe id aliquid recipiendum, non est agere, sed pati, proindeque inclinatio non est actio, sed potiùs relatio, qua non est de genere actiuorum, vt monui *l.* 1. *Log q* 1. *art.* 1. Et in hoc dissentimus à Thomist arbitrantibus voluntatem sie acceptam producere actum naturalem, & necessarium; cæteros verò subsequentes, liberos. 2. vt est elicitiua suorum actuum, quo pacto est actiua; & libera, libertate specificationis, & exercitij.

32. Not. 3. causam naturalem per se non esse causam contrariorum, sed per accidens, ratione nimirum subiectæ materiæ, vt sol indurat lutum, & liquefacit ceram, notante Scot. 2. *d* 25. *q. vn.* § *contra. A.* sic pariter dici potest scientia contrariorum, quatenus respicit vtrumque contrarium, tametsi ipsa non se determinet, sed ab obiecto, de quo est, determinetur, 9. *Met. T.* . Voluntas autem, quæ est potentia libera ad opposita est indeterminata suapte natura, seque sponte, & libere determinat ad alterutrum, cum sit plenè, & perfectè libera, prosequente Doct. cit. *in fine quæst.*

33. Ass 1. voluntas non est potentia tantum passiua. Defendit Doct. cit. Probatur 1. Luc. 22. *Verumtamen non mea voluntas.* Et Mat. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Voluntas autem Dei Patris de qua ibi loquebatur Christus, est productiua, & actiua, producit enim Spiritum sanctum, & creaturas. Ergo & voluntas Christi, vt Hominis pariter est actiua. Item Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Voluntas autem Dei, & Hominis vniuocè conueniunt in communi ratione voluntatis. Si ergo illa est actiua, vtique & ista.

Secundò, Aug Retr. 9. & 22. *Nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas*, ridest vt exponit Scot. 1. *d.* 1. *q.* 4. §. *Ad argumenta*, quam eius actus elicitus, aut imperatus. Idem innuit 22. *contra Faustum c.* 37.

Tertiò, si duo iuuenes æquè dispositi habeant sibi præsens idem obiectum pulchrum, & delectabile prohibitum tamen, vnus peccet, & alter non peccet; id aliunde non proueniret, quam ex voluntate vnius concupiscente huiusmodi obiectum vetitum, & alterius voluntate id non concupiscente. Si enim oriretur à phantasmate, aut obiecto, cum eodem modo se habeat obiectum vtrique præsentatum, ambo peccarent, vel non peccarent.

Quartò potentia inferior, vt sensus tam internus, quam externus est agens: oculus namque producit visionem, & phantasia actum phantasiandi, vt dixi 3. *de anima*, ergo potentia etiam superior, vti est voluntas, quoque est actiua. Absurdum namque videtur, potentiam nobilissimam, qualis est voluntas, passiuam esse, cæteras verò ignobiliores esse actiuas, cum nobilius sit agere quam pati. Insuper 2. *Perih* ... & 9. *Met.* 10. potentia rationalis, & volitiua est ad opposita, idest potest ad libitum alterutrum oppo num ... g ...

gere, aut respuere; Idipsum astruit 1. *Magno moral.* c.7. electio autem est actus voluntatis. Denique pati non est in potestate, & libertate patientis, sed agentis liberi: si ergo voluntas tantum recipit, & in receptis non est libera, sane nec meretur, nec demeretur, quod est incommodum, & absurdum. Itaque satius est, inficiari voluntatem esse passiuam duntaxat.

34. Ass. 2. nec phantasma, nec obiectum cognitum esse queunt totale principium productiuum actus voluntatis. Hæc ass. duas continet partes. 1. pars probatur 1. actus vitalis nonnisi à principio vitali prodit, vt eius nomen indicat. Actus verò voluntatis est vitalis Est enim operatio voluntatis viuentis: ergo phantasma, quod est non viuens, haud est productiuum volitionis.

Secundò, phantasma est corporeum, & materiale, veluti potentia phantastica est corporea, & materialis: actus verò voluntatis est immaterialis, & spiritualis. Nullum autem corporeum, & materiale totaliter producit spirituale. Nam ex dictis aliàs, corpus non agit physicè in spiritum.

Tertiò, omne principium actiuum, aut est æquiuocum, aut vniuocum, quia vt dixi *in Log. lib.* 3. inter ea non intercipitur medium. Phantasma autem nequit esse principium vniuocum, cum sit nobilius, aut æquè nobile, ac eius principiatum. Patet autem phantasma esse ignobilius actu volendi, qui est spiritualis. Nec principium æquiuocum, quod est præstantius eius principiato. Causa quippè æquiuoca virtualiter continet eius effectum. Ideoque nobilitate eum vincit.

Amplius, Angelus, & anima à corpore abstracta velle nequirent, cum sint phantasmatum experses. Falsum autem, & absurdum est; Angelum, & animam in eo statu carere actu volendi, cum fruantur Deo, fruitioque sit actus voluntatis. Phantasma itaque non est causa volitionis adæquata.

Secunda pars probatur 1. causa naturalis, & necessaria producit effectum naturalem, & necessarium, sicut causa libera, & contingens causat effectum liberum, & contingentem: Obiectum autem est causa naturalis, & necessaria: ergo eius effectus est naturalis, & necessarius. Quò forte respiciens Aug. 3 *de lib. arb* inquit. *Nec enim in potestate nostra est, quin visis tangamur.* Volitio autem est actus liber, & contingens: igitur obiectum non est causa totalis volitionis.

Secundò, actus volendi, nolendi, & indifferens non valent ab obiecto prodere Nam obiectum excitat semper eodem modo potentiam ad agendum, & cum sit causa naturalis, non potest mouere voluntatem, ad sui volitionem, aut nolitionem, aut neutralitatem, vt liquet de obiectis sensuum externorum Oculus namque præsentato sibi obiecto, debitè disposito, & approximato, nequit illud non videre: ergo id quoque esset astruendum de voluntate. Huc etiam pertinent rationes præadductæ, ad probandam præcedentem ass. præsertim ista, agens naturale finitum non est causa contrariorum quia ad vnum per se est determinatum; obiectum verò est agens naturale, & necessarium, actus autem volendi. & nolendi sunt contrarij. Concluditur ergo obiectum haud esse causam totalem actuum voluntatis.

35. Ass. 3. obiectum præcognitum, & præostensum ab intellectu, voluntati, non potest esse causa partialis volitionis. In hanc partem propendet Doct. alleg & *in Rep. eadem dist.* Et 9. *Met* q. 15 §. *per dicta.* Probatur 1. si obiectum partialiter concurrit ad causandam volitionem, ergo voluntas non est plenè libera, quia à causalitate obiecti determinaretur, ideóque velle non posset, nisi quod ab obiecto causaretur: siquidem causa partialis nequit agere, nisi altera causa partialis secum causet, vt liquet de patre, & matre concurrentibus tanquam duabus causis partialibus ad gignendam prolem. Cum ergo voluntas absolutè, & perfectè sit libera, sequitur obiectum non coagere partialiter ad volitionem eius.

Secundò, voluntas nequiret velle malum, quoniam malum non est obiectum, quod supponitur esse aliquod positiuum, malum verò esse boni priuationem tradidi *l. 2. q. de malo, art* 1. Iterum, voluntas potest velle obiectum non existens, & impossibile, quod cum non habeat, nec habere valeat esse, nequit causare actum voluntatis, qui est ens reale positiuum. Quare obiectum partialiter non coagit, ad causandos actus voluntatis.

36. Assert. 4. voluntas nedum est libera quoad actus subsequentes, verum etiam quoad actum primum. Tenet Doct. *vbi suprà.* Probatur 1. omnes actus voluntatis, siue priores, siue posteriores sunt eiusdem rationis, promanantes ab eodem principio libero, ergo si posteriores sunt liberi, vtique actus primus est liber. Nam si foret naturalis, prodiret à principio naturali, veluti actus liber proficiscitur à principio libero: sed actus primus manat ab eadem voluntate, quæ est principium liberum, ergo 1. actus voluntatis est liber.

Secundò, si primus actus voluntatis non est liber, maximè quia voluntas est origo eius productiua naturalis, cum sit naturalis appetitus, respectu eius. voluntas autem vt naturaliter in aliquid propendet, non est actuum productiua, vt obseruaui in 2. not.

Ampliùs, arguit Doct *Quol.* 21. si voluntas in 1. actu moueretur naturaliter ab obiecto, ipsa non liberè, sed naturaliter moueretur, sicque homo esset veluti brutum, quod ab obiecto ab ipso apprehenso, naturali motione cietur. Insuper, voluntas determinaretur à principio extrinseco, quod esset aut Deus, aut aliquid physicè ipsam prædeterminans, quod tanquam falsum veritati, & libertati oppositum, alibi à nobis reiectum est.

37. Assert. 5. voluntas est totalis causa productiua suorum actuum. Patrocinatur Scot. *passu memorato*, & sequitur Racon. superiùs cit. *sect.* 4. q. 1. deducitur ex præcedentibus. Cùm enim suprà probatum sit, voluntatem non esse tantum potentiam passiuam, nec vllum principium totale, aut partiale esse causam effectricem suorum actuum, planè infertur ipsam esse causam totalem eorumdem actuum. Idque euidenter ostendit hæc ratio, Voluntas præsentato sibi quocumque obiecto, potest illud velle, vel nolle, vel non velle; ergo causat totaliter suos actus, Ant. est in promptu, ex descriptione voluntatis, quæ est potentia libera indifferens, & indeterminata, suorumque actuum domina, vt bene vidit Arist. 3. *Eth.* 5.

38. Oppon. 1. Arist. 3. *de anima* T 54. statuit ordinem mouentium, & motorum, quorum quædam mouent, sed non mouentur, vt appetibile mouet appetitum ad eius assequutionem, non autem mouetur, cum sit obiectum, & terminus appetentis. Quædam mouent, & mouentur, vt appetitus mouet animal, ad prosequutionem appetibilis, & mouetur ab ipso appetibili, propter bonitatem eius assequendam: nonnulla insuper mouentur, & non mouent, vt corpus animalis mouetur, per actum appetitus. Voluntas autem est appetitus rationalis, ergo mouetur ab appetibili, proindéque est potentia passiua. Nec præstat dicere, Arist. loqui de motione metaphorica, qualis est motio finis, quandoquidem cum prius differuerit de motione causæ efficientis, laboraret æquiuocatione, loquens postmodum de motione causæ finalis. Conf. 1. eodem modo philosophandum est de appetitu rationali, qui est voluntas, quo de appetitu sensitiuo; appetitus autem sensitiuus est passiuus. ergo & appetitus rationalis. Conf. 2. inter potentiam actiuam, & passiuam non adest medium: voluntas autem est potentia, non quidem actiua quæ 5. Met. 17. *Est potentia transmutandi aliud, inquantum aliud*, ergo est potentia passiua. Respond. 1. obiectum mouere voluntatem ostensiuè, non effectiuè. 2. metaphoricè, non verò realiter. Nec inconuenit in vno realiter,

& effectiuè, in alio verò metaphoricè, & intentionaliter, quoniam efficiens ordinatur ad finem. Quod autem id intelligi valeat, illo duplici modo præexplicito, patet ex Scriptura, Ecc. 31. *Qui potuit transgredi*, exponitur de quolibet Sancto, & membro Christi. *Et non est transgressus*, intelligitur de capite, id est Christo. Contra, Scot. *in Rep. ibid. §. ad 1. principale*, ea præsè ait, *Obiectum mouet effectiuè voluntatem, licet non sit causa totalis.* Occurrendum est, Scot. ibi loqui in altera sententia affirmante obiectum partialiter coagere cum voluntate ad promendam volitionem, quæ ei non displicet, quamuis in oppositam magis inclinet. astruentem voluntatem, solam esse totalem causam effectricem volitionis. Ad 1. conf. neganda est paritas, quia appetitus sensitiuus est potentia naturalis, appetitus verò rationalis est liber. Ideò subdit Damasc. *l. 4. c. 23. & 42. Appetitus sensitiuus ducitur, non ducit.* Ad 2. conf. concedo ma. nego min. voluntas quippè est potentia actiua, non verò factiua descripta *loco alleg.*

39. Opp. 2. mouens, & motum debent distingui subiecto, quoniam idem nequit mouere seipsum, alioqui idem foret in actu, & in potentia simul, & respectu eiusdem, quod pugnat 1. *de generatione T. 17.* Igitur voluntas non est potentia actiua. Distinguo ma. de iis, quæ mouentur motu organico, concedo: de iis verò, quæ mouentur motu inorganico, nego. vt Angelus mouet seipsum, intellectus intelligit seipsum. Nec implicat, vnum & idem esse in potentia subiectiua, & actiua, esseque in potentia formali, & in actu virtuali, vt abundè planum feci, *in phys. l. de motu.*

40. Opp. 3. materia, & efficiens non coincidunt, 2. *Phys. 70.* voluntas autem se habet tanquam materia, respectu motus, & mouens est causa efficiens. Igitur voluntas nequit esse actiua & passiua, penes suos actus. Conf. mouens, & motum distinguuntur realiter, idem autem ad seipsum non est distinctio, nec relatio realis. Etenim relatiua realia sunt opposita, vt patet *ex postprædicamentis.* Respondeo distinguendo ant. de materia transmutatiua, concedo: de materia receptiua, siue subiecto operationum, nego. Ad conf. dico id verum esse de relationibus producentis, & producti; falsum verò de reliquis relationibus, cuiusmodi sunt relationes mouentis, & moti, de quibus fusè alibi.

41. Opp. 4. si voluntas foret actiua, cum sit debitè disposita, & aptè approximata obiectis volibilibus, semper vellet, quia agens naturale approximatum passo agit necessariò, 2. *de anima 52.* si sensus esset actiuus, semper ageret, & si ignis haberet combustibile, sibi approximatum, semper combureret, ergo si voluntas est potentia actiua, semper vellet. Nego sequelam ant. id enim valet de agente naturali, non autem libero, cuiusmodi est voluntas.

42. Opp. 5. ex Auer. 12. *Met. com. 36.* balneum in re extra mouet res sensitiuas, quas scilicet mouet effectiuè, balneum autem in anima mouet voluntatem, ergo obiectum cognitum ciet effectiuè voluntatem. Concedo ma. distinguo min. per se, nego: per accidens, concedo. Id enim verum est tantum ostensiuè, non verò effectiuè.

43. Opp. 6. à causa contingente, non fit effectus determinatus, nisi ab aliquo extrinseco determinetur, cum ex se sit indifferens, & indeterminata; voluntas autem est causa contingens, & indifferens ad volendum, aut nolendum, ergo determinatur ab intrinseco principio, sicque est tantum passiua. Conf. 2. primi motus non sunt in nobis, ideò nec laudabiles, nec vituperabiles, vt tradit Theologorum cœtus. Conf. 2. *Ad finem 6. Eth.* Interdum nobis nihil cogitantibus venit in mentem efficax cogitatio, quæ secum trahit voluntatem: hæc autem volitio non est à nobis, ergo ab extrinseco, proindéque primus actus voluntatis est naturalis. Distinguo ma. de causa contingente naturali, concedo: de causa contingente libera, vti est voluntas, quæ seipsam liberè determinat, nego. Ad 1. conf. dico cum Scot. *Quodl. 21. M.* per 1. motus capi intellectiones, quæ partialiter causantur à phantasmatibus, veluti ait Aug. 3. *de libero arb.* necesse est, visis tangamur. Ad 2. conf. dico, data hypothesi, voluntas passiuè se habet, non actiuè. Itaque tunc non elicit actum, vt quoque contingit in subreptione, possissimùm carnis.

Articvlvs V.

An intellectus moueat voluntatem.

44. Qvi astruunt, vt Caiet. cit. à Fabro *in ant. art.* intellectionem esse principium quo volitionis, procul dubio putant intellectum mouere voluntatem, ad suos actus exercendos. Qui autem censent voluntatem esse totale principium suorum actuum, vt Scotist. *alleg. in dicto art* planè asseuerant, intellectum non mouere voluntatem ad producendos suos actus. Voluntatem autem mouere intellectum ad speculanda, & contemplanda hæc, vel illa obiecta, ipsumque auertere, vel conuertere ad meditanda eadem obiecta, vulgata, & aperta est Scholasticorum sententia.

45. Not. mouere potentiam ad agendum, nihil aliud sibi velle, quàm reducere potentiam de actu 1. ad actum secundum, hoc est ipsammet potentiam excitare, & inducere ad agendum, quod euenit, cum potentia actu agit, & operatur. Bifariam autem moueri potest potentia ad agendum, aut quoad exercitium actuum, cum excitatur potentia, ad hunc, vel illum actum promendum: vel quoad specificationem, quando mouetur ad operandum, circa hoc, aut illud obiectum specie distinctum. Rursus obserua, in actibus subitis, & repentinis, seu subreptitiis, voluntatem non cieri ab intellectu, sed ab obiecto, vt in vehementi dolore, aut grandi delectatione, annuente Aug. nuper recensito.

46. Ass. 1. dici potest, voluntatem ab intellectu moueri, ostensiuè, & consiliatiuè. Est consentanea Scot. cit. Probatur 1. ea illo vulgato Aug. 8. Trin. c. 4. *Nihil volitum, quin præcognitum*, cum enim voluntas perhibeatur potentia cœca, necesse est, intellectus ipsi ostendat obiecta volibilia: non est ergo incongruum astruere, ostensiuè intellectum mouere voluntatem.

Secundò, intellectus est veluti consiliarius, & iurisconsultus ostendens voluntati, quæ sunt bona, vel mala, iusta, vel iniusta, in cuius potestate deindè est, hoc, aut illud eligere, ad hoc, aut illud præstandum se determinare, & applicare, legitima ergo est præposita ass.

47. Ass. 2. voluntas mouet intellectum ad intelligendum, eique imperat, vt conuertatur, aut auertatur, ab huius aut illius speculationis. Congruit scriptis Doct. alleg. Probatur 1. voluntas est, veluti rex in regno animæ, viriumque eius nobilissima, vt ostendi *l. 5. de anima.* Intellectus verò est, sicuti eius consiliarius. Rex autem monet, & imperat consiliario, & omnibus qui sub eius imperio degunt, dominatur igitur voluntas in intellectum.

Secundò, experientia nos docet, voluntatem ad libitum inducere, vel abducere intellectum à consideratione, & speculatione huius, aut illius obiecti, vt patet de iis, qui spontè, & voluntariè dant operam potius vni, quam alteri scientiæ, aut arti. Iussu ergo voluntatis intellectus obtemperat, eiusque iugo subiacet.

48. Opp. 1. intellectus in esse, & operari est prior voluntate,

voluntate, 10. *Eth.7.* Ergo voluntas non mouet intellectum. Conseq. tenet, mouere est agere, & moueri est pati, prius autem, & nobilius est agere, quam pati, authore Aug.12. *super Gen. ad lit.* Ergo voluntas non mouet intellectum. Distinguo ant. prioritate originis, & generationis, concedo: prioritate perfectionis, & nobilitatis, nego.

49. Oppon.2. prius, vt prius non dependet à posteriori, vt sæpè inculcaui, cum ergo intellectus sit prior in esse, & operari, aptè inferuntur, voluntatem haud mouere intellectum ad meditandum, & contemplandum. Ant. patet, quia prius, vt prius potest esse absque posteriori, vt causa sine suo effectu, & Deus sine creatura. Respondeo maiorem esse veram, dummodo illud prius non subiiciatur imperio alterius, quod si alterius iussui subsit, haud vera est. Nam subditus, & seruus licet ætate, & origine præcedant Regem, tamen Regi tempore posteriori nato, obediunt. Iterum, quamuis media in esse antecedant finem, nihilominus, ipsa ad finem ordinantur. Pariter intellectus quidem origine præit voluntatem, tamen is ad hanc ordinatur, eiusque iussum exequitur, & obsequitur Vnde extat illud Ansel. à nobis aliàs allegatum; *Intelligimus, vt velimus, non verò volumus, vt intelligamus.* Et 9. Met.15. *Posteriora generatione, sunt priora perfectione, proindèque voluntas cum sit vltima origine, est tamen prima perfectione.*

ARTICVLVS VI.

An voluntas moueat cæteras potentias ad agendum.

50. PEnes triplex genus animarum, graduúmque, vegetantis, sentientis, & intelligentis, triplicantur potentiæ, & facultates. Quædam enim pertinent ad vegetantem, vt generatiua, nutritiua, & augmentatiua. Quædam sentienti congruunt, vt vires sensitiuæ internæ, & externæ, necnon appetitiua, & progressiua. Aliæ soli animæ intelligenti adaptantur, vt intellectus, & voluntas, de quibus omnibus fusè *in l. de anima.*

51. Not. ex Arist. 1. *Eth. cap. vlt.* & 1. *pol. cap.3.* & Scot.3. *d.33. q. vn.* §. *Ad arg. principalia, sub N.* imperium duplex esse, despoticum, & politicum. Dispoticum, quod & seruile nominatur, est, quo quis imperanti non reluctatur, aut saltem difficillimè repugnat, sic dominus imperat seruis suis. Politicum verò, quod & herile nuncupatur, est, quo quis imperanti potest repugnare, eique obsistere, ita eiues parent Magistratibus quibus nonnunquam reluctantur, & aduersantur.

52. Assert. 1. potentiæ vegetantes non subduntur vlli dominio voluntatis dispotico, aut politico. Conformatur Scot. nunc cit. Probatur 1. huiusmodi potentiæ naturæ ductu, qui est necessarius, suas administrant operationes, siue quis vigilet, siue dormiat, siue quidpiam aliud agat. Nutritur enim, augetur, & id genus alia operatur. Hæc igitur vires nulli voluntatis imperio subiacent. 2. si voluntati obsequerentur, pro eius libitu, & motu operarentur, pater autem contrarium euenire. Siquidem in manu hominis non est, nutriri, & augeri, immò homo vellet semper ali, à quo plerumque impeditur, nedum à nutritione, verumetiam à reliquis actibus prædictarum facultatum, ergo tales virtutes sub dominio voluntatis non comprehenduntur.

53. Assert.2. potentia motiua, qua mouentur exteriora membra, dummodo rectè disponantur, & non impediantur, parent nutui voluntatis dispotico. Non est dissentanea Scot. Probatur 1. ex 1. pol. 3. *Imperat animus, vt moueantur manus.* 2. ex Aug.8. Conf.9. *Et tanta est facilitas, vt vix à seruitio discernatur imperium.* Et 12. *Ciuit. cap.6.* suffragantur Damasc. 2. *fidei cap.16.* & Ansel. *de concept. Virg. cap.4.* Tertiò, experientia constat, nos mouere manus, pedes, & cætera membra, ad nostrum libitum, nulla interueniente obsistentia, & repugnantia, ambulamus quippè cum volumus, vel ab ambulatione desistimus, vel aliud quidpiam per membra externa exercemus, nullo interposito obice: ergo voluntas imperat eis, imperio dispotico, & seruili.

54. Assert. 3. non semper voluntas ciet potentias, membraque externa, prænunte appetitu. Pugnat nonnullis eit. à Conimb. *disp.4. q.3. art.4.* quibus ipsi Conimb. fauent. Non discrepat Doct. suadetur tamen sic, contra appetitum sensitiuum, mouemus externa membra, vt patet de Martyribus, qui contra naturalem appetitum, grauissimis tormentis, flagellisque sua membra Tyrannis, & lictoribus exponebant, & præsentabant. Iterum, nullo fine, etiam sibi proposito, & oblato, voluntas ad libitum, & nutum suum huiusmodi membra potest excitare, & mouere: non ergo ad ea mouenda, necesse est præcedat actus appetitus sensitiui. An verò appetitus sensitiuus possit ciere membra externa, sine missione, & motione voluntatis, litigant Scholastici. Nam Caiet. & Th. 1. *p quæst.81. art.3.* parti affirmatiuæ adhærent, cæteri verò fauent negatiuæ. Priori parti assentio, quia non est deterioris conditionis appetitus sensitiuus hominis, appetitu sensitiuo bruti, hic autem mouet externa membra absque motione voluntatis, cum brutum sit voluntatis expers: ergo & ille. Immò plerumque nobis nolentibus exteriora membra ab appetitu sensitiuo excitantur, & insurgunt aduersus rationem, superioremque portionem, vt constat de Christo, qui Luc.22. *Factus est in agonia,* & secundum naturalem, & sensitiuum appetitum, siue portionem inferiorem mori nolebat, ideò alloquens Patrem, ait Matt.26. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* 2. Cor.5. *Nolumus expoliari, sed superuestiri.* Et Eph.5. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habet, sed nutrit, & fouet eam.* Igitur sine voluntatis nutu appetitus sensitiuus valet externa membra mouere.

55. Assert.4 sensus interni, & externi, atque appetitus sensitiuus reguntur à voluntate, regimine non dispotico, sed politico. Non contradicit Scot. Excipit Th. 1. *p. q 82. art.3. ad 2.* cogitatiuam, tamen de omnibus probatur 1. Rom.7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et Iacob 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* 2. Aug. Tract.26. in Ioan. *Trahitur animus amore*, vbi adducit illud Virg.2. Egloga.

Trahit sua quemque voluptas,

Non obligatio, sed delectatio, non necessitas, sed voluptas, quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, iustitia, & beatitudine. Et paucis interceptis, subdit. *Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam: nuces puero demonstrantur, & trahitur, & quod currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* Tertiò ea reguntur imperio politico, quæ interdum non parent, vel saltem ægrè parent, huiusmodi autem sunt omnes sensus, propter apprehensionem obiectorum in his firmam, & fixam. Obiecta quippè præsentia visibilia debitè illustrata, non possumus non videre, audibilia non audire, tangibilia non tangere, & sic de reliquis. Illæ ergo potentiæ obediunt voluntati, non dispoticè, sed politicè. Ma. patet ex descriptione imperij politici allata in præmisso not. Min. comprobatur experientia quotidiana. Addo, quod interdum volumus, quæ tamen à sensibus attinguntur, vt liquet in somnis, de actibus phantasiandi, & de appetitu sensitiuo exprimunt loca Scripturæ prælleg.

56. Oppon.1 appetitus sensitiuus trahit ad se voluntatem,

mtem, vt indicat Paulus Rom.7. *Non quod volo, hoc ago, sed quod nolo, hoc facio.* Idem autem videtur dicendum de appetitu sensitiuo hominis ac bruti, atque hic trahit necessariò brutum, ergo ille necessariò trahit hominem. Distinguo ant. indirectè, & remotè, concedo: directè, & proximè, nego: quod innuit sacer Tex. Gen.4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et patet ex dictis *l. de Cælo q.3. art.3.* Et indicat Arist. 1. *Magn. mor. cap.*11.

57. Oppon.2. præcipitur in scriptura, vt caueamus sensus ab obiectis, quæ non valent inducere in peccatum, vt Cant.6. *Auerte oculos tuos.* Hinc Greg. disserens de nocturnis illusionibus, inquit. *Hoc malignos spiritus agere, superna dispensatione, benignè permittit, in electorum cordibus, ne ipse saltem somnus præmio vacet.* Si ergo in somnis quis meretur, phantasia eius subditur, voluntatis dominio dispositico. Conf. in somnis recolliguntur magis vires internæ, feriatis sensibus externis; ob id in somnis fiunt diuinæ reuelationes, vt patet Matt.2. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* Ergo prænominatæ virtutes dispositico voluntatis iussui obtemperant. Respondeo id tantum suadere sensus regi à voluntate, dominio politico. Nam quandoque voluntas illecta ab obiecto delectabili, cadit in malum, vt patet ex verbis tex. cit. subsequentibus. *Quia ipse me auolare fecerunt.* Ad Greg. dico, Sanctos mereri in somnis, non per se, sed occasionaliter, quia post somnum, vigilantibus displicent obscena, & gaudent bonis oblatis, à phantasia, veluti peccator de bonis lætatur, & de malis tristatur. Ad conf. dico recolligi vires naturales, non verò animales. Etenim somnus est quies animalium virtutum, cum intensione naturalium, teste Orbel. 2. *d.*25. *quæst.*2. Ad aliud, quod subiicitur de diuinis reuelationibus dico, tunc homo potius agitur, quam agat, plusque se habet passiuè, quàm actiuè.

QVÆSTIO II.

De actibus humanis.

ARTICVLVS I.

An primus actus voluntatis sit liber.

1. THOMISTÆ cum suo duce 1. 2. q.9. relati à Fabro *disp.9. de Pœnitentia cap.*12 *n.*310. statuunt primum actum voluntatis, esse naturalem, & necessarium, ideoque nullo modo liberum. Scot. verò, eiusque discipuli 1. *d.*25. *quæst. vn.* censent, tam primum, quàm subsequentes actus, esse liberos.

Pro huius difficultatis dilucidatione, & decisione faciunt, quæ susè aduerti, & statui *Tract. de Angelis disp.2.q.6.*& quæ attuli *art.4. q. praced. assert.*4.quibus prænotatis, & præsciris.

2. Assert. primus voluntatis actus est liber. Defendit Doct. *vbi supra.* Probatur 1. à principio libero prodeunt omnes actiones liberæ, sicut à principio naturali proficiscuntur actus naturales, & necessarij. Principium quippè diuiditur adæquatè, in naturale, & liberum, vt animal in rationale, & irrationale. Actus verò primus, sicut reliqui posteriores oriuntur à voluntate, ergo actus 1. est liber, sicut cæteri quoque sunt liberi.

Secundò, omnis actus voluntarius est liber, quandoquidem manet in potestate voluntatis, quæ suapte natura est libera, Ideò Aug. 2. *de lib. arb.* ait. *Nisi ea, quæ sunt voluntaria, essent in potestate nostra, voluntas non esset laudanda, nec vituperanda, immò nec monenda.* Qui autem astruit voluntatem non esse monendam, à numero hominum est exterminandus. Actus autem 1. voluntatis est voluntarius: si enim quispiam surgat à somno, eique præsentetur aliquod obiectum, velitque illud, talis actus est liber, & primus. Nam si alteri eodem modo offeratur, nolitque idem obiectum, pariter hic actus est liber, vt bene prosequitur Aug. 12. *Ciuit. cap.*6. inquiens: *Si duo sint æque affecti animo, & corpore, si idem obiectum prohibitum concupiscant, alteruter cadit, sanè id aliundè non prouenit, quàm à voluntate, quæ est libera, circa quodcumque ipsi oblatum concupiscendum, quia vnus peccat, alter verò non peccat.* Itaque 1. actus voluntatis libertate pollet, sicut cæteri eum subsequentes. Plura *Tract. de Angelis prealleg.*

3. Opp.1. ille actus non est liber, qui est naturalis, & necessarius, ab alioque determinatus. In hoc enim actus naturalis differt, à libero: sed 1. actus voluntatis est huiusmodi; prodit namque à voluntate, vt est natura, & determinata ab obiecto, siue à principio extrinseco. Igitur 1. actus voluntatis, non est liber. Concedo ma. nego min. siquidem voluntas ex se libera est, à nullóve determinata, proptereà tam priores, quàm posteriores eius actus, liberi sunt.

Opp.2. in quouis ordine est primum mouens, quod cætera eiusdem ordinis mouet, authore Arist.7.phys.1. *Quidquid mouetur, ab alio mouetur.* Igitur voluntas producens primum actum, ab alio naturaliter mouetur, atqueadeò eius 1. actus non est liber. Distinguo ant. de motu naturali, necessario, & subordinato, concedo: de motu voluntario, libero, & non subordinato, nego. Ita exponendus est Arist cit. loquens ibi de motu Cœlorum necessario, & subordinato, vt latè explicui *l. de motu q.3. art.3.* Reliqua, quæ hic desiderantur, habentur *loco prænominato.*

ARTICVLVS II.

An actus voluntatis sit formaliter liber.

4. PLerique recentes, inter quos sunt Vasquez 1.1. *disp.* 34. *num.*15. Suarez, & alij cit. ab Arr. *disp.8. de anima sect.4. subsect.4.* affirmant actum voluntatis esse liberum extrinsece, & denominatiuè, ita vt libertas sit denominatio extrinseca ipsi actui voluntatis. Cæteri autem Scholastici, nuncupatim Th.1.2. *quæst.*19. *art.*1. & adducti ab Hurt. *disp.*15. *de anima sect.6. subsect.*2. astruunt actum voluntatis esse essentialiter, & formaliter liberum. His procul dubio subscribunt Scot. eiusque alumni, qui passim docent actum diuidi in naturalem, & liberum, sicut potentia vniuerse sumpta secatur in naturalem, & liberam, præsertim quia, iidem Authores asseuerant, omnem actum voluntatis esse liberum, tam in Deo, quàm in creatura, tam in beato comprehensore, quàm in viatore.

5. Not. & recol. ex dictis *in Epis.l.1. quæst.4.art.9. num 30. & l. de generatione, & corrup* actionem dupliciter accipi, vno modo pro actione de genere actionis, altero modo pro actione de genere qualitatis, quæ est res acta, seu terminus actionis. In re autem nostra, non ambigitur, vtrum actus voluntatis de genere qualitatis sit liber intrinsecè. Sic enim cum sit qualitas, & terminus ipsius voluntatis extrinsecè, & denominatiuè dicitur liber: sed de actu, seu actione, quæ est de genere actionis, quæ dicitur elicitio, quæve est in potestate voluntatis, ipsam eliciendi, vel non eliciendi, per quam homo meretur, vel demeretur, vtrum scilicet libertas sit ei intrinseca, & essentialis.

6. Assert. actus voluntatis formaliter, & essentialiter est

est liber. Deducitur ex Scot. *in superioribus alleg.* Probatur primò, actus adæquatè diuiditur in naturalem, & liberum, actus autem naturalis intrinsecè, & formaliter est naturalis; quia ad vnum est determinatus: pariter ergo actus liber est formaliter, & essentialiter, quia est indeterminatus ad vtrumlibet.

Secundò, quorum principia intrinsecè, & formaliter differunt, arguuntur actus intrinsecè distincti, vt patet de nutritione, & augmentatione: actus verò voluntatis est à principio libero, quod formaliter differt ab intellectu, qui est principium naturale, ergo actus voluntatis est intrinsecè, & formaliter liber. Rursus, actus est formaliter verus, aut falsus, vt dixi in Log. lib. 4. agens de veritate, & falsitate: ergo actus voluntatis est formaliter liber, tum quia est meritorius, vel demeritorius, cùm etiam quia Spiritus sanctus producitur per actum voluntatis Patris, & Filij, qui est intrinsecè liber, vt dixi *tract. de Deo trino, quæst. an Spiritus sanctus procedat liberè à Patre & Filio.* Quare si actus voluntatis est, liber formaliter est: sicut si voluntas est, libera formaliter dicenda est.

7. Oppones primò, actus voluntatis dicitur liber, quia oritur à voluntate, quæ est potentia libera, veluti scamnum appellatur humanum, quia est ab homine fabricatum: igitur actus voluntatis est liber extrinsecè, & denominatiuè. Distinguo ant. actus principatiuè est liber, quia elicitur à voluntate, quæ est libera, concedo: actus verò est liber formaliter, quia originatur à voluntate, nego. In se quippè, & intrinsecè est liber. Quemadmodum dixi *Tract. præcit. de Deo Trino disp.* 1. Diuinas processiones principatiuè per intellectum, & voluntatem distingui; seipsis verò formaliter. Nec valet exemplum de scamno, quandoquidem scamnum tantum dicitur humanum terminatiuè, hoc est, quia est terminus potentiæ humanæ; verùm actus voluntatis est actus vitalis, intrinsecè, & formaliter liber.

8. Opp. 2. eodem modo philosophandum est de actu libero, ac de actu vero, aut falso: sed actus perhibetur verus extrinsecè, nempè ab obiecto, de quo est. Veritas namque, ex dictis in Log. est conformitas rei, cum suis principiis: ergo actus voluntatis extrinsecè est liber. Concedo ma. Distinguo min. in se, & formaliter, nego: obiectiuè, & terminatiuè, concedo. Nam veritas duplex est, altera formalis, quæ competit actui vero, altera obiectiua, penes quam versatur actus verus formaliter.

9. Opp. 3. actus liber verti potest, in necessarium: ergo essentialiter non est liber. Ant. patet de actu viatoris, qui est liber, deindè in comprehensore est necessarius. Beatus namque necessario videt, & fruitur Deo. Ergo actus voluntatis, formaliter non est liber. Nego ant. ad eius probationem dico talem actum non mutari, sed permanere eumdem actum liberum, licet voluntas beati præueniatur, ne in actum oppositum exeat. Ideoque semper persistit essentialiter liber.

ARTICVLVS III.

An sint actus indifferentes.

10 HÆc difficultas multipliciter moueri potest, scilicet de actibus humanis naturalibus, moralibus, meritoriis, deque bis omnibus in genere, siue in specie, aut in indiuiduo, siue in singulari. Quidam enim vt S. Bon. 2. *d.* 41. concedunt quidem actus indifferentes in communi, & in genere, non tamen in singulari, arbitrantes nullum actum singularem esse indifferentem, & neutrum. Alij vt Scot. tum hic, tum etiam *in Rep.* 2. *d.* 41. vtroque modo admittunt actus indifferentes, tam in specie, quàm in singulari, in esse moris, & meriti, non verò in esse naturæ.

11. Not. 1. nos hic non differere de actibus non humanis, qui ex sola imaginatione prodire videntur, vt tollere à terra festucam, mouere brachium, barbamque tangere: sed de actibus humanis, qui spontè, & libitè à voluntate proficiscuntur, vt monet Doct. cit. *antè* § *Ad argumenta.* Hique inspectari queunt in esse naturæ, aut in esse moris, aut meriti, vt infrà palam fiet.

12. Not. 2. ex Vorr. in præsenti, hæc tria inter se differre, subreptionem, deliberationem, & intellectionem: siquidem subreptio negat omnem præmisionem intellectus; ideò dicitur subreptio, quasi su eptio, siue sur rapiens. Deliberatio designat actum consilij in agendis; ob id deliberatio est actus intellectus. Pertinet enim ad intellectum deliberare, & ad voluntatem sententiare. Differt verò deliberatio ab intellectione, quia intellectio recipit omne intelligibile, & scibile, speculatiuum, aut practicum: deliberatio autem circà practica, & agibilia occupatur duntaxat.

13. Not. 3. aliquod esse indifferens tripliciter posse contingere Primò, pro vnibili, determinabili, potentiali & contrahibili, sic genus dicitur indifferens ad suas differentias, per quas contrahitur, & determinatur, & pariter materia est indifferens ad formas recipiendas. Secundò, pro æquali participatione aliquorum, vt si foret scutum participans æqualiter tantùm albedinis, quantum nigredinis, non esset album, nec nigrum, sed indifferens. Tertiò, pro eo, quod mediat inter extrema, vt liberalitas inter prodigalitatem, & auaritiam, quo pacto capitur indifferens in præsentia, num scilicet inter bonum, & malum naturæ, aut moris aut meriti adsit actus indifferens, & neuter, qui nec sit bonus, nec malus. Præstereà, recolenda est triplex bonitas, & malitia naturalis, moralis, & meritoria adducta, & explicata *suprà l.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2.

14. Not. 4. ex Doct. 2. *dist.* 41. *Rep quæst. vn.* §. *de 3. bonitate*, quempiam posse referre actum suum ad debitum finem, tribus modis. Primò, actu, cum cogitans actu de fine, diligit eum, & propter eumdemmet finem aliquid operatur. Secundò, virtute, cum quia proponit aliquid operari, propter Deum, & operando non semper actu refert illud opus ad Deum. Tertiò, habitu, cum quis habens habitum charitatis potest referre omnem suum actum ad Deum. E regione actus potest non referri, & non ordinari ad Deum, tripliciter. Primò, negatiuè, quando nec actu, nec virtute, nec habitu, ad finem refertur. Secundò, priuatiuè, quando non est idoneus actus ad referendum, vt peccatum veniale, quod licet cum charitate se compatiatur, tamen non est aptum cum charitate tendere in Deum. Tertiò contrariè, quandò opponitur charitati, vt peccatum mortale. Dubitatur autem quinam ex his actibus, valeant esse indifferentes, & neutri.

15. Ass. 1. inter bonum, & malum naturale non datur actus medius, & indifferens. Ita Scot. *in Rep. alleg.* §. *Ad q. dico.* Probatur primò, Dionyl. 4. de diuinis nominibus. *Bonum est ex integra causa, & malum ex quocumque defectu*, vel ergo actus naturalis habet omnia requisita ad eius esse, & est bonus, vel aliquid ei deest, & est malus. Igitur inter ea non intercipitur medium.

Secundò, inter positiuum, & priuatiuum non interuenit medium vt inter formam, & priuationem eius, 1. *Phys. T.* 67. & 68. Actus autem bonus est ens positiuum, & actus malus est ens priuatiuum, ex dictis *l.* 2. *q.* 2. *art.* 3. Igitur inter bonum & malum naturale, non cadit medium, sicut inter ens, & non ens nihil mediat.

16. Ass. 2. in esse moris potest esse actus neuter, hoc est nec bonus nec malus moraliter. Ita Doct. cit. Probatur primò, Arist. 10. *Eth.* 5. & 9. scribit: *Homo nec bonus, nec malus est, potest verò esse bonus, vel malus*, vt indicaui in præfatione huius operis. Et 2. Eth. c. 1. *Habitus iustitiæ gignitur ex operibus iustis, non tamen iustè factis*, idest ex virtute, iustitiæ prodeuntibus. Hic verò actus nec est bonus, nec malus moraliter, quandoquidem non nascitur ex virtute: ergo est neuter. Secundò, inter iustum, & iniustum mediat non iustum,

 Idemque

Iidémque actus præcedentes virtutes, nec boni, nec mali sunt: atque actus subsequentes virtutes nullam inducunt bonitatem, aut malitiam moralem. Conceduntur igitur actus indifferentes morales.

17. Assert. 3. in genere meriti habentur actus indifferentes, nempe nec meritorij, nec demeritorij. Tenet idem Doct. *ubi suprà*, quem sequuntur Aur. *ibid quæst. vn.* & Maior *quæst.* 2. Probatur 1. ex Aug. *epist.* 2. & Hieronym. ab ipso Aug. ibi relato. *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter vtrumque indifferens ambulare, digerere alui stercora, capitis naribus purgamenta proiicere, sputa reumatu iacere, hoc nec bonum, nec malum est, sine enim feceris, siue non feceris, nec iustitiam habebis, nec iniustitiam.* 2. habens virtutem non tenetur in omnibus suis actibus vti virtute, & promere omnes actus ex virtute. Id enim durum esset, & valde difficile, foretque veluti iugum antiquum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus. Vt scilicet quis peccato mortali affectus, in cunctis actibus suis, peccaret mortaliter, aut veniaiter, aut existens in gratia semper mereretur: sed tantum quando occurrit, & patet; ideò extant præcepta affirmatiua, quæ obligant semper, sed non pro semper. Exemplo id illustrat Seraphicus, si quis comedat, vt satisfaciat appetitui naturali, talis actus non est meritorius, quia non refertur ad Deum, nec demeritorius, cum sit naturæ conformis: peccatum verò non consonat, sed dissonat naturæ. Ergo est neuter, proindéque admittitur actus, nec meritorius, nec demeritorius.

18. Assert. 4. nedum dantur actus indifferentes in communi, siue ex genere, & specie, verumetiam in singulari. Ass. est bipartita. 1. pars legitur in Scot. cit. *§. Aliter posset dici.* Et probatur 1. *ex* 2. *Eth.* 1. à nobis adducto *in* 2. *ass* 2. ex aliis *ibid. prelatis*. Secunda pars est eiusdem Doct. *in Rep.* cit. quam probat auctoritate Boëtij *in cap. de qualitate*, affirmantis, iniustitiæ contraria est iustitia, sicut illiberalitas, liberalitati, medium autem esse potest in eo, qui prius non habuit iustitiam, non propriè dicitur iustus, nec iniustus, sed non iustus. Præterea, possibile est, hominem operari non secundum omnes circumstantias necessarias, ad actum bonum moralem, nec contra bonos mores operari, vt si quis largiatur eleemosinam pauperi, neque propter Deum, neque propter alium finem ab ipso propositum, & intentum. Cùm ergo huiusmodi actus non sit bonus, nec malus moraliter, infertur esse actum neutrum, in singulari. Eò vel maximè, dari potest, fluus indifferens, ad bonitatem, & malitiam. Nam, vt arguit Aur. memoratus, velle præstare, quod placet, & experiri libertatem, videtur esse indifferens, in his, quæ non sunt prohibita. Placet autem Deo, hominem vti libero arbitrio, quod ab ipso accepit, & in quo relictus est, in his potissimum, quæ ei non præcipiuntur, nec prohibentur. Igitur admittendi sunt actus neutri, in singulari, & in specie.

19. Opp. 1. inter habitum, & priuationem non intervenit medium, quia 10. *Met.* 15. oppposita priuatiua sunt opposita contradictoria, inter quæ nihil mediat, 4 *Met.* 17, bonum autem, & malum opponuntur priuatiuè; malum quippè formaliter aliud non sibi vult, quam priuationem boni, ex assertis *l.* 3. *quæst.* 1. *art.* 3. Cùm ergo omnis actus sit bonus, vel malus, nullus actus est indifferens. Distinguo ma. absolutè, nego: respectu loci apti, & temporis conuenientis, quo aliquid est capax recipiendi nonnullam perfectionem, concedo; vt catulus ante nonum diem non est videns, nec cœcus, sed non videns. Quare ille actus est bonus, aut malus, qui debet habere bonitatem, aut malitiam, non sic omnis actus, vt rectè deducit Scot. *a. cit. D.*

20. Opp. 2. ex iteratis actibus generatur habitus; si ergo forent actus difformes, ex illis gigneretur habitus indifferens, quod non videtur probabile; cum enim omnes actus sint conformes iudicio practico, vel eidem difformes, si detur 1. sicut actus est bonus, pariter, & habitus. Si concedatur 2 quemadmodum malus est actus, vtique est habitus, non ergo admittendi sunt actus indifferentes. Concedo sequelam. Etenim sicut eliciuntur actus neutri, ita ex illis comparatur habitus neuter, cui satis est si fuerit consentaneus iudicio practico indifferenti.

21. Opp. 3. bonitas moralis non solùm penes obiectum, verumetiam penes debitas circumstantias, præcipuè finis, decerpitur; omne autem agens intellectuale debet agere propter bonum finem. Ergo si omnis actus intenditur ob finè, consequenter omnis actus singularis bonus est, aut malus. Ma tanquam vera ab omnibus conceditur. Min. suadetur, agens rationale debet dirigere suam operationem ad finem rectum, alioqui irrationabiliter ageret, ac proinde eius actus foret malus. Concedo ma nego min. quia homo non tenetur semper elicere bonum actum, sed aliquando potest promere actum neutrum, vt tangere nasum, fricare barbam & huiusmodi, quæ non cadunt sub meritum, aut demeritum.

22. Opp. 4. Si homo non teneatur semper bene operari, nullum foret verbum otiosum, quod pugnat Matt. 12 *De quocumque verbo otioso reddetis rationem.* Et SS. PP. nuncupatum Bas. *in regulis breuioribus interrog.* 2 3. & Bern. *serm de triplici causalitate*. Verbū autem otiosum est, quod caret honesto fine, etsi alias sit indifferens. Nullus ergo est actus neuter. Nego sequelam ma. ad min. dico, secundum Chrysost. per verbum otiosum intelligi verbum cauillatoriorum, & calumniosum. Christus enim arguit Phariseos, iniuriis, calumniisque ipsum afficientes. Maximè, quia verbum otiosum, perhibetur quod afferre valeret nonnullam vtilitatem, & præstare aliquod bonum, & non præstat. vt verbum fabulosum, iocosum, & irritum in colloquiis, & conuiuiis prolatum. Non autem scriptura, nec PP. intendunt, quod si quis festucam à terra tollat, eamque in liquore intingat ad summet degustandum, vel aliquem moneat vt auferat à vultu suo pulicem, sint verba otiosa, de quibus in die indicij reddituros sit rationem.

23. Opp. 5. si priuatio debiti finis in actu humano, non facit actum malum contrariè, etiam priuatio cuiuslibet alterius circumstantiæ non constitueret actum malum contrariè, sicque actus coniugalis in Ecclesia, & consimiles, non erunt mali, quod contradicit veritati, & dogmati orthodoxo. Accedunt PP. Chrysost. hom. 16. in epist. ad Ephes. *Bonum non fecisti, hoc est fecisse malum.* Hieronym. 1. contra Pelag. ad initium. *Omne quod dicitur, aut est, aut non est, & inter bona, aut mala debet numerari.* Et Epist. 89. *Non est indifferentia inter bonum, & malum, sicut Philosophi disputant.* Atque August. l. de vtilitate credendi cap. 12. *Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum vllum esse potest, quod non à recta ratione proficiscitur.* Et 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 18. *Voluntas aut est bona, vel mala.* Nullus ergo statuendus est actus indifferens. Respondeo per distinctionem, si adsit circumstantia priuatiua, nego actum esse malum contrariè: Quod si extet circumstantia repugnans, concedo talem actum esse malum contrariè. Si autem interdum quidam actus carens quadam circumstantia, perhibeatur malus contrariè, id contingit non propter carentiam eius circumstantiæ, sed quoniam apponitur circumstantia repugnans. Sæpè namque habitus, vel actus, mali sunt contrariè, qui nominibus priuatiuis nuncupantur, vt imprudentia, illiberalitas, notante Simpl. in Prædicam. relato à Doct. *quol.* 18. *art.* 1. Ad PP. dicò exponendos esse, non absolutè, ac si nullus actus voluntatis valeat esse indifferens, sed respectiuè, quod est dictu, respectu actus iustitiæ, & præcepti. Ita enim homo vel amplectitur iustitiam, & est actus iustus, & bonus: vel iniustitiam, & est actus iniustus, & malus, quando

do nimirum sese offerunt locus, & tempus, quibus quis tenetur seruare diuinum præceptum, bonumque opus operari, vt liquidò constat ex superioribus.

ARTICVLVS IV.

An imperium sit actus voluntatis.

24. CAiet. 1. 2. *quæst.*17. *art.*1. Medin. & Vasquez tuentur imperium esse actum intellectus. Scot. autem 9. *Met. quæst.*15. §. *sed quomodo*, *quæst.*1. *prol.*4. *d.*49. *q* 4. *vers. Tertium medium.* Et *d.*14. *quæst.*2. *concl.*4. Necnon 2. *d.*6. *quæst.*1. §. *Ad* 1. Faber *disp.*9. *de Pœnitentia cap* 9. Castr. *l.*1. *de lege pœnali cap.* 1. & 2. & alij sustinent imperium esse actum voluntatis. Pro cuius captu, & intellectu.

25. Not. imperium bifariam inspectari. 1. formaliter, & præcisè, sic captum imperium est actus voluntatis, qui *quæst.*4 *prol.* diuiditur in actum elicitum, & imperatum. 1. concomitanter, quo pacto est actus intellectus. Nisi enim lex, siue decretum, siue volitio illa, quæ dicitur imperium, explicetur, & intimetur, nequit vllum obligare, ad eius obseruantiam. Ad nihil quippè tenetur quispiam, nisi id nouerit quod ei mandatur: ob id necessaria est legis promulgatio, & intimatio, quæ licet imperio sit necessaria, tamen ei est intrinseca, & concomitans ratione subiecti, in quo exerceri debet.

26. Assert. imperium formaliter est actus voluntatis. Defendit Doct. locis præfecensitis. Probatur 1. Ansel. *l. de conceptu Virg. cap* 4. *Voluntas mouet se, contra iudicium aliarum potentiarum, mouetque cæteras potentias, secundum imperium suum.* Et Aug. 17. Ciuit. cap.4. *Voluntas vtitur omnibus aliis potentiis.*

Secundò, eius potentiæ est actus, cuius est exercitium, vt liquet de visione, quæ est actus potentiæ visiuæ, à qua producitur, & exercetur, non autem auditus, aut alterius potentiæ, cuius non est producere, nec exercere ipsam visionem. Imperium autem à voluntate exercetur. Imperat namque voluntas intellectui, & reliquis potentiis, veluti Rex in suo regno, & Imperator in suo imperio. Igitur imperium est actus voluntatis. Respondent Med & alij, concessa ma. negando min. Aiunt enim voluntatem esse Reginam, quidem in regno animæ, at intellectum esse Regem, & Imperatorem. Contra, imperium formaliter obligat inferiorem, ad ipsum custodiendum, & si non obliget, propriè non est imperium, sed locutio, monitio, & consultatio sunt actus intellectus. Obligare autem aliquem ad aliquid seruandum, est actus voluntatis, vt significatur Matt. 8. *Dico huic fac hoc, & facit.* Et ibid. 6. *Fiat voluntas tua.* Deinde, imperium non est actus naturalis, & necessarius, vti est actus intellectus, sed liber. Qui enim imperat, potest non imperare. Vnde non quod Princeps nouit, & intelligit, sed quod ei placet, legis habet vigorem, vt habetur *l.*1. §. *de constitutione Princ.* Iterum, eius est imperare, qui est nobilior; ideò Arist. 1. *Met.* 2. sapientes; & ingeniosi aliis præesse, & imperare debent: at voluntas est præstantior reliquis potentiis, vt alibi probaui. Igitur imperium est actus voluntatis.

27. Opp.1. 6. *Eth. cap.*8. & *inde*, imperium est actus prudentiæ, quæ spectat ad intellectum. Igitur imperium est actus intellectus. Idque deducitur *ex Prouerb.*8. vbi sapientia loquens de seipsa inquit. *Per me Reges imperant, & Potentes decernunt iustitiam.* Conf 1. *l.* 1. *pol.* 3. *Ratio imperat corpori, imperio seruili, vt Dominus seruo, & appetitui seruili imperio politico, vt Magistratus Ciuibus*, & 2 Eusem 1. *Ratio imperat affectionibus.* Conf.2. 10. *Eth.*7. & 8. locatur felicitas in actu intellectus: imperium ergo pertinet ad intellectum. Expono ea loca, per distinctionem. Directiuè, & dictatiuè, concedo. Intellectus quippè dictat, & præscribit, quid sit faciendum, mandandum à voluntate, & exequendum: formaliter verò, nego. Nam quæ proponit intellectui, & quæ recta ratio dictat, deindè voluntas eligit, & imperat exequutioni mandandum. Insinuante Arist. 1. *Eth.* 3. *propè finem.* Hoc quoque modo capitur locus Prouerb. cit. sapientiæ quippè est dirigere, ordinare, & consulere, quæ agenda sunt, quæve non agenda, vt consiliatius Regi consulit, ostenditque ea, quæ in regno sunt obeunda: postmodum verò Rex ad suum libitum iubet, & per suos Ministros operatur. Sic etiam intelligitur Aug. hom. 16. *Non potest fieri, vt habeat mala facta, qui habet cogitationes bonas. Facta enim de cogitatione procedunt. Nec quisquam potest aliquid facere, nisi prius processerit iussio cogitationis.* Ad 1. conf. per rationem Philosophus accipit omnem potentiam naturæ rationalis, puta intellectum, & voluntatem. Dicimus enim intellectum ostendere, & proponere voluntati, quæ agenda sunt, ipsam verò voluntatem eligere, & iubere præstari, quæ præstanda sunt ab aliis facultatibus. Hinc fortè 1. *Magrorum mor. in fine* ait, cuncta procurat, præscribens Domina est. Ad 2. conf. dico intellectum quidem excellere cæteris potentiis cognoscitiuis, voluntatem verò, & cognoscitiuis, & appetitiuis prælucere. Arist. verò statuit felicitatem in actu intellectus, quia non potuit attingere nos esse Deo fruituros, cumque id ex Deo reuelante, nobis innotescat duntaxat.

28. Opp. 2. si imperium foret actus voluntatis, aut esset volitio, aut nolitio, non 2. quia nolle, non est imperare. Nec 1. quia etsi ego nouerim Præpositum meum aliquid velle, tamen id præstare non teneor, nisi mandet, mihiquè præcipiat obeundum. Nutiua ergo voluntatis, non est imperare. Conf. 1. Iudex potest aliquid præcipere, tamen nolle id efficiendum. Conf. 1. ostensa voluntate Superioris inferiori, inferior non tenetur ei obedire, nisi superior ei præcipiat, quid velit. Respondeo esse volitionem superioris efficacem, cui teneor parere, si eam sciuerim. Ad 1. & 2. conf per idem patet. Id enim conceditur voluntate inefficaci, negatur verò voluntate efficaci.

29. Opp. 3. imperare nihil aliud sibi vult, quàm insinuare, & intimare legem superioris, ab inferiore seruandam. Si enim non intimetur, nec promulgetur, inferior non tenetur eam custodire. Insinuare autem, & intimare est intellectus, ergo & imperare. Distinguo ma. formaliter, nego: concomitanter concedo, vt manet explicitum in præposito not.

30. Opp. 4. idem videtur esse philosophandum de imperio, ac de oratione, hoc tamen discrimine intercepto, oratio est inferioris indigentis, ad superiorem abundantem, & potentem præstare, quod ab Oratore petitur. Oratio autem est actus intellectus. Describitur enim eleuatio mentis in Deum. Ergo quoque imperium pertinet ad intellectum. Concedo ma. distinguo min. per distinctionem allatam in resp. præcedentis oppositionis. Præsertim quia nonnunquam solo affectu voluntatis oràmus, vt constat de oratione iaculatoria. Ideò subdit Bagnacabal. *Tract. de orat. Oratio non tam in actione intellectus, quàm in affectione voluntatis consistit.*

LIBER QVARTVS.

De Passionibus.

1. Quo in hoc libro præmoneo considerandа de passionibus, quantum ad moralem Philosophum spectat, difficultatem scilicet, & vtilitatem earum. Passiones quippè cognitu sunt difficiles, præsertim vniuersè sumptæ, vt aduertit Aur. 3. *d.*15. *q. vn. art.* 1. maiorique studio subiiciuntur, & grandiori labore comprimuntur, vt nos quotidiana docet experientia. Tanti autem momenti, & emolumenti censentur, vt ab his omnes virtutes propemodum, earumque fructus pendere videantur, vt eleganter tradit Lact. 6. *Inst. cap.*5. Et non obscurè indicat Aug. *Epist.*52. De istis verò duplex instituitur quæstio, vna de passionibus in communi, & altera de passionibus in particulari.

QVÆSTIO I.

De Passionibus in communi.

ARTICVLVS I.

Quid sit Passio.

2. Passio est nomen æquiuocum, ideò distinguendum est, sicut cætera æquiuoca, vt monui in Logica, eiusque acceptiones præcipuæ sunt adducendæ, & explanandæ, vt præstant Vorr. 3. *d.*19. *art.*1. & *d.*20. *art.*1. Racon. *disp.*3. *de passionibus animi sect.*1. *q.*1. & Conimbr. *disp.*6. *q* 3. *art.*1. Passio autem 1. vsurpatur pro conceptu mentis, teste Arist. 1. *perib. c.*1. voces sunt signa earum passionum, quæ sunt in anima, idest conceptuum. Ob id intellectus recipiens conceptum, siue intellectionem, pati dicitur, 3. *de anima T.*2. *& inde.* Atque passio penes ipsius nominis notionem, deriuatur à verbo patior. Est enim eius verbale, notante Alen. 3. *p. q.*17. *m.*1. *art* 2. Secundò, pro proprietate cuiuscumque rei, cuius meminit Doct. *in Rep.*1. *d.*26. *q.*2. & *d.*8. *q.*5. *&* 3. *d.* 29. *q. vn.* 3. pro qualitate parum durante afficiente sensum externum, de qua Arist. *in prædicam. c. de qualitate.* 4. pro relatione extrinsecùs adueniente passi ad agens, per quam constituitur prædicamentum passionis, & de hac mentionem facit Scot. 4. *d.*13. *q.*5. *infrà H. post Gilb l. de sex principiis.* 5. pro corruptione, & læsione subiecti, in quo recipitur, sic ignis patitur per aquam in ipsum proiectam, & homo patitur, cum vulneratur. Huius meminere Arist. 6. *Top. c.*2. & Scholastici 3. *d.*19. 6. pro commotione, & perturbatione, siue affectione animi, siue potentiæ appetitiuæ, de qua Aug. *Tract.*46. *in Ioan.* & Arist. 1. *Magn. mor. c.*8. & alibi passim. Et *de hac sermo est in præsentia.*

3. Not. 1. appetitum generatim captum diuidi in rationalem, & irrationalem. Ille est voluntas, iste appetitus sensitiuus nominatur. Vtriusque duæ extant vires, concupiscibilis, & irascibilis, prior circa bonum honestum, & delectabile, posterior verò circa arduum, & obtentu difficile occupatur, vt in sequenti lib. abundè tradetur.

4. Not. 2. cor quandiu animal viuit, penes ipsius temperiem, & proportionem naturalem moueri, motu perenni dilatationis, & contractionis, iuxta exigentiam vitæ animalis, cursumque eius consuetum. Est enim talis naturæ, cui debetur huiusmodi prænominatus motus, ad hoc vt animal opera vitæ administret, & membra eius viuant. A corde namque, tanquam origine, & fonte vitæ, reliquæ partes animalis regulantur, vt tangit Doct. *in Rep.* 3. *d.*15. *quæst. vn. ad* 4. Quod si excedat dictum motum, hoc est plusquam more solito constringatur, causatur dolor, & mœror: at si amplius quam solet, dilatetur, exoritur gaudium, & delectatio, vt insigniter edisserit Aug. nuper alleg.

5. Assert. passio vniuersè sumpta rectè definitur, motus, siue commotio potentiæ appetentis ex apprehensione boni, vel mali. Præsupponitur à Doct. præcit. In idem recidit definitio Remigij alleg. & approb. à Vorr. 3. *d.*20. *art.*2. Motus animi apprehensione boni, aut mali. Excepta vocula, *animi*, loco cuius ponitur à nobis, potentiæ appetentis, vt statuatur generica, & vniuersalis definitio comprehendens cunctas passiones, tam appetitus rationalis, quàm sensitiui. Explicatur priusquam probetur. Dicitur *motus*, putà exuberans, vel deficiens, quia vt aduerti *in* 2. *not.* Passio fit per motum cordis insolitum, & extraordinarium. Additur potentiæ appetentis, vt denotetur eius origo, & subiectum, quod est vterque appetitus prærecensitus. Ideò homo, & Angelus passionum sunt compotes, authore Scot. 3. *d.*33. *quæst. vn.* & *in Repart. ibid. post Aug.* 14. *Trin. cap.* 5. *&* 6. Apponuntur reliquæ particulæ, vt distinguatur à iudiciis, & opinionibus contra Chrysippum relatum à Tullio 4. *Tusculanarum qq.* existimantem, passiones esse iudicia, & opiniones. Necnon aduersus Racon. qui loco cit. arbitratur appetitui sensitiuo tantum passiones adaptari, cum tamen alibi asseruerit irascibilem, & concupiscibilem, quæ sunt earum subiectum immediatum, voluntati congruere. Sic explicata definitio passionis, facilis est probatu. Apta enim, & genuina rei definitio genere, & differentia constat, vt crebrò dictum est: illa autem definitio ex vtroque coalescit; eius quippè genus est motus, & reliqua sunt differentia. Idonea ergo est prælata definitio. Addo, quod nihil superflui, atque diminuti continet, vt postulat recta definitio, & patet discurrenti per singulas eius particulas, ergo est probè tradita.

6. Oppones primò. D. Damasc. 2. *fidei cap.*22. definiens passionem inquit, *Passio est motus virtutis appetitiua sensibilis, ob imaginationem boni, & mali.* Ergo passio propriè est viris appetitus sensitiui, & materialis, non verò rationalis, & spiritualis. Respondeo Damasc. loqui tantum de passione specifica, spectante ad appetitum sensitiuum. Nos verò verba facimus de passione generica, continente passiones vtriusque appetitus. Quod si locus Damasc. hanc non patiatur interpretationem, in hoc dimittendus est, & amplectendus Remigius, qui non

est

eſt minoris authoritatis. Scio pro contraria parte, allegari Auguſt. 9. *Ciuit*. 5. qui ſane ibi ſolum diſſerit de paſſione; appetitui ſenſitiuo conueniente, alibi verò præſertim locis præadductis expreſsè docet paſſiones conuenire, etiam appetitui rationali.

7. Oppones ſecundò, paſſiones à corde ſuam ducunt originem; vt adnotaui ſuprà: cor autem eſt materiale, & ſenſibile, ergo ſoli appetitui ſenſitiuo paſſiones competunt, & adaptantur. Concedo ma. diſtinguo min. cor corporeum, & carneum concedo: cor ſpirituale, & immateriale nego, cuius meminit Saluator Matt. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ*. Et Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus*.

Articvlvs II.

Quotuplex ſit paſſio.

8. Mvltæ à Philoſophis, & Theologis circumferuntur paſſionum diuiſiones, præcipuas, & ad rem noſtram quoquo modo pertinentes ſeligo; & explico, quarum prima eſt in paſſiones culpabiles, & pœnales, tacta à Doct. 3. *d.* 20. *quæſt*. 1. *E.* Illæ ſunt ea defectu, & peccato, innuente Dauid Pſal. 118. *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Illæ ſunt ad ferendam pœnam, pro ſuis, aut alienis culpis, & quidem pro ſuis, vt Fratres Ioſeph Gen 42. *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in Fratrem noſtrum.* Pro alienis verò, vt Chriſtus, de quo Eſa. 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.*

9. Secunda, eſt in naturalem, & animalem, allata, & explicita ab Alen. 3. *p.q.* 17. *m.* 2. *art.* 2. & Dur. 3. *d.* 15 *q* 2. *n* 5. Naturalis latè ſumpta poteſt competere ſubiecto recipienti formam, vel abiicienti, ſiue ea forma ei conueniat, aut diſconueniat, ſic Luna patitur, cum recipit lumen, & ignis, cum frigiditas calori eius contraria in ipſum inducitur: propriè tamen paſſio naturalis dicitur, cum forma, quæ recipitur in ſubiecto, eſt ei diſſentanea, & contraria, vt aqua recipiens in ſe calorem propriè pati perhibetur, & qui infirmatur, proprie patitur non verò, qui ſanatur. Animalis eſt motus appetitus ſenſitiui ea apprehenſione obiecti diſconuenientis, aut conuenientis, ſi amplè capiatur, ſtrictè verò ſumpta reſpicit obiectum diſconueniens, quo pacto, qui dolet, & triſtatur, magis propriè pati dicitur, quam qui gaudet, & delectatur. Sic prædicantur, & celebrantur paſſiones Chriſti, eiuſque Martyrum. Licèt autem hæc, quæ dicta ſunt, veritatem ſortiantur, attamen vſus obtinuit, vt quælibet forma, & qualitas in ſubiecto recepta, dicatur paſſio, ſiue conſentanea, ſiue diſſentanea ei ſit; & ita de paſſionibus loquuntur Philoſophi, cum de his tractatum inſtituunt, & perſoluunt.

10. Tertia, ex Aug. 14. *Ciuit cap.* 3. & Hieron. *in com. ad c.* 1. *Ezech.* in gaudium, & mœrorem, ſpem, & timorem. Hæ cenſentur quatuor præcipuæ, veluti aliarum fines, & termini notante Ariſt. 2. *Eth.* 5. & canente Virg. 6. *Æn.*

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Quemadmodum enim mare, à quatuor ventis principalibus commouetur, & concitatur: ſic cor hominis, quod mari ſimile dicitur Eſa 57. *Cor impij quaſi mare feruens.* à quatuor paſſionibus prænarratis conturbatur, & exagitatur, ad quas ſedandas, & compeſcendas, inuentæ, datæque ſunt quatuor virtutes cardinales, de quibus in ſeq. lib. Hæc autem potius ſubdiuiſio paſſionum, quam diuiſio exiſtimanda eſt, vt monſtrabitur, in proxima partitione.

11. Quarta, in concupiſcitiuam, & iraſcitiuam, ſiue in paſſiones appetitui concupiſcibili, & iraſcibili reſpondentes. Vt enim ex dicendis, virtus ſcinditur, in intellectualem, & moralem; ſic nihil vetat, quin paſſiones ſecentur in eas, quæ appetitui concupiſcibili congruunt, & in alias, quæ iraſcibili accommodantur. Hæque poſtmodum in diuerſa membra, & varias ſpecies ſubſecantur. Nonnulli ſiquidem duodecim conſtituunt, ſex ad concupiſcibilem; & totidem ad iraſcibilem ſpectantes. Alij vndecim tantum enumerant, ſex dantes concupiſcibili, & quinque iraſcibili attribuentes, vt præſtant Conimb. *diſp.*6 *q.*5. *art.*2. & Racon. *diſp* 3. *ſect.*1. *q.*2. Et antè iſtos Aur. 3. *d.*5. *art.*2. *q.vn.* Præfati autem numeri ſufficientia hoc modo colligi poteſt. Facultas, ſiue appetitus concupiſcibilis fertur ad bonum primò, & ſimpliciter captum: ſi ergo bonum ei offeratur, eique placeat, eſt amor, quod ſi diſpliceat, eſt odium amori contrarium. Si autem huiuſmodi bonum actu illi non præſentetur, ſed abſit, placeat tamen illi, conſurgit deſiderium, ſi diſpliceat, exiat fuga deſiderio contraria. At ſi tale bonum gratum ſit concupiſcibili, exoritur gaudium, ſeu complacentia, ſi ingratum, prodit dolor, ſeu mœror gaudio oppoſitus. Porrò iraſcibilis tendit ad punibile, & offendens obiectum, authore Scot. 3. *d.* 34. *q. vn.* §. *Notandum. F.* cuius bonum dicitur arduum, & difficile obtentu, vt ſcilicet iraſcens vindicet offenſam ſibi illatam ab impediente, vel remouente bonum ipſi oblatum. Si ergo ſperat ſe illud conſequuturum, eſt ſpes: ſi deſperet, illud non conſequuturum, eſt deſperatio. Si verò accedat, & aggrediatur, illud proſequēdo, prodit audacia, quod ſi recedat, & ab incepto deſiſtat, exitat metus. Si malum ſibi illatum ferat, eſt tolerantia: ſi id verò egrè patiatur, eſt intolerantia.

Si mauis alium colligendi numerum prædictæ diuiſionis paſſionum, diſſere in hunc modum, cum paſſio ex dictis ſit quidā inſolitus motus, aut bonū quod per huiuſmodi motum proponitur acquirendum, velut in termino à quo, & eſt amor, & in eius via diligenter proſequitur, & eſt deſiderium, aut vt in termino ad quem, & habetur gaudium, ſiue delectatio, & complacentia. Aut veluti nolendum, vt in termino à quo, & eſt odium. Aut in via euitatur, & naſcitur fuga. Aut in termino ad quē, & oritur dolor. Hæ paſſiones ſex prænarratæ concupiſcibili competunt, ſubſequentes verò iraſcibili. Bonum arduum acquirendum ſi eſt in termino à quo, eſt ſpes, vel non, & eſt deſperatio. Aut itur ad illud aggrediendum, & manat audacia, aut vitatur eius aggreſſus, & egreditur timor. Aut offenſa vindicatur ab iraſcente, & emergit intolerantia, aut non vindicatur, & proficiſcitur tolerantia: Ex his conſtat apertè duodenarius numerus paſſionum inter ſe oppoſitarum amori quippe odiū, deſiderio fuga, gaudio mœror, ſpei deſperatio, audaciæ timor, & intolerantiæ tolerantia, ſunt paſſiones adinuicem pugnantes.

Qui autem iræ nullam paſſionem reluctantem aſſignant, vndecim tantum paſſiones ſtatuunt, cum quibus non ſunt Ariſt. 2. *Eth.* 7. & 4. eiuſdē operis 5. & 1. *magn. Mor. c* 21. Nec Ægid. 1. *de regimine princ. p.* 3 *c* 1. nec pariter Aur cit. *art.* 4. *ad finem.* Iræ quippe manſuetudo opponitur: Vt enim motui reluctatur quies, ſumpta pro conſiſtentia in loco, pariter iræ pugnat manſuetudo, quæ à nobis tolerantia nuncupatur, & irā tolerantia. Qui enim iraſcitur vltionem appetit, & quærit, teſte Stagirita 2. *Rhet.* Inſinuatur à Saluatore Matt. 5. *Beati mites*. Mites enim, vt exponit Doct. citat. ſunt qui non offendunt, nec reſiſtunt in malo. Quæ ergo ab aliis dicitur manſuetudo, & à nobis tolerantia, à Chriſto mititas nominari videtur. Nec præſtat arguere ex Ariſt. præcit. iræ opponi vacuitatem, ſiue ceſſationem eius, & defectum, ceſſatio autem defectus, & vacuitas eſt carentia eius, cuius eſt priuatio, proindéque nulla paſſio opponitur iræ. Siquidem per nomen vacuitas intelligitur paſſio realis poſitiua, ſicut per incorporeum, & irrationale ſubaudiuntur differentiæ reales poſitiuæ; per eas voces negatiuas, ſignificatæ, & ſubrogatæ. Adde, 1. *Magnorum mor. cap.* 21. eam vocari manſuetudinem ab eodem Authore.

13. Opp. 1. ignorantia refertur inter passiones, vt patet apud Alen. passu alleg. Ignorantia autem non reperitur in serie prædictarum passionum, veluti etiam morbus, febris, famis, sitis, & huius formæ alia. Igitur insufficiens est numerus passionum prælatus. Distinguo ma. ignorantia numeratur inter passiones propriè dictas, nego: inter passiones lato sumpto vocabulo, concedo, veluti quoque conceptus, & intellectio dicuntur passiones, vt obseruaui *in* 1. *art. propè initium.* Ad min. dico eas passiones comprehendi sub catalogo passionum concupiscibilis. Fames quippè est appetitus calidi, & sicci, & sitis est desiderium humidi, & frigidi, vt ostendi *l.* 3. *de anima.*

14. Opp. 2. superbia est passio irascibilis, proptereà iracunda animalia sunt superba, vt Leo, & tamen superbia subditarum passionum numero non capitur: manca ergo & diminuta est partitio passionum memoratarum. Resp. superbiam capi sub audacia, quæ est passio irascibilis, quemadmodum etiam indignatio, & zelus, ad iram, vt insinuat Angelus *ver. Indignatio.*

15. Opp. 3. bona diuisio est bimembris, vt patet *in Epitome l.* 2. *q.* 7. *art.* 1. passionum autem distributio præassignata est quaternaria, & duodenaria. ergo mala est. Respondeo concessa ma. ad min. dico passionem generatim sumptam, esse bimembrem, vtpotè quæ scinditur in eam, quæ concupiscibili, & quæ irascibili accommodatur, postmodum subsecatur in alia membra prætecensita. Vel dicito non esse diuisionem rigorosam, sed potius enumerationem quamdam passionum, sicut numerantur quatuor venti præcipui, & octo collaterales, aut 28. secundum eos, qui censent esse 32. de quibus alibi.

16. Opp. 4. distinctio passionum, & actuum, penes obiectorum formalium distinctionem decerpitur, vt amplè pertractaui *l.* 2. *de anima.* Non autem penes facilitatem, aut difficultatem rei obtinendæ; præsertim quia Plato 9. *de Rep.* & Galen. *l. quod animi mores sequuntur corporis temperamentum*, asserunt obiectum concupiscibilis esse bonum, iucundum sensui, & corpori congruum, & obiectum irascibilis non oportere esse arduum, vt liquet cum Dominus irascitur in seruum, quem pro suo libito potest punire. Non ergo aptè traditur diuisio, & distinctio prædictarum passionum. Concedo totum argumentum cum Scoto, & Bass. 3. *d.* 26. *q. vn.* reluctantibus Thomistis, cum suo Duce 1. 2. *q.* 23. *art.* 1. *&* 4. & *q.* 26. *de veritate art* 4. Quamuis enim nonnullarum passionum, maximè irascibilis dicatur obiectum arduum, id non fit, quia arduitas sit ratio formalis eius obiecti, sed solum indicatur, & manifestatur obiectum assequendum, esse arduum, & difficultatibus implicitum, & circumdatum. Idem Gabriel 3. *d.* 26. *q. vn. art.* 3. *dub.* 1. bonum arduum nominari obiectum irascibilia; quia eius assequutio, & exequutio est ardua, & difficilis, puta velle vindicare offendens.

ARTICVLVS III.

An passiones sint actus.

17. AVt. 3. *d.* 15. *q. vn.* Greg. & alij relati à Capr. 1. *d* 1. *q.* 2. astruunt passiones coincidere, cum actibus. Scot. autem 1. *d.* 1. *q.* 3. Antonius Andreas, Lych. & cæteri Scot. *ibid.* negant delectationem identificari, cum actu voluntatis, qui est fruitio, quod etiam de reliquis passionibus docent 3. *d.* 26 *q. vn.* & *d.* 34. necnon 4. *d.* 49 *q.* 7. quibus ex parte consentiunt Och *in* 1. *loco cit.* & *Quol.* 2 *q.* 17. Gabriel *ibid.* & Gersonius *Tract. de notitiis, c. de appetitu rationali q. vlt.* affirmantes gaudium, & tristitiam ab actibus distingui, vt quid eos consequens, reliquas verò passiones, præsertim appetitus sensitiui, ab actibus minimè dissidere.

18. Not. actum, & actionem vulgò pro eodem vsurpari, distinguunt autem Scotistæ cum suo principe 1. *d.* 17. *q.* 2. §. *Qui vellet ante N.* & 9. *Met. in cap.* 4. *&* *T.* 42. actum, siue actionem, in actionem de genere qualitatis, & actionem de genere actionis. Illa identificatur, cum re acta, estque terminus potentiæ, eiusque perfectio, de qua Arist. 9. *Met.* 16. & Scot. *ibid.* & latè *Quol.* 13. Ista idem est ac actus elicitus, siue productio, per quam prænominata perfectio producitur, cuius meminere Arist. *cap* 9 *prædicam* & Scot. 4 *d.* 13. *quæst.* 1. & alibi non rarò Nunc autem peruestigatur, num passiones sint actus eliciti, siue actiones, & productiones rerum productarum, an verò sint rei, siue qualitates per eas productæ, & actæ, atque quid consequens actum elicitum, & productiuum, verbi gratia, vtrum delectatio sit actus voluntatis, ab ipsa elicitus, an verò actui superueniat, eumque subsequatur, causeturque ab eodem principio, aut ab obiecto, in quod ipsamet voluntas vitaliter tendit, in eoque delectatur. Pro huius dubij maiore declaratione, & exactiori decisione faciunt, quæ adduxi, & expressi *dub.* 9. *art.* 2. *quæst* 4. *l.* 2. & *Tract. de cognoscibilitate Dei, disp.* 3. *q.* 19. & quæ nuper edidi *l.* 1. *Epitom. quæst.* 4. *art.* 9.

19. Assert. 1. passiones non sunt actus, sed actus ipsos consequentes Tenet Doct. *vbi suprà.* Probatur 1. *ex* 10. *Eth.* 4. actui elicito superuenit delectatio, non vt habitus quidam, cui inest, sed vt finis superexoriens, perinde atque venustas iis, qui in flore ætatis constituti sunt. Et paulò post, operationem enim consequitur. Accedit Chrysost. *hom.* 15. *In actu qui irascitur, aut inuidet, non agit, sed patitur.*

Secundò, videtur implicatio in adiecto, vt passio sit actio formaliter, cum sint correlatiua; vnum quippè correlatiuum simul, respectu eiusdem, & eodem tempore, non est aliud correlatiuum, quæve sunt diuersi prædicamenti non coincidunt, vt dixi *in Log.* actio, & passio constituunt distincta prædicamenta: non ergo passiones sunt formaliter actiones, & causaliter passiones.

Tertiò, ita philosophandum est de passionibus moralibus, sicut de intellectualibus, & naturalibus, in hoc videlicet, nùm hæ, & illæ sint actus, necne? Atqui passiones intellectuales non sunt formaliter actus, vt patet 3. *de anima T.* 2. *Intelligere est pati.* Et intellectio est passio: ergo idipsum astruendum est de amore, aliisque passionibus moralibus.

Quartò, terminus motus non est motus, nec via ad terminum, est ipse terminus: passiones autem sunt termini, & perfectiones potentiarum *ex* 9. *Met.* 16. Actus verò est via ad terminum, vt acute de mote speculator Doct. 4. *d.* 13. *q.* 1. *&* *Quol* 13. Deinceps, passionibus nec laudamur, nec vituperamur, actibus verò laude, aut vituperio digni censemur, 2. *Eth.* 5. Amplius, habitus virtutis non causat passionem, sed actum, atque virtutes respiciunt passiones moderandas, non verò actus. Igitur, passiones formaliter non sunt actus.

20. Assert. 2. omnes passiones appetitus intellectiui, & sensitiui ab actibus distinguuntur. Tradit Doct. cit. contra Nomin. præalleg. Probatur 1. eadem est ratio de delectatione, & tristitia, ac de reliquis passionibus: sed delectatio, & tristitia sunt passiones ab actibus distinctæ. ergo & cæteræ passiones. Minor est Nominalium. Maior suadetur, omnes sunt qualitates, & perfectiones potentiarum appetentium, atque delectatio appetitus sensitiui subsequitur actum eius, veluti delectatio appetitus rationalis, ideò Arist. 10. *Eth. cit.* absolutè loquens de delectatione, negat eam esse actum, siue operationem, sed ait exoriri ex operatione.

Secundò sentire est pati, vt patet 2. *de anima T* 51. atque intelligere quoque est pati, *ex* 3. *de anima T.* 10.

Pariter

Pariter concupiscere, irasci, & huiusmodi est pati, vt ea Chrysost. supra memorato intuli. Cum autem hæ passiones conueniant vtrique appetitui prænominato, euidenter conuincitur, omnes esse passiones, ab actibus distitas.

Tertiò, actus appetitus sensitiui imperantur à voluntate, passiones verò non imperantur, cum sint naturales ratiom, ac iuri eius haud plenè subiectæ; ob id forte Paulus *Rom.7.* ait *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Quartò, possunt esse actus absque passionibus, vt actus amandi, sine delectatione, sic Dæmon diligit se absque vlla delectatione. Vehemens enim tristitia, qua afficitur, nullam ei dat sedem delectationis. Atque beatus odit peccatum, tanta autem gloria absorbetur, vt illi nullus sit tristandi locus de ipso peccato. Hoc admittentes Nom. de appetitu rationali, debent concedere de appetitu materiali. Etenim homo beatus, post diem iudicij, reassumpto corpore, appetitu sensitiuo quit actu malum, & nociuum auersari absque dolore: & damnatus appetitu suo sensitiuo potest bonum optare, sine delectatione. Manet ergo distinctio inter actus, & passiones vtriusque prænarrati appetitus.

21. Oppones primò, 2. *Eth.5.* Philosophus scribit nihil esse in anima, nisi potentiam, habitum, & passionem. Certum autem est secundum eumdem Philosophum, in anima esse actum, & operationem, vt patet 10 *Eth.4.* vbi felicitatem statuit in operatione, necnon 12. *Met.* 51. & alibi passim: ergo nomine passionum intelligit actus, proindéque passiones, & actus idem sunt. Respondeo Aristot. verba facere de permanentibus in anima, non verò de transeuntibus, & cuiolabentibus, vti sunt actus.

22. Oppones secundò idem Aristot. *ibid.* gaudium, dolorem, & cæteros affectus, & passiones, quas ibi recenser videtur vocare actus, immò communitet perhibentur actus, vt patet *lib. prædicam. cap. de qualitate*, & 3 Eth 11. *Voluptas magis spontanea est quàm dolor:* passiones ergo, & actus haud distinguuntur. Occurrendum est, passiones referri inter actus de genere qualitatis, non verò de genere actionis. Illi quippè sunt producti, & productionis finis: hi verò sunt eliciti, & productiui, vt planum feci *in præmisso not.* Ad postremum locum dico voluptatem esse spontaneam, seu libetam, non formaliter, sed præexigitiuè, quatenus præexigitur actio quam voluptas consequitur, vt patet 10. *Eth.4.*

23. Oppones tertiò, passiones sunt moderandæ, & cohibendæ; ideò dantur virtutes, ad ipsas componendas, & compescendas, vt notat Aristot. mox cit. Potissimùm autem cohibentur actus, in nostra potestate existentes, ratione quorum decus, vel dedecus meremur. Igitur actus à passionibus non differunt. Respondeo concessa maiore. Distinguo minorem, vt quo, concedo, vt quod nego. Actus enim sunt, quibus passiones compescimus; passiones verò sunt, quas cohibemus per actus, tanquam ipsorum obiecta, & materiam, circà quam versantur iidem actus.

ARTICVLVS IV.

In quo subiectentur passiones.

24. Svnt, qui arbitrantur appetitum sensitiuum, esse solum omnium passionum subiectum, vt videre est apud Och. *Quol 2. quæst.*18. & Piccolom. *gradu 1. cap.9.* & Gers. *tract. in Cant. 3. p. principio primo symplasmatis.* Vtrumque autem appetitum, intellectiuum, & sensitiuum esse subiectum capax contrarum passionum, & quidem illum spiritualium, istum verò materialium, asseuerant Scot. nuper cit. Ocha *vbi suprà*, & vtriusque alumni, quibus suffragantur, Aug. 14. *Ciuit. cap 6.* Ric. & Aur. prænominati.

25. Not. primò, subiectum passionum aliud esse denominationis, quod est animal, putà homo, vel brutum; aliud verò esse inhæsionis, quod subdiuiditur, in remotum, & proximum. Subiectum remotum passionum spiritualium, est anima, proximum verò, est concupiscibilis, & irascibilis voluntatis. Iterum subiectum remotum passionum corporearum est aliqua pars corporis animalis, putà cor, secundum Aristotelem, vel iecur, secundum alios. Proximum verò earumdem subiectum, & concupiscibilis, & irascibilis cordis aut hepatis.

26. Not. secundò, & memorandum ea dictis *lib.4. de anima, quæst.*11. *art.*1. appetitum sensitiuum distribui, in concupiscibilem, & irascibilem, causam huius solidè, & acutè tradit Doct. 3. *distinct.*34. quædam sunt primariò appetibilia, ad quæ fertur appetitus concupiscibilis, quædam verò sunt appetibilia secundariò, & hæc spectant ad irascibilem, an verò concupiscibilis, & irascibilis sint duæ facultates distinctæ, penes dicta obiecta appetibilia, aut vna virtus diuersimodè respiciens eamet obiecta, vide locum mox allegatum, & Mayr. 3. *dist.*33. *quæst.*2. *art.*4.

27. Assertio prima, subiectum passionum materialium est appetitus sensitiuus. Tenet Doct. cit. Probatur primò, *ex* 1. *Eth. vlt.* & 1. *Magnorum moralium, cap.9.* vbi Arist. scribit, virtutes morales esse in parte irrationali, siue in appetitu sensitiuo. In quo autem subiectantur virtutes morales, in eo quoque passiones, & actus inhærent: atqui virtutes morales quoquo modo insident in appetitu sensitiuo, annuente Scot. 3. *distinct.*33. *quæst. vn.* §. *Ad argumenta.* Plura alia testimonia leguntur in scriptis Arist. nuncupatim 3. *Eth.*5. & 7. *eiusdem operis* 14.

Secundò, passiones intellectuales extant in intellectu, vt intellectiones, 3. *de anima.* 2. *& inde:* ergo & passiones materiales sunt in parte irrationali, ait Aristot. cit. quam esse appetitum sensitiuum, testantur eius interpretes.

Tertiò, perfectio existit in eo, cuius est perfectio, veluti forma in materia, & scientia in intellectu: quædam autem passiones sunt perfectiones appetitus sensitiui, vt delectatio, ergo in ipso resident prænominatæ passiones.

28. Assertio secunda, appetitus rationalis, seu voluntas est sedes passionum spiritualium. Huius Patronus præcipuus est Scot. *vbi suprà*, cui præiuit Aug. 1. *de moribus Ecclesiæ, cap.*15. & 14. *Ciuit. cap.*5. Probatur primò, *ex* 1. *Eth.*3. & 6. *eiusdem* 2. & 8. *cap.*1. & 1. *Magnorum Mor.*9. vbi Stagirita fatetur esse appetitum rationalem, putà voluntatem, in qua locantur passiones spirituales, vt mirum sit, Gers. cit. & quosdam alios, existimare Philosophum attribuisse passiones appetitui sensitiuo duntaxat, cum locis citatis, & alibi non rarò, astruat voluntatem esse potentiam spontaneam, & liberam, concupiscibilis, & irascibilis non expertem, in quibus immediatè insident passiones spirituales.

Secundò, voluntas est capax amoris, odij, delectationis, & tristitiæ, fertur enim ad bonum, & malum, illud prosequendo, hoc verò fugiendo, vt quotidie experimur: igitur voluntas est idoneum subiectum earum.

Tertiò, anima à corpore abiuncta, beata gaudet æterno præmio, & misera, inferni supplicio tristatur: gaudium autem, & tristitia sunt passiones animæ, non appetitus sensitiui, cum sit expers corporis, ergo appetitus intellectiui, qualis est voluntas. Cætera, cum de subiectu virtutum in subsequenti libro.

29. Oppones primò, Nyssenus *de hominis opificio, cap.*18. remouet passiones ab homine, quatenus homo est, existimatque ei conuenire tantum, quæ

sunt communes brutis, quæ autem ab homine, & brutis participantur, extant solius appetitus sensitiui: igitur adæquatum passionum subiectum, est appetitus sensitiuus.

Respondeo Nyssenum non absolutè loqui de homine, sed de homine in reprobum sensum dato, voluptati prorsus indulgente, vt ibi patet apertè ex eius verbis. Nonnunquam ipsa ratio sic obbrutescit, vt ab affectione erga brutam partem victa, quod est in homine præstantissimum, vi deterioris obruat.

30. Oppones secundò, passio genericè capta est commotio, & perturbatio animalis, vt nomen eius indicat; perturbatio autem soli appetitui sensitiuo competit, vt liquet de ira, quæ definitur ascensio sanguinis circà cor, de verecundia, ob quam cernitur rubor in vultu, & de metu, propter quem causatur pallor in ipsomet vultu. Concedo maiorem, nego minorem. Nam præter commotionem corpoream, & sensitiuam, extat commotio spiritualis, & rationalis. Instantiæ verò, quæ adducuntur valent tantum de passionibus materialibus, vt percurrenti eas liquidò constat.

Articulus V.

An passiones cadant in virum sapientem.

31. Stoïci sapientem nulli passioni succumbere, fixis pedibus sustinent, vt testatur vulgus Historicorum, & Philosophorum: quibus sese opponunt vna voce, & ore Platonici, & Peripatetici docentes, virum sapientem, à passionibus non esse prorsus immunem, & alienum.

32. Not. primò, passiones bifariàm posse inspectari, vno modo præcisè, vt sunt motus appetitus sensitiui, quo pacto nullam bonitatem, aut malitiam sortiuntur, nisi transcendentalem, & entitatiuam, vt liquet de passionibus brutorum, quæ homini quoque competunt, annuente Gregorio Nysseno *vbi supra.* Altero modo, quatenus subsunt voluntatis imperio, & recto dictamini rationis, sicque participant bonitatem, aut malitiam moralem, non quidem intrinsecam, sed extrinsecam, à voluntate scilicet, & ratione dependentem, vt planè edisserit Augustinus 14. Ciuitatis, capite 8. *Cupiunt, timent, lætantur boni, & mali, sed illi bene, isti male, sicut hominibus recta, vel peruersa voluntas est.* Idem tradit Doct. 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. §. *Quantum ad istum art.* & *Quol.* 18. §. *De primo.*

33. Not. secundò, quosdam existimare, hanc controuersiam, inter Stoïcos, cæterosque Philosophos prænominatos extare potiùs de nomine, quàm de re, vt innuunt Epictetus, *apud Arrianum, libro secundo, cap.* 26. & Senecam, *in consol. ad Heruiam, cap.* 16. & *Epist.* 9. & *ad Polyb. cap.* 37. Et tangit August. 9. *Ciuit. cap.* 4. Et indicat Cic. *libro de finibus.* Componunt autem, & dirimunt, per hanc distinctionem, si fiat sermo de passionibus vehementibus, & efferuescentibus; ita vt deiiciant hominem à recta ratione, & ad vitia propellant, ab hisce passionibus esse immunem sapientem astruunt Stoïci. Quod si loquantur de reliquis passionibus ab appetitu sensitiuo prodeuntibus, quæ regulantur à recto iudicio, & cohibentur à proba voluntate, ab his sapientem non esse alienum sentiunt præfati Philosophi. Quidquid sit de hac pace, & concordia, ad quam fortè dicti Authores nollent venire, siquidem Philosophi reales, non de solo nomine, solent contendere, ampliusque intendere per eorum argumenta, & fundamenta, conantes inuehere, memoratam indolentiam, quàm Græci *ἀναλγησίαν* vocant.

34. Assertio, vir sapiens passionibus vndequaque non vacat. Deducitur ex Doct. 3. *distinctione* 15. *quæstione vn.* § *Quantum ad* 2. *sub H.* Christus Dominus omnium sanctissimus, & sapientissimus passionibus commotus fuit, Ioan. 2. *Fecit quasi flagellum ex funiculis, & eiecit ementes, & vendentes de templo.* Et 11. *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.* Et *postmodum, lachrymatus est Iesus.* Et Matt. 26. *Tristis est anima mea, vsque ad mortem.* Adde Isa. 5. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.*

Secundò, Hierony. Dial. 2. *aduersus Pelag.* & Aug 14. *Ciuit. cap.* 8. *&* 9. & *Tract.* 60. *in Ioan.* pereant argumenta Philosophorum, qui negant, in sapientem cadere perturbationes animorum.

Tertiò, in quo extat principium, & causa passionum, in eo subiectantur passiones, vt patet de intellectu, qui est principium, & subiectum intellectionis: in viro autem sapiente reperitur principium, causaque passionum, nempè voluntas, & appetitus sensitiuus, & vterinsque irascibilis, & concupiscibilis, quibus frequenter, & ferè semper offeruntur, & obiiciuntur obiecta conuenientia, & disconuenientia causatiua passionum. Hinc Stobæus serm. 1. *Sic autem & hominem imbutum esse necesse est gaudio, & dolore, & reliquis omnibus affectibus.* A passionibus ergo liber non est homo sapiens.

Quartò, in quo virtutes morales elucent, in eo visuntur passiones: in sapiente autem splendent virtutes morales, cum eorum sit lucidum speculum, ergo & in eodem insunt passiones. Maior patet, virtutes namque tendunt ad passiones coërcendas, & comprimendas. Vnde speciatim de ira subdit S. Bas. homil. 10. *Si fortè ira in cogitationem veniat, aut cadat, eam ita retineamus, vt equum iugalem nobis ratione, vt freno quodam obtemperantem, ac ordinem proprium nequaquam excedentem, & viam ingredientem, quæ à mentis recto consilio dirigitur.* Et Chrysost. hom. 30. ad populum. *Canis est impudens ira, sed legem audire discat.* Eò magis, quia hi affectus à Deo ducunt originem, authore Lactat. *lib.* 6. capite 15. *Ingenerauit homini, has commotiones, vt posset capere virtutem, sicut terra culturam, posuitque materiam vitiorum, in affectibus virtutis.* Et Damasc. orat. de duabus Christi voluntatibus: *Data sunt homini, concessa Dei, ad munera exequenda, cupiditas, vt Deo, eiusque præceptis pareamus, ira autem, vt Diabolo; & peccato resistamus, confirmemusque cupiditatem.* Adde passionem Christi, & Martyrum laudabiles, & meritorias, ideò Diuus Petrus in sua prima Ep. capite 4. *Christo enim passo, eadem cogitatione armamini.* Denique his affectibus exutus homo, foret veluti truncus, & statua Phidiaca, vt quidam contrà Stoïcos egregiè prosequitur. Et Hieronymus epistol. ad Ctesiphontem. *Homo imperturbabilis, aut saxum, aut Deus est.* Et Augustinus 14. Ciuitatis, capite 8. *Etsi nonnulli tanto immaniore, quanto rariore vanitate hoc in seipsis animaduerterint, vt nullo prorsus erigantur, & excitentur, nullo flectantur, atque inclinentur affectu, humanitatem totam potius amittunt, quam veram assequantur tranquillitatem.*

35. Oppones primò, sapiens sanus est, passione verò imbutus æger est, vt tangit Chrysostomus *in Psalm.* 4. Igitur sapiens à passionibus est abstractus, & auocatus. Distinguo primam partem antecedentis, sapiens est sanus, & liber à passionibus turbulentis, rectæque rationi contrariis, concedo: à passionibus cohibitis, & secundum rectam rationem, & voluntatem compressis, & regulatis, nego.

36. Oppones secundò, quod ad peccatum inducit, malum est, à quo sapiens declinat: passiones autem ad peccatum incitant, & impellunt, *vt patet Rom.7.* vbi peccatorum passiones prædicantur: igitur sapiens à passionibus est alienus. Concedo maiorem, distinguo minorem, vt mox dicebam de passionibus vehementibus impetum animi non moderantibus, concedo: de passionibus à recta ratione, voluntateque directis nego.

37. Oppones tertiò, quæ non sunt in nostra potestate, nec laudem, nec vituperium nobis inferunt. In naturalibus quippe, nec meremur, nec demeremur. Ob id scribit Doct.4. *Rep. dist.* 49. *quæst.* 2. §. *Dico.* Solis passionibus non meremur. Passiones autem non sunt in manu nostra, vt innuit August.14. *Ciuit. cap.*9. passiones ergo in sapiente non vigent. Concedo maiorem. Distinguo minorem, de passionibus præcedentibus, & impedientibus vsum rationis, quæ dicuntur surreptitiæ concedo: de passionibus à recta ratione, & voluntate regulatis nego. Ita exponendus est August. inquiens ibi cap.16. *Aliqua vehemens delectatio sensibilis impedit vsum rationis, quâ maior in corporis voluptatibus nulla est, ita vt in ipso momento temporis, quo ad eius peruenitur extremum, penè omnis eius acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur.* Et Arist.7. Eth 9. *Prafata delectatio furatur intellectum sapissimè sapientis.* Ob id subiecit Scot loco nuper alleg. *Si in Martyribus expositis maximis tormentis, intellectus ipsorum habuit vsum rationis, id ex speciali gratia creatoris eisdem accidit.*

ARTICVLVS VI.

Quænam sint causæ pronitatis passionum.

38. NObis est exploratum, & experientia comprobatum iuuenes, & senes proniores, & procliuiores esse ad passiones, & mores discrepantes, scribente Arist.2. *Rhet.cap.*12 *& inde.* Atque eiusdem ætatis quosdam esse promptiores ad iram, quosdam verò tardiores, necnon aliquos lætitiæ, nonnullos verò tristitiæ auidiores; nec deesse, qui in perpetuo timore versentur, & qui nullo metu, pauoreque concipiantur, vt rectè prosequitur Arist. 1. *de anima T.* 4. & 2. *de partibus cap.*4. Et tangit sapiens prouerb 17. secundum græcam translationem, *Sicut non sunt similes facies, facichus; ita nec corda hominum.* Patet ergo euidenter, in hominibus passionum pronitas, & diuersitas. In perscrutandis autem earum causis videtur esse obscuritas, & difficultas non exigua, in quibus multus est Gerso *Tract. de passionibus*, & alij à Recentioribus alleg. Ego potiores seligam, & breuiter præstringam, si prius monuero passiones propriè non esse animæ, nec corporis, sed totius coniuncti, vt post Arist. 1. *de anima tit.*64. tradit Scot. 4. dist. 49. quæst. 7. ante §. Respondeo. *Dicere autem irasci animam, simile est, ac siquis dicat, eam texere, vel adificare. Melius enim fortassis est non dicere animam misereri, aut addiscere aut cogitare, sed hominem, anima.* Homo itaque secundum Philosophum, & Doctorem subtilem est causa passionum, quæ in ipso recipiuntur, sed non est omnis causa, ideo perlustrandæ sunt quoque aliæ causæ, quod vt aptè præstetur; & commodè percipiatur, scindo causam in intrinsecam, & extrinsecam, in naturalem, & moralem.

39. Extrinseca multiplex est, putà cælum, eius astra, & influxus, aër, regio, & id genus alia. Intrinseca pluri ficari potest, iuxta pluralitatem temperamenti, qui enim est colerici temperamenti, citò mouetur, irascitur, & feruescit, qui pollet complexione sanguinea, est pronus ad lætitiam, & benignitatem, qui constat temperie flegmatica, est timidus & pusillanimis & qui compos est temperamenti melancolici, propendet ad tristitiam, & malitiam. Adduntur quantitas, figura, & situs cordis. Qui enim magnum sortiuntur cor, sunt timidi, vt lepores, ratio est, quia vis extensa est debilior, quam intensa, & qui paruum habent cor, sunt animosi, & audaces, quia spiritus vitales in paruo corde sunt vniti, & intensi, ideò fortius reddunt cor. Non sunt prætermittenda lac, esculenta, & poculenta, necnon allectatio operandi, qui enim sæpè irascitur, fit procliuis ad iram, & qui crebrò tristatur, euadit pronus ad tristitiam. Hæ sunt ferè causæ præcipuæ naturales passionum. Morales verò sunt cohortatio, colloquutio, educatio, exemplum, & id genus alia, quæ passim leguntur apud Philosophos, & Historicos.

ARTICVLVS VII.

Quisnam sit ordo inter passiones.

40. DVplex ordo vestigari potest inter passiones, scilicet ordo naturæ, & ordo dignitatis. Itemque lis esse potest, de vtroque prædicto ordine, inter passiones concupiscibilis, & irascibilis, ac etiam inter singulas passiones, ambarum virium memoratarum.

41. Assertio prima, ordine naturæ, seu generationis passiones concupiscibilis præeunt, passionibus irascibilis. Indicat Scot 3. dist.26. quæst 1 §. *Alio modo* & *dist.*14.*quæst.*1.§. *Ad istam quæst.* & expressè tenet Ric. *dist.*26 *quæst.*3. Probatur primò, illæ passiones natura præcedunt cæteras, quarum obiecta sunt priora natura, quandoquidem prioritas naturalis passionum, sicut & potentiarum prioritas, & distinctio, ex earum obiectis decerpitur, vt liquet. 2. *anima T.* 13. Obiecta autem passionum concupiscibilis antecedunt obiecta irascibilis. Illa enim sunt bona simpliciter, & primariò conuenientia, vel disconuenientia: hæc verò sunt bona secundariò, & contracta, vt liquet ex inferioribus, & magis infrà patebit, cum de subiecto virtutum moralium fiet sermo. Naturalis ergo prioritas debetur passionibus concupiscibilis.

Secundò, quod prius alio nascitur, seu generatur, est prius natura, vt claret ex descriptione prioritatis naturalis habita in postprædicamentis, prius autem emanat ab homine concupiscibilis, quam irascibilis, quia hæc est propter illam, & passiones huius sunt, propter passiones illius, notante Bass. 3. *dist.* 26. *quæst. vn.* siquidem si impediantur passiones concupiscibilis, irascibilis nititur ad earum adeptionem, vt si à cane auferatur cibus præsens ipsi, irascitur, & adoriens capientem, dictum cibum ablatum sibi delinqui præstat, eoque gaudet. Ideò nonnullus subdit, irascibilem esse propugnatricem, & corroboratricem concupiscibilis. Anterior ergo natura est concupiscibilis.

Tertiò, prima passio concupiscibilis præcedit natura primam passionem irascibilis, veluti operatio intellectus antecedit primam operationem voluntatis, quia sicut res se habet ad esse, ita & ad operari, esse autem intellectus prius est, esse voluntatis, proindeque operari eiusdem. Ant. patet, simplex enim amor, quæ est passio concupiscibilis, causatur antequam desideretur assequi, quod amatur, vt planius fiet *in proxima quæst. conseq.* tenet per similem arguendi modum traditum 3. *Top.*4. si optimus homo est melior optimo equo, simpliciter homo est melior. Si ergo conceditur primam passionem concupiscibilis natura præire primæ passioni irascibilis, quæ est spes, consequenter passiones huius esse natura inferiores, passionibus eius, admittendum est.

42. Assertio

42. Assertio secunda, digniores sunt passiones concupiscibilis, passionibus irascibilis. Deducitur ex Doct. cit. Probatur primò, Nobilitas passionis, actus, & potentiæ, ex nobilitate obiecti decerpitur, ex 2. animæ recentito. Obiectum autem passionum concupiscibilis nobilitate superat obiectum passionum irascibilis; Nam illud est bonum primarium, istud verò est secundarium: ergo illæ, istis sunt præstantiores.

Secundò, quod est gratia alterius nobilitate vincitur ab eo, quod est gratia sui, vt patet 1. *Met.* 2. passiones autem irascibilis ordinantur ad passiones concupiscibilis, vt dicebam *in* 1. *asser.* Hæ igitur illis præstant. Denuò, prima passio concupiscibilis, quæ est amor, præcucet primæ passioni irascibilis, quæ est spes, vt ostendam *in sequenti assert.* Ergo idipsum affirmandum est de cæteris.

43. Assertio tertia, inter passiones concupiscibilis primum locum occupat amor. Deducitur ex Doct. tum *loco cit.* tum etiam 4. *dist.* 49. *quæst.* 4. affirmante, voluntatem, eiusque actum præferri cæteris potentiis, & actibus. Atque in sacra pagina maximè amor commendatur. Ideò mirum non est, si canter Poeta.

Omnia vincit amor.

Accedit August. 14. Ciuit. cap. 5. 7. 8. & 9. *Amor est causa omnium aliarum affectionum voluntatis.* Deinde, cuius contrarium est peius, ipsum est præstantius, vt patet; oppositum autem amori est odium, quod est peius tristitia, præsertim odium Dei, quod nullo modo est admittendum: ergo amor reliquis passionibus concupiscibilis est præponendus. Rursus amor amicitiæ maximè hominem perficit, cum sit Deo valdè acceptus, & gratia ipsius, cætera fiant. Primas ergo tenet amor inter passiones concupiscibilis.

44. Assertio quarta, spes natura & dignitate anteponitur reliquis passionibus irascibilis. Insinuat Doct. *vbi supra*, & ex instituto tractat eam, & patrocinatur R. e. cit *art.* 2. *quæst.* 1. Suadetur primò ea passio eminet natura, & dignitate, cæteris passionibus irascibilis, quæ amori est proximior, cum amor sit omnium radix, & præstantissima passionum, ex dictis in præeunte assert. spes autem est huiusmodi. Causatur quippè ex amore per desiderium, siue concupiscentiam boni optati consequendi, & possidendi: spes ergo inter passiones irascibilis tenet arcem.

Secundò, prior est accessus ad bonum, quam recessus ab eo, simpliciter quippè desiderium est ad bonum adipiscendum, quam ab eo recedatur, cum absolutè potentiæ tendant ad suum obiectum, à quo specificantur, cum ergo spes respiciat bonum acquirendum, & fruendum, sanè infertur, spem inter passiones irascibilis primam sedem habere.

45. Oppones primò, quod consequitur aliud, est eo posterius: delectatio autem & tristitia consequuntur passiones irascibilis: ergo passiones concupiscibilis, inter quas numerantur delectatio, & tristitia postponuntur passionibus irascibilis. Maior est nota. Minor fulcitur testimonio Arist. 2. Eth. 3. aientis, omnem passionem sequitur delectatio, vel tristitia, vt patet de ira 2. Rhet. 2. *Ita viris quasi mel.* Concedo maiorem, distinguo minorem: per se nego, per accidens, concedo, ira quippè non respicit delectationem, aut dolorem, sed vindictam, quia obiectum eius est vindicabile, seu punibile, perhibente Scoto §. *Ad istam quæst.* sic exponitur locus Philosophi adductus.

46. Oppones secundò, causa prior est effectu, 5. *Met.* 1. spes autem est causa amoris. Ideò scribit August. in Ench. cap. 3. *Amor non est absque spe.* Cum ergo spes sit passio irascibilis, & amor concupiscibilis, sequitur quasdam passiones irascibilis, præponi aliquibus passionibus concupiscibilis. Concedo maiorem, nego minorem: ad August. dico ipsum non loqui de amore passione, sed de amore electiuo perfecto, vt bene vidit Ricard. cit. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 2.

47. Oppones tertiò, quæ sunt priora generatione, sunt posteriora perfectione, 9. *Met.* 15. amor autem generatione præcedit delectationem, ergo perfectione ei postponitur. Conf. amor non quietat habentem, sicut præstat delectatio, in qua vltimatè quiescit, qui ea pollet: igitur delectatio præcellit amori. Respondeo maiorem valere de his, quæ sunt eiusdem generis, vnum ue essentialiter ordinatur ad aliud, vt sperma ad hominem generandum, vt exemplificat ibi Philosophus, non autem de iis, quæ sunt diuersi generis, vt liquet de accidente, quod est posterius origine substantia, eaque ignobilius, & imperfectius, vt notat Doct. *in* 4. *passu alleg.* Ad conf. distinguo ant. amor non quietat habentem, vt quid propter se eligibile, nego. vt quid consectarium, & vltimò superueniens, concedo cum Arist. 10. *Eth. cap.* 4. Idque illustrari potest de accidente proprio, & communi, quæ licet subsequantur subiectum, in quo inhærent, tamen hoc ea, nobilitate, & perfectione vincit.

ARTICVLVS VIII.

Quænam sint remedia ad compescendas passiones idonea.

48. Cum passiones immoderatæ, veloti hydræ capita perhibeantur à Synesio *oratione de regno*, vt Centauri indicentur à Basilio *lib. de vera virginitate*, tanquam belluæ æstimentur à Nysseno *lib. de hominis opificio cap.* 18. Et sicuti monstra conficiuntur ab aliis; ideò ad hæc monstra placanda, belluas vincendas, centauros domandos, & hydræ capita amputanda, conferunt quam maximè motûs cogitatio, & sepulchri meditatio; Qui enim horum obliuiscitur, passionibus facilè commouetur, in earúmque durum seruitutem redigitur, cuius miseriam iure deflet Ieremias 1. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui.* Et ante Deus *Gen.* 3. monuerat Adamo *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et Psal. 90. *Vsquequò Domine peccatores gloriabuntur? donec fodiatur peccatori fouea.* Hoc munitus Leo primus furorem Attilæ Romam petentis repressit, audaciamque eius fregit, cum mortem sibi imminere videret, nisi dicto Leoni pareret, vt legitur ab Ecclesia, in eius vita, & officio. Non omitto Xersem, qui cum ingentem suum exercitum cerneret, cogitans post centum annos, neminem eorum fore superstitem, lachrymas effudit, vanitatem, superbiamque suam coercuit, mortis meditatione, & finis omnium cogitatione. Fauet, & vrget memoria præsentiæ Dei vbique existentis, omniaque intuentis. Vt enim narratur in vita Alex. Milites, eo præsente, nec tela, nec hostes metuebant; sic cogitanti, & memoranti Dei præsentiam, turbulenti passionum motus cessant, ingentes earum procellæ desinunt, feruentesque earumdem tempestates deficiunt. Tunc enim Christus imperat ventis vehementibus affectionum, & turbato mari earumdem, & fit tranquillitas magna cordis, & animi. Testis est Iudith. 13. quæ Dei præsentia ornata, & firmata tulit caput Holofernis, victrixque accurrens ad Ciuitatem, ait. *Aperite mihi portas, quoniam nobiscum est Deus.* Vnde subdit August. Ser. 218. de tempore: *Prodiit secura, vnius puella comitatu, & securus compressibus hostium properaui in castra, intra manus sollicita fuit, secura fuit, dum ad timendas peruenit.* Quia Deus erat cum illa. *Esa.* 38. Regi Ezechiæ ægro redditur perfecta sanitas, non alia de causa, nisi quia Deum præsentem haberet in mente, inquiens, *Memento, quomodo ambulauerim coram te.* Idque indicat Saluator *Mat.* 8. qui rogatus vt sanaret

puerum

puerum Centurionis, vult ei adesse, *Ego veniam, & curabo eum.* Ille ergo qui virulenta affectionum ægritudine laborat, cogitet Deum præsentem; & assistentem, & sanus fiet à quacumque earundem detinetur infirmitate. Memorare quoque tibi adesse Angelum custodem, cui *Deus mandauit de te, vt custodiat te in omnibus viis tuis.* Ideò Bern. *in Psal.* 90. scribit: *In quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe, tu ne audeas, eo præsente, quod vidente me, non auderes.*

Addo, Angeli præsentia, lubricum motum Valeriani sedatum esse, & virginitatem Cæciliæ custoditam, testante vtriusque chronologia. Non refero, quantum valeat bonorum, malorumque consortium, & exemplum; Nam Psal. 12. *Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris.* Atque extat vetus effatum apud Pindarum: *Si iuxta claudum habitaueris, disces & tu claudicare.* Et Epicte. *Accede ad Socratem, & considera ipsum.* Addo, Christum Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis, vt sicut ego feci, ita & vos faciatis.* Et Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Nec memoro consuetudinem, quæ dicitur altera natura, si quis namque diu deditus sit concupiscentiis suis, nonnisi magna cum difficultate ab eis recedit, quandoquidem habitus est de difficili mobilis, teste Arist. *lib. prædicam. cap. de qualitate.* Vnde qui ludo assuefactus est, vult semper ludere, etiam in somnis. Quare in initio præcludenda est via passionibus, seruandumque est vulgatum monitum, *principiis obsta.* Custodiendi præterea sunt sensus externi, & interni, sunt quippè velut fenestræ, aut ianuæ, per quas transitur ad regnum animæ vincendum, & occupandum & destruendum, vt insigniter, & eleganter scribit Ambr. l. de fuga sæculi cap. 1. *Si videris mulierem ad concupiscendum eam, intrauit mors: si audias sermones meretricios, intrauit mors: si luxuria sensus tuos capiat, intrauit mors.* Et antea monuerat sacer textus Cant. 6. *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* Quapropter si libere, & plene, efferatis tuis affectibus vis imperare, & dominari, ac regnum animæ tuæ seruare integrum, & incolume, cura diligenter, & vigilanter, ne sensus tui, qui sunt custodes tui, permittant mala ingredi, & bona expelli à dicto tuo regno. Si enim perturbationibus, à sensibus semotis, & voluntate recto dictamini rationis conformata, felix viues, & tranquillus, vt postmodum diuina suffragante gratia, pace perpetua, & requie æterna in regno Dei perfruaris.

QVÆSTIO II.

De passionibus in particulari.

ARTICVLVS I.

De Amore, & Odio.

1. A bonis, aut malis amoribus, tanquam à duobus fontibus promanare bonos, aut malos mores litteris consignat August. Epist. 52. *Hi autem sunt duo amores*, qui authore eodem Aug. 14. Ciuit. *Construxerunt duas ciuitates, ciuitatem Dei, amor Dei, vsque ad contemptum sui: & ciuitatem Diaboli, amor sui, vsque ad contemptum Dei.* De quibus abundè Scot. 2. *d.* 6 *q.* 2. §. *In ista quæst.* & tangit Arist. 2. *Magn. mor. cap.* 11. Iure ergo de amore, & odio priùs disserimus, vt præcipuis affectibus, peruestigantes eorum naturas, causas, proprietates, effectus, & remedia.

2. Not. 1. hæc vocabula amor, dilectio, amicitia, & charitas interdum confundi, & pro eodem vsurpari, tametsi inter se nonnullum adsit discrimen; videntur quippè se habere sicut commune, & minus commune. Amor autem cæteris latior, & amplior est. Omnis enim charitas est amor, non tamen omnis amor est charitas, cum charitas plerumque pro gratia, qua homo gratus est Deo, vsurpetur. Dilectio verò est præcipuus, & singularis alicuius amor, sic Ioannes Euangelista præ aliis Christi Domini discipulis, appellatur dilectus. Quo in sensu quidam Orator coram Alexandro rectè dixit, de dilecto nunquam satis. Amicitia verò propriè est mutua beneuolentia aliquorum, vt indicat Arist. 8. *Eth.* 5.

3. Not. 2. ex Gabriele 3. *d.* 27 *q. vn.* post August. 14. *Ciuit. cap.* 7. amorem diuidi in naturalem, animalem, & rationalem. Amor naturalis est propensio ad aliquid, quod suaptè natura ei conuenit, ita lapis dicitur amare locum deorsum & ignis sursum. Amor animalis est passio, qua appetitus sensitiuus, præuia cognitione, fertur in bonum sibi conueniens: quo pacto equus dicitur amare auenam, & bos fœnum. Amor rationalis est passio, qua voluntas tendit in aliquod bonum, quod prosequitur, & hic est amor proprius creaturæ rationalis, & intellectualis, cuius compotes sunt homo, & Angelus.

4. Not. 3. ex Doct. 2. *d.* 6 *q.* 2. §. *In ista q. A* & 3. *d.* 15. *q. vn.* celebrem esse partitionem amoris, in amorem amicitiæ, & amorem concupiscentiæ. Amor amicitiæ est, quo quis amat aliquid, sui gratia, hoc est non propter aliud, sed propter seipsum, & hoc amore, sancti amant Deum. Amor verò concupiscentiæ est, quo quis amat aliquid, gratia alterius, id est propter aliud, vt quispiam amat pecunias, propter honores obtinendos. Deinde, amor bipartitur in verum, & venereum: ille est, quo homo amat rectum, & verum bonum, ratione cuius se abstinet ab iniustis, & illicitis voluptatibus. Iste verò est, quo homo carnalis, & venereis oblectamentis indulget: quocirca accensus, inflãmatus, & vulneratus dicitur à cupidine, & de hoc Ouidius magister, Petrarca, & alij permulti, quorum somnia, & figmenta innumera narrant meliùs, qui amant. Insuper diuidi potest, in amorem, qui est actus elicitus, & definitur 2. Rhet. 4. *Volitio boni alicui*; & amorem virtutem, de quo Tyrius *dissert.* 11. & Platina *Dialogo contra amores.* Huius definitio affertur à Dionys. 4. de diuinis nominibus. *Amor est virtus vnitiua coniungens amantem, cum re amata.* Idem videtur sentire August. 8. Trin. cap. 10. *Quid est amor, nisi quædam vita, duo aliqua copulans.* Ob id Arist. teste Diog. in vita eius, interrogatus quid sit amicus, respondisse fertur, esse vnam animam in duobus corporibus inclusam. Subiungit Sidonius lib. 9. Epist. 5. *Animæ duæ, animus vnus.* Necnon in amorem passionem, & de hoc loquimur in præsentia, cuius definitionem nunc adducimus.

5. Assertio, amor est *passio potentiæ appetitiuæ, qua in bonum sibi conueniens, ratione, aut imaginatione apprehensũ fertur.* Defendit Doct. 2. *d.* 6. *q.* 2 §. *In ista q. A.* Explic. priusquã probetur. Ponitur *passio*, vt genus. Additur *potentia appetitiua*, id est appetitus sensitiui, aut intellectiui. Hinc allucinatur Raconius *sect.* 2. *de passionib. q.* 3. inquiens, amorem esse passionem appetitus sensitiui duntaxat, cum conueniat voluntati, quæ est potentia naturæ intellectualis, alioqui nec anima rationalis, nec Angelus, immò nec Deus foret amoris capax, cum sit expers appetitus sensitiui. Reliquæ particulæ gerunt vicem differentiæ. Tendit namque amor, in bonum verum, vel apparens, sibi ab intellectu repræsentatum, si fuerit amor voluntatis, & spiritualis: aut ab imaginatione propositum, si extiterit amor appetitus sensitiui, & materialis. Sic explanata assertio facilis est probatu communi medio: ea definitio est apta, & idonea, quæ genus, & differentiam participat, cuiusmodi est prælata amoris definitio, vt patet ex dictis.

ctis. Addo, eam nihil diminuti, vel superflui continere, potirique cunctis bonæ definitionis legibus, ergo est genuina, & legitima definitio.

6. Oppones primò, vulgò dicitur, in rem amatam inijcere ignem, quo amans de re amata incenditur, & ardet, eiusque Deus Cupido perhibetur habere arcum, & pharetram, qua vulnerat amantem. Id autem, & consimilia nonnisi appetitui sensitiuo adaptantur: ergo amor est passio solius appetitus sensitiui. Occurrendum est, ea omnia non habere locum in amore spirituali, qualis est amor voluntaris, sed in amore materiali, & venereo, vt insignitet, & eleganter ostendit Zeno *libro de fide, spe, & charitate.*

Est & alius amor sanè saluti nostræ contrarius, cui rectè homini forma tribuitur, quia temporalis, & fragilis esse cognoscitur. Ideò lineamento puerili depingitur, quia eius lasciua lubricitas nec annis senilibus, temperatur. Ideò nudus, quia voluntas eius est turpitudo. Ideò pennatus, quia in quæcumque conceperit, velociter ruit. Ideò telis, facibusque constructus, quia illicitis arboribus semper iunctus est gladius. Ideò autem cæcus, quia cum exarserit, non ætatem considerat, non formam, non sexum, non gradum, non sacrosanctum illum saltem pietans affectum.

7. Oppones secundò, amor est actus voluntatis, ergo non est passio. Ant. est Arist. 2. *Rhet.* 4. inquientis, *Amor est alicui boni volitio*, at volitio est actio, non autem passio, vt patet, perperam ergo amor definitur passio potentiæ appetentis. Distinguo antecedens, si sumatur amor pro actu volendi elicito, concedo: quod si accipiatur pro complacentia voluntatis, consequente actum ipsum elicitum voluntatis, vt capitur in præsenti, nego.

8. Quæres primò, quotuplex sit causa amoris. Respondeo esse potissimùm qnintuplicem. Prima, est bonum, quod in obiecto amato relucet, ratione cuius amans illicitur, & inuitatur ad illud amore prosequendum. Ideò August. 8. *Trin. cap.* 3. & 4. subnectit, *Nihil amatur, nisi bonum.* Secunda, est pulchrum, cuius aspectu, & intuitu capitur amans, vt canit quidam.

Vt vidi, vt perij.

Quo pacto *Gen.* 2. capta fuit Eua intuens lignum vitæ, visu pulchrum, & aspectu delectabile. Tertia, cognitio obiecti amabilis, quæ non est causa influens in amorem, sed causa sine qua non, siue præsuppositiua, quandoquidem vt fiat amor, præsupponitur cognitio obiecti amabilis, quia amor non fertur in incognitum, iuxtà illud adagium. *Prius est cognoscendum, quam amandum.* Licet intellectus nihil influat in voluntatem, vt tradit Doct. 2. *distinct.* 25. *quæst.* 1. §. *Alia est.* Quarta, similitudo inter amantes, ac etiam sympathia, affirmante Aristot. 1. Magnorum mor. cap. 18. *Similia similibus gaudent, & homo homini iucundissimus est.* Quod si contingat, similem odio habere similem, secundum illud vulgatum, *figulus figulum odit*, id est per accidens, quatenùs vnus impedit alterum, ad plura lucranda. Quinta causa amoris est amare, iuxtà illud, *Si vis amari, ama.* Putamus enim eum à quo diligimur, esse bonum; ob id prompti sumus, ad eum diligendum. Suffragatur Ambr. 2. off. cap. 7. *Ad incentiuum charitatis communis plurimum proficit, si quis vicem amantibus reddat, nec minùs redamare se probet, quam ipse amatur.* Denuò, magis amamus, quæ maiori studio, & labore obtinuimus, sic matres ardentius amant prolem, quam patres, quia plus laboris in ea procreanda, & educanda insumpserunt. Pariter acrior est parsimonia in senibus, quàm in iuuenibus, proptereàquod in rebus acquirendis multo magis insudarunt senes, quas postmodum Hæres aliquando parui facientes euertit, & dissipat, ad inopiamque reducitur.

9. Quæres secundò, quot sint effectus amoris? Respondeo totidem esse, quot causas eius præcipuas. Primus, est vnio amantis, cum obiecto amato. Ideò ait Dionys. 4 de diuinis nominibus, *Anima magis est, vbi amat, quam vbi animat.* Atque amans dicitur transformari in rem amatam. Quocirca subdit August. 4. conf. cap. 4. *Si terram amas, terra es.* Et anteà monuerat Paulus 1. Cor. 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Et celebratur illud 2. Magn. mor. cap. 18. *Amicus est alter ego.* Et 9. Eth. 9. *Vna anima, & communia omnia amicorum.* Secundus, amor vbique præsentat rem amatam, deque ea semper cogitat. Ob id prædicat Chrysost. hom. 86. in Ioan. cap. 10. *Tantus est amor, vt non præsentes tantum, sed absentes, quos diligimus, quotidie cernere videamur: magna namque vis dilectionis, omnia negligit, vt dilecte animam colligat.* Tertius, est extasis. Rapitur enim amans, in obiectum amatum. Vnde Diony. mox cit. scribit, Deum passum esse extasim propter amorem hominis factus est homo. Vt patet Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Impassibilis quippè factus est passibilis, immortalis, mortalis, & Deus, creatura, vt Doctè, & disertè prosequitur Sanctus Bonauent. *in Comm. Luc.* 4. Quartus, est zelus, qui est ingens ardor amoris, quo quis à re amata expellit quodcumque, quod possit ipsum impedire à possessione, & fruitione eius. Sic Christus zelauit honorem Patris, & Ecclesiæ. Psalm. 68. *Zelus domus tuæ, comedit me.* Quintus, infirmitas, qua amans debilitatur, in obiecto amato, nihil præter ipsum in mente habens, & volens, ità vt esu, & potu, cæterisque ad vitam necessariis priuetur, noxia non fugiat, nec pericula vitet, nec mala declinet, propterea eleganter, & eruditè Zeno nuper alleg. scribit. *Hic facibus suis Euæ pectus incendit. Hic Adam suis telis occidit. Hic Susannam conatus est duorum seniorum, aut prodigiosis ignibus subiicere; aut parricidali gladio iugulare. Ioseph mulieri flagitat esse violentum, quem etiam dum denudat, esse non inuenit impudicum. Hic Synagogam expugnauit, cum sua illi arma concedit. Hic vbique turbulentus, vbique fertur insanus. Promittit, dat, tollit, nunc tristis, nunc hilaris, nunc humilis, nunc clarus, nunc ebrius, nunc ieiunus, nunc accusator, nunc reus. Iocatur, ludit, pallet, tabet, suspirat celat, obsequitur, aut tentat, aut decipit, peiusque blanditur, quàm furit.*

10. Quæres tertiò, quot sint amoris remedia? Respondeo, posse sub quinario numero comprehendi.

Primum, custodiendi, & comprimendi sunt oculi, qui (teste amoris Magistro) *Sunt in amore duces*, ne obiecta vana, & amabilia videant frequenter, quæ valent inducere amantem, ad eorum amorem. Ideo Dauid Psal. 118. psallit, *Auerte oculos meos, ne videam vanitatem* Et Cant. 6. *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* Idque confirmat Ambr. libro de fuga sæculi, cap. 1. *Intrauit mors per fenestram. Fenestra tua est oculus tuus. Si videris mulierem ad concupiscendum, intrauit mors.*

Secundum, absentia diuturna, & longinqua ab obiecto amato. Est enim amor veluti ignis, vt patet. Iob. 31. *Ignis est, vsque ad perditionem deuorans.* Si quis igni approximetur, calefit, aut vritur, si verò distet ab eo, nec calefactionem, nec combustionem patitur: ita, qui propè est rei amatæ vritur, vt quidam insanus aiebat, *Ego ex cera coalesco, & ad ignem redeo.* Qui autem longè est ab igne, à combustione est immunis. Huiusmodi quippè amor vincitur, non persistendo, sed fugiendo.

Tertium, sobrietas, & parcitas cibi, & potus, præsertim vini, in quo nimio est luxuria. Quare extat illud sæpè decantatum, *Sine Baccho, & Cerere, friget Venus.*

Quartum, perennis occupatio, & assiduus labor in rebus seriosis, & honestis. Vnde celebratur effatum.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

Quintum, vitanda est inanis loquutio, & nimia familiaritas. *Corrumpunt* enim *mores bonos colloquia praua.* 1. *Cor.* 15. Denique nouus est inueniendus amor, nempè

nempè diuinus, & cœlestis, quo homo inflammatus abhorret amorem terrestrem, æterna beatitudine potiturus.

Restaret agendum de odio, amori opposito, verùm quoniam ex dictis de amore, patet quid de odio dicendum sit, cum oppositorum eadem sit ratio, & scientia, propterea supersedeo.

ARTICVLVS II.

De Desiderio, & Fuga.

11. Desiderium, libido, & cupiditas, quandoque apud Authores nominatim August. 14. *Ciuit. cap.* 15. Aristot. 1. *Rhet. cap.* 11. & Plut. 8. *de Reportat.* confunduntur, tametsi inter ea, ab aliis notetur nonnullum discrimen, quod cum sit parui momenti, libenter omitto. Animaduerto autem desiderium tripliciter accipi. Primò, pro inclinatione naturali cuiusque rei, sic lapis dicitur desiderare centrum, & materia formam. Secundò, pro actu volendi, & fruendi, quo pacto 1. *Petr.* 1. de Angelis legitur. *In quem desiderant Angeli conspicere.* Tertiò, pro motu potentiæ appetentis circa bonum absens, & de desiderio sic accepto sermo est in præsentia, quod ab Authoribus prealleg. potissimum secatur in desiderium commune, siue naturale, quod congruit appetui sensitiuo, vt desiderium comedendi, & bibendi: & rationale, quod voluntati competit, vt desiderium videndi Deum, eóque fruendi. Rursùs in desiderium bonum, de quo Psalmo 118. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, in omni tempore.* Et desiderium malum, de quo Prouerb. 21. *Anima impij desiderabit malum.* Describitur autem, *passio potentiæ appetitiuæ penes bonum absens.* Ponitur *passio* tanquam genus. Additur, *potentiæ appetitiuæ*, id est voluntatis, aut appetitus sensitiui. Vtraque enim potentia est capax desiderij. Subiicitur, *penes bonum absens*, vt differat à delectatione, & gaudio, quod est de bono præsente adepto, & possesso. Iuxtà autem duplex desiderium appetitus sensitiui, & intellectiui, duplex extat capacitas, & quidem capacitas illius est finita, quia sequitur sensum, cuius est appetitus, quoniam verò sensus est finitus, obiecto singulari alligatus, quoque desiderium est limitatum, licet quodammodo dici valeat infinitum, quia attingit singularia, quæ, quia sunt innumera, ideò infinita perhibentur, quæ fortè de causa Eccles. 1. affirmat. *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu.* Huius autem capacitas est infinita, *ex primo Pol. 6.* quam Philo *libro decal.* comparat siti Tantalieæ: ratio est, quia subsequitur rationem, quæ finiris, non est contenta. Hinc est, vt res creatæ, cum finitæ sint, non valeant explere eius desiderium. Ob id habita vna non quiescit, sed aliam cupit, qua etiam habita, deinceps aliam appetit, & sic in infinitum. Itaque solum bonum infinitum potest ei esse satis, sequitur, vt astruit Maximus Tyrius *dissert.* 19. Et annuntiat Psaltes Psalmo 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Porrò à desiderio bono, aut malo, tanquam à duplici fonte proficiscuntur cuncta bona, vel mala, vt patet ex sacro Codice. Et quidem desiderij boni mentio fit Psalmo 102. *Replebit in bonis desiderium tuum.* Et Psalmo 10. *Desiderium animæ eius tribuisti ei*: Desiderij verò mali, Psalmo 111. *Desiderium peccatorum peribit.* Et Iacobi 4. *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris.* Atque vtrumque insinuat Christus Dominus Matt. 7. *Arbor bona, bonos fructus facit, & arbor mala, malos fructus facit.*

Cauendum ergo est, nec desiderium limites diuinorum præceptorum transgrediatur, & si transiliat, comprimendum, & coërcendum est, cum sit in manu nostra, vt tangitur Genesis quarto. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Vana, & noxia ne prosequaris. 2. *Tim.* 2. *Iuuenilia desideria fuge, præsertim delicias, & illecebras carnis.* Gal. 5. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficientur.* Denique omne desiderium nostrum compleatur in Deo, qui est totus desiderabilis, finisque omnium bonorum: atque vnusquisque nostrûm dicat, cum Dauide Psal. 41. *Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

12. Oppones primò, desiderium fertur nedum, ad obiectum absens, verumetiam ad obiectum præsens: ergo, desiderium non aptè describitur passio respiciens bonum futurum. Antecedens suadetur 1. Petr. 1. *In quem desiderant Angeli conspicere.* Quem locum expendentes Scotus, primo *Met. quæstione secunda*, §. *Ad secundum*, & Antonius Andreas 12. *Met.* quibus præiuit Sanctus Bonauent. 3. *distinctione* 26. *in expositione lit.* inquiunt. *Desiderium respicere, quoque bonum præsens, ne generetur fastidium*, vt exponit ibi Glossa, & clarè ostendit Gregor. 18. *Mor. cap.* 39. Nego antecedens, ad eius probationem dico, testimonium illud capiendum esse de desiderio latè sumpto, non autem de desiderio strictè capto, de quo loquimur in præsenti. Hoc enim solum spectat bonum absens, authore Augustino in Psalm. 118. concione 8. *Desiderium est rerum absentium concupiscentia.*

Oppones secundò, desideriorum extat meta: ergo desideria non succrescunt in infinitum, sed vno aduilo, deficit aliud. Antecedens fulcitur Psalm. 111. *Desiderium peccatorum peribit.* Nego antecedens: ad probationem expono eum locum de desiderio inferendi malum beatis, quo impij exequi cupiunt, cum enim Sancti gloria potiantur, non tanget eos tormentum malitiæ, *& ab auditione mala non timebunt.* Ideò subiicitur *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit.*

13. De fuga autem desiderio opposita idem est ferè dicendum. Est enim passio potentiæ appetitiuæ penes malum absens, à quo declinat. Declaratur eo ferè modo, quo præcedens desiderij definitio, hoc tantum intercepto discrimine, quod fuga est circà malum à ratione, aut imaginatione apprehensum. Nec oportet, cætera, quæ de fuga dici queunt, subnectere, tum quia facilia, tum etiam, quia ex eius opposito desiderio commodè percipi valent.

ARTICVLVS III.

De Gaudio, & Tristitia.

14. Gaudium, delectationem, voluptatem, & fruitionem indiscriminatim accipi præ aliis notat Rainaudus *distinctione tertia*, *Mor. quæst. one secunda*, *articulo quarto* Ob id recognoscenda sunt, quæ dixi de gaudio *libro secundo*, *quæstione quarta*, *articulo secundo*, *dub.* 9. & *lib.* 4. *quæst.* 1. *art.* 3. *& quæst.* 2. *art.* 1. Siquidem gaudium præcisè sumptum est passio animi consequens actum intensum amoris, teste Vor. a. *distinctione* 11. *articulo primo.* Atque describitur, *Passio potentiæ appetentis, circà bonum adeptum, & possessum.* Per priores voculas gaudium conuenit cum reliquis passionibus. Per posteriores verò ab eisdem diffidet. Diuiditur autem gaudium, & delectatio, in naturalem, quæ consequitur actum appetitus naturalis, & sensitiui, qui est communis hominibus, & belluis: & rationalem, quæ concomitatur actum appetitus rationalis, qui est voluntas, & hæc

competit homini, & cunctis intellectualibus Deinde dispertitur in gaudium, & delectationem bonam, quæ est de rebus licitis, & honestis, siue diuinis, Psalmo 36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, & Prouerb. 15. *In amore eius delectare iugiter.* Hinc subnectit Augustinus 22. Ciuit. *Ipse erit finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hic munus, hic affectus, hic actus erit omnibus, sicut vita æterna communis.* Ad huius quoque gaudium inuitat Christus suos Discipulos, Matthæi 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis.* Et Ioan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Siue creatis, vt Iudith. 16. *Gaudium victoria per tres menses.* Et 2. Cor. 2. *Meum gaudium, vestrum est.* Clarius Psal. 91. *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Quare benè vtens rebus creatis, oblectamento afficitur, præsertim virtutibus, quæ hominem mirificè ornant, & perficiunt, vt doctè prosequitur Nemesius *lib. de homine cap.* 18.

15. Causatur autem gaudium, siue delectatio ab obiecto, quod est bonum conueniens, & iucundum potentiæ appetitiuæ præuia apprehensione, aut notitia rationis, vt tradit Doct. 1. *distinctione prima, quæstione tertia*, & 3. *distinctione* 15. *quæstione vn. §. Aliter* Reluctante Och. 1. *distinctione prima, quæstione tertia.* Suadetur autem primò, *ex* 10. *Eth. cap.* 4. *Et* 1. *Rhet.* delectabile est causa delectationis, & ex opposito triste est causa tristitiæ.

Secundò, potentia appetente non operante, si ei præsententur obiectum pulchrum, & iucundum, in ea efficitur delectatio, vt liquet de Eua, quæ *Gen.* 3. capta, & delectata fuit in conspiciendo lignum vitæ, quod erat pulchrum visu, & aspectu delectabile. Atque de delectationibus surreptitiis, ad quas voluntas haud effectiuè concurrit: necnon de vehementi delectatione sensibili, quæ impedit vsum rationis, teste Augustino 14. *Ciuit. cap.* 16. & Stagirita 7. *Eth.* 9.

Tertiò, tristitia non fit à voluntate, quia ipsi eam nolenti accidit, authore Augustino nunc alleg. *cap.* 15. Ergo idipsum astruendum est de delectatione. Deinceps, delectatio aut efficitur à voluntate appetente, aut ab obiecto delectabili: si primum, ergo potentia appetens gaudere potest semper, quando ipsi libuerit, quod veritati, & experientiæ pugnat: si secundum, habetur intentum. Constanter ergo defendendum est, gaudium, & delectationem effici ab obiecto. Insuper, maior delectatio, ingentiusque gaudium gignitur ab obiecto iucundiori, & delectabiliori, obtentuque difficiliori, annuentibus August. *libro contra mendacium, cap.* 10. & Sen. *lib.* 5. *de benef. capite* 12. Quod sanè monstrat delectationem fieri ab obiecto, alioqui non appareret, cur potius ab hoc, quàm ab illo obiecto, maior, aut minor causaretur delectatio, cum potentia appetens æque sit disposita, & prompta ad capiendum oblectamentum, à quocumque obiecto delectabili, ipsi oblato, & præsentato.

16. Effectus verò gaudij, & delectationis complures sunt, hique insignes, & ingentes. Etenim gaudium risum excitat, cor dilatat, sanitatem conseruat, sollicitudinem pellit, mœstitiam fugat, anxietatem tollit, & reliqua ferè præclara opera exercet. Ideò Philo libro de agricult. scribit. *Vulgus hominum, obeundo varios tractus, vsque ad extrema terræ, mare quoque traiciendo, & sinus eius penetrando, nullamque huius vniuersitatis partem imperscrutatam relinquendo, semper, & vbique ista colligit, quæ ad cumulandam voluptatem faciunt.* Idque mirum non est, cum naturæ ductu tam brutum, quàm homo ad oblectamentum tendat, docente Aristot. 7. *Eth. cap.* 13. Absque quo omnia languerent, & otio putrescerent, esseque desinerent, vt insinuat Arist. præmemoratus, *cap.* 1. & confirmat Tyrius *dissert.* 33. *n.* 190.

17. In captandis autem gaudiis, & oblectamentis, debitus modus seruandus est, appetitusque rectè coërcendus est, ne veros limites, iustasque Dei leges transgrediatur. Cauendæ in primis sunt rerum creatarum deliciæ, & delectationes immodicæ, & immoderatæ. Propterea optimè inquit Chrysost. *homil.* 12. *Ad Timot.* 1. *Panem creauit Deus, tamen vsus prohibetur immodicus: & vinum creauit Deus itidem, atque immoderatè vti prohibuit. Non itaque delicias, tanquam immundum aliquid cauere iubet, sed vt si qua, deseratur modus, vigorem animi soluant.* Deinde, cogitandæ, & expendendæ sunt, tanquam bona instabilia, vana, celeriterque pertranseuntia, vt restatur Ecclesiastes capite primo. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Qui namque bis nimium indulgent, apertè, ægre tamen, fatentur postmodum tenebris erroris, & ignorantiæ se obrutos esse, scribente eodem Eccles. Sap. 5. *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non illuxit nobis, & sol intelligentia non est ortus nobis.* Quapropter appositè monet Nyss. orat. de pauperibus amandis. *Nec te delicia sic obruant, vt nimia lætitia gestias, & insanis voluptatibus debaccheris.* Addo, voluptati mœrorem adhærere, & oblectamento misceri luctum, vt perbelle declarant Tyr. *dissert.* 31. & 32. & Basil. homil. de paradiso. *Quæ iucunda sunt vobis, ò homines, tristibus permixta sunt.* Igitur, hæc sublunaria, & terrestria oblectamenta abiicienda sunt, & vestiganda cœlestia, & diuina, vt his adeptis, semper in Domino gaudeamus, & delectemur in eo. Quod innuit Saluator Luc. 10. suis Apostolis gloriantibus, & dicentibus. *Etiam dæmonia subiiciuntur nobis.* Occurrit, *Gaudete potius, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Et præmiserat Dauid Psalm. 103. *Ego verò delectabor in Domino.* Et Habacuc, 3. *Exultabo in Deo Iesu meo.*

18. Oppones primò, contrà id, quod superius est assertum, delectationem causari ab obiecto iucundo, & delectabili. Omnis causa positiua causans effectum realem positiuum debet existere, vt patet 2. Phys. 38. *Causa in actu habet effectum in actu*; atqui quandoque obiectum non existit, quandoque verò est impossibile, vt æqualitas Dei, quam appetit Dæmon, in eaque est delectatus: quod autem non existit, aut est impossibile, haud valet causare effectum realem positiuum, cuiusmodi est delectatio. Igitur delectatio non efficitur ab obiecto. Confirmatur primò, si vera esset sententia Scot. in quouis passione fieret delectatio, quam obiectum in eo causaret, quod est absurdum, cum præter appetitum sensitiuum, & intellectiuum, in nullo alio subiecto delectatio inhæreat. Confirmatur secundò, nonnunquam quispiam delectatur in actu scientifico, siue speculatiuo, siue practico; ergò delectatio ab actu causatur, non verò ab obiecto.

Respondeo concessa maiore, distinguendo minorem, interdum obiectum non existit à parte rei, concedo: obiectum non existit in apprehensione, aut ratione, nego: vt patet de scientia, quæ partialiter causatur ab obiecto, tametsi obiectum extrà rationem, vel imaginationem, nullam sortiatur existentiam. De rosa quippè non existente in rerum natura habetur scientia in intellectu, vt clarè ostendi in *Log. libro primo, quæstione secunda*, & *libro quinto, quæstione quarta, articulo quinto.* Et in *Phys. libro de causis, quæstione quinta, articulo secundo.* Ad 1. conf. distinguo antecedens, in subiecto idoneo, & capaci, concedo: in subiecto inepto, & incapaci, nego. Præter notem

autem duplicem prænarratum appetitum, non reperitur alia potentia, quæ propriè delectationis ſit compos, quandoquidem delectatio præexigit cognitionem, & amorem, cuius tantum vterque appetitus eſt capax. Ad 2. confirmationem. Diſtinguo antecedens immediatè nego: mediatè, concedo. Prærequiritur enim cognitio, & amor, quem poſtmodum conſequitur, & ſuperuenit delectatio, vt ſuperiùs monſtrabam.

19. Opponès ſecundò, delectatio eſt meritoria, vel demeritoria. Si quis enim diligit Deum, in eoque delectetur, meretur: at ſi obiectum prohibitum amat, & in eo oblectamentum capiat, demeretur: at ſi delectatio fieret ab obiecto, naturalis foret actus, & in manu noſtra non eſſet, ac proinde per eam nemo mereretur, aut demereretur; melius ergo eſt aſſerere delectationem ab obiecto non effici. Diſtinguo maiorem: formaliter, & immediate, nego materialiter, & mediatè, concedo: quatenus delectatio quoquo modo ſubeſt imperio voluntatis, ratione cuius auerti poteſt à continuatione delectationis, eiuſque dulcedine, vt patet de muliere vi corrupta, quæ triſtitia afficitur, ſi qua in ipſa delectatio extiterit, quæve meretur, quatenus poſtmodum deteſtatur huiuſmodi actionem, & paſſionem, oblectamentumque, ſi quod ex eis ſit ſubſequutum in vigilia, vel in ſomno. Itaque præclarè ſubdit Doctor 1. *diſtinctione prima, quæſtione tertia*, §. *De 2. principali*, delectatio non eſt praua, niſi quia actus eſt prauus. Addo, abſolutè paſſiones eſſe meritorias; Chriſtus enim per ſuam paſſionem redemit genus humanum, & Sancti Martyres gloriam ſunt adepti, ob id cantat Eccleſia: *Omnes ſancti quanta paſſi ſunt tormenta, vt ſecuri peruenirent ad palmam martyrij.*

20. De triſtitia, quæ gaudio opponitur, nonnihil reſtat dicendum. Non me latet dolorem, & triſtitiam ſæpè promiſcuè capi, vt diligenter obſeruant Orbel. 3. *diſtinctione* 15. & Rada *ibidem*, *controuerſ.* 10. *articulo ſecundo* Tametſi, ſi propriè, & ſpeciatim ſumantur, ab inuicem differant, authore Auguſtino 14. *Ciuit.* 15. quem ſequitur Doctor 3. *diſtinctione* 15. *quæſtione vn.* §. *Ad ſolutionem*. Dolor enim preſsè captus, eſt paſſio appetitus ſenſitiui ab obiecto diſconueniente, ſeu offendente, & lædente carnem cauſata apprehenſione præcedente. Triſtitia verò eſt paſſio appetitus intellectiui ab obiecto diſconueniente cauſata, actum nolendi ſubſequens. Ex his patet, dolorem anguſtè acceptum pertinere, ad partem ſenſitiuam, & triſtitiam ad partem intellectiuam. Si enim obiectum offendit carnem, huiuſmodi offenſio perhibetur dolor, qui multiplex eſſe poteſt, ſecundum multiplicitatem offenſionis, multiplicis appetitus. Quod ſi obiectum voluntati diſpliceat, nolitque ipſum, naſcitur paſſio, quæ nuncupatur triſtitia, quæ eſt de iis, quæ nobis nolentibus accidunt. Quare præfatæ paſſiones prodeunt ex obiectorum diſconuenientia, prænis actibus dictorum appetituum, veluti gaudium, & delectatio emanant, ex obiectorum conuenientia. Atque, ſicut hæc plurificantur, ita & illæ, cum ex dictis non ſemel, oppoſitorum eadem ſit ratio, & diſciplina. Denique oriuntur, tùm ab intrinſeco, vt ab intemperie animalis, tum etiam ab extrinſeco, vt à calore, frigore, cæteriſque ſenſum lædentibus, aut à voluntate ex nolitus.

21. Quatuor potiſſimùm modos recenſet Scotus citatus, §. *Præter illum*, & §. *Præter duos*, *articulo primo*, quibus cauſatur triſtitia.

Primò, ſi aliquid accidat voluntati, aduerſus eius inclinationem naturalem. Quo pacto voluntas ſuaptè natura inclinans ad beatitudinem, ſi ipſi miſeria contingat, triſtatur. Ob id ait Auguſt. in Ench. cap. 164. *Sic beati eſſe volumus, vt miſeros nos eſſe velle, non poſſumus.* Vt enim voluntas recipiens naturaliter beatitudinem, gaudet, ità eam non recipiens, cum ſit eius perfectio, triſtatur.

Secundò, ſi appetitus ſenſitiuus offendatur, ab obiecto motiuo, propter coniunctionem, & colligantiam, quam habet voluntas cum illo, triſtatur, vt ſi corpus alicuius vulneretur, appetitus ſenſitiuus ob tale vulnus dolet, & voluntas ei compatiens, triſtatur.

Tertiò, ſi voluntas nolit aliquod obiectum, ipſique præſentetur, & detur, ea nolente, ſequitur triſtitia, vt damnati in inferno nollent ignem, & contrà eorum nolitionem Deus vult ibi eſſe ignem, qui eos cruciet, ideò triſtantur.

Quartò, ſi quiſpiam abſolutè aliquid nolit, tamen ob periculum vitæ imminens, vult illud conditionatè vt mercator periclitans in mari proiicit merces, quas non proiiceret, ſi quiret periculum vitæ, & naufragium euadere. Ex hoc ſequitur triſtitia, quandoquidem ſimpliciter non proiiceret eas, & coactus proiicit, vnde triſtitia contingit ei, vt rectè, & fusè proſequitur Doct. *vbi ſupra.*

22. Huius autem tetri, & virulenti affectus plurimi ſunt effectus, quos non minus luculenter quam eloquenter narrat Chryſoſt. orat. ſecunda, de prouidentia, & epiſt. 7. *Triſtitia animarum, crudele tormentum eſt, dolor quidam inexplicabilis, & iudicium omni iudicio, vindictaque deterius. Nam, & vermis eſt ſimilis venenato, non ſolummodò carnem, ſed & animam ipſam perimens. Et tinea non ſolum ad oſſa, ſed ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex, non animam dilanians, ſed vires animæ conſumens, & iugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempeſtas, & turbo, & febris non apparens, omni igne validius incendens, & pugna requiem non habens, & languor plurimos obſcurans videntium.* Et ante, Sapiens Prouerb. 25. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.* Sumendum ergo eſt conſilium Eccleſiaſtici 30. dicentis, *Triſtitiam longè expelle à te, multos enim occidit triſtitia. nec eſt vtilitas in ea.* Seruiat itaque vnuſquiſque noſtrûm Deo, non in triſtitia, ſed in lætitia, & ſi triſtitia occupetur cor, & animas, ſed non propter mala ſeruum, damnaque ſibi illata, eius propter peccata commiſſa triſtetur, & pœnitentiam agat, quod eſt finis eius à Deo nobis inditus, & intentus, iudice Chryſoſt. *hom. 7. ad populum*; Sic enim præſtante homine, triſtitia vertetur in gaudium, vt prænuntiat Chriſtus ſuis Apoſtolis *Ioan* 16.

Articvlvs V.

De Spe, & Deſperatione.

23. POſt affectiones concupiſcibilis, proximè ſuccedunt paſſiones iraſcibilis, inter quas primum locum obtinet ſpes, ſecundum verò deſperatio, quæ illi opponitur. Præmonet autem Doctor Seraphicus 3. *diſtinctione* 26. *quæſtione prima*, nomen *ſpes* eſſe æquiuocum, cuius plures acceptiones adducunt, & exprimunt Vorr. Arret. & Gabriel *ibidem* commodiores, & aptiores ad rem noſtram illuſtrandam affero, & explico.

Primò, ſumitur pro expectatione boni, aut mali futuri euentus. Sic capiunt Cic. *lib. 1. ad Atticum.* Aug. *in Ench. cap. 8. & Virg.*

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Secundò, pro re ſperata, cuius mentio fit Ad Tit. 2. *Expectantes beatam ſpem*, id eſt beatitudinem, quæ eſt obiectum, ſiue terminus ſpei.

Tertiò, pro virtute Theologica, quæ est habitus à Deo inditus in anima rationali, circa summum bonum possidendum, de qua Scot. 3. *dist.* 26. *quæst. vn.* & cæteri Scholastici *ibid.*

Quartò, pro motu potentiæ appetentia, consequente actum sperandi, penes bonum futurum adipiscendum. Et de spe ita sumpta sermo est in præsentia. Eius autem obiectum est bonum futurum, vt aduertunt Cic. 4. *Tusc.* & August. *vbi suprà*, post Aristotelem 1. *Rhet. cap.* 11. & 2. *eiusdem operis, cap.* 12. Bonum autem futurum sperandum, duplex cum sit, creatum, & increatum, in vtrumque spes fertur. Illius nimius affectus prohibetur 1. *Tim.* 6. *Præcipe diuitibus huius sæculi, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum suarum.* Illud verò toto conatu est prosequendum, & anhelandum Psalm. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* In spe inuoluitur possibilitas, & credulitas boni futuri consequendi, non quidem vt causa motiua, sed vt conditio prærequisita. Siquidem, vt quis aliquid speret, præsupponit, & prænoscit, id esse possibile, & futurum. Quod enim impossibile est obtentu, à nemine speratur, quod creditur nunquam futurum, nec assequendum, in spem haud cadere videtur, annuente Sen. *Epist.* 10. & Philosoph. *ad finem libri de execratione.* Addo spem non confundi, cum desiderio, vt quidam apud Scot. & Bass. citati suspicantur, tum quia sunt passiones distinctæ. Desiderium enim spectat ad concupiscibilem, & spes ad irascibilem, tum etiam quia patet esse desiderium sine spe. Damnati enim appetitu naturali desiderant felicitatem, quam haud sperant se adepturos. Atque desiderium quandoque spectat impossibile, quale fuit desiderium dæmonis appetentis æqualitatem Dei, quæ est impossibilis. Spes verò nonnisi ad possibile, & futurum tendit, vt paulò antè dicebam.

24. Nec spes secatur tanquam in duas species, in moderatam, quæ non transilit vires sperantis, & auxilia consequendi bonum speratum: & in immoderatam, quæ superat facultates sperantis, & eius subsidia externa non sunt idonea opportuna, & sufficientia ad bonum comparandum. Non inquam sic dispertitur spes, vt in duas species, sicut censet Rainaudus *distinctione tertia, quæstione tertia, articulo primo, numero* 285. Etenim huiusmodi diuisio petitur penes debitum, & excessum spei, proindéque est accidentalis. Deinde magis, & minus non variant speciem, vt dixi *in Log. quæstione de qualitate*: igitur moderata, & immoderata spes non facit distinctionem specificam spei. Potius itaque specierum, spei distinctio desumenda est, penes obiectorum sperandorum distributionem, vt fit de cæteris motibus, & affectionibus prærecensitis. Quantum autem possit, & valeat spes, præstet, & operetur, satis exploratum habetur. Est namque veluti sapidum, iucundumque nutrimentum, & condimentum, quo operans alitur, fouetur, & conseruatur, vt perbellè canit Ouid. *lib.* 2. *Eleg.* 5.

Spes alit agricolas.

Auget vires eius, cor, animumque roborat, excitat ad obeunda, & complenda opera, adeò vt nihil illustre, præclarumque fieret, sine spe boni assequendi. Hinc meritò Tertul. *libro de pudicitia* statuit spem ianitricem domus virtutum, vt ea adita, & habita, latè, & animosè vnusquisque in cuiuscumque virtutis domicilium ingrediatur. Omni igitur vana, & irrita spe bonorum corruptibilium despecta, & depulsa, spe incorruptibilium bonorum armemur, & spe diuini auxilij muniamur, vt optatam, speratamque felicitatem consequamur, & perfruamur.

25. Opponet primò, spes includit fidem, tanquam eius genus, vt indicat Doct. cit. idque ei attribuit Mayr. *ibidem articulo octauo*, cum ergo fides pertineat ad intellectum, idem affirmandum est de spe. Distinguo antecedens, præsuppositiuè concedo, id est, sperans credit esse bonum, quod sperat, creditque se illud adepturum: formaliter nego; licet enim fides sit prior spe, sicut genus prius est specie; non tamen affirmatur fidem esse verum genus spei. Præsertim quia, fides est virtus, & habitus, spes verò, de qua hic loquimur, est passio.

26. Oppones secundò, Doct. *passu prealleg.* videtur velle, spem ad concupiscibilem spectare, potiusquam, ad irascibilem, quia respuit bonum absens, sicut desiderium. Igitur spes non subiectatur in irascibili, nec est eius passio.

Respondeo exponendo Doctorem, quatenus spes, & desiderium respiciunt idem obiectum, hoc est bonum absens, quodammodo perhibentur pertinere ad irascibilem: verumtamen, quia diuersimode ad illud tendunt, ob id non censentur ambæ passiones in concupiscibili inhærere, vt optimè docent Bass. & Vorr. prænominati. Siquidem desiderare est actus amoris, respectu rei absentis, quo amans fertur ad vnionem rei amatæ: sperare verò, est actus voluntatis, quo sperans erigit se, tenditque ad attingendum, & possidendum, per modum commodi, obiectum speratum.

27. Desperationis naturam cognitu difficilem esse, plerique putant, maximè ob varietatem, & multiplicitatem opinionum Philosophorum, quibus omissis, adduco eius definitionem, quæ est huiusmodi, desperatio est *passio potentiæ appetentis, consequens actum non prosequendi bonum, quod obtentu impossibile apprehenditur.* Insinuatur à Doct. 3. *distinctione* 26 *quæstione vn. H.* Priores particulæ communes sunt aliis passionibus; posteriores verò distinguunt ipsam desperationem a reliquis affectionibus. Vt enim spes præsupponit actum prosequendi bonum desperatum, econtrà desperatio, quæ illi aduersatur, præexigit actum, quo quispiam non vult amplius operam suam impendere, in persequendo, & prosequendo bono illo, quod indicat, non se posse vllo modo obtinere, & possidere. Hinc patet, desperationem non esse actum intellectus iudicantis bonum esse adeptu impossibile, vt vult Almainus *Tract.* 2. *Mor. capite* 7. *diff.* 3. Etsi enim desperatio præsupponat actum potentiæ imaginatiuæ, aut intellectiuæ, nihilominus non est actus eius, sed passio irascibilis, quæ pertinet ad voluntatem, vt communis fert Philosophorum opinio. Eò magis, quia desperatio malorum vltimum perhibetur. Ideò Chrysost. *libro de reparatione lapsi*, scribit. Illius supernæ Ciuitatis claudit ianuas desperatio, quas tamen spes aperit, & pietas patefacit. Atque valde punitur, vt patet de Cain, & Iuda. Non ergo desperatio congruit intellectui. Iterum constat, desperatione non esse fugam, siue recessum à bono, tum quia fuga est passio appetitus concupiscibilis, desperatio verò statuitur passio appetitus irascibilis, tum etiam quia non est nolitio, sed præsupponit nolitionem vlterius non prosequendi bonum, quod desperans indicat nunquam posse adipisci. Cæteri autem, qui putant desperationem esse casum voluntatis à bono, fractionem animi, & defectionem, potiùs eius effectus, quam naturam eius aperiunt, & assignant. Ex eo enim quod quispiam desperat, cadit animo, deficit, desinitque ab operis prosequutione.

28. Potest autem desperatio ex multiplici capite oriri. Primò; ex virium imbecillitate, vt quis animo debilis, & corpore infirmus desperat confecturum longum iter. Secundò, ex magnitudine, & difficultate rei obtinendæ, vt princeps pauper desperat, se victoriam reportaturum de magno, & potenti Rege. Tertiò, ex accidia, vel auaritia, vel luxuria, vt Eph. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt omni immunditiæ, & auaritiæ.* Quartò, ex mediorum insufficientia, vt ex grauitate delicti, vt Gen. 4.

Maior

Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. 5. ex mala voluntate, qua quis in malo vult persistere, vt paret Hier. 2. *Desperaui, nequaquam faciam.* 6. ex atra bili vehementer prædominante, hic quidam tædio vitæ, se ipsos suspendunt.

29. Quemadmodum autem sunt multæ causæ desperationis, ita multi assignantur eius effectus. Siquidem desperatio frangit animum, debilitat vires, desistit à prosequutione boni, negligit, derelinquit, & in profundum vitiorum demergit hominem, adeò vt perditi, & damnati dicantur desperati. Quarè desperationi via vllum datur remedium, nisi illustretur intellectus, ostendaturque boni possibilitas, facilitas, mediorum efficacium sufficientia, & copia, erigaturque voluntas, & assurgat alacris, & lubens ad illud assequendum, semotis, & victis cunctis impedimentis. Quandiu namque homo viuit, & spirat, debet sperare maximè veniam peccatorum, cum misericordia Dei sit magna, & miserationum eius non sit finis. Caueat itaque bonus, ne præsumat de virtutibus & meritis suis, & malus ne desperet de criminibus suis, vt piè, & doctè aduertit August. *lib. de Symbolo.*

ARTICVLVS V.

De audacia, & timore.

30. NOnnullus Neotericus obseruat opinionum diuersitatem inter se pugnantium, hanc difficultatem de audaciæ natura, eiusque proprietatibus obscurasse, & denigrasse, sicut in simili sacer Tex. Cant. 1. inquit. *Nigra sum.* cuius rationem subiicit. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Quare illis placitis omissis, quæ ad illustrandam, & explanandam audaciæ quidditatem haud faciunt, in medium profero eius definitionem, quæ est huiusmodi. Audacia est *passio potentiæ appetitiuæ consequens actum audendi, consistens in alacri, & animoso aggressu rerum difficilium, grauiumque periculorum.* Præcedentes particulæ significant eius genus, subsequentes verò eiusdem differentiam, per quam à reliquis affectionibus discriminatur. Distribuitur autem in bonam, & malam. Prior designat constantiam, animique firmitatem in subeundis periculis. Ob id dicitur, *Iustus est impauidus.* Et Arist. 2. *Rhet.* 5. subiungit, eos esse audaciores, qui rectè se habent erga Deum, putantque se proprio numine vti. Sperant enim se eius potentia, & virtute iuuandos. Hinc Ioseph ab Arimathia *Marc* 15. audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Et *Rom.* 15. D. Paulus, *audacius scripsi vobis.* Atque commendatur illud vulgatum.

Audaces fortuna iuuat, timidosque repellit.

Posterior verò arrogantiam, & præsumptionem, ac temeritatem. Idcirco monet Eccle. 8. *Cum audace, ne eas in via, ne fortè grauet mala sua in te.* Atque idem subnectit cap. 12. *Patrem, & virum confundit audax.* Eius subiectum est irascibilis. Causa eiusdem duplex statuitur, abundantia caloris in corde: & spes firma de bono alacriter consequendo, & victoria de periculis reportanda. Eius effectus ad oculum cernuntur, & ita patescunt, vt pigeat eos recensere.

31. Ne autem quispiam temerè agat, ponderanda, & meditanda sunt pericula, ne in eis pereat, propriæque vires sunt metiendæ, ne victus opprobrio detur sempiterno, vt sæpè euenit illi, qui inconsultò, & improuidè, in periculis occumbit miserè, & cum dedecore sepelitur.

32. Oppones, definitio vni, & non alteri adaptatur, vt postulant leges bonæ definitionis: atqui definitio audaciæ præposita competit fortitudini, quæ ab illa diffidet. Igitur rectè non est prædicta definitio. Maior est nota. Minor suadetur, fortitudo tota posita est in aggrediendis arduis, & difficilibus, constanter, & alacriter, veluti audacia. Concedo maiorem Nego minorem: fortitudo quippè est virtus, audacia verò est passio, ideo minimè coïncidunt.

33. Timoris autem quatuor inuenio præcipuas sumptiones. Primò, pro qualibet fuga, & recessu ab omni malo. Ita accipit timorem Arist. 3. *Eth.* 6. & 2. *Rhet.* 5.

Secundò, pro humilitate, animique depressione, cuius meminit Dauid Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Id est humilitas, interprete Scot. 3. *d.* 34. *q. vn. ante* §. *Ad argumenta.*

Tertiò, pro formidine, qua veremur malum imminens, quo pacto inquit August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 35. *Metus est futuri, & imminentis mali.*

Quartò, pro passione appetitus consequente actum timendi, ex apprehensione futuri mali causata. In idem recidit definitio Arist. 2. Rhet. cap. alleg *Timor est perturbatio futuri, & imminentis mali, dolorem, vel tristitiam inferens.* Dicitur *perturbatio,* id est passio appetitus, tanquam genus, adduntur reliquæ voculæ, tanquam differentiis, qua timor differt à reliquis passionibus. Vtrum autem in definitione timoris includatur malum certò, & necessariò futurum, an verò malum incertò, & contingenter futurum litigant Scholastici, quidam enim vt Vasquez 3 *p d.* 62. *cap* 3. suspicantur, malum, de quo est timor, esse certò, & infallibiliter euenturum. Alij vt Ricard. 3. *d.* 15. *quæst.* 3 *art.* 3. *ad* 4. Statuunt, timorem propriè respicere malum incertò euenturum.

34. Ego verò existimo, vtrumque malum sub dicta definitione comprehendi, tum quia absolutè in ea ponitur malum futurum, quod vniuersè sumptum spectat omne malum siue infallibiliter, siue fallibiliter accidat, sicut quando simpliciter perhibetur animal, intelligitur tam de rationali, quam irrationali: tum etiam quia, malum necessariò euenturum timetur, vt quilibet nostrûm timet mortem, tametsi necessariò contingat. Ob id etiam Christus metuit ipsam mortem, vt patet Mar. 14. *Cœpit pauere, & tædere.* Vtrumque igitur malum impendens capitur in præadducta definitione.

35. Dices, Arist. *passu alleg.* expressè ait, eos, qui nullam sperant salutem non timere, igitur timor solum continet futurum incertum. Dico Arist. interpretandum esse de metu efficaci, & absoluto; non autem de metu inefficaci, veluti desiderium efficax est de possibili obtentu, inefficax verò esse quit de impossibili, vt tradit Doct. 2. *d.* 6. *q.* 2. §. *per hoc,*

36. Multæ autem circumferuntur diuisiones timoris à Vorr. 3. *d.* 14. *art.* 8. Bassolio *ibid. d* 34. *part.* 2. & Damasc. 2. *fidei cap* 15. potissimam adduco, & explico, quæ est in timorem filialem, seruilem, & mundanum. Primus dicitur reuerentialis, quo homo timet offendere Deum, quem diligit, & metuit ab eo separari, notante Ang. *verb. Timor.* cuius mentio fit Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi* Secundus est seruilis, quo homo, ne puniatur, & damnetur, timet Deum, de quo Luc. 21. *Arescentibus hominibus præ timore.* Tertius, est, quo quis timet amittere bona sua si Principi non obtemperet, vt Ioan 11. *Si dimittimus eum, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Et clarius Ioan. 7. *Nemo tamen palam loquebatur de eo, propter metum. Iudæorum.* Prælatæ diuisionis amoris meminit Arist. 1. *com. cap.* 2.

37. Causa autem timoris est malum futurum, vel apparens, vt tradunt Arist. 1. *Anima. T.* 154 Ex Epictetus apud Arrianum *lib.* 2. *cap* 1. Effectus verò eius patent, præsertim vultus pauor, mentis agitatio, & huiusmodi, si non inueniat, quo malum impendens, & periculum instans euadat, magis homo timet, & expauescit. Ad pellendum verò timorem plurimum conducit fiducia, & confidentia in Deo

iuxtà illud Psal. 124. *Qui confidunt in Domino, erunt sicut mons Sion.* Atque conscientia recta, & bonum opus; idcircò celebratur adagium, *fac bonum, & non timebis Regem.* Itaque præclare subnectit Prou. 28. *Iustus quasi Leo confidens absque terrore erit.*

Articvlvs VI.

De ira, & mansuetudine.

38. Ira trifariàm accipi potest. Primò, pro actu vlciscendi iniuriam, quo pacto ira potest esse absque peccato, vt patet Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* Et Ioan. 2. *Christus, ira commotus, & zelo Patris ductus, fecit quasi flagellum ex funiculis, & eiecit ementes, & vendentes, de templo.*

Secundò, quoad effectum, quo scilicet offensa punitur, sic ira tribuitur Deo, cum castigat malos, & impios, vt legitur Psal. 77. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Et Ezech. 7. *Effundam iram meam super te.* Et expressius Micheæ 7. *Iram Domini portabam, quoniam peccaui ei.*

Tertiò, quoad effectum, & ita definitur, *passio potentiæ appetentis, consequens actum vlciscendi offensam sibi, aut alteri illatam.* Ponitur passio, pro genere, subnectuntur cæteræ particulæ, pro differentia. Duæ postremæ acceptiones iræ hauriuntur ex Doct. qui 4. *d. 46 q. 2. §* *Respondeo.* statuit misericordiam in Deo, non penes affectum, sed penes effectum, non quidem proximum, sed remotum. Pariter ira adaptatur Deo, non vt est passio, & perturbatio, sed vt malum seu offensa punitur ab ipso Deo. Vtrique autem appetitui sensitiuo, & intellectiuo competit, propterea fortassè Aristot. 1. *Anima T. 16.* subiungit, iram dupliciter posse definiri, dialecticè, vt iam est definita, & physicè, cuiusmodi ira definitur, *Accensio sanguinis circa cor.* Hæcque soli appetitui sensitiuo congruit, annuente Scot. 3. *dist. 34. quæst vn. §. Notandum ante H.*

39. Oppones primò, Aristot. mox alleg. definiens iram inquit, Ira est appetitus vindictæ. Ipsum scribit 2. *Rhet.* 2. Cui consentiunt Tullius cit. a Lact. *lib. de ira Dei, cap.* 17. & August. 14. *Ciuit* 15. Et *Epist.* 115. Ergo ira à desiderio non distinguitur. Respondeo præfata testimonia capienda esse, non formaliter, sed præexigitiuè, idest præexigitur desiderium vindictæ, vt quispiam sit ira percitus, ob iniuriam sibi illatam. Vt enim superiùs patefeci, passiones concupiscibilis præcedunt passiones irascibilis. Tangitur à Doct. proximè memorato.

40. Oppones secundò, idem Philosophus 5 *pol.* 10. subiicit, particulam quamdam odij debemus iram existimare: igitur odium, & ira confunduntur. Respondeo Aristot. tantùm ibi velle, odium, & iram ad inuicem habere aliquam affinitatem, non verò identitatem, veluti secundum eumdem Philosophum, Rhetorica est quædam particula, & propago Dialecticæ, vt videre est 1. *Rhet.* 1. *& inde.* Tametsi sint distincti habitus. Quare ira, & odium sunt passiones discrepantes. Hoc enim est passio concupiscibilis circa malum, istud auersando. Illa verò est passio irascibilis, circa bonum, istud prosequendo, nempè vindictam, quæ putatur bona. Ob id Stagirita 2. *Rhet.* 2. alleg. à Scot. *vbi suprà*, scribit. *Ira viri quasi mel.* Idque accidit, cum quis actu vlciscitur. Sic enim astruit Doctor cùm actus eius est perfectus, assimilaturque fruitioni, & subsequitur magna delectatio.

41. Funditur autem ira in bonam, quæ à recta ratione dirigitur, veluti est ira in peccata commissa: & in malam, quæ rectæ rationi aduersatur, vt ira in Deum, & proximum. Alia iræ membra asseruntur ab Arist. 4. *Eth.* 5. Greg. 30. *Mor.* & Aug. *verb. ira.* Inter quæ numerantur rixa, tumor mentis, contumelia clamor, indignatio, blasphemia, bellum, maledictio, & seditio, de quibus Sen. *libro de ira, capite* 4. *& Angel. nunc allegatus.*

42. Causa verò motiua iræ, & incentiua, duplex potissimum statuitur, parupensio, & tristitia ex illa concepta, cuius meminit Aristot. nunc cit. Et 4. *Top. cap.* 6. *Contristatur iratus, & arbitratur parupendi.* Et 6. eiusdem operis, cap. 3. *Ira tristitia est, cum opinione parupendendi.* Idem affirmat Doct. *passu recensito.* Adde temperamentum igneum, quo pollentes colerici facilè ira commouentur. Effectus eius plures sunt, hique horridi, & tetri, vt palpitatio cordis, ebullitio sanguinis, tremor membrorum, linguæ præcipitatio, vultus ignitio, mentis perturbatio, & id genus alia, quæ à Nysseno *hom.* 2. *de beatitudine.* Sen. *lib. de ira, cap.* 36. *&* 37. & Greg. 1. *Mor. cap.* 30. referuntur, & describuntur. Vnde subnectit Cyril. serm. de temerario. *Quæ bestia tam fera, & immanis est, vt iracundus, & ira immoderata tanquam tyranno eidem parens? Aut quod mare adeo vehementibus ventis agitatum, & impulsum ad saxa illiditur, vt homo effrenis, & asper, quique nullo modo retineri potest, quin ira pareat, & totas perturbationi habenas laxet.* Et Basil. hom. 10. contrà irascentes. *Quando semel ira perturbatio mentem præcipitans, imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram conuertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse finit.* Hinc quidam Philosophus ita perculsus, ne bruteresceret, obuiam ipsi factos inimicus eius, potuit, noluit, tamen eum occidere, nec lædere, inquiens. *Occiderem te, ni iratus essem tibi.* Recipiendum ergo est monitum Pauli Eph. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram, nec date locum Diabolo.* Cui subscribit Isid. Pelusiota lib. 1. epist. 280. *Fac igitur frænum iracundiæ, quàm ocyssimè, ne te in exitium præcipitem agat.* Addo Ambr. ad Vercellensem. *Iram homo præuenire non potest, mitigare potest.* Ergo etsi irascamur, affectus nostri motum recipiant, secundum naturam, & non peccatum, præter naturam. Denique quam maximè iuuant depressio sui ipsius, teste Nyss. prænominato. Nam si ex animo superbiam exemeris, occasionem irascendi, vitium iracundiæ non habebis. Necnon mala innumera, quæ ab ira proficiscuntur, relata à Sen. 3. *de ira, cap.* 5. Ne irascamur, præstabimus, si omnia vitia iræ, nobis subinde proposuerimus, & illam benè æstimauerimus.

Ex his, quæ dicta sunt de ira, liquet ex opposito, quæ perhibenda sunt de mititate, cuius meminit Doctor 3. *dist.* 34. *quæst. vn. §. His suppositis.* Quam nonnulli vocant tolerantiam, & alij, vt Aristot. 1. *Magn. mor. cap.* 21. mansuetudinem. Si enim sumatur, vt est virtus, definitur à Tullio 1. de off. *Virtus animi vtrumque mundi statum æqua lance pensans.* At si accipiatur, vt est passio, describitur affectio, *appetitus consequens actum mitescendi, parcens offensæ, sibi, aut alteri illatæ.* Propterea subiungit Hierony. in Matt. 5. *Mansuetus, seu mitis est, qui nec irritat, nec nocet, nec nocere cogitat, & qui nec ira, nec furore afficitur.* Huius Magister est Saluator, Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Præcipitur à Paulo Eph. 4. *Digne ambuletis, cum omni humilitate, & mansuetudine.* Et antè ab Ecclesi. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice.*

LIBER

LIBER QVINTVS.

De Habitibus.

1. AMPLA, & copiosa est tractatio de Habitibus, vtpotè quæ comprehendit habitus generatim, & speciatim sumptos, intellectuales, & morales, necnon spirituales, & materiales, de quibus omnibus, & singulis, ad vberiorem, & exactiorem doctrinam libet proximas quæstiones, articulos, & dubitationes subiicere, & pro viribus decidere.

QVÆSTIO I.

De Habitibus vniuersè sumptis.

ARTICVLVS I.

An sit Habitus.

2. NOMEN habitus est æquiuocum, vt notaui *in Log. l.3. q.7. art.1.* In præsenti autem capitur potissimùm pro qualitate aduentitia, arte, & labore acquisita, de difficili mobilis, quam habens facilè, promptè, & delectabiliter operatur.

3. Assert. datur habitus, quo quis vsu, & exercitio facilis, & promptus redditur ad operandum. Est communis, quam præsupponit Doct. 1. *d.* 17. *q* 2. & 2. *d.*17. *q. vn.* & 3. *d.*26. *q. vn.* & 34. *q. vn.* suffragantur Aug. *l. de distinctionib.* & *in Ench. cap.*82. Et Greg. 4. *&* 15. *Mor.* Et alij passim, monentes bonum habitum retinendum esse, malum verò repellendum. Accedit Arist. 2. *Eth.*5. diuidens ea, quæ sunt in anima, in potentiam, passionem, & habitum, & 2. *Eudem.*1. Idem *l. prædicam. c. de qualitate.* 5. *Met. c. de qualit.* Et 9. *eiusdem operis c* 5. *&* 8.

Deinde suadetur, experientia comprobatur, hominem nondum in aliqua arte, & disciplina exercitum nonnisi difficulter operari, postmodum verò, vsu, consuetudinéque eius præditum faciliter, & delectabiliter agere, immò ab ea nec auelli, nec distrahi: huiusmodi autem facilitatem, habilitatem, & delectabilitatem acquisitam, in operando, vulgus vocat habitum, & qui talem facilitatem non habet, dicitur non habere habitum, vt 1. *Reg.* 17. Dauid in ferendis armis ait se eorum non habere vsum, & consuetudinem. Admittendus ergo est habitus. Rursùs, potentia indifferens, & indeterminata ad agendum difficulter, aut faciliter, debet ab aliquo determinari, quo promptè, & facilè operetur, vt voluntas ad sobriè, castéque viuendum, per vsum parsimoniæ, & abstinentiæ determinatur, ad tales actus promendos: huiusmodi autem vsus, & facilitas operandi communiter appellatur habitus. Addo, quod *in Epit. l.1. q.4. art.*7. Cum Scot. 3. *d.* 24. *quæst. vn. D.* contexui Catalogum omnium habituum, tam speculatiuorum, quam practicorum, de quibus suo loco: indubia ergo est conclusio, dari habitum.

4. Opp. 1. potentia habitu induta, & imbuta, adhuc est indifferens ad agendum, vt liquet de voluntate, quæ quamuis habeat habitum quemcumque, adhuc manet indifferens, & indeterminata, ad oppositos actus, & opposita obiecta: ergo non conceditur habitus, qui sit facilitas determinans potentiam, ad agendum. Respondet Racon. *disp. vlt. de virt. sect.* 1. *art* 1. potentiam indifferentem habitu firmatam esse indifferentem contradictoriè, hoc est, ad agendum, vel non agendum, non verò contrariè, id est ad actus contrarios, vt voluntas tunc non est indifferens ad volendum, & nolendum. Contra, habitus non tollit potentiam, sed ipsam iuuat, & facilitat duntaxat; voluntas autem ante habitum, erat indifferens contradictoriè, & contrariè: ergo quoque post habitum, manet vtroque modo indifferens. Iterum, posterius non mutat prius, quandoquidem prius, vt prius non dependet a posteriori; potentia autem est prior habitu, & in illo priori est indifferens, & indeterminata contrariè, & contradictoriè, ergo post habitum eodem modo manet indifferens. Quapropter occurrendum est, habitum determinare potentiam, non absolutè, sed secundum quid, hoc est ad faciliter, & delectabiliter operandum. Ideò habitus est necessarius potentiæ, tantùm secundum quid, ad melius esse, & facilius operari, subsequitur actus potentiæ, cuius est habitus, vt infrà monstrabitur.

5. Opp. 1. si admittatur habitus, aut tanquam principium subiecti dispositiuum, & passiuum: aut tanquam principium actiuum, adiuuans subiectum, in quo est, ad operandum. Non 1. quia subiectum, siue potentia suapte natura, & immediatè est disposita, ad quamcumque perfectionem recipiendam. Nec 2. quia vt probabiliter tenet Doct. 1. *d.*17. *q.*2. non est necesse, detur habitus, vt principium actiuum, sed vt inclinans potentiam ad agendum, veluti grauitas ponitur, ad ferendum pondus deorsum. Respondeo habitum esse concedendum, siue ponatur ad operandum, siue ad inclinandum potentiam ad agendum. Vtroque enim modo defendi potest, vt patet ex Doct. *pass.* *nunc memorato.* Licet autem simpliciter potentia sit operatiua, & propendeat ad agendum: tamen habitus ei datur vt faciliter, & delectabiliter agat, aut inclinet ad agendum.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit habitus.

6. MVltæ extant habitus diuisiones, præcipuas assero, & explico. 1. in habitum infusum, & acquisitum. Ille est à Deo inditus in creatura, veluti fides, spes, & charitas, de quibus Theologi, nuncupatim Scot. 3. *d.*34. *q. vn.* & 1. *d.*17. *q* 2. Iste verò est arte, & labore partus, quo agens promptè, & expeditè operatur, vt dixi, & explicui *in Log. q. de qualitate.* Inquiri autem potest, quænam sit prælata diuisio habitus, essentialis, & intrinseca, an verò accidentalis, & extrinseca. Itemque num sit adæquata, & sufficiens; an verò aliquod aliud membrum ei desideretur?

7. Quoad 1. asserimus, esse extrinsecam, desum-

ptam

ptam ex ordine causæ efficientis, sicut partitio illa habitus, in naturalem, & supernaturalem, quæ prorsus cum ista videtur coïncidere, quámve esse extrinsecam, ex instituto cum Scot. *Q.* 1. *prol.* & 4 *d.*6. *q. vn.* & *d.*10. *q.*8. & *d.*43. *q* 4. nuendi *Tract.*1. *summa Theolog. disp* 2. *q.* 3. Vbi animaduerti, aliquid dupliciter posse vocari supernaturale. Vno modo propriè, ex est illud, quod à Deo solo produci potest, vt gratia. Altero modo impropriè, quod scilicet à Deo quidem producitur, potest tamen à creatura produci, vt scientia insusa à Deo, quæ poterat à rationali creatura, proprio ingenio comparari. Quare sicut habitus perhibetur supernaturalis, quia fit ab agente supernaturali; aut naturalis, quia oritur ab agente naturali, vt notaui *in Phys. l. de natura, & arte quæst.*1. *art.*2. Ita habitus appellatur insusus, quoniam à Deo supremo agente infunditur, & acquisitus, quia ab agente creato proprio marte acquiritur. Itaque hæc diuisio est extrinseca ex diuerso agentium respectu decerpta, vt fatetur quoque Suarez *disp.*44. *Met. sect.*13. *n.*5. Tametsi inter hos habitus adsit distinctio intrinseca, & essentialis, siue ab eodem, siue à diuerso agente producantur, vt fides, & charitas ab inuicem essentialiter differunt, quamuis à Deo immediatè proficiscantur.

8. Quoad 2. statuimus, prænominatam habitus distributionem esse adæquatam, & immediatam. Siquidem nullus habitus propriè dictus est congenitus, & connaturalis. Vt enim patet ex habitus definitione, allata *in Log.* omnis habitus pressè sumptus, arte gignitur, & labore acquiritur. Quod si quis ab exordio suæ creationis diuinitùs aliquem habitum acceperit, vt Angelus qui omnem habitum scientificum, & species rerum à Deo sibi elargitas habuit, is habitus, insusus nuncupatur, ac naturalis, propterea quod vna cum natura est concreatus, & comproductus, cum tamen reuera sit supernaturalis, quia est à Deo supernaturali agente, vt suprà monebam. Eo magis, quia habitus, de quo sermo est in præsentia, ex frequentatis actibus generatur; ideóque nullus habitus datur, qui sit innatus, & congenitus. Atque ita sufficienter habitus diuiditur in insusum, & acquisitum, annuente Scot. 1. *d.*17. *q* 2. & 3. *d.*34. *q vn.* §. *Not.D.*

9. Dices, species intelligibiles inditæ Angelo, in primordio suæ creationis nominantur habitus a Scot. vt obseruaui *in Log. l.*3. *q* 7. *art.*2. Et cum natura eius, sunt datæ, & innatæ tales species. Admittitur ergo medius habitus inter insusum, & acquisitum, putà congenitus, & connaturalis. Occurrendum est, licet species intelligibiles propriè non sint habitus, & tamen reducantur ad seriem habitus, vt dixi loco memorato, huiusmodi habitum contineri sub habitu insuso, vtpotè, qui ab authore naturæ infusus est in Angelo, simul ac creatus est. Ideò non oportet, medium habitum constituere, inter insusum, & acquisitum.

10. Secundò, in habitum cognoscitiuum, & appetitiuum, quæ desumitur, ex causa materiali, siue subiectis, in quibus habitus inhærent, quæ sunt potissimum potentia cognoscitiua, & appetitiua, notante Vorr. 3. *d.*36. *Term* 2. *art.*1. In idem ferè recidit ea distributio, quæ communiter affertur, in habitum intellectualem, & moralem, tacta à Doct. 9. *Met. q.*11. §. *Ex dictis*, & tradita 1. *Eth. in fine*, quæve comprehendit omnes habitus, tam intellectus, quam voluntatis, nisi quia illa est latior, & amplior, vtpote quæ continet materiales, & spirituales habitus: hæc verò angustior, & pressior, eo quod solùm habitus spirituales capit. Adducitur tamen à Scot. 1. *d.*17. *q.*2. §. *sed tunc.* Et 3. *d.*34. *q. vn.* § *Notandum. D.* Et ab vniuerso Scholasticorũ cætu; fortassè, quia plerique non concedunt habitus in potentiis materialibus: vel si admittunt, vt Scot. Hos, ad illos reuocant: aut quia cognoscitiuum, vt intellectiuum latè sumpta non differunt. Ob id non censetur duplex, sed vna diuisio duntaxat, licet reuera inter ea, nonnullum interponatur discrimen. Morale quippe à more deriuatur: mos autem ad voluntatem pertinet, cuius actus formaliter est tantum liber, moresq; in actibus liberis positi sunt. Quare morale designat voluntatis actum elicitum propriè, impropriè verò actum imperatum, ratione cuius actus aliarum potentiarum dici valent morales per participationem, inscribit Doct. *quæst* 4. *prol.* & exprimit *in Rep.* 3. *dist.*33. *q.*1. § *Oppositum.* Potest autem peruestigari, sitne prænominata diuisio essentialis, & quidditatiua? Itemque num sit sufficiens, & adæquata.

11. Quoad primum, dici potest, esse essentialem, penes suas rationes formales, & intrinsecas, per quas essentialiter constituuntur, & distinguuntur eius membra; idem quippe principium est constitutiuum rei, & distinctiuum, vt patet in Metaphysica. Ideò non dubium est, quin prærecensiti habitus formaliter inter se differant, proindéque dicta diuisio sit essentialis. Præterea potest vocari diuisio accidentalis, & extrinseca, siue subiectorum in sua accidentia, quatenùs habitus intellectuales in intellectu, & morales in voluntate subiectantur, a quibus suas sortiuntur denominationes.

12. Quoad secundum, dici pariter potest, quodammodo esse partitionem sufficientem, & adæquatam, quatenùs ferè, & præcipuè omnes habitus resideant in potentia cognoscitiua, vel appetitiua. Idque infra est discutiendum.

13. Dices, quidam habitus est intellectualis, & moralis, vt prudentia est habitus intellectualis ex 5. *Eth.*4. Et quoque moralis, cum sit proxima regula actuum moralium. Ea igitur diuisio nec essentialis, nec sufficiens, nec idonea est. Distinguo ant. formaliter, nego: regolatiuè, & mensuratiuè, concedo. Siquidem prudentia est formaliter habitus intellectus, putà consiliatiuos, vt suo loco ostendam: est verò quodammodo regula actuum virtutum, vt aduertit Doct. 3. *dist.*31. §. *Ad* 1. *M.*

14. Tertiò, in virtutem, & non virtutem: insinuatur à Scot *coll* 6. Quæ vt percipi valeat, obseruo cum Vorr. virtutem tripliciter accipi. Primò, pro potentia, seu facultate operandi, sic 7. *Phys.*3. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* Et 1. *Cæli T.* 116. *Virtus est vltimum de potentia.* Secundò, pro ea perfectione, qua subiectum, in quo est, perficitur, & ornatur, quo pacto 2. *Eth. cap.* 5. & 6. cit. à Doct. 1. *dist.*17. *quæst.*2. §. *Ad ista. antè E.* & 3. *distinct.* 3. *quæst. vn.* §. *Ad quæst.* virtus definitur *habitus, qui habentem perficit, eiusque opus bonum reddit.* Ideò subdit Aug *lib.* 83. *qq. quæst.* 31. virtutem esse *habitum bonum, modo, & rationi naturæ consentaneum.* Tertiò, pro virtute theologica, siue virtuti theologicæ associata, quo in sensu Aug. *l. solilоq.* & 2. *de lib. arb. cap.*18. & 19. scribit. *Virtus est ratio recta ad summum finem perueniens, siue bona qualitas mentis, quâ rectè viuitur, quâ nullus malè vtitur, quam Deus operatur in nobis, sine nobis.* Quartò, propriè sic describitur à Doct. *coll.*1. & 3. proximè citato. *Virtus est habitus electiuus, recta ratione determinatus.* Idem innuit Arist. 2. *Eth* 6. & 6. *eiusdem operis* 3. Cum autem electio sit voluntatis, 6. *Eth.* 3. infertur, virtutem propriè captam pertinere ad voluntatem, sicque prænominatam diuisionem comprehendere tantùm habitus voluntatis, cuius secundum membrum est non virtus, quia cum ex dictis detur actus indifferens, qui nec est bonus, nec malus; quoque admittitur habitus, qui non est virtus. Ex actibus quippe indifferentibus, sæpè repetitis, gignitur habitus neuter, seu indifferens, qui non est bonus, nec malus. Atque adeò virtus, & vitium non sunt opposita immediata, veluti iustum, & iniustum, inter quæ mediat non iustum: & inter amicum, & inimicum intercipitur

non amicus, vt notat Doct. 1. *dist.* 17 *quæst.* 2. §. *De secundo*.

15. Dices, Arist. 7. *Phys. T.* 17. secat explicitè habitus in virtutes, & vitia: ergo prælata diuisio pugnat Stagiritæ. Occurrendum est, vt plurimum habitus, qui non sunt virtutes, sunt vitia. Homo namque vt plurimum, est iustus, aut iniustus. Tamen vniuersaliter loquendo, inter virtutem, & vitium, adest non virtus. Vel dicito, dictam Philosophi diuisionem esse validam, sumendo vitium priuatiuè, sicut inter actum bonum & malum positiuè contrariè, mediat actus malus priuatiuè, authore Scot. *Quod.* 18. *art.* 1. *I.* & *K* Dubitari autem potest in præsenti, sicut in præcedenti, num sit diuisio essentialis, & adæquata, scio, nonnullos, inter quos citatur Scot. *Quol. alleg.* & 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. arbitrari esse distributionem subiecti, in accidentia, vnumque eius membrum ab alio differre penes quamdam relationem. Verùm, nihil videtur obstare, quin astruamus, prædictam diuisionem esse essentialem, vt præcedente, quandoquidem habitus vniuersè sumptus est genus intermedium qualitatis, 3. *dist.* 34. *quæst. vn.* §. *Notandum D.* plures diuisiones intermedias subiens, inter quas refertur hæc memorata diuisio. Qualitas autem suprema, vel interiecta, vel infima essentialiter, nullam claudit relationem, & habitudinem ad aliud, cum sit essentialiter entitas absoluta, quæ contradistinguitur ab entitate relatiua. Iterùm genus essentialiter diuiditur in suas differentias, & species, vt patet in Log. Ea autem habitus partitio est generis, in suas species, vt videre licet, apud Philosophum *cap. de Qualitate*; & Scot. *vbi suprà*, igitur dicta diuisio est essentialis.

16. 17. Dices cum Scot. nunc cit. *antè I.* circumstantiæ sunt relationes. Et 7. *Phys tit.* 17. & 20. virtus omnis, & malitia ad aliquid sunt. Igitur ea diuisio habetur per relationem. Dico quidem designare relationem, veluti scientia denotat respectum ad scibile; id tamen non impedit, quin virtus sit qualitas essentialiter, & de genere absolutorum. Etenim per se primò importat qualitatem, & connotat relationem, vt astruit Doct. 1. *dist.* 17. *quæst* 2. *ante S.* Idem dici potest de sanitate, & pulchritudine, de quibus *in Log. lib.* 3. *quæst* 7. *art.* 3. Dixerim tamen oppositum non carere probabilitate, vt videre est apud Scot. & Suarez *ibi cit.* eiusque probabilitas ibid. est ostensa & defensa à Gadio *Quol.* 18. ex Doct. *ibi.* & *coll.* 1.

Rursus, ea distributio est adæquata. Omnis quippè habitus, aut est virtus, aut non virtus, vt supra est exploratum.

18. Quartò, traditur à Doct. 3. *nuper cit.* § *Ad istam q. B.* in speculatiuum, & practicum. Intellectus enim humanus vel circa speculabilia perficitus, de quibus est habitus speculatiuus, qui est quadripartitus, Met. Phys. Mat. & Log. de quibus suis locis actum est. Vel circà operabilia, de quibus habetur habitus practicus, qui est bipartitus, actiuus, & factiuus, de quibus abundè *in Log. lib.* 1. *quæst.* 2. Et *tract.* 1. *summa Theologica quæst* 6. *disp.* 3. Vtrum autem hæc distributio sit essentialis, & sufficiens *ibid.* accuratè & exactè expenditur, *lib.* 5. *q.* 4. *art.* 6.

19. Dices, Theologia est habitus intellectus, qui tamen inter præadductos adductos non recensetur: ergo ea partitio est manca, & insufficiens. Dico, nos numerasse habitus naturales, sensuum ministerio acquisitos, cuiusmodi non est Theologia. Est enim supernaturalis, & in serie propriarum scientiarum haud collocatur, *in Tract. memorato palam feci*.

Articvlvs III.

Quid sit habitus.

20. DEfinitio habitus iam à nobis allata, & explicata est, *in Log. lib.* 3. *quæst.* 7 *art.* 2. & tacta à Doct. 3. *dist.* 3. *parte* 3. *quæst.* 1. his verbis, habitus est *qualitas aduentitia difficulter, à subiecto mobilis*. In qua ponitur genus, cum differentia, quæ ad idoneam definitionem desiderantur. Genus eius est *qualitas*, quæ ex dictis in Epitome distribuitur in qualitatem animæ, & corporis, in materialem, & spiritualem, cognoscitiuam, & appetitiuam. Esse autem habitum qualitatem, patet ea definitione ipsius qualitatis adducta loco mox alleg. per habitum quippè denominamur quales, & in eius categoria residet, vt ad oculum ibid. cernitur. Differentia verò eius est *aduentitia*, per quam à reliquis qualitatibus dissidet, præsertim à secunda eius specie, quæ habetur ab intrinseco, & à natura. Subditur *difficulter à subiecto mobilis*, propter dispositionem, quæ faciliter à subiecto amouetur, vt eo in loco est illustratum exemplo: necnon propter actum, qui citò transit, & fluit, habitus verò permanet, & persistit in subiecto, in quo reperitur, sub allata definitione comprehendi queunt habitus infusi, qui quoque sunt aduentitij, nempe ab authore naturæ infusi animabus Fidelium. Adduntalij vt Suarez cit. *num.* 6. dictæ definitioni, per se primò, ordinata ad operationem, & non præbens primam facultatem operandi, sed facilitans. Verum istæ particulæ non sunt necessariæ, si defendatur, vt probabiliter defendit Doct. 1. *distinctione* 17. *quæst.* 2. habitum non esse principium actuum, sed inclinationum dumtaxat. Reliquæ verò voculæ non adaptantur habitibus infusis, qui nullam promptitudinem, & facilitatem tribuunt, habent, vt communiter tenent scholastici. Ideò illa non est vera definitio congruens habitibus infusis, & acquisitis, quam idem Suarez eis accommodat *num.* 8. sed acquisitis duntaxat, adhuc esset afferenda habitus definitio communis vtriusque, secus diminuta foret, vni speciei eius tantum conueniens.

21. Dices Arist. 2. *Eth.* 5. & colligitur *ex cap. de qualitate*, atque *ex* 7. *Phys. cap.* 2. definiens habitum in plurali, ait, *Habitus sunt, quibus non ad effectus ipsos benè, vel malè habemus*. Igitur nostra definitio pugnat Arist. aliter habitum definienti. Respondeo, ibi Philosophum non describere omnem habitum, sed habitum bonum, vel malum. Nam cum dentur habitus, qui nec boni, nec mali sint, sed indifferentes; Itemque cum alij habitus sint intellectuales, alij verò morales; idcircò attulimus definitionem communem, & generalem omnibus habitibus. Eò magis, quia illa potius est partitio habitus moralis in bonum, aut malum, in virtutem, aut vitium, quam definitio, vt liquet ea particula disiunctiua *vel*. Insuper, data definitione generis habitus, commodè, & facilè est specierum eius definitiones peruestigare, quæuè ex dicendis infrà patebunt, potissimum definitio habitus acquisiti, cuius natura est nobis notior, quam infusi, huiusque inuestigatio peculiaris Theologis committitur.

Articvlvs IV.

An intellectus sit subiectum habituum.

22. PLerique ex schola Thomistica, inter quos sunt Soncinas 5. *Met. q.* 9. & Arr. *disp.* 9 *sect.* 2. *subsect.* 1. ex D. Th plurib. in locis adductis ab Hurt. *disp.* 15.

de

*de anima ſect.*1.negant in intellectu eſſe habitus à ſpeciebus intelligibilibus diſtinctos. Oppoſitum autem defendunt Scot.3.*diſtinct.*33.*quaſt.vn.*§.*Ad quaſt. H.* Vorr. *ibid.* Rscon. *diſp. vlt. de virtutibus, artic.*3.*propoſ.*3. & Suarez *diſp.*44. *Met. ſect.*4. Quibus ſubſcribunt Caiet.1.2. *quaſtione* 54. *articulo quarto*, & Ferr.ſ. *contra Gentes, capite* 56. affirmantes intellectum eſſe capacem habituum, à ſpeciebus intelligibilibus diſtinctorum.

23. Not. primò, ſubiectum receptiuum alicuius accidentis duplex eſſe poſſe, vnum remotum, & mediatum, vulgò ſubiectum quod nuncupatum, cuiuſmodi eſt ſubſtantia, quæ ſubiectum quod qualitatis, putà albedinis appellatur. Alterum proximum, & immediatum, communiter ſubiectum quo nominatum, veluti quantitas eſt ſubiectum proximum albedinis; in ipſa namque quantitate, albedo immediatè inhæret. In præſenti autem, & in ſequentibus articulis perueſtigatur non ſubiectum remotum, quod eſt anima, vel corpus animatum, ſiue totum coniunctum ex anima, & corpore, ſed proximum, quod eſt potentia intellectiua, de qua nunc eſt lis, aut appetitiua rationalis, aut ſenſitiua, aut loco motiua, aut alia quævis, de quibus ſigillatim in proximis articulis diſceptandum eſt.

24. Not. ſecundò, ſpeciem intelligibilem, de qua *in libro de anima*, ſe tenere ex parte obiecti intelligibilis. Eſt enim eius vicaria ſimilitudo, & imago eius naturalis, concurrens effectiuè partialiter ad producendam intellectionem. Ideò præcedit actum intellectus, cum ſit eius cauſa: habitus verò ſubſequitur actum, quandoquidem ex eius repetitione, & frequentatione cauſatur. Atque perhibetur habitus, proptereaquod ſortitur rationem formæ permanentis, vt aduertit Doct.1. *diſt.*17 *quaſt.*2.§. *Qui vult.T.* Species cum radicata fuerit, poteſt dici habitus. Et 2. *diſtinct.*3. *quaſt.*10. §. *Ad q. F.* idem habet.

25. Aſſertio prima, habitus intellectus non ſunt ſpecies in ipſo reſidentes, ſed facilitates radicatæ in eomet intellectu, eius actus ſubſequentes. Tenet Doct. *locis proximè citatis.* Probatur primò, fides infuſa ſubiectatur in intellectu, ſicut charitas in voluntate, vt cum Scot 3. *diſtinct.*22. *quaſt. vn.*§. *Ad quaſt. F.* affirmant Scotiſtæ, & cæteri Scholaſtici *ibidem.* Nemo autem aſtruit fidem eſſe ſpeciem intelligibilem de Deo, alioqui per illam ſpeciem poſſemus Deum cognoſcere, quam nullus in ſe habere experitur, nec dari huiuſmodi ſpeciem, conatur oſtendere Scot. *vbi ſupra.* Ergò habitus non ſunt ſpecies intelligibiles in intellectu receptæ.

Secundò, *ex* 6. *Eth.*4. numerantur quinque habitus intellectus, qui certè non ſunt ſpecies intelligibiles, cum hæ ſint incomplexæ, illi verò complexi, ſiue de complexis. Itemque iſtæ præcedunt habitus, tanquam ab eis cauſatos: hi verò ſubſequuntur, ſicut effectus ſuam cauſam. Rurſus, ſpecies cauſant actus partialiter, actus verò cauſant habitus, iuxtà illud decantatum, *ex frequentatis actibus fit habitus*. Non ergo habitus coïncidunt cum ſpeciebus intelligibilibus.

26. Reſpondet Arr.cit.*ſubſect.* 2.negando ſpecies non produci ab actibus. Putat enim intenſionem habitus effici à ſpeciebus. Contrà, ſpecies cum ſint præcedentes, & eædem numero nequeunt ab actibus cauſari; qui ſunt ſubſequentes, alioqui bis cauſarentur ſemel ab obiectis, ſemelque ab actibus, quod repugnat. Ob id addit Scot. *paſſim alleg.*§. *Aliter poteſt ante F.* Si obiectum non eſſet præſens per ſpeciem, adhuc ſtaret habitus, ſicut ſi ſpecies poſſet eſſe deleta, ſtante ſcientia. Si ergo poteſt eſſe ſpecies abſque habitu, ſanè ſpecies non eſt habitus, & è contra. Veluti, ſi homo poteſt eſſe ſine irrationali, vtique homo non eſt irrationalis, & è contrà. Denuò, inter ſpeciem, & habitum, mediat actus, quia per actum cauſatur habitus. Ideò Stagirita *lib. de ſomno, & vigilia, cap.*1. ſubnectit, cuius eſt actus, eius eſt habitus. Non ergo ſpecies eſt cauſa immediata actus, ſed mediata duntaxat, proindéque habitus haud cum ſpecie coïncidit. Tertiò. *ex* 1. *diſt.*17. *quaſt.*2.§. *Tenendo ſub R.* experimur habituatum differre, à non habituato, quia ille faciliùs, & promptiùs agit, quam iſte. Huiuſmodi autem facilitas, & promptitudo agendi parta per actuum frequentiam, non eſt ſpecies, quia quis habet ſpeciem, ſine illa promptitudine, & facilitate operandi. Vnde Ariſtot. *in initio Eth.* alleg. à Vorr. 3. *diſtinct.*37. *concluſione* 2. ſcribit, virtutes innaſci nobis a natura, perfici verò ab aſſuefactione, ſiue habitu. Iterum, per eadem fere quodlibet generatur, ac conſeruatur. Videmus autem virtutes morales conſeruari in nobis, aſſuefactione, & habitu, propterea dicuntur morales, à more, qui perinde eſt ac conſuetudo, vt idem Vorr. notat *vbi ſupra*, poſt Ariſtot 2. *Eth. cap.*1. Quod autem acquiſitione, & aſſuefactione generatur, relinqui, & amitti. Inſuper, ipſe Arr. cit. concedit, per habitus ſupernaturalès infuſos poſſe comparari habitum acquiſitum, nempè facilitatem operandi, ſiue eliciendi actus ſupernaturales; talis autem facilitas non eſt vlla ſpecies intelligibilis, vt patet. Addo, potentia carens habitu, faciliter, & delectabiliter non operatur, vt arguit Doctor *in Reportat.*1.*diſt.*17.*quaſt.*1.§. *Ad rationem dicitur.* Et paucis interiectis ſubnicit, potentia habitualis non poteſt ità perfectè operari, ſine habitu ac cum habitu. Secùs fruſtra eſſet habitus. Supponitur autem talem potentiam habere ſpeciem intelligibilem, non verò habitum. Igitur habitus à ſpecie intelligibili diſſidet.

27. Reſpondet Arr *vbi ſupra*, data hypotheſi habere quidem ſpecies, ſed non ita intenſas, & perfectas; ideò non ita promptè, & perfectè poteſt operari. Contrà, acquiſitis, & habitis ſpeciebus adhuc intellectus in intelligendo, & iudicando de rebus ipſi propoſitis habet non modicam difficultatem operandi. Vſus autem ſpecierum, earumque facilitas eſt habitus, non verò ſpecies, ſiue claræ, ſiue obſcuræ, ſiue intenſiuæ, ſiue remiſſæ. Ideò ruunt, quæ accumulat Arr. ad ſuam tuendam ſententiam.

28. Aſſertio ſecunda, intellectus eſt idoneum ſubiectum habituum. Traditur à Doct. *locis prælatis* & deducitur *ex præcedente*, fulciturque primò, teſtimonio Ariſtot. 7. *Eth.*4. locantis quinque habitus in intellectu, tanquam in ſubiecto. Secundò, ratione, vt enim habitus morales ſubiectantur in voluntate, vt monſtrabitur *in proximo articulo*. Sic habitus intellectuales in intellectu, vt in ſuo ſubiecto inhærent. Tertiò, omnis potentia indifferens, & indeterminata, indeterminatione actiua, determinatur per habitus eam ad agendum facilitantes, ideò ſi prius difficile operabatur, deinde per habitum facile operatur: atqui intellectus eſt potentia indifferens, & indeterminata indeterminatione actiua, ad cognoſcenda quæcumque obiecta cognoſcibilia, & intelligibilia, vt liquet de intellectu agente, cuius eſt omnia facere. 3. *Anima* 18. Igitur intellectus eſt aptum ſubiectum ad habitus recipiendos. Hæc ratio tangitur à Doctore, 3. *diſt.*33. *quaſt.vn.*§ *Ad rationem D.*

29. Oppones primò, potentia neceſſaria, & determinata ad operandum non indiget habitu: intellectus autem eſt potentia neceſſaria, & determinata ad intelligendum: ergo præter ſpecies obiectorum, non indiget habitu, quo ea intelligat. Ma. patet, potentia naturalis, & neceſſaria, poſitis omnibus requiſitis ad agendum ſtatim, & neceſſariò agit, vt liquet de igne, qui appoſita combuſtibilia, debitè approximata, & diſpoſita neceſſariò comburit, nullo habitu interpoſito. Minor eſt in confeſſo, intellectus quippè eſt potentia naturalis, & neceſſaria, quæ habens obiectorum ſpecies, nulla intercepta difficultate, intelligit: ergo ei nullus habitus eſt neceſſarius, inclinãs, & neceſſitãs ipſum ad ea intelligenda. Conf. nullum adeſt impedimentum,

ad

ad promendam obiectorum intellectionem, nec ex parte intellectus, qui ex se satis est capax, & dispositus: nec ex parte obiectorum, quæ suapte natura sunt cognoscibilia, & intellectibilia. Ergò nullus est intellectui necessarius habitus, distinctus à speciebus intelligibilibus. Concedo maiorem. Distinguo minorem, absolutè, concedo; intellectus quippè simpliciter, & suapte natura est determinatus ad intelligendum quodlibet obiectum intelligibile: secundum quid, id est ad facilè, & promptè operandum, nego, sic enim habitu eget. Ad eius probationem dico id valere potentia naturali non viuente, qua ignis v. g. fertur sursum, & terra deorsum, vt indicat Scot. cit. §. *Ad 1. sub M.* Non autem de potentia viuente, quæ vtitur mediis, ad cognoscenda obiecta, respectu quorum, vt citiùs, & commodius operetur, opus est habitu, vt experimur in scientiis, in quarum vsu, & exercitio reddimur promptiores, & celeriores, ad promendos actus scientificos, ferendumque iudicium de eisdem obiectis. Ad conf. dico cum Doct. 1. d. 17. q. 2. § *Qui vult. sub X.* & *coll.* 7. § *secundum principale*, licet intellectus sit dispositus per abnegationem contrarij, non tamen, per rationem dispositionis conuenientis. Exemplo declaratur de ligno, quod ex se priuatiuè est dispositum, per carentiam dispositionis oppositæ, ad calefactionem subeundam: positiuè verò est dispositum per congruam dispositionem, quæ est siccitas, ideò lignum siccum citiùs comburitur, quam lignum viride & humidum, madidumque.

30. Oppones secundò, intellectus euidenter, nulloque ipsi obice interposito, intelligit prima principia, & propositionibus necessariis assentit, nullo præsupposito habitu, atque imperio voluntatis assensum præbet propositionibus dialecticis. Non ergo necessarius est intellectui vllus habitus. Conf. ita philosophandum est de potentia naturali interna, sicut de potentia naturali externa: potentia autem naturalis externa, ad suas operationes non exigit habitum, ergo nec potentia naturalis interna, cuiusmodi est intellectus. Maior est in promptu. Minor liquet. Visus enim ad videndum, & auditus ad audiendum habitu non indigent. Concedo ant. distinguo consequens, absolutè, concedo: secundum quid, nego. Illi enim, qui pollent habitu, & exercitio, citiores & celeriores redduntur in suis operibus, quàm alij, qui habitus, & exercitij sunt expertes. Sunt namque percipienda, & applicanda principia, quorum facilior, & commodior est intelligentia iis, qui eorum habitu sunt insigniti, quam eo carentes, vt constat maximè in eis, qui habitu Logices potiuntur. Ad conf. concedo maiorem, nego minorem, vt patet de Astrologis, qui habent habitum videndi astra, & cæteris, qui citiùs, & faciliùs intuentur ea, quam alij qui eo habitu spoliantur. Idcircò Doct. in 3. passu memorato, in solis inanimatis cognitionis expertibus habitum inficiari videtur.

ARTICVLVS V.

An habitus resideant in voluntate.

31. NOnnulli apud Scot. 3. *dist.* 33. *quæst. vn.* §. *Hic dicitur.* In quorum numero Marginistæ eius citant D. Th. 3. *d. alleg. q.* 4. *art.* 2. & Ægidium *Quot.* 4. *q.* 18. putant, secundum Arist. & veritatem, habitus morales residere in parte sensitiua, præter iustitiam, quam ex 5. *Eth. c.* 1. & 3 *eiusdem operis c.* 6. collocant in parte intellectiua. Nec desunt hoc tempore quidam Nuperi, quorum nomina reticet Arr. *disp.* 9. *de anima. sect.* 3. *subsect.* 1. existimantes, voluntatem omnis habitus esse expertem. Communis autem sententia est Scot. præcit. §. *Ad quæst.* H Vorr. *ibid. conc.* 2. Orb. & cæterorum Theologorum, & Philosophorum, quos sequuntur Och. 3. q. 10. Hort. *disp.* 26. *de anima sect.* 3. & Suarez *disp.* 44. *sect.* 1. docentium, habitus in voluntate subiectari.

32. Not. ex Doct. *loco memorato.* §. *Hæc opinio. A.* Arist. aliquando sumere persuasibile à ratione pro voluntate: aliquando verò pro appetitu sensitiuo, obedibili rationi. Nam cum voluntas sit libera, est quidem à ratione persuasibilis, non tamen obedibilis. At verò appetitus sensitiuus, cum liber non sit, propterea non persuasibilis, sed obedibilis est rationi. Subditur namque imperio voluntatis, vt innuit sacer rex. Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Pariter, rationale bifariàm vsurpatur, vno modo strictè, sic soli intellectui competit, quippè qui solus ratiocinatur, intelligit, & discurrit. Altero modo latè, & ita competit voluntati, tum quia imperat intellectui, potestque ipsum auertere à consideratione vnius obiecti, ad contemplationem alterius obiectitum etiam quia realiter identificatur cum intellectu, qui primò, & simpliciter est rationalis. Dici quoque potest appetitus sensitiuus, latè, & participatiuè rationalis, quatenus rationi, & voluntati paret: atque in eo impropriè perhibetur esse virtus, vt aduertit idem Doct. *vbi suprà, in fine* §. *Ad quæst.*

33. Assertio, in schola Arist. & veritatis, voluntas est subiectum capax recipiendi habitus. Hæc assertio in duas scinditur partes. Prima pars probatur 1. *ex 2. Eth.* 6. Virtus est habitus electiuus: electio autem est actus voluntatis, 6. *Eth.* 3. In eo autem subiectatur habitus, in quo est actus *ex lib. de somno, & vigilia. c.* 1. voluntas ergò per Arist. ad habitus suscipiendos est apta. Secundò, *ex* 1. *Pol.* 1. necesse est, princeps habeat virtutem, vt rectè principet, & principaliorem, quam seruus, vt hic illi rectè subiiciatur. In parte ergo intellectiua, in qua præsidet, & præeminet voluntas, cum sit Domina regni animæ, resident habitus, qui morales nominantur. Tertiò, Idem Philosophus 1. *Eth.* 9. perquirens definitionem beatitudinis, segregat partem sensitiuam, ab intellectiua, & locat eam in parte rationali, præsertim in ea, quæ à ratione est persuasibilis, cuiusmodi est voluntas, vt explicui *in præmisso not.* Idipsum astruunt August. 14. *Ciuit. cap.* 5. *& 6.* Et *lib. de moribus Ecclesiæ c.* 15. Auic. 9. *Met. cap. vlt. &* S. Bon. 3. *d.* 33. *art.* 1 *q.* 3. Secunda pars suadetur primò, voluntas recipit habitus infusos, vt spem, & charitatem: ergò & habitus arte partos, & labore comparatos, qui sunt virtutes morales. Ant. est commune Scholasticis, conseq. tenet; sunt enim eiusdem generis, & prædicamenti, vt suprà obseru. ii. Secundò, habitus intellectuales sunt in intellectu, 6. *Eth.* 4. Ergò habitus morales in voluntate inhærent. Voluntas quippè est perfectibilis ab habitibus, sicut intellectus. Iidemque est determinabilis, & inclinabilis ad bene, aut malè operandum, promptéque, & facilè agendum. Immò magis indifferens, & indeterminata ad opus exercendum, cum sit libera, quam intellectus, qui est vis naturalis. Si ergo ille habitibus non caret, nec ista eis exuitur. Tertiò, in eo manet virtus, & habitus moralis, quod est principium decoris, aut dedecoris, 1. *Eth.* 5. voluntas autem est origo, & causa laudis, aut vituperij, meriti, aut demeriti. Sola quippè voluntas est libera, in cuius potestate est bene, aut malè agere; cæteræ verò potentiæ sunt naturales, & necessariæ: in naturalib. autem, & necessariis, nec meremur, aut demeremur. Quartò, habitus inuentus est ad potentiam facilitandam, notante Scot. *in Rep.* 3 *d.* 33. *q.* 1. in suis actib. & operibus: constat autem per actuum iterationem, voluntatem citius & facilius operari, quam sine eorum frequentatione. Denique iustitia ab Aduersariis locatur in voluntate, ergo ab aliis habitibus ipsa voluntas non est eximenda, cum de vtrisque habitibus æqua incedat ratio, vt scitè, & acutè prosequitur Doct. *vbi suprà.*

34. Opponès primò, contra 1. partem assert. 1. *Eth. c. vlt.* Statuuntur virtutes morales, in parte irrationali.

Vbi

Vbi Auer. eampartem ait esse appetitum sensititum, qui mediat inter vegetatiuam, & ratiocinatiuam. Et 3. *Eth.9.* fortitudo, & temperantia collucantur in appetitu sensitiuo. Ergo in Peripato, habitus in voluntate locum non habent. Conf.1.virtutes prænominatæ sunt in irascibili, & concupiscibili, quæ non voluntati, sed appetitui sensitiuo adaptantur: bonum quippè arduum, & delectabile, sub obiectum appetitus sensitiui cadunt. Conf. 2. *primo pol.* 3. ratio dominatur appetitui inferiori, dominio politico, adeò vt iste illi queat reluctari. In eo ergo ponendi sunt habitus, vt secundum rectum dictamen rationis, faciliter & delectabiliter valeat operari. Respondeo cum Scot. interpretante ea testimonia, quidem in appetitu sensitiuo esse habitus, non tamen esse virtutes, nisi impropriè, & participatiuè. Nam 2. *Eth.6.* virtus definitur habitus electiuus, qui soli congruit voluntati, vt indicatur 1.*Eth. ad medium.* Ad 1. conf. negandum est ant. In superioribus enim monstraui, irascibilem, & concupiscibilem tam appetitui sensitiuo, quam intellectiuo accommodari. Ad 2. conf. id verum esse in statu naturæ corruptæ, quem tantum agnouit Arist. non autem in statu naturæ institutæ, in quo per iustitiam originalem vires inferiores superioribus, & appetitus sensitiuus, voluntati, & rationi parebat, concorditerque se omnes habebant.

35. Oppones secundò, contra 2. partem assert. si habitus moralis sedem suam haberet in voluntate foret nobilior prudentia, quia nobilioris perfectibilis nobilior est perfectio. consequens pugnat Arist. 6. *Eth* 6. Ergò & antecedens. Conf. virtus theologica satis perficit voluntatem, ergo superuacaneus in ea ponitur habitus moralis. Concedo sequelam ant. ad eius probationem dico, prudentiam esse nobiliorem reliquis habitibus secundum quid, hoc est in ratione dirigentis, & regulantis; non autem simpliciter, & absolutè, vt tradit Doct. cit. §. *Ad* 1. *M.* Ad conf. dico, id valere penes bonum diuinum, non verò penes reliqua bona, quibus etiam voluntas perficitur. Sicut enim intellectus diuinis & creatis habitibus, putà artibus, & scientiis ornatur: pariter voluntas infusis, & acquisitis habitibus decoratur.

36. Oppones tertiò, actus supernaturales non producunt actus supernaturales, facilitantes potentiam, ad consimiles actus promendos: ergo nec actus naturales gignunt habitus naturales. Ant. claret in habente solum habitum infusum, à quo non videntur prodire actus, nec habitus supernaturales. Respondeo hoc argumentum, quod militat contra nos, & aduersarios nullius esse roboris. Siquidem habitus infusus differt ab acquisito, quia hic facilitat potentiam, in qua est, non autem ille. Atque actus habitus acquisiti generant habitum, quod infuso habitui denegatur, vt abundè in sequenti quæstione monstrabitur.

ARTICVLVS VI.

An in appetitu sensitiuo habitus inhæreant.

37. NOnnulli, qui à voluntate ablegant habitus, quæ est appetitus rationalis & liber, ab appetitu sensitiuo, qui est naturalis & necessarius, ipsos habitus etiam remouent, hoc fundamento suffulti, quoniam voluntas suaptè natura, cum sit indifferens, & indeterminata, non est per habitus determinanda, & quia appetitus sensitiuus est potentia naturalis ad vnum determinata, habitu non videtur indigere, nisi is appetitus ratione reguletur. & voluntate regatur, cuiusmodi non est appetitus bruti, sed solus appetitus hominis. His ex parte fauere videntur Och. *Quol.* 2. *quæst.*16. & Gabriel 3. *dist.*23. *quæst.* 1. *art.*3. perhibentes, non posse sufficienter, & euidenter monstrari, in appetitu sensitiuo in esse habitus. Communis autem sententia est Scot. 3. *dist.* 33. *quæst.vn.* §. *Ad quæst. sub H.* & §. *Ad argumenta principalia ante N.* Et *collat.6. in fine* §. *Ad quæst.* Bass. *ibid.* & aliorum docentium, in appetitu sensitiuo quocumque habitus residere.

38. Not. potentiam habitus compotem diuerso respectu vocari actiuam, & passiuam: & quidem dicitur passiua, quatenus in se recipit habitum, qui est accidens de genere qualitatis. Actiua verò nominatur, quia est causa, & principium partiale actiuè concurrens ad actus producendos, vt patebit *in proxima quæst.*

39. Assertio, appetitus sensitiuus est subiectum idoneum ad habitus recipiendos. Ita Scot. *locis prædlegatis.* Probatur primò, *ex* 1. *Eth. cap. vlt.* virtutes morales locantur in parte irrationali, per quam commentator. & alij interpretes intelligunt appetitum sensitiuum. Et 3. *Eth. cap.*9. subiicitur, fortitudinem, & temperantiam, quæ sunt habitus, collocari in appetitu sensitiuo, licet propriè non sint virtutes, nisi secundum quid, & minus principaliter, vt cùm Scot. astruit Bass. prænominatus. Secundò, appetitus sensitiuus respicit indifferenter obiecta appetibilia, estque subiicibilis rationi, & regulabilis imperio voluntatis: ergo assuefieri potest per actuum repetitionem, penes cibum, & potum, & quodvis aliud obiectum appetibile, & delectabile, vt patet de viris sanctis, & iustis, ieiunio, abstinentiæ carnis, & cæteris huiusmodi deditis, & assuefactis: huiusmodi autem assuefactio, & exercitatio est habitus, vt liquet ex eius descriptione allata in *præsenti quæst. art.*3. Ergo appetitus sensitiuus est habitus subiectum. Tertiò, habitus statuitur ad habilitandam, & facilitandam potentiam, in qua residet, ex dictis suprà: appetitus verò sensitiuus facilitatur, & habilitatur per actuum frequentiam, circà appetibilia, ardua, difficilia ferenda, & superanda, vt constat de viris Religiosis in votorum emissorum obseruatione, & virtutum acquisitione, quorum appetitus sensitiuus in initio reluctatur, & aduersatur rationi, & voluntati: postmodum verò promptè, & facilè conformatur, & regulatur rationi moderanti, & voluntati imperanti obedit, adeò vt ad opposita prohibita ampliùs non inclinet: in appetitu sensitiuo subiectantur habitus. De bruti autem appetitu infrà patebit. Ratio autem tacta in initio huius art. in oppositum, nullius est ponderis, quandoquidem non ex eo, quod appetitus est determinatus ad appetibilia, sicut intellectus ad intelligibilia est capax habitus, sed aliis de causis allatis, ad probandam præpositam assertionem, præsertim quia, per actus frequentiam. & exercitationem facilior, & promptior redditur ad operandum.

40. Oppones, omnia, quæ experimur nobis inesse per actus iterationem, vtique sine actus frequentia experimur per qualitates corporeas, & per artem medicam: nullus ergo habitus statuendus est in appetitu sensitiuo. Ant. suadetur, omnis inclinatio, ad gulam, & coïtum inducitur per generationem, vel corruptionem caloris, vel frigoris: atque per artem medicam diminuitur concupiscentia, & disponitur ad sobrietatem, & castitatem.

Nego ant. ad probationem dico, semper habitum iuuare, & facilitare potentiam, in qua est. Nam si forent duo æquè dispositi, & propensi ad appetibilia per dictas qualitates, tamen ille, qui habitu potiretur, citiùs, & commodiùs in ea tenderet, quàm alter habitus expers, proindeque dandus est habitus in appetitu sensitiuo.

Articulus VII.

An in corpore, membriſque eius ſit habitus.

41. Corpus animatum, eiuſque membra, habitus haud eſſe capacia complures, nuncupatim D. Th. 1. 2. *quaſt.*50. *art.*3. *ad* 3. & Almainus 3. *d.* 23. *quaſt.*2. aſſeuerant, quos ſequitur Suarez *diſp.*44. *Met. ſect.*2. *n.*3 Scot. autem 3. *d.*33. *q. vn.* §. *Ad* 1. *ſub M.* Scotiſtæ *ibid.* & Nom. cum ipſorum Principe *Quol.*2. *quaſt.* 17. & 3. *quaſt.* 10. & 11. quibus ſubſcribit Racon. *diſp vlt.* de virtutibus *quaſt.*1 *art.*3. tenent in corpore, eiuſque partibus ineſſe habitum.

42. Aſſertio, in corpore animato, einſque membris poteſt acquiri habitus. Ita Doct. *vbi ſuprà*, & *coll.* 6. §. *ſecundum principale.* Suaderi poteſt ex Ariſt. 2. *Eth. cap.*1. & 1. *Magn mor. cap.*7. qui negans habitum ab inanimatis videtur ab oppoſito, animatis concedere, ſupple, docilibus, & diſciplinabilibus.

Secundò, quædam artes, quæ mæchanicæ nuncupantur, exercentur membris corporis, vt ars cytharizandi, manibus, & ars canendi, lingua: per exercitium autem magis habilitantur præfata membra, teſte experientia: cum ergo habitus ſit facilitas, & promptitudo agendi, ſequitur in dictis membris ineſſe habitum.

Tertiò, habitus facilitat, & habilitat ea membra, quæ mouentur, vt patet de pictoribus, & luſoribus, qui pingendo, ludendo habiliores, & promptiores redduntur, ad pingendum, & ludendum: neglecto verò huiuſmodi exercitio, tardiores, & difficiliores fiunt ad ea opera miniſtranda. Addo, ſi quis calleat regulas artis, eas verò non exerceat, haud pollet promptitudine, & facilitate agendi, quæ eſt habitus. Aptè ergo in membris corporis collocatur habitus.

43. Reſpondet Suarez loco citato, hæc ſolùm probare, per exercitium dictorum actuum comparari habitum, non quidem in corpore, nec partibus eius, ſed in facultatibus animæ imperantibus, & dirigentibus motionem corporis, & membrorum eius. Contrà, huiuſmodi facilitas manet in corpore, putà in pede, vel manu, vel aliis partibus corporis; atque licet exiſterent præfatæ potentiæ, niſi habilitas, & facilitas foret in eis membris, non eſſet in eiſdem habitus. Immò fieri poteſt talis facilitas in membris, quamuis non fiat in viribus internis, quia patitur per actus tranſeuntes, circà externam materiam. Deinceps, in brutis non eſt prædicta actuum directio, & tamen in eis adeſt habitus, vt oſtendam in ſequenti art. Vt ſit ergo habitus, non eſt neceſſe, interueniat artis directio.

44. Dices, cum eodem Suarez cit. *ſect.*2. *num* 4. in externis artis inſtrumentis, experimur interdum, ea fieri vſu, & exercitio aptiora ad agendum, vel quia perficiuntur penes figuram, vel quia magis lenia, vel mollia redduntur: ſic poteſt intelligi membra corporis vſu effici magis idonea ad motum, quoniam nexui laxantur, aut magis contrahuntur, aut alia de cauſa. Pariter vires nutritiuæ conſuetudine aſſuefiunt ad abſtinentiam ſolum, quia qualitates 1. remittuntur, aut partes corporis exſiccantur, & magiſque reſiſtunt. Contrà, inſtrumenta artificialia, cum ſint animæ expertia, habitus haud ſunt capacia, veluti quævis alia inanimata, vt ex Ariſtotele prædixi, & præmonui. Ideò mirum non eſt: ſi limata, & polita nihil habitus habeant. At ſi duo homines ſuapte natura in partibus ſuis corporis, æque diſpoſiti extiterint, & alteruter habitu ornatus fuerit, ſanè qui habitum potiretur, faciliùs, & promptiùs ageret, quàm alter habitu exutus. In membris ergo corporeis ſubiectatur habitus. Quod autem ſubiicit Suarez de facultatibus nutritiuis, ipſi aperte pugnat. Quandoquidem, ſi conſuetudine aſſuefiunt ad abſtinentiam, vtique habitu aſſuefiunt, cum habitus, & conſuetudo coincidant, vt innoteſcet in ſubſequenti art.

45. Opp. 1. illud eſt idoneum ſubiectum habitus, quod eſt ſolum receptiuum actus immanentis. Nam cum habitus faciliter potentiam, in ipſa recipitur, inſidetque: ergo nec corpus, nec membra eius ſunt apta ſubiecta habitus. Reſpondeo ant. eſſe inſufficiens. Siquidem ſubiectum habitus, nedum recipit actus immanentes, ſed etiam actus tranſeuntes, atque actus internos, & externos, per quorum iterationem, & exercitationem agens celeriter, & delectabiliter operatur.

46. Opp. 2. ſi admittatur habitus in membris corporis, vel huiuſmodi habitus recipitur immediatè, in potentia motrice locali, aut non. Non primum, alioqui ea potentia non foret actiua, ſed paſſiua. Nec 2. quandoquidem ea qualitas non foret habitus, cum habitus ſit in potentia facilitans ipſam ad agendum. Igitur in corpore, eiuſque partibus nullus eſt locandus habitus. Concedo ma. Ad min. dico potentiam motiuam, vt recipit habitum vocari paſſiuam, vt verò producit actus, appellari actiuam, Nihil autem obſtat, quin eadem potentia diuerſo reſpectu dicatur actiua, & paſſiua, vt patet de intellectu, qui agens, & patiens nuncupatur. 3. *de anima. T.*18.

Articulus VIII.

An in brutis ſit habitus.

47. Complures Scholaſtici, quibus adhærent Suarez nuper cit. *ſect.*3. & Arr. *diſp.*9. *de anima ſect.*2. *ſubſect.*1. opinantur bruta omni habitu carere, cunctúmque ſenſum, tam internum, quàm externum eſſe prorſus ineptum eius ſubiectum. Scot verò 3. *d.*33. *q. vn.* §. *Ad* 5. *ſub M.* Racon. *diſp. vlt de virtutib. q.*1. *art.*3. & omnes Scotiſt. & Nomin. in brutis eſſe habitum, conſtanter, & libenter defendunt.

48. Not. ex Scot. mox alleg poſt Ariſt. 2. *Eth.* 1. in inanimatis nullum poſſe gigni habitum, propterea quod per repetitionem eorum actuum non redduntur habiliora, & faciliora, quàm per eorundem ceſſationem vt lapis ſi centies deorſum cadat, non citius per primum, quam per cæteros deſcenſus in centrum fertur, Itemque ſi ignis centies ſurſum tendat, non celerius, & facilius poſterioribus vicibus, quam priore vice illuc eleuatur. In animatis verò, (ſupple docibilibus, & diſciplinabilibus aliter contingit, vt patet experientia, & hiſtoria de Elephante, Leone, Cane, & reliquis.

49. Aſſert. bruta habitu inſigniuntur. Tradit Doct. *vbi ſuprà*, & ſuadetur 1. ex Ariſt. præcit. concludente inanimata à participatione habitus: ergo, ab oppoſito, cum bruta potiantur anima, ſibi habitum comparare valent.

Secundò, potentiæ brutorum ſunt per habitum determinabiles, vt patet de equo, qui cum primùm difficulter voluatur in orbem, poſtmodum, repetitis circulis faciliter in orbem cietur: huiuſmodi autem facilitas per actuum repetitionem acquiſita, eſt habitus, & 6. *Eth. c.*3. *Pueri, & beſtiæ naturales inſunt habitus.* Idque innumeris colluſtrari poteſt exemplis, & experientiis, præcipuè de Elephante characteres efformante, teſte Athenæo: & coruo ſalutante Cæſarem, Authore Plinio.

Tertiò, quædam animalia pollent memoriâ, & valent experientiâ; 1. *Met c.*1 necnon facilitate agendi, poſtquā

fuere edocta, vt patet de cane, qui in ore fert sudariolum proiectum à domino eius, ad ipsum dominum, cum ad id vehendum pluries fuerit instructus: talis autem facilitas, & proptitudo est habitus, vt liquet ex eius notione, & descriptione. Suffragatur Aug. *l. 83. qq. quæst. 36.* inquiens, immanissimas belluas consuetudine fieri domitas, & mansuetas: consuetudo autem coincidit cum habitu. Bene ergo statuitur habitus in brutis.

50. Respondet Suarex prænominatus, eam consuetudinem non esse habitum, qui inclinet potentiam bruti, ad faciliter, & delectabiliter operandum, sed phantasma, putà speciem sic, vel sic repræsentantem, firmius, & tenacius, in memoria, vel phantasia eius inhærentem. Contrà, consuetudo, & habitus idem sonant, vt ipse Suarex notauit ex Aug. cit. & Arist. 2. *Mor. Eudem. cap.* 4. Ergo si bruta habent consuetudinem, vt concedit idemmet author, vtique potiuntur habitu. Deindè, species, siue phantasma non est consuetudo, sed potius causa consuetudinis, & assuefactionis, vt suprà dixi de specie intelligibili, quæ non est habitus, sed causa eius partialis. Causa verò nequit esse effectus, respectu eiusdem. Ampliùs, idem Suarez *sect. 4. loci alleg.* arguit Thomistas arbitrantes habitum intellectualem non distingui ab habitu intellectus; idipsum autem hic accideret, secundum eumdem existimantem, illam consuetudinem, & facilitatem brutorum, in eliciendis actibus esse species intelligibiles. Denuò, *sect. 3. eius disput. num.* 4. vult cum Thomist. cogitatiuam hominis, siue phantasiam esse habitus compotem, ergo & cogitatiua bruti, cum sint eiusdem generis, & rationis. Nec iuuat dicere, cogitatiuam hominis dirigi ab intellectu, & imperari à voluntate. Id enim cum sit extrinsecum, non facit ipsam capacem habitus. Vel enim cogitatiua præcisè est capax habitus, vel non; si non, ergo cogitatiua hominis est inepta ad habitum recipiendum: si sic, ergo & cogitatiua bruti, quæ pariter dirigi potest ab extrinseco, putà ab homine, per signa sensibilia, quatenùs per assuetudinem didicit brutum, per exequutionem talium signorum consequi delectationem, aut vitare dolorem, vt scite tradit Ric. 2. *d.* 33. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. Insuper, si valet ratio Suarex suadentis, non esse ponendum habitum in brutis, quoniam omnis eorum potentia est naturalis, & ad vnum determinata, contra ipsum retorquetur, intellectus hominis, eius phantasia, & cæteræ potentiæ, voluntate dempta, sunt naturales, necessariæ, & ad vnum determinatæ: hoc autem non obstante, ponitur habitus in intellectu, & in cogitatiua hominis, ergo locandus quoque est in cogitatiua bruti, & reliquis eius facultatibus, quæ promptiores, & faciliores per assuefactionem redduntur in operando.

51. Oppones primò, Auer. 3. *de anima com.* 18. definiens habitum, ait, *Habitus est, quo vtimur, cum volumus*: bruta verò cum voluntate careant, nequeunt vti habitu, cum volunt, ergo in eis non inueniuntur habitus. Confirm. ex Damasc. 2. fidei cap. 28. *Bruta non ducunt, sed ducuntur*: ergo nullum sortiuntur habitum. Respondeo Auer. ibi tantum loqui de habitu morali spectante ad voluntatem, cuius vsus manet in nostra libertate; non verò de habitu naturali, cuius vsus interdum sub nostra non manet potestate, annuente Paulo Rom. 7. *Non quod volo, facio.* Ad confirm. dico illud testimonium non nobis officere. Etsi enim bruta ducantur, nihilominus possunt habilitari, & facilitari in suis actibus. Vnde Scot. 1. *distinct.* 17. *quæst.* 2. §. *Hanc viam*, subiicit, *Appetitus sensitiuus non ducit, quia non dominatur suæ actioni, vt appetitus liber, sed ducitur*, idest, determinatur ad certam operationem, ab agente.

52. Oppones secundò, potentiæ bruti, tam externæ, quàm internæ, necessariò ab ipsis obiectis oblatis determinantur ad vnum, ergo in eis non reperitur habitus. Consequent. tenet, quia habitus inclinat, & determinat potentiam ad vnum. Ant. de sensibus externis liquet; nemo quippe dubitat, detúrne in his vllus habitus, cum luce clarius sit, hos habitu non egere: de sensibus verò internis ostenditur, siquidem obiecto præsente, nulla extat indifferentia in hisce sensibus, sed prorsus ad ea feruntur, eodem modo in fine, quo in principio, nisi maior vis fiat ab extrinseco, vt si equus pungatur, velociùs currit. Quod si obiectum absit, tantumque per speciem repræsentetur, sensus internus determinatur ad illud, & per consuetudinem talis species firmiùs in eo inhæret, ergo in eo non est quærendus habitus, cum nullus esse queat, præter species in eo existentes, quæ ex dictis propriam rationem habitus non participant. Respondeo distinguendo ant. æque difficilè, aut æque facilè nego: difficilius, aut facilius, concedo. Siquidem cernimus equum, cum domatur, in principio, nonnisi difficulter moueri, & pati sessorem domantem: deinde facilè moueri à dirigente, & sessore, per actuum frequentationem, & exercitationem. Ad id, quod subnectitur de sensibus externis, dici potest, in aliquibus fortassè esse habitum, vt patet in Perspectiua, & Astrologia. Faciliùs quippè cernit Astrologus, & limpidiùs astra, quia in eis est exercitatus, quam alius, qui semel ea aspexit, & est eorum disciplinæ expers. Itemque in conspiciendis imaginibus, cæterisque, quæ commodius, & facilius videntur ab eo, qui pluries vidit, quam ab alio, qui semel tantum aspexit. De sensibus autem internis commodior est responsio, cum phantasia bruti ferat iudicium, de sibi nociuo, & proficuo, cernamusque quandoque bruta, nullo extrinsecus impellente, & pungente hærere in itinere, postmodum progredi. Quod si contingat, vt eadem bellua per idem iter incedat, vbi prius hæsit, posterius nulla facta hæsitatione, peragere suum cursum, cum anteà nonnisi difficulter, ibique locus transitu ei difficilis extiterit. Quare id fit per habitum, non autem per speciem tenaciùs ei adhærentem.

QVÆSTIO II.

De efficientia habitus.

ARTICVLVS I.

An habitus sit principium effectiuum actus.

1. PRIMA sententia est Aur. 1. *distinct.* 17. *artic.* 4. §. *Restat. ergo.* Dur. 3. *distinct.* 23. *quæst.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 83. *cap.* 2. & Hurt. *distinct.* 16. *de anima, sect.* 7. negantium habitum efficienter concurrere ad actum producendum. 2. sententia est D. Thom. 1. 2. *quæst.* 49. *art.* 3. Caietan. *ibid.* Och. *Quol.* 3. *quæst.* 20. & aliorum affirmantium, habitum effectiuè influere in actum. Scot. autem 1. *distinct.* 17. *quæst.* 2. & *Coll.* 6. vtramque sententiam prænominatam, tanquam probabilem defendit, magis tamen propendet in secundam, vt videre licet *passu præcitat.* §. *Ad solutionem huius quæst. sub GG.* Et 4. *distinct.* 49. *quæst.* 2. §. *Ad argumenta propè finem.* Et 3. *dist.* 13. *quæst. vn.* §. *Ad rationem. sub E.* Et *in Report.* Idem sentiunt Vorr. 2. *distinct.* 3. Viger. Lych. & alij.

2. Not.

2. Not. primò, hæc tria adinuicem sic ordinari, obiectum, siue eius speciem, quæ gerit vicem ipsius obiecti: deinde actum, qui à potentia cognoscitiua, eiusque obiecto causatur, tanquam à duabus causis partialibus, vnam totalem constantibus: postmodum habitum, qui ex iteratis actibus generatur, quive in subsequentes actus actiue influit. Quamuis autem species nonnunquam habitus appelletur, propterea quod permanet, & radicatur in subiecto, veluti habitus: nihilominus propriè non est habitus. Etenim notante Scot. 2. *d.* 3. *quæst.* 10. §. *Ad quæst. antè G.* species differt ab habitu. Nam quis potest habere habitum intensum, & speciem remissam. v. g. si quispiam extiterit rudis ingenij, & multo studio deditus, habebit habitum intensum, & speciem remissam: si verò alter fuerit perspicacis ingenij, & parùm studuerit, gaudebit habitu remisso, & specie intensa. Vnde experimur quosdam ingenio tardos, ad maiorem peruenire scientiam, quam alios ingenio præstantes, parum studio vacantes. Ratio est, quia illi multum, hi verò parum laborant in comparandis litteris, vt aduertit Vorr. *vbi suprà.*

3. Not. secundò, ex Doct. 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. §. *Tertio modo: antè H.* habitum esse causam partialem, vna cum potentia, quæ est altera causa partialis, producentem actus perfectos, & subsequentes. Potentia quidem est causa totalis actuum præcedentium generationem habitus: verùm habitus acquisitus, & potentia eius sunt duæ causæ partiales integrantes, & constituentes vnam totalem causantem simul actus subsequentes; veluti potentia cognoscitiua, & obiectum, siue species eius sunt duæ causæ partiales vnam totalem constantes, quæ producit cognitionem obiecti. Quamquam inter hæc adsit aliquod discrimen: quandoquidem potentia cognoscitiua absque obiecto, siue specie eius nequit notitiam gignere: verùm potentia absolutè, sine nullo habitu, potest producere actum, putà actum, qui præcedit habitum, quive est causa ipsius habitus.

4. Not. tertiò, ex eodem *ibid.* potentiam esse causam actuum subsequentium habitum præcipuam, qua agens dicitur simpliciter posse agere, vt intellectus, quo homo potest intelligere, & voluntas, qua potest velle: habitum verò esse causam eorumdem actuum partialem minus præcipuam. Datur quippe habitus non ad agendum absolute, sed ad faciliter; & delectabiliter agendum. Ideò non est necessarius simpliciter, sed secundum quid, vt faciliùs scilicet, & promptiùs agens operetur. Iterum potentia vtitur habitu, non econtra; id autem quo vnum vtitur alio, est principale vt liquet de causa principali vtente instrumento. Deinde, da oppositum, & sequitur, nullam esse causam liberam, quia cum habitus sit causa naturalis, si foret principalis, necessitaret causam liberam ad agendum. Denuò, habitus esset, quo habens primò posset operari. Atque in ordinatis, causa prior est principalior causa posteriore, vt patet de Deo, & creatura.

5. Assertio, probabile est, habitum concurrere actiuè ad actus posteriores producendos. Tenet Scot. *locis prænominatis*. Probatur primò, *ex* 6. *Eth.* 6. habitus practicus diuiditur in actiuum, qualis est prudentia, quæ describitur habitus cum recta ratione actiuus: & factiuum, cuiusmodi est ars, quæ describitur habitus cum recta ratione factiuus. Vnde formari potest argumentum sic, prudens est agens, ergo prudentia est actiua. Similiter, artifex est faciens, ergo ars est factiua. Hinc Arist. 2. *Phys. T.* 28. *&* 5. *Met. T.* 2. ars, & artifex ad idem genus causæ efficientis spectant. Rursus, 2. *Eth.* 6. virtus est habitus, à quo bonus efficitur homo.

6. Dices, prudentia vocatur habitus actiuus, non quia sit principium actiuum propriarum operationum, sed quia dirigit actiones morales. Itemque ars perhibetur habitus factiuus, non quia sit principium factiuum propriorum actuum, verùm quoniam dirigit operationes transeuntes, in externam materiam. Contrà, talis directio est practica, ergo eius principium est verè effectiuum. Ant. patet, nam a tali directione artifices denominantur effectiui, non ob aliud, nisi quia habent principium factiuum. Deinceps, habitus practicus à speculatiuo differt, quia non habet hic principium effectiuum, tendens ad opus, vt alibi explicaui, cum egi de praxi, ille verò pollet principio effectiuo, vel circa manualia.

Secundò, habitus ex dictis *art.* 5. *præcedentis quæst.* distribuitur, in infusum, & acquisitum, habitus autem infusus est principium actiuum, vt gratia est principium productiuum operationis meritoriæ, & lumen gloriæ est principium actiuum operationis beatificæ: ergo habitus quoque acquisitus est principium actiuum. Cons. tenet, quia vterque est eiusdem generis subalterni qualitatis.

7. Dices, habitum infusum non agere vi propria, sed tantum inclinare potentiam ad agendum, sic ad merendum requiritur gratia, vt habens gratiam acceptetur à Deo, non verò vt gratia aliquid cum eo efficiat. Contrà, præterquamquod id pugnat torrenti Scholasticorum admittentium habitum infusum, esse verè actiuum, & à Deo infundi in hominem, vt cum ipso actiue concurrat, contradicit Scripturæ, præsertim 1. Cor 15 *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Et ibid. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Et Hebr. 10. *Iustus ex fide viuit.*

Præterea, omne habens finem, habet principium operandi, ad consequendum eum finem, alioqui frustrà niteretur assequi talem finem: habitus autem infusus, & acquisitus respiciunt finem, penes cuius consequutionem tendunt, ergo sortiuntur proprias operationes circa illum; proindeque omnis habitus est productiuus, & effectiuus.

Tertiò, forma differt à materia, potissimùm in eo quod forma est principium actiuum, materia verò principium passiuum, 1. *Phys. T.* 66. Habitus autem est forma absoluta; est enim de genere qualitatis, ergo est principium actiuum.

8. Dices, forma substantialis est quidem principium actiuum, non autem forma accidentalis, veluti quantitas, quæ non est de genere actiuorum, vt notat Auer. 1. *Phys. com.* 43. Contrà, qualitas est forma actiua, vt patet de 1. & 2. specie prædicamenti qualitatis: habitus autem est de prima specie qualitatis, vt patet in Log. ergo est principium actiuum. Deinceps, cui assimilatur effectus, est eius principium actiuum: effectus autem à potentia vnà cum habitu productus, assimilatur ipsi habitui, vt opus gratum charitati, & opus bonum morale habitui bono morali: igitur habitus est actiuus.

Quartò, experientia comprobatur, homines habituatos plus operari, quàm non habituatos, vt qui callet habitum Logicæ plura, & expeditiora argumenta contexere, quam qui eo caret. Id autem aliunde non prouenit, quàm ab habitu. Non enim à potentia, quæ eodem modo operatur, si est naturalis. Cùm ergo ille effectus pendeat ab aliqua causa, eaque haud sit sola potentia, planè infertur, prodire ab habitu, vnà cum potentia concausante, & coadiuuante.

9. Dices, id proficisci ex eo, quod habitus inclinat potentiam ad agendum, veluti grauitas inclinat graue ad locum deorsum, non autem quia habitus sit principium actiuum, sed inclinatiuum dumtaxat. Pariter, quia per habitum amouentur omnia impedimenta, quæ possunt retardare potentiam ab opere, sicque promptè, & expeditè ipsa potentia operatur. Contrà, agens maiori conatu nunc quàm antè, cæteris paribus habet maiorem virtutem, qua producit maiorem, & perfectiorem effectum. Etenim ille excessus ab aliquo promanare debet, non ab inclinatione habitus, quia inclinatio non est actiua, cum sit de genere relationis. & potentiæ naturales suaptè natura sunt inclinatæ,

vt intellectus est inclinatus ad intelligendum. Igitur ab aliquo principio actiuo de nouo ei accedente, quod planè aliud non est, quàm habitus. Nec impeditur potentia ab opere, siquidem sublato obice, adhuc experimur habituatum, plus operari, quàm non habituatum. Insuper 8. *Phys.* 32. *&* 2. *anima* 55. Homo antè scientiam est in potentia essentiali, habens verò scientiam est in potentia accidentali. Quod autem reducit de potentia essentiali, ad accidentalem, est principium effectiuum, quia est, quo habens operatur. Ideò subiicitur loco vlt. alleg. sicut anima est, quo viuimus, ita scientia est, quo scimus. Patet autem animam esse principium effectiuum suorum actuum, ergo similiter habitus est causa similium actuum, à quibus est productus. Demum, habitus moralis est principium actiuum actuum moralium, vt iustitia, qua homo iustus iustè operatur, & virtus, qua benè est habenti, 2. *Eth.* 5. concluditur ergo habitum coagere, ad actus causandos.

10. Oppones primò, relatio non est principium actiuum, cum sit de genere sterilium: habitus autem est relatio, 7. *Phys.* 17. & 5. *Met.* 20. Ergo habitus actiuè non concurrit ad actus producendos. Concedo ma. distinguo min. formaliter nego, quia habitus est qualitas, quæ est forma absoluta: realiter concedo; sicut enim scientia formaliter est ens absolutum, & designat relationem ad scibile: & sicut creatura est entitas absoluta, & præfefert relationem, ad creatorem: ita habitus formaliter significat entitatem absolutam, & connotat relationem ad potentiam, necnon ad obiectum, da quo exrat habitus.

11. Oppones secundò, potentia est adæquatum principium suorum actuum: ergo ad actus producendos non est necessarius habitus. Ant. patet, vna potentia est sufficiens principium eorum actuum, nec exigit aliam potentiam, ad eosdem promendos, secùs non foret potentia adæquata. Frustrà igitur admittitur habitus, tanquam alterum principium actiuum simul concurrens cum potentia, ad eosdemmet actus efferendos. Distinguo ant. absolutè, concedo: secundum quid, hoc est ad facilè, & promptè eliciendos actus, nego. Sic enim valet, & confert habitus, cernituque in hoc eius vtilitas, & commoditas.

12. Instabis, potentia, nullo secum cooperante, commodè, & expeditè agit, in vno quippe instanti actum elicit. Quod autem in momento sit, non petit facilitatem, & promptitudinem, quæ per habitum exprimitur: nihil ergo prodest habitus, ad actus obeundos. Nego ma. Quamuis enim admittatur, potentiam vnum actum in instanti elicere, non tamen cæteros actus. Ideò ad eos faciliter, & delectabiliter promendos conducit habitus.

13. Oppones tertiò, accidens non est principium agendi, in proprium subiectum, vt albedo non agit in parietem, in quo subiectatur: actus autem, qui perhibetur ab habitu prodire, sæpè recipitur in potentia, in qua residet habitus, ergo non est principium eius actiuum. Nego ma. quæ vniuersaliter non est vera, vt patet de specie intelligibili, quæ partialiter causat actum intelligendi, qui recipitur in eodem intellectu, in quo inhæret species. Quò respiciens Scot. 1. *Met.* *q.* 6. exponit illud Arist. l. de somno, & vigilia, c. 1. *Cuius est potentia eius est actus* Supple, subiectiuè.

14. Oppones quartò, quæ specie differunt, nequeunt esse sibi inuicem causæ æquiuocæ, quia causa æquiuoca est perfectior suo effectu, cum virtualiter, & eminenter eum contineat. Idem autem respectu eiusdem nequit esse perfectius, & imperfectius, eminentius, & depressius: habitus autem, & actus specie differunt, sunt que causæ æquiuocæ. Igitur habitus nequit esse principium effectiuum actus, & è contra. Distinguo maiorem, de causis æquiuocis totalibus, concedo: de causis æquiuocis partialibus, vti est habitus, nego. Vt patet de specie intelligibili, quæ est causa æquiuoca partialis actus intelligendi, qui ea est nobilior, & præstantior.

ARTICVLVS II.

An habitus sit principium actiuum moralitatis actus.

15. QVi tenent moralitatem actus esse entitatem absolutam, ab habitu causatam, asseuerant habitũ esse principium eius effectiuum. Horum suppresso nomine meminit Doct. *coll.* 6. §. *Secundum principale.* inquiens nonnullos existimare, potentiam esse causam substantiæ actus, & habitum esse causam eius moralitatis. Qui verò tuentur, moralitatem actus esse relationem conuenientiæ, aut disconuenientiæ, de qua verba fecimus *l.* 2. *q* 1. *art.* 5. negant habitum influere actiuè, in moralitatem actus, influxu scilicet distincto, ab influxu, quo concurrit ad substantiam actus. Huius placiti est Doct. *infrà* citandus.

16. Not. 1. duplex esse reperiri in actu, videlicet esse naturæ, & esse moris. Illud est esse physicum, & absolutum, nempè qualitas, cuius principium effectiuum, si fuerit ante habitum, est sola potentia: quod si subsequatur habitum, eius principium actiuum statuimus potentiam, & habitum simul concurrentes. Esse verò moris, est id consequens esse naturæ actus, siue eius esse physicum conforme, aut difforme recto dictamini rationis. Vnde distingui potest eiusdem actus esse materiale, & esse formale, vt indicat Doct. 1. *d.* 17. *q* 2. §. *Ad arg. illa adducta antè Z.* Esse materiale est actus physicus, & dicitur substantia actus: esse verò formale est conformitas rationi rectæ, aut difformitas. Bonitas quippe moralis est integritas omnium conditionum, & circumstantiarum debitarum. In præsenti autem examinatur, vtrum ad hoc esse morale actus, effectiuè concurrat habitus, vel non.

17. Not. 2. bonitatẽ moralẽ, necesse est, præcedat rectum dictamen rationis, cui conformatur, sicut mensuratum, suæ mensuræ, & regulatum, suæ regulæ. Huiusmodi autem dictamẽ non oportet esse ab habitu intellectiuo, nempè à prudentia, nec actum conformem recto dictamini elici ab habitu morali appetitiuo. Etenim rectum dictamen præit prudentiam, sicut causa præcedit suum effectum, cum per ipsum gignatur 1. gradus prudentiæ. Pariter recta electio antecedit habitum moralem, quia per eam gignitur virtus moralis in 1. gradu. Quare in 1. actu ratio rectè dictat, absque prudentia: & voluntas rectè moraliter eligit, sine virtute morali. Prudentia tamen ex 1. actu, vel multis aliis rectis rationis actibus genita, magis inclinat ad consimilia dictamina elicienda, siue ad rectè concludendum conclusiones syllogismorum practicorum de omnibus circũstantiis, quæ dicuntur esse in actu eliciendo. Similiter virtus moralis genita post 1. actũ, magis propẽdet ad actus promendos cõsimiles illis, ex quibus est genita, quã ad alios actus.

18. Not. 3. quod gignitur à virtute morali esse quandã qualitatẽ, de cuius essentia præcisè non est conformitas eius ad prudentiam, quandoquidem generari potest ex actibus consimilibus, & eiusdem speciei, absq; prudentia, immò à ratione erronea, si inesset. Hæc autem qualitas, quæ gignitur ex actibus generalibus non est virtus ex eo, quod est qualitas. Vt enim sit virtus, requiritur conformitas ad prudentiam, siue eius coëxistentia cum prudẽtia in eodẽ agẽte, cui hic habitus cõiungitur, tãquã regulę, & priori causę. Licet autẽ actus, siue qualitas illa ex se sit cõformabilis rectæ rationi, tamẽ non est huiusmodi actus bonus moraliter actu, nisi actu sit conformis rationi rectæ, & prudentiæ coësistenti in eodẽ operãte.

19. Assertio 1. bonitas moralis actus non habet causam effectricem, distinctam à causa producente substantiam actus. Ita Doct. cit. §. *Quantum ad istum. sub. P.*

Probatur

Probatur primò, moralitas actus non est aliud, quam relatio conuenientiæ, aut disconuenientiæ, vt patet ex prætactis fundamentis: relationis autem, vt relatio est, non datur causa propria distincta, à causa producente eius extrema, quia ex positione extremorum consurgit: ergo &c.

Secundò, actus non est moralis, nisi per habitudinem, & conformitatem ad rectum dictamen rationis, vt declaraui *in* 2. *not.* si ergo moralitatis actus daretur proprium principium, istud foret relatio illa conformitatis, relatio autem non est actiua, vt superius animaduerti: non datur proprium moralitatis actus distinctus à principio substantiæ eius productiuo.

20. Assertio secunda, nec habitus concurrit effectiuè ad actum moralem, efficientia distincta ab ea, qua concurrit ad substantiam eius. Tradit Doct. *vbi suprà Q.* Probatur eodem modo, quo probata est superior ass. nomine actus mutato, in nomen habitus. Moralitas quippe habitus est relatio, veluti moralitas actus. Cum ergo relatio non propriè producatur, sed comproducatur, & emergat ex positis fundamento, & termino nec relatio sit principium actiuum, consequenter habitus nullam sortitur efficientiam distinctam ab ea, qua causatur substantia actus. Addo, quod dat esse, dat consequentia ad esse, vt quod producit animam, dicitur quoque producere eius vires, & facultates. Itemque quod producit substantiam corpoream, vtique perhibetur producere quantitatem, & reliqua accidentia, quæ ipsam consequuntur: pariter habitus, qui effectiuè influit in substantiam actus, quoque & in moralitatem eius, quæ ex ea consequitur, & concomitatur.

21. Oppones primò, Virtus est, quæ habentem perficit, opusque eius bonum reddit, at non reddit opus bonum principio passiuo, cum non sit ratio receptiua, ergo principio actiuo, proindéque habitus est principium actiuum moralitatis actus. Conf. 1. *ex* 7. *Phys.* 17. *&* 5. *Top.* virtus est perfecti ad optimum, non passiuè, quia non est ratio receptiua, ergo actiuè coagit ad moralitatem actus. Conf. 2. ita se habet optimum, ad optimum, sicut bonum, ad bonum, ratio autem principij actiui optima est, ergo cum virtus optime perficiat habentem, sequitur ipsam esse principium actiuum. Resp. exponendo testimonium illud, & distinguendo ma. efficientia distincta, nego: eadem efficientia consequente substantiam actus, concedo, vt suprà manet declaratum, & probatum. Per eamdem distinctionem satisfit duabus prælatis confirmationibus

22. Oppones secundò, *ex eodem* 2. *Eth.* 3. virtus moderatur passiones, non principio passiuo. Nam cum obiectum sit causa naturalis causat secundum vltimum potentiæ suæ, nisi obex interponatur: ergo si virtus compescit passionem causatam ab obiecto, sequitur ipsam esse principium vnicum. Distinguo ant. virtus moderatur passionem iam factam, nego: fiendam, concedo, quatenus inclinat potentiam, vnà cum prudentia coëxistente, vt fugiat immoderata delectabilia, quæ inferunt immoderatas delectationes, non quidem inexistentes minuendo, sed quæ possunt inesse, præcauendo.

23. Opponea tertiò, *ex eodem ibid. cap.* 4. non habens iustitiam, & si queat operari iusta, non tamen iustè, bonitas autem moralis poscit operari iustè, igitur virtus est principium actiuum moralitatis actus. Respondeo interpretando Philosophum, & distinguendo ma. non habens habitum iustitiæ, nequit operari iustè, simpliciter, nego. Nam qui elicit primum actum iustitiæ, operatur iustè, quamuis iustitiæ habitu non sit præditus. Secundum quid, concedo, hoc est, non habens habitum iustitiæ, non operatur iusta faciliter, & delectabiliter, veluti ille, qui iustitiæ habitu pollet.

ARTICVLVS III.

An habitus concurrat effectiuè ad substantiam actus.

24. QVidam, in quorum numero adscribitur à Marginistis Scot. 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. §. *Ad* 2. *quæst. antè E.* Henr. *Quol.* 4. *quæst.* 10. arbitrantur habitum infusum producere totam substantiam actus supernaturalis: acquisitum verò concurrere tantum ad eius facilitatem. Alij, vt Gotfred. *Quol.* 9. *quæst.* 4 *cit* ab eisdem Authoribus *ibid.* §. *Alio modo. antè G.* putant habitum concurrere quidem ad modum, siue intensionem actus, non tamen ad eius substantiam. Communis autem opinio est Scot nunc alleg. §. *Quantum ad istum art. sub Q.* Et 4. *dist* 49. *quæst* 2. §. *Ad argumenta. FF.* Suarez *disp.* 44. *Met. sect* 6 *num.* 8. & aliorum docentium habitum esse principium actiuum substantiæ actus.

25. Not. primò, ex Doct. *in* 1. *cit. G.* modum, seu intensionem actus non esse accidens extrinsecum actui, sed esse gradum intrinsecum ipsi actui, adeò vt gradus intrinsecus non sit vnum per accidens, sed vnum per se, sicut indiuiduum vnius speciei extat vnum per se. Modus quippe, siue gradus describitur, qui additus rei, non variat rem. Quo pacto albedo siue sit vnum, siue quatuor gradnum, non mutatur eius essentia, sed intenditur, & perficitur, quia qualitas suscipit magis, & minus. Quare modus, siue gradus non mutat rei naturam, tam in diuinis, vt infinitas, quàm in creatis, vt finitas. Differentia verò mutat essentiam rei, quia constituit rem, in tali esse essentiali, & quidditatiuo.

26. Assertio, habitus concurrit, nedum ad facilitatem, & intensionem, verumetiam ad substantiam actus. Ass. est tripartita, quam tuetur Doct. *vbi suprà.* Prima pars, quæ extat loco *cit. in initio q* 2. *B.* patet, habitus namque datur ad facilitandam potentiam in suis operationibus. Vnde extat illud Victorini alleg. à Vorr. 2. d 1. *Natura habilem facit. ars facilem, & vsus potentem.* Et Arist. 2. *Eth.* 1. *& indè.* Habitibus inest delectatio in affectiua, in operando facilitas, & in potentia exequutiua promptitudo, & expeditio, impedimentorum remotione. Itaque habenti habitum 4. conditiones attribuuntur, 1. operari delectabiliter. 2. faciliter. 3. expeditè, & 4. promptè: concurrit ergo habitus, ad actus facilitatem.

Secunda pars, quæ militat aduersùs Suarez cit. *sect* 6. *n.* 5. suadetur, quandocumque duæ causæ partiales concurrunt simul ad producendum communem effectum effectio, & perfectio eius effectus vtrique tribuitur, vt liquet in naturalibus. Sed potentia, & habitus partialiter concurrunt, ad producendum actum perfectum, vt dixi *art.* 1. *huius q.* Ergo habitus est causa intensionis actus. Deinde, causa, quæ se sola minori conatu concurrit, ad producendum effectum, si ei addatur alia causa adiuuans, maiori conatu effectus producitur, & perfectior efficitur, vt constat experientia: ergo cum potentia sola non faciat effectum, ita intensum, & perfectum, sicut præstat eum habitu secum cooperante, vt videtur olfacere Suarez cit. *num.* 6. plus enim potest potentia habituata, quàm non habituata, deducitur habitum coagere ad actus intensionem. Corroboratur ex illo vulgato. *Virtus vnita fortior.* Quò fortè respiciens Ecclesiastes 4. inquit. *Si dormierint duo, fouebuntur mutuò, vnus quomodo calefiet?*

Tertia pars. Probatur primò, causa quæ concurrit ad intensionem actus, vtique concurrit, ad eius substantiam, vt suprà notaui, gradus intensionis est intrinsecus, eiusdem rationis, & speciei cum re, cuius est gradus: habitus autem coagit ad actus intensionem,

vt concedunt Authores aduersæ sententiæ, ergo & ad eius substantiam. Secundò, si habitus causaret tantum intensionem, & potentia substantiam actus, actus æque foret intensus, ac potentia operante minori conatu, ac maiori conatu, vt potentia libera, quæ pro suo libito potest intensè, vel remissè operari. Habitus autem, cum sit causa naturalis, necessariò, & eodem modo semper operatur: falsum verò est, actum esse æque intensum, potentia operante, minori, ac maiori conatu, vt cuilibet est peruium, & exploratum, ergo &c. Tertio, si habitus præbeat intensionem actui, certè id fiet in aliquo gradu, fiat ergo in 5. gradu, & detur potentia sine habitu perfectior, v. sea, hæc potentia sine habitu, intensiorem habebit actum, quàm alia imperfectior, cum habitu, proindéque substantia, & intensio actus perfecti, non à solo habitu, nec à sola potentia, sed ab vtroque petenda est.

27. Oppones primò, contra secundam partem assertionis, habitus non est magis intensus, quam actus, ex quo gignitur, quia effectus non est perfectior sua causa: ergo habitus non concurrit effectiuè, ad actus intensiores eis, ex quibus est productus, proindéque habitus non iuuat potentiam ad actus intensiores. Concedo ant. distinguo consequens, se solo, concedo: vna cum potentia, nego. Quamuis enim solus habitus nequeat intendere actum, nihilominus iunctus cum potentia id potest, vt de vno homine, qui nequit trahere nauiculam, tamen si fuerint duo simul iuncti, eam trahere valent.

28. Oppones secundò, si habitus actiuè influit in substantiam actus, ergo habitus est potentia. Consequentia tenet, quoniam principium faciendi rem, quoad substantiam est potentia, vt indicat Doct. 3. *dist.* 34. *quæst. vn. ante § His suppositis. sub H.* Concedo ant. nego consequentiam: siquidem vt aduertit Scot. 1. *d. cit. §. Tertio modo sub H* Potentia est, quo primo habens potest operari, estque prior causa: habitus verò est, quo habens faciliter operatur, estque causa posterior. Potentia quippe vtitur habitu, & non è conuerso, atque est ipso illimitatior, & vniuersalior.

29. Oppones tertiò, vel potentia, & actus sunt causæ actus totales, vel partiales. Non 1. quia alterutra superflueret. Non 2. quia potentia est causa sufficiens producendi actum, vt constat de 1. actu, qui à sola potentia proficiscitur. Nullo ergo modo habitus cooperatur ad substantiam actus. Respondeo esse causas partiales diuersi ordinis, & rationis, concurrentes ad eundem actum perfectum. Quamuis autem potentia simpliciter sufficeret ad productionem actus: nihilominus datur habitus tanquam altera causa partialis, vt potentia faciliter, & delectabiliter actus suos depromat.

Articvlvs IV.

Ad quos actus influat habitus.

30. Actus potentiæ, aut præcedunt, aut subsequuntur habitū, aut sunt simile, aut dissimiles, vnius, aut alterius potentiæ. Certum autem est, habitum effectiuè non cōcurrere ad primos actus, quia posterius præsupponit prius esse, nullumque illi potest præbera influxum, veluti effectus nequit dare esse suæ causæ, à qua ipse accepit esse. Habitus ergo cum sit posterior prioribus actibus, ex quibus generatur, hi nullum esse eius participant. Idque astruit Doct. 3. *d.* 7. *quæst.* 2. *§. Tertio modo. antè H.* & 3. *dist.* 33. *quæst. vn. §. Ad quæst. H.*

31. Certum quoque est, in communi sententia, habitum coagere cum potentia ad actus ipso habitu posteriores, quia causa præcedit suum effectum: ideóque ea est posterior. Atque habitus cooperatur tantum cum potentia, quàm informat. Siquidem conceditur habitus, vt iuuet potentiam ad agendum faciliter, veluti anima viuificat corpus, non quodcumque, sed illud tantum, quod informat. Rursùs duæ causæ partiales ad vnum communem effectum producendum concurrentes vniuntur simul, vt valeant eum effectum producere, vt patet de materia, & forma, intellectu, & specie intelligibili. Potentia autem, & habitus sunt duæ causæ partiales concurrentes simul ad actum perfectum, vt suprà monstraui. Deinceps ad consimiles actus promendos debent influere habitus, ex quibus generantur, quia finis habitus, est vim conferre potentiæ, in qua residet. Cum autem sit causa necessaria, & naturalis, consequenter ad eos actus potentiæ cooperatur, quam informat. Eò magis, quia habitus debet proportionari potentiæ, quam determinat, ergo habitus potentiam inclinat, ad actus consimiles, a quibus ille fuit genitus. Amplius, habitus est causa minus præcipua actus, eoque vtitur potentia, ad secum coagendum, igitur, tantum habitus operatur in ea potentia, in qua inexistit.

32. Certum pariter est non ad omnes actus potentiæ posteriores habitum cooperari, sed solùm ad similes actus, ex quibus fuit genitus. De primo patet, quia non vnus est habitus potentiæ, sed multiplicantur, penes rerum multiplicitatem, vt intellectus insignitur habitibus speculatiuis, & practicis, voluntas habitibus moralibus. Iterùm, quidam pollet habitu Logicæ, non verò habitu Medicinę. Ratio est, quia habitus determinat potentiam ad vnum, cum sit causa naturalis. Non ergo habitus concurrit ad omnes actus potentiæ, in qua manet. De secundo etiam constat, quia habitus non habet aliam virtutem agendi, præter eam, quam participat ex actibus, ex quibus est procreatus. Effectus quippe naturalis non excedit virtutem suæ causæ: actus autem, ex quibus habitus est genitus, sortiuntur tantum virtutem producendi actus sibi similes, cum habeant vim determinatam, & limitatam, ergo habitus ad eos actus ipsi similes funditur duntaxat. Denuò, habitus specificantur ab obiectis, circà quæ versantur, vt physica à corpore naturali, Medicina à corpore sanabili, ab eisdemque suam decerpunt vnitatem, ex dictis in Log. *lib.* 5. *quæst. vlt.* Igitur, habitus solum efficit actus similes illis, ex quibus est genitus, vt confirmat Doct. 3. *distinct.* 33. *quæst. vn. §. Ad argum. N.* & *dist.* 34. *quæst. vn. §. Notandum vlterius*, post Aristot. 2. *Eth. in fine.*

33. De tertio, astruo physicè vnam potentiam non causare actum, in altera potentia, atque habitum vnius potentiæ non causare habitum, nec actum, in altera potentia. Sequitur ex dictis, quandoquidem potentia acquirit habitum, vt is ipsam iuuet ad facile, & promptè operandum: suntque habitus diuersi, penes diuersitatem potentiarum. Alius quippe est habitus potentiæ intellectiuæ, alius verò potentiæ volitiuæ, de quibus Doct. 3. *distinct.* 34. *quæst. vn. §. Ad istam quæst. B.* Non ergo vna potentia causat actum, & habitum in alia potentia. Ampliùs, vt fiant actus, & habitus, necesse est, simul vniantur potentia, & habitus, ipseque habitus informet talem potentiam, in qua inest habitus, vt superius monstraui. Cum ergo habitus non informet alteram potentiam, ea excepta, in qua manet, sanè deducitur, vnam potentiam, nec actum, nec habitum efficere in alia potentia, nisi ostensiuè, vt intellectus ostendit voluntati, quæ facienda, quæve omittenda sunt: atque recta ratio dictat, quæ amplectenda, quæve fugienda sunt. Pariter, voluntas potest imperare intellectui; vt hoc, vel illud obiectum speculetur, ipsumque à speculatione auertere. Iterum, appetitui sensitiuo mandare, vt conformetur recto dictamini rationis, seque abstineat à cibis prohibitis,

tempore Quadrageſimæ. Id autem non eſt agere phyſicè, ſed tantum moraliter: atque ita loquutos eſſe quoſdam Philoſophos morales, *aduertit Suarez. pract. ſect.7. num.5.*

34 Opp.1. Scot. 3. *cap 33. q vn. §. Ad argumenta ante N.* concedit, in appetitu ſenſitiuo quamdam virtutem, quæ cauſari nequit, niſi à voluntate, quæ eſt domina potentiarum, tam ſuperiorum, quam inferiorum, vt dixi *l. vlt. de anima, q. de voluntate*, ergo vna potentia poteſt cauſare actum, & habitum in alia potentia. Reſpondeo ibi Scot. loqui de cauſalitate morali, non autem de efficientia phyſica, de qua nunc eſt lis. Ponit namque ibi virtutem in appetitu ſenſitiuo, quatenus conformatur rectæ voluntati.

35. Opp.2. fortitudo, & temperantia ſunt habitus morales, perhibenturque eſſe in iraſcibili, & concupiſcibili: atque verſantur circa bonum arduum, & bonum delectabile: eædem autem virtutes ſtatuuntur à Doct. cit. in voluntate. Idem ergo habitus poteſt efficere actum in pluribus facultatibus. Reſpondeo præfatas virtutes aliter eſſe in appetitu ſenſitiuo, aliter verò in appetitu intellectiuo. Siquidem in appetitu ſenſitiuo ſunt impropriè, quatenus appetitus ſenſitiuus regulatur, iuxta rectum dictamen rationis, ipſeque obtemperat voluntati rectæ, agitque ſecundum eius imperium. Cæterùm, propriè ſunt in voluntate, in qua diſtinguuntur quoque iraſcibilis, & concupiſcibilis, ſcribente Doct. 3. *d.34. q vn. §. Notandum, ſub G.*

ARTICVLVS V.

Quomodo actus concurrant ad generationem habitus.

36. DVr. 3.*d.33. q.1.* putat habitum effici à potentia, præuia diſpoſitione actuum, hoc eſt, habitum à potentia produci naturaliter, qui tamen prodiret minimè, niſi potentia per actus prius diſponeretur. Alij, vt Buridanus 2. *Eth. q.3.* opinantur, potentiam producere habitum per actus, hoc eſt, actus eſſe viam ad gignendum habitum. Scot. autem 1. *d.3. q.9. §. Ad 1. ante P.* & *d.17. q.2. §. Contra iſtam opinionem ante L.* Vorr 2 *d* 3 Faber *ibid. diſp 26. num.32.* & Suarez *diſp.44. Met. ſect 8. num 6.* docent actus eſſe principium effectiuum actos habitus.

37. Nor. cauſam alicuius poſſe eſſe duplicem, remotam, ſeu mediatam, & proximam, ſeu immediatam, vt cauſa proxima intellectionis eſt intellectus, eius verò cauſa remota, & radicalis eſt anima rationalis. Sic in re noſtra, cauſa proxima habitus, ſunt actus; cauſa verò eius remota, eſt potentia. Idque non obſcurè indicat Doct. cit. 1. *d.17. q.2. in fine §. Tertio modo. H.* inquiens. *Potentia eſt cauſa habitus, ſaltem mediantibus actibus. & nullo modo è conuerſo.* Et 2. *d.42. q. vn. §. Ad arg. D. Ex ſimilibus actibus generatur ſimilis habitus.* Nam vt dixerat 1. *d.3. q 8. §. Ad* 1, *ſub E.* effectus formalis magis aſſimilatur cauſæ proximæ inferiori, quàm remotæ, & principali. Dictum autem eſt ſuprà, potentiam eſſe cauſam primariam, habitum verò eſſe eius am ſecundariam actos: ac proinde econuerſo, cauſa immediata, & proxima habitus ſunt actus.

38 Aſſert. cauſa effectiua habitus non eſt diſpoſitio, nec via ad cauſandum habitum, ſed actus. Aſſ. eſt tripartita, quam tuetur Doct. *vbi ſuprà.* 1. pars contra Dur. Suadetur 1. nulla ſæpe in potentia adeſt indiſpoſitio ad productionem habitus, vt patet de intellectu, qui ſuaptè natura eſt aptè diſpoſitus, ad acquirendum habitum principiorum, & ſcientiæ, veluti cælum eſt rectè diſpoſitum, ad recipiendum lumen ſolis: cauſa ergo effectrix habitus non eſt tribuenda diſpoſitioni. 2. cauſa naturalis rectè diſpoſita, debitéque approximata ſuo obiecto, neceſſariò cauſat ſuum effectum, vt patet de igne debitè approximato combuſtibili: poſita autem potentia, omni ſecluſo obice, & indiſpoſitione ab ea, non ponitur habitus: poſitis verò actibus iteratis, acquiritur habitus: cauſa ergo habitus non eſt præfata diſpoſitio.

39. Secunda pars, quæ militat contra Buridanum, probatur 1. actio, quæ eſt via ad generandum habitum, eſt actio de genere actionis, & actus effectiua habitus eſt de genere qualitatis, vt notat Scot. 1. *d.3. quæſt.9. ad finem*: ergo cauſa effectrix habitus non eſt via ad producendum habitum. 2. actio de genere actionis habet terminum, vt dictio habet pro ſuo termino intellectionem, quia per dictionem producitur intellectio, vt oſtendi *l. vlt. de anima quæſt. de intellectu*: actio verò de genere qualitatis non habet terminum, ſed ipſa eſt terminus potentiæ, 9. *Met. T.16.* Addo, habitum eſſe ens abſolutum, cum ſit de genere qualitatis, igitur à relatione, quæ eſt via ad effectum proficiſci nequit.

40. Tertia pars probatur 1. ex Ariſt. 2. *Eth* 1. affirmante, & dicente, ſicut ædificando ædificatores, & citharizando citharœdi efficiuntur: ita iuſta agendo iuſti, temperata, temperantes, fortia, fortes euadunt. Addit Scot. 1. *d.3. q 9. in fine Q.* aliam ſimilitudinem. Sicut lumen ſolis in medio eſt ratio gignendi ibi calorem, ſic actus eſt cauſa habitus. Patet autem lumen eſſe cauſam effectricem caloris: ergo & actus eſt principium effectiuum habitus. 2. ex communi proloquio Philoſophorum, ex frequentatis actibus generatur habitus, vbi præpoſitio *ex* denotat efficientiam, aduertente Votr. nuper cit. Atque conſtat ex illo Rom.11. *Ex ipſo.* Et Gen. 25. *Duo paruuli ex ventre tuo.* 3. cui effectus aſſimilatur, eſt cauſa eius efficiens: habitus autem aſſimilatur non potentiæ, ſed actibus, ex quibus generatur, teſte Scot. 2. *d.41. q. vn. §. Ad arg. D.* Et 3. *d.33. q. vn. § Hæc opinio. D.* Ma. eſt in promptu, cauſæ enim nituntur ſibi aſſimilare effectum, vt dixi *l. de cauſis.* Et patet de patre, & matre, quibus ſimilis eſt filius.

41. Opp.1. pro Dur. 7. *phyſ. cap.3. T.17.* Ad habitum non eſt per ſe motus, ergo habitus ab actibus non producitur, ſi enim ab actibus produceretur, foret forma abſoluta, veluti quantitas, ad quam ex Ariſt. eſt per ſe motus; fieretque per actum, ſeu per actionem. Reſpondeo per expoſitionem, & diſtinctionem antecedentis, ſi habitus ſumatur pro relatione, quam deſignat, veluti ſcientia includit relationem ad ſcibile, concedo: quod ſi accipiatur pro qualitate, & forma abſoluta, nego, vt ſatis declaraui, *art.1. huius q. in reſponſione* 1. *appoſitionis*, & innuit Doct. 1. *d.17. q.2. §. Hanc viam. S.*

42. Opp.2. pro eodem, habitus vitioſus conſeruatur actiuè à voluntate. Non enim conſeruatur ab actu, qui iam corruptus eſt, neu à Deo, qui odit malum, ergo conſeruatur à voluntate, proindéque ab ea producitur; quod etiam dicendum eſt de cæteris potentiis, & habitibus. Concedo ant. nego conſequentiam. Siquidem aër conſeruat lumen, quod non producit. Itemque intellectus conſeruat ſpeciem, quam non producit. Quare licet habitus conſeruetur à potentia, non tamen ipſa eſt proxima eius cauſa.

43. Opp.1. pro Buridano, principium actiuum non agit aliquid, niſi media actione, vt ignis non calefacit, niſi media calefactione: habitus autem non facit actum, actione diſtincta ab ipſo actu, quia actus eſt actio, & non datur actio actionis, nec locus loci: Ergo cauſa proxima habitus eſt via ad producendum habitum. Reſpondeo argumentum concludere, de actione de genere actionis, quæ minimè eſt cauſa effectiua habitus: non verò de actione, de genere qualitatis, quam cum Scot. cit. aſſerimus eſſe habitus productiuam.

ARTICVLVS VI.

An vnus actus possit causare habitum.

40. PRior opinio est Dur. 1. *d.*17.*q* 8. *ad* 2.& Hurt. *disp.*16. *de anima, sect.*1. § 45. arbitrantium, vnico actu effici habitum. Posterior opinio est Scot. 1. *d* 3. *q.*6. §. *Ad q. sub H.* & *d.*17 *q* 5. §. *Qui vult. sub T.* & 3. *d.*33. *q. vn.* §. *Hæc opinio. B.* & §. *Ad rationem. E.* & §. *Ad q.* & §. *Ad* 1. *I.* Vorr. 2. *d.*3. Fabr. 2. *disp.*26. *num.*31. Racon. *disp. vlt. de virtutibus sect.*4. *q.*2. & Suarez *disp* 44. *Met. sect.*9.*n.*12. docentium ex pluribus actibus acquiri habitum.

45. Not. 1. & recol. ex dictis in Log. *quæst. de qualitate*, primam speciem qualitatis appellari duplici nomine, putà dispositionem, & habitum, quæ ex ibi assertis differunt accidentaliter, veluti perfectum, & imperfectum, inchoatum, & consummatum, transiens, & permanens, debile, & firmum, vt abundè passu nunc memorato explanaui, & probaui. Dispositio quippè facile à subiecto amouetur: habitus verò difficilè ab eo diuellitur. Facilitas autem, vel difficultas, paruitas, vel diuturnitas temporis non faciunt differentiam essentialem, vt liquet 1. *Eth. cap.*6. cit. à Doct. 4. *d* 49. *quæst* 6. *propè initium, ante A.* Quare licet dispositio dici queat habitus, hoc est, imperfectus, & inchoatiua, tamen habitus proprio, & communi vsu capitur pro qualitate radicata in subiecto, de difficili mobili, fixa, & permanente, parta ex iteratis actibus, vt innuit Philosophus *cap. de qualitate*, inquiens, dispositionem diuturnitate fieri habitum.

46. Not. 2. habitum intendi, & perfici, per multos gradus, vt alibi dixi de intensione qualitatis, adeò vt per 1. actum agentis, in potentia operante acquiratur 1. gradus, & per secundum, secundus, & sic deinceps, eo modo, quo loco nunc alleg. dixi, & ostendit Doct. 1. *d* 3. *q* 7. § *Quidquid sit, ante T.* ac disertè exprimit Gabriel. 3. *d* 23. *q* 1. *dub.*4. Ob id refelluntur nonnulli existimantes, per 1. actum nihil acquiri in potentia, sed solum per vltimum actum, in virtute actuum præcedentium. Etenim cum sit æqua ratio de 1. actu, ac de sequentibus, deducitur, quod sicut per priorem nihil comparatur in potentia, vtique nec per posteriores actus, hoc non concedunt dicti Authores, ergo nec illud debent admittere. Hinc virtutis studiosi perhibentur ire de virtute in virtutem, de gradu in gradum perfectiorem ascendere. Qua de causa Theologi, tres status hominum virtuti incumbentium enumerant, incipientium, qui nondum virtutem sunt adepti, proficientium, qui in ea comparanda progressum faciunt, & perfectorum, qui eâ in statu perfecto potiuntur, & isti dicuntur habere habitum perfectum, & consummatum, illi verò dispositionem, & habitum imperfectum. Quapropter Arist. 7. *Eth.*7. distinguit continentem, à temperato, quia ille licet virtute operetur, sentit tamen aliquam difficultatem: hic verò absque difficultate, promptè, & expedite operatur, annuente Scot. 3. *d.*33. *quæst. vn. ante* §. *Ad rationem. B.*

47. Assert. habitus absolutè sumptus, non per vnum, sed per plures actus acquiritur. Tenet Doct. *vbi suprà.* Probatur 1. ex Arist. 1. *Eth.*7. & 2. *eiusdem operis cap.* 1. Vbi Philosophus disserens de habitu, tam intellectuali, quàm morali, inquit hos comparari vsu, tempore, experientia, & consuetudine. Idque declarat 1. *Eth. cit cap* 8. hac similitudine. Sicut vna hirundo ver non facit, nec vna dies: ita nec vnus actus habitum. 2. ex celebri, & vulgato Philosophorum elogio, adducto à Doct. 1. *d.* 17. *q.* 2. §. *Qui vult. sub T.* & 3. *d.*33. *q vn.* §. *Hæc opinio. B. Ex frequentatis actibus generatur habitus.* Et ratio est, quia vt arguit Doct *loco vlt. cit.* habitus non tantum ponitur in potentia vt per eum ipsa potentia agat, verumetiam, & præcipuè, vt faciliter, & delectabiliter operetur, quispiam enim potest rectè agere, sine habitu acquisito, vt constat de viro vitiis dedito, & habituato, nouiter ad bonum conuerso, qui licet ex recto dictamine rationis valeat, bene agere, non tamen, facilè, & promptè, sed patitur difficultatem: 3. si per vnum actum acquireretur habitus, is habens habitum, nullam subiret difficultatem, & pugnam agendi virtuosè, cuius contrarium claret experientia 3. si per vnum actum gigneretur totus habitus, cum vnus habitus alteri opponatur, & simul esse nequeant, vt dixi in Log. *l.*5 *q. vlt.* sequitur, per vnum actum corrumpi habitum contrarium, vt per vnum actum castitatis, & continentiæ, corrumpi habitum luxuriæ. Id autem falsum esse, nemo est, qui non videat, ergo &c. 4. per vnum actum paritur dispositio, quæ, teste Arist. *in fine cap. de qualitate*, consuetudine fit habitus: at si per talem actum acquiratur totus habitus, id non opotteret, sed statim ac esset dispositio, quoque foret habitus. Insuper, habitus esset simplex qualitas, totaque scientia acquireretur à nobis per vnicam demonstrationem, quod falsum esse, monstraui in Log *loco prærecensito.* Vnde miror Suarez qui cum Thomistis *loco cit. sect.*4. *num.*15. teneat habitum scientiæ per vnum actum comparari, doceat modo habitum non acquiri, nisi per actuum frequentationem. Si enim scientia, quæ est habitus, vnico actu paritur, vtique & habitus absolutè, & simpliciter sumptus, per vnum actum comparatur, quod diffitetur præfatus Suarez.

48 Opp. 1. si habitus, vno actu non gignitur, ergo, nec multis actibus. Eadem quippè videtur ratio de vno, ac de pluribus. Si enim 1. actus non causat habitum, nec 2. & sic de cæteris; cum sint eiusdem rationis, & successiuè concurrant, ad producendum habitum. Nego consequentiam, vt patet de secante ligno, qui vno ictu non secat lignum, sed pluribus ictibus. Addo illud sæpè decantatum,

Gutta cauat lapidem, non bis, sed sæpè cadendo.

49. Opp. 2. actus vehementer intensus, tantam sortitur virtutem, quantam participant multi actus remissi; vt patet experientia de scindente lignum, ictu vehementi, quod secare nequiuisset, nisi pluribus ictibus remissis Sed hi causant habitum, ergo & ille, quâ æquiualet istis. Respondeo vt plurimum habitum causari per actuum frequentiam: verumtamen interdum inficiandum non est, actum valdè intensum producere habitum, vt videre licet, apud Doct. 3. *d* 33. *q vn.* §. *Ad q. H.* & *d.*36. *q. vn.* §. *Licet infrà K.* & 3 *d.*5. *q.*9. *in fine Q.* & 4 *d* 49. *q.*9.

50. Quæres 1. vtrum inter actum, & habitum sit mutua causalitas? Respondeo affirmatiuè. Vt enim claret ex dictis, actus priores causant habitum, deinde habitus concurrit partialiter ad causandos actus posteriores veluti vapores virtute solis, in mediam regionem attracti, sunt causa pluuiæ, & postmodum pluuia est causa vaporum, non quidem eorumdem numero, sed specie.

51. Quæres 2. vtrum actus, & habitus sint eiusdem speciei? Respondeo negatiuè, cum Scot. 1. *d.*17. *q* 2. §. *Tertio modo. H.* & §. *Contrà istam. K* Actus namque est vitalis, non verò habitus: Potestque esse actus sine habitu, & è conuerso, vt liquet in dormiente. Iterum actus est terminus potentiæ, 9. *Met. T.*16. non autem habitus.

52. Dices, tam actus, quàm habitus sunt species 1. generis qualitatis, vt licet intueri in eius serie tradita in Log. ergo sunt eiusdem speciei. Dico, esse eiusdem speciei subalternæ, non autem infimæ, de qua proposita est instantia.

ARTICVLVS VII.

Vtrum actus sit perfectior habitu.

53. ALen. a *p. q.96. m* 2. & alij putant, habitum nobiliorem esse actu. Scot. autem 4. *d.49. q.*1. & 2. §. *Ad arg. GG.* & complures alij actum faciunt præstantionem, & eminentiorem babitu. Quod de habitu acquisito esse probabilius, ingenuè fatetur Suarez cit. *sect.*8. *n.*20.

54. Not. babitum, & actum bifariàm inspectari posse. Vno modo in ratione causæ, sic actus, qui est causa habitus nobilitate vincit habitum, ab ipso actu productum. Et èconuerso habitus est nobilior actu, ab habitu causato. Quamuis dici possit, habitum esse causam actus partislem, quæ non solet nobilitate superare effectum ab ea productum, vt constat de specie intelligibili, quæ licet sit causa partialis intellectionis, ipsi tamen intellectioni postponitur. Altero modo, in ratione entitatis, & ita in præsentia controuertitur, nùm actus babitui præluceat nobilitate.

55. Assert. actus simpliciter est præstantior habitu, siue acquisito, siue infuso. Ass. est bipartita, quam defendit Doct. cit. 1. pars de babitu acquisito probatur, à Doct. *vbi suprà q.*1. arguendo ad oppositum 1. *ex* 1. *Eth. cap.*8. 9. *& indè*, vbi Philosophus statuit felicitatem in actu optimo, & vltimo. Idem legitur 10. *Eth.*10. Et colligitur *ex* 9. *Met. cap.*7. *&* 12. *eiusdem operis cap.6.* vbi Stagirita loquens de Deo, ait: *Si non intelligat, quid vtique erit insigne ei, & venerabile, sed se habeat, sicut dormiens.* Et expressè tenet 1. *Magnor. Mor. cap.*18. Fauet Aug. 1. *de doctrina Christiana cap. 6.* constituens beatitudinem in actu fruendi. 2. actus vitæ excellit ei, qui vitalis non est, sicut animatum præponitur cuicumque inanimato; ex alibi dictis: actus autem potentiæ vitalis, est vitalis, habitus verò nequaquam, ergo ille huic præstat 3. actus est causa totalis habitus, non econtrà; quia habitus est tantum causa partialis minus præcipua. Constat autem causam totalem eminere causæ partiali minus principali, ergo &c. 4. finis vlt. formalis alicuius nobilior est iis, quæ sunt ad eius adeptionem, cum finis præstet eis, quæ sunt ad finem, vt dixi *quæst. de causa finali.* Actus autem perfectissimus beatificus est vltimus finis formalis creaturæ beatificabilis, vt patet authoritatibus præadductis: habitus verò est propter huiusmodi finis consequutionem, cum habitus sit propter actum perfectum. Nam potentia informata habitu, intensiorem, & præstantiorem producit actum, quam si babitus expers extiterit, scribente Doct. *in* 1. *cit.* §. *Concedo. I.* Demùm, actus prodit à nobiliori principio, nempè potentia. 2. pars suadetur eodem modo. Authoritates namque præadductæ, & rationes idem planè ostendunt, quamuis Suarez alleg. de infusis nolit palàm affirmare.

56. Opp. 1. bonum diuturnum, & permanens est melius, & perfectius bono instantaneo, & fluente: habitus autem est permanens, & diuturnus, cum sit de difficili mobilis; actus verò citò transit, & statim effluit. Igitur actus est deterior habitu. Ma. fulcitur testimonio Arist. 3. *Top. cap* 1. Conf. habitus est causa actus, non quidem vniuoca, sed æquiuoca, quæ est præstantior, cum contineat virtualiter, & eminenter suum effectum: ergo habitus præcellit actui. Expono, & distinguo ma. nobilitate simpliciter, nego 1. secundum quid, concedo. Ideò Arist. 1. *Eth.6.* subiicit, simpliciter album vnius diei est æquè perfectum, ac album vnius anni, eis quippè accidit tempus, siue quæcumque duratio maior, aut minor, vt explicat Scot. 4. *d.49. q.6.* §. *Hic duo.* Ad conf. dico, id concludere de causa æquiuoca totali, non verò partiali minus præcipua cuiusmodi est habitus respectu actus, aduertente Scot. *in* 1. *alleg.* §. *Contra, sub H* & 4 *memorato, q.* 2. *GG*

57. Opp. 2. habitus infusi creantur à Deo, & infunduntur animæ rationali: actus verò prodeunt ab homine fideli: nobilius autem est, esse à Deo immediatè quàm à creatura: ergo saltem habitus infusi præcellunt actibus. Respondeo argumentum concludere, de nobilitate secundum quid, non verò simpliciter, vt patet de substantia composita, quæ producitur à creatura, quæ simpliciter præstat cuilibet accidenti, à Deo immediate producto.

ARTICVLVS VIII.

Quomodo habitus perficiatur per actus.

58. CErtum est apud Philosophos, babitum perfici per actus, ex quibus producitur. Siquidem, quemadmodum per actus gignitur, ita per eosdem perficitur, vt *ex* 2. *Eth.*2. tradit Doct. 2. *d.*3. *quæst.*1. & 1. *Rep. d.*17. *q.*3. Cum enim sit qualitas perfectibilis, & intensibilis, propterea ab imperfecto tendit, ad esse perfectum, & consummatum. Hoc autem præsupposito, tanquam vero, & ostenso, *l. de intensione, & remis.* peruestigatur in præsentia, verum habitus perficiatur, & intendatur per omnes actus: aut verò per actus perfectiores duntaxat. D. Th. 1.2. *q.*52. *art.*7. & 2.2. *q.*24. *art.*5. *&* 6. eiusque discipuli arbitrantur, habitum non intendi per actum remissum, & æquè intensum, sed solùm per actum intensiorem. Scot. autem 1. *d.*17. *q.*2. & expressius *in Rep. eadem d. q.*6. Dur. *ibid. q.*8. & Gabriel 3. *d.*23. *q.*1 *dub* 4. affirmant habitum intendi, & perfici, per quemlibet actum, siue intensum, siue remissum.

59. Not. ex recol. ex dictis *loco alleg.* intensionem effici, per additionem gradus ad gradum. Gradus autem sunt eiusdem speciei, & rationis, ex quibus fit vnum, vnitate vnigeneitatis, vt patebit in sequenti art. Iterùm recognoscendum est, ex ibi assertis duplex augmentum, intensiuum, & extensiuum. Quibus præsuppositis, & recognitis.

60. Ass. 1. habitus intenditur, per actus intensiores, & perfectiores. Ita communis fert Scholasticorum opinio. Probatur 1. quod est perfectibile, perficitur per maiorem perfectionem sibi congruam, vt luminosum, per maius lumen, & beatus, per maiorem gloriam: habitus autem est perfectibilis, & intensibilis, nemine negante, & actus intensior est eius maior perfectio: igitur per actum intensiorem, habitus perficitur. 2. quod ab imperfecto tendit ad perfectum, prius per minorem perfectionem, posterius verò per maiorem perfectionem perficitur, vt quotidie experimur: habitus autem progreditur ab imperfecto, ad perfectum, puta à statu dispositionis, ad statum habitus, vt liquet ex dictis, ergo &c. 3. à quo res capit esse, ab eo quoque capit suam perfectionem, quia perfectio sequitur rem, cuius est perfectio, veluti modus rem modificatam, & gradus rem graduatam: at habitus sumit suum esse ab actibus, ex quibus gignitur, ex probatis suprà, ergo ab eisdem decerpit suam perfectionem, & potissimùm ab intensioribus, qui sunt perfectiores: ac proinde babitus perficitur per actus intensiores.

61. Assert. 2. per omnem actum, siue remissum, siue æquè intensum perficitur habitus. Ita Scot. cit. Probatur 1. *ex* 8. *phys. T.*80. potentia, quæ est in maiore magnitudine, est maior, maiorémque efficaciam habet. Si enim duo ignes approximentur combustibili, ipsum velociùs comburunt, quam vnus ignis duntaxat, & si virtus vtriusque foret in vno, esset fortior, & efficacior, quàm in duobus. Pariter ergo plures

gradus

gradus æquales, aut inæquales, & remissi eiusdem ordinis, & rationis, intendunt, & perficiunt eumdem habitum. 2. Aug. 12. *Trin. cap.6.* ita videtur disserere: omnis forma, & ratio specifica perfectior est in pluribus indiuiduis, quàm in vno, quia est in eis per participationem; adeò vt si ratio præfata vnius indiuidui foret in alio, esset perfectior. In diuinis autem, quia natura diuina est tota perfectius in omnibus, & singulis Personis, absque sui diuisione, cum sit infinita, propterea in eis nulla est differentia specifica. Ergo pariter, plures gradus etiam remissi intendunt habitum. Conseq. probatur duobus exemplis, vno de duobus luminibus æqualibus aut remissis, aut vno altero intensiore, quæ si ponantur simul in eadem aula, magis eam illuminant, & clarificant, quia intenduntur. Altero, de duabus grauitatibus, quæ si fuerint in eodem pondere, patet ipsum pondus magis ponderare, & grauitare, non ob aliam causam, quam quia se in eodem subiecto intendunt: veluti aqua addita aquæ, & terra addita terræ, siue sit maior, siue minor, semper id crescit, cui aliquid superadditur: igitur, si aliquis actus fiat ab eadem potentia, circa eumdem habitum, siue sit intensus, siue remissus, ipsum intendit, & perficit. Deinde, omnis perfectio perficit suum perfectibile, sicut omnis forma perficit materiam: gradus autem ab actu causatus, est aliqua perfectio habitus. Iterum, gradus sunt eiusdem speciei, ergo si vnus actus intendit habitum, alter quoque actus suo modo intendit eumdem habitum. Si enim calor calefacit, quicumque calor, siue magnus, siue paruus suo modo calefacit: pariter omnis gradus qualiscumque sit, perficit habitum. Iunge experientiam. Si enim quispiam actibus remissis se exerceat in aliqua arte, fiet habilior, & promptior, quàm alter, qui in eadem arte talibus actibus non se exercet. Id autem aliundè non prouenit, quàm ab intensione producta in habitu per huiusmodi actus.

62. Dices, cum Suarez cit. *sect.* 10. *num.* 11. id oriri ea dispositione, quam vnus actus habet, non verò alter. Contrà, dispositio non intendit habitum, cum etiam per Suarez intensio fiat per additionem gradus, ad gradum: habetur autem habitus intensior, & efficacior, per vsum, & exercitium plurium actuum similium: igitur non per dispositionem, sed per intensionem redditur homo promptior, & expeditior, ad operandum. Insuper, Deus auget gratiam merentibus, & bene operantibus, tùm per actus intensos, tùm etiam per actus remissos. Cuilibet namque bono operi debetur gratia: si ergo per maius, aut minus bonum, semper habitus gratiæ crescit, id ipsum astruendum est de habitibus acquisitis, cum vterque augeatur, per additionem gradus ad gradum, vt etiam admittit Suarez *vbi suprà.*

63. Opp. 1. actio procedit à proportione maioris inæqualitatis, hoc est, semper maior est virtus agentis, quàm patientis: at si per actus æquales, aut remissos habitus intenderetur, id non esset verum: non ergo per quoscumque actus intenditur, & perficitur habitus. Distinguo ma. de actione destructiua contrarij, in contrarium, concedo. Vt enim ignis agat in aquam, necesse est ille sit hac fortior, & potentior, vt dixi *l. de actione*. De actione perfectiua, nego. Lumen namque augetur, tametsi, lumen ei additum, sit ipso remissius, quam præcedens.

64. Opp. 2. æquale non agit in æquale, nec remissum in intensum; actio quippè est ea victoria, quam habet agens suprà passum, nec vlla extat proportio agentis remissi, in intensum: ergo habitus non augetur per actus æquales, aut remissos. Distinguo ant. actione perfectiua, nego: actione deperditiua, & destructiua, concedo, vt satis illustratum est de lumine, aliisque consimilibus, quæ si addantur æqualibus, aut intensioribus, ipsa per ea intenduntur, & perficiuntur.

Articvlvs IX.

An habitus ex pluribus gradibus coalitus sit vnus?

65. HÆc difficultas non habet locum, apud Thomistas astruentes habitum esse simplicem qualitatem: Sed apud Scotist. & Nominales, docentes habitum esse compositam qualitatem, quæ ex multis similibus gradibus coalescit. Supponunt autem omnes, habitum esse vnum, quia est vna species qualitatis, omnisque species gaudet propria vnitate. Dubitant verò, cum habitus participet gradus perfectionales, quo pacto omnes illi gradus existentes in habitu, faciant vnum habitum.

66. Not. & recol. ea dictis *in phys. l.* 2. *q.* 5. *art.* 5. aliquid esse vnum, multis modis contingere. 1. vnitate aggregationis, vt cumulus lapidum. 2. vnitate ordinis, vt exercitus. 3. vnitate per accidens, vt album lignum. 4. vnitate identitatis realis, vt natura, & passio eius. 5. vnitate compositionis, vt corpus physicum 6 vnitate partium similarium, vt quantitas continua est vna vnitate partium eiusdem rationis, & habitus est vnus vnitate vnigenea, & graduali.

67. Assert. habitus est vnus, vnitate homogenea, & graduali. Ita Scot. *in Rep.* 1. *d.* 17. *quæst.* 6. *dub.* 2. Probatur 1. sicut quantitas continua habens partes eiusdem rationis, est vna vnitate continuitatis, seu homogeneitatis, & substantia materialis habens partes entitatiuas, est vna vnitate homogenea, vt cum Scot. docui *l. de quantitate*: ita habitus habens plures gradus, est vnus vnitate vnigenea, & graduali. 2. tota aqua in vnum locum congregata perhibetur vna vnitate homogenea, & corpus homogeneum appellatur vnum vnitate singulari, & vnigenea, ergo à pari habitus ex pluribus gradibus coagmentatus, est vnus vnitate vnigenea, & graduali.

68. Opp. 1. ex duobus non constituitur vnum compositum, nisi alterum se habeat, vt potentia, & alterum, vt actus, 7. *Met. T.* 2. Hæc autem est compositio physica ex materia, & forma, quævè dicitur vna vnitate compositionis, cuiusmodi non est vnio graduum in habitu; habitus ergo ex gradibus conflatus, haud est vnus. Distinguo ma. de vnitate compositionis, concedo: de vnitate homogenea, & graduali, qualis est vnitas habitus, nego.

69. Opp. 2. primus gradus habitus est imperfectior, seque habet in potentia, ad 2. gradum, qui est perfectior, & se habet vt actus, respectu primi: ergo in habitu extat vnitas compositionis physicæ. Nego ant. omnes enim gradus habitus sunt eiusdem rationis, veluti omnes partes quantitatis continuæ; ideò sortiuntur vnitatem non compositionis, cuius partes sunt diuersæ rationis, sed vnigeneam, & homogeneam.

Articvlvs X.

An, & quomodo habitus corrumpatur.

70. HAbitum diminui, corrumpique, & amitti, experientia docet, & ratio suadet. Experientiâ quidem de aliquibus, qui vel obliuione, vel alia de causa infrà assignanda, habitum artis, aut scientiæ, quo erant insigniti, perdiderunt, nominatim Alb. magnus, quem antequam moreretur, habituum artium, & scientiarum fuisse expertem, perhibet vulgus. Ratio autem est, quia quod augeri potest, vtique diminui potest, & quod est intensibile, etiam est remissibile, & amissibile, cuiusmodi est habitus. Superiùs quippè

dixi,

dixi, habitum intendi per actus, conſequenter remittitur, & amittitur, per ceſſationem actuum, aut per aliam cauſam mox tradendam. Contendunt autem Scholaſtici, & perquirunt, quænam ſit cauſa habituum corruptiua, & deſtructiua.

71. Not 1. hanc difficultatem non moueri, de habitibus infuſis, qui cum hi fiant per creationem non ſunt propriè corruptibiles, ſed annihilabiles. Quod enim eſt creabile, vtique eſt annihilabile, vt notat Doct. *in Rep.* 1. *d.* 17. *q.* 7. §. *Dico ad q.* Et huiuſmodi habitus dicuntur corrumpi à nobis demeritoriè, teſte eodem Doct. 2. *d.* 35. §. *Ex iſta ſolutione. Ad* 2. Sed de habitibus acquiſitis, qui ſicut in nobis generantur, quoque corrumpuntur. Horum generatio dicitur motus poſitiuus, & acquiſitiuus, eorumdem verò corruptio nuncupatur motus priuatiuus, & deperditiuus, vt patet *in phyſ. l. de motu*, & *l. de generatione, & corruptione.* Præterea obſerua, ſubiectum habitus, aut eſt corporeum, & corruptibile, ad cuius corruptionem corrumpitur, iuxta illud vulgatum. *Corrupto ſubiecto, corrumpuntur omnia, quæ ſunt in ſubiecto*: aut eſt incorporeum, & incorruptibile, quo pacto ea parte ipſius ſubiecti, habitus non eſt corruptibilis, & hæc dicitur cauſa eius materialis. Nec ex parte cauſæ formalis, quæ eſt ipſe habitus, quandoquidem habitus eſt qualitas permanens. Nec inſuper, ex parte cauſæ conſeruatiuæ, quia non indiget continuo influxu cauſæ ſuæ effectricis, cum ab ea in fieri quidem pendeat, non verò in eſſe, eo quod eſt permanens, & in ſubiecto radicatus.

72. Not. 2. & recol. ex dictis *l. de cauſis*, *q* 1. duplicem eſſe cauſam, per ſe, & per accidens, ſiue cauſam poſitiuam, & priuatiuam Cauſa poſitiua corruptiua eſt, quę vim infert alicui, ipſumque deſtruit, ſic magnus calor corrumpit paruum frigus Cauſa verò priuatiua corruptiua eſt, per cuius abſentiam, vel non efficientiam, aliquid perit, ſic per abſentiam gubernatoris, nauis naufragatur, & per inexercitationem artis, perditur ars. Quatuor autem tradit modos Tatar. *l. de longitudine, & breuitate vitæ ſub.* 3. quibus aliquid corrumpi poteſt. 1. à ſuo contrario, vt calor a frigore. 2. ad corruptionem ſubiecti, ſic ait Ariſt. *l mox alleg. c.* 2. *Corruptis animalibus, corrumpuntur, & ſcientia, & ſanitas, quæ ſunt in animalibus.* 3. ad corruptionem conſeruantis, ſic corrumpitur lumen, corpore lucido corrupto. 4. ad corruptionem diſpoſitionis naturalis, & conuenientis, vt ſublatis calore, & ſiccitate, corrumpitur ignis. Aut per acceſſum oppoſiti, ſic ſcientia corrumpitur per aduentum erroris.

73. Aſſ. 1. ceſſatio actuum non eſt cauſa corruptiua habitus per ſe, ſed per accidens. Aſſ. duas continet partes. 1. pars probatur 1. *ex* 1. *Eth cap.* 5. dormientes participant eoſdem habitus, quos habent, dum vigilant: tunc autem quando dormiunt, ceſſant ab actibus eorum habituum, ergo ceſſatio actuum non eſt cauſa per ſe habituum corruptiua.

74. Nec præſtat dicere, ceſſationem breuem non tollere habitum, bene verò ceſſationem diuturnam, veluti ferrum non ſtatim corrumpitur, ſed magno temporis internallo. Id enim gratis dicitur, quia tempus per ſe non eſt cauſa corruptionis, vt ſuo loco oſtendi, ſed ſolum per accidens. Eò vel maximè, quia habitus non dependet in eſſe, & in fieri ab actibus, ſecus, habens habitum neceſſariò ſemper ageret, & promeret actus, quod eſt falſum: ſed in fieri duntaxat, veluti domus ab ædificante, quamuis non ſeneſcat, nec vſu tabeſcat, præſertim ſi ab organo, & facultate corporea non dependeat, nec à contrariis impetatur. 2. effectus poſitiuus non dependet à cauſa priuatiua in eſſe, nec ab eâ corrumpitur. Nam cauſa corrumpens debet poſitiuè influere in effectum corrumpendum; ſi ex ſe ſit permanens, & difficulter amouibilis. Ceſſatio autem actuum eſt cauſa priuatiua, vt indicat Ariſt. 2. *Eth.* 3. *& 3 eiuſdem operis.* 5. ceſſare enim ab actibus, eſt non agere, & non influere. 3. vt contrarius habitus in ſubiectum introducatur, expellendus eſt habitus prius inexiſtens: expelli autem nequit, niſi per actionem poſitiuam, vt patet de calore expellente frigus ab eodem ſubiecto, ergo, &c.

Secunda pars probatur 1. ex Ariſt. *l. de longitudine, & breuitate vitæ c.* 2. affirmante, per obliuionem, ſcientiam corrumpi. Idem ſcribit Aug. *l. de immortalitate animæ cap.* 4. Quòd intelligitur per accidens, hoc eſt, quia homo obliuiſcitur medij demonſtratiui, non ſe exercens in ſcientia, qua pollet; ideò quandoque labitur in errorem, ſcientiam deſtruentem. 2. experientia comprobatur, per inertiam, & inexercitium, habitum deficere: huiuſmodi autem defectus, ſeu ceſſatio ab actibus, non eſt cauſa per ſe, vt monſtraui in priori parte, ergo eſt cauſa per accidens, cum cauſa ſufficienter diuidatur in cauſam per ſe, & cauſam per accidens, vt perhibui *l. de cauſis.* Denuò, corruptio habitus contingere poteſt nonnunquam ex inualetudine corporis, quo pacto Sabellicus narrat, Meſſalam Coruinum Oratorem, ob grauem morbum, & ſeruorum, & proprij nominis oblitum fuiſſe: aut ea læſione organi, ſic Valerius Maximus refert, quemdam Philoſophum, ictu lapidis, memoriam literarum perdidiſſe. Vide quæ dixi in Log. *l.* 5. *q. vlt.*

75. Aſſert. 2. cauſa per ſe effectiua corruptiua habitus, ſunt actus oppoſiti, & contrarij: cauſa verò formalis corruptiua eſt habitus contrarius. Aſſ. in duas ſcinditur partes, & defenditur à Doct. 3. *d.* 36. *q. vn.* §. *per hoc*, *ſub C.* 1. pars probatur 1. habitus generatur ex ſimilibus actibus, ergo ex actibus contrariis corrumpitur. Ant. ſuprà manet probatum, cauſa quippè effectiua habitus ſunt actus eiuſdem rationis iterati. Conſequentia tenet ab appoſitis, vt enim calor facit, & conſeruat calorem, ſic ſi fortior extiterit, expellit ab eodem ſubiecto, & corrumpit frigus, quod ipſi calori aduerſatur. 2. contraria ab eodem ſubiecto viciſſim ſe expellunt, ex Ariſt. *c. de oppoſitis*, ergo actus oppoſiti, & contrarij expellunt habitum oppoſitum ab eo, quem in idem ſubiectum conantur introducere. Conſequentia tenet, duo quippè contraria in ſummo in eodem ſubiecto ſimul non ſe compatiuntur.

Secunda pars probatur 1. duæ formæ oppoſitæ ad inuicem in eodem ſubiecto ſunt incompoſſibiles, vt forma ignis, & forma aquæ in eadem materia: habitus autem ſunt formæ accidentales: formaliter ergo ab eodem ſubiecto ſe expellunt. 2. principium actiuum agit mediis actibus, vt ignis medio calore, & calefactione calefacit: habitus verò eſt principium actiuum partiale actuum ſimilium, ex aſſertis ſuprà, ergo vnus habitus oppoſitus excludit alium formaliter, ſeipſo, & effectiuè actibus diſſimilibus, & contrariis. Sic virtus vitium, & ſcientia errorem expellit, vt aſtruit Philoſophus nuper alleg.

76. Aſſ. 3. actus oppoſiti remiſſi nequeunt corrumpere totum habitum oppoſitum. Deducitur ex Doct. 3. *d.* 33. *q. vn.* §. *Hæc opinio. B.* Probatur 1. cauſa debilior, & infirmior non poteſt vincere cauſam fortiorem, & potentiorem, vt omnibus eſt exploratum: actus autem remiſſi oppoſiti ſunt cauſa debilior, & imbecillior, habitu oppoſito, qui eſt intenſus, & acquiſitus ex actibus intenſioribus, ergo &c. 2. quod firmiter radicatur in ſubiecto, vt corrumpatur, neceſſe eſt, cauſa eius corruptiua habeat maiorem virtutem, & conatum, quàm ſit eius reſiſtentia, quoniam corruptio patientis fit ex victoria, quam agens habet ſuprà paſſum, ex probatis *quæſt. de actione.* Habitus autem tenaciter adhæret ſubiecto, cum ſit de difficili mobilis, ergo actus remiſſus, & infirmus non valet habitum oppoſitum deſtruere, vt liquet de eo, qui habitu vitij imbutus, ſi conuerſus eliciat actum virtutis, remiſſus eſt huiuſmodi actus, fitque cum difficultate, vt aduertit Scot. 3. *præmemorato. B.*

77. Opp. contrà 1. aſſ. experimur eos, qui pollent habitibus, ſi in eorum exercitio non perſeuerent, paulatim amittere illos habitus, quibus potiuntur: immò ſi

diu

diu eorum vsu, & exercitio careant, prorsus eorum sunt expertes, ac si nunquam eos habuerint, veluti de speciebus intelligibilibus, quæ quodammodo dicuntur habitus, est in confesso, quævè interdum à memoria excidunt, ratione quarum homo dicitur obliuisci eorum, quæ prius didicerat: ergo cessatio actuum est causa per se corruptiua habitus: posita quippe cessatione actuum, vtique aufertur habitus. Concedo ant. nego consequentiam. Cessatio namque actuum est causa, non quidem per se, sed per accidens corruptionis habituum, vt superiùs manet explanatum.

78. Opp. 2. habitus contrarius ita occupat subiectum, in quo hæret, vt non permittat, in eodem subiecto recipi actum contrarium, conantem inducere habitum nouum ei oppositum, ergo per actum oppositum per se non corrumpitur habitus. Ant. suadetur, vt introducatur nouus habitus, necesse est, corrumpatur pristinus habitus, quia duo habitus contrarij nequeunt esse simul in eodem subiecto, vel saltem, vt posterior gradus inductus per nouum actum, destruat gradum aliquem prioris habitus: id autem fieri nequit, quandoquidem minor vis, quam habet actus recens, vincere non valet maiorem virtutem, qua præditus est præexistens habitus. Nego ant. ad eius probationem dico priorem habitum, per contrarium actum non corrumpi, sed remitti, sicut cum exigua aqua proiicitur in ingentem ignem, remittit quoquo modo eius calorem, & si vino misceatur, eius virtutem debilitat. Itaque per actum remissum oppositum causatur in subiecto habente habitum oppositum, noua dispositio, siue gradus oppositus, habitui præcedenti. Eò magis, quia per actum inducitur nouus gradus contrarij habitus, per potentiam, quæ est principium absolutè productiuum, & principale actuum, & habituum. Ideò contrarius habitus præcisè nequit impedire, quin per potentiam, medio eius actu, non introducatur nouus gradus in subiectum, oppositus habitui contrario præexistenti in eodem subiecto. Quidquid aliter nitatur respondere Arr. *disp. 9. de anima, sect. 6.* Tandem, habitus oppositi possunt simul inexistere in eodem subiecto, in gradibus remissis, vt de primis qualitatibus ostendi *l. de Elementis q. 2. art. 5.*

Articvlvs XI.
An habitus supernaturalis intendatur per actus.

79. Quid sit habitus supernaturalis, siue infusus patet *ex q. 2. art. 1. huius lib.* Est enim qualitas per se à Deo infusa creaturæ intellectuali, ad producendos actus supernaturales, & meritorios. Licet autem omnes Scholastici concedant, actus ab habitu infuso prodeuntes, intendere habitum meritoriè, tamen quidam, vt Arr. *disp. 9. de anima, sect. 1. subsect. 2.* existimant, habitum infusum, per actus physicè intendi, & perfici. Communis autem sententia est cæterorum Doctorum arbitrantium, huiusmodi actus non augere physicè habitum supernaturalem, quæ,

80. Probatur 1. habitus intenditur per gradus eiusdem rationis, vt constat ex dictis *l. de intensione, & remiss.* Atqui actus eliciti à potentia naturali informata habitu supernaturali producunt gradus alterius rationis, à gradibus habitus infusi. Illi namque sunt acquisiti, isti verò sunt infusi, inter quos adesse discrimen, nemo inficiatur. Igitur habitus infusus non crescit, per actus potentiæ naturali elicitos. 2. gradus habitus infusi, puta charitatis, seu gratiæ creantur, vt asserit Doct. *1 d. 17. q. 3. §. sexto propter opinionem*, & *2. d. 34. A.* Ex eodẽ autem 4. *d. 1. q. 1.* nulla creatura potest aliquid creare, quia creatio est solius independentis, *1. d. 17. q. 2. §. Ad argumenta, sub PP. in resp 3.* Ergo nec physicè influere in habitus infusi intensionem. 3. si actus potest physicè intendere habitum infusum, posset creatura actu medio, in seipsa gratiam producere, quia illi gradus sunt gratia, cum sint homogenei, veluti quælibet pars aquæ, est aqua Gratia verò à solo Deo creatur, iuxta illud Psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*: ergo &c. 4. habitus infusus secundum Aduersarios, est simplex qualitas: at si actus physicè eum habitum intenderet, non foret qualitas simplex, sed composita, veluti habitus acquisitus. Iterum, possent separari gradus habitus infusi, à gradibus, per actus productis, data autem hypothesi, quæro num illi gradus redderent hominem Deo acceptum, an non. Si 1. ergo sine habitu infuso homo potest esse Deo gratus, quod illi rectè cum cæteris Theologis negant. Si 2. ergo non sunt eiusdem rationis, cum eumdem effectum non producant: proindéq; non intendunt habitũ, vtpotè, qui intenditur, & perficitur, per actus eiusdẽ rationis.

81. Opp. 1. species intelligibiles, per actus, qui ab ipsis partialiter prodeunt, intenduntur, & perfectiores euadunt, ergo & habitus infusus, per actus eius physicè intenditur, & perficitur. Cõf. habitus naturalis intenditur, per actus supernaturales. Dato ant. negatur consequentia, siquidem species, & actus earum sunt eiusdem rationis, & ordinis naturalis: non sic habitus infusus, & eius actus, *ex 1. d. 17 q. 2. sub PP.* Quia ille est infusus, hic verò acquisitus. Inter autem infusum, & acquisitum, latum intercedit discrimen, assignatum *q. 2. huius l. art. 2.* Ad conf. concedo ant. nego consequentiam, tum quia sunt diuersi ordinis, tum etiam quia creatura, per suos actus non potest physicè eius attingere, cum creare non valeat.

82. Opp. 1. causa perfectior potest producere effectum imperfectiorem. Quod enim potest plus, vtique potest minus: actus autem est perfectior habitu, vt supra ostendi, ergo potest ipsum intendere. Resp. verum esse ant. si causa fuerit eius capax, subque eius ambitu effectus contentus fuerit, vt qui potest ferre pondus decem librarum, vtique potest ferre pondus quinque librarum: falsum verò, si eius virtuti non subsit, vt non valet, homo potest generare hominem, ergo & canem, & ranam, quia sub eius virtute generatiua, hæc animalia non comprehenduntur. Ita quamuis habitus actui postponatur, non ob id probè infertur, huiusmodi actum posse attingere habitus infusi intensionem.

Articvlvs XII.
An habitus infusus possit producere habitum acquisitum.

83. Arr. cit. *in ant. art.* & Hurt. *disp. 16. de anima sect. 1. subsect. 2.* defendunt habitus infusos producere habitus acquisitos specie ab illis distinctos: à quibus discordãt omnes alij Scholastici negantes, per habitus infusos vllo modo produci habitus acquisitos, facilitantes potẽtiam ad prõptè, & expeditè promendos actus. Deducitur ex Doct. *1. d. 17. q. 2. §. Ad arg. sub OO. in resp. 1.* & *in Rep. ibid q. 1.* & *4. d. 6. q. 10. §. Ad q. sub P.*

84. Et probatur 1. ex discrimine, quod statuitur inter habitum infusum, & acquisitum, agnitum à Doct. nunc cit, & concessũ ab Arr. memorato *subsect. 1 n. 4.* & Hurt. *vbi suprà*, scilicet, habitus infusus non facilitat potentiam, vt patet in adulto baptizato, qui habet quidem habitus infusos, non verò facilitatem, & promptitudinem operandi, penes obiecta eorum habituum. Habitus autem acquisitus reddit potentiam faciliter, & delectabiliter operantem, ergo &c. 2. habitus non causat habitũ immediatè, quia non sunt immediatè generatiui habitus, vt suprà inculcaui: infusus verò habitus non generatur, ex actibus, vt notat Doct. *in Rep. cit. q 1.* Ergo, &c.

85. Dices negando consequentiam. Sicut enim actus habitus naturalis causant habitum naturalem, sic actus habitus supernaturalis causant habitum supernaturalem acquisitum.

Contrà,

Contrà, quæ ſunt alterius naturæ, & ordinis non ſortiuntur eumdem effectum, vt patet de igne, qui calefacit, & aqua, quæ frigeſacit: habitus autem infuſus, & acquiſitus ſunt alterius naturæ, & ordinis. ergò &c. 3. homo nequit eſſe Deo gratus ſine habitu infuſo, vt liquet Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo:* at ſi habitus infuſus cauſat alium habitum acquiſitum, poſſet homo, ſublato habitu infuſo, remanente acquiſito, eſſe Deo acceptus, propter eum habitum acquiſitum, vt per gratiam acquiſitam foret Deo gratus, quod videtur falſum. 4. eſſent duæ gratiæ, infuſa, & acquiſita, quod pugnat Conc. Trid. decernenti, & definienti vnam fidem, & gratiam duntaxat.

86. Dices, nullo modo contradicere dicto Conc. Quandoquidem præfatum Conc. ſancit vnum habitum gratiæ infuſum, non autem negat dari alium habitum gratiæ acquiſitum, ſed id relinquit Scholaſticis diſputandum. Contra, habitus gratiæ acquiſitus, aut eſt propria gratia, aut nòn. Si non, ergo non producitur ab habitu infuſo, qui ſupponitur producere veram gratiã. Si ſic, eſt eiuſdem ordinis, & rationis, cum gratia habitus infuſi, intenditque eam, quod in præeunte art. eſt rejectum. Iterum, non foret diuerſus habitus, ſed idem habitus intenſus, & perfectus. Rurſus, peccator per illũ habitum acquiſitum, eſſet gratus Deo, tametſi eſſet in peccato mortali. Ampliùs, eſſent tres cauſæ concurrẽtes ad actum, nempè duo habitus, & vna potentia: ſufficit autem habitus infuſus, ſecundum doctrinam orthodoxam, ergo habitus acquiſitus eſt ſuperfluus. Non enim entia ſunt multiplicanda ſine neceſſitate, 1. *Phyſ. tit.* 50. Inſuper, poſſe ſimpliciter ſupponitur, ad agere faciliter: at ſecundum fautores oppoſitæ ſententiæ habitus infuſus datur, vt compleatur potentia in actu 1. ad promendos actus ſupernaturales: dato autem, quod auferatur habitus infuſus per demeritum, adhuc remaneret habitus acquiſitus, hoc eſt facilitas agendi, abſque potentia agendi, quod eſt abſurdum. Deniq; quiſpiã ex illo habitu acquiſito, & facilitate agendi, poſſet cognoſcere certò ſe eſſe in gratia Dei, quod falſum eſt, iuxta illud Eccleſiaſtes 9. *Nemo ſcit, vtrum odio, vel amore dignus ſit.*

87. Opp. 1. actus naturales producunt habitum naturalem, ex actib. quippè repetitis gignitur habitus, ergo & actus ſupernaturales producunt habitum ſupernaturalem. Non enim videtur potior ratio de illis, quàm de iſtis, cum ſint omnes actiui, & operatiui. Conf. quis pietatis, & deuotionis habitu imbutus, & exercitatus, ſi contingat, ipſum labi in peccatum læthale, amittit habitum infuſum, & tamen adhuc retinet facilitatem eliciendi actus pietatis, & deuotionis, ergo retinet habitum acquiſitum, ex frequentatis actibus, atqueadeo per actus ſupernaturales generatur habitus acquiſitus ad producendos actus ſupernaturales. Concedo ant. nego conſequentiam, ratio diſparitatis petitur ex ipſorum natura, ſiquidem natura habitus infuſi talis eſt, vt iuuet potentiam, ad operandum, non tamen eam facilitet. Habitus verò acquiſitus eſt, ad facilitandam ipſam potentiam in actibus eliciendis. Nec eſt quærenda alia cauſa, ſicut non quæritur, cur ignis calefacit, & aqua frigefacit. Ad conf. dico, illum participare habitum acquiſitum, ſe tenentem ex parte potentiæ, quæ per iterationẽ actuum producit habitum; non verò ex parte habitus infuſi. Sic Hæreticus poteſt, abſque fide infuſa acquirere habitum de quibuſdam rebus credendis, & ſtudioſus infidelis ſibi poteſt comparare habitum Theologiæ Scholaſticæ.

88. Opp. 2. habitus facilitat potentiam ad actus, ex quibus gignitur: actus quippè quaſi ſemen ſuum relinquunt, hoc eſt facilitatem: igitur actus ſupernaturales producũt habitum acquiſitum, ad producendos ſimiles actus ſupernaturales. *Conf.* viſio beata dicitur ſupernaturalis ab habitu ſupernaturali, puta lumine gloriæ: at ſi per actus ſupernaturales non gignitur habitus ſupernaturalis, præcluditur via ad monſtrandum actus elicitos ab habitu infuſo eſſe ſupernaturales, quia poſſet dici actum procedere ab habitu entitatiuè naturali. Reſpondeo id totum valere de habitu acquiſito, non autem infuſo, qui eſt diuerſi ordinis, & rationis ab illo. Ad conf dico cum Scot. 1. *d.* 17. *q.* 2. §. *ad arg. ſub pp.* actũ vocari ſupernaturalem ab habitu ſupernaturali concurrente ad eius productionem. Supernaturalitas autem, & naturalitas non ſunt differẽtiæ intrinſecæ, & eſſentiales actuum, & habituũ, ſed extrinſecæ, & reſpectu agentis naturalis, & ſupernaturalis, *ex* 4. *d.* 10. *q.* 8 *G.* Idque fuſè oſtendi *Tract.* 1. *ſumma Theologica diſp.* 2. *q.* 3. Quare ſecundum Scot *in* 1. *loco precit* actus non eſt propriè ſupernaturalis, quia etſi habitus præſuppoſitus ſit à cauſa ſupernaturali, immediatè tamen iſte poſitus in eſſe, eſt cauſa naturalis, reſpectu ſui actus. Ideóque actus, qui producitur per illum habitum, non eſt propriè ſupernaturalis. Ita enim naturaliter poteſt ſe habere ad ſuum actum forma, quæ ſupernaturaliter producitur; ſicut ſe habet ad ſuum actum forma, quæ eſt merè naturalis. Quapropter differentia in productione formarum non cauſat diſtinctionem earum, in comparatione ſuorum effectuum; veluti viſio cauſata à Deo in cæco, & viſio cauſata ab homine viſu prædito, ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei.

QVÆSTIO III.

De habitibus intellectus.

1. CVm potiſſima habituum diuiſio ſit, in intellectuales, & morales, illique hos præcedant, conſequenter habita indagine de habitibus in communi, diſceptandum eſt de habitibus in particulari. Et primùm de intellectualibus, & poſtmodum de moralibus. Quinque autem recenſentur habitus intellectuales 6. *Eth.* 3. intellectus, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars. De arte, & ſcientia actum eſt in Log. *lib.* 1. *q.* 8. *&* *l.* 5. *q. vlt.* Reſtat modo diſſerendum de aliis tribus, quorum primus eſt habitus intellectus.

ARTICVLVS I.

De habitu intellectus.

DVBITATIO I.

An habitus intellectus diſtinguatur à potentia intellectiua

2. CErtum eſt, dari habitum primorum principiorum, qui nomine intellectus nuncupatur Ratio eſt, ſicut conceditur habitus de concluſione ex principiis deducta, quæ ſcientia perhibetur: pariter admittendus eſt habitus, de principiis, ex quibus concluſio deducitur. Sunt enim quædam principia prima immediata, & ex ſe euidẽntia, intellectui patentia, terminis explicitis, quæ appellantur ſcientiarum ianuæ, 2. *Met.* 1. & dignitates, 1. *poſt.* 2. Nunc autem inueſtigatur, vtrum huiuſmodi habitus coincidat cum potentia intellectiua, an verò ab ea differat. Quidam enim vt Doct. 3. *diſt.* 33. *quæſt* 1. & Racon. *ſect.* 2. *de virtutibus quæſt.* 1. negant intellectus habitum diſtingui ab ipſomet intellectu, exiſtimantes eſſe eumdem intellectum, quatenus in cognitione 1. principiorum occupatur. Cæteri verò, vt Scot. 3. *Rep. diſt.* 23. *quæſt vn* Complect. *diſp.* 22. *Log. quæſt.* 1. Rumus *ibid. tract* 1. *principiorum* & Suarez *diſp.* 8. *Met. ſect.* 4. *n.* 15. affirmant habitum 1. principiorum differre ab intellectu, ſiue potentia intellectiua.

3. Not. habitum principiorum vocari intellectum, hac fortaſſe de cauſa, quia intellectus ea percipit, abſque vllo medio. Nam quemadmodum, cum quædam percipit, præuio diſcurſu, nominatur ratio, ſic

quæ nouit sine discursu, & causa motiua nuncupatur intellectus, aut perhibetur intellectus anthonomastice ob suam præstantiam, vt notant Complut. præalleg. Etiam appellatur intelligentia, quia sicut intelligentia, id est Angelus statim cognoscit res sibi obiectas, pariter potentia intellectiua protinus, & sine vlla ratiocinatione, perceptis, & præexplicitis terminis principiorum euidentem notitiam sibi comparat.

4. Assertio, habitus principiorum distinguitur ab intellectu. Ita Scot. *vbi suprà in vtroque opere.* Probatur primò, ex Arist. 6. *Eth.* 3. numerante habitum principiorum, inter habitus intellectus: alij autem habitus sunt distincti ab intellectu, vt patet, ergo & habitus iste ab intellectu dissidet. Et 2 *post. cap. vlt.* idem Philosophus scribit, habitum principiorum gigni in nobis, experientia, & memoria: intellectus autem, vt est vis intelligens non generatur ex memoria, & experientia, sed emanat ab anima, & natura intellectiua, vt dixi *lib. 2. de anima, quæstione 2.* ergo &c.

Secundò, quæ sunt prorsus idem, quidquid prædicatur de vno, vtique prædicatur de alio, vt quia homo, & animal rationale sunt omnino idem, quidquid affirmatur de homine, etiam affirmatur de animali rationali, & è contrà. Si ergo habitus principiorum, & intellectus coincidunt, qui haberet intellectum, quoque haberet habitum principiorum: id autem falsum esse, liquet experientia. Omnes quippè pollent intellectu, non tamen gaudent habitu principiorum.

Tertiò, experimento constat, eum, qui se exercet in principiorum notitia, facilius & promptius eis assentire, quàm alter, qui eorum exercitio caret: huiusmodi autem facilitas est habitus, & qualitas ab intellectu distincta. Deinceps, suprà ostendi, intellectum esse capacem habitus, qui reddit ipsum promptum, & facilem ad operandum, at in euoluendis, & addiscendis principijs, is tali habitu decoratur, ergo habitus principiorum, ab intellectu dissidet, distinctione reali, vtpotè, qui eo potest exui, in eoque desinere, & corrumpi, illis de causis assignatis *quæst. præcedente. art.* 10.

5. Opponės primò, habitus potentiæ tribuitur, vt ipsam determinet ad operandum, gignitur que in potentiis de se indeterminatis ad actum, per actum frequenter elicitum, authore Scot. 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. §. *Ad argumenta pro* 1. *opinione. K* Intellectus autem est maximè determinatus, ad cognoscenda 1. principia, quia terminis explicitis, ea statim nouit: non ergo intellectus indiget habitu, quo ea facilius, & celerius cognoscat. Conf. intellectus est ita propensus ad 1. principiorum notitiam, sicut visus ad videndum colorem: claret autem in visu non requiri habitum ab ipso distinctum, quo videat colorem, ergo nec intellectus eget habitu, ad lustranda 1. principia. Concedo maiorem, distinguo minorem: quoad specificationem concedo: quoad exercitium, nego. Siquidem 4 *Met.* 2. quidam negant 1. principia, contra quos non esse disputandum monet Philosophus 1. *Phys. tit.* 8. præsertim quia, intellectus non est summe determinatus, veluti lapis ad motum deorsum, ad quem non exigi habitum, nemo inficiatur, sed est indeterminatus ad ferendum iudicium, de obiecto sibi præsentato, potestque ferre iudicium rectum, vel obliquum. Ideò necessarius est habitus, ad ipsum determinandum, vt rectè iudicet, & facilè operetur. Hinc superius dixi, exercitatum in principiis, velociùs, & faciliùs eis præbere assensum, quam inexercitatum, quia ea oblata etsi percipiat, non tamen, ita benè, & expeditè, sicut alter. Ad conf. dici potest, etiam visum, in promptius, & faciliùs videndis obiectis, egere habitu, vt patet do Astrologis facilius astra contemplantibus, deque. Perspectiuis, celeriùs, & expeditiùs visibilia discernentibus. Maximè, quia visus suo modo iudicat de colore, & è regione cæcus non iudicat de colore. Quamobrem, sicut potest benè, aut malè iudicare, consequenter ei necessarius videtur esse habitus inclinans ipsum ad rectè iudicandum.

6. Opponės secundò, ita philosophandum est de intellectu practico, ac de speculatiuo, quia 2. Phys. tit. 8. *Sicut se habet principium in speculabilibus, sic se habet finis in practicis*: intellectus autem practicus non indiget habitu practico, ad assensum præstandum practicis, vt bonum est amplectendum, & malum est fugiendum: ergo nec intellectus speculatiuus exposcit habitum, vt præbeat assensum speculabilibus. Maior. patet, quam admittit Doct. 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. Minor videtur esse August. 2. *Serm. Domini in monte*, & Hieronymi *Epist.* 8. *ad Demetrium*, asserentium, in nobis esse lumen naturale, quo fugimus malum, & accedimus ad bonum. Siquidem in nobis extat quædam synderesis, siue scintilla conscientiæ, qua auertimur à malo, & inclinamur ad bonum. Conf. in voluntate non statuitur habitus, ad bonum vniuersale, & finem vult. quia ipsa ad illud suaptè natura propendet, absque vllo ipsi superaddito: similiter ergo ad principia speculabilia per se nota, & indemonstrabilia, nullus requeritur habitus. Concedo maiorem, nego minorem. Magis quippè voluntas opus habet habitu, quam intellectus, cum sit potentia libera, & prorsus indifferens, & indeterminata, vt liquet ex dictis suprà. Ad probationem innixam authoritatibus Hieronymi & August. dico nobis non officere, concedunt namque hi Patres, in nobis esse potentiam, qua possumus auerti à malo, & conuerti ad bonum, quamvè nos quoque admittimus, non negant verò huiusmodi potentiam esse habitu exutam, & incapacem. Quato vnum affirmant, & alterum non negant. Ad conf. nego ant. Non enim voluntas cogitur velle bonum commune, & finem vlt. cum ipsa pro suo libito possit velle, aut nolle, aut non velle, vt in proprio loco fusè monstraui.

DVBITATIO II.

Quid sit habitus intellectus.

7. RVuius *tract.* 1. *de habitu principiorum art.* 1. definit habitum principiorum, his verbis. Habitus principiorum est *virtus intellectualis, per quam potentia intellectiua determinatur ad assensum principiorum per se euidentem, facileque eundem promendum.* Verùm hæc principiorum definitio non videtur exacta: siquidem ponitur virtus intellectualis, quæ perinde est ac intellectus, quem ab habitu intellectus discriminari, fatetur idem Rub. cit. *art.* 3. Ideò melius, & aptius describi videtur habitus principiorum, *Qualitas acquisita, qua intellectus, redditur facilis, & promptus ad assentiendum 1. principiis.* Explicatur quoad omnes particulas. Ponitur *qualitas*, vt genus, *acquisita*, vt differat à qualitate innâta, quæ spectat ad 2. speciem qualitatis. Adduntur reliquæ voculæ ad differentiam aliorum habituum intellectus. Etenim per habitum scientiæ assentimur conclusioni scientificæ: per habitum, opinionis conclusioni probabili, & sic de cæteris. Quare cum dicta definitio constet genere, & differentia, recteque explicet naturam definiti, eam esse legitimam iudicamus. Ambigi verò potest, quænam principia definiantur, primariè & vniuersalia, an etiam particularia? Itemque num principia complexa, ac incomplexa?

8. Pro quorum capitu obseruo, principia vniuersalia esse communia omnibus scientiis, quæ 1. *post* 2. vocantur dignitates, & 4. *Met.* t. ianuæ scientiarum, in quibus non contingit error. Principia verò particularia, vni scientiæ, & non alteri congruunt, quæ ab eodem Philosopho positiones nuncupantur. Principia autem incomplexa sunt

principia

principia simplicia, quæ per 1. mentis operationem apprehenduntur, vt Deus, Cælum. Principia verò complexa sunt axiomata, siue propositiones per se notæ, immediatæ & euidentes ex terminis, vt, *Quodlibet est, vel non est: Omne totum est maius sua parte.* Certum autem est, præfatam definitionem non adaptari principiis incomplexis, quæ cum sint termini simplices, ex quibus coalescit propositio, affirmatio, vel negatio haud eis accommodatur. Difficultas ergo est, de principiis complexis, quæ cum alia sint communia, alia verò particularia, inquiritur, num vtrisque, aut alterius dicta definitio conueniat. Etenim Vasquez 1.2.*disp.*74. *cap.*3. eam tantum principiis vniuersalibus attribuit; cæteri verò Doct. in quorum numero est Suarez 1. *Met. disp.*1. *sect.*4. *n.*23. tam vniuersalia, quàm particularia, sub illa definitione comprehendunt.

9. Probatur 1. ex Arist. 1. *post. c.*2. *&* 7. & 1 *Top. c.*2. & 1. *Phys. c.*2. Necnon 1. *Met. c.*1. & 2. atque 4. *eiusdem operis T.*7. vbi afferens discrimen habitus principiorum, ab habitu scientiæ, ait, habitum principiorum occupari, circa propositiones per se notas, & immediatas: omnia verò 1. principia, siue communia siue particularia sunt propositiones per se notæ, & immediatæ. Ergo præadducta definitio omnibus principiis competit. 2. habitus principiorum est, qui absque medio, & sola terminorum explicatione paritur, vt liquet ex dictis: principia verò tam vniuersalia, quàm particularia comparantur sine vllo medio, & sola terminorum notitia, vt patet inductione. Igitur ea definitio omnibus principiis competit.

10. Oppones, habitus principiorum potest probari. Nam Metaphysica *ex* 1 *post. c.*7. *&* 1. *Phys. c.*1. necnon 4. *Met c* 3. defendit, & confirmat. 1. principia, nedum ipsius, verumetiam reliquarum scientiarum: ergo 1. principia non sunt immediata, & cognita ex sola terminorum explicatione. Respondeo 1. munus Met. est, tueri 1. principia per rationes transcendentales, & communes. Cum enim ipsa sit 1. scientia, ordine cognitionis distinctæ, quia distinctè contemplatur ens, cæteraque transcendentia, quæ in reliquis scientiis præsupponuntur, & confusè cognoscuntur. Hinc est, vt Metaphysicæ tribuant officium tuendi 1. principia, vt innuit Fons. 3. *Met c.*2. Secundò occurrendum est, Met. demonstrare principia, non demonstratione ostensiua, sed demonstratione ducente ad impossibile, per illud principium; *Impossibile est, idem de eodem simul affirmare, & negare*, quæ texitur contra proteruos, vt videre licet *in Epit. lib.*1. *q.*1. *art.*12. Et traditur etiam à Suarez *disp.*1. *Met sect.* 4. *n.*22.

Dvbitatio III.

An habitus principiorum sit à natura insitus.

11. TRes inuenio Philosophorum discrepantes opiniones, duas extremas, & tertiam mediam.

Prima est Bannez 1 *p q.*1 *art* 6. *not.*3. & Conradi 1.2. *q.*94. *art.* 1. arbitrantium habitum principiorum esse naturalem, quibus fauet D. Th. 2. *d.*24. *q.*2. *art.*3. *ad* 3. & aliis in locis, à Recentib. alleg.

Secunda est Scot. 2. *Rep d.*23. *q vn.* §. *Dico tamen.* Conimb. 1. *post. q* 1. *art.*4. Ruuij *Tract.*1. *de habitu principiorum n.*11. & Suarez *disp* 1. *Met. sect* 4. *n.*14. docentium habitum principiorum esse acquisitum.

Tertia est Caiet. 1.2. *q.*51 *art.*1. & Complut. *in Log. disp.*10. *q.*2. affirmantium, habitum principiorum, partim esse à natura, siue à principio intrinseco, quod est intellectus agens: partim verò à principio extrinseco, hoc est speciebus intelligibilibus ipsorum principiorum profluere naturaliter habitum eorumdemmet principiorum: adeò vt posita notitia terminorum per sensus acquisita, mediis speciebus intelligibilibus, fluat naturaliter ab intellectu, huiusmodi habitus principiorum, eo ferè modo, quo fiunt nutritio, & augmentatio ex alimento, calore naturali decocto, à facultatibus nutritiua, & augmentatiua.

12. Not. 1. pro nunc, aliquid dici naturale, bifariàm. 1. quia est concreatum, & congenitũ cum aliquo, sic potentiæ animæ sunt ei connaturales, quia posita anima, statim ab ea naturaliter emanant, & species Angelorum perhibentur naturales illis, propterea quod ab eorum origine in eorum intellectu, fuere à Deo inditæ. 2. quia nullo adhibito medio, a potentia naturali cognoscitiua, euidenter cognoscitur: sic habitus principiorum vocatur naturalis, quia præuia notitia sensus, per species intelligibiles, solis terminis explicitis, ab intellectu percipitur, & frequentatis actibus comparatur. Idque totum perspicuè traditur à Doct. cit. dicente. *Non enim sic sunt principia innata intellectui, quod sint sibi concreata, sed pro tanto dicuntur innata, quia vt habetur 2. Met. c.*1. *sunt sicut ianuæ, quia statim ex sensu occurrentibus terminis, ex lumine ipsius intellectus.*

13. Not. 2. *ex* 2. *post c.*18. & 1. *Met. c.*1. sensum nobis esse à natura, & ex sensu prouenire memoriam, & ex memoria experientiam, ex hac verò colligi cognitionem vniuersalis, quod est principium scientiæ. Scientia quippe est vniuersalium. 7. *Met.* 53. Hinc patet cognitionem principiorum non esse nobis à natura inditam, nec ex alia præuia notitia intellectus effici, sed à sensu ortum suum trahere, qui nobis, a natura est concreatus. Quare Ruui cit. *n.*14. allucinatur cum, *in c alleg.* legat, assensu, & legendum sit à sensu, siue ex sensu, vt præstāt Doct. cit. & cæteri interpretes ibi. Sitque expressus tex. Philosophi, vt patet legenti. Licet enim intellectus assensum præbeat principiis, tamen origo eius assensus prouenit à sensu, vt *ibid.* ostendit Stagir, *&* 1. *Met. c* 1.

14. Ass. 1. habitus principiorum non est à natura inditus. Ita Scot. præmemor. Probatur 1. *ex* 2 *post. T* 27. vbi habetur explicitè. *Impossibile est in nobis esse habitum, & nos latere.* Sicut dictum erat 1 *post. T* 4 scientia non est in nobis per reminiscentiam, sed de nouo à nobis comparari. Cùm ergo per Arist. habitus scientiæ non sit nobis ingenitus, pariter & habitus principiorum, non est nobis à natura inditus. 2. *ex* 3. *de anima* 14. intellectus est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum. Ergo habitus principiorum non est nobis concreatus. Conseq. tenet, si enim habitus principiorum foret congenitus, esset aliqua cognitio rerum, per illum habitum in eo, à primordio sui impressa, & existens; ideóque falsò assimilaretur nudæ tabulæ, in qua efformandæ sunt rerum imagines, & similitudines. 3. omnis nostra cognitio ortum suum ducit à sensu, teste Philosopho cit. & lib. de sensu, & sensato c 6. *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Cognitio autem, quæ ministerio sensus acquiritur, non est à natura, cum autem principiorum habitus habeatur, per sensum offerentem terminos simplices intellectui agenti, quibus explicatis assensum præbet, nulla interueniente causa, planè deducitur, habitum principiorum non esse nobis innatum.

15. Ass. 2. habitus principiorum non est partim naturalis, & partim acquisitus, eo modo, quo exponunt Authores 3. *sententiæ.* Colligitur ex Doct. *vbi suprà* Probatur 1. Nam, præterquamquod videtur implicatio, vt idem habitus ex parte sit innatus, & ex parte acquisitus. Cum enim habitus sufficienter diuidatur, in naturalẽ, & acquisitum, non est adinueniẽdus inter eos alius habitus medius. Etsi autem eorum explicatio tollere videatur illam contradictionẽ, tamen reuerà non tollit. Siquidem, illa cognitio, quæ acquiritur per sensum, & intellectũ causatur, successu tẽporis, prorsus est acquisita, non verò cõgenita, vt patet ex terminis: atqui habitus principiorũ à sensu, & intellectu, temporis interuallo efficitur, vt clare monstrat Philosophus 2. *post cit* ergo &c. 2 quod fluit naturaliter ab aliquo, reperitur in omnibus, ex quibus fluit, vt constat de risibilitate, quæ cum naturaliter proficiscatur à natura humana, inuenitur

in omnibus eius indiuiduis: habitus autem intellectus non est in omnibus, immò quidam ea negant, vt patet 4. *Met.* 2. & declarat Auer. 2. *Met. com.* 15. ergo &c. Tertiò, quod per inductionem acquiritur, est acquisitum, cum inductio sit progressio à singularibus sufficienter enumeratis, ad vniuersale: patet autem principia pendere à sensu, sensus verò est singularium, & intellectus vniuersalium. Vt enim colligatur propositio vniuersalis necessaria, præmittendæ sunt præmissæ necessariæ, quæ sunt principia conclusionis scientificæ, necesse est, cognoscantur prius eius singularia, quibus cognitis infertur vniuersalis, vt optimè prosequitur Stag. 2. *post. alleg.*

16. Ass. 3. habitus principiorum est acquisitus. Sequitur ex præcedentib. Cum enim in 1. assert. probatum sit, non esse innatũ, & in 2. non esse compactum ex innato, & acquisito, sufficienter, necessarióque deducitur esse acquisitum. Amplius suadetur; Experimur enim, prius vnum principium à nobis percipi, & deinde aliud, & cætera deinceps. Iterum, in initio non ita capi faciliter, posteà verò exercitio facilius, & delectabilius à nobis cognosci, & assumi, ad inferendas conclusiones; ergò talis habitus est acquisitus. Ant. declarari potest, si quis proferat hoc principiũ, *omne totum est maius sua parte*, non facilè intelligitur, nisi ostendatur speciatim, hoc totum est maius sua parte, putà tota hæc tabula, vel tota hæc aqua, quibus cognitis postmodum, audito tali pronunciato, facilis, & promptus redditur intellectus, ad ei assentiendum, scilicet, omne totum est maius sua parte. Rursus, natura tribuit esse, & posse, quibus valeat assequi, quod sibi est necessarium, & commodum. Etenim 2. *Cæli* 17. Esse, est propter operari. Ob id dedit animæ intellectum, quo possit acquirere intellectionem, & voluntatem, vt eliciat volitionem. Non autem ab origine intellectus est ornatus intellectione, & voluntas volitione. Natura quippè solum prouidit necessaria, ad simpliciter agendum, non verò ad facilius agendum, cuiusmodi est habitus. Quare habitus principiorum est acquisitus per intellectum, eius actibus frequentatis, & multiplicatis. Insuper, intellectus est indifferens, ad quamlibet cognitionem siue principiorum, siue conclusionum, mouetúrque à speciebus, & obiectis, ministerio sensuum repræsentatis. Ex se enim est capax omnis cognitionis, & à quib. prius, & efficacius mouetur, ea prius intelligit, tenaciúsque retinet. Igitur eget habitu, vt ea commodius, & expeditius intelligat, quę si fuerint principia, causant habitum principiorum; quod si extiterint conclusiones, producunt habitum scientiæ. Itaque habitus principiorum est acquisitus.

17. Opponés primò. Deus res creans ita disponit, vt supremum naturæ inferioris attingat primum naturæ superioris: inter autem habitus naturales, primatum tenet habitus principiorum. Si ergo Deus omnes habitus rerum Angelis præbuit, in momento creationis eorum, vtique hominibus habitum principiorũ elargitus est, qui omnium est supremus. Conf. 1. 7. *Eth. c.* 8. virtus natura, aut assuetudine comparatur. Conf. 2. Deus non creauit naturam prorsus spoliatam principiis operandi: habitus autem principiorum versatur circa principia omnium scientiarum; ergo est nobis congenitus. Respondeo maiorem valere quoad perfectionem essentialem naturarum, vt scilicet naturæ ita ordinentur, & disponantur, vt vna aliam superet, perfectione, putà, terra essentialiter sit inferior aqua, & aqua aëre, & sic ascendendo, vsque ad vlt. Non autem penes alias perfectiones. Siquidem non est opus, vt si creatura suprema fulgeat quadam perfectione, ea quoque, vel consimili perfectione gaudeat creatura inferior. Ideò non sequitur, quod si Angelis concreatæ sunt species rerum, statim in initio eorum conditionis, quoque etiam hominibus, in eorum creationis momento, habitus principiorum inditus fuerit. Ad 1. conf. Arist. ibi non loquitur assertiuè, sed dubitatiuè, & problematicè, vt liquet ex particula *Vel*. Ad 2. conf. dico Deum condidisse naturam cum suis potentiis necessariis simpliciter, ad operandum, non verò cæteris, quæ sunt ad melius, & facilius operandum, vti sunt habitus principiorum, & aliarum rerum.

18. Oppones secundò, habitus datur ad tollendam difficultatem, & inducendam facilitatem operandi, vt claret ex eius definitione: intellectus autẽ nullam habet difficultatem in assensu principiorum. Æque enim facilè assentit eis semel, ac si multoties eisdem assensum tribuat; ergo non est necessarius habitus acquisitus, sed sufficit habitus naturalis. Concedo ma. nego min. Etenim experimur, vsu, & exercitio, gigni in nobis faciliorẽ cognitionem, tollique indifferẽtiam, quam priùs habuit intellectus, in rebus cognoscendis, eisque assentiendis.

19. Quærea 1. vtrum habitus principiorum sit vnus genere, aut specie? Qui putant habitum principiorum esse congenitum, respondent esse vnum specie, veluti habitum fidei, cæterosque habitus infusos propter vnam rationem formalem specificam, quæ consistit in sola terminorum explicatione, absque vllo medio. Versùm, qui talem habitum, acquisitum esse opinantur, astruunt esse vnum genere Ita sentit Riuius *tract.* 1. *de habitu principiorum n.* 19. Siquidem ita philosophandum est de habitu principiorum, ac de habitu scientiæ; vterque enim est acquisitus, penderque ab actibus & obiectis, cum hoc tamen discrimine, quia ille est absque medio, hic verò poscit medium: habitus autem scientiæ est vnus genere; comprehendit namque speculatiuas, & practicas scientias, quæ specie differunt, vt patet in Log. *lib.* 5. *q.* 4. Ergo & habitus principiorum de speculatiuis, & practicis principiis est quoque vnus genere. Iterum est vnus assensus genere principiorum communium, & particularium, vt patet de assensu, quo assentimur huic principio communi, quodlibet est, vel non est, & quo assensum tribuimus isti principio particulari, *omne totum est maius sua parte*. Igitur principiorum habitus est vnus genere. Motiuum autem supra tactum non nobis officit. Siquidem cognitio principiorum consistens in sola terminorum explicatione, non est ratio specifica, sed generica, vtpotè quæ conuenit principiis specie differentibus, vti sunt principia speculatiua, & practica, quemadmodum conclusiones ex illis deductæ, & causatæ specie pariter dissident.

20. Quæres 1. an primum principium sit à parte rei, an verò fictum, & excogitatum ab intellectu, de quolibet est affirmatio, vel negatio? Distinguo, si sumatur logicè, scilicet pro secundis intentionibus, quæ significantur per illa nomina, affirmatio, & negatio, concedo esse per intellectum fabricatum. Quod si accipiatur metaphysicè, id est pro rationibus intrinsecis, & formalibus, quibus vnum à parte rei connectitur cum alio, vel ab alio disiungitur, dico esse à parte rei, nullo intellectu cogitante. Etenim res ita sunt ordinatæ, & connexæ, vt quædam necessariò inter se coniungantur, vt homo, & animal: quædam verò abinuicem secernantur, vt homo, & lapis.

ARTICVLVS II.

De sapientia.

DVBITATIO I.

Quid sit sapientia.

21. SApientia duplici gaudet ethymologia, aut enim suam ducit notionem à sapiendo, quia mentem illuminat, aut à saporando, quia voluntatem inflammat, quo pacto dicitur sapida scientia. Ob id notat Scot 3. *d.* 34. *q. vn.* §. *His suppositis sub O.* in sacra pagina sapientiam accipi pro charitate, seu gratia, quæ sapit habenti.

habendi. Quo in sensu Salomon *Sap.* 1. inquit, *In malevolam animam non introibit sapientia.* Quatuor autem modis vsurpari sapientiam, obseruat Brulifer 3. *d.* 35. Primò, pro Dei attributo tribus Personis Diuinis conueniente, vt contra Abailardum ostendit Alphonsus 6. *aduersus Hæreses, verb. Deus.* Appropriatur tamen Filio, vt patet Ecclesiast. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita.* Et cantat Ecclesia in Aduentu. *O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti.* Et 1. Cor. 1. prædicamus Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam: Cum autem Deus sit vera sapientia, consequenter verus Philosophus est amator Dei, vt quoniam philosophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo sit beatus, qui Deum amauerit; subdit August. 18. *Ciuit. cap.* 1. & 8. Idipsum sentit Plato, nec dissentit Scot. apud Platonem *in Dialog. de philosophia.* Secundò pro Spiritus sancti dono, vt legitur *Esa.* 11. Estque spiritualis dulcedo, in mente piorum hominum, in Deum diligendum, ad cuius allequutionem tria postulantur, Primò, humilitas, quæ est timor Dei, iuxta illud Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Secundò, charitas, qua homo fit Deo charus, & gratus, vt innuit Ecclesiasticus. 1. *Dilectio Dei, honorabilis sapientia.* Tertiò, sapor internus totius hominis, qui in solo Deo, sibi complacet. Hinc Psal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Tertiò, pro eminentia, & præstantia alicuius, in aliqua arte, vel scientia, vt tangitur 1. *Met.* 1 & 1. *Cor.* 3. Sic Architectus dicitur sapiens, qui præbet leges, & præcepta benè architectandi: pariter, qui in politia tribuit normam rectè administrandi Rempublicam, vocatur sapiens. Quò fortè respiciens Socr. nuper memoratus, ait, felices fore Respublicas, si aut Reges philosophantur, aut philosophi Rempublicam administrant. Quartò, pro notitia omniũ rerum, quoad fieri potest, siue principiorum, siue conclusionum: & significatur per quamdam rectitudinem intellectualem, ad benè iudicandum de omnibus: quo pacto in Græcia fuere septem Sapientes. Atque per cognitionem de altissimis, & æternis, sic Theologia appellatur sapientia, aduertentibus Alens. 1. *p q.* 1 *m.* 1. & Scot. *in prol q.* 5. *later. D.* Necnon Met. quæ etiam agit de Deo, Angelis, & cæteris, vt fatetur Stagir. 1. *Met.* 1. & 3. *eiusdem operis, c* 2. cui, idem Philosophus 6. conditiones attribuit. Prima, vt sit cognitio omnium, in vniuersali quandoquidem cognitio omnium, quoad rationes particulares & singulares videtur impossibilis. Ideò subdit Arist. *ibid* sapientis esse, scire obiecta non singulatim, sed quoad fieri potest. Secunda, vt circa difficilia, & à sensibus remota versetur. Quæ enim facilia, & omnib. obuia pertractat, nomen sapientiæ non meretur. Tertia, vt procedat ex certissimis principiis, à qua excluduntur iudiciarij Astrologi, Planetarij, & Magi. Quinta, vt sit sui gratia, per se expetibilis, nec agnoscat superiorem, dignioremque. 4. *Met. c* 3. *T* 7. Quinta, vt dirigat, aliisque imperet, supplè, directione, imperioque speculatiuo, vt prosequitur Fons. 2. *Met. q.* 5. Sexta, vt sit idonea ad docendum. Debet quippe sapientia docere causas, & principia sciendi, omniaque resoluere, & decidere, vt 1. principia, & 1. causas. Vndè Arist 1. *Met.* 1. scribit, *Signum sapientis est, posse docere, & ad sapientem pertinere causas rerum cognoscere, & assignare.*

22. Oppones primò, Arist. 1. *Elench.* 1. inquit, *Munus sapientis est, de omnibus bene dicere, & nescientem redarguere.* Ideò olim floruerunt quidam Philosophi, qui referente Fons. præcit. parati erant, ad disputandum de omnibus rebus. Igitur, sapientia est plena cognitio de cunctis rebus, nedum in vniuersali, verumetiam in particulari. Respondeo Arist. ibi tantum velle, sapientem de omnibus posse disserere, quoad fieri potest, & quantum valet humana sapientia, vt declarat idem Philosoph. 1. *Met.* 1. *Sapiens quodammodo omnia nouit.* alioqui non sapientia, sed esset vanitas, & præsumptio spiritus. Ad solam quippè diuinam Sapientiam spectat, omnia vniuersalia, & singularia pertingere, vt patet Hebr. 4. *Omnia sunt nuda, & aperta oculis eius.*

23. Oppones secundò, Mathematicæ disciplinæ sunt certiores, & euidentiores cæteris scientiis, vtpotè, quæ procedunt ex principiis euidentissimis, & à sensibus remotissimis, 2. *Met. c.* 3. *T.* 16. Non ergo sapientia fulcitur principiis notissimis, cum id ad Mathem. pertineat. Respondeo id locum habere de principiis propriis, & particularibus: non autem de principiis omnium primis, & vniuersalissimis, qualia sunt principia Met. Eò magis, quia illa confirmantur, & corroborantur à Met. cuius munus est, defendere principia omniũ scientiarum particularium, contra ea negantes, & proteruos. Insuper Met. est 1. ordine cognitionis distincta, propterea nulla scientia clarius, & distinctius explicat, & illustrat principia, quam Met. Hinc 6. *Eth.* 8. nuncupatur caput omnium scientiarum. Et 1. *Met.* 2. scientiarum Dea. Atque Mirand. *lib. de euers. sing. cert.* eam aliis præmittit, post Bonetum 1. *Met. cap.* 1.

24. Opponet tertiò, practica scientia, quæ laborat circà operationes voluntatis, præsertim politica, quæ tradit regulas bene viuẽdi, & regendi Remp. quave homo cæteris imperat, videtur esse magis sapientiã, quam speculatiua vt patet *Deut* 4. Fertur namque ad amorem Dei, & beatitudinem, quam Arist. locat in contemplatione substantiarum abstractarum. 6 *Eth.* 10 Conf. Scot. *q.* 4. *prol.* facit Theologiam practicam, quam esse maximè sapientiam, tum ipse Doct tum etiam alij Theologi ibid. affirmant. Igitur sapientia non præcipit, nec dirigit directione speculatiua, sed practica. Ob id Socr. relictis naturalib. ad morales scientias se totum conuertit. Ita, etiam pij viri se dant diuino amori, in quo est vera sapientia, & reliquæ disciplinæ, quæ sine eo sunt, stultitiæ reputantur. Respondeo Arist. reliquosque Philosophos non agnouisse veram sapientiam, & felicitatem, quæ vt dixi, in initio huius art. ex Aug. posita est in dilectione Dei. Ideò mirum non est, si statuerint solam sapientiam speculatiuam. Nos verò, qui lumine fidei illustrati, scimus Deum à nobis posse attingi, visione, & fruitione, consequenter asserimus, eam scientiam, quæ est de Deo, tenditque ad eius amorem, esse præstantiorem, & veriorem sapientiam. Quidquid dicat Suarez *disp.* 1. *Met. sect.* 5. *n.* 44. Per id quoque satisfit confirmationi, ex Scot. desumptæ. Et fusè prosequutus sum *lib.* 1. *Phys. q.* 1. *art* 4.

DVBITATIO II.

An sapientia sit nobilior, & certior habitu intellectus.

25. HAnc difficultatem se ignorare ingenuè fatetur Bannez 1 *p q* 1 *art.* 6. Suarez verò *disp.* 1. *sect.* 5. *n.* 30. *& indè*, prolixè, & perplexè eam attingit: Quidam autumant sapientiam, esse certiorem, & nobiliorem propriis principiis scientiarum specialium, non verò ipsius principiis, causisque vniuersalissimis, ex quibus causatur. Alij autem Authores negant, sapientiam certitudine, & euidentia esse præponendam habitui intellectus.

26. Not. 1. sapientiam duobus capi modis. 1. vt comprehendit principiorum, & conclusionum notitiam, quo in sensu videtur loqui Arist. 6. *Eth.* 8. inquiens *sapientia est quoddam caput habens intellectum, & scientiã.* Et 1. *Met.* 1 sapiens quodammodo omnia nouit. 2. quatenus sapientia est cognitio de conclusionibus habitis per causas altissimas, & de sapiẽtia sic accepta mouetur præsens dubitatio, num scilicet, certitudine, euidentia, & nobilitate superet habitum principiorum.

27. Not. 2. aliquid posse esse certius, & euidentius alio, non tamen nobilius. Nam accidentia substantiæ corporeæ sunt nobis quoad sensum, notiora, & apertiora, accidentibus substantiæ incorporeæ: cognitio autem quæ de his habetur, præstat notitiæ, quæ de illis acquiritur, vt tradit Arist 1. *de partibus animalium c.* 5. & Scot. 1. *d.* 3. *q* 2. Quare cognitio de Deo, &

Angelis excellentior, & dignior est cognitione, quæ habetur de ente, & cæteris transcendentibus, & prædicamentalibus.

28. Assertio, absolutè habitus principiorum certitudine, & euidentia prælucet sapientiæ non tantum quoad principia propria, & conclusiones ex eis deductas, verumetiam quoad principia communia, & conclusiones, ex illis collectas. Exhauritur, ex Doct. *vbi suprà*, & *in Rep.2.d.23.q.vn.§.Dico tamen.* Probatur 1. tota certitudo, & euidentia quam participat sapientia, causatur ex principiis. Nam demonstratio, per quam gignitur sapientia, fit ex prioribus, notioribus, causisque conclusionis. 1.*post c.* 2. Ad quod suadendum Arist. ibi adducit illud axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Conclusio est vera, nota, & euidens per principia, ergo principia sunt notiora, & euidentiora. 2. quod est immediatè euidens, & certum, certitudine, & euidentia superat illud, quod est notum, & euidens per medium, vt patet de sole, qui est immediatè lucidus, & de Deo, qui est ens per essentiam, principia autem ex se sunt nota, & euidentia terminis explicitis, immediata, & indemonstrabilia: sapientia verò gignitur per causam, & paritur per demonstrationem, ergo &c. 3. prima principia sunt independentia, & irresolubilia, ad ea quippè cætera resoluuntur, vt constat de hoc principio. Quodlibet est, vel non est. Ideò intellectus non potest errare circa principia & conclusiones, quas intuetur sequi demonstratiuè, ex principiis, notante Scot.2. passu alleg. Atque à Philosopho 2. *Met.*1. principia nominantur ianuæ, quæ patentiores sunt eis, quæ sunt in domo: similiter principia magis patescunt, quam conclusiones ex illis deductæ, ac proinde principiorum habitus certitudine, & euidentia vincit sapientiam. Addo, causa est nobilior suo effectu, ex probatis *lib de causis q.*1.principia autem sunt causæ conclusionis, ex dictis suprà. Demum, scientia Dei, quæ est absque medio, & discursu, præstat nobilitate scientiæ creatæ, quæ gignitur per medium, & discursum: concluditur ergo principiorum habitum nobilitate, certitudine, & euidentia sapientiæ prælucere, & præeminere.

29. Oppones primò, sapientia est nobilissimus habitus, 6. *Eth.*8. *&* 10. *eiusdem operis cap.*8. Necnon 1.*Met.*1.Ergo sapientia præstantior est intellectu, tam certitudine, quam euidentia. Respondeo antecedens verum esse inter habitus discursiuos, & ratiocinatiuos, vt sunt cæteri habitus, præter habitum intellectus. Vel dicito, accipi ibi aliisque locis alleg. sapientiam ab Arist. prout comprehendit habitum principiorum, & conclusionum, vt post Vort. cit. in not. & Tatar. *quæst.*1. *Log. scibilis* 3. obseruat Fons. 3. *Met. cap.*2. *T.*5. relatus à Suarez *vbi suprà*, *num.*31. Eò magis, quia insinuatur in scriptura, Ecclesiastici 15. *Impleuit eum spiritu sapientiæ & intellectus.* Esa 11.*spiritus sapientiæ, & intellectus.* Et Col.1. *In omni sapientia, & intellectu*

30. Oppones secundò, sapientia nedum iudicat de principiis, verumetiam de conclusionibus, ergo est nobilior & certior principiis, veluti continens est nobilius, & certius contento. Ant. est in promptu, vt enim conclusiones inferuntur ex principiis, oportet prius nouisse principia, tanquam causas, ex quibus fiunt conclusiones: id autem præstat sapientia, ergo eminet habitui principiorum. Conf. sapientia non solum simplici, rectoque actu respicit principia, vt facit intellectus habitus, qui solo naturali, rectoque lumine contemplatur principia: sed etiam actu reflexo spectat illa, assumens eamet, vt media, & causas, ad deducendas suas conclusiones demonstratiuas: is autem modus cognoscendi, & iudicandi videtur præstantior, & eminentior, Igitur sapientia excellit principiorum habitui Respondeo, si sapientia sumatur præcisè, quatenus est cognitio causata, per supremam, altissimamque causam, nego: si verò accipiatur pro notitia de conclusione, & principiis, concedo, vt abundè suprà planum feci. Sunt namque diuersi habitus, vnus de principiis, qui est habitus intellectus, alter verò de conclusionibus, qui est sapientia. Ad conf. concedo ma. nego min. Nobilior siquidem est modus cognoscendi res immediatè, quam mediatè, vt patet de Deo, qui immediatè cognoscit omnia, in sua essentia, nullo medio, causaue interueniente: atque notitia perfecta, quæ est absque discursu, eminet notitiæ, quæ est cum discursu, vtpotè quæ immediatè perficit intellectum. Itaque, cum talis actus reflexus sapientiæ sit discursiuus, non perfectionem, sed imperfectionem denotat.

DVBITATIO III.

Quomodo sapientia differat à scientia.

31. Nonnullum intercipi discrimen, inter sapientiam, & scientiam, peruium est, 6. *Eth.* 3. *&* 8. vbi Arist. recensens quinarium numerum habituum intellectus, inter eos collocat sapientiam, tanquam habitum, ab aliis distinctum, pro cuius captu facit duplex acceptio sapientiæ, allata in præcedente dub. videlicet, sapientia sumitur pro notitia principiorum, & conclusionum, atque pro sola notitia, quæ habetur de conclusionibus, causata per causas primas, & supremas. Iterum, non est spernenda acceptio scientiæ, quæ affertur à Nostratibus *q.*3 *prol.* & *3.d.24. q. vn. §. Ad q. D.* & *in Rep ibid.* nempè, pro scientia de 6. *Eth.* 3. quæ est *habitus, quo quis determinatè dicit verum*: & pro scientia de 1.*post.*2.quæ est *cognitio certa & euidens rei necessariæ, per propriam causam* Præterea, obseruo, omnem sapientiam esse quidem scientiam, vt patet 2. *Met c.*1. & 2. *&* 11. *eiusdem operis lib.* 1. *&* 2. Non tamen omnem scientiam esse sapientiam. Enimverò, physica est scientia, nihilominus haud est sapientia, ex eodem Philosopho, ibid. Ideoque sapientia videtur differre à scientia, veluti minus commune à magis communi, & sicut species præstantissima à suo genere.

32. Assertio, sapientia distinguitur à scientia. Deducitur ex Scot. præcit. Probatur 1. ex Arist. 6. *Eth.* 3. referente sapientiam, vt habitum distinctum à scientia, cæterisque habitibus ab eo *ibid.* recitatis. Secundò, ex Aug 12.*Trin.*15. afferente discrimen inter sapientiam, & scientiam, vt nimirum, sapientia sit æternarum rerum cognitio intellectualis, & scientia sit rerum temporalium cognitio rationalis. Hoc ipsum discrimen agnoscit Vorr. præcit. videtur esse idem ac istud, putà, sapientia res altissimas, portionisque superioris, siue ordinis præstantioris: scientia verò res imas, portionisque inferioris, siue ordinis deterioris respicit. Tertiò, conditiones, & attributa sapientiæ, in superiori dub. memorata, scientiæ non adaptantur. Non enim quæuis scientia res à materia seiunctas meditatur, nec est sui gratia, nec alias dirigit, imperatque, vt præstat sapientia. Igitur sapientia, a scientia discriminatur. Tertiò, Iuuenes, vtplurimum valent esse scientes, non verò sapientes. Ob id subdit Arist. 3. *Top.*2. Nemo iuuenes eligit sibi duces, eo quod non sunt sapientes. Vnde Roboam 3.*Reg.*12. admittens consilium iuuenum, & senum consilium respuens, perdidit regnum Israel.

33. Oppones primò, sapientia vsurpatur pro habitu intellectus, & scientiæ, per demonstrationem acquisitu, vt constat ex dictis, ergo tantum sunt tres habitus intellectus, nempè sapientia, prudentia, & ars, quod pugnat. Arist.6. *Eth.*3. numeranti quinque habitus intellectus. Respondeo data illa sumptione sapientiæ, adhuc habetur quinarius numerus habituum intellectus adductus à Philosopho, passu alleg. Quoniam sapientia sic capta non est formaliter, nec identicè intellectus, & scientia, sed habitus ab eis formaliter distinctus, quamuis materialiter, & obiectiue sit idem, vt bene aduertit Tatar. nuper memoratus. Et deducitur ex 6. *Eth.* 7.

34 Oppones

34. Oppones ſecundò, vna ſpecies alicuius generis non fit ex alia, vt homo ex bruto non conficitur. Quia ſpecies ſunt oppoſitæ, per oppoſitas differentias conſtitutæ: perperam ergo aſſeritur, ſapientiam, ex habitu principiorum, & ſcientiæ coaleſcere. Diſtinguo antecedens, formaliter, concedo: materialiter, nego. Siquidem, vt dixi lib. de quantitate, ex linea fit ſuperficies, atque ex linea, & ſuperficie, corpus, quæ ſunt ſpecies diſtinctæ quantitatis continuæ Rurſus, ex quantitate continua fit diſcreta, vt *ibid.* animaduerti.

35. Quæres, vtrum ſapientia vniuocetur, cum ſapientia creata, & increata? Dico vniuocari, vniuocatione tranſcendentali, veluti ſubſtantia diuina, & creata participant communem rationem ſubſtantiæ tranſcendentalis. Addo, ens eſt vniuocum ſubſtantiæ, & accidenti, Deo, & creaturæ, ex Doct. 1. *diſtinct.* 3. *quæſt* 2. §. *ſecundo Ad B.* & *diſtinct.* 8. *quæſt.* 3. §. *Teneo F.* Pariter ſapientia increata, & creata vniuocantur, in communi ratione ſapientiæ, vt expreſsè defendit Scot. *ad finem eius quæſt.*

ARTICVLVS III.

De Prudentia.

DVBITATIO I.

Quid ſit Prudentia.

36. DAri prudentiam, exploratum eſt, apud omnes. Apertè ſiquidem oſtenditur ab effectu. Nam quidam prudenter agunt, quidam verò imprudenter, vt liquet *Matt.* 14. de quinque virginibus prudentibus, & quinque imprudentibus, & fatuis. Præmonet autem Ariſtot. *ad finem* 2. *Top. cap.* 4. neminem natura eſſe prudentem, vt ex dicendis palam fiet. Quid autem ſit prudentia, traditur ab eodem Philoſopho. 6. *Eth.* 5. ibique ab eius expoſitoribus explicatur. Ego verò pro faciliori eius captu.

37. Not. primò, prudentiam duobus modis accipi. Primò, latè, id eſt pro naturali ſagacitate, & circumſpectione ad vitam tuendam, & conſeruandam, ita formicæ dicuntur prudentes, quia æſtate grana colligunt, & cogunt, quibus poſtmodum hyeme veſcuntur, vt legitur *Prouerb.* 6. Pariter inter belluas, ſerpentes perhibentur prudentes, vt nos docet Saluator Matt. 10. *Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes.* Hinc Stagirita 1. *Met.* 1. ſubnecit, nonnulla animalia eſſe prudentiæ, & diſciplinæ capacia.

Secundò, ſtrictè pro habitu actiuo, in inueniendis mediis opportunis, & efficacibus, de rebus agibilibus, ad finem propoſitum conſequendum, & de prudentia ſic accepta ſermo eſt in præſentia, quam eſſe ſapientiæ procuratricem, aſtruit Philoſophus 6. *Eth.* 12. & 10. *eiuſdem operis, cap.* 8. Atque virtutis ſtudioſus *Prol.* 6 ait ſapientiæ, *Soror mea es, & prudentiam vocaui amicam meam.*

38. Not. ſecundò, multa exigi ad perfectam prudentiam, potiſſimùm memoriam, ſine qua, nulla eſſe quit prudentia; ob id Ariſtot. paſſu nunc alleg. edixerit, inter ea, quæ memoria pollent, quædam eſſe prudentia, quædam verò docilia, non tamen quæ ſunt prudentia, oportet eſſe docilia, vt apes, & ſerpentes. Deinde, neceſſaria eſt cognitio rerum ſingularium agibilium, vt præuia earum notitia, valeant prudentia animalia operari, ad ipſorum finem aſſequendum. Rurſùs, requiritur ſolertia, qua prudens eiò media perueſtigat ſufficientia, & opportuna, ad finem præfixum adipiſcendum. Iterum petitur prouidentia, idcircò notat Vorr. 3. *diſtinct.* 33. *term.* 2. poſt Iſid. *lib. Etym.* Prudentia perinde eſt ac porrò videntia, ſeu procul videntia. Prudens quippè debet præuidere, quæ in futuro agenda ſunt, in præſenti prouidere neceſſaria, conferre præteritum, cum præſente, & futuro, iudiciumque de illis ferre, vt finem intentũ obtineat. Iunge circumſpectionem omnium circumſtantiarum, cautionemque, qua vir prudens, omnia obſtacula, impedientia, & oppugnantia debet remouere, quibus ſublatis, neceſſariiſque adhibitis, optatam metam habeat, & poſſideat. Ob id ſubnectit Doct. 3. *diſtinct.* 34. §. *His ſuppoſitis.* Prudentia eſt habitus conſiliatiuus, quia eſt habitus rectè ſyllogizandi practicè Quò reſpiciens Angelus *verb. prudentia*, ex Ariſt. 6. Eth. 7. tres actus, ſiue munera prudentiæ aſſignat, ſcilicet, bene conſultare, iudicareque, & præcipere executionem Ad quæ tria faciunt quam maximè, recordatio præteritorum, præſentium ordinatio, & futurorum meditatio: hæcque receuſentur à Sen *lib. de moribus*: *Prudens ſi fuerit animus tuus, præterita recordare, præſentia ordina, futura præcaue.*

39. Aſſertio, prudentia probè definitur, *habitus cum recta ratione actiuus, circa ea, quæ ſunt homini bona, vel mala.* Ita Ariſtot. 6 *Eth.* 5 cui adſtipulatur Scot. præcit. & *coll* 1. Suffragatur Auguſt. 2. *de libero arbitrio cap.* 15. & *lib* 8 . *qq. quæſt.* 31. Explicatur quoad omnes eius particulas, priuſquam probetur. Ponitur *habitus*, tanquam genus. Eſt enim prudentia qualitas, de prima ſpecie generis qualitatis. Additur, *cum recta ratione*, vt differat ab habitu erroneo, & cæteris, qui ſunt habitus falſi, aut dubij. Locatur *actiuus*, propter artem, quæ eſt habitus factiuus, occupaturque circa opera manualia, prudentia verò circà moralia, quæ bona, vel mala ſunt, vt planè ſignificant verba eius poſtrema. Sic explicata præallata definitio, facilis eſt probatu. Ea quippè eſt idonea, & legitima definitio, quæ genere, & differentia conſtat, vt dixi *in Epit. lib.* 2. *quæſt* 7. *art.* 2. Præadducta autem prudentiæ definitio participat genus, quod eſt habitus, & differentiam, quæ ſunt reliquæ eius particulæ præexplicitæ. Nec aliquid ſuperflui, diminutique continet. Nec vlus, quem viderim deſpicit, nec reſpuit: ſed omnes libenter, & conſtanter recipiunt, & defendunt, ergo apta eſt prædicta definitio.

40. Oppones primò, prudentia eſt habitus rectus, vt patet ex eius definitione: obiecta autem, circà quæ ipſa prudentia laborat, ſunt incerta, & mutabilia, & obliquabilia, cum ſint ſingularia, quæ perennem ſubeunt mutationem: non ergo bene definitur prudentia, habitus cum recta ratione actiuus. Concedo maiorem: ad minorem dico, prudentiam eſſe verum, & rectum habitum, licet obiectum eius ſit mutabile, & obliquabile, vt claret de arte, quæ eſt de contingentibus, ipſa verò eſt certa, & recta, penes ſuas regulas, & menſuras, quas præſcribit de opere faciendo. Similiter, cum prudentia præbeat normam, & regulam bene agendi, quamuis agibilia ſint mutabilia, & defectibilia; ipſa tamen prudentia eſt recta, certa, & infallibilis, vt probe aduertit Doct. 3. *Rep. diſt.* 36. *quæſt. vn* §. *Per hoc, &* §. *Ad marg.* expreſse ſubiungit, virtus non obliquatur, ſed habens virtutem ex defectu alterius, &c.

41. Oppones ſecundò, Ariſt. 6 *Eth.* 6. ſcribit, prudentiam eſſe nobiliorem inter virtutes morales: at ſi prudentia foret habitus certus, & rectus, non eſſet nobiliſſima virtutum, ei quippè emineret charitas, inter virtutes morales, eique præluceret ſapientia, inter virtutes intellectuales. Igitur prudentia non bene definitur *habitus cum recta ratione actiuus.* Reſpondet Doct. 3. *diſt.* 33. *quæſt vn* § *Ad* 1. *M.* prudentiam nobiliorem eſſe cæteris virtutibus, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quà prudentia eſt quodammodo regula directiua aliarum virtutum, quatenus ipſa conſultat, iudicat, & directiuè mandat, quæ agenda ſunt.

DVBITATIO II.

An omnium agibilium sit vna prudentia.

42. ESse vnam tantum ſpecie prudentiam, de omnibus agibilibus, veluti eſt vna fides de omnibus credibilibus, tenent Thomiſtæ allegati à Runio *diſp. de virtutibus artic.*4. *m.*1. Quibus ſeſe opponunt Scotiſtæ cum Scot.3. *diſtinct.*36. *quæſt. vn.* §. *Quantum ergo L.* & 6. *Met. quæſt.*1. & *coll.*1. Et Nominales cum Och.3. *quæſt.*13. *art.*2. ſubſcribunt Ric. *ibid. quæſt.*3. *art.*2. & Aur. *art.*5. affirmantes, prudentiam eſſe vnam genere diſtributam in diuerſas ſpecies, penes diuerſas rationes ſpecificas rerum agibilium.

43. Not. habitum generari per actus repetitos, ex dictis ſuprà, & per conſimiles actus diſtingui, extrinſecè, & à poſteriori: pariter actus diſtingui extrinſecè per obiecta, ad quæ feruntur, vt abundè monſtraui *lib.*2. *de anima quæſt.*2. Adeò vt, iuxtà diſtinctionem obiectorum genericam, aut ſpecificam, inferatur diſtinctio generica, vel ſpecifica habituum. Idque non de habitibus infuſis, ſed acquiſitis, aſtruendum eſſe, monet Doct.3. *diſt.*35. *quæſt. vn.* adducens rationem, quia infuſi fulciuntur ſola authoritate Dei reuelantis, quæ vna eſt omnium credendorum. Acquiſiti verò nituntur obiectis complexis, quorum quædam ſunt euidentia ex terminis, vt habitus intellectus; quædam verò ex principiis, vt habitus concluſionis. Idipſum affirmandum eſt de obiectis, circà quæ laborat prudentia, quorum quædam ſpecie, quædam verò genere inter ſe diſcrepant.

44. Aſſertio, prudentia eſt vna genere. Ita ſentit Doct. *vbi ſupra.* Probatur primò, 3. *Pol.*2. & 6. *Eth.*9. vna eſt virtus, & prudentia boni viri, & principis, ſubaudi, vnitate generis ſui ſubiecti, vt inſigniter exponit Baſſ.3. *diſt.*36. *quæſt. vn. art.*2. *in fine.* Secundò, vnitas habitus decerpitur ex vnitate ſui ſubiecti formalis, *ex* 1. *poſt.T*43. *Et* 3. *animæ* 31. Penes, quod occupatur, obiectum autem prudentiæ eſt vnum vnitate generis, purà agibile, quod ſcinditur in tria ſpecie diſtincta, videlicet monaſticum, œconomicum, & politicum: ergo prudentia eſt vna genere. Tertiò, ita philoſophandum eſt de vnitate prudentiæ, ac de vnitate ſcientiæ, & artis, vt præ aliis aduertit Och nuper cit. nec diſſentit Ariſt. 6. *Eth.*4. Ratio eſt, quia quemadmodum ars eſt recta ratio factibilium, ſic prudentia eſt recta ratio agibilium: ſcientia autem, & ars ſortiuntur vnitatem genericam ſui ſubiecti generici, diuiduntur que in multas ſpecies, vt apertè monſtraui *in Log. lib* 5. *q vlt.* Idipſum ergo exiſtimandum eſt de prudentia. Quartò, ſicut ſe habet principium in ſpeculabilibus, ita ſe habet finis in operabilibus 2. *Phyſ. T.*89. Quod recipit Doct. 1. *diſtinctione* 1. *quæſt.*4. De ſpeculabilibus autem dantur multi habitus ſpecie diſtincti, ac etiam vnus habitus genere, continens multos habitus ſpecie differentes, vt Met. quæ eſt de ente, comprehendit habitum, qui eſt de ſubſtantia, & qui eſt de accidente. Itidemque phyſ. quæ reſpicit corpus naturale, continet habitum, qui verſatur circà corpus cœleſte, quive circa corpus ſublunare, animatum, & id genus alia: igitur prudentia, quæ ſpectat agibilia, ſub ſe habitum prudentiæ, qui occupatur circà agibilia temperantiæ, fortitudinis, & huius formæ alia, quæ inter ſe ſpecie differre, exploratum eſt. Siquidem teſte experientia, quidam eſt prudens in iudicando, quod vnicuique ſuum eſt, vt prudens Legiſta, imprudens verò eſt in diſcernendo, & præcipiendo, quod ſpectat, ad gerendum bellum. Iterùm, nonnullus eſt prudens in regimine ſui ipſius, non verò in regenda domo, & familia, & qui prudenter præeſt familiæ, non tamen regno, & èconuerſo nonnullus prudenter ſe habet in adminiſtratione regni, & principatus, neſcit verò præeſſe domui ſuæ, aut improuidus eſt in actibus ſuis. Datur ergo vna prudentia genere comprehendens ſub ſe plures prudentias ſpecie diſſitas.

45. Oppones primò, quod ſortitur vnam rationem formalem obiectiuam, de agibilibus duntaxat, habet vnam tantum prudentiam ſpecie, quoniam habitus ſpecificantur, penes rationes formales obiectiuas diſtinctas Prudentia autem participat tantum vnam rationem formalem ſpecificam obiectiuam de agibilibus, purà bonum humanum ordinabile, ſecundum rectam rationem, ad debitum finem: ergo extat ſolummodo vna prudentia ſpecie dirigens omnes actus virtutum moralium. Concedo maiorem: nego minorem; ſunt enim plures rationes formales obiectiuæ ſpecie differentes, vt ratio formalis temperantiæ, ratio formalis fortitudinis, & conſimiles, quæ ab inuicem diſcrepare ſpecie, manifeſtum eſt. Itaque, argumentum potius oppoſitum, quàm propoſitum ſuadet, vt quæ ſuperius attuli, euidenter commonſtrant.

46. Oppones ſecundò, ad tot ſe extendit prudentia, ad quot ſe extendit primum principium eius practicum, quoniam habitus maximè diſcurſiuus, veluti eſt prudentia, ampliùs non videtur diffundi, quam eius primum principium Atqui primum principium practicum agibilium non funditur amplius, quam ad vnam rationem ſpecificam agibilium. Igitur vna eſt tantum prudentia ſpecie. Concedo ma nego min. Plura quippè reſpicit primum principium, quæ planè inter ſe ſpecie diſſident. Quidquid namque prudentia dirigit circà vnam virtutem moralem, ſpecie diſſidet ab eo, quod dirigit circà aliam virtutem moralem, quidam enim eſt prudens penes iuſtitiam, non autem penes temperantiam, *vt ſuprà* deducebam.

47. Oppones tertiò, omnia agibilia, tametſi inter ſe diſcriminentur, nihilominus reſpiciunt vnum finem vlt. ad quem vltimatè tendunt: ergo cum omnia agibilia participent vnam rationem attributionis, ad vnum finem, ſecundum illam rationem attributionis ſpecificam, conſtituitur vna prudentia ſpecie duntaxat. Dato antecedente, nego conſequentiam. Quamuis enim omnes creaturæ tendant ad Deum, rerum omnium vlt. finem. Ob id non ſequitur, eas eſſe eiuſdem ſpeciei: Pariter, licet ſtatuatur vnus finis cunctarum rerum agibilium, non benè tamen infertur eſſe vnam ſpecie prudentiam; quandoquidem agibilia, quæ ſpectat prudentia, multa ſunt ſpecie differentia, vt ſatis patet ex dictis.

DVBITATIO III.

An Prudentia ſit de mediis, & finibus.

48. D. Th. 22. *quæſt* 97. *art.*6. Caiet. & alij *ibid.* aſſerunt, prudentiam reſpicere tantum media, dirigendo virtutes morales, circa media duntaxat, quæ ſunt ad earum fines conſequendos Scot. autem 3. *diſtinct.*36. *quæſt. vn.* §. *Licet I.* eiuſque alumni eodem loco docent, prudentiam verſari nedum circà media ordinata ad finem vlt. obtinendum: verumetiam dictando de fine ſaltem particulari, vt de caſtitate, aliiſque finibus particularibus.

49. Not. 1. prudentiam formaliter eſſe habitum intellectualem perficientem intellectum: dici verò, moralem extrinſecè, quia dictat, & dirigit operationes moralium virtutum. Ad omnem autem virtutem moralem prærequiritur prudentia regulatiua ipſius virtutis moralis, quia non eſt virtus, niſi conformetur recto dictamini rationis, vt poſtmodum voluntas promptè, & expeditè eligat, quod ratio recta decernit eſſe eligendum. Habitus autem virtutis gignitur ex repetitis rectis electionibus, vt habitus caſtitatis, & frequentibus electionibus continentiæ: prudentia verò cauſatur, ex iteratis rectis dictaminibus de agibilibus.

50 Not. 2. tres vulgò recenſeri partes prudentiæ, ſubiectiuas, integrales, & potentiales. Partes ſubiectiuæ,

quæ

quæ & species prudentiæ perhibentur sunt Monastica, quæ dirigit hominem, ad bonum proprium Occonomica, quæ regulat hominem, ac bene regendam familiam: & Politica, quæ ordinat hominem ad bonum commune Reip. Sub hac comprehenduntur Legislatrix, & Militaris, de quibus Aretinus Aur & Ric *vbi suprà quæst.* 8. Partes integrales, quarum memini *in præsenti art. dub.* 1. numerantur octo, sex à Macrobio 1. *de somno Scipionis*, ratio, intellectus, circumspectio, prouidentia, docilitas, cautio. Septimam addit Tullius 2. *Rhet* 5. scilicet memoriam. Octauam Stagirita 6. *Eth.* 10. nempè solertiam. Causa est, quia prudentia bifariàm consideratur, vt est cognoscitiua, & vt est præceptiua. Primo modo inspectata, quinque dictarum partium sortitur, quæ sunt memoria, intellectus, docilitas, ratio, & solertia. Secundo verò modo accepta, tribus ex prælatis partibus gaudet, quæ sunt prouidentia, circumspectio, cautio. Memoria est recordatio præteritorum, quæ vidimus, audiuimus, & experti sumus. Hæc namque valde iuuant ad stabiliendum, quid in præsentia agendum sit. Intellectus, siue intelligentia est cognitio principiorum moralium, ex quibus rectè perspectis, & plenè cognitis, conclusiones rectæ de rebus agendis deducuntur. Ratio est bona dispositio, quà homo aptè dispositus ratiocinatur, ex quibusdam cognitis, ad alia cognoscenda. Prouidentia est præcognitio futurorum, quæ ex agendis fieri, & sequi possunt, ad propositi finis assequutionem. Docilitas est naturalis capacitas recipiendi notitiam eorum, quæ agenda sunt. Solertia est sagacitas, siue promptitudo subtilis inueniendi breui tempore medium ad agendum. Circumspectio est perspectio, seu perpensio, & expensio omnium conditionum, & circumstantiarum, quæ requiruntur, ad opus plenè, & perfectè obeundum. Cautio est cura, qua quispiam obstacula remouet, quibus finis intenti assequutio impediri potest. Partes potentiales ternario numero continentur, quæ sunt Eubulia, Synesis, & Gnome. Eubulia est bene consiliatiua, & aptè dispositiua de iis, quæ agenda sunt. Synesis est rectè iudicatiua, de consiliatis, penes communes leges. Gnome verò fert rectum iudicium de rebus agendis in eis, quæ communi lege non sunt sancita. Vnde Aristot. 6. *Eth.* 9. & 10. tres prudentiæ actus memorat. Primus, est inquisitio, & mediorum consultatio. Secundus, iudicium de mediis adinuentis aptioribus, ad finem obtinendum. Et tertius, præceptum, quo consiliata, & adinuenta applicantur, operi obeundo, exequutionique mandantur. Postremus actus est præcipuus, quia duo priores ad hunc tertium ordinantur, vt astruit Ric. *cit quæst.* 6.

51. Not. tertiò, habitis iis præmemoratis, intellectum ostendere voluntati, quæ agenda, & prosequenda sunt, quæve reiicienda, & fugienda, non quidem absolutè imperando, cogendoque voluntatem ad ea exequenda, quandoquidem imperium non est actus intellectus, sed voluntatis, vt docui *lib.* 3. *quæst.* 2. *art.* 4. sed dictando, & dirigendo, quemadmodum præstat consiliarius Regi, Iurisconsultus præsidi, & iudici, quod dici potest præcipere secundum quid, vt notat Ric. *vbi supra.* Quare intellectus propriè non præcipit voluntati, cum hæc sit veluti Rex in regno animæ, teste Ansel. *lib. de conceptu Virg cap* 4. sed ostendit, & dictat, quæ recto dictamini rationis sunt conformia: in potestate verò voluntatis est, ea eligere, vel non eligere, exequutioni mandare, aut non.

52. Assertio, prudentia nedum est de mediis, verumetiam de fine. Tenet Doct. cit. Probatur primò, non est virtus moralis absque prudentia, cum virtus conformetur recto dictamini rationis, absque quo esse nequit. Prudentia autem est habitus rectè discursiuus de agibilibus, ad finis adeptionem. Non enim quispiam à cibis prohibitis, tempore ieiunij se abstinet, nisi proposito sibi fine vltimo obtinendo, quod etiam de Christo *Hebr.* 12. scribitur. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Igitur prudentia respicit finem, mediaque idonea, ad ipsum consequendum. Secundò, virtus moralis est vna, vnitate sui obiecti, & finis, vt de cæteris habitibus compertum est: prudentia autem, quæ circà eam virtutem occupatur, est quoque vna. Nam quis prudens est in belligerando, non verò in se continendo ab illicitis voluptatibus: prudentia ergo est vna, veluti virtus, quam dirigit, quoque vna est: non est autem vna vnitate medij, cum media multa sint, ergo est vna vnitate finis, proindéque prudentia respicit media, ac etiam finem. Tertiò, relatio non cognoscitur, nisi cognito termino, à quo specificatur, quia relatio pendet ab extremis, quorum vnum est terminus: media autem, de quibus est prudentia, pertinent ad ipsam, ergo & finis acquirendus per ea media, vtpote, quæ præseferunt ordinem, & habitudinem, ad eam, finemque eius. Eò magis, quia prius in intentione prudentis est finis, quam ea, quæ sunt ad finem: prudentia ergo fertur ad media, & finem ab eo propositum, & intentum.

53. Oppones primò, prudentia est habitus consiliatiuus, cum sit recta ratio, & regula agibilium. Consilium autem est de mediis non autem est de fine 3 *Eth.* 6. Siquidem medicus non consiliatur, vtrum æger sanetur, nec Rhetor, num suadeat Auditoribus, nec Politicus, an pacem hostibus præstet. Prudentia ergo media tantum respicit. Concedo maiorem. Distinguo minorem; magis præcipuè, concedo, ita exponitur Philosophus: minus præcipuè, nego. Siquidem prudentia de propriis finibus virtutum dictat, discurrendo à principio practico sumpto à fine vniuersali, ad fines particulares: isque discursus est prima consiliatio, docente Scot. præcit.

54. Oppones secundò prudentia debet esse concors appetitui recto, alioqui non erit prudentia, quæ est recta ratio agendi: huiusmodi autem concordia prudentiæ cum appetitu recto, fit per media selecta, ad finem obtinendum: igitur prudentia spectat media duntaxat. Nego ant. Nam cum prudentia sit prior appetitu, ab eo non dependet, veluti prius non dependet à posteriori. Idcircò potest esse prudentia, quamuis non sit appetitus rectus. Regulatum quippè conformatur suæ regulæ, non verò regula, regulato. Itaque, potest esse prudentia, tametsi non sit virtus eam consequens. Immò aliquando, stante prudentia, sequitur vitium, vt patet ex illo Luc. 16. *Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis, in generatione sua sunt.*

Dvbitatio IV.

An possit esse prudentia sine virtute morali.

55. GOffredus *Quol* 5. *quæst.* 12. & Henr. citatus à Marg nistis Scot. existimant, prudentiam ità necessariò coniungi cum virtute morali, vt illa sine ista esse nequeat. Oppositum autem docent Scot. 3. *dist.* 36. *quæst.* vn. §. *Quantum G.* Et *in Rep. ibid* Ocb. Vorr. & Bass. *ibidem*, asseuerantes, posse existere prudentiam, absque virtute morali: non autem virtutem moralem, absque prudentia.

56. Not. primò, actum voluntatis non esse rectum, siue bonum, nisi recto dictamini intellectus conformetur. Est enim recta ratio, regula, & mensura rectitudinis actus voluntatis, vt tradit Doct. *quæst.* 4. *prol.* & 3. *cit.* §. *Licet istud K* propterea nequit esse virtus moralis sine prudentia, quæ ex dictis non semel, est recta ratio agibilium. Bene autem valet esse prudentiam, sine virtute morali, sicut prius potest existere sine posteriori, & regula, sine regulato, vt deducebam *in præcedente dub.*

57. Not. secundò, ex Doct *in* 2. *alleg* §. *Quantum ad istum G.* malitiam excæcare, intellectum, dupliciter posse capi, priuatiuè, & positiuè. Et quidem priuatiuè, auertendo intellectum, à recta consideratione. Cum enim voluntas eligat oppositum, quod dictat intellectus, consequenter auertit ipsum, ne maneat in tali dictatione

ne recta & conuertit ipsum, ad oppositum considerandum, inueniendo rationes dialecticas, vel sophisticas, quibus sibi non displicet illud dictatum reliquisse. Positiuè verò imperat intellectus, vt circa malum finem à voluntate statutum, inueniat media idonea necessaria, ad eum consequendum: pariter eligens malum finem potest eidem intellectui imperare, vt media opportuna, ad dictum malum finem assequendum reperiat, in eisque persistens, eumdem finem prosequatur. Quare mala voluntas perhibetur excœcare intellectum, non quidem vt voluntas ipsum in errorem inducat, de complexis, sed compellens eumdem per habitum, circa malum finem partum, mediis malis adhibitis, ad eius adeptionem: sicque accidit error non in speculabilibus, sed in agibilibus. Quod adhuc suadetur ex eodem *ibid. §.Contra*. Termini sunt totalis causa notitiæ primi principij tam in speculatiuis, quam practicis, 1. *Post.6. Principia cognoscimus, quatenus terminos cognoscimus:* Forma autem syllogistica est euidens omni intellectui, vt patet ex definitione syllogismi perfecti, 1. *Prio.* 1. Itaque terminis apprehensis, & compositus, dispositisque in debito modo, & figura, intellectus necessariò assentit conclusioni, ex principiis deductæ. Atque voluntas, intellectum sic euidenter, & demonstratiuè discurrentem, in errorem trahere nequit, nec ipsum excœcare, nisi eo modo, quo suprà dictum est.

58. Assertio, potest esse prudentia sine virtute morali. Ita Scot. cit. Probatur primò, ex Augustino *Psal.*123. exponente verba illa, *Fortè deglutissent nos. Hi sunt: qui viui absorbentur, qui sciunt malum esse, & lingua consentiunt, absorpti moriuntur.* Psal.68. *Quid est, vitiis consentientes, nisi scientes, non debere consentire. Ecce norunt muscipulam, & pedem ponunt.* Et Psal.118. *Præcedit intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus.* Secundò, ex Aristot. 2. *Eth* 4. ratio parum, aut nihil valet ad virtutem: at si prudentiam sequatur necessariò virtus, multum conduceret, immò omne ageret ratio, quia per eam virtus à voluntate manaret, ac proindè docti, prudentesque forent boni moraliter, & sine culpa, & vitio, cum tamen interdum oppositum eueniat, vt illi sint peccatis criminibusque illaqueati. Nec essent monendi, & persuadendi, vt recta, æquaque vellent, sed vt recta inspicerent, & considerarent duntaxat, quandoquidem ex illa inspectione, considerationeque recta, virtutem ei annexam participarent. Tertiò, vniuersitas Parisiensis ita sancit: *Stante scientia in vniuersali, & particulari, voluntatem non posse velle oppositum, error.* Igitur, stante prudentia, potest voluntas non benè operari: proindéque non habere virtutem. Quartò, quispiam ex rectis dictaminibus, de agibilibus, potitur habitu prudentiæ, quæ dictat voluntati, quid sit amplectendum, quidue fugiendum. Potest autem voluntas oppositum recto dictamini eligere, malumque agere, vt præstant sapientes, prudentesque mundi huius, contrà quos clamat veritas 1. Cor. 1. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et Rom 8. *Prudentia enim carnis mors est.* Quintò, voluntas non necessariò vult bonum, sed absoluté potest velle malum, vt suprà manet probatum, ergo licet prudentia dictet bonum agendum, voluntas potest resilire, malum eligere, executionique mandare. Sextò, qui habet habitum imprudentiæ, & erroris, quamdiu manet in via, potest corrigi, & saluari. Quovsque enim homo sit in termino, potest viam prauam relinquere, bonamque currere, quia voluntas eius semper manet libera: at si stante prudentia, necessariò concomitetur virtus: vtique stante imprudentia, vitium necessariò persisteret, vt patet ab oppositis; manente autem imprudentia, quis potest rectè agere, beneque operari non sequendo obliquum dictamen rationis. Igitur, potest esse prudentia, sine virtute morali.

59. Oppones primò, Aristot.6. Eth.15. *Si voluntas malè eligit, intellectus malè dictat.* Et *lib. de motu animalium* concludit, voluntatem, nisi impediatur, sequi dictamen rectum, vel obliquum intellectus. ergo stante prudentia in intellectu, manet virtus in affectu. Conf. primò, Dionys.3. de diuinis nominibus, cap.9. *Nemo ad malum aspiciens, operatur bonum.* Conf. secundò, August. in Psalm.2. *Obumbratio mentis sequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur.* Conf. tertiò, excœcauit eos malitia eorum. Si ergò existit prudentia, vtique est virtus, & è contra. Si extat imprudentia, existit quoque vitium. Respondeo interpretandum esse Philosophum indefinite, veluti 1. *Phys.* 48. principia sunt contraria. Supple, indefinitè, non vniuersaliter. Itaque nostra assertio non est vniuersalis, sed indefinita, hoc est stante recta ratione, & dictante prudentia rectè de agibilibus, voluntas potest oppositum eligere, & prosequi. Ideò habita prudentia in intellectu, non necessariò subsequitur virtus in voluntate, sed potest, nedum esse virtus, verumetiam oppositum eius, nempè vitium. Per id satisfit primæ confirmationi. Nam vt asserui *lib.2. quæst 3. artic.3.* voluntas potest ferri in malum, vt malum. Ad 2. conf. dico, id effici, per auersionem intellectus circa concupiscentiam malam, & prauam, iuxtà illud Psal.57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Interprete Angelo *verb. Cæcitas. Ad* 3. dico id fieri priuatiuè, aut positiuè, sicut perspicuum est *ex 2. rat.*

60. Oppones secundò, *Sap.*5 damnati conqueruntur, clamantes, & dicentes. *Ergo errauimus, & lumen iustitiæ non illuxit nobis.* Si igitur lumen, hoc est recta ratio agendi illuxisset eis, non errauissent, proindéque si est prudentia in intellectu, vtique est virtus in voluntate. Respondeo eos malè conqueri, & ineptè concludere, quandoquidem habuerunt quidquid opus erat eorum saluti, sed abusi sunt, vt patet ex illo Psal. 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Atque maluerunt illicitis indulgere voluptatibus, vt ipsimet confitentur Sap.2. *Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Ideò ad finem eius capitis subiicitur Hæc cogitauerunt, & errauerunt. Excœcauit illos malitia eorum.

QVÆSTIO IV.

De Habitibus Voluntatis.

1. HABITVS bipartiuntur in intellectuales, de quibus *in ant. quæst.* & in morales, de quibus tam generatim, quàm speciatim *in præsenti quæst.* agendum est.

ARTICVLVS I.

De Habitibus, seu virtutibus moralibus in communi.

DVBITATIO I.

Quid sit virtus moralis.

2. DAri virtutem moralem constat, apud illos, qui relictis diuitiis, & suis abiectis facultatibus, toto conatu incumbunt ad eam comparandam. Et quidem, ea vis est virtutis moralis, vt dixerit Tullius. *Si virtus oculis nostris videri posset, mirabilem sui excitaret amorem.* Idem scribit Sam. ad Sixtum 8. Vnde Horatius *l.*1. *Ep.*

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Et Sen. Epist. 88. *Virtus extollit hominem, & supra astra mortales collocat, nec ea, quæ bona, aut mala vocantur, aut cupit nimis, aut expauescit.*

3. Virtus

3. Virtus autem moralis non est nobis congenita, sed labore acquiritur, vt ostendit Stagir. 2. *Eth.* 1. Quæ enim sunt à natura insita, nec arte, nec consuetudine mutari queunt, vt lapis nunquam licet multoties sursum feratur à proiiciente, potest tali assuetudine, sursum tendere. Virtus autem moralis consuetudine mutat hominem de malo in bonum, de intemperantem, in temperantem, & de luxurioso, in castum. Addo, quæ sunt nobis à natura, sunt priora actibus, vt potentiæ præcedunt actus, putà intellectus, intellectionem, & voluntas, volitionem: at quę studio, & labore comparantur, prius de iis habemus actum, quam habitum, proindéque prius elicimus actum virtutis, quam eius habitum adipiscamur. Non est ergo virtus moralis à natura indita. Vt autem pateat, quid sit propriè virtus.

4. Not. & recol. ex dictis *quæst.* 1. *art.* 2. *huius libri* multas acceptiones virtutis legi apud Vorr. 3. *dist.* 27. Aret. *ibid.* *dist.* 33. Gabr. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 1. & Bere. *part.* 3. *mor.* præcipuas affero, & explico. Prima, pro potentia, vigore, & fortitudine, quo pacto intellectus, & voluntas perhibentur virtutes animæ, necnon virtutes herbarum, & lapidum, & huiusmodi. Hinc exhauritur illud axioma, *Virtus est vltimum de potentia*, adductum à Doct. *in Rep.* 4. *dist.* 1. *quæst.* 4. & desumptum ab Arist. 1. *Cœli, T.* 131. *& inde.* Secunda, pro bona dispositione ordinata ad finem, quo in sensu 7. Phys. 17. *Virtus est dispositio ad optimum*, sicque habitus morales, & intellectuales dicuntur virtutes, 2. *&* 6. *Eth.* Tertia, pro habitu Theologico, sic virtus definitur ab Aug. *l. Sol. &* 2. *de l. arb. cap.* 18. Virtus est *recta ratio, ad summum finem perueniens.* Et *lib. de spiritu, & anima*, cui adhæret August. *verb. virtus*, definitur. *Bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus operatur in nobis, sine nobis.* Quarta, pro virtute morali duntaxat.

5. Assertio, rectè definitur virtus, *habitus electiuus in mediocritate consistens, recta ratione determinatus, prout sapiens determinabit.* Ita Aristot. 2. *Eth.* 5. *&* 6. Idem sentire videtur Doct. 3. *dist.* 33. *quæst. vn.* B. & *dist.* 36. *quæst. vn.* § *Dicitur aliter sub A.* Explicatur quoad omnes particulas. Dicitur *habitus*, tanquam genus. Habitus quippè est genus subalternum, in quo continentur habitus intellectuales, & morales. Ponitur *electiuus*, ad differentiam virtutis intellectualis, electio namque pertinet ad voluntatem. Additur *in mediocritate consistens*, propter habitus vitiosos, qui circa extrema, non quidem arithmetica, sed geometrica versantur. Subnectuntur reliquæ voculæ, vt distinguatur à prudentia, quæ est dictatiua, & directiua, cui nisi conformetur, non est virtus. Sic explicata definitio facilis est probatu. Ea enim est definitio legitima, quæ constat genere, & differentia, vt toties inculcaui: præallata autem definitio est huiusmodi: genus quippè est habitus, reliquæ verò particulæ sunt differentiæ. Adde, quod omnes eam recipiunt, nec alia melior, & exactior adhuc inuenta est, ergo est retinenda.

6. Oppones primò, prudentia connumeratur, inter virtutes morales, & tamen non est habitus electiuus: ergo perperam virtus moralis definitur habitus electiuus. Respondeo prudentiam esse formaliter virtutem intellectualem, directiuè verò, & extrinsecè vocari moralem, quia dirigit virtutes morales, vt bene aduertit Orbel. 3. *dist.* 33. *quæst.* 2.

7. Oppones secundò, quædam virtutes morales pertinent ad appetitum sensitiuum, vt fortitudo, & temperantia, 3. *Eth.* 9. Ergò virtus moralis non est habitus electiuus, qui est solius voluntatis. Resp. cum Scot. 3. *dist.* 33. *quæst. vn.* §. *Ad argumenta principalia ante N.* eas qualitates, quæ sunt in appetitu sensitiuo, non propriè esse virtutes, sicut illas, quæ resident in voluntate, vt infrà, ex instituto est decidendum.

DVBITATIO II.

Vtrum bonitas sit de intrinseca ratione virtutis moralis.

8. D. Th. 1. 2. *quæst.* 55. *art.* 1. *&* 4 & Gabriel 3 *d.* 23. *quæst.* 1. *art.* 1. Putant virtutem moralem, intrinsecè, & formaliter includere bonitatem moralem. Doct. verò subtilis 1. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 3 § *Quantum ad istum.* Lych. & alij *ibid.* negant virtutem moralem exposcere bonitatem, tanquam rationem eius intrinsecam, & quidditatiuam.

9. Not. primò, & recol. ex dictis *lib.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. bonitatem moralem esse conformitatem actus, ad rectam rationem plenè dictantem, de circumstantiis debitis, eiusdem actus, esseque formaliter relationem, quæ per se nullum habet principium actiuum, cum istum consequatur ex extremis positis in actu: pariter virtus moralis est conformitas habitualis voluntatis ad rectam rationem, vt rectè aduertit Doct. mox alleg. *sub Q.* Nihilque addere suprà substantiam habitus, quam relationē dictæ conformitatis, vt patet ex dictis, § illo præcit.

10. Not. secundò, in virtute morali, duo distingui, qualitatem, quę est ens absolutum, quod dicitur esse eius materiale respectu relationis prænominatæ: & conformitatem eius rationi rectæ, quod est eius esse formale. Quare virtus moralis materialiter est qualitas, formaliter verò est relatio præfatæ conformitatis. Ideò Scot. *Quol.* 18. § *De* 2. *infrà H.* cum sibi obiecisset Aristot. 10. *Eth.* 3. bonum esse qualitatem. Et *l. prædicam. c. de qualitate*, virtutem quoque esse qualitatem, respondet, ex 7. *Phys. tex. c.* 10. *&* 20. omnem virtutem, & malitiam designare relationem, habere autem modum denominandi, vel prædicandi qualitatis, veluti sanum, & pulchrum.

11. Not. 3. ex eodem Doct. cit. §. *Hinc viam ante S.* Etsi relatio non sit formaliter principium actiuum cum sit de genere sterilium, tamen illud, cui relatio realiter identificatur, est principium actiuum: sic habitus moralis præcisè, quatenus denotat relationem conformitatis rectæ rationi, non est actiuus, bene verò, vt est qualitas, veluti etiam relatio, quæ realiter identificatur cum creatura non est actiua, sed ipsius creaturæ substantia est verè principium actiuum. Itaque cum virtus à vi suam trahat nomenclaturam, huiusmodi denominationem non sortitur à dicta relatione, sed ab entitate ipsius, quæ est qualitas.

12. Assertio, virtus moralis intrinsecè, & formaliter non est bona. Tenet Doct. *vbi suprà*, § *Sed oppositum O.* & §. *Quantum ad istum. Q.* & 2. *dist.* 36. *q. vn.* §. *Dicitur aliter sub A.* Probatur 1. quod est alicui aduentitium, & accidentale, non est illi intrinsecum, & essentiale: bonitas autem est virtuti morali aduentitia, & accidentaria, ergo non est illi intrinseca, & quidditatiua. Ma. patet ex discrimine interposito, inter intrinsecum, & extrinsecum, essentiale, & accidentale. Mi. est in promptu, idem habitus abstinentiæ à vino, propter Iouem, qui non est bonus, si habens talem habitum conuertatur ad verum Deum, exerceatque actus eiusdem habitus, quem retinet, huiusmodi habitus fit bonus, & meritorius: igitur bonitas virtuti morali est accidentaria, & extrinseca.

13. Respondent Conimbr. *disp.* 7. *Eth. quæstione prima, art.* 2. Eum, qui habitu abstinentiæ est imbutus, & ab idolo Iouis, ad verum Deum est conuersus, duo munera præstare, nempè se abstinere à potu vini, & compescere appetitum inordinatum, ratione munij posterioris; non verò prioris sentire facilitatem, ad religiosè abstinendum, qui antea superstitiosè abstinebat. Contrà, idem manet habitus abstinentiæ, & qui prius erat superstitiosus, nunc est religiosus, prius malus, posterius verò bonus. Igitur intrinsecè virtus non importat bonitatem, alioqui foret semper bona, quæ enim sunt de intrinseca ratione alicuius, nullo modo possunt

possunt mutari, nisi eius essentia destruatur. Quocircà, licet ratione prioris munij haud sit bonum, bene tamen ratione posterioris, probè non infertur, bonitatem ingredi virtutis essentiam.

14. Respondet Racon. *Tract. de virtutibus m. 3.* esse distinctos habitus. Contra: ille habitus est productiuus eorumdem actuum abstinentiæ: ergo non est distinctus habitus, cuius non sunt distincti actus. Secundò, relatio non est de essentia absoluti, cum ens absolutum, & relatio sint duo membra entis, ab inuicem distincta, in quæ ipsum ens diuiditur, vt liquet *ex Tract. formalitatum.* Bonitas autem est formaliter relatio, & habitus est ens absolutum, cum sit qualitas: ergo &c. Tertiò, habitus moralis ex se est indifferens ad bonitatem, & malitiam. Dantur namque actus neutri, & indifferentes, vt probaui *articulo tertio, quæstione secunda, libro tertio.* Insuper moralis virtus non est bona, nisi prudentiæ conformetur, cum ergo ei valeat conformari, aut difformari, deducitur apertè non includere essentialiter bonitatem.

15. Oppones primò, August. 2. *de libero arb. cap.* 18. & 2. *de moribus Ecclesiæ, cap.* 6. definit virtutem his verbis, Virtus est *bona qualitas mentis*: ergo bonitas intrinsecè clauditur in essentia virtutis, cum ponatur in eius definitione. Respond. August. *ibi* loqui de virtute infusa, & Theologica, vt indicant subsequentia eius verba, & aduertit Vorr. cit. nos autem verba facimus de virtute, & habitu morali, vt patet *ex titulo huiusce articuli.*

16. Oppones secundò, Virtus est, quæ habentem perficit, eiusque opus bonum reddit. 2. *Eth.* 5. Et, *Virtus est dispositio bona perfecti ad optimum* 7. *Phys.* 17. Et, *Virtus & vitium contrariè opponuntur, lib. prædicam. cap. de oppositis.* Vitium autem intrinsecè est malum, ergo virtus intrinsecè est bona.

Respond. Arist. exponendum esse de virtute coniuncta, & coëxistente cum prudentia, non verò de virtute, vt est qualitas. Sic enim intrinsecè nullam inuoluit bonitatem moralem, insinuante Scot. *vbi suprà*, §. *Ad illas BB.*

17. Oppones primò, quod locatur in definitione alicuius, clauditur in ratione eius intrinseca. Nam definitio rei essentiam capit, & exprimit: bonitas autem moralis statuitur in definitione virtutis, quæ est habitus electiuus in mediocritate consistens, prout vir prudens præscripserit: non igitur remouenda est bonitas ab essentia virtutis. Distinguo maiorem, quod ponitur in definitione purè quidditatiua, & essentiali, concedo: quod ponitur in definitione data per additamentum, vt in præsentia, nego. Hanc solutionem indicant verba vlt. definitionis allatæ, nempè prout prudens præscripserit, vbi significatur, virtutem pendere à prudentia, cui conformatur, & sine qua non foret virtus. Itaque absolutè, virtus vt est qualitas, nullam bonitatem moralem præsefert, quatenus verò respicit prudentiam, cui conformatur, includit bonitatem.

18. Dices, virtus formaliter, vt virtus, importat relationem conformitatis ad rectam rationem: talis autem conformitas est relatio, per quam secundum Scot. virtus formaliter constituitur in esse virtutis: intrinsecè ergo virtus in se continet bonitatem moralem. Respondeo argumentum probare de virtute, vt est virtus formaliter: non autem de virtute materialiter sumpta, de qua extat præsens difficultas.

19. Oppones quartò, habitus pulsandi cytharam, non propendet, nisi ad sonum harmonicum, secundum artis præcepta, eiusque regulas: ergo quoque virtus v. g temperantiæ non inclinat, nisi ad abstinentiam, cum debitis circumstantiis, quæ reddunt ipsam formaliter bonam: atqueadeò bonitas est intrinseca virtuti morali. Dato antecedente, adhuc remanet lis. num illæ circumstantiæ, & relatio conformitatis ingrediantur naturam virtutis, vt est qualitas, quod negamus: an verò sint ipsi extrinsecæ, & aduentitiæ, vt concedimus. Quemadmodum enim superficies ex se est indifferens ad albedinem aut nigredinem suscipiendam, ità virtus moralis est indifferens ad bonitatem, aut malitiam.

DVBITATIO III.

An virtus moralis posita sit in medio.

20. Virtutem moralem in medio consistere commune extat Philosophorum placitum, dico virtutem moralem. Nam virtutem Theologicã, medij esse expertem tradunt Scholastici, nuncupatim D. Th. 2 2. q. 17. *art* 5 & Bannez *ibid. quæst.* 27. *art.* 6. rationem reddunt, quoniam mensuratur obiecto infinito, quamuis ex parte habentis, & penes circumstantiam, possit habere medium, vt aduertunt iidem Authores.

21. Not. 1. *ex* 2. *Eth.* 6. duplex esse medium, arithmeticum, & geometricum. Illud vocatur medium rei, quod semper seruat æqualitatem inter extrema, vt senarius mediat inter denarium, & binarium, quia quatuor vnitatibus ab vtroque distat. Illud appellatur medium rationis, & quoad nos, in quo non seruatur æqualitas, sed proportio, & conuenientia, secundum rectum dictamen rationis. Præterea duplex vulgò assignatur medium, cuius meminere Scot. 2. *d.* 15. *quæst. vn.* & Orbel. 4. *Met. quæst.* 4. Vnum vocatur medium per participationem extremorum, quod ex vtroque extremo aliquid participat, vt aqua tepida mediat inter calidam, & frigidam. Alterum perhibetur medium per abnegationem extremorum, vt virtus dicitur mediare, inter duo extrema vitiosa, 2. *Eth.* 8 quia ab vtrisque recedit, putà liberitas est media, inter prodigalitatem, & auaritiam, quia ab eis resilit, & refugit.

22. Assertio prima, virtus moralis sita est in medio, non quidem arithmetico, sed geometrico, nec in medio per participationem, sed per abnegationem extremorum. Assertio tribus comprehenditur partibus, & deducitur ea Scot. 3. *dist.* 33. *q. vn.* & *dist.* 36. *quæst vn.* Prima pars est expressa apud Arist. 2. *Eth* 7. Probatur primò, inductione, liberalitas mediat inter prodigalitatem, & auaritiam: fortitudo inter audaciam, & timiditatem, & sic de reliquis virtutibus: ergo virtus est in medio. Secũdò, virtus definitur habitus electiuus in mediocritate consistens. Atque in ore omnium habetur illud: *Extrema sunt semper vitiosa* Bene ergo profertur, virtutem in medio existere. Secunda pars suadetur, quod inter aliqua mediat, medio arithmetico, æque abest ab extremis eius, vt patet ex notabili præposito: virtus autem moralis magis proximatur vni extremo, quam alteri, 2. *Eth.* 8. vt fortitudo magis accedit ad audaciam, quàm ad timorem: non ergo sortitur medium arithmeticum. Tertia pars sequitur ex præcedentibus: Siquidem, cum ex probatis virtus sit in medio, non quidem arithmetico, planè infertur esse in medio geometrico, cum non reperiatur aliud medium, præter duo prænominata.

23. Assertio secunda, iustitia admittit medium. Hæc statuitur contra Racon. & alios quosdam, non agnoscentes medium in iustitia: & colligitur ex Doct. *vbi suprà*, quam expressè tuetur Orbel. tum 4. *Met. quæst.* 4 tum etiam 4. *d.* 33. Probatur primò, Ecclesi. 7. *Noli iustus esse nimis.* Vbi denotatur in iustitia quandoque fieri peccatum per excessum. Secundò, qui plus æquo alteri tribuit, peccat contra iustitiam, & qui plus supplicij reo decernit, etiam iustitiæ aduersatur. Addo, iustitia distributiua consistit in medio arithmetico, largiens præmia, penes merita vniuscuiusque, 5 *Eth.* 2. At quo iustitia commutatiua seruat medium geometricum, tribuens, quod suum est cuilibet, penes proportionem, & dignitatem personarum. Concludo ergo, in medio positam esse iustitiam. Quod sic declarat Orbel. cit. Inter iustum, & iniustum, mediat non iustum, veluti inter videns, & cæcum, mediat non videns.

24. Opp. 1. contra 1. ass. quædam virtutes morales tenent extrema: ergo non omnis virtus habet mediũ. Ant.

probatur

probatur, magnanimitas respicit magnos honores magnificentia magnos sumptus, & virginitas magnam abstinentiam à venereis voluptatibus. Nego ant. ad eius probationem dico eas tenere medium, quandoquidem sua munera præstant, non improuide, sed prouidè, & cautè, vt recta ratio dictat, penes quam sumitur medium virtutis, non verò penes quantitatem rei, vt patet 2. *Eth.* 6.

25. Opp. 1. virtus, & vitium sunt duo extrema, quæ inter se opponuntur, *vt liquet in postprædicam. c. de oppositis*. Ergo non medium, sed extremum locum occupat virtus. Ant. suadetur, inter bonum, & malum non intercipitur medium, ergo nec inter virtutem, & vitium cum virtus sit bona, & vitium malum. Nego ant. ad eius probationem dico, virtutem non comparari ad vitium, vt extremum. Sic enim medium non teneret, cum medium supponat extrema, inter quæ mediat: sed comparari ad duo extrema vitia, inter quæ sortitur medium, vt suprà planum feci de liberalitate, quæ mediat inter auaritiam, & prodigalitatem.

Dvbitatio IV.

An virtutes morales sint inter se connexæ.

26. D. Th. 12. *q.* 65. *art.* 1. Ric. 3. *d.* 36. *q.* 1. & Conimb *disp.* 6. *Eth. q.* 4. *art.* 2. partem affirmantem amplectuntur, perhibentes, virtutes morales, quoad genera, earumque species necessariò esse coniunctas partem verò negantem sequuntur Scot. 3. *d.* 36. *q. vn.* § *Quantum ad istum B.* S. Bon. *ibid.* Brulifer, Vorr. & cæteri Scotistæ, & Nom. asserunt, præfatas virtutes ad inuicem esse connexas.

27. Not. virtutes morales posse inspectari, vel vt imperfectas, vel vt perfectas, in genere suo, aut simpliciter, & quoad finem ab homine attingibilem. Iuxtà has distinctiones, nonnulli inquiunt, virtutes morales esse connexas in statu perfecto, non autem in statu imperfecto, quos redarguit Doct. cit. § *Contrà hoc.* Si enim vna virtus esse valet, in 2. & 3. gradu, vtique potest esse in octauo, vltimóque gradu, si exercitium fiat solùm in ea, non verò in alia. Siquidem quis potest exercere actus temperantiæ, absque eo, quòd exerceat actus iustitiæ; proindéque acquirere potest habitum temperantiæ, in statu perfecto, quamuis non sibi comparet habitum iustitiæ, quia non in hac, sed in illa occupatur. Iterum potest non cogitare de altera virtute, vel quia ita vult, vel quia nulla occasio sesa offert, eliciendi actus, penes eius materiam, vel quia potest solùm ea peragere, ad quæ inclinat eius habitus acquisitus: non autem ad ea, ad quæ non propendet, nec de eis vllum habet habitum. Quocirca nec in statu imperfecto, haud virtutes morales sunt coniunctæ. Nec præstat dicere cum aliis, quos idem Doct. *ibid* insectatur, §. *Dicitur aliter*. Vnum habitum licet perfectum, non gaudere ratione virtutis, nisi accedat vnio, & connexio aliarum virtutum. Etenim, cum virtus sit habitus electiuus à ratione recta determinatus, potest prudentia dictare de iis, quæ pertinent ad temperantiam, & non de iis, quæ spectant ad iustitiam. Itaque data hypothesi, acquiritur habitus temperantiæ absque habitu iustitiæ, atque ita vna virtus non postulat vnionem, & connexionem aliarum virtutum. Rursus, si foret necessaria virtutum connexio, non esset ordo in earum adeptione. Etenim si habita temperantia nequeat consistere absque iustitia, illaque non est virtus, absque ista. Igitur vna non est prior altera, quia ad eius esse non requiritur altera. Aut si conceditur, vnam præcedere aliam, vna esse quiret absque altera, proindéque inter eas nulla extat necessaria connexio. Simpliciter autem nullus moralis esse potest, nisi participet omnes virtutes morales: sicut quis non est simpliciter, & perfectè sentiens, absque omnibus sensibus, vt concludit Scot. mox cit. §. *Quantum ad istum sub B.* & deducitur ex 6. Eth. 13. *Simpliciter bonus non contingit seperatim. Simul enim prudentia vni existenti, inerunt omnes.*

28. Assertio, virtutes morales adinuicem non sunt connexæ. Ita Doct. *vbi suprà*. Probatur primò, ex August. *de sententia Iacobi, ad Hierony. ante medium*. Non est ista diuina sententia, qua dicitur, qui habuerit vnam virtutem, habet omnes, eique nulla est, cui vna defuerit. Et *ibid. post medium*, vnus, & idem homo maiorem habet prudentiam, quàm patientiam, & adhuc non habet continentiam, licet habeat maiorem misericordiam. Vnde Vorr. cit. scribit hanc esse expressam sententiam August. & Catholicorum, contra Stoïcos, & Thomist. Secundò, ex Arist. 6. *Eth.* alleg. ab Orbel. hîc, art. 2. *Idem non est optimè natus ad omnes. Quare hanc quidem sciuit, id est acquisiuit: hanc autem ad quam scilicet non est optimè natus, nequaquam assumens erit.* Si ergo quis se exerceat, circà quæ pronus est, acquiret virtutem de illis, etsi non se exerceat circà alia, ad quæ non inclinat, non comparabit sibi virtutem de illis, vt religiosus potest assuefieri in moderandis, & compescendis suis passionibus, non verò in adoriendis, & aggrediendis rebus bellicis. Tertiò, partes esse queunt absque toto, quia eo sunt priores, vnaque aliam præcedit, vt formam materia, & cor, aut hepar reliquis partibus animalis: vna autem virtus totaliter, & cumulatè non perficit hominem, sed partialiter duntaxat. Igitur, sicut partes essentiales, & integrales non sunt necessariò connexæ, ita nec partes accidentales, & perfectionales, quales sunt virtutes morales. Idque egregiè confirmat, & declarat Doct nuper memoratus de potentia sensitiua. Quis enim potest habere visum perfectum, absque auditu, aut è contra? ergo gaudere valet vna virtute, sine alia. Quartò, sicut prudentia est directiua virtutum moralium: sic sapientia est regitiua virtutum intellectualium. Est enim caput, & regina scientiarum 6. *Eth.* 8. Quis autem potest callere metaphysicam licet sit expers Geometriæ, etiam quidam potest esse præditus Physica, & carere Mathematica, ergo pariter potest vna ornari virtute morali, alia verò priuari. Præsertim si fuerint habitus disparati, vt continentia coniugalis, & virginitas, necnon magnanimitas, & humilitas. Non adest ergo vinculum necessarium inter virtutes morales.

29. Opp. 1. Arist 6. *Eth.* 13. Aug. 6. *Trin* 4. Greg. 22. *Mor.* 1. 3. & alij adducti à Ric. & Bass. quibus fauent Tullius 2. *Tusc.* & Auer 6. *Eth.* apertè asserunt virtutes morales inter se coniunctas, & connexas esse Resp. has authoritates exponendas esse de morali perfecto, ac perfectè bono, qui nimirum gaudet omnimoda perfectione, veluti ille perhibetur perfectè sentiens, qui omnibus sensibus præditus est, ita simpliciter, & perfectè moralis est, qui vndequaque cunctis virtutibus moralibus affluit, præsertim ad finem vltimum obtinendum. Nam licet quispiam sit fortis, & mitis, existat verò fornicator, regnum Dei non possidebit. Sic enim qui deficit in vno, *factus est omnium reus*. Iacob. 2. Quòd respiciens S. Paulus 1 *Corinth.* 13. inquit. *Si nouerim mysteria omnia, & si habuero omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Nec dissonat Hierony. in capite 16. Isa. *Sicut cythara sonum compositum non emittit, si vna chorda rupta fuerit. sic spiritus, si vna virtus defuerit, melos non resonabit.*

30. Opp. 2. non est perfecta temperantia, nisi ei sit annexa fortitudo, & fortitudo non est perfecta, absque prudentia, quæ omnes virtutes dirigit: virtutes ergo mutuò sunt colligatæ. Ant. suadetur, si temperanti præsentetur mors, aut fornicatio, si non est fortis succumbet potius fornicationi, quàm morti: Quod si fortis extiterit, potiùs eliget mortem, quam fornicationem, vt ait Tullius. *Malo mori, quàm fœdari* Et Dan. 13. *Susanna, melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini.* Nego ant. ad proba-

tionem dicu, id esse per accidens. Etenim temperantia in suo genere est perfecta, nec laborat circa materiam alterius virtutis, puta fortitudinis, cuius munus est terribilia perferre. Atque non est vnius virtutis dirigere hominem, ad omnia, sed proprium, & peculiarem eius finem, vt visus in se est perfectus, qui visibilia perfectè cernit, nec ille est imperfectus, penes hunc sensum, si careat auditu, aliôve sensu.

Dvbitatio V.

An virtutes morales sint connexa cum Theologicis.

31. QVæri potest nedum an virtutes morales necessariò virtutibus Theologicis nectantur: verumetiam, vtrùm Theologicæ ad inuicem coniungantur, vt vna ab altera separari nequeat. Vtramque difficultatem mouent, & dirimunt Scot. *in vtroque opere 3. d.36 q.vn.* Vurr. Orb. & alij prænominati, *ibid.*

Not. ex Doct. *in 3. nunc alleg. N & S.* quamlibet virtutem siue moralem, siue Theologicam esse perfectam, in sua specie. Habet namque proprium obiectum, finemq; necnon quidquid exigitur ad suum esse specificum. At verò respectu communis, vltimique finis cunctæ virtutes perhibentur informes, & imperfectæ. Etenim morales præsupponuntur Theologicis, nec Theologicæ conferunt ad finem consequendum absque charitate. Ideò charitas dicitur earum perfectio, non quidem intrinseca, sed extrinseca, & ratione finis attingibilis. Iterùm aduerte. Theologicas præstare moralibus, tum ratione obiecti, quoniam obiectum Theologicarum est ens increatum, & infinitum: at moralium est ens creatum, & finitum: tum etiam ratione finis, quia illarum finis vltimus est: harum verò est non vltimus, hoc est finis, sub fine. Insuper adinuicem non æquantur. Siquidem inter Theologicas eminet charitas: & inter morales, excellunt magnanimitas, & liberalitas.

32. Ass. 1. virtutes morales nullum vinculum sortiuntur cum Theologicis. Ita Doct. *vbi suprà N & O.* Probatur ex Aug *serm de patientia* Et extat *in decretis d 49. & de pœnitentia d.3. §. Quamuis de hæretico, & schismatico Si moriatur, & neget Christum nunquid eius patientiam commendabimus?* Ecce habetur patientia, quæ est virtus moralis, absque charitate, quæ est virtus Theologica. 2. quando vnum se habet ad aliud, tanquam dispositio, potest esse vnum absque alio, puta dispositio, sine forma, potestque esse alteratio, siue generatione. vt tradidi *l. de generatione, q.1.* virtus autem moralis se habet, vt dispositio ad Theologicas, veluti felicitas naturalis, ad supernaturalem: igitur hæ, cum illis haud nectuntur. 3. Quamuis non essent virtutes Theologicæ, adhuc forent virtutes morales, vt patet de Socr. cæterisque Philosophis moralibus, qui præditi quidem erant moralibus, non verò Theologicis virtutibus. Denuò, prius potest esse absque posteriori, dummodo inter ipsa non interponatur dependentia, & connexio essentialis, ex alibi dictis: morales autem præcedunt Theologicas, ordine, & prioritate naturæ: ergo illæ, cum his non necessariò colligantur.

33. Ass 2. nec virtutes Theologicæ inter se connectuntur. Tenet Doct. cit. §. *Quantum ad 4. art. R* Probatur 1. in patria extat charitas absque fide, & spe. 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit, siue Prophetia euacuabuntur, siue lingua cessabunt* Et paulò post *Cùm autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Et paucis interiectis: *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* 2. in via peccator fidelis existens in peccato mortali, habet fidem, & spem, non verò charitatem, vt significat idem Apost. passu alleg. *Si habuero tantam fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Igitur virtutes Theologicæ nexu necessario, ad inuicem non coniunguntur.

34. Opp. 1. contra 1. ass. esse formale alicuius necessariò connectitur cum eo, cuius est esse formale, vt constat tam logicè, quàm physicè. Non enim potest esse genus, absque differentiis, & materia, sine forma: esse autem formale moralium virtutum est charitas, sine qua sunt informes, teste Aug. 4. *contra Iulianum* c.2 qui enim eas habet, sine charitate, perfectè in Domino non gloriatur, annuente Paulo *Col. 3. Super omnia autem hec, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* Necessaria ergo est vnio inter virtutes morales, & Theologicas. Distinguo ma. de esse formali essentiali, intrinseco, concedo: de esse formali extrinseco, vt sunt virtutes Theologicæ, respectu moralium, nego. In sua namque specie virtutes morales sunt perfectæ, licet penes finem vltimum, vlterioremque perfectionem dici valeant imperfectæ, quia sine charitate finis vltimus attingi non potest. Sic exponitur testimonium Aug. & si quod aliud in oppositum afferatur.

35. Opp. 2. nulla forma esse potest, absque suis præuiis dispositionibus, siquidem illa, has supponit, sine quibus non informaret materiam: atqui virtutes morales se habent, tanquam dispositiones ad virtutes Theologicas. Igitur nequeunt existere virtutes Theologicæ sine moralibus. Maior patet in phys Minor est Scot. cit. §. *Contrà hoc. N.* Respondeo maiorem habere locum in naturalibus, non verò in supernaturalibus, & gratuitis, cuiusmodi sunt virtutes Theologicæ, quas Deus sua voluntate, & liberalitate nobis largitur, vt insinuat Doct. præcit. §. *Quantum ad 4. R.*

36. Opp. 3. virtutes Theologicæ præsupponunt morales, quia hæ, ad illas ordinantur, veluti imperfectum, ad perfectum, & infimum, ad supremum, authore Aug. nuper memorato: igitur virtutes morales, cum Theologicis necessariò vinciuntur. Conf. sicut fides, & spes quidem esse valent, sine charitate, non tamen charitas esse quit, absque fide, & spe, cum sine fide impossibile sit placere Deo, *Hebr. 11.* Ergo à pari Theologicæ, quæ sunt perfectiores, esse nequeunt absque moralibus. Nego ant. Nam paruulus baptizatus, & imperitus adultus, habent quidem Theologicas, non tamen morales virtutes, vt patet saltem quoad actum, quia non exercent opera moralia, & quoniam morales non sunt per se infusæ, sed acquisitæ, nec præter Theologicos, sunt alij habitus per se infusi, secus homo foret prudens, temperatus, & iustus, sicut est fidelis, per fidem infusam. Itidemque, in beato non est necessaria scientia infusa, in proprio genere, sed sufficit scientia beata, in Verbo. Nec improbabile est, posse acquiri à beato aliquam cognitionem in proprio genere, vt de scientia experimentali Christi Domini, dixi, *in tract. de Incar.*

37. Dices, finis præexigit, & præsupponit medium, absque quo, ipse finis non acquiritur: virtutes autem morales sunt veluti medium, ad finem adipiscendum, respectu Theologicarum, quia mediis moralibus, charitas attingit vltimum finem, vt tradit Doct. *vbi suprà sub N.* Ergo non inueniuntur Theologicæ absque moralibus. Distinguo ma de medio necessario ad finis consequutionem, concedo: de medio gratuito, vti sunt virtutes morales, respectu Theologicarum, nego.

Dvbitatio VI.

In quo subiectentur virtutes morales.

38. ETsi hæc difficultas pateat, & dissoluatur *art. 5 & 6. huius lib. q.1.* de habitibus generatim sumptis, tamen speciatim de fortitudine, & temperantia libet in præsentia examinare, & dirimere. D. enim Th. *2.2. q.56. art.4.* eiusque discipuli asserunt fortitudinem, & temperantiam subiectari in appetitu sensitiuo. Scot.

verò

verò 3.d.33.q.vn. Ochamibid.q.10.& vtriusque alumni, quibus adstipulatur Raeon. *disp. de virtutibus, sect. 3. q.2.art.2.* firmè,& emac tuentur, fortitudinem,& temperantiam, vt virtutes residere in voluntate, veluti reliquas virtutes moralea

39. Not. ex Doct. cit. § *Ad arg principalia,ante N.* in appetitu sensitiuo potest ea frequentatis actibus generari qualitas, siue habitus,penes materiam fortitudinis, & temperantiæ, ratione cuius appetitus sensitiuus potest parere rationi facilius,& expeditius: non tamen propriè,& essentialiter est virtus, cum non sit habitus electiuus, qui ad solam voluntatem pertinet: sed dici potest via,& dispositio, ad virtutem comparandam in homine, qui est virtutis capax,non verò in brutis,quæ quidem potiuntur appetitu sensitiuo, voluntatis tamen sunt expertia. Vnde in quibusdam, vt cane patticulatim, potest in eius appetitu sensitiuo, per assuefactionem gigni habitus abstinendi à cibo ipsi oblato, donec Dominus eius indicet ei, talem cibum oblatum ab ipso esse capiendum. Itemque stare, saltare,& id genus alia præstare, quæ habitu, & consuetudine acquiruntur, vt dixi loco prænominato art 8 Insuper,obserua ex alibi dictis duplicem esse appetitum, sensitiuum, qui conuenit etiam brutis,& rationalem,qui homini adaptatur, quive voluntas perhibetur Vnde Scot. 3 *Rep.d 33.q. vn.in fine.*Et 3 *oxon.d.34.G & H.*post D. Bon. *ibid.* admittit in homine duplicem concupiscibilem,& irascibilem,vnam irrationalem,in qua non extat virtus:alteram verò rationalem,in qua haberi virtus nominatim in concupiscibili fortitudo,& in irascibili temperantia.

40. Ass.fortitudo,& temperantia in voluntate, tanquam in subiecto collocantur. Defenditur à Scot *passim prærecensito.*Probatur 1.in quo inest actus,in eo est habitus,*l. de somno & vigiliis c 1* Actus autē fortitudinis, & temperantiæ locatur in voluntate,vtpote elicito,penes terribilia aggredienda,vel sustinenda,& penes voluptates,& illecebras earnis abdicandas,sobrietatemque seruandam: electio autem est voluntatis,ergo vtriusque habitus in voluntate locantur.2 idē subiectum fortitudinis virtutes temperantiæ,& fortitudinis,cui virtus eiusque definitio adaptatur:virtutis autem definitio,habitui tantum in voluntate residenti accommodatur; cum virtus sit habitus electiuus 2. *Eth.6.* Eligere autem propriè congruit soli voluntati.Cum ergo temperantia,& fortitudo sint propriè virtutes,plane deducitur,eas in voluntate insidere. 3. in potentia statuuntur dictæ virtutes, quæ patitur difficultatem,penes earum materiam, quia virtus difficilia respicit. 2. *Eth.3.* Voluntas autem ea est, quæ fert difficultatem in adeundis periculis, & abstinendo à voluptatibus: & quandoque ab eis trahitur, & rapitur, vt significatur Iacobi 1 *Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus:* Estque vulgatum illud,

Trahit sua quemque voluptas.

Deinceps, Angelus,& Deus dicuntur fortes, Psa. 53. non propter ardoam aggressionem appetitus sensitiui, cuius sunt expertes, ergo ob appetitum intellectiuum, cuius sunt capacea. Amplius intellectus est commune subiectum omnium virtutum intellectualium, nemine negante:ergo & voluntas omnium virtutum moralium. Communes quippe sunt rationes apud Arist de iustitia, ac de cæteris,vt arguit Doct. cit. § *Hæc opinio.* Iustitia verò etiam per aduersarios locatur in voluntate, ergo id ipsum est de fortitudine, & temperantia.

41. Dices cum Conimb. *art 2.q.5. disp.7. Eth* esse disparitatem, quandoquidem iustitia immediate dirigit voluntatem, ad bonum alterius,tribuens vnicuiq; quod suum est:temperantia verò,& fortitudo ordinātur ad bona propria. Ideò illa in voluntate,hæc verò in appetitu sensitiuo resident. Contrà, fortitudo, & temperantia possunt ordinari,& dirigi,ad bona patriæ, aliaque bona communia, vt si quis bellum aggrediatur pro patria, aduersus eius hostes; & si quis se abstineat ab obscœnis concupiscentiis, Dei, & proximi amore. Si ergo iustitia, ob allatam rationem inhæret in voluntate, vtique propter eamdem ferè causam, dictæ virtutes in eadem voluntate locantur. Deinde tam voluntatis est iustè viuere, quàm temperatè viuere, & fortiter agere. Et si meritum, bonumque honestum spectat ad voluntatem,proculdubio principium, eiusque dispositio quæque ad ipsam voluntatem pertinet, vt cum Scoto prosequitur Vorr. præmemoratus.

42. Opp.1. Arist.2.*Eth* 10.& 3.*eiusdem operis,c.vlt.* ponit fortitudinem,& temperantiam in appetitu sensitiuo:igitur sententia Scot.pugnat Arist. Conf præfatæ virtutes dicuntur esse in concupiscibili, & irascibili, quæ non sunt partes voluntatis,sed appetitus sensitiui occupantur enim circa bonum arduum, & delectabile, quæ sunt appetitus sensitiui, ergo prænominatæ virtutes locum suum habent in appetitu sensitiuo Respond. explicando Arist. per distinctionem, de fortitudine, & temperantia,vt sunt virtutes, nego: quia virtutes propriè sunt habitus electiui: de fortitudine,& temperantia, vt sunt quidam habitus, & habilitates,circa prærecensita bona,quæ etiam haberi possunt in cane,equo, aliisque brutis, concedo. Idque insinuat Arist. 1. *Magn. mor. cap 6.* locans fortitudinem & temperantiam in parte irrationali Et *ibid. cap.1.*

43. Dices cum Conimbr cit. Ergo datur duplex fortitudo, & temperantia, cum tamen Arist. neutrius meminerit. Contrà, præterquamquod arguitur ab authoritate negatiua, ex locis prealleg. non obscurè inducitur secundum Arist. duplex fortitudo, & temperantia, vna in voluntate, & altera in appetitu sensitiuo, quæ non meretur nomen virtutis. Ad conf. dico, etiam in voluntate reperiri concupiscibilem, & irascibilem spiritualem; penes dicta obiecta, veluti in appetitu sensitiuo insunt concupiscibilis, & irascibilis materiales.

44. Opp 1. voluntas plenè perficitur, per habitus Theologicos, ergo in ea non sunt admittendæ virtutes morales. Distinguo ant. penes bonum diuinum, concedo: penes bonum creatum, nego. Sic etiam intellectus perficitur per lumen gloriæ, & gloriam consummatam, ab eo tamen non amouentur habitus naturales intellectuales, qui sunt eius ornamenta, & perfectiones naturales.

45.Opp.2.ei applicatur medicina,quæ est pars ægra, vt quotidie experimur, sed in materia fortitudinis, & temperantiæ appetitus sensitiuus est pars ægra, ergo ei applicanda est medicina,quæ extat fortitudo,& temperantia. Resp.maiorem non esse vniuersaliter veram Etenim capiti laboranti,medicina applicatur brachio,venis, aliisq; part bus.Idque patet de puluere sympatico,& de agente in distans:vel data maiori,dico appetitui sensitiuo,pro eius medela apponi habitum,& qualitatem illam præexplicitam, non verò habitum, qui est virtus.

46 Opp.4.perfecta temperantia habetur, si compescatur, & plenè subiiciatur appetitus sensitiuus, ita vt rationi rectæ non reluctetur: indicante Sacra paginâ, Gen 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius* ergo temperantia locatur in appetitu sensitiuo. Concedo ant. nego conseq. solum quippe infertur, voluntatem temperantia præditam compescere appetitum sensitiuum, eius impetum cohibere, vt rectæ rationi obtemperet.

DVBITATIO VII.

An in Angelis sint virtutes morales.

47. HÆc difficultas ortum suum ducit,ea decisione præcedentis dub. si enim voluntas est subiectum moralium virtutum,vt ibi statutum est,& Angelus voluntate pollet, non abs re perquestigatur, num in voluntate Angeli resideant prænominatæ virtutes. Qua in re Thomistæ, quoa sequuntur Conimb. *q.5. disp 7. Eth.art.3.* negant in Angelis esse huiusmodi virtutes, cum ipsi careant appetitu sensitiuo, quem esse earum

subiectum adæquarũ arbitrantur. Sublato quippè subiecto,tolluntur omnia,quæ sunt in subiecto.Scot.verò 3. d.33.q.vn.§.*Ad 1.I.*videtur esse problematicus.Enimverò pro parte affirmante adducit hanc rationem : omnis voluntas non necessariò carens aliqua perfectione sibi conueniente , potest eam sibi comparare, vt constat in aliis potentiis tendentibus ad acquirendas perfectiones sibi congruas. Velle autem bonum agibile,non solum sibi , sed alteri , est quædam perfectio voluntatis; sicut intelligere aliquod obiectum intelligibile,est perfectio intellectus.Potest ergò voluntati Angeli competere, vt scilicet velit mihi bonum temperantiæ,actibus iteratis, quibus gignitur habitus , & huiusmodi habitus est temperantia,proindèque non repugnat Angelo, sine sibi , siue alteri dictus habitus , vt de praxi, & notitia practica tradit Doct. *q.4.prol infrà N.* Immò non negatur etiam Deo , quatenus præscindit ab omni imperfectione, vt indicat Scot. tum hic, tum etiam, *4 d. 46.q.3.§.Ad arg principalia M.* veluti charitas,fortitudo,iustitia,& misericordia tribuuntur Deo,& Angelis. Vocatur enim Deus fortis,& potens, misericors, & iustus. Atque Angelus Michael vocatur fortitudo Dei. Addo, quosdam Angelorum choros nuncupari principatus, potestates, & virtutes. Ampliùs , natura perfectior,nedum participat perfectiones naturæ imperfectæ; sed alias,easque digniores,vt patet de homine,qui non solum gaudet perfectionibus rerum ipso inferiorum, sed aliis potioribus,& præstantioribus. Cùm ergo homo Angelo deterior possideat virtutes morales , quoque & Angelus, & nobiliori modo. Vide Mayr. hic *quæst.2.art.7.*& Arct.*art.6.*

48. Pro parte autem negante idem Doct. *ibid.* affert hoc fundamentum , virtus versatur circa bonum arduum,& difficile obtentu : bonum autem temperantiæ non est difficile obtentu, nisi habenti appetitum sensitiuum, qui fertur in oppositum eius boni,saltem penes aliquam circumstantiam. Cùm autem voluntas Angeli coniuncta non sit appetitui sensitiuo , infertur in ea haud esse habitum temperantiæ.Vel dicito cum eodem, *ibid.* in Angelo non esse voluntatem efficacem imperandi agibilibus in ma eria temperantiæ,cum sit expers appetitus sensitiui ; sed tantùm volitio simplex,& inefficax, quæ non est nata imperare ; ideóque in Angelo, non extat habitus temperantiæ.

49. Opp.1. contrà partem affirmantem , Arist.10. *Eth.*10. arcet à Diis, virtutes morales , ergo sententia affirmans,virtutes morales existere in Angelis, contradicit scholæ Peripateticæ. Resp. Philosophum excludere à Diis , siue Angelis præfatos habitus, accidentales,& aduentitios,quia putau t identificari realiter,cum ipsorum substantia , eisque eisdem innatos ; quoniam verò dictus Philosophus deficit in principiis, panter & in conclusione. Falsum quippè est,habitus intellectuales,& morales perindè esse,ac eorum substantiam;cùm sint eorumdem perfectiones accidentales , ab eis separabiles, vt fusè ostendi, *tract. de Ang. disp.*1. Vel eis negauit tales habitus , ad domandas proprias passiones appetitus sensitiui , quo Angeli carent. Ita occurrit Doct. *in Rep.d. præsenti.* §. *Contra in Deo.*

50. Opp.1.cui desunt materiæ, & rationes obiectiuæ fortitudinis , & temperantiæ , deficiunt quoque virtutes fortitudinis,& temperantiæ,vt patet : sed voluntati Angeli desunt materiæ , & rationes obiectiuæ huiusmodi virtutum, ergo & ipsæ virtutes. Ma. patet, min. probatur, materia fortitudinis est bonum arduum, circa terribilia , & materia temperantiæ est bonum arduum , circa delectabilia appetitui sensitiuo consona. Angelus verò ab eis est immunis , cùm appetitus sensitiui compos non sit , ergo , &c. Concedo ma. nego min. potest enim Angelus , præsentatis obiectis temperantiæ , & fortitudinis , rectè eligere, quid agendum sit de his , aut illis agibilibus , & penes ea ex frequentibus actibus gignere in se habitum talium agibilium , proindèque potiretur eis virtutibus. Idem astruendum est de beatis , cunctis virtutibus cumulatis , vt liquet ex Aug.14. *Trin. cap.9. & Magistro 3. d.33.*

51. Opp.3. contrà partem negantem , si vera esset ratio Scot.vt scilicet Angelus cupiens alicui temperantiam,causaret in eo habitum temperantiæ. Pater intemperatus, & mater impudica desiderantes habitus temperantiæ , & pudicitiæ , in filiis suis , gignerent in ipsis dictos habitus , quod vt apertè falsum , & planè absurdum , intulit Medina 1. 2. *q.61. art.5.* Ergo, &c. Negatur sequela aut quoniam desiderium parentum improborum , respectu ipsorum filiorum, non est efficax, sed simplex, & inefficax, proptereà non sequitur, in eis produci prænominatos habitus , vt ineptè Medin. eit. arguit contra Scot.

DVBITATIO VIII.

An præter Theologicas , & morales sint aliæ virtutes.

51. HEnr. *Quol.4.q.33.*statuit discrimen inter virtutes, dona,& beatitudines, tanquam habitus diuersos, inquiens, virtutes disponere, modo humano, dona Spiritus sancti,modo superhumano, & beatitudines, modo inhumano. A quo non videntur deflectere D.Th. *3. d.34.q.1 parte* 1. & S.Bon *ibid.* quos refert, & refellit Scot. *eo in loco q vn.* reuocans omnes alios habitus , ad septem virtutes, Cardinales scilicet , & Theologicas.

53.Not.1.virtutes Theologicas esse tres,fidem,spem, & charitatem : Cardinales verò quatuor, prudentiam, fortitudinem,temperantiam,& iustitiam. Dona Spiritus sancti *Isa.*11.sunt septem,sapientia,intellectus,scientia, consilium, fortitudo, pietas,& timor Dei.Beatitudines *Matt.*5.sunt octo,paupertas spiritus, luctus, misericordia, nuditas,cordis munditia,pax,persequutio pro iustitia, & patientia. Fructus Spiritus sancti, *Galat* 5 sunt 12. charitas, gaudium, pax, patientia,benignitas,bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.

54. Not. 2. obiecta virtutum esse Deum, aut creaturam.Circa Deum habentur tres virtutes, quæ Theologicæ nuncupantur , quia Deum tanquam earum obiectum respiciunt,in ipsum credendo,& est fides,sperando in eodem, & est spes , diligendo ipsummet , & est charitas : circa verò obiectum creatum ordinantur virtutes, hoc modo , vel enim homo moderatur seipsum, idque bifariàm contingit, cohibendo irascibilem, & sic fortitudo penes terribilia, vel concupiscibilem. & nascitur temperantia,penes delectabilia ; aut moderatur alterum , & emergit iustitia ; aut dictat quid sit agendum, & exoritur prudentia.

55. Ass. ad septem virtutes memoratas , reuocandi sunt cæteri habitus prænominati. Ita Doct. *vbi suprà §.Ad istam, q.B & §. His suppositis.* Fauet D. Greg. in Iob. l.1.cap.18.in 3. exp. *Nati sunt ei septem filii,* id est septem virtutes. Et Isa. 4. *Septem mulieres apprehendent vnum virum, id est septem virtutes.* Suadetur 1. per virtutes homo viator perficitur , quantum in via perfici potest : ergo dictæ septem virtutes sufficiunt,ad quas cæteri habitus sunt redigendi. Ant.patet *ex* 2 *not.* vel enim homo perficitur in ordine ad Deum , & indiget virtutibus Theologicis:vel in ordine ad creaturam, ficque ornatur virtutibus moralibus. Iterùm ad perficiendum intellectum creatum , præter habitus speculatiuos , opus est prudentia , quæ differt de omni agibili : ad effectum verò eius , seu voluntatem ornandam, necessariæ sunt reliquæ tres virtutes morales. 2. omnis multitudo , & pluralitas ad quædam summa capita est reducenda,vt patet de vniuersalibus, quæ ad quinque , & prædicamentis , quæ ad decem supremas reuocantur: igitur , pluralitas perfectionum hominis

virtutis,

viatoris, cum reduci queat, ad septem præfatas virtutes, reuocanda est, ne statuatur pluralitas, absque necessitate, contrà Philosophum 1. *phys. T.* 5 a. conseq. probatur. Aut enim propriis nominibus, & speciebus nominantur, aut aliis nominibus, & contractioribus speciebus nuncupantur, vt expendit, & exprimit singulatim Scot. *cit. M & inde.* Et Ricc. *ibid. d.* 35. *art.* 3. *quæst.* 4.

56. Opp 1. extat diuersus numerus virtutum, à numero beatitudinum, fructuum, & donorum, vt constat ex 1. not. Ergo diuersi sunt habitus, alioqui non videtur, cur eodem numero non numerentur isti, ac illi habitus. Concedo ant. nego conseq. quia quandoque non genus virtutis, sed eius species referuntur, quæ sub illo continentur, vt patet de iustitia, quæ sub nomine misericordiæ, & benignitatis exprimitur, quæ sunt eius species, atque recensentur inter fructus Spiritus sancti. Quandoque verò in sacro codice, quædam recitantur in quibusdam, ex prælatis numeris, quandoque verò omittuntur, vt videre licet 1. *Cor.* 12. vbi Paulus locat nouenarium numerum, Petrus verò in sua 2. *cap* 1. octonarium.

57. Opp. 2. magis, & minus in moralibus arguunt distinctionem specificam, fructus autem se habent, ad dona, sicut magis & minus, magis perfectum, & minus perfectum: ergo sunt habitus distincti. Ma. probatur, magnificentia specie dissidet a liberalitate, & magnanimitas, ab euphilotia, 1. *Eth.* 3. Et tamen solùm differunt, secundum magis, & minus. Siquidem magnificentia in magnis sumptibus, magnanimitas in magnis honoribus liberalitas in paruis sumptibus, & euphilotia in paruis honoribus consistunt. Min. est nota, fructus dicitur donorum finis, veluti vltimum, quod ab arbore expectatur, fructus perhibetur. Distinguo ma. si fiat diuisio in species, concedo: si in modos, vt in præsenti, nego. Fructus quippe sunt gradus, siue modi excellentiores donis, veluti calor intensus præstantior est, calore remisso.

58. Opp. 3. nullus fructus repugnat charitati, quoniam fructus designat quietem, & delectationem amantis cum amato. Timor verò contradicit charitati, quia charitas foras expellit timorem, *Ioan.* 4. cui subscribit Vorr. *hoc loco*, ergo &c. Concedo ma. distinguo min. timor seruilis, concedo: timor filialis, nego Hic autem, & non ille refertur inter dona Spiritus sancti.

ARTICVLVS II.

De Fortitudine.

59. QVatuor recensentur virtutes morales, prudentia, fortitudo, temperantia, & iustitia, quæ vocantur Cardinales, quia sicut ostium in cardine voluitur, sic bonitas humanæ vitæ in his quatuor virtutibus versatur: quæ vè etiam dicuntur politicæ, quia hominem ordinant, ad rectè viuendum *in Rep.* veluti Theologicæ dirigunt ipsum, ad Deum. De prudentia iam egi *suprà art.* 3. *q.* 3. *l.* 5. quia formaliter est virtus intellectualis, numeratur verò inter morales, quia ipsa dirigit, & regulat, tanquam earumdem regula, & mensura.

DVBITATIO I.

Quid sit Fortitudo.

60. ESse fortitudinem ambigit nemo. Sunt enim viri fortes, & potentes, vt Gen. 6. *Isti sunt potentes à sæculo, viri famosi.* 2. Reg. 2. *Estote filij fortitudinis.* Et 1. Petr. 5. *Resistite fortes in fide.* Vnde Ecclesia *in off. Apost.* nos ad fortitudinem inuitat. *Estote fortes in bello.* A concreto autem, ad abstractum, valet consequentia, vt indicat Arist. 4. *Top. vlt.* Bene enim sequitur, est fortis, ergo est fortitudo, veluti est Philosophus, ergo est Philosophia. Subiungit autem Scot. 3. *d.* 34 *q. vn.* § *Notandum, sub F.* sicut ad moderandam concupiscibilem, datur temperantia; sic ad irascibilem regulandam habetur fortitudo. Notat quippe idem Doct. *ibid* §. *His suppositis*, potentia est, quo potens est potens, & quo potens est fortis. Atque in spiritualibus idem est, esse potentem, ac esse fortem.

61. Not. 1. Fortitudinem tres præcipuas pati acceptiones. 1. pro robore, & firmitate corporis, sic dici tur equus fortis. *Isachar asinus fortis*, Gen 49. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea*, Iob. 6. 2. pro virtute qua quis firmiter, & robuste agit in bonis, & honestis peragendis, cuius meminit Arist. 2. *Eth* 4. sicque non est virtus, sed potius conditio virtutis, qua virtus, præsertim si perfecta fuerit, bono firmiter adhæret. 3. pro firmitate, & constantia in aggrediendis arduis, terribilibusque, ac malis sustinendis, & de fortitudine ita sumpta, sermo est in præsentia.

62 Not. 2. ex Doct 3. *d* 34 *q vn.* § *Ad istam B* virtutes tam intellectuales, quam morales perficere, & ornare hominem, & quidem intellectuales perficiunt eius intellectum, penes speculabilia, vti sunt habitus, siue scientiæ speculatiuæ Et penes operabilia, quod præstant habitus practici, actiui, & factiui. Ornant verò eius appetitum, hoc est voluntatem virtutes morales, & quidem penes appetibilia ad se, fortitudo, & temperantia, & penes appetibilia ad alterum, iustitia. An verò per prædictas tantum virtutes homo satis, sufficienterque sit perfectus, & ornatus, nec exigat alias virtutes, puta Theologicas, consule Scot. cit. & alios Scholasticos *ibid* cùm non sit huius instituti, id disentere, & decidere.

63. Not. 3. ex eodem *loco alleg* § *Notandum.* Habitum sub se comprehendere multas species subalternas, ac infimas. Primùm enim diuiditur in intellectiuum, & appetitiuum. Intellectiuus subdiuiditur in practicum, & speculatiuum. Speculatiuus in realem, qui est triplex, Met. Mat. & Phys. & rationis, qui subsecatur in Log. Rhet. & Grammat. Practicus in actiuum, vt Eth. & factiuum, vt Medic Appetitiuus verò, in appetitiuum ad alterum, qualis est iustitia, & appetitiuum ad se, qui est habitus anonimus, potestque vocari fortasse ratio, quod est nomen commune: isque subdistribuitur in appetitiuum primariò, qui scilicet versatur circa ea, quæ primò nata sunt conuenire, vel disconuenire, quæve primò sunt amplectenda, vel primò fugienda, & est temperantia: & in appetitiuum secundariò, qui scilicet occupatur in eis, quæ secundò sunt amplectenda, vel fugienda, & hæc est fortitudo, prima ad concupiscibilem, secunda verò ad irascibilem spectat. Quod vt commodiùs percipiatur.

64. Not. 4 ex eodem *vbi suprà F.* obiectum concupiscibilis esse conueniens, aut disconueniens, a quo primò nata est sequi delectatio vel tristitia, siue amplexio, vel fuga. Quod enim concupiscitur, aut conuenit, aut disconuenit potentiæ appetitiuæ: si conuenit, causat, delectationem, & voluptatem: si verò disconuenit infert tristitiam, & mœrorem. Obiectum autem irascibilis est irascitiuum, punibile, seu offendens. Etenim si quod appetitur à concupiscibili amoueatur, aut impediatur tale obiectum, animal concupiscens huiusmodi obiectum, irascitur, vt si à cane rodente os, tollatur ab eo ipsum os, ira commouetur, mordet auferentem, ipsumque propellit, & expellit. Quare fortitudo cernitur in propellendis propellenda, in malisque perferendis, vt apertius fiet *in proximo art.*

65. Asseris fortitudo rectè definitur, *virtus electiua in mediocritate consistens inter timorem, & audaciam.* Ita Arist. 3. *Eth* 6. consentit Angelus *verb. Fortitudo.* Et deducitur ex Doct *passu memorato.* Explicatur, quoad singulas eius voculas. Dicitur *virtus*, tanquam genus. Ponitur, electiua, propter virtutem intellectualem. Subnectuntur *reliqua particula*, vt distinguatur, ab aliis virtutibus moralibus, & à vitiis, puta timore,

& audacia, quæ sunt eius extrema. Sic explicata aſſ. facilis eſt probatu, ea quippe definitio apta eſt, quæ conſtat genere, & differentia, vt ſæpè inculcaui in ſuperioribus: huiuſmodi autem definitio fortitudinis conflatur ex genere, & differentia, vt ſupra manifeſtaui, ergo eſt idonea, & legitima. Præterea, 2. *Eth.* 3. *& vndè*, virtus eſt circa bonum difficile: bonum eſt autem, ac difficile, aggredi terribilia, malaque ſuſtinere, quæ pertinent ad fortitudinem, quæ modum, & mediocritatem ſeruat, ne plus æqui vereatur pericula, quod eſt timidi, aut nimium pericula deſpiciat, quod eſt audacis, & temerarij: præfata verò definitio hæc omnia explicat, ergo eſt probè tradita.

66. Opp. 1. *pſal.* 23. Deus dicitur fortis, & potens. Et pſal. 12. vocatur fortitudo ipſa. Deus autem nec pericula aggredi, nec mala perpeti poteſt, ergo aut non rectè, definitur fortitudo, aut Deo non conuenit. Reſp. in Deo poni fortitudinem ſeiunctam ab omni imperfectione, ſicut ei tribuntur ſcientia, & charitas, vt explicui *tract. de ſcientia Dei, & aliis in locis.*

67. Opp. 2. definitio æquatur definito, ſecundum leges bonæ definitionis: ſed prælata definitio excedit definitum, ergo non eſt legitima. Ma. patet. Min. oſtenditur *ex* 3. *Eth.* 6 fortitudo laborat circa terribilia, quæ occurrunt in bello, vt mors, quæ eſt vltimum terribilium, vt aduertit idem Philoſophus *ibid.* Concedo ma. nego min. ad probationem expono teſtimonium Ariſt. videlicet potiſſimum fortitudinem verſari circa terribilia quæ offeruntur in bello, vt ipſemet propè finem eius capitis declarat, non tamen excluduntur ab obiecto fortitudinis cætera ardua, & terribilia, quæ etiam fortis extra bellum aggreditur. Vnde concludit Ariſt. in calce *cap. alleg.* & 1. *Magnorum moral.* 19. Fortes præterea in eis viriliter ſe gerunt, in quibus vires ſpectantur, aut præclarum eſt mori. Conſonat illud Cant. 8. *Fortis eſt, vt mors dilectio.*

DVBITATIO II.

Quotuplex ſit fortitudo.

68. IN duas partes ſcinditur fortitudo, integrantes, & ſubiectiuas, quæ ex duplici eius actu exhauriuntur, aggreſſione ſcilicet terribilium, eorumque perpeſſione. Ad priorem faciunt magnanimitas, & magnificentia, & quidem ad magna aggredienda valet magnanimitas, vt quiſpiam fidenti, magnoque animo præparetur, ad ea difficilia vincenda. Eſt enim magnanimitas, teſte *Cic.* 2. *de inuentione*, per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ, certa cum ſpe, collocauit. Rurſus in aggreſſu difficilium neceſſaria eſt magnificentia, quæ *ex eodem Cic.* deſcribitur, rerum magnarum, & excelſarum, cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione, agitatio, & adminiſtratio. Neceſſe enim eſt, qui arduo operi ſe accingit, idque obit, excelſi animi ſit, ne animo cadat.

Ad poſteriorem actum, qui eſt ingentium laborum perpeſſio, pertinent patientia, & perſeuerantia. Ne enim quis ſuccumbat, & triſtitia opprimatur, propter impendentia, & inſtantia mala, ei neceſſaria eſt patientia, quæ definitur à Tullio *cit.* honeſtatis, aut vtilitatis cauſa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, & diuturna perpeſſio. Ad quam accedit longanimitas. Vnde de Sanctis Patriarchis dicitur, erant longanimes, id eſt interprete Orb. 3. *d.* 34. poſt Scot. *ibid. ante* §. *Ad arg. P.* quaſi in longum expectantes animoſè aduentum Domini. Ad eumdem actum exigitur perſeuerantia, ne ſcilicet fortis, in arduis tolerandis, ab incepto deſiſtat; quæ definitur in ratione bene conſiderata, ſtabilis, & perpetua permanſio. Ideò ait Saluator, Mat. 10. *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Extatque illud crebrò decantatum, non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit, accipiet coronam gloriæ. Multi quippè bene cœperunt, & malè finerunt, non in bono perſeuerantes. Huic annectitur conſtantia, quæ ab illa parum diſcriminari videtur.

Ex his colliguntur quatuor partes fortitudinis integrantes, & quaſi componentes, videlicet, magnanimitas, magnificentia, longanimitas, & perſeuerantia. Duæ verò partes ſubiectiuæ, nempe bellicoſitas, & patientia. In aggrediendis namque horribilibus eſt bellicoſitas, & in perferendis patientia. Vt enim duplex extat actus fortitudinis, aggreſſio, & perpeſſio terribilium, pariter duplex habetur eius ſpecies prænominata. Fortis ſiquidem apparet, & elucet in aggrediendo, & ſuſtinendo terribilia. Quæ autem ex his duabus ſit nobilior, & præſtantior, decidit Doct. *cit.* §. *His ſuppoſitis, ante L.* inquiens, nobiliſſimam fortitudinem eſſe patientiam, quia difficilius eſt, non repellere offendens, quam repellere. Ob id cantat Perſius,

Nobile vincendi genus eſt, patientia ſis.

Quapropter, *ſi vis vincere, diſce pati.* Atque de Martyribus ait Eccleſia,

Mens bene conſcia conſeruat patientiam.

Denique, *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*

70. Quocirca refelluntur Conimbr. *diſp.* 9. *Eth. q.* 2. *art.* 2. *in fine*, perhibentes, nullas eſſe partes fortitudinis ſubiectiuas, propterea quod fortitudo verſatur, penes materiam valdè contractam, & anguſtam. Nam, *vt ſuprà* argui, vel fortitudo conſiſtit in aggreſſu grauium periculorum; vel in eorum tolerantia; cum autem mala, & pericula imminentia, ſint diuerſi generis, honoris, mortis, & huiuſmodi, conſequenter multæ eſſe queunt ſpecies fortitudinis. Iterum, dicti Conimb. fatentur magnanimitatem, & magnificentiam eſſe partes potentiales fortitudinis, ſi magnanimitas ſpectetur, penes magnos honores, & magnificentia penes magnos ſumptus. Idque etiam de longanimitate, perſeuerantia, & conſtantia admittunt: non ergo inficiendæ ſunt multæ ſpecies fortitudinis, tametſi Scot. eas non exprimat, vt patet *paſſu memorato, ante L.*

71. Opp. 1. diſtincti actus, diuerſaque munia non arguunt ſpecies rerum diſtinctas, vt liquet de homine, qui eſt vnius ſpeciei, exercet tamen diuerſa munia, proindeque diuerſos actus: aggredi autem ingentia pericula, triſtiaque, & grauia ſuſtinere ſunt diſtincta munera, & diuerſi actus, ergo non faciunt diſtinctas ſpecies fortitudinis. Reſpondeo quidem non arguere diuerſa agentia, bene tamen diſtinctas potentias, & vires, quarum ſpecifica diſtinctio manifeſtatur ex actuum, obiectorumque ſpecifica differentia. Similiter in re noſtra, illi actus fortitudinis non indicant agentia fortia diſſita, ſed diſtinctas fortitudinis ſpecies: quandoquidem illi actus, & obiecta ſpecie ab inuicem differunt.

72. Opp. 2. ferre labores, mala pati, non eſt agere. Ideò ſubiecit Scot. nuper alleg. pati eſt quoddam permittere: permittere autem non eſt poſitiuè agere. Nam Deus permittit quidem peccata, non tamen facit peccata, vt ſuprà dictum eſt. Ergo non ſunt duo actus, nec duæ ſpecies fortitudinis. Reſpondeo quamuis mala pati, non ſit agere actione externa, eſt tamen agere actione interna. Eſt enim velle ferre terribilia, vt inſinuat Doct. *in Rep.* 3. *d.* 34. *q. vn.* §. *Vlterius.* Et Angelus *verb. Fortitudo*, expreſsè inquit, ſuſtinere eſt actus principalior. Atque velle eſt actus poſitiuus voluntatis. Deus autem etſi permittat peccata, nihilominus non vult peccata, immò prohibet peccata. Quare extat paritas. An verò permiſſio ſit actus voluntatis poſitiuus, necne, vide *Tract. de voluntate Dei, quaeſt. de prædeſtinatione.*

ARTICVLVS III.

De Temperantia.

DVBITATIO I.

Quid sit temperantia.

73. DAri temperantiam, inficiatur nullus. Est enim temperans, qui nequit esse absque temperantia, veluti sciens, nequit esse sine scientia. Non me latet temperantiam, nomine sobrietatis significari, aduertente Angelo, *verb. sobrietas*. Esse autem sobrietatem, pro comperto habetur apud omnes, ad quam nos inuitat S. Petrus *in sua 1. cap. 5. Fratres sobrij estote, & vigilate.* Deinde, sicut ad moderandam, regulandamque irascibilem valet fortitudo, pariter ad concupiscibilem regendam, perficiendamque conducit temperantia.

74. Not. 1. ex Orbel. 3. *d. 33. q. 2.* temperantiam bifariam capi. 1. strictè, pro voluptate, siue delectatione gustus, & tactus, de qua differit Philosophus. 3. *Eth. 10.* Ratione cuius temperati dicuntur potissimum, qui à venereis, cibo, potuque se abstinent. 2. pro habitu voluntatis, necnon appetitus sensitiui, penes primò concupiscibilia, & sic sumpta temperantia refertur inter virtutes morales, ad quam spectare humilitatem, asserit Andronicus, teste Orbel. *vbi suprà.*

75. Not 2. ex eodem *ibid.* post Scotum alleg. §. *Notandum ante H.* duplicem esse concupiscibilem, geminamque irascibilem, vnam in parte sensitiua, siue appetitu sensitiuo; alteram verò in parte intellectiua, siue voluntate. In parte sensitiua habent diuersa organa; quia idem non potest moueri simul diuersis motibus. Dolor quippè concupiscibilis fit cum restrictione, delectatio verò ei opposita, fit cum dilatatione cordis; at dolor concupiscibilis efficitur cum calefactione, quia ea dictis ira est accensio sanguinis circa cor. In parte verò intellectiua sortiuntur affinem distinctionem obiectorum, quam participant in parte sensitiua. Potest quippè voluntas appetere bonum conueniens sibi, aut appetitui sensitiuo, cui in eodem supposito coniungitur. Quit quoque voluntas habere obiectum offendens, ipsumque vt offendens respicere, actu volendi repulsiuo; quamuis non sit tanta distinctio in voluntate, quanta extat in appetitu sensitiuo, quoniam voluntas non est organica, veluti appetitus sensitiuus. Nec irascibilis, vt concupiscibilis sont veluti vires, & potentiæ ab inuicem distinctæ: verùm, sicut eadem potentia nominatur portio superior, & inferior, penes diuersa obiecta: sic eadem voluntas vocatur irascibilis, quatenus respicit obiectum offendens, & concupiscibilis, quatenus spectat obiectum conueniens, eo ferè pacto quo intellectus idem, fertur ad principia, & ad conclusiones ex illis deductas, & collectas.

76. Assert. temperantia est, *habitus electiuus in mediocritate consistens, penes prima concupiscibilia.* Deducitur ex Arist. nuper cit. & Scot. *vbi suprà, paulo ante G.* Dicitur *habitus*, tanquam eius genus. Additur *electiuus*, vt differat ab habitu intellectuali, qui est naturalis. Ponitur *in mediocritate consistens*, propter vitium, quod est in aliquo extremo. Subijcitur *penes prima concupiscibilia*, vt distinguatur à fortitudine, quæ non conueniens, sed offendens respicit, vt liquet ex superiori art. sic explicata ass. facilè suadetur. Est enim bona definitio, quæ ex genere, & differentia conficitur: huiusmodi autem est prælata definitio, vt constat ex eius particularum præmissa declaratione: aptè igitur definitur temperantia.

77. Opp. 1. temperantia spectat voluptates, & dolores corporis duntaxat. Nemo quippè perhibetur temperatus, aut intemperatus, de oblectamentis intellectus aut voluntatis, vt annuit Philosophus præmemoratus: mala ergo est præallata definitio, vtpote quæ excedit temperantiam, comprehendens voluptates spirituales. Nego ant. Nedù enim appetitus sensitiuus: Verumetiam appetitus intellectiuus indiget habitu moderante, & temperante, quæ sunt eis concupiscibilia, & delectabilia, quia vterque appetitus compescit concupiscibilia, & delectabilia, vt firmiter, & constanter tradit Doct. loco alleg. Quamquam potissimè penes venerea, esculenta & poculenta versetur.

78. Oppones secundò, Virginitas est virtus, ad temperantiam pertinens, quæ non consistit in medio, quia Virgo ab omni voluptate venerea se abstinet, cum sit vnum extremorum, igitur non bene definitur temperantia, virtus in mediocritate consistens, quandoquidem non in medio, sed in extremo posita est. Resp. virginitatem consistere in medio, non secundum quantitatem rei, *ex 2. Eth. 6.* sed secundum rectum dictamen rationis, penes quod capitur medium virtutis: vt constat de magnanimitate, quæ licet circà magna occupetur, ponitur tamen in medio, penes rationem; 4. *Eth. 3.* quia ad illa magna fertur magnanimus, secundum rectum dictamen rationis. Siquidem ad ea tendit, non ad sui, sed ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem. Sicque tenet medium, inter timidum, & temerarium, vt patefeci *in act. art.*

DVBITATIO II.

Quotuplex sit temperantia.

79. CVm temperantia resideat in concupiscibili, respiciatque bonum conueniens, tanquam eius obiectum: ob id ad eius species, partesque eiusdem subiectiuas venandas, subsequentia fundamenta, & notabilia sunt iacienda.

80. Not. primò, ex Scot. 3. *dist. 34. quæst. vn. §. His suppositis. antè K.* triplex esse bonum conueniens, honestum, delectabile, & vtile. Duo priora bona; per se appetuntur, ideò primò mouent potentiam appetitiuam, ad ipsa concupiscenda. Tertium verò non primò mouet appetitum, quoniam gratia alterius appetitur, vt diuitiæ sunt bona vtilia, propter honorum, & voluptatum adeptionem. Possunt autem diuitiæ esse bona delectabilia, quatenus sunt pulchræ, & lætificant cor hominis; sic primò possunt concupisci, veluti quodlibet aliud pulchrum visu, & aspectu delectabile, vt erat lignum vitæ, de quo *Gen. 3.*

81. Not. 2. *ex 7. Eth. 1.* in omni specie virtutis, aut vitij, dari triplicem gradum, dispositionem, perfectionem, & excessum. In virtute primi gradus perhibetur continentia, quæ est dispositio, & præparatio ad virtutem, vt cum quispiam cohibet passionem, rectè agit, licet cum difficultate, ob passionem ei resistentem. Secundus gradus appellatur virtus, vt cum quis habet habitum facilitet, & delectabiliter operatur, tametsi non excedat communem modum operandi hominum. Tertius nuncupatur heroicus, cum quis in agendo eminet cæteris. Etenim, qui communem agendi modum excedunt, perhibentur Heroës, Angelici, & Diuini. E regione in vitio extant tres gradus, quorum primus nominatur incontinentia, vt cum quispiam, vrgente, & dominante passione, labitur in peccatum. Secundus dicitur malitia, vt cum quis ex frequentibus malis actibus, habet habitum malum. Tertius perhibetur bestialitas, cum quis superat modum operandi humanum, vitiosis actibus, euadit similis belluis, præsertim se immiscens, & commiscens cum illis.

82. Not. tertiò, *ex eodem nunc cit.* perseuerantiam, & continentiam se habere ad inuicem, veluti resistens, & superans. In initio virtutis dicitur perseuerantia, & in progressu continentia. Ad rationem

 perseue-

perseuerantiæ satis est, si resistat impellenti. Nihil quippe aliud sibi vult perseuerare, quàm impellenti resistere, stareq; aduersus eius impetum. Continentia verò dicitur superare oppositum: quod enim in manu nostra est, propriè continemus, siue tenemus. Quapropter ille perhibetur continens, qui immoderatas passiones compescit, tentationes vincit, & cohibet, licet cum labore, & difficultate. Quandoquidem, continentia, & perseuerantia sunt tantùm dispositiones ad virtutem, pertinentque ad 1. gradum virtutis, quibus opponitur mollities, in quam quis facile labitur, & bono recedens, & non vincens id bonum malum. Rursus obserua, perseuerantiam capi posse pro habitu, quo quia præditus in bonis operibus persistit, & inter virtutes connumeratur, maximè si duret vsque ad mortem. Vnde Christus Dominus inquit Matt. 10. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et Aug. *l. de perseuerantia*, subiungit. *Nullus potest dici, habere perseuerantiam, quandiu vita viuit, nisi perseueret vsque ad mortem.*

83. Assertio prima, species temperantiæ duæ sunt. Ita Doct. cit. *sub K.* Probatur primò, duo sunt obiecta primò concupiscibilia, nempè bonum honestum, & delectabile: ergo & duæ sunt primæ species temperantiæ. Ant. claret ex 1. not. conseq. tenet. Numerus quippe primarum specierum temperantiæ, ex numero obiectorum primò concupiscibilium depromitur.

Secundò, omne genus primò diuiditur in duas species, vt patet de animali, quod in brutum, & hominem, tanquam in duas eius species distribuitur. Temperantia autem est genus habens sub se species, veluti fortitudo, & reliquæ virtutes. Ergo sunt duæ eius species, quarum vna vocatur humilitas, qua cupiditas rerum magnarum cohibetur, & ad infimas, imasque fertur. Altera verò, quæ circà voluptates versatur, retinet nomen sui generis.

84. Assertio secunda, tot sunt species temperantiæ, quot sunt voluptates, siue obiecta delectabilia distincta specie moderanda. Tenet Doct. *vbi suprà* Probatur primò, habitus specifici tot sunt, quot sunt actus, & obiecta specifica, vt alibi visum est: multa autem sunt obiecta specifica delectabilia, putà tangibilia, gustabilia, & id genus alia, necnon multi actus, penes eadem, vt liquet experientia; qui enim delectatur circà vnum obiectum, qui verò circà alterum: ergo, iuxta bonorum delectabilium specie distinctorum numerum, habetur numerus specierum temperantiæ.

Secundò, vna species temperantiæ potest esse absque alia, ergo inter se specie differunt. Ant. probatur, potest quis esse temperatus circà tangibilia, scilicet venerea, & intemperatus circà gustabilia, nempè esum, & potum. Itemque, aliquis potest esse temperatus, penes sensibilia, & intemperatus penes speculabilia, vt propter studium speculatiuarum doctrinarum relinquit vtilia, & necessaria vitæ, & incolumitati suæ.

De tangibilibus moderandis traduntur quatuor species, duæ circà venerea, quæ sunt castitas, & pudicitia; duæ verò circa cibum, & potum, quæ sunt abstinentia, & sobrietas. Castitas venereas voluptates compescit, quæ diuiditur in virginalem, coniugalem, & vidualem. Pudicitia cohibet voluptates, quæ sunt in signis venereis, veluti aspectus, & oscula impudica. His consonat verecundia, quæ est metus dedecoris, & infamiæ. Abstinentia est virtus, quæ in ciborum mediocritate consistit: sobrietas verò delectationem potus moderatur: quamuis interdum confundantur. Siquidem sobrietas, vt cum Angelo suprà aduerti, sumitur pro toto genere temperantiæ. Et abstinentia non rarò de moderato potu perhibetur, vt Num. 6. *Quod inebriare potest, abstineat se, & quidquid ex vino.*

85. Oppones, Arist. 3. *Eth.* 10. definiens temperantiam ait, temperantia est, *mediocritas, penes gustus, & tactus voluptates, & dolores eorum*, ergo temperantia non adaptatur voluntati, quæ tactus, gustusque, & doloris est expers: proindéque iis tantùm conuenit, quæ appetitu sensitiuo potiuntur. Respondeo eam definitionem pressam nimis esse, vt cum Orb *in* 1. *not.* obseruaui, veluti definitio scientiæ 1. *post.* 2. quæ scientiæ à priori solum accommodatur. Siquidem temperantia vniuersè sumpta comprehendit delectabile omne, siue sensibile, siue spirituale. Angeli enim, & anima spirituale capiunt oblectamentum de bonis delectabilibus, vt significat Psaltes Psal. 33. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Psal. 36. *Delectare in Domino.* Isa. 66. *Anima eorum delectata est.* Rom. 12. *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Accedit Cic. 2 *artis veteris*, definiens temperantiam his verbis, temperantia est *rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio.*

ARTICVLVS IV.

De Iustitia,

86. SVperest agendum de iustitia, quæ omnium consensu ponitur in voluntate, tanquam in suo subiecto, vt patet apud Arist. 5. *Eth.* 1. & Scot. 3. *dist.* 33 *quæst. vn.* §. *Hec optime. ante A.* quæ ve aliis virtutibus moralibus eminet, & elucet. Per hanc quippe bene est habenti, & alteri, quia bonum sibi, & alteri seruat, vt præclarè credit Philosophus nunc alleg. Vbi adducit illud Biantis. *Principatus virum ostendit, quippe cum ad alterum iam, & in societate princeps versetur.* Et concludit ibid. *Pessimus est, qui & secum, & cum aliis, prauitate vtitur, optimus autem non qui secum, sed qui cum aliis virtutem exercet. Quippe cum id difficile admodum sit.*

DVBITATIO I.

Quid sit Iustitia.

87. IVstitia, quæ & iuris status dicitur, notante Vorr. 4. *dist.* 16. *art.* 1. multis modis vsurpatur, vt videre licet apud Angelum *verb. Iustitia* Et Scot. 4. *dist.* 46. *quæst.* 1. §. *Hic primo. A.* Ric. & alios *ibid.* Primò pro quacumque rectitudine voluntatis, quo pacto Ansel. *lib. de veritate cap.* 12. definit sic iustitiam, iustitia est *rectitudo voluntatis propter se seruata.* Idem insinuat Chrysost. *homil.* 12. *in Matt.* sic viri sancti dicuntur iusti, vt Matt. 1. *Ioseph cum esset vir iustus.* Et 1. Timot. 1. *Iusto non est lex posita.* Hoc quoque pacto, *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Psal. 10. Quare cum Deus habeat voluntatem rectissimam, & inobliquabilem, consequenter in eo locatur iustitia genericè sumpta, quæ potest determinari, & specificari per rationem, quam addit Arist. 5. *Eth.* 1. quæ est esse ad alterum, vt aduertit Doct. loco prælato. Secundò, pro consentanea exigentia, & conuenientia rerum inter se, ita iustitia est in igne, vt sit calidus, aqua vt sit frigida, leue vt sit sursum, & graue deorsum, vt egregiè prosequitur idem Doct. cit. §. *Non improbando sub G.* Tertiò, pro habitu inclinante voluntatem, ad tribuendum cuique, quod suum est, & de iustitia sic accepta, sermo instituitur in præsenti.

88. Assertio, rectè definitur iustitia, *virtus moralis inclinans voluntatem, ad tribuendum cuique suum ius.* Exhauritur ex Arist. 5. *Eth.* 1. & Scot. cit. & 3. *dist.* 34. *quæst. vn.* §. *His suppositis L.* In idem recidit definitio Ambr. 1. *de off.* Iustitia est, *quo dat cuilibet, quod suum est, nihil vendicans alienum.* Et Aug. 19.

Ciuit.

Ciuit. cap. 21. Iustitia *est virtus, quæ sua cuique distribuit.* Explicatur prior definitio, dicitur *virtus*, tanquam genus, additur *moralis*, ad differentiam virtutis intellectualis. Subduntur reliquæ voculæ, vt distinguatur à reliquis virtutibus. Sic exposita ass. suadetur communi medio. Ea est apta, & idonea definitio, quæ coalescit ex genere, & differentia, vt multoties monui: huiusmodi autem est prællata definitio iustitiæ, vt liquet ex mox explicitis. Probè igitur definitur iustitia. Denuò, nemo Philosophorum, quem viderim, ei contradicit, sed communi consensu, ab omnibus recipitur. Signum ergo euidens est, eam esse genuinam iustitiæ definitionem.

89. Oppones, Vulpianus *in leg. Iustitia. ff. de iustitia, & iure.* Et Iurisperitorum vulgus definiunt iustitiam, his verbis. Iustitia est *constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi*: ergo iustitia non bene definitur virtus, cum voluntas non sit virtus, sed principium virtutis: causatur namque ex multis actibus, à voluntate elicitis, secundum rectum dictamen rationis. Respondeo esse prædicationem non identicam, sed causalem. Sumitur enim ibi principium, causa, & subiectum iustitiæ, pro virtute iustitiæ, qua quis constanti, & firmo animo, & voluntate, vnicuique ius suum præbet: veluti 6. *Eth.* 3. accipitur intellectus, pro habitu intellectus, de quo superius abunde disserui.

DVBITATIO II.

Quotuplex sit iustitia.

90. IVstitia, quæ *ex* 5. *Eth.* 1. est bonum alterius, aut respicit bonum increatum, inclinatque hominem, ad honorem diuinum, & est religio, siue latria, perinde est ac latinè religio, notante Angelo, *Verb. Latria, post Aug.* 10. *Ciuit* 4. Quæ est honor, seu cultus soli Deo debitus, vt patet ex Doct. 3. *d.* 9. *quæst. vn.* Aut respicit bonum creatum, inclinatque hominem ad bonum proximi, & hoc dupliciter. Si enim illud bonum sit commune, & ad illud tuendum conditæ sint leges à Legislatore, nascitur iustitia legalis: quod si exstat bonum particulare, de ipso habetur iustitia specialis. Hæc iustitiæ diuisio traditur, ab Arist. cit. & 3. *pol* 5. & recipitur à Doct. 4. *d.* 40. *quæst.* 1. §. *Hic primò* Et ab omnibus Iuristis, & Casuistis, nominatim Ang. *Verb. Iustitia.* Legalis autem subdiuiditur in politicam, & œconomicam. Rursus, aut homo communicat se alteri, quantum potest, & est amicitia, quæ est perfectior iustitia, propterea quod tota Iustitia perfectior est eis, quæ sunt ad seipsum vt monui in initio huius art. Aut communicat aliud alteri, & illud aliud, vel est bonum extrinsecum, vel intrinsecum pertinens ad victum humanum. Si communicat quid intrinsecum ad coniunctum necessarium, vt regimen, oritur præsidentia, qua prælati rectè regunt subditos: vel obsequium, & subiectionem debitam, & emanat obedientia, qua rectè subditi superiorum mandatis obtemperant. Ad hanc spectant veritas, & affabilitas. At si communicet bonum extrinsecum, id bifariàm effici potest, secundum debitum, & æqualitatem, sic prodit iustitia æqualis, quam Arist. 5. *Eth.* 3. scindit in commutatiuam, & distributiuam. Commutatiua cernitur in commerciis, & commutationibus, in qua seruatur proportio arithmetica, redditurque æquale, pro æquali, cuius sunt multi actus, vt emptio, venditio, locatio, vsusfructus, depositio, fideiussio, pignoratio, transactio, & huius formæ alia, quæ recensentur à Iurisconsultis, & Conimbr. *disp.* 9. *Eth. quæst.* 1. *art.* 3. Distributiua elucet in præmiis largiendis, vel pœnis infligendis, seruatque æqualitatem geometricam, respicitque dignitatem personarum. Hæcque subsecatur, in remuneratiuam, & punitiuam. Illa dignitatem personarum præmiandarum spectat: hæc verò supplicia, quibus nocentes, & mali plectendi sunt, considerat. Iterum bipartitur punitiua, in punitiuam suimet, tanquam rei, quoniam ibi, vt iudicis ministro concessa est punitio suiipsius, vt aduertit Doct. 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. Et in punitiuam alterius, qua Iudex damnat reum, & plectit pœna mortis. Aut secundum condecentiam, & inæqualitatem, sub qua continentur liberalitas, & pietas, siue sumatur pietas pro honore filiorum, erga parentes, siue pro misericordia in pauperes, & miseros, siue pro deuotione in Deum. Plura Ricard. 3. *dist.* 33. *art.* 3. *quæst.* 7. & Aur. *Quol.* 14. *art.* 4. enumerans sufficientiam 12. virtutum, quæ sub iustitia continentur.

91. Oppones primò, commune, & particulare non constituunt diuersam speciem cuiuscumque generis, vt liquet ex Log. Ergò malè diuiditur iustitia in generalem, & specialem, tanquam in duas species, alioqui generalis erit specialis, & particularis, veluti altera eius speciei. Conf. particulare, siue singulare non constituit aliam speciem, cum species prædicetur essentialiter de pluribus differentibus numero, quæ sunt singularia: non ergo dicta diuisio iustitiæ est generis in suas species. Distinguo ant. Si commune, & particulare præcisè, & in rigore logico sumantur, concedo: si verò respectiuè accipiantur, nego. Nam in re nostra, iustitia dicitur generalis, penes obiectum, siue bonum, & debitum publicum seruandum, circa quod ipsa laborat, & in hoc dissidet, a iustitia speciali, quæ occupatur in iure priuato, quod nuncupatur particulare per appropriationem, quia possidetur à particulari, eique debetur, licet in se, & in ratione boni non sit particulare, quandoquidem non vnum, sed multa bona, priuata, & particularia respiciat. Per id satisfit conf. Siquidem non vocatur particulare, quia vni tantum sit communicabile, & multis incommunicabile, vt probat argumentum, sed quoniam debetur vni, & non alteri eius fruitio, & possessio.

92. Oppones secundò, iustitia tendit ad bonum alterius, authore Arist. 5. *Eth.* 1. & 2. ergo mala est distributio iustitiæ in punitiuam sui, & punitiuam alterius. Idem quippè homo non est distinctus, & diuisus à seipso, vt munus iustitiæ, circa seipsum exerceatur. Respondeo ant. potissimum valere de iustitia præmiatiua. Vel dico, exponendum esse de bono alterius, vel quasi alterius, quia vnusquisque potest punire se ipsum, ob peccata commissa, per ieiunia, carnis macerationem, & pœnitentiam, vt interpretatur Doct. *in* 4. *cit. ante B.* §. *Hic primò.*

93. Oppones tertiò, cui non conuenit definitio iustitiæ, non est iustitia, nec species eius: sed liberalitati, obedientiæ, gratitudini, amicitiæ, affabilitati, religioni, veritati, & pietati, non competit definitio iustitiæ: ergo haud recensentur inter species iustitiæ. Maior. est nota. Minor. ostenditur, liberalis non tribuit alteri bona, ex debito, sed ex honestate, suique animi hilaritate. Gratus similiter non obliuiscitur beneficientis, ex debito legali, quod exigitur ad iustitiam; sed ex debito morali. Iterum amicitia non ex debito, sed ex beneplacito fertur in amicum. Affabilitas in benigno obsequio versatur. De religione verò in Deum, & pietate in parentes, non habetur iustitia, quæ esse nequit inter dominum, & seruum, inter patrem, & filium, teste Arist. 5. *Eth.* 9. & 8. *c.* 14. Concedo maiorem, ad minorem dico, quasdam ex prænarratis non esse veras, & germanas species iustitiæ, sed dispositiones ad eas. Vel enim in aliquibus non est debitum legale, sed tantum morale, vt in liberalitate, & affabilitate, nec non gratitudine: vel non est æqualitas, vt in pietate erga Deum, & parentes, atque in obseruantia, qua virtute præditus honoratur, vt patet 4. *Eth.* 3. virtuti perfectæ non sit dignus honor. Prætereo veritatem, quæ hoc in loco est, qua homo talem se exhibet proximo, verbis, factisue, qualis est motum honestate. Denique in amicitia patet

esse

esse debitum legale, esseque perfectam iustitiam, affirmante Scot. 3. *d. 34. quæst. vn. L.*

94. Quæres primò, quid, & quotuplex sit ius? Respondet Arist. 5 *Eth.* 2. esse iustum, & rectum. Ob id Celsus definiens ius, ait, *Ius est ars æqui, bonique*. Actus autem iuris cuilibet iusto conueniens est, firmiter velle seruare rectitudinem debitam in suis operibus ad alterum. Iudex verò perhibetur, quasi ius dicens: & iudicium perinde est ac iuris dictio, vt patet, *Extra de significationibus verborum.* Definitur verò iudicium, *actus iudicis vt sententiam proferentis secundum regulas iuris*, cuius meminit Doct. 4 *d* 47. *q.* 1. §. *Respondeo. B.* Diuiditur autem ius in naturale, & legale. Ius naturale describitur 5 Eth. 7. *Quod vbique eamdem vim obtinet*, & distinguitur à Doct. 3. *d.* 37. *quæst. vn.* §. *Ad quæst.* & Ang. *Verb. Lex.* in ius naturale strictè captum, quod notum est ex terminis, vt 1. principia practica, & lex naturæ, *Quod tibi vis, alteri feceris, & quod tibi non vis, alteri ne feceris*, atque præcepta 1. tabulæ, vt *vnum cole Deum*: ac in ius naturale latè sumptum, cuiusmodi sunt præcepta 2. tabulæ, vt non occides. Ius legale, seu positiuum est, quod ab aliquo Legislatore est statutum. Ideò nuncupatur legale, idest accipiens vim ab aliqua lege præscripta, & sancita. Si autem lex sit à Deo, nominatur ius diuinum; quod si extet ab homine, appellatur ius humanum, indicante Scot. 4. *d.* 14. *quæst.* 2. *infrà E.* Ius autem humanum subsecatur in ius canonicum, & ciuile. Ius canonicum, est ius Ecclesiasticum, deriuatur enim à nomine *Canon*, quod est regula. In eo quippe continentur regulæ sanctorum PP. & summorum Pontificum, quod iterum scinditur in decretum, & decretales. Ius verò ciuile nominatur, quod à Ciuitate, siue Principe, & Imperatore conditum est. Ideò, sicut illud nuncupatur ius Pontificium, ita istud imperatorium, vt tangit Doct. 4. *d.* 15. *q.* 3. *E.*

95. Quæres secundò, quid, & quotuplex sit lex? Respondet Alen. 3 *p quæst.* 26. *m* 4 ex doctrina Iurisconsultorum (lex, quæ secundum Isid. 2. *Eth.* 1. deriuatur à legendo, quia vt obliget, legi, & promulgari debet: vel à ligando, propterea quod ligat, & obligat subditos ad ipsam seruandam) definitur his verbis, lex est *sanctio sancta præcipiens honestum, prohibensque contrarium.* Explicatur à Vort. 3. *d.* 38. *art.* 1. Dicitur sanctio, idest determinatio, & imperatio. Pertinet namque ad superiorem determinare, & imperare, quid faciendum sit, quidve fugiendum à suis inferioribus, estque actus iurisdictionis, *verb. Lex.* Additur sancta, idest iusta; ob id lex Domini dicitur *immaculata* Psal. 18. Et Psal. 118. *Omnia mandata tua veritas.* Locatur *præcipiens honestum*, idest honoris statum. Ideò enim statuuntur leges, vt ciues honestè, & pacificè viuant. Subnectitur *prohibens contrarium*, vt omnis perturbatio inter ciues tollatur, cohibeaturque audacia, & defendatur innocentia. Vnde colligitur duplex finis legis, vnus præcipuus, qui est vita honesta; alter verò minus præcipuus, qui est temeritatis cohibitio, & bonorum tuitio. Quare rectè Mayr. 2. sententiarum alleg. ab Ang. definit legem, artem honestè viuendi, ligantem hominem ad sui obseruantiam.

96. Triplex autem est lex, vt elicitur ex Doct. *d.* 1. Et scitè, doctèque tractatur ab Alen. cit. omissis cæteris, quæ à Legistis adducuntur, & exponuntur. Prima, est lex naturalis, quæ describitur, lumen naturale nobis præcipiens, quæ agenda, quæve fugienda sunt, hæcque duobus tantum præceptis continetur, vno affirmatiuo, *quod tibi vis, alteri feceris*: & altero negatiuo, *quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Secunda, est lex scripta, siue lex Moysis, quæ comprehenditur in Penthateuco, quæve habet tria præcepta, moralia, iudicialia, & cæremonialia, de quibus Doct. 3. *d.* 40. *q. vn.* Tertia est lex Christi, quæ dicitur lex gratiæ, quæ capitur in Euangelio. Secunda perhibetur lex timoris, Tertia verò lex amoris. Illa bona temporalia, hęc bona æterna obseruantibus pollicetur. Illa est abrogata, hæc vsque ad mundi finem est duratura.

97. Quæres tertiò, vtrum lex sit immutabilis? Distinguo, lex naturæ, & diuina est immutabilis, vt annuit Aug. 3. *cap.* 7. Et ostendit Alen. *præcit. m.* 5. Ratio est, quia Deus est immutabilis, & quæ præcipiuntur in lege naturæ sunt simpliciter bona, & quæ prohibentur sunt simpliciter mala. Ideò semper, & vbique stat lex naturæ, & Dei. Cæteræ verò leges positiuæ, siue vetus, siue recens mutari possunt: & quidem vetus est suppressa, & ablata, vt patet de lege circumcisionis. Lex verò vna potest deleri, vt Deus potest conferre gratiam, sine sacramentorum susceptione Leges autem humanæ plerumque variantur, & mutantur, vt constat de Arestis parlamentorum, & constitutionibus Religionum, præsertim Franciscanæ.

98. Dices, etiam lex diuina potest mutari. Deus enim, qui in Decalogo prohibet homicidium: *Gen.* 22. præcipit Abrahæ immolationem filij sui Isaac. Idemque Deus, qui *ibidem* vetat furtum: *Exod.* 11 & 12. mandat Israelitis, vt asportent vasa aurea Ægyptiorum Et Oseæ 1. *Fac filios fornicationum*: lex ergo Dei subit mutationem. Respondet Alen. cit. legem diuinam esse in se immutabilem, & quoad consilium: esse verò mutabilem, in effectu & quoad sententiam. Ad illa, quæ subiiciuntur, dici potest, Deum in iis dispensasse, cum sit omnium Dominus, & transtulisse dominium Ægyptiorum, ad dominium Hebræorum. Aut dicitur cum Scot *in Rep.* 3. *d.* 37. *q. vn in fine*, Israëlitæ seruierunt Ægyptiis, tanta receperunt, quæ isti noluerunt eis reddere. Ob id data sunt illis, à superiore qui est Deus, cuius iussu Israëlitæ iustè, & licitè poterant ab Ægyptiis auferre.

99. Quæres quartò, quot sint munia legis? Resp. esse quinque, præcipere, prohibere, permittere, punire, & præmiare. Præcipiuntur bona, prohibentur mala, permittuntur indifferentia, & quandoque mala, ad vitanda maiora mala, puniuntur transgredientes, præmiantur custodientes, in quorum numero collocet nos Deus, qui iustis coronam vitæ, & iustitiæ elargitur. Amen.

PHILOSO

PHILOSOPHIA TRANSNATVRALIS, SEV METAPHYSICA,

F. BONAVENTVRÆ COLVMBI *Ordinis Minorum Conuentualium, ſacræ Theologiæ Doctoris, eiuſdemque profeſſoris.*

PROOEMIVM.

HÆc doctrina, quam pertractandam aggredimur, multis inſignitur nominibus, quæ ipſi adaptantur ob ſuam præſtantiam, & excellentiam. Vt enim Deo multa nomina imponuntur ad declarandam ſuam infinitatem, immenſitatem, omnipotentiam, & reliqua attributa, & prædicata eſſentialia, notionalia, & perſonalia: ſic Metaphyſica, complura ſortitur vocabula, propter ſuam nobilitatem, celſitudinem, & eminentiam. Inprimis, vt nomenclatura eius pateat, perhibetur Metaphyſica, quod perindè eſt, ac Tranſnaturalis, quandoquidem tranſgreditur ſcientiam naturalem, ſeu Phyſicam, quia de rebus abſtractis, & à materia ſeiunctis differit: vel Poſtnaturalis, propterea quod traditur, & docetur poſt Phyſicam, & naturalem ſcientiam: tametſi Bonetus 1. *Met.* & Antonius Bernardus Mirand. *l.* 20. *verſ. ſing. cert.* putent hanc cæteris diſciplinis eſſe præmittendam. A Doct. ſubtili *in proœmio ſuæ Met.* nominatur *Philoſophorum Theorica*, quia præ aliis, in contemplatione veritatis tranſcendentium verſatur. Ab Ariſt. 1. *Met. cap* 2. *Sapientia* nuncupatur, quia altiſſimas cauſas, & prima rerum principia ſpeculatur. Ab eodem 4. *Met. T* 4. appellatur *prima Philoſophia*, nedùm primitate originis, & naturæ, verumetiam, primitate dignitatis, & perfectionis. Et *ibid. T.* 5. dicitur *Philoſophia* antonomaſticè, cum reuerà ille dicendus ſit Philoſophus, qui callet hanc doctrinam, quæ meritò ſcientiarum Regina ab Antonio Andrea *in fine prol. Met.* prædicatur. Deinceps 6. *Met. cap.* 1. & 11. *eiuſdem operis*, *cap.* 6. naturalis Theologia proclamatur, quia quæ de Deo naturali ope haberi poſſunt, tradit, & imbuit. Inſuper, ſcientia communis, & vniuerſalis nunciatur, propterea quod communia, & vniuerſalia pertractat, prima principia meditatur, & reliquarum ſcientiarum elementa firmat, munit, atque defendit. Quinque autem mouentur, & conſtituuntur de hac libri, quorum primus extat de Prolegomenis Metaphyſicæ. Secundus, de ente, & paſſionibus eius. Tertius, de Angelis. Quartus, de Deo: & Quintus, de ente rationis.

LIBER PRIMVS.

De Prolegomenis Metaphyſicæ.

1. MOre conſueto, nonnulla præludia, in hac, ſicut quoque in cæteris diſciplinis, præmittuntur, & decidantur, vt nobis commodior, & facilior pateat aditus ad ea, quæ ſumus dicturi. Iſta namque naturam Metaphyſicæ, & ea, quæ ad ipſam ſpectant, palàm faciunt, & non obſcurè indicant, & manifeſtant.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De natura, & qualitate Metaphysicæ.

ARTICVLVS I.

An Metaphysica sit scientia.

2. QVID deposcat natura, & essentia scientiæ, quæve conditiones ad eam requirantur patefeci, & asserui in prolegomenis *Log. l.* 1. *q* 2. Nec obscurè *ibi q* 1. indicaui inuentionem Met. cæterarumque disciplinarum, quibus præsuppositis, & præscitis.

3. Ass. Metaphysica est verè, & propriè scientia. Ita Scot. *q.* 3. *prol.* §. *Ad* 1. *secunda q.V.* & *collatione* 1. §. *præterea tertio.* post Arist. 1. *Met c.*1. & 6. *eiusdem operis c* 1. diuidentem scientiam, in Mat. Phys. & Met. Nec ab hac ass. recedit vllus Philosophus, quem viderim. Probatur primò, scientia vel acquiritur per demonstrationem à posteriori, vel a priori: sed in Met. multæ fiunt demonstrationes à posteriori, vt multitudo entium, dependentia, compositio, & id genus alia demonstrant aliquod esse actu simplex, independens, & necesse esse. Vnde concludit Arist. 12. *Met. prope finem*, entia nolunt malè gubernari, vnus ergo princeps vniuersi, vna prima causa, & vnus Deus. A priori quoque habentur demonstrationes in Met. vt omne ens est bonum: substantia est ens, ergo est bona. Passiones quippe entis demonstrabiles, & scibiles per ens, quod est earum medium, & causa, vt patebit in proximo libro. Igitur Met. est scientia, vtpotè quæ gignitur per demonstrationem à priori, & posteriori. Secundò, *ex* 1. *post. c.* 2. scientia est cognitio certa, & euidens rei necessariæ per propriam causam parta per discursum syllogisticum: sed Met. est huiusmodi, vt ostendit prima probatio mox allata, ergo est scientia. Tertiò reliquæ disciplinæ, puta Mat. & Phys. sunt scientiæ, quia sunt de conclusionibus causatis per præmissas veras, & necessarias ergo & Met. est scientia, vtpote quæ est domina, earumque regina, per quam stabiliuntur, & muniuntur earumdem principia.

4. Oppones primò, Met. est sapientia, *ex* 1. *Met. c.*2. cum sit de altissimis, & præstantissimis, nempè Deo, & Angelo, ergo non est scientia. Consequent. tenet, ex 6. *Eth.*3 scientia, & sapientia sunt duo habitus intellectus ab inuicem distincti. Concedo ant. nego conseq. scientia quippe vno modo potest capi pro cognitione certa, siue sit rei contingentis, siue necessariæ, & sic scientia distinguitur à sapientia. Altero modo, pro cognitione certa, & euidente obiecti necessarij, siue gignatur per causam altissimam, siue non, & si per causam altissimam fiat, non distinguitur à sapientia, immò est ipsa sapientia, cuiusmodi est Met. Idque innuit Doct. 12. *Met. propè finem conclusionum eius lib.* A quo non videtur alienus Arist. 6. *Eth. c.* 8. sapientia est habitus compositus, ex intellectu, qui est habitus principiorum, & scientia, quæ est habitus conclusionum. Nec dissentit Aug. 12. *Trin.* 15. asserens discrimen, inter sapientiam, & scientiam, vt ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis. Et 13. *eiusdem operis* subiicit, vtraque scientia vtraque sapientia, & latiori vocabulo dici potest.

5. Oppones 2. scientia, & prudentia sunt habitus distincti, 6. *Eth.* 3. Met. autem ab Arist. 1. *Met.* 1. dicitur prudentia, ergo non est scientia. Concedo ma. distinguo min. propriè, & similitudinariè, concedo. Similitudo autem consistit in hoc, quod sicut, prudentia eminet habitibus præcisis: ita Met. prælucet speculatiuis.

Oppones tertiò, scientia paritur per causam, vt constat ex eius definitione: sed Met. per causam non gignitur, cum sit de Deo, cuius nulla datur causa. Concedo ma. nego min. de Deo namque fiunt demonstrationes à posteriori, per quas acquiritur scientia quoque a posteriori. Adde, quod Met. est de Deo, vt obiecto partiali principali: de ente verò, tanquam obiecto totali, & adæquato, vt in sequenti lib. ostendetur, & de hoc habentur demonstrationes à priori, vt patet ex probatione prælatæ Assertionis.

ARTICVLVS II.

An Metaphysica sit scientia speculatiua.

6. REcognoscenda, & recolenda sunt ea, quæ dixi, & asserui *in Log. l.* 1. *art* 5. *quæst.* 2. *dub* 1. & 2. quibus præcognitis, & præscitis.

7. Ass. Metaphysica est speculatiua. Tenet Doct. 3. *d.* 34. *q vn.* §. *Notandum sub D* & 1. *Met cont.* 13. vbi reddit hanc rationem, quia Met. est ad fugiendam ignorantiam, & non ob aliquem finem exteriorem, cuius signum adducit, quia iam aliis scientiis, quæ sunt ob humanas necessitates, hæc postea inquiri cepit. Probatur primò, ex Arist. 1. *Met. c.* 4. & 6. *eiusdem operis, c.* 1. *T.* 2. affirmante triplicem esse scientiam speculatiuam, videlicet, Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam, cuius diuisionis sufficientia probata, & decisa manet *in Log. loco cit. art.* 6. Secundò, scientia speculatiua est sui gratia, sistit namque in sola contemplatione sui obiecti: practica verò est gratia alterius: ordinatur namque ad opus, siue morale, siue manuale: at Met. posita est in sola contemplatione subiecti, putà entis, quod non est agibile, nec factibile, ergo Met. est scientia speculatiua. Rursus, practica, vel est actiua, vel factiua, ex communi omnium placito, Met. autem nec est actiua, quia non est Ethica, seu Moralis: nec est factiua, quia non est Manualis, seu mechanica: concluditur ergo esse speculatiuam.

8. Opp 1. practica inuenta est, vt boni efficiamur, & speculatiua, vt sciamus: atqui Met. inuenta est, vt summum bonum consequamur, putà felicitatem, quæ *ex l.* 10. *Eth.* 10. consistit in contemplatione substantiarum abstractarum, ergo est practica. Conf. ordinare competit scientiæ practicæ, Met. autē ordinat alias scientias, & corroborat earum principia, 1. *Met.* 1. igitur inter scientias practicas est ascribēda. Concedo ma. distinguo min. per se nego: per accidens concedo. Ad Arist. dico ipsum quidem existimasse felicitatem suam esse in contemplatione substantiarum abstractarum: at huiusmodi contemplatio non est praxis, proindéque per eam Met. non est practica. Ad conf distinguo ma. ordinare in ratione directiui, & regulatiui, concedo: in ratione finis duntaxat, nego. Quare, sapientis est ordinare in ratione finis non verò in ratione efficientis.

9. Opp. 2. sicut Theologia supernaturalis perficit intellectum nostrum supernaturaliter: ita Met. perficit intellectum nostrum naturaliter: Theologia autem in schola Scot. est practica: ergo & Met est practica Resp. eam similitudinem allatam inter Theologiam, & Met. esse valde remotam, nihilque per eammet concludi. Siquidem omnes scientiæ perficiunt intellectum tametsi non omnes sint practicæ, sed quædam practicæ, quædam verò speculatiuæ. Verum autem cæteræ scientiæ subalternentur Metaphysicæ, necne? Decisum est *in Log. passu prealleg. art.* 7.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

De obiecto Metaphyſicæ.

ARTICVLVS I.

Quodnam ſit obiectum adæquatum Metaphyſicæ.

10. HAnc difficultatem fusè, & exactè pertractant Scot. 1. *Met q.*1. Antonius Andreas *ibid.* Bonetus, *c.*6. Tatar. Ponc. *diſp.*68 *q.*1. Suarez *diſp.*1. *Met ſect.*1. Fonſ. 4. *Met cap.*1. *q.*1. Hurt. *diſp.*1. *ſect.*2. & alij referentes complures diuerſas, & diſcrepantes opiniones, è quarum numero quatuor celebriores ſeligo, & adduco. Prima eſt eorum, quorum nomina ſupprimit Suarez cit. *num.*2. exiſtimantium, ens communiſſime, & abſtractiſſimè captum, prout præſcindit ab ente reali, & rationis, conſtitui obiectum totale, & adæquatum Metaphyſicæ. Quibus fauet Hurtadus *cit. ſubſect.*1. & 2. & non diſplicet Fonſecæ *vbi ſuprà ſect.* 3. §. *Atque eſt quidem*, reſpondens argumentis huic ſententiæ oppoſitis.

Secunda defenditur ab eis, qui ſtatuunt ſolum Deum eſſe primum, & adæquatum obiectum huius ſcientiæ. Quibus ſuffragatur Hurt. prænominatus *ſect.* 4. & præiuit Auer. 1. *Phyſ. com.* 83. addens ſubſtantias abſtractas, ſeu intelligentias, pro ſubiecto totali huius ſcientiæ, ita vt velit Deum, & intelligentias conſtituere vnum ſubiectum adæquatum Met.

Tertia recitatur, & refutatur à Doctore noſtro memorato, & tribuitur Burid. decernens, ſubiectum huius diſciplinæ totale eſſe ſubſtantiam præciſam, & abſtractam, à finita, & infinita, ſpirituali, & materiali, adeò vt excludat omnia accidentia à conſideratione eius.

Quarta, eſt communis, cui patrocinantur Scot. *vbi ſuprà*, & *t.d.*3 *q.*3. §. *ſed contra B.* & 4. *diſt.*49. *q.*8. §. *Reſpondeo B.* D.Th. & vtriuſque Diſcipuli, & antè eos Alenſ. Auic. 1. *Met cap.*1. Aphrodiſ ſubſcribunt Suarez paſſu recenſito, *n.* 24. & Fonſ. *ſect.*2. aliique Recentes, ſancientes, & definientes, ens, vt ens reale, commune Deo, & creaturæ, eſſe ſubiectum totale, & adæquatum Metaphyſicæ.

11. Not.1. ex Scot *Quol.* 1. *art* 1. §. *De primo. A.* rem, ſiue ens tripliciter accipi, latiſſimè, late, & ſtrictè. Ens primo modo captum complectitur omnia entia realia, tam per ſe, quam per accidens, & entia rationis, itavt, enti huiuſmodi tranſcendentiſſimè capto opponatur nihil, quod dicitur ens prohibitum, & ens repugnans, proptereaquod nec in intellectu, nec extrà intellectum poteſt habere eſſe: è regione quod habet eſſe in intellectu, aut extrà intellectum, vocatur ens: & quidem, quod habet eſſe tantùm ab intellectu, appellatur ens rationis, quo pacto intentiones logicæ perhibentur entia rationis: quod autem habet eſſe, vel poteſt habere eſſe, extrà intellectum, eſt ens reale, veluti eſt omne creatum à Deo, vel creabile. Secundo modo communiter, & tranſcendentaliter, pro ente reali, quod abſtrahit à ſubſtantia, & accidente, Deo & creatura, cuius meminit Auic. 1. *Met. cap.* 5. & explicatur à Lych. & Gadio *in com. Quol. præalleg.* Tertiò, pro ſola ſubſtantia, ſiue materiali, ſiue ſpirituali, quæ deſcribitur ens per ſe ſubſiſtens, quo in ſenſu loquitur de ente Ariſt. 7. *Met. tit.* 2. vocans primum ens, ſubſtantiam, accidentia verò entis entia, quia ab a cauſantur, & in eamet ſubiectantur, ac inhærent, abſque qua naturaliter exiſtere nequeunt, ideoque ab ipſamet in eſſe dependent, & ad eamdemmet ordinantur, & habitudinem præſeferunt, ſi fuerint abſoluta, vt qualitas: vel ſunt ipſæmet habitudines, & reſpectus, ſi fuerint accidentia relatiua, puta ſimilitudo, & diſſimilitudo, & reliqua, quæ in 7. vltimis categoriis collocantur.

12. Not 2. diuiſionem entis communiſſimè ſumpti non eſſe diuiſionem vniuoci in vniuocata, ſed æquiuoci analogi in æquiuocata analoga, vt ſcribunt Formaliſtæ, cum ipſorum magiſtro Syrecto tract. *Formalitatum*, *art.*1. *principali*, quia enti ſimpliciter, & enti ſecundum quid, nihil eſt commune vniuocum: ens autem reale eſt ens ſimpliciter, & ens rationis eſt ens ſecundum quid, ergo præfata diuiſio non eſt vniuoci in vniuocata. Deinde, ens præciſiſſimè captum vel eſt reale, vel rationis, quia inter hæc non intercipitur medium: non eſt autem ens reale, alioqui ens reale includeretur in ente rationis, eſſetque ens rationis formaliter ens reale, quod eſt abſurdum: nec ens rationis, ſecus ens reale foret ens rationis, quod eſt falſum: ens igitur reale & rationis non vniuocantur in conceptu entis præciſiſſimè capti, quidquid reclamet Bonet. *ſuper alleg.* §. *Ens autem.* Partitio autem entis realis latè, & communiter capti, in Deum, & creaturam, in ſubſtantiam, & accidens, vtique eſt vniuoca, vt oſtendam in ſequenti lib pariter & diſtributio ſubſtantiæ in materialem, & ſpiritualem, in tranſcendentalem, & prædicamentalem eſt vniuoca, quandoquidem de illis penes idem nomen, & rationem eſſentialem, & formalem prædicatur, in quibus ſita eſt vera, & genuina vniuocatio, vt abundè explicui *in Epit. dialect. lib.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 5. *num.*17.

13. Not.3. & recol. ex dictis in Log *lib.*1. *quæſt.*3. *art.*1. quid, & quotuplex ſit obiectum, & conditiones, quæ ad illud deſiderantur, ad hoc vt ſit totale, & adæquatum obiectum ſcientiæ, quæ circa ipſum verſatur, & occupatur: quæ omnia, & ſingula, cum ſedulò fuerint ibi examinata, & diſcuſſa, non ſunt iterum repetenda, ſed ibid. recognoſcenda, & in memoriam reuocanda, & hic applicanda.

14. Aſſertio prima, ens communiſſimè acceptum, vt complectitur cuncta entia realia, & rationis: atque entia per accidens, non eſt obiectum adæquatum Metaphyſicæ. Aſſertio eſt bipartita: prima pars deducitur ex Doct *paſſu prememorato*, & expreſsè 6. *Met. in expoſit. Text. propè finem*: & *ibid. quæſt.*3. contra Hurt. *cit* §.51. Probatur primò ex Ariſt. qui ad finem 6. *Met.* excludit explicitè ens rationis a conſideratione Met. Ergo in Peripato, ens rationis non eſt obiectum partiale proprium Met. vt putat Hurt.

15. Dices, idem Ariſt. 4. *Met. T.*5. ſcribit, Dialecticam, & Met. verſari circa idem ens commune, non reale, ergo rationis, proindeque ens rationis includitur in obiecto Met. communiſſimo. Dico, eum interpretandum eſſe de Logica vtente, quæ diſputat de omni ente, veluti Met. ſed diuerſo modo, nam illa diſſerit de ente diminuto, & ſecundum quid, ſecunda intentione induto: hæc verò contemplatur ens ſimpliciter, & reale. Quoniam verò tam latè patet ens 2. intentionis, quam ens reale, propterea dicitur vtraque meditari ens commune, vt recte exponit Doct. *q.*3. *cit* §. *ſecundam veritatem.* Vide quæ dixi in Log. *lib.*1. *q* 3 *a.*5. vbi idem teſtimonium Philoſophi adduxi, & explicui, aliis locis eiuſdem Doctoris ſubtilis, ibi allegatis.

Secundò omnis ſcientia decerpit ſuam vnitatem, & ſpecificationem ab obiecto, circa quod laborat, quia ſcientiæ ſecantur, ſicuti res. 3. *anima T.*51. ens autem reale, & rationis nullam ſortiuntur vnitatem, niſi nominis, ergo ens rationis nequit eſſe obiectum partiale Met. Maior patet, minor eſt in promptu, quandoquidem ex ente reali, & rationis aliquod totum coaleſcere

non potest, nec integrari. Occurrit Hurt. cit. & dicit Met. non esse vnam, sed multiplicem. Proptereà, in obiecto eius communissimo non requiritur vnitas vniuoca, quæ competat obiectis eius partialibus. Contrà, scientia est vna vnitate generis sui subiecti: genus autem est vnum vnitate vniuoca, respectu suarum specierum, ergo Met. quæ est de ente, quod est transcendens, est vna vnitate sibi congrua, quæ est transcendentalis. Deinde, scientia, quæ extat de conclusione, causatur à præmissis, quæ sunt eius principia, & causæ immediatæ, aut mediatæ, & medium est definitio subiecti, aut passionis: atque subiectum continet potentialiter, aut virtualiter, aut formaliter omnes veritates scientiæ, cuius est subiectum, vt probat Scot. *quæst.3. prol.* §. *De secundo. B.* & abundè ostendi *in Log. l. 5. quæst.2. art.*8. Hæc autem, & consimilia effert. nequeunt de ente rationis, quod est ens diminutum, & secundum quid, pendens ab operatione intellectus duntaxat, ergo ens rationis immeritò statuitur obiectum proprium partiale Met. quæ est vera, & propria scientia. Eò magis, ea omnia quæ mox recensui de obiecto scientiæ, necessaria connexione coniunguntur, habitudinem mutuam, & vinculum indissolubile inter se sortiuntur, vt liquet de corpore naturali, eius proprietatibus, & speciebus eiusdem, necnon de substantia, eius passionibus, & huiusmodi, quæ cum ente rationis nulla prorsus affinitate, & coniunctione gaudent, ergo ens rationis non comprehenditur sub obiecto communissimo Met.

Tertiò, scientia realis distinguitur à scientia rationali, vt patet ex lege bonæ diuisionis, cuius membra necesse est, abinuicem distinguantur: Met. autem est scientia realis, vt patet ex trina diuisione scientiæ realis speculatiuæ 6. *Met. T.2. cap.*1. Et quidem non alia de causa, quam quia est de obiecto reali, & scientia rationalis sic denominatur, quia est de obiecto rationis, ergo Met. non habet ens rationis, vt obiectum proprium partiale, alioqui diceretur rationalis, sicut vocatur realis, simulque foret realis, & rationalis, quod contradictionem inuoluit.

16 Obuiam fit Hurt *vbi suprà*, & ait, non inconuenire, vnam, eamdemve scientiam agere de oppositis, cum ex et a lagium, oppositorum eadem est ratio, & lex, proindéque Met. differere de ente reali, & rationis, velut Logica ratiocinatur de syllogismo vero, & falso, demonstratiuo, & sophistico. Physica, de forma, & priuatione eius. Medicina de sanitate, & ægritudine: & Theologia de gratia, & peccato, de virtute, & vitio. Contrà, ens reale, & rationis propriè non sunt opposita, sed impropriè. & latè. Siquidem opposita sunt quatuor, ex postprædicamentis, in quorum numero minime inueniuntur entia reale, & rationis. Non enim sunt opposita contraria, quorum vnum expellit aliud ab eodem subiecto, nec priuatiua, quorum vnum importat priuationem alterius: nec contradictoria, quorum vnum negat aliud; nec relatiua, quæ mutuò se respiciunt. Quæ autem adducuntur, & exemplificantur ab Hurt. sunt opposita priuatiua; ergo dictus Auctor non satisfacit aliatæ instantiæ, & argumento. Rursus, non est necesse, si scientia tractat de vno opposito amplè sumpto, agat de altero opposito. Nam Met. quidem differit de substantia spirituali, puta Deo, & Angelo: non contemplatur tamen substantiam corpoream, & naturalem. Itemque Physica, quæ considerat substantiam corpoream. & naturalem, non meditatur substantiam incorpoream, & immaterialem.

17. Instabis, ens rationis est scibile, habens suo modo passiones, ergo pertinet ad aliquam scientiam, non ad aliam, nisi ad Met. quæ est scientia de ente, communis, & vniuersalis. ergo ens rationis comprehenditur sub obiecto Met. Satisfit, si dicatur, Grammaticam, Rhet. & Logicam tractare de ente rationis: Met. verò non per se, & directè, sed per accidens, & reductiuè. Quod autem sic tractatur à scientia, non statuitur obiectum eius proprium partiale, vt putat Hurt. de ente rationis in Met. quod facit eius obiectum partiale. Sic negationes, priuationes, & huiusmodi, quæ reducuntur ad ea, quorum sunt negationes, & priuationes non constituunt vnum prædicamentum distinctum à denario numero prædicamentorum, vt suo loco affirmaui: Pariter ens rationis, quod reducitur ad ens reale, vt ens secundum quid, ad ens simpliciter, non facit peculiare obiectum, ab eius obiecto, quod est ens reale, distinctum, quod est intentum, & propositum Hurt.

Vrgebis, ens abstractissimè sumptum potest esse obiectum intellectus, vt tradit Scot. *Quol 3. iam cit. B.* Nihil autem potest esse intelligibile, quod non includat rationem entis sic accepti, ergo huiusmodi ens consideratur à Met. Occurrendum est cum Gadio, & Lycb. *in com. eius loci*, ibi non esse sermonem de obiecto motiuo intellectus, sed terminatiuo, non quidem primario, sed secundario, ex consequenti, & quadam sequela: quo pacto ens rationis continetur sub ente communissimè sumpto, quod directè, & per se non respicit Met. sed indirectè, & reductiuè, eo modo, quo *suprà* explicitum fuit.

18. Secunda pars defenditur à Doct. 6. *Met in exp. T.4.* & *ibid q* 2. estque expressa mens Arist. *eo in loco*, & capitur de ente per accidens non fortuito, & casuali, sed aggregato ex multis entibus, veluti est Musicus albus, & Musicus ædificator. Probatur autem primò, scientia est de obiecto vno, 1. *post T* 43. at ens per accidens non est vnum ens, sed multiplex, vt ostendunt exempla prææallata: ergo cum Met. sit scientia, non occupatur circa ens per accidens. Secundò, illud circa quod scientia laborat, habet passiones de ipso demonstrabiles, & scibiles, vt liquet de cunctis scientiarum obiectis: ens autem per accidens nullas participat passiones demonstrabiles, ac scibiles, nec videtur vlla connexio necessaria, & naturalis vnius entis, cum alio, vt indicant præadducta exempla, & inductio Arist. in omnibus scientiis, tam practicis, quàm speculatiuis. Ergo Met. non speculatur ens per accidens.

19. Dices, Musica est vera scientia, & tamen est de ente per accidens, puta de numero sonoro. Itemque perspectiua, quæ numeratur inter scientias, versatur circa lineam visualem, quæ est ens per accidens, ergo non obstat, quin Met. speculetur ens per accidens. Nego conseq. ratio disparitatis est, quia Met. est scientia disparata; Musica verò, & Perspectiua sunt scientiæ subalternæ, quarum obiecta contrahuntur per differentiam accidentalem, vt vberè declaraui in Log. *l.5. q.4 art.7.* & apertè docet Viger. *q.5. prol.*

20. Assert. 2. nec solus Deus, nec Deus vnà cum intelligentiis est obiectum totale, & adæquatum Met. Hæc Assert. est bimembris, quam tuetur Doct. 1. *Met. quæst.1.* §. *Contrà istam positionem.* Et *quæst.3 prol.* §. *Ad argumentum 2. quæst. T.* Prima pars suadetur primò, sicut se habet potentia ad suum obiectum: ita se habet quoque habitus ad suum obiectum: vtrumque enim respicit suum adæquatum obiectum, circa quod occupatur; potentia autem sortitur obiectum commune omnibus, quæ ipsa spectat, vt sonus, qui est obiectum auditus competit omnibus, quæ percipiuntur ab ipso auditu: sapor, quæ percipiuntur à gustu: odor, quæ attinguntur ab olfactu, & sic de cæteris, ergo habitus siue intellectualis, siue moralis participat obiectum conueniens omnibus, quæ ab illo tractantur: Met. autem est vnus ex habitibus intellectualibus, cum ex dictis *in 1. q huius lib. art* 1. sit scientia, ergo habet obiectum commune, & vniuersale cunctis, quæ in ipsa tractantur, cuiusmodi non est solus Deus, qui non prædicatur de ente, substantia, accidente, & reliquis, quæ

contumentur

continentur in Met. proindéque non est decernendus obiectum eius primum, & adæquatum. 2. obiectum scientiæ adæquatum, tam late patet, quam scientia, proptereà dicitur adæquatum, quia non excedit scientiam, cuius est obiectum, nec exceditur à scientia: Met. autem magis extenditur, & latius funditur, quam Deus; contemplatur namque ens, quod communius, & vniuersalius est Deo, ergo Deus non est totale eius obiectum. 3. Met est scientia à priori, & per causam, vt suprà ostendi, Dei autem nulla est causa, & medium à priori, per quod naturaliter demonstretur: quod si fiat aliqua demonstratio, est à posteriori, & ab effectu, vt monstr sui *Tract. de Deo vno, disp. 1. q 2.* Ergo Deus non statuitur obiectum adæquatum Met. Vnde in dictis Hurt. videtur implicatio in adiecto, cum *sect. 4. disp. 1. Met.* ponit Deũ obiectum adæquatum attributionis Met. & postmodum § 102. subiicit, per obiectum adæquatum proprium, & attributionis, se intelligere obiectum principale sic ab aliis vocatum. Etenim, vulgus Philosophorũ obiectum adæquatum attributionis appellat obiectum totale, vltrà quod non extenditur scientia, cuius est obiectum totale, & per obiectum principale sumit obiectum inadæquatum, & partiale, tametsi nobilius, & præstantius: quo pacto ipse Hurt. non dissideret à communi placito Philosophorum, qui communiter tenent Deum esse primũ, & nobilissimum consideratum in Met. præsertim Scot. proximè alleg. Viger. Lych. & alij *ibid* à quibus non discrepant Thomist. Quod si ita est, vanus, & irritus videtur esse labor Hurt. & contentio de nomine, cum dicat, quod illi vocant principale, ego voco attributionis. Aliter tamen falsè sentiunt, arbitrantes Deum non habere rationem veram, & formalem subiecti etiam partialis principalis, quoniam ei non adaptantur conditiones necessariæ requisitæ ad tale obiectum præsertim, quia de ipso non demonstrantur passiones scibiles à priori, vt petit demonstratio propter quid, vt generet scientiam propter quid, cuiusmodi statuitur Met sedesse causam altissimam, & eminentissimam, vt indicat D.Th. 1.2. *q 66. art. 5.* cit. ab eodem Hurt. & apertè docet Scot. 1 *Met. q 1. §. Ad alias authoritates,* his verbis. *Prima consideratio est de entibus, inquantum attributis ad Deum, non vt subiectum, quia non potest habere conditiones subiecti scientia propter quid, sed vt ad causam.* Idem tradit *in prologo paulò antè cit.* cui adhærent Antonius Andr. & alij Scotist. *ibid.* Itaque omnia, quæ aguntur in Met. attribuuntur Deo tanquam omnium causæ supremæ efficienti, & finali, & vt sic ad ipsum diriguntur, ordinantur, & referuntur. Quodque aliud non probant argumenta, & testimonia, quæ adducit, & congerit idem Hurt. *vbi suprà.* Dicitur enim Met. Theologia, quia disserit de Deo, vt causa, non vt obiecto eius, veluti Physica appellatur naturalis, quia agit de natura, tametsi ipsa natura haud sit obiectum eius, sed principium, & causa eiusdem, vt insinuat Arist. 1. *Met. propè finem cap 2.* vbi, postquam Met. appellauit maximè diuinam, & maximè honorabilem, tum quia Deus eam in se habet, tum etiam quia est de Deo, qui omni honore, & laude est dignus, subiicit ipsum Deum omnium rerum esse causam, & principium.

21. Dices, nobilissima scientia est circa nobilissimum genus, *6. Met. T 2.* & 1 *animæ* 1. Met. autem est nobilissima scientia inter scientias speculatiuas, & practicas. Ergo eius obiectum est Deus, qui nobilitate, & excellentia omnibus eminet. Dico cum Scot. *in prol. alleg* Deum non esse subiectum primum Met esse verò consideratum in ea, nobilissimo modo, quo potest in aliqua scientia considerari, viribus naturæ adquisita.

Accedit, si per impossibile non foret Deus, adhuc esset Met. quæ est scientia communis, & vniuersalis de ente, aliisque communibus, & transcendentibus, ergo eius obiectum adæquatum proprium non est Deus. Respondet Hurt. negando sequelam ant. rationem reddit, quia Deus est causa omnium, ideóque allata eorum causa, auferuntur quoque ipsa omnia, quæ facta, & causata sunt. Contra, scientia abstrahit ab existentia, éstque de re in esse obiectiuo, vt de rosa non existente, & potissimùm Met. quæ est scientia abstrahens ab omni materia. Deinde, ab inferiori ad superius non valet conseq. vt non est homo, ergo non est animal, quia potest esse Leo, aut quoddam aliud: pariter non sequitur, non est Deus, ergo non est ens, quia ens præscindit à Deo, & creatura, substantia, & accidente. Itaque, est sophisma consequentis.

22. Secunda pars ostenditur 1. vnius scientiæ vnum est obiectum, 1. *post. T 43.* Met. autem est vna scientia, à cæteris distincta, 6 *Met. T. 2.* Ergo vnum est eius subiectum: Deus autem, & intelligentiæ sunt duo subiecta, ergo non sunt Met. subiectum. Nec valet dicere, esse duo subiecta partialia vnum subiectum totale, & adæquatum constituentia, & integrantia, quandoquidem, hîc non inuestigatur subiectum partiale, & inadæquatum, sed subiectum totale, & adæquatum, quod negamus esse Deum, & intelligentias. Præsertim quia, si ex his, vt partialibus subiectis fiat subiectum totale, planè infertur, nec Deum, nec intelligentias esse subiectum huius scientiæ, sed illud constatum, & integratum ex istis. Veluti in Phys. nec materiá, nec forma sunt subiectum eius, sed compositum ex materia, & forma, quod est corpus naturale. Pariter, *in lib. de anima*, eorum subiectum totale non est corpus, nec anima, sed compositum ex vtroque, quod est corpus animatum. Secundò, eodem modo philosophandum est de intelligentiis, ac de Deo, sunt namque substantiæ abstractæ, & separatæ à materia, quæ noscuntur à nobis à posteriori dumtaxat: in præcedente autem parte huius ass. decisum est Deum, nec totale, nec partiale constitui obiectum huius scientiæ: ergo idipsum statuendum est de Angelis, qui à nobis cognoscuntur eodem modo, quo Deus, nempe à posteriori, & ab effectu: Met. autem est scientia à priori, immò scientiarum præstantissima: Angeli ergo non sunt eius obiectum.

23. Dices, Angeli sunt scibiles scientia à priori, & propter quid; sunt enim substantiæ immateriales, de quibus est scientia: at sub aliam scientiam non cadunt, quàm sub Met. ergo non sunt expungendi ab huius obiecto. Dico quidem esse scibiles, sed non sensuum ministerio, & pro hoc statu, nisi à posteriori, & ab effectu, atque penes prædicata communia, & transcendentia, ratione quorum tractantur à Met. Possibilis autem est alia scientia peculiaris de istis, in alio statu, vt scribunt Scot. & eius discipuli, loco præmemorato.

24. Instabis, Met. est sapientia, quæ contemplatur altissimas causas, & prima principia, cuiusmodi sunt substantiæ abstractæ, & separatæ à materia sensibili, & intelligibili, ergo tales substantiæ, quæ à nobis dicuntur Angeli, sunt obiectum primum Met. Dico cum Scot. *q. 1. prol. §. Contrà istam rationem*: præfatas substantias pertinere ad Met. penes conceptus communes, & transcendentes: non autem penes proprios, & peculiares, qui pro hoc statu nos latent, ideóque non statuuntur obiectum Met. sed potiùs illud commune, quod participant, ea infrà dicendis.

25. Ass. 3. substantia vniuersè sumpta non est subiectum primum, & adæquatum Met. Tradit Doct. 1. *Met. q. 1. §. sed contrà prædicta instatur.* Probatur primò, obiectum scientiæ totale non est contractius, & angustius scientia, quæ circa ipsum laborat, sed ei prorsus commensuratum, vt non semel suprà inculcaui; substantia autem amplè capta limitatur, & pressior est Met. quandoquidem hæc scientia nedum substantiam, verumetiam accidens, ens, passionesque eius, tam reciprocas, quam disiunctas, aliaque communia, & vniuersalia contemplatur, vt liquet in toto eius decursu, igitur substantia præcisè, & abstractè accepta non decernitur obiectum Met.

26. Dices, accidens reuocari ad substantiam, & cætera, quæ in ista scientia tractantur, est enim basis, & fundamentum eorum omnium, igitur est eius subiectum primum & adæquatum. Dico quidem substantiam esse fulcimentum, & sustentaculum cunctorum accidentium, & causam eorumdem: attamen ipsa accidentia sunt entia distincta à substantia: sufficienter quippè diuiditur ens in substantiam, & accidens: atque substantiæ vnum tantum extat prædicamentum: accidentium verò nouem referuntur prædicamenta. Quare licet hæc ad illam referantur, & absque ea consistere, & existere naturaliter nequeant: nihilominus sunt distincta scibilia, & obiecta Met. partialia, licet minùs principalia: illa verò præstantius, & principalius obiectum.

Secundò, si substantia constitueretur obiectum totale Met. sub se contineret omnem substantiam, tam materialem, quam immaterialem, & vtrumque specularetur, proindeque non distingueretur à Phys. quia participaret idem obiectum, puta substantiam materialem, & naturalem. Id autem pugnat Arist. 6. *Met. cap.* 1. scindenti scientiam in Phys. Met. & Mathem. ergo & istud. Sequela maioris ostenditur. Quæ disserit de genere, vtique disceptat de speciebus eius, vt qui de animali ratiocinatur, quoque disputat de homine, & reliquis speciebus: Met. autem ageret de substantia incorporea, quæ est eius species, pariter consideraret substantiam corpoream naturalem, quæ est eiusdem altera species, sicque confunderentur scientiæ speculatiuæ.

Tertiò, si substantia foret obiectum Met. traderentur in ea passiones eius, vt postulat obiectum illud, quod scientia respicit: nullibi autem *in lib. Met.* assignantur passiones eius obiecti, nisi fortè 7. *Met. cap.* 1. *tit.* 4. vbi legitur, substantia & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum est. Hæc autem non sunt demonstrabilia, nec scibilia, cum non sortiantur medium, & causam, per quam demonstrentur, & sciantur, vt petit demonstratio, & scientia, 1. *post. cap.* 2 *tit.* 5. Igitur ratio obiecti adæquati Met. substantiæ non est attribuenda.

27. Dices, Arist. 4. *Met. tit.* 2. scribit substantiam esse primum subiectum huius disciplinæ, ex quo alia pendent. Atque huius principia, & causas spectare ad Met. Deinceps *tit.* 4. subiicit, tot esse partes philosophiæ, quot sunt substantiæ. Insuper *huius operis tit.* 5. quærit causas, principia & proprietates substantiæ: ergo putat substantiam esse obiectum totale Met. Satisfit, si dicatur, hæc, & consimilia testimonia capienda esse de subiecto partiali principali: non verò de subiecto totali, & adæquato, *vt ibi exponit Scot.*

28. Assertio quarta, ens reale abstractè sumptum, vt ens, statuitur obiectum totale, & adæquatum Metaphysicæ. Ita Scot. cit. & 6. *Met. q.* 1. *& alij*. estque expressa mens Arist. multis in locis, præsertim 6. *Met.* 1. his verbis. *De ente, vt ens est, ac quid est, & quæ ei insunt, prout ens est, speculari huius est*, puta Metaphysicæ. Idem habetur 4. *eiusdem operis, in initio c.* 1. *& T.* 1. *Est scientia quædam, quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt.* Hæc autem scientia est Met. vt patet apertè ex eius discursu: igitur in schola Peripatetica, & communi, ens vt ens est obiectum primum, & adæquatum huius scientiæ. Probatur primò, idoneæ & congruæ conditiones obiecti primi, & adæquati cuiuslibet scientiæ sunt, vt de obiecto præcognoscatur, an sit, & quid sit: vt de ipso demonstrentur passiones, & omnia, quæ in tali scientia tractantur, ad ipsum reducantur: ens autem, vt ens, est huiusmodi, ergo est obiectum Met. totale, & adæquatum. Maior decerpitur ex 1. *post.* & sæpe in superioribus inculcatur. Minor est in confesso ex duobus textibus Arist. mox alleg. De ente quippè præsupponitur, & præcognoscitur an sit, & quid sit, in Met. demonstrantur eius passiones, quæ sunt, vnum, verum, bonum, & huiusmodi. Atque ad ipsum ens omnia, quæ aguntur in Met. reuocantur, vel vt principia, vel vt partes, vel vt causæ, vel per se, vel per accidens, vel alioquouis modo, vt euidens est speculanti.

29. Dices, si dentur passiones entis, vel sunt entia, vel nihil, quia inter ens, & nihil non intercipitur medium. Nequeunt autem esse nihil, propterea quod nihil nullius est passio: nec entia, alioqui idem foret passio sui ipsius, quod repugnat: ens quippe foret causa entis, & prædicaretur in quid de suis passionibus, quod non recipitur in schola Scoti. Dico passiones entis non esse entia formaliter, & quidditatiue, sed esse aliquitates entis. Ideoque ponuntur in definitione entis, vt additum.

30. Instabis, huiusmodi passiones aut sunt intra essentiam entis, aut extra eius essentiam. Si primum, ergo prædicantur in quid de ente, suntque de essentia, & quidditate eius. Si secundum, ergo sunt accidentia, quia adueniunt enti, veluti accidentia, subiecto; atque ita distinguuntur ab eo realiter, veluti accidentia realiter dissident à subiecto, cuius sunt accidentia. Dico, esse extra essentiam entis, & differre ab eo, non quidem realiter, sed formaliter, quod in subsequenti libro decidendum est.

Secundò. ens communiter sumptum est scibile, quia est demonstrabile per suas passiones, vt mox dicebam: ab alia autem scientia non est scibile, quam à Met. Ergo est huius subiectum proprium adæquatum. Maior patet. Minor est in promptu. Siquidem Met. secundum suam nomenclaturam est transcendens scientia, quia versatur circa ens & cætera transcendentia. Atque, si foret alia scientia de ente, insufficiens foret trina diuisio scientiæ speculatiuæ tradita ab Arist. 6. *Met tit.* 2. Deindè, Met. non esset prima philosophia, sed illa, quæ respiceret ens, veluti subiungit Philosophus *ibid. tit.* 3. inquiens, si non esset alia scientia, præter physicam, quæ contemplaretur ens, vt ens, ipsa physica esset prima scientia, & prima philosophia: pro absurdo autem habet Arist. Physicam esse primam scientiam, ergo admittenda est Met. quæ est prima, & vniuersalis scientia contemplans pro suo obiecto adæquato ens, vt ens. Præterea, 1. *Met. cap.* 2. Met. perhibetur sapientia, cuius munus est omnia scire, & peruestigare: sapiensque dicitur omniscius non in singulari, & in particulari, sed in communi, & in vniuersali, cum omnibus emineat, & præsideat: ergo ad eam pertinet contemplatio, & consideratio entis, cæterorumque transcendentium. Insuper, maximæ scientiæ, maximum debetur obiectum, quia inter illam, & hoc extat debita commensuratio, & adæquatio: Met. autem est maxima scientia, honorabilissima, & eminentissima, & scientiarum princeps: ergo ei congruit obiectum eminentissimum, cuiusmodi est ens, quo nihil prius, & eminentius à sensibus remotissimum, simpliciter simplex, & in aliud irresolubile.

31. Oppones primò, scientia nobilissima, & præstantissima sortitur obiectum nobilissimum, & præstantissimum: ens autem est ignobilissimum, & imperfectissimum, & Met. est scientia excellentissima, omniumque suprema, ergo huius obiectum non est ens. Respondeo non esse necesse, præfatæ scientiæ obiectum totale sit excellentissimum, & dignissimum, sed sufficere obiectum partiale esse nobilissimum, aut eius consideratum esse præstantissimum, & ab ea nobilissimo modo considerari, vt ex Scoto, tradit Viger. §. *Ad* 1. *arg. secunda q. in com. q.* 3. *prol.* Sic Deus, & Angeli considerantur in Met. nobilissimo modo, ratione cuius Met. dicitur nobilissima, & præstantissima. Idque olfacit Arist. 1. *anima primo*. & 6. *Met. summa* 1. *in calce tit.* 2. inquiens, honorabilissimam scientiam esse circa honorabilissimum genus.

32. Oppones secundò, à quo scientia distinguitur,

est

est eius obiectum, vt patet 3. *anima T.* 18. Met. autem distinguitur ab aliis scientiis, penes abstractionem, & separationem à materia sensibili, & intelligibili, vt loquer *passu nunc alleg.* Ergo subiectum eius non est ens. Concedo ma ad min. dico abstractionem à materia esse aliquam distinctionem: verùm essentialem distinctionem & totalem desumi ab ente eius totali, & adæquato obiecto, vt insinuat Philosophus cit. *in fine T.* 3. assignans e us obiectum formale totale ens, vt ens.

33. Oppones tertiò, obiectum adæquatum scientiæ habet principia, & passiones de ipso demonstrabiles, & scibiles, 1. *post* c. 2. *T.* 5. Ens autem vniuerse, & præcisè acceptum non habet principia, cum sit irresolubile in aliud, & simpliciter simplex, non habens aliquid suprà se, secus non esset absolutè primum dareturque prius priore, quod repugnat: ergo ens sic sumptum non est obiectum Met. adæquatum Concedo ma distinguo min. de principiis constitutiuis sui ipsius, ex quibus constituatur, & integretur, concedo: de principiis emanatiuis, & originatiuis suarum passionum, nego. Siquidem passiones reciprocæ, & distinctæ ab ipso promanant, & egrediuntur, veluti ab homine risibilitas, & à leone rugibilitas, vt magis constabit in sui sequente lib.

34. Oppones quartò, si obiectum totale foret ens, vt sic, beatitudo nostra sita esset in speculatione entis, quæ pertinet ad sapientem, cuius officium est omnia scire, cunctisque præcipere. Id autem pugnat Arist. collocanti felicitatem nostram in contemplatione substantiarum abstractarum, 10 *Eth c. vlt* Ergo ens non est Met. obiectum decernendum. Nego sequelam ma. Aliud quippe est ens esse obiectum Met. Aliud verò esse obiectum felicitatis. Hæc enim duo se inuicem non inferunt, cum sint disparata. Maximè quia vera felicitas consistit in visione, & fruitione Dei.

ARTICVLVS II.

An Metaphysica speculetur omnes quidditates rerum.

35. TRes nanciscor *in hoc art.* dicendi modos, quorum duo referuntur, & refelluntur à Scot. 1. *Met. q.* 9. & Antonio Andrea, *ibid.* primus est quorumdam existimantium, ad Met. pertinere speculationem omnium naturarum quidditatum, tam in vniuersali, quàm in particulari, tametsi non penes rationes omnes ipsis accidentes, quæ aliis scientiis competunt. Secundus est aliorum opinantium, nedum Met. considerare omnes quidditates tam communes, quàm singulares: verumetiam accidentia earumdem quidditatum. Fauent, qui sentiunt vnam esse tantum scientiam de omnibus rebus, partitam verò in diuersas scientias, vsu, & commoditate discentium, & studentium, quorum mentini in Log. *lib.* 5. *quæst.* 4. *art* 6. Tertius est, quem sequuntur, & amplectuntur præfati nostri Doctores cit. & cæteri extra nostram scholam, inter quos est Hurt. *disp.* 1. *Met. sect.* 5. & ex parte Suarez *ibid. sect.* 2. & Fons. 1. *Met. cap.* 2 *q.* 1. *sect.* 2. affirmantes Met. tantum speculari omnes quidditates in communi, & in ratione entis.

Not. & recol. ex dictis, scientiarum distinctionem peti ex distinctis obiectis, circa quæ occupantur. Iuxta illud crebrò decantatum 3. *anima tit.* 38. *Scientiæ secantur, sicut res*: proindeque ex rerum distinctione, ac diuersitate depromitur distinctio, & diuersitas scientiarum, vt præstat Arist. 6. *Met. tit.* 1. abstrahens, & diuidens scientiam speculatiuam in tres, puta Mat. Phys. & Met. penes tres distinctas abstractiones, & trina obiecta speculabilia, & ibi concludit Met. esse scientiam communem, & vniuersalem, contemplantem ens, vt ens, tanquam ipsius obiectum primum, & adæquatum. Deinde, animaduerte, pes quidditates re-rum nos intelligere naturas, & essentias earumdem, siue illæ sint substantiæ, siue accidentia Nam vnumquodque ens siue substantiale, siue accidentale sortitur suam naturam, & essentiam, quæ per definitionem, vel descriptionem exprimitur & manifestatur: tametsi potissimum quidditas dicatur de substantia, & nonnumquam substantia accipiatur pro natura, & quidditate cuiuscumque sit tam substantiæ, quam accidentis, vt vsurpat D. August. *in exp. Psal* 68. *enarratione* 1. *partis*, inquiens, *Natura ipsa, substantia dicuntur.* Et ante Arist. in definitione vniuocorum his verbis: vniuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem.

36. Assertio prima, Metaphysica non respicit omnes quidditates communes, & speciales rerum, præter accidentia earum, quæ pertinent ad alias scientias: nec considerat easdemmet quidditates, vnà cum ipsarum accidentibus. Hæc assert. duas continet partes traditas a Scot *in initio huius art. alleg.* Prima pars probatur primò ex Arist. 1. *Met. sum.* 1. *cap.* 2. dicente sapientem omnia maximè scire, vt contingit, supple, in vniuersali, & non in particulari, interprete Scot. *ibi,* & *q* 1. *prol.* §. *Tertiò arguitur sub F.* sapiens autem ab eodem Philosopho *ibid.* dicitur Metaphysicus, & sapientia, Metaphysica, ergo secundum Arist. Metaphysica non contemplatur quidditates in particulari, sed in vniuersali. Huic consonat versio Cardinalis Bessarionis dicentis, *Opinamur sapientem maximè omnia, vt possibile est, scire, non habentem singulariter eorum scientiam.* Videlicet non callentem speciales eorum naturas, & quidditates. Quod magis declaratur per ea, quæ paulo post subiciuntur. *Qui nempe vniuersalia, nouit aliqualiter omnia subiecta* Præfatus Cardinalis transfert. *Qui maximè vniuersalem scientiam habet, necesse est inesse Hic enim quodammodo omnia subiecta scit.* Si ergo Met. aliqualiter, & quodammodò subiecta nouit & scit: ergo non attingit proprias, & speciales rationes, & quidditates rerum *Et* 4. *eiusdem operis, tit.* 1. Est scientia quædam, quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt. Hæc autem nulli earum, quæ in parte dicuntur, eadem est. Nulla namque cæterarum vniuersaliter de ente, prout ens est, considerant: sed eius aliquam partem abscindentes, quod ei accidit, speculantur, vt Mathematicæ scientiæ. Ex hoc textu palam fit, Met. non egredi extra limites sui obiecti adæquati, quod est ens, vt ens, nec considerare peculiares gradus, & rationes proprias reliquarum scientiarum, sed vnamquamque laborare circa suum obiectum, quod ei considerandum contingit. Idem legitur 6. *Met. propè initium tit* 1 *sum.* 1.

37. Dices 4. *Met in fine tit* 6. habetur, Met. speculari ens, inquantum ens, & species eius, & species specierum Atque verus, & eiusdem scientiæ est considerare totum, & partes eius, genus, & species eius. Ergo cum Met. contempletur rationes entis communes, & generales, vtique contemplatur eiusdem gradus speciales, & quidditates proprias cuiuscumque rei, & naturæ Dico cum Scot. *ibi in exp. T* Metaphysicam quidem speculari ens & eius passiones proprias, & speciales competentes ipsi enti, vt ens est: species verò specierum, id est partes subiectiuæ entis penes rationes speciales spectare ad scientias particulares, cuiusmodi est Physica, & Mathematica.

38. Instabis, 6. *Met* c. 1. Met. speculatur quod quid est, seu naturas, & quidditates rerum Et 4. *eiusdem operis, tit.* 5. ad Met. pertinet speculatio omnium graduum, etiam indiuiduorum, vt si idem est Socrates, & Socrates sedens? si vnum vni contrarium? aut quid est contrariò aut quoties dicitur? Dico, solam Met. agere de quidditatibus rerum in communi, & in vniuersali: non autem in speciali, & in particulari Ad id quod subnectitur, dico quidem Met. diiudicare, quod est idem, aut diuersum, quod est vni contrarium, aut non, & consimilia,

 quia

quia hæc continentur intrà terminos Met. sunt enim communes affectiones rerum materialium, & immaterialium, de quibus differit Arist. 5. *Met. cap* 9. *&* 10. Non tamen perscrutatur earum speciales naturas, & quidditates, & gradus indiuiduales, cum singularium non sit scientia, 3. *Met in fine*, nec definitio, nec demonstratio, 7. *eiusdem operis*, *cap*. 17. *tit*. 53. Secundò, obiectum adæquatum scientiæ nec excedit scientiam, nec exceditur à scientia, vt patet ex notione nominis: ens autem, vt ens est obiectum adæquatum Met. vt ostendi in præcedente art. Ergò Met. non diffunditur, nec extenditur, nisi ad ens, vt ens, atque non diuagatur, per rationes speciales obiectorum cæterarum

39. Dices scientiarum Met. est scientia communis, & vniuersalis, 6. *Met. T* 3. communitate & vniuersalitate sui obiecti, quod est ens ens autem imbibitur, & immiscetur per omnia obiecta aliarũ doctrinarum, & facultatum. Vnde, Arist. 4 *Met. T*. 5. scribit, Philosophum, id est Met. posse de omnibus speculari Et paulo post, Met & Dia. de omnibus disputare. Atque ens commune omnibus esse: igitur Met. per obiecta propria reliquarum scientiarum peruadit, & pertransit. Dico Met. appellari communem, & vniuersalem, non quia contempletur cuncta aliarum scientiarum obiecta, sed quia respicit ens, quod est commune, & transcendens, primaque principia, & primas causas, perscrutator in communi, & vniuersali: deque his hoc modo speculari, ac disputare. Ita interpretandus est Arist. *passu memorato*. Tertiò, communes passiones emanant a communi subiecto, quod est ens, suntque demonstrabiles, deque ipso scibiles, & non de subiecto speciali, & quolibet alio particulari, à quo pariter prodeunt speciales passiones de ipso tantum subiecto demonstrabiles & scibiles, vt mobilitas de corpore naturali, & sic de cæteris, ergo Met. continetur tantum intrà ens, eiusque proprietates, prima principia, & si quæ sunt alia transcendentia, & communia.

40. Dices, qui agit de superiore, vtique agit de inferiore: pariter, qui differit de toto, quoque de eius partibus, & qui de genere, similiter de speciebus, vt physica tractat de corpore naturali, quod est totum, de materia, & forma, quæ sunt eius partes, de corpore animato, & inanimato, quæ sunt eius species: Met. autem speculatur ens, ergo & partes eius subiectiuas, quæ sunt obiecta cæterarum scientiarum, quæ omnia sub ente comprehenduntur: atque ita attingit speciales, & proprias rationes earum. Dico, id omne verum esse modo sibi congruente & conueniente. Cùm autem Met. tantùm competat, ea omnia contemplari, penes rationes communes, & transcendentales, consequenter non respicit rationes eorum proprias, & speciales, eorumdem gradus, sed relinquit eos considerandos à reliquis scientiis, vtpote qui eis competunt, atque ab illis specificantur, constituuntur, & distinguuntur. Vnde Met. non meditatur corpus animatum: aut inanimatum, nec corpus sanabile, nec numerum sonorum, aut alia spectantia ad alias scientias, sed manet intra limites sui obiecti primi, & adæquati, vt bene prosequitur Doct *quæst*. 1. *prol*. §. *Tertiò arguitur*. *Sub E*. Quartò obiectum scientiæ formaliter, aut virtualiter continet omnes veritates demonstrabiles, & scibiles de ipso, vt ostendit Doct. nunc cit. §. *Arguitur*. ens autem nec formaliter, nec virtualiter comprehendit veritates demonstrabiles, & scibiles de obiectis propriis aliarum scientiarum, vt de Deo, vt Deus est, qui est obiectum Theologiæ in se, non continet veritates, putà Deus est vnus, & trinus. Deus est communicabilis tribus Personis diuinis, & id genus alia. Itemque, de substantia immateriali, & incorporea solùm habet conceptus communes, & generales spectantes ad ipsam Met. proprij verò, & speciales de ea, nos latent, etsi nobis innotescerent, facerent propriam scientiam ab aliis distinctam. Vt enim de substantia corporea naturali extat scientia propria, quæ dicitur physica: pariter de substantia incorporea, & immateriali extat alia scientia, cum habeat passiones scibiles, sicut illa. Idem dicito de obiectis cæterarum disciplinarum, quæ cum sortiantur proprias passiones, & media demonstrabilia, consequenter a Met. nec peruestigantur, nec perlustrantur, nisi in communi.

41. Secunda pars suadetur primò, reliquæ scientiæ præcipuæ speculantur potissimum obiecta substantialia, vt physica substantiam corpoream naturalem, Math. substantiam quantam, ergo aliæ scientiæ a Met. non respiciunt accidentia naturarum, & quidditatum dumtaxat. Secundò, quidditas, eiusque accidens conflant vnum per accidens, de quo non est scientia, 6. *Met. T*. 4. Accidentia autem nequeunt esse absque subiecto, in quo inhærent: subiectum verò, eiusque accidens faciunt vnum per accidens, quod excluditur à scientia; vnde rectè monet Antonius Andreas vbi suprà, cauendos esse illos, qui constituunt subiectum physicæ ens mobile, siue corpus mobile, propterea quod mobilitas est accidens, quæ vna cum subiecto facit vnum per accidens, quod nequit esse obiectum phys. aut alterius scientiæ.

42. Dices, perspectiua est scientia, cuius obiectum est linea visualis, quæ est ens per accidens. Item Musica refertur inter scientias, cuius obiectum est numerus sonorus, qui est ens per accidens: ergo quamuis reliquæ scientiæ spectent rationes accidentales quidditatum, & naturarum rerum: non ob id à numero verarum scientiarum sunt remouendæ. Dico eas esse scientias subalternatas, quarum obiecta esse entia per accidens, non inficiamur: in præsentia verò sermo est de scientiis disparatis, vti est Met. & reliquæ scientiæ speculatiuæ, quæ adinuicem non subalternantur, quarumvè obiecta sunt entia per se, vt tangit Doct *quæst*. 3. *prol*. §. *contra istas positiones* Tertiò, de ente per accidens non præsupponitur an sit, & quid sit, nec sunt passiones de ipso scibiles, cum nullas habeat proprias, ergo huiusmodi ens non cadit sub scientiam, maximè primam, & disparatam, de qua nunc loquimur.

43. Assertio secunda, Metaphysica contemplatur omnes quidditates rerum in communi, & in ratione entis duntaxat. Est communis Arist. Scot. & aliis præcit. & sequitur *ex superiore assert*. Suadetur primò, ex decursu eorum, quæ in Met. tractantur, nempe prima principia, & causæ, ens, eiusque passiones, tam reciprocæ, quam disiunctæ, vniuersalia, prædicamenta, intelligentiæ, & Deus, & si quæ sunt alia communia, & transcendentia contenta in 12. lib. Met. Arist. Scot. Antonij Andreas, Bonet. Alens. & aliorum, qui de hac scientia scripserunt: igitur Met. non transilit limites quidditatum communium & transcendentium.

44. Dices in Met. disputari de materia, & forma, quæ sunt partes essentiales compositi physici, vt patet 7. *Met. cap*. 1. Itemque de quatuor causarum generibus 5. *Met. cap*. 2. quæ pertractantur. 2. *Phys*. Atque de principiis 1. *Met. summa* 2. *cap*. 1. *& alibi*, de quibus fuse 1. *Phys*. De Deo, 12. Met. de quo sub nomine motoris, 8. *Phys*. deinceps ad finem 12. *Met*. iuxta numerum cælorum mobilium statuitur numerus intelligentiarum: cæli autem sunt physicæ considerationis. Omitto reliqua, quæ de Mathematicis disciplinis, de Dialectica, aliisque scientiis non rarò in eodem opere Met. perleguntur: igitur Met. diuagatur per propria obiecta singularum doctrinarum. Dico, præfata omnia diuersimodè considerari ab hac scientia, & ab aliis. Siquidem hæc contemplatur illa in communi, & sub ratione entis: illæ verò ratione propria, & speciali. Ideò instantia nullius est ponderis. Maximè quia nonnulla indirectè, obiter, & per accidens ibi memorantur. Secundò, vnaquæque scientia non transgreditur

greditur terminos ſui obiecti totalis, & adæquati, ſecùs foret magna confuſio ſcientiarum. Met. autem ſortitur ſuum obiectum primum, & adæquatum, quod ex dictis eſt ens, vt ens: ergo ſolum ens, vt ens, & quæ ipſi, vt ſic conueniunt, ſpeculatur dumtaxat. Hinc Ariſt 6. *Met. cap.* 1. recenſens ſcientias ſpeculatiuas, eis attribuit ſua obiecta adæquata & quidem *in fine eius cap T.* 3. conceptis verbis aſſignat obiectum adæquatum Met. inquiens. *De ente, prout ens eſt, ac quid eſt, & quæ ei inſunt, prout ens eſt, ſpeculari, huius eſt.* Idem ſcribit alibi paſſim.

45. Dices cum Suarez *cit. num.* 11. *aſſert.* 1. Met. deſcendere ad inferiora nonnulla contemplanda, penes eorum proprias, & ſpeciales rationes. A quo non videtur diſtare Fonſ. *concl.* 2. *&* 3. affirmans, quidditates, & eſſentias, quæ à materia præſcindunt, & multas, quæ etiam materiam includunt Met. reſpicere, & conſiderare. Contra. Nam, præterquamquod dictus Suarez ſibi pugnat aſſignans cum communi ſententia, obiectum totale Met. ens vt ens, & impugnans priorem ſententiam affirmantem Met. ſe extendere ad quidditates peculiares, & naturas rerum ſpeciales, nunc ipſemet Suarez fatetur Met. diffundi, nedum ad communes, verumetiam ad inferiores, & proprias rerum rationes. Quo poſito, ens præcisè ſumptum non eſt huius ſcientiæ obiectum adæquatum, quia ad inferiora ſe extendit, & peculiares rationes rerum ſpeculatur, quod eſt tranſgredi limites ſuos. Si enim Met. non ſolum reſpicit corpus, vt eſt ens: ſed etiam eius propriam rationem corporis, ergo ſpeculatur corpus, prout eſt corpus, quia corpus per rationem corporeitatis, quæ eſt eius differentia eſſentialis, conſtituitur in eſſe corporis: corpus autem pertinet ad phyſicam, ergo ſi Met. deſcendit ad peculiares rationes rerum, tranſilit ſuos limites. Nec præſtat dicere cum eodem Suarez non omnes, ſed aliquas quidditates ſpeciales ſpectari à Met. quarum eadem eſt abſtractio cum communibus, & quæ neceſſariò inter ſe connectũtur. Siquidem eadẽ, aut diuerſa abſtractio nec ampliat, nec coarctat obiectũ ſcientiæ, ſed amplior, aut minor quidditas rerum. Vnde ſi phyſica aliquid extra corpus naturale reſpiceret, exiſet extra terminos ſui obiecti, tametſi eadem abſtractione abſtraheretur, cum ſcientia non ab abſtractione, ſed ab obiecto ſpecificetur. Ergo ſi per Suarez Met. præter ens vt ſic, reſpicit alia obiecta inferiora, egreditur extra terminos ſui obiecti adæquati. Quod autem addit de nexu neceſſario inter eas quidditates ſpeciales, non facit ad rem, quandoquidem cuncta inferiora neceſſariò coniunguntur cum prædicatis ſuperioribus: vnde rectè arguitur ab inferiori ad ſuperius, quia prædicata ſuperiora ſunt de eſſentia inferiorum, nullas ergo quidditates inferiores, nullaſque rationes rerum peculiares Met. contemplatur. Quod autem ſubnectit idem author, cum Fonſ. Metaphyſicam contemplari proprias, & ſpeciales rationes ſubſtantiarum abſtractarum, falſum eſt, quia propriæ, & peculiares earum naturæ, & quidditates nos latent, vt iidem Authores, ingenuè fatentur: & ſi nobis innoteſcerent, de eis eſſet peculiaris ſcientia, vt bene vidit Scot. cit. *q.* 9. *primi Met.* Nam, ſi de ſubſtantia corporea, & materiali, habetur propria ſcientia, pariter, & indubie de ſubſtantia incorporea, & immateriali daretur alia ſcientia, cum vtrobique æqua ſit ratio, forentque paſſiones de ipſa demonſtrabiles, & ſcibiles. Dicere autem has pertinere ad Met. & non alias de ſubſtantia corporea, vanum eſt, & abſque vllo fundamento, & ratione. Nec minus irrita, & imaginaria videtur diſtinctio allata à Fonſ. *ubi ſuprà*, in Metaphyſicum, vt artificem communem, & artificem particularem. Etenim Metaphyſicus eſt vnus prorſus indiſtinctus, ſicut Metaphyſica eſt vna omninò indiſtincta in ſe, & diſtincta à qualibet alia ſcientia, vnitate ſui obiecti formalis, & adæquati, quod non diuiditur in commune, & particulare, cum ſit irreſolubile in alia ſuperiora, quia eſt ſimpliciter ſimplex, & commune cunctis inferioribus, communitate non applicationis, vt eſt obiectum Logicæ, nec conſiderationis, quia non conſiderat ipſa inferiora, penes proprios, & ſpeciales gradus, ſed communitate prædicationis, quia prædicatur de omnibus ſub ipſo contentis. Deinde non eſt munus Metaphyſici, perquirendi propria obiecta cæterarum ſcientiarum, ea diſtinguendi, deque iis iudicium ferendi, ſed pertinet ad intellectum, vt eſt omnium communis, & generalis iudex, cum ipſa Met. tam ſit ſui gratia, & in ſola contemplatione ſui obiecti maneat. Quod ſi aliqua ſcientia particularis indigens probatione ſuorum principiorum, probat, & confirmat ea, per prima principia Met quæ ſunt communiſſima, certiſſima, & euidentiſſima, vt, *Quodlibet eſt, vel non eſt: Impoſſibile eſt de eodem ſimul affirmare, vel negare.* Manet ergo Met. intra limites ſui obiecti formalis, & adæquati; adeò recipienda non eſt præmiſſa diſtinctio, in artificem communem, & particularem; vtpote fictitia, & arenoſo fulta fundamento, excogitata, non ad diluenda, ſed ad fugienda argumenta oppoſita; quæ mihi videntur firmiſſima, & validiſſima Rurſus ſi admittatur dicta diſtinctio, ſupernacaneæ forent aliæ ſcientiæ. Nam, Metaphyſicus vt artifex particularis, ea quæ ſunt ſui obiecti perueſtigat, & perluſtrat: vt verò artifex communis peruadit, & perquirit, quæ ſpectant ad alias ſcientias: cum ergo Met. omnia præſtet, cæteræ ſcientiæ ſuperfluunt: hique Authores incidunt in incommoda, & abſurda, in quæ labuntur, qui parti affirmatiuæ huius art. ſuffragantur. Inſuper, Met. poſterior eſt inuentione, cæteris diſciplinis, vt non negant iſti. Iam igitur illæ ſcientiæ gaudebant ſuis obiectis propriis, & ſpecialibus, quæ ab eis non ſuſtulit Met. poſtmodum excogitata, cum ergo nihil ſubtraxerit, ſed ſolùm, quod ſuum eſt teneat, & poſſideat, firmiter, & conſequenter aſtruendum eſt, ad aliena non deſcendere, nec reliquas ſcientias ſuis bonis, ſeu obiectis propriis expoliare, ſed potiùs ſupernectire, probatione, & confirmatione ſuorum principiorum, eo modo, quo ſupra explanatum eſt.

46. Oppones primò, Metaphyſica dicitur. Dea ſcientiarum, qua Deus maximè pollet: Ergo ſicut Deus omnia intelligit, & videt, nedum communia, verumetiam ſpecialia: ita Met. reſpicit omnia, tam tranſcendentia, quam non tranſcendentia, tam vniuerſalia, quam particularia. Concedo ant. ad conſeq. dico ſimilitudinem ſitam eſſe tantum in eo, quod ſicut Deus præſtat, & eminet omnibus rebus, dignitate, & perfectione: ſic Met. omnium ſcientiarum eſt præſtantiſſima, & excellentiſſima, in reliquis verò eſt diſſimilitudo, & diſparitas, quia Deus intuetur omnia, etiam profunda abyſſi: Met. verò tantùm tranſcendentia reſpicit.

47. Oppones ſecundò, ſi Met. ſolùm ſpecularetur ens, & reliqua communia, & tranſcendentia, foret imperfectiſſima, & ignobiliſſima cæterarum ſcientiarum, quia ens eſt omnium ignobiliſſimum, & imperfectiſſimum, ergo non ſolum communia, verumetiam propria, & ſpecialia reliquarum ſcientiarum obiecta Met. contemplatur. Dico Met. eſſe nobiliſſimam, & præſtantiſſimam, propterea quod eſt de nobiliſſimo conſiderato, quod eſt Deus: atque verſatur circa prima principia & altiſſimas cauſas, vt ex Ariſt. & Scot. paulo ante monebam.

48. Oppones tertiò, obiectum Met. perinde eſt ac obiectum intellectus, vt ſignificat Scot. *Quol.* 3 *art* 1. Intellectus autem ſpectat cuncta entia, communia, & particularia, ergo idipſum affirmandum eſt de Met. Conf. ſenſus ſuperior, putà phantaſia percipit proprium ſubiectum, & reliquorum ſenſuum inferiorum ſingula obiecta, ergo Met. quæ eſt prima Philoſophia, & prima ſcientia attingit & ſuum obiectum, & propria obiecta inferiorum diſciplinarum, & Doctrinarum. Reſpondeo quod ſi concedatur maior de obiecto motiuo, non tamen de obiecto terminatiuo, vt

exponit Gadius testimonium Scot. potest absolutè negari maior, quia intellectus est potentia, quæ ab obiecto, circà quod versatur, non determinatur: at Met. & quicumque aliux habitus intellectualis determinatur ab obiecto, penes quod occupatur, ab eoque partialiter causatur. Ideo nequit metam sui obiecti transilire. Ad Conf. idem est dicendum, quandoquidem sensus superior participat maiorem virtutem, & ad plura se extendit, quam sensus inferior: habitus autem causatur, & specificatur ab obiecto, circa quod laborat: propterea, ad alia, quàm ad ipsius obiectum extendi nequit.

LIBER SECVNDVS.

De ente.

1. DE ente differunt Philosophi, potissimum 4. *Met. c.* 1. cum Arist. & *ibi* Scot. tum *in expositione tex.* tum etiam *q.* 1. *eiusdem lib.* Et Theologi 1 *d st* 3. & *ibi* Doct. *q.* 3. Lych. Vige. Barg. & cæteri eius interpretes. Sirect. *Tract. Formal. art.* 1. Tromb. Brulifer, & alij *ibid.* quibus præiuit Mayr. tract. peculiari de vniuocatione entis per nouem quæst. posito, ante conflatum 4. sententiarum eiusdem Doct. & *q.* 2. *prol. & indè.* Ego autem solita breuitate, & claritate, quæ de ipso ente, eiusque passionibus perhibentur, *in subsequentibus quæstionibus, & proximis articulis* perstringam, decidam, & absoluam.

QVÆSTIO I.

De conceptu entis.

ARTICVLVS I.

An sit vnus communis conceptus enti reali, & rationis.

2. QVamuis ex 2. *quæstione libri superioris, art.* 1. hæc difficultas videatur iam soluta: nihilominus, vt patentior, & exactior fiat eius decisio, libet in præsentia eam examinare, & pro viribus veritatem eius statuere. Non desunt autem, qui partem affirmatiuam tueantur, inter quos est Bonet. 1. *Met. sua, cap.* 6. §. *Ens autem inquantum.* dicentes, dari vnum communem conceptum conuenientem enti reali & rationis. Negatiuam verò partem amplexantur cæteri omnes, nominatim Mayr. *Tract. pracis. quæst.* 6. Canon. 1. *Phys. quæst.* 3. §. *contra* 4. *concl. arguitur.* Lychet. 1. *dist.* 3 *quæst.* 3. & Gadius *Quol.* 3. aientes, in nullo conuenire conceptu conuenire ens reale, & rationis.

3. Not. & recol. ex dictis in Log. *lib.* 1. *quæst.* 3. *art.* 5. ens reale describi, quod habet esse, vel potest habere esse, secluso quouis opere intellectus: è regione, ens rationis, quod habet tantum esse ab intellectu. Rursus animaduerte *ex eodem loco lib.* 2. *quæst.* 1. *art.* 7. conceptum distribui in formalem, qui perindè est ac intellectio & cognitio rei cognitæ, & intellectæ, siue similitudo repræsentatiua, & imago ipsius rei intellectæ, & cognitæ: & conceptum obiectiuum, qui est obiectum intellectui præsentatum, siue actu existat, siue non, dummodò intellectui obiiciatur. Lis autem præsens non de formali, sed de obiectiuo conceptu mouetur, & quæritur, vtrum aliqua ratio obiectiua competat enti reali, & rationis?

4. Assertio, nullus extat communis conceptus enti reali, & rationis. Deducitur ex Scot. qui supposita veritate huiusce assertionis, perquirit, num reale ens sit commune vniuocum substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturæ? vt patet 4. *Met.* 9. vbi incedit problematicè, tametsi testibus Mauritio, & Cauel. ibi, in partem affirmantem inclinet. In primo autem *dist.* 3. *quæst* 3. & alibi explicitè, & resolutè eidem parti affirmatiuæ adhæret, & enixè sustinet. Probatur primò præmissa assert. à Ponc. *disp* 69. *q* 1 *concl.* 1. si foret vnus conceptus communis enti reali, & rationis, posset explicari: non potest autem explicari, & si daretur, posset explicari, ergo non datur huiusmodi conceptus. Hæc ratio non concludit, quandoquidem multa sunt, quæ tamen à nobis explicari nequeunt, vt vltimæ rerum differentiæ, quæ nos latent, propriæ differentiæ intelligentiarum, voluntas Dei, & pleraque alia, quæ prorsus ignoramus. Deindè, explicatio non ponit, & non explicatio non tollit rem, si detur, cum sit ipsi rei extrinseca, veluti propter affirmationem, aut negationem, nec res est, nec non est. Præsertim quia Aut. cit. à Canon. *vbi suprà,* & alij oppositæ sententiæ, illum communem conceptum exprimunt, & defendunt, vt constat ex eorum rationibus adducendis *infrà in oppositionibus.* Deinceps, quæ sunt minimæ entitatis, vt entia rationis, & quæ sunt à sensibus remotissima, aut à nobis non capiuntur, aut vix cognoscuntur, cum tamen planè esse à nobis admittantur, & concedantur: ergo mirum non est, si conceptus ille vix explicetur, etiam ab eis, qui eum statuunt, & astruunt, cum explicatio eum in esse non ponat, nec tollat. Quare ratio Ponc. futilis, & inanis est.

Secundò, probatur à Mayr. *passu alleg.* inter contradictoria non intercipitur medium eis commune: ens autem reale, & rationis sunt contradictoria, ergo eis nullus extat conceptus communis, de ipsis dicibilis, & prædicabilis. Non placet. Nam, concessa ma neganda est minor, quia ens, & non ens sunt quidem contradictoria, non tamen ens reale, & rationis, quia hoc est ens diminutum, & secundum quid; illud verò est ens simpliciter, propterea non sunt contradictoria, cum vnum contradictorium neget aliud: non sic autem ens reale, & rationis, quia hoc est tantum in anima, illud verò extra animam, vt apertius fiet *in postremo lib.* & iam patet in log. *lib.* 1. *q* 3. *art.* 5.

Tertiò enti simpliciter, & enti secundum quid nullus est conceptus obiectiuus communis, vt patet de homine vero, & picto, qui non conueniunt nisi in homine; Ob id ab Arist. *lib prædicam. c.* 1. in serie æquiuocorum collocantur: ens autem reale est ens simpliciter, & ens rationis est ens secundum quid, & diminutum, ergo eis non competit vllus conceptus communis.

5. Dices, substantiam esse ens simpliciter, & accidens ens secundum quid, 4. *Met T* 2. quæ tamen in Schola Scot. vniuocantur, ergo idipsum affirmandum est de ente reali, & rationis. Dico esse disparitatem, quia

accidens

accidens reſpectu ſubſtantiæ quæ eſt ens principale, & cauſa eius, dicitur ens ſecundum quid, & entis ens: verumtamen abſolutè eſt ens, & gaudet vera, & propria ratione entis, ſicut ſubſtantia.atque ens rectè diuiditur in ſubſtantiam, & accidens: non ſic ens communiſſimè ſumptum diſtribuitur in ens reale, & rationis, cum his nomen ens ſit commune duntaxat, veluti nomen homo, homini vero, & picto, vt exemplificat Ariſt. *loco cit. in Antepradicam. c.1.* Præterea, nihil includi videtur in ente reali, quod ſit minoris perfectionis, quàm ens rationis. Nam, ſicut inter entia, ens rationis participat minimam entitatem, quoque minimam perfectionem; ſi autem daretur talis communis conceptus entis, in ente reali includeretur aliquid, quod eſſet imperfectius ente rationis, puta dictum conceptum, quia incluſum eſt imperfectius includente, & communiora ſunt imperfectiora, minus communibus, vt animal imperfectius eſt homine, ergo, &c. Denique de illo vno conceptu haberetur aliqua ſcientia, cum ſcientia ſit de vniuoco ex alibi aſſertis: non Met. quæ excludit ens rationis à ſuo ſubiecto, *in calce 6. Met.* Nec alia ſcientia peculiaris adhuc inuenta eſt, quæ illud per ſe ſpeculetur, vt patet percurrenti eas. Non conceditur ergo cóceptus vnus, præſcindês, & abſtrahês ab ente reali, & rationis.

6. Opp. 1. vbi eſt paſſio, ibi eſt ſubiectum, atque talis emanat paſſio, vt liquet de riſibilitate, quæ ſemper concomitatur hominem, à quo profluit: intelligibilitas autem eſt paſſio entis. Ideò extat illud 2. Met. 4. *Sicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci.* Et competit tam primis intentionibus, quæ ſunt entia realia, quam ſecundis intentionibus, quæ ſunt entia rationis, ergo ens, quod eſt illis omnibus commune, eſt intelligibile, ac proinde habetur de eo vnus conceptus obiectiuus, à quo prodit intelligibilitas, quæ eſt eius paſſio. Reſp. ei competere intelligibilitatem, penes vocem, quæ eſt vtique communis: non verò, penes rem, quia in nullo communi conueniunt. Vel dicito cum Canon. cit. & Vallon. *in ſua lectura, fol. 35.* intelligibilitatem congruere per ſe enti reali, per accidens verò enti rationis.

7. Opp. 2. certus de vno conceptu, & dubius de diuerſis habet conceptũ vnum, ab aliis diſſimm, vt oſtendit Doct. *in 1. cit.* Nonnullos autem eſt certus de aliquo, quod eſt ens, & dubius, vtrum ſit ens reale, aut rationis, ergo ens præciſum ab ente reali, & rationis importat vnum conceptum vtrique communem. Concedo ma. diſtinguo min. de nomine, concedo: de re nego.

8 Inſtabis, diuiſum participatur à membris diuidentibus, vt animal ab homine, & bruto: ens autem diuiditur in ens reale, & rationis, ergo eſt his commune. Dico eſſe diuiſionem nominis in ſuas acceptiones, veluti nomen canis diuiditur in terreſtrem, aquatilem, & cæleſtem, & homo in viuum & pictum. Vrgebis, quando aliqua dicuntur plura, conueniunt in vno communi, vt plura animalia conueniunt in communi ratione animalis. Ens autem reale, & rationis dicuntur plura entia: ergo conueniunt in vno communi concepto entis. Occurrendum eſt, abſolutè non eſſe plura entia, niſi voce, veluti homo pictus, & viuus non ſunt duo homines, & canis terreſtris, & cæleſtis non ſunt duo canes.

9. Opp. 3. omnis potentia, quæ reſpicit plura, verſatur circa commune obiectũ ſub quo continentur illa plura, vt viſus reſpicit album, & nigrum, qui habet obiectum commune illis, puta colorem, qui comprehendit coloré album & nigrum. Intellectus autem fertur in ens reale, & rationis, ergo vtique commune eſt ens. Reſp. quidem quamcumque potentiam poſſidere obiectum proprium, & per ſe, ſub quo habentur aliqua per accidens, & per quandam ſequelam, ſic intellectus conſiderat per ſe ens reale & per accidens ens rationis. Ideò non oportet eſſe aliquod vtrique commune, in quod feratur intellectus.

10. Inſtabis, magis diſtant Deus, & creatura, quam ens reale, & rationis: ſed illa conueniunt in communi ratione entis, ergo & iſta. Ma. patet, quia Deus, & creatura in infinitum diſtant, cum Deus ſit infinitus, & immenſus: creatura verò finita, & limitata. Conf. ens rationis prædicatur de creatura, & in ipſa fundatur, valet enim dicere, animal eſt genus, & homo eſt ſpecies: genus autem & ſpecies ſunt entia rationis: animal verò, & homo ſunt entia realia: veriſimile ergo eſt, ens reale, & rationis gaudere communi conceptu entis. Diſtinguo ma. de diſtantia infinita intenſiua, & perfectiua, concedo: de diſtantia entitatiua, nego. Deus quippe, & creatura conueniunt in ratione communi entis realis: non autem ens reale, & rationis. Ad conf. dico, iuxta aſſertum in Log. eſſe priuilegium ſecundarum intentionum, quæ ſunt entia rationis, vt prædicentur de primis, quæ ſunt entia realia, & in ipſis fundentur. Cæterùm magis diſtinguuntur, quam entia realia, immò in nullo communi conueniunt. Idque illuſtrari poteſt de accidente, quod fundatur in ſubiecto, deque ipſo prædicatur: magis tamen diſtinguitur ab ipſomet ſubiecto, quam vnum indiuiduũ ab alio indiuiduo eiuſdem ſpeciei; nam hæc ſolò numero differunt, illa verò genere diſtinguuntur.

ARTICVLVS II.

An ſit vnus conceptus entis præciſus ab inferioribus.

11. **D**Ifficultas extat, nedum de conceptu formali; verum etiam de obiectiuo. De formali non eſt, non vna eſt omnium ſententia. Etenim Caiet. *l. de analogia nominum c. 4. & 6.* & Ferra. *l. 1. contra Gentes c. 34.* Gerardus *Quol. 1. q. 1.* & Aor. *1. d. 2. art. 4.* non admittunt vnum conceptum formalem abſtractiuo à ſuis inferioribus. Cæteri verò, vt Scot. *1. d. 8. q. 2.* & alibi, Lych. Barg. Viger. & alij *ibid.* quibus ſuffragantur Suarez *diſp. 2. Met. ſect. 1. n. 9.* Hurt. *ſect. 2.* & reliqui ab ipſis alleg. Docent dari vnum conceptum formalem entis præciſum à particularibus, & ſpecialibus conceptibus formalibus. Quoad verò conceptum entis obiectiuum non omnes conſentiunt. Quamuis enim, qui reſpuunt vnum conceptum entis formalem, vtique renuant vnum eius conceptum obiectiuum: tamen non deſunt, qui concedant vnum conceptum formalem, negant verò vnum obiectiuum. Scot. autem, & tota eius Schola loco præcit. quibus fauent Recentiores & alijque complures vnanimiter, & firmiter defendunt, eſſe admittendum vnum conceptum entis obiectiuum, à ſuis inferioribus abſtractum, & præciſum: ſicut quoque concedunt dari vnum conceptũ eiuſdem entis formalem, à reliquis ſeiunctum, ad præfatum conceptum obiectiuum terminatum.

12. Not. ens bifariam poſſe accipi: vno modo, vt eſt participium, quod idem eſt, ac exiſtens, ſic propoſitio, quæ conſtat ſolo ſubiecto, & verbo ſubſtantiuo *eſt*, dicitur de ſecundo adiacente, vt Petrus eſt, videlicet Petrus eſt exiſtens, vt explicui *in Epitome dialect. l. 2. q. 2. art. 3. n. 15. in fine.* Altero modo, vt eſt nomen, & ita ſignificat aliquid, cui non repugnat eſſentia, & exiſtentia. Hinc propoſitio, quæ conſtat ſubiecto, prædicato, & verbo, quod eſt copula vtriuſque, perhibetur propoſitio de tertio adiacente, vt homo eſt animal. Quo in ſenſu admittitur illa diuiſio entis, in ens actu, & ens potentia. Licèt enim aliquid actu non exiſtat, tamen quia eſt in potentia ad exiſtendum, ſeu quia ei non repugnat eſſe, & exiſtere, nominatur ens reale, vt præ aliis aduertit Gadius *in expoſ. Quol. 3.* Præterea, notat Aur. *vbi ſuprà art. 1.* Ens poſſe vſurpari grammaticè, & metaphyſicè. Si ſumatur grammaticè, quæritur, num ens ſit nomen adinuentum, & impoſitum ad ſignificandum vnum conceptum entis realis, vel rationis, aut alterius huiuſmodi, aut plures conceptus decem prædicamentorum aut alios conceptus tranſcendentium, copulatiuè, aut disiunctiuè? Quod ſi accipiatur metaphyſicè, veſtigatur, vtrùm conceptus entis ſub ſe comprehẽdat conceptus proprios, & ſpeciales rerum inferiorum, an verò tantùm

ipſum

ipsum ens abstractum, & præcisum, ab omnibus illis sub ipso contentis? quo in sensu agitatur hæc controuersia, quam difficilem, & arduam valdè, censet Aut. nunc cit.

53. Assertio, datur vnus conceptus formalis entis præcisus ab inferioribus: atque vnus conceptus obiectiuus eiusdem entis. Assertio est bipartita, quã tenet Scot. *loco præmemorato* Prima pars suadetur à Ponc. *disp.69.quæst.2.concl* 3. Si forent plures conceptus entis, pluraque obiecta aduerteremus, & experiremur: non aduertimus autem, nec experimur plures conceptus sed vnum duntaxat conceptum entis, ergo extat vnus conceptus ipsius entis, vt sic. Sed hæc ratio non placet: patitur namque easdem instantias, quibus impetitur ea, quam idem Ponc. adducit, ad improbandum vnum conceptum communem enti reali, & rationis, vt patet in antecedente art. Siue enim aduertamus, siue non aduertamus, non ob id ponitur vnus conceptus entis, aut multiplex, cum nostra consideratio nihil ponat in re, sed præsupponat rem in esse, sitque ipsi rei extrinseca, & aduentitia. Deinde Antigonistæ non aduertunt, nec experiuntur talē conceptum: immò planè eum inficiantur, & dicũt se respicere plures conceptus. Nullius ergò est ponderis, & virtutis præmissa ratio Ponc. Sed aliter probatur primò, voces sunt signa conceptuum formalium, qui resident in mente 1. *Perih.cap.1.in initio*; vna autem vox significat vnũ conceptum, & plures voces, plures conceptus, vt patet in Log. explicante terminos, & nos docet quotidiana experientia, in colloquiis, & ratiocinationibus nostris. Ens autem est vna vox, & nomen, vt suprà in not. explicabam, ergo significat vnum conceptum, quem formamus in mente nostra, sicque admittendus est vnus conceptus formalis entis.

54. Dices, nomina sunt ad placitum, ergo nomen ens potest significare tam vnum conceptum, quam plures, ad libitum, & voluntatem vtentium illo. Dico, voces, & nomina significare ex primæua impositione instituentis, & imponentis: cum autē primus institutor voluerit vsurpare ens pro vno conceptu formali, non est in manu aliorum aliter accipere, & ad plures conceptus formales significandos eo nomine vti. Secundò, cognitio, & intellectio, quæ est conceptus formalis, fertur ad obiectum, quod proponitur cognoscendum, & intelligendum, à quo & specificatur, & determinatur, iuxta adagiũ ab omnibus receptum, potentiæ, & actus specificantur ab obiectis, 2 *anima T.33*. Ens autem vt sic est obiectũ primũ, & adæquatum Met à quo ipsa Met. dicitur vna, vt patet ex dictis, ergo conceptus formalis, quem habemus de ente, est vnus, veluti ipsum ens est vnum. Tertiò, audito nomine entis formamus in nobis conceptum de ipso, non autem de Deo, vel creatura, nec de substantia, vel accidente, vel quolibet alio, ergo huiusmodi conceptus formalis est præcisus ab omnibus aliis. Præsertim quia experimur, quod si aliquem eminùs videamus, prius cognoscimus eum, vt ens, deinde, vt animal, postea, vt homo est, & postremo, vt Petrus. Vndè, rectè ait Auic. 1. *sua Met.c* 2. ens, & res prima impressione imprimuntur. Cum ergo nobis ens obiiciatur, & præsentetur cognoscendum, absque gradibus, & prædicatis inferioribus, apertè deducitur, nos habere conceptum eius formalem ab eisdem inferioribus abstractum, & præcisum.

55. Secunda pars sequitur ex prima, conceptui quippè vni formali correspondet vnus conceptus obiectiuus, quandoquidem ille ab hoc determinatur, & specificatur, propterea nequit ille esse vnus simpliciter, nisi hic sit vnus simpliciter, cum nostra cognitio conformanda sit obiecto cognito, ideo si hoc est vnum absolutè, vtique illa est vna absolutè. Deinceps probari potest 1. ex Arist. 4. *Met in principio c.1.& 6.eiusdem operis T.3.in fine*, assignante primum, & adæquatũ obiectũ Met. ens, vt ens: siue vniuersè sumptum abstrahens ab accidente, & substantia, à Deo, & creatura, ergo habetur conceptus obiectiuus entis præcisus à suis inferioribus, in Lyceo. Secundò, quo aliqua conueniunt, non est idem, quo differunt, vt homo, & brutum conueniunt in communi conceptu animalis: differunt verò, penes proprias differentias, quæ sunt rationale, & irrationale: Deus autem, & creatura conueniunt in communi conceptu entis, quod eis est essentiale, deque vtrisque essentialiter prædicatur. Verum enim est dicere, Deus est ens, creatura est ens: differunt verò, quia creatura est finita: Deus verò infinitus. Ergo dandus est conceptus entis obiectiuus præcisus à suis inferioribus. Tertiò, omnis passio gaudet suo subiecto adæquato, à quo emanat, 1 *post. T.43*. sunt autem passiones transcendentes, puta, vnum, verum, bonum, contingens, necessarium, & huiusmodi, quarum aliquæ sunt reciprocæ cæteræ verò disiunctæ, istæ autem passiones enti præciso competunt duntaxat, non verò inferioribus, vt patet speculanti, ergo ipsarum subiectum, quod est ens, simpliciter importat vnũ conceptum obiectiuum à suis inferioribus abstractum.

56. Opp. 1. illud nomen non præsefert vnum conceptum simpliciter, & absolutè, quod est æquiuocum: sed ens est æquiuocum, ergo ens non importat vnum conceptum simpliciter. Ma. patet. Min fulcitur authoritate Porphyrii *in Isag.c.de specie*, dicentis, *si quis omnia entia vocet, æquiuocè nuncupabit*. Et videtur esse Arist. 1. *Phys.T.16* Ens multipliciter dicitur, multiplicitas autē excludit vnitatem conceptus Idem habetur 4. *Met T.2.* ex quo eruitur hoc argumentum. Quod sic se habet ad sua significata, sicut sanum ad sua, non præsefert vnum conceptum præcisum, & abstractum ab eis, de quibus prædicatur, quia sanum dicitur de potu, vrina, medicina, & animali æquiuocè analogicè: huiusmodi autem est ens respectu substantiæ, accidentis, & aliorum, ergo ens non importat vnum conceptum præcisè, & absolutè. Concedo ma. nego min. ad eius probationē ex testimonio Porphy dico ipsum interpretandum esse de æquiuocatione physica, non autem logica, vel metaphysica, iuxta illud 7. *Phys.T 31. In genere latent æquiuocationes*, puta physicæ, vt exponit Doct. 4. *Met. q.1.*

57. Dices, Porphy. cit. disserit de Logica ergo non est intelligendus de æquiuocatione physica, sed logica. Occurrendum est, in Logica multa dici non logicè, sicut in Met. nonnulla dicuntur, non metaphysicè vt 2. *Met. T.12. In omni re mota est materia.* Quod pertinet ad Phys. Ad 1. locum Arist. sic exponitur à Doct. cit. *in exp.T.* multipliciter, id est multis modis, quandoquidem ens non diuiditur in differentias, sed in modos, ex infrà dicendis. ideo subdit Antonius Andreas, *ibid. q.1.* ens dicitur de multis modis, puta finito, aut infinito. Ad 2. locum, dico cum Scot. *ibi in com.* quod sicut Grammatica respicit omnes voces, & Medicina omnia sana: Sic Met. omnia entia in vniuersali contemplatur, siue per se, siue per accidens, siue directè, siue reductiuè, siue alio quouis modo. An verò conceptus entis sit vniuocus, vel analogus infrà expendendum est.

58. Opp. 2. si daretur vnus conceptus entis, pariter daretur vna eius idea, & è contra, vt tradit Plato: Arist. autem 1. *Eth.c.6.* scribit, Platonem non debere statuere vnam ideam entis, ergo nec vnus conceptus eius in Schola Peripatetica tradendus est. Resp. Arist. negare ideam entis eo modo, quo affirmat Plato, nempe ideam subsistentem, & existentem realiter separatam à singularibus, vt planum feci in Log. *lib.2.q.1.art.3.* Atque adeò, non inficiari conceptum vnum entis abstractum à suis inferioribus, quem nos intendimus.

59. Opp. 3. nullum commune simpliciter significat inferiora sub ipso contenta, vt animal, quod est cõmune homini, & bruto, non significat hominem & brutum, sed rationem animalis præcisam ab eis: at ens significat substantiam, & accidens, vt patet *l. prædicamentorum, c.5.* singulum incomplexorum, aut significat substantiã, aut quantitatem, aut qualitatem, aut similia. Idipsum legitur, 5. *Met.c.7.T.14.* Ergo non est admittendus vnus conceptus entis simpliciter. Resp. ea testimonia tantum indicare,

indicare, ens diuidi immediatè in illa membra, & non in alia priora, veluti animal distribuitur in rationale, & irrationale: non autem respuere conceptum entis ab eis enumeratis præcisum. Id ne insinuat Philosophus 4. *Met. T. 4.* inquiens, ens statim est quid, quantum, quale, & huiusmodi, propterea quod, hæc sunt immediatæ partes entis, ita vt prius ens non scindatur in alias partes, quam in istas. Interprete Scot. 4. *Met q. 1.*

20. Instabis, prædicamenta sunt primò diuersa, vt scribunt Auer. 10. *Met com. 3. & Porph. in Isag. c. 3.* sunt enim prima, & suprema genera: quæ autem sunt primò diuersa in nullo conueniunt, ergo nullus concedendus est cõmunis conceptus entis ab inferioribus abstractus. Distinguo ma. prædicamenta sunt primò diuersa subiectiue, hoc est in nulla realitate potentiali, & contrahibili per differentias conueniunt, concedo: sunt primò diuersa obiectiuè, id est non conueniunt in communi conceptu entis præciso ab eis per intellectum, nego. Idem asserendum est de Deo, & creatura, quæ dicuntur primò diuersa, non obiectiuè, sed subiectiuè, vt *in proximo art.* liquidò constabit.

ARTICVLVS III.

An conceptus entis ab inferioribus præcisus sit realis, & distinctus ab eis.

21. NOn modica extat controuersia inter Scholasticos de præfato conceptu entis obiectiuo, vtrùm sit realis, aut rationis? de conceptu verò formali eiusdem, nulla est lis; cum enim sit qualitas in categoria qualitatis repositus, esse realé, omnes asseuerant. Quare de obiectiuo tantùm viget præsens contentio, & maior consurgit altercatio de eiusdem distinctione ab inferioribus. Siquidem Suarez *disp. 2. Met. sect. 3. n. 7.* & Thomist. ab ipso cit. negans huiusmodi conceptum entis ad aliis formaliter, & ex natura rei distingui. Quibus ex Scotist. fauent Ioannes Vallo *in sua lectura, fol. 74* & nouissimè Mastrius *disp. 2. Met. n. 75.* oppositum autem affirmant communiter Scot. eiusque discipuli 1 *d. 8 q. 3. & tract. Formalitatum art. 3. partiali*, docentes ens vniuersè captũ distigni formaliter, a suis inferioribus, ad quæ determinatur, & contrahitur. Ad hanc autem controuersiã dirimendam, & litem decidendam valdè conferunt, imò necessaria sunt, quæ dixi & animaduerti in Log. *l. 2 q. 1. art. 16.* de distinctione reali, formali, & rationis.

22. Not. 1. pro nunc ens bifariàm vsurpari, vno modo pro eo, quod est extra nihil, hoc est, pro eo quod habet aliquod esse, siue illud esse sit quidditatiuum, siue aliquatiuum, siue modale, quo pacto passiones entis, dicuntur aliquitates entis, modi eius, puta finitas & infinitas, atque vltimæ differentiæ perhibentur entia, tametsi de ipsis ens in quid non prædicetur, vt infra ostendam. Altero modo, pro communi conceptu entis, abstrahibili à suis inferioribus, deque ipsis in quid prædicabili. Et de ente sic accepto sermo est in præsentia, quod est primũ transcendens, habẽs passiones reciprocas, & disiunctas, quodque est obiectum primum, & adæquatum Met cuius meminit Auic. 1. *suæ Met. c. 2.* & dicit, *ens, & res prima impressione imprimuntur.* Primam verò acceptionem entis commemorat idem Auctor a *eiusdem operis, c. 5.* & ait, *ens, & res sunt communia omnibus decem generibus*, vt benè explicat Tromb *passu alleg. parte 2 fol. 24.* qui ibidem addit tertiam entis sumptionem pro eo, quod per se primò conuenit esse, & per se subsistit, cuiusmodi est substantia, quo in sensu capit ens Arist. 7. *Met. T. 2.* & scribit, accidentia non esse entia, nisi quia entis, puta substantiæ, à qua produ.unt, & inhærent. Et *ibid. T. 14. subdit*, qualitas, & alia accidentia non sunt entia, nisi eo modo, quo Logici aiunt, non ens esse ens, non simpliciter, sed secundum quid. Quod est dictu, substantia primariò est ens, quia per se subsistit, secundariò verò accidens est ens, quia in alio inhæret, hoc est subiectasũt in substantia ipsa.

23. Not. 2. conceptum obiectiuum vniuersè captum diuidi in quidditatiuum & qualitatiuum. Quidditatiuus, siue qui prædicatur in quid de suis inferioribus, subsecatur in transcendentalem, vt conceptus entis simpliciter prædicatur in quid de Deo, & creatura, substantia, & accidente: & prædicamentalem, qui vel est genericus, vt animal, quod dicitur in quid de homine, & bruto: vel est specificus, vt homo, qui enunciatur in quid de Petro, & Andrea. Qualitatiuus, seu qui prædicatur in quale est tripartitus, vnus in quale essentiale, vt rationalis de homine. Alter in quale modale, vt creatura est finita. & Deus infinitus. vbi finitas, & infinitas, quæ sunt modi, prædicantur in quale prædictis congruum, quod vocatur quale modale, denominatione sumpta à dictis modis. Hi autem modi, siue gradus quidem sunt transcendentes, vt præmemorati, quidam verò categorici, quorum nonnulli specifici, alij verò indiuidui, illi conueniunt naturis specificis, & dicuntur portiones & perfectiones earum, vt gradus albedinis, isti verò competunt indiuiduis, & singularibus naturis, vt huic albedini habenti quatuor gradus, aut quinque. Tertius, in quale accidentale, & est bipartitus, vel in quale accidentale sumptum pro extraneo, quod scil. est extra essentiã subiecti, vt accipitur in fallacia accidentis; sic passio prædicatur de suo subiecto, vt homo est risibilis: vel in quale accidentale contingens, quod potest adesse, & abesse sine subiecti læsione, sic accidens prædicatur de substantia, vt cælum est quantum Ex his patet, quosdã conceptus esse contrahibiles, vt sunt superiores: quosdam verò contrahentes, cuiusmodi sunt conceptus inferiores. Qui autem contrahuntur per differentias essentiales, sunt potentiales, & generici: qui verò contrahuntur per modos, siue gradus non sunt potentiales, nec generici, vt in subsequenti not. planum fiet.

24. Not. 3. discrimen adesse inter differentiam, & modum intrinsecum: Illa namque importat realitatem perficientem, & constituentem, ac contrahentem realitatem generis, quæ est in potentia ad ipsam, itaut ex realitate generis, & realitate differentiæ fiat vnum compositum compositione metaphysica, veluti ex materia, & forma fit compositum physicum. Iste verò nequaquam perficit rem cuius est modus, nec res est in potentia ad istum, quandoquidem includitur in perfecto conceptu eius. Nunquam enim perfectè, & completè concipitur res, nisi vnum suo modo intrinseco concipiatur, vt si perfectè intelligatur Deus, intelligitur cum sua infinitate, quæ est modus eius intrinsecus: & si perfectè intelligatur creatura pariter percipitur cum sua finitate, quæ est eiusdem modus intrinsecus. At verò bene concipi potest genus, sine differentia, vt animal sine rationali, aut irrationali, quia sensitiuum, quod est animal, est extra rationalitatem, & irrationalitatem, quæ sunt eius differentiæ diuisiuæ, & constitutiuæ. propterea est in potentia ad illas: modus verò, quia non est extra rem cuius est modus, ideò ipsa res non est in potentia ad illum, cum in se includat eum, nihilque est in potentia ad id, quod habet. Quare conceptus entis, cũ suo modo est perfectus, & adæquatus: conceptus verò entis, absque suo modo est imperfectus, & inadæquatus. Atque ens, vt concipitur, sine modo non est existens, nec intelligitur, vt existens in re, sed in conceptu, propterea quod abstrahitur, & concipitur vt abstractum, sicque non cognoscitur cognitione intuitiua, sed abstractiua. Vnde deus non potest videri à Beatis, sine sua infinitate, nec creatura, absque sua finitate. Idque declarari potest de albedine intensa vt octo, quam nemo plenè, & perfectè potest intueri, nisi ipsam videat, cum illis octo gradibus, tametsi cognitione abstractiua ipsammet albedinem attingere valeat. Quare, ens abstractiuè cognoscitur sine suis modis, ad quos determinatur, & contrahitur: intuitiuè verò concipi nequit sine illis. Ratio redditur, quia ens suos modos includens est vnum obiectum formale cognitionis intuitiuæ: ab eisdem verò modis præscindens est obiectum cognitionis abstractiuæ,

25. Dices,

25. Dices, si gradus, & modi entis se habent ad ens, veluti gradus albedinis ad albedinem, ergo sicut albedo est in potentia, ad suos gradus, ita & ens ad suos modos: albedo autem fertur ad suos gradus, vt potentia ad actum, quia intenditur, & perficitur per eos: ideò, cum habet vltimum gradum, estque intensissima, ad alium gradum amplius non tendit: pariter, ens est in potentia ad suos modos, & cum præcisè sit ignobilissimum, & imperfectissimum, per dictos modos contrahitur, & perficitur, atqueadeò, in Deo est aliquod potentiale, ignobile, & imperfectum, quod est absurdum, & falsum, ac impossibile. Dico, gradus albedinis, cum sint homogenei, & eiusdem rationis, non se habere adinuicem, veluti actum, & potentiam, ideo non faciunt vnum compositum, sed vnum homogeneum, propterea nec albedo propriè est in potentia ad eos, nec vnus, ad alterum. Quod si fortè inter eos eat et aliquis ordo, tamen huiusmodi ordo est impertinens ad compositionem, vt patet in Mundo, & in exercitu, in quibus reperitur quidem ordo, non autem compositio. Addo, si fortasse in creatis, quia sunt finita, & limitata in entitate, & perfectione inueniatur nonnulla potentialitas: non tamen in Deo, qui est infinitus, & illimitatus proinde incapax vlterioris perfectionis. Quare, nec in ente, nec in Deo adest aliqua potentialitas, sed omnia in ipso Deo sunt actualissima, & perfectissima, quamuis ens præcisè acceptum ignobilissimum, & imperfectissimum dicatur, *vt in præcedente lib. quæst.* 2. *art.* 1. abundè est decisum, & explanatum.

26. Ass. 1. conceptus entis est realis: non se habet tamen instar naturæ communis, & vniuersalis, ad sua inferiora. Deducitur ea Scot. 1. *d.* 8. *q.* 3. & aliis in locis adductis in Log. *lib.* 1. *q.* 1. *art.* 5. Prima pars ea professo traditur, & defenditur ab Antonio Andrea 2. *Met. q.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. Canon 1. *Phys. q.* 3. *art.* 3. *concl.* 4. Tromb. 2. *part. tract. Formal fol.* 41. Vorril. 1. *d.* 3. *ad finem* 1. *partis*, & cæteris communiter, paucis exceptis, quos sequitur Viger. 1. *d.* 8. *q.* 2. 5. *Ad* 1. *principale*, existimantibus conceptum entis esse rationis. Probatur primò, quod essentialiter, & quidditatiuè conuenit alicui, deque eo prædicatur in quid, est reale, quia prædicatum essentiale entis realis est reale: ens autem est conceptus essentialis, & quidditatiuus, prædicaturque in quid de Deo, creatura, substantia, & accidente: verum quippè est dicere, Deus est ens, creatura est ens, & sic de reliquis, ergo conceptus entis est realis.

27. Dices, multa prædicantur quæ tamen non sunt realia, vt animal est genus, homo est species: genus autem, & species sunt entia rationis, ergo falsum est, quod prædicatur de aliis in quid, esse reale. Occurrendum est, id habere locum in prædicatis logicis, & secundò intentionaliter sumptis: non autem in prædicatis metaphysicis, & primò intentionaliter captis, de quibus nunc disserimus. Secundò, quod antecedit omnino opus intellectus est ens reale, quia ens rationis fit ab intellectu, vel consequitur operationem eius: ens autem præcedit omnem operationem intellectus, quia est obiectum eius, & obiectum præcedit potentiam, cuius est obiectum, vt color, visum, & sonus, auditum, ergo conceptus entis est realis, non verò rationis.

28. Dices, ens rationis directiuum operationum intellectus est obiectum Logicæ: ergo non semper obiectum præcedit operationem intellectus. Dico, in præsentia nos loqui de obiecto motiuo, & vnà cum intellectu concurrente partialiter ad operationem eius, cuiusmodi non est ens rationis, quod consequitur operationem ipsius intellectus, vt dixi in log. *lib.* 1. *q.* 1. *art.* 5. Tertiò, scientia realis occupatur circa obiectum reale, vt patet inductione de cunctis scientiis realibus: Metaphysica autem est scientia realis, cuius obiectum est ens, 4. *Met. T.* 1. ergo conceptus entis est realis. Nec iuuat dicere Logicam esse realem, cum sit qualitas, & tamen laborare circa 2. intentiones, quæ sunt entia rationis: quandoquidem Logica dicitur realis formaliter, & entitatiuè, de quo non loquimur, non autem materialiter, & obiectiuè, de quo sermo est in præsentia. Quartò, in quo entia realia conueniunt, est reale, quia conuenientia est relatio realis cuius fundamentum est reale: substantia autem, & accidens, quæ sunt entia realia, conueniunt in ente, participantque eius rationem quidditatiuam, & essentialem: ergo ens eis commune est reale.

29. Dices, homo, & brutum conueniunt in genere, & gaudent eius ratione essentiali, & tamen genus est ens rationis, & secunda intentio. Satisfit, si dicatur instantiam habere locum in genere logico: non verò in genere metaphysico, quod est ad rem nostram.

30. Secunda, pars suadetur primò, natura communis contrahitur per suas differentias: ens autem per suos modos: latum autem discrimen intercipi, inter modum, & differentiam, ostendi suprà *in* 3. *not.* Igitur non eo modo ens respicit sua inferiora, quo natura communis. Secunda, natura communis, cum sua differentia facit compositionem, vt ex humanitate, & Petreitate fit Petrus: ex ente verò, & modo eius nulla consurgit compositio, vt ea deitate, & infinitate non componitur Deus, vt suprà monstraui, ergo ens non se habet ad suos modos, quo natura communis ad suas differentias. Tertiò, natura communis, eiusque differentia sunt duæ realitates: ens verò, eiusque modus nequaquam: ens quippè solum importat conceptum realem abstrahibilem à suis inferioribus, & modus, gradum in conceptibilem absque re, cuius est modus, quinè additur rei non variat rem, differentia verò in esse quidditatiuo, & essentiali constituit rem, cuius est differentia, eamque à quocumque alio distinguit, non ergo omnimoda est similitudo, & paritas, inter naturam communem, & ens simpliciter, & præcisè acceptum.

31. Ass. 2. ens à suis modis, & reliquis inferioribus formaliter differt: & quidem à modis formaliter negatiuè, & ab aliis formaliter positiuè. Hanc tripartitam assert. communiter docent Scotist. & potissimum Formalistæ *Tract. formalitatum*, cum Sirecto *ibid.* in quos immeritò inuehitur Mastrius nuper alleg. cum doctrina, & subtilitate sint insignes, genio, & ingenio præclari, atque, vt magistri nostri venerandi, & prædicandi, suam hausti scientiam, ex vberrimo fonte Doctoris subtilis. Prima pars probatur primò distinctio formalis eis competit, quæ sortiuntur distinctas definitiones, seu descriptiones, quæue ab inuicem nullo modo separari queunt, vt copiosè monstraui in *Log. lib.* 2 *q.* 1. *art. vlt.* ens autem, eiusque inferiora sunt huiusmodi, aliter namque describitur ens, aliter finitum, & infinitum, substantia, & accidens, vt patet speculanti, & describenti, ergo formaliter inter se distinguuntur. Secundò, communicabile, & incommunicabile, inseparabilia ab inuicem differunt formaliter, vt patet de natura, diuina pluribus communicabili, & Paternitate diuina, quæ nullis est incommunicabilis: ens autem est communicabile omnibus inferioribus: infinitas verò vni soli Deo competit. Itemque ens de substantia, & accidente prædicatur: substantia verò prædicatur de solis subsistentibus: accidens autem de solis in subiectis inhærentibus: ergo inter ens, & ista ea distinctio formalis. Tertiò, vnum, ab alio distinguitur realiter, aut formaliter, aut ratione: ens autem realiter non differt à suis inferioribus, quia est de quidditate, & essentia eorum, qua nihil est intimius, eaque perempta, perimitur id, cuius est essentia: nec ratione, quia seclusa quauis operatione intellectus, inferiora addunt aliquid suprà ens, quo ab ipso differunt, vt substantia subsistentiam, accidens inhærentiam & sic de reliquis, ergo ens, ab his plusquam ratione differt, nempè formaliter, cum alia distinctio non superfit præter formalem. Secunda pars ostenditur primò, modus non ingreditur essentiam, cuius est modus, vt gradus albedinis non ponitur in definitione

definitione eius essentiali, & quidditatiua, quia hæc ab illis abstrahit, eisque præit, ergo pariter modi entis non sunt de eius essentia, sed formaliter ab ipso ente distincti.

Secundò, posterius non est de formali ratione prioris, quia prius præsupponitur in suo esse essentiali constitutum, antequam sit posterius, vt patet de causa, quæ præcedit suum effectum: modi autem sunt posteriores ente, cum sit communius, & vniuersalius eis: communiora autem, & vniuersaliora præcedere minus communia, minusque vniuersalia, litteris committit Stagir. 1. *Phys. cap.* 1. *T.* 2. Ergo ens, ab illis discriminatur formaliter negatiuè, dico negatiuè, propterea quod, modi a re, cuius est modus non important formalitatem distinctam, quia per se non est conceptibilis, nec intelligibilis sine illa, vt monui supra not. tertio, ergò inter ens, suosque modos reperitur distinctio formalis negatiua, quam alij appellant modalem, à minori extremo, quod est modus, eius etymologiam ducentes.

33. Tertia pars suadetur, quæ sortiuntur distinctas conceptibilitates, & intelligibilitates distinguuntur formaliter quia formalitas nihil aliud sibi vult, quà distinctam conceptibilitatem, & intelligibilitatem, ad quam intellectus terminatur, vt communiter docent Formalistæ *vbi supra*: ens autem, sinque inferiora præseferunt distinctas conceptibilitates, & intelligibilitates, ad quas fertur intellectus intelligendo ens præcisè, substantiam, accidens, & reliqua, igitur in eis interuenit distinctio formalis positiua. Deinde distinctio conformatur eis, quæ inter se distinguuntur, ab eisque decerpit suam nomenclaturam, vt distinctio realis ab extremis realibus, quia cadit inter res, & res: distinctio rationis ab extremis, quæ sunt entia rationis, vt inter duas secundas intentiones, putà subiectum, & prædicatum, genus, & speciem: ergo pariter inter duas formalitates, siue realitates, & conceptibilitates reperitur distinctio formalis positiua, à quibus suam notionem depromit Ens autem, & quæ ipsum consequuntur, eique subiiciuntur, sunt huiusmodi. Sunt namque extrema positiua formalia, per se intelligibilia, & cōceptibilia, ergo formaliter differūt.

34. Opp. 1. Scot. citatus à Vallone *in sua lect. fol.* 74. scribit conceptum entis esse rationis ergo non est realit. Conseq. tenet, quia ens reale, & rationis inter se opponi videntur, estque vulgata diuisio in ens in anima, quod est ens rationis, & ens extra animum, quod est ens reale. Resp. Scot. ibi accipere rationem pro ratione quidditatiua, & obiectiua: non autem pro ratione causata ab intellectu vt præstat *Quol.* 1. *art.* 2. & 4. *d.* 49. *q.* 1. §. *Ad argumenta. P.* Et ante ipsam Arist. *l. præd. cam. c.* 1. vbi definiens vniuoca inquit. Vniuoca sunt, *quorum nomen est commune, & ratio substantiæ, secundum idem nomen est eadem.*

35. Instabis, si foret ens reale simpliciter contrahibile per gradus inferiores, daretur compositio in Deo, nempe ex illo ente contrahibili, & Deitate contrahente, cum compositio fiat ex potentia contrahibili, & actu contrahente, 8. *Met* 15. Deus autem ab omni compositione, tam physica, quam metaphysica est immunis: ergo illud ens hic ab inferioribus præcisum non est reale, sed rationis. Nego sequelam ma. quia compositio, si est physica fit ex re, & re, siue ex materia, & forma: si verò est compositio metaphysica, coalescit ex realitate, & realitate, putà, ex genere, & differentia: conceptus autem entis non est genus, quod est potentiale, nec modo eius est differentia, propterea ex ente, & modo eius non fit vlla compositio, proindeque, licet in Deo sit ens, & Infinitas, quæ est eius modus, non ob id in ipso Deo admittitur compositio, cum sit summè simplex, ab omnique imperfectione seiunctus.

36. Vrgebis, ex contrahente, & contrahibili habetur compositio, veluti ex actuante, & actuabili: ens autem est contrahibile, & actuabile: infinitas verò est contrahens, & actuans: ergo dato huiusmodi ente reali communi Deo, planè admittitur in ipso Deo compositio. Distinguo ma. ex realitate contrahibili, & realitate contrahente fit compositio, concedo: ex conceptu reali, & modo eius fit compositio, vt in re nostra negn, vt abunde manet explicitum, & declaratū in superioribus.

37. Opp. 2. ens participatur à Deo, & creaturis vtrumque enim est ens: Vel ergo participatur a Deo totum ens, vel pars entis duntaxat. Si primum, ergo creatura non est ens, quia *ex* 3. *Phys. c.* 63. totum describitur, extra quod nihil est. Si secundum, ergo in Deo foret quidpiam imperfectum, cùm pars sit ens imperfectum, & incompletum, quod ipsi Deo repugnat. Resp. totum ens esse in Deo, non quidem adæquatè, sed inadæquatè, quod est dictu, in Deo est quidquid requisitum est ad quidditatem, & naturam entis, tamen extendatur ad creaturam, quæ quoque est ens, participatque quidditatem, & naturam ipsius entis, veluti homo dicitur habere totam naturam animalis, quia ei nihil deest, quod pertineat ad naturam animalis, tametsi ipsa natura animalis diffundatur quoque ad brutum, quod etiam ex æquo eam participat.

38. Instabis, membra diuidentia sunt partes diuisi, in quas ipsum diuisum diuiditur: ergo, cùm ens diuiditur in Deum, & creaturam, sequitur Deum esse partem eius. Dico ant. valere de diuiso materiali, & physico: non autem de diuiso transcendentali, & metaphysico, cuiusmodi est ens, respectu Dei, & creaturæ.

Vrgebis, diuisum est prius membris diuidentibus, vt totum suis partibus: si autem ens diuiditur in Deum & creaturam, ens foret prius Deo, quod est falsum, cùm Deus sit primum ens, prima causa, & primus motor, 8. *Phys.* 1.

Dico ens esse primum in concipiendo, & prædicando, non autem in existendo, & causando; se enim, verum est Deum esse primum ens, primum efficiens, & primam causam, à qua cuncta creata ortum suum ducunt.

39. Opp. 3. Deus est actualissimus, & singularissimus, cum ex se sit hic Deitas si admittatur vnus conceptus entis realis cōmunis ipsi Deo, & creaturæ, contraheretur, & singularizaretur per ipsiusmet diuinitatem, & infinitatem, per quam & creatura distinguitur, sicque à compositione, & imperfectione nō foret alienus, ergo præfatus cōceptus entis realis non est concedendus. Concedo ma. nego min. quia ille conceptus non determinatur ad Deum per differentiam, sed per modū, putà infinitatem, vt suprà monui ideò, nec imperfectio, nec cōpositio vlla ponitur in Deo. Præsertim quia Deus est de se, & a se hic, & singularis: non autē ab extrinseco, vt sunt indiuidua, & singularia creata, quę indiuiduātur, & singularizātur, per differētias singulares, seu hæcceitates ab agēte en indiuidua producēte. Quare, licet Deus includat in se ens, nō propterea læditur eius sūma actualitas, & singularitas, veluti essētia diuina cōmunēs in se diuina attributa, nō definit esse de se hęc, cū realiter cū ipsa idētificētur, quāuis formaliter ab eamet distinguātur.

40. Instabis, conceptus entis aut est Deus, aut non: si hoc, ergo aliquid est in Deo, quod non est Deus; si illud, ergo aliquid est in creatura, quod est Deus: hæc autem, & consimilia repugnantiam, & absurditatem maximam inuoluunt. Siquidem omnia quę sunt in Deo, sunt Deus, & cuncta, quæ sunt in creatura, sunt creata, causata, & participata, ergo huiusmodi conceptus realis entis cōmunis Deo, & creaturæ est abnuēdus. Dico, ens præcisè sumptū nec esse Deū, nec creaturā, si autē contrahatur per infinitatē, est Deus: per finitatem verò, est creatura, sicut animal præcisè captum nec est rationale, nec irrationale, sed si contrahatur per rationalitatem, est rationale, si verò per irrationalitatē, est irrationale. Quare, omnia, quæ sunt in Deo, sunt quidē Deus, nō verò formaliter, vt intellectus, & volūtas, nec nō attributa diuina sūt idē realiter in Deo, distinguūtur verò formaliter: pariter ens, & ea tera prędicata cōmunia, & trāscēdētalia

 realiter

realiter identificantur cum Deitate, tametsi ab ea formaliter distideant.

41. Oppones quartò. Idem nequit esse dependens, & independens, participatum, & imparticipatum, summè necessarium, & contingens, causatum, & incausatum, creatum, & increatum: ens autem simpliciter foret huiusmodi. Etenim si ens est in Deo, est independens, imparticipatum, summè necessarium, incausatum, & increatum: in creatura verò ens est dependens, participatum, contingens, causatum, & creatum, ergo nullum est commune ens reale Deo, & creaturæ. Distinguo ma idem respectu eiusdem, non potest subire præfata prædicata, concedo: respectu diuersorum, nego. Ens quippè præcisè sumptum, nec est dependens, nec independens, nec creatum, nec increatum, quia abstrahit ab vtroque, quod si contrahatur per finitatem, quæ est eius modus, est ens finitum, participatum, dependens, causatum, & creatum: at verò si contrahatur per infinitatem, est ens infinitum, imparticipatum, independens, summè necessarium, increatum, & incausatum.

42. Instabis, quod est in Deo, induit eius proprietates, cum nihil existat in Deo, quin sit ipsemet Deus: proprietates autem Dei sunt, infinitas, independentia, summa necessitas, & huiusmodi, ergo ens, quod est in Deo, est infinitum, independens, summè necessarium, imparticipatum, & increatum: & è regione ens quod est in creatura, est finitum, communicatum, dependens, & causatum, atqueadeò ens ab his omnibus prædicatis prærecensitis non præscindit. Dico id totum verum esse realiter, non autem formaliter: atque vt ens est contractum ad Deum, non verò in se spectatum, & præcisum ab eo, & creatura. Vnde Scot. cit. subiungit ens in se, nec esse finitum, nec infinitum, sed ab vtroque abstrahere, quod de reliquis modis, attributis, & prædicatis est astruendum: esse verò infinitum, vt est ad Deum determinatum, & finitum, vt est contractum, ad creaturam. Arguere verò ab abstractione præcisiua ad diuisiuam, non tenet consequentia. Itemque à superiori, ad inferius affirmatiuè, est sophisma consequentis. Sic non sequitur, ens simpliciter non est increatum, & independens, ergo ens, quod est in Deo, non est increatum, & independens: pariter ens præcisè captum non est finitum, nec creatum, ergo ens, vt est contractum ad creaturam non est finitum, creatum, communicatum, & participatum. Corrobori potest de relationibus originis, quæ ex se nec sunt finitæ, nec infinitæ, nec perfectæ, nec imperfectæ formaliter: realiter verò vt identificantur cum diuina essentia sunt infinitæ, & perfectæ, authore Scot. *Quol. 5.* Exemplificari quoque potest de substantia, quæ ex se, & præcisè capta non est corporea, nec incorporea: tamen vt contrahitur ad materialia, est corporea: quatenus verò contrahitur ad spiritualia, est incorporea. Si quis autem argumentaretur, substantia naturalis est corporea, ergo substantia præcisè est corporea, mala esset consequentia. Itemque si quis ita argueret, substantia præcisè capta non est corporea, ergo substantia naturalis non est corporea. Consequentia inualida esset, ob causas prædictas, & corroboratas. Quapropter, hæc, & consimilia, quæ longo discursu congerit, & opponit torrenti Scotistarum Mastrius nuper alleg. corruunt, vtpotè qui stabilissimum, & firmissimum relinquens fundamentum nostrorum præceptorum, arundineo, & arenoso, ac alieno fulcitur, vt Nuperis gratum faciat, & arrideat.

Articvlvs IV.

An conceptus entis sit vniuocus.

43. D. Th. 1. *p. q.* 13. *art.* 5. & 5. *contrà Gentes*, *cap.* 32. eiusque discipuli *ibid.* quibus adstipulantur Fons. 4. *Met. c.* 2. *q.* 2. *sect.* 9. & alij non pauci, existimant ens esse analogum Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti. Scot. autem 4. *Met. q.* 1. & 1. *d.* 3. *q.* 1. & 3. & *d.* 8. *q.* 3. eiusque asseclæ *ibid.* quibus subscribunt Art. *disp.* 11. *Log. sect.* 4. aliique complures, docent præfatis omnibus ens esse vniuocum.

Recognoscenda, & reuocanda sunt in memoriam ea, quæ obseruaui, & explanaui *in Epitome dialect.* *l.* 1. *quæst.* 1. *art.* 5. & reliqua, quæ tradidi in Log. *l.* 3. *quæst.* 2. *art.* 1. 2. & 7. quibus præsuppositis, & præcognitis.

44. Ass. ens præcisè captum est vniuocum Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti. Ita Doct. mox cit. pro quo egregiè decertant Canon. *q.* 5. *primi Phys.* Antonius Andr. 4. *Met. q.* 1. & Bonet. 1. *Met c.* 1. Et sequitur ex dictis *suprà*, cum enim ens simpliciter præseferat vnum conceptum obiectiuum præcisum à prænarratis, planè euincitur eis esse vniuocum, & synonimum. Probatur autem efficaciter, & euidenter, vniuocum est, quod conuenit multis, penes idem nomen, eamdemque rationem substantiæ, seu essentiæ, quidditatis, & rationis obiectiuæ, vt patet ex eius definitione adducta à Philosopho *lib. categoriarum, cap.* 1. *propè initium*: ens autem competit Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, secundum idem nomen, & eamdem rationem obiectiuam: Deus namque vocatur ens, creatura pariter ens, quodque etiam de substantia, & accidente perhibetur. Itemque, ratio entis, quæ est habere esse reale, extrà nihil independenter ab omni opere intellectus congruit illis omnibus, vtpotè quæ participant esse reale, entitatemque realem, nemine cogitante, ergo ens est eis vniuocum.

45. Occurrunt Thomist. & dicunt, vniuocum ex æquo participari ab vniuocatis: ens autem non sic se habet: nobilius quippe, & præstantius ens est Deus, quàm creatura: & substantia, quam accidens. Ideòque existimandum est, non esse vniuocum, sed analogum. Contrà, eadem ratio, & natura entis æqualiter competit Deo, creaturæ, & cæteris prærecensitis, ergo ens reuera est illis vniuocum. Ant. est in promptu, essentia entis est indiuisibilis, & impartibilis, cum sit simpliciter simplex, & in aliam superiorem irresolubilis, nihilque suprà ens reperiatur: ideóque, aut totaliter scitur, aut totaliter ignoratur: ergo ens ex æquo à suis inferioribus participatur, proindéque est verè vniuocum. Deinde, ratio entis simpliciter est habere esse simpliciter reale, extrà nihil: Deus autem, creatura, & reliqua gaudent æqualiter huiusmodi esse simpliciter, & extrà nihil: sunt enim verè, & propriè entia realia, & extrà nihil, handquaquam igitur eis inficiandum est ens vniuocum. Hinc nonnulli perspicientes vim huius argumenti, & responsionis infirmitatem, accurrunt ad aliam responsionem, & aiunt, vniuocum propriè conuenire suis vniuocatis, absque vllo ordine, & dependentia vnius ad aliud, vt liquet de substantia categorica, quæ vniuoca est substantiis corporeæ, & incorporeæ, absque vlla subordinatione, & respectu adinuicem. At verò inferiora entis non sic se habent. Etenim creatura essentialiter dependet à Deo, & accidens respicit substantiam, tanquam eius subiectum, in quo inhæret, & sine quo existere

natura iter

naturaliter nequit, propterea ens non est vniuocum. Contrà, ordo & dependentia, quam inferiora important adinuicem non tollit vniuocationem prioris, superioris, eisque communis, quandoquidem illa est posterior, vniuocatio autem petitur, penes rationem communem superioris, igitur huiusmodi respectus, & dependentia, quam creatura ad Deum, & accidens, ad substantiam important, non aufert ab eis vniuocationem entis. Deinde, qualitas dicit ordinem, ad quantitatem, vt eius subiectum quo, relatio dependet à suis extremis; habitus intellectus, & voluntatis dependent à suis principiis, & potentiis, & tamen vniuocantur in communi, & generali sua ratione, ergo idipsum affirmandum est de Deo, & creatura, de substantia, & accidente, respectu entis.

Secundò, intellectus certus de aliquo, & dubius de duobus, habet vnum conceptum, de quo est certus, distinctum ab aliis de quibus est dubius. Intellectus autem est certus, aliquid esse ens, & dubitat, vtrum illud sit Deus, vel creatura, substantia, vel accidens, ergo habet vnum conceptum entis distinctum ab aliis de Deo, & creatura, de substantia, & accidente, atqueadeò conceptus entis illis omnibus est vniuocus. Ma. est in confesso, quia vnitas conceptus desumitur ab vnitate obiecti, atque eius multiplicitas petitur penes obiecti multiplicitatem. Ens autem est vnum obiectum, Deus verò & creatura, similiter substantia, & accidens sunt plura obiecta, igitur de ente habetur vnus conceptus vniuocus, & quidditatiuus illis prænumeratis communis.

46. Obuiam fit Caiet. *l. de ente, & essentia, c.* 2. & ait, conceptum entis esse alium à conceptibus Dei, & creaturæ: substantiæ, & accidentis, non tamen vniuocum, sed analogum. Contra, ille conceptus entis conuenit suis inferioribus secundum idem nomen, & eamdem rationem, & quidditatem entis, ergo est vniuocus. Ant. conspicuum est ex definitione vniuocorum. Nihil enim aliud exigitur ad vniuocationem, quam idem nomen, & eadem ratio, seu essentia, secundum idem nomen; sic autem est ens, vt euidenter ostendebam in prima ratione. Eò magis, inter æquiuocum, & vniuocum non interuenit medium, vt probaui in Log. *l.* 3 *quæst.* 2 *art.* 7. Admittit autem Caiet. ens non esse æquiuocum, ergo debet concedere esse vniuocum, & synonimum.

Tertiò, obiectum cuiuscumque scientiæ est vniuocum, de quo demonstrantur passiones scibiles, vt patet inductione de cunctis, & singulis scientiarum obiectis: ens autem est primum, & adæquatum obiectum Met, vt ostendi *l.* 1. *q.* 2. *art.* 1. Ergo est vniuocum suis inferioribus, de quibus essentialiter *prædicatur*. Rursùs, Deus naturaliter à nobis cognoscitur, vt constat 8. *Phys.* & 12. *Met.* Non cognoscitur autem, penes propria prædicata, vt rectè prosequitur Scot. *q.* 1. *prol.* Ergo penes prædicata communia, & transcendentia, in quorum numero ens inuenitur primum, quod cum de ipso, & reliquis præmemoratis in quid prædicetur, planè deducitur eidem, & cæteris esse vniuocum. Hoc ipsum indicat Arist. 2 *Met. T.* 4. cum persuadet, principia sempiterna esse verissima, propterea quod vnumquodque est maximè tale, per quod aliis inest vniuocatio, vt si ignis est causa, cur alia sint calida, ipse ignis est calidissimus, ergo cum ens sit primum, quo alia sunt, cum ab omnibus suis inferioribus participetur, sequitur apertè ipsum ens maximè habere esse, atqueadeò eis esse vniuocum, deque eis vniuocè, essentialiter, & in quid prædicari.

47. Oppones primò, Arist. 4. *Met* c. 2. *T.* 2. scribit, sicut sanitas dicitur de sanitate animalis, vrinæ, & medicinæ, ita ens dicitur de substantia, & accidente: sanitas autem non est vniuoca sanitati animalis, vrinæ, & medicinæ, ergo nec ens est vniuocum substantiæ, & accidenti. Conf. 1. ex eodem 7. *Met. T.* 14. accidentia non sunt entia, nisi quia entis, & sicut Logici inquiunt non ens, esse ens, & non scibile esse scibile, ergo si accidentia non participant rationem entis, consequenter eis ens non est vniuocum. Conf. 2. ex. 1. *Eth. c* 6. ens est analogum, quia per prius dicitur de substantia, & per posterius de accidente. Resp. ibi Arist. adducere similitudinem, & paritatem, in eo, quod sicut sanitas vrinæ, & medicinæ ordinantur ad sanitatem animalis: ita accidens, ad substantiam, quia substantia est ens per se subsistens: in alio verò est disparitas, & dissimilitudo, quia sanitas formaliter tantum est in animali, in vrina verò, vt in signo, & in medicina, vt in causa. Verùm ratio entis simpliciter est in substantia, & in accidente formaliter, & propriè. Quod si aliter exponatur, ens esset æquiuocum substantiæ, & accidenti, sicut sanum est æquiuocum eis præcensitis, quod negat Arist. eo in loco inquiens, ens dici de substantia, & accidente non æquiuocè. Eò magis, quia *ibid.* assertiuè non videtur loqui, cum subiiciat. Sed hæc quidem quomodocumque dicere quis velit, nihil refert; si ergo nihil refert, quodcumque velis dicere, dicet nonnullus, ens esse vniuocum, quod explicat, & corroborat Doct. 4. *d.* 15. *q.* 1. §. *Ad quæstionem. H* Ad 1. conf. dico cum eodem Doct. *in exp. eius text.* & *collatione* 25. ibi tantùm significari accidens causari à substantia, ideò dicitur entis ens, putà ens causatum à substantia, in qua inhæret, & absque qua existere non valet. Ad 2. conf. explicitè Philosophus nullius analogiæ meminit, quod si aliquam adduceret, ad vniuocationem esset reducenda, & se remittit ad aliam Philosophiam, quæ est Met. quæ vllo in loco huiusmodi analogiam non exprimit, vt patet ex dictis.

Instabis, patientium Patriarcha *c.* 14. *sui libri.* alloquens Deum ait, *Nonne tu, qui solus es?* Ergo si solus Deus est ens, reliqua sunt non entia, proindéque ens non est vniuocum Deo, & creaturæ. Dico Deum esse solùm ens à se, independens, & imparticipatum: creaturam verò esse ens dependens, & participatum: sic exponitur testimonium Iob præallatum, quod non tollit vniuocationem entis respectu Dei, & creaturæ.

48. Opp. 2. nihil est simplicius Deo, cum sit summe simplex: at si ens foret vniuocum Deo, & creaturæ, esset simplicius Deo: quoniam simplicius est contrahens quàm contractum, & superius, quam inferius: ens autem contrahitur ad Deum, per infinitatem, estque ipso Deo superius, cum sit eiusdem prædicatum essentiale, & quidditatiuum, ergo &c. Resp. aliter ens dici simplex, aliter verò Deum. Siquidem ens est simpliciter simplex, quia est irresolubile in aliud superius: Deus autem est summè simplex, per exclusionem omnis compositionis, & componibilitatis, vt docui *in summa Theologica Tract.* 2. *disp.* 1. *q* 6.

49. Instabis, vniuocum æqualiter à suis inferioribus participatur, vt patet de genere, quod ex æquo suis cómunicatur speciebus, & species suis indiuiduis: ens autē inæqualiter a suis inferioribus participatur, propterea substantia est ens nobilius, cum per se subsistat, & accidens est ens ignobilius, cum in subiecto inhæreat: igitur ens substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturæ non est vniuocum. Concedo ma. nego min. Cur autem substantia nobilitate vincat accidens, & Deus creaturam, id non petitur penes communem rationem entis, quæ est eis æqualis: sed penes rationes proprias, & peculiares, per quas inter se distinguuntur.

50. Opp 3. si ens foret prænarratis vniuocum, esset eorum genus, quia de essentia generis est prædicari in quid de pluribus differentibus specie: ens autem non est genus, *Met. T.* 10. Ergo nec illis est vniuocum. Nego sequelam ma. quia genus importat entitatem contrahibilem potentialē, & per modū partis: id autē enti non cōgruit, cū sit simpliciter simplex. & cōtrahatur per modos, non autē per differentias, vt genus, authore Scot. 1. *d.* 8. *q.* 3. cui adhæret Bonet. 1. *Met. c.* 1. & cæteri Scotistæ.

Instabis, vbi est realitas, & realitas, ibi est genus, quia species coalescit ex realitate contrahibili, quæ est genus, & realitate contrahente, quæ est differentia: ens autem importat realitatem contrahibilem, quia est ens, contrahibile per proprias rationes contrahentes substantiæ, & accidentis. ergo absque vllo fundamento, & causa excluditur à ratione generis. Concessa ma. nego min. ens quippe designat conceptum obiectiuum realem, non verò realitatem potentialem, quæ est componibilis cum realitate differentiæ, vt *in ant. art.* abundè palam feci. Ideò iure Mastrius cit. reprehendit Ponc. concedentem ens præseferre realitatem contrahibilem, ad Deum, & creaturam: sic enim Deus non foret expers compositionis metaphysicæ, quæ fit ex realitate, & realitate, quod est falsum, & reiectum à vulgo Scotistarum, & cæterorum Scholasticorum.

ARTICVLVS V.

An ens prædicetur in quid de omnibus.

51. CErtum est ferè apud omnes, ens prædicari vniuocè, & in quid de Deo, creatura, substantia, & accidente: atque de cunctis iis, quæ directè in prædicamentis collocantur. Iurgium verò extat non modicum inter Thomis. & Scotis. vtrùm ens prædicetur de suis passionibus, ac de vltimis differentiis. Partem affirmantem tuentur Thomis. nominatim Caiet. *lib. de ente, & essentia, quæst.* 3. Soncinas 4. *Metaphys. quæst.* 19. Suarez *disp.* 2. *Metaphys. sect.* 5. *num.* 16. Hurt. *ibid. sect.* 4 §. 57. & alij permulti. Partem verò negantem amplectuntur Scot, 1. *d.* 3. *quæst.* 3. *art.* 1. §. *Ad quæstionem igitur. F.* Viger. Lychet. *ibid.* Sirect, *Tract. Formal. artic.* 1. *principali.* Tromb. Brulif. Vallo *ibid.* Rada *Contr.* 21. *art.* 2. *primæ partis*, alijque complures.

52. Not. primò, & recol. ex dictis *in Epitome Dia. lib.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. quid, & quotuplex sit prædicatio: & quæ asserui *lib.* 2. *Logicæ, quæst.* 5. *artic.* 3. de differentiis superioribus, & inferioribus, nimirum illas non prædicari de istis quidditatiuè, & essentialiter, sed denominatiuè, & identicè duntaxat. Rursus, reuocandum est in memoriam, *ex lib.* 2. *de anima, quæst.* 1. *artic.* 11. dari formas intermedias, & subordinatas, atque in vno animato, præter animam, dari formam corporeitatis ei præsuppositam, & præexactam, quæve, illa recedente, adhuc persistit, & perdurat, tametsi non diù perseueret, propterea quod ad illam ordinatur, per quam vnum totum constituitur, & completur vltimatè, absque qua ipsum compositum paulatim corrumpitur, & in puluerem redigitur. Denuò, iuuat maximè ad hanc controuersiam intelligendam, & dissoluendam repetitio acceptionis entis allatæ, & explicitæ in hoc *lib. art.* 3. *huius quæstionis*, scilicet pro quidditate communi, & primo transcendente, cui accommodantur passiones reciprocæ, & disiunctæ, vniuoco omnibus inferioribus, deque illis prædicabili, quod statuitur obiectum primum, & totale Metaphysicæ. Atque pro omni eo, quod est positiuum, & extrà nihil, quod consequitur ens primo modo sumptum, siue sit passio eius, siue modus, siue vltima differentia, siue aliquid aliud extra quidditatem, & essentiam entis abstractissimè, & præcisissimè capti. Quod non perspiciens, nec expendens Suarez præcit. frustrà, & inutiliter longo discursu inuehitur in Scot. multaque ibi congerit, quæ prorsùs ruunt, acceptione, & distinctione entis nunc memorata. Cum enim sciscitatur, num vltimæ differentiæ, & modi sint entia realia, necne? facilè respondetur, & plenè satisfit dicendo, esse entia non primo, sed secundo modo capta, siue vt alij inquiunt, non esse entia formaliter, sed realiter, & identicè.

53. Not. secundò, differentiarum nonnullas esse intermedias, & subalternas, vt viuens, & sensibile; quasdam verò esse specificas, & vltimas, vt rationale: præterea aliquas esse formales, & essentiales, vt corpoream, quæ constituit substantiam corpoream, & incorpoream, quæ constituit substantiam spiritualem: alias verò esse materiales, & indiuiduales, vt hæcceitates, quibus indiuidua in esse indiuidui constituuntur. Dubitant autem quidam, vtrùm præsens difficultas capienda sit de solis differentiis vltimis, an verò etiam de subalternis, & intermediis. Nam, Vallo, & Rada nuper cit. vtrasq; comprehendunt: cæteri verò vt Viger. & Lych. prærecensiti vltimas tantùm in examen vocant, & pertractant. Et quidem meritò, nam Scot. *loco alleg.* & *in Rep. ibid.* & 2. *d.* 3. *q.* 6. & alibi meminit, & discutit vltimas differentias dumtaxat: quando autem mens Authoris aperta est de aliquo, ad aliud trahi, & extorqueri non debet. Atque Aduersarij de vltimis, & non de interiectis differentiis, Scot impugnant, & decertant contra dictas vltimas differentias. Eò magis, quia differentiæ subalternæ sunt partes essentiales generum, vt corporeum est pars essentialis corporis, & animatum est pars essentialis corporis animati, de quo ens prædicatur in quid, ac etiam de dictis partibus essentialibus, asserit Scot. 1. *d.* 3. *q.* 3. § *Quantum ad* 2. *art.* 1. solùm ergo hæc concertatio mouetur de vltimis differentiis.

54. Not. tertiò, differentiam decerpi à forma, vel ab vltima realitate formæ. Prior differentia, quæ à forma desumitur non est simpliciter simplex, quia cum forma includat plures realitates, & formalitates, conuenit in communi ratione formæ, necnon in communi conceptu obiectiuo substantiæ, proindéque in communi conceptu entis. Quare sicut forma participat suam essentiam à cæteris distinctam, sic pariter sortitur suam differentiam, qua ab aliis differt. Itemque, secundum pluralitatem realitatum, quas in se continet, quoque sortitur pluralitatem differentiarum, quibus huiusmodi realitates ab aliis dissident, vt penes rationem formæ distinguitur à materia, penes rationem substantiæ differt ab accidente, & sic de reliquis. Posterior verò differentia est simpliciter simplex; primo diuersa, & irresolubilis in aliam, veluti est conceptus entis ab inferioribus abstractus, & præcisus. Hæc doctrina, quæ est vera, & valdè subtilis, firmo nixa fundamento impugnatur à Fons. 4. *Met. c.* 8 *q.* 3. *sect.* 2. & Suarez nuper cit. & refellitur tanquam falsa, & vana. Aiunt enim nullam dari differentiam à tota forma desumptam, nullamque vltimam differentiam, nisi indiuidualem, proindéque partitionem præadductam differentiæ in vltimam, & non vltimam esse insufficientem, & irritam, atque adeò ens in quid de omnibus prædicari, etiam de differentiis, & modis, in quibus essentialiter includitur. Contrà. Vnumquodque, sicut habet suum esse essentiale, & quidditatiuum, quo conuenit cum aliis: ita habet esse, quo ab aliis differt. Vnde extat proloquium allatum à Doct. 1. *d.* 6. *q. vn. Idem est principium constitutiuum rei, ac distinctiuum.* Forma autem habet suum esse, quo constituitur in esse formæ, ergo, & principium distinctiuum, seu differentiam, qua differt ab aliis, quæ non sunt forma, sicque habetur differentia à forma deprompta. Deinde totum distinguitur à suis partibus ex alibi dictis, & ab omni eo, quod non est totum, ergo & tota forma habet differentiam, qua differt ab omni eo, quod non est forma. Rursùs, in forma sunt multæ realitates, vt realitas communis, in qua vniuocatur cum cæteris formis. Itemque realitas substantiæ, & alia prædicta communia, tam prædicamentalia, quam transcendentalia in ipsa forma comprehenduntur, & realitas propria ipsi, per quam dissidet à quolibet alio, quod non est forma: ergo admittenda est differentia à forma desumpta. Deinceps, dantur genera suprema, subalterna, & infima, vnumquodque autem genus habet suas differentias, in quas diuiditur.

tur, & per quas species eius constituuntur, ergo concedenda est differentia intermedia, & vltima, desumpta ab vltima realitate, vel a tota re, totaque forma, secus omnia confunderentur, & in vnum cogerentur, cum tamen prædicamenta sint impermixta, & distincta, ac omnia, quæ in ipsis capiuntur, propriis, & distinctis sedibus gaudeant, ac in eis locentur: aut cuncta forent fabricata ab intellectu, nihilque foret reale, præter singularia, & indiuidua, quod falsum esse abundè alibi ostendi. Cum autem subiiciunt præfati Authores, ex Scoti doctrina sequi vltimas differentias esse tantùm indiuiduales, id malè inferunt, quandoquidem differentiæ indiuiduales sunt materiales. Scot. verò loquitur de differentiis formalibus, & essentialibus, cuiusmodi sunt differentiæ specificæ speciei infimæ, quæ inter differentias essentiales vltimum locum occupant. Nec iuuat eos subnectere, in sententia Scot. fore differentias vltimas tantùm, propterea quod cunctæ differentiæ petuntur ab vltimo gradu, & postrema actualitate. Siquidem, cum rerum quædam sint communes, quædam verò singulares, t. *Perhir.* 5 consequenter differentiæ nonnullæ competunt communibus, per quas ab aliis differunt: cæteræ verò particularibus, & singularibus adaptantur contrahentes, & actuantes res indifferentes, & indeterminatas. Deinceps, ex eamne antepredicamentali, diuersorum generum non subalternatim positorum diuersæ sunt differentiæ, species, & indiuidua; vt cernitur in omni syllabo cuiuslibet prædicamenti: tales autem differentiæ generum non sumuntur ab vltima actualitate singulari, & indiuidua, quia hæc est multis incommunicabilis, illæ verò multis sunt communicabiles, putà iis, quæ sunt eiusdem generis, præsertim quia realitas potentialis contrahibilis, & realitas contrahens nonnullæ sunt generum subalternorum: aliæ verò sunt generum infimorum, & specierum athomarum, vt videre licet in arbore Porphyrij, & in cunctis seriebus à nobis contextis singulorum prædicamentorum, perperàm ergo prænominati Scholastici colligunt ex doctrina Scoti, nullas esse, nisi differentias vltimas, ac indiuiduales.

55. Not. quartò, quædam esse alterius rationis, & primò diuersa bifariàm contingere, subiectiuè, & obiectiuè. Illa autem perhibentur primò diuersa subiectiue, quæ in nulla realitate potentiali, & generica conueniunt, vt Deus, & creatura, quibus nullum commune est genus, cum Deus sit actualissimus, & extra omne genus, affirmante August. 1. *Trin. cap.* 15. Alia sunt primò diuersa obiectiue, quæ non participant communem conceptum entis abstractum à suis inferioribus, cuiusmodi censentur à Doct. vltimæ differentiæ, & passiones entis. Deus autem, & creatura, licet sint primò diuersa subiectiuè, non tamen obiectiuè quoniam conueniunt in communi conceptu entis eis vniuoco, ex assertis in antecedente artic. Pariter, materia, & forma, quæ sunt partes essentiales compositi physici differunt se totis subiectiuè, non habentes vllum genus, cum sint partes reducibiles ad genus substantiæ, non autem se totis obiectiuè, cum sint verè, & propriè entia, de quibus ens simpliciter in quid prædicatur, vt fatetur Doct. 1. *distinct.* 3. *quæst.* 3. possunt quoque materia & forma dici primò diuersa generationes receptibilitatis, & receptiuitatis, vt scilicet materia præcisè est potentia subiectiua, & forma purus actus formalis, vt indicat Tromb. *tract. formal. fol.* 15. *pag.* 2. & antè eum Auct. 1. *Physic. com* 1. Quæ pactò non includunt ens formaliter, sed denominatiue. Nam Aristot. 5. *Metaphys. cap.* 9. *T.* 16. & 10 *eiusdem operis*, *T* 12. Primò diuersa inquit, sunt nihil idem includentia, ita vt nihil vnius sit aliquid alterius.

Quare materia, & forma sic sumptæ aliquid idem in suis essentiis, & naturis quidditatiuè non includunt, quod de ipsis quidditatiuè, & essentialiter possit prædicari bene tamen identicè & denominatiuè.

56. Assertio prima, ens non prædicatur in quid de vltimis differentiis. Ita Scot. *vbi suprà*, & 2. *d.* 3. *quæst.* 6. § *Ad quæstionem ergo G* & *in R port.* Probatur primò, inter idem, & diuersum non intercipitur medium, 10. *Met. T* 11. vltimæ autem differentiæ non sunt idem cum ente, quia ens est contrahibile, differentiæ verò vltimæ sunt contrahentes: inter autem contrahibile, & contractum adest discrimen, vt patet *in Phys.* de materia, & forma, & *in Met* de genere, & differentia, quorum vnum est contrahibile, & potentiale, aliud verò contractiuum & actuatiuum Deinde, cum ens ex dictis *in præcedente art.* sit vniuocum, si differentiæ vltimæ vniuocarentur in ente, abinuicè differunt, quæ autem differunt, per differentias differunt, sicque, vel foret processus in infinitum, vel sistendum est in vltimis differentiis, quæ seipsis differunt, & in se ens quidditatiuè non includunt, quod de ipsis in quid prædicetur. Nec sunt diuersa, quia diuersa describuntur 5. *Met cap* 9 aliquid idem entia, & primo diuersa dicuntur nihil idem includentia: vltimæ autem differentiæ sunt primò diuersa, quia nihil vnius est aliquid alterius, ergo in se non includunt ens, quod prædicatur quidditatiuè, & essentialiter de ipsis.

57. Occurrunt Sonc. & Suarez præalleg. & dicunt, primò diuersa posse in aliquo communi conceptu conuenire, vt patet de prædicamentis, quæ sunt summa genera, & primò diuersa; & tamen omnia conueniunt in ente, quod de ipsis vniuocè, & quidditatiuè prædicatur: pariter nulla videtur contradictio, quin vltimæ differentiæ sint primò diuersa. Contrà, prædicamenta sunt primò diuersa subiectiue, hoc est non conuenientia in aliqua realitate generis eis communi: non sunt autem primò diuersa obiectiue, quia conueniunt in communi conceptu entis. Verùm vltimæ differentiæ vtroque modo, hoc est obiectiuè, & subiectiue sunt primò diuersa, hoc est nullam realitatem generis, nec quidditatem entis participant, ideò nulla est paritas de prædicamentis, ac de vltimis differentiis. Nec præstat subtexere, vltimas differentias non esse; quæ differunt, sed quibus aliqua differunt. Siquidem, quamuis vltimæ differentiæ sint, quibus species inter se differunt: tamen adhuc restat perscrutandum, num ipsæ differentiæ seipsis differant aliis differentiis, veluti albedo, & nigredo sunt, quibus paries albus, & niger differunt, & albedo, & nigredo non seipsis, sed aliis differentiis inter se differunt. Quocircà, si vltimæ differentiæ aliquid quidditatiuè includunt, non sunt simpliciter simplices, sed resolubiles in alium conceptum, quem includunt, & superest inquirendum per quid differant: & sic consequenter in infinitum Nullo ergo pacto infringitur præadducta ratio, responso Aduersariorum, sed adhuc tota manet in suo robore.

Secundò, sicut in physica compositione, & resolutione habentur prima, & vltima principia, ex quibus composita physica componuntur, & in quæ resoluuntur, quæ sunt materia, & forma; sic philosophandum est in compositione metaphysica, & eius resolutione in prima, & vltima eiusdem principia: principiorum autem physicorum vnum non includit aliquid alterius, putà forma non includit aliquid materiæ, & econtra, cum sint alterius rationis, & primò diuersa, ex Scot. 2. *dist.* 11. *quæst.* 1. §. *Sequitur secundo. E.* Ergo nec vltimæ differentiæ continent in se ens, tanquam quid eis commune, & prædicabile essentiale.

58 Obuiam fiunt aduersarij nominatim Suarez cit. & aiunt, comparationem, & similitudinem de principiis physicis, cum metaphysicis non valere, quandoquidem suprà composita, & principia metaphysica, sunt ens, & reliqua transcendentalia, quæ reseruantur, & prædicantur quidditatiuè de illis: Verùm in physica, suprà eius principia, nihil reperitur, quod in eis includatur, deque eisdem in quid prædicetur, ideò nulla est paritas,

nullaque ratio Scot. ad corroborandam præpositam assert. Contrà, paritas, & proportio præfata consistit in hoc, quod sicut vltima realitas principiorum naturalium est simpliciter simplex, & in aliam realitatem irresolubilis: ità vltima realitas principiorum transnaturalium est simpliciter simplex, & in aliam irresolubilis: at verò materiæ, & formæ, quæ sunt principia prima rerum naturalium, extant vltimæ realitates, tæ nominatæ, putà receptibilitas, & receptiuitas, in se non continentes alias realitates, à seipsis distinctas, ergo idipsum affirmandum est de vltimis differentiis ad Met. pertinentibus. Sicque reperitur paritas.

Tertiò, datur in ascendendo vltimum contrahibile, & determinabile quidditatiuum, quod est ens simpliciter simplex, ergo concedendum est vltimum contractiuum, & determinatiuum quidditatiuum, quod est differentia vltima specifica simpliciter simplex in descendendo. Conseq. deducitur, quia contrahibile, & contractiuum, determinabile, & determinatiuum se inuicem respiciunt, veluti potentia actiua, & passiua, actus, & potentia: nemo autem inficiatur ens esse simpliciter simplex, ergo nec id negabit de vltimis differentiis. Insuper, ex probatis in Log. *lib.* 2. *quæst.* 5. *art.* 3. inferiores differentiæ non includunt formaliter differentias superiores, ergo nec vltimæ differentiæ formaliter continent primum transcendentale, quod est ens.

59. Assertio secunda, ens non includitur quidditatiuè in suis passionibus: sed solum identice, & denominatiuè. Defenditur à Doct. *vbi suprà sub G.* Prima pars suadetur primò, quod ponitur in definitione passionis per additamentum, non ingreditur essentiam eius, cum definitio per additamentum non sit quidditatiua, sed descriptiua, ex notatis *in Epitome Dia. l.* 2. *quæst.* 7. *art.* 2. Ens autem ponitur in definitione suæ passionis, cum sit subiectum eius, à quo profluit, 4 *Met. c.* 3. *T.* 5. Ergo ens essentialiter, & quidditatiuè non claudit suam passionem. Corroboratur, propositio per se secundi modi non conuertitur in propositionem per se, sed per accidens, vt homo est risibilis, & risibile est homo, cuius ratio est, quia in prima propositione, subiectum est causa prædicati, in secunda verò propositione, nequaquam, vt latè monstraui *in log. l.* 5. *quæst.* 3. *art.* 7. Vndè ibi ostendi, in primo modo dicendi per se prædicatum esse de essentia subiecti, vt homo est rationalis: in secundo verò modo dicendi per se prædicatum esse extra essentiam subiecti, vt homo est risibilis: ista autem propositio: ens est vnum, est secundi modi dicendi per se, ergo ens in sua essentia non includit suam passionem, proindeque de ea essentialiter non prædicatur.

Secundò, ens sufficienter, & adæquatè diuiditur in ens increatum, & creatum: passio autem entis non est ens increatum, quia hoc est solus Deus: nec creatum, quia illud est finitum, passio verò entis abstrahit à finito, & infinito, ergo ens essentialiter non includit suam passionem. Nec præstat dicere, sicut passio entis præscindit à finito, & infinito, ita quoque abstrahere, à creato, & increato. Nam, licet id admittatur, tamen prædicatum essentiale superius est subiecto, cuiusmodi non est passio entis, quæ reciprocatur cum ipso ente, ipsummetque ens consequitur, vt originatum, originans; & productum, producens: originatum autem, & productum, non clauditur in quidditate, & essentia originantis, & producentis, veluti effectus non ingreditur essentiam suæ causæ: passio autem entis emanat ab ente, ergo non est de eius quidditate, & essentia.

Tertiò, vel passio entis est ens, vel nihil: non hoc, quia nihil, sicut non habet esse, ita nullam sortitur passionem: nec illud, quia ens ab ente prodiret, foretque passio sui ipsius, quod est falsum: nec aliud, nam quæreretur, num aliud sit ens, & sic deinceps, & abiretur in infinitum, quod cauendum esse, præcipit Arist. 2. *Met. cap.* 2. concluditur ergo ens quidditatiuè non prædicari de suis passionibus. His rationibus conuictus Fons. cit. *in fine sect.* 3. non audet huic parti contradicere: reprobat autem præcedentem ass. vtpote consequentem ex vniuocatione entis, quam vocat nouam, & periculosam, propterea quod veteri tradenti analogiam entis repugnat.

Verùm doctrina noua firmæ rationi innixa, & veritati consona, nec fidei Orthodoxæ opposita, non est spernenda. Nam Christi Domini lex, & doctrina in suo principio erat noua, vt patet Ioan 1. *Mandatum nouum do vobis*, & Coloss. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum.* Et 1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.* Vnde, meritò Tertul *lib. contra Gentes*, arguit eos, qui Orthodoxam religionem, tanquam nouam contemnebant. Vana autem nouitas reiicienda est, & aduersa ritibus sacrosanctæ Ecclesiæ, vt insinuabat D. Bern *Epist.* 174. *ad Canonicos Lugdunenses.* Adde Aristot. 1. *Phys.* 1. & 2. *Metaphys.* & alibi reiicientem veterum sententias, & suam rationibus probantem, & confirmantem, cuius vestigiis inhærens Scot. pariter priorum Scholasticorum placita refellens, firmissimis fundamentis, & acutissimis rationibus statuit, & munit, modestè tamen, vt solet, his verbis, 1. *dist.* 3 *quæst.* 2. *antè B Secundò non asserendo, quia non consonat opinioni communi: potest dici, Deum, & creaturam conuenire in conceptu entis non analogo, sed vniuoco.* Atque, non incongrue à Recentibus vsurpatur illud Anastasij Sinaitæ *l.* 2. *epist.* 35. *patet omnibus veritas, nondum est occupata, multum ex illa futuris relictum est.*

60. Secunda pars apud nos est in promptu, passio namque est idem realiter cum subiecto, cuius est passio, veluti etiam potentia realiter identificatur cum re, cuius est potentia, vt scribit Doct. 2. *distinct.* 16. *quæstione vnica.* Et ego *lib.* 2. *de anima, quæst.* 1. *art.* 2.

61. Oppones primò, contrà 1. Ass. cui competit definitio entis, est ens formaliter: vltimæ autem differentiæ conuenit definitio entis: ergo vltima differentia est ens formaliter. Ma. patet per locum à definitione, ad definitum. Min. quoque est conspicua, quia definitio, seu ratio entis est ratio essendi, vltima verò differentia habet esse, ergo & rationem, seu quidditatem entis. Concedo ma. nego min. ad eius probationem, distinguo, si sumatur ratio entis pro quidditate entis præcisi ab inferioribus, nego congruere vltimæ differentiæ. Quod si accipiatur pro omni eo quod est extrà nihil, secluso opere intellectus, concedo, vt suprà animaduerti, *in* 1. *not.*

62. Instabis, cui adaptantur passiones entis, est ens formaliter: vltimæ autem differentiæ congruunt passiones entis, ergo est ens formaliter. Ma. est nota. Min. est in confesso, est enim vltima differentia vna, bona, & huiusmodi. Concedo ma. distinguo min. formaliter, nego: identicè, & denominatiuè, concedo, *vt suprà* palam feci.

63. Vrgebis, quod existit est ens, quia existentia concomitatur ens, quatenus est extrà suas causas: vltimæ differentiæ conuenit existentia, si est à parte rei existens, ergo verè est ens. Concedo ma. distinguo min. differentia vlt. existit existentia entis communis simpliciter, nego: existentia propria ipsi conueniente, concedo. Nam vnumquodque, penes esse, quod habet, participat existentiam.

64. Oppones secundò, differentia vltima substantiæ, vt rationale, est substantia, ergo vltima differentia est ens formaliter, deque ipsa quidditatiuè prædicatur. Satisfit, si dicatur, si differentia à forma rationalitatis desumatur, conceditur ant. si verò ab vltima eius realitate, negatur ant. vt abundò *suprà* manet explicatum, & decisum.

65. Instabis, *ex* 1. *Phys. c.* 6. *T.* 52. ex non substantia,

non

non ſit ſubſtantia; ex animalitate autem, & rationalitate ſit homo, qui eſt ſubſtantia, ergo rationalitas, quæ eſt eius pars eſſentialis, & differentialis eſt ſubſtantia: ſubſtantia autem eſt ens quidditatiuè, ergo & vltima eius differentia quoque eſſentialiter eſt ens. Dico hanc inſtantiam dilui per præmiſſam diſtinctionem; ſi enim differentia petatur a forma, quæ eſt rationalitas, eſt ens, & ſubſtantia incompleta quidditatiuè: ſecus verò, ſi ab vltima eius realitate deſumatur. Sic enim eſt tantùm identicè, & denominatiuè ſubſtantia, & ens.

Vrgebis, quidquid eſt, vel eſt ſubſtantia, vel accidens: vltima autem realitas formæ ſubſtantialis, non eſt accidens, ergo eſt ſubſtantia. Dico eſſe ſubſtantiam realiter, & non formaliter; ſicut paſſio entis eſt ens realiter, non verò formaliter: & intellectus in ſchola Scot. eſt anima realiter, non autem formaliter, & in diuinis paternitas eſt realiter Deus, non autem formaliter.

66. Opp. 3. *ex* 3. *Met. T.* 10. ſi ens, aut vnum foret genus, nulla foret differentia: ens autem non eſt genus, ergo eſſentialiter includit differentiam, tam vltimam, quam non vltimam. Reſpondeo præterquamquod ibi Ariſt. non loquitur aſſertiuè, ſed problematicè, vt bene aduertit Doct. *in exp. eius text.* ſi ens eſſet genus, non haberet differentiam, de qua prædicaretur in quid, ſed in quale. Eſt enim differentia extra formalem rationem generis.

Inſtabis, differentia vltima, vel eſt aliquid, vel nihil: ſed non eſt nihil, quia eſt pars eſſentialis ſpeciei, ergo eſt aliquid. Aliquid autem eſt ens, ergo vltima differentia, eſt ens. Dico eſſe ens identicè, non formaliter, eſſe aliquid formæ, ſeu vltimam eius realitatem.

67. Vrgebis, ea vltima realitas formæ vel eſt ens, vel nihil, quia inter ens, & nihil nullum adeſt medium: non eſt autem nihil, ergo eſt ens. Dico recurrere eamdem reſponſionem, puta eſſe ens realiter, non verò formaliter.

QVÆSTIO II.

De Paſſionibus Entis.

68. Quidditate, & eſſentia rerum naſcuntur paſſiones, quæ dicuntur proprietates, affectiones, & attributa earum: pariter ab ente ſimpliciter ſumpto emanant paſſiones, quarum nonnullæ perhibentur coniunctæ, puta vnum, verum, & bonum: aliæ verò disiunctæ, vt vnum, vel multa, actus, vel potentia, neceſſarium, vel contingens. Quare, præmiſſa concertatione de communi conceptu entis, & quidditate ipſius, naturæ ordo poſtulat, vt nunc de eiuſdem paſſionibus, coniunctis potiſſimùm diſſeramus.

ARTICVLVS I.

An paſsiones entis ſint reales.

69. Recognoſcenda ſunt, quæ obſeruaui *in Epitome dialect. l.* 1. *q.* 3. *art.* 6. de proprio, & modis eius. Quibus recognitis, & obſeruatis, quæ plurimum conferunt ad intellectionem, & deciſionem huius dubij.

Aſſ. entis paſſiones ſunt reales poſitiuæ. Ita Scot. 4. *Met. T.* 1. & 5. *in comm.* & *q.* 3. *prol.* §. *Ad* 1. *argumentum* 2. *q. ſub T.* & *d.* 3. *q.* 3. §. *Ad quæſtionem igitur; ſub O.* Antonius Andr. 1. *Met. q.* 1. *concl.* 4. Bonet. 5. *Met. cap.* 1. & alij eiuſdem claſſis, contra Thomiſt. quos allegant, & ſequuntur Suarez *diſp.* 3. *Met ſect.* 1. & Fonſ. 4. *Met. ſect.* 3. *q.* 5 *cap.* 2. arbitrantes paſſiones entis non eſſe reales poſitiuas, ſed negationes, vel reſpectus rationis, vel denominationes ad aliquod extrinſecum. Probatur 1. ex Ariſt. 4 *Met. in initio* affirmante, quamdam ſcientiam, puta Met. ſpeculari ens, prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt, quæ ſunt eius paſſiones, interprete Scot. *ibi*, & non negant Suarez, & alij præcit. Quæ autem per ſe inſunt enti reali, ſunt realia, quia eius rationis per ſe non ineſt enti reali, nec per ſeipſum conſequitur: paſſiones autem entis, per Ariſt. ipſi enti per ſe inſunt, ipſummetque concomitantur, & cum eodemmet reciprocantur, ergo ſunt veræ, & reales paſſiones. Præterea, idem Philoſophus *ibid. T.* 5. *cap.* 2. ſubiungit, ſicut numerus, ſolidum, & cætera huiuſmodi gaudent propriis paſſionibus in ſcientiis ſpecialibus conſideratis, & demonſtratis: ita ens participat veras, & proprias paſſiones, quæ de ipſo in Met. demonſtrantur.

70. Dices cum Fonſ. cit. non neceſſe eſſe, hæ paſſiones præſeferant formaliter quidpiam poſitiuum enti ſuperadditum, ſed ſufficere ipſas formaliter importare aliquam negationem, vel relationem rationis veluti 2. *de anima, cap.* 7. viſibilitas eſt paſſio coloris, tametſi ipſi colori nihil realis poſitiui addat. Contra, negatio, aut relatio rationis non naſcitur ex eſſentia, & natura rei, quia ens rationis pendet ab intellectu, & negatio nihil omninò eſt: paſſiones verò entis profluunt ab ente, veluti radij à ſole, & riuuli à fonte: ſubiectantur, & reciprocantur cum ente, ac ens rationis, & negatio non ineſt in ente, nec cum ipſo ente conuertitur, abſurdum quippè eſt, ens reale conuenire cum ente rationis, cum illud abſque iſto eſſe valeat, atque ens reale reciprocari cum nihilo, cuiuſmodi eſt negatio. Nec teſtimonium ablatum de viſibilitate coloris fauet, ſed obeſt, quia viſibilitas eſt capacitas, & aptitudo, qua color aptus natus eſt videri, veluti intelligibilitas obiecti, qua obiectum intelligi poteſt: huiuſmodi autem paſſiones ſunt reales à parte rei, nemine cogitante, & diſtinctæ à naturis, quarum ſunt paſſiones, vt oſtendam in proximo articulo: id ipſum pariter aſtruendum eſt, de paſſionibus entis. Secundò, ſcientis realis verſatur circa obiectum reale, paſſioneſque reales, ſcibiles, déque ipſo demonſtrabiles, 1. *poſt. T* 5. Met. autem eſt ſcientis realis, cuius obiectum eſt ens reale, 4. *Met.* 1. & 5. Ergo eius paſſiones de ipſo demonſtrabiles ſunt reales, cum procedant ab ipſomet ente reali, veluti effectus à cauſa.

71. Dices, ſatis eſſe ad ſcientiam realem, huiuſmodi eſſe inſtar proprietatum, & paſſionum realium, licet reuerà non ſint, & nihil reale, & poſitiuum includant præter naturam entis, quam exprimunt, & declarant. Contra præcognitio ſubiecti alia eſt à præcognitione paſſionis 1. *poſt.* 1. & ad gignendam ſcientiam per præmiſſas, demonſtranda eſt paſſio de ſubiecto, vt ibi ſcribit Philoſophus, & declarat. Scot. 1. *Met. q.* 1. §. *Ad* 3. *rationem.* Ergo paſſio eſt quid reale ab ente diſtinctum. Secus nihil concluderetur in concluſione, idemque foret formaliter eius ſubiectum, & prædicatum, ergo paſſiones entis ſunt veræ paſſiones reales, & poſitiuæ.

Deinde, ſi entis non dantur propriæ, & veræ paſſiones, vt deducit Suarez, quoque reliqua carebunt propriis, & veris paſſionibus, cum æqua ſit ratio de omnibus: ſicque tollerentur proprietates, & affectiones rerum, eiſque ſolùm affingerentur negationes, & reſpectus rationis: quæ, & conſimilia, quàm ſint falſa, & abſurda, exploratum eſt apud omnes.

Tertiò, paſſiones disiunctæ ſunt reales poſitiuæ, vt idem, vel diuerſum, contingens, vel neceſſarium, ergo quoque paſſiones entis coniunctæ ſunt reales, & poſitiuæ. Ant. eſt notum. Conſeq. tenet, quia iſtæ ſunt immediatiores, & proximiores enti, ergo ſi illæ ſunt

reales positiuæ, & non negationes, aut relationes rationis, hoc ipsum asserendum est de illis, potiori iure.

72. Opp.1. si passiones entis sunt reales, ergo sunt entia, quod enim est reale à parte rei est ens: sed nequeunt esse entia, quia passiones sunt extra essentiam subiecti, vt insinuat Arist. 1. *post cap* 18 *T.*35. & 7. *Met. cap* 5. *T.*18. Ergo præfatæ passiones non sunt reales, sed rationis. Satisfit, si dicatur, huiusmodi passiones esse entia realiter, non verò formaliter, vt copiosè *in præcedente q. art. vlt.* palam feci.

73. Opp.2. quod est quasi tale, non est tale, quia particula quasi est diminuens: sed per Auic. 1. *suæ Met.* passiones entis sunt quasi tales, ergo non sunt tales, ac proinde nec reales. Respondeo voculam quasi interdum esse distractiuam, vt Eccles. 24. *Ego quasi vitis fructificaui.* Interdum verò esse confirmatiuam, vt Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius. gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vbi quasi perinde est ac vere *vnigeniti à Patre.* Sic etiam vsurpasse Authores prophanos, refert Calepinus, *verb. quasi.* Quare, cum ait Auic. cit. ens habere quasi passiones, idem est ac si dicat, ens habere veras passiones, seu vere passiones.

ARTICVLVS II.

Quomodo passiones entis distinguantur.

74. TOt sunt sententiæ discrepantes, *in præsenti art.* quot relatæ fuere *in præcedente.* Qui enim putant passiones entis non esse reales positiuas, consequenter inter ens, eiusque passiones locant distinctionem rationis ratiocinatæ, eo ferè pacto, quo distinguunt isti Authores diuina attributa inter se, & ab essentia diuina. Sic expresse tenent Suarez cit. Hurt. *d.sp.* 3 *Met sect.*2. & Arr *disp* 1. *sect.*2. Qui verò affirmant passiones entis esse reales positiuas, congruenter inter ens, & prænominatas passiones statuunt distinctionem formalem.

75 Præsupponenda sunt, & memoriæ repetenda, quæ attuli, & adnotaui in Log. *l.*2. *q.*1. *art. vlt.* de distinctione reali, formali, & rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. His præhabitis, & præscitis.

76. Ass. passiones entis, ab ipso ente, & ab inuicem formaliter differunt. Tenet Doct. 2. *d.*16. *q. vn.* & 4. *Met. q.*2. vbi Antonius Andr. & alij Scotist. *ibid.* aduersus Thomist. & alios prænominatos. Probatur 1. in definitione passionis ponitur subiectum eius, vt additum, authore Arist. 1. *post T.*35. & 7 *Met. T.*18. Ergo passio est extra essentiam subiecti, a quo emanat, proindéque ab eo formaliter dissidet. Si autem in vniuersum, passio distinguitur formaliter à suo subiecto: planè euincitur passiones entis ab ipso ente, & ab inuicem quoque formaliter differre.

77. Dices, id valere de addito positiuo, non autem de addito negatiuo, sicut additur passio enti. Contrà, quod additur enti reali, ipsumque per se consequitur, non est negatio, quia negatio, cùm propriè non sit quid reale, propriè enti reali addi non dicitur, non videns non additur lapidi, & nihil, enti: passio autem additur enti, ipsumque propriè consequitur, vt id, quod emanat, & causatur ab ipso ente, vt sit Doct. 2. *d* 25. *q. vn.* §. *Contrà, sub C.* & 1. *d* 8 *q.*4. §. *Ista At.* Deinde, passio prædicatur de suo subiecto in 2. modo dicendi per se, vt homo est risibilis: negatio autem non prædicatur in secundo modo dicendi per se, de eo, cuius est negatio: & passio entis sic prædicatur de ente, puta ens est vnum, ens est bonum: non autem dicitur, ens est negatio. Igitur, quod addit passio suprà ens, est quid positiuum reale formaliter ab eo dissitum.

Secundò, quæ sortiuntur distinctas descriptiones, suntque abinuicem inseparabilia, distinguuntur formaliter, vt dixi in Log *passim alleg.* Ens autem, & passiones eius diuersimodè describuntur: ens quippè describitur conceptus obiectiuus præcisus à suis inferioribus, déque ipsis prædicabilis. Vnum, quod est indiuisum in se, & diuisum, à quolibet alio. Verum, quod conformatur suis principijs: & sic de cæteris, ergo ens, eiusque passiones inter se formaliter discriminantur.

78. Dices, non esse distinctas formalitates, sed solùm distinctas conceptiones. Si enim inquit Suarez ens confuse concipiatur, vt subiectum habens entitatem, & essentiam communem, dicitur ens: quod si concipiatur, vt habet modum perfectionis, & proprietatis, sic dicitur vnum, verum, & bonum, & hoc pacto inter ens, & eius proprietates solum interuenit distinctio rationis. Contrà. Inter extrema positiua à parte rei, ab opere intellectus independentia, & inseparabilia cadit distinctio positiua à parte rei, nemine cogitante, quæ à Scotist. perhibetur distinctio formalis: ens autem, & passiones sunt extrema positiua realia, haud ab intellectu conficta, & excogitata, vt fatetur ingenuè idem Suarez *vbi suprà num* 10. *Ass.* 2. Ergo inter illa adest distinctio formalis.

Iterùm, positis extremis positiuis realibus consurgit relatio realis ex omnium sensu, & consensu: ens autem, & eius attributa sunt extrema realia, vt etiam concedit idem Author *ibid. num.*6. Ergo distinctio, quæ intercipitur inter illa est realis positiua, non quæ extat inter rem, & rem, sed quæ reperitur inter realitatem, & realitatem, quæ nuncupatur distinctio ex natura rei, seu formalis. Insuper, sicut aliqua in rerum natura, ità distinguuntur, quia distinctio petitur, penes obiecta distincta inter se, & intellectus ita ea concipit, sicuti sunt à parte rei, & si aliter conciperet, falleretur. Ens autem, & attributa eius sunt realia seclusa quouis opere intellectus, vt pariter admittit ipse Suarez *eo in loco*, ergo non distinguuntur ratione, quæ fit ab intellectu, sed formali ratione, quæ præcedit omnem operationem intellectus.

Tertiò, inclinationes, capacitates, & aptitudines naturales rerum non sunt confictæ ab intellectu, nec cum eis prorsus coïncidunt, cum ab eisdem prodeant, & causentur: idem autem nequit esse producens, & productum, causans, & causatum: atqui passiones entis nihil aliud sibi velle videntur, quam eius capacitates, & aptitudines, vt concedit prænominatus Suarez *num* 5. Ergo ab ente, non ratione, sed formaliter dissident. Insuper, vires, & potentiæ rerum differunt formaliter ab inuicem, & ab eisdem rebus, vt tenet Doct. 2. *d* 16. *q. vn* & latè probaui *l.* 2. *de anima q* 2. *art* 2. Ergo idipsum asserendum est de ente, & passionibus eius.

79 Opp.1. eo ferè modo philosophandum est de distinctione entis, eiusque passionibus, quo philosophantur de distinctione diuinorum attributorum: at diuina attributa ratione distinguuntur, tum inter se, tum etiam ab essentia diuina, ergo pariter ens, eiusque attributa ratione differunt. Concedo ma. nego min, vt copiosè ostendi *Tract.* 2. *summa Theologica*, *disp.* 2. *quæst.*2.

80. Instabis Scot. 10. *Met. concl* 23. scribit, vnum, & ens esse idem, licet ratione differant: vnum autem est passio entis, ergo inter ens, & eius passiones cadit distinctio rationis dumtaxat. Dico, Scot. exponendum esse, non de ratione ratiocinante, aut ratiocinata, sed de ratione obiectiua, & formali præcedente quamlibet operationem intellectus, qui in sensu vtitur ratione Stagir. *cap* 1. *lib prædicam* definiens vniuoca, *quorum nomen est commune, & ratio substantiæ, secundum illud nomen est eadem.*

81. Opp.2. passio, & subiectum eius sunt eiusdem generis, & prædicamenti, vt patet de passione, quæ refertur in tertia specie qualitatis. Pariter ergo passiones

entis

entis sunt omninò idem cum ente, ac proinde ab eo formaliter non secernuntur. Respondeo nomen passio est æquiuocum. Sumitur namque pro qualitate patum durante afficiente sensum, vt loco nunc cit. Et pro affectione, & proprietate rei, vt in præsenti, quæ si fuerit prædicamentalis, reductiue locatur in prædicamento, in quo extat eius subiectum. Quod si fuerit transcendentalis, vt est passio entis, in nullo residet prædicamento.

82. Opp. 3. inter causam, & causatum adest distinctio realis: passio autem causatur a subiecto, cuius est passio, ergo inter ens, eiusque passiones cadit distinctio realis. Distingno ma. si causa agit per motum, & mutationem, concedo: si verò per simplicem emanationem, seu si causatum prodeat per naturalem resultantiam, vt in præsenti, nego.

83. Instabis, Scot. 1. *Met. q.* 1. vt ibi notat Mauritius videtur velle, passiones entis distingui realiter: ergo non distinguuntur formaliter. Occurrit Maur. *ibi*, & ait, Scot. *eo in loco*, loqui famosè, & in aliorum sententia: vel non differere de proprietatibus reciprocis, & quarto modo. Vel dictio vsurpare distinctionem realem, non propriè, quæ est inter rem, & rem, sed quæ reperitur inter realitatem, & realitatem, vt suprà insinuaui, & Scot. 1. *Rep. d.* 48. *q.* 2. appellat distinctionem realem secundum quid.

ARTICVLVS III.

Quot sint passiones entis.

84. Vulgus Dialecticorum sex tradit transcendentia sub mutuata voce illa Reubau, in qua singulæ literæ singula transcendentia significant, vt aduerti *in Epitome dialect.* l. 1. *quæst.* 1. *art.* 9. puta, ens, vnum, verum, bonum, aliquid, res. Cum autem ens sit primum transcendens, reliqua quinque, quæ ab ipso ente prodeunt, censentur passiones eius. Boneus verò 5. *Met. cap* 1. etsi non recedat à communi numero passionum entis: attamen duas vltimas præfatas omittit, & alias duas addit in abstracto, quæ sunt primitas, & contrahibilitas. Cæteri autem, quos sequuntur Fons. 4 *Met. q* 5. *sect.* 2. & Suarez *disp* 3. *Met. sect.* 2. tres tantùm statuunt passiones entis, scilicet, vnum, verum, & bonum.

85. Not. 1. nomen *res* communissimum, & vniuersalissimum esse, & dici tam de increatis, quàm creatis: Ob id Scot. *in initio Quol.* 1. allegans illud Ecclesiastæ 1. *Cunctæ res difficiles*, ait interpretandum esse de rebus omnibus, siue creatis, siue increatis, siue necessariis, siue contingentibus. Additque, in diuinis accipi essentialiter, & notionaliter, adducens testimonium D. Aug. 1 *de Doctrina Christiana, cap.* 1. *Res quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Vbi res capitur notionaliter. Eadémque Trinitas, vna quædam summa res communis omnibus fruentibus ea. Vbi res vsurpatur essentialiter. Videntur autem res, & ens confundi, esseque synonima, veluti ensis, mucro, & huiusmodi: vt videre est apud Scot. *Quol.* 3. Sirect. Tromb. & alios complures, quibus adstipulatur Suarez mox allegatus.

86. Not. 2. & recol. ex dictis *l.* 1. *huius operis*, *q.* 2. *art.* 1. Secundum Scot. *loco nunc memorato*, §. *De primo. A.* nomen *res* esse æquiuocum, ideòque distinguendum, & accipiendum, vt vsurparunt probati Authores, qui tres præcipuas eius acceptiones tradere videntur, communissimam, communem, & angustissimam, quarum prima est pro omni eo, quod habet esse, comprehendens omne esse. Quoniam verò esse duplex est, in anima, & extra animam, propterea res statuitur duplex, in anima, quæ continet entia rationis, & 2. intentiones, quæ solent dici res Logices: & extra animam, quæ funditur ad id omne quod habet esse à parte rei præscindens ab existentia, vel gaudens existentia, sic loquitur Auic. 2. *Met c.* 5. Ens, & res prima impressione imprimuntur. Secunda acceptio pro ente absoluto, quo pacto tria prima genera, substantia, quantitas, & qualitas dicuntur entia, & res, reliqua verò genera perhibentur modi rei, & circumstantiæ eius, propterea quod præseferunt habitudinem vnius, ad aliud. Huius acceptionis meminit Boët. *l. de Trin. cap.* 10. Tertia acceptio pro ente, & re subsistente, sic substantia est ens, & accidens entis ens. Ita sumpsit ens Arist. 7 *Met.* 2. & 14. *& inde.*

87. Not. 3. nomen realitas esse abstractum, cuius concretum est reale, quod à re deriuatur. Res autem duplicem sortitur nomenclaturam, vt placet Henr. *in sua summa*, *art.* 2. *quæst.* 23. *& inde*, & non displicet Scot. 1. *d.* 36. *q. vn.* & 2. *Report. d.* 1 *quæst.* 2. Sirecto, & aliis, *tract. Formal.* Vnam à verbo reor, quod idem est ac opinor, imaginor, & fingo: quo pacto res communissimè capitur, & conuenit entibus rationis, realibus, ac fictitiis, vt palàm feci *in proximo notabili*: alteram verò, à participio ratus, rata, ratum, quod perinde est ac firmus, firma, firmum. Sic res rata, id est res realis, firma, & stabilita, vera, & non ficta nuncupatur: quo in sensu, quidditas, & essentia, tam in esse obiectiuo, quam in esse existentiæ, & subsistentiæ, dicitur res. Vnde oritur distinctio realis, quæ est inter rem, & rem, & distinctio formalis, quæ est inter realitatem, & realitatem, eo modo, quo in superioribus fuit explanatum.

88. Not. 4. aliquid bifariàm posse inspectari, vel absolutè absque vllo sibi addito, & sic distingui non videtur ab ente, sed opponi nihilo, propterea vulgò dicitur, aut est aliquid, aut nihil; ita vt, aliquid, & nihil contradictoriè opponantur: sintque synonima nihil, & non ens: ens, & aliquid. Quare, si aliquid hoc modo sumatur, perinde est ac habens aliquam quidditatem. Vel si accipiatur cum addito, hoc est, si ipsi adiungatur aliud, planè differt ab ente, vt aliquid substantiale, aut aliquid accidentale, sicque aliquid nihil aliud sonat, quàm aliud quid, cuius abstractum est aliquitas, quo nomine appellari potest omnis passio, nedum entis, verumetiam cuiuscumque alterius, vt vnitas est aliquitas entis, veritas est aliquitas entis, & bonitas est aliquitas entis: Pariter risibilitas est aliquitas hominis, rugibilitas est aliquitas leonis; & sic de cæteris rerum proprietatibus, quæ cum ab ipsarum principiis essentialibus fluant, sunt extra earum essentias, idcircò non earumdem essentiæ, sed aliquitates ipsarummet rectè nominantur à Scot. eiusque discipulis.

89. Ass. tres sunt passiones entis, vnum, verum, & bonum: si quæ verò aliæ recitentur, à præfatis secerni non videntur. Assertio est bimembris, à qua non declinant Scot. eiusque asseclæ, *locis prænominatis*, nec discordant Thomist. à Recentibus alleg. Prima pars suadetur primò: quidquid ab ente emanat, aut est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, aut conforme suis principiis, aut integrum, & perfectum. Si primum, est vnum, si secundum, est verum, si tertium, est bonum, ergo tres sunt passiones entis, & non aliæ plures, vel pauciores.

90. Dices, præter illas tres passiones entis prætercensitas, addi posse idem, diuersum, & huiusmodi, ergo tres illæ passiones sunt insufficientes. Dico idem, vel diuersum esse passiones entis disiunctas: nos autem loquimur de passionibus coniunctis, & conuertibilibus, quas solo ternario numero comprehendi, sancimus.

Secundò, omne entis attributum, vel importat habitudinem, & respectum indiuisibilitatis in se, & est vnum: aut relationem conformitatis cum suis principiis, & est verum: aut relationem integritatis, & est bonum: nihil autem aliud restat, quo passio entis respiciat aliud,

aliud, ergo tres tantùm illæ passiones entis sunt recipiendæ, quas explicitè adducit Scot. 4. *Met. in expositione tex.* 3. *cap.* 2. & 2. *d.*16. *q.* 1. *K.*

91. Dices, adhuc extare alias habitudines, & relationes transcendentales puta primitatis, contrahibilitatis, intelligibilitatis, & consimiles, ergo si penes distinctas habitudines petitur numerus passionum entis, plures sunt, quàm tres præenumeratæ. Dico illas tres esse proprietates quarto modo, reliquæ verò aliis ab ente etiam accommodantur, vt primitas decem primis generibus adaptatur, contrahibilitas etiam generibus tam supremis, quàm subalternis, & infimis, necnon speciebus, quæ contrahuntur per differentias indiuiduales: atque intelligibilitas nedum enti in communi, verum quoque cuicumque enti particulari congruit, iuxta illud 2 *Met. cap.* 1. *T.* 4. *Sicut res se habet ad esse, ita ad intelligibilitatem.*

92. Secunda pars est in confesso ex dictis *suprà* in fundamentis; res namque coïncidit cum ente, vt ostendi in 2. not. Et aliquid, vel non secernitur ab ente, aut est passio minimè à tribus præadductis dissita, vt monstraui in 4. not. Iterum, si quæ aliæ passiones excogitentur, commodè, & aptè ad tres prænominatas redigi valent, vt liquidò constat ex præcedentibus. Ergo aliæ passiones, absque vllo fundamento, & ratione non sunt in scholam Peripateticam inuehendæ, & statuendæ.

93. Opp. 1. latius patet ens, quàm res, ergo ens, & res non coincidunt. Ant. probatur, actio, & passio dicuntur duo entia, non tamen duæ res. Itemque in diuinis sunt plura entia, quia sunt plures Personæ, est tamen vna res communis tribus Personis. Rursus sunt plura entia, quia sunt plura attributa, tametsi non sint plures res, proindéque ens, & res non sunt synonima, sed sunt duo transcendentia, resque statui debet passio entis. Respondeo negando ant. ad eius probationem dico quidem actionem, & passionem esse duas realitates, non verò duas res, nec duo entia, nisi dicantur duo entia relatiua. Veluti in diuinis est vna res absoluta, quæ est deitas communis tribus, non tamen sunt tres res absolutè, sed tres res, & tria entia relatiua; Pariter attributa sunt plura entia attributalia, non verò simpliciter, cum sint plura non realiter, sed formaliter distincta dumtaxat, vt fusè alibi dixi.

94. Opp. 2. Aliquid est signum particulare, quod appositum subiecto propositionis, facit propositionem particularē. vt aliquod animal est rationale, ergo aliquid non est idem ac ens, sed quidpiam ab eo distinctum, quod est eius passio à cæteris seiuncta. Satisfit, si dicatur, aliquid substantiuè captum non secerni ab ente: secus verò, si adiectiuè vsurpetur, vt accidit in propositione particulari, cuius subiectum afficitur illo signo particulari, vt declaratur in præallata propositione, aliquod animal est rationale.

ARTICVLVS IV.

Quid addat vnum suprà ens.

95. GRauis, & difficilis viget altercatio inter Veteres, & Recentes Metaphysicos, *in præsenti art.* vt notat Mauritius *in annot.* 2. *q.* Scoti, 4. *Met.* Tres autem sunt præcipuæ discrepantes opiniones eorum, quarum vna est Auer. 4. *Met. com* 3. D Th. 1. *p. quæst.* 11. *art.* 1. Mayron. 1. *d.* 24. *q.* 2. Aur. 1. *d.* 3. *art.* 4. §. *Restat.* Fons. 4 *Met. cap.* 2. *q.* 5. *sect.* 5. & Suarez *disp.* 4. *Met. sect.* 1. & aliorum multorum, existimantium, vnum nihil aliud enti addere, quàm negationem, siue priuationem diuisionis rei in se, & diuisionis à quocumque alio. Altera est Alensis 1. *p. q.* 13. *m.* 1. S. Bon. 1. *d.* 24. *quæst.* 1. *art* 1. Vasquez *Tom* 1. *disp.* 128. *cap.* 2. & aliorum opinantium, vnum formaliter importare quid positiuum, sola ratione ab ente dissitum. Tertia traditur à Doct. 4. *Met. q.* 2. & 2. *d.* 3. *q.* 2. §. *Concedo igitur. D.* & *d.* 16. *q vn.* §. *Ideò dico. sub K.* & *ibid. in Report.* Antonio Andrea 4. *Met. quæst* 3. Tatar. *ibid. q. vn. art.* 2. Bonet. 5. *Met. cap.* 1. Viger. 1. *d.* 24. *q vn.* Ponc. *disp.* 70. *q.* 2. aliisque non paucis eiusdem familiæ, docentibus vnum esse passionem entis realem positiuam formaliter ab ipsomet ente distinctam. Quibus præire videtur Auic 7. *sua Met. cap.* 1. cit. à Doct. *vbi suprà.*

96. Not. 1. vnum bifariàm accipi, vt est principium numeri, quod locatur in prædicamento quantitatis, & vt est passio entis, quod in nullo residet prædicamento, cum sit transcendens. Numerus autem, cuius principium est vnum, causatur ex diuisione continui, & dicitur numerus quantitatiuus, & numerus simpliciter, vt præ aliis aduertit Lychet. *in expositione* 1. *d.* 24. *q. vn.* Numerus verò, cuius principium est vnum, quod est transcendens, efficitur ex distinctione quidditatum, & essentiarum, vocatúrque numerus quidditatiuus, & secundum quid, quo pacto dicimus duas animas, tres Angelos, & huiusmodi, de quo numero latè disserui *tract. de Deo Trino disp* 4 *quæst.* 7. Rursus, vnum sumitur simpliciter, quatenus est passio entis coniuncta, & reciproca cum ente simpliciter: vel secundum quid, quatenus opponitur multitudini, & est passio entis disiuncta, sic dicitur, ens est vnum, vel multa, & non conuertitur vnum ita acceptum cum ente, nisi disiunctè.

97. Not. 2. vnum, ex Bonet cit. à Vallone *in sua lect. fol.* 109. esse quintuplex, puta vnum transcendentale, vnum genere, specie, numero, & proportione. Vnum transcendentale, quod est prima passio entis describitur ab Arist. 4. *Met. T.* 3. & 10. *eiusdem T.* 5. & 5. *cap* 6. & ab omnibus posterioribus Philosophis, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio. Hæc descriptio vnius, etsi communiter recipiatur, diuersimodè tamen ab Authoribus explicatur, quorum interpretationibus, & iurgiis prætermissis: Placet sic quoquo modo declarare. In illa descriptione significatur gemina negatio, altera est negatio diuisionis sui, & altera est negatio identitatis, à quolibet alio, quæ denotat vnum in concreto à se non esse distinctum, à quouis tamen alio esse distinctum: cuius abstractum est vnitas, qua vnum à se non distinguitur, quave distinguitur, ab omni alio, quod non est ipsum vnum. Atque, per huiusmodi negationem insinuatur passio entis realis positiua egrediens ab ipsomet ente, qua idemmet ens redditur in se indistinctum, & à quouis alio distinctum, veluti risibilitas est passio realis positiua hominis prodiens ab humanitate, qua homo est risibilis. Quare, sicut posita risibilitate, homo est risibilis: ita posita vnitate, quæ est indistinctio sui, & distinctio à quouis alio, ens est vnum, vnitate transcendentali. Hinc refellitur Ponc. *præcis. concl.* 1. explicans sic vnum, quod sit non includens plura separata à se inuicem. Quandoquidem, nonnulla non sunt abinuicem seiuncta, vt paries, & albedo, & tamen non sunt vnum, vnitate entitatiua, & transcendentali, tametsi sint vnita, non tamen sunt vnum dicta vnitate. Item, partes continui inter se non sunt separatæ, & tamen non sunt vnum illa vnitate, sed vnitate integritatis, & continuitatis. Rursus, materia, & forma in composito abinuicem non segregantur; nihilominùs non participant eam vnitatem, vt vnita in composito; sed quælibet, cum sit ens, vtique gaudet sua vnitate. Tot namque modis dicitur vnum, quot & ens; vt tradit Arist. *locis prænominatis*, & præmonui in Log. *l.* 2. *q.* 1. *art.* 6. Ob id cæteras vnitates prærecensitas hoc loco non ampliùs expono, cum abundè ibi fuerint expositæ, & illustratæ.

98. Quod si consurgas contrà explicationem descriptionis vnius transcendentis, & dicas. Homo est vnus, & in se non est indistinctus, cum distinguatur

in suas partes, puta genus, & differentiam, seu in animal, & rationale, ex quibus conflatur, ergo non rectè explicatur, vnum esse indistinctum in se, & distinctum à quouis alio. Dico, in primis hominem esse vnum, ab vnitate humanitatis, quæ est vnitas specifica, & esse vnum vnitate entitatiua, & transcendentali, quatenus est ens, quia vnitas maior, vt est vnitas specifica infert vnitatem minorem, qualis est vnitas transcendentalis: tametsi ens simpliciter diuidatur in substantiam, & accidens, in increatum, & creatum. Ratio est, quia vnitas non decerpitur à membris diuidentibus, sed à toto diuiso, puta ab ente, ab homine, & sic de reliquis: alioqui, nulla foret vnitas, sed multitudo, cum omne diuisum scindatur in membra diuidentia, vt planum feci *in Epit. Dialect. l. 2. q. 7. art. 1.*

99. Ass. 1. vnum transcendens non est formaliter negatiuum, seu priuatiuum. Defenditur à Doct. cit. *in Met.* & 2. *d. 3. quæst. 2. 6. Concedo D.* Probatur primò, à subiecto reali positiuo non emanat nisi realis, & positiua passio, vt patet inductione. Ab homine namque fluit risibilitas, à leone rugibilitas, & sic de cæteris, quæ sunt proprietates eorum reales, & positiuæ: ens autem simpliciter est reale, & positiuum, 4. *Met. T. 1.* & 5. cuius passio prima est vnum, quod reciprocatur cum illo, ergo vnum non est formaliter negatiuum, nec priuatiuum.

100. Dices, vnum quidem formaliter negationem importare: fundamentaliter verò esse ipsum ens reale positiuum, cum prorsus sint idem, eiusdemque naturæ, vt apertè scribit Arist. *vbi suprà. T. 2.* Itque illustrari potest de incorruptibilitate, immaterialitate, & immortalitate, quæ formaliter præseferunt negationes; fundamentaliter verò sunt entitates, & proprietates reales, & positiuæ. Contra, licet in descriptione vnius ponatur nomen negatiuum, nempe indiuisum: tamen formaliter significat realitatem, & formalitatem realem, & positiuam. Vt enim Arist. monet loco proximè cit. ens, & vnum se habent, vt causa, & effectus, effectus autem est realis positiuus veluti causa, ergo vnum formaliter designat proprietatem, & attributum entis reale positiuum. Deinde, exempla adducta de incorruptibilitate, immaterialitate, & immortalitate sunt ad oppositum. Siquidem præseferunt entitates reales, & positiuas formaliter, vt liquet de substantia, quæ diuiditur in corpoream, & in incorpoream, corporea in animatam, & in inanimatam, animal in rationale, & in irrationale. Irrationale autem, incorporea, & inanimata substantia sunt realia positiua formaliter, licet nominibus negatiuis denotentur, ergo idipsum asserendum est de vno, quod definitur per indiuisum in se, quod est vocabulum negatiuum.

Secundò, quod mensurat positiuum, est formaliter positiuum, quia nulla negatio, aut priuatio est mensura alicuius positiui: vnum autem formaliter est mensura numeri, qui est ens positiuum, cum sit subiectum Arith. vnde scribit Arist. 10. *Met. cap. 1.* Numerus est multitudo vno mensurata, ergo vnum formaliter est positiuum, quod consequitur negatio indiuisi in se.

Tertiò, negatio, vel priuatio non denotat formaliter perfectionem simpliciter, quia priuatio habet rationem mali, 1. *phys. 82.* priuatio machinatur maleficium: vnum autem importat perfectionem simpliciter, cum in quolibet melius sit ipsum, quam non ipsum, vt constat ex descriptione perfectionis simpliciter allata ab Ansel. *in Monol. cap. 3.* Ob id summa vnitas competit Deo primo enti, qui nulli imperfectioni succumbit. Ergo vnum formaliter designat positiuum.

Quartò, in negatiuis, & priuatiuis non fit reductio ad primum tale, puta ad summum malum, quia non datur summum malum: in positiuis autem, vt in bonis, habetur reductio ad summum bonum, in veris, ad summum verum, & in vnis, ad summum vnum, ergo vnum est formaliter positiuum. Deinde priuatio, vel negatio non suscipit magis, & minus: vnum autem suscipit magis, & minus. Nam, simplex est magis vnum, quam compositum. Insuper, positiuum non conflatur ex negationibus, & priuationibus, & patet, numerus autem qui est quidpiam positiuum, componitur ex vnitatibus. Ideò, subiecit Stagir. *loco memorato, T. 5.* Numerus est vnitatum multitudo. Ergo vnum est formaliter positiuum.

101. Dices, hæc, & consimilia argumenta tantùm probare, vnum esse positiuum fundamentaliter, scilicet ratione entis, in quo fundatur, & subiectatur: non autem formaliter, sic enim vnum nihil aliud sibi vult, quam duplicem negationem præpositam, & præexplicitam. Contrà, vnum est propria passio entis, aut ratione fundamenti, aut ratione additi suprà ens. Non primum, quia fundamentum passionis, seu vnum est ens, & si vnum foret passio entis, per fundamentum, idem esset passio sui ipsius, quod implicat. Nec secundum. Nam illud additum suprà ens, vel esset positiuum, & haberetur intentum, vel negatiuum, & hoc non, quia cum passio realiter identificetur cum subiecto, cuius est passio, ens componeretur ex positiuo, & negatiuo: atque cum negatio formaliter nihil sit, & nihil opponatur enti, consequenter ens, & nihil simul essent, & nihil foret passio entis, quod falsum, & absurdum est. Hæc instantia adeò efficax videtur, vt Aduersarij se mire torqueant, & in varias sententias abeant, responsionesque varias adducant, vt videre est apud Fons. & Suarez cit. *sect.* 2. quæ quia præfatæ instantiæ non satisfaciunt, nec difficultatem tollunt, piget eas afferre, & refellere.

102. Ass. 2. vnum sola ratione intellectus non differt ab ente; sed formaliter, ex natura rei. Tenet Doct. cit. Prima pars suadetur, quod oritur, & consequitur aliud, nemine cogitante non differt ab eo, operatione intellectus: vnum autem nascitur ab ente, ipsumque concomitatur, 4. *Met. cap. 1.* Ergo vnum, ab ente solùm per intellectum non secernitur.

103. Dices, Arist. nunc à leg. *T. 3.* explicitè scribit, ens, & vnum non vna ratione significari: ergo, sicut distincta ratione significantur, ita & ratione discriminantur ab inuicem. Dico, Philosophum ibi non sumere rationem, pro ratione intellectus, sed pro ratione obiectiua, secluso quouis opere intellectus, veluti non semel notaui, ipsum vsurpasse rationem in definitione vniuocorum, *l. prædicam. cap. 1.* dicentem, vniuoca sunt, quorum nomen est commune, & secundum nomen ratio substantiæ est eadem. Et *l. 5. Met. cap. 6.*

104. Secunda pars manet probata, art. 3. huius quæstionis. in quo vniuersè ostendi, passiones entis, tum ab ipso ente, tum etiam ab inuicem formaliter differe. Adhùc autem potissimùm de vno monstratur, ex Arist. proximè memorato, vbi ait, ens, & vnum se inuicem consequi, sicut principium, & causam: principium autem, & causa important distinctas rationes formales. Principium namque dicitur, ratione prioritatis. Ob id Stagir. 1. *post. T. 5.* subnectit, idem dico primum, & principium. Causa verò perhibetur, ratione dandi esse, proptereà describitur causa, ad cuius esse sequitur aliud. Et 1. *phys. sum. 3. cap. 3.* priuatio quidem est principium tertium naturalium, sed non est causa, quia non influit in generatione compositi naturalis. Itemque, punctum est principium lineæ, veruntamen non est eius causa, cum illud, huic nihil communicet, nihilque causet. Alia igitur est ratio formalis principij, alia verò est ratio formalis causæ: pariter, in re nostra, alia habetur ratio formalis entis, & altera ratio formalis vnius, vt liquidò constat ex descriptionibus vtriusque. Vnde *ibid. 4. Met. passu recensito*, addit, ens, & vnum tam in generatione, quam in corruptione esse inseparabilia: quod non obscurum indicium est distinctionis formalis inter ea. Concludo ergo vnum addere suprà ens, non negatiuum,

sed

sed positiuum quidpiam formalitèr ab ipsomet ente distitum.

105. Opp. 1. Arist. *loco mox alleg.* apertè ait, vnum significare eandem naturam, ac ens. Et paucis interiectis subiicit, vnum nihil aliud esse præter ens. Idemque innuit 10. *eiusdem, T.5.* propter quod vnum esse, est indiuisibile esse, ipsum reuera ens, & inseparabile. Ergo vnum præter negationem, aut relationem rationis, enti nihil formaliter addit. Respondeo ea, & consimilia testimonia, quæ afferri possunt, exponenda esse de identitate reali, non autem formali. Quare, ens, & vnum sunt idem realiter, & distinguuntur formaliter. Ideò non duas naturas designant, sed vnam, veluti homo, & risibile vnam solam naturam præseferentia identificantur realiter, & abinuicem formaliter differunt.

106. Opp. 2. ens prout distinguitur ab vno, aut est vnum, aut non, non hoc quia non reperitur ens, nisi vnum sit, cum se mutuò inferant. Si illud, aut est vnum per aliud, & aliud, per aliud, & sic deinceps, & abitur in infinitum: aut est vnum seipso, proindéque ens est vnum nullo sibi positiuo addito, quod intendunt Aduersarij. Dico, ens præcisè captum abstrahere ab vnitate, & multitudine, veluti præscindit a finitate, & infinitate, substantia, & accidente. Quo in sensu fortassè Auic. 5. *Met. cap.*1. *&* 2. dicebat, equinitas est tantùm equinitas, nec vna, nec plures. Ens verò esse vnum, per vnitatem ipsi additam, veluti homo est risibilis, per risibilitatem ipsi adiunctam.

107. Instabis, illud positiuum, quod addit vnum suprà ens, vel est vnum, vel non vnum, non secundum, quia omne positiuum est vnum: nec primum, quia si est vnum, vel est vnum per aliud, vel seipso, & recurrit primum argumentum supra elaboratum. Dico, committi sophisma figuræ dictionis, mutando quo, in quod. Siquidem vnum est, quo ens est vnum, non autem est, quod est vnum, veluti albedo est, qua paries est albus, & ipsa non est alba.

108. Opp. 3. in creatis, inter duo extrema realia positiua adest distinctio realis: sed ens, & vnum sunt duo extrema realia positiua, ergo inter ens, & vnum interuenit distinctio realis, non autem distinctio formalis. Distinguo ma. si dicta extrema sint res, & res, concedo: si verò vnum sit res, & aliud sit aliquitas eius, vt accidit in præsenti, nego.

ARTICVLVS V.

De vero.

109. POst vnum, sequi verum, & deindè bonum, vna est omnium communis sententia Philosophorum, quia videtur res prius in se esse indiuisa, qua ratione est vna, quàm sit vera, suóque esse conformis, & postmodum bona, in suo esse scilicet integra, & perfecta: de istis autem duobus postremis, ratio alia affertur, quia verum respicit intellectum, & bonum voluntatem; illum autem huic præferri ordine naturæ, & generationis, inficiatur nemo. Quid autem sit verum, vt est passio entis, quidve addat suprà ens, difficile sanè est, & arduum intellectu, non minùs, quàm de vno in superiori articulo dictum est. De veritate autem complexa, quæ veritas Logica dicitur, copiosè egi in Log. *l.* 4. *quæst.*4. per totam. Nunc verò tantùm de veritate incomplexa, & entitatiua, quæ & veritas rei nuncupatur, breuiter disseram, prætermissis varijs, & diuersis placitis, quæ referuntur ab Aur. 1. *d.*19. *tertia parte, art.*1. & Suarez *disput.* 8. *Met. sect.* 7. alijsque Recentibus.

110. Asser. 1. veritas transcendentalis non est quidditas rei, nec verum est quid rei. Hæc assertio militat contra Aur. mox cit. *art.*2. *propositione tertia*, pro Scot. 2. *Met. in exp. T.*4. & 6. *eiusdem*, *quæst* 3. Antonio Andr. *quæst* 6. & alijs eiusdem classis, *ibid.* à quibus non discrepant Thomist. & alij extra vtramque scholam. Probatur 1. si quidditas entis foret veritas eius, idem esset ens formaliter, ac verum, nullaque inter ista caderet distinctio: verum autem ab ente differre, astruit Arist. 4. *Met. T.*1. inquiens, Met. contemplari ens, & passiones, quæ ipsum consequuntur, inter quas est veritas. Et ante 2. *Met. T.*4. præmisit, quod sicut res se habet ad esse, ita ad veritatem. Si autem esse, seu ens coincideret cum vero, & essentia, cum veritate, nulla foret comparatio, & similitudo, sed prorsus identitas. Id autem pugnat textui alleg. ostendenti veritatem consequi rem, proptereà prima principia sunt sempiterna, & maximè vera, quia eorum esse est sempiternum, & æternum: & paulò ante, effectus est verus, si causa vera est, immò verior est causa, suo effectu. Ideò, si lignum est calidum, propter ignem, ignis ipse eo est calidior, quin etiam calidissimus. Quare, veritas non est rei essentia, sed ipsam essentiam consequitur.

111. Dices, si hoc valeret, cum terra sit calida propter solem, sol foret magis calidus, quod non conceditur. Dico, illud habere locum in vniuocis, non autem in æquiuocis, cuiusmodi sunt sol, & terra, quæ sunt alterius rationis.

Secundò, veritas propositionis, quæ veritas cognitionis appellatur, non est quidditas, seu essentia propositionis, vt obseruaui *in Epit. l.*2. *q.*3. *art.*1. *n.*4. & *q.*2. *eiusdem lib. art.*2. *n* 9. sed eius proprietas; ideò si quis interroget, quid est propositio? respondetur, esse orationem alicuius de aliquo. Si verò quispiam petat, qualis est propositio? congruè respondetur, esse veram, aut falsam. Ergo id ipsum affirmandum est de veritate rei, & transcendentali, vtpotè non esse quidditatem entis, sed passionem eius, cum par in vtrisque sit ratio.

Tertiò, si veritas transcendens prorsus est entis quidditas, & essentia, hæc propositio, ens est verum, non esset secundi, sed primi modi per se, immò foret nugatoria, sicut suprà dixi, si vnum ab ente non differret, idem esset dicere, ens est vnum, ac ens est ens, foretque enunciatio identica, quia idem prædicaretur de seipso, veluti homo est homo: hoc autem communiter respuitur, ergo & illud.

112. Dices, D. Aug. 2 *Soliloq. c.*5. conceptis verbis ait, *Verum est id, quod est.* Quod autem est, est ens, eiusque essentia est quidditas, seu veritas, qua ipsum ens est, veluti albedo est, qua album est; igitur veritas rei nihil aliud sibi vult, quàm quidditatem, & essentiam eiusdem. Dico, illud testimonium Aug. & consimilia, si adducantur, exponenda esse realiter, non verò formaliter, quod est dictu, veritas identificatur realiter cum ente, tametsi formaliter ab eo distinguatur. Sic quoque interpretatur Scot. 4 *Met. T.*3. vnum, præter ens, nihil est aliud, & eandem essentiam significare, supple, realiter, & non formaliter.

Quod si replices, & instes, cum artifex ad lapidem lydium examinat aurum, vtrum sit verum aurum, necne? inspicit ipsum, eiusque fulgorem, & dicto lapide tangit, nouitque illud habere naturam veri auri, aut falsi, ergo veritas est quidditas, & natura rei. Replico, artificem scrutari verum aurum ex proprietate eius quam noscit, & medio præfato lapide venit in cognitionem eius naturæ, cum essentia eius, & cuiuscumque alterius nos lateat. Ex hoc autem non rectè infertur, veritatem esse rei naturam, immò proprietatem ipsius, cum hæc innotescat, illa verò lateat.

113. Ass. 2. verum non includit relationem rationis ad intellectum, siue creatum, siue increatum. Deducitur

ea

ex Doct. locis præalleg. & aduersatur Mol. 1. *p. q.16. disp.1.* & quibusdam alia. Suadetur 1. ex Arist. 1. *prædicam. cap de substantia, propè finem*, ex eo quod res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa. Ergo, veritas rei nullum importat respectum ad intellectum creatum, aut increatum: econtra verò, veritas cognitionis non est, nisi penes veritatem rei. Si namque intellectus cognoscit rem, sicuti est a parte rei, vera est eius cognitio: quod si aliter rem cognoscat, quam sit à parte rei, falsa extat eius cognitio, ergo veritas rei nullo modo respicit intellectum, qualiscumque ille sit.

Secundò, si per impossibile, nullus foret intellectus, vt videtur quoque supponere Scot. 6. *Met. quæst. 3.* adhuc esset verum transcendentale, quia esset ens: ens autem, & verum se mutuò inferunt. Atqui, nulla esset relatio rationis, quia hæc fit ab intellectu, & consequitur operationem eius: nullo autem existente intellectu, nulla esset eius operatio, proindéque relatio rationis, ergo veritas rei, & transcendentalis nunquam includit relationem rationis.

Tertiò, ante prænominatam relationem rationis ad intellectum, erat veritas, ensque verum. Ideò canit Ecclesia in Symbolo Nicæno, *Deum verum, de Deo vero.* Deinde, artifex sibi ante oculos proponens aliquod exemplar imitandum, sicuti est, extra ipsius intellectum, vt pictor imaginem Beatæ Virginis, vt eam delineauit S. Lucas Euangelista, non aspicit ideam eius, quam in mente habet, vel ideam, quam habet Deus in suo intellectu, sed prout extra verè ipsi obiicitur, & repræsentatur, sicut olim Exod. 25. faciendum Moysi, præcepit Dominus. *Inspice, & fac, secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Vnde Arist. 1. *Eth. in fine, cap.6.* inquit, ad veras res præstandas, non ideas Platonicas esse contemplandas, & earum cognitiones perquirendas, sed ipsas res prosequendas, & persoluendas, vt Medicus ad medendum ægrotum, non est necesse, conspiciat sanitatem, & conceptum eius, quem in sua mente gerit, sed ipsam sanitatem, quam cupit inducere in infirmum, immò hanc sanitatem, in hunc hominem ægrum, spectare debet, vt ibi concludit idem Philosophus. Rursus, si veritas eam habitudinem rationis præsefert ad intellectum humanum, aut diuinum, oporteret, artificem cognoscere huiusmodi intellectus, vtriusque conceptus, & ideas: sic quicumque artifex foret Philosophus, & Theologus, cum ad notitiam relationis, opus sit eius extrema cognoscere. Id autem, & extera huiusmodi, quàm sint absona, & absurda, nemo est, qui non videat. Igitur, veritas non præsefert talem relationem rationis ad intellectum creatum, aut increatum.

114. Assert 3. verum est passio entis, suprà ipsum ens addens positiuum, quod est cognoscibile, cuius abstractum est veritas, seu cognoscibilitas, formaliter ab eodemmet ente dissident. Vtraque pars insinuatur à Doct. *vbi suprà*, & patet ex dictis, *in superiori art. de vno.* Prima pars adhuc suadetur, *ex 1. Met. T.4. Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci.* Idest, secundum rei entitatem, habetur eius cognoscibilitas, seu veritas. Hæc enim reciprocantur, & adæquantur ad inuicem, ens verum, ens cognoscibile, entitas, veritas, & cognoscibilitas. Deinò, posita cognoscibilitate rei, eiusque adæquatione, ponitur veritas rei transcendens, eaque ablata, ista remouetur. Si enim non est cognoscibilitas, non est veritas, & si non est veritas, nec est entitas cum illa, hanc sequatur: ergo verum perinde est, ac cognoscibile, & veritas idem est ac cognoscibilitas.

115. Secunda pars est in promptu. Quælibet namque passio dissidet formaliter ab eo, cuius est passio, vt ostendi *art.2. huius quæstionis*: veritas autem est passio entis, ea omnium assensu, & consensu, ergo formaliter ab ente differt.

116. Opp.1. contrà 1. ass. non concepto, nec considerato quopiam alio distincto à natura, & quidditate rei, concipitur, & intelligitur veritas, vt si concipiatur, & intelligatur natura hominis, sicuti est, concipitur, & intelligitur vera humanitas, & sic de reliquis rerum naturis, & essentiis, igitur veritas nihil aliud est, quàm quidditas rei. Distinguo ant. realiter, concedo: formaliter, nego. Cùm enim veritas sit passio rei, consequenter distinguitur formaliter a re, cuius est passio, & realiter cum ea identificatur, vt satis constat ex dictis.

117. Instabis, D. Hilar. 6. *Trin. ante medium* appellat, Deum veritatem subsistentem: præter autem substantiam, nihil aliud subsistit, ergo si subsistentia competit veritati, vtique & ipsa est substantia, & natura substantialis, proindéque veritas à rei substantia, & natura non secernitur. Occurrendum est per eamdem distinctionem, diuinam veritatem realiter identificari cum Diuina subsistentia, formaliter verò ab ea dissidere, veluti attributa, & relationes originis, de quibus *Tract. de Deo vno, & Trino.*

118. Opp.2. contrà 2. ass veritas præsefert habitudinem, & respectum ad cognitorem, ergo veritas dicit relationem saltem rationis ad intellectum, siue creatum, siue increatum. Ant. nititur testimonio D Aug. *l.2. solilоq. cap 5.* his verbis. *Verum est id, quod ita se habet, vt videtur cognitori, si velit & possit cognoscere.* Respondeo quidem veritatem importare respectum, non rationis, sed realem aptitudinalem transcendentalem, qui esse potest absque termino existente, vt indicaui in Log. *l 3 q 6. art.11.* idque etiam significat Aug. *ibid.* paulò post. *Quia etiamsi res non videatur, nec conformitatem habeat, cum aliqua cognitione, nihilominus vera est.*

119. Instabis, Arist. *in calce 6. Met.* conceptis verbis scribit, verum, & falsum non esse in re, sed in mente: è regione bonum, & malum non esse in mente, sed in re, igitur veritas necessariò includit relationem rationis ad intellectum. Dico Arist. exponendum esse de veritate complexa, quæ spectat ad Logicam, non autem de veritate incomplexa, & transcendentali, quam Met. pertractat.

120. Opp.3. veritas secundum Scot. cit. est conformitas rei ad intellectum: conformitas autem est relatio, ergo & veritas est relatio. Satisfit, si dicatur esse relationem, non prædicamentalem, sed transcendentalem, vt de omnibus passionibus entis insinuare videtur Scot. in *d.49. q.4.§ Iuxta hoc. sub I.* post Aug. *l de vera religione, c 36.* Veritas est *summa similitudo*, & Boët. Veritas est *adæquatio rei, & intellectus.*

121. Instabis, relatiua dicuntur ad conuertentiam, *ex l. prædicam cap. de ad aliquid.* Vt pater est filij pater, & filius est patris filius: verum autem non sic se habet, non enim dicitur, verum est veri verum, ergo nec verum est relatiuum nec veritas est relatio. Dico ma. maximè habere locum in relatiuis prædicamentalibus: non autem transcendentalibus, de quibus in præsentia sermo extat. Præsertim quia, incongruum non videtur, etiam hæc conuerti, vt cognoscibile alicuius est cognoscibile, & visibile alicuius est visibile, necnon conformabile alicuius est conformabile, atque verum alicuius est verum, quidquid dicant Hurt. *disp.7. sect.1.§.7.* & Arr. *disp.1 sect 5 subsect.3.*

ARTICVLVS VI.

De bono.

112. TOt vigent opiniones repugnantes *in præsente art.* quot in duobus proximis præcedentibus art. relatæ fuere ex quibus diuersis, moneo

recolenda esse, & in memoriam reuocanda, quæ notaui, & asserui in Philosophia morali, *l.2. quæst.1. art.1. 2. & 3.* vbi habentur, & declarantur acceptiones bonorum, diuisiones, & descriptiones eorum, præsertim boni transcendentalis, & moralis, quæ hic, ne actum agam, adducendæ, & repetendæ non sunt, sed ibi videndæ, & legendæ. Nunc verò, pau[illegible] quædam, quæ ad rem nostram conferunt, pertingam.

123. Ass. 1. bonum est propriè passio entis. Deducitur ex Arist. 6. *Met. propè finem.* Et palam habetur 1. *Eth.cap* 6. bonum totidem modis dicitur, quot ens. Contrà Mol. 1. *part. quæst.5. disp. vn.* negantem, bonum esse verè proprietatem entis. Est autem communis Scot. 4 *Met. in exp T.3.* & a *d.16. quæst.vn.K.* §. *Ideo dico*, & cæteris Scholasticis *ibid.* Et manet probata *ex 3. art. huius q.* Adhuc autem speciatim ostenditur, quod consequitur ens, & cum ipso conuertitur, est propriè eius passio, vt indicat Philosophus 4. *Met. T.1.* & videtur olfacere Mol. *vbi suprà.* Bonum autem consequitur ens, & cum ipso reciprocatur. Siquidem prius est ens, deindè sequitur esse appetibile, & conueniens, quod est bonum: omnéque ens est appetibile, & conueniens. & è contra, igitur bonum est verè passio entis conuertibilis, & reciproca. Prætereà, aliæ passiones cum bono conuertuntur, & syllogismi de his efformati sunt boni, & necessarij, in 1. modo primæ figuræ, vt omne vnum est bonum: omne ens est vnum, ergo omne ens est bonum. Itemque, omne verum est bonum: omne ens est verum: ergo omne ens est bonum.

124. Dices, nonnulla sunt entia, non tamen bona, authore Arist. 3. *Met. T.3.* mathematica quidem sunt entia, non autem bona: Pariter materia ens est, quæ cum sit pura potentia, omnis bonitatis est expers. Atque diuinæ relationes entitatis compotes sunt: bonitatem verò, & perfectionem non sortiuntur, secundum Scot. *Quol.5.* Ergo bonum non est propriè passio entis reciproca, & conuertibilis. Dico, mathematica cum abstrahant à motu, & materia existente secundum quid non dicuntur bona, quia sic non sunt actiua, & vtilia; simpliciter verò, & absolutè sunt bona, bonitate entitatiua illis congruente, cùm sint entia realia. Vnde Lyran. *in cap.1.* Geneseos, *vidit Deus lucem, quod esset bona.* Idest vtilis, exponit. Econtrà verò, quod non est vtile, dicitur non esse bonum, puta mathematica; & ideæ Platonicæ, interprete Scot. in eum Text. mox adductum. Ad aliud de materia, dico eam esse bonam bonitate transcendentali, quia est ens, & potitur actu entitatiuo, ex assertis in Phys. *l 2 quæst.2.art.5.* Ad postremum, dico relationes originis esse bonas bonitate entitatiua, non autem graduali, vt copiosè monstraui *Tract. de Deo trino, disp.5. quæst.5.*

125. Ass. 2. bonum suprà ens non addit relationem rationis duntaxat. Huic patrocinatur Doct. cit. & aduersatur Capr. *2.d 34 q.1.* Mol nuper alleg. & Fons. 4. *Met. q.7. c.2. sect.5.* & adducitur D.Th. *q.1.* & *21. de veritate art.1.* Probatur 1. ex Arist. 6. *Met. sum.2, c.2. T8* affirmante verum, & falsum esse in mente: bonum autem, & malum esse in rebus: vbi Philosophus euidenter insinuat, verum complexum nihil aliud præseferre formaliter, quàm relationem rationis: bonum verò formaliter significare realitatem positiuam, quæ dicitur esse in re, seu à parte rei Consonat dictum Aug. 1. *de Doctrina Christiana, cap.32. Inquantum sumus, boni sumus.* Et fauet Sacer text. Gen.1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Vbi proculdubio agitur de bonitate transcendentali, quam inesse rebus creatis omnibus, priusquam vllus intellectus relationem rationis conuenientiæ illis fingeret, sacra pagina apertè testatur, vt clarè proclamat.

Secundò, à subiecto reali positiuo non promanat passio rationis ab intellectu efformata, vt patet discurrenti per omnia, & singula subiecta, à quibus prodeunt passiones reales positiuæ: ens autem, de quo in præsentia loquimur, est reale positiuum, à quo bonum, & cæteræ passiones oriuntur, vt suprà ostendi, ergo bonum formaliter non est sola relatio rationis conuenientiæ.

Tertiò, bonum sufficienter diuiditur in bonum transcendentale, seu naturale, & morale: hoc autem est reale positiuum, de quo est scientia moralis: ergo vtique illud est reale positiuum. Hinc fortassè regius Psaltes *Psalm* 118. bonis naturæ, & gratiæ præditus, alloquens Deum inquit, *Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundum verbum tuum.* Deinceps, veritas intellectui, & bonitas voluntati tribuitur. Finisque scientiæ speculatiuæ veritas, & practicæ bonitas assignatur. Atque priuatiuorum oppositorum vnum extremum est reale positiuum, alterum verò priuatiuum, vt videns, & cæcus, lumen, & tenebræ. Bonum autem, & malum sunt opposita priuatiua Malum quippè est priuatiuum, cum sit priuatio boni, & bonum est positiuum, vt, quæ hucvsque adduxi, & similia, quæ afferri queunt, palàm faciunt, & lucidè ostendunt.

126. Assert. 3. bonum formaliter suprà ens non addit quid absolutum, nec connotatum, sed relatiuum reale conueniens, ab eo formaliter distinctum. Assertio est quadripartita, quam insinuant Scot. *locis præcit.* & Dur. *2. d.34. quæst.1.* Probatur 1. prima pars, absolutum est ad se, & relatiuum est ad aliud, vt patet es terminis explicitis *in Epit. Dialect. l.1. q.1 art.6.* bonum autem non est ad se, sed ad alterum, quatenus est passio entis, & dicit conuenientiam ad alterum, seu prout est bonum alteri, vt explicat, & ingenuè fatetur Suarez *disp 10. Met. sect.1. num.14.* & alij aduersarij, quorum nomina supprimit Dur. *vbi suprà*, ergo bonum formaliter non importat absolutum.

Secundò, si bonum formaliter designaret absolutum, malum ei oppositum priuatiuum præseferret carentiam talis absoluti. Hoc autem est falsum, ergo est illud. Ma. est nota. Min. ostenditur, calor febrilis est malus homini, non quia denotat carentiam eius caloris, sed quoniam ipsi homini est disconueniens: Disconueniens autem, aut conueniens non est absolutum, sed respectiuum. Igitur bonum formaliter non significat absolutum.

Tertiò bonum ex æquo bipartitur in transcendentale, & morale: vtrumque enim participat communem, & generalem rationem bonitatis: morale autem bonum non est absolutum, cum describat id, quod competit voluntati, in ordine ad rationem rectam, ergo & bonum transcendens non est absolutum, cùm respiciat congruum, & conueniens rei, & quidditati eius, vt innuit Dionys. 4 de diuinis nominibus. *Bonum est ex integra causa, & malum ex quocumque defectu.*

127. Dices, bonum bipartitur à Scot. *Quol.18. §. De primo. C.* in bonum primarium, seu *essentiale, & bonum secundarium, seu accidentale, post Aug. 8. Trin. cap. 3.* Illud dicitur bonum in se, & simpliciter: istud verò bonum secundum quid, & respectu alterius, & hoc secundum Suarez statuit passionem entis, non autem primum, quia putat primum prorsus coincidere cum ente, secundum verò quoquo modo ab eo differre, ratione cuius dicitur passio eius. Contrà, primum bonum est conueniens enti, & bonitas prima est conuenientia, & perfectio eius: quod autem consequitur, & concomitatur quidditatem alicuius, non est eius essentia, nec de eius essentia, quia præsupponit eam, quam consequitur, bonum autem simpliciter concomitatur ens, cum ei conueniat in secundo modo dicendi per se, sitque eius perfectio consequens entitatem eius, veluti perfectio speciei consequitur naturam specificam, ideò vna species dicitur perfectior altera, quò respiciens Arist. 8. *Met.10.* scribit, species sunt sicut numeri, quorum vnus alio est perfectior. Ergo bonum simpliciter

plicitet non eſt omninò idem cum ente,ſed eſt eius paſſio. Dicitur autem bonum eſſentiale, & in ſe, quia ipſi conuenit, & congruit, fluitque ab eius eſſentia, & ab vllo extremo ipſi non aduenit, veluti bonum accidentale, & ſecundum quid. Vnde Aug. cit. hæc declarans, ſubdit, bona valetudo, ſine dolore, & laſſitudine: quæ vè dicitur bona, quia alteri bona, puta homini, quia ei conuenit. Et bona facies hominis, quæ habet omnia, quæ conueniunt faciei. In vtraque autem declarata bonitate ponitur conuenientia, quæ eſt habitudo, & reſpectus vnius, ad aliud, ergo reſponſio Suarez, nec congrua, nec legitima videtur. Ideò dictus author non firmiter ei adhærens affert aliam reſponſionem, ſcilicet, bonum ratione differre ab ente, quæ ſanè reſponſio pugnat ipſi *n.3. ſect. allata*, expreſsè refellenti placitum eorum opinantium inter ens, & bonum adeſſe ſolam diſtinctionem rationis. Quam nunc argumento preſſus admittit, *n.17. eiuſdem ſect.*

128. Secunda pars militat aduerſus præfatum Suarez *ibid n.12.* & alios connotatores, quos retuli, & reieci *l.2 Philoſophiæ moralis, q.1. art.3. aſſ.3.* Suadetur primò, inter abſolutum, & relatiuum non intercipitur medium, quia omne quod eſt, aut eſt ad ſe, & eſt abſolutum, aut ad aliud, & eſt relatiuum: ſed bonum non eſt abſoſolutum, vt oſtendi in prima parte, ergo eſt relatiuum, ergo connotatum non diſtinguitur à relatiuo, vt conatur in ſcholam inuehere Suarez ſtatuens ſententiam de connotatione boni, à reliquis diſcrepantem.

Secundò, bonum præſefert ordinem, & relationem aliquam ratione cuius res dicitur apperibilis, & amabilis, ideò per talem reſpectum definitur bonum ab Ariſt. 1. *Eth. c.1.* quod omnia appetunt, vt concedit dictus Suarez *eo in loco* ergo bonum non includit connotationem diſtinctam, à relatione conuenientiæ, quam bonum formaliter importat.

Tertiò, connotatio vel eſt intrinſeca bono, vel extrinſeca. Si intrinſeca, & eſſentialis debet ingredi definitionem eius: at in definitione eius relatio ſola collocatur apperibilitatis, & amabilitatis, vt nunc dicebam: ſi extrinſeca, impertinens eſt ad exprimendam, & imbuendam eius rationem formalem, & eſſentialem. Nec iuuat addere, bonum connotare capacitatem, & propenſionem naturæ, cuius eſt bonum. Siquidem huiuſmodi capacitas præexigitur, & præſupponitur in natura, quæ eſt capax boni, & non facit formalem rationem boni. Atque ea capacitas, & propenſio, inter relatiua connumeratur, ſicut & bonum. ergo bonum non eſt connotatum, à relatiuo diſtinctum.

119. Tertia pars ſequitur ex duabus proximis præcedentibus, cum enim bonum ſit poſitiuum reale, nec ſit abſolutum, nec connotatum, planè euincitur eſſe relatiuum, vt oſtendit eius definitio. Eſt namque bonum conueniens rei, cuius eſt bonum, & bonitas conuenientia eiuſdem, quæ eſt habitudo, & reſpectus rei, cui competit, vel alteri. Deinde bonum morale eſt relatiuum actus voluntatis, ad rectam rationem, vt probaui *loco nuper cit. art.3.* Ergo idipſum aſtruendum eſt de bono tranſcendentali, quod importat conuenientiam rei, cuius eſt bonum, aut alteri.

Præterea, verum tranſcendentale vtique eſt relatiuum, vt oſtendi *ſuprà, art.5. huius quæſtionis*, atque vniuersè omnes paſſiones entis ſunt relationes tranſcendentales, vt videtur inſinuare Scot. 4. *d.49. quæſt 4. §. Iuxta hoc. L.* Denique bonum ab apperibili, & amabili fortaſsè parum, aut nihil diſtinguitur: appetibile autem, & amabile, inter relatiua conſcribi, nemo eſt, qui ambigere videatur. Ergo idem de bono concludendum eſt.

130. Quarta pars liquidò conſtat, & manet probata *de art. 2. iſtius q.* in quo in vniuerſum monſtraui paſſiones entis differre formaliter, tam ab ente, quam abinuicem: bonum autem eſt paſſio entis, ergo ab ipſo formaliter diſſidet. Speciatim autem oſtendit boni deſcriptio, quæ eſt alia, tum ab entis, tum etiam ab aliarum paſſionum ipſius entis deſcriptionibus: diſtinctam autem deſcriptionem arguere diſtinctam formalitatem, ſatis in ſuperioribus inculcaui, igitur inter ens, & bonum, & cætera tranſcendentalia cadit diſtinctio formalis, ex natura rei.

131. Opp. 1. Scot. *Quol.6 § Contrà iſta arguitur. K.* adducit teſtimonium Aug 6 *Trin. c.8.* ſcribentis *idem eſt maius eſſe, quod melius eſſe* Bonitas namque eſſentialis, qua vna ſpecies eſt melior altera, non eſt res addita eſſentiæ: ergo ſi bonitas ſpeciei non diſtinguitur ab eius eſſentia, vtique bonitas entis, ab ipſo ente non diſtinguitur, etiam formaliter. Reſp. magnitudinem Dei, quæ coïncidit, cum ipſius infinitate eſſe idem realiter cum diuina eſſentia; diſtingui verò formaliter negatiuè, quia infinitus eſt modus eius: Pariter bonitas naturæ ſpecificæ identificatur realiter, ab eaque formaliter diſſidet. Idque quoque affirmandum eſt de bono tranſcendentali, quod cum ente idem eſt realiter, & formaliter ab eo diſſitum. Sic exponitur Aug. à Scot. vt patet inſpicienti eius textum.

132. Opp. 2. bonitas tranſcendentalis competit tam Deo, quàm creaturæ, in Deo autem bonitas non diſtinguitur ab eius eſſentia, éſtque communis tribus Perſonis, veluti eſſentia. Ergo idem affirmandum eſt de bonitate creaturæ. Eò magis, quia nulla relatio in Deo inuenitur, quæ tribus Perſonis conueniat, ſed quælibet Perſona ſuam peculiarem ſortitur relationem, vt Pater, Paternitatem, & Filius Filiationem: bonitas autem tribus Perſonis adaptatur, ergo nullo modo à Deitate diſtinguitur, ac proinde formaliter non relatiuum, ſed abſolutum importat. Concedo ma. nego min. identificatur quippè realiter cum diuina eſſentia, à qua formaliter diſſidet, velut aliæ relationes. Ad id, quod ſubiicitur, nego, non eſſe relationes reales communes tribus ſuppoſitis, vt docet Scot. *Quol.6.* & ego copioſè oſtendi *Tract. de Deo trino diſp 5. art.6.*

133. Opp. 3. vnumquodque ens participat ſuam bonitatem, tametſi aliud non reſpiciat, vt calor eſt bonus, quamuis non ſit in igne. Habet enim quidquid conuenit naturæ caloris: ergo bonitas formaliter non includit relationem. Reſp. bonum eſſe duplex, vt ſuprà notaui, ſimpliciter, & ſecundum quid, ſeu in ſe, & reſpectu alterius, & vtrumque eſt relatiuum. Ideò calor in ſe inſpectus abſque igne, aut alio ſubiecto, habet bonitatem primariam, quæ eſt conuenientia, iuxta exigentiam ſuæ naturæ, vt ſcilicet ſit deſiccatiuus, nihilque ei deſit, quod faciat ad integritatem, & perfectionem eius.

Inſtabis, relatio præſupponit extrema realia exiſtentia, ex quibus emergit: calor autem ab igne ſeiunctus huiuſmodi extrema non ſortitur, ergo nec talem conuenientiam participat. Dico ma. valere de relatione prædicamentali, & actuali: non verò de relatione tranſcendentali, & aptitudinali, cuiuſmodi eſt relatio conuenientiæ, & bonitatis entitatiuæ, de qua loquimur.

QVÆSTIO III.

De diuiſionibus entis.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit prima entis diuiſio.

134. COMPLVRAS adducit, & refellit opiniones diuerſas de hoc art. Ioannes Vallo fol.28. ſuæ lecturæ in tract. Formalitatum Magiſtri Antonij Sirecti, quarum tres potiores,

& celebriores examino, & excutio. Vna est Thomist. à prænominato Authore relatorum, existimantium omnium primam esse partitionem entis in vnum, & multa. Altera est eorum, quos sequitur Suarez *tom.2. sua Met. disput* 28. *sect.*1. *num* 5. arbitrantium, primam, & notissimam diuisionem entis esse in infinitum, & finitum. Tertia traditur à Scot. *Quol.*5.Gadio, Lych. *ibid.* Tromb. *Tract. Formal. art.*1. *principali, fol.*5. & cæteris eiusdem classis, docentibus, ens primò scindi in ens quantum, & non quantum, quod vt rectè percipiatur, & clarè intelligatur, atque ab Aduersariorum iaculis, eorumque calumniis vindicetur.

135. Not.1. ens reale multifariàm distribui, cuius diuisiones nonnullæ sunt affines, sic diuiditur à Doct. *in proœmio Quodlibetorum*, in ens increatum, & creatum. Itémque in ens à se, & ens ab alio. Pariter in ens necessarium, & contingens. Deinde, in ens infinitum, & finitum. Rursus, in imparticipatum, & participatum. Postmodum, in actuale, & potentiale. Ens autem increatum, à se, necessarium, infinitum, imparticipatum, & actuale est Deus. Ens verò creatum, ab alio, contingens, finitum, participatum, & potentiale est creatura. Aliæ autem sont dissimiles, & diuersæ, quo facto ens scinditur in ens quantum, & non quantum, in absolutum, & relatiuum, in vnum, & multa, & in substantiam, & accidens. Prior partitio entis est Theologica, & captu difficilis, propterea explicanda à nobis est.

136. Not 2. duplex esse quantum, scilicet quantitate molis, & quantitate virtutis, seu perfectionis. Illud competit rebus corporeis, quæ per quantitatem extenduntur: istud verò spiritualibus, quæ virtute, vigore, & perfectione magnificantur. Quo in sensu scribit D. Aug. 6. *Trin.*8. *In iis, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.* In præsenti autem per ens quantum capimus ens perfectum, perfectione virtuali, & graduali: & per ens non quantum intelligimus ens expers huiusmodi perfectionis intensiuæ, & gradualis. Subdit autem Lych. 2. *d.* 1. *quæst.*4. *Ante* §. *Ibi*, hoc, & ibi distinguit claritatis causa, ens quantum in illud, quod perfectionem includit, & omnem imperfectionem excludit, vt Deus: & in aliud, quod perfectionem, cum imperfectione admittit, vt substantia creata. Daturque aliquod, quod nec perfectionem, nec imperfectionem formaliter participat, vt sunt relationes originis, puta paternitas, filiatio, spiratio actiua, & passiua. Addit idem Author nonnullum ens, quod nullam formaliter perfectionem sortitur, imperfectionem verò includit, vt relatio creata generica. Tria prima entis membra concludunt, & defendunt Scotistæ omnes: quartum autem inficiantur: siquidem, cum relatio creata sit formaliter finita, proindéque quanta, residens in prædicamento relationis, consequenter non caret omni perfectione, sed aliquam, tametsi exiguam, participat. Ens namque quantum perfectionem formaliter præsefert, vt constat ex præallata eius descriptione: & è regione ens non quantum omnis est expers perfectionis. Quare, cum relatio creata sit quanta, & finita, ab omni perfectione non est secludenda. In diuinis autem relatio originis præcisè, & formaliter nec est finita, nec infinita, quia non est quanta, propterea in schola Scot. rectè infertur, ipsam, nec perfectionem, nec imperfectionem formaliter importare. Quod si contendas relationem increatam, & creatam esse eiusdem rationis, proindéque si hæc est quanta, vtique & illa, maximè cum formaliter non sit infinita, sed solùm identicè, hoc est quia realiter identificatur cum diuina essentia, quæ formaliter est infinita, & perfecta, immò pelagus omnium perfectionum. Occurrendum est ex Scot. nuper cit. Gadio *ibid.* Tromb. *Tract. formal. fol.*5. *pag. secunda*, valdè præfatas relationes discriminari. Etenim, relationi creatæ non repugnat excedere, nec excedi: idcirco ei non repugnat quantitas, finitas, vel infinitas. At verò, relationi diuinæ repugnat excedi, quia realiter identificatur cum diuina essentia, quæ est formaliter infinita. Quod autem est infinitum, excedi nequit. Eique quoque repugnat excedere, quandoquidem excedere competit illi, quod participat rationem mensuræ, veluti est ens primum, & absolutum. Relatio autem diuina nequit esse ens primum, & absolutum, nec aliquod totum, de cuius plenitudine perfectionis mensuret quodlibet aliud maius per accessum ad ipsum, minus per recessum ab ipso. Ipsa namque increata relatio præexigit, & præsupponit fontalem plenitudinem omnium bonorum, & primum fundamentum, & radix omnium rerum, quæ est diuina essentia. Igitur cum prænominata relatio non valeat esse mensura, nec mensurata, vtique nequit esse formaliter quanta, atqueadeò, nec finita, nec infinita, cuiusmodi etiam ens præcisè non est finitum, nec infinitum, nec Deus, nec creatura, nec substantia, nec accidens, licet ad ista descendere queat, & ab iis determinari. Quod dictæ relationi repugnat: & in hoc non valet paritas.

137. Not.3. quantitatem virtutis, & perfectionis esse duplicem, alteram, quæ competit quidditati rei, quæve dicitur quidditatiua, propterea quod *ipsam quidditatem consequitur*, vt de bonitate essentiali, & quidditatiua loquitur Scot. 1. *d.* 1. *quæst.* 2. & ibi egregiè explicat Viger. *in com.* Alteram verò, quæ adaptatur indiuiduo, ratione suæ differentiæ indiuidualis, quæve esse indiuiduale consequitur, quo pacto vnum indiuiduum est perfectius alio: tametsi inter indiuidua non interueniat ordo essentialis, authore Arist. 3. *Met. T.*11. Cùm autem res habeat suam quidditatem, perfectionem essentialem, modos, passiones, & huius formæ alia, si diuidatur, primò diuiditur in quidditates, & perfectiones essentiales, vt tangit Scot. 1. *d.*1. *quæst.*2. §. *Ad argumenta. I.* Deinde, in modos, posteà in passiones, & sic in reliqua, quæ eam consequuntur, ipsique subiiciuntur. Denuò, obserua bifariàm nos loqui posse de primaria partitione entis, Theologicè scilicet, & Philosophicè: Si Theologicè, prima entis distributio videtur esse in ens quantum, & non quantum, quia Theologia nos docet relationes diuinas originis non esse quantas, vt subtiliter, & efficaciter probat Scot. tribus argumentis, *Quol. prælleg.* cætera verò diuina esse quanta formaliter quantitate intensiua, & graduali. Quod si Philosophicè dissèramus, prior entis distributio statuitur, in ens infinitum, & finitum, vt præ aliis tradit Antonius Andr. 1. *Met. q.*1. *art.*1. & non dissentit Doct. tum ibi, tum etiam alibi, in Oxoniens. & report. Nec discrepant eius discipuli, & assectæ, inter quos sunt Gadius *in fine Quol.*5. Barol. *fol.*20. Sarn. & reliqui eiusdem familiæ.

138. Assertio prima, diuisio entis est, in quantum, & non quantum. Ita Scot. *Quol. nunc memorato*, §. *Ad argumentum principale. BB.* Probatur primò, quod est intimius, immediatius, & proximius rei, si ipsa res diuidatur, priùs diuiditur in illud intimius, immediatius, & proximius, quàm in reliqua, quæ illi non extant sic intima, immediata, & proxima: quantum autem, & non quantum sunt duo membra intimiora, immediatiora, & proximiora cæteris, quæ enti conueniunt, quandoquidem immediatè competunt quidditati ipsius, nihilque magis eisdem est intimius, quàm quidditas, & perfectio eius quidditatiua, & essentialis, ergo præfata entis diuisio est omnium prima. Secundò, naturæ, & essentiæ rerũ se habent, sicut numeri, 8. *Met. T.*10. hbc est vna essentia est perfectior altera, veluti

veluti vnus numerus alteri eminet : igitur quantitas essentialis perfectionis, & virtutis prius conuenit enti, quam modis, attributis, & passionibus : atqueadeò, ens priùs secernitur, & secatur in ens quantum, & non quantum, quam in alia membra.

139 Opp. 1. illa non est prima diuisio, qua datur altera prior : habetur autem altera diuisio entis, in ens reale, & rationis, quæ præcedit eam, qua ens diuiditur in ens quantum, & non quantum, vt patet apud Doct. *Quol.* 3. §. *De primò. A.* Ergo præmissa diuisio non est omnium prima Concedo ma. distinguo mi. de diuisione æquiuoci in æquiuocata, vti est partitio entis in ens reale, & rationis, concedo : de diuisione vniuoci, in sua vniuocata, cuiusmodi est distributio entis, in quantum, & non quantum. nego.

140. Opp. 2. diuisio transcendentalis præponitur diuisioni prædicamentali, quandoquidem transcendentalia præunt prædicamentalia. Sectio autem entis in vnum, & multa : itémque, in infinitum, & finitum est transcendentalis : at diuisio entis in quantum, & non quantum est prædicamentalis. Quantum quippè est vnum ex decem prædicamentis, 5 *Met. T.* 18. *cap.* 13. Ergo prærecensita diuisio non est cæteris præferenda. Concedo ma. nego min. ad eius probationem dico concludere de quantitate molis : non verò de quantitate virtutis, vt præmonui *in secundo not.*

141. Opp. 3. si admittenda foret præadducta diuisio, tanquam reliquis prior, maximè quia relatio originis diuina formaliter non importat bonitatem, & perfectionem : id autem videtur falsum, nam D. Aug. 3 *de lib. arbitrio*, *cap* 5. inquit, *Omnia quæ sunt in Deo, bona sunt.* Idem repetit *l.* 83. *qq. q* 24. Et Doctor noster 1. *d.* 1. *quæst* 2. §. *Ad argumenta. I.* subucit, relationem diuinam gaudere quadam bonitate, licet non fruibili : & bonum conuerti cum ente, Igitur allata entis diuisio non est recipienda, tanquam prima Concedo ma. ad min. fultam authoritate Aug. dico, exponi identicè, non formaliter. Vel intelligi, de bonitate entitatiua, non verò graduali, & intensiua. Sicquoque interpretantur Scotum cit. Vig. & Lych. *in com.*

142. Instabis, æqualitas, vel inæqualitas est passio quantitatis : atque ens cuilibet comparatum, aut est æquale, aut inæquale : cum autem diuinæ relationes sint entia, possunt comparari cæteris entibus, proindéque eis æquari, aut inæquari, ergo sunt quantæ, perfectæ, ac infinitæ, Dico, instantiam valere de ente quanto, cuiusmodi non sunt relationes diuinæ. A quo enim remouetur subiectum, vtique tollitur passio talis subiecti, vt si ab equo auferetur humanitas, pariter tollitur risibilitas : sic cùm à dictis relationibus amoueatur quantitas, sanè ab eisdem secernitur æqualitas, aut inæqualitas, quæ est passio ipsius quantitatis.

ARTICVLVS II.

Quomodo ens diuidatur in decem prædicamenta.

143. EX præcedente art. apertè constat ens diuidi priùs, in quantum, & non quantum : deinde ens quantum in infinitum, & finitum : postmodum ens finitum, in decem prædicamenta. Nunc autem inuestigatur, nùm hæc proxima diuisio in decem categorias sit in decem modos distinctos essendi : an verò in decem modos prædicandi. In præsenti autem præsupponitur ex dictis, tum *in Log. l.* 3. *quæst.* 3. *art.* 2. tum etiam *in hoc lib. quæst.* 1. *art* 3. quid sit modus, quodve discriminis intercedat inter modum, & differentiam : atque ens non sit genus respectu dictorum membrorum, & cæterorum suorum inferiorum.

144. Ass. ens reale finitum diuiditur in decem prædicamenta, tanquam in decem modos essendi, non verò in decem modos prædicandi. Ita Scot. 5. *Met. quæst.* 6. §. *Ad* 2. *q.* Antonius Andr. *ibid quæst* 7. Vallo *fol.* 148. *suæ lecturæ*, & alij, *tract. form.* cum Sirecto : aduersus nonnullos, quorum nomina reticent præfati Authores, *eisdem in locis*, arbitrantes ens distribui in dicta prædicamenta, vt in modus prædicandi. Probatur primò, modus essendi est prior, modo prædicandi, quia prius est esse, quam prædicari, cum hoc in illo fundetur, ergo ens diuiditur in decem prædicamenta, vt decem modos essendi distinctos. Secundò, modi prædicandi simpliciter, aut duo sunt, putà in quid, & in quale, aut quinque, ex dictis *in Log. l.* 1. *quæst* 1. *art.* 10. prædicata verò ex Arist. 1. *Top. cap* 4 numerantur quatuor. Itemque Logica agit de modis prædicandi : Met. verò tractat de modis essendi. Demùm, modi prædicandi pendent ab intellectu, & inter secundas intentiones referuntur : modi autem essendi sunt à parte rei, secluso quovis opere intellectus : atque Met. est scientia realis, vtpotè quæ circa ens reale, & quæ ipsum consequuntur, occupatur, inter quæ reperiuntur modi essendi, igitur præfati modi essendi, & non prædicandi, in hac scientia excogitantur, & examinantur,

145. Opp. 1. ens non contrahitur ad decem categorias, per differentias, vt Scot. & alij communiter affirmant : ergo contrahitur per modos, qui sunt modi prædicandi, de quibus agit Log. veluti quoque de prædicamentis. Concedo ant. ad conseq. dico, contrahi quidem per modos essendi, non autem per modos prædicandi : atque prædicamenta per se pertinent ad Met. ad Logicam verò, quatenus inseruiunt constructioni syllogismi, & vt termini simplices, & incomplexi.

146. Opp. 2. prædicamenta sunt primò diuersa, vt videntur indicare Arist. 3 *phys. T.* 4. & Porphyr. *in Isag cap de specie* : quæ autem sunt primò diuersa, non patiuntur diuisionem in modos essendi, ergo in modos prædicandi. Distinguo ma. obiectiuè, nego : subiectiuè, concedo, vt suprà planum feci. Hìc adducenda, & expendenda foret diuisio entis in vniuersale, & singulare Verùm quoniam de his abundè disserui *in Log. l* 2 Ideò, iterum ea in examen non voco : solùm disquirendum restat, quodnam sit principium indiuiduationis, id est, quodnam sit illud, quod constituit indiuiduum in esse indiuidui, & singulare, in esse singularis, quod perlustro *in subsequente art.*

ARTICVLVS III.

Quodnam sit principium indiuiduationis,

147. IN hac perardua, & perdifficili controuersia complures recensentur Scholasticorum opiniones diuersæ, & aduersæ à Scot. 2. *d.* 3. *à prima quæstione, vsque ad sextam.* Capon. 1. *phys. quæst.* 6. Suarez *disput.* 5. *Met. sect.* 2. Ponc. *disput.* 6. *quæst* 1. *& inde*, aliisque non paucis Ego autem cæteris prætermissis, quatuor præcipuas adduco, & discutio, quarum prima est Ocham. 1 *d* 2. *quæst* 6. Gabriel. *ibid.* Adam. 1. *d* 33. *quæst.* 8. *art.* 1. Aliac. Greg. & reliquorum Nominal. existimantium nullum principium esse indiuiduationis indiuidui, & singularis, sed intimi-

dnum seipso esse indiuiduum, & singulare, non autem aliquo ipsi addito, quod ipsummet constituat in esse indiuidui, & singularis. Secunda est Gotfredi *Quol 6. q 16.* affirmantis quantitatem esse principium indiuiduationis Tertia est D Th. 1. p. q. 3. art. 2. ad 3. & alibi Caiet. & tot. schola Th. mistiee, constituentium principium indiuiduandi materiam signatam, hoc est, materiam affectam quantitate. Quarta, defenditur à Doctore subtili nunc alleg. & 2. *Rep. d. 3. q. 1.* & 7. *Met. quæst.* 13. Cauel. *ibid.* Antonio And. 5 *Met* q 5. Bonet. 8. *Met. dicto quinto Peripatetico.* Tatar. *in com.* 2. *d. 3.* Gratiani Brixien Lych *eo in loco*, Rada *secunda parte*, *contr.* 3 & aliis peritissimis communiter docentibus & statuentibus principium indiuiduationis esse differentiam indiuidualem, quæ ab eisdem Authoribus hæcceitas nuncupatur. Hanc sententiam amplectitur Fons. 5. *Met. cap 6. quæst.*... *sect.* 1. & præmittit *quæst.* 4. *sect. 6. in fine*, & ait, huius rei veritatem Scot. inuenisse, & tradidisse. Atque Och. præter licet Scoticæ doctrinæ aduersarius, tamen testatur in hoc Scotum cæteris omnibus subtilitate præeminere. Vnde subinnuit Mauritius *in adnot* 7. *Met. quæst.* 1.. chaos magnum opinionum, & disputationum Scot. comprehendisse, distinxisse, explicuisse, ac firmis fundamentis, validisque argumentis, ac efficacibus rationibus corroborasse.

148. Not. 1. & recol. ex dictis in Log. *l. 2. quæst* 1. *art.* 4. dari naturas communes reales, quæ sunt indifferentes ad esse vniuersale, aut singulare. Fiunt namque vniuersales formaliter per operationem intellectus, & singulares, per differentias indiuiduales. Quod enim est indifferens, & indeterminatum, contrahitur, ac determinatur per aliquod sibi additum. Natura autem communis realis secundum se est indifferens, & indeterminata, vt abunde, & clarè, ibi ostendi, ergo determinanda, & contrahenda est per differentias indiuiduales, quas Scotistæ appellant hæcceitates Idque declaratur apertè, vt enim natura specifica determinatur per suam differentiam specificam, vt natura humana per rationalitatem: sic natura indiuidualis determinatur per suam differentiam indiuidualem, sicque hæc, per hæcceitatem, vt Petrus per Petreitatem, & Paulus, per Pauleitatem, & sic de reliquis.

149. Not 2. naturam inspectatam in esse quidditatiuo, & specifico, non rarò vocari formam ab Arist. vt patet 5. *Met.* T 2. & 7. *eiusdem operis*, T. 41. Quod luculenter declarat Scot. 2. *precis. q.* 6. §. *Ad argumenta. O.* Naturam autem in esse indiuiduali, & singulari nonnunquam ab eodem Philosopho nuncupari materiam, præsertim 1. *Cæli. summam* 8. *cap* 7 T. 92. his verbis. *Cum dico cælum, dico formam, & cum dico hoc cælum, dico materiam.* Huius causa non incongrua redditur. Nam, quemadmodum materia omnibus subiicitur, 1. *phys* T. 82. describitur subiectum primum cuiuslibet formæ: ita natura singularis subiicitur cunctis, quæ in recta linea prædicamentali collocantur, propterea perhibetur materia. Quare, cum Arist. interdum ait causam indiuiduationis esse materiam, non de materia partis exponendus est, quæ ingreditur essentiam, & quidditatem substantiæ compositæ: sed de materia totius, quæ est differentia indiuidualis, ita dicta, propter rationem mox assignatam, & insinuatam a Scot. 5. *Met. in exp. cap.* 6. T. 12.

150. Not. 3 rebus de nouo inuentis, noua nomina inuenienda esse, eisque imponenda. Hinc sancti Patres, nominatim Aug. 7. *Trin cap* 4. & 3. *contra Maximinum, cap* 14. & *libro contra sermonem Arrianorum propè finem*, ad significandam vnitatem diuinæ substantiæ, & essentiæ trium Personarum, nomen nouum adinuenerunt, putà *ὁμοούσιον*. Idemque Aug. *Tract. 97. in Ioan.* obseruat, ex actib. Apost. 11. primum in Antiochia Discipulos Christi appellatos esse Christianos. Deinde ad significandam transmutationem panis, in Corpus Christi, Conc Lateranen. sub Innocentio III. & Doctores Scholastici nomen transsubstantiationis confingunt. Et confirmatur a Conc. Trident. *sess.* 13. *can.* 4. Sie mirum nulli esse debet, si differentia indiuidualis hecceitas, siue hæcceitas nominetur, nedum a Scotistis, verumetiam à Scot. 8. *Met. sum.* 2. *in expositione cap.* 4. & 5. *cons*[illegible] *e. p.* 6. T 2 Necnon 1. *post. quæst.* 6. § *Ad rationes.* Atque *collatione* 26. *propè initium.* Et *collat.* 6. *post* §. *Ad rationes.* Potest itaque differentia indiuidualis vno nomine antedicto appellari: & singularia propriis nominibus nominari, tam in concreto, vt Petrus, & Paulus, quàm in abstracto, vt Petreitas, & Pauleitas. Idque olim præstitit Marcus Tullius 3. *Epist.* 7. ex Appio, & Lentulo dicens Appietatem, & Lentulitatem. Atque idem innuit Aug 6. *Trin. cit.* à Scot. 7 *Met. quæst.* 13. §. *Ex ista opinione* a Daniele abstraheus Danielitatem. Denique, fertur Diogenem dixisse Platoni, *O Plato, mensam, & cyathum video, mensalitatem, & cyathitatem non video.* Sufficiat ergo, cum de re constat, vocabuli nouitas Philosophum offendere non debet, teste Athanas. disp. habita contra Arrianos. Atqueadeò rectè Scot. eiusque discipuli principio indiuiduationis ab ipsis nouiter reperto, nomen nouum attribuerunt.

151. Assertio prima, indiuiduum ex se non est indiuiduum, sed per aliquid ipsi additum, per quod constituitur in esse indiuidui, & singularis. Ita Scot. 2. *d.* 3. *quæst* 1. §. *Ad quæst. E.* Probatur primò, si indiuiduum ex se, & absque vllo addito foret indiuiduum, natura communis nequiret intelligi sub ratione vniuersali, quandoquidem singulare, & vniuersale opponuntur: singulare quippe est incommunicabile, vniuersale verò est communicabile: natura autem communis potest intelligi sub ratione vniuersali, quia ex se est indifferens, & indeterminata ad esse vniuersale, aut singulare, vt obseruau. *in* 1. *not.* Ergo ex se non est indiuidua, & singularis, sed ex aliquo ipsi addito, quod est differentia indiuidualis, quæ vno nomine appellatur hæcceitas. Secundò *ex* 10 *Met.* 13. *In vnoquoque genere datur vnum, quod est metrum & mensura aliorum:* Hominis autem vnum non est vnum numero, sed singulare, quia multis comp. tit, ergo si quid fiat singulare, constituitur in esse singulari per aliquid sibi adiunctum, quod est hæcceitas. Tertiò, species ex se non est species, sed per differentiam specificam, vt homo per rationalitatem, ergo indiuiduum ex se non est indiuiduum, sed per differentiam indiuidualem. Ant patet. Conseq. tenet a simili, cum par vtrobique eluceat ratio.

152. Dices, substantia, seu natura est propria illi, cuius est natura, non verò alteri, 7. *Met* 20. Ergo natura seipsa est singularis, & non alio sibi adueniente. Dico, aliquid alicui esse proprium, bifariam posse intelligi, vno modo ex se, nullo ipsi accedente, & nego: altero modo, per aliquod contrahens, quo redditur alteri incommunicabile, & concedo, sic efficitur natura singularis, & incommunicabilis, tametsi non repugnet aliis communicari, quo pacto natura humana in Petro per Petreitatem est singularis, ex se verò aliis multis est communicabilis, & de facto pluribus communicatur, & contrahitur per plures differentias indiuiduales. Hinc refellitur opinio Hen. *Quol.* 5. *quæst.* 8. & 15. arbitrantis, naturam fieri singularem per negationem, quæ dicitur incommunicabilitas multis. Siquidem constituitur positiuum formatur principium positiuum constitutiuum, & ab aliis distinctiuum, immò idem est principium constitutiuum, & distinctiuum alicuius: vnum autem indiuiduum positiuè distinguitur ab alio indiuiduo eiusdem speciei, ergo & constituitur per aliquod positiuum, quod

quod eſt differentia indiuidualis. Maior patet. Minor eſt in promptu, indiuidua diſtinguuntur inter ſe numero, & diuerſimodè agunt, vt quotidie experimur, quæ, & conſimilia euidenter arguunt ea diſtingui ab inuicem differentiis numeralibus poſitiuis, per quas conſtituuntur in eſſe indiuiduali, & ſingulari: ſi quâ verò in eiſdem notetur negatio, deſignat poſitiuam ipſorum entitatem, quam fortaſsè conſequitur, & concomitatur.

153. Aſſert. 2. nec principium indiuiduationis eſt quantitas. Traditur à Doct. cit. 4. §. *contrà iſtam concluſionem. A.* Suadetur primò, prædicamenta ſunt impermixta, vt liquet in ſingulis ſyllabis cuiuſcumque prædicamenti elaboratis *in Epitome Dialect. l. 1 q. 4. & in ſecunda regula antepradicamentali ibid. art.* 1. aſſignata, generum non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt differentiæ, ſpecies, & indiuidua. Si autem indiuiduum ſubſtantiæ indiuiduaretur per quantitatem, ſubſtantia, & quantitas in vnum coaleſcerent, illa namque per iſtam contraheretur ad eſſe ſingulare, quod eſt falſum, ergo &c.

Secundò, prius res conſtituitur in ſuo eſſe ſubſtantiali, quàm in eſſe accidentali. Prius quippè res eſt in ſe conſtituta, quàm aliud à ſe diſſitum reſpiciat. cum prius vt prius non conſtituatur per poſterius: ſubſtantia autem præcedit quantitatem, veluti ſubiectum, & cauſa præcedit cauſatum, ergo ſubſtantia prius eſt indiuidua, quam ad ipſam accedat quantitas, quæ eſt eius accidens, proindéque per quantitatem minimè indiuiduatur.

Tertiò, data opinione Gotfredi, indiuiduum ſubſtantiæ non foret vnum per ſe, ſed per accidens: conflaretur namque ex ſubſtantia, & accidente, quod eſt vnum per accidens, vt patet 7. *Met. ſumma ſecunda, capite* 3. Igitur per quantitatem ſubſtantia non indiuiduatur.

154. Dices, diuiſio, & diſtinctio conuenit quantitati, indiuidua autem abinuicem diſtinguuntur, & ſpecies diuiditur in indiuidua, ergo ipſamet indiuidua per quantitatem indiuiduantur, & ſingularizantur. Diſtinguo antecedens, in partes integrales, & quantitatiuas, concedo: in partes ſubſtantiales, & ſubiectiuas, cuiuſmodi ſunt indiuidua, nego.

155. Aſſertio tertia, nec materia, nec forma eſt principium indiuiduationis. Prima pars ſtatuitur à Doct. *cit. quaſt.* 5. & oſtenditur primò ex Ariſt. 12. *Met. T.* 27. affirmante, aliam eſſe materiam meam, aliam verò materiam tuam. Huiuſmodi autem materia, quæ mihi, & tibi eſt communis, non efficitur indiuidua per aliam materiam, alioqui abiretur in infinitum, nec ſe ipſa eſt indiuidua, vt probaui in prima aſſertione: ergo præter materiam, venandum eſt aliud principium indiuiduationis. Præſertim quia materia ex dictis *in Phyſ. lib.* 2. *quaſt.* 2. *art.* 11. eſt vna ſpecie, ergo non ipſa materia, quæ conuenit multis indiuiduis, eſt cauſa conſtitutiua indiuidui, in eſſe indiuidui, & ſingularis, quod eſt multis incommunicabile.

Secundò, eadem eſt materia in genito, & in corrupto, vt conſtat experientia: genitum autem, & corruptum ſunt indiuidua diſtincta, non per materiam, quæ eadem ab eis participatur, ergo per aliud infrà tradendum. Eò magis, accidentia indiuiduantur, non per materiam, cuius ſunt expertia, ergo per aliud fiunt ſingularia.

Tertiò, quod eſt de eſſentia alicuius, nequit eſſe principium indiuiduationis, quia eſſentia pertinet ad eſſe ſpecificum: materia autem ingreditur eſſentiá compoſiti ſubſtantialis, ex materia namque, & forma tanquam ex duabus partibus eſſentialibus coaleſcit totum phyſicum, ergo indiuiduatio non habetur per materiam. Maximè verò, quia hæc, vel illa anima rationalis eſt ſingularis, non per materiam, quâ caret, cum ſit ſpiritualis, ergo à materia non petitur principium indiuiduandi.

156. Dices, Ariſt. 7. *Met. T.* 28. clarè ſcribit, Caliam, & Socratem abinuicem differre penes materiam, Ipſum alibi frequenter repetit: Calias, autem, & Socrates ſunt indiuidua: ergo ſi per materiam ſunt indiuidua; planè ſequitur, ipſam materiam eſſe principium indiuiduationis. Dico Ariſt. interpretandum eſſe de materia totius, quæ eſt differentia indiuidualis, vt explicui in 3. not. Non autem de materia partis, quæ vna cum forma conſtituit compoſitum naturale.

157. Secunda pars docetur à Scot præalleg. *quaſt.* 6. §. *Ad quaſtionem ergo reſpondeo ſub K.* & ſuadetur eiſdem fere rationibus, quibus prima pars, ſiquidem forma eſt communicabilis multis, eiſq; de eorum eſſentia, immò eorumdem pars præcipua, ratione cuius adinuicem aſſimilantur: differentia verò indiuidualis eſt pluribus incommunicabilis, pertinetque ad eſſe materiale, & vltimum ſubiicibile, ergo forma nequit eſſe principium indiuiduationis. Deinde, ſi forma eſſet principium indiuiduationis, aut foret forma partis, aut forma totius: neutra autem quidquam valet indiuiduare, ergo neutra poteſt eſſe principium indiuiduale. Ma. patet à ſufficienti enumeratione partium. Min. eſt in promptu. Vtraque namque poteſt inſpectari vel in vniuerſali, vel in particulari, ſi primum ipſum eſt communicabile, vel per informationem, vel per inhærentiam, quod opponitur incommunicabili, cuiuſmodi eſt principium indiuiduale. Si ſecundum, adhuc reſtat inquirendum, per quid forma ſingularis indiuiduetur? atqueadeò ipſa forma non eſt cauſa, & principium indiuiduale. Amplius vnumquodque, ſicut habet ſuam entitatem, ita quoque habet ſuam vnitatem, cum vnum ex dictis ſit paſſio entis: forma autem participat ſuam entitatem diſtinctam à materia, compoſito, & quolibet alio, ergo & ſuam vnitatem ab eiſdem diſtinctam, & ſi eſt ſpecifica, ſpecificam, & ſi eſt numerica, numericam; ac proinde ipſa non conſtituit ſeipſam, nec cætera in eſſe numerico, & indiuiduali, ſed conſtituitur in tali eſſe, per ſuam vnitatem numericam, & differentiam indiuidualem, ab ipſa itaque forma nequaquam depromitur ratio indiuidualis cuiuſcumque rei.

158. Dices, forma ſeparat, & diſtinguit vnum ab alio 7. *Met. T.* 5. *& inde*: ergo à forma decerpitur principium indiuiduandi, & diſtinguendi vnum indiuiduum ab alio indiuiduo. Diſtinguo ant. ſpecificè, & formaliter, concedo: numeraliter, & materialiter, nego. Eo autem modo, quo forma eſt principium eſſendi, vtique eſt principium diſtinguendi: quoniam verò eſt principium eſſendi ſpecificum, & eſſentiale, quoque eſt principium diſtinctiuum ſpecificum, & eſſentiale: non autem indiuiduale, & materiale, de quo nunc eſt contentio.

159. Scio nonnullos Scotiſtas, quos ſequitur Faber *Theor.* 90. *cap.* 2. *&* 10. exiſtimare vltimam realitatem formæ eſſe principium, & cauſam indiuiduationis cuiuſcumque rei. Verùm, hoc aſſertum pugnat Scot. *nuper memorato* dicenti explicitis verbis. *Ita entitas,* (putà indiuidualis) *non eſt materia, nec forma, nec compoſitum, inquantum quodlibet iſtorum eſt natura, ſed eſt vltima realitas entis, quod eſt materia, vel quod eſt forma, vel quod eſt compoſitum.* Si ergo per Scot. ratio indiuidualis eſt vltima realitas, ſequitur non eſſe vltimam realitatem formę, vt ſuſpicatur Faber. Itaque opus non erat ipſi Fabro laborare in tradenda, & decernenda pro cauſa indiuiduationis vltima realitate formæ, vt præſtat *c.* 2. *loci prærecenſiti*, cum iam Scot. ſtatuerit eſſe vltimam realitatem entis, quæ ſi eſt materiæ, nuncupatur vltima realitas materiæ, ſi formæ, vltima realitas formæ, ſi verò compoſiti, vltima realitas compoſiti, quam vniuersè ſumptam poſtmodum Noſtrates vnico nomine complexi ſunt, vocantes hæcceitatem. Idque inſinuat Doct. *ibid.* affirmans hanc eſſe vltimam realitatem entis, quod eſt materia, vel quod eſt forma, vel quod eſt

compositum : at si Scot. arbitraretur rationem indiuiduandi esse vltimam realitatem formæ, plane dixisset esse vltimam realitatem entis, quod est forma. Cùm igitur illa tria enumeret, & disiunctiue loquatur, euidenter sequitur, ipsum nequaquam velle, vltimam realitatem formæ esse vniuersale principium constitutiuum cuiuslibet indiuidui. Præterea, Scot. *passu alleg. sub H* ex Arist. ab ipso cit. appellat differentiam indiuidualem, materiam, quatenus præcisè constituit indiuiduum in esse indiuidui, quod perhibetur esse materiale, & subiicibile. Si ergo secundum Scot. hæc realitas est materia illo modo sumpta, sequitur in sententia Fabri, vltimam realitatem formæ esse materiam: quis autem non videt id esse falsum? cum materia à forma non oriatur, sed ei præsupponatur, cum sit omnium formarum commune subiectum. Igitur vltima realitas formæ nequit esse ratio indiuidualis: præsertim in schola Scot. in qua principium indiuiduale nominatur materia. Denuo, materia specificè capta est contrahibilis, per suas differentias indiuiduales, non autem, per vltimam realitatem formæ, quia forma, eiusque realitas distinguitur realiter à materia, & diuinitus potest spoliari omni forma, ex assertis *lib. 2. Phys. quæst. 2. art.* 8. Ergo ab vltima realitate formæ non accipitur communis ratio indiuiduationis cuiuscumque rei. Vt enim reliquæ res à forma non mutuantur suam entitatem, sic nec suam vnitatem, & differentiam indiuidualem.

160. Dices cum Fabro cit. id verum esse de forma in se, non autem de forma sumpta pro vltima realitate formæ. Contrà, in primis vltima realitas formæ non vocatur ab Arist. & Scot. forma, sed materia, vt suprà monui, solumque dici potest forma realiter, & non formaliter. Admissâ opinione Fabri, ruunt cuncta, quæ construit Scot ad soluenda illa testimonia Aristot. quæ significant, ea solum posse plurificari, & diuidi, quæ sortiuntur materiam, & frustrà accumularet tot loca, & rationes, ad improbandam sententiam D. Thom. existimantis causam multiplicationis indiuiduorum esse materiam, si pro ratione indiuiduali non intelligitur materia capta pro differentia indiuiduali, quia vltima realitas formæ nullo modo esse valet materia eo modo accepta: nec congruit textui Philosophi, vt patet speculanti. Denique, adhuc superest sciscitandum à Fabro, quidnam sit illa vltima realitas formæ? & cum præter dicta, aliud non respondeat, relinquendus est, & amplectendus Scot. cum suis, qui sanciunt principium indiuiduale esse vltimam realitatem entis, idest hæcceitatē.

161. Assertio quarta, principium Indiuiduationis est vltima realitas entis, seu differentia indiuidualis, quæ dicitur hæcceitas. Huius author primarius & Patronus est Scot. *vbi suprà, quæst. 6. §. Ad quæstionem ergo. C.* Et sequitur ex dictis, cum enim natura seipsa non sit indiuidua, & singularis, sed aliquo addito reali positiuo, quod non est quantitas, nec materia, nec forma, nec aliud quidpiam, planè infertur esse vltimam realitatem rei, seu hæcceitatem.

Secundò, omne inferius in se includit aliquid, quod superius non includit, quia superius contrahitur ad inferius per aliquid eius contractiuum, & determinatiuum, vt liquet in qualibet serie prædicamentali: natura autem specifica, quæ est superior natura numerica, contrahitur, & determinatur per differentiam indiuidualem, ad esse indiuiduale, & singulare, ergo huiusmodi differentia indiuidualis, seu hæcceitas est principium indiuiduationis.

Tertiò, vltimum constitutum per vltimam differentiam est constitutum, vt patet, quia quale est constitutum, tale est eius constitutiuum: indiuiduum autem est vltimum constitutum, ponitur namque in basi prædicamentali, ergo eius principium est vltimum constitutiuum, quod est differentia vltima indiuidualis, & hæcceitas. Insuper, eo ferè modo philosophandum est de specie, ac de indiuiduo: species autem constituitur in esse specifico, per differentiam specificam, vt homo per rationalitatem, ergo & indiuiduatur per differentiam indiuidualem, vt Petrus per petreitatem, & Bucephalus per bucephaleitatem, & sic de cæteris indiuiduis, & singularibus.

162. Oppones primò, actus singularis præexigit, & præsupponit potentiam singularem, quam contrahit, & actuat, vt indicat Arist. 2. *Phys. T.* 38. inquiens, formam particularem præsupponere materiam particularem. Hæcceitas autem est actus singularis, ergo præexigit potentiam singularem, quam determinat, & actuat: sed illa potentia est natura, siue in natura ipsius indiuidui, ergo natura indiuidui est singularis, antè aduentum hæcceitatis, proindéque hæcceitas non est principium indiuiduationis. Hoc argumentum est Aur. cit. à Conon. 1. *Phys. quæst. 6. §. circà prædicta* à quo accepit Caiet. *l. de ente, & essentia, cap.* 2. & reliqua *infrà* adducenda. Respondeo, concessa maiore distinguendo minorem, de actu singulari, qui habet rationem quod, concedo: de actu singulari per se, & primò, qui propriè habet rationem quo, nego; qui ve propriè non dicitur singularis, sed potius ratio singularitatis, imò ipsamet singularitas, qua singulare constituitur in esse singularis, veluti rationalitas non est species hominis, sed principium constitutiuum eius in esse specifico. Atque fortasse non aduertens præfatus Caiet. passu memor. *q. 5. cap. 2. & 1. part. quæst. 85, art. 7* concedit differentias indiuiduantes intrinsecas indiuiduis, quas hic conatur euertere, ac de medio tollere.

163. Instabis, posterius non est causa prioris, veluti effectus non est causa suæ causæ, quia præsupponitur causa esse antè effectum. Ideò extat commune effatum, causa est prior effectu: differentia autem indiuidualis est prior, natura, quæ per eam contrahitur, cum contrahibile præcedat contractiuum, veluti materia, quæ actuabilis est per formam, præit ipsam formam actuantem, illamque contrahentem. Concedo maiorem, distinguo minorem, in esse naturæ, concedo: in esse indiuiduali, nego. Sunt namque simul, ac existunt simul, veluti natura animalis naturali præsuppositione præcedit rationalitatem, quæ est eius differentia per quam constituitur in esse specifico, simul tamen existunt. Siquidem non potest existere animal, quin sit rationale, aut irrationale. Quare, inter contrahibile, & contractiuum huiusmodi statuitur prioritas naturæ, non verò temporis, vt contenditur in instantia. Vel distingui potest ma. de producto, & verè causato, non autem de principio constituente, & determinante.

164. Oppones secundò, principia indiuiduandi sunt primò diuersa: Hæcceitas autem Petri, & Pauli hæcceitas non sunt primò diuersa, ergo non sunt principia indiuiduandi. Maior est Scot. qui ea dictis in superioribus astruit vltimas differentias, cuiusmodi sunt hæcceitates, in nullo communi conceptu reali conuenire. Minor ostenditur, magis inter se conueniunt hæcceitates Petri, & Pauli, quàm hæcceitates Bucephali, & Francisci. Quæ autem in aliquo conueniunt, non sunt primò diuersa, vt patet ex terminis, ergo &c. Concedo maiorem, nego minorem, ad eius probationem distinguo, conueniunt in aliquo communi conceptu reali, & quidditatiuo, nego: in aliquo tertio realiter ipsis identificato, quod est natura, concedo. Hoc autem non tollit, quin huiusmodi hæcceitates sint primò diuersæ.

165. Instabis, quod competit vni, & repugnat alteri eiusdem speciei, necessario præexigit distinctionem eorum: petreitas autem conuenit Petro, & repugnat Paulo, ergo non sunt primò diuersa, sed in aliquo differunt, & in aliquo conueniunt. Dico ma.

esse

eſſe limitandam, hoc eſt, dummodo illud non ſit diſtinctiuum eorum, veluti ſunt hæcceitates, quæ ſunt principia diſtinctiua indiuiduorum, vt patet ex Scot. *Quol.2. art.2. ad C.* ſi attentè legatur.

166. Oppones tertiò, ſi vera eſſet opinio Scot. in quolibet indiuiduo materiali, & corporeo forent tres hæcceitates, putà materiæ, formæ, & compoſiti: hoc autem repugnat, quia vnum indiuiduum foret triplex indiuiduum, ergo & illud. Reſpondeo eſſe duas hæcceitates partiales, & vnam totalem, veluti ſunt duæ entitates partiales, & vnam totalem ex eis coalitam. Non tamen ſequitur eſſe triplex indiuiduum completum, ex duobus partialibus, & incompletis conflatum.

167. Inſtabis, ſi materia, & forma vnita compoſito gaudent ſuis hæcceitatibus, vtique guttæ aquæ coniunctæ toti aquæ, vel ab ea dimiſæ participant ſuas hæcceitates, proindéque ſunt plura indiuidua: id autem videtur falſum, ergo & iſtud. Maior eſt conſpicua. Minor oſtenditur, quia eadem aqua quibuſdam ab ea demptis guttis, vel additis, & iterum ei coniunctis amitteret ſuam hæcceitatem, aut eam recuperaret, atque ita modò eſſet hæc, modò verò non hæc, quod contradictionem inuoluit. Dico eſſe diſparitatem, quia præfatæ guttæ ſimul iunctæ faciunt vnum vnitate homogenea, & integrali: at verò materia, & forma conſtituunt vnum vnitate compoſitionis eſſentialis ab vtraque realiter diſtinctum, vt dixi *lib.2. Phyſic.* Plura copiosè, & diſtinctè ſcripſi *tract. de Angelis, diſp.1. quæſt.6.* per nouem integros paragraphos, in quibus, de omnibus, & ſingulis, tam corporeis, quàm incorporeis, quæ indiuiduari queunt, diſſerui.

QVÆSTIO IV.

De Eſſentia, & exiſtentia.

ARTICVLVS I.

An rerum eſſentiæ ſint ab æterno.

168. PRIMA opinio eſt Henrici *in ſua ſumma, art.2.quæſt.23.* & Franciſci de Mayronis *1.diſtinct.42.quæſt.1.& indè*, & *Quol.8.* ſuſpicantium eſſentias, & quidditates rerum eſſe incauſatas: creari verò, & cauſari in tempore, penes eſſe exiſtentiæ duntaxat. Secunda opinio eſt Scot. *2. Rep. diſt.1. quæſt.2.* & *diſt.16. quæſt. vn.* Lych. Viger. Barg. Vorrilong. S. Bonauent. *ibid. art.1.quæſt.1.* Ric. *diſt.19. quæſt.3. art.3.* Ocham. *diſt.36. quæſt.vn.* Aur. *art.* 2. Canon. 2. *Phyſ. quæſt. 1. art.* 2. Suarez *diſp.30. Metaphyſ. ſect.2.* Hurt. *diſp.8. ſect.1.* & cæterorum communis, docentium rerum eſſentias productas, & creatas eſſe à Deo, in tempore, penes ſuum eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ, ita vt omne eſſe, ſiue eſſentiæ productum, & cauſatum ſit à Deo, in tempore, quod verò à Deo factum non eſt, nihil prorsùs ſit.

169. Not. primò, ex Dur. *in 1. diſt. 36. quæſt. 2.* poſt D. Aug. 12. *Ciuit. cap. 2.* Sicut ab eo, quod eſt ſapere dicta eſt ſapientia: ita ab eo, quod eſt eſſe, dicta eſt eſſentia. Quoniam verò eſſe contingit dupliciter, hoc eſt in potentia, & in actu: pariter eſſentia ſtatuitur duplex in potentia, & in actu. Illa eſt producibilis, aut non repugnat produci, in quo diſtinguitur ab eſſe prohibito, quod ſcilicet repugnat produci, cuiuſmodi ſunt figmenta, & cætera impoſſibilia: hæc autem eſt producta, & cauſata, gaudetque exiſtentia actuali, veluti ſunt omnia, quæ modò in rerum natura exiſtunt. Vnde oritur diuiſio entis, in ens in potentia, & ens in actu, ſeu ens potentiale, & actuale, illud dicitur ens obiectiuum ſecundum quid, & diminutum: iſtud verò ens reale poſitiuum, & ſimpliciter. Vt autem melius, & commodiùs percipiatur.

170. Not. ſecundò, ex S. Bonauent. præcitat. vnum eſſe in alio trifariàm contingere, penes actualem exiſtentiam, aut penes ſimilitudinis præſentiam, aut penes creatiuam potentiam. Primo modo ſunt res in vniuerſo actu exiſtentes, ſiue inanimatæ, ſiue corporeæ, ſiue incorporeæ.

Secundo modo ſunt res in cognoſcente, & artifice operante, ſiue exiſtant, ſiue non exiſtant, ſiue ſint futuræ, ſiue non, ſed tantum poſſibiles.

Tertio modo ſunt res in ſuis cauſis, quod eſt dictu, cauſæ habent potentiam, & virtutem producendi res, veluti planta participat vim producendi flores, arbor fructus, & ſic de reliquis. Hæc diſtinctio plurimùm confert ad intelligenda, & explicanda teſtimonia ſacræ paginæ, & SS Patrum adducta, & expoſita ab Och. & Gabriële prænominatis, potiſſimum Ioan.1. *Omnia in ipſo vita erant.* ſupple cognoſcitiuè, & cauſaliter, quandoquidem Deus ab æterno nouit omnia, & habuit vim creandi, & cauſandi ea, & voluit eamet in tempore creare, vt patet Gen. 1. *In principio creauit Cœlum, & terram.* Vel exemplariter, & idealiter, quia omnium rerum factibilium in mente ſua Deus habet exemplaria, & ideas, iuxta illud Hebr. 11. *Fide credimus aptata eſſe ſæcula, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* Et Boet. 3. *conſol. metr.9.*

Mundū mente gerens, ſimilique ab imagine formans.

Accedit Auguſt. 12. *Ciuit. cap.* 15. inquiens ideas eſſe cauſas rerum effectrices. Quare, loca, quæ in oppoſitum ab Antigoniſtis afferuntur, rectè exponuntur hoc duplici modo, idealiter, aut cauſaliter, vt etiam præmonuit Lyran *in poſtil. Ioan.* 1. & alibi. Sic interpretandus eſt Exod. 33. *Ego oſtendam tibi omnē bonum.* Putà, cauſaliter. Et Auguſt. *hom. 3. in Ioan.* & ſerm. 4. de Verbis Domini. *Quæ hîc varia quæris, ipſe tibi vnus omnia erit.* Et Seraphicus Pater orans, & alloquens Deum, inquit, *Deus meus & omnia.* Nec omittendum eſt illud Dionyſ. de diuinis nominibus 1. *Deus eſt viuentium vita, ſubſtantium ſubſtantia: vita omnis, ac ſubſtantia initium, & cauſa.*

171. Not. tertiò, ex Scot. *loco præcit.* §. *Concedo. ſub C.* omnia motiua, & argumenta, quæ adducuntur ab Henr. de intellectu diuino ad ſuam comprobandam, & confirmandam opinionem, vidētur quoq; poſſe commodàri, & congruere intellectui humano ad tuendam noſtram ſententiam. Inprimis, intellectus noſter poteſt aliquid intelligere, nedum penes eſſe eſſentiæ, verumetiam, penes eſſe exiſtentiæ, quia vtrumque eſt intelligibile, tametſi id actu non exiſtat, & intellectio noſtra illud in vero eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ non producat, nec faciat, nec vim producendi, & cauſandi tale eſſe ſortiatur. Idipſum aſtruendum eſt de intellectu diuino, qui licèt res nullum eſſe habeat, ſiue eſſentiæ, ſiue exiſtentiæ, tamen eam perfectiſſimè intelligit: ob id ſubnectit D. Auguſt. 5. *ſuper Gen. cap.7.* *Non aliter nouit Deus facta, quàm fienda.* Quamuis ergo Deus prænouerit ab æterno eſſe rei eſſentiæ, & exiſtentiæ, nihilominus nemo Catholicorum admittit vllum eſſe rei exiſtentiæ ab æterno, ſed ab æterno eſſe exiſtentiæ rei eſſe cognitum, quod pariter de eſſe eſſentiæ rei concedendum eſt, ſcilicet nullum eſſe eſſentiæ rei creatæ, aut creabilis fuiſſe ab æterno, ſed eſſe eſſentiæ cognitum fuiſſe duntaxat. Diſcrimen autem adeſt inter hos intellectus, quia diuinus intellectus prius intelligit, quàm humanus, quod Scot. vocat productionem primam in eſſe intelligibili,

&

& productionem in esse cognito, & secundum quid. Illud autem esse intelligibile, & esse cognitum non prærequirit esse rei simpliciter improductum, aut producendum: quia sicut intellectus noster ad hoc vt intelligat, non præexigit illud esse simpliciter: sic & intellectui diuinus, vt intelligat res ad extrà non præsupponit vllum esse earum essentiæ, vel existentiæ. Itaque, ex cognitione æterna, qua Deus ab æterno res præscit, perperam infertur earum esse essentiæ æternum, sed tantùm earumdem esse cognitum esse ab æterno deducitur, quod non est medium inter ens reale, & rationis, vt putat Ponc. *disput. 59. quæst. 5. conclus. 4.* siquidem ens communissimè captum rectè, & adæquatè diuiditur in ens reale, & rationis, vt post Aristot. *6. Metaphys. T.8.* scribit Doct. *Quol. 3. art. 1.* Ergo præfatum esse non mediat inter vtrumque membrum entis prænarratum. Deindè, membra diuidentia bonæ diuisionis sunt opposita, vt patet ex præceptis bonæ diuisionis, & induci potest, in omnibus, & singulis diuisionibus, præsertim de animali, quod distribuitur adæquatè in rationale, & irrationale, ita vt nullum animal reperiri valeat, quin sit rationale, aut irrationale. Pariter nullum inuenitur ens, quin sit reale, aut rationis. Nec præstat dicere cum Ponc. citat. prædictum ens creaturarum non esse medium per participationem extremorum, sed per abnegationem eorum. Etenim, cum illa diuisio sit æquiuoci in æquiuocata, partes, membraque eius non participant naturam diuisi, cuius nulla est, sed nomen commune duntaxat, vt liquet ex descriptione æquiuocorum, *lib. 1. prædicam. cap. 1.* restat ergo perscrutandum, quodnam sit illud esse, num reale, aut rationis? num sit intra, vel extra intellectum? si primum, est ens reale, si secundum, est ens rationis. Ergo non mediat inter ens reale, & rationis. Deinde, ens sufficienter diuiditur in ens creatum, & increatum, in ens imparticipatum, & participatum, in ens à se, & ab alio, vt suprà asserui: nullum autem horum esse potest huiusmodi ens medium excogitatum à Ponc. alioqui foret Deus, aut creatura, quod est impossibile. Insuper, tale ens est diminutum, & secundum quid, vt idem Ponc. concedit *ibid.* Ergo nullo modo est ens simpliciter, cum inter ens simpliciter, & secundum quid nihil interponatur. Denique, prædictum ens, cum sit idem ac ens cognitum, vel habet esse ab intellectu diuino, vel ab intellectu creato, primum negat Ponc. contrà Scot. *1. distinct. 39.* secundum nequit affirmare, cum sit contrà fidem orthodoxam. Ponere autem tale ens creaturarum independens, & à se improductum, necessarium, & æternum, est figmentum, & planè somnium, quod piget amplius refellere: & si fortè mens dicti authoris non errat, certè modus loquendi eius non est recipiendus: cum nedum error cauendus sit, verum etiam via, & ansa errandi, cuiusmodi est statuere, præter Deum, aliquod independens à se, & improductum, ac æternum, vt conatur probare prænominatus Ponc. Vide *tract. de creatione, disp. 1. quæst. 6.* in quo ex instituto hanc difficultatem peregi, & pertractaui.

172. Assertio, essentiæ rerum non sunt ab æterno, sed eo in tempore, quo Deus voluit eas producere, & creare, cum suis existentiis. Est communis, & opposita iam est antiquata, & profligata à Doct. *vbi suprà, § Contrà conclusionem istarum rationum. C.* Suadetur primò, ex D. August. *12. Ciuit. cap. 5.* præallatam assertionem tuente, his verbis. *A Deo facta est omnis essentia.* Eamque insinuant sacræ litteræ, præsertim Gen. 1. *In principio* (idest in initio temporis) *creauit Deus Cælum, & terram.* Quæ autem creata sunt, creata fuere secundum totum suum esse, quod est esse essentiæ, existentiæ, cum creatio sit productio ex nihilo, seu, ex nullo præsupposito subiecto, igitur essentiæ rerum non sunt ab æterno improductæ, & increatæ.

173. Dices, S. Aug. *lib. de natura boni c.8.* videtur sentire, esse essentiæ coïncidere cum esse possibili: esse possibile autem est ab æterno, cum non repugnet creaturas fuisse ab æterno, ex alibi assertis, & ex se res sint possibiles, ergo & esse essentiæ. Dico, vel August. loqui in aliorum sententia, vel exponi de esse possibili obiectiuo, quod est esse cognitum, & diminutum, non verò de esse essentiæ, & quidditatiuo, secundum opinionem Henrici prænominati. Vel dicito cum Scot. citat. *ante N.* per capacitatem formæ ab August. recensitam, intelligi materiam, quæ gaudet actu entitatiuo, qui non est esse essentiæ, nec esse possibile, vt constat ex *2. lib. de Physic. quæst. 2. artic...*

Secundò, data opinione Henrici, nulla foret creatio, nullave annihilatio: quandoquidem, res fierent ex illo esse essentiæ præexacto, & præsupposito, & redirent in illudmet esse essentiæ, non autem in nihilum, quod veritati aduersatur, ergo &c.

174. Dices, in schola Scot. datur natura communis realis, quæ non producitur, cum productio, & generatio, atque corruptio sint singularium. Ergo huiusmodi natura communis habet esse essentiæ incausatum, & improductum, quod admittit, & tradit prima sententia, quæ est Henr. Dico quidem Scot. docere naturam communem realem contrahibilem per differentias indiuiduales cum ipsis realiter identificatam, & formaliter ab eisdem distinctam. Ideò, licet singularia per se, & immediatè producantur, & generentur: natura tamen communis mediatè, & per accidens producitur, & generatur, vt patet *lib. prædicam. cap. de substantia,* & *1. Metaphys. cap. 1.* Maximè quia communia, & particularia abinuicem sunt inseparabilia, cum illa, his sint intima, & essentialia, propterea si ea existunt, pariter & ista, si illa causentur, vtique & ista, eo tamen discrimine, quod nunc ex Philosopho cit. statuimus.

Tertiò, vel Deus producit rerum essentias, vt intelligens, vel non? si primum, ergo huiusmodi essentiæ sunt cognitæ, priusquam sint in illo esse essentiæ, sicque frustrà statuuntur propter cognitionem Dei æternam. Si secundum, ergo Deus eas producit merè naturaliter, veluti ignis naturaliter calefacit, quod videtur absurdum de omni eo, quod ipse Deus ad extrà producit, ac proindè perperàm excogitatur illud esse essentiæ æternum.

175. Dices, hæc ratio in dictis Scot. admittit contradictionem. Siquidem ipse Scot. concedit esse cognitum ab æterno, quo posito, sic quoque argui potest, aut Deus prius intelligit illud, in esse cognito, aut non? Si primum, ergo prius intelligitur, quàm producatur. Si secundum, ergo merè naturaliter producit, sicut ignis producit ignem. Igitur, vel ratio Scot. contra Henr. non valet, vel in eius assertis est aperta repugnantia. Dico nullam esse contradictionem. Aliud quippè est, producere rem in esse secundum quid; aliud verò in esse simpliciter. Inconueniens autem foret, si Deus produceret aliquid in esse simpliciter, & illud non præintelligeret, non verò si produceret in esse secundum quid, vt fusè ostendit Lych. Quapropter, cum Henr. loquatur de esse essentiæ, quod est esse simpliciter, & Scot. disserat de esse cognito, quod est esse secundum quid, est disparitas, atqueadeò nulla extat in scriptis Doct. repugnantia.

176. Oppones primò, contra præpositam assert. Ecclesiastes 1. *Nihil sub sole nouum. Nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est.* Id autem dici nequit, penes esse existentiæ, cum quotidie oriantur noua indiuidua diuersarum specierum, quæ nunquam antea extiterunt: ergo intelligi debet, penes esse essentiæ, quod est æternum, & improductum. Respond.

interpre

interpretandum esse illud testimonium de esse cognito, quia cum creaturæ à Deo cognitæ fuerint ab æterno, nihil nouum in scientiam Dei eadere potest. Vel exponendum esse, penes esse specificum, hoc est, nouas species ampliùs Deum non condere. Ob id scribitur Geneseos 2. *Requieuit die 7. ab vniuerso opere, quod patrarat.* Interprete Lyran *in postil:* cessauit à nouis creandis speciebus. Vel, quæ nunc à sapientibus inuenta perhibentur, anteà ab aliis reperta fuere, annuente Arist. 1. *Met. c.* 1. tametsi diluuio, aut incuria, & obitu hominum perierint, & obliuioni tradita fuerint; vt notat idem Postillator, *in cap.* 1. *Ecclesiastes cit.*

177. Oppones secundò, correlatiua sunt simul natura, ea Arist. *l. prædicam. c. de ad aliquid.* Deus autem ab æterno est intelligens creaturas, & creaturæ sunt ab ipso intellectæ, ergo creaturæ habent aliquod esse ab æterno, quod intelligitur. Illud autem esse non est esse existentiæ, ergo est esse essentiæ, proindeque admittendum est esse essentiæ creaturarum æternum, & improductum. Resp. sufficere esse obiectiuum, vt intellectus rem intelligat: Nam de re non existente, vt de rosa hyemali tempore habetur cognitio, secundum esse eius obiectiuum. Arguere autem ab esse obiectiuo, ad esse reale essentiæ, est fallacia secundum quid, ad simpliciter.

178. Oppones tertiò. Veritas sequitur rem, cuius est veritas. Ideò tradit Arist. *loco proximè cit. c. de substantia.* Oratio est vera, si res ita sit; & falsa, si res aliter sit, quàm affirmatur, vel negatur. Dantur autem propositiones æternæ veritatis, vt asserui *in Log. l.* 4. *q.* 4. *art.* 5. non penes esse existentiæ, ergo penes esse essentiæ. Resp. veritatem non sequi esse existentiæ, & essentiæ, sed esse obiectiuum: Ideò, de rebus non existentibus in intellectu extant propositiones veræ, & æternæ veritatis, vt passu mox recensito abundè explicaui, & validè corroboraui.

179. Oppones quartò, diuisum prædicatur de suis membris diuidentibus, vt animal de rationali, & irrationali: ens autem rectè, & adæquatè scinditur in ens in potentia, & in ens actu: ergo ens in potentia participat verum esse, antequam producatur, & causetur: hoc autem non est esse existentiæ, ergo est esse essentiæ: atqueadeò esse essentiæ est æternum, & increatum. Resp. id valere de ente in potentia distinctiua; non verò distractiua, veluti si homo diuidatur in hominem viuum, & mortuum. Adde, quod ens in potentia non habet verum esse in se, sed in sua causa, quæ valet ipsum producere, & causare, *vt suprà cum* Seraphico obseruaui.

ARTICVLVS II.

An essentia, & existentia inter se distinguantur.

180. TRipartiti sunt Doctores Scholastici in hoc art. Nonnulli namque vt Thomist. cum D. Th. *l. de ente, & essentia*, c. 5. & t. *p. q.* 3. *art.* 4. inter essentiam, & existentiam agnoscunt distinctionem realem. Alij, vt Aur. t. *d.* 8. Alens. 7. *Met. in text.* 22. Gabriel 3. *d.* 6. & Greg. 2. *d.* 6. *q.* 1. inter essentiam, & existentiam statuunt distinctionem rationis duntaxat. Cæteri autem, vt Scot. 2. *d.* 16. *q. vn.* & 4. *d.* 13. *q.* 1. Canon. t. *phys. q.* 9. *art.* 1. *propositione* 2. Tromb. *tract. Formalitatum fol.* 37. Vallo *ibi fol.* 58. & ex parte Fons. 4. *Met. c.* 2. *q.* 4. *sect.* 4. *concl.* 3. docent essentiam, & existentiam distingui ex natura rei, formaliter, non positiuè, sed negatiuè.

Nos essentiam perindè esse ac naturam, & quidditatem rei, vt essentia hominis est animal rationale: existentiam verò esse actualitatem rei: ob id existere dicitur extra se sistere. Illud namque esse quod habet res extra suam causam perhibetur esse existens actuale, quia essentia eius existit per existentiam, quæ est eius actualitas, illaque per hanc contrahitur, & modificatur. Vnde, essentia vocatur res, & existentia modus eius, vt fusè palam feci, *q.* 2. *art.* 3. & *q* 1. *art.* 3. *alijsque in locis non rarò.*

181. Assertio, essentia, & existentia ab inuicem discriminantur, non realiter, nec sola ratione, sed formaliter negatiuè. Assertio est trimembris, quam tuetur Scot. *vbi suprà*, & 1. *d.* 36. *q. vn.* Prima pars suadetur primò. Quæ realiter inter se distinguuntur, saltem per absolutam Dei potentiam ab inuicem separari possunt, vnumque absque alio existere, vt alibi probatui, cum agerem de distinctione reali: existentia autem seiungi nequit ab essentia, & contra. Nam, singularia nequeunt existere, absque vniuersalibus, quia hæc, illorum sunt essentiæ, sic Petrus nequit esse, absque rationali, aliisque prædicatis essentialibus, & quidditatiuis: è regione huiusmodi prædicata quidditatiua, & essentialia existere minimè valent, sine singularibus, & indiuiduis, quæ sunt eorum bases, & fundamenta, in quibus inexistunt, & consistunt. Vnde optimè Arist. *c. de substantia* subnectit, corruptis primis substantiis, corrumpuntur, & secundæ. Quandoquidem illæ sunt vniuersales substantiæ, hæ verò singulares. Atque passim idem Philosophus arguit Platonem existimantem vniuersalia per se existere separata à singularibus, quia illa sunt horum essentia, quæ ab existentia est inseparabilis, proindè realiter indistinguibilis, cum impossibile sit res sine suis essentiis posse existere, vt Petrum, & Paulum absque natura humana, & Bucephalum sine natura, & essentia equina, & sic de reliquis. Igitur inter essentiam, & existentiam non est interponenda distinctio realis.

Secundò, inter rem, & modum eius non adest distinctio realis: quia modus nequit existere absque re, cuius est modus, vt gradus albedinis, sine albedine: existentia autem est modus essentiæ, vt suprà obseruaui, ergo inter existentiam, & essentiam non cadit distinctio realis. Idque tetigisse Stagiritam 2. *post.* 1. scribit Fonseca præcit. *in fine sect.* 2. Adde, quod distinctio realis intercipitur inter rem, & rem: si autem essentia, & existentia differrent realiter, forent duæ res, duoque entia, quod non videtur rectè dictum, vt vnum singulare existens, cum sit vnum vnitate maxima, sit duplex res, duplexque vnum, atque abinuicem segregari valeant dictæ duæ res, duoque entia, vt possunt, quæ realiter dissident, vt scilicet Petrus à seipso separari queat, vtpotè cuius essentia esse possit sine eiusdem existentia, propptereaquod realiter secernuntur.

182. Secunda pars ostenditur primò ex Arist. 2. *post.* 7. vbi existentiam hominis distinguit ab eius essentia, his verbis, *Quid autem sit homo, aliud est, quàm hominem esse.* Et iterum. *Esse verò nulli rei est substantia, idest essentia.* Idque insinuatur ex eodem in principio eiusdem libri distinguente quæstionem an sit, quæ denotat existentiam, à quæstione quid sit, quæ essentiam designat. Hæc autem habentur, secluso quouis opere intellectus. Quamuis enim nullus cogitaret, adhuc esset quæstio, an sit, supple an res existat, vel possit existere, & quid sit, vtrum essentia sit hæc, vel illa, hoc, vel illo modo definibilis. Ergo in Liceo Philosophi essentia ab existentia non differt ratione duntaxat.

Secundò, quæ sola ratione differunt, quæ vni adaptantur, pariter alteri accommodantur à parte rei, fortiunturque eadem prædicata, & attributa: essentia autem est communis, & definibilis, per seque residet in prædicamento, non sic existentia, quæ solum reductiuè locatur in prædicamento, eorumque prædicatorum est expers: ergo essetia, & existetia plusquã ratione differunt.

183. Tertia

183. Tertia pars sequitur ex duabus præcedentibus. Si enim essentia, & existentia nec realiter, nec ratione distinguuntur, planè infertur distingui distinctione media, quæ dicitur formalis. Deinde, quæ diuersimodè describuntur, formaliter differunt, vt sæpè inculcatum est: essentia autem, & existentia diuersas sortiuntur descriptiones, vt patet ex præmisso not. essentia quippè describitur rei natura, & quidditas eius: existentia verò modus rei intrinsecus, seu actualitas eius, ergo inter illa adest distinctio formalis. Amplius, quod est contrahibile, & determinabile formaliter saltem distinguitur à suo contrahente, & determinante, vt patet de genere, suisque differentiis; essentia autem est contrahibilis, & determinabilis, existentia verò est contractiua, & determinatiua eius. Natura namque communis per existentiam fit existens, veluti per differentiam indiuidualem fit hæc, & singularis, ergo inter ea statuenda est distinctio formalis non quidem positiua, sed negatiua, quia cum existentia sit modus essentiæ, & modus ex dictis non sit per se conceptibilis absque eo, cuius est, nec realitas distincta, deducitur ipsa inter se non differre formaliter positiuè, sed negatiuè, affirmantibus Tromb. Lych. aliisque celeberrimis Scotis. à quibus fortassè non discrepant Fons. præcit. & Ponc *disp 59. quæst. 4. concl. 5.* non audentes vocare dictam distinctionem formalem actualem, & Scoticam, propterea quod existentia est modus, quæ non est realitas distincta ab essentia, vt petit distinctio formalis positiua, non sic distinctio formalis negatiua, quam fortè non negarent dicti Authores. Scio alios vocare eam distinctionem modalem, denominatione sumpta ab existentia, quæ est modus essentiæ. Sed voca, vt vis: vim enim non facimus in vocabulo, cum de re constat.

184. Oppones primò, Arist. 4 *Met. c. 2. T. 3*, apertè astruit, idem esse hominem, ac hominem existentem. Et postmodum subdit, generabilia participare eamdem naturam. Atque *7. eiusdem operis* addit, nihil differre, si quis dicat, homo valens est & homo valet. Igitur essentia, & existentia prorsùs identificantur. Resp. hæc, & consimilia testimonia, quæ adduci possunt, capienda esse de identitate reali, non autem formali, vt indicat Scot. in eorum expos. Et exhauritur huiusmodi interpretatio ex eisdem locis, in quibus Philosophus scribit, ea esse idem, veluti ens, & vnum: patet autem ex assertis, *q. 1. art. 2. & 4. huiusce lib.* ens, & vnum identificari realiter, & distingui formaliter: sic affirmandum est de essentia, & existentia, inter quæ cadit distinctio non realis, sed formalis.

185. Oppones secundò, quod est indifferens, & indeterminatum ad aliquid, distinguitur realiter ab eo, à quo determinatur, & limitatur, vt patet de materia, quæ determinatur à forma, quæve ab ea realiter discriminatur: essentia autem est indifferens ad existendum: ergo inter essentiam, & existentiam intercipitur distinctio realis. Resp. ma. valere de re, & re, non autem de re, & modo rei, vt accidit in proposito nostro, & exemplificatur de materia, & forma, quæ sunt duæ res, duoque entia, tametsi incompleta, & imperfecta. Ad min. dicen eam veram esse præcisiuè, non autem diuisiuè. Quamuis enim essentia præscindi queat ab existentia, ab ea tamen diuidi, & separari nequit.

186. Oppones tertiò, inter potentiam, & actum reperitur distinctio realis, quia potest esse potentia, sine actu: essentia autem est potentia, & existentia est actus, quandoquidem per existentiam essentia existit actu, igitur inter ista interuenit distinctio realis. Resp. ma. posse concedi de potentia subiectiua, & actu formali: non autem de potentia obiectiua, eiusque actu. Eadem namque res, quæ est in potentia, est ipsamet res, quæ actu existit per causam eiusdemmet effectricem. Ad min. negatur, essentiam esse potentiam obiectiuam. Etenim ex dictis, essentia est natura, & quidditas rei, quæ antequam existat, dicitur esse in potentia obiectiua, non autem est potentia obiectiua. Latum quippè intercedit discrimen inter potentiam obiectiuam, & illud, quod est in potentia obiectiua.

QVÆSTIO V.

De Substantia, & subsistentia.

187. QVID, & quotuplex sit substantia, eiusque passiones, & affectiones abundè, & accuratè pertractata fuêre *in Log. l. 3. q. de substantia*: & *in Epitome l. 1. q 4 art. 3. 4. & 5.* Hîc autem nonnulla, quæ ibi desiderantur, breuiter expenduntur, & deciduntur.

ARTICVLVS I.

An substantia sit prior tempore accidente.

189. TRes referuntur sententiæ à Scot. 7. *Met. q 1.* & Antonio Andrea *ibid.* quarum duæ primæ ab eisdem refelluntur, tertia verò recipitur, vt videre licet apud prænominatos Authores.

189. 190. Not tempus bifariàm vsurpari. Vno modo propriè, prout definitur ab Arist. 4. *Phys. T. 101.* numerus motus secundum prius, & posterius. Sic enim tempus est mensura motus, & quietis. Altero modo impropriè, prout non implicat aliquid ab alio separari, durare sine eo, & ab eomet non dependere, sicque in hac temporis acceptione tria designantur ei congruere, vnum, quod non repugnet ab alio seiungi: secundum, quod possit permanere absque illo: & tertium, quod ab eomet non dependeat, vt indicat Doct. 2. *d. 1. q. 5. §. Contrà istud. L.* arguens contra Henr. *Quol. 9. quæst. 1.*

191. Assertio, substantia præcedit accidens tempore. Probatur primò ex Arist. 7. *Met. T. 4.* profitente hanc propositionem, substantia est prior accidente tempore, definitione, & cognitione. Cui consentit Doct. *ibid. & locis proximè cit.* Secundò, quod non repugnat separari ab alio, nec ab eo dependet, dicitur esse prius tempore secundo modo accepto, vt patet in præposito not. substantia autem potest separari, & denudari omni accidente, nec dependet ab vllo accidente, immò econtrà accidens dependet à substantia, ab eaque causatur, nec sine ipsa existere valet, igitur substantia tempore præcedit omne accidens. Hæc autem prioritas differre non videtur à prioritate naturæ, veluti causa natura præcedit suum effectum.

192. Opp. 1. æterno nihil est prius tempore, cum æternum sit expers prioris, & posterioris, duretque duratione tota simul: quædam autem accidentia sunt æterna, putà motus, 8. *Phys. 1.* Ergo præfata propositio non est vniuersaliter vera, substantia est prior tempore omni accidente. Concedo ma. nego min. perperam namque Arist. existimauit Mundum, & motum extitisse ab æterno, vt ibi palàm feci. Vel, dato quod motus, & tempus fuissent ab æterno, adhuc substantia fuisset prior tempore, quocumque accidente, secundum postremam temporis acceptionem, in præmisso notabili adductam, & exhibitam, ac declaratam.

193. Opp. 2. risibilitas est simul tempore cum humanitate: risibilitas autem est accidens, & humanitas substantia. & illa, ab hac oritur. Ergo substantia tempore accidens non antecedit. Ma. est nota apud omnes. Min. est in promptu, quia risibilitas est accidens proprium,

ptinm, vt patet *in Iſagoge Porphyrij*. Concedo ma. Ad primam partem min. dico quidem riſibilitatem eſſe accidens proprium, & ſumptum pro extraneo realiter identificato cum humanitate:non autem accidens commune, de quo præſens extat difficultas.

ARTICVLVS II.

An Subſtantia præcedat accidens definitione.

194. ARiſt. 7. *Met. ſumma ſecunda, cap. 1. T. 4.* apertè affirmat, ſubſtantiam præire accidens tempore, definitione, & cognitione. Primum examinaui *in 1. art.* Secundum *in ſecundo*, & tertium *in tertio art.* expendetur, & decidetur.

195. Not. nec inhærentiam actualem accidentis in ſubiecto, vel aptitudinalem ingredi eſſentiam eius, vt *in vlt. quæſt. huius lib.* excutietur, & ſtatuetur. Accidens autem connotat ſubiectum, in quo inhæret, quodue ſubiectum eſt ſubſtantia, à qua oritur, ideò nuncupatur entis ens, ideſt ens, quod à ſubſtantia cauſatur. Hinc in definitione accidentis ſemper ponitur ſubiectum, tanquam additum, ideóque eius definitio appellatur definitio per additamentum, vt explanaui *in Epitome lib. 2. quæſt. 7. art. 2.*

196. Aſſertio, ſubſtantia antecedit accidens definitione. Ita Ariſt. *vbi ſuprà*, & Scot. *ibid.* Probatur primò, ſubſtantia eſt prior accidente in entitate, ergo, & in definitione. Ant. eſt conſpicuum, ſubſtantia eſt ſubiectum, & cauſa accidentis, ſubiectum autem præit id, quod in ipſo ſubiectatur. Conſeq. tenet, ex 2. Met. T. 4. *Sicut res ſe habet ad entitatem, ita ad cognoſcibilitatem.* Subſtantia autem præcedit accidens in eſſe, ergo & in cognoſci, & definiri. Secundò, ſimplex eſt prius mixto, & compoſito, ac aggregato: accidens autem includit ſubiectum, in quo inhæret, ergo accidens eſt poſterius ſubſtantia definitione.

197. Opponos primò, definitio tantùm coaleſcit ex genere, & differentia definitio autem accidentis eſt huiuſmodi, ergo accidens non includit ſubiectum in ſua definitione. Maior liquet. Minor oſtenditur, ex regula anteprædicamentali, diuerſorum generum diuerſæ ſunt differentiæ, ſpecies, & indiuidua: accidentis autem habentur diuerſa genera, vt liquidò conſtat *ex l. prædicamentorum*, ergo &c. Diſtinguo maiorem, de definitione quidditatiua, concedo: de deſcriptiua, nego. Ad min. dico cum Scot. 4. *d.* 12 *q.* 1. §. *Ad argumenta principalia K.* in definitione cuiuſlibet accidentis ponitur ſubiectum, quod eſt ſubſtantia, vt habeatur conceptus eius perfectus quietatiuus intellectus, qui de accidente haberi non poteſt abſque ſubiecto, à quo dependet, vt idem Doct. ſcribit *ibid. q. 1. §. Ad q. Reſpondeo L.*

198. Opponos ſecundò, definitio congrua, & legitima tantum explicat diſtinctè naturam definiti, natura autem, & eſſentia accidentis non eſt confuſa, & permixta cum natura, & eſſentia ſubſtantiæ. Eſt namque accidens ſic ſimplex, ac ſubſtantia, ergo neceſſe non eſt, ponatur ſubſtantia in definitione accidentis, proindéque accidens non poſtponitur ſubſtantiæ, definitione. Concedo ma. ad min. dico, etſi accidens formaliter, & eſſentialiter non includat ſubſtantiam tanquam eius ſubiectum, tamen eam connotat, ad eamque ordinatur, tanquam ab ipſa dependens. Ideò completè, & quietatiuè omne accidens definitur per ſubſtantiam, vt præmonent Scot. & Mauritius *quæſt. 19 Vniuerſalium, fol. 54. column. 2.*

ARTICVLVS III.

An Subſtantia præponatur accidenti cognitione.

199. PLures modos, & acceptiones prioris attuli, & explicui *in Epitome l. 1 q. 4. ar. 14.* duas hîc tantùm memoro, & adduco, vna dicitur primitas generationis, quæ euenit, quando vnum alio prius generatur, vt cor in animali prius generatur quam reliqua eius membra, & partes. Poſterior perhibetur primitas perfectionis, ita quod eſt perfectius, & præſtantius alio, eo prius nominatur. Vnde Stagir. 9. *Met. 16.* ſubiicit, quæ ſunt priora generatione, ſunt poſteriora perfectione, & econtrà, quæ ſunt poſteriora generatione, ſunt priora perfectione, vt videre licet in ordine naturæ, quæ procedit ab imperfecto ad perfectum.

200. Aſſertio, ſubſtantia ex ſe, & abſolutè eſt prior cognitione accidente quolibet: à nobis verò prius cognoſcitur accidens, quàm ſubſtantia. Aſſertio eſt bipartita, quam tradit Doct. 7. *Met. quæſt. 3.* Prima pars ſuadetur 1. ex Ariſtot. 7. *Met. T. 4.* abſolutè proferente hanc propoſitionem. *Subſtantia eſt primum omnium entium cognitione.* Et probari poteſt ex eodem Philoſopho 2. *eiuſdem operis, T. 4.* aſtruente tanquam proloquium. *Sicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci.* Subſtantia autem in eſſe præcedit accidens, tanquam eius ſubiectum, ergo & in cognoſci.

Secundò, ſubſtantia eſt primum ens, & cauſa reliquorum entium, vt loco mox allegato ſcribit Ariſt. Ob id inter prædicamenta primum obtinet locum: ergo abſolutè ſubſtantia quoad cognitionem inuenitur prima.

Tertiò, ſubſtantia eſt perfectior omni accidente, eſt namque ens per ſe ſubſiſtens: accidens verò eſt ens in alio, & entis ens, ergo dignitate, & perfectione ſubſtantia, reliquis entibus præcellit.

201. Secunda pars oſtenditur primò, omnis noſtra cognitio ortum ſuum ducit à ſenſibus: ſenſus autem ſenſibilia accidentia ſolùm percipiunt, vt oculus colorem, auris ſonum, olfactus odorem, guſtus ſaporem, & tactus primas qualitates, ergo quoad nos accidens prius cognoſcitur, quam ſubſtantia. Secundò, per accidentia deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ: Ob id ſcribit Ariſt. 1 *de anima T. 11.* Accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendam ſubſtantiam. Et 3. eiuſdem 39. *Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari.* Species autem, & quæ per eas ſenſui, & intellectui repræſentantur, ſunt accidentia, igitur accidens eſt primum cognitione, quoad nos, & ordinem generationis. Ideò huius cognitio eſt imperfectior: imperfectius autem eſt primum via generationis, iuxta illud à nobis in fine præmiſſi not. prolatum, quæ ſunt priora generatione, ſunt poſteriora perfectione.

202. Opponos, quod cognoſcitur à nobis, per ſpeciem cognoſcitur repræſentantem obiectum ſenſui, & intellectui, vt alibi monſtraui: de ſubſtantia autem pro hoc ſtatu nullam habemus propriam ſpeciem, vt ſcribit Doct. 1. *diſt. 3. quæſt. 3. & diſt. 22. quæſt. 1.* bene verò de accidente, per cuius notitiam deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ, ergo accidens eſt prius cognitione ſubſtantiâ. Reſpondeo argumentum concludere de cognitione ſecundum proportionem, non autem de cognitione ex ſe, & abſolutè ſumpta, & perfecta, vt ſatis *ſuprà* manet declaratum, & probatum, & ampliùs illuſtrari poteſt hoc exemplo. Viſio Aquilæ intuentis ſolem abſolutè eſt perfectior, quacumque noſtra viſione: attamen ſecundum proportionem perfectior eſt viſio noſtra huius albi, viſione Aquilæ cernentis ſolem. Ratio eſt, quia perfectiùs intuemur hoc album, quam Aquila videat ſolem.

Articvlvs IV.

De Subſiſtentia.

203. AN ſit, & quid ſit ſubſiſtentia hypoſtatica, & perſonalis valdè controuertitur apud Doctores Scholaſticos. Nobis quippè ſola fide videtur innotuiſſe, Sacroſanctis Myſteriis, ſcilicet Trinitatis, & Incarnationis. Maiorque, & grauior difficultas extat, vtrum à ſubſtantia ſingulari, & indiuidua diſtinguatur. In primis Ariſtot. & cæteri Philoſophi nec agnouerunt, nec diſtinxerunt eam à ſubſtantia ſingulari, vt patet *libro prædicam. aliiſque in locis*, in quibus ipſe Ariſtot. diſſeruit de ſubſtantia. Quod enim ex eo affertur 1. Met. 1. *Actiones ſunt ſuppoſitorum* Non habetur ibi ſuppoſitorum, ſed ſingularium, vt rectè illum paſſum interpretatur Scot. Ob id Sanctus Auguſtinus 7. *Trin. cap.5. & 9.* quem refert, & ſequitur Aur. 1. *diſtinct.2*. *artic.3 propoſitione tertia*, inquit, olim perſona, cum ſubſtantia ſingulari, & indiuidua confundebatur, nullumque diſcrimen inter ea ſtatuebatur: ſucceſſu verò temporis ſancti Patres, & Doctores Scholaſtici diſtinxerunt perſonam à ſingulari, & indiuidua ſubſtantia, propterea in diuinis tres perſonas, & vnam ſubſtantiam ſingularem confeſſi ſunt. Atque in humanitate diuini Verbi, vnam perſonam ipſius Verbi, & duas naturas, & ſubſtantias ſingulares, diuinam, & humanam conceſſerunt. Plures autem leguntur diſcrepantes opiniones apud Baſſolium 3. *diſtinctione prima. quæſtione prima, articulo primo* Fabrum *ibidem, diſput 2.* & Fonſ. 5. *Met. cap.8. quæſtione 6.* quid præſeferat formaliter perſona, quidve ſuprà ſubſtantiam ſingularem addat, & quænam diſtinctio inter ea intercedat? Ex illis tres ſeligo, & diſcutio potiores, & celebriores, quarum vna eſt Durandi 1. *diſtinctione 34. quæſt.1.* & Henr. *Quol.4. quæſtione quarta*, exiſtimantium naturam ſingularem, & ſubſtantiam indiuiduam à ſuppoſito, & perſona differre in ſolo modo concipiendi, & ſignificandi, veluti differunt concretum, & abſtractum, putà homo, & humanitas. Altera eſt Caiet. 3. *part. quæſt.4. articulo 2.* Medinæ *ibid.* Ferrar. 4. *contra Gentes, capite 41.* Fonſ. cit. *ſectione quarta* Suarez *diſput.34. Met. ſectione ſecunda, num* 2c. Hurt. *diſput.11. ſectione tertia, & 5.* Arr. *diſp.4 ſect.11. ſubſect.2.* & aliorum multorum arbitrantium ſuppoſitum addere aliquid reale poſitiuum ſuprà naturam ſubſtantialem ſingularem, quod prænominati Recentes aiunt eſſe modum ſubſtantialem, vltimum terminum, & complementum eiuſdem ſubſtantiæ ſingularis. Hæc ſententia non videtur improbabilis apud Scot. 3. *diſtinctione prima. quæſtione prima. articulo tertio*, §. *Ideò propter ſub D. verſ. Quid autem ſit illud proprium, quo natura eſt perſonata, duæ videntur viæ probabiles* Et §. *Non aſſerendo poteſt mediari inter iſtas vias ante E.* & 1. *diſt 25. quæſt. vn.* & *diſt. 13 quæſt. vn.* Fauent Lych. *ibi in com.* Gadius *Quol.* 10. & Rada 3. *parte, contr. 1. art. 1. concluſ. 5* Tertia eſt Scot. nunc cit. & *Quol. 19 art. 3. V.* & *in Report. 3. diſt. 1. quæſt. 1.* Baſſol. *ibid.* Mayron. *quæſt. 11.* Onand. Bonet. 6. *naturalis Theolog. cap. 1.* Aur. 1. *diſtinct. 25. art. 3.* Och. 3. *quæſtione* 1. Gabiel. Marſilij, & cæterorum Nominal. Mol. 1. *part. quæſtione 29. diſput. 2. in fine.* Salmeron. *Tom. 1. Tract. 27.* & aliorum, tam veterum, quam recentium docentium ſuppoſitum formaliter nihil addere ſubſtantiæ ſingulari, & indiuiduæ, præter duplicem negationem dependentiæ actualis, & aptitudinalis.

204. Not. primò, ſingulare, ſeu indiuiduum, ſuppoſitum, & perſonam ſe habere veluti ſuperius, & inferius, vt tangit Scot. 1. *diſtinct. 2. quæſt. 7.* §. *Ad 2. quæſtionem*, CC. Siquidem omnis perſona, & ſuppoſitum quodlibet eſt ſingulare, & indiuiduum: non tamen quodlibet ſingulare, & indiuiduum eſt ſuppoſitum, & perſona, quia ſingulare, & indiuiduum competit tam ſubſtantiæ, quam accidenti, vt hæc albedo eſt quidem ſingulare, non tamen eſt ſuppoſitum, nec perſona. Deinde, quælibet perſona eſt ſuppoſitum, non verò quoduis ſuppoſitum eſt perſona; latius quippè patet ſuppoſitum, quam perſona, vtpotè quod conuenit ſubſtantiæ viuenti, vel non viuenti: perſona verò ſoli rationali, & intellectuali adaptatur, Ideò perſona definitur à Ric. Victorio 4. Trin. cap 22. *Intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia.* Per hanc corrigitur, & exprimitur deſcriptio perſonæ allata à Boët. *libro de duabus naturis, & vna perſona Chriſti*, rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Loco enim naturæ rationalis ponitur naturæ intellectualis, & vice indiuidua ſubſtantia, locatur incommunicabilis exiſtentia, vt bene aduertit Doct. 1. *diſt. 23. quæſt. vn.* §. *Ad quæſtionem ante C.*

205. Dices, D. Auguſt. *lib. contrà Donatiſtas poſt collationem lib* 4. piſces, & pecora nominat perſonas, ergo nomen perſona rationalibus, & intellectualibus non accommodatur dumtaxat. Dico ibi Auguſt. metaphoricè fuiſſe locutum de perſona veluti in Euangelio prædeſtinati impropriè dicuntur oues, & præſciti, hœdi, vt patet Matt. 25. *Statuet oues à dextris: Hœdos autem à ſiniſtris.*

206. Not. 2. ex Scot. mox cit. & *diſt. 1. quæſt. 7.* §. *Ad 9. dico DD.* dari duplex incommunicabile, duplexque communicabile, vt quo, & vt quod. Communicabile vt quo eſt, quod communicatur alicui vt pars, ſeu inſtar partis, veluti forma, communicatur compoſito, cuius eſt pars. Communicabile vt quod eſt, quod communicatur alicui, tanquam eius quidditas, & eſſentia, veluti vniuerſale communicatur ſingulari. Communicabile verò vt quo, & vt quod eſt, quod communicatur alicui, ſecundum totum ſuum eſſe, vt natura communis communicatur ſingularibus: E regione incommunicabile vt quo eſt, quod cuipiam non communicatur, vt pars, vel inſtar partis: & incommunicabile vt quod, eſt, quod non communicatur alicui, vt quidditas, & tota eius eſſentia. Suppoſitum autem eſt incommunicabile duplici illa incommunicabilitate, vt quo, & vt quod, videlicet, ſuppoſitum non poteſt alicui communicari, vt pars, & vt totum, ſiue vt forma, ſiue vt tota eſſentia.

207. Not. 3. ex eodem Doct. *Quol. 19.* §. *De tertio art. V.* triplicem eſſe dependentiam, actualem, aptitudinalem, & potentialem. Actualis eſt, qua vnum ab alio actu dependet, vt albedo habet actualem dependentiam à pariete albo, in quo inhæret. Dependentia aptitudinalis eſt, qua vnum ab alio aptitudine dependet, vt lapis ſurſum exiſtens ſortitur aptitudinalem dependentiam ad locum deorſum, qui eſt eius centrum. Dependentia potentialis eſt, quâ aliquid non repugnat dependere ab alio, vt non repugnat, quin lapis in ſuo centro exiſtens ponatur ſurſum. Suppoſitum autem, & perſona creata eſt independens independentia actuali, & aptitudinali, hoc eſt nec actu, nec aptitudine ab alio dependet. Ob id anima rationalis non eſt perſona, quia licet à corpore ſeparata actu ab ipſo corpore non dependeat, verumtamen ad ipſum iuet corpus habet aptitudinalem dependentiam. Addit Baſſol. nuper allegat. ideò animam a corpore ſeiunctam non eſſe perſonam, quia non eſt natura totalis, & completa, vt requiritur ad rationem perſonalem, ſed partialis, & incompleta, quæ à ratione perſonæ excluditur. Perſona autem diuina triplici gaudet independentia actuali, aptitudinali, & potentiali. Quod eſt dictu, nec actu, nec aptitudine, nec potentia ab alio dependet, quia repugnat ab alio dependere. Vnde ſolus Deus eſt independens, ipſique ſoli repugnat ab alio dependere, nedum ratione trium perſonalitatum: verum etiam ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quæ competit Deo, vt præſcindit à tribus perſonis, vt

ostendi, vt probaui abundè *Tract. de Deo trino, disp. 4. quæstione 10.*

208. Ass. 1. subsistentia suppositalis, & personalis non differt à substantia singulari, & indiuidua, solo modo concipiendi, & significandi, in concreto, & abstracto. Deducitur ex Scot. *locis praenumeratis*, & ostenditur primò. Significare competit nomini, qua nomen est vox significatiua ad placitum, vt dixi, & expressi *in Epitome libro secundo, quæstione secunda, articulo primo*. Suppositum autem à natura singulari, voce, & nomine solo non dissidet, alioqui prorsus re forent idem: sicque in diuinis esset vna tantùm persona, quia est vna tantùm natura diuina, & in Christo duæ personæ, quia sunt duæ naturæ, diuina, & humana, quod est erroneum, & hæreticum. Indè orta est hæresis Sabellianorum, quia nescierunt distinguere, & statuere discrimen inter naturam, & suppositum, vt post Eusebium Cæsariensem *lib. 10. historia Ecclesiastica, cap. 29.* refert Alphonsus à Castro 5. *Aduersus hæreses, verb. Deus, hæresi quinta.* Secundò, quæ differunt solo modo concipiendi, differunt ratione: seclusa autem quauis distinctione rationis, suppositum, & natura substantialis singularis, adhuc inter se differunt. Nam natura humana singularis fuit assumptum à Verbo diuino, non autem eius suppositum humanum, vt de fide sancitum est, ergo plusquam ratione differũt. Tertio, ex septima Synodo generali *Tom. 3. Conciliorum, actione 6.* legitur, plerosque errasse, non distinguentes naturam à supposito. Atque Iustinianus Imperator in edicto fidei, post Concilium Toletanum secundum palam edisserit, naturam, & suppositum non coincidere. Ampliùs, D. Damasc. relatus ab Alph. *l. 4. aduersus hæreses, verbo Christus, hæresi 4.* scribit errores, & hæreses Eutychianorum, & Nestorianorum prodiisse ex eo, quod naturam, cum persona confundebant. Nestorius quippè duas in Christo agnoscens naturas, duas putabat in eo esse personas. E regione verò Eutyches vnam cognoscens tantùm naturã in Christo, nam in eodem fatebatur personam. Igitur, secundum veritatem, & doctrinam orthodoxam, suppositum, & natura substantialis singularis abinuicem secernuntur. Nec præstat dicere cum Vasques *Tom. 1. tertia partis, disp. 31. cap. 1.* ad saluanda cuncta prædicta, pro Dur. sufficere distinctionem rationis inter naturam, & suppositum. Plus namque intendunt motiua, & testimonia præallegata. Siquidem, si natura, & suppositum à parte rei non differũt, nisi per intellectum, planè infertur in Christo extitisse duas personas, humanam, & diuinam, quod hæresim redolet Nestorianam. Si enim per Dur. natura humana est idem cum persona, & verè in Christo fuit natura humana, vtique & persona humana, cum hæc ab illa re vera non dissideant, nisi opere intellectus, & in modo significandi. Vnde breuiter sic arguitur: aut in Christo extitit persona humana, aut non? Si primum, exoritur hæresis Nestoriana, statuens in eodem Christo duplicem personam, creatam, & increatam. Si secundum, persona reipsa distinguitur à natura, vtpotè, quæ non manet, natura manente. Manere autem, respectu eiusdem, & non manere, contradictionem inuoluit, denotatque apertè distinctionem plusquam rationis, modique concipiendi, & significandi. Prætetea, communicabile, & incommunicabile differunt, cogitante nemine: natura autem est communicabilis, & assumptibilis: Persona verò est incommunicabilis, & inassumptibilis secundum veritatem, ac omnium placitum: sola ergo rationis distinctio non est satis, inter naturam, & personam. Quod si dicas, authoritates præadductas capiendas esse de natura, & persona diuina, quæ in Schola Thomistica ratione differunt: hoc minus, quàm præcedens responsum iuuat Durandum, quandoquidem prædicta Concilia, & Patres disserebant de persona creata. Disputant namque contrà Nestorium admittentem duas personas, creatam, & increatam in Christo, & nitebantur ostendere in Christo esse duas naturas, diuinam, & humanam, & vnum suppositum Verbi dumtaxat supplens vicem suppositi humani, quod in eo non erat: Quod si verè non erat, euidenter deducitur distingui à natura creata, quæ in eodem Christo erat. Inter autem id, quod est, & quod non est, planè coincitur distingui reipsa, & non ratione, proindéque præfati Patres nominatim Vigilius, & Epiphanius verba faciebant etiam de distinctione naturæ à persona creata. Eò magis, quia persona diuina à natura dissidet formaliter, circumscripto quouis opere intellectus, eiusque distinctione, cum illa sit absoluta, & communicabilis, ista verò relatiua, & incommunicabilis, inter quæ deprehenditur distinctio formalis, quæ ex alibi assertis præcedit quamcumque operam intellectus nostri.

209. Porrò, nec audiendi, nec ferendi sunt Suarez, Hurtad. & Arr. trahentes Scoti placitum ad Durand. Vt enim infrà apertè constabit, latum intercipitur discrimen inter subtilium principem, & Durandum, qui non semel à Theologis temerariorum dux censetur: Siquidem, iste putat naturam singularem, & suppositum differre, sicut concretum, & abstractum, quæ sanè sunt idem, & solùm differunt in modo significandi: ille verò existimat suppositum, & naturam distingui à parte rei absque vllo modo concipiendi, & significandi, statuitque ipsum suppositum esse incommunicabile, vt quo, & vt quod, vt suprà *in secundo not. declaraui.* Iterum, iste concedit hominem absolutè, & præcisè sumptum esse suppositum: ille verò negat, & hic Deus præcisus à Personis est quidem indiuiduum Deitatis, non tamen est suppositum. Insuper, hic non distinguit naturam à supposito, nisi in modo significandi: is verò præsupponit distingui, & quærit verum illud, quo suppositum dissidet, à natura sit positiuum, aut negatiuum, vt *infrà* per subsequentes Assertiones palàm fiet. Non ergo Scot. est cum Durand. sed longè ab eo distat, vt quilibet vtrumque non sinistrè interpretaos intueri potest.

210. Assertio secunda, suppositum formaliter sumptum non addit aliquod reale positiuum naturæ singulari substantiali. Patrocinatur Scot. *passibus recensitis.* Probatur primò, illud positiuum superadditum naturæ indiuiduæ, quod censetur esse formaliter suppositum, vel est assumptibile, & vnibile alieni in vnitate suppositali, vel inassumptibile, & inunibile alteri in tali vnitate suppositali, & personali: neutrum dici potest, ergo nullum admittendum est positiuum reale superadditum naturæ indiuiduæ substantiali. Maior constat ex sufficienti partium enumeratione. Minor ostenditur quoad primam partem, suppositum formaliter est incommunicabile, vt patet ex eius definitione præexplicata in primo not. Quoad secũdam partem est in confesso, ipsum esse inassumptibile, & de facto à diuino Verbo non fuisse assumptum, vt definiunt præaddncta Concilia, & confirmant prænominati Patres, docentque omnes Doctores Scholastici 3. *distinctione prima.* Quod autem est inassumptibile, est incurabile, authore Damasc. 3. *fidei, capite 6. & 18.* dicente. *Quod assumptione destitutum est, incurabile est.* Quod verò est incurabile, est irredimibile, & insaluabile, sicque aliquid esset in nobis, quod Christus nedum non redemerit, nec saluauerit, verumetiam nec potuerit redimere, nec saluare, putà illud positiuum reale, quod addit persona naturæ singulari substantiali.

Occurrunt Thomistæ, nominatim Caietanus, Med. 3. *parte, quæstione quarta, articulo secundo*, & Suarez *disputat. 34. Met. sectione secunda, numero 20.* & distinguunt duplicem entitatem positiuam, vnam naturalem consequentem naturam: alteram verò perso-

nalem consequentem personam : illam faciunt assumptibilem, vnibilem, & curabilem : at istam, inassumptibilem, inunibilem, & incurabilem. Per hanc distinctiuuem suspicantur se satisfacere Conciliis, & Patribus pro nobis præadductis. Contra autem sic argumentor, vel id omne, quod est assumptibile à Verbo, pertinet ad quidditatem, & essentiam naturæ assumptibilis, aut non? sed necessariò consequitur, & concomitatur eam. Si primum, ergo Verbum non assumpsit singularitatem, seu hæcceitatem humanitatis ab ipso assumptæ, vtpotè, quæ non est de essentia eiusdem humanitatis, pariterque passiones, potentiæ, & facultates, quæ ab eamet egrediuntur. Si secundum, ergo sicut assumpsit eius differentiam indiuidualem, quæ à nobis dicitur hæcceitas, ità & dictam entitatem positiuam personalem, per quam natura suppositatur, & personatur. Vtraque enim entitas positiua est in potentia obedientiali, vt assumatur à Deo, ad quodcumque, quod ipse Deus præstat, si voluerit. Est namque entitas absoluta creabilis, & annihilabilis, proindè vnibilis, & assumptibilis? In manu quippè Dei cuncta sunt posita: vnde Dauid alloquens Deum *Psal.* 118. inquit, *Omnia seruiunt tibi*, & Psalm. 75. *Quis resistet tibi*? Cum ergo omnia faciant Verbum eius, nec quis possit resistere voluntati eius: planè infertur nullam esse virtutem in dicta entitate, qua repugnet, vt assumatur, & vniatur. Si enim assumi nihil aliud sibi vult, quam vniri hypostaticè, vtique ipsa potest vniri hypostasi Verbi, sicut alia quæcumque entitas. Præsertim in sententia Suarez opinantis, quamlibet creaturam esse posse instrumentum creationis, ad quodlibet creandum, ad quod Deus voluerit ipsam assumere. Si enim omnis creatura in creatione assumi potest, non videtur cur etiam in vnione hypostatica, cum illud non sit hoc maius opus, nec difficilius vnire, quàm facere. Mirum quippè est in dictu Suarez, aliisque Nuperis, vt omnis creatura patere valear Deo, illa verò entitas positiua personalis ipsi Deo parere nequeat: sitque vlla creatura prorsus inobediens, respectu cuius Deus sit impotens ad eam coërcendam, statoatur in eamet potentia resistiua, & tollatur à Deo potentia coërcitiua. Eò magis, quia Deus est in cunctis rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, per gratiam in beatis, & in humanitate assumpta, per vnionem hypostaticam, vt insinuat D. Paulus Colos. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, id est, vt exponit Lyran. *in postil.* per vnionem in supposito Verbi. Quod si Deus præfatis modis existit in omnibus rebus creatis, vtique etiam in illa entitate positiua addita naturæ singulari, potestque in eamet inhabitare corporaliter, vt loquar cum D. Paulo, quod idem sonat ac assumere, & sibi vnire, interprete Lyran. *vbi suprà*. Si ergo illa entitas positiua est vnibilis Deo, non videtur, cur in Christo non sit vnita, vt contendebat Nestorius: at verò si non sit vnibilis, Deo, videtur deficere potentia vniendi, quod vtrumque est absurdum, & falsum.

Secundò, cui aliquid deest ad totalitatem, perfectionem, & integritatem alicuius, non est totum, perfectum, & integrum, vt patet ex descriptione totius, perfecti, & integri: Christo autem nihil deest pertinens ad totalitatem, perfectionem, & integritatem hominis. Est namque perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. authore Athan. *in Symbolo*. At si personalitas foret entitas realis positiua, ipsi deesset aliquid pertinens ad complementum hominis, putà personalitas creata, quæ secundum Aduersarios est vltimus terminus, & complementum humanitatis. ergo Christus non esset integer, & perfectus homo, vt prædicatur ab omnibus Orthodoxis, & contra Sectarios defenditur ab Alphonso *lib. 4. aduersus hereses, verbo Christus*.

211. Obuiam fiunt prænominati Authores, & dicunt distinguentes, Christum quidem participasse quidquid pertinet ad naturam humanam, ratione cuius dicitur perfectus homo, non verò quod spectat ad eius personam, loco cuius extitit persona diuini Verbi. Quare pro inconueniente non habent Christum caruisse dicta entitate positiua personæ constitutiua. Contra, ea entitas positiua à prænominatis Authoribus excogitata est vltimus terminus, & vltimum complementum naturæ, vt quoque ipsi fatentur, ergo pertinet ad naturam, proindéque si eius expers fuisset Christus, non fuisset perfectus: quia non habuisset, quidquid spectat ad integritatem, & complementum eius: atque aliqua entitas esset in homine, quæ non esset redempta, & sanata à Christo Domino, quod contradicit Verbis eiusdem Christi, Ioan. 7. *Totum hominem sanum feci*. Et August. *in fine serm. 145. de tempore. Totum redemit, qui totum creauit, totum suscepit, totum liberauit Verbum*. Et Damasc. 3. fidei, capite 6. *Totum totum assumpsit, & totus toti vnitus est, vt toti salutem largiretur*. Accedunt definitiones Concilij Calcedon. *actione quinta*. Vbi leguntur hæc verba. Edocemus eundem scilicet Christum secundum humanitatem, in humanitate, per omnia similem nobis, absque sorde peccati. Et 6. Synodi actione prima. *Per omnia nobis similem, absque peccato*. Idque præmonstrauit Apostolus Tarsensis Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari. Dempta culpa* Glossat Lyran. cui consonat Dionysius lib. de diuinis nominibus, cap. 2. *Ex nobis integrè, veréque humanatum est Verbum*. Et adhuc mirificè suffragatur Damasc. passu alleg. capite 6. & 22. *Nihil eorum, quæ plantauit in nostra natura Deus Verbum, cum in principio plasmauit nos, deficit, sed omnia assumpsit, corpus, animam rationalem, & eorum proprietates*. Hæc, & alia, quæ adducit Alphons. nuper memoratus non obscurè ostendunt sententiam Scot. de supposito, & persona formaliter sumpta cæteris esse veriorem, & conformiorem sacræ Paginæ, œcumenicis Concillis, & sanctis Patribus. Quod si personalitas foret entitas positiua substantialis, sanè deesset Christo talis entitas, & non esset per omnia nobis similis, excepta culpa. Dicerent enim Hæretici, immò & Catholici, deficere ipsi Christo huiusmodi entitatem positiuam substantialem, quę facit ad præstantiam, & excellentiam hominis: atque præstantior, & nobilior est personalitas hominis quacumque suppositalitate irrationalium, & inanimatorum. Addo per Aduersarios esse complementum vltimum positiuum hominis, quod non videtur congruere sanctionibus dictorum Conciliorum statuentium, Verbum assumpsisse omnia, etiam proprietates hominis, præter peccatum, quia eis opponeretur, non assumpsisse præfatam entitatem positiuam, positam, & assertam ab Antigonistis, sicque excepta culpa non sibi vniuisse omnia ad hominem conducentia, nimirum illam entitatem positiuam substantialem, quod non videtur congruere Conciliis, & Patribus prænominatis.

Tertiò, si Verbum deponeret humanitatem assumptam, hac data hypothesi, aut illa humanitas permaneret non personata, aut de nouo produceretur eius personalitas in ipsa humanitate. Neutrum dici potest: ergo admittenda non est præfata entitas positiua, per quam natura constituatur in esse personæ. Maior est conspicua, & sufficiens; vt enim Verbum potuit assumere humanitatem, ità eam potest dimittere, quo habito tum, inuestigatur, num dicta humanitas maneret absque personalitate, vel personalitas ab ipsa humanitate, vel à Deo causaretur? Minor suadetur quoad primum, quia inconueniens huiusmodi naturam existere sine sua personalitate, quæ est eius vltimum complementum, & terminus, veluti linea absque punctis ipsam terminantibus consistere nequit. Quoad secundum ostenditur

oſtenditur,quia Deus poteſt non coagere ad productionem eius, quo poſito, illa natura perſiſteret abſque ſua perſonalitata, eſſetque natura perſonabilia abſque perſonalitate,veluti rationalis,ſine rationalitate.

212. Reſpondet Medina cit. data hypotheſi, perſonalitas flueret à natura, veluti paſſio eius, eo modo quo riſibilitas prodit ab humanitate, vt eius proprietas, hinnibilitas ab equinitate, & lux à ſole. Contrà, in primis ipſe Med. & alij Thomiſtæ negant ſubſtantiam eſſa immediatè, & proximè actiuam, ergo cum illa humanitas ſit ſubſtantia, nequit cauſare ſuam perſonalitatem. Deinde, ſi perſonalitas flut ab humanitate, vt eius paſſio, ſicut omnes paſſionas, & proprietates perſtiterunt in aſſumpta humanitate, vt docet Damaſc. loco proximè memorato, ſic permanſiſſet eius perſonalitaa, quod eſt erroneum, & hæreticum. Rurſùs, quidpiam defuiſſet humanitati Chriſti, putà illa proprietas perſonalis, proindè non fuiſſet integra, & perfecta humanitss, ſicut ſancitum eſt in præadductis Conciliis. Vnde, qui ab illa humanitate ſuſtulerunt voluntatem, Monotelitæ, damnati ſunt in Concilio Conſtantinopolitano teſte Alphonſo *vbi ſuprà,hereſi* 6.

213. Aliter occurrit Caiet. cit. & inquit, perſonalitatem manare ab humanitate non inſtar paſſionis, ſed inſtar effectus à ſua cauſa. Ideò non putat inconueniens,naturam derelictam à Verbo exiſtera abſque perſonalitate, & ſortiri talem modum per ſe ſolitarium donec accedat alius modus per ſe manendi, qui eſt perſonalis. Verùm hæc reſponſio nullius eſt momenti. Siquidem multiplicat modum, ſupra modum, quod eſt vanum, & fruſtaneum. Deinde, ſi Deus à primordio Mundi produxiſſet omnes naturas intellectuales ſingulares eo modo, nullæ forent perſonæ, quod apparet abſurdum. Inſuper natura intellectualis ſingularis ſic exiſtens eſt verè, & propriè perſona; eſt namque eo modo incommunicabilia, vt quo, & vt quod, vt poſcit ratio perſonæ, igitur prælata explicatio, & reſponſio minimè ſatisfacit, nec minuit robur, & efficaciam rationis Scot.

214. Aſſertio tertia, ſubſiſtentia ſuppoſitalis non eſt modus poſitiuus ſubſtantialis additus naturæ ſubſtantiali ſingulari actu exiſtenti. Deducitur ex Doct. *vbi ſuprà*, contra Suarez nuper alleg. *ſect.4. num.* 24. alioſque Recentes. Probatur primò, modus rei diſtinguitur modaliter à re, cuius eſt modus, vt ingenuè fatetur idem Suarez *ibidem num.* 33. ſeu formaliter negatiuè, vt volunt Scotiſtæ.Quæ autem modaliter differunt, ſunt inſeparabilia, veluti, quæ formaliter diſtinguuntur:In Chriſto autam non extitit ſuppoſitum creatum in humanitate Verbo vnita, ſed ſuppoſitum diuinum dumtaxat,igitur inter naturam.& ſuppoſitum non adeſt diſtinctio modalis, proindéque nec ipſum ſuppoſitum formaliter eſt dictus modus ſubſtantialis. Fingere autem diſtinctionem realem, & modalem ſimul inter ea, vt præſtat Suarez *loco mox memorato*, eſt implicatio in terminis, cum diſtinctio realis ſit inter rem, & rem, & modalis inter rem, & modum eius. Præſertim, quia ipſe non diſtinguit realiter exiſtentiam ab eſſentia, cum tamen concedat exiſtentiam eſſe modum eſſentiæ, cur ergo nunc interponit diſtinctionem realem, & modalem inter naturam, & ſuppoſitum,quod facit modum eius ſubſtantialem.

Secundò, ex natura, & ſuppoſito non fit compoſitio, alioqui in Deo foret compoſitio, in quo vna eſt natura, & tres hypoſthaſes, ſimiliter perſona Chriſti foret compoſita: ipſe autem Suarez præcenſitus *num.* 39. putat ex dicto modo, & natura fieri compoſitionem, ita vt ille ſit determinans, & actuans, hæc verò determinata, & actuata. Quod maximè apparet falſum tam in Deo, quàm in Angelis. Iterum aliquid perfactionis humanæ deeſſet humanitati Chriſti, puta dictus modus ſubſtantialia, qui ne, cum non ingrediatur eſſentiam hominis, foret aduentitius, eique accidentalis, non autem ſubſtantialis. Rurſùs, accidenti exiſtenti abſque ſubiecto in Euchariſtia, non additur nouus modus poſitiuus, vt alibi oſtendi, ergo nec ſubſtantiæ ſingulari exiſtenti dandus eſt modus realis poſitiuus determinans, & ipſam actuans. Huc quoque pertinent rationes à nobis allatæ *lib.* 2. *Phyſ. quæſt.*5. *art.*2. vbi monſtratur formam vniri materiæ, abſque vllo modo ſubſtantiali eis ſuperaddito.

215. Aſſertio quarta, ſubſiſtentia ſuppoſitalis, & perſonalis formaliter addit naturæ ſingulari ſubſtantiali aliquid negatiuum, putà duplicem incommunicabilitatem vt quo, & quod, ſeu duplicem negationem dependentiæ actualis,& aptitudinalis.Ita Scot,præcit. Probatur primò, ex refutatione aliorum. Siquidem ſuppoſitum, & perſona formaliter non coincidit cum natura ſingulari ſubſtantiali, vt oſtendi *in prima aſſertione*, nec eſt aliquid poſitiuum, nec modus ſubſtantialis, vt probaui in duabus proximis præcedentibus aſſertionibus, ergo eſt quid negatiuum præoſtenſum, & præaſſertum.

Secundò, ex definitione perſonæ,quæ eſt naturæ intellectualis incommunicabilis exiſtentia. Perſona ſiquidem præcisè non eſt natura intellectualis, quia hæc eſt in Chriſto,abſque perſona creata.nec eſt formaliter exiſtentia,quia exiſtentia competit naturæ ſingulari; ideò humanitas in Chriſto participat ſuam exiſtētiam,quæ ne exiſtens aſſumpta eſt à Verbo:ſuperaſt incommunicabilitas duplex, & duplex negatio dependentiæ præoſtenſa, & præexplicita, per quam perſona formaliter conſtituitur in eſſe perſonæ

Tertiò, illud formaliter conſtituit ſuppoſitum, quo primò poſito,ponitur,& quo ablato,auferiur:poſita autem illa gèmina negatione communicabilitatis, & dependentiæ,ponitur perſona,& ſuppoſitum,ea verò ſublata tollitur, ergo formaliter dicta duplex negatio conſtituit ſuppoſitum. Atqueadeò concluditur ſuppoſitum materialiter includere naturam ſingularem ſubſtantialem; formaliter verò duplicem prænarratam negationem dependentiæ actualis, & aptitudinalis. Nec mirum vlli eſſe debet, cum prima ſubſtantia deſcribatur per geminatam negationem, vtpotè quæ non eſt in ſubiecto, nec dicitur de ſubiecto. Materia 7. *Met. T.*8 negatiuè deſignatur, immò Deus per negationea innoteſcit, vt ex D. Dionyſ.*lib.de cæleſti Hierarchia* inſinuat Alenſ.1.*p.quæſt* 8 *art.*2. Eò magis,quia ſic facilè diluuntur difficultates; quæ ab Aduerſariis, opponuntur,beneque omnia ſe habent & rectè cohærent,vt præ aliis aduertit,& defendit Mol.1 *p. quæſt.*29.*art.*4. *in fine diſp.*2.Idque apertius,& clarius fiet,ea ſolutione oppoſitionum mox adducendarum.

216. Oppones primò,pro primo placito,concretum, & abſtractum non differunt, niſi in modo ſignificandi, vt album,& albedo,annuente Scot.1.*diſt.*4.*q* 1.*in calce*: Homo autem eſt nomen concretum, & humanitas eſt abſtractum, & ille eſt ſuppoſitum, & hæc eſt natura, ergo natura, & ſuppoſitum prorſus coïncidunt, atqueadeò ſuppoſitum ſuprà naturam nihil addit. Diſtinguo maiorem de concreto,& abſtracto accidentis quod alij inquiunt de concreto concretione ad ſubiectum, concedo: de concreto, & abſtracto ſubſtantiæ, quod alij perhibent, de concreto concretione ad ſuppoſitum, nego. Ita exponit Scotum Lychet. in com. eius loci. Ratio diſcriminis eſt, quia accidens ſingulare, cum ſit in ſubiecto,& abſque ipſo conſiſtere naturaliter nequeat,ſuppoſitum eſſe non poteſt:ſubſtantia verò ſingularis cum ſit ens per ſe,poteſt per ſe exiſtere ſolitariè, & ab vllo extrinſeco ſuppoſito non dependere,ideò poteſt eſſe ſuppoſitum,per aliquid ſibi additum,ratione cuius dicitur incommunicabile,& independens.

217. Inſtabis,quod addit ſuppoſitum ſuprà naturam ſingularē eſt duplex negatio præpoſita,& præexplicita: negatio autē nihil eſt,ergo ſuppoſitū nihil naturę ſuper-

addit. Concedo ma. distinguo min. negatio nihil est formaliter, concedo: fundamentaliter, nego, veluti æternitas formaliter est carentia, seu negatio principij, & finis: fundamentaliter verò est diuina essentia tota simul existens & independens, vt significat Scot. *Quol. 6.* quem sequitur Suarez *disp. 50. Met. sect. 4. num.* 12. Addo priuationem esse carentiam formæ in subiecto apto, & idoneo, cum tamen sit principium naturalis generationis, vt patet 1. *Phys. cap. 6.* Et terminus à quo eiusdem, vt ibi satis explicaui, & probaui. Ita mirum nulli esse debet, si suppositum formaliter sumptum naturæ singulari substantiali addit aliquid negatiuum.

248. Oppones secundò, pro secundo placito, suppositum diuinum addit aliquid positiuum suprà naturam diuinam, videlicet rationem originis subsistentem, per quam constituitur in esse suppositi. Ergo idipsum affirmandum est de supposito creato, vtpotè, quod addat aliquid positiuum supra naturam. Conseq. tenet, cum par vtrobique videtur ratio. Vtrumque enim conuenit in eadem ratione suppositi, ergo si illud est positiuum, vtique & istud: Concedo ant. nego conseq. ratio disparitatis est, quia diuinum suppositum præsefert negationem triplicis dependentiæ, actualis, aptitudinalis, & potentialis. Negatio autem dependentiæ potentialis designat positiuum. Quod enim negat dependentiam potentialem, & repugnat ab alio dependere, includit formaliter aliquid positiuum, ratione cuius repugnat alteri communicari. At suppositum creatum, quia tantum constituitur per duplicem negationem actualis, & aptitudinalis dependentiæ, propterea nihil positiuum formaliter includit. Ratio autem communis personæ abstrahit à positiuo, & negatiuo, veluti ens à finito, & infinito, & animal, à rationali, & irrationali. Quare hoc argumentum, quod à Recentibus tanti æstimatur, prorsus corruit, cessatque eorum admiratio in schola subtilium, si ipsi rectè considerent, & æquè iudicent.

249. Instabis, persona increata, & creata vniuocantur in communi ratione personæ, cum definitio personæ adaptetur vtrique: positiuo autem, & negatiuo nihil est commune vniuocum: ergo si persona increata formaliter denotat positiuum, & creata negatiuum, haud vniuocantur. Occurrit Scot. *in 3. prallec. § per hoc ad argumenta. G.* & ait, personam increatam, & creatam vniuocari quidem in communi conceptu negationis duplicis dependentiæ, actualis, & aptitudinalis: non autem in conceptu negationis tertiæ, seu potentialis, qua repugnat alteri communicari, quæuè soli personæ diuinæ accommodatur, ratione cuius importat formaliter positiuum.

250. Oppones tertiò, quod est absolutum residens in prædicamento substantiæ, est quid positiuum, quoniam prædicamenta sunt series entium positiuorum: suppositum autem creatum locatur in categoria substantiæ, vt intueri licet in arbore Porphyrij, ergo suppositum creatum est quidpiam positiuum. Concedo maiorem, distinguo minorem: fundamentaliter, ratione naturæ indiuiduæ substantialis, concedo; formaliter, ratione duplicis præmemoratæ negationis dependentiæ, nego.

251. Instabis, actiones reales positiuæ prodeunt à principio reali positiuo, huiusmodi autem actiones proficiscuntur à supposito, iuxta illud Arist. 1. *Met. c. 2. Actiones sunt suppositorum.* Ergo suppositum creatum formaliter est aliquid positiuum. Concedo ma. nego min. ad illud Philosophi dico non bene verti suppositorum, sed singularium, interprete Scot. ibi in com. à quo non declinant Suarez, & alij Neoterici præcit. & tex. ille satis est apertus, & clarus.

252. Oppones quartò, suppositum est vnum per se: ex positiuo autem, cuiusmodi est natura singularis, & negatiuo, vt est suppositum formaliter, non habetur vnum per se, ergo suppositum formaliter non includit negationem duplicem præassignatam. Distinguo maiorem, ratione fundamenti, puta naturæ singularis, quæ ex actu, & potentia constat, ex quibus fit vnum per se, concedo: ratione negationis duplicis prænarratæ, per quam formaliter suppositum constituitur in esse suppositi, nego. Quare, cum vnum per se propriè componatur ex actu, & potentia, siue physica, siue metaphysica: & persona Verbi non sit actus humanitatis assumptæ, & ipsa humanitas non sit potentia eius, quia in ratione humanitatis est completa, & perfecta: idcircò suppositum non videtur esse vnum per se hoc modo sumptum, alioqui persona Christi foret composita nedum compositione humanitatis, ex corpore, & anima: verumetiam ex humanitate, & personalitate Verbi, quod in *Tract. de Verbo incarnato* reiectum à nobis est. Vel si concedatur maior, distinguenda est minor, positiuè, conceditur: negatiuè, negatur. Sic enim constituitur vnum per se subsistens subsistentia suppositali, & personali, sicque est vnus Christus vnitate personæ, & suppositi Verbi diuini, quod cum sit positiuum, est vnum subsistens positiuè: quod si foret suppositum creatum, cum sit formaliter negatiuum, esset vnum negatiuè, de quo in præsentia est sermo.

253. Instabis, indiuiduum est incommunicabile multis, & tamen secundum Scot. 2. *dist. 3. q. 2.* constituitur per differentiam indiuidualem positiuam, estque vnum per se positiuè; ergo idem astruendum est de supposito creato, quod licet sit incommunicabile, nihilominùs constitutiuum eius formale est positiuum. Concedo ant. nego conseq. ratio disparitatis est, quia repugnat indiuiduum diuidi in plures partes subiectiuas: non sic natura suppositata, vel suppositabilis repugnat suppositari à supposito alieno, vel proprio. Natura quippè à Verbo suppositata potest ab ipso dimitti, & suppositari à proprio supposito, vel ab alio. Ideò, non est necesse eius constitutiuum formale sit positiuum. At verò indiuiduum repugnat alteri communicari: propterea eius constitutiuum formale est positiuum.

254. Dices, omnis negatio reuocatur ad affirmationem, 2. *Perih. 3.* & 4. *Met. tit. 6.* Ergo omne negatiuum reducitur ad positiuum: proindéque si suppositum negationem importat, tamen ab ente positiuo non recedit. Satisfit, si dicatur, totum id verum esse fundamentaliter, non autem formaliter, quod nunc controuertitur.

255. Oppones quartò, pronomina ego, tu, ille, & huiusmodi significant personam, & vulgò non negationem, sed substantiam designant, immò sunt primæ substantiæ, quas esse entia positiua, nemo ambigit, ergo persona formaliter præsefert positiuum. Respondeo illa pronomina significare totum concretum ex natura singulari substantiali, & personalitate simul: quod si præcisè acciperentur pro sola personalitate, negatiuum independens significarent dumtaxat.

256. Instabis, si humanitas Christi dimitteretur à Verbo, fieret alia persona à persona Verbi, quia relatiuum alius, alia, aliud, est relatiuum diuersitatis substantiæ, ergo inficiandum non est, personam naturæ singulari addere quidpiam positiuum. Dico, data hypothesi, foret alia persona distincta à persona Verbi. Sic enim per se staret solitariè, & independenter à supposito extrinseco. Ideò nego relatiuum aliud semper denotare substantiam, quia quandoque designat accidens, vt alia albedo est in Petro, alia verò in pariete: Sic mirum non est, si in dato casu, significaret formaliter negationem duplicis dependentiæ præostensam.

257. Vrgebis, natura inclinat ad propriam personalitatem: inclinatio autem naturalis non fertur ad negatiuum, sed ad positiuum, ergo persona formaliter includit quid positiuum. Dico, quod sicut quæcum-

que

que res appetit suum modum naturalem, vt lapis deorsum, & ignis sursum: ita natura indiuidua substantialis cupit suum modum subsistendi solitariè independenter ab alio, veluti, cum quis stat, optat sedere: huiusmodi autem modus existendi, & subsistendi per se solitariè, & independenter ab extrinseco supposito, est ipsius naturæ, propria suppositalitas, & personalitas.

228. Oppones quintò, ex Valentia *Tomo 4. disp. 1. quæst. 4.* Scotus explicare videtur ignotum per æquè ignotum, aut ignotius: Quæritur enim, in quo propriè consistat ratio personæ? & respondet consistere in negatione communicabilitatis, seu dependentiæ ab extrinseca persona: quæ negatio, nisi prius percipiatur quid sit persona, atque quid sit huiusmodi dependentia à persona, intelligi non potest. Malè ergo Scot. censet rationem formalem personæ sitam esse in præfata negatione. Respondet Valent. non percipere mentem Scot. nec attingere sensum eius. Siquidem ipse Scot. optimè explicat, quid sit persona formaliter, vt satis liquet ex dictis suprà. Siquidem non oportet scire ante quid sit persona, vt intelligatur, quid sit illa negatio duplicis dependentiæ actualis, & aptitudinalis, quia hæc est formaliter persona. Si namque animal rationale est homo, vt cognoscatur animal rationale, non est necesse, prius cognoscatur homo, quia homo, & animal rationale prorsus coïncidunt, nisi differatur de cognitione confusa, & indistincta, quæ ad rem non pertinet.

229. Instabis, definitio præallata à Ricard. congruere nequit personæ, nisi ridiculè, & ineptè exponatur. Si enim per Scot. communicabilitas potentialis non repugnat personæ, solamque communicabilitatem actualem, & aptitudinalem de persona negare licet, necesse est, exponantur verba illa incommunicabilis existentia hoc modo: substantiam personæ non per se, sed solùm ex hypothesi, & in sensu composito esse incommunicabilem, si ponamus, ipsam actu non communicari. Nego id sequi ex sententia Scot. Non enim ait Scot. communicabilitatem potentialem competere personæ, sed naturæ, quandoquidem persona, vt persona nulli potest communicari, ideò natura personata est inassumptibilis. Attamen, non repugnat absolutè, & in sensu diuiso, vt natura creata personata alteri communicetur supposito. Fallitur itaque Valen. dum putat idem nos dicere de natura ac eius personalitate, cum suprà inter vtrumque, latum, & apertum discrimen monstrauerimus.

210. Oppones sextò, fides orthodoxa nos docet Verbum assumpsisse humanitatem, non verò personalitatem ipsius humanitatis, vt narrat Alphonsus *lib. 3. aduersus hæreses, verb. Christus, hæresi 3.* Si autem personalitas importat duplicem negationem, vt tradit Scot. sequitur, Verbum non assumpsisse dictam negationem, & in Christo non esse personam creatam, quia in ipso non est huiusmodi negatio: negatio autem prorsus nihil est, ergo hoc modo Verbum non assumpsisset illud nihil, quod debebat esse in humanitate, si Verbum ipsam non sibi hypostaticè vniuisset. Hoc autem apertè est falsum, absurdum, & indignum, vt à vero Theologo tradatur. Siquidem vanæ, iocosæ, & ridiculæ forent sanctiones Conciliorum, & doctrinæ sanctorum Patrum, contra Sectarios oppositum tutantes. Ineptus quidem foret sensus dictorum Patrum asientium, Verbum consumpsisse creatum suppositum, id est consumpsisse eius negationem. Itemque non assumpsisse suppositum creatum, id est, non assumpsisse negationem eius, sed eam abstulisse, & impediuisse. Atque ideo sibi coniunxisse tale suppositum creatum, quia dictam negationem eius non sibi coniunxit, & vniuit, nec in Christo mansit præmissa negatio. Adde, Verbum non assumpsisse humanum suppositum, quia humanitatem in se manentem non permisit, nec eam sibi inunitam reliquit. Quis sic ignarus, & stolidus est, qui non videat hunc sensum esse planè irritum, & omninò falsum? Ad quid tot labores, preces Catholicorum, & definitiones Conciliorum, vt stabiliretur, Verbum non sibi vniuisse negationem, quam præsefert humanum suppositum formaliter. Aliud quippè intendebant Nestoriani arbitrantes in Christo duas personas extitisse, videlicet personam constitui per entitatem absolutam, quam ponebant in Christo secundum humanitatem, & diuinitatem, adeo vt, sicut in eo erant duæ naturæ, humana, & diuina, suspicarentur in eo met esse duas personas, humanam, & diuinam, constitutas per constituentia principia realia positiua. Denique, non pauci Scoticam sententiam falsitatis, & erroris nota inurunt, referente Arr. *disp. 4. Met. sect. 9. subsect. 2.* conspirantes, & latrantes aduersùs Scotum, veluti catuli contra leonem, garrientes, vt aniculæ contra Aquilam, pugnantes, vt Pygmei contra Gigantem, prospicientes, vt oculi Nycticoracis, ad lumen solis. Quibus facilè respondemus præsupponentes Concilia, & Patres damnasse, & anathemate percussisse Nestorianos astruentes duas personas in Christo disiunctim, & separatim, vnam humanam, qua dicitur Filius hominis, & alteram diuinam, qua nominatur Filius Dei. Ideò B. Virginem appellant non Dei, sed hominis matrem: & imaginantur Christum non esse Deum, sed Deiferum, in quo scilicet inhabitat Deus speciali prærogatiua, gratia, & amicitia, esseque vnum vnitate accidentali, & morali, non autem vnitate physica, & suppositali, ac substantiali. Contra quos decertans Leo primus *in epistola ad Flauianum*, vtitur testimonio *1. Ioan. 4. Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic Antichristus.* Subricit autem Doctissimus Alphonsus, expugnator horum, & cæterorum Sectariorum acerrimus *l. 4 aduersus hæreses, verbo Christus, hæresi 3.* Quis est, qui verius soluit Iesum, quam Nestorius?, qui diuinam separat naturam, ponens duas personas, dissoluens illum admirabilem nexum vtriusque naturæ in vnitate suppositi. Vnde Conc. Ephesinum statuit, Deum carne vnitum, iuxta subsistentiam, sancta Virgo corporaliter peperit. Idem scribunt Cyrillus *lib. de vera fide, ad Theodosium*, Gelasius Papa, & alij ab eodem Alphonso relati. Ex his liquidò constat, quid malè senserint Hæretici, & quid intenderint PP. & Conc. præalleg. nimirum Christum habere duas naturas, humanam, & diuinam in vnitate personæ Verbi vnitas. Quid autem sit persona formaliter, num præseferat positiuum, aut negatiuum? non attingunt, sed relinquunt Scholasticis disputandum: veluti Fides orthodoxa tradit tres esse personas diuinas, an verò ipsæ personæ constituantur per relatiua, vel absoluta, non decidit. Itemque Philosophi communiter asserunt vnum esse passionem entis, vtrum autem sit formaliter positiuum, an verò negatiuum, adhuc lis sub iudice est. His autem positis, absque labore, & sudore, planè, & plenè satisfit instantiis præallatis, quæ quidem à prænominatis Nuperis magni fiunt, à nobis verò parui momenti censentur. Itaque concedo maiorem, distinguo minorem: de negatione vniversè, & præcisè sumpta concedo: de negatione verò actualis, & aptitudinalis dependentiæ, qualis suprà descripta est, quæue est modus per se standi solitariè, nego. Hic autem modus quamuis negatiuus sit, non tamen est nihil, veluti punctum est terminus lineæ, tametsi sit negatio vlterioris longitudinis, in sententia multorum, & vnum est passio entis, licet in sententia Aduersariorum sit negatio diuisionis à se, & à quouis alio: pariter ille modus est quidem negatiuus, fundatur tamen in natura singulari substantiali, ratione cuius redditur independens, & incommunicabilis alteri. Humanitas autem Christi, quæ hunc modum naturaliter sortiri debebat, vt scilicet esset independens & incommunicabilis alteri, & per se

ſtaret, nulli vnita, præuenta fuit à ſuppoſito Verbi, & vnita ei hypoſtaticè, ratione cuius vnus eſt Chriſtus vnitate perſonæ, Deus, & homo ſimul, quem Beata virgo genuit: Ob id fuit vera Mater Dei, & hominis. Neſtorius verò volebat eam fuiſſe tantùm genitricem hominis, quia diuidebat Ieſum, ſcilicet per ſe ſtantem ſolitariè, & ſeparatum à perſona Verbi, ipſique in ſubſiſtentia non vnitum, cuius oppoſitum ſancit Concilium Epheſinum præadductum. Patet igitur placitum Scoti congruere veritati Catholicæ, & ſanctionibus Conciliorum, & Doctrinæ Patrum, & aduerſari Hæreticorum dogmati ſeparantium humanitatem à diuinitate, iuxta ſubſiſtentiam Verbi, vt vtar verbis Concilij nunc allegati, & ſuſpicantium vnionem illam eſſe per gratiam, & amicitiam, & non iuxta ſubſiſtentiam, vt etiam notat Aut. 3. *diſt.4.art.3.* Quare ingens fuit labor Conc. in ſtatuendo, Chriſtum non fuiſſe purum hominem genitum à Virgine, numquam per ſe ſtetiſſe diſiunctum à diuinitate, ſed ſemper ei vnitum in vnitate ſuppoſitali, quem ſancta Virgo corporaliter peperit, ſecundum definitionem Concilij nunc alleg. Quare corruunt omnia, quæ contra Scot. accumulant Neoterici, eiuſque doctrina firma, ſtabiliſque ſemper manet ab omni erroris ſuſpicione immunis, vt declarauit Sacra Cardinalium congregatio, anno Domini 1610. ſuppleuit namque perſona Verbi in humanitate aſſumpta, quidquid præſtitiſſet perſonalitas creata, ſi fuiſſet: ſi enim adfuiſſet perſonalitas creata, per ſe ſtetiſſet independens & incommunicabilis alteri, & in perſona Verbi ſubſiſtit, & incommunicabilis, & independens in eamet perſona ſtatuitur. Ideò ſuppoſitum Verbi dicitur conſumpſiſſe perſonalitatem creatam, id eſt, illum modum per ſe ſtandi ſolitariè, quem habuiſſet, niſi à Verbo aſſumpta fuiſſet. Hinc dicitur exaltata, & ſublimata, ad illam maximam vnionem hypoſtaticam diuini Verbi.

231. Inſtabis, vnio præfata ſecundum Scot. eſt accidens, vtpote relatio fundata in humanitate aſſumpta, & terminata ad Verbum, ergo placitum Scot. fauet prænominatis hæreticis opinantibus eam vnionem fuiſſe accidentalem, & opponitur fidei orthodoxæ docenti eam eſſe ſubſtantialem. Dico, illam vnionem quidem formaliter eſſe accidens: denominari verò ſubſtantialem penes extrema vnita, quæ ſunt ſubſtantiæ, veluti etiam in Phyſica, vnio materiæ, & formæ formaliter eſt accidens, vocatur verò ſubſtantialis, quia quæ per eam vniuntur, ſunt ſubſtantiæ. Sed de hac ex inſtituto egi *tract. de Deo incarnato, diſp.6.q.2.* & *lib.2. Phyſ.q.5 art.2.*

232. Dices, ſi natura humana non eſt perſona, quia vnitur Verbo, ergo à pari Verbum non eſt perſona, quia vnitur humanitati. Dico, naturam humanam aſſumptam non eſſe perſonatam propria perſonalitate, quia eo momento, quo debebat perſonari propria perſonalitate, perſonata eſt perſonalitate Verbi: non ſic Verbum cum vnitur humanitati, cum ipſum ſit perſona, & non natura perſonabilis, vt erat humanitas in eo inſtanti, quo perſonanda erat propria, aut aliena perſonalitate. Vel ſi concedatur ant. neganda eſt conſeq. ratio diſparitatis ſuprà eſt oſtenſa, quia perſona creata formaliter præſefert negatiuum, diuina verò poſitiuum, ideò permanet in humanitate ſibi vnita.

QVÆSTIO VI.

De Accidente.

233. IN præcedente quæſtione differui de ſubſtantia: in præſente verò de accidente agendum propono, quod ad eius notitiam plurimùm iuuare monet Ariſt. 1. *Anima tex.11.* Et ſuppono, quæ de ipſo accidente tradidi in Epitome, *lib.1. q.3.art.7.* & *lib.2. Logica, q.7.*

ARTICVLVS V.

Quænam ſit eſſentia Accidentis.

234. HAnc difficultatem pertractant Scot. 4. *d.12. quæſt.1.* Baſſol. aliique eius diſcipuli *ibid.* Conimb. *quæſt.1. in prædicam. art.3. cap.4.* & Complut. *eo in loco diſp. 11. quæſt. vlt. dub.3.* & nouiſſimè Ponc. *diſp. 13. quæſt. 1.* Ad cuius faciliorem captum faciunt ea, quæ mox breuiter ſubiiciam.

235. Not. 1. ex Scot. cit. accidens eſſe nomen concretum concretione ad ſubiectum, quod bifariàm accipitur, vno modo pro formali, id eſt, pro accidentalitate, quæ nihil aliud eſt, quam relatio extrinſecus adueniens inhærentis ad ſubiectum, in quo inhæret, vnde ortum ſuum duxit, vt obſeruat Doct. Seraphicus 2. *diſt.8. num.9.* Aut quia ſupponit rem, cui accidit, vt tangit Doct. ſubtilis. *Quol.3. art. 3. §. Reſpondeo 5.* Altero modo, pro materiali, ſeu pro denominato, cui ſcilicet competit accidentalitas, & accidens ſic ſumptum ſcinditur in accidens abſolutum, vt quantitas, & relatiuum, vt paternitas, de quibus fusè alibi egi.

236. Not. 2. ex eodem *ibid.* & *7. Met. q. 1.* duplicem eſſe accidentis inhærentiam, actualem, & aptitudinalem. Illa eſt, qua accidens actu inhæret in ſubiecto, vt inhærentia, qua actu albedo inhæret in pariete: hæc verò eſt, qua accidens aptum, ac idoneum eſt, vt poſſit in ſubiecto inhærere, quod eſt dictu, inhærentia aptitudinalis eſt ordo, ſeu habitudo eſſentialis accidentis, ad ſubiectum.

Not. 3. vnum eſſe de eſſentia alicuius nihil aliud ſibi velle, quam eſſe de conceptu quidditatiuo eius, ac ingredi naturam, & eſſentiam eiuſdem, vt animal eſt de eſſentia hominis, & rationale quoque eſt de eſſentia eiuſdem hominis, quandoquidem tota, & integra eſſentia hominis ex vtroque coaleſcit, integratur, & completur eſſentialiter. Vnum autem realiter identificari cum alio, perindè eſt ac eſſe indiuiſum, & inſeparatum, atque etiam inſeparabile per quamcumque virtutem, & potentiam, ſiue creatam, ſiue increatam, tametſi non rarò vnum, ab alio proficiſcatur, & conſequatur aliud, vt vnum, & verum realiter identificantur cum ente, eaque ab hoc emanant, tanquam eius paſſiones, tametſi ab eo, & abinuicem formaliter differant, vt ſcripſi *q.2.art.2.huius libri.*

237. Aſſertio, eſſentia accidentis nec eſt ſita in actuali inhærentia, nec in aptitudinali in ſubiecto, ſed in radice, & fundamento vtriuſque. Aſſertio eſt tripartita, quam tuetur Doct. *locis prællegatis.* Prima pars eſt communis, & probatu facilis. Primò, de accidente eſt demonſtratio, & ſcientia, vtpotè quod conſideratur à Met. ex dictis *lib.1. quæſt.1. art. 2.* eſt vera, & propria ſcientia: inhærentia autem actualis accidentis non eſt ſcibilis, quia hoc poteſt eſſe ſine illa, & ſcientia eſt de neceſſariis & inſeparabilibus, *1. poſt. cap.2.* Ergo eſſentia accidentis non conſiſtit in actuali inhærentia in ſubiecto.

Secundò, accidens abſolutum poteſt diuinitùs exiſtere abſque vllo ſubiecto, vt fides nos docet de accidentibus ſacramentalibus, & ſanciunt Conc. Lateran. ſub Innocentio tertio, & Trident. *ſeſſ. 13. can.2.* Id autem quod exiſtit ſine alio, ſeparatumque ab eo, nec includit, nec includitur in eo, tanquam in eſſentia, vel eſſentia eiuſdem, igitur inhærentia actualis haud ingreditur eſſentiam accidentis.

238. Dices,

238. Dices, ſaltem inhærentia actualis eſt de ratione eſſentiali accidentis relatiui, quod nequit vllo modo exiſtere, & ſeiungi ab ea. Dico id non recte inferri, quia ratio, cur accidens relatiuum à ſubiecto ſit inſeparabile, non eſt, quia eius eſſentia conſiſtat in actuali inhærentia in ſubiecto, ſed quia prorſus dependet à ſubiecto, ſeu fundamento, & termino, ex quibus emergit. Adde, quod accidentia relatiua ſe mutuò ponunt, ſeque mutuò perimunt, propterea, ſine actuali inhærentia in ſubiecto eſſe non poſſunt, tametſi huiuſmodi inhærentia nec ſit eſſentia, nec de eſſentia eorum.

239. Secunda pars ſuadetur primò, capacitas, & aptitudo alicuius non eſt eſſentia eius, cuius eſt capacitas, & aptitudo, vt aptitudo, & capacitas ridendi non eſt eſſentia hominis, ſed eius paſſio, ſeu proprietas: inhærentia autem aptitudinalis eſt capacitas, & aptitudo accidentis. qua accidens eſt idoneum, & aptum ad inhærendum, & inexiſtendum in ſubiecto, igitur talis inhærentia non eſt ſtatuenda accidentis eſſentia, & natura.

Tertiò, poſterius ſupponit prius in ſua eſſentia conſtitutum, vt liquet de effectu, qui cum ſit poſterior causa, & ipſa causa eo prior, præexigit, & præſupponit ſuam cauſam in ſuo eſſe eſſentiali, & quidditatiuo conſtitutam: inhærentia autem aptitudinalis eſt poſterior accidente abſoluto, quia illa ab hoc emanat, tanquam effectus a ſua cauſa, ſiue paſſio à natura, cuius eſt paſſio, ergo non eſt conſtituenda eius eſſentia. Inſuper, relatio non eſt de eſſentia abſoluti, cum abſolutum, & relatiuum ſint membra entis diſtincta: aptitudinalis autem inhærentia eſt relatio, vt patet ex 2. *not.* Ergò non ingreditur eſſentiam accidentis.

240. Tertia pars ſequitur ex duabus præcedentibus, cum enim eſſentia accidentis nec ſit inhærentia actualis, nec aptitudinalis, ſequitur eſſe radicem, ſeu fundamentum vtriuſque præfatæ inhærentiæ. Deinde, omne relatiuum eſt aliquid, excepta relatione, authore Aug. 7. *Trin.* 5. Ergo accidens præter relationem inhærentiæ, quam importat ad ſubiectum, eſt aliquid, quod accidens nominatur. Rurſùs, ens æqualiter, & ſufficienter diuiditur in ſubſtantiam, & accidens; quod abſtrahit ab abſoluto, & relatiuo, in quæ diſtribuitur, ergo illud ſic abſtractum, & præciſum ab iſtis eſt natura & eſſentia accidentis, quod hoc nomen ſortitur: & à quibuſdam aſſiſtentia, ſeu inhabitatio nuncupatur.

241. Opp. 1. Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 14. tradit accidens eſſe inſeparabile à ſubiecto, in quo inhæret: igitur actualis inhærentia in ſubiecto cenſenda eſt accidentis eſſentia. Accedit D. Aug. 5. *contra Iulianum c.* 9. *Quod eſt in ſubiecto, ſine eo eſſe non poteſt.* Idem ſcribit *lib. categoriarum cap.* 6. *& lib. de natura, & gratia, contra Pelagianos c.* 10. Reſpondeo, hæc & conſimilia teſtimonia, quæ adducuntur, & afferri poſſunt interpretanda ſunt de vi, & potentia naturali: non autem de virtute ſupernaturali, vt loquuntur Scholaſtici *in* 4. *diſt.* 12.

242. Inſtabis, quod eſſentialiter ab alio dependet, etiam diuinitùs abſque eo eſſe nequit, vt patet de creatura eſſentialiter à Deo dependente, ſine quo eſſe, & & exiſtere nullo modò poteſt: accidens autem eſſentialiter dependet à ſubiecto, in quo ſubiectatur. Vndè vulgus Philoſophorum clamat, accidentis eſſe eſt ineſſe: ergo nec creata, nec increata virtute accidens ſeiungi poteſt à ſubiecto. Dico inſtantiam concludere de dependentia intrinſeca: non verò de extrinſeca, cuiuſmodi eſt dependentia accidentis, à ſubiecto, quam aliqui vocant dependentiam ſuſtentificati à ſuſtentificante.

243. Opp. 2. quod eſt alicuius formale principium conſtitutiuum, eſt de eius eſſentia: inhærentia autem accidentis eſt formale eius principium conſtitutiuum, ergo eſt de eius eſſentia. Ma. eſt conſpicua, quia ſubiectum eius includit prædicatum in primo modo dicendi per ſe. Min. fulcitur authoritate Ariſt. 7. *Met. cap.* 1. *tit.* 2. & cæterorum Philoſophorum, diuidentium ens, in ens per ſe, quod eſt ſubſtantia: & ens in alio, quod eſt accidens. Subſtantiæ autem eſſentia eſt perſeitas, ergo accidentis eſſentia eſt inhærentia. Concedo ma. explico min. per diſtinctionem, ens diuiditur in ens per ſe, & in ens in alio, vt in differentias eſſentiales, nego: vt in modos diſtinctos, concedo, vt alibi abundè planum feci.

244 Inſtabis, ſicut ſe habet ſubſtantia ad eſſe per ſe: ita accidens ad eſſe in alio: ſubſtantia autem conſtituitur in eſſe, per eſſe per ſe. ergo accidens conſtituitur in eſſe, per eſſe in alio. Concedo ma. diſtinguo min. eſſentialiter, nego: modaliter, concedo, vt mox oppoſitioni ſatisfeci.

245. Opp. 3. quod clauditur in definitione rei, eſt de eius eſſentia, quia definitio eſt oratio diſtinctè explicans naturam rei: inhærentia autem ingreditur definitionem accidentis, quia accidens definitur ens in alio, puta inhærens in ſubiecto, ergo inhærentia eſt de eſſentia accidentis. Reſpondeo argumentum valere de definitione quidditatiua: non autem de deſcriptiua, cuiuſmodi eſt definitio accidentis præallata.

246. Inſtabis, definitio quæ datur per genus, & differentiam eſt eſſentialis, & quidditatiua, vt non ſemel in ſuperioribus inculcaui: accidentis autem definitio eſt huiuſmodi. Ens namque eſt eius genus, & in alio eſt eiuſdem differentia: ergo eſt quidditatiua, & eſſentialis. Concedo ma. nego min. ens quippe non eſt genus, ſed tranſcendens, & eſſe in alio non eſt differentia, ſed modus accidentis: propterea non eſt definitio quidditatiua, & eſſentialis.

ARTICVLVS II.

An plura accidentia ſolo numero diſtincta poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto.

247. EX variis, diuerſiſque ſenſibus, & opinionibus de hac difficultate memoratis à Modernis, nuncupatim Fonſ. 5. *Met. cap.* 10. *ſect.* 2. *q.* 1. & Suarez *diſp.* 5. *Met. ſect.* 8. duas potiores, & celebriores adduco, & diſcutio, quarum prior eſt D. Th. 5. *Met. lect.* 12. & 3. *parte quæſt.* 35. *art.* 5. eiuſque diſcipulorum negantium multa accidentia eiuſdem ſpeciei poſſe ſimul ſubiectari in eodem ſubiecto. Poſterior verò defenditur à Doct. ſubtili 3. *diſt.* 8. *quæſt. vn.* Ric. *ibid. quæſt.* 2. *art.* 2. Baſſol. Lych. Tatar. Antonio Andr. 5. *Met. quæſt.* 8. & aliis Scotiſt. affirmantibus plura accidentia numero differentia ſimul ſubiectari in eodem ſubiecto; quibus ſubſcribunt Nominales, nuncupatim Gabriel 3. *diſt.* 8. *quæſt. vn. art.* 3. *dub.* 1. & Recentes non pauci, inter quos ſunt Suarez *diſp. cit. ſect.* 3. pro cuius captu faciliori, & intellectu commodiori.

248. Not. 1. accidentium, nonnulla eſſe intentionalia, ita dicta, non quia ſint entia rationis; ſed quia, ex obiectis, in potentiam cognoſcitiuam tendunt, veluti ſpecies ſenſibiles in ſenſu, & intelligibiles in intellectu: alia verò realia, quæ ſubiiciantur in relatiua, vt paternitas, & filiatio: & in abſoluta, vt quantitas, & qualitas. Deinde bipartiuntur in congenita, vt calor, & color naturalia: & acquiſita, vt pallor ex timore, & rubor ex verecundia ortus. Rurſus in ea quæ creantur, vt gratia, & gloria: & in ea, quæ educuntur ex potentia materiæ, vt primæ, & ſecundæ qualitates. Inſuper, in ea, quæ fiunt in inſtanti, vt lumen: & quæ motu, & ſucceſſu temporis producuntur, vt artes, & ſcientiæ humanæ, quæ diuturno labore, & ſudore acquiruntur.

249. Not. 2. prænominatos Authores 1. ſententiæ non vniuersè loqui, ſed indefinitè, vt euidenter

conſtabit

constabit in proximis assertionibus subiiciendis. Ob id facilè dissoluuntur, quæ contra eos congerit Suarez præcit. *num.* 11. 12. *& indè.* Inprimis ait, omnia accidentia educi de potentia materiæ arguens distinctionem accidentium in ea, quæ educuntur de potentia materiæ, & quæ non educuntur, & in hoc posteriori membro collocat lumen, in eorum sententia: sed fallitur, quia dicti Authores non remouent lumen à serie accidentium eductorum de potentia materiæ, sed solùm aiunt lumen esse accidens reale, ac simul intentionale, vt dixi *lib.* 4. *de anima quæst.* 5. *art.* 2. Deindè, aliqua accidentia, puta gratiam, non educi de potentia materiæ, tradunt Scot. eiusque discipuli 2. *dist.* 34. §. *Ista quæstiones. A.* & 4. *d.* 1. *q.* 1. §. *Ideo dici potest. LL.* Atque lumen nedum intendi per additionem noui luminis, verumetiam multiplicari infra in peculiari assertione ostendam. Prætereà, quæ subiicit dictus Suarez *ibid.* contra distinctionem accidentium, quæ fiunt per motum, vel per instans, quandoquidem, dicta distinctio vera est, & admittitur ab omnibus, & non datur ad faciendam multiplicationem numericam accidentium, vt videtur supponere Suarez; sed ad monstrandum, quænam accidentia numero possint simul multiplicari in eodem subiecto, quænam verò non? Nec ostendit causam indiuidualem eorum, vt opponit ipse Suarez, vbi supra, quia cum sit vniuersalis, & penes extrinseca, non denotat principium indiuiduationis illorum. Quod autem addit de distinctione accidentium in absoluta, & relatiua, puta nec omnia relatiua posse simul multiplicari in eodem subiecto, vt exemplificat de relatione creationis vnius creaturæ, quæ in eadem est immultiplicabilis: nec omnia absoluta, quæ successiuè gignuntur, nobis non officit, qui canonem vniuersalem, & regulam certam de omnibus, & singulis accidentibus tradere non intendimus, nec statuimus, vt significaui in initio huius not. & olfacit idem Suarez *n.* 14. Denuò, obserua hanc litem non moueri de accidentibus propriis, & reciprocis, cum suis subiectis, cuiusmodi sunt eorum passiones, & proprietates: sed de accidentibus communibus, quæ à subiectis, in quibus inhærent, sunt separabilia.

250. Assertio prima, multa accidentia intentionalia numero differentia existere simul queunt in eodem subiecto. Tenet Doct. cit. Probatur primò, in eodem medio, eodemque oculo extant plures species sensibiles, de obiectis numero tantum distinctis: pariter, in eodem intellectu insident plures species intelligibiles, de obiectis numero solo differentibus, puta Petro, Paulo & cæteris naturæ humanæ indiuiduis: huiusmodi autem species sunt accidentia intentionalia numericam differentiam participantia: ergo talia accidentia possunt inhærere simul in eodem subiecto. Minor patet, Maior est in promptu, quandoquidem quacumque in parte existat oculus, potest ea obiecta numero distincta, sibi præsentata videre, nullo obsistente obice, tam ea parte sui, quam ea parte medij: causa autem naturalis debitè disposita, & non impedita habens omnia requisita ad agendum, necessariò exit in actum, & producit effectũ, quem suaptè natura potest producere, veluti est oculus existens in medio illuminato, opaco non impediente, habens species multorum visibilium numero distinctorum, & reliqua ad agendum, & videndum necessaria. Quod autem dico de oculo, idem affirmandum est de phantasia, intellectu, & cæteris potentiis intentionaliter agentibus, quæ nedum in se recipiunt tales species intentionales; verumetiam plures actus, & operationes, de pluribus obiectis per eas præsentatis. Vnde, pluribus tintinnabulis pulsantibus, necnon instrumentis musicis, plures simul educuntur soni, quos numero differre, esseque accidentia numero differentia, indubium videtur.

251. Dices, præfatas species subiectari in partibus organi distinctis; non autem simul in eadem parte, aut toto organo visus, aut phantasiæ: ideoque non sequitur eas species simul inhærere in eodem organo, & subiecto. Contrà, nam præterquamquod hæc responsio non habet locum in speciebus intelligibilibus, quæ in eodem intellectu simul insident partium experte, partes organi visus sunt valdè exiguæ, & minutæ, vt seorsim, & diuisim nequeant capere infinitas ferè species visibiles eiusdem speciei, & rationis, præsertim quia, per angustissimum foramen cernuntur ab oculo infinita propemodum visibilia eiusdem speciei, puta innumera alba, vel nigra, quorum non foret capax, si eorum species non forent simul in eodem organo visus: Quorsum enim partes sic exiles medij, & organi tot species diuisim, & separatim continere valerent? Vnde, nonnulli perspicientes imbecillitatem, & vanitatem huiusce responsionis, nituntur aliter respondere, & distinguere has species in esse naturali, & in esse sensibili, primo modo concedunt esse eiusdem speciei: secundo autem modo negant. Verùm, non minus futilis, & imbecillis est hæc posterior responsio, quam prior. Etenim, præterquamquod, esse sensibile, quoque est esse naturale, tametsi hoc magis pateat, quam illud, quia naturale sensibili, & insensibili adaptatur, duo albi æqualis magnitudinis, & intensionis, non aliam sortiuntur differentiam inter se, quàm numericam, tam in esse naturali, quam in esse sensibili, igitur inanis pariter est hæc secunda responsio. Ideò recurrunt ad tertiã responsionem de intensione dictarum specierum, quæ distinctionis gratia commodius adducetur, & facilius expugnabitur in prima parte postremæ assert. Secundò in quocumque ordine essentiali, cum vnitate prioris stat multiplicitas posterioris, dummodò ei non insit per se, & adæquate: subiectum autem est prius quouis accidente, ergo in vno subiecto possunt simul inhærere plura accidentia numero differentia. Ma. est conspicua, vna quippè causa potest habere plures effectus, vt vnus Deus plures creaturas, vnus sol plures radios, vnus intellectus plures intellectiones, vna arbor plures fructus, & vnum corpus plura loca. Min. quoque claret, quia causa prior est suo effectu, subiectum autem est causa saltem materialis accidentium, ergo est prius accidentibus.

252. Dices, ma. non esse veram in vniuersum, maxime cum prius ponitur in definitione posterioris, vt contingit in re nostra, quia subiectum ingreditur definitionem accidentis, & cum posterius adæquatur priori, eique per se inest, sic in diuinis nequeunt esse plures productiones eiusdem rationis, puta plures filiationes, & plures filij, nec plures processiones, & plures Spiritus sancti. Atque, vnum corpus non potest occupare plura loca simul, propterea quod locus corpori in eo existenti adæquatur. Contra, apposité in præallata ma. locatur per se, & adæquatè, quæ sunt duæ conditiones eam limitantes, quibus deinptis, dicta propositio est vera, & cessant instantiæ præallatæ: vnum quippè accidens non adæquatur subiecto, in quo inhæret, cum plura in eo possint subiectari, nec per se ei competit, perseitate primi, aut secundi modi, & si subiectum ponatur in eius definitione, ponitur per additamentum dumtaxat, vt alibi abundè explicaui. Eò magis, quia fundamentum Aduersariorum ruinosum est, existimantium accidentia per sua subiecta indiuiduari: suprà namque *q.* 3. *art.* 3. *huius lib.* ostendi vnamquamque naturam, siue substantialem, siue accidentalem indiuiduari per suam differentiam indiuidualem, seu hæcceitatem.

253. Assertio secunda, accidentia relatiua numero distincta congenita, & acquisita in eodem subiecto simul multiplicari non repugnat. Assertio est bimembris, cui patrocinatur Scot. citatus, & 2. *dist.* 2. *quæst.* . §. *Et ideò sub cap.* & 5. *Met. quæst* 7. Prima pars suadetur primò, accidentia absoluta queunt simul inhærere in eodem subiecto, vt probaui *in* 2. *assertione*, & ostendetur *in proxima assertio.* Ergo & relatiua. Conseq. tenet,

tenet, quia relatiuæ sunt minoris entitatis quam absoluta, igitur si hæc simul in eodem subiecto se compatiuntur, pariter & illa.

Secundò, relatiuæ extrinsecus aduenientia simultanea existentia in eodem subiecto gaudere valent, vt idem lignum pluribus calefactionibus potest calefieri, idem corpus pluribus vbicationibus potest vbicari, calefactiones autem, & vbicationes ex alibi dictis sunt relationes extrinsecùs aduenientes, ergo si hæ plurificari queunt simul in eodem subiecto, vtique & illæ, quæ dicuntur intrinsecùs aduenientes, cum in vtrisque par ratio elucere videatur. Hùc pertinent rationes, quas adduxi in Log. *lib. 3. q. 6. art. 7.* instantiæ, oppositiones, & responsiones Aduersariorum, quæ ne actum agam, ibi videndæ, & recognoscendæ sunt.

254. Secunda pars probatur primò, experientia est collectio multarum cognitionum certarum, & euidentium singularium numero differentium de obiectis singularibus numero dissitis, vt cognitiones de hoc, & illo rubarbaro, quod curat bilem, vt tradit Arist. 1. *Met cap. 1.* Huiusmodi autem notitiæ sunt accidentia singularia numero differentia labore parta, de obiectis numero distinctis: plura igitur accidentia numero differentia in eodem subiecto simul non sunt incompossibilia. Secundò, plures gratiæ numero differentes possunt simul infundi in eamdem animam rationalem: tales autem gratiæ sunt accidentia numero distincta, non educta de potentia materiæ, ergo non repugnat præfata accidentia participare simul idem numero subiectum.

255. Dices, omnia accidentia educuntur de potentia materiæ, quia creatio rei subsistenti, cuiusmodi est sola substantia, adaptatur, ergo impertinens extat diuisio accidentium in ea, quæ educuntur de potentia materiæ, & quæ non educuntur de potentia materiæ. Negatur ant. multa quippè producuntur, quæ nullo pacto educuntur de potentia materiæ, vt composita physica, quæ propriè dicuntur generari, & eorum accidentia, quæ ex illis consurgunt. Itemque, actus intellectus, & voluntatis, qui ab ipsis quidem producuntur, non autem educuntur de potentia materiæ: stat ergo firma diuisio accidentium, in ea, quæ educuntur, & quæ non educuntur de potentia materiæ.

256. Assertio tertia, pleraque accidentia, quæ in instanti producuntur in eodem subiecto possunt simul existere, non autem quæ successiuè, & per motum. Vtrique parti patrocinatur Scot. *vbi suprà.* Prima pars suadetur, homogenea simul in eodem loco vniuntur, seque compatiuntur, vt liquet de igne, aqua, & consimilibus; ignis quippè ignem non repellit, nec aqua aquam, simul coniunguntur, & corroborantur: pleraque autem accidentia sunt homogenea in instanti producta, vt lumina, ergo participant simultaneum locum, & subiectum.

257. Occurrunt Suarez cit. *n. 11* & Fons. *vbi supra,* post Caiet. & alios Thomist. à Nuperis alleg. Lumina simul iuncta non multiplicari, sed intendi dumtaxat, & cum vnum eorum tollitur aut extinguitur, remittitur illud lumen intentum. Contra, plura lumina abinuicem segregata distinguuntur numero, ergo & simul vnita, & coniuncta. Ant. patet, & à nemine, quem viderim, negatur. Conseq. probatur, dum sunt coniuncta, non pereunt, sed intenduntur, intensio autem, quæ est posterior eorum singularitatibus, non destruit eorum differentias numericas, immò conseruat, & corroborat eorum vires, quia magis illuminant, & clarificant medium, in quo extant: igitur sunt numero distincta. Confirmari potest ex aqua, & aliis homogeneis, quorum vnio non aufert eorum distinctionē indiuidualem. Vndè, cum abinuicem separantur, remanent distincta prius, vt erant antè vnionem, quod indicium apertum est, ea & disiuncta, & coniuncta semper retinere suas differentias indiuiduales, quæ ab eorum essentia formaliter solum dissident. Præsertim quia vnio, & intensio non datur ad destruendum, sed ad perficiendum, assignanda est causa peremptionis eorum differentiarum indiuidualium, & productionis vnius tantum differentiæ qualitatis intensæ de nouo productæ, cuius cum nulla assignari valeat, sequitur, eas omnes permanere, quæ prius erant, cum præfata lumina erant disiuncta, & ab inuicem separata.

258. Dices, illa plura in vnum coalescere, esseque vnum, & non multa numero distincta. Contra, etsi ex illis fiat vnum vnitate homogeneitatis, non tamen fit vnum vnitate compositionis, nec fit mutatio eorum, sed solum vnio, & intensio, quæ præsupponit, & præexigit priores, & præexistentes gradus, ac proinde non amittunt suas differentias numericas. Deinde, materia, & forma, quæ simul vniuntur ad conflandum compositum, in ipso composito retinēt suum esse essentiale, & numericum: ergo pariter lumina, quæ simul coniectuntur ad faciendum vnum homogeneum intensius, & perfectius, conseruant suum esse essentiale, & indiuiduale.

Secundò, existentia est singularium: pleraque autem accidentia numero distincta existunt seorsim separata, ergo & simul coniuncta. Vndè, si nocte, duæ lucernæ accensæ in aula collocentur in vna, & altera parte eiusdem aulæ, & quispiam per medium eiusdem incedat deambulet, apparebunt duæ vmbræ deambulantis, iuxta dualitatem luminis; vmbræ autem sunt lumina secundaria, & tenebræ sunt priuationes vtriusque luminis, tam primarij quam secundarij; ergo ea lumina simul iuncta retinent suas differentias numericas, vt denotant illæ vmbræ duplicatæ. Si autem vna dictarum lucernarum extinguatur, vna solum extabit vmbra, ergo apertè euincitur duo lumina coniuncta esse numero multiplicia.

259. Dices, esse vnum lumen vnitate subiecti, & medij, duo verò effectiuè, dualitate luminum efficientium vnum lumen intensius, & perfectius. Contra, duo agentia producunt duos effectus, qui sunt termini suarum actionum: duæ autem lucernæ accensæ sunt duæ causæ totales effectrices duorum luminum, per suas illuminationes, vt patet si lumen vnius transeat per foramen vnius parietis, & lumen alterius transeat per foramen alterius parietis: tunc enim sunt distincta lumina; & si vtrumque in vnum foramen pertranseat, vtique sunt ibi duo lumina simul iuncta in eodem foramine, & subiecto. Deindè, duæ vmbræ, quæ ex corpore opaco interiecto visuntur, sunt duo lumina secundaria prouenientia nonnisi à duobus luminibus primariis, ergo sicut multiplicantur vmbræ numero, pariter & lumina. Rursus, ab eis luminibus emittuntur radij nedum geometrici: verumetiam perspectiui & visuales, alioqui periret Perspectiua de intersecatione radiorum, quam egregiè, & laconicè composuit Ioannes de Pechano, teste Maur. *in annot. 5. Met. q. 7.* & omnes admittunt, tanquam veram scientiam subalternatam Geometriæ. Insuper, si duo lumina simul vnita, sunt tantū vnum lumen numero intensum, indubie causabunt vnam tantum speciem sui, quod si remittātur, & diminuantur, de ipsis nulla habebitur species, quia est qualitas remissa, & non intensa: species autem repræsentat rem sicuti est, cum sit naturalis eius similitudo: si ergo erit species qualitatis intensæ, nulla erit species qualitatis remissæ, proindéque lumen remissum non cernetur à nobis, quod planè est falsum, & absurdum.

Tertiò, si duæ albedines inhærerent in duobus parietibus, & Deus destrueret duos parietes, permanentibus in suo esse duabus illis albedinibus, huiusmodi albedines adhuc differrent numero sicut prius, cum inhærebant in dictis parietibus: pariter si Deus destrueret duas accensas lucernas, remanentibus earum luminibus:

luminibus, tunc forent duo lumina numero distincta, ergo quoque ea lumina numero dissident, quando sortiuntur idem medium, idemque subiectum.

260. Dices, data hypothesi, si duæ albedines, & lumina existant abinuicem separata, quidem distingui numero: at verò, si simul iungantur, coeunt in vnam qualitatem intensam numericam. Contra, Deus potest supplere causalitatem cuiuscumque causæ, maximè efficientis, eamque impedite, si velit, cum omnia voluntati eius subdantur: igitur potest suspendere actionem, & causalitatem duorum luminum, ne intendantur, quia intensio spectat ad genus causæ efficientis, sicque erunt duo lumina numero distincta, absque intensione, quod non repugnare, præ aliis censent Ocham. 1. *dist*. 17. *q*. 7. & Greg. *ibid. quæst*. 5.

261. Dices, de intrinseca ratione qualitatis gradualis esse intensionem, propterea effici nequit, vt duo lumina simul vnita non intendantur. Contra, intensio est proprietas qualitatis, non quarto modo, vt dixi, quæstione de qualitate, & suspendi potest, ne in effectum exeat, vt ignis, ne comburat, & calefaciat: ergo quoque Deus præstate potest, ne fiat intensio duorum luminum simul vnitorum.

262. Secunda pars, *ostenditur primò*, accidens, quod per motum inducitur in subiectum, debet expellere accidens præcedens in eodem subiecto, quia *ex* 5. *Phys*. 18. *&* 19. motus fit inter contraria, quæ vicissim ab eodem subiecto se expellunt, ergo duo accidentia numero differentia simultanea existentia, & inhærentia eiusdem subiecti gaudere nequeunt. Secundò, generatio vnius est corruptio alterius, 1. *de gene. cap*. 4. *T*. 18. Quod axioma ibi dixi, intelligendum esse non solum de substantiis, sed etiam de accidentibus: ergo si per motum producatur vnum accidens, consequenter accidens præexistens corrumpi debet, alioqui nouum non potest induci in idem subiectum: sicque huiusmodi accidentia in eodem subiecto simul coëxistere, & cohabitare non valent. 3. agens agit, vt benè præparatum, & rectè dispositum in subiectum introducat nouam formam, cuius est expers, ideò habita forma intenta, non amplius agit. Vnde extat illud effatum, *Acquisito termino cessat motus*. Et illud aliud 5. *Phys. T*. 26. *Termini motus sunt impartibiles*. Si autem in subiecto præcedit, & præexistit iam vnum accidens eiusdem rationis, & speciei, non ampliùs est capacitas ipsius subiecti recipiendi aliud accidens eiusdemmet speciei, veluti materia informata vna forma, nequit alteram eiusdem speciei simul recipere, atqueadeò in eodem subiecto simul non multiplicantur accidentia numero distincta, si per motum producantur.

263. Opponis primò, Arist. 5. *Met cap*. 10. *T*. 16. qui dicitur textus non habens commentum, scribit verbis explicitis, plura accidentia numero differentia haudquaquam simul posse inhærere in eodem subiecto, ergo opposita sententia pugnat lycæo Peripatetico. Respond. testimonium Arist. interpretandum esse de accidentibus productis per motum, vt mox affirmabam in secunda parte postremæ Assert. Non autem de accidentibus reliquis, de quibus egi *in prima parte eiusdem Assertionis, & in præcedentibus*.

264. Opponis secundò, contraria in esse remisso simul se compatiuntur in eodem subiecto, vt patet in aqua tepida, in qua calor, & frigus inexistunt: contraria autem propriè sunt accidentia, de genere qualitatis, ergo inficiandum non est, plura accidentia numero solo diffita sortiri simultaneam existentiam in eodem subiecto. Dici potest contraria esse accidentia distinctæ speciei, tametsi idem genus participent: his autem præsens extat de accidentibus eiusdem speciei, distinctis verò numero. Vel dici potest, id effici violenter, non autem naturaliter, propterea quod, vnum elementum in aliud non prædominatur: adeò eorum qualitates in esse refracto, & remisso manent, vt monstraui *lib. de elementis quæst*. 3. *art*. 5.

265. Quæres, vtrum vnum numero accidens possit esse in pluribus subiectis? Respondet Scot. 4. *d*. 1. *q*. 2. §. *De secundo principali*. *C*. *&* *H*. & *d*. 4. *q*. 2. §. *Respondeo*. *sub B*. *&* *E*. nullam implicare contradictionem, veluti vnum corpus non repugnat esse simul in multis locis, vt fusè ostendi *lib*. 6. *Phys*. *q*. 2. *art*. 4.

LIBER TERTIVS.

De Angelis.

1. Cum substantia rectè, & adæquatè distribuatur in corpoream, & in incorpoream, vt cernitur in arbore Porphyrij descripta à me *in Epitome*, *lib*. 1. *quæst*. 3. *art*. 4. Et de corporea abundè *in Physica* egerim: nunc pauca quædam de substantia incorporea subiiciam, quæ ad Philosophum pertinent, reliqua verò plura examinanda relinquam Theologis.

QVÆSTIO VNICA.
De natura Angelorum.

ARTICVLVS I.
An sit, & quid sit Angelus.

2. Nos Doctores Scholastici *in* 2. *dist*. 2. 3. *& inde*, appellant Angelos, Philosophi vocant intelligentias, substantias abstractas, & separatas, vt videre licet apud Arist. 12. *Met*. Soot. Antonium Andr. Alens. & alios *ibid*. Angelus autem græcè, latinè verò nuncius dicitur, notante D. Aug. 2. *Trin*. 13. propterea idem Sanctus *in expositione Psal*. 103. addit. *Angelus officij nomen est, non naturæ. Quæris nomen eius naturæ? spiritus est. Quæris officium? Angelus est.* Idem scribit D. Greg. *in Moral*. alleg. à Berchorio *parte prima, sui Repere. Verbo Angelus*. Et indicatur Hebr. 1. *Omnes sunt administratores spiritus, in ministerium missi*.

3. Assertio prima, dantur Angeli. Præsupponitur à Doct. *in vtroque opere* 2. *d*. 2. & 12. *Met. in com. ad finem*. Probatur primò ex sacra pagina, Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis*. Daniel. 3. *Benedicite Angeli Domini Domino*. Et Matt. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. 2. ex Conc. Lateran. in confessione fidei, vbi fatetur Deum in initio Mundi condidisse vtramque naturam, mundanam, & spiritualem, angelicam & humanam. 3. ex PP. Diony. *lib. de diuinis nominibus*, *cap*. 6.

Aug.

Aug. *serm.19. de tempore*, Damasc. 2. *fidei*, *cap* 1. Bern. *in com. Psal.*90. & Hilario *in* 18. *Mat.* qui esse Angelos apertè monstrant, & prædicant. Subscribunt Doctores Theologi, cum Magistro 2. *d* 2. Fauent Philosophi, Arist. 8. *phys.* & 12. *Met.* Auer. *ibid.* Auic 9. *Met. cap.*4. Plato, & reliqui Academici. Nec desunt rationes, & congruentiæ id suadentes, & confirmantes. Siquidem, substantia generatim sumpta scinditur in materialem, sub qua continentur substantiæ corporeæ, & physicæ: & in immaterialem, in qua comprehenduntur substantiæ materiæ experies, cuiusmodi sunt Angeli, vt præmonui statim *in principio huiusce libri*. Deinde, Mundus est perfectus, cum sit opus Dei, cuius omnia opera sunt perfecta: si autem careret Angelis, non esset perfectus, quia ei deesset præstantissima, & nobilissima omnium creatura. Accedit, Monarcha habet ministros, & seruos sibi assistentes, & famulantes in omnibus, & per omnia, quæ in sua monarchia obeunda, & præstanda sunt: Deus autem est vniuersi supremus monarcha, cum sit rex regum, & Dominus dominantium, ergo habet ministros, & famulos sibi ministrantes, & seruientes, cuiusmodi sunt Angeli, iuxta illud Danielis 7. *Millia millium assistebant ei, & decies centena millia ministrabant ei.* Insuper, Magi ope Dæmonum mira præstant: Dæmones autem sunt Angeli, tametsi mali: igitur Angeli inficiandi non sunt. Vnde, D. August. *in Psal.*123. subscribit: *Esse Angelos, nouimus ex fide, & multis apparuisse, scriptum legimus, & tenemus, nec inde dubitare, fas nobis est.* Diuiduntur autem in tres hierarchias, & nouem ordines à me recensiti *in Epit. l.*1. *quæst* 4. *art.*5. Itémque in bonos, & malos, quorum certus numerus nobis non innotescit, eorumque natura, & passiones vix nobis patescunt, nisi penes rationes communes, & prædicata generalia, & transcendentalia.

4. Assert. 2. Angelus est *Substantia creata, spiritualis, & completa.* Deducitur ex Doct. cit. & *Quol.*7. & traditur expressè a Gadio *eo in loco*. Explicantur singulæ eius particulæ. Dicitur *Substantia*, vt distinguatur ab accidente. Additur *creata*, propter Deum, qui est substantia increata. Subditur *spiritualis*, vt differat à substantia corporea, & materiali. Apponitur *completa*, ad differentiam animæ rationalis, quæ est incompleta; & forma corporis. Sic explicata assertio facilis est probatu, quandoquidem, illa definitio distinctè explicat naturam Angeli, constatque ex genere, & differentia, nihilque superflui, & diminuti continet, ergo est recipienda, & amplectenda, cui suffragatur Gabriel 2. *d.*3. *q.*1.

5. Oppones primò, S. Dionys. nuper alleg. definiens Angelum inquit. *Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidum, & immaculatum, & incontaminatum, recipiens totam, si fas est dicere, speciositatem benè formatæ deiformitatis.* Et Damasc. *vbi suprà* subiicit. *Angelus est quadam substantia spiritualis, rationalis, & intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, gratia, non natura immortalitatem obtinens:* ergo vtraque, vel alterutra hæc definitio Angeli est docenda, testimonio horum Sanctorum roborata, non autem illa præassignata, vtpotè nullius Sancti, & Doctoris probati authoritate fulta. Respondeo D. Dionys. potiùs attulisse descriptionem Angeli similitudinariam, & metaphoricam, quàm essentialem, & quidditatiuam, vt patet ex eius particulis optimè expositis ab Alens. 2. *part. quæst.* 20 *art.*2. & a D. Bon. 2. *d* 9. *expositione lit num.* 3. Præsertim quia non est adæquata, cum soli bono Angelo, non autem malo, & reprobo adaptetur. Angelus namque nequam non speculum immaculatum, & incontaminatum, quod explicitè locatur in allata descriptione, in qua bonum Angelum tantùm describere nititur Sanctus Pater. Definitio pariter Damasc. est descriptiua, & non quidditatiua, quia datur per potentiam, & passionem Angeli, & facit Angelum natura fortassè mortalem, quem esse suaptè natura immortalem, infra monstrabitur, & explicabitur in bono sensu.

6. Oppones secundò, recta, & genuina definitio conflatur ex genere, & differentia, inficiante nemine: in præallata autem Angeli definitione à nobis recepta, plura genera, differentiæque collocantur, vt patet singulas eius particulas percurrenti, ergo præfata Angeli definitio non est proba, & legitima. Concedo maj. ad min. dico, quando natura alicuius planè, & plenè nobis non innotescit, vt in præsenti, ad eam definiendam, & declarandam, quantum possumus, adhibemus genera, & differentias nonnullas, vt præstitimus in præposita, & explicita Angeli definitione. Idque patet apud Arist. 1. *perih cap.*2. *in definitione nominis*, & *ibid. cap.*3. *in definitione verbi.*

ARTICVLVS II.

An Angeli sint incorporei.

7. PHilosophi, & Theologi, tam antiqui, quàm moderni in hoc art. non sunt concordes. Siquidem nonnulli, vt Plato, eiusque asseclæ, quibus videtur adhærere D. August. *l de mirabilib. sacræ scriptura*, & 8. *Ciuit. cap.* 15. & 15. *eiusdem operis, cap.* 23. Et non improbabile censet Cauel. *in com quæst.*15. *de anima*, existimant Angelos esse corporeos. Et explicat Apuleius, teste Viues *in com* 8. *Ciuit. cap.* 15. eorum corpora esse media inter terrea, & aërea, multóque minus concreta, quam nubes ex purissimo aere coalita, siue vt alij inquiunt, eorumdem corpora esse valdè subtilia, & tenuia. Communis autem sententia est cæterorum, Scot. *Quol.*9. & 4. *d.*1. *quæst.*1. Maior. 2. *d.*8. *q vn.* Fabr. *disp* 9. Mol. 1. *p. quæst.*50. *art* 1. & Suarez *disp.*35. *Met. sect.*3. *n.*10. affirmantium Angelos esse incorporeos. Quibus præiuerunt Dionys. *l de diuinis nominibus, cap.*4. Nissenus *l. de oratione*, Chrysost. *hom.*22. *in Genesim.* Gregor. 4. *Dialog. cap.*29. Bon. 2. *d.*8. *quæst* 1. & alij complures à Recentioribus alleg.

8. Not. quosdam Sanctos Doctores, & Patres tenuisse partem negatiuam huius difficultatis, hoc est Angelos non esse incorporeos, & existimasse esse corporeos, inter quos citantur Tertul. *l. de carne Christi*. Lactan. 2. *insti cap.*15. Euseb. 5. *de præparatione Euangelica*, *c p.*4. & Orig. 1. *periarchon. cap.*6. aliique non pauci, quibus consentit Aug. tum *locis præmemoratis*, tum etiam 3. *Trin cap.*1. & *in Psal.*85 & 145. Hoc autem mirum non est, quia tunc maximè vigebat secta Platonica ita docens, cui præfati Patres, & maximè August. fauebant, nec vlla sanctio, & definitio sanctæ Ecclesiæ extabat, qua contrarium affirmare, eos cogebat, nec vlla ratio euidens, & demonstratiua adhuc videtur allata, & inuenta, quæ oppositum ostendat, tametsi nonnulli erroris, temeritatisque nota inurant aduersam opinionem tuentes. Vnde, de proposita quæstione placet afferre Aug. qui *tomo* 4. *l. octo qq quæst* 2. inquit se velle audire Doctiores. Et subiicit, se esse promptum aliter sentire, & corrigere, quod dixerat. Nec enim debemus esse indociles Doctores, & certè melius homo corrigitur prauus, quam frangitur durus: cum iis, quæ scripsimus, ita nostra, vel aliorum exerceatur, vel erudiatur infirmitas, vt tamen in eis nulla velut canonica cõstituatur authoritas. Deinde subnectit ibi, & in fine eius libri, *plus amo discere quam docere.* Quare Aug. vestigiis inhærens,

nolo aliorum placitum censurare, sed commune amplexari, sacris litteris, & Concil. consentaneum.

9. Assertio, Angeli sunt incorporei. Traditur à Doct. *vbi suprà* & 2.*dist.*2.q.8. §. *In ista q. ante A.* & *dist.*3. q.7.§. *Qui dicunt. sub F.* Probatur primò, ex sacra pagina, Psal.103. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Spiritus autem est corporis expers, iuxta illud Lucæ 24. *Spiritus carnem, & ossa non habet.* Ergo Angeli sunt incorporei. Idem deducitur *ex* 12. *Tobia.* vbi ait Angelus Raphael, *Alio cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Cùm enim Angelus corpore careat, vt postillat Lyran. propterea non nutritur cibo, & potu visibili, sicut aluntur corpora viuentia. Vndè præmisit, *cum essem vobiscum per voluntatem Dei, videbar quidem vobiscum manducare, & bibere*, ac si diceret, verè non manducabam, nec bibebam, quia vera manducatio, & potatio est conuersio in substantiam aliti, quæ non potest effici ab Angelo, sed sola transiectio, & localis mutatio cibi, & potus, ab Angelo in corpore assumpto. Hinc Christus Dominus *passu Lucæ præmemorato*, post suam resurrectionem ostendit se esse verum hominem, sicut prius erat per veram manducationem, cùm ait suis discipulis, *Habetis aliquid ad manducandum?* Secundò, ex Conc. Lateran. *cap. Firmiter de summa Trin. & fide Catholica,* his verbis. *Vnum est vniuersorum principium, creator omnium inuisibilium, & visibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deindè humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Ex his apertè constat, Angelum esse incorporeum, quia contradistinguitur à corporeo. Creatura quippè diuiditur in incorpoream, qualis est Angelus, & in corpoream, cuiusmodi est cælum, & quidquid sub ipso continetur præter hominem, qui ex spiritu, seu anima, & corpore componitur. Cum ergo omnis creatura sit corporea, vel incorporea, aut coalita ex spiritu, & corpore; & Angelus sit creatura non quidem corporea, nec composita ex corpore, & spiritu, sed incorporea, spiritualis, & immaterialis, indubiè concluditur præfatum Conc. præposite assertioni patrocinari, & à cunctis Orthodoxis esse tenendam, & amplectendam. Tertiò, ex Arist. 12. *Met.c.*5.*T.*49. & inde affirmante, intelligentias, quæ sunt Angeli, esse substantias à materia seiunctas, & separatas; quæ autem à materia abstrahunt, & segregantur, sunt spiritualia, & incorporea, & 8.*Phys. T.*78. Intelligentiæ carent magnitudine, quia mouent per tempus infinitum: igitur in Peripato, Angeli sunt incorporei, & spirituales. Quartò, corporea nequeunt simul existere in eodem loco, vt patet ex dictis, *lib.*6. *Phys. quæst.*2. *art.*1. Plures autem Angeli possunt simul eumdem locum occupare, vt *Lucæ* 8. narratur, legionem dæmonum mansisse in vno obsesso, & energumeno. Legio autem sex mille sexcentos sexaginta sex complectitur, secundum Vegetium. Igitur Angeli, in quorum numero sunt Dæmones, sunt incorporei. Quintò, quod continetur sub vna specie, non comprehenditur sub alia, quandoquidem diuersæ species, per diuersas differentias constituuntur, Angeli autem collocantur sub specie substantiæ incorporeæ, vt liquet in arbore Porphyrij à me fusè exposita, & delineata *in Epitome, lib.*1. *quæst.*4. *art.*5. Et clarè ostendit Conc. Lat. cuius verba superiùs addaxi, & manifestat eorum definitio allata, & declarata *in præcedente art aff.*2.

10. Oppones primò, interdum Angeli apparuerunt vestibus corporeis induti, vt *Tobiæ* 12. *Luc.* 16. & *Apoc.*12. Ergo Angeli sunt corporei, amictus quippè indicat eum, qui sic amicitur. Respondeo, apparitiones Angelorum præstitas fuisse in corporibus ab eis assumptis, eisque assistentibus: non autem ab eisdem Angelis informatis, cum nequeant esse actus corporum, & formæ informantes, vt egregiè monstrat Scot. *Quol.*9. Itaque Angeli possunt assumere corpora, & in eis apparere, ac etiam valent effingere, & componere corpora, quia benè norunt applicare actiua passiuis: atque in eis mira opera patrare. Vnde refert Scot. 2. *Rep. dist.*8. *quæst. vn.* de quodam Rege, qui à Dæmone ferebatur per annum, & credebatur à populo ipsum viuere.

11. Instabis, Angeli deambulant, loquuntur, & alia opera exercent, quæ nonnisi à corporeia effici valent, ergo Angeli à corpore non sunt immunes. Dico huiusmodi actiones fieri ab Angelis, non quia corpora informent, sed quia talia corpora mouent, veluti auriga mouet currum, & nauta nauim. Sicque ipsi Angeli mouendo linguam corporum assumptorum videntur loqui, & mouendo pedes, deambulare.

12. Vrgebis, Dæmones, qui sunt Angeli, licèt reprobi delectantur odoribus, & nidoribus sacrificiorum, atque rebus venereis: hæc autem, & consimilia præstari nequeunt, nisi à corporeis, ergo Angeli sunt corporei. Dico ma. esse veram obiectiuè, & non formaliter: veluti ignis cruciat eos obiectiuè, & detentiuè, vt tradit Doct. 4. *dist.* 41. *quæst.*2.

13. Oppones secundò, Ecclesia efformat Angelos, instar puerorum, & adolescentium, ergo habent propria corpora, alioqui nos deciperet, repræsentando nobis rem aliter, quam sit. Respondeo id esse: ab Ecclesia, pro captu nostro, quia res spirituales non capimus, nisi ad modum rerum corporearum, & materialium, cum nostra cognitio sit alligata sensibus corporeis. Ideò figuratur Deus Pater sub forma senis, Deus Filius sub forma iuuenis, & Spiritus Sanctus instar columbæ. Nulla sutem est deceptio, quia secundum rei veritatem, docemus Angelos esse spiritales, & incorporeos.

14. Instabis, in Conc. Niceno, *actione* 5. lectus fuit liber Ioannis Thessalonicensis Episcopi asserentis Angelos esse depingendos, quia sunt corporei, cui assensum præbuit sacra Synodus, ergo secundum veritatem, & fidem orthodoxam Angeli sunt corporei. Dico quidem in præfato Conc. sancitum esse, Angelos esse pingédos, quod erat eius intentum: non autem definitum esse illos esse corporeos, quia illa ratio prolata fuit à prænominato Episcopo, cuius erat ille liber, quine cum esset Platonicus, opinabatur Angelos esse corporeos, cuius sententia non fuit reiecta ab illo Conc. quia de hoc professo non agebatur. Addo, tunc temporis multos Patres, & insignes Doctores ita affirmasse, Angelos scilicet corpori esse immixtos, quos sacra Synodus noluit reprobare, vt insinuant Mirandi, & Iouerius *in summis Conciliorum*, quidquid dicat Mol. præalleg.

15. Oppones tertiò, *Geneseos* 6. vbi Vulgata habet. *Videntes Filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores* Septuaginta interpretes transferunt. *Videntes Angeli Dei filias hominum.* Et paucis interiectis, in Vulgata legitur. *Postquam ingressi sunt filij Dei, ad filias hominum, illæque genuerunt.* In versione autem Septuaginta Interpretum extat. *Postquam ingressi sunt Angeli Dei, ad filias hominum.* Ergo, cum Angeli connubia contraxerint cum dictis fœminis, & ex eis filios genuerint, planè infertur, Angelos esse corporeos. Occurrendum est ibi per Filios Dei non intelligi Angelos, sed Filios Seth, qui cum essent iusti, vocabantur Angeli Dei, familiare quippè est scripturæ, homines sanctos, & iustos vocare Angelos, vt *Malach.*3. & aliis locis. Sic exponit Lyran. post Chrysost. *hom.*22. *in* 6. *Gen.* & Aug. 15. *Ciuit.c* 13. & *lib.*1.*q. supra Gen. quæst.*3.

16. Instabis, *Ioan.*8. Christus ait Pharisæis, *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*: ergo si Diabolus, qui est Angelus, genuit filios, vt testatur Christus Dominus; idipsum de exteris Angelis non est inficiandum. Dico, malos appellari filios Diaboli, non creatione, nec generatione,

sed

ſed imitatione, ità exponit Lyran. ibi, & ante Auguſt. *ſerm.* 51. *de tempore.* Et *ſerm.* 86. Atque *tract. in Epiſtol. Ioan.* ſubiicit, *Neminem creauit Diabolus, nec genuit, ſed imitatores eius, nunquam ex illo naſcuntur.* Quod ſi fiat alicuius generatio, per incubum, & ſubcubum, natus per eam, non eſt filius Diaboli, ſed eius hominis, à quo ſemen deciſum eſt.

17. Oppones quartò, D. Aug. 1. *Retract. cap.* 11. palinodiam cecinit, his verbis: *Angelorum ſanctorum nomine, omnem ſanctam creaturam ſpiritualem, in Dei ſecreto, atque occulto miniſterio conſtitutam nunc appellauerim.* Ergo pro oppoſita ſententia non eſt amplius allegandus. Dici poteſt, in præallatis verbis, non eſſe vllum verbum expreſſum retractationis eius, quod antea tradiderat. Maximè, quia non deſunt, qui per creaturam ſpiritualem intelligant ſubſtantiam inuiſibilem, tenuem ac ſubtilem, vt videre eſt apud Bern. *ſerm.* 5. *in Cantica.* Eugubinum *in Pſal.* 103. & alios multos. Vndè Ludouicus Viues *in* 15. *Ciuit. cap.* 23. ſubiungit, indubitatum eſſe, in ſententia Aug. Angelos eſſe corporeos: tametſi fortaſſe nonnunquam hæſitauerit, & non ita mordicùs ei adhæſerit, vt alij præſtiterunt.

Articvlvs III.

An Angeli ſint compoſiti.

18. Scholaſtici ſunt tripartiti: quidam enim, vt Dur. 2. *diſt.* 3. *q.* 1. *num.* 15. Angelos faciunt ab omni compoſitione immunes. Alij verò putant Angelos componi ex materia & forma, quorum aliqui, vt Auicembron *lib. fontis vitæ*, exiſtimant eam materiam eſſe eiuſdem rationis, & ſpeciei, cum materia ſublunarium, & nonnulli, vt S. Bon. 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. *parte prima.* Ric. *ibid. art.* 2. *quæſt.* 1. Aur. *art.* 3. & Alenſ. 2. *p. quæſt.* 29. *m.* 2. arbitrantur eſſe diuerſæ rationis, & ſpeciei. Cæteri autem, vt Scot. *Quol.* 9. *art.* 2. Lych. Tatar. Gadius *eo in loco*, Faber. 2. *diſp.* 10. D. Th. 1. *p. quæſt.* 50. *art.* 2. Molin. *ibid.* & Suarez *diſp.* 35. *Met. ſect.* 3. *num.* 33. docent communiter Angelos componi ex genere, & differentia.

19. Not. duplicem eſſe compoſitionem, vnam ex re, & re, id eſt, ex materia, & forma, quæ vulgò dicitur compoſitio phyſica: alteram verò, ex realitate, & realitate, hoc eſt ex genere, & differentia, quæ nuncupatur compoſitio metaphyſica, vt videre licet apud Scot. 2. *diſt.* 3. *q.* 6. *K* §. *Ad quæſtionem ergo.*

20. Aſſertio, Angeli ſunt compoſiti, non quidem compoſitione phyſica, ſed metaphyſica. Aſſertio eſt trimembris, quæ deducitur ex Scot. *vbi ſuprà*, & 5. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. §. *Alia eſt opinio.* & *ibid. in Report. q.* 5. §. *contra illam viam.* Prima pars aduerſatur Dur. præcit. tollenti compoſitionem metaphyſicam ab Angelis, & accidentibus omnibus, & probatur: prædicamenta ſunt series generum, ſpecierum, & indiuiduorum, vt patet in Log. Angeli autem ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, ſub qua ponuntur, tanquam ſpecies eius: ſpecies autem coaleſcit ex genere, & differentia, vt ibi quoque monſtratur, ergo Angeli ſunt compoſiti. Deinde, ideo Dur. aufert ab Angelis compoſitionem, quia ſunt ſimplices, veluti accidentia: accidentia autem licet ſint ſimplicia, nihilominus ſunt compoſita compoſitione metaphyſica, quæ fit ex genere, & differentia, ſiquidem ſunt nouem prædicamenta accidentium, in quibus aſſignantur diuerſa genera, ſpecies, & indiuidua, ergo, licet Angeli ſint ſimplices, non ob id à compoſitione qualibet ſunt eximendi.

21. Secunda pars manet probata *in antecedente art.* vbi oſtendi Angelos eſſe incorporeos, & immateriales: omne autem corporeum conſtat ex materia & forma: omne verò incorporeum, à materia, & forma liberum eſt. Igitur, cum Angeli ſint incorporei, & ſpirituales, ſunt expertes compoſitionis phyſicæ, quæ conflatur ex materia, & forma.

22. Tertia pars ſuadetur primò, quod reſidet ſub ſpecie ſubſtantiæ categoricæ eſt compoſitum compoſitione metaphyſica, quia prædicamentum ſubſtantia eſt ſeries generum, & ſpecierum ſubſtantialium: Angeli autem collocantur in prædicamento ſubſtantiæ, vt oſtendi *in Log. lib.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 4. Ergo componuntur compoſitione metaphyſica, quæ conſtat ex genere, & differentia. Secundò, quod eſt creatum, finitum, & non tranſcendens, conſtitui ur ex genere, & differentia. In hoc enim Deus diſtinguitur à rebus creatis, quia, cum Deus ſit ens actualiſſimum, non conſtituitur ex potentia, & actu, ſiue phyſico, ſiue metaphyſico: Angeli autem ſunt entia creata, finita, & non tranſcendentia, vt patet, ergo componuntur compoſitione metaphyſica, quæ coaleſcit ex genere, & differentia.

23. Oppones primò, contra 1. partem, ſimplex & compoſitum inter ſe opponuntur, vt liquet ex terminis: Angeli autem ſunt ſimplices, & actus puri, vt indicat eorum deſcriptio allata *in primo art. huius quæſtionis*, ergo nullius ſunt capaces compoſitionis. Concedo ma. Diſtinguo min. Angeli ſunt ſimplices, ſimplicitate oppoſita compoſitioni phyſicæ, concedo: ſimplicitate oppoſita compoſitioni metaphyſicæ, nego. Sic enim ſolus Deus eſt ſimplex, ab omni compoſitione, ſiue phyſica, ſiue metaphyſica alienus: & omnis creatura perhibetur compoſita, compoſitione phyſica, vt compoſitum naturale, aut compoſitione metaphyſica, vt Angelus.

24. Oppones ſecundò, contra 2. partem, cui competit definitio materiæ phyſicæ habet materiam phyſicam, quia definitio declarat naturam definiti: Angelo autem conuenit definitio materiæ phyſicæ, quæ eſt ſubiectum receptiuum accidentium. Siquidem Angelus recipit accidens materiale, quia eſt capax motus, loci, & conſimilium accidentium: necnon accidens ſpirituale, quia eſt compos amoris, odij, gratiæ, & huiuſmodi, ergo Angelus habet materiam phyſicam, proindéque componitur compoſitione phyſica, quæ conſtat ex materia, & forma. Concedo maiorem, nego minorem, quia immediatum, & proximum ſubiectum accidentium materialium, non eſt materia, ſed compoſitum ſubſtantiale, vt probaui *lib.* 5. *Phyſ. quæſt.* 1. *art* 4. Quamuis autem Angelus ſit capax prædictorum accidentium, non ob id coaleſcit ex materia, & forma phyſica, quia licet paſſio materiæ ſit receptibilitas, non tamen accidentalium formarum, ſed ſubſtantialium: & ſi fortè ei attribuatur, hoc fit ſimilitudinariè, & impropriè dumtaxat. Idque ſolùm probant authoritates, & rationes, quas adducunt Authores 2. ſententiæ, vt ſatis patet eas attentè conſideranti, & legenti, apud Seraphicum Doctorem, Ric & Aur. nuper alleg. reclamante Mol. *vbi ſuprà.*

25. Oppones tertiò, contra 3. partem, corruptibile, & incorruptibile differunt pluſquam genere, 10. *Met. ſumma* 5. *c.* 9. *T.* 25. ſubſtantiæ autem ſublunares, & corruptibiles locantur in genere ſubſtantiæ: ergo Angeli, qui ſunt ſubſtantiæ incorruptibiles non reſident in eodem genere, & prædicamento ſubſtantiæ, atqueadeò non conſtant ex genere, & differentia, cuiuſmodi ſunt, quæ conflantur compoſitione metaphyſica. Reſpondo exponendo, proloquium Philoſophi, cum Scot. ibi in eum puta de genere phyſico, non autem de genere metaphyſico, de quo nunc diſceptamus, in quoue conuenire, tam ſubſtantias materiales, quam ſpirituales, docui in Log. *paſſu præmemorato.*

ARTICVLVS IV.

An Angeli sint immortales, & incorruptibiles.

26. NOnnulli, inter quos refertur Cardanus *lib. de subtil.* negant Angelos esse immortales, & corruptibiles. Communis autem opinio est Philosophorum 8. *Phys.* & 12. *Met.* & Theologorum 2. *d.* 3. & 1. *part. quæst.* 50. *art.* 5. affirmantium Angelos ab omni corruptione, & mortalitate esse immunes.

27. Not. & recole ex dictis *lib.* 5. *de anima*, *q.* 1. *a.* 3. immortalitatem tripliciter vsurpari, vno modo pro omnimoda immutabilitate, & perfecta necessitate, quo pacto solus Deus est immortalis, affirmante Seraph. tum 1. *dist.* 8. *num.* 10. tum etiam 2. *distinct.* 19. *num* 2. Altero modo, pro eo, quod caret principio intrinseco corruptionis, & mortalitatis, cuiusmodi est materia 7. *Metaphys. T.* 22. & 1. *Phys. T.* 81. quæ semper machinatur maleficium, ob priuationem sibi annexam, & appetitum, quem habet, ad suscipiendas alias formas, quas non habet. Tertiò, pro eo, quod per aliquod donum, & accidens in ipso inhærens redditur incorruptibile, & fit immortale, sic erat Adam, in statu naturæ institutæ, per iustitiam originalem à Deo ipsi elargitam, quam per peccatum non perdidisset, semper incorruptibilis, & immortalis permansisset.

28. Assertio, Angeli suaptè natura sunt immortales, & incorruptibiles. Deducitur ex Scot. *vbi suprà*, & *Quol.* 9. *art.* 2. Bonet. 6. *Metaphys. cap.* 5. Dur. 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. & aliis *ibid.* Probatur primò, ex Arist. 2. *Cæli*, *T.* 36. & 12. *Metaphys. T.* 44. apertè scribente intelligentias esse inalterabiles, perpetuas, & immortales. Idque prius insinuauerat 4. *Top. cap.* 2. inquiens, quædam animalia esse mortalia, quædam verò immortalia, in quorum syllabo plerique veteres Philosophi statuebant Angelos. Subscribit August. 13. *Ciuit. cap.* 16. ex sententia Platonis, cuius verba ibi adducit. Et 21. *eiusdem opris*, *cap.* 26. Fauet Dionys. lib. de diuinis nominibus cap. 4. *Intellectuales substantia vitam habent sempiternam, & que imminui non potest, ab omni interitu, morte, materia, ortuque solute, ac libera.*

Secundò, animæ rationales sunt immortales, & incorruptibiles, vt de fide sancitum est in Conc. Lateranens. *sess.* 8. sub Leone X. Ergo, & Angeli, qui sunt illis præstantiores, & excellentiores, vt patet, 2. *Petri* 2. *Hebr.* 2. & *Psal.* 8. Tertiò, quod est expers principij intrinseci corruptibilitatis, & mortalitatis, est incorruptibile, & immortale, quandoquidem ablato principio, & causa, aufertur principiatum, & effectus: Angeli autem sunt expertes principij intrinseci corruptibilitatis, & mortalitatis, quod est materia, cum priuatione sibi coniuncta, vt suprà præmonui; sunt namque substantiæ à materia seiunctæ, & separatæ, igitur sunt incorruptibiles, & immortales. Deinde, corruptibile, & mortale à contrario impetitur, vincitur, & perit: Angelis autem nihil aduersatur, nec ab intrinseco, cum sint simplices, nec ab extrinseco, cum in rerum natura non sit potestas, quæ compatetur eis. Præterea, quod creatur, non est corruptibile, sed annihilabile, vt patet de materia, quæ cum creata fuerit, est incorruptibilis, & solùm à Deo annihilabilis. Insuper, bonis habitaculum, & præmium est incorruptibile, & perpetuum, ideò Ecclesia in officio Martyr. tempore Paschali cantat, *Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & æternitas temporum.* Malis verò supplicium est æternum, iuxta illud Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Censendi ergo sunt Angeli ab omni corruptione, & interitu alieni.

29. Oppones primò, incorruptibilitas, & immortalitas soli Deo tribuitur, vt monstrat D. Paulus 1. Timoth. 2. *Qui solus habet immortalitatem.* Ergo Angelis non est affigenda incorruptibilitas, & immortalitas. Respondeo illud testimonium Apostoli exponendum esse de immortalitate, & incorruptibilitate primo modo sumpta, quæ soli Deo competit. Non autem de incorruptibilitate, & immortalitate secundo modo capta, quam Angelis, & animabus rationalibus conuenire, in præmisso notabili animaduerti.

30. Oppones secundò, in VI. Synodo generali, *actione* 11. lecta, & recepta est epistola Sophronij arbitrantis Angelos non naturâ, sed gratiâ esse incorruptibiles, & immortales. Idipsum astruit Damasc. 2. *fidei*, *cap.* 3. his verbis. *Angelus est substantia, per gratiam, non per naturam, immortalitatem consequuta.* Et Confirmat Bernard. 5. *de consideratione ad Eugenium*, *cap.* 4. Igitur non videtur fidei orthodoxæ, nec doctrinæ SS. Patrum consentaneum existimare Angelos suaptè natura esse incorruptibiles, & immortales. Respondeo Concilium illud, & Patres respexisse immortalitatem primo modo, qua solus Deus est immortalis: non autem secundo modo, qua Angeli, & quæ carent materia sunt immortalia, & incorruptibilia. Omnis quippe creatura, siue spiritualis, siue materialis dependet à Deo in esse, & conseruari, indigetque continuo Dei influxu, qui dicitur gratia Dei, seu potius gratuita Dei voluntate, & influxu. Vt enim Deus gratuito suo beneplacito ex nihilo eam condidit, sic gratuito suo influxu eamnet conseruat perpetuò. Quò respiciens Plato in Thimæo introducit Deum alloquentem Angelos, sic. *O Dij Deorum, quorum ego opifex, idemque Pater; vos siquidem opera mea estis natura dissolubili, me autem volente, indissolubilis.*

31. Oppones 3. quod coalescit ex non esse, & esse, est corruptibile, & mortale, propterea quod fertur ad non esse: Angeli autem constantur ex non esse, & esse, quia sunt finiti, & limitati in entitate, & perfectione, ergo naturaliter Angeli sunt corruptibiles, & mortales. Respondeo maiorem esse insufficientem. Requiritur namque, vt tale coalitum ex non esse, & esse, habeat causam mortis, & corruptionis intrinsecam, vel extrinsecam, à qua sunt Angeli immunes, propterea sunt immortales, & incorruptibiles. Plura fusè, & copiosè *tract. de Angelis*, quem totum, & integrum sexdecim disputationibus absolui, & compleui.

LIBER QVARTVS.

De Deo.

1. NOMEN Deus latinè, θεὸς græcè perhibetur, & hebraicè, *Ille qui est*, Exod. 3. Ratio autem cur Deus nominetur, *Ille qui est*, redditur, quia Deus est ens per essentiam, creaturæ verò sunt entia per participationem. Vna autem voce dicitur *Adonai*, iuxtà illud Exodi 6. *Nomen meum Adonai non indicaui eis*. Quod à Græcis nuncupatur. *Tetragrammaton*, vt notat Aug. 2. *qq. super Exod. quæst.* 120. Quodque dicitur nomen ineffabile, ob cuius venerationem, & sanctitatem à summo Sacerdote proferebatur duntaxat. De quo vberè disserui *Tract. de Deo vno, disp.* 2. *q.* 13. *& indè*. Præsuppositis autem, quæ dixi de prædicatis Dei, *l.* 8. *Phys. quæst.* 4. quædam pauca, quæ supersunt, quæve ad Metaphysicam pertinent, subiiciam.

QVÆSTIO VNICA.

De natura Dei.

ARTICVLVS I.

An Deus sit à nobis cognoscibilis.

2. DE cognoscibilitate Dei disceptant Doctores Scholastici, cum Magistro 1. *d.* 3. inter quos, Deum sub nostram cognitionem cadere, non videtur vllum dissidium: de modo verò, an cognoscatur negatiuè, aut positiuè, iurgium extat. Etenim, D. Th. 1. *p. q.* 3. *art.* 3. cui præiuit Alensis *ibid. q.* 2. *art.* 2. tradit, Deum à nobis cognosci negatiuè. Quibus aduersantur Scot. 1. *d.* 3. *q.* 1. S. Bon. Ricar. Mayr. Aur. & alij communiter, docentes, Deum affirmatiuè à nostro intellectu attingi.

3. Ass. 1. Deus suaptè natura cognoscitur à nobis. Ita Scot mox cit. *q.* 1. §. *In* 1. *quæstione*. Probatur primò, ex sacris litteris, Sapien. 13. *A magnitudine speciei, & creatura, cognoscibiliter poteris creator horum videri*. Psal. 18. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*. Vbi subiicit D. Chrysost. hom. 9. ad populum Antioch. *Nulla est gens tam absconditi idiomatis, quæ non audiat, ac percipiat Cælorum, & aliarum rerum voces, quæ Deum naturaliter acclamant*. Damasc. 1. fidei, c. 1. & 3. *Insita est naturaliter cunctis cognitio, quod Deus sit*. Et Aug. 3. de libero arb. c. 23. *Quod si non apparet minùs, quàm opus esset, admoneremur, in illa summa, & ineffabili vnitate creatoris, esse omnia ista constituta: & reuerà, si piè, ac diligenter attendas, omnis creaturæ species, & motus, qui in humani animi considerationem cadit, eruditionem nostram loquitur diuersis motibus, & affectionibus, quadam varietate linguarum vndique clamans, atque increpans, cognoscendum esse Deum creatorem*. Idem scribit *l. de spiritu, & littera, cap.* 12. Dionys. *de diuinis nominibus, cap.* 7. & Tertul. 1. *contrà Marcionem*. Accedit testimonium D. Pauli Rom. 1. *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur sempiterna eius virtus, & diuinitas*. Vbi Lyran. inquit, *Attributa Dei cognoscuntur, immò & ipsius essentia per creaturas, sicut causa per effectum: sicque Philosophi Deum cognouerunt*.

Secundò, Arist. 8. *Phys.* necnon 12. *Met.* eiusque interpretes *ibid.* de Deo enunciant, & prædicant multa attributa, dicentes, ipsum esse primum motorem, primam causam, primum ens, infinitum, & beatum, atque vniuersorum rectorem, ac principem. Igitur, Deus naturaliter est à nobis cognoscibilis.

Tertiò, desideramus videre Deum, eoque tanquam obiecto beatifico perfrui, voluntas autem ex alibi dictis non fertur in incognitum: nostra ergo cognitio Deum attingit, ad quam nos inuitat regius Psaltes Psal. 104. *Quærite faciem eius semper*. Cùm enim Deus inquiritur, acquiritur. Et subnectit Aug. super illud Iob. 37. *Impios Deus non saluabit*, causam eorum damnationis, *quia noluerunt scire Deum*.

4. Dices, Aug. oppositum videtur affirmare *serm.* 280. *de tempore*, his verbis. *Vis scire naturam Dei, hoc scito, quod nescias, nec in hoc contristeris, quia nescias, quia & Angeli nescierunt, & similiter omnes creaturæ*. Dico testimonium Aug. & si quæ alia afferantur, interpretandum esse de nescientia totali, & comprehensiua, sic enim solus Deus scit, & comprehendit seipsum: non autem de nescientia apprehensiua, & abstractiua. Vnde idem Sanctus *in annot. c.* 9. *Iob*, subiicit, *hæc est mors animæ, vt Deum nesciat*. Ita in simili occurrit Doctor Seraph. *loco nuper memorato*.

5. Ass. 2. Deus non negatiuè, sed positiuè cognoscitur à nobis. Tenet Doct. *vbi suprà*. Suadetur primò, negatio non cognoscitur, nisi per affirmationem, *ex* 2. *perih. in fine*, & 4. *Met.* 16. Ergo Deus non cognoscitur negatiuè, nisi cognoscatur positiuè, quandoquidem conceptus negatiuus præsupponit conceptum affirmatiuũ.

Secundò nullas negationes cognoscimus de Deo, nisi per affirmationes, per quas remouemus aliqua incompossibilia, & repugnantia ipsi Deo. Dicimus namque Deum non esse compositum, quia ipsi tribuimus simplicitatem oppositam compositioni physicæ, & metaphysicæ. Item, remouemus à Deo finitatem, & limitationem, quia ei attribuimus infinitatem, & illimitationem, & sic de reliquis, igitur Deus præcisè non cognoscitur per negationes.

Tertiò, Deum summè amamus, perhibente Aug. 8. *Trin cap.* 4. *&* 10. *eiusdem operis, cap.* 1. Ideò, vnusquisque in graui periculo constitutus Deum inuocat, & ad ipsum recurrit: negationes autem non summè amamus, alioqui nihil, cuiusmodi sunt negationes diligeremus, ergo Deus præcisè à nobis non cognoscitur negatiuè. Siquidem, aut negatio concipitur præcisè vt negatio, aut vt dicitur de aliquo positiuo. Si primum, ergo non magis concipitur Deus quam nihil, vel chymera. Pura quippè negatio, vt non lapis, ita dicitur de nihilo, vel chymera, sicut de Deo, vel alio positiuo, proindeque non magis intelligeretur Deus, quam nihil, vel chymera. Si secundum, aut ille conceptus, de quo effertur ista negatio vera, est affirmatiuus, aut negatiuus: si affirmatiuus, habetur intentum:

si negatiuus, recurrit argumentum: videlicet, vel negatiu concipimus præcisè, vt negatio: vel, vt dicitur de aliquo positiuo i sicque, vel non intelligeretur Deus, magis, quàm nihil: vel sistendum est in aliquo conceptu affirmatiuo, priori quocumque negatiuo. Quod est propositum nostrum.

6. Opp.1. contrà 1. ass. Arist. 2 *Met*.1. scribit: *Sicut se habet oculus vespertilionis ad lumen solis: ita se habet intellectus noster ad manifestissimam naturam, cuiusmodi est Deus:* Oculus autem nycticoracis nequit videre lumen solis, ergo & intellectus noster non potest cognoscere Deum. Respondeo similitudinem Philosophi in hoc consistere, quod sicut nycticorax non potest intuitiuè, & distinctè intueri lucem solis: sic noster intellectus cognitione distincta, & intuitiua non valet cernere Deum, iuxta illud Ioan.1. cap.4. *Deum nemo vidit vnquam, nec videre potest.*

7. Opp.2. *ex* 1. *Phys*. *T*.35. infinitum est ignotum: Deus autem est infinitus: ergo non potest à nobis cognosci. Resp. ad ma. per distinctionem: infinitum in potentia, & in multitudine est ignotum, concedo: in actu, & in perfectione, veluti est Deus, nego. Sic exponitur Arist. prælleg.

8. Opp.3. *ex* 3. *de anima*, *T* 30. phantasmata se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum: sensus autem nihil valet percipere, nisi sit sensibile: ergo, nec intellectus nisi sit phantasiabile: de Deo autem nullum datur phantasma, ergo nec cognitio. Satisfit, si dicatur, comparationem valere de prima motione intellectus, ab obiecto. Phantasmata namque in intellectu agente habent vicem primi obiecti mouentis: non verò de omni actu subsequente primam motionem. Siquidem intellectus potest abstrahere obiectum inclusum in aliquo primo mouente, & considerare illud sic abstractum, absque eo, quod considerer id, à quod abstrahitur; sicque percipere potest commune sensibili, & insensibili: atqueadeò immateriale, & spirituale, veluti est Deus. Sensus autem quia non est abstractiuus, & præcisiuus, idcircò in omni suo actu, tam primo, quàm secundo, & subsequentibus prætequitit, & præexigit aliquod obiectum primum mouens.

9. Opp.4. contrà 2. Assert. S. Damasc. 1. *fidei*, *c*.12. litteris committit, *Par est vnumquodque eorum, quæ de Deo dicuntur, non quid est, secundum substantiam arbitrari significare, sed quod non est, ostendere.* Accedit D. Greg. l.1. in Ezechiel. hom.8. *Quantumcumque mens nostra in contemplatione Dei profecerit, non ad illud, quod ipse est, sed ad illud, quod sub ipso est, attingit.* Respondeo per explicationem authoritatis, videlicet capi de negatione non præcisè, vt negatio est, sed vt designat positionem, vt satis manet ostensum in tertia ratione, qua vsus sum, ad probandam 2. assertionem. Ad Greg. dico fortassè ipsum velle Deum cognosci à nobis per creaturas, vt per effectum dignoscitur causa. Vel intelligere nos habere conceptum de Deo communem transcendentalem, vt est ens, substantia, & huius formæ alia: non autem proprium desumptum ex propriis, quem viribus nostris non valemus attingere. Quoniam autem ille conceptus in entitate est inferior isto: Pariter & in intelligibilitate: ob id subiungit præfatus Sanctus, labore nostro nos peruenire ad conceptum Dei, qui sub ipso est, hoc est inferior, & ignobilior conceptu proprio, qui habetur ab ipsomet Deo.

ARTICVLVS II.

An Deum esse sit demonstrabile.

10. NOn desunt ex priscis Philosophis, & modernis, qui opinentur, Deum esse nec à priori, nec à posteriori posse demonstrari, soluentes rationes Arist. tum 8. *phys.* dari vnum primum motorem, tum etiam 12. *Met.* esse vnam primam causam, vnumque Dominum, & principem rerum omnium, inter quos sunt Oehan. *in Centiloquio*, *conclusione* 1. Aliacensis 1. *d*.3.*q*.3. Maior *ibid*. *d*. 1.*q*.1. Andreas de Castro nouo *d*.8.*q*.1.& alij non pauci. E regione, nonnulli arbitrantur, Deum esse, demonstrari vtroque modo, hoc est, tam à priori, quàm à posteriori, quibus quoquo modo videtur fauere Suarez *disp*. 29. *Met*. *sect*.3. *n*.2. Communis autem sententia Scholasticorum est 1. *d* 2. *q*.2. Scot. Mayr. Aur. Viger. Ric.& cæterorum docentium, Deum esse demonstrari à posteriori duntaxat.

11. Not.1. ex Arist. 1. *Eth*. *cap*.3. non esse æqualem euidentiam, & certitudinem in quacumque re, & materia, de qua agitur. Alia quippè extat euidentia mathematicæ disciplinæ: alia verò metaphysicæ. Vnde, cum SS. Patres, & DD. Scholastici rationes, siue physicas, siue metaphysicas adducunt ad ostendendum Deum esse, aut aliud quidpiam, non pari certitudine, & euidentia omnes incedunt, sed quædam alus sunt firmiores, & euidentiores, prout est maior firmitas, & euidentia earum rerum, ex quibus eruuntur, & educuntur. Quòd si interdum contingat, vt quidam aliquas demonstrationes non percipiant, id non accidit, quia non sint veræ demonstrationes, sed quia non ita senini patent, aut id oritur ex eorum ingenio obtuso, aut ex pertinacia, & ex proteruia: de quibus fortassè dicitur illud Rom.1. *Obscuratum est insipiens cor eorum.*

12. Not.2. ex Mercurio Trimegit. *l. definitionum Dei*, qui describens Deum, inquit: *Deus est sphæra intellectualis, cuius centrum vbique est, circumferentia nusquam.* Explicatur quoad omnes particulas. Dicitur *sphæra*, quia sicut in sphæra nec principium, nec finis inuenitur: ita Deus nec principium, nec finem habet, cum ipse Deus sit principium,& finis omnium rerum, vt de seipso ait Apoc.1. *Ego sum α. & ω, principium, & finis.* Additur *intellectualis*, quia Deus est purissimus spiritus, omnis materiæ, & corporis expers, gaudens vita intellectuali, quæ cæteris præstat. Ponitur, *cuius centrum est vbique*, propter eius immensitatem. Subnectitur, *circumferentia nusquam*, ob eiusdem incomprehensibilitatem, cum nullo termino, fineque claudatur.

13. Not.3. ex D.Ioanne Damasceno *l*.1. *suarum sententiarum*, *cap*.12. nomen Deus tripliciter formari etymologiam, quæ adducitur, & exprimitur à Vorrilong. 1.*d*.2. *art*.1. & tangitur à Scot. *ibid*.*q*.1. §. *Ex his*, *sub D.* vnam veriorem, & potiorem affero duntaxat, videlicet Deus Latinè, & Græcè θεὸς deriuatur à θεάομαι, quod perindè est ac spectare, notante Viues *in com*. 1. *de Ciuit*. D. Aug.*cap*.31. siue, quod idem est ac videre, quia Deus omnia intuetur, etiam profunda inferni. Atque, *omnia sunt nuda, & aperta oculis eius.* Hebr.4. Et in vniuersum Deus dicitur ab actuali operatione, vt post Damasc. præcit. aduertit Doctor vbi suprà, quia semper operatur fouendo, ardendo, & considerando. Fouet namque pietate, ardet charitate, & videt claritate, vt nemo sit, qui huiusmodi operationes non conspiciat, cum nemo extet, *qui se abscondat à calore eius.* Psal.18.

14. Assert. Deum esse demonstratur, non quidem à priori, sed tantùm à posteriori. Hæc assertio est bimembris, quam tuetur Scot. 1.*d* 2.*q*.2. §. *Ad* 1.*quæstionem*. *G*. prima pars est communis, & probatu facilis. Quod enim non habet causam, demonstrari nequit à priori, quia demonstratio à priori habetur per causam, 1. *post*. *cap*.2. de Deo autem nulla datur causa, cum ipse Deus sit incausatus, ergo eius esse demonstrari non potest à priori. Deinde, & in idem videtur recidere, medium demonstrationis à priori, præsertim potissima est definitio subiecti, secundum Scot. aut definitio prædicati, secundum alios: nulla autem de Deo extat definitio, cum coalescat ex genere, & differentia,

quæ

quæ longè sunt à Deo: ergo eius esse à priori demonstrari non valet.

15. Dices, si quis ea diuinis attributis, quæ videntur esse quasi Dei proprietates, & passiones, ita syllogizet, Deus est immensus, ergo immutabilis, estque infinitus, quia independens, & à se, ea bis quasi à posteriori argumentans, potest deinde à priori differere, & demonstrare esse ipsius Dei, igitur demonstratio de esse Dei, à priori potest à nobis acquiri, & comparari. Dico præfatum discursum esse quidem bonum, non tamen euidenter notum, cum eius principia non nobis clarè innotescant, & maximè diuina essentia, quæ est fons eorum attributorum, & pelagus omnium perfectionum, propterea de esse Dei nulla haberi potest demonstratio à priori, vt insinuat D. Dionys. *l. de diuinis nominibus.* Et de quouis scientiæ subiecto traditur 1. *post. T.*2.

16. Secunda pars suadetur t. testimoniis sacræ paginæ alleg. *in antecedente art.* & authoritatibus Sanctorum PP. *ibid* adduct. quibus addo Aug. *serm.*143. *de tempore*, & *l.* 3. *de symbolo ad Cathecumenos*, *cap.*2. & Ambr. *in epist. ad Romanos*, *cap.*1. inquiens: *Cum Deus inuisibilis esset, vt etiam, à visibilibus posset sciri, opus fecit, quod sua visibilitate demonstraret opificem.*

Secundò, ostendi potest medio physico allato ab Arist. 8. *phys.cap.*1. & 12.*Met.T.*36. *summa* 2. *cap.*1. *in fine*, omne quod mouetur, ab alio mouetur, & cum non abeatur in infinitum, 2. *Met cap.*2.*T.*5. deueniendum est ad vltimum mouens, primumque causam motus, quæ à nobis vocatur Deus. Idque apertè monstratur, & lucidè declaratur ab eodem Arist. 12. *Met. pracit.* & à Scot. *ibid. in expositione text.* datur namque infimum motum, vt terra, & mota, ac mouentia intermedia, vt reliqui orbes elementares, & cælestes, ac intelligentiæ ipsos voluentes, vt liquet ex motibus Cometarum ignitorum, qui mouentur in sphæra ignis, ad motum orbis Lunæ, & motibus Planetarum, quorum quilibet suum conficit motum, & cursum, certo, & determinato temporis interuallo, vt quotidie ad oculum cernimus, ergo datur primum mouens, quod inter orbes cælestes est vltimum Cælum, quod spatio 24. horarum reliquos voluens, motu raptus, complet suum cursum: & inter intelligentias cientes dictos cælos est prima intelligentia, quæ dicitur primum mouens, nempè Deus, igitur per motum rectè demonstratur esse Deum, & hæc est demonstratio physica à posteriori, vt significat Doct. *q.*3.*prol.* §. *Ad* 1. *argumentum* ℞. Verumtamen non omnes eam recipiunt, nitunturque eam soluere, & infringere: siquidem præfata propositio, puta, omne quod mouetur, ab alio mouetur, non videtur vniuersalis, sed indefinita, vt monstrat, 8. *phys. q.*3. *art.*3. Animalia quippè mouentur à seipsis, pariter grauia, & leuia: atque non desunt, qui censeant Cælum moueri à propria forma sibi intrinseca, esseque animatum, atque vnum duntaxat, per quod vagantur sydera, veluti aues per aërem, & pisces per mare. Deinde Zeno, eiusque Asseclæ negant motum, licet malè, & contra experientiam. Ampliùs, nonnulli admittunt circulum in motis, & mouentibus. Insuper, idem Arist. præallato proloquio firmiter non videtur ei adhæsisse, cum teste Fonseca *in proœmio Met. cap* 1. fuerit accusatus, quòd esset *ἄθεος, καὶ ἀσεβὴς*. Si enim negasset Deum, eiusque cultum contempsisset, sanè tueret quidquid ipse docuerat de primo motore, motu, & cæteria, quæ locis prænominatis demonstrare conatur. Verùm, Philosophum in huiusmodi impietatis crimen non incidisse vita, & scripta eius apertè ostendunt, vt non opus sit aliter ipsum à tali calumnia vindicare, qua ab inuidis, & inimicis impetitur, post obitum Alexandri eius Discipuli.

Tertiò, omne quod est, vel est productum, vel improductum, hoc est, vel est ab alio, vel à se: si est improductum, & à se, est Deus: si verò est productum, & ab alio, est creatura, nihil enim inuenitur, quod seipsum producat, immò, authore Aug. 1. *Trin.*1. Nullum maius est inconueniens, quam idem producere seipsum, & cum nullus in causis essentialiter ordinatis sit admittendus processus in infinitum, ea dicta supra, sequitur dari primum efficiens, primam ei ùsam rerum omnium opificem, quæ est Deus. Vnde Scot. proximè cit. scribit, multitudinem entium, dependentiam, contingentiam, compositionem, & huiusmodi apertè arguere, & clarè demonstrare esse vnum independens, necessarium, simplex, quod est Deus. Hoc autem est medium metaphysicum præstantius, & efficacius medio physico præmisso. Cui obuiam fiunt, & dicunt nonnulli non esse demonstratiuum, sed dialecticum. Nam Anaxagor. adducto ab Arist. 1 *phys.*t.3. censet, quodlibet fieri ea quolibet. Democritus dari infinitum actu rerum generabilium, & corruptibilium, 1. *de generatione, cap.*1. esseque infinitos mundos, teste Valerio Maximo *l.*8. immò, Arist. statuens æternitatem Mundi à parte ante, nolens cogitur admittere infinitatem actualem animarum, cum ipse quodlibet infinitum actu apertè neget 3. *phys*40. & 1. *Celi* 34. & pleraque alia opponeret proteruus, nemini cedens, & veritati, stabilique fundamento, & rationi firmæ obsistens, vt liberius omni vitio indulgens, tandem in atheismum labatur.

Quartò, in quauis domo benè constructa, & rectè ordinata, & in quacumque Republica, & imperio aptè disposito, constituitur Dominus, gubernator, & princeps, cui omnes subduntur, & obsequuntur, quive bonis præmia, malisque supplicia afficiat: ergo in hac ingenti Mundi fabrica, rerumque omnium congerie, extat, & regnat supremus Dominus, omnium monarcha, bonorum, & malorum vindex, qui est Deus: atqueadeò demonstratur esse Deum physicè, metaphysicè, ac ethicè.

17. Opp.1. quod est per se notum, necà priori, nec à posteriori demonstrari potest, sed ea sola terminorum explicatione innotescit: per se autem notum est, Deum esse, vt scribit Scot. 1.*d.*2.*q.*2. Ergo nullo modo Deum esse demonstratur. Concedo ma. distinguo min. Deum esse, est per se notum concipienti distinctè terminos, veluti ipsi Deo, & Beatis, concedo: confusè apprehendenti terminos, vt accidit nobis, qui de Deo, eiusque essentia, & existentia nonnisi confusam, & indistinctam notitiam babemus, nego. Ita occurrit Doct. *vbi supra*, §. *Ex his ad q.*

18. Opp. 2. quod demonstratur, ab vllo negari non valet, quia demonstratio est syllogismus euidens, & necessarius: quidam autem Deum esse inficiantur, vt Psal.13. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Ergo Deum esse, non demonstratur à posteriori. Concedo ma. distinguo min. quidam insipientes, & mali negant Deum esse, concedo: quidem sapientes, & boni, nego. Ideò rectè in alleg. testimonio apponitur in corde suo, quia si extra eur, insipienter locutus esset, & argutus ab omnibus creaturis, quæ naturaliter Deum esse conclamant. Aut fortassis, insipiens in suo corde dixit, non esse Deum, quia si palam loquutus fuisset, combustus fuisset, vt comburuntur Atheistæ.

19. Opp. 3. per se notum est, veritatem esse, alioqui, si nulla foret veritas, verum esset, nullam esse veritatem, proindéque veritas esset: Deus autem veritas est, vt Deus de seipso testatur Ioan.14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Ergo, Deum esse, non demonstratur à posteriori. Respondeo ad ma. non quamcumque veritatem esse per se notam, cum vtplurimum nos lateat, & Philosophi in eius indagine valdè laborent, & insudent, & vix attingant: sed illam, quæ ex sola terminorum distincta notitia paritur, cuiusmodi non est Deum esse, qui à nobis confusè apprehenditur duntaxat.

20. Opp.4. quod fide creditur, non demonstratur, quia fides est de obscuris, & ænigmaticis: demon-

ſtratio verò de claris, & euidentibus: credimus autem Deum, vt patet ex Symbolo Apoſtolico, *Credo in Deum.* Ergo non demonſtratur eſſe Deum. Satisfit, ſi dicatur, de quo eſt demonſtratio, non eſt fides: ob id, ſi quis de exiſtentia Dei habeat demonſtrationem, de eamet exiſtentia non habet fidem, ſed ſcientiam, quo pacto Philoſophi Ethnici fide carentes, agnouerunt, & ſciuerunt eſſe Deum, vt patet Rom. 1. *Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Quare, Doctores, de prædicatis Dei communibus ſcientiam habent, de prædicatis verò eius propriis, fidem. Rudes autem, & imperiti, de omnibus fidem habent, vt latè oſtendi *Tract. de Deo vno, diſp. 1. q. 2.*

ARTICVLVS III.

An ſit vnus Deus.

21. ALphonſus à Caſtro *l. 5. aduerſus hereſes, verbo Deus*, refert nonnullos exiſtimare eſſe plures Deos, nominatim Gnoſticos, & Manichæos, cui præiuerunt Aug. *l. de hereſibus. cap 6.* Irenæus *l. 3. c. 18.* & Epiphanius *hereſi 33. & 36.* memorantes, & refellentes eos, qui lapſi ſunt in polytheiſmum. Communis autem, & orthodoxa doctrina nos docet vnum eſſe Deum. An verò demonſtrari valeat eſſe vnum Deum, necne? Non omnes Scholaſtici conſentiunt. Nam Ocham. 1 *d. 2. q. 10* Gabriel *ibid. art. 2. concluſ. 3.* Maior *eo in loco quæſt. 1. concl. 3.* & alij cenſent non demonſtratiuè, ſed tantùm dialecticè ſuaderi eſſe vnum Deum. Cæteri autem, vt Scot. 1. *d 2. q 3.* Mayt. *q. 4.* Aur. *d. 3. art 3.* & alij communiter tradunt demonſtrari eſſe vnum Deum. Hæc autem difficultas ſupponit Deum eſſe, & quærit, num Deus ſit vnus? Quandoquidem prius res habet eſſe, quàm conſurgat eius vnitas, cum vnitas ſit paſſio entis, 4 *Met. cap. 2. T. 3.* Quapropter, cum ſuprà demonſtratum ſit Deum eſſe, meritò inueſtigatur, vtrum ſit vnus Deus, aut plures?

22. Aſſ 1. vnus eſt tantum Deus. Probatur 1. ex ſacris litteris, Deut. 6. *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt.* Et ibid. 26. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius, præter me.* Pſal. 8. *Quis Deus, præter Dominum? aut quis Deus, præter Deum noſtrum?* Sapient. 12. *Nec enim eſt alius Deus, quàm tu, cui cura eſt de omnibus,* 1. Cor. 8. *Scimus, quod nullus eſt Deus, niſi vnus.* Et Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & pater omnium.*

Secundò, ex Sanctis Patribus, Tertul. *Contrà Praxeam*, Athan. *in ſymbolo*, Aug. *l. contrà ſermonem Arianorum, cap 1.* & 3. *contrà Maximinum, cap. 10.* & *in exp Pſal 49.* & *l. decem chordis, cap. 5.* & Damaſc. 1. *fidei orthodoxæ, cap 5.* Et ſancitur in ſymbolo Nicæno, *Credo in vnum Deum.* Suffragantur Philoſophi, nuncupatim Ariſt. 12. *Met. in fine.* Entia nolunt malè diſponi, & gubernari, vnus ergo omnium eſt princeps in vniuerſo, qui vocatur Deus. Atque fertur, cum idem Ariſt. foret morti proximus, hæc verba protuliſſe, *Ens entium miſerere mei.* Quidquid dicat Veglia *veſtigatione 4.* Idemque ſenſiſſe Socratem, Platonem, Pythagoram, alioſque antiquos, teſtantur Aug. 4. *Ciuit cap. 11.* & Euſebius 11. *de præparatione, cap. 3.* quibus ſubſcribunt Auic. 1. *Met. cap. 6.* & 9. *eiuſdem operis, cap. 1.* Necnon Trimegiſt. *de Diuinitate ad Aſclepium*, referente Ric. 1. *d 2. art. 1. q. 1.*

Tertiò, omnis multitudo ad vnum reuocatur, vt poſt D. Dionyſ. 5. *de diuinis nominibus*, ſcribit Scot. *quæſt. 3. prol. ante §. Ad 3. quæſtionem. V.* & dependentia, ad independens: extat autem copioſa rerum creatarum multitudo, & dependentia: ergo ad vnum increatum, & independens redigitur, quod eſt vnus Deus.

Quartò, in quocumque eſſentiali rerum ordine ſtatuitur vnum, quod eſt metrum, & menſura aliorum, 10. *Met. 2.* Ergo in tota rerum omnium congerie, & ordine earum eſſentiali habetur vnum primum ens, quod eſt earumdem metrum, & menſura, nempè vnus Deus.

Quintò, res mundi ita ſunt ad inuicem diſpoſitæ, & ordinatæ, veluti milites vnius exercitus ad vnum ducem, ac veluti ſubditi ad vnum Regem, & Principem, vt litteris conſignat Ariſt. *in fine 12. Met.* Qui autem aliter ſentit, ponens plura principia prima, pluresque Principes Mundi, inconnexam faciunt rerum ſubſtantiam, & vniuerſi molem. Vnus ergo eſt Deus.

23. Aſſ. 2. demonſtratur eſſe vnum ſolum Deum. Ita Scot. *vbi ſuprà, & in Report. ibid. q. 4.* & *Quol. 7.* Probatur 1. ratione phyſica, eſt vnus primus motor, quia eſt vnum primum mobile, 8. *phyſ. 54.* & 12. *Met. 44.* primus autem motor eſt Deus, ergo eſt vnus Deus. Hæc ratio videtur quidem efficax: tamen multas patitur inſtantias, quas attuli in antecedente art. Nam ſi forent plures mundi, quos eſſe poſſibiles, non inficiantur Scholaſtici Doct. forent plures primi motores, non autem plures Dij. Deindè, Deus non mouet immediatè primum mobile, *vt ex Ariſt* tradit Scot. *in expoſ. 12. Met.* Inſuper, Ethnici admittunt Deorum pluralitatem, quam non concederent, ſi demonſtraretur eſſe vnum tantum Deum, cum demonſtratio ſit ſyllogiſmus neceſſarius, & euidens, cui nemo ſanæ mentis non valet contradicere.

Secundò, oſtenditur ratione metaphyſica, quæ eſt potior, & efficacior, vt benè vidit Doct. *in prol. nuper cit.* vnus eſt independens, incauſatus, & ſummè neceſſarius, vt monſtraui in ſuperiori art. Ergo vnus eſt Deus. Ant. patet, quia dependentia, ad independens, cauſata, ad incauſatum, & contingentia, ad neceſſarium reducuntur: Deus autem eſt à ſe, & independens, incauſatus, & ſummè neceſſarius, ergo demonſtratur eſſe vnum Deum dumtaxat.

Tertiò, ratione morali, & politica. Melior principatus, & præſtantius regimen ſtatuendum eſt in Mundo, cum ſit melius, & præſtantius opus, cui melior directio, & gubernatio congruit: melior autem eſt monarchia, cui vnus præeſt, quàm democratia, & ariſtocratia, in quibus plures præſunt, & prædominantur, ergo vnus eſt tantùm Deus, omnia creans, gubernans, ac regens, quæ in vniuerſo reperiuntur.

Quartò, ſi forent plures Dij, aut diſtinguerentur ſpecie, aut numero: non ſpecie, quia ſpecies ſe habent ſicut numeri, quorum vnus eſt alio perfectior: Deus autem eſt, quo nihil perfectius, & maius excogitari non poteſt, cum ſit perfectiſſimus, & contineat cumulum omnis perfectionis: atque, quæ differunt ſpecie ſunt ſub eodem genere, quod eſt potentiale, & finitum, vt patet in Logica: nec numero, nam præterquamquod vnum indiuiduum perfectione vincit aliud, vt de anima Chriſti Domini decernit Vniuerſitas Pariſienſis, indiuidua contrahuntur per ſuas differentias indiuiduales, ſuntque finita, & limitata, & non repugnat multiplicari in infinitum, quæ, & conſimilia Diuinitati repugnant, vtpotè quæ infinita, illimitata, & implurificabilis extat. Igitur demonſtratur eſſe vnum ſolum Deum. Huc pertinent ſeptem, quæ in huius oſtenſionem, & confirmationem afferuntur à Scot. *in 1. præcit.* & fusè, ac ſolidè pertractantur ab Antonio Andr. *quæſt. vlt. 12. Met.* quæve breuitatis cauſâ à me omittuntur, & legi poſſunt apud dictos Authòres.

24. Opp. 1. diuinitas tribuitur hominibus, vt Pſal. 81. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum.* Et paulò poſt. *Ego dixi, Dij eſtis.* Ergo pluralitas Deorum non repugnat. Occurrit Lyran. *ibi in poſtil.* & ait per Deos eo in loco intelligi Iudices, & probat ex illo Exod. 21. *Ad Deos*, ideſt Iudices, *vtriuſque cauſa perueniet.* Dicuntur autem Iudices Dij, proptereaquod exequuntur

opera

opera diuinæ iustitiæ Et August. *in expositione Psal.49.* scribit, homines vocari Deos non natura, sed gratia. Idem habet *in Psal.84.* & *tract.48. in Ioan.* subnectit autem Damasc.4. fidei 16. *Deos autem dico, & Reges, & Dominos, non natura, sed vt affectus regentes, illorum dominantes, & diuinæ imaginis similitudinem inobliteratam custodientes. Nam dicitur rex, regis imago.*

25. Instabis, 1. Cor.8. *Sunt Dij multi, & Domini multi.* Ergo Deorum multitudo non est respuenda. Dico hoc testimonium valere apud Idololatras, & Ethnicos, vt patet Psal.95. *Dij gentium Dæmonia.* Non autem apud veri Dei adoratores. Ob id subdit Apostol. ibid. *Nobis autem vnus est Deus.* Et addit Scotus proximè citatus, *Multi sunt Dij nuncupatiuè, idest nomine: vnus verò est Deus re, & essentialiter omnium creator, & gubernator.*

26. Opponnes secundò, ex D. Ansel. *in prosol.2.* & Scot.1. *distinct.2. quæst.2. §. Quarta via sub BB.* Deus est, quo maius excogitari non potest: Plures autem Dij sunt, quibus maius excogitari non potest, ergo non sunt abnuendi plures Dij. Maior, quæ à Nominalibus non recipitur, præmittitur, & traditur à S. August. *lib. qq. veteris, & noui testamenti, quæst.1.* & 1. *de doctrina Christiana, cap.7. Deus est, quo nihil melius, atque sublimius cogitatur.* Hoc ipsum habetur 7. *Confes. cap.14.* & expressius *lib. de spiritu, & anima, cap.63.* Resp. præfatam maiorem, & authoritatem esse glossandam, & limitandam, dummodo non adsit repugnantia. Repugnat autem esse plures Deos, vt suprà ostensum est; ideòque Deorum pluralitas est abneganda, quia est impossibilis, & contradictionem inuoluit.

27. Oppones tertiò, melius est, esse plura bona, quam vnum bonum, vt melius est, esse plures homines, quàm vnum hominem, ideò legitur Gen.2. *Non est bonum, hominem esse solum.* Plures autem Dij sunt plura bona; vnus verò Deus est vnum tantùm bonum, ergo admittenda est pluralitas Deorum. Satisfit, si maior glossetur eo modo, quo maior præcedentis oppositionis, hoc est, nisi extet repugnantia, contradictionem autem implicat, assumare Polytheismum, proptereà reiicitur. Quò fortasse respiciens August. Deum alloquens ait in fine expos. Psal.58. *Nemo te melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, à quo accepi, vt essem, ab illo accepi, vt bonus essem.*

ARTICVLVS IV.

An Demonstretur Deum esse infinitum.

28. DVo inuestigari queunt in hoc artic. videlicet, num Deus sit infinitus? & vtrum demonstratiuè probari possit ipsum esse infinitum, an verò dialecticè duntaxat. De primo, non videtur esse difficultas, quia nemo, quem viderim à Deo infinitatem amouet. De secundo autem totidem sunt sententiæ, quot relatæ fuere *in præeunte art.* Siquidem Ocham. *in Centil. concl.3.* eiusque asseclæ asserunt, Deum esse infinitum, tenendum esse probabiliter, & credendum esse à Theologis, ex vocaboli significatione. Scot. autem 1. *distinct.2. quæst.2.* & *in Reportat. quæst.3.* Mayr. *quæst.8.* Lych. Barg. Viger. & alij communiter *ibid.* quibus adstipulatur Soarez *disput.30. Met. sect. 2. numero* 2. affirmant ratione naturali demonstrari posse, Deum esse infinitum. Recognoscendæ, & recolendæ sont acceptiones, & diuisiones infiniti adductæ, & explicitæ à Bonet. *lib.2. suæ naturalis Theologiæ, cap.1.* & *à me lib.5. Phys. quæst.5.* Hic autem tantum obseruo, hanc dubitationem de infinito in actu, in intensione, & in virtute excitari duntaxat.

29. Ass.1. Deus est infinitus in vigore, & in virtute, Tenet Doct. cit. §. *Ostensis igitur* 7. & *Quol* 7. § *Sed quia FF.* Probatur primò ex sacra Pagina Psal.144. *Magnus Dominus, & magnitudinis eius non est finis.* Vbi Lyran. subiicit, *Deus est magnus, non magnitudine molis, sed virtutis* Et Baruch.3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.*

Secundò, ex SS. Patribus, Dionys. lib. de diuinis nominibus, cap.9. *Magnus super omnem magnitudinem, omnem transiliens infinitatem.* August.3. *contrà Maximinum, cap.26.* & Athanasio *in Symbolo.* Accedit Conc. Lateran. sub Innoc.3. c. *Firmiter, de summa Trin. & fide Catholica*, in quo præfata assertio definita est: & antequoque videtur sancita in Conc. Florent. *in constructione Armenorum.* Fauent Aristot. tum 8. *Phys.79.* tum etiam 12. *Met.41.* Auer. *ibid.* aliique Peripatetici, à quibus non declinant cæteræ Philosophorum sectæ affirmantium Deum esse virtutis infinitæ, & illimitatæ.

Tertiò, ens vniuersè, & adæquatè diuiditur in infinitum, & finitum: sub finito comprehenditur omne creatum, ergo reliquum membrum, quod est infinitum, importat increatum, quod est Deus.

Quartò, finitum, & infinitum sunt passiones quantitatis, vt obseruaui *in Epitome dia'ect. lib. quæst.4. art.6. num 19.* Quoniam verò ex ibi assertis, *num.18.* quantitas duplex est, molis, & virtutis, illa competit materialibus: hæc verò spiritualibus: finitas autem adaptatur enti creato: ergo infinitas conuenit enti increato, vti est Deus.

Quintò, nulla imperfectio tribuenda est Deo, qui est ens perfectissimum, & eminentissimum: finitas autem præsefert imperfectionem, vtpote carentiam vlterioris perfectionis rei, cuius est: ergo Deo non est affingenda, sed infinitas, quæ illimitatam importat perfectionem, & cumulum cuiuscumque perfectionis simpliciter.

Sextò, quo aliquid est proximius imperfectiori, & deteriori, eò est imperfectius, & deterius, vt patet de formis materialibus, quæ sunt viciniores materiæ, quæ est omnibus deterior, & imperfectior: finitas autem molis congruit rebus materialibus, quæ cæteris sunt inferiores, & deteriores: finitas verò virtutis rebus spiritualibus limitatis accommodatur: ergo infinitas virtutis, quæ longè distat à materialibus, competit enti præstantissimo, & supremo, quod est Deus.

30. Assertio secunda, naturaliter demonstratur, Deum esse actu infinitum. Ita Scot. *vbi supra.* Probatur primò, quod est à se, & per se, planè, & plenè est infinitum, quia à nullo causatur, & limitatur: quod verò est ab alio, est finitum, quia ab alio causatur, quod ipsum limitat, & finit intrà limites sui generis: Deus autem est à se, & per se, cum sit improductus, & independens, ergo Deus est infinitus, atqueadeo demonstratur Deum esse infinitum. Idque agnouit Aristoteles locis præcit. in antecedente assertione inquiens, primum mouens, quod est Deus, mouere tempore infinito: quod autem mouet tempore infinito, est infinitum, ergo secundum rei veritatem, & Aristot. demonstratur Deum esse infinitum.

31. Dices, id non sequi, quandoquidem Angelus cœlo applicatus mouet ipsum cœlum tempore infinito, cum tamen ipsemet Angelus, & in entitate, & in virtute sit finitus, & limitatus, igitur Aristot. illo medio non demonstrat Deum esse infinitum acto in vigore, & in virtute: cum motus, & tempus non sint infinitum simul, sed successiuè. Ideóque virtus finita incorruptibilis, & immortalis, cuiusmodi est virtus Angeli, potest mouere motu, & tempore infinito, ac proinde ex eo, quod primum mouens mouet infinito tempore, probè non infertur, ipsum esse infinitæ virtutis in intensione, sed duratione duntaxat, vt sentiunt Nominales, cum Och. cit. & *Quol.2. quæstione secunda*, & *Quol.7. quæstione vndecima.* Verùm hic sensus alienus est a mente Aristotelis. Tradit namque *loco citato Phys.* virtutem infinitam haud posse existere in magnitudine, posset autem, si foret vis formaliter finita, veluti virtus intelligentiæ est in magnitudine

tudine Cæli, quod voluit. Igitur, non obscurè conuincitur, Arist. docere potentiam primi mouentis esse intensiuè infinitam. Cur autem Angelus perpetuò moueat, & eius virtus formaliter sit finita, & duratione infinita, primi verò motoris sit potentia infinita formaliter, & intensiuè? Occurrit optimè Scot. & causam reddit, quia primus motor est à se, & independens, cæteri verò motores, puta Angeli sunt ab alio, & dependentes à primo. Idcò hic infinitam: illi verò finitam potentiam in vigore participant.

32. Dicet, cum Suarez cit. *n*.4. hoc responsum non consonare text. Arist. qui ibi non meminit particulæ à se, seu independenter, quæ valet nedum de motu, veruntamen de qualibet alia actione. Atque, idem Philosophus ex motus duratione infinita suadet propositionem suam. Prætertim quia vtitur medio physico, quale non est mouere à se, & absque dependentia ab alio. Insuper, nec motum, nec probarum ab eodem Stagit. ad mouendum à se, & independenter, requiri virtutem infinitam, & illimitatam. Contra. Quamuis Arist. eius voculæ explicitè non meminerit, implicitè tamen eam significat, cum ait deueniendum esse ad vnum primum motorem, & omne, quod mouetur ab alio mouetur, igitur cum ipse Arist. censeat dari vnum primum motorem, qui ab alio non mouetur, sed mouet cætera, sanè secundum eumdem, ille primus motor est à se, & independens. Idque insinuans 12. *Met. passu memorato*, præfatam adducit propositionem, vt scilicet præposito medio physico de motu, vallaret, & confirmaret ipsam per Met. vt *ibid.* ipsemet Philosophus præstitit. Vide Auer. in com eius loci, distinguit duplicem motorem, vnum primum, qui immediatè non mouet primum mobile, & iste est Deus independens, & omnium supremus: alterum verò secundum, qui mouet immediatè dictum primum mobile, à Deo causatus, & dependens. Statuit itaque Arist. primum motorem esse à se, & independentem, ac virtutis infinitæ, quæ à nullo limitari potest, cum superiorem non habeat, sieque primum ens incausatum, & imparticipatum, quod videtur olfacere Suarez *vbi suprà*, *n*.21. Quod interdum contingit, vt qui impugnat Scot. nolens in eius doctrinam incidat, vt expresse idem Suarez alleg. *num*.8. fatetur, ingenuè arguens contra Thomist.

Secundò, quod potest producere infinitos effectus quantum est ex se, est infinitum in virtute, quia infiniti effectus arguunt infinitam causam: Deus autem, quantum est ex se, potest producere infinitos effectus, vt infinitas animas, maximè secundum Arist. existimantem Mundum esse ab æterno, in quo sequitur extare actualem infinitatem animarum: atque, secundum Nominales, contra quos disputamus infinitum in magnitudine, multitudine, & intensione est possibile, vt retuli *l*.5.*q*.5. Ergo Deus est infinitæ virtutis.

33. Dices, si sol in infinitum duraret, produceret successiuè infinitos effectus, licet sit potentiæ finitæ, & limitatæ, ergo, quamuis Deus infinitos successiuè causet effectus: non ob id pollet infinita virtute in vigore, & in intensione, sed in duratione dumtaxat. Dico esse disparitatem, quia sol est causa secunda, & dependens: Deus autem est causa prima, & independens: idcirco ipse Deus sortitur vim infinitam intensiuè: sol verò potentiam finitam, perpetuò tamen duraturam, si Deus velit.

Tertiò intellectus intelligens actu infinita obiecta intelligibilia est actu infinitus, quandoquidem potentia, quæ actu respicit infinita, est actu, & formaliter infinita: intellectus autem Dei intelligit actu infinita obiecta intelligibilia. Quæ enim intelligit, simul intelligit: & intelligibilia sunt infinita, quæ, vt intelligantur, non requirunt existentiam, sed sufficit, vt sint in esse obiectiuo, ex alibi assertis: igitur, si Dei intellectus formaliter est infinitus, vtque & eius voluntas, quæ sunt æqualis ambitus, & capacitatis: atque eiusdem essentia, & natura, cum vires, & potentiæ infinitæ nonnisi ab essentia infinita promanare valeant: sicque ostenditur, Deum esse infinitum in virtute, & in intensione. Hæc ratio tanti æstimatur à Mayr. nuper recensito, vt putet esse insolubilem, & Aduersarium vim eius non posse fugere, & euadere. Deinde, appetitus noster fertur in finem, & non quiescit in obiecto, & fine limitato, ergo requirit obiectum, & finem illimitatum, & infinitum: huiusmodi autem finis est Deus, iuxtà illud Psal.16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Denique, ens eminentissimum, & perfectissimum est infinitum formaliter. Habet enim omnem perfectionem possibilem, & excogitabilem, quàm sanè non participaret si foret finitus, & limitatus, quia finitas secum fert annexam imperfectionem: concluditur ergo, demonstrari Deum esse infinitum intensiuè, hoc est in vigore, & in virtute.

34. Opp. 1. contrà 1. Assertionem, si aliquod ens foret actu infinitum, non posset compati aliquod sibi contrarium, quia vnum contrarium expellit aliud, vt calor, frigus. Deus autem est summè, & infinitè bonus. Si ergo Deus esset actu infinitus, nullum in vniuerso foret malum, quod est falsum. Respondeo ex Scot. 1. *d*.2.*q*.2.§. *Ad* 1. *argumentum principale. DD.* per distinctionem ma. de naturali, & necessario, concedo: de voluntario, & libero, nego: cuiusmodi est Deus, qui omnia quæcumque vult, facit, permittitque malum, vt eliciat bonum. Præsertim quia, malum non est quid reale positiuum, sed priuatio boni dumtaxat.

35. Opp. 2. si daretur corpus actu infinitum, secum non compateretur aliud corpus: huiusmodi namque corpus infinitum repleret, & occuparet omnia loca: ergo si Deus foret actu infinitus, nullum aliud esset ens, proindeque excluderetur quodlibet ens creatum, quod est falsum. Respondeo data hypothesi, tale corpus actu infinitum non compateretur simul aliud corpus dimensiuum, & occupans locum: benè autem aliud corpus præcisum, & absolutum à dimensionibus quantitatiuis, vt tradidi *l*.6. *phys. q*.2. *art*.3. pariter, Deus est ens infinitum, & independens, quod secum non fert aliud ens infinitum, & independens: benè tamen ens finitum, & dependens, quod est ens creatum.

36. Opp. 3. contrà 1. assertionem, causa finita producit effectum finitum, ergo si Deus est infinitus in virtute, causat effectum infinitum: omnis autem effectus productus, aut producibilis à Deo est finitus, cum omnis creatura sit limitata, & finita, igitur demonstrari nequit, Deum esse infinitum in vigore, & virtute. Concedo ant. nego conseq. repugnantia petita non ex parte Dei, qui est omnipotens: sed ex parte effectus, qui nequit esse infinitus, cum sit in aliquo genere determinatus, & limitatus. Veluti alius Deus non est possibilis, quia repugnat duos esse à se infinitos, improductos, & independentes. Quare, potentia Dei infinita respicit possibilia, non autem impossibilia, veluti est infinitus intensiuè.

37. Opp. 4. virtus finita mouet in tempore, ergo virtus infinita, cum sit actiuior, & efficacior mouet in instanti. Motus autem non potest fieri in instanti, quia est continuus, & successiuus, ergo non euidenter ostenditur, Deum esse formaliter, & actu infinitum. Concedo ant. nego conseq. ad subsumptum, distinguo, si motus accipiatur in specie, pro motu continuo, concedo: si autem sumatur in genere, & pro mutatione, quæ est instantanea, nego, vt latè monstraui *l*.8. *phys. q*.1. *art*.5.

LIBER QVINTVS.

De ente rationis.

1. MVLTA de ente rationis congerit Mayron. *Quol.6. & 7.* Fuentes *quæst.2. Logicæ* Ponc. *disp.1.* Complut. *disp.2.* Ruu. *tract. de natura entis rationis.* Suarez *disp.54. Met.* Mastrius *disp.2. Met.* & alij, quorum nonnulli *in initio Log.* cæteri verò, *in fine Met.* quibus adhærens vsque modò hanc tractationem distuli, vt præhabita cognitione entis realis, faciliùs in entis rationis, quod est eius oppositum, notitiam veniremus; atque, ne eius obscuritate, & tenuitate, ingenia Tyronum retardarentur, difficultatéque obruerentur. Non enim mihi videtur error Dialecticus, si quis de ente rationis in Logica disserat, vt putat Suarez mox alleg. cùm omnia ferè, quæ in Log. tractantur sint entia rationis, & obiectum eius prædicationis sit ens rationis. Præsertim quia, in calce 6. *Met.* Arist. expresè remouet ens rationis à speculatione Met. innuens ipsum ens rationis per se, & directè non cadere sub eius obiectum, sed per accidens, & reductiuè duntaxat, vt ibi bene vidit Scot.

QVÆSTIO I.

De natura entis rationis.

ARTICVLVS I.

An sit ens rationis.

2. QVIDAM pauci allegati, & nominati à Recentibus mox adductis, quibus fauet Mayron. *vbi suprà*, negant dari ens rationis. Affirmant autem cæteri omnes Philosophi, & Theologi, adeò vt dictus Mayron. fateatur, partem affirmantem esse nimis diuulgatam in Theologia, & nonnullus subiciat ipsum oppositam tueri, disputandi gratia duntaxat, vt patet ex multis punctis, quæ locat *in allata quæst.* Immò dictus Mayr. claré expressit *in calce Quol.6.* Pro huius autem commodiori, & faciliori captu, & intellectu.

3. Not. 1. rationem multifariàm vsurpari: primò, pro quidditate rei, quæ noncupatur ratio formalis cuiuslibet rei, sic videtur loqui Ecclesiastes 8. *Intellexi, quod omnium operum Dei, nullam possit inuenire rationem.* Quia scilicet, rerum differentiæ, præsertim, vltimæ nos latent. Vel, vt ibi explicat Lyran. nullam certam in particulari cognitionem homo habere valet. Secundò, pro notitia declaratiua huiusmodi quidditatis, quæ interdum appellatur definitio. Hinc Iob. 38. *Numquid nosti ordinem Cæli, & pones rationem eius in terra?* Vbi præfatus Lyran. addit, quorum rationes in Cælo præexistentes non possunt ab omnibus planè comprehendi: nec ad effectus determinatos plenè applicari. Tertiò, pro notitia comparatiua vnius ad aliud, quo pacto dictus Ecclesiastes, 9. scribit. *Nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quartò, pro causa, sic qui affert causam alicuius, dicitur reddere rationem eius. Quò fortè respiciens Aug. *l.83. qq. quæst.46.* vocat ideas rerum, rationes æternas earumdem. Quintò, pro intellectu, quo in sensu homo nuncupatur rationis capax, ac rationalis.

4. Not. 2. aliquid esse rationis, vel à ratione, multis contingere modis. Primò, quia à ratione, idest ab intellectu est productum, quo pacto omnes habitus intellectuales perhibentur entia rationis. Secundò, quia à ratione dictante, siue regnante causatum est, sic illud dicitur esse rectæ rationis, quod recta ratio dictat: Tertiò, quia à ratione derelinquitur, vt esse cognitum sequitur ex actu cognoscendi, siue quia prorsus elaboratur à ratione, & ita intellectus negotians circa obiecta intelligibilia, dicitur facere entia diminuta, & secundum quid, quæ, vt præ aliis notat Ric. *2. d 1. quæst. 2. art.1.* sunt entia rationis distincta ab entibus realibus.

5. Not. 3. ex Scot. 1. *Elench. quæst.1.* & *1. post. q.11.* ens diuidi in ens naturæ, & ens rationis, & vulgò in ens extra animam, & ens in anima *ex 5. Met. 14.* Primum est ens reale: Secundum verò est ens rationis, quod ex Scot. *4. d.1. q.2. §. Hic primo. B.* tripliciter sumitur, subiectiuè, obiectiuè, & comparatiuè. Ens rationis subiectiuè est, quod subiectatur in ratione, idest intellectu, vt scientia, quæ inhæret in intellectu, & hoc non distinguitur ab ente reali, cum sit qualitas, quæ est ens reale. Est rationis obiectiuè bifariam potest intelligi, aut quia, non solùm obiicitur, & præsentatur intellectui, sed præter illud esse obiectiuum, habet esse extra intellectum, & hoc quoque est ens reale, vt lapis, qui intellectui obiicitur, vltra illud obiici, habet esse à parte rei: aut quia tantùm obiectiuè est in intellectu, pendétque in fieri, & in esse, ab ipso intellectu, & hoc propriè est ens rationis. Tertiò comparatiuè, quod, præter descriptionem mox allatam, describitur à Doct. proximè cit. comparatio passiua vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum, vt palàm fiet in sequenti art. Hocque est propriè ens rationis, quod distinguitur ab ente reali.

6. Assertio, datur ens rationis. Est communis, & opposita aduersatur torrenti Philosophorum, & Theologorum, nominatim Scot. *1 d.8. q.4. §. Contrà istam opinionem. F.* & *Quol.1. §. De altero termino. H. & L.* aliisque locis, Thom. *1. d.26. q.2. art 1.* & *1 p q.28. art.1.* & vtriusque discipulorum *ibid.* quibus præiuit Arist. tum *3. Met. cap.7. T.14.* tum etiam *6. eiusdem operis, T.8. propè finem.* Probatur 1. ex communissima, & receptissima diuisione entis in ens reale, & rationis: membra autem bonæ diuisionis sunt opposita, & si vnum admittatur, vtique aliud concedendum est, ergo, cum detur ens reale, quod seclu o quovis opere intellectus habet esse: quoque dandum est ens rationis, quod solùm pendet ab opere intellectus, absque quo esse nequit.

Secundò, scientia sufficienter, & adæquatè scinditur in realem, cuius obiectum est extra intellectum, & à parte rei: & in rationalem, cuius obiectum est in intellectu, vt patet de Logica, cuius obiectum est syllogismus, qui est ens rationis: eius pariter partes,

siue

sine proximæ, sine remotæ sunt entia rationis. Itemque Grammatica, & Rhetorica agunt de ente rationis, igitur ens rationis non est respuendum.

Tertiò, si est causa necessaria, & naturalis debitè approximata, & non impedita, sequitur eius effectus necessarius, & naturalis, vt constat experientia: intellectus autem, cum sit potentia comparatiua, & reflexiua supra suos actus, est causa entis rationis, & quidem naturalis, & necessaria, ergo non est inficiandum ens rationis.

Quartò, si est passio, vtique est ens, cuius est passio, vt si est risibilitas, pariter est homo, à quo risibilitas emanat: est autem intelligibilitas entis rationis, quia verè est intelligibile, vt prædicatum, subiectum, affirmatum, negatum, & huius formæ alia, quæ verè intelligimus, inter entia rationis referuntur, ergo datur ens rationis.

7. Oppones primò, non sunt statuenda plura entia sine necessitate, sufficiunt autem entia realia, ergo non sunt admittenda entia rationis. Maior est canon vniuersalis, & proloquium ab omnibus receptum, & exaratum 1. *Phys.* 51. Min. ostenditur, si quæ forent entia rationis, max mè vniuersalia: vniuersalia autem sunt entia realia, vt patet inductione: animal quippe, quod est genus est ens reale: rationale, quod est differentia vtique est ens reale: homo qui est species pariter est ens reale: risibile, quod est proprium, quoque est ens reale: atque albedo, quæ est accidens, inter entia realia numeratur. Concedo maiorem, nego minorem. Ad eius probationem, concessa maiore, distinguenda est minor, metaphysicè, & primò intentionaliter, concedo: logicè, & secundò intentionaliter, nego. Hæc autem distinctio abundè fuit exposita, & declarata *in Log. lib.* 2. *quæst* 1. *art.* 7. cuius dilucidationem hoc loco non censeo esse repetendam, sed ibi recognoscendam, & recolendam.

8. Oppones secundò, si esset ens rationis, foret intelligibile, quia intelligibilitas sequitur entitatem, tanquam passio rem, cuius est passio: atqui ens reale solùm est intelligibile, ergo nullum eatenus ens rationis. Concedo maiorem, nego minorem. Nam 2. Met. T. 4. *Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci.* Quoniam autem ens rationis habet esse tantùm obiectiuè, secundum quid, & diminutum: pariter habet cognoscibile, & intelligibile secundum quid, & diminutum, vt indicat Scot. *Quol.* 3.

9. Instabis, quod cognoscitur, prius est, quàm cognoscatur, quia obiectum præcedit actum: ens autem rationis non est prius cognoscibile, quàm cognoscatur, quia essentia eius est cognosci, ergo nullo modo ens rationis est cognoscibile, & intelligibile. Complut. *disp.* 2. *Log. quæst.* 1. negant maiorem, arbitrantes essentiam entis rationis sitam esse in actuali cognitione ipsius. Verùm horum responsio admittit implicationem, & repugnantiam in adiecto, quandoquidem *ibid.* astruunt ens rationis esse cognoscibile, & non esse cognoscibile, quia eius esse essentiale positum est in actuali cognitione, quod apertam contradictionem inuoluit. Deinde, omne ens priusquam existat, est producibile, & cognoscibile, penes esse suum essentiale, & quidditatiuum, quod abstrahit ab existentia: ens autem rationis suo modo habet esse essentiale, & quidditatiuum præscindens ab existentia, quod accipit ab intellectu. Definitur enim, quod habet esse obiectiuè ab intellectu dumtaxat, ex dicendis in proximo articulo. Igitur, sicut suo modo habet esse possibile, quoque & intelligibile Rursùs, natura entis rationis non est cognitio ipsa, quia hæc est actus secundus spectans ad Animam vicam, sed est id, quod per talem cognitionem cognoscitur, quare ens rationis dicitur cognitum, veluti paries per visionem perhibetur visus, ergo eius essentia posita non est in actuali cognitione. Quare, ad instantiam, concedo maiorem; nego minorem, ena quippè rationis, etsi formaliter non sit cognoscibile, nisi per intellectum, à quo suum esse formale mutuatur: est tamen cognoscibile fundamentaliter, penes suum esse possibile, & obiectiuum duntaxat, vt rectè contrà Ponc. *disp.* 1. *Log. quæst.* 2. arguit Mastrius *disp.* 2. *Me. n.* 234.

10. Opponas tertiò, præter Deum, omnia sunt causata, & producta: quæ autem causata, & producta sunt, realia sunt: ergo nullum est excogitandum, & in Scholas inuehendum ens rationis. Concedo ma. distinguo min. de causatis per se, & primariò, concedo: de causatis per accidens, & secundariò, cuiusmodi sunt entia rationis, nego. Hæc distinctio fuit exposita est *in Log. passu alleg. art.* 1.

11. Instabis, causa realis producit effectum realem: intellectus autem est causa realis: ergo nullum efficit ens rationis, proindéque respuendum est ens rationis. Diluitur instantia per præfatam distinctionem. Maior namque valet de effectu primario: non autem de effectu secundario, sequuto, & derelicto ex primario, per causam comparatiuam, veluti est intellectus, aut altera potentia collatiua.

ARTICVLVS II.

Quid sit ens rationis.

12. NOnnulli, quos sequitur Suarez *disp.* 54. *sect.* 1. autumant ens rationis esse non ens apprehensum, per modum entis. Alij, quibus adstipulatur Poncius *disp.* 1. *Logicæ, quæst.* 1. describunt ens rationis, quod nequit aliquid efficere, nec inexistere alicui potentiæ efficere, nisi per considerationem potentiæ potentis aliquid considerare. Cæteri autem, vt Auerroës 6. *Met. com.* 5. Orbellus 4. *Met. quæst.* 1. à quibus non videntur declinare Sirectus *tract. formalitatum art.* 1. *principali, folio* 5. Trombet. *ibid. prima parte eiusdem tract.* Vallo, & Brulifer *eo in loco*, existimant ens rationis esse, quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu. Idque indicat non obscurè Scot. *Quol.* 1. §. *De altero sub H.* & 3. *dist.* 8. *quæst. vn.* § *Ad argumenta H.* & 4. *dist* 1. *quæst.* 2. §. *Hic primò B.* & annuit Canonicus 5. *Phys quæst.* 3. *fol.* 70. Et non dissentit Mayr. *Quol* 6 *art.* 6.

13. Not. ens rationis multa sortiri nomina. Dicitur namque ens secundum quid, ens diminutum, secundò consideratum, ens in anima obiectiuum tantùm, & secunda intentio. Distribuitur autem in ens rationis, quod proficit, & inseruit scientiis, & quod protsus est inutile, & chymericum. Hinc oritur distinctio, in ens rationis, quod habet fundamentum in re, veluti sunt secundæ intentiones logicales: & quod nullum fundamentum habet in re, vt figmenta, putà hircoceruus, & huiusmodi, quæ prorsus sunt impossibilia, & repugnantia, ac entia prohibita.

14. Assertio, ens rationis non aptè describitur non ens apprehensum, instar entis: nec quod non potest quidpiam facere: sed quod habet tantùm esse obiectiuè in intellectu, seu potius comparatio passiua vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum. Ista assertio est tripartita, & consentanea Scot. *locis prænominatis.* Prima pars suadetur primò, ens, & non ens opponuntur contradictoriè: ens autem rationis est ens, quia comprehenditur sub illa communissima diuisione, qua ens diuiditur in ens reale, & ens rationis, vt patet ex superiore articulo: ergo non rectè dicitur ens rationis esse non ens apprehensum per modum entis.

Secundò, quod habet causam sui esse, est ens, quia non ens, cum sit nihil, non causatur, ens autem rationis habet causam sui esse, vtpotè intellectum, aut aliam potentiam comparatiuam, etiam secundum Aduersarios.

Tertiò, si ens rationis foret non ens suprà descrip-

tum,

ptum, intellectus in ipsius cognitione falleretur, quia intelligeret illud aliter, quàm sit, in quo extat deceptio: intellectus autem in conficiendo, & intelligendo ens rationis non fallitur, vt patet in Logica, immò perficitur perquirens veritatem, eamque discernens à falsitate, ergo ens rationis non est huiusmodi, sed quidpiam derelictum in obiecto cognito, per actum intellectus, vt est secunda intentio.

15. Secunda pars, præterquamquod pugnat Scot. cit. eius opposita, cuius doctrinam se amplecti, profitetur Ponc. Probatur primò, definitio non excedit, nec exceditur à definito, vt non semel in superioribus inculcaui: præhabita autem entis rationis definitio exceditur à definito: Siquidem, quantitas, relatio, & materia prima sunt de genere sterilium, & tamen non sunt entia rationis, sed realia, incongruè igitur definitur ens rationis, quod nequit aliquid efficere.

16. Occurrit Ponc. cit. & ait, quod licet materia non sit actiua, sicut ens rationis, tamen ipsa materia inexistit formæ, quæ est actiua, non sic ens rationis inexistit alteri potenti aliquid præstare. Contrà, etiam ens rationis suo modo inexistit intellectui, qui causat ens rationis. Vt enim ens rationis suo modo participat essentiam explicitam per eius descriptionem: ita & suam existentiam suo modo in intellectu, à quo fit, & in quo est: ergo glossa allata non satisfacit instantiæ præfatæ.

Secundò, vnum oppositum explicatur, & declaratur per aliud oppositum: Ob id celebratur illud effatum, oppositorum eadem est ratio, & disciplina: ens autem rationis opponitur enti reali: vtrumque namque est membrum oppositum diuisionis vniuersalissimæ entis communissime capti: ens autem reale definitur, quod habet esse, secluso quouis opere intellectus: ergo eius oppositum, quod est ens rationis, describi debet, quod habet tantum esse obiectiuè ab intellectu: non autem, quod aliquid nequit præstare, quod valdè distat ab essentia entis rationis.

Tertiò, definitio est oratio distinctè declarans naturam definiti, ex communi omnium sensu: præmissa autem definitio clarè non explicat naturam entis rationis, vtpote, quæ non consistit in non posse aliquid efficere, sed in esse intentionali obiectiuo tantùm: non posse autem quidquam facere, potiùs est proprietas communis aliis, nempè materiæ, & relationi, *vt suprà* tetigi, veluti posse moueri, & currere competit homini, & bruto, per quam haud homo, vel brutum potest describi. Vnde, reiicitur responsio Poncij, *vbi suprà* dicentis, definiri ens rationis per non posse aliquid efficere, vt per eius passionem, veluti homo, per risibilitatem, quia hæc est passio hominis quarto modo, non autem illa, cum ab aliis participetur, vt mox ostendebam. Ideò, ratio manet adhuc in suo robore. Quartò, quod dictus Ponc. subnectit, ens rationis fieri, per potentiam potentem aliquid considerare, absolutè verum non est, siquidem, potentia non facit ens rationis præcisè vt considerat, alioqui intellectus speculans ens reale, substantiam, vel accidens, faceret ens rationis, quod est falsum. Quod si prænominatus Author obuiam fiat, & dicat, fieri per solam considerationem intellectus, incidit in sententiam, quam ipse refellit, scilicet ens rationis esse secundò consideratum, & habere tantùm esse obiectiuè in intellectu, cuius oppositum in Lycæum Scoticū conatur inuehere.

17. Tertia pars ostenditur primò, gemina, & legitima definitio constat genere, & differentia, vel quasi genere, & differentia, in iis, quæ non sortiuntur propriè genus, & differentiam: præallata autem entis rationis est huiusmodi: suum namque quasi genus est ens præscindens ab ente reali, & rationis: sua verò quasi differentia sunt reliquæ particulæ præassignatæ, ergò est recta, & idonea definitio entis rationis.

18. Dices, eam non complecti ens rationis fictitium, ac chymericum, quod cum sit impossibile, non obiicitur intellectui: igitur dicta definitio entis rationis est inadæquata & non reciproca cum definito, proindéque illegitima, & mala. Dico etiam non explodi ens rationis chymericum ab illa definitione, quia hoc pariter habet suo modo esse obiectiuè in intellectu, puta fictitium, & chymericum, maximè quia, qui definit verum, quoque & falsum, quia rectum est index sui, & obliqui. Hinc Scot. *q.* 4. prol. definit praxim bonam, quia ex hac facilè intelligitur quid sit praxis mala: atque oppositorum eadem est ratio, & scientia.

19. Instabis, Scot. 4. *d.* 1. *q.* 2. *A.* excludit ens rationis fictitium à descriptione entis rationis ab ipso tradita *ibid.* & ait verum ens rationis esse secundò consideratum, hoc est, vt ibi exponunt eius interpretes, comparationem passiuam vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum, ergo sub illa descriptione non comprehenditur ens rationis Chymericum. Dico Scot. *eo in loco* amouere nihil, & impossibile, à vera, & propria definitione, quia non habet quid, quod propriè definitur: ibique Doct. non meminit entis rationis chymerici, vt patet intuenti *tex. alleg.* quia licet hoc à parte rei sit impossibile, tamen in intellectu quoquo modo habet esse, puta fictitium, & chymericum, quod scilicet non fundatur in rerum natura: ideò in præposito notabili aduerti, ipsum non habere fundamentum in re. Secundò, ens rationis est quod immediatè, & proximè distinguitur ab ente reali, veluti rationale est, quod immediatè, & proximè dissidet ab irrationali, cum sint differentiæ diuisiuæ eiusdem generis quod est animal: ens autem reale describitur, quod habet esse circumscripto opere intellectus, ergo ex opposito, ens rationis est, quod habet tantùm esse obiectiuè ab intellectu, seu quod pendet in fieri, & in esse ab intellectu, estque eiusdem fabrum, & secundo consideratum, ac comparatum.

20. Dices, similitudo duorum entium rationis non habet esse solùm obiectiuè in intellectu, cum sunt, & existunt, quia actu non fiunt ab intellectu, cum obiectiuè esse in intellectu, perindè sit ac concipi, & considerari ab intellectu, igitur non aptè describitur ens rationis, quod habet esse tantùm obiectiuè in intellectu. Dico esse ens rationis realiter, non verò formaliter, veluti passiones entis non sunt entia formaliter, sed realiter duntaxat, ex dictis *lib.* 3. *huius operis*, *q.* 2. *art.* 1. Adde, quod licet actu, & formaliter in esse existentiæ, ens rationis consistat in actu concipi, & considerari ab intellectu: non tamen in esse essentiæ, & quidditatiuo suo modo, *vt suprà* satis planum feci: idcircò non obstat, quin esse queat similitudo inter duo entia rationis, veluti inter duo entia realia, tametsi in his propriè: in illis verò impropriè. Tertiò, vniuersale formaliter, secundùm communem sententiam, est ens rationis: tale autem vniuersale habet solùm esse obiectiuè in intellectu, fitque per eius actum comparatiuum, vt scripsi *in Log. l.* 2. *q.* 1. *a.* 8. Ergo retinēda est præmissa descriptio entis rationis.

21. Opp. 1. ens rationis nedum ab intellectu, verum etiam à voluntate, & phantasia effici potest, quia sunt potentiæ collatiuæ, ergo perperam ens rationis definitur, quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, cum quoque valeat esse obiectiuè in voluntate, & phantasia. Respondeo, propriè ens rationis habere solum esse obiectiuè in intellectu, vt nomen eius denotat: impropriè verò in potentiis prænominatis, vt patebit in subsequente quæstione.

22. Opp. 2. si admitteretur ens rationis sic descriptum, ens possibile foret ens rationis, vt alius Mundus possibilis, quia habet esse obiectiuè in intellectu duntaxat: hoc autem falsum est, ergo quoq; & illud. Nego sequelam ma. quia ens possibile licet actu extra intellectum non sit, tamen non repugnat esse extrà ipsum intellectum, & in hoc distinguitur ab ente rationis, quod nullo modo potest extra ipsum intellectum existere.

23. Opp. 3. si ens rationis est tale, quale descriptum est, ergo non est comparatio passiua vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum, vt communis fert Scotistarum opinio. Consequentia monstratur, quia

aliquid potest tantùm obiici, & considerari ab intellectu, tametsi non conferatur, & comparetur ad aliud, sicque erit ens rationis absque comparatione passiua vnius cogniti, ad aliud cognitum. Negatur conseq. ratio est, quia intellectus priusquam faciat ens rationis, considerat obiecta realia, vt animal, hominem, & brutum, quibus cognitis secundò considerat animal esse superius, ad hominem, & brutum & conferendo hoc, ad illa, facit ens rationis, quod vocatur genus. Idem dicito de homine, respectu suorum singularium, comparando namque illum, ad hæc facit ens rationis, quod dicitur species. Vel dici potest definitionem priorem entis rationis competere enti rationis metaphysico: posteriorem verò, enti rationis logico: veluti vniuersale distribuitur in vniuersale logicum, & metaphysicum, & vtriusque distincta assignatur descriptio, vt ostendi *in Epitome Dialectica l.1.q.3.art.1.*

ARTICVLVS III.

An denominat. extrinsecæ sint entia rationis.

24. EX fusiori, & ampliori, aut angustiori acceptione entis rationis, & denominationis extrinsecæ ortæ sunt multæ, diuersæque sententiæ relatæ, & reiectæ à Recentioribus. Nonnulli siquidem putantes ens rationis esse omne id, quod non est in re, ac extrà intellectum, arbitrantur quamcumque denominationē extrinsecam intellectus penes obiecta cognita, aut cuiuslibet alterius potentiæ, respectu suorum obiectorum immò insensibilium & inanimatorum, quo pacto columna perhibetur dextra, vel sinistra, respectu dextræ, aut sinistræ animalis, & huiusmodi, esse entia rationis. Alij inter quos est Dur. nunc alleg. censent denominationes extrinsecas esse entia rationis dumtaxat, quæ proueniunt ex actibus intellectus, vt esse cognitum, & intellectum, & consimiles. Cæteri autem communiter negant quaslibet denominationes extrinsecas esse entia rationis.

25. Not.1. ex vulgato omnium placito, perspicuè exaratn à Vallone *in sua lectura fol.*179. & deducto ex Scot. 1 *d.*10 *q.*2 Viger. Lych. & aliis *ibid.* & ac Mayr. *Quol.*7. *puncto* 10. duplicem esse denominationem, intrinsecam vnam, extrinsecam alteram. Illa petitur penes formam, quæ reuera inexistit subiecto, per quam tale denominatur, vt lac denominatur album per albedinem in ipso inhærentem, & oculus denominatur videns per visionem in ipsomet oculo existentem: ista verò decerpitur penes formam in alio quidem subiecto existentem, terminatam tamen ad ipsum subiectum, quod extrinsecè denominat, vt paries denominatur visus à visione existente in oculo, terminata ad ipsum parietem.

26. Not.2. hæc duo vocabula, denominans, & denominatum differre, quia denominans significat formam, denominatum verò subiectum eius: atque coniectum vtrumque significare cum hoc tamen discrimine, formam per se, & primariò, subiectum verò, secundariò, vt sancitum est *in Log lib.*3. *quæst.*2. *art.*5. Quare, forma denominat subiectum, & subiectum denominatur à forma. & quia forma afficit subiectum intrinsecè, aut extrinsecè: ideò, si ipsum subiectum afficiat intrinsecè, denominatio, eius vocatur intrinseca: quod si afficiat, & respiciat ipsum subiectum extrinsecè, hoc est, quia id idemmet fertur tanquam terminum, denominatio eius nuncupatur extrinseca, vt exemplis illustratur in primo notabili.

27. Not.3. denominationem bifariam inspectari. Vno modo pro appellatione, & vocabuli significatione, quæ fit ad placitum instituentis, & imponentis, sicut in vniuersum dictum est de nomine *in Epitome dialect. l.*5. *q.*1. *art.*1. & sic censetur esse ens rationis: altero modo, pro affectione formali, qua forma tribuit esse suum formale subiecto intrinsecè, aut extrinsecè, & ita est ens reale præcedens negotiationem intellectus, de qua in præsentia disputatur. Rursus animaduerte, cognitionem dupliciter considerari, vt respicit intellectum, a quo producitur, quavè ipse intellectus cognoscit obiectum, & dicitur cognitio actiua, vel, vt respicit obiectum, per quam cognoscitur, & dicitur cognitio passiua, qua obiectum denominatur cognitum, & intellectum. Vtroque autem modo accepta cognitio non est ens rationis, quia absque negotiatione, & comparatione intellectus habetur cognitio actiua, qua intellectus cognoscit obiectum, & cognitio passiua, qua ipsum obiectum cognoscitur.

28. Assertio prima, denominationes extrinsecæ, qualescumque sint, haud extant entia rationis. Deducitur ex Scot. 1. *d.*30 *q* 2. & 3. *d* 8 *q.vn.* & alibi. Patrocinantur Mayron. *Quol.*7. *puncto* 10. Fuentes in Log. *q.*2. *diff.*2. *art.*4. Faber. 4. *Met. disp.* 1. Hurt. *disp.* 19. *sect.*1. & alij complures. Probatur primò, quod est à parte rei, nemine cogitante, non est ens rationis. Denominationes autem extrinsecæ sunt à parte rei, nemine cogitante, ergo non sunt entia rationis. Maior est conspicua, quia ens rationis fit ab intellectu; ideò, quod præcedit operationem eius, non est ens rationis, sed ens reale, quod enti rationis opponitur. Minor ostenditur, forma denominans, & subiectum denominatum sunt realia, vt dextera animalis, à qua columna denominatur dextra: visio oculi, à qua lapis dicitur, & denominatur visus: itemque intellectio, à qua paries denominatur intellectus, & cognitus. Nec iuuat dicere, id valere de denominatione intrinseca, qua realiter subiectum in quo inest forma, denominatur: non autem de denominatione extrinseca, qua subiectum nulla forma afficitur, per quam realiter denominetur, sed sic dicitur, intellectu negotiante, cuius opus est ens rationis, proindéque huiusmodi denominatio non est realis, sed rationis. Verùm, hæc responsio non eneruat, sed corroborat nostrum argumentum. Si namque denominatio intrinseca conceditur realis, vtique & denominatio extrinseca. Quandoquidem, sicut à parte rei denominatur subiectum per realem formam sibi inexistentem denominatione intrinseca: ita & terminus, quem respicit eadem forma, denominatur denominatione extrinseca, per eamdem formam ad ipsum terminatam, vt per eammet visionem, qua oculus denominatur videns intrinsecè, lapis denominatur visus extrinsecè: ergo vtraque denominatio est realis.

29. Quod si obuius fias, & dicas, vt denominatio sit realis exigi vnionem realem formæ, cum subiecto, & termino, qualis non est, eum termino, in prælatis extrinsecis denominationibus. Contra, nam licet id verum sit de denominatione intrinseca, non tamen de extrinseca, cui non est necessaria vnio inhæsionis, sed adhæsionis, & terminationis, quæ in actibus vitalibus à Scot. *Quol.* 13. *a.* 2.& 9 *circa secundum M.* nuncupatur vnio, seu relatio attingentiæ, & tendentiæ in terminum. Vnde non abs re à Scholasticis distinguitur obiectum potentiæ in motiuum, & terminatiuum. Deinde in vnione hypostatica diuini Verbi cum assumpta humanitate, Verbum quidem terminat dictam vnionem, tametsi in se nihil reale recipiat: non oportet ergo terminum formæ denominantis in se ipsam formam recipere, sed sufficit, vt ad eum feratur, & terminetur. Secundò, Deus denominatur creator, & Dominus, vt patet Geneseos 1. & 2. & sancitum est in Conc Lateran. sub Innoc. III. Huiusmodi autē denominationes Deo competētes sunt extrinsecæ, & antecedunt intellectū creatum & si nullus foret intellectus, adhuc sic denominaretur Deus, alioqui non existēte ente rationis fabricato ab intellectu creato, Deus non esset causa, & opifex rerū, earumq; rector, ac Dñs, quod falsum, & ab illis igitur denominationes extrinsecæ inter entia rationis non sunt recensendæ.

30. Dices, eas esse denominationes reales fundamentaliter, non autem formaliter. Contra, sicut formaliter res dicuntur, & denominantur creatæ per relationem creationis, quæ formaliter est in creatis, veluti paries denominatur albus per albedinem, quæ in ipso inhæ-

ret:

ret: ita Deus denominatur formaliter creator per relationem creaturarum, quæ terminatur ad ipsum, & dicitur Dominus per relationem subiectionis earumdem creaturarum, ad ipsummet Deum terminatam. Igitur, quemadmodum res formaliter, & intrinsece perhibentur creatæ: ita Deus formaliter, & extrinsece denominatur creator, ac Dominus earum.

31. Quod si vrgeas, & dicas, Deus realiter, & formaliter est creator, & Dominus: ergo esse creatorem, & Dominum ponit aliquid reale in Deo: hoc autem falsum est, ergo & illud. Prior conseq. ostenditur, perinde enim esse videtur Deum esse reipsa, & formaliter creatorem, & Dominum, ac quod esse creatorem, & Dominum esse quid reale in Deo. Negatur prima conseq. ad eius probationem, nego illa duo identificari, siquidem Deum esse creatorem nihil aliud sibi vult, quàm relationem creationis creaturæ terminari ad ipsum Deum, nihil de nouo reali ipsi adueniente, veluti opus denominatur humanum, propterea quod potentia humana ipsum fabricans ad idemmet opus terminatur, tametsi in eomet nihil humanitatis existat. Pariter Deus denominatur Dominus non relatione dominij, quæ in illo sit, sed relatione subiectionis, quæ est in creatura, ipsi subiecta, & ad ipsummet terminata, vt egregie astruit Doct. 1. *dist.* 30. *quæst.* 2. §. *Ad argumenta* 2. *quæst. sub R.* & clarius *in Report. ibid. in fine quæst. cit.*

Tertiò, denominationes extrinsecæ morales sunt reales, vt esse bonum, malum, amatum, odio habitum & huiusmodi, alioqui voluntas, aliæque potentiæ, tam interiores, quam exteriores hominum, & brutorum facerent entia rationis, ergo & denominationes extrinsecæ physicæ sunt reales, vt esse agens, patiens, & huiusmodi.

32. Dices, denominatio est ad placitum denominantis, ergo non est realis, sed rationis. Distinguo ant. ratione nominis, concedo: ratione rei per nomen significatæ, nego, vt satis expressi suprà, *notabili tertio.*

33. Assertio secunda, ex denominationibus extrinsecis non resultat vllus respectus rationis. Deducitur ex Doct 4. *d.* 1. *q.* 2. §. *Hic primo. B.* & 3. *d.* 26. *q. vn.* §. *Ad quæstionem igitur. E.* & 1. *d.* 35. *q. vn.* §. *contra conclusionem. & indè.* Probatur primò, ens reale suaptè natura non consequitur ens rationis: denominationes autem extrinsecæ sunt reales, ergo ipsas naturaliter non concomitatur ens rationis. Maior patet, quia ens rationis non est passio entis realis, sed eius membrum oppositum, vt liquet ex superiorib. assertis. Min. manet probata ex præposita Assertione.

Secundò si ens rationis resultaret ex denominationibus extrinsecis, proculdubio causaretur ab ipsis, veluti à subiecto fluit passio eius, putà calor, ab igne, & lux, à sole: causa autem entis rationis non est denominatio extrinseca, sed potentia collatiua, & comparatiua vnius ad aliud, ex dicendis in sequenti quæstione: ergo ens rationis non consurgit ex denominationibus extrinsecis.

Deinde, si ens rationis emanaret ex dictis denominationibus, aut flueret ante operationem quamlibet intellectus, aut non: si primum, ergo est ens reale, quod ex dictis distinguitur ab ente rationis, quia hoc subsequitur operationem intellectus: illud verò præcedit: si secundum, ergo ab opere intellectus efficitur, non verò, à denominationibus extrinsecis. Insuper, ille respectus rationis superfluus, & supervacaneus videtur esse, cum nulli inseruiat, & proficiat, ergo vt inutilis, & frustraneus est reiiciendus, & abnegandus. Non inficior autem intellectum in extremo denominato denominatione extrinseca posse formare ens rationis, ac si in eo foret denominatio intrinseca, vt in Deo relationem creationis, qua formaliter denominet creatorem, & relationem dominij, qua formaliter denominet Dominum. Ratio adduci potest, quia correlatiua se mutuò respiciunt, ergò ex eo, quod in vno extremo extat vera, & realis relatio, qua formaliter denominatur tale: potest vtique intellectus in altero extremo, in quo non correspondet relatio realis, solúmque habetur terminatio relationis alterius extremi, efformare relationem rationis, per quam ipsum formaliter denominet: attamen, necessaria non est huiusmodi relatio rationis, nec quoque proficua, & videtur attribuere præfato extremo, quod ei repugnat, vt arguit Mayron. proximè memoratus, in fine puncti alleg.

34. Oppones primò, contra 1. assertionem, omnis forma, quâ subiectum denominatur, est illi intrinseca, cum eidem præbeat suum esse formale: obiectum autem denominatur cognitum, & intellectum, non per formam realem, vt patet, cum in eo non sit vlla forma realis, ergo per formam formatam ab intellectu, quæ est ens rationis, atqueadeò denominatio extrinseca est ens rationis. Distinguo ma. si in subiecto formaliter inexistat, concedo: si verò ad ipsum terminetur, nego. Ad distinctionem maioris, distinguenda est minor: obiectum denominatum cognitum, per formam, seu notitiam in ipso insidentem, nego: per cognitionem, & intellectionem ad ipsum terminatam, concedo, vt suprà planum feci.

35. Instabis, concretum significat formam, & subiectum eius, vt album, albedinem, & parietem, in quo inhæret albedo: cognitum autem, & intellectum est concretum, ergo significat cognitionem, & intellectionem, non realem, quia hæc residet in potentia cognoscente, & intelligente, ergo rationis, sicque præfata denominatio est ens rationis. Satisfit, si eadem distinctione distinguatur maior; concretum namque significat formam in ipso inhærentem, aut ad ipsum terminatam: quo pacto cognitum est concretum, quod significat cognitionem, non in ipso existentem, sed ad ipsum terminatam. Subiectatur namque cognitio in potentia cognoscente, & terminatur ad obiectum cognitum, vt patet *ex secundo, notabili.*

36. Oppones secundò, Scot. 1. *dist.* 30. *quæst. vn.* §. *concedo. C.* esse cognitum creaturarum appellat ens rationis: esse autem cognitum est denominatio extrinseca, ergo denominatio extrinseca est ens rationis. Respondeo, Scot. ibi non asserere esse cognitum creaturarum esse ens rationis, vt patet legenti textum, sed esse ens secundum quid, & diminutum. Cùm enim creaturæ ab æterno non fuerint productæ à Deo, non habent esse simpliciter, quod est esse essentiæ, & existentiæ, sed habent solum esse cognitum, quia cognoscuntur à Deo, quod est esse secundum quid, & diminutum, vt idem Doct. *ibid.* explicat *in responsione* 2. *G.*

37. Instabis, Ipsemet Scot. *eo in loco,* §. *Ad argumenta* 1. *quæst.* factionem secundum quid, veluti est esse cognitum, vocat relationem rationis, ergo non est trahendus ad alium sensum, ob id Mastrius *disp.* 3. *Log. quæst.* 2. *art.* 1. cum Vulpe, exponit ipsum de ente rationis materiali, non verò formali. Verum ibi non videtur Scot. loqui in propria sententia, & assertiuè, sed dubitatiuè, inquiens. *Et ita concederet fortè aliquis de Deo, quod Deus sit dominus notando factionem secundum quid, puta factionem secundum aliquam relationem rationis.* Vndè, idem Doct. 1. *dist.* 35. *quæst. vn.* §. *potest dici ad quæst. H,* afferens tria signa intellectionis diuinæ, de lapide subiicit, in tertio signo diuinum intellectum posse se comparare ad lapidem intellectum, posse causare relationem rationis. Quare, secundum Scot. non habetur ens rationis propriè, nisi fiat noua comparatio vnius, ad aliud, vt explicatius traditur ab eodem, 4. *dist* 1. *quæst.* 2. *B.* & *quæst.* 5. §. *Ad* 1. *argumentum* 2. *quæst. sub. K.*

38. Oppones tertiò. effici nequit transitus de contradictorio, in contradictorium, absque mutatione formæ alicuius de nouo partæ, vt paries de non albo, non potest fieri albus, nisi de nouo recipiat albedinem: sub-

iectum autem de non cognito fit cognitum, ergo recipit aliquam formam nouam, non realem, vt fatentur omnes, ergo rationis, atque ita denominationes extrinsecæ sunt entia rationis. Distinguo ma. absque noua forma inhærente, nego: terminante concedo: sic Deus de non creante, fit creans in tempore, absque eo, quod recipiat aliquid de nouo, sed ad ipsum tantum fertur, & terminatur relatio creaturæ, ab ipso de nouo creatæ.

39. Instabis, si Deus crearet Petrum totius Mundi Imperatorem, sic Petrus denominaretur Imperator vniuersi, absque vlla forma reali de nouo producta inhærente in ipso, vel terminante, ergo per formam, quæ est ens rationis, sortiretur talem denominationem. Dico, data hypothesi, ita denominaretur denominatione reali extrinseca terminata ad actum voluntatis diuinæ constituentis ipsum vniuersi dominum. Quare, in hisce denominationibus extrinsecis, aut in vno extremo producitur aliqua forma noua, aut fit noua terminatio, sine causatione nouæ formæ.

40. Oppones 4. contra 2. Assertionem, Scot. 1. *dist. 36. quæst. vn. §. contrà istud obiicitur. G* scribit explicitè, post esse diminutum concomitatur relatio rationis: esse autem cognitum est esse diminutum, & denominatum denominatione extrinseca: ergo in subtilium Schola ex denominationibus extrinsecis resultant entia rationis. Respondeo, exponendum esse Doct. non suapte natura, & absolute, post denominationes extrinsecas sobsequi relationes rationis, sed his positis intellectus potest effingere tales respectus rationis, *vt suprà* satis fuit declaratum.

Articvlvs IV.

An negationes, & priuationes sint entia rationis.

41. PLerique Thomistæ, quos sequuntur Conimb. *quæst. 6. vniuersalium art. 2.* Runi. *tract. de natura entis rationis.* Suarez *disp. 54. Met. sect. 5. num. 4.* & Arr. *disp. 6. sect. 6.* arbitrantur negationes, & priuationes referendas esse, inter entia rationis. Oppositum autem tuentur Scotistæ, nuncupatim Mayr. *Quol. 7. puncto* 5. Mastrius, & Bellutus *disp. 5. Log. q. 7* Fuentes *q 2. diff. 2. art. 1.* & Ponc. *disp. 1. q. 3.* quibus adstipulantur Fons. 5. *Met. cap. 7. q. 6. sect. 5.* & alij, tollentes à serie, & catalogo entium rationis, negationes, & priuationes.

Præsuppositis autem acceptionibus priuationis, & differentiis eius à negatione allatis *lib. 2. Phys. q. 3. art. 1.* quæ ibi sunt recognoscendæ.

42. Assertio, priuationes, & negationes non sunt entia rationis. Deducitur ex Scot. *dist. 23. q. vn §. Item arguo. H* & *2. d 12. q 2. §. Ad 1. rationem sub F.* & *4. d. 22 q. 1. §. De primo. A.* Probatur primò, ex sacra pagina, Genesis primò. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Id est, postillante Lyran. priuationes lucis. Et Ioan. 9. *Præteriens Iesus, vidit hominem cæcum à natiuitate.* Huiosmodi autem priuationes antecedunt quācumque operationem intellectus, ergo non sunt entia rationis. Idem insinuant SS. patres, præsertim Aug. *l. de decem categoriis, cap. 18.* Ansel. *lib. de casu Diaboli, cap. 41.* & Damasc. *in sua Philosophia, cap. 2.*

Secundò, ens rationis pendet in fieri, & in esse ab Intellectu, vt liquet ex eius descriptione allata *art. 1. huius quæstionis*: negationes autem, & priuationes sunt, nemine cogitante, vt secluso quouis opere intellectus. Brutum non est lapis, homo non est planta, Celidonius est cæcus à natiuitate, Claudius est surdus, & sic de reliquis, ergo non sunt entia rationis.

Tertiò, nihil, quod est negatio entis creabilis, est terminus à quo creationis, & annihilationis terminus à quo est ens creatum positiuum; atque terminus à quo mutationis physicæ, eiusque principium est priuatio, 1. *Phys. T. 57.* & 12. *Met. T. 22.* At opposita priuatiua sunt a parte rei, forma autem, eiusque priuatio opponuntur priuatiuè, ergo priuatio, & negatio non sunt entia rationis, sed a parte rei reperiuntur, absque vlla negotiatione intellectus. Falsum namque, & absurdum est dicere, præfatas mutationes non fieri, nisi cogitet intellectus, & cæcitatem esse in Paulo, per fabricationem intellectus.

Obuij fiunt aduersarij, inter quos est Suarez cit. & aiunt distinguentes, negationes, & priuationes bifariam vsurpari, pro remotionibus entitatum positiuarum, & ita inueniuntur à parte rei, absque operatione intellectus: aut pro formis excogitatis ab intellectu, & apprehensis instar formarum positiuarum, quibus repugnat existere, extra intellectum, & sic sunt entia rationis. Contra, eo modo accipiendæ sunt negationes, & priuationes, quo describuntur, quandoquidem descriptiones earum denotant, & declarant suo modo earumdem naturas & essentias, vt fit de reliquis: definiuntur autem negationes, carentiæ formarum in subiectis ineptis, & priuationes, carentiæ in subiectis aptis, & idoneis, ergo sic sumendæ sunt: sic autem sunt à parte rei, ergo non sunt entia rationis: excogitare autem, & fingere eas, instar formarum positiuarum pugnat earum naturis, quæ non sunt compotes, sed expertes, eisque carentes. Deindè, si illæ secundo modo conceptæ sunt entia rationis, quodlibet aliud, si ita apprehenderetur, foret ens rationis, vt si homo conciperetur, vt Angelus, & Spiritus sanctus, vt Columba, & huius formæ alia, quæ sunt realia, forent entia rationis. Quare, esto, quod negationes, & priuationes ad modum formarum positiuarum fingantur ab intellectu, non ob id simpliciter inter entia rationis sunt connumeranda.

43. Oppones primò, quod consideratur à scientia est ens, cuius passio est intelligibilitas: negationes autem, & priuationes tractantur à Met. vt patet 4. *Met. 2.* & *4. eiusdē operis* 14. sed non sunt entia realia ergo sunt entia rationis. Conseq. tenet, quia inter ens reale, & rationis non intercipitur medium. Concedo ma. explico min. per distinctionem. Per se. nego: per accidens, concedo. Ad id, quod subinfertur, inter ens reale propriè captum, & ens rationis non interuenit medium, nego, quia habetur ens impropriium, cuiusmodi est negatio, & priuatio: inter ens reale amplè sumptum, & ens rationis, non adest medium, concedo: sic enim ens latè captum diuiditur in ens reale, & rationis: & ens reale dici potest, omne, quod est à parte rei independenter ab intellectu, quo pacto, non ens, esse non ens dicimus. 4. *Met passu memorato.*

44. Oppones secundò, affirmatio, & negatio sunt actus rationis, & pertinent ad Log. quæ differit de ente rationis: ergo si affirmatio, est ens rationis: pariter negatio est ens rationis. Distinguo ant. vt sunt actus actiui, & passiui, concedo: vt verò sunt obiecta affirmationis, & negationis, nego. Sic enim sunt à parte rei, independenter ab intellectu. Præsertim quia, per affirmationem, & negationem vulgò intelligitur compositio, & diuisio, quæ ad rem nostram non pertinent, cum differamus de simplicibus, & Incomplexis, prout sunt à parte rei, circumscripto opere intellectus.

Articvlvs V.

Quotuplex sit ens rationis.

45. MVltæ adducuntur diuisiones entis rationis à Recentibus Philosophis, quarum prima est, in relationem, negationem, & priuationem, quæ quidem à Thomistis recipitur, & defenditur, à Scotistis verò reiicitur, & abnegatur. In primis namque relatio est ens reale, & statuitur vnum peculiare prædicamentum

dicamentum relationum realium, vt patet in Log. Deindè, negatio, & priuatio non sunt entia rationis, quia reperiuntur à parte rei, absque vllo intellectu cogitante, vt abunde ostendi in præterito art. Rursus, bona, & germana diuisio est bimembris, & vsque membra diuidentia debent opponi, vt postulat lex bonæ diuisionis: relatio autem, negatio, & priuatio non opponuntur, vt patet ex quatuor oppositorum generibus tradius ab Arist. *in postprædicamentis, cap. de oppositis*, ergo non est recipienda. Insuper, sub illa diuisione non videntur comprehendi entia prohibita, figmenta & id genus alia, vt benè prosequuntur duo nostri Iuniores *disp. 3. Log. quæst. 7.* Ergo præfata diuisio est manca, & diminuta.

Secunda est in ens rationis, quod habet fundamentum in re, & in ens rationis, quod nullum habet fundamentum in re. Est vulgata, & recepta ferè ab omnibus, & tacta à Doct. 1, *dist 43. q. vn. § Aliter dico. E.* & *Quol. 1. § De altero H. & L* Nec non *q. 4. vniuersalium § Dicendum in solutione tertij*. Illud autem ens rationis perhibetur fundari in re, cuius motiuum, causa, occasio, & origo præbetur à re; ob id non temerè, & gratis ab intellectu efformatur, vt quia natura communicatur multis, intellectus ei attribuit vniuersalitatem formalem, quæ est ens rationis, quæue formaliter prædicatur de multis. Itemque, quia natura conuenit multis differentibus specie, intellectus efficit ens rationis, quod est genus, quod prædicatur in quid de multis differentibus specie. Pariter, quia natura communicatur multis numero distinctis, intellectus effingit ens rationis, quod est species, quæ prædicatur de multis numero differentibus. Ens autem rationis, quod non fundatur in re dicitur, cuius nulla extat ansa, occasio, & proprietas à parte rei ipsum fingendi, sed merè gratis, & absque nullo motiuo, & fundamento effingitur ab intellectu, propterea nominatur figmentum, vt chymera, hyrcocetuus.

Tertia, in transcendentale, & prædicamentale. Vt enim ens reale, aut est transcendens, aut clausum in aliquo ex decem categoriis: ita ens rationis, quod est velut vmbra entis realis, vel reponitur, seu potius reducitur ad aliquod, ex decem prædicamentis: sic chymera, ad genus substantiæ, & spatium imaginarium, quod extra cælum à quibusdam excogitatur, ad genus quantitatis reuocatur, & sic de reliquis: vel transilit omnia genera, quo pacto Deus Pater instar Senis, Deus filius, vt Iuuenis, & Deus spiritus, vt Columba efformatur. Quamuis autem hæc diuisio entis rationis, à nemine, quem viderim, recensita fuerit: nihilominus congrua videtur, & idonea, quandoquidem, vt omne corpus subsequitur sua vmbra, sic omne ens reale comitatur, seu potius potest concomitari, & subsequi suum esse rationis Idque luculenter exprimit Scot. *q. 6. vniuersalium, in solutione 4. argumentis*: inquiens, quod sicut in ente reali sunt multi gradus: ita & in ente rationis. Hoc enim per analogiā eius intelligitur, propterea eodem ferè modo diuiduntur rationis, ac ens reale: proindéque, sicut ens reale scinditur in transcendentale, & prædicamentale: ita & ens rationis aliud est transcendentale, aliud verò prædicamentale: pariter aliud est substantiale, & aliud accidentale, & sic de cæteris. Est namque facilitas, & libertas creata, vt nedum realia: verumetiam inrentionalia, vera, & ficta, possibilia, & impossibilia nitatur attingere, & quoquo modo percipere.

Quarta, quæ est subdiuisio præcedentis, in ens rationis absolutum, & relatiuum, quæ vè indicatur à Doct. 1. *d. 36 q. vn. § contra istud obijcitur. G.* contra quosdam Scotist. qui videntur tantum agnoscere ens rationis relatiuum, innixi testimonio Scot. 4 *d. 1 q. 4 § Hic primo. B.* definientis ens rationis comparationem passiuam vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum: huiusmodi autem comparatio est relatio rationis, ergo per Scot. omne ens rationis est relatiuum. Occurrendum est, duplex statui ens rationis, vnum logicum, & hoc est relatiuum, suprà à Doct. descriptum, aliud verò metaphysicum, & illud est absolutum ab eodem Doct. definitum, *Quol. 1. § De altero H.* & *3. d. 8 q. vn. § Ad argumenta, sub. H.* quod habet tantùm esse obiectiuè in intellectu Sub qua descriptione comprehendi potest omne ens rationis, siue absolutum, siue relatiuum. Nec mirum vlli esse debet. Nam sicut vniuersale bifariàm describitur, & quidem logicum 1. *Perih cap. 5.* vnum aptum prædicari de multis: & metaphysicum, 7. *Met. c. 15. T. 45.* vnum aptum inesse multis: ita ens rationis duplex statuitur, logicum, & metaphysicum, quod vtrumque suprà descripsi secundum Scot.

46. Opp. 1. contra 1. diuisionem, omne ens rationis fundatur in re, ergo extat diuisio entis rationis, quod fundatur in re, & quod non fundatur in re. Ant. probatur, chymera & hyreocerruus, quod numeratur inter ea entia rationis, quæ nullo fulciuntur fundamento in re, participat veras & proprias partes existentes à parte rei. Resp. licet partes figmenti sint reales, & fundatæ in rerum natura seorsim sumptæ, tamen vnitæ simul sunt incompossibiles, & repugnantes, ad componendum, & conflandum totum illud, quod perhibetur figmentum: ideò ratione vnionis partium in toto, dicitur nullum habere fundamentum in re, & repugnare respectu cuiuscumque agentis siue creati, siue increati, vt optimè scribit Doct. 1. *d. 43 q. vn § Aliter dico. E.* Quod igitur à nullo agente fieri valet, rectè perhibetur, non fundari in re, cum sit impossibile, & repugnantiam inuoluat, vt fiat, & existat.

47. Opp. 2. contra 3. diuisionem, si entia rationis instar entium realium distribuuntur, deducitur, quod sicut ens reale scinditur in decem categorias, pariter ens rationis: hoc autem non admittitur, ergo nec illud: atqueadeò, præadducta partitio entis rationis, in transcendentale, prædicamentale, & huiusmodi, est irrita, & inepta. Negari potest sequela ma. ex assertis in Log. *l. 3. q. 3. art. 2.* vbi hæc oppositio diluta est. Vt enim priuationes, & negationes rediguntur ad habitus, quorum sunt priuationes, & negationes, *2. anima. 96*: ita ens rationis, quod est veluti vmbra entis realis, reducitur ad prædicamentum reale, instar cuius efformatur.

48. Opp. 3. contra 4. diuisionem, qualis est causa, talis est effectus eius, quia effectus assimilatur, & proportionatur suæ causæ: causa autem entis rationis, ex dicendis in proxima quæstione est comparatiua, & collatiua eiusque effectus & actio est comparatio, quæ est formaliter respectiua, & relatio, vt tenet Scotistarum vulgus, igitur ens rationis perperam scernitur in absolutum, & relatiuum. Dici potest maiorem valere de effectu primario, & per se intento à causa vniuoca: non autem de effectu secundario, & per accidens à causa æquiuoca, veluti est ens rationis, quod concomitatur operationem intellectus, ac potius ex ea derelinquitur, quàm causetur propriè; alioqui, sicut ille est potentia, & causa realis: ita hoc foret effectus realis, ac ens reale, quod est falsum. Ad min. dico intellectum sic denominari, penes principale ens rationis, quod est logicum, & secunda intentio logicalis: non autem absolutè, penes omne ens rationis, maximè fictitium, & chymericum, quod est absolutum, puta hyrcocerrus, ad cuius esse sufficit, vt habeat esse tantùm obiectiuè in intellectu, vt patet eius definitio, *in secundo art. huius quæstionis* allata, & exposita.

ARTICVLVS VI.

An ens rationis habeat passiones.

49. Quoniam in præterito art. partitum est ens rationis potissimum in ens rationis, quod nullo in re nullo fulcitur fundamento, & quod in re ipsa fundatur: propterea dubitari potest, núm vtrumque vel

vel alterutrum sortiatur affectiones, & proprietates sibi congruentes, necne? Quod breuiter per duas subsequentes Assertiones expedio, & decido.

50. Ass. 1, ens rationis, quod à parte rei nulli nititur fundamento, quod figmentum nuncupatur, omnis passionis, affectionisque ex expers. Deducitur ex Doct. *1.d.3. q.5.§. contra ista infra G.* Viget. Lych. aliisque *ibid.* scribentibus huiusmodi ens rationis carere genere, & differentia, quæ simul vniantur ad constituendam speciem, ex qua promanant passiones, & proprietates. Probatur primò, quod repugnat secundum partes, & totum, nullas participat passiones, vtpote quæ oriuntur à toto non repugnante, & non impossibili: figmentum autem, & consimile aliud ens rationis contradictionem implicat penes partes simul iunctas, & totum, vt apertè edisserit Doct. *1.d 43.q vn. ante F.* Ergo nullius est compos passionis. Secundò quod non habet quid simpliciter, aut secundum quid, passione priuatur, quia hæc ab illo proficiscitur: figmentum autem neutrũ habet, cum ipsum, & partes eius sint simul impossibiles, & incompotes cuiuscumque quidditatis, & essentiæ, veluti sunt omnia entia prohibita, & impossibilia, ergo omni spoliatur passione.

Dices, figmentum participare definitionem entis rationis, esseque eius speciem, cum ex dictis in superiore art. ens rationis sufficienter secetur, in ens rationis fundatum, & non fundatum in re: à specie autem fluunt passiones, & affectiones: igitur ens rationis fictitium suo modo non exuitur suis proprietatibus. Distinguo ma. ens chymericum definitur definitione impropria, quæ dicitur definitio nominis, concedo: definitione propria, quæ perhibetur definitio quidditatiua, vel descriptiua, nego. Ad min. dico, sicut ens rationis non est propriè genus, ita figmentum quod sub eo continetur, non est propriè species, proindéque ipsi nullæ passiones competunt, vtpotè, quæ à speciebus emanant, in quarum numero non comprehenditur ens fictitium.

51. Ass. 2. ens rationis habens fundamentum in rerum natura participat suo modo affectiones, & proprietates. Tenet Doct. 4. *d.1.q.2.§. de secundo. I.* & *in fine q.6. vniuersalium*; Mayr. *Quod. 6. art.15.* & cæteri Scotis. Probatur primò, ens reale transcendentale, & prædicamentale compos est propriarum affectionum, & proprietatum, vt ostendi *lib.2. huius operis, q.2.* & alibi non rarò: ergo idipsum astruendum est suo modo de ente rationis habente fundamentum in re. Conseq. tenet, quia huiusmodi ens rationis est instar entis realis, & similitudo eiusdem, non priuatur ergo suis proprietatibus rationis. Secundò, quibuslibet entibus suæ correspondent passiones, quia ab eis, istæ oriuntur: ens autem reale, quod est ens simpliciter, particeps est affectionum realium, quæ sunt vnum, verum, bonum, & huiusmodi: ergo pariter ens rationis, quod est ens secundum quid, & diminutum, non caret suis proprietatibus rationis. Tertiò, naturas, & essentias quorumque entium concomitantur suæ passiones, & proprietates, vt patet de omnibus, & singulis generibus, tam substantiæ, quam accidentis, tam viuentium, quàm non viuentium, materialium, & spiritualium: præfatum autem ens rationis participat suam naturam, & essentiam, declaratam per eius definitionem præallatam *in secundo art. præsentis quæst.* Ergo ab hoc oriuntur, & consequuntur suæ propriæ affectiones. Quartò, demonstratio ostendit inhærentiam passionis in suo subiecto, vt risibilitatem de homine, per rationalitatem: Logica autem multa demonstratiuè concludit, quæue versatur circa ens rationis, tanquam eius subiectum prædicationis: ergo entis rationis sunt concedendæ suæ passiones. Alioqui, Logica non esset scientia, subdit Scot. *in 4. proximè cit.* vtpote, quæ non haberet definitiones constantes genere, & differentia, & proprio, eo modo, quo Logicus disserit de proprio, genere, & differentia, & huiusmodi. Itaque ab ente rationis in re fundato non sunt amouendæ propriæ affectiones. Accedit, præfatum ens rationis est intelligibile authore Scot. *2.d.1. q.5.§. contra istam opinionem. B.* Intelligibilitas autem est passio eius, cuius est intelligibilitas. Vnde 12. *Met. T 4.* Arist. subiicit, sicut ens se habet ad esse, ita ad intelligibilitatem: ens autem rationis habet esse secundum quid, & diminutum, consequenter participat intelligibilitatem secundum quid ei proportionatam, & congruam, cæterasque affectiones eidem competentes.

52. Opponunt contra 1. assert. Scotistæ nuperi indiuisi *q.6.* & aiunt, intelligibilitatem, & reliquas proprietates nedum enti rationis habenti fundamentum à parte rei: verùm etiam ente rationis ficto, & chymerico accommodari, propterea quod suo modo habet essentiam, à qua profluunt passiones: atque, de eomet fieri valent propositiones in 1. & 2. modo dicendi per se, in quo passio de subiecto prædicatur. Denuò, cadit sub scientiam, estque intelligibile, veluti aliud ens rationis: ergo tale ens rationis suis non est exuendum proprietatibus. Neganda est paritas, quia illud sortitur naturam determinatam, & congruam rebus de quibus enunciatur, à qua prodeunt passiones sibi competentes: istud verò nequaquam, cum partes eius inter se, & in toto repugnantiam, & contradictionem inuoluant. Ob id ab hoc nulla passio, & affectio potest prodire: sicque non est intelligibile, nec scibile, vt non obscurè tradit Scot. *Quol. 3. §. de primo. B.* & *1. d. 3. quæst. 5. sub G.* & *d.43. q. vn.* & defendunt Lych. Viger. & Gadius *ibid.* quia partes eius sunt incompossibiles, & adinuicem repugnantes. Quod namque repugnat, nequit esse ens extra animam, nec in anima, & consequenter nec intelligibile, nec scibile. Siquidem, nunquam duo contradictoria simul, nec contradictorium cum contradictorio constituit vnum intelligibile, nec scibile. Deinde, passio necessariò vnitur cum subiecto, cuius est passio, & demonstratur de eo, demonstratio autem fit ex veris. Vnde scientia, quæ est eius effectus, definitur cognitio certa, & euidens rei necessariæ per propriam causam, quæ sanè de ente rationis ficto haud esse valet, vt egregie monstrat Mayr. *Quol.6. art.17.*

53. Instabis potentia intellectiua fingere quit montem aureum, chymeram, & id genus alia, quæ dicuntur entia rationis non fundata in re: hæc autem intellectus intelligit eo modo, quo sunt, & statuit discrimen inter ista, & alia, ergo huiusmodi entia rationis habent intelligibilitatem, & cæteras passiones, veluti entia rationis in re fundata. Concedo ma. distinguo mi. intellectus ea intelligit notitia nominis, non verò notitia rei, vt benè vidit Lycher. *Quol. alleg.* Vel per accidens, non autem per se, vt scribit Gadius *ibid.*

54. Opp 2. contra 2. assert. omne, quod est, aut est ens reale, aut rationis, vt patet ex dictis: si autem entis rationis à parte rei foret passio, vel esset ens reale, & hoc est falsum: vel esset ens rationis, & hoc non, quia passio est minus ens subiecto, cuius est passio: non datur autẽ minus ens, ente rationis, cum hoc sit minimum inter entia, habens solum esse secundum quid, & diminutum, ergo nulla tradenda est passio entis rationis, etiam habentis fundamentum in re. Concedo ma. ad min concedo primam partem, distinguo 2. partem, identicè, concedo: formaliter suo modo, nego: passio namque entis rationis est aliquitas eius: veluti passio entis realis est aliquitas entis realis, vt monstraui *lib.1 huius operis, q.2.* Ad subsumptum patet per distinctionem nunc allatam, quomodo passio dici potest minus ens, ente rationis, puta, formaliter, non verò identicè.

55. Opp. 3. intelligibilitas soli enti reali adaptatur, vt astruit Scot. *1.d.3 q 3.§ Quantum ad 2. art I.* Ergo perperam enti rationis attribuitur. Espono ant. per distinctionẽ, intelligibilitas motiua, concedo: terminatiua, nego. Hæc enim competit enti reali, & rationis, vt præ aliis obseruat Bargius *in com. passus non memorati.*

56. Instabis, nihil est intelligibile, nisi valeat imprimere speciem sui in intellectu, quia *ex 3. animæ, T.31.* oportet intelligentem phantasmata speculari: Ens autem

autem rationis, nullam speciem sui habere potest, quia non est sensibile per se, nec per accidens, nec formaliter, nec virtualiter continetur in ente reali ergo non est intelligibile atqueadeò intelligibilitas non est eius passio, & affectio. Respondeo, maiorem valere de obiecto intelligibili motiuo: non autem terminatiuo, cuiusmodi est ens rationis, ad cuius cognitionem non prærequiritur vlla sui species, quia habere nequit, sed cognoscitur per analogiam ad ens reale, instar cuius efformatur.

QVÆSTIO II.

De Causa entis rationis.

57. IMPRÆSENTIARVM non est sermo de causa propriè sumpta, de qua fusè egi *lib. 4. Phys.* sed de causa lato sumpto vocabulo, prout quoquomodo attingit effectum: Sicut enim ens rationis non est propriè ens, sed instar entis realis, & per eiusdem analogiam cognoscitur: ita propriè causam sui esse non sortitur, & eo modo, quo habet esse, pariter eius causa traditur, vt in decursu huius q. liquidò constabit.

ARTICVLVS I.

An ens rationis habeat causam sui esse.

58. NOnnulli, inter quos citatur Mayr. *quol. 6. art 4.* Gabriël 2. *d. 1. q. 2. dub. 4.* & Soucinat 6. *Met. q.* 18. entis rationis nullam causam agnoscunt. Alij, vt Suarez *disp. 54. Met. sect. 2.* efficientem quidem ei concedunt: cæteras verò causas præsertim finalem ab ipso amouent. Nec desunt, qui reliquas causas eidē attribuāt, excepta causa formali. Cæteri autem, quos sequuntur duo nostri Recentes *disp. 3. Log q. 5.* & Ponc. *disp. 1. q 6.* arbitrantur, enti rationis quodammodo quatuor genera causarum accommodari. Quibus præire videtur Doctor *Quol. 1. §. De altero H.* & *quol. 3. §. De primo B.* & *1. dist. 3. q. 7. §. Contrà istam opinionem F. & alibi.* Suadetur primò, quidquid habet aliquod esse præter Deum, est causatum: omne quippe ens ex assertis superioribus, aut est à se, & est incausatum, vt Deus: aut ab alio, & est causatum propriè, si est ens reale: aut causatum impropriè, si est ens rationis: ens autem rationis habet esse secundum quid, diminutum, & obiectiuum, vt patet *ex præcedente q. art. 1. & 2.* Ergo ens rationis habet causam sui esse. Secundò, quod antè non erat, modò est, productum, & causatum est ab aliqua causa. Quia nihil seipsum producit, & causat: ens autem rationis priùs non existebat, vt cum quis priùs non syllogizabat, nunc verò syllogizat, definit, diuidit, aliaque exercet, quæ formaliter sunt entia rationis: non ergo enti rationis deneganda est sui causa. Tertiò, sicut se habet vmbra ad corpus opacum, ita se habet ens rationis ad ens reale, ex notatis suprà, quia illud est instar huius vmbra, & ad istius similitudinem quoquo modo efformatum: Vmbra autem habet sui causam, putà corpus opacum, ergo idem astruendum est, de ente rationis, quod scilicet sui causam sortitur. Sigillatim autem probatur de singulis causarum generibus, primum quidem de causa efficiente, quam Scot. speciatim de secundis intentionibus statuit intellectum, 2. *d. 1. q. 1. §. Quantum ad hoc sub H.* & generatim, de cunctis entibus rationis, locis nuper præmemoratis. Id enim indicat nomenclatura eius: ens quippè rationis perinde est ac ens à ratione, idest intellectu fabricatum. Quod etiam manifestat eiusdem definitio, quæ est, habere esse tantùm obiectiuè in intellectu. Atque Logica, quæ versatur circa ens rationis, efficitur ab intellectu comparante, & conferente vnum cognitum, ad aliud cognitum. Vndè rectè subnectunt Formalistæ *tract. formalitatum, art. 1 principali.* ens rationis esse comparationem passiuam vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum. Intellectus igitur est causa efficiens entis rationis.

De causa finali ostenditur. Imprimis namque, causæ efficiens, & finalis necessariò inter se coniunguntur: Ob id extat illud elogium 5. Phys. c 3. T. 30. *Causæ sunt sibi inuicem causæ*, quod de causis efficiente, & finali potissimum intelligitur, si ergo enti rationis datur causa efficiens: eidem causa finalis non est deneganda. Deindè, vnumquodque inuentum est, & est ob aliquem finem; secùs frustraneum, & superfluum foret: excogitatum autem est ens rationis, & est in intellectu, ergo propter aliquem finem vt patet *in Log de 2. intentionibus*, quæ fiunt a nobis, ad venandam veritatem, & discernendam, à falsitate, ergo ens rationis particeps est causæ finalis: Nec iuuat dicere, cum Suarez citat. finem entis rationis esse actum, seu ipsam cogitationem hominis Siquidem ens rationis fit per illum actum, & cogitationem, ergo non est eius finis, quia ipsamet cogitatio, seu fictio est qua fit & non propter quod fit, quod exigitur ad rationem finis. Præterea, cognitio est ens reale pertinens ad prædicamentum qualitatis: absurdum autem, & ridiculum est, ens reale esse finem entis rationis. Adde, quod ipsemet Suarez cit. *sect. 1. n. 8.* in 2. causa ab ipso tradita videtur assignare finem entis rationis, comparando vnum, ad aliud, vt diiudicet verum à falso, finis ergo entis rationis non est præcisè cognitio, & cogitatio hominis, vt dictus Suarez imaginatur.

Quoad causam materialem, & formalem, in ente rationis logico, & in re fundato possunt assignari eius genus, & differentia, annuente Scot. *4. d. 1. q. 2. ante §. Ex his I.* Genus namque se habet, vt materia, & differētia, vt forma, quia hæc determinat, & contrahit illud. At in ente rationis ficto, & non fundato à parte rei, eius materia possunt esse partes eius adinuicē repugnantes, & forma, eius entitas, & differentia, per quam totum fictum constituitur, & distinguitur ab omni eo, quod nō est ipsum.

59. Opp. 1. si ens rationis haberet causam, proportionaretur ei, quia effectus proportionatur suæ causæ: omnis autem causa est realis, ergo nullus effectus eius est ens rationis, atqueadeò ens rationis nullā habet causam sui esse. Resp. argumentum concludere de causa propria & effectu proprio: non autem de causa impropria effectuque eius improprio, vt statim monui *in init. huius q.*

60. Opp. 2. productum productione producitur, & causatum causatione causatur: illa autem productio, & causatio qua ens rationis producitur, & causatur, aut est realis, aut rationis: non realis, alioqui ens rationis foret reale, quod implicat: nec rationis, quia cum productio præcedat productum, esset ens rationis, priusquam produceretur, quod repugnat: ne ergo vlla repugnantia concedatur, meliùs videtur dicere ens rationis nullam habere causam sui esse. Concedo ma. ad min. dico, eam productionem esse impropriam, velut causa est impropria, quæ ea productione producit ens rationis, propterea non sequitur vllum absurdum, vt scilicet, sit ens rationis, antequam causetur. An verò ens rationis subiectetur in intellectu, necne, vide quæ scripsi *in Log. l. 2 q. 1. art. 13.*

ARTICVLVS II.

Quæ, & quot sint causæ effectrices entis rationis.

61. SVnt, qui censent ens rationis effici à sensibus externis, & internis, quos nouissimè sequitur Arr. *disp. 6 sect. 3.* Nec desunt, qui solum intellectum constituant eius causam effectiuam, inter quos sunt Complutenses *disp. 2. Log. quest 3 § 2.* & Ponc. *disp. 1. quæst 7. concl. 1.* & communiter Thomistæ. Plerique verò Scotistæ addunt voluntatem, & in horum numero nonnulli, nuncupatim Stephanus Brulifer *Tract. formalitatum, fol. 7.* tres statuunt potentias entis rationis formatiuas, putà intellectum, voluntatem, & phantasiam.

62. Not. ens rationis bifariàm accipi, vno modo presse, & proprie, vt fit ab intellectu, seu ratione duntaxat, à qua suam denominationem depromit. Dicitur namque ens rationis à ratione, quæ coincidit, cũ intellectu, & sic ens rationis tãtùm ab intellectu causatur nec vlla alia potentia potest ipsum producere, præter intellectum: alioqui foret repugnantia in adiecto, inuestigare, nùm ens rationis fiat ab alia causa, præterquam à ratione? Vnde Fuentes *q.1. Log diff.3.art.1.* abstinuit à nomine entis rationis, & inuestigauit, vtrum phantasia, seu imaginatio possit fingere entia? Altero modo, latè, & impropriè, vt fit ab alia potentia, habens aliquam similitudinem, & proportionem, cum verò, & proprio ente rationis, quatenus scilicet, vt proprium ens rationis habet tantùm esse obiectiuè in intellectu, sic detur aliquod ens fictum ab alia potentia vitali, quod in ea habeat tantùm esse obiectiuè, & de hoc sermo est impræsentiarum. Hanc autem geminam entia rationis sumptionem adducunt, & exponunt Lychet. *in com. Quol.*17. & Gadius *eo in loco.* & indicat Scot. tum ibi, §. *De secundo C.* tum etiam *1.d 45.q.vn.§. Ad argumenta C. & D.* cur autem comparatio voluntatis passiua nominetur relatio rationis, affertur causa à Doctore nostro *Quol. nunc alleg.* quia voluntas licet essentialiter non sit rationalis, veluti intellectus: est tamen participatiuè rationalis, ratione cuius, dictus eius respectus dici potest ens rationis, & relatio rationis. Quò fortassè respiciens Arist. *9. Met. cap.2 T 3. & 10.* parum, aut nihil intellectum à voluntate distinguit, & vtramque potentiam appellat rationalem. Idem scribit *3. Eth.3.*

63. Ass.1. nullus sensus siue externus, siue internus, præter phantasiam, valet attingere productionem entis rationis secundo, modo capti. Hæc assertio est bipartita, & consentanea doctrinæ Scot. *locis proximè alleg.* Prima pars est certa apud Doct. eiusque discipulos, nemo quippe eorum, quem viderim oppositam tuetur. Probatur 1. causa entis rationis effectrix debet esse comparatiua, ex dictis *in 1. art. huius quæstionis*: nullus autem sensus externus, aut internus est compositiuus vnius cum alio, & collatiuus partium, cum toto, aut superiorum, cum inferioribus, communium, cum particularibus, cum sint alligati sensibilibus, & materialibus, quorum sunt singularium perceptiui duntaxat, iuxta illud non semel decantatum, sensus est singularium, & intellectus vniuersalium, ergo præfati sensus non sunt entia rationis opifices.

Secundò, ens rationis efformatur ab eo, sub cuius subiecto quoquo modo continetur, vt patet de intellectu, qui comprehendit ens rationis, tanquam obiectum eius terminatiuum, vt astruunt Lych. Gadius, & alij *in commento Quol.3.* Ens autem rationis à nullo prænominato sensu pertingitur, cum obiectum eius sit sensibile reale, ergo a nullo eorum efficitur.

Tertiò, cui non competit definitio, nec definitum eidem accommodatur: nulli autem productioni, & causationi sensus conuenit definitio entis rationis, quæ est, habere tantùm esse obiectiuè in potentia cognoscente, & faciente. Quod namque à sensu percipitur est extra ipsum existens, eique præsens, ergo entis rationis opificium sensui non adaptatur.

64. Secunda pars indicatur à Doct. *q.9 de anima, in solut.4 & passibus nuper recensitis*, tametsi alibi videatur anceps, & sanem Scotistæ non pauci, quibus adstipulantur Suarez *disp.54. Met. sect.2 n.18.* & Arr. *disp 6. sect.3. subsect 2. n 17.* Probatur 1. effectus, vel quasi effectus conformatur, & proportionatur, quantum fieri potest, suæ causæ, aut quasi causæ, in hoc potissimũ, quod sicut effectus est factibilis, ita causa est eius factiua & causatiua. Ens autem rationis latè sumptũ est suo modo factibile à phantasia, seu imaginatiua: obiecti namque potest mons aureus, hyrcocervus, aut aliud chymericum ipsi phantasiæ, quod non haberet esse, nisi tantùm illud esse obiectiuè in ipsamet phantasia, quod planè foret ens rationis suprà descriptum, igitur phantasia potest causare huiusmodi ens rationis. Secundò, potentia collatiua est entis rationis factiua, vt apertè insinuat Doct. *vbi supra*: ob id idem Doct. *4. d.1. q.2. B.* describit, ens rationis comparationem passiuam vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum: phantasia autem est potentia collatiua, vtpote quæ potest species montis, & auri simul connectere, montémque aureum effingere, totúmque in somnis possidere, eòque gaudere, ac frui: igitur phantasia à formatione entis rationis non est secludenda.

65. Occurrunt duo nostri Recentes *disp.3. Log q 4. art.1.* ex Bargio *1 d.3. q.1.* & *Quol.17.* & Tatareto *ibid.* & aiunt, phantasiam quidem apprehendere montem aureum præcisè, non tamen vnionem montis, & auri, veluti oculus videt Petrum currere, absque eo, quod videat vinculum illud, & copulam Petri, cum cursu. Vt autem fiat ens rationis, necesse est potentia illud faciens attingat partes simul vnitas in toto, ipsumque totum ex eis coalitum, puta montem, & aurum, vtriusque connexionem, ipsumque totum, puta montem aureum à præfata potentia confictum, quod est ens rationis formaliter. Hoc autem nequit præstare phantasia, proindéque ens rationis formaliter fingere nequit. Contra, in somnis, feriatis sensibus externis, necnon intellectu, & voluntate non agentibus, quispiam imaginatur se habere montem aureum, ordinatque eum, & disponit ad consequendos honores, & dignitates, ad matrimonium contrahendum, cum magnis, & principibus Mundi, & alia huiuscemodi adipiscenda, ergo phantasia pertingit partes totius, vnionem, & vinculum huius, cum illis. Vnde, exemplum adductum de oculo vidente Petrum actu currere, non valet, quia oculus est sensus externus percipiens obiecta tantùm existentia, & præstantia: verum, phantasia est sensus internus cognoscens præsentia, & absentia, coniunctim, & diuisim. Deinde, phantasia solum agente homo somnium suum narrat, licet nesciat illud interpretari, vt patet de pyncerna Pharaonis *Gen.40.* Econtra verò *Danielis 2.* Nabuchodonosor ignorauit somnium suum. Ergo phantasia & totum complexum, eiusque vnionem, & copulam attingit. Tertiò, phantasia præcellit cæteris sensibus internis, & externis: ergo si alij sensus complexum indistans, hoc est, sine copula percipiunt, vt tradunt prænominati Authores, phantasia, quæ est eis præstantior, & efficacior plus illa percipit, puta complexum, & vnionem eius. Præterea, voluntas, quæ coniungitur cum intellectu, participatiuè perhibetur rationalis, & entis rationis opifex, vt scribit Doct. *Quol præalleg.* Ergo phantasia, quæ proxima est intellectui, ipsique offert, & præsentat species sensibiles, participatiuè dici valet effectrix entis rationis. Quartò, experimur nos phantasiando, & somniando formare multa entia rationis. Vnde Scot. *q. de anima præcit.* inquit: *Imaginatio sentit actum proprium: imaginamur enim, nos imaginari, & imaginatos fuisse, & somniamus nos somniare, sicut experimur manifestè.* Igitur formatio entis rationis a phantasia non est eximenda. Quispiam namque in somnis imaginatur se esse belli ducem, imperare exercitui, ordinare pedites, disponere equites, & huiusmodi. Item, alius putat se esse dominum, & regem vniuersi, cui omnes parent, & iussa exequuntur: & expergefactus cernit se vilem, & humilem seruum, sicut erat, ante somnium: hæc autem, & consimilia fiunt à sola imaginatione, & phantasia, aliis potentiis minimè concurrentibus: ergo phantasia potest fingere entia rationis, eo modo, quo *suprà* dictum est.

66. Ass.2. nedum intellectus: verumetiam voluntas suo modo est causa entis rationis. Hæc assertio est bimembris, sicut prior, & traditur à Doct c.1. Prima pars est communis, manetque probata *ex antecedenti art.* & *q.1. huius lib. art.1. & 2.* Atque apertè ex eius notione nominis denotatur. Ens quippè rationis perinde est ac ens intellectus, fabrum eiusdem, ac opus, & effectus, vt suprà planum feci. Nec vlli alteri potentiæ aptius accommodari, & adaptari potest, quam intellectui, vtpotè, qui est collatiuus, reflexiuus, discursiuus,

curſiuus, & immaterialis, ſtringens omne ens excogitabile,& intelligibile,cuiuſmodi eſt ens rationis,vt liquet ex dictis.

67. Secunda pars inſinuatur à Doct.1.d.45.q.vn.§. *Ad argumenta D.* & *Quol* 17 §. *De ſecundo C.*& 4.*diſt.16. q.2.§. Reſpondeo E.* defenditurque communiter à Scotiſtis,paucis exceptis,quos ſequitur Ponc.*diſp.*1. *Logicæ, q.7. concl.*2. Suadetur primò, omnis potentia collatiua vnius obiecti,ad aliud,eſt factiua entis rationis,vt benè vidit Scot.mox cit.voluntas autem eſt potentia collatiua, & comparatiua vnius voliti, ad aliud volitum, putà mediorum,ad finem, vt cum diligit creaturam, propter Deum,& è contrà, Deum propter creaturam, ergo voluntas poteſt formare ens rationis. Nec præſtat dicere, quod ſi voluntas feratur in obiectum, & comparet ipſum, ad aliud quod videtur bonum, tenetur tamen non eſt bonum,ipſam non fingere tale bonum,ſed apprehẽſum prius,& præſentatum illi,ab intellectu, ſicque intellectum,& non voluntatem facere illud ens rationis. Siquidem,quælibet iſtarum potentiarum ſuo modo format ens rationis,intellectus quidem,intelligendo;& iudicando:Ob id dicitur ens rationis proprium,& rigoroſum:voluntas verò volendo,& ordinando, quod eſt ens rationis impropriũ, & amplè ſumptum,ergo ſicut intellectus conferendo vnum cognitum, ad aliud cognitum, facit ens rationis:ità voluntas comparando vnum obiectum volitum,ad aliud volitum,format ens rationis. Vt cum peccator vult vti Deo,propter creaturam,qua fruitur,talis relatio Dei,ad creaturam eſt rationis,non intellectus,quia vſus,& fruitio non pertinent ad intellectũ, ergo eſt voluntatis; atqueadeo, huiuſmodi formatio à voluntate non eſt removenda. Secundò, voluntas poteſt tendere in finem præſtitutum,& præfixum 1. *d.*1.*q.*1. *art.*3. & 4. & velle malum ſub ratione mali, vt oſtendi *in Philoſophia Morali,l.*2. *q.*3.*art.*3. Huiuſmodi autem finis præfixus,& malum ſub ratione mali ipſi non præoſtenſum ab intellectu poteſt eſſe impoſſibile,vt qualitas Dei appetita ab Angelo malo, 2.*d.6.q.*1.& tantum obiici ipſi voluntati,vt poſtulat ratio entis rationis, igitur voluntas poteſtate, & virtute faciendi ens rationis non caret. Tertiò, tam latè patet obiectum voluntatis, quam intellectus. Omne namque intelligibile, quoque eſt volibile,vt videtur aſtruere Doct 4.*d* 49. *q.*1.§. *Ad* 3.*quæſtionem art. T.*Immò,maioris virtutis,& dignitatis eſt voluntas, quam intellectus, vtpotè,quæ eſt domina ſuorum actuum, imperat ipſi intellectui, & cæteris potentiis,vt monſtraui *l.*5. *de anima, q* 3.*art.*2. Ergo ſi id intellectus præſtare poteſt,pariter & voluntas,atque ſi illud, vt prodit ab intellectu, nominatur ens rationis: iſtud vocari poteſt ens voluntatis, propterea quod exit à voluntate.

68. Opp.2. contrà 1.partem prioris aſſert. multa, diuerſaque ſunt apparentia, vt colores in iride,& in collo columbæ,ad lumen ſolis exiſtentis,obliquitas baculi recti in aqua poſiti,& curuitas remi in mari:hæc autem & conſimilia non ſunt entia realia,ergo ſunt entia rationis fabricata à ſenſu externo, putà oculo, proindèque ſenſus externus entia rationis formare quit. Concedo ma.Nego min.ens enim reale diuiditur in verum,& apparens,veluti quoque bonum diſtribuitur in bonum verum, & bonum apparens quod eſt à parte rei; tametſi enim nullus foret oculus,aut alius ſenſus externus, aut internus,aut intellectus,adhuc eſſent colores iridis apparentes, & id genus alia meteora,de quibus egi *libro Meteororum,art.*3. *queſt.*3.

69. Inſtabis,ſenſus interdum decipitur cum percipit rem aliter,quàm ſit,eiuſque actus falſus eſt:atqui actus falſus eſt ens rationis, ergo ſenſus externus ens rationis molitur.Concedo ma.ex aſſertis *l.*4.*de anima,q.*2.*art.*4. ſenſum autem errantem,intellectus poteſt corrigere,vt ſcribit Doct.1. *d.*3. *q.*4. § *De tertiis cognoſcibilibus G.* Nego min.actus namque ſenſus, & intellectus,ſiue verus, ſiue falſus reponitur in prædicamento qualitatis, quod eſt ſeries entium realium.Deindè,actus falſus poteſt eſſe verus, ſi percipiatur obiectum ſicuti eſt, quod enti rationis non competit,niſi ens rationis ſumatur pro ente non exiſtente,poſſibili tamen,vt præſtat Art præcit contra communem vſum, & pro ſuo arbitratu, & libitu,quod ferendum non eſt.

70. Vrgebis, oculus cernit non adeſſe lucem, ſed vmbram:vmbra autem eſt ens rationis,quia concipitur, inſtar alicuius formæ poſitiuæ,quæ reuera non eſt,ergo formatio entis rationis debetur ſenſui externo. Si conceditur ma. neganda eſt min. vmbra ſiquidem licet ſit priuatio luminis primarij,eſt tamen lumen ſecundarium, proindèque ens reale poſitiuum: tenebræ verò ſunt priuationes vtriuſque luminis.

71. Opp.2.contrà 2 partem eiuſdem aſſertionis,nulla potentia egreditur limites ſui obiecti totalis,& adæquati,vt nemo negat: Si autem phantaſia fingeret ens rationis,exiret terminos ſui obiecti totalis,& adæquati, quod eſt ſenſibile,ſiue præſens,ſiue abſens:ideò,de hoc ſubminiſtrat,& ſuppeditat ſpecies ſẽſibiles,& materiales,in quibus nec formaliter, nec virtualiter continetur ens rationis,ergo facultas imaginatiua effingere nequit ens rationis. Concedo ma. nego min. etenim, cum in phantaſia reſideant multæ ſpecies diuerſarum rerum materialium, & ſenſibilium, poteſt eas coniungere, & componere, ac conferre adinuicem, atque ita conflare ens rationis,vt hyrcocervum, & alia,quæ intrà limites rerum ſenſibilium comprehenduntur.

72 Inſtabis,ſolæ potentiæ immateriales,& inorganicæ efficere valent ens rationis,vt affirmat Scot.*quol* 17. §.*De* 3.C.phantaſia autem eſt facultas materialis,& organica:ergo non poteſt attingere entis rationis efficientiam.Nego ma.ad teſtimonium Scot.dico cum Lych.ibi immaterialitatem potentiæ non eſſe formam, & præciſam cauſam faciendi ens rationis,ſed collatiuitatem,& comparatiuitatem vnius,ad aliud: quoniam autem ex dictis virtus imaginatiua,eſt collatiua, & comparatiua vnius, ad aliud,ac compoſitiua vnius,cum alio,vt fatentur duo noſtri Recentes cit *art.*1.*diſp* 3.*q.*4 *ante* §. *Altera etiam pars* Propterea ei tribuitur entis rationis effectiuitas.

73. Opp.3. contra 2. partem poſterioris aſſertionis: cauſa eſt,quæ tribuit eſſe effectui, vt liquet ex eius definitione:voluntas autem non præbet eſſe enti rationis, quod eſt eſſe obiectiuum duntaxat,quia hoc tantum intellectus ei communicat, ergo voluntas non eſt formatiua entis rationis.Concedo ma.diſtinguo min.voluntas non largitur eſſe tantùm obiectiuum cognitiuum,concedo: volitum, nego. Vt enim intellectus primò format ens rationis in ſuo ordine, ita voluntas quoque in ſuo ordine fabricat ſua entia volita,quæ lato ſumpto vocabulo appellantur entia rationis, ſeu potiùs entia voluntatis.

74. Inſtabis, voluntas non poteſt ferri, niſi in illud, quod intellectus ei proponit,& obiicit:propterea celebratur illud proloquium,nihil volitum, quin præcognitum:ergo non voluntas facit ens rationis, ſed ſupponit factum ab intellectu.Concedo ant.nego conſeq.quia licet intellectus prius formet ſuum ens rationis, & præſentet voluntati omnes reſpectus rationis: nihilominus ipſa voluntas non cauſat eos in illo eſſe cognito,quis ſic præſupponuntur iam cauſati ab intellectu, ſed in eſſe volito,quod ad ipſam pertinet. Immò ipſamet voluntas poteſt velle, & eligere oppoſitum oblatũ ab intellectu, vt cum intellectus proponit ei bonum, & vult malum etiam in ratione mali,auertit eumdem à recto, & præcipit obliquum.

75. Vrgebis, voluntas non poteſt largiri eſſe obiectiuum entibus realibus ad quæ fertur:igitur nec entibus rationis,cum de vtriſque æqua ſit ratio:ſatisfit, per diſtinctionem,voluntas quippe tribuit entibus realibus eſſe volitum,ea acceptando, & amando,ac proſequendo actu directo:entibus verò rationis actu reflexo, & comparatiuo,vt egregie exprimit Doct. 1 *d* 26.*q.vn.*§ *Ad q. igitur E.*& diſputat Mayron *Quol.*7.*punctlo* 12.

Articvlvs III.

Quonam actu intellectus fiat ens rationis.

76. EX varia, diuersáque entis rationis acceptione, Moderni in varias, diuersasque abeunt sententias. Quidam enim, vt Vasquez 1. *p.q.76.c.2.n.6.* & Hurt. *disp.*19. *Met.sect.*5. negant per 1. actum intellectus, qui est simplicium terminorum apprehensio, efficiens rationis, & existimant fieri per 2. qui est affirmatiuus, aut negatiuus. Cæteri verò, vt Ruu. *tract. de natura entis rationis*, Fuentes *q.*2. *Log. dis.*3. *art.*2. & 4. Complut *disp.*2.*q.*3 §.2.*n.*24. & Arr. *disp.* 6. *Met. sect* 3.*subsec* 3. arbitrantur ens rationis posse formari per quamlibet operationem intellectus.

77. Præsupponenda, & recognoscenda sunt, quæ obseruaui *in Log.lib.*1.*q.*8 *art.*3. de actibus intellectus, recto, reflexo, & comparatiuo. Recolendæ quoque sunt tres operationes eiusdem intellectus descriptæ,& explicitæ *ibid.q.*3.*art.*6. Nec recedendum est à vulgari, communique entis rationis definitione, quæ est, habere esse tantùm obiectiuè in intellectu, eam autem fundere ad ens prohibitum, & impossibile, ac non existens, possibile tamen: aut eamdem restringere ad actum falsum compositum, vel diuisum spectantem, ad 2. mentis operationem, vanum est, & voluntarium, nec licet pro cuiusque libito ampliare, aut angustare entium descriptiones à vulgo Philosophorum receptas, & subscriptas, cuiusmodi est definitio entis rationis præmissa, & præexplicita à me *q.*1.*huius lib.art. secundo.* Sed in ea persistendum est, vt in cæteris, omnes ferè præstant.

78. Assertio prima, prima operatione intellectus formari potest ens rationis. Defenditur à Scot. *quest.*3. *vniuersalium*, & *indè*, & insinuatur 2. *d* 3. *q.*1.§.*Ad quæstionem igitur. E.* & *F.* Probatur primò, ad 1. intellectus operationem pertinent termini simplices, & incomplexi, puta genus, species, & reliqua vniuersalia, necnon prædicamenta: hæc autem sunt formaliter entia rationis, vt communis fert Dialecticorum sensus: ergo formatio entis rationis primæ operationi intellectus est tribuenda. Secundò, quod potest facere, vt aliquid habeat tantùm esse obiectiuè in intellectu, potest facere ens rationis: intellectus autem prima sua operatione facere potest, vt aliquid in ipso habeat tantum esse obiectiuè, vt cum facit abstractum, concretum, & huiusmodi, quæ solum pendent ab ipsomet in tali esse, & cognosci, igitur primo eiusdem actu causari valet ens rationis. Tertiò, potest quispiam imaginari, & apprehendere chymeram, & hyrcoceruum, absque vllo iudicio affirmatiuo, aut negatiuo: horum autem apprehensio competit primæ operationi intellectus, ergo per hanc actionem fingi valet ens rationis.

79. Assertio secunda, per secundam, & tertiam operationem fiunt entia rationis, nedum materialiter, verumetiam formaliter. Hæc assertio est consentanea Scot. *vbi sup.à*, & dissentanea Mastrio, & Belluto *disp.*3. *Log. q.*4.*art.*2. affirmantibus entia rationis pertinentia ad formam propositionis, & syllogismi, vt subiectum, prædicatum, maiorem, minorem, & conclusionem tantùm effici per primam intellectus operationem, quoad materiam verò, per cunctas tres causari. Probatur primò, vnaquæque operatio intellectus participat propriam, & peculiarem efficientiam, cum sint abinuicem distinctæ, vt patet ex earum descriptionibus: ergo, sicut per primam operationem, penes materiam, & formam propositionis, & discursus, fit ens rationis: ita, per secundam, & tertiam, cum non sint inferioris, & deterioris entitatis, & causalitatis. Vndè habentur distincti libri, quorum nonnulli, ad primam, *vt lib. vniuersalium*, & prædicamentorum, alij, ad secundam, vt lib. perihermenias, & reliqui ad tertiam, vt lib. priorum, & posteriorum. Nec iuuat dicere, cum prænominatis Nuperis, quæ fiunt per 2. & 3. operationem esse denominationes extrinsecas, vt esse affirmatum, vel negatum, esse antecedens, & consequens: & per solam primam operationem, quæ sunt non entia apprehenduntur per modum entis, proindéque esse formaliter entia rationis pertinentia ad ipsam primam operationem dumtaxat. Siquidem, denominationes extrinsecæ sunt à parte rei, seclusa intellectus operâ, vt admittunt dicti Authores cit. *q.*2. *art.*1. affirmatum autem, vel negatum, consequens, & antecedens, & consimilia habent tantum esse obiectiuè in intellectu, ergo sunt formaliter entia rationis spectantia ad 2. & 3. operationem intellectus. Min. ostenditur, relatio prædicati, ad subiectum, & è contrà, cum aliquid prædicatur de alio, non consurgit ex natura extremorum, vt homo est albus, nec etiam relatio antecedentis, ad consequens, sed ex 2. & 3. operatione, ergo est formaliter ens rationis ad ipsas operationes pertinens. Deindè, quod isti subdunt, ens rationis esse non ens apprehensum per modum entis, est falsum, & à me reiectum, *q.*1.*art.*2.*huius lib. assertione prima.* Requiritur namque ad esse formale entis rationis, vt sit tantum obiectiuè in intellectu, siue habeat esse apprehensum, per primam operationem, siue esse affirmatum, per secundam, siue esse consequens, & illatum, per tertiam. Igitur prima operatio non respicit vnionem prædicati, cum subiecto, nec deductionem, & illationem consequentis ex antecedente, vt putant præfati Neoterici. Secundò, enunciatio est dictio vnius de alio, siue affirmatio, vel negatio, quæ 2. operationi intellectus adaptatur: hæc autem non est simplex, sed qualitas composita, vt latè ostendi *lib.*4. *Log. q.*3. *art.* 2. Ideò, vocatur compositio, vel diuisio: igitur, quæ efformantur per 2. operationem, non reuocantur ad primam, quæ est simplicium apprehensio. Tertiò, syllogismus est formaliter ens rationis coalitum ex partibus integralibus, & subiectiuis: competit autem tertiæ operationi, vt liquet ex eius descriptione adducta, & explanata *in Epitome Dialectica l.*5. *q.*1. *art.*3. Igitur ens rationis, quoad formam non soli primæ operationi accommodatur.

80. Obuiam fiunt iidem Doctores, & distinguunt, relationes rationis, quas præseferunt enunciatio, & argumentatio, si sumantur in concreto,& in actu exercito, important quid complexum, pertinens ad 2. & 3. operationem intellectus: quod si accipiantur in abstracto, & in actu signato, sunt quid simplex, & incomplexum, vtpotè relationes, & habitudines prædicati, ad subiectum, & antecedentis, ad consequens primæ operationi congruentes. Verùm, hæc distinctio non placet, quandoquidem, indubiè præsupponitur, & præfertur prima operatio, secundæ, terminique simplices, & incomplexi antecedunt compositos, & complexòs, & partes totum: at in secunda, operatione huiusmodi termini non capiuntur in abstracto, & in actu signato, sed in concreto, & in actu exercito, quia ipsa secunda operatio est compositio, & complexio vnius, cum alio, in qua nectuntur prædicata, cum subiectis media copula verbali, est igitur ea consideratio, & præcisio in abstracto, & in actu signato est impertinens, ad præadductas instantias diluendas. Insuper, accedentibus prima, & secunda, operationibus, ad faciendum suum ens rationis, prima operatio iam præstitit suum ens rationis: ergo ens rationis, quod causatur ab istis, ab illa minimè attingitur, quia iam ea exercuit munus suum, & ad has remittitur, & demandatur, cum non confundantur, sed distinctè se habeant in suis entitatibus, muneribus, & officiis.

81. Oppones primò, contra 1. assert. per actum falsum fit ens rationis. quo percipitur res aliter, quam sit, vt petit natura ipsius entis rationis: in prima autem operatione nulla extat falsitas, vtpotè, quæ pertinet ad 2. operationem, ergo, nec ens rationis. Negatur ma. satis quippè est ad ens rationis, vt sit tantum obiectiuè

obiectiuè in intellectu: per accidens autem est, vt actus sit falsus, *vt suprà*, præmonui.

82. Opp. 2. potentia entis rationis factiua est collatiua, & comparatiua, & ens rationis à vulgo Scotistarũ describitur comparatio passiua vnius obiecti cogniti, ad aliud obiectum cognitum: in prima autem operatione nulla extat comparatio vnius ad aliud, cum sit simplicium apprehensio, ergo per eam, nullum efficitur ens rationis. Concedo 1. partem ma. ad secundã dici potest, eam esse definitionem entis rationis logici, & secundarum intentionum logicalium, non autem entis rationis vniuersè sumpti, vt obseruaui *art. 2 q. 1 istius libri.* Vel dicito in prima operatione fieri nonnullam comparationem vnius, ad aliud, absque tamen affirmatione, & negatione, veluti cum aliquid concipimr per aliud, vt tenebræ, per lucem, & instar alterius, vt ens rationis, ad similitudinem entis realis.

83. Quæres, vtrùm Angelus valeat efficere ens rationis? Respondeo affirmatiuè. Par quippè extat ratio de intellectu angelico, ac humano. Vterque enim est collatiuus, comparatiuus, ac discursiuus, vt abundè ostendi *Tract. De Angelis, disp. 6. q. 1. §. 5.*

ARTICVLVS IV.

An Deus possit facere ens rationis.

84. VAsquez 1. *p. disp.* 118. c. 2. cui videtur præire Mayron. *Quol. 6. art. 19. in fine*, arbitratur, non solùm Deum non posse efficere ens rationis, sed nec etiam cognoscere. Suarez verò *disp. 54. Met. sect. 2. num. 23.* admittit quidem Deum cognoscere ens rationis, at negat posse illud causare. Scot. autem *Quol. 1 §. De altero. ante L.* aliisque in locis, Gadius, Lych. Viger. Barg. & cæteri Scotis. Docent Deum, & cognoscere, & facere ens rationis, quibus adstipulantur Gabriel. 2 *d. 1 q. 2.* Fons 7. *Met. c.* 8. Art. *disp. 6. sect. 4.* & alij complures.

85. Assertio prima, Deus nouit omnia entia rationis. Tenet Doct. *vbi suprà.* & alibi. Probatur primò, ex sacris litteris, Hebræorum 4. *Omnia sunt nuda, & aperta oculis eius.* Quem locum Lyranus interpretatur, nedum de factis, verumetiam de cogitatis, quæ aliquando sunt realia, aliquando verò imaginaria, impossibilia, & fictitia, quæ sunt entia rationis. Quod si occurras, & dicas præaddoctum testimonium capiendum esse de entibus realibus dumtaxat: oppono tibi illud *Sap.* 8. Quod vix aliter exponi potest, quàm de entibus rationis. *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa, & monstra scit, antequam fiant.* Vbi Lyran. transfert fallacias sermonum. Patet autem fallacias esse argumentationes apparenter veras, tamen re vera falsas: argumentationes autem esse formaliter entia rationis, in præcunte art. perspicuè ostensum, & clarè manet probatum. Secundò, Dei scientia est infinita, qua ipse Deus latebras cordis, cogitationes mentis, omnesque eius actus chymericè diuagantes comprehendit: comprehendere autem est cognoscere rem omnibus modis, quibus est cognoscibilis: ens autem rationis ex dictis *in prima q huius. lib. art. 6.* est cognoscibile, & cognoscitur à nobis, ergo & à Deo. Nec iuuat dicere cum Vasquez cit. Deum cognoscere extrema realia, in quibus fundatur ens rationis: non verò eorum vnionem, quæ est respectus rationis, seu ipsum ens rationis. Quandoquidem, qui nouit extrema, plenè & omnimodè vtique nouit extremorum vnionem; qui enim pertingit partes, pariter totum, quod ex partibus coalescit, attingit: si ergo Deus nouit falsas propositiones, & argumentationes ab intellectu creato fabricatas, & contextas, vtique earum vnionem, & nexum nouit: præsertim quia nonnulla entia rationis, vt figmenta nullo extremo, nulloque fundamento fulciuntur. Vnde meritò inquit Art. cit. hanc sententiam Vasquez vt falsam ab omnibus reijci. Tertiò qui cognoscit maius, cognoscit minus, per locum à maiori, ad minus: Deus autem cognoscit ens maius, nempè ens reale, quod est ens simpliciter: ergo nouit minus, puta ens rationis, quod est ens secundum quid, & diminutum. Denique, intellectus finitus, & creatus attingit actu suo ens rationis, ergo non latet intellectum infinitum, & increatum.

86. Assertio secunda, Deus potest facere ens rationis. Fauet Scot. præcit. Probatur primò, qui habet principium, & potentiam faciendi ens rationis potest facere ens rationis. Deus autem habet principium, & potentiam faciendi ens rationis, ergo potest facere ens rationis. Ma. est euidens, esse enim, & posse est propter operari. Min. est in confesso, quia Deus pollet intellectu, qui est potentia collatiua, & comparatiua vnius obiecti, ad aliud obiectum, proindeque factiua entis rationis, vt ostendi *art. 1. & 2. istius quæstionis.* Nec præstat dicere, cum duobus nostris Recentibus *disp 3. Log. q. 1. §. 5.* vim effectricem entis rationis præseferre imperfectionem, hoc est concipere non ens, ad modum entis, quæ longè est à Deo, quia prætérquamquod, ens rationis non ita describitur, vt monstraui *art. 2. præcedentis quæstionis*, est expressa doctrina Scot. *Quol. 1. super cit.* affirmanti, intellectum diuinum posse conferre vnum obiectum ad aliud, & efficere ens rationis. Maximè quia id non deprimit, sed extollit intellectum, qui fenditur ad omne ens; reale, & rationis, & vtrumque continet sub suo obiecto. Quod autem ipsi aiunt, ens reale esse obiectum intellectus adæquatum, *ex 1. d. 3 q. 3.* non valet, quia Doct. ibi loquitur de obiecto motiuo, non autem terminatiuo, cuiusmodi est ens rationis, vt ipsimet olfaciunt, & recipiunt *ibid. quæst. 6.* cum Bargio, & aliis Scotis. Stat ergo argumentum adhuc in suo robore. Secundò, omnis efficientia tribuenda est Deo, qui est omnium supremus opifex, & artifex: formatio autem entis rationis pertinet ad efficientiam causæ efficientis, ergo Deo congruit. Ma. patet, quia solùm à Deo remouentur causalitates causarum materialis, & formalis, propterea quod secum ferunt imperfectionem. Min. elucet ex assertis *art. 1. huius quæstionis*, in quo statuta est causa effectrix entis rationis. Tertiò, Deus potest facere, quidquid facit causa secunda, immò maiora, & præstantiora, cum sit virtutis infinitæ: causa autem secunda intellectualis moliri potest ens rationis, ex dictis, ergo & Deus, qui est causa prima. Insuper, Deus potest causare Logicam in intellectu alicuius, vt præstitit in primordio Mundi eam infundens Adamo, & Angelis: Logica autem versatur circa ens rationis, putà syllogismum; ergo effectio entis rationis Deo non est abneganda. Eò magis, nihil est independens præter Deum: ens autem rationis foret independens, quia ad eius esse, quod est esse secundum quid, & obiectiuum non coageret, nec concurreret ipse Deus, immò, intellectus creatus in eo formando, ageret independenter, absque Dei concursu: & si concedatur, Deum concurrere cum intellectu creato ad eius productionem, sanè admittendum est, ipsum Deum sine consortio alterius, posse eiusdem formationem attingere.

87. Assertio tertia. pars affirmatiua in Schola Scot. est certa, & tenenda: Hæc assertio militat aduersus Mastrium, & Bellutum, prænominatos, *quæst* 5. eam problematicè defendentes. Suadetur primò, *ex Quol. 1. §. De altero, ante L.* vbi apertè, & explicitè habetur, vtrumque intellectum, creatum, & increatum per comparationem suorum actuum ad obiecta, formare entia rationis. Secundò, *ex 1. d. 30. q. 2. §. Respondeo. sua G.* vbi perspicuè, & clarè legitur, diuinam essentiam posse comparari ad creaturam, tam per actum intellectus creati, quam increati, & in ea causare relationem rationis. Tertiò, *ex eodem ibid. d. 36. q vn. § contra istud. G & H.* & *Quol. 17. §. de secundo. C.* & *3. d. 26. q vn. § Ad quæstionem E.* & *4. dist 16. q. 2.* aliisque in locis, in quibus liquidò constat doctorem

nostrum

nostrum asserere, Deum entia rationis efficere. Nec iuuat eos afferre testimonium eiusdem Doct. 1. *dist.* 2. *quæst.* 4. §. *Ista tamen positio, ad N.* vbi pro absurdo habetur, diuinum intellectum causare relationem rationis in essentia, vt existens est. Quia ibi, interprete Lychet: loquitur Scot. de actu intellectus recto, & absoluto, quo non fit ens rationis. Ideò absurdum est, per huiusmodi actum fieri ens rationis, quandoquidem ens rationis efficitur per actum collatiuum, & comparatiuum intellectus, vt iidem Authores non inficiantur. Aliud verò testimonium, quod subiiciunt ex 1. *dist* 35. *quæst. vn.* § *contra* 2. *positionem. H.* Vbi Scot, disserens de diuino intellectu producente ens rationis, ponit particulam *fortè*, quæ est vocula dubitatiua, non prodest ipsis, quia *in Report* 1 *dist.* 36. *quæst.* 2. eumdem sermonem habens assertiuè loquitur; sic etiam aliis locis præcitatis, quem sequuntur eius omnes interpretes, totaque eius Schola. Quare, licet in primo loco firmiter non se determinet ad partem affirmatiuam, tamen in posterioribus, prorsus illi adhæret, propterea, hæc, & non altera, quæ est negatiua, est recipienda, & amplectenda.

88. Oppones primò, contra 1. assertionem, cognoscere ens rationis est aliquod ens fingere: Deus autem non potest quidquam fingere, cum sit veracissimus: ergo Deus nequit cognoscere ens rationis. Maior probatur, fingere est mente retinere, quod fictum est, ergo cognoscere ens rationis, est aliquid fingere. Nego ma. eiusque probationem, quæ nulli innititur fundamento: Ob id, eo modo, quo proponitur, quoque dissoluitur.

Oppones secundò, Deus falli non potest, quia non potest cognoscere res aliter quàm sint: sed si cognosceret ens rationis falleretur, quia cognosceret non ens, per modum entis, vt patet de tenebris, aliisque priuationibus, quæ à nobis apprehenduntur, instar formarum realium, & positiuarum, ergo Deus est expers cognitionis entis rationis. Concedo maiorem, nego minorem. Argumentum namque vrget eos, qui putant ens rationis esse non ens apprehensum per modum entis, quos repuli *quæstione* 1. *huius lib. art.* 2.

89. Oppones tertiò, contra 2. assertionem, nulla imperfectio Deo est affigenda, cum sit perfectissimus, & infinitarum perfectionum pelagus: facere autem ens rationis est imperfectio. Facere enim ens rationis, perindè est ac facere ens secundùm quid, & diminutum: producere autem huiusmodi effectus secundum quid, & diminutos, est imbecillitatis, & impotentiæ, ergo Deus alienus est ab efficientia entis rationis. Concedo maiorem, nego minorem: ad probationem distinguo, si effectus suaptè natura, & secundum se sit diminutus, nego: si verò effectus secundum se non sit diminutus, concedo. Natura autem entis rationis exigit, & petit, vt sit ens secundum quid, & diminutum. Quod si aliter fieret, destrueretur eius natura, & essentia. Itaque non potentiæ facientis, sed naturæ entis rationis tribuitur imperfectio, debilitas, & imbecillitas. Hæc de toto & integro cursu Philosophico Scotistarum, quem Deo duce cœpi, alloquens cum Scoto ipsum Deum, qui est terminus sine termino, & ipsomet suffragante finio, & termino, qui est terminus, finisque omnium vltimus, quo vtinam fruar in omnem æternitatem.

SYLLABVS RERVM PRÆCIPVARVM,

In hoc Cursu Philosophico contentarum.

A.

Animal.

Forma

Diuersi

Iris.

P.

Differt

Q.

Qualitas.

Inter

T.

Denotatiua

F I N I S.

PRÆCIPVA, QVÆ CORRIGENDA, VEL DEMENDA SVNT

in hoc volumine, habentur in præsenti tabella, cuius primus numerus paginam, secundus columnam, & tertius lineam designat.

PAgina quarta, columna prima, linea sexagesima secunda, qua, pro quæ, paulò post, q. pro D. & columna 2. linea 33. terminus pro conceptus, p. 5. col. 2. lin. 25. Vniuocatui, pro vniuocantur, p. 8. c. 1 l. 54. demitur non, p. 12. c. 2. l. 56. affecta, pro effecta. pag. 16. col. 2. lin. 29. actis, pro articuli, p. 17. c. 2. l. 52. Sarbano, pro Sarnano, p. 25. c. 1. l. 16. deest, quam, p. 35. c. 1. l. 25. deest alteram partem, p. 39. c. 1. l. 41 contrarium, pro contrariarum, p. 43. c. 1. l. 25. declarare, pro declarate, p. 47. c. 1. l. 2. id, pro D. p. 48. c. 1. l. 31. e2, pro est. & ibi, col. 2. addendum, est. 5. p. 50. c. 2. l. 49. inutiles, pro initiales, p. 57 c 2. l. 67. deest orationis, p. 59. l. 5. elcamen, pro examen, & linea 38. deest nubes, p. 66. c. 2. l. 42. Rodelphus, pro Rodolphus, col. 2. linea 58. Angelicus, pro Anglicos, p. 48. c. 2. l. 9. Abb. pro Alb. ibid. Platin. pro Plotin. p. 73. c. 1. l. 38. Sot. pro Scot. lin. 19. videndum, pro cudendum, p. 76. c. c l. 45. deest Not. 2. & c. 2. l. 6. Abb. pro Alb. p. 77. c. 1. l. 27. deest non, p. 78. c. 2. l 23. Arist. pro Art. p 79. c 2 l. 24. scientia practica, pro Logica, p. 81. c. 1. l. 56. citatur, pro vtatur. p. 84 c. 1. l. 39. altitudine, pro latitudine, p. 86. c. 1. l. 18. deest probatus 1. paulo post ligna, pro signa, ibi col. 2. l. 3. lannus, pro landunus, p. 92 c. 2 l. 3. Mattenæo, pro Manichæo, paulo post, comprehenditur, pro reprehenditur, p. 93. c. 2. l. 53. deest a. ante Met. p 96. c. 1. l 23. & pro ex, ibi, de prolegomenis Log. pro l. 2. de vniuersalibus, p. 97. c. 1. l. 8. & de prolegom. Log. pro l. 2. de vniuersalibus, p. 99. c. 1. l. 27. & de prolego. Log pro l. 2. de vniuersalibus, p. 102. c. 2. l. 34. vniuersitas, pro vniuersalitas, p. 104. c. 2. l. 7. locus, pro Sotus, ibi, de prolegomenis Log. pro l. 2. de vniuersalibus, p. 107. c. 2. l. 48. qualitate, pro quantitate, p. 100. c 1. l. 12 Sot. pro Scot. p 111. c. 2. l. 24 patiuntur, pro patiuntur. c 2. l. 48. relati, pro relatus, p 115 c. 1. l 20. secunda, pro secundæ, ibi, c. 2. l. 21. deest 7. addendum ante Met. p 116. c 1 l. 10. deest Top. ibid. paulò post l. 45. rationale, pro irrationale, p. 119. c. 1. l. 4. anima, pro animal. paulo post l. 25. affertur pro effertur, p 122. c. 2. l. 3. Tertio, pro primo, p. 123. c 2. l. 59. imputrificabilia, pro implurificabilia, p. 127. c. 2. l. 57. visibile, pro rugibile, p. 128. c. 1 p. 22. sensibile, pro risibile, ibid. l. 5. de prædicam. pro l. 2. de vniuersalibus, p. 127. c. 1. l 51. demonstratiui, pro denominatiui, p. 146. c. 1. l. 8. Dominus Scotus, pro Dominicus Sotus, p. 147. c. 1. l. 16. demitor tertio, p 148. c. 2. l. 68. ad finem deest dico. p. 152. c. 2. l. 58. intentionaliter, pro intentionalia, p. 157. c. 1. l. 49. propositione, pro propositione, p. 159. c. c. l. 20. extrinseca, pro intrinseca, p 163. c. 2. l. 62. sicathematica, pro Mathematica, p. 165 c. 2. l. 67 Racco, pro Bacco, p. 172. c. 2. l. 55, deest species, p. 180. c. 2. l. 27. Tatur. pro Tatat. p. 190. c. 1. l. 7. deest absolutam, ibid. c. 2. l. 7. omni pro omnis, p. 193 c. 2 l. 26. spectant pro spectans, paulò post deest facile, p. 194. c. 1. l. 12. semuttlis, pro subtilis. p. 197. c. 1. l. 35. deest filius, paulò post deest aduenit, p. 199. c. 1. l. 67. sed pro sex, & c. 2 l. 42. in pro cum & paulò post noo pro mox, p 202. c. 1. l. 50. Scotum pro Scoticum, p. 212. c. 2. l. 2. coius, pro vnius, p 213. c. 1. l. 50. maiuro, pro ma. cum, & ad finem artium, pro partium. & c. 2. l. 28 l. 1. pro 2. p. 214. c. 2. l 48. loquuntur, pro leguntur, p. 219 c 2. l. 37. deest actus, p. 220. c. 1. l 4. categoriam, pro categoricam, ibid. paulò post deest non, p 221. c. 2. l. 5. deest tenent, p. 222. c. 2. l. 6. Philosop. pro Philoponi, p. 223. c. 2. l. 16. deest, & negatiuæ, p. 224. c. 1. l. 63 Bonet. pro Boet. paulo post deest fides nostra, p. 227. c. 2. l. 65. quia pro quin. p. 231. c. 2. l. 15. proprietate, pro prioritate. p. 253. c. 2. l. 25. deminus simpliciter, paulò post dilatione, pro dilutione deinde & pro est, & ad finem art. pro 2. p. 234 c. l. 42 deest Petrus, & ibid. c. 2. l. 19. vi, pro & postea deest non, ac infra, vbertatem pro libertatem. p. 236. c. 1. l. 38. possibile, pro impossibile, p. 140 c. 2. l. 69, deest post, p. 241. c. 1. l. 9. communiter, pro communis. p. 242. c. 1. l. 36. Darij. pro Barij, paulo post conscieuntur, pro construntur, p. 243. c. 1. l. 20. nunquam, pro tanquam. p. 245. c. 2 l 33. coolesuarer, pro construeret, & paulò post 2 pro 1 p. 649. c. 1. l. 54 capacia, pro incapacia, p. 250. c. 1. l. 16. compositæ, pro oppositæ, p 256. c. 1. l. 38. multæ, pro nullæ, ibid c. 2 l. 64. immerito, pro merito, p. 261. c. 1. l. 8. pro loco quo, paulò post deest faciunt, p. 265. c. 1. l. 16. retineot, pro retinent, ibid. c. 2. l. 17. deest Sacræ, p. 269. c. 1. l. 5 deest modus, p. 272. c. 2. l. 1. Matt. pro May: & paulò post Mastr. pro May. p. 273 c. 1 l 25. nota, pro nata, p 277. c 2 l. 2. iam, pro cum: paulò post manifibilitatem, lege risibilitatem, p. 278 c. 2. l. 27. visibilitate, pro risibilitate. p. 280. c. 2. l 51 defuns, vel mediata, p. 282. post initium 3. art Bonet. lege Bonaneot. p. 282. c 1 l 39. defens, & tenet, p. 285. c. 1. l. 65. demonstratione, pro denominatione, p. 291. c. 2 l. 45. incertitudinem, lege certitudinem, p. 292 c. 1. l 17. stalis, pro talis. ibid. c. 2 l. 69 Tob pro Tex p. 297. c. 2 l. 26. secunda, pro prima, p. 302 c. 2. l. 8. intentionem lege intentionem. p. 303. c. 2. l. 59. intentionem loco intentionem, ibid. c. 2 l. 33 Leg. pro lib. p. 304. c. 2. l. 57. deest nec, p. 305. c. 1. l. 62. deest non. p. 311. c. 2. l. 31 incideret, pro includeret, p. 315. c. c. l. 66 epist. pro epit. p. 320. c. 1. l 2. secunda, pro secundò. paulo post, substantia. pro subsistentia. & c. 2. l. 53. deest non. p. 324. c 1 l. 48 posse, lege per se, p. 325. c. 2 l. 75. Titul. pro text. p. 326. c. 1. l. 31. ex que, pro ex quo, paulo post deest non, p. 328 c. 1. l. 5 titul. pro tex. p. 352 c. 2. l 20. & infra sæpe repetitur Titul. pro text. p. 357. c 2 l. 12. Anglicus, loco Anglicus, p. 341 c. 1. l. 7. Scot. pro Sot. p. 345 c. 1. l 15. deest tertio, sæpè infrà ponitur Titul. pro Text p 348 c c. l. 44. Mafius, pro Mafins. p. 351 c. 2 l 9 Bassæus, pro Bassolius. Titul. pro Tex. sæpe tu corrige, p. 366. c. 1 l. 49. non loco num, p. 376. c 1 l. 55 2. pro 1. p. 390. c 2. l. 1. tunc, pro tuni. p. 384. c. 1. l. 46 ma. pro pars, p. 391. c. 2 l. 54 oppositione, pro appositione, & paulo post amittit, pro admittit, p. 395. c. 2. l. 41. cap. pro lib. p. 396. c. 2. l. 54 deest principium, p. 400. c. 2. l. 7. basilisco, pro basilico, p. 401. c. 1. l 6. opponemus, pro apponemus, & p. 161 c. 2. l. 57. opposite, pro apposite, p. 402. c. 1. l. 42. intrinseca, pro extrinseca, p. 163. c. 1 l. 16. tract. pro text. p. 404. c. 1. l. 16 sanitatem, lege bonitatem, p. 405. c. 2. l. 4 separabilia, pro inseparabilia, p 407 c 2 l. 17 adducitur, pro educitur, p. 409 c. 1. 26. deest in: p. 410. c. 2. l. 55. intrinsecus, pro extrinsecus, p. 412 c. 1 l. 1. intrinsecum, pro extrinsecum, & c. 2. l. 1. art. 1 generi, pro Genes. p. 414. c. 2. l 27. dependens, pro expendens, p. 419. c. 1. l 68 independens lege dependens, p. 424. c. 1 l. 12. ad finem epist. pro epit. p. 438 c. 2. l. 35. intrinseca, pro extrinseca, p. 447. c. 1 l. 25. vanum lege vanum, p. 448. c. 1. l. 62. extra, pro intra, p 449. c. 2. l. 64. intrinseco, pro extrinseco, p. 450. c. 2. l. 35 intrinseca, pro extrinseca. & vnus pro intus, p. 452. c. 2 l 5. multa, lege nulla. ibid. paulò post immemorato, pro memorato, p 455. c. 1. l 1 ordinata, pro absoluta. p. 455. c. 2. l. 9. primo, pro secundo, p. 460. c. 1. l 49 deest non, p. 464. c. 1. l. 28. extrinseca, pro intrinseco, postea 4. pro 1. p. 465. c. 1. l. 2. dicitur, loco deciditur, p. 472. c. 1. l. 15. negat, pro allegat, p. 476. c. 2. l. 5. suadent, pro suadetur, p. 478. c 1. l. 6 aut, pro auo, 479. c 1. l. 18. deleritur, pro auferetur, p 480. c. 2. l 1 ad finem defunc. vel ab intrinseco, p. 485. c. 2. l. 3. prima. pro secunda. p. 494. c. 1. l. 6. cum, pro nam: & paulò post, deficere, pro sufficere. p 502. c. 2. l. 20. secunda notitia, pro secundo notabili, p. 516. c. 1. l. 21. anima, pro animal. p. 523. c. 2. l 10. polla, pro polleat, paulò post, deest non, p. 525. c. 1. l. 43 deest non. p. 538. c. 1. l. 53. opposito, pro apposito, p. 541. c. 1. l. 2. attendit, pro ostendit, p. 542. c. 1. l. 44. vous bonum, pro homo, p. 543. c. 1 l. 27 distribuuntur, loco definiuntur, p. 544 c. 2. l 1. nondum, lege non solum, p. 546. c. 2. l 7. deest igni, p. 547. c. 1. l. 24 affici, pro, effici, p. 548. c. 2. l. 65. deest extra: & postea pallu, pro paltu p. 558. c. 1. l. 62. huius, loco simul, & c. 1. l. 27. indicioditur, pro indicitur, p. 569. c. 9 l. 1. in fine illuminata, pro illuminata, p. 573. c. c l. 10. metus, lege metas, p 575. c. 1. l 49 nolitionis, loco molitionis, 594. c. 1. l. 6. deest non, p. 597. c 2. l 2. ad fine expositione, pro explosione, p. 598. c. 1. l 18. ostenditur, pro offenditur, ibid. in titulo art. 2. & spetis, pro spectris, p. 610. c. 2. l. 43. negatiua. pro vegetatiua, p. 612 c. 1. l. 12 effectus, loco affectus: paulò post deest est, p. 611. c. 2. l. 22. secundo, pro tertio, p. 621. c. 1. in fine decisionem, lege definitionem, p. 624. c. 1. l. 21. deest, in: postea rationalia, loco irrationalis, p. 627. c. 1 l. 9. mox, pro vox, postea, c. 2. l. 7. melior, pro molior, p 644. c. 1. l. 36. deest in, p. 645. ad finem, recipis, pro respicit, p 648. c. 2. l 25. loci, pro lucis, p 656. c. 2 l. 1. Philosophus, pro Philoponus, p. 674. c. 1. l. 49. deest exit, p 678. c. 1 l. 9. deest non. p 680 c. 2. l. 18. deest præteritus. p 681 c. 1. l. 22. deest animalia, p. 649. c. 1. l. 17. relationis, supple relatio rationis, p 697. c. 2. ad finem deest non, 700. c. 2. 43 noluit, pro voluit. 724. c. 2. l. 47. deest non, 724. c 1. l. 1. vobis, pro nobis, p. 759. c. 2. l 9. ego, pro nego, & ad finem deest vix, p. 754. c. 1. l. 21. diuiso, pro composito, p. 757. c. 2. l. 35. deest non. p. 742. c. 2. ad finem, deest esse, p 745. c. 2. l. 24. deest non. p. 751. c 1. ad finem, supple existentiam, p766 c. 1. l. 36. fere, pro fert, p787. c. 2. ad finem, amotis, loco timoris, p 795 c. 2. l. 22. concludente, pro excludente, p. 797. c. 2. l. 10. desinit, aut moralia, p. 807. c. 2. l. 12. Doct. pro Dui. posteà Complect. pro Complut. p. 811. c. 2. l. 27. pios. supple polit. p. 816. c. 2. l 6. 8. pro 5. p. 817. c. 2 l. 7. August. pro Angel. p. 818. c. 1 l. 36. primò, pro tertio, c 2. l. 24. libertas, pro liberalitas, p. 824. c. 2. in fine paritas, pro disparitas, p. 830. c. 2. l. 2. deest nego, p. 833. c. 1. in fine, allata pro ablata, p 849 c. 1. l. 33. implicicitæ, loco implicitæ, p. 849. c. 2. l. 35 ablatum, lege allatum, p. 854. c. 2. l. 39. propositio, pro propositio. p. 872. c. 1. l 15. rationem, supple relationem, p 874. c. 2. l 3. 5. pro 2. p. 880. c. 2. l. 40. deest ex, p. 882. c. 1. l. 22. deest si. p. 898. c. 2. ad finem obiecti, pro obiici, c. 2. l. 32. præstantia, pro præsentia.